DOGMATUM THEOLOGICORUM

TOMUS TERTIUS, & Ultimus,

QUO RELIQUI TRACTATUS

THEOLOGICI continentur.

AUTHORE

LUDOVICO THOMASSINO

Congregationis Oratorii Presbytero.

EDITIO VENETA, CUI ACCEDUNT in calce hujus Tomi DISSERTATIONES IN CONCILIA *tum Generalia, tum Particularia ejusdem Authoris.*

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

VENETIIS, MDCCXXX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

EX TYPOGRAPHIA REGIA

AENEIDIS · M·DCCXXX

INDEX CAPITUM HUJUS TOMI.

TRACTATUS PRIMUS.

De Prolegomenis Theologiæ.

CAPUT I. QUæ & qualis sit Theologia. Qui & quales esse debeant Theologi, ex Patribus primùm Latinis. *Pag.* 1.

CAP. II. Rursus ex Latinis Patribus, quæ & qualis sit Theologia, qui & quales esse debeant Theologi. 4

CAP. III. Ex Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia, quos & quales esse deceat Theologos omnes, non Magistros tantùm, sed & Tyrones. 8

CAP. IV. Ex aliis rursum Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia: quos & quales esse deceat Theologos omnes; non Magistros tantùm, sed & Tyrones. 11

CAP. V. Ex cæteris Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia; quos & quales esse deceat Theologos, Tyrones & Magistros. 15

CAP. VI. Theologiæ objectum Deus, Christus, Dei Verbum, Scriptura, in qua se Deus nunc interim se nobis videndum, audiendum, contrectandum, gustandum offert. Ex Patribus Latinis, ac primùm ex Augustino. 18

CAP. VII. Ex Augustino rursum & aliis Patribus Latinis, ut per Scripturas nobis se Deus ostendat & accommodet. 21

CAP. VIII. Ex Patribus jam Græcis ostenditur Scripturas esse Theologiæ objectum, Theologorum delicias, Verbum Dei, Deumque, scilicet sacris velaminibus obductum. 26

CAP. IX. Christus via nobis est & ratio, qua sciuntur, quæcumque sciuntur, ex Augustino. 33

CAP. X. Ex Græcis Patribus, Christus nobis via est & ratio, ac lux, qua sciuntur, quæcumque verè sciuntur. 36

CAP. XI. Quàm verè, & quo sensu dicatur, Scripturas omnes de Christo, & de solo Christo verba facere. 40

CAP. XII. Uni charitati commendandæ universæ serviunt Scripturæ, & ita rursus uni Christo prædicando, cujus Spiritus charitas est; cujus sermo, & actus omnis, charitatis commendatio est. 42

CAP. XIII. Frustra sunt hæretici, qui Scripturas sibi vendicant, fidei & charitatis magistras; cùm tam à charitate illi, quàm à fide alieni sint. 46

CAP. XIV. Frustra esse hæreses, dum ad Scripturas provocant. 49

CAP. XV. Scripturis frustra confidere Hæreticos, quas interpretando pervertunt. 52

CAP. XVI. Rursus quàm frustra hæretici Scripturis confidere se simulent. 55

CAP. XVII. Qui Scriptores Ecclesiastici, etsi alicubi erraverint, purgari debeant ab hæreseos suspicione. 58

CAP. XVIII. Ex Græcis jam Patribus demonstratur longissimè aberrare Hæreticos, qui Scripturarum intelligentiam sibi vendicant, & interpretationem, cùm ea non sit nisi sanctorum Patrum, Ecclesiæ universæ, unitatis & charitatis. 64

CAP. XIX. Rursum ex Patribus Græcis, Scripturas ex Patrum consensione interpretandas esse, non ex suo cuique ingenio, aut spiritu. 67

CAP. XX. Scripturas ex sanctorum Patrum consensione & traditione esse interpretandas, ea esse germanæ Theologiæ fundamenta. Ex Patribus primùm Græcis. 72

CAP. XXI. Rursum ex Græcis Patribus, consensione Patrum exponendas Scripturas, & quæstiones Theologicas definiendas esse. 76

CAP. XXII. Ex reliquis Patribus Græcis, quæ & quanta sit Patrum consentientium authoritas. 80

CAP. XXIII. Ex Patribus jam Latinis idem efficitur, Scripturas ex consensione & traditione sanctorum Patrum esse interpretandas ad orthodoxæ fidei definitiones. 83

CAP. XXIV. Ex Augustino rursus, de Ecclesiarum, Patrum, Episcoporum traditione, successione, consensione, authoritate. 86

CAP. XXV. Ex aliis Patribus Latinis, de Ecclesiarum, Patrum, Episcoporum traditione, successione, consensione, antiquitate & authoritate. 90

CAP. XXVI. Authoritas sanctorum Patrum, maximè consentientium, universim rebus in omnibus Theologicis, quæ ad fidem maximè spectant. Ex Latinis primùm Patribus. Ex Augustino. 94

CAP. XXVII. De authoritate sanctorum Patrum in fidei & Theologiæ quæstionibus, ex Augustino. 98

CAP. XXVIII. Ex Hieronymo demonstratur invictissima sanctorum Patrum authoritas Theologicis in omnibus quæstionibus. 102

CAP. XXIX. Ex aliis Patribus Latinis demonstratur invictissima Patrum consentientium authoritas in rebus Theologicis. 105

CAP. XXX. Ex aliis denique Latinis Patribus, ex Patrum consensu finiri debere Theologicas quæstiones. 109

CAP. XXXI. Ex Græcis Patribus declaratur, quàm nefas sit à consensu sanctorum Patrum recedere in quæstionibus omnibus Theologicis. Ex Athanasio primùm. 114

CAP. XXXII. Ex aliis Patribus Græcis idem exprimitur. 118

CAP. XXXIII. Ex aliis rursum Patribus Græcis, Patrum consentientium authoritas. 121

Index Capitum.

CAP. XXXIV. Ex Patribus denuo Græcis de authoritate indeclinabili Patrum consentientium. 125

CAP. XXXV. Prosit, an obsit Philosophia, maximè Platonica, Theologiæ Christianæ, Primùm ex Augustino. 130

CAP. XXXVI. Prosit, an obsit Philosophia Theologiæ Christianæ ex aliis Patribus. 134

CAP. XXXVII. Rursus ex sanctis Patribus quanto Philosophia Christiana Theologiæ sit adjumento. 139

CAP. XXXVIII. Ex cæteris Patribus Græcis, prosit, an obsit Philosophia Theologiæ nostræ. 143

CAP. XXXIX. Universim quantum habeat momenti Philosophia in rebus Theologicis, ex Patribus Latinis. 146

CAP. XL. Quantum universim momenti sit in Philosophia ad res Theologicas, ex Græcis. 152

CAP. XLI. Quanto & adjumento sint & ornamento Artes liberales ad Theologiam pertractandam, ex Patribus Græcis. 154

CAP. XLII. Rursum ex Patribus Græcis, quanto esse possint ad Theologiam adjumento artes liberales, & litteræ humaniores. 158

CAP. XLIII. Quanto ad res Theologicas adjumento esse possint Artes liberales, ex Patribus Latinis. 161

CAP. XLIV. Theologiæ sive Scholasticæ, ut nunc loquuntur, sive ex sanctorum Patrum & Conciliorum suffragiis contextæ, origo & progressus, ab ipsis usque prioribus Ecclesiæ sæculis. 166

CAP. XLV. Rursus de eodem progressu Scholasticæ Dogmaticæque Theologiæ ab ipsis Ecclesiæ primordiis. 170

CAP. XLVI. Iterum de progressu Theologiæ Dogmaticæ Scholasticæque ad hanc usque ætatem nostram. 173

TRACTATUS SECUNDUS.

De Divina & Sanctissima Trinitate.

CAPUT I. SI quæ nobis incomprehensibilia & impossibilia videntur esse, potest Deus facere, multò magis esse; ut unum illum trinumque esse tantò minùs illi pugnet, quantò magis repugnat nobis. Ex Patribus primùm Græcis. 177

CAP. II. De eodem ex Patribus Latinis, posse Deum ea facere, multò magis esse, quæ nobis impossibilia videntur; adeoque nec pugnare, ut credatur à nobis Unus esse & Trinus. 182

CAP. III. Ex sanctis Patribus demonstratur, de sanctissima Trinitate non tam demonstrationes, & intelligentias nobis suppetere, quàm earum conatus, & rudimenta quædam. De unitatis summæ ineffabili magnitudine, quæ proinde Trinitas est. Ex Patribus Latinis. 186

CAP. IV. De unitatis divinæ magnitudine, opulentia, universitate, dilatatione in tres hypostases, ex Patribus Græcis. 189

CAP. V. Deum esse unitatem ipsam summè fœcundam, nec imparis sibi prolis fœcundam. Ex Patribus Græcis. 193

CAP. VI. De eodem ex Patribus Latinis, Deum esse ipsum unum, cujus nec unitati fœcunditas, nec fœcunditati unitas officit. 196

CAP. VII. Tres in Deo personas unum esse Deum propter unitatem principii, ab uno Patre manantibus duabus personis aliis. Ex Patribus primùm Græcis. 199

CAP. VIII. Ex Patribus jam Latinis declaratur tres in Deo Personas unum esse Deum propter unitatem principii, ab uno Patre manantibus Personis aliis. 204

CAP. IX. An dici possit Deus seipsum gignere, à seipso nasci. 207

CAP. X. Saniùs & magnificentiùs Pater dicitur Deus, quàm ingenitus. Ex Patribus Græcis. 211

CAP. XI. Magnificentius Deo est, ut Pater dicatur, quàm ut Ingenitus, ex Patribus Latinis & Græcis rursum. 216

CAP. XII. Non ingenitum modò, sed & genitorem esse Deum, & fœcundum in suo ipsius sinu, per quem fœcunda sunt omnia. 220

CAP. XIII. Rursum ex Patribus Latinis, cur Filius non genuerit. Ex Græcis & Latinis, volens an nolens genuerit Pater. 225

CAP. XIV. Quomodo Pater major sit Filio, qui unus est cum illo Deus, secundùm Patres Latinos. Quomodo Pater mittat Filium, uterque Spiritum sanctum. 229

CAP. XV. Quomodo Pater major sit Filio, qui unius tamen est cum eo Deitatis, unius substantiæ & gloriæ; ut Filius subjiciatur Patri, ut ab illo mittatur, ex Patribus Græcis. 233

CAP. XVI. Non posse majorem esse in Deo Personam unam qualibet alia; non posse duabus aliis, vel tribus simul minorem esse. Tria esse perfecta hæc, unum perfectum. 237

CAP. XVII. Ita Unum natura, Trinum Personis esse Deum, ut numero ibi nec unum sit, nec tria. Quid tria dicantur. Cur non plura. 240

CAP. XVIII. Quantum luminis & præsidii accersi possit ad Trinitatis fidem illustrandam & confirmandam, ex eo quòd Esse, Nosse, Velle, tria & unum sint; item memoria, intelligentia, & voluntas. 244

CAP. XIX. Rursus quantum lucis accedat fidei Trinitatis ex comparatione mentis, & fœcundæ, & suum sibi Verbum, ceu imaginem sui gignentis. 250

CAP. XX. De eodem ex Patribus Latinis, quantum luminis accedat fidei Trinitatis ex similitudine mentis fœcundæ, suum sibi Verbum, suam sibi imaginem gignentis. 254

CAP. XXI. Cùm omnia Authoris impulsu & naturæ instinctu tendant ad similitudinem primi Principii, & gradatim ad eam accedant: necesse esse ut ad perfectissimam illam similitudinem pertingat, quod primum & proximum ab illo procedit, Ex Augustino. 257

CAP. XXII. Ex eodem Augustino rursus, ut Filius Sapientia sit Patris, eoque probetur æternus esse.

Index Capitum.

esse. Ut videatur perpetua & æterna veritas primorum Principiorum. 261
CAP. XXIII. De Sapientia genita, non creata, primogenita ante omnem creaturam, Principio creaturæ Dei, increata, & Filio, 264
CAP. XXIV. Una, vera, sancta potest esse creatura, non ipsa Unitas, Veritas, Sanctitas. 269
CAP. XXV. In Deo tria unum sunt, quia una charitas, veritasque. 273
CAP. XXVI. Quas ex natura corporea similitudines sancti Patres mutuas sumpserint ad arcana Trinitatis elucidanda. 278
CAP. XXVII. An ut plures homines unus homo, ita plures Personæ divinæ unus Deus dicantur. 283
CAP. XXVIII. Tres divinas hypostases unum etiam dici, & esse Deum, ob reciprocam immeationem, seu inexistentiam. 287
CAP. XXIX. De generatione Filii & processione Spiritus sancti, ex Augustino primùm, & aliis Latinis Patribus. 294
CAP. XXX. De generatione Filii & processione Spiritus sancti, ex Græcis Patribus. 299
CAP. XXXI. De generatione Filii & processione Spiritus sancti, ex aliis Patribus Græcis. 305
CAP. XXXII. Marii Victorini doctrina de trinitate & unitate divinarum Personarum. 311
CAP. XXXIII. Ecquid de Trinitate sub veteri Testamento vel ante exploratum fuerit, post & ante Moysen. 317
CAP. XXXIV. An antiquis Philosophis, maximè Platonicis, illuxerit fides, vel doctrina sanctissimæ Trinitatis. 322
CAP. XXXV. Ex Platone ipso confirmantur antedicta. Quàm multa & quàm præclara antiquissimis Philosophis illuxerint de Trinitate. 325
CAP. XXXVI. Philonis Judæi doctrina de pluribus unius summæ Deitatis Hypostasibus & Personis. 329
CAP. XXXVII. Tertulliani de Trinitate doctrina prorsus orthodoxa. 333
CAP. XXXVIII. Rursus de orthodoxa Tertulliani de Trinitate doctrina. 338
CAP. XXXIX. Doctrina Novatiani de Trinitate, ad uberiorem etiam elucidationem superioris nostræ de Tertulliani doctrina sententiæ. 344
CAP. XL. Orthodoxa de Trinitate Cypriani & Lactantii doctrina. 348
CAP. XLI. Orthodoxa de Trinitate doctrina Minutii Felicis & Arnobii Senioris. 352
CAP. XLII. Orthodoxa Patrum Græcorum Nicæna Synodo antiquiorum doctrina de Trinitate, Justini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani, Caii. De Luciano. 355
CAP. XLIII. Orthodoxa de Trinitate doctrina Irenæi. 361
CAP. XLIV. Orthodoxa de Trinitate doctrina Patribus Nicænæ Synodi vendicatur ex Clemente Alexandrino. Ex Clemente Romano, Ignatio & Polycarpo. 365
CAP. XLV. De Gregorio Thaumaturgo, & de Dionysio Alexandrino. 371
CAP. XLVI. De Conciliis Antiochenis, de Theognosto, de Luciano. 376
CAP. XLVII. De Origene, de Beryllo, de Catholicorum fiducia, de desperatione Arianorum in asciscendis sibi antiquorum Patrum suffragiis. 380

TRA-

Index Capitum.

TRACTATUS TERTIUS.

Quo proponitur compendiaria omnium de Gratia Controversiarum elucidatio, semel & iterùm jam pridem Gallicè edita, nunc primùm Latinè ab Authore ipso versa. Ponitur autem ob oculos doctrina Augustini, cæterorumque sanctorum Patrum, Græcorum & Latinorum, Thomæ Aquinatis, omniumque propemodum Scholæ Theologorum ad Concilium usque Tridentinum, & exinde celeberrimorum quorumque Doctorum, qui Italiæ, Franciæ, Hispaniæ, Germaniæ, Belgi & Angliæ Universitates illustrarunt.

PRÆFATIO.

QUalis Editioni Gallicanæ secundæ præfixa fuit anno 1682. 384

TRACTATUS III.

Consensus Scholæ de Gratia.

CAPUT I. DE Gratia Angelorum & hominis ante lapsum. 392
CAP. II. De lapsu hominis, & de Prædestinatione gratuita. 393
CAP. III. Prima pars auxiliorum divinorum, quibus vitantur peccata, etsi necdum præparatur homo justificationi. *ibid.*
CAP. IV. In primum hoc genus generalium auxiliorum necessariæ quædam animadversiones. 394
CAP. V. In eandem rem necessaria quædam elucidamenta. 395
CAP. VI. De altera parte generalium auxiliorum, quibus etsi justificationem non promereamur, ad illam tamen præparamur. *ibid.*
CAP. VII. Rursum de generalibus auxiliis, quibus ad justificationem præparamur, nec eam tamen promeremur. 396
CAP. VIII. Elucidamenta quædam alia auxiliorum eorundem generalium. 397
CAP. IX. De Gratia speciali, justificante, vel habituali, Eam esse gratiam Christi propriè dictam, & excellentissimam, charitatem & delectationem justitiæ, charitatem quæ per Spiritum sanctum & cum Spiritu sancto diffunditur in cordibus nostris. 398
CAP. X. Iterum de eadem re; Fidem & doctrinam gratiæ habitualis eandem hactenus semper in Ecclesia viguisse, quæ nunc viget; nec aliter vel capi posse justificationem, vel exponi. 400
CAP. XI. Gratiam, vel charitatem habitualem, actuosam esse, & vires addere, quibus malum vitetur, & bonum fiat. 401
CAP. XII. Charitate habituali verè suppeditari vires & potestatem implendorum præceptorum. 402
CAP. XIII. Posse à nobis nunc opera aliqua bona edi per eandem gratiam habitualem & actualem, per quam poterat homo ante lapsum omnia implere præcepta, & perseverare usque in finem; nec semper egere nos delectatione boni prædeterminante. 403
CAP. XIV. Quibus machinis gratia prædeterminans oppugnari possit. 404
CAP. XV. Gloriari non posse hominem etsi gratia ad singulos actus prædeterminante non egeat. *ibid.*
CAP. XVI. Nunquam determinari gratiam à voluntate, etsi voluntatem non semper gratia prædeterminet. 405
CAP. XVII. Gratiam ne tum quidem subjicii homini, cùm illi resistitur. 406
CAP. XVIII. Efficacissimæ & ineluctabilis Dei gratiæ ad conversionem peccatorum, & ad perseverantiam justorum ante sæcula prædestinatorum, ratio & via quadruplex explanatur. 407
CAP. XIX. Tres priores sententiæ inter se comparantur. 408
CAP. XX. Quantum præstet quarta sententia, quæ multitudini & conspirationi auxiliorum innititur, tertiæ quæ soli delectationi victrici totum tribuit. *ibid.*
CAP. XXII. Quomodo gratia efficacissima juxta quartam hanc sententiam, immuter voluntates, easque invictissimè torqueat, ad ea volenda & facienda, quæ divinæ consentiant prædestinationi. 410
CAP. XXIII. Quomodo gratia hæc prædeterminet voluntatem, nec indifferentiæ tamen ejus officiat. 411
CAP. XXIV. Ejusdem argumenti continuatio. 412
CAP. XXV. Consensus & concordia trium priorum quæstionum cum quarta. 413
CAP. XXVI. Probationes ex Scriptura, Augustino & Thoma. *ibid.*
CAP. XXVII. Elucidamentum necessarium de potestate faciendæ, vel non faciendæ cujuscumque actionis bonæ, vel malæ. 414
CAP. XXVIII. De gratia ad unumquodque bonum opus necessaria. Quæ sit gratia operans, & cooperans. 415
CAP. XXIX. Gratiam habitualem & actualem affectus esse, affectus autem esse veluti vincula, quibus voluntates Deus nostras trahit ad quæcumque fieri vult. 416
CAP. XXX. Non tantum nunc laudis & meriti colligi à nobis ex bonis operibus, postquam gratia invictissima juvandi sumus, quantum in statu innocentiæ. 417

TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

Conſenſus Scholæ de Gratia, ſemel & iterum jampridem Gallicè editus, nunc primùm Latinè paulò auctior; ubi demonſtratur conſenſus Tractatus tertii de Gratia actuali, habituali & efficaciſſima, cum doctrina Sanctorum Anſelmi, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, omniumque fermè Theologorum uſque ad Concilium Tridentinum, & à Concilio Tridentino celebratiſſimorum in omnibus Univerſitatibus Doctorum.

PRÆFATIO.

EDitionis primæ anni 1668. *ibid.*

PARS I.

QUæ Patres continet, & Theologos ab anno milleſimo centeſimo ad milleſimum trecenteſimum. 420

PARS II.

QUæ Theologos complectitur ab anno milleſimo trecenteſimo ad quingenteſimum ſupra milleſimum. 457

PARS III.

THeologorum ſæculi XVI. ab anno milleſimo quingenteſimo ad finem uſque Concilii Tridentini. 500

PARS IV.

AB exitu Concilii Tridentini ad noſtra hæc uſque tempora. 589

TRACTATUS QUINTUS.

Cur in medio annorum, ſive in plenitudine temporum non maturiùs, non tardiùs, natura ſe noſtra induerit Deus Verbum.

CAPUT I. ECcur Verbum caro factum ſit in medio annorum, ſeu in plenitudine temporum. Ac primò inquiritur, quo Dei conſilio & quo hominum compendio lex ante gratiam præſtructa ſit. 656.

CAP. II. Conſilio medicinæ, & merito ſanguinis Chriſti, legem olim diſpenſatam eſſe, ex eo, rurſum demonſtratur, quòd etiamnunc poſt Chriſti adventum eadem ratio medicinæ perduret, & ante legem ac ſub lege priùs ſimus quàm ſub gratia. 662.

CAP. III. Timore priùs ſub lege pueritiam quandam humani generis regendam fuiſſe, quàm charitate per Chriſtum ejus juventa imbueretur: nec aliter etiamnunc conſuli ſingulis poſt Chriſti adventum. 667

CAP. IV. Temporalibus priùs Dei beneficiis inefcandam fuiſſe humani generis pueritiam, quàm æternis juventa ejus cumularetur. Temporalia æternorum umbris & figuris honeſtanda fuiſſe. 673

CAP. V. Quæ hactenus de humani generis pueritia, legis, timoris & temporalis mercedis imbuenda tyrociniis, & ita ad Chriſtum manuducenda, diſputata ſunt uno ex Auguſtino, reliquorum Patrum aſtipulatione muniuntur. 673

CAP. VI. Præceptis minoribus antè informanda erat humani generis pueritia per ſapientiæ ſervos, quàm majoribus ab ipſa per ſeſe ſapientia imbueretur juventus. 692

CAP. VII. Inſuefacienda erat primùm gens humana per figuras & umbras, poſteà per corpus proprium contrectare Deum & contueri. 696

CAP. VIII. Sacramentorum corporalium multitudine & obſcuritate domandum primò fuit interim, dum pueraſcit genus humanum, & ita Chriſto initiandum. 701

CAP. IX. Non poteſt Chriſtus à mortalibus niſi adumbratus teneri: quocirca & Moſaicis ſacramentis, etſi umbraticis, continebatur: & noſtris, etſi verioribus, adhuc tamen obumbratur. 708

CAP. X. Caro ipſa Chriſti, quæ novi Teſtamenti ſumma hìc interim beatitas eſt, vel aſportanda hinc fuit, vel hìc velanda, ut non carnaliter, ſed ſpiritaliter, & qualiter etiam à Patriarchis, & Prophetis diligi poterat, diligeretur. 717

CAP. XI. Tota veteris Teſtamenti & Scriptura & diſpenſatio, quædam erat Incarnatio Verbi adumbrata, & ea quæ puerili pietati ſufficeret. 721

CAP. XII. In Scriptura & diſpenſatione veteris Teſtamenti nunquam latuit charitas veritatis, nuſquam non adfuit; id porrò unum, id totum Chriſtus, id ſalus eſt. 728

CAP.

Index Capitum.

CAP. XIII. Verbum Deus ante carnem ſuam ad omnes ubique gentium extra Iſraelem populos viſis congruis veniebat, & præcoquis futuræ incarnationis ſuæ beneficiis quibuſdam irrorabat. 734

CAP. XIV. Chriſtus non univerſis tantùm, ſed ſingulis etiam hominibus venit; ſingulis naſcitur, creſcit, moritur, reſurgit; ideoque non ſemel, ſed ſemper venit; & etiamnunc, cùm venerit jam, venturus expectatur. 747

CAP. XV. Chriſtus in Eccleſia ſponſa, & ipſe ſponſus & ſponſa, caput & membra, juſtitia & juſtorum univerſitas, ab exordio ad exitum uſque ſæculi, ſemper venit, & ſemper veniet. 758

CAP. XVI. Solvitur objectio & quædam in ſpeciem conflictatio inter ſanctos Patres, ajentes modò orbem lege & timore antè fuiſſe præparandum; modò expectandum ut ſumma vis morbi tum fureret, ut tunc medicus in orbem ægrum adveniret. 768

THEO-

THEOLOGICORUM DOGMATUM TOMUS TERTIUS & Ultimus,

Distributus in plures & varios Tractatus,

De Prolegomenis Theologiæ, de Deo, de Christo, de Gratiæ divinæ auxiliis.

TRACTATUS PRIMUS.

De Prolegomenis Theologiæ.

CAPUT PRIMUM.

Quæ & qualis sit Theologia. Qui & quales esse debeant Theologi, ex Patribus primùm Latinis.

I. Ex Augustino, quanta Theologicam, hoc est, Christi Cathedram sanctimonia deceat.

II. Pietate quærendus Deus, non curiositate; summa ejus non inveniendi tantùm, sed & quærendi suavitas est, est & utilitas.

III. Deus etiam dum quæritur, invenitur: dum sititur, bibitur: dum esuritur, degustatur.

IV. Ex eodem rursus pietas, charitas, humilitas certò Deum invenit; intellectus invenit, fides querit. Deum non invenit scientia inflans, sed charitas ædificans.

V. Luculentè ex Ambrosio, ut qui Theologia, qui contemplationi, vel prædicationi verbi vacat, non vacet, non otietur, sed opus operetur præstantissimum.

VI. Quàm concordare debeant Maria & Martha, Apostoli & Diaconi, qui verbo, & qui operi vacant.

VII. Ex Hilario etiam quæ scribendo fit, prædicatio verbi est, ab Apostolis etiam initiata. Quàm pauci intelligant, & Deum quærant.

VIII. Ex Tertulliano, qui ad eam quæ caret animi puritatem suspirat, ejus quodammodo compos est.

IX. Ex Hieronymo, virginitas & fœcunditas Theologiæ.

X. Luculenta Theologi descriptio ex eodem Hieronymo.

I. Tsi sua constet Doctrinæ sacræ vis, sanctitas & majestas, etiam tum cùm ex ore & corde profano prodit; interest tamen mirum in modum, ut ejus sanctimoniæ audientium, legentium, docentium animi moresque respondeant. *Christus veritas est*, ait Augustinus, *& tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest; id est, ut pravo & fallaci corde, quæ recta & vera sunt prædicentur.* Qui pluris sua quàm quæ Christi sunt faciunt, *sua quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiori sedis Ecclesiastice, quam sana doctrina constituit.* Si enim olim *non bona facientes, cogebat bona dicere Cathedra Moysi:* quid Cathedra Christi, qui sempiterna Veritas; qui incommutabile Dei Verbum est; qui verè Deus Verbum, verè Theologus, & Theologia ipsa est?

De Doctr. Christ. l. 4. cap. 27.

II. Arcana divinæ substantiæ & virtutis, ait idem alibi, *qui videt vel ex parte, vel per speculum, & in enigmate, gaudeat cognoscens Deum, & sic Deum honoret, & gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cecitatem ad calumniandum.* Pietate enim, non acumine invenitur, & cognoscitur Deus: unde lætissima efflorescit gaudiorum & honoris & gratiarum actionis messis. Hinc emergit illa

De Trinit. l. 6. c. ult.

non inveniendi tantùm, sed & quærendi aviditas, suavitasque: *Sic ergo quæramus tanquam inventuri, & sic inveniamus tanquam quæsituri*, ut ait ille. Et rursum quàm totus quærendi & inveniendi Dei labor pietatis & religionis deliciis condiatur, accipe ex luculenta Psalmorum interpretatione: *Lætetur cor quærentium Dominum; querite Dominum, & confirmamini: querite faciem ejus semper. Non ait, Lætetur cor invenientium, sed quærentium Dominum, &c. Si quæsitus inveniri potest, cur dictum est, Querite faciem ejus semper? An & inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda: ne se existimet nihil invenisse, qui quàm sit incomprehensibile quod querebat, invenire potuerit.* Dei ergo non inveniendi tantùm, sed & quærendi mira quædam & sanctissima voluptas est. Sive enim inveniatur, non potest non magnoperè gaudere, tanti voti qui compos factus est: sive non inveniatur, hoc ipsum certè invenitur & comprehenditur, tantum hoc esse bonum, quod nec inveniri à nobis, nec comprehendi possit; tantòque adeo & admirabilius & amabilius esse, tantò acriori & vestigatione, & charitate nostra complectendum.

De Trinit. L. 1. cap. 1.

Ibid. l. 15. cap. 2.

III. Hinc igitur pius & religiosus, magis, quàm curiosus vestigator, melior meliorque in dies efficitur; eo enim felix, quod summum & incomprehensibile bonum, etiam non inveniendo invenit, etiam non comprehendendo complectitur. *Cur ergo sic quærit*, ait Augustinus, *si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit, nisi quia cessandum non est, quandiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur: & melior meliorque fit, quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & querendum invenitur? Nam & quæritur, ut inveniatur dulciùs: & invenitur, ut quæratur avidiùs.* Pastus hic est animorum optatissimus, dulcissimusque; Veritas summa, ubique obvia, & quodammodo tamen invia; ubique occurrens, & aufugiens: hoc ipso illiciens, quod sese mox suffuretur. *Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere Sapientiam, Qui me manducant, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant enim & bibunt, quia inveniunt: & quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt.*

Ibid.

Ibidem.

Hæ sunt igitur Theologiæ, hæ Theologi partes; Deum quærere, nec funditus invenire; vel sic enim utcumque invenitur, nec sine ingenti & pietate & delectatione tum quæritur, tum invenitur. Item Deum comprehendere, eo vel maximè quod comprehenditur, quàm comprehendi non possit; ex quo non potest quisquam sanæ mentis incomprehensibili bono suo non adgaudere, sibique ipsi congratulari. Denique Deum esurire & degustare, sitire ac bibere, ac primoribus saltem labris delibare; & fames enim ipsa & sitis Dei oblectat animos immortales, & naturæ suæ sponte, & divina quadam illecebra, non terrena & caduca, sed cœlestia & sempiterna bona esurientes & sitientes.

IV. *Fides quærit*, ut ait mox Augustinus, *intellectus invenit: propter quod ait Propheta, Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.* Prolixiùs infrà elucidabitur hæc fidei & intellectus vicissitudo. Fides primùm quærit, tum postea intellectus invenit, inventum complectitur. At quia nonnisi angustus mentis creatæ sinus immensum & infinitum complectitur Bonum, Verumque; rursum fides quærit, & semper quærendum læta & infatigata experitur. Sui copiam faciet aliquando tandem, qui quæri se, qui peti, qui pulsari jussit, ut author idem est Augustinus, longè aliam quæstionem versans, modò *absit pervicacia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsandi*; quærat modò religio, pietas, probitas, non curiositas, non terrenarum opum, deliciarum, dignitatum, præ cœlestibus & divinis cupiditas. Charitati enim æternorum, non cupiditati temporalium despondetur, & exhibetur Veritas. Unde idem Augustinus ad Orosium contra Origenistas & Priscillianistas scribens: *Ipse reserabit latiùs veritatem, qui pulsantem pervidet, quam donare dignatus est charitatem.*

Tom. 6.

Quæ porro duce charitate accedit nobis scientia, illa non inflat, sed ædificat: eoque juvat ut ad fastigium contemplationis divinorum assurgamus. *Ergo amate scientiam*, ait Augustinus, *sed anteponite charitatem. Scientia si sola sit, inflat. Quia verò charitas ædificat, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scientia, ubi charitas non ædificat; ubi autem ædificat, solidata est.* Ita arcetur à conspectu Veritatis ipsa scientia, non tantùm si comites vel auspices habeat sordidas cupiditates; sed etiam si sola sit, si charitatis contubernio destituta sit. Tum enim inflat, quia sua sibi est, sibi intus plaudit, de suo sibi lumine gratulatur, non Patri luminum Deo; id verò alienissimum est à veritate, à sapientia, à germana scientia. Ab hoc porro tumore inflantis scientiæ quid magis sejunctum esse potest, quàm qui ita quærit, ut semper quærat: se nondum invenisse, aut necdum satis invenisse persuasus? Ita quærere, pietatis est, charitatis est, humilitatis & sobrietatis est, quæ sunt virtutes oculi illius occulti, non inflati, sed sani, & ad divinorum contuitum optimè instructi. Hinc Augustinus: *Querite faciem ejus semper. Nemo quærendo deficiat, sed proficiat. Proficit querens, si pietas quærit. Quomodo quærit pietas, quomodo vanitas? Pietas quærit credendo, vanitas litigando. Si enim litigare mecum velis, mihique dicere, Quem Deum colis, qualem Deum colis? ostende mihi quod colis: Respondebo, Etsi est quod ostendam, non est cui ostendam.* Ostendit enim se lux veritatis summæ oculo non inflato, non terrenis sordidato affectibus, sed sano & puro. Quî potest enim divina scire, qui & seipsum nescit? qui intima fruetur veritatis luce, qui extra se terrestribus cupiditatibus ejectus, toto vitæ curriculo peregrinatur?

De verbis Apost. Serm. 15. cap. 6.

De Divers. Serm. 13. inter editos à Loveni.

Hanc quærendæ & malè quærendæ veritatis superbiam atque infelicitatem expertus olim fuerat Augustinus, cùm in Scripturarum adyta juvenis adhuc non piè & lentè illabi, sed irrumpere gestiebat; atque ita perversitate morum januam veritatis contra se claudebat. En ejus verba, cùm plebi suæ gratularetur, quòd fidei acquiescens in Ecclesiæ veluti nido crescerent & roborarentur potiùs, quàm ausu & volatu præpropero in præceps ruerent: *Loquor vobis, aliquando deceptus, cùm primò puer ad divinas Scripturas antè vellem afferre acumen discutiendi, quàm pietatem quærendi: ego ipse contra me perversis moribus claudebam januam Dei mei. Quum pulsare deberem ut aperiretur, addebam ut clauderetur. Superbus enim audebam quærere, quod nisi humilis non potest invenire.* Quantumvis ergo sibi blandiantur de mentis suæ acie, de studiorum pertinaci diuturnitate, in investiganda Theologica veritate, irrita ceciderint hæc omnia, nisi tantis conatibus aspiraverit, præiveritque pietas, charitas, humilitas. Ita enim verè non vidit, sed sibi videre visus est, qui illam à cœlesti suo fonte, à Sole sibi affluere non vidit, non videndo admiratus ac gavisus est.

De Divers. Serm. 63.

Laudabilior his superbis Theologis Christiana plebs est, quæ oculo fidei illuminato videt, quæ credit; & tantum videt, quantum necesse est, ut ad perfectissimam aliquando visionem adolescat. *Quantò vos beatiores estis modò, quàm securi discitis, quàm utiliter, quicumque adhuc parvuli estis in nido fidei, & spiritalem escam accipitis? Ego autem cùm me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum, & prius cecidi, quàm volarem.*

De Genes. ad lit. l. 12. c. 2.

V. Ac-

V. Accedit Augustino Ambrosius, & calamo, ut mihi quidem videtur, ad Origenis gustum temperato, studium & contemplationem Verbi divini, non operibus tantùm bonis & virtutum documentis commendari jubet; sed hoc ipsum docet inter opera bona & commendatissima principatum habere. Est enim Theologi opus Verbum Dei, Christus ipse, qui justitia, qui fortitudo, qui virtus, qui pietas, qui sapientia tota & cumulatissima est. Itaque qui Christi, qui sapientiæ contemplatione, aut prædicatione occupatur, operari ille censendus est opus præstantissimum. Molestè fert ergo Ambrosius, si otiosi & inertes existimentur Theologi, uno usque distenti studio, quod profitentur; cùm Christus cui vacant, & opus & opifex sit omnium facilè princeps. *Non otiosos nos putamus, si verbo tantummodo studere videamur: nec pluris æstimamus eos qui operantur, quàm eos qui studium cognoscendæ veritatis exercent. Dicunt enim plerique, Ecce homo & opera ejus. Quasi qui verbo studeat, non operetur, cum magis opus illud, quàm cætera sint. Si enim opus justitiæ est, si opus temperantiæ, si opus fortitudo: utique opus est sapientia. Iste enim quatuor principales virtutes habentur. Nam si operatur Christus secundùm quod justitia est, utique operatur secundùm quod verbum est. Et operabatur cùm esset in principio apud Patrem. Denique per ipsum omnia facta sunt, ut scias operatorem omnium esse Christum Jesum. Etenim secundùm quod verbum est, verbum inquirentibus, grande opus est. Unde cùm Martha festinaret circa ministerium, Maria autem verbum Domini audiret: ea quæ audiebat, ei quæ ministrabat meruit anteferri. Dicenti enim Marthæ, Domine, non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Respondens dixit Dominus; Martha Martha, Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur illi. Ita verbum cognoscere majus opus esse quàm ministrare, divina auctoritate sententia definitur.*

Ambros. In Psalm. 98. Oct. II. Tom. I.

VI. Non dignitas hinc ergo tantùm, sed & sanctitas intelligitur, quanta & insit Theologiæ, & Theologis omnibus inesse debeat. Quantum enim flagitii est, contaminatis animis manibusque opus illud contrectare, quod sapientia, quod justitia, quod Verbum Dei ipsum, quod Christus est? Si non tanti porro ubique interfit, quid à quovis fiat, quàm quo fiat animo; quo demum animo, quàm pio, quàm casto, quàm à terrenis omnibus expedito agi illum par est, qui opus omnium præstantissimum adgreditur, eique suam omnem operam, vitam omnem dicat? Omnes quidem ministerii divini partes æquum est singulari quadam innocentia ornari, quod in sacra virgine Martha præmonstratum est, quæ Christo ipsi ministrabat. At vel ipsius tamen Christi testimonio declaratum est, Mariæ, quæ Verbo divino tota vacabat, palmam sanctimoniæ & laudis addicendam fuisse. Utramque eam laudem complexi sunt Apostoli, at vel ipsi in sublegendis sibi ad pauperum mensas ministris aliis testificati sunt, etsi utrumque sit munus sapientiæ, utrumque charitatis, potissimum tamen esse eorum decus, qui uni verbo serviunt, vel contemplando cum Maria, vel cum Apostolis, seu voce, seu scriptis promulgando. Ita sanè Ambrosius: *Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ. Hoc enim majus, hoc perfectius opus: nec ministerii cura à cognitione verbi cœlestis avertat; nec arguas eos & otiosos judices, quos videas studere sapientiæ. Hanc enim sibi cohabitantem Salomon ille pacificus adscivit. Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur: sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur. Jesus enim multis abundat, & multa largitur. Et ideo sapientior, quia quod principale advertit, elegit. Denique Apostoli optimum non putaverunt relinquere Dei verbum, &*

Idem in Evang. Luc. cap. II.

VII. Eodem spectabat & Hilarius, ubi negotium istud oratione magis, quàm meditatione & studio provehi, ac prosperari significabat: & confirmabat ex ipsis Christi verbis, qui peti, quæri, pulsari jubebat, ut ad Deum pateret aditus. Ejusmodi prorsus sunt studia Theologica, quæ orando magis, quàm speculando perficiantur. Ita enim ille Deum compellat: *Et in hoc quidem tantùm voluntatis meæ professio est; ceterum auxilii & misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extenta tibi fidei nostræ confessionisque vela flatu spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis inita propellas. Non enim nobis infidelis sponsionis istius author est dicens, Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Ita conscriptos à se de Trinitate Commentarios librosque duodecim, *Prædicationis cursum appellabat:* ut non immeritò prædicationis etiam nomine decoretur Theologica omnis commentatio, sive illa contemplando fiat, sive concionando, sive scribendo, & publicè privatimque dicendo: dummodo qui his incumbit, arrecto ad Deum corde cum Hilario dicat, oretque: *Tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem.*

De Trinit. l. 1.

Idem rursus alibi observat, id unum esse maximè operæ pretium, quod Deus ab humana gente expectet, quod magni faciat, si sit quis intelligens & requirens Deum. Sic enim in Psalmis, *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, si est intelligens, aut requirens Deum.* Oppidò magnum est, *quod Deus prospicere dignatur, ut videat; magnum illud est, quod tam studiosè, an in aliquo reperiri possit, inspicitur. Quotum enim quemque hominem invenies, qui secundùm perfectam intelligentiam Deum velit exquirere?* Istud enimverò est munus Theologi, & unius Theologi, secundùm intelligentiam Deum exquirere; hoc summum rationis humanæ decus, ut per intelligentiam, quod nisi purgatis moribus non potest, ad Deum consurgat. Unde Hilarius idem ipse ibidem: *Rursum per alium Prophetam: O Israel, quid Deus exquirit à te, nisi facere judicium & intelligere justitiam? Proprium enim intelligentia humanæ rationis officium est: & idcirco nobis natura animæ spiritalis inserta est, ut per eam ad intelligentiæ sensum, qui solus rationis est particeps, tenderemus. Sed obruti vitiis, & per oblectamenta corporis naturæ corporeæ gravitatis oppressi, declinamus nos à studio intelligentis exquisitionis.*

In Psal. 52.

VIII. Si quis sanè mei similium ab hac se mentis morumque castitate procul adhuc esse sentit, non est tamen quod desperet, aut ab instituto Theologicæ professionis resiliat, authore hìc satis idoneo Tertulliano. Is enim de Christiana patientia ad Dei ipsius leges moresque elimata scripturus, agnoscit quidem quacumque de re & virtute divina verba facturos, oportere dicta sua factis approbare: *& constantiam commonendi propria conversationis authoritate dirigere; ne dicta factis deficientibus erubescant.* Sed & hunc ipsum ille pudorem interpretatur idoneum cum primis esse, ut & præteritas labes eluat, & divinæ gratiæ uberiorem posthac copiam eliciat; ut dictis mores consentiant: interim solatio esse ægris, si secundam, qua carent, valetudinem non sine aliquo lætitiæ sensu mirentur & laudent, atque ita utcumque sibi etiam concilient. *Atque utinam erubescere*

Tertull. initio libri de Patient.

beſcere iſtud remedium ferat, uti pudor non exhibendi, quod aliis ſuggeſtum imus, exhibendi fiat magiſterium: niſi quod bonorum quorumdam ſicuti & malorum, intolerabilis magnitudo eſt: ut ad capienda & præſtanda ea, ſola gratia divina inſpirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum; nec alius id quàm qui poſſidet diſpenſat, ut cuique dignatur. Itaque velut ſolatium erit diſputare ſuper eo, quod frui non datur; vice languentium, qui cùm vacent à ſanitate, de bonis eius tacere non norunt.

IX. Venio ad Hieronymum, qui in Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum, ſacram doctrinam commentatur illam eſſe Davidis Sunamitidem, uxorem & virginem, ſpiritu ferventem, libidinis qualiſcumque prorſus inſolentem; eandemque celebratam à Salomone ſapientiam & intelligentiam, quam amplexemur, quæ amplectatur nos, caſtiſque perfundat deliciis; quæ virgo cùm ſit, non ſit tamen ſterilis, non improlis; Mariæ Deiparæ æmulatrix, & quotidie generet, & incorrupta permaneat. *Quæ eſt igitur iſta Sunamitis, uxor & virgo: tam fervens, ut frigidum calefaceret; tam ſancta, ut calentem ad libidinem non provocaret? Exponat ſapientiſſimus Salomon patris ſui delitias, & pacificus, bellatoris viri narret amplexus. Poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam. Ne obliviſcaris, & ne declinaveris à verbis oris mei. Neque derelinquas illam, & apprehendet te: ama illam, & ſervabit te. Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam: & in omni poſſeſſione tua, poſſide intelligentiam.* Et rurſus ibidem: *Amplexetur me modo ſapientia: & Abiſag noſtra, quæ nunquam ſeneſcit, in meo requieſcat ſinu. Impolluta enim eſt, virginitatiſque perpetuæ; & quæ in ſimilitudinem Mariæ cum quotidie generet, ſemperque parturiat, incorrupta eſt. Hinc reor dixiſſe & Apoſtolum, Spiritu ferventes.*

Hieron. Tom. I.

X. Pulcherrimam idem alibi imaginem delineavit Theologi, præmaturi quidem, & immatura morte hinc abrepti, ſed cujus peritia & virtus miraculo & exemplo eſſe debeat omnibus, non modò tyronibus, ſed & magiſtris. Is erat Nepotianus, cujus mortem Hieronymus non tam epitaphio, quàm immortalis ejus doctrinæ & pietatis encomio proſecutus eſt. Scripturæ illi ſemper in ore, ſemper in corde; his convivia etiam condiebat; libentiùs audire quàm dicere; doctrinam verecundia ornare; obliquius aliquid ſentientes, blandiùs, quàm acriùs aggredi; docere magis, quam vincere. Non ſibi, ſed ſanctis Patribus adſcribere; quidquid præclari & ſolidi, uthauſerat, ita effundebat. Eruditionis gloriam fugitare, & vel ſic maximè inopinum conſequi. Non antiquos tantùm, ſed & ſui ævi illuſtres quoſque Scriptores allegare. Quam ex Scripturis & Patribus Bibliothecam in ſuo pectore recondiderat; eam nova in dies lectione, & jugi divinorum commentatione locupletare. Sed ipſa præſtat Hieronymi verba audire: *Sermo ejus per omne convivium de Scripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpondere verecundè; recta ſuſcipere, prava non acriter confutare; diſputantem contra ſe magis docere, quam vincere. Et ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cujus eſſet ſimpliciter confiteri. Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur. Illud, ajebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt loquutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate avunculi diligebat, interdùm proferebat in medium; lectioneque aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti.*

Ibidem.

CAPUT II.

Rurſus ex Latinis Patribus, quæ & qualis ſit Theologia, qui & quales eſſe debeant Theologi.

I. Torpentem, hoc eſt legentem potius, quàm ſcribentem Hieronymum excitabat Damaſus Papa ad ſcribendum.

II. Ut Gregorius Magnus ſeipſum excitaret, & objurgaret, ſi quas horas, ſi quas voces non impenderet verbi prædicationi.

III. Ex Bernardo, ut poſſit eſſe Theologus ſcrutator majeſtatis, nec opprimi ab ejus gloria.

IV. Ex eodem, quàm ſceleſtum & quàm exitiale ſit impuro oculo divina contemplari velle, hoc eſt, terrenis cupiditatibus ſordidato.

V. Ex Proſpero, quàm non ſit illa Theologica ſcientia, quæ inflatur & ſuperbit.

VI. Ex Fulgentio & Ferrando, quanta germanam Theologiam comitetur humilitas, modeſtia.

VII. Ut agmina olim Theologorum degerent in Monaſteriis, hoc eſt, in Seminariis.

VIII. Ex Caſſiano, pulcherrimæ cautiones & monitiones ad Theologos.

IX. Theologum à curis omnibus feriatum excitat Petrus Venerabilis ad ſcribendum.

X. Ut Amanuenſes quandoque, & iidem Theologi fuerint. Qui ſelecta tantùm Patrum loca exſcribebant, ii Summis poſtea Theologicis ortum dedere.

XI. De Amanuenſibus piis, nec omnino ineruditis, qui locos Patrum ſeligebant, & illuſtres tantùm exſcribebant; quæ rudimenta Summarum Theologicarum.

I. SI tantum opum in animi ſui penetralia congeſſerat jam Nepotianus ex patricia ſanctorum Patrum Theologia, teſte Hieronymo, quid Hieronymus ipſe? Si tam locuples erat præcocis Theologi Bibliotheca, quid emeriti? Id nos docebit Romanus Pontifex Damaſus, ſcripta ad eum Epiſtola, & propoſitis quæſtionibus compluſculis, quo eum velut dormitantem, hoc eſt, dudum nihil ſcribentem excitaret. Pulcherrimè autem Damaſus monet, etſi lectione & meditatione divinorum, velut quotidiano cibo alatur & pingueſcat oratio: quæ partas intus opes in proximum effundat. *Dormientem te & longo jam tempore legentem potiùs, quàm ſcribentem, quæſtiunculis ad te miſſis excitare diſpoſui: non quo & legere non debeas, hoc enim veluti quotidiano cibo alitur & pingueſcit oratio: ſed quo lectionis ſit fructus iſte, ſi ſcribas.*

Hieron. Tom. I.

II. Non torpebat, non otiabatur Damaſus, qui interrogationibus ſuis veluti torpentem laceſſebat Hieronymum. At Gregorius Magnus Romanus & ipſe Pontifex laceſſebat excitabatque ſeipſum, quaſi ſegniorem divini verbi præconem, cùm tamen & linguæ & calami ejus monumenta tam multa & tam aurea ad nos pervenerint. Summus planè ille & Pontifex & Theologus, vide ut perditas & à ſummo judice ſibi aliquando exprobrandas exiſtimaret horas omnes, imo & ſtillas temporis, quas non in illuſtrando, aut diſſeminando verbo Dei, vel in caſtigandis eique aptandis moribus ſuis ſedulò collocaret. Sic ergo ille ſuam ſive linguæ ſive vitæ inertiam damnabat, ut vel damnando expiaret. Otioſis etiam verbis ſuis iraſcebatur, quanquam ea plerumque charitati & indulgentiæ daret, ne nimia auſteritate ſua infirmos à ſe alienaret. Sed ſi quos ſermones exorſa erat charitas, eos quandoque paulò longiùs produceret curioſitas, aut loquacitas, ſic ille turſum ſemetipſum cædebat, quaſi qui etſi invitus ceciderat, non illibenter jaceret: *O quàm dura mihi ſunt iſta, quæ loquor! quia memetipſum loquendo ferio,*

Greg. Magn. Hom. 11. in Ezech.

ferio, cujus neque lingua, ut dignum est, prædicationem tenet: neque inquantum tenere sufficit, vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis sæpè implicor; & ab exhortatione atque ædificatione proximorum torpens & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus & verbosus: mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei de speculatoris vita, compellit ut loquar. Tacere non possum, & tamen loquendo me feriro pertimesco. Dicam, dicam, ut verbi Dei gladius etiam per meipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam, ut etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium Judicem impetratio veniæ, ipsa cognitio culpæ. Nec multò post sic rursus ille: *Quia autem necessitate loci sæpè viris sæcularibus jungor, nonnunquam mihi linguæ disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censuræ meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior; eosque ad hoc quod appeto, nunquam traho. Unde fit, ut eorum sæpè & otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam invitus. Et ubi tædebat cadere, libet jacere.*

III. Sejungit Bernardus scrutatores Majestatis à scrutatoribus voluntatis divinæ; illos à præcipiti audacia dehortatur, his subjicit aculeos, ut illam seu voluntatem, seu legem Dei studiosissimè investigent, cui totius vitæ norma accommodanda est. Theologi, fateor, partes etiam sunt divina scrutari, non præcepta tantùm, sed Attributa & ornamenta Deitatis omnia; & tamen, ut ipsæ intonant Scripturæ, scrutator majestatis opprimetur à gloria. Ecqua ergo media terenda est via in perscrutationibus Theologicis? eam præmonstravit Bernardus. Ecclesiasticus scilicet Theologus, quanquam oculos attollat etiam aliquando in majestatem, non tam ille scrutari dicendus est, quàm admirari: exhorrescere magis, & refugere censendus est, quàm audere vel irrumpere; illuc non nescit vel Paulum ipsum non irruisse, sed raptum esse, præter spem etiam suam, præter opinionem. Sed aures jam admoveamus Bernardo, arcanorum hujusmodi non scientia tantùm, sed & conscientia & experientia conspicuo: *Ecclesia columba est, & ideo requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in mansuetudine suscepit insitum verbum. Et requiescit in verbo, id est in petra: nam petra est Verbum. Ecclesia ergo in foraminibus petræ, per quam introspicit & videt gloriam sponsi sui, nec opprimitur tamen à gloria, quoniam non sibi usurpat eam. Non opprimitur, quia non scrutatrix majestatis est, sed voluntatis: nam quod majestatis attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter levans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta pervadens. Cùm enim Apostolus raptum se commemoret, ut ausum excusset: quisnam alter præsumat mortalium huic se divinæ majestatis horrendo scrutinio propriis intricare conatibus, & importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde majestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloria. Ergo formidolosa scrutatio majestatis, at voluntatis tam tuta quam pia. Quidni tota diligentia scrutando insistem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia scio?*

In Cant. Serm. 62.

IV. Nec multò post rursus idem Bernardus luculentissimè aperit, quo distet pia & innoxia contemplatio Deitatis, à temeraria & exitiali perscrutatione. Puro oculo Deum contemplari pium & tutum est; impuro id tentare nec sine flagitio quisquam potest, nec sine discrimine. Impurum faciunt mentis oculum humanæ opum & honorum cupiditates, si illis studia Theologica serviant. Ejusmodi Theologi veritatis luce nunquam fruentur, ut quæ minùs puros oculos excæcare magis soleat, quàm illuminare. *Queris, quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu Evangelium, qui evangelizat ut manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructum, sed datum. Impuri sunt tales; & cùm non habeant unde videant veritatem, propter impuritatem, habent tamen unde illam loquantur. Quid præproperè agitis? Cur lucem non expectatis? Cur opus lucis ante lucem præsumitis? Vanum est vobis ante lucem surgere. Lux est puritas, lux charitas, quæ non quærit quæ sua sunt. Hæc præcedat, & pes linguæ in incerto non ponitur. Superbo oculo veritas non videtur, sincero patet. Non est quod se veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Multi puritate neglecta, ante loqui quàm videre conati sunt: & aut graviter erraverunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent: aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, seipsos non docuissent.*

V. Multa paucis suo more complexus est Prosper in Sententiis ex Augustino decerptis. Sic ergo ille eam demum scientiam commendat, quam commendat humilitas & morum innocentia. Si superbiat enim, jam non scientia, sed summa quædam imperitia est; ut quæ nesciat suo sibi ex gremio non lucem, sed tenebras oriri; fontem autem lucis & veritatis omnibus promiscuè patere hominibus. *Humilium virtus est de scientia non gloriari; quia communis est omnibus, sicut lucis, ita participatio veritatis.* Expers ergo omnino est germanæ Theologiæ, qui nescit, qui non advertit, qui non sentit, aliunde sibi affluere, cœlitus sibi infundi lumen veritatis, eodem perfundi humanum genus omne; eo cogi nos, non inflari adversùs consortes ejusdem naturæ & superni beneficii; sed honore & amore illos omnes prosequi, quos divina lux nobis coæquavit; quos humilitas & sanæ mentis æquabilitas nobis anteponit, & incommutabilis Veritatis fonti propiùs admovet. Nec ineptissimi tantùm fastus expers est, quisquis verè Theologus est; sed & cujuscumque pravitatis. Omnis enim iniquitas nox & tenebrositas quædam est, quæ omnino non cadit in mentes, Scripturæ sacræ, ceu firmamento adhærentes. *Sicut stellas cæli non extinguit nox, sic mentes fidelium adhærentes firmamento sacræ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.*

Cap. 24.

Cap. 10.

VI. Ergo Theologiæ, Scripturæ, Veritatis scientia neminem superbire, neminem quibuscumque vitiis inquinari patitur; cùm sibi vacantes totos rapiat, totos immergat in fontem quemdam lucis, in spiritalium meditationem; abducat autem prorsus à sæcularium negotiorum implicamentis, nisi interdum necessitas charitatis cogat, tantisper interim feriari à contemplatione veritatis. Ita post Augustinum pronuntiabat, ita affectus erat Fulgentius Ruspensis Episcopus, ut author est in ejus vita Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus: *Qui quamvis spiritalia meditari jugiter concupisceret, ampliori tamen solicitudine discendi compellitur: otium sanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate charitatis.* Quicumque istiusmodi sunt Theologi, qualis Fulgentius, qualis Ferrandus, ut quo plura sciunt, plura se nescire intelligant; ad plura semper scienda accendantur, erubescant Deo sibique de sua & sciendi, & scribendi, & loquendi imperitia; nec ad momentum avocari se sinant à lectione Scripturarum & Patrum, à divinæ contemplatione veritatis, nisi quando jubet, & quandiu jubet necessitas charitatis. Quicumque, inquam, istiusmodi sunt Theologi,

Cap. 14.

illis non libet, non vacat ſuperbiendo ineptire, vel ſæcularibus cupiditatibus inquinari.

Ne verò quiſquam contemptim audiat Ferrandum ſibi Diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis in exemplum proponi. Splendida ea tum erat ſplendidiſſimæ Eccleſiæ dignitas, ad quam non promovebantur, niſi lumina quædam ſcientiæ, ſapientiæ & pietatis; quibus etiam docendi partes plerumque delegabantur; ex quorum denique ordine, ut longè peritiſſimorum, cooptabantur Epiſcopi, in primariis Eccleſiis Alexandrinæ, Romanæ, aliarumque civitatum. Non ſilucrunt Annales Eccleſiæ hujus ipſius Ferrandi Diaconi laudes, ſcriptiones, illuſtres operas Eccleſiæ univerſæ navatas. Tanti ergo Theologi vide qui eſſet animus, quod ſtudium, quæ pietas, quæ humilitas, quæ charitas in fideles omnes, quæ in Epiſcopos omnes reverentia. Sic enim ille in Epiſtola eruditiſſima ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum, *De Domino Jeſu Chriſto, quòd unus ſit de ſancta & individua Trinitate*. Ea tum quæſtione fatigabatur Eccleſia, doctis omnibus indoctiſque in alias & alias partes ſciſſis. *Quis ego, aut qualis ego*, ait Ferrandus, *cui liceat de dubiis rebus ſtatutam proferre ſententiam? Utinam mihi fide ſimplici, quam Catholica per univerſum mundum docet Eccleſia, ſic donet Deus eſſe contentum, ut omni, ſi fieri poteſt, hujus vitæ miſerabilis tempore orationi & jejuniis vacans, plangam cum puſillis fratribus meis delicta multa & gravia, ſive quæ jam doleo commiſſa, ſive quæ adhuc cogor ex carnis fragilitate committere. Beatum me profectò tunc exiſtimabo, quando poſitus in ſilentio Monaſterii, illum verſiculum Pſalmi per momenta cantavero: Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

VII. Ne quis ſuſpicetur, ubi nominatur hic Monaſterium, ex Monachorum ſodalitio & inſtituto prodiſſe Ferrandum; & has ejus voces ac virtutes Cœnobia magis quàm Clerum redolere. Accuratiſſimè à nobis in Eccleſiaſticæ veteris & novæ circa Beneficiarios Diſciplinæ Commentariis demonſtratum eſt, Clerum propemodum omnem in Africa maximè Auguſtini, Fulgentii & Ferrandi ævo, in ſua & ſibi propria Monaſteria ſepoſitum fuiſſe: ædes Epiſcopales ipſas eas fuiſſe: Monaſteria dicta fuiſſe, ſed Clericorum, non Monachorum; ejuſmodi fuiſſe ipſius Auguſtini Monaſterium, quod poſtea Seminarium dicere maluimus, ubi ipſe cum ſuo Clero degeret, hoc eſt, cum Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis omnibus ſuæ Eccleſiæ, paucis Lectoribus; qui Ordines tunc rariùs Monachis communicarentur. Eadem ergo erant & Epiſcoporum Palatia, & Clericorum Monaſteria, quæ uſitatiùs nunc dicerentur Seminaria Cleri, & Collegia. Quæ nunc ergo ſunt domicilia Theologorum in Gymnaſiis maximè publicis, ea non prorſus abludunt ab hujuſmodi olim Monaſteriis, ſeu Seminariis Clericorum majorum, ubi Epiſcopi etiam hoſpitabantur; & ſi modò Auguſtini & Fulgentii ſimiles erant, habebant ſecum complures Ferrandi Diaconi ſimiles; eiſque præibant in Scripturarum, in Conciliorum, in Patrum jugem lectionem, multo orationis & pietatis ſucco nutriendam. Faxit Deus ut hodierna Theologorum agmina in hæc exempla eant, incaleant in dies magis & magis.

Ferrand. pag. 131. 132.

Nec illud nos effugiet ex eodem ibidem mox Ferrando, modeſtiſſimæ Theologiæ ſpecimen, & concordiæ inter Epiſcopos & Theologos omnes; quos alibi oſtendimus in ædibus maximè Epiſcopalibus informatos & expolitos fuiſſe. Pergit ergo Ferrandus: *Loquantur & prædicent quibus honor ſacerdotii docendi auctoritatem tribuit: nos diſcere parati ſumus; docere alios non præſumimus. Interroga igitur, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diverſa terrarum loca Pontifices, quibus ſcientia cœleſtium præceptorum divinitus inſpirata, famam grandem ſui cum veneratione collegit. Iſtos ſine dubio ad diſputandum idoneos, & ad ſuadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaberis, ſi conſulas adhuc incertus; & laudaberis, ſi ſequaris veraciter doctus. A me autem ſic expete debitum charitatis, ne incurrere ſuadeas culpam temeritatis.*

VIII. Sunt & hodie Monachi in Theologorum ſive Monaſteriis, ſive Gymnaſiis & Scholis, privatis & publicis; erant & olim. Quid Caſſiano doctius etiam in Theologicis, ſive de Ethica, ſive de Incarnatione quæſtionibus? Hactenus enim illum laudare fas eſt. Quid illis doctius & ſanctius Monachis, quorum ille doctrinæ puritatem, virtutumque præſtantiam litteris commendavit, quas & pulcherrimis illuminavit præceptionibus? Vide ut funditus ille corruere doceat ſcientiam quantamcumque ſacram, quæ vanæ gloriæ famuletur. *Impoſſibile enim eſt eum qui propoſito acquirendæ laudis humanæ, ſtudio lectionis inſiſtit, donum veræ ſcientiæ promereri. Nam qui hac paſſione devictus eſt, neceſſe eſt, ut aliis quoque & maximè ſuperbiæ vitiis obligetur.* Et mox quàm non poſſit quiſquam ſubire in adyta ſacræ doctrinæ, niſi qui puriſſimos illuc inferat mentis oculos, Spiritus ſancti lumine colluſtratos. *Aliud namque eſt facilitatem oris & nitorem habere ſermonis; & aliud venas ac medullas cœleſtium intrare dictorum, ac profunda & abſcondita ſacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari; quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio ſecularis, ſed ſola puritas mentis per illuminationem ſancti Spiritus obtinebit.*

Collat. 14. cap. 9. 10.

Illam autem animi puritatem comes individua ſequitur, aut præit humilitas. Quo enim magis inquinatur mens, quàm ſuperbia? quo magis conciliatur munditia cordis, quàm ſui contemptu & deſpicientia, quàm charitate, quæ ſæculi cupiditates omnes fugat, & in divinam quandam ſimilitudinem nos refingit? *Feſtinandum igitur eſt, ſi ad veram Scripturarum ſcientiam vis pervenire, ut humilitatem cordis immobilem primitus conſequaris; quæ te non ad illam quæ inflat, ſed ad eam quæ illuminat ſcientiam, charitatis conſummatione perducat. Impoſſibile namque eſt immundam mentem donum ſcientiæ ſpiritalis adipiſci. Et idcirco omni cautione devita, ne tibi per ſtudium lectionis, non ſcientiæ lumen, nec illa perpetua quæ per illuminationem doctrinæ promittitur gloria, ſed inſtrumenta perditionis de arrogantia vanitate naſcantur. Deinde hoc tibi eſt omnimodis enitendum, ut expulſa omni ſolicitudine & cogitatione terrena, aſſiduum te ac potius jugem ſacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam, & quaſi in ſimilitudinem ſui formet, arcam quodammodo ex ea faciens Teſtamenti.*

IX. Ejuſdem generis & meriti erant Monachi, Petrus qui Cluniacenſis poſtea fuit Abbas, & Odo, illi amicitia conjunctiſſimus, qui de rebus divinis ſcribendi ac jugiter commentandi ſtimulos ſibi alternatim ſubjiciebant. Vide ut Odonem Petrus excitet, curis tum aliis & occupationibus diſtentus, quo in ſacras litteras & meditationes totus incumbat, cùm liber ſit ipſe & expeditus à negotiorum tumultu. *Tu liberè de his loqui, tu ſecurè diſputare, tu ſalubriter inveſtigare, inveſtigata invenire, & inventa poteris diffinire. Inte igitur, quæ in me transfudiſti, refundo, vice mea te fungi præcipio; ſtylum quem occupato ingerebas, otioſa remitto: quoniam rectiùs latices à largiſſimis fontibus, quàm ab exuſtis rupibus expectantur; meliùs ſyderum fulgorem incolumes, quàm lippientes oculi contemplantur: longè ſimiliùs intuentium ſpecies in aqua pacata, quàm turbata formatur. Aperi ergo labia, repleatur os tuum laude, & dic quæ mihi dicenda proponebas: ut quia*

Bibl. Clun. pag. 614. 615. col. 1. lit. 131.

amore

amore quietis & silentii spiritualis, Lie fructum ex te ad præsens perdimus, Rachelis in te singulari pulcritudine oblectemur. Debet is labor valde tibi esse jucundus, nec à tam fructuoso opere aliquatenus corpus cessare: ut dum mens divina meditando, manus scribendo, oculi legendo, lingua loquendo, totus homo interior atque exterior cooperando laborat, holocaustum medullatum Deo offeras: ut qui te totum sæculo subduxisti, integrum te sacrificium Deo impendas.

Veniet forsan in mentem, hæc ad Antiquarios potiùs pertinere, qui libros in Monasteriis exscribebant; quàm ad Theologos, qui rebus divinis meditandis, illustrandis, & chartæ mandandis se dedidissent. Verùm quanquam & in laude fuerit is labor scribendorum librorum ab Amanuensibus; longè alius hic erat & longè præstantior; quando viri in Scripturarum & Patrum monumentis diutissimè versati, novos de rebus sacris suo ipsi marte concinnabant libros; non nova novè dicentes; eaque ex purissimis illis Scripturarum & Patrum fontibus hausta. Hinc exortam infrà dicemus Scholæ primùm Theologiam, via & ratione contextam. Non is erat Petrus Venerabilis, quo de hìc agimus: non is erat Odo tanta ei familiaritate conjunctus, & cui suas ille quasi vices delegabat ad scriptitandos libros; qui calamum tantùm & manum exarandis aliorum scriptionibus commodaret, non etiam suo aliquid ex penu depromeret. Non calamum, sed ingenium, & quidem plurima eruditione refertum hæc Petri ad Odonem verba declarant: *Tu liberè de his loqui, tu liberè disputare, tu subtiliter investigare, investigata invenire, & inventa poteris diffinire.* Quid ista, quæ ibidem statim attexuntur? *In te igitur, quæ in me transfudisti, refundo; vice mea te fungi præcipio; stylum quem occupato ingerebas, otioso remitto.* Hinc facilè intelligitur Petrum & Odonem alternas sibi faces subdidisse ad scribendum aliquid de sacra doctrina; Petrum quandiu vacuas habuit horas elucubrasse Theologicas illas opellas, quæ in Bibliotheca Cluniacensi radiant; ubi se oppressum postea sensit tot Monasteriorum cura & regimine, tum vicarium sibi ad scribendum cooptare voluisse hunc Odonem. Ad Theologum ergo, non ad Antiquarium spectant hæc Petri verba, hortantis ut à tam fructuoso opere nusquam manus ejus cesset: ut dum mens divina meditatur, manus scribendo, oculi legendo, lingua loquendo, totus homo interior atque exterior cooperando laborat, holocaustum medullatum Deo offerat: ut qui se totum sæculo subduxit, integrum se sacrificium Deo impendat. Mellita sunt prorsus hæc Petri hortamenta, & omnium Theologiæ sive Magistrorum sive Candidatorum præcordiis altissimè infigenda.

Ibid. Ep. 20. X. Nec dissimulabo tamen non pauca his affinia legi in alia ejusdem Petri Epistola ad Gislebertum, quæ tamen non pertineant nisi ad opus manuum in conscribendis libris, nullo prorsus proprii ingenii partu hinc expectando. Sed quanquam illa prior Epistola ad Theologum, non ad Amanuensem: hæc posterior ad Amanuensem merum, non ad Theologum spectaret; pauca sunt in hac posteriori, quæ Theologo aptari non possint, quanquam possint in laicum cadere scriptorem, manu sola, non ingenio adlaborantem. Sed illud præ cæteris hic animadverti par est, media illa ætate complures Theologos, sive ex Monasteriis, sive ex Clero, corradendis maximè insudasse sanctorum Patrum testimoniis elegantioribus ad quasvis sive morum, sive dogmatum, sive disciplinæ quæstiones, iisque in Summas quasdam Theologicas consarcinandis. Fusiùs posthac ea de re verba faciemus. Unum id hic observabimus, istiusmodi compilatores contextuum omnis generis ex sanctis Patribus, ex Pontificibus, vel ex Conciliis delibatorum, mediam quandam stationem tenuisse inter sanctos Patres Scriptoresque Ecclesiasticos olim, qui vel ex Scripturis solis, vel ex ingenii sui penu omnia derivabant, & Antiquarios Monachos, qui exscribendis tantùm Scripturis, vel Patribus, vel Conciliis pium otium suum dicabant, suum nihil afferentes, præter scriptitandi laborem. Medii verò illi Scriptores, nonnisi alienas illi quidem lucubrationes chartis illinebant; sed flores tantùm quosdam & veluti lumina sententiarum ex iis seligebant, & in certa quædam Theologicæ doctrinæ capita congerebant, eo delectu, eo ordine, ea compilandi methodo, ea venustate, quæ non posset nisi ex singulari quadam Compilatoris ipsius eruditione proficisci. Etsi ergo nihil suum afferrent, suum tamen erat quidquid tanta seligendi, digerendi & contexendi perspicacia & arte conscribebant. Ita Prosper ex Augustino Sententiarum librum concinnavit, ita complures alii deinceps in ejus vestigia ingressi, & plusculum methodi suis scriptionibus addere aggressi. Summas Theologicas ab his rudibus tum conatibus profectas fuisse suo infra loco declarabitur.

XI. Jam verò nemo non videt, quàm aptè id genus Scriptoribus quadrent, quæ Petrus Venerabilis de piis & religiosis sui & prisci ævi Amanuensibus differebat, Latinæ linguæ haud sanè imperitis, Theologici verò dogmatis corticem tantùm lambere idoneis, nec sine magna tamen pietatis suavitate. Erat hoc certè opus manuum, sed spiritale tamen, & mira quadam mellis & luminis, etsi plus mellis quàm luminis copia conditum. Audiendus nobis nunc Petrus: *Pro aratro convertatur manus ad pennam; pro exarandis agris, divinis litteris pagine exarentur; seratur in cartula verbi Dei seminarium: quod maturatis segetibus, hoc est, libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes lectores repleat, & sic panis cælestis lethalem anime famem depellat. Sic planè, sic verbi divini poteris fieri taciturnus predicator: & lingua silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit. Clausus tenebris in speleo tuo, & in codicibus tuis, terras ac maria peragrabis: in publicis Ecclesia conventibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis: in remotis claustrorum & domorum angulis illud idem servis Dei silentibus insusurrabis. Professio te eremitam, devotio faciet Evangelistam: ut quod per teipsum non potueris, tuis laboribus promerearis.* Bibl. Clun. pag. 647.

Perspicuum est de solo opere manuum hìc agi, non de fœtu aliquo ingenii; & vides tamen quantum hinc lucri spiritalis emergeret in authorem, in lectores, ubique terrarum, in posteras etiam ætates. Pergit porro Petrus: *Animet te ad hoc agendum non parvum laboris premium, quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subvenire poteris. Nam quotquot tuorum voluminum lectione superbiam prostraverint, luxuriam subegerint, avaritiam contempserint, iram domuerint, à quibuslibet malis vel caruerint vel pœnituerint: ut manipuli sudoribus tuis collecti, eternarum frugum tuarum horrea cumulabunt. Et dum cum vita hominis, opera ejus finiri soleant, & cum deficiente deficere; tu nec mortuus morieris, nec à vita deficiens à bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos revocabis. Tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, ut ita dicam, durare poterit vita librorum tuorum.* Ibidem.

Operi manuum vacabant in Monasteriis non illiterati tantùm, sed & quantumvis eruditi, & in Scripturis, in Patrum scriptis versatissimi. Præ cæteris autem labor ille manuum in honore & amore fuit, qui sacrarum quarumcumque veterum lucubrationum scriptioni & ad posteros propagationi dicatus erat. Huic ergo maximè vacasse doctos & pios quosque facilè conjicimus. Inde pronum

num fuit, ut animum illi adjicerent ad delectum aliquem, ut ea chartis mandarent tantùm, quæ selegissent, ex quibus inter legendum ad æternorum maximè charitatem, ad virtutum studia, ad Dei & Christi mysteriorum admirationem & amorem excitati fuissent. Hinc verò omnino dilucidum fit, quod nobis elucidandum proposuimus, Quæ & qualis sit Theologia, Quos & quales esse par sit Theologos omnes.

CAPUT III.

Ex Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia, quos & quales esse deceat Theologos omnes, non Magistros tantùm, sed & Tyrones.

I. Ex Clemente Alexandrino Theologia est verbum Dei, Dei lux, Verbi vox, quæ hodie, id est, omni ævo auditur, qua deificamur.

II. Ex eodem eadem puritas desideratur ad Theologiam, atque ad Eucharistiam tractandam: & illic enim carnes Verbi sunt.

III. Quantum accedat ad Verbi prædicatorem, qui Verbi dogmata litteris mandat.

IV. Dogmata Theologiæ sunt solidi illi cibi, quibus multo fidei lacte infantia Christiana præparatur.

V. Ut Theologum, Contemplatorem, Gnosticum describat Clemens.

VI. Ex Origene, ita Theologia tractanda, ut Eucharistia.

VII. Ut semel assumpta carne, ita sæpè nostris verbis chartisque corporatur Verbum Dei, Mariæ vices obeunte Theologo.

VIII. Quanta puritate tractari debeant Verbi carnes, Verbi dogmata.

IX. Ex his vicissim quanta puritas, quantum robur animæ accedat.

X. Ex eodem Origene, Theologus omnis quodam suo modo Joannes est, Mariæ filius alter, alter Jesus.

XI. Ex Athanasio, puro purum, lumine lumen nobis attingi opus est. Diu assuescere Patribus necesse est, ut eos capiamus.

XII. Gregorii Nazianzeni æstuatio adversùs extemporaneos quosdam Theologos, electione, non eruditione & pietate creatos.

XIII. Ejusdem pulcherrima Theologi descriptio.

XIV. Prius purganda vitia, & inserenda virtutes, quàm ad Theologiam quis accedat.

XV. Contemplationem, seu Theologiam antecedat Dei timor, non sequatur.

I. ILlud Psalmi, *Hodie si vocem ejus audieritis*, sic duce Paulo interpretatur Clemens Alexandrinus, ut dies ille sit non brevis, non fugax, non temporarius, sed æternus; vox autem illa ipsum sit divinum & sempiternum Dei Verbum, cui auscultando impendi debeat totum vitæ hujus ævum; ut hæc verè dies Dei, Verbi vox, doctrina, contemplatio sit. *Illud autem, Hodie, augetur in unoquoque ejus die, donec nominatur hodie. Usque ad consummationem, & hodie, & doctrina permanet, & tunc, quæ verè est hodie, quæ non deficit dies Dei, unà cum sæculis extenditur. Semper ergo audiamus vocem Verbi divini. Hodie enim est imago æterni sæculi; lucis verò signum ac symbolum est dies. Lux vero est Verbum hominibus, per quod Deum contemplamur.* Hujus magistri doctrina & lux & pietas est, Verbum Dei est; qua ipsi, qua Patri similes evadimus, qua deificamur; Deus enim lux est, Verbum lumen est; itaque quisquis hac doctrina sacra verè illuminatur, is deificatur. *Pietas autem, quæ Deo hominem quoad ejus fieri potest assimilat, conve-*

Admonitio ad Lectorem.

nientem sibi magistrum adscribit, nempe Deum, qui vel solus potest pro dignitate hominem Deo assimilare. Hanc doctrinam Apostolus cùm sciret verè esse divinam, Tu autem, inquit, ò Timothee, ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem in Christum. Sunt enim verè sacræ litteræ, quæ sacros faciunt & deificant.

II. Hinc ille fidenter pronuntiat multo & scrupuloso examine opus esse, ut se ipsi probent antè omnes, qui audire, vel legere, loqui vel scribere meditantur aliquid rerum divinarum. Ejusdem enim flagitii, ejusdem periculi est verbum Dei ac Eucharistiam, doctrinam sacram ac carnem Christi ore vel mente, corde vel calamo contaminare. Utrobique ergo valet illud Pauli præceptum, *Probet autem seipsum homo*. An caro enim Christi, an Eucharistia, quanta quanta est, amplius aliquid, aut sanctius est, & magnificentius, quàm verbum Dei, & deificatio nostra est? Atqui hoc ipsum est Theologia. Non ergo antè ad eam accedat quisquam, aut ne diutiùs quisquam ei se conglutinet, quàm vitia exuerit, quàm virtutum religiosis exercitiis sese addixerit. Qui enim vitam vixit sceleratam, qui sordes ejus saltem nondum diligentissimè expunxit, qui vel æmulatione quapiam & gloriæ aucupio ad docendum agitur, qui mercedem quamvis aliam sibi despondet quàm audientium salutem, ille omnino ad has Pauli voces contremiscere debet: *Qui comederit carnem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Sacra enim dogmata suo quodam modo carnes Verbi sunt. Ita ergo Clemens: *Necesse est ergo utrosque eos probare seipsos: illum quidem an dignus sit, qui dicat & monimenta relinquat: hunc verò an jure possit audire & legere. Quemadmodum Eucharistiam cum quidam ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. Ad accuratè enim perfectèque eligendum ac fugiendum, optima est conscientia. Firmum autem ejus fundamentum, est recta vita, cum ea quæ convenit doctrina: & sequi alios jam probatos, & qui se rectè gesserunt, optimum est, & ad veritatem intelligendam & ad exequenda mandata. Quamobrem qui comederit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane edat & de calice bibat. Consequens est ergo, ut qui ut proximis prosit curam suscipit, consideret, numquid audacter ac temerè, & aliqua æmulatione, ad docendum prosilierit: num gloriam ex eo aucupetur, quod doctrinam suam communicat; num hanc solam recipiat mercedem, eorum qui audiunt salutem, & quod nihil ad gratiam loquatur: tum cogitet an à sordibus corruptelisque semper alienus vixerit, qui per litterarum monimenta loquitur.* Strom. l. 1. p. 196. 202.

III. Exæquat, ut vides, Clemens eos qui stylo, iis qui verbo & voce sacra dogmata promulgant. Etsi enim calamo Christus nihil docuerit, sed verbo, qui Verbum est: ejus tamen est illud Psalmi, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis:* ejus est quidquid ejus afflatu & dixere & scripsere Prophetæ, Apostoli, Apostolorumque successores, Episcopi & Doctores. Denique si Verbi divini vitam propiùs imitantur Prædicatores: æternitatem, pacem, quietem, suavitatem propiùs sequuntur, & pro suo quisque modo assequuntur Scriptores. Idem Clemens non multò pòst ibidem: *Qui autem per litterarum monimenta loquitur, apud Deum sacramenti religione obstringitur, hæc in scriptis vociferans: Nec lucri gratia, nec inanis gloriæ causa, vinci ab affectione, aut quæstui servire, aut efferri voluptate; sed eorum qui legunt sola frui salute: cujus nec est in præsentia particeps, sed sve expectans eam quæ omnino reddenda est retributionem ab eo, qui operariis pollicitus est se redditurum mercedem pro meritis.*

IV. Nec

IV. Nec semel tantum Clementi intimasse placuit, verbi carnes & sanguinem esse Theologica dogmata, quibus Deitatis arcana, & Christi mysteria degustantur. Hoc ille ipsum rursus inculcavit, ubi cibum illum esse solidum monuit, cui capiendo præparantur & paulatim convalescunt multo fidei lacte interim irrigandi, qui infantes, qui parvuli sunt in Christo. Fides enim & Catechesis lac est infantiæ Christianæ, cui succedit solidus cibus, Caro & Sanguis Verbi, Christus, quantus maximus est, Deus & homo. Sic ergo Clemens Paulo Apostolo succinens: *Et ego fratres non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus; tanquam infantibus in Christo lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis, adhuc enim carnales estis. Si ergo lac quidem est infantium, cibus autem perfectorum nutrimentum dictus est ab Apostolis: lac quidem intelligetur Catechesis, veluti primum nutrimentum animæ: cibus autem, suspiciens contemplatio, quæ sunt ipse carnes & sanguis Verbi: hæc comprehensio divinæ potentiæ & essentiæ. Gustate & videte, inquit, quod Christus est Dominus.* Quod non dicat Clemens, *Quoniam suavis est Dominus*, ut in Psalmis legitur: sed, *Quoniam Christus est Dominus*; id eò factum suspicor, quòd χρηστὸς alluderet ad χρηστὸς, quod non abludit à suavi; vel quòd vox ipsa χριστὸς divini cujusdam unguenti suavitatem designet, odoremque illum gratiæ, sapientiæ & charitatis spiret, quo totus delibutus est Christus, & quod nomine ipso suo præ se fert.

Strom. I. 6. pag. 422.

V. Numeris suis omnibus absolutum alibi describens idem Clemens Theologum, seu Contemplatorem, γνωστικὸν, qui non jam lacte, sed solido verbi alimento pascatur: illum ait non Patris tantùm Ingeniti, aut Unigeniti Filii stabilem ac firmam notitiam comprehendisse; sed etiam divinas morum leges, & naturæ totius ab ipso usque ortu suo ordinem, & accuratissimam veritatem: non ex Græcæ Philosophiæ opinationibus, semper fluctuantibus; sed ex ipsis Dei sermonibus, quibus ita incumbit, ut qui sibi aperti & manifesti sint, etsi aliis sint obscuri: sibi certa & inconcussa veritate constent, etsi aliis forsan probabiles tantùm videantur. Illum ait non præsentibus tantùm, sed & præteritis ac futuris interesse & frui; ut quibus sacræ litteræ multam lucem jam intulerint. Illum denique docet certis & indubitatis potissimùm adhærescere, primigenias rerum omnium causas in ipso Dei Verbo cernentem, & inde ad infima omnia seu dijudicanda, seu administranda delabentem. Hujusmodi Theologum nemo non videt nullis vitiorum sordibus maculari potuisse, aut iis certè jamdiu emaculatum esse. Nec est quod quisquam animum despondeat, cum ne nautæ quidem in tranando pelago laborem detrectent totius cursus sui ad astrum aliquod dirigendi: *Non solum enim primam, & eam quæ ab ea est genita causam comprehendit, & in his est firmus ac stabilis: stabiliter stabiles, & quæ excidere & dimoveri nequeunt, rationes possidens: quin etiam de bonis & malis, & universo rerum ortu ac generatione, & ut semel dicam, de iis quæ locutus est Dominus, accuratissimam & exactissimam à mundi constitutione ad finem usque veritatem, ab ipsa veritate didicit: non si quid visum fuerit probabile, aut ex Græca oratione necessarium, ipsi veritati præponens. Quæ autem à Domino dicta sunt, pro apertis & manifestis sumet, etiamsi aliis obscura fuerint: ita de omnibus accepit cognitionem. Quæ sunt autem apud nos oracula, & de iis quæ sunt ut sunt respondet; & de futuris ut erunt; & de iis quæ facta sunt, ut fuerunt. In iis solis quæ scientiam constituunt cum sit scientia præditus, se præclarè geret: & de bono tra-*

Strom. I. 6. pag. 471.

dendo præcipiet orationem, iis quæ intelligentia percipiuntur semper adhærens: ab illis supernis archetypis exemplaribus suam rerum humanarum describens administrationem; quomodo qui navigant, navem ad astrum dirigunt.

VI. Non discedebat à Clemente Origenes, cum & ipse doceret, quì posset quisque *intra seipsum Arcam divinam construere, & Bibliothecam divini Verbi consecrare*; atque ita ab exurdantibus sæculi vitiis emergere, & *conversationem in cœlis habere*, etsi terræ adhuc incola esset. Eam porro sive Arcam, sive Bibliothecam, *non sæcularium authorum, sed ex propheticis atque Apostolicis voluminibus* compingi debere. Et rursus idem quàm puris cordibus, quàm intaminatis manibus tractanda sint divina veritatis dogmata, quàmque anxiè saragendum & enitendum nobis sit, ne quid inde depereat, vel dilabatur, prolato Eucharistiæ exemplo, quam summoperè omnes reverebantur, ipsimet sibi conscii, tantundem saltem reverentiæ & curæ divino Verbo dependi debere, ut ne minutiæ ejus ullæ nobis vel sine cultu excidant, vel sine fructu. *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo pærum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & meritò utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quàm corpus ejus?*

Hom. 5. in Genesim. Pag. 63.

Hom. 11. in Exodum.

VII. Id enimverò centies inculcavit Origenes, Quoties sempiterna veritas, Verbum Dei, litteris, chartis, sacrisque libris inscribitur, toties illam quodammodo incarnari, & hæc ejus integumenta, seu verbis, seu scriptis constent, ceu corpus & carnem esse divini Verbi toties inhumanati, & nobiscum versari gestientis. Quod ergo semel illi præstitit Maria, sexcenties illi præstat Theologus, dum verba, vel scripta accommodat; quibus aspectabile fiat, non sine magna sui in nos amoris significatione, nec sine ingenti gratiarum inde manantium proventu. *Sicut in novissimis diebus verbum Dei ex Maria carne vestitum processit in hunc mundum: & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur: carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur divinitatis agnitio. Ita & cum per Prophetas, vel legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis: Nam sicut ibi carnis, ita hic litteræ velamine tegitur. Ut littera quidem aspiciatur tanquam caro, latens verò intrinsecus spiritalis sensus tanquam divinitas sentiatur.*

Hom. 1. in Levit. Pag. 64.

VIII. Porro ex eodem Origene si carnes in Mosaico Tabernaculo sanctificatas non attingebant, ac ne delibare quidem poterant, nisi mundi & à sordibus quibuscunque puri: carnes Verbi Dei, seu Theologicos tractatus quomodo attingere audebit, aut degustare, qui necdum affectuum operumque carnalium immunditiam omnem à se absterserit? Etsi ergo, ait Origenes, florentis quis naturæ sit, & ardentis ingenii, non statim Dei mysteria committentur illi perscrutanda, vel ad alios publicanda, nisi profanos mores priùs excusserit. *Secundum immunditiæ genus est, ne ipse qui carnes edit, immundus sit, & immunditia ejus in ipso sit, quod hoc modo intelligi potest; verbi gratia, si sit aliquis naturæ florentis, & ardentis ingenii, non continuò aptus videbitur ad suscipienda verbi Dei mysteria; sed quæritur etiam hoc, ut priùs à profanis actibus & immundis operibus separetur, & ita demum eruditionis capax fiat, si priùs capax fuerit sanctitatis. Simile his in Numeris legimus scriptum, ubi Dominus*

In Levit. hom. 6. in. Pag.

nus

nus carnes cœlitus dedit filiis Israel, & civit: Sanctificamini in crastinum, ut manducetis carnes; hoc ostendens, quod nisi sanctificati essent priùs effecti, carnes eis non daret Deus.

IX. Si carnem autem ante domari, & purgari necesse est, quàm divinis se quis inserat mysteriis, vel scrutandis, vel participandis; hæc ipsa vicissim frequens participatio Verbi divini, seu cœlestis alimenti, & spiritalium deliciarum nova semper copia scatentis; lectio, oratio, sermo doctrinæ, mentem corroborat; & residua si qua sint vitia, eorum victricem præstat. *Si verò ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cœlestium capias: sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, ac sensibus; & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt, divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur.*

Hom. 9. in Levit. Pag. 96.

X. Unum superest quod hic assuam Origenis testimonium de Evangelio Joannis, quod ille ait meritò dici posse Evangeliorum primitias, non aliter quàm primitiæ Scripturarum Evangelia dicuntur. Hoc ergo palmare Evangelium Joannis interpretari aggressurus Origenes, non abs re ait ex ipso Jesu sinu hauriendos esse ejus sensus, unde & ipse Joannes eos hausit; ad id verò eum sanctimoniæ apicem desiderari, quo quis instar Joannis filius evadat Mariæ: cui eum non alius sit, aut fuerit unquam filius, quàm Jesus; hinc Joannes in unam quodammodo personam conflatur, & in unum filium cum Jesu, ut Mariæ filius verè vel ab ipso Christo dici potuerit. Eum eximiæ sanctitatis & puritatis attigisse par est apicem, Evangelii Joannis interpretes, divinæ Verbi ex summo Patre generationis præcones, cujusmodi esse Theologos passim cogit inevitabilis quædam necessitas. *Audeamus igitur dicere primitias scripturarum omnium Evangelium esse, Evangeliarum verò primitias Evangelium à Joanne traditum: cujus sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Jesu recubuerit, vel acceperit à Jesu Mariam, quæ etiam ipsius mater fiat: adeo talem, tantumque esse necesse est, qui Joannes alius sit futurus; ut quemadmodum Joannes, itidem etiam & iste, à Jesu Jesus existere ostendatur. Nam si nullus est Mariæ filius, judicio eorum, qui de ipsa sanè senserunt, præterquàm Jesus: dicitque Jesus matri: Mulier ecce filius, & non, Ecce etiam hic est filius tuus: perinde est, ac si dixisset, Ecce hic est Jesus, quem genuisti. Etenim quisquis perfectus est, non ampliùs vivit ipse, sed in ipso vivit Christus.*

Origen. in Præfatione in Evang. Joan. Tom. 2. pag. 161.

XI. Author est & Athanasius, ad pervolutandas Scripturas, & earum penetralia invadenda, opus esse animo puro, & vita virtutibus perpurgata. Nec enim Sanctorum verba satis comprehendi posse, nisi Sanctorum ipsorum diutina imitatio quandam nobis cum illis familiaritatem, & necessitudinem conciliarit. Solis jubar nemo facilè intuebitur, nisi oculos absterserit, ut jam puros: *Ceterùm ad Scripturarum indaginem, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute quæ secundùm Christum est: ut mens per ejus tramitem decurrens, ea quæ expetit, adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam divina intelligere. Nam sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit Solis jubar, oculos planè detergit, & in splendorem redigit quantum potest, ad ejus similitudinem cujus conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans, ut ita oculus, jam lumen redditus, lumen Solis contempletur.* Et rursum ut necesse sit Theologos ad sanctam quandam civitatem proficisci, in qua jamdiu regnant Scriptores canonici, sancti Patres, Tractatores Ecclesiastici; ibique cum eis consuescere; & multo cum eis congressu diuinoque contubernio, eorum sermones & penitissimos sensus perdiscere. Non enim facilè, non penitus quenquam capimus, nisi qui se nobis longa assuetudine insinuarit. Hæc porro consuetudo & familiaritas, morum magis est & vitæ, quàm sermonum. *Aut quemadmodum si quis civitatem, aut provinciam perlustrare velit, planè ad ipsum locum spectandi causa procedit; ita quoque qui volet mentem virorum cœlestia loquentium intelligere, priùs detergere & abluere vivendi disciplina animam debet, & ad sanctos accedere, cum studiorum factorumque similitudine: ut illis consuetudine paris vitæ familiaris redditus, quæ ipsis à Deo revelata sunt, cognoscat, & unà cum illis inflammatus, peccatorum quidem pericula, eorumque ignem in die judicii effugiat: ea verò percipiat, quæ Sanctis sunt reposita in regno cœlorum, quæ nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparata sunt iis, qui secundùm virtutem vivunt, Deumque diligunt.* Qui denique & quales sint illi viri, quorum nobis vitæ maximè imitatione & integritate morum ambienda familiaritas est, ut & doctrinæ consortium aliquod assequamur: non tacet ibidem Athanasius. Sunt enimverò sacrarum litterarum, & divinitus inspiratarum Scriptores; sunt eorum subinde alii & alii discipuli, qui & eidem tuendæ doctrinæ sanguinem plerique impenderunt; sunt denique sancti Patres, Athanasius ipse aliique, cui Ecclesiasticæ doctrinæ traditem ad nos usque propagarunt. Horum in consuetudinem & penitiores sensus non illabetur, nisi qui pietate & probitate illis utcumque consentiat. *Si sacras litteras evolvas, illisque legitimè mente insistas, omnia ad exactum, plenius & liquidius, quàm à me dici potuere, deprehendes. Illa enim à viris rerum cœlestium peritis, & ab ipso Deo conscripta sunt & enuntiata. Nos autem ista hausimus à magistris divinitus afflatis, qui eos libros evolverant, & sese divinitatis Christi Martyres testesque exhibuerant, quæ nos tuæ sedulitati tradenda existimavimus.*

Athanas. lib. de Incarnatione.

Ibidem.

XII. Impatientissimè ferebat Gregorius Nazianzenus sui ævi extemporaneos veluti quosdam Doctores, & suffragiis potiùs quàm virtutis & doctrinæ copia creatos Theologos; à quorum conspectu aufugere, & in avia quædam se latibula abdere cupiebat. Hos non alios fuisse suspicor, quàm aulicos quosdam Episcopos. *Cùm linguæ pruriginem hac tempestate vigentem conspicio, sapientesque diei unius momento exortos, atque Theologos electione ac suffragio effectos; quibus ad eruditionem comparandam satis est, si voluntatem solam afferant; Philosophiæ supremæ desiderio teneor, ac, juxta Hieremiam, extremum quendam secessum requiro, mecumque ipse solus vitæ consuetudinem habere concupisco.*

Orat. 29. pag. 486.

XIII. Gregorio enim is demum Theologus videbatur esse, qui totus ad æterna propendens, terrenas res primoribus tantùm digitis attingeret, secum ipse & cum Deo versaretur semper; rerum omnium causas & rationes non alias ferè, quàm quæ in Verbo, in incommutabili Veritate vivunt, meditaretur; lumen lumine, puro purum hauriret æternæ sapientiæ fontem, terrenisque vitiis & curis extricatus, futuræ jam vitæ delicias prælibaret. *Neque enim mihi quidquam cum ejus hominis vivendi ratione comparandum videtur, qui clausis compressisque sensibus, atque extra carnem mundumque positus, nihilque rerum humanarum, nisi summa necessitate impellente contingens, secumque ipse & cum Deo commercium habens, sublimiorem iis rebus, quæ aspectu sentiuntur, vitam traducit; ac divinas rerum species & imagines puras semper, atque ab omni-*

Ibidem.

omnibus terrenis & vagis simulacris uberas atque immunes in se circumfert; velut purissimum quoddam speculum Dei rerumque divinarum existens, subindeque effectus: atque ita se comparat, ut per lumen lumen insuper assumat, per obscurius nimirum clarius & illustrius: quousque ad radiorum futuræ vitæ fontem tandem pervenerit, ac solutis per veritatem speculis beati finis compos extiterit.

XIV. Denique ita statuit Nazianzenus, nec ad hanc germanam Theologiam & cum Deo consuetudinem accedere, aut vel aspirare quenquam posse, nisi antè carnis vitia frænaverit, mentemque suam virtutum domicilium, Dei hospitium fecerit; nec vitiorum stirpes fibrasque penitissimas evelli, virtutes divinas inseri animo posse, nisi castissimæ hujus & divinæ doctrinæ beneficio. *Vix porro quisquam, nec nisi qui, vel* Ibid. p. 457. *diuturna Philosophia, exactaque disciplina, carnem frænaverit, animæque nobilitatem & splendorem ab humilis & caliginosi corporis contagione abruperit, vel divinum numen erga se benignum propitiumque senserit, aut utrumque horum habuerit, ac mentem quàm maxima cura & diligentia ad cœlestium rerum aspectum evexerit; vix, inquam, terrenam hanc molem deorsum trahentem superaverit. Priusquam autem eam, quantum fieri potest, superaverimus, auresque nostras & mentis aciem satis repurgaverimus, animarum curam suscipere, aut ad rerum divinarum pertractationem accedere haudquaquam tutum esse duco.*

Hæc verò tam altè descenderant in mentem Gregorii, ut & ipse cunctaretur, refugeretque Theologi munus aggredi, quanquam tam longo antè & tam accurato in solitudine virtutum omnium tyrocinio perfunctus. Ibid. p. 458. *Quæ cum ipse norim, illudque præterea, neminem magno Deo, & sacrificio, & Pontifice dignum esse, qui quidem priùs Deo hostiam viventem seipsum non exhibuerit, aut, ut rectiùs loquar, Dei vivi templum sanctum ac vivum factus sit; quì tandem fieri possit, ut vel ipse prompto animo de Deo disputationem habere aggrediar, vel temerè aggredientem probem? Laudanda non est hæc cupiditas; periculosus ac metuendus hic conatus. Ac proinde purgari nos antè oportet, atque ita deinde in illius, qui purus est, congressum & colloquium venire.*

XV. Decantatissima illa & tot laudibus cumulata contemplatio non aliud videbatur esse Nazianzeno, quàm Theologicum studium, ea qua par est morum castimonia, corporis & mentis puritate subnixum. Itaque committendum non esse, ut priùs quis in Theologicas contemplationes irrumpat, & tum demum divini timoris falce inhærentes vitiositates succidat; sed studio sapientiæ præsultorem dandum esse timorem Dei, qui conscientiæ, qui vitæ, qui famæ sordes omnes antè eluat, atque ita purgatos in Sapientiæ sacraria admittat. *Neque enim ea nobis ratio* Orat. 38. *ineunda est, ut à contemplatione auspicantes, in timorem desinamus. Effrænata enim contemplatio in præcipitia quoque fortasse nos impulerit. Verùm ut timoris rudimentis imbuti, & purgati, atque, ut hoc verbo utar, attenuati, in altum efferamur. Ubi enim timor est, illic quoque mandatorum observatio: ubi autem mandatorum observatio, carnis etiam, quæ nubis cujusdam instar animæ lumen obscurat, nec divini radii splendarem purè intueri sinit, purgatio est. Porro ubi purgatio, illic illuminatio: illuminatio autem desiderii summa est; iis utique qui maximarum rerum, vel potius maximæ rei, atque adeo magnitudinem omnem superantis cupiditate flagrant. Quocirca se quemque priùs purgare oportet, atque ita demum cum puro consuetudinem habere.*

CAPUT IV.

Ex aliis rursum Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia: quos & quales esse deceat Theologos omnes; non Magistros tantùm, sed & Tyrones.

I. Ex Chrysostomo, Theologia, Eucharistia, mentes vitiis purgat.

II. Morum probitas probas ingenerat opiniones, improbitas improbas & hæreticas.

III. Ex eodem vita impura impedimento est sublimibus dogmatibus.

IV. Rursum ex Paulo probat Chrysostomus, mala dogmata, hæreses ex vita pravitate nasci, necnon & schismata.

V. Alia rursus ad id ex Scripturis probationes.

VI. Danielis & Ezechielis exemplis probatur, divina non pandi arcana, nisi puris mentibus, in secessu & fuga sæculi.

VII. Ex Theodoreto eadem hæc omnia declarantur.

VIII. Et ex Synesio, ex quo multa præclarissimè de puro mentis oculo, de lætissimo tum lucis & veritatis summæ spectaculo.

IX. Primæva vera Philosophiæ lux non à Platone, non à Plotino, sed à Verbo, & ejus dono à Moyse, à Salomone, qui omnium primi de summa Sapientiæ persona & majestate scriptis aliquid mandarunt.

X. XI. Ex eodem Synesio de summæ Sapientiæ deliciis, à terra, à terrenorum amore nos avocantibus.

XIII. Quomodo Ambrosius, Synesius, aliique ad Episcopatum advecti, statim evaserint in summos Theologos.

I. NUmerat & Chrysostomus Theologicas meditationes inter eas cœlitus medicatas potiones, quæ ægritudines, quæ pravitates animi funditus extinguunt; his adjungit sacras Eucharistiæ epulas, & largas in pauperes erogationes. *Quonam igitur modo ab hac tam noxia peste fugiemus? si illam utique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesque mortificet. Et quodnam, inquies, istud est poculum quod eam vim habeat? Pretiosus scilicet Christi sanguis, si cum fiducia utique sumatur. Omnis enim hoc remedio morbus extinguitur: post hoc sanctarum quoque Scripturarum diligens & devotus auditus, & misericordia auditui copulata. Per hæc enim omnes mortificari illæ possunt, quæ animam nostram tabefaciunt passiones.* Chrysost. Hom. 4. in Matth.

Et rursus idem alibi, ut ad cœlestia assurgere possit nemo, nisi priùs terrena calcaverit omnia. *Quoties enim terrena nequit homo contemnere, quomodo poterit cœlestia contemplari? Quamobrem adnitamur pro viribus, dilectissimi, ut vitam nostram dirigamus, ut mentem expurgemus, ut nulla nos sordes impediant; augete cognitionis lucem, neque jacite semen inter spinas. Qui non intelligit malam esse avaritiam, quomodo majora cognoscet?* In Joann. Hom. 33.

II. Cùm Theologi sit autem non suo privatim solùm frui veritatis lumine, sed eo alios etiam impertire: cùm ea sit maximè lucis vis ac natura, ut latissimè se diffundat: monet Chrysostomus ipsa maximè morum probitate fieri, ut cæteri homines nobis copulentur, & assentiantur, ejusdemque dogmatis & doctrinæ societatem complectantur. Rapit enim omnes in sui amorem perspecta virtus, amor conciliat & consentientes facit. *Multum momenti in vita est dilecti, licèt sit quispiam efferus; etiam si per dogma non condemnetur, sed clam approbat, laudabit, & admirabitur. Et unde, dicis, erit vita optima? Non aliun-* Hom. 47. in Acta, pag. 6[illegible].

aliunde quàm à divina operatione. Ex advertio autem vitæ improbitas sana dogmata labefactat, erroresque mentibus sensim inseminat, illos maximè qui alendis vitiis obsecundant. Hinc expuncta multis resurrectionis fides, & immortalitatis animarum, hinc fati invecta necessitas, Providentiæ summæ inficiatio. Quæ sententiarum deliramenta ideo eruperunt, ut essent & vitiorum patrocinia. *Resurrectionis dogma ladit vitæ improbitas, dilacerat immortalitatem animarum, & judicium & multa alia: inducit fatum, necessitatem, negationem providentiæ. Anima enim multis malis immersa, has sibi consolationes excogitare attentat, ut ne cogitans esse judicium contristetur; & situm esse in nobis facere bonum & facere malum, negat. Vita talis operatur innumera mala, bestias facit ex hominibus, & bestiis stupidiores*. Hinc pulcherrimè alibi idem sanctus Pater, de Pauli Apostoli doctrina differens, cui non facilè assentientur, qui ab ea se passim traduci & damnari intelligent; qui bonæ frugis erunt, facillimè conciliabuntur: *Ut autem Paulina intelligantur, vita pura opus est*. Non ait ut honori, ut amori sit Pauli doctrina, ut imitationi, vita pura opus esse; sed ut intelligatur, Caliginem enim menti offundunt vitia omnia, & lumen veritatis excludunt. Etsi alluceat & blandiatur intellectui veritas, insidiatur & illudit cupiditas, & plerumque vincit.

Ibid. p. 807.

Hom. 47. in Acta.

III. Hoc ipsum interpretatur Chrysostomus à Christo significatum fuisse, cum dicebat, *Qui facit mala, non venit ad lucem*. Tenebrosa enim illum conscientia & inquinata vita à luce alienat, & vicissim ab illo lucem alienat. Ab animi perturbationibus liberum ergo esse oportet, qui dogmatum sacrorum arcana rimari volet. Sed hæc multò luculentiùs edisseret Chrysostomus: *Hinc dicimus, quod merito dicebat Christus, Qui facit mala, non venit ad lucem: & quod vita impura est impedimento sublimibus dogmatibus, non sinens ut appareat perspicax animæ facultas. Quomodo ergo fieri non potest, ut qui est in errore, & rectè vivit, maneat in errore: ita non est facile, ut qui in sceleribus & flagitiis est educatus, citò respiciat ad dogmatum nostrorum altitudinem, Sed ab omnibus animi perturbationibus oportet esse liberum eum, qui est venaturus veritatem. Nam qui est ab iis liberatus, ab errore quoque liberabitur, & veritatem assequetur*.

In Epist. 1. ad Corint. Hom. 8.

Nec est quòd quenquam abducant ab hac Chrysostomi sententia vulgatissimi rumores illi, esse bonæ frugis hæreticos aliquos, probitatis numeros ab illis omnes accuratè impleri, in sola fide illos claudicare. Inania hæc sunt hominum minimè malorum, & per incogitantiam saltem, aut imprudentiam peccantium deliramenta. Hæreticum non facit error, sed erroris pervicacia, erroris contumax & superba defensio. Porro nemo nescit quantæ ex contumacia & superbia vitiorum pestes existant. Si jam ad Catholicos pergas, ne illi quidem in errore quovis exitiali consenescunt, si reliqua vita sit innoxia, si puræ veritatis amor animo insideat, si ejus penitius indagandæ, & flagrantiùs sectandæ sedulitas non desit.

IV. Suam hanc porrò doctrinam confirmat rursus Chrysostomus ex Pauli verbis, qui radicem omnium malorum docet esse avaritiam, qua fascinati quidam à recta fide aberraverunt. Quæ hìc avaritia dicitur, ea est, ut opinor, carnalis universim & terrena quæcunque cupiditas; cui quisquis mancipatus est, & hac sua servitute delectatur, is facilè adducitur ad perneganda, & evertenda sanæ fidei dogmata omnia, quibus gravissimæ & æternæ pœnæ nefariis omnibus cupiditatibus intentantur. *Rectè autem Paulus addidit illud, Nolite peccare, ostendens quòd hinc sint semina incredulitatis. Hoc quoque alibi tacitè significat, quod vita corrupta multa gignit dogmata: ut quando dicit, Radix omnium malorum est avaritia: quam quidam appetentes aberraverunt à fide. Multi enim malè sibi conscii, nec volentes dare pœnas, ab hoc metu laduntur in fide resurrectionis; sicut ii quidem certè qui multa & præclara rectè gesserunt, quotidie cupiunt videre illum diem.*

Hom. 40. in Epist. 1. ad Corint. pag. 694.

Rursum Paulus, rursum Chrysostomus tum errores alios pestiferos, tum maximè hæreses nasci docent ex morum perversitate. Exundante enim iniquitate refrigescit charitas; ubi refrixit charitas, ebullit invidia in fratres; ex invidia, dominandi libido progreditur, & hinc hæreses. *Quum abundaverit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ejusmodi profectò contemptus omnes hæreses genuit, quippe ex eo quod non diligerent fratres, secundis eorum successibus invidebant. Ex ea autem invidia, dominationis ambitu tenebantur: porro ex ea ambitione hæreses nascebantur; idcirco & Paulus quum dixisset, ut denunties quibusdam non aliter docere: modum etiam suggerit, quo id fieri possit. Quinam vero hic est? Charitas*. Nec hæreses tantùm, sed & schismata ex eadem improbitatis & superbiæ radice proserpunt. *Quippe & vita impura schismata facit. Omnis enim qui malè operatur, odit lucem*. Denuo Paulus, *Volentes esse legis doctores, & non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant*. Denuo Chrysostomus, *Si ex ignorantia, quomodo peccare illos dicis? Propterea quod legis docendæ munus sibi usurparent: tum etiam quod charitatem desererent. Nam ex hoc ignorantia gignitur*. Perspicua sunt hæc Pauli, hæc Chrysostomi Paulum interpretantis verba. Vide jam ut ejus doctrinæ ratio ab ipsa usque origine promatur: *Nam cum anima negotiis carnalibus seipsam penitus dederit, hebetatur illius acies, ac penitus obtunditur. Ubi enim à charitate decideris, necessariò ad contentionis devolvitur studia, jamque mentis acies nihil aliud quàm rixas conspicari potest. Nempe enim is qui aliqua rerum temporalium concupiscentia detinetur, ejusmodi vitio ebrius nequaquam de veritate integrum atque illibatum potest proferre judicium. Nescientes, inquit, de quibus affirmant*.

In Epist. 1. ad Timoth. hom. 1. pag. 1512.

pag. 1518.

Denique alibi Paulus, *Habens fidem & bonam conscientiam: quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*. Ubi Chrysostomus in eandem sententiam, *Et merito sanè. Nam ubi vita reprehensibilis fuerit, dogma item hujusmodi sit necessarium est; ac videas plurimos in profundum malorum corruisse, atque ad gentilem ritum fuisse conversos. Ne enim futurorum metu & expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio continet; atque à fide quidam pervertuntur, dum rationibus omnia colligere quærunt. Naufragium quippe hujusmodi ratiocinatio gignit, fidesque veluti navis tutissima est*. Minùs ergo mirum nobis accidet, si tot passim contemptui sint Theologi; morum scilicet pravitate authoritatem sacræ doctrinæ detrahentes, eam leviter & perfunctoriè delibantes, plerique in fide ea de causa titubantes, nonnulli ab ea fœdissimè desciscentes. Hinc verò fides ipsa magis magisque convalescit & corroboratur; ut cujus veritas tam sit certa, tam perspicua, quàm æterna lex illa & ratio incommutabilis, quæ justitiam coli jubet, improbitatem profligari. Ut enim hìc nos addocuit Chrysostomus, nec à fide deviare potest, quisquis pietati & justitiæ constanter adhæresit; nec vicissim à justitia & probitate longè deflectet quisquam, qui non & in fide aliquando periclitetur.

In Epist. 1. ad Timoth. hom. 1. pag. 1546.

V. Quoniam autem plurimum momenti est in hac Theologici studii copia individua cum morum innocentia, libet alias & alias ad hoc ipsum audire allegatas à Chrysostomo rationes; quas

quam

quam multi in ore habent, tam pauci expendunt, ut videant, quo illæ pertineant. Cùm ergo quæstionem aliquam proposuisset Chrysostomus plebi suæ, ab ea solvenda ipse quidem abstinuit, hortatus est autem fideles omnes, ut ipsimet secum commentarentur aliquid, quo ea elucidaretur. Nec enim cuiquam desperandum est, cùm nemo sit, penes quem non sit potestas purioris vitæ consectandæ, cui protinus cœlestis lux affulgescit ad dubia istiusmodi omnia enucleanda. Vide quàm certò id affirmet, quantis id astruat argumentis sanctus Pater. *Poteritis autem talia invenire, si puram vitam egeritis. Si enim Cornelium propter vitam optimam vocavit ad arcanorum cognitionem, Eunuchum propterea quod studiosè legeret, fecit etiam cognoscere: multò magis eos qui jam fidem assecuti sunt, si rectam vitam ostenderint, docebit quæ manifestiora. Quemadmodum enim vita immunda est impedimento, quo minus ea cognoscantur, ut dicit Paulus: Non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, quoniam lites sunt in vobis & contentiones: & rursus Esaias: Scire vias meas desiderabant, ut populus qui fecit justitiam: ita etiam vita munda eò deducit, & quærendi studium.*

In Psal. 48. Tom. 5. pag. 1144.

Huc pertinere idem alibi tradit, & Evangelicas Christi parabolas, & multiplices Scripturæ difficultates: ut indigni & ignavi repellantur, digni & gnavi quærant, pulsent, petant, & hoc suo veritatis studio non doctiores tantùm, sed & sanctiores evadant. *Nam Christus quoque multa loquebatur in parabolis, separatim autem eas solvebat discipulis. Parabola enim dignum ab indigno distinguit; dignus enim querit invenire ea quæ dicuntur, indignus autem pretercurrit.*

In Psal. 48. Ibid. pag. 1166.

VI. Alibi verò de incomprehensibili Dei natura disputans Chrysostomus, miratur non injuria stoliditatem Eunomianorum, qui etsi non nescirent Danielem hominem inculpatæ vitæ, & multarum virtutum luce radiantem, non potuisse unius Angeli conspectum ferre: sperabant se quanquam moribus essent inquinatissimis, naturam Dei ad purum & liquidum videre, qui tot Angelorum millia suæ ex omnipotentiæ sinu effudisset. *Isti qui tam longè ab illius justissimi hominis virtute absunt, & jacent, & sordent, ipsam substantiam Dei sese diligentissimè nosse profitentur: quæ suprema & prima est, quæ millia Angelorum creavit, quorum unum Daniel videre non potuit.* In his Danielis virtutibus, quæ illum ad cœlestium conspectum videbantur roborasse, non postremum occupat locum sæculi fuga, secessus & silentii amor, unde frequens illi ad fluminum oras meditatio, perinde ut Ezechieli, ubi & utrique divina se arcana aperiebant. Quod exemplum & in illis, & in compluribus aliis præformabatur, ut ne sperarent verissimæ se Theologiæ luce fruituros, nisi qui urbes & tumultum hominum, ac negotiorum fugitarent, & ita demum se divinorum contemplationi coaptarent. *Hic quoque (Ezechiel) ad fluvium Chobar, quomodo Daniel ad Tigrim divinam rem accipit. Quoties enim Deus insolitum aliquod visum ostensurus suis famulis est, extra urbem tumultumque hominum ducit, & loco tranquillo constituit; quo nullis rebus, quæ sese aut oculis aut auribus offerant, animus interpelletur: sed liber omnino ac otiosus vacet earum, quæ divinitus aperiantur, contemplationi.*

Hom. 3. de Incomprehens. Dei natura. Tom. 1. pag. 360.

Ibidem.

VII. Si libeat autem resciscere, unde olim Prophetæ, unde Scriptores divinorum librorum, unde Apostoli, unde Chrysostomus, unde Patres cæteri, quorum hìc suffragia corrogamus, Theologiam compararent illam suam, cujus rivulis nostram hanc rigare contendimus: non siluerunt ipsi. Ezechiel, Daniel, Chrysostomus, ne retro ad Moisen montium fastigia inaccessa conscendentem pergam, Theologiæ suæ fontes illimes & uberrimos nobis indigitarunt, non in congressibus hominum, non in frequentia populi; non in opum, honorum, deliciarum cura; sed in otio sacro, in abditis recessibus, in jugi Scripturarum meditatione, inter studia, & exercitamenta virtutum magis, quàm scholarum. Ideo & Theodoretus monet in more olim fuisse apud fideles omnes, ut jam inde à puero Scripturis initiarentur, earumque fluentis copiosiùs in dies perfunderentur, quo perturbationes animi omnes abstergerent, & libero puroque mentis oculo divina fruerentur luce. *Mœroris ipse nubem in anima mea discutio, & tuam ore gravitatem, ut tristitia dolorem cogitatione vincas, divinorumque eloquiorum carmen animæ in tempore admoveas. Hujus enim rei gratia statim à cunabulis velut mamillam quandam sacrarum scripturarum meditationem haurimus, ut cum morbus nos invaserit, salutare pharmacum spiritus disciplinam adhibeamus.* Mosaicis etiam temporibus, legibusque jubebantur, qui sacra facturi erant, & puras Deo hostias oblaturi, secedere aliquantulum, & in sacris adytis versari, ubi uni vacarent Deo & sibi; seque ipsos priùs, quàm oblationes quasvis alias Deo immolarent. Atqui Theologicæ meditationes, prædicationes, lectiones, scriptiones, sacrificia sunt, hostiæ sunt. Unde Theodoretus idem ex Pauli verbis. *Ut sim minister Christi in gentibus, sanctificans Evangelium Dei: ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto. Et prædicationem quidem, inquit, sacrificium vocavit, sinceram autem fidem, acceptam oblationem.*

Theodoret. Epist. 14. Tom. 3. pag. 906.

Ibid. in Ep. ad Rom. c. 15.

VIII. In vitæ puritate vestibulum esse primum, & quoddam sapientiæ rudimentum, quod deinde longo virtutum & studiorum progressu perpoliendum sit, ita docet Synesius, Episcopus Cyrenes: *Quippe rectè vitam instituere perinde arbitror, ac sapientiæ initium; idque vetustissimi, ac sapientissimi viri summoperè procurandum esse declararunt. Ei enim qui impurus sit, rem puram attingere nefas esse testatur divina vox.* Si quæras autem quò maximè spectet totus ille parandæ puritatis labor, uno verbo rem declarat Synesius, nempe ut defossum in nobis mentis oculum effodiamus. *Vale & Philosophiæ operam dato, jugique studio defossum in nobis oculum extrahe.* Contemplatorem enim summæ veritatis oculum sic menti nostræ Creator inseruit, sicut corpori corporeæ lucis spectatorem. Peccatis & cupiditatibus cœnosis oblimatus est mentis oculus, ut divina jam non possit contueri. Sordes illæ omni studio abluendæ sunt, & tum demum pura puris animis veritas allucebit, & hominem homini reddet. Etenim *vita quæ secundum mentem est, finis est hominis. Hanc nos omni studio quæramus, ac cum à Deo divina sapere postulemus, tum ipsi quacunque ratione possumus, undequaque sapientiam comparemus.* Est enim oculi purgati, & ad lucis patientiam, ad lucis læta spectacula restituti, non otiari, non torpere; sed ad fontem ipsum luminis, ad Solem converti, & eo quantum fas est frui: tum ad ea omnia quæ Solis hujus luce perfunduntur, aciem suam convertere; pulchra hæc & splendida omnia ab illo sursum Sole illuminari & venustari, & scire, & gratulari.

Epist. 136.

IX. Hac luce ubique præsentissima, ubique & semper frui fas est, & inextricabiles alioqui quæstionum nodos expedire. Hæc longè pulcherrima Philosophia est, hæc Theologia. Nec enim Synesio & Patribus olim aliis omnibus aliud erat Philosophia, quàm Theologia; ut nec alia Sapientia, quàm Deus, quàm Verbum ipsum. Philosophari ergo non illis aliud, quàm Theologum agere. Nec illud Synesius hauserat à Platonicis, sed à Scripturis, in quibus longè antiquissima ante Philosophos Græciæ omnes, & uberrima Philosophia mana-

manabat. Qui primus litteris aliquid mandavit, quod ad nos pervenerit, Moyses & secundùm illum Salomon, multis ante Homerum, ante Poetas & Philosophos omnes sæculis, sapientiam intellexerunt, & humano generi pro suo modulo intelligendam, videndamque repræsentarunt; non qualemcunque, non participatam, non creatis mentibus inhærentem; sed increatam, incommutabilem, æternam, ipsammet substantiam & personam sapientiæ & veritatis; cui mens creata adhæresci, quoties & quandiu sapit. Hanc Moyses delineavit, hanc Salomon frequentissimè & luculentissimè in Scripturis nostris declaravit, ex quibus aliquando tandem Plato & ex eo Philosophi cæteri didicere, quid esset sapientia, quid Philosophia, quid Philosophari. Id nos operosiùs prosecuti sumus, in eo quem non ita pridem emisimus de Philosophis & de Philosophia tractatu. Hæc obiter præfari necesse fuit, ne Synesius, ne Nazianzenus existimarentur, aliique Patres complures ad Philosophorum scholas descendere, cùm ad Philosophandum fideles hortantur. Totum enim contra est, nec aliud tum illi agunt, quàm ut primigeniam Philosophiæ sinceræ originem Scripturæ & Ecclesiæ restituant, & ex ea perfusos tantùm furtim fuisse Philosophos Græcos contestentur. Audiendus est ergo nunc demum nobis Synesius: *Itaque sive absentibus, sive unà degentibus nobis Deus semper adsit: præsente verò Deo, etiam quod inextricabile est, explicari facilè potest. Vale & philosophare. Ac quod divinum inte est, ad divinum illud effer primigenium & antiquissimum. Optimum est omnibus meis in litteris egregiæ animi tui affectioni istud à me dici, quod ad eos qui aderant Plotinum usurpasse ferunt, cum à corpore animum revocaret.* Non hæc à Plotino Synesius, sed à Platone Plotinus, Plato à Moyse, à Salomone, ab illis Scripturis, quæ de Christo, nec nisi de Christo in utriusque testamenti paginis verba feciste infra demonstrabimus.

Ibidem. Epist. 137. pag. 275.

X. Ex eadem scatebat inferiùs Salomonis vena, quod idem Synesius æternum æternæ sapientiæ Patrem compellabat, orabatque supplex, liberum ut sibi & extricatum ab omnibus terrenis sollicitudinibus animum præstaret, atque adeo non paupertatem tantùm à se, sed & divitias amoliretur, quo divinis nempe totus vacaret semper rebus, nec ullis inde avocamentis divelleretur; sed Theologicas subinde commentationes suas, etiam versu mandaret chartis: & has industriæ suæ coronas texeret ingenito Patri, texeret & Filio, qui cum ipso sapit & sapientia ipsa est, & omnia sapienti cum Spiritu moderatur. *Sed quandiu vitæ corporeæ in vinculis placida, ò Beate, alat me fortuna: neque adversa aura spiret, animi curis tristibus exedens vitam: rebus divinis ut semper vacem, neque in talibus voluter. Unde jam elapsus munificentia tua, coronam sanctis ex pratis tibi hanc necto: tibi istas affero laudes, purorum Princeps mundorum, & Filio sapienti, unà cum ejus sapientia, quem ex ineffabili effudisti sinu: in te autem manet, ex te quamvis progenitus, ut omnia sapienti moderetur Spiritu.* In eandem rursus sententiam aliquantis interpositis: *Ne mihi terrenos imbres divitiarum decernas, ò Rex, quò rebus divinis vacem: neque tristis paupertas testis adhæresçens, ad terram trahat curas animi. Utraque hæc res animam deprimit ad terram, utraque mentis oblivium affert, nisi tu, beate, ministres vires. Ne pater puræ fons sapientiæ, illustra animum de tuo sinu intellectuali luce. Illustra cor ex tua vi sapientiæ jubare.*

Synesius Hymno 3. pag. 326. 327.

Pag. 329. 330.

XI. Non mihi tempero, quin & illud hìc adscribam ex eodem dulcissimo Synesii carmine ad Deum, quod & meo pervelim & lectorum omnium cordi ita inscribi, ita infigi, ut deleri possit nunquam. Ita enim Theologorum animis illud indesinenter recurret, nec sine suavitate recurret, Qua communi calamitate immortales animæ nostræ mentesque in hylam, hoc in corruptibilis hujus carnis materiam delapsæ sint per primi parentis lapsum, ubi non supersint nisi suspiria & preces ad Patrem luminum Deum, ut ex hoc cœnoso & caliginoso gurgite nos liberet, & ad puros lucis & charitatis haustus restituat. *Et spiritum conserva impollutum, o Rex. Equidem nunc caliginosam hylæ maculam fero: tenor autem cupiditatibus, terrenis vinculis. Tu autem liberator es, tu expiator es, libera malis, libera morbis, libera compedibus; tuum semen fero generosæ scintillam mentis in altitudine hylæ absconditam. Tu enim in mundo deposuisti animam: per animam vero in corpore mentem seviſti, o Rex, terræ ut famularer: ex famula vero facta sum serva; hyla me magicis irretivit artibus. Adhuc tamen insunt mihi exiguæ quædam vires, abditæ pupillæ: nondum omnem restinxit vim, sed circumfusa est multa supernè tempestas, cæcam efficiens quæ in Deum aciem dirigit. Miserator Pater filiam supplicem, hanc sæpiùs jam intellectuali ascensu scandere cœlum conantem, blandæ hylæ desiderium suffocat. Tu verò illustra, ò Rex, oculos, ut ad cœlestia se attollant: accende ignem & incendium, semen illud exiguum alens in meo capitis apice.* Pag. 329.

XII. Nemo tam hospes est in Ecclesiasticis Annalibus, cui non exploratum sit, quàm præcipiti gradu & Synesius & Ambrosius, & alii nonnulli priscorum Patrum, à sæculari vita, pompa, militia, ad sacras insulas venerint, vel potiùs abrepti sint. Subit ergo quandoque mirati, qui potuerint illi tam citò ad edocendas plebes, ad Clerum imbuendum, ad concionandum, ad scribendum de rebus sacris accedere, & reconditam Theologiam, quam ne attigisse quidem videbantur, tum voce, tum scriptis promulgare. Monuit nos jam Theodoretus, solitos tum fideles jam inde à teneris ad mamillas Scripturarum admoveri, eo lacte diutissimè potari, mores purissimos inde haurire, quibus totius supernæ sapientiæ fores sibi panderentur, liberales artes excolere, & illam maximè Philosophiam, quam diximus Theologiæ multò plus etiam re quàm nomine consensisse.

Quid enim sapientiæ veræ amor, quàm Theologia; cùm ne Philosophis quidem illis alia videretur esse sapientia, nisi quam suo ex sinu Pater effundit, & per quam naturas omnes rationis, intelligentiæ & sapientiæ compotes creat, illuminat, perficit, beat? His qui adminiculis instructi tum erant, erant autem de quibus hic dicimus, nunquam imparati ad Ecclesiasticas sive insulas, sive Cathedras vocabantur; statim enim tam bene moratis, & tam puris mentibus, tam edoctis humanas disciplinas omnes ad suam originem, ad sempiternam sapientiam Christum retorquere, tota protinùs sacra doctrina, non ostendebat tantùm sese, sed penitissimè infundebat.

Nec est quòd quisquam obstrepat, hæc ad æternæ & increatæ Sapientiæ cognitionem referri tantùm posse, non ad humanæ quam assumpsit naturæ sacramenta. Protinùs enim respondebimus totam carnis œconomiam ad æternæ Sapientiæ leges spectasse; & qui Christum sapiunt, & paulò perfectiùs sapiunt, iis etiam cum carne sua non aliter plerumque illum occursare, non aliter ferè obversari animo, quàm ut ipsammet sapientiam, & justitiam, & sanctitatem membris nostris involutam, & carnis suæ mysteriis, tanquam litterarum cœlestium elementis; in quibus Sapientiam incommutabilem legunt, qui legunt, & intelligunt: etiam utcumque vident, qui legunt, & credunt, etsi necdum intelligant; & ea fide in dies proficiunt ad intelligendum.

CA-

CAPUT V.

Ex cæteris Patribus Græcis, quæ & qualis sit Theologia: quos & quales esse deceat Theologos, Tyrones & Magistros.

I. De Deo cogitandi, loquendi, scribendi suavitas ipsa assuetudine augescit, & nova luce in dies perfunditur, ex Epiphanio.

II. Ex eodem, Spiritus sanctus scrutatur profunda Dei, id est, sanctos & spiritales viros scrutari facit, non sine cœlesti quadam dulcedine.

III. Semine quodam incorruptibili Verbi creantur Theologi, ex Cyrillo Alexandrino. Vocat illos in montem Deus, vel ad illos descendit.

IV. Ex eodem, ut desidia nostra calamo vincenda sit; utque ministerio Verbi ita instandum sit, ut vix cibum necessarium capere vacet.

V. Ex Isidoro Pelusiota nefas est homines vita contaminatos de rebus divinis disserere.

VI. Rursum ex eodem quàm non liceat sanam doctrinam vitæ deboneſtamentis inquinare.

VII. Cur velit Isidorus, ante perlegi Ecclesiasten & Proverbia, quàm Canticum Canticorum.

VIII. Obsequio maximè & amore divina mandata intelliguntur.

IX. Negat Climacus posse Monachos Theologorum partes agere; sed iis rationibus, quæ & posse & debere probent. Pulcherrima ejusdem monita ad omnes Theologos.

X. Ex Dionysio, de Deo loqui, ipsum laudare est: quod Deus coram Beatis, hoc nobis mortalibus Scriptura.

XI. Ex Photio, Margaritæ sunt minutiæ omnes & Eucharistici panis & Scripturæ.

XII. Rursus ex Climaco, quàm necessaria sit animi corporisque castitas, ad Theologiæ recessus, ad divinitatis sinus subeundos.

I. CUrsim saltem salutandus nobis est Epiphanius, qui edoceat nos, & novis confirmet documentis, ut ipsa credendi, & quæ creduntur vel maximè abstrusa inculcandi nobis aliisque, scriptitandi, dictitandi suavitate, non suavitas ipsa tantùm magis magisque augescat, sed & lux accedat permagna; cùm ea sit charitatis natura, ut igneſcat, & igneſcendo luceſcat. Itaque ne Trinitatis quidem nomen pronuntiari ille debere existimat, sine quodam spiritalis voluptatis sensu, cùm ipsa illa sit dulcedinis fons totius & origo. Si dulcia sunt enim Davidicos Psalmos canenti eloquia Dei, quid nomen ipsum Dei? *Quippe Trinitas semper est, ut sæpiùs dixi, nec ullam unquam accessionem capit. Id quod & profiteri suavissimum est, & sine ulla satietate dicitur. Nam Propheta cecinit: Dulcia sunt faucibus meis eloquia tua. Quod si eloquia ipsa dulcia sint, quantò est nomen ipsum Trinitatis dulcius, quæ quidem fons & origo suavitatis omnis est? Quare Trinitas tribus hisce numeratur, Patre, Filio & Spiritu sancto.* Expertus, ut existimo, hæc affirmabat Epiphanius; divinorum enim dogmatum non jejuna & arida cognitio est, sed mira quadam suavitate delibuta, si de vero Theologiæ Christianæ fonte manet. Veritas enim suavissimus animæ pastus est, nec verus est pastus, qui exuccus, qui nullo sapore conditus est. Ab hoc scilicet sapore, & non à solo splendore sapientia dicitur. Si sapit palato mentis, sapientia est: si nihil sapit, ne sapientia quidem est; & ejusmodi mente, cui divina non sapiunt, vix insulsius quidquam fieri potest. Cui autem sapiunt & magis magisque sapiunt; is non potest non magna sapientiæ, sive sacræ doctrinæ incrementa facere.

Hæresi 74. c. 12. Tom. 1. pag. 901.

II. Nec minùs luculentè idem Epiphanius in Ancorato, Spiritum sanctum scrutari profunda Dei ex Scripturis declarat, eo nimirum sensu, quod spiritales viri eo afflati, in ipsa divinæ veritatis penetralia invadant; & sacra dogmata non exiliter & jejunè, ut hæretici, sed mira quadam amplitudine explanent: ut verè non tam ipsos, quam Spiritum sanctum dicatur scrutari profunda Dei. Atque ita non poterit hæc divinorum arcanorum contemplatio non gustu quodam & sapore suavissimo perfundi, cum à Spiritu sancto proficiscitur, qui charitas, qui suavitas est. *Verum quoniam sancti Spiritum Sanctum in seipsis excipere merentur, tum cum in Sanctis habitare cœperit, hoc ipsis tribuit, ut profunda Dei perscrutari possint; ut ex penitiori videlicet pectore celebrent. Quemadmodum David ipse testatur: De profundis clamavi ad te Domine. Atque ut id infinita quadam amplitudine faciant: non exiliter, ac jejunè: quemadmodum qui Ariana factioni, ac cæteris hæresibus adhærescunt.* Epiphan. To. 2. pag. 17.

III. Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus Theologi non degenerem imaginem expinxisse mihi videtur, ubi ait nos ex semine incorruptibili Verbi Dei nasci, & Spiritu sanctificationis innovari ad æternam vitam, & lucem, ut spiritali fortitudine, & invicta gratia induti, ad eam cœlestium cognitionem provehamur, cui hostes veritatis resistere non possunt. *Nati sumus enim non ex semine corrupto, sed per verbum Dei viventis & manentis. Sic creat Christus, reformans per sanctificationem eos qui in ipsum credunt, & ad salutem reducens. Creat enim nos non ad interitum, id est, non ad corruptionem & mortem; sed ad longævam & æternam vitam. Quod autem his qui semel ad hoc splendoris adducti sunt, & hanc innovationem per Christum sortiti sunt, dabitur etiam ab eo spiritualis fortitudinis invicta gratia, & cognitio cui hostes veritatis non possunt resistere, ostendit &c.* Cyrill. Alexand. l. 5. in Isaiam. pag. 771. Tom. 2.

Moysis exemplo idem alibi commonstrat, non aliter fingi, aut formari posse Theologos, nisi summus ille Deus ad eos ineffabili quadam indulgentia descendat, eosque ad se tum vocet, velut in montem vulgo quidem inaccessum, piis autem, & longo virtutum ac studiorum tyrocinio exercitatis pervium. *Descendit in montem ille super omnia Deus; deinde vocatus ascendit Moyses: neque enim contingit, ut ad sublimitatem veræ Dei contemplationis possit se quisquam attollere, nisi seipsum demiserit Deus, & ita se accommodaverit, ut ad eum nostræ mentes possint accedere; ipso autem evocante, vix tandem ad summum illum & excelsum quasi verticem, ipsius nempe veram cognitionem ascendimus; quod ipsum Christus fecit, cùm Patrem ac Deum nobis revelavit. Et à gregariis quidem hominibus non adiri mons potest; inaccessa est enim vulgo illius supremæ cognitionis gratia, iisque solis pervia, qui per illam ingredi sciunt; immo verò, qui ad eam rem sunt à Deo vocati; sicut fuit proculdubio Moyses. Si quis igitur est fidelis ac verus servus in domo Dei, is quoque sicut ille, electus erit & aptus, qui proximè accedat ad Deum; quod ad sanctificationis atque cognitionis modum pertinet.* De adorat. in Spir. l. 7. Tom. 1. pag. 225.

IV. Idem alibi docet, mente quidem vix assequi nos posse res divinas; lingua autem vel calamo ne vix quidem. Et tamen nostram quandam vincendam esse desidiam calamo sacris dogmatibus inserviente; hoc enim nisu, velut attritu quodam & excita incalescit mens, & superna lux adsplendescit. *Sed quoniam decere arbitror, ut desidiam vincat calamus divinis dogmatis inserviens, agedum ipsam lectionem accuratiùs perpendamus.* In Evang. Joan. pag. 77. tom. 4.

Quantum operæ studiique ponendum esset in contemplatione & prædicatione Verbi, non Apostolis tantùm orbis universi Doctoribus, sed & Doctoribus Theologisque omnibus ad aliquam

Cap. 12.

pro

pro ſuo modulo hujus Apoſtolicæ docendi functionis ſocietatem aſcitis; idem Cyrillus ita alibi declarat ex ipſis Chriſti verbis, qui & ſermone & exemplo ſuo ita præcipiebat, ut ab eo munere vix reſpirare liceret, vix tantum ceſſare quantum opus eſt ad hanc in carne mortali vitam cibo neceſſario ſuſtentandam. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, & perficiam opus ejus. Omni velamine ſermonis diſrupto apertiſſimam oſtendit eis veritatem, & jam ſeipſum futuris orbis magiſtris exemplum ſtatuit accerrimi & præclari ad docendum ſtudii, cui neceſſaria corporis etiam poſtponantur. Nam cum ſuaviſſimum ſibi eum cibum eſſe dicit, nimirum facere voluntatem ejus à quo miſſus eſt & perficere ejus opus, Apoſtolici miniſterii munus deſcribit. Quantum verò in illis ſtudium eſſe debeat, clarè oſtendit. Docendi enim cura intentos illos eſſe duntaxat oportet, & à carnis deliciis in tantum recedere, ut ne neceſſarium quidem obſequium admittant quod ad vitam conſervandam exhibetur. Atque hæc dicta quidem ſint in præſentiarum tanquam ad typum & exemplum Apoſtolica vitæ pertinentia.*

Ibid. p. 197.

V. His convenienter Iſidorus Peluſiota diſſerit, ſi per Scripturas peccatori non licet divina eloqui præcepta, ne lingua etiam contaminet, quæ jamdiu vita & moribus ſuis inquinare non deſitit: multò magis deterrendos eſſe à divinorum dogmatum pertractatione eos omnes, qui flagitiorum ſuorum maculas per ſinceram pœnitentiam nondum abſterſerunt. Propterea nimirum quòd Theologica dogmata divinis mandatis & morum legibus tantum antiſtent & excellant, quantum terræ cœlum, anima corpori. Niſi ergo vitæ mundities Chriſtianæ doctrinæ reſpondeat, abſtinendum eſt ab ea, vel indaganda, vel publicanda; ne fidem dictis vita inquinatior deroget. *Impurum ac ſceleratum hominem nego, non modò de fidei doctrina, ſed etiam de ulla re alia os aperire debere, quoad per ſinceram pœnitentiam animi maculas abſterſerit. Nam cum peccatori dixerit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas? multò certè ei, qui animo ita conſtitutus eſt, ac fidei dogmata perſcrutari non veretur, ſilentium indixit. Tanto enim dogmata juſtificationibus ſublimiora ſunt, quanto cœlum terra, & anima corpore. Quocirca cum vitæ integritas tibi deſit, de fidei dogmatibus certamen inſtituere deſine: ne alioqui, ut dogma quoque ſuperetur, in cauſa ſis. Solent enim complures ab eorum, qui loquuntur, exiſtimatione, de iis, quæ dicuntur, ſententiam ferre.* Probè norat Iſidorus, illam cui ſuſpiramus, cui noſtra deſudant ſtudia, veritatem, ſummum ipſum eſſe Deum; atque adeo qui ad inanis gloriæ ſtudia ſua refert, ingenti ſeſe obſtringere piaculo; ut qui rumuſculos hominum & fumos Deo ſummo & vero antehabeat. Ita ergo ille hanc animi temulentiam excutere nitebatur: *Quandoquidem ut audio, non ut ſcias, ſed ut gloriam ex ſcientia captes, ſtudiorum laboribus incumbere videris: hoc quoque abs te præſtari volo, ut veritatis potiùs quàm gloriæ deſiderio teneatis. Quod ſi nunc ambitionis affectu temulentus, hac oratione offenderis, non tamen dubito, quin ubi ad meliorem mentem redieris, gratiam mihi ſis habiturus.* Nec eò torquenda ſunt hæc viri ſanctiſſimi verba, quaſi cuiquam fas ſit ſcientias aucupari, ut ſciat. Id enim vel Romanus ille poeta jam ante exploſerat, *Uſque adeone ſcire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?* Id exploſerat multò vehementiùs Paulus, uno hoc & altero verbo, *Scientia inflat*; ſcilicet ubi ſola; quia ubi ſola, utique vana & ventoſa eſt; ubi quis ſibi placet, & homini inſulſo placet. Non ergo Iſidoro ſcire aliud erat, quàm ſcire, quemadmodum oportet ſcire, ut ſcientiæ divinorum arcanorum charitas copuletur.

L. 1. Ep. 39. pag. 278.

L. 3. Ep. 7. pag. 286.

VI. Davidico Pſalmo ſupra à nobis laudato ſuccinens Iſajas, hæc velut ex ipſo Dei ore pronunciat; ex quibus infert Iſidorus, quàm gravi ſe piaculo implicent, qui corde & ore ſordibus oppleto Theologicas quæſtiones tractant, nec meminerunt priſcæ & laudatiſſimæ olim Spartanorum conſuetudinis, qui ne probam quidem proferre ſententiam eos ſinebant, quorum vita probitati haud ſatis conſonabat. *Scire vias meas nolunt tanquam gens quæ juſtitiam fecerit, & legem Dei ſui non dereliquerit. Quod ſi, qui ipſius vias, hoc eſt conſilia, curioſius exquirunt, ſummæ audaciæ notam non effugiunt; an non illi ultra omnem audaciam progrediuntur, qui impura linguæ opera de ipſomet Deo ſermonem movent, ac præſertim cum, quid ſit, anxiè inquirunt? Oportet autem, non quid ſit exquirere, ſed quod ſit affirmare. Atque illud taceo, quod apud Lacedæmonios, qui ſermones actionum umbras eſſe non immeritò definierunt, ei, qui turpiter vixiſſet, ne probam quidem ſententiam pronunciare licebat.* Et rurſum ut vitæ probitas veluti fundamentum ſit, cui tota ſuperſtruenda eſt ſcientiarum ſupellex, alioqui peſſum itura: *Si igitur virtus & probata vitæ ratio pietatem adſtruit, ac velut interpoſita ſponſione firmat, ut certè facit; danda nobis opera eſt, ut illam habeamus, per quam pietatis doctrina evadet fide digna. Nam ei qui non bene vivit, nemo fidem adhibebit, vitio quippe & recta dogmata dehoneſtante, eaque recipi non permittente. Utrumque igitur pari ſtudio retinendum eſt, tam virtus quàm ſana pietatis doctrina: ut quorum alterum ſit fundamentum, alterum corona atque ornamentum.*

L. 3. Ep. 20. pag. 419.

VII. Hinc eſt quòd antè Iſidorus vult perlegi, & in mores induci à ſacræ doctrinæ ſtudioſis Salomonis Proverbia & Eccleſiaſtem, quibus caſtiſſimæ morum regulæ conſignatæ ſunt: quàm ad Canticum Canticorum accedant, quo propalatur amor ille caſtiſſimus, *quo erga res divinas prædita eſt illa anima, quæ ſuperiora jam didicit.* Etenim ut ait Iſidorus, *Qui in Ethicis probè ſe geſſit, dum Proverbiorum ſcriptoris diſcipulus fuit; de eo metuendum non eſt, ne ad Canticum Canticorum delatus, in carnalem & mortalem amorem incidat: quin potius futurum eſt, ut ad purum ac divinum illum ſponſum quaſi quibuſdam alis efferatur, qui beatos pronuntiat eos, qui tali ſunt amore vulnerati. Moneo itaque adoleſcentes, & auctor ipſis ſum, ne priùs tertium attingant opus, quàm in prioribus duobus præclarè ſe geſſerint. Abſurdum enim, vel potius nimis temerarium & audax eſt negotium, & à myſticis legibus abhorrens, ut in adyta inſiliant atque penetrent, qui ne veſtibulis quidem ſint adhuc digni.*

L. 4. Ep. 40. pag. 433.

VIII. Cùm denique nonnulli hæc Iſraelitarum olim ad Moyſem verba ſugillarent, *Omnia quæcunque dixit Dominus, faciemus, & audiemus*, tanquam præpoſterè dicta, quaſi antè ad faciendum, quàm ad audiendum Dei præceptum accingere nos debeamus: ſic adverſus importunos cenſores inſurgit Iſidorus: Ea verba à Moyſe relata fuiſſe, nec reprehenſa, adeoque nec à nobis niſi inconſideratiſſimè reprehendi poſſe. Etſi enim aliàs priùs audiri opus eſt, quæ præcipiuntur, & tum executioni mandari; divina tamen præcepta ipſo maximè obſequio ediſcuntur, illuſtrantur, amantur. *Tu quidem fortaſſis abſurdam exiſtimas eſſe vocem, tanquam à Judæis, nihil recti ſanique vel dicentibus vel facientibus, prolatam. At ego, quia Legislator ipſos in eo non reprehendit, ſic arbitror: Quoniam quæ diſcendo facere oportet, ea faciendo diſcimus: idcirco bene dictum eſſe: Omnia quæcunque dixit Deus, faciemus, & audiemus. Nam illi quidem, qui aliam quampiam rem diſcunt, probabili ordinis ratione priùs audiunt, deinde faciunt; qui verò divina præcepta in*

Ibid. p. 417.

opus actumque producere ſtudent, ab ipſa actione diſcunt; non tam oratione, quàm actione & opere cognitionem pariente. Re enim vera virtutis cultor per ipſam exercitationem inſtituitur ad virtutem; & quodammodo diſcit, eam & utiliſſimam eſſe, & decentiſſimam honeſtiſſimamque, & maximè conſervantem, φυλακτικωτάτην, naturæ, & utiliter ſanctam.

IX. Theologis & quidem ſummis non immeritò Joannem Climacum accenſebimus, etſi eo ſe ille gradu dejicere & exauthorare enixus ſit, ea ſcilicet ratione, quæ vel maximè illum commendat, & ei honori reſtituit. Negat ille Monacho, qui luget, qui in ſacco, in ſterquilinio jacet, competere, ut divina meditetur & eloquatur, cùm iſtiuſmodi functiones cathedram, pompam, docendi authoritatem, maximè verò ſanctimoniam præ ſe ferant. *Non convenit lugentibus, de rebus altis & Theologicis tractatio, ſeu cogitatio, extinguit enim luctum. Nam qui Theologica cogitat, ſimilis eſt illi qui in cathedra cum pompa & docendi authoritate reſidet: qui autem luget, illi qui in ſterquilinio, cilicio, & ſacci ſordibus verſatur. Et hoc eſt, uti reor, quod David quantumvis cætera doctus, & ſapiens, interrogantibus reſpondit, cùm lugeret: Quomodo cantabo canticum Domini in terra aliena? hoc eſt, vitiis obnoxia.* Et infrà idem ipſe: *Nequaquam, amici, in exceſſu animæ accuſabimur, quòd nulla miracula patraverimus, aut de rebus divinis Theologorum modo non acutè diſputaverimus, aut in contemplationem non abrepti fuerimus: ſed certò rationem dabimus, quòd non continenter peccata noſtra defleverimus.*

Gradu 7. pag. 152.

Pag. 163.

Ut intelligas autem quantum ad Theologica ſtudia, & ſtudiorum faſtigia promoveretur Climacus, his ipſis pœnitentiæ & humilitatis gradibus, quibus ſe retardari, aut etiam ſummoveri exiſtimabat: vide quibus ille monitis, quibus hortatibus inſtruat Theologos omnes. Qui vanæ & mundanæ ſtimulo gloriæ aguntur ad ſacræ doctrinæ ſtudia, eos ille non dubitat ab immundis ſpiritibus agi, & ab eis edoceri non divinam, ſed diabolicam quandam Theologiam. Religio nobis eſſe non debuit ea proferre, ea ſtylo mandare verba, quæ ore, quæ calamo ſuo vir ſanctiſſimus profert, & etiam nunc intonat: *Sunt impuri quidam ſpiritus, qui nobis in Religionis ingreſſu ſacras litteras interpretantur, quod iis potiſſimum uſuvenire ſolet, qui vanæ gloriæ ſtudio tenentur, præſertim ſi etiam in politiori litteratura & externa ſapientia verſati ſunt, ut illos ſenſim in hæreſes & blaſphemias impellant. Ex perturbatione autem confuſa inverecundaque, quam in anima explanationis ſeu interpretationis tempore ſentimus, dæmoniacam theologiam, ſeu potiùs theomachiam, qua divina non explicantur, ſed oppugnantur, cognoſcemus.*

Gradu 26. pag. 377.

Ex adverſo autem auſpicatos ille fore progreſſus eorum ominatur, qui bonorum operum emetiendo curriculo ad contemplationis apicem pervenerint, & ſcientiæ lumina ipſo maximè charitatis igne augere ſtuduerint, ſtudeantque in dies flagrantiùs. *Si ſunt operarii eximii, qui ab agendi virtute ad contemplandi virtutem tranſeunt, & charitas nunquam ceſſat, & Dominus cuſtodit introitum timoris ſui, & exitum charitatis ſuæ. Profectò charitatis hujus finis ſine caret, in qua proficere nunquam deſiſtamus, non in hoc præſenti vitæ ſtatu, non in futuro ſæculo, dum ſemper novum lumen cognitionis lumini adjicimus.* Denique vetat Climacus, ne quis ſuæ ſibi peritiæ, vel innocentiæ conſcius, nimis aſperam in alios cenſuram exerceat; ne hos ut factis quàm ſermonibus magis fidentes arrodat; illos verbis magis quàm operibus claros carpat; ne viros aliquando omni ex parte abſolutos contemnat. Poteſt enim alterutrius boni abundantia alterius minus largam copiam penſare. Hac animi moderatione, hac in omnes prorſus humanitate nihil aptius, nihil Theologo dignius deſiderari poteſt. *Noli nimis acerbus eſſe cenſor & judex eorum, qui multa ſeu magna docent verbo, & pauca factis exequuntur: ſæpè enim defectum operum, verborum & doctrinæ utilitate compenſant. Non omnes omnia omni modo æqualiter poſſidemus bona: in quibuſdam ſermo vincit opus: in aliis contra opus ſermonem ſuperat.*

Pag. 165.

Ibidem. pag. 178, 179.

X. Dionyſii Areopagitæ ſententiam egregiam illam obſervavit Pachymeres, De rebus divinis loqui perinde eſſe, atque hymnos canere, ὑμνῆσαι. Scilicet de re bona verba facere, illam laudibus extollere eſt; ſicut & mali vituperium eſt, ipſius vel meminiſſe. En verba Pachymeræ: *De illis loquens, utitur verbo, ὑμνῆσαι: quia de re bona loqui, hymnus ſive laus boni eſt; ſicut de re prava verba facere, vituperium eſt mali.* Hinc ſtudii Theologici incredibilis quædam ſanctimonia declaratur, cùm de Deo, de Chriſto cogitaſſe, verba feciſſe, ſcripſiſſe, quædam divinarum laudum, jugiſque celebratio ſit.

De Cæleſti Hier. c. 2. Dionyſ. Tom. 1. pag. 26.

Ex eodem rurſus Dionyſio idem Pachymeres tradit, Deum quidem ipſum beatis Cœlitibus coram ſe ſpectandum fruendumque exhibere; at Theologis mortale hoc ſtadium decurrentibus, in Scripturis repræſentari; cùm & hoc ſit Dei verbum, litteris, & vocibus velatum: ſed verè tamen Dei Verbum, & Veritas ſempiterna, quæ ore & calamo Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Doctorum nos alloquatur, nunc ſcripto, nunc ſine ſcripto; ut beatum prorſus ſit nobis, Deum dum videre detur, interim ſermocinantem audire. *Quod enim cæleſti Hierarchiæ eſt ipſe Deus, immaterialiter, quoad fieri poteſt, ipſi unitus, eamque perficiens: hoc noſtræ Hierarchiæ ſunt Scripturæ, per quas ad divinam ſimplicitatem adducimur; uti & traditiones illæ, quibus inſtitutione magis à materia ſemota ex ſancti Spiritus inſtinctu Apoſtoli ſenſuum Scripturæ cognitionem, alii aliis, ſermone quidem corporeo, quia per inſtrumenta corporea locuti ſunt, magis tamen immateriali, quia ſermone ſolo & non ſcripto, myſticè tradiderunt.*

De Hierar. Eccleſ. c. 1. pag. 211.

Hac porro noſtra cum Deo in Scripturis confabulatione deificari nos ita rurſus Dionyſii interpres declarat; nec aliud magis conſilium fuiſſe Apoſtolorum, cùm Chriſti doctrinam, ipſumque quodammodo Chriſtum, Dei ſapientiam & juſtitiam ſuis documentis inſeruerunt, ſive ſcripto eas, ſive ſolis traditionibus conſignarint. *Neceſſariò igitur ſancti Apoſtoli ipſimet divino munere pleni, per dilectionem enim deificati erant, & ad alios ab ipſa bonitate miſſi, quin & ipſi jam dii facti, ſucceſſoribus iſtiuſmodi deificationem minimè invidentes: aliena enim invidia eſt à Deo; ſenſibilibus intellectilia, & materiatis immaterialia, & hominibus divina, tam ſcripto, quàm non ſcripto tradiderunt; non propter profanos tantùm: quid enim nobis & illis commune, qui ne ſymbolis quidem nudis digni ſunt habiti? verùm etiam ob aliam rationem, quod nimirum congruenter nobis ſenſu viventibus & ſenſitivis Hierarchia ſubminiſtretur. Non enim par eſt, ut hi qui ſenſu vivunt, nudas ipſas res divinas frequentent, & intellectualiter iis conjungantur: idcirco per ſymbola juſſi ſumus initiari.*

Ibidem.

XI. Ex Photii Epiſtolis unum illud libet hìc adſcribere, quod etſi centies inculcatum fuerit, nauſeam creabit nunquam, nova ſemper affluet ſuavitate. Notat enim uſitato Scripturæ & Eccleſiæ ſermone Sancta & Margaritas vocari, tum Chriſti carnem in Euchariſtia, tum ſacram doctrinam; nimirum utrimque ſanctitas ſpirat & divina lux. *Sancta & Margaritæ, cum divini verbi prædicatio eſt, tum & Corpus Dominicum immaculatum. Margaritæ, eò quòd pretioſa ſint, &* quod

Photii Epiſt. 34. p. 107.

quod fulgentem salutis splendorem ab iis emittunt, qui cum sincero animo adeunt. Sancta autem, quod & veneranda, & quod excussa errore veritati nos appendunt. Nemo nescit usitatissimè Græcis margaritas vocari sacri Panis minutissimas quasque particulas, summa semper religione colendas, ut quæ totum complectantur Christum. His Photius æquat Theologicæ doctrinæ minutias omnes, si ita fari liceat, quòd nulli non verbo veritas, nulli non veritati summa majestas adsit.

XII. Tametsi nostræ nos jam penè pudeat prolixitatis, revocandus tamen nobis necessariò visus est Joannes Climacus, cujus longè pulchertimus nos effugerat locus, de timore divino, de charitate, de animi corporisque castitate, quæ sinceræ Theologiæ fundamenta, quæ firmamenta, quæ culmina sunt. Sensibus enim nostris omnibus per castimoniam & quandam etiam mentis virginitatem Deo copulatis ultro illabitur Deus. Eam castimoniam homini conciliat Verbum, ac vicissim castitas Verbo pandit intimos hominis sinus. Ne speret ad Theologiæ fastigia eniti se posse, qui non ante corporis animæque inhærentes vitiorum pestes excideri. Cæteri de rebus Theologicis opiniones qualescumque parare sibi possunt, iisque illudi potiùs, quàm pasci; scientiam ipsam & sapientiam attingent nunquam, eam quæ ad altissimas rerum omnium causas, ad ipsum Deum unum trinumque elucetatur. *Timoris divini incrementum, principium est charitatis, finis verò castitatis, Theologiæ fundamentum. Cujus sensus cum Deo perfectè sunt conjuncti, hic verbis Dei ab ipso Deo arcano modo instituitur. Illis enim non copulatis difficile erit de Deo sermonem instituere. Verbum insitum Patris castitatem perfectam efficit, suaque præsentia mortem ipsi morti infert. Morte autem extincta jam Theologiæ sectator illustratus est. Verbum Domini à Domino editum sanctum est, & manet in æternum. Qui Deum non novit, tantùm probabiliter per conjecturam de rebus divinis loquitur. Discipulum verò Theologiæ castitas efficit, uti per seipsum jam sanctissimæ Trinitatis in tribus personis doctrinam comprehendat.* Gradu 16, pag. 451.

Quod autem suprà Climacus negasse videbatur, posse eundem & Monachi & Theologi partes agere, id ipse explicat de Monacho, qui vitia necdum animique sordes eluerit. *Dogmatum altitudo est ingens & profunda, in quæ mens Solitarii non sine periculo se immittet. Non sine discrimine vestibus involutus natat, neque divina mysteria & arcana Theologiæ capit vitiis obnoxius.* At ubi per pœnitentiam abtersa sunt omnia, quæ animum corpusque sordidaverant, tum non alii altissimorum dogmatum medullam invadere paratiores sunt, quàm solitariæ vitæ amatores. Ne Paulus quidem teste Climaco arcana verba audire potuisset, nisi in Paradisum abreptus fuisset, velut in sublime quoddam adytum vitæ solitariæ. *Solitudinis quietæ sectator alta arcanorum divinorum penetrat, ad quæ non aspirat, nisi prius tumultus fluctuum & demonum flatus ac turbines & viderit & audierit, & fortasse etiam fuerit iis respersus. Confirmat hoc auctoritate sua Paulus, qui nisi in Paradisum tanquam in solitariam quietem raptus fuisset, nunquam potuisset arcana verba audire.* Gradu 17. pag. 491. Gradu 17. pag. 491.

CAPUT VI.

Theologiæ objectum Deus, Christus, Dei Verbum, Scriptura, in qua se Deus nunc interim se nobis videndum, audiendum, contrectandum, gustandum offert. Ex Patribus Latinis, ac primùm ex Augustino.

I. Objectum Theologiæ Deus, Christus, Scriptura, qua Deus, qua Christus velatus continetur.

II. Cùm Hortensius Ciceronis Augustinum afflasset amore sapientiæ, hoc illi unum dolebat, quod Christus ibi non legeretur. Quales illi visæ sint Scripturæ, cùm ad eas primùm accessit, adhuc sæculi fastu turgidus.

III. Ut Scriptura Christum, hoc est, humilitatem suadeat, ita gradatim ad sapientiam perducat.

IV. Manichæi statim intuitum pollicebantur liquidæ veritatis; nec nisi fabulas proponebant, quas & ipsas credi oporteret. Vidit tum Augustinus quanto æquius tutiusque esset Scripturæ & Ecclesiæ credi, & fide mores purgari.

V. Ne humanæ quidem res stare, aut geri possunt, quin multa ante credantur. Quid æternæ, quid divinæ? Cui autem potius fas est credi, quàm Ecclesiæ Catholicæ, quàm Scripturæ, non sine Dei providentia tantum authoritatis robur adeptæ?

VI. Scripturæ ita temperatæ, ut & infirmis & fortibus congruant.

VII. In Scripturis quanta lucis copia, quanta dulcedinis? quanta inde aspiratur humilitas?

VIII. Mira Scripturarum profunditas, ex Augustino.

IX. In uno Scripturarum præcepto charitatis quanta profunditas.

X. Rursus ex Augustino, ut ex Scripturis manet humilitas, charitas, veritas.

XI. Quis fructus obscuritatis in Scripturis.

XII. Ex Augustino is nunc nobis modus est alternis magis affici, & gaudere, diebus & noctibus, gaudiis & mœroribus: huic nostro modo congruunt Scripturæ.

XIII. Ut ad res imas descendat in Scripturis Deus, ut ad summas conscendere nos faciat.

I. QUod jam nos obiter monuit Dionysius Pachymeres, cæterorumque Patrum chorus, id nunc paulò operosiùs declarandum est, ex unanimi Patrum Græcorum Latinorumque consensione; objectum cœlestis & Ecclesiasticæ Theologiæ esse Deum, illic in sua luce conspicuum, hic sacris symbolis, Scripturarum maximè velo obductum. Cùm enim patefactum semel à nobis superius sit, quæ, quid, & qualis sit Theologia, ad ejus jam nimirum objectum delabi nos necesse fuit. Non aptius autem aliundè exordium ducemus, quàm ab Augustino, quo nemo altiùs inter Latinos nobis subisse videtur in Scripturarum penetralia, & interiores delitias; ut inter Græcos Chrysostomus ejus laudis palmam cæteris præripuisse censetur.

II. Cùm narrasset igitur Augustinus quantùm adolescens adhuc lectione libri, quem Cicero inscripserat Hortensium, inflammatus fuisset ad amorem sapientiæ, non hujus aut illius Philosophorum sectæ, sed ipsius per se sapientiæ: ut nihil in aureolo illo libello desideraret, nisi quòd Christi nomen ibi non legeretur, cujus amorem ab ipso jam inde matris ubere medullitus hauserat; tum demum addit, ut inde consilium ceperit legendæ & perlegendæ Scripturæ, ubi jam Christus sonat, ubi sapit, qui nobis mortalibus factus est à Deo Sapientia. Ita enim Paulus. *Hoc tamen solo delectabar in illa (Hortensii exhortatione) quod non illam aut illam sectam, sed ipsam* Confess. l. 3. c. 4.

quæcum-

quæcumque esset sapientiam, ut diligerem, & quærerem, & assequerer, & tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo, & accendebar, & ardebam, & hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Christi non erat ibi; quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat & altè retinebat, & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.

Hinc ergo cùm accessisset ad lectitandas Scripturas, vide quales expertus sit, & ex ejus ipsius verbis rem edisce: *Itaque institui animum intendere in Scripturas sanctas, ut viderem quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris; sed incessu humilem, successu excelsam & velatam mysteriis: & non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam Scripturam: sed visa est mihi indigna quam Tulliane dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus. Veruntamen illa erat quæ cresceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, & turgidus fastu mihi grandis videbar.*

Ibid. c. 5.

III. Illud enimverò est quod superioribus capitibus demonstrare studuimus, Christianam Theologiam, Scripturam, perinde ac si dicas Christum, sempiternam Dei Sapientiam, patere, lucere, placere non posse, nisi puris oculis, mentibusque absterfis terrenis cupiditatibus, excusso maximè tumore superbiæ. Qui insano enim sui amore adhuc tumet, quì cœlestia capiet? Quì superna ediscet, quisquis ea hactenus se nescisse nescit? Ei malo una medetur Scriptura, incessu humilis, successu excelsa: humilitate sua humilitatem suadens, humiles ad summa quæque sensim perducens: veritatem mysteriis obvelans, ut vel sic parvuli & carnales ei se adglutinent, credant quod necdum capiunt, credendo consuescant, assuescendo delectentur, & ita in ejus arcana intima illabantur.

IV. Id sibi arrogaverant Manichæi, ut statim crudis adhuc & maculosis hominibus veritatis intelligentiam desponderent, nullo antè posito fidei tyrocinio. At ubi sua hac illi jactantia imprudentes & curiosos sibi discipulos conciliaverant: tum verò adeo non fidem liberabant, adeo non liquida illos & clara veritate pascebant, ut fabulosissimis & absurdissimis deliramentis suis illos ludificarent; quæ & ipsa credi antè opus esset, quàm intelligi; imò quæ credi quanquam stultissimè possent, nunquam intelligi, ut quæ mera essent, & fallacissima insomnia. His illusus aliquandiu & irretitus fuit Augustinus ipse; sed evigilavit tandem, sensitque, quantò sapientiùs tutiùsque crederetur, sive Scripturis toto Orbe summum authoritatis apicem adeptis, non sine singulari Numinis providentia, humano generi universo consulentis: sive ipsi Christi Ecclesiæ, toto etiam Orbe jamdiu radianti, cujus, Solis instar, luce, & Manichæorum & quorumlibet aliorum hæreticorum sectæ obscurarentur, nec apparerent. Cùm his argumentis à Manichæorum vesania abductus esset primùm Augustinus, & ad Catholicos, ad Ambrosium audiendum se contulisset, nihil hìc nugarum audiebat, sed sobria jam & sana omnia, saltem probabilia. Certa autem ipse cupiebat, & tam certa, *quàm certus esset, quod septem & tria decem sunt.* Is erat Catholicæ Theologiæ summus apex; per gradus illuc aspirandum & pergendum erat; & interim tanto lumini opus erat purgari mentis aciem; purgari interim, inquam, fide ejus summi veri, summique boni, quod cupere jam posset, capere necdum posset. *Et sanari credendo poteram, ut purgatior acies mentis mea dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, & ex nullo deficientem. Sed sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat; & ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis; qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuisti.*

Confession. L. 6. c. 4.

V. Advertit tandem Augustinus sine fide rerum complurimarum quæ in oculos & in sensus nostros corporeos incurrere nunquam possunt, ne humanam quidem nostram Rempublicam, nedum divinam rem & religionem stare posse. Hoc ipse ita prolixè ibidem mox exequitur: *Ex hoc tamen quoque jam præponens doctrinam Catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam juberi, ut crederetur quod non demonstrabatur, sive esset quid, sed cui fortè non esset, sive nec quid esset: quàm illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri, & postea tam multa fabulosissima & absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu Domine manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem quæ non viderem, neque cum gererentur adfuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremò quàm inconcussa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem.*

Si ne humana quidem constare nobis possunt sine multa fide, quid divina? Si nec publica res, nec privata geritur, quin multa credantur, quæ nec fando, nec videndo unquam usurpaverimus, quid divinorum omnium cultus & veneratio? Si de maximi momenti rebus, qui nobis etiam parentes fuerint, vulgo hominum credimus, & muliercularum authoritati innitimur; quid nos, quid vulgus hominum de Dei, de æternitatis arcanis? Si cui autem innitendum sit fidei, cujus magis quàm Scripturæ tot jam sæculis orbe toto supra lucubrationes alias omnes celebratissimæ? quid illi Catholicæ socierati has esse divinas Scripturas tot jam elapsis sæculis constantissimè ubique terrarum contestanti? Cùm vel maximè & scriptiones & societates cæteræ omnes inconstantiam & inanitatem suam vel ipso interitu suo prodiderint. *Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus autoritate fundasti: sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse si qui fortè mihi dicerent: Unde scis illos libros unius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum per tam multa quæ legeram inter se confligentium philosophorum, extorquere mihi potuit, ut aliquando non crederem te esse quidquid esses quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robustiùs, aliquando exiliùs, semper tamen credidi, & esse te, & curam nostri genere; etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret, aut reduceret ad te. Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum: jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

Ibidem. L. 6. c. 5.

VI. Cùm ergo non scholæ, non sectæ alicui insti-

instituendæ, & clanculum alicubi terratum tovendæ : sed universo hominum generi purgatis vitiis ad æternam salutem evehendo, & ad incorruptibilis furtum veritatis fruitionem, conscriptæ sint sacræ istæ Litteræ : cùm per eas non paucorum, non peritorum, sed omnium prorsus, & carnalium etiam purgationi consultum voluerit, quæ omnium saluti invigilat providentia : necessum utique fuit has Scripturas ita temperari, ut doctis indoctisque, spiritalibus & plebeiis sufficerent, apertis hos pascerent, illos abstrusis. *Jam enim* Ibidem, *surditatem qua me in illis litteris solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam: eoque mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundere servaret, verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi se cunctis prabens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde : ut exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad se trajiceret ; & multo tamen plures, quàm si nec tanto apice authoritatis emineret, nec turbas gremio suscepta humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, & aderas mihi : suspirabam, & audiebas me : fluctuabam, & gubernabas me.*

Non hæc ab Augustino ingeniosè & solerter excogitata sunt, sed totius humani generis experientia & testimonio comprobata ; ut qui contra velit dicere, tot refellatur documentis, tot testibus, quot plebeii & nobiles, quot periti & imperiti, qua totus patet orbis terrarum in tanto sæculorum retro decursu, Christianam fidem & Theologiam professi sunt : fide ad morum innocentiam, morum innocentia ad Theologiam provecti sunt, & in dies provehuntur.

VII. Nec luminis tantùm, sed & mellis ea copia in his Scripturis, parcior his, illis uberior, quæ innumerabiles trahat ad Christum turbas, & longè pulcherrimam Philosophiam philosophari edoceat : ut jam hiscere nemo ausit *adversus litteras de melle cœli melleas, & de lumine Dei luminosas*. Quo in eas animo esset Augustinus, quo esse par sit Theologos omnes, hac ille ad Deum ibidem prece declarat: *Circumcide ab omni temeritate, ab omnique mendacio interiora & exteriora labia mea. Sint casta delicia mea, scripturæ tuæ ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Attende & miserere mei Domine Deus meus, lux cæcorum, & virtus infirmorum ; statimque, lux videntium, & virtus fortium ; attende animam meam, & audi clamantem de profundo.* Hac Scriptura, hac Theologia ita temperata, & illuminantur cæci, & convalescunt infirmi : magis magisque & illuminantur perspicaces, & roborantur fortes. Et ingenio, & otio qui maximè abundant, qui infatigato studio in has litteras incumbunt, cum eodem Augustino id Deo semper exclamandum sentiunt : *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis : sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam ; horror honoris, & tremor amoris.*

Quid illa, quæ ex Scripturis scaturit pietas & dulcedo inexausta ? quid quæ inde aspiratur humilitas & sui despicientia ? Quæ usquam Philosophorum, & quidem Platonicorum lucubrationes, ita humanam frangere superbiam, homines Deo affigere, cæteris mortalibus omnibus inconvulsis charitatis vinculis constringere potuerunt ? *Neque enim novimus alios libros ita destruentes superbiam, ita destruentes inimicum & defensorem, resistentem reconciliationi tuæ defendendo peccata sua. Non novi Domine, non novi alia tam casta eloquia, qua sic mihi persuaderent confessionem, & lenirent cervicem meam jugo tuo, & invitarent colere te gratis.*

VIII. Volusianum ingenti nomine & fama gentilem hortatus fuerat Augustinus, ut sacrarum Scripturarum lectioni operam daret, & earum libris potissimùm quibusdam vacaret, quos illi indigitaverat. Rescripsit vicissim Volusianus Augustino, eumque de quæstionibus quibusdam percunctatus est, hoc etiam addito ad singularis ejus doctrinæ commendationem ; cæteris Episcopis utcunque condonari, si quid minus se scire obtendant : id genus excusatione uti non posse Augustinum, absque detrimento Religionis, cui deesse homines interpretabuntur, quidquid ignorarit Augustinus. *Utcumque absque detrimento* August. *cultus divini in aliis sacerdotibus toleratur insci-* Epist. 1. 2. 3. *tia ; at cum ad Antistitem Augustinum venitur, legi deest, quidquid contigerit ignorari.* Doluit sancto Patri tam invidiosa se laude onerari, quæ in Religionis & in Scripturæ dedecus redundaret. Hoc ergo ille contra luculentissimo & verissimo testimonio Scripturam prosecutus est ; Quantumvis operæ vel ipse, vel alius quisquam poluerit in ejus sapientiæ Scripturarum altissimæ thesauris perscrutandis, fore ut multò semper plura intacta & inaccessa supersint arcana, in quantavis vitæ & laboris diuturnitate. *Tanta est enim Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quod ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis pervenitur difficultate ; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie rectèque non vivitur ; tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ ; ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet : Cum consummaverit homo, tunc incipit.*

IX. Unam, eamque perbrevem infra ibidem Augustinus sententiam in exemplum summæ cujusdam & divinæ Scripturarum sapientiæ depromit ; eam nimirum, qua Dei & proximi charitas commendatur. Huic negat compatari posse quorumlibet Philosophorum disputationes, quarumlibet rerum publicarum leges. Hac Logicam, hac Ethicam, hac Physicam contineri docet. Hac denique præcipi, quidquid ad singulorum, quidquid ad universorum hominum salutem, ac felicitatem desiderari potest : *Quæ disputationes,* Ibidem. *quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges* Epist. 3. *quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ ; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum ? Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causa in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicæ salus : neque enim conditur & custoditur optima civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmeque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est ; atque in illo invicem sinceriſſimè se diligunt homines, cùm propter illum se diligunt, cui quo animo diligant, occultare non possunt.*

Quod jam attinet ad verba quibus contextæ sunt Scripturæ, nunc vel vulgo hominum faciles & apertæ, nunc autem doctissimis inaccessæ, ut quæ peritorum & imperitorum saluti famulentur, sic rursus sanctus Doctor : *Modus autem ipse di-* Ibidem. *cendi, quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus*

bus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet quasi amica familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quæ in mysteriis, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritat: hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.

X. Nec prætereri fas est, quod ad Paulinum scribit Augustinus, cùm ad varias ejus quæstiones respondisset; ejusmodi scilicet quæstiones, quibus sic multa interrogabat Paulinus, ut & multa doceret. Hos enim animos studiosis suis inspirant Scripturæ, ut docere cùm possint, malint discere: & cùm docent, etiam tum ab auditoribus aliqua discere se profiteantur. *Ut potui, non defui interrogationibus tuis, adjutus orationibus tuis, & ipsis quas misisti disputationibus tuis. Cum enim interrogando disputas, & quæris acriter, & doces humiliter.* Vix enim possunt insuescere & inseneſcere Scripturis Theologi, quin earum affectus induant, ad moderationem animi, ad humilitatem potissimùm propendentes. Jam quod attinet ad varios sensus, quos illis alii & alii vendicant, hunc existimat Augustinus laudabilem esse fructum earum obscuritatis, cùm sensus isti omnes, etsi diversi, non dissentiant tamen à veritate; atque adeo suo quodam modo Scripturis consentiant, quæ à summæ & æternæ Veritatis vera prorsus omnia complectentis sinu ad nos manarunt. *Utile est autem ut de obscuritatibus divinarum Scripturarum, quas exercitationis nostræ causa Deus esse voluit, multæ inveniantur sententiæ, cùm aliud alii videtur, quæ tamen omnes sanæ fidei doctrinæque concordent.*

Epist. 59.

Idem.

XI. Similitudinibus, parabolis, allegoriis, mysteriis cur involuta sit Scriptura, ut nec sine labore, & nec sine suavitate atque adeo utilitate plurima evolvatur, sic tradit idem Augustinus. Fastidiri scilicet quæ obvia sunt, negligique: at difficultate & labore acui animum, acriùsque penetrare in rerum abstrusarum medullas, non sine spiritalis voluptatis incremento. Obtunderet animum & deterreret nimia difficultas; ac rursum facilitas nimia nauseam & torporem crearet. Utrique malo medetur mira quædam temperies sacrarum litterarum. Adde quòd nihil ibi obscurius occurrat alicubi, quod non alibi apertè elucidetur; ut mortalium vita non alio vel sanctiùs occupetur, vel suaviùs oblectetur, quàm hoc acumine studioque, & obscuris clara implicandi, & claris explicandi obscurissima quæque. Sic enim Augustinus: *Nunc tamen nemo ambigit, & per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multò gratiùs inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Et idem alibi: *Dous enim noster sic ad salutem animarum nostrarum divinos libros Spiritu sancto moderatus est, ut non solùm manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet.*

De Doctrin. Christ. l. 2. c. 6.

L. 83. qq. q. 53.

XII. Nec Scripturas tantùm suas, sed & ipsas animas nostras ita modulatus est omnipotens Creator, ut alterna lucis & tenebrarum, dierum & noctium, quietis & laboris, voluptatis & doloris vicissitudine impensiùs delectentur nunc quidem, quàm jugi & nunquam interrupta lucis, quietis & voluptatis usura. Ad usitata enim omnia hebescimus; ad nova, ad insolita excitamur & hilarescimus. Illa demum gratissima nobis quies, quæ labori: voluptas quæ dolori, lux quæ tenebris succedit; pax illa jucundissima, quæ bellum extinguit. Proprium hoc Dei unius est & inconcussum creatis naturis decus, ut æternum & incorruptum ipse sibi sit gaudium & lumen. Sanctorum circa illum Angelorum, & beatorum Spirituum insigne illud est proprium, ut de Deo semper gaudeant, semper luceant, nulla unquam gaudii & lucis intercapedine. Dum mortale nos hoc emetimur stadium, alternis jactari vicibus gaudii & mœroris, lucis & caliginis, peritiæ & imperitiæ, ea natura nostra, is nobis modus est. Tantum nobis admensus est, qui omnia fecit in numero, & pondere, & mensura. Hunc illo nobis modum statuit, qui ut innumerabiles nobis superiores & beatiores condidit Angelorum ordines: ita & innumerabiles effudit naturas alias nobis inferiores, sapientiæ & beatitudinis prorsus exortes. Hoc certè tamen discrimine servato, quòd nostræ ille voluit esse industriæ divinitus adjutæ, ut ad consortium beatorum Spirituum eluctemur, & aliquando pertingamus: cùm nostram in sortem ac beatitatem inferiores nobis creaturarum ordines ne cogitando quidem aspirare possint. Illa erit enimverò beatissima nobis lux, illa voluptas æterna, cum jam non per parabolas, non per similitudines, non per Scripturas, sed per semetipsum exhibebit se nobis Deus videndum fruendumque. Hic interim ergo prælambenda nobis est in Scripturis lux, veritas, suavitas divina, quando impræsentiarum instar Dei illæ nobis habent.

XIII. Nec ad qualeslibet, sed ad imas & vilissimas rerum & verborum similitudines necesse fuit Scripturas descendere, ut divina nobis accommodarent, in hæc infima per peccatum dejectis; & ita nos aliquando tandem aptarent summis & divinis. Sic ira, sic pœnitentia, sic præscientia de Deo dicitur in sacris Litteris. Affectus hi sunt animarum à summo Divinitatis apice mirum in modum semoti; nec enim sui unquam consilii, quasi inconsulti, Deum pœnitet; nec ille ira exasperatur; nec futurum & absens illi quidquam est, quod præscire & longè providere necesse sit. *Sed si non utatur Scriptura talibus verbis*, ait Augustinus, *non se quodammodo familiariùs insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes. Quod non faceret, si non se priùs inclinaret, & quodammodo descenderet ad jacentes.*

Civit. l. 15. c. 25.

CAPUT VII.

Ex Augustino rursum & aliis Patribus Latinis, ut per Scripturas nobis se Deus ostendat & accommodet.

I. Ita congruebat loqui nobis Deum in Scripturis, ut in Christo, velata utrobique æternæ Dei Sapientiæ veritate.

II. Non alia aliis, spiritalibus & carnalibus loquebatur Christus, loquitur Scriptura: sed eadem omnia omnibus, quæ tamen aliter aliis sapiant, perinde ut quisque est.

III. Christi crucifixi exemplo declaratur, ut Scriptura idem omnibus carnalibus & spiritalibus dicat, non omnes idem capiant.

IV. Spiritalibus ipsis & Scriptura & Christus, tum lac, tum cibus est.

V. De quadripartito Ecclesiæ sensu.

VI. Sensus omnes, qui veritati consentiunt, Scripturis aptari posse & debere: cùm ea sit veritatis & charitatis latitudo, litium & rixarum fugitans.

VII. Quàm debeat quisque non sua seu sensa, seu dicta amare, sed vera; non aliena refellere, sed falsa.

VIII. Monita ex his eliciuntur aliqua, quæ multum momenti habeant, ad omnes penitus disciplinas, potissimùm ad Theologiam.

IX. Rursus quàm non sit litigandum de Scripturæ sensu vario, dum constet esse verum.

X. Et Moysi, & Scriptori canonico cuicumque in optatis fuisse, ut quidquid veri legentibus occurreret, id verbis suis illigatum esset.

XI. Pulcherrimè rursus & fusissimè de multiplici Scripturarum sensu.

XII. Eadem ipsa ex Augustino rursum confirmantur.

XIII. Nonnulla in eandem rem ex aliis Patribus. Ex Hieronymo, ex Gregorio Magno, ex Bernardo.

I. NOn poterat alia esse ad nos Scripturæ divinæ, quàm Christi nobiscum versantis conditio, Suos ille sermones obscuris & claris, opertis & apertis, parabolis & allegoriis contexuit, qui summa erat Dei Sapientia, qui æterna charitas. Non aliter sanè potuit Deus Verbum per Scripturas suas, quàm per carnem suam verba facere; non aliter per carnem suam, quàm per Scripturas, qui unus idemque utrobique Dei Filius, Dei Verbum esset. Unde Augustinus: *Sed ejiebatur iste homo hominibus, Deus occultus, homo manifestus, ut manifestos homines faceret deos: & Filius Dei, factus filius hominis, ut hominum filios faceret filios Dei. Qua hoc arte sapientiæ suæ faciat, in ejus verbis agnoscimus. Loquitur enim parvulis parvus; sed ipse ita parvus, ut & magnus; nos autem parvi, sed in illo magni. Loquitur enim tanquam fovens & nutriens lactentes, & amando crescentes.*

In Evang. Joan. Tract. 2.

II. Hanc Augustini, imò Ecclesiæ doctrinam de Scripturis ita capiebant nonnulli, ut alia palam parvulis & carnalibus dicerentur: alia seorsim & clam adultis in Christo, & spiritalibus. At contrà nititur sanctus Pater, nec alia aliis, alia clam, alia palam dici aut scribi demonstrat: sed omnia palam, omnia omnibus, carnalibus spiritalibusque. Totum ergo in eo esse discrimen, quòd carnales carnalem ad sensum omnia capiant, etiam quæ spiritaliter dicuntur: spirituales spiritalem ad intelligentiam omnia rapiant, etiam quæ carnaliter dici videntur. Qualis ergo quisque sibi est, talem se ei Scriptura offert; ut idem prorsus & infantium alimentum sit, & fortium. Non aliter quam olim manna; non aliud his, aliud illis de cœlo pluebat; sed non similiter his atque illis sapiebat. Unum erat omnibus manna, sed non unus omnibus illius sapor; his corporalem & mirum quendam cibum, aliis per fidem Christum & incommutabilem Dei sapientiam sapiebat. Si Petra enim erat Christus, quin & manna? *Hoc* [illegible] *situr primitus cognito, quod ea ipsa quæ simul audiant spirituales atque carnales, pro suo quique modulo capiunt, illi ut parvuli, isti ut majores; illi ut lactis alimentum, isti ut cibi solidamentum: nulla videtur esse necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur, abscondantur fidelibus parvulis, seorsum dicenda majoribus, hoc est intelligentioribus: & hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Hoc ipsum enim quod non judicavit se scire in eis, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quia id sicut spiritales capere non valebant. Quicumque autem spirituales inter eos erant, idem quod illi tanquam carnales audiebant, spiritali ipsi intellectu capiebant: ut sic intelligatur quod ait, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; ac si diceret: Non potuistis quasi spiritales, sed quasi carnales capere quod loquebar.*

In Evang. Joan. Tract. 2.

III. In quo potissimùm autem discrimen hoc versaretur spiritalis ubique spiritalium intelligentiæ, & carnalis ubique carnalium sensus in Scripturis, illico sic aperit Augustinus ex ipsius Pauli authoritate, prolato in exemplum Christo ipso. Nam & Christum & Christi crucem carnales indiscriminatim, spiritalesque complectuntur, sed pro sui quisque sensus modo longè diversissimo. Christum Dei Filium fideles omnes profitentur pro omnibus cruci affixum fuisse, ut exemplo nos suo incenderet ad mortem pro veritate fortiter appetendam. Hactenus illi sapiunt, nec ulteriùs aliquid necesse est ad sempiternam salutem. At spiritales intelligunt, quemadmodum Christus crucifixus factus sit à Deo nobis juxta Pauli verba, justitia, & sapientia, & sanctificatio: intelligunt sempiternæ & incommutabilis sapientiæ & justitiæ legibus juberi, ut temporali vitæ æterna præferatur, ut ne corporis quidem morte divelli se sinat quisquam à justitiæ tramitæ: hujus tam magni documenti, & tam infractæ fortitudinis exemplo, præire aliis debere omnibus eum, qui omnium dux & magister sit: Christo homini & Deo Optimo Maximo nihil magis consentaneum fuisse, nihil ad sempiternam laudem & gloriam amplius opportunitusque fuisse, quàm ut huic sapientiæ & justitiæ perfectionis præcepto princeps ipse obsequeretur, & innumerabiles mortales ad tam præclari facinoris imitationem pertraheret. Hanc sublimem in Christi cruce Dei sapientiam & justitiam cordati & spiritales intelligunt, videntque penè magis quàm credunt; vident autem tam perspicuè, ut illos vel doleant, vel etiam derideant, qui hæc non vident. Carnales in Christo qui sunt, hi tantam sapientiæ & justitiæ altitudinem, etsi audiunt, etsi legunt, etsi credunt, non vident tamen, non intelligunt, non sapiunt: quia Christum etiam ipsum adhuc sapiunt secundùm carnem. *Animalis homo*, ait ibidem mox Augustinus, *id est, qui secundùm hominem sapit, animalis dictus ab anima, carnalis à carne; quia ex anima & carne constat totus homo: non percipit quæ sunt spiritus Dei, id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi: & putat hoc illa cruce actum esse tantummodo, ut nobis usque ad mortem pro veritate certantibus imitandum præberetur exemplum. Nam si scirent hujusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum Christus crucifixus factus sit nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. proculdubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: sed spiritaliter, Ego sum Christi.*

In Evang. Joan. Tract. 30.

IV. Ita una eademque omnibus est Scriptura, & alia tamen aliis atque aliis est; illorum lac, horum cibus; imò etiam lac rursus eorum, quorum est cibus. Rari sunt enim, aut nulli, qui omnia penitus mysteria in numerato habeant, eorumque penetralia prorsus omnia pervideant, ubi & quando lubet. Rara sunt & parca illa tanti luminis coruscamina: raræ horæ, ut ait Bernardus alibi in hanc rem à nobis laudatus, & breves moræ. Aliàs ergo his ipsis spiritalibus lacte opus est; his ipsis rursus qui aliquando cibus fuit Scriptura, rursum lactescit, una semper eademque omnibus. Nec id mirum, cùm scitè ab Augustino eodem animadversum sit: Usque adeo corporali etiam vitæ nostræ unum idemque lac esse, & alimentum, ut alimenta omnia primùm lactescant. *Nam & in*

ipsis

ipſis quæ ſumimus alimentis, uſque adeo non eſt lacti contrarius ſolidus cibus, ut ipſe lacteſcat, quo poſſit eſſe aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem. Sicut fecit etiam mater ipſa ſapientia, quæ cùm ſit in excelſis Angelorum ſolidus cibus, dignata eſt quodammodo lacteſcere parvulis, cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Sed ipſe homo Chriſtus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera reſurrectione ſincerum lac dicitur parvulorum, cum bene ab ſpiritalibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec ſic parvuli ſunt lactandi, ut ſemper non intelligant Deum Chriſtum: nec ſic ablactandi, ut deſerant hominem Chriſtum. Quod alio modo idipſum ita dici poteſt: Nec ſic lactandi ſunt, ut creaturem nunquam intelligant Chriſtum: nec ſic ablactandi, ut mediatorem unquam deſerant Chriſtum.

V. Omnibus ergo ſinguliſque Theologis ut Chriſtus, ita & Scriptura: ut Scriptura, ita & Chriſtus; & lac eſt, & cibus eſt; cibus eſt ad quem lactis adminiculo grandeſcant: & lac eſt ad quod etiam grandes confugiant aliquando; carne & cruce lac eſt: Deitate, ſapientia & juſtitia cibus eſt; ſic lactandi ſunt, ut aliquando ablactentur Theologi: ſic ablactandi, ut rurſus ubi opus erit, lactentur. Non eſt autem noſtrum hìc ſilere, quod non ſiluit; nec omittere, quod non præterivit Auguſtinus de quadripartito Scripturæ ſenſu, & de vocibus in eum uſum jam ævo ſuo conſecratis. Sic ergo ille, ut quid enim ego inculcem verbis meis, quod nec breviùs, nec dilucidiùs dici potuit? *Omnis igitur Scriptura, quæ Teſtamentum vetus vocatur, diligenter eam noſſe cupientibus quadrifaria traditur, ſecundum hiſtoriam, ſecundum ætiologiam, ſecundum analogiam, ſecundum allegoriam. Ne me ineptum putes, Græcis nominibus utentem. Primum quia ſic accepi. Deinde tu quoque animadvertis, non eſſe harum rerum apud nos uſitata nomina, quæ ſi fabricaſſem interpretando, eſſem profectò ineptior: ſi autem circumloquerer, minùs eſſem in diſſerendo expeditus.* Et ſtatim ibidem, quæ quadruplicis hujus ſenſus ratio, quæ diſcrepantia ſit: *Secundùm hiſtoriam ergo traditur, cum docetur quid ſcriptum, aut quid geſtum ſit: quid non geſtum, ſed tantummodo ſcriptum, quaſi geſtum ſit. Secundum ætiologiam, cum oſtenditur quid, qua de cauſa, vel factum, vel dictum ſit. Secundum analogiam, cum demonſtratur non ſibi adverſari duo Teſtamenta vetus & novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram eſſe accipienda quædam, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda. His omnibus modis Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Apoſtoli uſi ſunt.*

L. de utilit. creden. c. 3.

VI. His ita perfunctoriè delibatis, adeundæ rurſus nobis ſunt Confeſſiones Auguſtini, ut magiſtro ab optimo ediſcamus compluſculas regulas excutiendæ perſcrutandæque Scripturæ, & in alios quandoque alioſque ſenſus ſequendæ nobis ſemper, non præeundæ, non pertrahendæ. Nihil enim obeſt, ſed plurimum prodeſt omnino, ut complurimas ſententias ex eis eliciamus, vel illis appingamus, dummodo veras. Quidquid enim à veritate allienum fuerit, id & ab illis alieniſſimum erit. At ſi plures, eædemque veriſſimæ ſententiæ Scripturæ aptari poſſint, nihil attinebit, ſi Auguſtinum audiamus, altercati, ut hanc magis quàm illam ei vendicemus. Quin conſentiant enim omnes Scripturæ verbis, quæ conſentiunt illi ſurſum fulgenti Veritati, quæ Scripturas dictavit? Authorem libri Canonici, ſeu Moyſen, ſeu quemvis alium ajes, hoc voluiſſe, & non illud, quanquam & hoc & illud verum ſit. At regeret Auguſtinus, Unde tibi conſtet hoc potiùs Moyſen voluiſſe, quàm illud, cùm utrumque potuerit, quando utrumque verum eſt? Nam verum hoc eſſe interpres uterque videt in ſumma Veritate, quæ utrumque cœlitus illuminat. At Moyſen hoc potius, quàm illud voluiſſe, vel hoc tantùm & non illud voluiſſe, neuter in ſumma Veritate videt; ſed nec in ipſa Moyſis mente videt, aut vel videre poteſt. Quorſum ergo hæ lites, quorſum hæc diſſidia? Nec enim de Veritate, ſed de Moyſis mente certatur, cùm minimè neceſſe ſit. Quin potiùs enim illam & Scripturæ & Moyſi amplitudinem intelligentiæ vindicamus, quæ & falſa reſpuat omnia, & vera omnia complectatur? Quorſum has mentis & intelligentiæ anguſtias amabimus? Quin illam potiùs charitatis latitudinem amplectimur, quæ & vera omnia, & veritatis aſſertores omnes in unum conſtringit, & ſe illis indivulsè aſtringit? Ita enim jam licebit ſuaviſſimè cum Auguſtino exclamare: *Conjungar illis Domine in te, & delectter cum eis de te, qui veritate tua paſcuntur in latitudine charitatis.*

Confeſſ. l. 12. c. 23. 24.

VII. Ea tum Auguſtinus verſabat Geneſeos verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram;* & his eum adjiciebat ſenſum, quem ſecus ſentientes alii veritati conſentire non negabant, Moyſis menti reſpondere vehementer negabant: iis ea de cauſa ſubiraſcebatur ſanctus Pater; propterea nimirum, quòd quid veritati concineret, in ipſa incommutabili ſurſum veritate intueri potuiſſent: quid ſenſiſſet Moyſes & quid voluiſſet, in ejus mente neutiquam videre potuiſſent. Non erat ergo magnoperè, quod Auguſtini ſententiam tam moleſtè, & tam indignanter ferrent, niſi privatæ opinioni ſuæ plus æquo indulgerent. *Video quippe, verè potuiſſe dici quidquid horum diceretur: ſed quid horum in his verbis ille cogitaverit, non ita videa; quamvis ſive aliquid horum, ſive aliquid aliud quod à me commemoratum non eſt, tantus vir ille mente conſpexerit, cùm hæc verba promeret, verum eum vidiſſe, aptèque id enunciaſſe non dubitem.* Et aliquantis interpoſitis, illorum explodens inſulſitatem, qui ſententiæ ſuæ contumaciùs adhærentes, alienæ æquè veræ, aut æquè veriſimili illudebant; ſuam Moyſi arrogabant, alienam fidenter abjudicabant; atque ita incerta pro certis jactabant; ſuæque opinioni arrogantiùs plaudebant, non ut veræ, ſed ut ſuæ: alienæ pertinaciùs reſtitabant, non ut falſæ, ſed ut alienæ. *Cùm verò dicit, Non hoc ille (Moyſes) ſenſit, quod tu dicis, ſed quod ego dico: neque tamen negat, quod uterque noſtrum dicit, utrumque verum eſſe. O vitæ pauperum Deus meus, in cujus ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram; qui non mihi hoc dicunt, quia divini ſunt, & in corde famuli tui viderunt, quod dicunt: ſed quia ſuperbi ſunt, nec noverunt Moyſi ſententiam, ſed amant ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt.*

Ibid. c. 24. 25.

VIII. Oppidò perquàm luculenta ſunt iſta, & paucis comperta; pauciſſimis quantum oporteret perſpecta. Sententiæ nimirum cuicunque ut ſuffragemur, non quia noſtra eſt, ſed quia vera eſt; non quia temerè, aut leviter in eam appulſi ſumus, ſed quia certa veritas ad eam nos compulit. 2. Ut veritatem in qua vera & certa videntur omnia, Deum eſſe intelligamus; atque ita certemus non noſtras defenſitare opinationes, ſed divinæ veritatis ſcintillas nobis affulgentes. 3. Ita enim aliorum vel conjecturas, vel certas ſententias eodem ſtudio & amore proſequemur, ac noſtras. Nec enim proprium cujuſque eſt, quidquid verum eſt; ſed commune veluti patrimonium omnium veritatis amatorum. 4. Id jam ergo furti, id ſacrilegii inſtar eſt, ſi quam veritatis partem, rem utique Deo ſacram, & omnibus in commune fruendam, ſibi propriè quiſquam vendicet. 5. Hinc porrò facilè intelliges, ſententiam quamlibet, ut veram, an ut tuam, tam acriter defenſites: ſi quam aliam nihilominus veram, non tuam, ſed alienam, non diſpari tuearis animi contentione. 6. Non falſi-

falsitas ergo tantùm veritati inimica pertimescenda nobis est, sed & temeritas in ipsa veritatis ruitione, si tui eam magis, quàm ipsius veritatis amore tuearis; si certa pro incertis, si incerta pro certis vendites; si dubia pro indubiis, vel contra; si quam omnibus communem affudit Deus veritatis lucem, tu privatam habere velis, atque ita committas, ut ea privandus jure sis; proprium enim & privatum nostrum nihil est, nisi mendacium: & quisquis de suo loquitur, mendacium loquitur.

Qui Theologiam, qui superiores & interiores disciplinas vel à limine salutarit, is facilè æstimabit, quanti sint ad eas præsidii hæc Augustini effata. Rursus ergo illi aures accommodandæ sunt
Ibid. c. 25. hæc omnia uberiùs edisserenti. *Alioqui & aliam (sententiam) veram pariter amarent; sicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt: non quia ipsorum est, sed quia verum est: & ideo jam nec ipsorum est, quia verum est. Si autem ideo amant illud quia verum est, jam & ipsorum est, & meum: quoniam in commune omnium est veritatis amatorum. Illud autem quod contendunt, non hoc sensisse Moysen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo: quia & si ita est, tamen ista temeritas, non scientiæ, sed audaciæ est: nec visus, sed typhus eam peperit. Ideoque, Domine, tremenda sunt judicia tua, quoniam veritas tua, nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad ejus communionem publicè vocas: terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quisquis id quod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi propriè vendicat, & suum vult esse quod omnium est, à communi propellitur sua, hoc est, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur.*

IX. Neminem ut spero pigebit in re pulcherrima ulteriùs penitiasque cum Augustino pergere. Ubi duo quipiam diversa sentiunt, & utrimque vera esse consentiunt, non utique alter in alterius mente videt ea esse vera, sed in incommutabili quæ supra mentes est veritate. Utram earum sententiarum Moyses qui ea scripsit secutus sit, neuter in summa veritate, aut in Moysis mente perspicere potuit. Quin potius ergo ambo sibi gratulantur de eo, quod ambo in Deo verum certumque esse vident; quàm de eo litigent, quod nec in Deo vident, nec in hujus Geneseos libri
Ibid. c. 2. conditore Moyse? *Hanc enim vocem huic refero fraternam & pacificam. Si ambo videmus verum esse quod dicis, & ambo videmus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quæ suprà mentes nostras est incommutabili veritate. Cùm ergo de ipsa Domini Dei nostri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus; quam sic videre non possumus, ut videtur incommutabilis veritas; quando si ipse Moyses apparuisset nobis, atque dixisset: Hoc cogitavi; nec sic eam videremus, sed crederemus.*

Hæ sunt prorsus veritatis & charitatis Scripturæ. Ubi ergo verum aliquid in iis diluxit, ubi idem proximo diluxit, & nobis & proximo gratulemur, & veritate per hanc maximè charitatem fruamur: quæstionibus aliis supersedeamus, quæ nec ad eum modum dilucere nobis possunt in summa Dei veritate, nec mutuam inter nos alere charitatem. *Non itaque supra quàm scriptum*
Ibidem. *est, unus pro altero insletur adversus alterum. Diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente nostra, & proximum nostrum sicut nosmetipsos. Propter que duo præcepta charitatis sensisse Moysen quidquid in illis libris sensit, nisi crediderimus, mendacem faciemus Deum; cum de animo conservi aliter quàm ille docuit opinamur. Jam vide quàm stultum sit in tanta copia verissimarum sententiarum, que de illis verbis erui possunt, temerè affirmare, quam earum Moyses potissimum senserit: & perniciosis contentionibus ipsam offendere charitatem, propter quam dixit omnia cujus dicta conamur exponere.*

X. Interest enim mirum quantum, non tam quæ fuerit Moysis sententia expiscari, quàm à vero nusquam aberrare, à dilectione proximi nec tantisper deflectere; huc totæ collineant Scripturæ, ut veritatem addoceant, ut ædificent charitatem. Sed nec Moysi ipsi aliud potuit esse propositum, quàm ut sic verba temperaret in conscribendo eo libro, qui in summæ authoritatis arcem aliquando esset evasurus, ut nulla non veritas, quantum fieri posset, iis implicaretur, & legentibus audientibusque insinuaretur. Illud sanè præ se fert Augustinus, si illud idem sibi, quod Moysi, demandatum à Deo munus esset, scribendi libri Canonici universo hominum generi aliquando profuturi: illud sibi optatissimum futurum fuisse, ut ea sibi Spiritus veritatis dictaret verba, quibus non hæc, vel illa tantùm, sed universa prorsus veritas significaretur: & quæ demum cumque sententia vera legentibus in mentem venisset, ea quoque verbis illis illigata & insinuata intelligeretur. Hæc vota veritatis amor, hæc proximi charitas Augustino inspirabat; qui proinde ne dubitare quidem posset, quin eadem fuisset Moysis charitas veritatis, eadem in omnes homines benevolentia. *Quoniam tu mihi præcipis, ut diligam proximum meum sicut meipsum, non possum minus credere de Moyse fidelissimo famulo tuo, quàm mihi optarem ac desiderarem abs te dari muneris, si tempore illo natus essem quo ille, eoque loco me constituisses, ut per servitutem cordis ac linguæ meæ, litteræ illæ dispensarentur, quæ tantò post essent omnibus gentibus profuturæ, & per universum orbem tanto authoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba superaturæ. Vellem quippe si tunc ego essem Moyses; ex eadem namque massa omnes venimus, & quid est homo, nisi quia memor es ejus? Vellem ergo si tunc ego essem, quod ille, & mihi abs te Geneseos liber scribendus injungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, & eum texendi sermonis modum, ut neque illi qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tanquam excedentia vires suas dicta recusarent; & illi qui hoc jam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitando venissent, eam non prætermissam in paucis verbis tui famuli reperirent; & si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset.*
Ibid. c. 26.

Ita altissima quæque, sed humiliter loquitur Scriptura, ne parvuli terreantur: pauca copiosè, ut sententiarum verarum immenia quædam varietas paucis verbis innexa & constricta exhibeatur. Ita faceſſent litigia, & nec de veritate, nec de Moysis mente rixabimur, cùm non potuerit tantus vir non illud potissimum velle, quod & veritatis luce excelleret, & utilitate. *Quos tamen bonæ spei parvulos hæc verba libri tui non territant, alta humiliter, & pauca copiosè; sed omnes quos in eis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos invicem, pariterque diligamus te Deum nostrum fontem veritatis, si non vana, sed ipsam sitimus; eundemque famulum tuum Scripturæ hujus dispensatorem, spiritu tuo plenum ita honoremus, ut hoc cum te revelante cum hæc scriberet, attendisse credamus, quod in eis maximè & luce veritatis, & fruge utilitatis excellit.*
Ibid. c. 30. pag. 83.

Cur laudibus Moysis invidemus, pergit Augustinus? Quin viderit ille tam copiosè à Deo afflatus dum hæc scriberet, quidquid videre quisquam potuit, dum hæc legeret? Non est ergo quòd negemus, quæcunque fuerit vera ejus verborum

borum ſententia, eam quoque ab eo & probatam & ſignificatam fuiſſe. Quis non idem ſibi optaret ſcribenti, quod ſibi ſupra optabat Auguſtinus? Quis non aſſentiatur idem optaſſe Moyſem, nec fruſtra optaſſe, cùm tanta apud Deum gratia floreret? *Ego certè quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen authoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, ut quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent; quàm ut unam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falſitas me non poſſet offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps eſſe, ut hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitavit; cum ea ſcriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, & quidquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inveniri poteſt.*

Ibid. c. 11.

XI. Valent hæc ut vides plurimum ad Scriptoris cujuſcunque Canonici commendationem. Ecquis enim aliàs tanta non verborum, non ingenii, ſed veritatis & ſapientiæ abundantia librum exaravit, quo omnis ſæculis omnibus poſteritas ita illuminaretur, quo innumerabiles hominum greges ita recrearentur, ut quidquid veri in eo lectitando cogitare, quidquid ſapere ſinguli poſſent & univerſi, id liber, id libri Scriptor complexus eſſet? Illud ſaltem inficiabitur nemo, non latuiſſe Spiritum ſanctum, librorum hujuſmodi primarium & principem authorem, quidquid in poſterum lectores cogitaturi eſſent, quidquid veri ipſe eis inſpiraturus eſſet. Ne litigemus ergo ampliùs de mente Moyſi; cùm etſi lateat nos forſan, quid ille voluerit: non lateat nos tamen quid voluerit Spiritus ſanctus, qui Spiritus veritatis eſt, non hujus, aut illius, ſed univerſæ.

Ibid. c. 12.

Poſtremò Domine qui Deus es, & non caro & ſanguis, ſi quid homo minus videt, nunquid & ſpiritum tuum bonum qui deducet me in terram rectam, latere potuit, quidquid eras in eis verbis tu ipſe revelaturus legentibus poſteris, etiamſi ille per quem dicta ſunt, unam fortaſſis ex multis veris ſententiam cogitavit? Quod ſi ita eſt, ſit igitur illa quam cogitavit ceteris excellentior: nobis autem, Domine, aut ipſam demonſtra, aut quam placet alteram veram, ut ſive nobis hoc quod etiam illi homini tuo, ſive aliud ex eorundem verborum occaſione patefacias, tu tamen paſcas nos, non error illudat.

Non ergo tantùm quid Scriptor Moyſes, quid Dictator horum librorum Spiritus ſanctus voluerit, ſed id omne verum, quod ex occaſione horum verborum occurrere potuerit lectorum menti, id inter multiplices divinæ Scripturæ ſenſus numerandum eſt. Id enim etiam voluit forſan Moyſes, id voluit indubiè Spiritus veritatis & charitatis, ut ex occaſione horum librorum & veritatis lumina ubique ſpargerentur, & igniculi charitatis. Nec tamen id prohibet, quin connitendum nobis ſit, ut illud maximè verum attingamus, quod ipſe divini libri, verbique miniſter ſenſit: etſi operam nos perdidiſſe non putemus, dum illud ſentiamus, quod veritas ſumma Deus nobis ex occaſione eorum verborum dixerit. *Ut ſi hoc dixero, quod ſenſit miniſter tuus, rectè atque optimè; id enim conari me oportet. Quod ſi aſſecutus non fuero, id tamen dicam, quod mihi per ejus verba veritas tua dicere voluerit, quæ illi quoque dixit, quod voluit.*

Ibid. c. ult.

XII. Nec in Confeſſionum libris tantùm hanc nobis Auguſtinus pulcherrimam conſignavit doctrinam de infinita & immenſa quadam veritatis opulentia in quibuslibet Scripturarum libris, librorumque particulis. Vide ut rem prorsùs eamdem inculcaverit in libris de Doctrina Chriſtiana: *Quando autem ex eiſdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, ſed duo, vel plura ſentiuntur, etiamſi latet, quid ſenſerit ille qui ſcripſit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis ſanctarum Scripturarum doceri poteſt; id tamen eo conante qui divina ſcrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur authoris, per quem Scripturam illam ſanctus operatus eſt Spiritus: ſive hoc aſſequatur, ſive aliam ſententiam de illis verbis quæ fidei recta non refragatur exſculpat, teſtimonium habens à quocunque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit; & certè Dei Spiritus qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram lectori, vel auditori, ſine dubitatione prævidit; immo ut occurreret, quia & ipſa eſt veritate ſubnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius, & uberius potuit divinitùs provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina conſtantia faciant approbari?* Et in Civitate Dei: *Quamvis itaque divini ſermonis obſcuritas etiam ad hoc ſit utilis, quod plures ſententiis veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum alius eum ſic, alius ſic intelligit: ita tamen ut quod in obſcuro loco intelligitur, vel atteſtatione rerum manifeſtarum, vel aliis locis minimè dubiis aſſeratur: ſive cum multa tractantur, ad id quoque perveniatur, quod ſenſit ille qui ſcripſit: ſive id quidem lateat, ſed ex occaſione tractandæ profundæ obſcuritatis, alia quædam vera dicantur.*

L. 11. c. 18.

XIII. Curſim nunc nobis aliquid ex cæteris Latinis Patribus delibandum eſt. Nonnullos Scripturæ libros cùm laudaſſet Hieronymus, ad Paulinum iiſdem ſacratum Litterarum deliciis ſeſe oblectantem ſcribens, in his ille affirmat ſtudiis & meditationibus vitæ æternæ guſtum quendam in terris præſumi. Verborum in Scripturis ſimplicitate negat quenquam offendi debere; cùm ita eruditendæ fuerint hominum de vulgo conciones, & iiſdem ipſis in verbis videant ſpirituales & periti bene multa, quæ vulgi captum ſuperant. *Oro te, frater chariſſime, inter hæc vivere, iſta meditari, nihil aliud noſſe, nihil quærere: nonne tibi videtur jam hìc in terris regni cæleſtis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum: quæ vel vitio interpretum, vel de induſtria ſic prolata ſunt, ut ruſticam concionem facilius inſtruerent: & in una eademque ſententia aliter doctus, aliter audiret indoctus.* Statim ſubjicit cæleſtis Scripturarum ſapientiæ rudimenta tantùm quædam hìc nobis concedi, cumulum in cœlis ſervari; atque ideo tantò enixiùs in eas incumbendum eſſe, ut jam hinc Cœlitum vitam agere ordiamur: *Non ſum tam petulans & hebes, ut hæc me noſſe pollicear, & eorum fructus capere, quorum radices in cælo fixæ ſunt: ſed velle fateor. Sedenti me præfero, magiſtrum renuens, comitem ſpondeo. Petenti datur, pulſanti aperitur, quærens invenit. Diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia perſeveret in cælo.* Aſſentitur Hieronymus Auguſtino, in una eademque Scripturæ ſententia, aliter doctum, aliter indoctum audire.

Hieron. Tom. 3.

Ibidem.

Nec ab his diſſonat Gregorius Magnus in Epiſtola ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem; niſi mavis dicere in Præfatione ad ſuos Moralium in Job libros. Monet autem primò eſſe quandoque in ſuperficie & in littera quæ collidi videantur, nec facilè conciliari poſſint; ſed eo id fieri conſilio, ut nos littera ipſa ad ſpiritalem ſenſum eluctari compellat, in quo nihil jam eſſe poſſit conflictationis. Monet ſecundò non ſtatim prætervolandam eſſe litteram; cùm & ipſa habeat longè plurima, ex quibus & lux veritatis effulgeſcat, & nonnulla ad mores condiendos fluat ſuavitas. *Sed nimirum verba litteræ, dum collata ſibi convenire nequeunt, aliud in ſe aliquid, quod quæratur, oſtendunt; ac ſi quibuſdam vocibus dicant: Dum noſtra nos conſpicitis ſuperficie deſtrui, hoc in nobis quærite,*

Greg. Magn. Epiſtol. ad Leon. cap. 4. Tom. 2. pag. 3. 4.

quærite, quod ordinatum sibique congruens apud nos valeat intus inveniri. Aliquando autem, qui verba accipere historiæ juxta litteram negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit. Cumque laboriosè invenire in eis aliud intrinsecus appetit, hoc, quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Monet tertiò sanctissimus Pontifex, esse in Scripturis quæ & parvulis obvia sint, & quæ grandibus ac perspicacissimis stupori sint; esse quæ illis blandiantur, hos terreant. *Divinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat: servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe fluvius, ut ita dixerim, planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet.*

Nec minùs præclarè alibi idem Gregorius demonstrat insigne illud & unius Scripturæ decus, quòd à veritate nunquam deviet, quòd cœlestium charitatem inflammet, terrenorum fastidium instillet, obscuris fortes exerceat, planis humiles soletur; non sic aperta, ut vilescat; non sic clausa, ut desperationem inducat; quòd sermonis humilitatem rerum & mysteriorum gravitate commendet; sic pateat, ut plura lateant; sic lateat, ut multa pateant: historias & mysteriorum arcana misceat; dum præsentia narrat, ventura vaticinetur. *Quamvis omnem scientiam atque doctrinam Scriptura sacra sine aliqua comparatione transcendat; ut taceam quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vocat, quod à terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur: quod nec sic clausa est, ut pavescí debeat; nec sic patet, ut vilescat: quod usu fastidium tollit, & tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur: quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat: quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod à rudibus lectoribus quasi recognoscitur, & tamen doctis semper nova reperitur: ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso locutionis suæ more transcendit: quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium; & sic scit præterita dicere, ut eo ipso noverit futura prædicare; & non immutato dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus, novit & anteacta describere, & agenda nuntiare.*

Moral. in Job. lib. 20. c. 1.

Ab his non recedit Bernardus, dum Sponsi & Sponsæ sermones in Canticis eos tradit esse, qui patere nobis non possint, nisi Christus ipse, qui Verbum, qui sponsus & sponsa est, dux sit verbi. Scripturis omnibus id non injuria communicabimus, ut quæ non aliud universæ contineant, quàm Verbi ad animas verba, animarum ad Verbum, ad sponsum suum Cantica, jugiter in hac terrestri peregrinatione, vel meditanda, vel decantanda. Ubique autem deprehendi ait Bernardus in Scripturis grandes sensus, suaves affectus; impervia, aut certè non facilè pervia mysteria, quo doctissimorum superbia vel præfocetur, vel conteratur; quanquam in illis arduis quæ magnos terrent sacramentis, sit nescio quæ blandiens superficies, qua parvuli lactentur. *Neque enim tales sunt (sermones) qui à nobis considerari & discuti prout dignum fuerit valeant, nisi ipse fuerit dux verbi. Sunt enim quàm suaves ad gratiam, tam fœcundi ad sensus, tam etiam profundi ad mysteria. Cui similabo eos? Uni interim alicui epularum, quæ triplici quadam emineat gratia, deliciosæ ad saporem, solidæ ad nutrimentum, efficaci ad medicinam. Sic, inquam, sic singulus quisque sponsæ sermo, & ex eo quod suaviter sonat, affectum mulcet: & de sensuum ubertate mentem impinguat & nutrit: & de altitudine mysteriorum, dum intellectum quo plus exercet, plus terret, mirotomodo tumorem format inflantis scientiæ. Etenim si unus quispiam ex his fortè, qui sibi scioli videntur, curiosus sese dederit scrutinio horum, cum viderit ingenii sui succumbere vires, & redigi in captivitatem omnem intellectum persenserit, nonne humiliatus ad illam vocem compellitur, ut dicat: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam?*

Sermone 67. in Cantica.

CAPUT VIII.

Ex Patribus jam Græcis ostenditur Scripturas esse Theologiæ objectum, Theologorum delicias, Verbum Dei, Deumque, scilicet sacris velaminibus obductum.

I. Ex Clemente Alexandrino prodest Scripturarum obscuritas, ut acuatur inquirendi diligentia, ut majori sit veneration.

II. Sic & Christus ipse sic latebat, ut pateret: sic patebat, ut lateret.

III. Et Scripturam & Christum non videt, non capit, non gustat in medulla nisi puritas, probitas, charitas.

IV. Ex Origene, ut omni die in Scripturis manducetur Christus, Agnus, Pascha.

V. Quid Origeni putei illi, ad quos ventitabant Patriarchæ, & ubi nuptias celebrabant. Quid illi fugere de medio Babylonis.

VI. Quàm non sit ullum Scripturæ verbum altissimæ Dei sapientiæ vacuum.

VII. Scripturæ verba singula non tam Scriptoris canonici sunt, quàm Christi, quàm Spiritus sancti, cujus & plenitudinem spirant, & æternitatem; ideoque semper implentur.

VIII. Ex Isidoro Pelusiota, omnium etiam imperitissimorum saluti prospexit Deus, sic temperata Scriptura, ut illis congruat, etsi congruat & doctis.

IX. Orbem terrarum subjugavit, non Oratorum, Philosophorum, Platonicorum eloquentia, sed Scriptura nostra.

X. Mira Scripturarum opulentia, ex Chrysostomo.

XI. Ex eodem quantam puritatem animo inspirent Scripturæ, atque ita altissima tradant dogmata, etiam dum aliud agere videntur.

XII. In paucis Scripturæ verbis quàm multa se pandat Theologia, ex eodem.

XIII. Ab eodem Scripturarum lectio Paradiso comparatur.

XIV. Qui factum sit, ut litteris & Scripturis indigeremus, cùm antè Deus ipse omnia nos adoceret.

XV. Ut Spiritus sanctus in Apostolos descenderit, quo per eos nos doceret.

XVI. Luculentissimè ex Synesio, ut ad summam quandam Theologiam ipse pervenerit.

XVII. Nonnulla præclarè ex Jobio, apud Photium.

I. NEc Græcos Patres præteriit, quod superioribus duobus capitibus declaratum est ex Latinis, eum esse Scripturarum corticem, quo simplices nutriantur, pro suo quisque fidei & pietatis modulo: sed & illarum eam esse medullam, qua Theologi etiam præstantissimi jam hinc degustare incipiant cœlestem illam Theologiam, tota mysteriorum Dei & Christi luce, tota suavitate perfusam. Agmen ducet Clemens Alexandrinus, ubi causas illustrat obscuritatis Scripturarum. Et illam quidem statim promit, quòd hinc acuatur inquirendi diligentia, nec sanctiùs collocari possint, & fructuosiùs hotæ, quibus vacuum nobis

est in

est in hac vita mortali, quàm in veritate æterna inter temporales & corporales umbras vestiganda. Tum rationem illam alteram subjungit, quòd non omnium sit divinorum oraculorum sensus reconditos scrutari, cùm & acumen, & otium, & studium ad id desideretur tantum, quantum paucissimis concessum est. Cæteris ergo conducibilius & salutarius est hærere sacris illis involucris, parabolis, allegoriis, quibus superna integuntur mysteria, paucis & egregiis aperienda Theologis, sub quorum authoritate cæteri fideles deliteſcant.

Clemens Alexandr. Strom. l. 6. pag. 407.

Propter multas ergo causas occultant Scripturæ sententiam. Primùm quidem, ut diligenter inquiramus, & semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Præterea, ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea, quæ à sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca iis qui sunt electi ex hominibus, & iis qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem, quæ servantur sancta mysteria Prophetiarum, teguntur parabolis: Scripturarum enim stylus est parabolicus.

II. Istiusmodi erat & Christus ipse, sempiterna Dei Sapientia corpore velata. Carnales ejus discipuli conspicuæ carni ejus se adglutinabant, spiritales Deitati latitanti; Christo Deo atque homini utrique adhærebant. Quin & caro tot miraculis, virtutum tot insignibus clara, tot gratiis & beneficiis scatens, ad Deitatis tandem sensum carnales etiam sensim perducebat; solis Judæis & Gentibus circa eam insanientibus. Quæ Scripturis aptari facillimè possunt omnia. Unde ibidem Clemens: *Quocirca Dominus quoque cùm non esset mundanus, tanquam mundanus venit ad homines. Portavit enim omnem virtutem: hominemque qui erat in mundo enutritus, ad ea quæ percipiuntur intelligentia, & sunt principalia, à mundo in mundum erat sublaturus. Quocirca Scriptura quoque utitur metaphora. Est enim parabola res ejusmodi: Oratio ab aliquo non proprio quidem, sed quod est simile proprio, ad id quod est verum & proprium deducens eum qui intelligit: aut ut dicunt aliqui, Dictio qua per alia, ea quæ propriè dicuntur, ostendit cum efficacia. Jam verò universa quoque œconomia quæ predicta est à Prophetis de Domino, videtur verè parabola iis qui veritatem non norunt; quando Filium Dei qui fecit omnia, carnem suscepisse, & in utero virginis conceptum esse, quatenus fuit genita sensilis ejus caruncula, consequenter quatenus fuit genita, passam esse & resurrexisse, unus quidem dicit, alii verò audiunt: Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam, ut dicit Apostolus. Apertè autem Scriptura & iis qui aures habent verum ostendentes, illud ipsum quod passa est caro quam suscepit Dominus, Dei virtutem & sapientiam annuntiant.*

III. Vides hìc ex Clemente, peræquè ut superiùs ex Augustino, hanc ipsam Christi in carne crucem & mortem, quæ Græcis stultitia, Judæis scandalum, parvulis in Christo fides est, spiritalibus in Christo, & Christum jam non secundùm carnem cognoscentibus, ipsam Dei virtutem esse & sapientiam. Ita ergo & illa ipsa Scripturæ littera, quæ carnalibus lac infantiæ Christianæ est, solidus cibus est adultis & spiritalibus, quia jam sapit sapientiam & justitiam, Christum Dei Verbum.

Hinc illud emergit ex eodem paulò infrà Clemente, quòd Scripturas non satis capit, non satis intelligit, non gustat in medulla nisi puritas animi, nisi probitas, nisi charitas. Charitati enim verè allucet veritas, sapientia, justitia Christus, sive per sese sursum, sive deorsum in corporalibus integumentis. *Quia autem non omnium est veritas, multis modis occultat veritatem, sisque solis qui sunt initiati ad cognitionem, qui veritatem quærunt propter charitatem, lucem exoriri facit.*

Ibidem. pag. 489.

IV. Consentiebat his Origenes, cùm ajebat, nobis non hunc, aut illum festum esse diem ideo Judæis; sed diem omnem spiritalibus festum esse, Pascha esse; omni enim die carnes Agni comedi, cùm omni die Scripturas legimus & meditamur; & in iis non litteram, sed in littera spiritum, Christum mandimus; illum in nos trajicimus, nos in illum; de Christo, de Deo, de æterna Dei sapientia & sanctitate saginamur. *Et ferias, & dies festos vestros odit anima mea. Odit ergo Deus eos qui unum diem putant festum diem esse Domini. Christiani omni die carnes Agni comedunt, id est, carnes verbi Dei quotidie sumunt. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Et quia lex Paschæ talis est, ut in vespera comedatur; propterea in vespera mundi passus est Dominus, ut tu semper manduces de carnibus verbi; quia semper in vespera es, usquequo veniat mane. Et si in hac vespera solicitus fueris, & in fletu ac jejuniis, atque omni labore justitiæ vitam duxeris, poteris & tu dicere: Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Lætaberis enim mane, id est in sæculo futuro, si in hoc sæculo fructum justitiæ in fletu & labore collegeris.*

Hom. 10. in Genes. pag. 21.

V. Et ibidem aliquantò pòst illis irascitur, qui cùm legerent Patriarchas in sacra Genesi tam frequentes ad puteos ventitasse, & ibi nuptias celebrasse: nihil ibi reconditum odorabantur, casu hæc ita contigisse existimabant. Hos ait Origenes Animales à Paulo dici, prorsus hebetes & brutos ad ea quæ sunt spiritus Dei: nobis enimverò contendendum est, ut animales esse aliquando desinamus, spiritalia Scripturæ sensa sapiamus, intelligamus puteos hujusmodi Patriarchis studiosè frequentatos, illos esse fontes Sapientiæ supernæ, quos Christus ipse dixit esse fontes aquæ salientis in vitam æternam: & has mirabiles nuptias non alias esse, quàm quibus animæ castæ Verbo Deo nubunt, & insolubili charitatis vinculo copulantur. Etenim hunc *altiorem Scripturarum intellectum*, nuptias esse animarum cum Verbo Deo. *Putas semper casu contingere, ut Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas conjugia sortiantur? Qui hæc ita putat, animalis homo est, & non percipit quæ sunt spiritus Dei. Sed qui vult, maneat in his, maneat animal; Ego Paulum Apostolum sequens, dico hæc esse allegorica, & sanctorum nuptias conjunctionem dico esse animæ cum Verbo Dei. Qui enim jungit se Domino, unus est spiritus cum eo. Hanc autem conjunctionem animæ cum Verbo; certum est non aliter fieri posse, nisi per instructionem divinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur. Ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, id est, meditando in his sensum, intellectum percipiat altiorem, inveniet nuptias Deo dignas. Conjungitur enim anima ejus cum Deo.*

Ibidem. pag. 21. 22.

Alio autem loco cùm monuisset Origenes, ne nomina quidem urbium aut provinciarum vacua esse spiritalis sensus & mysterii; hanc esse Spiritus sancti voluntatem affirmat, ut ne hæc quidem prætervolemus, sed in littera arcanum semper aliquid & spiritale vestigemus. Exemplum ponit in his verbis, quibus tamen tota morum disciplina selectissima continetur: *Fugite de medio Babylonis.* Sentina erat omnium & colluvio vitiorum Babylon: itaque hinc primum salutis & pietatis exordium ducendum est, ut antè vitia abdicemus, quàm virturum ornamenta consequi nos ulla posse speremus; nec satis est exire de medio Babylonis, sed aufugiendum inde est, ut tota animi viriumque contentione proripiamus nos ab illo scelerum & damnationis barathro. *Quis sapiens intelliget ista?* (ait Origenes:) *aut quis intelligens & cognoscit ea? Quis saltem in tenuiori sensu constitutus cognoscere poterit voluntatem, quam Spiritus sanctus habet litteræ? Verùm nunc aliud propositum est, quid his, qui in Babylone sunt, Dei sermone præcipiatur: Fugite de medio Baby-*

Hom. 2. in Jerem.

Pag. 364.

Babylonis. Non gradatim, non pedetentim, sed cum velocitate, cum cursu fugite, hoc est enim fugere. Fugite de medio Babylonis. Quicunque confusam habetis animam à variorum passione vitiorum, ad vos dirigitur sermo. Et mihi quoque id ipsum jubetur, si quidem adhuc sum in confusione inveteratus, & ideo in Babylone sum. Quid ergo præcipit Deus? Non dicit, Exite de medio Babylonis, hoc enim potest fieri & gradatim; sed, Fugite de medio Babylonis.

VI. Ne cui verò subrepat iniqua illa suspicio, acutè magis, quàm verè & solidè dici: occurrit Origenes, & rursus monet, in Scripturis divinis, in Verbo Dei ne unum quidem apicem esse, qui vacuus sit sapientiæ Dei. Cum enim per illum ne nobis quidem liceat otiosum proferre sermonem ullum, an verba ille ulla effuderit velut otiosa, & cœlestis intelligentiæ inania? Qui vacuis nos manibus vetuit ejus conspectibus apparere, an ipse aut aget, aut loquetur usquam aliquid, quod non Spiritus plenitudinem spiret? Ita ergo statuendum est, singula Scripturæ, hoc est plenitudinis spiritalis verba ea esse. Unde rursus advertit Origenes scriptum non esse, Fugite de Babylone, sed de medio Babylonis: quòd qui pluribus & gravioribus flagitiis inquinati sunt, illi altissimè immersi sint in medias Babylonis sordes, & inde aufugere quamprimum jubeantur, ante alios etiam omnes paucioribus, vel levioribus criminibus pollutos. Audiendus Origenes hæc ita elegantissimè exponens, & Theologos omnes his exemplis & documentis imbuens, ut Scripturæ non litteram tantùm, sed spiritum maximè fugere addiscant & insuescant, cùm ille Spiritus Christi, Spiritus sanctus sit, qui has nobis Scripturas modulatus est. *Qui vildè demersus est in vitiis, hic medius habitator est. Qui verò paulatim relinquens malum, & naturam suam ad meliora convertens, non tam cœperit virtutes possidere, quàm cupere: iste licet ex medio fugerit Babylonis, tamen necdum de Babylone discessit. Secundùm istiusmodi expositiones decet sacras litteras credere nec unum quidem apicem habere vacuum sapientia Dei. Qui enim mihi homini præcepit, dicens: Non apparebis ante conspectum meum vacuus, multo plus hoc ipse agit, ne aliquid vacuum loquatur. Ex plenitudine ejus accipientes Prophetæ, ea quæ erant de plenitudine sumpta, cecinerunt: & idcirco sacra volumina spiritus plenitudine spirant, nihilque est sive in Prophetia, sive in Lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non à plenitudine divina majestatis descendat. Quamobrem spirant in Scripturis sanctis hodieque plenitudinis verba. Spirant autem his qui habent, & oculos ad videnda cœlestia, & aures ad audienda divina, & nares ad ea quæ sunt plenitudinis sentienda. Hæc dixi, quia non sit simpliciter positum, Fugite de Babylone, sed cum additamento necessario: Fugite de medio Babylonis.*

VII. Et hæc quidem illis maximè adscribenda sunt Christi verbis, quæ ille in Evangelio pronunciavit. Ecquis enim ibi aliquid suspicari possit non mysterii & sanctimoniæ refertissimum? Sed omnibus tamen Scripturæ totius verbis ea vendicari necesse est, quia & hæc singula Christi sunt verba: etsi non per carnem suam, at per alia quævis instrumenta ab uno eodem Dei incommutabili Verbo pronunciata, ab ipso ejus sanctissimo Spiritu dictata. Verbi gratia ubi ait Christus, fore ut cœlum & terra transeant, nec tamen transeant verba sua, sed æternùm constent: hinc forsan aliquis conjiceret ad ipsius Christi amplitudinem interesse, ut æternus hic & incorruptus vigor Christi totius, non Moysis verbis asseratur, non aliorum Canonicæ authorum Scripturæ. His ab Origene vehementer resistitur: quòd non tam Moyses, & alius quicunque Scriptor canonicus, quam per illum Christus locurus sit, verbisque ut-cunque suis summam quandam non sapientiam tantum, sed & æternitatem aspiraverit. Inde illud existit, non Christi tantùm, sed & Moysis verba semper impleri, & ad exitum usque sæculi impleri, numquam omnino perimpleri, sed superesse semper, quæ implenda sint. Ad spiritalem Scripturæ intelligentiam hæc maximè pertinent. Litteræ quippe sensus arctari forsan quandoque potest ad tempus; at intelligibilis veritas, ut ante tempora est, ita & post omnia tempora vigebit. *In eo autem quod dixit: Verba autem mea non præteribunt, & hoc existimo quærendum; ne fortè Moysi quidem verba & Prophetarum transierunt, verba autem Jesu Christi non transierunt: quoniam quæ prophetabantur quidem ab illis, impleta sunt, verba autem Christi semper sunt plena, & in actu impletionis sunt semper, & quotidie implentur, & nunquam perimplentur. Ipsa enim sunt, quæ in sanctis & impleta sunt & implentur, & adhuc sunt implenda. Aut fortè neque Moysi verba, vel Prophetarum dicere debemus impleta omnino: propriè enim & illa verba Filii Dei sunt & semper implentur. Ergo bonum est altitudines verborum divinorum, verbis simplicibus explicare: tamen propter paucos discutiamus, hæc tantum intelligentes, quoniam verbum quod in verbo Dei humanum est, à creatione mundi usque ad consummationem non transiit. Instat enim & operatur, quia neque principium operandi ante tempora dierum accepit, sed cum creatura cœpit, & cum creatura transibit. Verbum autem quod fuit ante creaturam, non transibit cum creatura.* In Matth. Tract. 32. Tom. 2. pag. 58.

VIII. Illud Apostoli enucleare aggressus Isidorus Pelusiota, ubi ait in vasis fictilibus circumferri à nobis thesaurum quendam immensum & inæstimabilem; hoc primum Apostolis tribuit, qui circa Christum, *velut præfecti quidam erant circa Regem; ac velut stellæ, unà cum justitiæ Sole cursum obeuntes:* mira facientes, mira scribentes, quibus pretium faciebat sola veritas & charitas æternorum; cum alioqui thesaurus iste sapientiæ vasis fictilibus committeretur, non aureis humanæ eloquentiæ verbis, sed humilibus, plebeis, plebi erudiendæ, alendæ, pedetentim ad altissima quæque capienda aptandæ. Sic ergo Isidorus: *Si Deus dignitatis suæ rationem habuisset, ac non potius legentium utilitati consultum voluisset, cœlestibus profecto ac divinis sermonibus & exemplis usus fuisset. Quoniam autem hominibus, qui infirma & imbecilli natura præditi erant, atque humanis verbis, sic enim ea, quæ ipsorum captum excedebant, intellectu facilè consequi poterant, opus habebant, leges perscribebat: idcirco rudibus & incultis verbis cœlestes disciplinas temperavit: ut & mulier, & puer, & omnium etiam mortalium indoctissimus, ex ipsa quoque auditione commodi aliquid perciperet. Si quidem plebeiorum ac gregalium hominum saluti prospiciens divinus sermo, tanta ob legislatoris humanitatem & benignitatem perspicuitate temperatus est, ut neminem ea, quæ ipsius viribus respondeat, utilitate privet. Quanquam ne eruditiorum quidem commoda neglexit. Nam in tanta perspicuitate tam arcani sermones, velut thesauri quidam, insident, ut sapientissimi etiam & eloquentissimi quique homines ad sententiarum profunditatem æstuent, animique vertigine afficiantur, atque etiam persæpè sapientiæ magnitudini, ut quam consequi ac percipere nequeant, cedendum sibi esse ducant.* L. 1. Ep. 5. Pag. 119.

IX. Græcos idem Isidorus nostrarum Scripturarum simplicitati illudentes, hoc invictissimo argumento confutat: quòd Philosophorum & Oratorum eloquentia nullum, non saltem genus hominum ad meliorem frugem converterit; nulla usquam jam sint, nulla jamdiu fuerint Platonis discipulorum agmina, qui mortales omnes & eloquentia & Philosophia superasse dicitur: at rustica & simplex Scriptura nostra universum orbem ad

se tra-

se traduxit, & tot jam sæculorum lapsu sibi devinctum retinet. Tantum nempe vitium habuit sola veritas, nullo nostro suco adulterata, & altissima quæque ac saluberrima documenta populari simplicitatis suæ velo occultans, & ita magis populorum turbis ostendens. Ita in ipsos recidunt Gentiles ea tela, quæ in Christianas Scripturas contorquent: *Fugit ratio Græcos, qui non animadvertunt, se per ea quæ contra Christianos adferunt, semetipsos evertere. Nam pro nihilo habendam ajunt Scripturam divinam, tanquam scilicet barbaris vocibus constantem, & peregrinis nominum fictionibus compositam, & necessariis conjunctionibus ac velut vinculis orationis destitutam, & superfluorum inculcatione sensum eorum quæ dicuntur perturbantem. Sed ab his discant vim veritatis. Qui enim factum est, ut rustica ac simplex ipsa eloquentiæ persuaserit assensum? Dicant sapientes, quomodo ipsa tantis laborans & barbarismis & solecismis, tamen vincere potuerit errorem & falsitatem tam Attica instructam eloquentia. Qui factum sit, ut Plato ille Gentilium Philosophorum facilè princeps, ne unum quidem vincere & in suas partes traducere potuerit tyrannum; hæc autem, rustica scilicet ac barbara, & tot solecismos faciens veritas terram & mare sibi adjunxerit.*

L. 4. Ep. 28. pag. 428.

Id habent pulcherrimum Scripturæ nostræ, quod & dogmatum altitudinem, & sanctissimarum vitæ regularum axiomata, uno aut altero contextu, verbis pauciissimis concludunt; ut hoc brevi compendio sana & summa Theologia tradatur, & humani generis multitudo ad virtutes, virtutibusque desponsam æternæ vitæ fœlicitatem trajiciatur. Ubi de his constat & ipso orbis universi experimento constat, quorsum attinet de Scripturarum præstantia contendere, quibus etiam tanta & tam optanda rerum conversio, tanta salus debetur? *At sacra & cœlestia oracula, quoniam ad universi generis humani utilitatem pronuntiata scriptaque sunt, perspicuitate sunt temperata. Ex hac enim, & illi qui aliis virtutibus orationum delectantur, sunt autem hi perquam rari, nihil quidquam detrimenti patiuntur, semel intelligentes ea quæ oraculis illis continentur: Et omnes qui agriculturæ dant operam, & artificiis & ceteris occupationibus vitæ destinentur, perspicuitate plurimum juvantur, dum & quid deceat, & quid justum & quid utile sit, in momento temporis discunt. In tantum enim compendium divina institutio contracta est, ut id quod quisque voluerit, virtutis esse terminum definierit. Sic enim ait: Omnia quæ volueritis ut faciant vobis homines, & vos facite ipsis similiter: Hæc enim est Lex & Prophetæ. Quid quæso sunt vel Platonici dialogi, vel Homeritæ tabulæ, vel Legislatorum codices, vel Demosthenis libri, vel Tragœdiæ varii atque inopinati casus, vel Comœdiæ argumentum, si ad hanc virtutem & brevitatem perspicuitatemque conferantur?*

Ibidem. L. 4. ep. 91. pag. 461.

X. Suo hic more, ut arbitror, Isidorus Chrysostomum imitabatur, qui thesauro ejusmodi Scripturarum lectionem comparabat, in cujus brevi dictione immensas licet invenire divitias. Comparat & fonti jugiter scaturienti & tam copiosè, ut omnes Theologorum, omnes quorumlibet hominum ætates ubivis terrarum inde hauserint, nec exhauserint tamen illam spiritalium aquarum abundantiam. Nimirum ea vis est & natura spiritalium fluminum: arescere videntur, nisi quis hauriat: quantò plus hauseris, tantò accrescunt & exundant. Id à Christo ipso affirmatum fuisse ait verbis illis iisdemque, quæ suprà attigimus. Hæc eadem ferè ex Augustino suprà deprompsimus. Non quia hæc vel ex Augustino Chrysostomus mutuatus sit, vel ex Chrysostomo Augustinus: sed quòd uno ex Scripturarum & Spiritus sancti fonte hæc in suos Commentarios derivarint: nec potuerint non eundem retinere saporem, quæ eadem ex scaturigine manabant. *Meritò thesauro cuipiam confertur divinarum Scripturarum lectio. Nam sicut ex illo quisquis vel parvum fructum capere valet, multas sibi parat divitias; ita & in sacra Scriptura, etiam in brevi dictione variam sententiarum vim, & immensas divitias invenire licet. Et non solùm thesauro similia sunt divina eloquia, sed fonti quoque, largis perennibusque scaturienti fluentis: id quod re ipsa heri omnes didicimus. Nam ut proœmia libri Geneseos incipimus, explanando hoc dictum: In principio fecit Deus cœlum & terram, totum tradendæ doctrinæ destinatum tempus insumpsimus, & neque sic totum expedire valuimus. Magna enim est hujus thesauri abundantia, & larga fontis hujus spiritualis ubertas. Nec mireris, carissime, si nobis hoc accidat; etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim augescunt flumina, & increscunt. Hæc enim spiritualium fluminum natura est, ut hoc magis scaturiant, & accrescat spiritualis gratia, quo quis magis inde haurire studet. Propter hoc & Christus dicebat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ viventis: quibus verbis horum fluminum dapsilitatem nobis indicat.*

Chrysost. in Genes. Hom. 3. to. 2. p. 17. ab.

Periculum quandoque faciebat Chrysostomus inter concionandum exundantis hujus Scripturarum plenitudinis sapientiæ; sumpta occasione verbi, aut contextus alicujus brevissimi, & in speciem vilis & obscuri: ex quo tamen mox eliciebat inæstimabilem quandam sententiarum & concionum copiam & vim, in plures dies redundaturam. Ejus generis sunt illa Pauli verba ad Timotheum, *Modico vino utere*, &c. Nec suam hic sanctus Pater scientiam, aut eloquentiam ostentabat: cùm non sua hæc esset, sed Spiritus sancti, sed Scripturæ ab eo inspiratæ opulentia; sed id curabat, ut omnes, ut segniores etiam excitaret, tanto ob oculos posito divitiarum cuique obviarum thesauro. Nec enim ex eo nisi aurum colligitur, & quidem à Spiritu sancto excoctum, divinos etiam ignes animabus infundens, ex minima etiam sui mica vel bractea: cùm & auri & gemmarum pretium non ex mole, sed ex virtute æstimetur. *Hoc autem facimus non ambitionis gratia, neque in dicendo facultatis ostentationem exhibere studentes: non enim quæ dicuntur nostra sunt, sed quæ Spiritus gratia indulserit: sed ut auditores & segniores excitemus, & quantus sit Scripturarum thesaurus, & quod neque liberum, neque tutum eas pretercurrere persuadeamus. Si enim tenuis hæc & compendiosa dictio, & quæ nihil necessarium multis habere videtur, multarum causam divitiarum, & disciplinæ profundissimæ occasiones nobis præbere visa fuerit: multo magis illa quæ & ex se domesticam ostentant copiam, infinitis thesauris animadvertentes implebunt. Igitur nec illas quidem, quæ tenues esse putantur, Scripturarum sententias prætermittamus. Nam & ipsæ de Spiritus gratia sunt: Spiritus autem gratia nunquam parva & vilis, sed magna & mirabilis, & dantis munificentia digna. Ne igitur otiosè audiamus, quoniam & metallorum terram excoquentes, postquam in caminum ipsa injecerint, non tantùm auri massas tollunt, sed & pravas bracteolas multa cum sedulitate colligunt. Quoniam igitur & nos aurum Apostolicis haustum metallis excoquimus, non in fornacem jacientes, sed in animæ nostræ cogitationes immittentes: non flammam accendentes, sed ignem Spiritus excitantes, & parvas micas cum diligentia colligamus: licèt enim breve sit verbum, multa tamen est virtus: quoniam & gemmæ non in corporis mole, sed in naturæ pulchritudine suum*

Ad Popul. Antiochen. Hom. 1. to. 1. pag. 2. 3.

pretium

pretium habent : Sic & Scripturarum lectio. Sed & idem alibi denuò : *Sicut aromata quantò magis digitis atteruntur, tantò majorem naturæ suæ fragrantiam reddunt: ita & in Scripturis usuvenit, quantò quis illas ampliùs tractare studuerit, tantò magis videre poterit latentem in ipsis thesaurum, pluresque percipere indicibilium divitiarum fructus.* In nominum etiam recensione, quæ nobis plerunque fastidium creare solet, sapientiùs ille existimat spiritales opes subesse, cùm & hæc à Spiritu sancto profecta sint: *Ne mireris, quod in hac nominum enumeratione multas latentesque divitias sententiarum vobis me ostensurum polliceor. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus: proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, & Spiritu sancto illustrati eloquia divina adeamus.* Quantum verò utilitatis capiat anima ex Scripturarum lectione, sive domi, sive in Ecclesia, ut robur addatur novum, ut divina quædam ei infundatur Philosophia, ut terrenæ cupiditates extinguantur, ut contemplationis & charitatis alas recuperemus, quibus in intelligibiles sensus, & arcanæ Theologiæ haustum pervehamur, sic rursum ille : *Quod ad augendas vires corpori sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est, & fortem reddit animam, & constantiorem, & magis philosophicam: non permittens ut ab affectionibus absurdis capiatur : sed levem & alatam faciens, in cœlum ipsum propemodum transfert.* . . . . . .

In Genes. Hom. 15. Tom. 2. pag. 116.

Ibidem. Hom. 29. Pag. 194.

XI. Cùm verò prolixiùs suprà demonstraverimus puritate maximè mentis, & oculo terrenis fœcibus expurgato videri intelligique veræ Theologiæ splendidissima quæque lumina: vide ut hanc morum innocentiam, mentisque munditiem acceptam ferat Chrysostomus Scripturarum lectioni. Cùm divinæ enim litteræ id unum videntur agere, id moliri ut vitia elidant, sensibiliumque cupiditatum fibras excidant, & de dogmatum altitudine nihildum attingere : etiam tunc tamen cœlestia dogmata revelant, cùm oculo mentis, quo contuenda sunt, vela omnia detrahunt, sordes abstergunt; quo perfecto, incunctanter tota se infundit lux veritatis. Vide ut hæc omnia Chrysostomus in unum locum conglobarit adminicula ex Scripturis, ad intima veritatis statim penetralia pervadenda: *Etenim portus est nullis fluctibus agitatus, murus inexpugnabilis, inconcussa turris, gloria quæ nequit eripi, armatura impenetrabilis, animi tranquillitas invicta, voluptas continua, & quæcunque bona dixeris, divinarum congressus Scripturarum. Hic & mœrorem abigit, & animi tranquillitatem tuetur, pauperem ditiorem reddit opulentis, & divitibus securitatem acquirit, peccatorem justum efficit, tuto præsidio justum munit, mala quæ insunt evellit, bona quæ desunt inserit, malitiam fugat, ad virtutem reducit, nec reducit modò, sed radicibus etiam firmat, &, ut perpetuò maneat, efficit, cùm spiritualis medicina sit, ac divina quædam & ineffabilis incantatio, quæ passiones exterminat. Nam & spinas peccatorum extirpat, & arvum expurgat, & pietatis jacit semina, & fructum ad vigorem perducit. Nequaquam igitur tot aspernemur bona, neque à collectis absimus, sed huc nos assiduè conferamus, ut continuè sanemur, nec ullus divitem cernens invidia saucietur, aut inopia gravetur; sed vera cognita rerum natura prætereat umbras, veritatem amplectatur.* Ut primùm terrena omnia ex animo contempseris, totus ad cœlestia anhelaveris, illabetur protinus animo tota cœlestium dogmatum Theologia, quam hæc terrena nugamenta arcebant. At Scripturarum maximè lumine vanescunt ea velut insomnia sordidarum cupiditatum. *Nam quandiu quidem se longius quis à virtute sejungit, magna illi res videntur humanæ: ubi verò se in clarissimo Scripturarum lumine collocarit, tum verò quàm viles, quàm breves, quàm nullius momenti sint res caducæ, animadvertit, ac probè intelligit nihilo eas meliori conditione, quàm fluviales undas esse, quòd simul appareant, & dilabantur.*

In Psal. 48. Tom. 5. Pag. 815.

Ibidem. Pag. 814.

XII. Quàm multa rursum, & quàm celsa se pandat Theologia vel in pauciſſimis Scripturæ verbis, luculentè rursus alibi demonstrat Chrysostomus, hoc præfatus terrenas antè curas exuendas esse, quàm in hoc se quisquam cœlum inferre ausit. Verè enim Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio, & supernì luminis exuberantia. An non reserantur cœli, cùm ait Isaias, visum à se Dominum in solio sedentem excelso, circumstante innumerabili beatorum spirituum multitudine? *Hæc omnia foris ante ostium deponamus omnes, atque .... ita demum ingrediamur. Ingredimur enim in regnum cœlorum, conscendimus in regiones stellis fulgurantes. Quæ intus sunt, miro silentio plena sunt, mysteriisque non efferendis referta. Sed animadvertite diligenter : nam Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio. Et factum est anno quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum sedentem in throno excelso & elato.* Ne id quidem vacare mysterio censet Chrysostomus, quòd Isaias Propheta mirificæ ejus visionis tempus consignarit. In Scripturis enim Propheta Os Domini dicitur; at profanus fuerit, qui ab Ore Domini dixerit aspernabile, aut non magni pretii aliquid prodire potuisse. Si ex metallis enim terræ infossis nihil effoditur, quod non in pretio sit; quid de Scripturis censendum, in quibus cum Christo, ut infrà dicetur, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei delitescunt? *Opera pretium est inquirere primùm, qua gratia Propheta nobis tempus designarit: Neque enim hoc fortuitò temerève facit. Nam Prophetarum ora, Dei sunt os. Tale verò os nihil dixerit, quod obiter & aliud agentes audiamus. Etenim si ii qui fodiunt metalla, ne minima quidem frustula pratereunt; verum ubi nacti fuerint aliquam venam auri, meatus omnes exactè circumspiciunt: multò magis hoc facere nos oportet in Scripturis.* Ad eos denique rursum revolvitur Chrysostomus, qui statim nauseabant ad Scripturarum lectionem, si ubi illas in manus sumpserant, in nominum, vel temporum recensionem incidissent. Insurgit autem ex adverso sanctus Pater, & quantum in singulis prorsus verbis momenti sit, id declarat exemplo unius litterulæ, priori Abrahami nomini additæ, quo ille minimè sanè despicabili additamento, protinus evasit pater omnium gentium, non solo nomine, sed & re. Ut enim Reges aureis tabellis magistratus creant, ita Deus unius litteræ incremento Abrahamum auxit longè amplissimo principatu. *Sed quid loquor de temporibus & nominibus titulisque? disce quantum valeat unius tantum litterulæ adjectio, ac desine tota contemnere nomina. Patriarcha noster Abraham, noster enim potiùs est quàm Judæorum, hic priùs dictus est Abram, quod interpretatum sonat, transitorem : post hæc verò nomine commutato, dictus Abraham, pater factus omnium gentium, & unicum elementum adjectum, tantum principatum vindicavit justo. Quemadmodum enim Reges præfectis suis aureas porrigunt tabellas magistratus signum, sic & Deus justo illi honoris signum dedit litteram.*

Ibidem. Hom. 2. De verbis Isaiæ. Pag. 849.

Ibidem. Pag. 850.

Ibidem. Pag. 851.

Cùm alibi concionaretur Chrysostomus in hæc Paulinæ epistolæ verba, *Salutate Priscillam & Aquilam;* quæ jejuna quis & exucca facilè suspicaretur : contra ipse nititur : *Pelagus sententiarum* & dogmatum ex uno quandoque verbo, ex uno apice Scripturarum scaturire fidenter affirmat; probatque rursus adjectione illa unius litteræ ad nomen Abrahæ. Quod ad salutationem verò Paulinæ epistolæ, eam floccifieri molestissimè fert. An amici enim salutationem epistolæ adscriptam

quis-

quisquam aperiabitur: quid Paulo, quid Spiritus sancti ad integram civitatem, ad ingentem populum, imò ad universum Orbem terrarum? Tom. 5. Serm. 17. pag. 219. *Ut in sacris Scripturis nihil supervacaneum esse intelligatis, & non necessarium, sive unum jota, sive apex unus, immo etiam simplex salutatio magnum nobis pelagus aperit sententiarum. Quid dico simplex salutatio? sæpe vel littera unius accessio integrum agmen sententiarum invexit. Atque hoc in nomine Abrahæ videre licet. An non enim absurdum est, eum quidem qui epistolam acceperit ab amico, non corpus tantùm epistolæ legere, sed etiam in fine positam salutationem, atque inde maximè scriptoris affectum conjicere: cùm verò scribat Paulus, vel potiùs non Paulus, sed Spiritus gratia dilectet epistolam ad integram civitatem ac tantum populum, & per illos orbi terrarum universo, supervacaneum aliquid eorum, quæ in ea sunt arbitrari, eaque perfunctoriè percurrere, neque cogitare hanc ob causam omnia susque deque verti?*

Jam circa illud Pauli verbum, *Vocatus Apostolus*, quanta moralis & Theologicæ doctrinæ seges efflorescat, vide ut illis edisserat, facta comparatione hujus verbi cum lapillo quodam pretiosissimo, quem ex Regio quis diademate detraxerit, distraxerit, ut ex ejus pretio splendidas domos, agros, famulos, & alias sibi opes comparet, quæ nihili sunt præ opulentia spiritali, quæ vel uno Scripturæ verbo colligitur. Tom. 5. Serm. 49. pag. 664. *Et quemadmodum si quis ex munda aureo, vel regio diademate lapillum unum eximat, & domos splendidas, & agros magni pretii, ac famulorum greges aliaque multo his majora coemere poterit, illa margarita divendita: ita quoque fiet in verbis sacris, si unius dictionis sensum velis evolvere, multam spiritualis tibi quæstus materiam præbebit; non quod domos, aut mancipia, vel terræ jugera tibi comparet; sed quod pietatis hæc philosophia occasiones afferat eorum animabus, qui attenti ac seduli fuerint. Ipsum igitur illud Vocatus, considera quantam ad spiritualium rerum historiam nos deducat.*

XIII. Nusquam tamen Chrysostomus luculentiùs Scripturarum laudes, & incredibiles earum lectionis utilitates, suavissimamque Theologiam inde scatentem prosecutus est, quàm in aureo illo Sermone, quem *de utilitate lectionis Scripturarum* pronunciavit. Itaque si paulò plura hinc adscripsero, adeo non vereor, ne fastidioso lectori molestus sim; ut ab eo sperem me gratiam initurum copioso hoc spiritalium epularum apparatu. Sic ergo sanctus Pater Scripturarum lectionem æquare, adeoque anteponere adgreditur Paradisi deliciis, quem Deus beato ante peccatum homini instruxerat. Tom. 5. Serm. 50. pag. 674. *Est enim spirituale pratum, ac deliciarum paradisus, sacrarum lectio Scripturarum, & paradisus deliciarum multò illo melior paradiso. Hunc paradisum non in terra, sed in fidelium animabus plantavit Deus: hunc paradisum non in Edem, nec ad Orientem uno circunscriptum loco posuit, sed ubique terrarum expandit, & in fines orbis terrarum extendit. Atque ut intelligas in universum orbem terrarum expansas esse Scripturas, audi Prophetam dicentem: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sive ad Indos te conferas, quos oriens primos Sol respicit, sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas insulas, sive in Euxinum pontum naviges, sive ad Australes partes abeas, omnes ubique audies de iis quæ in Scriptura sunt philosophantes, alia quidem voce, sed non alia fide; ac lingua quidem diversa, sed de mente consona. Nam lingua quidem sono differunt, religionis autem modo non differunt: & lingua quidem barbarè loquuntur, sed animi sensu philosophantur: solecismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt. Vides amplitudinem paradisi ad fines orbis terrarum extensi? Hic serpens non est; locus est à feris immunis, ac Spiritus sancti gratia munitur. Habet & fontem paradisus, quemadmodum ille, fontem ex quo innumera nascuntur flumina, non quatuor tantùm. Non enim Tigrim, nec Euphratem, nec Ægyptium Nilum, nec Indum Gangem, sed innumeros fons iste fluvios effundit. Quis hoc dicit? Deus ipse, qui fluvios nobis istos largitus est: Qui enim credit in me, inquit, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Vides ut non quatuor flumina, sed infinita ab illo fonte profluant.* Et statim ibidem: *Neque verò multitudine tantùm, sed etiam natura fons est mirabilis. Neque enim aquæ fluenta sunt, sed Spiritus dona. Fons iste in singulas fidelium mentes dividitur, & non minuitur: dividitur, & non consumitur: dispertitur, & minor non fit: apud omnes integer, & singulis integer. Talia namque sunt Spiritus dona.*

XIV. Suas in Evangelium Matthæi homilias ita exorsus est Chrysostomus, *Oportuisse quidem nos nihil indigere auxilio litterarum, sed tam mundam exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus sancti uteremur: & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu.* Et olim quidem ita res comparatæ erant. *Nam & Noe & Abrahæ, ejusque posteris, & Job, & Moysi, non per litteras, sed per semetipsum locutus est, quia scilicet munda eorum corda repererat.* Vides ut germana & primæva, ac perinde summa Theologia, non desideret nisi castissimos mores, peccati & cupiditatum expertes, & puros mentis oculos, ut illis statim divina lux & sapientia tota infundatur. Tum ergo demum *postquam populus Judeorum in vitiorum ima delapsus est, necessariæ jam inde litteræ sacræ dantur ac tabulæ. Et hoc non tantùm veteris Testamenti Sanctis, sed & novi. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro litteris sancti Spiritus gratiam, &c. Dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perscribam eam, & erunt omnes docibiles Dei. Paulus quoque hanc eminentiam designando, dicebat se accepisse legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Cùm verò postea alii in *dogmata*, alii propter vitam & *mores* graviter impegissent, *litteris* opus tum fuisse constat. Cùm ergo *tanta perfectione vitæ eminere deberemus, ut nihil indigeremus litteris, sed scribenda Spiritui sancto corda pro litteris præberemus*: quantum mali, quantum periculi est, si ne secundo quidem hoc remedio ad nostram salutem utamur? Perspicis ut Dei jam vices impleant Scripturæ, & Theologiam puris cordibus penè magis, quàm mentibus infundant. In Evang. Matth. hom. 2.

XV. Descendit Deus olim in montem ad Moysen, ut duas illi Theologicas tabulas commendaret; at in Apostolos, postquam Christus in cœlos avectus fuit, descendit Spiritus sanctus, majus utique afferens donum, seipsum; à quo Apostoli thesaurum dogmatum Theologicorum acceperunt, in orbem universum, qua voce, qua scriptis effundendum. *Et in veteri quidem testamento cum Moyses ascendisset in montem, descendit Deus; in novo verò cum nostra in cœlum, immo in ipsum regalem thronum esset elevata natura, Spiritus sanctus descendit de cœlo. Qui si esset minor, ut etiam blasphemat impietas, nunquam illa quæ adventu ejus facta sunt, majora essent, magisque miranda. Nam & tabulæ istæ sunt, absque dubio meliores, & virtutum merita clariora. Non enim descenderunt Apostoli de monte tabulas lapideas afferentes in manibus sicut Moyses: sed sanctum Spiritum mente portantes, & thesaurum quendam dogmatum donorumque gestantes, cunctorumque fontem ex se effundentes bonorum, omnia circuibant, vivi quidam libri, vivaque leges effecti per gratiæ largitatem.* Ibidem. pag. 2.

XVI. Totum se Synesius ante Episcopatum cœlestium contemplationi devoverat, totum impende-

penderat, quantum vacabat à neceſſariis vitæ & reipublicæ curis, quibus expedire ſe omnino non poterat. At ad ſacras infulas raptus, doluit ille quidem primùm vehementiſſimè, deſperavitque poſſe ſe tam gravem jam negotiorum molem ſimul geſtare, ſimul priores Scripturarum & Theologiæ delicias haurire, ſine quibus vita ſibi morte deteſtabilior videbatur. At cùm ille detumuiſſet mœroris æſtus, hac ſe ſpe cœpit ſuſtentare, poſſe utcunque conciliari, ac copulari Eccleſiaſticum miniſterium cum nonnullo Theologiæ & contemplationis fructu; quin immo poſſe ſibi ſacerdotium non à Philoſophia illa divina deſcenſum eſſe, ſed ad eam aſcenſum: *Qui enim in Philoſophia otio, ac minimè negotioſa rerum contemplatione ætatem contrivit, tantumque vitæ curis ac moleſtiis tribuit, quantum ad eam quæ in hoc corpore degitur vitam ac civile in rebus publicis officium ſatis eſſet: quî continuis illis curis poſſum ſufficere? aut quî meipſum negotiorum turbis implicans in eas mentis pulchritudines animum poſſum defigere, quibus frui beati cujuſdam eſt otii, ſine quibus mihi ac mei ſimilibus vita univerſa vitalis eſſe non poteſt? Equidem aſſequi minimè poſſum, Deo verò omnia, ut ajunt, poſſibilia, etiam quæ fieri non poſſunt. Vos igitur ipſi ſupplices pro me ad Deum manus tendite, atque & urbanæ multitudini, & quacunque in agris, aut in pagis Eccleſiis degit, meo nomine preces publicè privatimque univerſis indicite. Nam ſi à Deo derelictus non fuero, tum agnoſcam ſacerdotium non deſcenſum eſſe à Philoſophia, ſed aſcenſum.*

Syneſius; Epiſt. 154.

Quî verò potuerit Syneſius ad tantum & Theologiæ & ſanctitatis apicem uno temporis ferè puncto graſſari, audiendus ipſe eſt, ut pueritiam, ut juventam, ut ætatem omnem antè contriviſſet in longè pulcherrimis ſapientiæ ſtudiis, & in exhibendis proximo charitatis officiis, ut Theologum jam inde à cunabulis egiſſe videri poſſit; & quod magis mireris, talis tantuſque cùm eſſet, *mortem præ ſacerdotio optabat*. Hinc ut reor perfectum eſt, ut & Epiſcopatu auctus, de Theologica contemplatione nihil remitteret. Quia res iſta noſtris temporibus, noſtriſque & tyronibus ſacræ doctrinæ, & emeritis, magno poteſt eſſe emolumento, ſi illos non ad admirationem tantùm trahat, ſed ad imitationem, operæ pretium me facturum duxi, ſi verba ipſa adſcriberem Syneſii: *Mihi jam inde à puero divinum illud bonum conceſſum, eſt otium, vivendique facilitas. Id quod divinis ingeniis convenire quidam dixit, idque eſſe mentem alere, ac Deo conciliare poſſidenti illam, eaque perfruenti. Quæcumque ergo pueris ineſſe aut uſu venire ſolent, minimum ego eorum particeps fui, ut & quæ in adoleſcentulis, & quæ in juvenibus cernuntur. Cumque jam virilem ætatem attigiſſem, nihil à puerulo quantum ad quietem & vitæ tranquillitatem diſcrepavi; ſed perinde ut in feſtiva aliqua celebritate vitam traducens, pacatum ac nullis fluctibus perturbatum animi ſtatum conſervavi. Neque tamen ideo me Deus hominibus inutilem fecit; ſed plerumque & Privati & Civitates operâ meâ ad ſummas opportunitates uſi ſunt: erat quippe hoc mihi divinitus tributum, ut cum ego authoritate plurimum poſſem, tum honeſtiſſima quæque vellem. Nihil me iſtarum occupationum à Philoſophia ſejunxit, neque fœlici otia exemit.*

Epiſt. 57. Pag. 193.

Unum ſupereſt quod ex eodem Syneſio hic addam, quo animo, quo animi propoſito eſſe par ſit eos omnes ſacris doctrinis qui dant operam, & necdum ad Epiſcopales curas, necdum ad Eccleſiaſtici ullius majoris miniſterii partes, necdum ad Sacerdotium vocantur, necdum cogantur: *Contemplatio Sacerdoti finis eſt, ſi non falso id ſibi nomen uſurpet. Contemplatio verò, & actio nequaquam in unum conveniunt. Voluntatis enim impetus motus eſt in actionem: nullus autem ſine affectu aliquo eſſe poteſt. At omnium expertem affectuum animam illam eſſe oportet, quæ Dei receptaculum futura ſit. Nam ei qui impurus ſit, quod purum eſt attingere nefas fuerit: Vacate enim & cognoſcite quoniam ego ſum Deus. Vacatione opus ei eſt, qui cum Philoſophiæ ſtudio ſacris operatur. Nec Epiſcopos damno, qui negotiis deſtinentur. Sed cùm noverim vix me horum alterutrum aſſequi poſſe, qui utrumque præſtare poſſint, eos admirari ſoleo. Non eſt id mearum virium, duobus ut dominis ſerviam. Sin aliqui reperiantur, quibus nequaquam ad inferiora deſcenſus detrimentum afferat, meritò illi poſſunt ſacerdotes fieri, & præeſſe civitatibus. Solaris radius quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet. Ego ſi idem fecero, fontibus ac mari opus habebo.*

XVII. Jobius apud Photium, nobis non ſemel commendandus author, complures attingit rationes, Ecquid opus fuerit, ſub litteræ rudi cortice interiores occultari altiſſimæ Theologiæ Scripturarum ſenſus: ut futura bona, quorum caput eſt Trinitas, Indignis, gentilibus, ſceleſtis, imbecillis abſconderentur. *Ut ſacra littera non diſſimiles aureæ terræ videantur, quæ non omnibus neque vulgaribus, ſed laboriosè tantùm ac ſcienter perſcrutantibus, aurum probatum, & lucrum labore majus præbet. Quemadmodum itaque paupertatem non evadit, qui foſſilem arenam ornamenti, ludi, aut joci cauſa tractans, nullum interea ſtudium adhibet, ut quod ſub ea abſconditum latet inveſtiget: ſic neque ignorantiam, neque negligentiæ reprehenſionem evadere queat, qui ſolis litteræ adhæreſcens, theſaurum in ipſa reconditum non ſcrutetur, neque latentem in ejus fundo ſenſuum utilitatem colligere ſtudeat. Et certè hoc ipſum quod divini ſenſus abditi lateant, pretium eorum maximum, & ſublimitatem indicat: ac majus ſimul inquirendi deſiderium iis infigit animis, qui Dei & laboris amorem inertiæ anteponunt.*

Bibliotheca Phot. Cod. 222. cap. 33. pag. 626.

Nec minùs præclarè idem Jobius infrà, Qui gloriæ cupidine, qui terreno quovis ſtimulo excitantur ad ſtudia Scripturarum, illos profitetur à ſapientiæ veſtibulis procul arcendos: at virtutum amatori, tantum intelligentiæ affuſum iri, quantum ipſe ſtudii & laboris impenderit. Nec eſſe quod de providentia conqueratur quiſquam, quæ hanc ſuperioris Theologiæ lucem tanto nobis labore conſtare voluerit. Cùm primùm enim conditus à Deo eſt homo, gratuitarum deliciarum ſtatim illi apertus eſt ſpiritalis paradiſus; poſtquam verò illas faſtidivit, & ad ſordidas ſe voluptates convertit, tum verò æquiſſimum fuit, ut quanti faciendæ eſſent iſtæ ſupernæ opes, ex ipſo eas rurſum comparandi labore diſceremus. *Quicumque ad hæc Scripturæ ſacræ ſententiam illuſtrari optat, ſi quidem humanam gloriam quærit, meritò à divinæ ſapientiæ veſtibulo arcetur: ſin virtutis dumtaxat, & ſuperne remunerationis gratiam, quantum laboribus ac ſudoribus ipſa proceſſerit, tanta eaque certa retributionis aſſecutio allaborantibus relinquetur. Sed iſtud quoque ad ſapientiæ illius inexplicabilis providentiam pertinet, quod tollens mox ab initio Deus omnem de ſorte noſtra querimoniam, expertes ærumnarum delicias nobis in paradiſo donat, donec deprehenſo ex factis noſtris, inutilem hominibus eſſe labore ac miſeria carentem vitam, laborum ac miſeriarum pondus vitæ noſtræ tanquam pro remedio admiſcuit: hoc veluti ſtadium nobis ac paleſtram conſtituens, quæ magnum poſſet quæſtum, ac multa præmia conciliare.*

Pag. 631.

CAPUT IX.

Christus via nobis est & ratio, qua sciuntur, quæcunque sciuntur, ex Augustino.

I. Cur retractarit Augustinus, quod dixerat, Nisi mundos corde verum non scire.

II. Quid sit scire, quid opinari, quid credere. Scientia certis, æternisque pascitur & immutabilibus veris, quæ nisi in Verbo Deo non sunt, quod non pandatur nisi puris oculis.

III. Ex eodem ut Christus sit universalis via ad verum.

IV. Quomodo aptè interrogati aptè respondent de numeris, & aliis mathematicis, eorum etiam imperiti. Ubi hæc vera videant.

V. Rursus de veris illis Mathematicis.

VI. Ratio duplex ea sciendi, vel videndi.

VII. Ad id necesse est mentem à sensibus abduci, quæ jam puritatis quædam prolusio est, quam assuetudo auget, perficitque.

VIII. Ex Augustino rursus, ut Christus & Veritas sit, & via ad veritatem. De cæteris disciplinarum principiis, ut ea ad Christum quandoque ducant.

IX. Ex eodem, ut omnia doceat Christus, unus omnium magister, spiritus, unctio. Cæteri foris manent, sola intima lux verè docet, sola facit verum intus videri.

X. Ex Joanne & Augustino non sola veritas docet, sed charitas, sed unctio, sed Spiritus Christi docet.

XI. Idem rursus ex Augustino & Cassiodoro confirmatur.

I. EX iis quæ superioribus capitibus disputata sunt de Scripturis, id eluceſcit quod imprætentiarum elucidare agredimur, Christum unam maximè viam esse, & rationem, qua sciuntur omnia, quæcunque à Theologis sciuntur. Mundis tantùm cordibus, moribus, oculis patere intimos Scripturæ sensus, multis nos supra addocuerunt sancti Patres. At Christus illa ipsa veritas est, quam sola cordis animique mundities videre potest. Id dolet Augustinus in Soliloquiis sibi excidisse, unde & id retractandum sibi duxit. Et tamen dum id retractat, ut temerè, vel obscuriùs à se dictum, nec satis enucleatum: aperit ipsemet quo sensu explicatiùs à se dici, veriùsque potuisset. En ejus verba, dum Retractationibus in suis locum illum Soliloquiorum castigat: *In his sanè libris non approbo, quod in oratione dixi, Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera. Neque enim definitum est hìc quid sit verum, quod nisi mundi scire non possint, & quid sit scire.* In hac ergo propositione, *Deus qui nisi mundos verum scire noluisti:* id unum damnat sanctus Pater, quod definitum non sit, ecquod sit illud verum, quod nisi mundi scire non possint; & quid sit scire. Est ergo aliquod verum ex hac ipsa Augustini authoritate, quod nisi mundi scire non possint. Est item ex hoc ipso loco via, & ratio aliqua sciendi, quæ immundis nunquam obtingat. Unum id desiderari à nobis potest, ut hic saltem monuisset sanctus Pater, Ecquod sit illud verum, ecquod scire, quod solis mundis concessum sit. Nec est tamen quod sanctum Doctorem de sua hic brevitate, vel silentio culpemus, cum illud utrumque prolixissimè jam sæpiùs in aliis operibus suis declarasset.

Aug. Retract. c. 4.

II. Scire Augustino, aliisque sanctis Patribus, Theologis Philosophisque accuratissimis, longè aliud est, quàm credere & opinari. Opinamur, quod probabili, non certa & indubia ratione complectimur. Credimus, ubi fidei magis, sive divinæ, sive humanæ incumbimus, quàm certissimæ rationi. Et humana quidem fides, & fallere & falli potest: at divinæ authoritati quæ innititur, ea nec falli potest, nec fallere, atque ita summum certitudinis gradum assequitur: sed lucis & evidentiæ expers omnino est. Scire autem vel intelligere dicimur, quod certa & perspicua ratione ac demonstratione compertum apertumque nobis est. Incommutabili ergo & clara, ob oculosque posita veritate pascitur scientia, sive intelligentiam dicere mavis. Si quæ enim nutat veritas, si non satis lucet, si aliter atque aliter habere potest, si æterna, si immutabilis non est, si non perspicuè dilucet ne posse quidem unquam rem se aliter habere: ut vera ea sit nihilominus opinio, opinio tamen est, non intelligentia, non scientia. At verò quæ potest esse, quæ in mentem venire veritas potest æterna & incommutabilis, nisi Verbum Dei, sempiterna Veritas Christus? Creatæ enim naturæ nulli prorsus obtigisse potest, ut vel æterna, vel incommutabilis sit: cùm creatio ipsa ejus mutatio quædam fuerit, tam æternitati inimica, quàm immutabilitati.

Istud ergo est scire, istud est verum, quod nisi mundi scire non possunt. Veritatem enim æternam & incommutabilem quis nisi mundus in Verbo Deo viderit, scierit, intellexerit? Si Solis enim non videt, non fert lucem, nisi mundus oculus; nec longè splendidiorem Sole Veritatem videbit, aut sustinebit, nisi pura mens. Eò pertinent ea Christi verba, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc denique mentis mundities, hæc spiritalis oculi lux & puritas, videndæ & intelligendæ incommutabili Veritati idonea, non aliunde, ut reor, hominibus obvenit in tenebrosum mortalis hujus vitæ ergastulum per peccatum delapsis, quàm à fontibus Salvatoris, & totius hujus ruinæ reparatoris Christi, qui factus est nobis à Deo sapientia & sanctificatio. Illi enim sunt fontes etiam sapientiæ, & luminis, & puritatis, jugiter manantes.

III. Hinc est, quòd ibidem Augustinus hæc rursus sua quondam verba ubi dixerat, *Ad sapientiæ conjunctionem non una via perveniri:* confitetur non bene sonare: cùm non alia sit via præter Christum, qui dixit, *Ego sum via.* De via enim universali ibi agebatur ad summam & incommutabilem Veritatem, quæ una utique est Christus, idem via, idem veritas; idem ad seipsum via, cùm viæ sint aliàs totidem, quot divina mandata, quibus ad Deum pergimus. En locum Augustini: *Item quod dixi, Ad sapientiæ conjunctionem non una via perveniri, non bene sonat: quasi alia via sit præter Christum, qui dixit, Ego sum via. Vitanda ergo erat hæc offensio aurium religiosarum, quamvis alia sit illa universalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo canimus, Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas doce me.*

IV. Denique monet ibidem Augustinus, ubi de numeris, vel de geometricis aptè interrogati aptè verèque respondemus, quasi periti, etsi ea studia ne primoribus quidem digitis unquam attigerimus: non id fieri ex memoria quadam superstite actæ ante hæc corpora vitæ, ut Pythagoras cum suis somniabat; sed ex eo quòd omnis ejusmodi veritas cùm æterna & immutabilis sit, immensa etiam quodammodo sit & semper præsens omnibus naturis ratione & intelligentia utentibus; & tam facilè spectari ab iis possit, quando interiores oculos suos ad eam convertunt, atque lux corporei hujus Solis facilè videtur ab oculo quovis sano, ad illum aciem suam appellente. *Credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum quando bene interrogantur; quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ; ubi hæc immutabilia vera conspiciunt, non quia ea noverant aliquando & obliti sunt, quod Platoni vel talibus visum est.*

Ibid. c. 4.

Et *Augustinus* hæc alibi se operosiùs executum esse mox subjicit, & nos ejus lambentes vestigia, *fusiùs edisseruimus* in Theologicis dogmatibus de *Deo*. Hìc obiter illud advertemus, 1. Ne eo quidem capite Retractationum suarum tacuisse sanctum Patrem, quòd sit illud verum, quod non vident nisi mundi, & quid sciri propriè dicatur; non fide tantùm, non opinione apprehendi. Illud enim propriè verum est, quod velut semper præsens cernitur in *lumine rationis æternæ*, *ubi incommutabilia vera conspiciuntur*. Illud etiam sciri propriè dicitur, quod tanquam certissimum, evidentissimum, necessarium, incommutabile cernitur in illo *lumine rationis æternæ*, quod ne fingi quidem potest aliud esse, quàm ipsum Dei Verbum, æterna & incommutabilis Sapientia Christus.

V. Ne Theologi autem nostri quasi nauseabundi resiliant ab his veris, quæ diximus in Geometricis, Arithmeticis, aliisque id genus disciplinis relucere, tanquam ea ad altitudinem Theologiæ nihil pertineant: monebo illos non esse quod quisquam fastidiat illa qualiacumque tandem vera, quibus assurgimus ad lucem æternæ veritatis, & quæ Augustino teste non cernuntur nisi in ratione & veritate æterna Verbo Deo. Vel rustici enim, & imperiti quique capiunt, ubi aptè interrogantur, hujusmodi vera, nec cœpisse unquam, nec desinere posse; nec aliter usquam se habere posse, atque adeo æterna & immutabilia esse; ex eoque id effici, ut supra omnia corpora, & supra mentes ipsas nostras sint; nec ea posse nisi Deo uni, summo & vero competere.

VI. Unum video superesse, quod molestiam jure creare possit; quomodo homines de trivio, imò & Philosophi ipsi Gentiles, qui ejusmodi vera & vident, & viderunt complurima, nec viderunt nisi in lumine sapientiæ & rationis æternæ: quomodo, inquam, mundi illi fuisse, & mundo corde, mundo mentis oculo hæc vidisse dici possint. Hæc nubecula fugabitur, si observemus, sive scientiæ, sive intuitionis istius plures esse gradus, sicut & plures sunt interioris munditiæ. Qui valdè rudes atque hebetes sunt, & corporeis sensibus ita immersi, ut rarissimè, aut nunquam emergant in lucem aliquam sensibilibus superiorem: ii vera ista opinantur magis, aut credunt magis, quàm intelligunt, aut sciunt. Nec enim in sese unquam se recipiunt, ut ibi videant quid interfit inter illa vera, quæ fidei, quæ opinioni, & ea quæ scientiæ & intelligentiæ objiciuntur: inter illa quæ æterna & immutabilia sunt, & illa quæ non semper, non eodem modo semper sunt. Ut hoc enim utcumque oculo mentis cernatur, illum necesse est supra sensibilia omnia assurgere, supra mentem etiam ipsam, quæ conscia certè sibi est, nec æternam se, nec incommutabilem esse. Ergo qui hæc vera verè vident sciuntque, ii jam mundi esse cœperunt, arrecto supra omnia sensibilia mentis oculo, & in æternam internamque Verbi Dei veritatem contorto. Qui supra sensibilium fæces attollere mentis aciem vel non curarunt, vel non potuerunt, illi ea vera nec scire, nec videre potuerunt, ut certa & inconcussa, ut æterna & incommutabilia, sed ut credibilia, vel opinabilia. Usu enim mollienda sunt nobis hæc verba; quorum simillima sunt & complurima alia, quæ quandiu nova, tandiu fastidio fuere; assuetudine postea & familiaritate dulcia & decora visa sunt.

VII. Primus est ergo ille quasi gradus & scientiæ spiritalis, & puritatis animi, exterioribus omnibus se tantisper subduxisse; intra mentis penetralia se recepisse, ibi in nonnullo sensuum exteriorum silentio, sine ullo eorum adminiculo, etsi obiter & raptim vidisse verum aliquod intimum, incorporeum, quod ubique verum sit, quod non esse non possit, quod æternum & incommutabile sit, & mente ipsa nostra, quæ utique mutabilis est, superius. Si his contemplandis veris delectetur & insuescat animus: delectabitur autem, si insuescat: mira & majora in dies faciet & puritatis, & intelligentiæ incrementa, corporeis sordibus sensuumque servituti se magis magisque subtrahet, secum habitare dulce habebit, & cum rationibus æternis, quæ in Veritate incorruptibili supernè radiant, & affulgent ubique & semper naturis omnibus ratione & mente fruentibus.

Non est igitur jam quod quisquam resiliat ab hac Augustini, imò ab hac Christi, Scripturarumque doctrina. Nec enim numerorum dumtaxat, aut linearum regulæ immutabiles & æternæ in Verbo cernuntur; sed & morum virtutumque omnium, & omnium omnino disciplinarum, quæ non sensu, non conjectura, non fide solùm humana, sed certa & inconcussa veritate in intelligibili quodam lumine conspiciuntur, nec conspiciuntur nisi mentis oculo à sensibilibus omnibus avocato. In hac luce qui versari, qui moras trahere, qui cum rationibus his æternis, cum Verbo ipso Deo habitare diutissimè, saltem frequentissimè valet, ille inolitis vitiis sese aliquando tandem exuet, & miram quandam assequetur puritatem animi, morumque innocentiam.

Illa enimverò lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illa est, quæ in mundo erat, & mundus eam non cognovit. Illa est, quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Illa est, quæ in propria venit, quæ naturæ rationali & intelligenti, quod proprium ejus regnum est, illucescere non cessat. Illa est, quam quotquot recipiunt, lux & ipsi tandem fiunt, mundantur & filii Dei fiunt, & ad altissimum puritatis apicem enectati, & verè jam mundo corde, digni fiunt, qui Deum videant. Plura ex Scripturis, novi potissimùm Testamenti in eum sensum conglobari à me hic possent: parco tempori & operæ, quòd genus ipsum indigitasse sufficiat, & residuum aliquid esse debeat, in quo acuat atque exerceat se Lectoris industria.

VIII. Augustinus ergo conveniendus & audiendus rursum nobis est, qui & eadem nobis confirmet, & Christum hominem copulet Verbo, sapientiæ, æternæ rationi illi, ut viam & veritatem inveniant mundæ mentes; & tantum inveniant, possideantque, quantum munditiei sibi gradatim pepererint. Sic ergo ille in Confessionibus, ne tum quidem à numeris, numerorumque luminibus & placitis recedens: *Sed non noverunt viam, Verbum tuum (Manichæi) per quod fecisti ea quæ numerant, & ipsos qui numerant & sensum, quo cernunt quæ numerant, & mentem de qua numerant, & sapientia tua non est numerus. Ipse autem Unigenitus factus est nobis sapientia & justitia & sanctificatio, & numeratus est inter nos, & solvit tributum Cæsari. Non noverunt hanc viam, qua descendant ad illum à se, & per eum ascendant ad eum. Non noverunt hanc viam, & putant se excelsos esse cum syderibus & lucidos; & ecce ruerunt in terram, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et multa vera de creatura dicunt, & veritatem creaturæ artificem non piè quærunt, & ideo non inveniunt: aut si inveniunt, cognoscentes Deum non sicut Deum honorant, aut gratias agunt: sed evanescunt in cogitationibus suis; & dicunt se esse sapientes, sibi tribuendo quæ tua sunt; ac per hoc student perversissima cæcitate etiam tibi tribuere, quæ sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes, qui Veritas es.* Confess. l. 12. cap. 1.

Nec indè recedit Augustinus, cùm non multò pòst affirmat jamdiu esse quod à Deo didicerat, non ideo verè quid dici, quia ornatè & politè dicitur; nec ideo non verè, quia impolitè & inordinatè; cùm tam multi, & penè innumerabiles parum emunctæ naris, à rerum veritate eloquentiæ fucum non distinguant, nauseentque ad sermones veritatis & utilitatis copia refertos, nisi quodam facundiæ sapore condiantur. Id autem ideo se à

Deo

Deo didicisse præ se fert sanctus Pater, quia verum est, nec alius quisquam sit veri doctor præter Deum, ubicumque & undecumque illud claruerit. *Me autem jam docueras, Deus meus, miris & occultis modis: & propterea credo quod tu me docueris, quoniam verum est, nec quisquam praterze alius est doctor veri ubicunque & undecunque claruerit. Jam ergo abste didiceram, nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eo falsum, quia incompositè sonant signa labiorum. Rursus nec ideo verum, quia impolitè enuntiatur: nec ideo falsum, quia splendidior sermo est: sed perinde esse sapientiam & stultitiam, sicut sunt cibi utiles & inutiles: verbis autem ornatis & inornatis, sicut vasis urbanis & rusticanis utrosque cibos posse ministrari.* Miri isti & occulti modi, quibus author est Augustinus se verum istud didicisse, non alii, reor, sunt, quàm quos ipse suprà nobis edisseruit; cùm mens ipsa sese à sensuum consuetudine abducens, & intus seipsam consulens, imò supra se lucem rationis æternæ consulens, mira quadam in claritate videt, longè aliud esse res, aliud verba: aliud esse rerum veritatem, aliud verborum ornamenta: verbis tam ornari posse mendacium, quàm veritatem: tam iis destitui posse veritatem, quàm mendacium. Id generis sunt tam Logicæ, sive Dialecticæ principia, tam certæ, tam perspicuæ, tam æternæ & incommutabilis veritatis, quàm quæ numerorum, Geometriæ, cæterarumque Disciplinarum prima & dicuntur & sunt principia, non sensui corporeo ulli, sed menti obvia à fæculentia corporum utcumque liberæ & absolutæ. Isti sunt, inquam, miri & occulti modi, quibus Deus doctor omnis veri Augustinum docuerat; non ejus curiositati, non inani gloriæ, vel scientiæ amori obsecundans; sed viam illi & adminiculum suggerens, quo Manichæorum se errori & impietati eriperet, & ad Catholicam Ecclesiam, ad Christum se applicaret. Complures enim Faustus Manichæorum tum dux illaqueaverat, in suas partes pellexerat, non luce, non vi sententiarum & rerum, sed verborum illecebris, & inani nescio qua elegantia. Ergo hujus etiam veri doctor fuit Augustino Christus, cùm in eo non parum fuerit præsidii, ut ad Ecclesiæ castra sese proriperet.

Ibid. c. 6.

Vulgus ipsum fidelium monebat sanctus Pater, ut vel concionanti Episcopo aures ne ita accommodarent, ut non etiam cogitarent, Magistrum nobis omnibus, indoctis, doctoribus unum esse Christum Dei Verbum, cujus schola in terris est ubique gentium, cujus Cathedra in cœlo, qui unus omnium magister est, intus docens, quod foris doceant. *In Schola Domini Condiscipulis loquimur. Magistrum enim habemus unum, in quo omnes sumus unum. Qui nos, ne fortè magisterio superbire audeamus, admonuit, & ait, Nolite vocari ab hominibus Rabbi, unus enim est magister vester Christus. Sub hoc ergo magistro, cujus cathedra cœlum est, quia erudiendi sumus litteris ejus, advertite pauca que dicam, donante ipso intus ut dicam.*

Supplem. Sentent. 22. Tom. 2. pag. 53.

IX. Sentio potuisse me toto hoc labore supersedere, & lectorem ablegare, vel ad unum eundemque luculentissimum Augustini libellum de Magistro; vel ad ea quæ nos ex eodem potissimùm libello, sed & ex aliis ejusdem libris commentamur in Theologicis tum de Deo, tum de Christo dogmatibus. Sed Prolegomena Theologiæ ut expeditem intacta hac oppidò pulchertima & pernecessaria quæstione, imperare mihi non potui. Ut ne ergo locis hìc à me allegatis diutiùs instem, alios profero ex eodem Augustino contextus, qui novam lucem adferant, & incursantes difficultates nonnullas explicent. Non solùm veritas, sed & charitas Christus, Christique Spiritus omnia ita docet, ut non alio planè opus sit magistro: & qui alio usus sit magistro, ille nescire vel minùs scire existimandus sit. Tam perspicua hæc sunt in Epistola Joannis Apostoli, & apud ejus interpretem Augustinum, ut nostris præterea verbis obscurari magis possint, quàm illustrari. Sic ergo Augustinus: *Unctio invisibilis, charitas illa est, quæ in quocunque fuerit tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore Solis, non aresci. Et non habetis necessitatem ut aliquis vos doceat, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, & doceat vos unctio ipsius; sed modò mihi facio quæstionem, & illi ipse Apostolo facio: dignetur audire parvulum quarentem à se; ipsi Joanni dico, Unctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixisti quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Ut quid talem Epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instruebas? Quid edificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres; sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Nolite putare quenquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster.* Quantumvis ergo vel Magistri vox ad aures personet; vel liber, aut Epistola oculos feriat; verissimus Magister est, in animi, in cordis meditullio, ubi solus docet, & omnes qui docentur docet. Quorsum enim vox ad aures, vel ad oculos littera, si auditor, si lector non capiat, non intelligat, fastidiat, dissentiat? Id verò quàm crebrò contingit? Nimirum quoties interior Magister silet Christus, silet veritas. At cùm assentitur animus, cùm videt, cùm intelligit, utique intus videt, & luce quadam interiori & superiori videt, vocem veritatis intimæ & intelligibilis audit, huic assentitur, huic certissimè assentietur, etsi Magister exterior mutata sententia contra velit dicere. Homo ergo hominem non docet, sed monet, ut interiori illi luci oculum affigat, & intus videat, quod foris ad aures perstrepit. Ita solus docet Christus, qui per carnem suam tam multa, tam præclara nos admonuit; qui per ministros suos tam multa & tam salubria omnes homines ubique terrarum etiamnunc monet; sed & qui per æternæ & incommutabilis sapientiæ & veritatis lumen, quod ipse est, eodem tempore intus radiat, & cerni, videri, intelligi facit, quod alioqui frustra foris admoneremur.

In Epist. 1. Joan. Tract. 3.

X. Tanta sunt in hoc dogmate momenta ad germanam Theologiam, ut hæc semel iterumque inculcare operæ pretium duxerimus. Inquirendum ergo jam nobis est, cur Joannes, cur Augustinus ejus interpres, jam non dicat veritatem intimam & intelligibilem illum esse unum Magistrum, à quo verum omne ediscitur, & extra cujus scholam non ediscitur: sed cur hanc jam contestetur esse & veritatem, & unctionem? Audiendus hìc rursus ibidem Augustinus: *A Deo, fratres, vultis nosse? nunquid non sermonem istum omnes audistis? Quàm multi hinc indocti exituri sunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum: sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adjutoria quadam sunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet: de Domino dico. Propterea ait & ipse in Evangelio, Nolite vobis dicere Magistrum in terra: unus est Magister vester Christus. Ipse vobis ergo intus loquetur, quando nemo hominum illic est: quia etsi aliquis est à latere tuo, Christus sit in corde. Unctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo Magister est, qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet.* Ergo Spiritus etiam ipse sanctus, charitas, unctio intus

Ibidem.

necesse est doceat, corda doceat, in corde Cathedram habeat, non in mente sola. *Christus sit in corde, unctio ipsius sit in corde;* non in mente tantùm, sed in corde; non veritas tantùm, sed charitas; non lux tantùm, sed *unctio doceat;* Spiritus, *inspiratio doceat.* Nisi enim veritatem cor sitiat, frustra illi irrigatur veritas. Unde mox Augustinus, *Ubi illius inspiratio, & illius unctio non est, foris sonat inaniter perstrepunt verba.* At, inquies, si sola veritas intus doceat, & si charitas non flagret, nonne abundè erit, ut videamus, ut intelligamus, ut doceamus? Respondeo, Veritas Christus est, idemque charitas; veritas est Verbum Christus, sed Spiritus sanctus idem Christi Spiritus est, Spiritus veritatis est. Nec sine Christo Spiritus, nec sine Spiritu suo Christus est. Qui veritatem vidit, nec amavit, ne vidisse quidem dicendus est. Qui summam pulcritudinem intellexit, nec utcumque dilexit, ne intellexisse quidem existimandus est. Sunt & amori oculi sui, atque ita non satis videt, qui non amat. Oculata est charitas; cui effossus hic est oculus, ille nec videre nec vidisse potest ad eum modum. Qui æternam & incommutabilem sapientiæ lucem, veritatis pulcritudinem sic vidit, ut non aliquantulum saltem arserit, is nec vidisse dici & existimari debet. Ne tum inflammesceret charitas, sola obstitisse potuit terrenorum vehementissima quædam cupiditas, quæ mentem obtenebraret. In Commentariolo certè nostro de generalibus & nulli negatis adalto Christi gratiæ adjutoriis, illud à nobis apertissimè ex Augustino, & ex aliis Patribus demonstratum est: ubi illa incommutabilis sapientiæ & veritatis pulcritudo Philosophis, maximè Platonicis illucescebat, ne tum quidem eam sine aliquo caloris sensu illuxisse; non sine aliquo inquam æternorum amoris rudimento. An potuissent enim sine aliquo amoris sapientiæ igniculo, ejus investigationi industriam, operam, vitam omnem suam impendere? Nec id eos fallebat, qui non sapientes se dici avebant, sed Philosophos, sive amatores sapientiæ.

XI. Ne a plebibus quidem volebat Augustinus Episcopos audiri, ut magistros, sed ut condiscipulos, sub uno summo Magistro: qui non auditores, sed & concionatores ipsos terreat; cui uni plaudendum, uni gratiæ habendæ sunt, si quid veri, si quid boni dicitur; cum nusquam verum nisi à summa veritate acceptum dicatur. *Omnino tutius est, & hoc expedit, ut nos non tanquam Magistros, sed tanquam condiscipulos vestros audiatis. Videte enim quia solicitudo nobis imposita est, ubi dicitur: Nolite plures Magistri fieri. In multis enim offendimus omnes. Quis non contremiscat, cum Apostolus dicit, omnes?* Et mox: *Oportet ergo vos esse non solum loquentium auditores, sed & timentium miseratores: ut in eo quod verum dicimus, quoniam omne verum à veritate est, non nos, sed ipsum laudetis. Ubi autem sicut homines offendimus, eundem ipsum pro nobis oretis.* Sed illud ibidem mox pulcherrimum, ubi de Scriptura dicit Augustinus, quod alibi prolixè demonstraverat de summa & incommutabili veritate: si ea minùs intellecta deviemus, illam indeflexam semper sibi constare: cùm ei adhæremus, rectos nos esse: cùm depravamur, ipsam rectam perstare, ut ad eam corrigendi redeamus. *Scripturæ sanctæ sunt, veraces sunt, inculpatæ sunt. Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad exhortationem, ad doctrinam. Nihil est ergo quod Scripturam accusemus, si nos fortè illa non intellecta, in aliquo deviemus. Cum ipsam intelligimus, recti sumus; cum autem ex non intellecta pravi sumus, ipsam rectam dimittimus; non enim eam depravati depravamus: sed ista stat recta, ut ad istam corrigendi redeamus.*

De divers. Serm. lib. 83. cap. 2.

Non pœnitebit Cassiodorum audisse superiùs dicta Augustini omnia confirmantem. Sic ergo ille libro de Anima: *Intelligamus eum, diligamus ipsum: & tunc animas nostras verè cognoscimus, si de ipsius largitate sapiamus. Ipse enim Magister potens atque perfectus est, qui & vera dicat animæ nostræ, & quæ dixerit, eam faciat illuminata mente conspicere. In schola siquidem Christi cor indocile non potest inveniri: quoniam qui se ei tota mentis integritate tradiderit, nec ignorare potest, quod quærit: nec amittere, quod pia renumeratione susceperit. Fit ergo magna, pretiosa, dives anima, cum se ex proprio pauperem esse cognoscit.*

CAPUT X.

Ex Græcis Patribus, Christus nobis via est & ratio, ac lux, qua sciuntur, quæcumque verè sciuntur.

I. Ex Clemente Alexandrino, unus omnium magister est Christus; à quo plura docetur, qui docet alios, seu lingua, seu calamo.

II. Ex eodem veritas illa æterna, immutabilis, quam disciplinæ & scientiæ veræ suo quæque modo contemplantur, Verbum Dei est, Christus est, unus magister est.

III. Multa animadvertantur in ea Clementis verba, maximè circa disciplinas Mathematicas.

IV. Exemplo perillustri declaratur, ut vera illa prima, seu principia Disciplinarum, quæ æterne & immutabiles veritates non abs re dicuntur, conducant ad demonstrationem Christi Crucem.

V. Quæ Dei sunt, nisi à Deo edisci non possunt.

VI. Augustini cum Clemente Alexandrino consensus.

VII. Quanta sit Theologia, intelligentia ipsius vulgi fidelium in Ecclesia Christi.

VIII. De eodem rursus quanta sit quandoque ipsius vulgi fidelium Theologia, divinorum intelligentia, sapientia, unctio.

IX. Ut ex Clemente Philosophia Græca animum præpararet fidei, & Theologiæ Christi.

X. Luculentè Origenes, ut artes omnes, etiam mechanicæ, à Deo sint, & ad Deum nos retorqueant.

XI. Ex Basilio antedicta omnia confirmantur.

I. NEc muti nobis abibunt Græci in re tanti ad rem omnem Theologicam momenti: superiora omnia ita confirmat Clemens Alexandrinus: *Jam verò si unus est, ut dicit Scriptura, magister in cœlis, in confessa est, qui in terra sunt, omnes appellari discipulos. Ita enim habet veritas: id quidem quod est perfectum, esse apud Dominum qui semper docet: quod puerile autem est & infantile, apud nos, qui semper discimus.* Strom. l. 1. pag. 401.

Illud quoque advertit Clemens, ita docendi munere fungi, quisquis sive scribit aliquid, sive è suggestu dicit, ut non tantùm condiscipulus sit discipulorum suorum; sed & docendo plus aliquid discat, quàm privatim silendo, & meditando. Uberiùs enim illum irrigat de superno suo fonte æterna veritas, qui quod sibi infunditur, in alios statim effundit; uberiùs illum irrigat, per quem irrigat & alios. Quod eò etiam trahi posset, quod de unctione & charitate suprà differebamus. Docet enim veritas, docet charitas; suaviùs, eòque copiosiùs charitas. Utcunque lux juvet ut videas: acutiùs & penitiùs vides, si non videas tantùm, sed & ames. Qui ergo docet, & utique ex charitate proximum docet, illum non veritas tantùm, sed & charitas abundantiùs illustrat & docet. *Quid enim juvat sapientia, quæ non sapientem efficit eum qui potest audire?* Strom. l. 1. pag. 401. *Præterea*

terea autem semper quoque servat servator, & semper operatur, ut vides Patrem. Docens aliquis plus discit, & dicens sæpè unà audit cum iis qui ipsum audiunt: Unus est enim magister & ejus qui discit, & ejus qui audit, qui mentem irrigat & rationem.

II. Alium nunc promo ejusdem Clementis locum, paulò quidem prolixiorem, si verba numeres; valdè brevem, si vacet ponderare. Eo enim uno complexus est, quæ superiori Capite diximus omnia, & non paulò plura. Primùm ergo totus hìc adscriberetur, & tum denique quæ in eo animadverti par sit, admonebimus. *Hinc ergo dicimus Philosophiam nuda ratione habere inquisitionem veritatis & naturæ eorum quæ sunt. Hæc autem est veritas, de qua ipse dixit Dominus, Ego sum veritas. Et rursus, Disciplinam quæ præcedit eam quæ est in Christo quietem, exercere mentem & excitare intelligentiam, generando ingenii acumen aptum ad inquirendum per veram Philosophiam, quam inventam vel potius acceptam Mystæ habent ab ipsa veritate. Multum autem confert promptitudo, ad videndum ea quæ oportet per exercitationem: mentis autem fuerint exercitatio ea quæ mente possunt percipi. Triplex autem eorum natura, quæ in quantis continuis, & quantis discretis, & iis quæ sunt dicenda, consideratur. Quæ enim ex demonstrationibus conficitur oratio, perfectam animæ fidem facit ejus quod consequitur, ut non putet id quod demonstratum est aliter se habere: nec sinit ut iis succumbat quæ nobis per fraudem incurrunt. In his ergo disciplinis à sensibilibus expurgatur & excitatur anima, ut possit veritatem perspicere.*

Strom. l. 2. pag. 209.

III. Vides ergo 1. illa etiam vera, quæ Philosophiæ speculanda obversantur, non aliunde vera esse, quàm ab eo qui in carne nostra degens dixit, & qui in Evangelicis litteris dicit etiamnunc, Ego sum Veritas. Jure ergo supra pronunciabat Augustinus, illius etiam totius veri magistrum unum esse Christum, quod Philosophia contemplatur. 2. Vides Philosophicis disciplinis exerceri, acui, excitari mentem, ad intelligentiam illius veritatis, quæ mysteriis involvitur, cui colendæ, evolvendæ, illuminandæ, intelligendæ tota insudat Religio; Religio inquam Christiana; nec enim alia usquam est vera & sincera. Sic tota Philosophia fidei, religioni, Theologiæ munit iter & collaborat; cùm ad veritatis intelligentiam & charitatem utraque connitatur, ejus nimirum primò quæ in rerum natura, tum postea illius quæ in mysteriis delitescit. 3. Vides disciplinas humanas, sive Philosophicas, triplicis esse generis; Geometriam, quæ in *quantis continuis*; Arithmeticam, quæ in *quantis discretis*; & Dialecticam sive Logicam, quæ in iis *quæ sunt dicenda* consideratur, hoc est in regulis ratiocinandi. His enim tribus disciplinis objicitur veritas, non obscura, quam fide capi oporteat: non dubia & incerta, quam opinione sola: sed evidentissima, certissimaque, de qua sint ejusmodi demonstrationes, dilucidæ, certæ, inconcussæ, quibus mens ad assensum rapiatur, videatque non tantùm rem ita se habere, sed nec aliter se habere unquam posse, vel potuisse; idque videat in clarissima intus luce sempiternæ & incommutabilis veritatis. 4. Vides in his veris certis, perspicuis, inconvulsis, æternis, immutabilibus purgari, & exerceri mentem, ut possit *veritatem perspicere*, hoc est ad intelligentiæ & contemplationis fastigia pervenire. 5. Vides ad eum modum facilè elucidari, quomodo Christus & via, & veritas sit: via ad seipsum, via ad veritatem, & ipsa veritas. Ita quæcunque sciuntur, per Christum sciuntur, cùm sciri propriè non dicatur, nisi ejusmodi veritas, quæ manifesta & evidens, certa & indubitata, immutabilis & æterna, cujusmodi non est nisi Verbum ipsum. 6. Vides non injuria ita statuere Clementem, mentem contemplandis veris illis, quæ Geometriæ, Arithmeticæ, Dialecticæ, Ethicæ obversantur, semel insuefactam, atque ita diu exercitatam, & ea exercitatione roboratam, jam facilè & lubentissimè veritate pasci & oblectari, sensibilia oblectamenta magis magisque fastidire, à sensibus abducere sese, & secum, hoc est in sinu veritatis habitare & deliciari. Hinc porro illud nascitur, ut sensibilibus Verbi incarnati mysteriis lubentiùs assentiatur. Nec enim Verbum humana carne indutum aliud est, quàm illa ipsa incommutabilis & sempiterna veritas corporeis involucris induta, humanis gestis, dictis, affectibus, passionibus involuta.

IV. Exemplo aliquo proposito res apertior fiet. Inter illas disciplinas, quæ certis & immutabilibus veris pascunt animum, Ethice locum habet, perinde ut Dialectica, etsi eam hoc loco prætermiserit Clemens. Sunt enim regulæ & leges quædam morum non veræ & certæ tantùm, sed æternæ & immutabiles, quæ eodem semper se modo habuerint, nec aliter unquam habere se possint, verbi gratia, Virtuti præmia, sceleri supplicia tependi debere: Suum cuique reddendum, & id genus alia. Ejusdem generis est & illud Chrysostomi ad Christi Crucem intuentis, *Crucifigi & benefacere divinum est*. Veritas illa est perspicua, certa, æterna, immutabilis; quæ eò redit, ac si diceretur, In summa laude esse, & non posse non esse summam bonitatem, beneficentiamque, etiam in immerentes, etiam in malè merentes, etiam in summo maleficio summum beneficium pensantes. Eodem revolvitur, quod ajebat Christus, in id contendendum nobis esse, ut simus perfecti, quemadmodum Pater cœlestis perfectus est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Nec enim id aliud est, quàm summæ bonitatis commendatio, etiam in ingratos, in crucifigentes sese effundentis; quo nihil amplius, nihil Deo dignius fingi potest. Arqui non aliud omnino est tota Verbi inhumanatio, tota Christi crux. Hujusmodi vera, sive Ethicæ, seu morum disciplinæ defæcatissimæ altissimæque effata, & veluti prima principia sunt, peræquè & vera, & evidentia, & indubitatissima, æterna & immutabilia sunt, atque Arithmeticæ, Geometriæ, Dialecticæ. Nec enim evidentius, aut indubitatius est, Tria & septem esse decem: Totum majus esse parte: Tria tantùm de unaquaque re quæri posse, An sit, quid sit, qualis sit: quàm summæ bonitati & beneficentiæ etiam in immerentes & malè merentes, divinam quandam laudem referri debere, & gloriam: ut divinius & Deo dignius ne cogitari quidem à nobis possit quidquam. Utque ne dubites hujus pulcherrimæ Veritatis micantissimam quandam lucem Gentilibus ipsis naturali lumine adsplenduisse, recole illa Gentilis Poetæ de Hercule carmina, cui effusissima in mortales beneficentia, & invicta in perferendis cruciatibus fortitudo, commentitiæ divinitatis famam conciliavit. Quisquis eam fabellam primus concinnavit, quicunque deinceps ea delectati sunt, illis supernè affulgebat, illis intus ipso in eorum animo blandiebatur illa certissima veritas, Nihil propius, nihil dignius Deo, quàm de malè merentibus bene mereri, crucifigi & benefacere. Itaque fabula veritati prælusit; & Christi mysteria in penetrali suo usque adeo rationi & luci Veritatis æternæ consentanea sunt, ut illis bellum indicere, illis terga vertere possit nemo, quin illa æterna & immutabilia evertat effata veritatis & legis æternæ naturaliter affulgentis omnibus ratione utentibus. Carmina verò illa ne quis hìc desideret, ita habent: *Solicita magni pretia natales habent, Magnoque semper constitit nasci Deum.*

V. Græcos seu Gentiles omnes de Veritatis cognitione se venditantes interrogabat idem Clemens, Eccunde & à quo Veritatem didicissent? Rari erant, qui à Deo se didicisse profiterentur, pleris-

plerumque ab hominibus. Erat enim propria illa Ecclesiæ Christianæ desponsa laus, ut de Deo nec sentiret, nec diceret, nisi quæ ab ipso edidicisset, nec ab alio ediscì posse cognovisset. Quæ fides autem, ajebat Clemens, haberi debet hominibus de Deo loquentibus, quandiu nihil supra hominem sapiunt? quid de veritate mendaces, quid de æterno nuperi & temporanei, de incommutabili & ingenito mortales & corruptioni obnoxii: opificia de opifice, vasa testea de figulo? Qui ne seipsos quidem satis sciunt, an eis de Deo dicentibus credetur? Ne mentem quidem humanam hominis oratio satis assequitur: qui ergo Deum, Dei Verbum, divinas proprietates dicere, aut docere quemquam potest? Quid ergo de profanis hominibus æstimandum, cum ne Theologi quidem Christiani inter mortalis vitæ hujus angustias notitiam Dei consequantur, nisi valdè tenuem & jejunam, etsi Dei unius magisterio gaudeant, etsi ejus lumine gratiaque fruantur, & illo divino Spiritu, qui Deus ipse cùm sit, scrutatur profunda Dei, hoc est, scrutari nos facit, qui ejus munere non frustra dicimur, & soli dicimur *Docibiles Dei*, θεοδίδακτοι. *Caterùm qui ex Græcis gloriantur, quod ab eis comprehensa fuerit veritas, dicant nobis à quonam gloriantur se didicisse. A Deo quidem non dixerint: ab hominibus autem confitentur. Et si hoc ita est, aut à seipsis sero didicerint, sicut certè ex ipsis quoque quidam insolenter gloriantur: aut ab aliis similibus. Sed non sunt fide digni cum de Deo dicant homines, quatenus homines. Neque enim qui homo est, potest pro dignitate de Deo vera dicere: imbecillus & morti obnoxius, de ingenito, & eo in quem non cadit interitus; & opus de eo qui fecit. Deinde qui non potest de seipso vera dicere, an non multo magis ne de Deo quidem ei credendum est? Quantum enim abest homo à Dei potestate, tam est etiam ejus oratio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat & Verbo divino. Est enim imbecilla naturæ humanæ oratio, & quæ non possit Deum dicere: non dico nomen, est enim hoc commune, non solùm Philosophis, sed etiam Poetis eum nominare: neque essentiam; neque enim potest fieri; sed Dei vim & opera. Quanquam qui Deum sibi adscribunt magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcumque cognitionem, utpote voluntate voluntatem, & sancto Spiritu sanctum Spiritum contemplari assuefacientes, quoniam Spiritus scrutatur Dei profunda. Animalis autem homo non capit ea quæ sunt Spiritus.*

Strom. l. 6. p. 636.

VI. Nec adversatur hìc tamen Clemens Augustino, tum alibi persæpè, tum in libris maximè de Civitate Dei pronuntianti, Platonicos Philosophos assentiri, Non alium quàm Deum ipsum hominibus esse fontem, à quo & vivendi, & intelligendi, & bene beatèque vivendi rivulos, pro suo quique modulo hauriant. Infrà enim dicemus nec Augustino, nec Clementi ea quidem in re visos esse hos Philosophos à Christianis dissentire. Summo mentis apice attigerant illi Verbum Dei, ingeniti Patris Filium, totius veri & luminis fontem, à quo in ipsos derivaretur qualiscumque vena superni luminis, & veri intelligibilis, non suo ipsorum ingenio, aut industriæ & labori, sed ipsius gratiæ accepto ferenda. Hæc à nobis alibi pertractantur, & ex Augustino, & ex Platonicis ipsis. Quantos autem progressus fecerit hæc Philosophia, non siluimus: intra Scholæ suæ angustias clausa, cùm paucissimos, eosque otio & ingenio affluentes illuminasset brevissimo tempore, à reliquam humani generis multitudinem ne nomen quidem ferè ejus, aut rumor permanasset, oppressa prorsus ipsa & extincta est.

At Christiana sive Philosophia, sive Theologia, humanum genus omne, & universum terrarum orbem complexa, ne fæces quidem ipsas vulgi prætermisit, omnibus illuxit, omnes unius Christi, Verbi, Dei magisterio imbuit, omnes philosophari docuit, omnes Dei docibiles fecit, omnes de Deo, de immortalitate animarum excelsa, vera, certa sentire docuit, quia omnes illo afflavit Spiritu, qui scrutator est profundorum Dei, qui unctio, qui charitas est, & ita omnia omnes docet.

VII. Quam enim ille inspirat rudibus & imperitis Ecclesiæ Catholicæ filiis fidem, cave tu neges Philosophiam, Theologiam, intelligentiam esse quandam sui generis laudatissimam. Sentiunt & sapiunt illi hoc veritatis, hoc charitatis spiritu animati, de animæ suæ supra corporeas & caducas naturas omnes dignitate, de incomparabili & incomprehensibili Dei majestate, magnificè, magnificentissimè; & quod sentiunt, sapiuntque, constantissimè & suavissimè sentiunt; suæ huic Theologiæ facultates, opes, voluptates terrenas, vitam ipsam cum sanguine impendere parati. Qui ita affecti sunt, qui hac sunt animi magnitudine, hac constantia, hac æternorum charitate, næ illi & sapere & intelligere dicendi sunt, & Philosophiam philosophari, Theologiam cœlitus imbibisse præstantissimam, nec aliunde quàm à Deo edidicisse. Veritati enim nisi castissimæ, & evidenti, & incommutabili, nemo mores, nemo vitam omnem accommodaverit, nemo carnales delicias & illecebras omnes sæculi, & vitam ipsam posthabuerit. Ejusmodi est Christi magisterium, ita Verbum, charitas, unctio, spiritus docet omnes, docet omnia. Ad hanc indoctorum doctorumque fidelium nostrorum Theologiam Philosophia Græcorum, etiam Platonica, non attingebat, ejus prolusio & initiatio tantùm quædam esse poterat. Veri summi & optimi gustum hunc & saporem non habebat, ejus suavitatem & delicias ne gustaverat quidem, aut summis tantum labris gustaverat; ideo nec ei suavitates omnes terrenas posthabere præsto erat, nedum pro ea acerbissimos perferre cruciatus.

VIII. Video quid venire in mentem contrà possit, non intelligentiæ, non sapientiæ vi hæc fieri, sed fidei constantia & persuasione, quæ animos occuparit, altissimèque insederit: cæterum non deesse exempla, ubi non boni, non verì intelligentia & charitas, sed mala & detestabilis contumacia mortis & cruciatuum contemptum attulerit. Verum hoc ipsum est, quod nos profitemur hanc fidei constantiam, hanc invictissimam divinæ amplitudinis persuasionem de spiritu infuso veritatis, de intelligentiæ cœlestis lumine descendere. Animæ ipsius rationalis & intelligentis penetralibus hæc veri semina, hæc divina lumina insevit omnipotens Conditor, & incorporeas esse atque immortales animas, & summum unum esse totius esse, & totius veri, & totius boni principium, à quo fundantur, cui refundenda referendaque sint hæc omnia. Hæc naturæ ipsius sponte, hæc innato lumine sentiunt, videntque naturæ omnes rationales: longa vitiorum consuetudine oblimari & obscurari hæc possunt, extingui non possunt. Itaque ubi fides, ubi pietas aliquantula adventitias illas sordes cœpit everrere, statim sibi suoque lumini redditur anima, videt & intelligit hæc intima & æterna vera, commonstrante sibi Verbi divini luce, recalescente divinorum charitate, augescente in dies Spiritus unctione, & omnia addocente. An tu præsumptæ opinionis contumaciam esse posse dixeris, si prius probusque quis ita sentiat, & constantissimè sentiat, hanc sibi mentem vitia nulla non magnoperè detestantem, virtutum amatricem, cultricemque, non sibi à se, non à corporeis & corruptibilibus elementis adesse, sed à summo veri & boni fonte primigenio, à quo in ejus amorem & cultum ipse trahatur, & suo quodam modo trahantur omnes naturæ rationales? Quis enim mentis & rationis compos.

compos non sitiat fontem veri & boni, à quo ipse sit, à quo sint quæcunque sunt omnia? Hæc sanè non contumacia videri cuiquam sobrio potest, non levis & temeraria persuasio, aut fides; sed innata primùm, post renovata veri bonique conscientia; sed divina quæpiam, nec nisi à Deo infusa sapientia; sed abundantia charitatis de conscientia veritatis, ut habet alicubi Augustinus.

IX. Ex his dilucidum rursus fit, non temerè à Clemente dictum esse, Græcæ Philosophiæ ope præparari, & non nihil purgari animum ad fidem, qua ad clariorem deinde veritatis contuitum eveheremur. *Sed nec ex liberalibus disciplinis (accedit cognitio:) bene enim cum eis agitur, si tantum possunt præparare animam, & ei ministrare. Nam leges civiles malas actiones fortè possunt reprimere: sed neque ad persuadendum comparatæ orationes, cum versentur in superficie, stabilem efficient permansionem veritatis, quæ constituit scientiam. Philosophia autem Græca veluti præpurgat & præparat animam ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem.* Et Philosophiæ enim, & liberalibus, de quibus suprà, artibus innutrita mens, supra corporeos sensus assurgere jam insuevit, & ad res intelligibiles, æternas, divinas aciem suam amoremque convertere: ut si Præcones fidei Christianæ, vel Scripturæ aliquid ejusmodi præterea, vel etiam ulteriùs addoceant, jam faciliùs assentiatur, adhæreatque invictiùs. Consensione etiam ipsa fidei nostræ & mysteriorum Christi cum legibus illis virtutum rationabili animæ supernè allucentium, de quibus suprà, nova semper fit & accessio luminis, & charitatis. Nec verò lux & evidentia illa innata, qua Deum unum & verum esse intelligimus, fidei adversa est, sed amica & conjunctissima. Semel enim naturæ sponte amplexi principium illud primum veri & boni, jam vel fidei, vel Scripturæ lubentiùs adhærescimus; & quæ illa de abstrusioribus quibusdam prædicat, de Verbo, de Divinis proprietatibus, de Christo, Christique sacramentis, illa proniùs arctiùsque amplexamur, & gemino hoc lumine, gemino hoc præsidio freti, & credimus & intelligimus; & in iis ipsis quæ intelligimus, bene multa restare credimus, quæ aliquanto facto lucis & puritatis incremento intelligamus. Eo visa sunt mihi non ægrè trahi posse hæc inferiùs verba ejusdem Clementis: *Meritò ergo cum fide comprehenderimus principium indemonstrabile ex abundanti, & ab ipso principio de principio demonstrationes sumpserimus, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Non enim absolutè enunciantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enunciare contrarium. Si autem non satis est solum absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est, non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod queritur, quæ est magis fide digna quàm quævis demonstratio: vel potiùs quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustavere Scripturas, sunt fideles.*

Strom. l. 7. pag. 810.

X. Ab his non discedebat Origenes, cùm affirmabat usque adeo sapientiam omnem esse à Deo, ut & artes humano usui necessariæ ab eo sint, ab eo instillentur, fabris, architectis, & aliis id genus opificibus. Eccui autem dubium esse possit, quin omnis hæc scientia, quam Deus, quam Scriptura tam studiosè inculcat à Deo, ut à summa primaque lucis & scientiæ scaturigine manare, eadem nos ad Deum retorqueat? *Quid ergo est quod ait, Omnis sapientia à Deo est? Illud mihi sensisse videtur, quia omnis peritia, quæ vel erga artem aliquam usui humano necessaria habetur, vel cujuslibet rei scientia, sapientia dicatur à Domino data. Denique apud Job scriptum est: Quis dedit mulieribus texendi sapientiam, & varietatis disciplinam? Sed & in Exodo: Locutus est, inquit, Dominus ad Moysen dicens: Ecce vocavi nominatim Beselehel filium Uri, filii Or, ex tribu Juda, & replevi eum Spiritu divino sapientiæ, & intellectus, & disciplinæ, ut in omni opere intelligat, & sit architectus ad operandum argentum, & aurum, & æs, & lapides repletionis, & omnia opera fabrilia, & in ligno, ut operetur secundùm omnia opera, ad quæ ego dedi eum. Sed & Eliab filium Achisamach ex tribu Dan. Et dedi in cor omni prudenti intellectum, ut faciant omnia quæ constituit tibi. Considera ergo ex iis omnibus quomodo à Domino est sapientia fabrilis, sive in auro & argento, sive in alia quacumque materia, vel etiam textrini sapientia: & vide quia jure dici de iis omnibus potest, quòd horum scientia ab excelso sit. Quod si fabrilis scientia ab excelso esse declaratur, quomodo non geometrica, ex qua utique hæc scientia, quam Scriptura architectonicam nominat, derivatur?* Pergit deinde Origenes ad Musicam, ad medicam artem, ut ex his apertissimè colligatur, quanto possint artes istæ omnes liberales esse adjumento, ad Deum earum agnoscendum authorem, & penitiùs penitiùsque semper introspiciendum. Si enim naturarum corporearum nulla quamlibet exigua, aut vilis portio est, per quam *intellecta* non *conspiciatur* Dei virtus & sapientia, cujus in ea intermicant obscura quædam dumtaxat vestigia: quid augurandum nobis est de naturis intellectu & ratione donatis, de artibus & disciplinis, quæ earum sunt ornamenta, quæ non jam vestigia tantùm sunt sapientiæ Dei incommutabilis, sed lumina, & ingenia sapientiæ quædam, quæ denique vel a Deo in Scripturis nomine sapientiæ designantur?

Hom. 22. in Num. pag. 252.

XI. Basilii mentem ab Origene & Clemente non dissidentem paucis ex his promptum erit intelligere; ubi ait, scientiam habitum esse, quo res certa ratione percipitur: scientem illum esse, qui res ad beatitudinem pertinentes certa & inconcussa notitia complexus est: Sapientiam esse scientiam divinarum humanarumque rerum & causarum ipsarum. Cùm ergo Christus ipsa sit sapientia αὐτοσοφια ὀχρηστὸς ὄτι, sapientem illum dici debere, qui ex participatione Christi, quatenus sapientia est, perfectionem adeptus est: τετελειωμένον. *Scientia autem est in seipso ratam habens certitudinem, nec ulla ratione mutabilis est. Sciens verò qui comprehensionem speculationum quæ ad consequendam beatitudinem magnoperè conducunt, quadantenus ad habitudinem usque & inconcussè jam in se continet. Sapientia enim, inquit, est scientia divinarum & humanarum rerum & causarum ipsarum. Jam quando Christus est ipsa sapientia, hinc eum asserimus sapientem, qui ex participatione Christi, in sapientia quadantenus promovit.* Cernis quàm manifestè consentiant hæc omnia cum iis, quæ jam præstructa à nobis sunt. 1. Ea demum sciri, quorum certa atque immutabilis ratio & notitia nobis constat, ut dubitare aut de sententia decedere jam ne possit quidem mens. 2. Quæ ita stabilem & inconcussam veritatem habent, ea ad beatitudinem non parum conducere puto; quòd naturas rationales & intelligentes beatas non faciat, nisi quidam veritatis incommutabilis pastus; nec possit quæ ejusmodi veritas est, non summoperè oblectare mentem. 3. Sapientiam esse divinarum humanarumque rerum cum suis causis scientiam, & hanc ipsam sapientiam esse Christum, ut nisi qui ejus particeps sit, beatus esse possit nemo. Ut sapientiæ ergo, ita & Christi magisterio sciuntur, quæcumque verè sciuntur omnia. 4. Intelligentia verò illa à Basilio mox dicitur, qua insita nobis naturaliter veri semina adolescunt, & ad quandam veluti maturitatem perducuntur. *Intelligens autem quis esse noscitur, per absolutionem perfectionemque seminum ejus quæ in nobis est intelligentiæ.* Quæ dicuntur vulgò prima principia disciplinarum omnium, quæ tam in perspicua luce & evidentia cernuntur ab omnibus ratione

Basil. in c. 1. Isaiæ. To. 2.

prentibus, ut non possint non iis assentiri: eorum semina naturæ author inseruit animabus nostris, eo ipso temporis puncto, quo suo ex sinu illas effudit. Veri hæc sunt rudimenta prima, quibus perpoliendis qui strenuam dant operam, illi ad scientiæ, intelligentiæ, contemplationis splendidissimam lucem aliquando tandem perveniunt. Qui id fiat, jam pene ad nauseam inculcavimus: veritas illa tam clara & certa, immutabilis & æterna, illa ipsa est, quam Scripturæ Verbum Dei Filium, Christum Dei virtutem & sapientiam appellant.

CAPUT XI.

Quàm verè, & quo sensu dicatur, Scripturas omnes de Christo, & de solo Christo verba facere.

I. Quàm certò, quàm necessariò Scripturæ veteres & novæ non loquantur nisi de Christo.

II. Idem ex Augustino probatur. Quò spectent parabolæ & allegoriæ omnes.

III. Non potuerunt Judei non ad viliores sensus Scripturam dejicere, ubi Christum & Ecclesiam ea prædicari negarunt. Hoc vulnus sensit Philo, nec mederi potuit.

IV. De Christo & de Christo solo loqui Scripturas, probationes aliæ ex Christi verbis, & ex Augustino.

V. Ne potuisse quidem sacras Litteras scribi, nisi ut de Christo verba facerent: & si in eis aliqua sint, quibus cætera connectantur.

VI. Ex Augustino tunc diluxit nobis verus cujuscumque Scripturæ sensus, cum in eo Christus interluxit.

VII. Sine Christo Scripturæ non sapiunt; nihil sublime, nihil æternum spirant.

VIII. Charitas, veritas, æternitas ex Scripturis splendescit, cum splendescit Christus.

IX. Novæ probationes ex Lactantio.

X. Item ex Gaudentio Episcopo Brixiensi.

XI. Et ex Isidoro Pelusiota.

I. CUm Scripturis utriusque Testamenti commentandis & enucleandis incumbat, & de Deo ea dicere percupiat Theologia, quæ de seipso dixit Deus; illud hìc nobis quærendum objicitur, quò collimet, quid maximè moliatur totum Scripturarum corpus. Nec longè illud quærendum est. Quid enim dicat, quid loquatur sibi, nobisque Deus, nisi Verbum suum, quod gignendo dicit, quod dicendo gignit? Quem sibi suo in gremio ante sæcula genuit, æternumque gignit Filium Unigenitum? Quem in tempore rursum dixit, genuitque, quando Sapientiam æternam & incommutabilem suam universo hoc orbe visibili & invisibili vestivit, vestitam ex se effudit, & conspicabilem reddidit? Quem rursus dixit, cùm sensibilibus illum umbris, figuris, Scripturarum integumentis velavit, atque ita mortalibus in sensibilium servitutem delapsis temperavit? Quem denique humana carne, & totis contemperationis suæ mysteriis obductum dixit, genuitque, sempiternam eandem Dei virtutem & sapientiam, verbis factisque suis ea omnia veritatis & charitatis dogmata personantem, quæ totæ personant Scripturæ? Cùm per Scripturas ergo deificas Deus mortale genus omne alloquatur, & hoc sit Dei verbum, & non aliud sit Dei verbum, quàm Christus; minimè mirum est, si sancti Patres senserint aliquando, de Christo uno esse Scripturas omnes, non novas tantùm, sed & veteres.

II. Intererat & Dei ac Patris amplitudinis, intererat & nostræ tum dignitatis, tum salutis, ut unum nobis effaretur Verbum suum, in quo sunt uno omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei; qui omnium instar est, qui omnia in omnibus est Christus. Ita statuit Augustinus contra Faustum, non magnoperè opus esse seligi & compilari, quæ in Scripturis de Christo dicta sunt, cùm uno verbo res confici possit, de ipso uno omnia dicta esse, vel propter ipsum. Etenim ad diluendum fastidium Lectoris, si eadem semper & eodem modo dicerentur, allegoriarum & ænigmatum interspersa esse quædam veluti condimenta, in quibus tamen, sive dicta, sive facta ea sint, non dicatur, non sapiat nisi Christus. *Quis autem potest, non dico una brevi responsione, qualem in hoc opere habere coarctamur; sed quolibet ingenti volumine omnia commemorare præconia Prophetarum Hebræorum de Domino & Salvatore nostro Jesu Christo: quandoquidem omnia quæ illis continentur libris, vel de ipso dicta sunt, vel propter ipsum? Sed propter exercitationem quærentis, & delectationem invenientis, multò plura ibi per allegorias & ænigmata, partim verbis solis insinuantur, partim etiam facta narrantur.* Cont. Faust. l. 12. c. 7.

III. Vehementissimè negabant Judæi ad Christum significandum, vel ad præsignandam Ecclesiam ejus, quæ & ipsa Christus est, spectare omnes Scripturæ figuras, paginasque; sed ubi illustres hos sensus illi abjudicaverant, tum ne ipsi quidem dissimulare poterant, tam divinæ authoritatis libros penè vilescere, ad fabellas videri accedere; itaque cogebantur ad Christianos confugere, & ab illis audire quid magnificum, quid arcanum illæ litteræ continerent. Senserat hoc Philo, quem Platoni æquabant Græci, teste Augustino, quem nonnulli Platonem Hebræum nuncupabant; & enisus fuerat ad excelsiores quosdam sensus Scripturas interpretando evehere. Verùm cùm ad Christum eas non referret, languebat, & irrita cadebat tota hæc ejus industria. Audi Augustinum: *Itaque etiam ipsi Judei, qui Christum, cujus passionem nos agnovimus, illi deridentes, nolunt talibus rerum, non tantùm dictarum, sed etiam gestarum figuris prænunciatum videre, coguntur à nobis discere quid illa significent; quod nisi aliquid significare concedunt, tam divinæ authoritatis libros ab ineptarum fabularum ignominia non defendunt. Vidit hoc Philo quidam, vir liberaliter eruditissimus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant: & conatus est aliqua interpetari, non ad Christum intelligendum, in quem non crediderat: sed ut inde magis appareret quantum interesset, utrum ad Christum referas omnia, propter quem verè sic dicta sunt, an præter illum quaslibet conjecturas quolibet mentis acumine persequaris, &c.* Arcam Noemi Philo ad corporis humani similitudinem traducebat, at in ea nec magna erant ad sapientiam & religionem propagandam momenta, nec absurditas vitari potuerat in ostio arcæ exponendo. At contra ubi per Arcam Ecclesia intelligitur, seu fidelium, proborum & electorum societas, è sæculi fluctibus & vitiorum eluvione enatans, & innovatum genus nostrum universum innocentiæ primævæ & Deo restituens, ejusmodi sanè est ea doctrina, ut vel ipsas divinas Scripturas cohonestare possit; ut qua Christus tantæ salutis dux & author, & Ecclesia cujus ille servator & caput est, intelligitur. *Propterea in Arca quædam ibi ad Christum, quædam verò ad Ecclesiam referuntur, quod totum Christus est.* Ibid. c. 12.

IV. Ita ibidem Augustinus, qui Judæis ita profligatis pergit ad Gentiles, quos restatur, ne ausos quidem fuisse negare, quin Christus significatus fuerit per ea, quæ in Scripturis & dicta referuntur, & facta; cùm vel maximè eorum pleraque uti prænunciata fuerant, ita in Christo & Ecclesia jam impleta esse palam demonstrarentur. *Nec pagani nobis in hoc obstrepunt: neque enim audent contradicere, ne illa non solùm dicta, sed* Ibidem.

etiam

etiam facta figurate accepta interpretemur ad Christum intelligendum, præsertim quia ea quæ prænunciata intelligimus, etiam demonstramus impleta. Et aliquantò post apertissimè & indiscriminatim pronunciat, quæcunque à Moyse scripta sunt, ea vel de Christo dicta esse, vel ad eum pertinere. *Sed quia Moyses omne quod scripsit, de Christo est, id est, ad Christum omnino pertinet: sive quod eum figuris rerum, vel gestarum, vel dictarum prænunciet: sive quod ejus gratiam gloriamque commendet.* Cùmque interrogaret Manichæus, quid in scriptis Mosaicis de Deo & Christo scriptum, & à se prætermissum esset: respondit incunctanter Augustinus, *Totum te præterit, quia totum de Christo est.*

L. 16. contra Faust. c. 9, 14.

Apertissima sunt quin etiam in eam rem Christi ipsius verba, ubi ajebat, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Nec enim ait Christus, De me etiam ille scripsit; sed simpliciter & absolutè, De me ille scripsit, quòd de illo solo scripserit. En ipsa Augustini verba in eam sententiam: *Et Evangelii quidem tam eminens est authoritas, & tam fundata veritas, ut etiam si nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ nulla inveniremus à Moyse scripta de Christo, non solum esse aliqua, sed ad Christum omnia pertinere quæ scripsit, quia non ait, Et de me scripsit: sed, De me ille scripsit, credere deberemus.*

Ibidem.

V. Rem altiori ab origine infrà repetit Augustinus, demonstratque ita necesse, ita consentaneum maximè fuisse, nec aliter contexi potuisse divinos libros, quàm ut per eos addoceret nos Deus, quid de Deo ipso, quid de ejus ad nos allabente sapientia, quid de instituta ab eo sapientiæ in terris schola sciri à nobis expediret. Atqui hoc totum Christus est, Caput & Corpus, Christus & Ecclesia. Sed ut aptiùs tanta rerum series contexeretur, & sine fastidio legeretur, opus fuit aliqua forsan alia interseri, quibus cætera, quæ Christum & Ecclesiam sonant, connecterentur. *Christum igitur sonant hæc omnia: Caput istud, quod jam ascendit in cœlum, & hoc Corpus ejus, quod usque in finem laborat in terra, scribentium litteras verè sacras omnis parturivit intentio: nec esse quidquam credendum est librorum Propheticorum contextione narratum, quod non significet aliquid futurorum: nisi quæ ideo posita sunt, ut ex eis quodammodo religentur ea, quæ illum Regem populumque ejus, sive propriis, sive figuratis locutionibus rebusve prænuncient. Sicut enim in citharis, & hujuscemodi organis musicis, non quidem omnia quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ; cætera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde & quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus & percussurus est artifex: ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid jam sonant significatione futurorum: aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit unde illa significantia tanquam sonantia connectantur.*

L. 22. cont. Faust. c. 94.

VI. Usque adeo autem persuasum erat Augustino totas ad unum Christum referendas esse Scripturas, ut universim affirmet, tum posse unumquemque sibi blandiri de vero Scripturæ sensu, cùm in ea Christus ei interluxit: in quocunque demum contextu necdum diluxit Christus, necdum ad germanum ejus intellectum perventum esse. Finis enim legis Christus est ad justitiam omni credenti. A scopo ergo & à fine aberravit Scripturæ, cujus mens in interpretanda Scriptura à Christo aberravit. 2. *Totum ad Christum revocemus, si volumus iter rectæ intelligentiæ tenere: non recedamus à lapide angulari, ne intellectus noster ruinam faciat. In illo solidetur, quod instabili motu nutabat: in illo incumbat, quod per incerta pendebat. Quidquid dubitationis habet homo in animo auditis Scripturis Dei, à Christo non recedat; cum ei fuerit in illis verbis Christus revelatus, intelligat se intellexisse. Antequam autem perveniat ad Christi intellectum, non se præsumat intellexisse. Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti.*

In Psal. 96.

VII. Legunt Judæi Scripturas; sed quia illas ad Christum non referunt, velamen ob oculos eorum positum est; auferetur velamen, cùm Christus resplendescit. Quid autem sepositio Christi intellectu tota illa vetus Scriptura, nisi lympharta potio? nihil ibi spiritalium, nihil æternorum, terrena & carnalia omnia; at ubi cœpit ibi Christus videri, Christus sapere, tum æternitas, tum charitas, tum virtutum & sapientiæ summa quædam ibi suavitas. Ita planè Augustinus ex Paulo: *Et cùm transieris, inquit, ad Dominum, auferetur velamen. Velamen dicit ad opertionem Prophetiæ, ut non intelligeretur. Tollitur velamen, cùm transieris ad Dominum. Sic tollitur insipientia, cùm transieris ad Dominum: quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes Propheticos, non intellecto Christo quid tam insipidum & fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat: mutans mentem à corpore, ut præterita obliviscens, in ea quæ ante sunt extendaris. Ergo Prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit: sed occultum ibi erat, adhuc enim erat aqua.*

In Evang. Joan. Tract. 9.

VIII. Et rursus ibidem non multò post, idem exculpit sanctus Pater ex illo loco, ubi Christus discipulis explanabat, quæ de eo scripta erant in Lege, Prophetis & Psalmis, hoc est Scripturas omnes; at ubi ex hac summæ veritatis, hac charitatis luce & flamma clarescere incipiebant; tum quæ aqua fuerat, vinum fiebat: tum corda discipulorum ardere incipiebant, quæ priùs torpebant, frigebantque. *Videte quid ait, Quia oportebat impleri in Christo quæ de illo scripta sunt. Ubi scripta sunt? In lege, inquit, & Prophetis & Psalmis. Nihil Scripturarum veterum prætermisit. Illa erat aqua. Et ideo dicti sunt illi à Domino insensati, quia eis adhuc aqua sapiebat, non vinum. Quando autem fecit de aqua vinum? Cùm aperuit eis sensum, & exposuit eis Scripturas, incipiens à Moyse & per omnes Prophetas. Unde jam inebriati dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? Intellexerunt enim Christum in his libris, in quibus eum non noverant. Mutavit ergo aquam in vinum Dominus noster Jesus Christus, & sapit quod non sapiebat, & inebriat quod non ebriabat.* Et alibi idem Augustinus: *Tollatur velum, & appareat quod erat secretum. Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici Scriptura sanctæ Legis quæ agerent, sive in sacrificiis, sive in sacerdotiis, sive in diebus festis, & omnino in quibuslibet rebus quibus Deum colebant: quæcunque illis dicta & præcepta sunt, umbræ fuerunt futurorum. Quorum futurorum? Quæ implentur in Christo. Unde dicit Apostolus, Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam: id est, in illo impletæ sunt. Deinde dicit alio loco: Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obvenit. Dixit & alibi, Finis enim legis Christus est.* Illa certè Pauli verba, *Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam*, sublime & arduum nescio quid spirare videntur, stabilitatem scilicet quandam, & immutabilitatem, qua necesse sit ita rem habere, nec aliter habere se posse. An potest enim Dei Verbum non esse Scriptura? An potest non totam præ se ferre Dei sapientiam? An potest

Ibidem.

In Evang. Tract. 12.

Dei

Dei ad homines Verbum non attemperat. ad eorum patientiam? An Christus quantus maximus est, alius est, quàm Dei Verbum humano generi illuminando, expiando, ad summam quandam sapientiam evehendo accommodatum? Annon ejusmodi post lapsum suum homo medicina indigebat? Quæ ergo Scriptura loquitur, de Christo loquitur, quia de illa Dei ad hominum salutem delabentis contemperatione loquitur; & cum eo res jam statu essent, vix aut nec vix aliter loqui poterat. Quæ ab eo proposito nobis aliquando dissidere videntur, aut aliud agere, ea idem prorsus sonant, ea Christum sonant; sed à nobis tum non audiuntur, non intelliguntur, nec intelligentur à nobis quidem, ut suprà monebat Augustinus, donec cæteris consonent, & unum nobis sonent Christum. An potest enim omnipotens & misericors Dei sapientia ad homines in tantam scelerum & calamitatum voraginem delapsos loqui, & vel unum ad eos facere verbum, quod non ad eos inde abstrahendos pertineat? Id unum agunt Lex, Prophetæ, Psalmi; id Scripturæ omnes, id totum Christus est.

IX. Non inficiabitur quisquam, quin novi Testamenti paginæ de uno Christo sint. Atqui non aliud novum Testamentum est, quàm veteris adimpletio; nec vetus aliud quàm novi prolusio & vaticinium est. Qui novo monstratus est Christus Testamento, veteri præmonstratus est. Utriusque Testamenti testator est Christus. Testamenti tabulæ non otiantur, non vagantur, non aliud agunt, Testatoris consilia & opulentiam totæ loquuntur. Allegandus hìc nobis Lactantius, ut ex eo id colligas, superiores ætate Patres Augustini

Lactantius. L. 4. C. 20.

sententiæ suffragatos esse. *Verum Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud quod adventum Domini, passionemque antecessit, id est, Lex & Propheta, vetus dicitur. Ea verò, quæ post resurrectionem scripta sunt, novum Testamentum nominatur. Judæi veteri utuntur, nos novo: sed tamen diversa non sunt, quia novum veteris adimpletio est, & in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte susceptâ, nos hæredes regni æterni fecit, abdicato & exhæredato populo Judæorum, sicut Hieremias Propheta testatur.*

X. Ut cæteros præteream Latinos Patres, unum adjiciam, sed elegantissimum Gaudentii Brixiensis Episcopi locum, ubi ex Scripturis ipsis probat, unum in utroque testamento locutum esse Christum, per Moysen, per Prophetas, per Apostolos; ipsum denique fuisse Legis & totius Scripturæ animam. *Omne corpus divinæ Scripturæ, tam veteris quàm novi Testamenti, Filium Dei continet; vel venturum promittens in hominem, vel jam venisse declarans. Unde beatus Philippus inventus à Christo, invenit Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in Lege & Prophetis, invenimus Jesum Filium Joseph à Nazareth. Et quid plura, Charissimi? in ipso continetur omnis lex & vetus & nova: & ut sic dixerim, ipse est anima legis. Ipse enim per Moysen locutus est, cùm dixit illi: Ego aperiam os tuum, & inspirabo quæ debeas loqui. Ipse & per Prophetas, cum dicit, Qui loquebar in Prophetis, ecce adsum. Ipse etiam per Apostolos, cùm dicit Paulus Apostolus; An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Denique testatur Gaudentius Scripturarum libros omnes esse veluti membra Agni immaculati Christi: *Ergo quoniam membra Agni Dei Scripturas ejus diximus, &c.*

Gaudentius Tract. 2. Bibl. Patr. Tom. 4. Pag. 89

XI. E Græcis unum proferam Isidorum Pelusiotam, eumque contrariæ in speciem sententiæ propugnatorem; sed ea occasione juvabit declarare, quo possint nobis conciliari illi omnes, sive ex Græcis, sive ex Latinis, qui Scripturas omnes ad Christum traduci posse vehementer negare videntur. Sugillat Isidorus, hinc quidem Gentiles & Judæos, & si qui alii essent, qui negarent omnino Prophetas de Christo verba usquam fecisse; illinc autem eos perstringit, qui nihil volebant in Scripturis esse, quod à præconio Christi vacuum esset. Ab his ait causam nostram everti, nimio & præpropero studio ejus tuendæ. Tam multa enim absurdè & insciè dicere coguntur, ut omnia ad Christum transferant, ut vel hinc fides iis & authoritas derogetur, quæ non sine veri colore quodam, ac similitudine dicebantur. *Quemadmodum Gentiles, & Judæos, & si qui sunt, qui eorum dogmata consectentur, impios & vecordes esse statuo, quod Prophetas nihil de Salvatore locutos esse pronuncient: eodem modo eos, qui universum vetus Testamentum ad ipsum transferre conantur, culpa minimè carere sentio: ut qui in ea pugna, quam adversum nos ineunt, adversarios adjuvent. Nam dum quæ de ipso non sunt dicta, ad ipsum velut obtorto naso trahere ab ipsis convincuntur: eorum etiam in his quæ vere ac disertis verbis de eo dicta sunt, suspicionem pariunt. Atqui non ita facere convenit: verùm ea quidem, quæ ad eum apertè spectant, dicere; quæ autem de aliis rebus, ea de his rebus, de quibus dicta sunt, dicta esse sinere. Nam hæc demum veritatis ac demonstrationis regula est. Qui autem ea, quæ ad eum minimè attinent, proferunt, hoc efficiunt, ut ea etiam, quæ ipsi conveniunt, evertantur.* L. 1. Ep. 119.

Arridebit haud dubio quamplurimis hæc Isidori sententia, & nec ego prorsus dissentiam, si modò hic modus teneatur. Ad temporalia Christi in carne sua mortali gesta, dicta, mysteria significanda, trahi Scripturas omnes posse, nec ipse confido, nisi ut perfæpè invitæ & captivæ trahantur. At cùm Christus æterna etiam & incommutabilis veritas & sapientia sit, qua ad virtutes, ad sanctimoniam, ad vitam æternam vocamur, & per Scripturas vocamur, hujus laudis nullum esse vacuum Scripturæ textum, nullum verbum, illud verò est quod hoc capite constituere cum Augustino aliisque Patribus conati sumus.

CAPUT XII.

Ubi charitati commendandæ universæ serviunt Scripturæ, & ita rursus uni Christo prædicando, cujus Spiritus charitas est; cujus sermo & actus omnis charitatis commendatio est.

I. Ut Christo uni, ita charitati uni tota servit Scriptura vetus & nova, ex Augustino.

II. Ex eodem inspirata à Spiritu charitatis Scripturæ unam Dei & proximi charitatem spirant.

III. Ubi etiam fidem extruit Scriptura, non extruit nisi charitatem, seu præterita, seu præsentia, seu futura narret.

IV. Ubi narrantur in Scripturis asperè jussa, facta, dicta, ea non spectant nisi ad elidendam cupiditatem, ædificandam vel sic charitatem.

V. Ut ex Numeris, eorumque incommutabilibus regulis, & ex omnibus Mathematicis disciplinis ædificari charitas Dei & proximi possit, ex Augustino.

VI. Hanc doctrinam suam Augustinus ad omnes manare voluit.

VII. Catechumenis idem volebat summatim explanari Scripturas, ita ut omnia ad insinuandam charitatem referrentur.

VIII. Quo etiam collineabat tota Christi Oeconomia.

IX. Internecinas illas veteris Testamenti pugnas cædesque à Deo jussas, perimenda cupiditati, alendæ charitati famulatas esse.

X. Huic

X. Huic de charitate doctrinæ innutriebantur plebes fidelium.

XI. Ex Bernardo, antedicta confirmantur omnia.

XII. Et ex Gregorio Papa.

XIII. Denique ex Origene ut utrumque Testamentum unum sit, novum sit, charitatem insinuet, si modo novus sit homo: nam veteri etiam novum veterascit.

I. UNius Scripturarum sententiæ brevitate posse complurimos constringi sensus, eosque verissimos, auctor est Augustinus, ut suprà ex eo demonstratum est; nec dissimili modo posse idem declarat præceptionem unam Scripturæ brevissimam innumerabilibus figuris, sacramentis, sermonibus inculcari, quod & exemplo probat dilectionis Dei & proximi, à qua universa lex pendet, pendent & Prophetæ. *Novi enim multipliciter significari per corpus, quod uno modo mente intelligitur: & multipliciter mente intelligi, quod uno modo per corpus significatur. Ecce simplex dilectio Dei & proximi, quàm multiplicibus sacramentis & innumerabilibus linguis, & in unaquaque innumerabilibus locutionum modis corporaliter enunciatur.* Augustinus Confes. l. 13. c. 24.

Docet idem alibi Augustinus, purgatos timore Dei & morum puritate fideles, ad tertium pervenire scientiæ gradum, qui in Scripturis maximè versatur, è quibus non aliud magis eliciatur, quàm diligendum esse Deum atque proximum; Deum propter seipsum, proximum propter Deum. *Post istos duos gradus timoris atque pietatis ad tertium venitur scientiæ gradum, de quo nunc agere statui. Nam in eo se exercet omnis divinarum Scripturarum studiosus, nihil aliud in eis inventurus quàm diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum: illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere: proximum verò tanquam seipsum, id est, ut tota dilectio proximi, sicut etiam nostri, referatur in Deum.* De Doctr. Christ. l. 2. c. 7.

II. Quid enimverò præciperent Scripturæ, quid spirarent, nisi charitatem, quas ille inspiravit, dictavitque Spiritus, qui charitas est? Cùmque sit idem ipse Christi Spiritus, Spiritus veritatis, hinc intelligis quàm conjuncta sua sponte sint, quæ conjunctim hic tractamus, ut illud efficiamus, Scripturas universas de Christo, de Veritate, de Charitate in verissimo suo sensu intelligendas esse. Non docent sacræ litteræ nisi fidei veritatem, morum honestatem: fidei veritas ad cognitionem Dei & proximi spectat: morum honestas ad dilectionem Dei & proximi: quidquid ad horum alterutrum non refertur, figuratè dictum factumque existimandum est, ut huic rursus figuræ non insit nisi Dei proximique sive cognitio, sive dilectio. Ita prorsus Augustinus: *Et iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum proximumque pertinet.* De Doctr. Christ. l. 3. c. 10.

III. Cùmque bipartita ex antedictis videri posset Scriptura, ut alicubi fidem, alibi charitatem extrueret, ne id quidem omnino probat Augustinus: sed illa quæ fidem ædificant, trahit ipse etiam ad charitatis commendationem. Asserit enim Scriptura fidem narratione plurimarum rerum, præteritarum, præsentium, futurarum. At quidquid illud est historiæ, non aliò totum spectat, quàm ad nutriendam charitatem, elidendam cupiditatem charitati inimicam. Quid sit autem charitas, quid cupiditas, non silet hoc eodem loco Augustinus: *Non autem asserit (Scriptura) nisi Catholicam fidem, rebus præteritis & futuris & præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænunciatio, præsentium demonstratio. Sed omnia hæc ad eandem charitatem nutriendam atque corroborandam, & cupiditatem vincendam atque extinguendam valent. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum.* Ibidem.

IV. Absolutè ergo ibidem sanctus Pater, & verissimè ita pronunciat, *Non autem præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* Hinc illud nimirum emergit, ubi in Scripturis vel Dei vel piorum memorantur jussa, dicta, facta, quæ asperitatem & sævitiam quandam præ se ferant, ea non collimare, nisi ad destruendum regnum cupiditatis, & ita accelerandum propagandumque charitatis regnum. *Quod ergo asperum & quasi sævum factu dictuque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet.* Ibid. c. 11.

V. At quoniam ejusmodi quædam sunt vera, eaque non minimi etiam in Scripturis & apud sanctos Patres pretii, in quibus non facilè, non à quovis deprehendatur, quæ latere possint charitatis documenta, quæ Dei proximique dilectionis documenta, non abs re erit hæc edisserenti Augustino aures, oculos, animosque advertisse. Agit ille de numeris, sive qui figuris, sive qui sonis, sive qui motionibus insunt, & qui pulcherrimam latissimamque materiam præbent subtilioribus illis disciplinis, quæ ob sui præstantiam Mathematicæ, seu Disciplinæ vocantur: Geometriæ, Arithmeticæ, Astronomiæ, Musicæ: & illos ait, quod apud omnes in confesso est, incommutabiles regulas & æternas habere: & quæ proinde dici non possint ab ingeniosis hominibus excogitatæ, vel constitutæ; sed ab iis supra sensibilia consurgentibus, non sine mira quadam sagacitate comprehensæ. Nam ipsi quidem recentes & nuperi sunt, & omnes prorsus homines ad eas regulas comparati, verbi gratia, quòd tria & septem sint decem; quòd totum majus sit parte; quòd virtuti laus, vitio ignominia desponsa jure sit; omnes, inquam, homines jam inde ab exortu mundi quicunque fuerunt, his æternis & incommutabilibus regulis comparati, recentes novique sunt. Hæc igitur vera, ubi æterna & incommutabilia esse ante se & supra se deprehendit mens creata quæcunque, seque illis sentit inferiorem quidem, utpote mutabilem, sed affinem tamen, & unà cum illis super omnes naturas corporeas evectam, & quasi media quadam in regione constitutam à Deo inter res corporales & intelligentiæ expertes, & illas æternas & incommutabiles veritates, quarum lumine perfunditur: nisi hinc assurgat ad unius summi Dei, ad æternæ & incommutabilis veritatis dilectionem, ad omnium hominum Angelorumque charitatem, qui illa intelligibili luce secum fruuntur, aut frui possunt, poterit illa forsan suam hanc qualemcunque venditare doctrinam, sapientiam non poterit.

Quanquam hæc omnia Augustinus uno loco, eoque perillustri & clarissimo prosecutus sit; satius duxi rem ante paulò prolixiùs explanare, quod nunquam satis dici, illustrari, inculcari nunquam satis possint, quæ tanti interest penitissimè animo mandari. En ergo jam ipsa Augustini verba, quæ quàm pauci legant; quàm pauci saltem satis intelligant, ex eo colligere est, quod tam pauci istiusmodi doctrinæ mentem, cogitationes, studia sua, suam denique sive Philosophiam, sive Theologiam conforment. *Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum, aut sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, ut ja-* De doctrin. Christ. l. 2. c. 38.

ut jactare se inter imperitos velit : & non potius querere, unde sint vera, quæ tantummodo vera esse perspexerit; & unde quædam non solùm vera, sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit; ac sic à specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, eam ipsam mutabilem invenerit, quod nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, & mutabilia infra se cætera, ad unius Dei laudem atque dilectionem cuncta convertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, sapiens autem esse nullo modo.

VI. Ne obrepat igitur cuiquam, subtiliora hæc, & abstrusiora esse, quàm ut possint Philosophicis Theologicisque Scholis & studiis committi, & Magistris discipulisve familiaria evadere. Cùm enim hæc Augustinus non in reconditioribus aliis quibusdam lucubrationibus suis scripserit, sed in libris de Doctrina Christiana; quos & olim exorsus fuerat, & postea interruptis tantisper Retractationibus suis perfecit, ibidem contestatus: *Quatuor libris opus illud à se impletum, quorum primi tres adjuvant ut Scriptura intelligantur, quartus autem quomodo quæ intelligimus proferenda sint.* Quis abnuat ergo, quin ea lectitanda, diurnaque & nocturna manu versanda sint, & à Theologis maximè versanda sint, quæ Augustinus scripsit, ut fideles omnes ad intelligendas Scripturas adjuvaret? Non pauca ex Scripturis suprà decerpsimus, ubi illa etiam sapientia & intelligentia Deo uni authori, & illustratori vindicatur, quam opifices quique consectantur in opificiis suis concinnandis, ut illis regulas illas æternas & immutabiles numerorum, ponderum, & mensurarum inscribant, quas supra se, vel intra se ipsos rutilare vident in perspicua quadam summæ veritatis luce. Non frustra hæc iterum iterumque in Scripturis inculcantur, atque adeo non possunt hæc non usui esse & adjumento ad extruendam augendamque Dei charitatem, cui litteræ sacræ omnes famulantur. Hanc ratiocinationem suam fusiùs explicavit Augustinus libro sexto de Musica, quem indigitasse contenti, ad alia ejus opera, eaque planiora pergemus.

Retract. l. 2. c. 4.

VII. Obvium autem se statim dat nobis peregregius in hanc rem liber de catechizandis rudibus. In eo illud in primis monet sanctus Pater, ut qui Catechumenis præpositus est doctrinæ Christianæ elementa prima edocendis, is Scripturas omnes illis ita summatim edisserat, ita ipse secum eas commentetur, ut nihil omnino sit, quod ad Christi fidem & intelligentiam & charitatem non traducatur, aut quod non potius omnes homines eò traducat. Hac lege, hoc fructu & Doctores omnes meditari ipsi & altissimè imbibere debent universas Scripturas; & ad hoc ipsum Catechumenos, sive fideles omnes, quorum rudimentis & institutioni præsunt, retorquere, ut nihil sit prorsus, unde non Christi veritatis lux, charitasque exciteretur. *In omnibus sanè non tantùm nos oportet intueri præcepti finem, quod est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quo ea quæ loquimur cuncta referamus: sed etiam illius quem loquendo instruimus, ad id monendus atque illuc dirigendus aspectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia, quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, & futura præsignaretur Ecclesia; id est, populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus, adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Jacob manum priùs dum nasceretur emisit ex utero, &c.*

De Catech. rudibus, c. 3.

VIII. Et ibidem rursum ut adventus Christi in carne nostra totus pertineat ad commendandam Dei in nos charitatem, & nostram vicissim in illum inflammandam: ut Scripturæ novi Testamenti hunc Christi adventum, hanc reciprocam Dei hominumque charitatem destruant: ut novum Testamentum non sit nisi manifestatio veteris; atque ita ut libri omnes Scripturarum solam Dei & proximi charitatem ædificent: ita Augustinus: *Si ergo maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus: & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem à quo prior dilectus est inardesceret, proximumque illo jubente & demonstrante diligeret, qui non proximum, sed longè peregrinantem diligendo factus est proximus: omnisque Scriptura divina quæ ante scripta est, ad prænunciandum adventum Domini scripta est; & quidquid postea mandatum est litteris, & divina authoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem monet: manifestum est non tantùm totam legem & Prophetas in illis duobus pendere præceptis, dilectionis Dei & proximi, quæ adhuc sola Scriptura sancta erat, cùm hoc Dominus diceret; sed etiam quæcumque posteriùs salubriter conscripta sunt, memoriaque mandata divinarum volumina litterarum. Quapropter in veteri testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris.* Ita comparatur verissima & spiritalis intelligentia Scripturarum ostensa donataque Dei charitate. *Secundùm hanc autem manifestationem spirituales, & tunc quibus piè pulsantibus etiam occulta patuerunt, & nunc qui non superbè quærunt, ne etiam aperta claudantur, spiritaliter intelligentes, donata charitate liberati sunt.* Et mox: *Hac ergo dilectione tibi tanquam fine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.* Quin & ille timor Dei, cui accommodatæ sunt veteris Testamenti paginæ, charitati insinuandæ præludebat. *De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impunè posset, tamen displicere vereatur.*

Ibid. c. 4.

Ibid. c. 5.

IX. Etsi ergo veteris Testamenti litteris invidiam conflare studuerint olim, & Manichæi, & hæretici complures alii, exaggerata atrocitate earum, quæ ibi describuntur pugnarum, pœnarum, nonnunquam & præceptione internecionis gentium non paucarum: indubium tamen est, quod hic Augustinus affirmat, non periisse nisi nocentes; non territos esse, nisi ut resipiscerent, & non perirent: non deletos esse, nisi quos emendari posse desperabatur; non singulos tantùm, sed & populos quandoque complures ita desperatissimæ fuisse nequitiæ, ut obteri & deleri possent, emendari non possent; ea ergo omnia ad oblitterandum cupiditatis regnum spectasse, atque adeo ad instaurandum charitatis regnum. Illa sævitia huic charitati & mansuetudini necessariò præstruebatur.

Illa igitur mentis aversatio, quæ piis aliquando etiam, sed inopinis, vel incautis oboritur, in legendis, vel audiendis illis olim cædibus, quæ in Scripturis antiquis memorantur; abstergenda protinus est, ne nos meliores clementioresque esse velimus, quàm Deum, qui ea præcipiebat, & qui clementia ipsa & bonitas est; ne Christo humaniores, cujus regno constituendo vel sic via communiebatur: vel charitatis amantiores, quàm Scripturas ipsas, quas Spiritus charitatis dictavit, quam & ipsæ vicissim universæ spirant. Facesserent affectus illi carnales nostri, si totam mentem occupasset cœlestis charitas, quæ tota in cupiditatis & peccati excidium connititur: gnara non minas, non pœnas, non cædes à Deo intentari, nisi ubi necesse est ita sævire eum qui bonitas & charitas est, ne si inultæ abeant flagitio-

gitiosæ cupiditates, atrociùs etiam sæviendum sit.

X. Unum non amplius addam Augustini locum ex ejus concionibus in Psalmos, ut & hinc pateat, cùm vel plebes ipsæ fidelium frequentissimæ tunc essent in Scripturis legendis, vel audiendis, non alias tamen illis sanctos Patres proposuisse regulas ad earum intelligentiam, quàm quas hìc ex Augustino prosequimur. Ita ergo ille de charitatis face, quæ Scripturis omnibus prælucere debet; nec cujuslibet charitatis, quando & hoc nomen ad carnales affectus quandoque detorquetur; sed spiritalis charitatis Dei, de conscientia bona, de fide non ficta, de corde puro; quæ finis præcepti, quæ legis plenitudo est: *Quidquid ergo sa-*
In Ps. 140. *lubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exculpitur: non habet finem, nisi charitatem. Hæc autem charitas non qualiscunque est. Nam & malè viventes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, & dicuntur amare se, nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam. Amor iste tartareus est. Viscum habet quo dejiciat in profundum, non pennas quibus levet in cœlum.* Et paulò infrà: *Charitas ergo de puro corde est, quæ est secundùm Deum, & conscientia bona, & fide non ficta. Ista charitas definita ab Apostolo, habet duo præcepta, dilectionis Dei, & dilectionis proximi. In nullis Scripturis aliud inquiratis, nemo vobis aliud præcipiat. Quidquid obscurum est in Scriptura, hæc ibi occulta est: quidquid ibi planum est, hæc ibi aperta est: Si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret.*

XI. His consentanea sunt, quæ habet Bernardus in illa Lucæ verba, de Christo à mortuis redivivo, & Scripturas discipulis explanante: *Incipiens à Moyse & Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Beati qui noverunt gustu felicis experientiæ, quàm dulciter, quàm mirabiliter in oratione & meditatione Scripturas dignatur Dominus revelare. Et quidem scientiarum Dominus est, potest eas si voluerit dispensare. Incipiens à Moyse & Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Hæc facit quando corda nostra illuminat radiis charitatis. Ille tenet & quæ latent, & quæ patent in divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus. De sola dilectione pendent Moyses & Prophetæ.* Ita ille in homilia de duobus discipulis euntibus in Emaus, quorum cor interpretante Scripturas Christo charita-
Bernardus, Ibid. pag. 183. te ardebat: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, cum divinarum Scripturarum dulcedine nostras reficeremus animas, invenientes in illis mirabiles delectationes super omnes divitias? Nonne nos tunc docebat unctio Christi de omnibus, medullatas infundendo nobis delicias?*

Alibi autem idem Bernardus ostendit, quàm possint Scripturis diversi sensus aptari, sospite & incolumi veritate: sed ita ut illa sententiarum diversitate non insinuetur, non instilletur nisi charitas. Ut aqua enim usibus innumeris in nostras accommodatur necessitates: ita & Scripturarum fontes in alia & alia sine fine possunt derivari veritatis & charitatis præcepta. *Scio me hunc locum (Canticorum) in libro de dilectione Dei plenius explicuisse, & sub alio intellectu; potiorine, an deteriori, lector judicet, si cui utrumque videre placuerit. Non sanè à prudente de diversitate sensuum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur, & charitas, cui Scripturas servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros erudierit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, quod in usibus rerum assiduè experimur? In quantos verbi causa sola aqua nostrorum assumitur corporum*
Bernard Serm. 36. in Cantica. *usus? Ita unus quilibet divinus sermo non erit absque si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus, & usibus accommodandos.*

XII. Non posset sine piaculo hìc prætermitti sanctus Gregorius Papa, quo non alius & Scripturis, & Augustino, & charitati veritatis, ad quam rapiendæ sunt Scripturæ omnes, addictior. Illi ergo Scriptura non aliud est, quàm quædam Dei ad homines Epistola, jam non mortales tantùm, sed diutina scelerum contagione inquinatos, & quibuscum jam ut priùs solitus erat cum Patriarchis prioribus sermones ferere & colloquia miscere Deus non posset. Sacras ergo quasdam litteras ad eos misit; & quidem amatorias, ut eos ad sui charitatem, ad veritatis & totius sanctimoniæ primigeniam dilectionem reaccenderet. In has litteras effudit cor suum Deus, qui charitas est, ut iis lectitandis, degustandis & dissuaviandis discamus cor Dei, & cor nostrum ei commisceamus. *Quid est autem Scriptura sancta, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? & certè sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator cœli, Dominus hominum & Angelorum pro vita tua tibi suas epistolas transmisit: & tamen gloriose fili easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæso, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentiùs ad æterna suspires, ut mens vestra ad cælestia gaudia majoribus desideriis accendatur.*
Greg. Mag. Regest. l. 4. Epist 40. To. 3. pag. 149.

XIII. Unus supererat Origenes, de quo decantatum illud nemo nescit: *Ubi bene, nemo melius;* unde & facilè augurabimur non multùm ab eo dissidere reliqua Ecclesiæ Græcæ lumina, in hoc quidem negotio, ubi ita ille præstantissimè. Duo ille Testamenta in unum conflat, etsi ut sunt homines morati, dici possint esse duo. Et vetus enim Testamentum novum est, ubi per charitatem innovatus homo est, ambulatque in vitæ novitate. Et ex adverso novum Testamentum ei veteratscit, qui charitate destitutus in vetere est adhuc homine. Ita & in Evangelio Lex est, & in Lege Evangelium. Qui enim Legi Dei libera charitate servit, illi Lex Evangelium est; ubi sola pœnæ formidine agitur quis, ut Evangelicis præceptionibus obsequatur, illi Evangelium Lex vetus est. Duo ergo Testamenta non sunt, nisi duobus, iisque aliter & aliter affectis hominibus. Qui carnaliter sapiunt Evangelium, illi sub Lege degunt adhuc, & timore solo incitantur; qui spiritaliter Legem sapiunt, eamque ad spiritales, ut par est, sensus de Christo & de charitate trahunt, illi Evangelica libertate & filiorum dignitate potiuntur. Unum est ergo Testamentum ex utroque conflatum; unicuique, perinde ut ipse est, novo novum, veteri vetus. *Ecce diligit Moyses inimicos, & orat pro persecutoribus suis, quod utique Christus fieri in Evangeliis docet. Audite enim quomodo cadentes in faciem super terram orant pro illis, qui ad interficiendos eos insurrexerant. Sic ergo invenitur & Evangelii virtus in Lege, & fundamento Legis subnixa intelliguntur Evangelia. Nec vetus Testamentum nomino ego Legem, si eam spiritaliter intelligam. Illis tantummodo Lex vetus efficitur Testamentum, qui eam carnaliter intelligere volunt. Et necessariò illis vetus effecta est, & senuit, quia vires suas non potest obtinere. Nobis autem qui eam spiritaliter & Evangelico sensu intelligimus & exponimus, semper nova est: & utrumque nobis novum Testamentum est; non temporis ætate, sed intelligentiæ novitate. An non & Apostolus Joannes in Epistola sua eadem sentit, cum dicit: Filioli, mandatum novum do vobis, ut invicem diligatis? cùm utique sciret olim datum esse mandatum dilectionis*
Hom. 9. in Num. p. 116. *in Le-*

in Lege. Sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis aliquando veteraſcit, hoc quod nunquam veteraſcit, ſemper novum eſſe pronuntiat. Semper enim obſervantes & cuſtodientes in ſe charitatis mandatum novos reddit in ſpiritu. Peccatori autem & charitatis fœdera non ſervanti, etiam Evangelia veteraſcunt. Nec poteſt ei novum eſſe Teſtamentum, qui non deponit veterem hominem, & induitur novum, ac ſecundùm Deum creatum.

CAPUT XIII.

Fruſtra ſunt hæretici, qui Scripturas ſibi vendicant, fidei & charitatis magiſtras; cùm tam à charitate illi, quàm à fide alieni ſint.

I. Ex Tertulliano, hæretici Græcè dicti, quòd aliqua eligant ex Chriſti & Eccleſiæ ſcitis, alia reſpuant.

II. Ut ille reſpondeat Sectis omnibus, illud Chriſti obtendentibus, Quærite, & invenietis. Quandiu, an ſemper, apud quos quærendus?

III. Invento jamdiu Chriſto, & per Orbem univerſum prædicato, non jam quærendus ille eſt, ſed fide & charitate colendus.

IV. Ex eodem, nihil proficit de Scripturis congredi cum hæreticis, cùm eas vel non recipiant, vel detruncent, vel pro arbitrio interpretentur.

V. Scripturæ ad Eccleſiam ſolam pertinent, quæ illas & earum ſenſum à Chriſto & Apoſtolis accepit, & continuata ſucceſſione ad nos propagavit.

VI. Scripturarum ſenſum Apoſtolis ſuis Chriſtus aperuit: quo ſenſus ille tramite ad nos pervenit, niſi traditione, & ſucceſſione Eccleſiarum Apoſtolicarum?

VII. Ex Paciano, illi hærendum Eccleſiæ, illi Scripturarum ſenſui, qui antiquiſſimæ traditione nititur, ab ipſis uſque Apoſtolis.

VIII. Ex Hilario, myſteria ſilentio venerari debueramus, non rimari: at poſtquam hæretici Scripturas deflexerunt ad alieniſſimos ſenſus, eas refelli neceſſe fuit.

IX. Hæreſes aliæ alias oppugnant, univerſæ ſingulas damnant, atque ita Eccleſiæ cauſam juvant.

X. Non Sectæ tantùm ſingulæ, ſed hæretici ſinguli ſapiunt quod volunt. Porro ſapientia voluntatis, ſtultitia plerumque eſt. Arbitraria & voluntaria hæc Theologia ex hæretica electione deſcendit.

I. CUm uni Chriſto, uni charitati ſerviant Scripturæ, cùm non aliud præterea quidquam, ſive occultis, ſive manifeſtis ſuis præconiis prædicent, & inſpirent: hinc illud perſpicuum fit, quod explanandum nunc aggredimur, fruſtra eſſe hæreticos omnes, qui cùm charitatis, Chriſtique, ſaltem qua Chriſtus Eccleſia univerſa eſt, exortes ſint prorſus & extorres, Scripturis confidunt. Hæretici Græca voce dicti ſunt quaſi eligentes, Hæreſis quaſi electio. At qui Chriſtum, qui Eccleſiam, quæ & ipſa Chriſti corpus eſt, diligit, qui traditam in ea & in ſuum uſque ævum propagatam doctrinam diligit, is ex ea nihil eligit, ut alia aſpernetur; is totam diligit, totam amplectitur. Nec enim Chriſti Apoſtoli ex ejus ſermonibus, præceptionibus, traditionibus, aliqua elegerunt, cæteris repudiatis. Quid enim Chriſti veritati, quid ejus charitati magis adverſarium foret, ei quam Scripturæ totæ commendant, & quam unam commendant? Ita Tertullianus: *Hæreſes dictæ Græcâ*

voce ex interpretatione electionis, qua quis ſive ad inſtituendas, ſive ad ſuſcipiendas eas utitur. Ideo & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter Nationibus adſignaverunt.

II. Illam jam tum hæretici obtendebant cauſationem, quòd Chriſtus non omnibus, non ſtatim acquieſcendum eſſe monuiſſet: ſed tum demum inveniendum ſe, ſi quæſiſſemus. At reponit Tertullianus, tunc temporis utique quærendum fuiſſe, cùm necdum inventus fuiſſet Chriſtus: at eo ſemel invento, & per plura jamdiu ſæcula invento, creditoque, & in Eccleſiis toto orbe diſſeminatis prædicato, & ex utriuſque Teſtamenti paginis demonſtrato, jam nihil opus eſſe, ut novellæ eum Sectæ quærant. Qui enim rem jamdiu inventam quærit, eam non invenit, ſed perdit, aut jamdiu ſe perdidiſſe prodit. Denique quis erit finis quærendi, ſi ſemper à novellis hominibus quærendus ſit, quaſi necdum inventus, ſive Chriſtus, ſive Scripturæ ſenſus? Denique apud quos quæretur, cùm tot hæreſes ſibi mutuò repugnantes jactent ſe illum, ſive Scripturæ ſenſum, ſive Chriſtum inveniſſe, & ſe ſolos inveniſſe? *Venio itaque ad illum articulum, quem & noſtri prætendunt ad ineundam curioſitatem, & hæretici inculcant ad importandam curioſitatem. Scriptum eſt, inquiunt, Quærite, & invenietis.* Et paulò poſt: *Meritò ergo tunc dictum eſt, Quærite & invenietis, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat.* Et aliquantis interjectis: *Ubi enim erit finis quærendi? ubi ſtatio credendi? ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit: Quærite & invenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronuntiatione pulſabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuent, & me ſibi abducant. Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior.*

III. Scitè ergo infrà Tertullianus ait, Fidem à Chriſto exigi, non perſcrutationem Scripturarum, niſi ſi hæc perſcrutatio ad priorem fidem & charitatem corroborandam augendamque contendat, & mandata obſervanda ex ea fide, quæ per charitatem operatur, ut docet Paulus. Aliàs quærere, & ſemper quærere, curioſitatis eſt, non fidei, non charitatis; infinitæ cujuſdam illud eſt curioſitatis, gloriam de peritiæ ſtudio aucupantis. His abſtinere quæſtionibus, his inquam poſt conſtitutam ubique terrarum fidem excitatis; id enimverò non neſcire, ſed certò ſcire & ſciſſe eſt; aut ſi neſcire eſt, ita neſcire, omnia ſcire eſt. *Fides, inquit, tua te ſalvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula poſita eſt: habes legem, & ſalutem de obſervatione legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant. Adversùs regulam nihil ſcire, omnia ſcire.* Ibidem.

IV. Quorſum verò de Scripturis litigare cum hæreſibus, cùm Scripturas aliæ alias non recipiant; cùm eas vel truncent, vel novis additamentis augeant, quo eas præſumptis opinionibus ſuis aptent; denique cùm eas etſi forſan utcumque intaminatas recipiant, novis ſemper & alienis ſenſibus adulterent? Ita non Scripturam, non Veritatem, non Chriſtum diligunt, aut magni faciunt Novatores; ſed ſeipſos, ſed perceptas animo opinationes ſuas, quas invitis illinunt Scripturis; atque adeo illas non aliqua forſan ex parte truncant ſtyli ſui audacia, ſed ſenſus ſui perver-

L. de Præſcr.

perversitate totas evertunt. Id verò ne tentarent quidem, si qua eorum esset in Christum charitas, in Scripturas ejus reverentia. *Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi planè, ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convenit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

V. Cùm autem eandem in nos criminationem regerant hæretici, & Scripturarum adulteria nobis imputent; non poterit ergo ex solis Scripturis nostra cum illis concertatio terminari: ad Ecclesias ergo, ad Ecclesiasticas traditiones provocandum erit; nisi si primùm Scripturas ipsas hæreticis extorqueamus, & nostro nobis unis jure vendicemus. Nuperæ enim cùm sint omnes hæreses, eccunde Scripturas habere potuerunt, nisi ab Ecclesia Catholica, quæ illas à Christo & ab Apostolis accepit; longaque & perpetua Apostolicorum hominum, Præsulumque, & Apostolicarum Ecclesiarum successione ad hæc nostra usque tempora propagavit? Quid hæreticis cum his, vel Præsulibus, vel sedibus Episcopalibus Apostolicisque, à quarum communione & fide segregatæ sunt? Quid hæreticis cum Scripturis, quæ harum continua serie Ecclesiarum, & traditione, ad nos utique, non ad ipsos pervenerunt? Quid illis cum Scripturis, quæ non jejunæ & vacuæ, non sensus & intelligentiæ inanes, non multis elementis constantes, sed cum sensibus & expositionibus suis ab Episcopis, ab Ecclesiis ad nos perlatæ sunt. *Necesse est enim & illos dicere à nobis potius adulteria Scripturarum & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa: Cujus sint Scripturæ: A quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.* Ibidem.

VI. Apostolis Christus suis doctrinam suam consignavit, & aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Jam verò quæ Apostolis à Christo doctrina, quæ Scripturarum intelligentia commendata sit, quo certo tramite comperiemus, nisi per Ecclesias quas condiderunt, quarum fundamenta in ipsa maximè fidei doctrina, & Scripturæ intelligentia posuerunt? Eo nimirum traduce ad nos pervenit Christi doctrina, per Ecclesias quæ illam ita ab Apostolis acceperunt, ut Apostoli à Christo, Christus à Patre. Nec enim vel Christus ipse hoc sibi sumpsit, ut ex tradita sibi à Patre doctrina aliud eligeret, aliud refelleret; nec Apostoli eam sibi licentiam usurparunt in commendata sibi à Christo doctrina; nec Ecclesiæ, sive Apostolicæ, sive ab Apostolicis propagatæ, atque ita & ipsæ Apostolicæ. Non doctrinæ hæc magis, quàm reverentiæ & charitatis traditio ac propagatio fuit ab ipso usque æterno Christi Patre ad nos. *Hanc igitur dirigimus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit; quia nec alius Patrem novit, nisi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelasse Filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Ibidem.

Ita à Scripturis ad Ecclesias provocabat Tertullianus, sive Apostolicas, sive ab Apostolicis satas, & una illis fide, & communione, & charitate consociatas, eoque modo Apostolicas & ipsas habendas, Scripturarumque proinde veritatis & intelligentiæ testes & custodes incorruptos: *Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licèt nullum ex Apostolis, vel Apostolicis authorem suum proferant, ut multo posteriores: quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquæ putant Apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec possunt probare quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis: scilicet ob diversitatem sacramenti, nullo modo Apostolicæ.* Ibidem.

VII. Nec multùm ab his abludebat sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus, cùm Novatianos refelleret, Novatiani, sive Novati nomine, & authoritate, atque intelligentia Scripturarum insolescentes adversùs Ecclesiam Catholicam, ejusque in Scripturis sapientiam. *Novatianus hoc præcepit, Novatianus hoc docuit*, ajebant illi. Ita autem Pacianus reponebat: *At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decii principatum, id est, post trecentos propè annos Dominicæ passionis. Quid ergo? tunc Prophetas secutus est, ut Cataphryges? an Philomenem aliquam, ut Appelles? an ipse tantum authoritatis accepit? Linguis loquutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret. Et si contra clamet Apostolus; Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizaverit, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Novatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo à Christi usque Decii principatum nullus intelligens?* Epist. 1. Bibl. Patr. Tom. 3. pag. 17. 18.

Authore igitur Paciano, illi hærendum erat Ecclesiæ, illi Scripturarum sensui, cui antiquitas, cui traditio suffragabatur ab ipsis usque Evangelii exordiis, ab ipsis incunabulis nominis Christiani. Vel si qui se novos obtruderent novæ doctrinæ magistros, hanc illi jubebantur approbare miraculis, vel prophetiarum suarum certis eventis. Quanquam ne tum quidem illis concedendum fuisset, ut aliquid novarent, cùm vetuerit Paulus vel Angelo novum Evangelium obtrudenti fidem adjici.

At Novatores tunc ita antiquitate & traditione constantissima Ecclesiæ oppugnati, novas ex Scripturarum vestigatione contentiones, nova prælia meditabantur. Pacianus autem negabat tam longo anfractu ad fidei veritatem eruendam opus esse, cùm ea esset in aperto, cùm illam manifestissimè declararet Ecclesiæ antiquitas, Episcoporum, Episcopaliumque sedium longissima & nusquam interrupta series, à quibus quasi per manus accepta esset fides, Scriptura, Scripturarum intelligentia, & tantorum bonorum jamdiu præscripta possessio,

Ibidem, pag. 187. *sessio, pax & securitas. Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc usque securus: ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus: nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre divisus, ut rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quæque solicitas; quidquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil ultro disputavere majores, nuda est apud nos ipsa securitas.*

VIII. Culpam in hæreticos confert Hilarius earum disputationum de abditissimis fidei mysteriis, in quas non descendunt Catholici Tractatores, nisi ut profanas retundant confutentque novitates. Simplici enim fidei acquiescere, mysteria silentio venerari, præceptis divinis totos incumbere oportuerat. At postquam Scripturas hæretici in sensus deflexerunt a fide & à vero alienissimos, necesse omnino fuit, quæ sunt inenarrabilia enarrare, arcana & sacrosancta propalare, adulterinas impiasque à Scripturis amoliri interpretationes. Non enim ex Scripturis, sed ex perversa earum intelligentia nascuntur hæreses. *Sed compellimur* Hilarius, De Trinit. l. 1. *hæreticorum & blasphemantium vitiis, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret, adorare scilicet Patrem, & venerari cum eo Filium, sancto Spiritu abundare: cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere, & in vitium vitio coarctamur alieno: ut quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur.* Perspicuè hìc vides, quàm non sit nisi Novatorum antiquam sollicitare fidem, ad Scripturarum disputationes provocare, iisque horas consumere in adorando Deo, in mandatis ejus explendis utiliùs lætiùsque collocandas. Unde ibidem mox: *Extiterunt enim plures, qui cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est: sensus, non sermo sit crimen.* Ex Scripturæ verbis plana plerumque fides, nec eam obscurat nisi crebra cavillatio hæreticorum. Scripturæ Filius Filius est Dei Patris Deus, non res creata; Panis Eucharisticus Corpus Christi est, non ejus figura; inauditos his verbis sensus affingit hæresis. *Forma fidei certa* Ibidem. *est; sed quantum ad hereticos omnis sensus incertus est.*

Nulla non pravitatis suæ dogmata hæretici aliquo muniunt Scripturarum testimonio; corrupto nimirum intelligentiæ sensu, qui fallat ignorantes; ita mendacium obrepit, ipsius veritatis sermone & verbis velatum. Nihil necesse est Ecclesiæ his actibus grassari, utpote illorum dogmatum retinentissimæ, quæ Apostoli, quæ Apostolorum successores Episcopi tradiderunt, traduntque etiamnunc. *Videntur enim* (*hæretici*) *sibi, de* In 4. *singulis quæ asserunt præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt: quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantùm ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundùm pravitatem interpretantium præstatura.*

IX. Nec ab Ecclesia tantùm Catholica refelluntur hæreses singulæ, dum distortas Scripturæ interpretationes promunt; sed ab universis etiam aliis hæresibus. Ita fit ut hæreses ipsæ Ecclesiasticis patrocinentur decretis, Scripturæque interpretationibus; cùm quæ demum eumque sectæ sibi privatim plaudentes singulæ, & ab aliis explodantur omnibus, & illas ipsæ vicissim explodant universas. Ita dum hæreses aliæ alias vincunt, vel aliæ ab aliis vincuntur, tota victoria penes Ecclesiam Catholicam est. Quem enim sensum Scripturæ affingit unaquæque earum, is non ab Ecclesia Catholica tantum exibilatur, sed ab omnibus aliis sectis. In unoquoque ergo placito Ecclesia unam sectam tantùm habet adversantem, reliquas omnes obsecundantes. Quem ipsa adscribit Scripturæ sensum, eum una ferè tantùm secta rejicit, cæteræ amplexantur. Unum ex universo dogmate Catholico singulæ hæreses elegerunt, quod rejicerent; sed quod una quælibet pro lubitu suo rejecit, id cæteræ retinuerunt. In quo ergo dissentiunt, id ipsarum est; in quo consentiunt, id ab Ecclesia accepere traditum, quæ & ipsa ab Apostolis acceperat, Apostoli à Christo, Christus à Patre primigenio, immo ingenito primigeniæ veritatis fonte. *Namque cum à Domino Ecclesia institu-* Ibid. l. 1. *ta, & ab Apostolis confirmata, una omnium sit, ex qua se diversarum impietatum furens error abscideri: nec negari possit ex vitio male intelligentiæ, fidei extitisse dissidium; dum quod legitur sensui potius coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat: tamen dum sibi partes singulæ adversantur, non solùm suis, sed etiam adversantium est intelligenda doctrinis; ut dum adversus unam eam omnes sunt, impiissimum tamen errorem omnium per id quod sola est atque una confutet. Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omnibus est: dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat. Nihil enim est quod hæreticis commune est; & inter hæc fidem nostram dum sibi adversantur affirmant.*

X. Id omnibus convenit hæreticis cujuscumque sectæ, ut fidem non traditam & pridem constitutam accipiant, sed ipsi sibi constituant: ut eligant, & sapiant quod volunt, non quod veritas, quod genuinus & olim traditus Scripturæ sensus vult; & tamen & veritatis & sapientiæ est, sapere interdum quæ nolis; solius enim est summæ & incommutabilis sapientiæ, ut idem illi incommutabiliter sit sapere, quod velle: velle, quod sapere; at naturis creatis sapientia voluntatis stultitia sit, inanis sapientiæ pallio personata. *Multi enim* Ibid. l. 2. *sunt, qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius constituunt, quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati; dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt; cùm sapientiæ hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis. Sequitur verò hanc voluntatis sapientiam sermo stultitiæ; quia necesse est, quod stulte sapitur, stultè & prædicetur. Jam vero stulta prædicatio quantum malum est audientium, cùm seducuntur in sententiam stultitiæ sub opinione sapientiæ!*

Nec semel hanc Hilario placuit exagitare voluntatis Theologiam, & arbitrariam Scripturarum intelligentiam: propterea quòd ea sit una & prima omnium hæresum scaturigo, una inquam, sed inexhausta. In quæ enim & in quanta errorum abrupta præceps agitur voluntas, quæ non rationi, non doctrinæ obsequentem se præstat; sed his quæ adlubescunt, rationes conquirit, & libidini suæ doctrinam coaptat: *Quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animo-* Ibid. l. 12. *rum.* Et mox: *Contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel stultæ, vel vitiosæ voluntatis error obnititur. Immoderata enim est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed his quæ volumus, rationem conquirimus; & his quæ studemus, doctrinam coaptamus.*

Nulla sententiarum divortia, nulla essent in fide, vel in Theologia dissidia, si rationi non præiret voluntas, sed comitem se, vel pedissequam præbe-

præberet : si non ea quæreretur, ea eligeretur doctrina, ea Scripturarum interpretatio, quæ præsumptæ opinioni, & voluntati esset accommodata ; si unusquisque non quod vellet, defenderet : sed quod verum est, id vellet, id defenderet. Ibidem. *Per hæc igitur, vitia studiosarum voluntatum, omnes adversantium intentionum emergunt contradictiones : & inter veri assertionem & placiti defensionem pertinax pugna est, dum se & veritas tenet, & tuetur voluntas. Cæterùm si non præiret rationem voluntas, sed per veri intelligentiam ad velle, id quod verum est, moveretur ; nunquam doctrina voluntati quæreretur, sed voluntatem omnem doctrinæ ratio commoveret ; esseque omnis sine contradictione veritatis sermo ; cùm unusquisque non quod vellet, id verum esse defenderet ; sed quod verum est, id velle cœpisset.* Arbitrariam eam, & in tot sententias, quot sunt voluntates, quot sunt homines, quot sunt hæreses, versatilem Scripturarum expositionem, attigit Apostolus ex eodem Hilario his verbis : *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros.*

Non doctrinæ ergo, non veritati, non majorum Apostolicæ traditioni servit hæc Theologia, sed desideriis : unde & tot sunt hæreses, tot sectæ, quot desideria ; una ex adverso cùm sit Catholica doctrina ; ut quæ non electioni famuletur, non desideriis, sed priscæ fidei, sed Apostolicis traditionibus, sed veritati & religioni à Christo ad nos derivatæ per Apostolicos & Episcopales toto orbe thronos, sive in interpretandis Scripturis, sive in quibuslibet aliis dogmatibus illustrandis. Ibidem. *Quis enim doctrinæ profectus est, placita magis quàm docenda conquirere ? Aut quæ doctrinæ religio est, non docenda desiderare, sed desideratis coacervare doctrinam ?* Et paulò post : *Dum secundùm desideria studiorum potius, quàm secundùm Evangelicam fidem, coacervata doctrina est.*

CAPUT XIV.

Frustra esse hæreses, dum ad Scripturas provocant.

I. Non nascuntur hæreses, ex Hilario, nisi ubi recusat mens subire fidei jugum, & credere quod non capit. Contrà Hilarius, ne Deum quidem fore, nec omnipotentem, si illum tam arcta mens nostra caperet.

II. Hæretica doctrina, id est, electionis & voluntatis, non ab Ecclesia tantùm, & ab aliis Sectis dissentit, sed & à seipsa : voluntas enim sua sponte versatilis est huc & illuc.

III. Hæreticorum fides, non Evangeliorum, sed temporum fides est, & voluntatis tempori servientis. Unde tot jam fides, fideique formulæ, quot voluntates, atque ita nulla fides.

IV. Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo : ita hæreses inter se conflictantes, Scripturas non habent, cùm earum sensum non habeant, cùm unitatem, charitatem non habeant.

V. Confutandis hæresibus omnibus ex Ambrosio sufficit antiquissima fidei simplicitas, & ipsarum inter se dissidia.

VI. Ex Augustino quantùm hæreses conducant Scripturæ & fidei illustrandæ.

VII. Idem novis exemplis declaratur.

I. QUoniam verò in has se conjiciunt hæretici doctrinas adversantes antiquæ fidei, & Scripturarum intelligentiæ à Majoribus traditæ, quando ut ei se accommodent, subjiciendus est frangendusque intellectus in obsequium Christi, ut credat quæ non capit : his obviam occurrit Hilarius, edocetque, quàm necesse sit divinæ amplitudini & majestati concedere, ut credi colique possit à nobis, explorari & palam conspici non possit. Verbi cum Patre Deo consubstantialitas, ejusdem inhumanatio, exempla istiusmodi sunt, quæ ab Hilario hìc proponuntur, ubi à veritate fidei, à vero Scripturarum sensu non aberrarunt hæreses, nisi quia imperare sibi non potuerunt, ut aliqua Scripturis suis, vel Traditionibus Ecclesiæ committeret Deus, ut aliqua addoceret Deus, quæ credi magis & adorari à nobis possent, quàm intelligi, quàm investigari. Rem verò illustrat Hilarius exemplo Solis hujus corporei, cujus luce recreantur oculi nostri, si sobriè, si parcè illum intueantur : obscurantur, hebescunt, excæcantur, si intemperanter ; atque ita fit ut ultra modum nitendo videre, non videant. Ita & in stultitiam deficit intempestivus & immoderatior sapiendi ardor. Ibidem. *Ædificationem verò Dei in fide esse : ut humanæ verecundiæ modum fides omnipotentiæ Dei religione concludat, neque se infirmitas nostra ad perspicienda ea quæ perspiciendi naturam hebetent, extendat. Quod si contuentibus Solis claritatem, virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis luminis solertiùs acies curiosæ contemplationis inquirat, usque ad emortuum vivendi sensum oculorum natura revocetur : accidatque nitendo magis videre, ne videas ; quid nobis in Dei rebus & in Sole justitia expectandum est ? Nonne incumbet volentibus supersapere stultitia ? Nonne ipsum illud acre intelligentiæ lumen, stupor hebetis desipientiæ occupabit ? Non enim natura inferior causam naturæ potioris intelliget, nec subjacet humanæ conceptioni ratio cœlestis.*

Ne divina quidem esset potestas, vel omnipotens, quæ tota capi à nobis posset : non ad angustias tantùm, sed ad nostras angustias arctaretur, si eam capere, si videre, & pervidere possemus. Ne Sol quidem esset, si lux ejus ita infringeretur, ut mortales oculos non præstringeret. Est & in Deo, & in Sole quod videas, si tantum videre velis, quantum tu potes, quantum ille finit ; si ultrà tendas, ne idipsum quidem poteris. Ibidem. *Nam intra conditionem infirmitatis erit, quidquid infirmi conscientiæ subditur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas ; ad quam si se infirmitas protendat, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinebat, amittit : potiore ad obtundendam eam rerum cœlestium natura ; quia omnem ejus consectantis se pervicaciam ipsa complexu ejus major infirmat. Ut igitur Sol ita videndus est, ut possit videri : tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur : ne si plus velimus expetere, minùs quoque quàm possumus consequamur : ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi : in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit ; ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo, quod percipi potest : est planè, si modò quod potest velis. Sicut enim est in Sole, quod videas, si hoc velis videre quod possis : amittas autem quod potes videre, dum quod non potes, niteris ; ita & in rebus Dei habes quod intelligas, si intelligere quod potes, velis : cæterùm si ultra quàm potes, speres, id quoque quod potuisti, posse non poteris.* Subjicit mox exemplum æternæ ex Patre, temporalis ex Virgine matre nativitatis Christi ; cui geminum est illud substantialis ejus & corporalis præsentiæ in Eucharistiæ, de qua controversiam Ecclesiæ faciunt, qui Scripturis ; qui Christi de ea re expressissimis verbis vim facere, quàm obsequium præstare malunt ; ut illis Corpus Christi non sit, quod esse Christus apertissimè dixit : sicut Arianis Filius non erat, quem Filium esse exertissimè vociferabantur Scripturæ, maximè Novi Testamenti.

II. Qui Ecclesiæ, qui Traditioni non assentiuntur, sed electioni, & voluntati suæ, vel intelligentiæ, voluntatem magis, quàm fese audienti: ii non tantùm ab Ecclesia Catholica dissentiunt in explicandis Scripturis, non ab aliis tantùm Sectis omnibus, vel Ecclesiæ in eo consonantibus, vel eis magnoperè dissonantibus; sed etiam subinde a seipsis. Uno semper gradu consistere potest fides, Ecclesia, ratio, intelligentia sana & Traditioni affixa: at id non potest voluntas humana & mutabilis, tum vel maximè, cum semel insitæ naturaliter inconstantiæ vento abrepta est. Hinc illa Arianorum omnium olim instabilitas, in alias & alias identidem de Verbi nativitate sententias, vel insanias potiùs euntium. L. 2. ad Constantium. *Eos autem qui dicunt, de non extantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, & non ex Deo, & quod erat aliquando tempus, aut seculum quando non erat, alienos novit sancta & Catholica Ecclesia: tu his ipsis dissides, & adversùs tuos hostes rebellas: novis vetera subvertis: nova ipsa rursum innovata emendatione scindis: emendata autem iterum emendando condemnas.* Et rursus mox: *Mali meditatio est bonorum demutatio, & non necessaria emendatio perversitatis occasio est. Taceo cur nostra apud Niceam à Patribus gesta rescindis: non enim cum his tibi convenit. Hoc tantùm quæratur, cur tua damnas? Fidem enim unam & unum baptisma Apostolus prædicat. Jam quidquid apud te præter fidem unam est, perfidia, non fides est. Nam qui fidem emendando condemnas, damnationem fidei esse constituis: dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rursus abolenda est.*

Quid ejusmodi sunt? non facilè autem dixerim, qui non sint hæretici: eos nihil opus est ab Ecclesia, à Sectis aliis damnari. In sui enim dogmatis damnationem simul ac in ejus mutationem ipsimet consurgunt. Qui enim fidem suam emendant, condemnant; atque ita nec emendant, sed emendandam fuisse confitentur. Si primam fidem emendavit secunda, hanc emendabit & tertia.

III. Certabatur tum maximè de Scripturis, & ex Scripturis; quas aliter Ecclesia circa æternam Christi nativitatem interpretabatur, aliter Ariana factio. Eo illos Hilarius in crimen agit Christi divinitatis hostes, quòd nec accepta in Ecclesiis & olim tradita retinuissent: & quòd quæ suo ex ingenio novassent, ea in dies interpolarent. Non jam Evangelicis ergo litteris fides de re tanta aptabatur, sed temporibus, & cujusque libidini temporibus servienti. Non una jam fides erat, ut ait Paulus; sed tot fides, quot voluntates, imò quot voluntatum versatilium huc illucque conversiones; tot fides erant, quot mores, quot hominum in alia & alia propensiones. Non Scripturæ tantùm, sed ab ipsismet Sectariis conscriptæ fides, seu fidei formulæ, & ipsæ, & earum intelligentiæ pro cujusque captu, vel libitu intervertebantur. Porro cum fides una sit, aut ne fides quidem sit: nulla certissimè fides erat, ubi tot fides scriptitabantur. Quàm vera, quam non exaggerata verbis hæc sint, sciunt, qui vel obiter Annales Ecclesiæ, vel Patres illorum temporum degustarunt. Quàm autem verissimè hæc eadem retorqueri possint in horum nostrorum temporum Novatores, in aperto est. Ibidem. *Qui postquam nova potius cœpit condere, quàm acceptaretinere, nec veterata defendit, nec innovata firmavit; & facta est fides temporum potius, quàm Evangeliorum: dum & secundùm annos scribitur, & secundùm confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, ut volumus; aut ita ut volumus, intelliguntur. Et cùm secundùm unum Deum & unum Dominum, & unum baptisma fides una sit, excidimus ab ea fide quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit.*

De Filii ad Patrem similitudine vel dissimilitudine, de simili vel consubstantiali, quot Arianorum scriptiones, disputationes, alternationes, ut nihil sanctum jam, nihil inviolabile perseveraret? Inter Sacramentarios nuperos quot de verbis Christi Eucharistiam conficientis dissidia, quot prælia, quot mysteriorum profanæ demutationes & contumeliæ? Quadrabat & illis, quæ de Arianis ajebat Hilarius, Fidem ab illis quæri, quòd jam nulla penes eos esset; Fidem chartis inscribi, quòd à corde expuncta sit: nec firmiùs eam chartis, quàm cordibus hærere. Ibidem. *Et eo tandem processum est, ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret. De similitudine autem Dei Filii ad Deum Patrem, & quod miserabilis nostri temporis fides est, ne non aut ex toto, aut tantùm ex portione sit similis: egregii scilicet arbitri, cœlestium sacramentorum conquisitores, invisibilium mysteriorum professionibus de fide Dei calumniamur, annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, defensos anathematizamus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, & mordentes invicem, jam ab invicem ampti sumus ab invicem. Fides deinde quæratur, quasi fides nulla: sit fides scribenda, quasi in corde non sit. Regenerati per fidem nunc ad fidem discimur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus, quasi baptisma aliquid esse possit sine fide Christi.* Et paucis interjectis: *Sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur, vagi, profugi, impii, dum & manentia demutamus, & accepta perdimus, & irreligiosa præsumimus.*

IV. Dum Ecclesiæ baptismo tingerentur Novatores, dum regenerarentur, fidem utique Ecclesiæ tenelli & innocui hauserant; nec postea illis opus fuerat de fide, ne de ipsius etiam Eucharistiæ fide inquirere, quæ baptismo quodammodo implicata fuerat, unde nec olim plerumque baptismus sine Eucharistia dabatur. Imitandus ergo illis in eo erat Hilarius, qui invictam fidei suæ constantiam ita ad Constantium Augustum profitebatur: Teneri à se quod accepisset: nec demutari quod Dei erat. Frustra esse hæreticos omnes, qui ad unum omnes dicunt se Scripturarum doctrinam tueri & prædicare; cùm cæteri omnes, vel ejusdem, vel alterius certè cujuscumque Sectæ hæretici contra dicant; cùm Arius, Marcellus, Photinus, Sabellius, Manichæus, Marcion germanam sibi vindicent Scripturæ intelligentiam, cujusque eorum fidem elevari & elidi, cæterorum omnium testimonio: nec ei credendum esse, qui unus sibi testimonium dicat inter tot adversariorum criminationes. Ut adversùs omnes hæreses eandem invictam vim hæc eadem obtineant, nemo non intelligit. Ibidem. *Quod accepi teneo: nec demuto quod Dei est. Sed memento tamen neminem hæreticorum esse qui se nunc non secundùm Scripturas prædicare, ea quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus, verbum Dei cum legit, nescit: hinc Photinus, hominem Jesum Christum cum loquitur, ignorat: hinc & Sabellius, dum quod Ego & Pater unum sumus, non intelligit, sine Deo Patre & sine Deo Filio est: hinc & Montanus per insanas feminas suas Paracletum alium defendit: hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia littera occidit, & mundi princeps diabolus est. Omnes Scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo: neque in prævaricatione sunt, sed in charitate.*

Ita sanè res habet: Scripturarum fidem Novatores omnes sine fide venditant, sine sensu loquuntur. Cùm enim mutuò omnes contra se dicant,

cant, quibus potiùs fidem habebis? quorum sensum cum cæterorum omnium dissensu admittes? Fides in unitate est; Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo: ubi diversa & contraria se objectat intelligentia, charitas præponenda est: hoc est ea intelligentia Scripturarum, quæ consensionem & charitatem omnium Ecclesiæ ætatum, omnium orbis Ecclesiarum confirmat. Ea enim demum veritas, ea charitas est, quæ sinu suo orbem Christianum omnem complectitur. Audiant Sectarii omnes fidem antiquam, non comminiscantur novam; conspirent ad unitatem, non ad dissensiones & schismata; complectantur charitatem, æternitatem. Hilarius, *Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem*. Illa erit non fides temporum, non secta schismatum; quæ æternitatem, quæ charitatem sectabitur; quæ tenebit, quod prior omnis ætas, quod orbis terrarum universus tenuit, tenetque.

V. Observavit Ambrosius satanam ipsum uti Scripturarum aliquando testimoniis, adversus veritatem, adversùs Christum ipsum, ut vel sic hæreticis præeat. *Disce hic quoque, quia satanas transfigurat se in Angelum lucis, & de Scripturis ipsis sæpè divinis laqueum fidelibus parat: Sic hæreticos facit, sic eviscerat fidem, sic jura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus, quia potest de Scripturis aliqua exempla proferre, nec sibi arroget quod doctus videtur.* At ubi cum Arianis congredi cœpit Ambrosius, tum in eadem ingressus est Hilarii vestigia, & simplici primùm fide, uno Scripturæ verbulo totam de unigenito Filio Dei dirimi posse controversiam declaravit. Patrem dixisse, vel Filium abundè est, ut tota fides à Patribus, ab Ecclesia, à Christo, à Deo Patre tradita teneatur, nec de æqualitate Filii cum Patre dubitetur. Quorsum ergo tandiu litigare, & Scripturas vexare, Ecclesiam disputationibus interminatis fatigare, utrum verè Filius, verè Pater esset quod dicitur? Una Scripturæ vox, & sine Scriptura simplex fidei antiquissimæ formula cum ipso baptismo tradita plus satis erat: quorsum ergo & Sectæ, & Sectarum dissidia? quorsum præter Arium Eudoxius, Eunomius, Ætius, plura nomina, una impietas? Imò quot nomina tot impietatum varietates, quas non facile esset alias ab aliis discernere: sed nec necesse esset, cùm uno illo anathemate configerentur, & conficerentur, quo configitur, conteritur, quidquid ab Ecclesiasticæ doctrinæ regula & traditione recedit.

In Evang. l. c. l. 4. Tom. 2. pag. 75.

Libet hìc ipsum adscribere Ambrosii contextum tametsi prolixiorem; quòd etsi alio alioque loco & tempore exoriantur & insaniant hæreses, sui tamen semper similes sunt; & quo ante mille & trecentos amplius annos conterebantur fulmine, eodem etiamnunc opprimantur. Qui ducentis, vel trecentis admodum annis ante nostram hanc ætatem ebullierunt, fuere ejusdem generis, ejusdem & impietatis, atque ii quos hìc nominabat Ambrosius: fuere & qui divinitatem Verbi lacessèrent. *Quid multa? Patrem interrogemus, cujus honori studere se dicunt, si Filius degener judicetur. Sed non est honorificentia boni patris, filii injuria. Non potest bono patri placere, si filius degenerasse potius à patre, quàm patrem æquasse credatur. Da veniam sancte Imperator, si ad ipsos paulisper verba converto. Sed quem potissimum legam, Eudoxium, Eunomiumve, an Arrium, vel Ætium ejus magistros? Plura enim nomina, sed una perfidia; impietate non dissonans, communione discordans; non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta. Cur enim secum nolint convenire, non intelligo. Eunomii personam diffugiunt Arriani, sed ejus perfidiam asserunt, impietatem exequuntur. Ajunt enim prodidisse effusius quæ Arrius scripserat. Magna cæcitatis effusio. Authorem probant, excutorem refutant. Itaque nunc in plures sese divisere formas. Alii Eudoxium, alii Eunomium, vel Ætium, alii Palladium, vel Demophilum, atque Auxentium, vel perfidiæ ejus hæredes sequuntur, alii diversos. Nunquid divisus est Christus? Sed qui eum à Patre dividunt, ipsi se scindunt: & ideo quoniam communiter adversùs Ecclesiam Dei, quibus inter seipsos non convenit, conspirarunt, communi nomine hæreticos, quibus respondendum est, nominabo. Hæresis enim velut quædam Hydra fabularum, vulneribus suis crevit.*

Ambros. l. 1. de Fide, c. 3. Tom. 4. pag. 58.

Pari jure dixeris; Serveti & Socini, Lutheri, & Calvini, & aliorum ejusmodi, plura nomina, sed una perfidia; impietate non dissonans, communione discordans; non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta. Cur enim secum nolint convenire, non intelligo. Senserunt & ipsi nuperæ hujus ætatis Novatores, in quamnultis convenirent: itaque coiere frequentissimè ut concordarent, nec id assequi tamen potuere, etsi nullum non lapidem moverent. Nempe tam unitas fidei, quàm fides ipsa propria dos est Ecclesiæ. Pax, charitas, propria dos est Ecclesiæ. Concentus consensioque in interpretandis Scripturis, propria dos est Ecclesiæ, cujus pectus insidet ille idem Spiritus unitatis, veritatis, charitatis, quo conditæ primùm sunt Scripturæ, & quem spirant universæ. Quibus authore Ambrosio cum Ecclesia non convenit, illis ne inter se quidem convenire potest. Hos illosve errorum magistros & antesignanos proprio nomine designasse nihil opus est, hæreticos nominabo. Omnis enim hæresis centiceps illa hydra est, vulneribus suis crescens, & incrementis suis non aliud consecutura, quàm ut plures experiatur clades.

Non rejicit Scripturas Ambrosius, sed infructuosas & propemodum infinitas de Scripturis & de earum sensu disputationes. Unum aut alterum Scripturæ Verbum sufficit simplicitati fidei avitarum traditionum retinentissimæ, argumentationibus sopiendis ne totæ quidem pares sunt. Uni voci Filii potuissent Ariani acquiescere, & quiescere. Audiendus Ambrosius. *Filium ergo legimus: mens tua percipit lectionem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur. In ipsis gymnasiis suis jam dialectica tacet. Non quæro quid loquantur philosophi, requiro quid faciant, soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quàm fides argumentis præponderet. Illi quotidie à suis consortibus deseruntur, qui copiosè disputant: isti quotidie crescunt, qui simpliciter credunt. Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus.*

Ibid. c. 5. pag. 64.

VI. Ex his perspicis, quàm verè dixerit Augustinus, & eminere & lucere non paulò ampliùs Catholica dogmata ex eo, quòd ab hæreticis concerpuntur. Eo enim conflictu lux elicitur uberior, nec ullæ magis Scripturæ nunc clarescunt, quàm quas ab heterodoxis obscuratas, diuque vexatas clarissima Patrum ingenia illustrarunt, quos eadem ipsos illuminabat veritatis & Spiritus sancti lux, à qua Scripturæ ipsæ primùm sunt effusæ. Et Alipius enim & Augustinus inter exordia sua graviter hallucinabantur in Incarnati Verbi sacramento; ille mentem humanam Christo abrogabat cum Apollinario, hic cum Photino sentiebat. Comperto uterque postea quid in his Ecclesia damnasset, & quibus ex eorum deliramentis Scripturas vindicasset, Catholico se, & sanæ dogmati reddiderunt, ex ipsis errorum næniis veritatem edocti. *Sed postea (Alipius) hæreticorum Appollinaristarum hunc errorem esse cognoscens, Catholicæ fidei collatatus & contemperatus est. Ego autem aliquanto posteriùs didicisse me fateor, in eo quod Verbum caro factum est, quomodo Catholica veritas à Photini falsitate dirimatur. Improbatio scilicet hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia tua*

Augustinus Confess. l. 7. c. 19.

sentiat, & quid habeat sana doctrina. Oportuit enim & hæreses esse, ut reprobati manifesti fierent inter infirmos.

VII. Lucem ipsam in qua habitat Deus, & quæ Deus est, aliquantò clariùs & vidimus & intelleximus, postquam illam Manichæi corpoream hanc ipsam esse lucem interpretati sunt, qua fruuntur non homines tantùm, & nobiliores quæque animantes, sed vilissimæ etiam, & vermiculi ipsi. Ne Augustinus quidem à tanta potuit absurditate emergere, nisi ubi & Ciceronis Hortensium, & Platonicorum libros lectitare cœpit. Cœpit enim tunc etiam interiori mentis oculo advertere & inqueri illam sapientiæ & veritatis incommutabilis lucem, quam non cernunt nisi naturæ rationis & intelligentiæ compotes: sed quam suo quæque modulo cernunt prorsus omnes, & tam perspicuè cernunt, quàm manifestè vident suum cuique tribuendum, virtuti posthabenda vitia; his pœnas, illi præmia deberi. Sunt enim hæc, & hujusmodi alia innumerabilia æternæ & incommutabilis veritatis effata, quæ non vident vel ingeniosissimæ animantes, quæ vident homines prorsus universi, etiam si qui sint obtusissimi. Intellexit ad eum modum tandem Augustinus, quæ illa esset lux in qua Deus habitaret, qui in naturis maximè intellectualibus habitat: quæ est ipse Deus, & in qua proinde habitabat Deus ante mundum conditum, quando ex eodem Augustino in seipso beatissimè habitabat. Statim porro vidit ex occasione Manichæorum, qui intelligendæ essent Scripturæ, ubi ante creatam lucem corpoream tenebras docent fuisse super faciem abyssi, ex quo Manichæi argumentabantur, tam insulsè, quàm impiè, Deum tunc in tenebris habitasse. Aures nunc Augustino admoveamus, ut liquidum fiat nobis, quantum luminis nostræ Scripturarum intelligentiæ accesserit, ex hæreticorum circa eas hallucinationibus, etsi tum maximè acuti sibi videantur & perspicaces. Quid dilucidius, quam lucem, quæ Deus, & in qua Deus est, non eam esse, qua fruuntur bruta? Atqui hoc non videbant Manichæi. Quid tam conspicuum, quàm quem Scripturæ Filium, quem Patrem dicunt, illum esse Filium, illum Patrem, & filium patris naturæ & substantiæ consortem esse? Atqui hoc Ariani non videbant, qui sibi videbantur mortalium oculatissimi. Quid manifestius, quàm quod in Scripturis dicit Christus, in Eucharistia Corpus suum esse, Corpus esse, non imaginem corporis; nec Dei sermonem, aut potestatem ad nostræ mentis angustias arctari debere? Atqui ducenti jam admodum sunt anni, quod Zuingliani, & Calviniani id non vident: cùm industriam suam illi omnem, & acumen conferant in perlegendis Scripturis. Scilicet in Scripturis illi, quod volunt, vident; quod non volunt, non vident: nec rem vident Sole ipso clariorem, perfimam sacrarum litterarum interpretem esse propriam cujusque voluntatem: non fidem, non traditionem Ecclesiæ perpetuam, non Ecclesiam ipsam toto terrarum orbe diffusam, sed propriam cujusque voluntatem. Accipe jam Augustini verba de luce illa, quæ tenebras abyssо offusas discussit, & ex qua nos ad hanc inferiorem lucem delapsi eramus. In hæc ergo Geneseos verba, *Tenebræ erant super faciem abyssi*, & ibidem, *Fiat lux*, &c. ita sanctus Pater: *Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat, quia homines sunt: vel derideat, quia superbi sunt. Sequitur in eodem libro, Et tenebræ erant super abyssum. Quod Manichæi reprehendunt dicentes: In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Verè ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum Solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus.*

De Genesi cont. Manich. l. 1. c. 3.

CAPUT XV.

Scripturis frustra confidere Hæreticos, quas interpretando pervertunt.

I. Ex Augustino, quid sit hæresis, & quot fuerint hæreses.

II. Quid distent hæreticus, & hæreticis credens.

III. Luculentè ex Augustino, ut post exortas demum hæreses, ad eas confutandas patefacta sint quæstiones complurimæ ex Scripturis.

IV. Prima omnium hæresis, scilicet eorum qui dixerunt, Durus est hic sermo. Cur Petro, cur Apostolis durus non esset.

V. Uti Scripturis, ita & Symbolo qui assentiri se vociferantur, illi nihilominus hæretici esse possint.

VI. Ex Ferrando, sive novi aliquid afferant hæreses, sive nihil, ne audiendæ quidem sunt; multo minus tamen, ubi semel damnatæ sunt.

VII. Unus de Trinitate passus, ut dici, ut negari posset: ut hinc & hinc insidiarentur hæretici: ut in ea re se gesserint Chalcedonenses Patres, ut Ecclesia.

VIII. Ex Vigilio, de meticulosis Catholicis, qui duas in Christo dicere naturas cunctabantur, etsi duas crederent. De eorum ea de causa inter se dissidiis.

IX. Eadem Catholicorum inter se dissidia, An Deus dici deberet passus.

X. Saluberrima hinc monita eruuntur, tum ad Catholicos, tum ad Novatores.

I. QUanta autem accessio luminis facta sit divinis Scripturis ex Hæreticorum concertationibus, conjici etiam poterit ex hæreticarum sectarum numero incredibili. Numeratas ait Augustinus fuisse hæreses à Philastrio Brixiensi Episcopo, ante Christi adventum viginti octo, post centum viginti octo. Utriusque temporis hæreses collegisse Epiphanium Cypri Episcopum octoginta tantùm. Cùm ergo longè doctior fuerit Epiphanius Philastrio, teste Augustino, nec fallere illum non potuerit, quod hunc non latuit: si plures hic quàm ille numeravit hæreses, eo id factum est, quòd *aliud uni eorum videretur hæresis, aliud alteri*. Ita Augustinus in altera, quam præfixit libello suo de Hæresibus Epistola ad Condiaconum Quod vult Deum. Ecqui autem fieri potuerit, ut non idem Epiphanio, quod Philastrio hæresis videretur, id ex eo forsan emersit, quòd ut ait ibidem Augustinus in præfatione, non idem sit hæresis quod error. Cùm enim omnis hæresis error utique sit, non vicissim omnis error hæresis est. Ergo potuit Philastrius minus accuratè hæreses ab erroribus dispescere, & ita plures numerare hæreses: aut velut hæreses notare, quas Epiphanius molliori pollice rem tractans, erroribus tantùm accensuit. Sed vel hinc concludit Augustinus difficile & operosum esse, accuratè & absolutè diffinire, quid sit hæresis, qui non error tantummodo sit; & tamen daturum se operam, ut ei quæstioni fiat satis: si res enim procedat ex animi sententia, non modicam hinc lucem & utilitatem redundaturam: si minùs procedat, fore tamen ut profit vel ipsa inquisitio. *Non enim omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut*

Lib. de Hæresibus in Præfat.

aut omnino non potest, aut difficillimè potest: quod in processu hujus operis declarabitur, si Deus rexerit, atque id quod intendo, perduxerit disputationem meam. Quid autem prosit ipsa inquisitio, etiamsi non potuerimus comprehendere, quomodo sit definiendus hæreticus, suo loco videndum atque dicendum est: nam si hoc comprehendi potuerit, quis non videat utilitas quanta sit?

II. Nec verò nobis hìc nunc præteriri fas est, quod primo statim capite libri de utilitate credendi contestatur Augustinus, non parvo distare intervallo hæreticum, & eum qui hæreticis credit. Hæreticus enim illi is est, quem rei, vel gloriæ cupiditas transversum agit, impellitque ad fallaces quasdam novitates vel excogitandas, vel sectandas; at qui ejusmodi hominibus credit, ille est, qui imaginaria quadam specie veritatis, & pietatis deluditur. *Si mihi, Honorate, unum atque idem videretur esse, hæreticus, & credens hæreticis homo, tam lingua quàm stylo in hac causa conquiescendum mihi esse arbitrarer. Nunc verò cum inter hæc duo plurimùm interfit, quandoquidem hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur: ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus.* Vides, ut hæreticam, ut contrariam veræ Scripturarum interpretationi opinionem gignat, non tam mentis aberratio à proposito sibi scopo veritatis, quàm voluntas & libido, vel laudum, vel rerum temporalium, maximè autem potestatis. Sint ergo, ut suprà edisseruimus, mores probi, purique: sit vacua cupiditatum sordidarum mens, sit cœlestium charitas aliqua, ultro patebunt Scripturæ, nec alii magnoperè desiderandi erunt earum interpretes: non illudet hæresis, non error saluti adversus. At verò qui hæreticis credit, vana quidem ille veritatis & pietatis imagine illuditur: nec tamen quasi simpliciter erret, assentari vel sibi ipse potest, vel ipsi alius quispiam. Non personæ tantùm enim, non errori tantùm hæret hæreticorum, sed & contumaciæ eorum, quos videt ab Ecclesiæ doctrina & communione alienos, quæ una salutis æternæ arca est, extra quam desperata omnium salus est.

III. Ante exortum cujusque hæreseos auguratur alibi Augustinus multos fuisse in Ecclesia, qui Scripturas quibus illa expugnari aliquando posset, liquidò & enucleatè scirent: sed quando minimè opus erat, ut eas ipsi quæstiones excitarent & postea solverent, eos consultius duxisse, ne nodos quidem ostendere, quibus enodandis postea labor & opera impenderetur. Præter opinionem ergo suam id perfecerunt, id Ecclesiæ commodarunt hæretici, ut ardua quæque Scripturæ loca, & ardua mysteriorum in eis latitantia tunc apertiùs splendidiùsque explanarentur à nobis, cùm ab illis vexabantur. *Ergo multi qui optimè poterant Scripturas dignoscere & pertractare, latebant in populo tum Dei: nec afferebant solutionem quæstionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Arriani? nunquid perfectè de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfectè de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores; nec de ipsa unitate Christi enucleatè dicta erant, quæ dicta sunt, nisi postea quàm separatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jam illi qui noverant hæc tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus & disputationibus suis obscura legis in publicum deduxerunt.* In Psal. 54.

IV. Ante verò quàm ea sic panderentur vel Scripturarum, vel mysteriorum arcana abstrusiora, in fide avita confirmabat simplices non lux, sed flamma charitatis; non scrutatio, sed reverentia sacrarum litterarum; non intelligentia, sed pietas & religio. Id confirmat luculentissimè sanctus Pater exemplo ejus hæreseos, quam ipse primam omnium vocat: quando videlicet non Apostoli, sed discipuli quidam alii resilierunt à Christi sermone de Eucharistia, causati durum hunc esse sermonem. Erat sanè durus, sed suæ scientiæ & perspicaciæ plus æquo fidentibus, sed de Christo nihil magnificè sentientibus, sed de ejus splendidissimis virtutibus & miraculis præceptam opinionem, reverentiam, admirationem temerè & abruptè expuentibus. Erat sermo ille durus, hoc est supra captum; sed quid magnum, quid excelsum, quid divinum est, quod non & supra captum sit? An supra captum eorum non erat, quod tactu, quod verbo, quod jussu res tam miras, tam stupendas, tam supra admirationem & stuporem positas operatus jam ob oculos eorum fuerat Christus? Erat denique durus hic sermo, sed pietate, sed priùs hausto fidei rudimento, sed Christi charitate molliendus erat, ut eum emolliit Petrus, ut cæteri emollierunt Apostoli, tot invictissimis documentis jam persuasi, jam certi Christum habere verba vitæ æternæ. *Nam & prima hæresis in discipulis Christi velut ad duritiem sermonis ipsius facta est. Cùm enim diceret, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se: illi non intelligentes dixerunt ad invicem, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Dicentes quia durus est sermo hic, separaverunt se ab illo: remansit cum aliis duodecim.* Et mox: *Nunquid jam Petrus intelligebat secretum illius sermonis Domini? Nondum intelligebat: sed bona esse verba quæ non intelligebat, piè credebat. Ergo si durus est sermo, & nondum intellectus est, durus sit impio, tibi autem pietate molliatur.* Ibidem.

Ex hoc primæ omnium hæreseos ingenio vides, quid de cæteris postea exorituris ominandum fuerit; Scripturæ, Christique scilicet verba offensioni illis futura, ut eorum vel authoritatem detrectent, vel sensum pervertant, & unius duritia sermonis à toto Catholicæ Ecclesiæ dogmate & corpore abalienentur, cui hactenus hæserant: cùm tantò æquius fuisset, ut priori reliquorum catholicorum dogmatum persuasioni hunc unum duriusculum sermonem mollirent.

V. Nec Scripturas tantùm perversis interpretationibus evertunt hæretici, sed & Symbolum ipsum. Invidiam faciunt Ecclesiæ, quod hæreticos illos habeat & detestetur, qui Scripturis, qui Symbolo ipso se tuentur Apostolorum; nec advertunt alias complures ipsismet execrationi esse hæreses, quæ in eadem erant cum ipsis navi, Scripturis Symboloque assentiebantur. In his erat Julianus Pelagianus, quem aurea lucubratione refutavit Augustinus, ea quæ antè opus imperfectum vocabatur, nunc jure merito opus perfectum est. In eo versabatur errore Julianus, quod peccati originalis, & ejus labis, quæ inde in totam naturam nostram serpsit, doctrinæ non subscriberet: cùm interim Symbolo assentiretur Apostolorum. *Ergo hæresim vocas alterius disputationis corpus, cujus membra omnia recta, atque Catholica confiteris.* Quem hoc responso refellit Augustinus, Hæreticos nihilominus dici assentiebatur Arianos, Eunomianos, & alios id genus, etsi toti Symbolo se assentiri præ se ferrent. *Novatianos, Arianos, Eunomianos aliosque nonnullos, nonne etiam cum totum symbolum confessi fuerint, vocamus hæreticos? Ut ergo alia taceam pertinentia ad hæresim vestram, quomodo vos non vis vocemus hæreticos, qui negatis parvulos erui de potestate tenebrarum, quando transferuntur ad Christum, in quibus accepturis Spiritum sanctum tota antiquitus Ecclesia, quæ laudat nomen Domini à solis ortu usque ad occasum, exsufflat & exorcizat* Supplem. Tom. 2.

ſpiritum immundum. Sic ille fidem Catholicam eam demum eſſe contendit, non quam Sectarii Scripturarum teſtimoniis munire ſatagunt, non quam Symbolo conſonare cauſantur: ſed quam tota antiquiſſimaque Eccleſia toto terrarum orbe profitetur, germaniſſima ſcilicet ipſa Scripturarum & Symboli interpres.

VI. Negabat Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus in Epiſtola ad Anatolium Romanæ Diaconum Eccleſiæ, confoſſas ſemel hæreſes Pontificum & Synodorum decretis, ad novarum diſputationum incudem revocari debere; quod ut venena, ita & venenata dogmata ventilari nequeant, quin afflatu peſtifero quibuſdam obſint, vel etiam perniciem creent. Itaque præſtabilius cuiuſque nihil eſſe, quàm fidem antiquam inviolabilem ſervari, exploſis novitatibus, & ne ad novas quidem diſputationes admiſſis. *Poſt Epiſtolam beati Leonis Papæ, & ſalubria Chalcedonenſis decreta Concilii, ſanctę frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore diſputatione convinci. Sepultus ergo jaceat in cineribus ſuis nefanda hæreſeos profanus inventor. Semel illum fulmine anathematis judicantium Sacerdotum percuſſit authoritas: quid opus eſt iterum cadaver exanime gladio veritatis interfici? Doctrinam ſimul carentem lumine rationis, perpetui ſilentii carcer abſcondat. Interdum peſſima dogmata dum quaſi expugnanda proferuntur, veneno peſtifero ſimplicium corda perturbant. Satius eſt iſta neſcire, fidemque Catholicam ſuppoſitis profanis novitatibus inviolabilem cuſtodire: manentibus in priſtina firmitate quæ ſunt etiam Synodalibus roborata definitionibus.*

Ferrand. Diac. pag 18.

Video hæc à Ferrando affirmari poſt Pontificias & Synodicas definitiones, non ſine longa forſan Scripturarum indagatione perfectas. Sed in illis ipſis definitionibus id plerumque præ ſe ferebant Pontifices, Synodique, ne audiendos quidem fuiſſe Novatores, qui ſuo ſe ipſi ore damnabant, ſuo ſe jugulabant gladio, quando nova ſe afferre non diſſimulabant; cùm ſola in Eccleſiis dominetur antiquiſſimæ fidei authoritas. Si enim novi nihil afferebant, ne tum quidem audiendi & ad novas concertationes admittendi erant. Itaque ſive novi quid, ſive nihil novi proferrent, conſultiſſimum erat, aures illis ut occluderemus, ſimplicitati fidei & traditionum acquieſceremus. Multò magis ergo ubi & Pontificiis & Synodicis decretis obtriti ſemel fuere hæretici, tunc ſaltem ſilere cogendi ſunt.

VII. Magno tunc animorum æſtu certabatur, an unus de Trinitate paſſus dici poſſet, an Maria propriè & veraciter Dei mater prædicari. Quo te cumque verteres, immincbat, qui vel affirmantes Eutychianos diceret, vel negantes Neſtorianos. Enimverò ejuſmodi erant hæ propoſitiones, quibus hinc Catholicus, inde hæreticus poſſet ſenſus affingi. Malebant alii unam de Trinitate Perſonam paſſam dici. Cùm de verbo tantùm controverſia fieret, alii aliis tamen hæreſeos quandoque notam illinebant. Qua erat ſapientia Ferrandus, ſuadebat his ut criminationibus abſtinerent, pacem colerent; cùm verbo diſſiderent, re convenirent. *Omnis ergo Catholicus aut unum de Trinitate paſſum ſimpliciter audiat, ſimpliciter dicat; aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam Perſonam de tribus paſſam fateatur; nec ideo quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate paſſum illo ſenſu dicit, quo etiam ipſe unam perſonam de tribus paſſam veraciter dicit: ſimulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes.* Unum de Trinitate paſſum primus in Concilio Chalcedonenſi dixiſſe ferebatur Eutychetis Apocriſiarius: Author magis quàm ſententia diſplicebat. Quid temperamenti tenuerint Chalcedonenſes Patres, narrat mox Ferrandus: ſcilicet nec Catholicum eos pronuntiaſſe hujus ſententiæ authorem, quæ ab hoc authore prolata meritò ſuſpecta habebatur: nec ſententiam ipſam Catholicis inſeruiſſe decretis, ne authoris non verba tantùm, ſed ſenſum probaſſe viderentur. At ubi invidia deflagravit & contentio, advertiſſe Catholicos vel ea ipſa ſententia revinci poſſe Eutychianos, ut quæ duas inſinuaret naturas. *Nec movere quenquam debet, ſi verè hanc ſententiam, ſicut à quibuſdam dicitur, Eutychetis protulit Apocriſiarius in Chalcedonenſi Concilio. Sepè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem noſtri in Concilio poſiti, ſenſum loquentis, non verba conſiderantes, nec illum propter hanc ſententiam pronuntiare Catholicum, nec ipſam ſententiam Catholicis tunc inſerere definitionibus voluerunt; ne viderentur tam intellectum loquentis adprobaſſe, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus ſanctus poſtea fideles admonuit, etiam per hanc ſententiam revinci Eutychianiſtas, in qua duarum plena eſt prædicatio naturarum.* Denique ita ſuadet Ferrandus, unum de Trinitate paſſum à Catholicis dici debere, & Mariam propriè Dei matrem; cùm & Catholici Doctores ita loquantur ſano & orthodoxo ſenſu; etſi hæretici diſtortos & falſiſſimos oblinant ſenſus ei propoſitioni. *Careat ſuſpicionibus, omittat contentiones, & de cætero unum de Trinitate paſſum, vel Mariam proprie matrem Dei eſſe ſic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiam ſi aliter hoc adfirmare nitantur hæretici, Doctoribus orthodoxis aures ſimplices præbeat.*

Ibid. p. 100.

Pag. 106.

VIII. Operoſiùs aliquantò hoc argumentum verſavit Vigilius, cujus eſt opus peregregium adversùs Eutychetem. Sed rem ille altiori ab origine repetit, ab illis nimirum qui ne duas quidem naturas ut ore & abſolutè confiterentur adduci poterant, ne illico illis Neſtoriana impingeretur veſania. Naturam enim & perſonam indiſcriminatim Neſtorius pro una & eadem re habebat. Hac ergo inani formidine plus æquo perculſi quidam Catholici, duas in Chriſto naturas dicere detrectabant, etſi cùm mentem fidemque ſuam ſigillatim & prolixiùs exponebant, utramque & Dei & hominis naturam dicerent. Audiamus Vigilium hæc non ſine dolore narrantem Catholicorum inter ſe diſſidia: *Hæc multi orthodoxorum minùs attendentes, aut attendere nolentes, vel diſcernere non valentes, in duas ſeſe partes, non diverſitate ſententiæ, ſed vocis profeſſione diviſerunt; ut id quod eodem modo ſentiunt, eodem modo pronuntiare formident; inutili profectò atque ſuperfluo timore, ut jure illud propheticum eis poſſit aptari, Illic trepidaverunt, ubi non erat timor. Nam plerique orthodoxorum ſenſum utrarumque naturarum cùm Catholicè exponant, Catholicè retineant, ideo tamen duas nolunt dicere naturas, ne ſecundùm Neſtorium duas putentur fateri perſonas; à confeſſione utriuſque naturæ non corde, ſed voce tantummodo recedentes; quodam enim circuitu expoſitionis utuntur, ut duas ſe credere oſtendant: ſed duas nudo ſermone non pronuntiant. Nam cùm credant atque fateantur non hominem, ſed Verbum deſcendiſſe de cælo, eumdemque ſic in virginis utero incarnatum, id eſt, ſic carnem adſumpſiſſe, ut non mutaretur in carnem; ſic Verbum hominem factum, ut Deus verus maneret; ſic noſtram adſumpſiſſe naturam, ut non mutaret nec abjiceret ſuam: ſic Deum hominem, & hominem Deum factum, ut non fuerit tamen utrumque conſumptum; quis non videat hoc ſenſu duas apertè adſtrui atque demonſtrari naturas? Quod ergo vera fidei expoſitione colligitur, atque animi ſententia retinetur, cur ſuperfluo timore vocis profeſſione tacetur?*

Vigil. cont. Eutych. l. 1. Bibl. Pat. Tom. 4. pag. 103. 104.

IX. Mox ibidem rurſus idem Vigilius, ut meticuloſi quidam alii magis, quàm irreligioſi, Deum paſſum & mortuum dicere abnuebant, & putidiſſimè tergiverſabantur, ne viderentur Eutychetis & Apollinaris inſaniæ conſenſiſſe, quam reapſe

reapse execrabantur, & quam nihilominus execrari potuissent, etsi cum Ecclesia Catholica & cum sanctis Patribus Græcis Latinisque Deum mortuum, Deum passum confessi essent; cùm unum persona, unum hypostasi Christum Deum atque hominem confiterentur. Qui Vigilii, qui Ferrandi similes erant, qui supra populares has nænias & scrupulositates assurgebant, ii ingemiscebant his Catholicorum inter se dissidiis, nec Catholicos ultro citroque esse dubitabant: at de plebe Catholici mutuis se proscindebant convitiis, alii aliis Nestorianæ dementiæ, vel Eutychianæ infamiam aspergebant, cùm hinc & hinc nihilominus Catholici essent. Vigilii rursus hìc in eam rem verba attexemus, ex quibus fructum non mediocrem postea capiemus, tum ad Catholicos in fide & pace Ecclesiæ confirmandos, tum ad refellendos hæreticos. Sic ergo Vigilius: *Rursus alii timentes ne Apollinaris & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum passum & mortuum, cùm unam ejus credant esse personam, & hunc eundemque Deum fateantur & hominem. Si ergo unus est, sicuti est, cur eum formidas dicere passum, quem non formidas credere unum? Nec audes dicere alterum secundùm Nestorii impium sensum. Ecce sunt timores inanissimi & solicitudines vana, que fecerunt orthodoxos hereticorum sibi nomina impingere, dum voce depromi palpatur, quod expressiùs corde clamatur. Qui enim volunt duas ore fateri naturas, quas fidei expressione defendunt, Eutychianistæ reputantur, cùm non sint. Item qui duas unius Christi naturas publicè profitentur, Nestoriani putantur esse, cùm non sint; & videas eos luctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis insultationibus hereticorum nomine se invicem accusare. Tu, inquit, Eutychianus es; & Tu Nestorianus es: Apostolica sententia in totum obliti, dicentis: Videte ne cum invicem accusatis, ab invicem consumamini. Rogo vos cum sensu incolumes sitis, cur vocibus insanitis? cur perverso vocis timore erratis, qui recta fidei stabilitate mentis in professionem consistitis?* Ibidem; pag. 504.

X. Admonentur hoc exemplo Catholici, periti, imperiti, 1. ut ne fidei tantùm Ecclesiæ, sed & verbis ejus definitionum adhærescant; nec verbis tantùm, sed & Ecclesiasticæ horum verborum intelligentiæ. His enim verbis, Deum carne passum & mortuum, Mariam verè & propriè Dei matrem affirmantibus, poterat sensus alius & alius, rectus & obliquus assignari. Ne hinc ergo suspiciones, rixæ, calumniæ aliorum in alios & criminationes nascerentur, consultissimum erat, ut Ecclesiæ fidei & fidei formulæ, verbis & verborum sensui inter Catholicos vulgatissimo omnes se ex animo adglutinarent, de aliis ne malè suspicarentur, simplicitati studerent ipsi, ad eam & alios hortarentur; catholicis & doctis Præsulibus ac Magistris se conformarent, atque ita vel malevolorum, vel ignorantium obtrectationes aspernarentur. 2. Ut nulli non vel symbolo, vel fidei formulæ intelligant subesse posse varias significationes, veras, falsasque, rectas, vel præposteras. Non quòd ea sit fidei, vel definitionum fidei conditio: sed quòd ea vel ingenii humani, vel eloquii imbecillitas, ea cavillandi, ea contendendi libido, ea sit mentis mortalium inconstantia. Hinc coginur tantò vehementiùs simplicitati, charitati, paci studere; ne suspicionibus, ne subtilitati, ne calumniæ vel minima rima aperiatur. 3. Nec aliter res habet in media illa terenda orbita inter Nestorium & Eutychetem; ne nobis videantur alii, ne nobis videamur ipsi, sic ab altero deflectere, ut ad alterum devienus. Simplicitas fidei & ore profitenda est, & corde retinenda, ut Christus & Deus & homo, naturis geminus, unus persona & hypostasi teneatur: hinc scrupulosas ablegemus perplexitates, ne hinc vel nobis ipsi, vel aliis molestiam creemus. Satius est ut simplicitas charitasque aliqua minùs excusanda excuset, quàm ut inquieta & semper sollicita inconstantia animi, & nos & proximos arrodat. 4. Nec est quòd sibi suppalpentur Novatores, quasi non aliter ipsi à Catholicis dissideant, quàm inter sese Catholici ipsi. Incredibilis est horum dissidiorum intercapedo. Velitantur inter se Catholici; internecina est hæreticorum inter sese, & cum Catholicis pugna. Dissident inter se Catholici, non dissident ab Ecclesia Catholica; ab Ecclesia maximè dissident hæretici. Sunt & filiorum sub uno patre familias rixæ aliquando; at reverentia & charitate sospite patris matrisque; unde & mox filiorum etiam pax & charitas redintegratur. Nihil ejusmodi allegare possunt Novatores; Pontificum illi, qui patres sunt Ecclesiæ; parentis optimæ Ecclesiæ ipsius sinum illi, & reverentiam proscideruut, ut difficillimè jam illis cum Catholicis fratribus convenire, aut pax resarciri possit. 5. Qui sibi mutuò suspiciones & calumnias aspergebant hæreseos Nestorianæ, vel Eutychianæ, ii ad unum omnes utramque insaniam execrabantur, utriusque authorem Nestorium & Eutychetem damnabant, Ecclesiæ quæ eos proscripserat assentiebantur, Pontificibus, sanctis Patribus, Conciliis in eas pestes detonantibus consentiebant. Componant se Novatores ad hanc fidei, doctrinæ, charitatis formam, & tum Catholici & ipsi apud nos audient, nec negotium illis facessemus, si quibus obliquioribus suspicionibus vel exagitent ipsi Catholicos, vel ab ipsis exagitentur. Danda enim erit utique venia, si homines de hominibus malè aliquid & perperam sentiant, dum cætera cum Ecclesia sentiant omnia, sapiantque. 6. Sed nec illud hic omittendum, quod mox subjicit Vigilius; & illud etiam ut amplectantur invitandi sunt Novatores, si se penitus purgatos velint. Nihil erit quod hæreseos suspiciones reformident, qui Ecclesiæ, qui Pontificibus, qui Conciliis, qui sanctis Patribus, & fidem, & confessionem suam omnem accommodabunt. De Patribus ita Vigilius: *Cur formidas duas dicere naturas, quod Athanasius omnium Ecclesiasticorum virorum judicio probatissimus dixit? In qua fidei professione cuncti Græca lingua tractatores, quod superiore libello commemoravi, & omnes Latini sermonis, Apostolici viri, id est, Hilarius, Eusebius, Ambrosius, Augustinus & Hieronimus, cœlestibus imbuti doctrinis, simul pariterque consentiunt? Et tu quare times dicere Deum passum, cum hoc ubique Apostolica præconia contestentur?* Ibidem;

CAPUT XVI.

Rursus quàm frustra hæretici Scripturis confidere se simulent.

I. Præclarè Facundus de Catholicis, qui ab Eutychianis Nestoriani, ab his Eutychiani dicebantur, & eo neutrum esse probabantur. Ita & cùm ab his Sabelliani, ab illis Ariani dicebantur.

II. Unius hæreseos inconsideratior & præservida insectatio, in contrariam hæresim quandoque impingit.

III. Cyrilli & Joannis fautores hinc & hinc Catholici, de hæresi sese mutuò insimulabant, errabantque non in doctrina, sed in personis. Quàm nihil hæc Sectarios juvent.

IV. Olim etiam Catholici alii tres Hypostases dicebant, alii unam, verbis, non re dissidentes.

V. Rursus de Cyrillo Capitula sua retractante ad sanciendam cum Orientalibus pacem, cùm hi propiores errori fuissent, & nihil retractarent.

VI. Quàm in optatis esset, ut Protestantes Cyrillum imitari in animum induxissent.

VII. Rursus exemplo Joannis Chrysostomi conveniuntur à Facundo Protestantes.

VIII. Rursum Facundus, ut Deus benevertat, & in fidei Catholicæ decus convertat ipsas Catholicorum quandoque inter se concertationes, ut Cyrilli & Orientalium.

IX. Quàm jure, quàm sanctè sibi gratularetur Cyrillus, quod qui in ipsum certare se putabant, illi pro fide sua, pro se certarent, atque ita vinceret fides & Ecclesia.

X. Rem explanat Facundus exemplo duodecim Tribuum, utrimque pro Dei cultu æstuantium.

XI. Quàm benevertenda sint, siqua Patres dixerint dubiè, vel obscurè.

I. NOn prorsus ab his abludunt, quæ disputat Facundus Hermianensis Episcopus, de Catholicis, qui à Nestorianis Eutychiani, ab Eutychianis Nestoriani dicebantur, & eo ipso neutri illi pesti demonstrabantur consentire. Usque adeo enim Nestoriani non erant, ut à Nestorianis quasi Eutychiani infamarentur. Usque adeo Eutychiani non erant, ut ab Eutychianis quasi Nestoriani traducerentur. Neutrum ergo erant, eo etiam argumento, quòd utrumque dicerentur, cùm utrumque non possent. Ita & quondam Catholici Arianis Sabelliani erant, Sabellianis Ariani; verè neutrum, quia utrumque de ipsis temerè jactabatur; cæteroqui tantoperè ab Arianis distantes, ut ab illis Sabelliani dicerentur; tantoperè à Sabellianis discrepantes, ut ab his quasi Ariani explodérentur. Homines profani hæc deridiculo habebant; pii & sobrii etiam atque etiam dolebant; & in causa si ipsi essent, eas à se calumnias à se abstergere omni ope enitebantur, non ut sibi, sed ut proximo consultum esset, non nescii debere nos conscientiam Deo puram præstare, famam etiam proximo, quantum id quidem nostræ potestatis est. Ita ergo Facundus: *Nam & hoc benè compertum est, quod non solum Eutychiani de sua vanitate convicti Nestorianos; verùm etiam ipsi Nestoriani, quos non minùs redarguit fidei nostræ defensio, è contra nos de Eutychiana hæresi criminantur. Et licet ista nec expaveſcamus, nec quasi nova miremur: quoniam sic aliquando etiam patres nostros Ariani velut Sabellianos, Sabelliani verò velut Arianos mendaciter infamabant. Oportet nos tamen, sicut monet Apostolus, providere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, & criminationes detrahentium præsertim in causa fidei prævenire.* Lib. 4. c. 2.

II. Hinc illud emicat, ne ipsius quidem hæreseos detestationem, tametsi laudatissima sit, debere nimiam esse, aut immoderatam. Quidam enim Arianorum odio nimis exasperato ad Sabellianos defluebant; & vicissim alii ad Arianos ex Sabellianæ dementiæ aversatione ultra modum æstuante. Perinde sentiendum est de Eutychete, & tota ejus assectarum colluvione, cui fraudi fuit Nestorii & Nestoriani dogmatis immoderatior insectatio. Denique non aliter æstimandum de imprudentibus illis Catholicis, qui seipsos mutuò dilacerabant, non alia de causa, quàm alterutrius hæreseos odio inconsiderato; nam illos etiam ex fratribus suis infamabant, qui ejus non lue, non justa aliqua suspicione laborabant, sed umbratica tantùm specie, & ea verisimilitudine, quæ veri persæpè inimicissima est. Unde hac nimis exaggerata Nestoriani dogmatis detestatione, demonstrat Facundus, victoriam tantùm non illi partam fuisse. *Ubi simul & illi licet, qui communicantes Ecclesiæ, & authoritatem venerantes ipsius sanctæ synodi, tanquam dogmati Eutychiano contrarii; tamen per contentionem verbi superfluam, negant debere dici unum ex Trinitate crucifixum, & verè proprie matrem Dei Mariam; inventi sunt adversus eandem synodum facere, & Eutychianos e contrario suis contentionibus adjuvare. Apparuit etiam, ipsos Eutychianos, qui tanquam contra dogma Nestorii, duas unius Filii Dei negant esse naturas, Nestorianis per hoc indubitatam dare victoriam, & synodum Ephesinam reprehendere, quam accepisse se fingunt. Sic meretur cæcari, ut sibi primum contradicat, obvia veritati contentio, quæ nec rationis est capax, nec contenta esse Patrum authoritate dignatur.* Idem l. 6. 138. 145. 151.

III. Finitima his sunt, quæ de Cyrillo Alexandrino Episcopo, & Joanne Antiocheno, & de utriusque defensoribus in causa Nestorii sese mutuò impetentibus idem Facundus disputat. Illos similiter docet verbis dissensisse, cùm in re idem prorsus sentirent. Nestorii, vel Apollinaris dogma sibi mutuò affinxisse, à quo utroque utrique abhorrebant. Non posse autem non aliquando contingere, ut homo hominem lateat; & alius quis habeatur, quàm sit; & cæteros similiter alios æstimet, quàm sint. De doctrina ipsa fidei mira illis consentio est; at quid quisque privatim sentiat, id incompertum esse; quid cujusque verba significent, & quem in sensum torquenda sint, id inexploratum esse. Hinc illæ suspiciones, rixæ, maledicentiæ; interim utrique condonandæ, dum charitas, pax, veritas alluceſcens has differt nubeculas; ut reapse Cyrillus & Joannes concordiam aliquando tandem renovarunt, & Catholici utrimque non esse tum cœperunt, quod semper fuerant: sed sibi mutuò videri cœperunt, in quo utrimque allucinati fuerant. *Si quis autem non declinans in alterutram partem, sine contentione rem quærat, inveniet quod tam sanctorum Orientalium Patrum, quamvis de beato Cyrillo malè sentirent; quàm ipsius beati Cyrilli, eadem fuerit semper intentio, ut Dominum unum Jesum Christum docerent in duabus naturis, id est, divinitate atque humanitate perfectum: ne aut propterea duæ personæ crederentur, quia duæ naturæ sunt; aut propterea una crederetur esse natura, quia una persona. Contingit autem nonnunquam inter unius sententiæ viros, ut cum de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen invicem aliud suspicentur; cùm vel à dicente minùs aperitur verbis, quod corde conceptum est; vel ab audientibus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, quæ de Deo malè creditur, ab ignorantia, qua quisque aliter de suo proximo, tanquam homo de homine suspicatur. Et si fortè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, qua veritas fidei, quam de Christo habemus, asseritur.* Idem l. 6. 138. 145. 151.

Hìc nihil habent Novatores, quo suo vel errori, vel schismati pertinacissimo patrocinentur. Ecclesiæ fidem, Ecclesiam ipsam & Cyrillus & Joannes, sive Theodoretus arctissimè complectebantur, idque præ se ferebant. Sedi Apostolicæ, & Episcoporum universo per orbem collegio adhærebant, & hinc ne posse quidem se resilire agnoscebant. Joannes Nestorio favebat, non ejus dogmati; favebat inquam Nestorio, aut necdum damnato, aut tam recens damnato, ut necdum synodicum hoc decretum, aut à Romano Pontifice, aut ab Ecclesia universa confirmatum, & novo hinc robore munitum fuisset. Vel ipsa enim synodalia decreta, etsi invictæ authoritatis sint, antiquitate tamen ipsa, & consensione unanimitatis toto orbe Episcopalis convalescunt. Sectarii ergo nostrates hinc nihil omnino sibi præsidii parare possunt, qui tanto & tam diutino Pontificum & Conciliorum consensui pertinacissimè renituntur.

IV. Nec illud tacuit Facundus aliquantò antiquius exemplum dissidentium circa fidei discrimen Catholicorum, cùm alii tres in Trinitate & personas & hypostases assererent, alii unam hypostasin, tres personas. Vicit charitas, diluxit veritas, obtinuit unitas, omnibus summæ credentibus

Eccle-

Ecclesiæ auctoritati, quæsita rem interpretata est, non aliud esse Personas Latina, quàm Hypostases Græca voce. *Sicut aliquando in divina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamvis tres personas acceperint, &c. comperti sunt non in re, quæ illo nomine significabatur, sed potiùs in ipso nomine quo significabatur offendi.*

Ibid. l. 6. pag. 256.

V. Multò plus habet admirabilitatis, quod idem Facundus paulò pòst subjicit, de B. Cyrillo, qui id paci, id charitati donavit Ecclesiæ, quando in gratiam rediit cum Joanne Antiocheno & cæteris Orientalibus, ut ipse quidem ab Orientalibus nihil retractari cogeret, sed ex adverso sua ipse Capitula retractaret; quasi non illis, sed sibi recantandum & emendandum aliquid esset; cùm contra totum esset. Nam & Theodoretus & Joannes nonnihil ab æqui rectique orbita deerraverant, quod illis retractandum jure merito fuisset; Cyrillo autem sua tantùm erant Capitula paulò planiùs exponenda, ut cavillandi ansa omnis amputaretur. Sed quantò veritati propior erat Cyrillus, tantò ille fuit & unitatis charitatisque studiosior; ut non sine suo aliquo dedecore, aut dedecoris rumore Orientales lucraretur, & unitati fidei recolligeret. Ita enim tunc jactavere Orientales, se nihil suorum emendasse dogmatum, Cyrillum sua castigasse Capitula; se nulli fidei formulæ à Cyrillo propositæ subscripsisse, Cyrillum confessioni à seipsis concinnatæ subscribere coactum fuisse. Passim ergo ita jactatum est, conversione & resipiscentia Cyrilli hanc pacem factam esse, & ita ejus emendata fuisse Capitula, quasi unam in eis Christi naturam antè dixisset. Igitur tum quidem vincere visi sunt Orientales, vinci Cyrillus: nec id Cyrillum fallebat, qui tanti duxit, & lucrum id suum, victoriam verè suam interpretatus est, si suæ aliquo famæ dispendio, nullo fidei, nullo veritatis, tot Præsules, tantas Ecclesias sibi, unitati, fidei & Ecclesiæ Catholicæ redintegraret. *Hinc autem creditus est beatus Cyrillus, non rectam prius in suis Capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium postea esse correptus; quoniam cùm ipsa unitas Ecclesiarum fieret, non Orientales Patres ejus Capitulis subscribere compulsi sunt: sed ipse potius expetitus est, directæ sibi ab eis confessioni subscribere. Ipsamque Capitulorum suorum retractationem, non ideo eum post Ephesinam Synodum fecisse aliqui crediderunt, ut quæ clausa quibusdam fuerant panderentur, & quæ videbantur obscura clarescerent; sed potius ut pristinum in eis emendaret errorem, quod putabatur, sicut adhuc Eutychiani putant, quod unam in eis dixerit Christi esse naturam. Hinc ergo contigit, ut conversione beati Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera cui non surriperet ista suspicio, de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus: cùm nihil Orientales Patres, qui hæc Capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur: beatus autem Cyrillus, non solùm fidei confessioni, quam sicut necessarium crediderunt illi dictaverant, expetitus antè subscriberet; sed etiam ipsa sua Capitula retractaret?*

Ibid. p. 257.

VI. Miror si legere hæc possint Protestantes, sive Galli, si qui superstint, sive Germani, sive Angli, sive quivis alii, ut sibi Majoribusque suis non erubescant, qui ab Ecclesia nunquam se abscidissent, si in animum inducere potuissent, ut vel ad punctum temporis Cyrillum imitarentur; ut charitati, quàm contentioni magis studerent; unitatis, quàm partium studii tenaciores essent; Ecclesiæ, quàm sectæ suæ magis consulerent; denique veritatis quàm famæ suæ curiosiores essent; aliqua ex iis quæ sibi exciderant, vel dicentibus, vel scribentibus retractarent: vicisse se existimarent, si incolumi unitatis vinculo vinceret charitas, vinceret Ecclesia. Postquam defervuit primus ille eorum novandi ardor, quanta illi postea & retractarunt, & mon[illegible]. Quin ego vel tum intellexerunt, temerè & inconsultè à se novata esse, quæcumque novaverant omnia: nec sapientius à se quidquam fieri posse, quàm si se rursus totos in sinum unitatis, charitatis & veritatis Catholicæ abderent, etiam cum aliquo famæ suæ detrimento? Si imperare id sibi potuissent, faciè postea intellexissent, non aliud magis esse posse suæ famæ & opinionis decus, aut gloriæ incrementum, quàm si exemplo uterentur Cyrilli, & totos se amplificandæ roborandæque Ecclesiarum unitati & charitati impenderent. Quod de Cyrillo hic dixi, de Synodo Ephesina, cui præfuerat, de Ecclesia Romana & universa dixi, cujus ille majestatem & pondus, ac causam gestabat. Probavit Ecclesia Catholica Cyrilli in Orientales indulgentiam, etiam cum sui non levi dejectione; ut quæ non tam dejectio esset, quàm summæ quoddam gloriæ fastigium, in edendis incredibilibus ejusmodi unitatis & charitatis Catholicæ documentis.

VII. Missa facio, quæ bene multa & præclarissimè scripsit idem Facundus de Theophili & Cyrilli Alexandrinorum Antistitum in Joannem Chrysostomum, tum superstitem, tum fato etiam functum machinationibus. Has ille ait velut eclipses fuisse ingentium illorum Ecclesiæ luminarium: *quæ licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt.* Sic ille mitissimè de Theophilo & Cyrillo, quibus abstersit tandem charitas, unitasque Ecclesiæ, quidquid in Chrysostomum peccaverant. Sed non possum non hic assuere, quod idem Facundus superiùs dixerat de Chrysostomo ipso, qui cùm & innocentia & eloquentia plurimùm fideret, & nihil non posset, *Habens etiam magnam gratiam populi Christiani, cui pro majoribus suis meritis erat acceptus: & defensionem Sedis Apostolicæ, sine cujus erat judicio condemnatus; facilè posset obtinere victoriam, quæ illum etiam fugientem est persecuta post mortem. Sed metuens, ne absolutus aliorum judicio, per obstinationem adversariorum suorum non reciperetur ab aliis; atque ita quibusdam ei communicantibus, quibusdam verò aversantibus ejus communionem, Ecclesia scinderetur, pro cujus utilitate sciebat se Episcopum factum: elegit consultissimè, & admodum mirabili pietate, cathedram Episcopatus sui relinquere, quàm ut per ejus defensionem unica Christi divideretur hæreditas.*

L. 4. p. 144.

Hæc enimverò sunt, quæ jure merito proponi debeant novarum Sectarum parentibus, ut Chrysostomi se imitatores esse malint, quam cum Ecclesia, vel in Ecclesia infinitas exercere simultates. Etsi quid in eos sævius aut abruptius commissum fuisset, quod equidem non memini: etsi luminaria quædam Ecclesiæ in eos peccassent aliquid, ut Cyrillus & Theophilus in Chrysostomum: id illi paci & unitati Ecclesiæ donare debuerant, non injurias suas cum optimæ parentis Ecclesiæ, & sua ipsorum pernicie ulcisci.

VIII. Sed nec illud nos prætervolabit, quod idem Facundus admiratur, de divina in electos suos, in Doctores maximè & Patres Ecclesiæ suæ providentia, mala ipsa bene vertente, & ipsam eorum quandoque ignorantiam in majorem Ecclesiasticæ fidei & doctrinæ splendorem, detorquente. Quod enim Orientales cum Joanne Antiocheno ignorarent, quæ germana esset Cyrilli doctrina, quæ Capitulorum ejus sententia, atque ita illam vehementissimè impugnarent: idipsum quoque cessit tandem in ipsius Catholicæ fidei ornamentum & stabilimentum, cùm pace tandem conciliata patuit, non tunc duntaxat, sed & priùs cùm atrociissimè digladiarentur, unam omnium illorum & eandem fuisse fidem, quæ Ecclesiæ Catholicæ erat, quæ Synodi Ephesinæ primæ. *Quis autem dignè consideraret, quis verbis expli-*

L. 6. p. 265.

explicare sufficeret, quàm sapienter ad institutionem predestinatorum humana quoque ignorantia Deus utatur, cujus omnipotens bonitas in magnam utilitatem, cùm voluerit, noxia quoque convertit? Illa namque de beato Cyrillo consacerdotum ejus ignorantia, quæ paci Ecclesiarum aliquando contraria fuerat, si quis bene consideret, institutioni Ecclesiæ nunc assertionique proficit. Evidentius enim documentum est veræ fidei, si inter se dissidentium, quasi pacatorum, inveniatur eadem de illa fuisse sententia. Nam licèt Orientales Episcopi cum aliis malè de beato Cyrillo sentirent, & ob hoc etiam vehementer insectarentur; venerabili tamen Paulo Emiseno Episcopo mediante comperimus, quod utraque pars pro una eademque fide certabat: cùm & Orientales nihil aliud à beato Cyrillo confitendum expectarent, quàm tenuit semper & tenet Ecclesia: & beatus Cyrillus quod expectabatur cum magna exultatione perficeret, confessionem eorum de incarnationis divinæ mysterio desideranter accipiens, suamque esse protestans.

IX. Illud quoque luculentissimè monet Facundus, gratulari nos quoque debere, & adgaudere gaudio Cyrilli, quo nimirum ille gestiebat, cùm impugnari ab Orientalibus cerneret eas hæreses, quas ipse æquè execrabatur; propugnari eam fidem, quam & ipse amplectebatur: eo enim constare rectæ fidei statum, eo suam & illorum salutem, eo Ecclesiarum omnium firmitatem de cætero consistere judicabat; quod autem sua & fidei Catholicæ constantia & hæreseos detestatio Orientalibus minùs explorata esset, id verò illum minimè solicitum habebat; cùm suæ potestatis esse cerneret, qualis esset, & quid sentiret prodere, & totam illam simul & semel de se hallucinationem discutere; eo certissimo fructu ad Ecclesiam inde redituro, ut constaret, quàm inconcussa esset Ecclesiæ fides, fideique unitas, quam nec tanta Epis- L. 6. p. 146.
coporum dissidia concutere potuissent. *Quantum beatus Cyrillus lætari potuisse credendus est, cùm se videret ob eam fidem, quam tenebat, & quam ab omnibus teneri volebat, à suis consacerdotibus insectari? Quod enim in illo fallebantur, nec ibi credebat statum fidei Christianæ constare, nec æstimabat diu esse mansurum; cùm in ejus esset potestate, quod postmodum fecit, dictorum suorum pandere rationem, & sedare aliter æstimantium motus. Quod autem fideliter, quod constanter, ea quæ veritatis fuerant asserebant, quamvis contra ipsum asseri necesse non fuerat, ibi rectæ fidei statum, ibi suam illorumque salutem, ibi Ecclesiarum omnium de cætero firmitatem consistere judicabat: ut de incarnationis Dominicæ sacramento nemo dubitaret ulteriùs, de quo etiam inter dissidentes, ac de se aliter sentientes, una inveniretur eademque sententia.*

X. Hic mihi saltem monendus est Lector, tantò me proniùs in has delapsum esse de Patrum discordia & concordia quæstiones, quòd ex Patrum consensione interpretandas esse Scripturas, non ex privati cujusque acumine, vel libidine, prolixè inferiùs demonstraturi simus. Id verò operosè inferiùs demonstrat Facundus, ubi sancti Patres dissidere & conflictari inter se videntur, id ex eo fieri, quòd alios aliorum lateat mens & intentio; ut plerumque & idem sentiant, & hanc consensionem suam ne ipsi quidem satis intelligant. Non aliter sanè, quàm dissidere sibi videbantur olim Tribus Ruben & Gad, & dimidia Tribus Manasse, & aliæ Tribus decem: etsi pro asserendo Dei unius cultu, uno templo ejus, uno altari, omnes unanimiter conspirarent. Ita enim certissimè in Concilio Ephesino I. altercati sunt hinc Orientales Joanni, hinc cæteri Patres Cyrillo addicti, quòd quid vellent ipsi, non satis caperent: etsi quid vellent fidei Catholicæ decreta de una Christi hypostasi, omnes hinc & inde caperent, & consentirent. *Quære intentionem filiorum Ruben, & Gad, & mediæ Tribus Manasse, atque ex altera parte Tribus Levi & aliarum novem Tribuum Israel, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse solicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad divinum cultum pertineat, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse. Quære intentionem Synodi Ephesinæ, atque ex altera parte Antistitum Provinciæ Orientis, & aliarum novem Provinciarum, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse solicitam. Quære ignorantiam, & neutram partem invenies quæ ad divinum cultum pertineat, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse.* L. 7. p. 30.

XI. Cùm illam Cyrilli sententiam protulisset Facundus, obscura Patrum & dubia si qua sint loca, ea ex aliis planis & apertis exponi & laudari debere: excipit ipse mox eam esse dignam Cyrillo vocem. Hæreticorum est enim insidiari Patrum scriptis, & ex iis quæ dubia vel obscura sunt, obliquiùs cætera interpretari; cùm Catholici si qui probi & sani sunt, ex indubiis & claris lucem cæteris affundant. *Hæc vox Cyrillo digna sic integrum Ecclesiæ doctorem loqui decebat. Nam quemadmodum calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari: ita solitum est prudentiæ ac pietatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideoque meliùs facimus, si virorum doctissimorum in pace Ecclesiæ mortem obeuntium scripta meliùs interpretemur, vel si minus in eis hæresum futurarum calumnias vitare potuerunt. Si qui verò orthodoxi etiam aliud faciendum putaverint, non sunt in hoc à prudentibus imitandi. Qui si utriusque partis momenta perpendant, & facilè dignoscent quorum magis propositum debeant approbare; utrum accusantium, an excusantium in Ecclesiæ pace & patrum laudatione defunctos.* Grassatur autem illa hæreticorum perversitas & maledicentia non in sanctos tantùm Patres, sed & in Ecclesiam ipsam, in quam redundare volunt errores illos omnes, quos Patribus affingunt; cùm Catholici virginitatem matris suæ à Christi unquam charitate & veritate desciviſse negent. *Illi denique ipsam quæ nos genuit, criminantur & infamant Ecclesiam, velut adulterinis dogmatibus aliquando corruptam; nos autem virginitatem nostræ matris excidisse unquam à charitate quæ in Christo est denegamus, adserentes non fuisse hæreticos, quos habuit honoratos.* L. 9. p. 151. Ibidem.

CAPUT XVII.

Qui Scriptores Ecclesiastici, etsi alicubi erraverint, purgari debeant ab hæreseos suspicione.

I. Ut Facundus Cyprianum purget & cæteros ei consentaneos in iterando omnium hæreticorum baptismo.

II. Ut Athanasius Dionysium Alexandrinum purgarit ab infamia dogmatis Ariani, teste Facundo.

III. Quibus legibus fas sit purgare Scriptores Ecclesiasticos alicubi cæspitantes.

IV. Ut Gregorium Thaumaturgum purgarit Basilius: ut Hilarius Antiochenam Synodum, quæ Homousion cum Paulo Samosateno damnaverat.

V. Solvitur objectio ex trium Capitularum damnatione petita.

VI. Aliæ rursus Facundi monitiones, ubi excusari possint & debeant Patrum aliorumque Scriptorum dicta.

VII. De Retractationibus Augustini, & quàm æquum sit Patres alios similiter affectos credi.

VIII. Ha-

VIII. Hæresim non facit ignorantia, sed pertinax erroris defensio, ex Facundo eodem.

IX. Quàm procul sit ab hæresi ignorantia, vel imperfecta fides, pia simplicitas & docilis.

X. Quàm multi Deo & Ecclesiæ charissimi sint, etsi fide & scientia imperfecti; quia suo quodam modo sentiunt sapiuntque, quidquid sentit sapitque Ecclesia, cui incumbunt.

XI. Qui fide & sapientia sunt imperfecti, possunt esse perfecti sua, & charitate, & adhæsione ad Ecclesiam Catholicam.

XII. In ipsa plebe fidelium, sunt, qui non errent, aut rarissimè; sunt & in classe contemplantium, qui simpliciter errent, quos & sinus Ecclesiæ excipit, cujus discipuli sunt, & si sint & magistri.

XIII. Quo differant simpliciter ignorantes Catholici, à dolosè latentibus.

XIV. Ex Facundo, Augustino, Petro Venerabili, multa contra Protestantes hujus ævi.

I. NEc multùm dissimilem Facundus instruit defensionem Cypriano, prædecessori ejus Agrippino, & Firmiliano, in iterandi, hæreticorum baptismi causa. Non solùm enim illos, sed & omnes qui cum illis hoc de iterando *omnium* hæreticorum baptismo definierunt, etsi eam illorum definitionem non approbet, Patribus adscribit. En ejus verba: *Eorum fidem atque doctrinam, & maximè Cypriani toto orbe radiantem judicat esse laudabilem Ecclesia, vel si & ipse errata non emendasse credatur, &c. Scilicet intentione mentis, atque proposito, sicut arbitramur, ab hæresis crimine defenduntur; quoniam ante definitionem Ecclesiæ in ejus communione permanentes, nimio, vel immoderato zelo adversus hæreticos, vel decreverunt talia, vel dixerunt: non post Ecclesiæ in eadem quæstione sententiam cum hæreticis segregati, astruendo talia, ipsam impugnaverunt Ecclesiam.* Vides ut debeat, & quibus parari debeat defensio Scriptoribus Ecclesiasticis, Patribusque, sicubi titubaverint in aliqua quæstione definienda; nimirum si ante Ecclesiæ definitionem id fecerint, si à Catholicis se non segregaverint, si hæreticorum partibus se non adgregarint, si ea ipsa in re Ecclesiam non impugnaverint. Ibidem, l. 10. pag. 428, 429.

II. Dionysium Episcopum Alexandrinum, & eruditionis, & sanctitatis fama clarissimum vendicabant olim suis partibus Ariani, quasi ab eo prælusum esset Ario. Hanc ab eo calumniam propulsavit Athanasius, & quamvis *dura & ad excusandum difficilia* ejus dicta sensui catholico asseruit, eo maximè fretus argumento, quòd Dionysius dum vita suppeteret, nec de impietate fuerit accusatus, nec Episcopatu dejectus, nec ab Ecclesia discesserit, sed in ejus permanserit unitate. Ita enim idem Facundus: *Nam neque cum Ariani vellent quædam ex dictis venerabilis Dionysii Alexandrini Episcopi in testimonium & assertionem sui erroris adsciscere, ut ex hoc ostenderent Arium non esse novi dogmatis inventorem, quippe cum Dionysius olim docuisset facturam esse Filium Dei, neque natura proprium, sed extraneum ab essentia patris; & quia idem filius non erat antequam fieret, aliaque similia quæ in eodem opere continentur; Athanasius, germanum specimen & probabile Catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, ea constanter excepit, & quamvis nostris auribus dura, & ad excusandum difficilia, defendere non refugit, & prius eorum auctorem Dionysium per hoc voluit esse purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quod ipse non, sicut Arius cum viveret, de impietate fuerit accusatus, aut de Episcopatu dejectus; neque velut hæresim defendens, de Ecclesia sicut ille discesserit, sed in ejus permanserit unitate.* Ibidem, pag. 441.

III. Perspicis quàm clementes fuerint sancti Patres in Patrum aliorum scriptis interpretandis & in catholicos sensus traducendis, quantum fas erat. Perspicis & quibus id legibus fas esset, ut nedum in vivis agerent in crimen adducti essent, ne damnati essent, ne sede extrusi, ne damnatum errorem defendentes ab Ecclesia recesserint, ne se abruperint ab ejus unitate. Non video, quid aptius, aut verò quid validius objici posset nuperis ante nostram hanc ætatem Sectariis; non quo eos absterreamus, sed ut blandissimè invitemus, quo & ipsi hanc Ecclesiæ Catholicæ clementiam & humanitatem experiantur. Ibidem mox idem Facundus: *Igitur Athanasius, qui non tantum verbi doctrina, quantum passionibus, trinæ unitatis erat assertor, & cujus tota vita martyrium fuit, authoritati se subdit Ecclesiæ, & quod Dionysio communicavit usque in finem, hoc solum judicat ejus purgationi sufficere, ita ut illum pro talibus dictis, non condemnare dico, verùm nec leviter culpare præsumat.* Ibid. pag. 441.

IV. Quin & Gregorium Thaumaturgum non ab Arianorum tantùm, sed & à Sabellianorum contrario errore purgavit Basilius, cùm hinc & inde illi eum sibi suffragari ex ejus verbis argumentarentur. Ita quippe Facundus: *Sanctus autem Basilius magnum Gregorium, qui miraculorum operatoris cognomen accepit, ut Θαυματουργὸς vocaretur à Græcis; non ab Arianorum tantùm, qui creaturam & facturam Filium dicunt; verùm etiam à contrario Sabellianorum errore defendit, qui unam Patris & Filii subsistentiam dicunt; quamvis hæc & prædictus Gregorius dixisse videatur.* L. 10. c. 6. pag. 448. Nec prætermisit Facundum Hilarius, qui non singulos aliquos Patres, sed Synodos purgavit conciliavitque sibi, etsi contraria sensisse & scripsisse viderentur; octoginta nimirum Episcopos Concilii Antiocheni, qui Paulum Samosatenum damnaverant, proscripserantque homousion, quod eo falleret & abuteretur Paulus, ut unam Patris & Filii tam personam quàm naturam constitueret, Christumque merum esse hominem affirmaret. Statuerant autem homoeousion, quòd similitudo substantiæ personas in unam duas conflari non sineret. His rursus Hilarius conciliabat trecentos decem & octo Patres, qui ex adverso homousion revexerant adversùs Arium, rejecerantque homoeousion; quòd Arius ita duas, ita similes astrueret Patris & Filii personas, ut & inæquales atque adeo dissimiles blatteraret. Audiendus hic Facundus: *Beatus Hilarius Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, & constantissimus fidei Christianæ confessor, in Epistola, quam de exilio scripsit, Episcopis.* Et mox; *Non unius hominis verba privatim dicta, sed publica decreta conciliaria approbat, quibus octuaginta nostri Patres pro Paulo Samosateno repudiaverunt ut homousios, id est, unius essentiæ cum Patre Filius vocaretur; & rationem, cur hanc vocem repudiaverint talem reddit, quoniam memoratus Paulus hæreticus solum Patrem Deum esse confitebatur, Filium verò à Mariæ matris generatione cœpisse, & hominem tantùm esse dicebat, & docebat propterea maluisse illos Patres remoto homousio homœousion statuere, id est, similis essentiæ; quoniam similitudo unionem non permittit intelligi. At cum Arius postea homœousion malè intelligeret ac doceret, & negans filium cum patre unius esse substantiæ, sic diceret similem Patri, sicut Joannes Apostolus de se atque aliis adoptionis filiis dicit: Nunc Filii Dei sumus, & necdum manifestatum est, quod sumus: Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Cùm ergo pravè homœousion Arius prædicaret, alii Patres homousion resumpserunt. Proinde Hilarius, ut in neutris Patribus accusaret Ecclesiam, quæ utrosque habuit honoratos, hanc absolutionem quæstioni dedit, quoniam & illi octuaginta contra hereticum improbaverunt homousion, & trecenti decem* Ibidem, pag. 441.

cem & ollo idipsum contra hæreticum probaverunt. Ex quibus id tandem concluditur ab Facundo, Athanasium, Basilium, Hilarium id præ cæteris studuisse, ut sanctos Patres & ipsos sibi, & Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ conciliarent, ne eorum infamia aspergeretur Ecclesia, quæ tanto in honore eos habuerat. *Hæc ergo Athanasio, hæc Basilio, hæc Hilario, & omnibus viris sanctis, sollicitudo fuit, ne culpatis velut hæreticis eis, qui in Ecclesiæ pace atque honore defuncti sunt, ipsa quæ illos magno honore dignata est Ecclesia culparetur.*

Ibidem, pag. 452.

V. Sentio quid objectari mihi contra possit, hæc scripsisse Facundum pro ctrium famosorum defensione Capitulorum, quæ nihilominus damnavit Ecclesia in quinta Synodo generali, atque adeo & Theodorum Mopsuestenum Episcopum damnavit, cujus purgationi præ cæteris studebat Facundus. Verùm facilè intelliget Lector, non authoritate nos hic Facundi, sed compilatione uti; ut qui hæc exempla coacervaverit tot sanctorum Patrum, qui sua plus satis nitantur authoritate, nec aliena magnoperè indigeant. Magni nostra interest, non quid Facundus dixerit, sed quid ipsa Patrum culmina senserint, explanasse: quid Athanasius, quid Basilius, quid Hilarius, quid Cyrillus. Horum exempla clementiæ in bene vertendis & conciliandis aliorum Patrum Synodorumque scriptis consarcinavit Facundus, & eo nos labore levavit; hactenus ergo a nobis laudatus est. Adde quòd singulare illud fuerit quintæ Synodi judicium, nec alia facilè inveniri possint Concilia, quæ eandem rem tentarint. At in tanto sæculorum decursu quod semel tantùm contigit; id miraculo magis esse potest, quàm exemplo, etsi & exemplo etiam forsan posset, si æquè justæ causæ inciderent. Vel hinc autem patet eas rarissimè incidere. Adde rursus quod in eo ipso Concilio unus Theodorus Mopsuestenus tam gravis censuræ fulmine afflatus sit, non alius præterea quisquam. Theodoreti persona ne in caulam quidem vocata est: vellicata sunt ejus tantùm scripta, & proscripta, sed paucissima, & illa tantùm, quæ in Cyrillum effuderat; reliquis ejus operibus omnibus, & numero & mole, sed multò magis eruditionis laude præstantissimis, prima sua constitit & constat etiamnunc integritatis fama. Etsi ergo causa videatur cecidisse Facundus, damnatione synodica trium Capitulorum; vicit tamen, & vincit adhuc tota ejus doctrina, ex Augustino & aliis Patribus hausta: & inconcussa stat, uno in tot retro sæculis exemplo dempto, qua sanè exceptione adeo non infirmatur, ut vehementer etiam confirmetur regula generalis ab eo constituta. Nisi malis dicere in Theodoro Mopsuestena desiderari nonnullas ex illis legibus quas præscripserat Facundus, ut purgari quis posset.

VI. Scitissimè rursus idem Facundus admonet, ne summorum quidem hominum mortali huic vitæ concessum id esse, ut mens voluntati, sermo menti, actio intentioni omnino respondeat; & indulgendum utique illis etiam id esse, si quod splendet in bona intentione, aliquantum vesperascit in opere, vel sermone. *Non est autem nobis in hac vita concessum, ut propositum nostræ mentis opus æquiparet: & talis tantusque sit actio, qualis & quanta est in nobis intentio; sed quod perfectè lucet in bona intentione, aliquantum vesperascit in sermone, vel opere.* Ex quo id emergit, ut si qua nos in Patrum scriptis offendant, ea nostrum sit humanius interpretari, aut aliis interpretanda reservare; si tam apertus sit error, ut nihil possit excusationis prætendi, credamus id ab illis postea emendatum, etsi non legamus, ubi emendarint; ne injusta Patribus ignominia in totam Ecclesiam quodammodo respergatur. Si verò ejusmodi tum quæstiones erant, de quibus nihildum Ecclesia definisset; aut si nihil ab hæreticis tunc formidabatur, eoque securiùs, fortan & incautiùs scribebant Catholici Doctores: si denique is fuerit eorum error aliquis, qui Ecclesiam latuerit, ut ne eos quidem admonere & ad palinodiam vocare potuerit: tum æquum prorsus est, ut eorum infirmitatem excuset intentio, excuset eorum lapsus charitas Ecclesiæ, à qua ne tantillum quidem discesserunt. *Proinde sic horum, vel quorumcumque talium Patrum scripta legenda sunt, ut sicubi nos aliquid in eis offenderit, aut melius hoc interpretemur, aut interpretandum melioribus relinquamus. Si verò tam certus est error, ut excusari nequeat, credamus, quod postea emendare potuerint; vel si non legatur ubi emendaverint, ne non tam ipsos de subrepente lapsu, quàm Christi Ecclesiam de sedula ejus adprobatione culpemus. Quod si & aliqui pro ambiguitate novæ quæstionis, de qua necdum una generaliter sententia tenebatur, sicut aliquando fuit, cùm beatus Cyprianus omnes hæreticos crederet baptizandos; aut pro securitate illius temporis, quia necdum sicut nos ex altera parte contrariis quæstionibus pulsabantur; aut quia Ecclesiam fortè latuit, ut non admonerentur, in ipso dicantur errore mansisse; infirmitatem labentium religiosa excuset intentio; & quoniam in Ecclesiæ charitate manserunt, credamus quod eorum culpas ipsa charitas texerit, sicut scriptum est: Charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

VII. Suo inferiùs loco, si per tempus liceat, verba faciemus de illa summi & supra omnem admirationem positi Theologi Augustini sapientia & animi moderatione, qua suos ipse libros retractavit omnes, Retractationum libros publicavit duos. Pium æquumque est, ut & cæteros Patres omnes eadem mente, eadem modestia animi fuisse credamus, ut scripta sua omnia sicubi opus esset, emendaverint, vel si monerentur, emendaturi fuerint; atque adeo ut illos vel nunquam errasse, vel nunquam pertinaciter errasse agnoscamus. Esto idem non dixerint Patres alii, quod Augustinus: at idem senserunt: idem forsan etiam scripserunt: nam quis omnia eorum legit, aut legere potuit? An incertum id dices, an ergo certum cuiquam est, quod nec ita senserint, nec scripserint? Talis enim fuisset, & talia sensisset Augustinus, etsi non scripsisset. Si incertum est autem utrumque, at certum est, piè nos & sapienter facturos, si de illis piè & clementer sentiamus. Si de illis autem durè sentiamus ob illud incertum, certa tamen nostra vel sævitia, vel temeritas. De duobus ergo incertis illud potius eligamus, quo nostra pietas, quàm quo impietas prodatur. *Tales igitur æstimemus & alios Doctores Ecclesiæ, qualem se nobis Augustinus ostendit; & nullum dicemus hæreticum in Ecclesiæ pace atque honore defunctum. Quid enim me lædit, si de omnibus taliter sentiam, vel si non omnes fuerint tales? Hic forsitan aliquis dicat, Sed de Augustino rectè sic audis, cujus animum professio sua declarat; de aliis autem qua ratione sic credas? Quasi vel ipse qui contradicit, certum habeat, quod hoc alii quoque non dixerint; tanquam omnia omnium legerit, omniumque meminerit; aut vel ipse animus Augustini ideo talis fuit, quoniam taliter est locutus; & non potius quoniam talis fuit, ideo taliter est locutus; ac per hoc etiamsi nihil tale dixisset, idem tamen esset habitus animi ad corrigendum quod justè offenderet præparati. De quo si etiam sic bene sentiremus, & pium procul dubio esset, & verum, quanquam videretur incertum. Hoc igitur & de aliorum animis sentiamus, quia interim pium est, vel si videatur incertum; quod si & malè de illis sentiamus, hoc quoque certum non erit, sed certa impietas erit. Melius ergo est, ut de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur, quàm hoc incertum, in quo impietas certa damnetur.*

Ibid. pag. 491. 492.

VIII. Hæc Facundus, à quibus mirum quantum

Ibidem, lib. 11. pag. 489.

tum abiunt, qui ante unum aut alterum sæculum Ecclesiam Christi sciderunt, cùm suæ priùs impietatis specimen dedissent in fastidienda ea Scripturarum intelligentia, quam Ecclesia sectabatur, & quam sanctorum Patrum & Conciliorum traditione ac consensione tuebatur. Quam piè hæc & sapienter scribebat Facundus, tam impiè & protervè illi, qui errare potuisse & aliquando erasse Patres causati, totam eorum atque unà Conciliorum authoritatem contemptui habuere, eoque everso repagulo in avia & abrupta præcipites iere, alienissimos, & sibi invicem pugnantes Scripturæ passim sensus commenti.

Paucos esse in Ecclesia subjicit Facundus, quibus non contingat aliqua ignorare, aliquando & errare, citra hæresis suspicionem, quia & sine pertinacia. Si enim tota quanta est Ecclesia, schola Christi est, non continet schola nisi discipulos; nec discipuli sunt, qui non aliquid discunt; nec discunt, nisi qui ignorant. Si ignorantes ergo iidem essent, qui hæretici, nulli essent Christi & Ecclesiæ discipuli, nisi qui hæretici essent, vel fuissent. Cùm non possit ergo nisi perabsurdè & impiè id dici, superest ut hæreticum simplex non faciat ignorantia, aut error, sed obstinata erroris defensio. *Nam si nunc Ecclesia quædam Christi schola est, omnesque fideles ejus Christi dicuntur esse discipuli, nec quisquam potest veraciter dici discipulus, qui non aliquid discit, neque discitur nisi quod ignoratur: proculdubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis jam Catholicus esse dicetur, si omnis qui de Christiana Religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? Quod si etiam credantur aliqui sic omnia didicisse, ut nihil jam possint habere quod discant: quia tamen aliquid ignorabant antequam discerent, ex hæreticis videbuntur facti Catholici: atque ita colligitur, ut nullus inveniatur in Ecclesia Christi, qui non aut esse, aut fuisse perhibeatur hæreticus. At hoc dicere vel putare cùm impiissimum, tum etiam nimis absurdum est. Scire igitur debemus, quod hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est; sed potiùs obstinata defensio falsitatis.*

Lib. 12. Fulg.

IX. Illi omnes qui parvuli in Christo, qui carnales à Paulo dicebantur: Maria & Martha; discipuli ipsi inter fidei suæ rudimenta prima, multa nesciebant, multa, halluçinabantur, & fideles tamen erant, non hæretici; imò Christi deliciæ erant; sicut & illa quæ fluxu sanguinis laborabat. Et tamen hujus, ut ait luculentissimè ibidem Facundus, *Imperfecta & parvula fides, perfectam & magnam exigit de Christi justitia sanitatem: harum verò sororum stupendam promeruit quatriduani fratris resurrectionem. At nostra, quæ nobis tantùm magna videtur atque perfecta, ut non parcamus mortuis, vel si verum esset quod dicitur imperfectis, nec parvum valet aliquid impetrare. Disputamus incessanter atque inconditè de fidei Christianæ dogmatibus, volentes in reprehensione aliorum docti & religiosi videri: & quæ reverenter parcèque tractanda sunt, cœlestia passim mysteria ventilamus. Inane jam nomen eis relictum est, quæ sunt nuncupata mysteria. Nam inter otiosas fabulas & vulgares habentur necessariæ & paucis committendæ fidei quæstiones.*

Ibid. l. 12. pag. 518. 192.

Quid non excusasset Christo illa fidei simplicitas, quæ & miracula ab eo expugnabat? Doctior est nostra utique, sed an etiam perfectior fides est, quæ nihil ejusmodi potest impetrare? Mysteria ægrè fert Facundus passim ventilari, publicari, pervestigari, ut jam ne mysteria quidem dici ferè possint. Quò simplicior ergo illa, tantò forsan & perfectior fides erat; quæ sublimia fidei dogmata revereri magis, quàm scrutari docta erat: atque ita & præconia & miracula non pauca à Christo exprimebat.

Hæc non absque, ut reor, in Novatores torquemus, qui ipsorum Ecclesiæ Patrum insultant nonnunquam ignorantiæ & lapsibus ac nævis nonnullis; cùm & eadem potuerint aburi licentia adversùs rudes adhuc in exordiis suis Apostolos; quibus vel tunc tamen contulit Christus & Ecclesiæ summum magisterium, & eximiam quandam in immundos spiritus potestatem. Quis eos tunc tam multa adhuc ignorantes, hæreticos fuisse dixerit, quis eorum magisterium detrectaverit, quos orbis magistros Christus ipse constituebat? *Cùm ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici: cùmque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* Et mox: *Si verò Apostoli nec in ipso ignorantiæ suæ tempore fuerunt hæretici, qua ratione quisquam eos, qui tales de hac vita transierunt, affirmare possit hæreticos? & si illi qui præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absque crimine secus aliquid de illo minusve sentire: cur hæresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesia pietate præditus, obedientiæ devotus, subjectus & habilis ad discendum, aliter de illa senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? Quocirca omnes qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subjectos auctoritati præbent Ecclesiæ, si aliter sapiant de his, quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minùs rem animadvertendo quàm opus est, impiè proculdubio tanquam hæreticos execrantur.* Ibid. P. 519.

X. Nihilo minùs ergo & Catholici sunt, & summo honore prosequendi, si qui Patres, si qui Doctores Ecclesiæ errarint, & cæspitarint aliquando, cùm pii modestique & dociles Ecclesiæ affixi semper fuerint; cùm nemo omnium sit, qui non aliquando minùs videat, minùs adverrat, quàm opus est. Subdit Facundus, si qui minùs rectè vel loquantur, vel sapiant de rebus fidei, non statim hæreticos illos dici debere; sed imperfectos, & perficiendos, si modò hoc ratum ipsis certumque sit, omnino de his credere, quod credit Ecclesia, quæ non credit nisi quod justum & perfectum est. Perfectionem fidei & enucleatissimam Theologiam assecuti jam sunt, non mente, sed corde, non sensu, sed consensione, desiderio, charitate, ut minùs mirum sit, si ea fides aliquando ad miracula valuerit. Qui ita affecti sunt, ii Scripturas totas tenent & amplexantur, & si qua in illis minùs intelligant: quis verò mortalium omnia ibi intelligat? Universalis Ecclesiæ intelligentiæ sese committunt: & suo modo sapiunt, capiunt, quidquid illa sapit, capitque. *Qui enim statuit in corde suo firmus hoc credere, quod in talibus doctrina & fides habet Ecclesiæ, quamvis non perfectè omnia de iisdem sapiat vel loquatur; quia tamen suæ scientiæ non confidit, & multa in quibus errat, aut dubitat, ab Ecclesia rectè teneri non dubitat, ubi positus velut in schola veritatis pium habet discendi propositum; non est dicendus inimicus ipsius veritatis, quod est hæreticus, sed perficiendus potiùs discipulus. Imperfectus iste profectò nihil sui cordis adinventione confictum propria quadam auctoritate docere præsumit, sicut quidam hæretici, neque talia docentes sequitur; sed auctoritati divinarum litterarum innititur: atque ubi earum intelligentiam non fuerit assecutus, in multis siquidem pro illarum magna profunditate humanus caligat aspectus, cognoscens quid inde statuerit universalis Ecclesia, errori suo pia cordis humilitate renuntiat, quia nunquam sibi ne aliter saperet interdixit.*

Ibid. pag. 519. 520.

XI. Plures sunt ergo ex Facundo classes, pluresque gradus nesciendi & sciendi, credendi & intelligendi. Quidam enim ad contemplationis apicem provehuntur, & hi quæ imperfecti credunt, intelligunt. At illi tamen scientia imperfecti,

cti, *possunt esse vita & charitate perfecti, itemque in amplectenda Ecclesiæ unitate; unde cum in multis per ignorantiam errent, hoc totum illis condonatur haud ægrè, quòd nusquam errare Ecclesiam credant, cui acquiescunt, cujus se confidunt unitate servari.* Hi denique quantumlibet imperfecti, suo quodam modo perfecti sunt, quia se perficiendos ex unitate Ecclesiæ credunt. *Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiæ dono prævalent mente contemplari, quæ tantummodo creduntur ab aliis in vita perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in servanda ejus unitate perfecti; qui cùm per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cujus se confidunt unitate salvari.* Et infrà: *Ac per hoc ita credentes, juxta quendam gradum & ipsi videntur in fide perfecti, qui se perficiendos ex unitate Ecclesiæ crediderunt.*

Ibid. pag. 121.

XII. Inter hos extremos gradus, intelligentium, & credentium, erroresque suos subinde purgantium fide ipsa sua & fiducia, quòd Ecclesia cui incumbunt non erret: medius est alius eorum, quorum fides paulò castigatior aliis & oculatior est, ne in errores impingat, aut impingat rariùs. Sed & in illa summa contemplantium sive intelligentium classe sunt qui per ardua gradientes lapsent nonnunquam, & Ecclesiæ pio linu tum excipi se indigeant, ejusque magisterio sese subjici gaudeant, cujus magistri sunt. Ita fit, non ut hæretici Patribus Ecclesiæ quasi jure suo insultent, sed ut non glorietur coram Deo omnis caro; & inconcussa stet sanctorum Patrum doctrina, quæ vel ad intelligentiam eorum quæ creduntur assurgit, vel inde non delabitur nisi in mollissimum sinum Ecclesiæ, parentis optimæ & magistræ. *Illi ergo excellentiore gradu intelligentiæ praditi, ipsam rem, cujus in futurum revelatio plena servatur, quantum in hac vita concessum est, evaluerunt attingere. Illi etiam fide tantummodo perfecti, ad eum propiùs accesserunt. Isti verò inferiores, quos tertio gradu posuimus, quamquam per aliquod longius intervallum, ad idem tamen adspiciunt, & illuc habent veniendi propositum. Qui si hæretici judicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de ipsis Ecclesiarum Præpositis relinquetur, quæ Catholica debeat judicari: cùm & illos excellentioris intelligentiæ, necessitate suscepti officii per ardua gradientes, nonnunquam lapsos sinus pietatis excipiat, qua se auctoritati subdunt Ecclesiæ, cujus magistri sunt, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Ibid. pag. 121. 122.

XIII. Non est ergo hæresis nisi contradictio pervicax, quæ imperavit sibi, ut ne aliud crederet, & admonita contemnit acquiescere veritati. Illa ab Ecclesia separari mavult, vel in ea dolosè latere, quàm de præsumpta discedere sententia. Si quæras quo differant à simpliciter ignorantibus Catholicis hi dolosè latitantes, respondet Facundus id interesse discriminis, quòd simpliciter ignorantes non quantum satis erat, vel admoniti, vel correpti fuere de his, quæ minùs capiunt; nec errores suos clam disseminant, immo nec celant. *Non igitur hæresis dicenda est, nisi contradictio superborum pervicax, quæ sibi ne aliud sapiat interdicit, & admonita contemnit adquiescere veritati. Illa magis contumaciter ab Ecclesia separari deligit, vel in ea dolosè latere, quàm pravam mutare sententiam. Sed ignorantes in eo discernimus à dolosis, quia nec probantur sufficienter aliquando correpti pro his quæ minus intelligunt, nec suis rationibus occultis corrumpunt facilium mentes; sed liberè solent, & simpliciter aperire quid sentiunt.*

Ibidem.

Ex his æstimare licet, quantum aberrent & à fide, & ab unitate, & à charitate Ecclesiæ, ne dicam ab ipso hominum communi sensu, qui se profitentur Scripturæ idoneos satis interpretes, ad fidem & intelligentiam sanam Catholicamque ex iis eliciendam, non alio fretos præsidio, quàm acumine sui ingenii, quàm solertia sua, aut certè ut ajunt ipsi, superni luminis & sancti Spiritus ea abundantia, quæ ad id sufficiat, nec sibi unquam deesse possit. Ecquid enim istiusmodi vel Augustino, vel Facundo Augustini doctrinam explicanti in mentem venit? Eccubi ille sanctis Patribus id arrogavit, ut sese singuli consulerent, sese tantùm audirent, Spiritum in animi præcordiis sui insidentem & Scripturas interpretantem auscultarent? Ne alios Patres, ne Concilia consulerent, ne eorum monitionibus parerent, ne correpti resipiscerent? Nonne agnovit Facundus ipsa Ecclesiasticæ sapientiæ fastigia quandoque titubasse, ipsa luminaria aliquando defeciisse? Nonne admonuit eos ipsos qui per ardua gradiebantur contemplationis culmina; qui quod credendum aliis objicitur, ipsi intelligebant: eos ipsos inquam vacillasse quandoque, & sinu pietatis catholicæ excipiendos fuisse in suo aliquo lapsu, ut nihil jam usquam tutum sit, quàm in gremio Ecclesiæ Catholicæ conquiescere, lumen quantumcumque suum ei subjicere; ut unitas, ut charitas vel in ipsis sanet, quidquid peccarit infirmitas? Valet enim universim quod ait Facundus: *Tanti verò penditur in unitate corporis Christi manere, & non contentiosum se objicere, sed docilem subjicere animum veritati: ut pro pacis ipsius & charitatis fructu, quod forsitan aliter sapitur, quàm vera fides exigit, purgetur à Domino, ut plus in pace fructificet.*

Ibidem. pag. 125.

Quantum ab his distet nuperorum turba Novatorum, quis eloqui, quis vel cogitare potest? Videntur hi tanè non ex Christiano orbe erupisse, sed aliunde in eum irrupisse; usque adeo dissentiunt ab omnibus Christianæ Ecclesiæ moribus & institutis. Nulla illis Ecclesiæ matris reverentia, nullus pietatis aut charitatis sensus, nulla Patrum, nulla Majorum suorum veneratio, avitarum traditionum & Conciliorum summus despectus: non Patres, non Episcopos, non Synodos audire, seipsos privatim audire tantum; unis sibi clam fidere, quibus potissimùm diffidere debuerant; Scripturas jactare, sed quas privata interpretandi licentia captivas trahant, quocunque volunt: de interiore Spiritus sancti oraculo sibi blandiri, sed quod commentitium & prorsus imaginarium esse vociferatur tota Ecclesiastica antiquitas, tota ad nostrum extremum ævum Christiana gens, cui inaudita atque invisa hactenus fuit istiusmodi jactantia de intestino hoc Spiritus sancti ad intelligendas Scripturas oraculo. Aniles has nænias, vel somniantium deliria hæc non absurdè dixeris, si cogites, quam immaniter hæc distent ab iis, quæ nos hìc ex Facundo, quin immo ex communi omnium olim fidelium consensu edisseruimus.

Non ex singulorum ergo privato sensu, cui tam frequens illudit error, vel libido, præjudicium, incogitantia, haurienda est Scripturarum interpretatio; sed ex sanctis Patribus; sed ex Patrum consensione, quando & his privatim obrepere potest aliquando, quod admoniti castigent; sed ex Ecclesiæ universalis concentu, à quo dissidere nunquam potest Patrum consensio; cùm non aliud magis sancti Patres laborarint, quàm ut Ecclesiæ vigentem suo ævo doctrinam scriptis consignarent, suo munirent testimonio. Docet autem Facundus usque adeo Ecclesiæ committendam esse Scripturarum intelligentiam, ut ne Patrum quidem scripta satis possint a calumnia vindicari, nisi aliorum Patrum, & ipsius maximè Ecclesiæ Catholicæ assensione. De Libero Arbitrio scripserat Faustus minùs catholicè, & scriptionem suam ipsius Augustini testimoniis firmaverat; & fucum facere ille forsan potuisset, & catholicis auribus imponere, nisi Fulgentius Ruspensis Episcopus, eique

eique applaudens Ecclesia Catholica confutato Fausto, quæ Catholica fides, quæ Scripturarum, quæ Augustini sana esset doctrina, declarasset. *Sic aliquando etiam Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrii, malè intellectis & incongruè adhibitis ipsius beati Augustini sententiis, fallebat, & in assensionem sui erroris inducebat incautos, qui tamen à sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus atque convictus est. Quid autem in hoc miremur? Neque enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli & Evangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.*

Facundus contra Mocianum. pag. 562.

Profert mox Facundus Augustini ipsius testimonium, quo affirmatur Scriptores nonnullos Catholicos in pace Ecclesiæ diem suum obiisse, ex quorum scriptis vel non satis ad veritatis amussim elimatis, vel non satis intellectis, audaciores postea aliqui novas hæreses fabricarint. Ex quo rursum patet, non unius tantùm ex Patribus habendam esse rationem in Catholica doctrina tradenda; sed Patrum consensionis, & Ecclesiæ ipsius, quæ illos omnes suo sinu complectitur, omnibus, non singulis authoritatem suam accommodat. *Hæreticum enim non humanæ infirmitatis ignorantia, sed pervicacia facit. Unde B. Augustinus in libro de catechizandis rudibus: Quanquam, inquit, & illi, qui Catholici ex hac vita migrarunt, & aliquid litterarum Christianarum posteris reliquerunt in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel, sicuti est humana infirmitas, minùs valentes acie mentis abditiora penetrare, & veri similitudine à veritate aberrantes, præsumptoribus & audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam.* His Augustini verbis in medium prolatis, sic rursum Facundus: *Catholicos itaque dicit ex hac vita migrasse Catholicus Augustinus, qui in Ecclesia constituti per humanam infirmitatem minùs valuerunt acie mentis abditiora penetrare, & veri similitudine à veritate aberraverunt: nec vulgeos hæreticos dicit, quamvis præsumptoribus & audacibus occasioni fuerunt ad aliquam hæresim moliendam, atque gignendam.*

Ibidem. pag. 578.

Immensæ cujusdam & infinitæ esset operæ, si Patres omnes Latinos posterioris ætatis hìc percensere adgrederer. Unum addam Petrum Abbatem Cluniacensem, adversùs novos sui ævi Apollinaristas, mentem humanam Christo adimentes. Id verò ille statim præfatur, monstri simile esse, quòd fides sibi, quòd intelligentia Catholica Scripturarum de ea re tuenda & propugnanda jam sit, cùm fides, cùm Ecclesia Catholica Scripturarum interpres certissima jamdiu toto orbe regnet, & oppressis suis omnibus ac veritatis hostibus regnet? *Monstruosum quidem hoc tempore de fide disputare, quando jam princeps mundi de mundo ejectus est: quando jam dominatur Christus à mari usque ad mare, quando jam omnes docibiles Dei facti sunt: postquam secundùm Esaiam, repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis: postquam Sathanas diuturno tempore Paganis impugnantibus, Hereticis disputantibus fidem Christi persequens, ita pharetram nequitiæ suæ exhausit, ut nulla, qua eam ledere possit, ei jam sagitta supersit. Ita ejus omnibus retecta est fraus, sic maligni spiritus dolus ad lucem sancto Spiritu prodente perductus, ut simplices quique dolosissimo illi quasi avi illudant, & ille fortissimus jam nec dignus à viris superari, juxta beati Job verba: Ancillis Dei ligatus, & subditus ingemiscat.* Et rursus excusans, quòd fidem tot jam testimoniis firmatam & inconcussam, confirmare rursus audeat scriptis suis: *Ea de causa dum te ad gregem, à quo aberrasti, reducere satago, præsumptuosus forsitan fio: dum eam fidem, qua super Christum Dei vivi Filium fundata, Prophetarum vocibus predicta, Apostolorum ministerio tradita, Martyrum sanguine consecrata, gentium plenitudine, Angelorum congratulatione est celebrata, meis velut rudem firmare rationibus quæro. Sed excusabit, ut credo, temeritatem meam charitas.*

Petr. Venen. L. 2. Ep. 1. Bibl. Clun. pag. 708.

Contra Petrobrusianos sui temporis hæreticos alibi disputans idem Petrus, & inane eorum commentum refellens de Baptismo parvulorum, quem illi negabant valere potuisse ante instillata saltem prima fidei rudimenta: percontatur illos, An hactenus antequam illi emergerent, nemo Scripturas de eo agentes intellexerit, non Episcopi, non Clerici ulli, non Patres, non Ecclesia ipsa Catholica toto orbe diffusa? An Christianus universus orbis illos expectaverit, ut post tot elapsa sæculorum volumina Scripturarum intelligentiam ab eis edisceret, qui plus saperent, Spiritus sancti copiam majorem accepissent, quàm tot Pontifices, Patres, Episcopi, Synodique etiam universales? *Et ò docti homines, insipientibus & indoctis, nunc tandem quod intelligere hactenus non potuerant, exponentes; ita ne despipuere præterita sæcula, ut tot millibus parvulorum per mille & eo amplius annos illusorium baptisma tribuerent; & à Christi temporibus usque ad vos, non veros ei Christianos, sed phantasticos crearent? Siccine cæcatus est orbis terrarum, tantaque huc usque caligine involutus, ut ad aperiendos oculos suos, & ad tam diuturnam noctem illustrandam, post tot Patres, Martyres, Pontifices, & universarum Ecclesiarum Principes, & vos tandiu expectarit; & ad corrigendum longum errorem suum, Petrum de Bruis & Henricum ejus asseclam, velut Apostolos novissimos elegerit? Itane usque ad novos sæculi reparatores mundus periit, & apud filios lucis & veritatis omnia in tenebris & falsitate gesta sunt, ut cùm penè omnes nostræ ætatis vel memoriæ in infantia baptizati sint, & Christianum nomen assumpserint, ac congruo tempore in diversis gradibus Ecclesiæ prælati sint, nullus Episcoporum Episcopus, nullus Presbyter, & nullus Diaconus, nullus Clericus, nullus Monachus, nullus, ut sic loquar, ex tam innumerabili numero saltem Christianus fuerit?*

Ibidem. Pag. 1124. 1125.

Ita jam tum insaniebant illæ hominum pestes, ut sibi ipsis arrogarent: at Ecclesiæ universæ, Patribus, Pontificibus abrogarent Scripturarum sanam intelligentiam, Spirituque sancti plenitudinem eam, qua fieret, ut ne errare quidem possent in Scriptura, in doctrina fidei commentanda: quo non video, quid insanius, quid detestabilius dici possit. Contrà enim Scripturæ, quibus illi fidere se potissimùm simulabant, non privatis quibusque, sed Ecclesiæ ipsi universæ eam despondent sapientiæ exuberantiam, eam Spiritus sancti copiam largissimam, cui privati quique acquiescant, cui se committant. *Non debet ergo credi testimoniis Ecclesiæ, cui indivisibiliter Christus cohabitat usque ad consummationem sæculi? Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, cum qua Spiritus sanctus inseparabiliter permanet, non hìc tantùm, sed in æternum? Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, quæ unum cum Patre & Filio est, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre, cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit à Patre? Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, de qua, hoc est de electis, & prædestinatis, dicitur, Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me à constitutione mundi? Quomodo ergo potuit, non dico tanto, sed saltem parva tempore; quomodo, inquam, potuit tantum errorem tanto tempore sequi? Quomodo potuit plusquam per mille annos, & falli & fallere Ecclesia, cum qua verax Pater, cum qua veritas Filius, cum qua veritatis Spiritus perpetuo mansit? Sed cùm hoc omnino impossibile sit, colligitur quod ejus traditionibus*

tionibus omnibus, ſicut Apoſtolicis, omnimoda ab omnibus fidelibus fides exhiberi debeat.

Si tanta his antiquæ fidei interpolatoribus aderat Spiritus ſancti ineratque plenitudo, ut Scripturas ſoli intelligerent, & ex privata ſua illarum intelligentia, nova quædam dogmatum portenta obtruderent: cur ergo Scripturas ipſas ab Eccleſia Catholica acceperant? & ſi ab ea tantùm acceperant, quid cauſæ erat, ut non ab ea omnes æquè acciperent? æquè vetus, ac novum Teſtamentum? æquè Epiſtolas Apoſtolicas, atque Evangelia? Denique cur non æquè Scripturæ ſenſum, atque Scripturam ipſam ab Eccleſia accipiebant? *Cùm enim non ex viſis, neque auditis, ſed ex Eccleſia & Patrum traditione, hæc univerſa mundus credat, ſperet, diligat; nec vos ex viſis, vel auditis, ſed ex ejuſdem Eccleſiæ, & eorundem Patrum traditione Evangelium teneatis, quod nullo modo negare poteſtis, invicta ratione cogente, aut quod ſimul abſque aliqua exceptione ab eadem Eccleſia nobis pariter & vobis traditum eſt, ſuſcipietis & Evangelium cum Epiſtolis Apoſtolorum, & libris omnibus, quos negabatis, retinebitis; aut noſtris libris abjectis, Evangelium pariter, quod ſolum vobis remanſerat, amittetis. Quo amiſſo, non jam nobis ut Chriſtiani Hæretici, ſed ſicut Ethnici & Publicani eritis.* Ibidem, pag. 1134.

CAPUT XVIII.

Ex Græcis jam Patribus demonſtratur longiſſimè aberrare Hæreticos, qui Scripturarum intelligentiam ſibi vendicant, & interpretationem, cùm ea non ſit niſi ſanctorum Patrum, Eccleſiæ univerſæ, unitatis & charitatis.

I. Ex Irenæo, ut cavendi ſint hæretici, qui Scripturas Scripturis impugnant, antiquos earum ſenſus & noſtros, ſuis & novis.

II. Ex eodem, Eccleſiæ omnes toto orbe ſparſæ cùm ſint, & unam eademque fidem ac Scripturarum intelligentiam, jam inde ab exortu, non poſſunt non eam ab Apoſtolis accepiſſe. Eccleſia Soli comparata.

III. Ut inſitam Dei notitiam Gentiles ad idola detorquent, ita hæretici Scripturas veritatis ad mendacia.

IV. Deum illum eſſe, qui orbem condidit, Scriptura affirmat, & eam ita eſſe intelligendam aſſentitur orbis univerſus.

V. Rurſus cogit Irenæus & fidem, & Scripturæ intelligentiam peti ab Eccleſiarum toto orbe ſparſarum Traditionibus, Epiſcopalium ſucceſſionibus Sedium, maximè Apoſtolicarum, maximè Romanæ.

VI. Hinc refelluntur Proteſtantes, de lumine & afflatu Spiritus ſancti inaniter ſe jactantes.

VII. Ex Polycarpo & Smyrnenſi Eccleſia idem probatur.

VIII. Eccleſiis & Eccleſiaſticis Traditionibus credi utique neceſſe eſt, à Barbaris recens converſis, necdum Scripturas habentibus, græcè & latinè neſcientibus.

IX. Unitas Eccleſiæ tam amica veritati, quàm inimica Sectarum multitudo.

X. Ex Clemente Alexandrino, ut confutetur commentitius ille Proteſtantium Spiritus, quem nugantur ſibi ſingulis Scripturas interpretari in ſchola pectoris.

XI. Ex eodem rurſus de eodem, & unde peti debeat Scripturarum interpretatio. Antiquitas, unitas, veritas Eccleſiæ.

I. AB ipſis jam inde Eccleſiæ exordiis, id ſancti Patres, id ante alios Irenæus obſervavit, imperitioribus Catholicis inſidiari hæreticos, ut illos ſeducant, vel depravandis Scripturis, vel malè exponendis, & ſcientiæ obtentu illos ludificentur, quaſi alium illis Chriſtum repræſentaturi ſint, quàm quem Eccleſia Catholica hactenus prædicavit: ut olim Gnoſtici alium neſcio quem Deum commenti erant, illo ſuperiorem, qui hunc orbem condiderat. En verba Irenæi apud Epiphanium: *Seducunt mentem imperitiorum, eoſque depravandis oraculis divinis, ſiſque quæ rectè dicta ſunt, malè exponendis, captivos trahunt, ſcientiaque pretextu multos evertunt, atque ab eo qui univerſitatem hanc condidit & exornavit, abducunt; perinde videlicet ac ſublimius aliquid & præſtantius oſtendere poſſint, quàm Deus, qui cœlum & terram, & omnia quæ eorum complexu continentur, effecit.* Hos tantò cautiùs vitandos ait Irenæus, quòd nos noſtris verbis, Scripturas Scripturis impugnent: nativos ſcilicet & Eccleſiaſticos earum ſenſus, qui jam pridem invaluerunt, novo & contorto ad ſuæ ſectæ præjudicia ſenſu. *Quos nobis vitandos eſſe Dominus præcepit, ut qui eadem quidem loquantur, ſed non eadem ſentiant.* Verborum etiam novitates & venuſtates ſectantur, quaſi hoc lenocinio fieri poſſit, ut antiquiſſima Eccleſiæ Eccleſiaſticæque fidei veritate verius aliquid eſſe poſſit. *Neque enim fraus & impoſtura ſeorſim oſtenditur, ne alioquì velut detractis veſtibus perſpicuè ſe prodat: verùm illecebroſo amictu callidè adornata, id aſſequitur, ut per externam ſpeciem apud imperitiores verior quoque veritate ipſa eſſe videatur.* Lib. 2. c. 9.

II. Quæ ubique terrarum ſunt Eccleſiæ, eas docet Irenæus prædicationem fidemque, ſive ſcripto, ſive verbo tenus à Chriſto & ab Apoſtolis accepiſſe, eandem illibatam ſervare, miro omnium conſenſu, ut quorum ſit cor unum, anima una, os unum; nec poſſit adulterari quod per omnes orbis Provincias diffuſum eſt. *Acceptam inquam hanc prædicationem & fidem, uti antè diximus, Eccleſia, tametſi per terrarum orbem ſparſa, ſummo ſtudio & curâ, perinde atque unam domum incolens, conſervat, ac velut animam unam atque unum idemque cor habens, his æquè fidem accommodat, & miro conſenſu, quaſi uno ore prædita, hæc prædicat, docet ac tradit. Quanquam enim in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, una tamen & eadem eſt traditionis vis. Ac neque hæ quæ in Germaniis ſitæ ſunt Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, nec quæ in Hiſpaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterranei orbis regionibus ſedem habent.* Eccleſiam fidei, doctrinæ, Scripturarum luce radiantem toto orbe, Soli comparat, qui unus idemque mundum univerſum illuminat, & omnes homines eadem recreat luce. Epiſcopi enim & plebei, docti indoctique in Eccleſia uno & nunquam ſui diſſimili dogmate paſcuntur; nec aliter hi quàm illi vel fidei prædicationem, vel Scripturas audiunt capiuntque, legunt & intelligunt. Cùm eo ſtatu res eſſent Eccleſiæ in primævo illo Chriſtiani nominis flore, quo ſpirare adhuc videbantur Apoſtoli, quo Apoſtolici multi viri ſuperſtites erant, aut nuperrimè functi; non poterant non eæ ipſæ vel Scripturæ, vel Scripturarum intelligentiæ retineri in Eccleſiis toto jam orbe ſparſis, quæ ab Apoſtolis & à Chriſto ipſo traditæ eis fuerant. *Verùm ut Sol hic à Deo conditus in univerſo mundo unus atque idem eſt: ita etiam veritatis prædicatio paſſim lucet, omneſque homines qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illuſtrat. Nec verò aut is ex Eccleſiæ Antiſtitibus, qui dicendi facultate pollet, ab his diverſa dicturus eſt; nemo enim ſupra magiſtrum aſſurgit: aut is rurſus, qui parum dicendo valet, traditioni detrimentum afferet. Nam cùm una atque eadem fides ſit, nec qui de ea uberrimam orationem habere poteſt, exuberat: nec qui pauca habet quæ dicat,*

Ibid. c. 26 *cat, eam imminuit.* Et paulò antè: *Etenim Ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam retinet, &c.*

III. Hæreses omnes alibi tradit Irenæus in id concinere, quòd unum Deum dicant: sed eam fidem ab illis postea expositionibus tam perversis & alienis incrustari, ut non fides jam unius Dei sit, sed idololatria. Quin ergo & de Scripturis dicamus eas ab hæreticis retineri, sed interpretationibus tam inauditis adulterari, ut jam omnia potiùs alia sint, quàm Scripturæ à Christo & ab Apostolis commendatæ? *Omnes enim ferè quotquot sunt hæreses, Deum quidem unum dicunt; sed per sententiam malam immutant; ingrati existentes ei qui fecit eos, quemadmodum & gentes per idololatriam.* Omnium hominum mentibus sui notitiam inscripsit Creator omnipotens unus Deus: eam Scripturam Scripturis utique concinentem, & servant & depravant Gentiles; quid enim magis pravum aut perversum, quàm unius summi Dei fidem & cultum in idolorum superstitiones detorquere? Non aliter Irenæus Scripturas ait ab hæreticis perverti profanis commentationibus suis.

IV. Si consensione Christiani orbis universi, adeoque & suffragatione ipsorum Gentilium Irenæus approbavit illam Scripturarum intelligentiam, qua unus summus Deus omnium prorsus naturarum creator prædicatur: quid nos sentire, quid sperare fas est de aliis Christianæ doctrinæ capitibus, quæ nec tanti sunt ponderis, nec tam manifestè forsan aut exertè in sacris Litteris commendati? *Nunc autem sufficit nobis id quod est ab eis, qui contraria nobis dicunt testimonium, omnibus hominibus ad hoc demum consentientibus, veteribus quidem, & in primis à Primoplasti traditione hanc suadelam custodientibus, & unum Deum fabricatorem cœli & terræ hymnizantibus. Reliquis autem post eos à Prophetis Dei, hujus rei commemorationem accipientibus: Ethnicis verò ab ipsa conditione discentibus. Ipsa enim conditio ostendit eum qui condidit eam; & ipsa factura suggerit eum qui eam fecit; & mundus manifestat eum qui se disposuit. Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab Apostolis traditionem. Constante igitur hoc Deo, quemadmodum diximus, & testimonium ab omnibus accipiente, quoniam est: ille sine dubio, qui secundùm eos adinvenitur Pater, inconstans & sine teste est; Simone Mago primo dicente semetipsum esse super omnia Deum, & mundum ab Angelis ejus factum.*

V. Ut intelligas autem quàm non sinat Irenæus, pro arbitratu quemquam suo, vel fidem dictare, vel Scripturas exponere Ecclesiis, vide ut ille omnia accepta ferat Apostolis, qui Ecclesiis ubique gentium sparsis tradiderunt ea, quæ à Christo ipsi acceperant, tradenda rursus Episcopis & successoribus eorum, Apostolicas & Episcopales sedes obtinentibus; nulla ut hìc rima esset, qua illabi potuisset, quod cuique privatim comminisci libuisset, quantumcumque ille hæc sibi à Spiritu sancto insusurrata esse jactaret. Nec uni Episcopo, vel Sedi, vel Ecclesiæ privatim has traditiones ascribi sinit, sed omnibus toto orbe, quo magis magisque arcetur illa proprii ingenii sive fiducia, sive fraudulentia. Nec enim in unam aliquam impostoram consentire possent omnes ubique terrarum Ecclesiæ. *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire; & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur.* Et quoniam nimis operosum est omnes circumlustrare orbis Ecclesias, ut resciscerent quis, quæ illis traditiones, quæ intelligentiæ Scripturarum ab Apostolis essent consignatæ: rem in compendium misit Irenæus, unamque hortatus est adiri vel consuli Romanam Ecclesiam, à Petro & Paulo fundatam, & necessariis traditionibus instructam. Huic enim cùm cæteræ communione conglutinatæ sint, cùm ad hanc persæpè conveniant, qui ubique sunt fideles, ad venerandum Religionis Christianæ primum verticem, ad reverenda etiam Apostolorum monumenta; inde perspicuè colligitur, & Romanæ & universæ per orbem Ecclesiæ eas-dem esse fidei traditiones. *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, & eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet colligunt.* Et ibidem continuò: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio.*

VI. Ubi ait Irenæus, qui Traditiones Ecclesiæ, sive in prædicatione fidei, sive in expositione Scripturarum sectari aspernantur; eas malè *colligere*, id est, Ecclesiam scindere, & suos sibi greges seorsim habere, *per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam*; non abs re transferri hæc possunt ad nuperrimos Novatores, qui tam amabili sui insania laborant, ut quod sua sibi cumque mens parturit, hunc velint esse fœtum Spiritus sancti. Quid enim vanius, quid insanius, quid etiam obtusius, quid à similitudine etiam verè alienius, quàm ut homuncioni cuicumque credatur, quæcumque de fidei mysteriis, de Scripturæ arcanis affirmarit, ea esse indubitatissima Spiritus sancti dictata, etsi non alio id confirmet quam suo ipsius, suo unius testimonio? Si enim ita fas esset; quorum illa Apostolorum Traditio, illa Episcopalium sedium successio post Apostolos, illa Ecclesiarum omnium consonans testificatio, illa tot Patrum, tot Martyrum, tot Pontificum consensio, tot Conciliorum? Si uni credendum sit simpliciter affirmanti, poterat tota illa testimoniorum copia exaggerata supersederi. Sed quoniam non supervacanea hæc est Spiritus sancti & Ecclesiæ tam operosa administratio, hinc patet extremæ dementiæ & non tolerandæ superbiæ esse tantum sibi Novatores nuperos arrogare.

Cùm denique recensuisset Irenæus Episcopos omnes Romanæ urbis & Ecclesiæ ad suum usque ævum, initio ducto à Petro, perpetua serie, nec usquam interrupta, hoc ait esse constantissimum & invictissimum argumentum fidei & traditionis, quæ ab Apostolis incorrupta ad se pervenisset. *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, & veritatis præconizatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.* Ibidem.

VII. A Petro & Paulo, & à Romana Ecclesia ad Smyrnensem & ad Polycarpum pergit Irenæus, ut & huic demonstret commendatas fuisse Apostolicas Traditiones, ad posteros propagandas; quòd ea demum sit certa fidei & Scripturarum doctrina, non quam sibi suo ex cerebro procudunt Sectarii, quamque à Spiritu sancto sibi infundi tam stolidè quàm impudenter mentiuntur. *Et Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est* Ibid. c. 5;

L. 2. c. 9.

L. 3. c. 3.

Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate; multum enim perseveraverat, & valde senex glorioſissimè & nobilissimè martyrium faciens exivit de hac vita. Apertè hic vides unde prædicationi, unde Scripturarum interpretationi concilietur authoritas, non ab humani ingenii ſagacitate, non à diutina commentatione, nedum ab inſolentiſſima ſui ipſius venditatione, ſi interpres, ſi concionator affirmet, hæc ſibi in penetrali mentis dictare, vel dictaſſe Spiritum ſanctum: nedum ſi privatus, ſi plebejus quis ſimiliter ineptiens germanos Scripturæ ſenſus dicat ſibi divinitus inſuſurrari. Nec dum hæc deliramenta in mentem cuiquam venerant; totum in eo ponebatur, ut non aliud ſive fidei, ſive Scripturæ dogma proponeretur, quàm quod Apoſtoli à Chriſto, ab Apoſtolis eorum diſcipuli accepiſſent, ab his Apoſtolici viri & Epiſcopi alii ad alios cum Sedium ſucceſſione traduxiſſent. *Hic docuit* (*Polycarpus*) *ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Et teſtimonium his perhibent, quæ ſunt in Aſia Eccleſiæ omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo: qui vir multò majoris authoritatis, & fidelior veritatis eſt teſtis, quàm Valentinus, & Marcion, & reliqui qui ſunt perverſæ ſententiæ. Is enim eſt qui ſub Aniceto cùm adveniſſet in urbem, multos ex his quos prædiximus, hæreticos convertit in Eccleſiam Dei: unam & ſolam hanc veritatem annuntians ab Apoſtolis percepiſſe ſe, quam & Eccleſiæ tradidit.*

VIII. Hinc & illud infert Irenæus, non aliunde quàm ab Eccleſia ſumendam eſſe fidei & Scripturæ doctrinam, à qua utique haurienda erat, antequam Evangelia & Apoſtolicæ Epiſtolæ litteris mandarentur, vel Nationibus recens ad fidem converſis communicarentur; ſi vel maximè illæ græcè latinèque neſcirent, cujuſmodi indubitatiſſimè complures erant. Quis porro non ſentit quantas neceſſe fuerit antè fundari Eccleſias, quam Scripturæ poſſent illis, & illarum maximè plebibus omitti? *Tanta igitur oſtenſionis cùm ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia quæ ſint veritatis; uti omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ.* Et mox: *Et ſi quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum & re liquidum eſt? Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charta & atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter.*

Ibid. c. 4

IX. Hæreticos ſui ævi, in quos ſtylum ſtrinxerat Irenæus, ex hoc capite ſugillat, quòd non Apoſtolorum eſſent diſcipuli, ut quorum Traditiones ſequi ſe non profiterentur; ſed ſuæ malæ ſententiæ, hoc eſt voluntatis ſuæ. Ducem enim non ſequebantur, niſi animi ſui impetum & novandi pruriginem, cui radium aliquem ſummæ Veritatis & divinitatis affingebant. Unde tot apud illos Sectæ quot voluntates, quot capita. At Eccleſia una univerſo in orbe, quem impleverat, unam Apoſtolorum doctrinam, unam fidei & Scripturarum intelligentiæ normam conſtantiſſimè retinebat. *Arguuntur verò iſti non quidem Apoſtolorum, ſed ſuæ malæ ſententiæ eſſe diſcipuli. Propter hoc autem & variæ ſententiæ ſunt, uniuſcujuſque eorum recipientes errorem quemadmodum capiebat. Eccleſia vero per univerſum mundum ab Apoſtolis firmum habens initium, in una & eadem de Deo & de Filio ejus perſeverat ſententia.*

X. Venio ad Clementem Alexandrinum, qui & ingens ipſe fuit lumen incuntis Eccleſiæ tertii ſæculi. Ardua cùm ſemper ſit veritas, hinc docet ille fieri non potuiſſe, quin naſcerentur quæſtiones & opiniones, atque adeo & hæreſes; cùm ſint non pauci gloriæ quàm ſcientiæ cupidiores, ſuæque tenaciores voluntatis, quàm veritatis. In caſſum verò eas ſibi laudem & nomen uſurpaſſe cognitionis, γνώσεως, hoc eſt, ſcientiæ & contemplationis ſupra fidem aſſurgentis. Sed hoc opus, hunc laborem Catholicis Scriptoribus propoſitum eſſe, ut ſuperbam illam ſuique venditatricem ſcientiam diſpeſcant ſecernantque à modeſtiſſima Eccleſiæ ſapientia. Etſi enim ſpecies ipſa exterior fallat, quaſi una utriuſque veritas ſit; ipſam tamen rem introſpicientibus patet tantùm eas diſtare, quantùm cereos veroſque fructus; quantùm viam regiam, & obliquas huc vel illuc ſemitas. Cùm ergo conſentiant omnes non omnia in ancipiti & in incerto pendere, ſed vera eſſe aliqua & certa, quod & ipſi corporei ſenſus renuntiant: noſtræ hic induſtriæ erit ex Scripturis ipſis demonſtrare, quomodo ab earum veritate lapſæ ſint hæreſes, vel illæ ipſæ, quæ earum cognitionem maximè ſibi vendicant; veritas autem & perfectiſſima cognitio in antiqua Eccleſia permanſerit. Ea eſt Clementis ratiocinatio, qua non video quid aptius, quid validius dici poſſit adversùs omnes omnium temporum hæreſes; ſed adversùs eas maximè, quæ uno aut altero ante noſtram ætatem ſæculo ebullierunt. Hæ potiſſimùm enim Scripturis maximè fidunt, aut confidere ſe fingunt, cùm Scripturas omnes funditus labefactent una ſua illa accuratiſſimæ cognitionis jactantia: ἀκριβεστάτης γνώσεως. Cùm enim ſinguli harum Sectarum duces inſitum ſibi velint eſſe Spiritum illum Veritatis, qui certus eſt Scripturarum & veræ doctrinæ interpres: nec id ullo poſſint alio, quàm ſuo ipſorum ore & teſtimonio confirmare: quidquid illis vel impotens ſui amor, vel inſana gloriæ libido, vel præſumptarum opinationum contumacia ſuggerit, hoc ſtatim illi interius Spiritus ſancti oraculum, hunc veriſſimum Scripturæ ſenſum eſſe contendunt. Ut autem obſequentiores habeant auditores & diſcipulos, hoc eodem illos impartiunt, ut & ſinguli ipſi, quantumvis rudes, illiterati, & abſurdi, ruſtici, opifices, & de fæce vulgi, Scripturas legant, vel audiant, & protinus intelligant, nec neceſſe habeant alios audire, quàm ſeipſos: non Patres Eccleſiæ antiquos, non Pontifices, non Synodos, non magni in Eccleſia nominis Theologos, & Theologorum greges, ſed ſeipſos. Quid, oro te, vel inſulſius, vel ſtolidius in mentem venire illis potuiſſet? Si Spiritus illis de cœlis advolat & quidem ſingulis, qui Scripturas illis interpretetur, quorſum illis Scripturæ ipſæ, quos Spiritus per ſeſe docet omnia? quo illis magiſtri Sectarum ſuarum? Quid cauſæ eſt, ut non illis unquam Spiritus ſuggerat, niſi quod Magiſtri antè docuerunt? Cur ſi de ſententia decedat Magiſter, decedit & Spiritus? Cur quanta eſt Magiſtrorum inter ſe diſcordia, eſt autem permagna, tanta eſt & horum Spiritus oraculorum? Cur aliis & aliis in Provinciis Spiritus hic intimus alia & alia ſentit & docet; aliter & aliter Scripturas interpretatur? Hæccine eſt perfectiſſima & accuratiſſima cognitio, Spiritus ſancti ſchola intima & jugis præſentia? Atqui Spiritus ſanctus unitatis, non diſſidii Spiritus eſt: nec privatis quibuſque deſponſus eſt, ſed Eccleſiæ, ſed Collegio Apoſtolorum & Epiſcoporum: deſponſus, inquam, Eccleſiæ à Chriſto, cùm dixit, *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* deſponſus Collegio Apoſtolorum & Epiſcoporum qui eis ſucceſſere, cùm dixit, *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi:* ſinguli enim quique & à Spiritu veritatis & ab Eccleſia non ſemel deviarunt.

Audiendus nunc nobis Clemens hæc omnia paucis

Strom. l. 7. pag. 842. cis verbis complexus: *Clarum est enim quod cùm veritas sit ardua & difficilis, propterea certè fuerunt quæstiones; ex quibus qui nimio sui amore laborant & ambitiosæ sunt & gloriæ cupidæ, nascuntur hæreses eorum qui non didicerunt quidem, neque verè acceperunt, sed sibi cognitionis sumpsere persuasionem. Est ergo nobis majori studio & cura perscrutanda ea quæ verè est veritas, quæ sola circa eum qui verè est Deus, versatur. Laborem autem consequitur dulcis inventio & memoria. Est ergo labor inveniendi subeundus propter hæreses, sed non est omnino deficiendum. Neque enim si appositus sit fructus, unus quidem verus & maturus, alius verò factus ex cera quàm maximè similis, propter similitudinem est abstinendum ab utroque.* Et paulò pòst: *Et quemadmodum si una quidem sit via regia, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliquæ verò ad fluvium rapidè fluentem, aut ad mare profundum; non dubitaverit quispiam viam ingredi propter dissensionem, sed utetur via regia & trita & sejuncta à periculo: Ita cum alii alia dicant, de veritate non est discedendum, sed exactiùs & diligentiùs est inquirenda ejus exactissima & accuratissima cognitio.* Et infrà rursum: *Utrum enim tollunt, an concedunt esse demonstrationem? Existimo omnes esse concessuros præter eos qui sensus quoque tollunt. Si sit autem demonstratio, necesse est descendere ad quæstiones, & per ipsas scripturas discere demonstrativè, quomodo lapsæ sunt hæreses: & contra quomodo sola veritate & antiqua Ecclesia sit perfectissima cognitio, & ea quæ est revera optima hæresis, id est, electio.*

Ibidem.

XI. Non ita facilè internosci posse dixerat Clemens, quid interesset discriminis inter præsumptam illam & temerariam cognitionem, quæ suo unius privato testimonio fulcitur, & Ecclesiasticam Scripturarum interpretationem. Confessus tamen fuerat internosci posse: & uno verbo indicaverat caput ipsum & cardinem ejus discriminis; nimirum ut veritas & elimatissima cognitio, Scripturarumque explanatio petereretur ab *Antiqua Ecclesia*. Qui enim Antiquam dicit Ecclesiam, non proprii cerebri insomnia, non privata deliramenta Spiritus sancti nomine dissimulata, non dissidentium Sectarum, non discordantium in unaquaque Secta privatorum complurium, sive Doctorum, sive auditorum commenta dixit. Alienissima perspicuè sunt hæc ab *Antiqua Ecclesia*, qua una voce statim ob oculos ponuntur sancti Patres, Græci, Latinique, Concilia, innumerabiles Martyres & Episcopi continua serie, inconvulsa societate & communione connexi, & toto orbe compluribus jam sæculis inextinctum lumen vibrantes; quorum ex omnium consensione expositæ Scripturæ nullis patent proprii hominum ingenii figmentis, nullis hominum gloriæ & principatus cupidorum impostoris, nullis Sectarum dissidiis. Ita incorrupta servatur Ecclesiæ Catholicæ toto orbe terrarum unitas fidei, Scripturarum intelligentiæ, & charitatis, una traditio.

Clemens idem non multò pòst: *Ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse, perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.* Et infrà eosdem hæreticos exagitans, suo marte, suoque arbitrio, sub obtentu Spiritus, Scripturam interpretantes; novos, & semper novantes, eoque ab Ecclesia diversissimos; tam unitati, quàm Ecclesiæ infensos; atque ita à veritate alienos, quæ antiquitati, quæ unitati conjunctissima est, eoque Deo simillima: *Sed nec ipsi (hæretici) introitus clavem habentes, sed falsam quandam, &, ut dicit consuetudo, ἀντικλεῖδα; id est, adversam clavem, per quam, non relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini traditionem; sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur principes ac duces mysteriorum*

Strom. l. 7. pag. 848. 849.

anima impiorum. Quod enim Catholica Ecclesia posteriora sua fecerit conciliabula, non est opus multis probare. Nam Domini quæ fuit in adventu doctrina, cùm cœpisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur: Apostolorum autem ejus doctrina, usque ad Pauli ministerium Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa tempora Adriani Imperatoris fuerunt, qui hæreses excogitarunt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris, sicut Basilides. Et paucis interjectis: *Quæ cum ita habeant, clarum est ex antiquissima & verissima Ecclesia, has recentiores, & quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innovatas, adulterinæ notæ hæreses. Ex iis quæ dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam quæ verè est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii, qui sunt justi secundùm propositum. Nam cum unus sit Deus & unus Dominus, propterea id etiam quod est summè venerabile, & ex eo quod sit solum laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo natura sortem cooperatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et substantia ergo & cogitatione & principio & excellentia, solam esse dicimus, antiquam & Catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quæ est ex propriis Testamentis, vel potius ex Testamento quod est unum diversis temporibus.* Et mox: *Cæterùm Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile, vel æquale.*

Negaverat ille superiùs potuisse à novis Sectarum Magistris inveniri quidpiam in Scripturis exponendis, quod non antè prædicassent Ecclesiarum post Apostolos Magistri; adeoque nisi gloriæ amore abrepti fuissent, quiescendum illis fuisse in traditionibus Ecclesiæ antiquissimæ. *Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinitùs inspiratis, tradita à beatis Apostolis & Magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt, per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes divinæ traditioni, ut hæresin constituant. Nam inter eos viros qui tanti erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum à Marcione verbi gratia, aut Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi rectâ viâ? Neque enim eos qui præcesserunt, superare potuerunt sapientia, ut aliquid adinvenirent iis quæ ab illis verè dicta sunt: sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent ea quæ priùs sunt tradita. Is ergo solus qui est cognitione præditus, cùm in ipsis consenuerit scripturis, Apostolicam & Ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem, rectissimè vivit, convenienter Evangelio; & demonstrationes ita ut quærit invenit, ut qui emittatur à Domino, lege & à Prophetis.*

Ibidem: pag. 147.

CAPUT XIX.

Rursum ex Patribus Græcis Scripturas ex Patrum consensione interpretandas esse, non ex suo cuique ingenio, aut spiritu.

I. Ex Athanasio, ut Ariani, ut omnes prorsus hæretici Scripturas ad sua commenta detorqueant.

II. Ex eodem non privatus Spiritus sancti afflatus, sed consensio, traditio, successio omnium Ecclesiarum, jam inde ab exordio, regula est fidei & interpretationis Scripturarum.

III. Ex Basilio contra Eunomium, antiquitati & multitudini quantum tribuendum sit.

IV. Ex Nysseno ut Apostolicam & Patrum hæreditatem, unitatem, charitatem hæretici dissipârint.

V. Ut in Basilii Nyssenus, ut in Patrum omnium defensionem insurgant Catholici omnes.

VI. Ex eodem Verbum Deus hominem induit,

ut quod ipse discipulis, & per eos vobis tradidisset, id fide divina ratum haberemus.

VII. Traditioni accepta ferri vult Nyssenus Evangelii libros, versus, sensus.

VIII. Similiter de traditione & consensione Patrum, ex Nazianzeno.

IX. Et ex Cyrillo Hierosolymitano, Ecclesiam unam Catholicam commendat, quæ sola Catholica, toto orbe sparsa est, & in Symbolo commendata.

X. Ex Epiphanio, veræ fidei, veræ doctrinæ tessera est unitas traditionis & universalitas, ut quæ non hos, aut illos Sectarum authores complectatur, sed unum Christum.

XI. Audianos illo uno nomine quandoque execratur Epiphanius, quod Ecclesiæ Catholicæ non communicent, nec Christiani, sed Audiani nominentur.

XII. Verè Christiani non sunt, etsi alioqui nec fide, nec moribus claudicent, qui à Catholica communione alieni sunt. Quàm frustra nitantur aliqui, omnes Sectas in unam Sectam, in unam Ecclesiam compingere.

XIII. Alia argumenta ex Epiphanio adversùs sibilosam illam ex adunatis Sectis compluribus Ecclesiam.

XIV. Ex eodem de Traditionibus.

XV. XVI. Eadem confirmantur ex Chrysostomo & Theodoreto.

I. ATHanasius certè etsi Arianos maximè insectaretur, nostros jam tum configebat Novatores; qui cum nihil nisi sui animi commenta proferant, ita Scripturarum verbis ea amiciunt, ut videantur nihil aliud spirare, aut sapere, quàm Scripturas. *Cùm enim unaquæque hæresis sui commenti parentem habeat eum qui ab initio perversus, homicida & mendax fuit, Diabolum;* Athanas. Orat. 1. Con. Arian. Tom. 1. pag. 113. *ac pudore tam exosi nominis teneatur; pulcherrimum, quod super omnia est nomen Salvatoris profitetur, Scripturarumque dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram inde tamen sententiam suffuratur; ac deinde intellectu, quem ipse confinxit, dolis obumbrato, errorum omnium homicida & ipsa efficitur.* Infra autem varias simul hæreses impugnans, & Scripturas illis extorquens: *Aut quid Samosatensi cum Scripturis, abneganti Verbum Dei, eaque inficianti quæ pariter, & ex veteri & ex novo Testamento significantur, ac Dei adventum in carne commonstrant: Quid item Arianis cum Scripturis? aut cur eas proferunt, qui creaturam asserunt esse Dei Verbum? & ut Ethnici solent cultum exhibent creaturæ, omisso Creatore? Et quotquot sunt hæreses, nihil habent in suis figmentis constituendis, quod commune sit cum sacra Scriptura. Neque id eos latet, qui hujusmodi errores tuentur, quàm longè, immo quàm omnino illa hæresis dissentiat à sacra Scriptura. Sed tamen ad dolum simpliciorum, de quibus Proverbia mentionem faciunt, simplex credit omni sermoni; illi vero veluti diabolus ipsorum Pater transformationem vultus ad speciem Angeli conformant, eamque verborum indolem præ se ferunt, ut rectum sensum habere videantur, eumque ubi persuaserint, ea miseros deducunt, ut diversa alienaque à Scripturis sentiant.* Et mox rursus: *Illud quoque prorsus admirabile, omnes quotquot sunt hæreses in fingendo diversa pugnantiaque inter se adferre, nec alibi nisi in falsitate sibi invicem consentire & copulari. Neque id mirum, quum unum habeant autorem, qui ipsis ubilibet mendacia assemmat.* Et rursus alibi de Ariana novissima tunc hæresi, Scripturarum se vocibus occultante: *Speciem eam dissimulat, & litterarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu, induitur, ut Pater ejus diabolus: ac satagit denuo intrare in paradisum Ecclesiæ, quo sub specie Christianissimi nonnullos seducat.* Et alibi: *Rursus ad verba sacrarum litterarum confugiunt, in quæ ipsa soliro suo more pravo sensu excurrentes, mentem quæ inibi latet,* Cont. 3. pag. 134. 176. *non conspiciunt, & ad impietatem ipsorum quasi ad regulam omnia dicta sacrarum litterarum contorquent.*

II. Quàm non sit autem tessera Catholicæ fidei, quod eam pauci, qui sibi docti videntur, suisque privatim gregibus obtrudant, testenturque se Spiritu sancto afflatos ita Scripturas interpretari: sed quod illam à Christo & Apostolis acceptam & ita ad nos usque transfusam testificetur sanctorum Patrum & Conciliorum consspiratio unanimis, & his concinat sparsa per orbem universum Ecclesia: idem rursum declarat Athanasius in Epistola ad Jovianum Imperatorem missa de Fide: *Necessario tibi fidem Nicææ Patrum confessionibus confirmatam porrigere studuimus; ut tua pietas & ea, quæ ibi exactissimè scripta, & quantum errent illi, qui aliter sentiunt, intelligeret. Cognosce igitur religiosissime Auguste hanc esse, quæ à condito ævo prædicata fuit, & quam Nicæa Patres congregati agnoverunt, ejusque suffragatrices esse omnes omnibus in locis Ecclesias, sive in Hispania sint, sive Britannia, Gallia, Italia universa, Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia: sive universa Græcia, universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia; itidem quotquot nobis vicinæ sunt, necnon & Orientis Ecclesias; paucis admodum exceptis, quæ Arianicæ opinionis sunt. Omnium enim istorum, & adhuc longinquiorum animos experimento cognovimus, & scripta habemus.* Pag. 132.

In Decretis Synodi Nicænæ exponendis idem Athanasius ait Formulæ fidei Catholicæ priùs repugnasse Eusebium Cæsareæ Episcopum; sed respuisse mox & sublevipsisse, quod ea esset Ecclesiæ fides, & Patrum traditio. *Quodque majoris admirationis est, Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ, quum pridiè abnegasset, in eandem sententiam tamen postridiè subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem; omnibusque manifestò apparuit, eum prius & temere errasse, & frustra contra veritatem pugnasse.* Et non multò post: *Est enim ibi, ut Patres tradiderunt, veræ disciplinæ & magisterii argumentum, ubi eadem confitentur; nec à se invicem, nec à majoribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potius, quàm veri præceptores appellari debent.* Et in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, hæc habet de Nicæni Concilii Patribus, eorumque fidei formula: *De fide verò non scripserunt, Visum est, sed ad istum modum, Credit Catholica Ecclesia; & statim confessio ipsa credendi adjuncta est, ut ostenderent eam non novam esse sententiam, sed Apostolicam; & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.* Pag. 491. Pag. 673. Illos denique concerpens, qui Nicænæ fidei Synodoque reluctabantur, & novas subinde flagitabant Synodos, ita habet: *Illud nimirum, illis relinquum est ut dicant, Nos qui majoribus nostris contradicimus, & prævaricamur Patrum traditiones, postulavimus Synodum promulgari.*

III. Ex Basilio Magno unum profero locum, ubi Eunomium objurgat, quod hortaretur passim omnes, ne multitudini, ne antiquitati fidem haberent; sed sibi qui ratione invicta, qui nova Scripturarum interpretatione niteretur. Vide quid contra regerat Basilius: *Quid tu narras? Non dabimus plus antiquitati? non reverebimur Christianorum multitudinem, tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Evangelium prædicatum est? Nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spirituali gratia claruerunt, quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis malam viam & hostilem nuper excogitasti? Sed claudentes simul oculos animi, exterminata ex animo cujuslibet sancti viri memoria, otiosam & omnino vacuam deceptionibus atque cavillationibus tuis* Basil. tom. 1. cont. Eunom. l. 2.

men-

mentem noſtram ſupponemus? Magna profectò eſſet tua potentia, ſi quæ multiplici artificio diabolus aſſecutus non eſt, ea tibi ſolo imperio obtinere contingeret. Siquidem omnes à te perſuaſi traditionem fidei, quæ præterito tempore omni ſub tot ſanctiſſimis viris evicit, commentis veſtris impiis poſtponemus.

IV. Gregorius Nyſſenus ſuorum temporum calamitati illacrymatur, quòd cum Chriſtianæ Eccleſiæ profeſſio fuiſſet olim charitas, ac velut paterna hæreditas, quam Chriſtus diſcipulis, & per diſcipulos nobis, tanquam per parentes filiis legaverat: tunc ea diſſipata eſſet per eos qui Eccleſiam ſciderant. Ejus hæreditatis pars opima erat Scriptura, quam in commune toti Eccleſiæ charitas, Spiritus charitatis per Epiſcopos alios aliis ſuccedentes interpretabatur, antequam hæretici eam unitatis & charitatis hæreditatem diſtraxiſſent. *O rem calamitoſam! cogit enim me mali ac doloris magnitudo ingemiſcere. Noſtra erat olim poſſeſſio charitas: paterna noſtra hæc hæreditas, quam per diſcipulos ſuos nobis Dominus theſaurizaverat, dicens: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Iſtam autem hæreditatem ii quidem qui deinde ſequuti ſunt, ſucceſſores filii à patribus ordine excipientes uſque ad Patres noſtros conſervarunt. At hæc prodiga generatio illam minimè cuſtodivit. Quomodo è manibus noſtris elapſæ hæ inſtitutionis divitiæ pereunt!*

Greg. Nyſſ. Tom. 2.

V. Cùm autem Baſilius in cœlos hinc excedens evolaſſet, & Eunomiani in eum ejuſque ſcripta baccharentur: ſuarum partium eſſe exiſtimavit Nyſſenus ejus defenſionem adgredi, & hanc ſibi velut hæreditariam provinciam ſuſtinere; tametſi potuiſſent eo labore defungi infiniti alii, eruditionis & ſapientiæ laude præcellentes. *Neque enim majoribus quàm cæteri viribus fretus, hunc ſuſcepi laborem: ſed probè, ſi quis alius, compertum habui, infinitos reperiri, qui eruditionis & ſapientiæ laude in Eccleſia excellant. Nihilominus cùm præ omnibus aliis mortui fortunas ad me pertinere arbitrer, tum propter ſcripturas, tum propter naturales leges: ideo ego meam ante alios hanc quaſi hæreditariam defenſionem mihi vendicavi; infimus quidem illorum, qui in fidelium numerum adſcripti ſunt: at illo qui ab Eccleſia ſeſe abrupit, & ad partes adverſarias tranſtulit, nequaquam imbecillior. Nam in corpore ſano minimum etiam membrum propter totius conſpirationem validius eſt & fortius, quàm corruptum & abſciſſum, quamvis hoc majus, illud ſit minus.*

L. 1. contr. Eunom.

VI. Chriſtianam fidem idem ait alibi non ab hominibus eſſe, ſed à Chriſto, qui Dei Verbum & Sapientia eſt, lux & veritas, qui vitus in terris eſt, ut ne jam homines pro animi ſui ſententia de Deo diviniſque ſentiant Myſteriis; ſed abjectis opinionibus ſuis, id complectantur quod ab illo traditum eſt, quod de Scripturis Apoſtoli ejus tradiderunt; ita ut de rebus ac verbis ab eo traditis nefas ſit quidquam immutare. *Chriſtianorum fides, quæ ſecundùm Domini mandatum à diſcipulis omnibus gentibus in toto terrarum orbe prædicata eſt, neque ex hominibus eſt, neque per homines, ſed per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt Dei Verbum, & vita, & lux, & veritas, & Deus, & ſapientia.* Et paucis interpoſitis: *Hic in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus, ut non amplius homines pro animi ſui ſententia, de eo quod eſt, opinentur, eas ſuſpiciones vel opiniones, quas ex levibus quibuſdam conjecturis aſſequuntur, pro veris & firmis decretis habentes. Sed perſuaſi quòd verè Deus in carne apparuit, illud ſolum verum pietatis myſterium eſſe credamus, quod per ipſum Verbum & Deum noſtrum traditum eſt, qui per ſeipſum Apoſtolis locutus eſt. Eam vero quæ tum ex veteri Scriptura, tum ex Lege & Prophetiis & proverbiali diſciplina facta eſt de ſupereminente natura doctrinam, per ſpeculum quoddam & ænigma, tanquam revelatæ nobis veritatis teſtimonium amplectamur, piè ſententiam eorum quæ dicuntur accipientes. Ita ut in fide quæ à Domino univerſorum expoſita eſt, acquieſcamus: quam in dictione puram intentatamque (an potiùs, per manus traditam, ἀπαραχείρητον,) ſicut accepimus, cuſtodimus: atque in exiguo verborum traditorum perverſionem & depravationem, extremam judicamus blaſphemiam & impietatem.*

Orat. 2. contr. Eunom.

Ibidem.

VII. Quin & Evangelia ipſa profitetur Nyſſenus ad nos perveniſſe ab antiquis per traditionem ad noſtram uſque ætatem. *Quæ enim Evangelia ab antiquis per traditionem ad hæc uſque tempora in Eccleſiis leguntur, hanc vocem non continent.* Ita fidentiſſimè repudiat Nyſſenus, ſiquod aliud Evangelium obtrudant Eunomiani, quod ab antiquis Patribus non ſit ad nos uſque propagatum. Nec libros tantùm, aut capita & verſus ſingulos Nyſſenus contendit non admitti, niſi perpetua Eccleſiæ & Patrum traditione ad nos perferantur: ſed ſenſus ſingulorum verſuum. In eodem enim verſu, iiſdemque in verbis, aliud Eccleſiaſticus, ſive Catholicus, aliud Eunomianus capiebat. *Dicit enim Eccleſiaſticus & hæreticus quod Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio. At dictum hoc uterque non ſimiliter intelligit. Per eadem verba Eccleſiaſticus, in omnibus poteſtatem intelligit: hæreticus verò aliquid deficiens, & mancipatum, ſive ſubditum conſtruit.*

Ibidem.

VIII. Nazianzenus fidem Trinitatis Deificæ, in qua baptizamur, Patrum traditioni aſcribit. *Præclarum depoſitum, quod à Patribus noſtris accepimus, cuſtodientes.* Et alibi Origenis neſcio quas fabellas de animarum exiſtentia ante corpora refellens, uno verbo rem ſecat, *A fide & doctrina Eccleſiaſtica alienum id eſt, ἀλλότριον.*

Orat. 35. Orat. 31.

IX. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus fidei normam non à Scripturis repetit, ſive quòd non omnia iis contineantur, ſive quòd de eorum ſenſu controverſiam ubique nobis faciant hæretici; ſed ab Eccleſia Catholica, cujus eminentiſſima authoritas Apoſtolorum Symbolo continetur, & in ipſis Scripturis Evangelicis & Apoſtolicis apertiſſimè commendatur. Eccleſiam autem ille non aliam oſtendit, quàm univerſalem, ſeu univerſo orbe diffuſam; quæ tota in pravam aliquam Scripturæ intelligentiam tam deſciſcere non potuit, quàm nec univerſæ hæreſes toto orbe diffuſæ potuere in unam aliquam ſententiam convenire. Eccleſias enim toto orbe diffuſas coalunat avita Traditio, error divideret. Sic ergo Cyrillus: *Catholica igitur vocatur, quia per univerſum ſit orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ uſque ad extrema. Et quia docet catholicè, hoc eſt univerſaliter, & ſine ullo defectu vel differentia omnia dogmata quæ deberent venire in cognitionem, de rebus viſibilibus & inviſibilibus, cæleſtibus & terreſtribus. Et quod omne genus hominum piè ſubjugat, Principes & privatos.* Paulò inferiùs hæreticorum conventus non tam finit Eccleſias dici, quàm *Eccleſias malignantium:* at cùm illi hoc Eccleſiæ nomine ſibi blandiantur, jubet Cyrillus in quam ſe cumque quis civitatem conferat, ne interroget, ubi ſit Eccleſia, ſed ubi ſit Catholica, quòd ea demum ſit vera Eccleſia, & ſponſa Chriſti. *Propriè quoque & verè aliquis dixerit, Eccleſiam eſſe malignantium, conventicula Marcionitarum dico, & Manichæorum, & reliquorum. Propterea nunc confirmans fides tradidit, ut dicas: Et in unam ſanctam Catholicam Eccleſiam; ut illorum fœda conventicula fugias: perſeveres autem in Catholica Eccleſia, in qua & renatus es. Quod ſi fortè veneris in civitates, non ſimpliciter interroga ubi ſit Dominicum, ſeu domus Domini: nam & reliquæ impiorum hæreſes Dominica, quamvis polluta, appellare non dubitant. Neque id tantùm quæras ſimpliciter, ubi ſit Eccleſia; ſed ubi Catholica*

Catech. 18; pag. 220.

Ibid. p. 222.

Ecclesiæ. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus & matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei.

X. Auguratur Epiphanius Christianam à Christi nomine dictam Ecclesiam, quòd Christi documenta susceperit omnia, non ullius præterea hominis ullum. Sectæ hæreticorum propria ab authoribus suis sibi nomina accersivere, quòd non nomina tantùm eorum, sed & dogmata etiam aliqua acceperint: nec nomina hæc induerint, nisi quòd & hæc dogmata essent amplexatæ. Id Scripturæ, id Scripturarum Catholici interpretes, id Patres & Prædicatores omnes in Christo prædicando tenuerunt, quod Paulus de se profitebatur: *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Jesum Christum.* Una ergo ubique viget traditio, una prædicatio, ut quod Christus tradidit, id prædicetur. *Non se-* Epiphan. Hæres. 42. p. 166. 167. *ipsos, sed Jesum Christum Dominum nostrum prædicant Apostoli. Quare neque secta est ulla, nec Ecclesia Apostolorum nomine insignita. Nec unquam Petreos ullos, aut Paulianos, aut Bartholomæos, aut Thadæos audivimus; sed una jam tum initio fuit Apostolorum omnium prædicatio, quæ non ipsosmet illos, sed Dominum Jesum Christum tantummodo celebraret. Ob id Ecclesiæ nomen unum omnes imposuerunt: non suum utique, sed Christi Jesu, cùm Antiochiæ primùm appellari Christiani cœperunt. Quod quidem solam ad Ecclesiam Catholicam convenit, quæ nullo alio quàm Christi nomine prædita, Christianorum Ecclesia, non Christorum dicitur, adeo ut cùm unus ille sit, plures tamen ab eo Christiani nominentur. Ab hac Ecclesia ejusque præconibus ubi discesseris, reliquæ omnes haud eadem nota constant, quæ adjunctis nominibus atque epithetis vocantur; Manichæorum videlicet, Simonianorum, Valentinorum, Ebionæorum: quibus & tu, Marcio, annumerandus es: cujus nomen inscribunt ii sibi, quos tute in errorem induxeris: utpote qui teipsum, non Christum prædicaveris.*

XI. Ut Audium declaret Epiphanius, illum cujus Audiani sibi nomen induerunt, ne transversum quidem unguem ab Catholica doctrina & disciplina recessisse, non ait illum Scripturis omnibus assensum addictumque fuisse: id enim illi cum hæreticis non paucis commune esse potuisset, nec rem enodasset ob multiplices illos qui Scripturis tribuuntur sensus. Sed absolutiùs & expressiùs tradit, eum cum suis *Ex Catholicæ Ecclesiæ præscripto* Hæresi 70. num. 2. *sentire, nec transversum ab ea unguem deflectere.*

Sed illud hìc à nobis adverti, altissimèque animo infigi æquum est, quod subjicit Epiphanius: etsi ne tantillum quidem à Catholicæ fidei dogmate declinarent Audiani: etsi moribus essent inculpatis, & ad omnia Christianarum virtutum officia climatis: atrox tamen illud & horrendum fuisse, δεινότερον παίτων, καὶ φοβερότερον, quòd soli suas sibi preces, suos conventus haberent, nec communione Ecclesiæ Catholicæ fruerentur. Accedebat & illud, quòd ut à Christianis, hoc est, Catholicis dignoscerentur, non Christiani dicerentur, sed Audiani. Hoc enimverò terribile & horrendum est. *Sed illud reliquis omnibus ad horrorem &* Ibid. n. 11. pag. 627. *atrocitatem majus est; quod cum nemine precantur, tametsi honestis atque integris moribus esse videantur, neque quidquam habeant quod illis objiciant; non stupri, non adulterii, non avaritiæ crimen ullum, nisi hoc dumtaxat, quod Ecclesiæ communione continentur. Est hoc verò, ut diximus, horrendum, Christianorum commutare nomen, qui in sancta Ecclesia censentur, quæ sola Christi, Christianorum appellatione contenta, adscititium omne nomen respuit. Pro illo, inquam, nomine Audianos appellari, coitiones inter se facere, ac tesseram meri hominis nomine inscriptam exigere. Hæc, inquam, minimè ferenda sunt, quamvis alioqui integerrimus sit hominum ille conventus, atque omni se probitate justitiaque venditet.*

XII. Ex his intelligis, quàm Christianus, quàm Catholicus non sit, quàm salutis expers sit æternæ, qui etsi universo Catholico dogmati aliàs consentiat, etsi mores ejus alioqui Evangelicis præceptis, vel consiliis etiam consentiant, ejusmodi enim erant Audiani, à communione tamen Ecclesiæ se abstinet; vel ab ea ita abstentus est, ut ei nihil curet redintegrari. Ille utique Scripturis omnibus subscribit, ille fidei Symbolo consentit, nec Christianus tamen, vel Catholicus est. Nimirum ita Epiphanius, ita Ecclesia Catholica interpretatur, qui Catholicorum per orbem omnium communionem vel refugit, vel aspernatur, eo saltem quòd eam non ambit, eum charitatis illius expertem esse, quæ una Scripturas probè intelligit, quæ unctio Spiritus est, & docet omnia; quæ Catholicæ Ecclesiæ anima est, & veluti cor. Qui non unius, sed omnium fratrum suorum, ejusdem matris, ejusdem Patris filiorum consortium, communionem, communes conventus refugit, an ille charitatis consors est? an ille Scripturas intelligit, vel amplectitur, quæ non aliud universæ præcipiunt, quàm Dei Patris & proximi charitatem? an ille Symbolo assentitur, quo una Catholica, toto orbe una, eoque Catholica commendatur? an ille probis & Christianis moribus est, qui exors est charitatis, quæ una legis plenitudo est? an ille præceptis vel consiliis Evangelicis morigerum se præstat, qui charitati, quam unam Evangelia inculcant, terga vertit?

Verè ergo dixit Epiphanius incredibilis illud esse horroris & atrocitatis, quòd Audiani vel fastidio, vel contemptu Ecclesiæ Catholicæ non communicarent, cùm uno eo tota illorum doctrinæ & morum laus collabaseret. Hinc mirari subit eorum nostræ hujus ætatis Sectariorum inaudita etiam inter antiquas hæreses commenta, qui unam sibi fidem & Ecclesiam compingere machinantur, ex omnium toto propè orbe Christianarum Sectarum imaginaria conjunctione conflatam: tametsi illæ internecinis odiis prælisque inter se & cum Ecclesia Catholica conflictentur. Anathema ipsæ sibi mutuò illidunt, & ab aliquantis sæculis ita inter se sævire non cessant: & hi tamen novelli Theologi invitas illas trahunt in commentitiam quandam suam unitatem & Ecclesiam. Ne Audianos quidem Epiphanius copulare potuit cum Ecclesia Catholica, à cujus fide & moribus nihil se discrepare ipsimet profitebantur, ea tantùm de causa, quòd ejus communionis extorres essent: æqui ergo ille priscas & recentes hæreses omnes, vel saltem complurimas in unam fidei & religionis societatem coadunasset? Nec ab Epiphanio hoc loco sejungendi sunt cæteri Ecclesiæ Patres, quorum ille communia placita, non sua privatim aliqua litteris mandabat: & illi maximè qui hæresum omnium catalogos texuerunt, vel ante, vel post illum. His enim omnibus ea fuit de Audio & Audianis sententia, quæ Epiphanio.

Non nesciebat Epiphanius, non latebat cæteros Ecclesiæ Patres, voluntariam & liberam esse fidem ac religionem: nec in eam fidei ac religionis societatem trahi posse vel unum quemlibet hominem, nedum Sectam aliquam, nedum Sectas complurimas, à qua ipsæ abhorreant, & abhorrere se vociferentur. An hæc erit fabulosæ hujus Ecclesiæ fides, charitas, Scripturarum intelligentia, quæ tot prælia, tot anathemata, tot interminatas concertationes dissimulet, tegat, authoritate sua tueatur? Hæccine est illa unitas, illa charitas, quam Christus Ecclesiæ suæ suisque omnibus commendatam voluit, quam imitatricem æmulamque esse sanxit ejus unitatis & charitatis, qua ipse Patri, Pater ipsi, Pater & ipse nobis conjunctissimi sunt? *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

Quam amabo te fidem, quam Scripturarum intelligentiam, quam charitatem, quam Christiani nomi-

nominis teneram, ab his vel hominibus, vel Sectis despondere sibi quisquam potest, qui tot olim, tot nunc hæresum monstra, tot inter eas dissidia, tot prælia, tanta invicem odia, nihil obstrepere fidei, nihil unitati, nihil charitati illi quam Christus sanxit, pugnare fabulantur, & his fabellis se suosque greges pascunt? Vide rursus ut hæc exponat Epiphanius Christi verba, quæ ad hoc ipsum quod hic agimus videntur facta. *Si inquit quod initio audistis in vobis manserit, vos in me manebitis; & ego in vobis: ego in Patre, & vos in me.* In hæc Christi verba, hoc est, in hæc totidem fulmina ab ipso Christo vibrata in illud, quod hic expugnamus, portentum, ita Epiphanius: *Igitur vere fidei decreta, quæ à Christo Domino ab initio accepta sunt, penes sanctam Dei Ecclesiam residunt. Ideoque eadem illa Dei Ecclesia, & orthodoxa fides in Domino manet; & unigenitus Dominus in Patre, & Pater in Filio; & nos in ipso per Spiritum sanctum, si modò templa efficiamur ejusmodi, quæ sanctum ejus Spiritum capiant.*

Hæresi 69. num. 27. pag. 754.

Ibidem.

XIII. Apud eundem Epiphanium Scripturas traditioni Patrum consociabat Marcellus Ancyranus Episcopus in Confessione fidei edenda. *Hanc igitur, quam & à sacris litteris accepimus, & à majoribus nostris secundum Deum didicimus, fidem cùm in Ecclesia Dei predico, tum ad te modò præscribo, ejusque penes me exemplar retinui.* Hanc rursus apud eundem Pseudosynodus Ancyrana Catholicam fidei professionem scribebat, dum se Catholicam mentiebatur, Catholicæque studebat sociari communioni. *Quocirca etiam atque etiam vos precamur, venerabiles Domini, ac collega; ut lectis his litteris, cùm vobis traditam à majoribus fidem cordi esse, tum nos eadem vobiscum sentire, ac profiteri significetis: ut qui impietatem illam disseminare non verentur, cùm id certò compererint, illam nos fidem, quam ab Apostolicis inde temporibus continuata ad Patres nostros usque successione accepimus, velut patrimonium tueri, ac defendere, vel pudore affecti ad meliorem mentem se conferant; vel si in improbitate persistant, ab Ecclesia proscribantur.*

Hæresi 72. n. 3. p. 856.

Hæresi 73. n. 2. p. 847.

Immaniter hæc sanè abhorrent à fictitia illa omnium Sectarum in unam, omnium, vel longè plurium hæresum in unam fidem coagmentatione: nec minùs hæc quæ idem subtexit Epiphanius post octoginta hæreses à se, ab Ecclesiaque proscriptas, & sigillatim recensitas, quarum ne unam quidem aliis, nedum Ecclesiæ Catholicæ conglutinari posse ita demum testatur: *Quæ licèt Christi nomen præ se ferant, nihil tamen ad illum pertinent: sed partim longiùs ab illo distant, partim minimam ob causam ab omni illius hereditate alienas, ac peregrinas se faciunt, unà cum ipsarum liberis: tum videlicet nequaquam legitimæ sint; sed inter externas habeantur, ac solum sibi Christianum nomen vendicent. Quæ cùm ita sint, veritas nobis ipsa declaranda superest, atque unica, nimirum illa columba, quæ à sponsa collaudatur.*

Hæresi 80. num. 10. pag. 1076.

Hæreses vult Epiphanius, volunt & cæteri Patres omnes illas esse portas inferi, quas Christus confirmavit Ecclesiam suam oppugnaturas, non unquam expugnaturas. Unde ergo prodierunt nobis, qui has inferi portas in Ecclesiam invitam invitas intrudere moliuntur? An non prævalebunt, si non singulæ, sed turmatim in ejus irrumpant penetralia? Si eam vibrata in se decreta, si anathemata recantare cogant? Si orthodoxas & catholicas se, & esse, & semper fuisse, nec se, sed illam errasse pervincant in tot fulminibus temerè in immerentes vibrandis? Vides quò serpant hæc, & quàm iis Christianissimus ipse totus expugnari videatur. Sed quid de Scripturarum intelligentia tot jam Sectis pugnacissimis & dissentientibus communicanda dicemus?

Curæ fuit Epiphanio, cæterisque ante eum, & post eum Patribus omnibus, aperire & velut indigitare & palam facere, ubi reperiri posset Ecclesia, ne aberraret quis inter tot Sectas Christiano nomine superbientes. Atquò ea pertinebat cura, si & hæ Sectæ ipsissima sint Ecclesia illa, vel ejus membra, quæ summo studio pervestigari debeat, quòd extra eam frustra sit sperare salutem? Audi Epiphanium ex Scripturis ipsis ita ratiocinantem: *Una est, inquit, columba mea, perfecta mea: unica est matri suæ, electa genitrici suæ. Tum illud demonstrat, quemadmodum reperiri ab omnibus possit: utpote quæ omnibus honoratior sit, imperet omnibus; atque ipsa sola velut eximia sit, & electa, cujus filii reges hæredes sunt, ac legitimi, hoc est promissionis liberi, non ancillæ, neque pellicis, ceterarumve, quæ nullo numero comprehenduntur.*

In expos. fidei, n. 7. pag. 1054.

XIV. Traditiones Scripturis jungendas esse ex consensu fidelium omnium tradit alibi Epiphanius, quòd non omnia fidei capita scripto mandata sint. *Sed & traditione quoque opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis. Item, Si meministis, nisi frustra credidistis.* Qui rursus traditionibus iisdem non scriptis ita suffragatur, & inhærere iis Ecclesiam demonstrat, præmisso exemplo precum solemnium pro mortuis. *Necessariò facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere; quemadmodum à Salomone scriptum est: Audi fili sermones patris tui, & ne repellas leges matris tuæ: Quibus Patrem, hoc est unigenitum Deum, cùm Spiritu sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse: matrem verò nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi evertique nequeunt.*

Hæresi 61. n. 6. p. 511.

Hæresi 75. n. 8. p. 912.

Quæ à nobis hactenus ex Epiphanio prolata & disputata sunt omnia, loco ille uno eoque luculentissimo executus est in Ancorato suo, ubi & traditiones, & sedium Episcopalium successiones, & per manus traditam fidem, atque adeo Scripturarum intelligentiam commendat, Ecclesiamque Catholicam *incorruptam*, non illam meretriciam sectarum colluvionem, toties corruptam, quot fuerunt hæreses, & sibi mutuò, & Catholicæ Ecclesiæ multò magis execrabiles: *Hæc à me in illorum gratiam scripta sunt, qui vitæ ac salutis nostræ congruam & consentaneam rationem, & certissimam professionem scire amplectique voluerint; quæ jam tum à lege, Prophetis, Evangeliis, Apostolis, Apostolicisque temporibus, ad hæc nostra in Ecclesia Catholica incorrupta servatur: quæque per invidiam ac turbas adversus unam, ac veram fidem concitatas singulis quibusque temporibus variarum hæreseon infectatione jactata, ac multis incommodis earum importunitate conflictata, illa inquam ipsa fides, spes, salusque nostra in sua veritate perstitit: cùm ex adverso hæreses identidem sua se labe contaminent, & ab Ecclesia societate separentur.*

Epiphan. Tom. 2. pag. 88. In Ancor. n. 83.

XV. Venio ad Chrysostomum, qui adeo non Sectas excusabat, quæ segregassent sese, vel segregatæ fuissent à communione Ecclesiæ; ut fideles omnes saltem infirmiores vehementer deterreret ab hæreticorum promiscuè omnium congressu, ut quo non possent non sordidari, & aliquo afflari contagio pestilentium errorum: *Hæc tamen ad eos dicta intelligi volo, qui animo sint firmiore, qui nullum ex societate colloquiisque eorum possint capere detrimentum. Nam qui infirmior est, fugere debet congressum & vocem: devitet is conventum ejusmodi hominum, ne ratio amicitiæ pariat errorem impietatis.* Et mox: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus. Medicus enim cùm ad ægrotum accedat, prodest sæpènumero & illi,*

Chrysost. Tom. 1. pag. 313. Hom. 2. de Incompreh.

& illi, & sibi: sed si quis parum sanus validusque accesserit, & se, & ægrotantem mutua contagione reddet infirmiorem: & qui prodesse illi haud quidquam potuisset, sibi ipsi magnam hausit labem. Omnino quemadmodum qui oculos inspiciunt lippientium, malo afficiuntur eodem: ita his accidit, qui consortium blasphemorum & fœdorum illorum hominum adeunt, eo quod animo sint infirmiori; plurimum quippe contrahunt sibi impietatis, & stolidorum numerum augent.

Exemplum alibi idem Chrysostomus promit hominis in dubio alternantis inter tot Sectas Christianas, quarum nulla est, quæ non in sui patrocinium Scripturas accersat. Inde fit enim, ut inter tot Scripturarum sensus controversatos anceps hæreat; & novus homo cùm sit, satis hinc intelligat suæ opis non esse, tantas componere lites. His ex ambagibus hominem bona fide quærentem, quod ad salutem quærendum summoperè est, uno verbo ita eximit sanctus Pater: Cùm repudiatis Judæis & Gentilibus ad Christianos accedat, ad illos certissimè illi accedendum esse, qui Christiani tantùm sunt: qui Christiano, ut nomini, ita & dogmati nihil addiderunt; adeoque eas, & eo sensu tenent Scripturas, quas Christus tradidit, & quo sensu interpretandas dedit. Nam qui Christi nomini & magisterio, cujusquam alterius nomen addunt, addunt & aliquod proprium ejus dogma, non Christi. *Ego verum dico, cui credam nescio, quum ego scripturarum sim ignarus, & illi utrinque idem prætexunt.* Ita discipulus, jam magister Chrysostomus, *Illi (hæretici) habent quosdam à quibus appellentur; prout enim hæresiarchæ nomen, ita & secta vocatur.* Et infrà; *Nunquid scindimur ab Ecclesia? num hæresiarchas habemus? num ab hominibus cognomen habemus? nunquid nobis dux quidam est, sicut illi Marcion, & illi Manichæus; huic Arius, alteri verò alius hæreseos dux? Quod si & nos agnominationem cujusdam sortimur, sed non ut ab hæresium principibus; sed ut ab his qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam. Non habemus doctores super terram, absit, unum habemus in cœlis. Et illi, inquit, eadem prætexunt. Sed assistit nomen accusans illos, & obturans ora.* Planum hic est vel solo nomine suo revinci hæreses omnes, & hæreticas Scripturarum intelligentias. Diversum enim à Christi nomine nomen, diversi etiam dogmatis certa tessera est. Nec enim de nomine, sed de dogmate certamen est Ecclesiæ & hæreticis, & his inter sese. Non convenisset autem hæreticis omnibus tam contraria sentientibus, uno proprio quodam nomine Sectas singulas insignire, nisi compertum fuisset eas esse non tam nominum, quàm dogmatum & magisteriorum discrepantias.

In Acta, Hom. 33. Tom. 8. pag. 689.

Ex Paulo id alibi Chrysostomus observat, alias esse hæreses dogmatum, alias schismatum; utrasque à Paulo damnatas, sed multò vehementiùs eas quæ sunt dogmatum. *Hereses hic vocans, non eas quæ sunt dogmatum, sed horum schismatum.* Et infrà: *Si autem essent schismata dogmatum, non tam placidè cum eis disseruisset.* Id alibi rursus declarat Chrysostomus invectam à Paulo esse Ecclesiæ toto orbe diffusæ universalitatem, non ad morum dumtaxat, sed etiam ad dogmatum authoritatem stabiliendam. *Neque adducit unum, aut duas, aut tres civitates, sed totam gentem. Quod quidem facit etiam in dogmatibus, dicens, Sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum. Si hoc enim est validum ad fidem faciendam dogmatum, multo magis ad facta æmulanda.* Nimirum paternarum & Apostolicarum & de Scripturis, & de moribus, & de fide traditionum, non satis fortasse firmum esset testimonium unius, aut alterius, sive civitatis, sive provinciæ; sed stabile & inconcussum proculdubio illud est, quod omnes ubique terrarum Ecclesiæ perhibent. Nec enim illis hæc consensio fluere aliunde potuit, quàm ab ipsa sui per Apostolos, vel Apostolicos prædicatores fundatione; commendata singulis & universis in ipso sui exortu tota illa paternarum traditionum hæreditate.

In Epist. 1. ad Corint. Hom. 27. Tom. 9. pag. 361.

In Epist. 2. ad Corint. Hom. 18. pag. 709.

XVI. Fidem facit Theodoretus innumerabiles hæreses orco eructatas, aliquandiu insaniisse, at ita demum oppressas extinctasque fuisse, ut earum ne vestigia quidem superessent. Cùm ex adverso Ecclesia Christi Apostolicis prædicationibus & traditionibus subnixa & toto orbe propagata, in dies convalesceret augesceretque. Nimirum ita Christus promiserat, & fidem suam liberabat. Hominum enim erant illa instituta & dogmata; hæc non hominum, non etiam Apostolorum, sed Dei per Apostolos promulgata. *Neque istorum vel exigue restant reliquiæ. Non Cerinthianorum, non Ebionitarum, non Theodotianorum, non Elcesæorum, non Melchisedecianorum, non Sabellianorum, non Paulianistarum, non Marcellianorum, non Photinianorum; sed omnia oblivionis tenebris semel tradita sunt, adeo ut horum nec nomina multis sint cognita. Verum enim est, quod Servator noster dixit: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Divina autem Evangeliorum dogmata pullularunt, & ad mare usque extensi sunt Apostolorum palmites, & propagines orbem terrarum impleverunt, & impleta est universa terra cognitione Domini, ita ut aqua multa operiat maria, & prædictionis veritatem rerum exitus testatus est.* Et paulò inferiùs: *Sufficiunt ergo ipsa per se impia & scelesta dogmata, ut patrem suum ostendant, ex fructu enim, inquit, arbor cognoscitur. Sufficit & horum exitus ad convincendam falsitatem. Quod enim falsum est, facilè destruitur: firmæ autem & stabiles veritatis sunt vires. Quocirca evanuerunt diabolicæ operationis fabulæ; florent autem & vigent Evangeliorum dogmata.*

Hæreticâ fabul. l. 1. c. 1. Tom. 4. Fol. 224.

Ibidem. L. 3. c. 1. Fol. 228.

CAPUT XX.

Scripturas ex sanctorum Patrum consensione & traditione esse interpretandas, ea esse germanæ Theologiæ fundamenta. Ex Patribus primùm Græcis.

I. Ex Ireneo, ut hæretici à Scripturis ad Traditiones appellabant, sed merè commentitias, suo sibi ex ingenio confictas.

II. Ei fictitiæ traditioni illam opponit Ireneus, quæ ex perpetua successione sumitur Ecclesiarum & Episcopalium sedium.

III. Episcopi his sedibus sedentes, Apostolorum successores sunt, Apostoli, & Apostoli ab ipso Paulo nominati: hi sunt Patres Ecclesiæ, quibus injuria fieri non potest, quæ non in Apostolos, & in Christum ipsum redundet. De Protestantium radio & instinctu Veritatis.

IV. Ex eodem Scripturarum lectio, Ecclesiarum traditio, universalitas, unitas, charitas, Episcoporum & Patrum successio, connexæ sibi sunt; quo ille Protestantium radius divinitatis confutatur.

V. Adversatur & Clemens Alexandrinus huic privato radio, & totum tribuit publicis & antiquissimis Patrum traditionibus.

VI. Vetat Origenes carnes Agni edi, Scripturas legi & exponi, extra Ecclesiam. Complura alia ex eodem.

VII. Ex Epiphanio, ut hæreses non possint nisi ab Ecclesia Catholica habere Scripturas, vel earum partes quaslibet, sed & intelligentias.

VIII. De Patrum traditionibus ejusdem Epiphanii doctrina. Prolixè adversùs omnes hæreses.

I. HActenus adversùs hæreses omnes disputatum est: nunc ad Theologos Catholicos stylum

ſtylum flectimus; cumque in eo maximè vertatur cardo Theologiæ germanæ, ut ex Scripturis omnia, qua fieri poteſt, approbentur: Scripturarum autem interpretes ſint non ſinguli quique pro ſua vel libidine, vel ingenii tenuitate, ſed ſancti Patres; & ne ii quidem ſinguli, ſed communi conſenſione ſua: hanc rurſus quæſtionem aggredimur accuratiùs pertractandam, tametſi in eam jam non pauca præluſa ſint ſuperioribus capitibus. Cùm autem capite ſuperiori in Patres Græcos deſierimus, ab illis iiſdem initium hìc ducemus. Prodit ante alios Irenæus, qui hæreticos ſui ævi teſtatur à Scripturis ad Traditiones provocaſſe, *quia non poſſit ex Scripturis inveniri veritas ab his, qui neſciant Traditionem. Non enim per litteras traditam illam, ſed per vivam vocem: ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam autem non mundi hujus. Et hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſo adinvenit, fictionem videlicet, ut dignè ſecundùm eos ſit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Baſilide: fuit autem & in illo qui contrà diſputat, qui nihil ſalutare loqui potuit. Unuſquiſque enim ipſorum omnimodo perverſus ſemetipſum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.* Irenæus, l. 3. c. 2.

Præter Scripturas ergo illi Traditiones allegabant, *viva voce* datas, & his adſcribebant ſapientiam illam, quam Paulus perfectis reſervatam volebat. Verùm nec Traditio hæc illis, nec ſapientia alia erat, quàm illa eadem animi ſui præſumptio, & quidvis pro arbitratu ſuo confingendi licentia. Hanc illi *Regulam voluntatis* venditabant, non alio freti, quàm ſuo ipſorum teſtimonio; atque ita ſeipſos ſinguli conſtituebant, plebibuſque hac ſua audacia faſcinatis obtrudebant tanquam regulam veritatis, ad quam Scripturæ omnes eſſent revocandæ.

II. Quem Proteſtantium nunc nonnulli Radium Divinitatis, Spiritus ſancti afflatum ſibi adeſſe vel ineſſe nugantur, hæc eadem eſt prorſus commentitia veritatis regula, cujuſque privati voluntas & libido inſolentiſſima, qua voluntates ipſi ſuas & præjudicatas opinationes quodammodo conſecrant, & Spiritus ſancti ac divini luminis nomine & authoritate donant. Perverſiſſimæ porro huic Traditioni & Regulæ hæreticorum, vide quàm longè diverſiſſimam opponat Irenæus, eam ſcilicet Traditionem & doctrinam, quæ ab Apoſtolis accepta, per ſuccedentes ſibi perpetua ſerie Epiſcopos Presbyteroſque ad nos transfuſa eſt. Nihil hìc indulgetur privatæ licentiæ, nihil fingendi libidini, nihil præjudiciis. *Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos: adverſantur Traditioni, dicentes ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inveniſſe veritatem: Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea, quæ ſunt legalia, Salvatoris verbis.* Ibidem.

III. Qui hìc Eccleſiæ Presbyteri dicuntur, Epiſcopi haud dubio ſunt & ſancti Patres, qui hæreditatem hanc pulcherrimam Catholicæ Traditionis & doctrinæ ad nos uſque continua per tot ſæcula ſerie trajecerunt. Jam tum hos aſpernabantur priſcæ illæ hæreticorum peſtes, nec id facilè fieri poterat, quin ea contumelia in Apoſtolos ipſos redundaret. Quippe Primores illi & duces in choro Patrum poſt Apoſtolos, Apoſtolici ipſi erant; & à Paulo ipſo dicti ſunt *Apoſtoli Eccleſiarum*, & illis in beatiores ſedes hinc avectis, qui eis ſucceſſerunt Epiſcopi, uſitatiſſimo Eccleſiæ Græcæ Latinæque ſtylo Apoſtolorum ſucceſſores, Apoſtolatu gaudere, ſed & ſedibus Apoſtolicis ſedere dicti ſunt. Vix ergo poteſt gravior aliqua infamia ſanctis Patribus inuri, quæ non in Apoſtolos, immo & in Chriſtum ipſum redundet; qui tuo illos & nomine & authoritate veſtivit; qui denique palam eis, & poſteris ſæculis dixit, *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit:* ſicut & qui illum ſpernebat, vel audiebat, eodem vel dedecore, vel honore Patrem ejus afficiebat. Subdit immediatè Irenæus, ut Novatores illi antiquiſſimi, poſtquam ſemel Patres, & Apoſtolos ipſos laniaſſent, in Chriſtum ipſum inveherentur. *Et non ſolùm Apoſtolos, ſed & ipſum Dominum, &c.* Hinc ſanè fiebat, ut neque Scripturis concederent, neque Traditionibus audaciſſimi hominum, & verſutiſſimi, qui non tam certare ſe poſſe confidebant, quàm effugere. *Evenit itaque neque Scripturis jam, neque Traditioni conſentire. Adverſùs tales certamen nobis eſt, ò dilectiſſime, more ſerpentum lubrici undique effugere conantes.* Ibidem.

Quàm contexta eſſet & conjugata Apoſtolorum & Epiſcoporum qui eis ſucceſſerant authoritas & traditio, atque adeo Eccleſiarum, quæ ab illis inſtitutæ & hoc cæleſti lacte enutritæ fuerant, ſuprà declaravit nobis Irenæus, ubi de Polycarpo Smyrnæ Epiſcopo verba fecit; *Hic docuit ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Et teſtimonium his perhibent, quæ ſunt in Aſia Eccleſiæ omnes, &c.* Eſt prorſus in his Divinitatis radius, erat is in Polycarpo, erat in ejus ſucceſſoribus, qui ab eo acceperant, erat in Eccleſiis quas illi hoc impertierant: erat in his arcanum Veritatis & Spiritus ſancti oraculum, erat indubiæ veritatis inſtinctus, ſed longa illa ſucceſſione Præſulum & Sedium transfuſus ab aliis ad alios, & toto ex orbe ſibi concinens, univerſa in Eccleſia ſibi conſentaneus. Nihil hìc ſibi quiſquam arrogabat, fingere ne poterat quidem.

IV. Legendas utique Scripturas monet Irenæus, ſed apud eos legendas, & convenienter illis interpretandas, qui in Epiſcopatu Apoſtolis ſucceſſere, & Apoſtolicam retinent doctrinam. *Omnis ſermo ei conſtabit, ſi & Scripturam diligenter legerit apud eos, qui in Eccleſia ſunt Presbyteri, apud quos eſt Apoſtolica doctrina, quemadmodum demonſtravimus. Apoſtoli enim omnes duo Teſtamenta in duobus populis fuiſſe docuerunt: unum autem & eundem eſſe Deum.* L. 4. c. 62. Quin & multò luculentiùs idem infrà Irenæus inconvulſo nexu copulari vult Apoſtolorum doctrinam, univerſalitatem Eccleſiæ, ſucceſſiones Epiſcoporum ad noſtram uſque ætatem, interpretationem Scripturarum, charitatem; dummodo hæc ſibi omnia cohæreſcant, nihil eſt quod doctrinæ fideique noſtræ timeamus; nulla hìc propriæ gloriæ, vel opinionis ludibria; nullæ hominum de Spiritus ſancti ſibi privatim allucentis, ſibi illabentis, ſibi Scripturas interpretantis impoſturæ: *Agnitio vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus, in univerſo mundo, & character corporis Chriſti ſecundùm ſucceſſiones Epiſcoporum; quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos, cuſtodita ſine fictione Scripturarum tractatione pleniſſima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, & lectio ſine falſatione, & ſecundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminentius.* L. 4. c. 63.

Hinc ille ait exortas eſſe tam multiplices hæreticorum ſectas, quòd ea omnia non ita connexa fuerint: hinc cujuſque ſectæ tam diſſimiles ſui & alternantes doctrinas: quod certum eſt erroris argumentum. Cùm ex adverſo ubique gentium Eccleſia Catholica Apoſtolicæ traditioni & doctrinæ inhærens, Presbyteros & Epiſcopos habeat ſibi uſque

que succedentes, & eadem ubique traditiones, eandem doctrinam retinentes, & in postera sæcula propagantes. *Omnes enim ii (Sectarii)* L. 3. c. 2. *valdè posteriores sunt, quàm Episcopi, quibus Apostoli tradiderunt Ecclesias, & hoc tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. Necessitatem ergo habent prædicti hæretici, quoniam sint cæci ad veritatem, alteram & alteram ambulare exorbitantes viam: & propter hoc inconsonanter, & inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum. Eorum autem qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem.* Et paucis interpositis: *Et Ecclesiæ quidem prædicatio vera & firma, apud quam una & eadem salutis via, in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, & propter hoc sapientia Dei, per quam salvat omnes homines, in exitu canitur. In plateis autem fiducialiter agit, in summis muris prædicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur. Ubique enim Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est ἐπάυγασ lucerna, Christi bajulans lumen. Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus, à blasphemo & impudente Sophista.*

Denique inter tantas Sectarum dissensiones, de Scripturis ipsis, & de earum sensu altercantium, confugiendum censet Irenæus ad Ecclesiam, & ad Scripturas in Ecclesia legendas; temperandum verò omnino esse ab illo earum sensu, qui ab elatione & superbia hæreticorum proficiscitur, ideoque in tot diversas scinditur doctrinas, quot sunt hæreticorum Sectæ, quot sunt capita hominum sibi singulis Spiritum sanctum arrogantium. *Fugere igitur oportet sententias ipsorum, & intentius observare, uti ne vexemur ab ipsis: confugere autem ad Ecclesiam, & in ejus sinu educari, & Dominicis Scripturis enutriri. Plantatus est enim Ecclesiæ Paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno Paradisi escas manducabis, ait Spiritus Dei, id est, ab omni Scriptura Dominica manducate: super elato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam hæreticam dissensionem.*

V. Nec ab his dissidet Clemens Alexandrinus, post egregiam hanc Scripturæ cum Maria matre & virgine comparationem. *Tales autem sunt nobis Scripturæ Dominicæ, veritatem parientes, & manentes virgines cum occultatione mysteriorum. Peperit, & non peperit, inquit Scriptura, ut quæ ex se, non ex conjunctione conceperit. Quamobrem iis qui sunt cognitione præditi, conceperunt Scripturæ. Quod quia non intellexere hæreses, quasi quæ non conceperunt eas allegant.* Strom. l. 7.

Non parturient ergo nobis Scripturæ, nisi ipsissimam Veritatem, si modò virgineus sit earum partus, modò non *ex conjunctione pariant*, & nulla eis humani ingenii accedant additamenta. Quæ in interiori quis lumine se videre sive putat, sive jactat, tametsi amore sui insaniens ea cauletur à Spiritu Dei sibi suggeri, ea sunt spuria additamenta. At quæ exteriore per universum orbem Apostolorum, & eorum qui illis succeſſere prædicatione, & unanimi ac constantissima traditione de Scripturarum intelligentia traduntur: ea dici non possunt additamenta quædam esse, cùm non sint nisi traditæ ab iis ipsis, qui Scripturas condiderunt, explanationes. Adeo non enim hæreses hæ possunt esse, ut nec ullæ sint hæreses, nisi dum ab his receditur Traditionibus. *Ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse, perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.* Ibidem.

VI. Scripturas arbitratur Origenes eas intelligi debere Agni carnes, quas extra templum, extra atrium Tabernaculi comedi jussus est. Ita enim legendæ & intelligendæ sunt Scripturæ in Ecclesia, non extra: ita ut non scindatur Ecclesia, sed prisca fides, antiqua doctrina, charitas retineatur, à qua procul sunt, qui per improbam Scripturas interpretandi licentiam, universalis Ecclesiæ concordiam & unitatem scindunt. *Audiant hæc qui scindunt Ecclesiam, & peregrinas ac pravas inducentes doctrinas, putant se sacras carnes extra templum Dei, & extra aulam Dominicam posse comedere. Profana sunt eorum sacrificia, quæ contra mandati legem geruntur. In loco sancto edi jubentur, intra atria tabernaculi testimonii sint. Atria tabernaculi testimonii sunt, quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, charitatis amplitudo dilatat. Ubi hæc non sunt, carnes sanctæ nec haberi possunt, nec comedi.* Origen. in Levitic. Hom. 6. Pag. 71.

Si qua verò ardua vel implicata Scripturæ loca negotium facessant fidelibus, ea vult Origenes extricanda servari Sacerdotibus, Presbyteris, Doctoribus, eum gradum jam pridem in Ecclesia adeptis. *Quod si aliqua memoriæ superfuerint, & intellectum vestrum separaverint, facite quod præsentis mandati authoritas præcipit, dicens: Quod autem superfuerit ex iis, manducabit Aaron & filii ejus. Si quid superaverit, & excesserit intellectum tuum, vel memoriam tuam, serva Aaron: hoc est, reserva Sacerdoti, reserva doctori, ut ipse hoc manducet ipse discutiat, ipse exponat: sicut alibi ipse Moyses dicit: Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi: Presbyteros tuos, & dicent tibi.* Ibidem.

In Proœmio verò libri primi de Principiis idem Origenes hæc habet, quæ si vel ipse accuratissimè observasset, non tantum in Ecclesia turbarum exortum esset, non tam atrocia in ipsum fulmina detonuissent. Ita ergo ille censet; sicut cùm Gentilium sectæ complurimæ Philosophorum tumultuarentur, & nulla non earum veritatis inventæ laudem sibi vendicaret, ad Christum denique unum confugiebamus, qui veritatis certissimus doctor, & ipsa veritas est: ita ubi variæ hæreses jam à pristina Patrum suorum traditione aberrant, & Christi doctrinam singulæ sibi non sine vanissima ostentatione arrogant, illi uni inhærendum est Ecclesiasticæ prædicationi, quæ ab Apostolis tradita per successionis ordinem ad nos pervenit. *Sicut enim multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desuevimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postea quàm credidimus Filium Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cùm multi sint qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* Et alibi: *Et cum hujusmodi quæstiones in plures venerint, multi quidem erunt non sanè tradentes de futuris sermonem, & quomodo non oportet interpretantes prophetas, quos pseudoprophetas quis dicere non peccabit seducere multos, &c.* Et paulò post: *Sed qui potuerit videns omnia hæc manere in primo Apostolicæ traditionis & Ecclesiasticæ inductionis proposito, ipse salvabitur.* Idem, Pag. 420. In Matth. Tract. 29. Tom. pag. 18.

Postremò denique in sola Ecclesia esse Scripturas omnes, & Scripturarum sensum, & hanc esse lucem illam, quæ fulgurat ab Oriente in Occidentem, orbemque illuminat, sic rursus Origenes: *Sic autem intelligere possumus quod ait: Exit ab Oriente, & apparet usque ad Occidentem: Christus verbum esse, & veritas, & sapientia ostenditur à primo initio creaturæ mundi usque ad novissimum Apostolorum scripturam: id est, à Genesi usque ad Apostolicos libros: post quos nullis scripturis ita credendum est, sicut illis. Aut* In Matth. Hom. 30. pag. 90.

ita quoniam lex & Prophetæ usque ad Joannem, in quibus est fulgor veritatis. Et Oriens quidem est lex, Occidens autem finis legis Joannes. Sola autem Ecclesia neque subtrahit hujus fulgoris verbum & sensum, neque addit quasi prophetiam aliud aliquid.

VII. Egregium sanè illud est Epiphanii, ubi ait, etsi improbè fecerit Marcion in detruncandis Scripturis, quin immo & in infinita quodammodo frusta secandis; usque adeo tamen vivum esse Scripturæ corpus, usque adeo totam fœtam esse Spiritu veritatis, ut vel ex his membris ita sectis, vel ex his frustulis ejus ita concisis Catholica veritas enitescat. *Quippe cum totum scripturæ vivum sit, ut ita dixerim, corpus, potuitne* Epiphan. Hæres. 42. n. 12. pag. 374. *mortuum ullum membrum pro animi sui libidine reperire, quod ad stabiliendum mendacium contra veritatem proferret? Quare corpus ipsum mutilare, ac pleraque membra resecare instituit: quorum nonnulla ad usum suum retinuit. Quæ quidem ab illo reservata, & adhuc spirantia penitus extingui nequeunt: sed vitalis ille declarandæ veritatis vigor remanet; tametsi minutissimas in partes infinitè secta, divisaque fuerint.*

Facit hoc magnoperè ad Scripturæ commendationem, quòd usque adeò tota spiret veritatem & charitatem, ut ne minutiæ quidem ejus ullæ hujus laudis inanes sint. Vereor tamen, ut ex his ita truncatis facilè revinci posset hæreseos obstinatio. Satius ergo nobis visum est hinc id exculpere, non posse Scripturæ libros omnes, librorumque partes per capita & versiculos suæ integritati asseri, & defendi contra audaciam sacrilegam hæreticorum eas detruncantium, ut earum figmentis tuendis conducibile est, nisi ex traditione Ecclesiæ, penes quam unam est hæreditaria ejus possessio; & à qua una vel ipsæ hæreses integrum habent corpus Scripturæ, quod singulæ adversùs alias hæreses defendant. Nec enim omnes hæreses aliquid de Scripturis truncarunt: & quæ id ausæ sunt, non eadem omnes truncarunt partes, sed aliæ alias. Porro ne ipsæ quidem poterant Scripturas, vel integras, vel minùs mutilatas tueri adversùs alias sectas audaciores, nisi authoritate antiquissimæ Ecclesiæ, quæ illas incomparabili & antiquitatis & authoritatis laude superabat, & à qua una Scripturas habebant, constantissimè ante earum exortum servatas. A qua ergo habent Scripturas, & integras atque incorruptas habent, quin ab eadem Catholica Ecclesia habeant earum intelligentiam? Id ipsum observare est in eodem Epiphanio adversùs Appellejanos hæreticos, non dissimili audacia Scripturam discerpentes, atque ita errori suo eam accommodare molientes. *Cæterum cum è sacris litteris quidquid placuerit eligas, aut rejicias; planè judicem te legum, non interpretem facis, ac delectorem omnium, quæ ex animi tui sententia minimè scripta sunt; quæ etsi verissima sint, falsò à te nihilominus commutantur, & ad tuum ac tuorum errorem accommodantur.* Hæres. 44. n. 4. pag. 384, 385.

Sive autem in mutilandis aliqua sui parte Scripturis, sive in illis ad alienos sensus rapiendis, hæreses, ut alibi tradit Epiphanius, à regia via deflectunt, id est, ab Ecclesia, quæ una veritatis via est; ut Scripturæ vera interpretatio nulla sit, nisi sit & Ecclesiastica. *Est enim regia quædam via; nimirum Ecclesia Dei, ac veritatis iter: unaquæque verò istarum Hæreseon regia derelicta via, ad dexteram sinistramve deflectens, deinceps in immensum errorem sese committens abripitur: adeo ut nullum deinceps modum habeat in qualibet erroris insolentia.* Hæres. 59. n. 14. pag. 504.

VIII. Docuit nos suprà idem Epiphanius, præter Scripturas traditione opus esse, nec enim ex Scripturis omnia peti posse: denique *alia scripto, alia traditione Apostolos reliquisse.* Cum ergo Apostoli multa Ecclesiis sine scripto consignarent, quin & ipsam consignarent Scripturæ intelligentiam? Quid enim tam necesse est trahi & consignari Ecclesiis, quàm sensum & intelligentiam ejus quod scripto traditur? Unde idem alibi, *Igitur veræ fidei decreta, quæ à Christo Domino ab initio accepta sunt, penes sanctam Dei Ecclesiam residunt.* Hæres. 69. n. 17. Porro decreta fidei sensu magis, quàm verbis constant; intelligentia magis, quàm scripto. Pseudosynodi Ancyranæ Episcopi apud eundem Epiphanium, ut se Catholicos simularent, hæc perscribebant: *Cùm certò compererint illam nos fidem, quam ab Apostolicis inde temporibus continuata ad Patres nostros usque successione accepimus, velut patrimonium tueri ac defendere.* Hæres. 73. n. 2.

Jam audi ut Epiphanius convellat Aetii de Paschæ die contrariam Ecclesiasticæ traditioni sententiam, utique à sanctis Patribus haustæ, & ab ipsis usque Apostolis: *Jam verò utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit, & adhuc hodie superstes est? An qui ante nos testes extiterunt, quique ante nos eandem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam & ipsi à parentibus suis acceperant, & ipsorum parentes à majoribus suis didicerant: quemadmodum Ecclesia, quam à patribus suis accepit rectam, ac sinceram fidem, cum traditionibus ad hunc diem observat?* Hæres. 71. n. 6. p. 910. *Facessat igitur falsa illius de Paschate sententia.*

Jam protulimus quod idem infrà habet, ex præcepto sapientiæ in Proverbiis, audiendos esse sermones Patris, id est, Dei, Unigeniti & Spiritus sancti: ita enim & vertenda, & latinè exponenda sunt Epiphanii verba; non ut habet vulgata editio, minùs hic castigata: nobis enim Pater est tota Trinitas: rursus autem præcipit sapientia ibidem, audiendas esse leges sanctæ Ecclesiæ; at Pater, *alia scripto, alia sine scripto nos docuit.* Ibidem. n. 8.

Cùm Temporarios alicubi dixisset Catholicos Aetius Anomœorum signifer, in ejus discipulos eam contumeliam retorquet Epiphanius, quòd nemo ex veteribus eadem cum ipso sensisset; at ab initio & ab ultima usque antiquitate Catholicum dogma toto terrarum orbe celebratum fuisset, de Verbi similitudine, immo & consubstantialitate cum Patre. *Etenim sacrosancta Dei fides, ac religio, cum ab initio, atque ab ultima vetustate extitit, licèt non obsolescat, aut inveteretur unquam; tum perpetuò stat, solidissimo fundamento nixa: cujus Dominus extra tempus omne constitutus est. Quocirca neque ipsa tempori subjacet; sed cum Angelis versatur assiduè, sanctosque per singulas generationes exornat. Tu verò temporarius multò magis appellandus es, qui & in errorem abductus es, & fastu arrogantiaque distentus, & gregis tui pecudes passim per dumis ac spinis consita pascua propulisti. Nemo enim eadem tecum ex veteribus sensit. O Æti! temporarios scriptis tuis lacessens, temporarius ac recens ipse.* Hæres. 76. n. 2. p. 932.

Cùm denique Apollinarem insectaretur Epiphanius, & illud sigillatim ejus commentum, quo temporale Christi in terris mille annorum regnum somniavit futurum ante extremam & beatissimam resurrectionem, gloriæque absolutissimam perfectionem; hæc habet, quæ observasse hìc juvet. Primùm quidem esse in Apocalypsi verba quædam Joannis Apostoli, quæ ei regno suffragari videantur: sed in Ecclesia servari spiritalem eorum intelligentiam, qui verissimus eorum sensus sit, ut ne liceat alium ex solius litteræ sono comminisci. *Cæterùm de hoc millenario tempore alicubi, hoc est in Joannis Apocalypsi, mentionem fieri, & eum librum à plerisque inter Canonicos recipi, religiosi homines non ignorant. Verùm ita complures, iidemque pii, ac spiritalium rerum periti in illius lectione versantur, ut quæ in ipso spiri-* Hæres. 77. n. 26. pag. 1031.

talem

talem sensum continent accipientes, vera illa quidem, sed altiori quadam intelligentia explicata fateantur. Nam non illud solum, quo de agitur, sed & alia permulta profundioribus sententiis enarrantur.

Non ergo ex solis Scripturæ verbis, facili & obvio sensu donatis, Catholicum dogma constituendum est, sed ex piorum & peritorum in Ecclesia spiritali intelligentia. Constat certissima sua ratio & veritas his verbis; sed altiori quadam intelligentia illa indigent, eaque in Ecclesiæ scrinio pectoris, in piorum & spiritalium, in Patrum & Pastorum corde descripta est. Nec ad istam solùm id valet de Millenariis quæstionem, sed & ad complura alia, quæ teste Epiphanio, profundioribus ibi sententiis enarrantur.

Quin immo universim id ratum fixumque est ex eodem mox Epiphanio, quisquis contra traditiones à Patribus & Ecclesia ad nos transfusas, & ex Prophetis quondam, sive Apostolis derivatas, novi aliquid importat, quantumcumque Scripturis confidat, ad peregrinas eum, absurdissimasque sententias delapsurum. *Nunc autem* Ibid. n. 27. *ad alia properantes breviter admonendi causa istud aspersimus, quo religiosus quilibet animadverteret, quicunque semel constitutos in Ecclesia terminos, ac prophetica, & Apostolica fidei, quam traditam accepimus, doctrinaque spem egredi voluerit; ejus animum ex levissimi alicujus occasione dicti in re modica, ac nullius penè momenti à communi via deflectentem, ad vanissimas subinde assertiones, periculosissimasque sententias, & ad absurdas, ac peregrinas quæstiones, atque, ut Apostolus loquitur, inextricabiles genealogias, esse lapsurum.*

CAPUT XXI.

Rursum ex Græcis Patribus, consensione Patrum exponendas Scripturas, & quæstiones Theologicas diffiniendas esse.

I. Eodem se paternarum traditionum, seu Patrum authoritatis clypeo tuebatur Athanasius contra Arianos.

II. Non Scripturarum modò interpres & custos est, sed & suarum etiam olim definitionum, quod utraque hæretici perversè interpretentur.

III. Et inter Gentiles, & inter hæreticos certum erroris argumentum est, quod alii aliter sentiant.

IV. Basilius Ambrosio nuper ordinato affirmabat, ad conterendas hæreses omnes, non alio opus esse, quàm ut priscam Patrum doctrinam tueretur. Plura alia Basilii pro authoritate Patrum.

V. De doctrina orthodoxa antiquitate, successione, universalitate, priscorum in eam Patrum consensione, totius orbis communione, ex eodem Basilio.

VI. Ex eodem de voce Consubstantialis, quam alii admittebant, alii respuebant, alio & alio sensu, incolumi fide & Patrum reverentia.

VII. Apostoli, Patres, Doctores Basilio illi sunt vertices montium, super quos fundata consurgit Ecclesia.

VIII. Rursus ex eodem, in fide Trinitatis antiquitas, universalitas, traditio & consensio Patrum.

IX. Pari in honore sunt dogmata, sive scripto, sive sine scripto tradita sint. Quin etiam plus veneracionis habent, quæ sine scripto tradita sunt.

X. Ex eodem, ut Apostolicum sit, non Scripturis tantùm, sed & traditionibus niti non scriptis.

XI. Luculentissimè, ut se, doctrinamque suam tueatur Basilius authoritate antiquorum Patrum, quos nominatim laudat; quin & posteriorum Scriptorum, atque ita antiquitate, universalitate, consensione Patrum nitatur.

XII. Qui modus in his tenendus, ut ne Patrum authoritas Scripturis æquetur; cùm illi quæ sit suis temporibus Ecclesiæ fides testificentur.

I. EOdem se Athanasius traditionum avitarum clypeo tuebatur & authoritate Patrum in disputatione contra Arium in Nicæno Concilio. *Mi homo, memor sis doctorum: Ego* Athanas. To. 1. pag. 100. *enim, ne erres, simplex, incompositum, infinitum Numen veneror; quum id didicerim ex sacris & divinis Scripturis, postmodum & ab Episcopis, qui mihi hoc per manus tradiderunt. Nulla igitur alia de causa Scriptura brachium, & dexteram vocat Filium, nisi ut piè intelligamus Filium Patri consubstantialem esse.* Et in Oratione II. contra Arianos, eam veram & germanam Scripturæ explicationem esse docet, quæ Ecclesiastica sit, id est, quæ ab Ecclesia probetur & promulgetur. *Hanc ergo arbitror istius dicti sententiam, eamque in primis Ecclesiasticam.* Oratione autem adversus eosdem quarta, ex adverso confirmat Arianos non eas amplecti, quas Ecclesia tradit Scripturæ expositiones, sed quas ipsi ad arbitrium sibi confingunt. *Verùm contra ista* Pag. 218. *rursus obnituntur suis commentitiis fabulis, dum ajunt, Non ea ratione Patrem & Filium unum esse, aut ea similitudine conjunctos esse, quam Ecclesia agnoscit; sed eo duntaxat modo, quem ipsi adferunt.* Et in Epistola ad Serapionem contra eos qui dicunt Filium, vel Spiritum sanctum creaturam esse, utriusque cum Patre consubstantialem majestatem sic ex Traditionibus tuetur: *Videamus tamen adhuc illam ipsam ab initio tra-* Pag. 366. *ditionem & doctrinam & fidem Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus quidem dicit, Apostoli verò prædicaverunt & servaverunt. In hac enim Ecclesia fundamur, & qui inde excidit, Christianus non poterit dici.* Et inferiùs aliquantò: *Concorditer ergo ex sacris Litteris ostenditur, Spiritum* Pag. 372. *sanctum creaturam non esse; sed proprium illum & suum esse Verbi & deitatis Patris. Ita enim Sanctorum doctrina in sanctam & indivisibilem Trinitatem in unum coit ac conciliatur, atque una ea fides est Catholicæ Ecclesiæ.* Et paulò post: *Ego* Ibidem. *enim secundùm Apostolicam à Patribus acceptam fidem ista tradidi, nihil prorsus aliunde adjiciens; sed sicuti didiceram, ea scripsi, quæ cum sacris Scripturis congruerent. Id enim consonum est cum illis, quæ ex sacris Litteris demonstrata fuere ad confirmationem, neque forinsecus quippiam accersitum est.*

Scripturis ergo proculdubio innititur tota nostra de Trinitate fides & doctrina: sed cùm eam conscindunt hæretici, & abducunt in alienas & peregrinas hallucinationes, id sequitur Ecclesia in interpretandis Scripturis his, quæ sibi à Patribus tradita sunt, quæ à Christo & Apostolis vel ipsa Baptismi formula præscripta sunt.

II. Nec Scripturarum tantùm intelligentiæ interpres & custos est Ecclesia Catholica adversùs illudentes undique & obrepentes hæreses; sed & suarum adversùs illas definitionum, cùm & eas Novatores subinde novis contendant interpretationibus pervertere, & in suos sensus deflectere. Nicænæ ipsius fidei formulæ Ariani tendiculas struebant, ipsam Consubstantialis vocem iuæ perfidiæ aptare molientes: at insidiosas istas eorum molitiones Ecclesia tandem labefactavit & disjecit, sui ipsa sibi dogmatis conscia & fidissima custos, non tam verborum, quam sensuum & sententiarum, quibus vel Scripturæ constant, vel Synodicæ definitiones. Ita enim Athanasius in Epistola ad Jovianum Imperatorem de fide: *Multosque (Ariani) his verbis deceperunt, adeo ut* Pag. 192. *qui aliquid esse viderentur, illorum blasphemia*

sedutis, at. Quippe Patres quamprimum Nicææ in Concilium venientes, ejus verba anathemate condemnarunt, & Catholicæ fidei confessionem scripto tradiderunt, ut ejus ubique promulgatione incendium hæreseos per sectarios excitatum restingueretur. Ea igitur sinceriter ubique per omnes Ecclesias & legebatur & prædicabatur; quum quidam Arianam hæresim renovare cupientes, hanc à Patribus Nicæa confessam fidem incepere contemnere, præ se ferentes quasi ab ea non dissentiant, cùm interim revera eam inficientur malè interpretantes consubstantialitatem: & blasphemias dicentes in Spiritum sanctum, quem creaturam, & à Filio conditum asseverant. Quidni enim custos Ecclesia Catholica sit & Scripturarum, & earum intelligentiæ, & fidei Patrum jam inde ab exordio Christianæ gentis; cùm una ipsa & orbem terrarum impleat, & superiores ætates impleverit, omnium præstantissima spectatrix, omnium testis oculata? Unde ibidem Athanasius: *Cognosce religiosissime Auguste hanc esse, quæ à condito ævo prædicata fuit, fidem, & quam Nicææ Patres congregati cognoverunt, ejusque suffragatrices esse omnes omnibus in locis Ecclesias.* Et in Synodi Nicænæ decretis contra Arium: *Est enim ibi, ut Patres tradiderunt, veræ disciplinæ & magisterii argumentum, ubi eadem confitentur; nec à se invicem, nec à majoribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potiùs quàm veri præceptores appellari debent.*

III. Gentiles mox ibidem ait Athanasius nusquam inter se consentire; quod certissimum est erroris & mendacii argumentum. Idem meritò dixeris de hæreticis, qui quæ elegerunt ipsi, complectuntur, ac proinde longè diversissima alii ab aliis; at Catholici eorum retinentissimi quæ sibi à Patribus tradita sunt, & ab ipso usque summo Magistro Christo, semper & ubique eadem dicunt sentiuntque. *Certè Ethnici, quum nec eadem profiteantur, sed inter se discrepent, veram disciplinam non habent. Sancti contrà sinceræ sunt veritatis præcones, eò quòd inter se sententiis conveniunt, & nullo dissidio laborant. Qui tametsi diversis temporibus vixerint, æquè tamen simul eodem tendunt, ut unius Dei Prophetæ & ejusdem sermonis interpretes.* Ibidem.

IV. Venio ad Basilium Magnum, qui Ambrosium Mediolanensi sedi nuper invectum per Epistolas veneratus est, quibus eum ait non ab hominibus edoctum fuisse, quæ Evangelicæ erant doctrinæ, sed ab ipso Domino Apostolica sede ornatum fuisse, adeoque ea sapientia perfusum, quæ debellandis hæreticis Arianis sufficiat: nec enim ad id opus esse, nisi ut prisca sanctorum Patrum vestigia renovet, tritamab eis viam terat, traditam ab illis doctrinam tueatur; ita enim Apostoliçam sedem suam, id est Episcopalem, Apostoliça ornabit & illustrabit doctrina, qua & ipse ornabitur. *Age igitur, ô homo Dei, quando quidem non ab hominibus accepisti, aut doctus es Evangelium Christi, sed ipse te Dominus è medio judicum terræ desumptum ad cathedram Apostolicam transtulit: certa bonum certamen, corrige ac moderare infirmitatem populi, si qua Arianæ vesaniæ labe tactus est: renova prisca Patrum vestigia.* Basilius Epist. 55.

Compendiosa hæc erat & certa via, qua ad fidei & doctrinæ Catholicæ abundantem copiam veniretur, si unum id curæ esset, id sentire, id dicere, quod sensissent dixissentque Patres. Unde rursus idem alibi: *Fidem autem nos neque recentiorem ab aliis conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus, ne humana putentur pietatis verba; sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus. Est itaque Ecclesiæ nostræ à Patribus administratæ, etiam à sanctis Patribus, qui Nicææ convenere, conscripta fides; quam tametsi arbitramur ore tenus & apud vos in usu haberi; non tamen detrectabimus, ne desidiei crimine notemur, ipsa quoque verba litteris annotare.* Epist. 64.

Ita Basilius Ecclesiæ Antiochenæ. At in Epistola ad Occidentales Episcopos, vide ut illos incendat ad Patrum traditiones defensandas, opemque ferendam Orientalibus Ecclesiis acerbissimè exagitatis, eorum importunitate qui Patrúm dogmata aspernabantur; *Patrum dogmata contemnuntur, Apostolicæ traditiones nullo numero habentur, recentiorum hominum inventa in Ecclesiis dominantur, Homines de cætero artificiosè disputant, non Theologos agunt.* Et infrà: *Arripite pietatis zelum, eripite nos ex hac tempestate. Proferatur etiam apud vos cum fiducia bonum illud Patrum præconium, quod infamem Arii hæresim evertat, & Ecclesias in sana doctrina confirmet, in qua Filius consubstantialis Patri prædicatur, & Spiritus sanctus æqualiter connumeratur & colitur.* Epist. 61. Ibidem.

V. Alibi verò idem Basilius purgans se Neocæsariensibus, apud quos traducebatur ab iis, quibuscum simultates susceperat ob Catholicæ fidei defensionem, hortatur eos, ut à se propulsent novitates quaslibet, Apostolicis & Evangelicis institutis contrarias, Gregorii Thaumaturgi apud eos olim Episcopi doctrinæ inimicas, omniumque ejus in eadem sede successorum usque ad Musonium, cujus recens erat adhuc memoria: *Hoc studiosè agitur apud vos, ut fides subvertatur, idque subversione Apostolicis & Evangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni magni revera Gregorii, & eorum qui illum ex ordine subsequuti sunt ad beatum usque Musonium: cujus dogmatum recentem esse etiamnum apud vos memoriam manifestum est. Sabellii namque pestem, olim quidem motam, traditione verò magni Gregorii consopitam, renovare conantur: qui ne deprehendantur & convincantur, ista contra nos somnia confixerunt.* Epist. 64.

Unam antiquam incorruptam fidei Catholicæ doctrinam idem alibi ex eo confirmat, quòd constantissimè retineatur, ea quam Patres toto orbe tradiderunt: *Nos verò, fratres dilecti, modici quidem momenti sumus & humiles; semper tamen in eodem, per gratiam Dei, constantes nunquam ad rerum innovationem consensimus. Fides enim apud nos non alia in Seleucia, alia Constantinopoli, in Zelis alia, & in Lampsaco alia, & in Roma. Et quod nunc circumfertur fidei symbolum, non est à prioribus diversum, sed unum & idem. Sicut enim à Domino accepimus, ita baptizamur, ita credimus: quemadmodum credimus, ita glorificamus; neque à Patre & Filio Spiritum sanctum separantes; neque preponentes Patri, aut Filio antiquiorem esse Spiritum sanctum dicentes: quemadmodum blasphemantium lingua adstruunt.* Et non multò post: *State in fide. Ipsum orbem circumspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua vero universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recipit, sanam hanc & incorruptam doctrinam sectetur; à cujus communione ut ne excidatis, petimus.* Epist. 71.

Ut se purgaret Basilius ab aspersa sibi à malevolis hæreseos criminatione, vide ut allegaret inculpatam fidem nutricis & institutricis suæ Macrinæ, à qua & Gregorii Thaumaturgi doctrinam, ipsaque ejus verba didicerat: *Fidei verò nostræ quæ poterit esse evidentior probatio, quàm quod à nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gremio progressa est, Macrinam dico, illustrem illam, educati sumus: à qua & beatissimi Gregorii verba, quæ memoriæ beneficio ad illius usque ætatem servata ipsa retinuit, edocti sumus, quibus illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatibus* Epist. 75.

Epist. 62a.

tibus finxit ac formavit. Subdit mox fidem ſuam expendi debere, non ex unius, aut alterius obtrectatione, ſed ex ſuffragatione & communione, qua ſibi cohæreſcunt totius orbis Epiſcopi.

Ibidem. *Fuerat autem juſtius res noſtras æſtimare non ex uno aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur; ſed ex multitudine totius orbis Epiſcoporum, qui gratia Chriſti conjuncti nobis ſunt. Requirantur verò Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges & qui utriuſque ſunt Armeniæ, quotquot vicini vobis ſunt Macedones, Achæi, Illyrii, Galli, Hiſpani, tota ſimul Italia, Siculi, Aphri, & qui in Egypto adhuc ſani ſunt, & quæ reliqua portio eſt Syriæ, qui quidem litteras ad nos mittunt, & viciſſim à nobis recipiunt: ex quibus cùm quæ illinc ad nos feruntur, tum quæ vice verſa iſthinc ad ipſos mittuntur, cognoſcere poteſtis, quòd unanimes omnes eodemque ſenſu præditi ſumus.*

VI. In Epiſtola denique ad Canonicas data idem Baſilius nec à culpa omnino liberat, nec verò damnat eos, qui vocem ſolam Conſubſtantialis refugiebant: vocem inquam, ſcilicet alieno ſenſu aſperſam, non orthodoxum ejus ſenſum. Meritò improbari debere eos docet, qui quod Patres, quod Nicæna Synodus amplectebatur, admittere detrectabant. Et tamen utcumque excuſari poſſe ſubjicit, quòd vox ea in diverſos ſenſus à diverſis raperetur. Antiocheni enim Patres illam damnaverant in Concilio illo eodem, quo Paulum Samoſatenum exauthoraverant; nec damnaverant utique, niſi eo, qui reſpui debuerat, ſenſu. At Nicæna Synodus eam alio ſenſu conſecraverat, ut magnoperè opportunam, ad Sabellii hinc, inde Arii impietatem configendam. In incerto aliquandiu res ea fluctuata eſt, quòd non facilè poſſet niſi temporis diuturnitas invidiam illi voci illitam abſtergere. Utrimque mente Catholici, & fide erant, utrimque Patrum traditionis & reverentiæ tenaces, illi Antiochenorum, hi Nicænorum. Epiſt. 100. *Idem enim de fide ſentimus uterque: ſiquidem ſimus hæredes eorumdemmet Patrum, qui quondam Niceæ promulgarunt magnum illud præconium piæ fidei. Cujus quidem præconii partes cætera omnes nullis impetitæ ſunt calumniis; at vocem illam Homoouſion, ſiniſtrè à nonnullis acceptam, ſunt qui nondum admiſerunt; quos jure quis dignos reprehenſione dixerit, & eoſdem iterum jure excuſandos. Patrum enim veſtigiis non inſiſtere, & ſuam ipſorum excogitatam ſententiam velut potiorem voci illorum anteferre, tanquam præſumptionis plenum non vacat culpa: eandem verò rurſus à nonnullis reprehenſam, ſuſpectam habere, videtur aliquatenus illos à culpa liberare. Nam revera qui convenerant in cauſa Pauli Samoſateni, vocem hanc ut minùs congruam accuſatam ejecerunt. Dixerunt enim, &c.*

VII. Eccleſiam alibi Baſilius agnoſcit eſſe illam apud Iſaiam domum Dei, ſupra vertices montium ædificatam, ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ſupra vertices illorum omnium quos Deus uberiore luminis ſui copia & ſanctimonia donavit, ut Apoſtolorum, & antiquiorum per longas temporum moras Magiſtrorum Doctorumque loca & munia implerent. Nunquam enim his montibus Eccleſia deſtituitur, nunquam his luminibus, ut ſimplices, ut plebes, ut imperiti fideles his adhæreſcant, his incumbant, & per hos Apoſtolis, per Apoſtolos Chriſto. Baſil. To. 2. in c. 2. Iſaiæ. *Domus inſuper Dei in ſublimi vertice montium collocata, Eccleſia eſt juxta Pauli ſententiam, dicentis: Vidæte, quomodo oportet vos converſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, cujus fundamenta in montibus ſanctis: eſt enim ædificata ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Unus ex montibus erat Petrus, ſuper quem pollicitus fuerat Dominus ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam. Intellectus enim in ſublime erecti, à terrenis iſtis diſparati ſupraque hæc ſuſtollentes ſe jure optimo montes appellantur. Anima autem beati Petri ſublimis nominata meritò eſt petra, quòd in fide radices ſolidè defixerit, & adversùs plagas per tentationes illatas ſtabiliter conſtanterque ſe geſſerit. Quicumque igitur capaces ſunt divinæ cognitionis, propter celſitudinem intelligentiæ & earum actionum, quæ per ejus intelligentiæ perficiuntur ſublimitatem; hi ob vitæ integritatem vertices ſunt montium, in quibus ædificatur domus Dei.*

VIII. In libro autem de Spiritu ſancto idem Baſilius cavillationes eorum proterit, qui ut Filii divinitati adverſarentur, negabant gloriam cum illo Patri dicendam, ſed per illum: negabant & antiquos Patres de Filio dixiſſe *Cum quo*, ſed *Per quem* gloria Patri defertur. Contra Baſilius nititur ita dixiſſe, ita ceciniſſe antiquiſſimos Patres: nec enim eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ novitatibus ſtudeat; ſed hæreſeos eam eſſe indolem & naturam, ut veterum pertæſa, novi ſemper aliquid ornatus aucupetur. De Spirit. ſanct. c. 7. *Quin & illud mentiuntur hanc vocem, Cum quo, ab uſu piorum alienam eſſe. Quotquot enim morum conſtantia, antiquitatis majeſtatem novis ornamentis prætulerunt, ac majorum traditionem citra mutationem conſervarunt, in ſingulis tum regionibus, tum civitatibus hac voce ſunt uſi. Cæterùm qui conſueta faſtidiunt, ac vetera tanquam obſoleta ſubmovent, ii ſunt qui novas vocum fictiones recipiunt; quemadmodum ii, qui ſtudioſi ſunt ornatus, ſemper veſtem novam præferunt communi. Itaque videas & hodie à ruſticanis hanc vocem more veterum pronuntiari. Cæterùm iſtorum verba ſunt novæ ſapientiæ cauterio inuſta, ab ipſis qui in artificio pugniſque verborum detriti ſunt. Proinde quod à majoribus noſtris dictum eſt, & nos dicimus, Gloriam eſſe communem Patri cum Filio: quapropter & glorificationis hymnos Patri ſimul cum Filio offerimus. Quamquam hoc nobis non eſt ſatis, ſic à Patribus eſſe traditum; nam & illi Scripturæ ſequuti ſunt authoritatem, ex teſtimoniis quæ paulò antè vobis è Scriptura citavimus ſumpta origine.*

IX. Prolixiùs infrà idem ſanctus Pater dotes perſequitur Spiritus ſancti, tum eas quæ ex Scripturis ad nos defluxerunt, tum eas quæ ex traditione ſine ſcripto. Quin & diſertè & univerſim idem affirmat, bipartita cùm ſint Eccleſiæ dogmata & inſtituta, alia nimirum ſcripto tradita, alia ſine ſcripto, pari utraque indiſcriminatim in honore eſſe. Ipſimet enim Evangelio graviſſimam irrogari contumeliam, ſi inſtituta ſine ſcripto tradita minus habere momenti exiſtimentur. Ibid. c. 9. 27. *Dogmata & inſtituta quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines quæ ſcripto prodita non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes graviſſimum Evangelio detrimentum inferemus, immo potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

Quin & illud conſtituit Baſilius, non ſolùm tradita ſine ſcripto multa eſſe, ſed & tradenda ad eum modum fuiſſe, & ea potiſſimùm quæ propenſiùs coli, & majori in veneratione eſſe decebat. Quæ maximè ſacroſancta enim ſunt myſteria, ea velo obduci, & profanis vulgi oculis ſubduci ipſa ſuadet religio. Quæ evulgantur enim, brevi etiam vileſcunt. Unde & Moyſes olim Sancta Sanctorum ſolis ſacerdotibus patere voluit, idque perrarò: *probè ſciens pro ſua ſapientia res uſu tritas, & undecunque parabiles expoſi-*

expositas esse contemptui: caterum ei quod sepositum est, quodque rarum est, huic natura conjunctam esse summam admirationem ac studium. Pergit statim ibidem Basilius: *Ad eundem modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatis cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes verò publicantur. Est autem silentii species etiam obscuritas, qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad utilitatem in Scripturis versantium.*

Ibidem a

X. Paulò inferiùs ex Paulo ipso Basilius vim addit & pondus traditionibus, ut Apostolicum jam sit traditionibus sine scripto assentiri; ab Apostolis enim acceperunt, qui eas transfudere in nos. *Sanè contra id quod dicunt, glorificationem, Cum Spiritu, carere testimonio, nec in scripturis extare; illud dicimus: si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur; sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis: & illud, Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam. Quarum maximè una est, & hæc de qua nunc agimus; quam qui ab initio præscripserunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, per longam consuetudinem Ecclesiis irradicarunt.* Quàm veneranda sit autem dogmatum canities, per traditionem ad nos propagatorum, sic Basilius: *Veneranda sunt enim vetusta dogmata, quòd ob antiquitatem ceu caniciem quandam, habeant quiddam reverendum.*

Ibid. a 29.

Ibidem.

XI. Vide autem ut authoritate Irenæi, Clementis Romani, Dionysii utriusque, Romani alterius, alterius Alexandrini, se tueatur Basilius & Catholicum dogma atque institutum decantanda gloria æquali Patri & Filio & Spiritui sancto. De eo enim tum contentio erat. *Ireneus ille, & Clemens Romanus, & Dionysius Romanus, & Alexandrinus Dionysius, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi cognominem Epistola, de accusatione ac defensione hunc in modum finit sermonem: Transcribam autem vobis ipsa hominis verba: His, inquit, congruenter & nos, etiam forma regulaque à senioribus qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam vobis scribere desinemus: Deo autem Patri & Filio & Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.* Et non multò pòst: *Sed & Clemens antiquior, vivit, inquit, Deus & Dominus Jesus Christus & Spiritus sanctus. Ireneus autem ille, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus faciat, disputans adversus hæreses, audiamus, Eos verò, inquit, qui effrenes deferuntur ad suas concupiscentias, nullum habentes divini Spiritus desiderium, meritò Apostolus carnales vocat.* Quin & Eusebii Cæsariensis testimonia profert, ipsiusque adeo Origenis, tametsi non semel hic aliàs in negotio fidei claudicare visus sit. *Quod si cui Eusebius Palestinus propter multiplicem experientiam idoneus videtur, cui habeatur fides, & ex illo voces easdem ostendimus.* Et mox: *Jam verò & Origenem multis in locis expositionum quas in Psalmos edidit, deprehendimus, cum sancto Spiritu gloriam deferentem Deo; virum qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones: nihilominus & hic reverens consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu.* Quin nec Africanum historicum prætermittit: *Quem talis glorificandi forma non præteriit.*

Multò præclariora sunt autem, quæ de Gregorio Magno, id est, Neocæsariensi Episcopo Thaumaturgo præfatur Basilius, intexta etiam ejus vitæ per Nyssenum scriptæ epitome: *Caterùm Gregorium Magnum, & illius voces quo loco ponam? An non cum Apostolis & Prophetis, virum qui eodem spiritu quo illi versatus sit, quique sanctorum vestigiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangelicæ conversationis vigorem quamdiu vixit præstiterit? Equidem illud dixerim, profectò injuria affecerimus veritatem, si non animam illam annumeremus iis qui Deo juncti sunt, qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit, qui è Spiritus ope tremenda habuit adversus dæmones potestatem.* Tanto verò in honore & pretio fuisse subdit apud suos Gregorium, & ejus instituta omnia, ut ea maluerint ita rudia ob antiquitatem, & imperfecta servare, quàm additamentis ea quibusdam perpolire, ut in aliis Ecclesiis plerisque factitatum fuerat. *Immo hic multa in his quæ apud illos aguntur in ritibus videntur imperfecta, propter institutionis antiquitatem. Neque enim sustinebant, qui in Ecclesia administrationem successerant, additamenta quæ post illum adinventa sint recipere. Idem igitur fuit glorificationis modus, quem instituit Gregorius, & is cui nunc contradicitur, ex illius traditione Ecclesiæ observatus.*

His alios etiam suffragatores addit Basilius, Firmilianum, Meletium, Orientales; denique & Occidentales, qui in illud & dogma fidei & institutum glorificationis consentiebant. *Hanc fidem & Firmiliano nostro fuisse, testantur illius libri quos reliquit. Insuper & Meletium illum admirandum in eadem fuisse sententia, narrant qui cum illo vixerunt. Sed quid opus est vetera commemorare? Immo nunc qui sunt Orientales, nonne hoc uno potissimum piè sentientes agnoscunt, hac voce veluti signo suos ab alienis dijudicantes?* Et infrà: *Quid porro Occidens totus propemodum ab Illyrico usque ad fines nostri orbis? Nonne hanc vocem tuetur? Quì fit igitur, ut ego sim innovator, & recentiorum verborum architectus, quum totas nationes, civitates, & consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper & viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia ac virtute spiritus venerandos, duces, & defensores hujus vocis exhibeam?*

XII. Nec eò vel nostra hæc, vel Basilii dicta pertinent, ut vel Patres, vel Scriptores hos Catholicos Scripturis Canonicis coæquemus. Laudabitur infrà Augustinus, qui eam à se, eam à Catholicis authoribus suspicionem amolitus est. Sed 1. quidem suum his Patribus & Scriptoribus orthodoxis splendorem, & proprium authoritatis gradum à Scripturis ipsis conciliavimus; quæ Ecclesiam commendarunt, & Apostolos, & Apostolicos viros, & Apostolorum successores Episcopos ac doctores. 2. Apostolicas traditiones Scripturis subrogatas fuisse ostendimus, in iis seu fidei, seu morum capitibus, de quibus Scripturæ conticuerunt. At traditiones à sanctis Patribus maximè repetuntur, qui illas & viva voce propagant alii ad alias, & tum voce, tum litterarum monumentis ad Christianas plebes. 3. Etsi nulli privatim Ecclesiæ Patrum ineluctabilis authoritas asseratur, non potest tamen ea illorum consensioni denegari. Itaque etsi non æquus Scripturæ illis adest authoritatis gradus: est tamen finitimus. 4. Nec privata in sanctis Patribus spectanda est fides, vel doctrina; sed ea quam Ecclesiæ suorum temporum universæ fidem & doctrinam esse communi consensu suo testificantur. Cùm enim Scripturæ audiri jubeant Ecclesiam, cùm adversùs eam ne portas

inferi

inferi quidem affirment vitium quidquam habituras, cùm illam dicant esse columnam & firmamentum veritatis : hinc intelligere est, quanta habeat momenta Patrum doctrina consentiens, hoc est, doctrina Ecclesiæ Catholicæ unanimi Patrum testificatione munita.

CAPUT XXII.

Ex reliquis Patribus Græcis, quæ & quanta sit Patrum consentientium authoritas.

I. Ex Cyrillo Hierosolymitano, Patrum authoritas in delectu librorum Scripturæ Canonicorum.

II. Cùm non omnes possint Scripturas perlegere, imperitorum multitudo Symbolum tenet à Patribus traditum, ut salutis viaticum.

III. Ex Nysseno, ex omnium Ecclesiarum, ex omnium fidelium testificatione dignoscuntur veræ Scripturæ.

IV. Ex eodem, Hæretici nihil agunt, nisi demonstrationes afferant : at Ecclesia sufficit Patrum traditio, velut hereditas quædam paterna.

V. Ex Chrysostomo, ut Solis, ita Scripturæ plenissima lux est ; sed ob diversas & perversas Scripturæ explicationes traditione Patrum opus fuit.

VI. Suas Christus leges & doctrinas etiam cordibus & animabus immortalibus inscripsit Apostolorum, & per eas Patribus, aliisque Doctoribus inscribendas. Ea sunt traditiones.

VII. Ut traditionibus suffragetur Paulus, & exemplo suo, dum invisit Petrum, & in Epistolis.

VIII. Novum Testamentum cordibus inscriptum, eoque præstantius.

IX. Ex Cyrillo Alexandrino multa de traditionibus, de authoritate Patrum, & Scriptorum, & Episcoporum anteriorum, etiam nuperorum adversùs Nestorii novitates.

X. Ex Celestino Papa adversùs eundem Nestorium.

XI. Ex Agathone Papa adversùs Monothelitas.

XII. Ex Isidoro Pelusiota.

I. SAnctorum Patrum authoritatem inde vel maximè commendat Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, quòd qui veri, qui rejectanei sint Scripturarum libri, ab illis edisci mus. *Disce quoque ab Ecclesia, quinam sint veteris Testamenti libri, qui verò novi ; neque mihi legas quidquam apocryphorum. Qui enim ea quæ omnibus confessa sunt nescis, quid frustra te in iis crucias ac miserè torques, quæ dubia sunt & controversa?* Et cùm Canonicos Scripturarum libros pernumerasset : *Hos solos studiosè meditare, quos & in Ecclesia securè tutoque recitamus. Multò prudentiores te erant Apostoli, vetereſque illi Episcopi Ecclesiæ Antistites, qui hos tradiderunt.* Vides ut Apostolis subjungat Patres Ecclesiæ, in re longè maximi momenti : hos autem non alios esse, quàm veteres Ecclesiæ Episcopos.

Cyrill. Hierosolym. Catech. 4. Pag. 36.

II. At alibi rursum idem Cyrillus ita differit : cùm non omnes possint Scripturas legere, & hinc alios remoretur imperitia, vel hebetudo animi, alios occupationum quibus distinentur tumultus ; fidem utique, sine qua nulla salutis spes residua est, ab Ecclesia accipiendam, ediscendo fidei Symbolo ; nec chartis mandando, sed cordibus; porro hæc Symboli, & per Symbolum fidei orthodoxæ traditio, utique à sanctis Patribus, & ab Episcopis, qui Apostolorum in sedes continuata ordinationis serie succedere, accipienda est. *Fidem vero in disciplina & promissione vos-* *side : & custodi illam à sola Ecclesia tibi nunc traditam, & ex omni Scriptura munitam. Cum enim non omnes possint Scripturas legere, & alios quidem insciția, alios occupatio quædam impediat à cognitio ; ne ob insciția animam perdas, in paucis versibus universam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa lectione meminisse vos volo, & apud vos ipsos studiosè recolere. Non in chartis inscribendo, sed in corde memoriam insculpendo, & in meditatione custodiendo, necubi catechumenus ea, quæ vobis tradita sunt, exaudiat. Habere autem hanc doctrinam tanquam viaticum omni tempore vitæ, & præter hanc aliam non suscipere decet.* Catech. 5. pag. 44.

III. Evangelio ipsi divino, divinisque ineo ad nos sponsionibus, testimonium & suffragationem conciliat Nyssenus ab ipsis Christianis plebibus toto orbe diffusis, cum suis utique Pastoribus, quorum ex omnium constantissima tamdiu traditione & Evangelia, & divina in eis exarata oracula ad nos usque pervenerunt. *Da & ego reddam, clamat Deus in Evangeliis, in publico totique terrarum orbi noto chirographo, quod quatuor loco & vice unius scripserunt, cujus testes omnes Christiani à temporibus parta salutis exstiterunt.* Et contra Eunomium Evangelii interpolatorem disputans : *Quæ enim ab antiquis per traditionem ad hæc usque tempora in Ecclesiis leguntur, hanc vocem non continent.* Nisseni Orat. contra usurarios. Tom. 2. Orat. 2. contra Eunom.

IV. Inferiùs autem ita Eunomii insaniam impugnat; Nisi demonstrationibus evidentissimis & inconvulsis agat, cassos irritosque fore conatus ejus omnes adversùs antiquissimam Ecclesiæ fidem de Unigeniti Filii majestate, verè geniti à Patre, non creati, non adoptati. Ecclesiæ nulla esse necessaria sive rationum, sive demonstrationum præsidia ; cùm abundè illi sufficiat traditio à Patribus ad nos usque producta, velut hæreditaria quædam veritatis successio ab Apostolis per Sanctos sequentes transmissa. Hæreticos autem non tantùm nihil sinceræ demonstrationis hactenus protulisse, quo cæteros ad suam sectam pertraherent; sed ipsosmet parùm sibi constare, & subinde ad novas lapsare doctrinas. Esse omnino insulsissimum illud, quòd nutantibus & identidem vacillantibus novitatibus suis posthaberi velint traditiones Apostolorum, Evangelistarum, & eorum qui post illos Ecclesias eruditionis & sanctimoniæ suæ lumine illustrarunt. *Ille igitur hoc primum ostendat Ecclesiam frustra credidisse verè esse unigenam Filium, non adoptione ascitum falsi nominis Patri : sed secundùm naturam, per viam generationis ex eo qui est existentem.* Et mox : *Nullus mihi subcrepet quod illud etiam quod à nobis pro confesso habetur, rationibus & argumentis indigeat confirmari & probari : sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quòd habeamus à Patribus venientem ad nos traditionem, velut hereditatem quandam per successionem ex Apostolis per Sanctos sequentes transmissam. Qui autem ad novitatem hanc transmutant dogmata, multis indigerent rationum argumentis & auxiliis, si non pulverulentos & agitatu faciles, sive Euripi more mobiles homines, sed etiam graves & constantes & propositi tenaces essent ad suam sententiam adducturi. Quamdiu autem rudis, nec probabilis, & inde monstratus eorum sermo ita proferetur, fatuus & brutus habebitur : ut qui Evangelistarum & Apostolorum, & eorum qui deinceps in Ecclesiis illuxerunt, doctrinam infirmiorem demonstrationibus destituta garrulitate faciat.* Orat. 3. contra Eunom.

V. Ut hominum sive laudibus, sive convitiis Soli nihil additur, nihil demitur : ita ex Chrysostomo, Dei Filio sua intaminata constat majestas, sive ejus nativæ cum Patre æqualitati plaudant homines, sive obtrectent. In culpa verò non esse Scripturas, sed nequissimos ejus interpretes, si quid ex illis decerpant, quo in eas armentur &

insa-

insaniat. Quid melle suavius? ægris insuave tamen est. Quid cœlo pulcrius? Gentilibus offendiculo est; pro Deo illum colentibus. Ex Scripturis pugnavit & diabolus, pugnant & hæretici; in vitio est mala Scripturarum interpretatio. Inde autem planum fit ad confutandam perversorum audaciam interpretum opus fuisse traditionum & Ecclesiæ Catholicæ authoritate, quæ infinitas alioqui concertationes terminaret. Etsi enim adeo perspicua quædam sint in Scripturis dogmata; ut nulla tergiversatione deludi posse videantur: ut quod Filius Dei, quod genitus prædicatur Christus; neminem tamen præterit quantum tenebrarum offuderit splendidissimæ huic luci improbitas hæreticorum. *Scripturas adulterantes, alia quidem prætervolant: quærunt autem, numcubi sumptionem aliquam offendant, quæ ipsorum morbo suffragari ac favere videatur. Neque mihi tu dixeris in causa esse Scripturam: non Scriptura, sed ipsorum improbitas est in causa, quandoquidem mel quoque dulce est; at qui æger est, acerbum illud arbitratur: verùm non mellis culpa, sed infirmitatis est crimen. Ita qui furiosi sunt, quæ videntur non cernunt: at eorum quæ videntur culpa non est, sed mentis vitiatæ furiosi. Cœlum Deus creavit, ut opus contemplemur, & opificem adoremus: at Gentiles opus Deum fecerunt: verùm non opus, sed illorum improbitas est in causa. Et quemadmodum improbus à nemine juvatur, ita probus à seipso juvatur. Quid conferendum cum Christo? at ab eo non adjutus est Judas, quid diabolo nequius? at Job corona redimitus est: & neque Judam Christus adjuvit, propterea quod erat improbus: neque Job diabolus nocuit, quod probus erat. Hæc ego dico, ut nemo Scripturas accuset, sed eorum improbitatem, qui ea quæ rectè dicta sunt, malè interpretantur. Nam & diabolus ex Scripturis cum Christo disputabat: atqui non est in causa Scriptura, sed ea mens quæ rectè dicta, malè interpretatur.* Consultissimum itaque fuit, ut his etiam dilucidis Scripturæ locis suffragatrix accederet Patrum traditio. Ejus hic non meminit Chrysostomus, sed alibi meminit.

Chrysostom. Tom. 1 hom. 71 pag. 679. b. c.

Audi enim, ut Marcionistarum vesaniam, negantium videlicet à summo Deo creatum hunc orbem visibilem, retundat Chrysostomus ex Traditione, quæ Scripturis accedebat ad Creatorem celebrandum. *In cœlum (hæreticus) latrans, & ipsi quodammodo Divinitati inferens bellum. Negat enim creatorem Deum, sed alium nescio quem contrarium prædicat. Fuge ergò ab his talibus, & vita tendiculas: vita ejusmodi verbum, tanquam venena. Custodi hereditatem quam à Patribus suscepisti per fidem, & doctrinam Scripturæ divinæ, quæ dicit, In principio fecit Deus cœlum & terram.*

Tom. 2. pag. 856. Serm. 2. in Genes.

VI. Non lapideis, non æneis tabulis suas Christus leges inscripsit, quò à nobis legerentur; sed in animis duodecim Apostolorum, à quibus illæ totum in orbem promulgatæ sunt, à quibus & nos illas accepimus. Quin & nostras ipsas mentes vult Christus columnas pariter esse, quibus eas insculpat per Spiritum suum. Ut enim de fidei Symbolo Apostolico dicebamus suprà cum Cyrillo Hierosolymitano, ita de toto Christiano dogmate dicendum est: digniùs & perrenniùs illud exarari in tabulis cordis carnalibus, in animabus inquam immortalibus, quàm in ligno, lapide, ære, quod ut diuturnum sit, incorruptibile non est. Id genus sunt Traditiones Apostolicæ, in animis primùm Apostolorum ab ipso inscriptæ Christo, tum in alias perpetuò animas longo sæculorum lapsu transcribendæ. *Non in statutis, neque in columnis leges inscripsit, neque columnas æreas excitavit, & litteras insculpsit, sed animas duodecim nobis excitavit, Apostolorum inquam; in illorum mentibus per Spiritum has litteras scripsit, has*

Hom. 5. in Acta. p. 478.

vobis nos merito prælegimus. Et paulò post: *Imò non voluit Christus ad illas columnas solum nos respicere, sed etiam nos vult esse columnas.*

VII. Alibi id miratur; nec immeritò factum autumat Chrysostomus, quòd Petrus Paulum inviserit. Quem Christus ipse ore suo edocuerat, quem tanta Spiritus ubertate donaverat, is ad Petrum proficiscitur, & apud illum dies quindecim hospitatur. Erat enim consentaneum, ut vivæ vocis oraculo Apostoli ipsi conferrent, consultarent, & exemplo suo id sancirent in posteros, ut præter Scripturas multa acciperent ab antiquioribus, multa posteris traderent, qui Apostolis successuri erant. *Deinde post tres annos ascendi Hierosolymam, ut viderem Petrum. Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta taliaque benefacta, quum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi; nihil enim hic dicam amplius: tamen ascendit velut ad majorem ac seniorem, solusque Petri conspectus commovit illum, ut eò proficisceretur.* Vide autem rursum, ut præter Scripturas illas etiam complecti nos velit traditiones, quæ traditæ sunt sine scripto, ἀγράφως; quibus & ipsis pondus addit ex Paulinis Epistolis, ut jam Scripturis adversarius sit, qui Traditionibus non scriptis refragabitur. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius.*

Tom. 10. In Epist. ad Gal. p. 932.

In Epist. 1. ad Thessal. Hom. 4. pag. 1506.

VIII. Novum denique Testamentum idem Chrysostomus eo distingui, eo præstare Veteri docet, quòd cordibus inscriptum sit, non litteris, idque per Spiritum sanctum; unde & Christus nihil scriptum Apostolis reliquit, sed Spiritum promisit, qui omnia illis in memoriam revocaret, atque ita doceret eos. Id verò per Prophetas Deum prænuntiasse his verbis: *Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt in populum.* Et mox Chrysostomus: *Non erit, inquit, Testamentum in litteris, sed in cordibus. Hoc aliquando factum ostendat Judæus, sed non inveniet. Rursus enim factum fuit in litteris post reditum à Babylone. Ego autem ostendo Apostolos nihil accepisse scriptum, sed suscepisse in cordibus per Spiritum sanctum. Quamobrem Christus quoque dicebat, Ille quum venerit, omnia revocabit in memoriam, & docebit vos.*

In Epist. ad Hebræos Hom. 14. pag. 1814.

IX. Cyrillus Alexandrinus his assonat, *Tu verò permane in iis quæ didicisti, quemadmodum Paulus ait, stultas verborum contentiones devitans, aniles hæreticorum voculas respuens, ac vanas fabulas aversatus, fidem simplici mente conserva, Ecclesiæque traditionem veluti fundamentum in cordis penetralibus constituens.* In Epistola verò ad Monachos Ægypti scripta, Nestorianam luem jam serpentem ita insectatur, ut ejusmodi quæstionibus abstineri optabilius fuisse affirmet; aut certè ut ne iis pulsarentur plebis aures, quòd paucorum sit arcana ea dogmata rimari; reliquis expeditissimum sit fidem ab Apostolis primùm traditam, tum per sanctos Patres ad nos transfusam retinere; cùm vel unus Athanasius, tot certaminum, tot palmarum vir, tot virtutibus, tot præstantissimis scriptis Orbi universo celebratus, omnibus illis in avita fide confirmandis par sit: *Præstaret sanè ejusmodi quæstionibus omnino abstinere, & in ea quæ abstrusioris considerationis sunt, nec aliter ferè, nisi veluti in speculo & anigmate, etiam ab iis qui ingenii celeritate mentisque subtilitate pollent, perspici possunt, nequaquam inquirere: nam simpliciorum captum subtiliora theoremata excedunt.* Et paulò pòst:

Hom. & Pasch. Tom. 5. Par. 2. pag. 94.

Epist. 1. Pag. 3. & 4.

Quo fidem jam olim Ecclesiis per sanctos Apostolos traditam, non secus ac margaritam animis suis insertam, constanter retineant. Et paucis interpositis: *Hanc fidem divini discipuli nobis tradiderunt, quamvis istius dictionis non meminerint. Ad hunc modum à sanctis Patribus instituti sumus. Enimvero percelebris memoriæ pater noster Athanasius, qui totos quadraginta sex annos Alexandrinæ Ecclesiæ Pontificatum egregiè cum laude gessit, loquacibasque impiorum nefariorumque hæreticorum commentis invicta, planèque Apostolica sapientia restitit; quique scriptis suis veluti fragrantissimo quodam unguento totum hunc orbem mirificè recreavit; & ob dogmatum absolutam integritatem, fideique rectitudinem magna apud omnes existimatione & authoritate fuit libro quem, &c.*

In Epistola verò ad Clericos Constantinopolitanos, hoc dolere testatur Orientis & Occidentis Episcopis, quòd Nestorius de Christi incarnatione ea sentiat, ea prædicet, cujusmodi nihil unquam in Ecclesia à quoquam dictum est. *Malè autem habet universos, cum Orientis, tum Occidentis quoque Episcopos, quòd doctrinam de Christo nequaquam sinceram, sed perversam passim proseminat. Ad cujus demonstrationem, publicamque redargutionem, unum hoc sat est, quod ejusmodi in illis exegesibus legantur, cujusmodi à nemine unquam in Ecclesiis dicta comperiuntur.*

Epist. 8. Pag. 134.

Cùm verò Nestorius non plebis suæ, sed Doctorum vitio factum esse diceret, ut hactenus in magna rerum divinarum ignoratione versaretur; *Animadverto plebem nostram præclaros cum in religione, tum in pietatis quoque fervore progressus fecisse; sed magna interim divinæ notitiæ ignoratione teneri: video, neque tamen id ipsi populo vitio vertendum existimo, sed ut modestè loquar Doctoribus, quibus tantum non suppetit otii, ut quidpiam accuratius de dogmatibus vobis proponant.*

Pag. 134.

Ita illum refellebat Cyrillus, antiquos Patres, & anteriores Episcopos, qui à nova ejus doctrina alieniissimi fuerant, ut inexpugnabile munimentum ei objiciens. *Quod hoc supercilium? Numquid qui illum antecesserunt, doctrinæ fidei operam non dederunt? Nunquid eloquentior est Joanne? Nunquid æqualis, vel sapientior est forsan beato Attico? Imò verò cur ingenuè non agnoscit doctrinam se invenisse peregrinam, planèque inusitatam, talem denique quæ præ sua absurditate Majoribus nostris in nullis unquam Ecclesiis, aut fidelium cœtibus, vel cognita fuit, vel approbata?*

In Dialogo porro de Incarnatione Unigeniti, Nestorii fautores convellit idem Cyrillus, quòd antiquissimæ fidei traditionibus nuperas suas opiniones anteponant. *Antiquissimæ fidei traditione contempta, privatas suas opiniones humanasque rationes sequi debere existimant, aliter certè quàm oportet sentientes.* Et paulò post: *Primùm quidem quod antiquissimæ, quæque adeo ab ipsis sanctis Apostolis ad nos pervenit fidei traditioni, singularis perfectio deroganda non sit: sed neque investigationi ea quæ intellectum nostrum excedunt subjicienda; neque rursus nos in medium procedere debere, veluti quosdam arbitros, quique limites constituamus, temerarièque dicamus, Nonnulla quidem rectè sese habere, nonnulla verò non item, sed alia ratione melius sese habitura; sed potius sapientissimo Deo relinquendam esse suorum consiliorum viam; neque ea quæ à Deo ut recta probata sunt, temere reprehendere.* Denique libro primo adversùs Nestorium idem sanctus Pater narrat ut Nestorio Constantinopoli concionante, & suas novitates importuniùs evomente, unus ex laicis pietatis & eruditionis eximiæ coram in eum insurrexerit, & contra dixerit; tumque eumtibus in partes auditoribus, Nestorius suffragatores suos suffragio vicissim suo tuitus sit, & invectus sit in sanctos Patres, qui nobis orthodoxam fidei definitionem præiverunt. *Moxque illos approbat quos sua docendo perdiderat; cæterùm in eum linguam exacuit qui ipsius dogmata non sustinuerat, & in sanctos Patres qui piam fidei definitionem nobis constituerant; quam ut animi anchoram habemus tutam ac firmam, ut scriptum est.*

Tom. 1. Pag. 11.

Vol. 5. Pag. 616.

X. Dedit & Cœlestinus Papa minaces ad Nestorium litteras, quibus & sede sua & Ecclesiæ universæ communione exturbatum iri eum declarabat, nisi fidei se redderet Ecclesiæ Romanæ & Alexandrinæ, eique ipsi quam ante eum semper coluerat Ecclesia Constantinopolitana. *Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & universalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sancta Constantinopolitanæ magnæ urbis Ecclesia ad te usque optimè tenuit; & hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod venerabilis Scriptura conjungit, nititur separare; intra decimum diem à primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum, aperta & scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiæ Catholicæ communione dejectum.* Et rursus idem Cœlestinus ad Clerum & plebem Constantinopolitanam post Synodum Ephesinam, antiquam fidem Patrum eis commendans, quam & Maximianus tuebatur recens ejus urbis Episcopus Nestorio suffectus: *Audite nunc, & capite simplicis verba Doctoris: audite ab eo, quæ à majoribus nostris nobiscum positus frequenter audivit: audite certè semper audita, nec studio novitatis inventa. Nostro vobis loquitur ore collega, quia una fides necesse est uniter prædicetur.*

Conc. Ephes. part. 2. c. 18.

Ibidem.

XI. A quibus non abhorrent, quæ Agatho Papa & Romana Synodus centum viginti quinque Episcoporum ad Constantinum Imperatorem scribebat, in ea Epistola quæ in sexta Synodo perlecta est adversùs Monothelitas hæreticos. Ibi enim contestatur *Agatho cum universis Synodis subjacentibus Concilio sedis Apostolicæ*, Catholicæ & Apostolicæ fidei regulam per beatos Apostolos Petrum & Paulum eorumque discipulos & Apostolicos successores gradatim usque ad hoc suum ævum propagatam fuisse, nec ullius unquam hæreticos ei maculam illini potuisse. Etsi autem in hac eximia laude primas teneret sedes Apostolica, in ejus tamen societatem veniebant etiam reliquæ Occidentis Ecclesiæ & sedes Episcopales, à Petro & Paulo & ipsæ fundatæ, vel ab eorum successoribus, fideique per illos traditæ incorrupta hæreditate gaudentes. En Epistolæ verba: *Credimus autem, quia quod paucis raroque concessum est, à Deo coronato vestro imperio divinitus concedetur, ut per ipsum Catholica atque Apostolica vera nostræ fidei splendidissimum in omnium mentibus emicet lumen; quod ex veri luminis fonte tanquam de radio vivifici fulgoris, per ministros beatum Petrum & Paulum Apostolorum principes, eorumque discipulos & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum.*

Synod. VI. Act. 4.

XII. Unus mihi superest hic allegandus Isidorus Pelusiota, Chrysostomo suo ubique consentaneus. Convenienter enim iis quæ ex Chrysostomo suprà decerpsimus, observat & Isidorus, primùm quidem per sese olim Deum cum hominibus sermones miscuisse, ac postea vitiorum corruptela augescente per litteras eum verba fecisse, tum certè cùm legem Moysi tradidit tabulis insculptam lapideis. Nec aliter se rem habuisse in nova lege; nec enim Apostolos à Christo aliquid scripto accepisse: sed Spiritu sancto donatos esse, qui novam charitatis legem cordibus eorum inscripsit. Postea verò ex re visum esse Apostolis ipsis, ut

chartis

chartis eadem lex cum præceptionibus ſuis mandaretur: ut his ſaltem oculos animoſque adjicerent, qui ad exteriora & ſenſibilia projecti, jam minùs audire poterant Spiritum ſanctum in ipſo cordis ſacrario omnia omnes docentem, qui modò auſcultare poſſent. *Neque enim divinis Apoſtolis ſcripto proditum quidquam datum eſt: verùm litterarum loco Spiritus ſancti gratia promiſſa eſt. Ille enim, inquit, ſuggeret vobis omnia. Quod ſi ſcriptas leges non ſcriptis majorem vim atque authoritatem habere cenſes, audi quid ipſemet Rex dicat: Et feriam cum ipſis pactum novum, dans legem meam in mentibus eorum, & in cordibus eorum inſcribam eam. Et erunt omnes edocti à Deo. Unde etiam Paulus, majora fidei noſtræ, quàm Moyſi, commiſſa fuiſſe affirmans, nos non in lapideis tabulis inſcriptam, ſed in carnalibus cordis tabulis inſculptam legem accepiſſe dicebat: quam qui contempſerit, is non, ut ex veteris legis præſcripto, lapidibus opprimetur, verùm longè acerbiori ſupplicio mulctabitur. Poſteaquàm autem fluente tempore, ac celerrimi cujuſdam equi inſtar currente, quidam ob fidei dogmata, quidam ob vitam corruerunt, neceſſariò rurſum per litteras adhibenda correctio fuit. Violatis enim non ſcriptis legibus, ad ſcriptas merito ſe contulit is, qui ſubditos omni ratione vult ad virtutem inducere.* Nec minùs luculenta ſunt ea; quæ ille ibidem ſubjicit: *Quocirca nobis illud cogitandum eſt, quantò in crimine verſemur, qui cùm tam purè ac ſincerè vivere deberemus, ut ne litteris quidem nobis opus eſſet, ſed librorum vice animas noſtras divino Spiritui præberemus; poſtquam hujuſce honoris jacturam fecimus, eoque redacti ſumus, ut litterarum adjumento indigeamus; rurſum tamen ne ſecundo quidem ſubſidio, ut par eſt, utamur. Nam ſi crimen eſt litteris opus habere, ac non Spiritus ſancti doctrinam per vitæ puritatem attrahere; æquum eſt nos perpendere quantum malum ſit, poſt tantum ac tale ſubſidium; legem enim, inquit ille, in auxilium dedit; ne lucrum quidem facere velle, ſed litteras fruſtra & temerè ſitas nihili pendere, majoremque hinc cruciatum nobis accerſere.*

Iſidorus Pelus. l. 3. Epiſt. 106.

Ibidem.

CAPUT XXIII.

Ex Patribus jam Latinis idem efficitur, Scripturas ex conſenſione & traditione ſanctorum Patrum eſſe interpretandas ad orthodoxæ fidei definitiones.

I. Ubi apertus eſt Scriptura ſenſus, illi hærendum: ubi de eo diſputatur, conſulenda Eccleſia ex Auguſtino.

II. De veris Scripturæ libris, & eorum Capitibus, Capitumque verſiculis idem Auguſtinus cogebat, non ſibi ipſis credere Manichæos, ſed traditioni & Eccleſiæ.

III. Ita nec librorum, nec verſuum, nec ſenſuum Scripturæ authoritas conſtare poterat, niſi traditionibus majorum & ſanctorum Patrum copularetur.

IV. Quid ex his colligatur adversùs Proteſtantes.

V. Item ex eo, quod ne Paulo quidem credidiſſent fideles, niſi Apoſtolis ille ſe approbaſſet & conjunxiſſet.

VI. Invictiſſimè rurſum Auguſtinus, ut tutò non poſſit fides & ſalus committi, niſi Scripturis traditione, conſenſione Patrum, Epiſcopalium ſedium perpetua ſucceſſione firmatis & explicatis.

VII. Pugnabat & adversùs Pelagianos Auguſtinus, non Scripturis ſolis, ſed traditione, conſenſione Eccleſiarum, & Patrum.

VIII. Univerſim & docti & indocti Scripturas interpretari debent convenienter fidei in Eccleſia Catholica hauſtæ à puero; ſi id minùs quandoque poſſunt, hærendum interim fidei traditæ à majoribus, dum id poſſint.

IX. Multa rurſum ex Auguſtino in eandem rem contra Pelagianos.

I. SCripturis copulandam eſſe Eccleſiæ authoritatem, ut Regula fidei eruatur, ita pronunciat Auguſtinus, *Conſule Regulam fidei, quam de Scripturarum plenioribus locis & Eccleſiæ authoritate percepit.* Ergo ubi plana & aperta eſt Scriptura, hærendum haud dubiè illi eſt: ubi obſcura eſt, & de ejus ſenſu nobis fit controverſia, tum Eccleſiæ authoritas conſulenda.

De doctrin. Chriſt. l. 3. c. 2.

II. Quos volebant Manichæi, quoſque ſuis placitis propitios exiſtimabant Scripturæ libros, verſus librorum, verſuum ſenſus promebant, reliquos repudiabant: at urgebat Auguſtinus, ut ne ſe ipſi *Regulam veritatis* conſtituerent: ſed quod contra ſectas alias & ipſam Catholicam proferebant, id certis documentis probarent, vel pluribus, vel vetuſtioribus codicibus depromptis, vel verſionibus ex anteriore lingua magis caſtigatis. Nam ſi veruſtatem ſuæ ſectæ allegarent, & ſucceſſionis ſeriem, quæ ita ratum habuiſſet, parum id illis ex animi ſententia proceſſurum; cùm & antiquitate, & univerſalitate, & ſedium Epiſcopalium continuata ſucceſſione uſque adeo ſectas quaſcunque alias ſuperet Eccleſia Catholica. Adversùs Gentiles, qui utriuſque, & adversùs Judæos, qui novi ſaltem Teſtamenti libros repudiant, longè alia ineunda ratio eſt; at adversùs eas hominum ſectas, quæ ſacris noſtris litteris utcunque aſſurgunt, hæc utique tenenda eſt via, ut non pro libitu & arbitrio ſuo quidlibet vel retineant, vel rejiciant; ſed operoſo illo probationum circuitu utantur, probatioribus, vel antiquioribus codicibus, verſionibus, vel Eccleſiarum teſtimoniis. *Aliud eſt ergo authoritate aliquorum vel librorum, vel hominum non teneri; & aliud eſt dicere, iſte quidem vir ſanctus eſt, & omnia vera ſcripſit; & iſta epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc ejus eſt, hoc non eſt ejus. Ubi cum ex adverſo audieris, Proba, non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum eſt: ſed dicas, Inde probo hoc illius eſſe, quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non eſt verum? Quid ſi alius ſimili inſania, ſed tamen quæ tua duritia confringatur, exiſtat & dicat, Immo illud, quod pro te ſonat, falſum eſt: hoc autem quod contra te eſt, verum eſt: quid acturus es, niſi fortè alium librum prolaturus, ubi quidquid legeris ſecundùm tuam ſententiam poſſit intelligi? Hoc ſi feceris, non de aliqua ejus particula, ſed de toto audies contradicentem & clamantem, Falſus eſt. Quid ages? Quo te convertes? Quam libri à te prolati originem, quam veruſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conatus fueris, & nihil valebis: & vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum uſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.* Et ſtatim ibidem ut exemplaria ipſa Scripturarum alia aliis conferri & præferri debeant: *ſtaque ſi de fide exemplarium quæſtio verteretur, ſicut in nonnullis, quæ & pauca ſunt, & ſacrorum litterarum ſtudioſis notiſſima ſententiarum varietates: vel ex aliarum regionum codicibus, unde ipſa doctrina commeavit, noſtra dubitatio dijudicaretur: vel ſi ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut veruſtiores recentioribus præferrentur; & ſi adhuc eſſet incerta varietas, præcedens*

Auguſt. Con. Fauſt. Mani. l. 11. c. 1.

lingua unde illud interpretatum est, consuleretur. Hoc modo quærunt, qui quod eos movet in Scripturis sanctis, tanta authoritate firmatis, invenire volunt, ut habeant unde instruantur, non unde rixentur.

Quæ ideo paulò prolixiùs à me hîc adscripta sunt, ut pateat quàm familiare esset hæreticis fidei & Scripturis dominari, suis ex deliramentis regulam fidei & veritatis concinnare; quos vellent libros Scripturæ, quos librorum versus sibi consentire putarent, eos admittere, reliquos abjicere: summa potestate in his uti, quasi ex Spiritus sancti interiore quodam oraculo, quod non aliud sanè erat, quàm propria *ipsorum* voluntas, & præsumpta animi *opinio*. Contrà autem quàm constanter Ecclesia Catholica certissimis documentis niteretur, vel exemplarium multitudine, antiquitate, sinceritate; vel testimoniorum consensione & authoritate sedium Episcopalium toto orbe sparsarum, quæ eas Scripturas, eas Scripturæ versiones & intelligentias jam inde à Christi & Apostolorum ævo sibi traditas incorruptas servassent.

III. Hic ut vides traditio, & authoritas Patrum per quos traditio gradatim ad nos usque pervenit, ipsis implicata est Scripturis, ut non possint non vel simul stare, vel simul cadere. Eccunde enim sciremus, vel probaremus, non illi quod Manichæi confinxerant Evangelio habendam esse fidem, sed nostris his in Ecclesia Catholica receptissimis, nisi ex Ecclesiarum & Patrum testificatione, & Episcoporum, qui eis jam ab ipsis usque Apostolis præfuerunt Ecclesiis, & has ipsas Scripturas ubique promulgarunt? Unde rursum Augustinus: *Quid de illo (Christo) sentire, quid credere possumus, nisi quod Scriptura testatur? Porro si mendax est Evangelium disseminatum & notum omnibus gentibus, & ab initio prædicationis nominis Christi Ecclesiis omnibus, in tanto sanctitatis culmine collocatum: quæ Scriptura proferri potest, cui de Christo fides habenda sit? Quid poteris proferre scriptum, quod non ille, qui hoc non vult credere, dicat esse confictum, si tanta Evangelii notitia venit in dubium?*

Cont. Faust. l. 16. c. 11.

Cùm ex Evangelio Matthæi probaret Augustinus Christi in carne nativitatem, & ejus Evangelii fidem Manichæi detrectarent, suosque ipsi ex adverso libros proferrent à Manichæo olim scriptos; rogabat illos Augustinus, quo tandem argumento probarent, hos esse Manichæi libros, nisi testimonio discipulorum ejus, & Præpositorum suæ Sectæ, qui eos libros ab ipsis usque Manichæi temporibus servassent, & ad se perduxissent. Ita ergo Christi Evangelium à Matthæo ejus Apostolo scriptum fuisse, & ad hoc ævum nostrum incorrupta fide servatum esse testificata est longa Ecclesiarum, Episcoporum, Patrum successio toto orbe terrarum. *Cùm cœpere Manichæi Evangelium recitare Apostoli ejus, ubi narratio nativitatis ejus tota contexitur, continuò dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia, ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem fortè librum Manichæi, ubi Jesus negatur esse natus de Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certa successione Præpositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum credite esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi cui libro potiùs credere debeamus, ejusne Apostoli, qui Christo, cùm adhuc in terra esset, adhæserat: an nescio cui Perse, qui tanto post natus est?* Et statim ibidem: *Cùm ergo necesse sit, alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potiùs censes fidem accommodare debere? Ei ne, quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos provecta, certa successionum serie, usque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conservatum agnoscit atque approbat: an ei, quem eadem Ecclesia incognitum reprobat?*

Cont. Faust. l. 28. c. 2.

IV. Iterum illud iterumque admonebo, duo hæc ex istis Augustini testimoniis & argumentis perspicua fieri; primò nihil dandum, nihil prorsus indulgendum temerariæ illi licentiæ & animi sui præsumptioni, qua homines ludificantur, fortan & seipsos illudunt ab annis jam penè ducentis Novatores nostri, cùm eos Scripturæ sensus affingunt, quos in suæ causæ patrocinium ipsi confingunt; & hæc animi sui figmenta interiùs aspirantis sibi Spiritus sancti dictata esse mentiuntur. Ea licentia abutebantur jam olim Manichæi, hæreticorum dementissimi & pestilentissimi. Augustinus ex adverso ad traditiones Apostolicas, ad Patrum suffragationes, ad successiones Episcopalium sedium, ad Ecclesiam universalem & omnium antiquissimam illos provocabat. Secundò, Non unius alicujus ex sanctis Patribus, sed Patrum consensionis & continuatæ successionis authoritatem ipsis Scripturis illigatam esse: non eò tantùm quòd aliqua Pauli testimonia Traditiones commendent; sed quòd ne ipsæ quidem universæ Scripturæ satis defendi possint adversùs oblatrantes hæreses, nisi longa & constantissima suffragatione Patrum & innumerabilium Prælulum, qui eas ab Apostolis, ab horum discipulis acceptas ad nos transmiserunt.

V. Subjicit non multò post Augustinus, ne ipsi quidem Paulo Apostolo fidem habituram fuisse Ecclesiam, quantumcumque ipse testificaretur ipsius ab ore & spiritu Christi edoctum se & missum fuisse, nisi cæteros ad Apostolos accessisset, eorumque societate, communione, unitate munitus & fidelibus omnibus commendatus fuisset. Quis ergo jam soli sibi credi velit, si Scripturæ, si Christi, si Spiritus sancti oracula intus sibi assonare, intus afflati, non alio quàm suo testimonio confirmet? Ne Paulus quidem ejusmodi quidquam speravit. *Cùm ipse Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de cœlo vocatus; si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret; Ecclesia illi omnino non crederet? Sed cum cognovisset eum hoc annuntiantem quod etiam illi annuntiabant, & in eorum communione atque unitate viventem; accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia & illi operabantur: ita, eum Domino commendante, meruit authoritatem, ut verba illius hodie sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.*

Ibid. c. 4.

VI. Nec Scripturæ tantùm, sed & Philosophorum, Oratorumque complurium libri ad posteros propagati, & etiamnum toto orbe celebratissimi sunt, & indubitatissimi habentur, non absimili traditione ad hæc usque tempora propagata. Quæ verò traditiones, quæ testimonia hominum comparari possint innumeris Ecclesiis Catholicis, Præsulibus, Patribus, Scriptoribus, qui his Scripturis nostris testimonium dicunt? Ea igitur maximè ratione sancti Patres assecuti sunt apicem quendam authoritatis, quòd testes certissimi sint, quæ fuerint in Ecclesia Catholica suo quisque ævo Scripturæ in honore, quæ Scripturarum intelligentiæ, quæ placita, quæ dogmata. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi Authorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem authoritate canonica, sed aliquo adjuvandi*

Ibid. l. 18. c. 6.

studio,

ſtudio, ſive diſcendi. Unde conſtat quid cujus ſit, niſi quia his temporibus quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit, atque edidit, & inde in alios atque filios continuata notitia, latiùſque firmata ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpondere debeamus. Et mox: *Quæ cùm ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaciloquorum malitia atque fallacia conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, tam fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent, cùm eorum cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſervaverint, cùm hoc qualiumcumque hominum ſcriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſia tanta felicitate proveniat?*

Denique ita concluditur ab Auguſtino: Si fidem & ſalutem ſuam velint homines committere Scripturis divinis, illas utique anteponendas eſſe, quæ tam diffuſa & perpetua Eccleſiarum, Sedium, Præſulumque & Patrum ſucceſſione & teſtificatione approbantur. Si rationi autem & argumentis magis confidit quis, perpendendum illi ſeriò eſſe, quàm non ſit par mens humana, non dico ad Dei, ſed ad ſui ipſius naturam comprehendendam. *Breviter vos admoneo, qui illo tam nefando & execrabili errore tenemini, ut ſi authoritatem Scripturarum omnibus præferendam ſequi vultis, eam ſequamini quæ ab ipſius præſentia Chriſti temporibus per diſpenſationes Apoſtolorum, & certas ab eorum ſedibus ſucceſſiones Epiſcoporum, uſque ad hæc tempora toto orbe terrarum cuſtodita, commendata, clarificata pervenit. Ibi enim videbitis etiam veteris Teſtamenti & obſcura revelari, & predicta compleri. Si autem quaſi ratione movemini, primùm cogitetis quinam ſitis, quàm minùs idonei ad naturam non dicam Dei, ſed animæ veſtræ comprehendendam.* Ad Bonifac. l. 3. c. 6.

Ex quibus illud efficitur, cùm pauciſſimi ſint, aut penè nulli, qui ſuo ratiocinandi & divinas res rimandi acumini ſe tutò, ſuamque fidem & æternam ſalutem committere poſſint; reliquum id eſſe, ut ad Scripturas & ad authoritatem confugiant Eccleſiæ Catholicæ, Patrumque & Traditionum ejus, quòd ea ſit authoritas toto orbe longè maxima.

VII. Scripturis divinis vehementer aſſentiebantur Pelagiani; ſed Catholicam de peccato originali doctrinam ex iis exculpi poſſe vehementiſſimè inficiabantur. Obtendebant neſcio quæ dubia & perplexa de animæ origine, quæ cùm non ſatis diluceret, negabant & illi ſatis dilucere, aut verò diffiniri poſſe illam de parentali peccato ſententiam. Contrà Auguſtinus tam perſpicuam contendebat in Scripturis eſſe, in Eccleſiæ Catholicæ antiquitate & authoritate doctrinam de vitiata noſtra origine, ut de ea nefas eſſet orthodoxum quenquam dubitare, quæcumque tandem opinio de animæ ipſius origine obtinuiſſet. *Sed hoc dico, tam manifeſtum eſſe ſecundùm Scripturas ſanctas originale peccatum, atque hoc dimitti lavacro regenerationis parvulis, tanta fidei Catholicæ antiquitate atque authoritate firmatum, tam clarè Eccleſiæ celebritate notiſſimum; ut quidquid de animæ origine cujuslibet inquiſitione vel affirmatione differitur, ſi contra hoc ſit, verum eſſe non poſſit.* Non ſolis, ut vides, Scripturis pugnat contra Pelagianos de originali noxa litem moventes, ne infinitis ſe committat diſputationibus: fidei Catholicæ antiquitatem etiam & authoritatem allegat, quæ in eum ſenſum jamdiu Scripturas interpretabatur. Ad Bonifac. l. 3. c. ult.

Doctrinæ verò Auguſtini de Gratia Chriſti non illubenter ſe aſſenſuros ajebant Pelagiani, ſi eam ipſe Patrum & præcedentium Catholicorum Tractatorum teſtimoniis communiſſet. Negabat primò Auguſtinus id neceſſe fuiſſe, tum quòd Scriptores in perdifficili ea quæſtione minus ſtudii poſuiſſent, ſcilicet ante hanc exortam hæreſim, adversùs quam nihil opus erat, ut arma tum expedirent: tum quòd ipſæ Eccleſiæ ſolennes preces plus ſatis ſignificarent, quæ ejus eſſet ſententia, de divinæ gratiæ adjutoriis. Nec enim poſcerentur à Deo, quæ præcepit fieri, niſi ab illo donaretur, ut fierent. *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſalvendum quæſtione verſari: quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? Unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis & tranſeunter attingerent; immorarentur verò in eis quæ adversùs alios inimicos Eccleſiæ diſputabant, & in exhortationibus ad quaſque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiſcenda vita æterna & vera felicitate ſervitur: frequentationibus autem orationum ſimpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret: non enim poſcerentur à Deo, quæ præcepit fieri, niſi ab illo donaretur ut fierent.* L. de Prædeſtin. c. 14.

VIII. Ut intelligas autem quàm ſalva & incolumi ſemper antiqua Eccleſiæ fide, quam nobis ſancti Patres præivere, & ad Scripturas exponendas, & ad quæſtiones fidei excutiendas, ſuſpenſo ſemper gradu accedendum ſit; audi quid idem Auguſtinus ea de re ad plebem Chriſtianam concionaretur. Negat natas eſſe hæreſes niſi ex prava Scripturarum intelligentia; ut ii ſcopuli declinentur, utque regula ſanitatis teneatur, jubet, ut quidquid ſecundùm fidem qua imbuti ſumus ab ipſis luſtralibus undis intelligere potuerimus de Scripturis, ut eo optimo cibo paſcamur: quod autem ſecundùm hanc ſanam fidei regulam intelligere non potuerimus, ejus intelligentiam differamus, donec pluſculum lumenis nobis accedat; & ſeipſum enim eum modum tenere, & tenendum ab omnibus eſſe, ſi nolint à domo Dei diſcedere, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Itaque non committendum nobis eſt, ut fidem, qua imbuti in Eccleſia ſumus, noſtræ Scripturarum intelligentiæ accommodemus, ut tam illa quàm iſta incerta & verſatilis ſit: ſed ut fidei noſtræ avitæ, quæ Patrum fuit, quæ Eccleſiæ Catholicæ fides, noſtras Scripturarum interpretationes conformemus. *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audaciter aſſeritur. Itaque, chariſſimi, valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli ſumus; & corde pio & cum tremore, ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanitatis, ut quod ſecundùm fidem, qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus; quod autem ſecundùm ſanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus: hoc eſt, ut etiam ſi quid neſcimus, bonum tamen & verum eſſe minimè dubitemus. Et ego, fratres, qui ſuſcepi loqui vobis, cogitandus ſum à vobis, qui ſuſceperim, & quæ ſuſceperim. Suſcepi enim tractanda divina homo, ſpiritalia carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, chariſſimi, longè ſit vana præſumptio, ſi volo ſanus in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Pro modulo meo capio quod vobis appono. Ubi aperitur, paſcor vobiſcum: ubi clauditur, pulſo vobiſcum.* In Evang. Ioann. Tract. 18.

IX. Contra Pelagianos rurſum diſputans Auguſtinus, inter prima eorum inſaniæ exordia, ideoque humaniſſimè diſputans, hoc primum illos monet, ſi arduæ quæſtionis de peccato ſcilicet originali illos moles terruerat, ad authoritatis gu-

De verbis Dom. serm. 14. c. 2.

bernaculum confugiendum illis fuisse : *Si discutiendum est hoc, discutiendum est utique propter illos, non propter nos. Fratres enim nostri sunt, permoti sunt profunditate quæstionis : sed regi debuerunt gubernaculo authoritatis.* Fatebantur illi baptizandos esse parvulos, non propter vitam æternam, quæ illorum innocentiæ desponsa jam erat : sed propter regnum cœlorum, cujus fores non reserat nisi baptismus. Hoc damnat Augustinus, ut novum & hactenus in Ecclesia inauditum, quòd alia dicatur vita æterna, aliud regnum cœlorum. *Baptizandos quidem fatentur,*

Cap. 1. & 2. *sed non propter vitam æternam, sed propter regnum cœlorum. Quid de vita æterna ? Habebunt, inquiunt. Quare habebunt ? quia nullum peccatum habent, & ad damnationem pertinere non possunt. Erga est æterna vita extra regnum cœlorum ? Primus hic error aversandus ab rudibus, extirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cœlorum, esse salutem æternam præter regnum Dei,*

Nostram incusabant illi inclementiam, qui parvulis sine baptismo extinctis non saltem vitam largiremur æternam. Reponebat Augustinus, Quid si clementiores alii iisdem regnum etiam cœlorum aperiant ? quam hic proferet regulam, qui contra evidentissimam authoritatem humana ratiocinatione delectantur ? *Alius*

Cap. 5. *benevolentior vobis & misericordior, & ut putatis justior totum eis dabit, & vitam æternam, & regnum cœlorum. Istum quomodo superabitis ? Quoniam vos aliquando contra evidentissimam authoritatem ratiocinatio humana delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ, & asserite quantis viribus valueritis, unde devincatur iste, qui parvulis propter merita innocentiæ, propter nullam, sicut dicitis, culpam, hoc est, originale peccatum, dare voluerit etiam non baptizatis, non solùm vitam æternam, verumetiam regnum cœlorum. Istum vincite.*

Cùm ergo in scopulos non possit non aliquando impingere ratiocinatio humana, clavo authoritatis destituta ; consultissimum est imitari Augu-

Cap. 7. stinum, ita de seipso profitentem : *Ubi ergo non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam authoritatem.* Et mox : *Approbo, prorsus approbo. Bene facis, non invenis quid respondeas, ad authoritatem fuge : non ibi te persequor, non inde expello, imo fugientem recipio & amplector.*

Si ratio sola consuleretur, forsan nec baptizarentur parvuli ; immo si Scriptura sola consuleretur, nullis fulta Traditionum præsidiis. Certè ut parvuli baptizati fideles dicantur, non facit nisi Ecclesiæ authoritas. *Nam ideo &*

Cap. 11. *consuetudine Ecclesiæ antiqua, canonica, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur.* Cùm verò & traditio & fides antiquissima Ecclesiæ addoceret quem in sensum interpretanda in hoc negotio esset Scrip-

Cap. 16. tura, jure merito subdit Augustinus, *Proinde nemo nos fallat : Scriptura evidens est, authoritas fundatissima est, fides catholicissima.* Ad quàm multa autem confitenda cogerentur Pelagiani authoritate Ecclesiæ, quam omnino detrectare & excutere non poterant, docet rursus Augustinus : *Dic mihi, obsecro te, parvulis baptizatis Chri-*

Cap. 17. *stus aliquid prodest, an nihil prodest ? Necesse est ut dicat, prodesse. Premitur mole matris Ecclesiæ, fortè quidem vellent hoc dicere. Nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere ; sed authoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne non dicam fluctus hominum obruantur, sed ipsorum infantium lachrymis tanquam fluvia pertrahantur.* Vide autem ut authoritas Ecclesiæ Augustino inexpugna-

Cap. 18. bile munimentum esse videretur. *Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon : contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arictat, ipse confringitur. Ergo prodest Christus aliquid infantibus baptizatis : & sicut ego doceo, & sicut mecum tota Ecclesia dicit, credentibus prodest, fidelibus prodest, &c.*

Quin & Cypriani mox suffragium ponit non sine singulari nominis encomio, tum ut ejus testimonio demonstret quid de ea quæstione sentiret Ecclesia, tum ut ex eo declaret quis sit sensus canonicus catholicusque verborum Scripturæ, quæ tunc vexabantur : *Rogo vos ut paululum acquiescatis. Lego tantùm. Sanctus Cyprianus est, quem in manu sumpsi, antiquus Episcopus Sedis hujus : quid senserit de baptismo parvulorum, imò quid semper Ecclesiam sensisse monstraverit, paululum accipite. Parum est enim quia isti dissenserunt, & disputant nescio quas impias novitates, & nos conantur arguere, quod aliquid novum dicamus. Ad hoc ego lego sanctum Cyprianum, ut videatis quomodo sit intellectus canonicus, & catholicus sensus in his verbis quæ paulò antè tractavi.*

Nihil apertius, sed nec validius dici potuit, ut liqueret & ex sanctis Patribus interpretandas esse Scripturas, & eo maximè consilio Patres proferri, ut constet, quæ tunc fuerit Ecclesiæ Catholicæ doctrina, quando eam illi litterarum monumentis illustrabant, muniebantque : & denique quàm non sit verendum, ne quantum authoritatis Patribus accedet, tantum decedat Ecclesiæ : cùm ex adverso id perficiant potissimum congesta Patrum testimonia, ut constet, quæ eorum ævo fuerit Ecclesiæ doctrina.

CAPUT XXIV.

Ex Augustino rursus de Ecclesiarum, Patrum, Episcoporum traditione, successione, consensione, authoritate.

I. Ut adversùs Julianum Pelagianum defendat Augustinus Ecclesiæ antiquitatem, fidelium multitudinem, Patrum authoritatem.

II. Eadem omnia de Tertulliano : de traditione, de antiquitate fidei, de credendi necessitate, de probanda missione sua.

III. Rursus de antiquitate, traditione, successione perpetua in sedibus Apostolorum, vel Apostolicorum virorum.

IV. Luculenter rursus ut nihil pertineant Scripturæ ad hæreticos, nihil hæretici ad Scripturas.

V. Sive textus, sive sensus Scripturæ adulteretur, ad primas origines Ecclesiarum & ad successiones Episcoporum recurrendum est.

VI. Ut cœperunt, ita pergunt hæreses : Ecclesiam scidere, scindunt & seipsas.

VII. Rursus quàm certa sit antiquitatis Ecclesiæ victoria de novitate.

VIII. De Traditionibus circa disciplinam, ex eodem Tertulliano.

IX. Ex Hilario, necessitas Traditionum adversùs eos qui Scripturas interpretando pervertunt.

X. Ex Hieronymo, eadem propemodum argumenta adversùs Vigilantium, adversùs jactatum ab eo Veritatis lumen, Paracletum, *ut ab omnibus passim Novatoribus.*

XI. Rursus ex Hieronymo de Traditionibus non scriptis, solo nixis consensu Patrum & Ecclesiarum. De Ecclesiæ Sole, de antiquitate.

I. CUm causaretur Julianus solos in Ecclesia pueruloş profiteri fidem peccati originalis, vide ut Augustinus eandem doctis & Doctoribus vendicet : *Catholica potiùs fides peccatum esse originale non dubitat, quam fidem non pueruli, sed graves atque constantes viri docti in Eccle-*

Oper. Perfect. cont. Julian. l. 4. n. 131. Suppl. To. 1. pag. 219.

Ecclesia, & *docentes Ecclesiam*, *usque ad diem sui obitus defenderunt*. Cùm jactaret Julianus, quod familiare est omnibus hæreticis, nihil apud se loci unquam fore authoritati in exitium rationis; ita respondebat Augustinus: *Ideo enim authoritatem nullam in exitium rationis vos jactatis admittere, ut rationibus vestris, quæ non rationes, sed deceptiones sunt, etiam divina deponatur potiùs, quàm exponatur authoritas*. Sed & totam Ecclesiæ antiquitatem armabat sanctus Pater contra novitates Pelagianorum: *Hac peste novitia contra antiquitatem Ecclesiæ Catholicæ disputatis, dicentes non erui parvulos de potestate tenebrarum*. Cùm Julianus veluti per jocum diceret ex eo proficisci frequentiam multitudinis Catholicæ, *quòd tutius iter, quod frequentius arbitrentur*: vide ut hoc retundat Augustinus: *Frequentius est iter nostrum, quò antiquius, quia Catholicum est. Vestrum verò tantò minùs frequens, quantò magis novitium, quia hæreticum*. Cùm denique Julianus nihili faceret multitudinem imperitam turbæ Catholicorum, Augustinus respondebat hanc esse multitudinem Abrahæ olim promissam, nunc repræsentatam. *Innumerabilis multitudo fidelium, quæ promissa est Abrahæ, quasi à vobis vulgaris turba contemnitur, quia videlicet paucis, quos Pelagianos, hoc est venenis novitiæ pestis insanos facitis, potest placere, quod dicitis*.

Ibidem.

L. 5. n. 8. pag. 225.

L. 6. c. 1. n. pag. 265.

II. Ad reliqua jam pergo Ecclesiæ Latinæ lumina, & statim ad Tertullianum, qui in libro de carne Christi, Marcionem graviter objurgat, qui antiquam fidem suam, priscasque traditiones rescidisset; quibus tantò religiosiùs inhærere debuerat, quòd laicus esset. Nam si Propheta fuisset, futura aliqua prænunciasset, quo novitatibus suis authoritatem conciliaret. Si Apostolus, vel Apostolicus fuisset, ab Apostolicis traditionibus non recessisset; primævam doctrinam suam non rescidisset. Non enim quod novatum est, id verum est: sed quod erat traditum, ab illis videlicet traditum, quorum erat tradere. *Ex qua, oro te, authoritate? Si Propheta, prænuncia aliquid: si Apostolus, prædica publicè: si Apostolicus, cùm Apostolis sensi: si tantùm Christianus es, crede quod traditum est*. Et infrà: *Igitur rescindens quod credidisti, jam non credens rescidisti: non tamen quia credere desiisti, rectè rescidisti. Atqui rescindendo quod credidisti, probas antequam rescinderes aliter fuisse, quod credidisti aliter. Illud ita erat traditum; porrò quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti*. Ergo quod traditum est, illud verum est; traditum videlicet Christo à Patre, Apostolis & Apostolicis viris à Christo, ab his longa sedium & temporum successione sibi consentaneis Ecclesiæ universæ. Deum inhumanatum credi, stultum ajebat esse Marcion. Respondebat pulcherrimè Tertullianus, quod & omnibus hæreticis respondere fas est, ubi a tradita fide resiliunt, quòd ei repugnet humanus sensus communis, atque ita illos compellat sua contumacia ad novas & inauditas Scripturæ interpretationes: *Sit planè stultum, si de nostro sensu judicemus Deum. Sed circumspice, Marcion; si tamen non deleasti: Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Quænam hæc stulta sunt? conversio hominis ad cultum veri Dei, rejectio erroris, disciplina justitiæ, pudicitiæ, patientiæ, misericordiæ, innocentiæ: omnia hæc quidem stulta non sunt*.

Tertull. De carne Chr.

III. In libro autem de Præscriptionibus adversùs hæreses sic Tertullianus omnes illas configit hoc primo & invictissimo telo ipsarum novitatis, Ecclesiæ autem Catholicæ antiquitatis. Præit enim veritas, tum sequitur veritatis interpolatio; sed & Ecclesiæ jam vigenti, jam augescenti ab Apostolo prænunciatum est, oportere & hæreses esse. Unde & antiquissimæ hæreses sub Antonini ferè principatu; tum enim Marcion ab Ecclesia defecit, cùmque postea ei se recolligere cuperet, ea lege admissum illum iri respondit Ecclesia Romana, si quos perdiderat, Ecclesiæ restitueret: at illum mors præpropera occupavit. Ante ea tempora quanti Ecclesiæ Apostoli, Apostolici viri, Patres, Doctores præluxerant? *Cæterùm satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur, vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses & cavendas prænunciavit*. Et mox: *Nam constat illos neque adeo olim fuisse. Antonini ferè principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutheri Benedicti; donec ob inquietam semper curiositatem, qua fratres quoque viciabant, semel & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis HS. suis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni data sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est*. Si se Doctores, si se Apostolos à Christo missos credi volunt, probent ejusmodi aliquid in illis instituendis Christum præstitisse, quæ in Apostolis suis præstitit: præstent eorum aliquid, quæ Apostoli præstiterunt, ut orbi se approbarent. Si nihil ejusmodi possunt, applicent se prioribus Patribus, & illis incumbant. *Probent se novos Apostolos esse; dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem, eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quia agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt*.

L. De præscr. pag. 106.

Ex ipsis Christi verbis in Evangelio, priùs bonum semen satum est, postea superseminata sunt zizania. Ita & prior veritas fidei promulgata est à Christo & ab Apostolis, postea superductæ hæreses. Si quæ autem sectæ de antiqua sibi & Apostolica origine blandiantur, edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorem. *Revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis deputandam, ex illius quoque parabola patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit, aversarium autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum, & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterùm si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.*

Ut se Valentinus, ut se Marcion, ut se aliæ hæreses veritati, ut sibi veritatem fidei & doctrinæ orthodoxæ vendicent, vides quid præscribat, quid expectet Tertullianus; non ut Scripturas evolvant, & aliquid inde aucupentur, quod commento suo applicent, vel quod nova interpretandi audacia ad id detorqueant: non ut interiori se profiteantur lumine Spiritus sancti collustrari: hæc enim quis non hæreticorum tentavit, & incassum tentavit? eo maximè quod id ipsum tentarent & aliæ hæreses longè diversissimæ, & pari vel fortuna, vel infortunio tentarent. Unum hic ab illis exigit Tertullianus, ut doctrinam suam à Christo, ab Apostolis, à primis Ecclesiarum fundatoribus se accepisse doceant, probentque longa continuaque serie Episcoporum, Patrum, Doctorum suorum, per omnia retrò sæcula decurrente. Solæ id possunt Ecclesiæ Catholicæ, solæ Patres, Episcopos, Scripturæ germanos interpretes, doctores habent, ab ipsis usque Apostolorum temporibus.

IV. In iis autem traditionibus, quas à Patre Christus, à Christo Apostoli, ab his Episcopi & Doctores, suo quisque ordine & ævo acceperunt, & perpetua successione servaverunt, locum habent Scripturæ ipsæ. Ut traditionum ergo, ut Patrum, ut successionis Episcopalium sedium extorres sunt hæretici omnes, ita & Scripturarum. Nihil hæc ad illos pertinent, nihil hæc ad illos hæreditas pertinet. Illas Ecclesia à Christo & ab Apostolis accepit; illas sibi suisque inviolatas servavit; ad earum possessionis consortium transfugas suas, hostes suos non admittit. *Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo acceptam tradidit; constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad eandem de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt; non à Christo habendo, quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum litterarum, ad quos meritò dicendum est, Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis authoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.*

V. Nihil ergo Hæreticis, nihil Schismaticis cum Scripturis, nisi ut eas interpretando corrumpant. *Illic igitur & Scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ.* Adulterantur Scripturæ, sive textui ipsi demas, aut addas, sive sospite & intacta littera sensum depraves. Utrique vitio occurritur recurrendo ad successiones & ad primas origines Ecclesiarum, quibus & littera ipsa & intelligentia Scripturarum ab Christo & ab Apostolis consignata est, ad sæculorum usque fines continuis traditionibus perducenda. *Cùm autem* Ibidem. *omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex causa æmulationis: quæ neque prior, neque domestica ejus unquam quod æmulatur; tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stylum intulisse videamur scripturis, qui sumus à principio & primi; quàm illos non intulisse, qui sunt & posteri & adversi. Alius manu Scripturas, alius sensu expositiones intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videatur, non callidiore ingenio quàm Marcion manus intulit veritati; Marcion enim exertè, & palam machæra, non stylo usus est: quoniam ad materiam suam eadem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit: & tamen plus abstulit, & plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, & adjiciens dispositiones non comparentium rerum. Hæc sunt ingenia de spiritalibus nequitiæ, & cum quibus luctatio est nobis, fratres, meritò contemplandæ fidei necessaria, ut electi manifestentur, ut reprobi detegantur.*

VI. Quæ indoles prima fuit hæreseos, eadem sibi postea constat. Scidit primò Ecclesiam, & ita erupit; scinditur & ipsa identidem. Nova subinde excogitant hæreses adversùs magistros ipsos suos; ita enim primùm antiquissimos spreverunt Ecclesiæ Magistros & Patres. Nulla in eis eminent schismata, quia schismaticæ ipsæ ubique sunt. Denique ut Patres aspernantur; ita & matres non habent, licentiosæ, incertæ, vagæ. *Cæterum nec suis Præsidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos ferè non sunt: quia cum sint, non parent. Schisma est enim unitas ipsa. Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit; quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino; idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes, in multis cum authoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orba fide extorres sibi latè vagantur.* Et libro primo contra Marcionem, *Quod si post Apostolorum tempora adulterium veritas passa est circa Dei regulam, ergo jam Apostolica traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam. Et non alia agnoscenda erit traditio Apostolorum, quàm quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur.*

VII. Libro autem quarto adversùs eundem Marcionem, sic rursus ille antiquitati veritatem vendicat, abjudicat novitati. Prior enim veritas, quàm veritatis adulterium. Prior Christus ipse per sese, tum per Apostolos suos veritatem orbi intulit: tum postea accessere, qui eam interpolarent, adversum quos ineluctabile testimonium dicebant Ecclesiæ antiquissimæ, testes nimirum indubitatissimæ & toto orbe disertissimæ, quid ante has novitates traditum, quid prædicatum fuisset. Hoc ariete antiquitatis Ecclesiæ Catholicæ impetebantur, hoc evertebantur primæ hæreses, hoc posteriores, hoc extremo etiamnum sæculo everruntur; & quidem tantò certiùs & invictiùs, quò posteriores sunt. Tantò enim utique splendidior & commendatior est Ecclesiæ antiquitas, quantò certior antiquitatis de novitate victoria. *Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio; ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Prior erit res passione, & materia æmulatione. Alioquin quàm absurdum, ut si nostrum antiquius probaverimus, Marcionis verò posterius, & nostrum ante videatur falsum, quàm habuerit de veritate materiam; & Marcionis ante credatur æmulationem à nostro expertum, quàm est editum: & postremò id verius existimetur, quod est serius post tot ac tanta jam opera atque documenta Christianæ religionis sæculo edita; quæ edi utique non potuissent sine Evangelii veritate.* Ibidem.

Sive de nostris ergo dogmaticis aliquid nunc emendent hæretici, sive de antiquis & Apostolicis, utrum-

utrumque emendando confirmant : cum tua hac emendatione id assequantur, ut omnia sua nova esse prodant, & nostra omnia antiqua. Id ergo Apostolorum fuerit, quod vetustissimum: quod in Ecclesiis quas ipsi condiderunt, hactenus servatum est. *Itaque dum (Marcion) emendat, utrumque confirmat, & nostrum anterius, id emendans quod invenit: & id posterius, quod de nostri emendatione constituens, suum & novum fecit. In summa si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, ab initio quod ab Apostolis: pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Ibidem.

Dogmatum ergo authoritas ex ipsa etiam convalescit Apostolicarum Ecclesiarum antiquitate, vel ab his fatarum, vel cum his communione sociatarum; nullæ possunt hæreses apud se ostendere hujusmodi traditiones, vel Ecclesias antiquissimas, perpetua successione ita jam inde ab Apostolis radiantes. *Habemus & Joannis alumnas Ecclesias. Nam & si Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit autorem. Sic & ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas nec solas jam Apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum maximè tuemur. Marcionis verò pleriſque; nec notum; nullis autem notum, ut non eo damnatum. Habet planè & illud Ecclesias, sed suas; tam posteras, quàm adulteras; quarum si censum requiras, facilius Apostaticum invenias, quàm Apostolicum; Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.*

VIII. Ad Traditiones eas venio, quæ ad disciplinam magis spectant, quàm ad dogmata: quanquam & ex disciplinis Ecclesiæ vetustissimis emergant non rarò etiam dogmata. Esse verò Traditiones disciplinæ sine scripto traditas, & Ecclesiæ commendatissimas ab exordiis suis, sic rursum Tertullianus aureolo in libello de Corona militis: *Hanc (consuetudinem) si nulla Scriptura determinaverit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, authoritas scripta. Ergo quæramus an & traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique à baptismate ingrediar. Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus.*

Ex hoc porro ritu Ecclesiæ Catholicæ, parvulas dum baptismo tinguntur contestandi, ut renuntient diabolo & pompæ & angelis ejus, eliciebat Augustinus orthodoxam de peccato originali adversùs Pelagianos doctrinam. At mox ibidem Tertullianus de Traditionibus non scriptis, consuetudini fideique ab Apostolis haustæ conjunctissimis: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.* Et mox: *His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idoneâ teste probatæ tunc traditionis ex perseverantia observationis. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

IX. Ex Hilario unum promam hic locum, qui adprimè Tertulliano consentiat; ubi ait ex ipsis hæreticorum deliramentis intelligi posse Ecclesiasticam doctrinam; nostri dogmatis antiquitatem, ex eorum novitatibus. Quod de suo enim illi addiderunt, hoc tam alienum est à veritate, quàm ab Ecclesiæ antiquitate; cùmque alii alia addiderint, hæc omnia eò necesse est collabi, quòd & inter se conflictantur, & ab Ecclesia dissident, quæ una sibi & eadem semper est: & Scripturas eodem semper modo interpretatur; quas illi suis placitis aptare malunt, quàm ad earum normam sua placita inflectere. Ita Ecclesiæ causam juvant, quicumque imperunt. *Hoc enim Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat, cum laeditur: tum intelligatur, cum arguitur: tum obtineat, cum deseritur.* Et infrà: *Cùm negari non possit ex vitio malæ intelligentiæ fidei extitisse dissidium: dum quod legitur, sensui potiùs coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat: tamen dum sibi partes singulæ adversantur, non solùm suis, sed etiam adversariorum ad intelligenda doctrinis: ut dum adversùs eam unam omnes sunt, impiissimum tamen errorem omnium, per id quod sola est atque una, confutet.* Una erat fidei, symboli, una Scripturæ intelligentia in Ecclesia Catholica ante ullas exortas hæreses: hanc hæretici postea pervertere conati, hoc ipso conatu suo eam confirmarunt; in contrarias & sibi mutuò adversantes sententias dum illam distrahunt; dumque non sese illi, sed illam sibi coaptant, novitatem, futilitatem, perversitatem suam produnt. Quin & eo certissimo argumento demonstrant, non posse stare fidei ac doctrinæ veritatem, nisi servetur & unitas & antiquitas, & impensissima in priscos omnes fidei fatores, patres, defensores reverentia. Hilar. de Trinit. l. 7.

X. Vigilantium Reliquias Martyrum & earum cultum detidentem concerpens Hieronymus, & Romanam & cæteras orbis Ecclesias, & Romanum & reliquos illi Catholicos objicit Episcopos, qui Martyrum sacras has exuvias impensissimè, & olim & etiam tunc venerari solebant. Objicit illi & Eunomium ejusdem hæreseos authorem, pridem ab Ecclesia proscriptum, cui tamen sectatores ejus eam impendebant venerationem, qua ipse Martyres & Apostolos fraudabat; objicit denique Tertullianum, qui jam antè ediderat adversùs eandem insaniam insigne volumen. Nec illud silebo, quod strictim hic attingit Hieronymus de Eunomio; affectas ejus non solùm eos illi dependisse honores, quos Martyribus denegabant: sed & ejus libros religiosiùs coluisse & audisse, quàm Evangelia; quòd in illo existimarent fuisse *lumen veritatis*: sicut & aliæ hæreses *Paracletum in Montanum venisse* abundantiùs contendebant, quàm in alios quosvis Ecclesiæ Doctores. Audiendus ergo Hieronymus: *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulviſculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorum.* Et paulò pòst: *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum autore hujus hereseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis: nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores ejus Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur; ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris autoritatis arbitrantur, quàm Evangelia: & in ipso* Hier. adverſ. Vigil. tom. 2.

credunt

credunt esse lumen veritatis: sicut aliæ hæreses Paracletum in Montanum venisse contendunt, & Manichæum ipsum dicunt esse Paracletum. Scribit adversùm hæresim tuam, quæ olim erupit adversùm Ecclesiam, ne & in hoc quasi reperror novi sceleris glorieris, Tertullianus vir eruditissimus insigne volumen.

Quos hìc Hieronymus Vigilantio objicit Episcopos, sive Romæ, sive alibi terrarum, ii sunt Apostolorum successores, ii sunt Patres Ecclesiæ, Scripturarum Apostolici interpretes, Apostolicarum Traditionum custodes, nihil in his unquam innovantes: id enim ipsis ratum, id juratum est, nihil unquam novare, quod traditum est retinere. Enimverò quòd nil novent, invictissimum argumentum est ipse eorum toto orbe terrarum consensus. Si quid enim quisquam eorum novaret, si quid demeret, si quid Traditionibus adderet, non id ille facilè posset cæteris omnibus universæ Ecclesiæ Episcopis significare, nedum approbare. Si quid novaret hic, novaret & ille, nec omnes in easdem innovationes consentirent. Est ergo indubitatissimum documentum indeflexæ constantiæ in servandis avitis Traditionibus, earum apud Patres, apud Pastores, apud Episcopos universæ Ecclesiæ consensus. Sed hæc apud Catholicos. Nam apud Eunomianos, Vigilantianos, Montanistas, Protestantium nostri ævi complures, non illa antiquarum Traditionum constantia, non illa Ecclesiarum, Patrum, Episcoporum consensio in pretio est: non inde Scripturarum interpretandarum formam mutuantur. Totum illi acceptum ferunt *lumini veritatis*, quod illis privatim alluceat; vel *Paracleto*, quem sibi aspirare & allabi affirmant, etsi nullo præterquam suo testimonio id confirment; etsi id alii de aliis infirment. Nec enim idem Eunomio, quod Montano, quod nostratibus Protestantibus lumen veritatis affulget: non idem illis omnibus aspirat Paracletus. Quot Sectæ, tot lumina veritatis, tot Paracleti, sibi mutuò adversi & repugnantes. Hæ sunt labes, hæ ruinæ hominum, quibus despicabiles sunt Patres Ecclesiæ, in quorum consensione multò præclarius fulget lumen veritatis, Paracletus, Spiritus unitatis.

XI. Eadem Traditionum non scriptarum authoritas ab eodem Hieronymo sæpiùs etiam alibi inculcatur. Ita enim ille adversùs Luciferianos scribens: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scriptura auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, autoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem: die Dominico & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere: multaque alia scripta non sunt, quæ rationabilis sibi observatio vindicavit. Ex quo animadvertis nos Ecclesiæ consuetudinem sequi: licèt ante advocationem Spiritus constet aliquem baptizatum. Orthod. d. Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem.*

Video posse has Hieronymi præclarissimas sententias ad Tertullianum authorem referri, quem hic ille secutus est. Sed hinc lucis & præsidii accedet potiùs aliquid Tertulliano, quàm decedet Hieronymo. Est & ad gustum Tertulliani, quod ad calcem ejus operis addit Hieronymus, potuisse se objecto unius Ecclesiæ Sole ilitiusmodi quæstiones omnes arefacere; omnibus omnino in ea permanendum esse Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, hactenus viget floretque; ii quæ Sectæ alio quam Christi nomine nuncupentur, putà Marcionis, aut Valentini, aut cujuscumque alterius, non posse has Ecclesias Christi censeri, quòd vel eo nomine suam ipsæ novitatem prodant; frivolum autem esse quòd de Scripturis glorientur, cùm vel perversissimæ quæque hæreses ex illis sibi gloriam & præsidia aucupentur; cùm diabolus ipse Scripturas allegarit; cùm Scripturæ non in legendo, sed in intelligendo sint. *Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, & omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ Sole siccare. Verùm quia jam multùm sermocinati sumus, & prolixitas concertationis audientium studia lassavit; brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: In illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, utputa Marcionitas, Valentinos, Montenses sive Campates: scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cùm & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Ibidem.

His consonat quod idem Hieronymus allegabat ad pertinaces aliquos Origenis errorum patronos; Romanis & Catholicis auribus parci orabat; nec enim eas ferre posse, ut post quadringentos annos audire incipiant dogmata aliqua hactenus sibi inaudita; hactenus orbem Christianum his novitatibus caruisse, nec illubenter posthac carituram; sibi & Catholicis omnibus certum esse ei immoti fidei, cui à puero sit innutritus. Quod autem causantur, non esse Origenis hos errores, sed eorum qui illos postea ejus libris inspersere; id verò nugatorium esse. An toto enim terrarum orbe corrumpi & falsari potuere Origenis exemplaria? Ne fieri quidem id potuisse: postquam in omnes orbis Provincias disseminata fuere, ut omnia in eosdem errores depravarentur. Ita ergo Hieronymus in Epistola ad Pammachium & Oceanum adversùs errores Origenis: *Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.* Et infrà: *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe pariter falsarentur: & quasi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, num universa ejus opera, quæ diversis & locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt?*

CAPUT XXV.

Ex aliis Patribus Latinis, de Ecclesiarum, Patrum, Episcoporum traditione, successione, consensione, antiquitate & authoritate.

I. Pacianus Novatianos refellit, quod novi, quod novatores sint, quod missionem suam nec ordinaria successione probent, nec miraculis, nec prophetiis, etsi nova afferant.

II. Nihil ad Ecclesiam disputationes; ut quæ veritatis pace & securitate ab exordio fruatur.

III. Ex Vincentio Lirinensi, etsi perfecta sit Scriptura, necesse fuit ob diversissimas ejus explicationes, ei adjungi Ecclesiasticam intelligentiam & traditionem.

IV. Ex eodem sequenda est universalitas, antiquitas,

quitas, consensio omnium, vel penè omnium Patrum & Doctorum Ecclesiæ.

V. Exemplo Cypriani, & Stephani Papæ probatur explodi debere novitatem, retineri vetustatem.

VI. Et Origenes, & Tertullianus magna tentatio fuit, qua Deus nos admonuit, non uni alicui quantocunque, sed consensioni Patrum adhærescere. . . . . . .

VII. Nihil vel Patres, vel Concilia novarunt: priorem tantùm doctrinam explanarunt: Traditiones non scriptas scriptis mandarunt.

VIII. Quàm densi sint & assidui hæretici in scripturis citandis, sed perversa sensu.

IX. Ex eodem ubi primùm novus error erumpit, tum omnium Patrum compilanda sunt nobis testimonia ad eas Scripturas intelligendas, quas Novatores objectant. Huic instituto serviunt nostra hæc Theologica dogmata. Quantum ab his præceptionibus dissideant Protestantes.

X. Ex Fulgentio, Ecclesia, Patrum, Præsulumque ejus consensio à veritate aberrare non potest.

XI. Ex Petro Cluniacensi, quàm non possit à vero aberrare Ecclesia, cujus cordi inhospitatur veritas, Pater, Filius, Spiritus sanctus.

XII. Ex eodem, ut Scripturas ab Ecclesia habent Hæretici, ita & cetera dogmata debent habere. . . . . .

XIII. Quantum hìc præsidii habeamus adversùs Protestantes, & eorum domesticum veritatis oraculum.

I. EXciderat penè nobis Pacianus Barcinonensis Episcopus, qui adversùs Novatianum, ajentem *quod post baptismum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipienda peccantes:* contra hos inquam scribens Pacianus, quærit primùm, Quis dogmatis hujus author primus fuerit? *Quis hoc vindicat, frater, Moyses, an Paulus, an Christus? At Moyses deleri è libro probl*asphematoribus optat, & Paulus anathema esse pro fratribus; & ipse Dominus pro injustis pati mavult. Nullus horum, inquies. Qui ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis & purus, qui Novatum non audierit, qui nunquam Ecclesiam deseruerit, qui ab Episcopis Episcopus factus sit, qui jure ordinario consecratus, qui vacantem Cathedram in Ecclesia consequutus?* Tum quærit, quando primùm id prædicari cœperit, an novi author Evangelii miraculis editis sibi fidem & authoritatem quæsierit? *At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decii principatum, id est, post trecentos propè annos Dominicæ passionis. Quid ergo tunc Prophetas sequutus est, ut Cataphryges? an Philomenem aliquam, ut Apelles? an ipse tantum authoritatis accepit? Linguis loquutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.*

Epist. 3. Bibl. Patr. Tom. 3. pag. 57. 58.

II. Igitur ne audiri quidem debent in quolibet proponendo dogmate, qui Ecclesiam deseruerunt, qui non ab Episcopis Episcopi ordinati sunt, qui jure ordinario ordinati non sunt, qui vacantem Cathedram in Ecclesia ipsius Ecclesiæ jussu consecuti non sunt: qui post complura sæcula novi aliquid obtrudunt, nec miris operibus id confirmant, etsi ne tum quidem admitti eos debere censet Apostolus. Eodem prorsus hæc recidunt, atque illa quæ superiùs alii Patres de Apostolicarum & Episcopalium sedium successione & traditione antiquissima doctrinæ orthodoxæ. Cùm denique ad disputationes de Scripturis provocaret Novatianus, respondet Pacianus, Ecclesiæ nihil opus esse tricis & tanto disputationum anfractu: in ipsius veritatis gremio natam altamque eam esse: successionis seriem & antiquissima pace illam niti, adeoque tota securitate frui: altercari, & omnes Scripturarum angulos scrutari, eorum esse, qui novum aliquid & hactenus inconcessum usurpant. *Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc usque securus: ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus; nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre divisus, ut rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta queque sollicitas, quidquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil ultrò disputavere majores, nuda est apud nos ipsa securitas.*

Ibid. pag. 58.

III. Paulò explicatiùs hæc eadem exequitur Vincentius Lirenensis, qui statim profitetur: *Catholicæ fidei regulam ab hæreticæ pravitatis falsitate posse discerni, primùm divinæ legis authoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Quid autem causæ sit quamobrem necesse sit Scripturis adjici Ecclesiasticam traditionem, traditamque à Patribus earum intelligentiam, sic ille mox ibidem aperit: *Hic forsitan requirat aliquis: Cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat: quid opus est ut ei Ecclesiastica intelligentia jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Fotinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremò Nestorius. Atque idcirco multùm necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apostolica interpretationis linea, secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

Commonit. c. 1. n. 2.

Bibl. Patr. Tom. 4. part. 1. p. 56.

IV. Subjicit mox Vincentius, in Ecclesia Catholica sectandam universitatem, antiquitatem, consensionem; universitate eam designari fidem, quàm ubique terrarum confitetur Ecclesia; antiquitate declarari sensus illos Scripturæ, quos sancti Patres & majores nostri tenuerunt; consensione contineri, ut non singulos forsan Patres, sed concentum sectemur omnium, vel certè penè omnium Ecclesiæ Sacerdotum, Patrum, Doctorum. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè proprièque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: Si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem verò ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certè pene omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.*

Ibid. c. 3. pag. 57.

V. Quantus vir fuerit Cyprianus, quantæ inter Patres gloriæ, nemo nescit, & si in Ecclesiæ rebus valdè hospes. At non illi uni committere se debuere fideles; sed antiquæ traditioni Ecclesiarum, quod urgebat, & quod tandem pervicit Stephanus Papa datis ad Africanos Epistolis. Unde Vincentius mox ibidem: *Denique (Stephanus) in Epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit; Nihil novandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non quæ vellemus ducere, sed potius quæ illa duceret,*

Cap. 9. pag. 69.

ret, sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris traducere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.

VI. Quantus vir fuerit Origenes, nemo facilè dixerit; de eo prolixè hìc differit Vincentius, ut pòst admoneat, non illi tamen hærendum fuisse, sed Ecclesiæ, sed Patrum consensioni; ut gravissima illa fuerit tentatio, qua experiri voluit Deus, qui sibi, qui Christo, qui Ecclesiæ suæ adhæresceret, qui Patrum Ecclesiæ consensui, potius quàm privati qualiscumque hominis existimationi, vel amori. *Quamobrem hic idem Origenes tantus ac* Ibid. C. 21. pag. 69. *talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cùm parvipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur; meruit ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur: Si surrexerit in medio tui Propheta.* Et paulò pòst: *Non audies, inquit, verba Prophetæ illius. Et item: Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non.*

Fuit & ingens tentatio Tertullianus, *cujus quot* Ibid. C. 24. pag. 73. *penè verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ.* At ille ipse, *Fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus authoritatem. Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio.*

Vix vehementius, vix opportunius dici quidquam potuit ad revocandos in Catholicæ matris sinum Sectarios omnes extremæ hujus ætatis: nec enim illi à fide Catholica deviarunt, nisi vel Ecclesiæ tædio, quam ut Christi sponsam amare, complecti, venerari impensissimè debuerunt: vel novi & privati alicujus doctoris amore, & existimatione, qui quantuscunque esset, non facilè Cypriano, non Tertulliano, non Origeni coæquandus fuerat; non saltem Ecclesiæ universæ Ibid. c. 25. antehabendus. *Quæ cum ita sint, ille est verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit; non hominis cujuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, ac stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. Quidquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes sanctos novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelliget pertinere; tum præcipuè beati Apostoli Pauli eruditus eloquiis: hoc est enim quod in prima ad Corinthios scribit, Oportet, inquit, & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.*

VII. Quàm fida sit Ecclesia traditionum priscarum custos, & depositorum apud se dogmatum: quàm Concilia ipsa nihil noverit, nihil mutent; sed antiquam tantùm fidem elucident, & confirment, idque litteris mandent, quod non scripta traditione priùs tenebatur. *Christi verò Ecclesia* Ibid. c. 32. pag. 74. *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit.* Et mox: *Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur? quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur: quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur? Hoc inquam semper; neque quidquam præterea hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à majoribus sola traditione susceperat, hoc inde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret.*

Et Patrum ergo & Conciliorum ea est doctrina, de qua ajebat Paulus, devitandum illum esse, qui eam non teneret: per singulas videlicet ætatum successiones perpetuatam, & in fines usque sæculorum perpetuandam. *Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinam, nisi Catholicam, & universalem? & unam eandemque per singulas ætatum successiones incorruptæ veritatis traditione manentem, & usque in sæcula sine fine mansuram.*

VIII. Quàm crebri autem & quàm densi sint hæretici in Scripturis citandis, quàm subdoli in iis interpretandis, sic rursus Vincentius: *Hic* Ibid. c. 38. pag. 71. *fortasse aliquis interroget, An & hæretici divinæ Scripturæ testimoniis utantur? Utuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Μοϋσι, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, & Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Testamenti sententiis fucata & colorata sit.* Illos videlicet imitantur hæretici, qui venenatis succis ut pretium faciant, optimorum præfigunt titulos medicaminum. *Quod etiam his cu-* Ibid. pag. 74. *ræ est, & qui mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum.* Et diabolus olim Christo, & nunc membra diaboli membris Christi Scripturas ingerunt: *Ut tanto Evangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos Apostolica, sed Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra scilicet diaboli membris Christi: perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, hæretici postremo Catholicis.* Quid verò Christo diabolus suadebat? Mitte te deorsum: quod & nunc hæretici Catholicis insusurrant, ut de arce quadam templi, id est Ecclesiæ, quæ templum Dei vivi est, id est, de quodam Ecclesiasticarum traditionum vertice, in profundum disputationum se demittant. *Mitte te deorsum, id est, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam Templum Dei putatur, doctrina & traditione dimitte.*

IX. His ita præstructis sic statuit Vincentius, cùm primùm novus aliquis error irrumpit, & Scripturæ testimoniis se vallare nititur: statim nobis sanctorum Patrum Majorumque sententias coacervandas esse, ex quibus orthodoxa illarum Scripturarum interpretatio eliciatur. Sed illorum duntaxat Patrum compilandæ nobis sententiæ sunt, qui in fide & communione Catholica vitam traduxere, aut pro Christo etiam mortem obiere. *Itaque cùm primùm mali cujusque erroris putredo* Cap. 13. pag. 78. *erumpere cœperit, & ad defensionem sui quædam sacræ legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere; statim interpretando canoni Majorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud quodcumque exurget novitium, ideoque profanum, & absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.*

Ei

Ei planè Vincentii propoſito ac inſtituto deſudat noſtra hæc rota Theologicorum dogmatum lucubratio, ut ſanctorum Patrum Græcorum Latinorumque jam inde ab exordio Chriſtiani nominis ſuffragia corradamus, quæ ad confirmandam valeant Catholicam doctrinam propemodum omnem, & ad hæreſes omnes opprimendas. Sed & cùm rurſus moneat Vincentius, ut ne uni nos devoveamus quantæcumque eruditionis & ſanctimoniæ Magiſtro inter ſanctos Patres; huic quoque monito morem geſſimus, denſoque ſemper agmine conſentientium ſibi Patrum teſtimonia conglobavimus. Ita enim ſuadet, ita jubet Vincentius: *Quibus tamen hac lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid verò, quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr, præter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, à communis, publicæ & generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit; nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitium ſectemur errorem.* Ibidem.

Ab his quàm immaniter diſcrepent noſtri hujus ævi Proteſtantes, nihil attinet dicere. Ubi enim hìc illa veritatis lumina, ubi interiora illa Spiritus ſancti effata cuique heterodoxo Paſtori, cuique inter eos privato privatim & clam affantis cujuſque Scripturarum loci intelligentiam claram, certam, indubiam, quæ nec ſanctis Patribus, nec Conciliis ipſis contrà definientibus concedere debeat? Totum vult Vincentius, totum vult Eccleſia, totum volunt ſancti Patres à communi Patrum, Eccleſiarum & Traditionum conſenſu religari; totum volunt Proteſtantes ii, quos hìc inſectamur, ab unius Paſtoris lumine privato, totum ab unius arbitrio pendere, totum etiam à privati cujuſque, qui ſe ex electorum grege eſſe confidat, inſtinctu. Quæ ratio quantis pateat erroribus, ludibriis, fraudibus, quis non videt? Hinc apud Catholicos ſumma conſtantia, unitaſque dogmatum in tanto ſæculorum decurſu, & innumerabili Eccleſiarum multitudine: nec enim poteſt cuiquam imponere, aut fallere, vel falli & alternare tanta omnium conſenſio. At apud hæreſes tot fides, tot novitates, tot mutationes, quot Paſtores, quot plebes, quot privati, ſuo quiſque ingenio, ſuo inſtinctui indulgentes, & privatas libidines Spiritus ſancti lumina & afflatus eſſe ſibi aliiſque mentientes.

X. Venio ad Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, ubi famoſam tunc temporis tractat quæſtionem de Baptiſmo Æthiopis, qui baptiſmo diu expetito donatus non fuerat, niſi poſtquam illi repentina vis morbi ſenſum eripuerat; ut quid acciperet, tunc quidem neſciret; quo etiam morbo abreptus eſt. Reſpondet autem incunctanter Fulgentius valuiſſe ejuſmodi baptiſmum, idque probat ex Eccleſiæ univerſalis conſenſu & uſu antiquiſſimo, ne hujuſmodi quidem ægros mente tum alienatos repellendi à baptiſmo, ſi ejus antè cupidi fuiſſent. In his autem errare non poſſe Eccleſiam, quæ columna & firmamentum veritatis eſt, & quæ ad hos uſus Patrum & Præſulum ſuorum conſenſione conſpirat; ſic probat Fulgentius, ut inde prorſus id elicias, Catholica fide certum ratumque eſſe, quidquid Eccleſiarum, Præſulum, Patrumque conſenſu firmatum eſt: *Hoc autem ſtatuentes ſancti Patres, & quid Eccleſia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Eccleſia faceret, ſi ille nullum in hoc facto beneficium percepiſſet. Nam cùm Eccleſiam Dei, columnam & firmamentum veritatis eſſe teſtatur Apoſtolus; ſi aliquam in myſteriis fidei habet partem, ubi non ſit veritas firma, non eſt omnibus myſteriis columna & firmamentum veritatis. Quæcumque enim firmitas ſacramentis ejus adimitur, ipſi Eccleſiæ neceſſe eſt auferatur. Non ergo columna & firmamentum veritatis veraciter vocatur Eccleſia, ſi in ipſo principali humanæ ſalutis myſterio invenitur infirma. Sed quia veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apoſtolo nuncupatur, quidquid ſecundùm ipſius Eccleſiæ conſtituta in ſanctis Myſteriis redemptionis & reconciliationis humanæ, intra eam datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur. Ut autem ſanctæ matris Eccleſiæ generalia conſtituta, id eſt, ea quæ concordiſſima cunctorum firmat aſſenſio Pontificum, nullatenus repellamus, in Proverbiis ita præcipitur: Audi fili leges patris tui, & ne repellas inſtituta matris tuæ.* Fulgent. de Bapt. Æthiop. cap. 10. pag. 203.

XI. Ex poſterioribus ſive Theologis, ſive Patribus, unus & alter ſuperſunt quos hìc attexam, ut qui eaſdem ſemper machinas inexpugnabiles adhibuerint, Traditionum, conſenſionis ſanctorum Patrum, Eccleſiarum toto orbe terrarum ambitu ſparſarum, & Epiſcoporum in iis continua ſerie ſibi ſuccedentium adversùs ſui quique temporis hæreticos. A noſtratibus Proteſtantibus non multùm recedebant Petrobruſiani, in quos calamum ſtrinxit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis. Sic ergo ille urgebat, non poſſe fidem & authoritatem Eccleſiæ detrectari à quoquam Chriſtiano, cùm ei adſit ſemper inhabitetque Chriſtus, ex ſua ipſius ſponſione; cùm ei ſemper adſit inſitque Spiritus ſanctus; cùm Patri Filioque ita inſit, ut Pater Filio, ut Filius Patri ineſt, ipſius ex Chriſti verbis & non irritis unquam precibus; cùm eam illi Filius claritatem, quam à Patre acceperat, contulerit. An potuit, inquit Petrus, per mille jam amplius annos falli & fallere Eccleſia; cùm ei ſemper proximus intimuſque aſſuerit verax Pater, veritas Filius, & Spiritus veritatis? Hæc Petrus, quæ non piguit meis etiam verbis inculcare, ut tantò penitiùs Lectorum animis infigantur. *Non debet ergo credi teſtimoniis Eccleſiæ, cui indiviſibiliter Chriſtus cohabitat, uſque ad conſummationem ſæculi? Non debet credi teſtimoniis Eccleſiæ, cum qua Spiritus ſanctus inſeparabiliter permanet, non hic tantùm, ſed in æternum? Non debet credi teſtimoniis Eccleſiæ, quæ unum cum Patre & Filio eſt, ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre? cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit à Patre? Non debet credi teſtimoniis Eccleſiæ, de qua, hoc eſt de electis & prædeſtinatis, dicitur, Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me à conſtitutione mundi? Quomodo ergo potuit, non dico tanto, ſed ſaltem parvo tempore; quomodo, inquam, potuit tantum errorem tanto tempore ſequi? quomodo potuit pluſquam per mille annos & falli & fallere Eccleſia, cum qua verax Pater, cum qua veritas Filius, cum qua veritatis Spiritus perpetuò manſit? Sed cùm hoc omnino impoſſibile ſit, colligitur quod ejus traditionibus omnibus, ſicut Apoſtolicis omnimodis ab omnibus fidelibus fides exhiberi debeat.* Bibl. Clun. pag. 1133.

XII. Cùm ex Scripturis autem ſola Evangelia admitterent Petrobruſiani, ſic imminebat illis Petrus, cùm ea non haberent niſi ab Eccleſia & Patrum traditione, non poſſe ergo jam eos non ſimiliter aſſentiri & aliis rebus in omnibus Eccleſiæ authoritati & Traditionibus Patrum. Ecquid enim poteſt cauſæ eſſe, ut Eccleſiæ ejuſque Patribus & Traditionibus nunc acquieſcant, nunc renitantur? Eadem ubique Eccleſiæ, Patrum, Traditionum cauſa eſt, eadem vis & majeſtas. Aut abjicienda ergo illis ſunt Evangelia, aut complectendæ unà Scripturæ reliquæ, Scripturarumque intelligentiæ

ligentiæ & Traditiones, quas una eademque commendat, & à Christo Apostolisque accepit, ab his ad nos incorrupta fide propagavit Ecclesia Catholica. *Cùm enim non ex visis, neque auditis, sed ex Ecclesiæ & Patrum traditione, hæc universa mundus credat, speret, diligat, nec vos ex visis vel auditis, sed ex ejusdem Ecclesiæ, & eorundem Patrum traditione, Evangelium teneatis, quod nullo modo negare potestis, invicta ratione cogente, aut quod simul absque aliqua exceptione ab eadem Ecclesia nobis pariter & vobis traditum est, suscipietis, & Evangelium cum Epistolis Apostolorum, & libris omnibus quos negabatis, retinebitis: aut nostris libris abjectis, Evangelium pariter, quod solum vobis remanserat, amittetis. Quo amisso, non jam nobis ut Christiani hæretici, sed sicut Ethnici & Publicani eritis.* Ibidem; pag. 1134.

Inferiùs denique sic idem argumentum premit Petrus. Cùm à qua una habent Evangelia, ab eadem ipsa Ecclesia Catholica habeamus & Scripturas & Traditiones alias complures, divina sacrificia, oblationesque & preces viventium pro iis qui vitæ hujus curriculo jam defuncti sunt; pari fide & obsequio hæc omnia illis amplexanda esse, cùm pari authoritatis pondere, una Ecclesiæ authoritate & traditione illis hæc omnia sint commendata. *Superiùs enim dixistis, nullos vos libros, nullas traditiones Ecclesiæ ab Ecclesia præter Evangelium suscipere, sed illi tantùm, hoc est, Evangelio fidem vos firmissimam conservare. Ad quod ego respondi: Si indifferenter ab Ecclesia tam Evangelium quàm alios libros, quos Canonicos dicimus, cum aliis authenticis Traditionibus suscepistis indifferenter, aut omnia suscipere, aut omnia respuere debetis. Quod enim indifferenter ab Ecclesia tam nobis quam vobis traditum est, aut indifferenter totum suscipiendum, aut totum rejiciendum est. Sed Evangelium rejiciendum esse vos non conceditis. Quia ergo Evangelium rejiciendum esse non conceditis, quidquid cum Evangelio ab eadem Ecclesia, quæ Evangelium tradidit, traditum est, invicta ratione cogente à vobis suscipiendum est. Traditum autem ab ea, quam dixi, Ecclesia, in Ecclesia invenistis, ut divinis sacrificiis, sacris orationibus, aliisque pietatis operibus, fideles in carne viventes, alios cum signo fidei & spei Christiana carne exutos juvare studeant; ut quod bone quidem eorum vitæ, sed imperfectæ defuit, de supereffluente Conditoris pietate piè præsumentes, supplere contendant. Quod quia sic vobis ab Ecclesia jam dicta, sicut Evangelium traditum est, prorsus tam à vobis quàm ab universis sicut Evangelium suscipiendum est.* Ibidem; pag. 1135. 1136.

XIII. Unius hujus arietis impulsu funditus labefactantur & corruunt omnes prorsus hæreses & Sectarum novitates, sed harum maximè posteriorum Ecclesiæ ætatum. Omnes enim Scripturis, omnes Evangeliis saltem assurgunt, & nuperæ cùm sint, non possunt ea accepisse nisi ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa: cujus authoritati semel subscripsisse, & in re longè maximi ponderis subscripsisse, id verò omnium Sectarum ab ea abhorrentium jam damnatio est. Quo enim lumine internoscere possunt ubi sit, & ubi non sit Ecclesiæ fides adjicienda? Non enim ex Scripturis, quas antè necesse est ab Ecclesia vera & indubitata veras & indubitatas accipiant. Recurrant ergo necesse est ad arcanum illud & commentitium cujusque vel Magistri, vel privati Protestantis lumen, & Spiritus sancti domesticum oraculum, quo peræquè omnes antiquæ hæreses, aut pleræque gloriabantur, & ita aliæ ab aliis longè diversa eodem lumine videntibus sugillabantur. Hoc lumen necesse est omnibus impertiant suæ Sectæ consortibus, plebibus, mulierculis, pueris, puellisque, illiteratis de trivio opificibus. Has enim esse veras Scripturas si illi credunt ex fide & authoritate Pastorum suorum, quin ex Ecclesiæ potius universæ fide & authoritate credunt, cui & Pastores ipsos suos ea quidem in re inniti ipsissimi vident? An vel ipsi enim, vel eorum Pastores nisi ex Ecclesiæ Catholicæ traditione possunt accepisse Scripturas? An illud etiam interius lumen demonstrat illis omnibus, Pastoribus, gregibusque, litterarum omnino expertibus, has esse Scripturas canonicas, has earum castigatissimas versiones, aut editiones, Hebraicas, Græcas, Latinas, has earum intelligentias? an mulierculæ, an virgunculæ, an pueri id in eo lumine vident, atque ita credunt, & huic suæ fidei salutem suam sempiternam committunt?

Vel ipsa meridiana luce clarius est, aut opinionum portenta quædam hæc esse, aut veluti somniantium ludibria, quæ nec in cogitationem veniunt imperitæ Protestantium plebis, & miror si in Pastorum, nisi ubi extremo necessitatis telo adacti, & Traditionum Ecclesiasticarum, ipsiusque Ecclesiæ Catholicæ pondere oppressi, ad has ineptias confugere coguntur; quod non effugium jam est, sed causæ Sectæque, & omnium omnino Sectarum excidium. Hæc paulò accuratiùs hìc expendenda duxi, ut hinc Lectori approbem, certè excusem meam alioqui nimiam prolixitatem in Ecclesiarum, Præsulum, Traditionum, sanctorum Patrum consensionis authoritate hìc demonstrata in Scripturarum explicatione, & rursum demonstranda universim, postquam unius Bernardi suffragationem hìc adjunxero. Non possum nimiùm operæ & studii collocasse in Patrum consentientium authoritate ineluctabili declaranda, cùm eo uno certissima nobis constet de hæresibus, de sectis omnibus victoria; nec ad Prolegomena Theologiæ quidquam magis faciat.

XIV. Audiendus hìc obiter Bernardus, hæc omnia brevissimè complexus adversùs Henricum hæreticum, Petrobrusianorum non absimilem: *O infœlicissimum populum! Ad vocem unius hæretici siluerunt in eo omnes Prophetica & Apostolica voces, qua de convocanda in una Christi fide è cunctis nationibus Ecclesia uno veritatis spiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt divina oracula, falluntur omnium oculi & animi, qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quam certè manifestam omnibus veritatem solus iste stupenda & prorsus Judaica cæcitate, aut non videns, aut invidens adimpletam, simul nescio qua arte diabolica persuasit populo stulto & insipienti de re manifesta: nec suis credere oculis; fefellisse priores, errare posteros, totum mundum etiam post effusum Christi sanguinem perditum iri, & ad solos, quos decipit, totas miserationum Dei divitias, & universitatis gratiam pervenisse.* Bernard. Epist. 24

CAPUT XXVI.

Authoritas sanctorum Patrum, maximè consentientium, universim rebus in omnibus Theologicis, quæ ad fidem maximè spectant. Ex Latinis primum Patribus. Ex Augustino.

I. Quo vergant superiùs dicta de Patrum authoritate, quo inferiùs dicenda.

II. Quanti faciendi sint Patres etiam singuli, ex Paulino ad Augustinum, Augustino vicissim ad Paulinum scribente: alterna charitas, humilitas.

III. Quantum ex Augustino distent scripta Patrum à Scripturis. Exemplo Cypriani, Conciliorum particularium, Petri & Pauli res illustratur.

IV. De singulis agebat Patribus, ubi alios ab aliis emendari posse ajebat. Non ita habet de iis consen-

consentientibus plerisque, vel omnibus; quos Augustinus in Concilium hic cogit, quod nulli Concilio inferius sit. Authoritas etiam singulorum Patrum, docentium quod in Ecclesia didicerunt.

V. Et universi, & singuli etiam quanti fierent ab Augustino Patres contra Pelagianos; ut ostenderet, & quæ esset Catholica Ecclesiæ fides, & quæ Scripturarum intelligentia.

VI. Quanti faceret Augustinus doctrinam Hieronymi, aut nuper defuncti, aut etiam superstitis; quanti infinitos ab eo libros perfectos; quantos ipse perlegisset Augustinus, etiam hæreticorum. Quanti id ponderis sit ad Ecclesiæ defensionem.

VII. Patrum mutua charitas & veneratio.

VIII. Infinita librorum pervolutatio, etiam heterodoxorum, & qui inde fructus.

IX. Rursus quantum utilitatis colligi possit ex heterodoxorum librorum lectione.

I. QUanquam complura eorum, quæ superioribus capitibus disputata, & ex sanctis Patribus congesta sunt, universim valere videantur ad Theologicas omnes quæstiones: id tamen præ oculis tunc potissimùm habebamus, id agebamus, ut ex sanctorum Patrum consensu & ex antiquis Ecclesiæ traditionibus Scripturas interpretandas esse evinceremus. Eidem ergo nunc Patrum authoritati universim elucidandæ confirmandæque ad controversias Theologicas, tum singulorum, tum consentientium, incumbendum rursus hìc nobis est. Quanquam enim non tanta sint in singulorum authoritate momenta, ut ad assensum cogant; sunt tamen permagna, & quæ ad sui saltem venerationem adducant. Nec dissimulabo tamen apta connexaque hæc esse omnia, quod ad Scripturas interpretandas, quod ad quæstiones fidei & Theologiæ finiendas plurimùm valeat authoritas Patrum; ut ægrè sejungi hæc possint.

II. Ordiri non aliunde aptiùs possum, quàm ex Augustino & Paulino. Illi enim hic conglutinabatur ea legendi, ea meditandi, ea amandi suavitate, ut exemplo esse possit & debeat Theologis omnibus, qui in Patrum lectione ita versari debent, ut delicientur, & hinc non arma veritatis tantùm depromant ad debellandos hæreticos: sed & ignea quædam charitatis jacula, quibus & configantur ipsi primùm, & tum cæteros configant. Sic ergo Paulinus in Epistola ad Augustinum data, in cujus operum lectione tunc versabatur: *Vides, frater unanime, admirabilis in Christo Domino & suscipiende, quàm familiariter agnoverim te, quantò admirer stupore, quàm magno amore complectar, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, & oris tui spiritu vescor. Os enim tuum fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cujus desiderio sitivit in te anima mea, & ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit.* Augustin. Epist. 31.

Quo Augustinus animo hæc acciperet in sui commendationem tam prolixè dicta, quo animo scriberet, quo quæ scribebat legi vellet, & castigari, & Deo laudem omnem refundi, & pro se orari, & sua sibi tantummodo menda imputari, sic ipse declarat Paulino rescribens: *Sed tu cùm legis, mi sancte Paulìne, non te ita rapiant, quæ per nostram infirmitatem veritas loquitur, ut ea quæ ipse loquor, minùs diligenter advertas: ne dum avidus hauris bona & recta, quæ data ministro, non ores pro peccatis & erratis, quæ ipse committo. In his enim si adverteris, quæ tibi rectè displicebunt, ego ipse conspicior: in his autem quæ per donum spiritus, quod accepisti, rectè tibi placent in libris meis, ille amandus, ille prædicandus est, apud quem est fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen, & sine ænigmate & facie ad faciem, nunc autem in ænigmate videmus. In his ergo quæ ipse de veteri fermento eructavi, cùm ea legens agnosco, me judico cum dolore: in his verò quæ de azimis sinceritatis & veritatis dono Dei dixi, exulto cum tremore. Quid enim habemus, quod non accepimus?* Ibidem & Epist. 3.

III. Scripturis unis id vendicat Augustinus, ut nunquam erraſſe, vel errare potuisse credantur; Scriptores cæteros quantacunque vel sanctitate abundent, vel doctrina, ita se legere, ut tum eis fidem adjiciat, cùm vel Scripturæ testimonio, vel certa confirmant ratione doctrinam suam. Ita ille ad Hieronymum, quem & paria secum sentire non dubitat: *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid erraſse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum: de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.* Epist. 112.

Et rursus idem alibi: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Epist. 111.

Cùm verò Donatistæ nobis objectarent *Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium*, pro iterando quocumque hæreticorum baptismo: respondebat Augustinus unis Scripturis hanc nos impendere reverentiam, ut de iis dubitare fit nefas; at Episcoporum scriptiones posse, vel per peritiores quoslibet, vel per Episcoporum aliorum graviorem prudentiam, vel per Concilia reprehendi: quin & regionalia Concilia posse per Concilia plenaria retractari: *Episcoporum autem litteras quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere.* De Baptis. contr. Donat. L. 2. c. 3. 4.

Quin & Cyprianum ipsum demonstrat Augustinus, ea fuisse animi moderatione, ut cum Concilio Provinciæ suæ cederet universi orbis authoritati: quod & eum expressè fecisse non desperat, cùm vehementer ab eo laudatus sit Petrus, qui Collegæ posterioris, id est, Pauli correptioni cessit. *Si enim Petrum laudas & prædicat, ab uno posteriore collega patienter concorditerque correctum: quantò citiùs ipse cum Concilio Provinciæ suæ universi orbis authoritati patefactæ veritate cessisset? quia profectò & uni verum dicenti & demonstranti posset facillimè consentire, tam sancta anima, tam pacata. Fortasse factum est, sed nescimus. Neque enim omnia quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ litterisque mandari potuerunt: aut omnia quæ mandata sunt novimus.* Ibid. & cont. Crescon. l. 2. cap. 31.

IV. Et hæc quidem Augustinus de singulis Episcopis,

copis, Scriptoribusque Ecclesiasticis dicebat, ut eos prohiberet Scripturis æquari; ut à Conciliis, ut à pluribus & doctioribus Episcopis emendari posse declararet: intra hos enim ferè cancellos se continebat sanctus Pater, ut mox dicemus. At cùm Julianus Pelagianus sanctos aliquot Patres pro peccato originali contra se allegatos contumeliosiùs convelleret, & causam suam percuperet in Concilio tractari: sic illum Augustinus retundebat, horum ipsorum Patrum consentientium ineluctabili authoritate, nec facilè posthabenda particularibus ullis Conciliis Episcopalibus. Quò enim convocari & coire possent tot lumina Ecclesiarum, quæ Deus prioribus sæculis & universo orbi dispensavit? *Quo ore, qua fronte concilium*
L. 1. cont. Jul. oper. perfec. *malignantium dicis, consensionem tot Catholicorum, qui Doctores Ecclesiarum fuerunt ante nos; quasi verò Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed jactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, sederent Episcopi quos supramemoravi, ut alios omittam, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, aliique eorum qui nunc manent, facilè inveniretis quos in doctrina Ecclesiastica antiquitus tradita, æquare, necdum præferre posse tis? Cùm ergo ipsi contra vos de peccato originali proferant apertas claraſque sententias, & quas paulò antè posui, & alias plurimas, horumne in Catholica veritate consensum audetis malig-*
L. 2. ibid. *nantium appellare concilium?* Et infrà: *In his sunt, ut alios taceam, Afer Cyprianus, Gallus Hilarius, Italus Ambrosius, Græcus Gregorius, à quibus eruditissimis prudentissimisque judicibus, quales te non invenire vana præsumptione conquereris, hæresis vestra priùs est damnata, quàm nata.*

Vides ut Pelagianis Concilium flagitantibus, Concilium repræsentet Augustinus, ex omnibus orbis Christiani regionibus, ex sæculis hactenus omnibus, cui non aliud facilè æquiparari posset; à quo oppressa sit hæc antè hæresis, quam nata. Sed & vide ut in Ambrosii unius defensionem insurgat adversùs eundem Julianum, & ipsi Pelagio venerationi fuisse demonstret: *Dic quod dicturus es, egregie corrector, quo authore deceptor est credendus Ambrosius, de quo ait Pelagius magister tuus, quod ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est repre-*
Ibid. n. 179. *hendere.* Et alibi rursus de Ambrosio: *Ita verò Catholicus tues, & Ambrosius Catholicus non est; non usque adeo evanuerunt homines vestræ contagio vanitatis, quoscumque decipere potuistis, ut hoc audeant in animum inducere?*

Ibid. n. 186. Unde verò & Ambrosio & aliis Catholica doctrina affluat, non silet mox Augustinus: *Ut caro concupiscat adversùs spiritum, ex primi hominis prævaricatione descendere, Catholicus doctus & Doctor, & didicit in Ecclesia, & docuit.* Et in-
Ibid. n. 198. frà: *Dei sancte Antistes Ambrosi, docte in Ecclesia, & Doctor Ecclesiæ, dic istis, &c.*

V. Vides unde authoritatem Patribus & singulis concilier, & universis; ab Ecclesia Catholica, quæ eos docuit, in qua & ipsi docuerunt. Hic enimverò primigenius est fons doctrinæ & authoritatis, Ecclesia, Christus. Sed in consensione Patrum perspicua magis & indubitata res est; cùm ambigi non possit, quin illi & ab Ecclesia didicerint, & in Ecclesia docuerint, quidquid erat Christiani dogmatis, etsi de aliquo sigillatim dubitari posset. Unde mox idem Augustinus, frustra se à Juliano impeti ait, ut Manichæum; cùm non possit non statim ea calumnia refundi in complurimos Ecclesiæ Doctores, atque adeo in
Ibid. n. 217. Ecclesiam ipsam: *Te autem ideo me unum legisse, cui Manichæorum nomine & crimine, quantò crebriùs, tantò convitiareris odiosiùs, quia eo modo putasti Catholicam, quæ vos arguit, fundatissimam fidem, & clarorum atque sanctorum defensorum ejus notissimam multitudinem, qui ea quæ didicimus & docemus didicerant atque docuerunt, sine invidia te posse destruere, horrore nefandi nominis, non objecti criminis veritate.* Et alibi Julianum & Manichæum simul refellit unius authoritate Ambrosii, Joannem Apostolum exponentis: *Ergo ut & tu redarguaris, & Manichæus, illud quod dicit Joannes Apostolus, Episcopus exponit Ambrosius.* L. 4.

Plures alibi conglobat ex Græcis Latinisque Patribus, quos & sibi auxilio missos à Deo dicit ad propulsandas Juliani & Manichæi impostoras: *Quod (auxilium Dei) mihi præstat etiam per suos clarissimos comites, non solùm Prophetas & Apostolos, quorum conaris prorsus dicta pervertere: verumetiam posteriores Ecclesiæ suæ Doctores, Irenæum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Joannem, aliosque plurimos fide integerrimos, ingenio acerrimos, doctrina uberrimos, & fama celeberrimos. Qui omnes salva laude corporum & nuptiarum, confessi sunt originale peccatum.* Et mox: *Hos tot & tantos Catholicæ Ecclesiæ filios & patres, qui hoc eam in ejus positi culmine docuerunt, quod in ejus ubere didicerunt, Manichæos dicere non formidas; & cùm me unum quasi apertè appetis, illos quanto obliquiùs, tantò insidiosiùs; & quantò insidiosiùs, tantò scelestiùs criminaris.* Et rursum non multò pòst: *Itane verò Catholici non sunt, quibus inhæreo in hujus fidei societate, quam contra tua vana dicta & maledicta defendo? Catholici non sunt, ut alios taceam, eosdemque repetam, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus: & Catholici sunt Pelagius, Cælestius & Julianus? Aude dicere ista si potes: quod si non audes, cur non potiùs ad hos, à quibus ego non recedo, tu redis?* L. 4.

Vide autem ut Hieronymum ipsum Presbyterum, vel superstitem adhuc, vel non ita pridem vita functum tueatur; nec ejus facilè se sinat patrocinio spoliari, etsi sicubi ille à vero aberrasset, & catholicam ejus reliquis in omnibus fidem commendet, & cæterorum Patrum consensum illi anteponat. *Si posuisses verba Hieronymi, fortassis ostenderem, quomodo accipienda essent sine blasphemia, quam tu illi importare conaris; quod si non posses, non tamen ejus fidem, quam cum aliis præclarissimis Ecclesiæ Doctoribus tenuit, ideo repudiandam putarem, quia dixisse aliquid inveniretur, si tamen inveniretur, in quo illis non consonaret.* L. 4. n. 1

Unum rursus Scripturæ interpretem Ambrosium vide quanti faciat: *Per unum hominem, in quo omnes peccaverunt, in mundum intrasse peccatum, dixit Apostolus, intellexit Ambrosius.* At quantò tamen pluris faciendi sint Patres, ubi plures consspirant, suoque consensu universam Christi Ecclesiam se complecti testificantur, paulò inferiùs: *Non utique me solum, verùm & Ambrosium, & alios socios ejus, ac fidei hujus participes, atque Doctores, universamque Christi Ecclesiam, quæ se hoc accepisse, hoc tenere, hoc fideliter credere, parvulorum baptizatorum exorcismo & exsufflatione testatur, à tua nefaria criminatione defendi.* Quàm nemo sobrius, nemo Catholicus possit huic oblucari Patrum concentui, qui quod in Ecclesia didicerant ut filii, postea docuerunt ut Patres, suaque & constantia & consensione perfecerunt, ut non aliter intelligi sacram Scripturam fas esset. *Ambrosii videlicet, ejusque sociorum planè hoc onere ita premeris, ut non solùm opprimaris, vel etiam conteraris, & fias pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Neque illi tot ac tanti & tam sancti clarique Antistites Dei, Ecclesiæ Catholicæ filii discendo, & Patres docendo, de peccato primi hominis, eique obnoxia successione mortalium ita loquuti sunt, ut alii ab aliis discreparent, aut eorum quisque à semetipso; sed ita prorsus ut eorum consensione atque constantia, nec aliter esse de hac re sa-*
Ibid. n. 150. L. 4. n. 10

re ſacram Scripturam intelligendam, nec aliam putandam Catholicam fidem, quiſquis eos non hæretico animo legit, dubitare non poſſit.

Etſi tantum daret Auguſtinus conſenſui ſanctorum Patrum, iterum tamen iterumque monebo, quanto ei in pretio eſſent eorum ſinguli, & eorum etiam recentiſſimus Hieronymus, cujus verba poni optaſſet, quem rectè exponi à ſe poſſe ſperabat; ſi minùs id poſſet, aliis exponenda dimiſſurus: ſi excuſari omnino non poſſent, ſobria libertate improbaturus. *Quæ tamen verba ſi poſuiſſes, aut ea non habere quod diſplicere debeat oſtenderem, aut intelligentioribus exponenda relinquerem. Aut ſi eſſent proculdubio contraria veritati, libertate qua dignum eſt improbarem.*

Præceptores ſuos & Cyprianum & Ambroſium, alioſque Patres ſequi, gloriæ ſibi & laudi vertebat Auguſtinus, quos & judices prædicabat eſſe controverſiarum. *Præceptores etiam meos negare non debeo, qui me ad hoc intelligendum ſuo litterario labore juverunt. Meus præceptor eſt Cyprianus.* Et mox: *Meus eſt præceptor Ambroſius, cujus non ſolùm libros legi, ſed verba etiam loquentis audivi, & per eum lavacrum regenerationis accepi. Longè ſum quidem impar meritis ejus, ſed confiteor & profiteor me in hac cauſa nihil ab hoc meo præceptore differre.* Et aliquantò pòſt: *Ego itaque adversùs te & meam defendo & illorum fidem, quos palam times habere inimicos, & invitus pateris judices.*

VI. Sed operæ pretium eſt alîo ex opere Auguſtini decerpere, quo loco, quo pretio apud illum eſſet Hieronymus, & quantum præſidii habere Eccleſiam exiſtimaret in ejus infinita quadam eruditione, maximè autem in lectione & perſcrutatione Scriptorum omnium orthodoxorum jam inde ab exortu Eccleſiæ. Nec enim horum quidquam Hieronymum fugiſſe ſperabat Auguſtinus; qui etſi non tantoperè verſatus eſſet in ea lectione, quantùm Hieronymus, erat tamen non mediocriter verſatus; quin & hæreticorum libros pervolutaverat, non ſine fructu ſanè ſingulari. Etenim hoc eodem loco ipſemet teſtatum facit, nihil ſe hæreticorum legiſſe librorum, quod ab Eccleſiæ doctrina de peccato originali diſſonaret, & conſentiret Pelagianis placitis. *Illud tamen ſcio, quod S. Hieronymus, qui hodieque in litteris Eccleſiaſticis tam excellentis doctrinæ fama ac labore verſatur, ad quaſdam ſolvendas in ſuis libris quæſtiones, etiam hoc certiſſimum adhibet ſine ullæ diſceptatione documentum.* Et aliquantò pòſt: *Hunc doctiſſimum virum ſi facilè interrogare poſſemus, quam multos utriuſque linguæ divinarum Scripturarum tractatores & Chriſtianarum diſputationum Scriptores commemoraret, qui non aliud ex quo Chriſti Eccleſia eſt conſtituta, ſenſerunt, non aliud à Majoribus acceperunt, non aliud poſteris tradiderunt? Ego quidem quamvis longè pauciora legerim, non memini me aliud audiviſſe à Chriſtianis qui utrumque accipiunt Teſtamentum, non ſolùm in Catholica Eccleſia, verùm etiam in qualibet hæreſi vel ſchiſmate conſtitutis; non memini me aliud legiſſe apud eos, quos de his rebus aliquid ſcribentes legere potui, qui Scripturas canonicas ſequerentur, vel ſequi ſe crederent, credive voluiſſent.*

VII. Juvabit hìc ab aſſuendis Auguſtini contextibus aliquantulum reſpirare, & aliqua in hunc maximè poſtremum obſervare, quæ non mediocriter rem illuſtrent, quam tractamus. Primum eſt, quanto non veritatis tantùm ſtudio flagrarent ſancti Patres, Scriptoreſque tunc Eccleſiaſtici, ſed & fraternæ charitatis; quantum non inviderent, non obtrectarent, non convitiarentur alii aliis, ac ne inferioribus quidem gradu, ne recentiſſimis quidem, immo nec ſuperſtitibus; ſed magni eos ſemper facerent, tuerentur, ſibi adjungerent; ſicubi titubatum ab iis eſſet, id excuſarent, id aliis oculationibus explicandum & defendendum reſervarent. Nimirum ut ſupra à nobis pateſactum eſt, non veritatis tantùm ſchola eſt Eccleſia, ſed charitatis; ut ne dubitari quidem poſſit, quin per charitatem latior pandatur via ad veritatem.

VIII. Secundum eſt, illo charitatis ingenio fieri, ut quæ cuique abundant uberioris doctrinæ præſidia, ea cæteris etiam quodammodo communicentur Eccleſiæ Catholicæ doctoribus. Perſpicis enim ut hìc geſtiat & exultet Auguſtinus de uberrimo penu Hieronymi, in quo reconditum ab eo fuerat, quidquid litteris mandatum fuerat ab Eccleſiaſticis Commentatoribus ſuperioris etiam totius ævi, & orbis Chriſtiani univerſi. Quin & hæreticorum libros delibaverat Auguſtinus, non tantùm ut perverſa eorum deliramenta notaret, & eum ſe daret occaſio, labefactaret: ſed etiam ut ex iis legeret, & Eccleſiæ reſtitueret, & in ſuos uſus ſepoſitum haberet, quidquid illi ex Eccleſiæ doctrina olim hauſta purum illibatumque retinuiſſent. Quid enim pulcrius, quàm ab ipſis adverſariis Eccleſiæ antiquis accipere tela, quibus novellæ hæreſes confodiantur? Nec ſoli Auguſtino ea laus dicenda eſt, quod aliorum Patrum, quod hæreticorum etiam, ſicubi ſapiant, præclarè dicta commendet; ſed & Paulino, ut ſuprà liquebat. Sic enim ille Auguſtini lectione delectabatur, ut non minùs ſibi, quàm illi congratularetur, de inexhauſtis ejus doctrinæ fontibus.

IX. Tertium eſt, quòd laudandis hæreticorum ipſorum libris, ubi à vero non recedunt, non tantùm eos demereri & emollire ſtudent Patres, ſed & toti Chriſtianæ Theologiæ reconciliare, & Eccleſiæ reddere. Quæ ſana enim & recta habent, unde habent; niſi ab Eccleſia, cujus elegerunt, quid retinerent, quid reſpuerent? Atqui omnia erant illis promiſcuè, vel repudianda, vel retinenda: cùm omnia ex æquo ferantur accepta Apoſtolicis ſive ſcriptis, ſive traditionibus non ſcriptis, quæ in unius Eccleſiæ gremium deponi potuere, non in hæreſeos præterea cujuſquam, cùm Apoſtolis tantò poſteriores ſint omnes hæreſes, eiſque coæva ſit Eccleſia Catholica.

Quartum eſt, quod ampliſſimum illud ſit ad Eccleſiaſticorum dogmatum decus & commendationem: quod illis teſtimonium & munimentum accedat ab hæreticis ſchiſmaticiſque ſectis omnibus. Etſi enim hæ ſingulæ ſingulis, vel paucis ejus decretis obſtrepant, reliquis omnibus ſuffragantur, & ſuffragatione ſua adversùs alias hæreſes capita alia oppugnantes eam tuentur. Recentiores enim Sectas, quo poteſt Eccleſia invictiore imperere argumento, quam unanimi aliarum antiquiorum ſectarum ſecum conſenſione in eo quod iſtæ oppugnant? Inde enim planum ſit, quàm olim ante iſtarum exortum Eccleſiæ omnes & ſectæ ipſæ antiquæ concordarent in iis decretis, quæ nuperis his novatoribus non placent.

Quintum eſt, quòd hinc pateat, quàm conſentaneum ſit, ut Patres, Theologique hæreticorum libros ne omnino prætervolent, nec ita contemnant, ut ne legere quidem dignentur, unde tantum & ad ipſos utilitatis, & ad Eccleſiam rediturum ſit. Sive enim ſapiunt, ſive inſaniunt hæreticorum Commentarii, utrimque proſunt nobis: dum vel eorum quæ ab Eccleſia acceperunt, antiquitatem firmitatemque produnt: vel eorum quæ faſtidierunt, admonent nos curam agere impenſiorem, ut ea vel illuſtrare, vel roborare ſtudeamus. An putas enim vel Hieronymum, vel Auguſtinum tot aliis ſtudiis curiſque diſtentos, ſolius animi oblectandi gratia evolviſſe libros hæreticorum? & non potius ut nova ab illis aliqua ſibi pararent ad Eccleſiæ defenſionem adminicula?

Sextum eſt, poſt Scripturas, quas nocturna diurnaque manu verſabant ſancti Patres: ſecundas illos curas ſuas operaſque contuliſſe ad Patrum doctorum-

ctorumque Ecclesiæ sui ævi, vel superiorum temporum monumenta litterarum lectitanda; & seposuisse hinc sibi, quæ ad causam, ad fidem, ad Disciplinam Ecclesiæ muniendam maximè conducerent, quæ aliquando usui essent sibi adversùs errorum vitiorumque pestes, nunquam ita oppressas elisasque, quin subinde repullulent.

CAPUT XXVII.

De authoritate sanctorum Patrum in fidei, & Theologiæ quæstionibus, ex Augustino.

I. Quanti fierent Patres, etiam singuli.

II. Etiam Occidentalis solius Ecclesiæ, cui Petrus præfuerat, cui sedes Apostolica præerat, & alias Ecclesias consentientes habebat.

III. Etiam Græcos Patres suffragatores, immo Judices promit Augustinus, quibus & totus concinebat Christianus Orbis.

IV. Quàm falso Græcos sibi Patres, & Chrysostomum maximè sibi vendicarent Pelagiani. Quàm non possint mutuò collidi Patres in rebus fidei. Quantum sit in Hieronymo ponderis, quantum in populi fidelis consensu.

V. In Pelagianis oppressit Augustinus omnium posthac hæreticorum querelas, & obtrectationes de Episcopis & Judicibus, Synodisque, à quibus damnati sunt.

VI. Rursus de miranda illa veluti Synodo, quæ ex omnium ætatum, omniumque gentium Patribus consurgit, conglobatis eorum testimoniis in unum aliquem Scriptoris Ecclesiastici Commentarium. Quàm nemo tunc recurreret ad veritatis intimum jubar.

VII. Quid responderit Augustinus Donatistis, novas sive Synodos, sive Collationes petentibus.

VIII. Consensione Orientis & Occidentis Patrum damnatus Julianus, in Ecclesiam furebat, in matrem suam, quam erroribus Manichæorum incestatum dicebat.

IX. In fide melius continetur plebs Catholica Patrum consensione, seu Episcoporum Ecclesiæ universæ, quàm commentitio divinitatis radio intus sibi affulgente.

X. Eo maximè collimat Patrum authoritas, & noster circa eam labor, ut pateat, qua fuerit omnibus retro seculis Ecclesiæ fides, Ecclesiastica Scripturarum intelligentia.

XI. Rursus contra arcanum divinitatis radium, etiam plebi communicatum.

I. QUando tantum tribuebat Augustinus sanctis Patribus, non eo demi quidquam posse sentiebat de summa illa qua omnibus Scripturæ præpollent authoritate. Unde ibidem ille mox: *Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica authoritate nitamur; sed ut appareat ab initio usque ad præsens tempus quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quàm id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur.* Ibid. c. 7.

Nec tacuit Augustinus, quo Pelagius ipse encomio prosecutus esset Ambrosium, cujus patrocinio uti se posse confidebat alia quapiam in quæstione. En ipsa Pelagii verba, ut intelligas, quàm nec Novatores detrectare possent authoritatem Patrum: *Ambrosius Episcopus, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, cujus fidem & puritissimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Et mox ibidem Augustinus, *Ecce qualibus & quantis prædicat laudibus quamlibet sanctum & doctum virum, nequaquam tamen authoritati Scripturæ Canonicæ comparandum.* Lib. de Grat. Christ. c. 43.

Sed enitescet multò luculentiùs, quantum versatus esset Augustinus in Patrum, Scriptorumque Catholicorum libris, quanti illos faceret, quanti ab omnibus faciendos duceret, quantum in his sibi præsidii esse confideret adversùs hæreses, hæreticorumque calumnias, & contra Julianum maximè, qui illum in asserendo peccato originali Manichæis assentiri criminabatur: id inquam luculentiùs enitescet ex priori ejus opere contra eundem Julianum. Sic enim ibi sanctus Doctor: *Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror. Sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Irenæus Lugdunensis Episcopus, non longè à temporibus Apostolorum fuit: iste ait, &c.* Et paulò pòst de Cypriano: *Multo autem apertius de eadem fide beatissimus Martyr & Episcopus Cyprianus.* Et de Reticio: *Reticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse authoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui, gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in urbe Romana Melchiade Apostolicæ sedis Episcopo præsidente, cum aliis Judex interfuit, Donatumque damnavit.* Et mox de Olympio: *Olympius Hispanus Episcopus, vir magnæ in Ecclesia, & in Christo gloriæ.* Et de Hilario paulò pòst: *Ecclesiæ Catholicæ adversùs hæreticos acerrimum defensorem, venerandum quis ignorat Hilarium Episcopum Gallum?* Jam de Ambrosio paulò effusiùs: *Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorem, quem veneror ut patrem: in Christo enim Jesu per Evangelium ipse me genuit, & eo Christi ministro lavacrum regenerationis accepi: beatum loquor Ambrosium, cujus pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus.* Lib. 1. Ibid. c. 4.

II. Sensit Augustinus quid sibi contra regerere posset Julianus; Occidentalis tantùm Ecclesiæ hos fuisse Antistites, ex Græcis nullum sibi adversari. Hoc effugium ut occluderet, id primò urgebat, plus satis momenti esse in Latinorum Patrum consensu ad damnandam hanc novitatem, cùm Petri Apostolorum Principis prædicatione & sanguine nobilitatus sit Occidens, cùm in Occidente hæc lues orta sit, cùm denique Innocentius Papa jam ad Africanas Synodos perscripserit, quid hactenus Romana & Apostolica sedes super his quæstionibus senserit. *An ideo contemnendas putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Addit denique Augustinus Julianum in Occidente genitum Occidentalis Ecclesiæ fidem abjicere non potuisse: nec esse quod provocet ad Orientalem, cùm utriusque una sit Ecclesiæ fides. *Non est ergo cur provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est: quia & fides ista Christiana est, & te certè Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia.* Ibid. c. 4.

III. Id

III. Id secundò adgressus est Augustinus demonstrare, Græcos quoque Patres Latinis assentiri in doctrina peccati originalis, & ante alios omnes Nazianzenum: de quo hæc præfatur. *Sedeat ergo cum istis Patribus etiam S. Gregorius, & cum eis suæ criminationis inanem patiatur invidiam, dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram, medicinalem proferat & ipse sententiam.* Nazianzenum unum Græcorum omnium instar habere posse existimat Augustinus: & tamen ad cumulum adjungit illi Basilium: *An tibi parva in uno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur authoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret; nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissima veritatis agnoscerent. Sed si vis addimus & Basilium, &c.* Si minùs Juliano sufficiant Gregorius & Basilius, quos ideo suspicabatur hìc Augustinus etiam carne germanos esse, quod Gregorium Nyssenum à Nazianzeno minùs discerneret: quatuordecim Episcoporum agmen advocat, qui Synodum Diospolitanam adversùs Pelagium habuerunt, quem & terrore intentati anathematis compulerunt ad errores suos recantandos. *Quid hinc plura? Vide jam utrum sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate, & sicut fertur etiam carne germani. Sed dic non sufficere. Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim, Eulogium, &c.* Itaque qui ad Orientales appellaverat Julianus, plures jam habebat Orientales Judices, contra ipsum velut in Synodo sedentes, & in eum sententiam dicentes. *Ecce adsunt tot Judices Orientales, &c.* Et mox: *Tu interim habes in conspectu, non solum Occidentis, verùm etiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis invenimus.* Et paulò pòst: *Tantumne apud te possunt Pelagius & Cœlestius, ut à Solis ortu usque ad occasum tot ac tantos Catholicæ fidei doctores & defensores, antiquos & nostræ ætati contiguos, dormientes & manentes, non solum deserere, verùm etiam Manichæos audeas appellare?*

Ibid. c. 5.

Ibidem.

IV. Basilium sibi vendicarat Julianus, audaciùs, quàm veriùs; illum ei excussit Augustinus longè pluribus prolatis ex eo suffragiis. Chrysostomum confidentiùs Pelagiani in suas partes trahebant. At excipiebat Augustinus non posse nisi per summum nefas tantum virum reliquorum Collegarum senatui opponi & collidi; non posse committi Chrysostomum, Innocentio, Cypriano, Basilio, & aliis utriusque Ecclesiæ luminibus; esse in quibus salva fidei compage dissonare possint Patres Ecclesiæ; at quæstionem, quæ tunc vertebatur de gratia Christi & de peccato originis, ad ipsa fidei fundamenta pertinere. *Itanè ista verba sancti Joannis Episcopi audes tanquam è contrario tot aliorumque sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque à paterni Chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximèque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius: Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.*

Ibid. c. 6.

Hæc præfatus Augustinus, & intextis latinèque redditis Chrysostomi verbis, respondet quidem primò, ubi ait Chrysostomus baptizari infantes, *quamvis peccata non habeant*, de peccatis propriis capi debere; ac mox compiura & prolixa depromit Chrysostomi testimonia, ad peccati originalis dogma sanciendum apertissima. *Ingredere sancte Joannes, ingredere & confide cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit. Opus est & tua, & maximè tua sententia, quoniam in tuis litteris iste invenis invenisse se putat, unde tot tantorumque Coepiscoporum tuorum se arbitratur percellere & evacuare sententias.*

Ibidem.

Quàm indeclinabilis esset horum tot tantorumque Patrum authoritas & sententia, mox ex eo colligit Augustinus, quòd tamdiu illi pro Ecclesia certassent, dum vita suppeteret: & certare, ac cum illa triumphare etiam post mortem pergerent: quòd Ecclesiæ primùm filii, pòst Patres fuissent; quòd illis plebs ipsa & fæx populi fidelium concineret, æstuaretque adversùs has novitates, imperito etiam vulgo compertas & exosas. *In Ecclesia Catholica doctrinæ sanè studiis claruerunt; spiritalibus armis muniti & accincti, strenua contra hæreticos bella gesserunt; perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus in pacis gremio dormierunt. Unum dicis egressum, meipsum significans, qui in se summam prælii sitam optat intelligi. Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti, eruditique Doctores, tibi pro me vel mecum, proque omnium nostrum & tua ipsius, si sapis, salute respondent. Non tibi sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus, quanquam & ipse populus adversùs vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites & pauperes, excelsi atque infimi, docti atque indocti, mares & fœminæ noverunt, quid cuique ætati in baptismate, &c.* Et mox: *Ecce quò te introduxi, conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis; non solùm filii, sed & Patres Ecclesia sunt. Ex illo numero sunt, de quibus prædictum est, Pro patribus tui nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filii regenerati sunt, ut hæc discerent; ejus patres facti sunt, ut docerent.*

Ibidem.

His omnibus suffragatoribus Episcopis vide ut Hieronymum Presbyterum addat, sede quidem minùs sublimem, at doctrinæ ubertate & præstantia incomparabilem; Orienti Occidentique objectum, tanquam lumen splendidissimum. *Nec sanctum Hieronymum, quia Presbyter fuit, contemnendum arbitreris, quia Græco & Latino, insuper Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in Litteris sacris usque ad decrepitam vixit ætatem, cujus nobis eloquium ab Oriente usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit. Hic omnes vel penè omnes qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legit, nec aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam.*

Ibidem.

Perspicis hìc certè quàm non sint collidendi Patres alii aliis, quàmque non facilè nobis persuadere debeamus, aliquos eorum erravisse, aut minùs vidisse, dum de re agebatur, quæ tanti esset momenti, ut ad Catholicam fidem pertineret? Uno aut altero loco Basilii & Chrysostomi abutebantur Pelagiani, ut illos suis partibus conciliarent; at mole quadam testimoniorum ex eorum operibus omnibus decerptorum illos obruit & propulsavit Augustinus. Sed & illud vehementer sibi præjudicatum esse affirmabat, non potuisse Basilium Chrysostomumque non in eadem esse sententia atque cæteros Orientis Occidentisque Collegas suos. Non frustra hæc à me inculcari is intelliget, qui in eos horum Theologicorum Dogmatum Tractatus oculos conjecerit, ubi de Prædestinatione & de Gratia, ubi de consubstantiali Patri Verbi deitate disputatur. Utrobique enim id ex omnium Patrum consensu perfecimus in gemino hoc argumento, quod hìc Augustinus in negotio peccati originalis.

V. Il-

V. Illum denique secundum adversùs Julianum librum ita concludit Augustinus; Pelagium quidem verba dedisse Synodo Palæstinæ, hominem Latinum Græcis Episcopis; etsi ne sic quidem effugere potuerit, quin ab illis ejus dogma damnaretur. At verò nunc à se Pelagianis omnibus Synodum repræsentari, quam effugere, quam ludificari non possint, quam in mente sua semper si velint, circumgestent; ubi non possint causari suspectos sibi sedere judices, & partibus suis plus æquo propitios; cùm plerique horum Episcoporum ante exortum Pelagianæ dementiæ & vixerint, & devixerint. *At ego ubicumque sis, ubicumque legere ista potueris, te ante istos judices intus in tua corde constituo; quos non amicos meos & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliqua abs te merito tua offensionis aversos, & ob hoc tibi adversos, in hac nostra disceptatione constitui cognitores.* Et paulò infrà: *Quando de illa (causa) sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus.* Ibid. c. 10. Ibidem.

Nec silerì debet, non Pelagianorum modò, sed hæreticorum omnium tergiversationes, ubi in Ecclesia Catholica Synodis damnantur, hìc prædamnati; quippe has contendit Augustinus Synodo suæ obtendi, opponique non posse, quæ summos viros, Patrum & Doctorum flores delibatos complectitur, ex omnibus sæculis, ex toto orbe terrarum congregatos, tam studii, quàm odii expertes; nec istis, nec illis partibus nimis aut propitios, aut adversos; cùm nullæ tunc essent partes, nullæ adhuc lites; cùm in illos ne jactari quidem possent illa convitia, quibus Pelagiani Episcopos sui ævi impetebant: tales denique quales præstantissimè nobis delineavit sanctus Pater, ut hæc legere, vel audire jam nemo possit, quin admiratione quadam singulari rapiatur, & propensissima veneratione in hæc sanctitatis & doctrinæ lumina. *Numquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ambrosius, & Joannes de plebeja face sellulariorum, sicut Tullianè jacaris, in vestram invidiam concitati sunt? Numquid milites, numquid Scholastici auditoriales? Numquid nautæ, tabernarii, cetarii, coquì, lanii? Numquid adolescentes ex Monachis dissoluti? Numquid postremò de qualiumcumque Clericorum turba isti sunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potiùs vanitate contemnis, quia non possunt secundum categorias Aristotelis de dogmatibus judicare? Quasi tu, qui maximè quæreris examen vobis & Episcopale judicium denegari, Peripateticorum possis invenire Concilium, ubi de subjecto & his quæ sunt in subjecto contra originale peccatum dialectica proferatur.* Ibid. c. ult. Ibidem.

VI. Paulò pòst rursum, ut ejusmodi miranda Synodus ubique terrarum semper præsto sit omnibus qui volunt, imò & qui nolunt; hæresesque prosternat omnes, & Catholicam fidem omnem sanciat, qua ceu lacte primo initiantur, postea ut cibo aluntur, imi summique Ecclesiæ filii Patresque. *Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles, & multos excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides; non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quantò tibi essent isti judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tantò sunt tibi terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem; quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt; quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.* Ibidem; Ibidem.

Nemo hic autem prorsus, non Pelagianorum, non Catholicorum quisquam tunc provocabat ad interius illud veritatis lumen, & veluti quoddam insitæ divinitatis jubar, in quo hodierni, sed & nuperi Protestantes nostri totum ponunt; quasi uno eo abundè edoceantur, qui sint canonici Scripturarum libri, quot librorum capita, quot capitum versus, quæ horum omnium germanæ versiones, vel editiones, qui denique veri certique sensus, cùm in tam diversos sensus à diversis hæc omnia rapiantur Sectis, Sectarumque hominibus. Scripturis confidebant Pelagiani, confidebant & Patribus saltem nonnullis, quibus affingebant quos volebant sensus, ab Ecclesiæ, ab aliarum Sectarum sensu alienos; non tamen apertè recurrebant ad ullum sibi proprium veritatis intus radiantis lumen. Catholici verò Augustino duce non aliis pugnabant telis adversùs eos, quàm Scripturis, quàm Apostolicis avitisque Traditionibus & Scripturarum expositionibus, quàm Ecclesiæ universæ in his consensione, quàm Præsulum Patrumque orbis omnium concentu, qui eam fidem in Ecclesia Catholica pueri hauserant, quam & populis jam Episcopi infuderant.

Querebantur Pelagiani ab uno se oppugnari Augustino, qui debellari eos vociferabatur à Christi exercitu ubique diffuso: *Ego autem absit, ut ad monomachiam vos provocem, quos ubicumque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus, qui debellavit apud Carthaginem Cælestium.* Querebantur illi Imperatorum legumque terrore se gravari, quibus non exprimeretur, nisi paucis meticulosis, consensus. Has Augustinus reponebat voces esse omnium hæreticorum. *Dixisti laborare illam partem rationis inopia, quæ in differendo cum terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum. Novi quidem hæretici vos estis, sed istam penè omnium hæreticorum veterum vocem cum ceteris agnovistis atque tenuistis.* Contra lit. Jul. l. 3. c. 4. Ibidem.

VII. Collationes & Synodos postulabant Pelagiani; respondebat Augustinus, Donatistas ad generalem Collationem vocatos fuisse, quia *illorum furor occupaverat Africam totam.* At Pelagianos, tam pauci cùm essent, contentos esse debere judicio competenti communium Episcoporum, quo causa finita fuerat: *Vestra verò apud competens judicium communium Episcoporum, modò causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini.* Denique non Donatistarum eos, sed Maximianistarum, qui à Donatistis secessionem fecerant, similes esse; qui cùm Collationem & ipsi peterent sui causa haberi, repulsam passi sunt, quòd ex ea famam potiùs quàm victoriam aucuparentur. *Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari: nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.* Et mox cur Maximianistis non datum sit judicium, etsi datum sit Donatistis; utque hoc judicio particularium Synodorum contra Donatistas habitarum, universalis Ecclesiæ consensus, adeoque & judicium & quasi generalis Synodus contineretur. *Maximianista vos ad ista vaniloquia præcesserunt, quamvis dederit vobis Ecclesia* Ibidem.

Catho-

Catholica judicium, quale debuit, ubi causa vestra finita est: illis aut nullum dare dignata est, quia non à nobis, sicut vos, sed à Donatistis fuerant segregati. Et paulò pòst: *Vobis sufficiat, quod vos Ecclesia Catholica & materna lenitate sustinuit, & judiciaria severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit.*

Cyprianum obtendebat adversariis Augustinus, eo maximè consilio, ut eo teste probaret nos antiquam defendere Ecclesiæ fidem. *Unum Martyrem hinc opponimus Cyprianum, per quem probemus antiquam nos defendere fidem Catholicam, contra vestri erroris vanam profanamque novitatem.* Et mox: *Sed quantumlibet tergiverseris, à hæresis Pelagiana, quæ contra muros antiquissimæ veritatis novas construis machinas, novas moliris insidias: Pœnus disputator, quòd me contumeliosè tuus defensor appellat; Pœnus, inquam, disputator, non ego, sed Cyprianus, Pœnus te hoc vulnere, Pœnus immolat, & pœnam sceleratæ ex dogmate sumit.*

Ibid. l. 3. cap. 16.

VIII. Consensione Orientalium & Occidentalium Patrum obtui se damnarique dolens Julianus, in ipsam invehebatur Ecclesiam penè inopinus, cùm in Patres omnes baccharetur, tanquam in Manichæos, propter peccati originalis dogma. Ad eundem modum integritatem matris suæ Ecclesiæ Catholicæ Manichæis dogmatibus inquinatam & incestatam fuisse criminabatur. *Quorum ab Oriente & Occidente consensione confoderis, & tamen tanta obstinatione cæcaris, ut non videas, te potiùs velle corrumpere antiquum Ecclesiæ decorem, id est, antiquam fidem, tanquam Saræ aniculæ pulcherrimæ castitatem. Si enim per sanctos Antistites Dei, memorabilesque Doctores Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Joannem, Innocentium, & Hieronymum, constupraverunt Ecclesiam Manichæi; dic mihi, Juliane, quæ te peperit? Utrumne casta, an vero meretrix in lucem, quam deseruisti, per uterum gratiæ spiritalis enixa est? an ut dogmata Pelagiana defendas, conjugis Christi & matris tuæ viscera instinctu nefarii non erroris, sed furoris infames?*

Ibidem.

Ita necesse est universim hæreticos omnes suis ipsorum natalibus injuriosos esse, matrique suæ meretriciam infamiam affingere. Quando autem ratione quàm authoritate auspicatius se pugnaturos confidebant Pelagiani, sic primùm illos excipiebat Augustinus: vel ipsos confiteri, eò mirabilia maximè esse Dei opera, quòd vel comprehendi non possint, aut difficillimè possint. Sed sive esset, sive non esset ipsorum potestatis ratione comprehendere propagationem peccati originalis in eos, qui nullo voluntatis suæ usu donati adhuc fuissent, negat Augustinus potuisse eos in ipsam matrem suam Ecclesiam, & in Catholicam parricidialibus pugiunculis furere. *Rectè itaque & ipse dixisti contra curiositatem, quæ minùs solet mirari quod potuerit comprehendere, incomprehensibilia esse opera Dei. Cur ergo humana opinatione conaris evertere, quod minùs vales in divina ratione comprehendere? Ego quidem, non ut tu calumniaris dixi, nulla ratione comprehendi posse: sed dixi, non facili ratione posse. Verumtamen si contra vitium curiositatis humanæ, cui solent, ut ipse commemoras, comprehensa vilescere, etiam hoc Deus, quemadmodum multa, sic occultare voluit, ut id investigare atque comprehendere humana conjectura non possit; ideo ne contra Ecclesiam matrem vestram ratiunculis vestris, quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari; ut vim sacramenti ejus occultam, qua purgandos concipit parvulos, quamvis de purgatis parentibus natos, tanquam ossa in ventre prægnantis non contrectando, sed laniando queratis?*

Ibidem. L. 6. c. 7.

IX. Ubi vides quantamcumque rationis lucem cedere debuisse authoritati Ecclesiæ & consentiendum ejus Doctorum; Ideoque rursus non posse Novatores nostros ad illud suum recurrere interius veritatis jubar, quod adesse sibi jactant: totum enim illud commentitium est, nec alio opus est, ut commentum merum esse evincatur, quàm quod refragetur universalis Ecclesiæ authoritati, quam Scripturæ ipsæ nobis commendant, certamque veritatis lucem fore despondent. Ne plebes quidem Christianæ, quæ vel ingenii tenuitate, vel otii penuria prohibentur Scripturas Patrumque consensionem scrutari, eo divinitatis privato lumine indigent; quod multò certius & indubitatius ipsis sit, quid Symbolum doceat, quid Ecclesia universa tradat, quid Episcoporum per orbem consentientium concordia sanciat, cui videnti æquius esse ut sese committant, quàm ingenii & luminis sui privati ludibriis. Unde Augustinus: *In secundo quoque libro, satis egimus, ut appareat quam non sit, quemadmodum convicieris, conspiratio perditorum, sed sanctorum & eruditorum Ecclesiæ Catholicæ Patrum pius fidelisque consensus, qui hæreticæ vestræ novitati resistunt pro antiquissima Catholica veritate. Unde etiam populi murmur, quod solum vobis à nobis dicis opponi, nec solum est, quia tantorum nititur authoritate doctorum; & justum est, quia non vult ut evertatis sibi quoque notissimam salutem parvulorum, quæ in Christo est.*

L. 6. c. 21.

X. Quàm verò ex congestis Patrum testimoniis unum id maximè exculpere laboremus, quæ fuerit jam olim & ab ipso exordio doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa ea, quæ recens in controversiam vocantur, sic denuo Augustinus: *Ut admoneantur qui putant istos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova istorum vaniloquia, Catholici Antistites eloquia divina secuti sint: & sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem adversùs recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque defendi, &c.* Et aliquantò pòst: *Sed nec illa omnia commemorare potui, vel debui, quæ gloriosissimus in Domino Cyprianus posuit in Epistolis suis, quibus demonstratur, quomodo si hæc, quam tenemus fides, vera verèque Christiana atque Catholica, sicut per Scripturas sanctas antiquitus tradita, sic à patribus nostris & usque ad hoc tempus, quo isti eam convellere tentaverunt, retenta atque servata & deinceps propitio Deo retinenda atque servanda.*

L. 4. ad Bonif. c. 8. 12.

Denique ut ex sanctis Patribus is maximè capiatur fructus, quòd ita intelligatur, quæ sit sana, quæ Ecclesiastica Scripturarum intelligentia, non cuique suo ex ingeniolo effusa, non ex imaginario veritatis lumine, aut ludibrio, non aliis alia, & suæ cuique sectæ propriæ, atque adeo sui dissimillima, sed Ecclesiastica, omnibus retro Ecclesiæ luminibus & Patribus approbata. *Rogo dic jam quomodo intelligendum sit; Per unum hominem peccatum intravit in mundum? adhuc calumniaris, convitiaris, tergiversaris? si in Concilio cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut alios taceam; numquid doctiores, prudentiores, veraciores judices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis, vestra scripta condemnant: quid quæris amplius?*

Operis imp. contr. Jul. L. 2. n. 37.

XI. Montes alibi interpretatur Augustinus Apostolos & Doctores Ecclesiæ, quibus Sol justitiæ & sapientiæ Christus lumen suum primum infundit, ut videant; & per eos fidem populis instillat, ut credant, quandiu puræ & plenæ lucis impatientes sunt. Pauci sunt enim qui Solem intueri possint; multi ne lumen quidem Solis ferre possunt, qui tamen montes à Sole illuminatos intuentur, & ortum esse Solem credunt magis, quàm vident. Ita Patrum est intelligentia propria dos, populorum fides. Porro duplicis generis sunt montes, sive Doctores: alii qui pacem, alii qui naufragia parturiunt:

turiunt: qui enim Ecclesiam scindunt per schismata & hæreses, ii naufragosi sunt montes: superiori se jactant veritatis de lumine; sed ubi pacl & authoritati Ecclesiæ adversari incipiunt, tum enimverò & sese & hærentes sibi populos in varia præcipitant naufragia. Vix aptius quidquam dici potuit contra illos sectarum sive recentium sive antiquarum duces, de interiori radio quodam divinitatis & veritatis sese venditantes, & hoc fascino suum etiam quandoque gregem inficientes: Tract. 1. In evang. Joann. *Erat enim iste Joannes, fratres charissimi, de illis montibus, de quibus scriptum est: Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles justitiam. Montes excelsæ animæ sunt: colles parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia, quam colles excipiunt? Fides, quia justus ex fide vivit. Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur: ut possint parvulis trajicere, quod possint parvuli capere, & vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt. Ab ipsis montibus dictum est Ecclesiæ: Pax vobiscum, & ipsi montes pacem annunciandam Ecclesiæ, non diviserunt se adversùs eum à quo susceperunt pacem, ut veraciter, non fictè nunciarent pacem.* Et mox: *Sunt & alii montes naufragosi, quò quisque navim cum impulerit, solvitur.* Ac denique: *Sic fuerunt quidam montes, & magni apparuerunt inter homines: & fecerunt hæreses & schismata, & diviserunt Ecclesiam Dei. Sed isti qui diviserunt Ecclesiam Dei, non erant illi montes, de quibus dictum est: Suscipiant montes pacem populo tuo. Quomodo enim pacem susceperunt, qui unitatem diviserunt? Qui autem susceperunt pacem nunciandam populo, contemplati sunt ipsam sapientiam, quantum humanis cordibus potuit contingi.*

CAPUT XXVIII.

Ex Hieronymo demonstratur invictissima sanctorum Patrum authoritas Theologicis in omnibus quæstionibus.

I. Hieronymus virgunculæ Christianæ suadet legere Scripturas & Patres. Cur?

II. Idem suadet Paulino Monacho, cui & suum de Patribus hactenus omnibus judicium aperit.

III. Cur prorsus ibi sileat de Græcis Patribus.

IV. Aliqua adnotantur in hoc Hieronymi de Patribus judicium.

V. Quantam in suo penu, suoque adeo in pectore Bibliothecam Patrum Hieronymus recondidisset.

VI. Ut se purget ille de nimiis à se in Origenem congestis laudibus.

VII. Ut laudi verteret, quod probro dabant aliqui de studio congregandi libros Scriptorum Ecclesiasticorum. Quantum hinc accrescat authoritatis sanctis Patribus, quod alii aliorum Censores agerent. Hujus censuræ sapientia, suavitas.

VIII. Ut laudaret Hieronymus Scriptores Ecclesiasticos, ut censuram eorum ageret, quas in ea sapientiæ leges sibi nobisque præscriberet.

IX. Hieronymi & Augustini mutua charitas & admiratio.

X. Cur legeret Hieronymus Tractatores heterodoxos.

I. QUæ superiori capite de Hieronymo honorificentissimè scripsit Augustinus, his penè cogimur illum ei hic attexere. Scribens porro Hieronymus ad Lætam de Institutione filiæ, suadet ut Christianam virginem statim affigat Scripturarum utriusque Testamenti, mox & Patrum lectioni, ut qui Scripturæ sint legitimi interpretes. Porrò Patres illi cum quodam delectu vult in manus tradi; eos nimirum quorum nec doctrina vacillaverit, nec pietas; cæteros Scriptores Ecclesiasticos sic ab ea vult legi, ut judicet magis, quàm sequatur. *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur.* Hieron. Tom. 1.

Mirari subit quod tenellam virginem Deo dicatam ita hortetur Scripturarum & Patrum lectioni vacare; nisi potius mirari libeat, quod & mirandum omnino magis est, esse forsan Theologos, qui tam rari, vel tam segnes sint in sacris his monumentis evolvendis. Illud addo quo stupor ille levetur de præcepto Hieronymi ad institutionem virginum; sanctos Patres ejusmodi lucubrationes edidisse, quæ non doctrinam tantùm, sed & pietatem spirarent: nec his virginibus, atque adeo juventuti omni Christianæ conducibilius fuisse quidquam, quàm ut hos sanctimoniæ & spiritalis suavitatis fontes frequentarent. Illud denique addam ab Hieronymo libros suggeri, & præscribi, non præsenti tantùm ætati, sed & futuræ; non immaturæ tantùm & præcoci pietati, sed & maturandæ, & vel senectam ipsam ornaturæ.

II. In Epistola autem ejusdem Hieronymi ad Paulinum de Institutione Monachi, idem inculcatur, ut à Scripturis ad sanctos Patres perlegendos Paulinus trajiciatur, & ita ipse instituatur, ita imbuatur, ut ad scribendum mox ipse se conferat, & tam eruditè scribat, tam politè, ut in eo vel docta Græcia habeat, quod miretur. Quin & in votis erat Hieronymo, ut ad ejusmodi opus luculentum, vel duce se, vel comite uteretur Paulinus. *O si mihi liceret istiusmodi ingenium non per Aonios montes, & Heliconis vertices; sed per Sion, Taborium & Sina ducere; si contingeret docere quæ didici; nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet.*

His subjicit Hieronymus suum de prioribus, vel Patribus, vel Scriptoribus Ecclesiasticis judicium: *Tertullianus creber est in sententiis; sed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus instar fontis purissimi, dulcis incedit, & placidus: cùm totus sit in exercitatione virtutum, occupatus persequutionum angustiis, de Scripturis divinis nequaquam disseruit. Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit eloqui non potest. Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facilè aliena destruxit. Arnobius inæqualis & nimius, & absque operis sui partitione confusus. Sanctus Hilarius Gallicano Cothurno attollitur: & cum Græcie floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & à lectione simpliciorum fratrum procul est. Taceo de cæteris, vel defunctis, vel etiam adhuc viventibus, super quibus in utranque partem post nos alii judicabunt.*

III. Quibus in Hieronymi verbis observabimus primò nullum ab eo Græcorum laudari. Atqui & Nazianzeno ipse magistro usus fuerat, & superiori capite affirmavit nobis Augustinus, nulla non Græcorum & Latinorum monumenta Ecclesiastica ab eo perlecta fuisse: multò utique plura quàm à seipso, qui tamen ibi copiosam suppeditavit congeriem testimoniorum ex utriusque Ecclesiæ Patribus corrasorum. Fieri ergo potuit, ut cum Paulinus provecta jam esset ætate, desperarit Hieronymus Græcos ab eo perlegi posse; vel subalienum eum senserit à Græcorum lectione; unde & ejus applaudit vehementer Latini sermonis elegantiæ, quæ non potest ferè non aliquantulum sordescere, ex tam multiplici aliorum scriptorum lectione. Vel denique id optaverat Hieronymus, ut calamum sibi Paulinus, ipse Paulino infinitam illam quodammodo doctrinam commodaret. Is enim mihi quidem videtur sensus esse illorum verborum, *Si contin-*

contingeret docere, quæ didici, & quasi per manus mysteria tradere Scripturarum, nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet. Et infrà ad Paulinum de Paulino: *Magnum habes ingenium, & infinitam sermonis supellectilem: & facilè loqueris & purè; facilitasque ipsa & puritas mixta prudentiæ est.*

IV. De Victorino quod habet Hieronymus, nescio an ad laudem pertineat, an secus. Malim tamen ad laudem. Verè enim Victorinus tam arcana, tam ardua, tam ineffabilia de uno Trinoque Deo, de Ingeniti filio Unigenito eloqui adgressus est, ut quod intelligebat, non satis potuerit eloqui. Sed quis demum potuerit? Specimen ejus rei dedi in Dogmatum horum Theologicorum tomo primo, ubi de Unitate divina egi: edam & in hoc tertio, ubi in eodem rursus versabor argumento. Magnum est, quod *intellexit* Victorinus; ideoque nec mirum est, quod eloqui non potuerit.

Ad laudem Hilarii decorum est, quod asserit illum Hieronymus inoffenso decurri posse pede, adeo ad fidei amussim castigata sunt, quæ scripsit; quodque Græcorum etiam floribus illum abundare testatur; etsi Gallicano ex solo haberet prolixiores periodos; quæ non prohiberent tamen quin à sacris virginibus legeretur; usque adeo hæ jam ab incunabulis insuescebant & stylo, & doctrinæ Patrum. Cùm plura Ambrosii, plura Augustini jam in publicam lucem exissent scripta, quid causæ fuerit, ut illos silentio involveret Hieronymus, non facile est divinare; nisi quod suorum temporum laudare quenquam abstinuerit. Sed hujus instituti ejus ratio omnino me fugit, cùm in laudes Hieronymi tam prolixus suprà fuerit Augustinus, & Ambrosii. Et tamen ubi Pelagianos refellere postea aggressus est Hieronymus, à clariore ingenio, id est, ab Augustino meliora occupata jam fuisse non dissimulavit, quo Augustini encomio non video quid optari posset illustrius. De Ambrosio meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis; ait enim, *De quo quia supersit, meum judicium substraham, ne in alterutram partem, aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.* Video anceps esse hoc elogium; utcumque tamen excusari id posset, ex eo quod suprà admonuerunt nos viri gravissimi, ut eos demum incunctanter complecteremur Scriptores, qui pro Ecclesia calamos strinxissent, & tam sancta inter ac splendida prælia vitam clausissent; fuisse enim qui posterioribus scriptis priora obscuraverint. Dicam mox, ubi paulò honorificentiùs Ambrosii meminerit Hieronymus.

V. Vel ex hoc uno autem de Scriptoribus Ecclesiasticis libro perspicuum est, quàm non frustra ab Augustino laudatus sit Hieronymus, qui tam infatigatus in pervolutandis libris fuisset. Unum ex eo illud carpam, quod de Pamphilo Presbytero scribit: *tanto illum flagrasse divinæ Bibliothecæ amore, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit.* Horum nonnulla manu ejus exarata ait Hieronymus se reperisse, & *tanto complecti gaudio ut Crœsi opes habere se crederet.* Et mox: *Si enim lætitia est, unam Epistolam habere martyris, quantò magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?* Vides, quas sibi nobisque opes in pretio, atque in amore esse debere censeret Hieronymus; Patrum, Martyrum, sanctorum Doctorum commentarios, quos olim persæpè sua ipsi manu describebant pii & eruditi viri, & in iis Hieronymus; quos osculabantur, quibus legendis & commentandis oblectabantur. Ibidem.

Cæterùm contra Helvidium, qui Mariæ perpetuam virginitatem lacessebat, scribens Hieronymus, his verbis testatur in suo se habere penu Patres; & Apostolicos viros, quorum consensu illum refellat. *Verùm nugas terimus, & fonte veritatis omisso opinionum rivulos consectamur. Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere: Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui adversùs Hebionem & Theodotum Byzantium & Valentinum, hæc eadem sentientes, plena sapientiæ volumina conscripserunt? Quæ si legisses aliquando, plus saperes.* Et in Apologia adversùs Jovinianum, cùm laudasset Ambrosii librum de Viduis, ejusdemque libellos tres de Virginibus, & non pauca ex iis delibasset, tandem subdit nihil à se dictum esse, ubi non præeuntes secutus sit priores Ecclesiæ Magistros. *Ex quibus universis perspicuum est, me nihil novi de virginibus nuptisque dixisse: sed Majorum in omnibus secutum esse sententiam; tam hujus videlicet, quàm reliquorum, qui de Ecclesiasticis dogmatibus disputarunt: quorum æmulari exopto negligentiam potiùs, quàm aliorum obscuram diligentiam.* Hieron. Tom. 2.

VI. In Apologetico ad Domnionem testatur se *Gregorium Nazianzenum & Didymum Catechistas habuisse.* At cùm multus olim fuisset Hieronymus in laudibus Origenis, postea verò in ejus inconsideratos Sectatores æstuaret, hinc illi conflata invidia est, quam ille hoc responso abstersit: multa Origenis se latinè vertisse, sed utilia tantùm vertisse, truncasse noxia, in eoque usum se exemplo Hilarii, qui sanè multa Origenis in suos Commentarios derivavit. *Origenem me arguit versisse in latinum. Hoc non solus ego feci, sed & confessor Hilarius fecit: & tamen uterque nostrum noxia quæque detruncans, utilia transtulit.* Sic ille in Epistola ad Theophilum adversùs Joannem Hierosolymitanum Episcopum. Et rursum ibidem quid probaret, quid improbaret in Origene, quàmque non æquaret Ecclesiasticos Tractatores Scripturis: *Sicut enim interpretationem & idiomata Scripturarum Origeni semper attribui; ita dogmatum constantissimè abstuli veritatem. Numquid ego in turbam mitto Origenem? Numquid cæteros Tractatores? Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare.*

Vides quàm non pepercerint Scriptores Ecclesiastici alii aliis, sicubi aberrasset eorum quis; ut hinc magna fiat illis accessio authoritatis, ubi consentiunt. Cùm sanè Ruffinus in Præfatione sua ad libros Origenis de Principiis non pauca inseruisset de laudibus, quas largiùs olim Hieronymus effuderat in Origenem, *quem & alterum post Apostolos Ecclesia Doctorem scientiæ ac sapientiæ merito dixerat:* mox Hieronymus ad Pammachium & Oceanum datis litteris suas has Origenis laudes ita temperavit, ita interpretatus est, ut hinc vel maximè liqueat, quàm non consensio adulationis, aut erroris sit illa Patrum consensio, cui tantum hìc tribuimus. *Objiciunt mihi quare Origenem laudaverim.* Et mox: *Laudavi interpretem, non dogmatistèn: ingenium, non fidem: Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios: replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent me semper ejus dogmatibus contraisse. Quæ enim stultitia est, sic alicujus laudare doctrinam, ut sequaris & blasphemiam? Et beatus Cyprianus, Tertulliano magistro utitur, ut ejus scripta probant; cùmque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur.*

VII. En alterum crimen Hieronymi, quo nihil ad ejus laudem illustrius, & quo afflari Theologos omnes optatissimum sit. Insimulabatur congregasse libros Origenis; exaggerabat ipse hoc crimen, cupere se ajens omnium Scriptorum Ecclesiasticorum habere volumina. Quem inde fructum caperet, ab ipso audi; audi & hæreseos maculam, vel suspiciones, quàm anxiè à se summoveret.

Ibidem. veret. *Quod autem opponunt congregasse me libros illius super cunctos homines: utinam omnium Tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii, lectionis diligentia compensarem. Congregavi libros eius, fateor. Et idea errores non sequor, quia scio universa que scripsit. Credite, quasi Christianus. Christianis loquor. Venenata sunt illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia. Legi, inquam, legi Origenem. Et si in legendo crimen est, fateor; & nostrum marsupium Alexandrine charte evacuarunt. Si mihi creditis, Origenistes nunquam fui. Si non creditis, nunc esse cessavi.*

Conducibile ergo est Patrum & Theologorum libros acervare, lectitare, nostri ut ingenii tarditatem lectionis diligentia compensemus, nostram indigentiam illorum opulentia solemur. Nec si quid ab eis erratum est, aut id sequamur, aut eo ejecto cætera etiam repudiemus. Quàm ea cautio ab Apostolo probata sit, quàm necessaria sit, altero rursus Lactantii exemplo declarat Hieronymus. Ibidem. *Si ista, ut ais, noveras, cur eum laudasti in opusculis tuis? Et hodie laudarem, nisi vos ejus laudaretis errores. Non mihi displiceret ingenium, nisi quibusdam ejus placeret impietas. Et Apostolus precipit: Omnia legentes, que bona sunt retinentes. Lactantius in libris suis, & maxime in Epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti negat substantiam: & errore Judaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium: & sanctificationem utriusque Persone sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam institutionum ejus libros, quibus contra gentes scripsit fortissimè, quia superior sententia detestanda est?*

Non lectores ergo tantùm, sed & censores erant Theologi & Patres antiqui alii aliorum; sed ea moderatione animi, ea sapientia & suavitate, quam hic in Hieronymo suspicis, quam superiùs in Augustino suspeximus. Hinc verò adeo nihil detritur, ut & plurimum accedat eorum laudi, concordiæ authoritati. In quibus enim consentiebant, consentiebant autem in longè plurimis, ea certè tantò certiora & indubitatiora erant. In ea autem censura exerenda omnibus dominabatur antiqua fides Ecclesiæ & constantissima Traditio ab Apostolis & Apostolicis deinceps Præsulibus & Scriptoribus derivata. Nihil enim in Ecclesia Catholica commendatius, quam unitas, charitasque omnium inter se indivulsa, qua omnes omnium omnia amant, quæ vera, quæ sana, quæ Ecclesiæ consona sunt; nec amant tantum, sed sequuntur, exscribunt, adoptant, in suas ipsorum opellas transferunt; si qua menda occurrunt, ea mitia faciunt, vel amantissimè emendant, vel aliis peritioribus emendanda servant; nec ideo tamen illis irascuntur; vel si irascuntur, eæ sunt amantium iræ, amoris redintegrationes. Hilarium Hieronymus, Ambrosium Augustinus summis laudibus exornavit: quantos ex Origenis fonte rivulos & Hilarius & Ambrosius derivarint non tacet Hieronymus, etsi ex ejus deliriis nihil prorsus hauserint; usque adeo Patribus his omnibus placebat omnia probare, bona retinere: erroribus abstinere, Scriptoribus favere. Ita ergo Hieronymus in Apologia adversùs Ruffinum, qui sibi & Origeni uno ex Hieronymo authoritatem quærebat. *Si authoritatem sua operi præstruebat, volens quos sequeretur ostendere, habuit in promptu Hilarium confessorem, qui quingenta ferme millia versuum Origenis in Job & Psalmos transtulit. Habuit Ambrosium, cujus pene omnes libri hujus sermonibus pleni sunt: & martyrem Victorinum, qui simplicitatem suam in eo probat, dum nulli molitur insidias. De his omnibus tacet, & quasi columnis Ecclesiæ prætermissis me solum pubiicat, nihili hominem per angulos consectatur.* Etiam ubi antiquiorum scriptorum interpretes se sancti Patres agebant, vel ut eorum frusta suis opusculis insererent, vel ut tutò ea simplicibus fidelibus in manus darent, ad Ecclesiasticum sensum omnia traducebant. Unde Hieronymus ipse de seipso: *Certè in expositione ista nullum crimen est: & Origene dicente contraria, nos Ecclesiasticum sensum secuti sumus.*

Animi sui nescio quas angustias prodebat Ruffinus, dum Origenis & Didymi omnia volebat ab Hieronymo, vel laudari, vel vituperari; reumque illum agebat inconstantiæ, quòd hos antè probasset, postea improbasset, etsi longè dissimilia essent, quæ antè probaverat, pòst refutaverat sanctus Pater. Accipe ab Hieronymo, quam in his regulam ille secutus sit, quam & nos sequi deceat. Accipe & quid de Tertulliano, de Origene, de Didymo ille senserit. Sic enim ille paulò mordacius in Apologia adversùs Ruffinum: *Audi vir sapientissime, & Romane dialectice caput, non esse vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare; sed eandem rem probare & improbare. Ponam exemplum, ut quod non intelligis, prudens mecum lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus haresim. In Origene miramur scientiam scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo verò & memoriam prædicamus, & super Trinitate fidei puritatem: sed in ceteris que Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes.* Ibidem.

VIII. Laudat alibi Hieronymus adversùs Pelagianos scribens, *Ignatium virum Apostolicum & Martyrem*; statimque subjicit, quo saltem loco habendi sint omnes viri Ecclesiastici ob antiquitatem, sin minùs ob authoritatem. Unum enim hic allegaverat Ignatium. *Quibus testimoniis uteris ad authoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid omnes Ecclesiastici viri senserint.* Si sobria hæc & parca fuit Ignatii laus, Augustini prolixius Elogium proferam ex eodem Hieronymo, cum antè commendaret libros ejus de peccatorum meritis & remissione. Ita enim tres suo Dialogos claudit Hieronymus adversùs Pelagianos, ut videatur novas has palmas Augustino concedere, & calamum sustinere, quod à clarissimo ejus ingenio occupata jam essent meliora quæque. Ibidem. Ibidem. *Alios quoque (libros) specialiter tuo nomini cudere dicitur; qui necdum in nostras venere manus. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: In sylvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.*

Omnia hic probabat Hieronymus Augustini adversùs Pelagianos scripta, quia probabat & Ecclesia, quam ille ducem in his ubique sequebatur. Unde & in Epistola ad Vigilantium, a quo criminei ei dabatur, quòd legisset Origenem, fatetur se, *ita Origenem legisse, vel legere, ut Apollinarium, vel cæteros tractatores, quorum in quibusdam libros non recipit Ecclesia.* Nec Hieronymus tantum, sed & cæteri Patres id tum sequebantur, id præ se ferebant, Græcorum maximè tractatus Latinæ linguæ consuetudini à se donari, ea libertate, ut quæ minùs sana essent, ea vel corrigerent, vel amputarent. *Si igitur quæ bona sunt transtuli, & mala vel amputavi, vel correxi, vel tacui, arguendus sum, cur per me Latini bona ejus habeant, & mala ignorent? Si hoc crimen est, arguatur & confessor Hilarius qui Psalmorum interpretationem, & Homelias in Job ex libris ejus, id est, ex Græco in Latinum transtulit. Sit in culpa ejusdem confessionis Vercellensis Eusebius, qui omnium Psalmorum commentarios hæretici hominis vertit in nostrum eloquium; licèt hæretica prætermittens, optima quæque transtulerit.*

Quoniam autem invidiosiùs quidam Hieronymum carpebant, quasi plus æquo in Origenem, suas

suis quondam delicias, postea bacchatus esset; accipe hic ejus judicium summa certè sapientia, summa æquitate libratum, non de Origene tantùm, sed & de Tertulliano, Arnobio, cæterisque nonnullis: vide quàm æqua lance omnia perpendat; quàm personas à dogmate distinguat; libros locosque noxios ab innoxiis secernat; nec præfervidos amatores amet authorum, nec inconsideratos obtrectatores: denique si qui non possint sibi imperare, aut satis dispicere, ut ejusdem aliqua probent, aliqua rejiciant; his committendum non esse, ut se in discrimen conjiciant; satiusque esse ut his Scriptoribus abstineant, ne quos inopini in erroris laqueos incurrant. Sic planè Hieronymus in Epistola ad Tranquillinum: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos: ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Cæterùm qui vel in ejus amorem nimium, vel in odium stomachi sui privatè ducuntur, videntur mihi illi maledicto propheticò subjacere: Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum: qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata: nec propter dogmatum pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. Quod si contentiosum inter se amatores ejus & obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec servent modum: sed totum aut probent, aut improbent: libentius piam rusticitatem, quàm doctam blasphemiam eligant.*

IX. Hanc animi æquabilitatem miratus haud dubiè fuerat Hieronymus in Augustino, ad quem datis litteris gratulatus est nihilominus de ejus ardore in insectandis hæreticis. Distant enim mirum in modum hæretici, qui Ecclesiæ corpus scidere pertinaci pravitatis suæ defensione, à prioribus Scriptoribus, qui in errores aliquos incauti impegere. Sic ergo Hieronymus Augustino: *Multæ virtute, in orbe celebraris; Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt: & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, me pari prosequuntur odio: ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.* Quin & ipsam Augustini suavitatem Hieronymus jam olim æmulatus esse videbatur, à quo & ad amicitiam provocatus fuerat, cujus nascenti laudi favebat, cui committi magnoperè verebatur, ne adversùs communionis suæ Episcopum calamum stringere cogeretur. Ita prorsus in Epistola ad eum data: *Non enim convenit, ut ab adolescentia usque ad hanc ætatem in Monasteriola cum sanctis fratribus labore desudans, aliquid contra Episcopum communionis meæ scribere audeam: & eum Episcopum, quem antè cœpi amare quàm nosse, qui me prior ad amicitias provocavit, quem post me orientem in Scripturarum divinarum eruditione lætatus sum.* Et in alia rursus Epistola ejusdem Hieronymi ad Augustinum videquanta illi sibi charitate conglutinarentur, quàm non inviderent, non morderent; sed pari studio totis essent in Ecclesiæ adversùs hæreses defensione. *Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque dissertum est.* Et mox: *Mihi autem decretum est te amare, te suscipere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certè & in dialogo quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum.*

X. Porro ea potissimum in re necessitas incubuit Hieronymo sese purgandi, quòd tantum temporis contrivisset in eorum lectitandis ad Scripturas Commentariis, quorum dogmata damnaret. Origenem Ecclesiarum post Apostolos Magistrum non dixerat, nisi cùm de ejus ageretur in Scripturas studoribus. Sic enim ille in Præfatione in librum Hebraicorum nominum: *Imitari volens ex parte Origenem, quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum, nemo nisi imperitus negat.* Tom. 3. In Epistola verò ad Minerium & Alexandrum, ita illas suas lectiones defendit: *Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco; sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Salvatoris verba dicentis: Estote probati nummularii.* Et mox: *Ego & in adolescentia & in extrema ætate profiteor, & Origenem, & Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. Quod è contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere: & tamen omnes in explanationibus Scripturarum, sudoris sui nobis memoriam reliquerunt.* Et universim aliquantò pòst: *Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.* Ibidem.

CAPUT XXIX.

Ex aliis Patribus Latinis demonstratur invictissima Patrum consentientium authoritas in rebus Theologicis.

I. Ex Tertulliano, non de fide ex personis, sed de personis ex fide censendum est.

II. Quanti tamen ille faceret priores Scriptores Ecclesiasticos.

III. Luculentè ut Hilarius Antiochenos & Nicenos Patres laudaret, etsi contraria in speciem definientes.

IV. Ut homousion & homœousion copularet, utriusque conciliaret defensores idem Hilarius.

V. Ut Cypriani & Tertulliani meminerit.

VI. Quid de suis, quid de Ambrosii & Augustini scriptis sentiret Gregorius Magnus.

VII. Ad Scripturarum lumen caligant superbi, qui sanctos Patres contemnunt.

VIII. Quantum Conciliis Episcopalibus deferret Gregorius.

IX. Ex eodem nonnulla alia in commendationem Patrum, eorumque inter se miræ consensionis Græcorum ac Latinorum.

X. Rursus quàm mallet Gregorius Patrum scripta, quàm sua legi, publicè, privatimque. Liber Pastoralis græce versus.

XI. Luculenta Augustini & Hieronymi encomia ex Prospero, ex Juliano Pomerio. Quantum hinc utilitatis capere possint Protestantes, si velint.

XII. Quanta Conciliorum authoritas, ex Facundo. Quanta unius etiam ex Patribus, quem Ecclesia vestierit quodammodo authoritate sua, ut Augustinum in quæstionibus de Gratia.

XIII. Quid si quid in Patribus minùs capimus? Quid si dissentiunt quandoque Patres?

XIV. Facundo assentitur Ferrandus, à Conciliis Generalibus provocari non posse.

I. EX his quæ tumultuariè hìc à nobis ex Hieronymo congesta sunt, pronum erit studioso Doctori regulas omnes colligere, quibus se in pervolutandis antiquorum Patrum & Theologorum monumentis accommodet, & studiis suis sapientissimè moderetur, semper Augustinum, semper Hieronymum & alios ejusmodi Ecclesiasticæ Theologiæ Antistites præ oculis habens. Illud præ cæteris commendatum habebit, ut non ex personis singulis fidem, sed ex fide personas probet. Singuli enim quandoque errarunt, & errasse ex fide arguuntur, ex Ecclesiæ doctrina, ex consen-

consensu Patrum omnium, à quo singuli quandoque aliqua in re dissenserunt. Ita uni Deo, uni Christo, non homini cuicumque innititur fides & Religio nostra. Nec enim vel Ecclesiam universalem nusquam errantem, vel tot ubique Patrum consensionem, vel invictissimam tot jam sæculis traditionem præstare potuit, nisi unius summi Dei, sempiternæ veritatis Christi providentia. Ita sentiebat Tertullianus, quando in libro de Præscriptionibus hæc scribebat: *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi Christianus; nemo autem Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit.* Tertull.

II. At quantum nihilominus tribueret Tertullianus Ecclesiasticis Scriptoribus & Magistris, qui illi præiverant, & quàm tenax esset eorum fidei, & doctrinæ, sic ipse testatum facit in libro contra Valentinianos: *Mihi autem cum Archetypis erit limen principalium magistrorum, non cum adfectatis ducibus passivorum discipulorum. Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri sanctitate, & præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt; ut Justinus Philosophus & Martyr, ut Militiades Ecclesiarum sophista, ut Ireneus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus nostræ virginis senecta, & Christiana eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi.*

III. Ad Hilarium venio à viris laudatissimis Augustino, & Hieronymo tam effusè suprà laudatum. Quanti apud illum ponderis fuerit authoritas Patrum, liquebit ex ejus judicio de Homousio, quod Antiocheni Patres octoginta damnaverunt contra Samosatenum, qui ea voce abutebatur ad divinas tres hypostases in unam conflandas; & quod alio sensu probaverunt Nicæni Patres numero trecenti duodeviginti contra Arium, qui ab ea voce abhorrebat, quòd ea Patris & Filii æqualitas, unitasque naturæ perspicuè declararetur. Vide ut Hilarius hos illosque etsi contraria in speciem definientes, mira quadam summaque veneratione prosequatur: *Malè intelligitur homousion, quid ad me bene intelligentem? Malè homousion Samosatenus confessus est, sed nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt, sed trecenti decem & octo nuper receperunt. Et mihi quidem ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui eterni sacerdotii est forma benedicitur. Illi contra hæreticum improbaverunt. Nunquid isti non adversum hæreticum probaverunt? Gravis authoritas est veterum. Nunquid & horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora: si verò & probando & improbando unum utrique statuerunt, qui bene constituta convellimus?* Aliquantò pòst ibidem Hilarius intercedit, ne quis ad Patrum, ad priscorum Episcoporum damnationem prosiliat; ne si ii non fuerint Episcopi, ne Episcopi quidem esse possint, qui ab illis sunt ordinati. *Cogitemus tot sacerdotes sanctos & jam quiescentes. Quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia Episcopi non fuerunt, nos quoque nec cœperimus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores. Renunciemus Episcopatui, quia officium ejus ab anathemate sumpserimus.* Hilarius L. de Synod. adv. Arian. pag. 394. Ibidem. pag. 395.

IV. Denique id profitetur Hilarius, non esse quod aliis homousion, aliis homoeousion defendentibus scindatur Ecclesia, & Patres Præsulesque alii aliis collidantur, cùm utraque vox eodem redeat, idemque valeat; nec possit esse perfecta personarum similitudo, nisi sit & naturæ unitas: uti nec plurium personarum in natura unitas, nisi sit similitudo, quæ nec unitati officiat naturæ, & distinctionem personarum prodat. Id de se profitetur Hilarius, se jam etiam Episcopatu auctum cum de Nicæna Synodo nihil admodum rescisset adhuc, ex Evangeliis solis & Apostolicis Epistolis compertam prorsus & exploratam habuisse totam illam homousii, & homoeousii doctrinam. *Testor Dominum cœli atque terræ, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quod per homoeousion homousion oporteret intelligi: id est, nihil simile sibi secundùm naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, & in Episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam nisi exulaturus audivi: sed mihi homousii & homoeousii intelligentiam Evangelia & Apostoli intimaverunt. Pium est quod volumus. Nec damnemus Patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæresin expellimus, hæresin nutriamus.* Pag. 85.

Facessant ergo, qui in Synodis, & in Synodo maximè Nicæna novatum esse aliquid suspicantur, aut recens fidei dogma constitutum, quod priores Synodos Patresque latuisset. De Verbi consubstantialitate cum Patre diffidunt aliqui, an ea satis explorata fuerit Ecclesiæ Patribus & Conciliis ante Nicænum Concilium. Mera id ex incogitantia profectum auguror, cùm aliàs indubitatissimum fuerit, & Patribus & Conciliis omnibus, ipsique etiam Nicænæ Synodo, nihil unquam diffiniri posse, quod ad fidem pertineat, quod non idem ante ex Scripturis, vel ex Apostolicis Ecclesiasticisque traditionibus constaret, denique ex Ecclesiarum omnium & sanctorum antea Patrum contensione. Ei rei uberiùs enucleandæ Tractatum proximum dicabimus, ubi de Verbi cum Patre æqualitate, unitate, consubstantialitate dicemus. In antecessum hic id adnotasse non pigebit, ubi tam insignis & tam manifestus occurrit ejus doctrinæ suffragator Hilarius.

V. Laudavit Hilarius alibi libellum Cypriani de Oratione, qui se levatum esse testatur necessitate aliquid eadem de re commentandi. Nec tacuit eadem de re Commentarium Tertulliani, quem tamen monet posterioribus erratis suis laudabiles ante tractatus à se scriptos dehonestasse. *De orationis autem sacramento, necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctæ memoriæ liberavit. Quanquam & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit: sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus authoritatem.* In Matth. Pag. 514.

VI. Cernis qua se honorificentia, qua charitate vicissim colerent sancti olim Patres & Scriptores Ecclesiastici. Præclarum est in eam rem illud Gregorii Magni Papæ in Præfatione ad homilias in Ezechielem; ubi ait eas ex tempore à se fusas esse ad populum; octo post annis schedulas Notariorum qui eas exceperant, à se fratrum hortatu requisitas, & utcunque cursim emendatas; cum autem Marianus Episcopus eas ad se mitti oraret, hæsitasse se an ei morem gereret, quòd cùm ille in Ambrosii & Augustini scriptis lubens versaretur, non esset ab illis ad has suas impares opellas avocandus; mitti tamen eas à se, ut iis saltem fastidium aliquando levet lautioribus cibis creatum. *Valde incongruum credidi, ut aquam despicabilem hauriret, quem constat de beatorum Patrum Ambrosii atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assidùè bibere. Sed rursum dum cogito, quod sæpè inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt; transmisi minima legenti potiora, ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas avidiùs redeatur.* Greg. Mag. Tom. 1. pag. 1042.

VII. Miratur idem Gregorius alibi esse, qui de lu-

de lumine ipso, id est, de Scripturis sacris tenebrescant; quod eo fit, quia superbia tument, sapientiæ suæ plus æquo confidunt, sanctorum Patrum in exponendis scripturis placita & sensus despicantur; ut apud imperitum vulgus sese venditent, quasi suo sibi ex penu, suo sibi in sinu sapientia succrescat. *Admonendi sunt, ut perpendant quòd Scriptura sacra in nocte vitæ presentis quasi quædam nobis lucerna sit posita: cujus nimirum verba dum non rectè intelligunt, de lumine tenebrescunt. Quos videlicet ad intellectum pravum intentio perversa non raperet, nisi priùs superbia inflaret. Dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad meliùs intellecta despiciunt, atque ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere & ab aliis rectè intellecta destruere, & sua perversa roborare.*

Pastoralis curæ. part. 3. Admon. 25. Tom. 3. pag. 209.

VIII. Quàm religiosè coleret colendasque decerneret Gregorius Episcopales Synodos, maximè generales, testatum ipsemet facit in Epistola illa ad reliquos Patriarchas prò more scripta initio Pontificatus sui, ubi quatuor Evangeliis quatuor Concilia generalia conjungit. Quod nempe ex Evangeliis fluat Conciliorum authoritas: vel quod ne Evangelia quidem quæ sint nobis certò constet, nisi Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum perpetua successione & testificatione; vel denique quia frustra de Evangeliorum se fide jactat, qui ea suo ex sensu, non ex Ecclesiæ consensu interpretatur. *Præterea quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit.* Et mox: *Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos ligant, aut religare quos solvunt.* Et alibi: *Sic quatuor Synodos sancte universalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Evangelii recipimus.* Quod rursus inculcat in Epistola ad Reginam Theodolindam. Ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum scribens, Eudoxium quidem ait se non legisse inter hæreticos, quorum mentionem fecere Epiphanius, Augustinus & Philastrius: sed eum nihilominus à se damnari, sicubi damnatus ab aliquo sit Catholicorum Patrum. *Eudoxium quemdam vos damnasse reperimus: cujus nomen in Latina lingua neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanii, Augustini & Philastrii, quos contra hæreticos præcipuè disputasse novimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de catholicis Patribus damnat, ejus proculdubio sententiam sequimur.*

L. 2. Ep. 34. Tom. 4. pag. 17. 16.

L. 2. Ep. 10. L. 3. Ep. 53.

L. 4. Ep. 31. pag. 198.

IX. Jam monui, quàm non sineret Gregorius lucubrationes suas sanctorum Patrum commentariis æquari. Vide hìc ut veteret ne Episcopus Syracusanus ad mensam suam eas legi faciat coram extraneis; suadeatque ut Antiquorum potius scripta legi curet. *Præterea audio, quod aliqua de his quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat: quod mihi non videtur esse faciendum; quia hoc quod vos prò charitate facitis, possunt quidam quantum ad me est, vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum authoritate valeant, qui audierint, informari.*

L. 6. Ep. 9. pag. 401.

Historiam Sozomeni, alioqui multa mentientis, eo nomine maximè repudiat Gregorius, quod nimius fuerit in laudibus Theodori Mopsuesteni, quibus fidem habere non potest, quisquis eo quo par est honore habet Synodum quintam sub Justiniano Imperatore congregatam. *In historia autem Sozomeni, de quodam Eudoxia qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimiùm laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo ut si quis illam historiam recipit, Synodo quæ pie memoriæ Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat.*

L. 6. Ep. 14.

Ad Anastasium Antiochenum Episcopum scribebat Gregorius, nova bella moliri hæreticos, adversùs Evangelia, Prophetas & *dicta Patrum omnia*; sed cùm unitas in illis non sit, non posse stare divisum eorum regnum. *His autem diebus, sicut invenio, nova hæreticorum bella consurgunt, de quibus vestræ beatitudini jam antea scripsi, ita ut Prophetas, Evangelia, & dicta Patrum omnia evacuare moliantur.* Et mox: *Hoc autem magna Dei omnipotentis est gratia, quod in ipsis qui à sanctæ Ecclesiæ doctrina divisi sunt, unitas non est: quoniam omne regnum in se divisum non stabit. Et sancta Ecclesia subtiliùs in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur.*

L. 7. Ep. 3. pag. 424. 425.

Eulogio Alexandrino Episcopo gratulabatur Gregorius, quod ex Græcorum Latinorumque Patrum monumentis ea coacervasset testimonia, quibus Agnoetarum hæresis jugularetur; eidem se rei operam ante dedisse; tantam denique consensionem esse Eulogii scriptorum cum Latinis Patribus, ut in illis legendis hos se pervolutare sibi videretur. *Cui ego ante longum tempus quàm vestra scripta susciperem, contra eandem hæresim respondi, quæ postmodum in Epistola vestræ sanctitatis inveni; atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti. In multis enim eandem vestram Epistolam ita reperi, ac si contra prædictam hæresim scripta Latinorum Patrum legerem. Et quantum potui de sanctissimo fratre meo amare & laudare bonum perpendi, in cujus ore venerandos Patres, quos multùm dilige, recognovi.*

L. 8. Ep. 34. pag. 529.

X. Ab ipsomet Gregorio postulaverat Præfectus Africæ Commentarios ejus in Job: illi adgavisus est sanctissimus Pontifex, quod eo legendi studio secum ipse aliquando habitaret, nec totus ad sæculares curas delaberetur; sed sibi gratius, & conducibilius ipsi fore, si ad Augustini potius lectionem animum adverteret, & ad ineffabiles, quæ inde manant, delicias. *Quod verò in expositione sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, de vestro omnino studio gaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum sæcularibus curis dispersos recolligat. Sed si delitioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non queratis.*

L. 8. Ep. 37. pag. 531.

Cùm autem Marinianus Archiepiscopus Ravennæ ad vigilias in Ecclesia legi faceret Commentationes Gregorii in Job, eo rescito Pontifex ægrè tulit; Commentaria Psalmorum, Augustini ut suspicor, legi ad Vigilias in posterum præcepit; quòd illud opus plebi non satis consentiat, hoc illi ad pietatem illiciendæ appositum apprimè sit. Suum certè de Cura Pastorali librum ab Anastasio Episcopo Antiocheno Græcè versum, & Imperatori datum, molestè tulit, quòd nollet opusculis suis, utpote jejunis & vilibus immorari, qui meliora

L. 10. Ep. 22. pag. 400. liora caperent. *Illud autem quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reverendissimus frater & Coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publicè ad vigilias faciat, non gratè suscepi: quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quàm provectum generat. Sed dic ei, ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, que mentes secularium ad bonos mores precipuè informant. Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contingit, ea facilè hominibus innotesci. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatholius Diaconus quærenti ac jubenti domno Imperatori librum Regulæ Pastoralis dedit, ægrè suscepi: quem sanctissimus frater & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei valdè placuit, sed mihi valdè displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.*

Etsi subaliena videri hæc possint à nostro hic instituto commendandæ Patrum authoritatis in Scripturis exponendis, & in quæstionibus Theologicis solvendis: sunt tamen aptissima: nec aliter saperent Protestantes nostri, si quid saperent. Si quid, inquam, illis saperet animi moderatio, sui despicientia, humilitas, charitas, qua non alia præclarior Scripturarum interpres. Patent enim, ut suprà demonstratum est ex Augustino, & ex ipsis Scripturæ verbis; patent, inquam, Scripturæ omnes, ubi patet charitas; latent, ubi latet charitas. Scripturas aperit non contentio, non curiositas, non superbia, non aliorum contemptus; sed pietas, puritas, religio, charitas, unitas; quæ omnia tam conjuncta sunt & familiaria Ecclesiæ & sanctis Patribus, quam Sectis omnibus inconcessa bona.

XI. Christi & Ecclesiæ victoriis applaudit Prosper, quando Augustino Pelagianos debellanti hoc encomium texit: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies, hujus viri ductu pugnat, & vincit. Vincit dico, quia non patitur respirare, quos vincit; & in quorum excidium, unam cunctorum Sacerdotum manu sententiam scripsit.* Cùm autem ex Catholicis quidam his Augustini triumphis obtrectarent, quasi non satis ille modum tenuisset inter ancipites hinc & hinc scopulos, sic ibidem mox in illos Prosper invehitur: *Nostri autem concorporales, ac participes gratiæ Christi, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent?* Prosp. cont. Collat.

Sic illos sanctus Prosper objurgabat. In Carmine verò de Ingratis in ejus laudis & victoriæ societatem sic ille Hieronymum quoque vocabat: *Hinc etiam Bethlai præclari nominis hospes, Hebræo simul & Græco, Latioque venustus eloquio, morum exemplum, mundique Magister, Hieronymus, libris valdè excellentibus hostem dissecuit.* Uni tamen Augustino potissimam deberi ejus victoriæ palmam non dissimulat in eodem Carmine Prosper, ubi commendat illud Africæ *Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat: quem Christi gratia cornu uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo accensum vera de lumine. Nam cibus illi, & vita, & requies, Deus est; omnisque voluptas unus amor Christi est, unus Christi est honor illi. Et dum nulla sibi tribuit bona, sit Deus illi omnia, & in sancto regnat sapientia templo.*

Si eo essent animo Sectarii, quo Prosper dum hæc scriberet, si illo lumine, illo divini amoris igne, illo summi Numinis gustu, illo cœlestis Spiritus afflatu vel ad punctum temporis donarentur, quo hæc scribebat Prosper, quo Augustinus, quo Hieronymus, quo Africanæ tot Synodi agebantur; ne veniret quidem illis in mentem conflictationes mi meicio quas fingere inter Scripturæ & sanctorum authoritatem Patrum, qui toti sunt in Scriptura commendanda, commentanda, enucleanda, defendenda, imperitæ fidelium & innumerabili multitudini interpretanda. Esto possit de plebe quilibet pervadere in aliqua sacrarum Litterarum sensa: at quantulum id est? at quantò amplius illis est incumbere tot Synodis, tot Patribus, tot orbis Christiani Magistris, & animo, amore, fide complecti, quidquid hi studio, ingenio, otio, puritate & sanctimonia abundantes complexi sunt?

Antequam ab Augustino discedam, vide quàm non ab his recedat Julianus Pomerius in aureolis illis de Vita Contemplativa libris: *S. Augustinus Episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, secularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, & in revincendis hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis canonicis cautus; ipse ergo quem in his libellis pro possibilitate secutus sum, hanc quæstionem de qua agitur, hoc modo determinat, dicens, &c.* L. 1. c. 14.

Tam excors nemo est, qui non malit, si modò non illum malè sana quædam Secta fascinaverit; qui non malit, inquam, cum Juliano Pomerio, cum Prospero, cum Hieronymo, cum Augustino, cum Gregorio, aliisque Patribus ita sentire, ita sapere; defensoribus avitæ fidei, cæterorum Patrum admiratoribus, de se sobriè & demissè sentientibus congratulari, laudes canere; quàm sibi uni domi plaudere, cæteros omnes arrodere, sibi uni lumen veritatis & divinitatis instinctum quendam arcanum vendicare, quem cæteri per orbem Christiani omnes præter eam Sectam, non aliud quam inauditam quandam insaniendi & sibi adulandi libidinem interpretantur.

XII. Quantæ verò dementiæ est, quàm desperatæ temeritatis est, singulos homunciones, studio ac ingenio perexiguo, aut penè nullo, plus sibi polliceri de Scripturarum intelligentia, plus sibi fidere, quàm sanctis Patribus, singulis, maximis? quàm illis etiam universis, quam illis synodicè congregatis? Audiendus hic Facundus, ubi demonstrat, quàm non possit quisquam sobrius, postquam synodicè definitæ sunt controversiæ, ad nova rursus examina illas vocare, & infinitas serere lites: *Neque enim est alia Conciliorum faciendorum utilitas, quàm ut quod intellectu non capimus, ex authoritate credamus; & sicubi ratio minus nobis occurrerit, fides ne labamur cito succurrat. Nam si post decretum disceptare licuerit, ut dicatur, Prius probetur epistola illa, quòd recta sit, ut credatur fuisse suscepta: non est quare jam Concilia congregentur, nec terminata, immo nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicatur similiter, Probetur prius, quod unius essentiæ sint Pater ac Filius, ut credatur hoc Nicæno Concilio terminatum; & quia consubstantialis est Patri ac Filio Spiritus sanctus, quia non aliter credi potest quòd hoc Synodus Constantinopolitana decreverit. Atque ita quæstionibus universis in antiquo statu manentibus, non solùm nihil Synodorum Constitutionibus absolutum esse videbitur: sed etiam ad perpetuendas lites quæstionum in eis memoria reservata. Et ideo non idem modus esse debet, atque ordo quærendi, post definitionem Concilii, totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem.* Et paucis interpositis: *Hanc observantiam tenentibus, nihil nobis prævalebit hæreticorum calliditas, si judicare non præsumamus, quod intelligere non valemus.* L. 1.

Nec mediocris est eidem Facundo unius etiam ex Patribus authoritas, ubi illum Ecclesia, tanquam

quam sui vindicem eximium, sua quodammodo authoritate vestivit. Exemplum ponit ille in Augustino, qui ubi plaudente Ecclesia docuit tam gratuita gratia fieri quemque Christianum, quàm qua factus est Christus; deinceps nefas fuit, vel ita constituto dogmati, vel ita docenti Augustino obstrepere. *Audeant isti, si possunt, hereticum dicere: audeant solita præsumptione damnare. Et tunc verè discent, quæ sit pietas & constantia Ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit atque firmavit, cùm ab omnibus confestim anathematizati fuerint.* L. 3.

XIII. Qui istiusmodi vel Augustini, vel aliorum Patrum dogmata non capiunt, si modicè & piè de se sentiunt, his nihilominus acquiescunt, & fidei lacte delectantur: si fastu, si qua sui insania tument, æstuant & tumultuantur, sibique & Ecclesiæ turbas cient. Benè vertunt boni, si qua ardua in Patrum scriptis inveniunt, aut peritiores consulunt: soli arrogantes contemnere malunt, quàm intelligere. *His & aliis compluribus modis dicta precedentium Patrum pius atque exercitati sensus Lector & intelligere, & adversùs hereticorum calumnias defendere potest: imperitus autem & arrogans, qui omne quod non intellexerit, non discere, sed condemnare festinat, necesse est ut conturbetur in talibus; & si potuerit, alios quoque conturbet; dum rationem, quam pro sua imperitia non potuit invenire, etiam pro arrogantia dedignatur accipere.* Ibidem.

Ne illos quidem Patres post Ephesinam primam Synodum palam dissentientes, hinc Orientales cum Joanne Antiocheno, inde Occidentales cum Cyrillo Alexandrino: ne illos quidem Patres, inquam, in illo conflictu quisquam magnoperè vituperasset, si modum tenere, si sapere ad sobrietatem nosset. Postea enim non tantùm concordarunt Patres illi, sed se nunquam re discordasse intellexerunt, etsi verbis discreparent, & non satis viderent, quæ hinc & inde contendentium esset intentio. Erat ergo tum catholicæ sapientiæ & sobrietatis animum suspendere, sententiam non præcipitare, Patres & Præsules revereri, in gratiam brevi redituros sperare, ominari. At ajes, saltem debuisse Orientales Ephesinæ Synodo incunctanter assentiri? Debuerant certè, sed vide quid de his Facundus differat: *Si quis autem dicit, quod Ibas, atque Orientales & aliarum Provinciarum Episcopi, una quippe horum omnium causa est, etiam in his quæ non intelligebant, authoritatem Ephesini Concilii sequi debuerint: ipse quoque primùm considerare debet, quod etiam Synodus Chalcedonensis considerasse credenda est, quoniam tantis dissentientibus, qui moniti fuerant simul in ipsum Concilium convenire, non tanta illo tempore, quanta nunc est, ejus esse posset authoritas, cùm necdum etiam judicio magnæ Chalcedonensis Synodi firmaretur. Nam & ipsa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas.* L. 7.

XIV. Nec abludit à Facundo Ferrandus Diaconus, qui quàm necessariò standum sit definitionibus Conciliorum maximè universalium, cùm Sedis Apostolicæ, & omnium orbis Episcoporum consensu ea constent, ita declarat, ne æternæ & interminabiles lites ferantur; si quod semel animo præsumpsit quisque suo, id invicta defendat pertinacia, nec arbitros, nec judices ullos præter se experiri velit. *Aut ubi majores in Ecclesia reperiret judices? ante se habent in Legatis suis Apostolicam sedem; qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum. Vox igitur adempta volentibus malè adsumpta defendere, quomodo iterum restituetur? quis erit post tantos ac tales Pontifices, negotii jam peracti novus & idoneus cognitor? ex quibus mundi partibus, aut civitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur Episcopi, quibus potestas detur sententias emendare Majorum? vel qua spe confidenter adsumant aliquid definire, videntes talium virorum judicia repentè cassari? Quomodo successoribus nostris poterit placere, quod agimus, si per nos docebuntur irritum facere, quod præcessores suos gessisse cognoverint?* Primas ille authoritatis partes Scripturis vendicat, secundas Conciliis Generalibus, sic tamen ut ab his nec ad illas provocari liceat; cùm non aliud id quidem quàm ludificatoria foret ejusdem ad seipsum appellatio. Nec sanè ad Scripturas appellant à Conciliis, qui horum authoritatem detrectant: sed à Scripturis per sanctos Patres sanctasque Synodos explicatis provocant ad seipsos, quem ipsi cumque volunt sensum Scripturis affingentes. Perspicua hæc est insania, quæ declinari tamen non potest, nisi ut in Scripturis, ita & in Conciliorum generalium definitionibus fidei, quod quisque non capit, id ad altitudinem cœlestis oraculi referat, jam non sibi excutiendam, sed pia quadam reverentia prosequendam. *Universalia Concilia, præcipuè illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ authoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minimè valeant altitudinem cœlestis oraculi comprehendere; sed pius lector & quod non intelligit credit, ut quod credit mereatur intelligere: sic omnino nec aliter Concilia quæ vetustas firmavit, & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.* Et mox: *Quæ autem siniuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Ibid. c. 7. pag. 556.

Istud enimverò est sapere, & sapere ad sobrietatem; at ubi Protestantes ab annis nondum ducentis erupere, & id sibi, id suis Doctoribus & Ministris singulis, id plebibus etiam suis, id imperitis & illiteratis, id rusticis, id mulierculis ipsis arrogavere suis, ut nec Pontifices, nec sanctos Patres, etiam consentientes, nec Concilia quæ ex eo consensu constant, audire & sequi tenerentur, nec Ecclesiam toto orbe diffusam; sed consulere & audire possent seipsos, & totum fidei dogma, totam Scripturarum intelligentiam à seipsis ediscere, vel ab eo Spiritus sancti lumine & afflatu, quo quisque eorum se vegetari agique jactat: ita ut quot jam sunt capita, quantumvis imperita & absurda, tot sint indubita cœlestis Spiritus magisteria, tot oracula: id verò jam non est sapere, sed imaginariæ sapientiæ ludibrio incredibilem quandam & extremam insipientiam obumbrare.

CAPUT XXX.

Ex aliis denique Latinis Patribus, ex Patrum consensu finiri debere Theologicas quæstiones.

I. Vetat Cassiodorus Scripturas explicari, nisi ex sanctis Patribus, Latinis, Græcisque. De Origene, de Didymo, de nupero Didymo.

II. Ex eodem, Conciliorum authoritas.

III. De singulis Catholicis Scriptoribus, de Dionysio Exiguo quàm honorificè sentiret Cassiodorus.

IV. Præstantissimè Bernardus de iis Scripturæ textibus, quos Ecclesia suis in Officiis alternat & alternat.

V. Nova ex Bernardo testimonia pro Patrum authoritate. Quàm non possit ratio sejungi à gravi & eximia authoritate Patrum.

VI. Pe-

Ferrand. Epist. ad Pelag. & Anat. c. 56. pag. 250.

VI. Petri Cluniacensis suffragium pro authoritate Patrum,

VII. Item Prudentii Episcopi Tricassini, Flori Magistri, Lupi Abbatis Ferrariensis, Remigii Episcopi Lugdunensis & ejus Ecclesia,

VIII. Hinc utilia & necessaria monita ad omnes Sectarios; quàm non debeas, non possit Scriptura authoritas ab authoritate Patrum divelli. Hormisdæ Papæ astipulatio, & Paciani Barcinonensis Episcopi.

I. SCripsit Cassiodorus *de Institutione divinarum Scripturarum* libros complures, ubi id solenniter præfatur, ex sanctis Patribus, non ex suo cuique ingenio eas interpretandas esse: cùm id & tutissimum sit, & à jactantia alienum; & denique cùm ipsi Scripturarum sanctitudini id magis concinat, ut per Interpretes sanctitate claros, lectores ad quædam sanctimoniæ & contemplationis fastigia pervehantur. *In quibus non propriam doctrinam, sed priscorum dicta commendo; quæ posteris laudare fas est, & prædicare gloriosum. Quoniam quidquid de priscis sub laude Domini dicitur, odiosa jactantia non putatur. Huc accedit quod magistrum gravem pateris, si frequenter interroges. Ad istos autem quoties redire volueris, nulla asperitate morderis. Quapropter, dilectissimi fratres, indubitanter ascendamus ad divinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum, velut per quandam scalam visionis Jacob; ut eorum sensibus provecti, ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur.*

Cassiod. in Præfat. pag. 6.

Quanquam verò Latinis potissimùm Patribus operam navasset, & navandam existimaret Cassiodorus Latinis omnibus Theologis, ut his verbis ibidem testatur: *Ferunt itaque Scripturas divinas veteris novique Testamenti ab ipso principio usque ad finem Græco sermone declarasse Clementem Alexandrinum cognomento Stromateum, & Cyrillum ejusdem civitatis Episcopum, & Joannem Chrysostomum, Gregorium, & Basilium, nec non & alios studiosissimos viros quos Græca facundia concelebrat. Sed nos potiùs Latinos Scriptores Domino juvante sectamur; ut quoniam Italis scribimus; Romanos quoque expositores commodissimè indicasse videamur.* Non erat ille tamen expers omnino lectionis Patrum Græcorum, nec ejus expertes omnino volebat esse suos discipulos. Quæ de Origenis lectione sentiat, operæ pretium duxi hìc assuere: *De quo conclusivè dictum est: Ubi bene, nemo melius: ubi malè, nemo pejus. Et ideo cautè sapienterque legendus est, ut sic inde succos saluberrimos assumamus, ne pariter ejus venena perfidiæ vitæ nostræ contraria sorbeamus. Cui & illud convenienter aptari potest, quod Virgilius, dum Ennium legeret, à quodam quid faceret inquisitus, respondit: Aurum in stercore quæro.*

Ibidem.

Pag. 117.

Sed nec illud hic omittere fas esse duco, quod idem Cassiodorus de Didymo narrat, cujus librum Epiphanius in Latinum sermonem transtulerat, & qui cùm oculis orbatus esset, omnium planè disciplinarum callentissimus evaserat. Cùm porrò id Cassiodorus vix sibi persuaderi sineret, non multùm absimili experimento expugnatum se tandem fuisse confitetur, Eusebii cujusdam, qui cùm ab anno ætatis suæ quinto cæcatus fuisset, omnes propemodum libros in memoriæ suæ Bibliotheca condiderat. His ego exemplis non tam objectare lectorem volui, quàm seriò monere, quàm nemini sit desperandum de hujusmodi Bibliotheca in animi sui penetralibus recondenda, unde depromat & ex Scripturis & ex Patribus & ex Conciliis, non tantùm quæ ad Dogmatum Theologicorum illustrationem opportuna sunt; sed & quæ ad Ecclesiæ adversus omnes hæreses defensionem. En Cassiodori verba: *In quo libro Didymum expositorem in Græca lingua reperimus, qui ab amico nostro viro disertissimo Epiphanio in Latinum sermonem diligentissimè Domino juvante translatus est. Quem Didymum, quamvis carne cecum, meritò beatus Antonius pater Monachorum prophetale lumine vocavit Videntem; quando perspicuo corde perspexit, quod corporeis affectibus non valet intueri. Mirum est enim dicere, quantis disciplinis atque artibus audiendo imbutus fuerit, qui ipsos apices quoque literarum privatus carnali lumine nequibat inspicere, Quod mihi penè impossibile, fateor, videbatur esse, cùm legerem: nisi de partibus Asiæ quendam ad nos venire Eusebium nomine contigisset, qui se infantem quinque annorum sic cæcatum esse narrabat, ut sinistrum ejus oculum excavatum orbis profundissimus indicaret; dexter verò globus vitreo colore confusus, sine videndi gratia infructuosis nisibus volvebatur. Hic tantos authores, tantos libros in memoria sua Bibliotheca condiderat, ut legentes probabiliter admoneret, in qua parte codicis quod prædixerat invenirent: disciplinas omnes & animo retinebat, & expositione planissima lucidabat.*

Ibid. p. 117.

II. Quatuor priores universales Synodos ea laude celebrat Cassiodorus, quæ peræquè aptari debeat cæteris universalibus Conciliis, ubi de fidei regula tractatum est; quorum summa eò collimat authoritas, ut definitæ semel quæstiones in novas deinceps disputationes trahi nusquam possint. Qui ab hac doctrina resiliunt Protestantes, & Conciliorum Decreta parvi faciunt, ne id quidem tentare potuerunt, quin inconcussam Conciliorum authoritatem novo, eoque invictissimo documento firmarent. Labefactata enim Conciliorum & Patrum authoritate eò tandem devoluti sunt, ut privatis quibuslibet suæ Sectæ largirentur eam luminis & Spiritus superni abundantiam, quæ & Scripturas interpretari, & dubia fidei omnia definire posset citra erroris periculum, citra salutis discrimen. Sapientissimè ergo Cassiodorus de Synodis Generalibus ita pronuntiavit: *Nam sanctissimi Patres injuriam rectæ fidei non ferentes, regulas quoque Ecclesiasticas ibidem statuere maluerunt, & inventores novarum hæresum pertinaces divino gladio perculerunt: decernentes nullum ulteriùs debere novas incutere quæstiones; sed probatorum veterum authoritate contentos, sine dolo & perfidia decretis salubribus obedire. Sunt enim nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid novi, unde perire videantur, inveniant.*

Ibid. p. 119.

III. Nec antiquorum tantùm Patrum, sed & sui ævi Catholicorum Scriptorum laudibus impensissimè favebat Cassiodorus. Vide ut Dionysio Exiguo suffragetur, ut Græcè Latinèque peterudito, ut suorum aliquando studiorum consorti; ut Compilatori famosi Canonum Codicis, qui Theologis & doctis omnibus commendatissimus esse debeat; ut denique virtutum gloria longè commendatissimo, & quem non dubitet nunc apud Cœlites sui & meminisse, & curam agere apud Deum. Ejusmodi sunt Scriptores Catholici, qui Ecclesiæ lacte, Ecclesiæ cibo, qui veritatis & charitatis deliciis enutriti ad hanc animi æquabilitatem perducti sunt. *Generat etiam hodieque Catholica Ecclesia viros illustres probabilium dogmatum decore fulgentes: fuit enim nostris temporibus & Dionysius Monachus, Scytha natione, sed ommino moribus Romanus, in utraque lingua valdè doctissimus.* Et mox: *Pudet me de consorte dicere, quod in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas: ut in nullo se vel extremis famulis anteferret, cùm dignus esset Regum sine dubitatione colloquiis. Interveniat pro nobis, qui nobiscum orare consueverat: ut cujus hìc sumus oratione*

Ibid. p. 142.

Ibidem.

suffful-

ſuffulti, ejus poſſimus nunc meritis adjuvari. Qui petitus à Stephano Epiſcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus Canones Eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus atque diſertus, magnæ eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur. Hos etiam oportet vos aſſiduè legere, ne videamini tam ſalutares Eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare. In Eccleſia adoleverunt, qui ita ſcribunt; ita ſcribunt, qui in Eccleſia Catholica adoleverunt.

IV. Jamdiu eſt, quod ad Bernardum, & ad longè pulcherrima propero ejus verba in Sermone III. de Vigilia Nativitatis Domini, ubi hæc Scripturæ verba exponit, *Hodie ſcietis, quia veniet Dominus*. Hæc author eſt Bernardus, & alia non pauca Scripturæ verba, quæ Eccleſia ſuis in Officiis & precibus alterat & alternat, vel tum admirabilitatis plus habere, & majoribus referta eſſe myſteriis; quod in Scriptura hæc verba figuræ accommodata ſint, in Eccleſia veritati: ibi umbræ, hic luci; ibi ancillæ, hic dominæ. Quippe cum Eccleſia non litteram, non corticem ſolum, ſed conſilium & ſpiritum Sponſi & Dei ſui poſſideat; cùm oculos in cor ejus inferat, cùm in contemplationem ſecretorum Dei ſe immergat. En ipſa Bernardi verba: *Hodie, inquit, ſcietis, quia veniet Dominus. Verba hæc quidem ſuo loco & tempore in Scriptura poſita ſunt; ſed non incongruè illa vigiliæ Dominicæ Nativitatis Eccleſia mater aptavit. Eccleſia, inquam, illa, quæ ſecum habet conſilium & ſpiritum Sponſi & Dei ſui; cui dilectus inter ubera commoratur, ipſam cordis ſui ſedem principaliter poſſidens, & conſervans. Nimirum ipſa eſt quæ vulneravit cor ejus, & in ipſam abyſſum ſecretorum Dei oculum contemplationis immerſit; ut & illi in ſuo, & ſibi in ejus corde perennem faciat manſionem. Cùm ergo ipſa in Scripturis divinis verba vel alterat vel alternat, fortior eſt illa compoſitio quàm poſitio prima verborum: & fortaſſis tanto fortior, quantum diſtat inter figuram & veritatem, inter lucem & umbram, inter dominam & ancillam.* Bernard. Serm. 1.

Video quid perſpicaci lectori venire hìc in mentem poſſit, ex illis ipſis quæ ſuprà de multiplici Scripturarum intelligentia ex Auguſtino potiſſimùm diſputata ſunt. Nimirum ſenſus illos omnes miros & ſublimes, quos Eccleſia myſteriorum rimatrix in Scripturis deprehendit, ineſſe utique Scripturæ verbis: quæ ita à Spiritu ſancto horum librorum authore temperata ſunt, ut ex eis hæc quoque mira & arcana ſenſa eruerentur. Quorſum attinet de verbis altercari, ubi de re convenit? Hoc ipſum eſt, quod voluit Bernardus, quod præmonſtravit Auguſtinus; Quæcunque Scripturas commentanti ardua & arcana veritatis oracula in cogitationem venire poſſunt, ea in Scripturæ verbis deliteſcere, ea illis à Spiritu ſancto jam inde ab exordio illigata fuiſſe, ea longo temporum lapſu ab Eccleſia elici & evolvi, ut quæ Spiritum illum veritatis uberrimè hauſerit hauriatquè ſemper uberiùs, quo Scripturæ dictatæ & tota ſummæ veritatis opulentia locupletatæ ſunt. Ne verò hinc ſibi blandiantur Novatores, uni Eccleſiæ univerſali hæc prærogativa vendicatur, non privato, non paſtori, non docto, non plebejo cuiquam. Tantò ſtupenda magis eſt eorum inſolentia, qui quod Eccleſia univerſalis proprium & magnificentiſſimum habet, id ſibi privatim, id magiſtris, id aniculis ſuis vendicant.

V. In Epiſtola verò ad Hugonem de ſancto Victore idem Bernardus, ipſius maximè hortatu Hugonis refellens cujuſdam Theologaſtri nænias, qui negabat ſola fide & voto baptiſmi ſervari quenquam poſſe, niſi ſacro fonte tingeretur: id primùm profitetur, non dubitare ſe, quin Hugoni ipſi in promptu eſſent & rationes & authoritates, quibus quidquid illud erat quæſtionis profligaret: *Nec dubito ad manum tibi eſſe rationes certas, & congruas authoritates, quibus facilè id poſſis.* Rem poſtea adgreſſus ipſe id ſtatim præ ſe fert, ſe non ſuum aliquid, ſed Patrum verba, Patrum ſententias prolaturum; nec enim ſapientiores nos eſſe Patribus noſtris, vel debere, vel poſſe. Fas eſſe quandoque abundare in ſuo quemque ſenſu, ſed ubi ex Scripturis per ſanctos Patres explicatis præjudicatum ante nihil fuit. *Ideoque non quærimus pugnas verborum, novitates quoque vocum juxta Apoſtolicam doctrinam evitamus. Patrum tantùm opponimus ſententias, ac verba proferimus, & non noſtra. Nec enim ſapientiores ſumus quàm Patres noſtri. Abundet ſanè in ſuo ſenſu qui vult quantum vult, dummodo nos patiatur in Scripturarum ſenſibus abundare, quomodo dicit Apoſtolus: Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Bernard. Epiſt. 77.

Suam mox ſententiam, poſſe ſola fide & deſiderio baptiſmi ſervari, quos baptiſmo præfeſtina mors præripuerit, cùm ex Ambroſio & Auguſtino confirmaſſet, miratur Bernardus, ſi quiſquam ſit, aut tam pervicax, qui non tanta authoritate frangatur: aut tam acutus, qui rationes viderit, quas nec Ambroſius vidiſſet, nec Auguſtinus. Nec enim quenquam in his, niſi vel rationis, vel authoritatis pondere agi poſſe. *Si quis aliter ſapit, viderit unde ſibi quod aſſerit perſuaſerit: nam me non facilè fateor aſſentire, ſi non firmior induxerit, vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum authoritas. Sed miror admodum, ſi novus iſte novarum inventor aſſertionum, & aſſertor inventarum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ ſanctos Patres latuerit, Ambroſium & Auguſtinum, ſive auctoritatem eorundem authoritate potiorem. Nam ſi neſcit, uterque idem profectò ſenſit, quod fatemur ſentire nos.* Poſtremò denique quàm non ſinat ſe ab Ambroſii, & Auguſtini vel ratione, vel authoritate ſejungi, ita declarat: *Ab his ego duabus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, crede mihi, difficilè avellor. Cum his, inquam, aut me errare, aut ſapere fateor.* Ibidem.

Cùm vix autem ulla ſit tam deſperata cauſa, cui non umbræ aliquæ rationum ſuffragari videantur: cùm quo quiſque obtuſior, eo non rarò & pervicacior ſit: hinc ut opinor illa Bernardi verba, *Miror ſi novus iſte novarum inventor aſſertionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ ſanctos Patres latuerit, Ambroſium & Auguſtinum.* Etſi ergo univerſim conſtet ad veritatem gemino illo tramite perveniri, rationis, vel authoritatis: compendioſior tamen eſt tutiorque illa ad veritatem ſemita, authoritas. Præterquam quod enim ſimul & ſemel effugia omnia & diverticula obſtruuntur: illud quoque multum habet momenti, quod non poſſit non ineſſe & ratio eximiæ & eminenti cuique authoritati. Ecquas enim poteſt quis rationes comminiſci, quæ Ambroſium latuerint & Auguſtinum? conſentientes Patres Latinos, Græcoſque? Synodos ipſas univerſales? In his ergo rationem complectitur ipſa authoritas.

VI. Nec parcior in Auguſtini laudes fuit Petrus Cluniacenſis Abbas. Sic enim ille antequam Auguſtini verba proferret in Epiſtola ad Eugenium III. Papam, *Verbum memorabile magni Patris, & ſummi Eccleſiæ Dei poſt Apoſtolos Doctoris Auguſtini, ad mentem ſi fortè excidit revoco.* At in Epiſtola adversùs Petrobruſianos ſcripta idem Petrus, patrocinium ſibi, & lucem argumento quod tractabat accerſens ab Auguſtino, Ambroſio, Paulino, Gregorio Papa, hæc præfatur, ne quis perfrictæ frontis exiſtimaret declinari à ſe poſſe tantæ authoritatis pondus: *Ut videlicet tantorum quatuor Sanctorum & Epiſcoporum, id eſt, Am-* Petr. Venerab. Epiſt. l. 6. Epiſt. 44. Bibl. Clun. Pag. 1210.

est, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Paulini testimonio, vice quatuor Evangelistarum, qualem ab antiquo sententiam de hoc unde agimus, universalis Ecclesia teneat, vel tenere debeat, tam futuris quàm præsentibus Christianis, authoritate clarissima eluceseat.

VII. Exciderat penè nobis Prudentius Tricassinus Episcopus; qui Scoti Erigenæ commenta de Prædestinatione convellens, ea hoc argumento damnat, quod nec Scripturarum præsidiis ullis nitantur, nec sanctorum Patrum, per quos nobis enodatæ sunt Scripturæ. *Non hoc Prophetæ prædixerunt, non Evangelistæ annuntiaverunt, non Apostoli prædicaverunt. Nullus Patrum venerabilium, per quos nobis eadem Prophetica, Evangelica, atque Apostolica scripturæ diversis locis & temporibus fideliter ac salubriter enodatæ sunt, dixisse reperitur.* Cùm inferiùs verò Fulgentii Ruspensis Episcopi authoritatem novatori Scoto objiceret, vide quantum ei, quantum Patribus omnibus singulisque & tribuat ipse, & tribuendum doceat, ita jubente, ita cogente Ecclesia Catholica, quæ tanto illos in honore habet: *Hujus rei testis est sanctus Antistes Fulgentius, qui super hoc sermone sciscitanti Monimo plenissimè planissimèque respondens, pulcherrimum volumen edidit, in quo nihil tuorum figmentorum secutus est; sed plana eloquentia prædestinasse Deum impios ad interitum veritate Catholica docuit & probavit. Aut igitur vera sunt quæ adstruis, & falsa quæ tantus doctor fideliter exaravit; aut quia hoc de tanto talique doctore nefas est credere, falsa sunt omnimodis quæ mendaciter conscripsisti, & vera sunt proculdubio quæ tantus doctor fideliter ac veraciter intimavit. Certè si nulla nobis alia, aut authoritas, aut ratio suppeditaret: solus ille nobis in hujus sermonis intelligentia sufficere poterat, cujus doctrina atque scientia tanto in Catholica Ecclesia honore & amore convaluit, ut de illius scriptis nullus unquam dubitaverit, nullus derogaverit.*

Vindic. Prædest. & Grat. c. 3. Tom. I. pag. 850.

Ibid. c. 11. pag. 351. 352.

Adversùs ejusdem Scoti Erigenæ novitates scribens Florus Magister & Ecclesia Lugdunensis, de Patrum authoritate, ceu de necessario & inexpugnabili fidei munimento, ita præfantur: *Ut quicunque hæc cum Dei timore, & cura salutis suæ fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter, quantum necesse sit in his maximè periculosissimis & extremis temporibus inhærere firmiter Scripturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter sanctorum orthodoxorum Patrum fundatissimæ authoritati; claudere & obstruere auditum indisciplinatæ & vanissimæ verbositati.*

Ibidem pag. 186.

Lupus Ferrariensis Abbas in libello de tribus Quæstionibus, ut Scripturæ ex sanctis majorum gentium Patribus, ex Pontificum decretis interpretandæ sint, ut contemptui habendi sint, si qui his oblucentur, ita declarat: *Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, & Apostolicæ sedis gravitatem suspicientes quid aliud dicamus? nisi, Taceat Faustus & similiter sentientes; loquantur cum suis consortibus Hieronymus & Augustinus; scilicet, illius Proverbii recordantes: Conticescant ranæ dum cælum tonat.*

Ibidem Tom. 2. pag. 59.

Remigius Lugdunensis Archiepiscopus idem profitebatur in libro de tribus Epistolis, propositis quæstionibus respondendum esse *non ex nostro sensu, sed ex Scripturarum sanctarum immobili veritate, & beatissimorum Ecclesiasticorum Patrum fundatissima authoritate.* Et in libello: *De tenenda Scriptura veritate*, rursus idem Remigius & Ecclesia Lugdunensis, ita expostulat amarulentissimè de iis, qui opinationes suas obtrudebant, contempta vel Scripturarum, vel sanctorum Patrum doctrina: *Exortum est magis dolenaum ac lugendum malum, ut videlicet contempta veritate Scripturarum sacrarum, calcata authoritate beatissimorum atque orthodoxorum Patrum, per quos Ecclesia Dei ædificatur & illustratur; præsumant aliqui, etiam de rebus præcipuè ad fidem pertinentibus, ex proprii sensus temeraria præsumptione, quæ apertissimè contraria sunt divinæ veritati, & ipsi docere, & aliis tenenda statuere atque scribere.* Et paulò pòst: *Hujusmodi enim doctrinæ variæ atque peregrinæ, in quibus non est unitas veritatis, sed introductio diversi & profani erroris, significantur in lege Moysi per varia genera leprarum.* Et mox: *Habemus namque magnum depositum fidei, & doctrinæ veritatis, ex divinis Scripturis, & sanctorum Patrum dictis, velut pretiosum & multiplicem thesaurum divinitus nobis ad custodiam commendatum.*

Ibidem pag. 65.

Cap. 1.

Ibidem pag. 178.

Vide autem rursus ut indolescant illi ad stupendam illam secus sentientium temeritatem, quibus viles erant Scripturæ, vilis SS. Patrum authoritas, atque in primis Augustini: *Vidimus in eis, & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & beatissimorum Patrum, præcipuèque sancti Augustini reverendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam authoritatem, novo conatu, & ausu nimis temerario impugnari.* Et paulò pòst quàm piaculare sit à sententia sanctorum Patrum deflectere, in quibus vel coli se, vel sperni Deus ipse in Scripturis testatur: *Quidquid in eo dicendum putavimus, non nostro sensu aut præsumptione, sed manifestissimis Scripturarum testimoniis, & præfatorum sanctorum Patrum venerabili authoritate firmantes: A quorum vestigiis & unitate, absit, ut vel nos, vel illi, quorum charitate compulsi hæc dicimus, ullatenus recedamus; ne ab ipsis divisi, etiam ab ipso Domino dividamur. Qui illis specialiter dicit, Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Quos nimirum tante in Ecclesia sua esse voluit gratiæ & gloriæ, ut confidenter cum Apostolo dicere possint: Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.*

Ibidem pag. 182.

Ibidem.

Ibidem.

Quàm iniquo autem ferant animo ab adversariis suis & Fulgentii & Augustini testimonia repudiari, quibus Ecclesia semper Catholica tantum tribuit, sic rursus Remigius & Ecclesia Lugdunensis: *Qui (Fulgentius) sicut & cætera ejus admiranda & veneranda scripta, semper ab Ecclesia fideliter receptus, & inter Scriptores Ecclesiasticos laudabiliter annumeratus est. Et nunc nescimus qua ratione, immo infidelitate & contentione simul cum beato Augustino abjicitur.*

Ibid. p. 18.

Denique hæreticis accenseri eos posse existimant, si pergant ita insolescere adversùs sanctos Ecclesiæ Patres & Magistros; propterea nimirum quòd alienent sese ipsi à fide, à charitate, & doctrina Patrum; quibus ex animo adhæresceren, si eorum scripta, ea qua par est *pietate & obedientia*, legere & intelligere studerent. *Et est nimis mirabile, immo horribile, quomodo, ut suis adinventionibus & sneptiis credatur, exigant; cùm ipsi beatissimos Patres & illustrissimos Doctores Ecclesiæ abjecerint. Ac per hoc nisi se citiùs corrigere studeant, verissimè hæretici judicari possunt; qui fidei, & charitati, & sincerissimæ Patrum doctrinæ non communicant: sed insuper cum ipsis etiam Scripturæ sanctæ cœlestem authoritatem contemnunt. Nam si illum fidelissimum, copiosissimum & florentissimum librum beati Fulgentii cum pietate & obedientia legere & intelligere studuissent, profectò in hac obscurissima quæstione de præscientia & prædestinatione divina, Deo aspirante atque illuminante, nulla erroris caligo in eorum cordibus remansisset.*

Fulgentium mox author est Remigius tantò pressius & religiosiùs sequendum nobis omnibus esse, quantò ipse scrupulosiùs vestigia sectabatur Patrum, qui illi præiverant in omnem hanc suam

doctri-

doctrinam. Ii enim sunt mores Ecclesiæ, eæ leges, ut Majorum in vestigia omnes ingrediantur; eæ sunt etiam Scripturarum præceptiones, ut ad omnia dubia Patres nostros percunctemur. *Hæc præfatus* (*Fulgentius*) *venerabilis Doctor in*
Ibid. p. 202. *libro, quem suprà memoravimus, juxta Scripturæ sanctæ veritatem, & præcedentium Patrum reverendam authoritatem, & multa alia quæ ad præsentem quæstionem sufficiunt, claro sermone disseruit. Quem nos fideliter disputantem, & Majorum vestigia piè sequentem, obedienter & sinceriter sequi debemus: quia & hoc ad fidei nostræ integritatem pertinet, ut sicut in cæteris quæ de Deo credimus, ita & in hac parte nihil indignum divina majestate, nihil falsum de divinis judiciis sentiamus.* Et mox: *Nam de contemptu & abjectione beatissimorum atque illustrissimorum Patrum, qui à multis nimis insolenter atque irreligiosè conculcantur, quid nobis aliud sentiendum, nisi ut contra hæc magis audiamus, & observemus quid Scriptura de eisdem sanctis Patribus præcipit dicens: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi?*

Agebatur in his de Prædestinatione, quo in dogmate, perinde ut in aliis impatientissimè ferebatur, quòd essent qui ingenio suo plus æquo indulgentes, à trita Augustini & aliorum Patrum semita resilirent: non Augustino tantùm injurioši, sed & ipsi Apostolicæ sedi, quæ doctrinam ejus confirmaverat, fidelibus commendaverat, & quodammodo consecraverat. *Multò magis post obitum ejus* (*Augustini*) *propter obscuritatem rerum, & tarditatem minùs intelligentium, multiplex querela, maximè intra Gallias exorta est. Sed continuò per divinæ misericordiæ providentiam, & Conciliis ac statutis beatissimorum Patrum, & decretis atque authoritate Apostolicæ sedis Pontificum solertissimè sedata, atque sanata: ita ut stultis & indisciplinatis quæstionibus silentium imponeretur, & sanctissimi ac sincerissimi Doctoris authoritas in omnibus Ecclesiis, atque in ipsa Apostolica confirmaretur.*

Horum porro fons & caput malorum erat hominum vel imperitia, vel audacia præceps, qui cùm res arduas minùs caperent: quo mitescere debuerant, & ad preces, ad exorandum à Deo lumen & intellectum converti: irascebantur lumini ipsi, & in Augustinum, in ejus doctrinam
Ibid. p. 204. invehebantur. *Et in quibus propter obscuritatem rerum, & subtilitatem disputationum minùs eum intelligere possumus, vel à Domino intelligentiam postulemus; vel ab eis, quos ipse suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri patiamur ac deprecemur.*

VIII. Si his animum adjicerent Novatores nostri, non tam facilè ab avita Ecclesiæ doctrina, ab authoritate Patrum aberrarent, à Scripturarum doctrina. Nam in his omnibus illud observare erat, ubique inculcari Scripturarum authoritatem, inculcari & sanctorum Patrum, quòd inconvulsis nexibus cohæreat utraque hæc authoritas: Patribus quidem longo ordine, perpetua serie contestantibus has esse germanas Scripturas, has earum intelligentias: Scripturis autem illud subinde admonentibus, Consuli & audiri Patres, adiri Ecclesiam & illi obaudiri: in discipulis Christi, & discipulorum successoribus, non ipsos, sed Christum ipsum contemni, vel coli, & audiri. Sed & illud semper Catholici Doctores isti insusurrabant, ut Scripturas, ita & earum interpretes sanctos Patres, non præfracto, non contentioso, non curioso, sed ad pietatem, ad obedientiam, ad charitatem, ad religionem composito animo legendos esse.

Quòd Scripturas malè intelligant, quòd sanctos Patres non legant, aut non intelligant, & in diversissimos sensus rapiant, quæ unitati & veritati Catholicæ stabiliendæ scribebantur, id ex eo fit, quòd contentionum & pertinaciæ semina, Catholicorum odia, partium studia jamdiu hauserint, à charitate & humilitate, quibus januis ad veritatem intratur, alienissimi. Quando laudati sunt paulò antè Romani Pontifices, qui Augustino, Fulgentioque, eorumque de Gratia & Prædestinatione doctrinæ astipulabantur, non abs re erit unum hìc eorum audire Hormisdam, à quo hæc omnia confirmentur. Sic enim ille retundebat ejus ævi Novatores aliquos, qui fastu turgebant, eoque ad fidei & veritatis perspicuæ lumen caligabant. Hormisda is est ad Possessorem Africanum Episcopum scribens:
Bibl. Patr. To. 4. p. 445. *Nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto, nunquam pax Dominica relicta discessu: una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere. Contemptores authoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam. Eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium. Nec in numero fidelium deputantes sequacem traditionis paternæ, si sua viderint credere nolle sententia.*

Cùm ab hominibus autem malè feriatis obtruderetur Faustus, & Augustino objiceretur, ita
Ibid. p. 446. respondet Hormisda: *Neque illum, neque quenquam, quos in authoritatem Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Fixa sunt à Patribus quæ fideles sectari debeant instituta, sive interpretatio, sive prædicatio, seu verbum pro populi ædificatione compositum; si cum fide recta doctrina sana concordat, admittitur: si discordat, aboletur.*

Denique ut modestiæ, ut charitatis specimen ederet Romana Ecclesia, quæ omnium princeps est Ecclesiarum, sic Hormisda Augustini doctrinam sibi adoptat & Ecclesiæ suæ, tametsi haberet ipsa in scriniis suis de ea re expressa quædam Capitula: *De arbitrio tamen libero & gratia* Ibidem. *Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & servet Ecclesia, licèt ex variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum abundè posset agnosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur; quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus.*

Hæc est verè Catholica charitas, hæc æquanimitas, hæc non privatæ gloriæ cupido; sed minorum Antistitum, sed omnium Ecclesiæ Antistitum, omnium Doctorum gloriæ, perinde ut suæ amor, etiam apud ipsos summos Pontifices. Claudet agmen, qui ducere potuerat sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus, qui tum scripsit, cùm pauci adhuc Patres orbi illuxerant, nec antiquitatis pondere laudes suas alias cumulaverant. Et tamen sic ille instat validissimè, ut ab eorum doctrina ne tantillum quidem recederet quisquam. *Quid? Parva nobis de Apostolicis viris, parva de primis Sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano Martyre atque Doctore curris* Pacianus Epist. 1. Bibl. Pat. To. 3. pag. 51. *authoritas? An volumus docere Doctorem? An sapientiores illo sumus, & spiritu carnis inflamur adversùs eum, quem æterni Dei testem nobilis cruor, & clarissima passionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una solidavit? Quid tot annosi Episcopi, tot Martyres, tot Confessores? Age: si illi usurpando nomini huic, authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando.*

CAPUT XXXI.

Ex Græcis Patribus declaratur, quàm nefas sit à consensu sanctorum Patrum recedere in quæstionibus omnibus Theologicis. Ex Athanasio primùm.

I. Ex Athanasio ineluctabilis authoritas Patrum Nicænorum.

II. Qui & ipsi Patrum antiquiorum vestigia legebant.

III. Etsi potuisset Synodus Oecumenica voces aliquas novas inducere ad antiquæ fidei declarationem; eo tamen abstinuit. Substantiæ enim & Consubstantialis vocem priores Patres usurpaverant; Theognostus Dionysius uterque.

IV. Origenem quoque laudat Athanasius inter Consubstantialitatis Verbi defensores.

V. Epistolam Dionysii Alexandrini Sabellio nimis indulgentem ut purgarit Athanasius.

VI. Ut ab ea, ut à Christo ipso ea regula præscripta sit nobis, ne nimis morosi simus in verbis scrutinandis hominum quorumcumque.

VII. Idem ab exemplo ostenditur Apostolorum, qui divina Christi primùm minùs aperiebant, ut fidentiùs postea aperire possent.

VIII. Optatissimum esset, ut Protestantium primi duces hanc Athanasii humanitatem imitati essent.

IX. Quàm stultè Ariani fidem à seipsis, à Constantii temporibus cœpisse scripserant; eo enim antiquos Patres omnes damnabant.

X. Ut in Ariminensi Synodo, fides antiqua, antiquorum Patrum authoritas vicerit.

XI. Quàm profanum, quàm impium sit à Patrum authoritate recedere. Ut ea semper synodica sit authoritas. Ut seipsas infament Sectæ quælibet novæ.

XII. Quàm non deceant committi Patres, alii aliis, exemplo Antiocheni & Nicæni Concilii Patrum, & duorum Dionysiorum.

XIII. Exemplo Pauli Apostoli, aliter & aliter de Lege verba sua temperantis.

XIV. Ejusdem Athanasii apologia pro Basilio, qui pari dispensatione usus erat, ut infirmos lucraretur.

I. AD Græcos jam nobis pergendum est Patres, & abillis peræquè ut à Latinis edisCendum, quàm nec eorum sermonibus aures præbendæ sint, qui Scripturas quidem passim venditant: at sanctos Patres fastidiunt, incorruptos & necessarios earum interpretes. Primus ante alios prodibit Athanasius, & cum eo invictus Nicænorum Patrum exercitus, cui & universa suffragatur Ecclesia. Unde Athanasius: *Si rectè crederent, contenti essent fide Nicæna, ab universi orbis Concilio promulgata.* Vel solo numero & orbis applausu vincerent Nicæni Patres Arianorum paucitatem delpicabilem. *Quis non damnaverit eorum audaciam? Pauci enim numero quum sint, volunt tamen sua præ omnibus valere: & quæ ab ipsis in angulis conflata sunt, ac proinde suspecta, rata esse: summam vim adhibentes, ut dissolvant & irritum faciant, totius orbis sedulum & sincerum Concilium.*

Athanasius Orat. 1. cont. Arian. Tom. 1. pag. 115. 116. 117.

Quantumcumque ergo tantorum Patrum adversarii Scripturas ostentent, ne audiendi quidem sunt; uti nec Christus diabolum passus est diutiùs sibi Scripturas allegare. *Zelum Domini zelate, retenta Patrum fide; quam Patres qui Nicææ convenerant, scripto professi sunt. Ne sustinueris eos qui contra eam novis rebus studeant; etiamsi dictiones ex sacris Litteris scribant, ne sustinueris hoc genus scriptorum: etiamsi voces orthodoxæ fidei loquantur, ne ita quidem loquentibus attendite. Non enim recto animo loquuntur; sed veluti indumentum ovium hæc verba præferunt, intus vero quæ Arii sunt sapiunt, quemadmodum hæreseon princeps diabolus. Nam & ille loquebatur è sacris Litteris, sed tamen æquè illi os obturatum est à Salvatore.*

Quæ ab Orthodoxis scripta sunt, ea lectitari assentitur Athanasius, ab scilicet Osio, Maximino, Liberio, aliisque compluribus, quos nominatim recenset: *Sincera enim & simplicia sunt Apostolicorum virorum ingenia.*

II. Usque adeo verò pervaserat Nicænorum Patrum omnium animos reverentia & amor antiquæ fidei, & anteriorum Patrum doctrinæ, ut ad primas statim Arianæ impietatis voces obturaverint aures suas; *Nam & in Nicæno Conventu omnes quotquot aderant Episcopi aures suas ad ista verba obturaverunt, omnesque communi suffragio istam hæresim damnaverunt, & anathemate detestati sunt; dicentes esse alienam diversamque ab Ecclesiastica fide. Neque necessitas ulla censores ad id coegit, sed omnes sponte veritatem prosecuti sunt.* Ibid. p. 11.

Ita se res habent in Ecclesia, omnes sibi Antistites Patresque, antiquissimi, medii, novi, indissolubili glutino cohærescunt: Medii antiquissimis, mediis incumbunt recentiores; ita inconvulsa stat Ecclesiasticæ fidei, & doctrinæ compago; ita omnes veritati, charitati, unitati studeant. Nicænos porro Patres cùm criminarentur Ariani, quasi præter antiquos Patres novi aliquid ipsi invexissent, nimirum Substantiæ & Consubstantialis voces hactenus inauditas in Ecclesia: sic in eorum defensionem assurgit Athanasius; adeo non in fide quidquam ab eis novatum esse, ut nec istas quidem ipsi commenti sint voces, quibus invidiam faciebant Ariani; sed à prioribus magni nominis & intaminatæ famæ Scriptoribus usurpatas usurpassent & ipsi. *Hoc igitur intellectu Patres qui Nicæa convenerunt, istas voces usurpare voluerunt: ipsos porro non ex se, quod adversarii objiciunt, hæc vocabula finxisse; sed ab aliis olim accepisse, age in præsentia declaremus, ne ea eis cavillatio integra relinquatur. Discite igitur nunc, Christo rebelles Ariani, Theognostum virum disertum, non abhorruisse à vocabulo substantiæ; scribens enim de Filio in secundo Hypotyposeon, ita locutus est, &c.* In Dec. Syn. Nic. pag. 420.

III. Potuisset abruptiùs respondere Athanasius, In potestate fuisse Oecumenicæ Synodi, tot Martyres, tot Confessores, tot celeberrimos Doctores complectentis, quæstiones ambiguas fidei diffinire: vocibus etiam aliquibus novis, si ita conduceret, pondus addere, ad dogmatum majorem elucidationem. Sed consultius illi visum est, ne Nicænam quidem Synodum hac fraudare gloria, qua & Synodis, & Patribus omnibus nihil amplius, nihil antiquius est, ut ne quid usquam novetur, ut quod traditum est teneatur, ut antiquitas vincat, ut priorum sæculorum vincat consensio; ut ne voces quidem adhibeantur, nisi quas vel Ecclesiæ usus priscus, vel superiorum Patrum consuetudo approbaret. Ita ergo Consubstantialis vocem à Nicæna Synodo sanctam affirmat Athanasius, à Theognosto priùs usurpatam in eodem ipso sensu Filii ex Patris substantia geniti. Huic adjungit Athanasius Dionysium Alexandrinum Episcopum, qui cùm in confutando Sabellio incurrisset in offensiones & in calumnias nonnullorum minùs peritorum, necesse habuit has diluere & purgare apud Dionysium Episcopum tunc Romanum; ubi & illam eandem Consubstantialis vocem usurpavit. *Dionysius porro Episcopus Alexandriæ contra Sabellium scribens, & Salvatoris ministerium in carne pluribus verbis exponens, iisque convincens Sabellianos, refellensque Patrem non fuisse carnem factum, sed Verbum ejus fuisse, quod carnem induerat, quemadmodum à* Ibid. p. 4[illegible]

Joanne

Joanne dictum fuit; & in ſuſpicionem raptus, quod Filium creaturam nominaſſet, eumque factum eſſe, & non conſubſtantialem Patri dixiſſet: ad Dionyſium Epiſcopum Romanum ejuſdem ſecum nominis, pro defenſione criminis ita ſcribit, ſe non dixiſſe Filium eſſe factum, quem Patri conſubſtantialem confiteatur. Huic Alexandrino Dionyſio accedit & ſuffragium Dionyſii Romani: *En tibi, rurſus alterum Dionyſium, Romanum Epiſcopum, ita in ſcriptis ſuis contra Sabellianos, eoſque qui talia dicunt, expoſtulantem.*

IV. Hinc ad Origenem progreditur Athanaſius, ſanè non neſcius variæ ejus fortunæ, non neſcius fulminum quæ in ejus doctrinæ complura capita jam vibrata fuiſſent. Quia tamen complurima ille & catholicè, & optimè ſcripſerat, non dubitavit locum illi honorificum deſignare inter defenſores oppugnatæ ab Arianis Conſubſtantialitatis Verbi. *Verbum porro, æternaliter eſſe cum Patre, neque alterius eſſentiæ, aut ſubſtantiæ, Patriſque ſui proprium Filium, ut ſancitum eſt ab illis qui Synodo interfuerunt, licebit denuo ex laborioſo illo Origene audire. Quæ enim diſputandi certandique gratia ſcripſit, ea non quaſi ipſius ſint verba, aut quaſi ipſe ita ſentiat, ſed eorum qui cum eo contentioſius diſputarunt, accipienda ſunt. Hæc igitur laborioſi illius Origenis ſententia eſt. Poſt illa ergo quæ certandi gratia, quaſi in paleſtra adverſus hæreticos adduxerat, ſtatim iſta, quæ propria ipſius ſunt, ſubintulit. Si eſt, inquit, ulla imago inviſibilis Dei, &c.*

Ibid. pag. 425.

His prolatis in medium ſuffragiis, inde colligit Athanaſius, id ergo à ſe jam demonſtratum eſſe, Eccleſiæ doctrinam ab Apoſtolis eorumque diſcipulis & ſanctis Patribus traditam per manus eſſe, & ita ad nos tranſuſam. *Ecce nos demonſtravimus iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres quaſi per manus traditam eſſe. Vos autem novi Judæi & diſcipuli Caiphæ, quos verborum veſtrorum patres ac majores demonſtrabitis; quum ne unum quidem ex prudentibus, aut doctis in authorem citare poſſitis?* Addit ſanctus Paret nullo hujuſmodi perpetuæ traditionis præſidio poſſe Arianos ſuas aſtruere novitates; nec Nicænam Synodum ab illis proſcindi, niſi quia id ſanxit quod acceperat Eccleſia ab iis, qui primi fuerunt miniſtri ſermonis; quia fidem ſanxit quæ toto orbe terrarum tenebatur, quam ſancti Patres prædicarant. *Nunc vobis (diabolus) author eſt, ut orbis terrarum Concilium vituperetis, non alia de cauſa, quàm quod in eo Concilio, non quæ veſtræ factioni patrocinentur, ſed illa ſint ſcripta, quæ ab initio ipſi, qui teſtes oculati & miniſtri verbi fuere, tradiderunt. Fides enim quæ ſcriptis decretiſque Synodi ſancita eſt, ea eſt totius Eccleſiæ. Hanc quum aſſerere vellent beati Patres, iſtis verbis concipiendam putaverunt, condemnaveruntque Arianam hæreſim.*

Ibidem.

V. Dionyſii Alexandrini Epiſtolam proferebant Ariani, ubi Filium dicebat Dei opus eſſe, & factitium quid, & tam alienum à Patris ſubſtantia, quàm vitis aliena eſt ab agricola. Fatetur Athanaſius ejuſmodi Epiſtolam ab Dionyſio ſcriptam fuiſſe; ſed exaratas ab eodem fuiſſe poſtea etiam complures alias, quæ Filii unigeniti majeſtati magis conſentaneæ eſſent; porro non ex una, aut altera Epiſtola, ſed ex omnibus judicium ferendum eſſe; uti & de fabro judicium fertur non ex una aliqua navi, ſed ex omnibus ſimul, quas fabricarit. Ut autem Dionyſius Filium à Patre alicubi, ulteriùs etiam quàm veritas ferebat, ſecerneret, in cauſa fuiſſe Sabellium, cujus hæreſis uſque adeo tunc in illis regionibus graſſabatur, ut altum jam ferè eſſet in nonnullis Eccleſiis de Filio ſilentium, ut qui non alius à Patre eſſet. *Dicunt igitur in Epiſtola beati Dionyſii ſcriptum haberi, Filium Dei opus & quiddam factitium eſſe: neque Patri naturaliter ſuum ac proprium; ſed alienum ab illius ſubſtantia, qualis eſt vitis à natura agricolæ, aut navis fabri: eandemque etenim, cum opus ſit quoddam conditum, non fuiſſe antequam fieret. Scripſiſſe Dionyſium iſtius generis Epiſtolam agnoſcimus; verum non hanc ſolam, ſed plurimas ab eo poſtmodum ſcriptas eſſe dicimus, quas ab iſtis quoque legi oportuit, ut ex omnibus ſimul, non ex unica duntaxat judicium de ejus fide conſtitui poſſet.* Et mox: *Nam enim fabri peritia ſolertiaque, qui multas triremes ædificavit, ex unica navi, ſed ex omnibus ſimul dijudicari debet.* Addit Athanaſius invidioſæ illi Epiſtolæ conformandum fuiſſe noſtrum de Dionyſio judicium, ſi ejus in ea ſcribenda propoſitum fuiſſet, ut ſuam in ea fidem ederet. Iniquiſſimum autem id fore, ſi aliud tunc agebat Dionyſius, ſi tempori & perſonis ſerviebat, ſi ſuſpiciones ex ea Epiſtola ſibi aſperſas aliis Epiſtolis poſtea abterſit, ſeque purgavit. Cùm hæc reapſe ita ſe habeant, non eſſe aucupandas voces aliquas, quæ incogitanti exciderint, & quas poſtea retractarit: *Si igitur ſimpliciter tanquam qui fidem ſuam ederet, hanc Epiſtolam ſcripſit, eſto, accuſent eum ut velint: non enim crimine caruerit iſtiuſmodi ſententia. Quod ſi temporis, & perſonæ ratio eum ad talia ſcribenda traxit; aliaſque poſtmodum Epiſtolas ſubdidit, quibus ſe de ſuſpicione purgat; non oportuit omiſſis cauſis, cur ita ſcribendum fuerat, homini temerè odium conciliare; ne alioqui videantur nihil niſi dictiunculas aucupari; & veritatem, & fidem rerum, quæ ex aliis Epiſtolis elucet, prætermittere.*

In Epiſt. de Sententia Dionyſii, &c. p. 432.

Ibidem.

Denique quæ impulerit cauſa Dionyſium, ut illa Epiſtola, quæ Filii erant, extenuaret; ut ne ea Sabelliani Patri ipſi imputare poſſent, atque ita nihil neceſſe haberent hypoſtaſin Filii ab hypoſtaſi Patris diſcriminare; ſed utrumque poſſent, quæ eorum erat veſania, in unam hypoſtaſin compingere, & totam Deitatis ſummæ Trinitatem labefactare; ſic mox ibidem Athanaſius: *In Pentapole ſuperioris Lybiæ quidam Epiſcoporum ſententias Sabellii amplectebantur, tantumque eorum commenta invaluerant, ut vix ulterius Filius Dei in Eccleſiis prædicaretur. Re cognita, Dionyſius, ad cujus curam ea Eccleſiæ pertinebant, Legatos miſit, qui authores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis autem de ſtultitia ſua non remittentibus, impudentiùſque in impietate pergentibus, coactus eſt ad illorum improbitatem retundendam iſtiuſmodi Epiſtolam ſcribere, & humanitatem Chriſti ex Evangeliis commonſtrare, ut illis audaciùs Filium Dei abnegantibus, & humana ejus Patri imputantibus, commonſtrata rei veritate, non Patrem, ſed Filium pro nobis hominem eſſe genitum, rudibus illis & inſcitis hominibus Patrem non eſſe Filium perſuaderet; & paulatim ad veram Filii deitatem credendam, & Patris cognitionem evehere poſſet. Hic nimirum ſcopus eſt ejus Epiſtolæ, quæ ad retundendam eorum pervicaciam, qui veritatem fidei mutare volebant, ſcripta eſt.*

Ibidem. pag. 430.

VI. Hæc ego ex Athanaſio hìc paulò prolixiùs adſcribenda duxi, non tam ut Dionyſii unius famam nomenque tuerer: quàm ut cæterorum etiam Patrum omnium dignitas, fides & doctrina, adversùs hæreticos ſeu ſycophantas alios quoſcumque quomodo defenſanda ſit, ex Athanaſio addocerem. Eò revolvitur hæc tota defenſio, ut de quolibet Scriptore Eccleſiaſtico, & de iis maximè, qui de fide & de Eccleſia Catholica tam bene meriti ſunt, quàm qui optimè, non ex paucis aliquot lineis, non ex uno etiam opuſculo pronuntiemus; ſed ex omnibus eorum opuſculis; ex iis maximè, quæ cæteris poſteriora ſunt, & in quibus antedicta ab illis retractari potuere, aut etiam certiſſimè retractata & emendata ſint, ut hìc de Dionyſio author eſt Atha-

est Athanasius, eo ipso tempore, quo alia, quo posteriora, quo castigatiora ejus opera manibus omnium terebantur. Nec verò hæc interpretandi ejusque Scriptoris Ecclesiastici necessaria humanitas est, sed & æquitas. Nec eam clementiæ & æquitatis regulam primus omnium commentus est Athanasius; sed & omnis ante eum Patrum Senatus eam illi præivit. Quin & Scripturæ ipsæ, in quas mendi, vel erroris ne suspicio quidem cadere potest, non aliter intelligendæ, vel exponendæ sunt, quàm ut contextibus non paucis implicatioribus, & in obliquiores sensus alioqui abducendis, ex aliorum complurium comparatione lux affundatur, & sua veritas constet. Potuerat summa sapientia Christus ita trutinari, ita elimare singulas sacrarum litterarum voces, ut nihil opus esset hoc circuitu, vel hac aliorum contextuum plurium testificatione. Sed quia non sibi, sed nobis Scripturas temperabat; nec veritati tantùm, sed & charitati contemperabat; in illis ipsis sanciri & præcondi voluit hanc regulam, ut tanto proniores essemus ad eandem vel clementiam, vel æquabilitatem, Patrum & Orthodoxorum, immo & omnium hominum sermonibus scriptisque accommodandam. Et illud enim Augustinus in Evangeliorum concentu observavit, Ab his, à Christo ipso multa humanæ loquendi consuetudini data esse, ut vel hinc ubi sempiterna sapientia & veritas loquitur, discamus nos morosos & scrupulosos ultra modum esse non debere, in mortalium scriptis, vel sermonibus pensiculandis.

VII. Nec aliam Apostolos ipsos, quàm Dionysium, iniisse rationem mox demonstrat Athanasius, ubi tam multa humiliter de Christo, vel dixere, vel scripsere, quæ Divinitatis ejus fidem in speciem concutiant; & quæ tamen non aliter, vel dici, vel scribi expediebat, ne Judæi ad divinitatis ejus aperta statim testimonia efferarentur. *Quod si beatum virum ob hoc scripti genus in culpa ponunt, nulla alia re ipsis ad criminationes suppetente, quid facient de beatis, & magnis Apostolis, quorum Petrus in Actis hæc verba facit, Viri Israelitæ, audite sermones istos, &c.* Et mox: *Paulus verò Antiochiæ, &c.* & rursum: *Quid denique facient, si Stephanum illum magnum martyrem ita audiant loquentem, &c.* His exemplis ita præstructis, jam ad Dionysium purgandum pergit Athanasius: *An quia ita isti calumniantur, suspicandum est Apostolos his verbis utentes Christum tantummodo hominem esse existimavisse, neque quidquam sublimius de eo cogitasse? Absit, ut hoc cuiquam in mentem veniat, illi ut architectones periti, & dispensatores ministeriorum Dei, non sine justa ratione rem ita temperarent. Judæi enim ejus temporis, partim ipsi errantes, partim Ethnicos in errorem abducentes, Jesum nudum & merum duntaxat hominem ex semine Davidis prodiisse credebant, eo modo quo cætera illius posteritas; neque eum Deum, aut Verbum esse carnem factum opinabantur. Hac de causa beati Apostoli prudenter admodum humana Salvatoris primùm Judæis attulere; ut eos jam Christum venisse ex signis miraculisque persuasos, paulatim ad credendam ejus divinitatem producerent, demonstrantes certissimis rationibus istiusmodi opera non hominis, sed Dei esse.*

Judæi pag. 434.

Pag. 434.

Eo ergo verborum temperamento usus est ad Sabellianos Dionysius, quo Apostoli ad Judæos, à fide divinitatis Christi immaniter abhorrentes; & hoc tamen lenocinio, hoc circuitu ad eam tandem perductos, ut invictissimè hìc demonstrat Athanasius: *Idem igitur Dionysius ab Apostolis edoctus fecit, coactus ob Sabellii hæresim, quæ jam irrepserat, istiusmodi Epistolam scribere; verbaque illis, quæ humanitus & humiliter de Servatore sonant, objicere; ut rebus humanitatis ejus intersepirentur, quo minus Filium Patrem esse dicerent; & ita faciliorem illis viam ad credendam filii divinitatem strueret in illis Epistolis, ubi ex sacris scripturis Verbum eum esse sapientiam, virtutem, vaporem, splendoremque Patris esse demonstrat. Certè in scriptis suæ apologiæ propalam & ingenuè piam fidem in Christum confitetur.* Et ibidem statim: *Ut igitur Apostoli ob humana de Christo verba homine facto culpandi non sunt, sed potius ob doctrinam pro tempore dispensatam admirationi esse debent: ita Dionysius quoque ob Epistolam Euphranori & Ammonio contra Sabellium scriptam culpandus non est.*

VIII. Si tam humani & tam æqui fuissent Sectarii in bene vertendis iis, quibus in Patrum monumentis offendebantur: non illi à charitate unquam Ecclesiæ, non ab unitate, non à veritate Catholica excidissent. In Patrum consensione habuissent inexpugnabile propugnaculum, quo & eorum si fors nævos excusarent ex aliorum decretis, vel ex aliis eorundem alibi testimoniis: & quo seipsos à Patribus non divellentes, in avita & orthodoxa fide inconcussi starent. At seipsos aliosque pascere & oblectare soliti incredibili quadam malè de cæteris omnibus & sentiendi & loquendi licentia, hinc facilè eò delabuntur, ut & Scripturas & sanctos Patres vel ad sua præjudicia detorqueant, vel non magnificiant. *Percunctatus es me & de fide & de culpa eorum, qui sibi rectè sapere videntur, qui multa immodestia nefaria loqui non verentur, quibus abducti instabiles in fide sese errare non agnoscunt. Nam si stabiles in fide essent, non istiusmodi verbis seducerentur, dum vacante per otium animo, capaces se præbent hujusmodi traditionum, ex quibus germinat insolentia immodestiæ & vecordiæ ferocitas; cæcutientes autem odio prætereunt Prophetarum indicia, & Apostolorum documenta, & Patrum mandata, ipsaque irrefutabiles Domini voces.* L. de Incarn. Dom. p. 479.

IX. In Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ adversarios acerbissimè objurgat Athanasius, quòd cùm fidem suam cœpissent chartis mandare, diem & Consulem præfixissent: præter opinionem enim suam suo se illi jugulabant gladio; & eam fidem suam, non antiquam Ecclesiæ, sed nuperam suamque propriam esse confitebantur. Eo etiam Cataphrygibus inopini sese adgregabant, qui Maximillæ & Montano cùm se devovissent, & eorum insanis vaticiniis fascinati fuissent, confessionem suam ita ordiebantur, *Nobis primùm revelatum est.* Ita quippe & Ariani se Constantio sic mancipaverant, ut ab ejus principatu Christianæ fidei exordia consignarent, *A nobis incipit fides Christianorum.* An ergo Christianæ, ait Athanasius, an Catholicæ fidei exortes fuere sancti Patres, qui ante hæc tempora Ecclesiam illustravere; vel beati Martyres, qui sanguine illam suo consecravere; an turbæ fidelium innumerabiles ante hæc tempora? En ipsa Athanasii verba: *Non sentiunt (Ariani) se delapsos ex Phrygia in Arianam sectam, adeo ut ipsi pro eorum more loquantur: Nobis primùm revelatum est; à nobis incipit fides Christianorum. Et ut illi Maximillam & Montanum, ita isti pro Christo Constantium Dominum suum nuncupant. Quod si secundum ipsos ab istis Consulibus principium suum fides accepit, quid facient Patres & beati Martyres? aut quid facient illi, qui ab eis Christianæ religione instituti sunt, & ante Consules istos dormierunt?* Pag. 474.

X. Erat Ariminensi in Concilio Catholicorum longè pars maxima Episcoporum; hi constantissimè negabant eò se convenisse ad fidem suam scribendam; quam haberent jamdiu integram & illibatam, à sanctis Patribus acceptam, & à Nicæna nuperrimè Synodo; ideoque opus esse dumtaxat, ut palam omnes profiterentur à se hæreses damnari, quæ Patrum sunt teneri; nec novis jam quæstionibus, vel Synodis novis locus esset. *Nos, non quia fide indigeremus, huc convenimus. Habemus* Ibid. p. 476.

bemus enim ſanam fidem ; ſed ut eos qui veritati contradicunt, & nova moliuntur, confunderemus. Si igitur vos, quaſi nunc incipientes credere, iſta ſcripſiſtis ; nondum clerici haberi poteſtis, ut qui nunc rudimenta fidei condiſcere incipiatis. Quod ſi eo animo quo nos, huc veniſtis, ſit omnium concordia, & hereſes anathemate execremur, & que Patrum ſunt, teneamus, ne poſthac captatæ Conciliorum occaſiones obverſentur ; quum ſemel illi qui Nicæa convenerunt, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica fide. Omnibus ergo Epiſcopis ita ſuffragiis inter ſe conſentientibus ; illis è diverſo qui abnuebant, ut inſcitis, doloſis ac potiùs hereticis, condemnatis : totum Concilium ſuis calculis Nicenam Synodum approbavit, & eam ad omnia ſufficere judicavit.

In Epiſtola certè illa, quam Ariminenſes primùm Epiſcopi ad Conſtantium Imperatorem ſcripſere, id conteſtabantur, iniquiſſimum ſibi videri, ut ea fides, quam ſynodicè conſultatam Conſtantius Imperator promulgaverat, in qua tinctus, cui immortuus fuerat, nunc adulteraretur, & injuria afficerentur tot Patres, Martyreſque, qui ejus tenaciſſimi fuerant. *Fuitque proinde nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, quum Imperator Conſtans ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle : & tot ſanctos Confeſſores, Martyreſque, hujus placiti ſcriptores authoreſque contemnere, qui pro veteri lege rituque Eccleſiæ in ea ſententia permanſerint.* Et aliquantis interpoſitis : *Neque ad contumeliam mortuorum aliquid novi induci permittas, ſed nos ſinas in inſtitutis decretiſque Majorum permanere, quos magno ingenio, prudentia, & Spiritu ſancto omnia feciſſe aſſeveravimus.*

Pag. 676.

XI. Video hic de Patrum ſynodicis definitionibus agi. Sed ubi ſynodicæ non ſunt Patrum definitiones, quando quovis in dogmate conſentiunt ? Aut quæ uſquam auguſtiores ſanctioreſque Synodi, quàm ubi non pauci, non aliquanti, ſed omnes, vel plerique omnes ; non unius ævi, ſed omnium temporum ; non unius aut Provinciæ, aut Imperii, ſed totius orbis terrarum Epiſcopi conſentiunt, ut illos nec locus capere poſſit unus, nec unum aut alterum ſæculum ? In ejuſmodi Synodorum animo convocandæ ſunt cæteræ Synodi omnes, convocandi Patres omnes, ut hinc nova cumulentur bonoris & ponderis acceſſione.

Superſunt & alia quæpiam quæ hic juvet ex eadem Athanaſii Epiſtola conſtipaſſe, ubi de Patribus Ariminenſis Synodi hæc habet : *Ut Arianicè ſapientes ab Eccleſia detraherent, & Patrum traditiones integras conſervarent, ſancta & canonica decreta facientes. Quiſque enim eorum ſibi perſuadebat, ſi ſolveret aliquid ex decretis Majorum, occaſionem ſe daturum poſteris, ut quod ipſi egiſſent, reſcinderetur.* Et mox : *Qua enim fiducia in eorum Actis, ſi decreta Majorum ſuorum ſolvant ? aut quomodo eos quibus ſucceſſere, patres ſuos appellabunt, quorum ſententias ipſi culpant ?* Et rurſus : *Quid videlicet docebunt populos ab ipſis inſtitutos ? an Patres ſuos lapſos eſſe ? aut quomodo ipſi veri apud diſcipulos ſuos habebuntur, quibus perſuadent præceptoribus credendum non eſſe ? Quibus porrò oculis intuebuntur monumenta Patrum ſuorum, quos ipſi hereticos nominant ? aut quo ore Valentinum, Phrygas & Manicheos culpabunt, quum eadem cum ipſis loquantur ? aut quo jure ipſi Epiſcopi eſſe poterunt, ſi ab hereticis, quos ipſi criminantur, conſtituti ſunt ? Quod ſi illi malè ſenſerunt, & ſcriptis ſuis orbem terrarum ſeduxerunt, ceſſet omnino eorum memoria, & ſcripta illorum abjiciantur. Ite ergo vos ipſi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, ut ab omnibus intelligatur, & illos fuiſſe ſeductores, & vos parricidas eſſe.*

Pag. 679.

Minimè mirum eſt ergo ſi novellæ Proteſtantium Sectæ in alias ſubinde aliaſque ſententias Sectaſque ſcindantur, cùm ſua ipſæ ab Eccleſia defectione hanc dedicaverint poſteris ſuis novandi cupidinem ; & hoc diſcipulos imbuerint magiſterio, ut ſuo quiſque abundet ſenſu ſine fine, ſine modo, abſcindatque ſe à cæteris, à novitate & à ſciſſione abhorrentibus. Præſto ergo illi ſemper ſunt, ut Majoribus ſuis renuntient, Patres ſuos ejurent, Matres ſuas infamia conſpergant, fidem ſemper novam quærant, atque ita nunquam inveniant, in quo pedem figant & conſiſtant. Abrogaretur illis ſua ordinatio & magiſterii ſucceſſio, niſi eam ipſimet peremiſſent ; quippe à nullo ſe ordinatos, à nullo ſe miſſos ultro ferè confitentur ; quando eos omnes Majores ſuos, à quibus ordinari & mitti potuerant, ab Apoſtolica & primigenia fide deſciviſſe calumniantur. *Supereſt, ut ipſi generis ſui ignobilitatem culpent, & dicant ſe non ex piis, ſed ex hereticis originem trahere.* Et mox : *Adversùs Synodum Nicænam contendentes, multas Synodos inſtituerunt ; in quarum ſingulis novam ſemper fidem edentes, in nulla earum perdurare poſſunt. Neque unquam aliter facient : quoniam malè quærenda, non inveniunt ſapientiam, quam odere.* Ibid. p. 680.

XII. Rurſum ad eos ſtylum flectit Athanaſius, qui in Concilio Antiocheno vocem Conſubſtantialis explioſerant, ne inde Sabelliani inſidias nobis ſtruerent : & ad eos qui in Nicæno eam vocem conſecraverant, ut cum primis opportunam ad Filii aſſerendam æqualitatem cum Patre. Hos omnes ut Patres, ut Eccleſiæ & fidei vindices, ut in pace Eccleſiæ ſuo defunctos mortali curriculo complectitur, & omnibus complectendos contendit Athanaſius, nec alios aliis collidendos ; nec numeri rationem habendam, ut alii in honore ſint, alii deprimantur : ſed ſenſum rimari nos debere diverſum, quo una eademque vox nunc probari poſſit, nunc repudiari : quando varia & verſatilis eſt vocum natura, & pro loco & tempore in alios & alios ſenſus flexilis. *Cæterùm quia affirmant, nam Epiſtola penes me non erat, Epiſcopos, qui Samoſatenſem condemnarunt, dixiſſe, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem ; ac jam deinde ipſos ob reverentiam honoremque eorum, qui ita locuti ſunt, ab hac voce abhorrere : rectum fuerit reverenter cum iis de ea re diſceptationes facere. Nam arietare cum illis prorſus indecorum eſt, eo quod omnes Patres ſint : Rurſus diiudicare, iſtos bene, illos malè dixiſſe, nequaquam ſanctum eſt ; omnes enim in Chriſto dormierunt. Quapropter neque contentioſiùs agendum eſt, neque numerus eorum qui congregati fuere, in comparationem mittendus ; ne videantur trecenti illi Niceenſes, eos qui pauciores ſunt præſtringere. Neque tempora metienda ſunt, ne priores videantur poſteriores exauthorare. Omnes enim iſti quemadmodum dixi Patres ſunt.* Ibid. p. 706.

Duos Dionyſios mox declarat Athanaſius & Conſubſtantialis verbo uſos eſſe ſenſu valdè ſono, & Antiocheni Concilii tempora præceſſiſſe : nec in culpa tamen eſſe Antiocheni Concilii Patres, qui vocem abjecerint duobus Dionyſiis Romano & Alexandrino approbatam ; atque in eundem modum in crimen vocari non poſſe Nycænos Patres, qui improbatam ab Antiochenæ Synodi Præſulibus vocem ſenſu longè diverſo approbarint. Cùm & hinc enim & illinc certatim tuendæ adversùs diverſiſſimas hæreſes fidei & Eccleſiæ ſtuderent ; ſtultum fuerit & impium diſſidia inter illos comminiſci, qui unitatis charitatiſque retinentiſſimi cùm eſſent, vocibus nunc his, nunc illis pro rerum opportuninate & neceſſitate alio & alio ſenſu utebantur. *Si igitur aliquis carpit Niceenſes, quod non dixerint omnia quæ ipſorum anteceſſoribus* Ibid. p. 707.

soribus placuerunt : idem quoque merito carpserit septuaginta Episcopos, Pauli Samosatensis condemnatores, quod ea quæ antecessorum erant, non observaverint. Antecessores autem eorum fuere duo isti Dionysii, ceterique qui Romæ tum congregati fuere. Verùm neque hos, neque illos fas est culpare. Omnes enim Christi curam gessere, studiaque sua contra hæreticos intenderunt; & hi quidem Samosatensem, illi vero Arianam hæresim condemnaverunt; bene vero hi & illi pro subjecta materia scribunt.

XIII. Rem confirmat Athanasius exemplo Pauli Apostoli, qui ad Romanos & alios Gentiles scribens legem vehementer extenuabat, quam ex adverso extollebat in datis ad Hebræos & Galatas litteris: nec tamen vel illic, vel istic à seipso, vel à veritate dissidebat. Erat enim ubi lex officeret illis, qui totum in ea ponentes Christo injuriam faciebant: erat ubi non minimum prodesset, si ab eo tanquam pædagogo prima quædam & ru-
Ibid. p. 708. dia pietatis elementa ediscerent. *Ita quoque etsi amborum Conciliorum Patres diversimodè de Consubstantiali mentionem fecere; non tamen ea de causa ab illis dissidere debemus, sed illorum mentes scrutari: quod si fecerimus, omnino inveniemus, ambas Synodos inter se consentire.* Et nonnullis interjectis: *Quemadmodum nunquam quisquam, ut superius dixi, Apostolum culpaverit, quòd de lege ad istum modum Romanis, ad illum verò Hebræis scribat: Ita neoterici priscos homines nunquam culpaverint, si videant eorum mentem & interpretationem; neque rursus prisci neotericos reprehenderint, si conspiciant quo animo, & in quem usum de Domino scribant. Nam utraque Synodus justam habet & rationabilem causam, cur illa ad illum, ista verò ad istum modum verba sua temperaverit.*

Nihilo operosius est Antiochenos Nicænosque Patres sibi mutuò conciliare, quàm illas Pauli Epistolas in speciem tam discrepantes de lege Mosaica; cùm ea vocum conflictatio necessaria esset, ut contrariis morbis ultro citroque serpentibus medicina pararetur. Ejusmodi medicinale verbum erat Consubstantiale, quo fiebat, ut & illud magnoperè Ariani aversarentur, tantòque arctiùs illud complecterentur Catholici Patres: *Certè quum omnia queant fucis lenociniisque sophismatum adulterare, & pro libidine mutare; hanc solam vocem adsperientem ipsorum heresim reformidant, quam Patres pro munimento & arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt. Desinat igitur omnis contentio, neque in nos mutuo arietemus, si diversimodè Concilia acceperunt verbum Consubstantiale. Habemus enim pro excusatione legitimas eorum causas, quas dixi.*

XIV. Indulserat & Basilius suo ævo non multùm dissimili indulgentiæ & dispensationi circa voces, ex quo illi conflata est invidia, quasi avitæ fidei de Deo, ac de Spiritu sancto potissimùm minùs studeret. Cùm audisset Athanasius, quantum hinc illi molestiæ crearent, qui illum altiùs consulentem, vel non caperent, vel non probarent; calamum stringit in ejus defensionem, scripisque litteris monuit eos, qui præpropero fervebant zelo, ut sibimet ipsi moderarentur; nec sævirent linguis in eum, qui infirmus apud infirmos efficiebatur, ut infirmos lucraretur. En ipsa Athanasii verba ad Palladium Presbyterum, ubi docet, quàm non sit obtrectandum Patribus & Episcopis, in Ecclesiæ defensionem incumbentibus, & ea vel dicentibus, vel scribentibus, quæ
Pag. 711. quò vergant non omnes satis capere possunt: *Tibi certè quod mihi rem indicasti, gratias ago: illis verò, quæ decuit, scripsi, ut veluti filii obsequantur patri; nec iis, quæ ille probat, contradicant. Nam si suspectus esset in negotio veritatis, rectè pugnarent: sin autem confidunt, ut omnes confidimus, eum esse gloriam Ecclesiæ, dum ita decertat pro veritate, & docet eos, qui indigent doctrina; non fas est cum tali homine pugnas conferere, sed amandus potiùs est ob pium animum. Nam ex iis, quæ cognovi ex dilecto nostro Dianio, nulla de causa eum gravatim ferunt. Ipse enim, ut planè mihi persuadeo, infirmus efficitur apud infirmos, ut infirmos lucretur. Dilecti autem fratres nostri respicientes ad scopum ejus, quo ad veritatem tendit, glorificent Dominum, quod talem Episcopum Cappadociæ dederit, qualem singulæ provinciæ sibi optant. Tu autem, dilecte, velis iis indicare, ut credant me hæc scripsisse: id enim vos erga Patrem benevolentes reddet, & pacem in Ecclesiis conservabit.*

CAPUT XXXII.

Ex aliis Patribus Græcis idem exprimitur.

I. Basilii testimonium de Patrum authoritate in dogmate de Spiritu sancto.

II. Quàm tutius, quàm necessarium sit, fidei se potius & authoritati Patrum committere, quàm inscrutabilium scrutationi.

III. De Basilio, postquam hinc migravit, etiam ultra modum laudato, quod charitas nesciat modum.

IV. Laudes & disciplina Gregorii Thaumaturgi. De Symbolo, quod illi Joannes Apostolus hortante Deipara explanavit.

V. Quàm magnificè de Basilio Nyssenus, quàm modicè de seipso suisque scriptis sentiret.

VI. Quas Irenæus, quas Clemens Alexandrinus congesserit laudes in Patres antiquiores.

VII. Ex Clemente nihil scripsere Patres, nisi ut antiquas traditiones, superiorum scilicet Patrum & Apostolorum litteris mandarent.

VIII. De rebus divinis dicere, scribere: discere, docere, quàm beatum sit.

IX. Divinitatis radium intus affulgentem non nesciebant sancti Patres: sed hinc tanto magis adducebantur, ut Ecclesiæ, traditioni, Patribus aliis inniterentur toti, sibi ipsis diffiderent.

X. Clementis Doctrina ex Epiphania nullis, Origenis longè plurimis inquinata est mendis: quod ille totum det traditionibus antiquorum Patrum, hic ingenio suo.

XI. Epiphanii judicium de Origene ubique densas, & de Ætio nullas allegante Scripturas, utroque traditiones Patrum aspernante. De Apollinari.

I. PErcommodè factum est, ut Basilius ad quem statim delapsuri eramus, ab ipso nobis Athanasio subjiceretur. Suam quoque illam eandem Basilius luctam, de qua meminit Athanasius, ob oculos nobis posuit in homilia adversùs Sabellianos habita. Æstuationem ergo ille suam ita profitetur apud auditores hinc & hinc insidiosos, cupidissimosque illum audire de Spiritu sancto disputantem: non ut aliquid lucis & doctrinæ ab illo hauirent; sed ut quancumque se ille in partem daret, calumniandi ansas aucuparentur. Unum id verò præ se fert Basilius, se simpliciter quæ in Ecclesia audierit dicturum, quæ acceperit traditurum; non quæ placeant, sed quæ prosint dicturum, adeoque quæ placere debeant; placere autem omnibus debere, quæ Scripturis consonent, & non dissonent à sanctis Patribus. *Omnium enim aures nunc de Spiritu sancto audire gestiunt. Ego verò maximè omnium simpliciter, ut illa accepi, & ut absque ulla curiosa vestigatione assensum illis præbui, ita & auditoribus tradere vellem; ut non semper de eisdem mihi reddenda esset ratio, sed ut ex una confessione persuasos haberem discipulos. Quoniam verò nos circumsistitis, judices magis quàm discipuli, ut experi-*
Basilius Tom. I. Hom. IX.

mentum

mentum de nobis capiatis, non ut aliqid à nobis discatis; necessarium est, ut objectionibus quidem velut in jus vocati respondeamus, & perpetuò interrogemur, itemque ut eadem perpetuò inculcemus, quæ accepimus. Hortamur autem vos, ne quovis modo quod vobis probetur, ex nobis audire queratis; sed quod Domino placeat, & consonum sit Scripturis, nec Patribus contrarium sit. Et paulò inferiùs: *Ac ne Spiritum sanctum à Patre ac Filio separes, absterreat te Dominica traditio. Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, Martyres confirmarunt. Satis tibi sit ut dicas quemadmodum edoctus es.* Ibidem.

II. Quàm exitialis verò futura sit ratiocinandi & argumentandi libido inexpleta, cùm tanto æquius esset simplici fide & propenso cultu ea de Deo & mysteriis prosequi, quæ nostræ mentis fugiunt vim superantque; ut quæ plerumque etiam caliget & hebescat in iis, quæ terrena, quæ vulgatissima, quæ ob oculos posita sunt; ita Basilius: *Hoc vestrum, Ergo, sempiterna nos maledictioni obnoxios constituet.* Τοῦτο ὑμῶν τὸ ἄρα τῷ αἰωνίῳ ἐρᾷ συνδήσας ὑμᾶς κατασύρει. *Omnia ne scrutatus es? Universa ne cogitationibus tuis isti divisioni subjeciisti? Nihil inexquisitum reliquisti? Cuncta mente tua complexus es? Omnia intellectu tuo comprehendisti? Nosti quæ sub terra sunt? Nosti quæ abdita sunt in profundo? Demoniaca jactantia est, quæ dicit, Novi ego numerum arenæ, & mensuram maris. Si vero multa ignoras, & quæ ignoras cognita innumeris modis superant; quanam ratione non cum omnibus & eam ignorantiam de modo essentiæ Spiritus sancti, quæ periculo caret, absque ullo pudore fateris?* Ibidem.

III. Quàm patuit Basilius invidiæ & convitiis, dum in vivis ageret; tam ubi hinc excessit, suprà invidiam, suprà omnem admirationis aleam assurrexisse visus est. In ejus laudes vereor ne frater ejus Nyssenus suprà modum sese effuderit, quando & rebus in optimis modus tenendus est. Paulo Nyssenus Basilium exæquat, exæquat & Joanni, qui major inter natos mulierum veritatis ipsius ore declaratus est. *Proinde si unum perfectæ charitatis atque dilectionis terminum esse didicimus; nempe eum qui ex toto corde Deo dicatus & consecratus sit: ac diligebant Paulus & Basilius toto corde Deo dicati atque addicti; si quis ausit dicere, quod unus esset in ambobus dilectionis modus atque mensura, à veritate non aberrabit.* Et mox: *Si igitur in eo quod inter res præclaras & eximias eminet atque excellit, ac reliquas comprehendendi vim habet, Paulo non inferior est: nimirum etiam in aliis omnibus bonis, quorum charitas primas tenet, hæc quæcunque ex hac pendent, & existunt, omnino posteriores partes ferre & inferior esse non videbitur.* Et non multò pòst: *An etiam Joannem cum Magistro conferre, atque comparare placet?* Greg. Nyss. Tom. 3.

Vereor ut possit quis hæc satis excusare; sed quando nos non de Nysseno, sed de Basilio hìc verba facimus, non possumus non admonere lectorem, quantus & quàm admirandus esset Basilius, qui vel doctissimum sanctissimumque virum Nyssenum in tantam sui rapuit admirationem. Non facilè ajunt esse, amare & sapere. Ea enim est amoris indoles & vis, ut dominetur, & regat, nec regi se sinat. Non laudavit ille Basilium intemperantiùs, nisi quia & intemperantiùs amavit, quasi persuasus non posse talem tantumque virum intemperantiùs amari, laudarique. Fuere & qui beatos cœlites omnes mutuò coæquarent, quod omnia ibi sint omnium; quod omnium perfectissima & summa sit charitas, atque ita nihil supra se relinquat. Sed hæc aliis permitto, vel acutiùs, vel solidiùs tractanda. Unum est quod nostros Sectarios monitos velim, antiquius nobis pulchriusque esse cum Nysseno minus sapere, & intemperantiùs amare, vel etiam laudare summos viros, & Basilii similes; quam cum ipsis sapere, & passim prosilire ad Patrum doctrinam vitamque proscindendam. Ibi charitati facilè indulgetur, quæ plusculum etiam forsan sibi indulget: hìc nemo facilè ignoverit effræni maledicentiæ hominum, quibus sua tantùm sapiunt, reliqua omnia fastidio sunt.

IV. Jam verò Gregorius ipse Nyssenus Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi vitam cum litteris mandaret, sæcularibus illum primùm disciplinis & Philosophiæ operam dedisse memorat: tum verò animum appulisse ad sacras litteras, eoque consilio accessisse ad Firmilianum, illum Cæsariensi postea in Cappadocia Episcopatu clarissimum, tum verò eodem æstu flagrantem Ecclesiasticæ Theologiæ. Ad Origenem ergo se ille protinus contulit, qui Christianæ Philosophiæ eo tempore princeps habebatur. Audi Nyssenum: *Postea quàm omnibus disciplinis externæ sapientiæ percursis, incidisset in Firmilianum quendam patricium Cappadocem, similem moribus & ingenio, ut ille in sequenti vita ostendit, cum Cæsariensium Ecclesiæ ornamento fuit, & animi sui consilium ac vitæ propositum amico patefecisset, quod ad Deum videlicet spectaret, & illius studium circa idem desiderium convenire intellexisset; relicto omni studio externæ Philosophiæ accedit unà cum illo ad eum, qui eo tempore Christianorum Philosophiæ princeps erat. Is autem erat Origenes, cujus propter scripta, fama celebris est: etiam per hæc ostendens non modò studium discendi atque industriam, verùm etiam sedatum ingenium & animi moderationem.* Nissen. Tom. 3.

Cernis quàm sanctum ac solenne sit omnibus Christianæ Theologiæ sive candidatis, sive magistris, non suo ipsos marte & ingenio dogmata, aut disciplinas condere, ut duces ipsi sibi & magistri sint: sed ad magistros antiquos conferre, & ab illis accipere atque perdiscere, quæ & ipsi à majoribus tradita acceperunt.

Nec ab his dissonant, quæ aliquantò post narrat idem Nyssenus de Thaumaturgo, cui visendos se præbuere Virgo Deipara & Joannes Evangelista: ubi & Joannem hortata est sanctissima Deipara, ut Gregorium addoceret veræ fidei placita; eique Joannem obsequentem Gregorio symbolum edisseruisse, quod ille protinus mandavit litteris, & Ecclesiæ suæ consignavit tanquam divinum quoddam patrimonium. *Audivisse enim dicitur ea, quæ in muliebri habitu visa erat, cùm hortaretur Evangelistam Joannem, ut adolescenti mysterium veræ pietatis aperiret, ac declararet. Atque illum dixisse, se paratum esse etiam in hoc matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi esset: atque ita, exposito sermone, qui & rei quæsitæ conveniret, & admodum bene definitus & circumscriptus esset, rursus ex oculis discessisse; atque hunc extemplo divinam illam institutionem ac disciplinam litteris mandasse; & secundùm illam postea in Ecclesia sermonem prædicasse, ac posteris tanquam patrimonium quoddam & legatum, divinitus datam illam doctrinam reliquisse, per quam usque in præsentem diem instituitur illius civitatis plebs, quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit.* Ibidem.

Non is erat Nyssenus, qui hæc omitteret; sed nec is erat, qui huic narratiunculæ Catholicum dogma superstrueret. Scriptura, traditio Patrum & Ecclesiarum Scripturam interpretantium & toto orbe consentientium, ea sunt inconvulsa fidei Christianæ fundamenta. Hæc præsidia ut sibi pararet Thaumaturgus, ad Origenem unà cum Firmiliano se contulerat, ut ab eo edoceretur, quæ illum antiquiores edocuerant Patres. His ubi miracula, ubi visiones, ubi cœlestia ostenta accedebant, non respuebantur; ecquis enim divina munera respuisset sobrius? Sed nec magnoperè expetebantur, aut plus æquo venditabantur.

V. Denique quo loco velit Nyssenus haberi

ſcripta ſanctorum Patrum, ex hoc id quidem elucebit ejus teſtimonio de Baſilio, cujus Commentarios vult recipi in ſummam quandam authoritatis arcem ſecundùm ſcripturas divinitus inſpiratas; ſua verò ſcripta legi, non aliter quàm ut probabiliter diſputata, quæ nulli ſecus ſentienti præjudicent. Hac ſui ipſorum deſpicientia, hac Patrum admiratione, & ſe, & lucubrationes ſuas magnoperè commendant Theologi Scriptoreſque Catholici: nobis utique æmulandi, dum majoribus aſſurgunt; ſed ipſimet tantò magis reverendi, & ſequendi, quantò authoritatem privatim ſuam extenuare magis ſtudent, quàm amplificare. En Nyſſeni verba: *Sed antequam exordiar illud teſtatum volo, mihi certum eſſe nulla in re contradicere iis quæ à Baſilio in mundi procreationem conſcripta ſunt, etiamſi me dicendi ordo ad aliam expoſitionem adduxerit. Rata igitur ſint illius ſcripta, præſtentque, nec ullis, niſi Teſtamenti divino Spiritu dictante exaratis monumentis cedant. Noſtra verò quicunque legerint, & aliquid præter communem opinionem invenerint; ſic accipiant, ut ſine ullius injuria in dicendi exercitatione probabiliter diſputata. Neque enim propoſitum defendere, aut dogma conſtituere profitemur, ut calumniantibus occaſionem præbeamus; nec hiſce in ſcriptis interpretationis doctrinam tradere; ſed animum & cogitationem noſtram in hoc argumento duntaxat exercere.*

In Hexameron.

VI. Laudaverat & Irenæus Ignatium & Juſtinum, qui ante ipſum ſcriptis ſuis Eccleſiam locupletaverant. Ita enim ille de Ignatio: *Quemadmodum quidam de noſtris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad beſtias: Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molar, ut mundus panis Dei inveniar.* Et paulò antè de Juſtino Philoſopho & Martyre: *Bene Juſtinus dixit, quoniam ante Domini adventum, nunquam auſus eſt Satanas blaſphemare Deum, quippe nondum ſciens ſuam damnationem: quoniam & in parabolis, & allegoriis, & prophetis de eo dictum eſt.* Ubi perſpicis, quàm inolitum ſit Chriſtianis Theologis, quàm ab ipſa Eccleſiæ origine pervulgatiſſimum, ut alii aliis incumbant, poſteriores prioribus, atque ita tandem Apoſtolis omnes innitantur, à quibus conſtantiſſima hæc & nuſquam interrupta traditio exorta eſt.

Irenæus, L. 5. c. 28.

Ibidem. Cap. 26.

Luculentiſſimè autem Clemens Alexandrinus, quo conſilio ſcripſerit ſuos Stromatum libros, aperit; ut nimirum & ſibi ubi ſenuiſſet, & poſteris reconderet, incorruptaſque ſervaret orationes & doctrinas eas, quas à majoribus audierat; non unius, aut alterius, ſed bene multarum Provinciarum orbis, Orientis & Occidentis; qui omnes in eadem conſpirabant avitæ & Apoſtolicæ doctrinæ placita. *Non eſt autem hoc opus Scriptura artificioſè comparata ad oſtentationem, ſed mihi ad ſenectutem reconduntur monimenta: oblivionis medicamentum, verè imago & adumbratio evidentium & animatarum illarum orationum, quas dignus habitus ſum qui audirem, & virorum beatorum, quique revera erant maximi pretii & æſtimationis. Eorum unus quidem in Græcia, Ionibus; alii vero in magna Græcia. Alter eorum erat ex Cœleſyria, alter ex Ægypto, alii autem ex Orniete, ejus alter quidem Aſſyrius, alter verò in Paleſtina ebræus ex alto ducta origine. Cùm autem in eum ultimum incidiſſem, erat autem primus poteſtate, conquievi in Egypto, venans ea quæ latuerant.*

Strom. l. 1. pag. 404.

VII. Quòd autem tota hæc Traditionum Eccleſiaſticarum Theologia ab ipſis uſque derivaretur Apoſtolis, & proinde ab ipſomet Chriſto, ſic ille mox ibidem: *Sed qui veram quidem beatæ doctrinæ ſervabant traditionem, ſtatim à Petro & Jacobo & Joanne & Paulo, ſanctis Apoſtolis ita ut Filius acciperet à Patre, pauci autem ſunt Patribus ſimiles, ad nos quoque Deo volente pervenerunt; illa à Majoribus data & Apoſtolica depoſituri ſemina. Rectè autem ſcio fore ut exaltent; non hac dico latati expoſitione, ſed ſola ea obſervatione quæ eſt in annotatione. Eſt enim hæc, ut opinor, deſcriptio animæ deſiderantis beatam ita conſervare traditionem, ut non poſſit effugere.*

Ibidem.

VIII. Nihil ergo hìc quiſquam ſibi privatim arrogabat, nihil ſuæ ſagacitati, nihil ſuo lumini, nihil inſtinctui ſuperno, nihil commentitio divinitatis radio, quo ſe interiùs illuſtratum jactaret. Omnia ferebantur accepta Majoribus, Patribus, Apoſtolorum traditionibus perpetua ſerie ad ſe traductis, ubi nullus commentis, nullus præſtigiis inſitæ ſuperbiæ locus eſſe poſſet. Ideo & gratulatur mox Clemens ſibi, aliiſque, qui ejuſmodi ſcriptis poſteritati commendandis, atque propagandis Apoſtolorum traditionibus operam navant: beatiſſimique otii ſui hos capiunt fructus, hos Eccleſiæ repræſentant. Hi enim veluti ſpiritales ſunt quidam putei, quorum tantò magis abundant & illimes ſunt aquæ, quantò frequentiùs hauriuntur. Ut ferrum, ita & ingenium uſus exacuit; utrique rubiginem torpor obducit. Convaleſcunt & animi & corpora exercitatione. *Filio autem amante ſapientiam, pater lætitia afficietur. Putei qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perſpicuam: corrumpuntur autem ii quorum nullus eſt particeps. Ferrum quoque uſus ſervat purius: uſus autem defectus ei generat rubiginem. Ut ſemel enim dicam, exercitatio ſalubrem habitum ingenerat & ſpiritibus & corporibus.* Denique ut lux, ita & ſapientia, ſi nullum illuminat, fruſtra eſt. Et ſempiterna ſapientia, & ejus genitor atque Pater ſemper operantur, lucem & ſapientiam ſemper effundunt. Et inter docendum plura diſcimus, & inter dicendum plura intùs audimus à Verbo, à Chriſto Magiſtro uno & diſcentium & docentium. *Quid enim juvat ſapientia, quæ non ſapientem efficit eum qui poteſt audire? Præterea autem ſemper quoque ſervat Servator; & ſemper operatur, ut videt Patrem. Docens aliquis plus diſcit, & dicens ſæpè unà audit cum iis qui ipſum audiunt. Unus eſt enim Magiſter, & ejus qui diſcit, & ejus qui audit, qui & mentem irrigat & rationem.*

Ibidem.

Ibidem.

Sciebant ergo SS. Patres illum radium divinitatis, illud lumen veritatis intimæ, illum Spiritus ſancti inſtinctum, qui corda intus illuminat; ſed illud ſciebant, & dandam operam ut ejus opem orarent, ut gratias agerent, ut totum illi acceptum ferrent, ut eo ad illuſtrandas traditiones uterentur, ut ſibi diffiderent; ut Patribus aliis plus fiderent, quàm ſibi; ut conſentientibus Patribus, & Eccleſiarum concentui, & Eccleſiæ univerſali omnino confiderent, totique innitererentur. Nunquam illi ſibi ſingulis voluere fidem haberi, ne adjecerunt quidem ſibi ipſi fidem hoc interni luminis obtentu, niſi ei concordaret Traditionum priſcarum, Patrumque & Eccleſiarum concentus. Inde eſt quòd rurſus idem Clemens non multò pòſt ita ſuas ſcriptiunculas deprimit, ſuas commentationes viles habet; quæ ab antiquis Patribus audierat, ea admirationi habet, & haberi ab omnibus vult. Denique ſuæ minimum tribuit ſagacitati, plurimum memoriæ: quò germana Eccleſiæ Theologia id profiteatur, non excogitare res novas, ſed meminiſſe antiquarum doctrinarum à Chriſto in Apoſtolos, ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris in Majorum noſtrorum aures & memoriam tranſfuſarum. *Horum itaque meorum Commentariorum ſcriptura, ſcio quàm ſit imbecilla, ſi conferatur cum illo ſpiritu gratia pleno, quem ut audiremus digni ſumus habiti: ſit autem imago, archetypum in memoriam revocans ei qui thyrſo ictus fuerit. Sapienti enim, inquit, loquere, & erit ſapientior. Quinetiam habenti adjicietur. Profitemur autem, non arcana ſatis*

Ibid. pag. 402.

poſſe

posse interpretari multum abest ; sed tantùm in memoriam revocare, sive aliquando oblìti fuerimus, sive ne obliviscamur. Multa autem rectè scio effluxisse propter longitudinem temporis, ut quæ absque scriptis effugerint.

X. Laudat Origenem Epiphanius, quòd Ambrosio viro nobili, quem ab hæresi, sive Marcionis, sive Sabellii ad Ecclesiam Catholicam traduxerat; Ambrosio, inquam, incitante & sumptus suppeditante, universam Scripturam sacram interpretari atque exponere aggressus fuisset, ideoque Epiph. hær. 64. num. 3. *in urbe quæ Phœnicia est, viginti octo annos excellenti quadam ratione in otio & commentandi labore transegisset.* Sed & Origenis idem errores prolixè exagitat, uno ex eo maximè capite ortos, quòd suæ nimio plus in profanam Philosophiam propensioni, & commentandi libidini indulsisset, sanctorum Ecclesiæ Patrum antiquioris doctrinæ incuriosus, aut immemor. Non eam illi viam præmonstraverat Clemens Alexandrinus, qui eidem Alexandrinæ Scholæ ante eum præfuerat. Sæcularis Philosophiæ floribus scatent Clementis Stromata omnia, sed nullas inde errorum insanorumque dogmatum pestes in suas illabi scriptiones passus est Clemens, quòd antiquos Patres, eorumque Traditiones, quas oculis auribusque suis ipse hauserat, ei semper obversarentur. Nihil ejusmodi de Origene legitur. Distat ergo mirum quantum utraque hæc Scripturæ commentandæ ratio: altera cùm quis suo ingenio impune velificatur, altera dum ab antiquis Traditionibus Patrum & Theologorum Ecclesiæ Catholicæ nec vel tantillùm discedit. Illic nulla non reformidanda sunt naufragia, hic nulla; ut palam fit Clementis & Origenis exemplo.

Hinc Epiphanius Origenem objurgat, quòd cùm sex librorum millia scripsisse ferretur, horas suas malè perdidisset, disseminandis per orbem tot deliramentis suis, unam eam ob causam, quòd antiqua & necessaria fidei capita non retinuisset. Ibid. n. 63. pag. 191. *Si enim verum est quod de te percrebuit, sex librorum millia à te esse conscripta; ò infœlix! qui inanissimè desudaris, ac conatus tuos omnes tanta animi contentione in vituperationes ac vanissimas fraudes insumpseris; operam denique tuam frustra posueris: nimirum præcipuis illis ac necessariis fidei capitibus depravandis, desperatum, ac fructu carentem omni negotiationis tuæ laborem reddidisti.*

XI. Totus erat Origenes in Scripturis commentandis & allegandis. Totus postea fuit Ætius in Dialecticis disputationibus, ut ne semel quidem ullum allegarit, seu Veteris, seu Novi Testamenti versiculum. In errores gravissimos impegit uterque, quòd uterque à Majorum vestigiis, & à sanctorum Patrum Apostolicis traditionibus nusquam deflectendum esse, sive in exponendis Scripturis, sive in dissertationibus Dialecticis, non satis exploratum habuerit. Audi quid de Ætio testificetur Epiphanius: Ibid. p. 988. *Hæc adversùs Ætii dogmata disputanda putavimus: quæ ille Dialectica facultate, & argumentandi subtilitate, humanisque præstigiis fretus, capitibus septem ac triginta disseruit. Ea verò cum prudentia ut legatis, postulo. Ita enim, ò Christiani, ac Christi servi, veritatisque filii, terrenam ac vanissimam illius doctrinam, atque à Spiritu sancto prorsus abhorrentem esse cognoscetis. Qui divini verbi ne una quidem littera mentionem attigit; nec ullum veteris aut novi Testamenti locum protulit. Nihil ex Lege, nihil ex Prophetis, nihil ex Evangeliis, nihil ex Apostolis, nihil ex Patriarcharum testimoniis in medium adduxit. Non ipsius Salvatoris sententiam ullam; non Patris, Spiritusve sancti dictum aliquod ab Apostolis, vel Prophetis commemoratum proposuit. Quo illud veritatis amantes intelligant, planè illum à Deo esse, & à fide ipsius alienum.*

Illudit hominibus etiam doctissimis, in Scriptura, in politiori litteratura versatissimis, illudit, inquam, sui amor, illudit error, nisi altissimè illud animo suo infixerint, sive in exponenda Scriptura, sive in Philosophica disciplina quacumque, scelestum & exitiale esse ab illo Traditionis tramite præclarissimo recedere, quem Christus, quem Apostoli, quem horum discipuli, Ecclesiarum magistri, alii aliis succedentes, nobis præmonstrarunt. Quid Apollinari doctius, vel in Scripturis, vel in sæculari omni litteratura? Et tamen in gravissimos errores impegit, quia ab orbita Patrum deflexit. *Nullus enim unquam ex veteribus illud asseruit; non Propheta, non Apostolus, non Evangelista, non interpretum aliquis, qui ad nostrum usque tempus extiterunt; à quo sophistica illa, cavillatoriaque vox ex eruditissimi hominis illius ore processit.* Epiph. hær. 77. num. 24. pag. 1018.

CAPUT XXXIII.

Ex aliis rursùm Patribus Græcis, Patrum consentientium authoritas.

I. Ut Patres, maximè Nicænos, Synodosque jubeat audiri Chrysostomus.

II. Ne audiri quidem ille finit eos, qui aliquid novant. Quare ne audiendi quidem illi sint.

III. Ex eodem majora & dixit & fecit Christus per discipulos suos, quàm per seipsum.

IV. Ex Cyrillo idem, quod ex Chrysostomo probatur, scientes volentesque errare Sectarios omnes; peritos, imperitosve. Ut sese probent Catholici, etiam imperiti, an in fide sint.

V. Ut Nestorium ab hæresi revocaret Cyrillus, ad Patrum lectionem & reverentiam illum hortabatur.

VI. Ut plebs, ut Senatus resilierit, seque à communione Nestorii abstinuerit, ubi primùm contra Patrum doctrinam concionari cœpit.

VII. Et Cyrillo & Celestino Papæ persuasissimum erat, non posse Nestorium resilire à doctrina sanctorum Patrum, & Orbis Ecclesiarum majorum. Hinc monita ad Protestantes contra illorum luminis interioris commentum.

VIII. Rursus ex Cyrillo authoritas Patrum pro Deiparæ voce & fide. Symbolo se assentiri clamabat Nestorius: urgebat Cyrillus, illud perinde ut Scripturas malè interpretando depravari posse: assentiendum ergo esse fidei Patrum omnium, & Episcoporum universas Ecclesias nunc regentium.

IX. De non damnando Theodoro Mopsuesteno, idque ex dispensatione.

X. Denuo ex Cyrillo pro interpretandis ex Patrum doctrina Scripturis.

I. VEnio ad Chrysostomum, quem Isidorus Pelusiota in commendandis ejus de Sacerdotio libris, Byzantinæ Ecclesiæ oculum ait fuisse, quin etiam universæ. *Sapiens ille & eruditus arcanorum Dei interpres Joannes, Byzantinæ Ecclesiæ, atque adeo Ecclesiarum omnium oculus.* Is ergo ipse Chrysostomus vide quanti faceret superiores Patres, illos inquam potissimùm, qui Nicæno Concilio interfuerant, & tum fidem contra Arium, tum certum posthac Paschæ diem sanxerant. Ne in hoc quidem die Paschæ definiendo illos patitur à quoquam negligi vel contemni; affirmante Christo se medium sedere inter eos, qui de fide & regno ejus consultatum veniunt; denique contemnendis Patribus quos universa Ecclesia amplectitur & reveretur, Ecclesiam ipsam universam contemni censet Chrysostomus. *Vide quid agas,* L. 1. Ep. 156. *dum tantos Patres condemnas, adeo fortes, adeoque sapientes. Nam si Publicanum condemnans Pharisæus omnia bona perdidit: qua defensione dignus censeberis, qui adversùs tot Doctores Deo caros, idque injuria & contra rationem insurgas?*

Non

Non audisti Christum dicentem, Ubi duo vel tres sunt in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum? Quod si ubi duo tresve sunt, medius est Christus; ubi trecenti ac multò plures aderant, multò magis aderat, omniaque designabat ac decernebat. At tu non illos tantùm condemnas, sed & orbem terrarum universum, qui sententiam illorum comprobavit.

II. In semel tradita & suscepta Ecclesiæ fide satis præsidii esse putat Chrysostomus, ut ne audiantur quidem, qui secùs sentiunt, vel prædicant; ab his enim sententiarum dissidiis totam proficisci labem Ecclesiæ à Christo, ab Apostolis fundatæ, atque ita firmatæ in hausta à cœlesti Patre doctrina, ut posita ea semel fundamenta nunquam novis quæstionibus, aut contrariis disputa-
Chrysostom. Tom. 5. serm. 14. p. 707. tionibus sint sollicitanda. *Dicit (Paulus) Obsecro autem vos ut observetis: hoc est, diligenter satagite, ut cognoscatis, & perscrutemini: quosnam, dic queso? eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam vos didicistis, gignunt. Ita siquidem potissimùm est Ecclesiæ subversio, in partes scilicet divisam esse. Hec diaboli sunt arma, hoc pacto omnia sursum ac deorsum volvuntur. Donec enim unitum fuerit Ecclesiæ corpus, nullum valet habere introitum satanas: verùm à dissidiis nascitur offendiculum.* Et mox: *Et non dicit, quam docuimus: sed, quam vos didicistis, anticipans illos, & ostendens persuasos utique esse, audisseque & suscepisse. Et quid faciemus illis qui ista depravant? Non dixit, aggredimini, & manus conferentes pugnis decertate; sed, declinate ab illis; si enim ex stultitia quidem, aut errore hoc facerent, oportebat corrigere. Quoniam verò scientes peccant, resilite aliò.*
In Epist. ad Rom. hom. 31.

Non perfunctoriè legendum est, quod ait Chrysostomus, manus cum his Novatoribus conferendas non esse, sed omnino declinari eos debere, quod non tam stultitia, & errore peccent, quam volentes, scientesque. Plerumque enim ita res habet, aut etiam semper. Non nesciunt enim contra sentire Ecclesiam Catholicam, contra sensisse majores suos, antequam ipsi ab Ecclesia sese divellerent. Non nesciunt in disciplina Christiana plus fidei dandum esse, quàm rationi; & antiquæ fidei plus dandum, quàm novitatibus. Non nesciunt in constituta semel secta sua odio esse novitates, si quæ recentes exoriantur, adeoque & retrò detestandas novitates, quæ antiquissimam Ecclesiam sciderunt. Non nesciunt raros esse sectæ suæ gregales, qui possint ipsi tantas lites dirimere; nec posse cæteros omnes nisi incumbere fidei & authoritati fidei, & authoritati Pastorum suorum; porrò si fidei & authoritati adhærere & adglutinari necesse sit, nullam esse toto orbe terrarum authoritatem, quæ authoritate & majestate Ecclesiæ Catholicæ non obruatur; adeoque huic maximè incumbendum esse.

III. Doctoribus & Patribus Ecclesiæ pro suo cuique modo aptari potest, quod de Paulo habet Chrysostomus; Per os illius Christum majora locutum esse, quam per suum ipsius; quod illi cum discipulis omnibus commune fuit, ut per illos majora Christus, & loqueretur, & operaretur, quàm per seipsum; id quoque Apostolis, & discipulis eorum in posteriores ætates omnibus commune fuit, ut non ipsi, sed per ipsos loqueretur Spiri-
Ibidem. pag. 337. tus sanctus. *Oris hujus pulverem videre vellem, per quod Christus magnalia & ineffabilia loquutus est, & majora etiam quàm per seipsum. Quemadmodum enim majora per discipulos suos operatus est, ita & majora loquutus est: per quod admiranda illa oracula orbi protulit Spiritus sanctus.* Patribus omnibus pro suo cuique modo congruit, quod de Paulo ait mox Chrysostomus, non ipsos sibi, sed Christum in eis vitam duxisse & spirasse. *Vivo enim, inquit Paulus, jam non ego, vivit vero in me Christus. Cor itaque Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti, atque charitatis volumen.*

IV. Quod ex Chrysostomo adnotavi prudentes plerumque & scientes errare quicunque errant, & Sectarum quodam veluti turbine raptantur; id lubet hic ex Cyrillo rursum Alexandrino confirmare. Peregregiè enim ille observat moneri omnes, ut probent seipsos, an in fide sint. Ferè enim assentantur sibi homines, sui suarumque opinionum plus æquo amantes; seque in sana fide stare tum opinantur, quando ab ea longissimè recesserе. Hac autem ratione ait Cyrillus posse illos sese probare, si scripta sanctorum Patrum legant, qui luminaria mundi fuere, & sanam doctrinam litteris mandarunt, ut à majoribus illam acceperant, qui & ipsi eam ab Apostolis commendatam habebant. Qui ergo ita sectæ suæ præjudiciis affiguntur, ut nunquam adducant animum, otiumque suum conferant ad perlegendos & audiendos Patres, ii volentes & scientes errant, cùm tam facilè potuissent Patrum authoritati & Catholicæ veritati sese reddere. Qui simplices in Sectis & imperiti sunt, ii scientes & volentes aberrant, qui cum non agantur nisi authoritate, malunt pastorum suorum qualiumcunque obscurissimæ authoritati acquiescere, quàm authoritati omnium longè maximæ & præcellentissimæ, Ecclesiæ Catholicæ. Qui verò in Ecclesiæ Catholicæ sinu simpliciter conquiescunt, velut aviculæ implumes in materno nidulo, his nihil est opus, ut de fide sua addubitent, cùm fidei se & authoritati commiserint longè omnium præstantissimæ, Ecclesiæ Catholicæ, Patrum omnium consentientem Senatum secum circumgestantis. En Cyrilli verba in Apologetico adversùs Orientales: *Mente attentissima nos esse hortatur divinus Paulus, dicens: Probate vos ipsos, num sitis in fide. Nam mens humana licèt nonnunquam propter sui amorem à recta via egrediatur, & à veris dogmatibus discedat: ferme semper gravatur & formidat suas cogitationes absurditatis damnare. Sed tamen se ipsam facilè corriget, si labores scrutata fuerit sanctorum Patrum, qui ab omnibus de rectitudine & certitudine dogmatum celebrantur, tum suam rectè fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor est, illorum sententias sequi contendunt: quia & ipsi Apostolica & Evangelica traditione suam mentem quam implevissent, & ex sacris Scripturis sermonem Fidei rectè & citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria, sermonem vitæ continentes, prout scriptum est. Itaque scribit æternæ memoriæ Pater noster & Episcopus Athanasius de nostri omnium Salvatore Christo in libris de Incarnatione, &c.*
Cyrill. Alexandr. com. pag. 177.

V. Nec alia ratione aggressus est Cyrillus Nestorium abducere ab infando errore, quem non sine gravissima fidelium offensione Constantinopoli spargere cœperat. Hortatur, non ut Scripturas consulat & exploret: eas enim versabat, & Novatorum omnium more sinistris & arbitrariis interpretationibus suis evertebat, & ad hæreticas intelligentias traducebat Nestorius. Sed hortatur illum ut Patrum libros evolvat, magno illos in pretio habeat, suam illis fidem conformet, ut qui non possint tam facilè, quàm Scripturæ, hæreticis ludificari cavillationibus. *Ego verò ad id denuò reversus, quod me potissimùm decere existimo, te veluti fratrem in Domino etiamnum admonere non gravabor, ut doctrinæ sermonem, fideique sententiam cum omni cautione populo proponas, cogitesque seriò, si vehementer illi Deum irritant qui è pusillorum numero vel unum tantùm in Christum credentem scandalizaverint, quanta diligentia, quantaque dexteritate opus sit, si tota quæpiam multitudo gravius offensa sit, ut scandalis prudenter præcisis sanum fidei sensum, sermonemque veritatis studiosis afferamus. Ad hoc autem præstandum plurimùm contulerit, si in sanctorum Patrum*
Epist. 4. Tom. 5. part. 2. pag. 22.

scripta

scripta fortè incidentes, quàm maximi illa facere studeamus: iterumque atque iterum an ad præscriptam ab illis fidei formam vivamus, explorantes, omnesque nostras cogitationes rectis illorum inculpatisque sententiis scitè conformare satagentes.

VI. In Epistola verò ad Cælestinum Papam data idem Cyrillus id primùm profitetur, tanti rem momenti communicandam certè fuisse Apostolicæ sedi, cùm longa ea sit Ecclesiarum consuetudo: *Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur.* Certiorem mox facit Cælestinum, Constantinopoli nuper dum sacra peragerentur, sedereteque in Episcopalis Cathedræ suggestu Nestorius, Dorotheum nescio quem Episcopum, magna & elata voce exclamasse, & anathema pronunciasse in eos, qui Mariam Deiparam prædicarent. Protinus reclamasse populum universum & secessionem fecisse; denique exinde plerosque, æquè ut monasteria, & majorem Senatus partem, abstinere se à communione Nestorii; usque adeo Catholicæ aures insuevérant ei de Maria Deipara fidei & præconio. *Is igitur cujus paulò antè mentionem feci, ubi primùm Episcopus creatus est, cum piis exhortationibus domesticos æquè ac peregrinos, quorum magna multitudo ex omnibus civitatibus & regionibus ad id loci confluere solet, instituere debuisset, ea studuit effutire, quæ absurda, & rationi dissentanea, & ab Apostolica & Evangelica fide, quam majores nostri magna semper constantia retinuerunt, nobisque perinde ac pretiosam quandam margaritam tradiderunt, non parum discrepantia sunt.* Et paulò pòst: *Mox ingens universi populi clamor & discessio consecuta est. Nolebant enim diutiùs cum eo communionem habere, qui tali mente talique sensu præditus esset. Quin & hoc ipso quoque tempore plebs Constantinopolitana, levibus quibusdam vanisque hominibus qui ipsi adulantur dumtaxat exceptis, à Synaxi abstinet. Abstinent ab eadem omnia penè monasteria, eorumque Archimandritæ: abstinet & major quoque pars Senatus, verentes ne ab illo, vel ab illis quoque, quos Antiochia discedens, inde secum abduxerat, qui & ipsi quoque quidvis perversum evomunt, aliquod in fide detrimentum accipiant.* Addit Cyrillus non Constantinopoli tantùm suis omnibus horrori esse Nestorium, sed Orientalibus etiam Episcopis & Macedonibus; at Nestorium ita secum statuere, se solum sapere, solum Scripturas intelligere, solum Christi mysteriorum penetralia pervidisse; cùm satius fuisset Episcopis totius orbis concedere, & populis omnibus Christianis. *Sciat nihilominus & hoc quoque pietas tua, nempe, commenta illius. Orientales Episcopos non probare, sed offendi eos, ac dolere, & præcipuè Macedoniæ Episcopos. Et quia hoc Nestorius non ignorat, se omnibus sapientiorem existimat; se solum divinæ Scripturæ scopum attigisse autumat; se solum Christi mysterium cognovisse somniat. Atqui quomodo non magis secum reputat, cùm omnes per terrarum orbem sparsi orthodoxi Episcopi & Laici Christum Deum, Virginem verò, quæ illum genuit, Deiparam esse confiteantur; se solum, qui hoc inficiatur, errare?*

Ipist. 9. pag. 36.

Ibid. p. 17.

Ibid. p. 18.

VII. Denique Cælestinum orat Cyrillus, ut declaret, an ulteriùs fas sit cum Nestorio communicare; sententiamque suam non ad Episcopos tantùm Macedoniæ, sed & ad Orientales mittat, ut Catholici omnes inconvulsam fidei & communionis unitatem servent; se enim omnes à Nestorio anathemate percussos esse, cùm eo percussi sunt audiente & consentiente ipso, qui Deiparam Virginem confitentur. *Digneris proinde quid hìc sentias declarare; quo liquidò nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat; an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, non modo piissimis Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus præcipuè per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo, in una sententia persistant, rectaque Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.* Et statim ibidem: *Ad Nestorium autem quod attinet, & magni illi admirabilesque & celebrati Patres nostri, qui sacram Virginem Deiparam esse dixerunt, & nos ipsi quoque qui adhuc superstites sumus, unà cum ipsis anathemate percussi sumus.* Postremò subjungit Cyrillus à se compilatos esse complures tum contextus antiquorum Patrum, qui profanum Nestorii commentum ante confoderunt, quàm prodiret; tum centones aliquos ex scriptiunculis Nestorii, quibus insaniam suam infuderit. *Quo autem Sanctitas tua, tam quæ ille dicit & sapit, quàm quæ beati & magni illi Patres nostri tradiderunt, clarè perspiciat; misi tomos aliquot, capitum quorumdam fragmenta continentes: quos quoque, quantum quidem per illos fieri potuit qui Alexandriæ vivunt, Latinè reddi curavi.* Rescripsit Cælestinus, nisi intra decem dies resipisceret Nestorius, & spondetet se posthac amplexurum eam de Christi generatione doctrinam, quam Ecclesia Romana, Alexandrina, denique universa sectabatur, illico eum gradu movendum, eique dandum successorem. *Ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio Christiana prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat; ut qui omnem medentium curam aspernatur.* De his omnibus commonuit Cyrillus Joannem Antiochenum Episcopum, confessus non posse se adduci ut totius Occidentis communione excidat; cùm & tot Episcoporum formidolosa sit & justa indignatio, cùm denique eo vertatur pax & tranquillitas omnium orbis Ecclesiarum. *Veremur namque ne à tantorum virorum communione excidamus, qui non levi de causa indignantur; neque ob parvi momentires commoti sunt, eamque sententiam tulerunt; sed propter ipsam Fidem, universasque orbis terrarum Ecclesias, & communem populi ædificationem.*

Ibid. p. 39.

Ibid. p. 42.

Omnia hìc perspicis inter se apta nexaque Episcopalium sedium omnium orbis Christiani culmina, omnes unà consultare & conspirare Orientis & Occidentis Episcopos, uni novanti ab omnibus unanimiter resisti; non sibi privatim quenquam eorum sapere, sed in commune consulere, antiquorum Patrum scripta rimari, fidem sectari, ac defensare; non privato instinctui aut lumini quidquam à quoquam tribui, nisi ab uno Nestorio, qui unus sibi sapere videbatur, unus Scripturas intelligere; qui tamen unus cùm esset, universis toto orbe Episcopis primas certè sapientiæ concedere debuisset. Hæ fuere veluti prolusiones Concilii Ephesini; nec absimiles his fuere prolusiones Concilii nostro ævo Tridentini. Utrobique vicit non jactantia de privato cujuslibet lumine, vel instinctu, vel afflatu Spiritus sancti; sed Apostolicarum sedium authoritas, Episcopalium toto terrarum orbe consspiratio, conscientia antiquæ Patrum fidei, constantia tuendarum vetustissimarum traditionum Ecclesiæ, collatio multa testimoniorum complurimorum, tum ex Scripturis, tum ex sanctis Patribus excerptorum. Nusquam illic lymphata illa ostentatio Novatorum de peculiari Spiritus sancti luce sibi solis aspirantis. Quæ non enim ludibria ita possent irrumpere in Ecclesiam,

quæ

quæ sapientiæ sempiternæ sponsa, quæ columna & firmamentum veritatis est?

VIII. Quàm nihil verò esset dubii, quin sancti Patres Deiparam dixissent, & Christum Deum confessi essent, ex quo illud nascebatur, ut Christi mater esset & Deipara; quàm denique plebes omnes Christianæ ubique terrarum illi fidei, illisque vocibus insuefactæ, priscam religionem convelli molestissimè ferrent, sic docet Cyrillus in Epistola ad Acacium: *Ecquid ergo in orthodoxorum Eccle-*
Pag. 44 *sia cum sanctis Patribus anathema facti adoriemur? Comperio namque æterna memoria Episcopum Athanasium sæpiùs illam Deiparam appellare; atque etiam beatos Patres nostros Theophilum, Basilium, Gregorium, Atticum, & alios præterea non paucos qui per id tempus vixerunt, sanctos Episcopos. Denique nemo, opinor, ex orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit; quandoquidem verum est, Emmanuelem Deum esse. Erunt itaque anathemate constricti sancti Patres, qui jamdudum ad Deum evolarunt; cæterique omnes, quotquot Christum Deum esse confessi, recta veritatis dogmata consectantur?*

Hanc procellam speravit aliquando Nestorius discuti à se posse publica Apostolici Symboli confessione. At Cyrillus in famosa illa de Anathemate Epistola ad eum data has technas delusit, obnunciavitque extremis illum diris perculsum iri, nisi præterea ejuraret publicè, quæ scelestè docuerat; & ea se posthac professeretur dogmata amplexurum, quæ universi Orientis & Occidentis Episcopi, doctoresque & duces populorum sequebantur; ut Scripturas enim, ita & Symbolum facilè ab hæreticis admitti, postquam illud adulte-
Ibid. P. 68. rinis sensibus induerunt. *Cæterum minimè fas esse putamus, si reverentia tua Fidei symbolum, quod à magna illa Synodo, quæ à Spiritu sancto in urbe Nicæa quondam convenit, expositum est, nobiscum confiteatur. Nam & si voce tenus illud profiteri videare, attamen neque rectè intelligis, neque sincerè quoque, sed perversè planè præposterèque interpretaris. Verùm præter hoc operæ pretium quoque fuerit, ut ea omnia scriptis execreris & anathematizes, publicèque abjures, quæ scelestè & profanè hactenus sensisti, aliosque docuisti: & ea rursum posthac te sensurum & docturum sanè polliceare, quæ & nos, & cæteri omnes, quotquot vel in Occidente, vel in Oriente veniunt Episcopi, Doctores ac populorum duces.*

Cyrillus, ut vides, duo potissimùm urget. Primùm, ut spondeat Nestorius se præsto esse subscribere sanctorum Patrum doctrinæ, qui in Christo jam dormierant. Secundò, ut fidei & doctrinæ se adglutinet Occidentalium Orientaliumque tunc Episcoporum, à quibus Catholica Ecclesia toto orbe administrabatur. Nec verò de Scripturis silebatur, sed cùm in earum explanatione nullum finem facerent Novatores cavillandi & tergiversandi, non injuria compendiosius videbatur à Novatoribus exculpere eam confessionem, quæ cavillis non pateret: ejusmodi erat illa absoluta professio admittendi quidquid admitterent sancti Patres, & hodierni Episcopi Ecclesiam universam regentes; damnandi quidquid illi damnarent. Unde Cyrillus mox: *Sanctorum autem Patrum confessiones, quas sancto in ipsis loquente Spiritu ediderunt, sectantes, scopumque ac sensum quem illi tenuerunt, studiosè ubique observantes, & regia quasi via incedentes, ipsum unigenitum Dei Verbum ex Patris substantia natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, &c.* Expositâ denique compendiariè fide Catholica de Incarnatione Verbi, hæc subdit Cyrillus ad Nestorium: *Hæc*
Ibid. P. 71. *tenere, hæc sapere cum à sanctis Apostolis & Evangelistis, tum ab universa quoque sacra & divina Scriptura, tum ex veraci denique sanctorum Patrum consensu edocti sumus.* Et rursus in Epistola prima ad Successum Episcopum de Fide: *Igitur de Salvatoris nostri dispensatione eadem sen-*
Ibid. P. 135. *timus, quæ ante nos beati Patres nostri senserunt. Dum enim illorum opera legimus, ita moderamur animum, ut illos duces à tergo sequatur, & nihil novum rectis dogmatibus invehat.*

Aliquantò post Ephesinam primam Synodum importunæ emersere contentiones de Theodoro Episcopo Mopsuesteno, ejusque scriptis Nestoriana impietate passim scatentibus. Anathema his ipsique illi debere illidi alii urgebant, alii intercedebant. Scripsit ea de re Cyrillus ad Proclum Episcopum Constantinopolitanum, quem & dehortatus est ne sineret Episcopum in pace Ecclesiæ defunctum diris devoveri: in Ephesina enim Synodo prolata fuisse ejus scripta, & ab omnibus damnata, sed provida dispensatione abstinuisse se Synodum ab anathemate in eum intorquendo, ne complures ejus personæ, quàm doctrinæ amantiores, occasionem inde arriperent sese à Catholica Ecclesia divellendi. Esse autem & laudatissimas ejusmodi dispensationes, & consultissimas. *Sciat verò tua Sanctitas, quòd prolata apud sanctam Synodum expositione ab eo composita, sicut*
Ibid. P. 170. *dicebant qui protulerunt, nihil sanum habente, reprobavit quidem eam sancta Synodus, utpote perversis plenam intellectibus, & Nestorianam impietatem quasi effluentem: his verò condemnatis qui sic sapiunt, nullam viri memoriam fecerat dispensativè, nec ipsum nominatim anathemati subjecit propter dispensationem; ne quidam ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesiis separarent. Dispensatio verò in his optimates est & sapiens. Si enim adhuc in vivis esset, & Nestorii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis quæ scripsit, ipse anathemati etiam in propria persona subjiceretur. Quoniam verò ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea quæ absurdè ab ipso scripta sunt, rejici abiis qui rectè sentiunt; cùm iis qui in ipsius libros incidunt, etiam ulteriùs progredi tumultuum occasiones nonnunquam pariat.*

Monet denique Proclum Cyrillus, si in Oriente possit synodica damnationis sententia percelli cum opusculis suis Theodorus citra scandali aut schismatis discrimen, posse ad ejus damnationem & damnationis subscriptionem cogi fautores ejus: at si sint qui ita refugiant, ut flammis absumi se malint, quàm ejus damnationi subscribere, satius omnino esse indulgentia uti, nec committere Ec-
Ibidem. clesiam tanti flammis incendii. *Et si quidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque esset tumultum inde sperare, dicebam utique nullum esse impedimentum, nunc exigi eos etiam in scripeis hoc facere: si verò, sicut scribis Dominus meus sanctissimus Episcopus Antiochia Joannes, eligant utique magis comburi, quàm aliquid ejusmodi peragere; quare flammam sopitam resuscitamus, sedatosque tumultus non opportunè commovemus, ne forsitan unquam ultima primis pejora inveniantur?*

X. In libello de recta fide ad Theodosium Imperatorem sic statuit Cyrillus, non posse à quoquam sobrio & Catholico turpem notam inuri antiquis scriptoribus sanctisque Doctoribus, quos Christus in omnem terram ablegavit, Evangelicæ fidei satores & defensores; omnino enim Scripturis hærendum esse & Sanctorum doctrinæ. *Ad*
Ibidem Tom. 5. part. 2. p. 6. *adversarios autem quod attinet, alterutrum necessarium est, nempe ut vel turpem notam antiquis scriptoribus inurant; orbisque doctores, quibus Christus ipse præcepit, Euntes docete omnes Gentes, mendacii redarguant: vel certè si id facere exhorreant, ut rectam de Christo sententiam complexi, suas insscitias valere jubeant, divinisque Scripturis mordicus adhærentes, nec non tutam, erroriscque expertem Sanctorum viam ingressi, recta ad ipsam veritatem contendant.*

In eo autem de recta fide libello, quem Cyrillus idem Reginis dicavit, cùm testimonia Patrum deprom-

depromptturus esset, qui Deiparæ nomine Mariam coluissent, hæc obiter antè monuit de illorum Patrum authoritate, & scriptorum, quæ in Ecclesiasticæ doctrinæ defensionem promulgassent. *Porro autem vocem hanc Deipara veteribus Patribus, quorum sanctimoniam, & fidei integritatem admiramur, nec non omnibus qui eos deinceps huc usque sunt secuti per universum ut ita dicam terrarum orbem, perquàm familiarem esse, ostendendum esse existimavi. Ne autem citra delectum, ac temerè quidquid in mentem venerit effutire videar, argumentis ex libris, quos illi ad Ecclesiæ utilitatem composuere, petitis, atque huc in medium allatis, orationis meæ veritatem confirmare studebo.* Hæc præfatus Cyrillus, tum subjicit testimonia Athanasii Episcopi Alexandrini, Attici Episcopi, Antiochi Episcopi, Amphilochii Episcopi, Ammonis Episcopi, Joannis Chrysostomi, Severiani Episcopi, Vitalii Episcopi, Theophili Episcopi. His prolixam subtexit farraginem ex Scripturis, præmissis nimirum Patribus illis, ex quorum consensione interpretandæ essent Scripturæ, ne has quisque ad suam libidinem captivas traheret, ut nullis non familiare fuit hæreticis.

Ibid. p. 47.

Ideo & alibi Cyrillus idem cùm Impiam præmisisset Ariani cujusdam interpretationem contextus ex Evangelio Joannis, eò detortam, ut Divinitas Christi labefactaretur, hæc demum subdit, ut necessitatem evincat, non aliter quam ex sanctorum Patrum doctrina intelligendæ & interpretandæ Scripturæ: *Hæc ille nugatur, divinorum dogmatum veram rationem pro sua libidine pervertens, & ad suum scopum singulari malitia detorquens. Nos autem ubique inhærentes veritati; non ita sentiemus, absit; sed sanctorum Patrum sententia insistentes, veritatis dogmata sequemur.*

In Evang. Joann. l. 10. pag. 862. Tom. 4.

CAPUT XXXIV.

Ex Patribus denuò Græcis de authoritate indeclinabili Patrum consentientium.

I. II. Scripturæ ex Patribus interpretandæ, quos quando sequimur & excerpimus, non id furtum, sed hereditas est.

III. Novantium & Catholicorum ingens discrimen, illis seipsos duntaxat, his sanctos Patres admirantibus; his Petrum & Paulum venerantibus, ex Occidente orbem etiamnunc universum illustrantibus.

IV. Quàm amplum & locuples penu sibi acervasset Theodoretus ex testimoniis sanctorum Patrum ad quæstiones omnes fidei. Hinc tela victricia adversus hæreticos omnes. Mira eorum consensio, in locis & temporibus tam diversis. Eas est & ex hæreticorum libris carpere, quæ utilia sunt.

V. Quantum vel ipsi Monachi Theologicæ eruditionis thesaurum ex sanctis Patribus sibi acervassent, & ex Episcopis etiam recentioribus.

VI. Complura rursum testimonia pro authoritate Patrum ex Concilio Ephesino primo. Ex Acacio, Capreolo, Cælestino.

VII. Symbolo ipsi illudunt Novatores perversis interpretationibus suis. Ex Patribus ergo eruendus est ejus sensus, si Ephesinam Synodum audiamus.

VIII. Quàm temerè & ineptè Dioscorus, Eutyches, aliique Sectarii suffragiis Patrum se niti jactarent.

IX. Suffragia ad Patrum authoritatem firmandam ex Concilio Chalcedonensi.

X. Item ex quinta Synodo.

XI. Ex Concilio Lateranensi sub Martino Papa.

I. VEnio ad Theodoretum, qui suis in Psalmos commentariis hanc attexuit clausulam: *Quæ enim invenire potuimus, omnibus sine invidia proposuimus, & quæ à Patribus nostris didicimus, posteris nostris afferre studuimus.* Post autem aggressus Theodoretus idem Cantica Canticorum elucidare, eos primùm convellit, qui spiritalem hunc esse librum negabant. Pharaonis filiæ & Salomonis amores eo describi blatterabant; vel Regis ad Sponsam, id est, ad totam civium suorum multitudinem sermones, paulò sublimiori, sed humano tamen sensu donandos. Has velut aniculatum fabellas fugillat Theodoretus, suaderque audiri potiùs sanctos Patres, qui divinis libris hunc annumerarunt, ut Spiritus sancti dulcedine, & charitatis lenociniis refertissimum. *Atqui debebant isti, se longè vel sapientia vel spiritu præstantiores agnoscere sanctos Patres, qui librum hunc inter divinas Scripturas collocarunt, eumque ut spiritu refertum comprobantes, Ecclesia dignum censuerunt. Neque enim, si aliter sensissent, sanctarum Scripturarum numero intemperantiæ ac libidinis argumentum adscripsissent.*

Tom. 1. pag. 982.

Pag. 984.

Pulcherrima sunt autem ista, quibus suam hanc in Cantica Præfationem claudit Theodoretus; Si quid à sanctis Patribus acceptum suis his Commentariis inseruerit, non hoc furtum esse, sed paternam hæreditatem, nec nullam tamen fuisse operam suam; aliqua à se latiùs effusa, alia compendiosiùs dicta, ut ex re erat; laboris sui unam hanc à se mercedem expeti, ut Lectorum precibus juvetur apud Deum, utque sicubi minùs accuratà videatur sua explicatio, eam boni consulant, suppleantque quod defuerit. Quæ mihi quidem visa sunt hic necessariò inferenda, ut planum fiat, qua mente, qua moderatione, qua humilitate, qua charitate sint delibuti Catholici Scripturarum interpretes. *Hoc unum à lectoribus postulantes ne furti nos insimulent, si quid, quod à Patribus dictum sit, in his commentariis offenderint. Fatemur enim & nos ab illis explanationis occasionem accepisse. Hoc autem non furtum appellari debet, sed paterna hereditas. Quanquam ad illa, quæ ab eis accepimus, adjunximus quæ nostra sunt: & quod latiùs à quibusdam explicatum est, nos contraximus: quod autem diligentiam requirebat dilatavimus. Laborem denique suscepimus, lectoribus, ut arbitror, haud inutilem. Quamobrem, eos qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas. Quod si minùs accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant, & quæ desunt ipsi doceant.*

Ibid. p. 995.

II. Nec minùs luculenta sunt ista, quæ in Danielem præfatur ad Scriptorum Catholicorum commendationem, ut intelligant omnes, non alium illis propositum fuisse scopum, quàm ut quæ à majoribus acceperant, posteris traderent: brevius alia, fusiùs alia, sed eadem tamen prorsus dicerent, nec quidquam novarent; non antiquos tantùm, sed & nuperos, recentissimosque Theologos Catholicos in pretio haberent; communi omnium & temporum & locorum consensione omnia confirmarent, eaque vera Catholica charitate, humilitate & æquabilitate, viam sibi ad veritatem munirent. *Hanc itaque doctrinam à parentibus acceptam, velut es alienum, natu minoribus posteris nostris debemus, gratoque animo par est persolvere.* Et mox: *Age itaque, beatissimi Danielis prophetiam quam maximè licet ignaris perspicuam faciamus. Et fortasse ne iis quidem, qui consecuti sunt ut intelligerent, labor hic noster erit inutilis.*

Theodoret. Tom. 2. pag. 1141.

Nam

Nam vel plura reperient quam opinati sint; vel sua in nostris deprehendentes, quod à se indagatum fuerit, communi consensione stabilient. Consuevit enim quodammodo plurium consensus intellecta corroborare.

III. Alexandri Alexandrini Episcopi ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum historiæ suæ intexuit Theodoretus vehementissimas litteras adversùs Arianos, quibus antiqui Patres despicabiles erant, sui ævi Theologos omnes alios aspernabantur, sibi solis intus aspirare Spiritum sanctum existimabant; quod quàm à pietate, à ratione alienum, quàm detestandum sit, ita edisserit Alexander: nemo autem non sentit, quàm non possint non videri eodem fastu turgere & insanire Sectarii omnes: *Nam qui aciem contra Dei Filium instruxere, contra nos ingratis animis debacchari non refugiunt: qui nec ullos secum ex antiquis comparari sinunt; nec eos quibus ab ineunte nos ætate magistris usi sumus, pares dici patiuntur: quin immo nec ullum collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam perveniisse censent: solos se sapientes jactant, solos egestatem sectantes, solos dogmatum inventores, sibique solis ea esse patefacta, quæ in nullius unquam sub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, vesaniam immensam, inanem gloriam cum furore conjunctam, spiritum satanicum qui in istorum animis callum obduxit! Non illis divina veterum Scripturarum claritas pudorem incussit, non consentiens collegarum de Christo pia doctrina horum adversùs illum audaciam repressit; quorum scelus nefarium nec dæmones ipsi laturi sint, qui sedulo cavent, ne quam in Filium Dei maledicam vocem mittant.*

Hist. l. 1. c. 5. Tom. 1. pag. 512.

De Ariminensis Concilii Episcopis, eos id præ se tulisse, id palam professos esse refert Theodoretus, *se filios & hæredes esse Patrum, qui apud Nicæam convenerant.* Apud eundem Petrus Alexandrinus Episcopus, ait eos qui fidem ejuravérant Nicænæ Synodi, & Nicænos Patres contempserant, id assecutos esse, ut sine Patribus essent. *Qui apud Nicæam toto ex orbe terrarum convenere Patres nostri, à quibus isti excidentes, sine patribus merito facti sunt.* De seipso ita testatum alibi facit Theodoretus, Se mortalium omnium miserrimum esse, sed fide integra esse se, sanctorum Patrum se vestigia sequi, maximè Nicænorum. *Ego verò miserum me, ac miserrimum novi; multis enim obnoxius sum culpis: sed propter solam fidem in die divini adventus veniam me adepturum confido. Sanctorum namque Patrum vestigia sequi cupio, & opto; & Evangelicam doctrinam, quam compendio nobis tradiderunt qui apud Nicæam convenere sanctissimi Patres, illibatam studeo conservare.* Sic ille de se modicè, magnificè de sanctis Patribus sentiebat; quam id Evangelio consentiat, quam ab eo dissentiant novarum parentes, aut discipuli sectarum, nemo non videt. Et paulò pòst explicatiùs, qui essent illi Patres, quibus tantum tribuebat, & quantum assurgeret Scripturis sacris per eos explanatis; *Hæc enim & à divina Scriptura didicimus, & à Patribus qui hanc interpretati sunt, Alexandro & Athanasio, clarissimis præconibus veritatis, qui Apostolicam sedem vestram exornarunt: Basilio item & Gregorio aliisque orbis terrarum luminibus. Quod verò beatorum quoque Theophili & Cyrilli scriptis utamur, atque his etiam adversantium audaciam retundamus, libri ipsi testantur.*

L. 2. c. 15. L. 4. c. 19.

Epist. 85. pag. 938. 939.

Epist. 84. pag. 961.

Et ad Episcopos Ciliciæ: *Dignetur ergo sanctitas vestra, si qui sunt prorsus, ego enim non credo, qui Apostolicis dogmatibus reluctentur, reprimere illos, & Ecclesiastico more castigare, & docere sanctorum Patrum vestigiis insistere, & à sanctis beatisque Patribus expositam in Nicæa Bithyniæ fidem illibatam servare.* Et ad Florentium Patricium: *Hæc porro tradidere nobis, non Apostoli modo & Prophetæ, verùm ii etiam qui horum libros interpretati sunt, Ignatius, Eustathius, Athanasius, Basilius, Gregorius, Joannes, & reliqua orbis lumina: & ante hos, sancti Patres apud Niceam congregati, quorum fidei confessionem, velut paternam hereditatem, illibatam conservamus; & qui dogmata hæc audent prætergredi, eos adulterinos ac veritatis hostes appellamus.*

Epist. 84. pag. 966.

Vides quàm vir omnium doctissimus, non sibi, non suo lumini, non suæ de Spiritus sancti intima præsentia præsumptioni arroget quidquam, sed totum vendicet Scripturis per sanctos Patres explanatis, Patribus Scripturas explanantibus, Synodis denique maximè generalibus. Nam Patribus & Synodis præsentia & afflatu suo copiosissimè affuisse Spiritum sanctum, piè, catholicè, necessariò creditur; sibi ut illum adesse & inesse quis putet, & jure putet, optandum id magis, sperandumque, quàm jactandum; etsi enim credi posset, citra jactantiam & non sine pio tremore credendum esset. Quoniam autem diffidunt aliquando Novatores soli Occidentali Ecclesiæ, & ad Concilium Oecumenicum provocant, quod difficiliùs rariùsque coire potest, audi quid ad Leonem Papam scripserit Theodoretus, *Præcipuè autem illam (Romam) fides ornat, cujus testis idoneus est divinus Paulus, clamans, Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Quod si statim post susceptæ salutaris prædicationis semina mirabiles hos fructus uberrimè protulit, prædicanda quæ in ea nunc viget pietati quænam par esse possit oratio? Habet præterea communium Patrum magistrorumque veritatis Petri & Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par, in Oriente quidem exortum est, & radios quaquaversum diffudit: sed in Occidente vitæ occasum ultrò subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat.*

Epist. 113. pag. 985.

His si adjungas quæ suprà Augustinus de eadem Occidentali Ecclesia, adversùs Julianum Pelagianum disputabat, ut ejus ad Orientales provocationem sugillaret: perspicies & Augustino & Theodoreto id fuisse persuasissimum, satis esse momenti in Occidentali Ecclesia, cui præsidet Apostolica specialiùs sedes, ad novas hæreses opprimendas. Ac rursus idem Theodoretus cùm ex Athanasio Alexandrino, ex Damaso & Leone Romanis demonstrasset Christum humanitate passibilem & impassum, Deitate impassibilem fuisse, hæc denique subdit: *Quamobrem si nos accusant quod dixerimus Deum posse omnia quæ vult, velle autem quæ ipsius naturæ conveniunt; quæ verò non conveniunt, ea neque velle, neque posse; accusent etiam hos Patres, & alios omnes, qui eadem affirmant.*

Epist. 113. pag. 1006.

IV. Ut autem intelligas, quam locuples sibi penu congessisset, & librorum & testimoniorum ex sanctis Patribus decerptorum, audi ut illos omnes proferat quasi conglobatos, unoque agmine conspicantes ad novellam hæresin jugulandam: *Ecqua enim de his unquam apud Ecclesiæ alumnos extitit dubitatio? aut quis sanctorum Patrum doctrinam istam non tradidit? Hujus enim plena sunt magni Basilii opera, ejusque commilitonum Gregorii & Amphilochii; & illorum qui in Occidente doctrina gratiæ claruerunt, Damasi magnæ Romæ, & Ambrosii Mediolani, & Cypriani Carthaginis, qui Martyrii etiam coronam pro his dogmatibus adeptus est. Athanasius ille fama celeberrimus quinquies à grege suo depulsus est, & in exilio vivere coactus; & Alexander ejus magister pro iisdem dogmatibus decertavit. Eustathius, & Meletius, & Flavianus, Orientis lumina, & Ephraim tubæ Spiritus, Syrorum gentem gratiæ fluentis irrigans quotidie; & Joannes, & Atticus veritatis magna voce præcones, atque his adhuc antiquiores Ignatius, & Polycarpus, & Irenæus, & Justinus, & Hippolytus, quorum plerique non modò*

inter

inter Pontifices præluceant, sed martyrum etiam chorum exornant. Sed & qui nunc magnam Romam regit, rectorumque dogmatum radios ab Occasu undique diffundit, sanctissimus Leo, hancce nobis fidei regulam litteris suis exposuit. Hi omnes apertè docuerunt, quod unus sit Filius unigenitus Dei Filius, Deus ante sæcula ex Patre ineffabiliter genitus: & quod post Incarnationem etiam Filius hominis & homo appelletur, non in hoc conversus, habet enim naturam immutabilem: sed eo assumpto quod nostrum erat.

Deterruisset me jure merito hujus contextus prolixitas, nisi excitasset utilitas, ut ne quid ex eo demererem. Quàm pulchrum est enim ita sanctos Patres in numerato habere & ad unguem tenere, & in illis quasi armamentarium habere, unde tela opportuna, victriciaque depromas ad conterendos hostes Ecclesiæ subinde hinc illincque emergentes! Minùs mirum certè id esset, si privatus quis Theologus & litterato otio diu potitus, tantam sibi opulentiam comparasset. At Episcopum suæ & universalis Ecclesiæ negotiis occupatissimum, quique plures quàm decem millia Marcionistarum suæ Diœceseos ad sacrum baptisma perduxerat, usque adeo versatum fuisse in lectitandis sanctorum Patrum omnium monumentis, id non possum equidem non maximoperè admirari. Est enimverò hæc propria & singularis occupatio, ut qui Patres ipsi Ecclesiæ sunt, cum antiquorum, cum recentiorum etiam Patrum senatu consuescant, & ea maximè consuetudine oblectentur. Quo & Theologos alios magis incendi æquum est, ut otium quo abundant, abundant autem semper, si Theodoreto, si Episcopis comparentur, in sanctorum Patrum & Conciliorum lectionem & jugem meditationem incumbant.

Pleni sunt & Theodoreti Dialogi testimoniorum ejusdem generis ex sanctis Patribus; ubi primùm miratur ipse, & mirari nos cogit tantam inter eos concordiam, qui cùm tanto & montium & vallium intervallo distarent, ita consentiebant tamen, ac si locum in unum aliquem convenissent. Tom. 4. pag. 32. *Admiror virorum istorum concordiam, & consensum. Omnes enim dicta Evangelica sic interpretati sunt, ac si unum in locum convenientes opinionem suam simul unà conscripsissent. Maximo quidem illos intervallo & montes & maria distinguunt; sed eorum consensioni distantia nihil obstitit. Omnes quippe spirituali eadem gratia afflati sunt.* Vide autem quàm ab ultima usque antiquitate sanctos Patres advocet Theodoretus in hanc suam Synodum: *Audivisti enim prorsus Ignatium, qui de Petri dextera Pontificatus gratiam suscepit, & post administratam Ecclesiam Antiochenam martyrii coronam adeptus est: & Irenæum qui Polycarpi auditor & discipulus fuit, lumenque Occidentalium Gallorum, & Hippolytum ac Methodium Pontifices & Martyres, & alios, quorum placitis nomina quoque adjungam.*

Promit mox Theodoretus Ignatium, Irenæum, Hippolytum, Methodium, Eustathium, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Flavianum Antiochenum, Amphilochium, Chrysostomum, quo Patrum Senatu quid sanctius, quid doctius, quid splendidius, vel fingi, vel optari potuisset? Pag. 45. Unde & mox ibi subditur: *Successores divinorum Apostolorum viri hi fuerunt: quorum aliqui sacram illorum vocem audierunt, & admirabili eorum consuetudine usi sunt: plurimi etiam martyrii coronis ornati sunt. Fasne ergo tibi videtur blasphemam contra illos linguam movere?* Ad cumulum denique additur ipsius hæreticorum principis Apollinaris testimonium: Pag. 46. *Nunc igitur didicisti, quod non solum Prophetæ & Apostoli, & qui post illos designati sunt orbis terrarum doctores; sed etiam Apolinarius, qui hæreticas nugas conscripsit, immutabilem fateatur esse Deum Verbum; nec in carnem mutatum dicat, sed carnem assumpsisse.*

Dialogo rursus secundo eosdem ipsos Patres allegat Theodoretus; *Inconfusus* is prænotatur, sicut & primus *Incommutabilis*; quòd primò id moliretur, ut immutabile permansisse Verbum crederetur, quando nostram sibi adscivit naturam: secundò, ut inconfusè duas naturas copulatas esse demonstraret. In hoc verò secundo Dialogo contextus bene multos constipat Theodoretus ex iisdem Patribus, nec non & ex Ambrosio, & ex Gregorio Nazianzeno, Theophilo Alexandrino, Cyrillo Hierosolymitano, Hilario Pictavensi, ex Augustino, ex Severiano, Attico, Cyrillo Alexandrino; ut necesse fuerit non perfunctoriè & leviter horum Patrum commentarios à Theodoreto delibatos fuisse, sed accuratissimè perlectos, & nocturnis diurnisque versatos operis. Nec illud præteriri fas est, hos omnes fuisse Episcopalibus infulis insignes; usque adeo solenne erat solos Episcopos tunc Doctores, Magistrosque Ecclesiarum haberi; nisi malumus, hos penè omnes in Presbyteratu perdiu floruisse antea, & Ecclesias illustrasse; sed neminem non eorum ad Episcopales Cathedras vocatum esse. Quanta enim & scripsit & concionatus antè est, tum Chrysostomus, tum Augustinus, ut de aliis taceam, quàm Episcopali sede augerentur? Quantum his autem Ecclesiæ Magistris reverentiæ debeatur, statim expedit Theodoretus, etsi non pauci ex illis essent recentissimi, & ævo suppares. *Audivisti, ò bone, magna orbis lumina, & doctrinæ radios conspexisti, &c. Furiosum ac temerarium est adversùs insignes illos viros fideique duces linguam movere.* Et infrà: *Quod etiam post unionem manserit qualis erat,* Dialog. 1. pag. 110. *immortalis, impassibilis, immutabilis, incircumscriptus, & quod naturam assumptam integram conservaverit, perspicuè nos divina Scriptura, & Ecclesiarum Doctores, & orbis terrarum lumina docuerunt.* Et infrà rursus: *Ostendam autem tibi sanctos Patres hæc ipsa, quæ à nobis exposita sunt in scriptis suis sensisse. Quorum nonnulli admirando illi Concilio interfuerunt, alii post eos in Ecclesiis floruerunt, quidam etiam multò antè orbem olim terrarum illustraverunt. Sed neque temporum discrimen, neque linguarum diversitas, consonantiam turbavit: sed lyræ similes videntur, quæ multas quidem, & diversas chordas habet, unum autem sonorum concentum efficit.* Ubi sunt, qui Patres mutuò sibi collidunt, qui eorum authoritatem detrectant, saltem illam cohibent & circumscribunt tribus aut quatuor prioribus non amplius sæculis; in illis ipsis vetustissimis Ecclesiæ columnis maculas aliquas rimantur, atque ita illorum ipsorum fidem elevant, quos maximè reverentur? Non ita Patres ipsi omnes antiqui, non ita summas qui occupavere sedes in Episcopatu, non illi Martyrio olim, vel Confessione inclyti; non ita illi qui Synodis generalibus, qui Nicænæ ipsi affuere, qui Ephesinæ primæ, qui Chalcedonensi; non ita illi qui immortalibus ingenii sui monimentis Ecclesiam illustravere, & illustrant etiamnunc: non ita illa orbis luminaria, Cyprianus & Hilarius, Ambrosius & Augustinus, Basilius & Nazianzenus, Chrysostomus & Cyrillus; summa eorum fuit semper consensio, summa inconvulsæ hujus consensionis suæ persuasio. Quàm non poterant autem sancti Patres alii aliorum vel invidere gloriæ, vel obtrectare scriptis, cùm ex ipsis etiam hæreticorum scriptionibus carperent, & in suos tractatus transferrent, si quid in eis utile reperissent? Ergo ita rursum Theodoretus Theologos hortatur, ut ex Patribus larga manu colligant flores, ex quibus mella fidei, melleosque cibos fidelibus conficiant; sed & ex hæreticorum libris legant, si quid usui sibi esse possit, reliqua abjiciant. *Imitare igitur apes ò bone, & per sacræ Scripturæ prata mente volitans, & per laudationem patrum pulcherrimos flores construe nobis ante ipsos favos fidei. Quod si ubi herbam in-* Dialog. 1.

vene-

veneris, nec esculentam, nec dulcem, cujusmodi est hic Apollinarius & Eusebius, quæ utile tamen aliquid habeat ad mel conficiendum, non erit alienum quod utile est sumere, noxio relicto. Nam & apes sæpè venenatis fruticibus insidentes, quod perniciosum est relinquunt, sibi verò conveniens colligunt.

V. Addendus hoc loco Joannes Antiochenus Episcopus, qui Nestorium ita hortabatur, quod temerè effuderat, retractare, & ei se reddere doctrinæ, quam celeberrimi Ecclesiæ Doctores professi erant, & quam turpissimum erat sectari: nec opus esse eorum nomina referri, cùm eorum & ipse se discipulum esse gloriari soleret: *Etenim nulli nos periculo exponimus, si ea sentimus & loquimur, quæ Doctores in Ecclesia Dei celeberrimos sensisse & docuisse certò novimus. Supervacaneum autem est illorum nomina hoc loco percensere: nosti enim illos æquè ac nos; ut qui haud secus ac nos omnes, quòd discipulus illorum aliquando extiteris, glorieris.*

Conc. Tom. 2. pag. 204. Conc. Ephes. Part. 1. c. 25.

Nec prætermitti sine piaculo potest pulcherrima illa Monachorum supplicatio ad Theodosium Imperatorem, postulantium quamprimùm haberi Synodum generalem adversùs Nestorium, & in antecessum repræsentantium sua ipsa in hac supplicatione Synodum verè Universalem, tum Patrum, tum Synodorum hactenus omnium, à quibus Nestoriana lues jam inde ab exortu Ecclesiæ proscripta fuerat, fides catholica defensata, in universo terrarum orbe. Juvabit locum hunc tametsi paulò prolixiorem hìc adscripsisse, ut ex eo eluceat, 1. quidem quàm non illiteratum esset tunc otium Monachorum Ecclesiæ Catholicæ, quàm non soli vacarent operi manuum, & quantum studii ac laboris insumerent in sacris Litteris, in Scripturis, in Patrum opusculis volutandis. 2. Quàm non ullos illi fines ponerent tam præclaris studiis suis, non uni se alicui Patri perlegendo, non solis saltem Græcis evolvendis devoverent, non solis sacris Litteris vacarent; sed unà complecterentur & Scripturas & Patres, Græcos & Latinos, Patres & Patrum Synodos, eoque suavissimo pastu & otium & secessum suum recrearent. 3. Quàm non otiosa essent, nec soli oblectationi servirent ea tum Monachorum studia, sed publicæ utilitati, Ecclesiæque necessitatibus famularentur; ut prompta illis & expedita essent arma, quibus prosternerentur hæreses, sive antiquæ & jamdiu obtritæ, sive recèns quæ subinde pullulabant. 4. Quæ tum esset Monachorum Theologia, nempe quæ Patres Synodosque noctu & interdiu meditaretur, meditaretur & pugnas à sanctis Patribus adversùs hæreticos quoscumque hactenus depugnatas, à se forsan aliquando depugnandas, si qui novi errores suborirentur. 5. Quàm non excluderent à Patrum Senatu eos ipsos Episcopos, qui tunc & suo ipsorum ævo Ecclesias regebant, & prælia Domini præliabantur adversùs hæreses. Etsi enim novum authoritatis cumulum addat antiquitas, est tamen suus etiam non mediocris authoritatis illis gradus, qui insignem dum superstites sunt Ecclesiæ operam navant, ut hìc perspicis de Cyrillo Alexandrino Episcopo. En locum integrum: *Porro autem inter alia Christi beneficia non immeritò censenda est veritatis cognitio, & odium falsæ cognitionis: quo nimirum exploratæ perspectaque habemus fidei mysteria, jam inde ab initio à sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus & Episcopis, conspirantibus ad id quoque religiosissimis Principibus, Catholica Ecclesia tradita. Hausimus autem hanc fidei notitiam, primò quidem ab Apostolorum Principe Petro, secundùm cognitionem quam divinitus acceperat, hanc palam confitente, posteritatique tradente: Tu es Christus Filius Dei vivi. Mox verò à Jacobo Apostolo & Archiepiscopo, Joanne Apostolo & Evangelista, reliquisque Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis; postremò autem ab omnibus Patribus, qui consubstantiali Trinitati crediderunt, & credunt; ab Ireneo, Gregorio Magno Neocæsareæ Episcopo; à sancta Synodo Antiochiæ contra Paulum Samosatenum congregata, quæ centum octoginta numero Patres complexa, illum propter suam impietatem, negabat enim Christum natura esse Deum, & Dei Patris Filium, exauctoravit; à magna & sancta trecentorum decem & octo Episcoporum Synodo, apud Nicæam habita, quæ sententiam eorum qui Antiochiæ contra Paulum Samosatenum convenerant, confirmavit & approbavit; à Basilio & Gregorio Episcopis & fratribus, Athanasio Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopo, Ephrem Syro, Gregorio Episcopo, Ammone Episcopo, Vitalio Episcopo, Amphilochio, Paulo, Antiocho, Eustathio, Methodio, Optimo, Leporio, Ambrosio Mediolanensium Episcopo, ab universa Synodo Africana, Joanne, Severiano, Attico Episcopo, Cyrillo Alexandriæ Episcopo, qui etiamnum superstes vestræ pietatis legibus obsequitur.*

Ibidem pag. 219. Conc. Ephes. Part. 1. c. 30.

VI. Ephesinæ Synodi Patrum quæ sententia fuerit de Scripturarum, de Patrum, de Traditionum authoritate, ex hoc edisces testimonio Acacii Episcopi Melitenæ, ubi post Cyrilli laudatam Epistolam, ut Nicænis Patribus consentaneam, hæc subdit: *Ecclesiamque jam inde ab initio eadem sapuisse, eademque sensisse, cùm ex sanctorum Patrum monumentis, tum ex divinis quoque Scripturis, tum ab ipsis denique fidei traditionibus edoctus, certissimè scio.*

Idem pag. 246. Conc. Ephes. Act. 1.

Edisces & ex Epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodum ipsam Ephesinam, ubi concussa antiquorum Patrum authoritate totas concuti & labefactari ait antiquas recentesque Synodos, nec ullam posse stare doctrinam, nisi & antiquorum & recentiorum Ecclesiæ Doctorum consensione perpetua confirmetur. *Deinde ad posteritatis exemplum, ut ea quæ nunc pro catholica fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conservare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de Catholica fidei ratione statuerit; is non propria authoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet; ita ut ea ratione partim veterum, partim recentiorum decretis & sententiis placita sua comprobans, unicam Ecclesiæ veritatem, jam inde ab initio ad præsens usque tempus simplici puritate, invictaque constantia & auctoritate decurrentem se asserere, docere & tenere ostendat.*

Ibidem pag. 251.

Sed omnium luculentissimè Cælestinus Papa in datis ad Ephesinam Synodum litteris, ubi Synodorum, ubi Patrum, ubi orbis Episcoporum, ubi Traditionum authoritatem ab ipsa usque derivat Evangelii authoritate, à Christi promissione & jussione, à Spiritus sancti præsentia, non singulis homuncionibus, non Sectarum ducibus, sed Episcoporum congregationi, sed Patrum consensioni desponsa, ut frustra sit, ut deridiculo sit, qui illam eandem sibi privatus, laicus, sectæ cujuslibet antesignanus vendicat: *Spiritus sancti præsentiam habet congregatio Sacerdotum. Verum est enim quod legimus, quia nec potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cùm ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest: quantò magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum? sanctum namque est pro debita sibi veneratione Concilium; in quo utique nunc Apostolorum frequentissima illius quam legimus, congregationis aspicienda reverentia est. Nunquam his defuit magister, quem receperant prædicandum; adfuit his semper domi-*

Ephes. Syn. Act. 2. Ibid. p. 320.

dominus & magister: sed nec docentes à suo Doctore deserti sunt unquam. Docebat ille qui miserat; docebat qui dixerat quid docerent; docebat qui in Apostolis suis se confirmat audiri. Hæc ad omnes in commune Domini Sacerdotes, mandata prædicationis cura pervenit: hereditariè in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicumque per diversa terrarum, eorum vice, nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur: Ite, docete omnes gentes.

VII. Rursus autem Ephesina ipsa Synodus post recitatum Nicænæ Synodi symbolum, eo quidem declarat contineri quæ ad pietatem & quæ ad salutem pertineant; sed quoniam complurimi vim ejus & sensum præposteris interpretationibus pervertunt, & ad suas deflectunt insanias: ideo opus esse proferri, & coram recitari sanctorum Patrum testimonia, quæ insidiosas illas & perversas Symboli interpretationes exsufflent. *Huic sanctæ fidei omnes consentire convenit. Continet enim pietatem, & quæ sufficiant ad totius orbis utilitatem. Quoniam verò aliqui simulant quidem eam se confiteri, eique consentire, malè autem interpretantur sensuum virtutem, sicuti eis placet, & circumveniunt veritatem, existentes filii erroris & perditionis; opus fuit ex sanctis & orthodoxis Patribus comparare testimonia, quæ satisfacere valeant quemadmodum intellexerint eam, & prædicare confisi sint: ut palam sit, quia omnes rectam & immaculatam habentes fidem, sic intelligunt & interpretantur, & prædicant eam.* Ibidem. Pag. 317.

Si Symbolo Nicæno illudebant tunc Novatores, illudque in sua singuli deliramenta interpretando trahebant: quid de Scripturis æstimandum est? Quò enim & prolixiores, & interdum implicatiores, obscurioresque sunt, eò magis patent procaci interpretantium licentiæ. Si sua Symbolum brevitas, si perspicuitas tutum præstare non potuit ab hominum malè feriatorum & suis præjudiciis præsidia aliqua aucupantium machinationibus, quid de Scripturis augurabimur?

VIII. Jactabat & Dioscorus Alexandrinus Episcopus authoritates Patrum à se compilatas in Chalcedonensi Synodo, ut ne duæ post adunationem dicerentur in Christo naturæ, sed una natura Verbi incarnata. En Dioscori verba compilatas à se Patrum authoritates jactantis: *Manifestè ideo damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem duas dixit naturas. Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus ejicior; ego defendo Patrum dogmata, non transgredior in aliquo, & horum testimonia non simpliciter neque transitoriè, sed in libris habeo.* Conc. Chalc. Act. 1. Conc. Tom. 3. pag. 37.

Adverte hìc porro, 1. utique adeo persuasissimum fuisse omnibus, non posse sine Patrum suffragiis constare doctrinam aliquam, vel Scripturæ intelligentiam, ut nec Novatores id latere posset: eoque suas ipsi novitates veterum Patrum suffragiis munire studerent. 2. Sed pauciſſimos hic, ut vides, sibi suffragatores ex sanctis Patribus venditabat: cùm qui à nobis suprà laudati sunt Scriptores Catholici, ii Patres admodum omnes Synodosque priores astipulatores haberent. 3. Et ne hos quidem pauciſſimos Patres satis capiebat Dioscorus. Cùm enim unam dixit Cyrillus naturam Verbi incarnatam, usque adeo non negavit duas in Christo post adunationem naturas, ut eas his ipsis verbis expresserit distinxeritque manifestissimè. Nam *Verbi natura* utique Divinitas est; at vox illa *incarnata*, sive inhumanata, carnis, sive humanitatis naturam manifestissimè declarat, ut nos alibi fusissimè in Tractatu de Incarnatione, ubi de hypostasi disputamus, & de hac ipsa quæstione, An una rectè dicatur natura Verbi incarnata.

Conveniebat, ut opinor, Dioscoro cum Eutychete, cujus non abs re erit verba hìc adjungi, qualia leguntur in Actione I. Concilii Calchedonensis. Sic enim ille etiam sanctos Patres in speciem veneratur, at mox illos repudiat, & solis confidere se Scripturis testatur. *Paratum enim se esse asserebat, expositioni sanctorum Patrum, qui in Nicæa, in Epheso congregati sunt, consentire, & subscribere interpretationibus eorum confitebatur. Si verò aliquid contigit eos in aliquibus dictis aut falli, aut errare, hoc neque subscribere: solas autem Scripturas scrutari, tanquam firmiores sanctorum Patrum expositionibus.* Et mox: *Ex duabus autem naturis unitis secundùm substantiam, factum fuisse Dominum nostrum Jesum Christum, neque didicisse in expositionibus sanctorum Patrum, neque suscipere, si contigerit ab aliquo eorum tale aliquid legi; quia divinæ Scripturæ, ut dicebat, meliores sunt Patrum doctrinis.* Ibidem pag. 104.

Videant Sectarii nostri nuperi & hodierni, quos habuerint præludores, in fugillanda subinde Patrum authoritate, & in solius Scripturæ ostentatione, non ad aliud quàm ad Patrum contemptionem affectata; imò & ad ipsarum Scripturarum exauthorationem. Quorsum enim Scripturæ, si tot sint earum interpretes, quot diversissimarum Sectarum magistri, quot horum discipuli, etiam illiterati, plebeii, agricolæ, opifices? Non ita Cecropius Episcopus Sebastopolitanus, cujus hæc leguntur verba Actione II. ejusdem Concilii Calchedonensis: *Fides bene disceptata est à trecentis decem & octo sanctis Patribus, & firmata à sanctis Patribus Athanasio, Cyrillo, Cælestino, Hilario, Basilio, Gregorio, & nunc iterum per sanctissimum Leonem: & precamur, ut ea quæ sanctorum Patrum trecentorum decem & octo sunt, & quæ sanctissimi Leonis, recitentur.* Ibid. pag. 312.

IX. Recitatæ sunt non multò pòst in eadem Concilii Actione testimonia sanctorum Patrum, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, Cyrilli Alexandrini, Leonis Papæ. Applausit tota Synodus, Leoni maximè & Cyrillo, sed & aliquoties ingeminatum est, *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt. Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides.*

Aliquanto pòst tempore subscripsere Chalcedonensis Concilii fidei & doctrinæ Provinciales Synodi complurimæ, quò ejus inconcussa authoritas novis his ad cumulum præsidiis muniretur adversùs oblatrantium hæreticorum calumnias, qui eam non Episcoporum, sed Imperatorum & mundi Principum Synodum fuisse mentiebantur, quòd ei scilicet Marcianus Imperator affuisset. Hæ Synodi singulæ in singulis Provinciis habitæ, testificatæ sunt, quam libera fuissent in damnando Dioscoro & Eutychete, & in fidei decreto condendo Patrum Chalcedonensium suffragia. Non multùm absimiles fuere adversùs Tridentinam nuper Synodum querelæ & tergiversationes Sectariorum. Sed utrobique locum habuit suffragatio statim adjuncta totius orbis Episcoporum, quibus nec Imperator, nec Romanus Pontifex terrorem incutere potuerat. Utrobique locum habuit illud Epistolæ Sebastiani Episcopi ad Leonem Imperatorem: *Quia sicut Soli, ad demonstrandum quia Sol est, nihil minus est: ita illi magno sanctoque & universali Chalcedonensi Concilio, bonorum quidem omnino nihil deest: neque enim eget augmento, neque detractione; cùm sit à sancto Spiritu, velut divino quodam sale conditum.* Et mox: *Taliter namque sapuisse comperimus omnes, qui verbo & doctrina, & vita mirabili, Deo per diversa tempora placuerunt, id est, beatum Athanasium qui sæpius propriis sancivit dogmatibus, quia erat in corpore passibili impassibilis, & in mortali immortalis. Sic Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nyssæ, & post Joannes Constantinopo-* Conc. Chalced. part. 3. cap. 30. Ibid. p. 115.

tinopolitanus, verborum simul & cogitationum pelagus benedictum.

X. Ab his non recedebat quinta Synodus generalis, ubi primò suscipiendas definiebat sanctas quatuor Oecumenicas Synodos priùs habitas; tum deinde etiam sanctos Patres utriusque Ecclesiæ, à quorum se fide & doctrina si quis se sejungeret, is proculdubio ab Ecclesia Catholica damnaretur. *Confitemur fidem tenere & predicare ab initio donatam à magno Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in universo mundo predicatam, quam & sancti Patres confessi sunt, & explanaverunt, & sanctis Ecclesiis tradiderunt, & maximè qui in sanctis quatuor Synodis convenerunt; quos per omnia & in omnibus sequimur, & suscipimus cum aliis sanctis Patribus: & sanctas quatuor Synodos, id est, trecentos decem & octo sanctos Patres Nicæa congregatos, & cætera.* Et paulò inferiùs: *Super hæc sequimur per omnia & sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum & Gregorium Nyssanum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; & suscipimus omnia, quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Suscipimus autem & alios sanctos & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem suæ vitæ prædicaverunt. Hac igitur recta confessione in sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia servanda & prædicanda, si quis semetipsum ab ejus communione separet, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans rectæ fidei, & hæreticis connumerans, justè à sancta Dei Ecclesia condemnatur & anathematizatur.* Totidem penè verbis Synodo præiverat Justinianus Imperator in sacra ad hanc Synodum missa, quæ & primæ ejus Collationi statim præfixa est. Hæc erat nimirum solemnis & usitatissima formula profitendæ fidei Catholicæ, ejusque Synodis & Patribus subscribendi.

Conc. tom. 4. pag. 248. Collat. 5.

XI. Porro in Concilio Lateranensi sub Martino Papa adversùs Monothelitas relecta est hæc Synodi quintæ definitio, de Synodorum generalium sanctorumque Patrum authoritate ineluctabili. Illam enim palam recitari jussit Pontifex qui Synodo præerat, & tum ipse hæc subjunxit: *Manifestatur nobis ex his, quæ relecta sunt, sive definita à S. V. Concilio, condemnatum esse & alienum sanctæ Dei Ecclesiæ unumquemque, qui non susceperit verbo & mente omnes sanctas Synodos & venerabiles Patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum. Jam ad nostram cognitionem splendidissima verba eorum, omnique suscipienti salutifera deducantur.* Quibus convenienter Lateranensis & ipsa hæc Synodus ita definiit: *Dogmata & sermones sanctorum Patrum uno corde & ore unanimiter ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes de his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis; sicque credimus, sicuti Patres crediderunt: ita prædicamus, quomodo docuerunt. Quæ sancta, & universales quinque Synodi tradiderunt, intransgressibiliter retinemus definitiones eorum servamus, decreta eorum integrè confitemur: ita definimus, quomodo illi per proprios sermones promulgaverunt. Qui easdem sanctas Synodos & venerabiles Patres minimè suscipit, condemnatus est.*

Confule 4. Tom. pag. 716.

Confule 4. ibid. p. 724.

CAPUT XXXV.

Prosit, an obsit Philosophia, maximè Platonica, Theologiæ Christianæ. Primùm ex Augustino.

I. Doluit Augustino, quod nimis antè laudasset Platonem. Scripserat Ambrosius contra eos, qui de Platonis libris Christum profecisse jactabant.

II. Ostenderat Ambrosius spectata serie temporum Platonem potius in Ægypto de Scripturis nostris profecisse.

III. In eam Augustini narrationem multa observantur: Pythagoras potius quàm Plato Hieremiam in Ægypto audierit. Uterque potuit habere copiam Scripturæ nostræ veteris.

IV. Quæ de Verbi divinitate legerit Augustinus in libris Platonicorum, de humanitate assumpta nil legerit; nihil de humilitate, nihil de charitate, quæ propria est Schola Christi, ut expertus affirmat Augustinus.

V. Augustino congratulatur Simplicianus, quòd in libros Platonicorum incidisset, ubi tam multa præclarè de Deo, de Verbo, de naturis incorporeis.

VI. Non omnem, sed hujus mundi Philosophiam damnant Scripturæ.

VII. In quantum sapientiæ amorem exarserit Augustinus lecto Ciceronis Hortensio.

VIII. Quàm multi Philosophi Platonici in Ecclesiæ castra concesserint: quàm facilè id omnes potuerint.

IX. Deerat Platonicis personæ divinæ authoritas & humilitas, qua orbi persuaderent priùs credere, quæ capere nondum posset, ea fide mores purgare, ut posset aliquando tandem capere & videre. Utrumque Christus perfecit. Cur simularint Platonici omnia infirmare, affirmare nihil.

X. Socratem, Platonem, Pythagoram, & maximè Platonicos, Deum sensisse esse, & rerum omnium authorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem.

XI. Unde affirmet Augustinus tam præclara dogmata ex nostris Scripturis accepisse.

XII. In intelligibili potissimum mundo secernendo à sensibili, ut nostro dogmati consentiret Plato.

XIII. De Platone & Plotino, quàm multa in his ab Augustino sint reprehensa.

I. DOluit Augustino, quòd in libris contra Academicos, tantis affeciſſet laudibus Platonem, Platonicosque Philosophos, sive Academicos, quantis non debuerat Christianus Theologus ornare homines impios, adversùs quorum errores defendenda ipsi incumbebat doctrina Christiana. Ita enim ille in Retractationibus: *Laus quoque ipsa, qua Platonem, vel Platonicos seu Academicos Philosophos tantum extuli, quantum ipsos impios homines non oportuit, non immeritò mihi displicuit; præsertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina.* Dolet ibidem non multò pòst Augustino, quòd ita Pythagoram laudasset, ut videri posset nullos deprehendisse in doctrina ejus errores: cùm deprehendantur complures, & quidem capitales. *Nec illud placet, quod Pythagoræ Philosopho tantum laudis dedi, ut qui hanc legit vel audit, possit putare, me credidisse nullos errores in Pythagorica esse doctrina, cùm sint plures iidemque capitales.*

Augustin. Retract. L. 1. c. 1. & 4. 1.

Ibidem.

Ambrosii vestigia legebat Augustinus, à quo author ipsemet est scriptos esse libros adversùs eorum imperitiam superbiamque, qui ex libris ipsis Platonis Christum profecisse contendebant. Hos Ambrosii libros vehementer commendat Augustinus in Epistola ad Paulinum scripta, eosque affirmat à se multùm desiderari. *Libros beatissimi Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem multum,*

Epist. 14.

multum, quos adversùs nonnullos imperitissimos & superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profeciſſe contendunt, diligentissimè & copiosissimè scripsit.

l. 2. c. 28. II. In libris autem de doctrina Christiana luculentè docet idem Augustinus, quantum possit nostræ Theologiæ præsidii & luminis accedere ex historia; idque exemplo probat Ambrosii ipsius, qui insanos quosdam Platonis admiratores, Christum ajentes optima quæque sua à Platone hausisse, confutaverat. Inspecta enim ratione temporum cùm comperisset Ambrosius Platonem eo tempore in Ægyptum profectum esse quo Hieremias in Ægypto versabatur, hinc illud conjiciebat, multò probabilius dici Platonem ab Hieremia iis imbutum fuisse documentis, quæ Christiano dogmati non semel alludunt, & magnam Platoni ipsi admirationem hominum conciliavere. Proferam primò ipsa Augustini verba, operam dabo postea ut aliquid lucis rei toti huic affundatur. *De utilitate autem historiæ, ut omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem solvit, calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes Domini Jesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse; quoniam longè ante humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest. Nonne memoratus Episcopus considerata historia gentium, cùm Platonem reperisset Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi tunc ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potiùs nostris litteris per Hieremiam fuerit imbutus; ut illa posset docere, vel scribere quæ jure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebræorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundùm carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, à cujus posteris Platonem Theologiam didicisse asserunt. Ita consideratis temporibus fit multò credibilius, istos potiùs de litteris nostris habuisse, quecumque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum nostrum Jesum Christum, quod dementissimum est credere.*

De doctrin. Christ. l. 2. c. 28.

III. Adverte hic autem 1. indubitatissimum illud esse perdiu ante Platonem, Hebraicas Scripturæ litteras per orbem disseminatas fuisse; illo ipso Platonis ævo, Græco sermone ex parte saltem versas & publicatas fuisse, atque adeo earum copiam habere potuisse Platonem, & reapse probabiliter credi habuisse, quando suam in Ægyptum profectionem adornavit. Ergo multò similius veri est Platonem nostris ex Scripturis profeciſſe, quàm vel Christum, vel Apostolos ejus ex libris Platonis. 2. Cùm verò suprà demonstratum sit, Scripturas etiam veteres, & quidem totas de Christo esse: Testamentum utrumque in utroque esse: novumque in vetere legi adumbratum, vetus in novo illuminatum: hinc apparet non immeritò dici posse Platonem ex Christianis litteris, sive ex Mosaicis, præclarissima quæque in suos Commentarios transtulisse, 3. Est autem multò similius veri Pythagoram in Ægyptum ventitasse eo tempore, quo Hieremias ibi versabatur; quàm Platonem, qui utroque recentior fuit. Indubium porro est Platoni Pythagoram in multa præisse, & quæ Platonis postea nomine tantoperè venditata est Philosophia, eam multò antè à Pythagora, & ab ejus sectatoribus illustratam disseminatamque fuisse. Nihil verò attinet me his hoc loco diutiùs immorari; cùm in Methodo tractandæ, ediscendæ & edocendæ Philosophiæ tam prolixè, utinam & tam fructuosè totum hoc argumentum prosecutus sim. 4. Illud certè potissimùm nostra hìc interest observasse, quantum detrimenti importari possit nostræ Ecclesiasticæ Theologiæ, ex nimia & inconsiderata sive Platonis, sive Pythagoræ, sive quorumvis gentilium Philosophorum admiratione. Quos hìc explodit Augustinus, quos ante exploserat Ambrosius, ii non prorsus alieni erant à Christo & ab Evangelica ejus doctrina: sed insaniebant amore Platonis & Pythagoræ, quibus ideo Christum posthabebant. 5. Is ergo tenendus est modus, quem nobis hìc videtur præscribere Augustinus, ut & hos Philosophos plerosque fateamur homines impios fuisse, & multa scripsisse Christianæ doctrinæ inimica: & non pauca tamen habuisse, quæ meritò laudati debeant, quæ videlicet vel ex Mosaicis litteris mutua sumpserunt, vel ex illo deprompserunt publico penu veritatis & sapientiæ æternæ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quæ non alia utique est quàm Christus ipse.

IV. Rursus autem addocet nos Augustinus, quæ media terenda sit via, ne Philosophiæ vel contemptu nimio peccemus, vel æstimatione immoderatiore. Sic enim ille in Confessionibus suis Deo confitetur ab homine immanissimi fastus, hoc est, ut opinor, Philosophò Platonico, accepisse se libros Platonis latinè versos, & in eis perspicuè inveniſſe se sempiternum Dei Filium, Verbum & sapientiam Patris, lumen illud veritatis incommutabile, quo illuminatur natura omnis intelligentiæ & rationis particeps, etsi plerique hominum illi lumini terga vertant. *Procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos: & ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est in eo, vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen; sed Verbum Dei Deus est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Subjicit Augustinus ejus humilitatis & charitatis, qua Verbum caro factum est, ne vestigia quidem ulla deprehendere se potuisse in illis Platonicorum libris; ex quo contigerat, ut ventosa elati superbia evanescerent in cogitationibus suis, & stultissima sapientiæ suæ fiducia excæcarentur. Unde mox ibidem sanctus Pater: *Quod enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora incommutabiliter manet Unigenitus Filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ sint, & quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint: est ibi. Quod autem secundùm tempus pro impiis mortuus est: & Filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum: non est ibi. Abscondisti enim hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.*

Confession. l. 7. c. 9.

Ibidem.

Manichæorum præstigiis delusus aliquandiu fuerat Augustinus, nec potuerat sibi animo quidquam fingere, nisi quod corporeum esset, & per loca distenderetur; non animas, non Angelos potuerat cogitare, nisi corporeos, immo nec Deum ipsum. Hoc errore fatetur absolutum se fuisse tum demum, cùm Platonicorum libris perlectis incorpoream veritatem intellexit, quà sunt, & quà vera sunt, & quà vera esse intelliguntur, quæcumque verè intelliguntur, nec aliter habere se posse certissimè & evidentissimè intelliguntur. Ad novam hanc lucem exultavit, sed & superbiit; non enim in schola eam didicerat humilitatis & charitatis, ubi non inflat scientia, sed ædificat; non sibi de suo plaudit lumine, sed ipsi lumini & fonti luminis Deo; non imperitiori insultat proximo, sed indolescit & opitulatur. Sed ea Christi schola, ea Christi Philosophia, non Platonis est; ut idoneus testis docet Augustinus, utramque expertus: *Sed tunc lectis Platonicorum illis libris,* Ibid. l. 8. cap. 20.

poſtea quàm inde admonitus quærerem incorpoream veritatem, inviſibilia tua per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexi; & repulſus ſenſi quid per tenebras animæ meæ contemplari non ſinerer: certus eſſe te & infinitum eſſe, nec tamen per locos finitos infinitoſve diffundi. Et mox: *Jam enim cœperam velle videri ſapiens, plenus pœna mea, & non flebam, inſuper inflabar ſcientia. Ubi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod eſt Chriſtus Jeſus? Aut quando illi libri me docerent eam? in quos me propterea prius quàm Scripturas tuas conſiderarem, credo voluiſti incurrere; ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus eſſem; & cùm poſtea in libris tuis manſuefactus eſſem, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea, diſcernerem atque diſtinguerem quid interſit inter præſumptionem & confeſſionem: inter videntes quò eundum ſit, nec videntes quà, & viam ducentem ad beatiſſimam patriam, non tantùm cernendam, ſed inhabitandam.*

Subdit Auguſtinus arripuiſſe ſe tunc Epiſtolas Pauli, & ibi tandem vidiſſe ſe non lumen tantùm veritatis, ſed unde ad ſe illud deflueret, fontem gratiæ & veritatis Chriſtum; vidiſſe ſe tenebras per peccatum naturæ noſtræ affuſas, & impreſſa animabus noſtris varia vitiorum, ac ſuperbiæ maximè vulnera; & quibus his medicinam fieri neceſſe eſt, lacrymas pœnitentiæ, humilitatem, ſuſpiria, charitatem. Quorum ne apex, ne littera quidem eſt ulla in libris & in ſcholis Platonicorum. *Hoc illæ litteræ non habent. Non habent illa pagina vultum pietatis hujus, lacrymas confeſſionis, ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, populi ſalutem, ſponſam, civitatem, aram Spiritus ſancti, poculum pretii noſtri. Nemo ibi cantat: Nonne Deo ſubdita erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum: Etenim ipſe eſt Deus meus & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non movebor amplius. Nemo ibi audit vocantem: Venite ad me qui laboratis: Et dedignantur ab eo diſcere, quoniam mitis eſt & humilis corde. Abſcondiſti enim hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Viderunt illi Platonici eandem quam nos intuemur Patriam cœleſtem, ubi incommutabili Veritate ſaginatur & beatur mens: ſed viam quæ illuc perduceret, non viderunt, ſuſpiria, gemitus, Chriſtum: quo factum eſt, ut illuc irruentes in dæmoniorum ludibria inciderent: *Aliud eſt de ſylveſtri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non invenire, & fruſtra conari per invia, circum obſidentibus & inſidiantibus fugitivis deſertoribus, cum principe ſuo leone & dracone: & aliud tenere viam illuc ducentem, cura cœleſtis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur qui cœleſtem militiam deſeruerunt.*

Ibid. c. 11.

V. Hæc temperata eſt Auguſtini de Philoſophis potiſſimùm Platonicis cenſura. Quantum enim & ornamenti accedit Theologiæ noſtræ, & munimenti ab ea Philoſophia, quæ ſupra corporea & ſenſibilia omnia aſſurgere docet, mentes animaſque incorporeas cogitare, Deum ipſum intelligere, & Dei Filium, ſempiternam ejus Sapientiam, quæ ipſamet eſt Patria noſtra, cui diu noctuque ſuſpirandum eſt? Sed quorſum hæc omnia, ſi ex his ingraveſcant & flagitia, & ſempiterna ſupplicia? Pergit Auguſtinus, ut ad Simplicianum ſe contulerit, illum Ambroſii in Epiſcopali inſtitutione Patrem; eique cùm narraſſet errorum ſuorum circuitus, gratulatus ille ſibi ſit, quòd in Platonicos potiùs Philoſophos incidiſſet, quàm in alios quoſcumque; ſed & ſtatim commonuerit, ut ad Chriſtianæ humilitatis cryptocinia animum adjiceret, & exemplo uteretur Victorini ipſius, qui cùm faſtigium diu occupaſſet & gloriæ & litteraturæ totius ſæcularis, non ita pridem ad Chriſtianam infantiam, ad baptiſmum, ad Chriſti humilitatem & crucem acceſſiſſet. *Ubi autem commemoravi legiſſe me quoſdam libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem Chriſtianum defunctum eſſe audieram, in Latinam linguam tranſtuliſſet, gratulatus eſt mihi quòd non in aliorum Philoſophorum ſcripta incidiſſem, plena fallaciarum & deceptionum ſecundùm elementa hujus mundi; in iſtis autem omnibus modis inſinuari Deum & ejus Verbum. Deinde ut me adhortaretur ad humilitatem Chriſti, ſapientibus abſconditam, & revelatam parvulis, Victorinum ipſum recordatus eſt.*

Conſeſſ. l. 8 cap. 2.

VI. Non ergo contemnenda prorſus Philoſophia, ut quæ non aliud ſit, quàm amor ſapientiæ; ſed hujus mundi Philoſophiam damnant Scripturæ. Verè enim Chriſtus, qui Sapientia ipſa eſt, conteſtatur, Regnum ſuum non eſſe hujus mundi; quo ſatis innuit alium eſſe mundum ab oculis corporeis ſemotiſſimum, quem mente contuemur. Idem Auguſtinus alibi: *Hoc Græcum verbum, quod Philoſophia nominatur, Latinè amor ſapientiæ dicitur. Unde etiam divinæ Scripturæ, quas vehementer amplecteris, non omnino Philoſophos, ſed Philoſophos hujus mundi evitandos atque irridendos eſſe præcipiunt. Eſſe autem alium mundum ab iſtis oculis remotiſſimum, quem paucorum ſanorum intellectus intuetur, ſatis Chriſtus ſignificat, qui non dicit: Regnum meum non eſt de mundo: ſed, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Nam quiſquis omnem Philoſophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quàm non amare ſapientiam.*

De Ordine, l. 1. c. 11.

VII. Quid præclarius autem in hanc rem, quàm quod idem Auguſtinus alibi de ſeipſo narrat: perlecto in Scholis Ciceronis libro, qui Hortenſius inſcribitur, & quo hortamenta ad ſapientiam continentur, ita exarſiſſe ſe in amorem ſapientiæ ante annum ætatis ſuæ vigeſimum, ut ad eam jam tum fuiſſet evolaturus, abruptis omnibus ſæcularium rerum vinculis, niſi illum nonnullorum hominum exiſtimatio retardaſſet. *Ego ab uſque undevigeſimo anno ætatis meæ, poſtquam in ſchola Rhetorum librum illum Ciceronis, qui Hortenſius vocatur, accepi: tanto amore Philoſophiæ ſuccenſus ſum, ut ſtatim ad eam me transferre meditarer. Sed neque mihi nebulæ defuerunt, quibus confunderetur curſus meus.* Et paulò pòſt: *Lectis autem Platonis pauciſſimis libris, cujus ſe ſtudioſiſſimum accepi, collataque cum eis quantum potui etiam illorum auctoritate, qui divina Myſteria tradiderunt; ſic exarſi, ut omnes illas vellem ancoras rumpere, niſi me nonnullorum hominum exiſtimatio commoveret.*

L. de ben Vitæ.

VIII. At in libro de vera Religione cùm declaraſſet Auguſtinus, quàm conſentanea ſint Chriſtiano dogmati, quæ ſcripſere Platonici de Deo, de Verbo, de beata in cœlis patria, de virtutum omnium elimatiſſimis officiis; & quàm fruſtra Philoſophi illi hæc conati ſint Orbi perſuadere, & in mores inducere: tum demum ita concludit: ſi Plato, ſi Platonici reviviſcerent, & hæc viderent Orbi univerſo promulgata & perſuaſa fuiſſe, & in mores invecta per Chriſtum, ejuſque diſcipulos, tum verò exclamaturos eſſe, *Hæc ſunt quæ perſuadere populis non auſi ſumus; & eorum potiùs conſuetudini ceſſimus, quàm illos in noſtram fidem voluntatemque traduximus.* Atque inde id unum ſupereſſe argumentatur, ut Philoſophi illi paucis mutatis ſententiis atque verbis fiant Chriſtiani, ſicut complures Platonici fecerunt. *Itaque ſi ad hanc vitam illi viri nobiſcum agere potuiſſent; viderent profectò cujus autoritate facilius conſuleretur hominibus; & paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fierent, ſicut plerique recentiorum noſtrorumque temporum Platonici fecerunt.*

L. de vera Relig. c. 3. 4.

Quod ait ſanctus Pater poſſe ex Philoſophis fieri Chriſtianos, *paucis mutatis verbis atque ſententiis*: non temerè quidem ab eo dictum eſt; ſed

nec

nec oscitanter legendum est à nobis. Nam paucæ sunt hæreses, de quibus non idem dici posset, posse eas Catholicæ veritati paucis mutatis verbis atque sententiis sociari. Et tamen pestilentissimæ illæ sunt hæreses.

IX. Prolixè rursus alibi disputat Augustinus, cùm Platonici intellexissent non esse summum Bonum nisi in Deo, viderentque apud vulgus hominum invaluisse, & primas tenere, vel Stoicos, qui in virtute animi; vel Epicureos, qui in voluptate corporis illud constituunt; ita secum statuisse, ut illos oppugnarent, suum ipsi dogma occultarent; atque ita omnia refellerent, nihil affirmarent. *Inter eos autem qui fruendum Deo, à quo & nos & omnia facta sunt, unum atque summum bonum nostrum esse dicunt, apud illos eminuerunt Platonici, qui non immeritò ad officium sum pertinere arbitrati sunt, Stoicis & Epicureis maximè, & propè solis omnino resistere.* Epist. 18.

Unum ergo deerat Platonicis, persona divinæ authoritatis, qua hominum contumaciam frangerent, & sibi interim credere, ac fide purgari cogerent, qui nondum intelligere possent: deerat & divinæ humilitatis exemplum, quo superbia elideretur, qua homines tumebant & cæcabantur: id utrumque à Christo repræsentatum est; unde & orbi universo persuasum est, quod Platonici paucis discipulis insusurraverant in Scholæ suæ latibulis. *Reperies Epicureos & Stoicos acerrimè inter se dimicantes. Eorum verò litem conantes dijudicare Platonicos, occultantes sententiam veritatis, & illorum vanam in falsitate fiduciam convincentes & redarguentes: sed non sicut illi errorum suorum, ita Platonici verè rationis personam implere potuerunt. Omnibus enim defuit divinæ humilitatis exemplum, quod opportunissimo tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est: cui uni exemplo in cujusvis animo ferociter arrogantis, omnis superbia frangitur & emoritur.* Et mox: *Cùm ergo talia sentirent Platonici, quæ neque docerent carni deditos homines, neque tanta esse eo authoritate apud populos, ut credenda persuaderent, donec ad eum habitum perduceretur animus, quo ista capiuntur; elegerunt occultare sententiam suam, & contra eos disserere, qui verum se invenisse jactarent.* Et infrà: *Oppugnatos autem esse nomine Epicureorum & Stoicorum à Platonicis eos, qui in corporis vel in animi natura ponerent & finem boni, & causas rerum, & ratiocinandi fiduciam, eò rem successione temporum esse devolutam, ut cum Christiana etiam ætatis exordio rerum visibilium atque æternarum fides per visibilia miracula salubriter prædicaretur hominibus, qui nec videre, nec cogitare aliquid præter corpora poterant; beato Apostolo Paulo, qui eandem fidem Gentibus præseminabat, iidem ipsi Epicurei & Stoici, in Actibus Apostolorum contradixisse inveniantur.* Ex quibus id demum concludit Augustinus: *Ex quo intelligitur ipsos quoque Platonicæ gentis Philosophos, paucis mutatis, quæ Christiana improbat disciplina, invictissimo uni Regi Christo pias cervices oportere submittere, & intelligere Verbum Dei homine induetum, qui jussit, & creditum est, quod illi vel proferre metuebant.* Ibidem.

X. Quanquam autem tam multa nobiscum sentirent Platonici, in bene multis tamen dissentiebant; unde & adversùs eos specialiter idem Augustinus ostendebat instituendam esse disputationem. *Contra Philosophos, non quoslibet, sed qui apud illos excellentissima gloria clari sunt, & nobiscum multa sentiunt, &c.* Et infrà: *Nos quidem Platonem, nec Deum, nec semideum perhibemus, nec ulli sancto Angelo summi Dei, nec veridico Prophetæ, nec Apostolo alicui, nec cuilibet Christi Martyri, nec cuiquam Christiano homini comparamus: cujus nostræ sententiæ ratio, Deo prosperante, suo loco explicabitur.* Civit. L. 8. cap. ult. L. 9. c. 14.

Inferiùs verò Augustinus de Socrate quidem dubitat, an quando a rerum naturalium contemplatione homines avocabat, & ad morum sanctimoniam totos ut se conferrent excitabat, id eo consilio faceret, quòd illos vellet priùs purgandis moribus mentibusque suis incumbere, ut tum demum pura mentis acie intueri Deum possent, qui prima & summa rerum omnium causa est, & in quo vivunt naturarum temporalium omnium rationes æternæ. At de Platone non dubitat, quin ita ille de Deo senserit, ut in eo esset & omnium causa subsistendi, & lumen intelligendi, & fons sanctè ac beatè vivendi. Audiamus primùm quid de Socrate senserit: *Non mihi autem videtur posse ad liquidum colligi, utrùm Socrates, ut hoc faceret, tedio rerum obscurarum & incertarum ad aliquid apertum & certum reperiendum animum intenderit, quod esset beatæ vitæ necessarium, propter quam unam omnium Philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. An verò, sicut de illo quidam benevolentiùs suspicantur, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari: quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, non nisi in unius veri ac summi Dei voluntate esse credebat. Unde non eas putabat nisi mundata mente posse comprehendi: & ideo purganda bonis moribus vita censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret: naturamque incorporei & incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret.* Et aliquantò pòst de Platone: *Fortassis enim qui Platonem cæteris Philosophis gentium longè rectèque prælatum acutiùs atque veraciùs intellexisse, atque secuti esse fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inveniatur, & causa subsistendi, & ratio intelligendi, & ordo vivendi.* Denique quid discriminis statuerit Augustinus inter Pythagoram, Socratem & Platonem, ex his mox ejus verbis dilucidum fit: *Itaque cum studium sapientiæ in actione & contemplatione versetur; unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici potest: quarum activa ad agendam vitam, id est, ad mores instituendos pertinet; contemplativa autem ad conspiciendas naturæ causas, & sincerissimam veritatem: Socrates in activa excelluisse memoratur: Pythagoras verò magis contemplativæ quibus potuit intelligentiæ viribus institisse. Proinde Plato utrunque jungendo Philosophiam perfeciss laudatur.* Cùm denique triplicem Gentilium Theologiam distinxisset Augustinus, fabulosam, civilem, & naturalem, omnibus his Platonicam incomparabiliter præstare demonstrat, ut quæ Deum unum revereatur, & rerum authorem omnium, & mentium illustratorem, & æternæ largitorem beatitudinis. *Non solùm ergo ista, quæ duæ Theologiæ continent, fabulosa scilicet & civilis, Platonicis Philosophis cedant, qui verum Deum, & rerum autorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse dixerunt: Sed alii quoque Philosophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis & tanti Dei cognitoribus viris; ut Thales, &c.* Ibidem. Ibidem. L. 8. c. 5.

XI. Unde autem illa Plato acceperit, quæ tam finitima sunt nostris placitis, cùm in Ægypto opinarentur aliqui Hieremiam ab eo auditum fuisse, id negat Augustinus accuratæ temporum rationi convenire posse, cùm ex ea constet centum fermè pòst annis natum esse Platonem. Quin etiam negat Augustinus Platoni in Ægypto potuisse communicari Scripturas Hebraicas Græco sermone curante Ptolomæo donatas, cùm ea versio perfecta non sit nisi annis admodum pòst sexaginta. Ex quo patet, quod per interpretem tantùm ex eis, aut & ex Ægyptiis litteris, potuerit aliquid Plato delibare. *Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec* Ibid. c. 11

Hieremiam videre potuit, tanto ante defunctum; nec easdem Scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam translatæ, qua ille pollebat: nisi fortè quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyptias, ita & istas per interpretem didicit.

Undè autem potissimùm conjiceret Augustinus, non omnino expertem fuisse Platonem nostrarum Scripturarum, id ipse mox aperit; quod nempe illi Philosophus sit amator sapientiæ, quo nihil magis flagrat in Scripturis; quodque Deum prædicaret esse ipsummet Esse summum & incircumscriptum, quod non facilè ostendi potest à quoquam antè, vel dictum esse, vel scriptum, quàm Moyses Deum adduceret ita de se loquentem, *Ego sum, qui sum*. En ipsa Augustini ibidem verba: l. 8. c. 11. *Quod Plato dicit, amaterem Dei esse Philosophum, nihil sic in illis sacris Litteris flagrat: & maximè illud, quod & me plurimùm adducit, ut pene assentiar, Platonem illorum librorum expertem non fuisse, quod cùm ad sanctum Moysen ista verba Dei per Angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur: Ego sum qui sum; & dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos: tanquam in ejus comparatione qui verè est, quia incommutabilis est, ea quæ mutabilia facta sunt, non sint. Vehementer hoc Plato tenuit, & diligentissimè commendavit. Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est: Ego sum qui sum; & dices eis: Qui est, misit me ad vos.*

XII. Denique inficias ire nemo potest, quin illud, quod apud Platonicos decantatissimum est, & ex quo potissimùm ipsi invidia conflata est Platoni, Christianæ Theologiæ sit adprimè consentaneum; geminum scilicet esse mundum, alterum intelligibilem, naturarum sensus corporeos fugientium, in quo veritas habitaret; alterum sensibilem, rerum & naturarum corporearum, qui cùm mutabilis sit, & nunquam sui similis, hinc de eo ajebat Plato, non veritatem, sed similitudinem veri ei tribui debere. Hunc enim ad illius imaginem factum esse. De hoc opiniones esse, de illo certissimas & constantissimas disciplinas. Quem Plato intelligibilem mundum vocitabat, hunc Ecclesiastici Scriptores spiritalem dixere; dixere & carnalem, quem ille sensibilem. Et illi & nobis id convenit, ut sensibili mundo inhærere & insenescere, stultorum sit, vel rudium & tyronum; sapientes autem & probi, hinc aufugiant, & in intelligibili mundo plurimùm versentur, ut ibi incommutabili pascantur veritate; hi nimirum de quibus Paulus ait, *Nostra autem conversatio in cœlis est*. Audiendus jam est nobis Augustinus, contra Academicos, ubi hæc in hunc modum extricat: Cont. Acad. l. 1. c. 17. *Sat est enim ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret; istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem, & ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea quæ se cognosceret anima velut expoliri & quasi serenari veritatem; de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo, per eas virtutes quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quæ nisi paucis sapientibus ignotæ essent, non posse nisi verisimiles nominari. Hæc & alia hujusmodi mihi videntur inter successores ejus quantum potuerant esse servata, & pro mysteriis custodita. Non enim aut facilè ista percipiuntur, nisi ab eis, qui se ab omnibus vitiis mundantes, in aliam quandam plusquam humanam consuetudinem vendicaverint, aut non graviter peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit.*

XIII. Parco operæ & tempori, ne plura ex Augustino in hanc rem congeram; ne etiam multa ejusdem argumenti ex ipsius Platonis operibus: qui non dissimulat aliquoties multa se ex Barbarorum Philosophia corrasisse; quos non alios esse posse, quàm Ægyptios & Hebræos: & hos potius, quàm illos, alibi à nobis demonstratum est. Unum id supererat, ut declararem, quàm multa sint ab Augustino in Platone & Platonicis reprehensa, quàm multa confutata; atque ita purgarem illum à nimii in Platonem studii invidia, quam & à se studuit ipse abstergere. Sed meæ me jam hic prolixitatis pudet, & ei rei satis me feciisse puto in Dogmatibus ipsis Theologicis de Deo, Deique proprietatibus; cui ipsi Tractatui si tam multa ex Platone & Platonicis omnibus aspersi, propensiùs condonabit Lector, ut spero, postquam seriò legerit, quæ in hoc capite sunt ultrò citròque à me disceptata.

Quoniam autem & ab Augustino & à nobis ex Plotino decerpta complurima sunt eorum, quæ Platoni asscribuntur, ut ne temerè id factum quisquam putet, libet hìc inserere, quæ de utroque hoc Philosopho habet Augustinus illo in ipso libro tertio contra Academicos: *Ofque illud Platonis quod in Philosophia purgatissimum est & lucidissimum, dimotis nubibus erroris emicuit, maximè in Plotino; qui Platonicus Philosophus ita ejus similis judicatus est, ut simul eos vixisse; tantum autem interest temporis, ut in hoc ille revixisse putandus sit.* Cap. 18.

CAPUT XXXVI.

Prosit, an obsit Philosophia Theologiæ Christianæ ex aliis Patribus.

I. Quid ex Lactantio senserit Plato, Aristoteles, Cicero, de Deo, de Religione.

II. Ex Arnobio ostenditur, non Catholicos tantùm, sed & hæreticos omnes, & Philosophos ipsos fidei inniti alicujus ducis & authoris sui: eo discrimine, quod solis Catholicis dux sit æterna veritas Christus.

III. Quam Philosophiam aspernetur Ambrosius.

IV. Claudianus Mamertus Platoni tribuit perspicuam Trinitatis cognitionem.

V. Abelardi eandem fiduciam, & de Spiritu sancto, quod esset Mundo anima, ut retuderit Bernardus; quodque non verè & propriè Christus hominem de captivitate diaboli redemerit.

VI. Et Platonem admiratur Clemens Alexandrinus & Philosophiam, ut quæ Gentilium pedagogus esset ad Christum, ut lex Judæorum.

VII. Philosophia sectas omnes complectitur quodammodo: ab Hebræis Scripturis Græcè versis multa hausit: ita Christo præparavit.

VIII. Non omnem ex eodem, sed Epicuream & Stoicam Philosophiam damnavit Paulus: sectas singulas frustula veritatis assecutas aliqua putas Clemens, & Græcos ab Hebræis multa sumpsisse.

IX. Numa Pythagoreus Hebraicam Philosophiam & religionem Romæ instituerat, per diu ante Græcos.

X. Cùm perfecta sit Christiana Doctrina, quomodo illi adjumento sit, sive Dialectica, sive Philosophia Græca, ex eodem.

XI. Iterum Pythagoras, Plato, Moyses. Multa tamen Philosophi illi à summa ipsa divinæ sapientiæ luce hauserunt, contemplando, divinando, conjectando. Unde & persæpè aberrarunt, ut erroris sola expers sit Christi Philosophia.

XII. Moyses, Plato, Lex, Philosophia paucos ad se traxit: ipsa sapientiæ persona Christus ad se omnes traxit, & trahit adhuc, unde necdum trahere cessavit.

I. JAm inde ab exordiis Christiani nominis minùs abhorruisse nos à Platonicis, quàm

à cæte-

à cæteris Philosophorum sectis; minùs adversatos vicissim nobis esse Platonicos, quàm cæteros Philosophos, argumento esse possunt, quæ superiori capite dicta sunt: ne illud Actorum reperam, ubi Lucas Paulum testatur adversùs Stoicos & Epicureos decertasse, cùm nihil ejusmodi dicat de Platonicis. Lactantius certè cum varias & fluctuantes Philosophorum de Deo sententias retulisset, hæc denique subjungit de Aristotele, de omnium sapientissimo Platone, & de Cicerone in ejus semper vestigia ingrediente: *Aristoteles quamvis ipse secum dissideat, ac repugnantia sibi dicat & sentiat; in summa tamen unam mentem mundo praesse testatur. Plato, qui omnium sapientissimus judicatur, Monarchiam planè apertèque defendit; nec aethera, aut rationem, aut naturam; sed ut est Deum nominat: ab eo mundum hunc perfectum atque mirabilem esse fabricatum. Quem Cicero secutus atque imitatus in plurimis, Deum frequenter confitetur, ac supremum vocat in iis libris, quos de Legibus scripsit: ab eoque regi mundum argumentatur.* Et ne tamen existimes usquequaque nostros homines Platonis sequaces fuisse, audi quid idem ipse Lactantius alibi de eo dicat; somniatam magis ab eo, quàm cognitam Dei Religionem; etsi Socrates ejus defensioni, & superstitionum detestationi immoriendum, sanguinemque impendendum esse non dubitaverit, in eoque Christianis præluserit. *Plato quidem multa de uno Deo locutus est; à quo ait constitutum esse mundum: sed nihil de religione. Somniaverat enim, Deum non cognoverat. Quod si justitiae defensionem vel ipse, vel quilibet alius implere voluisset, in primis religiones deorum evertere debuit, quia contrariae sunt pietati. Quod quidem Socrates quia facere tentavit, in carcerem conjectus est; ut jam tunc appareret, quid esset futurum iis hominibus, qui justitiam veram defendere, Deoque singulari servire coepissent.*

Lactant. L. 1. c. 4.

L. 5. c. 16.

II. Arnobius libro statim primo contra Gentes, cùm eluviones & calamitates omnes publicas in Christianorum invidiam Ethnici retorquerent, hanc calumniam ineptissimam propulsabat authoritate Platonis, qui æva illa diluvia & conflagrationes mundi alternantes non aliud quàm ejus purgationes esse interpretabatur. *Opinionibus improbis criminamur eventa naturae? Plato ille sublimis agex Philosophorum & columen, saeva illa diluvia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum suis esse in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis subversionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innovationem vocare, & juventutem his quandam redintegratis viribus comparari.* Alibi autem rursùs vide ut retundat jactantiam Gentilium, qui authoritati Platonis & Plotini & Numenii cum toti incumberent, Christo nos credere vetabant, cujus tantò absolutior authoritas est: *Quid est, quod in hac parte, aut vos plurimum habeatis, aut nos minùs? vos Platoni, vos Platino, vos Numenio, vel cui libuerit creditis: nos credimus, & acquiescimus Christo. Iniquitas haec quanta est, ut cum utrique auctoribus stemus, sitque nobis & vobis unum & socium credere: vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur accipere? nos ea, quae proferuntur à Christo, audire & spectare nolitis? Atqui si causas causis, partes partibus voluerimus aequare: magis nos valemus ostendere, quid in Christo fuerimus secuti; quàm in Philosophis, quid vos.*

Arnob. l. 1. Bibl. Patr. Tom. 1. pag. 23.

L. 2.

Quæ mihi tantò aptiùs hic inferenda visa sunt, quantò hinc evidentius fit, non fideles Catholicos tantùm fidei & authoritati plurimùm tribuere, quod & ipsi profitentur ac præ se ferunt: sed & Philosophos, perinde ut & hæreticos Ecclesiæ Catholicæ desertores. Nam quotusquisque eorum qui Platonicis, vel Stoicis studebant, & eorum se nomine & gloria vestiri gaudebant, penitissima eorum dogmata callebat? Quotusquisque hæreticarum sectarum studiosus interiores earum doctrinæ recessus scrutatus est? Pauciissimi certè id laboris in se suscipere, aut voluerunt, aut valuerunt: reliqui omnes innituntur ducum principumque suorum famæ & authoritati; euntque, non quo eundum vident, sed quo ducuntur. Unum illos inter & nos illud est apertissimum discrimen, quod illi authoritati se addixere unius alicujus hominis, vel Sectæ, quæ & falli potest, & fallere; nos uni acquievimus authoritati Sapientiæ ipsius sempiternæ Christi, cujus doctrina nobis ipsiusmet ore, tum ab ejus Discipulis, & ab Ecclesiis consignata est in omnem terrarum orbem sparsis, quæ ne fingi quidem possunt in eandem omnes fraudem, vel in eundem errorem consensisse.

Plura nos alibi in hanc rem diseruimus ex Platone, cui ratum illud fixumque fuit, de Deo deorum filiis credendum esse, & fide magis quàm ratione ad Deum perveniri, quòd ille supra rationem & supra intelligentiam sit; porro nos quod ratione, quod intellectu non possumus, fide complecti. Non injuria ergo rursum idem Arnobius: *Plato ille divinus, multa de Deo digna, nec communia sentiens, &c.* Sed nec injuria idem non multò pòst Platonicos ipsos convenit, cogitque confiteri, sola Platonis authoritate, adeoque sola fide niti eos, cùm conspiratissimè dicunt, Corpora nostra mortalia esse, propterea quòd non ipse ea compegerit summus Deus, sed minoribus diis compingenda mandaverit: Animasque nostras à summo ipso Deo descendisse, ideoque immortales esse. Nihil horum vel Plato, vel Platonis asseclæ viderant; nihil horum poterant tam certa & tam dilucida ratione demonstrare, quàm certum & quàm dilucidum est, tria & septem esse decem. Ergo sola vel Majorum, vel Magistrorum fide id amplectebantur; quod nec Plato ipse detrectabat, à Barbaris, à Majoribus, à Deorum filiis multa ad nos vera dogmata propagata esse professus. Scitè ergo Arnobius ibidem: *Si penitus spectetur rei cujusque natura, in simili & vos estis, quam in nobis reprehenditis, causa. Non enim quia dicitis ab ipso animas Rege descendere, ac succedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, & in luce positum manifestissima veritatis. Conjicitis enim, non scitis: suspicamini, non tenetis; nam si scire illud est, quod ipse tu videris, aut cognoveris animo continere; nihil eorum quae asseritis, potestis vos dicere aliquando vidisse, id est, animas sede ab supera & regione descendere. Suspicione ergo utimini, non cognitionis expressa fide. Quid est autem suspicio, nisi opinatio rerum incerta, & in nil expositum jaculatio mentis illata? Ergo qui suspicatur, non tenet; nec in lumine positus cognitionis incedit.*

L. 4.

III. Philosophiam aspernabatur Ambrosius, sed si verba ejus seriò expendas, non repudiatur abeo, nisi quæ aliena est à rerum divinarum fide; quæ uni se rationi totam committit, quæ verborum aucupio, & disputationum tendiculis grassatur, seducitque mentes; porro hæc vitia nihil vetat abstergi, his purgatam Philosophiam retineri. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Elaborandum est igitur, ut in hoc saeculo stulti simus; nihil nobis cum Philosophia, ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat à vero, ne quis assertionem nostram per Philosophiam depraedetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus saeculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam, quae apud Deum est; elegerunt disputationis tendiculas, & aucupia verborum secundùm Dialecticae disciplinam, cùm clamet Apostolus: Ne quis vos depraedetur per Philosophiam, & inanem seductionem secundùm traditiones hominum, secundùm elementa hujus mundi, & non secundum Christum.*

Ambrosius Tom. 2. pag. 1357. In Psal. 118. Octon. 22.

IV. Ex Claudiano Mamerto Presbytero, & in Viennensis Episcopatus administratione tantùm non fratris sui Mamerti Collega, unum aut alterum proferam testimonium, tam vehemens & tam exertum, ut & ipse ei diffiderem, nisi antè Augustinus, & alibi allegatus à nobis Cyrillus in eandem sententiam ei præluissent. Verbi nimirum divini, nec summo Patri disparis generationem tam apertè à Platone demonstratam esse, ut eam jam quodammodo non tam fide, quàm intellectu comprehendere possint, qui huic se Philosophiæ immergere voluerint. En ipsa Claudiani verba, Libro secundo de Statu Animæ: *Igitur Plato procedat in medium, à quo verè claret, quàm magnum in semet bonum genus humanum negligat, nostro præsertim sæculo, quo dictis factisque cœlitus editis, eatenus religio conclamata est, ut penè jam credendi labore submoto, tempore fidei scientiæ fructum capessat, laborisque mercedem opere non patrato percipiat. Quo fit ut mirari admodum dignè nequeam hujus Platonis animum, qui tantis equidem sæculis ante puerperium virginis, ante prædicatam summæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate personas, laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio, quæsivit, invenit, prodidit, Patrem Deum, paternamque mentem, artem sive consilium, nec non utriusque horum amorem mutuum, unam summam, æquiternam, indivisam divinitatem: non solùm ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit.*

Bibl. Patr. Tom. 4. pag. 631.

Hæc ille, ubi & id subjungit, non facilè persuaderi posse, illius animam Philosophi mortalem fuisse, qui mentis suæ aciem inferre potuit in illud arcanum æternumque æternæ Veritatis, summæque in unitate Trinitatis lumen. *Persuadere mihi non possum, quod Philosophi hujus anima corporea fuerit, &c.*

V. Sentio quantum hinc emergere possit periculi in fidem, & in sanctos Ecclesiæ Patres, si Plato Philosophus à Claudiano Mamertò dicatur, non sola fide, sed ratione comprehendisse, quod maximè inaccessum habet Ecclesiæ fides, quod sancti Patres supra rationem, supra creati ingenii vim esse tradiderunt. Sentio hinc Abaelardum adversùs sanctos Patres ferocire cœpisse, teste Bernardo: *Denique in sugillationem Doctorum Ecclesiæ magnis effert laudibus Philosophos; adinventiones illorum & suas novitates Catholicorum Patrum doctrinæ præfert & fidei.* Et universim de Abaelardo omnia ad Philosophicas quæstiones revocante: *Et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non possis ratione attingere?* Si enim sacramentum omnium abstrusissimum unius & trinæ Deitatis Platoni pervium, & in splendidissima luce objectum obviumque fuit, quæ non eidem, quæ non Abaelardo patuerint nostræ disciplinæ mysteria? Ita confidebat Abaelardus, dum unus insurgebat adversus omnes sanctos Patres, negabatque opus fuisse, ut nos sanguine suo Christus redimeret de captivitate diaboli, cui per peccatum nosmet ipsi addixeramus. Contra se non credere tantùm, sed intelligere profitebatur, qui & Trinitatis non fidem, sed intellectum se consecutum esse confidebat; quin & Auditoribus suis eandem lucis copiam pollicebatur. *Et sic promittens intellectum auditoribus suis, in his etiam quæ sublimiora & sacratiora profundo illo sinu sacræ fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate.* Quàm fideret autem Platoni, & ex ejus placitis mundum hunc animal ingens & præstantissimum esse garriret; cui & Spiritus sanctus non adesset tantùm ut opifex, sed inesset ut anima; quantùm nec Plato forsan ipse affirmabat: *Mundum juxta Platonem tanto excellentius animal esse, quantò meliorem animam habet Spiritum sanctum. Vòi dum multùm sudat, quomodo Platonem faciat Christianum, se probat Ethnicum.* Ibidem.

Bernardi Epist. 189. 190.

Epist. 190.

Vide jam ut præ Philosophis Patres Ecclesiæ, præ ratione & Philosophia contemptui haberet: *Sciendum est, ait, quod omnes Doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & jure eum possidebat,* Et mox: *Sed ut nobis videtur, ait, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi fortè Deo permittente, ut carcerarius: nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.* Quæ insolentissima Abaelardi verba ita Bernardus exagitat: *Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non justius os loquens talia fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, sic, sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum jactas, quod præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtivas & panes absconditos puto apponet nobis iste. Dic tamen, dic quidquid illud est, quod tibi videtur, & nulli alteri. An quod Filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc planè nemini te excepto videtur: tu videris ubi videris. Non enim hoc à sapiente, non à Propheta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam: Non enim, ait, à meipso loquor; tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt.* Et rursus ibidem: *Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Evangelio, sed non Evangelio secundùm Petrum. Tu nobis novum condis Evangelium? Quintum Ecclesia Evangelistam non recipit. Quid Lex, quid Prophetæ, quid Apostoli, quid Apostolici viri nobis aliud evangelizant, quàm quod solus tu negas, Deum videlicet factum hominem, ut hominem liberaret? Et si Angelus de cœlo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit. Sed qui venerunt post Apostolos, Doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti. Denique non erubescis dicere quod adversùm te omnes sentiant, cùm ab invicem non dissentiant.*

VI. Si quos suprà Mamertus æquo vehementiùs incenderat in admirationem Platonis & Philosophorum: hos, ut arbitror, retudit hic Bernardus, & ad eum qui Theologis consentaneus est modum revocavit. Ad Græcos jam accedo, & statim ad Clementem Alexandrinum, qui Platonem ait Philosophico veritatis amori, etiam Hebraicæ veritatis scintillas addidisse, derivatis scilicet in Philosophiæ Græcæ hortos Scripturarum nostrarum fontibus. *Ille qui veritatem Philosophorum ita sectatus est Plato, ut Hebraica veritatis scintillam excitarit.* Et alibi: *Qui autem in hoc quoque Moysis est imitator longè optimus Plato.* Et rursus alibi: *In legibus itaque Plato, qui est ex Hebræis Philosophus.* At universim de Philosophia prisca ante Christi Adventum ita censet Clemens, sic illam datam esse Græcis, ut Legem Hebræis, quæ illos ad Christum initiarer, & quasi manuduceret, velut præluforia quædam disciplina, velut pædagogus ad Christum: ac proinde ex Philosophia illa sumi debere, si qua in rem sint nostram, ut quæ opes sint divinæ & universalis providentiæ; denique etiamnunc usui nobis esse posse docet illam Philosophiam Græcam, si fidem per demonstrationem colligere studeamus.

Clem. Alex. L. 1. Ped. & 5.

Atque

Strom. l. 1. pag. 207. *Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam : nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem iis qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam fes, inquit, tuus non offenderit, si quæ bona sunt ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra : omnium enim bonorum Deus est causa : sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti veteris & novi : aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophia. Fortè autem principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos Pedagogi more docebat, sicut Lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia, ei viam muniens, qui à Christo perficitur.*

VII. Cæteras disciplinas idem mox docet Philosophiæ, Philosophiam ipsam Theologiæ tanquam dominæ suæ ancillari, eique viam munire & complanare in animis nostris ; unde & virtutes Philosophicæ illis aditum præstruunt virtutibus, quæ ad Deum ipsum referuntur. *Circulares* Ibidem pag. 208. *disciplinæ conferunt ad Philosophiam, quæ est ipsorum domina : ita etiam ipsa Philosophia ad parandam conducit sapientiam. Est enim Philosophia quidem exercitatio, sapientia verò rerum divinarum & humanarum, & causarum ipsarum scientia. Est enim sapientia domina Philosophiæ, sicut illa illius quæ præcedit disciplinæ. Si enim Philosophia profitetur continentiam & linguæ & ventris, & eorum quæ sunt sub ventrem, & est propter se eligenda ; multò videbitur venerabilior & præstantior, si exerceatur propter Dei honorem & cognitionem.*

Nec Clementem latebat tamen, vix posse germanam Philosophiam à Theologia omnino sejungi ; quandoquidem illa veritati indagandæ tota vacat, hæc Veritatem illam Christum ipsum Dei Verbum esse docet. *Hinc ergo dicimus Philoso-* Ibidem pag. 209. *phiam nuda ratione habere inquisitionem veritatis & naturæ eorum quæ sunt. Hæc autem est veritas, de qua ipse dixit Dominus : Ego sum veritas.* Et rursus : *Disciplinam quæ præcedit eam, quæ est in Christo quietem, exercere mentem & excitare intelligentiam, generando ingenii acumen aptum ad inquirendum per veram Philosophiam, quam inventam vel potius acceptam Mystæ habent ab ipsa veritate.*

Quam verò Philosophiam tanti faciat Clemens, sic ipse manifestat ; non hanc aut illam Sectam ; sed quæ Sectæ universæ rectè & religiosè, verèque sanxerunt. Est enim non hæc, aut Ibid. p. 211. illa, sed universa Veritas Christus. *Philosophiam autem non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam ; sed quæcunque ab his Sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum, dico Philosophiam.*

Porro Sectas pleraſque mox innuit potuisse plurima mendicare ex Hebraicis Litteris, postquam ex Græcè versæ fuerunt. Adde quod suprà monuit Augustinus potuisse & Pythagoram & Platonem, aliosque diutissimè peregrinatos cum Hebræis consuescere, & Scripturas ipsis interpretantibus audire. *Propterea enim Græca voce exposita* Ibidem. *sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ possint prætextum afferre, cum possint quæ sunt apud nos audire, si tantùm voluerint. Aliter dicit aliquis de veritate, aliter veritas seipsam interpretatur. Aliud est veritatis conjectura, & aliud veritas ; aliud similitudo, aliud idipsum quod est.*

Nec tamen hîc sibi ipsi obstrepit Clemens, qui Platonicæ sectæ præ aliis tantum tribuerat. Unde Pag. 213. & mox, *Sic itaque veri amator Plato, veluti à Deo incitatus dicit, Ego inquit sum ejusmodi, ut nulli alii credam, nisi rationi, λόγῳ, quæ mihi consideranti optima visa fuerat.* Ut enim illa veritas, cujus contemplationi & amori se devovet Philosophia, sempiterna & incommutabilis est veritas ; Deus Verbum : ita ratio illa, quæ luce sua & potestate dominatur menti, cogitque sibi assentiri, ut in demonstrationibus contingit, & in primis intelligentiæ principiis, illa inquam ratio Clementi videtur ipsum esse Dei Verbum, λόγον. Ratio : *Sic itaque veri amator Plato, veluti à Deo incitatus dicit : Ego, inquit, sum ejusmodi, ut nulli alii credam nisi rationi, quæ mihi consideranti optima visa fuerit. Eos ergo reprehendit qui absque mente & scientia credunt opinionibus, utpote quod non oporteat relicta recta & sana ratione, ei credere quæ est falsi particeps. A veritate enim aberrasse malum est.* Ibidem.

VIII. Quæ sit porrò Philosophia illa, cui Paulus infamiæ notam inussit, sic tradit Clemens : Epicuream illam esse, quæ divinis voluptatem colit honoribus, & mundi administratricem Providentiam extinguit ; itemque Stoicam, quæ Deum corpus esse somniavit. Enimverò Clementis, immo & Pauli Apostoli ævo, non aliæ superstites erant sectæ ullæ præter tres istas, Platonicam, Stoicam, Epicuream. *Et rursus Paulus, Videte, ne quis sit, qui vos seducat per Philosophiam & inanem deceptionem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. Philosophiam quidem non omnem ; sed Epicuream, cujus etiam meminit Paulus in Actibus Apostolorum, reprehendens, quæ tollit providentiam, & in Deorum numerum refert voluptatem ; & si qua alia honore affecit elementa, quæ dum eorum non constituit causam efficientem, ne visione quidem apprehendit opificem. Quin etiam Stoici, quorum ipse quoque meminit, non rectè dicunt, Deum, cùm sit corpus, vilissimam pervasisse materiam.* Ibid. p. 216.

Subjicit non multò pòst Clemens Græcorum, aut etiam Barbarorum Philosophorum sectas, quasi frustula veritatis aliqua assecutas esse, alias alia ; eum compotem ergo fore totius veritatis, qui ex illis omnibus selegerit, & contexuerit, quod habent singulæ præstantissimum. Nec esse quod erubescamus aliquid à Poetis, vel Philosophis mutuari, cùm Paulus ipse non semel hoc nos exemplo informaverit. *Philosophia tam Bar-* Pag. 218. 219. *bara, quàm Græca hæreses, unaquæque id quod sortita est, tanquam totam jactat veritatem. Lucis autem, ut opinor, exortu omnia illuminantur. Universi ergo Græci ac Barbari quicunque veritatem desiderarunt, alii quidem non paucas, alii verò partem aliquam, si modò ullam, veritatis Verbi habere ostendi possunt.* Et paulò post : *Sic ergo & Barbara & Græca Philosophia æternæ veritatis avulsam quandam particulam, non è Bacchi mythologia, sed ex Verbi quod semper est Theologia, decerpsit. Qui autem divisa rursus composuerit, & perfectum verbum unum fecerit, scias futurum, ut veritatem citra periculum contempletur.* Et paulò inferiùs : *Epimenidem Cre-* Pag. 219. *tensem, Græcum Prophetam novit Paulus, cujus etiam meminit in Epistola ad Titum sic dicens : Dixit quidam ex ipsis proprius Propheta, Cretenses semper mendaces, male bestiæ, ventres pigri. Et testimonium hoc verum est. Vides quomodo etiam Græcorum Prophetis dat aliquid veritatis. Nec erubescit, & ad ædificationem, & ad aliquorum conversionem differens, uti Græcis poematibus.* Cùmque probasset Hebræis Philosophis & Prophetis multò recentiores fuisse Græcos, cùm Poetas, tum Philosophos ; & Græcos multas peregrinationes instituisse in Ægyptum & in Orientem, ubi sedes fixerant Hebræi ; denique Græcæ Philosophiæ principes compluſculos, vel Phœnices fuisse, vel Phœnicibus, Hebræis, Ægyptiisque proximos ; illud tandem concludit, ne ipsum quidem Platonem dissimulare potuisse, à Barbaris & Ægyptiis mutua se accepisse pulcherrima quæque Philosophiæ suæ ornamenta. *Plato autem* Pag. 221. *non it inficias, se ea quæ sunt præstantissima in Philo-*

Philosophia mercatum esse à Barbaris, & se fatetur venisse in Ægyptum, Aliquantò expressiùs advertit Clemens Paulum ipsum, & aram ignoti Dei apud Athenienses ad verum Deum orbis conditorem traduxisse, & Arati Poetæ Græci laudasse verba, ut id exemplo sanciret suo, quod hìc molimur, Græcæ Philosophiæ egregia quæque vendicari nostræ Theologiæ, *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt. Hujus namque genus sumus. Ex quibus clarum est, quod etiam Poeticis utens exemplis, ex Arati Phenomenis approbat, quæ apud Græcos rectè dicta sunt, & per ignotum Deum, honorari quidem per circumlocutionem à Græcis opificem Deum significavit.*

Pag. 131.

IX. Numam Regem Romanorum laudat Clemens, tanquam Pythagoræ discipulum, ex cujus institutis à Moyse haustis, Romanos docuerat Deum unum colere in spiritu & veritate, sine templis, sine aris, sine statuis; qualis Romana Religio perseveravit annis centum & septuaginta. Longo autem tempore post Numam Philosophi Græci emersere. Ergo Philosophiam Barbari excoluere omnium primi, & tum demum illa ad Græcos venit. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus; ex iis autem quæ à Moyse tradita sunt adjutus, prohibuit Romanis, ne homini, aut animali similem Dei facerent imaginem. Cùm itaque centum & septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem, nec affictam, nec depictam fecere. Occultè enim eis indicarat Numa, quod id, quod est optimum, non alia ratione quàm sola mente ulli licet attingere. Philosophia ergo, res quædam valde utilis, olim quidem floruit apud Barbaros, per gentes resplendens: postea autem venit etiam ad Græcos.* Et aliquantò pòst; *His omnibus Judæorum genus est longè antiquius; & eam quæ apud ipsos scriptis mandata est Philosophiam, cœpisse ante Græcam, multis verbis ostendit Philo Pythagoreus.*

Pag. 128. 131.

Pag. 128.

X. Nodum illum solvere aliquantò pòst adgrediur Clemens, qui fieri possit, ut Græca sive Philosophia, sive Dialectica, Christianæ Theologiæ suis omnibus numeris per se absolutæ & perfectæ, vel ornamento sit, vel etiam adjumento. Respondet autem Theologiam nostram, seu sapientiam esse quidem perfectam, & nullius indigere, cùm illa Dei virtus sit & sapientia; at Dialecticam usui tamen esse, ut hæreses debilitet, ut Sophistarum argumentationes diluat, ut instar sepis & valli sit adversùs incursiones hostiles. Quanquam enim his subsidiis non egeat Dei virtus ipsa & sapientia; erat tamen consentaneum, ut has etiam humanas artes & disciplinas honestaret, & quasi consecraret, cùm suis illas usibus applicat. Aut si mavis, ut ait Clemens, Fides, Veritas, Theologia, cibus est quo anima rationalis vescitur, quam immortali & divino cibo vesci par est: at Philosophia & Dialectica veluti appositissima quædam sunt condimenta; quo non video quid aptius dici possit in eam quam Scholasticam vocamus Theologiam, quæ ratione & via sapientiam tractat, præcipua cum laude methodi & perspicuitatis. *Perspicuitas itaque opem fert ad tradendam veritatem: & dialectica, ne prosternamur ab hæresibus, quæ faciunt incursiones. Et est quidem per se perfecta, & nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus & sapientia. Accedens autem Græca Philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam efficit Sophisticam argumentationem, & propulsans dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes & vallus. Et quæ est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad vivendum: quæ autem precedit disciplina, est obsonio similis & bellariis.*

Pag. 134.

XI. Nec sine piaculo omitti potest, quod idem Clemens inferiùs de Pythagora, de Platone & de Moyse differit; ita enim illorum texit encomium, ut Plato à Pythagora, Pythagoras à Moyse, sive à Moysis libris & discipulis multa didicerit; immo & à Moyse Mosaicisque scriptis multa mendicaverit Plato, unde & illi partum cognomen Moysis Attici. *Sicut enim Pythagoras multa ex nostris transtulit in suorum dogmatum traditionem: Numenius autem Philosophus Pythagoreus apertè scribit: Quid enim est Plato, nisi Moyses qui loquitur Atticè? Hic Moyses erat Theologus & Propheta; ut autem nonnulli, sacrarum legum interpres. Genus ejus & res gestas, & vitam, ipsæ scripturæ quæ sunt fide dignæ prædicant: & tamen à nobis quoque dicendum est, quod Moyses cum prima origine genere esset Chaldæus, natus est in Ægypto, cum majores ejus propter diuturnam famem ex Babylone migrassent in Ægyptum.*

Strom. l. 1. pag. 414.

Quod autem Philosophos aliqui dixere Patriarchas hæreticorum, nec eo probro Platonem absolvunt, eam maculam videtur eluere voluisse Clemens, quando Marcionem declarat ingratè & imperitè feciśe, quando errorum suorum semina & occasiones ex Platone aucuparus est. *Cæterùm satis dilucidè ostensas esse existimo, externorum alienorumque dogmatum occasiones, Marcionem ingratè & indoctè accepisse à Platone.*

L. 6. p. 636.

Nec omnia tamen vult Clemens tum Platonis, tum Pythagoræ præclarissima dogmata, aliorumque Philosophorum, ex Mosaicis Scripturis decerpta fuisse; sed ex instinctu etiam divino, & quadam veluti sive divinatione, sive conjectatione multa assecutos esse, & in eadem ipsa incidisse cum Prophetis nostris placita veritatis, regente illos superno lumine, & intimam animæ rationalis cum veritate cognationem provehente; ut Mosaica, Christianaque Philosophia Solis instar sit, à quo Philosophi illi apto aliquo veluti fomite admoto lucem suffurati fuerint. *In summa Pythagoras, & qui sunt ex eo cognominati, una etiam cum Platone maximè ex aliis Philosophis, usi sunt legislatore, ut conjici potest ex ipsis dogmatibus: & cum per rectè conjectantem famam divinationis, non absque instinctu divino concurrissent cum quibusdam vocibus Prophetis, & veritatem per partes & species tractassent, non obscuris appellationibus, nec extra rerum declarationem ingredientibus honorarunt, cùm accepissent manifestationem conjunctionis, quæ intercedit cum veritate. Unde Græca quidem Philosophia est similis illuminationi, quæ fit ex scirpo, quem homines accendunt, lucem artificiosè à Sole suffurati.*

Strom. l. 1. pag. 405.

Vel ex his autem ipsis, quæ hìc in commendationem Philosophiæ etiam Platonicæ inculcamus, dilucidum est non potuisse ipsam non subinde lapsare, & in varios errores impingere; ut quæ conjectando, divinandoque multa dixerit, & de veritatis Sole tantum in se lucis derivarit, quantum potest ex admoto aliquo ad cœlestem ignem fomento. Id rursus Clemens confirmat ex Platone, qui confitetur ediscendam necessariò esse veritatem, aut à Deo, aut ab iis qui à Diis duxere originem. Quantò ergo uberius Ecclesia à Filio ipso Dei unigenito veritatem edidicit? Etsi ergo Philosophia utcunque Theologiæ nomine & laude decorari possit, quatenus de Providentia Dei, & beatæ vitæ æternitate non absurdè differit; in multis tamen aliis deficit, deviatque, ut quæ non ab ipso Dei Filio, non ab ipsa persona veritatis totam hauserit Religionem, non ipsius maximè æternæ veritatis ad humanum genus allapsum, & inhumanationem. *Si ergo vel ex Platonis sententia, aut à Deo, aut ab iis qui à Diis duxere originem, verum solum disci potest: meritò à divinis eloquiis eligentes testimonia,*

L. 6. p. 646.

monia, jactamus nos veritatem discere per Filium Dei, quæ fuerunt quidem primùm prædicta, deinde declarata. Quæ autem ad veritatem inveniendam adjuvant, ne ipsa quidem sunt rejicienda. Ipsa certè Philosophia, quæ annunciat providentiam, & beatæ quidem vitæ remunerationem, miseræ autem punitionem, summatim theologiam tractat. Quæ autem accuratè & exactè traduntur, & quæ sigillatim habentur, ea utique non servat. Neque enim de Filio Dei, neque de ea quæ est per providentiam œconomia tractat, ut nos: non enim divinam noverat religionem.

Summatim ergo à Clemente concluditur, Philosophiæ utcunque & ex parte affulsisse veritatem, at nobis totam veritatis personam, & opulentiam indultam esse: unde Philosophos non semel à scopo veritatis aberrasse necesse est. *Ergo Philosophiæ quoque est aliqua veritas separata ab aliis Philosophis, & vera pulchritudo præter adulterinam. Non ea ergo quæ sunt in parte veritates, de quibus prædicatur veritas; sed ipsa veritas est magna cura & studio indaganda, non autem sola nomina.* Judæis lex, Græcis Philosophia à Deo concessa est, sub qua tyrocinium aliquod ponerent, justitiæque & fidei præpararentur, quam adventu suo allatura esset ipsa sapientiæ inhumanata persona: *Merito ergo Judæis quidem lex, Græcis autem data est Philosophia usque ad adventum: hinc autem est universa ac generalis vocatio, ad peculiarem populum justitiæ, per eam quæ est ex fide doctrinam, per unum congregante Domino, qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet & Barbarorum, vel potius totius humani generis.* Nec per legem tantùm Mosaicam hinc, hinc per Philosophiam, sed & per leges civiles rudimenta aliqua capiebat genus humanum, ne ad extremam & desperatam insipientiam, aut improbitatem delaberetur; donec Servator omnium hominum Filius adventaret, secumque sapientiam & justitiam & salutem integram adveheret: *Porrò autem genus quoque actionis est manifestissimum & per testamenta Domini, & per leges quæ sunt apud Græcos, quin etiam per ea quæ sunt præcepta in Philosophia. Et ut semel dicam, omnis utilitas quæ ad vitam pertinet, suprema quidem ratione, à Deo omnipotenti qui præest omnibus Patre perficitur per Filium; qui etiam propterea est Servator omnium, inquit Apostolus, maximè autem fidelium.*

Tametsi verò integritas & perfectio veritatis per Christum Christique Theologiam advecta sit, nihil prohibet tamen, quin ex Philosophia sæculari & voluptatis & utilitatis aliquid, immo & plurimum quandoque capiamus: quandoquidem & secundis mensis locus est post primas, non jucundus tantùm, sed & utilis. *Qui est apud nos cognitione præditus, ὁ γνωστικὸς, (Theologus) semper versatur in iis quæ sunt præcipua. Sed si quando est ei otium, & tempus relaxandi animi ab iis quæ sunt præcipua, loco alterius recreationis, Græcam quoque attingit Philosophiam, ut qui sit bellarium ad cœnam illaturus: non ut qui neglexerit ea quæ sunt præstantiora; sed ut qui acceperit, quantum decet, idque propter eas quas dixi causas.*

XII. Postremò denique, ait Clemens, cùm omnes homines & mendacio & errori obnoxii sint, & ignorantiæ, non potuit ab illis tradi nobis pura & plena Veritas: sed à sola ipsa summa Sapientia, ad nos allabente, & fontes sapientiæ illimes uberrimosque in Ecclesia sua collocante; quidquid veritatis & justitiæ antea intermicabat, ei præludebatur, ei via præstruebatur, per Mosaicos Magistros, per Philosophos: unde nec hi, nec illi omnibus placuere, sed pauciſſimis discipulis, non orbi terrarum; pauciſſimos allexere, sibique abgregavere, non universum genus hominum: at ipsa Sapientia, ipsa Veritatis persona cunctos ad se traxit, Græcos & Barbaros, peritos & imperitos, Philosophos ipsos & eorum discipulos: si necdum verò omnes pertraxit, id ex eo fit, quòd adhuc alliciat, adhuc trahat; cùm pulcherrimum sit, non traxisse tantùm, sed trahere: non vicisse semel & pervicisse, sed semper vincere. Etiam nunc enim extinctis Philosophorum Scholis, oppressis & extinctis penè Judæis, Gentilibus subindè ad nos accedentibus vincit Christus, vincit Veritas. *Sola ergo est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes sapientiæ, quicumque ad veritatem tanquam ad scopum feruntur. Venientis certè ad homines Domini, qui nos erat docturus, innumerabiles fuere significatores, annuntiatores, præparatores, Præcursores ab alto ex mundi constitutione, per opera, per verba præsignificantes, prædicentes esse venturum, & quomodo, & quando, & quænam essent futura signa. Eminus certè lex præmeditatur & Prophetia. Deinde Præcursor ostendit præsentem; post quem Prædicatores docentes adventus virtutem significant. Philosophi Græcis solis, neque iis omnibus placuere, sed Platoni quidem Socrates, & Xenocrati Plato, Aristoteles Theophrasto, & Cleanthi Zeno. Qui suos solos persuaserunt, assecias. Magistri autem nostri verbum non mansit in sola Judæa, sicut Philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum orbem terræ, Græcorum simul & Barbarorum gentibus & vicis & totis urbibus persuadens, totas domos & seorsum unumquemque ex iis qui audierunt, & ex ipsis etiam Philosophis non paucos jam traducens ad veritatem.*

Pag. 496.

Pag. 499.

Pag. 100.

Ibidem.

Ibidem pag. 502.

CAPUT XXXVII.

Rursus ex sanctis Patribus quanto Philosophia Christiana Theologiæ sit adjumento.

I. Ex Eusebio, Platonicæ Philosophiæ laus, & derivatio ex Scripturis nostris, ante Alexandri Magni tempora Græcè versis. Quàm novi fuerint Sapientes & Philosophi Græci, & quàm multa ab Hebræis acceperint.

II. Rursus quanta Platonis cum Moyse consonantia, ex eodem Eusebio: etsi & permagna sit aliquando dissonantia.

III. Philosophia semper aliquid novat; at Theologia illa ipsa, quam primus parens à Deo acceperat, quam ab eo Patriarchæ, ab his Moyses, ab hoc Propheta, illa inquam ipsa est, quam Christus Apostolis, hi Ecclesiis tradidere, toto orbe disseminatis.

IV. Quæ ex Eusebio dicta sunt, eadem omnia ex Justino Martyre confirmantur.

V. Ex eodem Platonica, & omnis Philosophia à Verbi sapientia profecta est, quæ tandem carnem ipsamet nostram induens, perfecit toto orbe terrarum, quod Græci frustra tentaverant Philosophi.

VI. Pulcrum est in Platonicis, quòd ad incorporeorum contemplationem mentem evehant; at ad conspectum Dei non evehit nisi Christus, puritas, humilitas.

VII. Theophili, Tatiani, Chrysostomi judicium de summis Philosophis & de Christi piscatoribus.

I. VEnio ad Eusebii Cæsariensis Episcopi Evangelicam Præparationem, ubi tum multa alia, tum illud refert ex Josepho de Platone: *Plato certè quidem is qui propter singularem vitæ morumque gravitatem, & eximiam dicendi ac persuadendi vim, qua Philosophorum nationem longè superavit, Græcorum omnium ore ad miraculum*

Præp. Evang. L. 8. c. 8. pag. 389.

culum usque celebratur. Alibi autem Eusebius ipse: *Aristobulum Peripateticum etiam ante nos confessum esse, Hebræis è fontibus suam Græcos hausisse Philosophiam*. Quod & ibidem statim probat ex libro, quem Aristobulus ipse Ptolomæo Regi inscripsit: *Satis constat, inquit, Legum nostrarum instituta sequutum esse Platonem, & singula earum capita diligenter ac studiosè perlegisse, Nam etiam ante Demetrium illum Phalereum, adeoque ante Alexandri ac Persarum Imperium, ea jam omnia Græcè ab aliis conversa fuerant, quibus illa Hebræorum popularium nostrorum ex Ægypto migratio, tum eorum series, quæ cœlitus ipsis evenere, promissæ regionis occupatio, & universa Legis expositio continetur: nemini ut dubium esse possit, quin suos in libros laudatus inde Philosophus pleraque derivarit. Fuit enim is lectionis plurimæ, quemadmodum & Pythagoras, qui è nostris selecta quoque permulta suis illis decretis inseruit. Post, Regis Ptolemæi cognomento Philadelphi, avi tui tempore, qui omnes hoc in genere studio & magnificentia superavit, integram eorum, quæ nostras ad leges pertinebant, omnium interpretationem præcipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera elaborarunt.*

L. 12. c. 13. pag. 663. 664.

Istud enimverò est, quod alicubi suprà insinuavimus obiter, donec id hoc loco probaremus, ante decantatam illam Scripturæ Hebraicæ in Græcum versionem per septuaginta Interpretes, aliam quampiam evulgatam fuisse, ante ipsius etiam Alexandri tempora, & ex ea hausisse Græcos complurima; licèt illa Septuaginta Interpretum editio Græca, & authoritate & numero librorum præcelluerit. Denique ita existimat Aristobulus, ubi Pythagoras, Socrates, Plato divinam ajunt se audisse vocem; eos tunc ad id intueri, id imitari, quod in Genesi legerant, *Dixit Deus, & factum est*. Ita ergo Aristobulus: *Nam de singulis operibus ita pronuntiat, Dixitque Deus, & factum est. Id quod egò, Pythagoram, Socratem, ac Platonem cùm nostra omnia curiosè rimati essent, omnino sequutos existimo, cùm sese Dei vocem exaudire dicerent.*

Pag. 664.

Missa facio quæ ex Clemente Alexandrino compilavit Eusebius; illud omittere non possum, quod ipse aliquantò peritiùs, quippe in doctrina temporum, ut ætas illa ferebat, versatissimus, scripsit de ætate tum Poetarum, tum Sapientum & Philosophorum Græcorum, ut inde constet longè antiquissimas fuisse Scripturas nostras, & ex iis Græcos ac Barbaros Philosophos alios omnes scripta sua irrigasse. *Græci fatentur ipsi, nonnisi post Orpheum, Linum ac Musæum, qui videlicet Theologorum omnium antiquissimi ac Principes, falsa hujus de multitudine Deorum opinionis fundamenta jecerunt; viros illas omnino septem Philosophiæ in Græcia laude claruisse, quos ipsi quoque Sapientes nominarint. Atqui Cyro Persis imperante floruerunt omnes: quo tempore Prophetarum apud Hebræos omnium novissimi extitere, annis post Trojana tempora amplius sexcentis; post Moysen verò non paucioribus mille ac quingentis, ut facilè tibi paulò post ex temporum ratione serieque constabit. Cæterùm eo circiter ævo, cùm recentiores isti septem Sapientes emersissent, humanioris quidem & castigatioris disciplinæ magistri fuisse perhibentur: sed tamen præter celebres quasdam eruditasque sententias, nihil admodum reliquerunt. At longè serius Philosophorum in Græcia vigere nomen ac prædicari cœpit.*

L. 10. c. 4.

Alibi rursum Eusebius, quæ de rebus spiritalibus & incorporeis scripsit Plato, ea illum accepisse existimat, tum ex Moyse, tum ex aliis Prophetis: *Sive eam doctrinam fama & auditione acceperit, cùm certum sit apud Ægyptios tunc temporis illum degisse, cùm Hebræi patria secundo pulsi, Persis dominantibus in Ægypto versarentur, &c.* Hoc jam multò probabilius, versatum esse Platonem in Ægypto, non cum Jeremia, sed longè posteriùs sub Imperio Persarum, cùm ibi complures Hebræi agerent. Pergit deinde Eusebius ad declarandam illam prolixissimè Platonis cum Moyse consonantiam in naturis incorporeis elucidandis; pergit & postea ad reliquas Philosophiæ Platonicæ partes, ut & in his demonstret Platonem Scripturis hærere; aut sicubi ab illis deflectat, tum aberrare. *Sed quoniam ejusmodi est in constituendis incorporeæ, sensumque fugientis naturæ rationibus Moysen inter Platonemque consensio: reliquas deinceps Platonicæ Philosophiæ partes videamus, eundemque Hebræorum in omnibus amantem ac studiosum fuisse ostendamus, nisi sicubi dum plus humano sensui, quàm ferebat sacrarum Litterarum veritas, indulgeret, longiùs exerravit. Id sanè liquet, ubicumque verum feliciter attigit, Moysis eum vestigiis institisse: eumdemque, quoties à Moysis ac Prophetarum mente discessit, toties differendo ac ratiocinando titubasse.*

Ibid. c. ult. pag. 67.

II. Fide primùm rerum divinarum imbuendos esse homines rudes adhuc & intelligentiæ impatientes, docet Plato, & ex Platone Eusebius, ut ejus concentum declaret cum nostra disciplina; convenienter Isaiæ, *Nisi credideritis, non intelligetis*; quo nihil apud sanctos Patres decantatius. Ex Platone idem mox ostendit, defunctorum animas nostrarum hic adhuc rerum curam agere; idque interim credendum esse Legislatoribus, quando ad id probandum longo rationum circuitu opus esset, in quo plerique fatiscerent: quod Eusebius concinere ait Macchabæorum libro, ubi legitur Hieremias jamdiu vita functus, orare pro populo. Etsi enim liber ille posterior sit Platone, ejus tamen rei fides in Hebræa gente præiverat, ut ibi postea litteris mandaretur.

L. 11. c. 1. pag. 650.

Quærit inferiùs Eusebius, Cùm Plato videatur totam Moysis & Hebræorum Religionem Græco sermone promulgasse, ecquid causæ fuerit, ut Christiani ex Græcis utique prognati, Moysis potiùs quàm Platonis se discipulos professi fuerint? *Cùm superioribus libris viderimus, Platonica utplurimùm Philosophia, Moysis & sacrorum apud Hebræos oraculorum quandam quasi Græcam in linguam conversionem contineri, &c.* Et mox: *Ecquid tandem causæ sit, quamobrem si Moysi tam consentaneè Plato philosophatus est, Moysis potiùs quàm Platonis doctrinam sequamur; cum secùs utique factum oporteret; quod præter dogmatum similitudinem, nobiscum etiam, utpote Græcis, Græco magis homini, quàm Barbaro convenirent.*

L. 11. in princ. pag. 650.

Arduum non est ei quæstioni facere satis; sed ex ipsa illa quæstione liquet, quàm persuasum fuerit tum Eusebio, & doctissimis plerisque Patrum, mirum in modum affinem esse Platonico Christianum dogma, ut non absurdè dixerit suprà Augustinus Platonicos Philosophos compluisculos paucis mutatis verbis atque sententiis Christianæ Ecclesiæ sese aggregasse.

Sed ne tamen existimet quis Eusebium plus nimio indulsisse famæ, aut amori Platonis & totius ejus Philosophiæ: accipe quæ ille aliquantò inferiùs de sexcentis ejus erroribus fœdissimisque commentis pronuntiet, ut ab eo nos discedere, & ad Moysen potiùs concedere necesse fuerit. Ex quo id efficitur, omnium quidem Philosophorum amicissimum nobis & conjunctissimum esse Platonem; sed permagnam nihilominus esse ejus ac nostri dogmatis discrepantiam. *Nam quid ad me attinet ista persequi diutiùs, ac cæteros Platonis errores aperire; cùm ex paucis illis conjecturam facilè de iis etiam quæ tacitus prætereo, facere quisque possit? Id quod nemo tamen abs me calumniandi animo dictum esse putet, cùm majorem in modum hominem suspiciam ipse quoque.*

L. 8. c. 15. pag. 706.

Sic est;

Sic est ; equidem illum nobis Græcorum omnium amicissimum existimo, & tanquam eum qui si minùs eadem prorsus quæ nos omnia, affinia certè admodum cognataque tradiderit, observo. Sed tamen ubi cum Moyse ac cæteris Hebræorum Prophetis committitur, quàm iis intelligentiæ vi cesserit, aperio. Quanquam si quis eum arguendum ex professo susciperet, posset is profectò alia sexcenta reprehendere.

III. Ut liquidius autem fiat, quantò propiores Moysis, quàm Platonis imitatores fuerimus, luculentissimè inferiùs docet idem Eusebius, à
L. 11. c. 2. Moyse temperatam quidem legibus fuisse Rempublicam, atque civilis politiæ formam : sed quod ad fidem & Religionem pertinet, nihil prorsus cum novasse, sed omnia posteris ita tradidisse intacta atque intaminata, ut à Majoribus acceperat, qui & ipsi acceperant ab antiquioribus Patriarchis & ab ipso usque parente primo, quem Deus ipse finxerat, institueratque. Ex eo autem id quoque emersit, ut neque Doctores ac Prophetæ qui Moysi succesſere, vel tantillum mutarint de antiqua illa fide, & primigenia Religione, quam intaminatam ab illis accepit, servavitque & servat etiamnunc Christi Ecclesia toto orbe diffusa. Quo non video quid splendidius validiusque dici possit ad Christianæ sive fidei, sive Ecclesiæ, sive Theologiæ commendationem adversùs hæreticas sectas, & adversùs Philosophicas Scholas qualescunque, quibus utrisque id familiare, id commune fuit, ut in dies semper aliquid novarent. Animos jam & aures advertamus Eusebio : *Veram Hebræi plenamque pietate*
Pag. 715. *Philosophiam, ab ultima usque memoria, penèque à primo, ut ita dicam, hominum ortu, diligenter penitusque rimati, eandem ad posteros sanam & integram transmisere : atque ita quidem hanc veritatis doctrinam à parentibus liberis, quendam quasi thesaurum longa successione acceptum conservarunt ; ut quæ decreta semel & constituta fuerant, iis nec addere quidquam ausi sint, nec quidquam detrahere. Sanè quidem Moyses ille sapientissimus, idemque uti Græcis omnibus, quod ex superioribus planè constat, antiquior, ita Hebræorum, qui ante ipsum plurimi vixerunt, ætate posteremus ; ex iis quæ à vetustissimis Patribus de dogmatica Theologiæ rationibus sancita erant, movere nihil, aut mutare statuit : tantùm popularibus ipse suis, quibus imperabat, conveniens ac proprium quoddam vitæ genus, & moderatæ Reipublicæ formam legibus temperavit. Hunc sequuti Prophetæ, qui tanto post eum intervallo claruere, ne minimam quidem voculam mittere sunt ausi, quæ vel à se ipsis, vel ab iis quæ Moysi cæterisque Deo caris hominibus placuerant, leviter dissideret. Neque Christiana profectò doctrina, quæ iisdem hausta ex fontibus, vi prorsus divina Græcos simul omnes Barbarosque pervasit, quidquam habet cum superiorum illorum dictis legibusque pugnans : nisi potiùs dicendum illud sit, eandem penitus, quam illi Moysi antiquiores Hebræi Deoque gratissimi tenuere, nec decretis modò Theologiæ, sed etiam institutis eandem ac moribus, vitæ ab ea formam rationemque præscribi. Quæ quidem ejusmodi est, ut una tam primorum, quàm mediorum, ac novissimorum sententia vocequè testata, veræ pietatis & Philosophiæ certitudinem ac firmitatem habeat, suffragiis omnibus consignatam. Atque illa sic orbem universum implet, ut perinde ac si paulo ante sata primùm, atque in lucem educta esset, adolescat in dies, & efflorescat magis atque magis.*

Parco operæ, ne hìc assuam quæ infrà differit Eusebius, vel ex Numenio Pythagorico, qui Platonem eo secernit à Socrate & Pythagora, *quod utrumque miscuerit Plato, & comitate Pythagoram, gravitate vicerit Socratem* : sive ex Attico Platonico, disputante adversùs Aristotelem, à
L. 14. p. 729. L. 15. p. 794. 795.
Moyse & Platone in constituenda finis ratione dissidentem, dissidentem & in virtutum doctrina, quas exiles & jejunas exhibet, nec ad Deum cum Platone, aut ad cœlestia & æterna exemplaria retorquet.

IV. Venio ad Justinum, qui non Martyris tantùm, sed & Philosophi nomine claruit. Is certè cùm adversas & pugnantes retulisset vetustissimorum Philosophorum sententias de primo rerum omnium principio, ad Platonem tandem & ad Aristotelem delabitur, à quibus se Gentiles probabiliùs, ut sibi videbantur, sua se de Deo & de tota Religione placita accepisse jactabant. At statim vel hos duos Philosophiæ vertices demonstrat Justinus multa de Deo, de anima, de mundo perabsurda sensisse, & inter se non dissensisse tantùm, sed & sectas reliquisse implicatis maximè inter se dissidiis nobiles. Hinc ille id elicit, non posse ergo eos haberi primarios sapientiæ & religionis magistros ; ideoque ad Hebræos multò his antiquiores reflectenda retrò esse vestigia, & ab iis ediscenda, quæ ipsi à Deo cùm didicissent, posteris suis illibata tradiderunt, unde nec inter eos rixæ ebullierunt ullæ, aut novitates. *Quocirca cum veri nihil de religione à Doctoribus vestris percipi posse constet, & idoneum satis documentum vobis ignorationis ipsi suæ, per dissidentes inter se factiones exhibuerint : reliquum esse opinor, ut ad majores nostros revertamur, qui & magistros vestros longo tempore anteverterunt, & nihil nos de suis ipsorum cogitationibus & placitis docuerunt : minimè dissentionibus invicem conflictantes, aut alii aliorum dicta evertere in animum inducentes : quippe qui omni contentionis studio & factionum dissidio liberi, sicuti à Deo acceperunt, ita nobis doctrinam tradiderunt. Neque enim vel natura, vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus cognitione assequi est possibile : sed eo quod tum cœlitus in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono. Qui viri nihil indiguere arte dicendi, neque eis opus fuit, ut quidquam rixæ contentionisve agerent cupiditate : sed ut tantùm modò puros seipsos divini Spiritus operationi præberent : atque ita divinum è cœlo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam citharæ alicujus vel lyræ viris justis utens, divinarum nobis & cœlestium rerum cognitionem revelaret.* Justinus Martyr. cohort. ad Græcos. Qui rursus idem inferiùs inculcat, non potuisse humani ingenii vim pervadere tam ardua & divina arcana, & constantissimam de iis doctrinam publicare ; sed à Deo omnia necessariò manasse ad viros olim sanctissimos, & ab his ad nos. *Fieri enim neutiquam potest, sicuti sæpiùs dixi, ut res tam magnas & divinas, qui non priùs à scientibus acceperint, vel ipsi intelligant, vel alios rectè docere queant.*

Sed & in Gentiles ipsos Philosophos derivatas esse priscorum Hebræorum doctrinas ac traditiones, idem ipse Justinus infrà demonstrat ; unde & nonnulla depromit ex ipso primùm Pythagora, tum ex Socrate & Platone. *Sic & hoc Pythagoras. Plato verò accepta cùm in Ægypto esset, sicuti videtur, Moysæ & aliorum Prophetarum de uno, eoque solo Deo doctrina, &c.* Illud verò potissimùm contendit, ex Mosaicis litteris Platonem accepisse, quidquid de Deo scripsit tanquam de primo Ente, ut nunc loquimur, & totius Entis plenitudine, convenienter ipsis Dei de seipso sermonibus ad Moysen. Quin & Moysen ipsum à Platone designari contendit, ubi aliqua de Deo statuit juxta *vetus verbum*. Ecquod enim potest ante Platonem vetus hoc verbum fuisse, nisi Mosaicum scriptum, quo nullum antiquius, nullum non multò recentius tradunt Annales historici ? At cùm Hebræos non nesciret Plato Græcis exosos esse, satius duxit eorum nomine abstinere. *Proinde velut interpretari & exponere ignorantibus, quod arcanis verbis de æternitate Dei per parti-*

participium prolatum est, volens Plato, ita ad verbum scripsit: Ipse sanè Deus, sicuti & vetus verbum est, principium, finem & medium rerum omnium obtinet. Hic Plato clarè & apertè vetus verbum Moysæ vocat legem. Moysæ quidem ille nominis, aconiti metu, mentionem non faciens, cujus doctrinam Græcis sciebat planè esse adversam: vetustate autem verbi, Moysen manifesto designans.

V. Sed nihil opus est tam longo anfractu, ut declaremus in Platonis maximè Philosophiam propendere Justinum: cùm in Apologia sua ipse priore profiteatur se Platonicæ sectæ addictum fuisse. *Nam & ego ipse Platonis disciplinæ sectator.* Quin & mox apertissimè docet alienam à Christo non esse, sive Platonis, sive aliorum Philosophorum doctrinam, quæ duntaxat rationi & veritati constet; hæc enim ratio & lux insita omnibus hominibus ratione utentibus, delibatio quædam est, & participatio rationis illius & sapientiæ summæ, rerum omnium architectæ, mentium omnium illuminatricis, quam nos Christum vocare tum cœpimus, cùm humanos artus induit, & inter homines homo versatus, ubique terrarum illuxit, & fontem ipsum se lucis esse demonstravit, ex quo Philosophi singuli singulos veritatis radios acceperant. *Non equidem quod aliena sint à Christo Platonis doctrinæ; sed quod sibi ipsis non omnino constent: sicuti neque aliorum, Stoicorum videlicet, & Poetarum, & Historicorum. Pro se enim quisque ex parte nativæ sibique insitæ divinæ rationis, id quod affine & cognatum sibi esset cernens, rectè promulgavit.* Et paulò pòst: *Quæcunque ergo apud omnes rectè dicta sunt, nostra Christianorum sunt. Ingeniti namque & ineffabilis Dei rationem ac verbum secundùm Deum, & adoramus & colimus: quoniam nostra causa id homo factum est, ut perpessionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret. Nam scriptores omnes propter rationis semen illis insitum, perquàm tenuiter ea quæ sint, cernere potuerunt. Aliud est enim semen alicujus, & imitatio pro virili parte concessa; & aliud ipsum semen primarium, per cujus gratiam inde provenientem, participatio illa & imitatio exsistit.*

In Apologia verò secunda Socratem affirmat Justinus morte affectum fuisse, quòd dæmones vetaret divinis honoribus affici: Christum id ipsum & agressum esse, & perfeciisse, ut qui summa ipsa esset ratio & sapientia, naturam humanam induta; unde nec mors ei illata prohibere potuit, quin dæmones & idola toto terrarum orbe proscripserit. *Non modo enim apud Græcos per Socratem à ratione hæc sunt reprehensa, sed apud Barbaros quoque ab ipsamet ratione & verbo conformata & homine facto, atque Jesu Christo dicto.*

VI. Postremò denique suos alibi errores describens Justinus, utque primùm se ad Pythagoreum magistrum contulerit, post ad Platonicum, antequam Christianæ se disciplinæ dicaret; confitetur se Platonico dogmate magnoperè delectatum fuisse, nec sine voluptate versatum esse inter incorporeas naturas & cum ideis divinis, quarum contemplatio alas menti ejus addebat, ut ad Deum avolaret, eumque coram præsentem intueretur, qua illum sanè fide & spe Platonici sustentabant. *In hujusmodi verò consilii inopia, placitum mihi est, cum Platonicis quoque conversari. Itaque in urbe nostra cum viro prudenti, atque inter Platonicos excellenti, qui non ita pridem eò venerat, plurimùm fui, promovi, & maximè quotidie crevi. Valde me delectabat incorporeorum notio, & idearum contemplatio mentem meam quasi alis quibusdam altiùs evehebat, atque intra breve tempus sapientem me esse factum rebar. Illicoque Deum perspecturum esse, per stultam per-*

suasionem sperabam. Nam hic Platonis Philosophiæ finis est.

Non abludebat ab his Augustinus, cùm superiùs confirmabat vidisse Platonicos, non sempiternam tantùm Dei sapientiam, Verbum Deum, sed & vitam æternam in eo nobis desponsam: verùm ad eam pertingere non potuisse, quòd viam non tenerent, quæ eò duceret per pœnitentiæ lamenta, per peccatorum & cupiditatum terrestrium purgationem, per humilitatem maximè, quam unus humano generi Christus initiavit. Ita sanè Justinus expertus, nec per Pythagoræos, nec per Platonicos potuisse se ad sapientiam & ad Dei conspectum perduci, ad Christi denique scholam se contulit.

VII. Theophilus Episcopus Antiochenus Platonem Philosophis omnibus anteponit, & nihilo tamen minùs variis eum erroribus scatere demonstrat. *Plato qui videtur eruditione & sapientia Græcos omnes excelluisse, ad quas ineptias & nugas devolvitur?* Fusè prosequitur & Tatianus Assyrius in Oratione contra Græcos, cum aliorum, tum etiam Platonis & Aristotelis errores, & sibi, & veritati maximè repugnantes. Lib. 3. ad Autolycum.

Chrysostomus palmam laudis inter Philosophos, Pythagoræ & Platoni ita concessit, ut cæteros ne nominandos quidem censuerit. Et mox tamen utrumque deridet, nec injuria; cùm in Republica sua Plato tam turpiter circa conjugia versatus sit, & Pythagoras in mures etiam, culicesque transmigrare fanxerit animas hominum immortales; quin & Deum animam esse mundi existimarint Platonici. *Horum namque nonnulla Platonici & Pythagorei investigare contenderunt. Neque enim reliqui nobis Philosophi memorandi sunt, qui hujusmodi disputationibus perridiculi reperiuntur. Qui verò apud eos pra cæteris admirationi fuerunt, & alius scientiæ habiti sunt principes, hi maximè sunt, qui & respublicas & leges condiderunt; in quibus longè magis quàm pueri sunt deridendi, cùm mulieres omnibus communes instituerint; & mores, & nuptiarum pudorem, omnemque denique vitam tam ridiculis corrumperent sanctionibus. In anima autem doctrina haud quisquam turpiùs erraverit. Quippe qui mures, culices, frutices, hominum animas fieri, & Deum ipsum animam esse, & alia quædam hujusmodi turpissimè assererent.* Subjicit mox prolixè, ut Philosophorum horum commenta explosa sint toto orbe, & eorum Scholæ conticuerint, postquam Piscatores Christus in suam scholam accivit, & per eos orbem universum cœlestibus imbuit disciplinis. *Ex quo enim & hic & reliqui piscatores fuerunt, & Pythagoræa & Platonica siluerunt disciplina, quæ superiori tempore tanti nominis & authoritatis ferebantur, & nomine quidem à plerisque sunt cognita.* Ut verò dilucidius fiat, quid distet à Joanne Piscatore & Apostolo Christi, Plato ille quem Cicero quandoque vocat Philosophorum quendam Deum, altum nunc ubique ait Chrysostomus esse de Platone silentium; at Joanni theatrum esse universum terrarum orbem, ejusque dogmata universas gentes edisscere suis linguis donata. *Verùm Syri, Ægypti, Indi, Persæ, Æthiopes, & innumeræ aliæ gentes, dogmata ab hoc introducta, in suam transferentes linguam, homines Barbari philosophari didicerunt. Non temerè igitur dixeram Joanni theatrum esse universum orbem.* Chrysost. Hom. 1. in Joann. Tom. 8. pag. 4. Ibidem pag. 10.

Hæreticos alibi perstringit Chrysostomus, qui exteriori Philosophorum sapientia nitebantur; quos ait nec de Deo certi quidquam, nec de Mundo compertum habuisse; unde & mulierculæ Christianæ de animæ natura plus sapiunt, quàm Pythagoras ipse, qui eam in animantes brutas migrare jubebat. *Quod si exteriori utuntur sapientia, minimè est mirandum: sed ridendum potius, quod fatuis utuntur magistris; qui* Pag. 5. Hom. 61. in Joan. pag. 342.

neque

neque de Deo, neque de creatura firmum aliquid, & solidum invenire potuerunt. Sed quæ apud nos vidua mulier novit, ea Pythagoras ignoravit, qui dixit animam fruticem, & piscem, & carnem fieri. His ne opera danda est? Quos verò Sapientum nomine illustrarunt Græci, illos demonstrat idem sanctus Pater de Deo absurdissimè sensisse; nec cœpisse de eo probabilius aliquid dicere, nisi postquam in Ægypto cum Hebræis versati sunt. *Primus eorum aquam Deum esse dixit: qui secutus est, ignem; alius aerem, & ad corpora delati sunt. Hos, quæso, admirandos ducis, qui nullam invisibilis Dei cognitionem habuerunt? Quod si quam perceperunt, id evenit ex quo in Ægypto cum nostris versati sunt.* Denique Chrysostomus Philosophorum omnium Coryphæum Platonem habet; cùm ait nos illis tantò sapientiores esse, quantùm Spiritus sanctus sapientia Platonem antecedit. *Tantò sumus enim nos illis sapientiores, quantùm interest inter Platonem & Spiritum sanctum. Illi enim externos Oratores habent magistros, nos Spiritum sanctum.*

In Epist. 1. ad Corint. hom. 7.

CAPUT XXXVIII.

Ex cæteris Patribus Græcis, prosit, an obsit Philosophia Theologiæ nostræ.

I. Græcam omnem Philosophiam ab Hebræis ortam fuisse, fusè & doctè probat Theodoretus.

II. Philosophorum inter se dissidia ex eodem, Christiana Theologia constantissima concordia: illic ergo falsitas, hìc veritas.

III. Antiqui Platonici ab Hebræis, novi à Christianis pulcherrima sua omnia didicere.

IV. Ex eodem cur maluerit Deus per piscatores quàm per Philosophos & Oratores orbem terrarum sibi subjicere.

V. Quid Epiphanius adversùs Ætium totum fidei & Theologiæ nostræ dogma ad geometricas figuras, & ad syllogismos revocantem.

VI. Isidorus Pelusiota de Platone & Philone.

VII. Cyrillus Alex. Græcos Philosophos suis ipsorum dissensionibus confutat.

VIII. Ex eodem, infantia Græcorum, antequam ad Ægyptios & ad Hebræos proficiscerentur.

IX. Ex eodem, præclarè multa de Numa Romæ Rege Pythagorico; de fidei cultu, qua Deum adimus: de Angelis, de Traditionibus.

X. Ex Photio, de nimia & insana Damascii Philosophi in Platonem admiratione.

XI. De Monachis Origenistis, & insanis Platonis admiratoribus. Obiter quæ regulæ hìc tenendæ, ut ne quid nimis.

I. QUod suprà obiter ex Platone & ex aliis perstrinximus, suam Græcos Philosophiam à Barbaris, hoc est, ab Hebræis, Ægyptiis, Chaldæis mutuatos esse: id enucleatiùs edisserit Theodoretus *in Curatione Græcarum affectionum, seu in Cognitione Evangelicæ veritatis ex Græca Philosophia.* Eo enim fulget titulo, seu argumento, longè pulcherrimum Theodoreti Opusculum, ubi hanc eandem versat quæstionem, cui & nos insudamus, Prosit an obsit Philosophia sæcularis Theologiæ Christianæ. Porro ex Porphyrio Christiani hoste infensissimo nominis, sic ille demonstrat, à Phœnicibus, Hebræis, Ægyptiis & Chaldæis omnia Græcos didicisse; quòd Hebræis Græci essent contermini, quin & in Ægypto perdiu fuerint commorati. Apud Chaldæos etiam diu egisse Hebræos tempore captivitatis Babylonicæ. Quin & Cyrum Daniele familiariter usum, & ab eo veri Dei cultum edidicisse. Cùm ergo Christiani Theologi ex Philosophia Græca aliquid accipiunt, antiquam tuam videri possunt recuperare hæreditatem; aut à Græcis repetere, quod illis Hebræi olim commendaverant. *Quod si etiam homo nobis omnium infensissimus (Porphyrius) Græcos suos accusat, ut errori mancipatos; Hebræis autem Phœnicibus, Ægyptiis & Chaldæis veritatem adscribit, testaturque hoc ipsum responso Apollinis confirmari; cur vestro non auscultatis Philosopho, neque admittitis oraculum Delphici tripodis, nec Hebræorum Prophetis, & Apostolis aures inclinatis? Hi sunt enim, quos Apollo Pythius inventores Veritatis appellat. Quod si Ægyptios illis, Phœnicas, Chaldæosque adjunxit, scire vos oportet Phœnicas proximos Hebræis atque conterminos, si quid veritatis didicerunt, ab Hebræis didicisse. Ipsi quoque Ægyptii uberrimos fructus ex Hebræorum consuetudine perceperunt: diutissimè enim Hebræi homines in Ægypto versati sunt. Quin & Chaldæi similiter magnum sibi commodum ab eisdem sumpserunt. Hebræos enim Chaldæi Reges in Babyloniam captivos duxerunt: deinde ex miraculis, quæ apud eos in camino ignis ardentis, & in leonum cavea facta sunt, idoneos existimarunt, quos sibi magistros Veritatis asciscerent. Cyrus quoque Cambysæ filius, cùm Daniele familiariter uteretur, ab eodem divini cultus scientiam perdoctus est.*

Serm. 1. pag. 472.

II. Alibi autem Theodoretus idem pugnas primùm Philosophorum & dissensiones, inter Platonem maximè & Aristotelem describit: quo tantò major æquiorque excitatur admiratio doctrinæ Christianæ, quæ Scripturis sacris & Majorum perpetuis traditionibus innixa, sui semper simillima est, nec alios habet affirmantes, alios negantes, ubi de dogmate quopiam sacro agitur. Ecquis enim sensit Moysen & Job, vel Davidem, Isajam, & reliquos Prophetas, Evangelistas, vel Apostolos, qualicumque de re dissentire alios ab aliis? Denique ex hac Philosophorum inter se discordia patet, quæ fuerit illorum doctrinæ inconstantia, & quàm non possimus tutò illis incumbere, nisi illos ad nostri dogmatis consonantiam & inconcussam veritatem revocaverimus. *Aristoteles autem Platoni adhuc viventi manifestè adversatus est, bellumque contra Academiam suscepit; neque doctrinæ illi honorem habuit, quam cupidissimè perceperat: neque celeberrimi viri gloriam est reveritus, neque Platonicæ eloquentiæ vim pertimuit, sed licenter illi adversarium se præbuit: cùm haud sanè meliorum, sed multò pejorum dogmatum auctor extiterit. Nam cùm ille animam dixerit immortalem esse, hic mortalem dixit: & cùm ille Deum res omnes providentia complecti docuerit, hic quantùm ejus verba sonant, terram divinæ providentiæ exsortem fecit. Ad Lunam enim usque Dei gubernationem pertinere ait, cætera fato esse subjecta. Plurima verò & alia innovavit, quæ nunc recensere supervacaneum duxi. Illi ergo mutuas invicem meritò demoliti sunt opiniones. Falsitas enim non solùm veritati, sed & sibi contraria est: Veritas autem est sibi concors, & unam modò falsitatem infestam habet.* Et statim ibidem: *Itaque pronum est invenire, de hominis natura, & Moysem Legislatorem, & Prophetam David, & fortissimum Job, & Esaiam & Hieremiam, universumque Prophetarum chorum, Matthæum quoque, Joannem, Lucam, & Marcum, & Petrum, & Paulum, universumque Apostolorum cœtum, consona ubique cunctos homines docuisse.*

Serm. 5. pag. 511.

Pag. 552.

III. Nec fileri debet, quod infrà docet nos Theodoretus, Plotinum Philosophum multa præclarissimè de Verbo scripsisse, quæ nimirum acceperat in Schola Alexandrina ab Ammonio Philosopho Christiano. Ex quo liquet antiquissimos Platonicos magistris operam dedisse Hebræis, recentissimos Christianis, & hinc illis accessisse singularem

gularem Theologicorum dogmatum præstantiam. Nam Apostoli imperante Tiberio Evangelicam sementem serere cœperunt; at imperante demum Commodo, *Ammonius cognomento Saccas, relictis saccis in quibus frumenta circumferebat, Philosophicæ vitæ se tradidit. Hujus auditorem fuisse ajunt, & Origenem nostrum, & Plotinum hunc. Plotini verò doctrinæ auditor fuit Porphyrius.*

Serm. 6. Pag. 173.

IV. Quid autem causæ sit, quamobrem plus præsidii voluerit esse Deus in piscatorum sapientia ad germanam Theologiam, quàm in Græcorum Philosophia, alibi aperit Theodoretus. Non id enim Deo fuisse consilii, ut paucos & eximios quosdam homines, ingenio, eloquentia & eruditione præstantes adgregaret in Ecclesiam suam, & ad verissimam Religionem, ad sempiternam salutem pertraheret: sed ut omnes homines, etiam imperitissimos, plebejos, sutores. Ad hoc autem consilium promovendum accommodatior erat & Scripturarum & Piscatorum simplicitas, quàm Oratorum aut Philosophorum acumen. Etsi ergo magni faciamus Philosophiam, ubi Theologiæ & fidei ancillatur; peccamus tamen graviter, & nostræ ipsimet gloriæ officimus, si ei multum nos debere prædicemus. Pronum erat Christo ex Oratorum & Philosophorum præstantissimorum choro Apostolos sibi adoptare. Ejus judicio qui Sapientia ipsa est, & cui sententias nostras debemus conformare, antehabiti sunt piscatores. *Pronum siquidem fuit & facillimum sapientiæ fonti, qui impiis quoque hominibus eloquentiam dedit, & Platone facundiores, & acriores Demosthene, & graviores Thucydide, & Aristotele aut Chrysippo cundendis insolubilibus syllogismis acutiores, reddere veritatis præcones. Cæterùm noluit ille quinque solùm decemve, aut quindecim, centumve, aut ducentos homines aquis salutaribus recreari; sed Gentes universas, tum Græcos, tum Barbaros, & litterarum studiis innutritos, & sutores, & textores, & fabros ferrarios, & cæteros manuales artifices, & cum his servos etiam & mendicos, & agricolas, & ligneatores, feminas quoque, tum divitiis affluentes, tum labori addictas, manuumque opere victitantes. Eamque ob rem piscatorum, publicanorumque ac sutoris ministerio usus, salutarem divinamque doctrinam hominibus protulit: linguis quas ab initio sortiti fuerant, haudquaquam immutatis, sed per easdem sapientiæ rivos effundens: non aliter, quàm si quis vinum odoris saporisque suavissimi convivis apponens, phialis poculisque minùs elegantèr exculptis infundat.*

Serm. 9. Pag. 134.

Quantula fuerit spectatissimæ Philosophiæ atque eloquentiæ vis & utilitas, probavit genus humanum; quod totum nostrarum Scripturarum & Apostolicorum Doctorum simplicitati accessit, subjecitque se: cùm & Philosophi, & Oratores, & Legislatores ne finitimas quidem civitates in mores suos traducere potuerint. *Jure igitur veram de divinis humanisque rebus traditionem, non illustres eloquentia, tumidique sermone, sed simplices humilesque ac omnibus noti prædicant; magnumque adeo & ineffabilem thesaurum viles thecæ circumferunt. Quantum autem hi roboris ac virtutis habeant, facilè is perspiciet, qui Græcorum ac Romanorum Legislatores in medium protulerit, & cum hisce piscatores nostros ac publicanos compararit. Inveniet enim illas ne finitimis quidem persuasisse, ut ad suas leges vitam instituerent: contrà autem Galilæos, non solùm Romanos Græcosque, verùm etiam Barbaras Nationes universas ad legem Evangelicam traduxisse.*

Serm. 8. Pag. 108.

Plura non addam ex Theodoreto, ne ad illa veniendum mihi sit, ubi & Platoni & Aristoteli varia objectat, tum dogmatum dedecora, tum errorum, & ex probatissimis Authoribus confirmat. Non quo vel ipsi vel nobis propositum sit in vitia & in mores inquirere horum Philosophorum; sed ne quis nostrum illis addictior sit, & in eorum admirationem projectior, quàm deceat Christianos Theologos, quibus unus magister est Christus, unus totius amoris & admirationis scopus.

Ibidem Pag. 642. 671. 674.

V. Ætium Arianorum, vel potiùs Anomæorum principem docet Epiphanius Philosophicarum disciplinarum penitus expertem fuisse: Aristotelico magistro postea operam dedisse, & eò dementiæ evasisse, ut Dialecticam & Geometriam cùm didicisset, quidquid erat nostræ Religionis mysteriorum, id Geometricis figuris explanare adgrederetur: nec antè desineret, quàm à Constantio Imperatore relegaretur. *Hic igitur Ætius ad adultam ætatem usque exterarum disciplinarum, uti narrant, fuit omnino rudis. Tandem verò cùm Alexandriæ Aristotelico cuidam Philosopho ac Sophistæ navasset operam, ab eoque Dialecticam didicisset, totus in illud incubuit, ut divinarum rerum rationem omnem quibusdam figuris explicaret. Id quod summo in otio, à prima luce ad vesperam usque sedens, pertinaci opera contendebat: Nimirum ut Geometricas figuras, divinas ad res tractandas, definiendas, docendasque transferret.*

Epiph. hær. 76. num. 1. Pag. 914.

Cùm verò adversùs Ætium non paucos Scripturæ contextus protulisset Epiphanius, sic denique contestatur, non posse nos adduci, ut Aristotelis, quàm Piscatorum magisterio malimus nos imbui; quòd regnum Dei non in argutiis, non in sermone sit, sed in virtute ac veritate. *Atque hæc omnia tuam illam argumentorum fabulam circumscribunt. Neque id hortatione ulla perficere potes, ut Aristotelis Præceptoris tui discipuli esse velimus: aut Piscatorum, qui Dei spiritu collustrati sunt, doctrinam relinquere: illiteratorum quidem & rudium, sed veritatis nihilominus præconum: quo munere Dei virtute ac beneficio perfuncti sunt. Non enim in syllogismis argumentisve regnum cœleste positum est; neque in arroganti inflatoque sermone, sed in virtute ac veritate.* Et infrà: *Syllogismorum, inquam, acumina omnia hominum ingeniis excogitata pretereunt: hominesque pariter cum illa Ætii ratiocinatione, & affectato contra fidem calliditatis artificio. Manet autem ea, quam syllogismis suis circumvenire conatur, fides, spes & charitas, uti scriptum est.* Et rursus: *Deum enim nullus unquam argumentando comprehendet, neque opificium opifici suo dicet: Quid me ita fecisti? ut scriptum est. Quamobrem pia mente, & innocenti securitate, ad sancti Spiritus, quæ per sacras Litteras patefacta nobis est, doctrinam revocandus est animus.*

Ibidem Pag. 649. Pag. 927. Pag. 928.

VI. Isidorus Pelusiota ex Philone demonstrat, quantùm Hebræi ipsi intelligerent placita sua Platonicis decretis alludere. Usque adeo enim Philo ipse Platoni assentiebat, ut tritissimo adagio diceretur, Aut Platonem olim Philonizasse, aut postea Philonem Platonizasse. *Quin Philo quoque, qui ob sublime & excelsum dicendi genus, Platonis vel discipulus, vel magister esse visus est: de iis enim dictum est, Aut Plato Philonizavit, aut Philo Platonizavit: Moysen, ut improborum odio flagrantem, laudibus persecutus, his verbis usus est, &c.* Et alibi: *Cur Plato ille Græcorum thesaurus libertate excidit, &c.* Et alibi: *Plato Philosophorum coryphæus.*

L. 3. Ep. 81. pag. 287. L. 4. Ep. 109. L. 1. Ep. 71. & 471.

VII. Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus tumentes de suis Philosophis & de Platone maximè Græcos ita refellit, ut eos primùm demonstret nunquam inter se, adeoque nec cum veritate consentire. Moysen autem illis objicit, qui sanum de Deitate & de tota Religione dogma multis ante Græcos sæculis conscripserat, suosque edocuerat, inter quos nihil unquam discordiarum exortum sit, quin & eos ex Gentilibus Philosophis præcelluisse cæteris omnibus, qui ad Moysis doctrinam se conformarunt. *Quandoquidem*

Cyrill. Alex. cont. Jul. l. 1. *dem igitur Græci ſuis Doctoribus magnoperè gloriantes, & nobis commemorando neſcio quos Anaximandros, Platones, cum Empedocle & Protagora, aliiſque præterea adjectis, qui eis impiorum dogmatum authores, vel ut ita dicam ignorantiæ fontes extitere, magnum ſtuporem incuſſuros putant. Age dicamus cuilibet perſpicuum eſſe, illos diſcrepantibus inter ſe opinionibus digladiatos eſſe: neque conſentientem circa unumquodque eorum quæ ſunt, rationem & cauſam afferre. Proinde & oſtendamus Moyſen primas tempore ſortitum, rectam & ab errore remotiſſimam de ineffabili & ſuprema omnium eſſentia opinionem invexiſſe, optimèque de opificio mundi meminiſſe.*

VIII. Quin ex ipſo Platone Cyrillus demonſtrat quanta fuerit Græcorum infantia & imperitia, antequam in Ægyptum proficiſcerentur, ubi Moyſis & Prophetarum noſtrorum memoria, adeoque & ſcripta jamdiu celebrabantur. *Plato in Timæo* Ibidem pag. 15. *ait Solonem profectum Athenis in Ægyptum veniſſe, ibique convento quodam Pſeudoprophetarum ſive ſacerdotum, hæc audiiſſe: o Solon, Solon, Græci ſemper eſtis pueri, ſenex verò Græcus nemo eſt; juvenes ſiquidem animis omnes nullam habetis in vobis antiquam opinionem, neque diſciplinam tempore confirmatam: ſed vos fallit, quod per multas ætates litterarum expertes ac muti fueritis. Ex quibus facilè uti reor quiſpiam deprehenderit antiquiſſima eſſe Chriſtianorum dogmata; nondum enim apud Græcos litterarum erat ſcientia, vixque Cadmus eas è Phœnicia ipſis attulerat, cùm jam ſcripta Moyſis extarent.*

Illud non multò pòſt obſervat Cyrillus, ubi Græcorum Philoſophi Moſaicis decretis conſentiunt, tum ipſos & ſobrios eſſe & inter ſe conſonare; at ubi diſſentiunt, tum in alieniſſimas & Pag. 16. diſcordantes opiniones eos delabi. *Ubi enim divinæ Scripturæ ſermonibus congruunt, videre eſt eos & ſeipſis præſtantiores & inter ſe conſentientes; ubi verò ſua quiſque commenta promit, diſſidentes, & abſurdis opinionibus velut tumulentos ac deliros facilè deprehendas. Neque enim omnino in eorum poteſtate ſitum erat, quæ ſuprà mentem ſupràque captum ſunt intueri, niſi Deo ducente dirigenteque rationem, & animæ facem præferente, & ſapientiam ingenerante, & linguam explicante, denique arcana de ipſo, quantum humana mens poteſt, & cogitare & eloqui permittente. Verùm talis gratia haud indifferenter omnibus contigerit; ſed illis dumtaxat, qui voluptatibus atque affectibus carnis ſuperiores, animo integri, nec non ſtrenua pietatis documenta expromere docti, terrenam illuviem atque ſordes depoſuerint.*

Cùm verò complures cæteris quidem Philoſophis non multum tribuerent, at Pythagoram & Platonem in cœlum laudibus efferrent, eiſque adhæreſcere ſe profiterentur; non inficiatur Cyrillus hos præ cæteris vidiſſe & intellexiſſe res divinas; ſed illud eos debuiſſe contendit Moſaicæ doctrinæ apud Ægyptios pervulgatæ, ad quos illi profecti, & quibuſcum diu verſati ſunt. *Sed quoniam Platonem è reliquorum turba ſecrevit, ejuſque placitis potiſſimùm inhæreſcit; hoc facilè concedam, Platonem & Pythagoram ceteris quodammodo æquiùs de Deo & mundo ſentire; cujus rei doctrinam aut ſcientiam ex Ægyptiorum commercio collegerunt, qui ſapientiſſimum Moyſen in ore ſæpiùs habebant, & admirabilem ejus doctrinam ſuſpiciebant.* Ibidem L. 2. p. 47.

IX. Quàm præclarum eſt autem illud Cyrilli ex Dionyſio Halicarnaſſeo de Numa Romanorum Rege, quem ait Pythagoricis inſtitutis informatum, templa quidem extruxiſſe, at nulla in iis ſigna dedicaſſe, quòd Deum coleret omnis formæ & figuræ expertem, perinde ut in Moſaico Tabernaculo, aut in Templo Salomonis; Fidei verò extruxiſſe delubra, qua ſola ſciret nos pro noſtro modulo Deum contemplari. Ex his conjectari fas eſt, quàm non diſſonarent à Moſaicis & à Chriſtianis de Deo & de tota Religione placitis, ſive Pythagoræ, ſive Numæ inſtituta. *Scripſit ergo de illo (Numa) Dionyſius Halicarnaſſeus, qui Romanorum hiſtoriam accuratè compoſuit, delubra ac templa extruxiſſe, nullo in iis ſigno erecto. Nam cùm Pythagoræ Philoſophiam præcipuè commendaret, in ejuſque placitis prorſus eſſet, Deum formæ omnis, & figuræ expertem putavit. Spiritalibus autem victimis illum placari, non materialibus affirmabat. Quare fidei templa extruxit, qua ſola, quantum homini fas eſt, numen contemplamur; & cives cum per fidem jurarent, ejus religione teneri voluit.* Ibidem L. 6. p. 193. Quin & Platonis verba inferiùs profert Cyrillus de fide illa eadem, qua neceſſe eſt cæteros homines credere majoribus ſuis, qui cùm ex Diis orti, vel ab illis inſtituti fuiſſent, in poſteros ea tranſmiſerunt de rebus divinis documenta, ad quæ vulgus hominum aſſurgere neutiquam poteſt. Quo nihil expreſſiùs dici potuit ad commendandam totam illam antiquiſſimam traditionem de Deo, de Angelis, de anima & mundo, quam à majoribus ſuis acceptam Moyſes omnium primus litteris conſignavit. *Quod ſi vocibus Sanctorum fidem non adhibeat, ipſe quoque Plato in eum inſurget, qui de Diis ſuis ita ſcripſit: De reliquis verò Diis loqui, quos Dæmones vocamus, aut eorum ortum agnoſcere, noſtris viribus majus eſt. Credendum autem iis qui antea nobis eorum naturam explicarunt, quippe qui à Diis orti eſſent, ut dixerunt, ſuoſque majores cognitos haberent. Fieri ergo non poteſt ut Deorum liberis fides non adhibeatur, quamvis ſine probabilibus & neceſſariis demonſtrationibus loquantur. Sed quia de ſuis rebus & ſibi notis loqui præ ſe ferunt, legi morique parendum eſt, & illis fides adhibenda.* L. 8. p. 269.

X. Plotini ibidem meminit Cyrillus, nec ſine Pag. 1034. ſingulari nominis encomio, quod nos alibi. Hìc autem ſubjicienda nobis viſa ſunt quæ Photius de Pythagora, de Platone, de Plotino, cæteriſque Philoſophis Platonicis habet, excerpta ex vita Iſidori Philoſophi perinſignis, à Damaſcio ſcripta. Iſidorum ait Damaſcius cæteros deguſtaſſe Photii Bibl. Cod. 242. Philoſophos, & ipſum etiam Ariſtotelem; ſed ubi ad Platonem venit & ad ejus diſcipulos, tum verò his totum ſe dedidiſſe, non ſine aliquo cæterorum faſtidio. *Ubi autem Platonis ſententias guſtavit, non jam aſpicere, ut ait Pindarus, dignatus eſt ulteriùs. Sed finem ſe conſecuturum ſperavit, ſi in Platonis ſententiarum adyta penetrare potuiſſet; & eo omne ſuum ſtudium impetumque convertit. Antiquiſſimos Philoſophos Pythagoram & Platonem, ut Deos coluit, & eorum animas alatas, quas in locum ſupercæleſtem, inque campum veritatis, & pratum elevatas divinis putavit ideis paſci. De recentioribus verò Porphyrium, Jamblichum, Syrianum, Proclum, & alios mediæ ætatis, magnum theſaurum collegiſſe divinæ ſcientiæ dicit.* Ubi vides quàm non facilè Platonis ſectatores modum teneant in Platonis ipſius admiratione, quanquam Platone ab ipſo illud pulcherrimè commendatum ſit, *Nequid nimis; μηδὲν ἄγαν.*

XI. Non ſanè hoc ſe illi modo continebant Monachi, quos Juſtinianus Imperator in litteris ad quintam Synodum Conſtantinopolin datis, teſtabatur ſus deque omnia miſcuiſſe, quòd *Pythagoræ, Platonis, Origeniſque* impios errores ſectarentur & docerent. Ea nos cauſa impulit, ut penè tumultuariè in hunc locum congereremus, Conc. to. 2. pag. 142. quæ à ſanctis Patribus dicta ſunt, nunc in horum commendationem Philoſophorum, nunc in eorundem vituperationem. Nec noſtra verò hæc videri poteſt, aut ſanctorum Patrum inconſtantia. Illud enim conſtantiſſimè tenendum eſt, & bona

non pauca in horum Philosophorum scriptis occurrere, & mala complurima. Delectu ergo opus est, ut nec mala colligantur propter permixta illis bona; nec odio, vel metu malorum, à bonis nos abstineamus; sed omnia probemus juxta Pauli præceptum, quod bonum est teneamus. Si Philosophi illi famosissimi his placent, illis displicent; si olim Plato primas tenuit, si nunc Aristoteles, id quoque boni consulamus; erant in Platone quæ prodessent, erant & quæ officerent; nec aliter de Aristotele æstimandum. Optimum fortasse factu fuerit, nullius jurare in verba magistri, præterquam illius, qui unus à Deo nobis præstitutus est Magister, cujus sapientia, lumine, & spiritu perfusi, in hac universa Philosophorum sæcularium turba sedemus, non ut discipuli, sed ut judices; illis affixi regulis quas nobis hic sancti Patres tradiderunt; ut quæ rectè à Philosophis dicta sunt, ea nostro nobis jure vendicemus, ut nostra, ut à majoribus nostris accepta; quæ secus, ea ut ab ipsis excogitata repudiemus.

CAPUT XXXIX.

Universim quantum habeat momenti Philosophia in rebus Theologicis, ex Patribus Latinis.

I. Omnes hereses à Philosophia ortas ut declaret Tertullianus.

II. Fidei quàm adversum sit semper quærere & contendere.

III. Ut Philosophi idololatriam ipsam aluerint, & ad elementa atque ad astra transtulerint.

IV. Id convenit Philosophis & hæreticis, ut quod non capiunt, nec credant.

V. Est tamen ubi sapiant Philosophi, non hæretici.

VI. Quantum distent Christianus & Philosophus? Quàm multa carpserint Poetæ & Philosophi ex nostris Scripturis.

VII. Quàm nihili faciat Lactantius totam rerum naturalium scientiam; ut quæ non scientia sit, sed opinio. Ut hæreticorum & Philosophorum sectæ omnes revincantur, ex earum inter se pugna, mutuaque condemnatione.

VIII. Nec desperandum tamen de veritate, quæ in puteum demersa non est, sed in cœlo sedet, unde & ad nos descendit. Luculentissimè de septem Græciæ sapientibus, de Philosophis, sapientiæ amatoribus.

IX. Luculentissimè ex Lactantio, ut sectæ omnes aliquid veri habeant, nullum merum & totum verum; tutissimum ergo est nulli earum se devovere, ab omnibus mutuum sumere, quod bonum habent.

X. De virtute eadem dixit Hieronymus, quæ Lactantius de veritate.

XI. Nimius in admirando Platone Origenes, non nimius in utroque vituperando Hieronymus.

XII. Prolixè & luculentè idem Hieronymus, ut Moyses, & omnes deinceps Scriptores sacri, Apostoli, Patres, ex Philosophis, Poetis, aliisque Scriptoribus multa inferserint suis opusculis.

XIII. Quid Ambrosius contra Physicos. Antiquissima & tripartita Salomonis Philosophia. Ut ad Scripturas & ad Christum referenda Philosophia.

XIV. Ex Paulino, de Philosophia & artibus liberalibus Christianæ pietati copulandis.

I. DE Platonis potissimùm Philosophia hactenus diximus, quanquam & non pauca eorum quæ dicebantur, ad universam in genere Philosophiam manarent, quare nunc differenda nobis supersunt nonnulla. In hac enim materia & frequentissimè & copiosissimè versati sunt sancti Patres. Primus ante alios prodibit nobis Tertullianus, cui ita visum est, hæreses omnes à Philosophia subornatas. Valentinum enim cum Gnosticis suis Platonica doctrina imbutum Æones somniasse. Marcionem è Stoicorum schola prodiisse, & Deo eam tranquillitatem & quietem adscripsisse, quæ à justitia, & ab ultione criminum abhorreret. Si qui animam mortalem dixerint, eos Epicurum sequutos esse. Resurrectioni adversari in commune Philosophos omnes. Qui materiæ æternitatem æquè ut Deo tribuebant, ii Zenoni hærebant. Qui denique igneam Dei substantiam commenti sunt, ii Heraclito concinebant. Ita nullæ non hæreses è Philosophica aliqua schola prodibant. *Ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres divinæ naturæ & dispositionis. Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur. Inde æones & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate à Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, Epicurus observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: & ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eædem materiæ apud hæreticos & Philosophos volutantur.* De præscr. adv. hæres.

Hinc iracitur Aristoteli ipsi Tertullianus, qui Dialecticam instruxerat, artificem struendi & destruendi, omnia evertentem, & semetipsam tandem: omnibus molestam, & sibi ipsi quoque; omnia ita retractantem, quasi nihil tractasset: *Miserum Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit.*

II. Providè monuerat nos Paulus, ne circumveniri nos sineremus per Philosophiam, expertus enim illam & ipse fuerat cùm Athenis esset: senseratque nil commune esse posse Athenis & Hierosolymis; Academiæ & Ecclesiæ: Stoæ & porticui Salomonis; senserat nec Stoicum, nec Platonicum, nec Dialecticum, sive Peripateticum esse posse Christianismum, ut cui post fidem, post Evangelium, nihil ultra quærendum superfit. *Videte ne quis sit circumveniens vos per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, præter providentiam Spiritus sancti. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congressibus noverat; ipsam quoque in suas hereses multipartitam, varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est; qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum; nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultra credere.* Ibidem.

Id hæreticis, id Philosophis commune est, semper ulteriùs aliquid quærere; quod argumento est nondum eos invenisse, nunquam inventuros, ne tunc saltem quærendi finem faciant. At fideles ubi semel crediderunt, hoc tenent à Domino, à summa ipsa veritate, traditum, ut nihil jam sibi superfit vestigandum. Ecquis enim quærat, quod jam invenit; nisi ut amiserit, quod invenerat? *Unius porro & certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est, donec invenias; & credendum, ubi inveneris: & nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti; dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cùm id inveneris & credideris,*

quod

quo ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod instituit.

Ar, inquient hæreses, Christus ipse excitavit ad quærendum. Ita sanè, donec inveneris Christum. Ubi illum inveneris, quorsum aliud quæras? An cum Marcione, an cum Valentino, an cum aliis hæreticis quæres? Omnes enim rursum quærere jubent. Sic ergo nusquam erimus, nusquam consistemus, si semper quæramus, nec Christum illum teneamus, quem ante omnes hæreses Ecclesia antiquissima tenuit, quem ante omnes Philosophicas Sectas gens Hebræa illis omnibus vetustior tenuit. *Ubi enim erit finis quærendi? ubi statio credendi? ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit, Quærite & invenietis. Apud Valentinum? sed & Apelles hac me pronuntiatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuent, & me sibi adducant. Ero itaque nusquam, dum ubique convenior; Quærite & invenietis: & velim sic nusquam, quasi qui nunquam apprehenderint illud quod Christus instituit, quod quæri necesse est, quod quæri oportet.*

III. Cùm alium alii Philosophi antiquissimi Deum sibi finxerint, quid jam veri ab illis expectes? aut quæ non ab illis hæreses nascantur? Cùm idololatriam ipsam aluerint, cultum mortuorum hominum, cujus jam pudebat, ad cœlestia & terrestria corpora, ad elementa & sydera transferentes: quod quid aliud erat, quàm dedecus suum ingenio obumbrare, mendacium mendacio emendare? *Illi ipsi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, Deos pronuntiaverunt, ut Thales aquam, Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa cœlestia, ut Strato cœlum & terram, ut Zeno aerem & etherem, ut Plato sidera, quod genus Deorum igneum appellat.* Et mox: *Ipsa quoque vulgaris superstitio communis Idololatriæ, cùm in simulachris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Jovem substantiam fervidam, Junonem ejus in aeream.*

L. 1. advers. Marcion.

IV. Adversùs Hermogenem autem qui Materiam Deo coæquabat, ita insurgit Tertullianus, ut Philosophos ubique deprehendat hæreticorum parentes & Patriarchas esse. Unde enim illud ingenitæ & Deo coæternæ materiæ commentum, nisi ex Philosophico illo præjudicio, Ex nihilo nihil fieri posse, adeoque nec à Deo ipso? Id enim convenit hæreticis & Philosophis, ut quod non capiunt, nec credant. Itaque nec Deus illis omnipotens erit, qui non possit de nihilo aliquid facere, quia hoc capere ipsi quidem non possunt. An verò capiunt & Deum esse, & omnipotentem non esse? an verò capiunt Deum esse, & omnipotentem esse, qui nequeat facere quod homo non potest capere? Ita & hæresis & Philosophia suis ipsa laqueis irretitur, quando adversùm Deum & Ecclesiam pugnat. *Grande revera beneficium Deo contulit, ut haberet hodie per quem Deus cognosceretur, & omnipotens vocaretur: nisi quod jam non omnipotens, si non & hoc potens è nihilo omnia proferre. Sanè & sibi præstitit aliquid materia, ut & ipsa cum Deo possit agnosci, coæqualis Deo, imò & adjutrix, nisi quod solus eam Hermogenes cognovit, & Hæreticorum Patriarcho Philosophi. Prophetis enim & Apostolis usque adhuc latuit, puto & Christo.*

V. Nec tamen statim abjiciendum prorsus est Philosophicum quodvis placitum, si eo hæretici in suæ insaniæ patrocinium abutantur. Est ubi sapiant Philosophi, est & ubi desipiant. At hæretici semper insaniunt, ubique desipiunt; eo enim solo hæretici sunt, quo adversùs Ecclesiam & fidem delirant. Ideas posuit Plato, eas ita præposterè interpretabatur Valentinus, ut inde Æones suos & totam fabulam suam conderet. Alibi nos ex sanctis Patribus & ex Platone evincimus, totam de Ideis Platonis doctrinam sobriam & orthodoxam esse, & frustra esse, qui eam vel non capiunt, vel aliò deflectunt. Audiendus hìc & cum hoc temperamento audiendus Tertullianus; ut Valentinus justè damnetur, & quod in Platone Augustinus probavit, non damnetur. *Vult enim Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas & æternas, quas appellat Ideas, id est, formas exemplares, & causas naturalium istorum manifestorum, & subjacentium corporalibus sensibus; & illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. Relucentne jam hæretica semina Gnosticorum & Valentinianorum?* Poterant ex laudabili semine hæretici elicere insana dogmata sua, cùm eliciant & ex Scripturis.

L. de Anim.

VI. Scitum autem est illud quod mox ait Tertullianus, sibi dolere, quòd hæretici omnes aliquid sibi condimenti ex Platone accerserent. Cùm enim illa tum Philosophia in summo sederet gloriæ fastigio, ex ea potissimùm Sectæ omnes præsidium sibi parabant. *Doleo bona fide Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum esse.* Magnam esse Philosophi & Christiani intercapedinem, sic eloquenter alibi suo more prosequitur Tertullianus: *Quid adeo simile Philosophus & Christianus? Græcie discipulus & cœli? famæ negotiator & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator & destructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & expressor? furator ejus & custos antiquior omnibus, ni fallor?*

Ibidem:

In Apologet.

Sed non dissimulat ille idem tamen & Philosophos & Poetas è Scripturis nostris multa mendicasse; quæ proinde possimus rursum nostro nobis jure vendicare, abstersis quas illi suo ex ingenio asperserant maculis. Ad id enim confert antiquitas Mosaicæ Scripturæ, quæ longo post se intervallo relinquit monumenta alia omnia litterarum quarumcumque demum Gentium. *Hoc mihi proficit antiquitas præstructa divinæ litteraturæ, quo facilè credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ, & si non onus jam voluminis temperarem, excurrerem in hanc quoque probationem. Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? inde igitur Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis.*

Ibidem:

VII. Quàm non magno apud nos in pretio esset illa Philosophiæ pars, quæ rerum naturalium investigationi vacat, præclarè declaratum est à Lactantio, ubi ait majore olim in gloria fuisse Philosophos, quàm Oratores; quòd doctores essent illi quidem bene vivendi, quod ad omnes pertinet: hi bene dicendi, quod paucorum est. *Idcirco apud Græcos majore in gloria Philosophi quàm Oratores fuerunt; illi enim rectè vivendi doctores sunt existimati, quod est longè præstabilius. Quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes.*

Lactant. L. 2. c. 1.

Non alia ergo Lactantio Philosophia est, non alia in gloria videtur fuisse, quàm quæ mores ad virtutem informat; atqui ea nobis Theologia quædam est, cùm verissima virtutum forma & vitæ lex sit Deus. Unde rursum alibi idem Lactantius, cùm scientiam, quæ certis constat, sejunxisset ab opinatione, quæ incertis: statim homini per sese spectato scientiam abjudicat, quòd solius Dei sit propriam habere scientiam, suoque in sinu veritatem gestare: hominis sit autem incertis pasci & opinari, cùm sola scientia certis alatur. Ideo consultissimè olim Socratem homines abduxisse à naturalium causarum contemplatione, & ad morum sanctimoniam sibi parandam traduxisse. *Duabus rebus videtur Philosophia constare: scientia &*

L. 3. c. 3.

opinatione, nec ulla alia re. Scientia ab ingenio venire non potest, nec cogitatione comprehendi: quia in seipso habere propriam scientiam, non hominis, sed Dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore divina solertia, ut per eos aditus scientia perveniret ad mentem. Et paulò pòst: *Rectè ergo Socrates, & eum secuti Academici, scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed divinantis est. Supereſt ut opinatio in Philosophia sola sit. Nam unde abest scientia, id totum possidet opinatio. Id enim opinatur quisque, quod nescit. Illi autem qui de rebus naturalibus disputant, opinantur ita esse, ut disputant. Nesciunt igitur veritatem, quoniam scientia certi est, opinatio incerti.*

Si insanum fuerit opinari velle quid agatur in foro, eum qui domi est, vel etiam quid agatur interjecto pariete: quantò insulsius est divinare velle quid agatur in cœlo? Hinc infinitæ illæ disputationes, certissimæ indices, rem ut est ignorari. Nullus de cœlo advolat, qui eos falsi coarguat; sed Deus redarguit, qui unus Veritas est, & nostram sapientiam pro stultitia computat. *Age opinemur quid nunc in foro geratur, quid in Curia; longum est id quoque dicamus, interposito uno pariete quid fiat: nemo potest id scire, nisi qui audiverit, aut viderit. Nullus igitur audet id dicere, quia statim non verbis, sed reipsa refutabitur. Atqui hoc idem faciunt Philosophi, qui disputant, in cœlo quid agatur; sed ea se id impunè facere arbitrantur, quia nullus existit, qui errores eorum coarguat. Quod si existimarent descensurum esse aliquem, qui eos delirare ac mentiri doceret, nunquam quidquam de iis rebus, quas scire non possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorum impudentia & audacia, quia non redarguuntur; redarguit enim Deus, cui sola veritas nota est, licèt connivere videatur; eamque hominum sapientiam pro summa stultitia computat.*

Sciri posse rerum naturas negabat Socrates; opinari vetabat Zeno, quòd sapientis non sit incertis & vacillantibus inniti. Ita quidquid illud est philosophari auferebatur. His adde tot Sectarum pugnas, quarum singulæ sapere se solas jactant, reliquas delirare omnes, à quibus vicissim omnibus ipsa insanire affirmatur. An uni ergo credendum est, & non potiùs universis? An uni de se ajenti, & sibi blandienti, an aliis omnibus conspirantibus? *Rectè igitur Zeno ac Stoici opinationem repudiarunt. Opinari enim te scire quod nescias, non est sapientis, sed temerarii potiùs, ac stulti. Ergo si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit; nec opinari oportet, ut Zeno; tota Philosophia sublata est. Quid quod non tantùm ab his duobus evertitur, qui Philosophiæ principes fuerunt, sed ab omnibus? ut jam videatur, jampridem suis armis esse confecta. In multas Sectas Philosophia divisa est: & omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus? certè non potest. Designemus quamlibet? nempe in ceteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas? eodem modo, quidquid uni dabimus, cæteris auferemus. Unaquæque enim Secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet: nec ulli alteri sapere concedit, ne desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis tollitur omnibus. Nihilominus enim Philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant.*

Ibid. c. 4.

Et ibidem mox eodem telo impetens Philosophorum Sectas, quo nos suprà dissidentes inter se hæreses lacessebamus: æquius esse docet illis assentiri omnibus alias præter se omnes erroris & imperitiæ damnantibus, quàm singulis sibi unis plaudentibus. *Quamcumque laudaveris veramque dixeris, à Philosophis vituperatur, ut falsa. Cre-*

Ibidem.

demusne igitur uni, sese suamque doctrinam laudanti? an multis unius alterius ignorantiam culpantibus? Rectius ergo sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quàm quod unus. Nemo enim potest rectè de se judicare, quod nobilis Poeta testatur: Ita comparatam esse hominum naturam omnium, ut aliena melius videant & dijudicent, quàm sua. Cùm igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini; si nemini, sapientes ergo non sunt, quia singuli sapientes esse se putant; si omnibus, æquè non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Et paulò pòst: *Quod cùm intelligeret Arcesilas Academiæ conditor, reprehensiones omnium inter se collegit, confessionemque ignorantiæ clarorum Philosophorum, armavitque se adversùs omnes; ita constituit novam non philosophandi Philosophiam.*

VIII. Nec tamen vult Lactantius de scientia nos, aut de Philosophia omnino desperare; stultè enim hoc Democritus, ut & cætera multa ajebat, *In puteo quodam sic alto, ut fundus sit nullus, veritatem jacere demersam.* Quin potiùs enim dixit illam in summo quodam fastigio esse locatam, vel in cœlo, quod est verissimum. Et illuc si nos non possumus eluctari, potest illa inde ad nos invocata descendere. Quàm non sani ergo erant, qui veritati propiores se pedibus, quàm capitibus putabant? *Non enim tanquam in puteo demersa est veritas, quo vel descendere, vel etiam cadere illi licebat; sed tanquam in summo montis excelsi vertice, vel potiùs in cœlo, quod est verissimum. Quid enim est, cur eam potiùs in imum depressam diceret, quàm in summum levatam? nisi fortè mentem quoque in pedibus, aut in imis calcibus constituere malebat potiùs, quàm in pectore, aut in capite. Adeo remotissimi fuerunt ab ipsa veritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, veritatem in summo illis esse quærendam.*

L. 3. c. 28.

Cœlo autem allapsa olim fuerat veritas à Deo & sapientia in homines ab eo primùm conditos, & ab iis ad posteros dein propagata; erant enim tum verè sapientes homines, cùm hoc nondum vocabantur. Eo nomine donati sunt postea septem illi, qui primi omnium indagandis naturalium rerum causis se dediderunt; quod omnium calamitosissimum fuit, Non plures esse in humano genere, qui sapientes viderentur; cùm ne homines quidem sint, nisi sapiant. Quin ne illi quidem septem Sapientes erant, qui ejusmodi non erant, nisi stultorum judicio & æstimatione. Denique hoc ipsum illis Sapientum nomen abrogavere posteri, ubi & ipsi sapere cœperunt, seque amatores sapientiæ dici maluerunt; eo ipso professi, nec se, nec illos Sapientum nomine donari jure posse, & hoc uno maximè sapientes. *Sic humanam vitam prioribus sæculis in clarissima luce versatam caligo ac tenebræ comprehenderunt, & quod pravitati congruens erat, postquam sublata sapientia est, tum demum sibi homines Sapientum nomen vendicare cœperunt. Tum autem nemo sapiens vocabatur, cùm omnes erant.* Et paulò pòst: *O miserum calamitosumque sæculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur! Nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si ceteri omnes præter ipsos stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes: quia nemo sapiens esse verè judicio stultorum potest.* Et statim postea: *Nam post illorum septem sapientum gloriam incredibile est quanto studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit. Ac primùm nomen ipsum sapientiæ arrogans putaverunt: seque non sapientes, sed studiosos sapientiæ vocaverunt. Quo facto & illos qui temerè sapientum sibi nomen asciverant, erroris stultitiæque damnaverunt, & se quoque ipsos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur.*

L. 4. c. 1.

Quo autem tempore Græci venabantur, & frustra pe-

ſtra penè venabantur ſapientiam, niſi cùm acumini & labori ſuo adjungebant aliquid ex primigeniis illis traditionibus, quas à veris olim primiſque ſapientibus Moyſes, & ab eo inſtituta gens Hebræa hauſerat: ipſa rurſus veritas & ſapientia Chriſtus ad homines venit, ſecumque ſapientiam invexit univerſo generi humano. *Sed*
L. 6. c. 18. *omittamus Philoſophos, qui aut omnino nihil ſciunt, idque ipſum pro ſumma ſcientia præ ſe ferunt: aut qui non perſpiciunt etiam quæ ſciunt: aut qui quoniam ſe putant ſcire quæ neſciunt, ineptè arroganterque deſipiunt. Nos ergo ut ad propoſitum revertamur, quibus ſolis à Deo veritas revelata, & cœlitus miſſa ſapientia eſt, faciamus, quæ jubet illuminator noſter Deus.*

Hinc concluditur à Lactantio nullam fuiſſe, nullam eſſe potuiſſe ſapientiam ab hominibus, quòd lux illa ex cœlis affulgeat neceſſe ſit, non ex terris: quòdque niſi divinis vocibus litteriſque non poſſint ſatis exprimi, aut inſinuari, quæ divina ſunt. *Ergo nulla eſt humana ſapien-*
L. 7. c. 2. *tia, ſi per ſe ad notionem veri, ſcientiamque nitatur: quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroſa domicilia incluſa, neque liberiùs evagari, neque clariùs perſpicere veritatem poteſt, cujus notio divinæ conditionis eſt. Deo enim ſoli opera ſua nota ſunt. Homo autem non cogitando, aut diſputando aſſequi eam poteſt; ſed diſcendo & audiendo ab eo, qui ſcire ſolus poteſt & docere.* Et paulò inferiùs: *Quare neceſſe eſt omnes Philoſophia ſectas, alienas eſſe à veritate, quia homines erant, qui eas conſtituerunt: nec ullum fundamentum aut firmitatem poſſunt habere, quæ nullis divinarum vocum fulciuntur oraculis.*

IX. Unus ſupereſt quem proferam Lactantii locus, & is cum primis illuſtris & peregregius, quanquam paulò prolixior. Illuxiſſe enim ait hominibus cœleſtem ſapientiæ lucem, & ejus radios ſingulos ſingulas Philoſophorum ſcholas conſectatas eſſe, alias alios. Si ergo poſſet quis quidquid veri per illas omnes diſſeminatum eſt, in unum colligere, is totius ſapientiæ & veritatis ſummam quandam mirabilem concinnaverit. Cognata eſt enim luci acies mentis, affinis eſt veritati natura rationalis, ideoque non poteſt ab ea in totum diſſidere. Vehementiſſima eſt luminis intelligibilis & ſapientiæ vis, nec poteſt illam humana mens ita fruſtrare, ut non aliquæ ſcintillæ ejus eam pervadant. Hoc ergo maximè peccatum eſt, & peccatur etiamnunc, quòd ubi ſe uni ſectæ aliquis devovit, alias averſatur omnes: & quas averſatur, earum nihil prorſus admittit; cùm ex adverſo conſultiſſimum fuiſſet, à nullis abhorrere ſectis; aut non ita abhorrere, ut nulla ex ſui parte placere poſſet; cùm conſtet nuſquam mendacium conſiſtere poſſe ſine aliqua veri ſpecie: etſi veritas à mendacio & fuco prorſus omni alieniſſima
L. 7. c. 7. ſit. *Quam ſummam quia Philoſophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt; quamvis ea ferè quibus ſumma ipſa conſtat, & viderint, & explicaverint: ſed diverſi ac diversè illa omnia protulerunt, non annectentes, nec cauſas rerum, nec conſequentias, nec rationes, ut ſummam illam, qua continet univerſa, & compingerent, & implerent. Facile eſt autem docere, penè univerſam veritatem per Philoſophorum ſectas eſſe diviſam. Non enim ſic Philoſophiam nos evertimus, ut Academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere propoſitum eſt; quod eſt potiùs calumniari, & illudere: ſed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deviam, nec Philoſophorum quenquam tam inanem, qui non videris aliquid ex vero. Sed dum contradicendi ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa defendunt, aliorum etiam vera ſubvertunt; non tantùm elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed ipſi eam potiſſimùm ſua vitio perdiderunt. Quod ſi extitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non diſſentiret à nobis. Sed hoc nemo facere, niſi veri peritus ac ſciens, poteſt. Verùm autem non niſi ejus ſcire eſt, qui ſit doctus à Deo. Neque enim poteſt aliter repudiare, quæ falſa ſunt; eligere ac probare quæ vera. Sed ſi vel caſu id efficeret, certiſſimè philoſopharetur: & quamvis non poſſet divinis teſtimoniis illa defendere, tamen ſeipſam veritas illuſtraret ſuo lumine. Quare incredibilis eſt error illorum, qui cum aliquam ſectam probaverint, eique ſe addixerint, cæteras damnant tanquam falſas & inanes; armantque ſe ad præliandum, nec quid defendere debeant ſcientes, nec quid refutare: incurſantque paſſim ſine delectu omnia, quæ afferunt, quicunque diſſentiunt.*

X. Senſit Hieronymus de virtute, quod Lactantius de veritate, particulas ejus à Philoſophis uſurpatas, à nemine eorum univerſam eſſe comprehenſam; nec enim alia eſt, vel ſapientia, vel virtus univerſa, quam Chriſtus, Dei virtus & ſapientia, quæ carne adſumpta ad nos ſe dejecit, ut ad eum venire poſſit nemo, niſi qui ſibi vileſcat ipſi; à quo mirum in modum abhorret Philoſophus; ut à Tertulliano, ita & ab Hieronymo verè dictus, *Gloriæ animal. Et tamen non eſt ſatis perfecto & conſummata viro opes contemnere, pecuniam diſſipare, & projicere, quod in momento & perdi & inveniri poteſt. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes, fecerunt plurimi, quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare, quàm mundi Philoſophus, gloriæ animal, & popularis aurę atque rumorum venale mancipium. Tibi non ſufficit opes contemnere, niſi Chriſtum ſequaris.*

Hieronym. Epiſt. ad Pamm. de obitu Paulinæ.

XI. A Platone didiciſſe tradit idem Hieronymus Origenem & ejus diſcipulos illum animarum è cœlo per varios gradus, per alia & alia corpora deſcensium in terras. Nimius ergo fuerat in Platone admirando Origenes, non nimius fuit in contemnendo Platone Hieronymus, cùm hæc ſcriberet ad Pammachium adversùs errores Joannis Hieroſolymitani: *Hoc quod vos miramini,* Tom. 2. *olim in Platone contempſimus. Contempſimus autem, quia Chriſti ſtultitiam recepimus. Recepimus Chriſti ſtultitiam, quia ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.* Qui rurſus adversùs Pelagianos ſcribens ad Cleſiphontem: *Pulcrè quidam noſtrorum ait, Philoſophi Patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem perverſa maculavere doctrina.* Et libro primo adversùs eoſdem Pelagianos ex perſona Critobuli hæc habet: *Hæc argumentatio tortuoſa eſt, Eccleſiaſticam ſimplicitatem inter Philoſophorum ſpineta concludens. Quid Ariſtoteli & Paulo? Quid Platoni & Petro? ut ille enim princeps Philoſophorum: ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini, ſtabili mole fundata eſt: quæ nec impetu fluminis, nec ulla tempeſtate concutitur.*

XII. Deſinam in Epiſtola perquàm luculenta Hieronymi ad Magnum Oratorem Romanum, qui illum percontatus fuerat, cur ſæcularium litterarum floſculis & exemplis lucubrationes ſuas ornaret: *Quod autem quæris in calce Epiſtolæ tuæ,* Tom. 2. *cur in opuſculis noſtris, ſæcularium litterarum interdum ponamus exempla: & candorem Eccleſiæ, Ethnicorum ſordibus polluamus.* Reſpondet autem primùm Hieronymus, idem factitatum eſſe à Moyſe, à Salomone, à Prophetis, à Paulo ipſo, qui Poetarum & Philoſophorum Græcorum ſuffragia Epiſtolis ſuis intexuit, ut jam mirum non ſit, ſi & Theologi Chriſtiani his ſe exemplis accommodent: *Quis enim neſciat & in Moyſe,* Ibidem. *& in Prophetarum voluminibus quædam aſſumpta de gentilium libris, & Salomonem Philoſophis Tyri, & nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe? Unde in exordio Proverbiorum commonet,*

monet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientum, & enigmata quæ propriè Dialecticorum & Philosophorum sunt. Sed & Paulus Apostolus Epimenidis Poetæ abusus versiculo est scribens ad Titum: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, id est, Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri. Et paulò pòst: *In alia quoque Epistola, Menandri ponit senarium, φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί, id est, Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala. Et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat, Ipsius enim & genus sumus; quod Græcè dicitur:* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Et est clausula versus heroici. Ac ne parum hoc esset, doctor Christiani exercitus & orator invictus pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero David, extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare.*

Pergit aliquantò pòst Hieronymus ad Josephum & ad Philonem Hebræos, quos nemo potest non mirari, tanta disciplinarum sæcularium copia circumfluentes; & Philonem in primis, quem Critici Platonem Hebræum appellitant; usque adeo illi persuasum erat posse Platonem usui esse ad illustrandas Scripturas. *Josephus antiquitatem approbans Judaici populi, duos libros scripsit contra Appionem Alexandrinum grammaticum; ubi tanta sæcularium profert testimonia, ut mihi miraculum subeat, quomodo vir Hebræus, & abinfantia sacris litteris eruditus, cunctam Græcorum bibliothecam evolverit. Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel secundum Judæum Platonem critici pronunciant?*

Ibidem.

Vide autem ut recenseat Hieronymus Scriptores illos Ecclesiasticos, qui in Philosophorum scriptis indigitaverant, unde singulos quosque errores suos Origenes derivasset: *Quid loquar de Melitone Sardensi Episcopo? Quid de Apollinaria Hierapolitanæ Ecclesiæ sacerdote? Dionysioque Corinthiorum Episcopo, & Taciano, & Bardesanne, & Hirenea Photini martyris successore: qui Origenis hæreseon singularum venena, ex quibus Philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt.*

Jam verò quantam sibi Scriptores nostri rerum pulcherrimarum sylvam ex Philosophis Ethnicis congesserint ad Christianæ Theologiæ illustrationem; Pantænus, Clemens, Origenes, qui unus nostro dogmati suffragatores adhibuerat Platonem, Aristotelem, Numenium, Cornutum. *Pantænus Stoicæ sectæ Philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetriano Alexandriæ Episcopo missus est in Indiam, ut Christum apud Brachmanas, & illius gentis Philosophos prædicaret. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros, & totidem Ὑποτυπώσεων, & alium contra gentes, Pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, immo quid non è media Philosophia est? Hunc imitatus Origenes decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans: & omnia nostræ religionis dogmata de Platone & Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmans.*

Jam plus satis ex his patet, quàm merito ac jure dici possit Hieronymus Bibliotheca quædam totius sacræ & profanæ eruditionis. Sed mox id luculentiùs intelliges ex recensione ibidem omnium mox Patrum Græcorum, quos ille testatur libros suos refersisse doctrinis atque sententiis Philosophorum: ut non facile dictu sit, utrum in illis uberius sit, eruditio sæculi, an scientia Scripturarum. *Extant & Julii Aphricani libri, qui temporum scripsit historias: & Theodori, qui postea Gregorius appellatus est, viri Apostolicorum signorum atque virtutum; & Dionysii Alexandrini Episcopi: Anatolii quoque Laodicenæ Ecclesiæ sacerdotis, nec non Presbyterorum Pamphili, Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Cæsariensis Episcopi, & Eustathii Antiocheni, & Athanasii Alexandrini: Eusebii quoque Emiseni, & Triphillii Cyprii, & Asterii Scythopolitæ, & Serapionis Confessoris: Titi quoque Bostrensis Episcopi: Cappadocumque Basilii, Gregorii, Amphilochii: qui omnes intantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum.*

Denique idem summatim de Latinis Patribus affirmat Hieronymus, Tertulliano, Minutio, Arnobio, Lactantio, Victorino, Cypriano, Hilario, Juvenco Presbytero; his nos addimus Hieronymum ipsum, & in Scripturis, & in sanctis Patribus, & in gentilium Philosophorum ac Poetarum scriptis ita versatum, ut in incredibili illa opulentia, vel princeps ipse sit, vel nulli secundus. Sicui ergo displicet hæc tot Scriptorum omnis generis consarcinatio, ei cavendum est, ne illi quadret illud, quo eam Epistolam claudit Hieronymus: *Cui quæso ut suadeas, ne vescentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprearum talpa contemnat.*

XIII. Vel hæreticos, vel Philosophos his verbis describebat Ambrosius, pari eloquentia, & sapientia, suo more: *De cordis oculis loquar, quos habent sapientes mundi, & non vident; in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebrosa rimantur, & cœli alta se videre credunt; describentes radio mundum, mensuram aeris ipsius colligentes. Porro autem à fide devii, perpetuæ cæcitatis tenebris implicantur, habentes in proximo diem Christi & lumen Ecclesiæ, & nihil videntes: aperiunt os, quasi scientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna, & longæ disputationis anfractu prodentes inscientiæ propriæ cæcitatem. Itaque dum cupiunt subtilibus evolare sermonibus, quasi noctuæ in lumine evanuerunt.*

Ambrof. Hexa. l. 1. c. 2. Tom. 1. pag. 101.

Sic ille sub imagine vespertilionum eos depingebat, qui oculatissimi sibi quidem videntur, & in media luce cæcutiunt; in tenebris vident, aut videre sibi videntur: in lumine, immo in Sole Ecclesiæ nihil vident, cùm eo mundus quantus quantus est, illustretur; qui denique acuti sunt, sed ad vana; hebetes prorsus ad æterna. Exagitat alibi Ambrosius eos qui cœli mundique mensuris vestigandis insudant, cùm Deus hoc sibi proprium decus & hanc scientiam vendicet, sibi propriam, hominibus imperviam. Quantò sapientiùs ergo Moyses ea tantùm attigit de mundo, quæ nos ad Creatoris admirationem rapiant & amorem: ea de virtutibus scripsit, quæ usui sint ad ipsum Dei conspectum promerendum; quæstiones alias silentio ipso suo tantùm non damnavit; certè inutilitatis redarguit: *Certè Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, sed quia Spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam & usurpatoriam Philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit; & ea descripsit mihi, quæ nostræ spei accommoda judicavit.* Et paulò pòst: *Quando quæ nihil ad nos, quasi nihil profutura præteriit. Vidit enim in sancto Spiritu, non illas marcescentis jam sapientiæ vanitates sequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, luduntque operam: sed ea potius describenda, quæ ad virtutis spectarent profectum.*

Ibid. l. 6. c. 1. pag. 108. lin.

Præclarissimè verò idem alibi demonstrat, cùm in Genesi Deus Abrahæ dat quidquid & ad Orientem & ad Occidentem, quidquid & ad Meridiem & ad Septentrionem terrarum porrigebatur, tum verissimè sanxisse & docuisse nos, quod tantò pòst garrire cœperunt Stoici, Zeno, Plato pater Philosophiæ, & Pythagoras. Cui Moysis doctrinæ concinuit

nuit & Salomon tot sæculis ante Philosophos Græcos, cùm dixit, ejus qui fidelis sit, totum mundum esse divitiarum. Audi Ambrosium de Abraham ita disputantem: *Hinc tanquam à fonte hauserunt Stoici Philosophi dogmatis sententiam, Omnia sapientis esse. Oriens enim & Occidens, Septentrio & Meridies portiones sunt universitatis. His enim totus mundus includitur. Hæc cum promisit daturum se Abrahæ, quid aliud declarat, nisi sapienti & fideli præsto esse omnia, deesse nihil? Unde & Salomon in Proverbiis ait, Ejus qui fidelis sit, totus mundus divitiarum. Quantò prior Salomon, quàm Zeno Stoicorum magister, atque author Sectæ ipsius? Quantò prior, quàm ipse pater Philosophiæ Plato, vel ejus inventor nominis Pythagoras?*

L. 2. c. 7. Pag. 324.

Erant enim causæ utique justiores, ut Sapientis nomine & gloria ornaretur Salomon, quàm quisquam Græcorum: cùm tamdiu ante hos omnes scripserit tripartitam Philosophiam, Moralia in Proverbiis, Physica in Ecclesiaste, Mystica in Canticis. *Hæc doctrina jam mystica est. Habes hæc in Salomone; quia Proverbia ejus moralia, Ecclesiastes naturalia, in quo quasi vanitates istius despicit mundi: mystica ejus sunt Cantica Canticorum.* Quin & ex Cantico Canticorum suspicatur Ambrosius carpsisse Platonem, quæ ipse de horto, & de convivio illo, seu Jovis, seu mentis commentatus est. In hunc enim introisse Peniam, sive animam, cœlestium deliciarum esurientem; ut iis se recrearet beneficiis Pori, qui plenitudinem adumbrat castissimarum spiritus voluptatum. *Hinc hortum illum sibi Plato composuit, quem Jovis hortum alibi, alibi hortum mentis appellavit. Jovem enim & Deum & mentem totius dixit. In hanc introisse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia & divitiis horti repleret, in qua repletus potu jaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eò quòd anima Deo adhærens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum, floresque sermonum.*

L. de Isaac & anima. Pag. 517.

L. de bono mortis. c. 5. pag. 582.

Si ita affecti cum Ambrosio, & Platonem, & Philosophos alios complures legamus & intelligamus, vides quàm amplus nobis pandatur campus, quanta & facultas & voluptas, & Scripturas in Philosophis, & Philosophos in Scripturis legendi. Quare rursus aliquantò pòst idem Ambrosius Convivium Platonis ad Christi mysteria, ad æternæ Sapientiæ epulas referens: *Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino & melle Prophetico, hinc somnus ille translatus est; hinc vita illa perpetua, quam Deos suos dixit epulari; quia Christus vita est. Ideoque talium sermonum seminibus animæ repletus est venter, atque ipsa exivit è Verbo. Quæ autem exit anima servitio isto, & elevat se à corpore, verbum sequitur.*

Præfat. in Psal. 35.

Ex Salomone vel Davide idem alibi probat, pariterque ex Platone, non facilè expediri definitionem justi, nisi antè exhibearur imago injustitiæ. *Quis autem dubitet longè anteriorem David Platonis fuisse temporibus? quem non solùm magister ejus, sed nec avi quidem avorum ejus videre potuerunt: cùm ille in principio regni fuerit Judæorum, quod per innumera annorum curricula propagatum est: iste post tempora captivitatis, quibus regnum gentis ejus jam fuerat dissolutum. Ergo ipse qui tenet in omnes sæcularis sapientia principatum, cùm diceret non posse formam justitiæ comprehendi, nisi antè discutiendam injustitiæ seriem putavisset, exemplum attulit, quod ii qui velint aurum quærere, priùs se luto oblinant. Aurum itaque justitia, iniquitas lutum est.*

Qua denique ex occasione Plato scripserit Dialogum de Virtute, Ambrosius ita censet, illum Isaiæ verba imitatum esse, ut qui olim in Ægyptum profectus, ibi & Moysis verba, & Legis oracula, & Prophetarum dicta didicisset. *Clamat per Esaiam Dominus: Consolamini populus meus; quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. Discite unde Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, ut Moysi gesta, Legis oracula, & Prophetarum dicta cognosceret, audivit consolationem populi, qui supra peccati modum videbatur fuisse punitus; & hunc locum quadam adopertum dote verborum in dialogum transtulit, quem scripsit de Virtute.*

In Psal. 118. Octon. 17. pag. 1308.

Quanti Pythagoram fecerit Ambrosius, sed ex quo fonte sacro Scripturarum existimarit illum sua hausisse, ita ipse demonstrat, ubi illum vel genere ipso suo, vel disciplinarum omnium tyrocinio Hebræis conjunctissimum fuisse affirmat. *Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc unde assumpserit, non est incognitum. Nam cùm ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta, meritòque magnus apud Philosophos habitus, æqualem, ut ajunt, vix reperit. Legerat itaque in Exodo, &c.*

Epist. 6. Tom. 3. p. 935.

Denique ab Horontiano interrogatus Ambrosius, An anima substantiæ esset cœlestis, rescripsit eam Philosophos interpretari alios ignem, alios sanguinem, aut nervorum harmoniam: at *patriciam quandam eorum prosapiam Platonem* definire illam esse, *quod ipsum se movet, & non movetur ab alio:* Aristotelem *acri virum ingenio* quintum elementum, sive Entelechian: sed legendum esse Esdræ librum, *qui & illas Philosopharum nugas dispexerit, & abditiore prudentia, quam collegerat ex revelatione, perstrinxerit animas substantiæ esse superioris.* Mox ex Apostolo docet animas nostras *potioris creaturæ esse, & præstantissimæ cujusdam naturæ.* Ubi vides, quàm non ita Philosophiam sæcularem sancti Patres aspernarentur, quin ejus varia placita perdiscerent, & allegarent, & ad Scripturarum amussim ea revocarent. Emicat enim plurima haud dubio lux, si Scripturis adjungatur & subjungatur, quidquid vel natura ipsa & ratio Philosophis dictaverat; vel furtiva quædam Scripturarum olim nostrarum delibatio; vel Majorum jam ab ipsis usque mundi primordiis traditio, in humanum genus omne disseminata.

Epist. 22.

Unum ex Latinis hìc addam Paulinum, qui Epistola ad Jovium scripta ita illum studet ab humanarum litterarum, à mundanæ sapientiæ ac Philosophiæ nimio avocare studio, ut facilè tamen patiatur illum & eloquentiæ & Philosophiæ operam dare, dum ea sint veluti quædam necessaria mentis oblectamenta, ut tota possit deinde Scripturis & Christianæ sapientiæ sese immergere. *Non enim opinor dormiens, aut aliud agens, tantas oris aut pectoris divitias coegisti. Omnium Poetarum floribus spiras, omnium Oratorum fluminibus exundas, Philosophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam dives litteris, Romanum os Atticis favis imples. Quæso te ubi tunc tributa sunt, cùm Tullium & Demosthenem perlegis, vel jam usitatiorum de saturitate fastidiens lectionum, Xenophontem, Platonem, Catonem, Varronemque perlectos revolvis, multosque præterea quorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes; ut istis occuperis immunis & liber, ut Christum, hoc est, sapientiam Dei discas? Tributarius & occupatus es, vacas tibi ut Christianus sis. Verte potiùs sententiam, verte facundiam. Nam animi Philosophiam non deponas licet, dum eam fide condias, & religione conserta utare sapientiùs, ut sis Dei Philosophus & Dei vates; non quærendo, sed imitando Deum sapiens; ut non tam lingua, quàm vita eruditus, tam disseras magna, quàm*

Paulinus Tom. 2. pag. 409, 410.

facias. Esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo, vera in Christo sapientiæ prædicator.

CAPUT XL.

Quantum universim momenti sit in Philosophia ad res Theologicas. Ex Græcis.

I. Ex Clemente Alexand. per Scripturas edi-scimus Dei consilia & opera, quæ fuerunt, sunt, erunt: per supernum incommutabilis Veritatis lumen à Verbo affulgens, temporalium omnium rationes æternas & intelligibiles edi-scimus.

II. Ea lux Verbi vera illuminat omnes homines; at quos Deus largissimè à se donatos voluit, eos utroque Testamento suo instruxit.

III. Ex contemplatione mundi hujus aspectabilis, vel etiam rationum æternarum supernè allucentium, paucissimi, imò nulli ad perfectam sapientiam pervenissent, nisi utriusque, vel alterutrius Testamenti ope, ad Ecclesiam & ad Christum sese applicassent.

IV. Cur Clemens clementiùs, inclementiùs Irenæus cum Philosophis agat.

V. Nazianzeni sententia de Philosophia mediocriter saltem attingenda.

VI. Cur aliàs alia Philosophorum Secta Theologis Christianis majori in honore fuerint.

VII. Ex Augustino, de rebus naturalibus nihil affirmari debet tanquam ex sacris Litteris, quod possint Physici vel Mathematici certissimis rationibus demonstrare, aliter habere. Pulcherrima in hanc rem ejus monita.

VIII. Ex Basilio, tripartita illa Philosophia, & à Salomone in Scripturis pertractata est, & ad Deum refertur.

IX. Ex eodem conciliatio Theologiæ nostræ cum Philosophia.

X. Ex eodem Dialectica murus est & septum Ecclesiæ.

XI. De Emmanuele Caleca & de Nicephoro Gregora, argumentatricem Theologiam propugnante illo, hoc oppugnante.

I. CHorum ducet Clemens Alexandrinus, qui Philosophiam ait assecutionem non esse, sed appetitionem quandam sapientiæ & contemplationis; ad quam tum demum pervenit quis, cùm ad Scripturas animum adjicit; ex iisque edi-scit verissimam rerum omnium causam, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ erunt, quantum homini conducit scire ad consentaneam sibi beatitudinem. Lux enim ipsa naturæ & ratio supernè à Verbo illuminata, plurimarum quidem rerum cognitionem attingit, æternarum, intelligibilium, immutabilium: at eventorum temporalium, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, nihil prorsus allucere nobis potest, nisi ex Scripturis. Has nobis Deus ergo ipse suppeditavit, ut ex illis nos addoceret rationem & seriem consiliorum suorum operumque, in Universi hujus sive creatione, sive administratione, quod veluti palatium est longè pulcherrimum & magnificentissimum, quod sibi ipsi Deus, Angelisque & hominibus condidit. Quantumcumque incumbas in contemplationem æternarum in Verbo rationum, & incommutabilis ejus veritatis: ea sunt quæ vulgò vocant prima scientiarum omnium principia: nihil usquam in eis horum deprehendes Dei operum, vel consiliorum: quæ ubi ex Scripturis addidiceris, tum verò si eas compones cum rationibus illis & luminibus æternis quæ in Verbo resplendescunt, tum verò efflorescit illa optatissima contemplatio, homini beando accommodatissima, quæ temporales, corporalesque & mutabiles res omnes ad incommutabilem æternamque Verbi sapientiam refert, & inde totas suspendit. Ea mihi quidem vita est in his Clementis verbis sententia, quando Philosophiam Theologiæ & Scripturis adjicit, subjicitque: *Atque si est quidem sapientiæ finis contemplatio, ea quidem contemplatio, quæ est adhuc Philosophorum, divinam appetit scientiam: nondum autem assequitur, nisi per disciplinam acceperit vocem propheticam sibi declaratam, per quam accipit quomodo se habent, habuerunt, & habitura sunt, quæ sunt, quæ futura sunt, & priùs fuerunt. Cognitio autem ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita pervenit. Hinc ergo cognitio seu sapientia exerceatur oportet ad contemplationis habitum æternum, & in quem non cadit alteratio. Nam Paulus quoque in Epistolis non videtur reprehendere Philosophiam: sed eum qui est particeps altitudinis cognitionis, non vult amplius recurrere ad Græcam Philosophiam, eam allegoricè vocans mundi elementa, ut quæ elementa quodammodo doceat, & sit veluti disciplina præcedens veritatem.* Cyrill. Alex. L. 6. p. 4[illegible]

II. Quanti autem æstimandum est illud, quod paulò pòst Clemens ratiocinatur, Bona quidem omnia hominibus à Deo affluere; sed ea ejus dona præstantiora esse, quæ & præstantioribus hominibus dedit, seu per quæ alios aliis præstantiores illos effecit, suique amatores: duo videlicet Testamenta. Nam cæteris Philosophiam dedit, veluti prolusionem quandam & præparationem ad eorum animos manuefaciendos & adducendos gradatim ad ejus sapientiæ fruitionem, quæ ex vetere & ex novo Testamento scaturit. Ita enimverò insinuatum nobis esse a Psalmographo, ajente, *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ibi enim innuitur, omnibus quidem nationibus feciisse, & benefeciisse, atque affulsisse Dei sapientiam; sed non taliter, non ita amanter & copiosè, atque iis, quos Testamentis his suis instruxit. Ex aspectabilis enim hujus mundi pulcritudine, & ex illa intelligibili veritatis naturaliter asplendentis luce, supremi quidem opificis veritas & majestas colligitur. At quanti in hac luce caligaverunt, quanti creaturas pro creatore ipso coluerunt? Immo quæ non gentes in hæc superstitionum portenta præcipites jerunt? At quibus Testamenta illa duo consignata, & cum tota avita illa antiquissimarum traditionum supellectile commendata sunt; illi veræ & incommutabili Deitati constantissimè adhæserunt, & reliquas tandem nationes omnes ad eundem secum ejus cultum revocarunt. *Testamenta esse principalia & maximæ authoritatis, est extra controversiam, & dari præstantioribus. Dicit quidem certè rursum Psalmus de Deo: Nulli genti sic fecit, & judicia sua non manifestavit eis. Illud autem, Non sic fecit, feciisse quidem significat; sed non sic. Illud ergo, sic, positum est, ut fiat comparatio cum nostra excellentia. Poterat autem utique Propheta dicere absolutè, Non fecit, absque additamento hujus, sic.* Ibidem pag. [illegible]

III. Pauci enim possunt invisibilia Dei in visibili creaturarum pulchritudine contueri, & non vel aliquantulum affici sensibili voluptate, quæ illos creaturæ ipsi affigat, & creatori suffuretur. Pauci possunt non ita assuescere ei spectaculo ob oculos jugiter obversanti, ut jam minus eo afficiantur, minùs ad tanti operis opificem rapiantur. Pauciissimi possunt luci illi intelligibili, qua Verbum Deus naturas omnes rationales aspergit, & qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita oculos affigere, ut ea paulò diutiùs fruantur: & non statim vel illa aufugiat, vel ab ipsa ipsi præstringantur. Sapientissimè ergo provisum est, ut duo Testamenta humano generi condonarentur, in quibus versari, & diutissimè tutissimèque versari possemus, & eorum cum superiore illa & creaturæ doctrina sensibili, & Verbi intelligibili luce concentum admirari. Inde est enim,

enim; quòd cùm Philosophi Græci & in mundi universi investigationem, & in interioris animarum lucis contemplationem diu multùmque desudassent: non adepti tamen erant nisi rudimenta quædam erraticæ & fluctuantis sapientiæ, donec ad Ecclesiam Christi & ad plenitudinem quandam certæ & æternæ per eam sapientiæ perducti sunt.

Ibidem pag. 465. *Jam verò si universa quoque ac generali oratione, quæcunque sunt necessaria & vitæ utilia, divinitus ad nos venire dicamus, minimè errabimus: Vel potiùs si dicamus, ipsam quoque Philosophiam Græcis veluti proprium datam esse Testamentum, ut quæ sit fundamentum Christianæ Philosophiæ; etiamsi qui ex Græcis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant, barbarorum contemnentes vocem, aut etiam reformidantes mortis periculum quod à legibus civilibus.*

IV. Curiosissimè & scitissimè Irenæus uno carpite complexus est Philosophorum Græcorum sectas omnes, ut sigillatim indicaret, quid ex earum singulis Gnostici in portentosum suum dogma accersissent. Pauca hæc de Democrito, de Anaxagora & Empedocle, de Pythagora denique & de Aristotele excerpo, ut videas quàm facilè potuisset Irenæus Clementem Alexandrinum imitari, in delectu eorum quæ in Philosophis probari possint, & in cæteris repudiandis; & tamen æquiùs censuerit toto eo labore supersedere. Clemens quippe ad fideles sermonem habebat, quibus & usui esse poterat & voluptati, si quid illis ex media Philosophia exhiberetur, commendandæ pietati & virtuti opportunum. At Irenæus manus conferebat cum hæreticis omnium pestilentissimis, qui totam absurdissimorum commentorum suorum farraginem ex diversissimis Philosophorum sectis corraserant. His ergo, multò expeditius erat, Philosophiam prorsus omnem semel abjecisse. Irenæus l. 2. c. 19. *Quod autem dicunt imagines esse hæc eorum quæ sunt, rursus manifestissimè Democriti & Platonis sententiam edisserunt. Democritus enim primus ait, multas & varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum. Plato verò rursus materiam dicit, & exemplum, & Deum: quos isti sequentes, figuras illius & exemplum, imagines eorum quæ sunt sursum vocaverunt, per demutationem nominis semetipsos inventores & factores hujusmodi imaginaria fictionis gloriantes. Hoc autem quod ex subjecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, & Anaxagoras, & Empedocles, & Plato primi ante hos dixerunt.* Ibidem. Et paulò pòst: *Et minutiloquium aut subtilitatem circa quæstiones, cum sit Aristotelicum, inferre fidei conantur. Quod autem velint in numeros transferre universum, hoc à Pythagoricis acceperunt. Primùm enim hi initium omnium numeros substituerunt, & initio ipsorum parem & imparem, ex quibus & ea quæ sensibilia & insensata sunt, subjecerunt.*

Sunt in his non pauca, quæ ab erroris contagie purgari poterant, de Deo, de Numeris, de Dialectica, de Ideis. Sed Irenæus providentissimè esse homines censuit usque adeo commentis Philosophicis fascinatos, ut sanari, & sapere nunquam possint, nisi absolutissimè illis Philosophia interdicatur.

V. Orationem aliquando habuit Nazianzenus in laudem Heronis Philosophi Alexandrini, ob fidem in exilium missi, ac post triennium reversi. Hujus Philosophiæ fructum fuisse ibi testatur, Nazianz. Orat. 23. pag. 413. *non commentitias civitates ac Respublicas, non Categorias quasdam & analyses, non argutatricem sapientiam, non lineas quasdam nusquam existentes, non syderum nexus, & figuras adversùs Dei providentiam excogitatas, &c.* Perspicis alludere Nazianzenum ad Rempublicam Platonis, ad Categorias & analyses Aristotelis, nec non & ad Dialecticam ejus, denique ad Euclidis cæterorumque Mathematicas disciplinas, quibus negat sanctus Pater Heronem sese penitus immersisse. Mox enim palam declarat, perfunctoriè saltem illis eum operam dedisse Philosophicis omnis generis institutis; non ut ea primo loco haberet, sed ut secundo; non tam ut ea sciret, quàm ut ne nesciret; ut per ludum saltem ea attingeret, nec ab eorum peritis illudi unquam posset. *Hæc enim ille secundo loco semper habuit, obiterque ac velut per ludum attigit, hactenusque duntaxat, ne ab illis, qui se earum rerum scientiam tenere profitentur, illudi atque exagitari posset.*

VI. Id verò non ineptè referes ad eas Philosophiæ sectas, quæ in Christianis Scholis non semper eædem, sed aliàs aliæ viguere. Non tam illæ enim in pretio fuere, quàm cùm in honore passim apud omnes essent, curæ nobis fuit, ut ne illæ nos præterirent, ne per illas posset Theologiæ nostræ & fidei fucus fieri. Multò plus antea tributum fuerat Philosophiæ Platonis, quàm Aristotelis in Scholis nostris; quòd & tum apud Græcos & Latinos ea potissimùm floreret. Illi ergo se Patres accommodarunt, ut per eam & Platonicos ipsos & eorum studiosos Ecclesiæ adgregarent. Medio & postremo ævo ex Arabum vicinia factum est, ut Aristotelis Philosophia principatum quendam gloriæ consequeretur. Ei ergo tunc necesse fuit ut & Theologi nostri se attemperarent; ut vel eam fidei nostræ non repugnare, vel si repugnaret, non satis firmis niti rationibus evinceretur. Constat enim ipsa per sese immota fidei & Theologiæ Christianæ doctrina, à quæstionibus Philosophicis plerumque libera & absoluta; aut sicubi conjuncta, præsto semper & parata demonstrare, aut illas sibi militare, aut nihil adversari; aut denique sua ipsas sponte dilabi & evanescere.

VII. Hinc illud cautissimè monet sancitque Augustinus, ut ne quis Christianus aliquid affirmet quasi ex divinis nostris litteris, de rebus & quæstionibus naturalibus, ubi contrarium certissima ratione demonstrant, qui ejusmodi rerum sunt peritissimi. Ita enim fieret, ut hi non de sententia sua decederent, sed de Scripturis nostris malè existimarent; nec adduci postea possent, ut reliqua nostri dogmatis placita amplecterentur: De Genes. ad lit. l. 1. c. 19. *Plerumque enim accidit, ut aliquid de terra, de cœlo, de cæteris hujus mundi elementis, de motu & conversione, vel etiam magnitudine & intervallis siderum, de certis defectibus Solis & Lunæ, de circuitibus annorum & temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione, vel experientia teneat. Turpe autem est nimis & perniciosum ac maximè cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundùm Christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur toto cœlo errare conspiciens, risum tenere vix possit: & non tam molestum est, quod errans homo deridetur; sed quod autores nostri ab eis qui foris sunt talia sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur.*

Alterutrum ergo necesse est, ut idem postea subjicit Augustinus, vel non certis & invictissimis rationibus probari, quod veritati per Christianas Scripturas docenti adversum est: vel si id genus inconcussis rationibus fulcitur, non adversari Scripturis nostris, quæ alio propterea sensu interpretandæ erunt; idque tantò æquiùs & proniùs fiet, quòd non is earum scopus sit, ut naturæ peritiam, sed ut authoris charitatem nobis instillent. En exemplum ab Augustino prolatum. Rotundum esse cœlum demonstrant Astronomi; Scriptura cœlum comparat pelli extensæ. Nulla ibi pugna cum Scripturis nostris, quæ alibi cameratum dicunt cœlum. *Hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potiùs quàm illud quod humana infirmitas conjicit. Sed si fortè illud talibus illi documentis* Ibidem. l. 2. c. 9.

tis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat; demonstrandum est hoc quod apud nos est de pelle dictum, veris illis rationibus non esse contrarium: alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, ubi cœlum dicitur camera esse suspensum. Quid enim tam adversum & sibimet adversum, quàm plana pellis extensio, & camera curva connexio? Quod si oportet, sicut oportet, hæc duo sic intelligere, ut concordare utrumque, nec sibimet repugnare inveniatur: ita oportet etiam utrumlibet horum illis non adversari disputationibus, si eas fortè veras certa ratio declaraverit, quibus docetur cœlum sphæræ figura undique esse convexum, si tamen probatur.

VIII. Nec à Physiologiæ studiis abhorret Scriptura, ut author est Basilius, qui tres Salomonis libros tripartitæ Scholarum Philosophiæ ita aptat, ut non sola morum doctrina, quæ Proverbiis continetur: non sola arcanorum divinorum contemplatio, quæ in Canticis Canticorum deliciatur: sed & rerum ipsarum naturalium scientia, quam pollicetur Ecclesiastes, tota penitus ad Deum referatur. Hoc enim modo, hoc fine & fructu perscrutanda rerum natura est, ut ejus vanitas, inconstantia & fuga ob oculos animi versetur semper, creatarum rerum omnium fastidium nobis ingeneret, æternarum amorem accendat. *In primis Proverbiorum liber institutio morum est quædam, nec non animi perturbationum correctio. Denique vitæ in universum documentum, frequentes ac breves eorum, quæ sunt agenda, præceptiones continens. Ecclesiastes verò Physiologiam attingit; nobisque eorum, quæ in hac vita sunt, vanitatem palam ostendit. Ut in iis quæ citò prætereunt, minimè sit homini invigilandum, neque item animi curas in rebus vanis collocandum. Cantica Canticorum animæ perfectionis modum demonstrant: Sponsi namque ac sponsæ concordiam continent, hoc est, animæ cum Deo Verbo familiaritatem.*

Basilius. Hom. 12. Tom. 1. pag. 109.

IX. A suprapositâ Augustini regula alienus non est Basilius, ubi in confutando Eunomio, & toto Aristotelicarum ejus argutiarum apparatu, primùm quidem deridet humanæ Philosophiæ inanes conatus adversùs inconcussa divinæ sapientiæ & Scripturæ nostræ fundamenta. Deinde verò quidquid illud est argumentatricis dialecticæ, nihil nostro dogmati obstrepere, aut etiam concinere demonstrat. *Quod autem ista è mundi hujus sapientia loquatur, à qua præceps actus, hanc sermonis novitatem ingressus es, non est arduum demonstrare. Aristotelis enim sunt; ut qui legerunt utique dicerent, He de habitu ac privatione rationes sunt, quibus in libro qui inscribitur Categoriæ, posteriores habitibus privationes affirmat. Nobis autem satis erit ostendisse, non ex doctrina Spiritus, sed ex sapientia principum hujus seculi hæc eum dicere, ac illud Psalmista ad ipsum exclamare: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua; ut cum didicerimus, non è doctrina Domini nostri Jesu Christi esse, quæ dicuntur; vocis ipsius Domini recordemur, qua dicitur: Quoniam cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Atque hoc pacto verborum multitudinem nobis abscindamus, cùm hinc universis palam faciamus, nihil ipsis nobiscum esse commune. Etenim quænam conventio Christo ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?*

L. 2. contr. Eunom. pag. 708. 9.

X. Denique non dissimulat Basilius & Dialecticam, & disciplinas nonnullas alias ab ipsa veritate adornatas nobis esse, ut munimento sint adversùs insidias & adgressiones hostiles; quemadmodum muri & propugnacula civitatibus defendendis & tutandis præstruuntur. *Rursus murus septum est, ac munimen in hoc conditum, ut tueatur & propugnet civitates, & hostium impressiones propellantur. Sic & disciplinæ nonnullæ sunt nobis ab ipsa veritate accommodatæ, ad conservandam inexpugnabilem vim salutarium dogmatum: sunt item aliæ externæ inventiones ad corroborandum mendacium & tuendam vanitatem accurata diligentia conquisita. Artis enim Dialecticæ facultas murus est propugnandis dogmatibus apprimè opportunus, non sinens ea in diversam partem facilè abripi, aut in totum intercipi ab his qui ea vellent evertere. Ob hoc quidem muri Hierusalem in manibus Domini descripti sunt.*

In cap. 2. Isaiæ.

XI. Hinc verò facilè colliges, quanto in errore versaretur, ne quid asperius dicam, Nicephorus Gregoras, quando duobus Episcopis à Papa Constantinopolin missis, *ut de pace & concordia disputarent* cum Græcis: ipse Patriarcham & Episcopos dehortabatur, ne se, ne suorum aliquos discrimini ac disputationi committerent. Suæ ipse hanc ad eos orationem intexuit Historiæ; Historicus certè peritior, quàm Theologus. Frivola sunt enim prorsus, quæ ibi ab eo differuntur adversùs Philosophos, sive adversùs Theologos, qui Theologiæ quandoque suæ præsidii aliquid comparant à Philosophia, & à disputatrice potissimùm illa Dialectica. Vitam agebat, scribebatque Nicephorus sub Andronico Juniore, circa annum MCCCXXX. Aliquantis antè annis, nempe circa ann. MCCLXXX, occupaverat Emmanuel Calecas Scholasticæ, seu Argumentatricî Theologiæ patrocinari; Græcus & ipse, sed pacatiore in Latinos animo. Ex iis porro quæ hìc à nobis ex Græcis etiam Patribus delibata sunt, liquidum est quantò ii in Calecæ, quàm in Gregorii sententiam propensiores fuissent.

L. 10. pag.

CAPUT XLI.

Quanto & adjumento sint & ornamento Artes liberales ad Theologiam pertractandam, ex Patribus Græcis.

I. Exemplo Moysis & Danielis probat Basilius Artes liberales usui esse ad Scripturas & ad res Theologicas.

II. Ex eodem, Poetæ, Oratores, Philosophi, Historici multa utiliter præcipiunt ad bonos mores.

III. Ut sibi Nazianzenus, Basilioque patrocinetur, & studio politiorum Litterarum.

IV. Ut disciplinas omnes Basilius perdidicisset. Et quem in eis ille modum tenuerit.

V. Eadem confirmantur ex Scriptore vitæ Nazianzeni, & ex Nazianzeno ipso.

VI. Ex Gregorio Nysseno eadem confirmantur.

VII. Ex Justino Martyre, non nimis premenda necessitas liberalium Artium.

VIII. De eadem necessitate eruditè & temperatè Clemens Alexandrinus. Moysis rursus exemplum.

IX. Ut ex demonstrationibus Mathematicis possit mens nostra consurgere ad æternam & incommutabilem Verbi veritatem, ex eodem Clemente.

X. De Origene, quàm non repudiata sint ab eo disciplina Morales.

I. A Basilio Caput hoc ordiemur, qui superius clausit. Et est materia hæc utique Deo conjunctissima. Nam in liberalibus Artibus & Dialectica recensetur & tota Philosophia. Porro quod hìc adgredimur tractandum, id pertractatur Basilius, Homilia ad id sepositâ & adolescentibus dicata, ut illos addoceret, quid utilitatis ex libris Gentilium capere possent. Illud autem primò illos monet, disciplinas instar esse arborum, quas non aliud magis commendat, quàm fructus; sed & arbori tamen & fructui magnam ex foliis accessionem fieri & utilitatis, & venustatis. Non aliter enim cùm animarum fructus sit Veritas, exte-

rioribus

rioribus eam disciplinis tanquam foliis vallari necesse est. Exemplo esse possunt Moyses & Daniel, quorum ille Ægyptiorum, hic Chaldæorum sapientia & eruditione instructissimus fuit. *Certè quemadmodum planta propria virtus est fructu abundare tempestivo, at folia nihilominus ramis conjuncta quendam ferunt ornatum: sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, non absre tamen exteriore sapientia circumdatur; sicuti foliis quibusdam umbram fructui, ac aspectum non intempestivum præbentibus. Dicitur enim & Moyses ille, cujus est sapientiæ nomen apud omnes homines maximum, Ægyptiorum disciplinis mentem exercitatus, ita ad ejus qui est contemplationem processisse. Similiter autem & in sequentibus temporibus Danielem Babylone Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse, tunc denique divinas attigisse doctrinas.*

Basilius Hom. 24. Tom. 1. Pag. 431.

II. In eloquentia specimen est earum artium, quæ & laudi esse possunt, & vitio. Si mendacio enim & fraudi illa patrocinetur, quid exitialius? si virtuti & justitiæ, quid utilius, quid laudabilius? Oratoria ergo ars ediscenda & ipsa est, sed ut prosit omnibus, obsit nulli. *Artem verò Oratorum ad decipiendum institutam nequaquam imitabimur. Nam nec in judiciis, neque in aliis actionibus accommodum nobis est mendacium, viam vitæ rectam ac veram ingredientibus, quibus non contendere judicio lege præcipitur.*

Pag. 424.

Cùm verò multò maxima ad vitam bene beatèque degendam ex virtutibus adjumenta proficiscantur: virtutum autem exempla pulcherrima fulgeant in Poetis, in Oratoribus, historia, & multò magis in Philosophorum, qui & ipsi Oratores fuere, commentariis. His ergo disciplinis omnibus strenuè navanda est opera. *Et quando per virtutem ad vitam hanc veram ascenditur; virtus autem ipsa plurimum à Poetis, Historiographicis, multò magis à Philosophis commendatur; talibus eorum sermonibus maximè vacandum. Nam prima quidem utilitas est in animis juvenum virtutis esse commercium, ac consuetudinem; quorum semel acceptæ doctrinæ ob animorum teneritudinem perpetuò remanent intimè illis infixæ.*

Ibidem.

III. In Basilii laudes non semel peroravit Nazianzenus, earundem & ipse laudum consors, ac veluti collega; in eruditionis potissimùm & doctrinæ rum sacræ tum sæcularis ubertate mirabili. Nec potuit Basilium ille commendare eruditionis ergo, quin inveheretur in illos, qui Christiani officium esse nugabantur humanioribus & politioribus litteris renuntiare. Perinde enim illi faciebant, ac si cœli conspectu syderumque notis interdicerent, propterea quòd fuerint, qui divinos illis impenderint honores. Enimverò usus ille rei optimæ pessimus emendandus est; ut jam usui sint & Artes liberales, & pulcherrimæ res omnes creatæ, quo inde ad primigenium incorruptibilis & divinæ pulcritudinis & sapientiæ fontem consurgamus. Audi Nazianzenum ita sibi Basilioque disciplinarum omnium cupidissimo & callentissimo patrocinantem: *Illud autem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humanæ bona principem locum tenere; non de hac nostra solum ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore atque ornatu, saluti uni, atque earum rerum, quæ ratione atque animo intelliguntur, pulcritudini arctissimè hæret: sed etiam de externa, quam plerique Christiani, prava quadam judicio, ut insidiosam & periculosam, ac procul à Deo avertentem, aspernantur. Quemadmodum enim cœlum, terram, aerem, quæque eorum complexu coercentur, non ideo contemnere debemus, quia nonnulli scelerate acceperunt, pro Deo ea quæ Dei sunt venerantes: quin potius, &c.*

Nazianz. Orat. 20. pag 325.

Non multò pòst narrat Nazianzenus, ut primò Constantinopolin, deinde Athenas profectus sit Basilius, ut Philosophis ibi & Oratoribus præstantissimis operam daret; à Deo illuc missus, tanquam ad litterarum sedem & domicilium. *Hinc Byzantium urbem totius Orientis principatum tenentem, excellentissimis enim Oratoribus Philosophisque florebat, quorum brevi optima quaque ingenii celeritate ac magnitudine collegit: atque inde Athenas; hoc est, litterarum sedem ac domicilium, à Deo atque inexplebili simul & præclara doctrinæ cupiditate mittitur; Athenas, inquam, mihi verò aureas, ac si cuiquam alii, bonorum parentes.*

Pag. 325.

Nec tacet sanctus Pater, quo incitentur stimulo, qui obloquuntur eruditioni, & eruditis omnibus; nempe sui similes omnes esse cupiunt, ut privata eorum inscitia sub communi deliteat. *Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur: quin potiùs stulti atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant; qui omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat & coarguat.*

Pag. 320.

IV. Non dicam quibus Basilius disciplinis sese dediderit, cùm Athenis commoraretur: omnes enim complexus est, & ita complexus, ut tantum in unaquaque elaborarit, quantum si ejus tantùm siti arderet: *Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximiè versatus, quasi in eo solo elaborasset? sic nimirum omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam: singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud preterea didicisset.*

Pag. 324.

Tum singulas percenset Gregorius disciplinas, quas summo studio excoluerat Basilius, Rhetoricam, Grammaticam, Philosophiam, Dialecticam, Astronomiam, Geometriam, Arithmeticam, denique Medicinam, cui ut vacaret etiam, cogebat labans corporis valetudo. Illud tamen non oscitanter legendum est, quod advertit Nazianzenus, Mathematicis in disciplinis eum modum tenuisse Basilium, ut illis tantum studii & operæ daret, quantum necesse erat, ut ne eas nesciret, atque ne ab earum peritis exagitari posset: quo plus otii sibi & temporis supereesset ad sacras Litteras perdiscendas. *Quis in Rhetorica illa, inquam, vim ignis spirante, cum eo comparandus, tametsi illius mores à Rhetorum moribus dissiderent? Quis in Grammatica, quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in Philosophia excelsa proculdubio scientia, & sursum gradiente, sive eam partem spectes, quæ in actione & speculatione posita est, sive eam, quæ in Logicis demonstrationibus, aut oppositionibus & concertationibus versatur, quam Dialecticam vocant: in qua adeo excelluit, ut iis qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet. Jam verò Astronomiam, Geometriam, numerorum proportiones hactenus didicisse contentus, ut non ab iis, qui in hujusmodi rebus sciti & eruditi sunt, exagitaretur; quidquid supererat, ut pietatis cultoribus infrugiferum contempsit: adeo ut & quod elegit, magis admirari & prædicare liceat, quàm quod reliquit: & rursus id quod reliquit, majori laude efferre, quàm quod elegit. Nam Medicinam, quæ Philosophiæ & laboris atque industriæ fructus est, corporis morbus, ac morbi curatio, necessariam ipsi reddiderat. Unde exorsus, ad artis habitum tandem pervenit.*

Pag. 333.

Non erunt hæc, ut spero, nostris Theologis infructuosa, si hinc adducantur, ut nobili fastidio cætera omnia aspernentur terrarum ludibria, & ad hanc se pulcherrimam accingant cum Basilio & cum Nazianzeno laudem, in hanc toto pectore incumbant disciplinarum uberrimam messem, ut quæ tota aliquando ad Theologiæ commendationem, ad Ecclesiæ utilitatem sit redundatura. Quid

enim

enim in speciem alienius à nobis, quàm Poetarum fabulæ? Et tamen mox ibi Gregorius declarat earum non paucarum origines ad Scripturas nostras referri debere: exemplo prolato camporum Elysiorum, quos nomen ipsum utique Hebraicum prodit à Phœnicibus ortos esse. *Campis Elysiis Graci donandos duxerunt, paradisi videlicet nostri speciem quandam animo intuentes, atque ex Mosaicis, ut opinor, nostrisque libris, tametsi in nomine nonnihil discreparint, aliis tamen vocabulis hoc ipsum indicantes.*

Ibidem.

V. Hæc eadem habet de Basilio & Gregorio Nazianzeno Author perantiquus vitæ Gregorii; quæ quoniam non plus habent admirationis, quàm utilitatis, libet hic adjicere: ut hinc habeant omnes imaginem absolutissimam Christiani Theologi, ad quam se pro suo quisque modo effingant: *Philosophiam porro, tam eam quæ in moribus, quàm quæ in placitis, & doctrina, Medicaque indicatione & ratiocinatione versatur, non liberali tantùm eruditione tenus perceperunt, ne indoctis duntaxat superiores essent: verùm quemadmodum Præceptores quidam, præstantissimique Doctores. Jam in Musica ita se comparârunt, ut quidquid in ea antiqui & concinni est, addiscentes, eam animæ partem, in qua irarum existit ardor effrenatusque impetus, emollirent; quidquid autem ad voluptatem impellit, ad theatra relegarent. Quin etiam numerorum supputationes, & Geometriæ æquitatem, Astrorumque situm ac motum, velut navi Moyses & Danieles edocti sunt: ita tamen ut non tam ab illis ducerentur, quàm, quod ait Scriptura, intellectum omnem in captivitatem redigerent in obsequium Christi, atque hanc primariæ Sapientiæ pulcritudinem tegumentumque statuerent.*

Ibid. in vita Gregor. p. 7.

Gregorius ipse certè in Carmine de Vita sua ita profitetur: in disciplinas se profanas magno quidem animi æstu, sed non alio fine incubuisse, quàm ut eas haberet veluti pro vallo & munimento, quo sacram doctrinam tueretur: *Lanugo nondum texerat genas; tamen me litterarum ceperat fervens amor, veris studentem per nothas succurrere: ne se superbè jactitarent, qui nihil norunt inanem præter eloquentiam, in gutture sitam, & dulcibus vocum sonis: neve implicarer nexibus Sophismatum. Præferre quippe litteris aliquid sacris, in pectus absit veneris ut unquam meum.*

Tom. 2. p. 4.

Cœperat ergo Gregorius admodum adolescens his se affigere sæcularibus litteris: nec ab iis antè se avulsit, quàm annum ætatis trigesimum attigisset, ut inferiùs ipsemet testatur: *Nam tempus ingens fluxerat jam in litteris; triginta & annos pene jam exegeram.*

Pag. 4.

VI. His assentitur & Gregorius Nyssenus, esse ubi doctrina fidei & Theologica veritas satis commodè defendi non possit, nisi ope sæcularis litteraturæ, quæ illam tandem propulsandis hostibus victricem efficiat; quo peracto, tum plurima se nobis infundit lux veritatis. Id enim in Moyse prælusum & præmonstratum est, qui non antè vel rubum ardentem, vel montem cœlesti igne fulgurantem vidit, quàm Ægyptium interemisset. *Si igitur imbecilliores fuerimus, quàm ut justiorem causam victricem reddere possimus, quod deterior argumentis superior sit, & veritatis imperium detrectet; fugiendum protinus ad sublimiorem sacramentalemque doctrinam: ac alienigena rursus, si res ita cogit, id est, seculari doctrinæ, parumper cohabitandum, ut pravas Pastores à puteis expellamus, versutos videlicet bos malignosque doctrinæ professores, qui rerum scientia ad ignorationem Creatoris abruuntur: quibus repulsis sic vivemus, ut pugnantibus non misceamur, nec perturbemur reluctatione multorum; sed motus animi omnes tanquam oves pastori sic rationi obtemperantes gubernabimus: qui quidem in norma vivendi perseverantibus, mirabili suo veritas splendore nobis apparebit, animique oculos subayeriet atque illuminabit. Deus autem est veritas, quæ tunc per ineffabilem illuminationem illam Moysi manifestata est.*

Greg. Nyss. L. de vita Moysis. Tom. 1. pag. 190.

Moysen mox Pharaoni comparat, illumque huic quasi Deum fuisse declarat, id est, Theologum cœlesti doctrina instructum ei qui humanas tantùm calleat litteras. Confodit Moyses Ægyptiacos serpentes, id est venenata quædam placita Philosophorum; & ei tamen conjux est peregrina, scilicet Philosophia, à qua multiplicem suscipit prolem, sed eam protinus circumcidendam, ut veritas retineatur; quidquid autem erroris admixtum est, id amputetur. *Est enim fides rerum quas speramus subsistentia; quas quicumque mente concepit, quasi Deus eorum sit, qui veritati resistentes, carni ac falsis rebus attendunt: quibus inane quoddam esse videtur, eum audire Qui est. Ait enim Pharao: Quis est Dominus, cujus vocem exaudiam? non cognosco Dominum: solum autem putatur honorabile ac jucundum, quod terrestre atque carnale est, quodque corporis sensus nimia voluptate titillat. Qui verò lucis splendore corroboratus est, ingentesque hinc vires & auctoritatem in adversarios cepit: is sicuti athleta satis exercitatus, confidenter ac magno animo in hostem descendit: virgam illam in manu retinens, hoc est verbum fidei, quo serpentes Ægyptiorum confodiet, atque vincet. Sequetur autem ipsum conjux alienigena, humana videlicet hæc eruditio, cujus sunt nonnulla ad liberorum procreationem utilia. Moralis enim naturalisque Philosophia conjungi potest profectò sublimiori vitæ, clarissimaque conjux ejus ac socia fieri debet, dum ejus partus nihil alienigeni sceleris secum adducat.*

Pag. 25.

VII. Fatetur Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, se antea sapientiæ studio incensum accessisse ad magni nominis Philosophum Pythagoreum; qui statim illum interrogarit, an Musicæ, an Astronomiæ, an Geometriæ peritus esset? nisi enim his exercitamentis insuescerent à sensibilibus ad intelligibilia conscendere, fieri non posse ut ad veram beatitudinem unquam perduceretur. Porro ab eo mœstum se discessisse, quòd hæc nesciret. *Versatusne es in Musica, & Astronomia, & Geometria? an existimas quidquam te perspicere eorum posse, quæ ad beatitudinem conducunt, nisi hæc prius cognoveris, quæ animum à sensibilibus ad intelligibilia percipienda aptum commodumque reddunt: ut idipsum quod pulcrum & quod bonum est, contemplari queas? Et cùm studia ea magnoperè laudasset, necessariaque esse dixisset, me ita à se dimisit: nam me nescire confessus sum. Ægrè igitur hoc tuli, sicut par erat, quòd spe excidissem.*

Just. Martyr. Pag. 289.

Accessisse se postea ad Platonicos Justinus subjicit, & ab his ad Christianos tandem, quorum institutis ad veritatem & ad lætissimam beatitudinis spem sit deductus. Nimius fuerat Pythagoræus iste in commendandis his veræ Philosophiæ præludiis. Etsi enim ea non mediocriter conducant ad expediendum à sensuum servitute animum, & ad incorpoream veritatem intelligendam; non tamen una ea via est, qua ad tantum bonum perveniatur. Omnibus naturaliter insitum est, ut se percupiant esse beatos, & puræ veritatis fruantur amplexibus. Omnibus ergo fas est esse beatis; at non omnibus fas est esse Musicis, Geometris, Astronomis: cùm tam paucis abundet & otium, & ingenium, & totum denique harum disciplinarum prævium instrumentum. Meritò ergo ad Christianas Scholas concessit Justinus, ubi re tanta in compendium missa, fide purgantur mores, atque ita puro mentis oculo ultrò se objicit veritas, ultrò affluit beatitudo.

VIII. Clemens Alexandrinus illud Salomonis dictum, quo vetantur omnes esse multùm cum aliena, traducit ad externas disciplinas, quibus

aliquan-

aliquandiu vacare conducibile in primis est, infenescere perniciosum. *Cum autem dixerit; Ne sis multùm apud alienam; uti quidem, sed non immorari & permanere in doctrina seculari admonet. Verbo enim Domini præparant, ac prius instituunt, quæ temporibus convenientibus unicuique generationi utiliter data sunt. Jam enim quidam ancillarum inescati philtris, contempserunt Dominam Philosophiam; & ex ipsis alii quidem consenuerunt in Musica, alii verò in Geometria, alii autem in Grammatica, plurimi in Rhetorica.* Strom. l. 1. p. 105. 106.

Addit mox ibidem, Circulares illas disciplinas ancillari debere Philosophiæ, quæ illarum domina est: at rursus Philosophiam Sapientiæ famulari debere, hoc est Theologiæ, quæ est *rerum divinarum, humanarumque, & causarum ipsarum scientia.* Huc ille refert Abrahæ, hoc est Sapientis sterilitatem, donec Ægyptiæ conjugis consortium nanciscatur; ita quippe Abraham liberos ex Agare, hoc est ex sæculari litteratura primùm sustulit, & tum postea ex Sara, hoc est, ex sacra doctrina. *Sara erat olim sterilis, Abrahæ uxor; cùm autem non pareret Sara, ancillam suam nomine Agar Ægyptiam permittit Abrahæ ad liberorum susceptionem. Sapientia ergo quæ cum fideli cohabitat, fidelis autem & justus reputatus est Abraham, erat adhuc sterilis & sine liberis in illa generatione, ut quæ nihil adhuc Abrahæ quod esset ex virtute peperisset. Meritò autem volebat, ut qui proficiendi adhuc tempus haberet, cum mundi seu seculi disciplina, per Ægyptum autem allegoricè significatur mundus, prius congrederetur, postea autem ad eam quoque accedens divina providentia gigneret Isaac.* Ibidem.

Quàm diligenter autem Moyses exultus fuerit omnibus Ægyptiorum, Chaldæorumque disciplinis, Arithmetica, Geometria, Musica, Medicina, Astronomia, Hieroglyphicisque litteris, quandiu in Palatio Regum Ægypti versatus est, hoc est, ut perhibent Chronologici, annis quadraginta: ita narrat Clemens; quòd non aliter Nobiles, & filii Regum instituerentur tum; quòdque id ipsa Scriptura non obscurè tradere videatur, cùm Moysen affirmat versatum fuisse in omni peritia Ægyptiorum. *Cùm autem (Moyses) ætate esset grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rythmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinam simul & Musicam doctus est ab iis qui erant insignes inter Ægyptios; & præterea eam quæ traditur per symbola seu signa Philosophiam, quam in litteris ostendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem, tanquam puerum Regium, Græci eum docuere in Ægypto, ut dicit Phila in vita Moysis. Didicit autem litteras Ægyptiorum, & rerum cœlestium scientiam à Chaldæis & ab Ægyptiis. Unde ejus rebus gestis dicitur doctus fuisse in omni sapientia Ægyptiorum.* Pag. 318.

IX. Nec Moysi solùm, sed & Abrahæ vendicat Clemens immensam propemodum illam liberalium artium peritiam, atque adeo iis omnibus, qui ad cognitionem, hoc est, ad contemplationem, ad Theologiam, ad Sapientiam anhelant, ad rerum divinarum humanarumque scientiam. In his enim omnibus præludentibus artibus jam veritatis aliquid intermicat, jam sapientia parte ex aliqua degustatur, jam æterna & intelligibis lux se ostendit: ut divino jam quodam lumine ac spiritu urgeantur, qui his religioso animo vacant, ut his adminiculis ad pleniorem in dies veritatis & sapientiæ fruitionem provehantur. Quæ enim Musicæ, quæ Geometricæ, quæ Arithmeticæ veritates, vel Astronomicæ, non statim possunt ad summam & incommutabilem Verbi sapientiam & veritatem referri, cujus luce intelligibili aspergantur: & hæc omnia, ut intelligantur; & mentes hominum ipsæ, ut intelligant, videantque, quo distent hæc vera, certa, evidentia, immutabilia, æterna, ab opinionibus incertis, obscuris, versatilibus, Quod de lineis Geometricis supra quasi contemptim memorabat Nazianzenus, id æquè valet in Numeris sive Musicis, sive Arithmeticis; eos nusquam existere, & nostris tamen decantatissimis disciplinis obversari, ut de illis & multa demonstrentur, & luculenta, Hoc vel uno certè argumento cogitur intellectus noster ad ipsum sese Dei Verbum protipere, ut in eo quantum nunc quidem fas est contueatur vera hæc omnia, quando non possunt extra Dei Verbum consistere, quæ certa, quæ manifesta, quæ æterna, & immutabilia vera sunt.

His ita præstructis, jam audiendus est nobis Clemens Alexandrinus: *Per consequentiam ergo iis quoque attendit, quæ exercent ad cognitionem; sumens ex unaquaque disciplina id quod confert ad veritatem. Ex Musica ergo persequens proportionem, quæ est in iis quæ sunt conjuncta & composita; in Arithmetica autem adnotans augmenta & decrementa numerorum, & eas quæ sunt inter se invicem relationes, & quod plurima cadunt in proportionem numerorum; & Geometricam ipsam substantiam in seipsa contemplans & assuefaciens, aliquod continuum intelligentia percipit spatium, & immutabilem essentiam, quæ est alia à corporibus. Et rursus ab Astronomia à terra elevatus, unà cum cœlo mente in altum extolletur, & simul cum astrorum conversione circumagetur, semper considerans divina, & eam quæ est inter se invicem consensionem & convenientiam, à quibus adductus Abraham ascendit ad cognitionem ejus qui creaverat. Quin etiam Dialectica utetur is, qui est cognitione preditus, eligens divisionem generum in species; & adducet eorum quæ sunt distinctionem, donec attigerit prima & simplicia. Multi autem, non secus ac pueri larvas, timent Græcam Philosophiam, dum verentur, ne eos abducat.* Strom. l. 6. l. 16. p. 471.

X. Origenem narrat Eusebius ab optimo & doctissimo viro parente suo liberalibus antè disciplinis, & postea etiam sacris imbutum institutumque fuisse, è quibus aliqua juvenem quotidie jubebat memoriæ mandare. *Cùm præter liberalium disciplinarum studia, etiam sacris litteris non perfunctoriè pater illum erudivisset. Quippe ante Græcarum litterarum studium, sacris eum disciplinis exerceri præcipiebat, quosdam divinæ Scripturæ locos memoriæ mandare ac recitare quotidie illum jubens.* Euseb. Hist. l. 6. c. 2. & 3. pag. 202. & 203.

Nec multò pòst narrat Eusebius impositam sibi Grammaticæ docendæ provinciam abjecisse Origenem, velut contrariam sacris disciplinis: *Ratus Grammaticæ artis professionem cum divinæ fidei institutione minimè consentire, scholam Grammaticæ litteraturæ, utpote inutilem & sacris disciplinis contrariam, sine ulla cunctatione abjecit.*

Quod Grammaticæ professioni nuntium remiserit Origenes, ut totum se ad informandos Catechumenos conferret, quam illi curam mandaverat Episcopus Alexandrinus, & ad studia Scripturarum, id etiam gratulandum ipsi est. Si verò Grammaticam tum repudiavit, ut sacris litteris & disciplinis inimicam, id sanè juvenili & inconsulto tum ardori tribuendum fuerit: nisi eo adversam censuit, quòd utrique simul vacare non posset. Viderint alii, an Artemonis hæretici sectatoribus voluerit exemplo etiam suo obluctari. Nam hi quàm incurioси fuerint Scripturarum, quàm in eas etiam injurioси, quàm insani disciplinarum liberalium admiratores, ita refert Eusebius, ex historia quadam ejus ævi: *Quod si quis aliquem divinæ Scripturæ locum eis objiciat, examinant utrum connexum, an disjunctum syllogismi genus ex eo confici possit. Relictisque atque abjectis sacris Dei Scripturis, Geometriæ student; quippe qui terrestres sint & loquantur terrena, & illum qui de cœlo advenit ignorent. Euclidis igitur Geometria apud nonnullos eorum studiosè excolitur. Aristoteles* L. 5. c. 28. pag. 197.

teles verò & Theophraſtus ſumma admiratione ſuſpiciuntur: Galenus autem à quibuſdam. Proinde iſtos qui infidelium artibus ac diſciplinis ad ſtabiliendam hæreſis ſuæ opinionem abutuntur, & ſubtili impiorum hominum verſutia ſimpliciſſimam divinarum Scripturarum adulterant fidem, remotiſſimos eſſe à fide quid attinet dicere? Hinc eſt quod divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas à ſe emendatas eſſe dicentes.

CAPUT XLII.

Rurſum ex Patribus Græcis, quanto eſſe poſſint ad Theologiam adjumento artes liberales, & litteræ humaniores.

I. Ut Origenes & addidicerit & docuerit diſciplinas omnes, ut fidei & Theologiæ conducibiles.

II. De eadem re ex Euſebio, Porphyrio, Origene ipſo.

III. Complures alii ex eodem liberalium diſciplinarum, iidemque ſacrarum peritiſſimi.

IV. Mathematica cum Theologia coaluerant jam inde ab Abrahamo, Enocho, primo Parente.

V. Quæ in eis norma, quæ ſobrietas tenenda ſit, ex Euſebio, Xenophonte, Socrate; ut ſuperſit otium, quod ſacratioribus litteris impendatur.

VI. Rurſus qui modus, qui fines denique hic tenendi ſint Theologis.

VII. Antedictorum confirmatio ex Theodoreto. De Didymo.

VIII. De Edicto Juliani adversùs Eccleſiam. Socratis de his ſententia.

IX. Diſciplinas liberales comparat Origenes ſecundariis illis uxoribus, ex quibus Abraham, ex quibus ſapiens, etiam jam grandævus, multos procreat filios, & populo Dei adjicit.

X. Ex eodem Origene artes liberales deſignabat aurum Ægyptium, quod aſportaverunt Iſraelitæ, Deoque conſecrarunt.

XI. Ex Syneſio eadem confirmantur.

I. NIhil attinet argumenta aliunde conquirere, ad illam amoliendam ab Origene invidiam contemptæ & repudiatæ Grammaticæ, tanquam à ſacris litteris abhorrentis: cùm non multò pòſt Euſebius ipſe narret convolaſſe ad Origenem jam fama toto orbe celeberrimum complures gentiles, Philoſophos, hæreticos: quibus ille non ſacras tantùm Scripturas ſumma cum omnium admiratione exponebat, ſed Græcanicas etiam diſciplinas, Geometriam, Arithmeticam, cæteraſque, pro ſingulorum ingenio, & acumine; ex his deſpondens ad intelligentiam Scripturarum adjumentum non mediocre eis acceſſurum. *Alii quoque complures eruditi homines pervulgato ubique Origenis nomine illecti, ad eum confluebant, periculum de ejus viri in ſacris litteris peritia facturi. Innumeri præterea hæretici, nec pauci ex illuſtribus Philoſophis, ſtudiosè eum auſcultabant: & præter rerum divinarum ſcientiam, græcanicæ quoque Philoſophiæ præcepta quaſi diſcipuli ex illo percipiebant. Quoſcunque enim ex diſcipulis ſolertia & acumine ingenii præditos animadverterat, eos in Philoſophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam aliaſque prævias diſciplinas; inde ad varias Philoſophorum ſectas eos perducens, & libros à veteribus Philoſophis conſcriptos exponens; commentarios quoque in ſingulos ſcribens, & reconditos ſenſus penitus inquirens; adeo ut apud ipſos etiam gentiles ſummus Philoſophus pronuntiaretur. Ex rudioribus verò atque benetioris ingenii diſcipulis, multos ad humaniorum artium ſtudia cohortabatur: aſſerens non mediocrem illos facultatem ex hujuſmodi ſtudiis percepturos eſſe, ad ſacrarum Scripturarum intelligentiam. Quocirca ſecularis litteraturæ & Philoſophiæ ſtudia ſibi quoque imprimis neceſſaria eſſe exiſtimavit.*

L. 6. c. 18. Pag. 218.

II. Cùm paulò inferiùs retuliſſet Euſebius Porphyrii verba de Origene, libro tertio ejus operis, quod adversùs Chriſtianos ſcripſit, ut oſtenderet eum in Gentilium Philoſophorum ſcriptis verſatiſſimum fuiſſe: hæc nimirum: *Verſabatur enim aſſiduè cum Platone. Numenii quoque, Cronii, Apollophanis & Longini, Moderati etiam ac Nicomachi & aliorum qui inter Pythagoricos præcipui habentur, ſcripta quotidie habebat in manibus. Adhibebat etiam Cheremonis Stoici & Cornuti libros. A quibus cùm allegoricum in explicandis Græcorum myſteriis modum didiciſſet, eum Judaicis Scripturis adhibuit.* His Porphyrii verbis vide ut aſſentiatur Euſebius: *Qui de viri quidem illius ſtudio, & multiplici doctrina veriſſimè pronunciavit.* At mox depromit idem Euſebius ex Origenis ipſius Epiſtola, ut ille purgaret approbaretque ſuam hanc jugem cum gentilium Philoſophorum libris conſuetudinem: tum quòd non aliter poſſet Philoſophos ipſos revincere, & in Chriſtianam Eccleſiam fidemque compellere: tum quòd uſus eſſet exemplo Pantæni, & Heraclæ, qui ipſum anteceſſerant in Schola Alexandrina, & conſimili inſtituto ſervierant. En ipſa Origenis verba: *Cùm verò totum me addixiſſem Verbo Dei, ac de noſtra eruditione fama jam crebrior ſpargeretur, confluentibus ad me nunc hæreticis, nunc Græcarum diſciplinarum ſtudioſis, & maximè Philoſophis: ſcrutari hæreticorum dogmata, & quæcunque à Philoſophis de veritate jactantur excutere conſtitui. Atque hoc fecimus, tum Pantæni illius qui ante nos multis profuit, exemplum ſecuti, qui quidem hujuſmodi cognitione non mediocriter inſtructus fuit: tum Heraclæ, qui nunc inter Presbyteros Alexandrinæ ſedet Eccleſiæ; quem ego apud magiſtrum Philoſophiæ reperi, quintum jam annum ei operam dantem, priuſquam ego ejuſmodi doctrinam auſcultare cœpiſſem. Atque idcirco cum vulgari veſte antea uſus fuiſſet, ea depoſita Philoſophicum induit habitum: quem etiamnum retinens, Græcorum libros ſtudiosè evolvere non deſiſtit.*

Pag. iii.

III. Inſignes præ cæteris Origenis diſcipulos memorat Euſebius Gregorium & Athenodorum fratres: quos *cum vidiſſet Origenes Græcis Romaniſque diſciplinis nimium deditos, in eorum animos inſtillans Philoſophiæ amorem, abjectis prioribus ſtudiis, ad rerum divinarum meditationem eos traduxit.* Fuere hi poſtea in Ponto Epiſcopi ambo, & Gregorius is ille eſt, Thaumaturgi poſtea nomine & gloria nobilitatus. Vides ut à liberalibus artibus eos abduxerit Origenes ad *amorem Philoſophiæ, & ad divinarum tandem rerum meditationem.* Id ſuprà Clemens admonuit nos, artes liberales ad Philoſophiam viam munire, Philoſophiam ad Theologiam. Heraclam etiam illum, de quo ſuprà, Alexandrinæ perdiu Scholæ lumen, affirmat Euſebius *in Philoſophia aliiſque Græcorum diſciplinis excellentem, ad Epiſcopatum Alexandrinæ civitatis provectum fuiſſe.*

L. 6. c. 19.

Nec illud ſilebo quod de Dorotheo viro doctiſſimo refert Euſebius, liberalibus diſciplinis additam ab eo fuiſſe Hebraicæ linguæ peritiam. *Sub hoc Dorotheum virum doctiſſimum, & Antiochenæ tunc Eccleſiæ Presbyterum cognovimus. Qui cum ſtudioſiſſimus eſſet ſacrarum Scripturarum, Hebraicam quoque linguam addidicit; adeo ut ipſos etiam Hebraicos codices peritiſſimè legeret. Erat hic ingenio admodum liberali, & humanioribus diſciplinis apprimè eruditus.* Et mox rurſum Euſebius de Anatolio Laodiceno Epiſcopo: *Hujus deinde ſubſtitutus eſt Anatolius, bonus quod ajunt boni viri ſucceſſor: ipſe quoque domo Alexandrinus. Hic tum in liberalibus diſciplinis,*

L. 7. c. 32. Pag. 284.

Ibidem.

tum

tum in Philosophia principem inter doctissimos nostri temporis viros locum sine controversia tenuit; quippe qui ad summum apicem Arithmeticæ, Geometriæ atque Astronomiæ; adhæc ad Dialecticæ & Physicæ ac Rhetoricæ supremum fastigium pervenisset. Qua de causa rogatus fuisse dicitur ab Alexandrinis, ut Aristotelicæ successionis scholam ibidem institueret. Aliquantò pòst de Anatolii successore Stephano hæc habet idem Eusebius: *Defuncto deinde Anatolio, postremus ante persecutionem Episcopus ejusdem Ecclesiæ factus est Stephanus; vir Philosophiæ quidem & Græcarum disciplinarum causa magnam apud multos gloriam consecutus; verùm erga fidem Christi haud perinde animo affectus.* Pag. 238.

IV. Præcurrebant ergo plerumque artes liberales, & ita his instructi, ad Scripturarum studia, denique ad regendas Scholas publicas, ad sacros Ordines, ad Episcopales sedes promovebantur: pauci, non tamen nulli Hebraicæ linguæ dabant operam; in Oriente etiam ipso, in Syria & Ægypto, ubi exemplum Origenis tam multos ad id inflammare debuerat. Ne cui autem mirum videatur, cur Christianæ Ecclesiæ primi illi & antiquissimi proceres tanto in pretio plerumque habuerint Mathematicas disciplinas, admovendæ hìc sunt aures eidem Eusebio in Præparatione Evangelica, ubi ex Eupolemo, quem laudat Alexander Polyhistor quando de Judæis scribit, hæc refert de Abrahamo. Is enim eo authore primùm apud Chaldæos, inde apud Phœnices, denique apud Ægyptios ejusmodi disciplinarum author atque propagator fuit; quas in sua gente habuerat tanquam hæreditarias opes, ab ipso usque Enocho, forlan & à primo omnium parente Adamo ad se transfusas. En ipsa Eupolemi verba, ab Eusebio relata: *Qui cum nobilitate ac sapientia omnibus anteiverit, & tam vero Astrologiam pariter & Chaldaicam invenerit, & singulari studio pietatis divinam sibi gratiam conciliarit. Hunc porro, divino jussu, collocato rerum suarum in Phœnicia domicilio, Solis Lunæque conversiones ac reliqua id genus omnia Phœnices docuisse; quæ res summè gratiosum eum apud Regem effecerit.* Et non multò pòst: *Cæterùm eùm apud Heliopolim Abrahamus Ægyptiorum sacerdotum consuetudine plurimùm uteretur, multa ipsos, nec non Astrologiam, quæque ad eam pertinent omnia, illo docente didicisse tradit, sic tamen eorum inventionem Babyloniis atque Abrahamo ipsi attribuens, ut principem illorum Autorem Enochum fuisse statuat, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii.*

Eusebius Præparat. Evang. l. 9. cap. 17. pag. 418. 419.

V. Sed qui tenendus sit in his modus, docet idem infrà Eusebius adversùs eos qui Philosophum Theologumque esse neminem posse jactabant, nisi Mathematicas disciplinas largiùs hauriret, magnamque vitæ partem illis impenderet; unde & nihili faciebant nostros homines, qui eas delibasse contenti, ad sacratiores Litteras se totos pòst conferebant. Sic ergo primùm illorum jactantiam profert Eusebius: *Primùm tamen quoniam Mathematica illa sua tantoperè jactare solent, prorsusque necessarium esse dictitant, ut quisquis comprehendendi veri studio tenebitur, Astronomiam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, illa nimirum ipsa, quæ ad eos à Barbaris profecta esse jam ostendimus, persequatur: his enim qui carebit, doctum perfectumque Philosophum esse neminem; imò rerum veritatem ne primoribus quidem labris degustare posse, nisi qui harum antè rerum animo cognitionem impresserit: deinde hanc suarum artium peritiam magnificentiùs ostentantes, æthere sese medio sublimes propemodum incedere, numerisque suis ipsum quoque Deum circumferre arbitrantur: nos verò qui similium disciplinarum amore non flagremus, nihil à pecudibus abesse existimant. Deique propterea nunquam, nunquam in Philosophia principem inter doctissimos nostri temporis viros locum sine controversia tenuit; quippe qui ad summum apicem Arithmeticæ, Geometriæ atque Astronomiæ; adhæc ad Dialecticæ & Physicæ ac Rhetoricæ supremum fastigium pervenisset. Qua de causa rogatus fuisse dicitur ab Alexandrinis, ut Aristotelicæ successionis scholam ibidem institueret.* Aliquantò pòst de Anatolii successore Stephano hæc habet idem Eusebius: *Defuncto deinde Anatolio, postremus ante persecutionem Episcopus ejusdem Ecclesiæ factus est Stephanus; vir Philosophiæ quidem & Græcarum disciplinarum causa magnam apud multos gloriam consecutus; verùm erga fidem Christi haud perinde animo affectus.*

IV. Præcurrebant ergo plerumque artes liberales, & ita his instructi, ad Scripturarum studia, denique ad regendas Scholas publicas, ad sacros Ordines, ad Episcopales sedes promovebantur: pauci, non tamen nulli Hebraicæ linguæ dabant operam; in Oriente etiam ipso, in Syria & Ægypto, ubi exemplum Origenis tam multos ad id inflammare debuerat. Ne cui autem mirum videatur, cur Christianæ Ecclesiæ primi illi & antiquissimi proceres tanto in pretio plerumque habuerint Mathematicas disciplinas, admovendæ hìc sunt aures eidem Eusebio in Præparatione Evangelica, ubi ex Eupolemo, quem laudat Alexander Polyhistor quando de Judæis scribit, hæc refert de Abrahamo. Is enim eo authore primùm apud Chaldæos, inde apud Phœnices, denique apud Ægyptios ejusmodi disciplinarum author atque propagator fuit; quas in sua gente habuerat tanquam hæreditarias opes, ab ipso usque Enocho, forlan & à primo omnium parente Adamo ad se transfusas. En ipsa Eupolemi verba, ab Eusebio relata: *Qui cum nobilitate ac sapientia omnibus anteiverit, & tam vero Astrologiam pariter & Chaldaicam invenerit, & singulari studio pietatis divinam sibi gratiam conciliarit. Hunc porro, divino jussu, collocato rerum suarum in Phœnicia domicilio, Solis Lunæque conversiones ac reliqua id genus omnia Phœnices docuisse; quæ res summè gratiosum eum apud Regem effecerit.* Et non multò pòst: *Cæterùm eùm apud Heliopolim Abrahamus Ægyptiorum sacerdotum consuetudine plurimùm uteretur, multa ipsos, nec non Astrologiam, quæque ad eam pertinent omnia, illo docente didicisse tradit, sic tamen eorum inventionem Babyloniis atque Abrahamo ipsi attribuens, ut principem illorum Autorem Enochum fuisse statuat, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii.*

V. Sed qui tenendus sit in his modus, docet idem infrà Eusebius adversùs eos qui Philosophum Theologumque esse neminem posse jactabant, nisi Mathematicas disciplinas largiùs hauriret, magnamque vitæ partem illis impenderet; unde & nihili faciebant nostros homines, qui eas delibasse contenti, ad sacratiores Litteras se totos pòst conferebant. Sic ergo primùm illorum jactantiam profert Eusebius: *Primùm tamen quoniam Mathematica illa sua tantoperè jactare solent, prorsusque necessarium esse dictitant, ut quisquis comprehendendi veri studio tenebitur, Astronomiam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, illa nimirum ipsa, quæ ad eos à Barbaris profecta esse jam ostendimus, persequatur: his enim qui carebit, doctum perfectumque Philosophum esse neminem; imò rerum veritatem ne primoribus quidem labris degustare posse, nisi qui harum antè rerum animo cognitionem impresserit: deinde hanc suarum artium peritiam magnificentiùs ostentantes, æthere sese medio sublimes propemodum incedere, numerisque suis ipsum quoque Deum circumferre arbitrantur: nos verò qui similium disciplinarum amore non flagremus, nihil à pecudibus abesse existimant. Deique propterea nunquam, nunquam quam rei paulò gravioris notitiam percepturos esse pronuntiant.*

L. 14. c. 11. pag. 743.

Mox ex Mirabilibus Xenophontis depromit Eusebius, quæ de his fuerit Socratis moderatissima sententia, cui laudis & sapientiæ principatum Græci omnes concedebant. Volebat Socrates Mathematicis disciplinis animos imbui, Geometria, Arithmetica, Astronomia, & aliis id genus; sed ad eum modum imbui, ut non iis se totum quis ita immergeret, ut jam utilioribus & dignioribus aliis studiis vacare non posset. *Docebat, inquit Xenophon, præterea (Socrates) quatenus cujusque rei peritum esse hominem bene institutum oporteret. Principio Geometriæ dandam eatenus operam esse dicebat, ut si quando res poscceret, dimensam ritè terram vel accipere ab alio, vel alii tradere, vel eam dividere, vel opus aliquod designare posset. Id porro tam esse ad discendum facile, ut qui dimensionem attendere voluerit, idem simul & quanta sit terræ magnitudo assequi possit, & quænam ejus metiendæ ratio, breviter admodum expeditèque cognoscere. At ejusdem in Geometria studio, ad illas usque descriptiones intellectu difficiliores quenquam progredi, Socrati non placebat. Cui enim bono futuræ illæ essent, videre se, tametsi ne illarum quidem imperitus esset, negabat.*

Ibid. c. 12. pag. 745.

Pergit deinde Xenophon ad alias disciplinas, nec respuendas, ex Socratis judicio, nec exhauriendas sic, ut in eas eat & vis animi tota, & vitæ pars melior, quæ utique melioribus & sanctioribus reservanda est meditationibus. Unde ex Epistola ejusdem Xenophontis ad Æschinen hæc rursus excerpit Eusebius, adversùs eos qui suam in explicanda Universi natura Physiologiam venditabant. *Quis enim, mi Æschines, Socratem unquam audivit, aut cœlestibus de rebus disputantem, aut corrigendis moribus linearum figuras discere suadentem? Nam Musicæ quidem aurium tenus peritum illum fuisse constat. At verò inter suos perpetuò de honesto, fortitudine, justitia, cæterisque virtutibus differebat. Enimverò bona hæc propriè humana vocabat.*

VI. Nec ego is sum, qui Theologos nostros urgeam, vel Socratis authoritate, vel Xenophontis, vel denique Platonis ipsius, qui Socratis nomine & authoritate sua hìc placita insinuabat. Potiore apud me loco est Eusebius, qui hæc refert, & totus ille Patrum, Antistitum, Doctorumque chorus, qui hactenus à me commemoratus est, aut inferiùs commemorabitur. Politioribus his disciplinis & utiliter, & honestè, & piè impenditur juventa, & quæ juventæ succedit proximè ætas quædam adhuc vegeta; dum eæ ad penitiùs aliquando ineundas sacras Litteras referantur. His insenescere, his ultra modum se dedere Theologos turpe est: has delibare & moderatè ebibere honestissimum est, & his vel occupationibus, vel avocamentis ita sese distendere, ut vel otiari, vel nugari, vel sæculi ludibriis & vanitatibus sese oblectare nec vacet, nec libeat. Si juventam ipsam suam quis vel Scripturis, vel sanctis Patribus evolvendis, vel pietatis & charitatis studiis & operibus totam dedicet, id non paulò præstabilius, id suavius utiliusque fore assentiar, ut his præludiis fretus quis ad Theologicas ita disciplinas accedat. Quid enim perspicacius in rebus divinis perscrutandis puro mentis oculo, unctione Spiritus & charitate? Hæc porro non eo animo dicuntur à me hoc loco, quasi præcipiendi munus usurpem; sed ut Eusebii cæterorumque antiquorum Patrum in hac quoque re sententias & voluntates explanem. Parco operæ, ne plura ex eodem Eusebio in hanc rem congeram; ex Socrate, inquam, ex Xenophonte, ex Platone & aliis apud Eusebium.

VII. Venio ad Theodoretum, qui in illa libri tertii Regum verba, *Locutus est Salomon de lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, qui*

Theodoret. Tom. 1. in l. 1. Reg. c. 18. Pag. 303. 304.

qui exit ex pariete, hæc habet: *Dicit eum philosophando disseruisse de naturis & potestatibus herbarum & arborum, brutorum etiam animantium; adeo ut hinc plurima sint, ut arbitror, mutuati, qui libros scripserunt medicinæ, calidorumque & frigidorum, siccorumque & humidorum ordinem composuerint.* Et mox: *De his enim sapientes Medici scripserunt, ab iis quæ scripta sunt à Salomone scribendi primam accipientes occasionem.*

Narrat idem Theodoretus in Ecclesiastica historia, Didymum à puero oculis orbatum, disciplinas omnes illas ad unguem perdidicisse, quòd arma ea sint veritatis contra mendacium; ac Scripturas ipsas verbatim memoriæ commendasse. *Didymus autem à puero sensu ocularum orbatus, & Poeticis ac Rhetoricis disciplinis excultus est, & Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Aristotelis syllogismos, & Platonis facundiam aurium adjumentis didicit; non quasi veritatem ista doceant, sed quòd arma sint veritatis contra mendacium. Sacræ verò Scripturæ non solùm litteras, sed etiam sententias perdidicit.*

L. 4. c. 26. Tom. 3. pag. 701.

VIII. Cum idem autem Theodoretus, tum alii Scriptores antiqui rerum nostrarum abundè testati sunt, quantùm ad propagandam Christi fidem & Ecclesiam conduceret, humaniores litteras à Christianis & doceri, & discì: sumpto argumento ex Juliani Apostatæ Edicto, qui id prohibuit. Earum enim occasione litterarum & in Gentilitiæ superstitionis insaniam invehebamur, & veri Dei cultum insinuabamus. Vide, si vacuum est, quæ memorat Theodoretus de Eulogio & de Protogene Ludimagistris Christianis. Author est Socrates post illud Juliani Edictum Apollinarios duos, patrem & filium, illum Grammaticæ, hunc Sophisticæ perititissimum, suppetias tulisse Ecclesiæ in hunc modum: *Nam pater, utpote exquisitus Grammaticus, artem Grammaticam ad Christianæ Religionis formam contexuit, Moysisque libros carmine heroico expressit: quin etiam alios Veteris Testamenti libros, qui historico more & modo conscripti sunt, partim heroicis numeris, partim Tragœdiæ forma, personis adhibitis, composuit: omnique numerorum genere usus est, ut nulla gentilis eloquentiæ forma Christianis insueta & nova videretur. Filius autem, qui dicendi facultate erat exquisitè eruditus, Evangelia & Apostolorum scripta in formam dialogorum, Platonis more apud Gentiles redegit.*

L. 4. c. 26. Socrat. l. 3. c. 14. p. 628.

Hinc progreditur Socrates ad suam ipsius haccce de re tota sententiam depromendam. Ex Christi scilicet verbis & Apostoli invitati potiùs nos ad sæculares litteras ediscendas, quàm ad eas contemnendas; omnia suaderi nobis probanda, ut bona retineamus; dandam operam, ne seducat nos Philosophia; ad id necesse esse, ut ne ea nos lateat: omnium esse, quod verum & honestum est, quocumque loco sit; Poetas Gentiles à Paulo allegatos fuisse non semel. *Adde huc, quod tum Christus, tum ejus Apostolus præcepit, ut exquisiti numularii simus, quò omnia exploremus: quod autem bonum sit, retineamus; attendamusque ne quis nos per Philosophiam & inanem fallaciam decipiat. Istud autem nobis neutiquam continget, nisi hostium arma possideamus: inque possidendo, non eodem modo, quo hostes, simus affecti: sed rejiciamus quod malum est, quod autem bonum verumque teneamus; nihilque admittamus, quod non sit exploratum. Nam honestum, quocumque fuerit loco, est veritatis proprium. Quod si quis nos ista vehementiùs urgere censeat, consideret, Apostolum non modò non vetuisse, ne quis Gentilium discat litteras: sed illum ipsum videri non eas neglexisse, quò multa quæ à Gentilibus dicta sunt cognosceret.*

Pag. 709.

IX. De Origene paulò superiùs multa diximus, nunc ex Origene ipsa libet pauca hæc carpere: ubi liberales Artes interpretatur illas esse, sive concubinas, sive secundarias uxores, ex quibus Abraham, ex quibus sapiens, etiam jam grandævus, multiplicem prolem suscipit, quando has disciplinas sæculares ita in usum vocat, ut per eas Christo & Ecclesiæ aliquos adjiciat. *Si etiam ex his eruditionibus, quæ extrinsecùs videntur esse in seculo, aliquas contingimus, verbi causa, ut est eruditio litterarum; vel artis Grammaticæ, ut est Geometrica doctrina: vel ratio numerorum, vel etiam Dialectica disciplina: & hæc omnia extrinsecus quæsita, ad nostra instituta perducimus, atque in assertionem nostræ legis adsciscimus: tunc videbimur vel alienigenas in matrimonium sumpsisse, vel etiam concubinas. Et si de hujuscemodi conjugiis disputando, contradicentes redarguendo, convertere aliquos poterimus ad fidem: & si suis eos rationibus & artibus superantes, ad veram Philosophiam Christi, & veram societatem Christi, pietatem Dei suscipere suaserimus: tunc ex Dialectica, vel ab Rhetorica videbimur quasi ex alienigena quadam vel concubina filios genuisse. Igitur ad tales nuptias, vel hujuscemodi filios procreandos, per senectam nullus excluditur; imò potiùs hæc casta progenies matura ætati plus convenit. Sicut & nunc Abraham grandævus, & ut Scriptura dicit, senex, & plenus dierum, Cetburam duxit uxorem.*

In Genes. Hom. 11.

X. Unum illud supereſt ex ejus Philocalia, quod hic non abs re addam; ubi monet Geometriam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam, Astronomiam auro illo designatam fuisse, quod Israelitæ mutuum sumpsere ab Ægyptiis, idque ex præcepto Dei, quodque asportavere, ut illud Deo ipsi consecrarent in Mosaico Tabernaculo, cùm ex eo auro pleraque vasa & cætera Templi ornamenta conflata sint. *Te cunctis tuæ præstantis naturæ viribus & facultate uti velim, per modum quidem finis ad Christianam doctrinam: efficaciter autem propterea optaverim te etiam assequi Philosophiæ Græcorum circulares disciplinas, aut primas institutiones, quæ scilicet valent ad Christianismum. Quin & Geometrica & Astronomica ad sacrarum Litterarum explanationem conferunt. Ut quod ajunt Philosophorum æmuli de Geometria & Musica, Grammatica & Rhetorica, atque Astronomia, veluti Philosophiæ adminiculis; istud nos asseramus etiam de ipsa Philosophia, Christiana sapientiæ comparatione. Et fortasse id tacitè indicat, quod scribitur in Exodo, persona Dei, ne dicatur filiis Israel: Poscant à vicinis & contubernalibus vasa argentea & aurea, itemque vestes, quò spoliatis Ægyptiis, materiam consequantur ad apparanda ea quæ ad divinum cultum pertinent. Nam ex iis quæ detraxerunt Ægyptiis Israelitæ, quæ erant in Sancto Sanctorum confecta sunt, arca cum operculo, Cherubim, Propitiatorium, urna aurea, in qua repositum manna, Angelorum cibus.*

Origenis Philocal. cap. 1. Tom. 1. p. 18.

XI. Venio ad Synesium, cujus oppidò quàm præclara sunt ista in commendationem Astronomiæ, quæ tanquam illi vestibulum esse videbatur ad cœlestem & reconditiorem quandam Theologiam: necnon Geometriæ atque Arithmeticæ, quarum certissimæ & inconcussæ demonstrationes jam aliquo nos imbuunt gustu sempiternæ & incommutabilis Veritatis, quæ pleniùs in Verbo degustatur. *Astronomia enim summè honesta & veneranda scientia est, ac fortasse ad antiquius aliquid traductio & sublatio esse possit: quam ego continentem quendam trajectum esse opinor cum recondita Theologia. Nam subjectam materiam habet beatum illud cœli corpus, cujus etiam motum mentis imitationem habere nobilibus & claris in Philosophia viris videtur, & ad demonstrationes non controverso modo se confert: sed administris utitur Geometria & Arithmetica; quas si quis inerrantem & non fallentem veritatis regulam appellarit, haudquaquam à decoro aberrarit. Offero igitur tibi munus, quod & me dare, & te accipere maximè deceat.*

Synesius in Encom. Calvitii pag. 189.

CA-

CAPUT XLIII.

Quanto ad res Theologicas adjumento esse possint Artes liberales, ex Patribus Latinis.

I. Cur Philosophiam ab Artibus liberalibus aliquando sejunxerimus.

II. Augustinum pœnituit nimiùm laudasse Artes liberales. De intelligibili apud eum, & apud Platonem mundo. Qui modus in his tenendus.

III. Exemplum Augustini, qui ex libris Platonicorum, velut ex Ægypto multum aurum asportavit.

IV. De singulis Artibus liberalibus sententia & præceptiones Augustini.

V. Eas maximè partes & naturæ & artium cupit, quæ in Scripturis utcumque memorantur.

VI. Rursus de auro Ægyptio, seu de liberalibus Artibus, ex quibusdam veluti metallis Providentia ubique infusa.

VII. Exemplo Medicinæ probat, quàm non magnoperè sollicitos nos habere debeat tota Physiologia.

VIII. Quàm multa & ex Philosophia & ex artibus aliis resecanda sint, ut nunc quidem superflua; quin immo ex hæresibus antiquis.

IX. Ex adverso quanti interfit non penitus oblitterari memoriam antiquarum hæresum, & victoriarum de eis partarum.

X. Quanti etiam interfit, non abolescere memoriam Philosophorum.

XI. Rursus de artium liberalium utilitate ad res sacras, dum modus teneatur.

XII. Objectio ex Hieronymo, qui non probat Clericorum majorum filios ethnicis ludimagistris operam dare.

XIII. Ex Cassiodoro, ut in pretio sint humaniores litteræ, etiam apud Monachos, ad exponendas Scripturas.

XIV. Mathematicæ disciplinæ ex eodem quanto sint ad Theologiam adjumento. Quàm nihil timendum Astronomis nostris ab Idololatria.

XV. Objectio ex Petro Damiani, Monachis & majoribus Clericis liberalibus artibus interdicentis.

XVI. Objectio ex Scoto Erigena.

XVII. Luculenta de his Bernardi doctrina, Petri Cluniacensis, Gratiani.

I. UT ab artibus liberalibus Philosophiam sejungeremus, compulit nos ipsa Patrum & Philosophorum authoritas, quorum hactenus suffragia prompsimus. Etsi enim quandoque illam eis permiscuerint, quòd tunc obiter tantùm & perfunctoriè rem attingerent; alibi tamen accuratiùs disputantes, Philosophiam dominari; humanas litteras ei ancillari dixerunt: ita eas Philosophiæ famulari dixerunt, ut Philosophia ipsa Theologiæ; denique ea quandoque verborum magnificentia Philosophiam prosecuti sunt, ut à Theologia nomine magis quàm re differre videretur. Hoc ita constituto, jam percunctandi nobis sunt Patres Latini, an Græcis suprà memoratis assentiantur, de humaniorum disciplinarum dignitate, atque utilitate ad Theologiam, sive illustrandam, sive adversùs Sophistarum argutias defendendam.

II. Primus prodibit Augustinus, quem certè in Retractationibus pœnituit, quòd plus æquo tribuisset aliquando liberalibus disciplinis; modum enim utique teneri in eo necesse est, cùm & viri nequam eas nonnunquam apprimè calleant: & qui earum rudes sunt, floreant singulari sanctimonia. *Et quod multum tribui liberalibus disciplinis, quas multi sancti multum nesciunt; quidam autem qui sciunt eas, sancti non sunt.* Sed ibi perspicuum est, & ex infrà dicendis dilucidius fiet, non displicere sancto Patri nisi verba quædam laudis nimiùm exaggeratæ. Unde & ibidem fatetur Augustinus sibi etiam non probari, quòd *duos mundos, unum sensibilem, alterum intelligibilem, non ex Platonis, vel Platonicorum persona, sed ex sua commendasset:* cùm tamen mox verè agnoscat ipse duplicem illum mundum, alterum sensibilem, alterum intelligibilem: & hunc non alium utique, quàm Dei Verbum, in quo naturarum omnium corporearum, temporalium & mutabilium incorporeæ, sempiternæ, & immutabiles vivunt rationes: quæ ipsissima fuit Platonis & verissima sententia, à qua nemini fas est dissentire. Ita enim Augustinus: *Nec Plato quidem in hoc erravit, quia esse mundum intelligibilem dixit; si non vocabulum, quod Ecclesiastica consuetudini in re illa non usitatum est, sed ipsam rem velimus attendere, Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur, ut dicat, irrationabiliter Deum fecisse, quod fecit: aut cum faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si verò erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamen isto nomine nos uteremur, si jam satis essemus litteris Ecclesiasticis eruditi.* Ibidem.

Verba autem illa Augustini, quæ retractata hìc ab eo & castigata sunt, ita habentur in libro primo de Ordine, *Nam eruditio disciplinarum liberalium modesta fanè atque succincta, & alacriores & perseverantiores & comptiores exhibet amatores amplectendæ veritati; ut & ardentiùs appetant, & constantiùs insequantur, & inhæreant postremò dulciùs, quæ vocatur, Licenti, beata vita.* Tantò ergo magis nobis illa cautio tenenda est, quam hic adhibuerat Augustinus, & quæ illi non omnino satisfaciebat. Voluerat enim sanctus Pater, ut modesta esset atque succincta illa humanarum disciplinarum eruditio; quod & suprà nobis inculcarunt Patres Græci, ut eas delibasse, ac perstrinxisse contenti, & studii & otii nostri longè maximam partem sacris & Theologicis doctrinis dicemus. Sed & alia hæc cautio ex Augustino rursus addenda erit, ut non ita magni has faciamus exteriores litteras, cùm illud nobis debeat esse persuasissimum, earum peritissimos esse non ratò viros malæ frugis, & earum imperitos virtutibus præcellere, quæ multò certiùs & expeditiùs homines ad veritatis fruitionem perducunt. Cap. 8. pag. 178.

III. Diximus jam, atque iterum iterumque dicemus, in Philosophorum Platonicorum libris legisse Augustinum & didicisse multa præclarissimè & verissimè scripta, de incorporea Dei natura, ad quam utcunque capiendam hactenus assurgere non potuerat, & de Verbo Deo unius & æqualis cum Patre substantiæ; sed cùm nulla ibi littera fieret de ejusdem inhumanatione & humilitate crucis, hinc illos sibi, non Deo gloriam refudisse hujus luminis, evanuisse in cogitationibus suis, & sapientiæ suæ tumore excæcatos idola coluisse; à qua erroris & impietatis contage alienissimus ipse fuerit, contentus hoc veritatis auro Ægyptum spoliasse, quod filiorum Dei erat, ubicunque demum esset; denique hæsisse se exemplo Apostoli, qui & ipse aurum legerat in sterquilinio, cùm Poetarum dicta quædam selegerat ad nostræ fidei confirmationem accommodata. *Qui autem cothurna tanquam doctrinæ sublimioris elati non audiunt dicentem: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris; etsi cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt, sed evanescunt in cogitationibus suis, & obscuratur insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes, stulti sunt.* Et mox: *Et ego ad te veneram ex gentibus, &c. intendi in aurum quod ab Ægypto voluisti ut auferret populus tuus, quoniam suum erat ubicunque erat. Et dixisti* Confession. L. 7. c. 9. Tom. I. pag. 61.

Retractat. L. 1. c. 3. Tom. I. pag. 4.

dixisti Atheniensibus per Apostolum tuum, quod in te vivimus, & movemur, & sumus; sicut & quidam secundùm eos dixerunt. Et utique inde erant illi libri. Et non attendi in idola Ægyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant, qui transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ, potiùs quàm Creatori.

IV. Hìc perspicere est, ut liberalium artium non postrema, Poetica inquam, cum Philosophia coalescat, & quidem nobilissima, seu Platonica; utque Philosophia ipsa adjungatur liberalibus illis artibus, quæ auro illo Ægyptio adumbrabantur, quod Dei jussu abstulit populus tum Dei, & ad Dei templum cultumque postea contulit. Alio loco operosiùs & quasi ex instituto Augustinus hanc de liberalibus artibus quæstionem pertractat, & illud primùm præcipit ne Christiani adolescentes, si modò suæ salutis sempiternæ curam agant, iis se committant, nisi suspensis animis vestigiisque; sed de iis sobriè ac diligenter dijudicent. *Quamobrem videtur mihi studiosis & ingeniosis adolescentibus & timentibus Deum beatamque vitam quærentibus salubriter præcipi, ut nullas doctrinas quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tanquam ad beatam vitam capessendam securè sequi audeant; sed eas sobriè diligenterque dijudicent.* Fatetur mox sanctus Doctor ex Historia, Logica, Arithmetica non parum utilitatis colligi posse, & iis adjici animum posse, dum modum teneat. *In ceteris autem doctrinis, quæ apud gentes inveniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis, vel præsentis ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporalium experimenta & conjecturæ annumerantur, & præter rationem disputationis & numeri, nihil utile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est: Ne quid nimis diligatur.*

De doctrin. Christ. l. 2. cap. 39. Tom. 3. pag. 17.

V. Cum primis conducibile id fore existimat Augustinus, si quis ex Christianis peritus, de iis locis terrarum, animalibus, herbis, arboribus, metallis, lapidibus, quin etiam & de numeris, qui in sacris Scripturis memorantur, ea scriberet & consarcinaret in breves tractatus, quæ profani authores de iis prolixiùs disseruerunt, ne necesse haberent fideles in hæc tempus & laborem consumere, utiliùs salubriùsque in Scripturis & in sacra omni doctrina collocandum. Quin & suspicatur ejusmodi compilationes jam factas esse, etsi suas necdum in manus pervenerint. *Ut non sit necesse Christiano in multis propter pauca laborare; sic video posse fieri, si quem eorum qui possunt, benignam sanè operam fraternæ utilitati delectet impendere, ut quoscunque terrarum locos, quæve animalia, vel herbas, atque arbores, sive lapides vel metalla incognita, speciesque quaslibet Scriptura commemorat, ea generatim digerens, sola exposita litteris mandet. Potest etiam de numeris fieri, ut eorum tantummodo numerorum exposita ratio conscribatur, quos divina Scriptura memininit.*

Pag. 18.

VI. Ex Philosophis etiam, maximè Platonicis, carpi vult à Christianis optima quæque eorum placita, sive ad Dei fidem & cultum, sive ad morum informationem ea collineent: hoc enim Ægyptiacum esse aurum, quod ab injustis possessoribus, non authoritate nostra, sed Dei præcepto auferendum est, & veræ Religioni consecrandum. Nec enim verè propria Gentilium ea fuisse opes, nec ab ipsis excogitatas, aut institutas; sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, erutas. *Philosophi autem qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm Idola habebant & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret: sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potiùs tanquam ad usum meliorem clanculò vendicavit, non authoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commendantibus ea, quibus non bene utebantur; sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent; deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, & quo perversè atque injuriosè ad obsequia damonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre.* His adjicit sanctus Pater non paucos sanctorum Patrum, qui de Ægypto exierunt, de sæculo scilicet in Ecclesiam, incredibili quadam suffarcinati copia auri, argenti, denique sapientiæ & veritatis. *Nonne aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus & martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum.*

Ibid. c. 40.

Ibid.

VII. Ex humanioribus alibi artibus censet Augustinus, omnium nobis antiquissimam esse debuisse Medicinam, ex qua ratio valetudinis & salutis corporeæ pendet. At ex eo ille concludit, cùm nihilo tamen minùs tam incurioſi simus ejus disciplinæ plerique, ut Medicis malimus nostram & salutem credere & vitam, multò securiores esse nos debere reliquæ totius Physiologiæ. *Nam si causæ corporalium motionum noscendæ nobis essent,* Ench. cap. pag. *nullas magis nosse quàm nostræ valetudinis deberemus. Cùm vero eis ignoratis, Medicos quærimus, quis non videat quid de secretis cæli & terræ nos latet, quanta sit patientia nesciendum?*

VIII. Una nobis restat ejusdem Augustini Epistola excutienda, ad Dioscorum data de quæstionibus curiosis compluscul is, de quibus ille scisciatus cum fuerat. Illum autem primò monet sanctus Pater, committendum non esse, ut aliquid doceat, quod priùs dediscendum sit, quàm vera doceat. Non magnoperè autem opus esse, ut pugnantes & veritati repugnantes Philosophorum sententias ediscamus, cùm agnita semel & comprehensa veritate, omnia illa commenta statim nullo negotio diffiari possint. *Nolo priùs aliquid doceas, quod dediscendum sit, ut vera doceas. Nam si alienarum sententiarum dissidentium & repugnantium cognitio aliquid adjuvat insinuatorem Christianæ veritatis, ut noverit quomodo adversantes destruat falsitates, ad hoc duntaxat ne quis contra differens non nisi in refellendis tuis figat oculum, sua verò sedulo occultet. Nam cognitio veritatis, omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ priùs inaudita erant, & dijudicare & subvertere idonea est.* Tom. 4. Epist. 56. pag. 89.

Illud verò mox supervacaneum fore addit, in sententias inquirere Anaxagoræ, & Anaximenis; cùm recentiorum etiam Philosophorum, Stoicorum & Epicureorum jam scholæ conticuerint, & ex eis nullæ jam lites, ac ne litium quidem scintillæ in nos excitentur; præstabilius certè fore hæreticorum nomina, sectas, erroresque perscrutari, cùm ejusmodi pestes innumerabiles Ecclesiam etiamnum fatigent, & eas à nostris subindè cervicibus arceri opus sit. Si plerique autem Christiani hunc circa hæreses laborem refugiant; quantò illos æquius est de Philosophorum sopitis jamdiu rixis, nec sollicitos esse ipsos sibi, nec aliis

molę-

Ibid. p. 89. molestos. *Sed ut non solùm aperta feriantur, sed etiam abscondita eruantur, si alienos opus est cognoscere errores; erige oculos aureſque, ora te, & vide atque ausculta, utrùm aliquis adversùs nos de Anaximene & de Anaxagora proferat aliquid; quando jam ne ipsorum quidem multò recentiorum, multùmque loquacium Stoicorum aut Epicureorum cineres caleant, unde aliqua contra fidem Christianam scintillà excitetur. Sed circuli atque conventicula partim fugacia, partim etiam audaciter prompta, vel Donatistarum, vel Maximianensium, vel Manichæorum, vel etiam ad quorum greges turbámque venturus es Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Cataphrygarum, cæterarumque pestium innumerabiliter perstrepant? quorum omnium errores si cognoscere piget, quid nobis opus est propter defensionem Christianæ Religionis, quærere quid senserit Anaximenes, & alium sopitas lites inani curiositate recoquere?*

Hæreses ipsas antiquissimas, ut puta Marcionitarum & Sabellianorum, ita extinctas & oblitteratas subjicit Augustinus, ut earum vix tenuissima superſit memoria: ut non aliud nobis sentiendum sit de Philosophis longè vetustioribus, Anaxagora & Democrito. Si qua ergo de his interrogantur, respondendum est, sapientiùs doctiùsque hæc à nobis nesciri, quàm inquiri. *Ille autem quisquis abs te quæsiverit, quæ tu à nobis quæris, audiat quod ea doctius & prudentius nescias.*

IX. Nemo tam hebes est, qui non sentiat, quàm luculenta sint pro loco & tempore hæc Augustini responsa. Illum enim juvenis immensæ curiositatis penè obruerat immensa quadam mole & farragine quæstionum, Præsulem doctissimum quidem, sed aliàs occupatissimum, & in causis Ecclesiæ maximi momenti ita distentum, ut nec ad punctum temporis respirare posset. Eo loco erant tunc temporis res Ecclesiæ, quo eas describit Augustinus, ut nihil prorsus opus esset vel Philosophorum, vel hæreticorum Sectas è tumulis suis excitari. At non ea fuit perpetua temporum & regionum conditio. Illo ipso tempore Augustini in Oriente & in Occidente passim vigebant earum hæreseon reliquiæ non mediocres, vivebant & aliquot pòst sæculis. Marcionitarum decem millia suo uno in Episcopatu extinxit Theodoretus Cyri Episcopus, ut ipsemet narrat, utque nos ex eo alibi retulimus. Quid ergo de aliis Episcopalibus Ecclesiis & de Provinciis aliis augurandum? Quid de cæteris hæresibus non ita vetustis? Atqui Augustino aliquantò posterior fuit Theodoretus. Ariani adeo non oppressi tunc erant, ut vel maximè postea increbuerint, & ineunte sæculo Ecclesiæ sexto Christianum orbem inundasse videri potuerint. Ne hoc quidem sæculo decimo-septimo ita obrutæ & oblitteratæ sunt pristinæ omnes hæreses, Ariani, Eutychiani, Nestoriani, ut complures, easque vastissimas occupent etiam nunc Provincias: ubi & eas oppugnari ac debellari necessum est. Quin & novellæ quæ subinde ebulliere Sectæ, Albigensium, Petrobrusianorum, & recentiores Socinianorum, quid aliud quàm quædam fuere antiquarum Sectarum interpolationes, Arianæ, Sabellianæ, Nestorianæ, Eutychianæ? Recentissimas ergo has & redivivas pestes qua aptiùs & certiùs arte expugnabimus, nisi ut demonstremus jamdiu obtritas eas fuisse à sanctis Patribus in antiquissimis hæresibus, quarum hæ propagines sunt? Quàm non facilè autem immortalia sanctorum Patrum monumenta intelligeremus, & validissima hinc tela arriperemus ad catholicæ semper veritatis defensionem, nisi memoria supereſſet hæreticarum olim Sectarum, quæ ab illis ita labefactatæ sunt, ut ad posteriores etiam ætates illæ victoriæ porrigerentur? Pluribus supersedeo ea de re.

X. Ad Philosophicas venio Sectas, quas & ipsas ad Patrum intelligentiam, ad Ecclesiæ gloriam interfuit, non penitus ab hominum memoria abolescere. Non satis liquet veritas, nisi ex mendacii confutatione: nec lux aliàs magis radiat, quàm ex comparatione tenebrarum. Cognatæ sunt Philosophicis Sectis hæreses; quod de his modò diximus, ad illas quoque id manabat. Emergunt subinde Novatores alii & alii, qui vix comminisci quidquam ita novi possunt, ut non ab antiquis hæreticis vel Philosophis jam tentatum, jam à Doctoribus Catholicis conculcatum sit. Quo illa ab omnibus penè Patribus commendata regula, ubi de Philosophicis vel hæreticis Sectis libriſque agebant, à Paulo ipso præformata, Omnia tentate, quod bonum est tenete? Quo illud tam pulcrè paulò antè ab Augustino ipso inculcatum, Sic vera & frugifera omnia à Philosophis auferenda, & Ecclesiæ Christi ac Theologiæ nostræ communicanda, ut aurum Ægyptiorum Israelitæ asportaverunt, non permittente tantùm, sed & jubente Deo? Si eæ sunt non ab hominibus, sed ab ipsa Dei providentia, reconditæ opes cœlestes, velut aurum in metallorum fodinis, eccur eas effodere & in publicos Ecclesiæ usus expendere gravabimur? Quæ ergo ad Dioscorum contrà videbatur dicere Augustinus, ea non universim capienda erant, sed ad tempus & locum illum arctanda, ne ipsum sibi committamus Augustinum.

XI. Nec dissentit Hieronymo Augustinus, quidquid usquam est liberalium Artium, Theologis usui esse posse, sicut & Origeni fuere, ut sub occasione sæcularis litteraturæ Paganos & litteratos omnes Christi fide & religione imbueret. Sic enim Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Origene: *Illud de immortali ejus ingenio non taceo, quod Dialecticam quoque & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumque Philosophorum Sectas ita didicit, ut studiosos quoque sæcularium litterarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione sæcularis litteraturæ in fide Christi eos institueret.* Hieron. Mir. Tom. 1. pag. 314.

Ab Ægyptiis pleræque harum artium manaverant; atqui sin minùs illi eas à Joseph didicerant, ab eo saltem didicerant qui esset earum usus ad Dei cultum traducendus. Id enim vel Pharao ei commendaverat, ut Principes & Senes ejus prudentiam doceret. Sic Prosper hos Psalmi centesimi-quarti versus commentatur: *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, & Seniores ejus prudentiam doceret. Ne hoc quidem in illa sublimitate Joseph historia refert, quod Ægyptios senes sapientia imbuerit spiritali. Sed qui fieri posset, ut vir tantus, unius veri Dei cultor, alendis tantummodo Ægyptiorum corporibus & solis terrenis rebus prospiciendis esset intentus, non autem curaret, ut eorum quos habebat subditos, etiam animos erudiret?* Prosp. pag. 607.

Penè mihi illud exciderat objici nobis posse ex Hieronymo, quod ille commentatur in Epistolam ad Philemonem, adversùs eos qui Dialecticis vel Physicis quæstionibus totos se implicant, aut struendis versibus, perinde ac qui opibus congerendis: *Nonne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in Dialectica arte torquetur? qui physicus perscrutator oculos trans cœlum levat, & ultra profundum terrarum & abyssi in quoddam inane demergitur: qui Jambum struit, qui tantam metrorum sylvam in suo studiosus corde distinguit & congerit?* Sed nemo non intelligit, non hæc studia damnari ab Hieronymo, sed eorum præfervidum & intempestivum amorem: uti & jure damnatur non necessaria rei familiaris cura, sed opum immensa & infatigata cupido. Hieron. ep. 14. Tom. 6. pag. 180.

XII. Illud quoque molli pollice tractandum, quod idem alibi habet Hieronymus in hæc Pauli verba ad Ephesios, *Educate illos in disciplina &*

correptione Domini. Hinc enim videtur Clericos damnare majores Hieronymus, qui si quid sustulerant liberorum, illos ad Ludimagistros publicos amandabant, sæcularibus litteris imbuendos. *Legant Episcopi atque Presbyteri qui filios suos sæcularibus litteris erudiunt, & faciunt illos Comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare, de Ecclesiasticis forsitan sumptibus eruditos: & quod in corbonem pro peccata virgo, vel vidua, vel totam substantiam suam effundens, quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendariam strenam, & Saturnaliticiam sportulam, & Minervale munus, Grammaticus & Orator, aut in sumptus domesticos, templi stipes, aut in sordida scorta convertit. Eli Sacerdos ipse sanctus fuit; sed quia filios suos non erudivit in omni disciplina & correptione, supinus cecidit, & mortuus est.* Ibid. c. 4. pag. 191.

Verum & hic etiam perspicuum est, non succensere Hieronymum nisi Episcopis & Presbyteris; non ergo Clericis aliis minoribus, non fidelibus Laicis; nec vel illis succensere, quòd filios sæculari litteratura irrigari vellent, sed quòd Ludimagistris Ethnicis operam dare eos cogerent, quod fieri vix poterat sine aliqua idololatriæ contagione. Olebant enim idololatriam & Calendariæ strenæ, & Saturnalitiæ sportulæ, & Minervale munus, quod & ipsa significant vocabula. Adde quòd acceptam stipem ab Episcopi filia, atque adeo forsan ex oblationibus ad Christi altare factis, Ludimagister gentilis poterat in Deorum suorum cultum, in scorta convertere. Denique nec illud decebat filios Clericorum majorum, qui de altari Christi vivebant, Comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare; quòd ejusmodi lascivias nec fideles Laici, nedum Sacerdotum filii pati debeant.

Non ineptè porro hìc conjectaverit aliquis, hæc Hieronymum ex Origene in Latinum vertisse, ut ferè solet in illis Paulinarum Epistolarum Commentariis. At ævo Origenis fervebant adhuc gentilitiæ superstitiones, etiam in Scholis; quæ nec ævo forsan Hieronymi penitus exoleverant. At ubi illis penitus extinctis jam sola splendidiùs regnavit Ecclesia, tunc quò rutiùs, eò licentiùs Christiana juventus politioribus disciplinis se dedidit, ut vel ex hoc liquebit Ferrandi Diaconi testimonio in Fulgentii Ruspensis Episcopi vita, quæ ab eo litteris mandata est, & cujus in hanc rem verba referenda tantummodo visa sunt, nec enim interprete egent: *Quem (Fulgentium) religiosa mater, moriente celeriter patre, Græcis litteris imbuendum primitus tradidit: & quamdiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quò facilius posset victurus inter Afros locutionem Græcam servatis aspirationibus tanquam ibi nutritus exprimere. Nec fefellit matrem piam cauta provisio. Sic enim quoties ei Græcè loqui placebat, post longam consuetudinem locutionis ejus & lectionis, non inconditis sonis verba proferebat; ut quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum præcepta scientia Latinas quas Magistri ludi docere consueverunt in domo edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenii cuncta sibi tradita memoriter & veraciter retinens.* Ferrandi Diac. cap. 12. p. 108. 2109.

XIII. Omnium copiosissimè in hoc argumento versatus est secundùm Augustinum Cassiodorus. Cum & eruditione enim & authoritate valdè polleret, apud Agapetum Papam egisse se ipsemet testatur, ut sicut diu olim apud Alexandriam fuerant Scholæ Christianæ, & erant etiam tunc in Nisibi civitate Syriæ, ita & Romæ instituerentur, statutis publico impendio in Magistros salariis; id se tum quidem obtinere non potuisse, at statim animum calamumque advertisse ad suam *Scripturarum divinarum institutionem*, ut quomodocumque poterat, rem perficeret, certè initiaret. *Nisus sum cum beatissimo Ægyptio urbis Romæ, ut sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum Hebræis sedulò fertur expani: collatis expensis in urbe Romana professos Doctores scholæ potiùs acciperent Christianæ, unde anima susciperet æternam salutem, & casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur.* Cassiod. Præf. p. 1.

Ita ille in Præfatione librorum de Divinis lectionibus. Etsi autem ille instituendis potissimùm Monachis suis incumbat, nullas non tamen illis disciplinas præformat, quo aditum illis pandat ad Scripturarum penetralia subeunda. Vide quid de Cosmographia præcipiat: *Cosmographicam quoque notitiam vobis percurrendam esse non immerito suademus: ut loca singula quæ in libris sanctis legitis, in qua parte mundi sint posita, evidenter cognoscere debeatis.* Capitula pag. 24.

De aliis liberalibus disciplinis vide quàm nihil sinat eos prætervolare, & quàm ex his omnibus speret illuminari posse intelligentiam Scripturarum, ex sanctorum etiam Patrum suffragatione: *Illud quoque commonendum esse credimus, quoniam tam in litteris sacris, quàm in expositoribus doctissimis, multa per schemata, multa per definitiones, multa per artem Grammaticam, multa per artem Rhetoricam, multa per Dialecticam, multa per disciplinam Arithmeticam, multa per Musicam, multa per disciplinam Geometricam, multa per Astronomiam intelligere possumus: non abs re esse instituta sæcularium magistrorum, artes scilicet ad disciplinas cum suis divisionibus, in sequenti libro paucis attingere: quatenus & qui talia didicerunt, breviter admoneantur; & qui latiùs fortasse legere minimè potuerunt, aliquid exinde compendiosa brevitate cognoscant. Est enim rerum istarum proculdubio, sicut & Patribus nostris visum est, utilis & non refugienda cognitio, quando eam in Litteris sacris tanquam in origine generalis perfectæque sapientiæ ubique reperis esse diffusam.* Ibidem.

Nec silet ille mox, ex Patrum sententia moderandum esse his studiis, nec laxandas illis omnino habenas; sed potissimam luminis & eruditionis copiam desuper à Patre luminum orandam esse & expectandam: *Veruntamen nec illud Patres sanctissimi decreverunt, ut sæcularium litterarum studia respuantur, quia non exinde minimum ad sacras Scripturas intelligendas sensus noster instruitur. Si tamen divina gratia suffragante notitia ipsarum rerum sobriè ac rationabiliter inquiratur, non ut in ipsis habeamus spem profectus nostri; sed ipsa transeuntes desideremus nobis à Patre luminum proficuam salutaremque sapientiam debere concedi.* Cap. 11. pag. 344.

XIV. Illud denique pulcherrimè docet Cassiodorus de Mathematicis disciplinis, quod non semel à nobis superiùs animadversum est; incredibile per eas nescio quod robur animis addi, ut vim veri invictam & inconcussam sentiant, & infinito quodam intervallo verum certumque secernant à probabili, cui potest & falsum subesse. Quod item per eas insuescat & convalescat mens ad avocandum sese à sensibilibus, & contemplandam incommutabilem veritatem, quæ Verbum Deus est. Quod denique has disciplinas primus Ægyptiis tradiderit Abraham, à quibus ad alias gentes propagatæ sunt; quod tantò propensiùs credemus, si ex Religioni & pietati famulentur. *Disciplinæ sunt, quæ sicut jam dictum est, nunquam opinionibus decepta fallunt; & ideo tali nomine nuncupantur, quia necessariò suas regulas servant. Hæ nec intentione crescunt, nec subductione minuuntur, nec aliis varietatibus permutantur; sed in vi propria permanentes, regulas suas inconvertibili firmitate custodiunt. Has dum frequenti meditatione revolvimus, sensum nostrum acuunt, limumque ignorantiæ deter-* Cassiodori Mathemat. pag. 563.

detergunt, & ad illam inspectivam contemplationem, si tamen sanitas mentis arrideat, Domino largiente, perducunt. Scire autem debemus Josephum Hebræorum doctissimum, in primo libro Antiquitatum, titulo nono dicere, Arithmeticam & Astronomiam Abraham primum Ægyptiis tradidisse; unde semina suscipientes, ut sunt homines acerrimi ingenii, excoluisse sibi reliquas latiùs disciplinas, quas meritò sancti Patres nostri legendas studiosissimis persuadent. Quoniam ex magna parte per eas à carnalibus rebus appetitus noster abstrahitur, & faciunt desiderare, quæ præstante Domino solo possumus conspicere. Quocirca tempus est, ut de eis sigillatim ac breviter disserere debeamus.

Non nesciebat, ut opinor, Cassiodorus, non nesciebat Hieronymus, quid Tertullianus scripsisset olim in libro de Idololatria de Astrologis & de politiorum litterarum magistris potiùs, quàm discipulis, ut eos ab his abduceret studiis tanta idolorum infamia inquinatis. In Astrologis id ille concerpit, quòd falsorum Deorum nomina cœlo inscripserint, quòd ineluctabili fati syderei necessitate invecta libertatem perimant, quòd denique hæc omnia humanum genus non didicerit nisi à desertoribus Angelis. Ludimagistros criminatur, quòd Minervalibus suis Minervam, Saturnalibus Saturnum, ut & Strenis suis Strenuam si fors Deam adhuc colant. Manifestum porro est, quæ suprà ad Origenis salivam commentabatur Hieronymus, ea ex his Tertulliani verbis esse derivata. Certè cùm Tertulliani ævo idololatria tam latè & tam impunè adhuc grassaretur, non est quod molestè feramus tantam ejus in ea damnanda ac declinanda morositatem. Postea verò ubi oppressa penitus & extincta ea fuit, si quid alicubi superfuit ejus vestigiorum, si diebus cujusque hebdomadæ recurrentibus, si cœlis, si syderibus idolorum nomina inhæsere, hinc colligitur nostra ejusmodi flagitiorum non contagio, sed securitas. Usque adeo enim adversùs eas impietates obfirmavit & munivit nos Christus, ut hinc ne umbra quidem, vel species levissima periculi nobis imminеat. Quin conducere visum est non usquequaque aboleri residua hæc vestigia superstitionis olim pervagatissimæ, ne & nostrarum de ea debellata victoriarum & victricis Christi gratiæ memoria abolesceret. Tam nullo nostro periculo servata sunt ea verba & studia, quàm templa & idola nonnulla, quæ jam non sunt certissimè nisi Christi superstitionum omnium triumphatoris illustria gloriæ monumenta.

Præstantissimè hæc omnia executus est Plato ipse in libro septimo de Republica; ubi de Disciplinis omnibus Mathematicis id affirmat, per eas gradatim deduci animum ad ipsammet veritatem, ad Solem intelligibilem, ad Deum. Pauca inde hæc
Pag. 487. excerpo: *Ita omnium supradictarum artium studium deducit animum per umbras non simulacrorum, sed eorum potiùs quæ verè sunt, dijudicareque eas facit, ad aliud quoddam lumen tanquam ad Solem; habetque vim quandam extollendi id quod est in animo præstantissimum, ad contemplationem ejus, quod in ordine rerum est optimum.*

XV. A Tertulliani austeritate non omnino abhorrebat Petrus Damiani, etsi jam ille non fidelibus omnibus, sed Monachis suis timeret aliquid periculi creari ex liberalibus disciplinis: non propter idololatriæ suspiciones, quæ ne in cogitationem quidem tum veniebant: sed propter sæcularium cupiditatum discrimen, cui non rarò militant hæ disciplinæ. Eo sensu non bene conveniebat Monasticæ professioni cum Grammatica, Regulæ Benedicti cum regulis Donati. Ergo ita Damianus in Opusculo de perfectione Monachorum: *Ut autem cum stomacho loquar, ex istorum numero sunt ii qui Grammaticorum vulgus adeunt, qui relictis spiritualibus studiis, addiscere terrenæ artis ineptias concupiscunt: parvi pendentes siquidem Regulam Benedicti, regulis gaudent vacare Donati.* Et aliquantò pòst accersito sibi sanctorum Patrum suffragio, qui post sacrum Ordinem vetant profanis litteris vacare: *Quod si his artibus operam dare Monachum sacra Scriptura permittit, dicatur jam quia uxor viro ancillam in usum sobolis tradit. At si Gregorius, Hieronymus, aliique Doctores sancti hæc funditus abnegant; noverint isti, quia adulterino pellicum amore decepti, velut contra conjugale fœdus sine fœdere pertinaciter pugnant. Nam non solùm prohibemur post acceptum sacrum Ordinem vanis hujusmodi doctrinis intendere, sed ex iis quoque quæ ante didicimus, superflua quæque præcipimur detruncare.*

Petrus Damian. c. 11. Tom. 3. pag. 130.

Quando ita calamo sæviebat Petrus Damiani, non omnes forsan insectabatur Monachos, sed sui dumtaxat instituti, qui longè austeriorem cæteris & à communi hominum consuetudine penitus subductam profitebantur vitæ rationem; vel eos tantùm insectabatur, qui ad publicas Scholas ventitabant. Jam olim enim Scholæ liberalium artium in ipsis Monasteriis frequentissimæ erant, peræquè ut in Episcopalibus ædibus, ut Carolus Magnus, ille litterarum restaurator, ut ejus posteri Reges, ut ejusdem & posterioris ævi Concilia complura sanxerant. Ita enim fiebat, non ut Monachi Regulæ beati Benedicti affixi sæcularem animum & vitam ex sæcularibus litteris haurirent: sed ut sæcularibus ipsis litteris & delibato nobilitatis flori, discipulis suis Christianas affricarent virtutes. Ita denique fiebat, ut ne funditus interirent litteræ, ne Priscorum Scriptorum sacra & profana monumenta tineis & blattis absumerentur.

XVI. Jactabat olim Joannes Scotus Erigena, *Quod error eorum, qui aliter quàm sancti Patres, maximè Augustinus, sentiunt de Prædestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia manaverit.* Vide autem ut illum retunderet Prudentius Tricassinus Episcopus in libro de Prædestinatione: *Ac certè si nobis horum ignorantiam inuris, nunquid moveri debet nostra humilitas, cùm videamus omnes orthodoxos Patres nostros eidem injuriæ substratos, eadem infamia denotatos: qui omnes tanta liberalium disciplinarum eruditione coruscarunt, ut nullus eis illorum quos apprimè Philosophos mundus suscipit, veraciter equiparari possit: quippe cùm ita eos in omnibus vera sapientia instruxerit, ut tantò evidentiùs nossent, quid in eis vitandum, quid esset appetendum, quantò eidem vera sapientiæ connexiùs inhærent.* Et aliquantò pòst: *Verùm quia nobis hanc insciti am inuris, nunquid & sanctis Patribus, non minùs Græca quàm Latina eruditione lampantibus idem facinus obtendes? quorum ut cæteros omittam, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Fulgentium, Cassiodorum testes veritatis adhibeo; quos Græcam noviſſe linguam atque scientiam, nullus nisi nihil sciens ignorat, qui omnes alio sensu verbi ejusdem intelligentiam prosequuntur.*

Vindic. Prædest. & grat. cap. 1. Tom. 1. pag. 509. 510.

XVII. Iis quæ ex Petro Damiani attulimus, gemina sunt hæc ex Bernardo ad suos Claravallenses Monachos, sed paulò explicatiora. Sic enim ille liberalium ut equidem reor litterarum scientiam, sæpissimè inflantem, rariùs ædificantem compescit, sic castigat, sic instituit, ut his præceptionibus si obsequatur, ædificandæ Ecclesiæ & charitati plurimùm ipsa quoque conducat. Nec enim scientia ipsa in culpa est, ut quæ lucis divinæ haustus quidam sit: sed sciens ipse, sive sciolus ipse in crimen vocandus est, qui ita scit, ut sciendi ordinem, modum, finemque nesciat. Sed hæc præstat ex Bernardo ipso audire, non monachis tantùm, sed & omnibus Christianis adprimè conducibilia. *Qui se, inquit, putat, aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum*

Bernard. Serm. 36. in Cant. pag. 679. 682.

neſcierit? Videſ, inquam, quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? Quid? niſi ut ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat? Quo ordine? ut id priùs, quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio? ut id ardentiùs, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt eo fine tantùm, ut ſciant: & turpis curioſitas. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientur ipſi: & turpis vanitas eſt. Qui profectò non erubescent ſubſannantem Satyricum, & ei qui ejuſmodi eſt decantantem; Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, & verbi cauſa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, ut ædificent: & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt ut ædificentur: & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.

Conſentaneus erat Bernardo Petrus Cluniacenſis Abbas, quando hæc ad Magiſtrum Petrum, Abaelardum, ut ſuſpicor, ſcribebat: non quo & ſcholas, & litteras vilipenderet; ſed ut ab iis abduceret hominem, cui ex, non ſuo ipſarum, ſed ejus vitio, non infrugiferæ tantùm erant ad ſalutem æternam, ſed etiam exitiales. Hujuſmodi exempla hìc intexi debere viſum eſt mihi, non tam ut has velut objectiones ſolvam; quàm ut hæc animo volvant, hæc præ oculis habeant, quicunque liberalibus diſciplinis ſive docendis, ſive diſcendis operam dant; & vel his abſtinendum in poſterum ſibi intelligant, vel ex his inſtrumenta ſibi aliqua & præſidia omnino comparent, ad ſuam æternam proximique ſalutem promovendam. Eventus rei probavit quod Petrus Abaelardo renunciaverat; is enim ne exitio eſſent ſtudia, quæ ſalutis adminicula eſſe debuerant, illis aliquando tandem valedixit, & in ſanctiſſimum ſeſe abdidit Cluniacenſis Monaſterii cum Petro, ipſo ſeceſſum. En ipſa Petri Epiſtolæ ad eum verba, cùm illa priùs Chriſti verba proluliſſet, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Ad hanc cœleſtem Philoſophiam, eum quem ſæcularis Philoſophia jam diu faſcinaverat, ita Petrus Venerabilis vocabat: *Ecce ſine Platonicis meditationibus, ſine Academicorum diſputationibus, ſine Ariſtotelicis laqueis, ſine Philoſophorum doctrinis, inventus eſt locus & via beatitudinis. Sileat ergo humana præſumptio, audito divino magiſterio. Conticeſcat falſitas, quia docet veritas. Deſerat docentis cathedram homo, quoniam ad docendum reſidet Deus homo. Beati, ait, pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quid igitur, chariſſime, ſcholas oberras? quid & doceris, & docere conaris? Quid per millia verborum, quid per multos labores inquiris, quod ſimplici ſermone, quod parvo labore, ſi volueris, aſſequi poteris? Quid inani ſtudio cum Comœdis recitas, cum Tragœdis deploras, cum Metricis ludis, cum Poetis fallis, cum Philoſophis falleris? Quid jam non Philoſophiæ, ſed quod pace tua dictum ſit, tantam ſtultitiæ operam impendis? Stultitiæ, inquam. Nam & hoc veri Philoſophi dictum eſt: Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam mundi?*

Bibl. Clun. pag. 611. b. 1. Ep. 3.

Unus adhuc ſupereſt Gratianus, cujus ſententiam rogemus, An Conciliis Patribuſque olim probatum ſit, humanioribus diſciplinis vacare Chriſtianos, juvenes, adultos, ſenes, Laicos, Monachos, Clericos, minores, majores. Sic ergò ille:

Gratianus, D. 37. *Quæritur, An Epiſcopos ſæcularibus litteris oporteat eſſe eruditos?* In hanc rem autem primùm profert Canonem Concilii Carthaginenſis IV. *Epiſcopus Gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro neceſſitate, aut tempore.* Tum ſubdit Gratianus Hieronymi Epiſtolæ ad Damaſum Papam

Can. 16

verba, quibus objurgantur Epiſcopi, qui poſthabitis Evangeliis & Prophetis Poetas lectitabant; & quod in pueris excuſat neceſſitas, id voluptati ſuæ non ſine piaculo indulgebant. *Sacerdotes Dei omiſſis Evangeliis & Prophetis videmus Comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere; & id, quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Pag. 41.

His ultra citraque multa accumulat ex Patribus Gratianus, & ita mox ipſe ratiocinatur, & ex Patrum doctrina pronunciat, quibus fas nefaſve ſit liberalibus incumbere diſciplinis: *Cur ergo legi prohibentur, quæ tam rationabiliter legenda probantur? Sed ſæculares litteras quidam legunt ad voluptatem, Poetarum figmentis, & verborum ornatu delectati: quidam verò ad eruditionem eas addiſcunt, ut errores gentilium legendo deteſtentur, & utilia, quæ in eis invenerint, ad uſum ſacræ eruditionis devotè convertant. Tales laudabiliter ſæculares litteras addiſcunt. Unde B. Gregorius quendam Epiſcopum non reprehendit, quia eas didicerat, ſed quia contra Epiſcopale officium, pro lectione Evangelica Grammaticam populo exponebat.* Ibidem pag. 44.

Quæ Gratiani doctrina concinit his Hieronymi in Danielem ibidem verbis: *Qui de menſa Regis, & de vino potus ejus nolunt comedere, ne polluantur; utique ſi ipſam ſapientiam, atque doctrinam Babyloniorum ſcirent eſſe peccatum, numquam acquieſcerent diſcere quod non licebat. Diſcunt autem, non ut ſequantur, ſed ut judicent, atque convincant: quomodo ſi quiſpiam adversùs Mathematicos velit ſcribere imperitus mathematis, riſui pateat: & adversùs Philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata Philoſophorum. Diſcunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, quæ & Moyſes omnem ſapientiam Ægyptiorum didicerat.* Ex quibus illud tandem à Gratiano concluditur: *Ecce plenariè monſtratum eſt, quòd Sacerdotes oportet litterarum tam ſacrarum quàm ſæcularium eſſe peritos.* Ibidem. D. 37.

CAPUT XLIV.

Theologiæ ſive Scholaſticæ, ut nunc loquuntur, ſive ex ſanctorum Patrum & Conciliorum ſuffragiis contextæ, origo & progreſſus, ab ipſis uſque prioribus Eccleſiæ ſæculis.

I. Trium priorum ſæculorum Scriptores Eccleſiaſticos, præter Scripturas, etiam antiquiores Patres allegaſſe.

II. Quos Hieronymus Patrum libros Virgini ſacræ legendos præſcribat; quos Monacho Paulino. Ejus de antiquis Patribus judicium.

III. Quanti Cyprianus & Hieronymus admiratores fuerint Tertulliani. Pamphyli Martyris ardor in exſcribendis ſua manu libris Origenis.

IV. Ut Hieronymus & Scripturas & teſtimonia Patrum conglobarit adversùs Helvidium.

V. Alibi Scripturis & Patribus Oratores Philoſophoſque ſubjungit, & Grammaticos.

VI. Hieronymi quædam veluti compilatio Dogmatum Theologicorum, ex Scripturis, Patribus, heterodoxis etiam Scriptoribus: ejus de his judicium & delectus.

VII. Rurſus de eodem, & de delectu Patrum.

VIII. Rurſus Hieronymi de Patribus judicium, & Theologiæ Dogmaticæ Scholaſticæque præludia.

IX. Quanta & Philoſophorum & Gentilium omnis generis Scriptorum copia, vallanda & ornanda ſit noſtra Theologia, ex eodem Hieronymo, & ex aliis Patribus.

I. VEreor ne hìc actum agere videar, cùm tam multa jam ſuperiùs in hanc rem congeſta

gesta sint à me, ubi sermo erat de sanctorum Patrum authoritate in rebus Theologicis. Sed cùm tam multa superfint dicenda ad ejus quæstionis illustrationem, præstabilius visum est in hunc locum unum omnia conferre, sive intacta hactenus, sive jam ea fuerint delibata. Ostensum est autem superiùs, ex quo litteris aliquid mandare cœperunt Christiani Doctores, jam tum illos cœpisse, non Scripturas tantùm veteres novasque allegare, non Poetas tantùm & Philosophos sibi suffragatores asciscere, quod à Paulo factum est; sed paulò antiquiorum etiam Patrum testimonia corradere. Replica animo, quæ suprà ex Augustino, Irenæo, Clemente protulimus in Patrum authoritate stabilienda: revolve & quæ ex Tertulliano, Lactantio, aliisque antiquissimis Latinis Scriptoribus Ecclesiasticis digessimus; ubique perspicies in id eos collimasse omnes, ut non sacras tantùm Litteras, sed & superiores Patres in suæ causæ defensionem armarent. Ea fuere veluti prima incunabula horum Dogmatum nostrorum Theologicorum, hujus nostræ qua Scholæ Christianæ personant Theologiæ.

II. Virginem Christianam imbuens Hieronymus quibusdam veluti Theologiæ rudimentis, suadebat ut libros Cypriani, Athanasii, Hilarii nocturna diurnaque versaret manu; illis utpote intaminatæ fidei oblectaretur; illis penitus adhæresceret; ex illorum norma de cæteris Scriptoribus judicium ferret. *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quàm sequatur.* Si hæc ille præcipiebat virgunculæ, quid Clericis, quid Theologiæ candidatis? Antè enim commendaverat Scripturas omnes evolvi & mandari memoriæ.

Hieronym. Epist. ad Lætam de Institut. filiæ. Tom. 1. pag.

Ad Paulinum verò, Nolanum postea Episcopum *de institutione Monachi* scribens Hieronymus, hortatur, ut ne litteræ Scripturarum totus hæreat, sed in earum ipsam medullam invadat, eoque consilio Patrum omnium scripta evolvat, non sine delectu tamen, in quem & ipse præire illi voluit. Itaque quod summi erat Theologi, suum illi de Tertulliano Hieronymus præformat, de Cypriano, de Victorino, de Lactantio, Arnobio, Hilario judicium. Verba ipsa Hieronymi superiùs à nobis prolata sunt, ex quibus liquet hos omnes Ecclesiasticos Scriptores Hieronymo familiares fuisse, & ex his illum sua de fidei quæstionibus placita illustrasse.

III. Multum fuisse in lectione Tertulliani Hieronymum, observasse mihi sæpiùs videor in utriusque sedula lectione; sed multò frequentior Tertulliani admirator fuerat Cyprianus, authore Hieronymo ipso. Palam enim se ille Tertulliani discipulum profitebatur, nulla ei dies absque Tertulliani lectione præteribat, nec aliter sibi libros ejus in manus dari flagitabat, quàm his verbis: *Da magistrum.* Certè libellos de Oratione Dominica, & de Bono Patientiæ si evolvas, forsan & alios, subinde videbis Cyprianum in Tertulliani vestigia ingredi, & ipsas ejus sententias mitiori stylo suo temperare. Audi hæc narrantem Hieronymum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Tertulliano:

Tom. 1. pag. 96.

Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret: referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præterisse: ac sibi crebrò dicere, Da magistrum: Tertullianum scilicet significans.

Nec illud omittam, quod eodem libro scribit Hieronymus de Pamphylo Presbytero & Martyre, qui sua manu descripserat maximam partem voluminum Origenis, & in Bibliotheca sua reconsiderat; quæ postea in Bibliotheca Cæsariensi prostasse testatur Hieronymus. *Pamphilus Presbyter, Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca habentur.* Hoc autem ideò hìc à me adnotatur, quòd medii ævi Summulæ Theologicæ ab iis compilatæ fuisse videantur, qui cùm libros sanctorum Patrum sua manu scriptitarent, non continuos & toros scribebant, sed carptim seligebant aliqua pulcriora & splendidiora loca, quæ in suos sibi usus seponebant, & quæ postea ratione & via in certos Titulos digerebant.

Ibid. p. 99.

IV. At ubi Helvidii deliria confutabat Hieronymus, objicienti ei testimonia Tertulliani & Victorini Pætavionensis Episcopi, non similiter ad utrumque respondet. Sed Tertullianum ait *hominem Ecclesiæ non fuisse*; atque ita sub ejus authoritate frustra sperare Helvidium se posse delirescere. De Victorino autem respondet sic eum dixisse *fratres Domini* aliquos, perinde ut Evangelistæ dixerunt, *propinquitate, non naturâ*. At confestim totam in illum Hieronymus regerit turmam superiorum Patrum, qui contrà senserant, & intaminatæ Mariæ virginitati etiam post partum virgineum suffragati erant: cùm pro Helvidio non militarent nisi prisci hæreticarum Sectarum duces. *Verùm nugas terimus, & fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere: Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui adversùs Hebionem & Theodotum Bizantium, & Valentinum hæc eadem sentientes, plena sapientiæ volumina conscripserunt? Quæ si legisses aliquando, plus saperes.*

Vides ut consentientes sibi & Scripturis Patres *fontem* veritatis appellaret, utque in numerato illos haberet, ut ex hoc patritiæ Theologiæ penu & clypeos & tela depromeret ad defendendam doctrinam Catholicam, & ad hæreses configendas. Ita præludebatur & summis nostris Theologis & dogmatum Theologicorum compilationibus.

V. Quàm verò non suffragia tantùm corraderet ex sanctis Patribus Hieronymus, sed & Oratores Philosophosque patrocinaturos causæ suæ adhiberet; quandoque & dubiæ nonnunquam fidei, immo & hæreticos Scriptores, ubi illos sepositis erroribus obsecundantes sibi habebat. Ex his omnibus & ex Scripturis aciem quandam ita instruebat Hieronymus, cui non facilè poterant obluctari ejus adversarii. Non hi certè erant Theologici Tractatus, sed quid vetat per Epistolas Theologicam quamque quæstionem expedire? Pauci erant tunc Patres, sed vides quantos alios Scriptores ad manum haberet Hieronymus, quorum plerique jam nobis exciderunt. *Turpe tibi est hostem dolis ferire, non viribus. Quasi non & hæc ars summa pugnantium sit, alibi minari, alibi percutere. Legite, obsecro vos, Demosthenem, legite Tullium; ac ne forsitan Rhetores vobis displiceant, quorum artis est, verisimilia magis quàm vera dicere: legite Platonem, Theophrastum, Xenophontem, Aristotelem & reliquas qui de Socratis fonte manantes, diversis cucurrere rivulis: quid in illis apertum, quid simplex est? Quæ verba non sensuum? Qui sensus non victoriæ? Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinaris multis versuum millibus scribunt adversùs Celsum & Porphyrium: Considerate quibus argumentis, & quàm publicis problematibus diaboli spiritu contexta subvertant? Et quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt adversùs ea quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario; ne non tam me defendisse, quàm alios videar accusasse. Paulum Apostolum proferam,*

In Apolog. adv. Jovin. Tom. 2. pag. 36. l. 2.

quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite Epistolas ejus, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est: & videbitis eum in testimoniis quæ sumit de veteri Testamento, quàm artifex, quam prudens, quàm dissimulator sit ejus quod agit.

Summum Theologum hæc spirant in Scripturis, in Patribus, in Philosophis, in Oratoribus, in hæreticorum etiam libris versatissimum, & hæc omnia oratoriæ artis ornamentis illuminantem. Idem verò non multò pòst ita se rursum Patrum nomine & suffragatione tuetur: *Lege Tertullianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium: & cum illis me vel accusa, vel libera.* Cùm vero Hieronymus scripsisset numerum parem immunditiæ, imparem munditiæ symbolum esse, idque probasset ex animalibus in Arcam Noe admissis, ex quibus munda erant, quæ septena: immunda, quæ bina admissa fuerant: vide ut hanc suam doctrinam Hieronymus ex sanctis Patribus & ex Ecclesiasticis Scriptoribus, ex Philosophis, ex Grammaticis denique tueatur. Sic ergo ille habet: *Porro si in Arca Noe animalia, quæ bina ingrediuntur, immunda sunt, & impar numerus mundus est, & hoc scriptum esse nemo dubitat, quare scriptum sit edisserant. Si autem non edisserunt, quod à me expositum est, velint nolint, suscipient. Aut profer meliores epulas, & me conviva utere: aut qualicumque nostra cœnula contentus esto. Scilicet nunc enumerandum mihi est, qui Ecclesiasticorum de impari numero disputarint, Clemens, Hippolytus, Origenes, Dionysius, Eusebius, Didymus, nostrorumque Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius: quorum Hilarius de septenario, id est, impari numero differens, quæ & quanta dixerit ad Fortunatum, liber illius testimonio est. An forsitan Pythagoram & Architam Tarentinum & Scipionem in sexto de Republica, de impari numero proferam disputantes? Et si hos audire noluerint obtrectatores mei, Grammaticorum scholas eis faciam conclamare: Numera Deus impare gaudet.* Ibid. p. 17. l.

VI. In Apologetico ad Domnionem gloriatur Hieronymus se in sacris Scripturis Nazianzenum & Didymum Catechistas habuisse: usque adeo certum illi erat & solenne Doctores omnes Ecclesiæ adire, omnes audire. *Sine causa Gregorium Nazianzenum & Didymum in Scripturis sanctis Catechistas habui?* Origenis Commentariis usque adeo deditus fuerat, ut hinc illi invidia fieret: quam ille abstergebat prolato Hilarii exemplo, quem in eo quoque imitatus esset, quòd noxia quæque circumcidisset: sicque illum in interpretandis Scripturis magni faceret, ut dogmatum tamen illi abrogaret veritatem. *Origenem me arguit vertisse in Latinum; hoc non solus ego feci, sed & Confessor Hilarius fecit: & tamen uterque nostrum noxia quæque detruncans, utilia transtulit.* Et mox: *Sicut enim interpretationem & idiomata Scripturarum Origeni semper attribui, ita dogmatum constantissimè abstuli veritatem. Numquid ego in turbam mitto Origenem? Numquid cæteros Tractatores? Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores: Illos semper verè dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare.* Pag. 62. l.

Sic ille in Epistola ad Theophilum adversùs Joannem Hierosolymitanum. Qui rursus idem in epistola ad Pammachium & Oceanum confitetur laudatum à se esse Origenem, non tamen ut *Dogmatistem*. Habebat ergo Hieronymus Dogmata Theologica vel in scriniis, vel in amplissimo saltem animi sui penu, ex Scripturis & sanctis Patribus compilata, ad quæ expenderet Scriptores recentiores, illosque ex ea norma vel probaret, vel repudiaret. In eo Cyprianum sequebatur, qui Tertulliani delectatus fuerat eloquio, non dogmate: aut si dogmate, non omni, non eo quo Montanus fovebatur. Denique ita Apollinarem, ita Eusebii historiam laudabat Hieronymus, ut in hoc Arianam fuligínem, in illo ademptam Christo homini mentem, & subrogatam Verbi Deitatem improbaret. *Laudavi interpretem Origenem, non dogmatistem; ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios: replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent me semper ejus dogmatibus contraisse. Quæ enim stultitia est sic alicujus laudare doctrinam, ut sequaris & blasphemiam? Et beatus Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut ejus scripta probant; cùmque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur. Fortissimos libros contra Porphyrium scribit Apollinaris: Ecclesiasticam pulcrè Eusebius historiam texuit: alter eorum dimidiatam Christi introduxit œconomiam, alter impietatis Arii apertissimus propugnator est.* Pag. 63. l.

Hinc porro manifestum fit quanta librorum, quanta eruditionis supellectile opus sit, ut Dogmatistes Orthodoxus constituatur. Non sola enim Dialectica opus est, quæ definiendo, dividendo, argumentando quæstiones fidei versel: sed Patrum lectione, necnon & aliorum Scriptorum, etiam historicorum, etiam heterodoxorum; horum denique omnium accurato examine, quo alia probentur, alia rejiciantur, una illa amussi ob oculos posita, Patrum consensione in interpretandis Scripturis. Quod rursus vehementer confirmatur his paulò inferiùs Hieronymi verbis: *Quod autem opponunt congregasse me libros illius, super cunctos homines: utinam omnium Tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii lectionis diligentia compensarem. Congregavi libros ejus, fateor, & ideo errores non sequor, quia scio universa quæ scripsit. Credite experto, Christianus Christianis loquor. Venenata sunt illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia. Legi, inquam, legi Origenem. Et si in legendo crimen est, fateor: & nostrum marsupium Alexandrinæ chartæ evacuarunt. Si mihi creditis, Origenistes nunquam fui. Si non creditis, nunc esse cessavi.* Pag. 64. l.

VII. In Apologia ad Pammachium & Marcellinum adversùs Ruffinum, hanc suam laudem Hieronymus communicat cum Hilario, Ambrosio, Victorino, qui & ipsi ex Origene multa excerpserant, & in suos transtulerant Commentarios, non promiscuè, non indiscriminatim, sed arrepta censoria virga, ut ea resecarent, quæ aliorum Patrum concentui repugnabant. Multa ergo Ambrosius ipse in suas scriptiones transtulit ex Origene, ut hic author est Hieronymus; multa Victorinus, multa Hilarius. Multa idem Ambrosius ex Philone Judæo, & ex Basilio, ut legenti & comparanti perspicuum fiet. Quod nunc aliud moliuntur sive Scholastici, sive Dogmatistæ Theologi? nisi quòd hi tantò plura corradunt, quantò plures nunc sunt Patres, & facilior majorque eorum copia. *Si authoritatem (Ruffinus) suo operi præstruebat, volens quos sequeretur ostendere; habuit in promptu Hilarium Confessorem, qui quadraginta fermè millia versuum Origenis in Job & Psalmos transtulit. Habuit Ambrosium, cujus penè omnes libri hujus sermonibus pleni sunt; & Martyrem Victorinum, qui simplicitatem suam in eo probat, dum nulli molitur insidias. De his omnibus tacet, & quasi columnis Ecclesiæ prætermissis me solum publicat, nihili hominem per angulas consectatur.* Pag. 66.

Majore nunc quidem fruimur copia sanctorum Patrum, maximè Græcorum; sed & tunc fruebantur non mediocri, tum quòd Græcè plerique scirent, tum quòd Græcorum multa Latino sermoni donata essent: etenim Ruffinus hic ipse Nazianzenum latinè verterat, etsi Græci sermonis elegantiam assequi non potuisset, Latinæ ipse elegantiæ

Pag. 67. K. gantiæ expers. *Numquid in illa Epistola Gregorium virum eloquentissimum non potui nominare: qui sui apud Latinos impar est, quo ego magistro glorior & exulto?*

In alia rursus Apologia adversùs Ruffinum declarat Hieronymus, quàm acri censura jam tum legerentur à se, quanta ab omnibus legi deberent Scriptores omnes Ecclesiastici, ne quando discordarent vel à sanctis Scripturis, vel à consensu eorum Patrum, quos ipsa jam sua canities & longa antiquitas Ecclesiæ universæ commendasset. Sic ergo ille de Origene, de Tertulliano, de Didy-
Pag. 80. M. mo: *Audi ergo, vir sapientissime, & Romanæ Dialectica caput, non esse vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare; sed eandem rem probare, & improbare. Ponam exemplum, ut quod non intelligis, prudens mecum Lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim. In Origene miramur scientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo verò & memoriam prædicamus, & super Trinitate fidei puritatem: sed in cæteris quæ Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes.*

Ruffinus ipse expensas habebat pro sui modo ingenii, & numeratas, varias Scripturarum sententias de Anima; Tertulliani, Lactantii, aliorum; majori Hieronymus accuratione Scriptores illos eorumque sententias excusserat, atque ita Ruffinum refellebat: ut ne dubitari quidem possit, quin ea jam tum argumentatrix & dogmatica esset Theologia. *Te multo tempore Pharus do-*
Pag. 81. E. *cuit, quod Roma nesciret. Instruxit Ægyptus, quod Italia hucusque non habuit. Scribis apud Ecclesiasticos Tractatores, treis de animabus esse sententias. Unam, quam sequitur Origenes. Alteram, quam Tertullianus & Lactantius: licèt de Lactantio apertissimè mentiaris. Tertiam, quam nos simplices & fatui homines non intelligimus.*

VIII. Sed quid oro te vel præstantius optari à quoquam potest, hoc rursus alio Hieronymi de Patribus, de Scriptoribus aliis judicio; de Latinis ac Græcis; de Scriptoribus etiam ancipitis, vel minùs sanæ quandoque fidei: ne eorum virtutes ob aspersa vitia contemnantur: ne utile propter inutile rejiciatur; ut ex omnium prorsus Authorum doctrina à mendis & erroribus segregata, contexatur orthodoxæ Theologiæ corpus longè pulcherrimum? *Ego Origenem propter eru-*
Pag. 104. *ditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos: ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Cæterùm qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi maledicto Prophetico subjacere: Væ bis qui dicunt bonum malum, & malum bonum: qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum prævitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. Quod si contentiosum inter se amatores ejus & obtrectatores funem duxerint: ut nihil medium appetant, nec servent modum: sed totum aut probent, aut improbent: lubentiùs piam rusticitatem, quàm doctam blasphemiam eligam.* Ita sanctus Pater in Epistola ad Tranquillinum.

Postremò denique idem Hieronymus in Epistola ad Minerium & Alexandrum, illud explanans Apostoli, *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur;* aliorum hactenus sententias exposuit, eorum etiam quorum in aliis dogmata, ut fidei minùs consona, ei displicebant, & tum obtrectatoribus suis ita os obturavit: *Hæc celeri sermone dictavi, quid eruditi viri de utro-*
Tom. 2. pag. 63. H. K. *que sentirent loco: & quibus argumentis suas velent probare sententias, vestræ prudentiæ exponens. Neque enim tanta est meæ pusillitatis authoritas, qui nihil sum, & invidorum tantum morsibus pateo, quanta eorum qui nos in Domino præcesserunt.* Et mox: *Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco; sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Salvatoris verba dicentis: Estote probati nummularii.* Et rursum: *Ego & in adolescentia & in extrema ætate profiteor & Origenem, & Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos; sed errasse in dogmatum veritate. Quod è contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere; & tamen omnes in explanationibus Scripturarum, sudoris sui memoriam reliquerunt.* Ac denique: *Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.* Quibus ex omnibus patet Hieronymum ejusmodi fuisse Theologum Dogmatistém, qui ad omnes obvias de fide, de Scriptura, de rebus Theologicis quæstiones, in numerato, & quasi in scrinio pectoris haberet, quid Scripturæ, quid Patres addocerent, quid Scriptores alii, etiam dubii, etiam hæretici, sed non in eo tamen hæretici, sensissent: qui omnia à Theologo legi vellet, omnia probari; quod bonum sanumque est, teneri.

IX. Cùm autem hodierna nostra sive Theologicorum dogmatum, sive scholarum Theologia, plurima sit in Philosophorum placitis trutinandis, & iis vel laudandis, vel vituperandis, non immeritò quæritur, an huic quoque rei ex antiquitate & Patrum exemplis conciliari possit authoritas? Magnus Orator Romanus per litteras Hieronymum sciscitatus fuerat, *Cur in Opusculis suis secularium litterarum interdum poneret exempla, & candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus pollueret.* Ad hæc respondens Hieronymus magnis se ruetur exemplis, Moysis, Prophetarum, Salamonis, ex quorum factis & verbis fas est dicta sapientum, Dialecticorum, & Philosophorum ad nostras lucubrationes transferre. *Quis enim nesciat & in Moyse,* Epist. ad Magn. Tom. 2. pag. 168. F. *& in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Unde in exordio Proverbiarum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientum, & anigmata, quæ proprie Dialecticorum & Philosophorum sunt.* Mox Paulum profert ejusque contextus non paucos, ex Poetis decerptos, qui primi, qui & olim laudatissimi erant Philosophi.

Subjicit Hieronymus Origenem & Methodium, Eusebium & Apollinarium, qui Celsum & Porphyrium Philosophos in Ecclesiam Christi atrocissimè bacchatos, ita retuderant, ut aliorum Philosophorum & tota sæcularis litteraturæ mole illos obruerent. Scripsisse & Julianum Apostatam adversùs Christum, quæ penè necesse sit ex Gentilibus Philosophis refelli, cùm ille Scripturas nostras aspernetur. *Scripserunt contra nos Celsus atque Porphyrius; priori Origenes, alteri Metho-*
Ibidem. H. *dius, Eusebius, & Apollinarius fortissimè responderunt. Quorum Origenes octo scripsit libros, Methodius usque ad decem millia procedit versuum. Eusebius & Apollinarius viginti quinque & triginta volumina condiderunt. Lege eos, & invenies nos comparatione eorum imperitissimos; & post tanti temporis otium, vix quasi per somnium, quod pueri didicimus, recordari. Julianus Augustus septem libros in expeditione Parthica adversum Christum evomuit: & juxta fabulas Poeta-*

rum,

rum, ſuo ſe enſe laceravit. Si contrà hunc ſcribere tentavero, puto interdices mihi, ne rabidum canem Philoſophorum & Stoicorum doctrinis, id eſt, Herculis clava repercutiam.

Vide hìc qui & quanti viri ex Stoicorum cæterorumque Philoſophorum collectis teſtimoniis formidoloſos Chriſtianæ rei adverſarios, & propulſarint, & non aliter ferè propulſare potuerint, cùm Scripturas illi noſtras deridiculò haberent. Hæc eadem certè ratio & neceſſitas jam antè Joſephum impulerat, ut contra Appionem Grammaticum Alexandrinum, totam etiam inſtrueret ſæcularem litteraturam, cunctam Græcorum Bibliothecam homo Hebræus evolveret, & in aciem produceret. Id ipſum de Philone dicere fas eſt, in Philoſophia ſæculi ita verſato, ut alter Plato, Plato Hebræus dicatur. Ea erat via expeditiſſima Philoſophos & Gentiles ad religionem Hebraicam pelliciendi, qui non aliis facilè aſſentiebantur, quàm Philoſophis.

CAPUT LXV.

Rurſus de eodem progreſſu Scholaſticæ Dogmaticæque Theologiæ ab ipſis Eccleſiæ primordiis.

I. Primoribus ipſis ſæculis Theologia noſtra neceſſariò munienda fuit plurima Philoſophorum lectione, ſuffragatione, refutatione.

II. Ex omnium Philoſophorum ſectis quantas opes Eccleſiæ intulerit Clemens Alexandrinus.

III. Quantas Origenes. Qui dicerentur Stromatum libri: quàm alluderent ad Theologica dogmata. Complures alii Patrum commentarii, ex Philoſophorum doctrinis contexti.

IV. Latini Patres ea quoque in re Græcos imitati ſunt; præ cæteris Auguſtinus in libris de Civitate Dei.

V. Oppreſſis Philoſophis, adversùs hereſes elaborandæ rurſum quædam fuere veluti Stromata Dogmatum Theologicorum ex Scripturis & Patribus.

VI. Ut Auguſtinus æquè ac Hieronymus haberet congeſta omnium Patrum ſuffragia, ad quaslibet fidei, vel Theologiæ quæſtiones. Ut hæc eſſet veluti jugis & univerſalis Synodus, cujus authoritatem detrectare poſſet nemo.

VII. Ut invictiſſimam fidei defenſionem conſtituat Auguſtinus in hac generali veluti Synodo Patrum omnium utriuſque Eccleſiæ, in unum Librum vel Scholaſticæ Theologiæ, vel Theologicorum Dogmatum congregata.

VIII. Quàm non immeritò habeatur Auguſtinus dux & author Theologiæ Scholaſticæ, Patriciæque ex Conciliis & Patribus conſarcinatæ.

IX. Exempla alia perantiqua Theologicarum veluti Summarum.

I. SUbjicit Hieronymus Quadratum Apoſtolorum Diſcipulum & Epiſcopum Athenienſem Adriano Imperatori librum pro noſtra religione tradidiſſe, & tantæ admirationi fuiſſe, ut perſecutio in nos ſæviſſima ſedaretur. Subdit & Ariſtidem Philoſophum virum eloquentiſſimum, qui *eidem Principi Apologeticum pro Chriſtianis obtulit contextum Philoſophorum ſententiis.* Subdit & Juſtinum, Philoſophum & ipſum, qui Antonino Pio & filiis ejus Senatuique librum contra Gentiles tradidit, & Gentilium Philoſophorum doctrina caſtigata, ignominiam crucis & reſurrectionem Chriſti ſumma prædicavit libertate.

His addit Hieronymus complures alios, qui Origenis deliramenta eo vel maximè confutarunt, quòd Philoſophorum fontes ipſos indigitaverunt, ex quibus hæc ille hauſerat. *Quid loquar de Melitone, Sardenſi Epiſcopo: Quid de Apollinario Hierapolitanæ Eccleſiæ ſacerdote, Dionyſioque Corinthiorum Epiſcopo, & Tatiano, & Bardeſanne, & Hirenæo Photini martyris ſucceſſore: qui Origenis hereſeon ſingularum venena, ex quibus Philoſophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt?* Ergo ut hìc perſpicis, quando necdum multa exierant in publicam lucem ſanctorum Patrum monumenta, non deerant quæ neceſſariò lectitari deberent præter ſacros Codices, ab Epiſcopis, à Doctoribus; nimirum Commentarii Philoſophorum, ſive ad noſtra dogmata alludentium, ſive ab iis abludentium, ut illorum aſtipulatione, horum confutatione, ſacra doctrina noſtra convaleſceret & propagaretur: quin etiam vel natæ, vel naſcituræ ex Philoſophis hæreſes eliderentur. Scholaſtici hi ergo videri poterant Theologi. Philoſophis enim in Eccleſiæ caſtra pellectis, facilè Gentilium plebes in ea convolabant. At Scripturarum & Patrum ſive authoritate ſive doctrina minùs aliquando movebantur Philoſophi, quàm teſtimoniis & argumentis media ex Philoſophia promptis.

Scatebat ergo tum Philoſophis Eccleſia, per quos & alios ad ſe Philoſophos pertraheret, non Græcos tantùm, & Latinos, ſed Indos etiam, & in extremas orbis oras ſummotarum gentium. Id enim apertè de Pantæno mox ibidem affirmat Hieronymus: *Pantænus Stoicæ ſectæ Philoſophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetriano Alexandriæ Epiſcopo miſſus eſt in Indiam, ut Chriſtum apud Brachmanas & illius gentis Philoſophos prædicaret.* Ita ergo Philoſophia non tantùm Eccleſiæ & Theologiæ ſuppetias tulit, ſed ipſamet Theologiæ vices implevit, etiam in barbararum gentium converſione; Apoſtolicas & Epiſcopales ſedes non ſemel occupavit.

II. Sed omnium Hieronymi judicio doctiſſimus Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, *octo ſcripſit Stromatum libros, & totidem ὑποτυπώσεων & alium contra gentes, Pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, immo quid non è media Philoſophia eſt?* Planum eſt ergo primos illos Eccleſiæ Patres, & quidem doctiſſimos, ſummoſque Theologos, ita ſacram doctrinam litteris conſignaſſe, ut non Philoſophica minùs quàm Theologica eſſent eorum opuſcula. Concrevit ergo jam tum Philoſophia cum Theologia noſtra; & fruſtra ſunt, qui jam impatientiùs ferunt tantam Philoſophicæ doctrinæ cum Theologia conjunctionem, quanta in ſcholis nunc noſtris perſpicitur. Nec verò Clemens uni ſe Platonicorum ſectæ addicit, aut ejus ex unius hortis flores legit, quos Theologiæ noſtræ conſecret. Omnes promiſcuè Philoſophorum ſcholas adit, omnes percurrit; ex omnibus deligit & delibat, quidquid illuminando & ſuffulciendo Theologico noſtro dogmati uſui eſſe poteſt.

III. Clementem ut mox ſubdit Hieronymus *imitatus Origenes, decem ſcripſit Stromateas Chriſtianorum & Philoſophorum inter ſe ſententias comparans, & omnia noſtræ religionis dogmata de Platone & Ariſtotele, Numenio, Cornutoque confirmans.* En quales eſſent, qui vocabantur *Stromatum* libri, ex Chriſtianorum ſcilicet & Philoſophorum ſententiis inter ſe comparatis contexti, ubi Chriſtianæ Theologiæ dogmata ſuffragiis Platonis, Ariſtotelis, Numenii, aliorumque Platonicorum, Peripateticorum, Pythagoricorumque Philoſophorum confirmabantur. Suprà demonſtratum eſt à me in expendenda Patrum authoritate, ne ſcripta quidem Patrum, qui jam orbi illuxerant, in his Stromatum libris prætermiſſa. In horum ergo veſtigia inſiſtere viſus eſt non immerito ſummus vir Petavius in Theologicis ſuis Dogmatibus procudendis & publican-

Ibidem pag. mih. 8.

Ibid. p. 11.

blicandis; quem & nos longo ex intervallo sequi contendimus. Faxit Deus ut & alii plures deinceps assequantur. Quid enim oro te dogmata hæc nostra Theologica, quàm veluti Stromatum libri quidam, ad imitationem Clementis & Origenis, ex sacra potissimùm, sed & ex sæculari litteratura contexti? Plures hic nunc Patres, quàm Philosophi: & ex adverso plures illic tunc radiabant Philosophi, quàm Patres, quòd ea esset, quòd ea sit temporum natura & conditio, & Ecclesiæ necessitas.

Ut verò intelligas, quàm brevi tempore & in immensum adauctus sit Patrum numerus, & quàm ex eorum Commentariis nihil prorsus Theologos nostros effugeret, & quàm denique contextio illa placeret Patrum atque Philosophorum, Theologiæ & Philosophiæ, adverte ad ea quæ mox ibidem disserit in eam rem Hieronymus: *Extant & Julii Africani libri, qui temporum scripsit historias: & Theodori, qui postea Gregorius appellatus est, viri Apostolicorum signorum atque virtutum; & Dionysii Alexandrini Episcopi; Anatolii quoque Laodicenæ Ecclesiæ sacerdotis, nec non Presbyterorum Pamphili, Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Cæsariensis Episcopi, & Eustathii Antiocheni, & Athanasii Alexandrini; Eusebii quoque Emiseni, & Triphillii Cyprii, & Asterii Scythopolitæ, & Serapionis confessoris: Titi quoque Bostrensis Episcopi; Cappadocumque Basilii, Gregorii, Amphilochii; qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.* Ibidem.

Numerosissimus hic tunc erat, idemque florentissimus Ecclesiæ Senatus, ubi sanctitas plerumque doctrinæ certabat, ubi Confessores & Martyres, ubi summarum sedium Antistites, ubi majorum gentium Doctores, & Ecclesiæ Patres: atqui hi *omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.*

IV. Hæc porro ad Græcos pertinebant Patres. Jam ad Latinos delabemur, quorum & nomina, & libros, & utriusque eruditionis miram congeriem, miram Philosophicarum literarum cum nostra Theologia consensionem ita prosequitur Hieronymus: *Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus ejus & contra gentes libri, cunctam sæculi obtinent disciplinam. Minutius Felix causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, & in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur authorem, quid gentilium Scripturarum dimisit intactum? Septem libros adversùs gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius, qui de ira quoque & opificio Dei duo volumina condidit: quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies. Victorino martyri in libris suis licèt desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas. Cyprianus quòd Idola Dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum & sensuum splendore perstrinxit?* Ibidem.

Augustinum non tacuit Hieronymus, ut superioribus capitibus declaratum est; quin & nascenti & adultæ jam ejus laudi famæque propensissimè favit; nec dubito, quin multò effusior in ejus adhuc laudes fuisset, si ejus Civitatis Dei librorum copiam habere potuisset. Sed cùm illis summam forsan manum necdum imposuisset Augustinus, forsan nec evulgasset adhuc, aut in Hieronymi manus non veniissent, hinc hujus silentium de lucubratione omnium operosissima, & supra omnem admirationem posita. Ubi enim usquam tanta copia & Oratoriæ, & Poeticæ, & Philosophicæ, & Theologicæ eruditionis? Hic planè invictissimè conficitur, quidquid usquam fuit Philosophorum Christo adversantium; hic ei conciliatur quidquid ex eorum doctrina Evangelicæ veritati conciliari potuit: potuit autem plurimum. Id enim vehementer observandum, id frequenter nobis inculcandum visum est, ubi Philosophiam & Theologiam tractabant sancti Patres, in id eos potissimum connixos esse, non ut rixas ferrent, non ut lites alerent, sed ut pacem & concordiam ubique curarent, arctissimèque constringerent, quà fas esset.

V. Postquam verò extinctis propemodum Philosophorum Gentilium Sectis, cum solis hæreticis belligerandum nobis fuit, contentiosa hìc etiam nobis Theologia opus fuit, Græcis Latinisque Patribus in mediam aciem prodeuntibus; rursum Stromata quædam nobis Theologicorum dogmatum texenda fuere, non omnino præteritis Philosophis, sed paginas penè omnes implentibus sanctorum Patrum testimoniis. Ex Augustino jam ostendimus, quàm illi, quàm Hieronymo commendatum esset, Scriptores omnes pervolutare, orthodoxos, heterodoxos; quid eorum singuli, quid universi de Scripturæ controversis locis, de quæstionibus Theologicis quibuslibet sensissent, adnotare, ad unguem tenere, depromere, si quid à quoquam Novatore effutiretur, quod antiquam Ecclesiæ fidem, quod sacram concuteret Disciplinam. Sic planè Augustinus primùm de Hieronymo, tum postea de seipso: *Hunc doctissimum virum si facilè interrogare possemus, quàm multos utriusque linguæ divinarum Scripturarum Tractatores & Christianarum disputationum Scriptores commemoraret, qui non aliud ex quo Christi Ecclesia est constituta, senserunt; non aliud à Majoribus acceperunt; non aliud posteris tradiderunt? Ego quidem quamvis longè pauciora legerim, non memini me aliud audivisse à Christianis qui utrumque accipiunt Testamentum, non solùm in Catholica Ecclesia, verumetiam in qualibet hæresi, vel schismate constitutis; non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui Scripturas canonicas sequerentur, vel sequi se crederent, credive voluissent.* Augustin. De peccat. mer. & rem. L. 3. c. 6. Tom. 7. pag. 275.

Hæc tota Patrum aliorumque Scriptorum conglomeratio quò spectaret, declarat sanctus Pater, dum ait ex his invictissimè constare, quid hi omnes senserint, quid à Majoribus acceperint, quid posteris tradiderint; ac proinde quæ fuerit Catholicæ Ecclesiæ jam inde ab exordio fides, quæ sit adhuc toto orbe terrarum: ut hæc jam sit ineluctabilis authoritas non Scriptorum privatorum, sed Ecclesiæ universæ, cui obrepere error non potest. Quod rursus ibidem ab eodem confirmatur Augustino: *Hæc non ideo commemoravi, quòd disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica authoritate nitamur; sed ut appareat ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur.* Ibid. c. 7.

Erant ergo jam tum Summæ Theologicæ, erant Dogmatum Theologicorum consarcinationes inter Augustini & Hieronymi schedas, erant in eorum Bibliotheca. Quod idem rursus liquet ex eodem alibi Augustino, ut ad quæstiones fidei haberet sepositos & numeratos antiquorum Patrum locos, etiam ubi ipsa per sese Scriptura valdè perspicua erat. *Quid autem dicam de ipsis divinarum Scripturarum Tractatoribus, qui in Catholica Ecclesia floruerunt? quomodo hæc non in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in antiquissima & robustissima fide; non autem novitio movebantur errore. Quos si colligere & eorum testimoniis uti velim, & nimis longum erit,* De nuptiis & concupisc. L. 2. c. 29. pag. 123.

erit, & de canonicis authoritatibus, à quibus non debemus averti, minùs fortassè videbor præsumpsisse quàm debui. Ambrosium mox & Cyprianum allegat, complures alios allegari posse ostendit, quos *nemo ausit Manichæos dicere, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergere.*

VI. Quid illud, quod in exordio prioris sui contra Julianum Pelagianum operis contestatur, habere se ad manum immensam farraginem testimoniorum ex sanctis omnibus Patribus ad has lites finiendas; sed quia nimis longum id esset, pauca paucorum se positurum. *Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor; quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum; quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere.* Tum Irenæum, Cyprianum, Reticinium, Olympium, Hilarium promit, nec non & Ambrosium, ac denique Innocentium Papam. Ne ad Græcos autem provocarent Pelagiani, Nazianzeni bene multa accumulat testimonia, nec non & ex Basilio: nec silet quæ ex horum scriptis objici contrà possint, & qui ea solvenda sint. Etsi proclive esset conjectari reliquos Orientales Episcopos à Nazianzeno & Basilio non dissentire, quatuordecim tamen alios accersit suffragatores Episcopos ex Concilio Diospolitano, ubi Pelagius coram suum ipse errorem retractare metu imminentis anathematis compulsus fuerat. Ejusmodi erat Augustini Theologia contentiosa, ejusmodi Theologica ejus Dogmata, è Græcis & Latinis Patribus, ex Pontificum Romanorum & Conciliorum decretis compacta.

Adv. Jul. L. 1. c. 4.

Quoniam verò magnum jure merito & illustre erat Chrysostomi nomen, & de illo nonnihil sibi blandiebantur Pelagiani: ad illum progreditur Augustinus, & ex ejus libris aliquantò etiam plura accumulat, quàm ex aliis Patribus, in suæ causæ fideique Catholicæ defensionem. Sed illo tamen antè usus erat S. Pater argumento, non potuisse Chrysostomum non esse consentaneum tot aliis suprà laudatis Patribus Græcis atque Latinis. *Absit ut Joannes de baptismate parvulorum tot ac tantis Episcopis suis, maximèque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.* Tam frequentem, tam augustum Patrum Senatum, Episcoporum Concilium, toto ex orbe, prioribus ex omnibus sæculis congregatum, tantos Ecclesiæ filios & Patres, negat Augustinus à Pelagianis recusari posse, ut non in eorum sententiam concedant: *Ecce quò te introduxi; Conventus Sanctorum istorum non est multitudo popularis; non solùm Filii, sed & Patres Ecclesia sunt. Ex illo numero sunt, de quibus prædictum est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. Ex qua filii regenerati sunt, ut hæc discerent; ejus patres facti sunt, ut docerent.* Ejusmodi sive Senatus Patrum, sive Generalis Episcoporum Synodus sæpè ab Augustino repræsentatur, sæpè in Dogmatibus Theologicis, in Theologorum Scholasticorum lucubrationibus.

Ibid. c. 6.

Ibid. c. 7. p. 338.

Omnes hi Patres sacris erant Litteris instructi, humanis & Philosophicis non pauci. Unde posteà Augustinus: *Sed sanctos & in sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis, aliisque hujuscemodi, vel Græcis, vel Latinis, quanquam & istis aliquos eorum; verùm omnes sacris Litteris eruditos, nominatim, sicut oportebat, expressit.* Omnes prorsus non suarum cogitationum amatores, sed Ecclesiæ antiquissimarum Traditionum, quas ut à Majoribus consignatas acceperant, ita posteris consignabant; ut in his concertationibus & lucubrationibus Theologicis una maximè splenderet Ecclesiæ fides & authoritas antiquissima: *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Itaque contemni jam à nemine potest hæc Theologicarum Scholarum ratio, hæc sententiarum ex Philosophis, ex Patribus, ex Conciliis decerptarum contextio, quin Ecclesiam in ipsam ea contumelia resiliat, & in Scripturas, quæ tantum Ecclesiæ adjecerunt authoritatis. Has denique in antecessum concinnari Theologicas Patrum & Conciliorum consarcinationes, eò etiam conducibile est, quòd si quæ posteà emergant novitates, eæ jam hinc demonstrentur præfocatæ. Ita enim Augustinus in Julianum depugnabat, Non posse ab eo solitas illas nænias & querelas fundi, quasi partium studio agerentur Judices, qui in Pelagianos sententiam ferebant: cùm jamdiu antè illi vivere desissent, & de futuris his contentionibus rescire nil potuissent. *Nondum vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vincimus.*

VII. Sed quàm præclara, quàm invicta, quàm errorum omnium victricia sunt, quæ ad calcem hujus secundi contra Julianum libri pronunciat Augustinus, post congregatos in unam generalem Synodum, in unum librum tot antiquos & recentiores Patres, tot Græcos & Latinos, tot Synodos & Pontifices, indubitatissimos perpetuæ Ecclesiarum omnium doctrinæ testes. Hunc Augustini locum eò lubentiùs profero, etsi jam superiùs prolatum, quòd in his Prolegomenis nihil aptius, nihil validius à me proferri potuisse sentiam; non tantùm ad Theologicorum nostrorum dogmatum, sed & ad totius Scholarum Theologiæ defensionem. Personant enim passim harum quotidie pulpita densissimis Patrum & Conciliorum sententiis & Decretis in omnes prorsus Theologicas controversias: *Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè toti sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem: tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.*

Ibid. c. 13. pag. 344.

VIII. Non immeritò ergo Augustinus princeps & author habetur eorum, qui Theologiam via & ratione tradiderunt. Pulcherrimam hanc ille viam nobis præivit & communivit, controversias quaslibet Theologicas, sive adversùs Philosophos exteros, sive adversùs hæreticas Sectas pertractandi atque diffiniendi, ex Scripturis sacris, ex Patribus, ex Conciliis, Græcis Latinisque, ex ipsis etiam Philosophis, ubi & ab illis placita nostra speravit fulciri & illuminari posse. Nec testimonia tantùm ille Patrum corrasit, sed explanavit, roboravit, obstantes difficultatum moles disjecit. Sacram rursus ille doctrinam velut in compendium misit, tum in Sermonibus compluscults de Symbolo, tum in Enchiridio ad Laurentium; quod verè Enchiridium esse voluit,

Ibidem L. 2. c. 10. pag. 143.

sua

sua brevitate commendatum, atque adeo probationibus ferè destitutum, ut se suapte vi & luce ibi veritas ipsa commendet.

IX. Ejusdem generis est liber Fulgentii de Fide ad Petrum; & hoc enim Enchiridium est, seu fidei orthodoxæ compendiaria Summa. In eandem classem conjici debet Liber Gennadii Presbyteri Massilienſis de Dogmatibus Ecclesiasticis. His præmittendus fuerat elegantissimus Prosperi liber Sententiarum ex Augustino decerptarum, quas si ille digessisset in summa quædam capita & placita Theologica, insigne hoc jam fuisset rudimentum Dogmatum Theologicorum ex Augustino.

Utrumque complexus est Cassianus in suis Collationibus Patrum: nam & eorum placita mandavit litteris, & ipsis eorum sententiis atque argumentationibus vallavit. Istud enimverò esset absolutissimum Dogmatum Theologicorum opus, si Patres illi fuissent, qui non sola vitæ sanctimonia floruissent, sed Cathedrarum etiam Episcopalium apice, Apostolica successione, Ecclesiarum administratione, Conciliorum celebratione, expugnatione quarumlibet hæreticarum Sectarum; atque ita verissimè Patres & Doctores Ecclesiæ fuissent.

Primus omnium Isidorus Hispalensis Episcopus lucubravit Summam quandam Sententiarum de summo Bono, quo & Prosperum imitatus est, & imitatorem longo pòst tempore habuit Petrum Lombardum, non sine magno inter eos discrimine. Namque Augustini solius Prosper, non aliorum Patrum verba posuit, nec ea commentationibus suis illustrare curavit. Isidorus longè plurimorum, ut mihi quidem videtur, Patrum verba accumulavit, sub iisdem propemodum titulis, in quibus postea versati sunt Scholæ Theologi; nomina ipsa Patrum non indicavit. Lombardus & complures compilavit Patres, & sigillatim eos declaravit, & suis illos præterea observationibus illustravit.

Unius ex Gregorii Magni libris Paterius Ecclesiæ Romanæ Notarius, & ipsius Gregorii alumnus, excerpsit Commentarios in omnes penè Scripturas, tum Veteris Testamenti, tum Novi; ita sanè ut suum nihil interponeret, sola poneret Gregorii verba variis ex ejus libris decerpta. Illum præiverant, aut postea imitati sunt Cassiodorus in Psalmos, Beda, Strabus, Rabanus, in omnes propemodum Scripturas: Cassiodorus ex uno, ut apparet, Augustino; Beda etiam ex uno Augustino in Paulum: in reliquas Scripturas tum Beda, tum Rabanus & Strabus, ex longè plurimis Patribus, tacitis eorum sigillatim nominibus. At rursus ex solo Gregorio Magno Joannes Ecclesiæ Romanæ Diaconus ita Gregorii ipsius vitam compilavit, ita eam ejus Registro & Epistolis illuminavit, ut non solùm ille Gregorii vitam chartis mandare voluisse videatur; sed totam prorsus Ecclesiæ disciplinam, eamque defæcatissimam. Verùm hæc ad interpretationem Scripturarum spectant, non ad Dogmatum elucidationem.

CAPUT XLVI.

Iterum de progressu Theologiæ Dogmaticæ Scholasticæque ad hanc usque ætatem nostram.

I. Ut seculo nono Theologici prodierint ex sanctis Patribus & Conciliis tractatus.

II. Quæ primæ fuerint Canonum Synodalium, & Epistolarum Pontificiarum compilationes.

III. De iis rursum qui Summas Theologicas, vel Canonum & Decretorum condiderunt, ex Conciliis, Patribusque; maximè de Gratiano.

IV. Sancti Caroli Borromæi in his judicium studiumque. De libris Decretalium.

V. De Summis Theologicis, ac de Petro potissimùm Lombardo.

VI. Græcorum Scriptorum compilationes antiquissimæ ex sacris prophanisque authoribus: Justini, Clementis, Eusebii, Theodareti, Damasceni, Euthymii, ad quæstiones Theologicas.

VII. Græci compilatores & commentatores Synodalium, & Patriarchalium Decretorum: Basilius, Balsamon, Zonaras, Photius, Blastares.

VIII. Quam arcta & sit & esse debeat Canonum & Theologicorum dogmatum totiusque Theologiæ conjunctio.

IX. Gregorii Papæ IX. monita ad Theologos scholæ Parisiensis omnium principis, ut Theologia ne dominetur, sed famuletur Philosophiæ.

X. Rursum varia Pontificum & Conciliorum monita ad regenda & modulanda Theologica studia.

I. PRopiùs accesserunt ad Theologicas posteriorum sæculorum lucubrationes, qui sæculo admodum nono scriptis suis Ecclesiam maximè Gallicanam locupletarunt. Tres libros scripsit Jonas Aurelianensis Episcopus *de Institutione laicali*, hoc est de Fidei & Morum doctrina, qua laicos fideles imbui & regi æquum est; luculentum in primis opus, ex Scripturis & sanctorum Patrum testimoniis contextum. Eodem illo ævo medio Remigius Lugdunensis Episcopus & Ecclesia ipsa Lugdunensis, Hincmarus Remensis, & alii nonnulli Commentarios scripsere mira eruditione refertos, & sanctorum Patrum, maximè Fulgentii & Augustini testimoniis passim scatentes, super quæstionibus à Gotteschalco Monacho excitatis de Prædestinatione & Gratia. Concilia quoque ultro citroque in eam rem habita sunt. Totus hinc & inde Patrum Senatus prodibat, ipsa eorum verba prolixiùs promebantur, nec vel eloquentia, vel argumentandi vis & peritia aberat. Etsi dissidere ipsi quandoque sibi videbantur, & in diversas trahere partes suffragia Patrum: nec ipsi tamen quandoque dissimulabant, verborum magis quàm rerum & sententiarum suam hanc esse concertationem, & faciles esse obviasque pacis vias. Id quoque non mediocriter redolebat antiquorum Patrum doctrinam, qui pacem inter sese alebant, & id se percupere præ se ferebant. In comperto autem est, inter eos pacem facillimè redintegrari, qui eam ex animo cupiunt.

II. Hincmarum laudavi ut mediæ hujus Theologiæ lumen non mediocre. Sed commendandus ille rursum nobis venit, ut Juris Canonici consultissimus, & tota Patrum, Conciliorum, & Pontificum supellectile instructus ad Ecclesiasticæ Disciplinæ quæstiones finiendas. Et hæc enim Theologiæ pars est insignis, quæ mores, regulasque morum complectitur. Evolve Hincmarum, ubique Patrum, ubique Pontificum, ubique Conciliorum responsa & verba ipsa occurrant, similiter & Legum Cæsarearum. Cæterùm ut Patrum, ita & Conciliorum scita jam olim quàm multi cœperant consarcinare. Concilium Eliberitanum, docti viri suspicantur Collectionem esse plurimorum Canonum ex Hispaniæ Conciliis, perinde ut Concilium Carthaginense IV. ex Africanis Synodis. Certè ambigit nemo, quin Africanum quod vocatur Concilium, Conciliorum Africæ complurium farrago sit; quod & multò etiam indubitatius est de Canonibus Africanis etiam Græcè editis. Codex Canonum Ecclesiæ Græcæ in Concilio Chalcedonensi jam vigebat. Codex Canonum Ecclesiæ universæ, sicut & Codex Dionysii Exigui non solos jam Canones Conciliorum continet, sed &

plures

plures Pontificum Romanorum Epistolas Decretales. Sed in his solæ radiant Epistolæ aliquorum Pontificum; soli Conciliorum etiam aliquorum Canones: at Ferrandi è contra Diaconi Collectio solos habet titulos, seu argumenta Canonum, designatis illicò Conciliis etiam pluribus, quæ eundem Canonem ediderint. Martinus Dumiensis Abbas, qui & postea Braccharensis fuit Episcopus, prolixam & ipse Collectionem edidit Canonum, partim Græcorum, partim Latinorum.

III. Verùm hi omnes Canones Conciliorum & Decreta Pontificum in unum veluti corpus contexuisse contenti, nec Notas præterea, nec Commentationes suas ullas addidere; quod primò adgressi sunt Regino & Burchardus Vormaciensis Episcopus, Ivo deinde Carnutensis Episcopus & Gratianus. Hi enim omnes non Canones, non Decreta tantùm in unum Codicem conjecere, ut antè factitabatur; sed in summa quædam Capita cùm seu Dogmaticam Theologiam, seu magis Ecclesiasticam Disciplinam digessissent, statim ea singula variis sanctorum Patrum testimoniis, Pontificum Decretis, Synodorum statutis munierunt. Id verò ad Dogmata nostra Theologica accedit quàm proximè, eo tamen certè discrimine, quòd nos Theologiam potiùs tractamus Dogmaticam, illi Disciplinam magis Ecclesiæ explanandam expoliendamque adgressi sunt. Unum est potissimùm, quod in Reginone de Disciplinis Ecclesiasticis scribente, in Burchardi, in Ivonis, in Gratiani Decreto desideretur, delectus authorum, & in singulis rursum authoribus delectus germanarum ipsorum lucubrationum. Quoties in his ab illis & à Gratiano ipso peccatum sit, nihil attinet dicere, ne eorum laudes arrodere videamur, quorum ex adverso industriæ & labori non illubentes profitemur nos plurimùm debere. In iis certè eminet Gratianus, qui anno 1151. Decretum suum compilavit, ut adnotat Baronius ad eum annum, qui & Monachum illum fuisse testatur sancti Felicis Bononiensis, Ordinis sancti Benedicti, sub Eugenio III. Papa. Adnotatur & in Annalibus Cisterciensibus ad eum annum ex Notis ad historiam Joannis Dubravii: *Sancti Bernardi Clarevallensis Abbatis hortatu Gratianum Pontificum Decreta compilasse*. Quod si certò constet, est haud dubio, quod & Bernardo & Gratiano ipsi gratulemur. Eccubi enim ante Gratianum tanta radiaverant verborum & sententiarum lumina ex sanctis Patribus & ex Conciliis Pontificibusque, in infinitas propemodum Ecclesiasticas quæstiones? Non immeritò ergo unus Gratianus publicè in Scholis prælegitur.

IV. Nec ad Gratiani Decreti commendationem minus ponderis est in judicio sanctissimi Antistitis Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis. Is enim, ut author est vitæ ejus Scriptor Carolus à Basilica Petri Episcopus Novariensis, ea maximè Theologia delectabatur, quæ Scripturas, quæ Patres sectabatur: ea Canonum peritia, quæ Patrum mores, & acta repræsentans, rationem continet Ecclesiæ puriorem semper in formam componendæ, cujusmodi esse Decretum Gratiani existimabat. Molestè ferebat certè eos tantùm Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites valent; unde & constitutus est ab eo Mediolani specialis Canonum Doctor; quin & Romæ ut ejusmodi aliquid tentaretur, perfecit. En verba ipsa Scriptoris vitæ Caroli: *Ex Theologia, Scripturas divinas potissimùm sequebatur; tum veteres Patres, interpretesque illos, qui solidiorem sensum amplectuntur. Canonum ea scientia perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet; dolens autem eos communi consuetudine tantummodo Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites, judiciaque valent. Constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde sacra majorum instituta, & ritus optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur; quos verò ejusmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum studiis, jam inde ab illis Sirleti initiis, benignè favit.* Et rursus idem ipse aliquantò inferiùs: *Præterea veteres Canones à Gratiano collectos, uti diximus, interpretari jussit. Quo in studio quamvis summa fuerit Caroli voluntas, paucis tamen id persuasit; trahuntur enim facilè omnes cæterorum exemplo; eaque libenter sequuntur, quæ plurimorum judicio, & usum afferunt, & nomen; qualis est vulgaris Canonum peritia, scholasticaque Theologiæ progressus. At veteris Ecclesiæ ratio bene cognita, solidæ utilitatis est, arma contra hæreticorum impugnationes suppeditat, & ad Ecclesiam ordinandam constituendamque magnum præbet adjumentum.* Ibid. c. 14. Pag. 158.

Qui essent hi Canones, à quibus subalieno Carolus animo fuisse videri potest, non arduum est divinare; libros scilicet Decretalium Pontificiarum à beato Raymundo de Penafort jussu Gregorii IX. primùm compilatos, quibus & aliæ postea accessere compilationes. Eos tamen, ut id obiter Lectorem admoneam, ad lites in Scholis legi, non eorum, sed legentium vitium est. In Ecclesiastica enim nostra de Beneficiariis Disciplina id patefecimus, esse in his Decretalium libris bene multa, & ex Patribus, & ex Conciliis, sed & ex Pontificum Romanorum Decretis, quæ si in usum revocarentur, & antiqua pœnitentiarum publicarum forma reflorescceret, & Cleri sanctimonia,

V. Ex hoc diverticulo ad Theologicas scholas retorquenda jam nobis oratio est, quibus præluxisse videntur Hugo de sancto Victore & Richardus de sancto Victore, ac denique Petrus Lombardus, vulgò Magister Sententiarum, ob quatuor Sententiarum libros, quibus universam ille Theologiam complexus est. Et Hugo quidem & Richardus eam rationem iniere, ut Patrum testimonia ponant nulla, aut pauciissima, sed suis ipsi verbis ac sententiis sanctos Patres proximè sequantur, & imitentur magis, quàm exscribant. At Magister Sententiarum ita suis Commentationibus Theologicis Patrum suffragia illigavit, ut quid ejus, quid Patrum sit, internoscatur; etsi totus ipse est in Patrum doctrina elucidanda. Quorsum hìc attinet ei Operi plaudere, cui toto orbe terrarum tot jam decurrentibus sæculis applaudunt Theologicæ scholæ? Nil poterat scribi affinius Dogmatibus Theologicis, si non Theologi & Canonistæ ejus ævi vitio ætatis suæ, magis quàm suo, in dignoscendis & authoribus antiquis & opusculis eorum, germanis, an nothis, sæpiùs titubassent.

VI. Jamdiu Latinis solis immoror; recurro nunc ad Græcos, etsi de iis eorumque Stromatibus, Hypotyposibus, & aliis id genus compilationibus multa jam nobis inculcarit Hieronymus; Multa etiam in eam rem diximus suprà, ubi authoritatem Patrum ex ipsis Patribus Græcis persequeremur. Et Patres enim & Synodos indigitavimus, qui longa Patrum vetustorum & Synodorum congerie sua placita, Catholica dogmata confirmarint. Justinum ipsum Martyrem narrat Eusebius scripsisse *Librum de Monarchia Dei, quam quidem non solùm authoritate sacrorum apud nos voluminum, sed gentilium etiam Scriptorum testimoniis asseris.* Sed & ab Irenæo semel iterumque prolatam esse Justini authoritatem, idem mox subjungit. De Clementis Alexandrini Stromatibus hæc idem Eusebius infrà testificatur, quibus quadrabant omnino ea, quæ ex Hieronymo suprà delibata sunt: *Porro in τρωματέων libris, non solùm ex sacris litteris plurimos insternit flosculos, verùm etiam ex gentilium libris, siquid fortè ab illis commodè dictum est, commemorat; varias Græcorum simul ac Barbarorum explicans opiniones, quæ apud multos illorum leguntur: falsa* Eusebius L. 4. c. 18. L. 6. c. 18.

quoque

L. 7. c. 11. Surius Novemb. pag. 138.

quoque hæresiarcharum dogmata corrigens. Ad hæc multiplices recenset historias, uberrimam nobis promiscuæ eruditionis materiam subministrans. His omnibus Philosophorum quoque opiniones intermiscet. Proinde admodum argumento convenientem στρωματέων titulum libris suis indidit. Sed ipsius Eusebii Præparatione Evangelica quid à quoquam potest optari, quid fingi opulentius? Tota Philosophorum, tota sæcularis & sacra litteratura illuc congesta videtur. Scripsit denique Eusebius tres *Ecclesiasticæ Theologiæ* libros adversùs Marcellum Ancyranum Episcopum, quem criminatur Sabellio clam assentiri. Ut ne nos eodem uteremur titulo *Ecclesiasticæ Theologiæ*, fecit Eusebii dubia fides, qua de re in tractatu sequenti; sicut & fecit Gennadius in fide non satis castigatus, ne inscriberemus *de Dogmatibus Ecclesiasticis*.

Origenis Philocalia mera est variorum Origenis contextuum congeries. Propiùs accedit Theodoretus, qui in libris *de Curandis Græcorum affectionibus*, quidquid est Græcanicæ & Philosophicæ litteraturæ, adversùs Gentiles ipsos Philosophos armavit. At adversùs hæreses non solùm ex Scripturis pugnavit in libris quinque *Hæreticarum fabularum*, sed etiam ex copiosa sanctorum utriusque Ecclesiæ Patrum farragine; quorum testimonia sic ille & sacrorum Librorum contextibus, & suis ratiocinationibus interpunxit in suis Dialogis de *Immutabili*, *de Inconfuso*, *de Impatibili* Dei Verbo, ubi nostra se carne induit, ut præisse nobis videatur, & facem prætulisse in nostra de Incarnatione Verbi dogmata. Propiùs forsan adhuc abfuisset à nostro instituto Joannes Damascenus in libris quatuor de Fide orthodoxa, si curasset libros ipsos & nomina Patrum indicare, ex quibus luculentum prorsus hoc opus compilavit, alios aliis ita affluens, ut non semper facile sit conjicere, aut certò declarare, unde decerpti fuerint singuli loci. *Panopliam* suam instruxit adversùs omnes Hæreses Euthymius Zigabenus Monachus sub Alexio Comneno Imperatore. Nec verò illaudata nobis abiisset Photii Bibliotheca, si solos ille Ecclesiasticos Scriptores in compendium misisset, vel eos ex quibus aliquid lucis exculpi poterat ad rem Theologicam.

Non facilè occurret præclarius quidquam, vel nostro huic argumento accommodatius Oratione illa funebri, quam Theodorus Studita scripsit in laudem B. Platonis Abbatis, & Præceptoris sui. Hunc ille affirmat laboris manuum amantissimum fuisse, maximè scriptitandorum librorum, & quidem elegantissimè scriptitandorum: ut suppeteret, & quo Bibliothecam augeret, & quod in pauperes refunderet. Porro non hic manuum duntaxat labor, sed ingenium & Theologica peritia admirationi erat. Patrum enim Commentarios non tantùm curæ erat illi exscribere; sed flores ex illis quosdam seligere, & ex iis libros contexere, ex quibus & ipse & plures alii deinceps utilitatem permagnam acciperent. En Theodori illius in Annalibus Ecclesiæ celebratissimi verba: *Quis enim concinnius aut rectius, quàm ejus dextera, litterarum figuras scribebat? Aut quis laboriosiùs, quàm ille, alacriùs ac studiosiùs id quod dixi, vel quodvis aliud opus accidisset, tractabat? Quomodo posset aliquis eos enumerare, qui ejus labores, hoc est, libros, ex diversis sanctorum Patrum scriptis, tanquam flores quosdam collectos servant? Quos qui possident, tantum utilitatis percipiunt, quantum eis satis esse possit. Nostris autem Monasteriis undenam tanta librorum abundantia suppeditata est? An non ex illius sanctis manibus & laboribus? quos adeuntes, & animo illustramur, & ejus manum admiramur, cùm eam talem fuisse perspicimus.*

Sur. die 16. Dec. num. c. 10. pag. 272.

VII. Nec nulli, aut ignobiles fuerunt Græcis Canonum Compilatores. Nam præter illos Codices Canonum Græcorum quos suprà perstrinximus, prodit ante alios Basilius Magnus, Epistolis Canonicis suis complexus longè maximam & pulchertimam Ecclesiasticæ disciplinæ partem in pœnitentiis potissimùm dispensandis. Basilii Canonicis Epistolis accesserunt postea & aliorum Episcoporum, ipso etiam antiquiorum nonnullorum, maximè Alexandrinorum, Petri, Athanasii, Theophili, Cyrilli, item Gregorii Thaumaturgi, & Gregorii Nysseni, aliorumque, quos nihil attinet à nobis sigillatim nominari. Hunc Codicem partim Canonum Synodalium, partim Epistolarum Pontificiarum & Decretalium Notis elegantissimis exornavit primùm Zonaras, postea Balsamon, Antiocheno & ipse Patriarchatu auctus: qui ut erat Juris utriusque consultissimus, multa his intexuit tum ex Imperatoriis Legibus, tum ex Decretis Urbis Regiæ Patriarcharum. His præmittendus fuerat Photii Patriarchæ Constantinopolitani, cujus est & Bibliotheca, Nomocanon, eo donatus nomine, quòd & Canones & Leges contineat. Denique Syntagma suum Alphabeticum novissimus omnium consarcinavit ex antiquis omnibus Compilationibus Matthæus Blastares Monachus omnium copiosissimè.

VIII. Scio nonnullos à me omissos & Canonum & Nomocanonum & Decretalium Epistolarum Compilatores Græcos, Latinosque; & vereor tamen ne hæc mea copia nimia quibusdam videatur, quibus minùs placet Canonum scientiam Theologiæ permisceri. Hos ego vehementer etiam atque etiam oro, ut præsumptas animo opiniones tantisper exuant, rem ut habet pensitent, & nihil antiquius, nihil optatius esse nobis debere intelligent, quàm ut æterno conjugio Theologia Canonibus, Canones Theologiæ socientur. Qui enim Canonum conditores, nisi Patres? Ubi maturiùs sanctiùsque Theologiæ fidei que Decreta librata ac definita sunt, quàm in Conciliis, ubi etiam Canones cudebantur? Nonne iidem fuere olim sancti Patres & Theologiæ duces, ac magistri, & Canonicæ disciplinæ architecti vindicesque? Postrema omnium generalium Synodorum, seu Tridentina, quantos habuit Theologos Canonum peritos, quantos Canonistas Theologica etiam peritia illustres, quantos Episcopos utraque hac doctrina clarissimos? Quin immo an possunt Episcopi, qui Synodis adsunt præsuntve, sui muneris hujus satis implere numeros omnes, nisi & Theologicis clareant disciplinis ad configendas hæreses, & priscorum Canonum regulas omnes in quodam veluti penu suo reconditas habeant, ex quibus Ecclesiæ vel majorem in dies concilient, vel pristinam saltem restituant puritatem, variisque morbis illabentibus vel medeantur, vel occurrant? Illi ipsi quos modò recensuimus Græcorum Canonum conditores, Basilius, Nyssenus, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, in quantum gloriæ fastigium Theologicis suis adversùs hæreses monumentis conscenderunt? Ex Latinis unus Augustinus quantis interfuit Synodis, quibus ut ait Prosper in Carmine de Ingratis, *Dux Aurelius, Ingeniumque, Augustinus erat*? Facessat ergo ex hominum animis improvida illa opinatio, non satis convenire Theologiæ cum scientia Canonum; cùm ex adverso tot exemplis, totque argumentis manifestum sit, non satis bellè habere harum alterutram sine alterius contubernio. Carolo saltem Borromæo fidem habebunt, qui optimæ Ecclesiarum formæ & administrationis cupidi sunt. Atqui illum paulò antè vidimus ita sancientem, ut strenuam darent operam Clerici & Doctores omnes Theologiæ maximè sanctorum Patrum, itemque antiquorum potissimùm Canonum peritiæ, ex quibus posset Disciplina Ecclesiæ ubi labat redintegrari.

IX. Quod verò dixinus non semel Scholarum Theo-

Theologiam ad normam sanctorum Patrum effingi vel refingi debere : debere Philosophiam ancillari Theologiæ & traditionibus Patrum, non dominari : id verò est quod Gregorius IX. Papa Scholis Parisiensibus jam tum florentibus præcipiebat anno 1228. *Quidam apud vos spiritu unitatis, ut uter distenti, positos à Patribus terminos prophana transferre satagunt novitate ; cœlestis pagina intellectum sanctorum Patrum studiis certis expositionum terminis limitatæ, quos transgredi non solùm est temerarium, sed prophanum, ad doctrinam Philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiæ, non profectum aliquem auditorum, ut sic videantur non Theodidacti, seu Theologi, sed potiùs Theophanti. Cùm enim Theologiam, secundùm approbatas traditiones sanctorum exponere debeant ; & non carnalibus armis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & captivum in obsequium Christi omnem reducere intellectum ; ipsi doctrinis variis & peregrinis abducti redigunt caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari Reginam, videlicet documentis terrenis, cœlestis quod est gratiæ tribuendo naturæ.*

Rainal. ann. 1228. n. 39. pag. 389.

Hoc Decretum non multò pòst iteravit idem Pontifex, datis rursum litteris, ubi edicebat, *ut de illis tantùm in Scholis quæstionibus disputarent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valent terminari.* Nec ab his multùm abludebant objurgationes Joannis XXII. Papæ ad Scholas Parisienses anno 1317. Ex his hæc excerpere non abs re erit, ut intelligas quàm cuperent summi Pontifices Scholam hanc Theologicam omnium principem, & cæterarum veluti formam, dignitatem suam & gravitatem retinere, nec ad nænias nescio quas defluere Philosophicarum & superfluarum quæstionum. *Nonnulli alii plus sapere quàm oportet sapere, contra doctrinam Apostoli molientes, inhærendo Philosophorum erroribus, veram sophiæ intelligentiam derelinquunt ; & cùm deberent ad consolationem cordium ipsorum, juxta præceptum Apostoli, esse instructi in agnitione ministerii Dei Patris, & Domini nostri Jesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, decipiuntur per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditiones hominum, fideique orthodoxæ documenta minùs debitè venerantur.* Et paulò pòst : *Quidam etiam Theologi, postpositis vel neglectis necessariis, utilibus & ædificativis doctrinis : curiosis, inutilibus & supervacuis Philosophiæ quæstionibus & subtilitatibus se immiscent : ex quibus ipsius Studii disciplina dissolvitur, luminis ejus splendor offenditur, & per consequens studentium utilitas impeditur.*

Ibidem Anno 1314. n. 48.

Rainal. ann. 1317. n. 15.

X. Longum esset & à nostro hìc proposito alienum, rimari quæ illæ essent quæstiones Philosophicæ, quibus putidiùs immorabantur Theologi tunc illi certè, quos hìc Pontifices Romani convellebant. Unum proferam locum ex Epistola Pecchami Archiepiscopi Cantuariensis ad Episcopum Lincolniensem scripta : *Præterea noverit ipse, quòd Philosophorum studia minimè reprobamus, quatenus Mysteriis Theologicis famulantur ; sed profanas vocum novitates, quæ contra Philosophicam veritatem sunt in Sanctorum injuriam citra viginti annos in altitudines Theologicas introductæ, abjectis & vilipensis Sanctorum assertionibus evidenter. Quæ sit ergo solidior & senior doctrina vel Filiorum D. Francisci sanctæ memoriæ, Fratris Alexandri, & Fratris Bona-*

Historia de antiquitate Oxoniens. pag. 134.

ventura, & consimilium, qui in suis Tractatibus ab omni calumnia alienis, Sanctis & Philosophis innituntur ; vel illa novella quasi tota contraria, quæ quidquid docet Augustinus de regulis æternis & luce incomparabili, de potentiis animæ, de rationibus seminalibus inditis materiæ, & consimilibus innumeris destruit pro viribus & enervat, pugnas verborum inferens toti mundo. Hæc mihi obiter carpenda visa sunt, & hìc assuenda ex *Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis*, ad annum 1285.

Juvabit & istud indidem delibasse ad annum 1311. ubi Universitatis Oxfordiensis & Dominicanorum rixæ attinguntur, his multa sanè conquerentibus, quæ excutere nec mearum est virium, nec hujus Instituti. Unum illud refero statutum, de quo gravissimè expostulabant : *Statutum damnabant, quo solis Baccalaureis in Theologia concessum erat Bibliam publicè in Academia prælegere. Hanc autem præposteram esse studendi methodum, si neglectis Theologiæ elementis, quæ nempe è sacra Scriptura peti debent, ad difficillimarum quæstionum, sententiarum scilicet, explicationem primitus accingamur. Atqui omnino constare, non tam arduum esse in sacra Biblia, quàm in sententias prælegere ; & absurdè propterea Scripturas explicantium numerum imminui, adaucto sententias aperientium : Lutetiæ verò contrà fieri, ubi obligantur Academici duabus antè vicibus Biblia exponere, quàm ad sententias accedant.*

Pag. 18.

In his multa nobis occurrunt seriò animadvertenda. Primum est fuisse prælectiones publicas sacræ Bibliæ, & illis præesse solitos eos qui Baccalaurei essent Theologici. Alterum est non tam arduum visum esse Bibliæ, quàm Theologiæ prælectionibus præesse. Tertium est minui cœpisse Professores Bibliæ, augeri Theologiæ, seu Magistri Sententiarum. Quartum est, ita quidem Oxoniæ rem se habuisse ; at Parisiis ex adverso, ubi antè bis Scripturas interpretari cogebatur quis, quàm ad prælectiones accederet Theologicas. Quintò propterea nimirum quòd elementa Theologiæ è sacra Scriptura peti debeant. Quæ bellissimè haberent, si Scripturas ex sanctis Patribus interpretari juberentur omnes ; quanquam reponi possit, à Petro Lombardo libros Sententiarum inscriptos esse, quòd ipse quidem non aliud quàm sanctorum Patrum sententias illustrissimas quasque & ipsa eorum verba in unum veluti florilegium contexuisset. Ex quo illud etiam efficitur, ut qui postea in Magistrum sententiarum scripsere innumerabiles Theologi, ii id nimirum professi sint, se sanctorum Patrum sententias & dicta Commentariis suis illustrare.

Huc sanè spectat illud Innocentii III. seu Concilii Lateranensis IV. Decretum anno 1215. do Theologiæ Magistris, ut in sacra pagina doceant ; *Sanè Metropolis Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur.* Ubi vides promiscuè haberi sacræ paginæ, sive Scripturæ atque Theologiæ publicas prælectiones : & his conjugatas esse publicas lectiones de iis, quæ ad animarum curam spectant. Atqui iis regulis administranda est cura animarum, quæ ex Scripturis, ex Patribus, ex Canonicis & Pontificiis Constitutionibus decerpuntur. Hæc omnia ergo complectitur Theologia ; annuente etiam Concilio Tridentino, à quo Decretum istud Concilii Lateranensis IV. confirmatum est.

Extat De Magistris, c. 6.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

DE

DIVINA ET SANCTISSIMA TRINITATE.

CAPUT I.

Si quæ nobis incomprehensibilia & impossibilia videntur esse, potest Deus facere, multò magis esse; ut unum illum Trinumque esse tantò minùs illi pugnet, quantò magis repugnat nobis. Ex Patribus primùm Græcis.

I. Unam trinamque esse Deitatem eò fide dignius, & rationi consonantius esse, quò supra fidem, supra rationem est.

II. Ne naturas quidem corporeas satis intelligere hactenus potuimus, quid divinam?

III. Ne incarnati quidem Verbi mysteria, etsi per ea se Deus ad nos dimiserit.

IV. Una maximè professione credendi res divinas, distat Christiana Religio à Judeis & Gentilibus.

V. Quibus argumentis refelleret Basilius Eunomium, divinam naturam, ingenitum se comprehendisse jactantem.

VI. Summi Boni pelagus non capimus, qui ne scintillam quidem ejus. Ne judicia quidem ejus capimus, quid ipsum?

VII. Ex Chrysostomo varia documenta divinæ incomprehensibilitatis.

VIII. Potest Deus, quæ impossibilia nobis videntur; si potentia autem ejus incomprehensibilis est, multò magis essentia. Quàm amplùm sit ita de Deo sentire, quanto in honore sit nomen fidelium.

IX. Ex Chrysostomo incredulitas pusilli est animi & infirmi; contrà fides excelsi.

X. Cur hìc necessariò de incomprehensibilitate Dei agendum fuerit.

XI. Iterum de incomprehensibilitate Dei ex Chrysostomo, & de necessitate ac magnanimitate fidei.

XII. Huic Chrysostomi doctrinæ succinunt Isidorus Pelusiota, Epiphanius, Dionysius.

I. NAm esse Trinamque Deitatis substantiam, vel eo ipso quòd supra fidem, supra mentem est, credi æquius est; cùm Deitatis id proprium, id singulare decus sit, ut incomprehensibilis & inenarrabilis, & uni sibi nota sit. Etsi ergo hoc arcanum supra rationem sit, nihil tamen rationi accommodatius est, quàm ut homines, quibus ne terrena quidem satis explorata sunt, qui ne seipsos quidem satis perspectos habent: veræ summæque Divinitatis intelligentiam ipsi uni permittant, sibi fidem & reverentiam vindicent. Ita interpretatur Athanasius illa Christi apud Joannem verba: *Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius: aut Filium, nisi Pater. Mirum igitur est, impios ista nefaria audere garrire; cùm & homines sint, & quæ in terra sunt, nequeant explicare. Sed quid dico, quæ in terra sunt? immo vel sua ipsorum nobis exponant; videantque num satis exploratè investigare queant, quæ ipsorum naturæ sunt.* Complectitur hæc eadem fidei, obsequii & reverentiæ conditio, naturas etiam illas creatas homine superiores, Angelos, Cherubimos, Seraphimos, ut unius Trinæque majestatis præsentiam revereri & contremiscere magis se posse testentur, quàm intueri; laudare magis, quàm penetrare; indicare, quàm explicare. Ita enim apud Isaiam describuntur, eodem authore & interprete Athanasio. *Quid enim propinquius, Cherubinis & Seraphinis? illi non obtuentur hanc majestatem, aut in pedibus erectos se tenent, immo ne faciem quidem nudam relinquunt: sed ea obvelata gloriam majestatemque Dei labiis nunquam cessantibus extollunt, nihil aliud quàm divinam & ineffabilem naturam triplici titulo sanctitatis glorificantes.* Et mox: *In eo enim ipso, quo amplissima ista animantia tertiò proferunt glorificationem, dum ajunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, triplici numero tres perfectas, absolutas, integras personas ostendunt, quemadmodum sub unica voce, Dominus, unam substantiam declarant.* Athanas. Tom. 1. pag. 34. Ibidem. Athanas. Epist. ad Serapi. pag. 548, 549.

II. Cùm ne toto quidem tot sæculorum decursu quidquid est, aut fuit usquam hominum potuerit orbis hujus corporei naturam & causas pervestigare, ut Salomon, ut ipsa rerum experientia contestatur; ecquis tam perfrictæ frontis fuerit homuncio, qui accuratam Divinitatis notitiam sibi ausit arrogare? Consultissimè ergo Paulus monuit, teste Athanasio, ut amplum nobis, & optandum ducamus, de Deo scire, quòd sit; non quomodo sit. *Et universitatem omnis ævi dedit in mentes eorum, ut non inveniret homo hoc opus, quod fecit ab initio usque ad finem. Quid igitur, quum nequeant ista explicare, etiam ea esse negabunt? certè negabunt, tam est illis corrupta mens. Rectè igitur hæc illis dicas: O stulti & ubique audaces, cur non potiùs definitis curiosè rimari de sancta Trinitate, ac fidei acquiescitis, & hæc esse creditis, maximè quum ad eam rem magistrum Apostolum dicentem habeatis? Primùm credere, &c.*

III. Ne assumptæ quidem à Verbo humanitatis sacramenta pervadere & mentis suæ acumine explorare quisquam potuit, etsi per illa se Deus nostræ tenuitati accommodaverit: quid ergo de summo ipso divinæ amplitudinis fastigio sentiendum nobis, aut sperandum supereſt? nisi ut intelligamus fide nobis opus esse ad res divinas utcunque attingendas: ea inquam fide, quæ in impossibili possibilitatem speret & amplectatur. *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit; sed fides est, quæ in impossibili possibilitatem, & robur in imbecillitate, & patibile in impatibilitate, & corruptionem in incorruptibilitate, & mortale in immortalitate, & in parvitate magnitudinem credit, ἀλλ' ὅτι πίστις ἐστὶ τὸ δυνάμενον τὰ δυνάμει πιστεύσασα.* Athanas. Epist. ad Serapi. pag. 548, 549. Idem de Salut. adventu Christi. pag. 501.

IV. Una maximè professione ad res divinas fide primùm & potissimùm attingendi, docet Basilius distare Christianos à Gentilibus & Judæis, quin immo & ab hæreticis; nec enim hæretici à Judæis & Gentilibus magnopere distant, in iis certè quæ ad divinissimam Trinitatem spectant. Quid enim Judæos primùm, quid postea Gentiles absterruit, ne disseminatam à Christo & ab Apostolis unius & trinæ divinitatis religionem, tot vaticiniis, tot miraculis, tot martyriis testificatam amplexarentur, nisi superba quædam contumacia non credendi quod non caperent? quid hæreticos à castris Ecclesiæ avulsit, & ad Judæos, vel Gentiles traduxit, ut vel cum illis tres in Deo personas esse posse negarent, vel cum his Filium à Patre non genitum, sed creatum, atque adeo creaturis connumerandum adorarent: nisi Ecclesiasticæ de his fidei fastidium, & aversatio? Sic ergo Basilius homi-

Basilius Hom. 27. Tom. 1. pag. 5. B. 119.

homilia contra Sabellianos & Arianos: *Pugnat Judaismus cum Gentilismo, & uterque cum Christianismo. Quemadmodum Ægyptii & Assyrii, inter se hostiliter dissidebant, & utrique Israeli infensi erant. Ut in malitia deprehendimus, & audaciam pariter ac timiditatem inter se pugnare, & nihilominus ambas à recta animi fortitudine dissidere.* Et infrà: *Postquam enim callidissimus ad nocendum diabolus Christianorum à Gentilibus ac Judæis abalienationem, & quod ad illorum appellationem mox hostile quiddam spiramus, animadvertit; nostro utrisque imposito nomine, Judaicam iterum negationem, ac Gentilem multorum deorum cultum introducere conatur. Illi namque cum Unigenitum opus ac facturam Dei esse dicunt, & illum nihilominus adorant, divinoque honore afficiunt, apertè Gentilismum creaturæ servientes, & non Deo introducunt. Isti verò Deum ex Deo negantes, & nomine quidem Filium confitentes, re ipsa verò ac veritate substantiam illius reprobantes, Judaismum denuò renovant.*

V. Cùm Ecclesiæ de Trinitate fidem fugillaret Eunomius, seque Ingenitum, se Deum comprehendisse stultissimè venditaret, sic illum retundebat Nyssenus: *Qui igitur se jactat eorum quæ sunt naturam adeptum esse, nobis primùm formicæ naturam declaret. Deinde potentiam illam quæ omnem intellectum superat, physicè tractet. Quod si brevissimæ formicæ cognitionem nondum in natura consecutus est, quomodo eum qui in seipso omnem complectitur creaturam, comprehensiva ratione se complexum esse gloriabundus jactitat?*

Nyssenus, Orat. 10. Cont. Eunom. tom. 2. pag. 671.

Rursus idem alibi docet Deum id esse, non quod intelligitur, sed quod creditur; nominari autem, non ex ejus propria quapiam naturæ dote, sed ex operationibus & beneficiis in nos suis: *Sed Deus quidem est per seipsum quod quidem unquam esse creditus est: nominatur autem ab his qui invocant, non ipsum quod est; ineffabilis enim est natura, ejus qui verè est: sed ex his quæ operari & efficere in vita nostra creditus est, cognomina habet, quale & hoc ipsum quod in promptu dicitur. Cùm enim Deum ipsum dicimus, inspectorem, & exploratorem, & absconditorum perspicacem cognitorem commentantes vocamus.*

Orat. 10. Pag. 716.

VI. An ejus propriam capiemus naturam, cujus Scriptura affirmat ne vestigium quidem capi posse, ne beneficia, ne judicia quidem; etsi per hæc ille se ad nos quodammodo dejiciat? Ne guttulam quidem tanti boni capimus, quid ipsum fontem? Audiendus hìc Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus: *Totius boni fons maximus & perennis, beneficiorum quasi quoddam flumen, lumen æternum sine fine coruscans, vis inexpugnabilis, ad nostras infirmitates se demittens, & accommodans: cujus ne nomen quidem audire sustinemus. An vestigium Domini reperies, ait Job, aut ad extrema pervenies, quæ fecit Omnipotens? si extrema & minima Dei opera non comprehenduntur, is qui omnia fecit comprehendeturne? Oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Si quæ præparavit Deus, nostris nequeunt mentibus comprehendi, eumne qui præparavit, animo comprehendere possumus? O altitudo divitiarum & sapientiæ Dei, quàm insrutabilia judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus, ait Apostolus! Si judicia & viæ investigari & comprehendi non possunt, ipsene comprehendetur?*

Cyrill. Hierosol. Cateches. 6. pag. 83.

VII. Non modò fide certissimum est; sed etiam ratione tantò nobis certius videri debet, Deum ejusmodi naturam esse, cui non pugnet & unam simul esse & trinam; simplicissimè inquam unam, & verissimè trinam: quantò certissimum & indubitatissimum est, Deum incomparabiliter eminere supra id omne, quod utcunque capi à nobis potest. Utcunque enim Deus vel in veteri Testamento per umbras, vel in novo per assumptam carnem visendum se præbuit, meræ fuerunt illæ condescensiones: uti est, ne Angeli quidem, ne Angelorum quidem Primates illum quantus quantus est viderunt; vel ejus essentiam quanta quanta sibi est enarrarunt; sed gloriam, & laudes; soli sibi quippe notus est unus trinusque: à Beatis etsi verè videatur, non quantus maximus est videtur, non comprehenditur; nos verò nunc ne Angelis quidem videndis pares aliquando fuimus, nedum ei videndo, aut plenè intelligendo, ad cujus conspectum ipsi præstringuntur Angeli. Ita philosophabatur Chrysostomus: *Quomodo autem sit Deus, ipse novit solus: quod per Prophetam significavit: Ego visiones multiplicavi, & in manibus Prophetarum assimilatus sum; hoc est, Condescendi, συγκατέβην, non tamen id quod eram, me ostendi. Cùm enim ejus Filius vera carne accepta venturus esset in mundum, multò antè sanctos viros ad divinæ substantiæ visionem exercuit, ita ut videre poterant. Nam id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantùm referentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Si Cherubin & Seraphin sanctificationis laudem audies, plenum esse cœlum & terram gloria ejus. Si supernas virtutes, tibi item respondebunt, sibi unum opus esse, ut Deum laudent: Laudate eum, inquit, omnes virtutes ejus. Solus autem ipsum videt Filius & Spiritus sanctus. Quod si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videre poterit? Nam si incorpoream virtutem quamvis genitam, non possumus manifestè conspicari, & hoc sæpenumero in Angelis ostensum est: multò minùs incorpoream, & ingenitam substantiam. Quare Paulus: Quem, inquit, vidit nemo hominum, neque videre potest.* Ex quibus illud quoque concluditur, Dei substantiam Deo soli, Patri Filioque ita perspectam esse, ut nulli præter ipsum ita accuratè perspecta sit. *Sic multi Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus ejus unigenitus, qui certam notionem, visumque, & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est: Sicut enim cognoscit me Pater, inquit, & ego cognosco Patrem.*

Chrysost. in Evang. Joan. Hom. 14. Tom. 1. pag. 77.

Ibidem.

VIII. Hanc esse germanam & summam fidelium Philosophiam alibi argumentatur Chrysostomus, ut de Deo ampliſſimè & magnificentissimè sentiant: posse illum quæ impossibilia, vel sunt, vel nobis videntur, ne dubitent quidem; atque adeo multò minùs esse ejus substantiam ad nostræ mentis angustias circumscriptam, quàm potentiam ejus. Si potest enim facere, quæ nulla creata mens potest capere; quantò magis esse? Ea de Dei natura fide & credulitate nostra nihil vel Deo honorificentius fingi potest, nihil nobis compendiosius ad ejus in nos gratiam & benevolentiam promerendam. Denique ea fide sanctiùs religiosiùsque coli Deum, quàm ullis operibus bonis, fidenter pronuntiat Chrysostomus; ut jam mirum non sit, si Christiani jam inde ab exordio uno maximè delectati sunt Fidelium nomine. *Hoc ipsum porro generosissimi est animi, & Philosophicæ sententiæ, & sublimis cogitationis. Etenim nec furem esse, nec parricidam, vel cujuslibet esse possit: at credere quòd impossibilia possit Deus, hoc verò magni admodum animi indiget, & magnoperè erga illum affecti. Etenim germanæ charitatis hoc signum est. Siquidem & Deum quoque honorat quisquis illius mandata implet: multò verò melius hic, qui fide philosophatur. Ille enim ei obedit; hic autem convenientem de eo opinionem accipit, eumque glorificat, admiratur vehementiùs ipsa operum demonstratione. Illa ergo gloriatio ejus est, qui rectè aliquod factum præstiterit. Hæc autem Deum ipsum glorificat, ac quanta est, tota*

Chrysost. hom. 8. in Ep. ad Rom. Tom. 9. p. 74.

tota ipsius est; gloriatur enim ob hoc quod magna quædam de eo concipiat, quæ quidem in illius gloriam redundant.

IX. Id mox probat Chrysostomus exemplo Abrahæ, qui contra spem in spem credidit, ut ait Paulus; eoque id consecutus est, ut Pater Fidelium omnium habeatur, & consummatissimæ virtutis ac religionis exemplum. Eo enim animi sui magnitudinem & immensam pietatis vim prodidit! sicut ex adverso, qui Dei potentiam ad ingenii sui modum coarctat, is & impietatem suam prodit, & stultitiam. *Verùm ad promissionem Dei (Abraham) non hæsitavit ob incredulitatem: Neque enim demonstrationem dedit, neque signum fecit Deus; sed verba erant nuda solùm, promittentia ea quæ natura non pollicebatur; sed tamen non hæsitavit, inquit. Non dixit illum non incredulum fuisse; sed, non hæsitavisse, hoc est, ne animo quidem suspenso, ancipiti ac dubio fuisse; porro autem quòd tot ei impedimenta existerent, inde edocemur, ut innumera etiam, quæ impossibilia quidem videantur, promittat Deus, nec ea admittat qui audierit, eam imbecillitatem non ab ipsarum rerum nasci ingenio, sed ab ejus stultitia, qui non admittit. Sed robustus factus est fide. Vide Pauli Philosophiam.* Ibid. p. 81.

Arcana ergo Dei indagare, ac diffidere, an tam stupenda sit & incomprehensibilis ejus vel potentia, vel natura: id verò & injuriosum illi est, & nobis criminosum. *Igitur ipsum hoc tam curiosè indagare, est peccare. Quòd si quoties inferiora hæc curiosè nimis perscrutamur, inquirimusque, Deum minimè glorificamus: multò magis quoties Domini ortum supervacanea curiositate inquirimus, tanquam qui injuriam inferamus, extrema patiemur.* Ibidem.

Igitur exigui semper & infirmi argumentum est animi incredulitas; nihil enim magnum, nihil excelsum sapere potest: ne de Deo quidem, ne de eo quidem quod in Deo summum & excelsissimum est, Dei ipsius essentia. Si qui igitur nostram nobis credulitatem probro dent, jure merito jubet Chrysostomus, ut nos multò fidentiùs illos, ut infirmos, ut pusillanimes, ut hebetes sugillemus. *Est igitur incredulitas mentis infirmæ, pusillæ ac miseræ. Quamobrem quoties nobis nonnulli credulitatem vitio vertent, illis contrà vitio vertamus incredulitatem, ut miseris, pusillanimibus, insipientibus, infirmis, & asinis nihilo melius habentibus. Quemadmodum enim credulitas, animi est magni ac sublimis; ita incredulitas animi est exilis, ratione maximè carentis, & ad pecudum amentiam depressi.* Ibid. p. 83.

X. Nec est quòd longè quæsitam suspicetur quis hanc nostram de incomprehensibilitate Dei disputationem. Jam enim patuit illos ipsos Eunomianos, qui Catholicum de Trinitate dogma acerrimè oppugnabant, eò insaniæ provectos esse, ut Deum à se comprehendi jactarent. Esse enim illum Ingenitum; unde & Filium, qui utique genitus est, Deum esse, & consubstantialem Ingenito Deo esse posse negabant. Illis ergo si satis persuasum fuisset incomprehensibilem esse Dei naturam atque substantiam, non tantoperè exarsissent adversùs antiquissimam Ecclesiæ fidem de Deitate una simul & trina. Huc spectant quinque illæ Chrysostomi Homiliæ de Incomprehensibili Dei natura. Eo quippe uno cardine vertebatur tota inter Eunomianos, sive Arianos controversia. Si comprehendi enim potest Deus, vicere Ariani, nec imperari cuiquam potest, ut credat summè unum & verè tria idem esse. Si comprehendi non potest Deus, ne id quidem detrectare possunt Ariani, quin tria unum esse credatur, etsi minimè comprehendatur. Ex quo rursus liquet, quàm non immeritò paulò antè Chrysostomus eos pronuntiaret hebetes prorsus & obtusos ac vecordes esse, qui nostram nobis objectabant credulitatem; quæ ubi de Deo agitur, laudi potius vertenda fuisset. Quid enim obtusius aut insulsius esse potest, quàm non capere, & naturam Dei, quæ, qualis, quantaque sit, à nobis capi non posse: & inde id effici, ut fide adiri debeat, & religione?

XI. Hinc rursus ibidem Chrysostomus argumentatur: Si ex Scripturis, si ex communi hominum sensu, si ex naturæ ipsius nostræ præjudicio, & præsensione, ipsa Dei scientia, ipsa sapientia, si administratio ejus & providentia comprehendi non potest, quid substantia, quid natura intima, quid Verbi, quid Filii ejus generatio? *Magnus Dominus, dicat, & magna virtus ejus, & scientia ejus non est numerus: id est, nulla est comprehensio. Heus tu, quid ais? Sapientia Dei comprehendi non potest à Propheta, & substantia comprehendi à nobis potest? Nonne istud perspicua sit insania? Magnitudo ejus nullo describitur fine, & tu substantiam describere audes, satisque complecti animo posse opinaris? Hæc eadem cùm Esaias pro suo nobilissimæ Philosophiæ studio contemplaretur, Generationem, dicebat, ejus quis enarrabit? non, quis enarrat: sed, quis enarrabit: ut omnem posteri temporis rationem secluderet.* Et paulò pòst: *Videamus an Paulus, vas illud electionis cognoverit, utpote quia gratia ampliore potiretur. Omnino hic est, qui illa refert: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Nec eo loco solùm, sed etiam alibi, non de substantia, sed de sapientia ipse quoque differens ea quæ in providentia versetur, non de illa universali, quæ Angelis, Archangelis, ac omnibus supernis Virtutibus providetur: sed de ea providentia parte, qua hominibus terræ incolis consulitur, ac de ejus ipsius parte, nec tamen totam eam scrutatur, quæ sol oritur, quæ animæ inspirantur, quæ corpora effinguntur, quæ mortales aluntur, quæ universus mundus continetur: sed hæc omnia omittens, & particulam quandam divinæ providentiæ inquirens, qua scilicet Judæos neglexerit, Gentiles autem nothos receperit, amplexus sit: & ad hanc ipsam particulam veluti ad mare immensum & gurgitem præaltum inspiciens, conturbatur, deficit, & recedit, illico voce magna exclamat: O altitudo divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus!* Hom. 26. de Incompr. To. 1. p. 334.

Cùm Paulus autem dicat Deum nunc à nobis ex parte cognosci, monet Chrysostomus non ita capi id debere, quasi naturæ divinæ partem aliquam noverimus, reliquam ignoremus: cùm ea natura sit simplicissima, & partium exors: sed quòd Deum esse sciamus: quid sit, nesciamus. *Deum igitur ipsum ex parte cognoscit, non tamen ita ex parte, ut partem substantiæ noverit, partem ignoret, cùm Deus natura simplicissima sit: sed quòd esse quidem Deum proculdubio norit; quid autem substantia sit, omnino ignoret.* Nec valdè dissimilem esse Angelorum sortem confirmat, ut qui Deum laudent magis, quàm explorent; ejus lucem non ferant, indulgentiam qua sese eorum modulo accommodat, vix ferant. *Audiamus igitur Angelos ipsos, non quòd de divina substantia illi disputent inter sese, atque disceptent: sed quid? glorificant, adorant, & modulos triumphales secretosque assiduè referunt summo cum timore. Alii gloriam in excelsis Deo modulantur; alii, hoc est Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus concinunt: & suos avertunt oculos, cùm ne condescensum quidem & indulgentiam Dei valeant tolerare.* Ibid. p. 336. Ibidem.

Multis ille postea insectatur insolentissimam hæreticorum audaciam, qui homines se & cinerem & umbram esse gnari, non aliter sibi Deum notum esse ajebant, quàm ipse sibi notus esset: *Quod nemo unquam dicere ausus, ipsi se ita Deum nosse, quemadmodum Deus ipse se novit, asseruntur.* Summam & insaniam & impietatem ea quidem jactantia redolet: atqui non Eunomia- Ibidem. Hom. 2. pag. 144.

norum ea est propria, sed eorum omnium communis, qui Catholico de Trinitate dogmati adversantur; nec alia de causa adversantur, quàm quia id ipsi quidem nec capiunt, nec capere se posse sperant: quippe qui præceptum illud animo & præjudicatum habeant, nec facere, nec esse posse Deum, adeoque nec Ecclesiæ suæ revelare, vel Scripturis suis consignare posse, quod capere & intelligere ipsi non possint. Hoc porro præjudicio quid excogitari potest vel insulsius, vel non dico à pietate, sed à communi hominum sensu alienius? Apertissimæ, frequentissimæque sunt Scripturarum voces, quæ Patrem, quæ Filium Deum, quæ unum Deum prædicant: apertissima est harum vocum, Pater, Filius, Deus, Unus, intelligentia: hæc Ecclesiæ prædicatio & fides, & Ecclesia ipsa ita prædicans orbem terrarum universum occupavit tanto cœlestium testimoniorum robore & splendore, ut ne ipsi quidem Eunomiani id possent aut non videre, aut dissimulare. Unum ergo illud erat, quod eos ab hac Ecclesiæ fide alienaret, stultissimum & absurdissimum quo imbuti erant præjudicium, nec eam esse posse Dei naturam, nec eam Dei de sua ipsius natura testificationem, cui capiendæ & intelligendæ essent impares.

Juvat & illud ex Chrysostomo & Isaia repetere de Seraphimis, qui throno Dei magis quàm Deo ipsi astantes, alas prætendebant, ut facies suas obvelarent, intolerabili illa luce præstricti; quanquam illa visio mera esset Dei condescensio, & Dei ad creatas mentes se attemperantis indulgentia. Nec Isaias tantùm ita testatur, sed ipsum genus humanum consentit, ipsa cujuslibet hominis ratione prædiți conscientia vociferatur, Dei summi naturam & amplitudinem infinito quodam intervallo naturas omnes creatas post se relinquere. Ibid. hom. 1. pag. 317. *Dic quæso quamobrem alas prætendunt, & suas operiunt facies? quid aliud dixeris causæ, quàm splendorem procursantem è solio illo, & fulgur prosiliens ferre nequire? quanquam non ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam: sed quæ videbant, condescensus erant & indulgentia. Quid nomen hoc condescensus significat? Cùm Deus non ut est, se ostendit; sed quoad videre is potest, qui aspectum hujusmodi meruit, eatenus firmitate videntis suam representationem metitur ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus: & ejusmodi rem condescensum nominamus & indulgentiam. Constat & illa condescensum fuisse verbis ipsius Prophetæ: Vidi Dominum, inquit, sedentem. At Deus non sedet, corporis enim hic habitus.*

Qui verò, ut pergit Chrysostomus, homines Deum comprehendant, vel capiant, ut ipse sibi est, cùm ne hominum quidem præstantissimus, & omnibus ingenii, eruditionis, sanctimoniæ præsidiis munitus, Danielem dico, Angeli conspectum tolerare potuerit, ut author & testis ipsemet est? Pag. 318. *Sed cur de beata illa substantia loquor, quando ne Angeli quidem substantiam homo videre liberè valeat? Quod ut ita esse intelligatis, hominem vobis in medium ducam, Deo immortali familiarem, & plurimum confidentem audentemque, cum sapientia & religione, cum justitia, cæterisque virtutum officiis, sanctum Danielem.*

Nec Danielis tantùm hic testimonio utemur, sed ipsius humani generis; cùm nemo sit qui non exhorreat & contremiscat ad cœlestis cujuslibet intelligentiæ præsentiam. Ita juvat enim hic ubique naturam ipsam & hominum omnium consensionem adhibere, velut certissimè suffragantem nostris in hoc negotio scripturis. Ut intelligant aliquando tandem Novatores quicumque, non posse se à fide & Ecclesia Catholica deviare, quin confestim ab ipsa ratione sua & à sensu ac judicio hominum omnium communi aberrent. Ita quippe experimur, quod suprà nos addocebat Chrysostomus; Etsi hæretici insana ingenii sui & acuminis fiducia & ostentatione abhorrere se fingant à Fidelium credulitate, maximè in unius & trini Dei dogmate: totum tamen contrà esse, vel ipsius hominum universæ gentis assensu. In hanc enim credulitatem consensit & conspiravit tandem humanum genus omne, invictissimè intimèque persuasum ex ipsius naturæ magisterio, summa quæque de Deo præsumi & æstimari debere; infinita quadam intercapedine eminere illum supra omnes creatas mentes & intelligentias: ne Deum quidem illum esse posse, si talis, vel tantus esset, qualem, vel quantum illum capere potest homuncio, qui ne seipsum quidem, nec ullius vel vilissimæ rei naturam capit. Non capiunt Fideles, quomodo & simplicissimè unus sit Deus, & verissimè tamen in Personis trinus; sed credunt: quòd verò ejusmodi natura sit Deus, quam creata nulla capere mens & comprehendere possit, id verò non credunt tantùm, sed certissimè capiunt, & intelligunt evidentissimè; soli hæretici id nec credunt nec capiunt, hominum proinde jure merito stolidissimi habendi, si Chrysostomum audimus.

Ne Angelorum quidem nomina omnium, vel diversa castra explorata satis habemus; quanta est ergo Eunomianorum & Arianorum fatuitas, qui Dominum ipsum se comprehendisse venditant, cujus ne servos quidem cognitos habent? *Animadvertite Hereticorum amentiam, quæso: servorum ipsorum nomina ignoramus, & tamen substantiam Domini ipsius exquirunt, contendunt que comprehendere.* Ibidem. Hom. 4. pag. id. Denique paulò minùs ab Angelis minuti cùm simus, ut loquitur Scriptura, eorum tamen substantiam haud exquisitè novimus. Nostros ipsi animos parum novimus; quid sint, aut quomodo corporibus infusi & illigati sint, parum novimus: quanta ergo eorum dementia, qui Dei notitiam sibi tribuebant tantam, quantam Deo ipsi? *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis. Veruntamen etsi parum discriminis est, tamen quia interest aliquid, nescimus exquisitè Angelorum substantiam; nec si summè philosophabimur, comperire unquam quid sit poterimus. Sed cur de Angelis loquor, quando ne ipsius quidem animi nostri substantiam satis novimus, imò nullatenus attingere valemus? Sin illi nosse contendunt, percontare quidnam substantia sit animus, numquid ignis, num aer, num spiritus, num ventus? nihil ex his esse dicent: hæc enim omnia corporea sunt; ille incorporeus est. Tamen qui Angelos nesciunt, qui suos animos ignorant, iidem Dominum & conditorem omnium rerum scire exquisitè contendunt.* Ibid. hom. 5. pag. 5.

Dei naturam se scire, nec unam trinamque esse posse mentiuntur hæretici, & eo ipso illam se nescire docent; cùm ea sit Dei natura, ut scientiam omnem exuperet. Dei naturam se nescire profitentur Fideles, & ipsi affirmanti quòd trinus & unus sit, ultro se credere; & eo vel maximè illam sciunt; non Scriptura tantùm foris, sed natura ipsa intus addocente, Deum cuicumque scientiæ præcellere & eminere. Ita vulgi Fidelium ignorantia hæreticorum argutiis & disputationibus peritior est: cùm Dei id singulare sit decus, & præcellentiæ insigne, quòd modestè nesciendo sciatur, protervè sciendo nesciatur. *Quid sit autem substantia, eadem enim rursus dicam, & quonam modo sit ejus majestas, & magnificentia, & quisnam sit modus eorum quæ dicta sunt, ignorat; sed ea ipsa ignoratio est argumentum cognitionis; etiamsi sit mirabile quod dictum est. Nam mare quoque quantum sit, ignoramus: & tamen propter hoc ipsum mare maximè novimus, quòd ejus modum nesciamus. Si quis autem dicat se nosse ejus quantitatem, is est qui id ignorat maximè. Est igitur professio cognitionis, quæ arguit insciantiam; & est ignoratio, quæ nobis fert testimonium de scientia.* In Psal. 138. Tom. 3. pag. 510.

Hæc

Tom. 3.

Hæc eadem omnia & plura forsan alia edisseruit Chrysostomus, homiliis maximè illis quinque in hæc verba Isaiæ, *Vidi Dominum*, & in homilia *In Seraphim*, ex qua hoc unum delibo de illa Seraphimorum consternatione ad Dei præsentiam. Ut enim prior illa Dei nescientia ab eximia quadam scientia proficiscebatur: sic & huic consternationi summa quædam exultatio permixta erat, & ineffabilis voluptas. Quantæ enim voluptatis est, Deum utcumque scire, utcumque videre, qui ad plenum uti est, sciri & videri non potest? Deum ex parte nosse, qui sibi soli omnino notus est? *Verumtamen nemo cùm stuporem & consternationem audit, tristem aliquem illis ingenerari timorem arbitretur: siquidem huic consternationi immensa quædam voluptas est admixta.*

Tom. 3. pag. 889.

Ita ergo jactantia illa, qua inaniter gestiunt, qui nihil se de Deo credere gaudent, nisi quod capiunt, non lætitia, non gloria est, sed insania, & sui cæca venditatio; & ex adverso Catholici cùm de Deo plura credunt, quàm capiunt: cùm ejus amplitudini supra suam ipsorum, supra cujuscumque creaturæ imbecillitatem assentiuntur, applaudunt, & congratulantur, arcana quædam & sobria, sed suavissima voluptate perfunduntur.

XII. Huic Chrysostomi doctrinæ ita succinebat, & eadem premebat adversùs Arianos argumenta Isidorus Pelusiota: *Si sanctus Daniel, Angelum conspicatus, atque ex conspecti pulcritudine admiratione perculsus, in terram pronus cecidit, spectaculi videlicet novitate attonitus: quamnam tandem excusationem habituri sunt, qui Patri & Filio arbitros ac sequestres se præbere audent, naturamque omnem sermonis facultatem superantem sermonibus superare aggrediuntur?*

L. 3. Ep. 356. pag. 494.

Audi & Epiphanium de insana Anomæorum in rebus divinis dijudicandis sui fiducia: *Qui quidem omnes tantam ad cæcitatem insolentiamque provecti sunt, qui illud vulgò jactarent: Tam perspicuè Deum novi, ac tantam illius notitiam sum consequutus, ut ne me ipsum quidem melius quàm Deum noverim.* Et rursum inferiùs: *Memini hoc ab illis usurpari solitum: Deum se non fidei modò intelligentia, sed perinde animo concipere, ac quilibet aspectabilia ista ac tractabilia cognoscit: ut puta si quis lapidem, aut lignum, aut alterius materiæ instrumentum capiat. Ita quidem audax ille ac temerarius loquitur: Tam Deum intelligo, quàm meipsum: imò tam meipsum non novi, quàm Deum.*

Epiph. hær. 76. n. 4. pag. 916.

Pag. 989.

Cùm urgebantur autem, quo tandem possent modo Deum dilucidè cognoscere, cùm in terrestrium etiam rerum natura & proprietatibus cæcutirent: respondebant corporea hæc cùm sint, minùs percipi à mentibus nostris posse, quibus contrà obvius & notissimus esset Deus: quo nihil insacetius dici poterat, & quotidianæ omnium hominum experientiæ infestius, qui de rebus materialibus qualemcumque per sensus notitiam hauriunt; in spiritalibus autem Angelicisque substantiis, imò & in animis ipsis suis dignoscendis hebetes cæcique prorsus sunt. *Hæc cùm illis objiciuntur, ut ab illius sectatoribus audire memini, ad Sophistica quædam commenta, cavillationesque sese convertunt, & ex illius præscripto ita respondent: Hæc omnia corporea sunt, nec à nobis percipi possunt; Deum verò, qui hæc ipsa condidit manifestè cujusmodi sit, quove modo, ac qualis, quisve sit intelligimus. Quis hæc sine risu posset audire? Est enim longè illud sanè stultissimum: summum illum & incomparabilem opificem, qui nullo sermone declarari potest, scire se, atque accurate percepisse profiteri.*

Ibidem. pag. 990.

Nec ab his dissidet Dionysius Areopagita, qui Deum à nobis intelligi ait esse substantiam, mentem, unitatem supra omnes substantias, mentes, unitates, infinita quadam intercapedine eve-

ctam; substantiarum, mentium, unitatum omnium causam & originem, adeoque ipsis inaccessam; ut quæ omnium causa sit, ipsa verò nihil omnium sit. *Eadem planè ratione veritatis supra substantias est illa supersubstantialis infinitas; & supra mentes illa supra mentem unitas; & omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum; omnique verbo ineffabile est illud supra verbum bonum; unitas effectrix universa unitatis, & substantia supra substantiam, & mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis ratione, intelligentia nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens: quæ quidem causa est ut omnia sint, ipsa verò non est, ut quæ quiescit extra omnia quæ sunt, quemadmodum etiam ipsa de se propriè scitèque hæc effari potest.*

Dionys. de divin. nomi. c. 1. nu. 1. pag. 370.

Nec enim intelligi à nobis possunt, nisi quæ sunt, & intelligibilia sunt: at Deus est supra ipsum esse & intelligere. *Quemque nec mente concipere, nec oratione proloqui valemus, neque visu quomodolibet intueri, eò quòd sit omnibus exemptus, & eminenter ignotus, ut qui simul omnes omnium cognitionum essentialium, virtutumque terminationes superessentialiter in semetipso anticiparit, cunctis cœlestibus intelligentiis eminentior incomprehensa virtute collocatus. Etenim cum notiones omnes sint entitatum, & ad entitates terminentur, is qui omni entitate sublimior est, omnem quoque effugit cognitionem.* Ideoque & si unus dicatur à nobis Deus, & trinus, & bonus, & sapiens, & jure dicatur; ideo ejusmodi nominibus designatur, quòd in ea nobis præiverint litteræ sacræ; vel religiosæ sanctorum Patrum traditiones: cùm aliàs Deus sit supra hæc omnia, supra unum, supra tria, supra bonitatem & sapientiam. Quorsum ergo de his contendere, & non totos incumbere Scripturarum traditionumque avitarum authoritati, cùm Deum natura ipsa & insita nobis ratio dictet esse supra id omne, quod vel cogitare de ipso, vel dicere possumus: & tutius esse nihil, quàm acquiescere iis quæ de illo nobis affirmant, quæ ab ipso manarunt Scripturæ, Scripturarumque fidissimæ interpretes traditiones Patrum? *Unum illud, ignotum, supra substantiam, seipso bonum, quod est, trinam inquam unitatem, simul Deum, simul bonum, neque verbis eloqui, neque cogitando assequi valemus.*

Ibid. p. 381.

Pag. 381. 382.

Inde est quòd non alias unquam magis propriè de Deo cogitat quisquam, aut loquitur, quàm cùm negando potiùs, & auferendo id facit, quàm affirmando, aut apponendo. *Laudant ipsum propriissimè ex rerum omnium ablatione; hoc ex beatissima illa cum Deo unione supra naturam verè per illuminationem erudita; ut Deus omnium quidem rerum causa sit, ipse verò nihil earum existat, sed ab omnibus sit super essentialiter exemptus.*

Ex effectis enim tantùm Deus à nobis intelligitur: in seipso autem quid sit, nec mente, nec lingua attingi potest. *Divina enim omnia, etiam illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur: porro ipsa, cujusmodi in suo principio suaque sede propria existant, nullus sensus attingit, nulla natura nullaque cognitio penetrat.* Filium & Spiritum sanctum à Patre manare, affirmant sacræ litteræ: id tenemus: quì id fiat, nec scire nobis datur, nec eloqui: *Rursum à Scripturis sacris accepimus, Patrem quidem esse originem in divinis, Jesum verò & Spiritum sanctum, quasi Dei prolem, vel, si dictu fas sit, quasi germina divina, floresve ac lumina supersubstantialia existere: quonam autem pacto sese habeant, neque eloqui, neque intelligere valemus.*

Pag. 432.

Ibidem.

His consentiunt, quæ habet idem Dionysius in ipso Mysticæ suæ Theologiæ vestibulo, supra Dei-

tatem, supra Unitatem, & supra Trinitatem esse vereè Deum, ut à nobis hæc capiuntur: spectari eum certiùs in caligine, quàm in splendore: in negationibus, quàm in affirmationibus: in ablationibus, quàm in positionibus: immo tum meliusculè eum dici, cùm suprà & negationes & affirmationes, supra ablationes & positiones quascunque constituitur: & quando in eo intelligimus non pugnare negationibus affirmationes. Quæ cùm ita sint, cùm ita dicter antiquissima Theologia, cùm Philosophia ipsa Platonica ita docere, ita sentire & fari præcipiat: cùm innatum ipsum rationis lumen, & inscripta à Deo conscientia ita magnificentissimè de Deo sentire nos cogat; unde & ita senserunt Platonici: quis jam neget tam in Deo cohærere & coalescere posse unum & tria, quàm affirmationes & negationes? *Trinitas supernaturalis, & supraquam divina & supraquam bona Theosophiæ Christianorum præses, dirige nos ad mysticorum Oraculorum plus quàm indemonstrabile, & plus quàm lucens summum fastigium, ubi simplicia, & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria aperiuntur in caligine plus quàm lucente silentii arcana docentis, quæ in obscuritate tenebricosissima plusquam clarissimè superlucet, & in omnimoda intangibilitate atque invisibilitate, præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hæc quidem mea sint vota.* Et infrà: *Cùm oporteret in ea ut omnium causa, omnes entium affirmationes statuere ac de ea affirmare; quin illas ipsas omnes de ea magis propriè negare, tanquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias; sed ipsam multò priorem & superiorem privationibus esse supra omnem & ablationem, & positionem.*

Mystic. Theol. c. 1. pag. 707. 708.

Postremò ex eodem Dionysio, ubi de Deo verba facimus, tanta est negationum, non licentia, sed proprietas, ut ea etiam de eo negentur, quæ summam quandam præ se ferre videntur perfectionem, & quæ illi in sacris Codicibus adscribuntur; quanquam eadem rursus illi utique tribuenda sint, cùm & de eo loqui plerumque necesse sit, nec aptiùs, aut religiosius id fieri possit, quàm si Scripturis ipsis ab eo dictatis sermones omnes nostri conformentur. Itaque verissimè in Deo & bonitas est & sapientia, & Paternitas & Filiatio: quando hæc ipsemet de se ipso in Scripturis affirmavit; & hæc omnia tamen rursus de eo negantur, prout ea non nisi demissè & humiliter à nobis intelliguntur, & ei non conveniunt, nisi eminentissima quadam & inenarrabili ratione, ut omnium causæ & principio, ut super omnia incomparabiliter eminenti. Hæc cum ita sint, & non Philosophorum ac Theologorum tantùm omnium consentione firmentur, sed ipso etiam naturæ instinctu sentiuque intimo & stupore, quem naturæ medullis Deus ipse inseruit: quis ausit jam cum Arianis insanire & dicere, Deum se comprehendisse; vel tam notum habere, quàm ipse sibi notus est; vel satis perspectam sibi esse ejus naturam, ut negare possit verè Patrem esse, vel Filium, etsi in Scripturis id dicitur: aut verè unum Trinumque esse, etsi in ejus Trinæ unitatis nomine baptizari nos jubeant Evangelicæ præceptiones? *Neque veritas est Deus, neque regnum, neque sapientia, nec unum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque Spiritus est, ut nos spiritum cognoscimus; nec est filiatio, neque paternitas, nec aliud quidquam eorum, quæ nobis, aut ulli eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid eorum quæ non sunt, neque quæ sunt; neque quæ sunt eam cognoscunt, quatenus est, nec ipsa cognoscit quæ sunt quatenus sunt.* Et paulò post: *Nec est ejus in universum positio, nec ablatio: immo cùm eorum, quæ post ipsam sunt, positiones & ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus; quia supra omnem positionem est perfecta, & singularis omnium causa; & supra omnem ablationem exuperatio omnium simpliciter abstracta, & ultra omnia.*

Myst. Theol. c. 4 pag. 746. 7.

CAPUT II.

De eodem ex Patribus Latinis, posse Deum ea facere, & multò magis esse, quæ nobis impossibilia videntur: adeoque nec pugnare, ut credatur à nobis Unus esse & Trinus.

I. Ex Ambrosio, omnium naturæ mirabilium causa non alia magis, quàm Dei voluntas; cui nihil impossibile.

II. Fides Trinitatis astruitur ex incomprehensibilitate divina.

III. Ex Hilario, nullas possibilitatis, vel impossibilitatis metas patitur divina potentia, multominus essentia.

IV. Pusillitas est animi non capere, non credere, nisi quæ obvia & facilia sunt. Fidei magnanimitas ad summa quæque consurgit.

V. Summa nostra de Deo scientia est, scire, quod sciri non possit; nec Angeli illum capiunt: nec nostra nos scimus, &c. Rursum fidei magnanimitas.

VI. Eadem propemodum ipsa ex Hieronymo, Fulgentio, Chrysologo, Maximo Taurinensi.

VII. Ex Bernardo, comprehendendus est sanctitate & religione, non curiositate.

VIII. Ex Augustino, ut non tantùm credi ab omnibus, sed & intelligi à paucis saltem possit beata Trinitas.

I. NAturas ipsas corporeas Ambrosius voluntatis divinæ potissimùm præcepto docet consistere; nec necesse esse, ut alias præterea rerum quarumlibet causas & rationes scrutemur. Ut sint enim, & ejusmodi sint, satis cautæ esse in jussione divina. Cur terra ponderibus librata suis, supra ipsum inane & instabile, stabilis & plena persistat, in causa est Dei voluntas. *Ita* Scripturæ affirmant, ita sana & sobria Philosophia, ita ipsa si fari licet experientia. Quis enim satis solidas comminisci potuit rationes ullas alias? Ergo si terrena hæc substantia, utcunque eam pericrutemur, ad Dei voluntatem referenda est, quid divina ipsa natura? an nostris argumentationibus subjicienda erit, vel potiùs talis existimanda, qualem se ipsa nobis prædicavit per Scripturas, per Ecclesias Scripturarum custodes, & interpretes? *Neque enim creatura legem tribuit, sed accepit, & servat acceptam. Non ergo quod in medio sit terra, quasi æqua lance suspenditur, sed quia majestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit, ut supra instabile atque inane stabilis perseveret. Sicut David quoque Propheta testatur, dicens, Fundavit terram super firmitatem ejus: non inclinabitur in sæculum sæculi. Non utique hic quasi tantummodo artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam sinat inclinari.* Et paulò pòst: *Ego tamen qui profundum majestatis ejus, & artis excellentiam non queo comprehendere, non disputatoriis me liberamentis committo atque mensuris; sed omnia reposita in ejus existimo potestate, quod voluntas ejus fundamentum sit universorum, & propter eum adhuc mundus hic maneat.*

Ambros. Hexam. l. 1. pag. 4. Tom. 1.

Et infrà de situ cœlorum & elementorum disputans, ubi aliqua naturæ ipsi corporum repugnare videntur, & aliquid impossibilitatis præ se ferre: *Audi verba Dei: fiat, dicit. Jubentis est, non æstimantis. Imperat naturæ, non possibilitati obtemperat; non mensuras colligit, non pondus examinat.*

L. 2. p. 24. pag. 21. 22.

minat. Voluntas ejus, mensura rerum est. Sermo ejus, finis est operis. Et paulò pòst; *Quomodo jubet quod scit secundùm elementorum rationem esse contrarium? Sed cùm sermo ejus ortus naturæ sit, jure usurpat dare legem naturæ qui originem dedit.* Et rursus paulò inferiùs: *Omnia quæcunque voluit fecit. Quid enim difficile ei, cui velle, fecisse est? Fluitat igitur illis impossibilitatis ratio, cum de Deo disputant, cui verè dicitur, Quia impossibile tibi nihil est.* Denique non multò pòst: *Hærere aquam cum labitur, rursumque redire in superiora sine ullo repagulo, impossibile habetur. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit?*

Pag. 24.

II. At disertè idem Ambrosius libro de Fide contra Arianos, ex ipsa naturæ divinæ incomprehensibili & incomparabili majestate declarat, non esse quod quisquam abhorreat ab ea vel Scriptura, vel Ecclesiæ fide, quæ Filium Patri æqualem & coævum prædicat, quæ Deum unum trinumque affirmat; cùm assentiatur natura ipsa & ratio, Deum eo æstimari quod inæstimabilis sit; quod quantus qualisque sit, nec mente concipi possit: quod nulli præterea naturæ assimilari, vel comparari possit; quod metuendo magis, quàm quærendo sciatur. *Cujus voce descriptum est, Cui me comparabitis? ac proinde Deus cui assimilari nihil potest, sufficiat credi, quod ipse sentitur; quem ipse credi se voluit, non indicari.* Et infrà: *Quippe cum constet lumen illud quod Deus est, æstimari, comprehendi & definiri non posse. Nec verè aliquid ex his quæ in hoc mundo sunt, majestati divinæ comparari, quia nihil de omnibus istis quæ videntur aut dicuntur, secundùm id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest; quippe cum ipsis intellectibus & sensibus major sit. Idem præmonuit ut divinitatem substantiæ crederes, & verum Filium de vero Patre cognosceres. De qualitate autem rei requirere non deberes, quia quale, aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli prædicarunt.* Et rursus: *Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est, de quo & cum dicitur, non potest dici. Cùm æstimatur, non potest æstimari. Cùm comparatur, non potest comparari. Cùm definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuenda sciunt.*

Cap. 16. Tom. 2. pag. 26.

III. Ex quibus perspicuum est, etsi non statim Deo ascribenda sint, quæ impossibilia nobis videntur, cùm multa id genus merè commentitia esse possint: non debere tamen cordatum quenquam ac religiosum abhorrere ab ea de Deo fide amplectenda, quæ in Scripturis, quæ paternis traditionibus, quæ constantissimis Apostolorum & Ecclesiarum prædicationibus fundata & toto orbe receptissima est; etsi non occurrat illa animis nostris, nisi cum imagine quadam impossibilitatis. Ut enim potentia, ita & essentia divina ultra limites & angustias mentium quarumlibet creatarum indubitatissimè & latissimè exporrigitur: ut ei non possint inconcessa & impossibilia esse, quæ nobis sunt. His sanè astipulabatur Hilarius, ubi germanæ in Deum pietatis hæc fundamenta astruebat, ut nihil dignum Deo arbitraremur, quàm eum ultra intelligentias omnes nostras protendi, etiamsi in infinitam quandam amplitudinem cogitatio se nostra extendat. *His igitur religiosissimis de Deo opinionibus veri studio detentus animus delectabatur. Neque enim aliud quid dignum esse Deo arbitrabatur, quàm ita eum ultra intelligentias rerum esse, ut in quantum se ad aliquem præsumptæ licèt opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem persequentis se naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet.* Et aliquantò pòst: *His itaque piæ opinionis atque doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac specula pulcherrimæ hujus sententiæ requiescebat; non sibi relictum quicquam aliud à naturâ suâ intelligens, in quo majus officium præstare Conditori suo minusve posset, quàm ut tantum eum esse intelligeret, quantus & intelligi non potest, & potest credi.*

Hilarius de Trinit. l. 1. pag. 5.

IV. Plebeiis pusillisque semper animis familiare est, suo modulo omnia æstimare; quod non capiunt non credere, supra seipsos nunquam assurgere; res divinas ad se potiùs deprimere, quàm ut ipsi ad eas connitantur. At contrà qui ingenio valent, qui celso sunt animo, ad ulterius semper aliquid pro virili eluctantur; & quæ necdum capiunt, fide complectuntur, eis assuescunt, atque ita tandem id assequuntur, ut ea intelligere & mereantur & possint. Grandescit enim & convalescit, ampliaturque animus jugi ad summa nisu suo & consuetudine. Idem aliquantò pòst Hilarius: *Ratio communium opinionum consilii cœlestis incapax, hoc solùm putet in natura rerum esse, quod aut intra se intelligat, aut præstare possit ex sese. Dei autem virtutes secundùm magnificentiam æternæ potestatis, non sensu, sed fidei infinitate pendebat: ut Deum in principio apud Deum esse, & Verbum carnem factum habitasse in nobis, non idcirco non crederet, quia non intelligeret; sed idcirco se meminisset intelligere posse, si crederet.*

Ibid. p. 8.

V. Hæc ipsa ex Hilario eximia est & summa quædam scientia de Deo, scire quòd sciri non possit; scire quòd nec ignorari possit, nec sciri; scire quòd credendo & adorando maximè sciendus, intelligendus & colendus sit. *Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est: & his officiis eloquendus est.* Solatio mox ait ille id & sibi esse, & nobis esse debere, quòd & Angeli ipsi incomprehensibilem Verbi ex Patre nativitatem non usquequaque assequantur, quòdque ne nostram quidem ipsi nativitatem intelligamus. Si in nostra enim & intelligenda & dicenda caligamus & hebescimus, quid in divina? Filios procreat homo sibi consubstantiales; quì id fiat, an capit, an intelligit? sensum, cor, oculos proli suæ affigit, an intelligit quomodo id fiat, quomodo id faciat? Si tam mira hæc est humana generatio, ut & imperscrutabilis ipsi sit homini, quid divina? *Et si quis fortè intelligentia suæ imputabit generationis hujus sacramentum non posse se consequi, cùm tamen & Pater sit absolutè intelligendus & Filius: majore istud dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sentit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te quisquis es qui hæc requiris, revoco in excelsum, non amplitudinem tendo, non deduco in profundum: nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, & quæ ex te generantur intelligis?* Et statim ibidem: *Non quæro sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale sit quod in se est, odor, visus, sensus, auditus? Certè nemo quod facit, nescit. Quæro unde ista iis quos generas indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc si potes, enarra. Habes ergo quæ nescis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.*

L. 2. p. 25.

Ibid. p. 26.

Piè tamen quærendum illud divinæ generationis arcanum, quod non inveniri tantùm, sed & quæri profectus sit, voluptas & sanctitas sit. Quæ summa enim & incomprehensa sunt, non datur quidem assequi, sed sequi datur, & in eo ipso plus utilitatis, plus suavitatis, plus dignitatis & sanctitatis

tatis consequi, quàm reliquis in omnibus assequendis. *Incipe, procurre, persiste, etsi non perventurum sciam, & gratulor tamen profecturum. Qui enim piè infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo.*

Pag. 27.

Joannes ipse qui de Verbi generatione æterna scripsit, etsi eam non pervadere, non pervidere, sed delibare tantùm & summatim attingere potuerit, amplius id sibi duxit, quàm mortuos resuscitare. *Querite & intelligite, circumspicite utrùm mirabilius fuerit mortuos excitasse, an imperita scientiam doctrinæ istius intimasse. Ait enim: In principio erat Verbum.* Permirum & stupendum illud quidem est, revivisscere mortuos; at non paulò forsan amplius est, Piscatores in hæc divina arcana oculos inferre, ut invisibilia videant, & inenarrabilia narrent, & humani generis imperitissimam etiam multitudinem doceant, & insuefaciant de Deo ita magnificè sentire, ut & possit, & sit, quod creatis omnibus mentibus impossibile videatur ipsum esse, vel posse.

Pag. 28.

Hoc enimverò est quod ait Apostolus, Infirmum & stultum Dei fortius & sapientius esse hominibus. Unum Tria esse, Tria & unum idem esse, hoc credi stultum, hoc insanum esse stultis & insanis videtur hominibus, ultra modum tenuissimi sui ingenii nihil sapientibus, nihil credentibus: cùm ex adverso si quid saperent, quotidianis experimentis addiscerent, paucissimas esse res in hoc toto terrarum orbe, quæ non eorum captum superent. Quantæ ergo infirmitatis, quantæ stultitiæ est, vilissimas quasque naturas earumque causas impervias & ignotas sibi esse experiri, & de divina tamen natura diffidere & inficiari, si quid

l. 4 p. 15. ignotum sibi & impervium affirmetur? *Quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Omnis itaque infuscatas stultitia est: quia imperfecti sensus sui usa sapientia, dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur, putat effici non posse, quod non sapit. Causa enim infidelitatis de sententia est infirmitatis; dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat.* Quin immo summæ apud homines specimen sapientiæ esse debet, ut de Creatore sapiant, quæ vires, captum & acumen superant cujuscumque creaturæ. *Ergo quid-*

Pag. 31. *quid pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur, Dei virtus est; quia nihil naturalis sensus infirmitate moderantur, sed divinæ potestatis efficientiam secundùm infinitatem cœlestis virtutis expendunt. Et idcirco sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium Deus improbat, quia per opinionem stultitiæ humanæ credentibus salus tribuitur: dum & infideles quæ extra sensum suum sunt, stulta esse decernunt; & fideles potestati ac virtuti Dei omnia largiendæ sibi salutis suæ sacramenta permittunt.*

Abjiciendi ergo sunt humani sensus affectusque omnes, ut de Deo prout æquum est sapiamus: ut ipsa Dei de seipso sapientia imbuamur; sentiamus quod sentit, sapiamus de ipso quod sapit ipse, quod docet, quod pronuntiat, sui sibi conscius,

Pag. 32. 33. supra omnes naturarum leges provectus. *Assumenda autem nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus: non impudentiæ sensu, sed naturæ nostræ conscientia: ut quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rursum ratio divinæ virtutis insinuet. Cùm enim recognita stultitiæ nostræ intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam ad Dei sapientiam imbuimur: cùm sine modo virtutes Dei ac potestatem metiamur naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cùm hoc solum de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum & testis & author existit.* Tria & unum idem esse, na-

l. 9 p. 331. turæ legibus repugnat: at ex Hilario, *Non subjacet naturæ legibus; à quo legem omnis natura sortitur: neque in aliquo infirmitate aut demutatione efficiendi detinetur, qui extra modum est potestatis, secundùm Domini dictum: Pater, possibilia tibi sunt omnia. Ut quantum sensus humanus non capit, tantum Deus possit.*

VI. Interrogaverat Marcella Hieronymum, *Quæ sint illa apud Paulum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* In his certè vix ambigere quisquam possit, quin sit arduus ille intuitus summæ Unitatis, quæ nihilominus Trinitas sit. Vide autem ut absolutè respondeat Hieronymus: *Brevis responsio est, non debere nos quærere quid sit illud, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Si enim ignoratur, quomodo sciri potest? Quod promittitur in futuro, non cernitur in præsenti. Spes enim quæ videtur, non est spes, sed jam certa possessio: quomodo si velit quispiam dicere: ostende mihi quod invisibile est: loquere quod audiri non potest: expone quod cogitatio non comprehendit humana.*

Hieron. Epi. ad Marcell. Tom. 3. pag. 44. M.

Libet hìc attexere quod narrat Gennadius in Catalogo virorum illustrium de beato Ephrem Diacono, quid ab eo consilii datum sit Paulino Presbytero, acris viro ingenii, & divinorum insatigato scrutatori: *Huic obiturus beatus Ephrem astanti sibi dixisse fertur: Vide, Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis; sed cùm te ad purum comprehendisse putaveris Dominum, crede nec intellexisse. Præsenserat enim illum ex studiis, vel sermonibus ejus, nova investigare; & immensum intellectum tenere: unde eum frequenter Bardazenem novellum vocabat.*

Ibid. Tom. 1. p. 106. c. d.

A Fulgentio quoque illud animadversum est, ubi mens humana supra se surgere enititur; tum eam ad Creatoris, ad beatæ Trinitatis substantiam properare; at illico invia ejus adita occurrere, propterèa quod tam necesse est illam supra id omne esse quod sapimus, quam supra id omne quod sumus. *Quoties humanæ conditionis infirmitas semetipsam protinus cognitura, fines molitur aliquatenus suæ parvitatis excedere, atque cœlestis illuminationis prægnata conceptu, Conditoris sui ac Redemptoris inquisitionem cœperit parturire; sola, quantum arbitror, immutabilis illa sempiternæ Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus.*

Fulgen. l. 1. ad Trasim. c. 1. pag. 14.

Cùm anima nostra nec extra se, nec supra se sit, sed intima sibi & præsentissima sit, quanta, quanta est, videre tamen & ad unguem noscere semetipsam non potest. Ecqui ergo noscet ipsam summæ Trinitatis substantiam, infinito quodam intervallo supra naturas omnes creatas eminentem? *Ut cùm naturæ suæ investigationem, quæ extra se non est, & intimam sibi cerneret & occultam, ita ut tamen supra se non sit, atque in se sit, totum se, sicut est, vestigare non possit: eo magis pavescens admiransque superna infinitatis magnitudinem, omnes intelligentiæ terminos excedentem, cujus pax, sicut Paulus dicit, superat omnem intellectum, cujus etiam judicia abyssus multa; solo se ad cognitionem Altissimi humilitatis ascensu resipiscere provehi, à quo superbæ cogitationis casu quondam meruit segregari.*

Ibidem.

Sibi uni nota est illa Unitas trina, illa Trinitas una, propterea quod naturæ consentanea est scientia, & pariter vel finita, vel infinita. *Ubi autem est plena sui cognitio, ubi non est naturalis ulla discretio: immensus namque ab immenso plenè cognoscitur, & scientiæ infinitas manet, ubi substantia finem ullum omnino non habet: nec scientiæ terminus ab aliqua creatura contingi ullo modo potest, ubi quod immensum est, nullatenus terminatur.*

Ibid. c. 10. pag. 18.

Chryso-

Chrysologus negat Deum fore, si omnipotens non sit; negat omnipotentem fore, si quid sit quod non possit: si non possit generare Filium & æternitate & substantia sibi parem. Ergo cùm Deum esse & omnipotentem esse, non Scriptura tantùm, sed rerum natura, & conscientia animæ prædicet: non potest jure quisquam resilire ab ea fide, quæ jam ubique terrarum propagata est de nativitate Filii Deo Patri consubstantialis. Si enim negatur posse Deum suammet ipsam & substantiam & æternitatem Filio communicare: jam ergo negatur omnipotens esse, & eo negando & natura & conscientia animæ rationalis sibi ipsi adversatur, *Semper ergo Filium fuisse credas, ne Patrem semper non fuisse blasphemes. Sed dicis, Si genuit, quomodo semper habuit? si semper habuit, quomodo genuit? Qui interrogas, fidem denegas, quam fateris. Credo, dixisti: si credis, unde venit Quomodo? Quomodo sermo dubitantis est, non credentis. Credo, dixisti, in Deum Patrem omnipotentem: si est quod non potest, omnipotens non est.* Chrysolog. Serm. 62. pag. 162.

Idem rursus alibi sola fide & credulitate quærendum nobis esse Deum ita admonet, ut qui jam Deus non esset, si tantus esset duntaxat, quantum intelligere homo, vel creata mens quælibet posset. *Sæpè diximus quod Deus corporeis oculis non videtur, quod Divinitas non clauditur mente carnali, quod humana ratio rerum non capit Conditorem, sed Deum sola fides attingit, credulitas sentit tota; nec quantus est, sed quia est, hominis quantuscumque est intuetur aspectus. Denique Moyses, qui de servo in amicum, de homine promovetur in Deum; Dei faciem quærit, sed non invenit: petit, sed non accipit: & ut posteriora tantùm Dei videat, admonetur: quatenus homo Deum quærat sequi, non præcedere.* Serm. 11. pag. 341.

A quibus non dissonant ista sancti Maximi Taurinensis in homilia de expositione Symboli, ubi profitemur credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotentem esse palam facit & rerum natura, & ingenita conscientia. Quisquis ergo reliquam complexus est Christianam fidem, non potest ille tergiversari, ne Deum Patrem verè Patrem credat, & Filii non degeneris Patrem: ne si hinc resiliat, & fieri id non posse dicat, jam profitetur omnipotentis Dei fidem ejurat. *Credendus sine dubio est Deus Pater omnipotens, cujus sic virtus sentitur, ut quantitas ejus & qualitas ignoretur. Esse enim illius & posse non discutiendo assequimur, sed credendo. Quem autem credere debeamus, edocet nos Redemptoris nostri autoritas, dicentis: Qui credit in me & in eum qui me misit, habet vitam æternam. Et alibi: Creditis in Deum, & in me credite. Plus est, fratres, quod fidei oculis intuemur, quàm sensus possit videre carnalis. Creditis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem. In Deo natura innascibilis, in Patre Unigeniti veritas, in Omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater. Nec disquirendum qualiter sit Pater: quia qualiter Deus sit, aut omnipotens, non potest comprehendi.* Maximus, pag. 685.

VII. Non desperat Bernardus, quin comprehendi possit Deus, si modò audiamus Paulum, qui comprehendi illum hortatur cum omnibus sanctis. Nec enim aliter comprehendi à nobis potest, quàm sanctitate. Nec curiositate, non audaci perscrutatione, non tota mentis acie, aut perspicacitate; sed sanctitate, & mentis religiosa sobrietate; quæ comperto Deum unum Trinumque toto orbe prædicari, nec sine divino numine toto terrarum orbe convaluisse, & in dies magisque invalescere, & barbaras quasque gentes perdomare eam Religionem, quæ ita prædicat; incunctanter assentitur, nec controversiam omnipotenti Deo facit de potestatis suæ finibus: ut ne vel facere extra se, vel esse in semetipso possit, nisi quod humana mens approbari, & credi posse duxerit. Quæ Christianæ fidei & Ecclesiæ subinde accedunt novæ Gentes, eæ de Deo sapiunt sapientiùs, saniùs, sanctiùsque, quàm Ariani, quàm hæretici omnes consubstantialis Trinitatis adversarii. Ubi enim semel sentiunt Christianæ fidei & prædicationi assentiendum sibi esse, tunc & aspirante divina gratia, & naturæ ipsius magisterio intus personante, confitentur, nullos prorsus divinæ essentiæ & omnipotentiæ fines præscribi debere, nedum angustos illos fines, quos humana mens identidem experitur, & præscriptos esse suæ intelligentiæ, & arctissimos esse. *Novimus hæc. Num ideo & arbitramur nos comprehendisse? Non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas: si quomodo tamen comprehendi potest, quod incomprehensibile est. At nisi posset, non dixisset Apostolus: Ut comprehendamus cum omnibus sanctis. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si sanctus es, comprehendisti & nosti: si non es, esto: & tuo experimento scies.* Bernard. De Consid. l. 5. c. 14.

VIII. Nec ea quæ hic à nobis disputata sunt ex Græcis, Latinisque Patribus, prohibent, quin summa illa Trinitatis substantia, quæ à Christianis fidelibus creditur, intelligatur etiam saltem à paucis. Id enim disertè affirmat Augustinus: *Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino esse incommutabilem.* Expresè ut vides pronunciat à paucis saltem intelligi, & non tantùm credi unius Trinæque Deitatis essentiam. Et quidem dupliciter id mihi videtur posse intelligi. Primùm quidem ut sint, qui evidentissimè ex Scripturis validissimèque demonstrare possint, esse unius & individuæ Deitatis tres consortes & consubstantiales personas Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: cùm reliqua turba fidelium in Scripturis minùs versata id non possit, & idipsum tamen credat, Ecclesiæ Catholicæ ineluctabili incumbens authoritati ita docenti, ita Scripturas, ita Symbolum, ita ipsam Baptismi nostri formulam interpretanti. Ad id genus intelligentiæ & demonstrationis ex Scripturis pertinent libri de Trinitate ab Augustino operosissimè & fortissimè elaborati, totaque Scripturarum mole adversùs Arianos communiti. L. 7. de Genesi ad litt. c. 3. 4.

Altera verò & magis propria intelligendi ratio, & non solùm credendi, quam de aliquo fidei dogmate fideles saltem aliqui complectuntur, ea est, quæ adminiculante authoritate Scripturarum, rationibus manifestis, certis, inconcussis, & non probabilibus tantùm, probat, quod proponit. Illud enim demum est, non credere, non opinari, sed intelligere, ubi perspicuæ, necessariæ & indubitatissimæ rationes in medium afferuntur. Id conatus est perficere Augustinus prolixissimè in libro de vera Religione, quod ad personam Verbi pertinebat, ut infrà dicemus. Eo sensu capiendum est, quod jam non semel inculcaverunt nobis sancti Patres, Fide perveniri ad intellectum: Fide mundandos esse mentis oculos & mores nostros, ut tunc denique lucem & intelligentiam divinorum assequi & ferre possimus. Utrolibet autem modo, velit Augustinus Trinæ in Deo unitatis arcanum à quibusdam intelligi; non ideo infirmari possunt, quæ hactenus nobis edisseruerunt sancti Patres de ejus incomprehensibili majestate. Nam & ad hanc intelligentiam perveniunt pauciissimi, maximè ad posteriorem: & qui eò perveniunt, raris & beatis momentis illa luce fruuntur, & mox ad inferiora, suæque tenuitatis magis consentanea revolvuntur.

CA-

CAPUT III.

Ex sanctis Patribus demonstratur, de sanctissima Trinitate non tam demonstrationes & intelligentias nobis suppetere, quàm earum conatus & rudimenta quædam. De unitatis summæ ineffabili magnitudine, quæ proinde Trinitas est. Ex Patribus Latinis.

I. Ex Augustino, ad intelligentiam Trinitatis, ne audere, ne eniti quidem magnoperè debemus.

II. Præstat pasci interim imagine aliqua Trinitatis, cujusmodi est Esse, Nosse, Velle. Descriptio hujus Trinitatis.

III. Ut unitatis summæ magnitudo & fœcunditas tres hypostases possit implicare.

IV. Quàm nihil sit in Trinitate, quod vel gentiles ipsos possit offendere, quod non potiùs debeat allicere.

V. Horum confirmatio ex Epistola Augustini ad Madaurenses Gentiles. Ut Gentiles ita Deus concluserit, ut non ferè possent non Ecclesiæ Christiana se adjungere.

VI. Quàm non potuerit Gentilitas Judaica Religioni se adgregare; & quàm pene necessariò ad Christum accesserit.

VII. Eo peccarunt olim principes hæreticorum sectæ, quod Divinitatis unitatem copulare non potuerunt ejus magnitudini, & opulentiæ. Unius Catholicæ Ecclesiæ Fideique amplitudo, & magnanimitas.

VIII. Luculentissimè ex Paschasio, ut cùm unus dicitur Deus, Trinus insinuetur.

IX. Unus dicitur Deus, non numero, sed universitate & plenitudine, ut Sol, ut Mundus.

I. COntexta est, ut vides, materia hæc superioribus capitibus. Illam autem ordiri aptissimè posse nobis videmur ab eodem Augustino, quem paulò antè de intelligentia Trinitatis audiebamus. Rursus ergo ille præclarissimè quàm paucis illa concessa sit, ita declarat: *Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen eam? Rara anima, quæ cum de illa loquitur, sciat quid loquatur. Et contendunt & dimicant, & nemo sine pace vidit istam visionem.* Quod ait sine pace nulli obtingere istam visionem, sive intelligentiam, id vult, ut reor, si quæ sint hìc argumentationes, minimè contentiosas illas esse debere: quòd Deitas non disputatione, non contentione, sed sanctitate, pietate, pace animi & modestia ac verecundia propiùs adeatur, certiùs & evidentiùs demonstretur. Ne illud quidem audendum, aut conandum, ut demonstretur; quòd nostrum sit illam revereri, colere, adorare; ejus sit, sese ubi, quibus & quantum dignabitur, demonstrare.

Augustinus Confess. l. 13. c. 11. p. 84.

II. Eò spectat, quod statim subjicit Augustinus, præstabilius esse, ut imagine quapiam Trinitatis mens nostra pascatur & oblectetur, quantumque inter illam & sui imaginem intersit, advertat; ita enim sese probanti, sese exercenti, sese purganti menti nostræ forsan interlucebit aliquid strictim purissimæ & divinissimæ illius lucis. Imago autem Augustino illa videtur accommodatissima Trinitatis, quæ tria hæc complectitur, Esse, Nosse, Velle. Hæc enim & tria sunt, & unum sunt; & distincta, & inseparabilia sunt; & discreta sunt, & mutuò sibi insunt. Est quippe quisque nostrum sciens & volens; scit esse se, & velle; vult esse se & scire. Hæc cogitanti intermicabit forsan vita quædam simplicissima & summè una, in qua unum idemque incommutabiliter sit Esse, Scire & Velle; cùm in nobis hæc non ita valdè unum sint, nec incommutabilia omnino sint, nec tribus personis distributa sint; sed uni & essentiæ & personæ coalita. Est ergo hæc imago Trinitatis, non Trinitas. Esset autem Trinitas divina, si & incommutabiliter una atque indivisa esset, & in tres tamen personas distributa. Audiendus sic Augustinus, ut tum ex eo plusculum lucis postea exsculpamus: *Vellem, ut hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longè aliud sunt ista tria, quàm illa Trinitas; sed dico ubi se exerceant & probent, & sentiant quàm longè aliud sunt. Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & novi, & volo; sum sciens & volens; & scio esse me, & velle; & volo esse, & scire. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis vita, & una vita, & una mens, & una essentia, quàm denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat qui potest. Certè coram se est, attendat in se, & videat & dicat mihi. Sed cùm invenerit in his aliquid & dixerit, non jam se putet invenisse illud quod supra ista est: incommutabile, quod est incommutabiliter, & scit incommutabiliter, & vult incommutabiliter; & utrum propter tria hæc & ibi Trinitas; an in singulis hæc tria, aut terna singulorum sint, an utrumque miris modis simpliciter & multipliciter, infinito in se sibi fine, quod est, & sibi notum est, & sibi sufficit incommutabiliter idipsum, copiosa unitatis magnitudine, quis facilè cogitaverit? quis ullo modo dixerit? quis quolibet modo temerè pronunciaverit?*

In ea Trinitatis imagine videtur moras trahere, & deliciari sanctus Pater; & hæsitare magis, quàm affirmare; & intervidere tandem magis, quàm videre unitatem illam, cujus copiosa magnitudine tria hæc contineantur, nullo ex unitate Trinitatis dispendio, nullo ex Trinitate unitatis detrimento. Nec enim minutum, aut angustum quid est summa unitas, quæ in summo omnium vertice sedet; sed amplissimum, immensum, infinitum, spatiosissimo sinu suo complectens, & arctissimo unitatis & simplicitatis nodo constringens quidquid est divinorum. Hæc perstringit tantùm sanctus Pater, & tribus illis verbis *copiosa unitatis magnitudine*, rem indicat magis, quàm declarat; quòd in tantum arcanum irrumpere nefas sit; suspicere, revereri, & adgaudere fas sit. An ergo ita Trinitas unitati concilianda sit, quòd unitatis omnium entium principis & originis ea sit amplitudo, ea magnitudo, ea infinitas simplicissima, ut & Trinitatem personarum in se constringat, *quis facilè cogitaverit*? ait Augustinus: *quis ullo modo dixerit? quis quolibet modo temerè pronunciaverit*?

III. Quando ad incommutabilem Dei veritatem, vel ad hanc unitatem copiosissimæ magnitudinis, mens nostra gradatim consurgit; non potest ibi diu consistere; præstringitur, caligat, quando venit, ut ait alibi Augustinus, ad id quod est sub ictu trepidantis aspectus: videt, & protinus aufugit quod viderat. Ita certè intelligitur & videtur, si quando videri & intelligi potest beatissima & opulentissima unitas, simplicissima & fœcundissima, una & trina. Non tantò minùs una, quantò magis fœcunda: sed tantò fœcundior, quantò magis una; cùm omnibus conveniat, unitatem numeros ex se omnes effundere: & tantò vim quamque potentiorem ac fœcundiorem esse; quantò fuerit magis una, & in sese collecta. Debilitatur enim potestas quæcunque, ipsa sui dispersione, ac dissipatione in plura.

IV. Hæc unius & trinæ Deitatis fides adeo non gentiles pleroſque offendebat, aut à Christianæ Ecclesiæ societate alienabat; ut potiùs primùm obstupefaceret, deinde in sui admirationem & amorem adduceret; cùm nihil prædicaretur nisi magnum, summum, stupendum, fide & impensissimo cultu dignum, de uno summo Deo, de ipsius intra sese etiam fœcunditate, de ipsius cum sua prole inenarrabili unitate, de summi parentis ejus-

ejusque prolis mutua charitate, de charitatis hujus mutuæ sanctitate, de summa & inenarrabili summæ Deitatis unitate, quæ totam hanc fœcunditatem suam intra se constringeret. Nihil hìc erat quod non menti cuilibet rationali & intelligenti blandiretur, & jure merito plausibile videretur; si vel maximè mens humana hactenus variis erroribus & superstitionibus delusa & fatigata fuisse spectetur, quando hæc fidei prædicatio orbi cœpit illucescere. Non tam numina, quàm portenta quædam colebat universa propemodum gens humana, quando Christus & Apostoli hos illi cœperunt castioris & sublimioris religionis radios aspergere. Et plures hactenus coluerat Deos & falsos, impuros vilesque. Repugnabat animæ ipsa natura & innata lux rationis tam prophanis superstitionibus; itaque etsi consuetudinis æstu abrepta plures in aperto Deos veneraretur: unum tamen summum esse ne ambigebat quidem, qui cæteros genuisset; & ita genuisset, ita regeret, ut unus ipse in suo summo vertice & solus esset. Minoribus his diis quanta flagitiorum probra & dedecora affinxisset, non poetica tantùm, sed & publica civitatum templorumque superstitio, nihil attinet dicere. Ab his flagitiis flagitiosisque figmentis non poterat non intus abhorrere mens hominis, ratione utentis. Quis enim in Diis laudasset, quæ in hominibus detestanda, extremisque pœnis animadvertenda confitebatur? Ergo ubi Christi & Apostolorum Apostolicorumque virorum prædicatio orbem terrarum personare cœpit: tunc intellexit genus humanum per eam se sibi reddi, hæc eadem placita de Deo jamdiu conscientiam suam sibi occinuisse, ita semper se in animo intus suo sensisse, unum esse summum Deum; summæ sapientiæ, summæ sanctitudinis illum esse; immo & sapientiam ipsam & sanctitudinem ipsum esse; fœcunditatem illi suam constare debere, sed ipsi parem, ipso dignam; atque adeo non posse sobolem ejus nisi sapientiam, nisi sanctitatem ipsam esse: ita & unum esse Deum, nec improlem tamen, vel solitarium ipsum esse. Ita perspicuum est animæ ipsius naturam & rationem insitam suffragari tunc visam esse Evangelicæ doctrinæ, quæ ea orbi universo dogmata aspergebat, quorum ipsa in suo sinu summam jam inde ab ortu suo prægestabat.

Etsi enim hærebat animus in hujus simplicissimæ unitatis concordia cum sua fœcunditate, duo erant, quæ eam levarent difficultatem, & omnem aliquando tandem abstergerent dubitationem. Primum erat in ipsius Evangelicæ prædicationis miraculis, sive miracula capias, quæ vulgò ita dicuntur, sive mira & stupenda probitatis, pietatis & virtutum omnium documenta, ipsis cœlestibus ostentis mirabiliora, antea penè inaudita, tunc crebertima & ipsis etiam de plebe hominibus familiaria, utique non sine summi Numinis afflatu. Secundum erat ingenita quoque illa omnium animis persuasio, esse quod divinum est supra mentes, supra intelligentias nostras; cùmque cætera omnia Christianæ prædicationis capita mirificè consentirent cum ratione & conscientia ipsa nostra; si unum esset, aut alterum, quod dissonare videretur, id quoque consentire rationi, ut esset in Deo, quod nostram imbecillitatem superaret; fidei ergo & religioni id dandum esse, ut esse amplius aliquid & mirificentius crederetur Deus optimus maximus, quàm quod humana imbecillitas capere posset.

V. Hæc mihi præfanda visa sunt luculentissimo Augustini de his ipsis testimonio, in Epistola ad Madaureos Paganos data; quibus hæc ipsa eadem explanabat: *Est quiddam invisibile, ex quo creatore principio sunt omnia quæ videmus, summum, æternum, incommutabile; & nulli effabile nisi tantùm sibi. Est quiddam quo se ipsa summitas Majestatis narrat & prædicat, non impar gignenti atque narranti Verbum, quo ille qui Verbum gignit, ostenditur. Est quædam Sanctitas omnium quæ sanctè fiunt sanctificatrix, ipsius incommutabilis Verbi per quod narratur illud Principium, & ipsius Principii quod pari se Verbo narrat, inseparabilis & indivisa communio. Quis autem hoc totum quod non dicendo dicere conatus sum, & dicendo non dicere, quis hoc possit serenissima & sincerissima mente contueri, eoque contuitu beatitudinem ducere, atque in id quod intuetur deficiens quodammodo se obliviscti, & pergere in illud cujus visio nobis invisibilis est, quod immortalitate est indui, & obtinere æternam salutem, per quam me salutare dignamini? Quis hoc possit, nisi qui omnes superbiæ suæ toros inanes, peccata sua confitens complanaverit, seque substraverit mitem atque humilem ad excipiendum Deum Doctorem?*

Augustinus Epist. 42. Tom. 2. pag. 51.

Non temerè conjicimus quæ hìc Madaurensibus ab Augustino per Epistolam exponebantur de uno & trino summoque Deo, eadem & ipsum & reliquos Patres coràm concionari solitos fuisse ad Gentiles in Ecclesiæ Christianæ gremium invitandos, & id genus concionibus totum orbem terrarum ad Christum & ad Deum vivum & verum adgregatum tandem fuisse. Quo se enim Gentiles adversùs ista clypeo tegere, quo obtentu ab his placitis declinare poterant? Unum Deum colendum & natura vociferabatur, & assentiebantur Philosophi Poetæque omnes, & ipsa interior conscientia succinebat. Plures in Deitate una Personas esse posse non facilè negare poterant, quos vel ipsa sua prior plurium Deorum superstitio in id inclinaverat & insuefecerat. Non eò execranda erat idololatria, quòd Deo summo & vero fœcunditatem & sobolem ipsi non disparem, ipso dignam adsignaret: sed quòd Deos alios illi adgregaret spurcos, flagitiosos, scelerum & bellorum incentores. Quàm ab horum fide & cultu abhorret ratio sana, tam ea lubens plaudit uni summoque Deo, summè sapienti, & sapientiæ genitori, summè sancto, & sanctitatis origini: nec aliter sobolescenti, quàm ut Sapientiam gignat, & Sanctitatem Charitatem ex se fundat: hæc gemina sobole sua, si ita fari licet, gaudeat & fruatur, eamque ita secum in inaccessum quendam suæ unitatis verticem recolligat. Quid erat, quæso te, quod huic prædicationi objectarent Gentiles, quod non lubentissimè amplecterentur, quod non Gentilitiæ suæ olim impietati anteponerent?

Nec enim erat, quo se converterent, nisi ut in absurdissima & sceleratissima idololatria sua perseverarent, aut Christianæ huic doctrinæ accederent, aut suam sibi quisque Sectam effingerent. Idololatriæ illos jamdiu suæ tædebat, ut quæ ubique rationi ipsi & humanitati inimica esset, tum ob Deorum horrenda quædam portenta, tum ob atrocissima flagitia, non inulta tantùm, sed & in Deos consecrata. Ut singuli suam sibi religionem & sectam aliquam sanctiorem verioremque comminiscerentur, id ne fieri quidem poterat. Nam ut opifices, agricolæ, plebeii quique, mulierculæ, juvenes, pueri; etiam plerique ingenio hebetes & obtusi sua sibi commentarentur de Deo, de animæ immortalitate, de æterna salute, de moribus regendis placita, rursus dicam, id ne fieri quidem poterat. Et quid hoc monstri fuisset, tot Religiones, tot Numinis summi cultus esse, tot morum leges discrepantes, quot homines sunt, quantumvis imbecilli & absurdi? An Sapientum, an Philosophorum se magisterio commisissent? At quorum demum Philosophorum? qui ne ipsi quidem ab idolorum cultu se abstinuissent, qui ne concordare quidem inter sese ipsi potuissent; qui alii alia, & nonnulli absurdissima de Deo, de anima, de moribus decreta excogitassent, quæ tuerentur pauci ipsorum aliqui, reliqui omnes oppugnarent. Ita ergo tunc summi Numinis Providentia concluserat

eluserat genus humanum, ita undique coarctaverat, ita vias alias omnes sepserat, ut non posset ferè, nisi ad Apostolicæ & Christianæ Ecclesiæ castra confugere. Huic exteriori rerum dispositioni si addas, quæ non semel jam præstruximus de mira quadam consensione animæ & conscientiæ omnium ratione utentium cum Evangelica prædicatione de supremi Dei unitate simplicissima, de fœcunditate & intra & extra ipsum sese effundente, de copiosa & incomprehensibili ejus Unitatis magnitudine, & Sapientia & Sanctitate ab eo manante, & supra humanam quamcumque intelligentiam constituta: hæc, inquam, si addas, & seriò expendas, videbis genus humanum ita intus foriſque oppugnatum, non potuisse non in deditionem venire, & sese totum Deo committere.

VI. Nec dicas ad Judæos recurri potuisse, qui & Deum unum revererentur, & idola contemnerent, & castis essent moribus. Et illi enim subinde ad idola delapsi fuerant, & Gentium conversionem adeo non in votis habebant, adeo non curabant, aut promovebant, ut eam potiùs abhorrerent: quo vel ipso indignos se confitebantur, quibus se Gentilitas adgregaret. Adde quòd tanta erat Judæorum paucitas, tantæ eorum & regionis & gentis angustiæ, ut innumerabilem Ethnicorum toto orbe multitudinem in eorum societatem influere & coaptari posse extra fidem esset. Adde rursum quòd illam gentem totam uni Jerosolymitano Templo ita affixerat Deus & Legislator Moyses, ut non dico orbem terrarum, sed ne paulò vastiorem quidem regionem posset tota illa Religio complecti. Singulis enim ter anno quolibet adeundum erat, & muneribus prosequendum Templum illud. Denique non multò pòst Templum illud ipsum diruerunt & solo æquarunt Romani, ut prædixerat, ut sanxerat Christus ipse, novæ conditor Religionis cœlo allapsus, qui & Gentiles omnes ad se potentissimè traxit, omnes invictissimè ad hanc fidem traduxit, se ut crederent & summum Deum & Dei summi Sapientiam esse, & summæ Sanctitudinis fontem esse, & in se inhabitare totam Divinitatis plenitudinem: quod necesse fuisset, ut ad plenitudinem Divinitatis in humanos artus delapsam plenitudo omnium Gentium concurreret. Lux ipsa veritatis & sapientiæ certissimè approbat, sed & approbat experientia totius humani generis, & perspicua ejus ad Christum conversio. In Christo, inquam, inhabitare corporaliter omnem plenitudinem Divinitatis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ipsissimam Unitatem, Veritatem, Charitatem probat, & invictissimè probat per suam ipsam fidem plenitudo generis humani ita ad Deum, ita ad Christum conversa, & converti latiùs latiùsque in dies perseverans. Scitè ergo Ambrosius: *Ergo unum regnum, & una Divinitas. Unam Divinitatem Lex probavit, quæ dicit unum Deum. Probavit & Apostolus dicendo de Christo: In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Si enim juxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter Divinitatis in Christo est, aut unius divinitatis Patrem & Filium fatebuntur: aut si Patris & Filii divinitatem cupiunt separare, cùm omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter Filius habeat, quid est quod Patri æstimant amplius adscribendum, cùm amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit? Ergo una divinitas.*

Ambros. l. 3. de Fide c. 6. p. 165. 166.

Illud enimverò perirum est, quòd cùm tot Sectæ aliæ emerserint, sive ante, sive post Christum, sive extra ejus Ecclesiam, sive ex ipsa ejus Ecclesia deficientes, & omnes in id potissimum conspiratint, ut multitudinem humani generis ad se pellicerent, & humano ingenio blandirentur: nulli tamen earum ex sententia res processit, omnes debilitatæ, fractæ, extinctæ tandem fuere, vel ad summas angustias deductæ. Una ex adverso Christi Religio viguit, vigetque, & floret toto orbe, omnes Nationes complexa, tametsi non pauca habeat humano sensui infestissima in speciem: Unum Trinumque esse Deum, hominem Deumque esse Christum, Cruci affixum fuisse Christum, ipsum eundem immortalitatis & æternæ beatitudinis largitorem. Nimirum quantumcumque ab his primùm abhorreat mens humana, ubi tamen humilitatis & modestiæ & sapientiæ afflatu quodam cœlesti donari afficique incipit: ubi seriò perpendit non prædicari sibi in his nisi fidem & cultum summæ & ineffabilis unitatis, sapientiæ, charitatis; fœcundissimæ Unitatis, ex qua fluat Sapientia & Charitas ipsa; quæ ad homines defluat, quo & eos ad quoddam summæ Unitatis, Sapientiæ & Charitatis consortium trahat, & ita Divinitatis pro suo modo consortes faciat: ipsos sibi singulos reddat, universos conciliet & conglutinet; omnes sibi obsequentes, jam hinc pios, sanctos & beatos præstet; ubi hæc, inquam, seriò advertit mens humana, ubi sapit, ubi gustat, non facilè potest ab his tam castis & suavibus illecebris resilire. Illud ergo est quod humani generis universitatem ad unius & trinæ Deitatis fidem & charitatem perduxit.

VII. Eo peccasse famosos hæreticorum duces ait sanctus Leo Papa, quòd unitati magnitudinem, magnitudini unitatem copulare noluerunt. *Arius sempiternam atque incommutabilem Deitatem, quam in Trinitatis unitate non vidit, in Patris essentia non negavit.* Ad Patrem ergo solum Arius restrinxit unitatem Deitatis, quam pro magnitudine sua ad totam Trinitatem dilatare debuerat. Macedonius ad Filium duntaxat, non ad Spiritum sanctum unitatem paternæ divinitatis ampliavit, atque ita ejus amplitudinem coarctavit. *A lumine veritatis alienus divinitatem sancti Spiritus non recepit: sed in Patre & Filio unam potentiam & eandem confessus est esse naturam.* Sabellius denique *unitatem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto inseparabilem sentit*; sed eo erravit, quòd *singularitati dedit, quod æqualitati tribuere debuit* trium distinctarum personarum. Unum ergo fuit eorum flagitium, quòd cùm omnes sentirent Unitatis amplitudinem & divinitatem, illi tamen limites & angustias nescio quas, certè à summa Divinitate alienissimas affinxerunt, ut non posset nisi unam Personam complecti, aut saltem nonnisi duas. Quocirca rursus alibi ait idem Pontifex sensisse Arium, quàm non posset ab unitate Patris Filius segregari, unde & illum quoque Deum dixit, sed minorem, stultissimè sanè, *cùm gradus in vera Divinitate esse non possit. Quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est.* Sabellius econtra intelligens non posse nisi unum Deum, eumque sibi coæqualem: *Quia non poterat unitatem Deitatis intelligere, nisi in unitate personæ*; eundem asseruit Patrem, atque Filium.

Leo Mag. Serm. 4. in Nativ.

Serm. 8. Ibidem.

In hos ergo errorum scopulos illi omnes impegerunt, propter unam fidei suæ jejunitatem, propter unam tenuitatem ingenii sui, propter degeneris cujusdam Philosophiæ pusillitatem. Si qua enim illos vel fidei, vel ingenii, vel Philosophiæ celsitudo animasset, vel credidissent, vel etiam intellexissent, non iis finibus arctandam & circumscribendam esse primi Principii unitatem, qua divinius vel in Deo ipso esse nihil potest, atque unitatem cujuslibet hominis, vel Angeli, vel creaturæ demum cujuscumque intellectualis, ut plures non possit amplissimo suæ simplicitatis ambitu Personas complecti, quàm unam. Tres Personas illa simplicissima unitate contineri Fideles credunt omnes, pauci intelligunt, ut suprà ajebat Augustinus; sed vel in iis qui id credunt tantùm, incredibilis quædam nihilominus animi magnitudo deprehenditur. Nec enim ita crederent, nisi intelligerent Deo & essentiam & potentiam & unita-

unitatem competere tantam, quantam ipse solus capere potest; & quantam nos ipsi quodammodo capimus, dum ejus infinitæ de seipso intelligentiæ assentimur & adhæremus. Ad hanc & fidei, & religionis, & intelligentiæ amplitudinem non assurgunt hæreses, humani ingenii angustiis tenebrisque magis delectantur.

VIII. Ab his non recedit Paschasius S. R. E. Diaconus Cardinalis libro primo de Spiritu sancto adversùs Macedonium, cujus verba primùm iubet hic adscribere, ut in ea aliquid postea commentemur nostro more. Sic ergo ille: *Da in Deo nomen speciale, vel proprium, id est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Et mox: *Rursum da nomen generale atque commune, majestas, immensitas, plenitudo, unus, solus, Deus. Sed cum audis Unus, non hic numerus inchoatur, sed perfectio infinita colligitur. Quid est Unus, nisi nomen incommunicabile, quod nec posteriorem recipit, nec priorem? Quid est Unus, nisi simplex, incomposita & indivisa substantia? Quid est Unus, nisi incommutabilis & ita equalis, ac semper idem, qui nunquam à se possit esse diversus? Ac sic communis appellatio unitatem notat. Cùm ergo dixeris Pater, Filius & Spiritus sanctus, singulorum personas pariter explicasti. Cùm dixeris unus Deus, communem Trinitatis substantiam, communem gloriam demonstrasti.*

Cap. 1. Bibl. Patr. Tom 9. pag. 197.

Hic sanè perspicis, cùm nominatur Deus unus, non solitarium Deum intelligi, sed Deum qualis est, unum qualiter unus est; non in singularitate, sed in Trinitate personarum suarum. Ea enim est Dei unitas amplissima, vastissima, effusissima, quæ tres complectatur personas, quæ propria divinæ unitatis prærogativa est. Et Angeli enim & hominis cujusliber unitas, personæ suæ singularitate gaudet. At unitatis divinæ ea est dos & opulentia, ut tres personas complectatur. 2. Nec aliter res se habet quando Deus dicitur majestas, immensitas, plenitudo. Ea est enim unitatis majestas, plenitudo, immensitas, quæ tres perfectissimas hypostases contineat. 3. Inde est, quòd & cùm unus dicitur Deus, non illud sit numeri initium. Istud enim unum totum est, infinitas est, immensitas est; unde nec mirum est, si & unum natura sit, & trinum personis. 4. Ergo cùm dicitur unus Deus, Trinitas dicitur; quia ejusmodi est ea unitas, ut infinita, immensaque sit, ut Trinitas sit perfecta, ut idem sit atque tria perfectissima supposita & unum perfectissimum simplicissimumque Numen.

IX. Juvabit & illud hìc adscripsisse ex Pseudocypriani expositione in Symbolum Apostolorum, ubi unum confirmat dici Deum Patrem, non quasi illud numeri exordium sit, sed quòd universitate unus sit; quòd unus omnia complectatur, unus omnia sit, nec præterea possit alius esse Deus & Pater, cùm occupaverit jam ille omnia, quæ Dei & Patris esse possunt. Ita dicitur Sol unus, non quasi pluribus aliis præeat & antistet Solibus; sed quòd unus infinitam totamque præceperit luminis plenitudinem. Ita & Mundus dicitur unus, non numero, sed universitate; quidquid enim in alios dispensare volueris Mundos, id totum ob hoc ipso Mundo jam præsumptum & occupatum est. Ea est enim vis & plenitudo unitatis, ut & unum & omnia sit. *Quod autem diximus, Orientis Ecclesias tradere unum Deum Patrem omnipotentem & unum Dominum, hoc modo intelligendum est, unum non numero dici, sed universitate. Verbi gratia; Si quis dicit unum hominem, aut unum equum, hic unum pro numero posuit. Potest enim & alius homo esse & tertius, vel equus. Ubi autem secundus vel tertius non potest jungi, unus si dicatur; non numeri, sed universitatis est nomen. Ut si exempli causa dicamus unum Solem, hic unus ita dicitur, ut alius, vel tertius addi non possit; unus est enim Sol. Multò magis ergo Deus cum unus dicitur, unus non numeri, sed universitatis vocabulo nuncupatur; id est, qui propterea unus dicatur, quòd alius non sit.*

Cyprianus, pag. 511.

CAPUT IV.

De unitatis divinæ magnitudine, opulentia, universitate, dilatatione in tres hypostases, ex Patribus Græcis.

I. Ex Dionysio Alexandrino quælibet Trinitatis persona cæteras complectitur.

II. Ex eodem Trinitas in unitatem consummatur, unitas in Trinitatem dilatatur.

III. Idem confirmatur ex Nazianzeno; de opulentia unitatis divinæ & veluti Solis intelligibilis, sese dilatante.

IV. Ex eodem ut tria unus Deus; ut singula totus Deus; ut infinita tria unum infinitum sint.

V. Ex eodem quàm non possint esse gradus in Deo, in unitate.

VI. Ex Isidoro Pelusiota opulentissima Dei unitas in tres hypostases dilatanda est; hæ in unam substantiam contrahenda.

VII. Luculentissimè idem ex Synesio confirmatur, ut unitas summa in tres unitates se dilatet.

VIII. Pulcherrimè rursum de eodem ex eodem.

I. IStas Orientis Ecclesias apud Pseudocyprianum eos ego interpretor Episcopos & Ecclesiæ Orientalis Patres, de quibus suo infrà loco dicemus, quosque ostendemus ita unanimiter sensisse, Deum dici unum, non quasi solitarium, & unum numero, à pluribus aliis Diis sejunctum; sed unum universitate Deum Patremque, qui anticipaverit in sese ipso simplicissimè complecti, quidquid unitatis & Paternitatis voce cogitari potest, & cogitari non potest. Hìc verò quando ad Græcos delapsi sumus, unum profero ante alios Dionysium Alexandrinum Episcopum, quem Ario prælusisse nonnulli calumniabantur, propterea quòd alicubi Patrem nominasset, tacuisset Filium, quasi sejungi posset Pater à Filio: quasi non idem alibi Filio appellato siluisset Patrem. At ille ita purgavit sese, confirmavitque ideo se vel de Filio siluisse, ubi de Patre; vel de Patre, ubi sermo erat de Filio: quòd constantissimè præsumptum id animo suo esset, ut & Catholicis omnibus persuasissimum, in Patre Filium, in Filio Patrem intelligi & dici, nec necesse esse apud fideles verba facientem ita semper expressiùs affirmare: cùm apud eos de eo ne dubitari quidem possit. Accipe ut Athanasius hujus Dionysii successor in sede Alexandrina & postea defensor, has criminationes illi aspersas referat primò, & mox refellat, in libello *De sententia Dionysii contra Arianos*. Sic enim ait: *Porro de altera suspicione, qua eum in crimen vocabant, quòd Patrem nominasset, & non ibidem nominasset Filium, rursumque quòd in mentione Filii nomen Patris reticuisset, ac proinde eum disjungere, elongare, ac dividere Filium à Patre, redditis rationibus falsum ostendit, idque in secunda volumine, ubi hæc verba refert.* Hæc Athanasius in Apologia hujus Dionysii. Accipe ejusdem statim ibidem addita Dionysii verba in sui defensionem: *Singula illa nomina de quibus locutus sum, insegregabilia à se invicem sunt, nec dividi queunt. Patrem quum dico etiam sine mentione Filii, Filium sub Patris vocabulo indicatum volui; contra si in mentione Filii Patrem omisissem, tamen ille sub nomine Filii intelligi debuit. Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita ut pariter adjungerem, undenam ille, & per quem venerit; sed isti ignorant Patrem à Filio alienari non posse, & sub Patris vocabulo primarium conjunctionis authorem contineri, & Filium*

Athanasius Tom. 1. pag. 429.

à Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, & in Patris Filiique manibus esse Spiritum sanctum; sed ita ut neque à mittente, neque à ferente segregetur. Quì fieri igitur posset, ut cum istis nominibus utar, suspectus habear, quasi ista separari, dividique existimaverim?

II. Fœdissimam à se calumniam ita propulsavit Dionysius, contestatus ex tribus divinis personis quancumque commemorasset, eam sibi mentem, eam fidem, eam sententiam fuisse, ut in ea reliquæ duæ intelligerentur, tanquam individuè illi inexistentes, implicatæ, prorsusque indivulsæ. At eo non contentus, mox luculentissimè declarat ejus fidei & doctrinæ rationem, quantum potest rei supra omnem rationem collocatæ ratio attingi. Nempe à nobis unitatem quæ indivisibilis est, in Trinitatem dilatari; & Trinitatem, quæ diminui non potest, in unitatem consummari. *Idem paulò pòst addit, Hoc scilicet pacto unitatem quæ indivisibilis est, in Trinitatem dilatamus: & Trinitatem, quæ diminui non potest, in unitàtem consummamus.* Verba Græca ita habent; ἀτρεπῶς ὑμεῖς εἷς τε τῆς τριάδα συγκεφαλαιώμεθα. Paucis verbis illis Græcis totus hic Latinus contextus certissimè, sed & brevissimè continetur. Illud est enim *Recapitulare*, συγκεφαλαιοῦσθαι; quæ distinctissima sunt, in unitatem consummare, citra confusionem: ut rursum possint in suam multitudinem dilatari.

III. Ab his non discrepat Nazianzenus, ubi ait: *Caput autem sermonis hoc sit: cum Seraphimis divinam gloriam prædica, tres sanctitates in unam dominationem contrahentibus, primamque essentiam hactenus indicantibus.* Κεφάλαιον δὲ λόγου; Recapitulatio hæc est, *Seraphimis tres sanctitates in unam dominationem contrahentibus:* vel unam dominationem, aut dominatricem Dei naturam in tres sanctitates dilatantibus. σωαγόντων τὰς τρεῖς ἁγιότητας εἰς μίαν κυριότητα. Unde & mox idem Nazianzenus ait à Paulo, qui in tertium Cœlum abreptus aliquando fuerat, quamlibet Deitatis personam promiscuè nunc ante, nunc post alias; nunc sejunctim, nunc conjunctim nominari; nonnunquam tres, aliàs unam, vel duas memorari: quòd ita præjudicatum sit, una earum qualibet reliquas omnes & contineri, & intelligi, & nominari: quòd unum ineffabile & simplicissimum sit tota illa Trinitas, ideoque nec à seipsa quoquo modo possit sejungi. *Sed eandem personam nunc prænumerans, nunc connumerans, nunc subnumerans: quorsum hoc? nempe ut natura æqualitatem ostendat: nonnunquam etiam trium, interdum duorum, aut unius mentionem facit: tanquam videlicet reliquæ personæ simul sequantur.*

Nazianz. Orat. 24. Tom. I. pag. 430.

Pag. 431.

Alibi verò idem Gregorius ita primùm quasi præfatur, de divina natura, quæ lux ipsa est, summa & inaccessa; quam nec mente, nedum sermone assequimur; qui mundi intelligibilis Sol est, ex sensibili Sole utcunque conjectandus, purgatis tantùm oculis mentis contemplandus & amandus, atque amore ipso magis magisque manifestandus: sibi uni comprehendendus; sui luminis extra se in homines & Angelos pauxillulum effundens; in tres hypostases dispensatus & indivisus; infinitam amplitudinem suam in unitate & identitate possidens; non copia opulentus, sed unitate, & unius luminis effulgescentia. *Ac quidem Deus summum & inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest; naturam omnem ratione præditam illuminans; hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus; eò se magis contemplandum nobis præbens, quò accuratiùs animos purgaverimus; eò rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus; eò denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus.* Et ibidem contextim: *Sese ipse speculans & comprehendens, ac perexiguè ad externa diffundens. Lumen porro hoc dico, quod in Patre & Filio & Spiritu sancto consideratur: quorum opulentia, natura identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio.* Pulcherrima sunt hæc Nazianzeni verba: *Quorum opulentia, natura identitas est:* ὧν ὁ πλοῦτος ἡ συμφυΐα. Hæc enim *opulentia*, illa ipsa est *copiosa magnitudo* unitatis apud Augustinum. Et rursum τὸ δὲ ἔξαλμα τῆς λαμπρότητος, una eademque effulgescentia splendoris. Unus enim cùm sit Sol, in radiorum lumen explicat & dilatat ipse se; & per hoc radiorum lumen rursus dilatat sese in illam infinitam lucem, quæ ea pervadit, ad quæ radii non pertingunt. Hæc est illius unitatis dilatatio & magnificentia, sive magnitudo; velut imago quædam Solis intelligibilis, qui multò præstantiùs unitatem suam simplicissimam dilatat, & exporrigit in plures hypostases, velut in plura lumina, ex quibus unus tamen Sol, unum lumen exurgit, unum & immensum.

Orat. 40. pag. 659.

IV. Non paulò splendidiora sunt tamen hæc inferiùs Nazianzeni verba ad eandem Trinæ & tamen simplicissimæ unitatis intelligentiam, si qua sperare id detur: *Trium infinitorum infinitam conjunctionem; Deum unumquemque, si separatim considereretur; ut Patrem, sic Filium; ut Filium, sic Spiritum sanctum; servata sua cuique proprietate; Deum rursus tria hæc, si simul cogitentur; illud, propter eandem essentiam; hoc, propter unum principatum. Vix unum animo concepi, cùm statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cùm ad unum statim sublimis feror. Si unum quodpiam trium menti meæ se objiciat, id totum mihi esse videtur, atque implentur oculi, majorque etiam pars oculorum aciem fugit. Hujus magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, plus tribuam. Quòd si rursus tria hæc animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere, aut dimetiri nequeam.*

Tria ergo sunt infinita, quæ videlicet infinitate ipsa sua in unitatem coalescant naturæ. Quid enim non complectatur, quid extra se relinquat, quod infinitum est? Ideo statim subditur infinita conjunctio, sive unitas: ἄπειρον ἀπείρων ἀπείρων συμφυΐαν. Ipsa enim infinitas unum cogit esse, quod infinitum est. Si plura enim essent, singula utique finita essent, & eorum unumquodque tum reliqua excluderet, tum ab iis excluderetur. *Deus unusquisque si separatim consideretur, servata sua cuique proprietate; Deum rursus tria hæc, si simul cogitentur.* Deus ergo Pater, etsi seorsim unus consideretur, duas alias hypostases in se continet, quia unus est unitate illa infinita, quæ universitas dicitur, & unum omnia est. Nec aliter de Filio, vel de Spiritu sancto sentiendum; quia & ipse illa eadem unitas est copiosissimæ magnitudinis opulentia complectens omnia, adeoque tres etiam hypostases divinas complectens. *Illud propter eandem essentiam,* ἑκάτερον διὰ τὸ ὁμοούσιον, hoc est, unaquæque sigillatim persona Deus est, & totus Deus est, quia non alia est ejus unius substantia, quàm trium personarum, sed ipsissima una est; ideo & in una qualibet Trinitas est. *Hoc propter unum Principatum:* τοῦτο διὰ τὴν μοναρχίαν. Hoc est, tres conjunctim personæ unus Deus est, quòd ad Patrem, ut ad principium & fontem totius Deitatis personæ duæ aliæ referantur, ut ab eo manantes, & ad eum recurrentes; qua de re infrà prolixiùs. *Vix unum animo concepi, cùm statim tribus circumfulgeo.* Unicuilibet enim earum personarum insunt reliquæ duæ; ut ne cogitari quidem ferè possint, quin omnes statim animo occurrent. Ecquis enim Patrem cogitaverit sine Filio, aut Filium sine Patre? Ecquis Spiritum sine spirante, vel spirantem sine Spiritu? In uno ergo quolibet tres adsunt, insuntque. *Vix tria distinguere incipio, cùm ad unum statim*

statim sublimes feror. Illa quippe Trinitas ita Trinitas est, ut non sit numerus: ut sit etiam unitas & simplicitas: ut non sit nisi amplitudo, magnitudo, & dilatatio inviolabilis Unitatis. *Si unum quodpiam trium menti meæ se objicit, id totum mihi esse videtur: atque implentur oculi, majorque etiam pars aciem oculorum fugit*. Exempli gratia, si Pater occurrat animo, verissimè unus ille id totum est; tum quòd tota in eo Deitas sit, tota summæ Unitatis opulentia; tum rursus quòd in Patre etiam & sit & cernatur Filius ac Spiritus sanctus; itaque solius Patris cogitatione & lumine sic totus impletur mentis oculus, ut nec id totum capiat, nedum aliud quid simul capere possit. Ita habet res & de Filio & de Spiritu sancto. *Hujus magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, plus tribuam*. Hoc est, Ne totam quidem magnitudinem Unitatis in persona Patris capere sufficio: non ergo in mentem venire potest, ut quod Patri defuerit, id duabus aliis tribuam Personis; quin Patrem video omnia anticipasse in seipso, ut ne cogitari quidem possit supereesse aliquid, quod aliis Personis sigillatim adscribatur; cùm has ipsas Personas Pater in seipso prægestet, quia ex seipso in seipso effundit. Id enim etiam persuadet Unitatis infinita magnitudo. *Quod si rursus tria hæc animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam*. ὅταν τὰ τρία συνέλω τῇ θεωρίᾳ, μίαν ὁρῶ λαμπάδα, οὐκ ἔχων διελεῖν, ἢ μετρῆσαι τὸ φῶς ἐνιζόμενον, Hoc est, cùm vel maximè enitor tres Personas considerare, tres enim certissimè sunt, non possum quin statim unitas trium simplicissima implear totamque occupet mentem meam; est enim illa Trinitas ipsamet unitas, sed opulentissima: ipsamet simplicitas, sed copiosissima; itaque quodcumque in his contuitus lumen fueris, si cætera inde abscindas lumina, jam ipsum, jam divinum non erit lumen.

V. Etsi hanc unam scripsisset orationem Nazianzenus, jure merito *Theologi*, ac præstantissimi Theologi nomine donandus fuisset. Unum supereest quod ex eo addam, ubi ait ineptissimè Apollinarium Soli, radio, splendori comparasse Patrem, Filium & Spiritum sanctum; ita ut magnus esset Spiritus sanctus, major Filius, maximus Pater: quod non aliud erat, quàm scalam fabricare Deitatis, qua non ipse ad eam consurgeret, sed ab ea in præceps delaberetur. Nec enim Deo majus esse quidquam potest; nec verò Deus habendus, quo majus quidquam vel esse, vel cogitari potest. Nec in Deo gradus esse possunt, nihilo plus quàm in unitate. Unitas enim jam non est, si ne æqualitas quidem sit. Unitatis copiosa magnitudo & infinitas non est, ubi aliquid minus est, vel ubi etiam magnum quid est, si supersit quod sit maximum. *Illud scire necesse est, Apollinarium, quamvis Deitatis nomen Spiritui sancto dederit, vim tamen Deitatis minimè custodiisse. Siquidem ex magno, & majori, & maximo, hoc est, ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tanquam ex splendore, & radio, & Sole, Trinitatem constituere, quod quidem in illius libris apertè scriptum est, Deitatis scala est, non in cœlum subvehens, sed è cœlo dejiciens*. Orat. 41. pag. 744.

VI. Propè aberat ab hac doctrina Isidorus Pelusiota, cùm hæc scriberet: *Minimè quidem oportet, divinitatis naturam Judæorum more in unam Deum ac Patrem contrahere, verùm in sanctam atque ejusdem essentiæ Trinitatem quasi dilatare. Siquidem personarum qualitatem atque hypostaseon proprietatem distinguentes, per essentiæ identitatem, eam rursum in unum Deum contrahimus*. Judaicæ ergo penuriæ est Deitatis naturam in unum Deum ac Patrem contrahere: τῆς θεότητος φύσιν συστέλλειν: Christianæ & fidei & magnanimitatis est eam in sanctam & consubstantialem Trinitatem quasi dilatare: κατλατύνειν ὡσὰν εἰς ἁγίαν, καὶ ὁμοούσιον τριάδα. Hæc dilatatio unius Deitatis in Trinitatem, illa ipsa est magnitudo, opulentia, infinitas Unitatis divinæ; hæc contractio ipsissima est trium Personarum in unitatem simplicissimam copulatio. L. 2. Ep. 142. pag. 188.

Sed longè præclarior est proxima Pelusiotæ Epistola, ubi illud primùm testificatur, quando unus dicitur Deus, non ad unitatem, quæ numerorum exordium est, spectari: sed ad Trinitatis mysterium: *Nam qui unum Deum esse dicit, non ad unitatis numerum, verùm ad Trinitatis mysterium concurrit*. Tum multis ille probat usque adeo unius & trinæ Deitatis doctrinam in veteri etiam Testamento commendari, ut & Philo Judæus ita professus sit, & ea de causa genti ipsi Judaicæ bellum penè indixerit. De hac Philonis doctrina prolixè à nobis suo loco infrà disceptabitur. Unum hic illud ex eadem Epistola adjiciam, ubi ait Isidorus, Gentilium esse plures in Deo naturas, easque pugnantes comminisci; Judaicum esse unam Deo hypostasin, seu Personam tribuere. At Deitatem in sanctam Trinitatem dilatare, πλατύνειν: & statim hypostases in unam substantiam colligere, τὰς ὑποστάσεις εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, id sanum & certissimum esse dogma: *Etenim varias ac dissidentes naturas docere, Gentilitium est: unam autem Personam, seu hypostasin, Judaicum. At Personas in sanctam Trinitatem dilatare, atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est*. Epist. 142. Pag. 190.

VII. Hanc unius trinæque Deitatis opulentissimam simpliciratem, simplicissimam opulentiam luculento carmine, sive hymno ita prosecutus est Synesius Episcopus Cyrenes. Vide ut primùm Patrem describat, tum devolvatur ad Filium, & postremò tandem ad Spiritum sanctum, non tanquam gradus aliquos percurrens alios aliis superiores; sed tanquam multiplices simplicissimæ Unitatis sinus evolvens, & unius summæ Unitatis opulentiam explicans in tres Unitates effusam. *Ille quidem ex se ortum Principium, Gubernator paterque rerum omnium; ingenitus, excelsa super cæli cacumina. Immortali gloria lætus Deus constanter sedet, unitatum unitas sancta, monadumque monas prima: simplicitates summitatum quæ junxit, & peperit supersubstantiali partu: unde ipsa prosiliens per primigeniam formam unitas, ineffabilem in modum diffusa, trinam adepta est vim. Supersubstantialis verò fons coronatur pulcritudine prolis, quæ ex centro profluxit, & circa centrum volvitur*. Synesius Hymno 1. Pag. 314.

Quando Patrem vocat Synesius *Unitatum unitatem* sanctam, seu *Monadum monadem* primam, id insinuat, ab Unitate quæ Pater est manasse Unitatem secundam, manasse & tertiam: ita enim ille Unitatum Unitas est, quia duas ex se fundit Unitates, & effusas rursus ad se constringit. Quod idem mox confirmat, ubi ait eundem Patrem *peperisse supersubstantiali partu, & junxisse simplicitates summitatum*: illud similiter declarat, Filium & Spiritum sanctum summas esse simplicitates, quæ ex Patre supersubstantiali processione manent, & eidem sibique mutuò conjunctissimæ permaneant. Nullæ hìc ergo multitudines suspicandæ sunt; non sunt hìc nisi unitates, monades, simplicitates, quæ non possint non esse quod sunt, unitates, simplicitates, numeri & multitudinis expertes. Nec enim explicatio Unitatis aliud esse potest, quàm Unitas. Denique subdit Synesius, Primam illam Unitatem prosilientem per Primigeniam formam, hoc est, per Verbum, quæ forma formarum est omnium princeps, & primigenius Patris partus; prosilientem, inquam, non tantùm in hanc formam, sed & per eam, nimirum ad Spiritum usque sanctum: ita efficere, & præstare, ut Unitas ineffabili modo sese diffundens in Trinitatem evadat: μονὰς ἄῤῥητα χυθεῖσα, κρικό-

χερόρυμβον ἔχειν ἀλκαί. Postremò tandem, ut ait Synesius, *Supersubstantialis fons Pater coronatur pulcritudine prolium, Filii & Spiritus sancti: quæ ex centro profluxerunt, & circa centrum volvuntur.* Καρύσσω ὁ παγὰ, κέκρεται κάλλει παίδων ἀπὸ κέντρου θορόντων, περὶ κέντρον τε ῥυέντων.

Qua descriptione rei summæ & incircumscriptæ non video quid luculentius optari possit, ubi Pater exhibetur uti fons ex sese in sese manans, atque adeo sua hac fœcunditate opulentiam suam explicans, ut nihil officiat unitati, cùm hic ipse fons summa sit Unitas. Luculentissima sunt & ista inferiùs ejusdem Synesii, Patrem primò ita salutantis: *Quid enim non tuum ò Rex, Patrum omnium Pater, Pater tui ipsius, Ante-pater, Sine patre, Filii tui ipsius, Unitas unitate prior?* Hæc ad Patrem pertinent, nec ab unitatis ratione recedunt, Nam qui Unitas prima & summa est, is Pater Patrum, Principium Principiorum est. Pater *sui ipsius* non temerè dici debet, nec id forsan dixit Synesius, quando ab eo dicitur αὐτοπάτωρ: sed illud potiùs, ut non ab alio sit, ut ingenitus sit. Sed de eo uberiùs infrà. Unitas unitate prior aptissimè dicitur, ut qui prima Unitas sit, à nulla manans alia, & à qua manant aliæ, οὐ ἑνὸς πρότερον.

Hymno 3.

Minimè autem prætereunda sunt, quæ paulò pòst vel Trinitati, vel Patri maximè canit Synesius: *Fons fontium, Principium principiorum, radicum radix: unitas es unitatum, numerorum numerus; intelligentia & intelligens, & quod intelligi potest, & ante id quod potest intelligi. Unum & omnia, unum autem omnium, & unum ante omnia, semen omnium, radix, & summus ramus, natura inter intelligentias, fœmina & mas.*

Ibid. p. 314.

Fons fontium, Principium principiorum, παγὰ παγῶν, ἀρχῶν ἀρχὰ, perspicuè Pater est, à quo manant Filius & Spiritus sanctus, qui & ipsi suo peculiari modo Fontes & Principia sunt; perinde ut Unitates sunt, ab illo fluentes, qui *Unitas Unitatum* est, *Radicum Radix*. Nam & in ipsa Deitate Filius Principium est & Radix Spiritus sancti, & extra Deitatem Radix & Principium omnium est Spiritus sanctus. *Numerus numerorum, Unitas & Numerus* aptiùs dicetur, non Pater, sed beata illa Trinitas, quam Unitas prima suo sinu complectitur. Etsi enim numerus non sit, imò nec Unitas illa sit, à qua numeros auspicamur: illius tamen imitationes & participationes sunt numeri nostri, quos & quibus familiare nobis est numerare. Jam illud, *Intelligentia & intelligens, & quod intelligi potest, & ante id quod potest intelligi*, perspicuè illa ipsa est Trinitas, quanquam & Pater dici possit, νοῦς, ἢ νοερὸς, ἢ τὸ νοητὸν, ἢ πρὸ νοητοῦ, *mens, & intelligens, & intelligibile, & supra intelligibile*. Est enim pater, est tota Trinitas, mens & intelligentia sui ipsius, & intelligibilis, & tum supra mentem, tum supra intelligibile; propterea quòd est Unitas simplicissima: cùm & mens & intelligentia & intelligibile multitudinem jam quandam videantur sonare. Ideo & statim subjicitur, *Unum & omnia, unum autem omnium, & unum ante omnia*. Unum enim illud summum unum quidem est, sed amplissimum, opulentissimum, infinitum, omnia in se complicans, omnia uno suo constringens, omnia antecedens, ut quod omnia suæ ex Unitatis sinu effuderit, effundatque jugiter. Ideo & mox dicitur *Semen omnium*, σπέρμα ὧν πάντων. Ita enim res habet; non omnia solùm unitatis participationem aliquam obtinent: sed etiam, sed multò etiam magis Unitas ipsa res & naturas omnes in se continet, & extra se effundit. Ubique enim principatur Unitas; multitudo verò principari & dominari nec solet, nec potest. Denique Patri hæc aptissimè concinunt, *Radix & summus ramus*, Principium nempè & summitas divinarum hypostaseon, unde & Major jure suo dicitur, ut infrà elucidabitur, quanquam illi coæquales & coævæ sint duæ hypostases aliæ, quæ ab eo procedunt. *Natura inter intelligentias φύσις ἐν νοεραῖς*; propterea quòd cùm naturæ corporeæ aliæ alias procreent, naturæ intellectuales id non habent, ut & ipsæ aliæ alias gignant; in summa Deitate tamen generatio, natura, nativitas est Filii à Patre, processio Spiritus sancti ab utroque. Fœmina & mas à Synesio audaculè dicitur Pater, quòd solus Filium gignat, & in suo gestet sinu.

VIII. Quàm pulcrè autem rursus & hæc ibidem in Patrem, & in totam quodammodo Trinitatem dicuntur: *Mystica autem Mens hæc atque illa dicit, profunditatem ineffabilem circa ducens choreas. Tu es quod parit, tu es quod paritur: tu qui illustras, tu qui illustraris: tu qui appares, tu qui occultaris propriis fulgoribus: Unum & omnia, unum in teipso, & per omnia.* Mens enim Pater est, quæ omnia dicit, quæ Filium dicit, & dicendo generat: per Filium dicit & Spiritum sanctum, quem sancti Patres infrà nobis affirmabant esse Verbum Filii, sicut Filius Verbum est Patris. Ita Pater Mens dicit hæc & hæc: Filium, & Spiritum: atque ita beata illa Trinitas choreas ducit circa profunditatem ineffabilem; βυθὸν ἄρρητον ἀμφιχορεῦον, id est, circa Patrem, qui fons est totius Deitatis. Ad Patrem autem & Filium, unum Deum ambo, pertinet quod sequitur, *Tu es quod paris, tu es quod paritur; tu es qui illustras, tu qui illustraris.* Illud verò, *Tu qui appares & qui occultaris propriis fulgoribus:* quàm verè, quàm splendidè dicitur de Solis illius intelligibilis lumine, lumen ex se fundente, & rursus cum hoc suo lumine lumen tertium effundente, atque hac luminis immensa vi & manifestante seipsum, & occultante. *Unum & omnia, unum in teipso, & per omnia:* hæc rursus est Unitatis magnitudo & infinitas, ut citra simplicitatis suæ detrimentum, & omnia sit, & in seipsa tres hypostases contineat, colligatque, & naturas extra se omnes non effundat tantùm ex se, sed & ad se revocet, recolligatque.

Ibid.

Vide jam quæ sequuntur: *Tu enim effusus es, ineffabili modo nate, ut Filium pareres, inclytam Sapientiam, rerum omnium opificem. Profusus autem manes individuis sectionibus obstetricatus. Cano te Unitas, cano te Trinitas. Unitas es, Trinitas quum sis: Trinitas es, unitas quum sis. Quæ autem intellectu percipitur sectio, indivisum adhuc, quod divisum est, tenet.* Malim equidem illud, σὺ γὰρ ἐξεχύθης ἀῤῥητοκύος, ita interpretari *Tu enim effusus es, ineffabili modo generans;* id enim flagitant, quæ sequuntur, *Ut Filium pareres, ἵνα παῖδα τέκῃς, inclytam Sapientiam, rerum omnium opificem.* Itaque Pater ibi compellatur, qui ineffabiliter effudit sese, ut unitas effundit sese, ut aliam generet unitatem; ita ut quodammodo sectio ibi fiat, ut sit alterius ab altero nativitas; sed individua sit ea sectio, quòd mera ea sit unitatis summæ propagatio in seipsam. Id prorsus significatur his verbis de eodem Patre: προχυθεὶς ὁ ῥῆσις ἀτμήτοισι τομαῖς μαιεύμενος. Unde & statim subjicitur, *Cano te unitas, cano te Trinitas.* Ut enim unitas opulentiam suam explicet citra sui dispendium, ita illam secari, dividi, vel potiùs distribui & dilatari opus est, ut indivisa sit divisio, individua sectio, ἄτμητοι τομαί. Procul inde absunt naturæ & divisiones materiales; propiùs absunt intellectuales, ubi quæ dividuntur, longè maximam partem retinent suæ unitatis; quantò ergo major unitatis in Deo majestas? *Quæ intellectu percipitur sectio, indivisum adhuc tenet, quod divisum est.*

CA-

CAPUT V.

Deum esse unitatem ipsam summè fœcundam, nec imparis sibi prolis fœcundam. Ex Patribus Græcis.

I. Ex Athanasio Divinitas unitas est & plenitudo; ideo Una & Trina est.

II. Ex eodem ut Pater & Filius duo sint, & non sint.

III. De eodem rursus ex Athanasio.

IV. Ex Nazianzeno luculentissimè de unitatis opulentia & dilatatione, seu motione in Trinitatem.

V. Ex eodem cur unitas se movens ac diffundens ad Trinitatem progressa sit, non ulteriùs.

VI. Eadem rursus Nazianzeni doctrina inculcatur.

VII. Horum rursus confirmatio ex eodem Nazianzeno.

VIII. Nazianzeno assentitur Basilius, etsi duos numero dici posse annuat, Patrem & Filium.

IX. Ex eodem ut numerari possint, ut non possint tres hypostases divinæ; ut citra dispendium unitatis numerentur.

X. Antedicta confirmantur ex Dionysio, & ex Pachymere.

I. COncatenata, ut vides, & contexta hæc sunt antedictis. Athanasio una est & plena Divinitas; unitas & plenitudo Deitatis in Patrem & Filium extenditur, à Patre in Filium influens. Nec enim unitati illi competere potest, ut sterilis sit, cùm plenitudo sit; nec plenitudini, ut dividatur, cùm unitas sit. Patris substantiam non ex parte accipit Filius, quia ejus substantiæ dos propria & natura est, ut plenitudo & infinitas sit. Deus unus, primus & solus est; sed cùm illa unitas plenitudo sit, non ex parte, sed sese ut est effundens; qui inde generatur Filius, Deus, unus, primus, & solus ipse est, quia tota est Deitatis paternæ plenitudo. *Non autem ex parte aliqua forma Deitatis* Athanasius Orat. 4. contr. Arian. pag. 515. *conficitur, sed ex integra Deitate Patris, essentia Filii consurgit, & solidus Deus: ideoque, quum par esset Deo, non rapinam arbitratur, esse se æqualem Deo.* Et infrà: *Unus enim solus Deus & primus est. Neque ea ad demolitionem Filii referuntur, absit: est enim ille ipse in uno primo & solo, ut unius, solius, & primi unicum Verbum, sapientia & splendor. Est autem ipse & primus & plenitudo prima & unica Deitatis, in totum interim ipse plenus ac integer Deus.* ὅτι ἡ πρώτου, ἡ αὐτὸς πλήρωμα τῆς τ πρώτυ ἡ μόνη θεότητος.

II. Unitas enim cùm partes non habeat, aut tota & eadem habetur, aut non habetur; sine sua plenitudine non habetur. Vide autem, ut idem Athanasius sic unum & unum Patrem esse & Filium prædicet, ut dualitatem non admittat; aut si admittat, mox retractet; ut duos numero esse fateatur, sed ita ut unum substantia sint. Ita enim ipsi quidem in substantia sua duo non sunt, sed unum; duo autem à nobis dicuntur, duo numerantur, quia id nostræ infirmitati indulgetur, naturam inenarrabilem narranti. En verba Athanasii in Pag. 511. Oratione adversùs Sabellianos: *Habes igitur Filium, habes Patrem, ne extimueris dualitatem: natura enim distincti non sunt: neque item, qui de duobus loquitur, abalienat genitum à genitore. Neque ob alteram illam insaniam, qua dicunt, Unam non posse esse duorum Deitatem, ideo nefas dictu existimaveris, unum esse Deum, quia & Pater qui unus est, sit Deus; & Filius qui alter est, sit Deus; quum ille utpote Filius, identitatem habeat cum Patre, ipse interim tamen Pater non est, sed unitus natura cum Patre, ut duos quidem numero esse, unam tamen in ambobus perfectam essentiam constituas. Duas autem non bifidos ex duabus partibus: sed duos prorsus integros, eo quod integer sit & perfectus Filius ex integro & perfecto Patre, character paternæ substantiæ.*

Perspicis, ut Patrem & Filium agnoscat, dualitatem deprecetur; quòd in summa & principe unitate unum sint omnia, eoque dualitas non facilè admittatur. Quippe ubi natura, ubi substantia una est, & summè una est, dualitas non est. Fatetur numero duos esse, sed unam amborum perfectam essentiam; eam porro esse perfectionem & integritatem, & unitatem amborum, ut nihil sit in Patre, quod non manet in Filium: nihil in Filio, quod non manet à Patre: ita quippe necesse est, quando unitas ab unitate manat, quando unitas sese qualis quantaque est effundit & dilatat. Id valent illa Christi verba, *Ego & Pater unum sumus. Ego in Patre, & Pater in me est. Qui videt me, videt & Patrem.* Ex summæ unitatis fœcunditate & prole, manifestissimè id totum elucescit, Pag. 512. Unde paulò pòst Athanasius, *Quî igitur in genitore genitus? aut rursus genitor in genito? quomodo ille in isto? aut iste in illo? Quoniam iste talis est qualis ille, & ille talis qualis iste; atque ita fit ut duo unum sint, eò quòd non divarient, neque disjungantur, neque sub alia specie, aut sub diverso charactere Filius intelligatur; sed quòd Deus sit quemadmodum & Pater.*

III. Et rursum non multò pòst, ut Pater & Filius, unitas & partus unitatis, dici potiùs debeant unus & unus, quàm duo, vel dualitas. Cujus rei sanè permira illa, sed tamen expeditissima ratio ab Athanasio statim suggeritur, quòd unitas à seipsa non deficit, fœcunditate sua non perimitur: non obscuratur, sed illustratur; non dividitur, atque ita nec dualitas fit, ita enim perimeretur. Universa plenitudo Deitatis & unitatis, ita est in Patre, ut sit & in Filio: & vicissim sic in Filio, ut & in Patre: propterea quòd non possit vel unitas esse, nisi plenitudo sit; nec plenitudo esse, nisi unitas sit. *Igitur in Patre Filium esse, & Patrem in Filio, hoc nihil est aliud, quàm illum qui ex Deo genitus est, naturaliter talem esse, qualis est genitor Pater, eumque ostendere, Paternam formam in se, & se vicissim ostendi in Paterna substantia: Unus igitur & unus; dualitas, non divisa est natura, quum sit indeficiens ad suam integritatem. Universa enim plenitudo & integritas Deitatis est Pater, ut Pater: universa item plenitudo Deitatis est Filius, ut Filius: quandoquidem amborum una forma intelligitur, qua integrè se in utroque & solidè exhibet.* Ideo & fidentissimè sic Ibidem pag. 513. mox pronunciat sanctus Pater, frustra de unitatis amore & tuitione sese jactare eos, qui infesti sunt catholicæ de Trinitate doctrinæ. Unitas enim qualiscunque demum, quæ Trinitati hypostaseon non potest sociari, illa Judaica, jejuna, imperfecta & sterilis unitas est, & ad extremas quasdam angustias arctata. Vel in ipsis enim naturis creatis, sive corporeis, sive incorporeis, bifariam unum dicitur; unum egestate & privatione omnium, aut penè omnium, longissimè dissitum ab eo quod universitate unum est. Unus est mundus, unus est Sol, sui generis universitate. Unum est animalculum quodlibet & pulvisculi granum, sed egestate unum est. Unus est Deus universitate, quia unum omnia est, nec ejus unitatis amplitudini pugnat, ut hypostasibus trina sit. *Nullus igitur repudians* Pag. 513. *hanc Trinitatem, unitatem existimet se invenire posse, sed in Trinitate unum existimet.*

IV. Ab hac Athanasii doctrina non recedebat Gregorius Nazianzenus, ex quo non pœnitebit hæc primùm decerpsisse, tum postea paulò accuratiùs expendisse: *At ego Deitatis principium temporis expers, inseparabile, atque infinitum statuens,* Orat. 31. pag. 209. 210. *& principium, & ea, quæ à principio manant, pari honore prosequor: illud, quia talium est principium; hæc, quia tali modo, & talia, & ex tali, nec tempore, nec natura, nec cultu & vene-*

ratione distincta; unum divisim existentia, & conjunctim divisa, dictu licèt mirum: non minùs ob relationem, quam inter se habent, laudanda, quàm unumquodque per se acceptum & intellectum; perfectam ex tribus perfectis Trinitatem, unitate nimirum ob divitias mota, binario autem superata; propterea quod Deitas supra materiam & formam sit, ex quibus corpora constant: Trinitate verò propter perfectionem definita; hæc enim prima binarii compositionem superat, ut nec Deitas angusta maneat, nec in infinitum diffundatur. Illud enim parcum ac jejunum: hoc confusum. Illud Judaicum prorsus: hoc Ethnicum, ac multorum Deorum cultum redolens.

Principium Deitatis Nazianzeno Pater est, θεότητος ἀρχὴ: quæ à Principio manant, τὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς, Filius & Spiritus sanctus. Tria illa unum divisim existunt, οὐ ὄντα διαιρέσει: & conjunctim divisa sunt, οὐ διαιρέσια συναιρέσεως; summæ venerationis cultu prosequenda sunt, tum propter relationem quam inter se habent, ut omnino sejungi non possint: tum sigillatim etiam & sejunctim spectata. Nec enim in eis nisi una, summa, & simplicissima unitas est, eadem in tribus, eadem in uno trium quolibet; eadem inquam, & perfecta & tota. Nec enim aliter unitas summa & opulentissima esset. Ita *perfecta est ex tribus perfectis Trinitas; τρὰς τελεία ἐκ τελείων τριῶν.* Scilicet *Unitate ob divitias mota: μονὰς διὰ πλουσιότητα διὰ τὸ πλέον.* Hoc ipsum illud est Augustini effatum, à quo exordium duximus hujus nostræ de Trinitate Commentationis: Trinitatem exurgere divinarum hypostaseon ex copiosa unitatis magnitudine. Quod autem ait Nazianzenus, ob divitias moram esse unitatem, hoc ipsum est quod supra jam non semel ex aliis Patribus audivimus, dilatatam esse unitatem, & ita adsplenduisse Trinitatem. Motione enim res quælibet dilatatur, dilatatione movetur & fundit sese.

V. Si quæras autem quare unitas sese movens, atque ita ad dualitatem progressa, non ibi rursus conquieverit, ut jam hypostases essent duæ, nec plures essent, Pater & Filius? Respondet Nazianzenus, non ut rationem & causam tam ineffabilis arcani nobis aperiat, sed ut ne illaudatum illud arcanum prætermittat; quando jam illud animadversum à nobis est, hymnos hos esse potiùs, quàm sermones nostros de Deo uno & trino. Respondet inquam Nazianzenus, Dualitate designati naturas materiales & divisibiles, quæ materia & forma constant, binarioque suo divisioni & interitui obnoxiæ sunt. Ideo unitatem sese moventem ac dilatantem progressam esse ultra binarium, adeoque ad Trinitatem pertigisse, quæ jam perfecta, & indivisibilis est. Certè vel illi ipsi qui de numeris olim accuratissimè scripsere, Ternarium præ cæteris admirati sunt. Addit denique sanctus Doctor, æquum pulchrumque fuisse, ut in plures hypostases se dilataret unitas, non ut in infinitum multiplicaretur. Parcum enim & jejunum esse, ac Judaicum, intra unam cohiberi personam: superfluum autem, confusum & gentilitium in plures pluresque effundi. Quæ mihi quidem videntur à Gregorio dicta, non quo plenam nobis hic intelligentiæ lucem accenderet; sed ut quod etiamsi tantùm probabile & plausibile mens humana parturit, id quoque Deo consecraret: gnarus alioqui trium non amplius personarum prædicationem traditionemque invaluisse jam inde ab humani generis ortu, ut infrà declarabitur: nec de rationibus & demonstrationibus ad id excogitandis magnoperè laborandum esse. Postquam enim declaratum est certissimis rationibus, unitatem illam summam, quæ Deum maximè decet, & quæ constantissimè Deus ipse est, non solam, non solitariam, sed amplissimam & opulentissimam esse, in suo etiam ipsius sinu, & in duas saltem personas dilatari: jam facillimè acquiescit sobrius & cordatus quisque, ut non plures in ea esse quam tres personas, Scripturæ, Traditioni, consensioni assentiamur Ecclesiarum & antiquissimæ & universali.

VI. Audiendus rursum nobis est & commentandus Gregorius: *Ego contrà unam vocem, eamque brevem & compendiosam, habeo; Trinitas verè Trinitas est, fratres. Trinitas porro non diversarum rerum enumeratio est. Quid enim alioqui prohibeat, quin & decadem, & centuriam, ac myriadem nominemus, si cum tot numeris componatur? multa quippe, multòque his plura in numerum cadunt: sed æqualium & honore parium complexio, nomine scilicet ea quæ natura unita sunt, connectente: nec, quæ solutionem nesciunt, per dilabentem numerum dissipari sinente. Sic sentimus, sic animo affecti sumus, ut, quam relationem atque ordinem hæc inter se habeant, Trinitati ipsi soli, ac purgata mente hominibus, quibus vel in hac vita, vel in posterum Trinitas id patefecerit, noscendum relinquamus.* Audis Trinitatem verè Trinitatem esse, atque ideo rerum diversarum enumerationem non esse, sed æqualium & honore parium complexionem. Nec enim Trinitas illa numerus est, sed unitas explicata. Hinc illa trium æqualitas, consubstantialitas, coæternitas, idemtitas. Nisi enim hæc adsint, jam numerus erit; jam disjungi à seipsa, jam dispergi, ac separari poterit. Hæc ut capiantur, & amplitudine quadam mentis, & puritate opus est. Cùm se dilatet enim divina unitas, quidni & mens nostra illi utcunque intelligendæ & capiendæ sese dilatet? Ut se dilatet autem, opus est, ut creata omnia, creatorumque omnium imagines à se ejiciat, quòd nihil horum satis aptari Deo possit. Porro hæc ipsa creatarum omnium imaginum ejectio, ut Deo uno impleatur mens, illud ipsum enimverò est, quod puritas mentis dicitur. Ibidem pag. 214.

VII. Huc quoque pertinent, quæ alio loco habet idem Nazianzenus: *Deum porro cum dica, uno eodemque triplici lumine perstringamini: triplici quidem, quantum ad proprietates, sive hypostases, si cui hoc verbum magis arridet, sive Personas; neque enim de vocabulis dissidebimus, quandiu syllabæ ad eandem sententiam ferent: uno autem, quantum ad substantiæ, hoc est divinitatis rationem. Distinguitur enim indistinctim, ut sic loquar, & distinctim connectitur. Unum enim in tribus divinitas est, & tria unum, ea, inquam, in quibus divinitas est; vel, ut magis proprie dicam, quæ Divinitas est. Excessus autem ac defectus missos faciamus; nec per unionem confusionem, nec rursus per divisionem sejunctionem efficientes. Æquo enim intervallo à nobis absint, & Sabellii contractio, & Arii divisio; mala ex diametro opposita, & impietate paria. Quid enim necesse est Deum vel malè connectere, vel ad inæqualitatem scindere?* Orat. 3 pag. 67

Est igitur non tantùm Trinitas, sed & Deitas unum idemque triplex lumen: οὐ φῶς τριῶν. Tres enim vel proprietates, ἰδιότητες, vel hypostases, vel Personæ, πρόσωπα; cùm tres hæ voces promiscuæ habendæ sint: Tres, inquam, Personæ unitate naturæ constringuntur, sive hanc Deitatem, sive Substantiam dicas. Ea verò & distinguitur indistinctè, & distinctim connectitur. Unum enim in tribus divinitas est, & tria unum. Quæ omnia eodem vergunt, ut unitas capiatur, quantum dabitur, & suæ simplicitatis retinentissima, & in tres Personas sese dilatans. Sabellius eam dilatationem non capiebat, ideoque tres Personas In unam contrudebat. Arius eam unitatem non sapiebat, ideo in sinum Deitatis etiam dispares & creatas Personas intrudebat. Unitas ut se dilatet, & pluribus Personis opus est; & ut Unitati hæc dilatatio non officiat, consubstantiales sint hæ Personæ, necesse est. Ita enim Deus nec malè connectitur, quod audebat Sabellius; nec ad inæqualitatem scinditur, hoc enim Arius.

VIII. Venio ad Basilium à Gregorio suo nunquam

quam discedentem. Sic ergo ille verbis aliis non aliam doctrinam tradit: *Licèt enim numero duo sint Pater ac Filius, natura tamen divisi non sunt; neque qui duas personas dicit, statim alienationem inducit. Unus Deus est & Pater, unus Deus & Filius, non Dii duo. Quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre divinitatem intueor, & aliam in Filio; neque aliam illius, & aliam hujus naturam pono. Ut igitur perspicua tibi sit Personarum proprietas ac differentia, numera seorsum Patrem, seorsum quoque Filium. Ne verò in errorem plurium Deorum deficias, unam in utroque essentiam confitere. Hoc pacto & Sabellius cadet, & Anomœus conteretur.*

Basilius Orat. 27. contr. Sabell. Tom. 1. pag. 384.

Igitur fatetur duos esse Patrem & Filium, & duos numero dici posse, δύω τῷ ἀριθμῷ. Etsi enim numerus nec sit ullus in Deo, nec esse possit, propter numerorum multiplices imperfectiones; id tamen hominibus indulgendum fuit, ut humano ingenio & more, ut humanis verbis de Deo loquerentur, quæ non ipsi, sed ipsis essent accommodata. Itaque Scripturæ ipsæ, quæ nostris scilicet utilitatibus serviebant, in has voces nobis præiverunt; præformaruntque nobis non solùm quid de Deo crederemus, sed & quid loqueremur; ne æterno lingua nostra silentio damnaretur de summo Bono suo. Tres ergo in Scripturis divinis divinæ Personæ numerantur, tres numero dicuntur. At ne qua inde fidei nostræ labes invehatur, sic Pater & Filius dicuntur duo esse numero, ut non dividantur natura, φύσει; ut negetur duos Deos vel esse posse, vel dici; ut *Identitatem Filius dicatur habere ad Patrem*, ταυτότητα ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα. Idque propterea quòd non aliam habeat Pater atque Filius divinitatem, aut naturam. Quæ hic ταυτότης dicitur, non consubstantialitas, non æqualitas tantùm est, sed identitas; id quippe postulat ratio summæ & principis Unitatis, ut ne eam quidem sectionem admittat, quæ inter consubstantiales & æquales substantias reperitur.

Eodem referenda sunt & hæc Basilii, quæ ab eo paulò pòst subjiciuntur: Plenam in singulis Personis esse Divinitatem, adeoque summam esse trium inter sese identitatem, summam unitatem, qua major alia cogitari non possit, etsi possit pauperior ac jejunior. Plenitudo hæc & perfectio Deitatis, ut in singulis Personis sit, quod dicitur esse, necessum est ut earum unitas illa sit, quæ tres Personas indivisè complectatur. *Est quidem Pater perfectam habens ac nullius indigam essentiam, radix & fons Filii ac sancti Spiritus existens. Est verò & Filius in plena divinitate vivens Verbum, & progenies Patris, nulla in re deficiens. Plenus est autem & Spiritus, non pars alterius, sed perfectus, & totus in seipso considerandus: conjunctus quidem indivulsè Patri est Filius, conjunctus item Filio est Spiritus.* Et paulò pòst: *Quandocumque igitur sanctam Triada conjungamus, noli quasi tres unius cujusdam rei inseparabilis partes cogitare; impia namque est hæc cogitatio: sed trium perfectorum & incorporalium inseparabilem conjunctionem intellige.* Nec plena, nec perfecta foret Persona quælibet, aut Personæ cujuslibet unitas, si non totam illam, & totam illam eandem complecteretur aliarum Personarum plenitudinem, perfectionem & unitatem.

Ibidem pag. 383.

IX. Eodem revolvuntur, quæ habet alibi Basilius in libro de Spiritu sancto; ubi illud monet, ut ne cui religio sit in percensendis divinis Personis numeros adhibere: sed ne inde occasionem quisquam scelestus capiat plures Deos invehendi. Nec enim ubi Personas divinas numeramus, ea est illarum, vel numerorum compositio. Non dicimus unum, duo, tria: non dicimus primum, secundum, tertium. Sed ubi tres numeravimus, illos statim summæ artissimæque unitati includimus; quòd unus, unus, & unus, tres quidem dicantur à nobis; sed unum sint essentiæ & substantiæ unitate simplicissima. *Quod si & numerus adhibendus est, nequaquam est per eum depravanda veritas. Aut enim silentio honorantur ineffabilia, aut piè numerantur sancta. Unus Deus & Pater, & unus unigenitus Filius, & unus Spiritus sanctus. Unamquamque Personam singulariter efferimus: cæterum ubi numerandum est, haudquaquam indoctè numerando eas proferimus, quasi plures Deos intelligamus. Neque enim juxta compositionem numeramus, ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus, unum, duo, tria, neque primum, secundum, ac tertium. Ego enim Deus primus, & ego posterior. Secundum autem Deum nunquam antehac, ac ne hodie quidem audimus; eo quod Deum ex Deo adorantes, etiam proprietatem profitemur Personarum, manemusque in uno principatu, non dissipantes divinæ naturæ rationem in multitudinem subdivisam: eò quòd unam in Deo Patre, & Deo unigenito formam, ut ita loquar, contemplamur, inseparabili Deitatis essentia unitam. Filius enim in Patre, & Pater in Filio: quandoquidem hic talis est, qualis ille; & ille, qualis hic; atque hæc quidem in parte unum sunt. Itaque juxta Personarum proprietatem, unus sunt & unus: at juxta communem naturam, unum sunt ambo.*

Tom. 2. pag. 132.

Nec multò pòst advertit Basilius, sic & Spiritum sanctum unum dici, non quomodo creata natura vel persona quælibet una est; sed sicut Pater unus est, Filius unus est, atque adeo Spiritum sanctum Patri & Filio tam intimum, tam conjunctum esse, quàm unitas unitati conjunctissima est. *Neque enim unus est è vulgo, sed quemadmodum unus est Pater, & unus Filius, ita & unus est Spiritus sanctus; à creaturarum natura tantum semotus, quantum probabile est singularem numerum à compositis distare. Patri verò & Filio in tantum unitus est, quantum consortii habet unitas cum unitate.*

Ibid. p. 333.

X. Nec ab his abludunt, quæ habet Dionysius libro de Divinis Nominibus: *Oportet itaque & nos à multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, singulariter laudare totam & unam Divinitatem; unum, quod est omnium causa, ante omne unum & multitudinem.* Et paulò pòst: *Quod autem est unum supra substantiam, & quod est unum, & omnem numerum definit, ipsum est & unius, & numeri, & omnis rei principium & causa, & numerus, & ordo. Quamobrem & unitas quæ laudatur, & Trinitas quæ est Divinitas supra omnia, non est unitas, neque Trinitas à nobis, aut aliò quopiam eorum quæ sunt cognita; sed ut quod in ipsa est supraquam in unum copulatum, & fœcunditatem Dei verè laudamus; trinum & unum Deum nominamus illum, qui supra omne nomen est.*

Dionysius Tom. 1. c. 13. pag. 694.

Ubi perspicis Unum illud quod Deus dicitur, & est, totam & unam esse Deitatem; τῆς ὅλης, καὶ μίας θεότητα: unum esse omnium causam & ante unum, ante multitudinem. Si tres Personæ divinæ unum essent illa unitate duntaxat, qua tres homines, verbi gratia, & consubstantiales sibi, & absolutissimè æquales unum sunt: non illa esset tota & una Divinitas; imò nec tota esset, nec una: unicuilibet enim trium horum deesset, quidquid substantiæ & perfectionis adesset aliis: itaque tota non esset: imò nec una esset, tot ab aliis unitatibus sibi æqualibus divisa. Nec certè ante omne unum esset, nec ante multitudinem; quin multitudo esset longè infra unum dejecta. Denique cùm ex Dionysio Deitas illa sit vel Unitas, vel Trinitas, quam ne cogitare quidem possimus: non ergo illa est, quæ tres suas hypostases dividi sinat, uti dividuntur, verbi gratia, tres Angeli: vel in unam consiet, ut una est Angeli cujuslibet hypostasis; sed illa potiùs est, quæ tam trina sit, quàm trium Angelorum; & longè præcellentiùs simpliciùsque una sit, quàm cujuslibet Angeli. Ita enim erit *plusquam unita divina fœcunditas;*

ὑπέρωνυμον τὸ θεογόνον; ita erit supra omne nomen, & supra omnem essentiam, ὑπερούσιον, ὑπάνον. Ita denique veritati constabunt, nec exaggeratè dicti videri poterunt, quæ mox ibidem subjicit Dionysius: *Nulla autem Unitas, vel Trinitas,* Pag. 694. *neque numerus, neque unitas, vel fœcunditas, nec aliud quidpiam eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem & mentem superans, superdeitatis, supereſſentialiter supra omnia superexistentis; hujus neque nomen neque rationem est assignare, sed inaccessum omnibus eminet.*

Ab his non dissonant quæ differit Pachymeres: *Deus supereminet, quia non substantia, sed supra* In c. 1. de Divin. Nom. pag. 398. *substantiam, & infinitus existit; neque mens est, sed supramentem unitas. Unitatem verò audiens, ne quis cogitet diversorum quorundam ad unitionem concursum: non enim de talibus modo sermo est, sed de Deo prorsus incomposito, & supra ea quæ unius substantiæ sunt unito. Nam quid uno magis simplex, & unius substantiæ est? tamen Dei unitas supereminenter supra id ipsum est, & omnibus mentibus inconceptibile est illud unum, quod ibi mentem superat.* Hinc rursus Pachymeres inferiùs: *Hinc in omnibus fermè divinis Scripturis Deum sanctè collaudatum cernimus, ut monadem quidem & unitatem, quoniam monas incomposita est & individua, unitas autem unitiva est, & unita, & unifica, ut repræsentet Dei individuitatem.* Idem pag. 401.

CAPUT VI.

De eodem ex Patribus Latinis, Deum esse ipsum unum, cujus nec unitati fœcunditas, nec fœcunditati unitas officit.

I. Ex Hilario Pater vivens, eoque ineffabiliter sese movens, vitam vivit, & vitam, seu Filium, Intelligentiam, Sapientiam ex sese propagat.

II. Quàm non abludat in his ratio à traditione. Suffragatio Leonis Magni.

III. Egregiè Boethius de summa Unitate, eiusque gradatim descensu ad inferiores naturas.

IV. Ex Bernardo de Unitate simplicissima Dei & fœcundissima.

V. Rursus ex eodem Bernardo, ut Trinitas non numerus sit, sed summa unitatis opulentia.

VI. Quàm non sint hic expectanda demonstrationes, ex eodem.

VII. Rursus de opulentia & plenitudine simplicitatis & unitatis Dei.

VIII. Ex Eulogio Alexandrino, quàm incomparabilis sit Dei unitas, ut Unitas supra mentem sit; ut Unitas Trinitas sit.

I. AGmen ducet Hilarius, qui unitatem moventem se, aut se dilatantem dum contemplatur, eo ipso Patrem intuetur & Filium; est quippe Pater summa Unitas, quæ dum se dilatat ac propagat, hæc ipsa propagatio ejus & dilatatio, progenies ejus est, & Filius. Non potest autem consubstantialis non esse parenti hæc progenies, quæ ipsissima est Patris substantia, incorruptibiliter & ineffabiliter sese dilatans. Missio eadem dici potest. Nam Unitas sese movens ac extendens, & mittens dici potest, quà unitas; & missa, quà propagata. Ita in Deo totum unum est. *Missi autem & mittentis significatio hìc non aliud,* De Trinit. l. 4. pag. 84. *quam Patrem & Filium decet; cæterùm veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit nativæ Divinitatis proprietatem; quia nemo ambigit naturam autoris in Filii nativitate connasci: ut ex uno consistat in unum, quod per unum non discernatur ex uno; atque ita unum sint, per quod unus ex uno est.*

Quæ eadem paulò prolixiùs infrà ab eodem sancto Patre edisseruntur his verbis: *Hoc est illud* L. 7. *Dei Filius sum, hoc est illud, Ego & Pater unum sumus; hæc est nativitatis natura, hoc salutaris fidei sacramentum; non dividere quod unum sunt, nec nativitatis adimere naturam; & ex vivente Deo viventis Dei veritatem confiteri. Non enim ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est, & subsistit.* Et mox: *Totum in eo quod* L. 7. p. 148. *est, unum est. Ut quod spiritus est, & lux & virtus & vita sit: & quod vita est, & virtus & spiritus. Nam qui ait: Ego sum & non demutor; non demutatur ex partibus, nec fit diversus ex genere. Hæc enim quæ superiùs significata sunt, non ex partibus in eo sunt, sed totum hoc in eo unum & perfectum omnia Deus vivens est. Vivens igitur Deus, & æterna naturæ viventis potestas est: & quod cum sacramento scientiæ suæ ex eo nascitur, non potuit aliud natum esse, quàm vivens. Nam cum ait: Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; docuit vitam in se per viventem Patrem inesse. Deinde cum dicit: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso, omnia viva sua ex vivente testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est, habet nativitatis profectum, sine novitate naturæ. Non enim novum est, quod ex vivo generatur in vivum.*

Ubi vides unitatem Dei & Deum ipsum, vitam & viventem, sese movere & dilatare; nam vita motus est: hæc porrò vita, hæc motio & dilatatio Unitatis, ipsamet est generatio Filii. Nam vivere Deo idem est ac intelligere; intelligere unum atque idem est, ac Verbum, Sapientiam, Filium generare. Est quidem Deus supra hæc omnia & nomina sua, & verba ac cogitata nostra: sed his tamen illum, sin minùs elucidare, certè adumbrare necesse nobis & beatum fuit, dum ulterius nihil possumus. Unitas ergo vivens, eòque se dilatans, & sese movens, vitam vivit, quæ & ipsa Unitas est; & vita hæc ejus ipsa intellectio, Verbum, Sapientia, Filius ejus est, ineffabiliter unum cum ipso. Quam enim vivens vitam vivit, illa & ab eo gignitur, & unum idemque cum ipso est. Nec enim vivens vitam vivit, nisi eam quæ ipsemet est. Ita unum, totumque in Deo vivens & vita, Pater & Filius est. Ita Pater Filium mittit, dum vivens vitam mittit, emittit. Ita Pater in Filio, & Filius in Patre est; quia vivens in vita, vita in vivente est: quo magis liqueat quàm non possint hæc non Unitatis ipsius naturæ consentire. Ita perspicua & indubitatissima patet Filii cum Patre, cùm immensitas, tum æternitas. Si Pater enim æternùm vivit, æternam utique vitam vivit, & hæc vita Filius ejus est. Si nullo fine clauditur vivens Pater, nullo etiam clauditur vita quam vivit, Filius quem generat. Denique sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso; quia sicut Pater vitam vivit, & vivendo vitam generat, Verbum & Filium: ita Filius vitam vivit, & propagat ex semetipso Spiritum sanctum.

II. Cum his præluceat dogmatibus Scriptura, Traditio, Catholicæ toto orbe Ecclesiæ fides, nihil dubitationis in animo cujusquam residere potest. Sed sepositis his veritatis adminiculis, viderunt & Philosophi Unitatem in summo rerum & causarum fastigio locatam, opulentissimam, fœcundissimam, viventem, sese explicantem & dilatantem etiam in seipsa, & hanc suam vitam, intelligentiæ utique & sapientiæ vitam viventem, adeoque intra se eam sapientiæ vitam æternam propagantem, & propagando generantem. Ubi verò duplex ista lux copulatur, & illa authoritatis, & hæc intelligentiæ qualiscumque, jam lumen tantum effunditur, quo vitæ hujus nostræ mortalis caligo suavissimè sanctissimèque illustratur.

Premit

Premit & hoc argumentum Leo Magnus ab Unitate sumptum, ubi ait nihil quenquam rectè sentire de Trinitate, nisi unum idemque sit totum, quod sentit. Quantumcumque enim Trinitas Personarum cogitetur, à vera Trinitate quæ est Deus recedi, nisi summa & individua Unitas teneatur. Videri quidem alicui poterit Leo solam urgere Personarum æqualitatem: at ne hæc quidem constabit æqualitas, nisi sit identitas; nec identitas, nisi sit & summa Unitas. Si summa sit enim & plenissima Pater unitas, nec idem cum illo Deus, nec æqualis illi Filius erit, nisi in Filio sit illa ipsa Unitas summa, quæ unum & omnia, unum omnia est, unum omnia in se præcontinet, & ex se effundit; denique ita unum omnia est, ut par illi sit nihil, & nihil secundum. Etsi enim nostro more secundus quandoque dicatur Filius, est tamen verè primus, ut totum Patrem, totam Patris substantiam in sese continens & summam illam Unitatem, quæ secundas tenere nunquam potest, usque adeo essentialiter primas tenet. *Quantumcumque illud est quod humano intellectu de essentia paterna deitatis attingitur: nisi unum atque idem est, cùm vel de Unigenito ejus, vel de Spiritu sancto cogitatur, non piè sapitur, sed nimis carnaliter caligatur; & ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia à tota Trinitate receditur, si in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione verè est unum, quod aliqua est inequalitate diversum.* Et mox: *Nam cùm illis & sempiternitas sit communis & deitas, nec omnipotens Pater, nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.*

Leo Magn. Serm. 1. de Pentec.

III. Non pigebit & ex Boethio aliquid delibasse in hanc rem nostram; ex libello nempe ejus *De Unitate & Uno*. Luculentè enim prorsus, sic in summo rerum & causarum omnium vertice Unitatem primam & simplicissimam, & fœcundissimam tamen ille locat; ut ex ea manent omnia, ad illam revocentur, illam imitentur omnia; pro suo quæque gradu & modo, alia perfectiùs, alia imperfectiùs: longè perfectiùs naturæ intelligentes & rationales, ut quæ omnium proximæ sint primæ Unitati; & quanquam forma & materia & ipsæ constent sui generis, indivisibilis hæc tamen utraque sit, nec dissolvi unquam possit: cùm res corporeæ ex materia & forma componantur lege dispari, & prorsus divisibili ac solubili: propterea quòd longiùs abscesserunt à summa arce unitatis & simplicitatis, in regionem veluti quandam longinquam dissimilitudinis. Cùm intelligentes ergo & rationales Angelorum hominumque substantiæ mediam quandam stationem obtineant inter naturam divinam & corpoream, æquum est unitatem divinæ naturæ incomparabiliter antistare supra earum & naturam & unitatem: quod non aliter meliùs cogitari potest, quàm ut divina unitas & summè una sit, & plures hypostases complectatur, cùm naturæ Angelicæ ita in plures scindantur hypostases, ut in unam individuam unitatem nunquam possint earum plures coalescere. Huc trahi posse visa mihi sunt hæc Boethii verba, ex media, ut apparet, Aristotelis Philosophia; ne nobis invidiam quisquam faciat, quasi uni Platonicorum Philosophiæ addictis: *Esse & unum inseparabiliter comitantur se, & videntur simul natura; quia enim creator unus est, ideo rebus quas condidit hoc in munere dedit, ut unaquæque esset etiam una.* Et paulò pòst: *Forma ergo existens in materia, quæ perficit & custodit essentiam cujuslibet rei, unitas est descendens à prima unitate, quæ creavit eam. Prima enim & una unitas, quæ est unitas sibi ipsi, creavit aliam unitatem, quæ est infra eam.* Et rursum: *Quantò enim unaquæque unitas propinquior fuerit prima & verè unitati; tantò materia formata per illam erit magis una & simplex; & è converso, quantò remotior fuerit à prima unitate, tantò erit multiplicior & compositior; & ob hoc unitas quæ duxit ad esse materiam intelligentiæ, est magis una, & simplex, & non multiplex, nec divisibilis essentialiter; sed si divisibilis est, hoc siquidem accidentaliter est, & ideo hæc unitas simplicior, & magis una est omnibus unitatibus quæ ducunt ad esse cæteras substantias, eo quod immediatè adhæret prima unitati quæ creavit eam. Sed quia unitas subsistens in materia intelligentiæ, est unitas simplicitatis; ideo necessariò unitas subsistens in materia animæ, quia infra eam est, crescit & multiplicatur, & accidit ei mutatio & diversitas; & sic paulatim descendendo à superiori per unum gradum materiæ, inferior unitas augetur, & multiplicatur, quousque perveniatur ad materiam, quæ sustinet quantitatem, scilicet substantiam hujus, quæ quia à prima unitate remotissima est, &c.* Et aliquantò pòst: *Forma enim est quasi lumen, eo quod sicut per lumen res videtur, sic per formam cognitio & scientia rei habetur, non per materiam; sed hoc lumen in quibusdam est clarius, in quibusdam obscurius, prout materia, cui infunditur forma, est clarior & obscurior. Quo enim materia fuerit sublimior, sit subtilior, & penetratur tota à lumine, & ideo substantia ipsa sapientior & profectior, sicut intelligentia & rationalis anima.* Ac denique: *Non uno modo, sed pluribus, dicitur aliquid ab unitate unum. Unum enim aliud est essentia simplicitate unum, ut Deus. Aliud simplicium cognitione unum, ut Angelus & anima, quorum unumquodque est unum conjunctione materiæ formæ. Aliud est continuitate unum, ut arbor & petra.*

Boethius pag. 961.

IV. Ruffini Aquilejensis Presbyteri contextum egregium superiùs jam adscripsi ex ejus Expositione in Symbolum Apostolorum, quæ olim Cypriano tribuebatur, unde & eam Pseudo-Cypriani nomine laudavi. Audiendus ergo nunc nobis hic est Bernardus: *Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquidò noveris, quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil; si dici possit, unissimus est.* Si unus est Deus, quomodo nihil aliud; si unissimus est, suffragante Bernardo: si ita habet Philosophia, ipsa ita commendante natura, ita vociferante ipso rationis lumine, ipso naturæ instinctu: ergo ita unus est, ut plures hypostases distinctas sua unitate unissima complectatur. Quam enim cunque aliam illi unitatem appinxeris, non hæc erit, quomodo nulla alia, non hæc erit unissima, non hæc erit sibi fœcundissima, quando ab unitate religata pendet fœcunditas.

Bernard. De Consid. L. 5. c. 7. & pag. 898.

Rursus autem idem paulò pòst Bernardus sic luculentissimè: *Dicamus itaque tres, sed non ad præjudicium unitatis. Dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassa voces. Quæritur quis quomodo illud quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum; Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, & hac unitate? aut ipsa unitas in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est.* Fatetur Bernardus necdum nobis esse perspicuum, quomodo summa illa & individua naturæ unitas cum personarum Trinitate cohæreat; id credi debere vehementissimè affirmat; cùm & æquissimum & perspicuum sit, nobis mortale hoc ævum agitantibus impervium & inexploratum esse debere, quod Deus, quod in Deo summum est. Quanquam autem perspicuum etiam nobis esse dixerimus, quòd & unus & unissimus sit Deus, & sic unus quomodo aliud nihil: adeoque quòd ejus fœcunditas summæ unitati nihil detrahat; non tamen perspicuum nobis ex eo fit, quomodo id se habeat. Longè aliud est enim, quòd sit quidpiam,

Ibid. c. 8.

& quomodo sit. Quod fœcunditas unitati, unitas fœcunditati in Deo non pugnet, non certum tantùm nobis esse potest, sed & manifestum. At quomodo id ita se habeat, nulli mortali facilè manifestatur.

V. Sed audiendus jam rursus hìc est Bernardus eo ipso loco, cùm varias unitatis species & classes pernumerasset, nec Boethii locum suprà positum omisisset: *Verùm hæc omnia quid ad illud summum, atque ut ita dicam unicè unum, ubi unitatem consubstantialitas facit? Huic uni quodvis illorum si assimiles, erit quoquo modo unum: si compares, nullo. Igitur inter omnia quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personæ una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua è converso tres substantiæ una in Christo persona sunt. Porro hæc & quæcunque alia dici una possunt, summæ illius unitatis imitatione, non comparatione, una appellari, vera sobriaque probat consideratio. Nec abducimur ab hac unitatis professione, assertione trium, cùm in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in unitate. Quamobrem cum dico unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursum cum dico tria, non me arguit intuitus unitatis, qua illa quæcunque tria seu illos tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit.* Ibidem pag. 1114

Pulcherrima sunt hæc, ubi ait sanctus Pater, in summa unitatis arce regnare Trinitatem, quæ ita una est, ut tres ejus personæ una substantia sint. Si non aliter enim una substantia essent, quam tres Angeli, aut tres homines aliàs absolutissimè æquales unum etiam natura sunt; jam non teneret Trinitas una arcem illam unitatis, naturis omnibus creatis inaccessam. Illud quoque seriò pensitandum est, quòd secundo loco præcellentissimam illam unitatem constituit Bernardus, qua duæ Christi naturæ, divina & humana: vel tres, corpus, anima rationalis, Deitas, in unam copulantur hypostasin. Quanquam enim hæc unitas secunda ab illa prima deficiat, unissima tamen & ipsa potest dici, quòd ea non sit alia, quàm ipsa Verbi hypostasis, inviolabili & individuæ unitati suæ perfectam humanitatem vendicanti, sibique sociandi, ut nos alibi prolixè Tractatu de Incarnatione, ubi de Hypostasi verba facimus.

VI. Sunt & præstantissima quæ idem Bernardus alibi disputat adversùs Abaelardum in Epistola ad Innocentium II. Papam data. Illud ibi primùm jure conqueritur, quòd scholasticis calliditatibus innutritus, nihil esse in Deo etiam profiteretur, cujus ipse non haberet rationes in animi sui penu. Illud verò fidei Christianæ inimicum esse declarat Bernardus, quæ Deum utique evehit, quæ evectum profitetur supra id omne, quod vel sermone, vel mente attingere possumus. *Et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle quidquid non possit ratione attingere?* Cùm ergo Trinitatem ipsam divinam perspicuis ille rationibus explanare niteretur, gradus, modos, numeros in ea commiscebatur, atque ita prophanus novator totum illud arcanum labefactabat sacramentum. *Et sic præmittens intellectum auditoribus suis in his etiam quæ sublimiora & sacratiora profundo illa sinu sacra fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate.* Bernard. Epist. 190. pag. 1156.

Longè aliam nos pergimus viam, qui etsi rationis lumen, & conscientiæ innatæ radios à Creatore insitos, etsi sanioris Philosophiæ si qua sint præsidia non repudiemus: hæc ipsa tamen omnia fidei famulari cogimus, & avitarum traditionum sanctorumque Patrum authoritati sese accommodare. Quin immo nullas in medium afferimus rationes, nisi quas sancti Patres jam olim nobis suppeditarunt. Cùm verò id unum maximè moliamur, ut unitati summæ totum tribuamus, & ad eam omnia referamus, ne ea quidem aspergi poterimus suspicione, quasi gradus, modos & numeros in Trinitate ponamus.

VII. Sic autem rursus aliquantò pòst Bernardus, & præclarissimè, & ante dictis convenienter: *Ille verò dignè pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, ubi est totum summum: nil distans, ubi totum est unum: nil hians, ubi totum est integrum: nil denique imperfectum, vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse & Pater & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse & Pater & Filius. Et totum unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumque bonum quod sunt, inter se particulariter dividunt, quoniam nec participaliter id possident; sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est, non unitatis divisio. Licèt namque in hac ineffabili & incomprehensibili Deitatis essentia, alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarum, sobriè Catholicèque dicatur, non tamen ibi est alterum & alterum: sed simplex unum; ut nec præjudicium faciat unitati Trinitatis confessio; nec proprietatum sit exclusio, vera assertio unitatis.* Ibidem pag. 1114.

His verbis, *Totum summum, totum unum, totum integrum, totum totum*; illud certissimè declaratur, quod hic hactenus astruimus, totum hoc arcanum quantum quantum est, non esse nisi unitatis summæ copiosam magnitudinem, infinitatem, dilatationem, fœcunditatem, citra vel minimum unitatis aut simplicitatis detrimentum. Inde enim illud efficitur, ut & Trina sit illa Unitas, & summè una. Ita singula quælibet trium personarum non minùs totum est, quàm tota earum Trinitas: quia & tribus & singulis eadem inest summa & simplicissima & opulentissima unitas. Nec enim summa illa unitas particulatim dividitur, sed & tota sibi est, & tota singulis in personis est; quòd summæ unitatis & opulentissimæ ea sit vis, ea indoles, ut dividi non possit; tum quia summoperè una est, tum quia summa omnium plenitudo est. Quod enim Pater ad Filium, Filius ad Patrem sit, non ea est unitatis divisio, sed dilatatio, & ejusdem ad seipsam relatio. Totum ergo illud est *simplex unum*, immensæ & infinitæ unitatis divitias exhaustas in tres personas explicans & dilatans.

Quando excidit nobis capite superiore Eulogius Episcopus Alexandrinus, hic saltem audiendus nobis est, ne caput istud præter morem nostrum contraxisse, aut decurtasse videamur. Ita ergo habet ille apud Photium in Bibliotheca, codice 230. *Indivisus enim Pater, à sua ipsius sapientia, & virtute sanctificantis Spiritus, in una natura adorandus; nec in unum atque unum Deum dividendus, quemadmodum in nobis, qui incommunicabili proprietatum discrimine & differentia operationis distinguimur & separamur, totaque divisione ab invicem per differentiam subsistimus. Quapropter non est in illa, ut in nobis dicendum, Hoc hujus esse primum, aut aliud hujus secundum, aut tertium. Unitas enim verè est Trinitas, & Trinitas unitas. Nec quia unitas est, idcirco contrahit Trinitatem. Nec quia Trinitas, dividit unitatem. Neque enim unum in divina substantia, ut in rebus creatis accipimus, in quibus nec unum proprie est intelligere. Nec enim unum numero in nobis, etiam proprie est unum.* Photii Bibliot. pag. 863. lin.

Hinc patet ita indivisum esse Patrem à sapientia & charitate sua, à Filio & Spiritu sancto, ut non possit dividi in unum & unum Deum; aut in

primum,

primum; secundum & tertium, ut in Angelis & hominibus usuvenit. Sic enim æquales & consubstantiales possunt esse tres Angeli, itemque tres homines, & unum natura: ut tamen & dicantur & sint unus, & unus, & unus; primus & secundus & tertius. At nihil ejusmodi est in Deo, quia *Unitas est verè Trinitas, & Trinitas Unitas*; μονὰς ἀληθῶς ἡ τριὰς, καὶ τριὰς ἡ μονάς. Et quia *nec unitas contrahit Trinitatem, nec Trinitas dividit unitatem*. Discriminis ratio in promptu est; natura nempe creata quælibet vix una numero sibi est; nedum possit, cum aliis sibi simillimis, sed distinctis hypostasi una esse. Quàm multa enim sunt in Angelis singulis, quàm multa in quolibet homine, quæ probibeant, ne unitatis cumulatissima gloria tribui illis possit!

Id mox patefacit Eulogius de ipsa natura mentis, quam negat tam propriè de Deo dici posse, quàm propriè de eo dicitur, quòd sit unum. Sic ergo rursum Eulogius, exponens quàm multa occurrant animo, ubi naturam mentis contemplatur ipsam in seipsa: *Quando autem Theologi divinam naturam unum quid esse prædicant, ut mentem, id propter solam divinam Verbi, seu impatibilem generationem faciunt. Nam recta piaque sententia divinitatem supra naturam mentis collatam piè asserit. Identitas enim etiam in mente spectatur, itemque diversitas, & motus, & quies, nec omnino caret duplicitate. Sed quies quidem in ipsa propter essentiæ identitatem spectatur: diversitas autem, & motus, propter naturalem vim & operationem. Neque enim est idem dicere unum per se, & unum respectu alterius. Unde quamvis unus sit subjecto, tamen quando seipsum considerat, & noscitur à seipso pro uno & simplici, duplex esse probatur; quod, etsi quid simile habet uni, propriè tamen ab uno, & à beata Dei natura prorsus alienum est.* Sic ergo statuit Eulogius, rectè quidem generationem Filii à Patre comparari processione Verbi à mente, quòd ab ea purè & impatibiliter prodeat Verbum; sed ea similitudine non prorsus attingi rei veritatem: Deum enim esse supra mentem, & propiùs ad Dei naturam accedere, qui illum cogitat ut unitatem simplicissimam, quàm qui eum sibi ut mentem exhibet. Dum cogitatur enim mens ut seipsam intelligens, & verbum suum ex se fundens, nonnihil videtur ea cogitatio deficere ab unitate & simplicitate divina.

Ibidem. pag. 865. 866.

Denique de unitate divina sic concludit Eulogius, non principium numeri illam esse, nec principium magnitudinis, ut quæ & numerum, & magnitudinem omnem superet: Deitatem unum esse secundùm simplicitatem existentiæ, κατὰ ἁπλότητα τῆς ὑπάρξεως; quasi dicatur ipsa simplicitas per se subsistens; nec explicari, nec ullo nomine exprimi posse illam unitatem, quæ omnium unitatum causa & effectrix est, ipsa unitate simplicior, omnium essentiarum & substantiarum creatrix, consistens verò ipsa in supersubstantiali sua unitate; Unitas & Monas à Theologis dicta; Pater in Filio, Filius in Patre intelligendus, Spiritus sanctus à Patre procedens, Spiritus sanctus à Patre per Filium in creaturas & in electos descendens: οὐκοῦν τὴν μονὰς θεολογοῦμεν, ἢ υἱὸν ἐν πατρὶ, πατέρα ἐν υἱῷ γινώσκοντες; πνεῦμα ἅγιον, &c.

CAPUT VII.

Tres in Deo personas unum esse Deum propter unitatem principii, ab uno Patre manantibus duabus personis aliis. Ex Patribus primùm Græcis.

I. Ex Athanasio ita unus est Deus Pater cum Filio & Spiritu sancto, sicut unus est Sol ipse cum splendore & lumine suo: quia utrobique una est trium natura & substantia, unum est principium à quo manant, in quo manent omnia.

II. Idem ostenditur ex eodem, quia Pater Sapientia est generans, Filius Sapientia ab eo genita, Spiritus sanctus Sapientia spirata: una natura sapientia, unum principium sapientia.

III. Idem elucidatur specialiùs de Filio.

IV. Idem de Spiritu sancto.

V. Idem confirmatur ex Dionysio Præsule Romano apud eundem Athanasium. Prolixè de unitate principii & naturæ, unde fit ut unus sit Deus.

VI. Luculentissimè ex Nazianzeno ea omnia confirmantur; prolixa ejus sententia explicatio.

VII. Prolixiùs rursus de eodem ex eodem Nazianzeno; ut una trium sit natura, unum principium Pater, ex quo ea in Filium & Spiritum sanctum fluat.

VIII. Eadem prolixiùs ex eodem Nazianzeno; ut se moveat & dilatet Patris fœcunditas in Filium & Spiritum sanctum.

IX. Objectabant Macedoniani, quomodo Deus, Deus, Deus, non essent tres Dii. Responsio Nazianzeni, ut non sint tres nisi unus Deus, ob unitatem naturæ & principii.

X. Ex Basilio eadem doctrina firmatur. Ut in Deo non sint gradus, non primus, secundus, tertius; sed perfecta Monarchia.

XI. Idem ex Epiphanio, unus Deus est ob unitatem principii & naturæ; unus est, sed fœcundissimus, & paris sibi prolis parens.

XII. Ex eodem unus est Deus, sed ut unus Sol, ut unus fons, cum iis quæ ex eo fluunt unus.

XIII. Sententia Chrysostomi & Synesii.

XIV. Dionysii & Pachymeris doctrina, Cyrilli Alexandrini & Damasceni.

I. NAturæ divinæ essentiam hactenus spectavimus, in Unitate potissimùm constituram, eaque opulentissima; quo fiebat, ut in tres Personas illa ipsa simplicissima Unitas diffunderetur, vel potiùs dilataretur. Nec enim ab essentia divina divinæ manant Personæ, sed ab earum unâ oriuntur duæ; & rursus hac Unitate principii fit, ut in unum & summè unum Deum tres illæ Personæ constringantur. Stomachatur Athanasius in Marcionistas & Manichæos hæreticos, qui tria principia, tres Patres, & quasi tres Soles invehebant, ac proinde tres Deos, cùm ex adverso Ecclesia Catholica unicum Solem prædicaret, & ejus Splendorem, unicumque Lumen ex Sole & ejus Splendore, atque ita unum principium prædicaret. *Non enim quemadmodum exemplo suprædicto similitudineque ostenditur, tria principia, aut tres Patres introducimus, sicuti Marcionitæ; cùm non tres Soles ad comparationem adducamus, sed unicum Solem ejusque splendorem, unicamque ex ambobus Lucem: ita unum principium agnoscimus, Conditoremque dicimus, non alium modum quàm unius Numinis rationem habere; eo quod ex ipso soboles nata sit.* Et paulò inferiùs: *Una enim forma Deitatis, quæ est etiam in Verbo: & unus Deus Pater in seipso, ut tamen in omnibus sit: & in Filio appareat, & ex Filio agnoscibilis deprehensibilisque sit: nihilo tamen minus per omnia penetret, idemque ita in Spiritu sancto consistat, ut tamen omnibus per Verbum in Spiritu operetur & agat. Atque ita unum per Trinitatem confitemur Deum.*

Athanas. Orat. 4. contr. Arian. pag. 561.

Authore igitur Athanasio tribus ex divinis Personis una coalescit Divinitas, unus Deus, non duo, non tres; tum quia trium una est natura, una forma, eaque simplex & una, & supra omnem unitatem una, divisionis & partitionis cujuscumque impatientissima; unde fit ut in Filio Pater, in Patre Filius, in utroque Spiritus sanctus, & videatur & sit; tum rursus quia unum est principium Pater, & fons, ex quo Filius & Spiritus

ſanctus profluunt, & ita profluunt, ut in ipſo permaneant, nec aliam habeant, quàm illam ipſam ſui principii ſubſtantiam & naturam indiviſibilem. Tanti arcani adumbrata quædam imago ſpectari poteſt in Sole, qui ſua ex ſubſtantia ſplendorem primò ſuum fundit, & ita ab ipſo Sole & Solis ſplendore, ſive radio, effunditur Lux: ita ut tria hæc unum ſint, tum quia non alia illa eſt, quàm luminis natura, tum etiam quia totius hujus luminis unum eſt principium Sol. Quis enim non intelligat Solem eſſe unum, etſi ab eo nec ſplendor ſuus, nec ſua lux disjungatur?

II. Gemina his ſunt quæ infrà ſimiliter diſſerit Athanaſius de natura mentis, rationis, ſapientiæ, veritatis, quæ una eſt, & Deus eſt; tum ſapientia generans in Patre, tum ſapientia genita in Filio, tum ſpiritus ſapientiæ & veritatis in Spiritu ſancto. Hi quoque tres unum ſunt, ob unam naturam ſapientiæ & veritatis, in tres illas hypoſtaſes dilatatam, etſi una eademque ſit. Et rurſus ſi primum Sapientiæ principium ſpectetur Pater, Verbum ejus & Spiritus ejus ab eo effluet, ex eo non effluet, quia ex eo in eum effluet; & una ſumma ac ſimpliciſſima Sapientia cum ſuo Verbo, cum ſuo Spiritu, unus erit Deus, ob unitatem & ſimplicitatem non naturæ tantùm, ſed & principii. *Ceterùm quia Chriſtus ex Deo Deus, & ratio Dei, & ſapientia, & potentia, & Filius, ideo unus Deus in ſacris Scripturis renuntiatur. Quum enim ratio ſit unius Dei, ideo Filius in eum refertur, cujus eſt Filius: ita ut duo quidem ſint, Pater & Filius; ſed tamen unitas Deitatis remaneat, eaque & indiviſibilis & minimè diſciſſa.* Et ſtatim ibidem: *Poterit autem & ad iſtum modum dici, unum eſſe principium Deitatis, non duo: unde proprie Monarchia unius Dominatus haberi debet. Ex ipſo deinde principio, per naturam exiſtit Filius, qui eſt Verbum; non quaſi alterum principium ſeorſum ſubſiſtens, neque aliunde genitus, ne ratione ſecundi duo principia pluriumque principatus oriantur: ſed unius principii ſuus propriuſque Filius, propria Sapientia, proprium Verbum, ex ipſo principio ortum habens. Nam ſecundùm Joannem in hoc Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Deus enim Principium eſt, & quia ex Principio Verbum eſt, ideo quoque Verbum erat Deus.* Nec minùs luculentè paulò inferiùs: *Sed Pater Pater eſt, & Filius Filius eſt: inde autem unum ſunt, quia Filius naturaliter ſubſtantia Patris eſt, ejuſque proprium Verbum, quemadmodum Dominus loquutus eſt: Ego & Pater unum ſumus. Neque enim ratio ſegregata à Deo Patre eſt, neque Pater unquam irrationalis aut eſt, aut fuit. Eſt igitur Ratio Dei, neque Pater unquam ſine Ratione, ac proinde ab illo dictum eſt: Ego in Patre, & Pater in me. Et rurſum alibi Chriſtus Ratio Dei eſt. Utrùm igitur per ſe extiterit, & ubi extiterat, conglutinatus ſit Patri: an Deus illum fecerit, ſuumque Verbum & rationem appellarit? Quod ſi ex duobus iſtis, quod prius eſt, conceſſeris, ut videlicet ipſe ſibi ſubſiſtat, & Deus ſit, duo ergo fuerint Principia, neque jure cenſebitur Patris ſui proprius, eo quòd non ſit Patris, ſed ſui ipſius.*

Orat. 4. cont. Arian. pag. 502.

III. Hìc perſpicuum eſt, ab Athanaſio Sabellium refellente, Patrem & Filium unum dici & probari Deum eſſe, quòd Filius à Patre ſit, non ab alio, non à ſeipſo: tum enim duò eſſent Principia, duo Dii; at ubi unum Principium eſt, unus conſtantiſſimè Deus eſt, tum quia Deitatis eſt principari, tum rurſus quia Filius ita ex Patre eſt, ut ejus ſubſtantiæ ſit, non alterius, non degeneris, ſed ejuſdem, ſed ejus quæ una & ſummè una eſt, nec poteſt vel multiplicari, vel parem aliam habere, vel ſecundam, quia ſumma eſt, una eſt, unitas eſt. Adde quòd cùm Filius ita à Patre naſcatur, ut ratio, ut ſapientia à mente, non poteſt non unum eſſe Pater cum ſua Ratione, cum ſua Sapientia; quod quomodo intelligendum ſit, copioſiùs infrà dicetur. Ita unitas Deitatis ex Patris Monarchia probatur: etſi enim tres ſint hypoſtaſes diſtinctæ & coæquales ſibi, quia tamen una eſt cæterarum origo & principium, quas & ſibi recolligit, ut ſuæ ipſius ſubſtantiæ individua germina, ut ſapientiam, ut charitatem ſuam, ſine qua non poteſt eſſe, ut unitatis & ſimplicitatis ſuæ inviolabilis ac infinitæ dilatationes: hinc fit, ut unus ſit Deus, unum Principium, una Monarchia. *οὐ δυαρχία, οὐ πολυαρχία, ἀλλὰ μία ἀρχὴ, κυριακὴ μοναρχία.*

IV. Nec aliter de Spiritu ſancto philoſophatur ſanctus Pater, cujus hæc ſunt verba in Epiſtola ad Serapionem hac ipſa de re ſcripta contra Macedonianos, ut probet Spiritum ſanctum non eſſe creaturam: *Quorum certè ſtatim vecordiam admireris, quod quum Filium Dei creaturam eſſe nolint, ferre tamen queant, Spiritum Filii nominari creaturam. Ob Verbi enim cum Patre unitatem, nolunt Filium in numerum creaturarum recenſeri, ſentiuntque quod eſt verum conditorem, opificemque eſſe creaturarum. Cur igitur Spiritum Sanctum qui habet eandem unitatem cum Filio, quam Filius habet cum Patre, creaturam dicunt? Neque intelligunt quod quemadmodum qui Filium dividunt à Patre, nequeant tueri, ut unus ſit Deus: ita quoque qui dividunt Spiritum ſanctum à Verbo, non poſſunt ſervare unam in Trinitate Deitatem, quum illam reſcindant, eique alienam & diverſæ ſpeciei naturam admiſceant, & creaturis coequent. Que res oſtendit, non unius generis eſſe Trinitatem, ſed eam conſtare ex duabus diverſiſque naturis, ob diverſam, ut ipſi volunt, Spiritus ſubſtantiam. Quale igitur eorum numen ex Creatore creaturaque conflatum?* Pag. 4.

Hi certè, quales Macedoniani, non illubentes jam ſubſcribebant divinitati Filii, & æqualitati, unitatique cum Patre; at cùm in creaturarum claſſes ablegarent Spiritum ſanctum, totam Trinitatem labefactabant. Contrà ita nititur Athanaſius: Si Filius eſt unus cum Patre Deus, ob ſuam cum eo unitatem: quin & Spiritus ſanctus unus idemque ſit Deus, cùm eandem habeat unitatem cum Filio, quam Filius habet cum Patre? Si enim Filius eſt unum cum Patre, quia ſic à ſuo principio fluit, ut ab eo non effluat; ſed ab eo in eo ſemper fluit, ut ſplendor à Sole, ut ſapientia à mente: ita Spiritus ſanctus eandem habet cum Filio unitatem, ut ab eo in eo manans, manenſque; ut lux à ſplendore, ut charitas à ſapientia ſemper manat, nunquam divellitur. Una ergo eſt Trium Deitas, quia unum eſt ibi Principium, unus Pater, ex quo Filius & ipſe fluit, & id accipit, ut ab eo fluat Spiritus ſanctus; quo fit, ut quanquam & Filii Pater, & Spiritus ſancti Filius Principium ſit, unum tamen ſit Principium, non duo. Ab hac ratione non facilè ſejungitur illa alia, quæ & inde naſcitur. Sic enim & Filii Pater, & Spiritus ſancti Filius Principium eſt, ut & eandem, & totam illi infundat ſuam ſubſtantiam. Si quam enim aliam infunderet, jam non unus eſſet Deus, ſed multiplex, & quidem ex diverſis & diſſimilibus naturis; jam creatura Creatori æquaretur, jam creatura creatrix & ipſa eſſet; jam Unitas illa ſumma, quæ ipſiſſima eſt Divinitatis ſubſtantia, collaberetur.

V. Hæc eadem prorſus erat apud eundem Athanaſium Dionyſii Epiſcopi Romani doctrina adversùs Sabellianos. Hæc enim ejus verba refert Athanaſius in libello de Decretis Synodi Nicænæ contra Arianos: *Meritò deinceps dixero in diviſores ſectoreſque & peremptores reverendiſſimæ Eccleſiæ de Deo praconii, qui Monarchiam in ternas potentias, ternaſque ſubſtantias, & ternas Deitates carpunt. Audio enim quoſdam apud vos divini Verbi magiſtros hujus ſententiæ profeſſores, qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum placitis Sabellii. Ille enim cum blaſphemia dicit Filium eſſe Patrem,* Athanaſ. pag. 410.

Patrem, Patremque Filium: isti autem quodam modo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas, & inter se omnino segregatas sanctam Unitatem dispartiuntur. Uniri enim necessum est est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem herere versarique Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem in unum omnium rerum Deum, omnipotentemque, veluti in verticem principemque consummari & coalescere. Marcionis enim vaniloqui doctrina sectionem divisionemque Monarchiæ in tres principatus instituit. Sed ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum, & acquiescentium Salvatoris præceptis. Illi enim ut Trinitatem prædicari à sacris Litteris planè sciunt, ita tres esse Deos à Veteri aut à Novo Testamento usquam induci nequaquam agnoscunt.

Qui hìc à Dionysio Romano convelluntur, non ii erant Sabelliani, sed Sabellianis etiam plus æquo adversi, quippe qui Monarchiam prorsus labefactarent, ternasque inveherent potentias, & divisas hypostases, & Deitates tres. *Dividentes ac perimentes prædicatam ab Ecclesia Dei Monarchiam, τὴν μοναρχίαν, in tres quasdam potentias, & divisas hypostases, καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, & Divinitates tres.* Catholicæ ergo Ecclesiæ unus erat, unus prædicabatur Deus, quia tres hypostases non dividebantur; quia duo vel plura Principia non admittebantur, quia Monarchia retinebatur, seu unitas Principii, Patris videlicet: à quo tam non divellerentur Filius & Spiritus sanctus, quàm nec sapientia à mente, charitas à sapientia, à qua fluit. Ita fit, ut *nec* Unitas dispertiatur, *& sancta Trinitas in unum omnium rerum Deum, velut in verticem principemque consummetur & coalescat, Καὶ ἡ θείαν τριάδα εἰς ἕνα ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, ἢ θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω συγκεφαλαιοῦσθαι, καὶ συνάγεσθαι.* Quo non video quid validius dici possit. Ita enim duæ illæ fibulæ confirmantur, quibus tres Personæ & distinctæ & indivisæ in unum Deum constringuntur: videlicet & Patris Monarchia, seu unius Principii ratio, qua fit, ut à Patre manent ambæ aliæ hypostases, & ei revinciantur ut Principio suo: & naturæ à Patre in Filium & per Filium in Spiritum sanctum manantis unitas, quæ summa & summè indivisa unitas est.

VI. Huic Athanasii, immo huic Dionysii Papæ Romani doctrinæ apprimè concinebat Gregorius Nazianzenus, his verbis, his & invictissimis documentis Sabellianos, Arianosque contundens: *Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Nazianz. Orat. 13. pag. 206. *dum non unam, nec simplicem Deitatis naturam, verùm aut tres inter se disjunctas & distractas, atque adeo defectibus excessibusque pugnantes inducitis: aut unam quidem, sed jejunam & angustam, quippe quæ hoc non habeat, ut magnorum causa sit: perinde atque vel non potuerit, vel noluerit, idque duplici de causa, nempe vel ob invidiam, vel ob metum: illud videlicet, ne quid æquale inducatur; hoc, ne inimicum & pugnans. Atqui quanto Deus rebus creatis excellentior est, tanto utique primæ causæ magnificentius est, divinitatis, quàm rerum creatarum principium esse; ac per interpositam deitatem ad res creatas venire, quàm ut contra harum causa Deitas condita fuerit, quemadmodum sublimibus istis, nimisque ad indagandum propensis placet.* Et ibidem statim: *Etenim si Filii & Spiritus sancti dignitatem confitentes, eos vel principii expertes induceremus, vel ad alterum principium referremus; timendum re vera esset, ne Deus contemptu afficeretur, aut Deo contrarium aliquid inveheretur. Cùm autem quantum libet Filium, aut Spiritum extuleris, nunquam tamen eos supra Patrem ponas, nec à causa removeas: verùm illuc præclaram generationem, & admirabilem processionem referas; percontabor ex te, qui Ingeniti & Anarchi, hoc est principii expertis, amorem tantoperè præ te fers, uter tandem Deum magis contemnat, is ne qui ipsum talium, quales tu inducis, principium constituat, an qui non talium, sed natura & gloria equalium, & quales doctrina nostra profitetur?*

Hinc evidenter colliges, quæ sit Catholici de Trinitate dogmatis præstantia, dignitas, lux; quæ hæreticorum placitorum absurditas impietasque. Aut enim tres hypostases non distinctas tantùm, sed & disjunctas, distractasque ponebant; nec unius naturæ omnes, nec ab uno principio profluentes; sed suas sibi seorsim singulas, à seipsis manantes, adeoque diversas & adversas sibi; quo enim vinculo inter sese cohæsissent? Aut unam Deitatis hypostasin statuentes, unitatem illi quidem adsignabant, sed jejunam & angustam, sterilem, aut in solas creatas naturas fœcundam, adeoque nec magnorum causam, *οὐκ ἴσχυσαν τὸ μεγάλων τῷ ἀρχικῷ*, quasi aut noluisset Deus, aut non potuisset sibi par quidquam gignere, sive invidia, sive metu. Quantò præcellentiùs autem Ecclesia Catholica de Deo sentit? Longè magnificentius enim est, *μεγαλοπρεπέστερον*, ut prima causa Divinitatis principium sit, quàm rerum creatarum. Magnificentius est, ut Pater per Filium creaturas omnes ex se fundat, quàm ut, quod ajebant Ariani, Filium eo fine condat, ut per eum creaturæ condantur. Si Filius & Spiritus sanctus, vel à nullo essent, vel ab alio essent principio, quàm à Patre, injuria certè Patri fieret, Divinitati diversitas & pugna induceretur. At quàm amplum, quàm splendidum est, quàm Deo dignum, ut ejus fœcunditas, non ad naturas tantùm creatas, præ ipso viles & degeneres, sed ad pares sibi & æquales personas effundat sese? Non tam Patris, quàm ingeniti nomen & gloriam ostentabant Eunomiani, Arianique; eo etiam insulsi & protervi, quòd & Scripturæ, & Scriptorum quorumcunque monumenta Ingeniti nomen, vel ratò, vel nunquam Deo tribuant; quòdque Patris nomen ab eis frequentissimè usurpatum, multò splendidius sit, & ad commendandam Dei amplitudinem magis appositum. Quantò enim præcellentius est, non tantùm à nullo ulteriore esse principio, non tantùm rerum infimarum esse principium, sed personarum sibi ipsi non disparium esse scaturiginem?

VII. Sabellianos priùs hoc telo impetierat Nazianzenus, quòd ineptissimè tres in Deo personas dicerent, nomine, non re; quasi Christianæ fidei, Ecclesiæ, ipsius Divinitatis opulentia, nominum & verborum sit, non rerum ac personarum: *Quasi opes nostræ in nominibus, non autem in rebus sitæ sint. Ὡς οὐ τὸ πλοῦτον ἡμῖν ἐν ὀνόμασιν, ἀλλ' ἐν πράγμασιν.* Orat. 12. pag. 204.

Eodem spectabant & ista Nazianzeni alio loco: *Quin pietatis nostræ doctrinam præscribe, sic nos instituens, ut Deum unum ingenitum agnoscamus, hoc est Patrem: unum item genitum Dominum, Filium videlicet, qui Deus quidem appellatur, cum de eo separatim sermo habetur; Dominus autem, quando cum Patre nominatur; illud propter naturam, hoc propter unicum divinitatis principatum; unum denique Spiritum sanctum, à Patre procedentem.* Et paulò pòst: *Illud item præscribe, ut nec Patri principium tribuamus, ne quid primo prius inducamus, ex quo id, quod primum est, originem traxisse necesse sit: nec Filium & Spiritum sanctum principii expertes esse astruamus, ne Patri, id quod ipsi proprium est, adimamus. Illi quippe & principio minimè carent, & quodammodo carent: quod sanè dictu mirum est. Non enim, quantum ad causam, principio carent; ex Deo enim sunt, licèt non post ipsum, quemadmodum ex Sole lumen: sed* Orat. 33. pag. 430. 431.

quantum

quantum ad tempus, principii sunt expertes. Nec enim tempori subjecti sunt. Et infrà rursus: *Nomen autem principii experti, Pater: principio, Filius: ei autem, quod cum principio est, Spiritus sanctus. Una autem his tribus natura Deus est. Unio verò est Pater, ex quo, & ad quem ea, quæ deinceps sequuntur, referuntur; non ut confundantur ac permisceantur, sed ut cohæreant: nimirum nec tempore ea secernente atque distinguente, nec voluntate, nec potentia.*

Orat. 32. pag. 520.

Nazianzeno ergo Pater, sine principio, ἄναρχος dicitur; Filius, principium est, ἀρχὴ, sed est & à principio, scilicet Patre: Spiritus sanctus, cum principio, μετὰ τῆς ἀρχῆς; quòd & Patris & Filii Spiritus sit, ut amborum charitas substantialis, & consubstantialis: ideo cum principio dicitur. Tribus his personis una natura Deus est: φύσις τοῖς τρισὶ μία, θεός; quasi dicat hanc ipsam esse Dei naturam, quòd trium summè perfectorum unitas sit; & hanc esse trium personarum unitatem, quòd tota in singulis sit divina natura, & unitas ipsa in tribus. Unio verò trium hypostaseon est Pater, quòd ab eo sint, & ad eum referantur duæ aliæ personæ; ἕνωσις ἡ ὁ πατήρ. Unitate enim principii revinciuntur duæ aliæ personæ, sic à Patre exorientes, ut & in eo maneant, & ad eum reflectantur.

VIII. Piaculare fuerit & ista omittere ex Gregorio eodem: *Ut igitur ad rem accedamus, tres antiquissimæ de Deo sententiæ sunt, anarchia, polyarchia, & monarchia. Ac duæ quidem priores ab Ethnicis lusæ sunt, & sanè ludantur. Nam, & quod nullius imperio gubernatur, confusum est ac perturbatum: & quod à pluribus Dominis & Principibus administratur, factionibus dissidiisque obnoxium est, ac proinde nec à quodam gubernatur, nec ordine ullo & disciplina continetur.* Et paulò pòst: *At nos unius Dei principatum colimus. Unius autem principatum dico, non quem persona una circunscribit: fieri enim potest, ut quod unum est, si à seipso dissideat, secumque discordet, multa fiat; sed quem æqualis naturæ dignitas constituit, & voluntatis consensio, motusque identitas, atque ad unam & eandem rem, eorum, quæ ex ipso sunt, conjuncta propensio; id quod in rebus procreatis fieri nequit, ita ut, etiam si numero differant, potentia tamen minimè inter se dissideant. Quocirca unitas, principio in binarium mota, in Trinitate constitit. Atque hoc nobis est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Et paucis intertextis: *Neque enim bonitatis superfusionem dicere audebimus, tametsi quispiam eorum, qui apud Ethnicos Philosophiæ laude floruerunt, hoc vocabulo uti non dubitarit, cum de prima & secunda causa differeret, perspicuis verbis ita loquens, Velut poculum quoddam superfluxit. Verendum enim esset, ne coactam quandam generationem inveheremus, ac velut naturale quoddam excrementum retentuque difficile, in divinitatem minimè quadrans.*

Orat. 34. pag. 582.

Vides ut eos execretur Nazianzenus, qui vel nullos admittebant Deos, vel plures. Etsi enim in speciem longo illi à se distarent intervallo, res tamen tota eodem recidebat. Persimile enim universo impendebat exitium, sive nullus ei dominaretur, sive dominarentur plures; discordia sua aliquando tandem in extremum discrimen venturi, & orbem impulsuri. Monarchia ergo, sive unius Dei Principatus, necessariò retinebitur; non unius singularitate personæ, quæ conflictari & ipsa secum posset; sed plurium personarum consensione, quam contineat æqualis naturæ dignitas, φύσεως ὁμοτιμία: & voluntatis consensio, τῆς γνώμης συμφωνία: & motus identitas, ταυτότης κινήσεως: & ad unum eorum quæ ab eo sunt, propensio, τὸ πρὸς τὸ ἓν ἧρ ἐξ αὐτῆ σωδρομή. Ubi dilucidum est, quo Nazianzenus tres personas in unam revinciat Monarchiam, identitate naturæ, voluntatis consensione; identitate item motionis, quòd Filius & Spiritus à Patre fluant, & ad Patrem refluant, quin nec à Patre effluant; ut una sit prorsus sive motio, sive dilatatio, qua Pater, simplicissima, & fœcundissima unitas, sese ex se effundit in sese; Filium fundit in suo sinu, tum Spiritum sanctum ex suo Filiique sinu fundit: & ita movetur primò in binarium, ut illico in Trinitate consistat; quæ ineffabilis est sive motio, sive dilatatio unitatis. *Quocirca unitas, principio in binarium mota, in Trinitate constitit.* Διὰ τοῦτο μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δυάδα κινηθεῖσα, μέχρι τριάδος ἔστη.

IX. Gravissimam hæreticorum objectionem alibi proponit Nazianzenus: *Si Deus, inquiunt, & Deus, & Deus, quid causæ esse potest, quin tres sint Dii, aut quin plurium Deorum principatum colamus?* Respondet autem Macedonianis hæc objectantibus, & Filium tamen peræquè ut Patrem colentibus, quomodo non essent ipsi Bideitæ, si nos Trideitas esse criminarentur? *Qua tandem ratione à Bideitatis crimine vosmet vindicare queatis, si quis eam vobis objiciat? Si est vobis sermo prudentiæ, respondete, nobisque etiam respondendi ansam præbete.* At pleniùs postea perstringit & absolutiùs in hunc modum, tum Macedonianos, tum Arianos, eodem nos telo impetentes: *Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas, atque ad unum, ea quæ ex eo sunt, referuntur: etiamsi tres personas credimus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc priùs, illud posteriùs. Nec voluntate scinduntur, aut potentia dividuntur, aut denique quicquam eorum, quæ dividuis rebus contingunt, hìc quoque reperitur. Sed individua individuis, ut uno verbo dicam, est divinitas, ac velut in tribus Solibus inter se cohærentibus una lucis commixtio & temperatio. Quum ergo ad divinitatem, primamque illam causam, uniusque principatum & imperium, respexerimus, unum est quod mentis nostræ oculis obversatur. Quum rursus ad ea, in quibus est divinitas, & quæ ex prima illa causa, citra ullam temporis intercapedinem, ac pari gloria sunt, tria sunt, quæ adorantur.* In tribus igitur personis Deus unus est, & quia una eademque trium Deitas est, & quia ad unum Patrem referuntur qui ex eo oriuntur. Inde enim est, *quod cum ad divinitatem respexerimus, primamque illam causam, uniusque Principatum & imperium, unum est, quod mentis nostræ oculis obversatur,* Ὅταν βλέψωμεν πρὸς τὴν θεότητα, καὶ τὴν πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν μοναρχίαν, ἓν ἡμῖν τὸ φανταζόμενον. At illis in quibus est divinitas, & qui ab illa prima causa sunt, tres sunt.

Orat. 31. pag. 516.

Orat. 34. pag. 582.

Ad ea proximè alludunt, quæ alibi rursum declarat idem Nazianzenus, Deum esse *trium infinitorum infinitam conjunctionem, Deum unumquemque, si separatim consideretur, ut Patrem, sic Filium; ut Filium, sic & Spiritum sanctum, servata sua cuique proprietate; Deum rursus tria hæc, si simul cogitentur; illud, propter eandem essentiam; hoc, propter unum principatum. Vix unum animo concepi, cùm statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cùm ad unum statim sublimis feror. Si unum quodpiam trium menti meæ se objiciat, id totum mihi esse videtur, atque implentur oculi, majorque etiam pars oculorum aciem fugit. Hujus magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, plus tribuam. Quod si rursus tria hæc animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam.*

Itaque trium horum singuli verissimè dicuntur Deus, propter eandem divinitatis essentiam, quam totam singuli obtinent; & rursum similiter tres simul dicuntur & certissimè dicuntur Deus esse,

esse, propter unum Principatum, *διὰ τ μοναρχίαν*. Unus est enim Deus Pater cum ea quæ ab illo indivulsa est sapientia & charitate; ita sanè ut non sicut in rebus creatis hæc accidentia & ornamenta sint naturæ, sed ut hypostases sint perfectissimæ, quando id quoque contentaneum est, ut quæcunque in Deo sunt, perfectissima sint. Dicetur inferiùs operosius suo loco, quomodo nunc tribus Solibus divinæ personæ comparentur, nunc uni Soli, splendorem suum lumenque ex se profundenti.

X. In antecessum verò aliquid luminis accedet nobis ex Basilio, cujus hæc sunt verba in libro de Spiritu sancto: *Sicut scriptum est, In lumine tuo videbimus lumen: hoc est, in illustratione Spiritus videbimus lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque in seipso ostendit Unigeniti gloriam, & veris adoratoribus in seipso Dei cognitionem præbet. Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Ac rursus nativa bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per Unigenitum ad Spiritum sanctum permanat. Ad hunc modum & personas profitemur, nec pium monarchiæ dogma labefactatur. Cæterùm qui subnumerationem ponunt, dicentes, primum, secundum, ac tertium, sciant sese Deorum multitudinem, juxta gentium errorem, in illibatam Christianorum de Deo professionem inducere. Ad nihil enim aliud tendit subnumerationis dolosa inventia, quàm ut profiteamur, Deum primum, secundum, ac tertium.* Basilius. c. 18. Tom. 3. pag. 334.

Ergo nobis quidem via panditur ab uno Spiritu, per unum Filium, ad unum Patrem. At bonitas, sanctitas, regia dignitas, hoc est, Divinitas à Patre per Filium in Spiritum sanctum permanat. Ita & tres Personæ sunt, cùm ad tres porrigatur infinitas & opulentia divinæ naturæ: at *pium Monarchiæ dogma*, *τὸ εὐσεβὲς δόγμα τῆς μοναρχίας*, non labefactatur, cùm ad Patrem refluant omnia, quæ ab eo fluunt. Ita jure merito illis irascitur Basilius, qui primum, secundum & tertium Deum nobis obtrudebant. Est enim Deus verè Monarcha, est & in se simplicissimè collecta Monarchia. Ex quo fit, ut nulli sint in eo gradus, in quo sunt omnia summa, immo qui est Unum summum.

XI. Prolixè refellit Epiphanius Cerdonianos & Marcionistas, qui duo vel tria summa Principia constituebant; cùm fieri non possit, quin omnium Principium sit unitas, & ante duo vel tria unum principetur. *Duo porro simul ut Principia sint, fieri penitus non potest: sed nec unum potest ab altero differre. Si enim differunt, duo sint oportet. Duo verò si numerentur, singularem numerum excedunt. Cùm autem unicus iste ac primus numerus queratur, duo illa Principia uni ac supremo subjicientur, à quo velut à causa duo reliqua pendeant.* Epiphan. Hær. 41. 42. pag. 322.

Præstat autem eum audire adversùs Pauli Samosateni impia deliramenta ita philosophantem: *Enimverò neque nos ipsi duos esse Deos Divinitatesque duas, sed unam duntaxat asserimus: cùm neque Patres constituamus duos, neque Filios item duos, aut duos Spiritus sanctos; sed Patrem, & Filium, ac Spiritum sanctum, Divinitatem unam, unamque trium prædicationem ac gloriam. Iste verò non unum idcirco Deum esse confitetur, quòd velut quidam fons sit Pater; sed unum absolutè Deum facit: ac quantum in ipso est, Filii ac Spiritus sancti divinitatem ac substantiam evertit. Patrem ipsum præterea ita esse Deum unum affirmat, ut omni ad producendum Filium fœcunditate careat; adeoque imperfecta illa duo sint, Pater & Filius; quorum ille ad producendum Filium, genitalem vim nullam habeat: hic autem, quod est, viventis Dei Verbum, veraque Sapientia, nullo modo sit fructuosus. Verbum enim tale esse putant, quale in hominis est pectore, & ejusmodi sapientiam, qualem in animo quilibet hominum insitam à Deo infusamque possidet.* Hæresi 69. n. 3. p. 609.

Et hìc ergo vides à Catholicis unum Deum credi dicique, etsi & Pater & Filius & Spiritus sanctus Deus sit, quòd velut fons quidam unus sit Pater, *διὰ τὸ πηγὴν εἶναι τὸν πατέρα*. Unus est enim fons cum tota aquarum ab eo manantium plenitudine, & hæc unitas opulentissima Deo digna est; cùm Samosatenus unam Dei hypostasin esse diceret, eamque sterilem, inopem & imperfectam, ut quæ Filium gignere non potuisset. Sed & Filium pari sterilitate damnabat, ut qui solo nomine filius esset, & ita Verbum diceretur, ut solo Verbi nomine gauderet, non fœcunditate, non propria hypostasi.

XII. Adversùs Arianos autem sic rursus idem Epiphanius demonstrat, & omnium fontem in Divinitate esse Patrem, & ab eo manare Filium, ceu fontem ex fonte, & ab utroque tandem profluere Spiritum sanctum, ceu lumen de lumine: *Hic igitur (Filius) mittens ac missus exprimitur, ut argumento sit, quendam esse bonorum omnium fontem, videlicet Patrem: secundùm quem non alio nomine, quàm Filii Verbique præditus Filius, fons vivus ex fonte progreditur: qui apud Patrem perpetuò ab eodem genitus extiterit, Quoniam apud te est fons vitæ. Atque ut Spiritus quoque sanctus indicetur, In lumine, inquit, tuo videbimus lumen; quo & Patrem lumen esse declaret, & lumen Patris Filium, lumenque Spiritum sanctum. Ac postremò fontem ex fonte, hoc est, ex Patre & unigenito Filio Spiritum sanctum profluere.* Hæresi 69. n. 54. p. 710.

Ita principatus, aut si fari licet, Monarchia luminis penes Patrem semper est, qui ita fons est, ut ab eo Filius fluat, uti fons de fonte; quocirca & à Patre & Filio fluit denique Spiritus sanctus: ut non ægrè hic possit intelligi, quomodo tria sunt Lumina, & unum tamen sit Lumen; tum quia in tribus unum idemque lumen est, tum etiam quia unum totius ejus luminis est principium Pater. Certè toto hoc Tractatu sic Principatus, sic Monarchia Patri propriè vel appropriatè vendicatur, quòd Principium sine principio solus sit, & cujuscumque principii Principium ipse sit.

His finitima sunt, quæ idem alibi habet adversùs Semiarianos: *Quare meritò subsistentis existentisque Patris, ac Filii, & Spiritus sancti proprietates, ut diximus, subsistentium Personarum hypostases Orientales nominant: non ut tres illas Hypostases tria Principia, tresve Deos esse dicant. Nam eos anathemate damnant, qui tres Deos asserunt. Neque verò Patrem & Filium duos esse Deos dicunt. Hoc enim fatentur, unam esse Divinitatem, quæ per Filium in Spiritu sancto contineat universa: unam, inquam, Divinitatem, unum Regnum atque unum Imperium esse confitentur.* Hæresi 74. pag. 833.

Rursum & hìc trium divinarum hypostaseon inconvulsa affirmatur unitas, tum quia una est Divinitas, *μία θεότητα*; tum quia unum est Regnum, unumque Imperium, *μία βασιλεία, καὶ μία ἀρχὴ*. Postremò denique Epiphanius in Expositione Fidei Catholicæ confiteri nos ait *Trinitatem quæ semper sit, neque ullius accessionis egeat, neque quidquam in sese inferius habeat; quæque ad singularem unitatem, unicumque Dei ac Patris principium referatur. εἰς μίαν θεότητα, καὶ μίαν ἀρχὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἀναγομένην.* num. 14. pag. 1091.

XIII. Percunctantibus cur Joannes in ipso Evangelii sui exordio statim ad secundam causam, ad Filium accesserit, prætermissa prima causa, seu Patre: respondet Chrysostomus, Catholicis solemne esse nihil primum, nihil secundum in Deo dicere, quòd & numero & tempore omni superior sit Deitas; sed Patrem confiteri à

nullo

nullo esse, Filium à Patre esse; de Patre verò fuisse ibi Joannem, quòd notissimus ille jamdiu esset omnibus, sin minùs ut Pater, certè ut Deus; at Filius à plerisque nesciretur. *At si quis ambigeret, quid tandem prima omissa causa, ad secundam quamprimum transit? Primum quidem & secundum in hac re dicere pretermittamus. Non enim nostra hac. Nam & numero & omni temporum consequentia Divinitas prior est & superior. Quapropter his omissis Patrem à nullo esse, Filium à Patre genitum confiteamur. Rectè, inquit, verùm quonam pacto nulla habita Patris mentione, de Filio sermonem aggreditur? Quoniam omnibus Patrem esse constabat, si non ut Patrem, saltem ut Deum; Unigenitus autem ignorabatur.*

Chrysost. Hom. 1. in Evan. Joan. pag. 11.

Huc referenda sunt & illa Synesii de Patre, seu de abysso, de Filio inde prodeunte, ut ex abysso luminis, de Spiritu sancto indidem lucente, cùm unus sit fons, una radix omnium, in silentio supra omnes naturas creatas. *Ulteriora beatum silentium intelligentium & intellectilium individuam divisionem regit. Unus fons, una radix, ter splendens elucet forma. Ubi enim profunditas Patris, ibi etiam illustris Filius, viscerum ingens partus, sapientia mundi opifex, conciliatrixque lux sancti elucet Spiritus. Unus fons, una radix bonorum tulit copiam.* Et cùm pauca de Angelis attigisset, rursus hæc de Deo, de Patre maximè canit: *Cuncta verò ex tuo consilio pendent: tu autem es radix præsentium, præteritorum, futurorum, eorum quæ sunt. Tu Pater, tu es Mater. Tu mas, tu fœmina: tu vox, tu silentium, natura fœcunda. Tu ô Rex, seculi seculum, quantum id quidem fas est voce testari. Longum salve radix mundi, longum salve centrum rerum, unitas divinorum numerorum substantia carentium Regum. Longum salve, longum salve, quia penes Deum gaudia.*

Synesius pag. 156. Hymno 3.

XIV. Ex Dionysio illud unum hìc referam, quod ab eo pronuntiatur adversùs eos qui duo Principia constituebant, tam præposterè, quàm si numeros auspicari voluissent à dualitate. *Nulla enim dualitas principiat; sed unitas erit principium omnis dualitatis.* Πᾶσα μὲν δυὰς ἐκ ἀρχὴ, μόνας δ' ὅτι πάσης δυάδος ἀρχή. Ad Patres id potissimùm spectat; unde Pachymeres: *Unus enim fons est supereſſentialis Deitatis, Pater.* μόνη γηγὴ τῆς ὑπερ οὐσίαν θεότητος ὁ πατήρ. Sed ejusdem Pachymeris rursus luculentissima sunt ista, ubi & Patrem Fontalem nominat Divinitatem, & Filium ac Spiritum ejus esse ait veluti flores, germina, ac lumina supereſſentialia ab eo fusa. *Veneranda sacroque favore digna sunt sancta Trinitatis nomina: quoniam Pater est Divinitas fontalis, Filius verò sanctusque Spiritus sunt quedam germina ac flores, ac lumina supereſſentialia. Germina quidem, ex visione olivarum Zachariæ: lumina verò, ex Epistola Jacobi fratris Domini, qui de Patre luminum mentionem facit. Hæc itaque nomina à Scripturis sacris accepimus: quonam autem pacto sese habeant, neque eloqui, neque intelligere valemus.*

Dionys. de div. Nom. c. 4. p. 230.

Pach. in c. 2. de div. nom. n. 4. & 7. pag. 416.

In Dialogo secundo de sancta Trinitate apud Cyrillum Alexandrinum hæc leguntur rei nostræ & doctrinæ valdè accommodata, ut intelligatur unitas Deitatis in tribus Personis à Patre omnium fonte repetenda esse. *Supremam etenim radicem ultra quam omnino nihil est, Patrem esse censebis; eum autem qui ex suprema radice prodiit, ac genitus est, Filium esse fateberis, non perinde ac res creatas in tempore productum: neque porro minus quàm Patris natura sua naturæ decus exerentem; sed simul coæternum, & in omnibus Patri æqualem, excepta hoc uno quod genuit. Idoc enim soli Deo ac Patri convenit. Sanctum porro Spiritum dices eum qui ex Deo Patre per Filium promanat naturaliter, & instar spirationis quæ procedit ex ore, suam nobis existentiam manifestat: atque ita claram & inconfusam trium hypostaseon in propriis ac peculiaribus existentiis servans proprietatem, unam & consubstantialem universorum reginam adorabis naturam.*

Cyrill. Alex. To. 5. Par. 1. p. 432. 433.

Huc quoque pertinent illa Damasceni: *Quapropter neque tres Deos dicimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sed unum potius, sanctam Trinitatem, Deum Filio & Spiritu sancto in unam causam, Patrem videlicet, relatis non compositis, neque conjunctis secundùm Sabellii contractionem. Uniuntur enim, ut diximus, non quòd confundantur, sed quòd in se invicem habeant discretionem absque quacumque concretione & commixtione.*

De Fide Orthod. l. 1. c. 8. pag. 41.

Ubi vides, ne tres Dii dicantur, etsi tres Personæ sint in Deo, id ex eo fieri, quòd ad Patrem ut in unum suum Principium referantur Filius & Spiritus sanctus. Quod rursus idem declarat exemplo Solis, radii, & lucis: *Quemadmodum autem ex Sole radius & splendor: ipse enim fons est & radii & splendoris; at per radium nobis splendor tribuitur, & ipse est qui illuminat nos, & participatur à nobis.*

Postremò denique idem Damascenus menti se & stylo accommodans antiquiorum Patrum, ac potissimùm Nazianzeni: *Quando enim unam ex his substantiis intelligo,* μίαν ὑποστάσιν, *eam ut perfectum Deum cognosco, & perfectam substantiam; cùm verò conjunxero & connumeravero tria ista, unum quoque perfectum Deum cognosco. Non enim composita res est Deitas: sed in tribus perfectis unum perfectum, & indivisibile, & incompositum.*

L. 1. c. 8. p. 52.

CAPUT VIII.

Ex Patribus jam Latinis declaratur tres in Deo Personas unum esse Deum propter unitatem principii, ab uno Patre manantibus Personis aliis.

I. Ex Hilario Pater & Filius, unus Deus, non duo, quia non duo Innascibiles, non duo Unigeniti.

II. Idem ex Ambrosio, ob unitatem tum principii, tum naturæ, Patrem & Filium non duos esse Deos, sed unum.

III. Ex eodem cùm in qualibet Persona divina & plenitudo & unitas sit, una est Trium divinitas.

IV. Ex eodem una vita, una sapientia Pater & Filius, à Patre in Filium.

V. Ex Augustino non ita procedit à Filio solo Spiritus, sicut Filius à solo Patre; sed ambo à Patre, ut unum sit Principium in Deitate.

VI. Ex Zenone Veronensi tota plenitudo Patris in Filio est, & à Patre in eo est: ideo ambo unus Deus.

VII. Ex Mario Victorino ut Pater major sit, & tamen æqualis sit ei Filius.

VIII. Ex eodem Victorino confirmatur tota superior doctrina.

IX. Ab Hugone Etheriano diluitur objectio Græcorum, quomodo non sint duo Principia Spiritus sancti Pater & Filius, si ab utroque ille procedit.

I. AD Latinos jam Patres gradus moliendus nobis est, ut eandem & ab ipsis hauriamus doctrinam de tribus Personis in unum Deum censendis, tum propter naturæ individuam unitatem, tum ob Monarchiam Patris, non sine Sapientia, non sine Charitate sua hypostatica regnantis. Prodibit ante alios Hilarius, qui ita docet: Etsi Deus sit Pater, etsi Deus sit Filius, nefas ta-

fas tamen esse duos credi, vel dici Deos, propterea quòd non duo sint Innascibiles, non duo Unigeniti, sed unus Innascibilis, unus Filius, unus ex uno, unus in uno, unus ad unum, unus etiam unitate substantiæ & divinitatis. Ac si dicas duos fore Deos, si duo essent veluti fontes, & duo inde manarent amnes: sed cùm fons sit unus, & unus ab eo amnis emanans, duo utique unum sunt. *Ut intelligeremus per id quod unus innascibilis Deus est, non adimi unigenito Deo posse, quod Deus est. Deus enim uterque unus est, non ut unus divisus in duos sit, aut uterque ipse sit, ut nuncupatio sola fecerit Patrem & Filium, non natura gignendi: sed idcirco Deus unus, quia neque duo Innascibiles, neque Unigeniti duo, sed unus ex uno, & ambo unum, non dissimili scilicet aut differenti à se substantia divinitatis in utroque.* Et rursus idem alibi: *Nobis autem secundùm Apostolum unus Deus, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Unus ex uno, Deus ex Deo est. Non recipit alterum innascibilis, ut duo sint, nec admittit quod est unus Unigenitus, ne Deus sit. Non sunt duo innascibiles, non sunt duo Unigeniti. In ea autem unusquisque quod est, unus est: dum parem nec Unigenitus habet, nec innascibilis admittit: neque unigenitus Deus ex alio, quàm innascibili Deo subsistit.*

Hilarius in Psal. 122. pag. 995.

In Psal. 114. pag. 1072.

Ita ille luculenter demonstrat, idem esse innascibile, atque primum principium; utque duo non possunt esse prima principia, ita nec duos esse innascibiles, adeoque nec duos Deos. Tunc enim demum duo essent Dii, si duo essent, vel innascibiles, vel prima principia. Quippe qui innascibilis est unigenitum generat, suam illi naturam, non innascibilitatem infundit: ex quo fit ut unus cum eo Deus sit, propter unam naturam divinam, in Patre ingenitam, in Filio genitam, hoc est Filio à Patre communicatam; in seipsa simplicissimè unam & absolutissimè insecabilem, cùm ipsissima sit unitas & simplicitas.

II. Ab his non recedit Ambrosius, qui Filium similem, æqualem, unum cum Patre Deum esse probat, ex eo quòd ejus imago sit, totum ex toto exprimens, & paternæ substantiæ unitate signatus. *Et tu Eunomiane dicis, quia dissimilis est Patri Filius? Nam si imago; non dissimilis utique, sed totum ex toto exprimens Patrem quem Pater substantiæ suæ unitate signavit.* Et alibi: *Dixit Dominus Domino meo: sed non duo Domini, sed unus Dominus; quia & Pater Deus, & Filius Deus, sed unus Deus: quia Pater in Filio, & Filius in Patre. Unus Deus, quia una Deitas.* Et non multò pòst: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Unde mirabiliter Apostolus, ne duos Deos diceret, aut duos Dominos nominaret, aut derogaret vel Filio, vel Patri: Unus, inquit, Deus Pater, ex quo omnia: & unus Dominus Jesus, per quem omnia. Nam qui Deus, & Dominus: & qui Dominus, Deus. Denique scriptum est, Scitote quia Dominus ipse est Deus noster. Omnia ergo quæ Pater habet, & Filius habet. Deus Pater secundùm generationis rationem: Deus Filius secundùm imaginis unitatem. Dominus Filius, quia omnia sibi quæ potest Pater, subjecit: Dominus Pater, quia radix est Filii. Sic nobis Pater in Filio personarum definitione distinguitur, potestatis unitate connectitur. Itaque alter in altero, & unus in alterutro. Nam sicut Patris gloria est, si non degeneravit in Filio: ita & Filii gratia, si Pater videtur in Filio. Ergo non degener, in quo unitatis summa majestas: non alienus, in quo proprietas generationis expressio veritatis est.* Deus ergo unus Pater & Filius, quia Pater in Filio, Filius in Patre, non quomodocumque, sed unitate naturæ; qua Pater Filium signat, donatque non aliter quàm generando; sed & cum illa sit *unitas summa majestas*, non potest illa à Patre in Filium propagari, quin utriusque natura sit ipsissima unitas, quæ nullo prorsus modo potest in dualitatem degenerare. Denique cùm Pater *radix* sit *Filii*, hinc duo illa efficiuntur, quæ suprà à Græcis Patribus inculcata sunt, unam esse utriusque Deitatem, tum quòd Filius ipsammet Patris substantiam accipiat, tum quòd ad Patrem ut ad radicem, ad fontem, ad principium suum referatur.

Ambrosius Hexam. l. 4. c. 7.

To. 1. pag. 41. To. 2. p. 252.

In Evang. Luc. l. 10.

III. Rursus alibi idem Ambrosius unitatem trium hypostaseon ex Scripturis primùm, & ex forma Baptismi demonstrat; tum deinde ex unitatis opulentia, quam rationis & naturæ ipsa lux declarat maximè propriam esse Divinitatis naturam. *Unum ergo Deum, non duos, aut tres Deos dicimus, ut impia Arrianorum hæresis dum criminatur incurrit. Tres enim Deos dicit, qui divinitatem separat Trinitatis, cùm Dominus dicendo: Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, unius esse Trinitatem potestatis ostenderit. Nos Patrem & Filium & Spiritum sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta & plenitudo sit divinitatis, & unitas potestatis.* Et aliquantò pòst: *Est enim plenitudo divinitatis in Patre, est plenitudo divinitatis in Filio, sed non discrepans, sed una divinitas. Nec confusum quod unum est, nec multiplex quod indifferens. Etenim si omnium credentium, sicut scriptum est: Erat anima una, & cor unum: Si omnis qui adhæret Domino, unus Spiritus est, ut Apostolus dixit: Si vir & uxor in carne una sunt: si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus: si hoc de humanis Scriptura dicit, quia multi unum sunt, quorum nulla potest esse cum divinis comparatio: quantò magis Pater & Filius in divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ, nec voluntatis ulla est differentia? Namque aliter quomodo unum Deum dicimus? Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.* Duo maximè ab Ambrosio hìc commendantur Divinitatis insignia, unitas & plenitudo. In Patre ergo Deo ita unitas est, ut sit & plenitudo, adeoque quæ Filium ex se profundat; est in Filio plenitudo paternæ naturæ, sed est & unitas; cùm & ipsa plenitudo in unitate sit, & unitas summa summam plenitudinem præ se ferat. Si unitas enim in naturis creatis, plures res copulat: & quantò plures copulat, tantò admirabilior ipsa est: quid divina unitas? Plures utique & hæc hypostases devincire potest, sed tam arctè & indivulsè, ut nullus ibi numero superstit locus: *Quia unitas numerus non est, sed omnium ipsa principium est.*

To. 3. par. 4. l. 1. De fide. c. 2.

IV. Vide autem rursus ut inferiùs unam declaret esse Patris & Filii vitam; quia eadem ut Divinitas, ita & vita in Patre est atque in Filio, & à Patre est in Filio; cùm natura ipsa Divinitatis vita sit. Vivit enim Deus eructando Verbum suum, explicando sapientiam suam; vitam vivit, quæ ipsa sapientia est. Deo enim idem est esse, ac vivere; idem est vivere, ac sapere, & sapientiam ex se suam fundere & propagare; ut hæc sapientia Dei vita est, ita & natura ejus est. Ita perspicuè una Patris & Filii vita est, una sapientia, una natura, una Deitas. Deus suo sibi proprio modo vivit, intelligit, sapit; hoc perinde est ac si dicas ipsum vitam, verbum, sapientiam ex se in se suam propagare, & sapientiam, verbum, Filium generare. Filio hæc à Patre accipere, perinde est ac ab eo nasci. Ita utriusque una est vita, una sapientia, una natura individua, in Patre generans, in Filio genita. Nec enim potest vivere, vel sapere Deus, quin vitam ex se & in se suam, sapientiam suam fundat. At hæc vita, hæc sapientia una est in Patre, qui

vivit

vivit & ſapit; & in Filio, qui hæc ejus vita & ſapientia eſt. Ita teſte Ambroſio Radix Filii, Fons Filii Pater eſt, & utriuſque natura ac divinitas una eſt, quia etſi non unus idemque eſt Pater & Filius, unum tamen idemque eſt Pater & Filius, quia una eſt utriuſque vita & ſapientia; quæ vivit & ſapit, Pater; qua Pater vivit & ſapit, Filius. *Sicut enim Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo. Dedit per unitatem, dedit non ut auferat, ſed ut clarificetur in Filio: Dedit ut complaceat: Dedit non ut Pater cuſtodiret, ſed ut Filius poſſideret. Sed objiciendum putant quod dixit: Ego vivo propter Patrem. Utique ſi ad divinitatem referunt, propter Patrem vivit Filius, quod ex Patre Filius eſt; propter Patrem, quod unius ſubſtantiæ cum Patre; propter Patrem, quod eructatum eſt Verbum ex Patris corde, quod ex Patre proceſſit, quod ex Paterno generatus eſt utero, quod fons Pater Filii eſt, quod radix Pater Filii eſt.*

Eadem l. 4. c. 8. pag. 129.

V. Audiendus nunc Auguſtinus ad unitatem & ipſe Principii revocans complura eorum quæ de Filii & Spiritus ſancti unitate cum Patre dicuntur. Ad id enim etiam ſpectare putat, quod non doceant Scripturæ Spiritum ſanctum à Filio procedere, & ipſum Filium à Patre; ſed utrumque à Patre procedere, ut unum ſit Principium Pater, unitatis ſummæ vertex in ipſa Divinitate. *Ne putetur quaſi per quoſdam gradus ſic de illo eſſe Spiritus ſanctus, quomodo ipſe de Patre, cum amba de Patre, ille naſcatur, ille procedat. Quæ duo in illius naturæ ſublimitate diſcernere, omnino difficile eſt. Ergo ne hoc putaretur, ut dixi, continuò ſubjecit: Omnia quæ habet Pater mea ſunt; Propterea dixi, de meo accipiet. Ita ſine dubio intelligi volens quod de Patre accipiat. Sed ideo de ipſo, quia omnia quæ habet Pater, ipſius ſunt: Hæc autem non eſt diverſitatis naturæ, ſed unius principii commendatio.* Et alibi idem Auguſtinus: *Satis notum eſt rectè credentibus, vel etiam ut poſſunt intelligentibus, & illud ideo dictum eſſe de Patre; Ipſe facit opera, quod ab illo ſit etiam origo operum, à quo eſt exiſtentia cooperantium perſonarum; quia & Filius de illo natus eſt, & Spiritus ſanctus principaliter de illo procedit, de quo natus eſt Filius, & cum quo illi communis eſt idem Spiritus.*

Auguſtin. Tom. 6. pag. 214. Conc. Serm. Arianor. c. 23.

Serm. 23. de Verbis Dom. c. 16. Tom. 10. pag. 93.

VI. Luculenta ſunt in hanc rem hæc quoque Zenonis Veronenſis Epiſcopi verba; ſi certus is author eſt Sermonis, quo illuſtrantur hæc Paulinæ Epiſtolæ verba, *Cùm tradiderit Regnum Deo & Patri*. Ita enim ille habet, ut declaret totum, toramque plenitudinem à Patre, itemque à Filio poſſideri: unius eſſe quod amborum eſt: utriuſque eſſe, quod unius eſt; in Filio Patrem eſſe, in Patre Filium, unitate naturæ, charitate voluntatis, quæ ipſamet natura eſt; unum eſſe utriuſque regnum; unam æternitatis & omnipotentiæ ſubſtantiam, cùm hæc ipſiſſima ſit Dei natura, unam æqualitatem, unam majeſtatem, unum in tribus lumen; nihil minùs eſſe poſſe in Filio, quàm in Patre, quia Patris plenitudo Filio infuſa eſt. Ita ubique ſonat & naturæ individuæ unitas, & Patris Principatus, ſive innaſcibilitas, qua ſuam ille ſibi habet, eandemque Filio infundit plenitudinem. *Totum Pater, totum poſſidet Filius, unius eſt quod amborum eſt, quod unus poſſidet, ſingulorum eſt, Domino ipſo dicente, Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt. Iterum, Pater, omnia mea tua ſunt, & tua omnia mea: quia Pater in Filio, & Filius manet in Patre: cui affectu, non conditione: charitate, non neceſſitate, decorè ſubjicitur: per quem Pater ſemper honoratur. Denique inquit, Ego, & Pater unum ſumus. Unde non diminutiva, ſed religioſa, ut dixi, ſubjectione eſt Filius Patri ſubjectus: cum quo originalis, perpetuique regni una poſſeſſio: coæternitatis, omnipotentiæque una ſubſtantia: una æqualitas: una virtus majeſtatis auguſtæ: unito in lumine una dignitas retinetur. Si quid enim Filio detraxeris, ad Patris cujus habet totum, injuriam pertinebit: nec eſt in illo aliquid, quod ſit inferius; quia ſicut Pater, nec plus poteſt habere, nec minus; alter enim in alterius plenitudine infuſus eſt: ut ſit omnia in omnibus Deus benedictus Pater in Filio, Filius in Patre cum Spiritu ſancto.*

Bibl. Patr. Tom. 2. Pag. 614.

Nec minùs pulchra ſunt, quæ mox idem habet in ſermone ſecundo de Æterna Filii Dei generatione: ubi ait Patrem, ante omnia fuiſſe unum, æternaliter ex ſemetipſo in ſemetipſum Deum, ſecreti ſui ſolum ſibi conſcium: ex ejus ore prodiiſſe unigenitum Filium, cordis ejus nobilem inquilinum; non ibi ſummi Principii fœcunditatem conſtitiſſe, ſed rerum naturam ex ſe extra ſe per eundem Filium effudiſſe, utpote qui ejus eſſet & virtus & ſapientia: tam illi naturæ unitate conjunctus, quàm ſapientia ſapienti, potentia potenti conjuncta eſt: tam perſonæ proprietate diſtinctus, quàm Filius verus & veritas à Patre diſtinctus eſt, vero & ipſa veritate. *Sicut ſacra Scriptura teſtatur, erat ante omnia manens unus, & idem æternaliter ex ſemetipſo in ſemetipſum Deus, ſecreti ſui ſolus conſcius; cujus ex ore ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus: exinde viſibilis effectus, quia humanum genus viſitaturus erat, aliàs æqualis in omnibus Patri: quidquid enim Pater præcepit, ut fieret, Filius, utpote Dei virtus Deique ſapientia, omnia illa opera mirifico ejus dicto complevit.* Suo infrà loco purgabimus Zenonem iſtum ab aſperſis ei ſuſpicionibus.

Ibidem pag. 416.

Infrà c. 41. n. 5.

VII. Ex Mario Victorino Afro plura alibi decerpam ſuo ſeparatim capite; hic non pigebit pauca hæc prælibaſſe, quibus antedicta firmentur & illuſtrentur. Sic ergo ille libro primo contra Arium: *Non diceret, Me major eſt Pater, niſi fuiſſet æqualis; accedit etiam, ſi totus ex toto, & lumen ex lumine, & ſi omnia quæ habet Pater dedit Filio: omnia autem ſunt, & ſubſtantia, & poteſtas, & dignitas, æqualis Patri, ſed major Pater, quod ipſe dedit ipſi omnia, & cauſa eſt ipſi Filio, ut ſit, & ut iſto modo ſit. Ad hoc autem major, quod actio inactuoſa: beatior enim quæ ſine moleſtia, & impaſſibilis, & fons omnium quæ ſunt, requieſcens & perfecta, & nullius egens: Filius autem ut eſſet, accepit, & in id quod eſt agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur.*

Bibl. Patr. Tom. 4. pag. 4.

Mirum fateor, ſed veriſſimum tamen illud eſt, his ipſis Chriſti verbis, ubi Patrem majorem prædicat, ſeque Patri ſubjectum profitetur, certiſſimam Filii & Patris æqualitatem declarari. Nec enim dixit, Dominus, vel Creator major me eſt. Patris enim nomine & veritate retinetur æqualitas, cùm tota retineatur in Filio natura Patris divina, quæ nec ſeipſa major, aut minor eſſe poteſt; ſed ſemper ſui ſimilis, ſibi par, ſibi una, & ſumma unitas eſt. Cùm ergo non poſſet non eſſe æqualis, immò eadem & una in Patre & Filio natura, ſubſtantia, poteſtas, dignitas; ita Filio major eſt Pater, ut minor non poſſit ipſo eſſe Filius. Eſt ergo eo tantùm major Pater, quo Pater, quo ipſe omnia dedit Filio; & ut familiariùs Græci quàm Latini Patres loquuntur, cauſa eſt, ut ſit, & iſto modo ſit; ex quo rurſus æqualitas demonſtratur. Nam ſi inæqualem Pater Filium genuiſſet; non omnia ei dediſſet; ſi omnia dedit, dedit & æqualitatem. Æqualis eſt ergo Filius Patri, ſed ita ut ab eo hanc ipſam æqualitatem acceperit.

VIII. Jam verò quod ſubjicit Victorinus, ſapit illud quidem nonnihil doctrinam & verba Platonicæ Philoſophiæ; ſed & facilè tamen conciliari poteſt cum Catholica, tum fide, tum Theologia;

gia ; quando apud sanctos Patres Arium impugnantes integra semper viguit Victorini fama, & orthodoxæ doctrinæ laus. Dici ergo ab eo potuit Pater *actio inactuosa, beatitudo sine molestia, impassibilis, fons omnium quæ sunt, requiescens, à se perfecta, & nullius egens* : quia & *actio* est, dum Filium generat : & *inactuosus* est, dum à nullo principio ulteriore effluit ; *Beatitudo sine molestia*, qua primum principium suum sibi est, & in seipso requiescit ; quòd perfectio summa, & omnium perfectionum fons sit, à seipso habet ; non quia seipsum ita gignit, sed quia incommutabiliter & innascibiliter ita est ; quocirca & impassibilis esse, & nullius egere singulariter dicitur, quia à nullo procedit : at Filius etsi non egeat, etsi sit & ipse impassibilis, à Patre tamen accipit : in id quod est, & quod agit, non à seipso, sed ab actione, à generatione paterna procedit ; perfectio summa est, sed in eam venit, dum generatur ; plenitudo omnimoda & paternæ plenitudini par est, sed non à seipso, sed motu, hoc est, nascendo à Patre, plenitudo efficitur. *Semper plenitudo & semper receptaculum* ; mox ibidem subjicitur.

Eodem pertinent & ista mox ibidem : *Quod omnia Tria Unum, Pater non silens silentium, sed vox in silentio ; Filius jam vox, Paracletus vox vocis*. Natura quidem ipsa divina, Deus in seipso spectatus, Silentium haud dubio dici potest, & dici potuit tum à Philosophis antiquis, tum à nonnullis sanctorum Patrum. At Pater Deus jam & silentium dici debet, quà Deus innascibilis ; & non silens, quà Pater est, & Verbum Filiumque gignit, dicit, loquitur ; est igitur vox in silentio. Jam verò Filius vox est, quia Verbum, Sermo, λόγος est Patri comparatus, cujus Verbum est : & rursum vox est Spiritui sancto comparatus, quia illum ex se fundit, loquitur, dicit. Denique Spiritus sanctus vox vocis est, quia à Filio, vel à Patre per Filium procedit dicituruque ; unde & Verbum Verbi non semel dictus est à sanctis Patribus.

In his planè perspicis, & propter unitatem naturæ tria unum esse, & propter unitatem Principii. Una est enim natura vocis, vox Pater, vox Filius, vox Spiritus sanctus : sicut una lux, una veritas, una Deitas. Etsi enim in natura corporea duo quædam sint, vox & lux, verbum & lumen, loqui & lucere ; in natura tamen intellectuali, & multò magis in divina id totum unum idemque est. Porro unus primordialiter Pater, qui & lumen & lumen ex lumine ex se effundit, Filium & Spiritum sanctum ; & vocem & vocem vocis, Verbum & Verbi Verbum, Filium & Spiritum sanctum loquitur. Unde mox ibidem : *Ergo Spiritus à Christo accipit, ipse Christus à Patre, & idcirco Spiritus à Patre. Omnia igitur unum, sed à Patre.*

IX. Una supereſt, quæ hìc solvatur objectio Græcorum adversùs Latinos, in famosis illis inter utrosque concertationibus de Processione Spiritus sancti à Patre, an à Patre & Filio, an à Patre per Filium. Si enim diceretur à Patre & Filio procedere Spiritus sanctus, urgebant Græci, ergo duo esse Principia : nec unitatem semper principari, & quandoque saltem dualitatem, à quo communis & Philosophorum consensio & Theologorum abhorrebat. Adversùs Græcos calamum strinxit Hugo Etherianus, & objectionem solvit, qua impeti illa etiam possunt, quæ jamdiu hic à nobis disputantur, de revocandis omnibus ad unitatem Principii. Scribebat hic Author sub Alexandro III. Papa & Emmanuele Comneno Imperatore. Sic ergo ille proponit objectionem & verba Græcorum : *Quare omnis erit, quæ in rebus perspicitur unitas ex dualitate, & dualitas principium unitatis : quod est inconveniens, & communi contrarium conceptioni : secundùm quam unum omni & unitas dualitati, ac omni præponitur numero, quia unitas principium dualitatis est, & omnis numeri.* Responsio autem Hugonis ita habet : *Non enim simpliciter aliqua duo sunt Pater & Filius, ex quibus Spiritus sanctus provenit. Nam neque duæ res propriè sunt, sed una : neque duæ substantiæ, sed una : neque duo principia, sed unum ; neque duo Dii, vel Domini, vel Sancti, sed unus Deus, unus Dominus, unus Sanctus. Unde patet quod secundùm quid duo dicuntur, Pater & Filius : veluti duæ personæ, duæ hypostases ; igitur cùm hæ duæ personæ non sint duo principia, neque duo simpliciter, manifestum est, quidquid ab istis provenit, ex duobus minimè prodire principiis, posito concesso Spiritum sanctum ex utroque procedere. Atque ideo impossibile est colligi duo principia esse Patrem cum Filio.*

Illud ipsum est, quod à Græcis peræquè & Latinis Patribus inculcatum est, verissimè & certissimè dici, quod sint tres, quod sint tria in Trinitate ; sed quid tres, quid tria, aut difficillimè, aut omnino dici non posse. Sive enim res, sive substantias, sive principia dicas, dici non potest, quod tres, vel tria sint in Deo. Enimverò nec dici potest, quod sint tres duove, sive Dii, sive Domini, sive Sancti. Ex eo concludit Hugo tres vel tria non dici ibi simpliciter, sed secundùm quid tantùm ; hoc est, ut equidem interpretor, ad aliquid : nec aliter enim vel Personæ, vel Hypostases sunt, quàm relativæ. Quidquid enim absolutum ibi est, unum est ; solæ relationes multiplicantur ; itaque cùm divinitas una & eadem referatur, ut Patris ad Filium, ut Filii ad Patrem, ut Patris & Filii ad Spiritum sanctum, & vicissim ut Spiritus sancti ad utrumque : hinc, ut existimo, tradit Hugo duos vel tres non dici, nisi secundùm quid : quòd una sit simplicissima natura divina, quæ ad seipsam refertur, ut genita ad ingenitam, ut ingenita generansque ad genitam, ut procedens ad principium hujus processionis : ut persæpè loquebantur Patres antiqui, abstracta à concretis vocabula minùs secernentes. Quo nihil intelligi potest incomprehensibilius, nihil dici ineffabilius, nihil sentiri amplius & magnificentius ad plenitudinem & opulentiam unitatis divinæ. Nimirum ut ita salvo & sospite intaminatæ Unitatis sacramento, ad seſe multipliciter referatur Deus, in seſe retorqueatur, ex seſe fluat, & in se refluat, unitatis non sectione quavis, sed magnitudine & infinitate.

Addit Hugo exemplum Conditoris ; ut enim creationis mundi principium est Pater, est & Filius ; nec duo tamen sunt Principia : ita & processionis Spiritus sancti : *Ecce manifestum est quod Pater condit, & Filius, non duo Conditores, non duo Principia, non duæ causæ, sed una causa consistunt. Cùm igitur creaturarum non sint duo principia Pater & Filius, neque duæ causæ : multominùs sancti Spiritus ratione ab eis differentis & æqualiter utriusque existentis, duæ causæ seu Principia duo censebuntur.* Ibid. c. 6. pag. 44.

Bibl. Patr. Tom. 9. pag. 440. l. de hæresibus, quæ &c. l. 1. c. 3. & 4.

CAPUT IX.

An dici possit Deus seipsum gignere, à seipso nasci.

I. Negat Augustinus dici posse, quòd seipsum Deus genuerit ; solvitur objectio ex eo petita.

II. Negat & Hilarius.

III. Prolixiùs de eodem ex Hilario.

IV. Luculentissima Zenonis verba, alicubi tamen humaniùs interpretanda.

V. Duriora in hanc ipsam rem Victorini verba. Un-

ba. Unde data occasio illi, ut diceret Filium sese generasse.

VI. De eodem, quàm non potuerint Platonici diutiùs in eo dogmate herere, Filium à Patre non gigni, sed ultrò ab eo prosilire.

VII. Quomodo Deus Actus purus, & Operatio dicatur quandoque, nec tamen seipsum gignere dici possit.

VIII. Nec id patitur dici Epiphanius, quod Deus sui causa sit.

IX. Negat etiam Nazianzenus à seipso gigni Patrem. Explicatur Nyssenus, ubi ait Deum velle id quod est, esse quod vult.

X. Synesii doctrina in hanc rem; ut laudandus, ut alicubi excusandus ille sit.

I. MUlta perstrinximus superioribus Capitibus, quæ in hanc videantur nos adducere potuisse dubitationem; An ita ingenitus & innascibilis sit Pater, ut à seipso nascatur, sicut & ab eo oriuntur duæ aliæ hypostases divinæ; An ita primum omnium principium sit, ut & sui ipsius sit; An ubi tres divinæ Personæ in unum consurgunt Deum, non ex unitate tantùm naturæ individua, sed etiam ex unitate principii, ab eo uno principio manet etiam Pater, hoc est, à seipso; An ubi vitam vivere, & sapientiam sapere suam dictus est Pater, atque ita Filium & Verbum suum ex se proferre, cùm Pater ipsa vita & sapientia ipsemet sit, qua vivit & sapit, dici possit seipsum etiam profundere? Adde quòd Scriptores Ecclesiastici hactenus nonnulli id quoque non reformidarint affirmare, Deum esse à seipso, à se nasci, suum sibi authorem esse.

Ab ea sententia non abhorruisse Augustinum posset aliquis suspicari ex his ejus verbis in Confessionibus: *Quoniam ipse est Deus; & quod sibi*
L. 13. c. 4. *vult, bonum est, & ipse est idem bonum.* Si quod sibi vult Deus bonum est, volendo ergo ipse sibi hoc bonum omne parit. Longè aliud enim id est, quàm si diceretur, Quod natura ipsa sua bonum est, id esse etiam voluntate: tunc enim voluntas obsequeretur naturæ. At ubi dicitur, Quod sibi vult, hoc ipsum esse bonum, videtur ex adverso natura obsequi voluntati.

Præstat tamen paulò aliter castigatissimi Doctoris verba interpretari, ut dixerit Deum id sibi bonum esse, quod vult, quia esse & velle, essentia & bonitas & voluntas, una eademque res illi est. Ita enim sibi non collidetur Augustinus, quando alibi expressissimis verbis docet probatque; nec Deum genuisse seipsum; sed nec de ulla natura, sive spiritali, sive corporali, dici posse, quòd seipsam genuerit. *Qui autem putat ejus*
Augustinus To. 3. pag. 71. De Trinit. L. 1. c. 1. *esse potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritalis, nec corporalis creatura. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit.*

II. Nec aliter sensit Hilarius, etsi hæc sint ejus verba: *Manet itaque ut est semper Deus,*
Hilar. pag. 931. l. 11. de Trinit. *nec profectu eget: quia id quod est, ex se ac sibi semper est.* Ex se enim esse dicitur, quidquid est, quia non ab alio est, ut Filius à Patre est, ut Spiritus sanctus à Patre & Filio, ut creatura omnis à Deo. Mentem hanc suam alibi ita de-
L. de Synod. p. 48. 363. 364. clarat Hilarius: *Non enim pars est Filius Patris, ut unus dici possit, & natus, & generans. Neque emanatio est, ut continenti fluxu, per corporalem & individuum concursum, idem ipse fluxus retentus in origine, ipsum sibi sit serie atque tractu cohærenti, origo quod fluxus: sed perfecta nativitas est.* Ubi patet non eundem posse dici natum & genitorem; quod tamen utique dici posset, si a seipso Pater nasceretur. Pater etiam non probari ab Hilario, quod insinuatum forsan alicubi superiùs fuit, ut Deus dicatur fluxus & fluvius veluti quidam, in origine sua retentus, vel ab origine sua non effluens; ita ut jam idem esset fluxus quod origo, idem à seipso fluens, à seipso nascens, Pater quà origo, Filius quà fluxus. Jure id meritoque ab Hilario explodituri. Ita enim nec perfecta esset generatio, nec nativitas; idem esset Pater qui Filius; Filius pars esset Patris. Hactenus ergo hujusmodi similitudines valere debent, ut ne plus æquo urgeantur, & ad fidei de tanto sacramento Catholicæ excidium. Umbræ & figuræ hæ sunt, quæ ut in aliquo consentiant, in multis etiam dissentient à rei veritate; qua de re infrà copiosè.

III. Paulò uberiùs alibi in eandem rem Hilarius, & emendatissimè tamen, ut ne litteram quidem faciat ullam, qua insinuet, ita Deum à seipso esse, ut eum suspicari possimus, semetipsum genuisse. *Ex eo quod fuimus in id quod sumus, conversio nos repentina demutat. Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest: demutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est, qui quod est, non aliunde est; in sese est, secum est, ad sese est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis: qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, reliquit.* In Ps. 68.

Hic enimverò tempestivum fuerat id perstringere, quòd Deus seipsum genuisset, si quid ejusmodi in animo habuisset Hilarius. Sed nihil istiusmodi sonat in his ejus verbis: *Ipse est, qui quod est, non aliunde est; in sese est, secum est, ad sese est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est.* Ne à seipso quidem dixit esse Deum, etsi tot alii dixerint, dicantque: sed elimatissimè *dicit* illum *non aliunde esse*; nec enim aliud intelligi potest, aut debet, cùm *à seipso esse* dicitur.

IV. Paulò licentiosiùs de his Zeno Veronensis Episcopus scripsit, quod tamen molliori pollice tractandum sit, ne antiquissimis Scriptoribus insidias struere videamur. Sic ergo ille Sermone 1. de Genesi: *Solus Deus est itaque principium, qui ex seipso dedit sibi ipse principium. Solus ante omnia, & post omnia, quoniam in ejus manu inclusa sunt omnia. Ecce est quod est. Solus sui conscius, quantus & qualis est.* Et non multò pòst: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium; nequid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus sancti plenitudine una originali coæternitate renitens. Quemadmodum si dicere dignum est duo maria, quæ in semet recumbunt, freta æstus alternos in unum conferente connexa; quæ licèt sui proprietate, locis, vocabulisque discreta sint: tamen trini profundi vaporis una virtus, una substantia, una est fluendi natura: nec potest incomprehensibilis communisque unda dividi magnitudo, & tamen utrumque commeando largiflua, utriusque propria, nulli privata: etenim damnum patientur ubertatis & gratiæ, si adimatur, quod una eodemque æstu alterum ex altero decoratur.* Hæc mihi quidem videntur antiquissimum sapere Scriptorem, & ipsa forsan Nicæna Synodo antiquiorem. Nec enim unius esse Authoris hos Sermones omnes existimaverim, qui Zenonis Veronensis nomine circumferuntur.

Humaniùs certè hæc interpretanda sunt, ut dicatur sibi Deus ex seipso dedisse esse principium, quia hoc ex seipso, non aliunde habet Pater; & ex seipso hoc habet, non quòd sibi hoc dederit, sed quòd hoc ipsum seipso sit & esse necesse sit; cùm non alia major aut anterior excogitari possit necessitas, quàm ut cùm alia ex aliis oriantur omnia, ad illud tandem unum primumque deveniatur, quod à nullo alio sit, & à quo cætera sint omnia. Paulò duriora sunt ista, *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum.* Et hæc quoque tamen clementer exponi æquum est, ac si dicerétur,

retur, Hæc est natura & unitas divina, quæ à seipsa id habet, non aliunde, quòd in tres Personas digesta, dispensata, ac quodammodo dilatata est. In tres enim hypostases divinam sive naturam sive unitatem dispensari ac dilatari, antiquissimi Patres nobis & jam dixere, & posthac dicent. Pater dicitur in Filium se reciprocasse, non quòd seipsum genuerit, atque ita sibi reciprocè Pater & Filius sit; sed quòd Filium ex se effuderit, in quo totus ipse, qui totus in ipso sit: in quem Pater totus, qui ad Patrem totus, quantus maximus & optimus est, referatur. Accedit Spiritus sanctus, sed ita ut & in ipso sit una eademque *plenitudo originalis*: cùmque plenitudo summa non possit esse nisi una; ne si plures sint, unicuique earum desit, quod aliis affluit: ita fit, ut in Spiritu sancto quoque sit tota & Patris & Filii plenitudo, quæ ita jam sit una trium plenitudo. Id elucidat Zeno comparatione maris, quod in duo se effundit maria, medio quodam veluti freto & disjuncta & conjuncta; cùm una & infinita eadem sit aqua trium horum marium, in se ex se effluens refluensque, sese in se reciprocans; unum mare, ob unitatem naturæ, seu aquæ: tria maria, quòd ita digesta & dispensata sit aqua. *Non potest incomprehensibilis communisque unde dividi magnitudo*; & tamen tribus illa hic vendicatur. Ejus generis similitudines minùs paulò antè videbantur Hilario arridere; sed id eo fiebat, quòd cùm illis non mediocris quoque dissimilitudo conjuncta sit, hinc illis non rarò abutebantur in sui erroris patrocinium, qui fidem Ecclesiæ oppugnabant: sed & illis in commodum Ecclesiæ utebantur sancti Patres, ad Ecclesiasticæ scilicet fidei normam revocatis.

V. Aliquantò etiam duriora sunt ista Marii Victorini, quibus tamen non dispar interpretandi clementia sit indulgenda. *A se movens Pater, à se generans Filius: sed potentia Patris sese generans Filius: voluntas enim Filius, unde enim si ipsa voluntas non est à sese generans, nec voluntas est; sed quoniam Dei est voluntas, equidem ipsa quæ sit generans generatur in Deo: & ideo Deus Pater, voluntas Filius, unum utrumque, magis autem & unum, & solum unum non counitione, sed simplicitate: progressa quidem voluntate in potentiam actuosam, non abscedente tamen à substantia propria & eadem motione: ista enim tria ibi unum sunt, substantia, motio & voluntas. Substantia Pater, juxta idipsum motio & voluntas: rursus Filius motio & voluntas, & juxta idipsum & substantia, & hoc est ὁμόουσον.* L. 1. p. 100. Bibl. Patr. Tom. 4. Part. 1. pag. 100.

A se movens dicitur Pater, quia & essendi, & vivendi primum Principium est, nec aliud est illi esse, quàm vivere, vivere non aliud quàm suo modo moveri. Eò spectant illa Christi verba, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Et id quidem facile & perexpeditum est. At non ita quod sequitur, *A se generans Filius, sed potentia Patris sese generans Filius*. Si ne id quidem nisi impatientissimè ferre potuimus, ut diceretur Pater, primum omnium Principium, sese genuisse, quo tandem animo feremus Filium dici sese genuisse? Patris est enim illum genuisse; qui nisi illum genuisset, Pater non esset. Si Filius autem sese generat, quin potiùs ipse sibi pater est, ut unus idemque sit generans genituque, idem Pater Filiusque? An potest dici Filius sese ipsum generans, & non dici sui ipsius genitor? Hanc difficultatem elevare se posse speravit Victorinus addendo, *Potentia Patris sese generare Filium*: ut jam non tam ipse sese generet, quàm à Patre generetur, cùm non generetur, nisi per potentiam Patris. Sed vel sic durum insolensque est, dici, quòd Filius sese generet potestate Patris, quasi Pater ipsum per ipsummet generet.

Non arduum tamen est divinare, unde Mario Victorino hæc inciderit cogitatio, hæc exciderit eloquutio. In id consentiebant antiquissimi Patres, in primis conducibile esse, & fidei & Ecclesiæ Christianæ in orbem universum propagandæ, ut ostenderentur hinc Judæi, hinc inter Ethnicos ipsos Platonici Philosophi nostræ de una trinaque Deitate doctrinæ rudimenta aliqua & in Traditionibus suis, & in litterarum monumentis consignasse. Cùm permagni ea res ponderis sit, de ea inferiùs suo loco dicemus. Hic verò illud monebimus, Familiare fuisse Platonicis Philosophis, ut nunc quidem dicerent Patrem genuisse, & genitum ab eo esse Verbum, Filium, Mentem, Sapientiam; nunc ipsum ultro à Patre prosiliisse dicerent Verbum, ut vulgò dicitur splendor à Sole sua sponte prodire ac exilire. Ut ita loquerentur Platonici, hac potissimùm ratione adducebantur, quòd Deum Patrem lubentissimè, & ut sibi videbantur, aptissimè cogitarent, tanquam abyssum, βύθον; Silentium, σιγὴν; quietem beatissimam, sibique sufficientissimam, nec ullo indigentem; unde nec prodeundum illi extra se esset, nec ad actionem quidem, vel motionem, vel intelligentiam & mentem; quòd hæc omnia videantur aliud quærere, alio egere, ad illud moveri, ex quo & unitati & quieti immineat nescio quod discrimen, vel umbra discriminis. Consultissimum ergo illis videbatur, ut Verbum diceretur à Patre sua sponte prosiliisse, potiùs quàm ab eo effusum genitumque esse. Ita enim ratio silentii, quietis, unitatis, simplicitatis, beatitudinis nullo indigentis, penes Patrem integra & illibata constabat, & Verbum tamen illi suum, suum lumen adnascebatur.

VI. Hæ deliciæ nimirum erant Platonicæ Philosophiæ in suis Scholis; ubi non possumus non vehementer admirari, quòd trecentis forsan & ampliùs ante Christum natum annis ejusmodi de Trinitate doctrina prælusa fuisset apud eos, qui inter Gentiles, immo & toto orbe principatum doctrinæ, & patriciæ cujusdam Philosophiæ, ut ajebat Cicero, famam & gloriam obtinuissent. Non ita tamen nos illi Scholæ applaudere æquum est, quin & alicubi illam explodamus, ut superiore Tractatu patefecimus. Non paulò igitur præstabilius fuisset, ut his argutiis in re tam gravi & tam ardua illi abstinerent. Ecquid enim tandem hoc est, esse Patrem, esse Filium, nec à Patre tamen gigni Filium? esse Patrem, qui non generet? esse Filium, qui non generetur? non gigni à Patre Filium, sed à Patre sua sponte prosilire? non lucem à Sole fundi, sed ultrò emicare? non fluvium à scatebra fontis effundi, sed ultrò inde manare? Ita scilicet fœcunditas Filio potiùs quàm Patri, fluvio potiùs quàm fonti, lumini potiùs quàm Soli adscribenda erit? Quo, oro te, quid alienius à ratione? Non satis memini, an Plato, an Plotinus disertis verbis dixerit, Filium sese generare: sed qui id dixit Victorinus, sin minùs eorum verba, certè sententiam expressit.

Ex indulgentia ergo quadam id dixerit Victorinus, ut ne à nobis abalienaret Philosophos, qui tam propè à nobis aberant, ea quidem in re, & quos tanti intererat lucrari, & per eos gentes omnes. Illa verò Victorini verba, *Si voluntas non est à sese generans, nec voluntas est*, id videntur innuere; Hoc proprium esse voluntatis, ut sese ipsa efferat, suo ipsa impetu prosiliat: si ab alio enim gignitur, non ergo ipsa sua voluntas est, sed alterius, scilicet gignentis. Verùm hæc, ut existimo, acutiùs dicuntur, quàm solidiùs; & ut ita se haberent, non tamen à Catholico dogmate dissiderent. Est enim Filius Patris voluntas, & ipse sibi voluntas est; quia etiam ut hypostasis procedit, non earum voluntatum instar, quibus Angeli hominesque quidpiam volunt. Quantò ergo & gravitatis plus habent Catholica placita, & dignitatis, quæ Patrem verè sui Verbi Patrem prædicant, & genitorem? Filium autem ge-

tem genitum & unigenitum, non generantem? Quantò verius certiùsque prædicatur à nobis Deus & quiescendo agere, & agendo quiescere: quàm si dicatur Pater quiescere, Filius agere? An Platonicis conveniebat cum Epicureis, ut summa Dei beatitudo in eo sita esset, ut quiesceret, ut nihil ageret? ut non moveretur, ne intelligendo, ne amando quidem, ne sibi quidem adgaudendo, ne nobis quidem bene faciendo? Procul ergo vel ipsi tandem hæc sua prisca & obsoleta effata emandarunt, & Christianis sese accommodaverunt Ecclesiis ac Scripturis; quas ita moderatus est Deus ipse, ut sanos & sobrios per eas nos addoceret modos de ipso & sentiendi & loquendi; quem nihilo tamen minùs, & natura & Scriptura & ratione magistra scimus, supra omnes sermones nostros esse, & supra mentes. Porrò hoc toto magisterio nobis constat, nec Deum genuisse seipsum, & Verbum suum verè genuisse, & ejus quietem ea generatione non turbari, ejus silentium eo Verbo non violari, sed propagari; ut & silentium unum & quies una sit ejus & Filii ejus unigeniti.

VII. Cùm verò in Scholis Theologicis nostris dicatur Deus esse Actus purus, ut totus actus sit, non potentia, prout potentia ab actu eam perficiente distinguitur; hinc & operatio etiam quandoque dicitur, quæ in actu semper utique est, & semetipsam videtur propagare, ubi continuatur, & ita à seipsa esse. In ea quoque doctrina modum fortasse non tenebat Scotus Erigena, unde & ejus vellicandi ansam arripuit Florus Magister & Ecclesia Lugdunensis, cujus hæc sunt verba, molestè ferentis, quòd ab eo Deus operatio diceretur; cùm ea vox, aut nunquam, aut rarissimè Deo in Scripturis tribuatur, ad quarum normam exigendæ sunt Theologorum etiam voces ipsæ. *Cùm verò Deus in se ipso, id est in substantia sua nihil operetur, sed omnis ejus operatio in creaturis, quæ non ejusdem cum eo naturæ, vel substantiæ sunt, intelligatur, quomodo rectè dici potest operatio in Deo? Et si non rectè dicitur operatio in Deo, quantò minus rectè dici potest ipse Deus operatio? Quamquam idem omnipotens Deus, sicut apud se, & in se omnia disponit; sicut apud se, & in se omnia operetur; quia ut hæc agat, non extra se utique egreditur, nec à se excedit, cujus velle fecisse est: sed ipsa potiùs, quæ operatur, vocat ad se; ut ex eo, qui summè est, accipiant esse singula juxta modum suum; & fiat quod Apostolus dicit, Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sint. Erga neque aliquid extra se operatur, qui sola & æterna voluntate, absque ullo conatu, absque ulla labore, absque ullo artificio omnia operatur. Nec iterum aliquid in se operatur, qui in sua substantiæ perfectione & æternitate nihil efficit, nihil auget, nihil minuit, nihil mutat. Nec tamen quia velle fecisse est: idea ejus velle & fecisse unum est. Quia in hoc non creatoris, & creaturæ significatur unitas, sed solius creatoris potestas.*

Vindiciæ Prædest. & Gratiæ, to. 2. pag. 602.

Si tam multa in aliis non novasset Scotus, facilè suspicamur, nihil hinc molestiæ illi creaturum fuisse Florum; cùm ipse non multò pòst confiteatur, Deum dici posse operationem, quia ipse omnia operatur; nec verò quæ ejus simplicitas est, operans & operatio, esse & operari in eo distinguuntur; ne operanti sua periclitetur simplicitas, vel ipsum ejus esse iners & ignavum videri possit, si mera quies, & non etiam operatio sit. Assentitur ergo Florus in Scripturis etiam operationem Deo tribui. Ex quo illud efficitur, ut ipsa Dei quies & essentia & beatitudo dici possit operatio, semper operans, semper actuosa, nunquam cessans; atque ita seipsam propagans, & æternans; nec tamen seipsam generans, vel à seipsa genita; ne & ipsa vel Pater sibi ipsi sit, vel Filius. Non enim Philosophi, sed Theologi, & quidem Christiani esse meditamur; quibus hoc ipsum est amplissimum & optatissimum decus, ut sapiant ad sobrietatem. Tum enim verè sapient, quando tantum sapient, quantum ipsa sapientia Deus dederit; ita ut si quid hactenus illa non dederit, non suæ tunc, sed divinæ ipsi sapientiæ inniti, & assentiri malint. *Quomodo igitur operatio in Deo, vel ipse Deus substantialiter, ut iste asserit, operatio intelligi potest? nisi fortè eo modo dicatur Deus operatio, non quod ipsum, vel in ipso aliquis, sed ipse omnia operetur. Sed quia hoc nimis est insuetum, nec de Scripturæ sanctæ authoritate sumptum, & vehementer fidei periculosum: ne fortè, cùm Deus operatio esse dicitur, juxta impium Arrianorum errorem, qui hoc de Filio, & Spiritu sancto senserunt, ab aliquo factus esse credatur: profectò cohibenda & coercenda est tantæ verbositatis præsumptio, & inter cæteras vocum novitates, sicut attentissimè admonet Apostolus, devitanda. Et tamen nos, qui simpliciter divinam operationem in operibus, & creaturis ejus intelligimus, ipsam ejus operationem plurali numero in Scripturis positam legimus manifestè Apostolo dicente, Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus, &c.* Hæc sunt Flori & Ecclesiæ Lugdunensis verba. Ibid. p. 6.

VIII. Ejusdem porro & docendi, & dicendi sobrietatis tenacissimus fuit Epiphanius, cujus hæc sunt verba adversùs Ætium, in hoc quasi æstu fluctuari gestientem, an satis verè dici posset Deus sui causa esse, seipsum genuisse. Nequaquam id ille affirmabat, sed an ita dici posset alternabat; quasi hinc aliquas Deo blandiendi occasiones aucuparetur. Vel illud ipsum autem, quòd dubitaret, aut dubitare se fingeret, iniquo ferebat animo Epiphanius. Intelligebat enim sanctus Pater merum esse commentum, ut aliqua dicatur causa sui ipsius causa esse; unde nec de Creatore, nec de creatura ulla quidquam ejusmodi dici potest. *Imprimis enim in tam altas de Deo cogitationes sese committere impietatis, vel furiosæ potiùs mentis ille fructus est. Nam cum hæc usurpas: Sui ipsius ipse causam, aut ipse ut esset contulisse: utraque illa pessima suspicione temetipsum confixisti: cum id de Deo velut palpando ac tentando perquisisti; quemadmodum fuerit, Utrumnam semper extiteris, ac num sibi ipsi ut esset tribuerit, an casu illud obtinuerit?* Et paulò inferiùs: *Nam nihil eorum quæ facta sunt, sibi ut esset contulit, quemadmodum præstantissimus ille, atque omni ex parte perfectus ab nullo initium olim habuit: eo quod nunquam esse cœperit. Semper enim extitit, existitque semper: tametsi in identitate maneat, neque sibi ut esset tribuerit. In quo non ambiguæ voces quærendæ sunt; sed sincera ac pietati consentanea adhibenda consideratio.* Ibid. p. 6.

IX. In hanc quoque descendit sententiam Nazianzenus, ubi vel maximè studet firmandæ & amplificandæ Patris prærogativæ. Principium enim illum esse demonstrat, non creatarum tantùm naturarum; quantulum enim hinc illi decus? Sed etiam Filii & Spiritus sancti, qui ne ipsi quidem natura dispares sunt. Hic certè peropportunum fuerat dicere, Sui ipsius principium esse Patrem, non Filii tantùm, aut Spiritus sancti, si quid ejusmodi opinatus fuisset. At vide quàm procul ipse sit ab ea sententia: *Nec denique Patri principii dignitatem imminuere, quam ut Pater & genitor habet. Parvorum etenim certè, ipsoque indignorum, principium fuerit, nisi Deitatis ejus, quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur, causa sit.* Quin etiam non multò pòst expressissimè negat Patrem à seipso esse: *Principii igitur expers, ἀνάρχως, est Pater: nec enim aliunde, nec à seipso esse habet. ἀ γὰρ ἑτέρωθέν ἐστιν αὐτῷ ἐξ παρ' ἑαυτὸ τὸ εἶναι.* Quo nihil apertiùs dici potuit. Nazian. Orat. 25. pag. 450.

Dixit

Dixit quidem alicubi Nyssenus Deum esse semper id quod vult, & semper velle id quod est, non unquam aliud quidquam. Sed hinc vehementer insanum fuerit id inferre, quòd volendo suum sibi det esse, quale vult. En ejus verba; Nyssenus. Orat. 3. Con. Eunomium. pag. 52 f. to. 2. *Deus autem qui est unum bonum, in simplici & incomposita natura semper ad idem intuetur, neque unquam propositi impulsionibus commutatur: sed semper vult id quod est, & quod est omnino etiam vult.* Ex his non aliud jure efficies, quàm esse Deum summum illud Bonum, cui & lubentissimè & necessariò acquieverit ejus voluntas; ut aliud esse nec velit, nec velle possit. Quod & alibi perspicuè exponit idem Nyssenus Opusculo de Anima & Resurrectione: *Quoniam igitur divina natura supra omne bonum est, ac bono bonum prorsus amicum est; idcirco cum seipsam intuetur, & quod habet, vult, & quod vult, habet, nihil externum in sese admittens.* Tom. 3. pag. 225.

X. Celebratur à Synesio in elegantissimis illis hymnis, sæpiùs laudatis jam, laudandisque posthac, *Ille ex se ortum Principium, αὐτογέννητον ἀρχὰ, gubernator paterque rerum omnium.* Sed quem fugit quantum sibi licere velit Poesis etiam sacra, ut non facilè hinc in crimen agi possit? Excusat Synesius ipse piam hanc suam audaciam, ubi de Patre ineffabili fari aggressus est, ut qui lucem inhabitet inaccessibilem, nec Angelis ipsis perviam. *O Pater propitius esto mihi, si fortè prater decorum, si fortè prater modum tua attrectavi. Cujus oculus sapiens, cujus acris acies, tuis fulgaribus præstricta non perstringetur? Intentis enim oculis intueri in tuas faces licet ne Diis quidem: sed decidens mens de tua specula proxima quæque amplectitur: non vestigabilia vestigare dum tentat, lucemque intueri immensa in profunditate fulgentem.* Hymno 1. pag. 314. Hymno 3. pag. 341.

Sensit ut existimo Synesius hanc licentiam ex pietate & religione proficiscentem facilè condonari à Patre luminum; unde & mox de illo rursus aliquantò etiam audaciùs cecinit in hunc modum: *Quid enim non tuum, ô Rex Patrum omnium Pater, Pater tui ipsius, ante Pater, sine Patre, Fili tui ipsius unitas unitate prior?* Pater Patrum omnium jure dicitur à Synesio, præeunte Paulo, qui ait ab eo omnem in cœlo & in terris & nominari paternitatem & derivari. At ubi dicitur *Pater sui ipsius, αὐτοπάτωρ*, non possumus hanc vocem facilè prætervolare. Si enim id verè dicitur, jam ergo generat seipsum; atque ita laudatis superiùs Patribus Latinis Græcisque terga vertet Synesius; & perspicuæ ipsi rationi refragabitur, quæ vetat ne quid æstimemus posse sui ipsius causam esse. Vox ergo illa *αὐτοπάτωρ* non ita vertenda erit, Pater tui ipsius, sed, teipso Pater, Pater ipse; quòd esse Patrem, esse Genitorem primumque Principium, non aliunde, sed à seipso habeat. Cæteri enim omnes quomodocunque dicantur Patres, participationem tantùm ut fœcunditatis, ita & Paternitatis assecuti sunt, non plenitudinem. At Pater Deus plenitudinem totam paternitatis & fœcunditatis obtinet; nec aliunde obtinet, quàm à seipso; non quasi eam sibi dederit, sed quòd idipsum ipse sit. Ibidem.

Non esset sanè quod ea vox nos præterea sollicitos haberet, nisi hanc aliam addidisset Synesius, qua multò operosius est, vel nos, vel ipsum expedire. *Fili tui ipsius, υἱὲ σεαυτοῦ*. Si enim sui ipse Filius est, est haud dubio & sui ipsius Pater. In re tam perspicua nefas est tergiversari, aut tricari: hoc scripsit Synesius, sed poeticè scripsit, nec in eo jam fas est austeriorem exerere censuram, quasi Poesis ad limam accuratissimæ Theologiæ exigenda esset. Concessisset ut opinor Synesius Augustino & Nazianzeno, summis utique Theologis, ejusmodi voces minùs probantibus; sed & summi hi Theologi nonnihil indulsissent carminis audaci elegantiæ & pietati. Eò quippe id tandem redit, ut quia Pater non aliunde est, non ab alio est, & ideo à seipso esse dicitur, dicatur & paulò licentiosiùs, etsi non irreligiosiùs, Pater sui ipsius, sui ipsius Filius.

CAPUT X.

Saniùs & magnificentiùs Pater dicitur Deus, quàm ingenitus. Ex Patribus Græcis.

I. Ex Athanasio quàm vox Patris anteponenda sit voci ingeniti, authoritate Scripturæ, Christi, Ecclesiæ.

II. Sepositâ etiam Ecclesiæ consuetudine, & Scripturæ authoritate, tanto præcellentius est esse Patrem, quàm ingenitum, quanto Verbum creaturis omnibus antestat.

III. Cùm creator dicitur Deus, non omnino tacetur Filius, per quem omnia creavit: at ingenitum dicere affectabant Ariani, ut Filius rebus creatis accenserent.

IV. In laude esse poterat ingeniti nomen, nisi perversitas Arianorum eo abuteretur ad Filium exauthorandum, quasi non possit qui opificii sui architectus est, idem & filii sui pater esse.

V. Confirmantur antedicta ex Basilio; qui addit Patris nomine nomen ingeniti contineri, non vicissim; qui enim omnino Pater est, non potest ab alio esse.

VI. In ingeniti nomine totam Dei naturam concludebat Eunomius, hoc est in mera negatione, quo nec fingi quidquam poterat Deo contumeliosius.

VII. Ex eodem quàm stultè Eunomius jactaret Deum à se comprehendi in uno ingeniti nomine, cum ne nomen quidem proprium Dei nobis notum sit.

VIII. Quàm stulta jactantia, in mera negatione se Deum comprehendisse.

IX. Quàm non facilè novandum quidquam sit in vocibus, in quas Scripturæ nobis præiverunt.

X. Quantum momenti esset ad retinendam fidem consubstantialitatis in nomine Patris & Filii.

XI. Ex Nazianzeno, principio carere, vel ab aliquo principio, non ea est cujusquam rei natura, sed circa naturam.

XII. Ex Epiphanio quàm splendidius Deo sit esse Patrem, quàm esse ingenitum.

XIII. Ex Chrysostomo quantum sit momenti in Patris nomine.

XIV. Ex Cyrillo Alexandrino amplius Deo est Patrem dici, quàm Deum. Quantò præstantiora de Deo docuerit Christus, quàm Moyses.

XV. Ex eodem quantò præstantius Patris nomen, quàm Creatoris. Ingenitum mera negatio est, non ergo definitio est.

XVI. Ut refellat Cyrillus Arianos, qui volebant tam Patrem dici posse Deum, antequam Filium haberet, quàm Creatorem, antequam quidquam crearet.

XVII. Ut refellat eos qui ajebant Patrem non semper fuisse Patrem, quasi tamdiu potuerit Deus carere eo, quod habet amplissimum.

I. ID Arianorum Sectæ omnes constantissimè affectabant, ut Deum Ingenitum potiùs dicerent, quàm Patrem; quo non de Filio tantùm, quem in creaturarum sortem eo deprimere moliebantur; sed & de Patre ipso, de Christianis omnibus, de Ecclesiis, de Scripturis malè merebantur. Illud enim in primis advertit Athanasius Ingeniti nomen in Scripturis non usurpari, eòque meritò suspectum videri posse, ut quod in multas possit incurrere significationes. Denique Ingeniti vocem à Gentilibus excogitatam fuisse, qui Filii Dei nomen ac fidem nunquam admisissent. Contrà autem

Patris nomen & ab ipso Christo consecratum fuisse; nec enim Patrem ipse unquam Ingenitum appellavit, sed Patrem duntaxat. Quin ne nos quidem aliter instituit, quàm ut orando compellaremus, non Ingenitum, sed Patrem: nec baptizari nos voluit in nomine Ingeniti, Genitique; neque in nomine Increati & Creati; sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quo nihil ad natales nostros secundos & meliores honorificentius fieri potuit: ut quanquam creati simus, & à summo omnium Creatore pendeamus: non tamen in nomine Creatoris baptizemur & regeneremur; sed in nomine Patris & Filii, tanquàm nobilior hæc nascendi sors, qua Christo consociamur, supra naturas creatas nos evehat, inseratque verissimo Filio & Unigenito Dei. Si nec nos autem illa Ingeniti vox deprimit, si Patris vox supra creaturarum conditionem nos evehit; quid de Christo ipso, quid de Verbo censendum? *Præterea vox illa in Scripturis usurpata non est, ac proinde suspecta, utpote quæ in se multiplicem contineat significationem: adeo ut qui ad ejus vocabuli interrogationem respondere velit, in multa animum cogitationemque circumferat. Patris contrà nomen simplex est, & familiare Scripturis sanctis & veris, Filiumque significat. Ingeniti vox ab Ethnicis, qui Filium ignorant, instituta est. Patris vocabulum à Domino agnitum est & usurpatum. Ille enim quum sciret cujus Filius esset, hæc verba proloquutus est: Ego in Patre, & Pater in me est: &, Qui vidit me, vidit & Patrem meum: &, Ego & Pater unum sumus. Neque uspiam constat eum Patrem suum ingenitum appellasse; quin quum nos orare & precari doceret: Non, inquit, quum precibus utendum, vos dicere velim, Deus ingenite, qui es in cœlis; sed, Pater noster cœlestis; eòque summam fidei vestræ tendere voluit, quum juberet nos baptizari, non in nomine geniti & ingeniti, neque in nomine conditi & increati, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Itaque quoque nos, quanquam ex creatitia natura oriundi, ad perfectitudinem progredientes, ad jus filiorum, adoptionemque proficimus, & Patris nomen dictitantes, eo ipso Verbum quod est in Patre cognoscimus.*

Athanasius Disput. 2. con. Arian. pag. 161.

II. Pergit porro Athanasius sejuncta etiam Scripturarum authoritate & Ecclesiarum consuetudine, ineluctabili etiam rationum pondere urgere Arianos, qui plus rationi quàm fidei tribuebant, ut vel suis ipsos telis conficiat. Longè præstantius ergo & magnificentius esse contendit Patris, quàm Ingeniti nomen, ac proinde amplitudini divinæ magis consentaneum. Ingeniti enim voce disjungitur Deus à rerum creatarum conditione; perinde est enim ingenitus ac increatus. Græco enim sermone genita, γενητὰ dicuntur, facta & creata omnia. Ingeniti ergo nomine rebus creatis omnibus anteponitur Deus, quo non magnoperè commendatur ejus præcellentia. At ubi Pater dicitur, Filii sibi æqualis & consubstantialis parens genitorque prædicatur, quo ad ejus incomparabilem Majestatem commendandam nihil majus, nihil mirabilius dici potest. Quantò enim Deus, Dei Filius proprius universæ creaturæ antecellit; tantò Patris nomen splendidius est, quàm vel Ingeniti, vel Dei, vel Domini. Quantò plus Filio suo unigenito oblectatur Deus, quàm servis omnibus suis, hoc est, quàm creaturis omnibus; tanto plus & delectatur ipse, & à nobis colitur, Patris, quàm Dei vel Domini appellatione. Ita enim Athanasius: *Quemadmodum autem Ingenitus ad relationem genitorum, hoc est, factorum significationem habet: ita Pater ad Filium refertur. Et qui Deum authorem, & opificem, & ingenitum nominat, ad condita creataque respicit, eaque intellecta comprehendit: atqui Deum Patrem vocat, statim quoque Filium intelligit, & ad Deum oculos intentos habet. Quocirca admiratio-*

Ibidem, pag. 160. & 161.

ni habeas eorum in impietate defendenda pervicaciam, quod quum nomen ingenitum, probam, at à me dictum est, significationem præ se ferat, sensumque suum cum pietate tueri posset, ipsi pro sua hæresi ad ignominiam Filii illud ipsum usurpent, non inscii interim, eum qui honorat Filium, honorare & Patrem: & qui dehonestat Filium, dehonestare & Patrem.

III. Quum verò ex se Filium Pater gignat, & per eum orbem universum extra se fundat; quando Pater laudatur Deus, ne illa quidem laus ejus tacetur, qua rerum omnium creatarum conditor est. Quanquam ex adverso Ariani affectatiùs & malitiosiùs illum Creatorem potiùs quàm Patrem celebrarent, quò Filium ejus ipsum inter creaturarum classes ablegarent. Ita in Patris nomine & laude laus Creatoris non tacebatur: in Ingeniti autem & Creatoris vocabulo furtim perimebatur Patris nomine & gloria. Hinc patet jure meritissimo & sacras Novi Testamenti paginas, & Christum ipsum Patris nomen frequentasse; & hac authoritatis seposita contemplatione, si quid Ariani de Deo magnificè sentire potuissent, impensiore studio Patris quàm Ingeniti nomen eos prosecutos fuisse; cùm tantò amplior gloria Deo accedat, si Filium gignat, quàm si servos: si Filium suæ consortem naturæ & gloriæ, quàm si degenerem ignobilemque. Audi Athanasium: *Si enim ullam benedicendi, aut reverentiæ Patris curam haberent, oportuit eos (quum multò potius sit & majus) Deum potiùs Patrem agnoscere & prædicare, quàm ad istum modum de eo loqui. Quum enim eum appellant Deum increatum, ex operibus creatis, quemadmodum dictum est, conditorem eum duntaxat & opificem designant, arbitrantes sese eo modo pro sua libidine, Verbum quoque esse opus, ostendere posse: quum è diverso, qui Deum Patrem appellat, ex Filio ipsum qualis sit declaret: non ignarus interim, quòd Filio subsistente, necessarium sit omnia quæ creata sunt, per Filium creata esse. Qui autem Deum increatum scribunt, solummodo ex operibus illum designantes, ne ipsi quidem Filium, ut nec Ethnici, cognitum habent.* Et mox ibidem: *Cæterùm Pater in solo Filio intelligitur & consistit. Quantum porro Verbum Dei à creatis differt, tantum quoque differentiæ est in hac appellatione, si eum Patrem nomines, ab illa, si eum Ingenitum voces.*

Ibidem pag. 161.

IV. In libello de Decretis Synodi Nycænæ contra Arianos hæc eadem propemodum omnia inculcavit Athanasius: sed & alia nonnulla habet, quæ hìc meritò inserantur. Ingeniti enim nomine ignominiam Filio inuri advertit, non ipsius vocabuli vi, sed Arianorum sensus & voluntatis perversitate. Reapse enim, ubi Deus creator dicitur Orbis universi, perinde ut cùm homo aliquis domus à se fabricatæ architectus prædicatur, non vel illi, vel huic abjudicatur filius; non abrogatur patris nomen; sed satis superque intelligitur eundem esse, & Filii Patrem, & fabricæ suæ opificem. Eo sensu per Athanasium licet etiam nunc ingenitum vocare Deum; quòd nihil eo prohibeatur, quin habeat rerum omnium opifex etiam absolutissimam in Filio, & consubstantialem sui imaginem. *Et quemadmodum ista appellationes hunc habent intellectum, ita quoque qui voluerit dicere Deum ingenitum, dicat quidem, si ita ipsius animo collibuerit, modò non ideo hoc dicat, ut Filium opinetur aliquid factitium esse; sed quia intelligat unum solummodo Deum factum non esse, ac proinde rerum à Verbo suo factarum conditorem creatoremque appellari debere. Nam quum Pater ita appellatur, nihil inde obstaculi nascitur, quominus & Verbum & imago Patris & Patri consubstantialis intelligatur.* Et paulò antè: *Non ad honorem Dei, sed ad ignominiam Filii omnia*

Pag. 416.

dicunt

dicunt & faciunt; ignari interim eum qui dehonestat Filium, Patrem quoque dehonestare. Primùm igitur non ideo quòd Deum ingenitum vocent, Filius demonstratur creatus esse; quum Filius ut substantiæ Patris sui fœtus est, ita æternaliter apud Patrem subsistat. Non enim hoc vocabulum naturam Verbi demolitur; neque vox ingenitus significationem suam ad Filium, sed ad ea quæ per Filium creata sunt, protendit. Et quemadmodum qui aliquem architectum ædificii aut civitatis nominat, non cum hoc nomine Filium ex ipso genitum includit, aut intelligi studet; sed sub vocabulo architecti indicat authorem operum nequaquam talem esse, qualia sunt opera ipsius artificio fabrefacta: ac proinde illum opificem nominat, & non ignarus qualis sit natura hic opifex, agnoscit longè esse aliud ab eo progenitum, longè aliud ab eo factum, eundemque ob Filium suum Patrem, ob opera verò architectum appellat.

V. Eadem prorsus erat & Basilii sententia, etsi satius duceret abstineri voce Ingeniti, qua hæretici in suam perniciem abutebantur. Nec illud silet, quòd ea voce nusquam utantur Scripturæ, Addit & Patris voce idem contineri, quod nomine Ingeniti, non vicissim: ac præterea Filii generationem declarari, qua nihil ad Dei gloriam amplius esse potest. Quòd autem ubi Pater dicitur Deus, etiam Ingenitus declaretur; ita probat Basilius; quòd qui verè Pater, & solus Pater est, à nullo est altero; qui autem à nullo est, utique ingenitus est. Non oscitanter illud legendum est, quod ait Basilius, ubi Deus dicitur Pater, solum dici Patrem, ita ut nec idem Filius esse possit cujusquam alterius, nec alium quemquam sinat ejusdem gloriæ & appellationis Patris consortem sibi accedere. Cumulatissimè enim & plenissimè Deus est, quidquid est: itaque & Deitatem, & sapientiam, & paternitatem ita totam unus possidet, ut præter eum, vel comparatione ejus nec Deus possit esse quisquam alius, nec sapiens, nec Pater. *Ego autem etiam ingeniti, sive innascibilis appellationem, quamvis summoperè intelligentiæ nostræ congruat; tamen quoniam nullo loco in Scriptura ipsam invenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò duxerim. Præsertim cum Patris vox & id possit quod ingeniti, & ad id etiam propter relationem conjunctam sibi notionem de Filio adducat. Qui enim verè Pater & solus Pater est, à nullo est altero: qui autem à nullo est, idem est, quod ingenitus. Non ergo magis ingenitus, quàm Pater nobis appellandus est, ne videamur prudentiores esse velle Salvatoris doctrina, qui ait, Ite & baptizate in nomine Patris: Patris dixit, & non ingeniti.*

Basilius l. 2. con. Eunom. pag. 703.

VI. Ad honorificentiam ergo Dei pertinebat, quòd Christus nunquam Ingenitum appellaverit Patrem, rarò Deum, aut Dominum, frequentissimè Patrem; quo etiam ritu & nomine voluit ut & nos precaremur, & renasceremur, tanquam & in aliquod filiationis suæ consortium ascitos. Vehementissimè autem infrà Basilius Eunomianos insectatur, qui Ingeniti nomine & notione totam Dei naturam & omnes ejus dotes ac proprietates contineri existimabant. Id nimirum moliebantur, ut Deitate Filium excluderent, cui Ingeniti nomen aptari non posset. At contrà demonstrabat Basilius, cùm tot sint Dei nomina, alia quæ de eo aliquid affirment, alia quæ negent, Ingeniti nomen unum esse hujus posterioris classis, in qua sunt & alia complura diversissimæ significationis: sicut & diversissimæ significationis sunt ea omnia, quæ affirmationes dicuntur. Etsi enim de Deo pauxillum quid capiamus, non uno tamen nomine concludere possumus, quidquid de eo capimus. Vide ut paucis Basilius affirmationes & negationes, & utriusque generis nomina in Deo distinguat; ut Ingeniti nomen negationibus includat; ut naturam, substantiam Dei, & supremam atque ineffabilem majestatem in mera negatione ab Eunomio includi, id verò summæ & imperitiæ & impietatis esse demonstret: *Ex utroque igitur appellationis modo docemur, aut de iis quæ adsunt, quòd adsint; aut de iis quæ absunt, quòd absint. Illud autem ingenitum id significat, quod non inest. Ostendit enim Deo generationem non adesse; quòd sive privationem, sive prohibitionem, sive negationem, sive quid hujusmodi uspiam velit significare, nihil interesse putabimus. Quod ergo non eorum quæ Deo insunt quidquam significat vox Ingeniti, his dictis palam, ut arbitror, patet. At substantia non est eorum, quæ non insunt; sed idipsum Esse Dei, in eorum, quæ non adsunt, numero coacervare, summæ amentiæ est. Si enim substantia in numero eorum quæ non sunt, continetur, nullatenus sanè aliud quid eorum, quæ de Deo dicuntur, Deo inerit. Demonstratum est autem his quæ absunt ingenitum connumerari; mentitur ergo qui ipsius substantiæ hanc vocem esse significativam putat.* Et aliquantò pòst: *Ego autem substantiam Dei ingenitam esse ipse quoque confiteor: non tamen ingenitum esse substantiam.* Ibid. p. 71. 711. Ibidem.

VII. Sed illud insanissimum prorsus erat, quod jactabat Eunomius, ipsam se adinvenisse & comprehendisse Dei substantiam, quæ abundè declaretur uno Ingeniti nomine. Quippe unius Dei esse, ut Ingenitus sit, idque facillimè comprehendi, eo dumtaxat comprehenso, quòd ab alio non sit. *Quod verò putat ipsius Dei omnium ipsam se adinvenisse substantiam, intolerabilis est superbiæ ac tumoris. Ferè enim & ipsum qui dixit. Ponam super astra sedem meam, jactantia superat.* Ibid. p. 712.

Longè diversissima erat Scripturarum doctrina, ubi non solùm mortalibus suam essentiam substantiamque conspiciam non faciebat Deus, sed ne nomen quidem sibi proprium indicaverat; ideoque Deum Abraham, Isaac & Jacob sese nominaverat, nominarique voluerat. *Sanctis quidem suis Deus Abraham, Isaac & Jacob, quorum propter consummatam virtutem Deus nominari quasi quid præcipuum ac decens majestatem suam voluit, Deum Abraham seipsum appellans, & Deum Isaac, & Deum Jacob: Hoc enim mihi nomen est perpetuum, inquit: his igitur sanctis nec nomen suum manifestavit Deus, nedum substantiam suam revelavit.* Et statim: *Ego enim inquit Dominus, visus sum Abraham, Isaac, Jacob, cum sim Deus ipsorum: & nomen meum non manifestavi eis, tanquam videlicet majus, quàm possit humanus auditus accipere.* Insolentissimè prorsus & impiè Eunomius sibi arrogabat, quod Filii & Spiritus sancti proprium decus est: *Nam Filio soli notus est Pater & Spiritui sancto. Nullus enim cognovit Patrem nisi Filius: & Spiritus cuncta inquirit & profunditates Dei. Nullus enim, inquit, scivit quæ hominis sunt, nisi Spiritus qui est in ipso: & quæ Dei sunt, nullus cognovit, nisi Spiritus qui est ex Deo. Quid ergo præcipuum cognitioni Unigeniti, aut sancti Spiritus relinquent, si ipsi divinam substantiam penitus comprehendunt?* Pag. 713. Pag. 714.

VIII. Quid autem eo dementius vel fingi poterat, qui Deum se intellexisse & comprehendisse sperabat ejus tantùm nominis comprehensione, quo prodebatur non quid Deus esset, sed quid non esset: denique prodebatur id tantùm, ab alio illum non esse? *Quemadmodum enim cum de hominibus ratiocinamur, & hunc ex illo natum esse dicimus: non quid sit, sed unde natus sit enarramus: sic & in Deo vox ingeniti non quid sit, sed non esse ab alio ipsum, significat.* Et mox: *Quod verò à nullo est, sine principio est: & quod sine principio est, id ingenitum est. Sicut ergo, quum de hominibus agitur, non est substan-* Pag. 715.

tis ex alio esse : sic neque in Deo idipsum quod est ingenitum, substantiam dicere possumus : quod idem est, atque ex nullo esse. Qui verò sine principio esse, substantiam esse dicit ; simile illi facit, ut si quis interrogatus quenam Adam substantia & quæ natura ejus fuerit, respondeat hanc ejus fuisse substantiam, quod non viri ac mulieris conventu, sed divina manu formatus sit.

IX. Egregiè porro Basilius postea monet, quàm religiosos esse nos deceat in iis quæ de Deo dicimus, in publicis maximè vel laudibus, vel prædicationibus ; ut Scripturæ, ut Ecclesiæ obsequamur : non statim usurpemus, quæcunque ex Scripturis ratiocinando elici posse existimabimus. Si enim quædam Hebraica nomina interpretes sacri intacta voluerunt servari, ne interpretando detererentur : quantò major divinis nominibus reverentia impendenda est, ut ne quid temerè in eis novemus ? *Nec enim hoc etiam in*
Ibid. l. 2. tom. 7, 1. *loco ipsi concedendum est, ut hac voce, genuit, quæ de Patre dicitur, transfigurata & transformata, Dei Filium genituram nuncupet. Quoniam non quodcumque consecutione verborum subostenditur, in id facilè insilire eum oportet, qui divino timore castigatus est. Sed cùm iis quæ in Scriptura sunt nominibus sit contentus, per ea ut decet glorificationem Deo adimplere debet.* Cùm genuisse Filium Pater dicatur in Scripturis, urgebant Ariani, ut & Genitura Filius dici posset, ut & creatura aliquando posset appellari. Vide
Pag. 711. autem ut illos retundat Basilius : *Sed si genuit, inquit, Deus, quomodo non convenit genituram eum, qui genitus est, appellare ? Quia timemus nostris ipsum nominibus appellare, cui largitus est Deus nomen supra omne nomen. Filius meus es tu, inquit, ego hodie genui te. Atqui consentaneum erat magis secundùm istorum rationem, propterea quod genitus est, genituram appellari Filium : sed dictum non est. Quare oportet, si quis ante oculos habeat Christi judicium, cùm sciat quàm periculosum sit subtrahere quicquam, aut addere iis, quæ à Spiritu tradita sunt, non conniti per seipsum quicquam innovare, sed in iis quæ à sanctis olim prodita sunt acquiescere. Quod igitur nec communis consuetudo, nec Scripturarum usus suscepit, id audere quomodo non summæ superbiæ est ? Quis enim Pater, aut Mater benigno, ac placido cum sit erga eum quem genuit affectu, volet illum potiùs vocare genituram, quàm Filium, aut natum ?* Nefas est ergo aliàs Patrem, quàm Patrem ; & aliàs Filium, quàm Filium compellare, tum in humanis, tum potissimùm in divinis ; cùm ea nomina videatur & naturæ sensus, & usus Scripturæ consecrasse. Apostolus ipse ea charitatis & dignitatis suavissima sexcenties inculcavit nomina Patris & Filii : Genituræ ac geniminis voces, ut profanas, vel infidiosas vitavit. Ibidem. *Ostendit autem id Apostolus, qui Dominum sursum atque deorsum & ubique Filium appellans, & aliis ipsum nominibus glorificans, primogenitum, imaginem, splendorem ; geniminis ac genitura appellationem evitavit.*

X. Sentiebant Ariani quantum esset momenti in his Patris & Filii vocibus ad retinendam fidem consubstantialitatis ; inde enim erant illæ tam pertinaces machinationes ad alia quædam subroganda nomina. Contra Basilius nitebatur, à Judæis & Gentilibus hoc maximè utroque circa Deum Patris & Filii nomine differre Christianos, unde & necesse erat tantò constantiùs nos pro hujus utriusque nomine tuendo decertare. *Deus & Dominus, omnipotens, Sabaoth, qui est, Adonai, Eloi*
L. 4. contra Eunomium, pag. 701. *appellatur Deus in Scripturis : ingenitus verò nusquam. Quod si quis id etiam concedat, ingenitus & cætera hujusmodi nomina, aptè à Judæis ac reliquis omnibus dicentur : à Christianis verò solis Pater Christi dicetur. Si ergo quod solùm à cæteris nos separat, falsum est & non verum est, & nomen ascititium, non res natura existens : falsa est Fides nostra, & spes vana. Nam cujus rei principium infirmum est, & finis imbecillis est.*

XI. Basilio consentiebat Nazianzenus, Patrem Principii expertem dici, ἄναρχον : Filium, Principium, ἀρχικόν ; Spiritum sanctum, cum Principio, τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς. Non tamen hanc ipsam esse Dei naturam, quòd vel sine principio sit, vel ingenitus dicatur : sed circa naturam. Ea enim voce non exprimitur, quid sit Pater, sed quid non sit. Ita & esse Principium, vel cum Principio, non natura ea potest esse, vel Filii, vel Spiritus sancti, sed circa naturam. *Ut autem brevi singula percurram,* Nazian. Orat. 2. pag. 68. *quod principii expers est, & principium, & id, quod cum principio est, unus est Deus. Nec verò principio carere, ejus quod principio caret, natura est : aut etiam ingenitum esse. Nullius enim rei natura ex eo declaratur, quod dicamus, quid non sit, sed quid sit. Est enim ejus quod est, positio : non autem ejus, quod non est, sublatio : nec principium, eò quòd principium est, ab eo quod principio caret, dirimitur. Non enim principium ipsi natura est, quemadmodum nec illi, quod principii expers sit. Circa naturam enim hæc considerantur, non autem natura ipsa sunt.*

XII. Eadem Epiphanius patefecit, & vel eo uno confutavit Eunomianorum calliditatis ingenia & machinamenta : ut Patris & Filii nominibus voces subrogarent ingeniti, genitique ; cùm longo hæc distent intervallo. Non statim enim qui ingenitus est, is Pater est. At qui Pater est & dicitur in divinis, is statim intelligitur tota illa majestate & amplitudine circumfulgere, qui non tantùm Deus est, sed & Dei Pater. *Egregii illi erroris Patroni duo quædam efficere nituntur.* Epiphan. Hæres. 76. n. 14. pag. 861. *Primùm ut ne Pater amplius, ac Filius, sed ingenitus, ac genitus dicatur. Qua ratione fucum se facere, atque Ecclesiam circumvenire putant posse. Verùm qui divinarum rerum sapientia pollent, nequaquam hoc ignorant : ingeniti vocem inferiorem esse Patris nomine, propterea quod ingeniti notio pre se illud unum fert, ut non esse genitus intelligatur, nondum tamen sitne Pater declarat. At verò Pater amplius quiddam est ingeniti vocabulo, quoniam in hoc, uti dixi, vis illa Patris non exprimitur. Sed in Patris nomine illud unà significatur, Patrem non esse Filium, si propriè Pater intelligatur ; ac sui similis esse Filii principium.*

Ac rursus infrà idem Epiphanius demonstrans, quantum nomen Patris præstantius sit quàm ingeniti, non illud tantùm perpendit, quòd ingeniti vox nusquam in Scripturis occurrat ; sed etiam quòd illa mera negatio anterioris principii contineatur, non fœcunditas, non paternitas, non relatio ad Filium, non Filii ipsius quasi amplexus, cùm in Patre Filius contineatur ; ut ne cogitari quidem possit Pater, quin statim Filius occurrat menti. Ea quippe connexio divinarum inter se personarum, vel maximum est earum & charitatis & amplitudinis specimen. *Ingenitum* Ibid. n. 15. pag. 866. *verò nusquam Scriptura nominavit. Accedit quod ingenitus, uti diximus, nondum ipsam Patris notionem significat : neque genitum propriè Filium exprimit, sed ad omnia producta communiter pertinet. Nam qui genitum dicit, productum quidem aliquid esse demonstrat ; minimè tamen Filium, qui ab æterno productus concipiatur, ostendit. Quamobrem cum Dei Filium ab æterno intelligamus existere, illud ipsum nomen preterea nequaquam admittimus : quoniam Patris Filiique nomen ad aliud quiddam habitudinem significat. Unde licèt Patrem solum nominemus, Filii quoque notionem Patris appellatione comprehensam unà complectimur. Pater enim Filii Pater dicitur. Ac licet solum nominemus Filium, Patris quoque notionem unà comprehendimus : eo quod*

Filius

Filius Patris esse Filius dicatur. Alterum quippe cum altero connexum est, neque mutuus ad sese invicem respectus dirimitur.

XIII. Paucis, sed valdè luculentè Chrysostomus solo Patris nomine declarari ait singularem honorificentiam, quæ non sit in Filio, & quam ne deceat quidem Filio communicari, quanquam eo uno excepto omnia Patri Filioque communia sint, cum sit & absolutissima utriusque in omnibus æqualitas. Hanc ergo præcellentiam paterni nominis ne affingere quidem potest quisquam ingeniti voci, quæ mera negatio est. Nec enim hìc quæstio est de cæteris quæ ex innascibilitate proficisci possunt privilegiis: sed de sola vi nominis ipsius. At vi nominis non aliud confert innascibilitas, quàm ut ne ab alio quis nascatur. En verba Chrysostomi: *Patris enim nomen nonne satis est ad indicandum Patris priorem in origine gradum? Hoc autem uno excepto, quod Pater non est, omnia eadem habet Filius. Ac sanè neque apertus est hic honor, qui à Patre perveniat in Filium. Hoc autem excepto, quæcumque Patris sunt, Filio etiam sunt communia.* Hæc priora verba, ἀ γὰρ ἐναρὲς τὸ τοῦ πατρὸς ὄνομα δεῖξαι τὰ πρωτεῖα τοῦ πατρός? esse privilegia Patris aliqua disertè vociferantur, quæ utique nomini non insint ingeniti. Ne his tamen privilegiis carere posse Filium, suspicetur quis in ejus dedecus redundare, cautissimè occurrit Chrysostomus, uno Patris nomine dempto, quod non possit communicari Filio, reliqua illi omnia esse prorsus communia.

Chrysostom. Hom. 7. in Epist. ad Philipp. Tom. 10. pag. 270.

XIV. Non ingeniti tantùm, sed & Dei nomini nomen Patris antehabebat Cyrillus Alexandrinus, ut quod tantò cumulatiorem gloriam præ se ferret, quantò Patri amplius est ex suo sinu Filium, quàm ex nihilo mundum genuisse, mundi creatorem, quàm mundum effudisse. Hinc Christus ubique propemodum non tam Deum, quàm Patrem prædicabat; nec Dei nomine nos, sed Patris Filiique & Spiritus sancti tingi & initiari volebat in eo sacramento, quo in unam nos secum personam quodammodo copulabat, in unum ex Patre Filium, qui jam Dei opificium eramus. *Nomen autem Patris magis propriè Deo convenit, quàm nomen Dei: hoc enim dignitatis, illud autem substantialis proprietatis est significativum. Nam qui Deum dicit, Dominum universi; qui verò Patrem nominat, de proprietate sermonem tangit. Eum quippe genuisse ostendit. Verius autem, & magis proprium Deo quodammodo nomen illud, Pater, ipse quoque Filius attribuens, modò dicebat, non quidem, Ego & Deus, sed, Ego & Pater unum sumus: modò verò de seipso, Hunc enim Pater signavit Deus. Sed & quando suis discipulis præcepit, ut baptizarent omnes gentes, non in nomine Dei, sed in nomine Patris, & Filii, & sancti Spiritus, expresè id fieri mandavit.*

Cyril. Alex. in Evan. Joa. l. 11. p. 961. Tom. 4.

Mox ibidem Cyrillus docet Moysen quidem in describenda mundi creatione Deo omnium conditori quantas & laudes canere & gratias referre deberemus, luculentè nos addocuisse; sed jejunè & obscurè tantùm perstrinxisse aliquid de Dei non tantùm potestate in naturas creatas effusa, sed natura ipsius propria, & ineffabili in seipso majestate; qualis, quis, quantusque sibi ipsi est, qui & Deus, & Dei genitor est, & Dei cum unigenito Filio suo spirator, tria unum, indivulsa æternitas, veritas, charitas. Hæc quippe palam orbi universo prædicare, propria & uni Dei Filio desponsa erat gloria & prærogativa. Quocirca etsi hujus doctrinæ rudimenta aliqua Mosaicis & reliquis deinceps veteris Testamenti libris essent aspersa, non potuerat ea nisi ad paucos & per umbras tantùm & ænigmata pervenire: *Moses enim divinus hujus mundi opificium enarrans, non uni personæ creationem attribuit, cum ita scribat: Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem. Dicenao quippe, Faciamus, & ad imaginem nostram, sancta Trinitas significatur. Creavit enim, & ad esse cuncta vocavit Pater per Filium in Spiritu. Verùm non admodum captu facilia hæc erant, sed obscura potiùs veteribus. Nec enim peculiariter vocatus est Pater, nec Filii persona manifestè illata est. Dominus autem noster Jesus Christus absque circuitione verborum, & cum multa fiducia Patrem quidem suum vocabat Deum, sed se nominando Filium, & fructum verum suprema omnium natura ostendendo, clarificavit nomen Patris, & ad perfectam cognitionem nos revocavit. Plenissima enim cognitio de Deo in hoc sita non est, ut Deum esse tantùm cognoscamus, sed & Patrem & cujus sit Pater, una quoque subeunte cognitione sancti Spiritus.*

Ibidem.

XV. Qui idem rursus in Thesauro, tantò magnificentiorem Patris, quàm ingeniti cognominationem demonstrat, quantò Verbum ipsum Dei Filius unigenitus & mundi creator mundo ipsi antecellit, ad quem alludit vox ingeniti, seu increati, sicut vox Patris refertur ad Filium. *Patris nomen notitiam Filii necessariò secum inducit. Nomina enim hujusmodi sese mutuò declarant. Ingeniti verò nomen ex eo quod Deus factus non est, nos in eorum quæ facta sunt, recordationem vicissim adducit. Necessaria autem est iis qui rectæ fide præditi esse velint sanctæ Trinitatis cognitio. Si ergo is qui Patrem nominat, respicit Filium, per quem Pater est; qui verò ingenitum sive increatum appellat, creata videt, quibus meritò increatus opponitur; certè multò satius est Patris appellationem inde sumi, unde Filii cognitio gignatur, quàm inde, unde creaturarum notitia inducatur, quæ ad cognitionem Trinitatis nihil planè conducit.*

L. 1. Tom. 3. pag. 13.

Et rursus ut Ingeniti nomen mera sit negatio, non substantia, non definitio Dei, & ejusmodi maximè definitio per quam Deus capiatur, & ut insaniebant illi, comprehendatur, statim ibidem: *Et quidem Patrem qui dicit, ex eo quod est, nominat Deum: qui verò Ingenitum, ab eo quod non est.* Et paulò inferiùs: *Si omnis definitio cujuscumque vocis, quid sit, quod proponitur, non quid non sit, explicat: Ingeniti autem vox non quid sit Deus, sed quid non sit explicat: quia enim genitus non est, ideo ingenitus dicitur; Ingeniti nomen definitio esse non potest.*

XVI. Pulcherrimè autem aliquantò inferiùs idem Cyrillus respondet objectioni Arianorum, qui Patrem volebant fuisse Deum, antè etiam quàm haberet Filium; sicut antequam creaturas conderet, Creator & dici poterat, & verè erat. Hos æternitatis Filii adversarios, & hanc eorum argumentationem ita refellit sanctus Pater, quòd infinito quodam intervallo distent Pater & Creator, creatura & Filius. Pater enim sine Filio ne cogitari quidem potest, ut qui ex eo natura statim promicet & resplendeat, ut lux à Sole. At tam potest Creator & Architectus mundi Deus intelligi & dici antè Deus, quàm ullæ existant creaturæ; quàm potest & esse & dici architectus navium, qui nullas adhuc architectatus est, si modò vires & peritiam habeat ejus artis. Ars enim ista est, non natura; ars non statim in opus prosilit, non semper, sed quando & quandiu lubet: natura nunquam cessare potest. Cùm ergo Filius non arte, non voluntate Filius sit, tam non potest non prodire à natura Patris, & semper prodiisse, quàm lux à Sole. *Huic objectioni ita occurrendum est: Filius & opus immenso inter se intervallo dissident, neque quidquam æquale iis intercedit. Filius enim ex substantia Patris progressus, statim eum genitorem esse ostendit. Sit autem veluti de hominibus sermo; opus verò extra essentiam est, omnino tunc opificem ostendens eum qui id fecit, quando fit. Erat enim in ipso ars faciendi, quam*

Ibidem. pag. 12.

Ibidem.

omnino priùs extitisse oportet iis quæ per ipsam fiunt. Priùs enim aliquis erit artifex, deinde opifex. Quum igitur tantum discriminis interpositum sit, quumque Filius unà cum Patris appellatione simul etiam intelligatur, simulque comprehendatur; simul enim ac Pater est, statim & Filius; simul ac Filius, statim & Pater; neque alterum absque altero intelligi potest: opus autem etiam post existentiam opificis possit videri; neque enim est ex natura opificis, sed artis inventum: ars autem non est natura, sed unum aliquid eorum, quæ natura insunt: quonam pacto nonnulli in Deo tanquam idem statuunt factum & genitum, dicentes posse eum vocari Patrem, etiam non existente Filio: siquidem & opifex existit ante opificia. Perinde enim est ac si quis eum qui arte fabricandi naves praditus sit, Patrem vocare voluerit, etiam non existente Filio, quoniam & fabricator navium est quantum attinet ad artem, & facultatem habilitatemque ad fabricandum habet, etiamsi nondum navim construxerit.

XVII. Ac rursum cùm semper fuisse Deum, non semper fuisse Patrem dicerent, sed eo demum pòst tempore, quando illi collibitum fuit mundi opificem primò, & mox mundum ipsum per eum procreare: vide ut illos Cyrillus ineluctabili hoc jaculo conficiat: Ergo non semper Deo affuisse longè præstantissimum ejus ornamentum, sed cùm perdiu eo orbatus fuisset, tum demum illud ei accessisse, Patris scilicet fœcunditatem, felicitatem, gloriam. Quantò enim creaturas omnes antecellit creator earum Verbum & Filius, tantò honorificentius Patri est Patrem esse, quàm Creatorem. *Si hæretici magni aliquid sese tribuere Deo existimant, quod Patrem ipsum ab initio fuisse negent, Deum interim esse confitentes; imò magna contumelia sese eum afficere credant, quum divinam naturam digniore titulo privant. Nam ut Deus relationem habet ad servilia & creatam substantiam habentia: ita Pater ad Filium. Quum itaque dicunt Deum quidem ab initio extitisse, Patrem verò non item: comparationem, sive relationem ad servilia Deo accommodant, præstantiore relatione eum privantes. Præstantius enim est Patrem geniminis esse; & quidem tantò, quantò Filius creatura est excellentior. Nam de nobis dicitur: Nos populus pascuæ ejus, & oves manus suæ. De Filio autem: Qui cùm esset in forma Dei, non rapinam est arbitratus se esse æqualem Deo. Et rursum ad ipsum: Sede à dextris meis. Quantum igitur interfit inter creaturam & Filium, ex his intelligimus.*

Ibid. p. 32.

VIII. Prolixè rursum & longè pulcherrimè ex Nazianzeno, ut Filii & Spiritus sancti proprietas non minùs mirabilis sit, quàm Patris, quæ supra omnem admirationem est.

IX. De eodem ex Damasceno, summa & æqualis admirabilitas trium proprietatum personalium.

X. Rursus ex Hilario, ut Filii proprietas & majestas minor aut obscurior non sit, quàm Patris.

XI. De eodem, ex eodem; neque major quidem sit Pater, sed minor non sit Filius.

XII. Ex Ambrosio, Filius omnia accipit, Veritas est, ergo minor non est.

XIII. Eadem omnia ex Augustino.

CAPUT XI.

Magnificentius Deo est, ut Pater dicatur, quàm ut Ingenitus; ex Patribus Latinis & Græcis rursum.

I. Quantùm Ingeniti nomen admiratus sit Hilarius, & cur.

II. Quàm eminentissimè Pater pater sit.

III. Luculenter ex eodem, ut Christus Dei & Patris nomen & gloriam primus manifestaverit.

IV. De Ingeniti nomine sententia Augustini.

V. Antedicta omnia ex Ambrosio confirmantur. Spiritus sanctus ingenitus dici potest; ergo Filio major erit, & æqualis Patri secundùm Arianos.

VI. Ut probarent Ariani ingeniti & geniti eandem non posse esse substantiam. Ut eos refellat Ambrosius.

VII. Ex Hieronyma absque Spiritu sancto imperfectum est mysterium Trinitatis. Non minùs mirum amplumque est Filium esse Patri parem & coævum, quam Patrem esse ingenitum.

I. INgeniti nomen propensiùs admiratus esse videtur Hilarius, ut Latinos ne sinam hic obmutescere. In causa forsan id erat, quòd nec-dum ejus ævo forsan tantas excitassent super ea re tragœdias Ariani. Quin & Unigenito ipsi gloriam hinc aucupatur alicubi, quòd ab Ingenito Unigenitus processerit, ab Innascibili natus sit. *Est enim progenies Ingeniti, unus ex uno, verus à vero, vivus à vivo, perfectus à perfecto, virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloriæ gloria, imago invisibilis Dei, forma Patris ingeniti. Quam autem progeniem opinabimur Unigeniti ab Ingenito?*

Hilarius; De Trin. l. 1. p. 16.

II. Nec minùs luculentum est, quod ille paulò antè dixerat, habere Patrem in Patris nomine ipso naturæ suæ nomen. Nec enim aliud ipsum, quàm Patrem esse; nec Filium eundem esse posse, vel quomodocumque ab ullo alio procedere. A seipso ipsum unum habere, quòd Pater sit, non etiam ab alio, ut moris est hominum. In semetipso potentem eum esse, ut Pater sit; fœcunditatem, inquam, illam in seipso habere inenarrabilem, qua Deum sibi æqualem generare potest, & semper generat; quòd vel Divinitate ipsa majus & mirabilius esset, si quid esse vel fingi posset Deo majus & mirabilius, qui illud est certissimè, quo nihil majus & mirabilius esse, vel cogitari potest. *Habet enim, ut diximus, naturæ suæ nomen in Patre; sed Pater tantùm est. Non enim humano modo habet aliunde, quod Pater est. Ipse ingenitus, æternus, habens in se semper, ut Pater semper sit, soli Filio notus.*

Ibid. p. 14.

III. Quærit alibi Hilarius, quomodo dicat Christus manifestatum à se esse Patris nomen; cùm Dei nomen & Scripturæ veteres omnes eloquutæ essent, & naturæ ipsius magisterio Gentes omnes agnovissent, & vel mentiendo veneratæ essent. Respondet autem Dei nomen quidem nullis non exploratum fuisse, & tamen neminem ante Christi in carne adventum Deum novisse; quia nemo Patrem noverat, nemo Patrem Unigeniti, Patri non disparis, sed totam obtinentis Patris divinitatem, totam divinitatis plenitudinem. Talem enim ac tantum genuisse, id verò est summum, maximum, optimum esse, & Deum. *Non ergo ignorabatur Dei nomen, sed Deus planè ignorabatur: nam Deum nemo noscit, nisi confiteatur & Patrem, Patrem unigeniti Filii, & Filium non de portione, aut delibatione, aut emissione: sed ex eo natum inenarrabiliter; ut Filium à Patre plenitudinem divinitatis, ex qua, & in qua natus est, obtinentem; verum & infinitum & perfectum Deum: hæc enim Dei est plenitudo. Nam si horum aliquid deerit, jam non erit plenitudo, quam in eo habitare complacuit. Hoc à Filio Dei prædicatur, hoc ignorantibus manifestatur; sic clarificatur per Filium Pater, cum Pater Filii talis agnoscitur.*

Ibid. l. 5. pag. 47.

Id verba Christi ipsa testificabantur, à se primùm, non Dei, sed Patris nomen manifestatum fuisse. Unde rursum Hilarius: *Nempe proclamat: Pater manifestavi nomen tuum hominibus. Non audis, Creatorem cœlestium creasti. Non audis,*

Ibid. p. 19.

audis, Effecto eum terrestrium effecisti; sed audis: Pater manifestavi nomen tuum hominibus. Utere Salvatoris tui munere: scito Patrem esse qui genuit, Filium esse qui natus est. Natum ex eo Patre, qui est ex veritate naturæ. Memento non tibi Patrem manifestatum esse, quod Deus est; sed Deum manifestatum esse, quòd Pater est. Arianorum ea vox erat, creatum à Deo Patre Filium, qui orbem crearet; illa magnificentior Christi & Catholicorum doctrina, genitum à Patre Filium, qui Patri ipsi æqualis esset.

IV. Ex Augustino pauciſſima hæc libabimus, ne tædii plus accedat, quàm novi luminis, si ex eo quoque inculcemus, quæ jam ex Græcis disputata sunt. Sic ergo ille easdem refellens nænias Arianorum, *Cùm verò ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur.* Et paulò pòst: *Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit Filius: sed genitus & ingenitus commodè dicuntur; Filius autem latinè dicitur, sed Infilius ut dicatur, non admittit loquendi consuetudo. Nihil tamen intellectui demitur, si dicatur non filius, quemadmodum etiam si dicatur non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur.*

Augustinus De Trinit. L. 5. c. 6. 7.

Infilius.

V. Ambrosius in libro de Incarnationis Dominicæ sacramento technas omnes retegit Arianorum, Ingeniti nomini superstructas, & invictissimis argumentis refellit. Usque adeo autem ad hanc Ingeniti vocem illi adhærescebant, ut nisi illam eis largiremur, disputationis suæ ne exordium quidem invenire possent. Nec meminerant hanc fuisse Gentilium Philosophorum vocem, non Scripturarum, non Ecclesiarum Christi. Ubi illos de authore ejus nominis percontabamur, Arium confitebantur, etsi aliàs plerumque eo se authore & parente censeri erubescerent. Certè dissimulare non poterant, conducibilius sibi fore Apostoli magisterio, exemploque uti & sermone, quàm Arii. At Apostolus ut Filium genitum dixerit, Patrem ingenitum dixit nunquam. *Denique verba Philosophorum excludit simplex veritas Piscatorum. Qua igitur ista assertio est, ubi si non dixerò eis verbum ingeniti, assertionis principium invenire non possunt? Ubi ergo legerint, demonstrent. Exciderat animo. Nunc redeo in memoriam. Lectum est, inquiunt. Nam Arius dixit ingenitum Patrem, & genitum & creatum Filium. En quo authore contra Apostolica scripta contendant. Contendant tamen, si modo Arrii discipulos esse fateantur. Nam quomodo negant magistrum, cujus inventum sequuntur? Sed si illi hoc dicunt quod Arius, justius ego debeo dicere, quod Apostolus dixit. Patrem enim dixit, non ingenitum nominavit: Filium dixit, & Filium genitum nominavit. Quod legi non nego, imò libenter usurpo; quod non legi, usurpare non debeo.*

Ambrosius Tom. 5. c. 9. pag. 818.

Pergit Ambrosius suis ipsorum adversarios machinis oppugnare. Etsi enim ingenitus dici non posset Filius, sicut Pater; ex quo illi id efficiebant, alterius & deterioris esse substantiæ Filium: at inficiari non poterant, quin ingenitus & esset & dici posset Spiritus sanctus. Ergo si staret eorum doctrina, ejusdem cum Patre substantiæ, & Filio majoi dicendus fuisset Spiritus sanctus. A quo mirum quantum illi abhorrebant. *Ergo Spiritus quia genitus non est, ingenitus utique secundum vestram sententiam nominandus est. Si igitur ingenitum dicitis, & genitum non posse unius esse substantiæ, superest ut de Patre & Spiritu sancto, quia nec Patrem genitum legimus, nec Spiritum sanctum, unitatem divinæ naturæ & substantiæ non negetis. Si enim in eo est vis omnis vestræ disputationis, quod ingenitus & genitus non possunt esse unius naturæ: ergo qui non est genitus, cum eo qui non sit genitus, unius naturæ atque substantiæ est. Et si ideo putatis Patrem majorem esse, quia genitus non est, numquid & Spiritus sanctus major est Filio?*

Ibidem.

VI. Substantiam Patris illi hanc volebant esse, ut causa, & omnium causa esset, à nulla ipse causa. Hinc Filium negabant ejusdem esse posse substantiæ; immo nec similem Patri esse posse: quid enim similitudinis esse potest inter genitum & ingenitum? *Dicunt ergo quia Pater omnem causam, hoc est, ἀιτίαν, sicut Græci dicunt, supergressus, cùm ex alio creatus non sit, non sit Filius, utique substantia sit, non aliunde principium habens & causam ex qua sit: & ideo, inquiunt, alia talis substantia esse non potest, quia omnia ex Patre Deo habent subsistendi causam. Unde non esse verisimile dicunt, ut Filius qui ex Patre est, & ex se causam non habet ut sit, sed ex Patre, similis sit Patri. Cùm Pater ex alio causam non habeat, Filius autem, ut ipsi allegant, esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex Patre ut esset acceperit.*

Ibidem pag. 850

Contrà verò Ambrosius ostendit futiles has esse nugas, idque tot argumentis & exemplis ostendit, quot rerum sunt in universitate naturæ atque substantiæ. Omnes enim substantia & natura id sunt, quod sunt, nulla generationis contemplatione. Homo enim homo est, sive ingenitus, ut Adam, sive genitus sit, ut quilibet alius homo. Una eademque in omnibus substantia est animantibus, adde & arboribus si velis, sive ex aliis ortum habeant, sive non habeant; sive aliis ortum dederint, sive non dederint. *At verò si naturam designare desidero, aut hominem nuncupabo, aut equum nominabo, aut avem dicam, ut natura possit intelligi. Ita ergo si naturam cupio designare divinam, Deum verum debeo nominare. Cùm autem Filium dico, generatum significo. Cùm Patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cùm sit hoc significatorium generantis & geniti.*

Ibidem.

VII. Iis quæ hoc Capite tractata sunt, affinia sunt, quæ ab iisdem sanctis Patribus dicuntur, vel de Filio, vel de Spiritu sancto; quando ab illis declaratur, etsi eximium sit & ingens, esse Patrem, esse Ingenitum: non inferius tamen, non minus esse, generanti Patri esse Filium æqualem, Spiritum esse spiranti Patri & Filio non inæqualem. Hinc sanè dilucidius etiam fit, quàm frustra Ariani ex Ingeniti nomine Patri venarentur inconcessam Filio & Spiritui sancto gloriam & majestatem. Illud Hieronymus in Epistola ad Hebidiam observavit, qui baptizati fuerant in Patrem & Filium, nec inaudierant quidquam de Spiritu sancto, eos iterum baptizari jussos esse, vel potiùs vero baptismo tum initiatos, quòd *absque Spiritu sancto imperfectum sit mysterium Trinitatis*, ut ait ille. En ipsissima ejus verba: *Qui Joannis baptismate fuerant baptizati, & credebant in Deum Patrem & Christum: quia Spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur: imò tunc verum accipiunt baptisma. Absque enim Spiritu sancto imperfectum est mysterium Trinitatis.* Si imperfecta est ergo sine Spiritu sancto invocatio Trinitatis, idem prorsus de Filio certissimè sentiendum: nec à quoquam jure potest ita Pater extolli, vel Ingenitus, ut hinc vel tantillum decerpatur de æqualibus Filii & Spiritus sancti honoribus.

Hieronym. Tom. 4. pag. 48. E

In Catalogo virorum illustrium hoc habet non oscitanter legendum Gennadius de Isaaco quodam: *Isaac scripsit de sancta Trinitate, & de Incarnatione Domini librum obscurissimæ disputationis & involuti sermonis: confirmans ita in una Deitate tres esse Personas, ut tamen sit in singulis proprium aliquid quod non habeat alia. Patrem scilicet hoc habere proprium, quod ipse sine origine origo sit aliorum. Filium hoc habere proprium, quòd genitus genitori non sit posterior. Spiritum sanctum hoc habere proprium, quòd nec factus sit, nec genitus, & tamen sit ex altero.* Ubi vides, si admi-

Ibidem Tom. 1. pag. 107. C

admirabilitatis plurimum habet Pater, quòd ipse sine origine origo sit aliorum: non minus habere admirationis, quòd genitus cùm sit Filius, genitore non sit posterior; quòdque Filius sit Patri coævus; denique hoc etiam in Spiritu sancto esse singulare decus, & non impar, quòd cùm nec factus, nec genitus sit, sit tamen ex altero.

VIII. Tam incomprehensibile est ipsis etiam Angelis, quomodo genitus sit Filius, quàm quomodo genuerit Pater. Genuit Pater, genitus est Filius, quomodo scit Pater, quomodo scit Filius, ac præterea nemo: summa est ergo utrobique, nec impar sibi admirabilitas. Si ita in Angelis, quid in hominibus, qui ne ipsam quidem sui generationem satis compertam habent & exploratam? Ita summus Theologus Nazianzenus: *Quomodo erga (Filius) genitus est, quærere perges? Haud magna esset hæc generatio, si à te percipi posset; quippe qui ne tuam quidem noris, aut certè exigua quadam ex parte perceperis, quantumcumque te dicere pudeat. Et postea eam plenè tibi cognitam esse censes?* Et aliquantis interpositis: *Quomodo genitus est? idem enim indignabundus repeto. Dei generatio silentii honore decoretur. Abundè magnum tibi est scire eum genitum esse. Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedum tibi intelligere concesserim. Vis declarem quomodo? Ut scit Pater, qui progenuit; & Filius qui progenitus est. Quod supra hæc est, nube obtegitur, animique tui hebetudinem fugit.* Nazianz. Hom. 35. p. 566. 567.

Cùm postea multis differuisset de eadem prorsus natura dici, quòd sit genita, vel ingenita; creata, vel increata; tandem fidentissimè pronuntiat, Si incomparabile Patris sit decus à nullo profectum esse, nihilo minùs illustre Filio esse à tali Patre prodiisse. Tota enim Patris natura, & naturæ nobilitas in Filium trajicitur: atque adeo ipsum Ingeniti & genitoris decus in gloriam Filii ab eo geniti cedit; denique generatio seu Patris Filium gignentis, seu Filii à Patre nascentis, habet utrimque quòd in æqualem rapiat admirationem eos, qui acie mentis pura, defæcata & perspicaci sunt. *Nos autem hoc duntaxat dicere non dubitabimus, Si magnum Patri est à nullo profectum esse, non minùs illustre Filio esse ex tali Patre prodiisse. Nam præterquam quod gloria illius, qui causam à nullo habet, particeps est, quia ex eo est; accedit etiam generationis decus, res tanta, tamque veneranda, iis utique, qui non omnino humi provoluti sunt, crassoque animo præditi.*

Incomparabiles & omnino tamen sibi pares trium divinarum Personarum proprietates & honores sic idem alibi prosequitur Nazianzenus, paulò prolixiùs quidem, sed ex quibus tamen multa alia superessent differenda, nisi Lectorum sagacitati multa dimitti persæpè expediret. Sic ergo Nazianzenus: *Patrem verè Patrem, ac multo quidem verius, quàm qui apud nos id nomen obtinent; tum quia proprio & singulari modo Pater est, non autem sicut corpora: tum quia solus, non enim ex conjunctione: tum quia solius, nempe Unigeniti: tum quia solùm, nec enim ipse priusquam Pater esset, Filius fuit: tum quia in totum & totius Pater, quod de nobis certò affirmari nequit: tum quia ab initio, nec enim posterius Pater esse cœpit. Filium verè Filium, quod & solus sit, & solius, ac singulari modo, & solùm; non enim Pater quoque simul est: & in totum Filius, & totius, & à principio, hanc scilicet rationem habens, ut nunquam Filius esse cœperit; non enim ex pœnitentia est Deitas, neque ex profectu deificatio, ut ille aliquando Pater, hic aliquando Filius esse desinat. Spiritum sanctum verè sanctum: neque enim alius talis est, nec eodem modo, neque ex accessione sanctitatem habet, sed est ipsamet sanctitas, nec magis & minus, nec quo ad tempus originem unquam habuit, nec finem habiturus est. Hoc enim Patri & Filio & Spiritui sancto commune est, quòd minimè creati sunt: atque ipsa Divinitas.* Orat. 25. pag. 414.

IX. Prolixa sunt & ista Damasceni, & sanè pulcherrima, ex antiquioribus, ut existimo, Patribus ab ipso compilata, sed ita eximia, ita magnifica, ut ne dubitare quidem possim, quin futurum sit, ut ubi hæc perlegerit Lector, tantæ Damasceni brevitati iraſcatur. Sic porro habet ille: *Scio quod Pater sit, supersubstantialis sol, fons bonitatis, abyssus substantiæ, sermonis, sapientiæ, potentiæ, lucis, divinitatis: fons generativus & productivus latentis in se boni. Ipse igitur est intellectus, Verbi abyssus, Verbi genitor, & per Verbum sancti Spiritus productor. Et ut multa in pauca conferam: Non est Patri sermo, sapientia, potentia, voluntas, nisi Filius; qui est unica Patris potentia, efficax illa ad faciendum quidquid est. Sic veluti perfecta substantia, ex perfecta substantia prognata, quemadmodum novit ipsemet, qui Filius & est & dicitur. Spiritus autem sanctus enarrativa occulte divinitatis Patris potentia, ex Patre quidem per Filium procedens, quemadmodum ipsemet novit, non generativè. Unde & Spiritus sanctus totius rerum creationis perfector dicitur. Quecunque igitur congruunt ut causa Patri, fonti, genitori, ea soli Patri tribuenda sunt. Quæ vero ut causato genito, Filio, Verbo, virtuti effectiva, voluntati, sapientiæ, ea Filio. Quæ denique causata procedenti, enarranti, perfectrici potentiæ, ea Spiritui sancto conveniunt. Pater fons & causa est Filii, & Spiritus sancti. Pater autem solius Filii, productor verò Spiritus sancti. Filius, Filius, verbum, sapientia, & potentia, imago, splendor, character Patris, & ex Patre. Non autem Filius Patris est Spiritus sanctus; Spiritus tamen Patris tanquam ex Patre procedens. Nullus enim sine Spiritu motus. Sed & Filii spiritus est, non velut ex ipso, sed quasi per ipsum ex Patre procedens. Solus enim Pater causa est.* Damasc. Fidei Orth. L. 1. c. 12. pag. 15.

Ubi Pater dicitur supersubstantialis Sol, ὑπερούσιος ἥλιος, si hoc illi amplum est, non minùs amplum est Filio, quòd totum illud Solis superexcellentissimi lumen, totus luminis splendor ipse sit. Si amplum est Patri, esse fontem bonitatis, abyssum essentiæ, sapientiæ, virtutis, peræquè amplum est Filio, totam ipsum esse illam bonitatem, & sapientiam, essentiam & virtutem. Si amplum est Patri esse fontem latentis infiniti boni, quod ab ipso profluat: amplum est Filio nihilominus, quòd ipse sit totum illud bonum à fonte suo prosiliens. Si amplum est Patri, esse mentem, Verbi fontem & parentem, & per Verbum Spiritus sancti principium: non impar est decus Filio, quòd sit tota Patris sapientia, potentia, voluntas & efficacia: ut cùm spiranda sit Patri tertia persona divina, nonnisi cum eo & per eum illam spiret. Pater & Filii & Spiritus sancti principium & origo est; est & Filius principium & origo, sed solius Spiritus sancti; nec tamen vel in eo concedit, aut inferior est Patre; sicut nec una trium persona duabus aliis minor est, aut inferior; idque evidentissimè, quia prerium & dignitas illis est una & eadem summa divinitas, quæ gradus nescit; quæ seipsa nunquam major, aut minor est; crescit, aut decrescit nunquam.

X. Huc etiam pertinent, quæ sancti Patres disputavere, ut evincerent nihilo inferius, aut obscurius esse, Deum nasci, quàm Deum generare; Divinitatem accipere, quàm dare; omnia recipere omnino, quàm dare; æternum esse nascendo, vel gignendo. Cùm enim & in dante & in accipiente eadem sit hìc æternitas, immensitas, infinitas, divinitas, an potest majus quidquam esse æterno, immenso, infinito, Deo? An potest ævo minor esse, qui æternus est? magnitudine, qui immensus est? majestate, qui infinitus est? An potest aliquo alio minor esse, qui Deus est? An potest genitus ingenito minor esse, qui totam, qui

eandem

eandem ipsam individuam ejus obtinet infinitatem omnimodam & divinitatem? Cum ergo non possit etiam suo in ipsius sinu sterilescere summa Divinitas, quæ tantam naturis creatis impertit fœcunditatem, ut infrà declarabitur: non potuit Pater ingenitus non prolem gignere in suo ipsius gremio sibi æqualem, non paris tantùm, sed ejusdem etiam secum substantiæ, æternitatis, infinitatis, divinitatis. Vide, ut hæc Hilarius edisserat adversùs Arianos, ingeniti prætextu unigeniti Filii majestati insidiantes, quòd nec in homines, nec in quidquam aliud haberet potestatem, nisi quam à Patre accepisset: *Sit quoque acceptio potestatis imbecilla, nisi potens est illis, quos accepit, vitæ tribuere æternitatem. Sed in eo ipso quoque quod accepit, naturæ aliqua infirmitas arguitur? Sit planè acceptio infirmitas, nisi Christus ex nativitate potiùs, quàm ex innascibilitate Deus verus est. Quod si acceptio potestatis, sola est significatio nativitatis, in qua accipit id quod est: non est infirmitati datio deputanda, quâ totum hoc nascentem consummat esse, quod Deus. Cùm enim innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis nativitatem unigenito Deo author sit, authorem nativitatis esse, sacramentum Paternum est. Cæterùm non habet contumeliam, qui se authoris sui esse imaginem genuina nativitate consummat.*

Hilarius L. 9. p. 1064.

Omnem potestatem dedit Pater, esto; sed & Filius omnem accepit, quia Filius & Deus est; si mirabile est omnem ex seipso habere potestatem, minùs mirum non est totam accepisse, eandem prorsus accepisse, nec nisi totam & eandem accipere potuisse. Atqui ita habet necessariò, ubi Deus generat, nec potest nisi Deum sibi simillimum, sibi coævum & consubstantialem generare. Si mirabile est, omnia esse, & omnia dare, ut de Patre ingenito constat: minus admirationis non habet omnia accepisse, & ideo omnia esse, nec potuisse non omnia Patris accipere. Ideo omnis vita, omnis potestas à Patre in Filium manavit, & tanta manavit, quanta in suo fonte erat; nec tanta modò, sed & eadem; quia nec tanta esse potest, nisi sit & eadem. *Dedisse enim potestatem omnis carnis, & ad id dedisse, ut det ei vitam æternam: habet in dante quod Pater est, & in accipiente quod Deus est: cum & in eo significetur Pater esse, quod dederit, & in eo Filius Deus maneat, quod vitæ æternæ danda sumpserit potestatem. Naturalis igitur Filio Dei & congenita omnis potestas est, quæ cum data sit, non alienata est per id ab authore, quia data est; cùm quod est authoris, hoc datum sit: dare scilicet vitam æternam, & corruptionem in incorruptionem mutare. Dedit itaque Pater omnia, & accepit Filius omnia: Neque ambiguum est, cum dixerit, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt.*

Ibidem.

XI. Nec minùs luculentè aliquantò inferiùs, ubi Patrem Filio majorem ipso affirmante Christo Filio confirmat, & explicat, tum ex eo quòd Filius carnem indutus, jam Patre minor sit, & ab eo accipiat, ut in gloria sit Dei Patris, & ut nomen habeat super omne nomen in cœlos receptus: tum rursus ex eo quòd universim donasse majus sit quàm accepisse, etsi in donante nihilo plus sit, quàm in accipiente; & nihilo plus esse potuerit, cùm in utroque una sit divinitas, qua majus vel esse, vel cogitari nihil potest. Itaque etsi ingenitus sit Pater, non potest eo minor, & inferior, vel esse, vel cogitari, qui ab eo genitus, qui Filius est; qui à Patre accipit, sed ipsam substantiam, ipsam divinitatem Patris accipit; quæ non potest nisi una, & sibi par semper esse. Major sit qui donat Pater, quia donat; sed minor non potest esse, cui totum donatur esse donantis, tota substantia, tota Deitas, tota gloria. Major sit ingenitus genito, sed minor non est genitus qui à Patre accipit tantus ut sit, quantus est Pater; qui gloriam ipsam Patris accipit, & in ea non collocatur tantùm ipse, sed & humanitatem à se assumptam & à se individuam pro ipsius modo collocat. *Si igitur donantis authoritate Pater major est, nunquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est, sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est: si autem in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est, habes & in donantis authoritate, quia Pater major est; & in donati confessione, quia unum sunt. Major itaque Pater Filio est, & planè major cui tantum donat esse, quantus ipse est: qui innascibilitatis esse imaginem, sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat, quem rursum de forma servi in forma Dei renovat; quem in gloria secundùm spiritum Christum Deum natum, donat rursum esse in gloria sua secundùm carnem Jesum Christum Deum natum, mortuum.* Et paulò inferiùs: *Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris? Aut nunquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est: sed Filius dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem; minorem verò Filium esse nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat: Filius minor non est, dum gloriam resumit ad Patrem.*

Ibidem pag. 22.

Ita quæ mira, quæ stupenda de seipso Christus in Evangelicis litteris dixit: quæ de eo toto orbe terrarum & Ecclesia Catholica prædicavit, & credentium fides amplexata est; ad illud unum omnia revocantur, nec sterilem suo sibi in gremio esse potuisse Deum, tantæ extra sese fœcunditatis argumenta edentem, tantæ fœcunditatis in creatas à se naturas omnes dispensatorem. Eo enim semel constituto, quòd suam in seipso etiam fœcunditatem Deus explicet, jam ne dubitare quidem potest, qui sanæ mentis, qui sobrius est, quin Filium generet, & sibi, & suæ fœcunditati parem, ex quo ea omnia necessariò consequentur, quæ de se ipso profitebatur Christus. Si gignit enim Deus, Deum utique gignet, cum & homo hominem generet: & eum gignet, qui unus secum Deus sit, cùm nefas sit divinitatem, unitatem, æternitatem, infinitatem multiplicari. Ita elucescent, quæ de se Christus dicebat, *Ego & Pater unum sumus; Ego in Patre, & Pater in me; Qui videt me, videt & Patrem; Pater major me est; Æqualem se faciebat Deo; Quæcunque Pater operatur, & ego operor.* Rursum Hilarius: *Vel illud, Ego in Patre, & Pater in me.* Et rursum: *Pater major me est. In eo enim quod in sese sunt, Dei ex Deo divinitatem cognosce. In eo verò quod Pater major est, confessionem Paterna authoritatis intellige. Sicuti & illud est: Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, eadem & Filius facit similiter. Dum non à se facit, ad id quod agit secundùm nativitatem, sibi Pater author est. Et tamen cum quæcunque facit Pater, eadem & Filius facit similiter, non in aliud aliquid quàm in Deum substitit, ad facienda omnia quæ Deus Pater faciat, Paternæ omnipotentiæ in se subsistente natura.*

L. 11. pag. 276. 277.

XII. His concinit Ambrosius, totum eo contineri, quod confessus est Petrus, Christum Filium esse Dei vivi. Reliqua enim quæ dicta sunt, & quæ multò plura dici possent, hinc nexa & religata pendent, Quòd Deus infœcundus & improlis non possit esse, nec nisi naturæ suæ Filium, parisque, immò ejusdem substantiæ Filium generare; quo major ne ipse quidem sit; aut si sit, eo tantùm sit, quòd Pater est coævi & coæqualis sibi Filii, adeoque non minoris. *Petrus tamen respondet præ cæteris, Tu es Christus Filius Dei vivi. Complexus est itaque omnia, qui & naturam & nomen expressit, in quo summa virtutum est.* Et paulò pòst: *Scivit Petrus quod in Filio Dei omnia sint.*

Ambrosius Tom 2. pag. 143. 163.

Omnia

Omnia enim dedit Pater Filio. Si omnia dedit, æternitatem quam habet majestatemque transfudit. Et infrà rursum, ut minor non sit genitus ingenito, Filius Patre, etsi ab eo accipiat: tum quia omnia accipit, ideoque hoc ipsum, Deum esse, minorem nec esse, nec esse posse: tum quia non gratia, sed natura accipit; non arbitrario dono, sed unius naturæ jure accipit. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c. Cùm omnia legis, omnipotentem agnoscis; non decolorem, non degenerem Patris. Cum tradita legis, Filium confiteris, cui per naturam omnia unius substantiæ jure sunt propria, non dono collata per gratiam.*

Quid quod alibi idem Ambrosius argumentatur, cum Filius, cum Verbum ita procedat à Patre, tanquam veritas; non Scripturæ solius, sed & Philosophiæ melioris & antiquioris consensione; non posse illum vero Patre, & vero Deo, tametsi ingenito esse minorem. Nec enim vero Deo minor est veritas. *Si dicunt, quod verus solus Deus Pater est, negare non possunt, quod & Filius solus Deus veritas est, & quod Christus veritas est. Nunquid veritas vero minor est, cum secundùm appellationem nominum, verus plerumque à veritate dicatur, sapiens à sapientia, justus à justitia? Hoc nos inter Patrem non sentimus & Filium: quia & Patri nihil deest, quia Pater est verax: & Filius quia veritas est, æqualis est verè.* Sed & hæc addit ibidem Ambrosius, quæ citra piaculum præteriri non possint; unitatis species esse particulares complures inter plures; sed unam esse inter plures, scilicet inter Divinitatis personas tres, *generalem unitatem, quæ in se secundùm Divinitatis gloriam complectatur omnia.* En locum integrum Ambrosii: *Sed inter homines aut in hominibus unius alicujus rei unitas est, aut charitatis, aut carnis, aut devotionis & fidei. Generalis autem unitas, & quæ in se secundùm divinitatis gloriam complectatur omnia, solius est Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ideo & hanc mirabilem unitatem nominat, non singularitatis, μονότητος; sed unitatis ad naturam pertinentis. *Evidens est igitur, quia quod unius est substantiæ, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græcè μονότης, dicitur. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam.*

De Fide, l. 5. c. 2. Tom. 4. pag. 134.

Ibidem pag. 143.

Quæ de Filio diximus ad Patrem, eadem de Spiritu sancto sentienda sunt, qui & ipse ita à Filio accipit, ut hìc nihilo minus, aut ignobilius sit accepisse, quàm dedisse: tam splendidum sit accepisse, quàm dedisse; quia una est eademque natura Divinitatis, quæ datur & accipitur; quæ nec in dante incrementum, nec in accipiente detrimentum potest suscipere, vel naturæ, vel majestatis. *Omnia accepit à Patre Filius, quia ipse dixit: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait: Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Et quæ accepit ipse per unitatem naturæ, ex ipso per eandem unitatem accepit Spiritus, sicut ipse Dominus Jesus declarat de Spiritu sancto, dicens: Propterea dixi, De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod ergo loquitur Spiritus, Filii est: quod dedit Filius, Patris est. Ita nihil à se aut Filius loquitur, aut Spiritus, quia nihil extra se Trinitas loquitur.*

De Spirit. sanct. c. 12. pag. 219.

XIII. Venio ad hæc alia ab Augustino contra Maximinum Arianorum Episcopum vehementissimè disputata; ubi Patrem declarat vitam esse, & vitam generare, & hoc ipsum esse Patris vivere, Verbum, Sapientiam, vitam suam ex se fundere: sicut vita Filii hæc ipsa est à Patre genita vita, sapientia, tota quanta maxima est divinitas, quæ tota vita & sapientia est. Ita Pater dedit, sicut habet: quod habet, dedit; qualem habet, dedit; quantam habet vitam, sapientiam, substantiam, tantam dedit; eumque hoc totum Deus sit, non potest seipso majus, aut minus esse. Inde fit, ut non majus sit dare, quàm accipere: generare, quàm generari: quia ut totum, ut summa Deitas datur, ita & accipitur. *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Sicut habet, dedit: quod habet, dedit: qualem habet, talem dedit: quantam habet, tantam dedit. Omnia quæ habet Pater, Filii sunt. Non ergo aliquid minus, quàm Pater habet, Filio dedit: nec amisit Pater vitam, quam Filio dedit. Vivendo enim tenuit, quam gignendo dedit. Vita est autem ipse Pater, vita & ipse Filius. Et ille quippe & iste id habet quod est ipse: sed ille de nullo vita, iste vita de vita: sed talis qualis illa, tanta quanta illa, hoc omnino quod illa, quia verus est Filius, quia perfectus est Filius, quia non est degener ab uno Deo Patre Deus unicus Filius.*

Augustin. l. 3. c. 14. Tom. 6. pag. 268.

Rursus mox ibidem differit sanctus Pater, cùm det Pater, non tam dando, quàm gignendo: & accipiat Filius, non tam accipiendo, quàm nascendo, & de ipsa Patris substantia nascendo; æquè splendidum esse, accipere, quàm dare; nasci, quàm generare: quia non accipitur, non nascitur, nisi quo nihil majus, nihil splendidius esse potest, summa ipsa Divinitas. Cùm nascendo omnia accipiat Filius, ipsam cum Patre æqualitatem accipit. Dante minor non est qui accipit, quando omnia dantur, quando datur æqualitas. Melius est dare, quàm accipere in hac vita mortali, ubi egestas est; non in Deo, ubi non accipitur nisi ipsa summitas, ipsa beatitudo, ipsa copia. *Patri ergo æqualis est Filius. Quidquid eum dicis à Patre accepisse, fatemur & nos prorsus. Pater dedit, Filius accepit. Sed cùm Pater omnia quæ habet gignendo dederit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, ideo æqualem Filium Patri non esse: cùm eum cui data sunt omnia, & ipsam æqualitatem videas accepisse? Scriptum est quidem, Beatum est magis dare quàm accipere: sed in hac vita, ubi est inopia, qua utique melior est copia. Melius enim est habere, quàm egere; & melius est donare, quàm accipere: erogare, quàm mendicare. Ubi autem qui dedit, gignendo dedit: & qui accepit, nascendo accepit: non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit ei qui dedit esse inæqualis, quia & hoc accepit ut esset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille qui dicit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Æqualis est igitur.*

CAPUT XII.

Non ingenitum modò, sed & genitorem esse Deum, & fœcundum in suo ipsius sinu, per quem fœcunda sunt omnia.

I. Ex Augustino, si æqualem sibi prolem generant animantes omnes, quantò magis Deus?

II. Prolixè rursum de eodem ex eodem.

III. Eadem ex Ambrosio.

IV. De necessaria eadem Dei in seipso fœcunditate validissimè Athanasius.

V. De eodem ex Basilio.

VI. Et ex Nazianzeno.

VII. Quàm impiè & insulsè dicerent Filium & Spiritum sanctum conditos esse, ut per eos crearetur orbis.

VIII. Quàm stultum sit ex Chrysostomo eam Deo abrogare fœcunditatem, quam ipse & animantibus omnibus indulsit & plantis.

IX. Quæ Scripturæ in his pugnat, repugnat & naturæ ex eodem.

X. De eadem Dei & creaturæ fœcunditate ex Cyrillo Alexandrino.

XI. Luculentè eadem ex Damasceno.

XII. Cur

XII. Cur gignat Pater, & non gignat Filius & Spiritus sanctus. Luculentissima Athanasii responsio, ut Unitas Deitasque multiplicari non possit, ut longè aliter Pater pater est in Deo, & Filius filius, quàm in hominibus; ibi Pater ipsa paternitas est, & tota, & una, & sola, eterna & immutabilis.

XIII. De eodem ex Cyrillo Alexandrino.

I. LIberanda jam fides nostra est, ut de Dei in seipso necessaria fœcunditate dicamus, quæ in antedictis penè omnibus aut astruebatur, aut supponebatur. Utque ne facilè ab Augustino recedamus, sic ille probat, cùm & homini, & animantibus omnibus id dederit Deus, ut gignerent, & filios generarent sibi consubstantiales: multò magis ea fœcunditatis gloria frustrandum non esse Deum, à quo tota est, quæ usquam est fœcunditas: cujus & imitatio est. Non vetabant Ariani ipsi, quin gignere, & Filium gignere crederetur Deus: ne sterilis ipse sibi esset, qui sterilitatem undique fugat. Sed intercedebant, ne prolem sibi æqualem generaret. Nimirum nec homines, nec animantes nascuntur statim æquales genitori suo, vel genitrici. Sed aliquando tandem per ætatis incrementa evadunt æquales, ait Augustinus: evadunt & majores aliquando: an ergo expectandum erit, dum accrescat Filius Deus in æqualitatem sibi desponsam cum Patre? Quin potiùs cùm sint in rerum creatarum naturis, quæ coævæ sint illis à quibus nascuntur, ut lux Soli, fluvius fonti, calor igni, & id genus alia: quin ea quoque prærogativa frui Patrem Filiumque sinunt? Ita ergo Augustinus post allegata ea Joannis Epistolæ verba, *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo*: Sic, inquam, Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum: *Ipse est Deus verus & vita æterna. Quare verus Deus? Quia verus Dei Filius. Si enim animalibus dedit ut non generent nisi quod sunt; homo hominem generat, canis canem, Deus Deum non generat? Si ergo ejusdem substantiæ est, quare dicis minorem? An fortè quia homo pater quando generat filium, etsi homo hominem generat, tamen major minorem generat? Expectemus ergo ut crescat Christus, quomodo crescunt omnes, quos generant homines. Si autem Christus ex quo natus est, quod non est à tempore, sed ab æternitate, quod est hoc est, & tamen minor est; melior est humana conditio: quia homo vel crescere potest, & aliquando habet ad ætatem Patris sui, ad robur patris sui; ille nunquam, quomodo verus Filius? Usque adeo autem Filium agnoscimus Deum magnum, ut Patri dicamus æqualem.*

August. tom. 6. pag. 214.

II. Inferiùs cùm has comparationes vel derrectarent, vel exploderent Ariani, quasi iis dedecoraretur magis, quàm explicaretur Verbi ex Patre nativitas; respondet, instatque sanctus Pater, non hominis tantùm, sed & canis consubstantialem sibi filium generantis exempla, eo consilio à se esse adducta, ut tantò magis sui puderet ac pœniteret Arianos, qui id Verbo Deo Deique Filio non concederent, quod animantibus, quod etiam infimis animantibus Deus concessit, ut prolem edant sibi æqualem, aut aliquando saltem æqualem eis futuram. *Ubi non solum hominis hominem; verumetiam canis canem filium nominavi; non ad similitudinem Dei, sed ad confusionem detrahentium Filio Dei, qui cùm videant corruptibiles mortalesque naturas habere tamen naturæ de suis parentibus unitatem, Filio Dei vera nolunt concedere communionem naturæ unius habere de Patre, cùm sit inseparabilis à Patre & incorruptibilis æternusque cum Patre. Unde etiam dixi quod melior sit secundum vos humana conditio, ubi conceditur crescere, ut ad robur parentum vel crescendo possint filii pervenire; Filius autem Dei sicut dicitis & docetis, minor Patre genitus sic remansit, ut ad Patris formam non posset pervenire.*

Ibid. l. 2. c. 6. pag. 252.

Urget rursum sanctus Pater, extremæ esse dementiæ, quòd negarent Deo ipsi permittendum, quod ipse extremis etiam vilibusque creaturis concessit, ut gignant, quod ipsæ sunt; cùmque veros illis esse filios agnoscant, negent verum esse Dei Filium ipsam Veritatem. *Hoc respondere est, an potiùs inopiam responsionis ostendere? Quasi ego propterea terrenarum naturarum ista exempla produxerim, ut incorruptioni corruptionem, immortalitati mortalitatem, invisibilibus visibilia, æternis temporalia coæquarem? ac non potiùs ut vos in magnis & summis rebus errantes, de rebus parvulis infimisque convincerem, qui non videtis bonum quod Creator summè bonus dedit etiam extremis vilibusque creaturis, ut cùm longè aliud sint, quàm est ipse; hoc tamen generent quod sunt ipsæ. Nec attenditis quid malè dicatis, ut cùm homines, & canes, & cætera hujusmodi habeant filios veros, quos illis gignentibus creat Veritas, non sit verus Dei Filius ipsa Veritas.* Ibidem.

Hæc eadem Augustinus perscribebat medico Maximo, ex Ariana secta nuper converso, quem & hortabatur, ut quos authoritate antè sua in errorem adduxerat, jam inde abduceret, & Ecclesiæ adgregaret. Sic autem ille idem quod antè strinxit argumentum: *Qui (Deus) cùm in rebus quæ nascuntur in tempore, sua bonitate effecerit, ut suæ substantiæ prolem quelibet res gignat, sicut homo gignit hominem, non alterius naturæ, sed ejus cujus ipse est, vide quàm impiè dicatur ipse non genuisse id quod ipse est.* Et infrà: *Nam si temporalibus & passibilibus rebus Deus tribuit, ut quod sunt, hoc generent: quantò magis ipse æternus & impassibilis, non aliud quàm est ipse generavit unus unicum? ideo nostra inenarrabili admiratione, quoniam sine passione, tanta secum æqualitate, ut eum nec potestate præcederet, nec ætate. Ideo totum quod habet Filius, quod potest, non tribuit sibi, sed Patri, quia non est à seipso, sed à Patre: æqualis est enim Patri, sed hoc quoque accepit à Patre: nec sic accepit unde esset æqualis, quasi priùs fuerit inæqualis; sed natus æqualis, sicut semper natus, ita semper æqualis.*

Epist. 66. Tom. .. pag. 109. 110.

Nec pigebit ex eadem Epistola hæc addere hoc saltem loco, quæ paulò forsan aptiùs superioribus capitibus inseri potuissent: nec tamen parum hìc conducent ad illustrandam hanc comparationem generationis & fœcunditatis, à summo sursum Divinitatis fastigio ad infimas usque viventium quorumcumque naturas defluentis. Accipe ergo quæ de Adamo & de Abele idem ibi differit: *Neque enim Abel & Adam ideo non unius naturæ atque substantiæ fuerunt, quia iste fuit homo de homine illo, ille de nullo. Si ergo utriusque natura queritur, homo Abel, homo Adam. Si autem origo primus homo ex quo Abel, nullus homo ex quo Adam. Item in Deo Patre & Deo Filio, si utriusque natura queratur, uterque Deus, nec magis magnus alter altero Deus. Si autem origo, Pater est Deus de quo Filius Deus, de quo autem Pater nullus est Deus.*

Ita hominum exemplo naturæ unitas & æqualitas Patri Deo Filioque negari non posse declaratur. Quantò verò hæc naturæ & substantiæ unitas in Patre Filioque Deo præstantior sit, quàm in ulla natura creata esse possit, sic luculentè ibidem Augustinus: *Hæc Trinitas unius est ejusdemque naturæ atque substantiæ, non minor in singulis, quàm in omnibus: nec major in omnibus, quàm in singulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul & Filio; & tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre & Filio & Spiritu sancto. Neque enim Pater, ut haberet Filium de seipso, minuit seipsum; sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se, & esset in Filio tantus quantus & solus. Similiter & Spiritus*

Spiritus sanctus integer de integro; non praceait unde procedit, sed quantus cum illo, tantus ex illo; nec minuit eum procedendo, nec auget herendo.

III. Ab his non dissidebat Ambrosius, cùm ab hominum exemplo argumentabatur ad Deum, quasi à minori ad majus, à minimo dicamus ad maximum. Quanta hominis calamitas & contumelia est, non tantùm si prole careat, si sterilitate damnetur, si sibi similem, si suæ naturæ & substantiæ, si æqualem sibi prolem non habeat? Quid ergo de Deo æstimandum? *Nunc consideremus, quas Ariani Dei Filio inferant quæstiones. Dissimilem Patri dicunt esse Dei Filium. Hoc si homini objiciatur, injuria est. Ex tempore cœpisse dicunt Dei Filium, cùm conditor ipse sit temporum. Homines sumus, & esse nolumus temporales. Ex tempore cœpimus, & sine tempore futuros esse nos credimus, & fieri nos optamus æternos. Et quomodo negare possumus Dei Filium sempiternum, quem sempiternum docet atque demonstrat natura, non gratia?* Et aliquantis interjectis: *Quid multa? Patrem interrogemus, cujus honori studere se dicunt, si Filius degener judicetur. Sed non est honorificentia boni Patris, Filii injuria. Non potest bono Patri placere, si Filius degenerasse potiùs à Patre, quàm Patrem æquasse credatur.*

Ambrosius L. 1. de Fide. c. 3. 4. Tom. 4. pag. 17. 18.

IV. Pergamus jam ad Græcos, & præ cæteris ad Athanasium, qui acerbissimè Arianos objurgat, quòd divinam naturam nolebant esse fœcundam, καρποφόρον; sed sterilem, instar lucis non lucentis, aut fontis exarescentis. Contrà enim constat & lucis & fontis naturam & decus in eo esse, ut consimilis semper ex illis vel lux, vel aqua maneat. Nec fas erat divinam fœcunditatem ad creatas ab illa naturas arctare & circumscribere; cùm ea non naturæ, sed voluntatis fœcunditas sit. Et prior est autem & amplior & longè honorificentior naturæ fœcunditas, quam voluntatis. Natura humana fœcunditatem suam explicat in simillimam ei sobolem; voluntas in opificia. Quantùm opificia hæc hominis posthabentur filiis ejus, tantò illa fœcunditas huic anteponenda est. Utram ergo priùs fœcunditatem Deo adscribemus? Utramque certissimè; sed illam priùs, sed potissimùm, quæ naturæ est, quæ nobilissima est, & tunc demum istam posteriorem. *Quod si non fœcunda, sed sterilis est divina substantia, ut lux non lucens, aut fons qui amissis fluentis exaruit: Qui fit ut vim condendi illam habere dicentes, nullo pudore suffundantur? & adimentes quæ sunt naturæ, non vereantur id ei attribuere, quod ex voluntate dependet? Jam, si ea quæ extranea sunt, neque antea existunt, ubi tamen voluit ea esse, creat & eorum conditor efficitur; quantò prius citiùsque Pater fuerit Prolis suæ ex sua ipsius substantia prodeuntis? Nam si velle attribuunt Deo circa non entia, cur id, quod supra voluntatem in Deo est, atque anterius non agnoscunt? nimirum, ex natura Patrem esse sui Verbi, prius quiddam esse, & sublimius voluntate. Si igitur, quod prius est secundùm naturam, non extiterit pro illorum stoliditate, quomodo id quod posterius est, & ex voluntate originem trahit, existere posset?*

Athanasius Orat. 2. contr. Arian. pag. 433.

V. His gemina sunt, quæ philosophatur Basilius adversus Eunomium; nam & philosophari quandoque Theologos necesse est adversùs philosophantes hæreticos; sed & aliàs suprà ostensum est ex Patrum consensione, ita fas, jusque esse, ut ratio humana, ut ratiocinatio, ut argumentatio, ut Philosophia fidei, & Theologiæ fidem illustranti famuletur. Sic ergo Basilius argumentatur: Si Deus non generat, ne passiones generationis comites in illum cadant; ne creatorem quidem illum & opificem mundi esse potuisse, ne illi quibus architecti obnoxii sunt labores, ne perturbationes & defatigationes in illum etiam caderent. Si creator his potest carere molestiis opificum, quin ergo & genitor generantium? Si lux sine passione lucem effundit, & quidem sibi coævam: quin & sapientia sapientiam, veritas veritatem, Pater Deus Filium Deum? Hæc enim in creaturis imitamenta quædam sunt summi creatoris. *Si Deus non generat, ne fluxum patiatur, nec creabit ne laboret: quod si creat absque passione, multo magis sine passione generabit. Si omnis lucis splendor generatur quidem ex luce, non autem aliquando, sed sine tempore & coæternaliter illi: non enim est lux sine splendore: Filius etiam cum splendor sit, non aliquando erit, sed coæternaliter: Lux enim est Deus.*

Basilius contr. Eunomium, L. 4. Tom. 1. pag. 760.

Nec multò pòst insurgit iterum Basilius, & ita argumentatur: Generandi Deo nec deesse posse vim & fœcunditatem, cùm ea sit primaria quædam naturæ perfectio: nec voluntatem, cùm naturæ suffragetur semper voluntas, & ab invidentia procul sit summa bonitas, quæ natura Dei est. *Si Deus non generat, non generat profectò, vel quoniam non potest, vel quoniam non vult: sed si non potest, minor est, quàm generans & perfecta natura; præterquam quod imbecillis est. Quod si potest & noluit, quod natura habet, voluntate cohibuit. Quare etsi nondum genuit, tamen cum aliquando voluerit, generabit.*

Ibidem pag. 761.

VI. Eloquentissimè suo more Nazianzenus pronunciat, si homini amplum est ad honorem, si amplissimum, quòd filium habeat, habeatque sibi non disparem; si honorificentius id illi est & longè suavius, quàm sexcentis servis imperare; eccur eam amplitudinem, & suavitatem Deo abrogant, & ad sola servorum obsequia illum coarctant; vel ad filium, nomine tenus filium, reapse degenerem? *An verò tibi ad honorem amplum, atque adeo amplissimum erit, quod Filium habeas, idque eo magis, si patrem in omnibus rebus referat, verumque genitoris sui simulacrum gerat; tibique sexcentis servis imperare minùs jucundum futurum est, quàm unius Filii parentem esse? Deo autem quidpiam majus ac præstabilius erit, quàm Filii Patrem esse, quod quidem gloriæ accessio est, non decessio, quemadmodum & Spiritus productorem esse?*

Nazian. Orat. 11. pag. 183.

VII. Quàm erat autem & à ratione alienum & à pietate, quòd Filium & Spiritum sanctum dicerent à Patre ingenito procreatos, ut eorum opera uteretur & ministerio ad rerum creationem & administrationem? Ita enim rebus creatis omnibus illi postponebantur; cùm viliora sint ea semper, quæ propter aliud, quam quæ propter sese conduntur. *Ante illud fugit cum Deum Filii, ac Spiritus, velut creaturarum, principium statuis; nec principium abs te honorari, & qua ex eo manant, ignominia affici? illud, quia vilium, & exiguorum, ac Deitate indignorum principium constituis: hæc, quia parva, nec creata tantùm, sed omnium etiam, quæ creata sunt, contemptissima & abjectissima facis. Si quidem horum causa, & aliquando condita sunt, non secus ac instrumenta ab artifice, quæ ante artifices non erant, nec aliàs extitissent, nisi quid eorum opera Deus creare voluisset, perinde videlicet ac voluntas ipsa nequaquam sufficeret. Quidquid enim alicujus rei causa factum est, abjectius est eo, propter quod factum est.*

Ibidem.

VIII. Illis succensebat Chrysostomus, qui quærebant adhuc, quod jamdiu fides Ecclesiæ, quod consensus humani generis invenerat, An Verbum, an Filius unius esset cum Patre substantiæ? Ejusdem enim esse substantiæ cum qui genitus est, cum eo qui genuit, tot sunt certissima documenta, non solum quot sunt homines, sed etiam quot sunt animantes, quot arbores. In his enim omnibus immota illa lex Dei manet. Harum verò naturarum vel summum id decus est, quòd ita generent, ita generentur. An ergo Deus ea gloria,

ea

ea fœcunditate, ea lætitia fraudabitur, qua suas ipse creaturas ornavit? *Quærimus enim an ejusdem virtutis, an ejusdem potentiæ sit, an ejusdem cum Patre substantiæ Filius. Immo verò non quærimus, sed Christi beneficio jam invenimus, & firmiter tenemus; sed ad hoc ipsum demonstrandum iis, qui nimis impudenter his se opponunt, jam nos accingimus: Enimverò pudet me, ac rubore suffundor, cùm ejusmodi sum orationem ingressurus, Quis enim eos non rideat, qui res adeo claras probare ac demonstrare conentur? quis inquam eos non damnet, qui quærunt, num consubstantialis Patris sit Filius? id enim est non Scripturis solùm, sed & communi hominum omnium sententiæ ac rerum naturæ adversari. Nam ejusdem esse cum cum suo genitore substantia, qui genitus est, non in hominibus solùm, sed & in cunctis animantibus & in arboribus cernere licet. Annon igitur absurdum est, si cum in plantis, in hominibus & animalibus immota lex ista maneat, in Deo tantùm eam movere velis & subvertere?* Chrysostom. Hom. 32. Tom. 1. pag. 406.

IX. Scripturas his placitis consentaneas, immo & in hæc duces & magistras mox allegat & confertim stipat Chrysostomus; ubi & Filius dicitur, & unigenitus, & in sinu Patris locatur, & splendor gloriæ, forma & imago Patris prædicatur, & unum cum Patre. Ex his illud perspicuè colligitur, qui fidei catholicæ, qui Scripturæ adversantur, eos teste Chrysostomo, immo his exemplis demonstrante Chrysostomo, *etiam communi omnium hominum sententiæ & rerum naturæ adversari.* τῇ κοινῇ πάντων ἀνθρώπων δόξῃ, καὶ τῇ τῶν πραγμάτων φύσει μαχόμενοι ὦσι. Jam verò audiamus, ut ille in hanc rem Scripturarum testimonia accumulet, contra eos, qui se Filios quoque Dei dici jactabant, etsi ejusdem non essent cum Deo substantiæ: *An tu filius appellaris? at ille est: hic appellatio, illicres ipsa: tu Filius appellaris; sed unigenitus ut & ille non appellaris; sed in sinu Patris non versaris, sed non es splendor gloriæ; sed neque figura substantiæ, neque Dei forma existis. Si ergo tibi non persuaserit illud prius, hæc & his multò plura persuadeant, quæ nobilem ejus originem illam testantur. Quando enim substantiam suam à Paterna vult ostendere nulla ex parte diversam: Qui vidit me, inquit, vidit Patrem; quando autem propriam virtutem: Ego, inquit, & Pater unum sumus: quando potestatis æqualitatem, Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat: quando cultus identitatem, Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: quando demum in legum mutationibus auctoritatem, Pater meus, inquit, usque modò operatur, & ego operor.*

Ex quibus patet, non rarò ubi videtur, sive fides, sive Scriptura res supra fidem, supra rationem credendas promulgare nobis; tum per eas rationem rationi, hominem sibi ipsi reddi, qui à ratione priùs & à seipso peregrinabatur. Hæc erat Arianorum conditio, sibi magnoperè sapere videbantur, & rationem ac naturam ducem sequi. Et tamen cùm non inficiarentur Filium & esse suum Deo, & ab eo nasci, & splendoris ejus ac gloriæ singulare specimen esse: omnia & Patri & Filio mox abrogabant ornamenta, quibus ne homines quidem, immo nec animantes, nec arbores ipsas frustrare poterant.

X. Præstantissimè in hoc eodem argumento versatus est Cyrillus Alexandrinus in Thesauro; ubi docet Dei proprium esse, ut & ipsum esse sit, & ex seipso gignat; naturis verò creatis ex parte ab eo donari, ut omnes sint, & ut gignant earum aliquæ. Quod enim non omnes gignant, argumento id esse, ab eo dispensatam esse pro ipsius voluntate, ut essendi copiam, ita & gignendi facultatem. Non igitur nisi ex aliqua Dei participatione & imitatione sunt & gignunt naturæ creatæ. Quàm absurdum ergo fuerit, ut ex Dei participatione id habeat natura creata, ut ex sua ipsius substantia prolem gignat, & id non habeat Deus? *Quod igitur verè est, cui & maximè proprium est nomen Esse, hoc & quidem solum, secundùm essentiam gignit. Reliquæ omnes creaturæ, ut verbi gratia homines, potiùs voluntate Dei, gignendi facultate donatæ sunt, aut secundùm propriam essentiam hoc faciunt: divina enim quædam lex cogit gignere etiam id quod gignere non solet. Quandoquidem enim Deus ita voluit, ita & factum est. Nam si ex sua substantia propriè ac peculiariter creaturæ gignendi facultatem haberent, cur non omnes possunt gignere? Quum verò nonnullæ gignant, nimirum illæ quibus id imperatum est; manifestum est gignendi facultatem non tam secundùm naturam creaturis inesse, quàm jubente & cogente lege, quam unicuique creaturarum imposuit creator. Quocirca id quod propriè ex se gignit, Deus est: nos verò ad illius imitationem. Quomodo autem non absurdum fuerit hominem secundùm imitationem ex seipso gignere, Archetypum autem, sive exemplar ad quod formatus est, non ex se potiùs, sed extrinsecus gignere? Quum itaque veritas hujus rei satis declarata sit, nihil erit quod obstet, quo minùs Pater Filium ex seipso gignat.* Cyrill. Alexand. tom 5. part. 1. pag. 133.

XI. Advertamus jam animos aureisque ad Damascenum, qui ita profitetur, impossibile esse, ut Deus naturæ fœcunditate destituatur, & ex substantia sua non generet; non dico, non procreet aliquid extra se, sed ut in natura ipse sua non generet sobolem sibi æqualem. Voluntatis est enim, ut extra se creet; at naturæ est propria fœcunditas, ideoque hanc necesse est illius amplitudini & æternitati respondere & coæquari. *Nam impossibile est, ut ita dixerim, Deum esse destitutum nativæ fœcunditatis partu; Partus autem, cùm ex seipso, id est, ex propria substantia generat. Atqui in Filii generatione, impium est dicere, intercipi mediareque tempus, aut post Patrem Filii substantiam generari. Ex ipso enim, id est, ex Patris natura astruimus Filii generationem. Caterùm si non à principio dederimus Filium coexistere ei, ex quo genitus est, mutationem substantiæ Patris inducemus. Nam cum non esset Pater, posteriùs effectus est Pater. Nam tametsi creatura postea facta est, non tamen ex Dei substantia: quippe quæ ex nihilo ad esse voluntate ejus atque virtute perducta est; neque ulla attingit mutatio Dei naturam. Et generatio est, ex substantia gignentis proferri quod gignitur, simile secundùm substantiam. Sed creatio & factio est extrinsecus, & non ex substantia creantis & facientis, fieri quod creatur & efficitur, & dissimile prorsus secundùm substantiam.* Damascen. De fide Orthod. l. 1. c. 8. p. 24. 25.

Perspicua sunt hæc Damasceni verba, & antiquissimæ Græcorum Patrum Theologiæ hauddubio consentanea: ἀδιάπτον γὰρ τὸ θεὸν εἶναι τῆς φυσικῆς γονιμότητος; ἢ ὃ γονιμότης ἐκ τοῦ αὐτοῦ, ἤγουν ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας ὅμοιον κατὰ φύσιν γεννᾷ. Quæ eadem mox ita confirmat Damascenus ex lato illo discrimine, quod creationi & generationi intercedere necesse est: *Sed generatio quidem sine principio, & æterna, naturæ opus est, & ex substantia ejus profecta: ita ut is qui generat, mutationem non subeat ullam: & ut non Deus primus, & Deus posterior sit, atque additionem signet. Creatio verò à Deo cum voluntatis opus sit, non coæterna Deo est; quando quidem suapte natura capax non sit, quod de non esse ad esse deducitur, coæternum illi esse, qui sine principio, atque aliquid sempiternum, est.*

XII. His conjuncta est illa quæstio, Cur sit in solo Patre illa fœcunditas gignendi Filii, & non in Filio quoque, vel in Spiritu sancto; ne & ipsi tanta gloriæ prærogativa priventur. Huic jam dubitationi factum est satis, ubi ostensum est, non minùs decorum amplumque esse, à Deo gigni, quàm Deum gignere; illam fœcunditatem termi-

nare,

nare, quàm explicare; in Patre possidere, quàm in seipso. Sed cùm eo nos jaculo frequenter lacessèrent Ariani, ab Athanasio repercussum illud est; responsum est inquam, Humanum illud esse, & creatæ naturæ proprium, ut vicissim filii, patresque fiant: patrum similes sint & imagines, etiam dum generant; filios usque procreent, qui & alios rursum in infinitum & hi alios procreaturi sint. Corporeæ & materialis naturæ hæc propria sunt, ab simplicitate, unitate, incorruptibilitate divinæ substantiæ remotissima. Unitatis enim summæ illud quidem est, ut non sterilescat, ut sese propaget; non autem ut in Deorum infinitam multitudinem effundatur. En verba Athanasii: *Si enim, inquiunt, genitum quiddam ex Patre est Filius, & imago ejus, similisque ei per omnia: debet omnino quemadmodum ipse est genitus, ita quoque de se gignere, ipsumque fieri alicujus Filii Patrem: vicissimque qui ex eo genitus est, etiam ipsum quoque liberos procreare, idque per ordinem in infinitum usque. Ea enim res genitum similem ostendit genitori. O inventores blasphemiæ ac verè Christi perduelles, qui, cùm Filium imaginem Patris esse confiteantur, corporalia ac terrestria de ipso Patre sentiunt, defectationes, effluxus item & influxus adversùs Deum causificantur! Siquidem igitur Filius homo est, fiat etiam genitor ut homo, fiat quoque Filius alterius filii pater, atque ita vicissim ex se mutuò procreentur; ut in multitudinem Deorum ea invicem prolis successio, secundùm eorum opinionem sese propaget. Quod si Deus talis non est, qualis homo, ut certè non est, non debent ea quæ hominum sunt, illi imputari.*

Athanas. adv. Arian. Orat. 2. Pag. 151.

Cùm enim temporaria & suapte corruptibilis sponte sit hominum natura, illos necesse fuit alios in aliorum locum succedere, & ita qualemcumque naturæ suæ diuturnitatem perpetuare; ex filiis patres evadere, & filios sibi alios successoresque procreare, ne funditus omnes aliquando intereant. At cùm Divinitas quantumvis fœcunda, & incorruptibilis tamen sit, & æterna, nihil opus habuit, ut qui Filius fuerat, fieret aliquando pater quasi sibi successuri filii. Inde enim fit ut inter homines nemo propriè pater sit, nemo propriè filius; sed qui pater, sit idem filius; & qui filius, sit idem si lubet pater; nec semper, sed aliquando & aliquandiu sit vel pater, vel filius. At Deus quidquid est, totus est, omnino est, semper est, id tantùm est, necessariò est, ut mutari non possit, nec aliud quidvis evadere. Itaque qui Pater est, Pater tantùm est, Pater semper fuit, eritve; non potest non esse Pater: totam paternitatem occupavit, ut non possint alii patres similiter esse. Qui Filius est, filietatem totam & indemutabiliter præsumpsit ac præcepit, ut nec alii possint esse Filii ejusdem naturæ, nec pater possit ipse evadere. Non Pater tantùm est, sed & paternitas ipsa, qui Pater est. Filietas similiter est ipsa, qui Filius est; sicut Deitas & Sanctitas ipsa est, qui Deus & Sanctus est; ut tam multi non possint esse Patres vel Filii ejus ordinis, quàm nec multæ paternitates, aut filietates; uti nec multæ Deitates. Ut enim totam Deitatem anticipavit, qui non particeps Deitatis est, sed Deus & Deitas ipsa; ita totam in se se uno possidet paternitatem Pater, filietatem Filius. Denique ut paternitas esse non potest filietas, & vicissim; ita nec Pater Deus potest evadere Filius, nec Filius Pater: quia non aliud est in Deo Pater, quàm paternitas; Filius, quàm filietas; Deus, quàm Deitas. Hæc sunt prorsus quæ nobis Athanasius his verbis ibidem enucleavit: *Nam cætera animalia, unàque cum iis homo, ex opifice principia per successionem mutuò à se invicem progignuntur; & genitus, ex patre olim genito naturam accipiens, meritò & ipse quoque alterius pater efficitur, possidens hoc ex Patre in se, ex quo & ipse est genitus. Ideoque in istis nihil est propriè aut pater aut filius, neque in illis stabilem locum habent persona patris & filii. Nam qui filius est, pater efficitur; filius quidem ejus qui ipsum genuit, pater verò illius qui ex ipso genitus est. Verùm id in Divinitate se ita non habet: non enim Deus ut homo, neque Pater ex patre originem traxit; unde fit ut gignat non progeniturum: atque ita Filius neque est ex effluxu parentis, neque ex Patre genito genitus est; ideoque non genitus est ad gignendum. Quapropter in sola Deitate Pater propriè pater est, & Filius propriè filius est, & in illis solis consistit, ut Pater semper sit pater, & Filius semper sit filius.* Et ibidem consequenter: *Quocirca qui percunctatur, cur non prolificus sit filii Filius, hoc ipsum percunctatur cur non Pater patrem habuerit. Ceterùm ambo illa sunt absurda, & plena omni impietate: ut enim Pater semper est Pater, neque unquam fuerit Filius; ita quoque Filius semper est Filius, necque unquam fuerit Pater. In illo enim sigillum & imago Patris evidentissimè ostenditur, quia id manet quod est, & non immutatur, retinetque ex Patre identitatem. Si igitur Pater mutatur, mutetur & imago: pro ratione enim genitoris, imago & splendor genitoris se habet. Quod si invariabilis est Pater, & hoc ipsum quod est, permanet; necessariò est imago, idipsum quod est, permanet, & non variabitur. Est autem Filius ex Patre, non igitur aliud fiet quàm id quod est, proprium substantiæ Patris.*

Ex quibus id tandem efficit Athanasius, ut in Deo & fœcunditas, & Pater, & Filius colatur, credaturque, cùm ea sint illustria cum primis decora in naturis creatis; ut non statim Deo illinamus, quæ hìc conjuncta sunt in nobis, vel dedecora, vel maculosæ infirmitatis nostræ vestigia. *Agite ergo, vel solo auditu, dum nomen Patris, aut Filii dicitur, ad fidem inducamur, ut credamus eum non talem esse, quales nos sumus; quippe qui sit qualis Deus est: neque eum creare, ut creant homines, siquidem creat ut Deus: neque gignere ut homines gignunt, siquidem gignit ut Deus. Nec enim humana imitatur Deus, cùm homines contrà ad divina per imitationem sese effingant, & similitudine unici Patris, ac verè Patris relatu liberorum suorum, & ipsi quoque parentes appellentur. Siquidem ex eo omnis paternitas in cœlo & in terra nomen suum accepit.* Basilium de hac eadem re suprà audivimus.

Ibidem pag. 151.

XIII. Cyrillus verò Alexandrinus ita ratiocinatur: Si volunt ut, nostro more, qui genitus est Filius, filios & ipse gignat: quin ergo & Patri patrem assignant anteriorem, quando & ita habent res nostræ? Si Pater ex adverso sine patre est, & totus Pater, & tantùm Pater; quin & Filius sine filio sit, totus filius, tantùm filius? *Si autem necesse est, ut is qui genitus est, gignat, propter naturalem nostram consuetudinem, ut ea quæ Deitatis propria sunt, humanis legibus subjecta sint: quid obstiterit quominus Patri etiam patrem constituamus? Ita enim nostra consuetudo fert. At verò si Pater ex nullo principio est, nostrasque leges & mores longè superat, ut Deus; nulla ratio coget Filium gignere. Erit enim hoc facto Patri similis, ut omni necessitate superior existens, ut Deus.*

Cyrill. Alex. Thesauro pag. 134. Item in Pag. 4.

Nec minùs luculentè idem mox Cyrillus ita ratiocinatur: Usque adeo non potest Filius, ex eo quòd non genuerit, Patri dissimilis videri: ut ex adverso vel hinc simillimus illi sit prædicandus. Ut enim Pater propter incommutabilem naturam ita Pater est, ut semper fuerit Pater, nec potuerit unquam esse Filius: sic Filius ita incommutabiliter Filius est, ut non possit unquam Pater evadere, eòque paternam incommutabilitatem in seipso ostendat. *Nemo mentis compos dixerit, dissimilem Patri Filium videri, eam ob causam, quòd ipse etiam non genuit, neque Filii Pater factus sit. Imò vero per hoc potius admirabilem quandam*

Pag. 151.

Ibid. p. 116.

& perfectissimam cernet Patris in Filio imaginem. Quemadmodum enim Pater mutationis alternationisque expers semper manet Pater, neque in Filium transmutatur: ita Verbum ex ipso Filius procedens, manet id quod est, Patris immutabilitatem etiam per hoc in sese ostendens. Similis igitur juxta hoc quoque est Patri.

CAPUT XIII.

Rursum ex Patribus Latinis, cur Filius non genuerit. Ex Græcis & Latinis, volens an nolens genuerit Pater.

I. Refellit Ambrosius Arianos omnipotentem esse Filium negantes, quia Filium generare non potuit.

II. Ex eodem, tam incomprehensibile nobis esse, quòd genuerit Pater, quàm quòd non genuerit Filius: omnia enim ibi summa.

III. Augustini quoque in eam rem luculenta responsio.

IV. Quatenus potuerit, aut non potuerit hæc nostra de Trinitate Theologia & fides rationibus philosophicis constitui, aut confirmari.

V. Ex Augustino, summa perfectionis est, quod ut nunquam cœpit, ita nunquam desiturus sit nasci Filius. Variæ ex eodem demonstrationes. Ubi & quæ locum hìc habeant demonstrationes.

VI. Deus cùm lux, sapientia, vita sit, non potest ex Ambrosio non æqualem sibi gignere lucem sapientiæ & vitæ.

VII. Ex Hilario contumeliosum esset Patri, si æquaretur ei quisquam alius, quàm Filius ex eo genitus, & omnia ab eo habens.

VIII. Eunomio quærenti, volens, an nolens genuisset Pater, quid responderet Augustinus.

IX. An dici possit Filius Consilium Patris, vel potiùs Consilium de Consilio, ut Sapientia de Sapientia.

X. Egregiè Athanasius, quàm præclarius sit natura, quàm voluntate esse Patrem; ut natura Filius gignatur, sicut natura bonus & fœcundus est Deus.

XI. Ut dici possit Deus sapiens esse sapientia quam gignit; exemplum Angeli & hominis.

XII. Ex Nyssena, Deus summum Bonum cùm sit, non potest non sese effundere, & generare Filium, & natura, & voluntate.

XIII. Epiphanii doctrina, Deus gignit non volens, non nolens, sed ineffabili naturæ præstantia.

XIV. Eadem omnia ex Cyrillo Alexandrino.

XV. Præclarè rursum nonnulla ex Athanasio.

I. Dialecticas easdem machinas & argumentationes retorquebat etiam Ambrosius in eosdem hæreticos, qui Patrem quidem confitebantur omnipotentem; at eandem omnipotentiam Filio abjudicabant, quòd Filium ipse gignere non potuisset. Contrà arguebat Ambrosius, si per Filium omnipotens esset Pater, aut ei coæternum fuisse Filium, aut ne Patrem quidem cœpisse esse omnipotentem, nisi ex eo tempore, quo Filium genuisset. Quippe si potentia Patris ex Filii pendet generatione, aut æterna fuit Filii generatio, aut ne potentia quidem Patris fuit æterna. *Quidam hoc etiam ad inæqualitatem Dei Patris & Filii objiciendam usurpare consuerunt, quia dicant omnipotentem Patrem esse, quòd genuerit Filium; negent autem omnipotentem Filium, dicentes quod generare non potuit. Sed vide sæva impietas, ut dialectica Philosopherum seipsam convincat. Hac enim quæstione aut coæternum Patri Filium necesse est sua voce fateantur; aut si principium temporis Filio aliquod adscribunt, principium potentiæ necesse est tribuant etiam Patri. Ita cum omnipotentem Patrem negant, incipiunt, quod nefas dictu est, asserere per Filium Patrem omnipotentem esse cœpisse. Nam si per generationem omnipotens Pater, utique aut coæternus Patri Filius; quasi si semper omnipotens Pater, sempiternus & Filius est; aut si fuit quando non erat Filius sempiternus, fuit ergo quando non erat omnipotens Pater. Nam cum volunt dicere Filium aliquando cœpisse, in illud recidunt, ut & Patris potentiam dicant non semper fuisse, sed ex Filii generatione cœpisse. Ita dum Filio Dei cupiunt derogare, plus tribuunt.* Ita ille Libro IV. de Fide.

Ambrosius Tom. 3. c. 4. pag. 121.

II. Ubi verò urgebant illi inæqualem esse Patri Filium, si non æquè ipse genuerit: respondet Ambrosius, non semper impotentiores esse in hominibus, qui prole carent: non semper potentiores, qui abundant. Sed non paulò aptius & Deo dignius est, quod mox ille respondet, Arcanum illud divinæ generationis penetrale ipsis Angelorum primatibus inaccessum esse, indissociabilem esse distinctionem Trinitatis æternæ; multò minùs posse nos homunciones arbitros sedere, cur genuerit Pater, non genuerit Filius; Filium quidem non esse Patrem, at nec Patrem esse Filium; Filium non genuisse, Patrem genitum non fuisse: porro hæc omnia summa & incomprehensibilia esse, ut non alia aliis majora esse possint, quia summa in Deo & optima sunt omnia. *Est quidam uterus paternæ arcanum substantiæ, interiusque secretum, quod non Angeli, non Archangeli, non Potestates, non Dominationes, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura. Cum Patre enim semper, & in Patre semper est Filius. Cum Patre per distinctionem indissociabilem Trinitatis æternæ: In Patre per divinam unitatem naturæ. Quis igitur hic arbiter Divinitatis, qui discutiat Patrem ac Filium, ille quare generaverit, iste cur non genuerit?* Et paulò pòst: *Cur, inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est, Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est; nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius: Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis. Est quædam indistincta distinctè incomprehensibilis & inenarrabilis substantia Trinitatis.* Ibid. p. 123.

III. Ex Augustino pauca hæc delibabo in hanc rem adversùs Maximinum Episcopum Arianorum: *Absit autem ut quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit. Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia & ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur. Similiter etiam ille si nepotem non gigneres avo suo, & pronepotem proavo suo, non à vobis appellaretur omnipotens: nec impleretur generationis series, nisi semper alter ex altero nasceretur: nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus omnipotens.* Tom. 6. pag. 266. L. 3. cap. 12.

IV. Tametsi ergo & fidem toto orbe jam inde ab exortu sæculi disseminatam, & Scripturam necessariò adhiberi oportuerit ad Trinitatis Catholicam doctrinam stabiliendam; satis dilucidè tamen patet ex antedictis, non potuisse vel Philosophos vel Hæreticos adversùs eam insurgere, & ratiocinationes suas objectare, quin non authoritatis tantùm pondere, sed & validissimis argumentis opprimerentur. Nisi utriusque Testamenti Traditio & Evangelica prædicatio fidem nobis inseruisset beatissimæ Trinitatis; vix ad eam utcumque attingere potuissemus: in ea consistere, firmari, orbem universum adgregare, ne vix quidem. At ubi Traditio, Scriptura, prædicatio eminentissimam illam Theologiam humano generi promulgavit; quando postea humana ratiocinatio,

Dialectica, Philosophia ad eam hinc oppugnandam, inde propugnandam accessit, tum apertissimè diluxit, quàm arcana, quàm vehemens esset rectæ rationis, & Philosophiæ sanæ consensio cum Doctrina Christiana. Nec enim potuit illi mundana Philosophia bellum indicere, quin suis se armis conficeret. Naturam divinam, etsi ipsamet Unitas sit, esse tamen fœcundam suo in ipsius gremio, esse Patrem, esse Filium Dei Patris Deum, nisi Religio persuasisset, suspicari potuisset ratio, & conjectare, intelligere aut demonstrare non facilè, non omnino potuisset. At ubi eam fidem Religio semel instillavit, ubi excoluit pietas, exercitatio, meditatio, tunc tanta non rarò accensa est lux, claritasque, ut jam non sola fide totum illud dogma niteretur.

Eò pertinebant illæ Patrum paulò superiùs argumentationes, ut demonstraretur & fœcunditatem Dei naturæ non soli voluntati ascribendam, & adsignandum ei Filium, qui ab ejus substantia, majestate, æqualitate non degeneraret; & nec illum Patrem patris alterius filium esse posse, nec illum Filium esse posse alterius filii patrem; & quanquam amplissimum sit in natura divina genuisse, nihilo obscurius, aut minus esse in ea genitum fuisse: & tantundem esse gloriæ & majestatis, divinitatem accipere, quàm dare; cùm in accipiente tota sit & dandi, & dati, & dantis gloria & majestas; & amplius denique esse, ut sit, utque dicatur Pater, quàm ut ingenitus & innascibilis. Etsi ab his incipere humana ratio & Philosophia non potuisset; jam sæpè dictis tamen adjuta adminiculis, & jam robustior seipsa & vegetior facta, in his ita firmari potuit, ut jam aliqua saltem ex parte ad intelligentiam attigisse videri possit tanti sacramenti. Quis Athanasio, Nazianzeno, Basilio, Cyrillo, Augustino eam gloriam invideat? Sed de his copiosiùs infrà.

V. Redeo ad Augustinum, qui adversùs Arianos declarat, nec cœpisse Patrem, nec destitisse gignere Filium; ideoque æternam esse illam generationem; nec verò imperfectam eam dici posse, quòd semper nascatur Filius, & non semel natus sit. Si enim candor à luce effundi, non postea, sed cum ipsa luce incipit; nec aliquando effundi desinit, sed semper effunditur; & hinc non imperfectio ejus aliqua, sed eximia perfectio colligitur: si sapientia increata, quin & creata Angelus pro suo modo naturæ, sapere, & sapientiam suam effundere non posteriùs cœpit, sed statim, sed semper eam ex se fundit, & hinc eximia quædam perfectio ejus concluditur. Si hæc, inquam, ita se habeant, poterit ergo Pater Deus ita Filium, splendorem, sapientiam ex se suam effundere, ut nunquam cœperit, nunquam destiterit, nunquam destiturus sit; & hinc summa quædam ejus naturæ perfectio intelligatur. *Quid ergo dicemus? Si natus est Filius Dei de Patre, jam Pater destitit gignere; & si destitit, cœpit: si autem cœpit gignere, fuit aliquando sine Filio; sed nunquam fuit sine Filio, quia Filius ejus sapientia ejus est, quæ candor est lucis æternæ. Ergo semper gignit Pater, & semper nascitur Filius. Hic rursus timendum est, ne putetur imperfecta generatio, si non dicimus natum esse, sed nasci.*

Augustinus Lib. 1. 47. Tom. 4. pag. 2. k.

Eodem pertinet & illa ejusdem sancti Patris alia argumentatio. Æqualem sibi Filium Deus habere aut noluit, aut non potuit. Noluisse, invidiæ est: non potuisse, impotentiæ. Procul est hoc utrumque à Deo. *Noluit Deus habere æqualem Filium, aut non potuit? Si noluit, invidus est; si non potuit, infirmus est. Utrumvis autem horum de Deo sentire sacrilegum est; nescio utrum possint invenire quid dicant, si nolint res absurdissimas & stultissimas dicere.* Et alibi: *Deus quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est: si potuit, & non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.* Latè manat hæc argumentatio, & æquè probat coæternum quoque sibi Filium genuisse Patrem: probat & revera genuisse, nec improlem permanere potuisse Deum.

Ibidem.

L. 1. q. 22. Tom. 4. pag. 2. k.

Hujusmodi sunt rationes eæ, quibus elucidantur ea quæ jam fide complexi sumus in divinis rebus. Rari sunt, aut potiùs nulli, qui hinc possint ordiri; non rari autem, qui ad hoc intelligentiæ divinorum culmen grassati sunt. Ita enim ibidem paulò antè Augustinus tripartitò diviserat res omnes: in eas quæ credi possunt, non possunt intelligi: eas quæ statim intelliguntur; & eas denique quas primùm necesse est credi; ita vitam purgari, mores emaculari, aciem mentis mundari, ut videre possit & intelligere ea, ad quæ priùs caligabat. *Credibilium tria sunt genera: alia sunt quæ semper creduntur, & nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia, temporalia & humana gesta percurrens. Alia mox ut creduntur, intelliguntur: sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium quæ primò creduntur, & postea intelliguntur: qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde, quod fit præceptis servatis, quæ bene vivendo accipiuntur.* Ibid. ii

VI. Consentit Ambrosius, si genuit Pater, & quidem bonus & omnipotens, non potuisse non & æqualem sibi gignere. Quid quòd omnium consensione divinitas lux est, sapientia, justitia, virtus, vita est? at hinc non potest non manare æqualis, vel eadem prorsus lux, sapientia, justitia, virtus & vita. An caro enim carnem gignet ejusdem secum naturæ, nec consimilem generandi facultatem adscribemus luci, sapientiæ, justitiæ, virtuti, vitæ, quod totum Deus est? *In picturis homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem Patrem contendit in Filio; & vult ut Pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare similem non potuerit. Prophetæ dicunt: In lumine tuo videbimus lumen. Prophetæ dicunt: Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Vide quanta dicantur. Splendor quod claritas paternæ lucis in Filio sit.* Et paulò pòst: *Videt enim in imagine Patrem, qui videt in Filio. Vides quam imaginem dicat. Imago ista veritas est, imago ista justitia est, imago ista Dei virtus est: non muta, quia verbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis, quia virtus est: non vacua, quia vita est: non mortua, quia resurrectio est.* Et infrà rursus luculentissimis his verbis Patrem compellans: *Ad te nunc omnipotens Pater cum lacrymis verba converto. Ego te quidem inaccessibilem & incomprehensibilem dixerim, sed Filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cùm illum splendorem gloriæ & imaginem substantiæ tuæ legerim, vereor ne minorem imaginem tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cujus imago sit Filius, cùm plenitudo tuæ divinitatis omnis in Filio sit. Immensum te Filiumque tuum & Spiritum sanctum, incircumscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem legi libenter, credo libenter. Et ideo æstimare non possum, ut examinare possim.* Ambros. Li. de Fide ad. pag. 8 L. 1. c. 1 Pag. 8

VII. Sensit Hilarius suspicari aliquem posse, contumeliam Deo Patrique fieri, si quid ei exæquetur. Singulare enim illud est decus & insigne majestatis, ut nihil illi par, nihil secundum esse possit, nihil non præ illa valdè depressum. At respondet luculentissimè idem sanctus Pater, contumeliosum id fore, si non ex Deo nasceretur, quod ei æquatur. At si ab eo nascitur, quod ab eo non degenerat; si à luce lux, à sapientia sapientia non dissimilis, non dispar manat; id enimverò esse summæ amplitudinis & potestatis argumentum. Si extra Deum esset, si alienum ab ejus natura esset, quod ei æquaretur, id in ejus injuriam cederet; at ex

adverso

adverso summa hinc illi gloria & admiratio jure accedit, si ex sua substantia prolem effundat sibi æqualem. *Non exæquatur ac similis est Deo creatura, neque ei naturæ alienæ potestas comparatur. Sola ei nativitas Filii non impropriè per similitudinem creditur æqualis. Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honorate virtutis æquabitur. Si enim aliquid quod non ex ipso est, reperiri potest simile ei, ac virtutis ejusdem, amisit privilegium Dei sub consortio coæqualis; jam non erit Deus unus, à quo indifferens sit Deus alius. At verò non habet contumeliam proprietatis æqualitas, quia suum est, quod sui simile est: & ex se est, quod sibi ad similitudinem comparatur; nec extra se est, quod quæ sua sunt potest; & profectus dignitatis est genuisse potestatem, nec alienasse naturam.*

Hilarius. L. 7. p. 148.

VIII. Ridendam ait alicubi Augustinus esse Eunomii dialecticam, qui quærebat, volens, an nolens Pater Filium genuisset. Si nolens, hinc Patris calamitatem augurabatur. Si volens genuisse diceretur, hinc non naturæ, sed voluntatis Filium esse arguebat, adeoque inæqualem & creatum. Subjicit autem sanctus Pater acutè ab aliquo interrogatum vicissim fuisse Eunomium, nolens, an volens Pater Deus esset; si nolens, ergo miser; si volens, ergo non natura, sed voluntate Deus est; quanti autem dedecoris non natura & substantia sua propria Deum esse? Si verò & natura Deus est, & voluntate, quia & volens lubensque est, quidquid est; & unum idemque in illo est natura & voluntas: respondebitur similiter & natura Patrem genuisse sibi Filium, & voluntatem naturæ obsecundasse. *Acutè sanè quidam respondit hæretico versutissimè interroganti, utrum Deus Filium volens, an nolens genuerit: ut si diceret nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem volens, continuò quod intendebat velut invicta ratione concluderet, non naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsivit ab eo, utrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus: ut si responderet nolens, sequeretur illa miseria quam de Deo credere magna insania est: si autem diceret volens, responderet ei: ergo & ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, & sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret?*

Augustinus de Trinit. l. 15. c. 20. Tom. 3. pag. 891.

IX. Addit Augustinus subveritos quosdam, ne consilio & voluntate Patris natus diceretur, ipsum potiùs dixisse Filium & consilium & voluntatem esse Patris; sed satius sibi videri, ut dicatur consilium de consilio, voluntas de voluntate: ut substantia est de substantia, sapientia de sapientia: Nec enim per Filium Pater fit sapiens, aut volens. *Quidam ne Filium consilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris idem verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, & voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia: ne absurditate illa quam jam refellimus, Filius dicatur Patrem facere sapientem, vel volentem, si non habet Pater in substantia sua consilium, vel voluntatem.*

Ibidem.

Ita prorsus hæc constant, ut lux lucem, sapientia sapientiam, charitas charitatem, Pater Filium ex se effundat, utique æqualem, immo & substantia eundem. Etsi enim de Deo nihil, vel cogitamus, vel loquimur, quod ejus amplitudini consentiat: non ineptè tamen cogitatur ut ipsamet summa vita & sapientia & lux sese in semetipsa effundens, & effusa; semper effundens, semper effusa; Pater sapientia sese effundens, Filius illa ipsa sapientia effusa; ita de consilio, ita de voluntate, ita de charitate. Eadem ferè habet Augustinus in Sermone contra disputationem Arianorum.

Tom. 6.

Non aliter Ambrosius hæreticas has argutias diluit libro quarto de Fide, Filium nasci non necessitate, non voluntate Patris, sed natura: ita & Patrem fieri natura & jure quodam ac proprietate paterni secreti. *Sed nihil in sempiterna generatione præcedit, nec velle, nec nolle; ergo nec invitum dixerim, nec volentem: quia generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in jure quodam & proprietate paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus Pater non aut ex voluntate est, aut necessitate; sed per naturam; ita non generat ex voluntate, vel necessitate Pater.*

Ambrosius. Cap. 4. Tom. 3. pag. 125.

X. Ad Græcos jam pergamus eandem versantes quæstionem, & statim ad Athanasium, qui scitissimè advertit Arianos vidisse, quid esset contrarium voluntati; videlicet necessitatem; non vidisse, quid esset superius, videlicet naturam. Longè præstantius enim est natura fœcundum esse, quàm voluntate. Homo voluntate domus suæ opifex est; at natura filii pater est; quantò filius domui, tantò præstat naturæ partus partui voluntatis. Extranea ex materia domus, filius ex substantia ipsa patris. De domo deliberat, de filio non deliberat pater, nisi & de seipso deliberet, an pater velit esse. *Id enim quod oppositum est voluntati, animadverterunt: id autem quod majus est altiusque, non conspexerunt. Ut enim opponitur voluntati id, quod est præter animi sententiam: ita altius est priusque voluntate, id quod secundùm naturam est. Domum enim volens quis ædificat, Filium verò gignit secundùm naturam; & quod voluntate conficitur, fieri incepit, & aliunde est quàm ex illo, qui facit: Filius autem proprium Germen substantiæ Patris, non aliunde est, sed à Patre: ideoque de illo non deliberatur, ne & de se ipso deliberare videatur: quantò igitur condita re Filius est altior, tantò etiam voluntate id quod ex natura gignitur, præstantius est.*

Athanas. Orat. contr. Arian. pag. 295. 297.

Instat Athanasius; Bonus & misericors voluntate Deus sit, an natura, & utrum præstantius? Si voluntate enim & ex deliberatione, non semper ergo fuit bonus, sed tunc cœpit esse bonus, cùm id consilii cepit. Quo quid insanius dici potest? Nec necessitate ergo, nec deliberatione bonus est Deus, sed natura; idque longè præstantissimum est. Ita ergo & fœcundus & Pater est, fuitque semper, non necessitate, non voluntate, sed natura. *Dicant nobis ipsi, Quod bonus est, & misericors Deus, ex voluntate ne hoc illi adest, an non? Si ex voluntate, ergo ante oculos patet eum incepisse bonum esse, ac fieri posse, ut non sit bonus. Nam deliberare deligereque in utramque partem momenta sua habet, & ea affectio in naturam rationalem cadit. Quod si propter ista absurda concedi non debet, ut ex voluntate bonus, aut misericors habeatur, audiant ipsi ergo, quorsum illorum ratiocinationes tendent: sequitur enim, ut ex necessitate invitusque bonus sit. At quis est qui illi hanc necessitatem imposuerit? Quod si absurdum est dicere in Deo esse necessitatem, ac propterea illum natura bonum esse; multo magis veriusque Filii sui Pater natura extiterit, & non voluntate.* Quantæ illud fuerit insaniæ, si quis dixerit deliberasse aliquando Deum, an Rationem, an Sapientiam ex se suam effunderet? Ergo ne de Filio quidem deliberare potuit, cùm hic ipse sit sapientia & lux ejus; nimirum lux de luce, sapientia de sapientia. *An non exuperet omnem insaniam, vel solùm id in cogitatum admittere, quod Deus velit, consideret, eligat, & se, ut velit esse, instiget & cohortetur, ne irrationalis sit & insipiens: sed ut rationem sive Verbum & Sapientiam habeat, eumque de sua essentia cogitationem concipere, vellet ne esse an non? Jam, quum plurimùm abominabilis sit istiusmodi opinio, ritè ac piè dici potest, creaturas placito & voluntate creatas esse; Filium autem non voluntate conditum esse, quemadmodum ceteras creaturas, sed naturaliter paternæ substantiæ propriam ac legitimam sobolem esse.* Et infrà: *Nam si dicas eum ex voluntate esse factum primùm, eum aliquando non fuisse significas: deinde rem*

Ibidem.

Ibidem.

Pag. 300.

utrimque paribus momentis librari & vergere, adeo ut liceat cogitare de Patre, quod posset non velle sibi Filium esse; & de Filio vicissim, quod & is potuisset non esse. Impia ista audacia est, quæ pertingit usque ad Patris substantiam. Simile enim est ac si dicas, Poterat enim Pater non esse bonus; sed quemadmodum bonus semper natura, ita semper genitabilis natura Pater. Et mox rursum: *Ut enim de splendore ac luce dixeris, splendorem in sui ortu non habere priorem se, & tempore præviam voluntatem; sed esse ipsum fœtum germenque voluntarium lucis, non voluntatis respectu, aut vi, sed natura & veritate: ita quoque de Patre & Filio rectè dixeris, Patrem diligere Filium & velle, non tamen ut Filius opus effectusque voluntatis pronuncietur, ne Valentiniana hæresis se immittat in Ecclesiam; sed ut in confesso sit, vivam illum voluntatem & verè naturalem Filium esse quasi lucis splendorem.*

XI. Non necessitate igitur, non deliberatione, non voluntate procedit à Patre Filius, sed natura, ut lux à luce, sapientia à sapientia, vita à vita, justitia à justitia. Est enim suo & incomparabili ac præcellentissimo modo Deus lux & vita sapientiæ ac justitiæ, non sterilis, sed fœcunda, sese propagans, sese in se primùm effundens; ut verè Augustinus dixerit suprà aptiùs nominari Filium consilium de consilio, quàm consilium Patris, ne Pater ipse aliàs consilio carere videri possit. Itaque & sapientia est Pater, & sapientia est Filius; sed ille sapientia generans, & iste sapientia genita; sicut & mens Angeli hominisque quando sapientiam suam concoquit & meditatur, sapiens & sapientia ipsa sua est; sapientia est ibi pro suo modo generans & genita. Potest enim dici Mens sapienter cogitans & meditabunda, & sapiens esse, & sapientiam ex se suam generare, & sapere per eam sapientiam quam ex se parturit. Ita verborum magis quàm rerum discrepantia illa est, cùm aliàs aliter de his verba faciunt sanctissimi Ecclesiæ Doctores, & sacri Codices ipsi.

XII. Et Patrem & Filium summum Bonum esse prædicat Nyssenus, ideoque & natura & voluntate, tum generare Patrem, tum Filium generari, atque adeo conjunctissimam & æternam hinc & hinc esse hanc generationem. Nec enim potest vel natura, vel voluntas summi Boni non se effundere, & bonum velle; & quod vult, non simul obtinere. In rebus creatis disjuncta hæc sunt, at in summo Bono indivulsè ea omnia cohærent. *In simplici autem & omnipotenti natura simul omnia & in eodem instanti intelliguntur, & velle bonum, & habere quod voluit. Omnino enim efficax & coessentialis verèque subsistens in æterna natura bona sempiternaque consideratur voluntas.* Et paulò pòst: *Quoniam igitur natura bonum, vel ut rectiùs dicam, supra omne bonum, unigenitus est: at Patri bonum non est ingratum & præter voluntatem; manifestè per hæc demonstratur, quod etiam immediata est Filii cum Patre connexio, neque extruditur aut arcetur ab individua cohæsione voluntas, quæ bona naturæ semper inest.*

Nyssenus, contra Eunomium, tom. 2. pag. 65.

Nec minùs præclarè paulò inferiùs idem Nyssenus ita disserit: Si quis flammæ affingat, seu volendi, seu eligendi facultatem; eo ita posito indubium est, ea flamma cùm primùm extiterit, statim fore, ut lucere velit, & possit, & ut luceat omni ope sua; ita ut hæc omnia simul concurrant, subsistentia, fulgor, fulgendi & ardendi voluntas atque potestas. *Quemadmodum si quis, dico autem ex suppositione, electivam sive voluntariam aliquam flammæ facultatem dederit, perspicuum fuerit quod simul atque esse cœperit flamma, etiam ex seipsa fulgorem velit ducere: volens autem non erit impotens, cùm naturalis ejus facultas id efficere possit, ut simul ac flamma constiterit, voluntatem etiam fulgendi habeat. Ita ut citra contradictionem, si hoc datum fuerit, voluntario nempe motu flammam moveri, hæc omnia concurrere simul intelligantur, & ignis accensio, & fulgendi voluntas, ac denique fulgor ipse, cùm voluntarius iste motus fulgoris subsistentiæ dignitatem nullo modo impediat.*

XIII. Nec mutum abire hìc sinemus Epiphanium. Sic ergo ille in Ancorato argumentationem Eunomianorum proponit: *Sed illud quærunt, Volensne genuerit, an minimè volens. Si minimè volentem dixerimus, Deum necessitati subjicimus: sin volentem dicamus, voluntatem ipsam Verbo priorem statuimus.* Respondet autem præstantissimè in hunc modum; Propria esse imbecillis naturæ nostræ tædia illa deliberationum, ut qui ex nihilo nuper emersimus, & promptum ac expeditum nihil habemus. At Deus & tempore, & consilio, & necessitate superior est; Filiumque genuit, nec volens, nec nolens, sed ineffabili naturæ præstantia: ὑπερβολῇ φύσεως; præstantissima & ineffabili natura sua: τῇ ὑπερβολικῇ, καὶ ἀῤῥάτῳ αὐτοῦ φύσει. *Apud Deum nequaquam hæc esse possunt. Quamobrem neque volens genuit, neque minimè volens, sed quadam naturæ præstantia. Quippe divina natura consilio est omni superior, neque tempore circunscribitur, neque necessitate cogitur. In nobis quidem promptum nihil est, & expeditum: propterea quod aliquando non fuimus. Unde deliberare antea solemus: deinde quod facere volumus exequimur: alioqui nisi consilium ceperimus, nondum existit id quod nondum à nobis est factum. Apud Deum è contrario perfecta omnia, planaque sunt, omniaque in ipso completa. Ac neque minimè volens Verbum Deumque, quod ab æterno est, & à seipso genitum, produxit, neque volens: sed excellenti quadam, & inexplicabili naturæ conditione ac præstantia.* Epiphan. Tom. 2. pag. 55. 56.

XIV. Congessit hæc omnia Cyrillus in Thesaurum suum, ubi voluntatem Dei præisse ait ad res creandas; sed non ad generationem Filii, qui ipsemet consilium, & voluntas & sapientia Patris est; ideo de ipso Joannes illud unum docet, *Est, Erat.* Sic ergo ille: *Nam in his quæ Deus creavit, præcessit voluntas, ut in illo: Faciamus hominem. Et in hoc: Omnia quæ voluit, fecit. At in Verbo Dei nulla voluntas, aut consilium præcessisse legitur; sed tantùm, quod erat, & est, audimus: atque ut ita dicam, naturalis ejus locus erat Pater.* Et mox: *Neque ex voluntate, sicut cætera, sed ex Patre processit, & ex generantis essentia,* ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας. Et infrà rursus: *Si voluntas & deliberatio Filii existentiam præcedit; Filius autem est Sapientia & Verbum Patris: quo pacto deliberavit Pater, Verba & Sapientia juxta vestram sententiam carens? Neque enim adhuc erat Filius, quum adhuc de eo deliberaretur. Quo pacto verò non absurdum fuerit inducere Patrem suum deliberantem, an oporteret aliquando Sapientiam & Verbum habere, an non?* Cyrill. lib. thesaur. cap. 5. pag. 15. Ibid. pag. 16.

Accuratissimè hæc à Cyrillo, aliisque Patribus dici intelliges, si altiùs inhæreant animo, quæ jam toties inculcavimus: Ita optimè à nobis cogitari Deum, quando cogitatur is qui non inenarrabilis tantùm, sed & inexcogitabilis est; quando, inquam, cogitatur ut Sapientia per sese subsistens & vivens, vivensque vitam sapientiæ summæ & infinitæ, hancque vitam ineffabiliter vivens & explicans. Ea quippe vita sapientiæ sese explicans Pater est; ea vita & sapientia explicata Filius est: cum singulari hoc divinitatis privilegio, creatis omnibus naturis inconcesso, quòd hæc Sapientia generans & hæc Sapientia genita, hypostases duæ sunt unius & ejusdem individuæque essentiæ.

Postremò denique Cyrillus, ut non voluntate, sed natura bonus est Pater, & *naturaliter generativus,* γεννητικὸς κατὰ φύσιν, etsi non sine voluntate sit: ita & Filius ex Patre nascitur, non voluntate, sed natura, nec tamen sine voluntate, naturæ accommodata: *Quemadmodum enim jam dictum est,* Ibid. p. 16.

quòd

quòd bonus sit & misericors, habet id non ex voluntate, sed neque absque voluntate hæc sunt. Vult enim esse id quod est semper & erit. Ita etiam licèt non ex voluntate genuerit Filium; non tamen absque voluntate illum habet. Vult enim Filium & amat, sicut scriptum est. Et quemadmodum Pater suam ipsius hypostasin vult, neque tamen ex voluntate est id quod est: ita etiam Filius ex essentia Patris procedens, non ei adest præter ipsius voluntatem, tametsi voluntas sive deliberatio generationem nequaquam præcesserit.

XV. Athanasio rursus advertamus animum, ut ab eo edisc amus, non impropriè, sed propriè & elimatè dici, Deum sapientem esse per eam sapientiam quam ipse gignit, ut Sol lucet per eam lucem, quæ ab eo fluit; ut enim Deus cum hac sua Sapientia genita, ipse Sapientia generans, unus Deus est: ita lux Solis sese effundens, & lux ab eo fusa, unum lumen est, unusque Sol. Et una quidem in Sole hypostasis est, duplex autem in Sapientia generante & genita apud Deum: sed ea est Divinitatis eminentissima prærogativa, qua incolumi constat reliqua cum Sole & luce similitudo. Deus ex Athanasio sapiens est gignendo Sapientiam suam, homines eam participando. Sapientia germen est & fœtus Patris, qui tam non potest non esse Pater, quàm non potest non esse sapiens, Sapientiam generando. *Homines sapientiæ capaces sunt. Deus contrà, qui nihil aliunde in se recipit, suæ Sapientiæ Parens existit, cujus Sapientiæ participatu, ceteri sapientes nuncupantur. Estque illa Sapientia, non passio, non portio, sed proprium sui Patris germen. Ideoque ille semper est Pater: neque res superventitia est in Deo paternitatis ratio, ne simul quoque mutabilis intelligatur. Nam si bonum est eum Patrem esse, nec semper tamen Pater fuit, sequitur ergo bonum non semper illi adfuisse.*

Athanasius Orat. 2. contr. Arian. pag. 117.

Hinc illud efficitur, ut Dei Filius non possit non esse æternus, quia ne cogitari quidem potest Deus, nisi sapiens, & Sapientiam generans, eòque Pater. At potest Deus esse sine opificio quocumque suo, ut quod à voluntate ejus sit, non à natura; & ab æterno potuit quidem Deus illud creare; at illud ab æterno esse non potuit, cùm ex non entibus processerit, nec esset antequam fieret. *Ut*
Pag. 118. *opus extrarium quidquam est ab opifice, quemadmodum dictum est; ita contrà Filius paternæ substantiæ partus est. Quocirca non est necessarium opus ejus perpetuò consistere: quum enim vult opifex, operatur: fœtus autem non est res obnoxia voluntati, sed est quiddam proprium ac suum paternæ substantiæ. Opifex quidem & dici & esse poterit, etiamsi nondum opera existant: Pater verò nec esse, nec dici poterit, si non sit ei Filius.* Et mox: *Audiant obsecro, quod tametsi Deo possibile fuerit, ab æterno opera facere; non tamen potuerint ea quæ facta sunt, ab æterno fuisse: siquidem ex non entibus emerserunt, nec erant priusquam fierent. Quæ autem non erant antequam fierent, quomodo illa coexistere poterant cum Deo semper existente?*

CAPUT XIV.

Quomodo Pater major sit Filio, qui unus est cum illo Deus; secundùm Patres Latinos. Quomodo Pater mittat Filium, uterque Spiritum sanctum.

I. Ex Augustino Patre minor est Filius in forma servi, in qua minor est & seipso.

II. Illud quoque ad formam servi pertinet, Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, subjectus erit ei.

III. Minorem quoque dici Filium non abnuit Augustinus, dummodo substantiæ unitas & æqualitas sospes & illibata constet.

IV. Precipit Pater gignendo, præceptum accipit Filius nascendo, præceptum ipsemet Patris.

V. Ita ex eodem mittit Pater Filium gignendo, mittitur Filius nascendo; Pater non mittitur, quia innascibilis.

VI. Hæc omnia illustrantur exemplo lucis à Sole emissæ.

VII. Ut ex his scintillæ quædam emicent demonstrationum.

VIII. Propter Paternam authoritatem, quia solus Pater authorem non habet, mittit Pater, & non mittitur.

IX. Filius ut Sapientia discit & docetur à Patre, dum ab eo nascitur.

X. Ex Ambrosio subjicitur Patri Filius in carne assumpta, & in Ecclesia sibi adgregata.

XI. Mittitur, nec minor est, quia in eo plenitudo divinitatis.

XII. Minor tamen est, quà homo.

XIII. Ex Hilario mittitur, subjicitur que Filius, sed Deus, sed Filius, ejusdem naturæ, clarificans eum, à quo clarificatur.

XIV. Major Pater, nec minor Filius. Ut gloria innascibilitatis etiam in Filio sit.

XV. Quanta hinc ad intelligentiam adjumenta.

I. PRiorem illum nodum solvit Augustinus, ita minorem esse Patre Filium, sicut minor est seipso, quà formam servi, nostram induit naturam. Ut enim confessus est Christus, *Pater major me est*; ita de Christo professus est Paulus, *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Ut ergo unus semper idemque fuit Christus, major seipso Deus homine, seipso minor homo Deo; ita unus idemque semper fuit Deus Filius cum Patre, etsi minor non solùm Patre in forma servi, sed & in eadem minor seipso: at in forma Dei major seipso Deus homine, æqualis Patri Deus Deo. Hanc sanxit Augustinus ex Paulo regulam solvendæ hujus quæstionis per omnes Scripturas: *Et illi quidem dicunt minorem Filium esse, quàm Pater est, quia scriptum ipso Domino dicente: Pater major me est. Veritas autem ostendit secundùm istum modum etiam seipso minorem Filium. Quomodo enim non etiam seipso minor factus est, qui seipsum exinanivit formam servi accipiens? Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi, ut in forma Dei idem ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in forma Dei æqualis Patri, in forma servi mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: quis non intelligat quod in forma Dei etiam ipse seipso major est, in forma autem servi etiam seipso minor est? Non itaque immeritò Scriptura utrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur. Et hæc nobis regula per omnes sacras Scripturas dissolvendæ hujus quæstionis.*

August. l. 1. De Trinit. c. 7. pag. 75. Tom. 3.

II. Ad illam quoque servi formam pertinet ex eodem Augustino quod ait Paulus, tunc subjectum fore Patri & Deo Filium, cùm Regnum illi tradiderit; nec jam interpellaturum pro nobis, sed palam de Patre annuntiaturum, sed ostensurum ipsam Patris claritatem. Nunc enim regnat in nobis per fidem Christus mediator Dei & hominum; ut nos purget apteque videndo coram Patri in illa beata patria, ad quam vota nostra suspirant; pro qua nobis procuranda idem interim Mediator jugiter interpellat. At hoc emenso mortalitatis curriculo, ubi species fidei, claritas caligini successerit, tunc nihil opus erit, ut interpellet & roget pro nobis Mediator; per visionis enim claritatem regnabit tunc, ostendetque se nobis Pater; vel per Filium, per Verbum suum, per illum qui candor est lucis æternæ, ostendetur nobis; ut in Deum tunc omnes penitus absorbeamur, sitque tum demum veris-

Ibid. c. 10. pag. 20

verissimè Deus omnia in omnibus. *Contemplabimur enim Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, cùm mediator Dei & hominum homo Christus Jesus tradiderit Regnum Deo & Patri: ut jam non interpellet pro nobis Mediator, & Sacerdos noster Filius Dei & filius hominis; sed & ipse inquantum Sacerdos est, assumpta propter nos servi forma, subjectus sit ei, qui illi subjecit omnia, & cui subjecit omnia, ut in quantum Deus est, cum illo nos subjectos habeat: in quantum Sacerdos, nobiscum illi subjectus sit.* Et mox: *Cùm ergo tradiderit Regnum Deo & Patri, id est, cum credentes & viventes ex fide, pro quibus nunc Mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipienda suspiramus & gemimus, & transierit labor & gemitus, jam non interpellabit pro nobis, tradito Regno Deo & Patri: hoc significans ait: Hæc vobiscum locutus sum in similitudinibus, veniet hora quando jam non in similitudinibus loquar vobis, sed manifestè de Patre nuntiabo vobis: id est, jam non erunt similitudines, cùm visio fuerit facie ad faciem. Hoc est enim quod ait, Sed manifestè de Patre nuntiabo vobis: ac si diceret, Manifestè Patrem ostendam vobis.*

III. Nec in hac tamen tantùm hæsit Augustinus ratione interpretandi quomodo Filius sit minor Patre, quà Filius homo factus est. Ad ipsam etiam Filii divinam nativitatem id porrigi posse sensit, ut major dicatur Pater, non quòd minor sit Filius, sed quòd ex Patre sit Filius. Hinc enim etiam fit, ut Pater Filio præcipiat, & Filius obediens sit, & ab eo mittatur, & id genus alia; quæ nihil omnino prohibeant, quin ejusdem Filius cum Patre substantiæ sit. Nam & inter homines ejusmodi inter patres & filios intercurrunt officia, illibata substantiæ unitate, naturæ æqualitate. Ita enim libro tertio adversùs Maximinum Arianorum Episcopum: *Sed si non vultis huic regulæ acquiescere, ut ubicumque legeritis in auctoritate divinorum eloquiorum, quibus minor Patre Filius videatur ostendi: aut ex forma servi dictum accipiatis, in qua verè minor est Patre: aut ideo dictum, quo non demonstraretur major vel minor ullus esse altero, sed demonstraretur esse alter ex altero; si huic, inquam, rectissimæ regulæ non vultis acquiescere; certè tamen verum Dei Filium nulla ratione dicetis, si non ejusdem substantiæ, cujus Pater est, eum esse dicatis. Ut enim humanum aliquid dicam propter infirmitatem carnalium, cum homines duo sunt, pater & filius, si obediens sit patri filius, & aliqua existente causa roget patrem, gratias agat patri, aliquò denique mittatur à patre, ubi se dicas non venisse facere voluntatem suam, sed ejus à quo missus est; numquid hinc ostenditur non ejusdem cujus pater est esse substantia?*

Tom. 6. l. 1. c. 14. pag. 268.

IV. Ut autem præcipiat Pater Filio, Deus Deo, par pari; præceptum autem accipiat Filius non ediscendo, non indigendo, sed nascendo; ut totum ipse Patris præceptum, ut tota ipse Patris voluntas & sapientia sit, sic rursus ille ibidem paucis interpositis: *Præceptum quoque, aut ut homo accepit, aut ut Deus. Si ut homo, nulla quæstio est, quia ut homo est Patre minor; si ut Deus, non hinc ostenditur minor, quia nascendo id accepit, non indigendo. In Verbo enim unico Dei omnia præcepta sunt Dei, quæ ille gignens dedit nascenti, non cum genuisset, addidit indigenti; ac per hoc tantum genuit quantus est ipse: quia de seipso genuit verum Filium, & perfectam genuit plenitudinem Divinitatis, non perficiendam ætatis accessu.* Ergo præcipit Pater gignendo, præceptum accipit Filius, non ut homo tantùm, sed & ut Filius Deus nascendo. *Quia verò perfectus est natus, præceptum dedit ille gignendo, accepit iste nascendo.*

V. Quomodo autem & mittat Pater Filium, & Filius à Patre mittatur, citra ullam inæqualitatis suspicionem: habita tantùm ratione nativitatis, qua æqualis potiùs probatur, sic rursus Augustinus: Patrem ajens mittere, quia gignit; Filium mitti, quia gignitur: Patrem non mitti, etsi à nobis cognosci incipiat, quia à nullo procedit. Tota ergo hæc mittendi authoritas ab origine illa intima & æterna proficiscitur, qua Filius à Patre manat; Spiritus sanctus ab utroque mittitur, quia ab utroque manat: Pater à nullo manans, à nullo etiam mittitur. *Sed Pater cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit: Ego ex ore Altissimi prodivi. Et de Spiritu sancto dicitur, A Patre procedit, Pater verò à nullo. Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est: ita Pater misit, Filius missus est. Sed quemadmodum qui genuit & qui genitus est, ita & qui misit & qui missus est, unum sunt; ita etiam Spiritus sanctus unum cum eis est, quia hæc tria unum sunt.* Et paulò antè: *Ab illo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum. Ab illo mittitur, de quo natum est. Mittit qui genuit, mittitur quod genitum est.*

De Trin. l. 4. c. 20

VI. His fidei & Theologiæ Christianæ arcanis, & Scripturis, ex quibus ea eruuntur, vide quantam ibidem Augustinus lucem affundat, ex eo quòd Filius sit lux, splendor & candor lucis æternæ, à Sole justitiæ & sapientiæ Patre manans, Sapientia ipse genita, à Sapientia ingenita effluens; cùm non facilè vel cogitari possit lux increata sapientiæ non se intra se & extra se effundere, & ineffabilem fœcunditatem suam explicare. Lux enim & lucem mittit, dum illam ex se fundit & emittit: & ipsa mittitur, dum emittitur, effunditurque, dum ex fonte lucis prodit, dum à Sole gignitur. Ita non tantùm quà homo est, à Patre mittitur Christus, sed & quà Verbum, lux & sapientia genita. Ita major est Pater Fons lucis, nec minor est Filius in ea sursum natura sua, qua candor est lucis æternæ, & tota Patris lux est. Ad hanc intelligentiæ lucem veniissemus nunquam, nisi ad eam nos Christus homo per fidem gradatim promovisset; per hanc ipsam intelligentiam, velut per mediam quandam stationem, ab ipso promovendos ad speciem ipsam beatæ in cœlo visionis. *Ut non tantum homo missus intelligatur, quod Verbum caro factum est; sed & Verbum missum, ut homo fieret: quia non secundùm imparem potestatem vel substantiam, vel aliquid quod Deo Patri non sit æquale, missus est; sed secundùm id quod Filius à Patre est, non Pater à Filio. Verbum enim Patris est Filius, quod & sapientia ejus dicitur. Quid ergo mirum si mittitur, non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis Dei syncera? Ibi autem quod manat, & de quo manat, unius ejusdemque substantiæ est. Neque enim sicut aqua de foramine terræ, aut lapidis manat, sed sicut lux de luce. Nam quod dictum est: Candor est enim lucis æternæ, quid aliud dictum est, quàm lux est lucis æterna? Candor quippe lucis, quid nisi lux est? Ideo coæterna lucis, de qua lux est. Maluit autem dicere, Candor lucis, quàm lux lucis, ne obscurior putaretur ista quæ manat, quàm illa de qua manat.*

Ibid. pag. 104.

VII. Addo & illud ex eodem omnino pulcherrimum contra Arianos, miram quandam intelligentiæ lucem his aspergente, quæ Fides & Scriptura; quæ traditio jam humani generis medullis altissimè infixit. Etsi enim hæc, iis qui corticem tantùm rerum lambunt, nec in medullam subeunt, videri possint exempla tantummodo esse, ab naturis creatis ad Creatorem translata, longè aliter tamen res hæc tota se habet. Persuasissimum est enim omnibus ratione & ipso sensu naturæ communi utentibus, multò præstantiorem esse quamlibet in Creatore, quàm in creatura pulchritudinem; splendidiorem illum, vel in illo Solem esse, lucem micantiorem sui generis, divini ordinis, Solem lucemque sapientiæ, flammam charitatis; Creatori

conce-

concedendum utique esse, quod concessit ipse creaturæ, ex creatura Creatorem intelligendum; ex igne corporeo manare splendorem, eo non inferiorem, non posteriorem, ab eo indissociabilem, ab eo purissimè & sine conjugio manantem; quo æquius sit tam pulchra hæc ornamenta fœcunditatis stupendæ Deo non denegari, Fonti lucis & veritatis incommutabilis, Patri sapientiæ sibi coævæ, sibi consubstantialis. *Quod Pater loquitur, Filius loquitur, quia Verbum Patris est: & quod Filius loquitur, Pater loquitur, quia Pater Verbi est. Ipsum Verbum dicit: Verba quæ ego loquor, à me ipso non loquor. Concedite quæso Creatori, quod ipse præstitit creaturæ, & in creatura si potestis capite Creatorem. Ecce ignis & splendor duo sunt, alter ex altero est, nec sine altero alter est. Ignis Pater, splendor Filius. Ipse, si posset, diceret, Quod luceo, non à me ipso luceo; sed qui me misit, ipse mihi dedit, ut luceam. Ignis enim splendorem mittit. Et sicut Filius de Deo Patre dicit, Pater mecum est; ita & splendor diceret; si dicere posset, Ignis mecum est: Extingue ignem, splendor usquam parebit. Iste ergo ignis Pater, & splendor Filius, unus sine conjuge Pater, alius sine matre Filius. Nec dividi alter ab altero potest: & cum sit alter ex altero, initium tamen alterius esse non potest sine altero. Hoc enim posse, à Creatore tributum est creaturæ. Quid potest ipse Creator? Accedat Paganus, accedat Sabellianus, videat Arrianus; contemplentur lucernam, in ipsa videant quod in Deo videre non possunt.*

Augustinus L. de quinque hæres. cap. 6. Tom. 6. pag. 19.

VIII. Pater non mittitur, quia ab alio authore non est; Pater mittit, ut ait alibi Augustinus, propter paternam authoritatem, non propter naturæ diversitatem: Ignis splendorem, & fervorem mittit, non ab illis mittitur: Fons sapientiæ & charitatis in divinis sapientiam & charitatem, Filium & Spiritum sanctum mittit, dum ex se fundit & emittit; quanquam non possint creaturæ ullæ assequi perfectam cum Creatore similitudinem.

Ibid. p. 140. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Et ideo non propter naturæ diversitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter ipsam authoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit, sive splendorem, sive fervorem. Quamvis hæc longè sint dissimilia. Nec invenitur aliquid vel in spiritualibus, vel in corporalibus creaturis, quod ei Trinitati, quæ Deus est, merito conferatur.* Sic ille in libello contra Sermonem Arianorum. Hinc & illud quòd Patri sua omnia Filius opera tribuit, ut lux tribueret sua Soli, si verba ad nos facere posset.

Ibid. p. 141. *Sed honorificè & competenter tribuit Patri, quod etiam ipse facit, ut Deus: quia de Patre est Deus. Ipse namque Deus est de Deo; Pater autem Deus, sed non de Deo.* Immo & cùm ait Christus non posse se à seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; ea quoque impotentia potestatis est; est enim ipsamet omnipotentia, quæ potenter non potest à se mutari, non esse quod est, non desciscere à seipsa. Lucis & sapientiæ potentia est, non posse non lucere, non à Sole manare, non illi adhærescere.

Ibidem. *Ideo enim dictum est quod non faciat aliquid Filius à se, & ideo quidquid facit Patrem videt facientem: quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt existendi habere naturam. Et quod ait se non posse, non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est permanentis: tamque laudabile est omnipotentem non posse mutari, quàm laudabile est quod omnipotens non potest mori. Posset enim Filius facere, quod non vidisset Patrem facientem, si posset facere quod per illum non fecit Pater: hoc est, si posset peccare; neque natura immutabiliter bona, quæ à Patre genita est, convenire. Hoc autem quia non potest, non deficienter non potest, sed potenter.*

IX. Et alio loco, ut Pater loquatur Filio, doceat Filium, gignendo: lucem enim & sapientiam & veritatem gignere, hoc ipsum est illam omnia docere: gigni, hoc ipsum est omnia doceri. Simplex est enim natura Deitatis: non aliud & aliud illi est, esse, & nosse, sed hoc ipsum, sicut sapientiæ, sicut luci intelligibili. Ita & esse & nosse simul ibi datur, simul accipitur. *Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec eum sic docuit quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse: & hoc est, Docuit me Pater, quod est scientem me genuit Pater. Si enim quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis: hoc est Filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet ut noverit, à quo habet ut sit; non ut prius ab illo esset, & ab illo postea nosset. Sed quemadmodum illi gignendo dedit, ut esset: sic gignendo dedit, ut nosset: quia simplici, ut dictum est, naturæ veritatis, esse & nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum.*

In Evang. Joan. Tract. 42. pag. 106. tom. 9.

X. Audiendus nunc Ambrosius, qui negat Filium Patre minorem, Patrive subditum, nisi quà minor est & matre, eique subjectus, in carne assumpta. Sed & in Ecclesia, quam Corpus suum esse voluit, in nobis subjicitur Patri, & in dies magis magisque subjicitur, quia plures semper ex nobis sibi adgregat, & in illis Patri subjicitur; donec per plenitudinem fidei & regnum unitatis subjecta sint omnia, & hoc etiam sensu subjectus sit Filius Patri Deo, qui tum omnia sit in omnibus. *Nam si illum minorem & inæqualem Patri dicunt, quia erat subditus Patri Deo: numquid & matre ideo minor, quia erat subditus matri? Lectum est enim de Joseph & Maria: Et erat subditus illis. Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed incremento est, per quam omnibus nobis Dominus Jesus Fidem infundit & gratiam, ut nos Spiritu fidei subditos Patri faciat Deo: & ideo novo & profundo consilio Apostolus ait, quod ipse Patri erit subjectus in nobis, cùm fuerit in omnibus plenitudo fidei, & quedam devotionis unitas. Nunc enim quantùm sententiis discrepamus, quodammodo Regnum Christi minoramus: quia nondum ei subjecta sunt omnia, cujus Regnum unitas est. Cùm autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus, sicut scriptum est.*

Ambrosius in Psal. 61. Tom. 1. pag. 1060. 1069.

XI. Alibi autem, quàm una sit Patris & Filii substantia, virtus, majestas; quàm non sit minor & inferior Filius, etsi mittitur, etsi mittenti paret; gradus enim in Deitate esse non possunt, quæ unitas, quæ summitas est, ubi omnes & omnia in omnibus sunt, & in singulis. *Denique ipse in Patre est, quia in substantia Dei, quia una virtus, una majestas. Ipse ergo in Patre, & in ipso Pater, quia Verbum in Deo, Deus in Verbo. Ipse in Patre, quia Verbum: ipse ad dexteram Patris, quia Patri consors, nulli secundus. Ipse missus à Patre, qui descendit de cœlo paternum impleturus arbitrium. Tolle hinc perfidia quæstiones, & plena est religio. Nec præfertur Filius, quia ad dexteram sedet: nec injuriam patitur, quia mittitur. Gradus non queritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis.*

In Evang. Lucæ. c. 10. Tom. 2. pag. 143.

XII. Postremò denique sic missum à Patre Filium interpretatur Ambrosius, ut non ideo minorem illum æstimes, nisi cùm se homo factus exinanivit. Venit enim ad nos ipsa Dei sapientia, non antè, non aliàs Patre, qui & ipse sapientia est, minor, nisi cùm carne nostra amicitur. *Unde si sobriè de Filio quæ digna sunt opinemur, ideo missum intelligere debemus, quod ex illo incomprehensibili inenarrabilique secreto majestatis profunde, dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nostris Dei Verbum, non solùm cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in nobis, sicut scriptum est: Quoniam inhabitabo in illis.*

Ambros. L. 5. de Fide. cap. 4. Tom. 3. pag. 349.

XIII. Ad Hilarium propero, qui quo ævo

prior est & Ambrosio & Augustino, eo promior est, ut majorem Filio Patrem prædicet, etiam ut Deo, dum tamen Filio. Per illum enim licet, ut Pater major. Verbo Deo dicatur, dum nihil de Filii nomine & dignitate decerpatur, qui, ut postea dicemus, ne Filius quidem Dei esse potest, nisi Deus, & Patri consubstantialis, coævus, æternus & æqualis sit. Utcumque enim Filius Patri obediat, mittatur, subjiciatur, dum Filius, dum ejusdem naturæ sit, qua nihil majus esse, ac ne cogitari quidem potest, incolumis sua Filio constabit cum Patre æqualitas. *Per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus unus est, quia ex innascibili Deo Patre, qui unus est Deus, unigenitus Filius Deus natus, non aliunde quàm ex Deo habeat esse quod Deus est; & differenti ipsi qui genitus est, ab eo qui genuit essentia non potuit esse. Nam indifferentis unum nomen est naturæ, & vel in eo quidem maximè non comparatur, nec coequatur. Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus à Domino, ne à se ipse secundùm Photinum aut Sabellium pluerit, ut Dominus à Domino: dum ad dexteram Dei tum consedit, cum sibi ut consideret dictum sit: dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio; nec religionis officium degenerem facit naturam: cùm per id quod cum & innascibilis Pater Deus est, & unigenitus Filius Dei Deus est, Deus tamen unus sit, & subjectio Filii doceatur & dignitas, dum ei ipsi non nisi Filius nuncupandus subjicitur.*

Hilarius. l. De Synodis, p. 3. &

Nec minùs præclarè idem Hilarius alibi exponens, ut Filius à Patre se clarificari oraverit: non hinc infirmitatem in Filio quenquam augurari posse demonstrat, cùm ipsemet statim vicissim despondeat, Patrem à se clarificatum iri. Non aliter quàm si splendor à Sole clarificari se flagitet, eandem prorsus claritatem Soli statim refusurus. Non hic ergo Filio quidquam adimitur, sed una penitus natura & majestas Deitatis ostenditur, quæ à Patre in Filium effluat tota, & tota illicò referatur ad Patrem, ex quo Patri Filioque naturæ glotiæque æqualitas unitasque vendicetur. *Sed fortè ex clarificatione creditur eguisse Filius quam orabat, & infirmus reperietur, dum clarificationem potioris expectat. Ecquis non Patrem potiorem confitebitur, ut ingenitum à genito, ut Patrem à Filio, ut eum qui miserit ab eo qui missus sit, ut volentem ab ipso qui obediat? & ipse nobis erit testis: Pater major me est. Hec ita ut sunt, intelligenda sunt: sed cavendum est, ne apud imperitas gloriam Filii honor Patris infirmet: nec infirmari se patitur hec ipsa clarificatio postulata: ad id enim quod dictum est: Pater clarifica Filium tuum, sequitur & illud: Ut Filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est Filius, vicem clarificationis ipse cum clarificandus sit, redditurus.* Et paulò pòst: *Ergo expostulatio clarificationis danda, vicissimque reddenda, nec Patri quicquam admit, nec infirmat Filium, sed eandem divinitatis ostendit in utroque virtutem, cum clarificari se Filius à Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur à Filio: sed hec in Patre & Filio virtutis unitatem, per vicissitudinem danda & referendæ clarificationis ostendunt.*

Hilarius, De Trinit. l. 3. pag. 43. 44.

Agnovit quidem Hilarius majorem posse dici Patrem Filio inhumanato: unde & Arianum alicubi

l. 9. p. 219. ita objurgat: *Renascens non confessus es ex Maria Filium Dei natum? Si in his omnibus Filius manens ait: Pater major me est, ignorandum existimas hanc dispensationem salutis tue, exinanitionem forme Dei esse?* At statim postea hoc ipsum referri etiam posse ostendit ad Filii ex innascibili Patre authoritatem, cui Filius obedientiam exhibiturus sit, sospite & intaminata filietatis & æqualitatis gloria, propter unitatem naturæ: *Non*

Ibid. p. 220.

enim sua originis est Filius, neque nativitatem sibi non extans ipse conquisivit ex nullo; sed ex vivente natura vivens natura extans, tenet in se nature potestatem, professa authoritate nature, ut & honorem testetur, & gratiam sumpte nativitatis ad honorem. Et hoc quidem Patri debitum reddens, ut obedientiam suam mittentis deputet voluntati, non tamen ut nature unitatem obedientia humilitatis infirmet.

XIV. Major est ergo Pater donantis authoritate, nec minor tamen est Filius, quia tota Patris divinitate & æqualitate donatur. Major est donans, sed minor non est, cui unum & totum esse donantis donatur. *Si igitur donantis authoritate Pater major est, numquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est, sed minor jam non est cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est: si autem in ea gloria donatur ei esse, quà Pater est, habes & in donantis authoritate, quia Pater major est, & in donati confessione, quia unum sunt. Major itaque Pater Filio est, & planè major, cui tantum donat esse, quantus ipse est; cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat, quem rursum de forma servi in forma Dei renovat: quem in gloria secundùm spiritum Christum Deum natum, donat rursum esse in gloria sua secundùm carnem Jesum Christum, Deum natum mortuum.*

Ibid. p. 222.

Major est Pater, quia Pater; sed Filius ejusdem necessariò naturæ cùm sit, minor esse non potest; nec enim Divinitas decrescere, aut seipsa minor esse potest. Nativitas Filii & Patrem constituit majorem, & Filium non sinit esse alterius, aut minoris naturæ. Denique ut major sit Pater, quia gloriæ author; minor non est Filius totius ejus gloriæ consors. *Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris? Major atque Pater est, dum Pater est: sed Filius dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem, minorem verò Filium esse nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat: Filius minor non est, dum gloriam resumit ad Patrem.*

Quid & quòd etsi innascibilitas nativitati copulari non possit, nec innascibilis esse, qui semper à Patre nascitur: tota tamen innascibilitatis gloria in Filium quoque transfunditur, quia in eum effunditur tota gloria divinitatis, quæ in Patre est innascibili? *Non habet itaque nativitas, naturæ ignobilitatem: quia in forma Dei est, qui ex Deo nascitur. Et cùm differre significatione ipsa existimetur innascibilitas à nativitate, nativitas tamen non est extra innascibilitatis naturam, quia non sumpsit aliunde quod subsistit. Nam etsi non consecuta sit ut coinnascibilis effecta sit: accepit tamen ex innascibili Deo esse, quod Deus est.* Quod idem & alibi rursum confirmat sanctus Doctor: *Confitemur planè in sancti Spiritus dono semper innocentes, & scribimus volentes, non Deos duos, sed Deum unum; neque per id non & Deum Dei Filium. Est enim ex Deo Deus. Non innascibiles duos, quia authoritate innascibilitatis Deus unus est: neque per id non & Unigenitus Deus est: namque origo sua innascibilis substantia est.* Ita ille libro de Synodis adversùs Arianos.

Ibid. p. 223.

Fatetur quidem alibi idem Hilarius, non posse Filium qui à Patre est, ei exæquari, qui à nullo est: sed rursus cùm una sit utriusque & eadem natura, substantia, gloria, non posse non exæquari Patri Filium profitetur. *Est enim Pater major Filio, sed ut pater filio; generatione, non genere. Filius enim est, & ex eo exivit; & licèt paterne nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt. Natus enim à Deo Deus, non dissimilis est à gignente substantia. Non potest ergo ad*

In Psal. 138. pag. 1110.

eum ex quo sit exæquari. *Nam quamvis alter in altero per uniformem ac similem ejusdem naturæ gloriam maneat : tamen & ex quo genitus est*, non exæquari in eo videtur posse, quòd genuit. Huc pertinet & quod suprà ex Zenone Veronensi Episcopo retulimus, & ex ejus Sermone in illa Paulinæ ad Corinthios Epistolæ verba, *Cùm tradiderit Regnum Deo & Patri*.

XV. Hinc porro elucescit, quod non semel jam suprà attigimus, & incomprehensibile esse unius trinæque Deitatis sacramentum, nec attingi illud à nobis posse, nisi per fidem; & tamen summæ illius & inaspectabilis lucis splendore perstringi quandoque posse oculos mentis, longo fidei tyrocinio imbutæ, expurgatæ, & ad divinorum patientiam confirmatæ. In his enim tam illustribus Hilarii Sermonibus rutilare videtur divini quædam portio luminis; quod etsi non totum, non tantum quantum cupit mens capiat, utcumque videt tamen vehementer splendere. Cùm hæc scriberet Hilarius, veniebat, ut existimo, nonnunquam ad illud quod est sub ictu trepidantis aspectus; stante quidem fide, sed illuminata; & sin minus ad visionis, certè ad intelligentiæ confinia contingebat.

Ubi sese in se subducit mens fidei lacte roborata, & supra se insuescit aliquando evolare, haud ægrè intelligit, non posse à nobis divinitatis, bonitatis, unitatis, sapientiæ, lucis naturam sterilitate intra seipsam damnari, cùm undique hinc spiret fœcunditas, & cùm ne in rebus quidem creatis hæc sterilia sint, sed sua maximè fœcunditate in consimiles partus commendentur. Nam & lux lucem jugiter fundit, & bonitas bonitatem, & sapientia sapientiam; quo æquius est, ut hæc à Deo in nos, ita & horum fœcunditatem à divina in his fœcunditate derivari. Etsi autem hos Deo partus tribuere ausa fortsan non esset humana ratiocinatio suo ipso marte, ubi tamen videt eam doctrinam toto jam orbe receptissimam, antiquissima scilicet traditione & fide roboratam; tum certè apertiùs audet ei velificari, & de ejus aliquali saltem intelligentia non desperare. Hinc suprà sancti Patres tam multa, tam perspicua, tam illustria promebant Theologiæ suæ lumina adversùs tenebricosas hæreticorum disputationes, de Unitatis & Trinitatis conciliatione; de unitate Dei in tribus hypostasibus, & ab unitate naturæ divinæ petenda, & ab innascibilitate ac Monarchia Patris; de Patre ita majore, ut Filius non esset minor; de Filio ita æquali, ut sua tamen Patri constaret authoritas, ejus & gignendi & mittendi. Hæc & alia tanta rationum & vi & luce à sanctis suprà Patribus demonstrata sunt, ut hinc quoque certissimè liqueret, quàm verè & Scripturæ & Patres consentiant, fide & parta per fidem mentis puritate ad non pœnitendam perveniri posse divinorum mysteriorum intelligentiam, & hanc esse eximiam Theologiæ Catholicæ gloriam, ipsa quasi vestibula frequentantis supernæ patriæ; ubi quæ hìc ab omnibus fidelibus creduntur, à paucis intelliguntur, à Beatis omnibus coram & in summa luce videntur.

Postquam verò fides & Scriptura hominem ad aliqualem contemplationis & intelligentiæ divinorum lucem provexere; tum vicissim ex hac initiatæ intelligentiæ luce ita clarescunt Scripturæ, ita illustrantur, quæ priùs videbantur tenebris obsita, ut jam longè majore cum pietatis & delectationis sensu legantur. Illud enim ipsum, quod ex unitate & fœcunditate naturæ divinæ emicabat, & Deo nasci Filium in suo ipsius gremio, & unum hunc esse Deum cum Patre, Patri æqualem, utpote unum natura, cùm multitudinis impatientissima sit natura unitatis; & Patri ut majori obsequentem, non quà Deo, sed quà Patri: ideoque non minorem Patre, etiam majori; illud ipsum, inquam, quàm splendidè nobis paulò suprà sancti Patres edisserebant? quanta luce Scripturas in his perfundebant?

CAPUT XV.

Quomodo Pater major sit Filio, qui unius tamen est cum eo Deitatis, unius substantiæ & gloriæ; ut Filius subjiciatur Patri, ut ab illo mittatur, ex Patribus Græcis.

I. Ex Athanasio Pater major est, non melior; quà Pater, non quà Deus; ad originem ergo illud spectat, non ad naturam.

II. Ex Nazianzeno major Pater, & tamen æqualis Filius, ad quem ipsa innascibilitatis gloria redundat.

III. Ex Basilio, origine, non substantia major est Pater. In substantiam non cadit majus & minus. Ætate, vel æternitate non præcedit Pater Filium.

IV. Eidem dignitate & ordine, non natura major est Pater Filio, Filius Spiritu sancto.

V. Eadem rursus ex Basilio, Ut Patrem dignitate major nunc affirmet, nunc neget: item majorem esse ut causam.

VI. Consubstantialis probatur Filius, ex eo ipso, quòd minor est.

VII. Ex Chrysostomo quantum ex eo Patris decus, quòd æqualem sibi Filium genuerit.

VIII. Ex Cyrillo Hierosolymitano, ut Filius nutu Patris, & ad exemplar ab eo præstitutum condiderit omnia.

IX. Ex Isidoro Pelusiota non comparantur nisi ejusdem naturæ res.

X. Ex Alexandro Alexandrino Episcopo Pater major est, quà ingenitus.

XI. Quæ eadem Cyrilli Alexandrini doctrina.

XII. Iterum recurritur ad Augustinum, ut necessariò æqualem sibi Filium genuerit Pater, quia bonus, potens, Deus, fons bonitatis.

XIII. Quàm non indecorum sit Patri, esse majorem Christo homine.

I. Filio majorem, non meliorem Patrem dicit animadvertit Athanasius: & majorem quidem non magnitudine, non ætate, sed origine: unde nec Deus Filio major dicitur, sed Pater. Quocirca vel hinc approbatur naturæ unitas æqualitasque inter Patrem & Filium; cùm paternitate tantùm major sit Pater, non natura, non substantia, non potestate, non alia dote ulla & perfectione, quæ Deo digna & propria sit; ideoque non possit non inesse naturæ divinæ, quam Filius habet cum Patre communem. Quin & illud addit Athanasius, hanc ipsam comparationem Patris cum Filio, argumento esse naturæ inter ipsos unitatis. Nec enim moris est comparari, nisi ejusdem naturæ consortes. Ideo & cùm Paulus Christum dixit tantò præstantiorem Angelis factum, non de Deitate ejus verba faciebat: omnino enim incomparabilis illa est; sed de humanitate ab eo assumpta, humanisque ministeriis. *Atque eam ob causam non est dictum à Filio, Patrem se meliorem esse, ne seipsum externum alienumque ab illius natura existimarent: sed Pater, inquit, major est: non quidem magnitudine, aut etate, sed quia ex illo ortum habebat. Quinimmo in his ipsis verbis: Pater major me est, suæ substantiæ proprietatem demonstravit; atque adeo Apostolus ipse non substantiam Verbi principaliter in comparationem cum rebus creatis deducere volens, hæc verba locutus est, Tantò præstantior factus: incomparabile enim est, ac potius aliud atque aliud existit: sed ad Verbi in carnem adventum, ejusque functionem,* Athanasius Orat. 2. con. Arian. pag. 181.

nem, quam tum administrabat, respiciens, illum non similem esse prioribus nuntiis ac legatis ostendere voluit.

II. Non recessit ab hac doctrina Nazianzenus, Majorem dici Patrem Filio, sed & æqualem: ut æqualitas ad naturam referatur; referatur autem ad Patrem, & ad Principii nomen, quòd major dicitur. *Sanè si major quidem diceretur, non item æqualis, fortasse vim aliquam haberet quod asserunt. Cùm autem utrumque inveniri liquidò constet, quid tandem generosi homines dicent? Quid roboris habebunt? Quomodo convenient, quæ convenire nequeunt? Idem enim ut seipso majus sit, sibique ipsi æquale, qui fieri possit? Nonne ergo perspicuum est majoris vocem ad causam, æqualis autem ad naturam ferendam esse? Ac nos istud ingenuè admodum & candidè confitemur.* Nazianz. Orat. 36. pag. 582.

Nec illud silet Nazianzenus, illam quoque gloriæ & nobilitatis prærogativam, qua splendet Pater, quà Pater, quà ingenitus, quà innascibilis, mirо quodam suo modo ad Filium defluere; cùm tali Patre nasci, qui innascibilis ipse est, non possit non esse honorificentissimum; & ita paterna innascibilitate Filius adeo non obscuretur, ut hinc etiam inenarrabili quadam gloria cumuletur. Si enim tota patrum claritas, & longa avorum atavorumque nobilitas in filios transfunditur: quid Dei Patris æternitas & innascibilitas an mediocre Filio unigenito decus adjiciet? *Fortasse autem dixerit alius quispiam, sermonem nostrum acriori animi contentione prosequens, inferius habendum non esse, ab hujusmodi causa, causa omnis experte, proficisci. Nam & quia ab eo qui principio caret, originem trahit, ejus quoque gloriæ partem sibi vendicat: & accedit insuper generationis prærogativa, res tanta, tamque venerandа, iis quidem certè qui mente præditi sunt.* Ibidem.

Nec nesciebat Nazianzenus Filio incarnato majorem dici posse Patrem: sed minùs id Patri honorificum fore suspicabatur, si homine major diceretur; honorificentissimum ex adverso esse, ut dicatur Filio Deo major, etsi Deo nihil possit esse majus, etsi Filius non sit minor. *Nam quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, verè quidem dici potest, sed non perinde honorificè. Quid enim mirum, Deum homine majorem esse? Atque hæc mihi dicta sint adversùs eos, qui majoris vocem insolentiùs jactant.* Ibidem.

III. Similiter & Basilius adversùs Eunomium, majorem Filio confitetur esse, sed Patrem; ac proinde non substantiæ ratione, sed origine. Quàm necesse est enim unam esse Patris Filiique substantiam & naturam, tam necesse est origine illos distare; cùm Patris Filiique nomina, nomina sint originis. *Quas ob res reliquum est, ut causæ ratione majus hic capiatur. Nam quoniam à Patre origo est Filii, hoc major est Pater, quod causa est, atque origo. Quapropter Dominus sic dixit: Pater meus major me est: ut eo quod Pater est, major esse intelligatur. Patris autem nomen quid aliud ostendit? nonne causam ejus qui ex ipso natus est, atque originem?* Basilius l. 1. p. 724.

Substantia autem majorem non esse Patrem assentiri cogebantur Eunomiani, cùm sua ipsos Dialectica addoceret in substantia esse non posse majus, aut minus. Nec enim homo homine magis aut minùs esse potest, unus alio. Porro quantitate majorem Patrem dicere, vel cogitare, ne poterant quidem; cùm ratio quantitatis in naturam Dei simplicissimam cadere neutiquam possit. *Atqui etiam secundùm sapientiam vestram, substantia major aut minor substantia non dicitur. Itaque tum secundùm istos, tum secundùm veritatem ipsam, nullo pacto excessum in substantia propositа hæc verba significant. Magnitudine verò Patrem Filio esse majorem, hic ipse pernegat, cùm nullam oportere in Deo quantitatem intelligere asserat. Quare nullus alius relinquitur, nisi qui à nobis dictus est majoris modus, qui est secundùm causam atque originem.*

Ætate autem, vel æternitate major Filio Pater dici non poterat, nisi si usque adeo desiperent Eunomiani, ut fuisse aliquando dicerent, cùm Pater Pater non esset. Ut erant autem inter eos aliqui supra modum insani, qui hoc sentirent, ita illos refellebat Basilius: Cùm honestum & decorum, quin & beatum Patri sit esse Patrem, non potuisse eum unquam hac tanta carere, hac tanta beatitudine se ipsum fraudare. Ecquid enim cunctatus esset Filium sibi adjungere? an impotentiæ, an ignorationi id ascribent hominum vecordissimi? Cùm neutrum dici queat, semper ergo fuit Pater, adeoque semper fuit & Filius. Nec enim vel in cogitationem venire potest Pater sine filio, vel filius sine Patre. Etsi enim homo homine prior & ætate major sit, at non priùs est quisquam Pater, quàm sit ei filius. *Deinde suas blasphemias persequens, Patrem etiam asserit non fuisse Patrem à principio, sed postea factum esse. Atqui si honestum & decorum est Dei beatitudini Patrem esse, quomodo ergo à principio quod decebat, ipsi non aderat? Aut enim melioris ignorationi, aut impotentiæ hunc defectum imputabunt. Ignorationi quidem, si postea quod est melius adinvenit: impotentiæ vero, si sciens atque intelligens quod optimum est, assequi non poterat. Sed si, quod est nefas dicere, non est ei bonum Patrem esse, cujus rei gratia commutatus pejus elegit?* Et paulò pòst: *Quamobrem & Filius cum ante secula sit & semper sit, nunquam esse incepit; sed ex quo Pater est, & Filius est. Et illico cum quis Patris cogitationem capit, Filii etiam incurrit. Nam Pater, Filii videlicet Pater. Patris igitur origo nulla, origo verò filii Pater: inter hos autem nihil. Quomodo igitur non erat à principio, (nam hoc est illud, ante suam subsistentiam, quod per cavillationem ab istis dicitur,) is ante quem nihil intelligitur, nisi Pater, à quo & esse habet, non per intervallum superiore, sed pro causa præordinato?* Ibid. p. 724.

IV. Idem porro Basilius libro tertio contra Eunomium, ubi agit de Spiritu Sancto, fatetur ille quidem Filium Patre, Spiritum sanctum Patre & Filio dici posse ordine & dignitate secundum, vel tertium, τάξει, ἀξιώματι; at natura & substantia secundum dici non posse Filium, nec tertium Spiritum sanctum: cùm nihil ejusmodi Scripturæ sonent, nihil ejusmodi patiatur usus Ecclesiæ. Ordine quidem & numero in Scripturis & in ipsa forma Baptismatis priorem vocari Patrem, tum Filium, tertium denique Spiritum sanctum; at hæc ad nomina spectare, quæ non possint à nobis omnia simul pronunciari; adeoque cum alia aliis priora dici & proferri necesse sit, illud esse omnino consentaneum, ut in his ratio habeatur originum; cæteroqui cùm in tribus una eademque sit Deitas, qua melius majusque ne venire quidem in mentem potest quidquam, nihil ibi majus, aut minus: prius, aut posterius est. *Fuitne unquam homo sic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, naturа quoque ipsum tertium esse? Namque ipsum secundùm esse à Filio, pietatis sermo fortasse tradit; naturа verò tertia uti, nec à divinis Scripturis docti sumus, nec ex antecedentibus possibile est consequenter colligi. Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est: & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipsi est, & quoniam per ipsum accessus & adductio ad Deum Patrem; naturа verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas: ita videlicet & Spiritus sanctus, & sic dignitate & ordine secundus à Filio est, ut illud concedamus: non tamen verisimiliter aliena ipsum esse naturæ inde consequetur.* Ibid. p. 724. Et aliquantò

Vid. Tom. quantò pòst : *Sic profectò & Spiritus sanctus, dignitate quidem ordinis tertius est. Accepimus enim ipsum tertium à Patre & Filio numeratum, cùm ipse Dominus in traditione salutaris baptismi ordinem tradiderit his verbis : Euntes baptizate in nomine Patris & Filii & spiritus sancti. In naturam autem tertiam à Filio ac Patre dejectum Spiritum, nullibi audivimus.*

V. Tum hæc omnia, tum etiam nonnulla alia in hanc rem complexus est Basilius uno contextu libri quarti adversùs eundem Eunomium. En ipsa ejus verba, paulò quidem prolixiora, sed quibus tota hujus doctrinæ summa contineatur :

Ibid. p. 769. *Majus vel magnitudine, vel tempore, vel dignitate, vel virtute, vel ut causa majus dicitur. Verùm magnitudine Pater major Filio dici non potest, incorporeus enim est. Nec tempore, nam Filius temporum est creator. Nec dignitate, fictus enim non est, quod nunquam erat. Nec virtute, quæcumque enim facit Pater, hæc & Filius similiter facit. Nec ut causa, quoniam similiter ipso & nobis major esset, siquidem & ejus & nostri esset causa. Honorem ergo magis Filii ad Patrem hoc dictum, at non immunitionem ejus, qui dixit, ostendit. Deinde quod majus est, non omnino diversæ est substantiæ ; homo enim major homine dicitur, & equus equo. Quare etsi major Pater dicitur, non statim substantia quoque illius diversa est. Et universaliter quæ comparantur, de consubstantialibus, non de iis dicuntur, quæ diversarum sunt substantiarum. Nam homo non proprie major irrationali dicitur, nec irrationale irrationali. Pater ergo & si major Filio dicitur, ei tamen Filius consubstantialis est.*

In his certè præter ea quæ superiùs jam adnotata sunt, vides negari Patrem Filio majorem etiam *dignitate*, ἀξιώματι. Tametsi jam videbatur Basilius concessisse superiùs, ut & ordine & dignitate, τάξει, καὶ ἀξιώματι, major diceretur Pater. An ergo sibi non concordat ? Immo has discordiæ suspiciones ipsemet hic abstergit, dum ait, Nequaquam dignitate majorem esse Patrem, *quòd factus non sit, quod nunquam fuerat*. Ex duobus enim verbi gratia hominibus, qui unius naturæ sunt, & sibi hactenus æquales, potest alter altero major evadere, si lapsu temporis alter eorum aliquid novæ dignitatis adipiscatur. At nihil ejusmodi fas est de Deo Patre suspicari. Est ergo ille major *dignitate*, quàm Filius, ubi dignitas non sonat, nisi ordinem in recensendis nominibus trium personarum ; non est major dignitate, ubi eo significatur novæ aliquod dignitatis incrementum.

Negat & hic Basilius Patrem esse majorem causa, οὐδὲ ὡς αἴτιον. Et tamen frequentissimè hactenus assentiebantur sancti Doctores Patrem esse Filio majorem, ut principium, & causam : ἀρχὴν, αἰτίαν. Verùm & hic Basilius hunc eximit scrupulum, quando dixit Patrem causam esse rerum creatarum, illisque majorem, fierique non posse, ut eodem modo major sit Filio, atque rebus creatis. Duplici ergo sensu potest illa vox intelligi, αἴτιος, αἰτία ; ut vel rerum creationem designet, & eo sensu Pater non est causa Filii, nec Filio major, ut causa ; vel originis tantùm & principii significationem habeat, ut Pater Filii, ut uterque Spiritus sancti principium est, & causa etiam quandoque à Græcis potissimùm dicitur : & ita Filio Pater major est, etiam ut causa.

VI. Denique advertit Basilius majores minoresve non dici res, nisi quæ sint ejusdem naturæ ; nec enim comparantur ferè, nisi ejusdem naturæ consortes, vel homines inter sese, vel animantes. Homo homine major dicitur, non equo : equus equo major, aut minor est, non homine, nedum arbore, vel statua. Unde rursus alibi idem Basilius consubstantialem Patri Filium etc inde etiam argumentatur, quòd Pater eo major dicatur, quanquam & ad humanitatem assumptam referri id possit. *Objiciunt, Pater major me est. Abutuntur enim & isto dicto Christi ingratæ illæ creaturæ, satanæ progenies. Ego vero ex hoc ipso dicto, quod Filius Patri sit homoousius, patefieri credo. Novi enim collationes propriè ab ea portione, quæ ejusdem sunt naturæ. Angelum namque Angelo majorem, & hominem homine justiorem, & volucrem volucri velociorem esse dicimus. Itaque si collationes inter ea fiunt quæ ejusdem sunt speciei, Pater vero per collationem dictus est Filio major, consequitur Filium Patri esse homoousion. Inest autem & alius quidam intellectus isti dicto. Quid autem mirum, si Patrem se confessus est esse majorem, qui cum Verbum esset, caro factus est, cùm hujus gratia & Angeli secundùm gloriam, & hominibus secundùm speciem minor apparuerit ? Imminuisti enim ipsum, inquit, modicum quid ab Angelis.*

Epist. 141. Tom. 3. pag. 167.

VII. Eloquentissimè Chrysostomus, ut solet, id quoque exequutus est, ut id quoque pertineat ad Patris amplitudinem, ut ne minorem seipso genuerit Filium ; ut æquè potentem, æquè sapientem, & coævum genuerit. Quid enim amplius ad Dei bonitatem & magnitudinem infinitam commendandam, quàm quòd alium nobis talem prompserit ex seipso, hoc tantùm excepto, quòd Pater non est ? ὅτι ἄλλον ἡμῖν ἔδειξεν αὐτὸς, πλὴν μὴ τὸν πατέρα εἶναι. Sic ergo Chrysostomus : *Ergo & cum dicimus esse perfectum, non indigentem, nihilo minorem Patre, hoc gloria Patris est. Hoc & potentiæ ipsius magnum indicium, & bonitatis, & sapientiæ, quod Filium talem genuit ; quod nihilo minorem, neque quod ad bonitatem, neque quod ad sapientiam attinet. Quum sapientem esse dico item ut Patrem, & nihilo minorem ; hoc magnæ Patris sapientiæ indicium est ; quum dico potentem æquè esse, ac Patrem, hoc potentiæ Patris indicium est ; quum dico bonum esse item ut Patrem, hoc bonitatis argumentum maximum ; talem, inquam, genuisse, qui nequaquam ipso sit inferior, nequaquam minor, atque indigus. Quum dico non esse minorem secundùm essentiam, sed æqualem, neque alterius esse substantiæ : hinc etiam rursus Deum suspicio, & potentiam ipsius, & bonitatem, & sapientiam ; qui alium ex se nobis ejusmodi prompserit, hoc excepto, quod Pater non est. Quamobrem, quæcunque de Filio magna dixero, omnia hæc in Patrem redundabunt.*

Chrysost. Hom. 7. in Epist. ad Philipp. pag. 1233. 1234.

VIII. Agnoscit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in orbe condendo nutum & imperium Patris, authenticamque potestatem, quòd ejus voluntate Filius omnia condiderit : πρὸς γὰρ πατρὸς νεύματος, ἵνα τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς ἐν αὐθεντικῇ ἐξουσίᾳ. Sed hæc ille non dissimulat exempla omnia à vero multùm deviare. *Vellem etiam adferre exemplum aliquod dictorum, sed esse scio imbecillum. Quod enim ex his visibilibus aptum divinæ virtutis capietur exemplum ? Sed dicam tamen, tanquam infirmum, ab infirmo ad infirmos. Quemadmodum enim si quis rex, regem habens Filium, volens constituere civitatem, poneret exemplarem Filio secum regnanti structuram civitatis, ille autem exemplum capiens ad finem perducat, quod animo concepit. Ita Patre volente omnia extruere, Patris nutu Filius omnia creavit, ut nutus quidem custodiat Patri authenticam potestatem : Filius verò habeat nihilominus potestatem rerum à se factarum.*

Cyrill. Hierosol. Catech. 11. p. 102.

IX. Fusissimè Isidorus Peluseota declarat, quàm non potuisset Pater Filio major dici, nisi ut ejusdem naturæ esse innueretur. *Majus & minus in iis, quæ eandem substantiam habent, quæritur, ac perpenditur. Verbi gratia : homo homine major est, & bos bove, & equus equo. Ac denique comparationis regula iis rebus convenit, quæ ejus-*

Isidorus Pelus. Ep. 421. L. 1. p. 128.

dem

dem generis sunt. Quocirca si is, qui ea, quæ ad Deum pertinent, nimis audaciter inquirit ac perscrutatur, majoremque Filio Patrem esse contendit, comparationem tanquam eandem substantiam habentium admittit, de majori breviter ipsi respondebimus. Nam quæ substantiæ ratione discrepant, inter se comparari nequeunt. Neque enim homo bove major dicitur, nec equus camelo, nec asinus pisce.

Brevius alibi idem ipse censet dici Patrem majorem, ut Pater est; æqualem, ut Deus est, & consubstantialis. *Illud vobis dicere licet, quod à quodam dum adversùs eos differeret allatum est,* L. 3. Ep. 134. 142. Pag. 386. 390. *nempe quod & majus consistit, qua ratione genitor est: & æquale, quatenus Deus est, ejusdemque substantiæ.* Denique negat ille majus dici posse, nisi quod utcunque comparari potest; non autem quod incomparabili præcellentia eminet, ut Creator creaturæ. *Non animadvertunt hæretici per ea ipsa quæ astruunt se irretiri, ac per ea ipsa perspicuè vinci, per quæ se vincere arbitrantur. Nam si creatum quiddam est Filius, ne majus quidem de eorum sententia stat. Majus enim ex comparatione dicitur, non autem ex incomparabili præcellentia.*

X. Præmitti his omnibus debuerat Alexandri Alexandrini Episcopi Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum inter ipsa Arianorum insaniæ primordia, ubi unigenito totam vendicat paternæ Deitatis amplitudinem, ut absolutissimæ imagini, cui unum id non adsit, quod sit ingenitus. Ideoque quanquam sit splendor gloriæ Patris, character substantiæ, profitetur tamen ipsemet Patrem majorem se esse. *Perfectum Filium, Patrique omnino similem didicimus, hoc solum illo minus habentem, quod ingenitus non est. Nam exacta & nihil varians Patris est imago; quia imaginem esse liquet plenè omnia complectentem, quibus major similitudo repræsentatur, sicut Dominus ipse docuit dicens, Pater meus major me est. Quo etiam nomine Filium ex Patre semper existere credimus. Splendor enim est gloriæ, & character Paterna substantiæ.* Subdit mox Alexander, hæc verba *Erat, semper, ante sæcula*, magnifica illa quidem esse, & Deo adscribi; at nostræ hos esse velut infantiæ conatus, quibus ejus dignitatem utcunque adumbremus, sed his Patrem & ingenitum nequaquam exprimi. *Nam nec Erat, nec Semper, nec Ante sæcula idem sunt cum Ingenito: sed neque aliud quodcumque humana mens fingere vocabulum conetur, Ingenitum significat. Quod & vos ita intelligere credo, & de recto vestrum omnium judicio confido, quod voces istæ nullo modo Ingenitum exprimant. Videntur enim esse hæc nomina quasi temporum quædam extensio, quæ divinitatem quidem unigeniti, & velut antiquitatem pro dignitate demonstrare nequeunt; à sanctis autem viris prolata sunt, dum mysterium hoc, ut quisque poterat, declarare nituntur, veniamque ab auditoribus petunt, probabili excusatione dicentes, Quoad pertingere potuimus.* Illud ergo est insigne decus Ingeniti, quòd à nullo sit authore, μηδενὸς τῶν ὄντων ἀρχὴν ἢ αἰτίαν λέγοντες; at Filius generationem habeat principio carentem. Inde Pater ob illam maximè Ingeniti gloriam major Filio ab ipsomet Filio declaratur. *Quamobrem sua ingenito Patri servanda est dignitas, nullum essentiæ illius auctorem ei fuisse profitendo: Filio autem conveniens honor tribuendus, principio carentem ex Patre generationem illi adscribendo.* Et tandem: *Ingenitum verò Patris solius proprium esse decernentes. Quippe cùm Servator ipse dicat, Pater major me est.* Theodoret. Hist. l. 1. c. 5. Tom. 3. pag. 64. Eidem.

XI. Possent hæc omnia & ex Cyrillo Alexandrino confirmari. Paucis his ex ejus Thesauro libatis contentus ero. Cùm Christus dicat, *Pater major me est*; cùm de eo Paulus dicat, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, in hæc ita differit Cyrillus: *Quum nobis propositum sit piè hæc dicta examinare, neque æqualitate eum privabimus, eo quod major sit Pater; neque rursus majorem esse Patrem negabimus, ob æqualitatem Filii. Utrumque enim locum habebit, si ea piè consideraree intelligereque velimus.* Et paucis interpositis: *Æqualis itaque essentiæ ratione existens cum Patre Filius similisque per omnia, majorem illum vocat, tanquam principio carentem, ipse principium habens; ea tantùm ratione quòd ex Patre est, tametsi existentiæ ratione cum eo conveniat.* Est itaque ex Cyrillo major Filio Pater, ὡς ἀναρχος, ut principio carens, cùm ipse principium sit Filii. Cyril. Alex. Tom. 5. Part. 1. pag. 85.

XII. Facilè, ut spero, condonabit nobis Lector, ut retro iterum flectamus vestigia ad pulcherrimum Augustini locum, qui nos penè prætervolaverat. Sed & illum necesse est paulò aptiùs repeti, quòd non pauca habeat superioribus illustrandis confirmandisque peropportuna; & quæ tamen omnia eò collimant, ut intelligatur Filius & minor Patre non esse, & minor tamen utcumque dici potuisse; aut certè ita non minor, ut major tamen illo Pater sit. Sic ergo sanctus Doctor contra Maximinum Arianorum Episcopum ostendit Patrem nec bonum, nec potentem, nec Deum fore, si Filium sibi inæqualem genuisset, si major Filio esset. Argumento enim id fore, quòd æqualem generare vel noluisset, vel non potuisset; atque ita minùs bonus, minùs potens, minùs fœcundus esset, quàm Deum deceret. *Dicis solum esse Patrem Deum bonum, quia nec Deus est de alio Deo, nec bonus de alio bono: Filium verò ideo Patri non esse coæquandum, quia de illo Deus est, de illo bonus est. In qua sententia utrumque blasphemas: & Patrem scilicet, quia non tantum genuit quantus est ipse, nec talem qualis est ipse: & Filium, quia talis tantusque nasci non meruit, qualis quantusque est ille qui genuit. Denique ipsa duo de quibus agimus, hoc est, Deitas & bonitas, quoniam dictum est: Nemo bonus nisi unus Deus: in hac tua opinione deficiunt. Tantum enim quantus est ipse, & talem qualis est ipse, si non potuit gignere, quomodo Deus est? si noluit, quomodo bonus est?* Augustin. L. 1. c. 15. 24. 25. Tom. 6. pag. 277.

Præstare Filio Patrem ajebant Ariani, quòd Pater fons esset bonitatis à seipso, ab eoque haberet Filius, quòd esset bonus. At contra insurgit Augustinus: A fonte bonitatis Patre non potuisse manare in Filium bonitatem, nisi tantam, quantam ipse habet; illud enim bonitatis, illud summæ bonitatis est, illud Patris est Filium suæ substantiæ gignentis; illud naturæ est, quæ substantias omnes exæquat gignentibus genitas, animantes animantibus, arbores arboribus, homines hominibus. Ita necesse fuit non nasci à Patre Filium, nisi ut à fonte fontem, à fonte bonitatis fontem bonitatis. Denique cùm Bonitas sit vita vivificans, vita sese propagans, ut Pater generans, ita Filius genitus vita vivificans est. *Pater, inquis, fons bonitatis est, qui quod est bonus à nemine accepit. Num quid ideo minùs bonus est Filius, quoniam quod bonus est, ab eo Patre accepit, qui nascenti Filio tantam bonitatem quantacumque illi est quà Deus est, dare potuit, & dedit, quia bonus invidere non potuit? Nam si minus bonitatis, quàm quod ipse habet, unico dedit, minùs bonus est & ipse quàm debuit. Quod sentire dementiæ est; ergo quantum ipse habet bonitatis, tantum Filio dedit. Et quia natura est, non gratia Filius, nascenti, non indigenti dedit; & plenum fons bonitatis fontem genuit bonitatis. Ac per hoc nec auxit in se hic quod accepit, nec minuit in se ille quod dedit: quia non habet immutabilitas unde deficiat, non habet plenitudo quo crescat. Quid est autem ipsa bonitas, nisi vita vivificans? Proinde quia fons fontem genuit.*

Ut ergo fons in fontem, lux in lucem, vita in vitam

vitam sese propagat, ita ut ubique unus sit fons, sibique par una lux, una vita; ita Pater & Filius. *Fons ergo de fonte, Filius de Patre, & simul ambo fons unus: lux de luce, Filius de Patre, & simul ambo lux una: sicut Deus de Deo, & simul ambo utique Deus unus; & hoc totum non sine Spiritu amborum.*

XIII. Ex hac tanta unitate & æqualitate Patris & Filii illud emergebat, ut non facilè intelligi vel dici posset major Filio Pater, nisi ut homine; qua demum ratione illum sibi haberet obnoxium, subditum & obedientem; cùm Filius ut Deus, non minor, non obediens præcepto Patris, sed ipsemet esset Patris præceptum & imperium. *Quia enim natura Divinitatis æquales sunt, æquales se invicem diligunt. Facit autem Filius sicut homo mandatum Patris. Nam sicut Deus, ipse est mandatum Patris, quia ipse est Verbum Patris.*

Hanc responsionem lacessebant Ariani hoc argumento, quòd non valdè egregiam hinc laudem, non magnum hinc & memorabile nomen consequeretur Pater, si major homine prædicaretur, quo majores sunt Angeli. At contrà reponebat Augustinus, per Filii contumelias & detrimenta non esse exaggerandos Patris honores, cùm quidquid illud erit ignominiæ, vel ignobilitatis, in Patrem à Filio redundaturum sit. Degener enim filius dehonestamentum patris est. *Sed dicis non esse Dei Patris magnam gloriam, si ea forma servi major est, qua forma majores sunt & Angeli. Vide si aliud conaris, nisi ad unius Patris gloriam per unici Filii contumeliam pervenire, ut scilicet non augeatur Pater in gloria, nisi minuatur Filius in natura. Cohibe te, nescis & Patri & Filio te ingerere contumeliam, si nec ille potuit, aut noluit gignere æqualem sibi, nec iste nasci æqualis Patri. Non se vult Deus ita laudari Patrem, ut Filium dicatur de seipso generasse degenerem.* Ibidem.

Quin & illud quod causabantur Ariani, non magnoperè Dei gloriam commendari, si homine major sit, quo & Angeli omnes majores sunt: contestatur Augustinus vehementer eos hallucinari. Vel Paulus enim ipse Christum hominem declaravit Angelis non minorem natura, sed passione sua infra illos minorem factum; quin & carne sola, non anima rationali minorem dici posse Angelis hominem, cùm natura intellectuali & rationali superior non sit, nisi natura ipsa Sapientiæ & sempiternæ Veritatis Deus. Cùm ergo Deus major homine dicitur, illud de eo dicitur, quod de Deo dici potest: ut sapientissimè Paulus dixerit, Deum esse majorem corde nostro: *Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma servi major est, qua majores videntur & Angeli, non rectè cogitas quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei. Majores Angeli dici possunt homine, quia majores sunt hominis corpore, majores sunt & animo, sed in forma quam peccati originalis merito corruptibile aggravat corpus. Natura verò humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit depravari, solus major est Deus. Denique propter quid dictum sit, Minorasti eum modico minùs quàm Angelos: aperuit Scriptura, ubi legitur: Eum autem modico minùs quàm Angelos minoratum vidimus Jesum propter passionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis. Natura verò hominis, quæ mente rationali & intellectuali creaturas cæteras antecedit, Deus solus est major; cui utique injuria facta non est, ubi scriptum est, Major est Deus corde nostro. Filius ergo Dei susceptum hominem levaturus ad Patrem, quando dicebat: Si diligeritis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est; non carni suæ solùm, sed etiam menti, quam gerebat humanam, Deum Patrem utique præferebat: quæ tota sine dubio forma agnoscitur servi, quoniam tota servit creatura Creatori.*

CAPUT XVI.

Non posse majorem esse in Deo Personam unam qualibet alia; non posse duabus aliis, vel tribus simul minorem esse. Tria esse perfecta hæc, unum perfectum.

I. Ex Augustino, si ex anima & corpore, si ex homine interiori & exteriori existit unus homo, quantò magis ex Patre & Filio unus Deus?

II. Non ita tres Personæ unus Deus, ut quasi quarta sit divinitas; nec pars potest dici divina ulla Persona.

III. Ne in anima quidem partes sunt, quantò minùs in simplicitate Deitatis? Quælibet Persona in Deo tanta est, quanta tres, quia summa, infinita plenitudo, totum est.

IV. In natura veritatis non est aliud alio majus; nec majus ibi est, nisi quod verius. Natura veritatis Deitas ipsa est; non ergo ibi aliud alio, vel aliud aliis majus, sicut nec verius.

V. Ex Nazianzeno, Trinitas est ex tribus summè perfectis unum perfectum.

VI. Idem ex Basilio, utque fons summæ perfectionis in tribus & in singulis sit.

VII. Ex Cyrillo, in Angelo & homine natura non capit majus, & minus, quantò minùs in Deo?

VIII. Ex Fulgentio, quàm non potuerit ex Deo prodire Filius, nisi æqualis, infinitus, immensus, &c.

I. CUm de Patre multa jam dixerimus, quæ ad confirmandam & elucidandam maximè pertinent unius in tribus Personis Deitatis fidem: supersunt nihilominus aliqua, utique non prætereunda, quæ ad id quoque faciant. Si unus homo dicitur, ait Augustinus, ob copulam corporis & animæ: quantò magis dicetur unus Deus Pater & Filius, cùm tantò conjunctiores sibi sint? Si unitas enim hominis satis ampla & locuples est, ut animam complectatur & corpus, res alioqui tam diversas: quin unitas Dei incomparabiliter plenior & locupletior duas hypostases, Patrem & Filium amplectatur? Denique si interior & exterior homo tantoperè discrepant, & tamen unus homo est: quantò magis Pater Deus, Filius Deus, nulla re discrepantes, nisi quòd ille Pater est, hic Filius, unus Deus erunt? *Et cùm pro anima & corpore sibi coherentibus dicatur unus homo, cur non multò magis de Patre & Filio sibi coherentibus dicatur unus Deus, cùm sibimet inseparabiliter cohæreant, quomodo non corpus & anima? Et cùm corpus & anima sit unus homo, quamvis corpus & anima non sint unum, cur non multò magis sint Pater & Filius unus Deus, cùm Pater & Filius unum sint, secundùm illam Veritatis vocem, Ego & Pater unum sumus? Item cùm homo interior & homo exterior non sint unum, neque enim ejusdem naturæ est exterior, cujus exterior, quia exterior cum nuncupato corpore dicitur homo, interior autem in sola rationali animâ intelligitur; utrumque tamen simul non homines duo, sed unus dicitur: quantò magis Pater & Filius unus Deus est, cùm Pater & Filius unum sint, quia ejusdem naturæ vel substantiæ sunt, vel si quo alio vocabulo congruentiùs dicitur id quod Deus est? unde dictum est, Ego & Pater unum sumus.* Augustin. Epist. 174. Tom. 2. pag. 366.

Corporalia quidem sunt hæc exempla, & longè aliter Deo applicanda; at si in rebus infimis hæc Deus facit, quid in summis? Quid in seipso

ipso non facit quidem, sed est? Si ex Apostolo potest facere supra quæ petimus, aut intelligimus, quantò magis esse? *Non autem ista corporaliter sentiuntur, nec usitato more intelliguntur in Deo. Qui potens est facere, sicut dicit Apostolus, supra quàm petimus & intelligimus. Si autem facere, quantò magis esse?*

Ibidem.

II. Monet alibi idem Augustinus, non ita tres Personas unum esse Deum, ut earum communis sit quasi quarta divinitas, sed quòd sit ipsa inseparabilis Trinitas: *Nunc verò tene inconcussa fide Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse Trinitatem, & tamen unum; non quòd sit earum communis quasi quarta Divinitas, sed quòd sit ipsa ineffabilis & inseparabilis Trinitas.*

Epist. 222. pag. 293.

Illud ergo verè Deus est, Unum Tria, quod extra ipsum esse non possit; quippe cùm id maximè incomprehensibile sit, qualem maximè decet esse Deum. Si enim, ut ajebat modò Augustinus, quæ nobis incomprehensibilia sunt, potest Deus facere, quantò magis esse? Sed ita unum tria, hoc est, unus Deus tres Personæ, ut non possint dici singulæ Personæ amplissimi hujus Unius partes esse; cùm nec Deus pars esse dici possit Personæ Christi, quæ ex Deo atque homine consurgit. Alioqui non totus fuisset Dei Filius ante susceptum hominem, si eo suscepto jam pars esset. Nec in Deo ergo, nec in Christo pars dici potest Persona divina, cùm Deitatis sit totum esse, perfectissimum esse totum, unum esse perfectum ex tribus perfectis, ut mox dicetur. *Hi ergo tres qui unum sunt propter ineffabilem conjunctionem Deitatis, qua ineffabiliter copulantur, unus Deus est. Porro autem Christus una persona est geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest: alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, & crevit cum homo divinitati ejus accessit. Quod sit in una persona absurdissimè dicitur, quia pars rei ullius esse non potest Deus; quantò magis pars Trinitatis esse non potest, quicumque unus in tribus?*

Aug. l. 1. c. 4. con. Maxi. Tom. 6. pag. 365.

Ergo Deitatis non potest dici quælibet Persona pars tertia; nec major pars duo, quàm unus; nec majus omnes, quàm singuli; quia corporum est in partes secari, vel ex partibus coalescere: nec Deus est, quo majus quidquam esse potest. *In Trinitate ergo quæ Deus est, & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, & simul hi tres unus Deus: nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quàm unus est ibi: nec majus aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritualis hæc, non corporalis est magnitudo. Qui potest capere, capiat: qui autem non potest, credat, & oret ut quod credit intelligat.*

III. Cùm corpus sit majus qualibet sui parte; sic magna est anima, ut magnitudinis hujus suæ partes non habeat, sed tota in toto sit, tota in toto corpore, tota in partibus singulis; tanta in singulis partibus, quanta in toto. Hanc animæ præ corpore suo simplicitatem quantoperè superabit certissimè naturæ divinæ simplicitas? Idem Augustinus: *Nam (anima) ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet ejus parte tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non sit in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet.* Quantò magis ergo tanta erit quælibet divinitatis persona Trinitatis, atque duæ, atque tres? Nec verò triplex dici poterit Deus ob tres hypostases, cùm ea sit Trinitatis hujus admirabilitas, ut simplicitati amicissima sit, sit & ipsa simplicitatis opulentia. Nec enim jejuna est, aut in angustias redigi potest simplicitas. *Cùm itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater & Filius & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est. Corpora quippe adjunctione sua crescunt. Quamvis enim qui adhæret uxori suæ, unum corpus sit: majus tamen corpus sit, quàm si solius viri esset, aut solius uxoris. In rebus autem spiritalibus, cùm minor majoribus adhæresci, sicut creatura Creatori, illa sit major quàm erat, non ille. In iis enim quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.*

De Trinit. l. 6. c. 6. Tom. 3. pag. 116.

Ibid. c. 8.

Non est quo crescat perfectio, quæ summa est, quæ infinita est: itaque illorum trium tantus est singulus quisque, quanti duo, quanti tres simul. *In ipso igitur Deo cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus sanctus Patri & Filio æqualis; non fit major Deus quàm singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, & perfectus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, & ideo Trinitas potiùs quàm triplex.* Cùm omnium ergo in Deo sit origo, summaque & pulchritudo, & delectatio, hæc tria ad se invicem referuntur, insunt sibi invicem, & in se infinita sunt; ideoque horum trium tanta sunt singula, ac tria; sunt enim singula in singulis, & omnia in singulis, & unum omnia; hæc est opulentissima plenitudo, nec non & simplicissima unitatis; his meditandis fidelium mens ubi insuescit, assurgit supra sensibilia, supra seipsam, supra creatas res omnes, intelligentiæ divinorum sensim aptatur; nec tamen fidei & speculi ope indigere omnino ante desinet, quàm beatæ patriæ gaudia gustarit; quia nec ante desinet purgari, & ulteriori semper indigere putitate. *In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio. Itaque illa tria, & ad se invicem determinari videntur, & in se infinita sunt. Sed hic in rebus corporeis, non tantum est res una, quantum tres simul; plus aliquid sunt duæ, quàm una res. Caterùm in illa summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul; nec plus aliquid sunt duæ, quàm una. Et in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum, & in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, & sicut Deum honoret, & gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum: quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas.*

Ibid. c. 8. pag. 112.

IV. Vide autem ut quasi nostræ imbecillitatis non nescius, hæc nobis intelligentiæ rudimenta inculcare paulò pòst pergat Augustinus. Non jam corpora, non animas, non angelicas spectemus substantias, etsi in his gradus sint simplicitatis spectabiles, & alii aliis magis assurgentes. Sed duce Augustino spectemus veritatem, naturam & substantiam veritatis. In ea enim majus nihil est, nisi & verius sit. At quæ sunt æterna & incommutabilia vera, ea non sunt alia aliis veriora. Magnitudo sua veritas est, in ea ergo majus aliud alio non est, nisi & verius sit. Ubi magnitudo veritas est, non habet plus magnitudinis, nisi quod habet plus veritatis. *Dicimus enim non esse in hac Trinitate majus aliquid duas, aut tres personas, quàm unam earum, quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt, sentit, ut potest. Veritatem autem ipsam, qua creata sunt, non potest intueri. Nam si posset, nullomodo esset lux ista corporea manifestior, quàm hoc quod diximus. In substantia quippe veritatis, quoniam sola verè est, non est major aliqua, nisi qua verius est. Quidquid autem intelligibile atque incommutabile est, non aliud alio verius est, quia æquè incommutabiliter æternum est. Nec quod ibi magnum dicitur, aliunde*

Ibidem l. 8. c. 4. pag. 117.

aliunde magnum est, quàm eo quo verè est. Quapropter ubi magnitudo ipsa veritas est, quicquid plus habet magnitudinis, necesse est, ut plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, plus etiam non habet magnitudinis. Porro quidquid plus habet veritatis, profectò verius est, sicut majus est quod plus habet magnitudinis: hoc ergo ibi est majus, quod verius. His ita præstructis, jam ad summam Trinitatem provehitur Augustinus, demonstratque non minori perspicuitate, non aliam esse posse Deitatis magnitudinem, quàm veritatem; non aliud alio majus, quàm quod verius; at nec veriorem esse quemcumque ex illis tribus, quàm alium: non veriores esse eorum duos, quàm unum: non tres quàm duos, vel unum; itaque nec majores; veritate non superari Filium à Patre, non Spiritum sanctum ab utroque, adeoque nec magnitudine; cùm non aliam ibi fas sit cogitare magnitudinem, quàm veritatem. Ita non esse majorem Filio Patrem substantia & natura, cùm tota natura Deitatis veritas & sanctitas sit, & quidem summa, quaque majus nihil esse possit. *Non autem verius est Pater & Filius simul, quàm singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quàm singulum eorum. Et quoniam aque verè est etiam Spiritus sanctus, nec Pater & Filius simul, majus aliquid est, quàm ipse, quia nec verius est. Pater quoque & Spiritus sanctus simul, quoniam veritate non superant Filium, non enim verius sunt, nec magnitudine superant. Atque ita Filius & Spiritus sanctus simul tam magnum aliquid sunt, quàm Pater solus, quia tam verè sunt. Sic & ipsa Trinitas tam magnum est, quàm unaquaque ibi persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum esse quod est esse: & hoc est esse, quod est magnum esse: hoc est ergo magnum esse, quod verum esse. Quod igitur ibi aquè verum est, etiam aquè magnum sit, necesse est.*

V. His consentanea sunt, quæ Nazianzenus disputat de *Trinitate perfecta ex tribus perfectis consurgente*, τριάδα τελείαν ἐκ τελείων τρῶν: si perfecta enim sunt tria sigillatim & conjunctim, non alia aliis meliora, aut majora sunt, sed paria & æqualia; cùm in Deo summa & optima sint omnia; nec perfectum dici possit in hujusmodi, si perfectius aliquid esse possit, immo vel fingi. A quibus non recedunt, quæ idem alibi habet de Spiritu sancto, sine quo imperfecta esset Deitas, quæ ipsa est essentia perfectionis. Nec enim perfecta tantùm est Trinitas, sed ex tribus etiam est perfectis, & quidem singulis ita perfectis, ut iis ne tres quidem conjunctim perfectiores esse possint: tum quòd in singulis etiam tres insint, tum quòd perfectio & summa & divina id necessariò & manifestè habeat, ut accedere illi nihil possit. *Semper cum Patre & Filio conjunctus, atque connumeratus: nec enim conveniebat, ut vel Pater Filio, vel Spiritu sancto unquam careret. Nam alioqui maximum divinitati dedecus conflaretur, ut quæ ad eam perfectionem tanquam ex pœnitentia venisset. Erat igitur semper, perceptibilis, non particeps; perficiens, non ab alio perfectus; explens, non expletus; sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus; ipse semper, & secum, & cum iis quibus adjunctus est, idem equalis.* Perceptibilis hìc dicitur, qui percipi ab aliis & participari potest, ob opulentiam suam: non potest alia percipere, aut participare, quo ejus egestas prodiretur. Ita Spiritus sanctus quantumcunque mentis nostræ acumine sejungatur à Patris Filiique contemplatione; quantumcunque ad Patrem, ut ad primam causam referatur, πρὸς τ πρώτην αἰτίαν; est tamen vita & vivificans, lux & fons lucis, bonitas ipsa & fons bonitatis; an potest autem ipsa divinarum personarum Trinitas majus quid esse, aut melius, aut superius, quàm lux fons lucis, vita fons totius vitæ, ipsum bonum & fons bonitatis: αὐτοαγαθὸν, καὶ πηγὴ ἀγαθότητος? Unde Nazianzenus de ipso ibidem: *Seipsum movens, ac sempiternum motum habens arbitrii liber, per se potens, omnipotens tametsi ad primam causam, ut omnia ea que Unigeniti sunt, ita etiam que Spiritus sancti sunt, referantur, vita, & vivificans lux, & lucis largitor, bonitas ipsa, & fons bonitatis.*

VI. Basilius autem in homilia contra Sabellianos, monet ne ita Pater & Filius consubstantiales cogitentur, quasi una essentia in duas partes sit divisa: ne quasi ex una superiori substantia ambo fluant; ita enim fratres essent, non Pater & Filius: *Quando verò unam essentiam dico, ne duas personas ex una tanquam in duas partes divisa cogitare velis; sed ex principio Patris Filium subsistentem, non Patrem & Filium ex una superiori essentia descendentes. Non enim fratres dicimus, sed Patrem ac Filium confitemur.* Sed quod ex *Patre sempiternè perfecto perfectus resplendeat Filius*; ἀλλὰ ῥῶτος τελείου τέλειος ἀπολάμψας. Et Pater enim & essentia Deitatis summa ipsa perfectio est, quæ naturaliter resplendescit, & non potest splendorem ex se emittere nisi perfectissimum; ut perfectus splendor ex perfecto splendore manet, & unus uterque splendor, una uterque luminis perfectio sit. Unde mox ibidem: *Splendorem gloriæ (Filium) intellige. Quis vero est splendor ille, & que gloria? Ipse hoc statim Apostolus exposuit, dicens, Et character substantiæ. Idem est ergo substantia, quod gloria: character, quod splendor. Manente itaque gloria ista perfecta, ita ut nihil imminuatur, perfectus quoque ex ipsa procedit splendor.*

Basilius. Tom. 1. pag. 524

Ibidem. pag. 525.

Et aliquantò pòst tantundem plenitudinis & perfectionis in singulis personis ait esse, quantum in tribus; tantundem in iis quæ emanant, quantum in ea à qua emanant; quòd totus fons plenitudinis & perfectionis in singulis sit, nec possit quid majus & perfectius esse fonte ipso magnitudinis & perfectionis, hoc est divinitate. Est quidem singulari quodam modo Fons Pater, ut solus ipse à nullo manans; sed ab ea gloria & plenitudine non deficiunt manantes ab eo aliæ personæ duæ, cùm & ipsæ Fontem illum ipsum, Patrem ipsum in se habeant; atque ita tria perfecta sint, ut tota trium perfectio in singulis sit. Mira & incomprehensibilia hæc sunt, sed propriam divinitatis plenitudinem & perfectionem necesse est ejusmodi esse, ut creatæ menti incomprehensibilis sit, multò magis nostræ nunc quidem; quanquam ea re nos solemur, quòd non credimus tantùm, sed & intelligimus, incomprehensibilem illam nobis esse debere. *Est quidem Pater, perfectam habens, ac nullius indigam essentiam, radix & fons Filii ac sancti Spiritus existens: est verò & Filius in plena divinitate vivens Verbum, & progenies Patris nulla in re deficiens. Plenus est autem & Spiritus, non pars alterius, sed perfectus & totus in seipso considerandus. Conjunctus quidem indivulsè Patri est Filius, conjunctus item Filio est Spiritus.* Et mox: *Quando igitur sanctam Triada conjungimus, noli quasi tres unius cujusdam rei inseparabilis partes cogitare; impia namque est hæc cogitatio; sed trium perfectorum & incorporalium inseparabilem conjunctionem intellige.*

Pag. 526.

Ibidem.

VII. Cyrillus Alexandrinus ex humana Angelicaque natura argumentatur ad divinam: quippe cùm Angelus Angelo, homo homine major aut perfectior non sit ratione substantiæ & naturæ, quæ magis & minùs, ut loquuntur, non recipit, eademque sibi semper est, & sui simillima: quantò magis ea divinæ naturæ constantiæ unitasque vendicabitur, ut in Patre major non sit,

Orat. IIa pag. 410.

Orat. 41. pag. 714.

quàm

quàm in Filio; ne seipsa fiat minor per hujus inconstantiæ & mutabilitatis labem. *Non enim certè magnam illam & immortalem naturam in diversas rationes secabimus, ut in hoc verbi gratia, sit imperfecta, in illo perfecta: cùm humanitatis definitio una sit de omnibus, & eadem in omnibus nobis, nec homo aliquid minus aut majus sit altero homine, qua homo est: nec Angelus, opinor, ab altero Angelo differat, ratione Angelicæ substantiæ, omnibus, ex eo quod ejusdem sunt speciei, in unam naturam colligatis. Quomodo ergo divina & omnium suprema illa natura, minor in se esse videbitur quàm creatura, eique continget quod ne in ipsam quidem creaturam cadere possit? aut quomodo quæso erit simplex & incomposita, si in ea videamus esse perfectionem & imperfectionem?*

Cyril. Alex. In Evang. Joan. L. 1. p. 117.

VIII. Claudet hoc caput Fulgentius, & clarissimo hoc testimonio confirmabit, non potuisse Patrem in divina natura majorem esse Filio, cùm prodire Filius non potuerit, nisi paternæ & divinæ consors naturæ, qua persuasissimum est non posse quidquam esse, aut vel cogitari majus, meliusve; antiquius, vel immensius; nobilius, vel splendidius. Sic enim ille libro secundo ad Trasimundum: *Si ergo (Filius) docetur esse naturaliter Deus; si immensus, si altissimus, si est etiam sempiternus, dicatur quid melius Deo, quid majus immenso, quid superius altissimo, quid anterius sempiterno? Deus igitur non discrepat à Patre, immensus non caret Patris æqualitate, nec celsitudine privatur altissimus, nec est origine posterior sempiternus. Nam quia in Deo Patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus; quia nihil locale, ex immenso processit immensus; quia in Deo humile aliquid non est, altissimum generavit altissimus: & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternus protulit sempiternum.*

Fulgent. Cap. 3. Pag. 55.

CAPUT XVII.

Ita Unum natura, Trinum Personis esse Deum, ut numero ibi nec unum sit, nec tria. Quid tria dicantur. Cur non plura.

I. In Trinitate numerus non est, cùm ne in virtutibus quidem spiritalibus sit, sed ordo numeris præstantior ex Ambrosio.

II. Si virtutes plures in unam coalescunt, quantò magis divinæ hypostases in unam naturam?

III. Unitas & Trinitas Deus nil commune habet cum unitate & trinitate numerorum; unde nec copulari pugnant.

IV. Cur se alicubi Christus ante Patrem nominet.

V. Pater, Filius & Spiritus sanctus tres sunt, sed quid tres, difficile dictu ex Augustino; non enim tres Dii, aut Domini, nec aliquid absolutum: sed meræ relationes quæ unitatem magis stringunt. Quid tres dici non potest; ita ibi numerus non est, sed unitas locupletissima.

VI. Luculentè ex Boethio, ut in Deo Trinitas sit, numerus non sit.

VII. Boethium laudat Bernardus, cujus pulcherrimus hìc affertur contextus in eandem rem.

VIII. Eadem confirmantur ex Victorino & Anselmo.

IX. Idem ex Epiphanio & Nazianzeno.

X. Item ex Basilio unum tria, sed quid tria, difficile est dictu.

XI. Ne numeri in Deo ponantur, ne tres numero Personæ dicantur, ne unus numero Deus, ex Basilio.

XII. De eodem rursus ex Isidoro Pelusiota, Dionysio, Maximo, Nazianzeno & Jobio.

XIII. Ut Solus dicatur Deus.

XIV. Luculentissimè ex Paschasio, cur non citra, non ultra tres Personas se porrigat Deitas.

I. AN una numero dici possit divina natura, an tres numero ejus Personæ, id quanquam non semel hactenus perstrictum sit, paulò nunc operosiùs nobis hìc vestigandum superest. Alternasse hìc enim videntur sancti Patres, & quanquam in sententia consenserint, non semel in verbis discrepasse. Inde autem lucis forsan aliquid exculpemus, ad simplicissimam naturæ divinæ unitatem conciliandam ejus Trinitati Personarum, si ita tres sint, ut numero tres dici non possint, sed alia ratione ineffabili, ac longè præstantissima, quæ unitatis non repugnet. Primus in medium adducetur Ambrosius, qui septenarium numerum creatione mundi & Dei quiete consecratum, docet non tractari à nobis *more Pythagorico & cæterorum Philosophorum, sed secundùm formam & divisiones gratiæ spiritalis*. Hinc mox eum numerum refert ad *septem virtutes principales ab* Isaia commemoratas. Septem sunt enim hæ virtutes, sed non ad eundem modum, quo septem, verbi gratia, corpora, aut etiam homines, Angelique septem. Namque hæ virtutes aliæ aliis insunt, tametsi septem sint; & omnes uni cuilibet insunt; nec ægrè in unam coalescunt, quæ omnes amplectatur, & una sit verè, septenario quodam virtutum choro facta. Hinc auguratur Ambrosius in eo perillustre simulacrum esse divinissimæ Trinitatis, quæ numeri author est, numeris omnibus leges dicit, nulla numerorum lege vinciri se finit. *Bonus septimus numerus, quem non Pythagorico & cæterorum Philosophorum more tractamus, sed secundum formam & divisiones gratiæ spiritalis. Septem enim virtutes principales sancti Spiritus Propheta Esaias complexus est. Hic hebdomas, sicut ipsa Patris & Filii & Spiritus sancti venerabilis Trinitas, sine tempore, sine ordine author numeri, non sub numeri lege devincta. Itaque sicut ad æterna Trinitatis gratiam, cælum, terram, maria formata, & sicut Sol, Luna & stellæ, etiam ad illum septenarium virtutum spiritalium circuitum atque orbem operationis divinæ vigore præstantem, septenarium quidem ministerium Planetarum creatarum advertimus, quo hic mundus illuminatur.*

Ambros. Tom. 1. p. 535. 536.

II. Sic ille Enarratione secunda in Genesim, ubi alios esse declarat numeros dierum, cœlorum, aliarumque rerum naturalium; alios virtutum, alios denique divinos, si fas sit tamen in divinis numeros usurpare. Longè alius est septenarius numerus virtutum spiritalium, seu septem donorum Spiritus sancti, quæ ab Isaia describuntur, alius cœlorum, vel quarumcumque rerum corporalium. Nullam enim illic quantitatem, nullas divisiones cogitare fas est. Multò ergo magis longè alia Trinitatis ratio & præstantia erit, supra numeros omnes, multòque unitati & simplicitati affinior; cùm virtutes ipsæ etsi numerentur, in unam tamen omnes concrescant virtutem, ubi charitati, ubi sapientiæ coalescunt, ubi summæ perfectionis suæ apicem attigerunt. Sunt enim illæ etiam ex Philosophorum doctrina connexæ, in summo vertice suæ perfectionis.

III. Ne jam ergo molestiam nobis quisquam faciat super Trinitatis Personarum difficili concordia cum unitate. Id enim ad creatos numeros, rerumque creatarum modos spectat; non ad illam sive Unitatem, sive Trinitatem, quæ numeris omnibus creatis, & ipsi eorum duci unitati leges posuit. Eodem collimant & hæc alibi ejusdem Ambrosii verba: *Unitas potestatis excludit numeri quantitatem; quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.* Quasi dicat illam Unitati Trinitatem pugnare, quæ numerus, quæ quantitas est. Quantitatis enim partium ea

L. de Fide c. 6. pag. 46.

natura

natura est, ut aliæ alias excludant, aliæ ab aliis secari possint; & eò jam quodammodo sectæ sint, quòd secabiles sint. Illa etiam unitas numero insociabilis est, quæ & ipsa quantitatis exordium est, ac proinde quantitas est. At ubi Dei unitas prædicatur, non ea quantitatis, non ea numerorum unitas est. Et ubi memoratur Trinitas divinarum Personarum, non hic est ejusdem naturæ ternarius, atque ille qui in rebus creatis non paucis ille quidem præfulget dotibus; sed multò præstantissimæ. Namque hic in naturis creatis ternarius, quantitatis species est, & omnibus rerum quantarum ac divisibilium nævis obnoxius. At Unitas Trinitasque divina numerorum omnium principium est, numerus ipsa non est.

IV. Nec illud nos præteribit, quòd alibi notat Ambrosius: quando dixit Christus, *Ego & Pater unum sumus*, seque ante Patrem nominavit, id non contumaciæ, sed suæ cum Patre unitatis & æqualitatis conscientiæ dedisse: quòd in unitate ordo non sit, in æqualitate gradus non sit. *Nescit enim unitas ordinem. Gradum nescit æqualitas, nec cadit in Dei Filium, ut per contumaciam pietatem lederet magister ipse pietatis.* Unitatis ea fœcunditas, ea simplicitas est in Deo, non usquam verò extra Deum, ut & Principium & Principii germina complectatur, quæ numeri legibus subjici nequeant, eòque nec unitati pugnent.

I. 1. de Spir. Sancto. c. 18.

V. Abstergebit & Augustinus numeros à Deitate, convenienter Ambrosio; sed hæc præfatus, quæ necesse est hìc adscribi: *Trinitas unus Deus; Trinitas una æternitas, una potestas, una majestas: tres Personæ, sed non Dii. Non mihi calumniator respondeat; Quid ergo tres? si enim tres ait, oportet dicat quid tres. Respondeo, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti: sed quid tres exprime. Imò tu numeras, nam ego compleo tres, cum dico, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Id enim quod Pater ad se est, Deus est: quod ad Filium est, Pater est: quod Filius ad seipsum est, Deus est: quod ad Patrem est, Filius est.* Ita Augustinus Tractatu trigesimonono in Evangelium Joannis. Ubi vides tres quidem in Trinitate divina agnosci; sed quid tres, non facilè expediri. Nec enim tres Deos dicere fas est, aut tres Dominos, & quidquid denique non relativum ad aliud, sed absolutum ad sese est. Tria illa nomina Personarum ad invicem relativa sunt, nec aliud quidquam est præter relationes istas, cui ternarius competere possit; reliqua omnia in Unitate summa consistunt. Unde etsi duæ inter homines personæ duo sint, & duo dicantur homines, non tamen ita res habet in Deo. Pater Deus, Filius Deus, non tamen duo dii, sed unus Deus. Duo sunt illi quidem, sed quid duo, ineffabile quid est; quo minùs mirum est, si dualitas, si Trinitas hæc unitati consentiat, Unitas ipsa summa sit. Quòd enim Divinitas tres complectatur Personas, quæ meræ inter se relationes sint, non id unitati officit, sed proficit. Ita enim infinita Unitas fœcunditas per tres istas Personas ad seipsam tota refertur, in se reflectitur, tantò arctiùs & mirabiliùs sibi ipsa conglutinatur, si vel sic fari liceat, quod ineffabile prorsus est. Tres sunt, & ita quodammodo numerus est. Sed reapse & propriè numerus non est, sed summitas unitasque supra omnes numeros eminentissima: eòque Trinitas, quæ numerus non est, nec vel tantillum unitati inimica est. Audi Augustinum: *Sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo dii. Quare hoc non ita est ibi? Quia illud aliud, hoc autem aliud est: quia illa Divinitas est. Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quia tres sunt, tanquam est numerus: si quæris quid tres, non est numerus. Unde dictum est: Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Ubi cogitare cœperis, incipis numerare. Ubi numeraveris, quid numeraveris non potes respondere. Pater, Pater est: Filius, Filius est: Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. Quid sunt isti tres, Pater & Filius & Spiritus sanctus? Non tres dii? Non. Non tres omnipotentes? Non. Non tres mundi creatores? Non. Ergo omnipotens Pater? omnipotens planè. Ergo & Filius omnipotens? planè & Filius omnipotens. Ergo & Spiritus sanctus omnipotens? & ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes? Non, sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.* Et rursus alibi idem Augustinus docet tres *Personas* dici in Deo; non ut illud diceretur, sed ne omnino taceretur. *Cum quæritur, quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen Tres Personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.*

Augustin. Tom. 9. pag. 104.

De Trinit. L. 5. c. 9.

VI. Non absque hìc erit Augustino Boethium subtexere, & pauca excerpere ex ejus libello ad Symmachum dato, *Quomodo Trinitas est unus Deus, & non tres dii.* Monet primùm ille Dei substantiam & materia carere, & motu; ideoque ad res divinas intellectu & mentis apice opus esse, ut pergamus, non ad varias rerum formas & imagines, sed ad ipsam per sese formam, quæ ipsum esse est. *Dei substantia & materia & motu caret. In naturalibus igitur rationaliter, in mathematicis disciplinaliter, in divinis intellectualiter versari oportebit. Neque deduci ad imagines, sed potiùs ipsam inspicere formam, quæ verè forma, neque imago est, & quæ esse ipsum est, & ex qua esse est.*

Boethius pag. 958. 959.

Addit ipsum Esse totum esse, non in parte, non ex partibus consurgere, non ex hoc & hoc, sed hoc tantùm esse quod est. Cùm ergo partes in eo non sint ullæ, nec numerus est; ex partibus enim suis constat numerus. Sed id quod est ipsum esse, nihil aliud est, nisi id quod est. *In parte non est id quod est. Quod verò non est ex hoc atque hoc, sed tantùm est hoc, illud verò est id quod est: pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc verè unum, in quo nullus numerus; nullum in eo aliud, præterquam id quod est.* Et non multò pòst: *Nulla igitur in eo diversitas; nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus.* Si numerus autem in Deo non est, est igitur unitas tantùm. Ter quidem nominantur Personæ; sed cùm unus idemque Deus in singulis sit, sua illis unitas constat. *Quare nec numerus. Igitur unitas tantùm. Nam cum tertiò repetitur Deus, cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri, in eo quod ipsæ sunt.* Hanc potiùs ait inferiùs esse iterationem, vel potiùs repetitionem, quàm numerationem, aut pluralitatem. Veluti si dicatur gladius, ensis, mucro; vel si dicatur Sol, Sol, Sol; non ideo tres enses erunt, aut tres Soles: sed idem & unus ter repetetur. *Gladius unus, mucro unus, ensis unus; potest enim unus tot vocabulis gladius agnosci. Hæc enim unitatum repetitio, iteratio potiùs est quàm numeratio; velut si ita dicamus, ensis, mucro, gladius, repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum. Velut si dicam, Sol, Sol, Sol, non tres Soles effecerim, sed unum toties prædicaverim. Non igitur si de Patre, Filio & Spiritu sancto, tertiò prædicatur Deus, idcirco trina numeratio numerum facit; hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum.* Et paulò pòst: *Deus Pater, Deus Filius.*

Deus Spiritus ſanctus. Atque hæc Trinitas eſt unus Deus; velut enſis, atque mucro, atque gladius, unus gladius; velut Sol, Sol, Sol, unus Sol.

Ne verò hinc inferas ſolam ergo hanc fore nominum Trinitatem, ſic occurrit Boethius: *Non verò ita dicitur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quaſi multivocum quiddam. Nam mucro & enſis, & ipſe eſt, & idem; Pater verò ac Filius & Spiritus ſanctus, idem quidem eſt, non verò ipſe.*

Hactenus Boethius, cujus ſumma & cardo paucis his denique verbis ejus continetur, certè luculentiſſimis: *Nihil gigni potuit aliud ex Deo,* Pag. 361. *niſi Deus; & in rebus numerabilibus repetitio unitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trium igitur idoneè conſtituta eſt unitas.* Id ſanè intercedit diſcriminis inter unitatem & numeros, quòd numeri in ſe ducti numeros gignant multò majores: bis duo gignunt quatuor, bis tria ſex, ter tria novem; at unitas in ſe ducta, ſeu per ſeſe multiplicata, non parit niſi unitatem. Id mihi quidem videtur Boethius voluiſſe, qui ſimiliter ait paternæ in Deo unitatis fœcunditate genitam non eſſe niſi unitatem; at denique hujus utriuſque unitatis partum, ſive Spiritum ſanctum, unitatem & ipſum eſſe: non poſſe autem à Deo procedere niſi Deum.

VII. Hunc locum Boethii laudavit Bernardus libro quinto de Conſideratione ad Eugenium Papam: *Hinc de eo Boethius, Hoc verè unum, in* De Conſid. l. 5. c. 7. pag. 481. *quo nullus eſt numerus; nullum in eo aliud præter id quod eſt.* Sed quantò luculentiùs paulò pòſt idem Bernardus! *Quid ſibi vult iſte, ut ſic loquar, abſque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Subſtantia una eſt, Perſonæ tres ſunt. Quid mirum, quid vel obſcurum in hoc? Nihil, ſi Perſonæ ſeorſum à ſubſtantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ Perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa una ſubſtantia tres illæ Perſonæ, quis numerum neget? Nam verè tres ſunt. Quis numeres tamen? Nam verè unum ſunt. Aut ſi tu facile explicatu id putas dicendo tres, dicito quid numeraſti. Naturas? Una eſt. Eſſentias? Una eſt. Subſtantias? Una eſt. Deitates? Una eſt. Non hæc, ſed Perſonas numero, inquis. Quæ non ſint illa una natura, illa una eſſentia, illa una ſubſtantia, illa una Divinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis.*

Vides à Bernardo non prorſus abnui numerum; quòd non poſſimus non noſtro more numerare Perſonas tres: ſed cum eſſe numerum ſine numero, quòd quantitatis expers ſit; quòd unitas ipſa fœcundiſſima, ſed ſimpliciſſima ſit Trinitatis: quòd etſi tres certò ſint, non tamen vel ſciri poſſit, vel dici, quid tres; quòd etſi quandoque tres ſubſtantiæ dicantur, una ſit tamen reapſe ſubſtantia Deitatis; quòd etſi uſus invaluerit, ut tres Perſonæ dicantur, non aliud ſint tamen illæ Perſonæ, quàm illa una ſimplex eſſentia Deitatis. Ergo non is numerus eſt illa Trinitas, qui unitati pugnet.

Bibl. Patr. t. 5. Tom. 4. Part. 2. pag. 216. VIII. Concinit his Marius Victorinus: *Omnia ergo ibi ſubſtantialiter ſimplicia, inconnexa cum numero, unum, nec numero unum, ſed ante numerum unum, id eſt, ante unum quod eſt in numero, hoc eſt, planè ſimplex.* Has ibi voces *inconnexa cum numero*, perinde ego interpretor, ac ſi diceret, inſociabilia cum numero. Nec ab his recedit Anſelmus in Monologio: *In eo verò* Anſel. c. 37. Pag. 17. *quod ille non eſt ex iſto, hic autem eſt ex illo: ineffabilem admittant pluralitatem, ineffabilem certè. Quamvis enim neceſſitas cogat ut ſint duo, nullo tamen modo exprimi poteſt quid duo ſint.* At aliquantò inferiùs Anſelmus ne illud quidem aſſentitur, ut tres in Trinitate illa ſumma Perſonæ dicantur. Etſi enim certiſſimè tres ſint, tamen ferè tamen tres Perſonæ dici non poſſunt, ſi verba librentur ad accuratam amuſſim, quàm nec tres ſubſtantiæ. Perſonæ enim propriè dicuntur ſubſtantiæ individuæ, ſeorſim per ſe ſubſiſtentes. Ergo ubi tres in Deo Perſonas diximus, longè alia eſt ejus tum vocis ſignificatio, quàm ubi de hominibus, verbi gratia, vel de Angelis dicitur. *Ecce patet omni homini expedire, ut credat in* Cap. 1. pag. 17. *quandam ineffabilem trinam unitatem & unam Trinitatem. Unam quidem & unitatem propter unam eſſentiam; trinam verò & Trinitatem propter tres, neſcio quid; licèt enim poſſim dicere Trinitatem, propter Patrem & Filium & utriuſque Spiritum, qui ſunt tres: non tamen poſſum proferre una nomine, propter quid tres. Velut ſi dicerem propter tres Perſonas, ſicut ſi dicerem unitatem propter unam ſubſtantiam. Non enim putandæ ſunt tres Perſonæ: quia omnes plures Perſonæ ſic ſubſiſtunt ſeparatim ab invicem, ut tot neceſſe ſit eſſe ſubſtantias, quot ſunt perſonæ: quod in pluribus hominibus, qui quot perſonæ, tot individuæ ſunt ſubſtantiæ, cognoſcitur. Quare in ſumma Eſſentia, ſicut non ſunt plures ſubſtantiæ, ita nec plures Perſonæ.*

IX. Accedo ad Græcos, quos inter Epiphanius Trium quidem laudes celebrat, ſed quid tria non exprimit. Nam ubi Tria dicuntur ſancta, & Tria ſimul ſancta, ſanctitas quidem trium declaratur, verùm quid ſint non declaratur; nec enim tres Dii aut tres Domini. Ut Perſonæ apud Latinos ferè tres dicebantur, ita apud Græcos tres hypoſtaſes. Sed quod Anſelmus de perſona obſervabat, idem & de hypoſtaſi veniebat obſervandum; unamquamque earum individuam eſſe ſubſtantiam, & ſeorſim ſubſiſtere debere. En verba ipſa Epiphanii: *Tria eſſe ſancta, tria ſimul ſancta:* Epiph. in Ancor. n. 4. pag. 16. *tria exiſtentia, tria ſimul exiſtentia: tria forma prædita, tria eandem formam habentia: tria efficacia, tria ſimul efficientia: tria ſubſiſtentia, tria ſimul ſubſiſtentia, & invicem conjuncta. Atque ea demum ſancta Trinitas appellatur, in qua tria ſunt, ſed una trium conſenſio, ſingularis divinitas, ejuſdem virtutis, ejuſdemque ſubſtantiæ, ſimilis è ſimili; qua æqualem gratiam ex eadem efficit gratia, Patris, & Filii, ac Spiritus ſancti.*

Ab his propè abeſt Nazianzenus, ubi ita habet: *Nobis Deus unus eſt, quoniam una Deitas,* Nazianz. Or. 17. pag. 291. 292. *atque ad unum ea quæ ex eo ſunt referuntur, etiamſi tres credimus: οὐκ τρία νοεῖται.* Et infrà, *Tria ſunt quæ adorantur.* Et aliquantò inferiùs argutias & cavillationes Arianorum fugillans, *Ego verò ita ſimplex, vel imperitus potiùs ſum, ut tria quidem ea nominem, quæ totidem numero ſunt, etiamſi ſubſtantia differant: unum autem, & unum, & unum, totidem unitates, etiamſi ſubſtantia conjungantur; non magis videlicet res ipſas intuens, quàm rerum quantitatem, juxta quam enumeratio ipſa fit.* Conſtantiſſimè itaque tres in Deo dicit, quid tres non dicit? unum, unum, unum dicit, unius ſubſtantia Deitatis conjuncta; ut intelligas quàm ægrè numerus in Deo ponatur.

X. Ex Baſilii libro de Spiritu ſancto multa ſuperiùs exſcripta ſunt ad hanc rem ipſam; ab iis ergo hic inculcandis nunc abſtinemus, paucis his indidem delibatis. Obſervat quippe ille non tres, non duos à Chriſto dictos fuiſſe, in forma baptiſmatis delineanda; non primum, non ſecundum, non tertium: non perſonas, non hypoſtaſes, aut ſubſtantias tres eſſe nominatas: ſed ſimpliciter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Unde & convenienter ipſis Chriſti verbis Joannes dixit: *Et hi tres unum ſunt:* parum ſollicitus quid tres, dum tres crederentur Pater, Filius, Spiritus ſanctus, unum, hoc eſt, unus Deus. Non eam fuiſſe incuriam, ſed accuratiſſimam quandam diligentiam, liquet toto ex hoc Capite, ubi ſancti Patres tam

ocuſati,

oculati, tam versati in rebus divinis, tantum temporis studiique ponentes in Mysteriorum intelligentia comparanda, in id tandem conspiraruntt, ut tria unum dicerentur: quòd unum quidem unitas sit substantiæ & naturæ, quid autem tria difficillimè expediatur: quòd non aliud tria illa sint, quàm ipsamet essentia, substantia, unitas divina, tribus illis relationibus in seſe quasi replicatà, conjunctim distincta, distinctim conjuncta, & ea trium distinctione non dispendium ullum passa simplicitatis, sed plenitudinem, opulentiam, magnitudinemque suam explicans. Basilius, de Spir. San. c. 18. p. 331. Tom. 2. *Quum Patrem & Filium & Spiritum sanctum traderet Dominus, non simul cum numero tradidit. Non enim dixit, In nomine primi, secundi, ac tertii: neque, In uno, duobus, aut tribus; sed per sancta nomina fide ad salutem perducente cognitionem largitus est. Itaque quod nos salvos facit, fides est. Numerus verò signum declarans quantitatem eorum de quibus loquimur, ab hominibus excogitatus est.*

XI. Cùmque ibidem mox demonstrasset, non omnino abstinendum esse numeris in sermonibus de Trinitate; monet nec impiè iis abutendum ad labefactandam ejus unitatem; unaquæque enim persona *unus* dicitur, & tres ter unus; non Pater enim tantùm Filio, sed & Spiritus sanctus utrique *tantum unitas est, quantum consortii habet unitas cum unitate*; Πατρὶ καὶ υἱῷ τοσοῦτον ἔνεστι, καθόσον ἔχει μονὰς πρὸς μονάδα ἢ οἰκειότητα. Cùm autem numeris & numerorum nostratium nævis abuterentur Ariani, ut eos Verbo & Spiritui sancto nævos illinerent, numeros deprecatur Basilius, Deumque profitetur unum esse non numero, sed natura. Quod enim numero unum est, nomine tenus unum est, reapse multitudo quædam est, cùm numerus ipse multitudo quædam sit. Nec Deus ergo, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus numero unus est, sed natura & simplicitate sua. Basilius, Epist. 141. Tom. 3. pag. 164. *Confitendum sanè est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, quemadmodum divinæ Scripturæ, & qui sublimiora contemplati sunt, docuere. Illis verò qui nobis per calumniam trium Deorum doctrinam ac fidem objiciunt, respondeatur nos Deum non numero, sed natura unum confiteri. Quicquid enim numero dicitur unum, unum revera, aut simplex natura non est. Deum autem simplicem & incompositum confitentur omnes. Non est itaque Deus numero unus.*

Id illico probat Basilius exemplis eorum, quæ unum numero dicuntur, cùm apertissimè multa sint; puta Mundus, Homo, Angelus. Atque inde illud efficit, quod natura unum est, unum numero non esse; non esse unum numero, quod natura unum est. Deum porro unum esse natura, unum simplicitate multitudinis & numeri impatientissima, non compositione, non numero. Illud quippe unum numero dici inolevit, quod etsi multa sit, & multis constet partibus, numeratur tamen ut unum, propter partium suarum conglutinationem. *Quod autem dico, tale est: Mundum numero unum esse dicimus; at non natura unum: sed neque simplicem illum dicimus. Dividimus enim illum in elementa ex quibus constat, in ignem, aquam, aerem, ac terram. Item homo numero unus dicitur. Unum enim hominem sæpè numero dicimus. At simplex non est homo, ex corpore & anima constans. Similiter & Angelum numero dicimus unum; at neque natura unum, neque simplicem. Substantiam enim cum sanctimonia Angeli subsistentem esse cogitamus. Itaque si quidquid numero unum est, natura unum non est; & quod natura unum est ac simplex, numero unum non est, nos autem Deum natura unum esse dicimus; quomodo isti homines numerum nobis hic introducunt, cùm nos illum prorsus è beata illa & intellectuali natura exterminemus?*

Denique numeros ad quantitatem pertinere & ad corpoream declinare naturam declarat Basilius; at unitatem & solitudinem propriam esse incircumscriptæ, & singularis Dei essentiæ: *Numerus enim ad quotuplum pertinet. Quotuplum autem corporali conjunctum est naturæ. Est namque numerus corporalis naturæ. Corporum verò conditorem Dominum nostrum esse credimus. Quapropter & omnis numerus ea significat, quæ materialem ac circumscriptam naturam sortita sunt. Illa enim simplicissima solitudo atque unitas singularis simplicem & incircumscriptam significant essentiam. Igitur qui numerum, aut creaturam confitetur Filium Dei, vel Spiritum sanctum, materialem & circumscriptam naturam imprudenter inducit.* Pag. 165.

XII. Ad argumentum autem à minori ad majus pertinet, quod infrà habet Basilius, ubi Fideles fide & charitate sibi coadunati ab eo spectantur, ut unum jam sunt in Christo & in Patre, consentaneè verbis & votis ipsius Christi ad Patrem. Si enim charitate ita copulari & in unum conflari illi possunt & inter se & in Deo, etsi tot in rebus aliis dissentiant: quid augurandùm nobis est de Patris & Unigeniti unitate naturæ individua? quid de numero ab ipsis excludendo, cùm & à nobis hunc excludat charitas? *Jesus enim est, qui precatur dicens: Da illis, ut & ipsi unum sint in nobis, quemadmodum Ego & tu Pater unum sumus. Cùm enim unus sit Deus, si in singulis fuerit, omnes coadunat, peritque numerus, per inhabitationem monadis.* Ibidem pag. 170.

Eliminat & Isidorus numeros à summa & beatissima Trinitate: *At in veneranda summèque regia Trinitate primum ac secundum locum non habet. Divinum quippe numen & numero & tempore sublimius est.* Καὶ δεινὰ γὰρ, τὸ χρόνων τὸ θεῖον ἀνώτερον. L. 3. Ep. 18.

Exponit & Dionysius, ut magnitudinis Dei non sit numerus, utque supra numeros, & supra magnitudinem solus sit; non magnitudinem tantùm & numeros & quantitatem quancumque, sed & infinitatem ipsam superans opulentissima simplicitate sua; cui doctrinæ proinde adprimè consentit fides, quæ ita unum in Deo prædicat, ut Tria in eo sint; ita Tria prædicat, ut hæc supra numerum sint; & quantò magis stupenda hæc sint, tantò magis concinant divinæ infinitati, quam ne ipsa quidem Philosophia & humana ratio potest ignorare. *At magnus quidem Deus appellatur, secundùm sibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus de se communicat, & omni magnitudini extrinsecus superfunditur & supra expanditur, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, omnem transiliens infinitatem, & juxta supra quam plenitudinem suam ac magnificentiam* Sic ille libro de Divinis Nominibus. Et mox: *Hæc magnitudo & infinita est, & quantitatis ac numeri expers: & hæc est excellentia secundùm effusionem absolutam & supra quam extensam magnificentia non comprehensa.* Dionysius, Tom. 1. pag. 637. c. 9.

Maximus verò in commentando capite primo libri ejusdem de Divinis Nominibus, eruditissimè observat à Dionysio non dici Trinitatem, sed *ut Trinitatem*, ὡς τριάδα, quòd nec unitas de ea dicatur ut numerus, sed ut decus, quando dicitur, Dominus Deus tuus unus est. *Ut Trinitatem, Nota Trinitatem tribus personis subsistentem, & fœcunditatem Patris dicit, incomprehensibilem ejus progressum in productionem Filii & Spiritus sancti: rectè porrò ait ut Trinitatem, quoniam non numerus, sed decus dictum est, Dominus Deus, Dominus unus est.* Incomprehensibilis Patris fœcunditas, γονιμότης πατρικὴ, hìc dicitur progressus, πρόοδος, ad productionem Filii & Spiritus sancti; quòd ita aptè exprimatur Filii generatio, tanquam progressio paternæ unitatis & fœcunditatis. At illud hìc potissimùm animadvertendum est, Trinitatem illam non numerum Tom. 2. pag. 181.

rum esse, sed decus & gloriam, δόξαν, divinæ unitatis; ideoque à Dionysio dici, *ut Trinitas*.

Non abludunt hæc certè ab iis, quæ ex Nazianzeno suprà retulimus, de unitate sese movente propter opulentiam suam, ultra binarium, & ad ternarium usque progressa; quæ eadem Jobio illo nobis superiùs non semel laudato admirationi fuerant; uti fuerunt & Photio in Bibliotheca sua hæc eadem excerpenti ex operibus Jobii: *His addit Gregorii Theologici sententiam; qua usque ad tres personas divinitatis mysterium nobis manifestatum, dicit, unitate mota, ait, ob divitias; binario verò superato propter materiam & formam, ex quibus corpora; Trinitate verò propter definitam perfectionem, prima enim in numeris trias binarii excedit compositionem, ut neque angustis terminis divinitas contineatur, neque in infinitum diffundatur.*

Bibl. Phot. pag. 6.1.

XIII. De Uno sæpiùs, de Solo rariùs diximus; sed nec necesse fuit ut de eo sæpiùs diceremus; illud enim est, quod Græci μόνον, μοναδικὸν dixerunt. Unum hic ex Ambrosio referam, ut liqueat, quàm nec Solius voce uni personæ tributa, cæteræ excludantur; & quàm ea vox singulis tribuatur personis. *Primus (dicitur Filius) quia cum Patre semper: solus non est, quia sine Patre nunquam est. Non ego dico, sed ipse dixit, Et non sum solus, quia Pater mecum est. Solus Pater, quia unus Deus; solus Pater, quia una divinitas Patris & Filii & Spiritus sancti. Et quod unum est, solum est. Solus Pater, solus Unigenitus, solus & Spiritus sanctus.* Et non multò pòst: *Solus Pater, quia unus Deus, ex quo omnia. Solus Filius, quia unus Dominus, per quem omnia. Solum Divinitas facit; generatio & Patrem testificatur & Filium, ut nusquam Filius sine Patre, aut Pater esse videatur sine Filio.*

Ambros. in Evang. Luc. lib. 2. pag. 230.

XIV. Apta erat superioribus connexaque, testimonio maximè Nazianzeni & Jobii paulò antè laudato, illa quæstio, cur sive unitas, sive fœcunditas Patris sese propagans, ultra tria non sit progressa. Dixit aliquid Nazianzenus, ut non immerito gratias illi habeamus; sed & ipse ut arbitror sensit, quàm plura & splendidiora cupiat, si modò capiat, non curiositas tantùm, sed & pietas Theologi Christiani. Est enim pietatis non tantùm venerari, quæ latent Deitatis arcana, sed & sobriè vestigare, ut & tanto propensiùs venerari libeat. Viderit Lector, an in antedictis sint aliqua, an in post dicendis ex sanctis Patribus, quod huc faciat: hic certè unus mihi pulcherrimus se offert locus ex Paschasio S. R. E. Diacono, quem primum assuam, & tum notis paucis illustrare conabor. Sic ergo ille libro primo de Spiritu sancto contra Macedonium: *Cùm itaque verè unam monstraverimus Deitatem, tria nunc in una Deitate doceamus, tria nomina, non tria regna; tres appellationes, sed non tres potestates: tres hypostases, vel substantias, sed non tres substantias. Manifestum est etiam sæcularem intellexisse sapientiam, omnium multitudinem seculorum, intra trium personarum conclusam esse rationem. Quæ sunt istæ tres, id est: Ego, tu, ille. Ergo ut diximus tres tantùm in rebus esse personas, etiam liberalia studia de spiritualibus disciplinis instructione mutuata senserunt, eisque evidenter apparuit, nec secundam personam satis facere perfectioni, nec tertiam posse transcendi; quia dualitatem semiplenam esse ad tertium numerum tendens arguit plenitudo; quaternitatem verò respuit in tribus consummata perfectio.*

Paschasius, Cap. 4 Bibl. Patr. Tom. 9. pag. 161.

Ubi ait in Deitate tria esse nomina, non tria regna, ad Græcos alludit, qui Monarchiam in Deo constituebant, & ab unitate Principii unitatem Deitatis trinæ repetebant; quòd Pater unus primum esset Principium reliquarum personarum. Ubi ait tres appellationes, non tres potestates, ad Græcos rursum videri potest accedere, qui tria confitebantur, nec edisserebant quid tria: sed confugiebant ad Evangelicæ simplicitatis altitudinem, quæ quid sint illa tria non aliter exprimit, quàm Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Ubi tres hypostases dicit, vel substantias, sed non tres substantias, sive subsistentias; illud innuit, hæc verba excogitata esse, magis ut aliquid diceretur, quàm quòd spes esset rem elucidari satis posse. Inde illæ olim diutinæ conflictationes, Tres dici deberent hypostases, an una? tres substantiæ, an una? an etiam tres subsistentiæ? & quid differret subsistentia à substantia? Inde apud Latinos aliquando nonnihil alternatum est, una in Deo dicenda sit substantia, an tres.

Sed illud hìc potissimùm animadverti par est, cui reliqua præludebantur, Cùm divina unitas non intra unam se cohìbeat, sive hypostasin, sive subsistentiam, sive existentiam, sive personam; sed in plures sese effundat, cur in duabus non consistat; cur ultra tres non effluat? Minùs enim laborat ratio, ut unitati divinæ fœcunditatem sociari assentiatur: at semel effundenti se fœcunditati cur limes, cur in ternario maximè limes objiciatur, non citra, non ultra, id verò ratione elucidare quis speret se posse, quis adgrediatur? Monet Paschasius in tota etiam sæculari litteratura, in receptissima universi generis humani consuetudine, in elementis primis Grammaticæ omnium gentium intra tres personas omnia concludi, Ego, tu, ille. Non ea fortuita, non arbitraria fuit institutio; cùm ubique terrarum, cùm omnibus retro sæculis obtinuerit. Quæ casu, quæ arbitratu fiunt, non possunt hanc assequi locis omnibus, omnibus temporibus constantiam. Naturæ ergo ipsi & rerum causarumque necessitati tribuendum id est, ut illud jam vestigium fateamur esse unitatis illius trinæ naturarum omnium architectæ, illasque ad sui ipsius similitudinem architectantis. Enimverò ut in omnes te partes vertas, ut totam ingenii vim aciemque exeras; nunquam perficies, ut tribus his humanæ sermocinationis & consuetudinis personis, vel unam detrahas, nedum duas, vel ut unam pluresve addas. Mirum hoc est, sed incomparabiliter mirabilior, & est, & esse debet, illa in Deo summè uno Trinitas personarum, non dualitas, non quaternitas. Plura non addam, quia nec plura Paschasius.

CAPUT XVIII.

Quantum luminis & præsidii accersi possit ad Trinitatis fidem illustrandam & confirmandam, ex eo quòd Esse, Nosse, Velle, tria & unum sint; item memoria, intelligentia, & voluntas.

I. Ut liceat ad intelligentiam Trinitatis aspirare. Ut per symbola ad eam gradum faciamus.

II. Esse, Nosse, Velle, quàm pulchrum hoc sit speculum Trinitatis ex Augustino. Vivere, intelligere, velle, consimile symbolum est.

III. Ex Ambrosio, ut in anima imago sit Trinitatis: cum sit & ipsa, vivat, & sapiat. Cùm magnitudo, sapientia, suavitas unum & tria in ea sint. Cùm mens, scientia, amor, una anima est.

IV. Ex Augustino quatenus liceat ad intelligentiam Trinitatis suspirare.

V. Ex eodem imago Trinitatis in anima, esse, intelligere, & amare.

VI. Rursus imago Trinitatis in mente, sciente & amante seipsam.

VII. Item in memoria, intelligentia, voluntate, quæ non per sensus, sed per seipsam anima videt in se & seipsam esse.

VIII. Ut

VIII. Ut hæc unum absolutè, relativè tria sint; ut sese immeent; ut hæc sit imago Trinitatis.

IX. De eodem ex Ambrosio; hujus imaginis accuratio. Cur Patri memoria aptetur, Filio intellectus, Spiritui sancto voluntas.

X. Eadem ipsa ex Cassiodoro, & Ælredo.

XI. Item ex Bernardo, & Juliano Episcopo Toletano.

XII. Denique ex Cyrillo Alexandrino.

I. EMerget luminis aliquid ad explanationem unius & trinæ Deitatis, si splendidissima ejus vestigia in naturis primùm intellectualibus persequamur, & tum postea in materialibus. Exercetur & acuitur mens in his vestigiis considerandis, & his veluti gradibus sensim provehitur, ut in fide tanti sacramenti roboretur, & ad ejus intelligentiam sin minùs attingat, certè propiùs in dies accedat. Jam audivimus Augustinum ita loquentem, & hæc nobis sublustria hujus tanti arcani vestigia indigitantem: *Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen eam? Rara anima, quæ cum de illa loquitur, sciat quid loquatur.* Non desponder intelligentiam, sed nec de ea desperat. Raram dicit animam, non dicit nullam, quæ Trinitatem intelligat. Illud certè monet: ad eam per contentiones & rixas minimè perveniri; sed pace, pietate, meditatione, sedula mentis exercitatione circa ea vel symbola, vel vestigia, quæ nos ad illud penetrale perducant, qualia sunt illa tria, esse, nosse, velle, quæ ita tria sunt, ut unum sint; non ut summa illa Unitas Trinitasque, sed ut ejus pulcherrimum speculum ac simulacrum, cui infuefacti, ulteriùs postea forsitan eluctabuntur, vel supernè potiùs allicientur. *Et contendunt & dimicant, & nemo sine pace vidit visionem istam. Vellem ut hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longè aliud sunt ista tria, quàm illa Trinitas. Sed dico ubi se exerceant, & probent, & sitiant, & quàm longè aliud sunt. Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle.*

August. Confes l. 13. c. 11. p. 84. Tom. 1.

II. Hos certè nobis suprà præscripsimus modestiæ & sobrietatis limites, ut exercitamenta tantùm aliqua proponeremus, eaque ex sanctis Patribus decerperemus; ut ex his sentiatur, quàm procul simus ab illa luce, & ita pro nostro modulo nos illi sensim aptemus, quò eam nondum quidem in seipsa, sed in splendidissimis quibusdam veluti speculis intueri possemus. Inter ea specula & lucidissima trinæ Unitatis simulacra non postremum locum obtinet, quod hic nobis ab Augustino repræsentatur: *Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & novi, & volo; sum sciens, & volens; & scio esse me, & velle; & volo esse, & scire. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis vita, & una vita, & una mens, & una essentia, quàm denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat qui potest. Certè coram se est, adrendat in se, & videat, & dicat mihi. Sed cùm invenerit in his aliquid & dixerit, non jam se putet invenisse illud quod supra ista est incommutabile, quod est incommutabiliter, & vult incommutabiliter; & utrùm propter tria hæc & ibi Trinitas; an in singulis hæc tria, aut terna singulorum sint; an utrumque miris modis, simpliciter & multipliciter, infinito in se sibi sine; quod est, sibi notum est, & sibi sufficit incommutabiliter idipsum copiosa unitatis magnitudine; quis facilè cogitaverit? quis ullo modo dixerit? quis quolibet modo temerè pronuntiaverit?*

Nemo nostrum est, qui non hæc tria intra se sit, sentiat & experiatur, & qui non videat hæc tria ita distincta esse, ut conjunctissima sint, & singula singulis immeent, ut mirum in modum & tria sint, & unum nihilominus sint. Quis enim non ita hæc cum Augustino sciat sentiatque, & intus ex insita conscientia dicat, *Sum, novi, volo; Sum sciens & volens; Scio esse me & velle; Volo esse & scire.* Ita hæc reciprocè commeant, nec possunt à se disjungi. Nec aliud intelligeretur, si diceretur, Vivere, Intelligere, Velle; nam esse animæ vita est: cùm vix capi possit antè anima esse, cui postea accedat vivere. Essentia ergo animæ vita; & hæc non qualiscumque vita, sed intelligentia est; nec exucca & jejuna intelligentia, sed affectu & amore, pro rerum quæ intelliguntur meritis, ebria. Vivere ergo, intelligere, amare, una & triplex vita est, distincta, sed inseparabilis.

Pulcherrima hæc est Trinitatis imago, sed imago, & quidem nonnihil decolor, donec perveniatur ad illam viventem essentiam, quæ ut est, ita & vivit, & intelligit, & vult incommutabiliter; & hoc est ejus esse; totum vivere, totum intelligere, totum amare. Ecqua enim summa essentia, quæ non sit & vita? Ecqua vita, quæ non sit intelligentia? Ecqua intelligentia, quæ non amando delicietur? Tria ergo hæc in singulis sunt; simplicia sunt & multiplicia; unum sunt & tria: tria sunt non sectione unitatis, sed magnitudine & fœcunditate. Sed quis hæc facilè cogitet? quis in ea cogitatione diu consistat? In hujus ergo inaccessi arcani imagine naturis intellectualibus appicta consultissimum est oculos defigere, & ita ad divinorum intelligentiam præparari. Ita sanè Augustinus, qui hæc eadem rursus non multò pòst inculcat nobis, mente per orationem ad Deum arrecta; ubi & illo nostram infirmitatem solatio levat, quòd æquum non sit, ut quemadmodum se scit incommutabile lumen, ita sciatur à natura creata, quæ nec lumen est, nec incommutabilis, sed supernè illuminata & commutabilis. *Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et essentia tua scit & vult incommutabiliter, & scientia tua est & vult incommutabiliter, & voluntas tua est & scit incommutabiliter. Nec videtur justum esse coram te, ut quemadmodum se scit lumen incommutabile, ita sciatur ab illuminato commutabili. Ideoque anima mea sicut terra sine aqua tibi: quia sicut se illuminare de se non potest, ita se satiare de se non potest. Sic enim apud te fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen.*

Ibid. c. 16. pag. 85.

III. Præluxerat Ambrosius Augustino in hæc omnia. Ita enim ille animam senserat esse pulcherrimam imaginem Trinitatis, quòd ubique tota esset in suo corpore, tota in toto, tota in singulis partibus; ideoque non major, non minor usquam; sed tanta in minoribus, quanta in majoribus, quanta in omnibus. Senserat & in eo esse hanc imaginem, quòd instar Dei anima esset, viveret, saperet; intelligeret, saperet, amaret; & hæc tria esset ipsa, etsi una & simplex esset. Ita enim Deus vivit, sapit, amat, ut hæc tria unum sint; unum quia ex uno; ita sunt duo, ut ipsum sint, quod ipsum est; etsi non ipse sint, ut nec ipse ipsa est. Sanè nec in anima sapere & amare idem est omnino quod esse, etsi separata hæc non sunt. *Nec enim (anima) in majoribus corporis sui membris major, & in minoribus minor; sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, vivit, & sapit: ita anima secundùm suum modum est, vivit, & sapit.*

Ambrosius Tom. 1. pag. 833.

Hæc Ambrosius in libro de Dignitate conditionis humanæ, ubi hæc paulò inferiùs & non paulò elegantiùs addit: *Ideo autem dicitur Deus Pater, quia ipse est ex quo, & sapientia est qua ordinantur omnia, & dilectio qua se volunt omnia ita manere, ut ordinata sunt. Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt ipsa duo, tria sunt: & illa tria ideo unum, quia sic sunt ex*

uno illa duo, ut tamen ab eo non sint separata; sed ex ipso sunt, quia non à se; & in ipso, quia non separata; & ipsum ipsa quod ipse; & ipsum ipse quod ipsa; & non ipsum ipsa qui ipse: & non ipsa ipse qua ipsa. Ista duo Deus est, & ipse Deus tria est, & unumquodque horum trium Deus est, & omnia tria illa non Dii, sed Deus est.

Denique in eundem sensum addit Ambrosius Deum esse vim illam ineffabiliter magnam, innumerabiliter sapientem, incomparabiliter suavem; ita distinctis his tribus, ut individua sint. Magnitudo enim Dei ipsa est ejus sapientia & beatitas: rursum Sapientia Dei ipsa est ejus amplitudo, & inexhausta suavitas; denique infinita sapientiæ suavitate magnus est Deus, à quo & anima habet ut & ipsius magnitudo, sapientia, fœlicitas ita tres sint, ut & unum sint; quanquam non ita tria sint, ut tres sint personæ, sicut in Deo; nec ita unum sint, ut hæc unitas possit tres personas in unam individuam vincire naturam. Sed distare imaginem necesse est à veritate. *Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, ut scriptum est, Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus; & incomparabiliter suavis, ut alibi dicit: Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ex qua, & per quam, & in qua sunt omnia quæ sunt, reguntur omnia quæ sunt, continentur omnia quæ sunt.* Ibid. p. 113.

Aliam, si tamen aliam oculis ibidem Ambrosius objicit mox imaginem, mentis, intelligentiæ, sive scientiæ, & amoris. Mens enim scire gignit, & amat scire; & hæc tria una anima sunt. A mente gignitur scientia, à mente & scientia proficiscitur amor scientiæ. Una est ergo & suo quodam modo trina mens, sese primùm intelligens, diligensque. Utcumque hæc imitantur creatricem omnium unitatem & Trinitatem; sed illud assequi non possunt, ut tria hæc tres distinctæ hypostates sint, & unitas hæc ita omnipotens sit, ut tres Personas in unitatem constringat naturæ individuæ. *Mens ergo scire gignit, & amat scire, quod scit.* Et Ibid. p. 114. statim ibidem: *Illud enim scire mens gignit, & cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo jam duo, mens, & quod ipsa mens scit: restat tertium utriusque commune. Omnis mens quidquid scit, amat. Amor non minùs quàm inter duo est, amantem & quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari, hoc totum unam esse animam, & unam animam hæc tria esse. Sicut enim hæc tria verè una anima sunt, sic non minùs verè una anima est hoc unum, hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multùm supra se amoto, quod omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo Creatoris à seipso est. Creatura verò non solùm quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non à se: & ipsa quod est, semper est.*

Turbata nonnihil sunt quæ sequuntur, sed nihil caliginis est in his quæ paulò pòst habentur; ubi declarat Ambrosius in his aliquod æternitatis & incommutabilitatis consortium, aliquam saltem umbram agnosci posse, & ita animam *suo quodam modo incommutabilem* esse posse, cùm postquam esse cœperit, & sit, & sciat semper, semper esse & scire velit; quin & hanc scientiam & hunc amorem ex sese semper gignat. *Nam semper anima est postquam esse cœperit, & scit, & scire vult. Comparet ergo, ut dixi, se anima eo modo quo potest, Creatori suo, ut dicatur mens Pater, quia gignit scire: dicatur scire Filius, quia ex alio est, & non est aliud quàm ipsum, ex quo est: dicatur amor Spiritus sanctus, quia amborum est eorum qui se amant. Unde in nostris Scripturis sæpius amor, id est charitas, qua in Deo est erga nos, & qua à nobis in Deum, Spiritus ipse appellatur. Et hæc de imagine.* Ibidem.

IV. Accuratiùs hanc eandem similitudinem pertractavit Augustinus in operosissimo illo Opere, quod de Trinitate inscripsit, & ubi non dissimulat ipse hoc sibi fuisse propositum, ut quod fide jam tenebat, diligentiùs & ulteriùs quæreret; nec ita inveniri à se posse speraret in hac mortali statione, quin supereesset semper quod quæreret. Hanc nobis propositam regulam non piget nos ad fastidium usque inculcare, quia nec Augustinum piguit; & quia non nescimus, ita non paucos fidei suæ inhæresce re, ut ægrè ferant, si qui huic præsidia, huic lucis incrementa aliqua à se quæri, & comparari profiteantur. Non aliud certè id fuerit, quàm totam sanctorum Patrum, nec non & Scholarum Theologiam labefactare. Audiendus de hoc ipso Augustinus: *Tutissima est enim quærentis intentio, donec apprehendatur illud quo tendimus, & quo extendimur. Sed ea recta intentio est, quæ proficiscitur à fide. Certa enim fides utcumque inchoat cognitionem, cognitio vero certa non perficietur, nisi post hanc vitam, cum videbimus facie ad faciem. Hoc ergo sapiamus, ut noverimus tutiorem esse affectum vera quærendi, quàm incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo quæramus, tanquam inventuri: & sic inveniamus, tanquam quæsituri. Cùm enim consummaverit homo, tunc incipit. De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis authoritas tenenda est, in his veritas exquirenda.* Aug. de Trin. l. 9. c. 1. Tom. 3. ult.

V. Mens quælibet, ut ait Augustinus, & seipsam novit, & per seipsam se novit; corpora per corporeos oculos, mentes aliorum ex seipsa, seipsam per sese novit, ut sibi intima & sibi intus semper præsentissima. Nec enim aliorum mentes per ipsas, sed per seipsam novit, quæ non potest non se nosse, ubi tantisper se in se recipit, & cogitat, & cogitare se advertit. Nec tantùm seipsam mens novit, sed & amat. Et hoc totum ipsamet est, hæc tria ipsa est, & in his tribus una est, sese in sese intelligendo & amando retorquens; una existens, intelligens & amans hæc tria, esse, intelligere, amare. Unum hìc est principium, mens, vita, & vitalis essentia; ab eo manant alia duo, & ad id referuntur, intelligere & amare. *Ubi ergo Trinitas? attendamus quantum possumus, & invocemus lucem sempiternam, ut illuminet tenebras nostras, & videamus in nobis quantum sinimur imaginem Dei. Mens enim amare seipsam non potest, nisi etiam se noverit: nam quomodo amat quod nescit? Aut si quisquam dicit ex notitia generali vel speciali mentem credere se esse talem, quales alias experta est, & ideo amare seipsam, insipientissimè loquitur. Unde enim mens aliquam mentem novit, si se non novit? neque enim ut oculus corporis videt alios oculos, & se non videt: ita mens novit alias mentes, & ignorat semetipsam. Per oculos enim corporis corpora videmus.* Et paucis interjectis: *Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam. Ergo & semetipsam per ipsam novit, quoniam est incorporea: nam si non se novit, non se amat.* Ibid. c. 4. pag. 116.

Est quidem in his tribus aliquid discriminis, sed quo minimè perimatur eximia quædam unitas. Nam etsi duo sunt mens & notitia sui; & rursus mens & amor sui; denique notitia & amor sui: est tamen una & suo quodam eximio modo simplex mentis natura seipsam intelligentis & diligentis; ipsa in se una, hæc tria, perfecta, & æqualia. Unde rursum Augustinus: *Sicut autem duo quædam sunt, mens & amor ejus, cum se amat: ita quædam duo sunt, mens & notitia ejus, cum se novit. Igitur ipsa mens & amor & notitia ejus, tria quædam sunt, & hæc tria unum sunt, &* Ibid. c. 4.

cum

cum perfecta sunt, æqualia sunt. Et mox: *Mens verò cum seipsam cognoscit, non se superat notitia sua, quia ipsa cognoscit, & ipsa cognoscitur. Cùm ergo se totam cognoscit, neque secum quidquam aliud, par illi est cognitio sua; quia neque ex alia natura est ejus cognitio, cùm seipsam cognoscit. Et cùm se totam nihil amplius percipit, nec minor, nec major est. Rectè igitur diximus, hæc tria cùm perfecta sunt, esse consequenter æqualia.*

VI. Porro hæc tria, mens, notitia sui, amor sui, & singula in seipsis sunt, & singula ad alia referuntur; est enim mens in seipsa, & ad se dicitur, quanquam ut noscens ad notitiam suam, ut amans ad amorem suum referatur. Ita & notitia in seipsa est, & ad se dicitur, etsi ad mentem referatur; anima enim noscere se novit, & intelligere se intelligit; atque ita notitia & intelligentia sui met notitia & intelligentia est. Ita denique & amor in se & ad seipsum est, quia quisquis amat, amare se amat, atque ita amorem suum amat, quanquam ad mentem amantem amor referatur. Hæ sunt pellucidæ divinarum personarum imagines, sive umbræ, quatenus illæ, & in seipsis sunt, & ad se invicem referuntur. *At in illis tribus, cùm se novit mens & amat se, manet Trinitas, mens, amor, notitia, & nulla commixtione confunditur: quamvis & singula sint in semetipsis, & invicem tota in totis, sive singula in binis, sive bina in singulis. Itaque omnia in omnibus. Nam & mens est utique in seipsa, quoniam ad seipsam mens dicitur: quamvis noscens, vel nota, vel noscibilis ad suam notitiam relativè dicatur. Amans quoque, & amata, vel amabilis ad amorem referatur, quo se amat. Et notitia quamvis referatur ad mentem cognoscentem, vel cognitam, tamen & ad seipsam nota & noscens dicitur. Non enim sibi est incognita notitia, qua se mens ipsa cognoscit. Et amor quamvis referatur ad mentem amantem, cujus amor est, tamen & ad seipsum est amor, ut sit etiam in seipso: quia & amor amatur, nec alio nisi amore amari potest, id est seipso. Ita sunt hæc singula in seipsis.*

Ibid. c. 5. pag. 125.

Rursus mens amans in amore suo est, & amor in mente; & mens noscens in notitia sua est, & notitia in mente; utque uno verbo rem conficiam, & sui sibi conscius est amor, & notitia sui amans est; & cum notitia hæc, tum amor ipsamet mens est, sui cum primis gnara, sui amans; cùm ne aliam quidem rem ullam vel noscere possit, vel amare, quin arcano sui sensu, & noscere se noscat, & amare se amet. Quanquam enim non semper ad hæc seriò advertant homines: implicita sunt tamen hæc omnia menti cuicunque intelligenti & amanti. *In alternis autem ista sunt, quia & mens amans in amore est, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noscente. Singula in binis ita sunt, quia mens quæ se novit & amat, in amore & notitia sua est: & amor amantis mentis, seseque scientis, in mente notitiaque ejus est. Et notitia mentis se scientis, in mente atque in amore ejus est, quia scientem se amat, & amantem se novit. Ac per hoc & bina in singulis, quia mens quæ se novit & amat, cum sua notitia est in amore, & cum suo amore in notitia: amor quippe ipse & notitia simul sunt in mente, quæ se amat & novit.*

Denique hæc tria tota in totis sunt, quia totam se tota mens amat, totam novit; totum amorem suum amat & novit; totam notitiam suam novit & amat. Tria ergo hæc suo modo perfecta sunt, nec divelli à se mutuò possunt; & relativè ad invicem dicuntur, & in una subsistunt animæ substantia. *Tota verò in totis quemadmodum sint, jam suprà ostendimus, cùm se tota mens amat, & totam novit, & totum amorem suum novit, totamque amat notitiam suam, quando tria ista ad se ipsa perfecta sunt. Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt à semetipsis, & tamen eorum singulum quod-*

quod substantia est, & simul omnia una substantia, vel essentia, cùm relativè dicantur ad invicem. Et infrà: *Cùm itaque se mens novit & amat, jungitur ei amore verbum ejus. Et quoniam amat notitiam, & novit amorem, & verbum in amore est, & amor in verbo, & utrumque in amante atque dicente.* Cap. 10. pag. 124.

VII. His affinia sunt quæ inferiùs disputat sanctus Pater, de memoria, intelligentia, & voluntate; quæ eodem propè modo & tria sunt, & unum; & sua sibi sunt, & ad se sunt, & tamen ad invicem referuntur; ita distincta sunt, ut sese mutuò immeent; ita innexa & implicata, ut tamen distinguantur; porro ita animæ perspecta & manifesta sunt, ut tam non possint eam latere, quàm non possit latere seipsam. Utcunque enim de mente sua opinentur quandoque homines, alia alii, quasi somniantes, & quæ per sensus corporeos illapsa sibi sunt; suæ intus menti perperam affingentes: ubi ab his avocamentis in seipsos se referunt, se ipsos intus consulunt & audiunt, non possunt non omnes sentire & consentire, mentem suam vim esse, quæ meminerit, intelligat, velit. De cæteris, quæ extrinsecùs affluxerunt imaginibus, an anima sit aer, ignis, sanguis, cœlestis quædam substantia, controvertitur; nihil de his sibi anima nuntiat, ubi sese percunctatur. Memoriam, intelligentiam, voluntatem se esse, & videt & sentit, & in seipsa hæc se esse videt & sentit. Cætera ergo amandari æquum est, ut adventitia quædam figmenta; hæc sola retinenda, quorum conscia ipsa sibi est, & in quibus statim comperit miram prorsus Trinitatis imaginem. Sic ergo Augustinus: *Non enim quidquam illi est se ipsa præsentius, sicut cogitat vivere se, & meminisse & intelligere & velle se. Novit enim hæc in se, nec imaginatur quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se putet, quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est. Remotis igitur paulisper cæteris, quorum mens de se ipsa certa est: tria hæc potissimùm considerata tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem: in his enim tribus inspici solent etiam ingenia parvulorum, cujusmodi præferant indolem. Quantò quippe tenaciùs & facilius puer meminit, quantòque acutiùs intelligit, & studet ardentiùs, tantò est laudabilioris ingenii.*

Augustin. De Trinit. L. 1. p. 10. Tom. 3. pag. 128.

VIII. Subjicit mox idem tria hæc, memoriam, intelligentiam, voluntatem, non tres esse vitas, sed unam; non tres mentes, sed unam; non tres substantias, sed unam; quod vita, mens, substantia sint, absolutè & ad se esse; quod memoria, intelligentia & voluntas sint, ad aliud referti; ad illud scilicet quod meminit quis, quod intelligit, quod vult. Quod ergo ad se sunt, unum sunt, una vita, una mens, una substantia, & essentia; at quod relativè sunt, tria sunt. Æqualia denique inter se sunt, cùm unum substantia & natura sint; & reciprocè sese immeent, implicentque. Meminit enim unusquisque nostrum & meminisse se & intelligere & velle; idemque intelligit & intelligere se, & meminisse, & velle; denique vult unusquisque & velle se, & intelligere, & meminisse. Quæ cùm imago pulcherrima sit unius & trinæ Deitatis, & ipsa sit animæ substantia: facilè intelligit anima rationalis in ipso mentis sacrario, quantò natura ejus à natura divina superatur, tantò æquum esse superari hujus imaginis præstantiam ab ineffabili illa divinæ substantia Trinitatis; ut minùs jam stupeat tres relativas Dei hypostases in unitatem divinæ naturæ simplicissimam coalescere. Iterum ergo Augustinus: *Hæc igitur tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita: nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Memoria quippe quod vita & mens & substantia dicitur, ad* Ibidem;

seipsam dicitur. Quod verò memoriâ dicitur, ad aliquid relativè dicitur. Hoc de intelligentia quoque & de voluntate dixerim. Et intelligentia quippe & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita est autem unaquæque ad seipsam, & mens, & essentia. Quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia. Et quidquid aliud ad seipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo verò tria, quo ad se invicem referuntur: quæ si æqualia non essent, non solùm singula singulis, sed etiam omnibus singula: non utique se invicem caperent. Neque enim tantùm à singulis singula, verùm etiam à singulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle atque meminisse; & volo me velle, & meminisse, & intelligere: totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini.

IX. Eandem observaverat jam Ambrosius pulcherrimisque expinxerat coloribus Trinitatis imaginem in anima rationali, & in substantia quavis intellectuali; ut quæ unius naturæ sit, & tres in se habeat dignitates; intellectum, voluntatem, & memoriam. In hunc sensum torquet Ambrosius illa maximi in lege præcepti, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Quin & hoc ille addit; ut à Patre generatur Filius, & ab utroque procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generari voluntatem, & ex his ambobus procedere memoriam. Denique ex his tribus consurgere animæ perfectionem, & ejusmodi esse hæc tria, ut disjungi, & dissociari à se nequaquam possint. Ambrosius Tom. 1. pag. 311. *Est quoque & alia Trinitas in ea, quæ ad imaginem sui conditoris perfecta quidem & summæ Trinitatis, quæ ex Patre & Filio & Spiritu sancto, condita est. Et licèt unius illa naturæ est, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licèt aliis verbis, in Evangelio designatur, cùm dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: id est, ex tota intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus: nec harum trium unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat.*

Cap. 2. Ita Ambrosius in libello de Dignitate conditionis humanæ, ubi jam advertisti, ut arbitror, quanta ab illo mutuatus sit Augustinus, in iis quæ ex eo suprà attulimus, quibus & multò plura alia addi ex eodem potuissent. Illud autem adverti etiam operæ pretium est, quanto cum fœnore mutuari soleret Augustinus. Non parum enim distat hujus imaginis descriptio ab eo & ab Ambrosio exarata. Ubi non illud tamen silendum est, facile esse inventis addere, & ab aliis jam elaborata perpolire. Nec ejus laudis exors fuit Ambrosius, qui ex Græcorum opulentia tam multa congessit in suum penu, non aliter ferè, quàm ut plusculùm illis semper adderet pretii & splendoris. Hoc ordine Ambrosius has hominis animæ dignitates, seu facultates recensuerat, intellectum, voluntatem, memoriam, ut in eo ipso divinarum personarum ordinem propiùs imitaretur, & intellectus Patri, voluntas Filio, memoria Spiritui sancto responderet. Quantò autem convenientiùs Augustinus memoriam primo loco & Patri consecraverat, intellectum secundo & Filio, voluntatem denique tertio loco & Spiritui sancto assignaverat? Meliusculè consentire Spiritui sancto voluntatem, seu charitatem, Filio intellectum, seu veritatem, res ipsa clamat; Patri autem & primo loco congruere memoriam, facilè assentieris, si perpendas quàm multa, quàm penè omnia non aliter cogitemus & intelligamus, unde fit, ut & velimus & amemus, quàm dum ea ex memoriæ nostræ inexhausto quodam promptuario eruimus, aut ipsa ultrò erumpunt. Est enim in unaquaque anima velut infinita quædam opulentia, sive primigeniarum imaginum, & quasi seminalium rationum à creante Deo infusarum: sive luminum quæ ab æternis rationibus coram semper obversantibus animæ intellectualis oculis semper affulgescunt, & ex quibus imprimuntur nobis omnibus prima illa ut vocant disciplinarum principia, tam perspicua, tam certa, tam obvia, ut de illis omnibus prorsus hominibus conveniat; sive denique specierum à rebus sensibilibus per sensus corporeos haustarum. Fuit ergo prorsus consentaneum, ut ab hujusmodi memoria, generari ab Augustino intellectus diceretur, & umbratilis quædam nobis repræsentari forma Filii, Verbi, Sapientiæ à Patre nascentis, velut à fonte totius Deitatis, sapientiæ, veritatis.

Ad Ambrosium redeo reliqua ejusdem imaginis lineamenta ita nobis describentem: *Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus tres habens personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habent dignitates: atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem, ut in quantum intelligitur diligatur, & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: immo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus: ut sicut non potest esse momentum quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia, ita nullum debeat esse momentum quo præsentem eum non habeat memoria.* Ita igitur unum tria & in Deo, & in anima; ibi tres personæ, una natura; hic tres dignitates, seu facultates & vires animæ, sed una anima; sed & in anima Deus, quem ideo intelligit, ut diligat, atque deinceps in memoria semper retineat. Paulò aliter videbatur Augustinus animam rationalem oculis subjicere, ut ab ortu suo, à Conditore suo imaginem Trinitatis, æternæ legis tabulas immortales sibi inscriptas consecutam, & secum ubique & semper eas circumgestantem. Malet forsan aliquis, non hæc animæ ab exortu jam inde suo à Creatore insculpta fuisse; sed cùm ea vera ubique & semper præsentia sint, & adsplendeant in summa quadam luce omnibus ad eam interiores suos oculos convertentibus; ita mentibus tum imprimi, & semel impressa constantissimè hærere deinceps, ut oblitterari deinceps nulla vi possint, sicut in ea parte Dogmatum nostrorum Theologicorum demonstratum est, ubi de Deo Deique proprietatibus agebatur. Facilè assentiemur, si quis ita malit; sed res eodem redibit. Erit tum memoria penu locupletissimum omnium omnino luminum istorum, quæ semel à veris illis ubique micantibus affulserint, & quæ subinde affulgent menti illis se advertenti; nec verò ubi semel affulserint, oblivione ulla deleri possunt. Quis enim ubi semel intellexerit, & mutabilibus naturis præstare ac præesse incommutabilem quandam Creatoris substantiam, & commutabili præponi debere incommutabile; pœnas vitiis, præmia virtutibus deberi; totum majus esse parte, & id genus alia: quis, inquam, ubi hæc semel adverterit, ea vel inficiari, vel oblivisci poterit? Ex hac ergo locupletissima memoriæ officina generatur intellectus, & ab intellectu voluntas.

X. In Ambrosii vestigia insistere visus est Augustinus,

gustinus, in Augustini Cassiodorus. Pauca hìc libabo ex ejus libro de Amicitia, cujus ille primos affectus non dubitat ab ipsa nobis impressos esse natura, quos deinde usus auxerit, Dei lex castificaverit. *Denique si amicitia inspiciamus originem à summa natura, quæ Deus est, suam traxit essentiam. Deus quidem mentibus humanis primos amicitiæ impressit affectus: auxerunt eam usus & experientia, ipsaque Domini legis ordinavit auctoritas.* Paulò fusiùs ille infrà divinam in homine imaginem his constare demonstrat, memoria, scientia, seu notitia, voluntate, seu amore; quippe Deum primo parenti sui memoriam statim infudisse, atque adeo & intelligentiam, ac denique dilectionem; hominis beatitudinem ex his tribus, sed ex amoris suavitate maximè religatam fuisse; denique ut ex memoria effunditur scientia, ita ex memoria & scientia amorem ac delectationem. *Tria sunt, quibus Deo specialiter adhæremus, memoria, scientia, notitia, seu voluntas amoris; in his rebus primus homo Deum in memoria tenebat sine oblivione, scientia cognoscebat sine errore, amore affectabat sine alterius rei cupiditate. Cùmque his tribus homo esset beatus, in tertiâ tamen, id est, amore, Creatori suo tantò familiariùs adhærebat, quantò dulciùs gustabat, quoniam suavis est Deus. Quantò nimirum major fuerit boni delectatio, & tantò beatitudo: licèt enim memoria multa preterita retineat, licèt scientia profundissima percipiat, nulla tamen delectatio ibi est, nisi se dulcedo amoris infundat. In rebus itaque ratione utentibus Deus ordinat memoriam, scientiam & amorem: ut amor ex memoria & scientia convalescat, & illa duo in amore dulcescant.*

Cassiodor. pag. 316.

Ibidem.

Subdit Cassiodorus hanc Dei in homine imaginem peccato obscuratam decoloratamque fuisse, non tamen prorsus abolitam. *Imago tamen Creatoris licèt in homine sit corrupta, non est prorsus abolita: propterea memoriam habet, sed oblivioni obnoxiam; scientiamque, sed errori subjectam; amorem quoque, sed pronum ad cupiditatem.*

In quo autem sita sit hæc in nobis etiamnunc imago Dei unius & trini, sic denique ille explanat, accommodatè ad Augustini doctrinam: *Anima enim hominis sui reminiscitur, se cognoscit, se diligit, & sic scientiæ suæ reminiscitur, ac utramque recognoscit, ut videas, quasi in una substantia animæ unitatem; & in tribus, scientia, memoria, & amore, in quibus anima substantia in Deo est, Trinitatis imaginem.*

Cassiodorum, an Augustinum secutus sit Aelredus, non facilè dixero, sed nec magnoperè refert id scire; malim equidem ut utrumque. Sic ergo ille in Speculo Charitatis imaginem hanc eandem delineat Unitatis & Trinitatis divinæ in anima, quæ sola hinc id consequitur, ut veræ & æternæ beatitudinis consortium nanciscì possit, si suo se exemplari restituat, à quo aberraverat diu, unde ea illa imago nonnihil & obsolefacta fuerat; quanquam inter errores ipsos suos memoria ejus æternitatem Dei & referret & suspiraret, intellectus sapientiam, voluntas amoris suavitatem. *Beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippe ad imaginem sui Creatoris condita, idonea est illi adhærere, cujus est imago, quod solum rationalis creaturæ bonum est, ut ait sanctus David. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Adhæsio planè ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarum auctor inseruit, quibus divinæ æternitatis compos efficeretur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem, sive voluntatem. Æternitatis quidem capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine oblivione, scientia agnoscebat sine errore, amore amplectebatur sine alterius rei cupiditate. Hinc beatus.*

Aelredus l. 1. c. 32. pag. 284.

Peccato ut adulterata fuerit hæc imago, non abolita, sic mox ille, ubi illam exhibet multifariam sese in se replicantem, multiplicantem sese quodammodo, & unitatis suæ tamen ac substantiæ suæ simplicitatis retinentissimam: *Justissimè actum est, ut qui contra Deum Dei appetebat similitudinem, quo voluit fieri curiositate similior, eo cupiditate fieret dissimilior. Corrupta est itaque in homine Dei imago, non abolita penitus. Proinde habet memoriam, sed obnoxiam oblivioni; scientiam quoque, sed subditam errori; nihilominus & amorem, sed pronum cupiditati. Perseverat adhuc in anima rationali, in hac trinitate etsi misera, ipsius beatæ Trinitatis impressio, quæ ad ipsam animæ relata substantiam, sui reminiscitur, se novit, se diligit; quæ ipsam sui memoriam reminiscitur, novit, & diligit; item ipsam sui dilectionem diligit, reminiscitur, novit: & in substantia unitatem, & in his tribus, quæ perstrinximus, vocabulis præfert Trinitatem.*

Ibid. c. 4. pag. 281. 282.

Postremò denique reconditas in abstruso memoriæ quodam sinu spiritales esse opes; quæ ubi diu delituerunt, emergant aliquando tandem, & reminiscendo quasi effodiantur; & in iis ipsam Dei memoriam, naturaliter insitam, sic ille ibidem mox ostendit: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ. Reminiscentur, inquit. Absconditam ergo, non sepultam omninò in mente rationali, Dei intellexit memoriam; ut non tam novum aliquid insertum, quàm illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodammodo in ipsam Dei memoriam vel modicùm ratio scintillaret humana, puto non esset unde vel insipiens diceret in corde suo, Non est Deus.* Sic ille Augustini & Cassiodori legens vestigia in hoc Psalmorum versiculo interpretando.

Ibid. c. 5. pag. 287.

XI. Bene multa in hanc sententiam aspersit Bernardus suis commentationibus; pauca hæc excerpam ex eo, qui agmen ducit inter Sermones ejus parvos. Nec contentus ille fuit illa multiplici trinitate, quæ superiùs jam præluxit; sed ex eodem ipso fonte multas alias hausit, & in unum Sermonem hìc contexuit. Nihil necesse est rei clarissimæ explicationes addere, plus tædii, plus forsan etiam obscuritatis addituras, quàm utilitatis. Sic ergo ille: *Beata illa & sempiterna Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus Deus scilicet, summa potentia, summa sapientia, summa benignitas, creavit quandam trinitatem ad imaginem & similitudinem suam, animam videlicet rationalem: quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quod ex memoria, ratione & voluntate consistit. Creavit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus esset beata: aversa ab illo, quocumque se conferret, remaneret misera. Sed hæc trinitas creata elegit potiùs per motum propriæ voluntatis cadere, quàm gratia Conditoris per arbitrium stare. Cecidit ergo per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa & pulcra trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, in quandam contrariam & fœdam trinitatem, scilicet infirmitatem, cecitatem, immunditiam. Memoria enim facta est impotens & infirma, ratio imprudens & tenebrosa, voluntas impura.*

Bernard. pag. 440. 441.

Multa amputavi, sed non potui non hæc adjicere de reparatrice hominum trinitate virtutum, summam & ipsa Trinitatem proximè imitante: *Hæc est trinitas, scilicet fides, spes, charitas, per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinem illa incommutabilis & beata Trinitas mutabilem, lapsam, & miseram trinitatem. Et fides quidem illuminavit rationem, spes erexit memoriam, charitas verò purgavit voluntatem.*

Interseri his poterat Julianus Episcopus Toletanus, Præfatione Commentarii sui in Naum;

quo

Bibl. Patr. Tom 3. pag. 5,6. quo authore, *Primum ergo ac principale increatæ sapientiæ simulacrum est creata sapientia: id est rationalis creatura.* Et infrà: *Considera ergo hæc tria, mentem, intellectum, amorem. De mente intellectus nascitur, de mente pariter & intellectu amor nascitur, de solâ mente solus intellectus: quia sola solum genuit. Amor verò non de sola mente, nec de solo intellectu, quia de utroque procedit. Priùs mens, deinde mens & intellectus; postea mens, intellectus, & amor.*

XII. Sed & ante istum locus assignandus fuerat Claudiano Mamerto, quo nemo propiùs accessit ad Augustinum. Sic ergo ille ut luculentissimam Trinitatis imaginem homini demonstret, suam ipsius animam ei repræsentat; Animæ, inquam, mentem, mentis verbum, seu cogitationem, denique voluntatem, seu amorem. Ut hæc tria & tria sint & unum, & reciprocè sibi æquentur & sese complectantur, sic ille exequitur in libris de Statu animæ: *Dictum est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Intro inspice te de te ipsa, ô humana anima, ad me nitere. Vide mentem tuam, vide verbum tuum, vide voluntatem tuam. Nam totum est in mente quod cogitas; & quod totum simul meministi, totum simul cogitas, & vis cogitare atque meminisse; hoc est, amas habere mentem & cogitationem. Cogitationem ergo tuam cum mente complecteris, hoc est, cum cogitare te meministi, totam certè cogitationem tuam tota mente comprehendis. Et totum amorem tuum, vel mentem tuam cogitatione tua cogitas, cum amare vel meminisse te cogitas. Et toto amore tuo eandem totam mentem atque eandem tuam cogitationem totam diligis, cum meminisse & cogitare te diligis. Nullus est tamen qui meminisse & cogitare & hoc ipsum amare non diligat.* Et ibidem mox, ut quæ hìc mens dicebatur, eadem memoria sit; utque ea tria æqualia sibi mutuò sint, & tota simul esse, simul operari possint, ut omnium absolutissimam imaginem Trinitatis constituant: *Cum autem tibi in mente est memoria cogitationis & amoris tui, si tanta illa meministi, quanta sunt, tanta est mens tua, quanta sunt illa. Et cum dilectionem, vel mentem tuam cogitas, si tanta ea cogitas quanta sunt, tanta est cogitatio tua, quanta illa sunt. Et si mentem vel cogitationem tuam pro sui modo diligis, hæc & amor tuus certè æqualia sunt. Et si se singula tota simul ament, vel cogitent, vel meminerint, non majora erunt tota simul tria, quàm vel mens tota pariter recolens, & cogitatio tota cognoscens, vel amor tuus diligens. Hæc & in te esse, ac potiùs ista te esse me tibi radiante cognoscis, si illos mihi oculos quibus me videri dignor, attuleris; nequaquam me vel incorporeus nisi purgatus videt, quominus videri me à te putes posse, si corpus es. Ego & Pater & Charitas nostra unus Deus sumus; tu mens rationalis & verbum, vel dilectio tua unus es homo. Ad similitudinem autoris tui factus, non ad æqualitatem creatus, nempe non genitus.*

Bibl. Patr. Tom. 4. Pag. 624.

XIII. Ex Græcis nunc obiter audiemus Cyrillum Alexandrinum. Ita ergo ille ratiocinatur: Si mens creata Verbum sibi suum gignit, quid divina? Si nefas est hominis mentem sterilitate damnare, si suos illi, & quidem purissimos partus auferre piaculum est, si non potest non pulcherrimam illa sui imaginem suo sibi in sinu formare, quid mens divina? quantò hujus Verbum erit indubitatius, Verbi partus incorruptior, mentis seu Patris in Verbo imago splendidior? Ita præstantissima Dei Verbum suum, imaginem suam, Filium suum gignentis declaratio in mente humana spectari potest: *Si mens humana citra ullam divisionem, verbum quod profert ex seipso, gignit, neque quicquam ipsa ex illa verbi prolatione patitur: sed verbum quidem in mente, mens in verbo cernitur, & alterum ab altero depingitur: & nemo sani judicii dixerit mentem unquam absque verbo fuisse: Neque mens unquam fuerit quæ verbum non habeat. Verbum autem dicimus non in universum quod lingua profertur, verùm etiam & quod mente intellectualiter agitatur. Ita etiam nemo dixerit, non esse omnino in Deo proprium ipsius Verbum, quod ex integro Patre imaginem refert, & in Patre ob essentiæ incommutabilitatem animo cernitur.* Et infrà: *Si ergo impium est dicere mentem humanam fructum nullum proferre, quum id Dominus ipse testetur, & res ipsa probet: quo pacto non absurdum fuerit dicere supremam omnium mentem infrugiferam esse, & fœcunditate quæ ei convenit privare? aut si dicant generare, corporeis legibus subjicere, atque ita perinde ac corpus generare; quum ne mens quidem quæ in nobis est corporeo modo generet? At verò qui universa transcendit longèque superat Deus, quo pacto non mentem etiam generationis modo superabit, non amissione, aut fluxu cujusquam, quod ei prius inerat; sed illustratione, citra ullam divisionem ex seipso gignens Filium, secundùm ineffabilem atque inenarrabilem divinæ generationis modum?*

Cyrill. Alexandr. tom. 5. part. 1. in Thesauro, p. 34. & 45.

Prolixiùs hac eadem de re inferiùs audientur alii Patres Græci. Unum hoc ex Theodoro Abucara hìc addam, & ex ejus concertationibus inter Arabes & Christianos. Ea est rei summa: Sicut eadem Scriptura est, etsi aliis & aliis chartis exarata, ita una est veritas, una sapientia summa, una veritas, una divinitas, etsi tribus divinis hypostasibus communis. *Quid si adsit alius liber, qui eandem Scripturam habeat, negas Scripturam illam? Non est alia, & alia Scriptura, sed eadem; tametsi in alio libro posita est. Sic ego etiam dico, non est Pater & Spiritus sanctus aliud & aliud præter Filium, quamvis in alia & alia hypostasi reperitur.*

a Bibl. Pa Tom. 11. 401.

CAPUT XIX.

Rursus quantum lucis accedat fidei Trinitatis ex comparatione mentis, & fœcundæ, & suum sibi verbum, ceu imaginem sui gignentis.

I. Ex Cyrillo Alexandrino, Essentia Deitatis est totius Esse plenitudo, quæ non potest non effluere & exundare in coæqualem sibi plenitudinem.

II. Si non potest fons aquæ exundare in parem sibi fluvium, quantò magis fonti sapientiæ, charitatis & sanctitatis par fœcunditas tribuetur? Ita imago fontis est flumen, eadem utrobique plenitudo.

III. Ut Filius Patris, ita Filii Spiritus sanctus mens est & Verbum, & exundans sapientiæ plenitudo.

IV. Ex eodem, Spiritus sanctus complementum existens sanctæ Trinitatis, exundat in sanctificationem totius naturæ intellectualis. Aut certè illi imprimitur, ut character sanctitatis, & ipsamet sanctitas.

V. Idem ex Athanasio, Deus ut ipsa per se sapientia immensa, infinita, exundans, in Filium primùm totus exundat & in Spiritum sanctum, tum ad creaturas effluit.

VI. Eadem ex Nazianzeno confirmantur, & ex Basilio.

VII. Præstantissimè hæc rursus eadem ex Gregorio Nysseno.

I. NAturam & essentiam Deitatis in suo fonte assentiuntur omnes, ipsius naturæ magisterio imbuti, esse plenitudinem totius esse. At hæc necesse est, ut statim exunder nativa fœcundi-

cunditate tua. Infinitum enim illud [illegible] tantùm est, sed esse totum est; vivere id ipsum est, intelligere, sapere; opulentiæ suæ, bonitatis & sapientiæ rivulos undique spargere; nec rivulos tantùm, sed & fontem & plenitudinem ipsam suam diffundere. Hæc enim demum fœcunditas Deo digna, Deo par est, ut à fonte bonitatis, non rivulus, sed flumen effluat, nec extra effluat, sed in ipsumet, cùm extra nihil sit, quo illa plenitudo capi possit. Illud enimverò est, quod Scriptura, quod humani generis ab exordio traditio, quod Catholica Ecclesia promulgavit, quando fontem illum totius essentiæ & sapientiæ & bonitatis Patrem nuncupavit: Filium autem dixit flumen inde erumpens, illa ipsa plenitudine & abundantia inclytum. Ita fons ejusmodi in flumine totus est, flumen ejusmodi totum in fonte suo; Pater in Filio totus, Filius in toto Patre; ut Sol qui fons totius splendoris est, in splendore suo à se fuso totus est; & splendor uti flumen ex illo fonte manans in Sole est. Cyrillus Alexandrinus non immerito videbitur ita sensisse in Thesauro; *Filius in Patre, & Pater in Filio esse hac ratione intelligitur. Filius ex essentia Patris processit, non quemadmodum creaturæ ex non esse ad esse traductus, aut extrinsecus substitutus: sed est ipsa essentiæ Patris proprietas: Sicut ex lumine splendor, aut ex aliquo fonte flumen promanat. Licet igitur iis qui Filium vident, Patris essentiam intueri, & genitoris proprietatem ex hoc cognoscere. Quia enim universum esse Filii ex essentia Patris procedit, ea ratione est in Patre; & è contrario Pater est in Filio; siquidem id quod ipse est natura, hoc etiam est Deus Verbum ex ipso procedens. Apparet autem & est in Filio quemadmodum Sol in splendore, quem emittit ex se, & sicut mens in sermone, & fons in fluvio qui ex se promanat. Proprietas enim essentiæ Patris in Filio sita, & divinitatis, ut ita dicam, species, ipsum in eo esse omnibus ostendit.*

Cyrillus Alexandr. Tom. 5. part. 1. pag. 109.

II. Eadem est ratio imaginis & Verbi, atque Filii. Nam ut fons totus in flumen exundans, ut Sol totus in splendorem totum suum effluens, ita Pater Filium tantum quantus ipse est ex se effundit; ut imago absolutissima sit Patris Filius, fontis flumen, Solis splendor; mira & certa in his æqualitate, & consubstantialitate ejus qui procedit, cum eo à quo procedit. Et quidem tantò proclivius id persuadebitur, si Fons, si Sol iste, Fons & Sol sapientiæ intelligatur, charitatis, sanctitatis; quæ diversa & si sunt nomina, una res est. Quid enim manifestius, quàm si fons aquæ vel lucis non potest non statim exundare in flumen ejusdem secum naturæ, ejusdem & plenitudinis necesse omnino esse, ut multò magis fons sapientiæ, bonitatis & sanctitatis exundet in plenitudinem sibi simillimam; ut hæc plenitudo effluens ab illa plenitudine exundante, non substantia, non majestate differat, nisi quòd illa sit fontis plenitudo, hæc eadem ipsa sit sapientiæ plenitudo ab illo fonte scaturiens. Hæc prorsus sonant illa Christi verba de Patre & de Verbo, sive de seipso, quæ Cyrillus in unum hunc locum congessit: his consentit illa præsensio, ille sensus omni naturæ rationali affluens vel supernè, vel ab intimis suis præcordiis de ineffabili magnificentia naturæ divinæ. Cyrillus idem aliquantò pòst: *Quemadmodum si quis imaginem optimè depictam videat atque admiretur, Regis item vultum & quæcunque in illo cernuntur intueri in tabella possit, cupiditas illum incessat Regem ipsum videndi: at tabella meritò illi dicere possit, Vidisti me, vidisti & Regem: & rursum, Ego & Rex unum sumus, quantum ad perfectam similitudinem attinet: & rursum, Ego in Rege & Rex in me juxta formæ speciem. Nam illius formam tabella planè refert, & forma tabellæ sive picturæ in ipso etiam est. Ita & Filius dicit: Qui vidit me, vidit & Patrem: Et, Ego & Pater unum sumus: Ego in Patre & Pater in me. Filius enim habens proprietatem essentiæ Patris citra ullam differentiam, est perfecta imago Patris & forma genitoris, totum in se genitorem referens atque exprimens.*

Pag. 111.

III. Ut Filius Patris, ita Spiritus sanctus mens Filii est ex Cyrillo & aliis Patribus; etenim ut Pater in Filium, ita & Filius & cum Filio Pater in Spiritum sanctum exundat, & totus exundat, quantus inquam & quantus est exundat, ut non immerito dicatur Filius quidem sapientia de sapientia, Spiritus autem sanctus Spiritus sapientiæ, sive charitatis. Nam & sapientia charitas est, & charitas sapientia. Est enim verè sapientia, ut nomen ipsum sonat, sapor quidam, & non lumen tantùm veritatis. Ut ergo quæ & quanta est sapientia in fonte, sive in Patre, eadem & tanta est in flumine, sive in Filio: ita quæ & quanta est in Filio, eadem & tanta est in Spiritu sancto sapientia charitasque; cùm & sapientiæ & charitatis hæc natura, hoc ingenium sit, ut diffundat se, & quanta oritur, quanta est, diffundat se, nec à fonte suo recedat. His apprimè consonant Christi verba in Evangelicis litteris de Spiritu sancto, ita interpretante Cyrillo: *Nam cum sit (Spiritus sanctus) ipsius Filii mens juxta Paulum dicentem de Spiritu, Nos autem mentem Christi habemus, illa ipsa loquetur quæ ipse cujus mens est. Idcirco affirmavit Spiritum nihil ex se ipso loquuturum, tantum non dicens, Ego sum rursus qui loquor: perinde ac si mens quæ est in homine dicat de sermone qui ex se procedit, Non loquetur à seipso quicquam, sed quæcunque audierit, loquetur. Nemo verò dixerit, communem hunc hominis sermonem, quo conceptiones enunciamus, imperfectum esse, ideo quia prius in mente formatur: & iis quæ in ea sunt, acceptis, procedit. Naturalis enim unitas celeriter ea quæ in mente sunt, in sermonem transmittit. Idem ferè de Spiritu sancto sentiendum est. Cùm enim sit mens Christi, omnia quæ in ipso sunt, Discipulis eloquitur, non in propria ac peculiari quadam voluntate, neque in aliena voluntate ejus in quo & ex quo est, congrediens; sed tanquam ex essentia ipsius naturaliter procedens, integramque ipsius voluntatem, quemadmodum & operationem habens,*

Pag. 344.

IV. Hinc illud infrà affirmat Cyrillus Spiritum sanctum ad innovationem & sanctificationem emitti naturæ intellectualis: ut qui plenitudo sit & complementum sanctissimæ Trinitatis. In seipsa enim fluit & ad seipsam refluit plenitudo sapientiæ & charitatis, quæ substantia ipsa & natura Deitatis est; nec præterea supereſt, nisi ut in creaturas se diffundat, in quas ideo mittitur Spiritus sanctus, tanquam complementum sanctæ Trinitatis. *Necesse est fateri Spiritum ex essentia Filii esse. Nam ut ex ipso naturaliter existens, & in creaturam ab ipso missus, renovationem operatur, plenitudo, ac complementum, συμπλήρωμα, existens sanctæ Trinitatis.*

Ibidem pag. 358.

Pulcherrimum verò illud est, quod non multò pòst ibidem commentatur Cyrillus in illa Pauli verba ad fideles, *Signati estis Spiritu promissionis sancto, ἐσφραγίσητε.* Ut enim Pater totus imprimitur Filio, dum illum generat, Sol splendori dum illum fundit, fons flumini: & imago accuratissima ac consubstantialis jam est Patris Filius, Solis splendor, fontis flumen, sapientia sapientiæ, charitas charitatis, effusa sese effundentis: ita imprimitur Filius Spiritui sancto, ut imagini suæ simillimæ & consubstantiali; & ita demum completa sursum Trinitate imprimitur Spiritus sanctus creaturæ intellectuali, ceu sigillum imprimitur ceræ, & imaginem illam facit esse Dei, non perfunctoriè, non quomodocunque, sed semetipsum ut imaginem Dei Deumque illi imprimendo; ut imago jam Dei sit natura rationalis, velut impressam sibi circumgestans Spiritus sancti substantiam, qui imago Dei est consubstantialis.

Pag. 360.

tialis. His adprimè concinunt non tantum verba Scripturæ, sed & non pauca antiquissimorum, sive Poetarum, sive Philosophorum Oratorumque verba, ex ipso animæ rationalis instinctu naturalique præjudicio sumpta, sive ex vetustissimis hominum præjudiciis & traditionibus, de quibus infrà plura dicemus. *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Jovis omnia plena. In ipso vivimus & movemur & sumus. Ipsius enim & genus sumus;* & alia id genus plurima, ex quibus id liquet humano generi, quandam sibi esse cum Deo cognationem, infundi sibi illum de proximo; pelagusque illud sapientiæ & sanctitatis, quod in ipso & ipse est, ineffabiliter in ipso abundans & exundans, in proximas ei naturas intellectuales pro earum modo derivari; ita ut quantulacunque nostra sit sapientia & sanctimonia, nec nisi ab ipso, nec nisi cum ipso sit in nobis. Audi Cyrillum: *Signati estis Spiritu repromissionis sancto, qui est arrha hæreditatis nostræ. Si Spiritu sancto signati ad Deum reformamur; quomodo erit creatum id, per quod divinæ essentiæ imago, & increatæ naturæ signa nobis imprimuntur? Neque enim Spiritus sanctus pictoris instar in nobis divinam essentiam depingit, aliud quidpiam ab illa existens: neque hoc modo nos ad similitudinem Dei ducit: sed quum ipse sit Deus, & ex Deo procedat, in cordibus eorum qui ipsum suscipiunt, velut cera invisibiliter instar sigilli imprimitur: & naturam nostram per communicationem similitudinemque sui, ad archetypi pulchritudinem depingit, Deique imaginem homini restituit. Quomodo igitur erit creatura is, per quem natura humana ad Dei imaginem reformatur, utpote particeps facta?*

Ibidem pag. 362.

Nec ab his abludunt, quæ leguntur in Dialogo V. de sancta Trinitate apud eundem Cyrillum, ubi affirmatur vultum & imaginem Patris esse Filium, Filii Spiritum sanctum, quo jam ut Dei imagine obsignamur, & quasi Dei vultu imprimimur; ut sapientia de sapientia, sanctitas de sanctitate manans, ceu Sol, fons, pelagus sapientiæ & sanctimoniæ jugiter se effundens, verissimè dici possit imaginem vultumque suum imprimere ei, quæ manat sapientiæ & sanctitati. *Qui videt me, videt & Patrem. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Ego & Pater unum sumus. Filium enim faciem quodammodo esse Dei ac Patris, facilè Psaltes docuerit, interdum quidem dicens: Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? rursus vero, tanquam ex persona credentium in ipsum: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Obsignati enim sumus sancto Spiritu ad effigiem & similitudinem vultus Patris, hoc est, Filii.* Et infrà: *Si sancto Spiritu quum signamur, ad Dei similitudinem reformamur, quomodo creatus erit is, per quem divinæ essentiæ imago nobis insculpitur, & increatæ naturæ in nobis manent signacula? Non enim Spiritus in nobis picturæ instar divinam essentiam adumbrat, ipse alius existens ab ea, neque nos hoc modo ad Dei similitudinem adducit; sed ipse Deus existens, & ex Deo procedens, velut in cera quadam suscipientium cordibus imprimitur, per communicationem & similitudinem cum seipso ad illam exemplarem pulchritudinem naturam refingens, & hominem ad imaginem Dei reformans. Quomodo igitur creatura erit is, per quem natura, ceu Dei facta particeps, ad Dei similitudinem reformatur?*

Ibidem pag. 554.

Pag. 675.

V. Perantiqua hæc erat & constantissima Scholæ Alexandrinæ doctrina, quam ab Athanasio Cyrillus, Athanasius à majoribus suis in eadem Ecclesia hauserat. De majoribus his Athanasii infrà dicemus, hic audiemus ipsummet. Sic ergo ille ratiocinatur, esse iursum apud Deum ipsam per se sapientiam, ipsam per se justitiam, veritatem, lucem intelligibilem, cujus ros tantùm aliquis nobis aspergatur, fons & pelagus infinitum apud Deum sit, qui hanc suam sibi sapientiam in suo sinu fundat, sibi parem, sibi coævam & consubstantialem. Quid enim Deo amplius tribuere possumus, & quomodo non hoc illi quod amplissimum est ei tribuerimus, ut ipse ipsa sit per se sapientia, per se justitia, per se veritas, non otiosè & steriliter sapientiam, justitiam & veritatem in se concludens, sed effundens & propagans illam, à se manantem, à se indiscretam; ut Sol, ut fons sapientiæ & justitiæ, vitam sapientiæ vivens, & vivendo vitam hanc effundens, cùm hoc demum sit vivere, vitam propagare, vitam agitare, vitam vivere, moveri, operari. Ubi Pater hanc ex se vitam sapientiæ sibi consubstantialem ex se & in se effudit, tum per eam extra se etiam fundere amat. Unde Athanasius Oratione contra Gentes: *Per eum vero omnia & in eo facta esse sacrosancti illius discipuli docent; & quod bona proles ex Bono existens & verus Deus, potentia Patris dicitur & sapientia, & ratio; non ex eo quod ex aliqua parte istarum rerum communionem adipiscatur, aut ista aliunde adventitia & superventitia, ejus naturam imbuant: quales sunt, qui istarum rerum participes fiunt, ac propterea sapientes, fortes, rationales efficiuntur; sed quia per se sit ipsissima sapientia illa, per se illa ipsissima ratio ac propria potentia Patris; illa ipsa lux; illa ipsa veritas, illa ipsa justitia, illa ipsa virtus: & character, & jubar, & imago, & ut compendio dicam, fructus Patris undecumque perfectus, ac solus Filius, imagoque immutabilis Patris sui. Quis igitur, quis, inquam, percensuerit plenè de Patre, ut Verbi ejus dotes assequatur? Est enim sicuti Patris Verbum, Sapientia; ita quoque ad creata se demittens & accommodans, sit ad Creatoris cognitionem intellectumque ipsa ex se propitiatio, ipsa ex se vita, janua, pastor, via, Rex, Dux, & in omnibus servator & vivificator, lux & providentia omnium. Talem igitur bonum & opificem Filium habens ex se Pater, non illum rebus genitis obscurum occultumque voluit; sed quotidie eum revelat omnibus per omnia, quæ ab ipso constituuntur, vitamque accipiunt, & in eo, & per eum seipsum quoque exhibet, quemadmodum Salvator ait: Ego in Patre, & Pater in me: ut necessarium sit Verbum esse in genitore, & genitum cum Patre suo perennare.*

Adversus Gentes Tom. 1. pag. 38.

Et in Oratione secunda contra Arianos: Cùm Dei essentia sit perfectitudo, & plenitudo, non potest ea non effundi, & in plenitudinem perfectitudinemque sibi parem effundi; in Filium, qui imago, qui forma & splendor ejus & veritas sit, ut ea demum sit fœcunditas, & plenitudo, & perfectitudo Deo digna. His eximiæ sapientiæ luminibus, & altissimæ ut par est de Deo doctrinæ sententiis consonant Scripturæ, consonat Ecclesia Catholica, Imaginem numeris omnibus absolutissimam Patris esse Filium, non extrinsecus pictam, sed intus à Patre in Patre genitam, cui ille adgaudeat, cujus contuitu exhilaretur. *Quod si quis secum cogitet, rationes quærat quomodo fieri possit, ut perfectitudo & plenitudo substantiæ Patris diminutionem capiat, statim sentiet absurditatem hæreseos, & potissimum si ei in mentem veniat, Filium esse imaginem, & splendorem, & formam, & veritatem Patris sui. Nam si eo ipso, quo lux est, fieri non potest, quin statim sit splendor, qui ejus imago est: & eo ipso quo hypostasis est, fieri non potest, quin sit ejus integra forma: & eo ipso quo Pater est, fieri non potest, quin ibi quoque una sit & ejus veritas: Videant isti, qui imaginem & speciem Deitatis tempore metiuntur, in quantum impietatis barathrum prolabantur. Si enim non fuit Filius priusquam fieret, non fuit semper in Deo veritas; sed id nefas est dictu: siquidem Patre existente existebat semper in eo veritas, quæ Filius est, qui dicit, Ego sum veritas: & substantia Patris existente, omnino statim*

Pag. 676.

tim oportuit & characterem & imaginem sui ipsius existere. Non enim extrinsecus depicta est imago Dei, sed Deus ipse ejus imaginis genitor est; in qua seipsum contuendo exhilaratur; ut ipse Filius dicit, Ego eram in quo gaudebat. Quando igitur seipsum non contuetur Pater in sua ipsius imagine? aut quando inde non exhilaratur?

Et infrà Oratione quarta ita imaginem Patris esse Filium docet Athanasius, ut una sit cum eo substantia; totam illius essentiam, magnitudinem, lucemque & sapientiam complectens, quando non hìc alia aut substantia, quàm sapientia, aut sapientia, quàm substantia: perinde ut radiatio à luce manans, lux & ipsa est, & una lucis natura & pulcritudo: unde fit ut & ita videatur Pater in Filio, ut in sua imagine, ut in radiis suis Sol, ut mens in ratione, ut fons in flumine. Ut corporea enim lux, ita & incorporea Sapientiæ lux una eademque est, & in Sole & in jubare; una videlicet lux, una sapientia seipsa effundens; & lucem sapientiæ sibi simillimam, sibi æqualem ex se gignens; ut unus sit Sol, una lux, una sapientia in natura, etsi relationibus una sit genetans, alia genita. *Ego in Patre & Pater in me.* Pag. 253. *Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere conceditur, eò quòd quidquid est Filius, id universum sit proprium substantiæ Patris: veluti ex lumine proradiationem, & fluvium ex fonte, ut qui Filium videat, id videat quod est Patri suum ac proprium; ac intelligat, quòd Filius sit, eam essentiam ex Patre esse, atque ita eum in Patre existere. Estque vice versa Pater in Filio, eò quòd id quod est Patri proprium ac suum, idipsum sit Filius; ut in radiis Sol, mens in ratione, fons in flumine; atque ita quis videns Filium, videt id quod proprium est substantiæ Patris, & intelligit Patrem in Filio esse. Nam quum species Deitasque Patris essentia sit Filii, bene consequitur, ut Filius in Patre existere dicatur, & Pater in Filio. Ideoque meritò, quum antea dixisset, Ego & Pater unum sumus: subintulit ista, Ego in Patre, & Pater in me, ut identitatem divinitatis unitate essentiæ demonstraret.* Et paucis interpositis: Ibidem. *Nihil enim dissimile inter genitum & genitorem; quippe qui sit ejus imago, & eò quòd omnia Patris sint & Filii; ac proinde Filius non alius Deus est: non enim aliunde existere intelligitur, alioqui complures essent Dii, si præter deitatem Patris, aliam Deitatem excogitaremus. Nam quanquam alius est Filius, quatenus est genitus: attamen idem existit, quatenus est Deus: siquidem unum sunt Pater & Filius, suavitate & proprietate naturæ, & identitate unius deitatis, ut modò dictum est. Quippe quum & ipsum jubar lumen sit, neque diversum à Sole, neque alia lux, neque secundum participatum, sed propriè quiddam ex eo genitum. Jam quod ita genitum est, necessum est ut sit cum gignente eadem lux. Neque est ut quispiam eâ dixerit duo lumina, duo tamen sunt Sol & jubar, una tamen Solis lux in ipso jubare ubique illuminans.*

Ex Athanasio denique ita Patris imago est Filius, ut sapientissimæ mentis proles est sapientia ejus ipsa, quam meditando gignit, & tantam meditatur & gignit, quanta ipsa est, nec diversam, sed illam ipsam, quæ ipsamet est. Ita de Charitate, ita de Filio & Spiritu sancto; una ibi vita, una sapientia, una charitas, una hæc omnia essentia, uno discrimine observando processionis unius ab alio. In his porro similitudinibus si quid minùs æquatur divinarum hypostaseon unitati & trinitati; minimè mirum est, cùm Creatorem à creatura immenso quodam intervallo distare necesse sit: magisque mirum sit, quòd hæc symbola veritatis tam propè accedant ad ipsam veritatem. *Inde enim fit, ut habeat vitam in sese Unigenitus, sicuti ipse Pater, & solus novit Patrem: nec mirum, quum in Patre consistat, & in se habeat Patrem, utpote* In hæc verba, Omnia mihi, &c. pag. 338.

illius imago; & consequenter in eo veluti in imagine, omnia quæ Patris sunt, consistunt: sigillum enim est simile ejusdemque sculpturæ, in sese Patrem ostendens, sermo vivus, verus, potentia, sapientia, sanctificatio nostra.

VI. Ex Nazianzeno unum profero locum peregregium, ubi unam confitetur deitatem ex ingenito, genito, & procedente: ut natura animæ continetur mente, sermone ac spiritu; quanquam hæ imagines obscuræ sint summi luminis. Unam, inquam, confitetur Nazianzenus deitatem, vitam & vitas, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam. Profundente enim se fœcunditate Deitatis, emanant de vita vitæ, de Patre Filius & Spiritus sanctus; emanant de Patre lumine Filius & Spiritus sanctus lumina; de vero ipso Patre veritas Filius & Spiritus veritatis; horum quilibet Vita, Lumen, Sapientia, Veritas est; & tres simul una vita, unum lumen, una sapientia, una veritas. *Nos autem unam & eandem Deitatis naturam teneamus, quæ ex principio carente,* Nazianz. Orat. 13. pag. 211. *& generatione, & processione agnoscitur; quemadmodum id quod nobis inest, mente, sermone ac spiritu intelligitur; quantum quidem ex sensibilibus, ea quæ animo & ratione intelliguntur, atque ex parvis maxima conjicere possumus. Quandoquidem nulla imago veritatem assequi potest ipsam secum concordem, semper eandem, semper perfectam, qualitatis, quantitatis, temporis expertem, increatam, atque ejusmodi, ut nec ei quidquam unquam defuerit, nec defuturum sit; incomprehensibilem, nunquam se deserentem, nec deserturam; vitas & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam; verum & veritatem, ac spiritum veritatis; sancta & ipsammet sanctitatem; Deum unumquodque, si separatim consideretur, mente videlicet, ea quæ separari nequeunt separante: Deum rursus hæc tria, siquidem simul intelligantur, ob eundem motum & eandem naturam.*

Unum Basilius probat esse Deum, ubi unum est principium, unumque quod ex principio oritur: ubi unum est exemplar, una & imago ejus: & quidem imago ejusmodi, cujusmodi imago Patris est Filius: *Ubi namque unum principium, unumque ex ipso principio, & unum exemplar, ac illius una imago traditur, ibi unitatis doctrina non corrumpitur; propterea quod ex Patre genitus, Patremque in seipso naturaliter exprimens, ut imago quidem, per omnia illi respondet; ut progenies verò consubstantialitatem conservat.* Exemplo rem probat Regis & imaginis; nec enim tum duo dicuntur Reges; sed ibidem statim addit, ita Verbum Patris esse imaginem, ut Verbum & Filius sit, & splendor Patris; talis ipse, qualis Pater: ipse in Patre, Pater in ipso; ut jam ne suspicio quidem possit subesse inæqualitatis. *Ad hunc modum quæ de imagine dicuntur magnificè, ac Deo competenter sumpta, Divinitatis nobis unitatem commendant. Est enim Filius in Patre, & Pater in Filio. Nam & Filius talis est, qualis est Pater; & Pater talis, qualis est Filius. Ita uniuntur duo, si intellexeris Filium à Patre nihil differre, neque aliam illi speciem, aut alienum characterem esse cogitaveris.* Basil. Tom. 2. Hom. 17. pag. 322.

At alibi præstantissimè idem Basilius infelices fore naturas creatas pronuntiat, nisi aliqua sui eas participatione & similitudine Deus insigniret; nec verò dignum Deo fore ejus opificium, quod nullo ipse sui radio illustrare dignaretur. Quin imò ne homines quidem quidquam fabricantur, quin materiæ, quam elaborant & expoliunt, non manum tantùm, sed & mentem suam imprimant, formamque quam in animo antè suo delinearunt, velut imaginem suæ mentis, in opus suum transfundant. Necesse est ergo, ut & Deum fateamur ita opificia sua omnia moliri per Filium, qui imago ejus est, & per Spiritum sanctum, qui Filii imago

imago est, ut hanc ipsam suam imaginem illis pro cujusque modo & gradu inscribat. Si artis, si ingenii, si sapientiæ copia ea est in homine, ut in ejus opera omnia rivuli ejus aliqui defluant; quid de Dei arte, sapientia, Verbo augurabimur? At hæc hominis ars & sapientia rerum omnium architecta, aut ipsa ejus mens est, aut mentis & sapientiæ ejus ad materiam usque propagatio.

Basilius contra Eunomium, l. 2. pag. 781.

Quod si hæc intelligerent ac bene auscultarent, qui contra seipsos malè cavillantur, profectò Spiritum à Deitate non alienarent; ne à Deitate seipsos abscinderent; ne mundum à Deo disterminarent; ne Deum à propria creatura dirimerent. Misera enim essent cuncta, quæ à Deo creatore facta sunt, cùm secundùm naturam creatam à gloria destituta sint, nisi Deitate participarent. Et paulò pòst: *Omnino autem imago quæ efficitur, à primitivo ad materiam transmutata, similitudinem capit, & charactere participat per artificis mentem & manus impressionem. Sic pictor, sic lapidum sculptor, sic qui auream & æneam statuam fingit, materiam accipit, exemplar respicit, assumit rei quam speculatus est figuram, hanc in materiam imprimit. Quod si homines non possunt ad similitudinem informare materias, nisi idea ipsorum participent: quomodo ad similitudinem Dei creatura ascendet, nisi divino charactere participarit? Divinus verò character non sicut humanus est, sed vivens & verè existens imago imaginis effectrix, per quam omnia quæ participant, imagines Dei constituuntur. Imago quidem Dei Christus est: Qui est imago, inquit, invisibilis Dei; imago vero Filii Spiritus, quo qui participant, Filii conformes fiunt, secundùm illud scriptum, Quos præscivit & prædestinavit conformes, inquit, fieri imaginis Filii ejus, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus.*

Vides quàm non hinc malè de Verbo ominandum sit, quòd naturis intellectualibus imprimatur; sed his potiùs, & Deo congratulandum, qui eas ad aliquod sui consortium accersivit: ut cùm se totum ipse in Filio, in Verbo expresserit, tum velit hoc eodem suo charactere imprimi naturas rationales. *Discant igitur quod Christus est Dei virtus, Dei sapientia, Dei imago invisibilis, & splendor gloriæ, quodque hunc Pater signavit Deus, seque totum in eo expressit;* ut ait alibi idem Basilius. Eodem revolvuntur hæc omnia, ut Pater sit ipsa Sapientia, fons sapientiæ, Filius sit Sapientia de Sapientia; Sapientia illa generans, hæc genita; atque ita hæc imago & character & Filius illius; ut per hanc sui imaginem Pater sapientiæ rivulos latissimè dispergat in Angelos hominesque omnes, quos ea ratione ad nonnullam secum societatem accersit, cujus expertes sunt reliquæ naturæ.

l. de Spiritu san. Tom. 2. pag. 401.

VII. His consentaneus est Gregorius Nyssenus Oratione VI. de Beatitudinibus, ubi Verbum ipsum Dei Filium inducit ad homines verba facientem, hortantemque, ne despondeant animum ad inaspectabile Dei lumen, & inaccessam majestatem; quod enim intueri, quo frui tantoperè cupiunt, summum Numen in ipsis esse, ab ipsis gestari, pro suo ipsorum modo; tantum quippe hoc bonum ab ipso naturæ Conditore statim naturæ inessentiatum esse: τὸ ποσὸν ἀγαθὸν, τῇ φύσει καταπάστῳ & πλάσαντι; divinorumque imitamenta animæ veluti ceræ impressisse; per peccatum sordidatam oblimatamque esse hanc imaginem; his abstergendis ergo sordibus incumbendum esse strenuissimè; atque ita fore, ut primæva puritas, ut divinæ rursum splendor imaginis, ut divinitas ipsa radiet in animæ penetrali; sanctimoniam enim, puritatem, simplicitatem, & ejus generis alia lucidos esse divinæ naturæ splendores, per quos Deus videtur. Si hæc in anima, quid in Verbo? Est ergo Verbum ipsamet lux sapientiæ & sanctitatis, in Patre ut in fonte, in ipso ut in flumine totum fontem capiente: in Patre ut in Sole, in Verbo ut in splendore totam Solis lucem amplectente. *Ac mihi videtur Verbum, paucis, quæ dixit, ejusmodi consilium complecti. O vos homines, quibus inest aliqua cupiditas contemplandi id quod verè bonum est, cùm audiveritis divinam majestatem supra cœlos elatam & exaltatam, & gloriam ejus inexplicabilem, pulcritudinem ineffabilem esse, naturam comprehendi ac percipi non posse: ne prolabamini ad desperationem, quasi non possitis intueri quod desideratis. Nam quod à te capi & comprehendi potest, Dei contemplationis in te modus est; quippe cùm is qui te formavit, tale bonum statim ita naturæ quasi inessentiaverit, sive consubstantiaverit, & incorporaverit: tui enim fabricationi & constitutioni Deus suæ naturæ bonorum simulacra similitudinesque & quasi imitamenta impressit & informavit, veluti ceram quandam sculptili figura præformans & fingens.* Et infrà: *Ergo qui seipsum videt, in seipso quod desiderat intuetur: atque ita beatus sit, qui corde puro præditus est, quoniam dum suam puritatem intuetur, per imaginem formam principalem animadvertit. Quemadmodum enim ii qui in speculo Solem vident, etiamsi cœlum ipsum fixis oculis non contueantur, nihilo secius in splendore speculi Solem vident, quàm illi qui ipsum orbem Solis intuentur: ita, inquit, etiam vos, etiamsi vires vobis non suppetant ad contemplandum & animadvertendum lumen inaccessum: si ad eum qui ab initio in vobis constitutus est imaginis decorem ac gratiam reversi fueritis, in vobis ipsis, quod quæritis, habetis. Puritas enim & vitiorum affectuumque vacuitas, & ab omni malo alienatio, deitas est. Si igitur hæc in te sunt, Deus prorsus in te est.* Et tandem: *Hoc autem quid est? sanctimonia, puritas, simplicitas, omnes ejusmodi lucidi divinæ naturæ splendores, per quos Deus videtur.* Extremi hi sunt seu radii, seu rivuli summæ illius & sempiternæ sapientiæ ac justitiæ, cujus fons inexhaustus & semper exundans in Patre est, totus quidem in Filium & Spiritum sanctum exundans, at rivulos sui non parcos in naturas usque crearas omnes dispergens.

Nyssen. Tom. 1. p. 815.

Ibid. p. 816.

CAPUT XX.

De eodem ex Patribus Latinis, quantum luminis accedat fidei Trinitatis ex similitudine mentis fœcundæ, suum sibi Verbum, suam sibi imaginem gignentis.

I. Homo ita imago Dei est ex Augustino, ut & ad imaginem sit; Filius ita imago est, ut non sit ad imaginem.

II. Sententia Hilarii ab Augustino explanata: ut Filius propriè imago sit, totum in se Patrem habens; non Spiritus sanctus, etsi totus & in eo Pater sit.

III. Rursum ut Filius imago sit, præ illo ne homo quidem imago sit.

IV. Cur vir solus propriè sit imago Dei.

V. Ut imago perfecta sit Filius, Sapientia de Sapientia.

VI. Ex Hilario Filius est imago Patris, quia totus in eo Pater, tota in eo plenitudo divinitatis est.

VII. Quàm non possit ea facultas Deo negari.

VIII. Cùm non fluant à primo Principio, nisi ejus imagines, extra fidem est, nullam prorsus esse imaginem, quæ non dissimilis illi sit.

IX. Vita Deus est perfectissima & fœcundissima; ejus ergo est prolem generare sibi simillimam & æqualem.

X. Ea-

X. Eadem omnia ex Ambrosio, ut sapientia sapientiam, vita vitam, justitia justitiam, velut sui imaginem gignat.

XI. Ex Anselmo, quàm verior sit in Deo paternitas & filiatio, quàm in creaturis.

I. ILlud ab Augustino observatum est, Imaginem Dei in Scripturis hominem dici, sed dici & ad imaginem Dei factum: at Verbum ita imaginem prædicari, & similitudinem Patris, ut ad imaginem & ad similitudinem nec dicatur, nec dici possit. Ita nimirum imago Patris est Filius, ut ipsamet sit Patris essentia substantiaque, ut non alia possit esse id genus imago, quocirca nec ipse potest ad imaginem esse; contrà autem homo dicitur utcumque Dei imago esse, cùm ad imaginem etiam sit, qua ad imaginis primigeniæ similitudinem effingitur, eamque gestat medullitus sibi impressam. Sic ergo Augustinus in Retractationibus: *Item dixi, neque inscitè distinguitur, quod aliud sit imago & similitudo Dei, aliud ad imaginem & similitudinem Dei, sicut hominem factum accipimus: Quod non ita intelligendum est, quasi homo non dicatur imago Dei, cùm dicat Apostolus, Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei: sed dicitur etiam ad imaginem Dei, quod Unigenitus non dicitur, qui tantummodo imago est, non ad imaginem.* Augustinus L. 1. c. 26. Tom. 1. pag. 17.

II. Refert alibi idem Augustinus, & prolixè interpretatur hæc Hilarii verba, quibus Trinitas ab eo adumbrata est: *Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere.* Æternitas hìc Patri ascribitur, quia *Pater non habet, de quo sit.* At imago quàm scitè, quàm convenienter dicatur Filius, ut species ejus sit, id est pulcritudo, ut prima ejus similitudo sit, ut prima æqualitas & summa, ideoque Filius summa vita, summa sapientia, ideoque & summa similitudo: & hæc omnia unum, & hæc omnia unum de uno, & unum cum uno; sic rursus sanctus Pater: *Imago enim si perfectè implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. In qua imagine speciem nominavit, credo propter pulcritudinem, ubi jam est tanta congruentia, & prima æqualitas & prima similitudo, nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei cujus imago est. Ubi est prima & summa vita, cui non est aliud vivere, & aliud esse, sed idem est esse & vivere. Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud intelligere, sed illud quod intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia: tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum.* De Trinit. L. 6. c. 10. Tom. 1. pag. 112.

Spiritus sanctus etsi & ipse Patri Filioque simillimus sit, & æqualis, & substantia unus, summèque unus, non tamen Filius, aut imago dicitur, quòd ad rationem Filii & imaginis nihil pertineant, quæ ei tribuit Hilarius, convenienter & appositè Scripturis, *Usus in munere.* Quin & ipsa ratio, radiis potissimùm fidei illustrata ita suadet, totam rationem paternitatis à Patre ita occupari, ut non alius præterea in divinis possit esse Pater; similiter & quidquid potest esse filietatis & imaginis, à Filio impleri & exhauriri, ut non aliâ possit esse germanissima Dei imago, non alius Filius. At illud etiam hinc elucescit jam Patri & Filio non posse non accedere mutuam charitatem, quæ ab ipsis manet, quæ ipsissima sit eorum oblectatio, fruitio, (usum vocat Hilarius,) & beatitudo. Ita constituta principis omnium causæ ratione, illud jam sequitur, ut eidem formæ utcunque naturæ creatæ omnes coaptentur, & unitatem, speciem, ordinem pro virili sua parte æmulentur. *Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris & imaginis non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce dignè dicitur, usus ab illo appellatus est breviter; & est in Trinitate Spiritus sanctus, non genitus, sed genitoris, genitique suavitas; ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant & locis suis acquiescant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta sunt, & unitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem.*

III. Cùm autem quidquid à causa, vel à principio oritur, illud necesse sit ad principii similitudinem accedere: propterea quòd effundere seipsum non potest principium, quin seipsum propaget & impertiat: unde & omnium causarum illud est ingenium, ut effectus sibi suos assimilent. Inde fit ut quidquid à summo Principio oritur, non possit non esse ejus imitatio, similitudo, imago, aut verissima, aut nonnihil per varios gradus decolorata, aut saltem adumbrata. Quàm non potuerit, quæ prima à Deo manavit ejus imago, non esse ei simillima, & adæquata, & coæva, nec ulla in re dissimilis, adeoque Filii nomine jure donanda, sequenti capite exequemur ex eodem Augustino. Hìc illud adjiciemus ex eodem, & quidem paulò explicatiùs, paulò etiam emendatiùs quàm suprà, quo distet homo imago Dei, sed & ad imaginem Dei, à Filio, qui ita imago est, ut nequaquam sit ad imaginem; item qui ad imaginem sit potiùs homo Trinitatis, quàm Filii; denique cur dicatur ad imaginem, nimirum ob plurimam in nonnulla similitudine dissimilitudinem. Scilicet quo longiùs à primo principio receditur, longiùs receditur ab ejus similitudine: quæ propiùs ab eo oriuntur, propiùs & ad ejus accedunt similitudinem; quod omnium proximè ab eo oritur, omnium ejus est proxima similitudo, germanissima imago, Filius; quo de infrà prolixiùs. Augustinus ibidem non multò pòst: *Sed quia non omnino equalis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ causa, ita imago est ut ad imaginem sit, id est, non æquatur paritate, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, & dissimilitudine receditur ab eo. Sunt enim qui ita distinguunt, ut imaginem velint esse Filium: hominem vero non imaginem, sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens: Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago gloria Dei. Non dixit ad imaginem, sed imago. Qua tamen imago cum alibi dicitur, Ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri; alioquin non diceret, ad imaginem nostram. Quomodo enim nostram, cùm Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus, similitudinem dictus est homo ad imaginem, & ideo nostram, ut imago Trinitatis esset homo: non Trinitati æqualis sicut Filius Patri; sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine, sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis.* De Trinit. L. 7. c. ult. Tom. 3. pag. 116.

IV. Juvabit & obiter illud hìc attigisse, quod tradit inferiùs idem sanctus Doctor, utrique hominum sexui appictam quidem esse Dei imaginem, cùm menti & rationi illa inscripta sit, quæ utrique communis est; cautissimè tamen à Paulo dictum esse virum principaliter esse imaginem Dei, ideoque non velata facie incedere illum debere, ne imaginem Dei videatur vel obumbrare, vel dissimulare, aut erubescere; fœminas è contra velato capite esse debere, quòd non illa tota similiter fulgeant divinæ similitudinis prærogativa. Quid autem causæ sit, ut viro potiùs, quàm fœminæ illa imaginis prærogativa tribuatur, cùm utrique mens & ratio insit: eam non semel rationem assignavit Augustinus, quòd viri sit æternas in Verbo rationes intueri, & regulas incommutabiles sapientiæ

pientiæ & justitiæ, quæ in eo lucent; ut eas in rerum temporalium administratione consulat & sequatur: Fœminæ autem sit rem familiarem & temporalia omnia administrare juxta rationes & leges illas æternas, à suo sibi viro dictâtas. Hæc certè sunt, quæ breviter his verbis complexus est Augustinus: *Sed quia sexu corporis distat à viro, ritè potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis, vel consulendis adhæserit, quam non solùm masculos, sed etiam fœminas habere manifestum est. Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur, in eorum verò corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur.*

De Trinit. L. 12. c. 7. Pag. 835.

V. Denique ut lux lucem, Sol radium, fons flumen parit quadam sui ipsius quasi extensione: ita sapientia sapientiam, vita vitam, potentia potentiam ex se in Deo fundit; & hoc est quod insinuatur nomine imaginis, & similitudinis perfectissimæ, seu Filiationis; quando quantus est Sol tantum splendorem ex se emittit, & quantus est fons, tantum ex eo flumen manat. Hoc sanè illud est, quod fides Ecclesiæ, quod Scriptura prædicat, Verbum, Sapientiam à Patre, & de Patris substantia prodire, non de nihilo; uti flumen de fontis ipsius substantia & magnitudine tota manat. Hoc sensu Verbum imago est genita, non facta; eoque sola Patri consubstantialis. *Eo ipso igitur quod imago Patris est Filius; virtus ejus, & sapientia est. Imago autem plena atque perfecta, id est, non ab illo ex nihilo facta, sed de illo genita, nihil minus habet, quàm ille cujus imago est. Patris quippe imago summa, id est, ita similis ut in ea dissimile aliquid non sit, Filius est unigenitus.*

Contr. Serm. Arian. c. 20. Tom. 6. pag. 241.

VI. Ad Hilarium ipsum jam accedamus, ejusque de divina imagine sententiam ab ipso sciscitemur. Quæ præstantior porro ratio imaginis, quàm si Pater ipse in Filio sit? atqui non potest non in eo esse, ut fons in flumine, Sol in splendore suo, sapientia & vita in sapientia & vita à se effusa in se. Præclarè enim Hilarius ait, Non ita Pater in Filio est, ut corpus quandoque in corpore, ut aqua in vino; sed quia eadem in utroque est potentiæ, sapientiæ, divinitatis plenitudo. Omnia enim à Patre Filius accipit, non quasi non antè habuerit, sed ut ab eo effusa imago, similitudo, forma absolutissima. Similitudo Dei adæquata esse non potest, nisi non ab ipso tantùm, sed ex ipso sit; nihil quippe adventitium potest in omnibus simile Deo esse. Imago Dei perfectissima nunquam erit, si degeneris & creatæ substantiæ fuerit, nisi substantiæ fuerit ipsius divinæ. Ecquid autem hinc laudis Deo accedet, si nusquam aliud quàm sui imagines molitus, obscuriores tantùm & degeneres effuderit? *Sint unum, ut sunt, qui genuit & qui genitus est. Cur naturam excludis? cur veritatem interimis? Audis, Pater in me est, & ego in Patre. Et hoc de Patre & Filio Filii opera testantur: non ut corpus per intelligentiam nostram corpori immittimus, neque ut aquam vino infundimus: sed eandem in utroque virtutis similitudinem & Deitatis plenitudinem confitemur. Omnia enim Filius accepit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ ejus. Eum enim qui est, ab eo qui est imago substantiæ, tantùm ad subsistendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ dissimilitudinem intelligentia discernit. Patrem autem in Filio & Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est. Non enim diminutio Patris est Filius, nec Filius imperfectus à Patre est. Imago sola non est, & similitudo non sibi est. Deo autem simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest. Non enim aliunde est, quod in omnibus simile est: neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit.*

Hilarius. L. 7. p. 90.

VII. Quisquis inter homines pater filium procreat, utique imaginem suam efformat, procreat vita vitam, virtus virtutem, natura naturam, veritas naturæ imaginem consubstantialem ejusdem naturæ. Si quas alias homo pingit, fingit, aut fabricat imagines, inania hæc & vacua sunt simulacra ejus vel artis, vel industriæ, filiis haud certè comparanda. Quid ergo est causæ, ut non eam primo Principio nobilissimam fœcunditatem vendicemus, quam ab eo tot creaturæ obtinent, ut non in vacuas tantùm & ignobiles imagines sese effundat; sed imaginem sui habeat perfectam, plenissimam, ejusdem substantiæ & potestatis? *Non sunt nuncupativa, sed vera, dum habet in se per sacramentum nativitatis & virtus virtutem, & potestas potestatem, & natura naturam; tenens per nativitatem ipsa quod suum est, & ex se per imaginem referens, quod in se est, dum & imago est authoris, & veritas; quia perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, & plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans, naturalem obtinet veritatem. Et hæc quidem quamvis ita se habeant, quia naturalis ex Deo Deus non potest nisi in ea nativitatis suæ natura esse qua Deus est, & viventis naturæ indifferens unitas, inseparabilis à se est sub viventis nativitate naturæ; tamen per fidei, &c.*

L. 8. Pag. 1084.

VIII. Cùm veritas autem sit Dei natura, & tot sui imagines extra se creet veritatis participes tantùm; ejus certissimè dignitatis & amplitudinis est, verissimam sui imaginem generare: quod esse non poterit, si veritatis tantùm particeps sit, & non ipsa veritas. Quis autem facilè sibi persuadeat, primum rerum principium esse ipsam veritatem, & ab ea derivari nihil posse, nisi ejus imagine inscriptum: & tamen nihil prorsus ab ea procreari posse, quod non immenso quodam intervallo à veritate distet? Si primum principium est summa potestas, summa veritas, summa bonitas, nullane imago ejus ab eo fluet, quæ non sit imbecilla, falsa, minùs bona? Quantò pulcrius, & Deo dignius, ut ipsum cogitemus, ut vitam, sapientiam, bonitatem, & horum plenitudinem, profundentem non disparem vitæ, sapientiæ & bonitatis plenitudinem suo in ipsius sinu, & tum postea guttas hinc aliquas extra se ubique spargentem? Ita fides, ita sacræ litteræ docent, sed & ipsa humanæ mentis lux & generositas ita lubentissimè sentit, & ita de Deo sentire se magnoperè gratulatur. *Deum viventis Dei vivam imaginem, & beatæ naturæ plenissimam formam, & innascibilis substantiæ unigenitam nativitatem, quæ nisi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, & absolutam naturæ totius referat speciem, non est in imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei unigenitus Deus imago est, perfecta atque absoluta in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est Pater; si infirmus est Filius, imago jam non est potentis. Bonus est Pater: sed si in diversi generis divinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit. Incorporeus Pater est: si Filius secundùm spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus. Ineffabilis Pater est: si Filium sermo complectitur, extra imaginem est innarrabilis natura narrabilis. Unus Deus est Pater; si Filius in Dei falsitate est, jam non est veri imago, qui falsus est.*

L. 9. Pag. 1171. 1172.

IX. Non otiosum & torpens, non inanime quid est divina essentia; sed vivens, immo vita, vita sese explicans, vitam ex se progignens: id est enim vivere; & generare: vivere est; & generare absolutissimum fœtum perfectissima vita est, qualis primum principium decet; qualis decet Deum in altissimo vitarum & substantiarum vertice sedentem, in summo fœcunditatis fastigio regnantem. Utrumque igitur Deo consentaneum est, & genuisse, & sui simillimam progeniem genuisse, imaginem scilicet sui in nullo dissimilem. *Quod enim in utro-*

L. De Synod. p. 1161.

in utroque vita est, id in utroque significatur essentia: & vita qua generatur ex vita, id est, essentia quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur; scilicet quia vita ex vita est, tenet in se indissimilem naturam originis suæ; quia & natæ & gignentis essentiæ, id est, vitæ quæ habetur, & data est, similitudo non discrepet. Quod enim ex se Deus eum ex natura sua similitudine genuit, non deseruit in eo genitam similitudinem naturalis proprietate substantiæ. Non enim aliud habet, quàm dedit: & sicut vitam habens, ita habendam dedit vitam. Ac sic quod de essentia tanquam vita ex vita, simile sui secundùm essentiam nascitur, nullam diversitatem ac dissimilitudinem admittit geniti & gignentis essentia.

X. Strictim nunc pauca ex Ambrosio, qui divinam naturam meritissimò collocat in vita, sapientia, justitia, quæ ne capi quidem facilè potest, nisi in quadam sui propagatione: ut vivens vitam vivat, sapiens sapientiam explicet, justus justitiam effundat suam: & hæc tantò fœcundiùs & mirabiliùs in Deo, quantò divinitas creaturam quancumque superat. Nec ab imaginis ratione hæc recedunt: nam qui vitam vivit, & qui sapientiam exerit suam, & qui justitiam prodit, is simillimam exerit sui imaginem, suæ inquam vitæ, sapientiæ, & justitiæ. *Denique imago est qui dicit, Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Et quomodo tu, cùm imaginem vivam Patris viventis videns, dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Imago Dei virtus est, non infirmitas: imago Dei sapientia est, & imago Dei justitia est. Sed sapientia divina est sempiterna justitia. Imago Dei est solus ille qui dixit, Ego & Pater unum sumus: ita habens similitudinem Patris, ut divinitatis & plenitudinis habeat unitatem.*

Ambrosius Tom. 1. pag. 13.

Sic ille libro VI. Hexameron. Et libro I. de Fide id Deum decere docet, ut imago ejus primigenia ipsa veritas sit, ipsa sapientia, justitia, virtus; his enim omnibus conjunctissima est natura divinitatis, conjunctissima est & fœcunditas. Nec enim tanta & tam divina bona, sterilia, inefficacia, otiosa esse possunt. *Videt enim in imagine Patrem, qui videt in Filio. Vides quam imaginem dicat. Imago ista veritas est, imago ista justitia est, imago ista Dei virtus est; non muta, quia verbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis, quia virtus est: non vacua, quia vita est: non mortua, quia resurrectio est.*

Cap. 7. Cap. 4.

XI. Cùm non alia melius sub imagine cogitari possit à nobis Deus, quàm ut summa & ineffabilis Sapientia, ineffabilem sapientiæ vitam vivens, atque ita Verbum suum, imaginem sui simillimam gignens; ita statuit Anselmus, convenientissimè illi nomen Patris tribui, huic Filii, & hanc Verbi à Patris sapientia processionem verissimè nativitatem dici. Quippe qui alibi patres sunt, ex parte tantùm patres sunt, nec soli gignunt: & ipsa eorum proles ita similis est, ut & multis nominibus sit dissimilis. At Verbi Pater id habet unus, ut ab eo uno Verbum nascatur, & ut hæc ejus imago nulla sit ex parte dissimilis. Nusquam ergo veriùs, quàm in Patre & Verbo, & Patris, & Filii, & imaginis nomen usurpatur. *Tanto verior est ille parens, & ista proles, quanto magis & ille ad hujus nativitatis perfectionem solus sufficit: & quod nascitur, ejus similitudinem exprimit. Namque in rebus aliis, quas parentis prolisque certum est habitudinem habere, nulla sic gignit, ut omnino nullius indigens sola per se ad gignendam prolem sufficiat: nulla sic gignitur, ut nulla admixta dissimilitudine omnimodam similitudinem parentis exhibeat. Si ergo Verbum summi Spiritus sic est omnino ex ipsius sola essentia, & sic singulariter est illi simile, ut nulla proles sic sit omnino ex sola parentis essentia, aut sic similis parenti: profectò nullis rebus tam convenienter videtur aptari habitudo parentis & prolis, quàm summo Spiritui & Verbo ejus. Quapropter illius est proprium verissimum esse parentem, istius verò veracissimam esse prolem.*

Anselm. in Monol. c. 39. pag. 47.

CAPUT XXI.

Cùm omnia & Authoris impulsu & naturæ instinctu tendant ad similitudinem primi Principii, & gradatim ad eam accedant: necesse esse ut ad perfectissimam illam similitudinem pertingat, quod primum & proximum ab illo procedit. Ex Augustino.

I. Cùm omnia fluant à primo Principio, quod ipsum unum est; omnia ad unitatem & similitudinem primi Principii connituntur. Attingi ergo & pertingi ad illam potest. Ex Augustino.

II. Eadem doctrina ex eodem confirmatur & illustratur. Quantùm distet justus à justitia, castus à castitate, verus à veritate, similis à similitudine.

III. Quàm necesse sit esse apud Deum ipsam per sese & summam similitudinem, per quam similia sibi fecerit omnia.

IV. Sapiens & justus bifariam dicitur sapientia, & justitia, quam gignat, vel quam participet; Deus priori ratione sapiens & justus est, non secunda.

V. Cùm possint à sapientia & justitia deficere, qui ejus participes sunt, eique pòst restitui: necesse est ipsam per sese summam sapientiam & justitiam existere, ad quam & per quam restituantur qui ab ea defecere.

VI. Probat Augustinus ipsam per sese justitiam vivere, qua vivunt animæ; qua orbatæ, mori dicuntur.

VII. An ea tantùm sapientia Deus sit sapiens, quam genuit; id enim videntur Patres antiqui sensisse.

VIII. Una est sapientia Pater & Filius, in Patre generans, in Filio genita; Pater sapiens est, ut sapientiam generans, Filius ut sapientia genita.

IX. Quàm convenienter factus sit nobis mortalibus hic exemplum, qui immortalibus exemplum est in cœlo.

I. NOn potuimus non superiùs hanc doctrinam aliquando perstringere ac prælibare, in Capite maximè superiori, ubi de imagine & similitudine Dei primaria disceptabatur. Tanta verò in ea sunt certissimè momenta, ut eam operosiùs necesse fuerit pertractari: idque ex Augustino potissimùm, qui in ea omnium copiosissimè præstantissimèque versatus est. Unum declarat ille esse primum omnium Principium, scilicet ipsum Unum; ex quo fit, ut quæ ab eo oriuntur omnia, ad unum quoque contendant, unitatem suam servent, tanquam summæ Unitatis vestigium. Quàm non possint autem corpora unitatem primi Principii propiùs imitari, ipsa eorum natura docet, quæ tota in minutissimas partes secabilis est. Utcumque tamen illam affectant & sequuntur: & ne essent quidem, nisi quodammodo unum essent. Propiùs accedunt ad unum spiritales, rationales & intellectuales substantiæ, & ad illud tota virium contentione sese recolligunt, tantòque proximiores ei fiunt, quantò aliæ aliis meliores & superiores sunt. Cùm ergo omnia, infima, media, summa ad primi Principii unitatem & similitudinem conspirent & connitantur, ut quam possunt perfectissimam consequantur: necesse est haud dubio, ut illam tandem assequatur, quod innascibili Principio proximum est. Eò non anhelarent omnia, si

eò perveniri non posset. Est haud dubio summa illa similitudo, ad quam suspirant omnia, ad quam pro suo quæque modo assurgunt. Summa illa similitudo jam Veritas est; si qua enim ex parte à veritate abluderet, summa & perfectissima similitudo non esset. Si veritas autem est, ipsamet ergo est substantia primi Principii, quæ sola sui similis est, sola talis & tanta, qualis & quanta ipsa est. En verba Augustini libro prorsus aureo de Vera Religione, quem ante Episcopalem sarcinam sibi impositam tum scripsit, cùm majori animi contentione niteretur ad fidei & Theologiæ dogmatum confirmationem illustrationemque, non ex Scripturis tantùm, & Majorum Patrumque traditionibus; sed etiam ex ratione & intelligentia, quà fas erat, qua cœlestis lux affulgebat. *Si corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, à quo principio unum est quidquid est; ad cujus similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus, quidquid ab unitate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid quod illius unius solius, à quo principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat, ac sit idipsum, & hoc est Veritas, Verbum in principio, & Verbum Deus apud Deum.*

Augustinus Tom. 1. pag. 278. n. 36.

Et mox declarans ut omnia imitentur primum Principium, & illud unum ex quo sunt, à quo aguntur, in quod refluunt, & alia aliis propiùs imitentur, nulla prorsus & plenissimè impleant tuum illud votum; ex quo fit ut dici possit illa mentiri potiùs, quàm imitari summum Unum; hinc concludit esse haud dubio Veritatem, quæ illud impleat, cujus comparatione reliquæ res & causæ omnes, sive imagines dicantur mendaces, ut à Veritate deficientes: à qua utique non deficerent, si Veritas nulla esset: ad quam non suspirarent, ad quam non proficerent, si illa nusquam esset. Non anhelarent tanto ardore, tanta conspiratione ad imitationem, ad similitudinem, ad imaginem primi Principii, quæ ab eo exoriuntur omnia, si imaginaria, si temeraria, si impossibilis esset ea imago & similitudo per varios gradus proficiens, & tandem perfectissima. *Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur unum, non inquantum id imitantur, sed inquantum adimplere non possunt: illa est veritas quæ adimplere potuit, & id esse quod est illud: ipsa est quæ illud ostendit, sicut est; unde & verbum ejus & lux ejus rectissimè dicitur. Cetera illius unius similia dici possunt, inquantum sunt; intantum enim & vera sunt: hæc autem ipsa ejus similitudo, & idea veritas. Ut enim veritate sunt vera, quæ vera sunt; ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera, quoniam intantum vera sunt, inquantum sunt: intantum autem sunt, inquantum principalis unius similia sunt: ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo principii; & veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.*

II. Vides quam necessariò, quàm evidenter credi & dici debuerit Verbum Dei Filius Dei, similitudo ejus perfectissima, similitudo ipsa, imago ipsa, totam implens essentiam & perfectionem imaginis & similitudinis, veritas, forma omnium formarum, character substantiæ Dei. Ut penitiùs hæc animis infigantur inhæreantque, juvabit eandem sancti Patris doctrinam hìc attexere ex libro ejus de Genesi ad litteram imperfecto. Ubi quærit sanctus Pater, cur dictus sit homo creatus, non ad imaginem tantùm, sed & ad similitudinem Dei; & cur non potiùs imago Dei, aut similitudo dictus sit. Respondet autem longè aliud esse, simile & similitudinem; sicut aliud est castus & castitas, verus & veritas, fortis & fortitudo. Fortis enim, verus & castus est, qui fortitudinis, veritatis & castitatis particeps est: at fortitudo, veritas castitasque forma illa ipsa est, cujus participatione fortes verique & casti sunt, quicumque sunt omnes. Idem æstimandum de justitia, sapientia & aliis, Idem æstimandum de similitudine. Deo similis homo utcumque dici potest: similitudo Dei esse, dici, vel cogitari neutiquam potest. Sicut & sapiens, justus, castus, verus, fortis & esse potest & dici: sapientia ipsa esse, vel justitia, castitas, veritas, fortitudo nec videri potest, nec dici. Justitiæ enim particeps est, qui justus est; at justitia non portio, non participatio sui est, sed plenitudo. Justi possunt esse plures, innumeri: justitia esse non potest nisi una; quia nec plenitudo, quæ totum contineat, esse potest nisi una. Nec aliter res habet in aliis illis formis summis & immutabilibus sapientiæ, castitatis & aliis, quas æternas & immutabiles esse necesse est, perspicuum est. Cœpit enim aliquis justus esse, forsan & desinet: at forma ipsa & lex justitiæ nec cœpisse unquam potest, nec desinere poterit. An erit enim, vel unquam fuit, cùm non ampliùs sit, aut cùm nondum esset lex justitiæ? ne in cogitationem quidem id cadere potest hominis ratione utentis. Qui justus est, potuit forsan aliquando, aut poterit à justitia excidere; at justitia ipsa deficere à semetipsa non potest; nec poterit unquam fieri, ut justitia injusta sit, aut minùs magisve justa sit. Perinde est & de similitudine ad primum Principium, quæ ipsamet est justitia, veritas, sapientia. Æternam & incommutabilem illam esse dilucidum est, adeoque nec nisi in Deo & Deum ipsum esse posse, extra quem æternum & incommutabile nihil. Dilucidum quoque est hunc esse Filium, hoc Verbum Dei, imaginem & similitudinem ipsam Patris; nec enim Pater sui imago, aut similitudo est; sed genitor est imaginis, cùm imago non dicatur, nisi genita. Si genita enim non est, similis esse poterit, non imago. Propriè enim filius est imago patris, non alius quilvis homo, etsi simillimus forsan. Est denique similitudo etiam filius, ne Filius Patri similis æstimari possit, quasi participatione similitudinis à se distinctæ. His ita constitutis, jam liquet cur homo dictus sit ad imaginem & similitudinem Dei, non imago aut similitudo. Postremò hinc lubet admirari stupendam illam consensionem Scripturarum, cum illa sive ratione, sive Philosophia defæcatissima, quæ interdum supernè nobis alluceat, & cujus nonnullas scintillas in Gentilium libris, sed multò magis in sanctorum Patrum monumentis deprehendere est.

Audienda hæc jam nobis sunt, nec sine magno lucis fœnore ab ipso Augustino: *Cur ergo cùm dictum esset ad imaginem, additum est, & similitudinem: quasi possit esse imago dissimilis? sufficeret ergo ad imaginem dicere. An aliud est simile, aliud similitudo, sicut aliud est castus, aliud est castitas; aliud fortis, aliud fortitudo: ut quemadmodum quæcumque sunt fortia, fortitudine sunt fortia; & quæcumque casta, castitate sunt casta: ita quæcumque sunt similia, similitudine sint similia? Non autem imago nostra satis proprie dicitur similitudo nostra esse, cùm tamen proprie dicatur similis nobis esse; ut ibi sit ea similitudo, qua similia sunt quæcumque similia; ubi est & castitas, qua casta sunt, quæcumque sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est; sed ejus participatione sunt casta, quæcumque casta sunt. Quæ utique in Deo est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cujus participatione sapiens est anima, quæcumque sapiens est. Quapropter etiam similitudo Dei, per quam facta sunt omnia, proprie dicitur similitudo, quia non participatione alicujus similitudinis similis est, sed ipsa prima similitudo, cujus participatione similia sunt, quæcumque per illam fecit Deus.*

Et rursus ibidem, cùm tam magnificæ Theologiæ

giæ doctrina nec illustrari, nec inculcari satis unquam possit. *Expositio ergo fortasse est, cùm additum esset, ad imaginem, ut ostenderetur, eam quæ imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicujus similitudinis participantem; sed hanc ipsam esse similitudinem, cujus participarent omnia, quæ dicuntur esse similia. Sicut ibi est & castitas, cujus participatione casta sunt animæ; & sapientia, cujus participatione sapientes sunt animæ; & pulchritudo, cujus participatione pulcra sunt, quæcumque pulcra sunt. Si enim tantùm similitudinem diceret, non significaret ab ipso genitam. Si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam: sed non significaret ita similem, ut non tantùm similis, sed ipsa similitudo esset. Ut autem nihil castius ipsa castitate, & nihil sapientius ipsa sapientia, & nihil pulchrius ipsa pulchritudine: ita nihil similius ipsa similitudine dici, aut cogitari, aut esse omnino potest. Unde intelligitur ita Patri esse similem similitudinem suam, ut ejus naturam plenissimè perfectissimèque impleat.*

III. Postremò tandem ita ibi ratiocinatur Augustinus: Cùm rebus primo Principio similibus constet hæc creatarum naturarum Universitas, summam esse ejus similitudinem necesse est, per quam omnia sui gradatim similia effinxerit Conditor: uti est ipsa per sese sursum Sapientia, Veritas, Castitas, per quam hæc omnia participant, quæcumque participant. Participat autem & sapientiam & similitudinem ipsa maximè tota natura, sive intellectualis, sive rationalis, ut quæ nulla alia natura interposita à primo Principio processerit, & ad suam hanc originem revocetur. Ideo naturæ aliæ dicì possunt similes, non autem ad imaginem & similitudinem. *Similia verò omnia hæc, non autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quicquid sunt, & omnes universitatem ipsam compleant, quam Deus & condidit & gubernat: Per similitudinem ejus profectò, qua condidit omnia, supereminenter atque incommutabiliter, & incontaminabiliter talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulchra sint, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam non nisi anima. Rationalis itaque substantia, & per ipsam facta est, & ad ipsam: non enim est ulla natura interposita: quandoquidem mens humana quod non sentit, nisi cum purissima & beatissima est, nulli coharet, nisi ipsi veritati, quæ similitudo & imago Patris & sapientia dicitur. Rectè igitur secundùm hoc quod interius & principale hominis est, id est, secundùm mentem accipitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ibidem pag. 171.

IV. Paulò pressiùs, sed non minùs splendidè doctrinam eandem prosequutus est Augustinus in libro octoginta trium Quæstionum. Omne castum, pulcrum, bonum, sapiens, castitate, pulchritudine, bonitate, sapientia istud est & dicitur. Istud autem esse & dici potest bifariam, forma hujusmodi scilicet aut participanda, aut ex sese gignenda. Sapiens, vel castus dici potest, vel qui sapientiam & castitatem participat, vel qui eam gignit. Sapientia quæ in summo & primo omnium Principio est, & qua sapiens dicitur, illa est non quæ ab eo participatur, sed quæ ab eo gignitur. Seipsum enim contemplando sapientiam gignit, & illa contemplatio ejus ipsa ejus sapientia est, à qua sapiens dicitur, non participata, sed genita hac sapientia, quam reliquæ deinceps naturæ omnes participent; & sapientes fiant, non ipsa sapientia, vel generans, vel genita. Ita & vita vivensque dicitur jure merito primum Principium, non quòd vitam participet, sed quòd eam ex se gignat, quòd vitam gignat vita; ea est enim sapientiæ vita, & vivere illi est vitam sapientiæ generare. Perinde est de justitia, bonitate, pulchritudine, castitate, & consimilibus, quæ aliàs & aliter nominantur, & unum tamen idemque sunt cum sapientia, cum vita sapientiæ, in hæc omnia sese explicantis; vel potiùs hæc omnia in sese, in locupletissimam & infinitam unitatem suam complicantis. *Omne castum castitate castum est, & omne eternum eternitate eternum est, & omne pulchrum pulchritudine, & omne bonum bonitate. Ergo & omne sapiens sapientia, & omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur, vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate, quam gignit, & cui principium, atque causa est, ut sit. Aliter autem, ut participatione castitatis quidque castum est, quod potest aliquando esse non castum, atque ita de cæteris intelligendum est. Nam & anima eternitatem vel intelligitur vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est author. Hoc & de pulchritudine, & de bonitate licet intelligi. Quamobrem cum sapiens Deus dicitur, & ea sapientia sapiens dicitur, sine qua eum vel fuisse aliquando, vel esse posse nefas est credere; non participatione sapientiæ sapiens dicitur, sicuti anima, quæ & esse, & non esse sapiens potest; sed quod ipse eam genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam.* Augustinus Tom. 4. l. 4. 206.

Illud percommodè hoc loco factum est, ut à castitate inciperet Augustinus, qui in Confessionibus scripsit scitissimè, per castitatem, virginitatem & continentiam recolligi redigique nos *in illud unum, à quo in multa defluximus.* Si enim in iisdem Confessionibus illud obiter & eleganter observatum ab eo est, se inter ipsa pueritiæ suæ crepundia cupidè servasse unitatem suam vestigium secretissimæ unitatis ex qua erat: quantò magis virtutes omnes unitatis ejusdem vestigia erunt à qua sumus, ad quam toto animæ nostræ pondere propendemus?

V. Pergit porrò sanctus Pater in eodem libro 83. Quæstionum philosophari in hunc modum: Quæ casta sunt, possunt aliquando à castitate deficere; quæ pulchra à pulchritudine, quæ similia à similitudine: & vicissim ad eandem formam possunt redintegrari, quæ ab ea exciderunt. At forma ipsa castitatis, pulchritudinis, similitudinis nunquam potest à seipsa descíscere; quin & præsto semper est ipsa quidem, ut illi se restituant, & ab ea restituantur, quæ ab ea descivere. Hæc est ergo prima forma similitudinis, per quam cætera summo Principio similia fiunt, cum ipsa similitudo sit ipsamet, quæ nulla in re dissimilis esse potest, quæ idcirco imago Patris verissima, veritas & Filius est. *Item illa quæ participatione sunt, vel casta, vel æterna, vel pulchra, vel bona, vel sapientia, recipiunt, ut dictum est, ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulchra, nec bona, nec sapientia. At ipsa castitas, æternitas, pulchritudo, bonitas, sapientia, nullo modo recipiunt, aut corruptionem, aut, ut ita dicam, temporalitatem, aut turpitudinem, aut malitiam. Ergo etiam illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit, ut cum similitudo Patris Filius dicitur, quia ejus participatione similia sunt quæcunque sunt, vel inter se, vel Deo similia: ipsa est enim species prima quæ sunt, ut ita dicam, speciata, & forma qua formata sunt omnia, ex nulla parte Patri potest esse dissimilis. Idem igitur quod Pater: ita ut iste Filius sit, ille Pater: id est, iste similitudo, ille cujus similitudo est: iste substantia, ille substantia, ex quo una substantia. Nam si non una est, recipit dissimilitudinem similitudo, quod fieri posse omnis verissima negat ratio.*

Distinguit alibi idem Augustinus imaginem, æqualitatem, & similitudinem; & tandem de Verbo Dei Deo ita concludit, *In eo autem quia conditio*

L.81. qq. q. 74. Iord. p. 228.

ditio temporis vacat: non enim potest rectè videri Deus tempore generasse Filium, per quem condidit tempora: consequens est, ut non solùm sit imago ejus, quia de illo est; & similitudo, quia imago: sed etiam æqualitas tanta, ut nec temporis quidem intervallum impedimentum sit.

Instr. 122.

VI. His affinia sunt, quæ rescripsit Augustinus ad propositas ab Consentio quæstiones de Trinitate. Existimabat Consentius ipsam per sese justitiam non vivere, etsi vivat in nobis, quando nos ex ejus amore vivimus; quin nos potiùs secundùm ipsam vivere opinabatur. Rescripsit porro Augustinus, ut hunc illi errorem eximeret; suadens, ut perpenderet ipse, an ipsa viveret vita, per quam vivunt omnia. Porro vix dubitari posse, quin vivat ipsa vita, per quam vivunt cætera omnia. Ideo enim & cum animæ rationales vivant utique, & vitæ sint suorum corporum, mortuæ tamen dicuntur, quando vita justitiæ destituuntur. Quanta ergo vita est justitia, qua orbatæ animæ immortales, & vitæ suorum corporum, mori quodammodo dicuntur? Si anima, vita immortalis cum sit, à justitia ipsa vitam accipit quandam nobiliorem; quantò magis justitia ipsa per sese vivit, vita vitæ cum sit, hoc est vita animæ? Hæc porro seu vita vitarum, seu justitia Deus est, qui vitam, veritatem & sapientiam ex se suam propagat, cùm suum ex se Verbum, Filium unigenitum gignit; qui teste Paulo, factus est nobis à Deo sapientia & justitia. Sic ergo Augustinus: *Ad hoc ut tibi ipse respondeas, illud intuere, utrum rectè dici possit, vitam ipsam non vivere, qua fit ut vivat quidquid non falsò dicimus vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur, & vita non vivat. Porro si vita ipsa præcipuè vivit, qua vivit omne quod vivit, recole obsecro quas dicat Scriptura divina animas mortuas; profectò invenies injustas, impias, infideles. Nam licèt per illas vivant corpora impiorum, de quibus dictum est, quod mortui sepeliant mortuos suos; & ibi intelligantur etiam inique animæ non esse sine aliqua vita: non enim aliter ex eis possent corpora vivere, nisi qualicunque vita, qua omnino animæ carere non possunt, unde immortales meritò vocantur: non tamen ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum, licèt immortaliter qualicunque vita viventium, verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum.* Et statim ibidem: *Quapropter si animæ non possunt nisi etiam in seipsis utcunque vivere, quia ex eis vivunt & corpora, à quibus desertæ moriuntur: quantò magis vera justitia etiam in seipsa vivere intelligenda est, ex qua sit vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacunque vita non desinant vivere? Ea porro justitia, qua vivit in seipsa, proculdubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cum sit in seipsa vita, etiam nobis sit vita, cùm ejus efficimur utcunque participes; ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis sit justitia, cùm ei cohærendo juste vivimus; & tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cùm sit utique Patris sapientia atque justitia & semper in seipso sit, quod factus sit nobis à Deo sapientia & justitia.*

Augustinus Tom. 2. pag. 194.

VII. Huc pertinet, quod alicubi jam perstrinximus, & quod hic demum paulò accuratiùs edisserendum est; ubi docet Augustinus sanctos Patres quondam in suis concertationibus adversùs Arianos, æternitatem Filio abjudicantes, eumque ajentes aliquando non fuisse, respondisse: Si sine Filio quandoque Pater fuisset, fuisse ergo tum sine sapientia & sine virtute, cùm Christus ex Apostolo Dei virtus sit & sapientia. Hinc monet Augustinus emergere quæstionem illam, An Pater sapiens non sit, nisi ea sapientia, quam ipse genuit, non ea qua ipse existat? gignendo tantùm, an etiam existendo sapiens sit? Inde etiam aliam nasci quæstionem, An ut Deus de Deo, lumen de lumine dicitur Filius, possit etiam dici sapientia de sapientia? Si enim sapiens non est Pater, nisi ea sapientia, quam ipse genuit, bellè quidem habet Patrum sive responsio, sive argumentatio contra Arianos: Si fuit, cùm Pater Filium nondum haberet, fuisse & cùm sapiens nondum esset; quo ne fingi quidem potest quidquam insipientius. At ita confutatis Arianis, jam illud extricandum Patribus supererat, Quomodo divina ipsa essentia sapientiam non complectatur, perinde ut perfectiones omnes alias; immo quomodo non sit ipsa sapientia, ut justitia, ut veritas, ut pulchritudo, ut perfectio quæcunque nævi expers? Quomodo etiam sapientiam gignet Pater, si sapiens, si sapientia ipse non sit? Si autem ex essentia ipsa & substantia divinitatis sapiens & sapientia est Pater, & non tantùm generando sapientiam Filiumque, non constabat ergo illa responsio Patrum, Si quando Pater Filium non habuit, fuisset & tempus cùm sapientia caruit. Audi Augustinum: *Inter disputationes quas habebant nostri adversùm eos, qui dicebant, Erat tempus, quando non erat Filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inferebant: Si Dei Filius virtus & sapientia Dei est, nec unquam Deus sine virtute & sapientia fuit, coæternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam; & Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere: non igitur erat tempus, quando non erat Filius: quæ ratiocinatio ad id cogit, ut dicamus Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam, quam genuit, non existenda per se ipsa sapientia. Deinde si ita est, Filius quoque ipse, sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, videndum est utrum possit sapientia de sapientia dici, si non est Deus Pater ipsa sapientia, sed tantùm genitor sapientiæ.*

Augustinus De Trin. l. 6. c. 1. Tom. 8. pag. 109.

Et infrà cùm ambigi non possit, quin sapientiæ suæ genitor sit Pater, cùm genitor sit Filii, qui sapientia est: quærit Augustinus, an etiam magnitudinis, bonitatis & justitiæ suæ genitor sit? Sed incunctanter ibidem respondet, Magnum esse Deum non mole corporis, sed sapientia, bonitate, justitia; itaque hæc omnia in Deo sapientiam, magnitudinem, bonitatem, justitiam, multa esse nomina, rem prorsus eandem: ut una nominata, reliquis præteritis, omnes censeri debeant nominatæ, & quæcunque aliæ id genus præstantissimæ dotes. *Hoc enim quæstionem facit, quia scriptum est, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: utrum ita sit Pater sapientiæ atque virtutis suæ, ut hac sapientia sapiens sit, quam genuit; & hac virtute potens, quam genuit: & quia semper potens & sapiens, semper genuit virtutem & sapientiam. Dixeramus enim, si ita est, cur non & magnitudinis suæ Pater sit, qua magnus est, & bonitatis qua bonus, & justitiæ qua justus, & alia si qua sunt? Aut si hæc omnia pluribus vocabulis in eadem sapientia & virtute intelliguntur, ut ea sit magnitudo, quæ virtus; ea bonitas, quæ sapientia; & ea rursus sapientia, quæ virtus, sicut jam tractavimus; meminerimus, cùm aliquid horum nomine, sic accipiendum esse, ac si omnia commemorem.*

Ibid. l. 7. c. 1. p. 112.

VIII. Hinc respondet & concludit Augustinus, ex ipsa essentia sua Patrem sapientem & sapientiam ipsam esse; atque Filium ab eo nascentem, nasci ut sapientiam de sapientia; sicut nascitur lumen de lumine, Deus de Deo; cùm tamen Patris Filiique una sit sapientia, unum lumen, sicut una substantia, una essentia; quia in Deo esse, subsistere, & sapere unum idemque est; sed ita Patris & Filii una est sapientia, una essentia, ut illa in Patre sit generans, in Filio sit genita. Unde fit, ut si aliquando Filius, sapientia genita non fuisset: nec Pater sapientia generans fuisset; atque adeo nec sapiens fuisset: est enim sapiens, ut sapientiam generans, ut fons sapientiæ fœcundissimus. *Ergo & Pater*

Ibid. p. 113.

ipsa

ipsa sapientia est. Et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, ut quemadmodum lumen de lumine, & utrumque unum lumen: sic intelligatur sapientia de sapientia, & utrunque una sapientia; ergo & una essentia: quia Ibid. c. 3. pag. 114. *hoc est ibi esse quod sapere.* Et infrà: *Sapientia ergo Filius de sapientia Patre, sicut lumen de lumine, & Deus de Deo, ut & singulus Pater & lumen, & singulus Filius lumen: & singulus Pater Deus, & singulus Filius Deus; ergo & singulus Pater sapientia, & singulus Filius sapientia. Et sicut utrumque simul unum lumen, & unus Deus; sic utrumque una sapientia.*

IX. Illud quoque hinc concludit sanctus Pater, cùm Filius sit sapientia de sapientia, lumen de lumine, illud consentaneum fuisse, ut intellectualibus omnibus naturis ipse sapientiæ & justitiæ dux & magister esset quà Deus est, & homini ipsi ante peccatum, cùm & ipsi inter intellectuales & rationales naturas locus esset, quæ incommutabilis sapientiæ cibo vescuntur & beantur; at postquam peccato lapsus est in extremæ cujusdam insipientiæ tenebras, ut jam illam æternæ Sapientiæ lucem ferre non posset: opus fuisse, ut illud idem Verbum humanæ se naturæ substantia, vtraque indueret, in ea ita hominibus omnibus contemperata æternam Sapientiam & justitiam explicaret: atque ita cum hoc assumptæ humanitatis temperamento fieret hominibus lapsis & reparandis, quod in increatæ Sapientiæ splendore & arte fuerat homini stanti, & semper fuit eritque Angelis, qui steterunt in veritate, sapientiæ & justitiæ Ibidem. author, princeps & exemplum. *Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei, & Deo æqualis & Deus præbet exemplum; ut se idem exemplum redeundi etiam lapse præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis, Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit; non mutando divinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo: & formam servi accipiens, venit ad nos in hunc mundum; qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est: ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem; exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum; exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul, & quem sentire poterat, & quem sequi debebat.*

CAPUT XXII.

Ex eodem Augustino rursus, ut Filius Sapientia sit Patris, eoque probetur æternus esse. Ut videatur perpetua & æterna veritas primorum Principiorum.

I. Ex Scripturis Sapientia Patris est Filius.

II. Sepositis Scripturis Deus nobilissimè sapiens est, ut sapientiam ex se generans, ut fons sapientiæ.

III. Mens creata accidentariam, divina substantivam sapientiam semper ex se generat.

IV. Nec à sententiis, nec à verbis antiquiorum Patrum Arianos oppugnantium recessit Augustinus.

V. Ideo Veritas Filius non est major vero & veraci Patre, quia Pater verus est, ut Veritatem generans.

VI. Ad amplitudinem Dei pertinet, ut non solùm sit verus & veritas; sed etiam ut fons & Pater sit Veritatis.

VII. Quomodo veritas primorum Principiorum cùm complexa, cùm à Deo instituta sit, perpetua, æterna, immutabilis, & in Verbo esse, ac videri possit.

VIII. Suffragio Athanasii hæc muniuntur, illustranturque; maximè ut Pater sapiens sit, sapiatque, sapientia ex se gignenda.

IX. De iisdem rursus ex Athanasio.

I. IN his omnibus summa Sapientia & Justitia Filius est; sed sapientia genita, hoc enim est sapientia de sapientia, & à sapientia Patris ingenita effusa in Angelos hominesque; effusa etiam post peccatum in assumptam humanitatem, ut universi generis insipientiæ & iniquitati medicaretur. Quando ergo sancti Patres Arium debellantes respondebant, vel argumentabantur, Si fuerat quando Dei Filius non esset, tunc ergo nec sapientem, nec sapientiam fuisse Deum, certa & solida erat ea doctrina; idque bifariam. Primò quia fatebantur Ariani Filium sapientiam esse & virtutem Patris, cùm id prædicent Scripturæ, quarum authoritatem nemo eorum detrectabat. Nec enim causari poterant Ariani, ante genitum Filium essentiali sapientia Deitatis sapientem fuisse Patrem: inde enim id emersisset, ut jam Filius sapientia Patris non esset, aut duplex & diversa esset in Patre sapientia; & denique ut post genitum Filium sapientior, quàm antè evasisset, nempe non una & simplici, ut priùs, sed gemina sapientia sapiens. Quo quid insulsius? Quandiu ergo inconcussa stabat Scriptura, non poterat Filius Patris sapientia esse, nisi tam æterna hæc esset Patris sapientia, quàm Pater ipse æternus est.

II. Si sepositа autem Scripturæ authoritate res ageretur, ne vel sic quidem poterant Ariani huic Patrum ratiocinationi satis aptè & solidè reluctari. Nec enim quæcumque Deum decet sapientia, sed fœcunda, & pro majestate & amplitudine sua dilatans sese & effundens. Sterilis & jejuna non decet Deum sapientia, & qua major, qua fœcundior cogitari possit. Itaque si fuit, quando suam Deus sapientiam non gigneret; ne sapiens, ne sapientia tum quidem erat, ut illum esse decet, atque adeo nec erat. Si ut decet enim Deus non est, ne est quidem. Ne creata quidem sapientia facilè cogitari potest, ut ignava & torpens. Est enim vita quædam summa Sapientia; & hoc est illi sapere, quod vivere: hoc vivere, quod sapere, quod intelligere, quod amare. Non potest autem sterilis & otiosa esse vita. Exilit, movetur, & irrequieta motione movetur. Quid summa Vita, vitarum vita, omnia movens ac vivificans, quæ moventur & vivunt? Non potest sterilis & ignava cessare intelligentia; sed quod dicitur intelligere, vivere, moveri est. Ne cogitatio quidem nisi agitatio quædam mentis est, unde & nomen sortitur & essentiam. Quisquis enim cogitat, dum cogitat, vivit, movetur, mentem suam intus explicat & effundit, etiam dum foris nihil explicat. Quæ verò vel cogitari potest sapientia stertens, & cessans, & sterilescens? Ne humana quidem, nedum Angelica, multò minùs divina. Est enim sapientiæ, cogitationis, intelligentiæ, vitæ, ea ratio, ea indoles & natura, ut effundat & propaget sese, ut moveatur semper, motionem suam, vitam suam semper, intelligentiam & sapientiam semper effundat. Ecquis vivit, quin vitam agat, vitam agitet, vitam vivat? Vulgatissimæ hæ voces testificantur, quàm ipse naturæ sensus & experientia ipsi hominum vulgo persuaserit, non inertem, non torpentem, non sterilem esse ullam vitam, nedum intelligentiæ, & sapientiæ, & Deitatis vitam; sed negotiosam, actuosam, efficacem, fœcundam, quasi vitæ suæ jugem propagatricem, intra se primùm, inde & extra.

III. Id interest sanè discriminis, quòd vita, quam vivit, qua movetur, qua sapit, qua sapientiam

tiam tuam promit mens creata, quomodocumque vel ipsamet mens sit, vel aliquid ab ea distinctum: nec enim in stadio hic versamur Philosophico; non tamen substantia, aut hypostasis est, ab illa distincta. Sed quis hanc abnuat Divinitati præstantiam, ut creatis omnibus mentibus antecellat? intra seipsam non accidentium tantùm, vel modorum, & fugacium motionum fœcunda parensque sit, sed hypostaseon & personarum? Cùm accidentia enim & modi Deo inesse non possint, ne & abesse aliquando possint; necesse omnino sit, ut substantivum in illo sit, quidquid in mente creata volatile & accidentarium est. Alioqui verè & reaple fœcunda erit creata mens, tot sapientiæ consiliorum & præceptorum parens: at mens divina nihil unquam pariet, sterilitati ipsa addicta, per quam naturis creatis omnibus fœcunditas mira & inexhausta ingeneratur.

IV. Ab hac superiorum Patrum adversùs Arianos doctrina ne transversum quidem unguem recessit Augustinus; ita enim ipsemet rescribebat Lib. 174. Pascentio Comiti Ariano: *Quid ergo dicemus, Si natus est Dei Filius de Patre, jam Pater destitit gignere? & si destitit, cœpit? Si autem cœpit gignere, fuit aliquando sine Filio. Sed nunquam fuit sine Filio, quia Filius ejus Sapientia ejus est, quæ candor est lucis æternæ. Ergo semper gignit Pater, & semper nascitur Filius.*

Quin & in eadem paulò antè Epistola id nos sanctus Doctor monuerat: Etsi verus dicatur Deus Pater à Christo ipso: *Ut cognoscant te solum Deum verum:* & Veritas Filius: *Ego sum veritas:* etsi rursum ita æstimet vulgus hominum majorem Vero esse Veritatem: non tamen ita rem se habere in Deo: quia ibi verus est Pater, non participanda, Tom. 2. fol. p. 276. sed gignenda Veritate. *Nam quædam etiam sic dicuntur, ut hominibus parum intelligentibus & ipse Filius major Patre videatur. Quis enim cùm fuerit interrogatus, quid sit majus, verum an veritas, non potiùs respondeat veritatem esse majorem? Ab illa enim vera sunt quæcumque vera sunt. Non autem ita est in Deo. Nam Filium majorem Patre uterque non dicimus, & tamen Filius dicitur esse Veritas: Ego sum, inquit, via, veritas & vita. De Patre autem tantummodo vos vultis intelligi, quod ait: Ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et paulo pòst: *Verumtamen secundùm parvum intellectum, vel potiùs errorem; major est Deus veritas, quàm Deus verus, quia verus à veritate est. Major ergo Patre Filius, quia iste est veritas, ille verus. Hinc perversitatem pellit ex animo, qui didicerit Patrem verum esse Deum, gignendo veritatem, non participando.*

V. Rem eandem versat alibi Augustinus, non paulò etiam luculentiùs; unde non est quòd gravemur, si etiam prolixiùs. Sunt ista enim serenissimæ Theologiæ placita, & ea luce referta, cui insuefacienda est Theologorum mens, ut Scripturarum, ut Patrum sublimes & arcanos de Deo sensus tantò lubentiùs, quantò faciliùs hauriat. Veracem Scriptura Patrem, Veritatem Filium dicit, nec veritas veraci major, nisi apud homines; ubi qui verax fuit, in mendacem potest desciscere; utpote qui veritatis participatione tantùm verax esset; non possidenda Veritatis substantia, ut Verbum; non gignenda Veritate, ut Pater Verbi, sed participanda. Ita enim habet & de castitate, & de pulcritudine, & de consimilibus aliis, quæ aliter sunt in creatura, nonnulla scilicet sui participatione; aliter in Verbo Filio Patris, ipsa sui substantia & plenitudine; cùm non aliud hæc omnia sint, quàm Veritas ipsa & Sapientia summa; aliter denique in Patre, Verbi, Sapientiæ & Veritatis genitore. *Multa habeo, inquit Christus, de vobis loqui & judicare, sed qui me misit, verax est. Tanquam diceret, Ideo verum judico, quia Filius veracis veritas sum. Pater verax, Filius veritas. Quid putamus esse amplius? Cogitemus, si possumus. Quid est amplius, verax an veritas? De quibus quæramus. Pius homo, sed plus est ipsa pietas: pius enim à pietate, non pietas à pio. Potest enim esse pietas, et si ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit. Quid item pulcher & pulchritudo? Plus est pulchritudo, quàm pulcher: pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem. Castus & castitas? Castitas planè plus est quàm castus. Si enim castitas non esset, unde esset iste castus, non haberet: si autem noluerit esse castus, castitas integra perseverat. Si ergo plus pietas quàm pius, plus pulchritudo quàm pulcher, plus castitas quàm castus, numquid dicturi sumus, plus veritas, quàm verax? si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre majorem. Ait enim apertissimè ipse Dominus: Ego sum via & veritas & vita. Ergo si Filius veritas, Pater quid, nisi quod ait ipsa Veritas: Qui me misit, verax est? Filius veritas, Pater verax.* Et ibidem mox: *Quid plus sit quæro, sed æqualitatem invenio. Verax enim Pater non ab ea veritate verax est, cujus partem cepit, sed quam totam genuit.* Ac denique aliquantò pòst: *Hac data similitudine, fratres, intelligite, quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus sit particeps anima: si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima: si bona est anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima: si est verax anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima. Cujus particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax: si omnis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater autem verax, de suo est verax, quia genuit Veritatem. Aliud est, Verax est homo iste, quia jam percepit veritatem: aliud, Est verax Deus, quia genuit Veritatem. Ecce quomodo verax est Deus, non participando, sed generando Veritatem. Video vos intellexisse, & gaudeo.* Ibidem.

Hæc summæ cujusdam Theologiæ dogmata ipsi etiam fidelium plebi edisserebat Augustinus, & tanti id ducebat ad promovendam eorum pietatem; nec frustra edisserebat, nec surdis hæc occinebat auribus: sed suis ipsa plebs nutibus plausibusque intelligere se significabat; nec is erat, cui imponi posset, sanctissimus & sapientissimus Pater. His adde & illa ex Sermone XI. de Verbis Domini secundùm Matthæum: *Est ergo Pater Filio Veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta Veritas, & Spiritus sanctus à bono Patre & Filio bono effusa bonitas: omnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas.* Cap. 11. Tom. 12. Edit. Ven. 11.

VI. Si quæras autem, cur ad Dei amplitudinem spectet, ut non solùm verus, ac verax, non solùm Veritas & Sapientia, sed etiam Pater Sapientiæ & Veritatis dicatur: respondebo, ad Dei amplitudinem & naturam spectare, ut non solùm sit Veritas & Sapientia, sed & ut fœcunda sit Veritas Sapientiaque. Ea enim demum digna Deo sapientia, quæ & pelagus Sapientiæ ingenitæ est, & pelagus Sapientiæ genitæ ex se fundit. Itaque quæ de his in Scriptura leguntur, ea sunt longè pulcherrimæ & Deo in primis consentaneæ Theologiæ decreta. Sed & illud hìc obiter inferciam, quod legenti mihi sæpenumerò varia Augustini opuscula in mentem venit. Non quo novi aliquid afferam, nec enim fas est; sed ut Lector eruditus judicet, & judicio fruatur suo; si quid à me peccatum sit, indulgeat & expungat; certus hæc à me dubitando magis proponi, quàm affirmando.

VII. Non est unius modi veritas apud Augustinum, sed præter illam quæ simplicissima sibi sursum est, alia est, cujus simplicitatem non facilè mente assequi possumus, etsi ejus æternitatem & incommutabilitatem ejus perspicuè intelligamus. Quæ vulgò dicuntur prima principia disciplinarum, ea in summa quadam luce spectantur & intelli-

Tract. 38. In Evang. Joan Tom. 9. fol. 105.

telliguntur à nobis; & de eorum veritate æterna & incommutabili, ne controversia quidem fieri potest: Exempli gratia, quæ ad Dialecticam spectant, quæ ratiocinationes regunt & argumentationes, regulæ inquam syllogismorum, quæ ab Augustino vocatur veritas connexionum; in his certissima & lucidissima veritas est, æterna & immutabilis est; quomodo simplex etiam sit, difficillimè mihi quidem videtur intelligi posse. Ita ergo Augustinus: *Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta.* Tom. 3. p. 16. c. 32.

Sic ille libro 2. de Doctrina Christiana. Hanc ait Augustinus veritatem non institutam ab hominibus esse, sed animadversam & notatam. Quippe antequam essent homines ulli, erant sursum regulæ certissimæ, quibus conformanda esset tota eorum ratiocinatio, ne à veritate aberraret. Ideo ergo hæc connexionum veritas ab Augustino dicitur à nobis animadversa, ut quæ ante nos & supra nos sit; ut quæ, ut ait ille, in rerum ratione perpetua sit; quod perinde est, ac si æternam diceret esse. Illud unum hìc negotium facessit, quòd eam dicat Augustinus veritatem, & in rerum ratione perpetuam esse, & tamen divinitùs institutam. Hunc nodum forsan attingemus inferiùs.

Pergit deinde sanctus Pater ad alias ejusdem generis leges, quæ ad ratiocinationem plurimùm & ipsæ conducant: *Item scientia definiendi, dividendi, atque partiendi, quanquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta.* Ibid. c. 31. Non differt ut opinor hæc rerum ratio, ab illis rationibus æternis, in quibus sexcenties affirmavit sanctus Pater videri à nobis, quæ non sensu ullo, sed mente pura intelliguntur veritates intelligibiles. Sed si hæ sunt rerum rationes æternæ, quomodo dicuntur à Deo institutæ? Jam verò multò manifestior est res hæc tota in numeris, quorum regulas nemo tam hebes est qui non videat ab hominibus instituras non esse, sed indagatas, atque inventas; utpote æternas & incommutabiles. Ut enim syllaba quæpiam brevis, aut longa sit, in arbitrio hominum id positum est; at ut ter tria novem sint, ita certum, immutabile & æternum est, idque ita dilucidum, ut à nemine id prorsus vel ignorari possit, vel negari. Ibid. c. 32. pag. 15. *Jam verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est, quod non sit ab hominibus instituta, sed potiùs indagata atque inventa: Non enim sicut primam syllabam Italiæ, quàm brevem pronunciaverunt veteres, voluit Virgilius, & longa facta est: ita quisquam potest efficere cum voluerit, ut ter terna non sint novem.* Et rursum statim ibidem: *Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum, aut sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, ut jactare se inter imperitos velit; & non potiùs quærere unde sint vera, quæ tantummodo vera esse persenserit: & unde quædam non solùm vera, sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit; ac sic à specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, cum & ipsam mutabilem inveneris, quod nunc docta, nunc indocta, sit constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, & mutabilia infra se cætera, ad unius Dei laudem atque dilectionem cuncta convertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, sapiens autem esse nullo modo.*

Duo hìc sunt ergo quæ molestiam creare possint, primum quomodo à Deo instituta esse possit illa ratio, veritas, disciplina, quæ in rerum ratione perpetua est? Secundum quomodo hæ veritates & leges primorum Principiorum, Dialecticæ, Arithmeticæ, Musicæ, Ethicæ, & cæterarum disciplinarum possint esse immutabiles, æternæ, nisi & divinæ substantiæ sint; cùm extra Deum nihil æternum, immutabile esse posse & Scriptura doceat & perspicua ratio demonstret. Divinæ autem substantiæ esse quomodo id potest, quod à divina simplicitate usque adeo alienum est? Ter tria novem esse, totum esse majus parte; veritas ejusmodi est æterna & immutabilis; sed quis eam simplicem dixerit? Veritatem connexionum, argumentationum, numerorum, quis simplex quid esse intelligat, etsi intelligat æternum quid esse & immutabile? A vero forsan, certè à verisimili non abluder, qui has veritatis regulas condescensiones quasdam dixerit esse, & veluti temperamenta æternæ & immutabilis veritatis, quæ sursum in Verbo radiat, & ad omnes naturas intellectuales & rationales delabitur, eisque singulis pro earum modulo se accommodat. Ita enim forsan fiet, ut ad humanas mentes cùm delabitur, eisque se adaptat, de simplicitatis suæ luce aliquid remittat. Quæ enim composita nobis & complexa veritas est in numeris & in his principiis cæterarum disciplinarum, id ab Angelis ut reor videtur & intelligitur simpliciùs, ne quid hìc dicam de divina simplicitate, qua hæc omnia ineffabiliter continentur. Ita se accommodare naturis creatis, ita se illis pro earum ingenio & modo intelligendum & comprehendendum exhibere, proprium magis est Verbi, quàm Patris; genitæ Sapientiæ, quàm ingenitæ. Quanquam una sit Patris & Filii natura, una majestas, una incomprehensibilitas; Filii tamen & genitæ Sapientiæ proprietati magis consentit, ut naturis se creatis aptet, quo eas ad sui, & per se ad Patris contemplationem perducat; Patris quoque proprietati & ingenitæ Sapientiæ magis consentit, & appropriatur, ut in summo incomprehensibilitatis divinæ vertice, ac silentio ipse consistat, nec se ad creatas demittat naturas, nisi per Filium. Quæcunque sunt ergo summæ & inaccessæ Sapientiæ temperamenta, ea Filio aptiùs accommodantur.

VIII. Suffragio suo, adeoque & Scripturarum testimonio confirmat hæc omnia Athanasius, quin & his astipulantem demonstrat rationem, & sublimiorem quandam Philosophiam. Et Jeremias enim & Baruch Israelitas gravissimè objurgabant, quòd dereliquissent *fontem vitæ*, *fontem sapientiæ*. Quantò ampliùs autem est fontem esse aquæ, quàm aquam: tantò præcellentius est fontem esse sapientiæ & vitæ, quàm sapientiam & vitam esse. Cùm ergo Deo vendicari cogat ratio ipsa, quidquid præcellentissimum est; non sapientia ergo ille tantùm & vita est, sed fons vitæ & sapientiæ; & quidem fons longè uberrimus, qui nunquam aruerit, adeo ut ab eo sapientia & vita scaturire nunquam cœperit, nunquam desierit; sed semper fuerit, semper sit, semper futura sit sapientia ingenita, & sapientia genita: illa ut fons, hæc ut flumen à fonte manans, & totam fontis plenitudinem accipiens. Una est utrobique substantia, una plenitudo, una opulentia, sibi par, sibi consubstantialis & æqualis, nisi quòd illa plenitudo fontis est, hæc plenitudo fluminis totum fontem excipientis. Ut ergo in fonte est aqua de aqua; ita in Patre & Filio est sapientia de sapientia, genita de ingenita, Filius de Patre. Utque siquis diceret fuisse, cùm fons aquæ nondum flueret, nondum aquas suas effunderet, rectè objiceretur, nullas ergo tunc fuisse fontis aquas, nullas opes: quia non sunt aquæ fontis, nisi quæ jugiter manant: ita si cessasset aliquando Pater à generanda sapientia sua, jure exciperetur, ergo tunc nullam fuisse Patris sapientiam, nullum fontem sapientiæ. Utque rursus locupletissimus est fons & uberrimus, & aqua sua, & aqua fluminis à se erumpentis: quia una est utraque aqua; ita sapiens Pater ritè dicitur, & ingenita sua sapientia, & ea quæ à se genita est; quia una & eadem utriusque substantia est, etsi

etsi diversa relatio. Denique ut fons aquæ vivæ, & flumen, eo dicitur aqua viva, quòd jugiter manet & fluat; ita enim moveri, ita generare & generari, effundere aquam & effundi, hoc illi vivere est: ita fons vitæ & sapientiæ Deus dicitur, quia sapientiæ vita ejusmodi plenitudinis & fœcunditatis suæ imagines in creaturis suis nobis exhibuit; ut hinc ad divinæ plenitudinis, vitæ & sapientiæ exuberantiam intelligendam, aut saltem conjectandam assurgamus. Sic ergo Athanasius cùm utriusque Prophetæ verba præmisisset: *Consentaneum igitur fuerit, vitam & sapientiam non habere alienam à fonte suo conditionem, sed eas æternas esse: neque unquam inexistentes fuisse, sed ab sempiterno subsistere. Quæ quidem res est ipse Filius, qui dicit, Ego sum vita, & ego sapientia, habitans in consilio. Quì igitur non nefaria loquatur, quum ait, Fuit, quando non erat Filius? Siquidem hoc idem est dictum, Fuit, quando ipse fons aridus erat, sine sapientia ac vita: quod autem tale est, fons esse non poterit. Quod etenim ex se scatebras non gignit, fons appellari minimè debet. Proh! quanta absurditas in isto sermone? quando quidem quum Deus ipse promittat, eos qui ipsius voluntatem faciunt, quasi fontes futuros esse, ubi nunquam aqua defecerit, dum dicit per Esaiam: Et adimpleberis, quemadmodum desiderat anima tua, & ossa tua impinguabuntur, futuraque sunt veluti hortus ebrius, & sicut fons, qui non destituitur aqua. Isti contrà, Deum sapientiæ fontem & re, & nomine, sterilem aut destitutum fuisse aliquando sua sapientia, calumniis non verentur diffamare. Sed vanum hoc falsumque quod dicunt, quum ipsa veritas attestetur, Deum æternum perennemque fontem esse suæ sapientiæ. Æternus autem quum fons sit, necessum est, & sapientiam æternam esse. In ea enim omnia sunt facta, ut à Davide cantatum est: Omnia in sapientia fecisti: nec aliter Salomon Deus sapientia fundavit terram, expedivit cœlos in prudentia. Sapientia ista Verbum est, & per illud, ut Joannes inquit, facta sunt omnia, & sine eo factum est nihil, & idem Verbum illud est ipse Christus.*

Athanasius Orat. 2. contr. Arian. Tom. 1. pag. 493.

IX. Id quidem alicubi dixit idem Athanasius, non ita apud Christianos, ut apud Gentiles, idem esse sapientem & sapientiam, Patrem & Filium; nec enim posse eundem sui ipsius Patrem esse. *Non enim pro Gentilium opinione idem sapiens & sapientia est, aut idem Pater & Verbum: absurdum quippe eundem sui ipsius Patrem esse.* Sed ibi non agit Athanasius, nisi de vulgo gentilium, non de Philosophis; aut certè de vulgo Philosophorum, non de eximiis illis, quos suprà perstrinximus, & de quibus infrà copiosè disceptabitur, qui & Patrem & Filium, sapientiam ingenitam & genitam hypostasibus distinxere; & ubique distinxere pulcritudinem à pulcro, castitatem à casto, justitiam à justo, juxta superiùs delibatam Augustini doctrinam: non tantùm quòd aliud sit sapientia ipsa per sese, exempli gratia, aliud qui participatione ejus sapiens est: sed etiam quòd alia sit sapientia ipsa per sese, alius sapientiæ fons, qui sapiens est; non participanda, sed generanda sapientia. Quin nec ipsa Gentilium plebs expers omnino esse poterat hujus doctrinæ, qua arcano quodam naturæ magisterio & instinctu imbuebatur. Nec enim latere poterat ipsam etiam plebis farcem, & sapientem & sapientiam esse Deum, & quidquid maximum optimumque cogitari potest, ipsum esse; & præstare fontem esse sapientiæ, quàm sterilem tantùm & in se conclusam sapientiam. Hinc enim fiebat, ut depravante & longius abripiente naturalem instinctum nefaria superstitione, & plures Deos sibi fingerent, & alios aliorum filios esse fabularentur, & parentes. Qua de re inferiùs.

Cum. in Joan. 37.

X. Ab his quæ de fonte vitæ & sapientiæ hìc ex Ecclesiæ Catholicæ consensu disseruntur, mirificè abhorrebant Ariani. Duplicem enim sapientiam, duplicem imaginem Patris, duplex Verbum comminiscebantur; ut alia esset sapientia Dei ingenita, eademque sui ipsius Verbum, sui imago, non hypostasi, non re à Patre, sed nomine tantùm differens; ab illa ut ingenita sapientia crearetur ea, per quam cæteræ deinceps creaturæ conderentur omnes; atque ita creata jam hæc sapientia nomine Verbi & Filii decoraretur, & primogenitus diceretur ante omnem aliam creaturam. Contra hos ita disputabat Athanasius: *Conveniebat siquidem unius Dei unam esse imaginem, atque unicum Verbum, unicam item sapientiam. Quapropter admiror, cur isti, quum unus sit Deus, plures secundùm sua excogitata imagines, sapientias, & Verba introducant, alterumque adhuc proprium & naturale Verbum Patris existiment, in quo hunc Filium procreavit, quem verum Filium per metaphoram ac secundarium intellectum appellari censent: non aliter quàm & vitis, & via, & janua, & lignum vitæ sapientiaque nomine tenus nuncupatur: esse tamen nihilo ob id minùs & alteram sapientiam, propriam & veram Patris, ingenitam illam & coexistentem cum ipso, in qua, quum hunc alterum creasset, nominavit eum, ex participatu naturæ illius sapientiæ sapientiam.*

Ad hanc refellendam insaniam spectabat, quod frequentissimè hactenus monebamus, quæ de fonte manat, sive aqua, sive lux, ejusdem naturæ, pretiique & substantiæ esse, atque fontem ipsum; immo eandem & totam esse aquam lucemque, ibi exundantem, hìc effusam; adeoque valdè accommodatam, ut nobis repræsentet fontem æternæ sapientiæ, & ipsam æternam sapientiam, Patrem Filiumque, ejusdem prorsus substantiæ & dignitatis.

Pag. 15

CAPUT XXIII.

De Sapientia genita, non creata, primogenita ante omnem creaturam, Principio creaturæ Dei, increata, & Filio.

I. Vel de creatione mundi, vel de incarnatione Verbi exponitur illud Sapientia, Dominus creavit me initium viarum suarum, ex Athanasio.

II. Ut Sapientia increata attemperaverit sese naturis creandis, infuderitque se iis per varias sui imagines, quarum quasi voces ipsa sibi adaptat: ut & incarnata Sapientia adaptet sibi voces & sensus Ecclesiæ suæ.

III. Refellitur ab Athanasio Verbum illud commentitium, quod Deus creasset, ut per illud naturas alias, quæ ferre non possent immediatas manus Ingeniti.

IV. Non dispar Nazianzeni doctrina de Sapientia nunc genita, nunc facta.

V. Cùm Filius sit Veritas, Sapientia, Sanctitas, non poterat nisi stultissimè ab Arianis creatura dici.

VI. Elegantissimè Synesius de Sapientia genita, effundente se in naturas intellectuales, & per eas in sensibiles; convenienter Athanasio.

VII. Doctrina eadem à Cyrillo confirmatur.

VIII. Ex Hilario, cur Sapientia dicatur, & genita, & creata.

IX. Quantoperè adversaretur Arianis & Scripturæ, & ratio.

X. Pergit Hilarius natales Sapientiæ describere.

XI. Eadem ex Ambrosio confirmantur.

XII. Sapientiæ omnibus aspersæ quantula portione gaudeant Infideles.

I. CUm cœlesti quodam afflatu, & vulgatissimis ab ipsa mundi ortu traditionibus per-

persuasissimum esset humano generi, Orbem hunc universum fabricasse Sapientiam Dei; hanc Sapientiam Salomon palam docuit litterisque mandavit à Deo & Patre creatam fuisse, ut initium esset & causa, author, rectorque omnium creaturarum. Hinc Ariani ansam captabant obtrectandi Sapientiæ huic, quasi & ipsa rebus creatis annumeranda esset. At contrà Athanasius, cæterique antiquissimi Patres insurgebant, creaturam non esse, quæ omnium creaturarum initium est, quæ ante omnem creaturam editur; quæ non aliter creatur, quàm ut vulgò dicuntur creari Reges, Consulesque; ita enim & hæc creata est dux, princeps, conditrix administratrixque totius creaturarum universitatis. Alioqui hæc creatio referenda esset ad assumptam in tempore carnem, ubi principium est Christus novæ creaturæ. *Per Salomonem ipsa de se Sapientia cautè & circumspectè mentionem facit, dum se nequaquam creaturam nominat, sed dumtaxat ait: Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua; neque addit in suis verbis, Ideo ut essem, creavit me: neque in id, Ut creationis initium & ortum haberem. Isthic enim Verbum per Salomonem loquens non substantiam suæ Deitatis, aut eternam ex Patre genuinamque sui ipsius nativitatem expressit; sed contrà, humanitatem & dispensationem suam, qua in rebus nostris functus est, significavit.* Athanasius Orat. 3. pag. 220.

Illa igitur Sapientia, quæ æterno de fonte æterna manat, quæ Sapientia de Sapientia est, ejusdem prorsus substantiæ & plenitudinis cum ipso Fonte ingenito sapientiæ: ubi à Salomone non simpliciter creata dicitur, sed creata dux, scatebra rectrixque universæ creaturæ, dupliciter id intelligi potest, vel de incarnatione ejus, cùm constituit illam Pater restauratricem & dominatricem humanæ naturæ pridem collapsæ: vel de creatione ipsa prima naturarum omnium, ad quam necesse fuit, ut sese infringeret, quò ejus imbecillitati se accommodaret; quòd ne integra quidem creatura ulla splendorem & vim ferre posset omnipotentis Dei Verbi. Geminum hunc sensum uno, eoque peregregio loco complexus est Athanasius: *Omnibus enim liquet illum non propter se, quasi & ipse creatum quiddam esset: neque quia cognatam essentiam affinemque habebat cum rebus creatitiis nomine Primogeniti vocatum esse; sed quia quum primùm conderet creaturas, attemperavit & demisit se ad earum rationem, ut illa ad essentiam pervenire possent, quæ alioqui non tulissent ejus naturam, indilutum illum scilicet & Patrium splendorem, nisi pro Patris sui in homines amore accommodans sese eas arripuisset, & ad existendi facultatem protraxisset. Altera deinde causa est hujus nominis, quod ubi sese denuò creatis condescendendo attemperarat, ipsa creatura in jus Filiorum adoptata sit; ut ita per omnia ejus Primogenitus efficeretur, tum in creando, tum in inferendo seipsum pro omnibus in mundum. Ita enim scriptum est, Quum induxerit Primogenitum in mundum: additum deinde, Et adorent eum omnes Angeli Dei. Audiant Christi perduelliones, & seipsos dirumpant, eò quòd ejus ingressus in mundum causam dederit, ut Primogenitus omnium appelletur; ita ut Patris quidem Unigenitus, quoniam ex eo solus & unicus est: creaturæ autem Primogenitus, quoniam omnes per eum jus Filiorum adoptionemque adipiscuntur.* Orat. 3. pag. 236. 237.

II. Accommodavit autem se naturarum creatarum tenuitati increata & creatrix omnium Sapientia Dei, imaginem sui aliquam, & increatæ Sapientiæ participationem omnibus mundi partibus inserens, ut hæc verissimè sit creata sapientia, ceu effigies & imago increatæ: ita ut increata ipsa Sapientia huic se suæ imagini quodammodo implicans, & ejus verba ac speciem usurpans, dicat se à Deo creatam, & effusam super omnia opera ejus; ut quæ aliquam Sapientiæ divinæ particulam adeptæ sunt naturæ creatæ, ad hanc Sapientiam increatam ad ipsas descendentem ausint ipsæ ascendere, per eamque proficere, & per eam ad Patrem usque ipsum totius fontem sapientiæ eluctari. *Unigenita igitur itaque ex se sapientia Dei, opifex est & creatrix rerum omnium: Omnia enim, ut inquit, in sapientia fecit, & impleta est terra creaturis suis. Caterùm, ut res non solùm conditæ essent, sed & bene conditæ essent, placuit Deo, ut sua ipsius Sapientia se creaturis accommodaret; quo formula aliqua, speciesque saltem imaginis suæ omnibus rebus tum publicè tum privatim inseri posset; ut illæ eo modo scitæ sapientesque effectæ, dignæ videri possent, quæ opera Dei censerentur. Ut enim Verbi sive Rationis Dei, nostra ratio simulachrum existimandum est: ita quoque ejus Sapientiæ hæc nostra sapientia imago quædam existimari debet; in qua vim sciendi sentiendique adepti, capaces efficimur creatricis Sapientiæ, & per eam cognoscimus Sapientiæ Patrem. Nam qui habet, inquit, Filium, habet & Patrem: & qui & accipit me, accipit & illum qui me misit.* Et ibidem mox: *Quia igitur istiusmodi sapientia & in nobis, & in omnibus operibus inserta est; non injuria ea quæ vera est Sapientia & architectrix rerum, quæ ad ideam suam congruunt, sibi ipsi inter loquendum imputans, hunc verborum modum concepit: Dominus creavit me in opera. Quæ enim nostra sapientia loqueretur, ea Dominus tanquam propria sibi suis verbis usurpat. Non enim creatur creatrix, sed propter imaginem sui rebus creatis ingenitam, ipsa se creari dicit. Et quemadmodum ipse Dominus locutus est, Qui vos excipit, me excipit, eò quòd formula ejus in nobis sit: ita quoque, tametsi res creatæ idipsum non sint quod ille est; tamen ob simulachrum Dei, & formulam, quæ in creatis est, veluti ipse crearetur, ad hunc modum loquutionem moderatur: Dominus creavit me initium viarum ad opera sua. Eadem ratione etiam in operibus edita est Sapientiæ effigies, ut quemadmodum dixi, mundus per eam agnosceret suum opificem, Rationem videlicet, sive Verbum, & per Verbum Patrem.* Ibidem pag. 247. Et paulò inferiùs: *Sin autem est Sapientia, eamque ut Sirach dicit, effudit super omnia opera sua, & pariter in omnem carnem pro ratione suæ donationis, & subministravit eam iis, qui ipsum diligebant; istiusmodi effusio non substantiam Unigeniti effusam indicat, aut ejus quæ ex se est, & ipsissima Sapientia; sed illius quæ ad hujus imaginem in mundo est delineata: an incredibile videbitur, si ipsa opifex rerum, rerum & vera Sapientia, cujus simulacrum præ se fert ista in mundum effusa sapientia, rerumque scientia, ita de se loquatur, quasi condita sit, Dominus creavit me ad opera sua? Non enim sapientia quæ in mundo est, creatrix est; sed ipsa creata est in operibus, secundùm quam cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Eam si homines in seipsis habeant, cognoscent veram Dei Sapientiam, & ipsi agnoscentur, quoniam Dei imaginem in se possident.* Pag. 248.

Rem mox illustrat hoc exemplo Athanasius; Regii filii cujuspiam, qui patris voluntate civitatem ædificaverit, & non se quidem ipsum illi inseruerit, sed multiplices sui imagines, quæ eadem opera sui quoque patris sint imagines, quò per eas tota civitas in officio contineatur; ut jam posset Regius filius civitatis conditor, & per has sui imagines moderator, earum personam & verba sibi quodammodo induere, & totius illius administrationis laudem sibi adscribere. Addit & aliud exemplum sanctus Pater, Christi scilicet, qui eas sibi contumelias inferri querebatur & plagas infligi, quæ membris ejus eo in cœlos avecto infligebantur. *Et quemadmodum si*

dum si quis Regis filius, patre ejus volente edificare civitatem, in singulis operibus præscribat nomen suum tutelæ causa; quo simul & inviolata permaneant titulo reverentiaque nominis; simul ut ex ea inscriptione in memoria veniant ipsius & patris sui, & ab eo rebus jam ex sententia confectis, percunctetur quis de civitate, quomodo eam condiderit: isque tum respondeat, se bene eam exedificasse: nam secundum patris voluntatem, suam imaginem singulis operibus impressam esse; eò quòd nomen suum ubique sit inditum, & quasi inedificatum. Id si dicat, non substantiam suam singulis injunctam significat: sed simulachrum sui, sub nominis sui titulo. Ita quoque ad similitudinem istius exempli, ad eos qui in rebus creatis sapientiam admirantur, vera Sapientia in hæc verba responderit: Dominus creavit me in operibus suis: mea siquidem formula est in eis, & ego me ita attemperavi opificio. Et aliquantò pòst: *Quum necessitas postularet, sapientiam ingigni inserique operibus, ipsa quidem substantia eram cum Patre: ceterùm condescensu attemperationeque mei ad res creatas, concinnabam mei imaginem in meis operibus; ut quasi jam unius corporis membra nulla pars mundi seditione laboraret; sed omnibus inter se mutuus parilisque consensus esset.*

Ita igitur statuit Athanasius unam esse eandemque Dei Sapientiam genitam & increatam, tum quæ primùm orbem condidit jussu Patris, suique simulacra, imitamenta quædam incommutabilis Sapientiæ ei inscripsit, unde condito orbe ipsa sibi Patrique congratulabatur, ob has sui imagines naturis omnibus, maximè autem rationalibus appictas; tum rursus eam, quæ lapsum humanum genus reparavit, seipsam rursus naturæ nostræ imprimendo, ut primigeniam & consubstantialem Dei imaginem. Utrobique creata dici potuit sempiterna Dei Sapientia; illic per sui effigiem in naturis maximè spiritalibus adumbratam; hic per seipsam inhumanatam, servique forma indutam. *Eadem illa ipsa Sapientia est Dei, quæ priùs per imaginem sui rebus creatis inditam, qua de causa etiam creari dicitur, manifestavit seipsam, & quæ per se suamque indolem Patrem nobis manifestum reddidit; postmodum ipsa & Verbum & Ratio Dei caro facta est, ut ait Joannes, & post abolitam mortem, & servatum genus nostrum, magis ac magis semetipsam, & per se suum Patrem declaravit.* Ibidem pag. 210.

Et infrà rursus de gaudio illo, quo perfusa fuit & Patris bonitas & Filii sapientia ex condito orbe & reparato homine: non quòd ab extraneis naturis possit ullus gaudii sensus Deo accedere: sed quòd Pater Filio, Filius Patri gratulatus sit de orbe toto, de homine potissimùm ad Verbi imaginem efformato, ut in utroque non spectaretur nisi ipsa incommutabilis Dei Sapientia. *Non enim extrarium quippiam aliunde sibi acquisivit Deus, quod gaudium illi conciliaret: sed in eo dicto nota est indiciumque proprii & sibi consimilis Filii. Quando enim fuit, quum Pater non lætabatur? si autem semper lætabatur, semper erat in quo lætabatur. In quo porro lætatur Pater, nisi quum intuetur seipsum in sui ipsius imagine, quod est Verbum ejus? Quod si etiam in filiis hominum exhilarabatur absoluto terrarum orbe, ut in Proverbiis scriptum est; nimirum eandem quoque & illud superius intelligentiam habuerit. Exhilarabatur enim eo modo, non ex superventitio gaudio; sed quòd tum quoque videret ad sui imaginem opera esse condita: adeo ut illa exhilaratio Dei ex imagine ipsius causam trahat. Aut quomodo porro Filius exhilarari posset, nisi eo modo quo se intuetur in Patre? Idem enim inter se valent hæ duæ sententiæ: Qui vidit me, vidit & Patrem meum. Et, Pater in me, & ego in Patre.* Ibidem.

III. In libello autem de decretis Synodi Nicænæ exponit idem Athanasius, quomodo Asterius primùm, qui idolis sacrificaverat, tum postea Arius ejus vestigia legens, scripserit Verbum & creatum, & creatorem fuisse cæterarum creaturarum, quæ illam omnipotentis & ingeniti Dei manum, quam ipsum pertulit, pro sui imbecillitate ferre non potuissent. Id enim in causa fuisse, ut primum crearetur Verbum, ut eo velut administro & mediatore Pater uteretur ad cætera creanda. Insulsissimum hoc Arianorum commentum haud ægrè diluebat Athanasius. Si creatura enim erat Dei Verbum, qui poterat ipsum omnipotentiam divinæ manus ferre? Si id poterat, etsi creatura esset, id ergo poterat & creatura quælibet alia. Si nec ipsum autem poterat manum Dei ferre & splendorem Patris intolerabilem: alio ergo & ipsi mediatore opus erat, de quo eadem redibit quæstio, An creatura cùm sit, potuerit pondus ferre creatricis manus ingeniti Dei. *Sin autem ideo Filius Dei dumtaxat creatus est, quia cætera indomitam vim manus Dei in fingendo perferre nequiverant, ut ea à Filio, quasi succenturiato subministroque crearentur: id enim Asterius sacrificator idolorum scripsit, & Arrius transcriptum suis tradidit; quam sententiolam deinde cæteri quasi calamum confractum usurpant, non agnoscentes stulti, quàm ea sit frivola, & nullius momenti. Si enim impossibile erat, ut res creandæ manum Dei ingeniti perferrent, Filiusque ejus pro opinione eorum creatura est: quomodo ille tandem solus potuit vim divinæ manus, dum ipse crearetur, perferre? Jam si ut creaturæ existerent, opus fuit mediatore, & creatura quoque est Filius, secundùm eorum sententiam: oportuit etiam ante ipsum Filium, mediatorem aliquem intercessisse, ut Filius in rerum naturam venire posset. Huic rursum mediatori, utpote creaturæ, alius mediator adhibendus fuit, ut & ipse quoque procrearetur: quod si huic etiam mediatorem adhibeas, necessum erit, ut etiam illi mediatorem excogites, adeo ut mediatorum series in infinitum abeat. Atque ita dum semper requiritur mediator, non poterit rerum natura in essentiam produci; eò quod nulla creaturarum, ut vos dicitis, indomitam ingeniti Dei manum perferre queat.* Ibidem pag. 216.

Cùm invictissimo hoc argumento cogerentur Ariani confiteri, aliquam esse creaturam, quæ posset immediatè ab ingenito Deo creari, ne si creato mediatore opus esset, ad hunc ipsum creandum alii desiderarentur, & ita sine numero & sine fine alii aliique, hinc omnes eorum machinationes corruebant. *Sed hæc intelligentes, quàm hoc absurdum sit, illud novum initium sermonis desumitis; Filium tametsi creaturam, ideoneum tamen fuisse, qui ab ingenito crearetur. Verùm hoc si concedas, necessariò sequitur omnes creaturas ab ipsomet ingenito condi potuisse, quum & ipse Filius pro vestra opinione eque res creata sit, ac cætera creatura; ac proinde vana ac frustratoria est Verbi generatio, secundùm impiam & stolidam vestram sententiam; quum Deus sufficiat per se ad omnia creanda, omnesque creaturæ indomitam omnipotentis Dei manum perferrè valeant.* Ibidem pag. 4.

IV. Huic Athanasii doctrinæ consentaneus est Nazianzenus, ubi tradit unam esse divinitatem, quæ causa careat: atque ideo ubi causa adsignatur, non de divina, sed de humana Christi agi natura. Cùm ergo sapientia nunc creata dicatur, nunc genita; hæc quidem quæ causam non habet, sed genitorem, Filius utique sempiternus Dei Deus est. Illa verò quæ causam habet, quæ creata est, ut esset initium viarum Dei, utique humanitas est à Verbo assumpta ad generis nostri restaurationem. *Quid est ex omnibus rebus, quod causæ sit expers? Divinitas. Nemo enim est, qui* Nazian. Orat. 36. pag. 576.

qui Dei causam dicere queat : alioqui is Deo antiquius esset. Quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit ? Profectò ut nobis salus pareretur. Quid enim aliud causæ afferri possit ? Ergo quoniam hìc apertè, & creavit, & gignit me, reperimus simpliciter hoc censeo, quod cum causa conjunctum invenimus, id humanitati assignandum esse ; quod autem simplex causæque expers, divinitati ascribendum. Age igitur, an non illud, creavit, adnexam causam habet ? Creavit enim me, inquit, principium viarum suarum ad opera sua. Opera autem ipsius veritas & judicium, quorum causa divinitate delibutus est. Hæc enim humanitatis unctio est. At illud, Gignit me, sine causa dictum est. Alioqui ostende quidnam ipsi adjunctum sit. Quis igitur inficias ibit, quin sapientia, secundùm inferiorem quidem generationem creata ; secundùm autem primam illam magisque incomprehensibilem, genita dicatur ?

V. Hic quoque prodebat se incredibilis quædam Arianorum vesania, quòd Verbum, seu Filium Patris, & sapientiam faterentur esse, cujus participatione saperent naturæ omnes intellectuales, & tamen illum classi asceriberent creaturarum. Quid insipientius enim, quid à ratione alienius dici potest, quàm ut creatura quævis non sapiens tantùm, sed & sapientia ipsa sit ? non participet tantùm sapientiam, sed & totam possideat & in sinu suo circumscribat, ut nisi ex ejus participatione sapere possit nemo ? Si sapientia ipsa res quæpiam creata est, quid ergo amplius supererit, quod Deo tribuamus ? Nam sapientia, & justitia eadem est, & veritas. Si qua creatura sit etiam ipsa justitia, & ipsa veritas, quo ergo jam illam natura divina superabit ? Non potest sapientia non esse & æterna & immutabilis. Nec enim fuit, aut esse potuit, quando non esset, aut nondum esset sapientia. Ecquando ergo illa esse ita cœpisset, ut non antè fuisset ? An etiam cœpit aliquando esse veritas, ita ut antè non fuisset ? An aliquando nulla fuit justitia, & post aliquando tandem cœpit esse ? An poterit etiam aliquando fieri, ut nulla sit sapientia, nulla justitia, nulla veritas ? Ne cadere quidem hæc possunt in mentem. Quid de mutabilitate, an ea affingi unquam poterit sapientiæ & veritati ipsi, aut justitiæ ? Potest qui sapiens, qui verax, qui justus est, in contrarios mores desciscere ; poterit forsan aliquando fieri insipiens, mendax, injustus. At sapientia ipsa, non poterit certè unquam à seipsa deficere. Quomodo ergo poterit, quod natura sua æternum & immutabile est, inter creaturas numerari ? Certissimè creata omnia & esse cœperunt aliquando, & à non esse ad esse erepserunt ingenti muratione : & hinc perspicuum est, quàm ne fingendo quidem æterna dici possint, & immutabilia. Ita qui Philosophiæ insano amore à fide Ecclesiæ defecerant Ariani, in ipsa clarissima Philosophiæ & rationis lumina impingebant.

VI. Succinebant huic scripturarum Patrumque doctrinæ Synesii Carmina, ubi ajebat ex Paterno abditæ unitatis sinu manare torrentem vitæ, qui per intellectuales mundos, seu Angelicos omnes ordines deflueret, & ad terram usque. Nec enim ea vita alia est, quàm sapientiæ & veritatis vita, quæ ipsummet est Verbum Dei, ex ineffabili unitatis sinu manans, & in intellectuales primò naturas se diffundens, quæ jam est sapientia creata, mundi sensibilis & ipsa administratrix, moderante superne hæc omnia sapientia genita, mundi utriusque sensibilis & intelligibilis fabricatrice ; ita ut non pauci nec mediocres sapientiæ radii ab utraque illa superiore sapientia, in omnes etiam sensibiles naturas dispensentur. *Ex ineffabili Paterno sinu abditæ unitatis, unde vitæ rivus profluens fertur ad terram usque tua virtute, per incomprehensibiles intellectuales mundos, unde recipit, descendentem. Bonorum fontem intellectualis mundi, forma mundus aspectabilis.*

Synesius. Hym. 4. pag. 139.

Elegantissimè inferiùs idem Synesius exponit, ut ab illo sursum fonte sancto, seu ab illa innascibilis Patris fœcunditate ; quæ fœcundissima cum sit, est tamen & simplicissima, ut supra omnes unitates meritò collocetur : solus nascatur Filius, qui ex illo eodem sinu educat naturas omnes intellectuales & rationales, ita tamen ut inde emicantes, in eodem nihilominus conquiescant. Porro id esse Filii proprium, ut sapientia sit mentis paternæ, ipsa sapientia & pulchritudo sit, ac proinde semen sit Patris ad totius sapientiæ creatæ creationem ; sit denique origo utriusque mundi, & intellectualis scilicet, seu Angelici, quæ sapientia creata est ; & materialis, qui & ipse formas accipit ex intellectualibus formis expressas, & earum lineamenta aliqua sibi impressa circumferentes ; ut hæc extrema quædam sit sapientiæ & genitæ, & creatæ imago ; qua non homines tantùm, non Angeli tantùm, sed & Filius unigenitus, ingenitusque Pater possit oblectari ; ut qualicunque imagine genitæ sursum sapientiæ, paternarum deliciarum. Hæc suprà ab Athanasio fusè explanata sunt, hæc eadem hìc compendiosiùs à Synesio perstricta : *Una cum fonte sancto per se fœcundo ineffabiles unitates supra, Deum immortalis Dei clarissimum Filium, solum ex Patre Filium prognatum, coronabo odoratis floribus carminum. Quem consilii Paterni ineffabilis Partus ex abdito ostendit Filium sinu ; qui partus Patris abditos in lucem edidit fructus ; & illustrare visus est defixas in terram animas, in fonte verò permanent quamquam profusi. Sapientia mentis Patris, pulchritudinis splendor : tibi parto Pater annuit, ut parias ; tu abditum es Patris semen : te enim originem Pater dedit mundis, ut deduceres corporibus formas ex intellectualibus.*

Hymno 6. pag. 141.

VII. Nec ab his recedebat Cyrillus Alexandrinus, ubi docebat longè aliter ab Angelis & hominibus, atque à Verbo sapientiam & doctrinam mentibus infundi. Angeli enim hominesque doctrinam instillant docendo, quod extrinsecum & penè perfunctorium est, nec altissimè in ipsas mentis medullas descendit. At Verbum docet *creando, ut Deus, ὡς θεὸς, δημιουργικῶς* : nimirum *semen sapientiæ, sive cognitionis divinæ* indendo, & inserendo radicem intelligentiæ : *σπέρμα σοφίας, ἤτοι θεογνωσίας, ῥίζαν ἐμφυτεύσασα* : Vides quid proprium sit increatæ Verbi & creatricis sapientiæ : vides & quæ sit creata sapientia à Verbo impressa & expressa, ut hæc etiam jure à Salomone dici potuerit sapientia, initium creaturæ Dei, ex ore Altissimi prodiens, primogenita ante alias creaturas. Nihil hic est quod non rationi, & germanæ Philosophiæ consentiat. Ecqua enim alia ratione apriùs explicari possunt natales amplissimæ hujus universitatis, quàm ut quidquid est corporum, illud impleant, formentque & regant mentes Angelicæ humanæque, suo quæque modo, & cum ipsis immittat *lucidos quosdam vapores ineffabilis splendoris sui* Verbum divinum : ita fiat ut totus hic orbis splendidissima quædam sit æternæ sapientiæ imago, imago inquam ejus creata, quæ imago est Patris genita ? Perspicis hìc autem, ut omnes Cyrillus creaturas intellectuales vocet ad participationem sapientiæ non creatæ cujusquam, sed creatricis. Ea enim est creaturæ intellectualis præstantia, ut à nulla creata forma, vel luce, vel sapientia perfici possit, & uni luci ac sapientiæ creatrici sine medio adhæreat, ab eaque formetur. *Creaturæ rationis compotes accepto lumine illuminant, communicatione doctrinarum, quas ex sua mente in aliorum mentem infundunt : qua illuminatio doctrina jure potiùs appellanda est, quàm revelatio. Sed Dei Verbum illuminat omnem*

Cyrillus. In Evan. Joan. Tom. 4. pag. 71.

omnem hominem venientem in mundum; non docendo ſicuti Angeli, verbi gratia, vel homines: ſed potiùs ut Deus, creando; unicuique rei in ortum eductæ ſapientiæ ſive cognitionis divinæ ſemen indit, & intelligentiæ radicem inſerit, atque ita rationale animal efficit, naturæ illud ſuæ particeps reddens, & ineffabilis ſui ſplendoris lucidos veluti quoſdam vapores ejus animo immittens, ea ratione ac modo quo ipſe novit; nihil enim ſupervacaneum hìc afferendum puto. Quocirca author ille noſtri generis Adam, non in tempore, ſicuti nos, ſapientiam videtur eſſe conſequutus; ſed à primo ſtatim ortus ſui initio perfecta intelligentia præditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibatam in ſeipſo conſervaret, & integram naturæ ſuæ retineret dignitatem. Illuminat igitur, ut opifex quidem Filius; maximè quum ſit ipſe lux illa vera; creatura autem participatione cum luce illuminatur; & idcirco lux dicitur & eſt ad res ſupernaturales evecta, glorificantis Dei, & variis ipſam coronantis honoribus gratia.

VIII. Ut ad Latinos jam veniam, eadem fuit & Hilarii ſententia, ſapientiam à Salomone nunc creatam dici, nunc genitam. Cùm enim apud homines ſenſuum ſervituti, & vitiorum ſordibus innutritos generatio ſonare videatur neſcio quas paſſiones & corruptionis maculas; at creatio incorruptam præ ſe ferat originem naturæ à Verbo & voluntate creatoris; ideo creata primùm dicta eſt ſapientia, ut ne qua degeneris & corruptibilis generationis ſuſpicio ſuboriretur. At ex adverſo cùm creatio non parturiat niſi naturas à Creatoris præſtantia ſubſtantiaque magnoperè degenerantes; ideo neceſſe fuit, ut ſapientia eodem loco genita diceretur; quo hæc intelligeretur eſſe conſubſtantialis Filii nativitas, non inferioris creatio naturæ. Porro ipſo ſapientiæ nomine utrumque inſinuabatur, & intaminatam ſordiumque expertem eſſe hanc nativitatem; & creatam non eſſe ſubſtantiam, quæ naſcebatur. Quis enim ita vecors, aut hebes eſt, ut vereatur ne quid ſordidum intercurrat, ubi à ſapientia ſapientia gignitur, puritas à puritate, veritas à veritate? Et denuo an tanta cujuſquam poteſt eſſe abſurditas, aut hebetudo ingenii, ut naturam quancunque creatam exiſtimet eſſe poſſe, non ſapientem tantùm, ſed ſapientiam; non veracem tantùm, ſed veritatem? ut fateri cogatur, ante & extra hanc creaturam, nec ſapientiam eſſe ullam poſſe, nec veritatem? Ejuſmodi erant Arianorum flagitia, hæc errorum portenta. Quantò ergo conſtantius & evidentius erat, homini ſanæ mentis ne in cogitationem quidem venire poſſe, ut ſapientia ipſa creaturis accenſeatur; tantò fidentiùs Salomon creatam illam dixit, ob prælibatam rationem. *Creatio autem ſumit exordium de creantis poteſtate: potente ſcilicet creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam; creationem referens ad parentis inde mutabilem naturam, quæ extra humani partus ſpeciem & conſuetudinem ſine imminutione aliqua ac demutatione ſui creavit ex ſe ipſa quod genuit. Creantis enim opus non habet paſſionem, aut permixtionis, aut partus. Eſſe enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate quod condit: & eſt opus virtutis creatio, non naturæ ex natura gignente nativitas. At verò nativitas, legitimæ originis & genuinæ, naturæ profectus eſt. Ex naturâ enim generante naturam ſumpſit genita natura.*

Hilarius L. de Synod. Pag. 364.

IX. Prolixiori contextui illud interſeram, quod vehementer interſit Lectorem moneri: Fruſtra eſſe qui imaginantur Arianos jure quidem merito damnatos & ab Eccleſia proſcriptos fuiſſe, quæ tota fidei & authoritati incumbit; at ſi ſepoſita fide & authoritate quæſtio illa tota ſolis rationum momentis & humanæ mentis ſuffragiis diſceptata fuiſſet, facile intelligi victoriam ad illos potiùs declinaturam fuiſſe. Fruſtra ſunt, inquam, qui hanc opinationem mera ex incogitantia ſibi induerunt. Summum authoritatis pondus Ariani ipſi Scripturis tribuebant; at illis non ſemel, non ſemel & iterum, ſed ſexcenties vis inferenda eſt, & meris cavillis eludenda tota illarum authoritas, ut ne Pater Pater ſit; ut ne Filius ſit, quod dicitur; ut Deus, & Dominus, qui Deo æqualis, qui character ſubſtantiæ Patris & ſplendor gloriæ prædicatur, non aliud hinc conſequatur, quàm leviſſimam verborum gloriam & magnificentiam nominum. Cùm autem rationibus illi magis etiam fiderent, non pauciora hinc illis vulnera infligebantur. Ecquis enim capere poterat creaturarum unam aliquam, quæ creaturas omnes alias ex nihilo crearet, ex quo & ipſa educta fuerat? Quì poterat creatura aliqua ferre intolerabilem ſplendorem & manum ingeniti Principii, cui impares ſunt creaturæ cæteræ omnes? Si par ipſa erat, quin & aliæ? ſi impares cæteræ omnes, cur non & ipſa? Jam verò quis vel imaginari poterat creaturam, quæ aliquando non fuiſſet, & quæ ipſa tamen eſſet Sapientia & Veritas; cùm inde illud efficeretur, ut aliquando nulla uſquam fuiſſet ſapientia & veritas: unde rurſum eſſe poſſet, ut non amplius foret? Iſtæ erant labes philoſophantium Arianorum.

X. Multò ergo ipſi etiam rationi magis conſonabant, quæ Hilarius, quæ cæteri Patres commentabantur in Salomonis verba, nunc creatam, nunc genitam dicentis incommutabilem illam & æternam Patris Sapientiam. En reliqua Hilarii verba: *Sed quia Dei Filius non corporalis pulcritudinis eſt genitus exemplo, ſed ex perfecto Deo perfectus Deus natus eſt: idcirco ais creatam ſe eſſe ſapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens. At verò ut oſtenderet non creationis in ſe, ſed nativitatis naturam eſſe, ſubjecit & genitam, ut cum creatam ſe & genitam confitetur, abſolutam nativitatis ſuæ intelligentiam præſtaret: dum & indemutabilem Patris naturam in creatione ſignificat, & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ ſuæ oſtendit eſſe ſubſtantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam, creationis & generationis attulit ſermo: cùm alterum ſine demutatione, alterum in proprietate naturæ eſt. Fitque utrumque unum, & unum utrumque perfectum: dum & Filius ex Deo, ac ſine demutatione Dei natus eſt; & ex Patre naſcitur, ut creetur; & indemutabilis ex ſe, ac naturalis Filio Pater ſic Filium condit, ut generet.* Hilar. pag. [illegible]

XI. His appoſitiſſima ſunt, quæ in libro de Fide contra Arianos diſputat Ambroſius ex eodem Salomonis Sapientiæ loco. Sapientiam nimirum ne potuiſſe quidem procedere ex eodem nihilo, ex quo res creatæ omnes, ſed ex ore, ex ſinu, ex ſubſtantia Dei; ut quæ ſemper cum Deo fuerit, ne aliquando ſine Sapientia Deus fuiſſe credatur; hoc eſt, ſine Filio. Nam Sapientia ingenita Patris ipſa eadem eſt fœcundiſſima, & Filii Sapientiæque genitæ parens. Inde eſt quòd hæc eadem ibi dicitur creata & genita, & initium viarum Dei; initium haud dubio ad creaturas omnes parturiendas, & plurima ſapientiæ participatione aſpergendas. Quis enim Deo ipſi initium aliquod aſſignaverit ſapientiæ, quaſi priùs expers ſapientiæ fuiſſet? Itaque creata eſt Sapientia, non ſibi, quæ non poteſt non ſemper fuiſſe, ſed naturis omnibus creandis; ut quia ſuo ipſa ſurſum in vertice impervia nobis erat, nec quanta & qualis eſſet, ſciri poterat, ex rebus à ſe creatis intelligeretur. Audiendus hic jam eſt Ambroſius: *Sicuti & in Sophiæ nomine, quia ſecundùm Apoſtolum ipſe eſt Sapientia Patris. Ego, inquit, ex ore Altiſſimi prodivi. Non ergo aliunde quàm de Patre, quia ſemper cum Patre. Et ideo Sapientia Dei appellatur;* Ambroſius Tom. I. pag. 261. lit.

latur; ut nunquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo fuisse credatur. Hæc est illa Sapientia ineffabilis, quæ initio viarum Dei apud Salomonem, vel condita, vel genita, vel creata describitur; quam tamen sic conditam dicit, ut semper eam cum Deo fuisse ostendat. Quid enim Deo dabis, ut initium possis sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita Deus sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine sapientia fuerit. Sed cùm initio viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit; ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia, quàm terrestria; non quo cœperit esse Deo. Creata est ergo sapientia, imò genita, non sibi quæ semper erat; sed his quæ ab ea fieri oportebat, ut quia quanta & qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus ejus & potentia nosceretur; ut quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus cùm facta miramur.

XII. Ne intacta autem prorsus omittatur ea difficultas, quæ nonnullos remorari posset, qua tandem portione, quantulacumque tandem gaudeant infideles ejus Sapientiæ, quam omnibus omnino operibus suis aspersisse Deus à Salomone dicebatur; cùm inanes illi & impatientes sint qualiscumque plerumque sapientiæ lucis: unum hic ponam Remigii Archiepiscopi & Ecclesiæ Lugdunensis testimonium in libro de Tribus Epistolis. Premens enim ille vestigia Augustini, ait, lucem illam, quæ apud Joannem lucet in tenebris, etsi tenebræ eam non comprehendant, illam esse quam eorum mentibus aspergit Deus præsentia majestatis; sin minùs ut videant ipsam, saltem ut videant aliquid per ipsam; ut intelligant quo distinguantur justa & injusta, bonum & malum, agendum & non agendum. Has illi leges & regulas certissimè vident, & ex illis de omnibus judicant, ex illis consilia & opera sua omnia librant. Hæc lux sapientiæ rationabilium omnium naturarum intimis visceribus innata est, & illa ipsa est, per quam, ut suprà ajebat Cyrillus, Verbum eas docet & illuminat, non docendo, sed creando, δημιουργικῶς. Hanc lucem omnes vident, aut per illam certè vident, quando ad illam non faciem, sed terga convertant. *Lux illa præsentia majestatis suæ in tenebris lucens, id est, in infidelium cordibus, majestate Conditoris suam præsentiam exhibens, operatur aliquid in eis; & si non, ut videant ipsam, tamen ut videant aliquid per ipsam, id est, ut intelligant inter justa & injusta, inter bonum & malum, inter agendum & non agendum, ut sint inexcusabiles in die quo judicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non à facie illis resplendet, quia non ad eam attendunt; sed velut à tergo eis relucet: quia sicut Propheta dicit, verterunt ad eam tergum, & non faciem.*

Cap. 17. apud Prude. & Grat. Tom. 2. pag. 11.

CAPUT XXIV.

Una, vera, sancta potest esse creatura, non ipsa Unitas, Veritas, Sanctitas.

I. Non posse creatam naturam quamvis esse ipsam formam Sapientiæ & Sanctitatis, ex Ambrosio.

II. Æterna, immutabilis, immensa est veritas, sapientia, sanctitas. Ea dotes nulli creaturæ possunt competere. Erat ergo commentitia illa Arianorum creata sapientia, ex Fulgentio.

III. Ex eodem rursum, non potest Veritas creatura esse, ut quæ Deitas ipsa sit; & tam una sit, quàm ipsa Deitas, tam immensa & æterna. Hæc porro ad Spiritum sanctum quoque trahenda sunt.

IV. Ex Augustino idem probatur, Spiritum sanctum æqualem Patri Filioque Deum esse, qui charitas, sanctitas, unitas est.

V. Quàm necessariò hæc non essentiæ tantùm Dei, sed tribus hypostasibus vendicentur. Ut genus humanum pro persona Sapientiæ æternæ per se subsistentis, Hebræi, Gentiles, Philosophi decertarint, Arianosque coegerint ei assentiri.

VI. Arianos oppugnarunt sancti Patres non tantùm telis ex Scriptura petitis, sed & probationibus validissimis ex unitate, fœcunditate, simplicitate, plenitudine Dei Deoque digna: ex vita, ex vita intelligentiæ & sapientiæ.

VII. Basilius divinitatem Spiritus sancti ex eo probat, quòd sanctitas & sanctificatio sit: cùm intellectuales naturæ omnes à sanctitate excidere possint.

VIII. De Veritatis hypostasi à Zorobabele celebrata.

IX. Ex Nazianzeno multa præclarissimè de Verbo, quæ nulli creato Verbo competere possint.

X. Item de Spiritu sancto, qui sanctitas est; de ejus hypostasi, etiam ex Platonicis.

I. HÆc perspicuè, ut vides, ex antedictis nascuntur; vereor ne jam dicta fuisse videantur. Certè paulò prolixiùs mihi visa sunt dicenda, quòd in iis mirum quantum momenti sit ad totam rem istam pertractandam. De Sapientia copiosè satis jam diximus; atqui, quæ Sapientia, eadem est & Veritas, eadem & Charitas, Unitasque. Formam illam summam, qua sapientes, sanctæ, unæ, castæ fiunt naturæ & creaturæ intellectuales, volebant Ariani & unam esse ipsam ex creaturis; sed eximiam, & cæterarum principem, imò & cæterarum architectam, moderatricem omnium, imò & creatricem. Inde fiebat, ut & Verbum & Spiritum sanctum in ordinem redigerent & in classem creaturarum. Illis resistebatur hoc maximè argumento, quòd Verbum forma sit illa Sapientiæ summa, cujus participatione sapimus: Spiritus sanctus forma sit illa Sanctitatis, per quam sanctificamur. In ea conflictatione non poterat diutiùs veluti dubia pendere victoria. Cui non præjudicatum enim est, & ipso veluti naturæ magisterio infixum, creaturæ esse non sanctificare, sed sanctificari? sapientiam sibi divinitus illabentem suscipere, non suo in gremio illam scaturientem habere? Illa enim sanctitas est, qua natura creata supra creata omnia evehitur, Deo conglutinatur, consortium quoddam assequitur Divinitatis. Atqui non potest ea creata vis esse & natura, quæ supra creaturas omnes nos extollit, quæ nos Deo copulat, quæ deificat. Si hæc enim beneficia possint esse creaturæ, quid ulterius, quid amplius à Deo nobis expectandum supererit? Nulla jam Deo dona supererunt, nullæ opes, quibus naturæ hujus creatæ beneficia superet. Erit sanctitas & deificatio hujus præcellentissimæ creaturæ, non gratia divinitus illi indulta, sed ipsamet ejus natura; atque ita nulli jam fines erunt, quibus creatura à Creatore, Deitas à divino opificio sejungatur. Audiendus Ambrosius hæc commenta refellens, non minùs rationi, quàm religioni & fidei inimica: *Non enim accipit à creaturis, sed accipitur Spiritus sanctus; sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat. Creatura enim sanctificatur: sanctificat autem Spiritus sanctus.* Et mox: *Non ergo potest sanctificatio & corruptela unius esse naturæ. Et ideo non potest gratia sancti Spiritus & creatura unius esse substantiæ. Itaque cùm omnis invisibilis præter Trinitatem reliqua natura, cujus rationabilem & incorpoream jure quidam substantiam putant, non impertiat spiritalem gratiam, sed acquirat: nec participet, sed assumat; separanda utique est à societate Spiritus sancti communitas creaturæ. Credant igitur quia creatura non est Spiritus sanctus. Aut si creaturam pu-*

Ambros. l. 2. De Spiritu S. c. 6.

ram putant, cur associant Patri? Si creaturam arbitrantur, cur Filio Dei jungunt? Quod si à Patre & Filio non existimant separandum, non æstiment creaturam, quia ubi una sanctificatio, una natura est.

In his ratio fidei, Theologia Philosophiæ consentit, sanctitatem, veritatem, sapientiam naturam ipsam esse Deitatis: atque ideo nullam prorsus creaturam his nominibus jure suo ornari posse, nisi ut invadat, vel intrudatur in jura Divinitatis, & in ipsa ejus ornamenta. Ubi enim hæc alicui quantumvis eximiæ adsignaverimus creaturæ, quid residuum nobis erit, quid magnificentius, quo Deum ornemus? Nec dicas Deum supra hæc omnia esse. Nec enim Deus supra Deitatem est: nec divina ulla operatio amplius aliquid potest esse, quàm Deificatio. Si qua ergo fingitur aliqua creatura præcellentissima, quæ nos sanctificet, quæ nos deificet; eadem ergo jam erit ejus operatio, quæ Dei; eadem ejus participatio, quæ Dei; ac proinde eadem ejus natura, quæ Dei. Hi erant inexplicabiles nodi, quibus extricare se non poterant Ariani, nisi una & eadem opera tum Scripturas & fidem, tum ipsam rationem labefactarent.

II. Jam diximus de æternitate, de immensitate, de immutabilitate veritatis, sapientiæ, charitatis, sanctitatis, quibus dotibus dilucidum est, & in confesso apud omnes, nullam ornari posse creaturam; ne jam non sit quo Creator creaturam superet. Cùm creaturarum in commune illa sint necessariò exordia, ut è nihilo emerserint, nulli non perspicuum est ne fieri quidem posse, ut æternæ vel immutabiles sint. E nihilo ad esse procedere, jam mutatio quædam est, jam initium quoddam est; & immutabilitas ergo & æternitas hinc excluditur; nec facilè jam cuiquam persuadebitur, ubique esse posse, quod sempiternum non est. Ubique veritas est, semper veritas est; id facillimè capiunt omnes; secus sentire ne possint quidem, etsi velint. Ubique sapientia est, semper sapientia est; id luce ipsa meridiana clarius esse vociferantur omnes. At creaturam quamcumque vel ubique, vel semper esse, nemo facilè sibi persuadebit. Veritas & sapientia manifestissimè immutabilis est; non perinde manifestum est, quod esse cœperit aliquando id immutabile esse posse. Commentitia ergo prorsus erat illa Arianorum creata sapientia, cui nec æternitas, nec immutabilitas constare poterat, nec immensitas. Deus ergo unus, ut æternus, immensus, immutabilis est: ita unus & solus est summa ipsa Sapientia, Sanctitas, Veritas, Charitas, sui participatione beans creaturas prorsus omnes, quæ horum beneficiorum consortium aliquod adipisci possunt, quorum plenitudo in solo Deo est, & ipse Deus est. Audiendus hic Fulgentius in libro ad Donatum de Fide orthodoxa: *Veritatem Dei tenere, est unum Deum colere; veritatem Dei in mendacium convertere, est creaturæ servire. Vera enim religio in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namque veritas unus est Deus; & sicut excepta una veritate non est alia veritas, sic absque uno Deo vero non est alius verus Deus. Ipsa enim una veritas est, naturaliter una vera Divinitas. Et ita non possent duo veri Dii veraciter dici, sicut ipsa una veritas naturaliter non potest dividi.*

Fulgent. c. 4. pag. 73.

Et rursus ibidem Fulgentius idem adversùs Arianos, qui cùm Verbum & præstantissimam dicerent creaturam, & veritatem tamen esse & sapientiam Scripturis assentiebantur, adeoque religioso cultu celebrandam; ex quo fiebat, ut Deos colerent duos, cùm tam duo non possint esse Dii, quàm nec duæ Veritates, nec duæ Sapientiæ; adde si lubet, nec duæ Divinitates: cùm una Veritas non possit non occupare & in sese complecti, quidquid pluribus affingi posset, quod & in Divinitate locum habet. *Aut unum verum Deum naturaliter Patrem & Filium cum Catholicis asserant; aut duos veros Deos à se coli contra veritatem sanctæ fidei dicant; aut creaturæ cultores seipsos profiteri non metuant; ut veritatem Dei se in mendacium commutasse, ipsa rerum manifestatione cognoscant. Una quippe veritas unius veri Dei, immo una veritas unus verus Deus, non permittit servitutem atque culturam veri Dei, Deo creaturæque conjungi. Vera quoque religio, excepto uno vero Deo, nulli Deo finit cultura ac servitutis obsequium à fidelibus exhiberi.*

Ibid. C. 5. pag. 84.

III. Nec multò pòst iterum Fulgentius ex natura, majestate, æternitate, divinitate, unitate veritatis, sive sapientiæ, vide ut disjiciat omnia Arianorum machinamenta, & fabulam illam primæ & principis creaturæ, cujus munere Angeli hominesque supra creaturarum sortem ad ipsa usque divinitatis confinia eveherentur: *Quid est autem creata natura, nisi creatura? Omnis porro creatura, quoniam opus est veritatis, est quidem creatura vera, non tamen est veritas. Sola autem naturaliter est veritas, quæ naturaliter est vera Divinitas. Illi ergo veritatem Dei non commutant in mendacium, sed vera fidei tenent salutare mysterium, qui nec solum Patrem, nec solum Filium, sed simul Patrem & Filium, unum Dominum Deum suum, corde credunt ad justitiam, & ore confitentur ad salutem.* Et ibidem illico: *Quia non solùm Pater Deus, sed etiam Filius Deus, naturaliter & verax Deus, veritas Deus, permanens cum Patre naturaliter unus verax, unus verus, unaque veritas, quia duos Deos credi vel dici omnino prohibet una veritas, quæ sola vera est Divinitas.*

Quæ omnia sic ille tandem coacervat, ut iis non tantùm Verbi, sed & Spiritus sancti immensitatem, æternitatem, sanctitatem astruat, & vim denique ipsam deificandi, & intellectuales omnes naturas in sua sibi templa consecrandi, quod hominum insulsissimi Ariani, uni alicui ex his creaturis vendicatum ibant. Potuissem hæc omnia cæterorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum testimoniis confirmare. Obvia enim passim ea sunt. Sed quando in Fulgentium incidi, satius visum est ejus unius suffragatione rem conficere: *Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creavit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim, Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et ibidem paulò pòst: *Æqualis est ergo Patri & Filio Spiritus sanctus, quia creator est omnium rerum, sicut Pater & Filius. Æqualis est Patri & Filio Spiritus sanctus, quia replet mundum, immensus sicut Pater & Filius. Æqualis est Patri & Filio Spiritus sanctus, quia omnium fidelium membra unum templum habet, sicut Pater & Filius. Quis autem negare audeat, unam esse divinitatem Patris & Filii & Spiritus sancti, cùm corpora fidelium quæ membra sunt Christi, ipsa sunt templum Spiritus sancti?*

Lib. 4. t.

IV. Augustino similiter unitas, veritas, charitas, sanctitas idem sonant, atque divinitas; & cùm ea Spiritui sancto tribui assentiantur omnes, hinc ille divinitatem ejus probat, & æqualitatem cum Patre Filioque. Cùm enim hæc non participatione, non dono superioris alicujus, sed sua ipsorum essentia habeant, imò cùm hæ sint tres divinæ Personæ, hinc invictissimè constituitur earum una & summa divinitas æqualitasque: *Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ & æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive idea unitas quia charitas, & ideo charitas quia sanctitas; manifestum est quod non aliquis duorum est, quo uterque conjungitur; quo genitus à gignente diligitur, generatoremque suum diligit; sintque non participatione, sed essentia sua neque*

Augustin. De Trinit. L. 6. c. 5. Tom. 3. pag. 111.

neque dono ſuperioris alicujus, ſed ſuo proprio ſervantes unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Quod imitari per gratiam, & ad Deum, & ad nos ipſos jubemur. Et paulò inferiùs: *Et ideo non ampliùs quàm tria ſunt; unus diligens eum qui de illo eſt, & unus diligens eum de quo eſt, & ipſa dilectio. Quæ ſi nihil eſt, quomodo Deus dilectio eſt? Si non eſt ſubſtantia, quomodo Deus ſubſtantia eſt?*

V. Si cujus animo illud occurrat poſſe hæc omnia, unitatem, veritatem, ſapientiam, ſanctitatem, charitatem, non aliud videri, quàm abſolutiſſima quædam divinæ naturæ attributa, Gentilibus & Judæis etiam notiſſima, quibus commune nihil fuit cum tribus Hypoſtaſibus, quæ ſolius fidei & Scripturæ authoritate innoteſcunt; huic jam replicanda erunt & diligenter commendanda, quæ ſuperiùs non ſemel attigimus, & quæ ſuo poſthac loco accuratiùs elucidabuntur. Quæ ſacris Codicibus conſignata eſt doctrina, eam priùs viguiſſe, & increbuiſſe, ſaltem apud peritos, & non ſcriptis traditionibus propagatam fuiſſe ab exortu generis humani uſque ad Moyſen, à Moyſe uſque ad Salomonem, à temporibus Salomonis uſque ad Chriſtum. De Angelorum creatione Moyſes verbum fecit nullum; obtinuit tamen, & toto orbe celebrata fuit ſana de Angelis doctrina, ſola Traditionum authoritate ſubnixa. De Sapientia ut de hypoſtaſi à ſummo omnium Principio & Patre diſtincta, meminit Moyſes, meminit & Job; nimirum quæ hactenus vivæ vocis miniſterio, & avitis Traditionibus doctrina viguerat, tunc cœpit mandari litteris. Verbi Dei, & Sapientiæ, & Spiritus ſancti memoria in ſacris Veteris Teſtamenti paginis ſparſim diſſeminata eſt, ſed tam perfunctoriè, tam paucis verbis, ut pauci poſſent in geminæ hujus divinæ hypoſtaſeos notitiam venire. Primus Salomon eliquatiſſimam Sapientiæ divinæ doctrinam, ejus à Patre generationem & diſtinctionem, ejus in condendo orbe & regendo ſummam authoritatem deſcripſit. Exinde apud Gentiles ipſos Philoſophos creberrima Sapientiæ divinæ Verbique à ſummo Patre manantis memoria. Inter complurimas Philoſophorum ſectas ea principatum tenuit, quæ à Pythagora, à Socrate, & demum à Platone ortum duxit, & pulcherrimam illam de Sapientia æterna mundi creatrice & adminiſtratrice, nutu ſummi Parentis, doctrinam toto orbe propagavit. Si ea cœleſtis Theologiæ luce perfuſi fuerant Gentiles Philoſophi, imò ſi tam copioſè ea fuerant illuſtrati, quid Hebræi? Conjici id faciliùs poteſt, quàm dici. Pauciſſimi ex eis operam dabant litteris, pauciores etiam libris ſcriptitandis. Hinc difficultas & penuria probationum. Unus Philo Judæus omnium inſtar eſſe poterit, qui Plato Hebræus à viris doctiſſimis jam olim nuncupatus eſt; uſque adeo ille Scripturarum & Platonicæ Scholæ dogmata de Verbo potiſſimùm & incommutabili Dei Sapientia conjugavit. Igitur ne Ariani Sapientiam & Verbum Dei de ſola eſſentiali & abſoluta Dei Sapientia, nullam peculiarem Perſonam conſtituente intelligerent, intercedebat genus humanum; conſpirantibus jam olim & ante plura ſæcula tum Chriſtianis, tum Judæorum primoribus, tum Ethnicis ipſis Philoſophis, ut proprius Deo Filius vendicaretur, nec alius ſanè, quàm hæc ipſa Sapientia. Hinc liquet non ſolo Scripturarum pondere, ſed Traditionum etiam Scripturis ipſis antiquiorum, & univerſo terrarum orbe diſſeminatarum, & Platonicæ omnium ſcilicet ampliſſimæ ſectæ Philoſophia ſubnixarum, compulſos fuiſſe Arianos, ut perſonam ſapientiæ à Patre diſtinguerent, nec de ejus divinitate controverſiam facerent, ſed de ejus cum Patre naturæ unitate. His addenda fuerat hæreticarum etiam ſectarum omnium conſenſio. Quanquam enim infinitis inter ſe diſſidiis colliderentur, in id tamen omnes, aut propemodum omnes conſentiebant, eſſe ſummo Patri Filium, hypoſtaſi diſtinctum, & hanc eſſe Sapientiam à Patre manantem, Judæis Ethnicisque notiſſimam, eorum ſcriptis celebratiſſimam; atque hanc doctrinam jam tum in Eccleſia floruiſſe, cùm Chriſtus in carne noſtra mortali, cùm poſtea ejus Apoſtoli terras illuſtrabant.

VI. Si quis autem contentioſior, & hiſtoricis probationibus his minimè acquieſcens, non alia quàm rationis lumina conſulere velit, & ſapientiæ illi uni aſſentiatur, quæ ipſamet eſt Dei natura & eſſentia; huic recolenda erunt ea, quæ ſuperiùs ſancti Patres de unitate, de fœcunditate, de ſapientia, de vita, de charitate Dei & beatitate diſputabant, vel quæ nos ex eis infrà diſputabimus. Quanquam enim ea utplurimùm ſancti Patres tela in hæreticos vibrarent, quæ ex Scripturis promebantur; non rarò tamen rationes etiam eas vel ex Scripturis colligebant, vel ſuo ex ingenio proferebant, quibus adverſariorum pertinacia expugnaretur. Unitati divinæ ſuffragantur omnes, unitatis fœcunditas omnium ingeniorum, omnium ſæculorum laudibus celebrata fuit. Unitas ubique principari viſa, numeris quos ex ſe ſcilicet effudiſſet: multitudini, quæ ab ea initium & originem ſumpſiſſet. Parum laudis & gloriæ eſt in hac extrinſeca fœcunditate, niſi ſit & interior unitatis majorque fœcunditas ſuo in ipſius ſinu. Niſi adjungatur fœcunditas intima, quæ opulentiam unitati conciliet, quid erit unitas niſi ſumma quædam paupertas jejunitaſque? Illud ſummo principio par decus eſt, illud unitatis ſpecimen ſingulare in faſtigio rerum omnium ſedentis, ut incolumi ſimplicitate ſua, infinitam quandam opulentiam ſuo in gremio premat.

Simplicitatis laudes nemo facilè enumeraverit; ſed & duplex obſervari animo poteſt ſimplicitas, alia ex egeſtate exoriens, alia plenitudini conjunctiſſima. Illa nobis ſplendidior videbitur ſimplicitas & Deo dignior, quæ & opulentior erit, & plures non tantùm dotes & virtutes, ſed & hypoſtaſes complectetur. In unius enim perſonæ ſimplicitate plures dotes & perfectiones conſtrinxiſſe, id amplum & mirabile eſt, ſed naturis ſpiritalibus Angeliciſque commune. Plures hypoſtaſes in ſummæ unitatis & ſimplicitatis ſinu regnare, id omnino plus habet admirabilitatis, eoque convenientiùs Deo aſcribetur. Quid ſi ad hoc ipſum ei vendicandum rationem noſtram anteverterit antiquiſſima & vulgatiſſima Traditio, Philoſophia, Religio?

Ipſa per ſeſe fœcunditas, & in propria natura fœcunditas quantum laudis & admirationis habet? Pulcrum eſt pulchræ ſubſtantiæ decus, etiam ſolitarium & ſterile. Sed quantò pulcrius erit, ſi ſimillimæ pulchritudinis ſubſtantiam aliam ex ſe fundat? Ea pulchritudine & fœcunditate donavit Deus pleraſque naturas creatas, arbores potiſſimùm & animantes. Generant enim, & ſibi conſubſtantiales fœtus generant. Manavit à Deo hæc fœcunditas, ad Dei utique imitationem. Creatorem enim creaturæ omnes pro virili imitantur. Imitantur, inquam, non ſuperant. Superarent autem, ſi creatura fœcunda, ſterilis Creator eſſet: aut ſi ſibi parem prolem creatura gigneret, Creator non niſi diſparem.

Præſtantiores creaturæ ſunt eæ, quæ vivunt, quæ vitæ ſunt, & hæ potiſſimùm fœcunditatis laude florent. Vivit ergo Deus, & vita ſua ipſe eſt, nec ſteriliter vivit, cùm vivere ipſum ſit vitam propagare. Nec enim vita, aut imperfectiſſima vita eſt, mortique propior, quàm vitæ, ea quæ torpet & ſtertit, otiatur & ſterileſcit. At quæ ſeſe movet, ſeſe agit agitatque, quæ vitam ſuam exerit, & propagat, quæ vitam ex ſe fundit, quæ ſoboleſcit, quæ gignit ſoboles ſibi ſimiles pareſque, ea demum vita eſt. *Vivens viventem gi-*

tem gignit & planta & animal, & hoc illi potiſſimùm vivere eſt. Quid hinc ergo de divina vita conjectabimus?

Si vitam autem rationabilium naturarum inſpiciamus, quantò evidentiùs hæc vita in quadam propagatione ſui intra ſeipſam ſita eſſe comperietur? Hoc menti eſt vivere, quod cogitare, intelligere, ſapere. Cùm ergo mens cogitationem fundit ex ſeſe, vita vitam fundit, fundit gignitque, non ſemel, ſed jugiter. Cùm ratio noſtra ratiocinatur, utique vita vitam vivit, ratio rationem parturit; ratio parens eſt, ratio partus eſt; non eadem parens eſt ſui, ſed partus ſui parens eſt, & tamen utrobique una vita, una ratio, generans & genita; non ſui ipſius parens & cauſa, nec enim id poteſt fieri; ſed ratio rationis parens, prolis ſibi ſimillimæ & conjunctiſſimæ principium.

Jam ſi ad ſapientiam mentis oculos convertamus, vix ambigere poterit quiſquam, quin ſapientia vita ſit, & vivere illi ſit ſapere, & vivat ſapiatque ſuam ex ſe in ſe vitam & ſapientiam profundendo. Sapientia eſt, quæ vivit, & qua vivitur: quæ intelligit, & qua intelligitur; ſapientia generans, ſapientia genita; ſed una ſapientia. Aliud quidem hic eſt generare & generari, effundere & effundi; ſed una tamen eſt utrobique ſapientia. Fateor unam hic eſſe hypoſtaſin, unam perſonam, non geminam. Sed hæ ſunt naturæ creatæ angustiæ, hæc opulentiæ creatæ paupertas, hæc fœcunditatis creatæ ſterilitas in præſtantiſſimis etiam creaturis. Dandum eſt utique aliquid amplius & vitæ, & ſapientiæ, & fœcunditati divinæ, quàm creatæ. Si arbores enim & animantes arbores ex ſe & in ſe, & animantes gignunt: ſi ſtolones ex ſe plantæ pullulant ſibi conſertos, & utraque arbor una eſt: ſi fœmina inter animantes prolem ſibi conſubſtantialem gignit, ureroque geſtat, & parens proleſque interim unum animal eſt; nonne luculentiſſima hæc eſt fœcunditas? Quid ergo ſempiternæ Dei vitæ & ſapientiæ fœcunditas?

Nec is ego ſum, qui his rationibus totus incumbam; aut cuiquam ſuadeam, ut iis totum ſe committat. Magnum aliquid eſt humana ratio, ſed humanum: ſubobſcurum quid eſt divina fides, ſed divinum. Quantò divina humanis, tantò rationi præſtat fides. Amplius eſt, æquiuſque Deo credere, quàm ſibi: conſultius eſt Deum audire, quàm ſeipſum. Non parum momenti eſt in his rationibus, quas hìc inculcamus, ſed ut iis potiùs oppugnetur inſolentia hæreticorum, uni rationi & Philoſophiæ innitentium: cùm ipſorum placita ut plurimùm & rationi ſanæ & ſaniori Philoſophiæ adverſentur. Nobis non diſplicent hæ rationes etiam, quin etiam proſunt, quia traditioni antiquiſſimæ & Fidei, ac Scripturæ pediſequas ſe præbent. Deſultorium quid eſt humana ratio, & ultro citroque verſatile, niſi illam ſuperior aliqua, ac proinde divina authoritas defigat, & inconcuſſa firmitate donet.

VII. Jamdiu eſt quod nobis conticeſcunt Patres. Aures ergo jam præbeamus Baſilio, hinc aſtruenti Spiritus ſancti divinitatem, quod ſanctitas, quod ſanctificatio ſit: cùm creaturarum ſummus apex in eo ſit, ut appetentes ſint, & bibulæ ſanctitatis. Unus enim Deus natura bonus eſt & ipſa bonitas: natura ſanctus eſt, & ipſa ſanctitas. Eſt enim id quo majus & melius cogitari non poteſt. At bonitate nihil melius: ſanctitate nihil majus; peræquè ut Deitate nihil majus, nihil melius, nihil divinius. *Cùm enim duæ res dicantur, Deitas & creatura, dominatus ac ſervitus, ſanctificans potentia & ſanctificata, quæ natura virtutem poſſidet, & quæ per electionem operatur: qua in parte Spiritum ordinabimus? In his quæ ſanctificantur? at ipſemet ſanctificatio eſt. An in his quæ magnis rebus geſtis virtutem adepta ſunt? at bonus natura eſt. An in ſervientibus? at alii ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui ad miniſterium mittuntur. Non ergo principalem natura Spiritum fas eſt nobis conſervum dicere, nec creaturis connumerare eum qui in divina & beata Trinitate connumeratur.*

Basilius, l. 5. contra Eunomium, tom. 1. pag. 752.

Hinc eſt quod Angelicæ, hoc eſt intellectuales omnes naturæ ſanctitatis & divinitatis participationem, non naturam aut ſubſtantiam Creatoris beneficio conſecutæ, nec enim aliter poterant, aliæ in ea ſteterunt, aliæ exciderunt à beata ſtatione illa; quod non aliter eas condi deceret, quàm bicipiti ſuo ut arbitrio permitterentur. Uſque adeo igitur creatura non eſt, quæ ſanctitas & ſapientia eſt; uſque adeo quæ creatura eſt, ſanctitas & ſapientia eſſe non poteſt; ut ne partem quidem quantulamcunque poſſit adipiſci ſapientiæ & ſanctitatis natura quæcunque creata, niſi ex mero Dei beneficio, atque ita ut inde excidere poſſit pro verſatili ſua libertate. In id conſentit tum Philoſophia omnis Platonica, tum Theologia Chriſtiana, cui utrique perſuaſiſſimum fuit Angelicas poteſtates non paucas à primigenia ſanctimonia & beatitudine ſua peccando delapſas eſſe. Non poterat ergo non ejus ordinis & conditionis eſſe, illa quam Ariani ſibi fingebant, princeps creatura & cæterarum creatrix: atque adeo ſapientia & ſanctitas ipſa eſſe non poterat. Authore enim Baſilio quantumvis ſancta mens creata, igniti inſtar ferri erit: quod ignis quidem vim, lucem & ardorem habet; ignis tamen non eſt, ideoque ſibi permiſſum frigeſcet aliquando tandem & tenebreſcet. *Principatus enim & poteſtates & omnis creatura talis, quæ ex attentione & ſtudio ſanctificationem habent, non jure naturæ ſanctæ dicentur. Appetentes enim bonum, ſecundùm amoris, quem ad Deum habent, proportionem, ſanctitatis menſura participant. Et ſicut ferrum quod in medio igni jacet, ferri naturam non amiſit: vehementi tamen cum igne conjunctione ignitum, cùm univerſam ignis naturam in ſemetipſum acceperit, & colore, & calore, & actione ad ignem tranſit: ſic ſanctæ virtutes ex communicatione quam cum illo habent, qui natura ſanctus eſt, per totam ſuam ſubſiſtentiam acceptam, jam quaſi innatam ſanctificationem habent. Diverſitas verò ipſis à Spiritu ſancto hæc eſt, quod Spiritus natura ſanctitas eſt; illis verò participatione ineſt ſanctificatio. Quibus autem conſtructum & aliunde bonum præbetur, hæc naturæ ſunt tranſmutabilis. Nec enim aliter Lucifer decidiſſet, qui mane oritur, nec in terra contritus eſſet, niſi ea natura fuiſſet, quæ deteriori conditione eſſe poſſet.* Ibid. p. 70

VIII. His adde & illud ejuſdem Baſilii infrà, ubi ex libro Eſdræ tertio laudat illud Zorobabelis de veritatis ſubſtantia & vita, quæ ibi dicitur, οὐσίαν ἐ ζωὴ τῆς ἀληθείας. Verè enim Zorobabel, verè ante eum Salomon, verè poſt illum Jeſus Siracides Scriptor librorum, qui Canoni Hebræorum poſteriùs acceſſerunt: verè inquam hi omnes ſapientiam ut hypoſtaſim viventem delinearunt; & hanc Baſilius probat non aliam eſſe poſſe, quàm Verbum ipſummet Filium Dei. *Quid verò Zorobabel & ſapientia ejus, ſubobſcurène tibi ac non apertiſſimè ſubſiſtentem ac vitam veritatis videtur oſtendere, cum dicat: Omnis terra veritatem vocat, & cælum ipſi benedicit, & omnia opera concutiuntur & tremunt? Quænam verò eſt veritas? an non Dei Verbum ac Filius, per quem omnia facta ſunt? Ego, inquit, ſum via, veritas, & vita. Veritas non eſt, niſi ex vero, naturaliter & æternaliter ab ipſo nata. Propterea infert, dicens: Benedictus Deus veritatis, qui eſt Pater veritatis Chriſti. Chriſtus veritas, quem omnis ſpiritus colit & tremit. Quare quod Verbum quidem vivens eſt, & perſona perfecta, & ſpiritus ſimiliter, quæ modò dicta ſunt abundè docere poſſunt.* Lib. 1. p. 751.

IX. Ad ſapientiam quoque & ad veritatem ſpectant, quæ ſcribit Nazianzenus de Verbo; quod

ita

ita Verbum, λόγος, seu ratio & sermo, se habeat ad Patrem, sicut ratio vel sermo, λόγος, ad mentem; scilicet ab eo procedens, & impassibiliter procedens, & illum enuntians. Quare & ita se ad illum habere se dici potest, sicut definitio ad definitum; ὡς ὁρος τὸ ὁριζόμενον; id enim significat λόγος. Id apertè docet Christus, ubi ait, *Qui videt me, videt & Patrem*. Est enim Filius quasi compendiosa Patris demonstratio. Qui porro Verbum, λόγος, Ratio, idem Sapientia est, in qua sunt rationes omnes rerum conditarum. An posset oro te creata aliqua natura esse ipsissima Patris declaratio, definitio, sapientia, ut Filius est sapientia de sapientia? *Verbum porro quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem, non modò propter generationem passionis omnis expertem, verùm etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem. Fortasse etiam quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium cognovit, ait Christus, (hoc enim significat illud, Qui vidit,) Patrem quoque cognovit: ac brevis, & compendiosa facilisque Paternæ naturæ declaratio, est Filius. Omne enim quod genitum est genitorem suum tacita quadam voce definit. Quod si quis etiam, quia rebus omnibus insit, λογον vocari contendat, à ratione non aberrabit. Quid enim est, quod non Verbo conditum sit? At verò sapientia est rerum divinarum & humanarum scientia. Quì enim fieri potest, ut conditor rerum à se conditarum rationes ignoret?*

Naz. Orat. 12. pag. 190.

Pergit mox Nazianzenus ad nomina Filii, qui sapientia, veritas, imago cum sit Patris, vivens utique viventis, ut veritas de veritate, sapientia de sapientia, multò expressior est imago Patris, quàm Seth Adami. Ex quo id jure inferes, nulli creatæ naturæ competere posse, ut sit sapientia, ut sit veritas, sanctitasque, ne ita fiat ejusmodi Dei imago, ut & Filius germanus sit Dei ex propria ejus essentia, quod nulli obvenire posse creaturæ assentiuntur omnes. *Veritas ut natura unum, non multa. Verum quippe unum est, mendacium multiplex: atque etiam ut purum Patris sigillum, minimèque mendax character. Imago, ut ejusdem cum Patre substantiæ, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Hæc siquidem imaginis natura est, ut exemplar suum imitando referat. Quanquam hìc imago exemplar suum expressiùs refert. Illic enim rei vivæ ac motu præditæ mortua & motûs expers imago est: hìc autem vivi exemplaris viva quoque est effigies, multòque minùs à Patre differens, quàm Seth ab Adamo, filiusque omnis à parente suo.*

Ibid. p. 191.

X. Affinia his sunt, quæ idem alibi de Spiritu sancto philosophatur adversùs Macedonianos; ubi sine illo confirmat imperfectam fore Deitatem: fore enim ut sanctitate careat, si Spiritu sancto careat, qui ipsa Sanctitas est. Cùm ergo nunquam potuerit Deus sanctitate, aut summa perfectione sua carere, hinc liquidum fit, & semper fuisse Spiritum sanctum, & Deum semper fuisse, cùm non sit nisi Deitatis sanctificare & deificare. *Quæ enim imperfectæ Deitatis utilitas? immo quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim, si sanctitate careat. Hanc porro quomodo habere queat, nisi Spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, qua tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam; aut siquidem eadem hæc est, quid afferri potest, quamobrem non jam inde à principio fuerit? Quasi verò præstiterit Deo, aliquando imperfectum extitisse, ac Spiritus expertem. Si à principio non erat, mea classis atque ordinis est, etiamsi me nonnihil antecedat. Temporis enim interstitio à Deo dirimimur. Porro si ejusdem mecum classis est, quo pacto me Deum efficit, aut quo pacto cum Deitate compingit?*

Orat. 37. pag. 134.

Nec verò tergiversari fas est, & ad sanctitatem recurrere essentialem & absolutam Dei, quæ non peculiaris in eo sit persona. Occurrit enim Gregorius, & occludit illud effugium, eodem quo nos argumento historico paulò antè. Scilicet altiùs rem repetendo ab antiquissima traditione toto orbe evulgata de Verbo & de Spiritu sancto, qui hypostaseos etiam suæ proprietate à Patre distinguerentur. Id testatur Nazianzenus in Veteris Testamenti Scripturis testatissimum fuisse, ideoque mirum fuisse, quomodo id Saducæi inficiarentur, negantes esse Spiritum sanctum, aut Angelos ullos; ex Gentilibus Philosophis celeberrimos, & eos qui propiùs ad nos accesserunt, re nobis assensos esse, solo nomine dissensisse, cùm Spiritum sanctum appellarent Mentem mundi, sed extrinsecam mentem: νῦν ἢ πανταχῆς, ἢ τὸν ὑπερδεᾶ νῦν. *Sed operæ pretium facturum me puto, si de eo altiùs aliquantò disputationem repetam. Nam de Trinitate priùs jam à nobis est pertractatum. Spiritum sanctum Sadducæi penitus non esse censuerunt, quemadmodum nec Angelos, nec resurrectionem: quibus haud scio quid acciderit, ut tot ac tanta de eo in Instrumento veteri testimonia pro nihilo haberent. Qui autem apud Ethnicos Theologiæ laude magis excelluerunt, propiùsque ad nos accesserunt, per imaginem quandam ipsam, meo quidem judicio conceperunt, tametsi in nomine dissenserint, universitatis nempe mentem, & extrinsecam mentem, aliisque id genus nominibus eum appellantes.*

Ibid. p. 195.

Platonicos hìc Gregorius Philosophos innuit, eosque affirmat propiùs ad nos accessisse: μᾶλλον ἡμῖν προσηγγίσαντες; quæ ipsissima fuit Augustini de Platonicis sententia. Porro Platonici Verbum quidem Mentem dixerunt, τὸν νοῦν: at Spiritum sanctum Animæ mundi potiùs nomine designarunt, ψυχήν. Indiscriminatim hæc habuit Gregorius, quòd minimè necessaria illi tum esset accuratior de his disceptatio; cùm plus satis esset innuisse à nostro dogmate & à Scripturarum doctrina non prorsus abhorruisse hos Philosophos, & propiùs eos à nobis abfuisse, quàm Arianos. Ea de re nos inferiùs suo loco, hìc unum illud monebo, Formas illas veritatis, sanctitatis, castitatis, & alias id genus, quas Ariani tribuebant principi illi creaturæ, quam Verbi & Filii Dei nomine induebant, & nec ubique esse, nec semper fuisse, nec immutabilem esse volebant: à Platonicis Philosophis tributas esse Verbo Filioque Dei vero, utpote æterno, immenso, incommutabili.

CAPUT XXV.

In Deo tria unum sunt, quia una charitas, veritasque.

I. Ubi unitati accedit veritas & charitas, ubi Patri Filius & Spiritus sanctus, non periclitatur, non minuitur unitas, sed stringitur magis magisque.

II. Quantùm distent divinæ Personæ à creatis, quàm non possint hæ, quàm facilè illæ possint in unam naturam individuam coire.

III. Eadem doctrina ex Augustino confirmatur. Unaquæque Persona divina unitas est, veritas est, charitas est. Ejusmodi Personæ facilius coeunt in unam individuam naturam, quam personæ creatæ.

IV. Si qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus est: si credentium erat cor unum & anima una; quid in Deo, ubi natura, ubi quælibet hypostasis charitas est?

V. Antedictorum confirmatio luculenta ex Ambrosio.

VI. Luculentissimè rursus hæc eadem ex Hilario.

VII. Eadem confirmantur ex Cassiodoro.

VIII. Confirmantur & ex Bernardo.

IX. Confirmantur & illustrantur hæc eadem ex Epiphanio & Nazianzeno.

X. Nonnulla hìc ex Patribus adnotantur, maximè ex Augustino.

I. UBi primi Principii unitati accedere creditur veritas & charitas, nihil reformidandum esse docet Fulgentius, ne unitas periclitetur, aut inducatur pluralitas: cùm ex adverso pateat, tantò strictiorem, simplicioremque & firmiorem fore unitatem, quantò arctiùs illi cohæserit veritas charitasque. Quanta enimverò est illa fibula unitatis, quando & nos in tantam summoti longinquitatem & dissimilitudinem à Deo, in ejus tamen unitatem recolligimur, & in unum cum eo conglutinamur quodammodo, ubi hujus Veritatis Filii, & Charitatis Spiritus sancti consortio aliquo donamur? Si nos Deo devincit & adunat charitas, veritasque, quid divinas hypostases? Ita vedelicet Deum decet, ut arctissimè sibi devinciatur, non accidentaria, sed subsantiva charitate. En verba Fulgentii: *Hoc itaque dignè petimus illius in nobis dono Spiritus fieri, qui est unus Spiritus & Patris & Filii: quia sancta naturalis unitas & equalitas & charitas, Trinitas, que unus solus & verus est Deus, unanimitate sanctificat quos adoptat. In illa quippe una substantia Trinitatis, unitas est in origine, equalitas in prole; in charitate autem unitatis, equalitatisque communio. Nulla est divisio illius unitatis, nulla diversitas illius equalitatis, nullum fastidium illius charitatis. Ibi enim nihil discrepat; quia equalitas chara & una, & unitas equalis & chara, & charitas equalis atque una, naturaliter & incommutabiliter perseverat. Quia ex ipsa, si dicendum est, communione Spiritus sancti, charitas una demonstratur Patris & Filii, quam communionem beatus Apostolus tali sermone commendat: Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Et alio loco: Si quod solatium charitatis, si qua communicatio spiritus.*

Fulgent. l. 2. ad Monim. c. 4. p. 51.

II. Si cui ergo inter prima fidei rudimenta reptanti adhuc & necdum satis confirmato durum videatur, credere tres divinas hypostases, & tres verissimè esse, & unam tamen esse substantiam individuam; id ex eo fit, quòd non satis ille exploratum habet, non satis unquam perpendit, quales sint divinæ hypostases. Quanquam enim verissimè & subsantivæ sint, & distinctæ, non ejusmodi tamen hypostases sunt, aut personæ, quales Angelorum, aut hominum; quales exempli gratia Michael, Gabriel, Raphael; aut quales Paulus, Timotheus, Sylvanus. Durum esset, fateor, si credere juberemur, tres istiusmodi personas unam esse individuam substantiam, tam unam, quàm Michael est, aut Paulus solus. At Personæ divinæ Æternitas, Veritas, Charitas, Unitas, Sapientia & Bonitas longè diversissimi sunt ordinis, & incomparabiliter eminentissimi, & ad summam atque incredibilem unitatem accommodatissimi. Habet bene multa Michael, quibus Gabrieli consentiat, habet & quibus dissentiat; hic una substantia excludit aliam, nulla aliam includere potest. Sunt enim hinc & hinc finitæ, ideoque nec intra fines suos allas admittunt, nec intra fines earum admitti possunt. Si qua earum infinita esset, & alias caperet, & ab illis caperetur. Divinæ Personæ, & infinitæ sunt, & mutuò sese immeant; ac proinde adeo sese non excludunt, ut mutuò includant, quo earum declaratur & unitas & distinctio. Sed res tota dilucidior etiam fiet, si has propiùs inspiciamus Personas. Veritas æternitatem non excludit, sed includit; æternitas veritatem. Charitas nec veritatem excludit, nec ab ea excluditur: Sapientia & veritatem complectitur, & veritatis charitatem, sicut & charitas veritatem & sapientiam. Hæc omnino insinuabat luculentus Fulgentii locus, quem modò protulimus.

III. Præclarissimè hæc eadem Augustinus, antè tamen præfatus, quàm arduum sit de Deo dicere, una quadam summa re, si tamen re, & non rerum omnium causa, si tamen causa; nec enim facilè inveniri quid de eo dicatur, nisi quòd ex eo, per eum, & in eo sint omnia. *Res igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus sanctus est, eademque Trinitas; una quædam summa res communisque omnibus fruentibus ea; si tamen res, & non rerum omnium causa sit; si tamen & causa; non enim facilè tamen quod tantæ excellentiæ conveniat, potest inveniri; nisi quod melius ita dicitur, Trinitas hæc unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.*

Augustin. de Doctrin. Christ. l. 1. c. 5. To. 3.

In Patre mox ait esse unitatem, in Filio æqualitatem, utriusque concordiam in Spiritu sancto: scilicet ut Unitas Pater sese dilatet quodammodo, & hæc sit generatio Filii Patri æqualis, ac denique utriusque mutua charitas & concordia sit Spiritus sanctus: ita ut tres quidem sint divinæ hypostases, nec tamen sit nisi unus Deus: quia unitati amicissima est æqualitas, unitati & æqualitati concordia. Nec tamen dissimulandum est, in his dicere nos aliquid velle de Deo; an verè autem aliquid dicamus de eo, non satis constare, cùm ineffabilis sit; & usque adeo ineffabilis, ut vix hoc ipsum sine aliqua pugna verborum dici possit; quæ pugna silentio potiùs, quàm sermone sedanda sit. *In Patre unitas, in Filio equalitas, in Spiritu sancto unitatis equalitatisque concordia: & tria hæc unum omnia propter Patrem, equalia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Diximusne aliquid & sonuimus aliquid dignum Deo? Imò verò me nihil aliud quàm dicere voluisse sentio. Si autem non est hoc quod dicere volui, hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est? quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et sit nescio quæ pugna verborum; quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest: non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potiùs, quàm voce pacanda est.*

Ibid.

Id ab eodem Augustino alibi observatur, Sapientiam dici & Patrem & Filium & Spiritum sanctum: etsi propriè etiam dicatur Sapientia Verbum; & similiter Charitatem dici Patrem & Filium & Spiritum sanctum: & tamen propriè magis dici Charitatem Spiritum sanctum; denique tres unam esse Sapientiam, unam Charitatem, quæ ipsa eorum substantia sit, non adventitia qualitas. Cùm ergo istiusmodi sit natura divina, cùm istiusmodi sint tres divinæ hypostases, non illæ ita sunt indissociabiles, atque personæ quæpiam creatæ, sive Angelorum, sive hominum. Personæ illæ quæ sunt ipsamet unitas, ipsamet sapientia, ipsamet charitas, facilius intelliguntur in unam individuam coalescere posse substantiam. Audi Augustinum: *Nescio cur non sicut Sapientia & Pater dicitur, & Filius, & Spiritus sanctus, simul omnes non tres, sed una sapientia: ita & charitas & Pater dicatur & Filius & Spiritus sanctus, & simul omnes una charitas.* Et mox: *Ut scilicet in illa Trinitatis simplici summaque natura, non sit aliud substantia, & aliud charitas; sed substantia ipsa sit charitas, & charitas ipsa sit substantia, sive in Patre, sive in Filio, sive*

Ibid. l. 6. c. 10. Pag. 159

sive in Spiritu sancto, & tamen propriè Spiritus sanctus Charitas nuncupetur.

Meritò dici Deum charitatem addit Augustinus, potissimùm autem Spiritum sanctum, quia unitas divina fœcunditate sua non dividitur, sed
L. de quinque hæres. c. 8. coagulatur. *Ideo enim dicitur Deus charitas, quia partibus non dividit unitatem, sed ineffabiliter coagulat charitatem.* Si Paulus, Timotheus & Sylvanus participatione tantùm aliqua donati sapientiæ & charitatis, tam facilè consentiunt, & inter se conveniunt; & quantò majore copia abundant sapientiæ & charitatis, tantò magis propendent, ut in unum confluentur: quid si ipsa essent substantia sapientiæ & charitatis totius? Ita nobis ergo obversari debent divinæ hypostases, non ut tres Angeli, vel tres Apostoli, tres sapientia & charitate pollentes: sed ut ipsa sapientia & ipsa charitas, in tres se dilatans hypostases, & una tamen trium sapientia, charitas, unitas simplicissima.

VI. Si qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus est, ex Apostolo: quid ipsæ divinæ Hypostases? Si credentium erat anima una, & cor unum; omnium corda & animas in unum cor & in unam animam conflante charitate qualicumque de cœlo eis illabente; quid si ea fuisset non participatio, sed substantia ipsa charitatis summæ; quid si substantia ipsa cordium & animarum fidelium non alia fuisset, quàm substantia charitatis? Ita autem habet in Personis divinis; earum charitas substantia est ipsa charitatis; earum hypostases singulæ substantia ipsa sunt charitatis. Nullo ergo dispendio summæ Unitatis illa divinitatis & charitatis substantia in tres hypostases dispensatur; quando ita loquebantur aliquando sancti Patres. En verba
Augustinus Tract. 14. In Evang. Joan. to. 9. pag. 44. Augustini: *Non singuli Dii, & ambo Dii, sed singulus quisque Deus, & ambo Deus. Tanta enim ibi est charitas Spiritus sancti; tanta pax unitatis, ut de singulis cum interrogatur, Deus tibi respondeatur: de Trinitate cum interrogatur, Deus tibi respondeatur. Si enim Spiritus hominis quando inhæret Deo, unus Spiritus est; apertè Apostolo dicente, Qui adhæret Domino, unus Spiritus est: quantò magis Filius æqualis adhærens Patri, simul cum illo unus Deus est?* Et statim
Ibidem. ibidem: *Et de illa congregatione sanctorum quid dicit Scriptura? Erat illis anima una & cor unum in Deum. Si charitas de tot animabus fecit animam unam, & de tot cordibus fecit cor unum: quanta est charitas inter Patrem & Filium? Major utique potest esse quàm inter illos homines, quibus erat cor unum. Si ergo multorum fratrum cor unum propter charitatem, & multorum fratrum una anima propter charitatem: Deus Pater & Deus Filius dicturus es, quia duo sunt? Si duo Dii sunt; non est ibi summa charitas. Si enim hìc tanta charitas est, ut animam tuam & animam amici tui unam animam faciat; quomodo ibi non est unus Deus Pater & Filius? Absit ut hoc sentiat fides non ficta. Prorsus quantum excellat charitas illa, hinc intelligite: Multæ animæ sunt multorum hominum, & si se diligunt, una anima est. Sed possunt dici & multæ animæ. Possunt, sed in hominibus: quia non est tanta conjunctio. Ibi autem, unum Deum licet dicas: duos, aut tres Deos, non licet ut dicas. Hinc tibi commendatur supereminentia & summitas charitatis tanta, ut major esse non possit.*

Ita prorsus habet, creata, participata, aliqualis unitas, concordia, charitas, amicitia, utcunque potest plures homines, Angelosque in unum conglutinare: at ipsa essentia, supereminentia, summitas unitatis, concordiæ, charitatis, qua major ne cogitari quidem potest, tres divinas personas in unum Deum constringit; quia totum ibi est substantia ipsa summæ charitatis. Unde alibi rursum idem Augustinus: *Si*
Ibidem Tract. 18. pag. 14. *Deus est major & Deus minor: duos Deos colimus, non unum Deum. Quare, inquit? Et tu non duos Deos dicis æquales sibi? Hoc ego non dico. Æqualitatem enim istam sic intelligo, ut ibi intelligam etiam individuam charitatem, & si individuam charitatem, perfectam unitatem. Si enim charitas quam misit hominibus Deus, de multis hominum cordibus fecit cor unum, & multas hominum animas fecit animam unam: sicut de credentibus seseque invicem diligentibus scriptum est in Actibus Apostolorum: Erat illis anima una, & cor unum in Deum? Si ergo anima mea & anima tua cum idem sapimus, noscque diligimus, fit anima tua: quantò magis Pater Deus & Filius Deus, in fonte dilectionis Deus unus est?* Ita planè in fonte ipso dilectionis, in individuæ charitatis substantia, in perfectissimæ unitatis natura, non potest non esse ea charitas unitasque, quam nullæ assequi possint naturæ creatæ, qualis est trium hypostaseon in una substantia individua.

Si tot millia hominum & Angelorum in unum compaginantur, quando adhærent Deo, quando charitate copulantur Spiritus sancti: quantò magis, quantò ineffabiliùs charitas Patrem & Filium
Ibidem Tract. 39. pag. 104. copulabit in unum Deum? *Attendite ergo fratres, & hic agnoscite mysterium Trinitatis, quomodo dicamus. Et Pater est, & Filius, est, & Spiritus sanctus est, & tamen unus Deus est. Ecce illi tot millia erant, & cor unum erat: ecce tot millia erant, & una anima erat. Sed ubi? In Deo. Quantò magis ipse Deus? Nunquid erro in verbo quando dico duos homines duas animas, aut tres homines tres animas, aut multos homines multas animas? Rectè utique dico. Accedant ad Deum, & una anima est omnium. Si accedentes ad Deum multa anima per charitatem una anima est, & multa corda unum cor: quid agit ipse fons charitatis in Patre & Filio? Nonne ibi magis Trinitas unus est Deus? Inde enim nobis charitas venit, de ipso Spiritu sancto, sicut dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Si ergo charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, multas animas facit unam animam, & multa corda facit unum cor: quantò magis Pater & Filius & Spiritus sanctus, Deus unus, lumen unum, unumque principium?*

Inde est quod idem Augustinus non semel professus est, ubi Pater & Filius soli nominantur, non tamen sileri Spiritum sanctum, quia charitas est substantialis & consubstantialis amborum:
Tract. 105. pag. 182. *Consequenter enim & Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filii, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum.* In tribus divinis personis una est & inseparabilis ex eodem Augustino æternitatis, veritatis, & bonitatis natura: in Spiritu sancto Patris & Filii communitas est, æqualitas est in tribus; hæc omnia unitas, charitas; à Patre bono, à Filio bono effusa bonitas est Spiritus sanctus. Nihil hìc est quod non summam quandam & inenarrabilem unitatem spiret: *Et hanc Trinitatem,*
De Verbis Domini. Serm. 11. c. 12. Tom. 10. pag. 17. *quamvis servata singularum proprietate & substantia personarum: tamen propter ipsam individuam & inseparabilem æternitatis, veritatis, bonitatis essentiam vel naturam, non esse tres Deos, sed unum Deum. Ac per hoc pro captu nostro, quantum ista, per speculum & in enigmate, præsertim talibus, quales adhuc sumus, videre conceditur, insinuatur nobis in Patre authoritas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas.* Et paulò pòst: *Est ergo Pater Filio veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta veritas, & Spiritus sanctus à Patre bono & Filio bono effusa bonitas; omnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas.*

Eodem ſpectat & illud quod Joannes dicit, Deus charitas eſt; ut hanc videlicet intelligamus Dei eſſe naturam, ut charitas ſit. Patris etiam nomen ipſum, & Filii charitatem præ ſe fert. Spiritus ſanctus peculiariùs charitas dicitur. Cùm naturam Dei & tres ejus diſtinctas hypoſtaſes unam rem eſſe ſimpliciſſimam fides prædicat, non hæſitat, non diffidit, niſi qui non cogitat, aut non ſatis ſeriò cogitat, hanc eſſe charitatis & opulentiam & unitatem. *Audite apertius ipſum Joannem: Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Parum eſt dicere, Charitas ex Deo eſt. Quis noſtrum auderet dicere, quod dictum eſt, Deus charitas eſt? Dixit qui noverat, quod habebat. Quid ergo humana imaginatio & volatica cogitatio fingit ſibi Deum, & in corde ſuo fabricat Idolum; componens qualem poteſt cogitare, non qualem meruit invenire? Talis eſt Deus? Non, ſed talis eſt. Quid lineamenta diſponis? Quid membra componis? Quid ſtaturam placitam formas? Quid pulchritudinem corporis imaginaris? Deus charitas eſt. Quis color eſt in charitate? Que lineamenta? Que forma? Nihil horum videmus: & tamen amamus.*

Serm. 2. De Diverſis a Jovani. editus. c. 2. pag. 406.

V. Probat Ambroſius ex Paulo, Chriſtum Filium eſſe charitatis Patris, & in hoc natum eſſe, ut ſit charitas ipſa; ideoque diſtingui eum à Patre cujus Filius eſt, ut & una ſit cum eo, & indivulſa charitatis ſubſtantia. Sic ergo ille libro de Iſaac & anima: *Meruit (Chriſtus) coronari à matre quaſi Filius charitatis, ſicut Paulus oſtendit, dicens, quia Deus eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii charitatis ſuæ. Charitatis itaque Filius & ipſe charitas eſt; non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens eam ſubſtantia ſua, ſicut regnum, de quo dicit, Ego in hoc natus ſum.*

Ambroſius Tom. 1. pag. 312. c. 4.

Et in libro de Benedictionibus Patriarcharum ita Filium eſſe interpretatur in ſinu Patris, quia ex intimo quodam naſcitur paternæ charitatis naturæque ſecreto: *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit, &c. Sicut ergo ſinus Patris ſpiritalis intelligitur intimum quoddam Paternæ charitatis naturæque ſecretum, in qua ſemper eſt Filius.*

Cap. 11. pag. 127.

Et in Apologia David poſteriore, una ſede animadvertit Patrem & Filium ſedere, pro copula charitatis: *Quia una in ſede una majeſtate potiuntur: & ſedent, non pro diſcerniculo dignitatis, nec pro ordine poteſtatis, ſed pro copula charitatis.*

Cap. 8. pag. 147.

Et in libro II. de Fide, ubi ſedere advertit Filium à dextris, nec inde ſuſpicandum eſſe gradum in Divinitate, quia nulla ibi differentia charitatis, nullum diſcrimen unitatis: *Ad dexteram quoque ſedere nulla prælatio eſt, neque ad ſiniſtram injuria. Divinitas enim gradum neſcit, nec loco aliquo circumſcribitur, nec temporibus definitur. Anguſtis animis homines iſta penſamus. Nulla differentia charitatis, nullum diſcrimen eſt unitatis.*

L. 2. c. 4. Tom. 2. pag. 80.

Et in libro IV. de Fide: Si mutua hominum concordia & amicitia plures in unum coaleſcunt, ut alter alterius dimidium ſe dicat eſſe alter alterius anima & vita vivere: quid in Patre & Filio, cùm noſtra omnia divinæ ſint imitamenta ſubſtantiæ? *Quod ſi homines plerumque ſenſuum qualitati diſcreti, tamen unius propoſiti intentione concordant: quid de Patre nos & de Filio congruit æſtimare, cùm id quod humana imitatur charitas, ſubſtantia divina poſſideat?*

Cap. 3. pag. 121.

Et libro II. de Spiritu ſancto, demonſtrat non unum tantùm, ſed idem eſſe Patrem & Filium, quod imitantur amicitiæ humanæ, dum amicus amicum alterum ſe eſſe dicit. Nec fruſtra ſunt hæc naturalia hominum incitamenta, ad quandam inter ſe plurium charitatem, unitatem, identitatem affectandam; ut quod re non poſſunt, ſaltem ſimulent, & cupere ſe ſignificent, ut plures & unus ſint: *Unde quidam interrogatus quid amicus eſſet, Alter, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definivit, ut alterum ſe eſſe diceret, per unitatem videlicet amoris & gratiæ: quantò magis in Patre & Filio & Spiritu ſancto unitatem majeſtatis æſtimare debemus; cùm per eandem operationem ac divinitatem, vel unitas, vel certè id quod amplius eſt, ταυτότης, ſicut Græcè dicitur, exprimatur. ταυτὸν enim idem ſignificat, eò quòd idem habeat & Pater & Filius & Spiritus ſanctus; ut idem velle & idem poſſe, non ex affectione ſit voluntatis, ſed in ſubſtantia Trinitatis.*

C. 18. pag. 113.

VI. Si perconteris Hilarium, quomodo totum quod eſt in Patre ſit in Filio; plenitudo divinitatis Patris ſit & in Filio; non modò totum, ſed & idem quod eſt in Patre ſit in Filio; Pater in Filio totus ſit? Reſpondebit hanc eſſe Patris & Filii unitatem, virtutem, charitatem, veritatem, vitam. Nec enim ea fuiſſet Patris & Filii unitatis & charitatis perfectio & præſtantia, niſi ita habuiſſet. *Igitur perfecti Patris perfectus Filius, & ingeniti Dei unigeniti ea progenies; qui ab eo qui habet omnia, accepit omnia, Deus à Deo, Spiritus à Spiritu, lumen à lumine, & confidenter ait: Pater in me, & ego in Patre. Quia ut Spiritus Pater, ita & Filius Spiritus: ut Deus Pater, ita & Filius Deus: ut lumen Pater, ita & Filius lumen. Ex iis ergo quæ in Patre ſunt, ea in quibus eſt Filius, id eſt, ex toto Patre totus Filius natus eſt; non aliunde, quia nihil antè quàm Filius: non ex nihilo, quia ex Deo Filius: non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio: neque in aliquibus, quia in omnibus: ſed ut voluit qui potuit, ut ſcit, qui genuit: quod in Patre eſt, hoc & in Filio eſt: quod in ingenito, hoc & in unigenito eſt: alter ab altero, & uterque unum: non duo unus, ſed alius in alio, quia non aliud in utroque: Pater in Filio, quia ex eo Filius: Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius: unigenitus in ingenito, qui ab ingenito unigenitus. Ita in ſe invicem, quia ut omnia in ingenito Patre perfecta ſunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta ſunt. Hæc in Patre & Filio unitas, hæc virtus, hæc charitas, hæc fides, hæc veritas, via, vita.*

Hilarius. De Trin. L. 7. c. 31.

Et ex eodem alibi, ubi charitas generat charitatem, non poteſt non eſſe ſumma gignentis genitæque unitas, communio, identitas. Quid enim ſui negabit charitas? quid negabitur charitati? Natura Dei bonitas eſt, charitas eſt. Non poteſt ergo non ſe effundere, & tantam ſe, & talem, qualis & quanta eſt effundere; ac eandem quæ eſt, cùm præter ipſam nulla talis & tanta ſit. Una erit ergo & ſummè una; una erit natura & ſubſtantia bonitatis & charitatis generantis cum charitate genita; etſi verè illa generet, verè hæc generetur; ille Pater ſit, hic Filius: quando hæc una eſt fœcunditas & effuſio quanta maxima poteſt charitati tribui. Tota charitas totam ſe dat, totus Pater totum ſe Filio infundit, non ex parte. *Neſcit autem Deus aliud, quàm dilectio eſſe; neque aliud quàm Pater eſſe. Et qui diligit, non invidet: & qui Pater eſt, non etiam non Pater totus eſt. Non enim admittit hoc nomen portionem, ut ex aliquo Pater ſit, & ex aliquo Pater non ſit. Pater enim univerſitatis ejus, quæ in ſe eſt, Pater eſt; omnem ſe in eo habens, cui non ſit ex portione, quod Pater eſt: non quod ſibi eorum quæ ſua ſunt, Pater ipſe ſit, ſed quod in his quibus ipſe eſt, ei qui ex ſe eſt, Pater totus ſit.*

L. 3. n. 10.

VII. Hinc ergo emergit illa difficultas, qua laborat mens, ut Deitatem cogitet, unam ſubſtantia, trinam perſonis, quòd ad rerum creatarum modum Deum cogitamus. Si non aliter occurreret nobis divina natura, quàm ut ipſa veritas, ſapientia, juſtitia, bonitas, charitas: faciliùs aſſentiremur eſſe poſſe divinam progeniem hypoſtaſi à Patre diſtinctam, ſubſtantia & natura Deitatis indiſtinctam.

stinctam. Si generat enim sapientia, si bonitas, si charitas, perspicuè necesse est, ut sapientia generans & genita sapientia una sit, cùm duæ non possint esse sapientiæ, uti nec duæ bonitates, nec duæ charitates. Quæ enim ipsa per sese sapientia dicitur, *αὐτοσοφία*, per sese bonitas, per sese charitas, totam occupavit & exhausit plenitudinem & infinitatem sapientiæ, bonitatis & charitatis. Accipe ex Cassiodoro ut cogitandus sit Deus, tanquam sapientia, veritas, charitas; his enim cogitationibus ubi assueferis mentem tuam, tum illa minùs laborabit in partu sapientiæ non ita distinguendo à parente, ut naturarum creatarum proles à parentibus distinguuntur, tametsi verè distinguatur partus à parente. Sic igitur ille libro de Amicitia: *Credendus itaque & cogitandus est Deus, quadam & omnia mutabilia immutabiliter faciens, omnia intelligens, omnemque intelligentiam creans: sapiens, & ipsa sapientia, veritas fixa, justitia indeclinabilis, scientia, virtus, summa bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immensitas, summa essentia, quæ est esse: summa & æterna substantia.* Et paulò pòst: *Disponit enim ut sapientia, operatur ut virtus, amat ut charitas, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, judicat ut æquitas, præsidet ut majestas.* Et rursus infrà: *Omnia quidem quæ in Deo sunt, inæstimabiliter excellentiora sunt his, quæ nostra sunt. Ipse enim diligis ut charitas, judicat ut æquitas, disponit ut sapientia, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, operatur ut virtus, præsidet ut majestas.* Et infrà: *Dilectio sanè se transfundit in alium, quia esse solitaria dedignatur.* Ita in creaturis, tum ubique, tum hìc Deum potissimùm imitantibus, ut in re præclarissima. Et aliquantis interpositis ita defluit Cassiodorus ad processiones divinas, ubi vi unitatis, communionis & charitatis fieri ait, non tantùm ut quæcunque in Patre sunt, sint & in Filio; ac proinde ut una sit individua Patris Filiique natura, & unum id non largiatur Filio Pater, ut Pater sit: sed etiam ut idipsum quod maximè proprium est Patri, ut Pater sit, totum Filii sit: nec enim Pater est, nisi Filii; & quantus maximus est Pater, unius Pater est Filii. *Vides oculo fidei, quòd in illa sanctissima Trinitate una est virtus, una essentia, quæ tribus Personis communis est. Persona verò à Persona propria notatione discernitur. Nec beneficium communionis, aut potiùs unionis impedit, quod solus Pater est Pater, vel solus Filius Filius: est enim Pater non sibi, sed Filio, cui de sua substantia genito, dedit vitam habere in semetipso. Facit ergo charitas, ut omnia sint inter proximos communia.*

Cassiodorus, Pag. 327.

Pag. 334.

Ibidem Pag. 141.

VIII. Alludit Cassiodoro, vel potiùs Augustino, unde illa Cassiodorus hauserat, Bernardus; ubi ait multa de Deo & de nobis dici, sed modo & sensu longè dissimillimo. Nobis enim omnia ex parte obtingunt, Dei propria est omnium plenitudo & essentia. Amat & nescit homo, amat & nescit Deus; sed Deus amat ut charitas, nescit ut veritas; homo participat, at Deus plenitudinem & essentiam possidet charitatis & veritatis. Ita & generat Deus Filium, generat homo filium; sed Deus generat pro naturæ suæ præstantia ineffabili, ut sapientia sapientiam, charitatem charitas; generat homo hominem ut caro carnem. At caro generans & caro genita non ita potest esse una caro, sicut sapientia generans & genita, charitas generans & genita, una sapientia, una charitas est; ita ut ne animo quidem fingi possit duas esse, vel ipsas per se sapientias, vel ipsas per se charitates; cùm unius infinitas & plenitudo vetet & prævertat, ne qua possit esse alia. Sic igitur Bernardus: *Dicimur amare, & Deus; dicimur nosse, & Deus. Et multa in hunc modum. Sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas. Quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos, sed longè inferiori modo; non utique bono quod sumus, sed quod participamus.*

Bernard. De Consid. l. 5. c. 5. p. 896.

IX. Sed in hanc nostram sententiam quid illustrius, quid expressius dici potuit, quàm quod habet Epiphanius contra Marcionistas; non plures esse Deos, sed unum, qui cùm bonus sit, bonum genuit; cùm charitas sit, charitatem genuit; quia veritas est, veritatem genuit; quia lumen est, lumen genuit; quia vita est, propagavit vitam: denique cùm bonitas, charitas, veritas, lumen & vita sit, non participatè, non parcè & jejunè, sed plenissimè, atque ut fons; ita hæc eadem genuit, ut fons flumen propagat, suam ipsius substantiam propagando; ut una sit fontis & fluminis aqua, atque substantia, una plenitudo. *At nos plerisque jam testimoniis ostendimus, unum esse Deum, ac Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui bonus est, bonumque genuit: charitas item est, & charitatem genuit: fons est, & fontem vitæ produxit. Apud te enim est fons vitæ, ait Scriptura: Idem & veritas est, & veritatem genuit; similiterque lumen est, & lumen genuit: vita est, & vitam propagavit; idque sine ullo principio, ab æterno, citraque tempus. Qua ratione Marcionis error omnis evertitur.*

Epiphan. hæres. 42. c. 14. p. 377.

Hæc fatetur Epiphanius ex Scripturis se sumpsisse: sed orote, quid in his est, cui non ratio, si modò sana & sobria sit, non suffragetur? Deum scilicet proprietate substantiæ suæ ipsam esse bonitatem, charitatem, veritatem, lucem, vitam; idque non parcè, sed plenissimè; non sterilitet, sed fœcundissimè, & fontis instar tota plenitudine sua exundantis; ut una sit substantia fontis & fluminis, bonitatis, charitatis, veritatis generantis & genitæ.

X. Nazianzenus uno verbo rem perfecit, ubi dixit, Trinitatem Deum unum & esse & credi, non minùs propter concordiam, quàm propter essentiæ unitatem: *Nam & illa Trinitas Deus unus est, non minùs propter concordiam, ὁμονοίαν, quàm propter eandem essentiam.* Ne quis hìc nodum in scirpo quærat, non nesciebat Nazianzenus, concordiam & charitatem in Deo, ipsammet esse ejus essentiam.

Nazianz. Orat. 12. pag. 198.

XI. Refricanda hìc memoria est constantissimi illius apud Augustinum effari, de quo non semel suprà dictum est à nobis, natura rationali superiorem non esse, nec verò esse posse naturam quamlibet aliam, nisi naturam sapientiæ, veritatis & charitatis, cujus æternis & incommutabilibus legibus non potest non esse essentialiter obnoxia natura quæcumque intellectualis & rationalis. Unde ne cogitando quidem fingi potest natura quæpiam ratione utens, quæ non inexorabiliter teneatur se suaque regere convenienter legibus & regulis incommutabilis veritatis & sapientiæ super se radiantibus. Ita solo Deo, qui Veritas æterna & incommutabilis Sapientia est, minor inferiorque est natura rationalis, sive Angelica, sive humana. Unde supra Augustinus: *Natura hominis, quæ mente rationali & intellectuali creaturas ceteras antecedit, solus Deus est major: cui utique injuria facta non est, ubi scriptum est, Major est Deus corde nostro.* Non immeritò ergo monebant nos paulò antè sancti Patres, cogitandum nobis esse Deum, ut charitatem, ut veritatem, ut sapientiam; quod ita cogitatur, ut summum magnum, ut quo cogitari nihil melius potest, ut denique cui non possunt non subesse creaturæ intellectuales & rationales omnes, omnium creaturarum excellentissimæ. Illud inde nascebatur, ut divina quoque fœcunditas talis cogitaretur, qualis potest charitati, veritati, sapientiæ competere. Potest enim ipsa per sese sapientia, & sic de aliis ejusmodi virtutibus, cùm tota, plenis-

plenissima & inexhausta atque infinita sit, sese diffundere ac propagare, ut ex ea oriatur sapientia, origini suæ non dispar: at à mente creata quacumque, quæ sapiens, & participatè tantùm sapiens est, non potest prodire sapientia; ex quo fit ut intellectuales omnes & rationales substantiæ nullas sui generis substantias gignere possint; cùm nec creatura creare possit, nec sapientiæ delibatio substantiam ullam sapientiæ ex se profundere. Hinc est quòd qualescumque divinæ fœcunditatis imagines superiùs plerumque sancti Patres ex naturis corporeis mutuabantur. Propterea quòd etsi natura intellectualis cætera Divinitatis ornamenta propiùs imitetur, quàm corporea: corporea ex adverso natura propiùs certissimè accedit ad divinæ fœcunditatis imitationem. Quoniam ergo has similitudines ex rebus corporeis derivatas obiter tantùm & perfunctoriè suprà attigimus, non abs re erit hìc eas paulò accuratiùs tractari.

CAPUT XXVI.

Quas ex natura corporea similitudines sancti Patres mutuas sumpserint ad arcana Trinitatis elucidanda.

I. Similitudines ex igne & splendore apud Augustinum, Ambrosium, Hilarium.

II. Item apud Cyrillum, qui addit exemplum mellis & dulcedinis.

III. Ex Hilario, quàm multa deficiant in his similitudinibus.

IV. Rursum ex Augustino, de igne & splendore.

V. Ex Athanasio comparatio fontis & fluvii, Solis & splendoris, mentis & rationis.

VI. Ut ab eo resistatur Marcionistis, seu Trideitis, tres Soles mutuò immeantes obtrudentibus.

VII. Ut eam comparationem non improbaverit Nazianzenus.

VIII. De his omnibus egregiè Gregorius Nyssenus, qui ab uno Sole duos alios prodire ait; atque ita non abhorret à comparatione trini Solis.

IX. De eodem ex Dionysio.

X. Oculi, fontis, & fluvii comparatione utebatur Nazianzenus.

XI. Ex Athanasio has similitudines suggerit nobis Scriptura.

XII. De eodem ex Cyrillo Hierosolymitano.

XIII. Et ex Cyrillo Alexandrino.

XIV. Arnobio placuit elegantissima similitudo venæ, fontis, fluvii.

XV. Augustino placuit similitudo fontis, fluvii, potionis. Item radicis, arboris, ramorum.

XVI. Quomodo spiritus, sanguis & aqua unum sint ex Augustino, quia unum significant.

XVII. Ex Cyrillo Alexandrino, cur Filius Brachium, Digitus dicatur Spiritus sanctus.

XVIII. De eodem ex Ambrosio.

I. INgenitum, tametsi à Deo creatum, dixit alicubi Augustinus ignem, genito à se splendori consubstantialem & coævum esse; atque ideo hæsitare neminem jure posse, quin & Pater consubstantialem & coæternum Filium possit Deus Deum generare. *Quomodo ignis in substantia sua, in qua est à Creatore creatus, est quidem ingenitus, sed genito à se splendori consubstantialis est & coæternus.* Sed quam pulcra sunt, quæ ille alibi disputat contra Arianos ab exemplo ignis & splendoris ejus? *Concedite quæso Creatori, quod ipse præstitit creaturæ. Ecce ignis & splendor duo sunt. Alter ex altero est, nec sine altero alter est. Ignis Pater, Splendor Filius. Unus sine conjuge Pater, alter sine matre Filius. Nec dividi alter ab altero potest; & cùm sit alter ex altero, initium tamen alterius esse non potest sine altero. Hoc posse à Creatore tributum est creaturæ: quid potest ipse Creator? Accedat Paganus, accedat Sabellianus, videat Arrianus; contemplentur lucernam, in ipsa videant, quod in Deo videre non possunt.* Ita ille in Sermone adversùs quinque hæreses.

Ab his non recedebat Ambrosius libro 1. de Fide: *Dicet aliquis, Quomodo generatus est Filius? quasi sempiternus, quasi Verbum, quasi splendor lucis æternæ, quasi simul splendor operatur ut nascitur. Apostoli istud exemplum est, non meum. Noli ergo credere quod fuerit vel momentum aliquod, quo fuerit sine sapientia Deus, aut sine splendore lux.*

Pulcherrimè autem Hilarius comparationem ignis exequitur, qui ab igne prosilit, & in igne manet, unus cum eo ignis, à quo nascitur; multa quidem ille in se habet, lucem, splendorem, calorem, vim urendi, mobilitatem: at hæc omnia unus ignis. Non supra fidem ergo erit, si qua ejusmodi, imò & si qua his mirabiliora dicantur de Deo. *Afferet autem pro parte fidei hujus significationem, ignis in se ignem habens, & in igni ignis manens. Nam cum sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æstuandi, totum tamen ignis est. Et hæc universa una natura est. Habet quidem ex infirmitate quod per materiam subsistit ac vivit, & cum ea per quam vixerat deficit. Sed hoc quod incomparabile Dei est, ex comparationum parte cognoscimus; ut non incredibile in Deo sit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis.*

Pergit Hilarius: ignis de igne, lumen de lumine, unus tamen ignis, unum lumen, ubi nihil dividi, nihil separari potest: demus Creatoris naturæ & dignitati amplius etiam his aliquid: *Quæro itaque nunc, utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est. Aut numquid abscinditur natura, ne maneat; aut non sequitur natura, ne insit, cùm accenso lumine ex lumine per quemquam quasi nativitatis profectum naturæ nulla defectio sit, & tamen sit lumen ex lumine? Aut numquid hoc non manet in eo, quod ex sese sine defectione subsistit? Aut non hoc inest in eo, unde non recisum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro an non unum sint, cùm lumen ex lumine nec divisione separabile sit, nec genere naturæ? Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam fidei tantùm comparata sint, non etiam ad Dei dignitatem.*

II. Placuit & Cyrillo Alexandrino ea comparatio, cui & illam adjunxit dulcedinis ex melle manantis. Ita enim ait ille capienda esse hæc Christi verba de Spiritu sancto, *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: quia de meo accipiet*; perinde ac si mel de dulcedine sua diceret, Nihil ex seipsa deliciarum præbebit, sed à me capiet omnia. *Non loquetur, inquit, ex seipso, sed quæcumque audierit loquetur, quia ex meo accipiet. Perinde enim est ac si mel de qualitate naturali, qua sibi inest, dicat, Nihil ex seipsa gustantium sensui immittet, sed ex meo accipiet: transeunte videlicet naturaliter substantiarum, ut ita dicam, qualitate, in ea quæ inseparabiliter ex eis procedunt: quemadmodum, ut modò diximus, dulcedo ex melle, calor ex igne, refrigeratio ex aqua. Non est igitur Spiritus ex participatione, ut hæretici opinantur: sed potiùs naturaliter atque essentialiter.*

III. Redeo ad Hilarium, ad Græcos mox reversurus. Sic ergo ille affirmat aliquando somniasse Hierarcham, Patrem & Filium instar esse geminæ lucernæ; vel potiùs unius lucernæ duobus luminibus, seu lychnis, unius olei substantia utrumque rigante. At contrà Hilarius declarat Filii ex Patre non seriem, non tractum, non connexionem esse, sed progeniem, sed nativitatem; cæterùm hujusmodi similitudinem naturæ corporeæ ab ex-

Ambr. Tom. 4. pag. 64.

Hilar. l. 2. pag. 110.

Hilar.

Cyrill. Alex. Tom. 5. pag. 1150.

Hilar. l. 6. pag. 105.

ab excellentia divina procul esse. *Hierarchas nesciens Unigeniti nativitatem, nec Evangelicorum sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipertita divisio substantiam Patris & Filii æmularetur; quæ ex unius vasculi unguine accenderetur in lumen; tanquam esset substantia exterior, ut oleum in lucerna continens luminis utriusque naturam; vel certè ut lampas papyro eidem intexta, utroque capite luceret, esseteque media materies, lumen ex se utrumque protendens. Hæc stultitiæ humanæ error invexit, dum quod sapiunt, ex se potius quàm Deo sapiunt.* Et aliquantò pòst: *Nihil corporale secundùm nos, nihil inane in Dei rebus est. Quod Deus est, Deus totum est. Nihil in eo nisi virtus, nisi vita, nisi lux, nisi beatitudo, nisi spiritus est. Materias hebetes natura illa non recipit, neque ex diversis constat, ut maneas. Deus est ut Deus quod est permanet, & permanens Deus Deum genuit. Non continenter ut lampas & lampas, aut lychnus & lychnus, exteriore natura. Unigeniti ex Deo Dei nativitas non series est, sed progenies; non tractus est, sed ex lumine luminis natura; Unitas est, non ex connexione porrectio.*

IV. Augustinus verò id certè præ se fert, neminem molestè ferre debere, si diceremus nihil prorsus esse in universa creatura, quod Creatori comparemus, sive naturam ejus spectemus, sive nativitatem. Si supra omnem enim comparationis aleam est tota Dei substantia, quid Dei de Deo nativitas? *Nativitas Creatoris fortasse similitudinem in creatura non habet. Quanto enim superat ea quæ sunt hìc, in eo quod ibi est: tantò superat ea quæ hìc nascuntur, in eo quod ibi natus est. Omnia per Deum hìc sunt. Et quid tamen est comparandum Deo? Sic omnia quæ hìc nascuntur, illo efficiente nascuntur. Et sic forsitan non invenitur aliqua similitudo nativitatis ejus, quomodo non invenitur & substantiæ ejus, & immutabilitatis, divinitatis, majestatis ejus.*

Augustin. Tom. 10. pag. 52. Ser. 38.

Sic ille in Sermonibus de Verbis Domini: & idem mox tamen similitudinem promit splendoris ab igne effulgentis, ab illo nascentis, & illi coævi; mox enim ut ignis est, est & ejus splendor; nec quisquam tam obtusus est, qui non id capiat: cùm ita Deo visum sit *inseminare omni animæ initia intellectus, initia sapientiæ*, ut ex his initiis audeat aliquando anima consurgere ad ineffabilem Dei magnitudinem propiùs inspiciendam. *Interrogo autem ego, & dico, Fulgor ab igne existit, an ignis à fulgore? Omnis anima mihi respondet, voluit enim Deus inseminare omni animæ initia intellectus, initia sapientiæ: omnis mihi anima respondet, & nemo dubitat, quod splendor ille de igne existit, non ignis de splendore. Ponamus ergo ignem Patrem illius splendoris: quia jam prælocuti sumus coæva nos quærere, non coæterna. Si lucernam accendere cupio, nondum est ibi ignis, nondum est ille splendor. Mox autem ut accendere, simul cum igne & splendor existit. Da mihi hìc ignem sine splendore, & credo tibi Patrem fuisse sine Filio.*

V. Ad Græcos retorquenda oratio est, & ad Athanasium ante alios, qui summa quadam perspicuitate & elegantia ita docet Patrem esse in Filio & Filium in Patre, quomodo lumen in radio est, qui ab eo fluit, radius in lumine, à quo fluit; cùm una sit utriusque natura, ex hoc in illum emanans. Ita etiam & mens & ratio unum sunt, fons & flumen; una utrobique substantia, una natura, jugiter effundente se suaque omnia mente in rationem, fonte in flumen, Sole in splendorem. *Ego in Patre, & Pater in me. Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere conceditur, eò quòd quidquid est Filius, id universum sit proprium substantiæ Patris: veluti ex lumine proradiatio, & fluvius ex fonte; ut qui Filium*

Athanasius cont. Arian. Orat. 4. Pag. 484.

videat, id videat quod est Patri suum ac proprium; ac intelligat, quod Filius sit, eam essentiam ex Patre esse; atque ita eum in Patre existere. Estque vice versa Pater in Filio, eò quòd id quod est Patri proprium ac suum, idipsum sit Filius; ut in radiis Sol, mens in ratione, fons in flumine; atque ita quis videns Filium, videt id quod proprium est substantiæ Patris, & intelligit Patrem in Filio esse. Nam quum species deitasque Patris essentia sit Filii, bene consequitur, ut Filius in Patre existere dicatur, & Pater in Filio. Ideoque meritò, quum antea dixisset, Ego & Pater unum sumus, subintulit ista, Ego in Patre, & Pater in me; ut identitatem divinitatis unitate essentiæ demonstraret.

VI. Non Solis & ejus splendoris, sed duplicis, aut etiam triplicis Solis comparatione delectabantur Marcionistæ, quasi tres divinæ hypostases in una Deitate essent, sicut tres Soles sibi quis finxerit, reciprocè immeantes. His ab Athanasio vehementer resistitur, quòd ita tres Patres & tria Principia in exitium fidei Catholicæ, unum Patrem, unum Principium, unum Deum complectentis inveherentur. Nec enim tres illi Soles ita prædicabantur, ut unus esset, à quo alii procederent in unitatem substantiæ. Erat ergo magis accommodata comparatio cum Sole, uno unoque splendore ejus & calore. Quanquam enim esset & hìc quod claudicaret, occurrebatur tamen Trideitis Marcionistis. *Non enim quemadmodum exemplo supradicto similitudineque ostenditur, tria Principia, aut tres Patres introducimus, sicuti Marcionistæ; cùm non tres Soles ad comparationem adducamus, sed unicum Solem ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem: ita unum Principium agnoscimus, Conditoremque dicimus, non alium modum, quàm unius Numinis rationem habere, eò quòd ex ipso soboles nata sit.* Et infrà non minùs eleganter: *Et Pater quidem à nemine, Filius autem à Patre habet. Ut enim si ipsum jubar loquatur, Omnia mihi donavit lux, ut illustrarem; & ex me ipso lucem non prabeo, sed ut lux voluit: ea si diceret, non indicaret se aliquando non habere; sed lucis se quiddam esse proprium, lucisque omnia sua esse. Ita id quoque multò magis in Filio intelligendum est: nam omnia Pater dedit Filio: & rursum, omnia Pater possidet in Filio: Filioque possidente, Pater vicissim ea retinet. Ut enim Filii divinitas est: ita Pater in Filio universali rerum providentia consulit. Horum igitur verborum istiusmodi intellectus est.*

Ibid. p. 262.

Pag. 278.

VII. Similitudinem illam triplicis Solis probavit aliquando Nazianzenus; sed ita certè, ut præverteret insidias Marcionistarum, & ita se habere tres illos Soles contestaretur, ut & una esset atque individua Deitatis essentia in tribus, & unum esset ingeniti Solis lumen, à quo duo Soles alii existerent. Ita jam nihil reformidandum erat à tribus Solibus Marcionistarum. *Individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est Divinitas, ac velut in tribus Solibus inter se cohærentibus una lucis commixtio & temperatio. Quum ergo ad divinitatem, primamque illam causam, uniusque principatum & imperium respexerimus, unum est quod mentis nostræ oculis obversatur. Quum rursus ad ea, in quibus est divinitas, & quæ ex prima illa causa, citra ullam temporis intercapedinem, ac pari gloria sunt, tria sunt quæ adorantur.*

Nazianz. Orat. 37. pag. 601.

Inferiùs autem Deum ita se habere dicit, ut unum lumen trino splendore micans, ita ut creata ab eo sint secunda lumina, Angelicæ naturæ: *Lumen unum & inaccessibile, ac successioni minimè obnoxium, Deus; nec principium habens, nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, atque ejusmodi, ut paucis, immo ne*

Orat. 41. pag. 695.

paucis quidem, perſpicua ſit ipſius magnitudo. Secunda autem lumina, primique luminis radii, virtutes ipſum circumſtantes, atque adminiſtri Spiritus.

Non tacet autem Nazianzenus, quid periculi ſubeſſe poſſit his exemplis, & quæ hinc labes affingi poſſent & naturæ Dei & divinis perſonis. Si Sol enim, & radius, & lux cogitentur, verendum eſt, ne injuria illinatur divinæ ſimplicitati ex comparatione naturæ compoſitæ, & pluribus ex partibus coagmentatæ. Metuendum etiam ne uni Patri ſubſtantia concedatur, reliquis abjudicetur perſonis; Sol enim ſubſtantia ipſe quidem eſt, at radius & lux qualitates. *Solem rurſus & radium ac lucem cogitavi. Verùm hìc quoque metuendum eſt, primùm ne incompoſita natura compoſitio quædam excogitetur, quemadmodum Solis & eorum, quæ Soli inſunt. Deinde ne Patri quidem eſſentiam tribuamus, ſed reliquos ſubſiſtere negemus; verùm facultates quaſdam Dei conſtituamus, quæ ipſi quidem inſint, non autem per ſe ſubſiſtant. Neque enim radius, aut lux alii Soles ſunt, ſed Solis velut rivi quidam, & ſubſtantiales qualitates.*

Orat. 37. Pag. 611. 612.

VIII. Copioſiùs hæc omnia, idemque luculentiſſimè edifſeruit Gregorius Nyſſenus; & illud ſemel præfatus has comparationes non putidè nimis urgendas eſſe, ut accuratiſſimè omnia contentiant; tum deinde tres unius Dei naturæ hypoſtaſes, non Soli tantùm cujuſque radio & radii luci comparat; ſed multò lubentiùs Soli aliud ex ſeſe Solem prorſus ſibi æqualem gignenti, ut ex his jam duobus tertius oriatur Sol, nec lumine diſpar, nec majeſtate. Ita ſumma unitas, ſumma æqualitas trium conſtituitur, cùm una ſit omnium origo à Patre, una & communis natura luminis: *Per ea quæ menti cognita & familiaria ſunt, decurrentes, à Patre per Filium ad Spiritum ſanctum accedimus. Nam in conſideratione ingeniti luminis conſtituti, lumen illud, quod ex ipſo continuè procedit, cognovimus; videlicet tanquam radium cum Sole pariter ſubſiſtentem, cujus eſſe cauſam à Sole habet: ſed exiſtentia ſimul eſt cum Sole, non poſteriore demum tempore adjecta; verùm ſimul ac Sol apparuit, ipſe etiam radius inde reſplenduit. Quin potius (non enim neceſſe eſt, ut qui imagini ſerviunt, calumniatoribus, allati exempli minùs apta accommodatione, dent contradicendi occaſionem) non radium ex Sole, ſed ex ingenito Sole alium Solem mente ac cogitatione apprehendemus; qui ſimul cum primo per generationem extiterit, in omnibus primo æqualis, pulchritudine, potentia, ſplendore, magnitudine, fulgore, breviter omnibus aliis, quæ in Sole inſunt. Et rurſus aliud tale lumen ad prædictum modum conſtituemus; nullo temporali intervallo à lumine genito abſciſſum: ſed per ipſum equidem effulgens; principium verò ſuæ hypoſtaſeos à primævo lumine accipiens: lumen quidem & ipſum eſt ad ſimilitudinem præcepti luminis lucens & illuminans, & omnia alia quæ luci competunt efficiens. Neque enim in hoc ipſo eſt luminis à lumine aliqua diſtinctio, ſeu variatio; quando in illuminandi gratia & virtute nullus planè adeſt defectus, utpote omni perfectione cum Patre & Filio ad ſummum uſque evectum: quadque cum Patre & Filio numerari & nominari, & per ſe ipſum ad lumen, quod in Patre & Filio ineſſe intelligitur, adducere omnes, qui illius participes fieri poſſunt, conſuevit.*

Nyſſenus, Con. Eunomium. l. 1. Tom. 2. pag. 394.

IX. Ab his non diſcedit Dionyſius, cui tamen hoc loco unum illud propoſitum erat, ut divinarum perſonarum mutuam exponeret immeationem, non ut earum origines aperiret. Unum ille obſervat eſſe lucem plurium in eadem domo accenſarum lampadum: ita ut una ſit omnium lux, indiſtinctè diſtincta. Quis enim unius lumen ſecreverit ab aliarum luminibus, quandiu in iiſdem ædibus lucent? At vel extincta, vel asportata una lampade, unius illius lumen extinguitur, vel aufertur; quo teſtatum ſit antea etiam illud à cæterarum luminibus diſcretum indiſcretè fuiſſe. *Divinarum perſonarum in ſeipſis, ſi ita loqui fas eſt, mutua manſio, & collocatio, in totum ſupraquàm copulata in unum, & non confuſa in parte ulla: ſicut lumina lampadum ut exemplis ſub ſenſum cadentibus & familiaribus utar, quæ ſunt in una domo, & tota ſunt in ſe totis viciſſim, non permixta, ac per ſe exiſtunt, perfectè inter ſe mutuò ſigillatim diſtincta, conjuncta in unum diſcretè, & diſcreta conjunctim. Siquidem in domo cernimus, in qua multæ lampades exiſtunt, in unum quoddam lumen cunctarum lumina coaleſcere, ſplendoremque unum individuumque proferre; neque quiſquam, ut arbitror, poteſt unius lampadis lumen ab aliarum ex ære cuncta lumina continente ſecernere, atque alterum abſque altero videre, quod tota totis ſine confuſione contemperata ſint.*

Dionyſius, De Div. Nom. c. 2. Pag. 49.

X. Oculi, fontis & fluvii comparatione uſus eſt Nazianzenus, ut oculus ſit Pater, fons Filius, flumen Spiritus ſanctus; ſed quæ illum remorarentur, ne plus æquò huic comparationi aſſentiretur, ſic ipſe declarabat. Ne fluxus videlicet induceretur, & ne una numero ſtatueretur Dei hypoſtaſis. *Oculum quendam & fontem, ac fluvium mihi propoſui, quemadmodum alii quoque, ut viderem, num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluvio proportione quadam conveniret. Hæc enim, nec tempore diſtinguuntur, nec ob continuitatem à ſe invicem abrumpuntur: ac tribus inſuper proprietatibus quodammodo ſcindi videntur. Sed ſubiit me timor, primùm ne fluxio quædam divinitatis ſtationis expers admittatur. Deinde ne per hanc ſimilitudinem unum numero introducatur. Oculus enim & fons & fluvius unum ſunt numero, variè efformata.*

Nazian. Orat. 37. Pag. 611.

Paulò aliter alibi idem Nazianzenus, ubi unius oculi, ſive fontis aquam in duo flumina ſcindi vult, ita ut una ſit aqua in tribus, una duorum fluminum origo, & hinc trium unitas: *Duo in flumina ſcindi contingit, quod ab uno fontis oculo primùm manaverat.* Etſi porro excurrant longiſſimè hæc flumina, principium tamen cum parente ſuo conjunctum habent. *Quamvis enim uterque ſupradictorum fluviorum procul extra terminos ferri, longoque intervallo à fonte diſtare videatur, principium tamen ad fontis perpetuitatem cum parente ſuo conjunctum atque unitum habet. Haud diſſimili modo bonorum quoque omnium Deus, ille veritatis rector, & Salvatoris Pater, prima illa vitæ cauſa, & ſtirps immortalitatis, ille ſempiternæ vitæ fons, biflua quadam & biſida Filii & Spiritus ſancti intellectuali ad nos miſſa gratia, nec ipſe eſſentiam ſuam quicquam læſit, nec enim ob illorum ad nos adventum immunitionem ullam ſubiit; & hi ad nos uſque proceſſerunt, nec tamen à Patre ulla modo ſeparantur.*

Orat. 41. Pag. 710.

XI. Ne quis verò faſtidioſior has parvi faciat ſimilitudines, illas ex ſacris litteris depromit Athanaſius, quæ nos hoc documento imbuerunt, corporearum etiam naturarum univerſitati inſcripta eſſe lineamenta, cùm frequentia, tum etiam ſplendida divinarum perfectionum, immò etiam originum, relationum, hypoſtaſeon. Tota hac pulchritudine, dicam audaciùs, forſan & veriùs, tota hac eruditione ſcatent naturæ etiam ſenſibiles; ſed oculos deſiderant eruditos, eruditas aures mentis, ut videamus, ut audiamus, quid illæ nobis de Deo uno & trino oſtendant, quid loquantur. Hos oculos, has aures excitant Scripturæ, ſi vel his animum advertamus. En Athanaſii verba: *Ne igitur interroges, ſed ſolum ex ſacris litteris condiſcas. Sufficiunt enim quæ in illis reperias documenta. Fons igitur & lux nominatur Pater. Me, inquit, reliquerunt fontem*

Athanaſ. Pag. 114.

aqua viventis: Et rursum in Baruch: Quid est Israel, quod in terra inimicorum tuorum hæres, reliquisti fontem sapientiæ? Et secundùm Joannem, Deus noster lux est. Dicitur & Filius, respectu quidem fontis istius fluvius, siquidem fluvius Dei repletus est aquis; respectu verò lucis splendor, Paulo ita dicente, Qui est splendor gloriæ & forma substantiæ ejus. Et paulò pòst: *Rursum quum Pater fons sit, Filiusque proinde flumen appelletur, nos qui inde bibimus, Spiritum sanctum bibere perhibemur. Scriptum est enim, quod uno Spiritu potati sumus: potantes autem Spiritum, Christum bibimus.* Hæc ille in Epistola ad Serapionem data, ut addoceret, Spiritum sanctum non esse creaturam.

Sed nusquam dilucidiùs hanc similitudinem executus est Athanasius, quàm in Expositione Fidei, ubi docet non esse proponendas nobis tres divinas hypostases tanquam seorsim per seipsas distinctas & divisas, quemadmodum in corporea hominum natura, ne Gentilium more plures Deos colere videamur; sed ita indivisas, sicut fluvius à fonte genitus, ab eo non dividitur, etiamsi duæ sint species, duo nomina. Neque enim Pater Filius est, aut Filius Pater; sicut neque fons fluvius est, aut fluvius fons est; sed una utriusque est aqua, quæ à fonte in fluvium propagatur: ita enim & divinitas una eademque à Patre in Filium indivisim
Pag. 301. continuatur. *Neque tres substantias seorsum distinctas, ut corporaliter in hominibus fit, cogitamus; ne Deorum pluralitatem ad instar gentium sapere videamur. Sed veluti ex fonte fluvius exortus non dividitur; tametsi duæ sint species, duo sint nomina. Neque enim Pater Filius est, neque Filius Pater: nam & Pater Filii Pater est, & Filius Patris Filius est: ut enim fons, fluvius non est: neque è diverso fluvius, fons est: uterque tamen una & eadem aqua, quæ ex fonte in flumen propagatur; ita quoque ex Patre in Filium Deitas perenniter & indivisim continuatur.*

XII. Uno verbo rem attigit Cyrillus Hierosolymitanus, *Principium Filii sine tempore & incomprehensibile. Sine principio Pater, fons fluminis justitiæ; unigeniti Pater, qui genuit illum, sicut novit ipse solus.* Ita prorsus habet, Dei intra seipsum fœcunditas nobis incomprehensibilis est, ipsi soli nota est; illam tamen voluit ipse nobis revelare, & his exemplis à creatura intellectuali & corporali sumptis significare: Sapientiæ sapientiam, lucis lucem, fontis fluvium ex se profundentis, & in progenie sua sese quodammodo continuantis, ut una sit utrobique natura, una substantia, multiplex hypostasis & persona: nec enim fons fluvius est. Pater autem est ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης ποταμὸς; Fons fluminis justitiæ; Filius est fluvius ipse justitiæ & sapientiæ.

XIII. Negat Cyrillus Alexandrinus ita divisas esse tres divinas unius naturæ hypostases, ut Angelus ab Angelo, homo ab homine discretus est; sed unam esse characterem alterius; unam esse ceu fluvium ab alia ceu fonte manantem; unam esse ceu fructum ab altera germinantem; una enim & indivisa substantia est fluvii & fontis, fructus & arboris à qua prodit, & cui adhæresçit. Hic verò seu fluvius, seu fructus sapientiæ & charitatis à principio suo ita procedit, ut ab eo multò minùs recedat: Sapientia enim & charitas sese propagans propaginem suam multò evidentiùs suo semper in sinu gestat, & distinctam, & indivisam. Ita ergo in
Cyrillus Alexandr. Tom. 1. part. 2. pag. 192. Dialogo VI. de Trinitate apud Cyrillum: *Intelligitur enim Deus ac Pater in se subsistere, subsistit verò Filius quoque peculiariter: veruntamen licèt propriam hypostasim uterque habeat, distinctionem tamen prorsus non admittunt. Neque enim sejungitur à Patre Filius, quemadmodum Angelus ab Angelo, & inter nos hic ab illo, totus à toto fortè separabitur, neque adeo differentiæ ratio in totum abducet utrumque seorsim planè statuens; alioqui enim essent quoque duo Dii. Sed cùm una & sola sit, ac intelligatur Deitas, viventem, & subsistentem in Patre Filium videbimus, & vice versa, in Filio Patrem. Character enim est substantiæ ejus.* Et confestim ibidem: *Unius igitur naturæ unus etiam est Spiritus, & promanat quidem velut à fonte Patre: est tamen haud alienus à Filio.* Et mox: *Cùmque sit suprema Deitatis fructus, quomodo Deitatis bonis carere censebitur? Propria autem res est Deitatis, sanctificatio, cujus capax est Spiritus. Sanctus enim est secundùm naturam, & universam creaturam sanctificat.* Et in Thesauro: *Si ex Deo & Patre procedit Spiritus sanctus, & veluti fructus quidam, atque qualitas est essentiæ ipsius; ὥσπερ τὶς καρπὸς ἢ ποιότης τῆς οὐσίας αὐτοῦ: Pater verò creatus, aut factus non est, quomodo erit creatus Spiritus, qui ab ipso procedit?* Ab eodem cardine relegata sunt hæc omnia: Si creaturæ suæ id Creator contulit, ut substantiæ ipsius suæ simillimos sibi pareret fructus, sive in arboribus, sive in animantibus, sive in fontibus, sive in lumine; an nullam sibi habet Creator ipse fœcunditatem, aut habet degenerem? Subobscuræ enim tantùm Creatoris imagines in naturis creatis sunt.

Ibidem. Pag. 161.

XIV. Ne sileant hìc nobis Latini, elegantissimè Arnobius etsi paulò diversè hanc descripsit similitudinem venæ, fontis & fluvii. Hic jam Filius fons est, quia vena est Pater, à qua fons fluit. Nominum hæc discrepantia est, non rerum, si tamen nominum. Nam & venæ nomen à fonte non abludit, si Ausonium audias, ubi ad antiquam Latinam Celticamque antiquissimam linguam ita alludit, *Divona Celtarum lingua fons addite divis.* Divona Celtarum, seu Priscorum Gallorum sermone dicebatur, quasi Divorum sive vena, sive fons. Porro hujus similitudinis descriptio obscurari potiùs à me poterit, quàm illustrari, si verbis illam meis adgrediar explanare. Sic ergo Arnobius Junior in conflictu suo cum Serapione de
Bibl. Patr. Tom. 15. pag. 380. Deo trino & uno: *Dixit Arnobius, Unde fons? Qui respondentes: De vena terræ. Arnobius dixit: Vena hæc unde nascitur fons, Patris locum opportunè in vestra mente depingat, ut sit Pater vena, Filius fons, qui natus est de vena: de vena verò & fonte non nascitur fluvius, sed procedit. Aliud est nasci, aliud est produci. Quidquid ad vivificandum pertinet, & ad medendum, & ad lavandum, unius ejusdemque substantiæ est: sed tripartitæ personæ, ut sit vena Pater generans Filium, quem diximus fontem: ex vena verò & fonte non nascens, sed procedens fluvius sit Spiritus sanctus. Sitque secum connexa pergens, ut unum sint tres, & sic verè tres, ut verè unum sint. Filius ergo idem fons vitæ simul cum fluvio eodem Spiritu sancto procedente ex Patre & Filio, circuit universa orbis terræ spatia, sitientes potans, ariditates infundens, terras rigans, sordes diluens.*

Ita ille ibi, qui non multò pòst ita argumentatur; si in naturis creatis vix quidquam est, quod majori nos afficiat admiratione, quàm ipsarum fœcunditas, ubi suam ipsæmet unitatem substantivæ multiplicant & propagant, varia semper, semperque mirabili unitatis & fœcunditatis substantivæ concordia: an à Deo, an à Dei imitatione non proficiscetur summum hoc decus naturarum creatarum? *Vena autem nunquam patitur fontis ex se antè nascentis, fluvii ex se & fonte procedentis absentiam. Quod si elementum aquæ servituti nostræ subjectum hanc probant habere potentiam, ut vadens cursu rapidissimo per montes, per colles, per cuniculos aquæductorum, & fistulas, tamen de sinu venæ non discedendo circumfluit; sed ibidem permanendo discurrit: quantò magis Filius & Spiritus sanctus de illo gremio majestatis nunquam penitus abscedentes, inseparabili & integra Trinitate perdurant in unitate substantiæ, in Trinitate personæ?*
Ibidem.

XV. Pla-

XV. Placuit & Augustino hæc eadem similitudo, nonnihil sui dissimilis. Maluit enim ille fontem spectare, & fluvium de fonte manantem, & potionem aquæ de fluvio haustam. Una in his tribus substantia, aqua: una origo, fons; procedit fluvius à fonte, Filius à Patre; potio ab utroque, Spiritus sanctus à Patre & Filio. Magna ergo similitudo; sed est & dissimilitudo non mediocris. Eadem enim aqua quæ nunc fons est, erit postea fluvius, erit denique potio. Non potest autem similiter fieri, ut idem sit aliàs Pater, aliàs Filius, aliàs Spiritus sanctus. *Quodcumque ergo de singulis interrogati, respondeamus Deum esse, de quo quæritur, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum; ut tamen non tres Deos à nobis coli quisquam existimaverit. Nec mirum quod hæc de ineffabili natura dicuntur; cùm in iis etiam rebus quas corporeis oculis cernimus, & corporeo sensu dijudicamus, tale aliquid accidat. Nam cùm de fonte interrogati, non possimus dicere quòd ipse sit fluvius; nec de fluvio interrogati, possimus dicere quòd sit fons; & rursum potionem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium nec fontem possimus appellare: tamen in hac Trinitate aquam nominamus: & cum de singulis quæritur, singillatim aquam respondemus. Nam si quæro utrum in fonte aqua sit, & in fluvio, nihil aliud respondetur; & in illa potione non poterit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Sanè cavendum est, ne quisquam ineffabilem illius majestatis substantiam, sicut fontem istum visibilem atque corporeum, vel fluvium, vel potionem cogitet. In his enim aqua illa quæ nunc in fonte est, exit in fluvium: nec in se manet; & cum de fluvio vel fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis: cùm in illa Trinitate dixerimus, non posse fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus sanctus.*

Augustinus de Fide & Symbolo c. 9. Tom. 3. pag. 150.

Hujus similitudinis vitio speravit Augustinus posse se medicinam facere adhibita similitudine alia radicis, roboris & ramorum in arbore. Nam hic quæ radix est, non potest aliud quàm radix esse; non robur, non rami; & vicissim. *Sicut in arbore radix non est nisi radix, nec robur nisi robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere. Non enim id quod dicitur radix, potest dici robur & rami; nec lignum quod pertinet ad radicem, potest alio etiam transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice: cùm illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, sed unum.* Ita ergo ligna tria lignum unum sunt.

XVI. Longè alia sunt Tria illa & unum, de quibus Joannes in Epistola ita habet: *Tres sunt testes, spiritus, aqua & sanguis, & tres unum sunt.* Non enim una hìc designatur esse horum trium substantia, sed una significatio, quòd non adhibeantur, nisi ad significandum. Spectata autem horum trium jam non natura, non essentia, sed significatione, jure merito & tria & unum esse dicuntur, & divinas tres unius substantiæ Personas adumbrare. Qua in re Augustinum ipsum audire præstat, totum hoc negotium ita elucidantem: *Quæ tria si per seipsa intuemur, diversas habent singula quæque substantias: ac per hoc non sunt unum. Si verò ea quæ his significata sunt velimus inquirere, non absurdè occurrit ipsa Trinitas, quæ unus solus, verus, summus Deus est, Pater & Filius & Spiritus sanctus, de quibus verissimè dici potuit: Tres sunt testes, & tres unum sunt: ut nomine Spiritus significatum accipiamus Deum Patrem. De ipso quippe adorando loquebatur Dominus, ubi ait, Spiritus est Deus. Nomine autem sanguinis Filium, quia Verbum caro factum est. Et nomine aquæ Spiritum sanctum. Cùm enim de aqua loqueretur Jesus, quam daturus erat sitientibus, ait Evangelista: Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes in eum.* Sic sanctus Pater libro tertio contra Maximinum.

*Augustinus l. 3 contra Maximin. c. 22. Tom. 6. Pag. 671.

XVII. Delibatam suprà audivimus à Cyrillo similitudinem duorum Angelorum, vel duorum hominum, qui & plures sunt, & hi tamen illique unum dicuntur in natura quique sua, sive Angelica, sive humana. Prolixioris ea res indiget disputationis, cui hoc obiter præludemus, quod Scriptura non semel nos admonuit, per brachium designari Filium, per digitum verò Dei Spiritum sanctum; porro hæc duo unum quid consubstantiale sunt cum homine ipso. Scitissimè observatum à Cyrillo Alexandrino, Spiritum sanctum appellari Faciem Dei, Digitum Dei: ut hinc augueremur, etsi alibi sua peculiaris hypostasis Spiritui sancto tribuatur: sic tamen illam in unam individuam naturam coagulari cum Patre & Filio, sicut facies & digitus hominis una est cum ipso substantia. Sic ergo ille in Thesauro: *Psalmista David alicubi ad Deum ita exclamat: Quò ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si in infernum descendero, ades: si suscipiam alas meas in mane, & habitabo in extremis maris; etenim ibi manus tua deducet me, & detinebit me dextera tua. Quum igitur Spiritum etiam Faciem Patris appellet, veluti exprimens per divinam ipsius operationem, essentiam ex qua est: quumque etiam cum manum vocet propter virtutem omnipotentem quæ ei inest; quomodo non sit Deus, qui secundùm essentiam Patri copulatus est, atque ex ipso & in ipso est; quemadmodum & manus non est separata à corpore humano, sed potiùs naturaliter ei inhæret?*

Cyrill. Alexandr. the. 5. part. 1. pag. 149.

Ut Spiritus autem sanctus in sacris Litteris dicitur Digitus Dei, ita Filius dicitur Dextera & Brachium Dei. Porro dexteram consubstantialem esse integro corpori, nemo non sentit: denique nemo non sentit & brachium à corpore, & digitum ab utroque habere quod est. Non est monendus Lector de partium istarum tenuitate, quæ illas verat toti corpori æquari. Sed aliud res est, aliud rei similitudo. *Christus Judæos alloquens ita alicubi loquitur: Si verò in digito Dei ego ejicio dæmonia, venit ergo in vos Regnum Dei. Digitum Dei hìc Spiritum sanctum vocat, qui quodammodo ex divina essentia oritur, & naturaliter ex ea dependet, sicut digitus ex humana manu. Brachium enim & dexteram Dei sacra Scriptura Filium vocant, juxta illud, Salvavit eum dextera ejus, & brachium sanctum ejus. Et rursum: Domine, sublime est brachium tuum, & nesciverunt. Quemadmodum igitur brachium naturaliter coaptatum est integro corpori, omniaque operatur quæ menti placent, & inungere solet digito utens: ita & Verbum Dei ex ipso & in ipso naturaliter coaptatum, ut ita dicam, atque emanantem existimemus; & in Filio naturaliter atque essentialiter procedere à Patre Spiritum, per quem omnia ungens sanctificat. Quocirca non est alienus vel extraneus à divina natura Spiritus sanctus; sed ex ipsa & in ipsa naturaliter. Sicut digitus in manu ejusdem natura cum ipsa est, & vicissim manus in corpore, nequaquam diversa substantiæ ab ipso corpore est. Quæ cùm ita sint, Deus certè est Spiritus sanctus, neque aliter sentiendum est.*

Dial. 3. p. 119.

XVIII. Leguntur hæc eadem omnia apud Ambrosium libro III. de Fide ad Gratianum, ex quibus & hoc ille colligit multò magis immaniùsque scindi divinitatis plenitudinem negata trium consubstantialitate, quàm si brachii nostri dexteræque amputatione, unitas substantiæ nobis amputaretur. Ita enim decere, ut ex nostris ea quæ supra nos sunt utcumque capiamus. Si nostri corporis ea est unitas, ea opulentia, ut ex multis membris consubstantialibus constet: quin Deitas plu-

res

res complectatur hypostases salva & incolumi unitate naturæ? *Unde etiam & digitus Dei appellatus est Spiritus, eò quòd sit Patri & Filio & Spiritui sancto individua inseparabilisque communio. Nam sicut Filium Dei Scriptura dexteram Dei dixit, sicut lectum est: Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua Domine confregit inimicos: ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, sicut ipse Dominus dicit: Quod si in digito Dei ejicio dæmonia. Hunc enim digitum in alio libro Evangelii eodem loco Dei Spiritum nominavit. Sic enim habes: Quod si in Spiritu Dei ejicio dæmonia. Quid igitur expressius ad significandam divinitatis, vel operationis dici potuit unitatem, & quæ secundùm divinitatem est Patris vel Filii vel Spiritus sancti, quàm ut intelligamus multò magis: quàm corpus hoc nostrum æterne plenitudinem divinitatis scindi videri, si quis unitatem substantiæ separet, multiplicet potestates; cùm una sit ejusdem divinitatis æternitas? Plerumque enim ex nostris sermonibus, ea quæ supra nos sunt, convenit æstimari. Et quia illa videre non possumus, ex his quæ videre possumus, colligamus.*

Ambrosius Tom. 3. pag. 227. 228. c. 2.

CAPUT XXVII.

An ut plures homines unus homo, ita plures Personæ divinæ unus Deus dicantur.

I. Arianos volentes ita tres Personas unum Deum dici, ut plures; ut omnes homines homo quandoque dicuntur; ut refellat Ambrosius.

II. Ex Augustino quàm dispar sit generatio hominis ab homine, & Dei à Deo, etsi ab illa ad hanc argumentetur.

III. Ex Athanasio, si hominis nomine omnes homines intelligantur: quin tres Personæ unus sit Deus?

IV. Ex Nazianzeno econtra nomine & cogitatione tantùm plures homines unus homo dicuntur; re diversi, animo & corpore diversissimi; non alii tantùm & alii, sed unus idemque sæpè sui dissimilis est.

V. Quærit Nyssenus, cur Paulus, Timotheus & Sylvanus tres homines sint; Pater, Filius & Spiritus sanctus non sint tres Dii. Respondet primò emendatiorem fore sermonem, si usu invaluisset, ut unus homo dicerentur, cùm de natura agatur, quæ in illis una est. Respondet secundò multiplicem esse disparitatem.

VI. Luculenta Nysseni regula ad quæstiones Theologicas.

VII. Eadem ab eodem alibi confirmantur.

VIII. Ex eodem cùm vox illa, Deus, significet operationem, tam non possunt dici tres Dii, quàm tres operantes.

IX. Ut Christianum dogma à Judais & à Gentilibus distet.

X. Ex Cyrillo, Pater & Filius, Sapientia ingenita, & genita, seu Verbum.

XI. Quantùm distet unitas naturæ increatæ ab unitate naturæ creatæ in pluribus Personis.

I. UNa supereſt quam excutiamus ſimilitudo, uti plures homines unus homo dicuntur, an ita plures in Deo Perſonæ unus Deus dicantur. At poſſent & plures ergo Dii dici, ut dicuntur plures etiam homines; idque urgebant Ariani, quorum ſententiam ita refert Ambroſius libro quinto de Fide: *Sed aſſerunt Ariani: Si ſolum verum Deum, ſicut Patrem, ita & Filium dicitis, & unius ſubſtantiæ Patrem, & Filium confitemini: non unum Deum, ſed duos Deos inducitis: quia qui unius ſubſtantiæ ſunt, non unus Deus, ſed duo Dii videntur; ſicut duo homines, aut duæ oves plureſve dicuntur; homo autem & ovis, nec duo homines dicuntur, nec duæ oves, ſed unus homo, & una ovis. Hæc Arriani dicunt, & hac diſputatione verſuta ſimpliciores capere nituntur.*

Reſpondet autem primò Ambroſius in Scripturis ferè plures dici, qui ſunt non ejuſdem, ſed alterius naturæ; ut exemplis probat: *Tamen ſi legamus Scripturas divinas, inveniemus pluralitatem magis in ea cadere, quæ diverſæ diſcreteque ſubſtantiæ ſunt, hoc eſt, ἑτερούσια.* Hinc certò colligi plures ab Arianis Deos coli, cùm diverſam Patri Filioque adſcribant naturam; *Itaque dicendo Patris & Filii diſcretam eſſe ſubſtantiam, differentemque deitatem, duos utique ipſi Deos aſſerunt. Nos autem cum & Patrem confitemur & Filium, aſſerendo tamen unius eſſe divinitatis, non duos Deos, ſed unum Deum dicimus. Et hoc Dominicis eloquiis approbamus, quia ibi plures ſunt, ubi aut naturæ, aut voluntatum & operationum eſt differentia.*

Denuo reſpondet duos homines, etſi ejuſdem naturæ ſint, duos dici, quia tempore, loco, cogitatione, voluntate, opere diſtant; at nulla hujuſmodi diverſitate variari divinas hypoſtaſes; quin & earum unitate ſuperari unius ſecum hominis unitatem, cùm tot unus idemque homo experiatur in ſemetipſo viciſſitudines; quibus fit, ut non diu idem ſit, qui erat. Hinc in Scripturis perſæpè unius hominis nomine plures, vel omnes etiam deſignari, ubi ſeponitur animo tota illa diverſitas, & una ſpectatur naturæ communio. *Denique ut ſuis ſibi teſtimoniis revincantur, duo homines dicuntur, quia licèt unius naturæ ſint jure naſcendi, tamen & tempore & cogitatione & opere & loco diſtant, & ideo non poteſt unus homo dici in ſignificatione & numero duorum, quia non eſt unitas, ubi eſt diverſitas. Unus autem Deus dicitur, & Patris & Filii ac Spiritus ſancti gloria & plenitudo ſignatur. Denique tanta veritas unitatis eſt, ut etiam quando natura ſola generationis aut carnis ſignificatur humanæ, & unus homo de multis dicatur, ſic habes: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo; id eſt, non una perſona hominis, ſed una caro & una fragilitas generationis humanæ. Et addidit: Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in homine. Nec hic utique ſpecialem hominem, ſed generalem conditionem deſignavit.*

Reſpondet denique in hoc uno argumenti ſatis eſſe, ut Pater & Filius & Spiritus ſanctus, unus Deus, non tres Dii & ſint, & dicantur; etſi evenire non poſſet ut ſimiliter duo treſve homines, vel Angeli, unus homo dicantur, vel unus Angelus: quòd in his naturis creatis omnibus unitas eſſe non poſſit, niſi aliqualis, particularis, & ſimulata; in paucis conſentiens ſecum, diſſentiens in longè plurimis: at in Divinis perſonis tribus ſolis reperiatur *Generalis unitas, & quæ in ſe ſecundum Divinitatis gloriam complectatur omnia.* Quo vix aptius ſolidiuſque quidquam dici potuit. En contextum integrum Ambroſii: *Sed inter homines, aut in hominibus unius alicujus rei unitas eſt, aut charitatis, aut cupiditatis, aut carnis, aut devotionis & fidei. Generalis autem unitas, & quæ in ſe ſecundùm divinitatis gloriam complectatur omnia, ſolius eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

II. Nec ab his abludebat Auguſtinus, cùm his verbis adversùs Arianos diſputabat: *Conſubſtantialem itaque ſibi genuit Filium Pater; quia non accepit tanquam creatura indigens, unde genuiſſet: tota copia, quod ipſe eſt hoc genuit; perfectum genuit, quia ſine tempore eſt, ipſe qui genuit, & quem genuit. Si homo generat quod eſt, Deus non potuit generare quod eſt? Accepit homo ab ipſo Deo,*

Auguſtinus Tom. 2. pag. 271. Epiſt. 78.

Deo, & tamen licet acceperit, hoc generat quod accepit; à nullo accipiens Pater Deus quod est generare non potuit? His enim sancti Patris verbis id innuitur, non quomodocunque gigni à Patre Deo Deum Filium, non ut hominem ab homine, non ut Angelum ab Angelo, si Angeli gignerent alii alios; nam etsi natura sua hominem homo, pater filium impertiat, non sua tamen illi dat omnia, multa non dat, in multis à filio differt, in multis filio diutissimè præstat; non possunt ergo dici unus homo pater & filius, sed duo homines. At Pater Deus *tota copia, quod ipse est, genuit;* perfectus *perfectum genuit;* atque adeo nihil reliquum fecit, quo possit à Filio differre, nisi quod Pater est; si quid enim aliud esset, quod esset, vel haberet ipse, & quod Filio non dedisset, non posset hoc nisi perfectissimum aliquid esse, & Deus ipse; eoque cùm destitueretur Filius, Deus utique non esset; & Deus non Deum genuisset, sed creaturam. Hæc est germana vocis consubstantialis interpretatio, ubi de Deo agitur, etsi non ubi de Angelo agitur, & de homine. Etsi enim non pauca bona & pulcra pater habeat, quæ filio non communicarit, verus tamen homo est filius, quia bonis illis potest natura humana carere; at nullo bono potest carere natura divina; ideoque non potest Pater Deus Filium ejusdem secum naturæ gignere, nisi tota copia bonorum suorum illum inundet. Nec hinc infirmatur argumentatio Augustini. Valet enim semper illud, quod hic urget, Si potest homo filium suæ ipsius naturæ gignere, eccur non poterit Deus suæ? Quanquam hoc differat natura divina à creata, quod perfectione aliqua sibi consentanea possit hæc carere, non possit illa. Est enim Deus non qualecunque, non permagnum bonum, sed summum bonum, & ipsa summi boni essentia.

III. Venio ad Athanasium, qui hominis nomine in Scripturis persæpè totum genus humanum designari observat, ut cum comminabatur Deus *hominem* diluvio deletum iri, & cum dicitur Deus hominis memor esse; tota enim humana gens hìc indubiè designatur. Cùm ergo omnes homines unus homo verissimè dici possint, & dicantur in sacris litteris, etsi tanta sit inter eos non varietas tantùm & inæqualitas, sed compugnantia: non erat quod molestè ferrent Ariani, unamquamque trium hypostaseon divinarum Deum dici, & tamen non tres Deos dici, sed unum, cùm in his tanta sit omnium consensio, tanta divinorum omnium attributorum conspiratio in unum, tanta unitas, tanta simplicitas, identitasque. Audiamus Athanasium in libro, De communi essentia Patris & Filii & Spiritus sancti: *Delebo hominem quem feci. Atqui tum non unus erat homo, sed myriades infinitæ; æquè tamen nomine unius naturæ omnes homines unum hominem appellavit, idque ob substantiæ societatem. David porrò iterum dicit, Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? non quod unum hominem inviserit, sed universum orbem excitavit.* Et infrà: *Si igitur in hominibus, ubi ea quæ naturæ sunt confunduntur, ubi discrimen formæ, roboris, & voluntatis: Non enim pares animi, neque forma, neque vires, neque linguæ in illis sunt; unde etiam μέροπες dicuntur; quin ob communionem naturæ omnes incolæ orbis terrarum unus homo nuncupantur. Ubi ergo indivisa dignitas, unum regnum, una potentia, voluntas, efficacia, in suam proprietatem vindicans Trinitatem eamque distinguens à creatura, cur non ibi unum Deum appellare debea?*

Athanasius M. Tom. 1. 174.

IV. Apud Gentiles ipsos objiciebant Adversarii unam etiam dici Deitatem, sed plures Deos; quin & unam esse omnium hominum humanam naturam, quanquam innumerabiles sint homines; nihil ergo verendum, si plures dicantur Dii. At reponebat Nazianzenus, & homines omnes hominem unum dici, & unam eorum omnium naturam, sed nomine tenus & cogitatione; re autem ipsa singulos homines à singulis diversos esse, plerumque diversissimos, etsi unius naturæ sint. Quot enim partibus compositi sunt, tot possunt & oppositi esse. Quì verò fieri possit, ut non alii aliis adversentur, cùm unus idemque homo subinde alios & alios affectus induat animo, aliter & aliter per momenta singula corpore ipso suo afficiatur? Non est ergo hìc quærenda plurium unitas, ubi ne uni quidem eorum constare ea possit, ipsi etiam cum seipso. Angelica certè natura simplicior est, & Trinitati proximior, ut à Nazianzeno dicatur secunda post Trinitatem natura. Sed quantum abest illa tamen ab incommutabilitate, simplicitate, unitate divina, abest autem infinito intervallo: tantum abest, ut ita possint plures Angeli unus Angelus dici, sicut plures divinæ hypostases unus Deus dicuntur. *Quid autem dixerint fortasse, nonne apud Ethnicos quoque Deitas una est, ut docent qui plenius apud illos perfectiùsque philosophantur: atque apud nos genus universum humanitas una? Et tamen Dii sunt non unus, quemadmodum & multi homines. At illic communitas unitatem habet cogitatione sola considerabilem; singularia autem, & tempore, & affectionibus, atque adeo potentia & facultate plurimùm inter se divisa sunt. Nam nos non solùm compositi sumus; sed etiam, cùm inter nos mutuò, tum nobis etiam ipsis oppositi; ut qui ne unius quidem diei spatio, nedum toto vitæ curriculo, planè iidem maneamus; verùm & corporibus & animis, perpetuo defluamus & immutemur. Atque haud scio, num idem quoque in Angelis locum habeat, inque omni illa cœlesti natura & Trinitate secunda: tametsi alioqui simplici quadam natura præditi sint, atque ab vicinitatem eam, quam ad summum bonum habent, in bonum firmiùs defixi.*

Naz. Or. 36. p.

V. Inquisiit & Gregorius Nyssenus accuratè & copiosè, Cur Petrus, Paulus & Barnabas dicantur tres homines, cùm in illis tribus una sit natura, una definitio humanæ substantiæ, quæ hominis voce designatur; nec enim duplicanda sunt nomina, ubi res ipsa significata non duplicatur; ex quo fit, ut nec tres personæ divinæ tres Dii dicantur, quod Dei nomine non persona, sed natura divina significetur. Respondet autem Nyssenus id ita fieri præter usitatum ordinem statamque *legem*, propterea quod usu receptissimo jam factum est, ut cum dicitur homo, non tam natura ipsa humana spectetur, quæ eadem semper est, quàm singuli homines mortales, qui nascuntur & intereunt; nunc pauci numero, nunc plures sunt. Inde enim fit, ut non jam in hominis nomine consideretur una semper hominis natura, sed inconstans & multiplex ac subinde varia eorum fortuna. Contra verò divinarum personarum cum summa sit constantia & immutabilitas divinæ naturæ propria, inde factum est, ut Dei nomine ipsa maximè natura divina spectaretur, una semper eademque. *Definitio hominis non semper in ipsis individuis, sive personis spectatur. Etenim prioribus morientibus alia individua ipsorum loco constituuntur: ac rursus iisdem sæpè numero manentibus, alia quædam superveniunt: ita ut aliquando in his, aliquando in illis, interdum in pluribus, interdum in paucioribus considerentur: itemque in detractione, exitu vitæ, & procreatione individuorum, in quibus hominis definitio spectatur, cogimur etiam multos dicere homines, & paucos mutatione & variatione seu alteratione personarum, expulsa communi consuetudine, & præter ipsam rationem essentiæ; ut cum personis connumerentur quodammodo substantiæ. In sancta verò Trinitate nihil unquam ejusmodi usuvenit, eo quod eædem personæ, & non aliæ atque aliæ dicantur; sed ad idem eodemque modo se habeant, neque incrementum ullum ipsa Trinitas admittat, ut ad tetradem accedat; neque di-*

Greg. Nyss. Tom. 2. p. 16.

minutionem, ut ad dyada redigatur: neque enim generatur, aut procedit à Patre, vel ex una è personis, adeo ut Trinitas etiam tetras sit aliquando; neque interit unquam una ex tribus his personis, ut Trinitas fiat dyas. Jam verò cum nulla accretio, nec diminutio, nec conversio atque alteratio unquam fiat tribus personis, absurdum esset super tribus personis etiam tres dicere Deos.

Ita Gregorius Nyssenus in Tractatu de communibus notionibus; à quo illud statim subjicitur non omnes homines ab uno & eodem oriri Patre, sed alios ab aliis nasci parentibus; unde & in diversas secantur familias. At una est Patris ingeniti persona, à qua reliquæ procedunt divinæ personæ, nec in multitudinem, sed ad unitatis opulentiam effundendam procedunt. *Rursus hominis persona omnes non ab eadem persona continuum habent esse: verùm hæc quidem ex illa, hæc autem ex illa, in multa & diversa esse, secundùm causata, & causas: verùm in sancta Trinitate non ita se res habet: nam unâ & eadem est persona Patris; ex quo Filius generatur, & Spiritus sanctus procedit. Quocirca etiam propriè unum authorem eorum, quæ a se ut causa dependent, unum Deum asserimus; quandoquidem unà etiam cum ipsis existit.*

His accedit quòd plurium hominum plures sint cogitationes, voluntates, affectus, virtutes, vitiositates, quibus non facilè conciliari potest illa unitas naturæ, qua alioqui jactare se possent, quantumlibet numero plures. *Neque enim tempore dividuntur à se invicem personæ Deitatis, neque loco, neque voluntate, consiliove, neque instituto, neque operatione, neque affectione ulla ejusmodi, quæ consideratur in hominibus. Sed dumtaxat quia Pater, Pater est; & non Filius; Filius, Filius est, & non Pater: similiter etiam Spiritus sanctus, neque Pater, neque Filius est. Quapropter nulla necessitas urget nos ad dicendum tres Deos esse personas tres; quemadmodum in nobis multos homines dicimus, multas personas, propter eas quas diximus causas, & non juxta rationem necessariam, quod idem est per se, unum & multa non potest esse.*

Si hæc autem quæ adventitia sunt, cogitatione seponantur, & nuda per sese ipsa hominis natura spectetur, juxta accuratas dialecticæ leges ita statuendum erit Petrum, Paulum & Barnabam unum hominem esse; qua loquendi exactiore diligentia Pater & Filius & Spiritus Deus unus dicitur & dici jubetur; quoniam rationis non alia lex & regula certior sanctiorque, quàm ipsa Religio. *Est etiam Petrus & Paulus & Barnabas secundùm hominem, unus homo: & secundùm hoc ipsum, quatenus homo, multi non possunt esse: dicuntur autem multi homines abusivè ac non propriè: quod verò per abusionem dicitur, haudquaquam apud eos qui sapiunt, præponitur ei quod propriè. Quocirca minimè profitendum est in tribus personis divinæ essentiæ, tres Deos esse, quatenus Deus: unus verò & idem Deus propter identitatem substantiæ, cujus τὸ Deus est significativum, ut dictum est à nobis.*

Ibidem.

Huic accuratioris diligentiæ & religionis legi accommodavit se quandoque Scriptura, ubi hominis voce universum genus humanum indigitavit; ut suprà ab aliis Patribus animadversum est. At quoniam plerumque sacræ litteræ nobiscum balbutiunt, hinc factum est, ut tametsi aliquando hominis vocabulo universitas humani generis significaretur, ut par est: alibi tamen sæpiùs more nostro & convenienter nostræ consuetudini plures homines in iis dicerentur: *Quod si qui hæc dicit verum discere vult, cognoscat Scripturam tres dicere, tametsi unum hominem omne genus humanum cognoscat; juxta illud, Homo tanquam fœnum dies ejus; veluti nutrix bona, & proprios fœtus homines singulos reputat: & cum ipsis interdum balbutiens, & pariter nonnulla ex illis vocabula ad unum exhibens, non parum videns ignoransve quod perfectum est.*

Ibid. p. 86.

VI. Non gravabitur Lector nostram hìc obiter audire observationem de Gregorii Nysseni Theologia, patritia quidem illa, & cæteris Patrum monumentis consentanea, alicubi etiam altius aliquid spirante, si non omnia in sanctis Patribus altissima reputari debent: & tamen scholastica, hoc est ad Philosophicarum scholarum mores, terminos, & sermones inflexa. Ita enim necesse esse in Prolegomenis, nostris suprà demonstravimus; conjugandam esse hanc utramque Theologiam; ita indubiè ut Dialecticis Patres dominentur, Patribus ipsis fides, traditio, Scriptura, unanimi Patrum consensione explanata, sicubi minùs dilucere videatur.

Tom. 1.

Porro rem hanc eandem non minùs copiosè alibi elucidavit Nyssenus, Tractatu speciali *Quod non sint tres Dii;* ubi illud statim præmonet, ita affectos esse debere, qui ad hujus quæstionis examen accedunt, ut si nodi solutionem facilem & expeditam inveniant, hanc amplexentur: sin minùs, ad traditionem Ecclesiæ, quæ hactenus viguit, adhærescant, donec alicunde lux uberior affulgescat; sicunde, siquando affulgescat. *Igitur quæstio quidem, quemadmodum modo dicebam, tractatu multùm difficilis est: nobiscum verò, si quidem aliquid tale possimus invenire, per quod mentis nostræ ambiguitas firmaretur, & non amplius ad absurdum dilemma dubia vacillaret atque penderet, præclarè ageretur. Sin autem nostra oratio proposita quæstione infirmior arguatur, traditionem quidem, quam à Patribus per successionem accepimus, servabimus in perpetuum firmam & immotam: orationem verò, quæ fidei patrocinetur, à Domino requiremus: quæ si ab aliquo eorum, qui gratia præditi sunt, inventa fuerit, gratias agemus ei, qui gratiam dederit: sin minus id nobis contigerit, nihilo secius in iis quæ decreta atque statuta sunt, fidem stabilem & firmam retinebimus.*

Pag. 16.

VII. His ita constitutis, ita jam primò testatur, abusu quodam sermonis, sive ex indiligentia, sive ex indulgentia plures homines dici, cùm unius naturæ sint, & hominis vocabulo sola notetur natura. *Dicimus igitur primum abusum quendam esse consuetudinis, ut eos qui natura divisi non sunt, per ipsum naturæ nomen pluraliter nominemus ac dicamus, Multi homines: cui simile est, si quis dicat, Multæ humanæ naturæ.* Et mox: *Quoniam ut dictum est, non singularis alicujus, sed communitatis naturæ est homo.*

Pag. 17.

Quippe natura ipsa etiam in multis una est, & individua est ejus unitas; ut ei addi vel detrahi nihil possit, sed una & eadem secum permaneat, indivisa & una ipsa quidem in iis qui ejus participes fiunt. *Natura verò una est, ipsa secum unita; penitusque ac prorsus unitas individua est; quæ neque adjectione augetur, neque subtractione diminuitur; sed quod est, unum ens & unum permanens, etiamsi in multitudine esse videatur, sectionis expers, continua, integra atque perfecta est; quæ non una cum singularibus qui ejus participes sunt dividitur.*

Ibidem.

Atqui similiter vox ipsa Deitatis naturam significat: ut Cœli, ut Solis nomine natura unica horum designatur: *Vox igitur Deitatis vulgi quidem opinione naturæ peculiariter indita esse videtur: ac quemadmodum vel cœlum, vel Sol, vel aliud quippiam ex mundi elementis peculiaribus vocibus subjectorum significatricibus denotatur: ita ajunt in suprema quoque atque divina natura, tanquam proprium quoddam nomen vocem Deitatis aptè accommodatam esse ei quod per eam declaratur.*

Pag. 18.

VIII. His præstructis pergit Nyssenus ad indagandam hujus vocis significationem, *Deus, Deitas,* θεὸς, θεότης. Et illud tandem concludit, voce θεάσθαι, unde illæ manant, declarari inspectionem

seu

seu providentiam Dei, qua totum hunc cœlorum terrarumque orbem regit & moderatur. Atque ideo ea voce non tam Dei naturam indicari, quàm operationem. Quid sit enim Dei ipsa per sese natura, & inexploratum nobis & ineffabile esse; unde fit ut per operationes ejus manifestas naturam ejus minimè manifestam nobis declaremus. Hinc argumentatur Nyssenus, cùm vox illa, Deus, operationem & mundi gubernationem demonstret, non posse tres Deos dici tres divinas hypostases, quòd nec tres operantes dici possint; sed in tribus Personis quàm una est natura, tam una sit operatio, unus operans, Pater per Filium in Spiritu sancto. Tres homines tres sunt operantes, nec enim in omnem suam semper operationem & ubique conspirant; & sicubi in unam conspirant tres, vel plures, tres sunt tamen vel plures eorum revera conspirationes & operationes, singulis viritim connitentibus uno eodemque tempore. Id verò infinita quadam intercapedine distat ab illa unitate Patris operantis per Filium in Spiritu sancto; propiùsque ei accederet illa operatio, qua unus homo per brachium & digitum suum operatur. Sed hic homo unus utique est, non tres. *Igitur in hominibus quidem, quandoquidem discreta cujusque est in iisdem officiis & institutis actio atque operatio, propriè multi nominantur; cùm quilibet eorum intra suos terminos pro ratione sui peculiaris negotii ab aliis separetur. At in divina natura non ita didicimus, quòd Pater faciat aliquid per se solus, quod Filius non unà cum eo capessat; aut Filius rursus peculiariter aliquid operetur absque Spiritu. Sed omnis actio ad creaturam à Deo perveniens, quæ secundùm varias notiones atque considerationes nomen accipit, à Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu sancto perficitur. Idcirco in multitudinem operantium nomen efficacia non scinditur: quoniam non separatum cujusque atque peculiare circa aliquam rem studium est: sed quidquid fit, quod vel ad nostri providentiam, vel ad summa rerum administrationem & constitutionem pertineat, per treis quidem fit, non tamen tria sunt, quæ fiunt.* Et paulò inferiùs: *Quoniam igitur ad similitudinem ejus, quod modò dictum est, non divisim pro numero hypostaseon sancta Trinitas omnem actionem operatur; sed unus quidem bonæ voluntatis motus, una dispositio est, quæ à Patre per Filium ad Spiritum usque deducitur atque dirigitur: quemadmodum non dicimus treis vivificantes eos, qui unam vitam præstant; neque treis bonos, qui in eadem bonitate considerantur; nec reliqua omnia pluraliter enuntiamus: eodem modo neque treis Deos nominare possumus eos qui hanc θεικὴν, id est, divinam, sive inspectricem virtutem & actionem, tum in nobis, tum in omni creatura, conjunctim & non separatim per sese invicem exercent.*

Pag. 22. 23.

Cuique divinæ hypostasi jure suo tribuitur, ut Judex sit: non ideo tamen tres possunt dici Judices, sed unus Judex ob unam trium potestatem judicandi, unum judicium, ut ibidem mox subdit Nyssenus. Ita ergo & una cùm sit spectatrix & moderatrix vis à Patre per Filium in Spiritum sanctum defluens, & una eademque operatione se exerens, quod Dei & Deitatis voce signatur, unus necessariò dicitur Deus, una Deitas. *Quoniam enim una inspectricis & spectatricis virtutis ratio est, in Patre & Filio & Spiritu sancto, quemadmodum in superioribus dictum est, quæ ex Patre quidem tanquam à fonte quodam proficiscitur, à Filio verò ad actionem deducitur, & in virtute Spiritus gratiam perficit & consummat: ac non separatur juxta hypostaseis ulla efficientia, & quæ peculiariter ac disjunctim ab unaquaque hypostasi absque ea, quæ una consideratur, perficiatur: sed omnis cura providentiaque, & universarum rerum moderatio, tam earum quæ circa sensibilem creaturam, quàm quæ circa supramundanam naturam spectantur: eaque virtus, quæ & res conservat, & delicta corrigit, & rectè facta docet, una est, & non treis, quæ quidem à sancta Trinitate peragitur, non tamen pro numero Personarum, quæ in fide considerantur, trifariam dividitur.*

Pag. 23.

Rem illustrat Nyssenus exemplo auri, quod non potest non esse unius naturæ, & unum aurum, non plura aura; etsi ex eo fiant plures aurei, quasi variæ hypostases, in quibus omnibus non sit tamen nisi unum aurum. *Nam & aurum etiamsi in multas formas & figuras scindatur, unum & esse & dici affirmamus; numos vero multos ac multos stateres nominamus, nullam auri naturæ redundantiam in multitudine staterum reperientes. Unde multum quoque aurum dicitur, cùm majori pondere vel in vasis vel numis spectatur; multa autem aura propter multitudinem materiæ non nominantur. Nisi quis ita dicat, aureos multos, veluti daricos, aut stateres: in quibus non materia, sed moneta numique multitudinis significationem admittunt. Nam proprie hos non χρύσους, id est, aura, sed χρύσους, id est, aureos dicere licet. Quemadmodum igitur multi quidem aurei sunt stateres, aurum verò unum est: eodem modo multi quidem singulares in natura hominis ostenduntur, ut Petrus, Jacobus, Joannes; unus verò in his homo est.*

IX. Postremò denique in Oratione Catechetica idem Nyssenus negat naturæ divinæ unitati & Monarchiæ conjungi posse divisionem, aut pluralitatem ullam, quod Gentilium flagitium erat; negat & ea Judaicum dogma stabiliri de solitario sterilique Numine. Inter hos geminos scopulos velificari & prosperari Christianum dogma, in naturæ unitate divinæ à Judæis non dissentiens, in plurium ejusdem Deitatis hypostaseon doctrina consentiens Ethnicis; sanata per hanc medicinam utriusque Sectæ hinc & hinc aberrantis perversitate. *Naturæ rursus unitas non admittit divisionem: adeo ut neque Monarchia dominatus scindatur in diversas dissectus unitates, neque congruat id quod dicitur cum dogmate Judaico. Sed per medium duarum opinionum procedat veritas, & utramque tollens hæresim, & ab utraque accipiens id quod est usui. Nam Judæi quidem dogma tollit, & Verbum admittendo, & credendo Spiritum: eorum autem qui stant à Græcis aboletur error multorum Deorum, ea quæ est secundùm naturam unitate circumscribente & arcente multorum phantasiam. Rursus autem ex Judaica opinione manat natura unitas: ex eo autem quod Græci opinantur, sola discretio in hypostasibus; impiæ opinioni utrimque congruo adhibito remedio. Est enim veluti quædam medicina, eorum quidem qui in uno aberrant, numerus Trinitatis: eorum autem qui sunt dispersi in multitudinem, ratio unitatis.*

Pag. 24.

X. Suffragatur Nysseno Cyrillus Alexandrinus, ubi Verbum observat à Joanne Filium dici, quòd ea vox mirificè ejus substantiam, ὕπαρξιν, significet. *Verbum verò vocat Filium Joannes, attribuens ei maximè propriè hanc appellationem, ut quæ mirificam vim significandi substantiam ejus habet.* Quippe cùm Pater Sapientia sit ingenita, generans, quo aptiùs potuit vocabulo nominari Filius ejus consubstantialis, quàm Verbi? Quid enim Verbum nisi Sapientia genita? Tam non possunt autem duo dici Dii Pater & Filius, quàm nec duæ Sapientiæ, duæ Veritates, ubi Sapientia à Sapientia, Veritas à Veritate effunditur. Caussabantur Ariani non posse eandem sapientiæ substantiam dici in Patre ingenitam, in Filio genitam: quòd ingenitum genitumque inter se pugnent. At respondebant Augustinus & Athanasius locis suprà laudatis, etsi hæc eorum verba non attulerim; eandem prorsus fuisse naturam humanam in Adamo ingenitam, in Abele genitam; in Eva nec ingenitam, nec genitam, sed alia quapiam & pecu-

peculiari ratione procedentem ab Adamo. Quin ergo possit eadem Deitatis natura & Sapientiæ in Patre Deo esse ingenita, in Verbo genita, in Spiritu sancto procedens? Audiamus Cyrillum: *Quod si ob hanc causam existimarunt hostes Christi non esse Filium Patri consubstantialem, quando neque Pater Verbum, neque Verbum Pater; & unitatem naturæ differentia nominum scindi crediderunt: dicant nobis quomodo progenitor Adam consubstantialis erit à se genito, cùm nec ipse Abel esse possit, neque futurus sit unquam Adam: sed identitatem naturæ nunquam tollet nominum differentia. Quod si hoc in genita & creata natura sit, quomodo non impium est illud opinari in natura ingenita, & omnia genita supergrediente? Ut igitur si esset alius substantia, non esset Verbum: ita quia est consubstantialis, verum utique Verbum existet.*

Cyrill. Alex. In Evangel. Joann. p. 672. 673. Tom. 4.

XI. Petrum & Paulum idem inferiùs ait hypostasi distingui, natura unum esse: nec aliter rem habere in Patre & Filio, tametsi ingenitus sit Pater; nec enim eo prohiberi, quin una & summè una sit ingeniti Genitoris cum genito Filio substantia. Hìc verò operæ pretium iterum iterumque moneri Lectores, longè aliam esse hanc naturæ unitatem in Patre & Filio Deo, atque eam quæ est in Petro & Paulo, vel in patre filioque quolibet apud homines. Tantum interesse necesse est inter hanc & illam naturæ unitatem, quantum inter ipsas naturas, divinam, atque humanam. Unum id urgebant Patres, quod refellendis Arianis satis erat; erat autem ad id satis in eo præsidii, quòd vel in hominibus una eademque esset sibi simillima patris filiique natura, in illo generans, in hoc genita: ut jam negari non posset, quin in Deo Patre & Filio una similiter esset natura. Potuissent autem sancti Patres, si opus fuisset, ibidem addere, quod & alibi sæpissimè docuerunt; ejusmodi esse necessariò naturæ unitatem divinæ in tribus hypostasibus, quæ Dei naturæ simplicitati & magnificentiæ consentiat, & quantamcumque naturæ inter res creatas unitatem infinito post se relinquat intervallo. Utque ne cætera memorem, quæ ad ætatem, magnitudinem, sapientiam, & plurimas alias dotes pertinent, quæ possint non eædem esse, aut non semper esse in patre homine, atque in filio, etsi ejusdem naturæ sint: unam spectabo hic rationem hypostasis, qua inter se differunt. Differt hypostasis Verbi ab hypostasi Patris sola relatione, cùm reliqua tota substantia eadem & incomprehensibiliter una sit in utroque. At ita differt hypostasis patris inter homines ab hypostasi filii, ut non sola relatione differat, sed tota prorsus substantia; quæ simillima forsan quidem in utroque est, sed non eadem; sed ita diversa, ut potuerit esse, & non rarò sit dissimillima, quanquam semper intra ejusdem speciei fines. Hoc Patres crebrò inculcarunt, ut suprà non semel à nobis animadversum est; hoc præ oculis habendum est, etiam ubi illi ad alia properant; hoc denique altissimè infixum animis nostris esse debet, unitatem naturæ humanæ & cujuscumque naturæ creatæ ejus imbecillitati admetiendam esse: at unitatem naturæ in Patre Deo & Filio infinitæ ejus amplitudini respondere, & ejusmodi esse, quæ modum nesciat, & quæ tres verè distinctas hypostases non in unam colligat hypostasin; alioqui verè tres non fuissent: sed in unam simplicissimam summæ ipsius Unitatis naturam, quæ opulentiam & plenitudinem suam simplicitati ipsi summæ conciliet, & magis una sit, quàm quælibet creata hypostasis singularis. Eo semel fixo, jam audiendus, jam ita interpretandus est Cyrillus: *Cùm ergo nos impiis petens sermanibus, distinctam ab ingenito Deo substantiam habere Filium contendat: numquid apertè prædicat, ne ipsum quidem esse Filium? Quod si Filius non sit, ne ipse quidem jam Pater verè censebitur. Cujus enim Pater futurus est, si non genuit? Distinctum quippe esse non à substantia, sed à persona Patris, ipsi quoque asserimus; non quasi alienus sit ab eo secundùm naturam, sicuti nimirum Dei hostibus videtur; sed ut qui sit & intelligatur in propria persona & hypostasi alter. Filius enim est, ac non Pater: neque tamen substantia distingui dixerimus, si mens nobis sana sit; neque id ulli fratrum consuluerimus. Quomodo enim etiam unumquodque singularitate personæ tantùm distinguitur? Petrus enim est Petrus, ac non Paulus; & Paulus est Paulus, non Petrus: veruntamen indistincti remanent natura. Una enim est in ambobus ratio substantiæ, & eadem citra variationem ullam habent, quæ ad naturalem unitatem colligantur.*

Ibidem pag. 797. 98.

Nec nos prætervolabit, quod idem Cyrillus differit de nomine Verbi, quo Ariani non essentiam, non substantiam Filii aiebant declarari, sed quasi vitæ institutum, quod eo quasi instrumento ad res fabricandas Pater uteretur. Contendit autem Cyrillus eo demonstrari ejus essentiam, & naturam: οὐσίαν, φύσιν. Ideo enim Joannem insigni hoc elogio à Christo ipso ornatum esse, ut filius tonitrui diceretur; quòd ipsammet Filii Dei proprietatem & naturam nobis ostendisset, vel ostensurus esset. Est enim Filius sapientia de sapientia, eoque Verbum dicitur; quo minùs mirum est, si unus cum Patre Deus dicatur, sicut & Spiritus sanctus, qui Spiritus sapientiæ, sive charitas est. Quis autem non videt non ita in unum hominem conflari posse Petrum, Paulum, & Barnabam, sicut in unum Deum simplicissimè coalescunt tres istæ hypostases, sapientia, sapientia de sapientia, & Spiritus sapientiæ? Quis inquam non videt non ita posse tres has hypostases tres Deos, aut tres sapientias dici, sicut Petrus & Paulus & Barnabas tres homines dicuntur, etsi possent & unus homo dici, eo sensu, quem suprà exposuit Nyssenus? *Si ergo vox hæc, Verbum, essentiam Filii non significat, neque ipsius naturam declarat, sed vitæ ipsius institutum: cur frustra Evangelistam admiramur? aut cur eum Filium tonitrui vocamus, quasi magnum aliquid & sublime dixerit? Atqui cum multis aliis nominibus sacra Scriptura Filium appellet, cum Verbum vocat, admirandum aliquid atque eximium dixit; nihilque aliud ad hanc vocem adjecit, ut in Paulo videtur illud, Paulus Apostolus. Suffecit enim ei dixisse, Verbum, ad essentiam Filii declarandum: ipse itaque est Verbum Patris, non autem aliquis alius præter ipsum.*

Cyrill. in Thesauro, Tom. 1. part. 2. pag. 186.

CAPUT XXVIII.

Tres divinas hypostases unum etiam dici & esse Deum, ob reciprocam immeationem, seu inexistentiam.

I. Varia genera immeationum; quàm cæteris omnibus illa præstet divinarum hypostaseon, ex Cyrillo.

II. Harum immeatio mirifica ipsamet est earum consubstantialitas.

III. Indidem est quod dicitur Trinitas unitatem dilatare, unitas Trinitatem constringere.

IV. Eadem est Athanasii doctrina, maximè de inexistentia ex consubstantialitate, & plenitudine totius esse in qualibet persona divina.

V. Quàm superet hominum inter se unitatem hæc unitas divinarum personarum.

VI. Ut per ipsam humanitatis suæ substantiam & per Eucharistiam Christus nobis inest; ita per unius Deitatis substantiam mutuò insunt Pater & Filius, ex eodem Athanasio.

VII. Multò magis divinæ hypostases & sese immeant & unum sunt, quàm plures disciplinæ in mente Salomonis, vel Danielis.

VIII. Ip-

VIII. Ipsissima eadem Basilii doctrina.

IX. De proprietatibus personalibus ex eodem.

X. His assentitur & Gregorius Nyssenus, qui & hinc probat minorem non esse Patre Filium.

XI. Ex Damasceno tota hac doctrina elucidatur; discrimen personarum creatarum & divinarum, quoad inexistentiam.

XII. Luculentissima de his doctrina Hilarii. Ut Deus sit summa bonitas, ideoque fœcundissima, ideoque paris sibi prolis, quæ eadem sit summa bonitas; nec enim duæ possunt esse summa & infinitæ bonitates.

XIII. Tam Pater suammet substantiam Verbo communicat, quàm suam Verbum humanitati assumptæ, suam nobis Christus in mystico epulo.

XIV. Eadem ex Fulgentio.

XV. Eadem ex Anselmo doctrina.

XVI. Pulcrè ex Augustino, ut divinæ hypostases sese immeent, exemplo virtutum, quæ sese mutuò implicant, ubi perfectæ sunt.

LAUa sponte diluceseit hujus Capitis contextio cum superiore. Perspicuum est enim, non ita posse tres homines, Petrum, Paulum & Barnabam, unum hominem dici, sicut tres divinæ personæ unus Deus dicuntur & sunt; propter hanc etiam rationem, quòd divinæ hypostases sese mutuò immeent, sintque in singulis singulæ & omnes: quod quadrare nullis creatis personis potest. Ordiemur ab eodem hic Cyrillo, qui finem fecit Capitis superioris. Ita enim ille ratiocinatur, non posse Filium creatis accenseri naturis, cùm Creator earum ipse sit, & ideo sit, quia Patrem & totam ejus potestatem in se manentem habet. Sicut ipsemet ait, *Ego in Patre, & Pater in me: Pater in me manens, ipse facit opera.* Ubi liquidum hanc inexistentiam Patris in Filio, non ejus generis esse, atque sunt immeationes aliquorum inter se corporum, liquidorum, sive aridorum; non ejus etiam generis, atque immeationes animarum & corporum; nam penitissimè ineunt animæ sua corpora, ut ea substantivè perficiant vegetentque: non ejus etiam generis, quo Divinitas Verbi humanitatem assumptam immeat, ut ad unitatem suæ personæ illam asciscat; sed longè alterius esse generis, & cui nihil usquam par esse possit, aut secundum. Scilicet ut tota Patris potestas, vita, substantia, sapientia, essentia, ipsissima sit essentia, substantia, sapientia, vita, potestas Filii. Ea est sententia Cyrilli in his verbis: *Non ergo opus est, neque creatura ob id creandi facultatem habens, quia non veluti una creaturarum est: sed quia quum proprium germen essentiæ Patris, totum illum in seipso ostendens, habet quoque creandi potestatem, ut Pater.* Cyrill. tom. 1. part. 2. pag. 146.

II. Ita Cyrillus in Thesauro. A quibus non abhorrent, quæ leguntur apud illum in Dialogo III. de Trinitate; ideo unum esse Deum tres hypostases, quia consubstantiales sunt; & ideo consubstantiales esse, quòd in propria natura habeat Pater Filium, Filius Patrem: utrerque Spiritum sanctum, Spiritus sanctus vicissim utrumque. Ita quælibet persona cæteras in se includit, gestat, ostendit. *Consubstantialitatis rationem in hoc adjutricem & auxiliatricem adhibebimus, quæ dualitatem in hypostasibus in unum quiddam constringit; & quod diffundi videtur in proprietatem singularem ac peculiarem, in identitatem utique contrahere potest; ut neque duplicitas de simplici & incomposita prorsus natura à quovis prædicetur, neque deprehendamur dualitatem in hypostasibus tollere, quod timemus ne videamur simplicitatis rationem ledere. Quod autem vera sint ea quæ de consubstantialitate dicuntur, testimonia de Filio ex sacris litteris nobis prolata declarant. Solus enim existens Pater natura & verè Deus, solum existentem Deum natura verèque Filium ad subsistendum in propria hypostasi & ad naturalem identitatem aliter non admisisset, nisi esset ipse quidem ex ipso & in ipso, haberetque vicissim Filius in propria natura genitorem, atque idcirco censerentur dici & esse unum.* Et paulò pòst: *Qui videt me, videt & Patrem: Ego & Pater unum sumus. Quod quidem verum est. Quandoquidem enim ex Dei & Patris substantia Filius effulsit, existit ipse quidem in suo Patre, sed in se manifestat per identitatem naturalem etiam genitoris substantiam.* Ibidem pag. 466.

III. Ac luculentissimè rursus Dialogo VII. simplicissimam Dei naturam ait trinitate hypostaseon quodammodo dilatari, ἐξδρωσθῆν: ac rursus unitate naturali, & omnimoda identitate ad unum concurrere, πρὸς ἓν τι συμπίπτουσα: quamlibet denique personam reliquas in sese possidere. *Simplex itaque & incomposita est illa omnium suprema natura, hypostaseon quidem proprietatibus, & personarum ac nominum differentiis dilatata, & in sanctam tendens Trinitatem: veruntamen unitate naturali, & omnimoda identitate, ad unum quiddam concurrens; Dei nimirum nomen & rem. Ita ut & in unoquoque tota intelligatur natura, una cum ejus proprietate, hypostatica nimirum. Manet enim unumquodque id quod est unione cum aliis naturali, illa quoque possidens, in sua natura. Est enim Pater in Filio, & sancto Spiritu: Similiter quoque, Filius & Spiritus, in Patre & in se mutuò.* Pag. 4

Jam verò in Commentariis in Evangelium Joannis, ita corporeas aliquas Cyrillus ablegat immeationes, ut alias accersat magis appositas ad aperiendam Patris & Filii mutuò sese immeantium identitatem substantiæ, ἑνότητα φύσεως, naturalemque unitatem & similitudinem, ἢ κατ' ἰσότητα, & ὁμοιότητα. Sic ergo ille: *Ipse alicubi Salvator ait, se esse in Patre, & Patrem similiter in ipso. Sed patet omnibus; non esse illud intelligendum, sicuti corpus in corpore, aut vas in vase, ita Patrem in Filio contineri, aut vicissim hunc quodammodo Patri imponi; sed hunc in illo, & illum in hoc esse videri, ceu in identitate substantiæ per omnia simili, & naturali unitate ac similitudine; veluti si quis in imagine formam suam contemplans, & exquisitam vultus sui similitudinem admirans, verè clamare dicatur: Ego in hac tabella, & tabella in me est. Aut quemadmodum si dulcis qualitas mellis impressa linguæ de seipsa dicat, Ego in melle, & mel in me est. Aut si calor ex igne naturaliter prodiens, emissa voce dicat: Ego in igne, & ignis in me.* Tom. II. pag. 24.

Alibi verò inferiùs ideo Patrem in Filio, & vice versa Filium in Patre, & esse ait & videri, intelligique, quia quod proprium est Patris essentiæ, τὸ ἴδιον αὐτῆς τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, pervadens in Filium, ostendit in ipso Patrem. Tota enim plenitudo paternæ Deitatis cum ipsamet summa sit simplicitas, ita Filio à Patre communicatur, ut totus in Filio sit Pater, quantus maximus est, ideoque videatur Pater in Filio. *Unde Filius alicubi ait se in Patre quidem esse. Sed habere vicissim Patrem in seipso. Quod enim proprium est Patris substantiæ naturaliter pervadens in Filium, ostendit in ipso Patrem; Pater autem vicissim habet in seipso Filium per omnia æquali substantiæ identitate radicitus infixum, & ex ipso quidem genitum; non tamen per divisionem ullam, sive disjunctionem localem, sed inexistentem & semper coexistentem.* Ibidem pag. 1[illegible]

IV. Hauserat hæc Cyrillus à summo illo & splendidissimo Ecclesiæ Alexandrinæ lumine, Athanasio, qui Patrem in Filio, Filium in Patre esse dicit, propterea quòd Patris divinitas Filii sit, Filii divinitas Patris sit, una sit utriusque divinitas; & ideo qui videt alterum, utrumque videat. Est enim Filius imago Patris absolutissima, in qua Pater videtur, ut Rex quispiam in imagine sua: Regem enim in seipso, vel in imagine sua videri & adorari, perinde est. *Qui enim eo modo cognitum*

Athanasius ex. 4. contr. Arian. p. 254.

tum habet Patrem & Filium unum esse, ille quoque cognitum habet Patrem in Filio, & Filium in Patre esse. Nam Filii divinitas Patris est, illaque ipsa in Filio consistit; & qui illud comprehendit, is quoque sibi persuasum habet, quod qui vidit Filium, viderit & Patrem; quippe cum in Filio sit, & conspiciatur Patris divinitas. Id ab exemplo regiæ imaginis commodiùs intelligas: quandoquidem in imagine species regis & forma apparet, & in Rege imaginis species. Sine enim omni discrepantia vultus Regis in imagine expressus est; ut qui videt imaginem, videat in ea regem: & vicissim, qui regem intuetur, agnoscat illum ipsum eundem esse, qui in imagine repræsentatur. Cæterùm, quia in ambobus nulla est dissimilitudo, si quis post conspectam imaginem, velit Regem videre, huic ad eum modum ita imago jure loqueretur: Ego & Rex unum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me; & quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertas; & quod videris in illo, videris & in me. Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem; quippe cum ipsa imago nihil aliud sit, quàm Regis forma ac species.

Necui autem imponat hæc comparatio Regis & imaginis regiæ, illud seriò perpendendum est, ita Patris imaginem esse Verbum, ut Filius sit: ita ubi Filius imago Patris dicitur, ne dubitari quidem potest de utriusque consubstantialitate. Sed & additur ab Athanasio, quo expressiùs declaretur, cujusmodi hæc imago sit. Ex eo enim quod Filius sit imago Patris, inde colligi ait, *Divinitatem & proprietatem Patris essentiam esse Filii:* ὅτι ἡ θεότης, καὶ ἡ ἰδιότης τοῦ πατρὸς τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἐστί. Atque ad eum modum Patrem in Filio esse interpretatur Athanasius, quia Divinitas & proprietas Patris esse Filii est. Ex quo id quoque colligitur inexistentiam mutuam divinarum personarum ipsammet esse earum essentiæ & substantiæ identitatem. *Quoniam autem Filius est imago Patris, necessum est, ut cogites Deitatem & proprietatem Patris, ipsam essentiam Filii constituere. Et hoc est, quod ait, Qui quum in forma Dei esset. Nec non & illud, Pater in me.*

Illud quoque mox addit Athanasius, plenitudinem divinitatis Patris ipsam esse Filii essentiam; nec enim ex parte, sed totum Deum esse Filium. τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ὅτι τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ; ὁλόκληρος θεὸς ὁ υἱός. Quo nihil aptius dici potuit; scilicet naturæ divinæ essentiam & proprietatem positam esse in summa totius entis & omnium bonorum plenitudine in summam quandam unitatem & simplicitatem collecta; ut non possit non persona quælibet divina complecti personas alias & totam earum substantiam; cùm plenitudo dici non possit, quæ his careat. *Non autem ex parte aliqua forma Deitatis conficitur, sed ex integra Deitate Patris, essentia Filii consurgit, & solidus Deus; ideoque quum par esset Deo, non rapinam arbitratur, esse se æqualem Deo.*

Id. p. 255.

V. Ideo & quanquam omnes homines quodammodo unus homo sint, & hos Christus peculiariùs adhuc adunare laboraverit & ipsos sibi invicem & sibi ipsi: negat tamen Athanasius ita unum esse eos posse, sicut Pater & Filius unum natura sunt. Affectu nos unanimi sumus, & voluntatis studio, eoque utcunque imitamur propositam nobis in exemplum naturæ unitatem in Patre & Filio. Unde ibidem Athanasius: *Nobis igitur dissimile est Verbum, quod tamen simile est suo Patri. Quapropter illud quidem natura & ex vero unum est cum suo Patre: nos autem invicem inter nos cognati, & ex uno omnes progeniti, & una omnium hominum natura, unum inter nos affectu & animo efficimur, habentes pro archetypo exemplari Filii cum Patre naturalem unitatem.* Et infrà: *Volens nos vero, & firmo, & indissolubili invicem affectu conciliatos esse, ex sese mutuatus est exemplum, & dicit: Ut sint unum, quemadmodum & nos; utque in nobis est indivisibilis unitas, ita quoque & ipsi addiscentes ex nobis indivisibilem nostram naturam, inter se perpetuò concordiam servent: certior enim imitatio hominibus, quæ ductum rerum naturalium sequitur.*

Pag. 266.

Ibidem.

Denique hanc esse in Patre & Filio substantiæ verissimam identitatem: quam mutua amoris reciprocatione homines imitentur, ita idem paulò pòst Athanasius: *Verbum igitur verè & essentialiter identitatem naturæ cum Patre obtinet:* ἅπαντως δὲ ἀληθῶς ταυτότητα τῆς φύσεως πρὸς πατρὶ ἔχει. Nobis autem datum est, ut imitemur: *Ego in illis, & tu in me.*

VI. Ulteriùs etiam rem urget Athanasius. Ut enim Pater in Filio, & Filius in Patre est, quia eadem ipsa Patris essentia in Filio est: ita & Filius in nobis est, & nos in ipso, quia per inhumanationem suam corpus nostrum in sese habuit, & per Eucharistiam corpus hoc ipsum singulis nobis inserit: atque ita inest ille nobis, nos illi, per ipsam corporis ejus nostrique substantiam: sicut inest ille Patri, Pater ipsi, per unam simplicissimamque Deitatis naturam, quæ in utroque est. *Certum enim est Verbum in nobis esse factum, quippe quod nostrum corpus induerit: Tu autem in me Pater, tuum enim sum Verbum; & quia tu in me, eò quòd tuum sim Verbum, ego porro in illis per corpus meum; & quia per te in me hominum salus perficitur, rogo te, ut & ipsi fiant unum, secundùm rationem mei corporis, & secundùm ejus perfectitudinem; ut & ipsi perfecti reddantur, quum habeant cum corpore meo unitatem, & in eo unum fiant; & quasi, quos ipse gestem, pariter unum corpus fiant & unus spiritus, & in virum perfectum evadant. Omnes enim ejusdem participes unum efficimur corpus, unum Dominum habentes.*

Pag. 267

VII. Inexistentia ergo Personarum divinarum mutua, ipsa est totius earum substantiæ unitas indivisa, quod longè perfectius & mirabilius est, quàm plurium disciplinarum in eadem hominis mente infusio. Eo exemplo utitur Athanasius, producto in medium Daniele, cujus ingenium omnibus Chaldæorum disciplinis imbutum fuerat: producto & Salomone, in cujus mente disciplinæ & scientiæ omnes videbantur domicilium sibi fixisse. Immeatio fit quandoque mutua corporum. At longè intimior est hæc disciplinarum in hominis mente penè infinitarum immeatio. Sed ne hæc quidem, ut ait Athanasius, ad illam accedit, qua Personæ divinæ sibi mutuò insunt; eo maximè, quòd una est verè & simplicissimè trium substantia. Ita enim fit, ut quælibet Persona & ipsa sit quod est, & totam aliarum plenitudinem complectatur, utque in qualibet quælibet videatur cum suis proprietatibus omnibus. Audi Athanasium ipsum in Oratione contra Sabellianos: *Nam & Pater suum esse ad plenum possidet, & citra ullum defectum, & est radix & fons Filii & Spiritus sancti. Itidem quoque Filius est, vivitque in plena integraque Deitate, ut Verbum & germen Patris sui citra ullum defectum. Plenus quoque Filio Spiritus sanctus, non pars alicujus, sed integer per se; atque ita verè Trinitas coadunata est sine ullis intervallis. Nihil enim est quod illos distineat; coexistunt æternaliter, quum nullum ævum intercedat. Formam porro unam & eandem ex se reddunt, Patre quidem in Filio spectabili, Filio verò & Spiritu intelligibili, & ab homine in participatum recepto.* Et mox: *Accipiamus igitur indivisam coexistentiam, invicem sibi coexistentibus sine ullo intervallo: & tres quum revera sint, unam formam intelligamus; quæ quidem incipit à Patre, sed resplendet in Filio, apparet rursum & demonstratur in Spiritu sancto.*

Pag. 516.

VIII. Edidit Basilius luculentam contra Sabellianos Orationem, ex qua pauca hìc statim libabo, in quibus certissimè propositum illi fuit Atha-

nasium imitari, & tantumnon ipsissima ejus verba exscribere: *Est quidem Pater perfectam habens ac nullius indigam essentiam, radix & fons Filii ac Spiritus sancti existens; est verò & Filius in plena divinitate, vivens Verbum, & progenies Patris, nulla in re deficiens. Plenus est autem & Spiritus, non pars alterius, sed perfectus & totus in seipso considerandus. Conjunctus indivulsè Patri est Filius, conjunctus item Filio est Spiritus.*

Basilius Tom. 3. pag. 92.

Subjicit mox Basilius, non ita cogitandas nobis esse tres divinas Personas unius naturæ, tanquam unius rei inseparabilis partes: sed velut tria perfecta & incorporalia, quæ non in morem corporum sese immeent; non in modum disciplinarum uni menti inhærentium sibi etiam cohæreant: sed ut tria perfecta, quorum perfectissima plenitudo id flagitat, ut quidquid substantiæ & perfectionis in quolibet eorum est, sit & in aliis; non simile, non æquale tantùm, sed prorsus idem. Si non eadem enim summa unius perfectio esset & in aliis, non esset summa, non esset tota in singulis plenitudo perfectionis: *Quandocumque igitur sanctam Triada conjungimus, noli quasi tres unius cujusdam rei inseparabilis partes cogitare; impia namque est hæc cogitatio: sed trium perfectorum & incorporalium inseparabilem conjunctionem intelligo.*

Ibidem.

IX. Distinguit alibi Basilius notiones personales ab essentialibus Dei perfectionibus; & notiones quidem, γνωρίσματα, ut quòd Pater à nullo sit, quòd Filius à Patre genitus sit, quòd Spiritus sanctus procedat; has, inquam, notiones communicari negat: at cæteras absolutas dotes omnes ita communes tribus esse, ut ex his ne cogitari quidem possit Persona trium una, quin cæteræ protinus adsint, & obversentur. *Hujus gratia in communicatione τῆς ἑνὰς nullam dicimus habere convenientiam aut communionem notiones istas in Trinitate consideratas.* Et mox: *Juxta illa verò, infinitum esse, & incomprehensibilem, & increatum, & nullo loco circumscriptum, & quidquid hujusmodi est, nullæ est variatio in natura illa vivifica, in Patre, inquam, & Filio, & Spiritu sancto; sed continua quædam in illis & indivulsa communicatio intelligitur. Et quibuscumque sanè cogitationibus majestatem quisquam unius earum, quæ in Trinitate creduntur Persona, contemplabitur: per easdem ad contemplandam sine omni variatione & Patris quoque, & Filii, & Spiritus sancti gloriam accedet.* Et aliquantò inferiùs: *Si quis verè Filium apprehenderit, habebit & ipsum utrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum unà compactum. Neque enim à Patre abscindi poterit qui semper est in Patre: neque à proprio Spiritu sejungetur unquam, qui in ipso operatur omnia. Consimiliter & qui Patrem assequutus fuerit, & Filium unà cum illo & Spiritum sanctum eadem virtute assequutus est. Non enim potest aliqua ullo pacto excogitari vel sectio, vel divisio, ut sive Filius absque Patre cogitari, sive Spiritus à Filio sejungi queat; sed ineffabilis quædam in istis, & quæ nulla cogitatione apprehendi poterit, tam communio, quàm discretio deprehenditur, qua neque per differentiam τῆς διαστάσεως continuatio naturæ dissipatur, neque per eam secundùm ὁμὰν communionem proprietas notionum confunditur.*

Basil. Tom. 2. Epist. 42. pag. 66.

X. Acutè juxtà & solidè Gregorius Nyssenus eos refellit, qui Filium Patre minorem dicebant, idque ex ipsius Filii verbis elici posse confidebant; illud nimirum spectantes, *Pater major me est*; at illud prætervolantes, *Ego in Patre, & Pater in me*. Si major enim Filio Pater esset, esse non posset in Filio totus, sed ex parte tantùm; ecqua autem Patris pars erit in Filio, ecqua redundabit? Denique non verè Pater erit in Filio, si ex parte tantùm in eo sit. Quomodo autem erit minor Filius Patre, si totus in eo Pater est? aut quomodo erit in Patre Filius minor: nec enim erit nisi in parte Patris? At ea Christi verba declarant, sic totum esse in Filio Patrem, totum in Patre Filium, totum in toto, plenum in pleno. Audiendus Nyssenus ipse in Tractatu de Deitate Filii & Spiritus sancti: *Aiunt item rursus Filium unigenitum confessum esse, quòd ipso major sit Pater, dum dicit, Pater meus major me est. Igitur excutiamus, fratres, numquid mentiatur, qui dixit, Ego in Patre sum, & Pater in me est? Si major Filio Pater est, qui capitur & locum habet id quod majus est in minore? Si minor Patre Filius est, qui completur id quod majus est à minore? Num & major coarctatur prorsus in minore, & minor extendi ad exuperantiam & exaggerationem non potest: adeo ut necesse sit deesse quidem in Patre Filium, redundare autem in Filio Patrem. Ac mentitur qui dixit, Ego sum in Patre, quum oporteret dicere, si quidem minor est, Ego sum in parte Patris, & Pater in me est. Verius enim erat dicere, si quidem major est Pater, Pars quædam Patris est in me. Quod si totus Pater in toto Filio est, & totus Filius in toto Patre, ubi id quod plus, & ubi id quod minus est?*

Nyss. Tom. 2. 469.

XI. Unus superest ex Græcis expendendus nobis hic Damascenus. Observat ille alia re, alia ratione & cogitatione unum esse, vel plura. Homines re & non ratione tantùm plures esse. Sui enim seorsim quisque eorum compos est corporis, suæ similiter quisque animæ. Ad hæc loco, tempore, ætate, moribus, ingenio, instituto differunt. Reapsè ergo plures sunt. At cogitatione una intelligitur esse eorum natura, cùm singuli quique homines animalia sint rationalia & mortalia; singuli carnem habeant anima rationali & intellectuali vegetatam. Ubi hæc quæ communia illis omnibus sunt, animo sese nostro objiciunt, communem aliquam formam nobis intus fabricamus in mente nostra, quæ omnes illos amplectatur, omnibus consentiat. At in Deo totum contrà est. Tres enim Personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, reipsa unum sunt, unus Deus, una natura & substantia, & ipsamet essentia simplicissimæ unitatis. Quæ naturam consectantur dotes omnes absolutæ Deitatis, unum & ipsæ atque idem sunt. At hypostases ipsæ & hypostaseon proprietates, Paternitas, Filiatio, Processio passiva, reipsa distinguuntur inter sese, quamvis ab ipsa natura communi, intellectu & cogitatione tantùm differant. Ita ergo habet Damascenus: *Operæ pretium est nosse, aliud esse re considerare, & aliud ratione atque intelligentia. In omnibus sanè creaturis, distinctio suppositorum reipsa consideratur: re enim Petrus à Paulo distinctus concipitur. Communio autem & naturæ affinitas & unio ratione & intelligentia consideratur. Mente enim concipimus Petrum & Paulum ejusdem naturæ esse, & unius naturæ communionem habere. Quisque enim eorum est animal rationale mortale: & quisque eorum caro est animata, anima quidem rationali & intellectuali. Hæc igitur communis natura ratione est considerandæ. Nam suppositæ non in se invicem sunt. Proprium quidem est unumquodque, & individuum: igitur per seipsum separatum. Habet etiam plurima ipsum ab altero dirimentia. Nam ea loco distinguuntur, & tempore discrepant, & sententiis dirimuntur, & robore & forma, videlicet figura & habitu, & complexione, & dignitate, & exercitio, & omnibus insitis proprietatibus. Maximè autem omnium differunt, quod non in se invicem, sed seorsum existunt. Unde & duo & tres homines dicuntur, & multi. Hoc autem in omni conspici creatura promptum est.* . . . . .

Orthod. Fid. L. 1. c. 11. pag. 43.

Ita ille de naturis creatis, ubi vides illud à Damasceno diligenter observari, ita differre humana supposita, ita esse plures homines, non unum, quòd nequaquam illi sese immeent, quòd nequaquam alii in aliis sint: ἀ γὰρ αἱ ὑποστάσεις οὐ ἄλληλαις εἰσίν. Nec enim posse eas sibi mutuò inexistere hy-

postases humanas, cùm tot intercedant discrimina, tot rerum penè omnium dissidia. Itaque hominum pluralitas & distinctio non intellectu, sed re ejusmodi est.

Jam verò ut in Deo res sese longè aliter habeat, Pag. 41. sic ibidem mox ille: *In sancta autem & supersubstantiali, & omnia transcendenti, & incomprehensibili Trinitate è diverso comperitur. Nam istic commune & unum re consideratur, propter coeternitatem & identitatem substantiæ & operationis & voluntatis, & consilii conspirationem, & propter potestatis & virtutis & bonitatis identitatem; non dixi similitudinem, sed identitatem & propter unam motionis exuberantiam. Una enim est substantia, una bonitas, una virtus, una voluntas, unus actus, una potestas, una & eadem, non tres ad invicem similes. Sed una & eadem trium Personarum motio: unaquæque enim ipsarum se habet ad aliam nihilo minùs, quàm ad seipsam. Hoc autem est, quia secundùm omnia unum sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus: præter ingignentiam, gignentiam, & processionem. Ratione autem & intelligentia hoc distinctum: nam unum agnoscimus Deum in solis quidem proprietatibus Paternitatis, Filietatis & Processionis, secundùm causam & causale, & personalem perfectionem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.*

Vides hic in Deo omnia unum esse, non jam cogitatione, sed re: ne similitudine quidem tantùm, sed identitate: ταυτότητι. Expressè enim Damascenus, *Non dixi similitudinem, sed identitatem: οὐκ εἶπον ὁμοιότητα, ἀλλὰ ταυτότητα.* Ex summa autem illa omnium in tribus unitate fit, ut sibi Ibidem. inmaneant & inexistant Personæ: *Immanentes & in se invicem, Personæ existunt, non quòd confundantur, sed quòd se inhabitent quidem secundùm Domini sermonem inquientis: Ego in Patre, & Pater in me.* Id enim proprium est unitatis, id proprium est Divinitatis. Individua est in dividuis Divinitas, ut aiebat suprà Nazianzenus, & hic ex eo Damascenus, & perinde ac si tres Soles inessent sibi mutuò, & unum Solem constituerent: Ibid. p. 42. *Impartilis enim in partientibus, ut paucis absolvam, Divinitas, & sicuti in tribus ad invicem contiguis Solibus, & indistanter se habentibus, una est luminis commixtio & conjunctio.*

XII. Venio ad Latinos, & præ cæteris ad Hilarium, qui duos negat esse Deos Patrem & Filium, quia nec Pater sine Filio potest esse, nec Filius sine Patre; quia denique in Patre Filius, in Filio Pater est. Natura quippe Deitatis ista est, ut sit summa & infinita bonitas, summa fœcunditas, atque adeo æqualis sibi prolis fœcunda. Non potest summa bonitas non esse fœcundissima & sui prodiga, nec id potest inquam, nisi prolis sibi æqualis parens sit. Illud est quod suprà ex sanctis Patribus demonstratum est, amplius & magnificentius esse Deo, ut Pater dicatur, quam ut Deus. Deus enim dicitur ad creaturas, quas condit & regit, valdè sibi dispares: Pater nominatur ad Filium, tantæ bonitatis & amplitudinis, & perfectionis cujuscunque demum, quantæ ipse est. Ita dilucidum & expeditum est quod ait Hilarius, Patrem & Filium duos non esse Deos, sed unum Deum, quia Pater sine Filio ne cogitari quidem potest. Perinde est enim ac si diceret, Essentiam ipsam summæ bonitatis & fœcunditatis sese effundentem in prolem & bonitatem sibi parem, non esse duas summas bonitates, sed unam; quia nec una summa fœcundissima bonitas intelligi, vel cogitari ritè potest, sine æquali sibi prole. Verissimè ergo ait Hilarius, tunc à nobis duos prædicatum iri Deos, si duos Patres, vel duos Filios diceremus; nequaquam autem si unum constituamus Patrem, verè & plenissimè Patrem, hoc est fructu fœcunditatis & paternitatis suæ non carentem. An potest enim vel cogitari Pater sterilis & sine prole? Nemo mentis compos id dixerit. Ergo si Deus illud est quo melius cogitari non potest, summa autem bonitas & fœcunditas suo & pari sibi fructu non carens, id sit quo melius cogitari non potest: inde fiet ut nec Deus satis dignè cogitetur, ni cogitetur ut Pater, & non disparis sibi prolis Pater. Deus dignissimè pro virili nostra cogitatus, habet in se Patris nomen, id est amplissimæ bonitatis & fœcunditatis. Patris nomen habet in se etiam Filii nomen. Atque quantuncumque enitamur, ut unum cogitemus Deum & Patrem, nec Deum rectè cogitare possumus sine Patre, nec Patrem sine Filio; & ubi Filius Patri adjungitur Deo, non Deitas multiplicatur, sed Patris explicatur fœcunditas, sine qua nec Pater esset.

Hæc est certissimè Hilarii doctrina, cujus aurea nunc nobis hic intexenda sunt verba: *Filius in Patre est, & in Filio Pater, non per transfusionem refusionemque mutuam; sed per viventis naturæ perfectam nativitatem. Ita in Deo Patre & in Deo Filio neque duos connumerabis Deos, quia unum uterque sunt; neque singularem prædicabis, quia uterque non unus est. Non habet igitur fides Apostolica duos Deos, quia nec duos Patres habet, nec duos Filios. Confitendo Patrem, confessa Filium est: credens in Filium, credidit & in Patrem, quia & nomen Patris habet in se Filii nomen. Non enim nisi per Filium Pater est: & significatio Filii, demonstratio Patris est, quia non nisi ex Patre sit Filius. In unius itaque confessione non unus est: dum & Patrem consummat Filius, & Filii ex Patre nativitas est.* Hilarius. De Trinit. L. 7. p. 151.

Pulcherrima hæc sanè sunt, nec minùs præclara quæ sequuntur in eandem sententiam, quam vix satis unquam vel elucidare poterimus, vel inculcare. Si posset Pater sine Filio prædicari, vel credi, tunc duos prædicaret Deos, qui utrumque prædicaret Deum. Ubi verò unum prædicat Deum Patrem, utique unum Deum prædicat, etsi Pater sine Filio, nec esse, nec intelligi possit. Semel uno constituto Deo Patre, ne Ariani quidem reclamabunt. An verò postea prohibere poterunt, quin Patrem sequatur Filii nativitas, quin Filium sequatur consubstantialitas cum Patre? Id volebat Christus, cùm aiebat; *Ego in Patre, & Pater in me.* Id est, Non potest ita solus dici, vel credi Deus Pater, quin ea fide & confessione Filii divinitas contineatur. Nec enim Pater sine Filio est, nec Filius sine consubstantialitate. Non potest ita unus dici Deus, ut solitarius sit, si modò Pater est. Nunquam enim sine Filio est Pater, ideoque nunquam solitarius. Id volebat Christus, etiam cùm aiebat; *Ego & Pater unum sumus.* Quasi dixisset; Ne potest quidem concipi Pater Deus unus, quin prolis sibi consentaneæ Pater sit, ut jam proles hæc contineatur in Patris Dei nomine, ut unus cum eo Deus: *Duos itaque prædicet. Deos, qui potest unum prædicare sine uno: aut singularem Deum doceat, qui possit negare unum uni per naturæ virtutem, & per sacramentum generationis & nativitatis non inesse. Naturam quoque disparem diversamque deputet ad utrumque, qui nesciat Patrem & Filium quod unum sint prædicatos. Deleant hæretici Evangelicam Filii de se professionem: Ego in Patre, & Pater in me; &, Ego & Pater unum sumus: ut possint vel duos Deos prædicare, vel solum. Non sunt naturarum significationes in naturæ unius proprietate; nec duos Deos Dei ex Deo veritas perficit; nec singularem Deum Dei patitur nativitas; nec non unum sunt, qui in invicem sunt.* Ibid. p. 151.

Nec facilè prætereunda, quæ hic subjicit Hilarius, Vicissim inesse Patrem Filio, Filium Patri, quia ita ex Patre Filius est, ut totus in eo Pater sit; atque adeo & ipse totus in Patre, ita unus ex uno est, ut totus ex toto sit; nec quidquam sui sibi servet Pater, quod non transfundat in Filium: id enim decet summè bonum, summum bonum, summè

mè fœcundum, summum Patrem. Una eademque & indissimilis est natura Dei, essentiæ ipsa summæ bonitatis, & fœcunditatis, quæ ut in Patre, ita & in Filio est; ideoque unus Deus est Pater cum Filio in una & eadem secum natura genitæ summæ unitatis & bonitatis, quam multiplicari posse ne in cogitationem quidem cadit. *In invicem autem sunt, cùm unus ex uno est: quia neque unus uni aliud ad generationem, quàm quod suum est, dedit; neque unus ab uno aliud per nativitatem abstinet, quàm unus. Apostolica igitur fides, sive Patrem prædicabit, prædicabit Deum unum; sive Filium confitebitur, confitebitur Deum unum; quia & eadem atque indissimilis Dei natura sit in utroque; quod dum & Pater Deus & Filius Deus est, & unum sit natura nomen utriusque, unus utrumque significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec duos Deos perficit, cum unus ex uno in natura nomine unius maneat.*

Par. 194.

XIII. Pergit deinde Hilarius ad aliam argumentationem, quam supra cursim perstrinxerunt Græci Patres, & quam ipse suo more eloquentissimè edisserit. Qui unum voluntate magis quàm natura cum Patre Christum esse contendebant Ariani, excutiebant illi planè ad lucidissima illa Christi verba Patrem orantis, ut sicut ipse in Patre erat, ita & nos in Patre & in eo unum essemus. At nos in Christo sumus, & Christus in nobis est, non voluntate sola; sed infusa ipsi natura ipsa nostra per incarnationem, infusa nobis & Spiritus & carnis ejus substantia per mysticum cibum. Ergo ut nos in ipso sumus, & ipse in nobis est, per unam ejus nostramque ipsam substantiam: ita & Christus Deus in Deo per unam est substantiam Patris suamque. *Sed Dominus nihil fidelium conscientiæ incertum relinquens, ipsum illum naturalis efficientiæ docuit effectum, dicens: Ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in his & tu in me, ut sint perfecti in unum. Eos nunc qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumve per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominicæ sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit; & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus: quia in Christo Pater est, & Christus in nobis est.*

L. 8. p. 165.

Ita divinæ unitatis & charitatis sacramenta tria sunt, quibus Christiana potissimùm superstruitur Religio. Summa unitas bonitasque Deus suam mercet ipsam totamque substantiam effundit ex se, & transfundit homini reparando in assumptum hominem; hæc ipsa inhumanati Filii tota substantia divina, humanaque, in quemlibet fidelium epulo mystico transfunditur; atque hæc est exundatio summæ & paternæ Dei bonitatis ad nostram usque naturam sese effundentis. *Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per sacramentum proprietas, perfecta sacramentum sit unitatis?*

Idem.

XIV. His affinia sunt quæ disputat Fulgentius in Responsionibus contra Arianos, ubi in Scriptura asseritur Filius præter se alium Deum non esse, non ideo excludi Patrem, quia de Patre, & in Patre Filius est. Non utique ut de patre homine filius homo quispiam est, & in patre, per similitudinem substantiæ magis quàm per identitatem: sed quia longè alio sensu, & ad unitatis ingenium accommodatiore, tota Patris substantia & prorsus eadem in Filium propagata est, sicut totus fons in flumen transfunditur: & quia tota Patris substantia in Filio permanet, ut eadem aqua tota fontis in flumine est; illic ut se effundens, hic ut effusa; illic generans, hic genita. *Per Prophetam dicit, Ego Deus, & non est alius præter me. Nunquidnam Deum istum, præter quem alius non est, ita solum Filium accipimus, ut ab eo Patrem & Spiritum sanctum separemus? Absit. Hoc enim impossibile est; nam præter Deum Patrem Deus Filius non est, quia de Patre est, & in Patre est. Præter Patrem & Filium Spiritus sanctus non est, quia Patris & Filii Spiritus est, & in Patre & in Filio est. Unde cognoscitur, quoniam ista Trinitas unus Dominus Deus est.*

Isai. 45.

Sed quàm præclara sunt illa ejusdem Fulgentii de inexistentia mutua Mentis & Verbi, ex qua ille æqualitatem & consubstantialitatem utriusque ita concludit: *Cum ergo mens cogitat, & cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum; & sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum quod ex mente nascitur, quàm est mens, de qua nascitur: quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non sit: ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est: & cum apud illam est, in illa est: & quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota & in tota est. Tantumque est ipsum verbum, quanta simul est & mens ipsa cum verbo. Nec enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur.*

XV. Ab his non dissonabant, quæ disputabat Anselmus in Epistola de Processione Spiritus sancti adversùs Græcos. Observabat autem ille, ut punctus puncto, linea lineæ, superficies superficiei additur quandoque ita, ut non existat inde nisi unus punctus, una linea, & una superficies; cujusmodi possent & alia addi exempla: ita lumen lumini, æternitatem æternitati addi, & unum tamen esse lumen, unam æternitatem; nec enim plures possunt esse æternitates, vel plura lumina veritatis. Ita & Deo Patri Deum adjungi Filium, qui ab eo nascitur, & Deum Spiritum sanctum, qui ab eo procedit; nec inde tamen existere nisi unum Deum, quia & Deus nascens in eo est de quo nascitur, & Deus procedens in eo est de quo procedit. Certè linea ubi lineæ, & superficies ubi superficiei additur, major fit & linea & superficies, tametsi una persistat. Non tamen ad Deum idem trahi potest, quia in Deo nulla quantitas est, nullæ partes; sed totus est, quidquid est; ideoque unus est, quidquid est. Audi Anselmum, post exempla proposita puncti, lineæ & superficiei: *Hoc itaque modo quamvis non sint plures æternitates: si tamen prædicitur æternitas in æternitate, non est nisi una æternitas; & lumen in lumine unum tantùm lumen est. Eodem modo quæcunque de Dei dicuntur essentia: si in se replicentur, nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus est æternitas: sicut extra æternitatem nihil est omnino, ita extra Deum penitus non est aliquid. Atque sicut æternitas, non est nisi una æternitas in æternitate: sic Deus in Deo unus est, solus est Deus. Habemus autem ex vera fide Deum esse de Deo nascendo, & Deum de Deo procedendo. Sed quoniam non est aliquid extra Deum, cùm nascitur Deus de Deo, vel cum procedit Deus de Deo; non erit nascens vel procedens extra Deum, sed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo non est, nisi unus Deus; cùm nascitur Deus de Deo, unus solus est, Deus gignens & genitus: cùm procedit Deus de Deo,*

Anselm. pag. 141.

unus

unus tantummodo Deus est, & producens, & de eo qui procedit. Unde inevitabiliter sequitur, quoniam Deus nullas habet partes, sed totus est quidquid est: unum eundemque, & non alium & alium Deum totum esse Patrem, totum esse Filium, totum esse Spiritum sanctum. Quare Pater & Filius & Spiritus sanctus per hoc, quia cum est Deus, in Deo non est nisi unus Deus, servant in Deitate ad similitudinem unius hominis singularitatem.

XVI. Non injuria videri possit cuipiam Anselmus sequutus esse Augustinum, qui tamen non paulò luculentiori exemplo rem illustrat, plurium virtutum in eadem anima habitantium, atque ita sese immeantium; non eo solùm sensu, quod in una habitent indivisibilis animæ rationalis substantia: sed etiam quod ipsæ ita distinctæ sint, ut aliæ alias complectantur, si sui ordinis perfectionem consecutæ sint. Fortitudo, prudentia, temperantia, justitia, & distinctæ virtutes sunt, & in sui veluti quodam apice indistinctæ. Nec enim suis numeris absoluta habebitur fortitudo, exempli gratia, nisi prudens, & temperans, & justa sit. Nec aliter se res habet in tribus aliis. Ergo hæ virtutes ita sese mutuò immeant, non tantùm quod omnes in unius animæ spiritali substantia domicilium nactæ sint; sed quod aliæ in aliis sint, & in singulis universæ; alioqui ne sint quidem, quod sunt, vel esse debent in generis sui perfectione. Quantò ergo magis eodem se res habebit modo in divinæ & incommutabilis naturæ Dei multiplici simplicitate, & simplici multiplicitate? *Si enim virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singula intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem; ut quicumque fuerint equales, verbi gratia, in fortitudine, æquales sint & prudentia, & temperantia, & justitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur ut hujus fortitudo minùs prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando est illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras. Non enim de viribus corporis agitur, sed de animi fortitudine. Quantò ergo magis in illa incommutabili æternaque substantia incomparabiliter simpliciore, quàm est animus humanus, hæc ita se habent? Humano quippe animo non hoc est esse, quod est fortem esse, aut prudentem, aut justum, aut temperatum. Potest enim esse animus, & nullam istarum habere virtutum. Deo autem hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur.*

Augustinus De Trinit. L. 6. c. 4. pag. 810.

Fortitudo ne fortitudo quidem erit, nisi sit prudens, temperans & justa: & hinc Dei utcumque auguranda in multiplicitate simplicitas, & ex mutua omnium inexistentia unitas. Sed ulteriùs progreditur Augustinus, declaratque divina attributa longè perfectiùs alia aliis inesse, & unum omnia esse; putà bonitatem, sapientiam, magnitudinem. Nam eadem est Dei bonitas, quæ sapientia, & vicissim; eadem est magnitudo, quæ sapientia & bonitas. Non mole enim, sed virtute bonitatis & sapientiæ magnus est Deus. Ita igitur hæc sibi mutuò insunt, ita & plura, & unum sunt, ut alia ab aliis sejuncta ne cogitari quidem possint. Ad eundem modum insunt sibi Pater & Filius & Spiritus sanctus, ut ne cogitari quidem Pater possit sine Filio, qui ab eo nascitur; nec Spiritus sanctus sine illo Principio, à quo spiratur & procedit. Inde fit, ut quanquam solus quandoque dicatur Pater, quia solus Filium gignit; non tamen verè solus vel esse, vel cogitari possit sine Filio, cùm in Patre Filius non possit non comprehendi. *Deus verò multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia: non enim mole magnus est, sed virtute. Et eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius. Quanquam non inveniatur quomodo dici possit aut Pater solus, aut Filius solus, cùm semper atque inseparabiliter & ille cum Filio sit, & ille cum Patre; non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius, sed quia semper in invicem neuter solus.*

Ibid. c. 7. pag. 811.

Probat & alibi Augustinus æqualem unumque esse cum Patre Filium, ab exemplo hoc eodem virtutum sibi mutuò æqualium, sibi inexistentium. Nec enim minor potest esse Patre Filius, vel quantitate, vel qualitate qualibet; cùm in Deo nec quantitas esse possit ulla, nec qualitas. An ergo Patre minor dicetur Filius potestate, vel prudentia, vel fortitudine? At id dici non potest. Tum quia si minor esset Filius potestate, quàm prudentia, invidus esset Pater; si minor esset prudentia, quàm potestate, injustus esset Pater, qui potestatem prudentiæ, prudentiam potestati non æquasset. Tum quia in Deo hæc omnia unum sunt, idipsum sunt, nec aliud in illo potestas, quàm sapientia; aut aliud sapientia, quàm justitia & potestas. Quin immo virtutes hæ omnes in rationali & intellectuali natura potiùs ejusmodi sunt, quàm in Deo, in quo non sunt nisi eminentissimæ, ea & ratione & simplicitate & unitate, quæ ne intelligi quidem à mortalibus potest, etsi possit utcumque offieri. Prorsus hæc omnia in naturas intellectuales à summa illa sapientiæ luce, ab illa summa unitatis divinæ arce effunduntur; & per ea vult se Deus à nobis coli, cogitari, dici; cum ipse super hæc omnia sit, & ultra hæc omnia. *Quid ergo dicturus es? Potestate æquales sunt, sed minor Filius prudentia. Injustus est Deus, si minori prudentiæ potestatem dedit æqualem. Si prudentia æquales sunt, sed minor est Filius potestate, invidus est Deus, quia æquali prudentiæ potestatem dedit minorem. In Deo autem omne quod dicitur, idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas, & aliud prudentia, & aliud fortitudo, & aliud justitia, aut aliud castitas. Quidquid horum de Deo dicis, neque aliud & aliud intelligitur, & nihil dignè dicitur: quia hæc animarum sunt, quas illa lux perfundit quodammodo, & pro suis qualitatibus afficit; quomodo cùm oritur corporibus lux ista visibilis, si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus est unus color. Cùm autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa uniusmodi sint, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso eos nitore aspergit. Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene sunt affectæ ab illa luce, quæ non afficitur, & formatæ ab illa quæ non formatur.* Et statim ibidem: *Tamen ista de Deo dicimus, fratres, quia non invenimus melius, quod dicamus. Dico justum Deum: quia in verbis humanis nihil melius quod dicamus, invenio. Nam est ille ultra justitiam.*

Augustinus Serm. 40. De Temp. cap. 6 7. Tom. 10. pag. 211.

Harum quidem virtutum nominibus non rarò Scriptura Deum nobis designat: sed & eadem illum quandoque dicit & irasci, & prioris alicujus consilii pœnitere: ut hinc admoneamur, tam illa à Deo, quàm hæc removenda, si qua Deo dignè loqui moliamur. Etsi enim horum alia aliis longiùs absint à Deo, absunt tamen ab eo omnia longissimè; & super hæc omnia invenitur à nobis *Silentium ineffabili cordis voce laudandum.* Mirificè consentit hoc silentium cum unitate & simplicitate Dei, quæ jubet ab eo removeri omnia, quæ utcumque naturis creatis competere possunt. *Justum quidem Deum dicis: sed intellige aliquid ultra justitiam, quàm soles & de homine cogitare. Sed Scripturæ justum dixerunt, propterea &*

pœnitentem dixerunt, & nescientem, quod jam non vis dicere. Quomodo ergo illa quæ jam exhorres, intelligis propter infirmitatem tuam dicta: sic & ista quæ magnipendis, pro aliqua firmitate validiore dicta sunt. Qui autem & ista transcenderit, & de Deo, quantum homini conceditur, dignè cogitare cœperit, inveniet Silentium ineffabili cordis voce laudandum. Ita ergo virtutes & dotes omnes divinæ mutuò sese immeant, ut in unitatem quandam summam redigantur: ut eo exemplo intelligamus divinas hypostases ita sibi inesse mutuò, ut in unam summam & ineffabilem naturæ unitatem colligantur.

CAPUT XXIX.

De generatione Filii & processione Spiritus sancti, ex Augustino primùm, & aliis Latinis Patribus.

I. Ex Augustino, cùm Spiritus sanctus Filius non sit, cùm de Patris procedat substantia: nempe procedit & à Filio, nec duorum potest esse filius.

II. Quid interfit inter generationem Filii & processionem Spiritus sancti, nescire se fatetur Augustinus.

III. Addit tamen ille, totam paternitatem à Patre, totam filietatem à Filio semel occupatam ita esse, ut nec illa Filio, nec ista Spiritui sancto communicari possit. Addit & alias non spernendas rationes.

IV. Rursus, ut Donum sit Spiritus sanctus, & non Filius; ut ab uno sit Principio, etsi à duobus procedat; ut ab æterno donum & donabilis sit, etsi non detur nisi in tempore.

V. Addit Augustinus jure Verbum dici Filium, quia procedit in similitudinem: at non constare, quòd charitas similiter procedat in similitudinem.

VI. Rursus ut ab utroque procedat Spiritus sanctus, & ideo non sit Filius.

VII. Eadem rursus omnia ex Augustino confirmantur.

VIII. Deus ut Sapientia, ita & Charitas est fœcunda & exundans à Patre per Filium in Spiritum sanctum; & ideo Donum dicitur Spiritus sanctus.

IX. Ex Ambrosio incomperta nobis Filii & Spiritus sancti processio.

X. Rursus de eodem ex eodem, utque tota Charitas Deitasque exundet à Patre in Filium & Spiritum sanctum.

XI. De eodem ex Leone Papa.

XII. Et ex Paschasio E. R. Diacono.

XIII. Ex Anselmo Spiritus sanctus & ab utroque procedit ut amor, & non est Filius.

XIV. Cur unus, non duo sint Amores & Spiritus sancti. Cur non sit imago, ideoque nec Filius: ut nusquam unius filii duo sint patres.

XV. Plura in eandem rem ex Anselmo. Item de memoria, intelligentia & amoris exempla.

XVI. Similitudo, fons, rivus, lacus, scilicet Nilus.

I. PRiores illi Ariani, qui antiquissimam Ecclesiæ de fide Trinitatis doctrinam sollicitaverant, de nihilo Filium esse senserant. Si Deus enim Deo æqualis non esset, id nimirum inde nascebatur, ut creatura esset; ac proinde de nihilo esset, si de Patre non esset. Resipuerunt postea ex aliqua saltem parte, & de nihilo esse negaverunt. Cùm ergo tunc urgerentur à nobis, Qua ex alia substantia esset, si de Patris substantia non esset? Quærebant illi vicissim à nobis, Si de substantia Patris esset, & ideo verè Filius: cur non & Spiritus sanctus verè Filius esset, cùm esset & ipse de substantia Patris? Respondebat porro Augustinus utrumque de substantia Patris esse, & ideo utrumque verè Deum, & consubstantialem Patri; at ex illa Filium nasci, & ideo Filium esse: Spiritum sanctum procedere, & ideo Filium non esse. Porro à Filio quoque illum procedere, id à Christo tum declaratum esse, cùm divini oris afflatu Spiritum sanctum Apostolis suis insufflavit. Ita Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum: *Queris à me, si de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus, cur unus Filius sit, & alius non sit Filius? Ecce respondeo, sive capias, sive non capias: De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus: sed ille genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de qua est genitus: iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo cùm de illo Filius loqueretur, ait, De Patre procedit: quoniam Pater processionis ejus est author, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nam nisi procederet & de ipso, non diceret discipulis, Accipite Spiritum sanctum, eumque insufflando daret, ut à se quoque procedere significans, apertè ostenderet flando, quod spirando dabat occultè.* Aug. Tom. 6 Lib. 4 Pag. 66

Quid verò causæ sit, quamobrem non nascatur, sed procedat Spiritus sanctus, ita hoc loco rem expedit Augustinus; Cùm procedat ab utroque, si nascendo procederet, utriusque Filium fore. Non esse verò consentaneum, ut quisquam duorum sit filius. Si fons enim omnis decoris est divinitas, non potest de ea vel credi quidquam, vel dici, quod minùs deceat. Nec in rerum cortice tantùm spectanda est lex decori; sed ex ipsis naturæ visceribus id prodit, ex ipsis summæ sapientiæ suæ legibus id prospexit, id sanxit Deus, ut ne cui duo essent Patres: ut ne quis esset Filius duorum Patrum. Si quis ulteriùs eluctetur, & illud quoque contendat, ideo ex consequenti rem ita se habere in rerum natura, quia & in Creatore ipso, & in divinis ipsis Personis ita habet: non video quid necesse sit, nos contrà niti. Ideo ibidem mox Augustinus: *Quia ergo, si nasceretur, non tantùm de Patre, nec tantùm de Filio, sed de ambobus utique nasceretur, sine dubio Filius diceretur amborum. Ac per hoc quia Filius amborum nullo modo est, non oportuit nasci eum de ambobus. Amborum est ergo Spiritus sanctus, procedendo de ambobus.*

II. At his ita expeditis, non dissimulat Augustinus hunc impeditissimum superesse nodum, Quid interfit in natura divina inter procedere & nasci. Certè ei extricando imparem se esse confitetur, nec facilè quemquam repertum iri dignum tanto vindicem nodo. Omne quidem quod nascitur, procedere: non omne quod procedit, nasci; nec à se Filium esse, sed à Patre nasci; nec à seipso Spiritum sanctum esse, sed à Patre & Filio procedere: ideoque Spiritum utriusque esse: nec posse esse vel duos Filios, vel duos Spiritus sanctos: sed de processione Spiritus sancti dici posse, quod de generatione Filii habent sacri Codices. Quis enarrabit? Ita planè sanctus Pater: *Quid autem inter nasci & procedere interfit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur; sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis qui homo est. Hæc scio. Distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc quia & illa & ista est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens, ait: Generationem ejus quis enarrabit? ita de Spiritu sancto verissimè dicitur: Processionem ejus quis enarrabit? Satis sit ergo nobis, quia non est à seipso Filius, sed ab illo de quo natus est: non est à seipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit. Et quia de utroque procedit, sicut jam ostendimus, ideo & Spiritus Patris & Filii dicitur.*

ostendimus, unde & Spiritus Patris dictus est, ubi legitur: Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum à mortuis, habitat in vobis: & Spiritus Filii, ubi legitur: Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non enim duo sunt Spiritus sancti, tanquam singuli singulorum, unus Patris & alter Filii; sed unus potiùs Patris & Filii.

III. Latet in his sancti Patris verbis alia ratio, cur dici non possit Spiritum sanctum vel nasci, vel Filium esse. Nimirum totam filietatem occupavit Filius, totam generandi vim in eo exhausit Pater, totam Patris paternitatem ad se convertit Filius. Quidquid enim in Deo est, ex toto est, totum est, non potest ex parte esse; ideo & quidquid in Deo est, unum est: unus Pater totam rationem paternitatis in se anticipans; unus Filius, unus genitus, totam filietatem, totam nascendi plenitudinem implens. Si ambobus accedat Spiritus sanctus, suam & huic proprietatem assignari necesse est, totamque ab uno obtineri & impleri.

Nec tamen hæc qualiscunque elucidatio ejusmodi est, ut Augustinum prohiberet suam tanti hujus arcani inscitiam profiteri, quo differat generare & generari, spirare & spirari, generatio & processio. Illud alibi ab eo commemoratur, non tam copiosè, nec tam diligenter tractatum esse à sanctis Patribus de Spiritu sancto, quàm de Verbo; nec ejus proprietatem satis explorari hactenus potuisse. Nonnullos in ea esse sententia, ut eo distet Spiritus sanctus à Filio, quòd hic nascatur à Patre, ille donetur: ille Filius, hic Donum sit; quòd ita Deum deceat, ut non inferius seipso donum dare credatur. Ita certè fieri, ut ne duo sint filii, nec Spiritus sanctus Patri sit ex Filio nepos, nec duo sint principia sine principio, quod qui olim insaniebant hæretici, Ecclesiæ Catholicæ execrationi fuere. *De Spiritu sancto autem nondum tam copiosè ac diligenter disputatum est à doctis & magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facilè possit & ejus proprium; quo propriè fit, ut eum neque Filium, neque Patrem dicere possimus, sed tantùm Spiritum sanctum: nisi quod eum donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare. Servant tamen ut non genitum Spiritum sanctum tanquam Filium de Patre prædicent, unicus enim est Christus; neque de Filio, tanquam nepotem summi Patris; nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia; ne duo constituamus principia sine principio, quod falsissimum est & absurdissimum, & non Catholicæ fidei, sed quorundam hæreticorum errori proprium.*

L. De Fide, & Symbol. c. 2. p. 16.

IV. Eodem spectat, quod & alibi tradit Augustinus, Spiritum sanctum relativè quidem dici ad Patrem & Filium, sed in ejus nomine non apparere relationem, nisi cum donum dicitur. Est enim Donum Patris & Filii; ineffabilis scilicet quædam communio Patris & Filii, & amborum donum; unde & eo nomine donatur, quod possit & Patri & Filio competere. *In eo quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relativè dicitur, cùm ad Patrem & ad Filium refertur; quia Spiritus sanctus & Patris & Filii Spiritus est; sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur donum Dei. Donum enim est Patris & Filii, quia & à Patre procedit, sicut Dominus dicit, & quod Apostolus ait, Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus: de ipso utique sancto Spiritu ait. Donum ergo donatoris, & donator doni, cùm dicimus, relativè utrumque ad invicem dicimus. Ergo Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filiique communio, & idea fortasse sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter; & quia Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus. Ut erga ex nomine quod utrique convenit utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus.* Et hinc etiam colligitur, cur non sit Filius, etsi procedat à Patre sicut & Filius; quia nimirum exit à Patre, non ut natus, quod Filio proprium est; sed ut datus. *Ubi & illud elucescit, utpote quod solet multos movere, cur non Filius sit etiam Spiritus sanctus, cum & ipse à Patre exeat, sicut in Evangelio legitur. Exiit enim non quomodo natus, sed quomodo datus.*

De Trinit. L. 6. c. 11. pag. 168.

Etsi autem à duobus detur Spiritus sanctus, non habet tamen duo principia; dat quippe Pater per Filium, qui ab ipso habet hanc dandi potestatem. Sicut Pater & Filius & Spiritus sanctus unum principium est creandi ad creaturas omnes. *Fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator & unus Dominus; sic relativè ad Spiritum sanctum unum principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator & unus Dominus.* Illud denique monet sanctus Pater, etsi non donetur Spiritus sanctus nisi in tempore; non ex tempore tamen, sed ab æternitate procedere, quia sic procedit, ut ab æternitate donabilis, & ideo jam Donum. *An semper proceait Spiritus sanctus, & non ex tempore, sed ab æternitate procedit? Sed quia sic procedebat, ut esset donabile, jam donum erat, & antequam esset cui daretur.*

Ibidem pag. 129. Cap. 14.

V. Propiùs fortasse videbitur Augustinus ad hujusmodi solutionem inferiùs accedere, ubi imaginem quandam Trinitatis contemplatur in natura rationali adumbratam. Quippe mens creata ubi seipsam contemplatur, suimet speciem & imaginem in seipsa format & gignit; & hoc ipsum est ejus Verbum ab ipsa in ipsa genitum. Non ita autem claret, cùm eadem mens suum in seipsam amorem retorquet, an hic quoque amor mentis imago sit, & ab ea in sui similitudinem gignatur. De Verbo mentis assentiuntur omnes in similitudine quadam illud positum esse, & imaginem eam esse, vel rei, quæ cognoscitur: vel mentis, si seipsam illa intueatur. At non ita res habet, non ita omnes consentiunt, in amore quoque effingi imaginem mentis seipsam diligentis. Audiendus ea de re Augustinus: *Et cum habeat notitia similitudinem ad eam rem quam novit, hoc est, cujus notitia est: hæc habet perfectam & æqualem, quia mens ipsa, quæ novit, est nota. Ideoque & imago & verbum est, quia de illa exprimitur, cùm cognoscendo eidem coæquatur, & est gignenti æquale quod genitum est. Qui l ergo amor? non erit imago? non verbum? non genitus? Cur enim mens notitiam suam gignit, cùm se novit: & amorem suum non gignit, cùm se amat? Nam si propterea est notionis suæ causa, quia noscibilis est: amoris etiam sui causa est, quia est amabilis. Cur utrumque itaque non genuerit, difficile est dicere.*

De Trinit. L. 10. c. 11. pag. 184.

Jam ut ad diviniſſimam Trinitatem hæc trahantur, ita declaratur ab eodem Augustino: Exercitandam & acuendam esse mentem nostram in sui ipsius consideratione, quo vegetior paratiorque tum accedat ad exploranda Trinitatis penetralia. In mente seipsam intelligente effingi mentis imaginem, quæ jure dicatur ab ea gigni. Si constet Spiritum sanctum dici debere charitatem Patris & Filii, non hìc æquè perspicuam esse Patris imaginem ac similitudinem, atque in Verbo. Ex quo id efficitur, jure dici Filium, eum qui procedit in similitudinem genitoris, quia procedit ut Verbum; non pari jure Filium dici posse Spiritum sanctum, cùm charitas non ita procedat ad imaginem Principii sui. *Hæc enim quæstio etiam de ipsa summa Trinitate, omnipotentissimo creatore Deo, ad cujus imaginem homo factus est, solet movere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem invitat ad fidem. Cur non Spiritus quoque sanctus à Patre Deo genitus vel creditur, vel intelligitur, ut*

Filius etiam ipse dicatur? Quod nunc in mente humana utcunque investigare conamur, ut ex inferiore imagine, in qua nobis familiarius natura ipsa nostra, quasi interrogata respondet, exercitatiorem mentis aciem ab illuminata creatura ad lumen incommutabile dirigamus: si tamen veritas ipsa persuaserit, sicut Dei Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat, ita & charitatem esse Spiritum sanctum.

VI. Ex eodem inferiùs vita est Pater, Filioque dedit, ut & vita esset, cui omnia sua dedit; ideo & Filius vitam habens in semetipso ex sese effundit Spiritum sanctum; non ut alterum, sed ut idem cum ipso Principium; quia & non alia est, sed eadem prorsus cum Patre vita sese profundens. Sic ergo à Filio procedit Spiritus sanctus, ut hoc ipsum habeat Filius à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus sanctus. *Intelligat, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus; sic dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus sanctus, & utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse & Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique ut de illo procedat Spiritus sanctus.* Hinc jure dicitur Spiritus sanctus principaliter ex Patre procedere, etsi communiter à Patre & Filio procedat. Ex quo rursum monet Augustinus jure abhorrere fidem Catholicam, ne genitus, vel Filius esse dicatur Spiritus sanctus. Quanquam enim perdifficile sit generationem à processione distinguere; illud tamen perspicuum est, non posse Filium esse, qui à duobus procedit, non posse quenquam dici duorum Filium genitorum. Nec enim inter homines filius à patre & matre simul procedit, sed priùs à patre in matrem, & denique à matre sine patre. *Filius autem de Patre natus est, & Spiritus sanctus de Patre principaliter, & ipse sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit. Diceretur autem Filius Patris & Filii, si, quod abhorret ab omnium sanorum sensibus, eum ambo genuissent, amborum spiritus. Verum in illa coaeterna, coaequali & incorporali & ineffabiliter mutabili atque inseparabili Trinitate difficillimum est generationem processione distinguere.* Et infrà: *Unde & illud quod ait, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit. Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quantò magis ille intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, De Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus, est enim de eo Deus; ab illo habet utique, ut de illo etiam procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.* Et denique: *Hic utcunque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales non sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus, quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est; Filius quippe nullus est eorum, nisi patris & matris. Absit autem ut inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale suspicemur; quia nec filius hominum simul ex matre & patre procedit, sed cùm in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre: & cùm in hunc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus, non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.*

L. 1. c. 26. pag. 363.

Pag. 364.

VII. Denique ibidem aliquantò pòst sanctus Pater illud rursum inculcat, vitam esse Patrem, sed vitam exundantem; & ita exundantem in Filium, ut a Filio æquè, ut ab ipso rursus exundet in Spiritum sanctum; Filium dici, quòd Patris vita in Filium exundet: Spiritum sanctum in quem eadem Patris & Filii vita exundat, Filium dici non posse, quòd nullius Filii duo sint genitores, duo Patres: Charitatem convenientiùs dici, quia charitas duorum est; in vita per intellectum procedente, elucere in partu mentis ipsius imaginem, eoque genitam dici posse; non peræquè imaginem elucere in partu charitatis, sed communionem, donum, quæ à ratione Filii discrepant. Si cui hæc alluceant, posse eum ad sublimius etiam aliquid gradatim aspirare. Cui minùs allucent, illum necesse esse fidei & Scripturarum acquiescere authoritati. *Neque enim possumus dicere quod non sit vita Spiritus sanctus, cùm vita Pater, vita sit Filius: ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit & Filio vitam habere in semetipso; sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut & procedit de ipso.* Et paulò pòst: *Verùm si ad hanc imaginem contuendam, & ad videnda, quàm ista vera sint, quæ in eorum mente sunt, nec tria sic sunt ut tres personæ sint, sed omnia tria hominis sunt quæ una persona est, minùs idonei sunt: cur non de illa summa Trinitate, quæ Deus est, credunt potiùs quod in sacris litteris invenitur, quàm poscunt liquidissimam reddi sibi rationem, quæ ab humana mente tarda scilicet infirmaque non capitur? Et certè cum inconcussè crediderint Scripturis sanctis tanquam veracissimis testibus, agant orando & quærendo & bene vivendo ut intelligant, id est, ut quantum videri potest videatur mente quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, imò verò ad hoc quis non horteur?*

VIII. Aliquantò antè probaverat ex Scripturis Augustinus, dilectionem illam, quæ ex Deo est, & quæ Deus est, esse Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut ita nos tota inhabitet Trinitas. Ideireo & donum vocari Spiritum sanctum, quòd donorum maximum sit charitas, quæ nos ad Deum perducit, & sine qua non perveniretur ad Deum qualibuscunque aliis donis. Porro addit sanctus Pater charitatem ipsammet esse Dei substantiam & naturam, per quam Pater Filium, Filius Patrem diligit. Ita enim consentit, ut summa bonitas fœcunditatem suam in parem sibi prolem effundat, & hanc diligat, & ab ea diligatur, & hæc mutua dilectio sive charitas, Spiritus sanctus sit, ab utroque manans; & hæc omnia una Dei simplicissima substantia sint, tribus ab his relativis hypostasibus invicem distinctis minimè distincta. Propagante quippe & dilatante seipsam summa, sive bonitate, sive sapientia, sive charitate, unum quippe in Deo sunt hæc omnia, jam alia est propagans se sapientia, alia sapientia propagata, una tamen eademque sapientia solis relationibus paternitatis & filiationis distincta: cæteroqui simplicissimè una, sibi mutuæ etiam inter Patrem & Filium charitatis vinculo devincta. *Dilectio igitur quæ ex Deo est & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissimè Spiritus sanctus cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, & sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum?* Et infrà: *Charitas quippe Patris quæ in natura ejus est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quàm ejus ipsa natura atque substantia, ut sæpè jam diximus, & sæpè iterare non piget.* Et alibi rursum: *Est ergo Pater Filio veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta veritas; & Spiritus sanctus à Patre bono & Filio bono effusa bonitas: omnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas.* Aliquantò pòst eidem Patri docet tribui omnes operationes, *Quòd ab illo sit origo operum, à quo est existentia cooperantium Personarum: quia & de illo Filius natus est, & Spiritus sanctus principaliter de illo procedit.*

De Trin. L. 15. c. 18. Tom. 8. pag. 1011.

De Verbis Domini. Serm. 11. cap. 12. Tom. 10. pag. 17.

IX. In-

IX. Ingeniè fatetur & Ambrosius, quam certum fidelibus est, nasci de Patre Filium; tam inexploratum illis esse modum illum nascendi. Non esse nunc nobis oculos, quibus illam nativitatem videamus; esse aures quibus audiamus, & tum fidei oculos aperiamus, quibus ipsa invisibilia videamus; hanc fidem a Christo ostensam esse, quando dixit Petro, Duc in altum. Quid enim tam altum, quàm Filium complecti nascentem, Spiritum sanctum procedentem? Sic ergo ille in Evangelium Lucæ: *Quid enim tam altum, quàm altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem divinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plenè rationis investigatione comprehendere; fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed authorem generationis agnosco. Non interfuimus cùm ex Patre Dei Filius nasceretur, sed interfuimus cùm à Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus sæpè fallitur, auditus in fide est. An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere. Deus asserit, probat Filius, refugiens Sol fatetur, tremens terra testatur. In hoc altum disputationis Ecclesia à Petro ducitur, ut videat hinc resurgentem Dei Filium, indè Spiritum sanctum profluentem.*

Ambros. Tom. 2. pag. 87. 88.

X. Castigat & alibi Ambrosius nimiam quorumdam audaciam vestigandi quæ ininvestigabilia sunt, cùm Petrus contentus fuerit Dei Filium confiteri: cùm Paulus nihil se scire professus sit, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Non licet ergo nobis generationis seriem & rationem scire: non licet fidem nescire. In hæc ergo abdita arcana tantum progredimur, quantum Scripturæ nobis præeunt, quantum Patres Scripturam interpretantes prælucent. Non illud tamen silet Ambrosius, quod Petrus docuit, In Dei Filio omnia esse, omnia enim Patrem dedisse Filio. Dat enim summa Bonitas, & pro sua bonitate & amplitudine dat; omnia dat qui omnia est, omniumque fons est; & Filius is est, cui plenitudinem suam dat omnem; & Pater est, qui plenitudinem suam dat omnem; nec potest Pater, qui summa Bonitas est, non diligere Filium summam Bonitatem, vicissimque ab eo diligi; nec dilectio hæc mutua Patris & Filii qualitas est, sed substantia: cùm in Deo nihil fugax & accidentarium, sed totum substantia sit. Ita fides Scripturis innixa sensim illuminatur: *Petrus nihil aliud quàm Dei Filium confitendum putavit; nos & quando, & quomodo natus sit, & quantus sit, humana infirmitatis contemplatione rimamur? Scivit Paulus quod in istis magis offendiculum quæstionis, quàm ædificationis profectus esset, & ideo judicavit nihil se scire nisi Christum Jesum. Scivit Petrus quòd in Filio Dei omnia sint. Omnia enim dedit Pater Filio: Si omnia, æternitatem quam habet majestatemque transfudit. Sed quò prolabor longiùs? Fidei meæ finis Christus est, finis fidei meæ Dei Filius est. Non licet mihi scire generationis seriem; non licet tamen nescire generationis fidem.*

Ibid. p. 148.

Divinitatis unitatem alibi declarat idem Ambrosius, ex eo quòd Filius à Patre procedat, Spiritus sanctus à Filio. Ita à Patre manant omnia, & Vena illa inexhausta in Fontem, tum Vena & Fons in Flumen exundat, Tria unum, cùm una eadem sit non aquæ hìc substantia, sed Bonitatis, Sapientiæ, Charitatis, in Vena, in Fonte, & Flumine. Ita innuit Ambrosius ex verbis Christi: *Cùm venerit autem Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritus veritatis, qui à Patre meo procedit, ille testimonium perhibèbit de me. Et Filius à Patre procedit, & Spiritus ab ipso procedit. De unitate ergo Divinitatis ambiguum nihil.*

In Psal. 61. Tom. 1. pag. 1069.

XI. Pulcherrimè descripsit Leo Magnus illam naturæ & substantiæ unitatem indivisam, & à Patre tamen manantem in Filium, manantem & à Patre Filioque in Spiritum sanctum. Dei quippe est & omnia habere, & omnia ex se effundere, & ita effundere, ut nihil ex se effluat. Ita una manet substantia defluens ex se in se, & sine quantulocumque summæ Unitatis dispendio ineffabilem explicans fœcunditatem suam. In summa Bonitatis natura summa omnium communio; ibi quippe unum & idem est omnia esse, omnia effundere, omnia in se recolligere. *Cùmque in Personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen alia Deitas, nec diversa natura est. Siquidem cùm & de Patre sit Filius unigenitus, & Spiritus sanctus Patris Filiique sit Spiritus, non sicut quæcumque creatura, quæ & Patris & Filii est: sed sicut cum utroque vivens & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater Filiusque subsistens.* Et paucis interpositis: *Non ergo alia sunt Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed omnia quæcumque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus sanctus; nec unquam in illa Trinitate defuit ista communio: Quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere; nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur; & si nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est de naturâ ineffabili non loqui digna, quàm definire contraria.*

Leo Mag. Serm. 1 de Pentecoste pag. 2.

XII. Quæsivit & Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus, quo differret nasci & procedere in Filio & Spiritu sancto. Respondit autem convenienter suprapositæ Augustini sententiæ, Nasci Filium ex uno, procedere Spiritum sanctum ab utroque. Ita pauciissimis ille verbis rem expedit: *Quid est autem, quòd ex Deo Patre nasci Filius dicitur, & Spiritus sanctus procedere significatur? Si requiras, quid inter nascentem & procedentem distet, evidenter hoc interest, quia iste ex uno nascitur, ille ex utroque progreditur.*

L. 1. de Spir. san. c. 12. Bibl. Patr. Tom. 9. pag. 190.

XIII. Accedo denique ad Anselmum, quo nemo propiùs accessit ad Augustini doctrinam, nemo eam in hac parte lucidius explanavit, ut non immeritò ejus in vestigia ingressi sint, qui post illum Scholas Theologicas illustrarunt. Illud ergo primum ab eo ostenditur, nulla aptiùs imagine Trinitatem declarari, quàm rationalis & intelligentis naturæ memoria, intelligentia & amore. Ita enim hæc tria sunt, ut & unum sint: ita unum, ut & tria sint. Qui enim sui memor est, is & se intelligit, & se amat; & rursus qui sese intelligit, is & sui memor est, & sese amat; & denique qui sese amat, is & sui meminit, & se intelligit. Ex sui autem memoria & intelligentia manat amor sui. Spiritus ergo sanctus, qui amor est, à Patre Filioque procedit, qui per memoriam & intelligentiam hìc exhibentur. *Palam certè est rationem habenti, eum idcirco sui memorem esse, aut se intelligere, quia se amat: sed ideo se amare, quia sui meminit, & se intelligit: nec eum se posse amare, si sui non sit memor, aut se non intelligat. Nulla enim res amatur, sine ejus memoria & intelligentia: & multa tenentur memoria, & intelliguntur, quæ non amantur. Patet igitur amorem summi Spiritus ex eo procedere, quia sui memor est, & se intelligit. Quod si in memoria summi Spiritus intelligitur Pater, ut intelligentia Filius, manifestum est, quia à Patre pariter & à Filio summi Spiritus amor procedit.*

Anselm. in Menolog. c. 48. p. 20.

XIV. Cùm posset autem quis ambigere, qui fiat ut non duo sint Spiritus sancti, & duo Amores, cùm unus procedere posset à Patre, alter à Filio? Respondet Anselmus, Spiritum sanctum non

non procedere à relationibus Patris & Filii, quæ plures sunt: sed ab ipsa eorum essentia, quæ utique una est, & à qua una & tota torus & unus prodit. *Sed hujusmodi dubitationis certitudo* ibid. c. 12. *hinc indubitanter cognoscitur; quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, qua plures sunt. Alia est enim relatio Patris, alia Filii; sed ex ipsa sua essentia, que pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum. Sicut ergo singulus Pater est summus Spiritus, & singulus Filius est summus Spiritus: & simul Pater & Filius non duo, sed unus Spiritus: ita à singulo Patre manat totus amor summi Spiritus: & à singulo Filio, totus & simul à Patre & Filio non duo toti, sed unus idemque totus.*

Pergit porro Anselmus, Cùm hic Amor simillimus sit ei à quo procedit Patri Filioque, quid vetat, quin ab illis genitus, amborum filius esse dicatur? Respondet autem, Filium esse non posse, qui non statim Patris imaginem præferat, & coram exhibeat. Verbum sic à Patre prodire, ut statim similitudinem ejus aperrimè præferat. At Amorem non statim perspicuam videri esse imaginem ejus, à quo procedit; quanquam altiùs rem consideranti dubium esse non possit, quin simillimus sit, utpote unius essentiæ cum Patre & Filio. *Quid ergo cùm hic Amor pariter habeat esse à Patre & Filio: & sic similis sit ambobus, ut nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit quod illi: numquid Filius eorum, aut proles æstimandus est? Sed sicut Verbum mox ut consideratur, se prolem esse ejus, à quo est evidentissimè probat, promptam præferendo Parentis imaginem: sic Amor apertè se prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus ex quo est similitudinem: quamvis ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse, quod est Pater & Filius.*

Illud quoque mox addit ex eodem Augustino mutuatum, Cùm non aliter procedat à Patre, quàm à Filio, utriusque Filium fore ut Patris, non alterius ut Patris, alterius ut matris. Ideo non posse alterum esse Patrem ejus, alterum matrem. Sed nec ambos ejus Patres esse posse, cùm nusquam & nunquam contingat, ut duo sint unius prolis patres. *Denique si proles eorum est,* ibid. c. 13. *aut alter eorum erit Pater ejus, alter Mater: aut uterque Pater, sive Mater est: que omnia veritati repugnare videntur. Quoniam namque nullatenus aliter à Patre procedit, quàm à Filio: nulla veritas patitur, ut dissimili vocabulo ad illum Pater & Filius referantur. Non est igitur alter Pater ejus, alter Mater. Ut autem duo aliqua sint, que singula perfectam, & nulla consideratione differentem habeant pariter ad aliquid unum Patris aut Matris habitudinem, nulla natura aliquo monstrari concedit exemplo. Ergo non est uterque, scilicet Pater & Filius, Pater aut Mater Amoris à se manantis. Nequaquam itaque videtur veritati convenire, ut idem Amor eorum filius sit aut proles.*

Hactenus Anselmus ex Augustino, summo procul dubio Theologo, sed in eo hìc argumento, in quo tota nostra Theologia balbuties est. Illud hìc est commendatissimum, quòd omnia ex sacris Litteris & Majorum Traditionibus hausta sint. Spiritum sanctum esse dilectionem, amorem, charitatem, sacræ Novi Testamenti paginæ vociferantur. Filium esse Verbum & Imaginem Patris, eædem passim loquuntur. In eo satis argumenti est, ut hìc Filius dicatur, nec eodem nomine donetur Spiritus sanctus.

XV. Ut se tres divinæ Hypostases immeent, declarat Anselmus ex eo potissimùm, quòd unaquæque earum sit summa ipsa Deitatis totius essentia, & ea essentia summa etsi trium sit; non possit esse nisi una. Additur & illud, quòd tria quoque illa, quibus Trinitatis imago luculenta repræsentatur, insint quoque sibi vicissim, memoria, intelligentia, amor. *Jucundum est intueri* ibid. c. 3. *in Patre & Filio & utriusque Spiritu, quomodo sint in se invicem, tanta equalitate, ut nullus alium excedat. Preter hoc enim, quia unusquisque eorum sic est perfectè summa essentia, ut tamen omnes tres simul non sint nisi essentia una summa: que nec sine se, vel extra se, nec major, vel minor seipsa esse potest. Per singulos tamen idipsum non minus valet probari. Est etenim totus pariter in Filio & communi Spiritu; & Filius in Patre & eodem Spiritu; & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria summe essentie tota est in ejus intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia. Totam quippe suam memoriam summus intelligit Spiritus & amat, & totius intelligentie meminit, & totam amat, & totius amoris meminit, & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater, in intelligentia Filius, in amore utriusque Spiritus. Tanta igitur Pater & Filius & Spiritus sanctus equalitate sese complectuntur, & sunt in se invicem, ut eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.*

Illud quoque non immeritò memorandum censuit Anselmus, sic Patri memoriam, intelligentiam Filio, amorem tribui Spiritui sancto, ut non egeat tamen Pater Filio ad intelligendum, aut Spiritu S. ad amandum: uti nec Filius Patre, ut meminerit, aut Spiritu sancto ut amet: nec Spiritus sanctus Patre ut meminerit, aut Filio ut intelligat. Sed cùm horum trium singuli sint ipsa summa essentia, summa sapientia & summa perfectio; necesse est ut & singuli per se & meminerint, & intelligant, & ament. *Nam cùm in tribus unusquisque singulus sit summa essentia & summa sapientia, sic perfecta, ut* ibid. c. 14. *ipsa per se memor sit, & intelligat, & amet: necesse est ut nullus eorum trium alio indigeat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quisque essentialiter est & memoria & intelligentia & amor, & quidquid summe est necesse ineste essentie.*

Hanc denique ibidem postremam Anselmus proponit & solvit quæstionem: Si Pater & intelligentia est & amor, quare non est alicujus Filius & alicujus Spiritus sanctus; cùm Filius ita nominetur, quia intelligentia est; & Spiritus sanctus ita dicatur, quia amor est? Item si Filius memoria est, quare non est Pater alicujus; si amor est, quare non est alicujus Spiritus? Denique si Spiritus sanctus & memoria est & intelligentia, quare non est etiam alicujus Pater & alicujus Filius? Respondet Anselmus facilè hæc solvi, solvit autem ipse luculentissimè in hæc verba: *Verùm hec quæstio non difficilè solvitur, si ea que jam ratione* ibid. c. 15. *inventa sunt, considerentur. Idcirco enim non est Pater alicujus Filius, aut alicujus Spiritus, licèt sit intelligentia & amor: quia non est intelligentia genita, aut amor ab aliquo procedens: sed quidquid est, gignens est tantùm, & à quo procedit alius. Filius quoque ideo non est Pater, aut alicujus Spiritus, quamvis seipso memor sit & amet: quia non est memoria gignens, aut amor ab alio ad similitudinem sui Spiritus procedens: sed quidquid existit tantùm gignitur, & est à quo Spiritus procedit. Spiritus quoque non cogis esse Patrem aut Filium, hoc, quia seipso contentus est memoria aut intelligentia; cùm non sit memoria gignens, aut intelligentia genita; sed solùm quidquid est, procedat. Quid igitur prohibet concludi: quia unus tantùm est in summa essentia Pater, unus Filius, unus Spiritus, & non tres Patres, aut Filii, aut Spiritus?*

Unus

Unus supereſt ex Anſelmo locus, quem hic inferam, etſi inſeri potuiſſet & ſuperioribus Capitibus, ubi comparationes aucupabamur ex naturis corporeis. Eſt autem huic etiam loco aptiſſima hæc ſimilitudo Anſelmi, deſumpta ex fonte, rivo, lacu. Planiſſima ſunt ejus verba, & mea interpretatione obſcurari magis poſſent, quàm illuſtrari. Sic ergo ille in libro de Incarnatione Verbi: *Ponamus fontem de quo naſcatur & fluat rivus, qui poſtea colligatur in lacum: ſitque nomen ejus Nilus. Sic itaque diſcretè dicimus, fontem, rivum, lacum: ut fontem non dicamus rivum, aut lacum: nec rivum, fontem, aut lacum: nec lacum, fontem, aut rivum. Fons tamen Nilus vocatur, & rivus Nilus, & lacus Nilus; & duo ſimul fons & rivus, Nilus; fons & lacus, Nilus; rivus & lacus, Nilus: & ſimul tres, fons, & rivus, & lacus, Nilus; cùm tamen non ſit alius & alius Nilus: ſed unus idemque, ſive cum ſingulus quiſque, ſive cum bini, ſive cum tres dicuntur Nilus. Tres igitur ſunt fons, rivus, lacus: & unus Nilus, unus fluvius, una natura, una aqua; & dici non poteſt quid tres. Nam neque tres aut Nili, aut fluvii, aut naturæ, aut aquæ ſunt: neque tres aut fontes, aut rivi, aut lacus. Unum igitur dicitur hoc de tribus, & tria de uno: nec tamen tria de invicem.*

Anſelm. lib. 2. cap. 7. pag. 43.

CAPUT XXX.

De generatione Filii & proceſſione Spiritus ſancti, ex Græcis Patribus.

I. Ex Athanaſio Verbum Filius eſt Patris, quia ejus Verbum imago, ſapientia de ſapientia, lumen de lumine.

II. Inſana Arianorum de Spiritus ſancti proceſſione quæſtiones. Reſponſiones Athanaſii, ut Pater totus ſit Pater, & ſolus, & ſemper, & ſolum. Similiter de Filio. Item ut Pater ſit fons ſapientiæ, Filius fluvius, non ſine Charitate & Spiritu, quo & fons & fluvius ſapientiæ ſe diligant.

III. Prolixiùs id exponitur.

IV. Ex Nazianzeno reſponſiones ad eaſdem quæſtiones Arrianorum.

V. Quàm ſobriè & quàm cautè de his loquendum ſit. Quàm nullo deficiat Pater, vel Filius; etſi nec iſte Filius, nec ille Pater: plenitudo intauſa eſt, non defectus.

VI. Aliæ ejuſdem de eadem re reſponſiones, Cur Spiritus ſanctus Filius non ſit, vel Filii frater.

VII. Aliæ reſponſiones & ſimilitudines ex rebus humanis petitæ.

VIII. Quàm multò veriùs in Deo Pater pater ſit, Filius filius, quàm apud homines; ut duo non poſſint eſſe Patres, vel duo Filii.

IX. Quæ propria, quæ communia tribus Perſonis. Quàm multa neceſſe ſit à nobis neſciri, à Deo ſolo ſciri, vel poſteris revelari.

X. De his ipſis Epiphanii doctrina.

XI. Doctrina Baſilii, generatione naſci Filium, Spiritum ſanctum ineffabiliter procedere. Illum naſci ut imaginem, ut characterem Patris; incomprehenſibilem & ſilentio colendam eſſe ejus nativitatem.

XII. Rurſus ex eodem Spiritus ſanctus à Filio quoque procedit, & Filius naſcitur ut imago, cujus rurſum imago Spiritus eſt, quia nos imagines facit eſſe Filii.

XIII. Ex eodem, cur Spiritus ſanctus non dicatur Filius Filii, cùm ejus imago ſit?

XIV. Spiritus dicitur ex ejus ſimilitudine, qui ab ore noſtro efflatur; Filius dicitur ex ſimilitudine generationis humanæ; longè aliud utraque ſonat, quàm creationem, vel opus manuum. Generat & ſpirat Deus, ut ſolus ipſe novit; ſolus voces dictat nobis, quibus hæc arcana efferamus.

XV. Ut ſingularum Perſonarum proprietates deſcribat Baſilius.

I. NOn obſcurè inſinuat Athanaſius, Filium eſſe & dici Verbum, propterea quòd à Patre manet, ut Verbum & imago ejus; ut ſapientia de ſapientia, ut jubar de Sole, quo nihil Soli ſimilius; ut rivus de fonte, qui non poſſit exaruiſſe; de fonte, inquam, ſapientiæ & veritatis, qui non poſſit fœcunditatis ſuæ fructu carere. Inde eſt, quòd cùm Ariani Patrem Filio orbarent, exprobrat illis Athanaſius, quòd lucem ſplendore caruiſſe dicerent, & fontem ſapientiæ improlem aridumque aliquando fuiſſe. τὸ φῶς λὼ πότε χωρὶς αὐγῆς, ἢ ἄγονον λὼ τὴν πηγὴν ἔ ξηρά. Quanquam enim ante tempora fuiſſe Verbum dicerent, aut dicere ſe ſimularent; exiſtimabant tamen, nec id diſſimulabant, fuiſſe aliquando quando non erat; atque ita fuiſſe aliquando Patrem ſine Filio, ſine ſapientia. Non quò rum eſſentiali ſapientia ſua Deum exuerent; ſed quòd ſancti Patres Scripturis, fidei Catholicæ, & Eccleſiaſticæ Theologiæ innutriti, jure merito urgerent caruiſſe Patrem ſapientia, ſi caruiſſet Sapientia genita. Nec enim ſatis eſt ad Patris, ad Dei amplitudinem, ut Sapientia ingenita ſit, niſi & ſapientia ſit fœcunda, effluens, exundans, & in Sapientiam genitam ſeſe dilatans. *Filius nihil aliud eſt, niſi hoc ipſum quod è Patre genitum eſt: & quod genitum eſt ex Deo, Verbum ejus, & ſapientia, & jubar eſt. Quid opus eſt verbis? cur dicitis, fuit quando non erat Filius? quaſi plagiarii; Deum Verbo ſuo ſpoliatis, & manifeſtè adversùs eum, quaſi fuerit aliquando Deus, ſine ſua Ratione, ſine ſua Sapientia: & lucem ſplendorem caruiſſe, & fontem veluti ſterilem exaruiſſe. Nam tametſi nomen temporis metu opprobrii videantur ſubterfugere, eumque dicant ante tempora fuiſſe; tamen quia ſpatia aliqua dant, in quibus eum non fuiſſe comminiſcuntur, nihilo tamen minus tempora innuunt, & ita de Deo abſurda ſtatuentes, mirum in modum ſeſe impios præbent.* Et aliquantis interpoſitis: *Re igitur ad iſtam rationem demonſtrata, germen Patris Filium eſſe, nihil amplius dubii relinquitur; ſed omnia ſunt clara, eundem eſſe Sapientiam & Verbum Patris, in quo & per quem condit & facit omnia: & hoc ipſum eſſe ejus ſplendorem, ſive jubar, in quo omnia illuminat, & revelatur quibus vult; eundem rurſus eſſe characterem ejus & imaginem, in qua ſpectatur & cognoſcitur. Quapropter & ipſe & Pater unum ſunt.*

Athanaſ. Orat. 2. cont. Arian. pag. 146. 147.

II. Profanas Arrianorum quæſtiones circa nativitatem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti alibi refert, & deteſtatur Athanaſius: Si Spiritus ſanctus creatura non eſſet, Filium ergo haberi debere, & Filii germanum, nec jam Verbum unigenitum fore; Patrem verò Spiritus ſancti avum fore. Ita illi ludos agebant, ubi minimè decebat. Audiendus de his Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem, quòd Spiritus ſanctus non ſit creatura: *Si inquiunt Spiritus ſanctus nec creatura eſt, nec Angelus eſt, ſed ex Patre procedit, ergo & ipſe quoque Filius habendus eſt, eruntque inter ſe germani, Verbum & Spiritus: quapropter ſi germanus eſt, quomodo Verbum Filius unigenitus nominabitur? aut quid eſt, cur non ſimiles inter ſeſe habeantur? Atqui Verbum è Patre genitum eſſe perhibetur, & Spiritus poſt Filium ſecundo loco nominatur: denique ſi ex Patre eſt, cur non & ipſe quoque genitus eſſe dicitur, & Filius appellatur, ſed Spiritus ſanctus dumtaxat nuncupatur? Porro, ſi Spiritus, Filii eſt Spiritus: ergo Deus Spiritui ſancto avus exiſtimari debet.*

Pag. 316.

debet. Istiusmodi ludos suis curiositatibus infames illi ludunt, voluntque perscrutari profunda Dei, quæ nullus scit nisi Spiritus, cui ipsi maledicunt. Non erat igitur posthac illis respondendum; & secundùm Apostolicum præceptum, post admonitionem istorum quæ dicta sunt, vitari ut hæretici debebant.

Has insanias respondet Athanasius indignatione potiùs & silentio refutandas fuisse, quàm disputatione; sed ne de silentio suo insolesceret adversariorum impudentia, responderi à se, Ut Patris Pater non est, ita nec Filii fratrem esse; totam filietatem in unigenito Filio esse, non in plures secari filios: sicut tota paternitas & non pars ejus tantùm in Patre est. Qui pater inter homines est, non semper fuit, non semper erit; filius etiam fuit, plures filios procreare poterit; nimirum non est illi propria paternitatis ratio. At in Deo qui Pater est, totus Pater Pater est, & totam paternitatis rationem in se habet uno. Ita & inter homines qui filius est, non solus forsan est Patris sui Filius, erit forsan & filiorum pater; nec enim propriam sibi uni habet filietatem. At Deus quidquid est, totus est, totum est. Ita gignit, ut non gignatur; vel ita gignitur, ut non gignat; semel gignit, vel solus gignitur; ut qui totus ubique & totum sit, non ex parte. Pater enim propriè Pater est, & Filius propriè Filius: *In Deitate autem Pater proprie est Pater, & Filius proprie est Filius. Atque ea de causa Pater semper Pater consistit, & Filius semper Filius: & quemadmodum Pater nunquam fuerit Filius, ita nunquam Filius fuerit Pater. Et quia Pater nunquam desinet solus esse Pater, ideo Filius nunquam desinet solus esse Filius. Furor enim est, nec vel cogitandum, vel dicendum de Filio, illum alicui fratrem esse; aut de Patre, illum alicui avum esse. Non enim Spiritus in sacris litteris nominatus est Filius, ne frater Verbi haberetur; neque Filius Filii, ne avus illi esse existimaretur; sed Filius ibi Filius Patris est dictus, & spiritus Patris, spiritus Filii nominatus est, & sic Trinitatis una est Deitas, & una fides. Quamobrem insania est dicere, Spiritum creaturam esse. Nam si creatura esset, non consociaretur Trinitati. Tota enim Trinitas unus Deus est; & satis est, si cognoscas Spiritum non esse creaturam, neque cum rebus creatis numerandum. Non enim alienus admiscetur Trinitati, cùm sit indivisa sibique similis. Hæc sufficiunt fidelibus, & hactenus ejus recognitio ad homines pervenit. Huc usque quum deventum est, Cherubin obvelat faciem ejus.*

Ex Scripturis mox ipsis profert loca, ubi Pater fons sapientiæ dicitur, ut & Filius intelligatur fluvius esse sapientiæ. Duo hæc sunt, & una tamen amborum substantia, quanquam nec fons fluvius unquam fiat, aut fluvius fons. Ait enim Baruch: *Quid est Israel, quod reliquisti fontem sapientiæ?* Unde Athanasius: *Rursum quum Pater fons sit, Filiusque proinde flumen appelletur, nos qui inde bibimus, Spiritum sanctum bibere perhibemur. Scriptum est enim, quod uno Spiritu potati sumus: potantes autem Spiritum, Christum bibimus.*

Ut à fonte autem sapientiæ sapientiam manare consentaneum est, ita & à sapientia spiritum sapientiæ, sive sanctificationem & charitatem. Quid enim Deo dignius, quantum homini fas est de eo sapere, quàm ut fons ipse sit sapientiæ, & sapientiam sibi æqualem fluminis instar effundat; denique in hanc suam à se effusam sapientiam amore castissimo sanctissimoque exardescat, & ab ea vicissim ametur; ut ipse quidem fons sit sapientiæ genitæ; cum genita verò sapientia sua, vel per illam fons sit charitatis; ut ita se habeat charitas, sive Spiritus sanctus ad sapientiam, sive ad Filium, sicut sapientia, sive Filius ad Patrem. Hæc Athanasius eodem loco ita exequitur: *Ita si loquaris, aut cogites, cum venia id licebit, scilicet unam esse sanctificationem, quæ fit per Patrem & Filium, & in Spiritu sancto. Nam quemadmodum Filius germen unigenitum, ita & Spiritus qui à Filio datur & mittitur, unus & ipse est, & non multi, neque unus ex multis. Quum enim unus sit Filius, vivens sermo, unam oportet esse perfectam & plenam sanctificatricem illam & illuminatricem vitam; vim scilicet & facultatem ejus & donationem quæ à Patre dicitur procedere: quoniam à Verbo Patris desumit, & mittitur, & donatur; maximè quia Filius à Patre mittitur; ita enim inquit, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Filius porro Spiritum emittit, quum sic loquatur, Ego autem si abscessero, mittam Paracletum. Et Filius Patrem glorificans, Pater, inquit, ego glorificavi te; Spiritus verò glorificat Filium. Ille enim, prout ait, me glorificabit. Filiique verba sunt, Quæ audivi à Patre, hæc loquor ad mundum. Spiritus porro à Filio accipit: De meo enim, inquit, accipiet, & annunciabit vobis. Et Filius in nomine Patris venit: Spiritum verò sanctum, inquit, quem mittet Pater in nomine meo. Quum igitur istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem; quò fieri potest, ut qui Spiritum creaturam dicit, non illud idem necessariò & de Filio sentiat? Si enim Filii Spiritus creatura est, consequens est ut dicant, etiam Verbum Patris creaturam esse.*

Ita ergo cùm Scriptura prædicet, cùm ipsa etiam ratio vehementissimè suffragetur, Primum rerum omnium Principium id addecere, ut Sapientiam ex sese effundat, & tantam quantus ipse est; tum ut per eam, vel cum ea charitatem & sanctitatem sibi non disparem profundat: quis non videt ita congruere in primis, ut Verbum & sapientia Filius dicatur, cùm imago sit parentis summi; ut charitas autem dicatur Spiritus sanctus, quod fons sapientiæ, & sapientia ipsa genita non spirent, nisi charitatem? His præmissis jam prolixè demonstrat Athanasius creaturas intellectuales hujus participatione sapientiæ Dei illustrari, participatione charitatis sanctificari, utroque consortes fieri divinæ naturæ, & pro suo modulo deificari: ex eoque id effici, ut sapientia ipsa & charitas non creatæ qualiscunque, sed increatæ & divinæ sit naturæ, cùm nulla nos creaturæ participatio possit efficere divinæ naturæ participes; *Jam si Spiritus creatura esset, non efficeretur per eum consociatio Dei in nobis; sed creaturæ conjungeremur, alienique à divina natura redderemur, ut usquam ejus participes facti. Nunc ubicunque dicimur participes Christi: Dei etiam participes dicimur. Constat igitur unguentum, quo imbuti sumus, & sigillum quo signati sumus, non esse naturæ rerum conditarum, sed Filii, ob Spiritum qui in eo est, qui nos coaptat Patri. Id enim Joannes, ut superius dictum, docuit: In hoc cognoscimus quod in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Si autem ex præsentia Spiritus qui nobiscum est, efficimur consortes divinæ naturæ; insanierit profecto, si quis hoc dicat fieri per Spiritum creatum, & non per spiritum Dei. Ob eam enim causam in hominibus est, & ii in quibus est deificantur. Quod si ille deificet, ambiguum esse non potest, quin hujus naturæ, Dei sit natura.*

III. Est ergo unus summus Deus & Pater intra se primùm, tum & extra se sapientiam fundens, charitatem spirans; tantam intra se, quantus maximus ipse est; tantam extra se in creaturas intellectuales, quantam ipsæ capiunt; sapientiam intra se gignens, utpote Verbum & similitudinem sui, atque adeo Filium; charitatem intra se & amorem mutuum sapientiæ generantis & genitæ spirans, non gignens: Spiritum, non Filium,

lium, quod nulla in ea ſpiratione ſimilitudo, vel imago reluceat; nec intra ſe tamen quidquam vel generans, vel ſpirans, niſi par & æquale ſibi; ut hic inexhauſtus ſit ſummæ ſapientiæ & charitatis fons, ex quo in creatas naturas tantum inſtilletur, quantum & ipſi lubet, & ipſis congruit. Hic noſtræ de Deo ſapientiæ, hic noſtræ Theologiæ modus. Eſt ipſe in ſe, quod ipſe ſolus ſcit; at noſtra mens, noſtra balbuties, non ampliùs de eo quidquam, aut ſentire poteſt, aut dicere, quàm ut fons ſit ſapientiæ & charitatis ex ſeſe & in ſeſe exundans, & naturæ, ſapientiæ, charitatis ſuæ rorem inſtillans naturis creatis.

IV. Venio ad Nazianzenum, qui eaſdem Arianorum nænias ita refert, ita ſtatim refellit: *Aut ingenitus omnino eſt (Spiritus ſanctus) inquis, aut genitus. Si ingenitus, ergo duo erunt principii expertes. Si autem genitus, rurſus ſubdividis, aut ex Patre genitus eſt, aut ex Filio. Si ex Patre, duo igitur ſunt Filii ac fratres. Gemellos etiam finge, ſi lubet; aut alterum natu majorem, alterum minorem: quando ita corporeis rebus immerſus es. Si autem ex Filio, jam nobis, inquies, nepos Deus extitit. Quo quid abſurdius fingi poſſit? Hæc homines ad malefaciendum ſapientes & ingenioſi, bona autem ſcribere recuſantes. Ego verò, ſi diviſionem hanc neceſſariam viderem, res ipſas profectò excepiſſem, nomina nihil veritus. Non enim, quia ſecundùm excelſiorem quandam relationem Filius eſt Filius, quod videlicet aliter, quàm hoc modo, indicare nequeamus id quod ex Deo eſt, eſſentiaque idem cum ipſa; idcirco terrena quoque omnia cognationiſque noſtræ nomina ad Deum neceſſariò transferenda eſſe putandum eſt. Alioqui, quid impedit, quominus eadem ratione maſculum Deum noſtrum exiſtimes, quoniam Deus & Pater nominatur? ac fœmineum quiddam Deitatem, quantùm quidem ex vocis genere æſtimari poteſt, & denique τὸ πνεῦμα neutrum, quoniam nihilo gignit?*

Nazianz. Orat. 37. pag. 196.

Hic perſpicis, quàm ſobrii & circumſpecti debeant eſſe noſtri de Deo ſermones, ne per ſummum nefas ea abutamur indulgentia, qua Deus condonat nobis, ut noſtris illum cogitationibus & verbis dicamus & laudemus. His enim extenuari ſe magis & dehoneſtari exiſtimaret, niſi noſtræ potiùs infantiæ, quàm ſuæ amplitudini conſulere ſtatuiſſet. Cùm ergo paſſus ille ſit, & per Scripturas ſuas approbarit, ut Patrem, Filium, Spiritum ſanctum illum dicamus, intra eas religionis metas cohibendus eſt noſter de eo ſermo: avi, fratris, nepotis, & cæteris ejuſmodi vocibus, quibus ipſe abſtinuit, voluit utique & nos abſtinere.

V. Ideo & cum ulteriùs ſciſcitarentur Ariani, quid eſſet Proceſſio? quo differret à Generatione? quid deeſſet Spiritui ſancto, ut ne Filius eſſet? Reſpondebat Nazianzenus, Perinde inquiri poſſe, quid ſit ingenitura Patris? multò autem conducibilius eſſe, his omnino abſtinere quæſtionibus, cùm ne de imis quidem & obviis rebus quibuſvis dicere ex vero & accuratè poſſimus, quid ſint. Cæterùm non ideo Spiritum ſanctum non eſſe Filium, aut Filium non eſſe Patrem, quòd ei aliquid deſit. Omnium enim exuberantia Deitas eſt, nullius patiens egeſtatis. Sed ut per differentes proprietates ſuas manifeſtarentur nobis divinæ hypoſtaſes, hæc illis nomina attributa ſunt. Filius Pater non eſt, non quòd ei aliquid deſit, ſed quia Filius eſt, & tota filiationis plenitudo. Non aliter ſanè, quàm non ideo Pater non eſt Filius, quòd ei aliquid deſit; ſed quia Pater eſt, & hoc ei proprium eſt, ut Pater ſit, tota ſit plenitudo in ſumma Dei natura; in qua omnia ſumma ſunt, omnia æqualia ſunt; nihil alio majus, nihil alio minus eſt; nihil alio ſuperius, vel inferius eſt. *Quæ ergo eſt hæc proceſſio, inquies? Dic tu quæ Patris ingenitura ſit, & ego Filii generationem, & Spiritus proceſſionem explicare aggrediar: ut ambo mentis veſania præcipites agamur, in Dei myſteria oculos injicientes: idque qui tandem? nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes ſunt, ſcire, nec arenam maris, aut pluviæ guttas, & dies ſeculi enumerare poſſumus, nedum in Dei profunda penetrare, naturæque adeo arcanæ, atque omnem orationis facultatem uſqueadeo ſuperantis rationes reddere. Quid ergo eſt, inquiunt, quod Spiritui deeſt, ad hoc ut ſit Filius? niſi enim aliquid deeſſet, Filius eſſet. Deeſſe nihil dicimus. Non enim Deo quicquam deeſt. Verùm manifeſtationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diverſa quoque ipſis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deeſt, adhoc ut ſit Pater, nec enim defectus eſt filiatio, nec propterea tamen Pater eſt. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, adhoc ut ſit Filius. Nec enim Pater Filius eſt. Sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec eſſentiæ ſummiſſionem: quin potiùs ex his verbis, Quòd genitus non ſit, & quòd genitus, & quòd procedat, hoc effectum eſt, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus appelletur: atque ita inconfuſa trium perſonarum diſtinctio in una divinitatis natura & dignitate conſervetur.*

Ibidem pag. 197.

VI. Quanquam autem, pergit Nazianzenus, Filius non ſit Pater, eſt tamen quod Pater; quanquam Spiritus ſanctus non ſit Filius, eſt quod Filius: quia tota eſſentia ſubſtantiaque atque infinita omnium plenitudo, quæ in Patre eſt, ab eo in Filium effunditur: quæ in Filio eſt & in Patre, ab utroque in Spiritum ſanctum infunditur; ex quo fit ut unum tria ſit, & tria unum. Cùm inſtarent autem Ariani, duos conſubſtantiales ab uno & eodem eſſe non poſſe, quin ejus eſſent Filii, ac inter ſe fratres; nec poſſe ejuſmodi ulla proferri exempla: reponebat ſanctus Pater, ideo non eſſe ulla alia ejus rei exempla tam inuſitatæ, quòd nulla alia eſſet, vel eſſe poſſet compar Deitas, aut Trinitas. Porro æquum non eſſe ut exigantur ex imis terreſtribuſque naturis exempla eorum, quæ in Deo plurimum habent admirabilitatis: *Neque enim Filius eſt Pater, unus enim eſt Pater, ſed quod Pater: nec Spiritus eſt Filius, quia ex Deo eſt, unus enim unigenitus, ſed quod Filius: tria hæc unum, ſi divinitatem ſpectes, & unum tria, ſi proprietatum rationem habeas: ut nec Unum Sabellio faveat, nec Tria peſtiferæ diviſioni, quæ hac tempeſtate viget. Quid ergo? Spiritus ſanctus eſt Deus? Maximè. Conſubſtantialis igitur? Prorſus, ſiquidem Deus. Da igitur mihi, inquis, ex eodem alterum filium, alterum qui filius non ſit, & tamen ejuſdem cum illo ſubſtantiæ: ac Deum & Deum admittam. Da tu quoque mihi Deum alium, Deique naturam, & tibi Trinitatem aliam cum iiſdem nominibus ac rebus dabo. Quum verò Deus unus, atque una ſuprema natura ſit, unde tandem ſimilitudinem tibi repræſentabo? An rurſus poſtulas ex terrenis & humanis rebus eam duci? Valde profectò turpe eſt, nec turpe modò, ſed etiam valde ſtultum & inane, ex humilibus rebus ſuperarum cæleſtiumque ſimulachrum ſumere.*

Ibidem pag. 198.

VII. Cùm verò importuniùs adverſarii poſtularent exempla, ubi ejuſdem eſſentiæ duo ab uno eſſent, nec vel filii ejus ambo eſſent, nec inter ſe fratres; & ubi diverſiſſimo modo eſſent & procederent qui ejuſdem naturæ eſſent: proponebat Gregorius exemplum tum Adami, qui Dei figmentum erat; tum Evæ, quæ figmenti ſegmentum; tum Sethi, qui utriuſque ſoboles erat. Ita enim Eva & Seth ex eodem Adamo erant, nec tamen ambo filii, aut ambo fratres. Ne in humanis quidem rebus ergo valebant hæ Arianorum argutiæ, nedum in divinis, tanto ſupra humana omnia faſti-

Ibidem. fastigio eminentibus. *Quid tandem Adamus erat? Dei figmentum. Quid Eva? figmenti segmentum, & fœtus. Quid Seth? utriusque soboles. Idemne porro tibi esse videntur, figmentum, segmentum & soboles? Quidni? Age, ejusdemne hæc essentiæ inter se sunt, an diversæ? Ejusdem. Confiteris ergo fieri posse, ut quæ variè existunt, eandem tamen essentiam habeant. Nec verò hæc eò à me dicuntur, quòd fictionem, aut incisionem, aut aliquid aliud ex his quæ corporis natura fert, in divinitatem conferam: nec enim mihi rursus pugnax quispiam argutator insidiosè immineat: sed ut in his rebus ea, velut in scena, spectem, quæ nonnisi intellectu percipiuntur. Neque enim fieri potest, ut imago ulla & similitudo rei veritatem planè perfectèque assequatur. Sed quorsum hæc? dicent; nec enim unius ejusdemque, alter filius, alter aliud quidquam. Quid igitur? Eva & Seth nonne ex eodem Adamo sunt? Ex quo enim alio? Utrùm autem ambo ex eo geniti sunt? Minimè. Quid ergo? Altera segmentum est, alter filius. Atqui ambo inter se idem sunt: homines enim: nemo est qui inficietur. Desinesne igitur adversùs Spiritum dimicare?*

VIII. Alibi verò idem Nazianzenus præclarissimè docet, non dici à Catholicis *ingenitum Filium, unus enim Pater ingenitus: nec Spiritum sanctum Filium, unus enim est Unigenitus: ut hoc quoque divinum habeant, singularitatem: ἵνα καὶ τοῦτο θεικὸν ἔχωσι, τὸ μοναδικόν; ille filiationis, hic autem processionis, non filiationis.* Præclarissimè ibidem docet à nobis prædicari *Patrem verò Patrem, & quidem multò veriùs, quàm qui apud nos id nomen obtinent.* Si quæras autem, cur multò veriùs Pater Verbi sui sit Deus, quàm qui ex hominibus patres sunt, filiorum suorum: respondet incunctanter Nazianzenus: *Tum quia proprio & singulari nomine Pater est, non sicut corpora: tum quia solus, non enim ex conjunctione: tum quia solius, nempe Unigeniti; tum quia solum, non enim ipse, priusquam Pater esset, Filius fuit: tum quia in totum, & totius Pater; καὶ ὅλου πατὴρ, καὶ ὅλου; id enim quod ad nos spectat, affirmari non potest.* Quasi dicat, quid à patre, quid à matre in filio sit, apud homines, nesciri: at certissimè in Deo totum esse à Patre Filium. *Tum quia ab initio, nec enim posteriùs Pater esse cœpit.* Hæc de Patre, jam de Filio, ut veriùs ille Filius sit, quàm apud homines: *Filium verè Filium, quòd & solus sit, & solius, ac singulari modo, & solùm: nec enim Pater quoque simul est; & in totum Filius, & totius, & à principio; hanc scilicet rationem habens, ut nunquam Filius esse cœperit; non enim ex pœnitentia est Deitas, neque ex profectu deificatio; ut ille aliquando Pater, hic aliquando Filius esse desinat.* Quasi dicat, necessariò semper fuisse Patrem, semper Filium: ne si aliquando cœperit esse Pater, videatur aliquando tandem, etsi tardiùs, suæ illum pœnituisse sterilitatis; & si aliquando cœpisset esse Filius, ex profectu & incremento facto in Deum evasisse videretur; ex quo id quoque contingeret forsan, ut & Pater Pater esse desineret, & Filius non amplius esset Filius; cùm quidquid cœpit, possit & desinere. Postremò denique ita de Spiritu sancto Nazianzenus:

Orat. 31. pag. 485.

Ibid. p. 485. 486. *Spiritum sanctum verè sanctum; neque enim alius talis est, nec eodem modo. Neque enim ex accessione sanctitatem habet, sed est ipsamet sanctitas, αὐτοαγιότης; nec magis aut minùs; nec quoad tempus originem unquam habuit, nec finem habiturus est.*

IX. Jam si quæras quid divinis Personis commune omnibus sit, quid singulis proprium: respondet mox eodem ipso loco Nazianzenus: *Hoc Patri & Filio & Spiritui sancto commune est, quod minimè creati sunt; & Divinitas τὸ μὴ ἐφαρμόσαι καὶ ἡ θεότης. Hoc Filio & Spiritui sancto commune est, quod uterque eorum ex Patre est. At verò Patris proprietas hæc est, quòd ingenitus sit, ἡ ἀγεννησία; Filii, quòd genitus sit, ἡ γέννησις; Spiritus sancti, quod procedat, ἡ ἔκπεμψις.*

Si verò curiosiùs quis percunctetur, quo se hæc modo habeant? respondet Nazianzenus, non omnia nobis sumenda, non omnia nobis arroganda; æquo animo ferendum nobis esse, si aliquid nesciamus, quæ sibi solis nota esse divinæ personæ testatæ sunt; vel quæ posteris aliquando forsan copiosiùs à Deo manifestabuntur. Satis esse nobis ut unitatem in Trinitate, Trinitatem in unitate teneamus; ejusque tam divisionem admiremur, quàm conjunctionem. *Quod si modum queris, quid iis relicturus es, quos solos mutuò se cognoscere, atque à se mutuò cognosci Scriptura testatur: aut iis etiam nostrum, qui postea divinitus illuminabuntur? Fac sis prius quiddam eorum, quæ commemoravimus, aut certè talis: ac tum tantum cognosces, quantum hæc mutuò à seipsis cognoscuntur. Nunc verò doce, ut hoc duntaxat sciamus, nempe Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate adorandam, cujus & divisio, & conjunctio, planè admirabilis sit.*

Ibidem.

X. Ab his non discrepat Epiphanius, qui in refutandis Sabellianis hæc primùm de Unitate & Trinitate profitetur: *Nequaquam aberramus, sed unà Trinitatem confitemur: unitatem, inquam, in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unamque Patris & Filii & Spiritus sancti divinitatem. Nam neque seipsum Filius genuit: neque Pater, ut esset Filius, esse Pater desiit: neque Spiritus sanctus seipsum unquam Christum appellavit: sed Spiritum Christi, ac per Christum communicatum, procedentem à Patre, & accipientem à Filio. Subsistens est Pater, subsistens Filius, subsistens Spiritus sanctus. Sed non confusio quædam est Trinitas, uti Sabellius credidit; nec ab æternitate sua gloriaque demutatur, ut Arius vanissimè docuit. Sed Trinitas perpetua Trinitas fuit, nec ei quidquam accessit; cùm una sit divinitas, una dominatio, una prædicanda celebrandaque gloria.* Et infrà de Spiritu sancto peculiariter: *Semper enim cum Patre Filioque Spiritus est: non Patris veluti frater, non genitus aut creatus; non Filii frater, non Patris nepos: sed à Patre procedens, & accipiens à Filio; à Patre Filioque non alienus, verùm eadem ex substantia, eademque divinitate, ex Patre & Filio: & cum Patre & Filio subsistens semper Spiritus sanctus, divinus Spiritus, gloriæ Spiritus, Christi Spiritus, Patris Spiritus. Nam Spiritus Patris qui in vobis loquitur. Et Spiritus meus in medio vestri consistit. Idem porro appellatione tertius, divinitate æqualis est, nihil à Patre Filioque discrepans, Trinitatis nexus, confessionis sigillum.*

Epiphan. in ref. fab. Tom. 1. pag. 1049.

Vinculum, σωνδεσμον, vocat Patris & Filii, quòd Charitas sit mutua utriusque. Et rursus infrà: *Item Spiritus sanctus à Patre & Filio, & ejusdem divinitatis; à Patre procedens, & à Filio semper accipiens.* Nusquam nasci aut gigni dicitur Spiritus sanctus, sed procedere, dari, & accipere: illa enim Verbo & Filio, hæc magis quadrabant amori & charitati. Suspensa sunt & circumspectissima hæc Scripturæ verba, proprietati personæ utriusque accommodatissima, & incredibili quadam observantia in monumentis Ecclesiasticis consecrata. Unde & alibi crebrò Epiphanius, *Spiritus sanctus ab utroque, παρ' ἀμφοτέρων*; & alibi, *Ab Filio accipit, ab Patre procedit.* Et alibi hæc omnia paucis verbis & ea religiosa complexus reverentia, qua & res tantas, & Scripturæ de iis voces ipsas prosequi debent Theologi: *Ita enim & Spiritus sanctus ab ipso Patre progressus est, Spiritus Patris, Spiritus Christi, non creatus, non genitus, non germanus frater, non avus, non nepos. Siquidem incomparabilis*

Pag. 491. 493. 501. 508.

Pag. 960.

rabilis Patris, Filii ac Spiritus sancti natura cogitationem omnem mentemque superat, non hominum solùm dixerim, verùm etiam Angelorum. Et in Ancorato: *Ita Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est, Deique Spiritus, qui cum Patre & Filio semper est, nec alienus à Deo: sed à Deo existens, & à Patre procedens, & accipiens à Filio.* Et infrà: *Est enim Spiritus quoddam gratiæ sigillum, Trinitatis vinculum, non alienus à numero, non appellatione discrepans.* Et infrà: *Inter Patrem & Filium medius, ex Patre & Filio, appellatione tertius.* ὁ μέσω πατρὸς ἐκ υἱοῦ, ὁ τρίτος πατρὸς. ἢ τοῦ υἱοῦ, τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ. Sexcenta sunt id genus testimonia apud Epiphanium, quorum nonnulla ad marginem indicasse contentus, iterum iterumque monebo, non posse nos satis mirari hanc tantam verborum diligentiam ac religionem, in Scripturæ verbis ad processionem Spiritus sancti declarandam. Procedere enim Spiritum sanctum à Patre affirmantibus Scripturis, constanter affirmat Epiphanius; procedere à Filio, ut Scriptura, ita & Epiphanius, nec affirmat disertis verbis, nec negat. Exire à Filio Spiritum sanctum, ab eo esse, à Patre & à Filio esse, à Patre procedere & à Filio accipere, præeunte Scriptura, creber affirmat Epiphanius. Esse à Filio & procedere à Filio, perspicuè unum & idem est; sicut procedere & esse à Patre, quod crebrò dicit Epiphanius. Etsi ergo non dixit procedere Spiritum sanctum à Filio, sensit tamen, cùm ea dixit quæ idem valent; sed suam in Scripturæ verbis observandis religiositatem insignivit, cùm non eæ tum inciderent causæ, quæ expressius aliquid exigerent. Suspicabitur forsan aliquis Epiphanio visum esse, *processionis* voce, τὴν ἐκπορεύσεως, indicari illud Patris decus, quòd ab eo Spiritus sanctus principaliter procedit; cùm à Patre habeat Filius, ut ab eo procedat Spiritus sanctus; nec equidem intercedam. Sed non temerè tamen affirmabo, minimè necessariam fuisse eam cautionem, ut ne à Filio Spiritus sanctus procedere diceretur, etsi idem ipsum aliis verbis diceretur, ne tam principaliter à Filio procedere crederetur, quàm à Patre. Nec enim eam cautionem sibi servandam censuit suprà Augustinus; sed cùm semel & iterum professus esset eum à Patre principaliter procedere, tum deinde non semel dixit & ex Scripturis probavit, à Filio quoque eum procedere, utpote qui ab eo non accipiat, non exeat, non mittatur, nisi procedendo. Augustinum secuta est Ecclesia Occidentalis, & tandem universa. Video tamen non inscitè dici posse, alias & plures cautiones servandas fuisse Epiphanii, quàm Augustini pòst ævo.

Tom. 2. pag. 11. 12. 13. 14. 71. 76. 78.

XI. Basilius in homilia contra Sabellianos peculiari & divino prorsus modo ex Deo Patre ait esse Filium & Spiritum sanctum: Filium à Patre exire, Spiritum sanctum procedere: illum ex Patre esse per generationem, γεννητῶς; hunc arcano & ineffabili modo ex Deo esse, ἀῤῥήτως. *Ut enim multi quidem sunt filii, unus autem est verus Filius: ita & omnia ex Deo esse dicuntur, propriè tamen & Filius ex Deo, & Spiritus sanctus ex Deo. Nam & Filius à Patre exivit, & Spiritus quoque à Patre procedit. At Filius quidem ex Patre per generationem, Spiritus verò ex Deo modo arcano & ineffabili. Quantum itaque periculi est extenuare gloriam Paracleti?*

Basilius Tom. 1. pag. 546. hom. 27.

Nec minùs illustria sunt & vehementia, quæ à Basilio disputantur in homilia adversus calumniatores sanctæ Trinitatis; ubi docet omnia in Deo perfecta, omnia unum esse; unum esse ingenitum Deum, unum Unigenitum & Deum. Sicut non est coingenitus Deus alius, sic neque congenitus Filius alius: ὥσπερ οὐκ ἔστι συγγένητος θεὸς ἕτερος; οὕτως οὐδὲ συγγένητος υἱὸς ἕτερος. Sic enim utique legendum, non coingenitus, συγγένητος Filius. Pergit Basilius, supra rationem esse & paternitatem & filiationem istam divinam. Esse Filium characterem & imaginem Patris, expertem corporis. Uti ingenitum esse Patrem, ita & genitum esse Filium, credi, non quæri debere; nec enim quærenda, quæ inveniri non possunt. A quo enim quæreremus? cùm tota æternitate creaturas omnes illa generatio antecedat. Quippe in principio erat Verbum; voce, erat, excludi tempora: voce, Deus, excludi quidquid Deus non est. *Perfectus neque minuitur, neque augetur. Unus ingenitus Deus, unus hujus unigenitus Filius & Deus. Sicut non est coingenitus Deus alius, sic neque congenitus Filius alius. Quemadmodum non ratione Pater, sic neque ratione Filius. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Deus perfectus Pater, Deus perfectus Filius. Incorporeus Pater, incorporeus Filius, incorporeus character, & imago incorporea. Credis quod genitus est, ne quæras quomodo. Si enim licet quærere, ingenitus quomodo est ingenitus, licet etiam quærere, genitus quomodo genitus est. Ne quæras, quæ inveniri non possunt, non enim invenies. Si enim quæris, à quo discere potes? à terra? non substiterat: à mari? nondum erat liquidum: à cœlo? non erat elevatum: à Sole & Luna ac Astris? nondum creata erant. At à seculis? ante secula Unigenitus. Ne interroges ea quæ non semper sunt, de semper existente. Si vero non vis, sed contendis, derideo tuam amentiam: imò potiùs deploro tuam temerariam audaciam. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Vox, erat, oblitterat vocem, non erat. Et Deus, oblitterat vocem, non Deus. His quæ scripta sunt crede, quæ non sunt scripta, ne quære.* Silentio colendam esse addit generationem illam, soli genitori, genitoque exploratam. Cùm ne Sol quidem corporeus conspici à nobis totus possit, quid Sol intelligibilis ab intelligibili Sole nascens? *Unigeniti ex Patre generatio silentio colatur. Novit enim ipse, qui generavit, & qui genitus est. Nosse enim debemus quæ loqui oportet, & quæ oportet silere. Non omnia per linguam dici possunt, ut ne mens velut oculus totum Solem intueri volens, perdat etiam id quod habet lumen. In hoc enim cognoscis, si cognoveris quod non comprehendisti. Illam igitur generationem arcanam & inenarrabilem silentio colamus.* Longè aliter Patrem esse Deum, quàm mortales homines; tantum ejus paternitatem nostræ antecellere, quantum naturam naturæ; generare illum etsi ingenitus sit, generare ut vult; ideoque genuisse dignum, ut ipse novit. *Nimirum separata à nobis naturæ, etiam intelligentiam separato. Nam apud nos Pater ex alio Patre, & temporibus opus habet, & educatione, & augmento, & alia cura, & non sicut vult Pater generat. At verò Deus concurrentem voluntati habens potentiam, genuit dignum seipso, genuit velut ipse novit. Cui gloria & imperium in secula seculorum.*

Ibidem Hom. 25. pag. 537. 538.

Ibidem.

XII. Stomachatur alibi Basilius in Montani blasphemas insanias, qui usque adeo Spiritum sanctum despicabatur, ut & Filium, quòd ejus creator fuisset, à paternæ Deitatis æqualitate dejiceret. Usque adeo ubi semel à regula veritatis descitum est, in extrema quæque & invia aberratur. Insana hæc deliria ex Scripturis convellit Basilius, & hoc etiam argumento, Unum necessariò constituendum esse Principium, à quo sint omnia; à quo sint omnia ea ipsa, quæ à Filio sunt; atque adeo à quo etiam procedat Spiritus sanctus. Ubi perspicis, quàm non neget Basilius Spiritum sanctum à Filio procedere: cum ex eo quòd procedat à Filio, probet non posse non procedere etiam à Patre. *Illud verò cui non patet, quòd nulla Filii operatio à Patre divisa est? nec est aliquid in rebus quod Filio insit, & à Patre alienum*

Con. Eunomium. l. 2. pag. 710.

alienum sit. Omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus causam & originem unigenito soli attribuit, & ad ejus accusandam naturam hujus creationem accipit? Si igitur duo principia in oppositum inter se docens, hæc ait, cùm Manichæo & Marcione conteretur, Quod si ab uno dependere ac prodire omnia putat quod à Filio factura esse dicitur, ad primam refertur causam. Quare etsi cuncta producta esse per Deum Verbum credimus, omnium tamen esse causam Deum totius non negamus. Quo pacto autem dividere Spiritum à Deo non habet manifestum periculum? Apostolo conjunctim nobis tradente, & modò Christi Spiritum dicente, & modò Dei, ubi scribit: Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et rursus: *Vos autem non spiritum mundi accepistis, sed spiritum qui ex Deo est: sed & Domino, quoniam ipse veritas est, Spiritum veritatis dicente à Patre quoque procedere.*

Imaginem Filii esse Spiritum sanctum, prolixè inferiùs demonstrat ex sacris litteris Basilius, quod per eum nobis aspiratum efficiamur conformes imaginis unigeniti Filii Dei; nec id tamen pugnat cum antedictis, quia non ex vi processionis sux id habet Spiritus sanctus, sicut habet Filius, ut sit imago. Verbum enim manat ut imago, adeoque ut Filius, non Amor, non Charitas. Imago ergo tantùm dicitur Spiritus sanctus, quia nos imagines facit. *Imago quidem Dei Christus est. Qui est imago, inquit, invisibilis Dei. Imago vero Filii Spiritus, quo qui participant, Filii conformes fiunt, secundùm illud, Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Non semel alibi vocatur à Basilio Spiritus sanctus, *Sanctitatis Dei character, & omnis sanctificationis fons:* quod convenit prorsus cum appellatione charitatis & doni. Quod enim majus Dei donum, quàm charitas? quæ verior sanctitas, quàm charitas? Quid congruentius autem, quid rationi ipsi plausibilius per divinas Scripturas illuminatæ, quàm ut à primo principio, ab unitate & bonitate summa sese effundente, effluat primùm veritas, tum ex bonitate & ex veritate, charitas? Ideo subdit Basilius, creandis & reformandis in novam creaturam hominibus coordinatum, & quasi conjugatum esse Verbo Spiritum sanctum. *Spiritus enim ad creandum vivo Verbo coordinatus est, viva virtus, divina natura, ineffabili modo, & per sufflationem ad hominem missa, & secundùm figuram corporaliter à Domino traditam, rursus ab eo per sufflationem restituta. Concurrere enim oportet cum prima novitate præsentem innovationem atque concursum.*

Ibid. l. 5. pag. 783.

Pag. 785, 786.

Sed quàm luculentum illud, quod à Basilio subjicitur, Ut ad Patrem Filius, ita se ad Filium habere Spiritum sanctum; Patris Verbum, λόγος, Filius est: Filii Verbum, ῥῆμα, Spiritus sanctus est; humanas has similitudines in majus sanè attollendas esse, ubi ad Deum referuntur; & id unum hic præ cæteris satagendum, quòd intellectus, νὸς, per Verbum, λόγον, omnia consideret, omnia operetur, ἐνεργάζεται. *Propterea & Dei quidem Verbum Filius est: Filii autem Verbum Spiritus. Portans enim, inquit, omnia verbo virtutis sux: & quoniam Verbum Filii per Deum, Gladium, inquit, Spiritus, quod est Verbum Dei: Verbum autem Dei vivens ac operans. Nec mihi ad humanas similitudines decidas, verùm ubique majus in Deo intelligas, exemplum Verbi ad unius demonstrationem operationis accipiens. Num & intellectus tuus omnia per Verbum considerat.*

Ibidem. pag. 784.

Ibidem. pag. 787.

XIII. Cùm verò insolentiùs rogarent Eunomiani, Cur Filii filius non diceretur Spiritus sanctus, sicut Verbum Filius Patris est; cùm Filii quoque Verbum sit Spiritus; respondet sanctus Pater, verendum fuisse, ne si filii ex filiis in Trinitate nascerentur, infinita nobis quædam Deorum multitudo nasceretur. At urgentibus illis, Cùm ut imago est Patris Filius, ita sit & Spiritus sanctus imago Filii, cur non dicatur Filii filius? Respondet Basilius, Abhorrere non debere Eunomianos, quin & Filii nomine donaretur Spiritus sanctus, cùm per illum nos divinæ efficiamur consortes filiationis. Quin Filius enim sit, per quem filii efficimur? Quin Deus sit, per quem deificamur? Sed utcunque delirent Eunomiani, Catholicis abundè id esse, quòd nunquam in sacris Codicibus Spiritus sanctus nomine Filii ornatus sit. Eunomianos autem expedire non posse, cur saltem adoptione filius dictus non sit Spiritus sanctus nobiscum, cùm in turbam creaturarum illum detrudant. *Non quia non est ex Deo per Filium, sed ne Trinitas Filios ex Filii habere suspecta, ut est in hominibus, infinita putetur multitudo. Sed dices, Si Dei est imago Filius, Filii verò Spiritus, cur non Filius Filii Spiritus dictus est?* Et paulò pòst: *Quoniam ergo indignus tibi videtur appellatione Filii, tanquam à Patre & Filio alienatus, considera quomodo eos, qui sanctificantur, Filios efficit: quod si tu per Spiritum Dei es Filius, quomodo Spiritus à filiatione alienus? & si tu per Spiritum Deus, quomodo à Deitate alienus? Verùm rursus interrogabis, Cur autem Filii non suscipit nomen? Iis enim quæ dicta sunt attendere non dignum putas; ejus verò causam quæris quod dictum non est: sicut Saduczus resurrectionem non credens, sed modum resurrectionis curiosè investigans, & reprobans quod dictum est, propter id quod dictum non est: & si tacuerimus, ut qui ea quæ Dei sunt curiosè inquirere nolimus, divini Spiritus gloriam victam arbitraris: propterea quod Filii appellatio de ipso posita non est; quasi non idem abs te quærere possimus. Nam si concedis infinitos adoptione filios per Spiritum factos esse, cur Spiritus saltem adoptione filius non appellatur; præsertim cùm melior sit iis qui per seipsum gratia adoptantur, ac ideo non debeat magis per appellationem diminui? Nos verò etiam de hoc, ut possibile est, nobis ipsis respondeamus.*

Ibidem.

Uberioris tamen doctrinæ gratia rursum ibidem respondet Basilius, Si filius ex Filio nasci diceretur, periclitaturam fidem Trinitatis divinæ, ne sine numero filii ex aliis alii propagandi crederentur; ideo in Scripturis appellari Spiritum sanctum, Mentem Christi, νῦν: & Spiritum Dei, ut dicitur *spiritus hominis*, seu flatus; at Filium, unicum esse Dei, qui semper est id quod est, semper filius; sicut & unus est Spiritus sanctus, qui digitus Dei, & Spiritus oris ejus; ne qua rima sit, qua multitudo in Trinitatem irrepat; sed unus sit in ea Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus. *Dicimus ergo quod si quis Filium ex Filio diceret, in suspicionem multitudinis Trinitatem Deitatis adduxisset apud homines, qui hoc audivissent. Facile namque suspicari erat, quod si Filius ex Filio natus est, ex hoc alius utique natus esset, ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem progressu facto. Quamobrem ex Deo quidem esse Spiritum apertè prædicavit Apostolus dicens, quod Spiritum qui ex Deo est, accepimus: & per Filium effulsisse clarum fecit, cum Filii Spiritum, sicut Dei, ipsum nominavit, & mentem Christi appellavit: sicut & Dei Spiritum ut hominis, Filium verò Filii dicere cavit, ut unus sit Pater Deus, semper Pater permanens, & sit in æternum quod est: unus verò Filius æterna generatione generatus, qui absque principio unà cum Patre & Filius Dei verus, qui semper est quod est, Deus Verbum & Dominus: unus autem & Spiritus sanctus, verè sanctus Spiritus secundùm quod scriptum est: Qui cum Patre &*

Ibidem pag. 788.

Filio

Filio conglorificatur, qui & Spiritus oris à Propheta David nominatur, quem & digitum Dei esse docemur, cùm Dominus in Evangelio dicat: Si verò in digito Dei ego ejicio Dæmonia. Et paulò pòst: *Ut nusquam aditus multitudini fiat, sed unumquodque in Trinitate unum esse cognoscatur, unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus.*

XIV. Aliquantò attentiores nos esse jubent, quæ ibidem apud Basilium sequuntur. Ex sola voce Spiritus plus satis patere nobis potuisse, quàm non sit creatura. Ex humana enim consuetudine derivata sunt in divinos mores hæc omnia: Nec enim vel Filium esse, vel generari propriè & climatissimè de Deo dicitur, sed ex hominum similitudine; nostris enim primùm usibus dicata fuere illa verba, & postea ad Deum translata, quòd non alia nostris in sermonibus aptiora occurrerent. Non aliam esse originem vocis Spiritus, nempe qualis procedit ab ore hominis. Quippe homo per manus suas elaborat, at Spiritus non est opus manuum ejus, sed ab ipso ejus pectore & ab ore profiatur. Ita innuitur Spiritus sanctus à Deo esse, præstantissima quadam ratione quæ nulli possit competere creaturæ. *Neque enim ad cognoscendum ex Deo esse Spiritum, minus quid habituri eramus, cum oris Spiritum audiremus. Sufficit enim nomen ipsius ad significandum existentiam ejus ex Deo. Neque enim Filius, nec generatio Deitatis proprium est, sed ad hæc humana similitudine adductum, ex qua etiam Spiritus dictio traducta est. Hac ergo in divino Spiritu divina Scriptura usa est, aliter ex Deo esse ostendens, quoniam non oportebat eadem hunc quoque similitudine significare, uti dictum est. Tu vero similiter sicut infideles contra divinam doctrinam te opponis, ad blasphemiam festinans: & quoniam processio Spiritus ex Deo, generatio vocata non est, idcirco nec ipsum Spiritum oris Dei esse credis, sed manuum Dei opus, & humana exempla despiciens, evertis quæ ex ipsis intelliguntur divina dogmata, cùm oporteret divini dogmatis verba cum timore audire, & quidquid dicitur cum pietate recipere, nec stultissimè ea quæ sunt pietatis cavillari.*

Nec aliter res habet in generatione Filii: nec enim generat Deus, ut homo: sicut spirat, sed non ut homo; modum quo generat, & quo spirat, nos nescimus, ille solus novit; penes ipsum ergo jure merito fuit arbitrium & delectus vocum, quibus illa vel generatio significanda erat, vel spiratio. Nostrum est ejus judicio & delectui verborum inhærere, non vel tantisper novare. *Generat Deus, non ut homo; generat autem verè: & quod ex eo genitum est, edit verbum non humanum. Edit autem verbum verè ex ipso, & emittit per os Spiritum; non qualis hominis est, quoniam nec os Dei corporale; ex ipso autem Spiritus, non aliunde. Operatur Deus, non corporeis manibus; operatur autem non ex se ipso creaturas producens, sed per creationem subsistere faciens; sicut non ex se ipso opus producit homo, qui manibus operatur. Nec transmoveas divinorum verborum terminos; Filius est Filius, & Spiritus est Spiritus, non creatura. Nec de Filio quæras, cur non Spiritus vocatus est; nec de Spiritu, cur non Filius; nec creaturam esse Filium vel Spiritum maledico ore dicas.* Denique ita statuit Basilius Filium Dei fructum esse ex sancto, καρπὸς ἁγιαστὸς ἐξ ἁγίου; Spiritus sancti donatorem ad formationem creaturarum; at Spiritum sanctum omnium esse perfectionem; participatione enim Spiritus omnia fieri. *Filius Dei fructus sanctus ex sancto, æternus ex æterno, Spiritus sancti dator ad subsistentiam & formationem creaturæ. Qui Filium tollit, is creationis omnium principium sustulit. Principium enim est subsistentiæ omnium Dei Verbum, per quod omnia facta sunt. Qui Spiritum aufert, perfectionem eorum quæ sunt abscindit. Nam quæ fiunt, emissione & participatione Spiritus fiunt: nec in tempore procedit quod ex Deo procedit, quamvis in tempore creaturas producat.* Sic Pater omnia per Filium operatur, Spiritus etiam ex Deo est per Filium: ut unitas hæc sit, & inseparabilis Trinitas. *Quomodo igitur separabuntur inseparabilia, Verbum scilicet Dei, & Spiritus ex Deo per Filium?*

XV. Postremò denique vide ut Basilius eodem loco divinas hypostases sigillatim singulas suis describat lineamentis. Ac primùm Patrem, cui ita ait nunquam defuisse Filium, sicut nunquam Filio defuit Spiritus sanctus, quo apertissimè Spiritus sancti processio ex Filio insinuatur; Patrem addit esse veluti mentem νοῦν, ex qua Verbum prodit: esse potentiam, qua Filius potens generatur: esse sapientem, qui Sapientiam generat, velut hypostaticum characterem suum: ὡς σοφὸς σοφίαν γεννητικὸς, ὡς ὑποστάσεως ἴδιον χαρακτῆρα. Jam verò Filium vide ut delineet. Ait semper illum fuisse, ut formam Dei, ut imaginem naturalem, Filium. Ubi duo illa confirmantur authoritate etiam Basilii, quæ ex aliis Patribus suprà ostensa sunt; Patrem esse uti mentem & sapientiam ipsam sese contemplantem, atque ita suam ex se sapientiam effundentem, sive sibi parem sapientiæ suæ imaginem generantem: itemque & Filium esse Filium, quòd ad imaginem Patris generetur. Denique ita Spiritum sanctum describit Basilius, non ut imaginem ex vi suæ processionis, sed ut imaginem Filii, qua scilicet Filius ad imaginem sui quandam adumbratam nos effingit; denique ut Spiritum, seu flatum Dei. *Non defuit unquam Filius Patri, nec Filio Spiritus: sed incommutabilis & inalterabilis eadem Trinitas semper, Pater non est Filius, sed Pater Filii genitor: ut mens Verbi Pater, ut potentia potentis: ut sapiens, qui sapientiam genuit, ut hypostasis proprium character: Filius vero semper Filius est, ut forma Dei semper existens, ut imago Dei naturalis Filius: sed & Spiritus imago Filii dictus est, & digitus Dei, & Dei Spiritus, & verbum, & Spiritus oris, & Spiritus bonus, & rectus principalis, & Spiritus virtutis, & Dominus est, Deus dictus est Spiritus Dei, sicut & verbum.* Ibid. p. 796. 797.

CAPUT XXXI.

De generatione Filii & processione Spiritus sancti ex aliis Patribus Græcis.

I. Ex Gregorio Nysseno medius est Filius inter Patrem & Spiritum sanctum, qui eo mediante à Patre procedit.

II. Sugillat Cyrillus Arianos Verbum aliud internum à Filio distinctum obtrudentes. Ex eodem quàm inseparabilis sit à Filio Spiritus sanctus, qui ejus est, & ab eo profunditur pariter & à Patre.

III. Ex Theodoreto Verbum generatur à Mente, alio modo Spiritus sanctus procedit à Patre. Hæc est utriusque Testamenti Theologia.

IV. De processione Spiritus sancti à Patre & Filio; de Imagine Patris in Filio, & ideo Filio; strictè & tumultuariè multa alia ex Theodoreto.

V. Ex Damasceno; voces Patris & Filii à Deo ad nos, an à nobis ad Deum transierint. De processione Spiritus sancti à Filio. Quàm ea ignoretur. Ut tria perfecta sint, ex quibus constat Trinitas perfecta & simplicissima.

VI. Ex eodem descriptiones proprietatum personalium Patris & Filii & Spiritus sancti.

VII. Ex Jobio apud Photium, quàm incomprehensibile & inenarrabile sit omne divinum.

VIII. Ex eodem ut vacillent nostræ omnes de Trinitate demonstrationes, nisi fide & traditione nitantur.

IX. Vanæ cassæque Photii argumentationes in Latinos circa processionem Spiritus sancti ex Filio. Re-

lio. Referuntur, refelluntur, & in Photium ipsum retorquentur ea argumentationes.

I. JAm verò Gregorius Nyssenus in Tractatu *quod non sunt tres Dii*, ita censet Patrem & Filium differre, ut causam & id quod est à causa: αἴτιον, καὶ αἰτιατόν; quanquam & Spiritus sanctus sit etiam à causa, id est, à Patre, sed eo discrimine, quòd Filius medius sit, μεσίτης, inter Patrem & Spiritum sanctum; procedens ipse quidem immediatè à Patre, procedente verò ab eodem Patre Spiritu sancto, tum immediatè, tum Filio ipso mediante. Ita jam novo quodam jure Filius nexus videtur dici Patris & Spiritus sancti ratione processionis, cùm suprà Spiritus sanctus diceretur nexus Patris & Filii, quòd utriusque sit charitas consubstantialis. *Respondebimus, quod nos, qui divinam naturam differentia variationisque expertem esse confitemur, eam quæ circa causam & causatum consideratur differentiam non negamus; per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus. Nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa est. Rursus aliam differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter & sine medio ex primo est, aliud verò per id quod immediatè & ex continenti est; ut Unigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum esse non dubitetur: Filio, qui medius intercedit, & sibi Unigeniti proprietatem servante, & Spiritum à naturali ad Patrem habitu non arcente.*

Greg. Nyss. Tom. 5. pag. 2.

II. Sugillat Cyrillus Alexandrinus eos, qui præter Verbum, qui Filius est, aliud Verbum Deo tribuebant internum, ἐνδιάθετον. Hinc enim illud efficiebatur, ut suum quoque Filio Verbum internum, suum denique Spiritui sancto vindicandum esset; atque ita jam duplicaretur nobis Trinitas; quo nihil fingi poterat alienius à natura Dei simplicissima. *Si ergo, ut temerè nonnulli docent, inest Deo ac Patri Verbum aliquod internum, diversum à Filio: habebit utique Filius Verbum internum quoque in seipso, utpote imago ejus, & similis per omnia substantiæ character, sicut scriptum est: sed & habebit perinde atque ipse sanctus quoque Spiritus, eadem prorsus rationis consecutione. Est igitur jam nobis duplicata Trinitas, & composita denuò apparet natura divina. Sed hoc absurdum. In simplicibus quippe substantiis nihil est præter ipsas; Nihil ergo prohibebit, quominùs sancta & consubstantialis Trinitas proximè & immediatè simul conjuncta sit.*

Cyrill. in Evang. Joan. To. 4. p. 39.

Alibi verò idem Cyrillus ita argumentatur: Si non possit spiritus hominis ab homine separari, multò minùs posse à Filio separari Spiritum sanctum, qui Spiritus ejus est; qui innatus ei, & substantialiter unitus est: ἔμφυτος, οὐσιωδῶς ἡνωμένον; adeo ut nihil aliud existimetur præter ipsum, propter operationis identitatem, & omnimodam naturæ similitudinem; denique Spiritum Filii ex eo probat illum esse, quòd Spiritus Veritatis dicatur ab ipso Christo, qui & se Veritatem esse dixit. *Quomodo verò, quæso te, absque proprio spiritu Verbum intelligetur? Numquid enim absurdum esset dicere, hominis spiritum ab homine separatum esse ratione naturæ, & integra perfectione animalis servata? Patet id opinor cuivis. Qua pacto igitur separabimus Spiritum à Filio, sic innatum & substantialiter unitum; quippe per ipsum prodit, & ipso naturaliter existit; ita ut nihil aliud esse putetur ab ipso, propter operationis identitatem, & ob ipsam omnimodam naturæ similitudinem? Audi ergo quidnam Salvator ad suos discipulos dicat: Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo, & alium Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, quem mundus non potest capere. Ecce apertè Spiritum veritatis vocat Spiritum sanctum. Quod autem ipse ac non alius ab ipso sit Veritas, audi rursus dicentem, Ego*

Cyrill. p. 225. 226.

sum. Veritas. Mox ait à Paulo *æqualem per omnia similitudinem statui Filii cum Spiritu, qui proprius ejus est, & ab eo secundum naturam profunditur: παρ' αὐτὸ καὶ φυσικῶς προχεόμενον.*

Non adventitium esse Filio Spiritum, alibi docet, sed intimum, ut intimus cuique homini est spiritus qui ab eo efflatur. Ita enim Christus corporaliter Apostolis suis insufflavit, ut declararet similiter ex divina substantia sua profundi Spiritum sanctum; profunditur autem non seorsim à Patre, aut à Filio, sed à Patre per Filium, juxta Patrum doctrinam. *Jure putabit aliquis, imò verò firmiter credet, cum naturalium Dei ac Patris bonorum substantialiter particeps sit Filius; Spiritum eo modo habere, quo & Pater censetur, non adventitium, neque extrinsecus: furor enim est ita sentire; sed quomodo unusquisque nostrum suum in seipso spiritum continet, & ex intimis visceribus foras profundit. Idcirco enim Christus insufflavit corporaliter, ostendens quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic & ex divina substantia Deitati convenienter Spiritus, qui ex eo est, profunditur. Cùm ergo Spiritus ipse Dei Patris sit, ac Filii, quomodo non unam omnino habebunt substantiam, & distinctè simul, atque conjunctim? Pater enim Pater, ac non Filius; & Filius est Filius, ac non Pater: verumtamen Pater in Filio & Filius est in Patre. Dat verò Paracletum, sive Spiritum sanctum, non seorsim quidem Pater, seorsim verò Filius; sed potius sanctis à Patre traditur per Filium.*

Ibidem pag. 811.

Et rursus alibi ut vita sit Pater, & vitam ex se effundat Filium; qui Vita ex Vita cùm sit, Spiritum suum vitæ in nobis collocat, atque ita nos consortes efficit divinæ naturæ. Licèt enim prodeat, πρόεισι, à Patre Spiritus sanctus; venit tamen, ἔρχεται, per Filium, & proprius ejus est. Omnia enim per Filium à Patre. πάντα δι' ὑῶ παρὰ πατρός. Quo non video quid dilucidius dici possit ad superioris sanctorum Patrum doctrinæ confirmationem. *Tunc utique manifestè cognoscetis quia vita existens secundùm naturam, Deo ac Patri, qui & ipse vita est, secundùm naturam conjunxi vos per meipsum, consortes quodammodo ac participes reddens immortalitatis ejus. Ego siquidem naturaliter in Patre, fructus quippe sum substantiæ ejus, ac vera genitura in eo existens, & ex eo existens, Vita ex Vita. Vos autem in me, & ego in vobis, quatenus ego quidem homo apparui; consortes autem naturæ divinæ vos reddidi, Spiritum meum in vobis collocans. In nobis enim est Christus per Spiritum.* Et mox; *Licèt enim ex Patre Spiritus sanctus procedat, venit tamen per Filium, & proprius est ejus, omnia quippe sunt à Patre per Filium.*

Ibid. pag. 811.

Ac denique inferiùs, ut Spiritus sanctus, licèt proprius Patris, sit tamen etiam proprius Filii; propterea quòd Filius ex Patre in Patre est, ut fructus ejus; & ideo Spiritum ejus sibi vendicat ut proprium sibi, & à seipso in dignos effundendum. *Proprius enim Dei ac Patris est Spiritus, nihilominus tamen proprius quoque est ipsius Filii; non quasi diversus sit & alius ab alio, aut seorsim in utroque intelligatur & insit, sed quia ex Patre & in Patre secundùm naturam est Filius, cùm verus sit fructus substantiæ ejus; Patris proprium Spiritum secundùm naturam sibi vendicat, procedentem quidem ex Patre, sed per ipsum Filium creaturæ traditum, non tanquam per ministrum aut famulum, sed sicuti modò dixi, ex ipsa quidem Dei ac Patris substantia procedentem, in eos autem effusum, qui ejus accipiendi digni sint per Verbum consubstantiale.*

Ibid. pag. 814.

III. Profitetur & Theodoretus in Dialogo *Impatibilis*, etsi à Deo & Patre sit Spiritus sanctus, perinde ut Filius, nequaquam tamen Filium dici eum posse, *Quia in sacra Scriptura hoc nomen non invenitur.* Eademque de causa nec genitum dici posse; imò nec ingenitum, quan-

Theodor. Tom. 4. pag. 14.

quanquam natura increatus sit, & nullo modo genitus. *Quia hoc à sacra Scriptura non didici, & valde reformido ea dicere, quæ ab illa silentio sunt præterita.* Ab eodem alibi observatum est divinarum Personarum nomina non eadem semper aliis præferri, sed aliàs alia; ut hinc summa trium æqualitas colligatur. Sic enim habet hæreticarum Fabularum libro IV. *Atque (Paulus) in priore quidem Epistola, primum statuit Spiritum,* Pag. 258. *hic verò ultimum, docens ordinem nominum non facere dignitatum differentiam. Hoc modo Filium etiam Patri præposuit, non ordinem evertens, quem Dominus posuit, sed æqualitatem honoris in Trinitate demonstrans.*

In Curatione Græcarum affectionum declarat Theodoretus ab ingenito Deo manare Verbum ac Spiritum sanctum, λόγον: illum ut Verbum genitum ab intellectu, ἐκ τῆ νῶ γενώμενον: hunc verò ut Spiritum procedentem, ὡς πνεῦμα, ἐκπορευόμενον; simul enim cum Verbo Spiritum procedere; non ut Verbo congenitum; sed ut qui simul cum Verbo sit, consequaturque & procedat; at neque Spiritum esse flatum oris, nec Verbum simile verbi nostri aerem verberantis; sed substantiale Verbum, οὐσιῶδες, ac Spiritum subsistentem, ὑποστατικόν; hæc duo in Patre spectari, sed per se subsistere; naturæ identitate conjuncta esse, sed proprietatum discrimine seorsim etiam & per se intelligi; hanc doctrinam ex Scripturis ediscendam, & quidem utriusque Testamenti, ut ex novæ veteriquo Theologiæ concordia veritas magis eluceseat. *Multò sanè credibilius, ex ingenito illo emanare Verbum, ac sanctum Spiritum: Verbum quidem ut genitum ab intellecta,* Serm. 2. pag. 104. *Spiritum verò ut procedentem; cum Verbo enim Spiritus simul progreditur: non tamen ut Verbo congenitus, sed ut qui simul cum Verbo sit, consequaturque, & procedat. Sed neque Spiritum sanctum, flatum aliquem oris esse dicimus; Deus enim compositionem non patitur, nec figuram; neque Verbum, quale istud est quod per aerem diffunditur, sed substantiale Verbum, ac Spiritum subsistentem. Quæ duo & in Patre considerantur, & per seipsa creduntur: eadem identitate conjuncta, proprietatum verò discrimine seorsim etiam ac per se intellecta. Hæc autem exactè percipi nequeunt, nisi ab eo qui in sacris Litteris versatus fuerit, scientiæque lumen à divina gratia acceperit. Legenda porro sunt, non ea solùm quæ sancti Apostoli docuerunt, sed divinorum quoque Prophetarum oracula. Ita enim qui & veteris & novæ Theologiæ concordiam viderit, admirabitur veritatem.*

IV. Non sana tantùm, sed & pulcherrima sunt hæc omnia. Vereor ut idem dici possit de illa ejusdem Theodoreti responsione ad novum Cyrilli Anathematismum, ubi molestè ferre videtur, quod Cyrillus dixerat, Spiritum sanctum ex Filio & per Filium habere existentiam, ὑπαρξιν. Pag. 718. *Proprium autem Spiritum Filii, siquidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, & tanquam piam suscipiemus vocem. Si verò tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium rejiciemus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus qui ex Patre procedit; sed & sacratissimo Paulo dicenti similiter: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo Patre est.*

Non facilè assentiemur ut à communi cæterorum Patrum etiam Græcorum suprà laudatorum doctrina discesserit Theodoretus; imò & à Scripturis, quæ Spiritum à Filio dari, mitti, accipere testantur; cùm uti Filius à Patre accipit, datur, mittitur, maximè nascendo: ita & Spiritus sanctus à Filio accipere, dari, mitti intelligendus sit, maximè ab eo procedendo. Itaque cùm in hoc libello suo Theodoretus totus esset in concerpendo Cyrillo, & in scriptis ejus utique orthodoxis convellendis: minùs mirum est, si altercandi æstu, ultra metas nonnihil evectus sit, & verba ejus ita acceperit, quasi sic Spiritum sanctum à Filio procedere diceret, ut non principaliter procederet à Patre.

In Epistolam ad Ephesios ita Paulum exponit in summi Patris paternitate commendanda, ut ille demum, propriè, principaliter & verè Pater sit, κυρίως, καὶ ἀληθῶς, quòd non antè fuerit Filius, sed semper Pater, & natura Pater, φύσει πατήρ. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Propriè Pater, & verè Pater Deus. Non enim primùm fuit Filius, deinde Pater; sed semper Pater est, & natura Pater: alii autem Patres, sive corporales, sive spiritales, desuper traxerunt appellationem. Dicit autem in terra Patres eos qui natura sunt Patres: cœlestes autem Patres vocat spiritales.* Tom. 3. pag. 305.

De Verbo autem ut splendore Patris, ut figura substantiæ ejus, ut Verbo, atque adeo Patri simillimo, & consubstantiali, & ideo verè Filio, quia nascitur, ut imago Patris, ut Verbum mentis ejus; sic ille in Epistolam ad Hebræos: *Ne dubites, inquit, Deum Verbum, unigeniti Dei Filium, & genitum esse ut Filium; & cum eo qui genuit unà esse, ut Verbum, quod est splendor gloriæ. Ex quo enim gloria, ex eo etiam est splendor. Semper autem gloria: semper ergo & splendor. Ejusdem etiam naturæ est splendor cum igne: ergo etiam Filius cum Patre.* Et paulò pòst: *Subjungit enim, Et figura substantiæ ejus. Per se enim, inquit, subsistit, totum in se Patrem ostendens. In se enim paternos characteres continet. Huic simile est quod Philippo dictum est à Domino: Qui vidit me, vidit Patrem meum. Ita per plura vocabula nos docuit divinus Apostolus, & veram ac germanam generationem, & eandem cum Patre substantiam, & coæternitatem. Quoniam enim divina superant omnem intelligentium, & fieri non poterat, ut per unam solam similitudinem doceretur divinitatis mysterium: per plura hoc facere coguntur veritatis præcones. Ita divinus Joannes Verbum appellavit Filium.* Pag. 357. Ibidem.

In Epistola verò Alexandri Episcopi Alexandrini ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum super Arii exoriente tum insania, hæc leguntur in Ecclesiastica ejusdem Theodoreti Historia, ex quibus intelliges, Filium dici & esse Verbum, quòd non aliter nascatur à Patre, quàm ut imago, ut Verbum Patris, ut ejus character, ut incommutabilis Sapientia, & Vita, & Lux, & Veritas ipsa, totum in se Patrem, ut in speculo exhibens, unumque cum Patre. *Splendorem enim gloriæ qui esse neget, primariam lucem unà tollit, cujus est splendor. Quod si imago Dei semper non erat, nec is haud dubiè cujus est imago, semper est: sed eo non existente qui est figura substantiæ Dei, tollitur etiam ille qui ab eo prorsus exprimitur. Unde perspicere licet, Servatoris nostri filiationem commune nihil habere cum aliorum filiatione.* Et mox: *Nam ipse quidem immutabilis est naturæ, perfectus, & nullius rei indigens: hi verò, cùm in utramque partem verti possint, illius indigent auxilio. Quid enim est in quo proficere queat sapientia Dei, aut quid potest ipsa veritas amplius adsumere, aut Deus Verbum? quomodo præstantior effici, aut vita, aut lux vera possit? Quod si ita se habet, quantò magis repugnat naturæ, ut stultitiæ aliquando capax sit sapientia, aut potentia Dei implicetur imbecillitate, aut obscuretur temeritate ratio, aut tenebræ cum vera luce permisceantur?* Et tandem: *Ego & Pater unum sumus. Quod Dominus dicit, non Patrem seipsum prædicans, nec duas subsistentia naturas unam esse demonstrans: sed quòd Patris effigiem Filius exactè servare soleat, ut qui omnimodam ejus* L. 1. c. 5. pag. 530. 531.

similitudinem à naturâ impressam habeat, nihilque differens sit Patris imago, & expressa figura prototypi. Unde & cupienti olim videre Philippo Dominus abundè manifestat, cùm dicenti, Ostende nobis Patrem, respondit, Qui me vidit, vidit & Patrem: quod tanquam per purissimum & animatum speculum divinæ imaginis ejus conspiceretur Pater: quem similem in Psalmis memorant viri sanctissimi, cùm ajunt, In lumine tuo videbimus lumen.

Sed illud præ cæteris advertendum, quod docet inferiùs, inter Patrem ingenitum, & res creatas quascunque mediam esse naturam unigenitam, μεσίτευσα φύσιν μονογενῆ: per eamque à Patre creata esse omnia. *Nec intelligunt rudes &* Pag. 533. 534. *inexercitati, quantum interfit inter Patrem ingenitum, & ea quæ ab illo ex non extantibus creata sunt, tum ratione prædita, tum rationis expertia. Quæ duo inter medium tenens unigenita natura, per quam universa ex non extantibus condidit Pater Dei Verbi, ex ipso qui est Pater genita est, sicut Dominus ipse quodam in loco testatus est dicens, Qui diligit Patrem, diligit quoque Filium, qui ex eo genitus est.* Nec eò id pertinet, ut ad creatas naturas accedat Filius, sed ut ad eas creandas non procedat Pater, nisi per Verbum, per brachium suum, per dexteram suam, per eum per quem ita sunt omnia, ut à Patre sunt omnia. Prius est enim ut Pater imaginem sibi simillimam & ejusdem secum substantiæ generet, tum verò per eam naturas condat L. 1. c. 11. pag. 720. 721. inferiores. *Perfectum Filium Patrique omnino similem didicimus, hoc solum minùs illo habentem quod ingenitus non est. Nam exacta & nihil varians Patris est imago.*

Refertur & Damasi Papæ Confessio fidei Catholicæ in Macedoniam missa, ubi anathemate percelluntur, qui Spiritum sanctum dicebant per Filium factum esse. *Quoniam post Concilium Nicænum hic error emersit, ut quidam ore profano dicere audeant Spiritum sanctum per Filium factum esse, anathematizamus eos, qui non liberrimè prædicant Spiritum sanctum unius ejusdemque cum Patre & Filio substantiæ ac potestatis existere.* Definitur ibidem Spiritum sanctum ex Patre verè & propriè esse, sicut & Filium ex divina substantia, ἐκ τῆς θείας οὐσίας. *Si quis non dixeris Spiritum sanctum ex Patre esse verè ac propriè, sicut & Filium ex divina substantia, & Deum Dei Verbum, anathema sit.* Ubi Patri κυρίως, principaliter vendicatur, ut à Patre procedat; non negatur, quin potiùs innuitur à Filio quoque illum procedere, etsi non principaliter, hoc est non ut ab ingenito principio.

Postremò tandem cum exponeret idem Theodoretus, quomodo ad imaginem Dei creatus sit homo; tum alia multa in hanc rem affert, tum id præclarissimè, Quod hominis mens verbum suum ex se proferat, ita ut cum verbo prodeat spiritus; non ipse quidem genitus, sicut verbum: sed simul consequens & simul procedens cum verbo quod ab humana mente nascitur; id verò interesse discriminis, quod nec verbum, nec spiritus ab homine prodiens, hypostasis, aut substantia sit. At in Deo tres sint hypostases inconfusæ & per se subsistentes. Ante sæcula enim Verbum est a Genitore, & procedit à Deo & Patre Spiritus sanctus, qui & in propria hypostasi intelligitur. Ita Theodoretus in Quæstionibus in Tom. 1. pag. 19. Genesin: *Invenire etiam poteris quispiam imitationem aliam aptiorem & convenientiorem in anima humana. Habet etiam ipsa facultatem rationalem & vitalem in se. Et mens quidem producit sermonem, procedit autem cum sermone spiritus, non generatus quidem, quemadmodum sermo, sed perpetuò consequens sermonem, & cum eo, dum editur, procedens. Sed hujusmodi adsunt homini tanquam imagini: quamobrem nec sermo, nec spiritus per se subsistit. At in sancta Trinitate tres intelligimus hypostases, easque sine confusione unitas, & per se subsistentes. Nam ante sæcula genitus est à Patre Deus Verbum, inseparabilis autem est à genitore: & procedit à Deo & Patre Spiritus sanctus, qui & intelligitur in propria hypostasi.*

V. Audiendus nunc nobis Damascenus, qui superiorum Patrum doctrinam ita colligit: Solum Patrem esse ingenitum, solum Filium genitum, solum Spiritum sanctum non genitum, sed procedentem ex Patre; ita ut & generationis & processionis modus incomprehensibilis nobis sit. Cæterùm hæc tria vocabula paternitatis, filiationis & processionis, non ex nobis translata esse ad Deum, sed à Deo manasse ad nos, testante Paulo, à Patre Deo paternitatem omnem nominari. *Solus Pater ingenitus: non enim ex alia hypostasi, sua hypostaseos habet substantiam; & solus Filius genitus: ex Patris enim substantia sine initio, & intemporaliter genitus est; & solus Spiritus sanctus ex Patris substantia procedens; non genitus enim, sed procedens, sic divina edocente Scriptura, modo quidem & generationis & processionis incomprehensibili existente. Et hoc scire oportet, nomen paternitatis, filialitatis & processionis, non esse ex nobis ad beatam illam divinitatem translatum, sed contrà, ut ait Apostolus, inde nobis traductum. Propterea, inquit, flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra.*

Ita ille libro primo de Fide Orthodoxa. Non dissimulat Damascenus, quantamcumque posuerint operam Athanasius, Basilius, aliique Patres in elucidanda, sive generatione Verbi, sive processione Spiritus sancti, incomprehensibile semper nobis mortalibus & esse & fore illud arcanum. Illud magis mirum, quod voces illas Patris, Filii & procedentis Spiritus velit, non à nobis ad Deum, sed à Deo ad nos translatas esse, cùm tot jam alios audierimus ex sanctis Patribus, qui contrà & sensisse & dixisse videntur. Ea tamen ut reor verborum magis, quàm rerum pugna est. Nec enim ambigere quisquam potest, quin primi nos fuerimus horum verborum opifices, ad res humanas significandas; at authorem fuisse Deum, ut eadem verba ad res divinas incomparabiliter nobis superiores transferrentur, ex mera Dei & Patris ad nos indulgentia; ut ne divina penitus animis nostris & cordibus excideren, si ea non sineremur humanis nostris & cogitationibus & sermonibus quanquam longè disparibus conari & annunciare. Si res verò ipsæ magis, quàm voces spectentur, ne tum quidem ambigere possit quisquam, quin Deo antequam nobis competant, si ineffabili in illa præstantia considerentur, qua in Deo sic effulgescunt, ut oculos nostros præstringant; nobis autem ex adverso priùs aptentur, & inde ad Deum rapiantur, si ea cum imbecillitate conjungantur, quæ naturis creatis familiaris est. Non ergo dissentit à Patrum doctrina sententia Damasceni, etsi verba nonnihil dissonent. Dam. L. 1. c. 8. pag. 9.

Progreditur verò ulteriùs Damascenus, docetque ad rationem causæ & principii spectare, quod Pater major Filio dicitur, non ad diversitatem substantiæ; ut ignis enim & lux, ita Pater & Filius unius substantiæ sunt: ut ignis per lucem illuminat, non velut per instrumentum, sed velut per propriam & naturalem virtutem, ita & Pater per Filium; id distat tamen, quod Filius propriam habeat subsistentiam, non lux: quippe inter Deum & creaturam nulla similitudo potest esse perfecta. *Quando igitur audimus principium, & majorem Filio Patrem, causam intelligamus. Et quemadmodum non dicimus alterius substantiæ ignem, & alterius lucem: hunc in modum fieri non potest, ut rectè dicamus Patrem & Filium alterius & alterius substantiæ, sed unius* Ibidem pag. 34. 35.

& ejus-

& ejusdem. Et quo pacto dicimus per eam lucem quæ ab ipso est, ignem illucere, & non ponimus organum administratorium ignis esse lucem, quæ ex ipso est, sed potiùs virtutem naturalem: sic dicimus Patrem quæcunque facit per unigenitum Filium ejus, non ut per instrumentum servile, sed ut per virtutem naturalem & substantialem facere. Et ut dicimus ignem illuminare, & rursus dicimus lucem illuminare: sic omnia quæcunque facit Pater, similiter & Filius facit. Sed lux quidem propriam subsistentiam præter ignem non possidet: Filius autem perfecta subsistentia est, à paterna subsistentia discreta, ut suprà jam discussimus. Impossibile enim est in creatura compertam imaginem, in seipsa immutabiliter divinæ Trinitatis modum repræsentare.

At alibi inferiùs de Spiritu sancto: *In unum Spiritum sanctum credimus, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & in Filio requiescentem, cum Patre & Filio simul adoratum, & conglorificatum, ut consubstantialem & coæternum Dei Spiritum.* Et mox: *Per omnia Patri & Filio similem, ex Patre procedentem, & per Filium distributum, & participatum ab omni creatura.* Ubi processionem Spiritus ex Filio & nusquam negat, & persæpè innuit. Ut quid enim requiescat Spiritus sanctus in Filio, nisi ut in originis suæ fonte, quo eodem modo non potest Filius in Spiritu sancto requiescere? Quo pacto per omnia Filio, æquè ut Patri similis est Spiritus sanctus, nisi ut ab eo etiam procedens? A Filio enim accipit, nec accipit nisi procedendo; ut à Patre nihil accipit Filius, nisi ex eo nascendo. Quo rursus modo & jure Filius distribuit Spiritum sanctum, nisi quia ex suo illum sinu effundit? Quo modo & à Patre datur Spiritus sanctus, nisi per Filium, per quem omnia? Qui verum erit, quod dixit Christus, Patris omnia sua quoque esse, omnia sibi Patrem dedisse, si hinc demptur res omnium longè maxima, originem & fontem esse Spiritus sancti? Quomodo dixere Patres, Patris omnia Filii esse præterquam ingenitum & Patrem esse, si hinc quoque id eximatur, Principium esse Spiritus sancti?

Cap. 10. pag. 36.

Vide autem rursus ut Personarum proprietates designet & antedicta pleraque confirmet Damascenus: *Pater enim sine causa & ingenitus: nam non ex aliquo est, ex seipso enim illud esse habet: neque quippiam eorum quæcunque habet, ex altero habet; ipse autem magis principium est, & causa esse, & quomodolibet naturaliter esse omnibus. Filius verò à Patre nascibiliter, Spiritus autem sanctus & ipse à Patre quidem, non nascibiliter, sed processibiliter est. Et generationis & processionis differentiam esse dicimus: at quis differentiæ modus, nequaquam, & simul esse Filii à Patre generationem, & Spiritus sancti processionem.* Denique omnia tribus personis communia esse testatur: *Præter innascentiam, generationem, & processionem. In his enim solis personalibus proprietatibus, differunt ab invicem tres sanctæ hypostases, hoc est subsistentiæ ac personæ, non substantia, sed characterismo propriè hypostaseos indivisibiliter discretæ. Dicimus autem, unam quamque trium perfectam habere subsistentiam: ut non ex tribus imperfectis unam compositam naturam perfectam intelligamus: sed in tribus perfectis personis, unam simplicem substantiam superperfectam, & anteperfectam. Omne enim ex imperfectis coalitum, compositum prorsus est: ex perfectis autem subsistentiis, impossibile est compositionem evadere.*

Ibidem a pag. 34. 35.

Ubi vides Patrem unum esse sine causa, ἀναίτιον; ex seipso suum esse habere, ἐξ ἑαυτοῦ τὸ εἶναι ἔχει; non quasi sese ipse gignat, sed quia ex altero non est, ἐξ ἑτέρου; Filium à Patre esse nascibiliter, γνωστῶς; Spiritum sanctum processibiliter, ἐκπορευτῶς; quid interfit inter ista, à nobis ignorari; Personarum divinarum substantiam unam esse & eandem, proprietates diversas; tria illa esse perfecta, & ideo ex illis nihil componi; nec enim ex perfectis quid componitur, sed ex imperfectis; ideoque unum nobis esse Deum simplicissimum in tribus perfectis hypostasibus, non ex tribus compactum; nec enim primum Principium posse esse quidquam ex pluribus perfectum. Denique summum illud trium hypostaseon Numen & simplicissimum, & perfectum, & plusquam perfectum esse; quo demonstratur à nobis sentiri magis illud posse, quàm vel dici, vel etiam intelligi.

Nazianzenum inferiùs videtur imitari Damascenus, ubi ait, quamliber ex tribus hypostasibus contemplemur, perfectum eum esse Deum, & perfectam essentiam; ubi rursus tres illas conjungimus, unum esse & perfectum Deum, nec enim compositum esse Deum, sed unum perfectum, indivisibile & simplicissimum, in tribus perfectis. *Quando enim unam ex his substantiis intelligo, eam ut perfectum Deum cognosco & perfectam substantiam. Quum verò conjunxero, & connumeravero tria ista, unum quoque perfectum Deum cognosco. Non enim composita res est Deitas, sed in tribus perfectis perfectum, & indivisibile, & incompositum.*

Cap. 15. pag. 52. 53.

VI. At ubi singulæ inspiciuntur hypostases, verbi gratia Pater, elucet eum esse fontem bonitatis, abyssum essentiæ, Verbi, sapientiæ, luminis, divinitatis, fontem genitivum & productivum latentis in se boni: πηγὴ γεννητικὴ, καὶ προβλητικὴ τῆς ἐν αὐτῇ κρυφίου ἀγαθότητος. Quasi dicat Patrem esse ipsam infinitæ bonitatis essentiam, & quidem exundantem, & tum generatione Filii, tum productione Spiritus sancti effundentem illud bonitatis pelagus. Addit mox Patrem esse Verbi mentem, λόγου νοῦν, Verbi abyssum, Verbi genitorem, & per Verbum productorem Spiritus sancti, προβολεῖς πνεύματος διὰ λόγου. Atque hinc patet Spiritum sanctum à Patre & Filio quoque procedere, sive à Patre per Filium. Denique negat Damascenus esse Patri Verbum aliud, aut sapientiam, aut virtutem, præter Filium, quòd nimirum hæc omnia & in Patre sint, ut ea effundente; & in Filio sint, ut à Patre in eum effusa, non aliter quàm per generationem. *Quando verò habitudinem, quam ad se invicem habent hæ substantiæ, considero, scio quòd Pater sit substantialis Sol, fons bonitatis, abyssus substantiæ, sermonis, scientiæ, potentiæ, lucis, divinitatis: fons generativus & productivus latentis in se boni. Ipse igitur est intellectus, verbi abyssus, verbi genitor. Et ut multa in pauca conferam, Non est Patri sermo, sapientia, potentia, voluntas, nisi Filius, qui est unica Patris potentia, efficax illa ad faciendum quidquid est. Sic veluti perfecta substantia ex perfecta substantia prognata, quemadmodum novit ipsemet, qui Filius & est & dicitur.*

Ibidem Pag. 153.

Denique Spiritus sanctus, ex Damasceno mox ibidem, est enarrativa occultæ divinitatis Patris potentia. Per illum enim, uti & per Filium Pater latentem divinitatem suam explicat, propagat, manifestat; procedit autem à Patre per Filium, non generatione, sed ineffabili ratione, & Deo soli comperta; quocirca cùm ultra non prograediantur divinæ manationes, earumque complementum sit Spiritus sanctus, hinc ei competit, ut totius perfectionis sit author. Denique ex Damasceno Spiritus sanctus Filii quoque Spiritus est, non velut ex ipso, sed velut per ipsum ex Patre procedens, ut solius sit Patris esse Causam, seu primum Principium, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς διὰ τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύτου μόνου γὰρ αἴτιος ὁ πατήρ. Hìc perspicuè vides, quò tandem pertineret Græcorum Patrum consensio de processione Spiritus sancti. Assentiebantur enim procedere & ex Pa-

ex Patre & ex Filio; sed malebant dicere, ex Patre per Filium, ut Patri soli servarent intactum decus, τῆς αἰτίας, hoc est, primi Principii, qua de re nemo illis Latinorum controversiam faciebat. *Spiritus autem sanctus enarrativa occultæ divinitatis Patris potentia, ex Patre quidem per Filium procedens, & quemadmodum ipsemet novit, non generativè. Unde & Spiritus sanctus totius rerum creationis perfector dicitur. Quæcumque igitur congruunt ut causæ, Patri, fonti, genitori, ea soli Patri tribuenda sunt. Quæ verò ut causato, genito Filio, Verbo, virtuti effectivæ, voluntati, sapientiæ, ea Filio. Quæ denique causato procedenti, enarranti, perfectrici potentiæ, ea Spiritui sancto conveniunt. Pater fons & causa est Filii, & Spiritus sancti. Pater autem solius Filii, productor verò Spiritus sancti. Filius, Filius, Verbum, sapientia & potentia, imago, splendor, character Patris, & ex Patre. Non autem Filius Patris est Spiritus sanctus; Spiritus tamen Patris, tanquam ex Patre procedens. Nullus enim sine spiritu motus. Sed & Filii Spiritus est, non velut ex ipso, sed quasi per ipsum ex Patre procedens. Solus enim Pater causa est.*

Nec omittenda, quæ inferiùs habet idem Damascenus, Imaginem Patris esse Filium, Filii Spiritum sanctum: ac rursus ipsum esse medium Ingeniti & Geniti, & per Filium Patri conjungi, dici etiam Mentem Christi, νῦν χριστοῦ. Si qua horum nominum minùs usitata sint Latinis, & inter ipsos ideo non temerè usurpanda, ne quando minimè necesse est lites seramus; non possunt tamen non esse veneratione, cùm apud sanctos Orientis Patres olim usitatissima fuerint, & ex Scripturis juxta eorum interpretationes hausta. Imago Filii dicitur Spiritus sanctus, quòd ex Paulo conformes efficiantur Christo, qui Spiritu sancto, ceu ejus forma donantur; quam exteriorem operationem non abs re conjicimus respondere non satis exploratæ nobis proprietati Spiritus sancti. Audi Damascenum: *Imago Patris est Filius, & Filii Spiritus sanctus: per quem Christus homini inhabitans, dat ei quod est secundùm imaginem. Deus Spiritus sanctus, medius ingeniti & geniti, & per Filium Patri conjunctus, Spiritus Dei dicitur, Spiritus Christi, intellectus Christi.* Et infrà: *Deus est etiam Spiritus sanctus, virtus sanctificatrix, in propria persona subsistens, insejunctè à Patre procedens, & in Filio requiescens.* Si Spiritus sanctus Sanctitas est & Charitas substantialis Filii, est utique etiam ejus imago. At audi quæ de Verbo mox ibidem habentur: *Verbum rursus est naturalis mentis motio, ἡ φυσικὴ τοῦ νοὸς κίνησις; secundùm quam movetur, intelligit, cogitat; veluti lux ipsius existens & splendor.* Quadrant hæc utique nostræ etiam mentis verbo, sed & suprà Patres audivimus, qui Mentem vocabant Patrem Verbi Dei: & tum quæ hìc motio dicitur, interpretanda erit convenienter divinæ immutabilitati.

Ibid. c. 17. Pag. 60.

VII. Quærit Jobius apud Photium in Bibliotheca, *Cur Filio Pater præponatur, dein tertius constituatur Spiritus sanctus.* Respondet autem, nec mente, nec oratione complecti nos posse, quid sit natura divina; sed eam nobis allucere, ut fas atque utile est nobis, non ut ipsi consentaneum. Quantumvis ergo connitantur Theologi Unitatem, Trinitatem, & Deitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum capere, vel dicere; non id quod capimus vel dicimus, sed supra id totum illud est. Ex parte enim tantùm hìc cognoscimus, ut Paulus ait, utque exponit ejus discipulus Dionysius. Plurima ergo eorum quæ de Deo dicuntur, non id dicunt quod est, sed quod per cognitas nobis res atque voces utcumque ad ejus captum manuducere nos possunt. Frustra ergo quæritur, cur Pater Filio præponatur; nec enim ea est divina natura, quæ præponi, aut subjici possit; quæ numerari, vel una dici possit; hæc quippe substantiarum propria sunt; Deus verò supra substantiam est; ὑπερούσιος. *Quærit enim, cur Filio Pater præponatur, ac deinc tertius Spiritus sanctus constituatur? Respondetque certum esse, divinam naturam cùm nec verbis exprimi, nec mente comprehendi queat, neque ratione, neque oratione hoc ipsum quod est evulgari vel nominari posse: Quibus verò per ineffabilem dispensationem cognoscenda objicitur, non sicuti est, sed ut fas atque utile est iis, quibus apparet; sic pulchritudinis sue splendorem immittere infixiùs in se intuentes, & utcumque fruendam dare; quapropter ut profundius & magis Theologicè loquamur, sive Trinitatem, sive unitatem, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum, sive Deitatem, sive aliud quidpiam, incomprehensibilem illam & ineffabilem naturam cogitemus, vel nominemus; non hæc illa, sed supra hæc est. Quamobrem etiam ineffabilium enarrator clamat: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Hujusque germanus discipulus, sapiens ille Dionysius, hæc ipsa iisdem propemodum testata verbis reliquit: maximè ubi de perfecto atque uno agit. Quantò igitur plurima eorum, quæ de Deo dicuntur, non id quod est, significant, sed potiùs manuducunt, & pro captu nostro per cognatas nobis res atque voces, mentem nostram supra nos attollunt: perspicuum est tale quid illud esse.* Et ibidem mox: *Quoniam ipsa secundùm se divina natura neque præponi, neque subjici apta est; sed supra omnem tam numeri, quam singularitatis notionem collocatur. Numerus siquidem & unitas de substantia dicuntur: Divinitas verò substantiam superat universam.*

Cedd. Basil. Pag. 69

VIII. Ex alio autem ejusdem Jobii libro hoc refert Photius, A Gregorio Nysseno prolatam fuisse argumentationem quandam, qua probaretur Deo Filium esse: Nimirum cùm ratione non careat Deus, suum illi esse Verbum, λόγον, utique immortale immortali; ac proinde Filium. Porro contrà emersisse gravissimam objectionem, scilicet pari ratione & jure suum Filio, suum Spiritui sancto Verbum, suum Filium fore, cùm & ipsi ratione & sapientia non careant. Huic objectioni ait Photius à Jobio responsum esse operosius prolixiùsque, tredecim non minùs argumentis depromptis, quæ sibi quidem non ea videantur, quæ homini contentioso os obturare possint. Jobio solutiones has proferenti, an Photio eas impares existimanti subscribendum nobis sit; superfluum est quærere, cùm eas silentio præterierit Photius. Sed vel hinc illud liquet, non abs re nos & in Nysseni & in aliorum Patrum doctrina promenda, illud constantissimè professos esse, vacillaturas semper quascumque demum rationes & argumentationes nostras in re tam ardua & tam implicata, nisi Scripturæ, Fidei & Traditionis gubernaculo regantur & stabiliantur.

Ibid. p. 632 634

Quærebat denique Jobius, Cur cùm Filius & Spiritus sanctus ex Patre pariter procedant, non ambo Filii dicantur, sed ille Filius, hic Spiritus sanctus. Respondebat autem nobis prorsus ineffabiles esse res divinas, & cognatis nobis consuetisque verbis necessariò illas dicendas, vel adumbrandas potiùs à nobis fuisse. In consuetudine autem humana esse, ut qui gignitur, filius dicatur; qui autem ore efflatur spiritus, non gigni, non filius dicatur, sed procedere, & spiritus. Ea responsio, ut planum est, non probat, sed ponit quod alioqui ex Scripturis & fide præjudicatum est.

IX. Cùm autem ex occasione Jobii in Photium inciderimus, non possum non hic strictim saltem attingere ejus ineptissimas argumentationes in Latinos, Spiritus sancti ex Filio quoque processionem

nem prædicantes. Id ergo primum ille in Epistolis suis urget, ita à Latinis constitui duo Principia, si non à Patre tantùm, sed & à Filio procedat Spiritus sanctus, & totam labefactari divinæ Trinitatis Monarchiam. *Quis cultui initiatus Christiano ferre queat duplicem in Triade causam dici, Patrem nempe causam Filii & Spiritus; Spiritus autem causam Filium? hoc est Monarchiam in duplicem Deitatem solvere, & non minùs quàm gentilitiam mythologiam Christianorum discerpere Theologiam, atque ita Trinitatis dignitatem supersubstantialis & monarchica per contumeliam imminuere. Sed quorsum à Filio procederet Spiritus? siquidem profectio à Patre sit perfecta: est autem certè perfecta, quia perfectus Deus à Deo perfecto; quæ autem illa à Filio profectio, & quamobrem?*

Photius Epist. 2. Pag. 51. 52.

Sic ille inconsideratissimè Latinos lancinabat Patres, Græcis Patribus hactenus conjunctissimos, Græcis Conciliis etiam generalibus commendatissimos, mutua semper & indivulsa pace & communione confœderatos, unius utique maximè fidei vinculo. Quid rursus inconsideratius, quàm Latinos convellere velut Monarchiæ Patris minùs obsequentes, cùm palam ipsi profiterentur à Patre esse & sua omnia habere Filium, & hoc ipsum a Patre accipere, ut ab eo perinde ut à Patre procedat Spiritus sanctus? Tum primum Principium, tum prima Causa, tum Monarcha non esset Pater apud Latinos, si ab illo non procederet Filius; si ab illo non procederet Spiritus sanctus, sed à Filio solo; si ab illo non acciperet Filius, ut ab illo quoque procederet Spiritus sanctus. Perfecta quidem est & perfectissima processio Spiritus sancti à Patre; sed usque adeo inde non abjudicanda est processio ejusdem à Filio, ut inde potiùs confirmetur. Nam ex Scripturis & ex Græcis Patribus, omnia Patris communia Filio sunt, præter privilegium ingeniti, & generandi filii. At processio Spiritus sancti & ab ingenito differt & à Filii generatione; Filio ergo communis esse debuit, ex eadem Scripturæ & Patrum authoritate. An non esset perfecta creatio orbis, quæ à Patre solo proficisceretur? Eccur ergo tribuitur & Filio & Spiritui sancto? Nempe communia tribus divinis hypostasibus sunt omnia, præter paternitatem, & filiationem, qua à Patre est Filius; & processionem qua Spiritus sanctus à Patre est, est & à Filio, communia omnia cum Patre habenti præter paternitatem.

Pergebat Photius in hæc verba: *Si à Filio procedit Spiritus sanctus, uti & à Patre, cur non à Spiritu gignitur & Filius, ut è Patre?* Quo quid absurdius dici poterat, quid ipsi Photio infestius? Ideo enim non potest esse Filius à Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus à Filio est. Uti à Filio ideo non potest esse Pater, quia Filius à Patre est. Si autem ex adverso Spiritus sanctus non procederet à Filio, quid prohiberet, ne à Filio gigneretur? Omnia enim Patris communia sunt Spiritui sancto, præter vim illam ipsam, qua Spiritus sanctus à Patre procedit. Ita Photius suo se gladio jugulabat.

Rursus ille in hæc verba, *Quòd si processio Spiritus sit Patri communis atque Filio, tum à seipso procedet Spiritus, ipse sibi principium erit, causa simul & causatum:* quòd videlicet quæ communia sunt Patri & Filio, communia sint Spiritui sancto, sicut esse Deum, Regem, Creatorem. At suo se rursus hic telo conficit Photius. Ideo enim hæc omnia communia sunt tribus Personis, quòd relativa non sint, sed absoluta. At spirari & spirare, spiratorem esse & spiritum, relativa sunt, non absoluta.

Addit Photius, *Egreditur à Filio Spiritus. Hoc unde fando factum accepisti? A quibusnam Evangeliis hanc vocem habes? Cujusnam Synodi blasphemum hoc verbum?* Latinos solos impetere se Photius simulabat; at iisdem argumentis lacessebat & Græcos omnes, quos suprà audivimus conspiratissimè affirmantes Spiritum sanctum à Filio accipere, à Filio mitti, à Filio exire, à Filio dari. Atqui totum hoc est à Filio procedere. Ut enim Filius nascendo à Patre, ita Spiritus sanctus à Filio procedendo accipit, mittitur, exit, datur. Nec enim postea, sed statim nascendo, vel procedendo accipit, quidquid accipit, & habet quidquid habet Filius & Spiritus sanctus à fonte suæ originis. Frustra est ergo Photius, ubi rogat quibus ab Evangeliis habeamus, quòd Spiritus procedat à Filio; ab illis enim id habemus, à quibus habemus quod ab ipso Christo de Spiritu sancto dictum est, *Ille de meo accipiet.* Non accipit enim nisi procedendo, ut Filius à Patre non accipit nisi nascendo; unde & Pater solus à nullo quidquam accipit, quia à nullo est; à nullo mittitur, quia à nullo nascitur, à nullo procedit.

Pergit denique Photius in hunc modum: *Quidnam Spiritui quæso accedet ab illa de Filio processione, cùm processio paterna ad essentiam sufficiat?* Quid si rogemus Photium, quid accedat creaturæ à creatione per Filium & Spiritum sanctum, cùm creatio per Patrem abundè esset? An dicet omnia divinis hypostasibus esse communia, præter relationes, quibus aliæ ab aliis distinguuntur? reponemus & nos omnia ex Scripturis & sanctis Patribus esse Patri Filioque communia præter paternitatem & filiationem, qua Pater à Filio distinguitur, quia nemo sibi pater, nemo sibi filius esse potest; exinde perspicuè colligitur vim producendi Spiritus sancti esse Patri Filioque communem, cùm ea nihil spectet ad paternitatem & filiationem. Qua verò ratione Photius distinguet Filium à Spiritu sancto, si hic ab illo non procedit? Nec enim Pater à Filio distinguitur, nisi quia ille gignit, hic gignitur; nec à Patre Spiritus sanctus distinguitur, nisi quia hic ab illo procedit. Non ergo distinguetur Spiritus sanctus à Filio, nisi ab illo procedat.

Pag. 51.

Nec poterat Photius expostulare de novitate hujus confessionis, qua Spiritus sanctus à Filio procedere prædicatur, cùm licèt Evangelicæ Literæ disertis verbis non affirment illum à Filio procedere, expressissimè tamen aliis verbis id ipsum docent. Accipere enim, afflari, dari, mitti, idem sonant, atque procedere; unde Pater tam non ab ullo accipit, afflatur, datur, mittitur, quàm nec ab ullo procedit. Perinde ergo se in his res habet, atque in consubstantiali. Vocem eam Scripturæ non usurpaverant, rem prædicaverant. Nicæna Synodus rei & naturæ vocem aptavit, orbis Catholicus assensus est.

Pag. 52.

CAPUT XXXII.

Marii Victorini doctrina de trinitate & unitate divinarum Personarum.

I. Ut causa sit Filius, præcausa Pater. Ut Patris sit esse ipsum Esse & quiescere; Filii sit moveri & operari.

II. Pater est vivens, Filius vita; ille inoperans operatio; hic operans operatio.

III. Pater Silentium non silens, Filius vox, Paraclitus vox vocis.

IV. Esse, vivere, illigere; Pater, Filius, Spiritus sanctus. Pater ipsum esse, Filius ejus imago. Pater intus, Filius foris, Potentia Pater, actio Filius.

V. Universitatis vinculum est Trinitas, in

qua & à qua omnia, corporalia, spiritalia; quæ imago est longè pulcherrima mundi.

VI. Rursus ut Patris sit esse & quiescere, Filii vivere & moveri.

VII. Ut senserint Platonici, Verbum, vitam, voluntatem, lucem non tam effundi, quàm ultrò prosilire; quæ verborum erant delicia.

VIII. Patris & Filii descriptio, Ubique Esse universale, Vita universalis; motio illic abscondita, hic manifesta. Unum, ipsum Unum. Pater loquitur in silentio; Filius Verbum est in manifesto, Spiritus sanctus spiritus seu flatus est loquentis Filii Patrisque.

IX. Cur tanta in his omnibus caligo. Ut se intelligat, sese in se replicet, Verbum generet Pater. Rursus ut silentium, cessatio, quies, Pater; vita, actio, motus, Verbum, Filius.

X. Rursum esse, vivere, intelligere, Trinitas. Ut Filius & Spiritus ultrò prosilire à suo principio dicantur.

XI. Esse rursus, vivere & intelligere. Pater silentium est, sed loquens; quies est, sed vivens & se movens.

XII. Pater Unum, Unum ipsum est incomprehensibile. Unde non tam esse, vivere, intelligere est, quàm ante hæc omnia & supra hæc omnia.

XIII. Exemplum fontis, fluvii, irrigationis.

I. MArii Victorini doctrinam tametsi minùs disertam, & subobscuram, sanam tamen & orthodoxam, Tractatu superiore semel & iterum commendavit Hieronymus. Paucissima hactenus ex eo carpsimus, quæ aspergeremus Capitibus superioribus hujus ipsius Tractatus, ut tantò copiosiùs eam messem in hoc Caput congereremus. Cùm hic author & stylo implicatus sit, & rem tractet implicatissimam; adde & cùm non venerint in manus nostras ejus editiones, nisi mendosissimæ: fieri omnino non potuit, quin & nostra de ejus placitis dissertatio hæreret & titubaret persæpè; & nonnulla nobis divinanda potiùs essent, quàm affirmanda. Vel sic tamen erunt, ut spero, quæ nos in admirationem rapiant in hoc antiquissimo Scriptore. Ex Joanne docet ille Verbum, λόγον, omnium esse causam, ideoque Patri æqualem, qui per ipsum omnia operatur; unde & Pater non tam Causa, quàm Præcausa appellatur: quòd per Filium operetur. Per creaturam autem fieri non potuit, ut crearet omnia Pater; per increatum ergo & per æquale sibi Verbum omnia creavit. Ideo ergo præcausa dicitur, quia ejus qui omnium causa est, Pater ipse est. Ut autem operatio, & creatio, etsi causæ & præcausæ, Filio & Patri communis, propriè tamen Filio & causæ magis tribuitur, quia Patris est manifestari per Filium; ita mentis est manifestatè se per Verbum suum; Patris est in beatitudinis suæ silentio quiescere; Verbi & Filii est operari & moveri; quæ omnia accommodatè ad hominum mores & voces dicuntur; nam Deus ipse per sese supra hæc omnia est, Filius supra moveri & operari, Pater supra beatitudinem & quietem. *Omnia, dicit, per ipsum facta sunt, & sine illo effectum est nihil: Etenim sine λόγῳ quid est, quod non; ut sit, accipiat? Solus enim λόγος, secundum quod λόγος, est & sibi, & aliis ipsum quod est; ipse præstat omnibus, quæ sunt. Et idcirco æqualis quidem Patri, causa enim principalis & sibi & aliis causa est, potentia, & substantia. Causa existens. Præcausa autem Pater.* Et mox: *Unde Filius distabit hoc quod movetur & operatur in manifestationem, propter magna nobis incognoscibiliter operante Patre. Supra enim beatitudinem est Pater, & idcirco ipsum requiescere. Operari enim etiam si imperfectionem operatur, in molestia motus ista beatitudo est, secundùm quòd est operari perfecta.*

Bibl. Patr. Tom. 4. part. 1. pag. 184.

Patris est, ut sit ipsum Esse; Filii est, ut sit ipsum operari; primum est, esse; secundum est, operari. Et tamen ipsum Esse suam habet intus operationem, cùm intus non sit sine motu, sine vita, sine intellectione, quæ operationes sunt. Ita primum Esse, etsi quiescat, operatur tamen, sed intus; etsi operari non dicatur, nisi cùm foris operatur. Ita operatio cum ipso esse conjuncta est, quia ipsum Esse seu summa Essentia Pater Filium generat, qui jam & esse est & operari; eadem cum Patre essentia, & simul operatio, atque illuminatio Patrem declarans, ut lux lucem, vita vitam à qua prodit declarans: *Quod est esse, Pater est; quod est operari, λόγος, & prius est, quod est esse; secundum, quod est operari. Habet quidem ipsum quod est esse, intus insitam operationem: sine enim motu, hoc est, operatione, quæ vita, aut qui intellectus est? ergo non est solum esse, sed ipsum quod primum est esse; propter quod est ei quiescere, solum ipsum esse; est isto modo est & quod est operari, quod est secundum: quoniam non intus, sed cùm foris operatur, operari dicitur. Apparente enim operatione, & est, & nominatur operatio; & ut generatio sui ipsius & æstimatur & est: sic igitur idipsum quod est operari, & ipsum esse habet, magis autem non habet. Ipsum enim operari esse est, simul enim & simplex, & esse, & operari, eorum quæ supra sunt natura est declarans & sortita; secundum quod est requiescere, ipsum esse & substantiam; secundum autem quod est in motu esse, actionem, operationem: hoc autem quod est in motu esse, declaratio est ejus quod est esse secundùm actionem.* Ibidem.

II. Statim subjicit Verbum esse lumen, & vitam; porro vivens esse antequam vitam, sicut quale antequam qualitas; unde Christus vita est, & illum misit vivens Pater. *Si vita Filius, vivens Pater, Filius in Patre. Sicuti enim quale prius est, deinde qualitas: sic vivens primus Deus, sic vita. Qui enim genuit vitam, vivens est; vivit vita à vivente Patre. Non enim ante vita, & sic Deus vivens; sed Deus vivens prior. Sic vita, & sic vivens vita. Et idcirco deinde dicit: Et ego vivo propter Patrem.* Pag. 185.

Ut unum sint tria, inferiùs sic exponit. Quod quæcunque habet Pater, tradiderit Filio, à quo habet Spiritus sanctus quæcunque habet. Item quod Pater sit inoperans operatio, Filius operans operatio; Pater enim ut primum, ut quies, ut silentium, actio est inactuosa, à se perfectus, nullius egens: Filius nullius egens, sed ut sit, à Patre accipiens, atque ita actione, seu generatione, & veluti quodam motu ad id veniens, ut sit omnium plenitudo. *In hac serie tribus existentibus, & unum sunt tria, & ὁμοούσιον: quippe dicente Christo: Ea & venio ad vos, à Deo alius dabitur vobis Paracletus, qui quæcunque habet, à me habet, & quæcunque habet Pater, tradidit mihi omnia. Etenim omne mysterium hoc est, Pater inoperans operatio, Filius operans operatio.* Et paulò pòst exponens, ut major sit Pater, *Ad hoc major, quod actio inactuosa; beatior enim, quò sine molestia, & impassibilis, & fons omnium, quæ sunt, requiescens, à se perfecta, & nullius egens: Filius autem ut esset, accepit; & in id quod est agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo.* Pater quippe seipso, quietè, & beatè, habet, ut sit ipsum esse & omnium plenitudo: Filius illud ipsum esse est, illa ipsa plenitudo; sed hoc ut sit, accipit; nascendo ad illud venit, atque ita motu quodam, hoc est generatione; cùm autem ad esse venerit actione, hinc ipsius proprium est, ut sit operatio operans, actio actuosa, ipsum agere, per quem Pater agit, & creat universa. Sicut Spiritus sanctus processione ad hoc ipsum venit, ut sit totius entis, sive essentiæ plenitudo & perfectio; & ipse proinde etiam est operans operatio, ut ab eo sit tota regeneratio & sanctificatio creaturæ. Ibid. p. 186.

rx. Quò pertinebant verba illa Victorini paulò antè, *Pater inoperans operatio, Filius operans operatio; id quod est generare; sanctus autem Spiritus operans operatio, quod est regenerare.* Sic enim legendum arbitror.

Ibidem. III. Eodem spectant, quæ mox subjiciuntur: *Quod omnia tria unum, Pater non silens silentium, sed vox in silentio; Filius jam vox, Paracletus vox vocis.* Tria unum sunt, & quodlibet eorum omnia est, sed omnia unum; Pater omnia in silentio, & quiete; Filius omnia est in voce & operatione; denique Spiritus sanctus omnia est, ut vox vocis, ut operatio operationis, ut Spiritus Filii: Pater silentium est, sed silentium non silens, cùm Verbum generet in silentio. Silentium merum esset, si Verbum exse non effunderet in seipso; at cum Verbum suo in sinu effundat, silentium est non silens; quod perinde est, ac si diceret operatio inoperans, vel potiùs, quies & inoperatio operosa, inactio actuosa. Denique Spiritus sanctus cum à Verbo etiam procedat, Vox vocis est; & sicut quidam Græcorum dixerunt, Verbum Verbi; quod non aliàs meliùs quadrare potest, quàm ut charitas veritatis dicatur. Est enim Filius veritas, ut Verbum è summæ Mentis silentio procedens; at Spiritus sanctus spiritus est & charitas veritatis. Quid enim convenientius in tanta hac nostra imbecillitate cogitare possumus, quàm ut è summæ Mentis silentio prodeat veritas, è veritate charitas? atque ita omnia sint unum in his tribus, in silentio & quietè inexcogitabili primi principii, in Verbo & Veritate inde primùm procedente, in charitate denique in quam se veritas ipsa explicat.

IV. Esse, vivere, intelligere spectabat suprà Augustinus, ut imaginem Trinitatis, quod Pater sit ipsum esse, ex quo vita manat, id est, Filius qui vita est; & ab hac vita Spiritus sanctus, ceu Spiritus vitæ & veritatis, à quo non recedit intelligere. Unde Victorinus ibidem, *Primum est vivere, & ab ipso quod est vivere, intelligere, vivere quidem Christus, intelligere Spiritus. Ergo Spiritus à Christo accipit, & ipse Christus à Patre. Idcirco & Spiritus à Patre. Omnia igitur unum, sed à Patre.* Ubi vides ut in Patre semper constituat Monarchiam, ut ab eo repetat unitatem trium.

Exponit inferiùs, quomodo Patris imago sit Filius. Nimirum quod Pater est in occulto, in silentio, in potentia; id ipsum Filius est in aperto, ut Verbum, ut actus & operatio, unde & ab eo sunt omnia; quæ sunt & à Patre, sed per ipsum. Eodem redit, quod & mox additur, esse Patrem ipsum esse, Filium esse speciem, seu imaginem ipsius esse. Sese enim ex se effundens ipsum esse, seu totius essentiæ pelagus & plenitudo, in imaginem sui se effundit, in Filium. Porro hæc imago actio quoque est, explicans & manifestans, quidquid in potentia latebat. *Quare imago Dei λόγος? Quoniam Deus in occulto: in potentia enim: λόγος autem in manifesta; actio enim. Quæ actio habens omnia, quæ sunt in potentia, vita & cognoscentia secundum motum, producit & manifestat omnia. Propter quod omnia quæ sunt in potentia, imago est actione: unicuique eorum quæ in potentia sunt, speciem perficiens, & existens per semet; à nihilo enim nulla substantia.* Et paucis interjectis: *Et ideo quod est Esse, Pater est. Quod species, Filius. Rursus ipsum quod Esse, præstat speciei ipsum quod est: Esse. Esse autem speciei imago est ejus quod est Esse.*

Et rursus ut Pater potentia, Filius imago & declaratio potentiæ; imago foris, potentia intus; Pater intus, Filius foris; Verbum substantia in actionem festinans, & omnia procreans, non pro sua tota plenitudine, sed pro substantiarum creatarum imbecillitate, sive spiritalium, sive materialium; unde ut iis se accommodet, quasi passibilis evadit, cùm reapse impassibilis prorsus sit. *Et quod imago substantia, à substantia ejus in quo est vel subsistit genita, in declarationem intus potentiæ; hinc Pater, qui intus; hinc Filius, qui foris. Rursus quod Filius, λόγος, est in actionem festinans substantia. Vita enim λόγος, & intelligentia λόγος, processit in substantiam eorum quæ sunt, intellectilium & hylicorum. Et idcirco actio ipsius tou logou, propter imbecillitatem percipientium ipsum, & patitur, & passibilis est, vel potiùs passibilis dicitur.* Pag. 191

Ut actio autem foris prodiens imago est interioris potentiæ; & quidquid ibi potentia est, hic actione est; ideo omnia potentialiter Pater, omnia actuosè Filius; Fons vitæ æternæ Pater, vita æterna Filius; ideo Patri consubstantialis. Ita Filius semen est & elementum omnium; utique fœcundum. *Quod autem Deus potentia est ipsius fontane eterne vite, & propterea Filius est λόγος, fons vite eterne existens potentia patria, primogenitus ex mortuis. Et ideo omnia in ipsum conversa unum sient, hoc est, spiritalia. Ergo homousios Dei Filius, quod eterne vite fons est, sicuti Pater potentia ipsius, &c. Quod Jesus, hoc est, logos, & semen est, & velut elementum omnium quæ sunt.* Pag. 196.

V. Et mox exponens, quomodo omnia ex Paulo crescant per Christum in incrementum Dei, Omnia ait esse hoc universum à Deo conditum, non velut acervum jactu solo granorum in unum congestorum; sed ita ut hæc omnia religata inter se sint divino prorsus vinculo, Patre, Filio, Spiritu, quibus apta & connexa pendent omnia, Angeli, Animæ, corpora. Ut ita unum sint omnes substantiæ, & multò magis unus sit, sibique consubstantialis Deus in tribus personis. *Crescit in incrementum Dei, unum enim omnia, etiamsi differentia sint, quæ sunt. Non enim corpus totius universi velut acervus est; qui acervus jactu inter se solo granorum corpus efficitur; sed maximè quo alternatis in se invicem partibus, ut catena continens, corpus est. Catena enim Deus, Jesus, Spiritus, Nous, Animæ, Angeli, & deinde corporalia omnia subministrata. Igitur plenitudo, quippe producta est. Si igitur omnia unum, quippe in substantia; multò magis Deus & Filius, non solùm unum substantiatum, sed consubstantiatum.* Editionis vulgatissimæ menda pauca emendo è plurimis, utinam plura possem; est enim aurum istud, ut ita dicam, in sterquilinio; usque adeo verba hic aurea sordibus & mendis scatent.

Ea porro universitatis imagine quid usquam excogitari, aut describi potuit venustius, & admirabilius, denique tanti opificis majestate dignius? Inclusit enim se ille quodammodo opificio suo, certè infudit se illi, vel illud sibi circumfudit, ut esset ipse omnium cardo & vinculum, omnium nexus & apex. Ut in eo spectetur primùm ipse, unum omnia, unus in trium hypostaseon simplicitate, sibi naturas omnes intellectuales conglutinans, quæ & ipsæ unum sunt, intellectualia omnia complectens; tum denique etiam corporales, quæ & per infusas sibi animas, & per angelicas naturas sibi insidentes & præsidentes in unum compaginantur, velut primæ & principis omnium unitatis ultimum vestigium. Quàm pulcra & magnifica sunt hic omnia, tam fœda & pudenda omnia in eo, quem sibi Philosophi olim non pauci delineaverant mundo, pro animi sui imbecillitate, velut acervum granorum, aut atomorum, malè cohærentem, ac prorsus despicabilem; certè ab opificis magnitudine alienissimum, qui ut mens, ut vita, ut unitas est, ita & hanc universitatem voluit, non pulveris, non granorum numero, non etiam corporum mole æstimari; sed vitarum, mentium, animarum rationabilium infinita multitudine & unitate, ad principem illam Trinæ Deitatis unitatem revincta.

VI. Per-

VI. Pergit porro luculentissimè Victorinus: *Quod autem logos est, hoc est vitam & Noun esse. Ista enim sunt virtus & sapientia Dei, quod est Salvator Jesus. Progressio est, & generatio, & in substantiam filietas processio, & in actionem effulgentia, & refulgentia. Hoc autem non fuit, quando non fuit; sed semper fuit: semper ergo Pater, semper Filius; & Pater tantùm Pater, & Filius tantùm Filius, ad Patrem autem. Quoniam id quod est esse, quod est Deus & Pater, Causa est to logo, ad id quod est ei esse. Et est proprium ejus, quòd primum est esse, quiescere: tou logon autem proprium movere & agere: & non localiter moveri, neque in locum translatione; sed motione, quæ animæ est, meliore, & diviniore; quæ propria motione & vitam dat, & intelligentias parit, subsistens in seipsa, & non discissa à propria potentia in operationem.* Magis magisque lucescunt hæc omnia, nec necessarius hic jam est Mario Victorino interpres. Unum non tacebo, quod in his extremis verbis in mentem venire non immeritò potest; diviniorem illam motionem, qua Verbum intelligentias omnes, creata omnia ex se effundit, non prohibere, quin ipsa quidem in seipsa subsistat, & à propria potentia, hoc est à Patre, indivulsus sit semper Filius, qui operatione totum illud est, & explicatione sui, quod Pater est potentia, in sese complicata, & per Filium explicanda.

VII. Quod autem infrà habetur de Voluntate sese generante, hoc est de Filio, non video quo exponi possit modo, vel excusari, nisi confiteamur hic nimio plus ad Platonicos accedere Victorinum voluisse. Verbum enim illi censebant, non tam generari à Patre, quàm ipsum ab eo prosilire, ut prosilit lux à Sole, ut vita à vivente prosilit, ut voluntas à volente. Ita enim videtur aptissimè intelligi, quæ sit natura, quæ indoles vitæ, cogitationis, voluntatis, si ipsa à suo fonte quasi sponte sua emicet prosiliatque. Si expectat enim ut effundatur, jam passio forsan magis videbitur, quàm actio; languidior vita, alieni nutus voluntas. Istas amabant Platonici delicias, unde & non semel illi ita sanxere, Verbum à paterna mente ultrò exilire, & hanc esse ejus à Patre nativitatem, quasi prosilientis à fonte aquæ, promicantis à Sole lucis. Nobis non licet esse tam acutis, & tantum indulgere ingenio nostro. Cùm religio sit à Scripturis & Patrum consensione vel transversum quod aiunt unguem deflectere. Accipe jam verba Victorini, Platonicorum more, pulcrum & magnificum quid spirantium, etiam ubi nonnihil extra metas
Pag. 200. excurrunt: *A se movens Pater, à sese generans Filius, sed potentia Patris sese generans Filius: voluntas enim Filius; unde enim si ipsa voluntas non est à sese generans, nec voluntas est; sed quoniam Dei est voluntas, equidem ipsa quæ sit generans generatur in Deo. Et ideo Deus Pater, voluntas Filius; unum utrumque, magis autem & unum; & solum unum, non counitione, sed simplicitate: progressa quidem voluntate in potentiam actuosam, non abscedente tamen à substantia propria & eadem motione: Ista enim tria ibi unum sunt, substantia, motio voluntas. Substantia Pater juxta idipsum motio & voluntas: rursus Filius motio & voluntas, & juxta idipsum & substantia, & hoc est ὁμοούσιον.*

VIII. Paulò explanatiora sunt, quæ infrà dicuntur de Patre, qui dicitur esse prima actio, & prima existentia, & principale esse; hæc enim omnia consentiunt rationi primi Principii & primæ
Pag. 202. radici totius essentiæ: *Pater igitur Deus primâ actio & prima existentia & substantia, & principale, to on; actione à se sua sese qui generet; sine principio, semper existens, à se existens, infinitus, omnimodis perfectus, omnipotens, immutabilis, semper sic, & eodem modo existens, substantialis in semetipso.*

Suprà dictum est à nobis suo loco, quo sensu dictum sit à quibusdam, Patrem sese actione sua generare, idque totum eò redire, ut Pater non sit ab alio, sitque vita sese propagans, & actus purus. Statim ibi de Verbo, quod unum cum Patre esse dicitur, non unitione, sed simplicitate. Cùm sit enim Deus natura simplex & ipsa simplicitas, inde est illa trium Personarum unitas in unum. *Logos existens ad id, ut sint omnia; non ut aliud aliquid, aut ut alterum; sed simul simplicitate coexistens, & unitione unum est: hoc enim quod logos est, idipsum est quod est esse, & ipso quod est esse logos est: ipse enim logos Deus est, unum ergo & omoousion; non enim sine actione Deus, sed intus operatur Deus, sicuti dictum. Substantia autem Dei imago est, actio, Filiusque est, per quam intelligitur, & quod sit declaratur. Qui me vidit, vidit Patrem.*

Quod denique mox ait Verbum esse ipsum *esse universale*, Patrem autem esse *supra esse universale*, hoc unum innuit, priorem origine esse Patrem, immo & sine origine; ut esse ipsum esse universale, id Filius ab ipso habeat, ipse à nullo, ipse à seipso.

Quàm præclarè autem ut vita sit Pater, sed in occulto; vita Filius in manifesto; sic vita à vita, manifesta ab occulta nascens; utraque vita universalis. *Pater ergo & magis principalis vita, motionem requiescentem habens in abscondito, & intus se moventem: Filius autem in manifesto motio, & ideo Filius, quoniam ab eo quod est intus processit. Magis autem motio existens, quod in manifesto. Isto modo & vita Filius à Patre vita, qui sic accipit vitam esse à principali Principio. Natum universale ab universali tota & tota, & idcirco dicit: Vivens Pater misit me, & ego vivo propter ipsum.* Et infrà rursum de Patre: *Prima causa* Pag. 210 *omnium principiorum, principium omnium intelligentiarum, præintelligentia omnium potentiarum, fortitudo ipsa motione celerior, ipso flatu stabilior. Motione enim ineloquibili status est, statu autem ineffabili superlativa motio est.* Et mox: *Hic est Deus, hic Pater, præintelligentiâ præexistens & præexistentiâ, beatitudinem suam & immobili motione semetipsum custodiens, & propter istud non indigens aliorum, perfectus super perfectos, tripotens in unalitate, spiritus perfectus & supra spiritum.* Et paulò antè de Patre, ut primo Uno & Pag. 211 summo: *Ante omnia quæ verè sunt, unum fuit, sive unalitas, sive ipsum unum, antequam sit ei esse unum. Illud enim unum oportet dicere & intelligere, quod unam imaginationem alteritatis habet, unum solum, unum simplex, unum per concessionem, unum ante omnem existentiam, ante omnem existentialitatem, & maximè ante omnia inferiora, ante ipsum, hoc enim unum ante.*

Jam verò pergens ad Filium: *Isto igitur uno exi-* Pag. 212 *stente unum proinde exiliit unum, in substantia unum, in motu unum, & motus enim existentia, quoniam existentia motus. Istud igitur unum, existentialiter unum, sed non ut Pater inexistentialiter unum.*

Jam ne dubitare quidem licet, quin ita senserit Marius Victorinus, cùm actus purus, & vita ac motio & sapientia vivacissima & efficacissima sit Deus; ideo dici posse, quòd Pater seipsum generet, & Filius à Patre prosiliat, lux à luce, vita à vita, sapientia à sapere. Ut enim jam sæpiùs diximus, vivere est vitam vivere, lucere est lucem à se emittere, sapere est sapientiam ex se jugem effundere. Quò spectant & hæc mox ibidem: *Ista* Pag. 212. 213 *motio nunquam requiescit, & à semetipsa exurgens, & in omne genus motus festinans: quippe vita quæ sit infinita, & ipsa in vivificatione veluti foris apparuit. Necessario igitur vita nata est, vita autem Filius, vita motio, à vitali præexistentiâ nata est, vita autem Filius, vita motio, à vitali præexistentia vita.*

Ne

Ne Spiritus sanctus omnino hic sileatur, hæc pauca de eo inter mus: *Sanctus igitur Spiritus si*
Pag. 114. *loquitur, à Filio loquitur, ipse autem à Patre. Vox igitur, & λόγος, & verbum, isti tres, propter quod unum tres: sed Pater quidem in silentio loquitur, Filius in manifesto loquitur, sed quæ loquitur, loquitur spiritualiter. Ita igitur tria vera lumina, magis autem unum lumen.*

IX. In his fateor plus caliginis esse, quàm luminis; & tamen longè tenebricosiora sunt, quæ omisi. Res ipsa impervia est nostris mentibus; plura, ut puto, capiebat Victorinus, quàm exponebat; ut qui teste Hieronymo conati magis posset, quàm loqui. Sed causam potissimam nostræ de divinis his arcanis inscitiæ non dissimulavit Victorinus; Deum nemo vidit, Patrem nemo vidit, quia cessans vita, cessans intelligentia Pater est; Dei enim vita & intelligentia intus est, in silentio, in suo sibi secessu; nostra autem & vita & intelligentia foris est: ab hac ergo exteriori & foris sparsa vita discedendum nobis est, ut Deum videamus & intelligamus. *Et quoniam potentia cessans*
Pag. 116. *vita est & cessans intelligentia, hæc autem vita & intelligentia actio est; si quis Deum viderit, moriatur necesse est, quia Dei vita & intelligentia in semetipsa est in actu: omnis autem actus foris est; hoc verò est nostrum vivere, quod foris est vivere: ergo est mors Deum videre; Nemo, inquit, unquam Deum vidit, & vixit. Simili enim simile videtur. Omittenda igitur vita foris, omittenda intelligentia, si Deum videre volumus, & hoc nobis mors est.*

Et rursum inferiùs, Vita, motio, intelligentia est Pater, sed cessans, quiescens, silens; ubi seipsum intelligit, & sese vult, tunc quasi geminus efficitur & intelligitur; videns & quod videtur; ex se quodammodo egrediens, ut sese intelligat, sese in se retorqueat; hìc jam Pater apparet, & Filius ab eo genitus. Cùmque unum idemque totum illud sit, una utriusque substantia est. *Qui cùm*
Pag. 117. *in cessante motu accipitur, atque intelligitur, hoc est Deus, atque ipse Pater est; semper atque ex æterno Pater: quia semper motus ex substantia, & in substantia, vel potius ipsa substantia: qui cum foras spectat, hoc est autem foras spectare, motum vel motionem esse, quod ipsum hoc illud est se videre, se intelligere ac nosse velle. Cum autem se videt, geminus existit & intelligitur; videns, & quod videtur: ipse qui videt, ipsum quod videtur; quia se videt, hoc est igitur foras spectans, foris genitus vel existens, ut quid sit intelligat. Ergo si foris est: & sic genitus, Filius: & sic Filius, unigenitus, quia solus, qui est omnis actus, atque omnis & universalis, & unus est motus; idem autem motusque substantia, ergo & Pater, Filius una eademque substantia: consubstantiale igitur, id est ὁμοούσιον. Omnia ergo Filius, ut omnia Pater.*

Exculpetur forsan plusculum adhuc lucis ex hoc ejusdem Scriptoris testimonio: *Hic est Deus supra nous, supra veritatem, omnipotens potentia, & idcirco non forma.* Quod hìc *supra* dicitur, non pertinet nisi ad rationem originis & primi Principii; quo sensu assentiebantur Scripturæ & Patres, Patrem majorem esse, & æqualem tamen prorsus illi esse Filium. *Nous autem, & veritas, & forma,*
Pag. 118. *sed non ut inhærens alteri inseparabilis forma; sed ut inseparabiliter adnexa ad declarationem potentiæ Dei Patris; eadem substantia, vel imago, vel forma.* Jam verò ut Pater ad Filii generationem progrediatur, silentium ad vocem, cessatio ad motum; quanquam non vera progressio ea sit, cùm Pater à se non digrediatur, nec aliquò progrediatur, qui ubique est. Adde quòd & in silentio esset cessans Verbum, inquiete motus occultus, in cessatione actio occulta. Ita à cessatione natus est motus, à silentio Verbum. Filio enim maximè competit motus, actio, vita. Vita, inquam, & motus per se vivens, exiliens, se movens. Nec enim motus est, qui ab alio movetur; nec vita, nisi intus sibi suo in gremio fluat. *Illud igitur primum quod esse diximus, quod Deus*
Pag. 119. *est, & silentium dictum, & quies atque cessatio.* 120. *Quod si ita est potentiæ progressio, quæ non quidem progressio, sed apparentia est; & si progressio, non dimittens, unde progreditur; sed cum connexione progressio, magis autem apparentia. Non enim fuit aliquid extra quod progressio fieret: ubique enim Deus, & omnia Deus. Ergo potentiæ progressio actus extitit; is actus, si silentium Deus est, verbum dicitur: si cessatio, motus: si essentia, vita. Quod ut docuimus, in eo quod est esse & vivere, in eo quod est silentium, est tacens verbum, & in eo quod est quies vel cessatio, inest vel occultus motus, vel occulta actio. Necessariò itaque ex hac cessatione natus motus & nata actio est, vel à silentio verbum, vel ab essentia vita. Ergo ista essentia, silentium, cessatio, Pater, hoc est, Deus Pater. At verò vita, verbum, motus, aut actio, Filius, & unicus Filius: quia nihil aliud quàm unum, vel vita, vel verbum, vel motus, aut actio, magisque omnia ista motus, aut actio: etenim omnia illa activa sunt vita & verbum; motu vigent, & motu operantur; universalis autem motus, qui principalis est motus, à se oritur: quid enim est motus, nisi à se sibi motus sit? Nam si ab alio movetur, est quiddam aliud quàm motus, quod ab alio movetur.*

X. Cùm autem Verbum, motus, actioque sit, hinc facilè ait Marius intelligi, ut Pater omnia dat Filio; ita Filium, qui motus est, omnia dare Spiritui sancto; porro motum, vitamque non differre, & hoc esse Verbum; & hinc oriri intelligentiam, seu Spiritum sanctum; atque ita ex Patre qui est Esse, & Filio qui est Vita, & Spiritu sancto qui est Intelligere, exurgere Trinitatem. Intelligentiam hanc equidem auguror hic dici Sapientiam, quæ nomine ipso suo præ se fert non lucem tantùm veritatis, sed & saporem, ac gustum & amorem, seu charitatem. *Et quia quæ habet Pater, Filio dedit omnia. Ideo & Filius, qui motus est, dedit omnia Spiritui sancto. Omnia enim quæ habet, de me habet, inquit. Etenim quia ipse motus est, de motu habet. Non enim Filius illi dedit; sed, Ille, inquit, de meo habet.* Quasi dicat, tam Spiritum sanctum, quàm Filium in motu esse: quia ut hic generatione, ita ille spiratione procedit, cùm Pater in quiete & cessatione sit, ut qui à nullo procedat. Si dicas autem, tam in motu esse qui generat & spirat, quàm qui generatur & spiratur; occurrit Marius Victorinus, & respondet, Spiritum sanctum ultrò prosilire à Filio, ut motum à motu, vitam à vita; & ideo dici ab ipso Christo, non se daturum Spiritui sancto, sed ipsum à se accepturum: *De meo accipiet.* Si urgeas iterum, Christum ipsum profiteri omnia sibi *tradita esse à Patre*, &, *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est*; vereor ut satis possit Victorinus hinc se expedire. Æqui ergo bonique hæc & hujusmodi alia consulenda sunt, nec acriori censuræ hìc locus esse debet. Unum illud voluit Victorinus, unum illud quos ille secutus est Authores, sic Filium à Patre, sic Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, ut vitam à vita, ut sapientiam à sapientia, ut lucem à luce, ut flammam à flamma; ubi non id tantùm à quo quid procedit, sed & quod procedit, vita, motio, actio, sapientia, charitas lucidissima & inflammatissima est, & ultro prosilire magis videtur, quàm emitti. Vulgatissimæ igitur doctrinæ Theologicarum Scholarum consentiunt reapse hæc omnia; verborum magis magnificentia & splendore, quàm re differunt.

Pergit ibidem illico Victorinus in hunc modum: *Principaliter enim motus vita est, & ipsa vita scientia est & cognoscentia; ergo quidquid habet cognoscentia, de vita habet. Hæc summa Tri-*

nitas,

nitas, hæc ſumma Unitas: Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & adnuntiabit vobis. Hoc igitur ſatis clarum facit, Eſſe quod Pater eſt, & Vitam quod eſt Filius, & Cogniſcentiam quod eſt Spiritus ſanctus, unum eſſe, & unam eſſe ſubſtantiam, ſubſiſtentias tres. Ita conſentit Victorinus ſupralaudatis Patribus, Ambroſio, Auguſtino, & ſi qui ſint alii, ita cenſentibus, ita ſe habere tres divinas hypoſtaſes, ut Eſſe, Vivere, & Intelligere: quod ab Eſſe oriatur vita, à vita intelligentia, & hæc tamen tria unum ſint; nec enim illud ſummum Eſſe, vitæ, aut intelligentiæ expers eſt; ſed ut ſummè Ens, ita ſummè vivens, ſummèque intelligens; ſicut & vita non vita tantùm eſt, ſed ut vitæ, ita & eſſentiæ & intelligentiæ pelagus: denique intelligentia, ſeu charitas ſumma, eadem ipſa eſt ſumma vita & ſumma eſſentia. Porro cum omnia ibi vita, intelligentia, charitas, motio ſint, hinc quidquid ibi ab alio procedit, non tam à principio ſuo profundi videtur, quàm verè procedere, exire, proſilire, emicare. Unde & Salomoni oſtenſa Sapientia, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi.*

XI. Vide autem rurſum, ut verba quæ ſingulis ſunt propria, omnibus communicare ſtudeat Vi-
Pag. 231. ctorinus: *Deus, Logos, Logos paracletos unum ſunt, quod ſubſtantialitas, vitalitas, beatitudo.* Ita deſignantur tres perſonæ. Et mox: *Silentium, ſed apud ſe loquens Silentium, Verbum, Verbi Verbum. Quid enim eſt voluntas Patris, niſi ſilens Verbum? Hoc ergo modo cum Verbum Pater ſit; & Filius Verbum, hoc eſt ſonans Verbum, atque operans; ergo inquam ſi & Pater & Filius Verbum eſt, una ſubſtantia eſt.* Cùm autem Eſſe illud quod Patri tribuitur, & motus, & vita & intelligentia ſit; ab eo eſt vita Filius, intelligentia Spiritus ſanctus; ſed priùs eſt Eſſe, quia cauſa & principium; non priùs vel tempore, vel dignitate. Vita autem Patris eſt Filius, quia vivens Pater vitam ex ſe fundit. *Quia verò idem motus eſt,*
Ibidem. *quod eſſe, & quod eſt eſſe, motus eſt; & quia quadam intelligentia priùs eſſe eo quod eſt moveri, ſed priùs κ᾽ τὸ αἴτιον, id eſt, ſecundùm cauſam; ideo dedit Pater Filio motum, qui, quod eſt eſſe, habet.* Unum ergo idemque cum ſint tria hæc ſummè Eſſe, vivere, intelligere, & tamen priùs ſit Eſſe quàm vivere & moveri: priùs inquam *quadam intelligentia*, ſcilicet, cauſalitate; hinc liquet, etſi unum & idem ſint tria hæc, in iis tamen eſſe quendam ordinem originis, quandam cauſalitatem, ut priùs ſit eſſe, quàm vivere; ſicut & priùs eſt vivere, quàm intelligere. Ex ordine autem originis & ex cauſalitate declaratur neceſſaria cum primis perſonarum diſtinctio; nec enim verè ordo originis & cauſalitatis poteſt eſſe, niſi differentes ſint perſonæ. *Ergo dedit Pater Filio motum, qui (Pater) quod eſt Eſſe habet. Ergo Motum eſſe eſt Logos; igitur qui Motus eſt, habet & Eſſe. Eſſe autem vita eſt & ſcientia. Habet igitur omnia, quia Patris habet eſſe. Ergo voluntatem Patris implet Filius. Quæ autem voluntas, niſi quia cum Pater vita ſit, Motus eſt vita ejus: hæc voluntas eſt, vivere facere alia?*

Quantumcumque ergo connitatur hic Scriptor, ut Patri ſilentium, ceſſationem & quietem indicat; non poteſt tamen non illi vitam & motionem concedere; ne ſilentium quidem ejus poteſt niſi loquens agnoſci. Loquitur enim, qui Verbum generat; & cum hoc Verbum alia ſit ab eo perſona, in perſona ergo ipſe ſua Victorino viſus eſt ſilentium, ſed ſilentium loquens. Non valdè diſſimili ſenſu dicitur Spiritus ſanctus, vox vocis, Verbum
Ibid. p. 234. Verbi: *Eſt enim Pater loquens ſilentium, Chriſtus vox, Paracletus vox vocis.* Iſtud verò moveri, vivere eſt, & intelligere, quando hæc eſt operatio ejus, qui eſt ipſum Eſſe; quod & quieſcere intelligitur, cùm motio & operatio à quiete exoriatur. *Verùm cum principale iſtorum ſit illud, quod eſt eſſe, duo autem alia vivere & intelligere motus eſſe intelligantur: cùm omnis motus à quiete naſcatur. Quies autem eſt id quod eſt eſſe; ab eo verò quod eſt eſſe, naſcitur motio, ex in actio: motio autem primi illius quod eſt eſſe, vivere & intelligere. Utrumque enim motus eſt, & unus motus, duas virtutes præſtans, officio gemino, una eademque ſubſtantia. Nam ſubſtantia iis motus eſt, non enim in iis aliud eſt eſſe, aliud moveri. Sic item non aliud eſt vivere, aliud intelligere, quantum ad ſubſtantiam pertinet. Etenim viventis eſt intelligere, & intelligentis vivere; per actus ſe vertente uno motu: ita tamen, ut manente opera actuque vivendi, intelligentiæ actus agitetur.* Ac de eodem rurſum; utque vivere & intelligere ſit vitam & intelligentiam profundere; ut ab ipſo Eſſe ſummo ipſum vivere, & ipſum intelligere profluat; atque ita Pater, qui eſt ipſum Eſſe, vivat & intelligat, Verbum, ſeu vitam, & intelligentiam ex ſe effundendo, hoc eſt ſapientiam; & charitatem, hoc
Pag. 165. eſt, Spiritum ſanctum: *Demus igitur, vel accipiamus Deum id eſſe, quod eſt primum & principale vivere, quod eſt verum & principale eſſe: non enim eſt quod non vivit, hoc ipſum vivere operatione ipſa conficere & generare vitam, apertum fecimus. In eo verò quod vita eſt, ſcientia & intelligentia ineſt. Vivit ergo Deus, & vivendo vita eſt Deus, & cum vita eſt, intelligentia eſt. Sed hæc tria ut unum ac ſimplex, & in eo ut principalis eſt Deus vivens, neceſſariò intelligens, qui ſemetipſum intelligit.*

XII. Jam verò ut Pater unum ſit, & omnia; ac ſupra unum tamen & ſuper omnia, ſed infinitum & incomprehenſibile ipſum; nihil omnium, & omnium Principium; ita ut neceſſariò incomprehenſibile ſit ejus & eſſe, & vivere, & intelligere; nec jam extra fidem ſit, ſi quod unum omnia eſt, & unum ſupra omnia, antiquiſſimis Eccleſiæ, Scripturæ, & avitarum Traditionum decretis unum Tria eſſe prædicetur. Perinde & incomprehenſibilis eſt Dei ſcientia & voluntas; nec nos de ea, aut capere, aut loqui quidquam potuimus, niſi ex effectis. *Sed cùm in uno omnia, vel unum*
Pag. 158. *omnia, aut cum unum omnia, vel nec unum, nec omnia, ſit infinitum, ſit incognitum, indiſcernibile, incognoſcibile. Et quod verè dicitur aoriſtia, id eſt, infinitas, & indeterminatio. Etenim cum omnium eſſe ſit, & omnium vivere, & omnium intelligere, & id unum & ſine phantaſia alterius unum: unde nec unum, quia omnium principium: unde & ipſius unius. Ex hoc cogimur jam neceſſariò & illa de Deo dicere, ut ejus incomprehenſibile ſit & eſſe, & vivere, & intelligere; nec ſolum ut incomprehenſibile ejus ſit eſſe, vivere & intelligere, ut neceſſe quidem iſta videantur, quod ille ſupra omnia ſit, quare & anuparetos, & anouſios, & anous & axon, ſine exiſtentia, ſine ſubſtantia, ſine intelligentia, ſine vita dicitur: non quidem per ſteriſin, id eſt, non per privationem, ſed per ſupralationem: omnia enim quæ voces nominant poſt ipſum ſunt. Unde nec on, ſed magis proon. Eodem modo præexiſtentia, prævidentia, præcognoſcentia horum quæ conficiuntur: ipſe autem præexiſtens, prævivens, præcognoſcens; ſed hæc omnia apparentibus ſecundis & intellecta ſunt, & nominata. Poſtquam enim apparuit cognoſcentia, & intellecta & appellata eſt præcognoſcentia, eodem modo & præexiſtentia, & præviventia. Erant quidem hæc, ſed nondum animadverſa, nondum nominata. Unde & incognoſcibile omne quod Deus eſt.*

Poſtremò denique ut antedictorum caligini lucis aliquid infundatur, hoc promam exemplum jam alibi non ſemel prælibatum, & rurſus hic ex Mario Victorino proferendum, de una & eadem aquâ in fonte, in flumine, in irrigatione. Quàm ſalebroſa erant Marii dicta ſuperiora, tam plana &

expe-

expedita sunt hic omnia; quocirca nec opus erit, ut pro more nostro facem præferamus. Porro fruetur quisque suo judicio in his conatibus Marii Victorini probandis, vel improbandis. Etsi enim Catholicus sit Scriptor, Catholica forsan & tota scriptio, non tamen omnia semper omnibus probantur. Mihi quidem videtur non mediocri laude ornandus, qui rem tam præclaram conatus est, etsi forsan non totum id quod meditabatur consecutus sit. En igitur extremo hic loco, quæ ejus
Pag. 312. verba à nobis adscribenda visa sunt: *Quippe cum Pater Filii fons, Filius ut flumen, quod excurrit ex fonte: in fonte autem ut manens aqua, & quieta est, pura, immaculata, sine scatendi specie, sibi occulto motu plenitudinem suam suggerens: item ut flumen motu apertiore per diversa discurrens, terrarum quas suleat qualitatibus & adscitur & quodam modo patitur, sic & aqua sua suæque substantiæ; qua Patris est, semper purus, immaculatus, impassibilis, regionibus per quas discurrit, locisque vel supra cœlestibus, vel cœlestibus, vel intra cœlestibus, nunc spumat, ut occurrentibus saxis, qua sunt ex generibus animarum, campus quietus excurrit. Recipit igitur passiones, non in eo quod substantia est; sed in actu atque operatione: Nam cum mysterium adventus sui compleret, tum jam passionem sustinuit, ut se exinaniret, ut personam servi susciperet. Sic & reliqua in quibus omnibus actus est & operatio.*

CAPUT XXXIII.

Ecquid de Trinitate sub veteri Testamento vel ante exploratum fuerit, post & ante Moysen.

I. Antiquissimum expressissimumque Moysis testimonium de æterna Dei sapientia, Verbo & Filio Patris, in libro Job.

II. Ejusdem Moysis alterum expressissimum de eadem Dei hypostatica sapientia, in Deuteronomio.

III. Quæ de sapientia elucescente in Lege veteri dixerat Moyses, ea Paulus traducit ad sapientiam in Evangelica lege, in Christo radiantem. Christus eandem Abrahamo perdiu ante communicatam fuisse docuit.

IV. Duæ ab Abrahamo ortæ Sapientum Scholæ, æternæ sapientiæ amatorum. Qui essent illi sapientes, quibus opponitur & præponitur Salomon in libris Regum.

V. Cum Salomon facta sibi divinitus optione sapientiam elegerit, non temerè conjicimus jam ante sub Davidis magisterio illum sapientiæ tyrocinia posuisse. Quàm crebra mentio sapientiæ & Spiritus sancti in Psalterio Davidis.

VI. Quæ & qualis esset illa sapientia, quam Reges terræ & populi à Salomone ediscebant: illa ipsa, quæ in libris ejus radiat, divina, nec Patri Deo impar Verbi Filiique persona.

VII. Quid Basilius & Nazianzenus senserint de hac Theologia Verbi per Salomonem orbi universo communicata, maximè Hebræis, quanquam gradatim id fieri necesse fuerit.

VIII. Eadem prolixius ex Cyrillo Alexandrino.

IX. Prolixè hæc eadem ipsa ex Theodoreto.

X. Quid de Theologia Hebræorum circa Trinitatem senserint Latini Patres, Augustinus, Gregorius Magnus.

I. QUando cœperit mortalibus divina personarum Trinitas sese primùm revelare, non omnibus convenit. Mihi non aliud antiquiùs occurrit ejus doctrinæ monumentum apertissimum & expressissimum, quam illud semel iterumque à Moyse in libro Job & in Deuteronomio consignatum. Primùm ergo in libro Job ita videtur Moyses ipse argumentari: Si auro, argentoque, si gemmis & pretiosis quibusque lapillis sint arcana terræ penetralia, ubi delitescant, unde & ab hominibus effodiuntur, ut humanæ pompæ & utilitati atque voluptati famulentur: quantò æquius est opinari, esse in rerum natura abditos recessus, & veluti promptuaria sapientiæ, unde illa in omnes ejus bibulos & amatores dispensetur? Ubinam ergo sunt illi sapientiæ thesauri, quibus illi in fodinis latent? Aurum enim & argentum, gemmas & lapillos potuere homines illi quidem in suis latibulis vestigare, eruere & in lucem producere: horum autem creare vel pulviseulum & quantulumcumque strigmentum, quod nondum fuisset, id verò in confesso est, in eorum potestate nec fuisse unquam, nec fore. Quantò ergo constantius & evidentius est non fuisse in eorum potestate, nec verò esse posse, quantulumcunque radium veritatis & sapientiæ, qui nondum fuisset, procreare? Id quippe tantò manifestius & indubitatius est, quantum sapientiæ & veritatis natura, auro & argento præstat. Denique ne in cogitationem quidem cadere potest, lumen aliquod & dogma sapientiæ & veritatis, non antè fuisse, sed tum demum cœpisse, cùm ab hominibus excogitatum fuit. Hinc nimirum Jobi nomine id Moyses concludit, non homines utique aut Angelos sapientiæ esse opifices, aut dispensatores; ab uno summo Deo illam esse, qui ea administra Orbem & olim creavit, & etiam-nunc moderatur. Hominis autem sapientiam addit Moyses in summæ illius sapientiæ Deique ejus parentis & distributoris cultu ac religione maximè collocatam esse. Audiendus nunc ipse Job: *Habet argentum venarum suarum principia: & auro locus est, in quo conflatur: ferrum de terra tollitur: & lapis solutus calore, in æs vertitur.* Et mox: *Sapientia vero ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.* Et rursus: *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia, nec tinctura mundissimæ componetur. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium: volucres quoque cœli latet. Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus; Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit; qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus. Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit. Et dixit homini: Timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.*

Job. c. 28.

Bibl. pag. 167. 168.

Ubi perspicis non in corporeæ naturæ terræque visceribus venas sapientiæ scrutandas prædicari, sed in ipso Deo, naturarum omnium authore, *qui vidit illam, & præparavit, & investigavit, & dixit homini, &c.* In rerum enim materialium natura thesauri sunt & penuaria rerum omnium & opum ejus generis; inde eruuntur. An in natura angelica vel humana sunt thesauri sapientiæ & veritatis? Non sunt utique, cùm Angelorum complurimi in veritate non steterint: hominum verò longè plures ab ea aberraverint, & aberrent in dies. Sunt ergo illi sapientiæ & veritatis participes, non ipsa natura sapientiæ & veritatis. Si ea enim esset eorum natura, tam ab ea non discederent, quàm nec à propria natura sua. Denique si sapientiæ & veritatis opifices & architecti essent homines Angelive, cùm versatilis illi naturæ sint, & ex alio in aliud subinde flexibilis, & alii aliorum dissimiles, ne ipsi quidem privatim sui sem-

per

per similes: tam multa & tam varia essent sapientiæ & veritatis lumina & effata, quàm ipsi inter sese varii & versatiles sunt. Contrà ut aurum idem ubique est aurum, quia naturæ & Dei, non hominis & Angeli opificium est; ita & lux sapientiæ & veritatis eadem & una semper & ubique simillima est; quia summi Dei proles est, & ab æterno & incommutabili Parente æterna & incommutabilis prodit; ut ad eam naturæ creatæ convertantur, ut sapiant; aut revertantur, si quando desipuerint.

II. Aures nunc animosque ad Moysen advertamus, sic enim ille in Deuteronomio: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum. Nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire & facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum.* Deuteron. c. 30. De Lege divina verba faciebat hic Moyses, ea quippe erat delibatio ac veluti portio sempiternæ Dei sapientiæ, hominibus se accommodantis, & per Moysen Israelitas primùm, tum deinde mortale genus omne & postera sæcula edocentis per hanc ipsam Legem, aliquantò efficaciùs, quàm hactenus homines edocuerat per mira visibilis totius creaturæ spectacula. Sapientiam & legem divinam cœlis sideribusque & naturis omnibus sensibilibus infusam inscriptamque antea venabantur homines, & eorum jam plerique in visibili hac pulcritudine hæserant, cùm per eam ad invisibilia Dei longè pulciora consurgere debuissent. Hic ergo jubentur à Moyse Israelitæ, ut ne se se spargant & fatigent longa per naturas corporeas discursatione, sed Legem contemplentur ut multò luculentiorem, propiorem tutioremque divinæ Sapientiæ imaginem & doctrinam.

III. Istud documentum Moysis traduxit Paulus ad Evangelicam legem, & ad Christum, ut qui multò verius præstantiùsque Dei sit Lex, Verbum, Sapientia. Nec verò dubium cuiquam esse potest, quin una eademque fuerit Moysis & Pauli mens atque sententia in his verbis utriusque, sed & hunc & illum ita verba sua temperasse, ut congruum & opportunum erat sæculo quod illustrabat, & tantùm illustrabat, quantùm Dei providentia jubebat, & sinebat sæculi ipsius & humani generis patientia. Verba porro Apostoli sic habent: *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Ad Rom. c. 10.

Ita Paulus Moysen interpretabatur, non invitum, non reluctantem, quod vel hinc colligere licet. De Abrahamo enim ipso pluribus ante Moysen sæculis terras illuminante dixit Christus, gestiisse ipsum & vehementissimè percupisse, ut diem videret increatæ & incarnatæ Sapientiæ inter homines versantis; voti compotem factum, ineffabili quodam gaudio perfusum fuisse. *Antequam Abraham fieret, ego sum*; en increata & æterna Sapientia. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus est*; en dies incarnatæ & cum hominibus hospitantis summæ Sapientiæ, Abrahamo demonstratos, & per ipsum propagandæ ab ipso soboli. Hinc etiam non temerè affirmabimus Moysen ipsum multa hausisse, & illa scripsisse, quæ de Sapientia hic ex eo adscripsimus. Potuissemus & illuc retorquere, quæ de Sapientia Job ipse suprà disputabat, ubi & gustum aliquem nobis initiabat ejus sapientiæ, quæ eo ævo & jamdiu antè in Theman, in Arabia efloruerat. Job ipse, sive Moyses ita testatur, vel certè Hieremias, cujus hæc sunt verba: *Nonne ultra est sapientia in Theman? Periit consilium à filiis, inutilis facta est sapientia eorum.* Hieren. c. 49. Quibus gemina sunt hæc ex libro Baruch: *Audi Israel, &c. Dereliquisti fontem sapientiæ, &c. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman.* Baruc. c. 3.

IV. Hinc insinuantur ab Abrahamo fluxisse duæ sapientiæ & sapientum Scholæ, sicut & natorum & nepotum ejus duæ fuerunt propagines; altera ad Moysen & ad Israelitas spectavit; altera ad Idumæos Arabesque, quibus accensetur Jobi familia. Sed illud præ cæteris hic observandum, has sapientiæ Scholas ad id primùm jam inde ab incunabulis suis exarsisse, ut fontem ipsum sapientiæ pervestigarent, ut à Deo scaturire, ut prolem Dei ipsius esse intelligerent. Et hæc quidem perdiu ante Salomonem, qui jam manifestiùs, quàm vel Job, vel Moyses ipse scribere cœpit. Id primum hic monebo, qui fuerint illi Sapientes, quibus componitur & præponitur sapientia Salomonis in libris Regum. Sic enim ibi legitur: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum. Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et disputavit super lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete; & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.* Lib. 1. Reg. c. 4. par. 29.

Hic vides sapientes tunc fuisse toto orbe sparsos, primùm quidem Orientales, tum postea Ægyptios. Orientales suspicor equidem vel Arabes dici, vel Babylonios & Assyrios, quando & Babylonem nonnulli Arabiæ adjiciunt, vel eò usque Arabiam ipsam extendunt. Posset & aliquis conjicere illos dici Orientales, qui ab exscensu Arcæ & ab ipsis Noemi temporibus ultra Babylonem versùs Orientales plagas sedes elegerant. Simillimum enim veri est terram illam Ophir, ex qua auri tam ingens copia Salomoni advehebatur, illam ipsam esse Chrysen & Argyren, seu Chersonesum auream & Tapobranem, Historicis Geographisque antiquissimis celebratam. Ut ab arca enim Noe versùs Occidentem Coloniæ plurimæ, ita & ad Orientem incolendum excolendumque plurimæ missæ sunt, non solis auri argentique, sed & sapientiæ & doctrinæ mercibus comparandis exportandisque addictæ. Adde quòd Phœnices ipsi, qui ex Palæstina ad mare rubrum migrarant, & ibi Tyrum quoque extruxerant alteram, non paciores inde Colonias versùs Orientem, quàm ex Palestina versùs Occidentem emisisse videantur. At nemini jam compertum non est, quidquid sapientiæ, scientiarum & artium per Provincias omnes mari Mediterraneo objacentes sparsum fuit, id à Phœnicibus potissimùm disseminatum fuisse; quod à nobis prolixiùs alibi pertractatum est, ubi de Poetis, de Philosophis, de Grammaticis lectitandis dissereremus. Denique quæ in Scripturis dicitur Idumæa, Sapientibus suis famosa, perinde ut Ægyptus, ea illa ipsa est mari Persico circumfusa Phœnice. Quod enim Græcis Phœnicia, id Hebræis sonat Idumæa; nec mare Rubrum aliud est nobis, quàm quod Græcis Erythræum, Israelitis Idumæum, vocibus his omnibus idem sonantibus.

V. Quando autem ibi subditur, *de cunctis populis & de universis Regibus terræ* affluxisse homines ad au-

ad audiendam sapientiam Salomonis, non aliam existimo magis Sapientiam promulgatam & cum universo hominum genere communicatam fuisse, quàm illam ipsam de qua ipse disertissimè & luculèntissimè differit in Proverbiis, in Ecclesiaste, in Ecclesiastico. Cùm autem Salomon in ipso incuntis regni sui exordio, facta sibi cœlitus optione, ut eligeret quod mallet, id incunctanter à Deo consecuturus, jam vehementer sapientem se esse declararit, facta optione non alterius cujusquam boni, quàm sapientiæ, cui cætera bona omnia cohæresçunt; hinc facilè auguramur, præclarissima jam illum tyrocinia sapientiæ posuisse sub parentis sui Davidis magisterio. Quanta porro sapientia abundaret David, vel ex uno ejus Psalterio colligere est. Quid enim usquam reconditissimæ altissimæque sapientiæ est, quod non ille Psalmis suis aspersérit? Quam frequens ibi commemoratio Spiritus sancti, quod ab ore Dei profiatur, quàm frequens Verbi & Sapientiæ Dei? *Omnia in sapientia fecisti. Lex Domini sapientiam præstans parvulis. Os justi meditabitur sapientiam. Incerta & occulta sapientiæ manifestasti mihi. Sapientia ejus non est numerus. Sapientiæ ejus non est finis.* Minùs mirum ergo est, si sapientiam incunctanter postulaverit à Deo in tenera adhuc ætate Salomon, cui tantus parens & magister ejus amorem instillaverat. Et rursum quàm crebra Verbi mentio in Psalmis. *Dies diei eructat verbum. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Eructavit cor meum verbum bonum. Misit verbum suum, & sanavit eos. Ne auferas de ore meo verbum veritatis. Memor esto verbi tui servo tuo. Secundùm verbum tuum. In æternum Domine permanet verbum tuum. Emittet verbum suum.* His aliisque hujusmodi documentis innumeris insuefiebant Israelitæ, insuescebat & genus humanum omne, ut minùs abhorresceret, si quando manifestiùs hæc eadem doctrina de Deo Patre Verbi, de Verbo & Sapientia ab eo manante, denique de Spiritu sancto annuntiaretur universo orbi.

VI. Accuratiùs jam nobis aperienda est illa sapientia, quam gentibus omnibus & Regum Oratoribus ad se convolantibus Salomon impertiebat: illam ipsam haud dubio quam & libris à se editis & publicatis consignavit. Audi ergo ut in Proverbiis sapientiam ipsam inducat loquentem, non Angeli, non hominis sanè cujusquam, non suam ipsius sapientiam: sed ipsam per se se sempiternam & incommutabilem Dei Sapientiam, hypostasin à Patre distinctam, à Patre emanantem, & ab eo indivulsam, mundi totius architectam. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Et paulò antè: *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam pravam, & os bilingue detestor. Meum est consilium, & equitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me.*

Prover. c. 8. pag. 424.

Apertissimè hic est Sapientia & persona à Deo Patre distincta, & æternitas, & immensitas, & omnipotentia mundi creatrix & administratrix, indulgentia denique & humanitas ad se creaturis intellectualibus & hominibus potissimùm adglutinandam, veluti conciliatriculam eorum cum Patre summo, & per Verbum tantummodo suum intelligibili. Cùm autem loco supralaudato libri tertii Regum locutus dicatur Salomon *tria millia parabolas, & fuisse ejus carmina quinque & mille;* simillimum veri est ex his ejus dictis scriptisque contextum postea fuisse librum Sapientiæ, itemque Ecclesiasticum, qui & ipse passim Sapientiæ Salomonis liber dicitur. Juvabit ergo ex libro primùm Sapientiæ aliqua hìc intexuisse, ut hinc colligas, quæ fuerit illa Salomonis sapientia, quæ Theologia, ab illo omnibus communicata populis, doctis indoctisque, & Regum ministris ad se confluentibus, tanquam ad publicum quendam sapientiæ cœlestis fontem. Ubique certissimè hæc Sapientia occurrit ut divina quædam Persona, omnium magistra, omnium creatrix & moderatrix, dominatrix Regum, imago Dei sincera, & lucis ejus æternæ candor, & talis demum qualem nobis exhibent Novi Testamenti paginæ Sapientiam & Virtutem Dei Christum & Spiritum ejus sanctum. *Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit referam: & non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & non præteribo veritatem.* Et mox: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ. Et præposui illam regnis & sedibus; & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Et rursus: *Et lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia; & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Et aliquantò pòst: *Et quæcumque sunt abscondita & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest.* Et inferiùs Deum humili prece compellans: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.* Et paulò inferiùs: *Et tecum sapientia tua: quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ; ut mecum sit, & mecum laboret; ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.*

Sap. c. 6. 7.

Cap. 9. pag. 450.

Quàm præclara sunt autem hæc Ecclesiastici exordia, ex iisdem Salomonis fontibus hausta, etsi multò pòst evulgata, temporibus scilicet Ptolemæi Evergetis: *Omnis sapientia à Domino Deo est & cum illo fuit semper: & est ante ævum. Arenam maris, & pluvia guttas, & dies sæculi quis dinu-*

Ecclesiastici. c. 1. p. 417.

dinumeravit ? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est ? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit ? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Radix sapientiæ cui revelata est, & astutias illius quis agnovit ? Disciplina sapientiæ cui revelata est, & manifestata ? Et multiplicationem ingressus illius quis intellexit ? Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis sedens super thronum illius, & dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum. Et infrà, Sapientia ipsa ita loquens inducitur : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam : Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram : Ego in Altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi : in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti : & in omni populo, & in omni gente primatum habui : & omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi ; & in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.*

Ibid. c. 24. pag. 471.

Alludere videtur ad hæc omnia Prophetia Baruch, ex his primùm adversùs Israelem querelis: *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax. Quis invenit locum ejus ? & quis intravit in thesauros ejus ?* Et aliquantis interjectis: *Quis ascendit in cœlum, & accepit eam : & eduxit eam de nubibus ? Quis transfretavit mare, & invenit illam : & attulit illam super aurum electum ? Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus : sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua : qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus, & quadrupedibus : Qui emittit lumen, & vadit : & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt : Vocatæ sunt, & dixerunt : Adsumus ; & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster ; & non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Baruch c. 3. Pag. 474.

VII. Tam copiosa, & tam dilucida Salomonis de sempiterno Dei Verbo & de increata ac creatrice sapientia Dei cùm per orbem manarit Theologia, jam nemini mirum accider, si ex his publicis veluti fontibus hortos suos rigaverint Poetæ primùm, post & Philosophi Gentiles, & tam multa libris suis asperserint, quæ nostris ex Scripturis mendicata fuisse sancti Patres demonstrarunt. De Gentilibus infrà dicemus, hìc ab Hebræis non recedam, quos perspicuum est uberiùs multò hac eadem doctrina irrigatos fuisse, nempe sibi penè domestica & familiari. Constanter pronunciat Basilius Verbum fuisse, antequam etiam à Moyse ostenderetur, humano more loquens ; fuisse Spiritum sanctum ante etiam, quàm Dei flatus & afflatus à Moyse commemoraretur. Quo illud videtur innui, & Moysen & alios postea complures largiùs donatos spiritali intelligentia, quæ in Scripturis leguntur de Dei Verbo & Spiritu, de Filio Patris & de Spiritu ejus sancto intellexisse, etsi non ita passim eam doctrinam evulgarent, ne offendiculo essent plebi, ad plurium deorum cultum propensissimæ. Sic Basilius contra Eunomium: *Verbum semper est, etiam antea quàm à Moyse ostenderetur, quasi humano more loquens, ut facta per ipsum creatura, juxta humanam formam explicaretur. Spiritus semper est, etiam antequam sufflatum ipsum & datum describeret Moyses corporali figura, per ipsum esse vivificationem describens.*

Basilius L. 5. Tom. 1. pag. 81.

Nazianzenus ita statuit, sub veteri Testamento degentibus apertam & familiarem fuisse de Deo Patre doctrinam ; obscuriorem de Filio, multò etiam parciorem & obscuriorem de Spiritu sancto ; de quo his ipsis novi Testamenti temporibus non æquè larga semper fuit, aut evidens prædicatio, sed in dies uberior & explicatior. Plena enim periculi res fuisset, si antè plena de Filio institutio præberetur, quàm antiqua de Patre fides convaluisset : fuisset & intutum, si necdum satis confirmata de Filio consubstantiali doctrina, Spiritus sancti divinitas & consubstantialitas incautiùs publicaretur. *Sic enim se res habet : Vetus Testamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obscuriùs : Novum autem nobis Filium perspicuè ostendit, & Spiritus divinitatem subobscurè quodammodo indicavit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium apertè prædicari : nec, Filii divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quandam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri : ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque, quibus præditi eramus, viribus periclitaremur : quin tacitis potiùs accessionibus, &, ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus & incrementis, Trinitatis lumen splendidioribus illuceret.*

Naz. Or. 5. pag. 161.

VIII. Multò disertiùs prolixiùsque Cyrillus Alexandrinus demonstrat Abrahamum unius & trinæ Deitatis fide & religione imbutum fuisse, eaque posteros suos imbuisse, etsi hæc non ita palam traderentur, ut daretur aliquid importunitati temporum, hebetudini tum humani generis, & grassanti idololatriæ. Eo id probat Cyrillus documento, ubi Abraham tres vidit, & unum adoravit. Erant enim verè tres, unus tamen & erat, & dicebatur, & adorabatur ; ut de trium æqualitate & consubstantialitate ne ambigi quidem posset. Sic igitur Cyrillus contra Julianum : *Deum igitur unum uti modò dicebam, certò sciebat existentem divinus Abraham, eique soli purum ac sincerum cultum exhibebat. Ubi vero progressu temporis exeruit sese animus ad profectum eorum, quæ rectè jam apud se conceperat, tunc certè multo efficaciùs de divinitate loqui adortus est : nec enim duntaxat quod unus Deus & præter ipsum nullus alius sit ; sed quod & in sancta atque consubstantiali Trinitate concipiatur, unius incorruptæ naturæ perfectio ac complexentum, edidicit. Solùm verò ut in figuris & accommodatè ad sensum edocebatur. Cur ita ? quia iis qui recens ad veritatis cognitionem vocati sunt, nec mentem ejus speculationi assuefactam habent, inaccessum quodammodo videtur & reapse est divinæ visionis lumen. Indiget enim ejusmodi cognitio, erecta, exercitata, perspicacique mente, atque insuper antegressa fide confirmata, quæ quidem est stabile fundamentum & basis omnium de divinitate sermonum.*

Cyrillus Alexandr. L. 1. p. 18 Tom. 6.

Ita decebat per typos & figuras primùm hæc tradi, ut & à piis faciliùs caperentur, & ne tam facilè profanarentur ab impiis. Paulò inferiùs narrat Cyrillus ut Abrahamo sese ostenderit beatissima Trinitas, utque ipse in ea compellanda & veneranda intelligi à se testificatus sit unitatis in Trinitate ineffabile arcanum ; ut filios & nepotes Isaacum & Jacobum eadem fide & doctrina imbuerit ; ut de consubstantialitate & æqualitate trium hypostaseon divinarum certissimus fuerit ; quippe cùm una sit quidem divinitatis natura, sed in Trinitatem intelligibiliter extendatur, in Patrem & Filium & Spiritum sanctum : *κατὰ μίσεται τοιῶν*

εἰς

εἰς ἁγίαν τριάδα. Sic ergo ille postquam retulisset verba Geneseos: *Ecce apertissimè sibi visum esse Deum ait, fuisse verò tres homines conspectos, accurrentem porro divinum Abrahamum non tanquam tribus dixisse: Domini, si inveni gratiam coram vobis, ne pretereritis Filium vestrum; sed Dominus unicè vocantem tres, tanquam unum, uti ad se diverterent, rogasse: quando & tanquam unus existentes tres, velut ex una persona dixerunt, Ubi est Sarra uxor tua; & illud: Rediens veniam circa hoc tempus maturè. Cerne igitur visos tres quidem existentes, & propria unumquemque subsistentia, verbo consubstantialitatis subjacentes, in unum comprehensos, ac ita colloquia inter se data opera miscentes; sed hujusmodi imagines obscurè quodammodo & multùm infra veritatem sunt, nisi quod alicui usui sunt ad nos quasi manu ducendos in earum rerum cognitionem, quæ mentem & orationem exuperant: quippe purissimis duntaxat mentibus divinæ visionis lumen illabitur; ac tanquam ab his quæ in sensum cadunt, ad ea quæ sunt sensu nostro, & virationis longè majora sunt, evolamus. Una est enim consensu omnium divinitatis natura, quæ super omnes, per omnia & in omnibus est: per intellectum verò extenditur in sanctam venerabilem & consubstantialem Trinitatem; in Patrem inquam & Filium & Spiritum sanctum: nisi quod etsi subsistunt per se, existentes reapse & verè id quod esse dicuntur, tamen consubstantialitatis ratio in indifferentem eas naturam colligit: genitus est enim Filius ex Patre, estque in ipso & ex ipso naturaliter; procedit etiam Spiritus proprius existens Dei & Patris & similiter Filii: sanctificat enim Deus Pater per ipsum id quod sanctificari aptum est. Non igitur ignoravit progenitor noster Abraham adoratum in sancta Trinitate, terræ & cœli omniumque rerum architectum, penes quem universa est potestas: nec ab eo deducti Isaac & Jacob aliter senserunt, sed Paternæ virtutis vestigia insistentes, ejus quoque fidem ardenter secuti sunt.* Pag. 319. 320.

IX. Prolixiùs hæc omnia exequutus est Theodoretus, ubi in Curatione Græcarum affectionum Ethnicos alloquens, illos utcunque ait venia haud indignos dici posse, si divinæ Trinitatis mysterium non amplectantur: sed Judæorum inscitiam & pertinaciam omnino detestandam esse, qui etsi non manifestè doctrinam Trinitatis acceperint à Deo, ne ad plurium Deorum Ægyptiacas superstitiones delaberentur; acceperunt tamen jam inde ab exordio legis sibi per Moysen consignatæ bene multa symbola & adumbrata ejus documenta, quibus admonerentur & excitarentur ad ejus fidei & doctrinæ præstantissimam formam. Ubi Moyses enim ajebat ex Dei nomine, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*, semel Dominum bis Deum nominabat, ut tres unius Dei personas insinuaret. Ubi Seraphim ter Sanctus laudasse describuntur, non tres Sanctos, sed ter unum Sanctum, unitas innuitur naturæ, hypostaseon Trinitas. Ubi in creando homine in Genesi dicitur primùm, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; & ibidem statim: *Secundùm imaginem Dei fecit ipsum*, & unus Deus & plures in uno Deo personæ declarantur. Ejusmodi Testimoniis passim scatere Scripturas sacras demonstrat Theodoretus, & res in comperto est. Sentio, quid à quovis excipi possit, aliter posse hæc verba exponi, aliò posse torqueri: sed illud ipsum est quod Cyrillus, quod Theodoretus, quod alii Patres præ se ferebant, obscurè tantùm & symbolicè tradi tunc debuisse trinæ & unius Deitatis fidem, quòd præseminari eam ante necesse esset, quàm palam & apertè prædicari; quia infantia illa erat humani generis, nondum adulta ætas; quia sapientiæ ea erant rudimenta, ut ad eam plenius bibendam paulatim convalescerent homines; quia ita præparandi eramus, ut per quoidam veluti gradus ad sublimiorem præpararemur Theologiam, à qua resiliissemus, si immaturis & rudibus ea ingesta statim tota fuisset. Ejusmodi dispensatione adhuc nonnulla videri potest & Christus ipse & Ecclesia ipsa uti voluisse, ut suprà nos monebat Nazianzenus.

Audiendus jam nobis est Theodoretus, qui hæc omnia affirmet confirmetque: *Ego verò, ò viri amici, venia vos quidem haud indignos censeo: qui sacrarum litterarum ignari sitis. Judæorum verò extremam inscitiam deploro, qui ab utero juxta Prophetam gestati, divinisque in mysteriis à pueritia usque ad senectutem eruditi, Theologiæ veritatem ignorent. Etenim cum in Ægypto diutissimè versati essent, multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifestè omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne ex ea multitudinis Deorum occasionem sumerent, ad impietatem Ægyptiorum propendentes: Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quasi semina quædam dispergens. Ideo singulariter quidem sub unius nomine legem sancit, obscurè tamen Trinitatem indicat. Qui enim dicit, Audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est, & unitatem docet, & Trinitatem significat. Semel enim Deum enuntians, bisque Dominum repetens, Trinitatis numerum ostendit. Addens verò, Unus est, & congruentem Judæis doctrinam attulit, & unam eandemque divinam substantiam esse docuit. Una siquidem sancta Trinitatis & substantia & potestas est & voluntas. Eamque ob rem invisibilium potestatum chori hymnum Deo concinentes, ter quidem Sanctus, semel autem Deus proferunt: ibi quidem numerum proprietatum declarantes, hìc autem communem dominatum significantes.* Et statim ibidem: *Atque hìc quidem per enigmata quæ Trinitatis erant ostensa sunt: aliis autem locis manifestiùs eadem sancti Patres docuerunt. Moyses enim vir divinus, mundi genituram conscribens, narransque hominis plasmationem, Deum omnium opificem sic loquutum ait: Faciamus hominem secundùm imaginem nostram, & secundùm similitudinem. Mox subjunxit: Fecit Deus hominem, secundùm imaginem Dei fecit ipsum; & Deum appellavit tum opificem, tum eum cujus ad imaginem formavit, quem effinxit: non quòd alia hujus, alia illius sit species: una siquidem natura est Trinitatis. Ideoque ait Deum dixisse, Faciamus hominem secundùm imaginem nostram & secundùm similitudinem; addiditque, Secundùm imaginem fecit ipsum, ut ostenderet differentiam Personarum.* Theodoret. Serm. 2. Tom. 4. pag. 476.

X. Ex Latinis unus aut alter proferetur, sed qui omnium instar sit. Presbytero Deogratias Paganus quidam multas proposuerat quæstiones, quæ ab eo ad Augustinum elucidandæ missæ sunt. Inter eas illa est, An dixerit Salomon Filium Deo non esse. Rescripsit Augustinus, Adeo non negasse Salomonem, quin Filius Deo sit, ut & vehementer id affirmarit; idque liquere ex libro ejus Proverbiorum, ubi Sapientia ipsa apertè profitetur, Ante omnes colles à Deo se genitam esse. Quid enim Christus, nisi Dei Sapientia? En ipsa Augustini verba, prolixiorem etiam alium Proverbiorum locum depromentis: ubi alludi videtur ad Moysis & Jobi verba superiùs relata in hanc ipsam rem: *Sanè etiam de illo, inquit, me dignaberis instruere, si verè dixit Salomon: Filium Deus non habet. Cito respondetur: Non solùm hoc non dixit, verumetiam dixit, quod Deus habeat Filium. Apud eum enim Sapientia loquens, ait: Ante omnes colles genuit me. Et quid est Christus, nisi Dei Sapientia? Item quodam loco Proverbiorum, Deus, inquit, docuit me sapientiam, & scientiam Sanctorum cognovi. Quis ascendit in cœlum,* Epist. 49. Tom. 2. pag. 79.

& descendit? Quis collegit ventos in sinum? Quis continuit aquam in vestimento? Quis tenuit fines terræ? Quod nomen est ei, aut quod nomen est Filii ejus? Horum duorum, quæ in extremo commemoravi, unum retulit ad Patrem, id est, Quod nomen est ei? propter quod dixerat, Deus docuit me sapientiam. Et alterum evidenter ad Filium, cum ait, Aut quod nomen est Filii ejus? propter cætera, quæ de Filio magis intelliguntur, hoc est, Quis ascendit in cœlum, & descendit?

Assentitur Augustino Gregorius, & non Salomoni tantùm, aut Davidi, sed omnibus prorsus antiquissimis Veteris Testamenti Patribus Trinitatis fidem communem fuisse docet, sive ante Legem datam, sive post. Non aliam enim salutis januam vel tum patuisse; quòd ne alia quidem sit Deitas, quàm incomprehensibilis illa Unitas tres hypostases complexa, vel Trinitas Personarum in summum unitatis & simplicitatis fastigium collecta. Sic Gregorius in Ezechielem: *Et sive hi qui electi in Testamento Veteri fuerunt, sive hi qui in Testamento Novo secuti sunt, nimirum constat, quia omnes ex amore Trinitatis accensi sunt. Neque enim verè Deum diligerent, si ejusdem Trinitatis, quæ Deus est, gratiam non accepissent.* Et aliquantis interjectis idipsum probans ex variis utriusque Testamenti libris: *Ipsa fides, atque ipsum meritum tenuit corda præcedentium, quæ replevit corda sequentium sub Testamento novo positorum, sicut & per Paulum dicitur: Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Spirituales quippe illi Patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eandem Trinitatem novi Patres apertè locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in cœlo clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Ut enim Personarum Trinitas monstraretur, tertiò Sanctus dicitur; sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Domini Sabaoth, sed Dominus Sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque sentiens ait: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Qui cùm tertio dixisset Deus, ut unum esse hunc ostenderet, subdidit: Et metuant eum omnes fines terræ. Paulus quoque loquitur dicens: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso, videlicet, ex Patre: per ipsum, per Filium: in ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum cùm tertiò dixisset, adjunxit: Ipsi gloria in sæcula sæculorum amen. Qui enim non dixit, ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit per Personas, & subjungendo, ipsi gloria, non divisit substantiam. Quia itaque una est veterum ac novorum Patrum fides, rectè thalamorum describitur mensura una trium.*

Greg. Mag. Hom. 16. in Ezech Tom. 1. pag. 1150. 1162.

Postremò denique id tradit Gregorius, Patres illos Moyse antiquiores tenuisse ipsos quidem sinceram de trina Deitate doctrinam, non tamen apertè prædicasse; data Lege solos spiritales viros ejus doctrinæ participes factos esse; plebem ipsam ejus expertem unius Decalogi observationi addictam fuisse. Illud enim insigne novi Christianorum populi privilegium erat, ut & charitate cœlitus infusa Decalogum, & fide Trinitatem amplecteretur. *Sancti Patres, quos per sanctam Scripturam ante Legem fuisse cognoscimus, unum quidem omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem esse noverunt; sed eandem Trinitatem, quam cognoverant, apertè minimè prædicaverunt.* Et paulò pòst: *Data autem Lege, rudis ille Hebræorum populus mandata Decalogi servare conatus est; sed tamen de cognitione sanctæ Trinitatis eruditus non est. Et quamvis hanc spiritales Patres perfectè cognovissent, multitudo tamen Synagogæ nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere scivit. Superveniente autem gratia per Testamentum novum, omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse cognovit, & virtutem Decalogi ejus agnitione complevit.*

Ibid. p. 1163. l. 14

CAPUT XXXIV.

An antiquis Philosophis, maximè Platonicis, illuxerit fides, vel doctrina sanctissimæ Trinitatis.

I. Ex Athanasio, quantò junius & nobis convenientius senserint Platonici, quàm Ariani.

II. Similiter ex Nazianzeno.

III. Nec non & ex Basilio & Epiphanio.

IV. Item ex Theodoreto, qui multa ex Platone nobis consentanea allegat.

V. Multa allegat & ex Numenio, Plotino, Amelio, aliisque Philosophis Platonicis, qui post Evangelicæ doctrinæ promulgationem scripsere.

VI. Platonem Plotinumque similiter Cyrillus rectè de Trinitate sensisse declarat; excepta si fors consubstantialitate & æqualitate trium Personarum.

VII. An etiam consubstantialitati assentirentur Platonici, ex eodem Cyrillo.

VIII. Summa nostri dogmatis cum Platonicis consensionis. Cur Eusebium Cæsariensem laudare hic supersedeamus.

I. AB Hebræis ad Ethnicos Philosophos progredior, maximè Platonicos, & non tantùm de eorum doctrina, sed & de traditione & fide quæro Trinitatis, an ejus ad eos lux aliqua manaverit. Eorum libros inferiùs excutiam. Hic sanctorum Patrum testimonia tantùm depromam, ut liqueat quid illi senserint de communicata Platonicis potissimùm Philosophis sive doctrina Trinitatis ex contemplatione, sive fide ex traditione Majorum. Chorum ducet Athanasius, qui in Synodi Nicænæ decretis contra Arianos, illos ait de hæretica infamia sibi aspersa doluisse, & ab exteris Philosophis nomen Ingeniti mendicasse, quo Patrem Deum cohonestarent, atque ita Filium Deitate spoliarent, & in creaturarum classem detruderent, quòd Ingenitus dici non posset. Contrà autem demonstrat Athanasius, apud Philosophos illos ipsos id statum fixumque fuisse, à primo Principio Mentem oriri, νοῦν, à Mente Animam, ψυχήν; & ideo quando hæc ingenita dicuntur, contumeliam ab illis non fieri primo Principio, à quo illa originem habere jam professi sint. Vel hos ergo Philosophos Arianis imitandos fuisse. *Ab Ethnicis nomen Ingeniti mutuò sumendum arbitrati sunt, ut per occasionem hujus vocabuli inter facta & creata Dei Verbum omnium creatorem inserrerent, & ejusdem classis efficerent: ita sunt ad impietatem effrontes, & in blasphemando Domino pervicaces. Quod si præ insciti vocabuli ad istam improbitatem dilaberentur, oportebat eos ab iis, unde id mutuò acceperunt, vim ejus dictionis cognoscere. Illi enim & mentem ex bono & ex mente animam oriundam dicunt; & quamvis earum origines videant, ingenitas tamen asseverant; neque se ea de causa majestatem primi, unde mens & anima originem desumunt, carpere, aut diminuere arbitrantur. Quapropter oportuit istos aut ita loqui, aut nihil omnino loqui de rebus, quas ignorant.*

Adversus pag. 40

II. Paulò aliter Nazianzenus, quando ait inter Hebræos eam Sectam, quæ Saducæorum dicebatur, nec Spiritum sanctum, nec Angelos admisisse; unde facilè conjicies inter reliquos Judæos de Spiritu sancto dubitatum non fuisse. At Philosophorum exterorum subdit Nazianzenus, eos qui summa quadam Theologiæ laude floruerunt, & qui proximè ad nos accesserunt; οἱ θεολογικώτεροι, καὶ μᾶλλον ἡμῖν προσεγγίσαντες, imaginem sibi quandam informasse Trinitatis; in qua tamen de

nominibus nobiscum non conveniant; nempe Mentem ab illis constitui universitatis; τὸν ἐκ παντὸς; & extrinsecam Mentem, ἐκ θύραθεν νοῦν, & alia id genus nomina. *Sed operæ pretium fa-*
Nazianz. Orat. 37. pag. 596. *cturum me puto, si de eo altiùs aliquantò disputationem repetam. Nam de Trinitate priùs jam à nobis est pertractatum: Spiritum sanctum Saducei penitus non esse censuerunt, quemadmodum nec Angelos, nec resurrectionem; quibus haud scio, quid acciderit, ut tot ac tanta de eo in Instrumento veteri testimonia pro nihilo haberent. Qui autem apud Ethnicos Theologia laude magis excelluerunt, propiùsque ad nos accesserunt, per imaginem quandam, ipsam meo quidem judicio conceperunt, tametsi in nomine dissenserint? Universitatis nempe Mentem & extrinsecam Mentem, aliisque id genus nominibus eam appellantes.*

Citra dubium quæ hic Mens dicitur Universitatis, Verbum divinum est, Verbum Patris, τοῦ πατρὸς, potiùs quàm τοῦ παντός; quanquam & Universitatis Mens sit, utpote Idea & exemplar primigenium rerum omnium creatarum. At quæ Mens extrinseca hic dicitur, non video quid aptius æstimari possit, quàm Spiritus sanctus, quem Animam mundi appellabant Platonici, quòd ea universus hic Orbis quodammodo vegetaretur. Non abs re porro Anima mundi Mens exterior diceretur, quòd Mens interior Verbum ipsum sit, velut Imago summi Patris, naturarum omnium Idea, quæ ipsa quidem in sinu Patris conquiescit, mundum autem corporeum per Animam illam universalem administrat. Simile veri est hanc fuisse Nazianzeni doctrinam de doctrina Platonicorum, quos proximè dixit ad nos accessisse, etsi verbis & nominibus à nobis dissentiant.

III. Agnovit & Basilius multos mundana inflatos Philosophia usurpasse, & jactantiùs etiam venditasse illa Joannis verba de Verbo, unde ille Evangelium suum auspicatus est, quin & scriptis etiam suis inseruisse. Nimirum id usitatissimum esse diabolo, ut nostra suffuretur, & ad suos transferat; tantò autem majorem nobis operam dandam, ut nostras opes vendicemus & persequemur. *Joannes Tonitrui filius, cujus proœmium*
Basilius Hom. 16. pag. 432. *jam lectum audivimus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hæc ego novi multos etiam extra veritatis rationem mundana sapientia præditos, jactantes & admirantes, suis decretis & scriptis miscere ausos esse. Fur enim diabolus; & nostra quæ sunt, extra ad suos interpretes transfert. Si igitur carnis sapientia hanc virtutem verborum tantoperè admiratur: quid nos Spiritus sancti discipuli faciemus? frustrane & sine attentione audiemus, & parvam admodum eis ineſſe virtutem æstimabimus?*

Meminit Epiphanius Carpocratianorum, qui coloribus depictas Christi *imagines habebant, oc-*
Epiph. hær. 27. n. 6. p. 108. *cultas, nec non & Philosophorum quorundam, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus Christi imagines miscebant, & erectas simul omnes adorabant, ad easque Gentilium ritus instituebant.* Multa hìc & atrocia flagitia; non damnat hic tamen Epiphanius, quòd vel Christi haberentur imagines, vel honore afficerentur; nempe quòd consonantia aliqua non displiceret inter Christiana dogmata, & ea quæ Philosophi sapientiùs scripserant, & nobis convenientiùs, cæteris compluribus procul amandatis.

IV. Accedamus ad Theodoretum, à quo diligentiùs hæc pertractata sunt, in Curatione Græcarum affectionum. Ac primò quidem hæc ille ponit Platonis ipsius verba, ex Epistola ejus ad Coriscum de Patre, qui Causæ & Ducis ac Conditoris rerum omnium Parens est: *Plato enim in iis quæ*
Serm. 3. pag. 496. *scripsit ad Coriscum, verba hæc posuit: Jurantes studio non inepto, ac eruditione studii sorore, perque Deorum omnium præsentium ac futurorum ducem, perque ejus, qui dux est & causa, Patrem dominiumque jurantes; quem proculdubio scietis, si rectè philosophemini. Hæc sunt, carissimi, Platonis dogmata: quorum alia quidem sunt laude dignissima, ut Apostolicæ Propheticæque doctrinæ congruentia, alia verò Græcanicæ fabulationis sunt fœtus ac germina. Quod enim alium esse ait, totius mundi ducem & causam, alium verò causæ Patrem veritatem prorsus ostendit, de cujus haustu suos sermones ornavit.*

Et rursum allegans Epinomidem Platonis, ubi ait omnium divinissimum Verbum exornasse mundum, συναστερῶν χόσμον, ὃν τάξει λόγου ὁ πάντων θειότατος. Vide rursus quid referat Theodoretus ex Epistola Platonis ad Dionysium, & quid deinde nos moneat de tanti Philosophi pusillanimitate, qui manifestata sibi de Deo pul-
Pag. 499. cherrima placita publicare detrectasset: *Ad Dionysium quoque scribens, sic ait: Loquendum itaque tibi est per ænigmata; ut si quid fortè litteris nostris, vel in mari, vel in terra infortunii acciderit, qui eas leget, minùs intelligat; ita enim se res habet. Circa omnium Regem omnia sunt, & illius gratia sunt omnia, & ipse causa bonorum est omnium: secundùm verò circa secunda, & tertium circa tertia. Videtisne quàm paventer ac timidè veritatis dogmata proferrent? Vulgique respectantes errorem, obscurè, non manifestè veritatem enuntiarent.*

V. Numenium quoque Pythagoricum Philosophum laudat ibidem Theodoretus, ejusque verba refert, Christiano dogmati affinia de Verbo mundi opifice Verbique Patre. Mox ibidem: *Numenius verò Pythagoreus in iis quæ de bono conscripsit, manifestiùs hæc docuit; ait enim: Neque oportet eum esse opificem, qui primus est: putare autem oportet opificis Dei Patrem esse Deum primum.* Plotini Philosophi Platonici laudatur ibidem à Theodoreto liber de Tribus principalibus personis, περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων; ex quo & hæc citat. *Quid igitur de perfectissimo est dicendum? Nihilne ab eo esse, an maxima esse post ipsum? Maxima verò post ipsum, mens, & secundarium quiddam. Mens enim illum intuetur ac videt*: Et hæc ejusdem ibidem: *Omne autem quod gignit, cupit atque amat id quod est genitum; præsertim si soli fuerint, qui gignit & is qui gignitur. Cùm verò etiam sit optimum, quod est genitum, necessariò assitum illi coheret, ita ut hæc sola re disjungantur, quòd alter hic, alter ille est. Imaginem vero ejus dicimus Mentem, manifestiùs enim dicendum est:*
Ibid. p. 499. Ibidem. Pag. 500.

Verùm ne ipse quidem Theodoretus dissimulat multa & Plutarchum & Numenium & Plotinum consentanea Christianæ Theologiæ commentariis suis inseruisse, quòd post Evangelicam doctrinam Ecclesiamque Christi longè latèque propagatam, scripserint. *Alia quoque plurima & ab hoc, & à Plutarcho & Numenio & aliis dicta sunt, quotquot ejusdem sectæ fuerint. Hi namque cum post adventum Redemptoris nostri extiterint, multa Christianæ Theologiæ suis libris inseruerunt.* Quin & Plotinum Numeniumque addit, Platonis placita interpretantes, tria ab illo affirmata esse æterna dixisse, Patrem, Mentem, seu Verbum & Filium Patris, denique Animam mundi, quem sacræ litteræ Spiritum sanctum vocant, ita Hebraicam Theologiam ad se derivantibus Philosophis Ethnicis. *Itaque Plotinus & Numenius, Platonis mentem explicantes, tria illum dixisse ajunt, quæ sint super temporalia & æterna, bonum, mentem, & universi animam. Ac bonum quidem vocare quem nos dicimus, Patrem; Mentem verò quem nos Filium Verbumque appellamus; Potentiam autem quæ animet omnia & vivificet, universi animam vocat, eam ipsam videlicet, quam Spiritum sanctum litteræ sacræ nominant. Atque hæc ipsa, ut dixi, ex Hebræo-*

rum sapientia & Theologia subducta sunt. Pergit inde Theodoretus ad Amelium, Platonicum, qui & æternitati Verbi, & divinitati, & inhumanationi juxta Evangelium Joannis assentiebatur: imminò & passioni ac morti pro hominum salute, ac denique resurrectioni, & sessioni ad cœlestis Patris dexteram: quibus non tam facilè fidem adjecisset Numenius, nisi finitima his esse duxisset Platonicæ Scholæ repurgata decreta. Sic ergo Theodoretus: *Sed & Sacra Evangelia & Plutarchus & Plotinus inaudierunt: quod & Amelius ille, qui Porphyrii Schole prafuit, manifestè ostendit. Admiratur enim vehementer proœmium, à quo Joannes Theologiam orsus est, sic loquens.* Ibidem.

Ecce jam ipsa Amelii verba: *Et hoc ergo erat Verbum, secundum quod semper fuerunt, que facta sunt; sicut & Heracletus ipse censeret, & ita per Jovem barbarus homo censet, in principii loco ac dignitate Verbum apud Deum constitutum, Deumque esse, per quem absolutè omnia facta sunt. Quod itaque factum est, in eo dicit & vivens, & vitam, & ens fuisse. In corpus autem illapsum carnemque indutum apparuisse hominem, in quo tamen & nature sue magnificentiam tunc ostenderit. Cumque morte obita solveretur, rursus ad divinitatem rediisse affirmat, Deumque esse, qualis videlicet prius fuerit, quàm in carneum corpus haminemque descenderet.*

Hactenus Amelius, quibus hæc subjicit Theodoretus: *Usque adeo barbari hominis Theologiam suspexit homo Platonis aliorumque Philosophorum eloquentia innutritus, ut Verbum confessus fuerit esse in principio, ac Deum esse, & apud Deum esse, & omnia fecisse, omnibusque vitæ causam ac dispensatorem esse: salutisque omnium causa, majestatem quidem divinitatis carnem occuluisse; at in parva & crassa illa corporis nebula Paternam nobilitatem detexisse.*

Illud alibi jam laudavimus, quod hìc ex Numenio illo Pythagorico refert Theodoretus non multò post, *Quid enim aliud est Plato, quàm Atticus quidam Moyses?* Quibus verbis ostendit Numenius, si qua fides Theodoreto, *quæcumque Plato dixit, è Moysis Theologia surripuisse.* Ideoque à Philosophorum commentariis ad Scripturas veniendum esse, velut ad fontem totius veritatis, ex quo sua optima quæque illi derivarunt. *Sicut enim auri argentique feracem terram qui effodiunt, simul ac exigua ramenta nacti sunt, hæc consectantes, venas rimantur; neque prius ab effodiendo desistunt, quàm auri copiam invenerint, ex qua ramenta illa diffusa fuerant: Ita & vos decet, Anaxagoræ, & Pythagoræ, & Platonis, ac Numenii, Plutarchique, & Plotini ceterorumque Philosophorum auditis sermonibus, fontem perquirere, ex quo illi pauca quedam divinorum fluentorum haurientes, libros suos exornarunt: atque horum neglecta paupertate, sapientia abyssum amplecti, indeque quid sit opifex, quidve opus exactè perdiscere.* Pag. 101. Ibidem.

VI. Venio ad Cyrillum Alexandrinum, qui dum contra Julianum scribit, ait ex Platone à summo Bono genitam esse Mentem *totam per se subsistentem, in qua verè sunt, que sunt, & omnis entium substantia est. Qua quidem & prima pulchra, & per se pulchra est, à se pulchritudinis speciem ducens: prodiit verò ante secula ab authore Deo emicans, per se genita & sibi ipsi parens; non enim illo movente se ad generationem hujus progressus fuit; sed hoc procedente per se ipsa nascendo ex Deo, procedente inquam à nullo principio temporis, nondum enim tempus erat.* L. 1. pag. 32. Tom. 4.

Hæc Cyrillus ex Porphyrii Philosophica historia refert. Quin etiam de Spiritu sancto, & de consubstantiali divinarum personarum Trinitate quid Plato senserit, & quàm rectè senserit, ita rursus ex eodem Porphyrio Cyrillus: *Porphyrius enim opinionum Platonis exponens, ait, Dei substantiam usque ad tres hypostases procedere, esse vero supremum Deum optimum, post ipsum & alterum creatorem seu opificem, tertium porro mundi animam; ad animam enim usque divinitatem extendi. Ecce in his manifestò usque ad tres hypostases, divinam substantiam procedere contendit: Unus quippe est universi Deus, extenditur vero tanquam ipsius notio in sanctam & consubstantialem Trinitatem, in Patrem, inquam, & Filium & Spiritum sanctum, quem mundi animam vocat Plato: vivificat autem Spiritus, & procedit ex vivente Patre per Filium, & in eo vivimus & movemur & sumus.* Ibid. p. 34.

Mira hæc erat sanè Platonicorum doctrina ex Hebraicis Scripturis, & ut existimo à Salomone maximè mutuata. Quod enim Salomon prædicat sapientiam ex ore Altissimi prodiisse, hoc illos audisti paulò antè prædicantes, Summum Bonum non tam seipsum movisse ad generationem Sapientiæ, quàm ipsam ultro ex ejus ore prosiliisse. Nec aliter Plotinus Platonis sententiam interpretabatur, teste eodem Cyrillo inferiùs: *Sic enim de illo Plotinus, neque suam magis, quàm Platonis explicat sententiam. Causa verò que Mens est, Patrem ait ipsum Bonum & id quod est ultra mentem, & supra substantiam: plerumque verò Ens, & Mentem, Ideam appellat: Quocirca Platonem novisse ex bono quidem mentem, & ex mente animam existere. Et hos sermones non novos, neque nunc natos esse, sed olim quidem obscurius esse dictos.* Quibus extremis verbis ad avitas de Trinitate Traditiones alludit, de quibus frequens mentio apud Platonem. Ibid. p. 34.

Illud autem cum primis memorandum, & animo altissimè infigendum, quod alibi Cyrillus monet: Et ipsius Christi certissimo oraculo, nec Filium à quoquam nisi à Patre, nec Patrem nisi à Filio sciri posse, & si quos Filius ea præclarissima scientia beaverit. Ideo enim & Philosophos sæculates quosdam omni animi contentione in id incubuisse, sed non potuisse usque ad elimatissimam tanti arcani doctrinam pervenire; accessisse quidem ad eam mirum in modum Trinitatem, tres divinas hypostases quandoque nominasse, earum consubstantialitatem non agnovisse, nedum omnimodam æqualitatem. *Scimus porro homines mundane sapientiæ fastu sanè quàm elatos ac tumidos, hæc subtiliter quidem indigitasse, non tamen omnino citra errorem, non enim lux eis veritatis illuxit. Nam Christus alicubi ait: Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Nam quomodo res tam subtiles tamque abstrusas agnoscerent, nisi Filius eis revelaverit? Verumtamen cùm tres primogenias hypostases ipsi quoque statuant, & usque ad tres hypostases essentiam Dei pertinere asserant, atque interdum ipsum Triadis usurpent vocabulum: Christianorum suffraganter sententiis, nec ad eam rem quidquam eis deesset, si consubstantialitatis vocabulum accommodare vellent tribus hypostasibus, ut etiam una intelligeretur natura divinitatis, triplicitate illa carens, qua naturalis inducitur diversitas, & hypostases alia aliis inferiores apparent.* L. 1. pag. 10.

VII. Platonis, Plotini, Numenii, aliorumque ejus sectæ Philosophorum testimonia in Trinitatis suffragationem coacervat plurima Cyrillus, eadem plerumque quæ supra ex Theodoreto delibata vel indigitata sunt; sed illud singulari animadversione dignum occurrit, quòd illos quandoque agnoscit ipsi trium unitati, consubstantialitati, æqualitati suffragatos esse; etsi sibi ipsius parum constantes, verbis quandoque minùs idoneis utantur. Sic enim Cyrillus de Numenio: *En iste quoque unum quidem & simplicem, & esse Deum infit, itemque indivisibilem: secundum autem, ac tertium, esse unum, colligens forsan ut nos in* Pag. 87.

natura unitatem res antedictas; tametsi secundum ac tertium nominat Deum, haud rectè: sed suis, ut reor, ipse repugnans sententiis; postquam enim eos unum dixit, in tres rursus dividit, & seorsim singulos: nisi quod Patrem ait, opificis Deum oportere nominari.

Denique tres illas principes hypostases ita se habere ut genitorem & genitum, substantia idem esse, ex Platonicorum sententia, & maximè Plotini, ita ut Pater à Filio non differat, nisi alteritate, hoc est, quòd ille sit genitor, hic genitus. Sic ex Plotino Cyrillus: *Quòd autem ea instar geniti & gignentis considerent, accipiemus rursus ab illo, qui sic scripsit: Porrò genitum omne appetit genitorem, eumque diligit, & maximè cùm unum sint, id quod generat, & quod generatur. Cùm autem etiam abest distinctio, id quod genuit, ita cum eo simul necessario est, ut alteritate quadam ab illo tantùm secernatur.*

Pag. 874

His Plotini verbis jure merito applaudit Cyrillus in hunc modum: *Audis quo pacto genitum omnino cum genitore simul esse debere ais; fortè quòd indiscretum sit, aut natura proximum, nec quicquam interjectum sit, sed sola alteritate sejungatur: non illa naturali, sed quòd genitor cum eo quod gignitur una re quodammodo differat, videlicet quòd ille quidem genuit, hoc genitum sit.* Quasi dicant hanc *alteritatem* non ad naturarum diversitatem spectare, sed ad Personarum distinctionem.

VIII. Lubens prætereo quæ ille ex Hermete, seu ex Trismegistro multa intexit, quòd emunctioris naris homines ejusmodi opera supposititia esse subodorati sint, & penè nobis persuaserint; quòdque minimè necesse sit, & ne conducibile quidem sit, certam alioqui & inconcussam doctrinam parum firmis præsidiis vallare, ne dicam prodere & infirmare. Ergo ut sobrietas, ubi maximè necessaria est, retineatur; ita in hoc negotio statuendum; ita suprà laudati, vel infrà laudandi Patres statuisse videntur, 1. perfectam & accuratissimam trinæ Deitatis doctrinam à solo Deo, à Christo, per Traditiones, per Scripturas, per Ecclesiam revelari potuisse. 2. Multa ea de re præclarissimè tum sensisse, tum scripsisse Platonicos Philosophos, & proximè ad nos accessisse; sed & id totum illos à Scripturis suffuratos esse, vel à Traditionibus Scripturæ consentaneis. 3. In multis eos esse prolapsos, vel vacillasse; consubstantialitati & æqualitati trium Personarum aliquando visos esse suffragari, sed mox nutasse, nec sibi semper constare potuisse. 4. Omnium optimè & nobis convenientissimè scripsisse de Trinitate Plotinum, Numenium, Amelium, Porphyrium; sed Christiana jam Ecclesia latissimè per orbem propagata, quam illi imitabantur.

Quæ de antiquis & ex antiquis Philosophis, & ex Platone ipso hactenus nobis protulerunt Patres alii, ea potuissent à nobis copiosiùs etiam forsan huc conferri, ex una Eusebii Cæsariensis Episcopi Evangelica Præparatione. Sed cùm non nesciamus illum malè audisse apud complures sanctorum Patrum, Græcorum Latinorumque, in hac certè quæstione de Trinitate, consultius nobis visum est ab eo laudando supersedere.

Pag. 719. usque ad 726. 731.

CAPUT XXXV.

Ex Platone ipso confirmantur antedicta. Quàm multa & quàm præclara antiquissimis Philosophis illuxerint de Trinitate.

I. Ut Platonis nomine complectamur antiquissimos omnes ante illum totius orbis Philosophos, Mosaicis scriptis, Hebraicisque Traditionibus imbutos.

II. Ut Plato Sapientiam Dei natam.

III. Ideam seu Verbum esse demonstrat Plato, incommutabile, æternum.

IV. Rursus ab eodem demonstratur Mens Regia, id est, Verbum: & Anima Regia, id est, Spiritus sanctus; præter Causam omnium Principem.

V. Persimilis disputatio Zorobabelis & Platonis de Veritatis summo principatu.

VI. Rursus Idea Boni, Pulchri, Æqualis, Verbum est, æterna, immutabilis.

VII. De Patre, de summo Bono, quàm multa luculentè Plato, & de Verbo.

VIII. Quatenus hæc SS. Patrum doctrina conciliari possint.

IX. Rursus ex Platone de Bono & Veritate, Patre & Filio.

X. Ab eodem rursus demonstratur Pater opifex mundi, & Filius ejus exemplar.

XI. Rursum Plato de Patre & Verbo. Quàm studiosè hi Philosophi arcana hæc sua occultarent, rarò libris committerent.

XII. Hanc fuisse Platonis sententiam, ex Clemente Alexandrino confirmatur.

I. PLatonis & Platonicorum nomine non ipsos solos, sed longè plurimos ex antiquissimis Philosophis complectimur, quorum ille scripta pervolutaverat, quorum auditor fuerat, ad quos diu & sæpè fuerat peregrinatus, cum quibus versatus aliquandiu fuerat pluribus in longèque dissitis Provinciis; ut ab iis perdisceret, non quæ ipsi tantùm commentati essent, sed quæ ab aliis sapientibus & legendo & peregrinando addidicissent. Is enim erat usus priscorum temporum, non domi quiescere, & privatim divina meditari; sed peragrare provincias & regiones plurimas, etiam procul summotas, & ubique undecumque sapientiam venari, sapientes percontari, sparsas ubique terrarum de Deo, de sapientia Traditiones, ceu germanæ Philosophiæ semina colligere, & in patriam ac penates quemque suos ea comportare; ea ibi diu concoquere, & ita digerere in Philosophicos vel Theologicos suos Commentarios. Id de Platone testatum facit quidquid est Græcorum Latinorumque Historicorum, id Platonis ipsius scripta omnia ubique vociferantur. Cùm verò frequentissimæ essent in Phœniciam & in finitimam illi Ægyptum hujusmodi peregrinationes; hinc illud ultro emicat, ab Hebræis Sapientibus Scriptoribusque, à Salomone potissimùm & ab ejus libris de æterna Dei Sapientia, de summo Deo æternæ Sapientiæ Patre publicatis, multa ab his sapientiæ amatoribus muruò sumpta esse.

II. In Platone ergo & Platonis schola audiemus, non ipsum, non ejus tantùm sectatores, sed Socratem, Pythagoram, Parmenidem, Anaxagoram, aliosque Philosophos antiquissimos omnes, multa Scripturarum nostratum, multa Salomonis potissimùm librorum opulentia locupletatos, non parca etiam supellectile instructos vetustissimarum Traditionum, quæ à Patriarchis, à Prophetis, à Moyse, à Jobo, à Davide in longinquas etiam regiones manaverant. Id Plato ipse iterum iterumque confitetur, accepisse se multa & Opusculis suis insperssisse ex priscis sermonibus rumoribusque de Deo, de Sapientia, de laudatissima omnium Philosophia.

Ordiamur ergo ab Alcibiade II. Platonis, ubi ita habet, Si anima seipsam noscere cupiat, in seipsam retorquendos illi esse interiores oculos, & in eam maximè animæ partem, in qua virtus animæ habitat, & sapientia: nec enim divinius quidquam esse in anima, quàm intelligentiam & sapientiam; unde fit, ut in id intuens anima, omne divinum, Deum & Sapientiam, ac seipsam pariter agnoscat. πᾶν τὸ θεῖον, θεόντε, καὶ φρόνησιν, καὶ ἑαυτὸν γνοίη μάλιστα. *Si seipsam anima noscere vult in animam intueatur, in eumque præcipuè locum*

Plato pag. 87. 38.

anima, in quo ineſt virtus anima, ſapientia, & in illud cujus hoc eſt ſimile. Al. Mihi quidem videtur, o Socrates. Socr. Num reperire poſſumus quippiam in anima divinius illo, circa quod intelligentia ſapientiaque verſatur? Al. Nequaquam. Socr. Id igitur anima divini ſimile eſt, in quod ſanè quis intuens, & omne divinum, Deum ſcilicet & ſapientiam cernens, ita & ſeipſum agnoſcet. Et infrà: *Juſtè enim ac prudenter agentes, & tu ſimul & tua reſpublica Dea gratum opus facietis. Al. Decet. Socr. Et ſic quemadmodum ſuprà diximus, in divinum ſplendorem intuentes agetis. Al. Videtur. Socr. Quinetiam illuc reſpicientes vosmetipſos veſtraque bona perſpicuè diſcernetis.* Manifeſtè vides Deo conjungi Sapientiam, ejuſque divinam imaginem ac lucem in anima rationali & intelligente radiare.

III. In Parmenide autem vide ut probet invictiſſimè, non tantùm res eſſe magnas, pulchras, juſtas, ſed etiam ipſam per ſeſe Magnitudinem, Pulchritudinem, Juſtitiam, quæ hoc quod dicitur ſemper ſit, ſummè ſit, non poſſit non eſſe, ſemper ſui ſimillimum: cujus illæ res participes ſint tantùm, & ideo non ſemper ſint, non neceſſariò, non ubique, non ſui ſemper ſimiles, ſed aliàs aliæ; ut non poſſint ubi deſciverint in priſtinam formam ſuam revocari, niſi renovata participatione incommutabilis & æternæ illius formæ, quæ non particeps cujuſquam, ſed ſumma ipſamet eſt Magnitudo, Pulcritudo, Juſtitia, Sapientia. *Videntur tibi, ut ajebas, ſpecies quædam exiſtere,* Parm. p. 68. *& ea quæ illis participant, illarum cognomenta ſortiri; veluti ſimilitudine participantia ſimilia; magnitudine magna; pulcritudine atque juſtitia, pulcra & juſta vocari? & maximè quidem, inquit Socrates. Nonne quodcumque ſpeciei particeps ſit, vel totam ſpeciem, vel partem participat? An eſt alius præter iſtos participandi modos? & quis alius? Socrates ait.*

Cùm verò reſponderent aliqui non has per ſeſe formas exiſtere, ſed earum in anima notiones eſſe: contrà urget Parmenides, Cujus rei ſint illæ notiones tam præſtantes & divinæ? Nec enim poſſunt nullius rei notiones eſſe, cùm ne viſio quidem corporea nullius rei viſio ſit. *At forſitan, inquit Socrates, quælibet harum ſpecierum notio quædam eſt, nec alibi eſſe quàm in alibi poteſt; ſic enim unaquæque una erit, nec contingent quæ tu dicebas. Quid ergo? inquit, quælibet notio una eſt, notio autem nullius notio? At hoc impoſſibile. Sed cujuſdam? Cujuſdam ſanè. Exiſtentis, vel non exiſtentis? Exiſtentis. Num unius cujuſdam, quod notio illa in omnibus ſequens intelligit, ideam unam? Prorſus. Præterea nonne ſpecies erit, hoc quod intelligitur unum eſſe ſemper in omnibus eadem? Neceſſarium hoc quoque videtur.* Quin immo ne rationem quidem, aut intelligentiam, aut Philoſophiam eſſe poſſe ullam demonſtrat, niſi formæ illæ, ſpecies & ideæ æternæ & incommutabiles ſint, & mentis noſtræ oculis obverſentur; cùm opinio de rebus ſit dubiis, mutabilibus, temporalibus; at ratio, intelligentia, Philoſophia, ſapientia etiam noſtra non ſit niſi de certis, manifeſtis, æternis, immutabilibus. Niſi ergo agnoſcatur ſumma, æterna & incommutabilis ſapientia, in qua vivunt formæ illæ omnes & rationes æternæ & incommutabiles veritatis, juſtitiæ, pulcritudinis; funditus interit ipſa hominum ratio & intelligentia, lumen extinguitur Philoſophiæ, Sol extinguitur mentium, multò ſplendidior Sole iſto corporeo, & nobis intimior. Hoc enim Sole extincto non diſcerneretur quid album, quid nigrum ſit: at ſublato Sole veritatis & ſapientiæ, jam non diſcerneretur juſtum ab injuſto, verum à falſo; ita humanum genus obbruteſcet, & in pecudum ſortem redigetur. *Veruntamen, inquit Parmenides,* Pag. 68. *ſi quis prædictis rationibus motus ſpecies rerum exiſtentium auferat, neque ſpeciem ipſam uniuſcujuſque diſtinguat: haud ſanè reperiet, quò convertat intelligentiam, cùm non permiſerit id eam uniuſcujuſque rerum exiſtentium eandem ſemper exiſtere, & in hunc modum diſſerendi etiam facultatem funditus ſubvertet. Talem quandam rationem tu quoque præcipuè ſenſiſſe mihi videris. Vera dicis. Quid itaque de Philoſophia facies? quò his ignoratis te vertes?*

IV. Quid quod in Philebo rurſus philoſophatur Socrates, ſi inficiari poteſt nemo, quin res hominum, corpora hominum quadam eorum ſapientia regantur; multò minùs dubitari poſſe, quin cœli, & hæc univerſa rerum cœleſtium terreſtriumque compago tam mira, tam pulchra, tam conſtans, ſapientiam habeat ſibi inſidentem ac præſidentem omnibuſque moderantem, quam antiqui quandoque dixere *Jovis naturam, regiam* Pag. h. *animam, regiam mentem, βασιλικὴν ψυχὴν, βασιλικὸν νοῦν.* Si quæras autem ulteriùs, quæ ſit hæc mens, protinus reſpondetur *eſſe progeniem ejus cauſæ, quæ cauſa dicitur omnium.* Unde ibidem: *Ergo in Jovis ipſius natura Regiam animam, Regiamque mentem ineſſe propter vim cauſæ confiteberis.* Huic doctrinæ priſcos Philoſophos aſſenſos eſſe teſtatur: *Eorum enim qui olim Mentem omni modo præſidere oſtenderunt, ſermo hic ſententiam adjuvat.* Et infrà: *Reminiſcamur jam, quod Mens quidem Cauſæ cognata, ejuſdemque cum illa fermè generis. ὅτι νοῦς μὲν αἰτίας ἦν ξυγγενὴς, καὶ τοῦτο χεῖδον ἡμῖν ἦν.*

Perſpicis hìc Animam mundi Regiam dici, quem nos Spiritum ſanctum vocamus; Mentem Regiam dici, quem nos Filium, Verbum & Sapientiam dicimus; Mentem cauſæ omnium principis progeniem & cognatam eſſe; tres has hypoſtaſes Regias dici, & ab omnibus aliis naturis, quæ à principe cauſa manant, ſejungi. Quàm affinia ſunt hæc iis quæ capite ſuperiori de Sapientia, de Sapientiæ Patre Deo, de Spiritu ſancto ex Salomone protulimus? Ex his ergo mendicata illa ſunt.

V. Diſputat in eodem Philebo Plato, utri primas partes aſſignare debeamus, voluptati, an veritati, & menti. Simillima ea quæſtio eſt, quam coram Rege Perſarum & Medorum Dario ventilavit Zorobabel in libro Eſdræ III. ubi & eloquentia & ſapientia ſingulari probavit Regibus & Mulieribus fortiorem eſſe veritatem. Pauca hæc ex eo Eſdræ Capite hìc adſcribam: *Nonne magnificus eſt, qui hæc facit, & veritas magna, &* Cap. 4. *fortior præ omnibus? Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipſam benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non eſt cum ea quidquam iniquum.* Et mox: *Et veritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias: ſed quæ juſta ſunt facit omnibus, in injuſtis ac malignis; & omnes benignantur in operibus ejus, & non eſt in judicio ejus iniquum; ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas, & majeſtas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis. Et deſiit loquendo. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt: Magna eſt veritas, & prævalet.*

Manifeſtum eſt veritatem hìc illam prædicari, quæ orbem condidit, quam orbis univerſus reveretur & contremiſcit, quæ incommutabilis juſtitia eſt, penes quam omnium dominatio & æterna poteſtas eſt, quæ Deus ipſe eſt, Deus veritatis. Cùm hæc coram Rege & Proceribus omnibus peroraret Zorobabel, non Rex, non Proceres tantùm, ſed & *omnes populi* acclamarunt, *Magna eſt veritas, & prævalet.* Ita ergo imbuti tum erant Reges, Principes, Populi, id præjudicatum infixumque intimis animæ ſuæ medullis gerebant, & admoniti ſtatim aſſentiebantur, veritatem & ſapientiam ſummum eſſe illum Deum, qui creatas à ſe res omnes regit & adminiſtrat. Inſcripſerat hæc

natu-

naturæ conditor ipse animis immortalibus, innovaverant hæc paulatim in oblivionem euntia libri Salomonis, in omnes Orientis gentes & in ipsas Regum aulas sparsi, ut suprà ostendimus. Hinc illæ Græcorum Philosophorum profectiones in Orientis provincias, in Persidem, in Assyriam, in Ægyptum. Hinc Platonis ipsius illa quæstio, veritas, an voluptas præcellat; hinc ibidem veritatis victoria, ut quæ idem unumque sit cum illa Mente omnium conditrice & dominatrice. *Mens, aut idem est, quod veritas, aut omnium certè simillima, atque verissima.* Si veritas enim pro primo ipso omnium parente sumatur, tunc Mens ei omnium simillima erit, eademque verissima. Eadem Sapientia ibidem mox esse declarabatur; ac Pulcritudo æterna & incommutabilis. *Mentem quidem & sapientiam, à Socrates, nemo unquam aut revera, aut falsò deformem, vel vidit, vel aliquo pacto cogitavit, aut fuisse unquam, aut esse, aut deinde futuram.*

Pag. 94.

VI. Sapientia hic & Pulchritudo dicitur, quæ ipsa per sese ejusmodi est, & per quam sapiunt, & pulcra fiunt omnia: quod idem dicendum est de summo Bono, per quod bona sunt omnia. Unde Plato in Hippia Majore: *Et Sapientia sapientes sunt quicunque sapiunt, & bono similiter bona omnia quæ bona sunt. Hip. Quid prohibet? Socr. Sapientiam vero & bonum secundùm se esse oportet. Nam si ipsa non essent, alia per illa nunquam talia fierent. Hip. Sic est. Socr. Nonne & pulchra omnia ipso pulchro sunt pulchra? Hip. Pulchro certè. Socr. Estne igitur ipsum pulchrum?* Nec verò ipsum Bonum ab ipso Pulchro distat, unde in Lysi Plato: *Dico enim ipsum Bonum Pulchrum est.* Pauli quippe id aptatur, ut summum Bonum dicatur; Filio, ut ipsum Pulcrum. Consentiunt hæc Scripturis nostris, ubi Filio propriè tribuitur non pulchritudo tantùm, sed & æqualitas; de qua Plato in Phædone quærit, An quæ æqualia; dicuntur, ab accuratissima æqualitate nihil prorsus deficiant, & tam æqualia sint, quàm ipsa æqualitas. *Videnturne ita æqualia hæc esse, ut ipsum quod est æquale? An deesse potius aliquid, quo minus talia sint, quale est æquale ipsum, an nihil? Permultum certè deest.* Perspicuum est non posse dici res ullas tam æquales, quàm ipsa æqualitas: quòd ipsæ quidem æquales sint, quia æqualitatis sunt participes: at ipsa per sese æqualitas nullius particeps sit, nec possit non implere suum nomen. Quod de æqualitate autem dicimus, idipsum prorsus de ipso Pulchro, de ipso Bono, de ipso Justo, atque Sancto dicendum esse, ita docet Plato ibidem: *Non enim de Æquali magis nunc nobis est sermo, quàm de ipso Pulchro, de ipso Bono, de ipso Justo atque Sancto, & ut dico, de omnibus quibus proprie hoc ipsum quod est assignamus, & interrogationibus interrogantes, & responsionibus respondentes, ut necessarium sit nos, antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse.*

Pag. 98. 111.

Pag. 183.

VII. Sunt ergo hæc omnia æterna & incommutabilia veritatis & sapientiæ lumina, Legesque ac Regulæ, quæ in Verbo, in Patris mente vivunt, & inde creatis mentibus illucent, ut de his philosophari possint, de his inquam sursum luminibus, vel de imis naturis, quæ eorum participes fiunt. Totus penè hactenus fuit Plato in contemplatione veritatis, sapientiæ, Filii, rariùs dixit de Patre & summo Bono. Vide jam ut apertè de Patre & Filio differat in libro de Republica VI. ut simillimum Patri Filium dicat, ut geminas hypostases constituat, denique ut Patrem quidem majorem Filio decernat; sed & illum tamen Patrem, non dominum Filii; hunc Filium statuat, non servum; non creaturam Patris. *Cæterùm, ô viri felices, quid ipsum bonum sit, in præsentia dimittamus. Est enim, ut mihi videtur, præsertim supra contemplationem. Quis autem appareat boni ipsius Filius quidque simillius ei sit, si vobis placet, dicam: sin minus, dimittam. Dic age, Patrem verò postea declarabis. Vellem equidem, ut & ipse explicare possem, & vos percipere; non solùm ut nunc, prolem, sed & prolem & posteros ipsius boni. Hunc ergo ad præsens partum boni ipsius Filiumque accipite. Cavete tamen, ne inscius ipse vos decipiam, vanam reddens de Filio rationem.*

Pag. 478.

Nec multò pòst ibidem, ut Filius, veritas, instar Solis sit, quo omnia collustrantur, alioqui tenebris obsita, & sensibilium caligini immersa; quo fit ut veritas summa sit pulcritudo, qua tamen pulchrius sit adhuc summum Bonum, veritatis Pater. Si ad Arii placita hic deflecti dicas, nihil morabor; sed vel magnum illud ipsum est tam magnificè de Verbo sensisse Platonem sexcentis admodum ante Arium annis, quàm ipsum Arium, post Catholicam Theologiam toto orbe publicatam. Nec tamen deerit, quod ad hanc quoque labem à Platone abstergendam dicamus. En verba Platonis: *Oculis porro quoties non ad ea vertuntur, quorum colores diurnus fulgor illuminat ostenditque; sed ad illa quæ nocturnis radiis attinguntur, cæcutiunt, hallucinanturque, & propè cæci esse videntur, ac si purus in illis visus non insit. Sic accidit. Quoties verò ad ea quæ Sol illustrat, perspicuè cernunt, iisdemque ipsis in oculis esse visus apparet. Est ita. Sic & de animo cogita. Quando enim illi inhæret in quo veritas & ipsum ens emicat, intelligit illud cognoscitque, & intellectum habere videtur. Sed cùm ad id fertur, quod tenebris est permixtum, quod videlicet generatur atque corrumpitur, ejus obtunditur acies, opinionesque versat varias, ac mentis expers esse videtur. Sic apparet. Illud igitur quod veritatem illis, quæ intelliguntur, præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito, scientiæ & veritatis, quæ per intellectum percipitur, causam. Cùm verò adeo pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet ac veritas; si Bonum ipsum aliud quàm ista, & pulchrius æstimabis, recte putabis. Et quemadmodum lumen ac visum Solis speciem quandam habere existimare decet; Solem verò ipsum esse, nequaquam: ita cognitionem & veritatem, boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse verò ipsum esse minimè. Augustior enim est ipsius Boni majestas. Decus narras inæstimabile, si scientiam quidem & veritatem præbet, ipsum verò decore hæc superat.* Et statim ibidem: *Solem quidem dices, ut arbitror, iis quæ videntur non modo videndi præbere potentiam, verùm etiam generationem, augmentum, nutritionem; cùm ipse tamen generatio non sit. Quo enim pacto? Atque ita dicas Bonum iis quæ cognoscuntur, dare, non modò ut cognoscantur; sed esse insuper, & essentiam elargiri, cùm ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, dignitate ipsam & potentia superans.*

Ibidem pag. 478.

Pag. 479.

VIII. Haud dubio Boni, seu Patris hic majestas supra veritatem, sive Filium extollitur; sed multa hic seriò pensitanda. 1. quidem dum Pater ille sit, & hic Filius, quod disertis verbis affirmat Plato, nihil periclitari utriusque consubstantialitatem. 2. Filium esse veritatem ipsam ex Platone. An potest non verus esse Filius, qui veritas ipsa est? An potest non verus esse, per quem vera sunt omnia? An Pater verus Pater non est, qui veritatis Pater est? 3. Filius hic Sol insinuatur esse mundi intellectualis & intelligibilis. Est & Pater Sol. Est ergo Filius splendor, seu candor lucis æternæ ex Platone, & unius item cum Sole ipso substantiæ, ut suprà sancti Patres argumentabantur. 4. Illud quoque contra Arium suprà sancti Patres argumentum premebant, quòd cùm veritas esset Filius, non posset nisi verus esse Filius; quòd in veritate nihil mendax subesse posset. 5. Ideo Bonum, seu Patrem Filio superiorem esse dicit Plato, quòd Bonum sit supra essentiam, & non ipsa tantùm essen-

tia. Itaque ita sentit Plato, Filium esse ipsum esse, ipsam essentiam, ipsam veritatem; Patrem ulteriùs aliquid esse, esse enim ipsum Bonum essentia superius. Non semel & hoc ipso tractatu superiùs & alibi à nobis declaratum est, sanctos etiam Patres hac verborum magnificentia delectatos esse, & Deum collocasse supra essentiam, supra veritatem, supra sapientiam, supra mentem, ut qui omnino incomprehensibilis esset, & supra id omne quod vel capi, vel dici potest, in beato Silentio suo quiescens. Et tamen iidem sancti Patres alibi, sicut & Philosophi Platonici, consenserunt, ut Deus diceretur ipsum esse, summa essentia, veritas, mens; sed ita ut ipse quidem intelligeretur esse, supra id omne quod à nobis dici, vel intelligi potest. Ipsum Bonum & Patres & Platonici Patrem appellabant, idque supra essentiam quandoque collocabant; sed & supra ipsum Bonum illum extollebant, ut ne Bonum quidem diceretur, nisi ut causa omnis boni, aut superlatè, supra id omne bonum, quod intelligi potest.

IX. De eo uno tunc inter hos Philosophos, sive Theologos certabatur, Quid aptius cogitaretur de Deo. Platonici id contendebant aptius, illum cogitari sub idea Boni, quod amplius, & universalius fœcundiusque id esse videatur, quàm quidvis aliud. Mox à Bono veritatem, seu mentem gigni volebant; non quo Bonum qui erat, non idem esset & veritas & mens summa; sed quòd idea Boni videretur aliquid universalius, & fœcundius præ se ferre. Hinc Plato inferiùs libro VII. de Republica: *Nempe arbitror in ordine ipso intelligibili, boni ipsius ideam supremam existere, vixque videri: si autem visa fuerit, asserendum eam omnibus omnium quæ recta & bona sunt causam esse: cùm ipsa in loco visibili lumen creaverit, & luminis authorem: in ipso verò intelligibili regnet ipsa, veritatemque & mentem protulerit. Quam nosse necesse sit omnem, quicunque sano mente quidquam vel privatim, vel publicè est acturus. Ita & ipse cogito, utcunque possum.* L. 7. p. 481.

Quantumcunque Plato ideam Boni cæteris omnibus anteponat, ipsique Menti & Veritati; dummodo veritatem esse Verbum & Filium Boni profiteatur, ut constantissimè ipsum profiteri vides, sospes & incolumis est Filio sua divinitas, sua cum Bono & Patre æqualitas & consubstantialitas; sua non à conditore creatio, sed ut verè Filii generatio à Patre; sua denique æternitas & incommutabilitas atque immensitas. An potest enim alicubi veritas non esse? An potest non fuisse aliquando, aut aliquando non fore? An potest, quæ veritas est, versatilis, aut mutabilis esse? Cùm ergo evidentissimè, quæ veritas est, eadem & immensa, & æterna, & incommutabilis sit: est proinde summa ipsa Divinitas. Quod ergo de Verbo dicebant Ariani. Fuisse quando non erat; ante tempora esse, sed æternam & coæternam Patri non esse; ex non entibus esse, ex substantia ipsa Dei non esse; id Platonici de Veritate non dicebant; cùm id ne in cogitationem quidem cadere possit: Ecquis enim nisi valdè hebes & mentis obtusissimæ cogitare possit, fuisse aliquando, cùm nondum esset Veritas? aut fore aliquando, ut non amplius sit Veritas? Etsi enim largiremur, fuisse tamen verum, & verum foret, Veritatem non esse. Atque ita ne fingendo quidem destrui potest Veritas. Nec aliter habet de immutabilitate. Quæ enim Veritas semel est, incommutabiliter semper est; cùm non possit quod certò & necessariò verum est, aliquando verum non esse. Non alii unquam Philosophi disertiores fuere Platonicis in prædicanda Veritatis æternitate & immutabilitate; quæ ab illis vendicata etiam est primis illis principiis & regulis Disciplinarum, potissimùm Mathematicarum, quæ ideo Veritates æternæ, evidentes, necessariæ, immutabiles trito Scholarum sermone dicuntur, & ex quarum consuetudine & germanitate veluti quadam cum anima rationali; hujus immortalitatem pulcherrimè illi colligebant. De his agit Plato in his ipsis de Republica libris, & de his nos quoque jam non semel egimus in his nostris Dogmatum Theologicorum Commentariis.

X. Perspicua & necessaria sunt hæc omnia; sed & si quid dubitationis resideret adhuc, id dilueretur omnino hoc rursus Platonis testimonio in Timæo. Sic enim ille mundum hunc probat, sensibilis cùm sit, generationi & corruptioni obnoxium esse, ideoque ingenitum esse non posse, sed à summo opifice Deo creatum esse, qui illum ad exemplar longè pulcherrimum, & æternum, & immutabile effinxit; nec enim aliter fas esse à Deo summo & optimo fingi hoc Universum; ut qui Causa est summa & omnium absolutissima, operis sui effingendi modum & exemplum secutus sit præstantissimum. *Universum igitur hoc; Cælum sive mundum, sive quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primùm considerabimus, quod in omni quæstione ante omnia investigari debet: Utrumne semper fuerit, sine ullo generationis principio; an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium? Id profectò cernitur, tangiturque, & corpus habet. Omnia verò ejusmodi sensus movent. Quæ sensus movent, opinione per sensum percipiuntur. Hæc verò talia esse constat, ut gignantur, & genita sint. Quidquid autem gignitur, ab aliqua causa necessariò gigni asseruimus. Opificem quidem & Patrem mundi invenire difficile, & cùm jam inveneris, prædicare in vulgus nefas. Rursus considerandum est, utrùm mundi faber sit intuitus exemplar: idne quod idem semper & simile est, an id quod genitum fuerit? Atqui si pulcher est hic mundus, & opifex mundi bonus, sempiternum certè exemplum maluit imitari. Sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplar est pro æterno secutus. Cùm verò & mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & ejus author causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. Sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola comprehendi potest, & immutabile permanet.* In Timæo, pag. 720.

Manifestè hic perspicis primum summi Dei partum esse Verbum, seu Exemplar, quod in omnibus operibus suis in lucem edendis imitatus postea ille sit, utpote sempiternum & incorruptibile. Æternitas & immutabilitas huic exemplari disertis verbis à Platone vendicatur, sed & res ipsa clamat. Est enim ex dignitate summi & æterni opificis, sempiternum sequi & immutabile exemplar, ne in tempore videatur, quasi ex sera sui otii pœnitentia, consilium cepisse mundi condendi, & ejus sibi exemplaris prælineandi; denique ne videatur corruptibilibus & mutabilibus naturis formandis, & si quando opus sit reformandis, præstituisse exemplar mutabile, quo commutato omnia funditus sint interitura.

Hanc doctrinam unde hauserit Plato, ne Ipse quidem siluit. Ita enim ibidem: *Si quis hanc gignendi mundi causam præcipuam à prudentibus viris acceperit, rectissimè profectò accipiet.* Igitur suam hanc ille Theologiam non solis rationibus & argumentis superstruxit, sed fidei & authoritati etiam Sapientum, qui ita tradiderant, ita scriptis mandaverant. Inter hos Sapientes numerabis, si me audies, Salomonem, & quidem primo loco. Fuit enim ille hominum sapientissimus, de Sapientia non paucos scripsit libros & evulgavit, de mundi creatione non siluit; de Sapientia, quæ ejus creationi præfuit, & creanti Deo affuit, variis operum suorum locis prolixè disseruit; & ea disseruit, quibus finitima & quasi gemina sunt, quæ hic Plato docuit. Sed illud iterum iterumque commonebo, & à Salomone & à Platone Sapientiam describi, seu Causam mundi exem- Pag. 521.

di exemplarem, quæ & hypostasis sit a Patre distincta, & per quam Pater omnia crearit formaveritque. Inde enim id dilucidè efficitur, non posse Verbum in ordinem redigi, & in naturatum creatarum classes ablegari. Si creatura enim esset, aut alio exemplari opus fuisset ad eam procreandam, aut non omnia summus Parens ad exemplar pulcherrimum formasset. Si Verbum enim ipsum sine exemplari creaverat, quantò facilius reliquis creaturis fingendis supervacaneum duxisset exemplar?

Epist. 2. pag. 707.

XI. Quid illa Platonis ejusdem Epistolæ ad Dionysium, quàm mira, quàm luculenta sunt? *Ais enim, ut ille refert, non sufficienter tibi à me de prima natura demonstratum fuisse. Dicendum est igitur tibi nunc per ænigmata quædam; ut si quid huic tabellæ vel mari vel terræ contingat, qui eam legerit, intelligere non possit. Est autem ita. Circa omnium Regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse pulcrorum omnium causa: circa secundum secunda: tertia circa tertium. Humanus animus affectat qualia illa sint intelligere, aspiciens in ea quæ sibi cognita sunt. Quorum nihil sufficienter se habet. Sed in Rege ipso, & in his quæ dixi nihil est tale. Quod autem post hoc est, animus dicit.*

Vides quàm studiosè sua Sapientes & Philosophi illi occultarent, in aures discipulorum instillarent hæc arcana, scriptis rarissimè & paucis mandarent, vetarent in vulgus spargi: non quo tantum boni hominibus inviderent; sed forsan ne ea illis committerent, quæ ab illis profanari magis possent, quàm intelligi; atque adeo obesse potius, quàm prodesse. Ideo enim Plato negat se quidquam de his chartæ commisisse; si qua de his scripsit, eam non suam, sed Socratis fuisse doctrinam affirmat; Dionysio se multa de Deo dixisse, scripto reliquisse nihil; ne nunc quidem nisi brevissimè ad eum de his scribere; & obscuriùs scribere, ne profani intelligant; denique id se orare, ut hæc ipsa Epistola iterum iterumque perlecta, statim comburatur. Ita enim aliquantò pòst: *Maxima verò hujus rei custodia est, nihil scribere, sed addiscere. Nam quæ scribuntur, contineri non possunt; hac de causa nihil ego de iis scripsi unquam, neque est Platonis opus præscriptum aliquod, neque erit. Quæ autem modo dicuntur, Socratis sunt: qui vir etiam dum juvenis esset, virtute claruit. Vale: & nobis crede. Atque hanc Epistolam, cùm sepiùs eam legeris, statim combure.*

Etsi de his summæ Theologiæ decretis scripserat Salomon, multò prolixiùs, manifestiùsque, quàm non Moyses tantùm & Job scripserant, sed & quàm Plato ipse postea; idem tamen ille institutum secutus fuerat, ut conjicere licet, non divulgandi dogmatis sui, sed piis & prudentibus tantùm committendi, reliquis per symbola tantùm & ænigmata insinuandi. Inde est enim, quòd tam paucis Hebræorum fides Trinitatis concessa fuerit, quòdque Christus eam doctrinam primus Orbi infudisse de Patre, de Filio & Spiritu sancto meritò prædicetur.

Cæterùm hoc loco videtur Plato Regem omnium dixisse Patrem, propter Monarchiam Græcis Latinisque Patribus suprà tantoperè celebratam, & Unitatem principalem ac principantem à Patre repetendam, quòd Causa omnium ipse sit, & Filii etiam, ac Spiritus sancti Principium. Secundum & Tertium hìc Plato dicit Filium & Spiritum sanctum, eaque verborum licentia non paucos suprà attigimus ex Patribus, qui usi sint. Tres ergo hypostases apertè hic prædicat Plato, supra res omnes creatas incomparabiliter eminentes, & intellectu nostro adeo superiores, ut eorum quæ intelligere & dicere possumus, nihil prorsus tribus illis divinis Personis congruat. Non ait nihil horum, quæ intellectu, vel sermone nostro comprehendi, summo Patri congruere; sed tribus illis eminentissimis Personis. Incomprehensibilitas ergo unâ & eadem tribus illis adscribitur. *Humanus animus affectat qualia illa sint, intelligere: aspiciens in ea quæ sibi cognita sunt; quorum nihil sufficienter se habet. Sed in Rege ipso & in his quæ dixi nihil est tale.*

Quando autem in Epistola ad Coriscum ait Plato, *Contestandum esse Deum, rerum omnium ducem, præsentium & futurarum, ac ducis & causæ Patrem Dominum*; non est quod offensioni nobis esse debeat. Causa enim jure meritissimo nunc dicitur Pater, ut qui in ipsa Divinitate causa, hoc est, Principium sit secundæ & tertiæ Personæ; nunc rursus Causa dicitur Filius, quatenus idea & exemplar omnium est, sapientiaque & potestas, qua Pater Universum creavit.

Epist. 6. pag. 752.

Quàm religiosè autem Plato & quàm enixè cuperet, ut tota hæc de Trinitate doctrina solis Traditionibus non scriptis servaretur & propagaretur, sic rursus testatum id facere ipsemet voluit: *Hanc utique orationem digressionemque quicumque sequetur, planè intelliget, sive Dionysius aliquid de summis & primis naturæ scripserit, sive quivis alius, aut minor, aut major, nihil eum sincerum audivisse & didicisse eorum quæ scripsit, ut mea fert opinio. Alioquin pariter atque ego ipsa veneratus fuisset; neque ausus fuisset unquam temerè edendo, absurditati indecentique subjicere. Neque verò quasi in memoriæ subsidium illa scripsit. Non enim hac in re memoriæ diffidendum, si id semel animo fuerit comprehensum. Nam id totum brevissimè omnium est collectum. Fortè verò turpi quadam ambitione id fecit, vel tanquam sua hæc asserens, vel tanquam particeps disciplinæ, qua indignus erat, gloriam quærens.*

Epist. 7. pag. 752.

Non abs re est, quòd ne memoria quidem elabi posse contendit Plato sanum de Deo uno trinoque dogma, semel ei commendatum; ideoque nec chartis committendum esse. Nec enim res tam mira, tam sancta, & tam incredibilis, semel credita, & venerando magis credita, quàm perscrutando: potest animo unquam excidere, nisi excidat & religio ac veneratio divinæ incomprehensibilitati debita.

XII. Nec aliter Platonem interpretabatur Clemens Alexandrinus: *Is (Plato) apertè in Epistola ad Erastum & Coriscum, videtur nescio quomodo Patrem & Filium ostendere ex Scripturis Hebraicis.* Et mox: *Quando etiam dixit: Circa omnium Regem sunt omnia, & illius causa omnia: illum quoque omnium causam cum appellat, secundum autem circa secunda, & tertium circa tertia, non aliter ego intelligo, quàm sanctam significari Trinitatem. Nam tertium quidem esse sanctum Spiritum, Filium autem secundum, per quem facta sunt omnia ex voluntate Patris.*

Strom. l. 5. Pag. 436.

CAPUT XXXVI.

Philonis Judæi doctrina de pluribus unius summæ Deitatis Hipostasibus & Personis.

I. Quæ nos causa adduxerit, ut à cæteris Platonicis Philosophis hic percunctandis abstineremus, à laudando Philone non abstineremus.

II. Philonis sententia de idea & materia; de mundi opifice Deo, ad exemplar ejus perfectissimum in mente opificis.

III. De eodem rursus Verbo & Exemplari.

IV. Ubi Philo à Moyse & Platone discedens, & ingenio suo indulgens plus æquo, ad puriles ineptias defluxerit.

V. Sa-

V. Senior Philonis sententia, de Sapientia mundi secundùm Deum architecta.

VI. Rursus ineptit Philo, & eum Qui est secernit à Deo & Domino.

VII. Agnoscit tamen semper Philo Verbum, ut antiquissimum Dei Filium.

VIII. Quas socias Deo virtutes adjungat Philo in rerum administratione, & quò eas Ideis consociet.

IX. Ipsum Esse sit Deus, an ipsum Unum & Bonum, ex Philone.

X. Quid peccatum sit à Philone in sua de Deo, de Ideis, de potestatibus, vel hypostasibus divinis doctrina.

XI. Pulcherrima Isidori Pelusiota testimonia de Philone, & de ejus de Trinitate sententia.

XII. Ex Chrysostomo quàm unus sit Deus & Dominus, cum eo qui est ipsum Esse, adversùs Philonem.

I. PLatoni adjungendi fuissent Plotinus, Proclus, Jamblichus, ut & eorum doctrina ostenderetur, tum Platoni, tum Christianæ Scripturæ & doctrinæ mirum in modum consentanea in negotio divinarum trium Hypostaseon. Deterruit me abeo proposito, quòd hujus Tractatus ea jam sit prolixitas, ut & meipsum ejus pudeat; & quòd in uno Platone schola ejus omnis, omnes discipuli ita contineantur, ut actum agat, qui hos omnes sigillatim percunctari aggrediatur. Accedit ad hæc, quòd cùm cæteri hi Platonici non orbi illuxerint, non scripserint, nisi Christiana & Catholica Theologia & scriptis & concionibus orbi annuntiata, minùs mirum sit, si quos illi hinc rivulos in sua scripta deflexerint. Potuisset hæc postrema ratio avocare me etiam à Philonis sententia hoc Capite explananda. Sed non pauca fuere, quæ me à proposito abduci non sinerent. Primum quidem, quòd ex Hebræis præter Scripturas nullos, ex Gentilibus autem complures ante Ecclesiæ Christianæ exordium Scriptores habuerim, quorum sententias rogarem. Adde quòd Philo inter ipsa Ecclesiæ & Apostolicæ prædicationis primordia scripserit, nondum Theologia nostra tam manifestè, tam longè latèque promulgata, quàm postea sub Plotino, cæterisque Plotino posterioribus Platonicis Philosophis. Ex quo fit, ut quæ nostro de hoc argumento dixit Philo, ea à majoribus suis & à sapientibus Hebræorum accepisse jure videri possit. Denique in nostris his omnibus de Theologico dogmate lucubrationibus crebertima fuit Platonicorum mentio: at Hebraicæ seu Philosophiæ seu Theologiæ vix aliquem gustum cepimus.

II. Igitur in Tractatu *de Mundi opificio* Philo, illud præfatus, Moysen & Philosophiæ studio, & divinis oraculis claruisse; statim illum ait perspicuè animadvertisse, duo esse necessaria, Agens & Patiens, Deum & Materiam, seu Mentem & materiam; porro Mentem multò præstantiorem esse, non solùm quàm materiam, sed & quàm virtutem; immo quàm ipsam Ideam Boni & Pulcri; sic enim interpretari par est αὐτὸ τῆς ἀγαθὸν, καὶ αὐτὸ τὸ καλόν; non ut habet vulgatus interpres, *ipsum summum Bonum, & summum Pulchrum*. Quippe ipsum summum Bonum & summum Pulchrum summus ipse Deus est Pater; at ipsum Bonum & ipsum Pulchrum Idea est boni & pulcri in Verbo consistens. *Moyses tum Philosophiæ fastigium assecutus, tum oracula de præcipuis naturæ arcanis edoctus, animadvertit duo esse in rebus necessaria: alterum causam agentem, alterum quod ab agente afficitur; præterea agens illud esse hujus universi mentem sinceriss imam ingentissimamque, præstantiorem, quàm sit virtus aut scientia, immò quàm ipsum summum pulchrum: alterum autem illud passioni obnoxium, inanime & suapte natura immobile.* Nec multò pòst Moysen Platoni concilians Philo, ait vidisse Moysen non posse quid-

Philo, pag. 4 4 5 6

quid sensibile est, esse vel ingenitum, seu increatum, ἀγένητον, vel æternum. *Magnus ille Moyses longissimo intervallo distare existimans rem visibilem ab infecta: quandoquidem quidquid sensui subjectum est, generationi mutationique obnoxium, nunquam eodem statu manet: invisibili & mente sola prehensibili naturæ æternitatem, tanquam germanam cognatamque attribuit; de sensibili verò generationem tanquam proprium vocabulum predicat.* Quin & illud mox addit, priusquam Orbem universum conderet Deus, Archetypum exemplar ejus & intelligibile atque Deo simillimum apud se formasse, & ad ejus imaginem mundum sensibilem condidisse. *Deus enim ubi pro sua Deitate previdit, imitamentum pulchrum non posse absque exemplari pulchro existere, nec sensibile quidquam reprehensionis expers fore, quod non archetypo intelligibilis idee respondeat; postquam decrevit visibilem huncce mundum condere, priùs formavit simulachrum ejus intelligibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi, corporeum absolveret mundum, recentiorem hunc antiquioris effigiem, totidem complexurum sensibilia genera, quot in illo intelligibilia. Mundum autem illum qui ex ideis constat, nefas est loco ullo dicendo cogitandove circumscribere: sciemus tamen quo pacto consistat, si consideraverimus aliquam rerum nostratium similitudinem, quoties condenda est urbs cura Regis alicujus, aut Imperatoris pro fortuna magnifici.*

Non aliter inquit Philo, quàm Rex potentissimus quispiam magnificentissimam civitatem exædificaturus, priùs Architectum adhibet, & in mente Architecti ideam futuræ civitatis delineatam. Divini certè opificii ideas planum est ex Philone nusquam esse posse, nisi in Verbo Dei. *Quemadmodum igitur illa in Architecto præsignata urbs locum extra nullum habuit, tantùm impressa artificis animo: eodem modo ne ille quidem ex ideis constans mundus alibi locum habere poterat, quàm in Dei Verbo, quod adornavit hæc omnia. Quis enim alius possit esse locus virtutum Dei, idoneus ad concipiendas non dico omnes ideas, sed vel unam quampiam earum simplicissimam?* Ne tu hinc cum Arianis colligas æternum non esse Verbum, aut occasione tantùm mundi condendi à Patre creatum: æternitati enim Verbi apertissimè suffragabantur Platonici. Adde quòd quanquam priùs à Deo prodierit Verbum mundi exemplar, quàm mundus, ineptissimè tamen inde concluditur, aliàs non proditurum fuisse Verbum, aut paulò ante mundum illud à mente Patris prodiisse.

III. Subdit vehementer sibi probari prisci cujusdam sapientis sententiam, Platonis est, creatricem orbis virtutem ab ipso Boni sursum fonte manasse. Quippe Bonus cùm sit Pater conditorque omnium, materiæ & sensibilis totius naturæ inopiam relevare & locupletare constituit, non toto bonorum & gratiarum fonte, sed tanto quantum infima hæc natura capiebat. *Est autem virtus etiam mundi effectrix, à vero bono, ceu à fonte oriunda. Nam si quis vellet causam hujus universalis opificii perscrutari, non aberraret opinor à scopo, si diceret quod quidam priscus sapiens: Bonum esse Patrem conditoremque, ideòque suapte naturæ bonitate non invidisse substantiæ, nihil boni ex seipsa habenti, quæ tamen quidvis fieri poterat. Eras enim ex seipsa expers omnis qualitatis, indigesta, inanimis.* Et mox: *Attamen non pro magnitudine gratiæ sua beneficus est, nimirum infinitæ ac incomprehensibilis: sed attemperat se ad vires eorum, quos dignatur suo beneficio; nec enim sicut Deus ad beneficiendum natura propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia. Illius enim potentia longè superat; at hujus infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberetque nisi Deus pro cujusque portione mode-*

moderaretur suam, rationem. Quæ si cui libeat apertioribus uti vocabulis, nil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quàm Verbum Dei jam mundum condentis.

Non suam hanc, sed Moysis esse sententiam testatur Philo. Quippe cum Moyses dicat hominem ad imaginem Dei creatum esse, quantò magis mundum hunc universum? At imago illa exemplaris, & princeps, ad quam conditus & delineatus est mundus, ipsum est Dei Verbum. *Moysis enim est opinio hæc, non mea. Ergo hominis generationem aggressus scribere, procedente sermone disertè fatetur, formatum eum utique ad Dei imaginem. Quod si pars imago est imaginis, patet quod etiam tota hæc species. Videlicet universus hic mundus, qui magis quàm homo refert divinam imaginem. Liquet autem quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum, Verbum Dei.*

IV. In his Philonis placitis mirari fas est Platonis cum Moyse concentum; & trecentis, aut quadringentis post Platonem annis doctissimum Hebræorum ei concordiæ suffragantem, eoque prodentem ab ea non abhorrere gentem tum suam. Commodè hæc hactenus omnia, sed non semper Philo tam tenax fuit, vel Mosaicæ doctrinæ, vel Platonicæ Mosaicis traditionibus inhærentis. Indulsit alibi Philo ingenio suo, & indulsit plus æquo: indulsit & divinandi potiùs, quàm philosophandi libidini, Audi tantisper ipsum de animæ suæ divino quodam furore & vaticinio sibi blandientem, atque ita ad puriles ineptias defluentem: *Quin & doctius quiddam audisse memini à mea anima, quæ nonnunquam divino spiritu correpta, solet ne sibi quidem nota prodere oracula: quod, si reminisci potero, dicam. Dicebat autem mihi: Secundum unicum illum verum Deum esse duas supremas primariasque potestates, bonitatem & potentiam. Et bonitate quidem universa esse condita; potentia verò, creaturas omnes gubernari. Tertium verò conciliatorem amborum medium esse sermonem, sive rationem. Hoc enim sermone Deum & bonum esse & principem. Itaque harum duarum potestatum, principatus bonitatisque, hæc Cherubim esse symbola: sermonis autem flammeum gladium. Velocissimus enim & calidus sermo est, præsertim causæ illius summæ: quia & tempore prævenit omnia, & ante omnia intelligitur, & elucet in rebus omnibus.*

Sic ille in tractatu de Cherubim post primum & summum Deum, duas statuit alias virtutes, δυνάμεις, bonitatem & potentiam, ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν; illam mundi creatricem, hanc gubernatricem; quibus accederet tertius quasi Conciliator & Mediator, Verbum, λόγος. Et hæc & quæ mox adduntur non illibenter confiteor me omnino non capere; quin & vehementer dubitare, an Philo ipse satis caperet, quæ de his scribebat. Non facilè dixerim Platonicos ille in his, an Christianos imitaretur, audaciùs, quàm sapientiùs. Nam & Christiani & Platonici ternas in uno summo Deo hypostases prædicabant; Philo ergo posse se forsan confidebat Trinitatem aliam, ut plurium divinarum personarum in unum Numen conspirationem invehere. Sed non tam auspicatò illi res ista cessit, quàm Moysis, vel Christi sectatoribus, immo nec quàm Platonicis, qui ad Moysen primò utcunque, postremò ad Christum plerique saltem eorum se adgregarunt; cùm Philo in his uni sibi placuerit, ac præterea nemini.

V. Sed ne à Moysis & Platonis institutis defeciisse prorsus Philonem suspicari possis, audi quid ille dicat in Tractatu *de Temulentia*, de summo rerum omnium Opifice Deo, & de earundem omnium matre, sapientia, convenienter Salomonis præceptionibus: *Proinde rerum opificem Patrem quoque suæ creaturæ juste possumus dicere. Matrem autem, scientiam ipsius, cùm qua congressus Deus, non humano more, proseminavit creaturam. Illa verò Dei semine concepto, enixa est justo partu unicum illum dilectum sensibilem Filium mundum hunc. Quapropter à quodam divino inducitur sapientia de seipsa loquens in hunc modum: Deus creavit me primam operam operum suorum, & ante sæcula fundavit me. Necesse enim erat ut mater nutrixque omnium rerum creaturas omnes ætate antecederet.*

VI. At vide rursus, ut novæ & suæ, quàm antiquæ & veræ doctrinæ cupidior Philo, ineptiat, ubi minimè decebat, in explicanda summi Dei natura. Cùm enim testificentur Scripturæ & Noemum, & Moysen placuisse Deo, commentatur Philo Noemum Domino, Deo, quæ sint virtutes Dei, magis quàm Deus; at Moysen placuisse, non divinis quibusdam virtutibus, sed ipsi Deo, scilicet ei qui Est. Philonis jam ævo in Ecclesia Christiana invaluerat, ut quanquam & Pater & Filius Deus, & Dominus summus idemque prorsus crederetur, frequentissimè tamen Dei nomen Patri, Domini nomen Filio tribueretur, ne rudes adhuc homines suspicarentur duos à nobis Deos prædicari. Hìc verò Philo summum omnium, Eum qui Est, distinguit à Deo & Domino, & duas has posteriores hypostases, seu virtutes illi postponit. Sic enim ille in Tractatu, *Quod Deus sit immutabilis: Itaque* Pag. 309. *si quis me roget, quænam sit causa mundi creati, à Moyse doctus, respondebo, ejus qui est bonitas, antiquissima suarum gratiarum omnium. Ubi observandum quod ait, placuisse Noe potentiis ejus Qui est, Domino & Deo: Moysen verò ipsi regi potentiarum, cujus etiam absque illis sola noscitur essentia. Ad hunc enim ex persona Dei dicitur: Inveniisti gratiam apud me: ostendendo seipsum absque omni altero. Adeo Moysis summam sapientiam gratia dignatur, is Qui est per seipsum solum: expressam autem ex hac imaginem, jam secundariam, & specialiorem, per potentias subditas. Quapropter Dominus & Deus, princeps est & beneficus.*

VII. Non tantum sibi tamen unquam sumpsit Philo, ut non Verbo primas semper concederet, tanquam antiquissimo summi Patris Filio, supra quascunque virtutes, sive hypostases illas novellas, quas sua illi anima, an fingendi libido parturiebat. Vide enim quàm præclarè antiquissimum hunc Filium, πρεσβύτατον υἱὸν, cæteris omnibus anteponat, splendidissimo Orientis nomine in Scripturis designatum. Libro *de Confu-* Pag. 329. *sione Linguarum: Ex Moysis quoque socio quodam audivimus dictum hoc, Ecce homo cui nomen Oriens. Nova appellatio, si intelligatur de homine qui constat ex anima & corpore; sin autem de illa incorporea Deum referente imagine, fateberis ei nomen hoc inditum aptissimè. Hunc enim antiquissimum Filium rerum omnium Pater exoriri voluit, quem alibi primogenitum nominat: qui genitus mox Patrem imitatus est, & qualia vidit apud eum exemplaria, tales formavit species.*

Eundem inferiùs vocat Primogenitum Verbum, Archangelum multorum nominum, Hominem factum ad imaginem, hoc est Ideam ipsam rationalis naturæ, cujus hortatur ut Filii esse connitamur, si necdum possumus summi Parentis filii evadere. *Quod si nondum quisquam est dignus,* Pag. 342. *ut Dei Filius appelletur, tu tamen da operam, ut ornatus sis sicut Verbum ejus primogenitum, Angelus antiquissimus, & quidam variarum appellationum Archangelus: videlicet principium, nomen Dei Verbumque dictus, & homo factus ad imaginem, & videns ille Israel. Quamobrem superius adductus sum, ut laudarem eos, qui sui generis initia referunt ad unum virum communem*

Pag. 244. *paren-*

parentem. Nam si nondum idonei sumus, ut nominemur Dei Filii, simus saltem sermonis illius sacratissimi, qui ejus sempiterna imago est; imago enim Dei est Verbum illud antiquissimum.

VIII. Virtutes, seu Potentias alibi asserit Philo multas Deum habere socias in mundi administratione; & per eas compingi mundum intelligibilem, in quo habitant exemplaria invisibilia naturarum omnium invisibilium, quibus omnibus unus præest sumus Deus & Rex; cùm nec in Universo, nec in humano genere Regum multitudo possit non exitio esse. Hìc Philo videtur virtutes istas Dei adjutrices Ideis, id est Verbo, consociare in mundo intelligibili. *Dicendum igitur illud primum nihil in rebus æquiparari Deo; sed hunc esse unum Regem, ducem, principem, à quo solo fas est administrari ac dispensari universa. Nam illud, Multos imperitare malum est, Rex unicus esto; non ad civitates & homines magis pertinet, quàm ad mundum & Deum. Unum enim unius factorem, Patrem, Dominum esse, necessum est; quo concesso, attexenda sunt quæ inde consequenter dependent. Quænam illa? Deus cum sit unus, dici non potest quàm multas habeat socias potentias, quæ salutem rerum procurant, quædam etiam plectunt noxios. Ea verò pœna non est damnosa, cùm peccata castiget ac cohæreat; per has item potentias ille incorporeus intelligibilisque mundus compactus est, exemplar huius mundi visibilis: quod constat ex ideis invisibilibus, sicut hìc noster ex corporibus visibilibus.*

Pag. 345.

Paulò dilucidiora sunt, quæ habet Philo libro *de Monarchia*, ubi orantem, ut Deus sin minùs sese, suam saltem gloriam suasque Potestates ostenderet, hoc ipsemet solatur responso, Suas has potestates, δυνάμεις, invisibiles etiam esse, & sola mente percipi posse, nec à mortalibus nobis comprehendi posse; posse tantùm spectari in rebus corporeis, quibus ipsæ ceu sigilla quædam ceræ imprimuntur; has enim Ideas jure & esse & dici, quarum sempiterna est natura, nec ab homine attingi potest, nisi in imagine corporeis naturis impressa. Hìc jam perspicuè patet, id conari Philonem, ut Ideas rerum omnium velut hypostases sejunctim existentes constituat, intelligibiles, sempiternas. Quam doctrinam Platoni affinxere nonnulli, cùm nobis quidem propiùs à vero abesse videatur, locatas non esse ab eo Ideas, nisi in mente divina, seu in Verbo. En verba Philonis, orantem primò Moysen inducentis, tum postea Deum respondentem:

Pag. 818. *Oro tamen ut saltem gloriam tuam videre liceat: gloriam dico potestates, quarum stiparis satellitio, quæ hactenus ignoratæ miro me torquent cognitionis desiderio. Tum Deus; Quas queris potestates, utique intelligibiles sunt, non visibiles, sicut ipse sum invisibilis & intelligibilis. Intelligibiles, inquam, non quod jam intellectæ sint, sed quia si comprehendi possent, duntaxat mente, non sensibus, essent comprehensibiles, cùm mentis nativus vigor talium rerum sit capacior. Attamen quamvis earum essentia sit incomprehensibilis, videre licet sigillum quoddam & effigiem earum efficacie: quemadmodum apud vos anulis in ceram impressis similemve materiam exprimuntur figuræ variæ, & quidem integræ omnibus suis partibus: tales cogitandæ sunt potestates, quæ mihi astant pro apparitoribus, & qualitates formasque addunt rebus qualitate formaque carentibus, absque ullo sempiterna suæ naturæ detrimento. Hæ non temerè Ideæ nominantur à quibusdam vestratibus, quia singula ἰδιοποιοῦσι, hoc est suam cuique reddunt proprietatem; inordinata redigunt in certum ordinem; infinita, indeterminata, informia formant, definiunt, terminant, & in universum deteriora in melius reparant. Non est igitur quod speres te percepturum unquam vel meipsum, vel ullam è meis potestatibus. Quorum autem capax es, libenter, ut dixi facio tibi copiam; putebit tibi mundi & eorum quæ in ipso continentur spectaculum.*

Paucis mutatis possent hæc Philonis conciliari sano & Theologico dogmati, si non ab illo in harum Virtutum, seu Potentiarum, sive denique Idearum classes Filium & Spiritum sanctum abjecisset, quos videtur ipse Dei ac Domini nomine designasse, & reliquis quidem virtutibus anteposuisse, sed tamen intra eundem ordinem, summo Deo multò inferiorem, quem ipse lubentiùs Ens vel Esse ipsum vocat. Audi ut breviter hæc edisserat Tractatu *De victimas offerentibus*: *Annon* Pag. 1.
vides circa ipsum Ens primarias maximasque potentias, beneficam & ultricem? beneficam Deum nominant, quoniam hujus opera mundus conditus & ornatus est: alteram verò Dominum, penes quam est rerum universarum imperium. Deus non hominum tantùm, sed & deorum est Deus, magnus, verè ens, & pollens, potensque.

IX. Summum quidem Deum ipsum ita videtur Philo descripsisse, ut Moysi, quàm Platoni accedere maluerit. Nec injuria: quamquam ea sit verborum magis, quàm rerum & sententiarum discrepantia. Plato enim id convenientius existimaverat, Deum dici ipsum Unum, vel ipsum Bonum, quàm ipsum Esse: Moyses ipsum Esse dici credique sanxerat. Vocum hæc est, non doctrinæ conflictatio. Tria ea enim, Unum, Bonum, Ens, unum idemque prorsus sunt, etsi menti nostræ circa ea versanti, & suas semper angustias secum gestanti, ut tria quædam occurrant. Unum illud est, quod Philoni non immeritò objici possit, parum constanter ab eo dici Deum esse ipsum Esse, & tamen Ideas ab eo plus æquo segregari. Nam Plato Ideas in Mente, seu Ente, seu Verbo collocaverat, & summum Deum ut à multitudine summotissimum, in summo quodam culmine ineffabilis simplicitatis locaverat in Uno & Bono, supra Ens, supra Mentem, supra Ideas. Ita ergo Philo in libro *de Vita Contemplativa*, de Essenis agens, seu de Philosophis Hebræorum: *Quia didicerunt à natura & è sacris legibus colere illud Ens, & bono melius, & uno sincerius, & unitate in generando antiquius, atque ut ita dicam principalius, horum pietati quos tandem meritò comparabimus.* Et infrà in libro *de Præmiis & Pœnis*, ubi docet Contemplatori à Deo roburaddi, non ut videat quid sit Deus, sed quòd sit: *Addidit robur visus, nec invidit sui cernendi copiam, quantum natura humana capax fuit ejus spectaculi; videlicet ut sciret esse Deum, non quis sit. Nam is & bonitate ipsa melior, & unitate antiquior, ac sincerior, non potest spectari à quoquam alio; ideo ipsi soli fas est à seipso percipi.*

Pag. 1.

X. Postremò denique Philo in Tractatu *de Legatione sua ad Caium*, Deum quidem ingenitum prædicat esse primum Bonum & Pulcrum, πρῶτον ἀγαθὸν, καὶ καλόν; immo ipso Bono meliorem, & ipso Pulcro pulchriorem, Beato beatiorem; ut verò sit ipsum Esse, à nulla creata mente attingi posse; homines autem ne posse quidem ascendere ad manifestationem Potestatum Deum stipantium, creatricis, regiæ, provisoriæ, præmiatricis bonorum, ultricis malorum, quæ & ipsa benefica est, cùm ipsæ sceleratorum pœnæ bono eorum cedant. *Quantum putamus ad honestatem virtutemque præ-* Pag. 9.
sidium contingere animæ, si emergens supra omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit, summum illud bonum, pulcrum, felix beatumque, & quod verè dicere licet bono melius, pulcro pulcrius, beato beatius, felicitate ipsa felicius, & si quid dici potest perfectius. Non potest enim sermo assequi & attingere Deum superiorem se modis omnibus; sed retro relabitur, cùm non possit propriis nominibus ceu gradibus ascendere ad manifestationem, non dico ejus Qui est, quem ne totum quidem cœlum in vocem articulatam versum potest eloqui; sed vel potestatum eum stipantium, crea-

creatrices, regias, prætorias, carcerumque, bonis præmia, malis pœnas dispensantium. Siquidem etiam ultrices collocandæ sunt in beneficarum ordine: non solum quia juris sunt pars, quod naturaliter constat & absolvitur ex honore bonorum vindictaque malorum; verùm etiam quia non raro animadversio castigatos peccatores reducit ad mores sobrios; aut certè obsistit quominus pergant in suis sceleribus.

Igitur de summo Deo & Patre non incommodè fortan sensit Philo, seu Platoni, seu Moysi hæreret: at nec Moysi, nec Platoni omnino consentiebat in iis quæ spectant ad Verbum & ad Spiritum sanctum, quos Ideis adgregabat; item ad Ideas, quas à Deo nimio plus segregabat; denique ad Angelicas substantias, quarum functiones & munia Ideis demandabat. In hos scopulos impegit Philo, dum divinatrici animæ suæ jactantiùs, quàm sapientiùs obsequeretur. Inde contigit, ut ejus doctrina brevi exoleverit, nec in ulla consenuerit schola. Ex his tamen omnibus in unum conglobatis illud emicat, utcumque vidisse Philonem, non posse non plures in Deo hypostases admitti, etsi eo semel ita constituto, in ejus doctrinæ explanatione sæpiùs allucinaretur.

XI. Ad Philonis commendationem spectant, quæ habet Isidorus Pelusiota, ubi in Veteri Testamento venatur documenta nostræ de Trinitate fidei, eaque ne Philoni quidem ipsi incomperta docet fuisse. Putà ubi de Imagine Dei disputat homini insculpta: *Nam qui unum Deum esse dicit, non ad unitatis numerum, verùm ad Trinitatis mysterium concurrit: cujus in veteri quoque Testamento doctrina inspersa est: adeo ut etiam Philo, licèt alioqui Judæus, & quidem ingenti zelo præditus, per ea ingenii monumenta quæ reliquit, cum sua religione pugnam inierit. Illud enim quod à Deo dictum est, perpendens, Ad imaginem Dei fecit hominem, à veritate ipsa compulsus atque adactus est, ut Dei quoque Verbi divinitatem assereret.* Et infrà: *Neque id hoc dumtaxat loco ipsi contigit: verùm etiam cum illa verba, Deus & Dominus, exponere conatur, regiam Trinitatem hoc habere dixit, ut & ea quæ omnino divisioni subjiciuntur, unitate ac singularitate superet, & ea quæ verè singularia sunt, copia vincat.* Et rursum pluribus ex Philone perstrictis: *Verùm illud cogita, quod divinitatis doctrinam haudquaquam in unam personam concluserit, quemadmodum imperiti Judæorum magistri, anticipata quadam opinione detenti, profitentur.*

Isid. Pelus. l. 2. Epist. 143. pag. 188.

Denique ita Isidorus, cur obscurè tantùm apud Hebræos Trinitas prædicaretur, cùm ab eis omnino non ignoraretur: *Quod si quis quærat quidnam causæ sit, quamobrem non apertè ac dilucidis verbis hæc principio prædicata fuerint, hoc illi responderim: primùm quidem ac maximè, iis qui prudenter & acutè audiunt claram ac lucidam esse hanc demonstrationem atque doctrinam, quemadmodum etiam erudito viro Philoni visa est. Atque ut etiam demus eam obscurè & adumbratè traditam fuisse; illud considerare operæ pretium fuerit, quod quoniam Judæis, qui ad plurium Deorum cultum propendebant, leges perscribebat, personarum discrimen esse minimè dixit: ut ne ipsi diversam quoque in personis naturam esse profitentes in idolorum cultum laberentur: verùm de unius principatus atque imperii dogmate priùs eruditi, personarum doctrinam paulatim addiscerent. Sic nempe, ut quæ unicè ac singulariter dicerentur, eandem naturam esse declararent, quæ autem singularem numerum excederent, personarum proprietatem, quæ in unam essentiam colligeretur, indicarent.*

Ibidem, pag. 190.

XII. Id confirmat Chrysostomus, non expressè ac manifestè Filium Dei prædicatum Judæis fuisse, ne in pristinos suos de pluribus Diis errores revolverentur: quin & unum illi Deum in Scripturis inculcatum fuisse, sed non excluso tamen Filio. Denique Paulum ipsum id affectasse, ut Patrem vocaret Deum, Filium Dominum, ne vel Gentilibus, vel Hebræis suspicio oboriretur de pluribus Diis, aut Dominis ab Ecclesia promulgatis. Porro unam esse vim & significationem utriusque vocis, Dei ac Domini. Quæ ideo huc contuli ex Chrysostomo, ut intelligas, quàm inconsultè Philo Dominum & Deum sejungeret in duas personas, easque summo Deo, qui ipsum Esse est, postponeret. Sic ille homilia quinta de incomprehensibili Dei natura: *Sed quemadmodum, inquis, Paulus hoc loco Deum appellat, Filium autem Dominum? Non temerè, nec sine causa id facit; sed quòd adversùm Gentiles ageret, qui Deorum opinione plurimùm laborarent, ne illi dicerent: Cùm nobis Deorum aut Dominorum plurium cultum vitio des, ipse eidem es obnoxius crimini, cùm Deos dicas, non Deum. Idcirco indulgens imbecillitati eorum, nomine Filium appellavit diverso, quod tamen vim eandem omnino obtineret.* Et nonnullis ex Scriptura testimoniis interpositis: *Hinc etiam, unus, addidit; ne Deos item plures introduci illi arbitrarentur. Et quamvis Patrem Deum unum appellet, tamen non à deitate secludit Filium: ut etsi Filium Dominum unum dicit, non tamen removet Patrem à dominatione; sed imbecillitatem emendat gentium, nec ullam vult dare occasionem. Quod idem certè causa etiam fuerat, quamobrem non expressè ac manifestè, sed obscuriùs raròque à Prophetis Filius Dei Judæis significaretur. Quod enim ipsi nuper errore Deorum plurium essent abjuncti, si iterum Deum & Deum audivissent, prorsus ad morbum animi reverterentur.*

To. 1. pag. 382. 383.

CAPUT XXXVII.

Tertulliani de Trinitate doctrina prorsus orthodoxa.

I. Quàm temerè suspicati sint quidam Patres Nicæna Synodo anteriores Ariane vesaniæ prælusisse.

II. Quod Tertullianus tradit olim visum & auditum non Patrem fuisse, sed Filium, non ad naturæ, sed ad personalium proprietatum diversitatem id spectat.

III. Tertulliano cùm Deus sit summum Magnum, non potest Filius dici Deus, nisi summum Magnum, & idem cum Patre Deus dicatur.

IV. Christus Filius, ex ipsa Patris substantia; nec imminui potuit, nisi induendæ carne nostræ.

V. Visibilis Filius factus non est, nisi per corporeas species assumptas, cùm ne Angeli quidem aliter visibiles sint. Filium autem magis decebat, quàm Patrem, ut carnem, ita & alias priùs species assumere visibiles, & ita videri.

VI. Quàm nihil objici possit Filio Deo, eorum quæ objiciebat Tertullianus materiæ Hermogenis ingenitæ.

VII. Increatam esse illam apud Salomonem Dei Sapientiam, & Patri æqualem, ex Tertulliano.

VIII. Quomodo dicatur Deus Sapientiam suam condidisse ad opera sua.

IX. Apertiora Tertulliani Catholica de Trinitate fidei testimonia.

X. Quo differat œconomia in Incarnatione & in Trinitate: ut cum Monarchia consentiat; ut una Patris & Filii sit Monarchia, una Deitas.

I. EA inhæsit non paucorum mentibus suspicio, sanctos ipsos Patres ante Nicæni Concilii tempora non aliter de Trinitate sensisse,

se, quam postea Arianos. Mera fuit ea hominum doctorum indoctorumque incogitantia. Si res enim ita habuisset, quibus telis impeti, quibus machinis expugnari potuissent Ariani semel exorti, & Tragœdias agentes toto orbe Christiano? An Scripturis? at iis illi etiam confidebant, & invitas trahebant in sua placita. Denique superiori Tractatu fusissimè & validissimè, ut spero, demonstratum est, non aliter Scripturas, quàm ex Patrum consensione, & antiquis Traditionibus interpretandas esse; alioqui infinitas ex illis lites & quæstiones seri posse, & terminari vix posse. An Traditionibus? at sancti Patres Traditionum ignari non erant, quin ipsi maximè illis fidebant, illas firmabant. Postremò id ratum semper fixumque in Ecclesia Catholica fuit, unam semper eandem & incorruptam viguisse fidem, omnibus sæculis & regionibus terrarum: nec in Conciliis novarum quicquam unquam fuisse, sed priscam semper doctrinam Patrum & Ecclesiarum in illis retentam, novis documentis illustratam fuisse, atque ita ad posteros transfusam, qualem Majores in Concilii ipsius Episcopos transfuderant. Sed nequa tam sinistræ suspicionis umbra supereſſe possit in cujusquam animo, conveniendi sunt nunc nobis illi ipsi antiquissimi Patres, & de sua in hoc negotio sententia singuli percontandi audiendique, quanta maxima fieri poterit diligentia.

II. A Latinis initium ducemus, & ab ipso primùm Tertulliano, qui Filium Dei fuisse affirmat eum, qui Moysi loquebatur, & qui semper videbatur, aliis aliisque figuris obumbratus; Patrem enim à nemine unquam videri potuisse, dum mortalis hæc vita ab homine agitatur. En verba Tertulliani in libro adversùs Judæos: *Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur: Deum enim Patrem nemo vidit unquam, & vixit: & ideo constat ipsum Dei Filium Moysi esse locutum, & dixisse ad populum: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est, populi, qui te custodiat in itinere, & introducat in terram quam præparavi tibi.* An poterat Tertullianus non eum habere verè Deum, quem Filium Dei appellabat? cui Patrem Deum assignabat, non Dominum? quem ait pollicitum esse mittere Angelum suum ad Israelitas deducendos in Terram eis desponsam? Hæc omnia divinæ, non angelicæ sunt insignia & naturæ & potestatis.

Tertullian. pag. 132.

Quod verò ait Tertullianus Filium Dei semper videri solitum, Deum autem Patrem neminem videre potuisse & vivere: nom naturæ in Filio divinæ inficiatio ea est, sed personæ & proprietatis Filii declaratio. Apertissimè enim Christus professus est per Filium & in Filio videri Patrem, nec aliter videri posse: Nec enim aliter quàm per Verbum auditur Pater; non aliter quàm per splendorem suum videtur. Ita utrumque constat, & non audiri Patrem, & per Verbum tamen suum audiri: & non videri Patrem, & per Splendorem tamen, seu Filium suum videri. Si urgeas tamen invisibilem Patrem non ejusdem esse posse naturæ, ac visibilem Filium: obvia est responsio, ne Filium quidem videri potuisse, nisi per assumptam speciem quandam sensibilem; ideoque si de natura ac substantia agitur, tam invisibilem esse corporeis oculis Filium, quàm Patrem. Cùm ergo non agatur hîc de natura, quæ in Angelis ipsis ejusmodi est, ut corporeis oculis impervia sit, quantò magis in Verbo? agitur ergo de proprietate Patris & Filii, seu Verbi: ubi statim patet multò convenientius esse, ut Filius, ut Verbum, aut lux intelligibilis hominibus se accommodet, & per ascititias species eorum se aspectibus offerat, quam Pater; cujus proprietas ea est, ut penes eum tota resideat divinæ amplitudinis majestas, & inaccessa incomprehensibilitas.

III. Possent & ex Tertulliano hîc promi, quæ ab eo adversùs Marcionem disputantur, duos admittentem Deos. Contra enim ille arguit, Deus si unus non est, ne Deus quidem est. Est enim omnium hominum consensione, & naturæ ipsius magisterio, Deus summum Magnum; at summum Magnum non potest esse nisi unum. summum enim est, cui nihil adæquatur. Si duo autem essent summa Magna, alterum alteri adæquaretur: *Sed veritas Christiana districtè pronuntiavit, Deus si non unus est, non est; quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit.* Et mox: *Nemo enim negabit Deum summum Magnum quid esse, nisi qui poterit Deum, imum, modicum quid econtrario pronuntiare; ut Deum neget, auferendo quod Dei est; qua erit jam conditio ipsius summi Magni? nempe ut nihil ei adæquetur, id est, ut non sit aliud summum Magnum: quia si fuerit, adæquabitur: & si adæquabitur, non erit jam summum Magnum.* Et rursum: *Proinde Deus cùm summum Magnum sit, rectè veritas nostra pronuntiavit: Deus si non unus est, non est.* Et tandem: *Nec aliter summum Magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit.* His ad hunc modum præstructis non poterat Tertullianus non confiteri Filium ita Deum esse, ut & summum Magnum esset, perinde ut Pater; & unus cum eo Deus esset, unicusque, atque ita parem non habens; ut Patri non par, sed unus cum eo Deus. Deum autem Filium & Scripturæ Novi Testamenti apertissimè prædicant, & Ariani ipsi confitebantur. Cùm ergo hi non aberrarent, nisi quòd Christum Deum quidem agnoscerent, sed Patri inæqualem, eoque minorem; non poterat in eadem cum his doctrina versari Tertullianus, cui certum erat Deum esse summum Magnum; qui non tantùm nullo minor esset, sed & cui par & æqualis esse posset nullus.

Lib. II.

IV. Expressiora sunt quæ idem adversùs Marcionem eundem inferiùs differit de Patre & Filio: *Profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis, Filium Creatoris, sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo Filium fecit.* Audin ut Christum Creatoris pronuntiet, non creaturam, non servum, sed Filium; non opus aliquod factitium, sed Sermonem, & Verbum ejus; quem non ex nihilo, non aliunde, sed ex semetipso, ex sua substantia protulit, & fecit sibi non famulum esse, sed Filium? Jam quòd in Patris nomine congressus sit cum Patriarchis & Prophetis, non ex eo deteritur Filii dignitas.

Lib. III.

Pergit autem statim ibidem sic: *Et exinde omni dispositioni suæ voluntatique profecit, diminuens illum modico citra Angelos, sicut apud eum scriptum est: qua diminutione, in hac quoque dispositus est à Patre; qua ut humana reprehendetis, ediscens jam inde à primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine. Ille est qui descendit, ille qui interrogat, ille qui postulat, ille qui jurat.* Quæ omnia vides ad exinanitionem Filii & inhumanationem pertinere, quando minor esse cœpit, non solùm Patre, sed Angelis etiam: *Diminuens illum modico citra Angelos.* Denique quæcumque in Veteris Testamenti libris de Filio ita scribuntur, ut hinc Patre minor demonstretur: ea omnia ad illa spectant humanitatis assumendæ præludia. Jam inde enim ab exordio ediscebat esse hominem, quod in fine futurus erat. Ita suprà Athanasium aliosque complures ex Patribus audivimus, ad incarnatum Filium deflectentes, quæcumque Ariani humilitatis & dejectionis argumenta in ejus divinitatem contorquebant. Præiverat ergo illis Tertullianus,

& in-

& invictissimo hoc documento Filium Patri æqualem probaverat, quòd infra Patrem decrescere non potuisset, nisi induenda hominis natura.

V. Audiamus rursum ibidem Tertullianum: *Cæterùm quia Patrem nemini visum, etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo: Nemo cognovit Patrem nisi Filius. Ipse enim & veteri testamento pronunciarat, Deum nemo videbit, & vivet: & Patrem invisibilem determinans, in cujus authoritate & nomine ipse erat Deus, qui videbatur Dei Filius. Sed & penes nos Christus in persona Christi accipitur, quia & hoc modo noster est.* Invisibilem Patrem astruit ex Scripturis, non Filium; sed meridiana ipsa luce clarius est, quod jam diximus, de substantia & natura, seu Patris, seu Filii, hic non agi; ea enim peræquè in Filio invisibilis est, atque in Patre; nec mirum cum & animæ nostræ substantia, & Angelorum natura invisibilis sit, nec corporeis oculis cerni possit, nisi in assumpta aliqua & ascititia forma. Agitur hìc ergo de forma corporea quapiam assumenda, qua assumpta etiam Pater visibilis fieret; sine qua nec Filius, immò nec Angelus quidem visibilis esset. Agitur & de proprietate personali, qua fit, ut decentius sit hanc visibilem formam assumi à Filio, quàm à Patre. Quippe cùm Filius incarnandus esset in plenitudine temporum, idque quia multò magis id addecebat, quàm Patrem: congruentius etiam fuit, ut ab exordio sæculi incarnationi suæ futuræ Filius jam tum præludere inciperet, insuesceret cum hominibus conversari, cum Patriarchis & Prophetis congrederetur, id totum nomine & authoritate Patris faceret, ipsum mittentis, ipsum qua demumcunque forma corporea carnis præsultricè induentis. Ita factum & ut Pater à nemine videretur, & invisibilis audiret: quòd quocunque modo corporari ipsum minùs deceret; corporari enim fuisset mitti: at ipsius non est mitti, sed mittere, & missum à se Filium nomine & authoritate sua vestire.

Subdit denique Tertullianus in hunc modum: Ibidem. *Igitur quæ exigitis Deo, digna habebuntur in Patre invisibili, incongressibilique & placido, & ut ita dixerim, Philosophorum Deo. Quæcunque autem ut indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congresso, arbitro Patris & ministro, miscente in semetipso hominem & Deum: in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, ut tantum homini conferat quantum Deo detrahit; totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis. Convexsabatur Deus, ut homo divina agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret. Qui talem Deum dedignaris, nescio an ex fide credas Deum crucifixum.*

Ita ille distinguebat, quæ hominibus videbantur Deo digna, & quæ indigna; priora illa censebat Patris magis congruere, putà inaccessis in recessibus suæ majestatis habitare, non congredi cum hominibus, non videri ab eis; hoc est formas visibiles non induere, per quas ab eis videretur; at posteriora hæc magis convenire Filio, qui in se Deo hominem miscere dignatus est, qui carne indui voluit, & inhumanationi suæ tamdiu ante præludere, per corporeas formas assumptas hominibus apparens, congrediens, loquens; atquè ita insuefasciens ipse sese humana agere, ut & per illum homo edisceret divina meditari, Deo indui. Perspicuum hìc est, hæc omnia quæ summo Deo minùs digna apparent, summo Patri non abjudicari, Filio non tribui, nisi quatenus non Pater, sed Filius humanam naturam induere sibi meditabatur, & vel jam tum per figuras & umbras velut in antecessum induebat. Hac ergo Filii in hominem exinanitione sepositâ, si sola ejus per sese natura, & persona spectetur, non est ille ex Tertulliani mente ulla ex parte Patri impar; invisibilis & ipse est, incongressibilis, incomprehensibilis peræquè ut Pater. Denique si Filium, non hominibus, quibus miscere seipsum decreverat, atque ita semet exinanire; sed Angelis conferas, nihilo minorem illum Patre reperies, cùm eo minor non sit, nisi qua hominem indutus; Angelis nihilo plus Filius quàm Pater natura sua visibilis, vel invisibilis est; obvius, vel impervius; aditu facilis, vel difficilis; quòd nempe Angelos non apprehenderit, sed semen Abrahæ.

VI. Hermogenem, qui Materiæ æternitatem, ac proinde divinitatem tribuebat, iisdem propè jaculis, quibus Marcionem configebat Tertullianus: quod increatum, quod eternum est, atque adeo Deus est, nullo minorem esse posse, unum, unicumque esse posse. *Præscribo non capere ullam diminutionem & humiliationem, quod sit æternum & innatum: quia hoc & Deum faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subjectiorem, immò omnibus majorem, & sublimiorem.* Et denique ibidem: *Divinitas autem gradum non habet, utpote unica.* Ex quo id efficitur, nec æternitates, nec divinitates duas esse posse, in Patre alteram, alteram in Filio; sed necessarium esse, ut una sit utriusque & sibi par; ut quæ nec minui, nec augeri possit, quod summa sit; nec multiplicari, quod totum sit & totum occuper. Adversus Hermogen. Pag. 338.

Innatam & increatam Hermogenes materiam esse fabulabatur, quo labefactatur Dei unitas ac summa prærogativa, ut unicus & solus sit, & primus; quia nihil cum illo, ideo solus; ideo autem primus, quia omnia post illum; omnia post illum, quia omnia ab illo: denique omnia ab illo, quia omnia ex nihilo. *Unici Dei status hanc regulam vindicat: non aliter unici, nisi quia solius: non aliter solius, nisi quia nihil cum illo: sic & primus erit; quia omnia post illum, quia omnia ab illo: sic ab illo, quia ex nihilo, ut illi quoque Scripturæ ratio constet.* Quibus hìc perimitur materiæ commentitia æternitas, & divinitas, nihil eorum objectari potest Filio, quod innatus non dicatur, sed à Patre genitus; quod cum Patre non posset non esse, sine Filio enim Pater nusquam est; quod denique sic à Patre sit, ut Filius, atque adeo ut de Patre quoque sit, non ex nihilo. Pag. 340.

VII. Sed multò vehementiora sunt, quæ ibidem paulò post dicuntur: Si qua materia Deo opus fuisset, multò digniorem, & idoneiorem futuram fuisse Sapientiam: ut quæ Consiliarius Patri fuerit in orbe condendo; at ex naturis creatis quis potest Consiliarius Dei existere? Per sapientiam & cum sapientia, teste Salomone, fecit Deus omnia: ergo increata & infecta est sapientia; per quam enim sapientiam alteram facta fuisset ipsa? Si potuit ipsa creari, & non per alteram sapientiam, quin & Orbis universus creabatur absque sapientiæ ministerio? *Si necessaria est Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes existimavit, habuit Deus materiam longè digniorem & idoniorem; non apud Philosophos æstimandam, sed apud Prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet: hæc denique sola cognovit sensum Domini. Quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi Spiritus qui in ipso? Sophia autem Spiritus, & hæc illi consiliarius fuit, via intelligentiæ & scientiæ ipsa est. Ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa. Cùm pararet cœlum, inquit, aderam illi.*

Si materia autem Deo ponatur fuisse ad condendum orbem sapientia, vide qualem illam describat Tertullianus Deo materiam fuisse, *Non sibi subditam, non statu diversam*, non motu inquietam, non habitu informem, sed *insitam Deo* & propriam, *quali Deus potuit eguisse*, qui nullius, nisi sui ipsius eget, *sui magis, quàm alieni egens.*

egens. Insita hæc Deo Sapientia; qua Deus eguit, qui nullo nisi seipso eget, ipsamet sanè Dei substantia est. Denique hanc Deus non solùm condidit, sed etiam *generavit in seipso*, ut germanum scilicet & ex sua substantia Filium. Condidit verò non ut creaturas alias, sed ad creaturas alias condendas, *Condidit ad opera sua*: condidit conditricem orbis Sapientiam, creatricem totius creaturæ.

Ibid. p. 342. Unde mox rursum Tertullianus: *Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum, quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius, exinde nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit sine initio quidquam fuisse quod extra Dominum fuerit. Si verò Sophia eadem Dei sermo est, sensu Sophia: & sine quo factum est nihil, sicut & dispositum sine Sophia: quale est ut Filio Dei sermone unigenito & primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiquius: & hoc modo utique generosius, nedum quod innatum nato fortius, & quod infectum facto validius: quia quod ut esset nullius egerit autoris, multò sublimius erit eo, quod ut esset aliquem habuit autorem.* Vides *conditum* & *natum*, inconditum & innatum pro eodem hic haberi, atque ideo Sapientiam dici conditam, quia de Patre nata est; hoc enim illi, ut Filio, fuit condi, nasci; Patris quippe privilegium est, non nasci, innatum esse: hoc illi reservato, cætera Filio communia sunt. Negabat Hermogenes Materiam à Deo esse, innatam infectamque esse contendebat: contrà Tertullianus arguit ita Materiam fore Verbo superiorem, quod à Patre natum est & semper nascitur; ita Materiam Patri adæquari, qui solus innatus est.

Quod autem hìc dicitur Sapientiam *sine initio* non esse, idem id valet atque quod paulò post subjicitur, sine *authore* non esse. Est enim Filius ab Patre, hic illi author, hoc illi principium, id Tertullianus vocavit initium. Ita Hermogenes Materiam, cui negabat initium, principium, authorem esse ullum, ingenito Patri exæquabat, Verbo præponebat & Filio unigenito; qui tamen unum cum Patre esse se profitetur. Hinc illud quoque emergebat, ut Deo etiam præponeretur Materia, quæ præponebatur Filio, qui unum cum Patre est. Non video, quid apertius, aut validius dici possit pro Filii consubstantialitate cum Patre. Unde mox ibidem: *Ita & hoc nomine materiam Deo præponis Hermogenes, præponendo eam Filio. Filius enim sermo, & Deus sermo: & ego & Pater unum sumus: nisi quod sustinebit æquo animo Filius eam præponi sibi, quæ Patri adæquatur.*

VIII. Quod verò ait Tertullianus *ad opera* Dei condenda conditam genitamque fuisse Sapientiam, insulsissimum fuerit inde id colligere, ne generandam quidem fuisse Sapientiam, nisi consilium Deus ante cepisset condendi orbis. Hìc non aliud, quàm hæret Tertullianus Scripturæ verbis & Salomonis doctrinæ, *Condidit me ad opera sua.* Qui pateretur autem Tertullianus Sapientiam dici, aut æstimari rebus creatis posteriorem, qui ne materiam quidem illa priorem dici sinebat? An verò non nativitatem suam tantùm creaturis debet Sapientia, sed & suam Deus Sapientiam? An caruisset Filio, an caruisset Sapientia Deus, si seipso contentus & beatus orbe carere voluisset, & ab eo creando supersedisset? Ecquis architectus scientiam & sapientiam suam ibi terminat, ubi opificium terminat suum? An ea tantùm scit Deus, quæ fecit, aut facturus fuit, non & innumera alia, quæ facere potuit, nec fecit? Non exæquat creatura potentiam Creatoris; an exæquat scientiam & sapientiam? An potentior est Deus, quàm sapientior? Quis tam excors est, ut tantam insaniam vel Tertulliano, vel cæteris ante Nicænum Concilium Patribus affingat? Simpliciùs ergo veriùsque interpretanda sunt Scripturæ, & Priscorum Patrum verba, Antequam Deus orbem conderet, ejus condendi consilium & ideam sua in mente, suo in Verbo præformasse; quæ præterea dicuntur, & incommodè ponuntur, ea humani sermonis consuetudini imputanda esse.

IX. At verò adhuc evidentiùs contra Praxeam disertiùsque idem Tertullianus, ita de Trinitate differit, ut ne in Concilio quidem Nicæno potuisset quisquam magis Catholicè differere: *Quasi* Pag. 496. *non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem: & nihilominus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie: unius autem substantia, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti deputantur. Quomodo numerum sine divisione patiuntur, procedentes tractatus demonstrabunt.* Unus ergo & unus omnia est Deus, ob duplicem illam rationem superiùs ex cæteris omnibus Patribus approbatam, *ob substantiæ unitatem*, naturæ scilicet divinæ, & quia *ex uno omnia*, hoc est propter Monarchiam Patris, à quo sunt duæ aliæ personæ. *Oeconomiæ*, seu dispensationis Sacramentum hìc dicitur, illa unitatis in Trinitatem dispensatio, seu distributio; sic enim loquitur Tertullianus, uti Græci aiebant unitatem dilatari, & extendi in Trinitatem. Tres personas hìc vides constantissimè prædicari *unius substantiæ, unius status, unius potestatis.* Vides gradus, formas & species vocari, quæ usitatiùs nunc, immò jam pridem à Latinis dicuntur *Proprietates*; convenienter Græcis, qui ἰδιότητας appellant. Cernis unicum dici Deum, sed non sine sua Oeconomia, οἰκονομίᾳ; qua *Trinitas ab unitate derivatur & administratur*; ea sunt enim Tertulliani verba, non ab illo ut reor, sed ab ejus & superioris ævi Theologis Catholicis usurpata, ut conciliaretur unitas Trinitati, ut declararetur Divinitatis unius & ejusdem manatio à Patre, *seu à suo* Fonte, in Filium, & per Filium in Spiritum sanctum. Ea est enim unitatis non divisio, non destructio, sed derivatio, effusio, dispensatio.

X. Exhorrescebant quandoque ad hanc œconomiæ vocem simpliciores fideles, quæ major semper eorum pars est; at facilè mansuescebant, edocti quid ea voce intelligeretur. Longè aliud enim sonabat ea vox Incarnationi Verbi aptata, quàm Trinitati personarum in Deo; illic exinanitionem Filii Dei, hìc summæ & opulentissimæ unitatis divinæ in tres personas dilatationem. *Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes & idiotæ, quæ major semper credentium pars est, quoniam & ipsa regula fidei à pluribus Diis seculi ad unicum & verum Deum transfert: non intelligentes unicum quidem, sed cum sua οἰκονομίᾳ esse credendum, expavescunt ad οἰκονομίαν. Numerum & dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis: quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur.*

Addit Tertullianus præpostera Unitatis defensione in hæresin desciscì, si tres Personæ in unam *colligantur*; & Trinitate ritè *expensa* veritatem constitui. Monarchiam Sabelliani obtendebant, opponebantque Oeconomiæ, à quo universim abhorrebant Græci, magis quòd intelligere nolent, quàm quòd damnare possent. Poterat enim & Monarchia defensari, ob singulare & unicum Imperium, seu Divinitatis, seu Patris, etsi

Patri

Patri sit Filius, ejusdem & naturæ consors & potestatis. Ecqua enim Monarchia non per plures personas administratur; maximè per Regis & Patris filium? Unus interim etiam Monarcha est, una Monarchia filio communicata à patre; hæc verò unius naturæ regnatricis, unius Monarchiæ communicatio, & à Patre in Filium effusio, Oeconomia tum à Latinis dicebatur; vocabulo à Græcis magis sumpto, quàm approbato. *Itaque duos & tres jam jactitant à nobis prædicari, se verò unius Dei cultores præsumunt:* Pag. 406. *quasi non & unitas irrationaliter collecta hæresim faciat, & Trinitas rationaliter expensa veritatem constituat. μοναρχίαν, inquunt, tenemus. Et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt Latini etiam opifici, ut putes illos tam bene intelligere μοναρχίαν, quàm enuntiant. Sed μοναρχίαν sonare student Latini, οἰκονομίαν intelligere nolunt etiam Græci. At ego si quid utriusque linguæ præcerpsi, μοναρχίαν nihil aliud significare scio, quàm singulare & unicum Imperium: non tamen præscribere Monarchiam, ideo quia unius sit ejus cujus sit, aut Filium non habere, aut ipsum se sibi Filium fecisse, aut Monarchiam suam non per quos velit administrare. Atqui nullam dico dominationem ita unius sui esse, ita singularem, ita Monarchiam, ut non etiam per alias proximas personas administretur, quas ipsa prospexerit officiales sibi. Si verò & Filius fuerit ei, cujus Monarchia sit, non statim dividi eam, & Monarchiam esse desinere, si particeps ejus adsumatur & Filius; sed proinde illius esse principaliter, à quo communicatur in Filium: & dum illius est, proinde Monarchiam esse, quæ à duobus tam unicis continetur.*

Si non dividitur, non dissipatur Monarchia divina Patris, per innumerabiles Angelorum legiones ejus administras & officiales: ecquam poterit illa vel divisionem vel dispersionem pati, si Patri consortes tam Monarchiæ quàm substantiæ divinæ jungantur Filius & Spiritus sanctus? *Igitur si & Monarchia divina per tot Legiones & exercitus Angelorum administratur, sicut scriptum est: Millies centies centena millia adsistebant ei, & millies centena millia apparebant ei: nec ideo unus esse desiit, ut desinat Monarchia esse, quia per tanta millia virtutum procuratur: quale est, ut Deus dispersionem & divisionem patis videatur in Filio, & in Spiritu sancto, secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris; quas non patitur in tot Angelorum numero, & quidem tam alienarum à substantia Patris?*

Manifestissimè hìc vides consortes unius & ejusdem divinæ substantiæ dici Patrem & Filium & Spirituum sanctum. Si secundo autem loco Filius, si tertio Spiritus sanctus constituitur; si uterque administri dicuntur Monarchiæ Patris, nihil est quod hinc reformidemus, dum trium una sit substantia, una Monarchia, maximè apud hunc Scriptorem, cui natura & essentia divinitatis certissimè ea est, ut sit summum Magnum; sit cui anteponi, cui æquari nihil potest. Unde rursus paulò post: *Cæterùm qui Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem à Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere Monarchiam, quam à Patre Filio traditam, in Filio servo? Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit; quia Spiritum non aliunde deputo, quàm à Patre per Filium. Vide ergo ne tu potiùs Monarchiam destruas, qui dispositionem & dispensationem ejus evertis, in tot nominibus constitutam, in quot Deus voluit.* Quid illud in libro de Pudicitia: *Nam Ecclesia propriè & principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius Divinitatis, Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Quot & quanta hìc æqualitatis & consubstantialitatis argumenta? Quod Filius, quod de substantia Patris esse dicitur, quod omnem potestatem, quod Monarchiam à Patre consecutus: quod Spiritus sanctus similiter non de nihilo, non aliunde, sed à Patre, & à Patre per Filium, quò magis omnia cohærescant. Ea est *dispensatio ac dispositio* Uniratis Monarchiæque. Quod autem tot hìc esse nomina dicit Tertullianus, quot Deus voluit, non aliud ibi agitur, quàm quod volebant suprà laudati Patres nonnulli, qui Filium agnoscebant non à nolente, sed à volente Patre prodiisse; quamquam non tam à Patris voluntate, quàm ab ejus natura prodiisset. Sed in his tantò minùs est, quod tricari possint adversarii, quòd in Deo non aliud voluntas est, aliud natura; quòd ipsamet Patris voluntas sit Filius.

CAPUT XXXVIII.

Rursus de orthodoxa Tertulliani de Trinitate doctrina.

I. Deus etiam cum solus est, diciturque, suam secum ex se & in se habet Rationem, Sapientiamque.

II. Quid differat Ratio & Sermo, Sapientia & Verbum apud Deum.

III. Uno Tertulliani testimonio tota Nicena de Verbo fides astruitur; tota de Spiritu sancto Ecclesiæ doctrina.

IV. Exponuntur voces modulus & portio *apud Tertullianum.*

V. Quid ab eo responsum sit Sabellio, urgenti potuisse Deum si voluit, sibi Filium simul esse & Patrem.

VI. Trinitas divina in creatione hominis: ut unus Deus & unus Dominus Christus, ex Scripturis ipsis Deus dicendus.

VII. Alia pro unitate naturæ in Patre & Filio testimonia Tertulliani.

VIII. Rursus ut cum Pater solus dicitur Deus, in eo tamen Filius intelligatur, ut unus cum eo Deus; utque Tres unum, unus Deus sint.

IX. Rursum de voce moduli & portionis in Filio describenda; & quomodo filius minor Patre possit esse.

X. Quo fine & quo sensu dixerit Tertullianus Deum semper fuisse Deum, non semper Patrem.

XI. Coacervantur plura alia ad æternitatem filii ex eodem astruendam, divinitatem, æqualitatem cum Patre.

XII. Solvuntur objectiones ex aliquot locis Tertulliani.

XIII. Hieronymi judicium de eo, Augustini, Hilarii, Vincentii Lirinensis.

I. JAm verò ut æternitati Filii, ut divinitati ejus plaudatur, ut unus solusque dicatur Pater Deus; sed vel his ipsis verbis intelligatur Filium complecti suum, & hæc ipsa omnia cum Filio habere communia, quòd ne intelligi quidem ritè Deus possit, nisi parem sibi Sapientiam, rationem, Sermonem suo sibi in sinu effundens, nisi pari & consentanea sibi intelligibili fœcunditate pollens, ut summum ipsum Bonum, audiendus rursum hìc est Tertullianus; ubi & illud dilucidiùs adhuc exponet, quomodo ad opera Dei omnia condenda, genita & condita dicatur à Salomone Sapientia. *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia. Solus autem: quia nihil extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat* Pag. 407.

in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius: & ita ab ipso omnia. Quæ ratio, sensus ipsius est; hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cùm magis rationem competat antiquiorem haberi: quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium; & quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat: tamen & sic nihil interest. Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat: tacitè cogitando & disponendo secum, quæ per Sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat.

Audis hic quid sit Deum esse solum; scilicet extrinsecùs nihil esse præter ipsum. Nam etsi sua illi adsit Ratio, sua Sapientia, suus Sermo, suum Verbum, solus nihilominus est, quia hæc in semetipso habet, nec sine his in seipso esse potest. Non enim sine sua Ratione & Sapientia, non sine suo Spiritu aut Charitate esse potest; nec potest hæc habere nisi in semetipso, & à semetipso jugiter manantia. Quòd autem à Deo manet Sapientia & Charitas, non qualis à natura creata manare potest, desultoria, accidentaria, sed qualis quantaque ipsum decet, qualis quantusque ipse est, id nec novum, nec mirum videri debet, certè incredibile videri non potest, cùm & naturæ divinæ præstantiam, & fœcunditatem, & sapientiæ charitatisque infinitatem, id maximè deceat, tantòque credibilius & Deo dignius sit, quantò carnalibus & nihil magnificum de Deo sentientibus incredibilius videri potest.

II. Ubi illa insedit animo sententia de Dei Sermone, Ratione, Verbo, Sapientia, λόγῳ, Charitate, jam ne ambigi quidem potest, quin Filius & Spiritus consubstantiales sint Patri, seu Principio, à quo fluunt. Monet Tertullianus id jam multis arridere cœpisse, ut Filius qui est, ut Græcis λόγος, ita Latinis Sermo diceretur; sibi tamen æquius videri, ut dicatur potiùs Ratio, quòd prior sit Ratio etiam apud Deum, quàm Sermo. Ratio enim semper & ante tempora apud illum fuit, Sermo tunc cœpisse videtur, cùm ex eo erupit ad Rationis & Sapientiæ interioris ostensionem, & ad rerum creationem. *Cùm magis Rationem competat antiquiorem haberi; quia non Sermonalis à principio, sed Rationalis Deus etiam ante principium; & quia ipse quoque Sermo Ratione consistens, priorem eum, ut substantiam suam ostendat.* Fatetur mox tamen Tertullianus Sermonem posse dici Filium & Sapientiam; quia etsi nondum mittebatur, nondum creaturas pariebat, cum ipsa & in ipsa Ratione & Sapientia intus erat, & creaturas quas paritura erat, jam parturiebat. Quod perinde est, ac si diceret, aliud Verbum exterius, aliud interius esse; Verbum enim & Sermo, unum reapse idemque est, etsi usu invaluerit, ut Verbum magis interius dicatur, Sermo exterior. Hic autem perspicis, quo sensu & à Salomone & à Patribus persæpe dicta sit Sapientia condita ad rerum creationem, & tum condita, cùm ad eas condendas se accingeret Deus. Illa enim Sapientia, illa Ratio, ille Sermo intelligitur, cujus exteriori missioni imputanda est universitatis, quæ tum demum erupit, creatio.

Subjicit exemplum hominis, qui cogitat, & tum loquitur; illa ratio, hic sermo ejus est. Ita habet se & Ratio, seu Sapientia Dei, & in Ratione Sermo & hæc secunda est Persona, à Deo genita, illa Sapientia, de qua tam copiosè Salomon. Quis dubitet hujus rationis, sapientiæ, sermonis in homine unam esse cum ipso homine substantiam? Quin ergo & in Deo ita habeat? Eo certè discrimine, quòd in Deo hæc jam secunda & distincta sit Persona à Patre, cujus non est volaticam & fugacem & per momenta singula renovandam ex se & in se gignere Sapientiam; sed substantivam & hypostaticam Sapientiam, ipsam denique per sese Sapientiam, αὐτοσοφίαν. *Possum itaque non temerè præstruxisse, & tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, & in ratione sermonem, quem secundum à se faceret, agitando intra se. Hæc vis & hæc divini sensus dispositio, apud Scripturas etiam in sophiæ nomine ostenditur. Quid enim sapientius ratione Dei, sive sermone? Itaque sophiam quoque exaudi, ut secundam Personam conditam.* Tertull. adv. Prax.

III. Sed ut uno Tertulliani testimonio rem conficiam, & quidquid hactenus Græci Latinique Patres de unitate & consubstantialitate dixerunt & elucidarunt, etiam post Concilium Nicænum, non de Filio tantùm, sed & de Spiritu sancto in compendium mittam; accipe quæ paulò prolixiùs ab eo disputantur inferiùs: *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum. Et numquam separatus à Patre, aut alius à Patre: quia Ego & Pater unum sumus. Hæc erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, & fons fluvium, & Sol radium. Nam & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, & radice fruticem, & fontis fluvium, & Solis radium: quia omnis origo parens est: & omne quod ex origine profertur, progenies est; multò magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit: nec frutex tamen ante dicit, nec fluvius à fonte, nec radius à Sole discernitur, sicut nec à Deo sermo. Igitur secundùm horum exemplorum formam profiteor duos dicere, Deum & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipsius. Nam & radix & frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et Sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodit; non ideo tamen est separatum. Secundum autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice. Et tertius à fonte, rivus ex flumine. Et tertius à Sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ità Trinitas per conjunctos & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obstrepit id, & οἰκονομίας statum protegit.* Tertull. adv. Prax. Omnia penè hìc verba momenti plurimum habent. Vides ut Verbum sit in Patre, & à Patre, & apud Patrem, non aliud ab eo, non separatum unquam ab eo. Vides Probolam veritatis hanc esse, hoc est emissionem & partum naturæ Patris divinæ, quæ veritas est, sed incolumi unitate. Vides proferri & gigni à Patre Filium, ut à radice fruticem, à fonte fluvium, à Sole radium. Has supra similitudines adversùs Arianos urgebant Athanasius, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & cæteri utriusque Ecclesiæ Patres. Disertissimè Tertullianus ita Patrem & Filium duos esse pronunciat, sed unam tamen & indivisam & individuam duorum esse substantiam, ut radicis & frutícis, ut fontis & fluvii, ut Solis & radii. Valent & ad Spiritus sancti divinitatem

tatem & consubstantialitatem eædem similitudines : quòd is ita oriatur à Patre ex Filio, ut à radice fructus ex frutice ; ut à fonte rivus ex flumine ; ut à Sole apex ex radio. Ita ex Tertulliani sententia Græcis Latinisque conveniet de processione Spiritus sancti à Patre & Filio secundùm Latinos, ex Patre per Filium juxta Græcos: à neutro distat, si dicatur à Patre ex Filio procedere.

IV. Addit Tertullianus contra eos, *qui adversùs Oeconomiam Monarchia adulabantur*, hoc est, qui specie tuendæ unitatis divinæ & Patris Monarchiæ, in unam cum illo non naturam tantùm, sed & personam Filium & Spiritum sanctum conflabant ; addit inquam *alium esse Filium à Patre, non diversitate, sed distributione ; non divisione, sed distinctione* ; & id quidem facile & expeditum est ex antedictis ; at ubi etiam addit, *Modulo alium ab alio ; Pater enim tota substantia est, Filius verò derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur: Quia Pater major me est. A quo & minoratus cernitur in Psalmo, modicum quid citra Angelos. Sic & Pater alius à Filio, dum Filio major : dum alius qui generat, alius qui generatur : alius qui mittit, alius qui mittitur : dum alius qui facit, alius per quem fit.*

Id verò negotium facessere potest. Sed explicabitur tamen nodus iste, si attendamus de natura & substantia divinitatis hic agi, cujus essentiam Tertullianus ubique affirmavit in eo sitam esse, ut summum magnum sit ; sit quo majus nec esse, nec cogitari possit ; sit cui par est nihil, & nihil æquale. Hoc semel ita fixo, jam non poterit non tota esse in Filio substantia divinitatis ; non poterit Filius non esse æqualis Patri, etsi quia à Patre generatur, & minor Patre dicatur, & ejus derivatio ; etsi ab eo denique mittatur, & in carnem mittatur, ubi jam & Angelis minor erit. Vox *moduli* & *portionis* potest offendiculo esse, fateor ; sed ea vel condonanda est homini tam multa alia constantissima edenti consubstantialitatis argumenta, vel ad hoc trahenda, tametsi subinvita forsan ; ut & modulus & portio non sonent, nisi quod sonat Pater major me est, & derivatio à Patre ; denique non sonent, nisi quod similitudines illæ sonant Patribus Nicæno Concilio posterioribus familiares, & consubstantialitatis acerrimis defensoribus, fruticis à radice, fluvii à fonte, radii à Sole exilientis : etsi enim frutex, fluvius, radius, portio & modulus & derivatio tantùm est, tota tamen substantia radicis in fruticem transfunditur, fontis in fluvium, Solis in radios. Denique substantia rerum maximè spiritalium, maximè autem divinitatis, ubi est, non potest non tota esse, secari non potest, in ea teste ipso Tertulliano gradus non sunt.

V. Instabant Sabelliani, nihil Deo impossibile esse, potuisse ergo illum sibi & Patrem esse & Filium in una eademque persona. Confitetur Tertullianus omnia Deum posse, ne difficile quidem illi esse posse quidquam. Sed non in eo verti cardinem quæstionis hujus, An Deus potuerit sibi Filius esse & Pater : si voluit enim, utique potuit. Probandum ergo est voluisse, non temerè conjectandum & effutiendum. Probandum id ergo, & quidem ex Scripturis, & tam constanter ex iis id probandum, quàm probant Catholici Filium sibi illum genuisse Verbum suum. *Planè nihil Deo difficile. Sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideò credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit requirendum. Potuit, ita salvus sim, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & milvis præstitit : non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxean & omnes pariter hæreticos statim extinxisse ; non tamen quia potuit, extinxit. Oportebat enim & milvos esse, & hæreticos : oportebat & Filium crucifigi. Hac ratione erit aliquid & difficile Deo, id scilicet quodcumque non fecerit ; non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse, velle est : & non posse, nolle ; quod autem voluit, & potuit, & ostendit. Ergo quia si voluit semetipsum sibi Filium facere, potuit ; & quia si potuit, fecit : tunc probabis illum & potuisse & voluisse, si probaveris illum fecisse. Probare autem tam aperte debebis ex scripturis, quàm nos probamus, illum sibi Filium fecisse sermonem suum.* Lib. 2. p. 411.

Memorandus cum primis mihi visus est hic locus, ubi profitetur Tertullianus nunquam posse nos Deo præscribere de rei cujusquam ab eo revelatæ & affirmatæ impossibilitate. Ne id quidem detrectandum nobis fore, quòd Deus sibi idem & in una hypostasi verè Pater sit sibi & Filius, si ab eo id declaratum esset. Itaque cùm perspicuè id à Christo, id in Scripturis sit declaratum, Tria unum esse in Trinitate & unitate divina, quantumvis sensus & ratio humana repugnet, & impossibilitatem prætendat, generosior & perspicacior ratione fides totam illam repugnantiam & contumaciam rationis frangit, & domat.

VI. In Mosaica creationis mundi & hominis maximè descriptione, ad imaginem Dei delineati, verba trium Deitatis personarum observat Tertullianus. *Ecce Adam tanquam unus ex nobis. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hinc pro unitate substantiæ in tribus argumentatur, etsi Filium & Spiritum sanctum ministros ibi Patris fuisse dicat, ut brachium, ut digitus ministrant homini, non ut alienum quid, sed ut de ejus substantia, & unum cum eo. *Faciamus, & nostram, & nobis, cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat similem ; Filio quidem, qui erat inducturus hominem ; Spiritu verò, qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris & arbitris, ex unitate Trinitatis loquebatur.* Et mox de Patre dicente & faciente omnia per Verbum suum : *Habes duos, alium dicentem, ut fiat : alium facientem ; alium autem quomodo accipere debeas jam professus sum, personæ, non substantiæ nomine : ad distinctionem, non ad divisionem ; cæterum ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus.* Pag. 413. Duos dici & credi fancit fides. Patrem & Filium, ne si unus dicatur, Pater etiam credatur passus, quod *non licet credi, quoniam non ita traditum est.* At duos Deos, vel Dominos dici nefas est, quia apud Paulum unus Deus Pater, & unus Dominus Jesus Christus : non quo non Deus sit Christus, & Dominus sit Pater ; sed ne plures Deos & plures Dominos cum gentilibus diceremus ; si enim id licere nobis voluissemus, exsufflata essent martyria, nihil aliud nobis extundere conantibus Paganis, quàm ut plures Deos agnosceremus. Domini verò nomen Christo ideo aptatum est, tum ut ne gentiles efferarentur, & duos nobis esse Deos suspicarentur, si statim Deus dictus fuisset ; tum ut ea suspicione pòst oblitterata Deus verè esse intelligeretur, qui Dominus esset ; cùm naturæ rationali Dominus non sit alius, vel esse possit, nisi Deus. Quamquam non potuerit non aliquando Paulus Deum dicere Christum, & *Deum super omnia benedictum in sæcula*. En contextus ipse Tertulliani : *Duos qui dem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto, secundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum : ne ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus & passus : quod non licet credi, quoniam non ita* Pag. 413.

traditum est. Duos tamen Deos & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Deus, & Deus unusquisque: sed quoniam retrò & duo Dii & duo Domini prædicabantur, ut, ubi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur, quia Filius Dei & Domini. Si enim una persona & Dei & Domini in Scripturis inveniretur, meritò Christus non esset admissus ad nomen Dei, & ad Domini. Nemo enim alius præter unus Deus & unus Dominus prædicabatur; & futurum erat ut ipse Pater descendisse videretur, quia unus Deus & unus Dominus legebatur: & tota œconomia ejus obumbraretur, quæ in materiam fidei prospecta atque dispensata est. At ubi venit Christus & cognitus est à nobis, quod ipse qui numerum retrò fecerat, factus secundus à Patre, & cum Spiritu tertius, & jam Pater per ipsum plenius manifestatus; redactum est jam nomen Dei & Domini in unione. Et quia Nationes à multitudine Idolorum transirent ad unicum Deum, ut differentia constitueretur inter cultores unius, & plurimæ divinitatis. Ubi hic ait Tertullianus, duos retrò Deos & duos Dominos prædicatos fuisse, id velle censendus est, duos fuisse, seu duas personas, Patrem & Filium, quibus Dei, & Domini nomen ascriberetur; nam neutro in Testamento fas fuit duos credere, vel prædicare Deos. Quantum enim abhorreat Tertullianus, ne duo unquam Dii dicantur, vel Domini, expressissimè hic ipse testificatur. Unde statim ibidem: *Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum Patrem appellem, & Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus; Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne.*

VII. Pauca supersunt, quæ ex eodem libro adversùs Praxeam hìc subjiciamus, de Patre invisibili, Filio visibili in veteri & in novo Testamento, propterea quòd humana natura tunc induendus, nunc indutus, idque convenienter suæ ex Patre origini, convenienter & proprietati Patris, qui ut à nullo est, ita nec ab ullo mittendus fuit in visibiles quascumque demum species. *Jam ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur: & consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis; visibilem verò Filium agnoscamus pro modulo derivationis: sicut nec Solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiæ summam quæ est in cœlis; radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quæ in terram inde porrigitur.* Et aliquantò inferiùs rursum de Filio per tot olim figuras & visiones visibili, & incarnationem suam jam tum meditanti, cùm divinitas interim ejus in Patre & cum Patre deliteiceret: *Ipse enim ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in enigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper, quem erat persecuturus in finem; semper ediscebat; & Deus in terris cum hominibus conversari, non alius quàm Sermo, qui caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus Filium Dei descendisse in seculum, si & retrò tale quid gestum cognosceremus.* Et paulò pòst: *Sic etiam affectus humanos sciebat jam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem & animam: interrogans Adam quasi nesciens, Ubi es Adam? Pœnitens quod hominem fecisset, quasi non præsciens. Tentans Abraham, quasi ignorans quid sit in homine. Offensus, reconciliatus eisdem. Et si qua hæretici apprehendunt quasi Deo indigna, ad destructionem creatoris, ignorantes hæc in Filium competisse, qui etiam passiones humanas, & sitim, & esuriem, & lachrymas, & ipsam nativitatem, ipsamque mortem erat subiturus: Propter hoc minoratus à Patre modicum citra Angelos.*

Vidiam pag. 1. v.

Adversùs Praxeam, id est, adversùs Sabellianos hæc scribebat Tertullianus, & vides tamen quàm nihil sineret Verbo aspergi de humanitatis Christi infirmitatibus, sed has omnes ad carnem ejus revocaret, à Verbi divina natura absergeret; cùm ex adverso Ariani, ut Verbum ab æqualitate Patris & à vera Deitate dejicerent, hominis assumpti imbecillitates Verbi naturæ illinere omni virium & animi contentione niterentur. His adde quod infrà commentatur Tertullianus in illa Patris olim verba, *Ego solus, & præter me non est alius.* Docet enim, etsi alia sit persona Patris, alia Filii, non tamen alium esse Deum hunc ab illo; non alium, seu non alienum esse Filium à Patre; summoveri hìc falsos Deos, non Filium, qui à Patre non separatur, etsi non semper nominetur. *Igitur unus Deus Pater, & absque eo alius non est. Quod ipse inferens, non Filium negat, sed alium Deum. Cæterùm alius à Patre Filius non est. Denique inspice sequentia hujusmodi pronunciationum, & invenies ferè ad Idolorum factitatores atque cultores definitionem earum pertinere, ut multitudinem falsorum Deorum unio divinitatis expellat; habens tamen Filium quantò individuum & inseparatum à Patre, tantò in Patre reputandum, & si non nominatum.*

Tertull. pag. 504.

VIII. Ut in Dei & in Domini solius nomine vult Tertullianus Filium semper Patri indivulsè conjungi, ita & in cæteris dignitatibus, quæ paternitatem ipsam non significant. *Adeo semper Filius erat in Dei, & Regis, & Domini, Omnipotentis & Altissimi nomine.* Invisibilem & supra cœli verticem Patrem astruit, Filium in terris; sed & illic cum Patre Filium, & hìc cum Filio Patrem. *Cæterùm scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed vi & potestate, Filium quoque ut individuum cum ipso ubique. Tamen in ipsa οἰκονομία Patri voluit Filium in terris haberi, se verò in cœlis.* Cæterùm ne minùs assecutos nos existimes mentem Scriptoris hujus, ubi suprà ajebat duos in Scriptura Deos, duos Dominos, accipe & alterum ejusdem modi contextum ex eodem libro, ubi non aliter ipse sese interpretatur, & ubi conceptis verbis affirmat, ideo Patrem, non Filium invisibilem perseverasse, quòd ita deceat, ut Pater non habens initium, id est principium, innatus, & à nullo prolatus, non videatur. *Cæterùm Pater non habens initium, ut à nullo prolatus, ut innatus, non potest videri. Qui solus fuit semper, ordinem habere non potuit. Igitur si propterea eundem & Patrem & Filium credendum putaverunt, ut unum Deum vendicent, salva est unio ejus, qui cùm sit unus, habet & Filium, æquè & ipsum eisdem Scripturis comprehensum. Si Filium nolunt secundum à Patre reputari, ne secundus duos faciat Deos dici, ostendimus etiam duos Deos in Scriptura relatos, & duos Dominos; & tamen ne de isto scandalizentur rationem reddidimus; qua Dei non duo dicantur, nec Domini, sed qua Pater & Filius duo; & hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, quum individuum & inseparatum Filium à Patre pronuntiamus: nec statu, sed gradu alium; qui etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis; non ideo duos Deos faciat, sed unum; hoc ipso quod & Deus ex unitate Patris vocari habeat.*

Tertull. pag. 504.

Ad Spiritum sanctum quoque pertinet, ut & ad Filium, quòd ibidem habet: *Cæterùm de meo sumet, inquit, sicut ipse de Patris: ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres effecit cohærentes,*

tes, alterum ex altero. Qui tres unum sint, non unus, quomodo dictum est, Ego & Pater unum sumus: ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.

Longè pulcherrimè autem in Apologetico adversùs Gentes, cùm apud Gentiles etiam Philosophos id vulgatissimum esse dixisset, ut rerum omnium conditarum author rectorque Verbum, λόγος, haberetur, de eo philosophatur in hunc modum: *Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcircò Filium & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus. Etiam cùm radius ex Sole exporrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in radio, quia Solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus. Ut lumen de lumine accensum, manet integra & indefecta materia matrix, etsi plures in traduces qualitatum mutueris: ita quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus modulo alternum numerum non gradu, sed statu fecit; & à matrice non recessit, sed excessit.* Ibid. p. 870.

Quibus in verbis id primum adverte, Verbum & prolatum dici, & prolatione generatum, & ideo Filium, & Deum, & in paternæ unitate substantiæ; ita à Patre nasci & porrigi Filium, ut radium ex Sole, portionem ex summa; sed Solem esse in radio, nec Solem radiumque substantia separari; ita Filium ipsammet esse substantiam Patris, sed extensam, ineffabili scilicet illa extensione, quæ intelligibili Soli justitiæ, & incommutabili Veritati possit competere. Sic Filium Deum esse de Deo, ut lumen accensum & extensum de lumine, tota & integra, etiam æquali lucis substantia in utrumque dilatata. Ita lux à luce effusa, una & conjunctissima manet, nec enim à matrice lux genita recessit, sed excessit.

IX. Unum supereſt quod hic addam ex libro quarto contra Marcionem, quo dilui possint omnia, quæ aliunde frustra ex eo contra orthodoxam hic ejus doctrinam à nonnullis captantur: *Omnia sibi tradita dicit (Filius) à Patre. Credam si Creatoris est Christus, cujus omnia: quia non minori se tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit, per sermonem suum scilicet.* Hilario prorsus consentit, qui majorem Patrem Filio affirmat, affirmante ipso Filio; sed minorem negat Filium, qui unus est cum Patre Deus. Nec negat tantùm Tertullianus minorem Filium Patre esse, sed & probat minorem esse non posse, cùm ei omnia Pater tradiderit: si modulum enim tantùm, si portionem tantùm substantiæ suæ illi dedisset, utique non omnia dedisset. Porrò si omnia dedit, & gignendo utique dedit, non ergo dimidiatam, aut partitam naturam suam dedit, sed totam. An potest cuiquam Angeli natura dari dimidiata, & ex portione tantùm dari? Quantò minùs ergo Dei, qui Deus non est, nisi totus est? An potest natura Veritatis & Justitiæ & Sapientiæ incommutabilis dimidiata & ex parte tantùm dari? Lib. 4. cap. 9.

Quod ergo ait Tertullianus pro *modulo*, derivationis datam Filio à Patre divinitatem, non id apud eum sonat vox ea *modulus*, quod alibi solet, ut vel ex hoc ipso loco patet, ubi omnia dedisse dicitur, & dedisse *non minori*; quia videlicet *omnia* non caperet, & totam Patris substantiam ac divinitatem non caperet, qui minor esset. Modulus hìc ergo dicitur, qui Græcis τρόπος; quasi diceret pro modo & ratione derivationis: quòd divinitas in Patre sit innata, ut in fonte: in Filio genita, ut in flumine, in quem fons totus omnino derivatur.

Quando ergo apud Tertullianum contra Praxeam leges, *Pater tota substantia, Filius portiò derivatio totius, & portio, sicut ipse profitetur: Quia Pater major me est*: quando, inquam, hæc leges, ne uno verbulo eum putes tot tantaque labefactasse Consubstantialis documenta superiùs relata. Abundè est, ut huic loco satisfacias, si dicas, eo eminere Patrem in Tertulliani doctrina, quòd ipse unus Pater sit, unus fons sit, unus innatus sit, à nullo derivatus, cùm Filius à Patre natus & derivatus sit, ut à fonte, atque ita paternæ magnitudinis portionem habeat, dum ea non habet, quibus Pater Pater est, major est, innatus est, à seipso uno habens omnia; hoc ipsum Filio dans, ut & ipse omnia habeat. Ita constabit sibi Scriptor iste, aliàs turpissimè secum conflictabitur, & in eo maximè, quod toties ab eo inculcatum est, Deum esse id, quod summum magnum est, ut majus nihil esse possit, immò nihil æquale. Hanc enim ille non Patris, sed naturæ divinæ descriptionem inculcavit.

Et inde illos etiam refelles, qui cùm negare non possint centies ab eo dictum esse Filium ejusdem naturæ esse substantiæque, ac Patrem; hanc naturam ab eo existimant non tributam Filio, nisi vehementer imminutam, qualis est infantium & puerorum inter homines, naturæ paternæ consortium, non magnitudinis, aut potestatis. Hunc illi nolunt esse *modulum derivationis*. Atqui ne in cogitationem quidem Tertulliani cadere id potuit. Modulum ille eo sensu dixit, quo modum, ut & persæpè aliàs fit; ad declarandam non rei imminutionem, sed rationem ejus peculiarem & à cæteris discrepantiam. Cùm utroque sensu donari possit ea vox, iniquum est in deteriorem sensum eam detorquere, contra reliquam ejusdem Authoris doctrinam. Si Tertullianus sensit Filium ita Patre minorem esse, ut puer minor est patre homine, etsi ejusdem naturæ; cur idem dixit Filio Patrem omnia dedisse, si ne omnem quidem substantiam suam dedit? si ex portione tantùm dedit? Cur dixit omnia dedisse, ut non minori? Cur sæpissimè suprà majorem eò Patrem dixit esse Filio, quòd hic hominem hominisque passiones & mortem induerit? Cur Angelis etiam minorem factum dixit, nempe carne & passione? Cur non deteriorem etiam homine dixit Verbi sortem, cùm puer ætatis accessione hominem patrem tandem exæquet, nonnumquam & superet; at Dei Filius semel Patre minor, ad ejus æqualitatem venire & crescere nunquam possit? Cur divinam naturam humanæ potiùs quàm Angelicæ comparavit, cùm hæc divinæ propior sit, nec in alio & alio major minorve esse, vel in portiones secari possit? An non vidit Tertullianus multò magis divinam, quàm Angelicam, immò & quamlibet aliam substantiam non capere majus, aut minus? Non vidit animam pueri animæ patris substantia æqualem esse, & Dei Filium ac Sapientiam ex anima potiùs nostra, quàm ex carne æstimari debere? Non vidit, angustiis materni uteri tribuendum id esse, quòd corporis mole parvuli non æquent parentes suos, sed ætatis progressu eò tandem perveniant?

X. Venio ad Tertulliani locum non paulò molestiorem in libro adversùs Hermogenem, ubi æternitati Filii palam adversari videtur, dum Deum fatetur Deum quidem semper fuisse, quòd ex natura sua id habeat; non semper Dominum, sed ex quo fuit creatura, cui dominaretur; non semper Judicem, sed post delictum, quod ulciscereturr; ita & non semper Patrem, sed per Filium, quem ex se genuit. *Nam ex quo esse cœperunt, in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus: quia & Pater Deus est, & Judex Deus est; non tamen ideo Pater & Judex semper*, Pag. 516.

per, fuit Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & Filius non fuit, quod Judicem & qui Patrem Dominum faceret: Sic & Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Dominus tantùm futurus quandoque, sicut Pater per Filium, sicut Judex per delictum, ita & Dominus per ea, qua sibi servitura fecisset.

Verùm cùm hæc disputaret Tertullianus adversùs Hermogenem, qui Materiam contendebat nec natam, nec factam fuisse, & ideo æternam esse: *Cùm neget materiam natam, aut factam*: hinc facilè intelligimus, cur tantum tribuerit hic Scriptor Patri Deo, ut innato, ut aliquid habenti, quod Filio non inesset, ingenitum scilicet & innatum esse. Cùm ergo hoc ipsum Hermogenes Materiæ communicabat, scelestissimè & insulsissimè agebat, qui id materiæ commune vellet esse, quod ne Filio quidem, vel Spiritui sancto commune erat: Immò & quod Patri ipsi priùs quodam modo competit, quàm esse Patri, si humanæ intelligentiæ ratio habeatur. Priùs enim pro nostri tenuitate ingenii Deum esse intelligimus, quàm Patrem. Deum enim intelligimus ut ipsum Esse primum, summum, & summum Magnum, quo majus cogitari ac dici nihil possit; etsi tum necdum cogitemus illum coæqualis sibi Filii Patrem esse. Cùm ergo innata & sine authore materia dicebatur, ideoque & Filio præponebatur & Spiritui sancto, ipsi etiam Patri, quà Patri anteponebatur, etsi non quà Deo & ingenito. Non eguerat enim innata materia authore Deo, ut esset; eguerat Pater Filio, ut Pater esset; nec enim Pater Deus est, nisi per Filium; uti neque Dominus, nisi per servientes sibi creaturas; neque Judex, nisi per delicta. Hæc Hermogenis flagitia ut detegeret, & omnium execrationi objiceret Tertullianus, necesse habuit hoc Dei & Patris discrimen declarare, & duplicem quodammodo æternitatem distinguere; alteram quæ Deo, ut ingenito, ut à nullo existenti, ut omnium principio sine principio competit; alteram quæ Filio etiam competit, ut ante sæcula genito, ut ante principium temporis nato, ut æterno Patri coæterno, ut sine quo nunquam Pater, immò sine quo nunquam Deus fuerit; quamquam sine eo non Pater, sed Deus fuisse à nobis concipiatur; sicut à nobis pro nostræ tenuitatis modulo concipitur antè Deus fuisse, quàm Pater; antè, inquam, non tempore, sed ratione, & humana cogitandi serie ac consuetudine.

Si vel Sol iste corporeus, vel fons aliquis innatus & æternus esset, eodem prorsus modo, duplex ejus æternitas à nobis distingueretur; altera radii, vel rivi, qui æternus & necessarius ab æterno Sole & fonte nasceretur & prodiret; altera ipsius Solis & fontis innati, qui à nullo prodiret, à nullo nasceretur, & nascente ac prodeunte à se radio ac rivo anterior quodammodo esset, quia anterior intelligeretur: ut hi æterni, illi prææterni essent: quòd à principio & origine aliqua essent radius & rivus, à nullo principio nullaque origine essent Sol & fons. Ex Patribus omnibus suprà laudatis etiam post Nicænam Synodum, ejusmodi est Patris Filiique tum divinitas, tum æternitas. Summi ergo flagitii fuit, extrema, ut cum Tertulliano loquar, hæc linea fuit insulsitatis, quando Hermogenes non æternitatem illam tantùm materiæ tribuit, quæ Filio & Spiritui sancto competit; sed illam etiam quæ his non competit, qui innati non sunt; immò nec Patri, quà Pater est, & quà sine Filio non intelligitur; sed uni competit Deo, quà innatus & ingenitus cogitatur antè, quàm cogitetur Pater. Hæc mihi visa sunt hìc & paulò altius repetenda, & fusius exequenda, ut à Tertulliano propulsetur infamia negatæ Filii Dei æternitatis, negatæ & Patris, quatenus Pater est.

Eò pertinet quod post ait Tertullianus, ab Hermogene duos Deos induci, scilicet duos innatos, duos summos, duos æternos: *Ita Hermogenes duos Deos infert. Materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit. Unicum autem esse non poterit, cui aliquid adequabitur. Adequabitur autem Deo materia, cùm eterna censetur. Sed Deus, Deus est: & materia, materia est.* Pag. 18.

Eò pertinet & quòd materiam Hermogenis rursus ostendit Filio præponendam fore; Filius enim cùm a Patre sit, ab eo in carnem nostram missus, dejectus, subjectusque fuit: id pati Materia ne potuisset quidem, ut ab authore nullo, ut innata, ut æterna. *Cùm neget materiam natam, aut factam, sic quoque invenio Domini nomen Deo non competisse in materiam: quia libera fuerit necesse est, que originem non habendo, non habuit authorem, quod erat, nemini serviens.* Et aliquanto post: *Præscribo non capere ullam diminutionem & humiliationem, quod sit æternum & innatum: quia hoc & Deum faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subjectiorem, immò omnibus majorem & sublimiorem.* Ubi vides æternitatem & Dei, & materiæ Hermogenianæ, eorum innascibilitati conjugatam. Pag. 19. Pag. 20.

XI. Aliquid lucis his accedet ex comparatione Materiæ & Sapientiæ, seu Filii. De Sapientia enim ita Tertullianus, ut nihil eorum dissimulem, quæ in eo carpuntur: *Denique ut necessariam sensit Deus ad opera mundi, statim eam condit, & generat in semetipso: Dominus, inquit, condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Sed quis non videt hic de Salomonis verbis agi in descriptione Sapientiæ ab eo proposita; in his enim ita res narratur, ut condita fuerit sapientia, ad opera Dei, ut quæ ad ea necessaria fuerit? Non ergo de ipsa nativitate Sapientiæ agitur a Salomone, sed de ortu mundi, qui a Sapientia, vel per sapientiam Dei prodiit; atque ita ex occasione creationis rerum facta est mentio Sapientiæ; nec mirum, cum non aliter ferè invisibilia Dei, nisi per visibilia ejus opera nobis innotescant. Ideo consultissimè Salomon non ait in nomine & persona Sapientiæ, Condidit me; sed condidit me initium viarum suarum: non ait, Condidit me, sed condidit me in opera sua.

Tertulliano certè nasci & condi, ubi de Sapientia agitur, unum & idem est. Materia Hermogenis *innata, & incondita* apud eum: Sapientia *nata & condita*; Deus solus apud Catholicos *innatus & inconditus*. Loca ipsa integra superiùs retuli. Rursus ibidem Sapientia *sine initio non fuit*, nempe quia innata non est; *Dei sermone unigenito & primogenita antiquius preter Patrem nihil fuit*; quia præter Patrem innatum & innascibile nihil fuit. In hoc autem contra Hermogenem libro quàm non dixerit Tertullianus Filium aut non æternum, aut minorem Patre, hinc certissimè colliges, quòd ab eo dicatur Filius non potuisse ab Hermogene materiæ postponi, quin & Deus postponeretur. *Ita & hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponenda eam Filio. Filius enim sermo, & Deus sermo: & Ego & Pater unum sumus: nisi quod sustinebit æquo animo Filius eam præponi sibi, quæ Patri adæquatur.* Vides ut Filium ita Deum, ita cum Patre unum dicat esse, ut non possit ei præponi materia, quin Deo præponatur, & Patri adæquetur. Pag. 18.

Quando verò adversùs Praxeam supra ajebat Tertullianus, *ante omnia Deum fuisse solum*, Pag. 67.

certè

certè ante sæcula, ante omnia tempora, atque ab æterno solum fuisse docebat. Atqui ne tum quidem ita solum fuisse dicebat, quin suum in se & ex se haberet Filium. *Ante omnia Deus erat solus; ipse sibi mundus & omnia. Solus autem, quia nihil extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tum quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & Ratio in ipso priùs, & ita ab ipso omnia.* Cùmque Sermonem à Ratione, sive à Sapientia eo distinxisset, quòd Sermo non dicatur, nisi quando ad res creandas prodit Sapientia: subdit non semper fuisse Sermonem, sed semper & ante principium fuisse Rationalem Deum. *Non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium.* Vides hic Rationem & Sapientiam, sive Filium ante principium temporum fuisse, atque adeo ab æterno. Sola enim æternitas ante omnia tempora est. An verò id affingi Tertulliano à quoquam potest, ut non semper fuisse suam Deo Rationem & Sapientiam putarit? sed post ei accessisse, cùm ante caruisset? Sed quid his manifestius, ubi ait Deum cœpisse quidem in tempore loqui extrinsecùs, & sermone suo orbem creasse; at antea ipsum cum Ratione & Sapientia cogitasse sua & disposuisse, quæ creaturus erat. *Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat: proinde cum ipsa & in ipsa Ratione intra semetipsum habebat, tacitè cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus.* Exemplum subdit hominis priùs cogitantis, postea loquentis, & operantis; & tantò priùs cogitantis, quantò sapientiùs loquentis, & agentis. Quæ ergo Deus in tempore, seu initio temporis dicturus & facturus erat, id voluit Tertullianus eum paulò antè cogitasse & disposuisse secum? an ab æterno potiùs cum Sapientia sua cogitasse, consultasse, decrevisse temporalia sua opera omnia? Ab æterno ergo affuisse Deo sapientiam suam, vidit, dixit, & validissimè probavit hic Scriptor.

Sed quid illa rursum superiùs ex eodem allata, quàm & clara & valida sunt ad æternitatem Filii, Sapientiæ, immò & Sermonis, qua in Sapientia adhuc recondebatur? *Sermo ergo, & in* Pag. 409. *Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est, Et Sermo erat apud Deum.* Quid his rursum apertius validiusque, *Protulit Deus Sermonem, sicut radix fruticem, fons fluvium, Sol radium.* Atqui Sol non potest esse, quin radios jaculetur: similiter dicendum de Radice & Fonte. An potuit velle Tertullianus, ut tota æternitate Sol intelligibilis Deus non radiaverit, sed in tempore demum quasi suæ intus caliginis pertæsus radiare cœperit?

Quid ubi post ait, unum veritum esse Deum, mentiri; veritum scilicet semetipsum & suam veritatem? *Unum tamen veritus est, mentiri. Ve-* Pag. 411. *ritus autem semetipsum, & suam veritatem.* Veritas autem, seu Sapientia, Filius. An fuit quando non erat veritas? Quando ait Deus in Propheta, *Ego & præter me alius non est*; censet ita id interpretandum Tertullianus, *Alium* Pag. 418. 419. *à Patre Filium non esse.* Et idem paulò pòst, ideo non videri Patrem, videri Filium, quia Pater *non habet initium, à nullo prolatus est, innatus est, ideo non potest videri.* Nec enim vel Filius videri unquam in terris potuit, nisi in assumpta corporea quapiam forma, atque adeo missus à Patre, qui tam videri non potuit, quàm nec mitti. Quid illud infrà, *Unum sumus*, Pag. 413. *dicens Christus, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos æquat & jungit.* Æqualitatem hìc vides apertam Filii cum Patre, ex unitate divinitatis probatam, quæ non possit non sibi par esse. Sexcenta ejusmodi alia congeri huc possent, & ex his judicium de hoc Scriptore ferendum, non ex paucissimis ejus alibi verbis, ut ipsemet monuit adversùs eosdem Patripassianos, qui tribus versiculis allegatis quasi sibi succinentibus, his cedere jubebant totum utrumque Testamentum, omnium hæreticorum more: *His tribus capitu-* Pag. 410. *lis totum instrumentum utriusque Testamenti volunt cedere, cùm oporteat secundùm plura intelligi paucioza. Sed proprium hoc est omnium hæreticorum.*

XII. Ex his plus satis vides, quomodo capiendum sit, quod adversùs Praxeam dixit, in creando homine dixisse Deum, *Faciamus*, plurali numero, *quia jam adhærebat illi Filius, secunda persona, Sermo ipsius; & tertia, Spiritus in Sermone*: non potest id quidem referre Tertullianus ad exordium divinæ ipsius personæ, sed ad exordium Sermonis, vel Spiritus foras prolati, & missi ad creationem rerum. An paucis enim tantùm diebus ante hominis exortum visus est Tertulliano exortus, sive Filius Dei, sive Spiritus sanctus? Ita exordem illum quisquam vult fuisse, ut nuperrimos & penè hesternos crediderit duos illos Deos & Dominos, id est duas illas personas, quibus singulis Dei & Domini nomen jure vendicatur? Unde cùm Praxeas ex ejus doctrina hoc inferret, duos Deos esse, quarum alius jubeat, alius pareat, in mundi conditu: vide quid ipse respondeat: *Si tam du-* Cap. 13. *rus es, puta interim: & ut adhuc amplius hoc putes, accipe & in Psalmo duos Deos dictos, Thronus tuus Deus, &c. propterea unxit te Deus Deus tuus, &c. Scilicet hìc duos Deos proponit, &c. Et alibi, Tu es Deus, &c. in te est Deus, &c. Deus in te, & tu es Deus, duos proponit, qui erat, & in quo erat, Christum & Spiritum.* Post complura hujusmodi negat quidem ipse duos Deos à nobis credi, vel dici posse; sed hinc perspicis, quàm verè Deum ille crederet, æternum utique & non hesternum, tum Filium, tum Spiritum sanctum. Unde ibidem subdit, si Scriptura justos quoslibet Deos dixit, *Illam multò magis vero & unico Dei Filio Dei nomen jure contulisse.*

Illud penè nos effugerat refellere, quod aliqui cavillantur, à Tertulliano scriptum esse de Plinio Juniore, qui in Christianos inquirere jussus, rescripsit, *nihil aliud se de eorum sacramentis comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo, ut Deo.* Ita sanè legendum; ut imperiti, vel malevoli sit legere, *Christo & Deo.* Si Christum enim ille à Deo disjunxisset, non illum utique ei prætulisset. Adde quòd hæc ex Plinio videtur ipso excerpsisse Tertullianus. Plinii autem hoc ipsum narrantis hæc sunt verba ad Imperatorem: *Quod essent soliti stato die ante diem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere.* Eadem propemodum sunt & Eusebii verba in Chronico: *Antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo, ut Deo.* Denique ubi narrat Tertullianus Tiberium retulisse ad Senatum de Christo divinis honoribus ornando, suam ipse apertissimè prodit de vera Christi deitate sententiam; illisque irascitur, à quibus in Senatu repulsam passus est Tiberius: *Tiberius detulit* In Apol. c. 5. *ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus quia non ipse probaverat, respuit; Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Et paulò antè non sine indignatione, *Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit.* Hæc omnia intexuit Eusebius Historiæ suæ, ex Lib. 2. Tertulliano decerpta, ubi ait hoc consilii cepisse Tiberium, quòd Christus *à plerisque jam Deus haberetur.* Nec potest hoc referri ad illos Deos, qui à Gentilibus ex hominibus consecrabantur; Tertulliano enim ejusmodi Dii, non Dii, sed dæmonia erant; nec verò ejusmodi Deus

videri poterat Christus, qui hoc primum sanciebat, ejusmodi Deos omnes execrationi esse debere.

XIII. Totum veritati, nihil nos hactenus gratiæ dedisse facilè assentietur, quisquis Hieronymum viderit nobis consentaneum in purganda Tertulliani fama, in defendenda doctrina. In Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi Hieronymus Scriptores hactenus Ecclesiasticos recensens, nec nisi Catholicos, à Tertulliano initium ducit, nec ullo eum cauterio graviori inurit: *Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo*. Illius etiam meminit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi non silluisset claudicantem ejus fidem & Theologiam in Trinitatis dogmate, si quod ejus flagitium istiusmodi comperisset: devexa ætate illum non tacet invidia & contumeliis Romanæ Ecclesiæ Clericorum exagitatum ad Montani dogma delapsum esse, & in multis libris novæ prophetiæ meminisse; de vexata ab eo fide Trinitatis, vel de Ariani dogmatis præludiis nec litteram facit ullam. Denique Cyprianum ait nunquam unam diem præteriisse sine lectione Tertulliani; nec aliter libros ejus poposcisse, quàm his verbis, *Da magistrum*. Non is erat Cyprianus, non is Hieronymus, qui tantum tribuerent Arii præsultori. Contra Helvidium, fateor, scribens Hieronymus, & eum sibi objici molestè ferens, ait illum *Ecclesiæ hominem non fuisse*. Sed de Trinitate sermo ibi non erat; scripserat & contra Ecclesiam Tertullianus librum de Pudicitia; denique in Montani dogma delapsus fuerat. In Apologia contra Jovinianum vide quibus annumeret Tertullianum: *Taceo de Latinis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario*. Et infrà: *Lege Tertullianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium, & cum illis me, vel accusa, vel libera*. Nihil moror mox ab eo laudatos ibidem cum Scriptoribus Ecclesiasticis Origenem & Eusebium: ibi enim non de Ecclesiastico ullo dogmate agebatur, sed de imparis numeri præ pari excellentia, quod ad Theologiam nihil attinet. Denique in crimen vocatus Hieronymus, quod Origenem laudasset & amasset, vide ut exemplo Cypriani se tueatur, qui Tertulliani lectione delectabatur, etsi in eo detestaretur novæ Prophetiæ vecordiam. *Et beatus Cyprianus Tertulliano Magistro utitur, ut ejus scripta probant, cumque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur*. In Epistola quidem ad Tranquillinum permiscet Tertullianum Origeni, Novato, Arnobio, Apollinario & aliis, quorum *bona eligenda, vitanda contraria*, authore Apostolo: sed in Tertulliano, quam hæresin improbaret, jam dixit, Montani dogma. Quod idem dicendum de Hieronymi Apologia adversùs Ruffinum, in qua ita habet, *In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresin*. Non id aliò trahendum est, quàm quò suprà indigitavit Hieronymus ipse, dogma Montani.

Augustinum saltem audies, quo non alius certior & locupletior, tum Hieronymi, tum conterranei sui Tertulliani interpres, non alius in oppugnandis Arianis perspicacior. Sic autem ille in libro de Hæresibus, cùm dixisset à Tertulliano non animam tantùm, sed & Deum corporeum dici: quæ styli tantùm fuit durities: *Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus; sed quia transiens ad Cataphrygas, quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam damnare; & postmodum etiam ab ipsis divisus sua Conventicula propagavit*.

Hilarius quoque Tertulliani meminit, ille acerrimus Ariani dogmatis expugnator; non tamen illum in hoc impegisse dicit, quamquam non dissimulet eum posteriori errore suo fidem detraxisse scriptis prioribus suis aliàs etiam commendandis: *Quamquam & Tertullianus (de oratione) volumen aptissimum scripserit: sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus authoritatem*. Laudavit Vincentius Lirinensis hunc locum Hilarii, sed non tacuit ipse, quis fuerit ille consequens Tertulliani error, quo elevata est authoritas laudatissimarum aliarum ejus lucubrationum, quòd nempe *exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras Prophetias asseveraverit*. Hilarius in Matth.

CAPUT XXXIX.

Doctrina Novatiani de Trinitate, ad uberiorem etiam elucidationem superioris nostræ de Tertulliani doctrina sententiæ.

I. Cur de Novatiano hoc prolixiùs agamus.

II. Illi ut Tertulliano Deus summum Magnum est, ut Christus Deus esse non possit, nisi Patri æqualis.

III. In Christo tam tota Deitas, quàm tota humanitas.

IV. Christus & Deus est, & eo uno à Patre distat, quòd à Patre est, unde & decentius fuit eum incarnari, & ita Patri subjici.

V. Usque adeo Deus est Christus, ut complures hæretici unam ejus dixerint cum Patre & naturam & personam; alii hominem illum esse negaverint.

VI. Cur Patrem & Filium Novatianus inculcaverit unum esse charitate, concordia, consensione.

VII. Ut Christus à Patre, Spiritus sanctus à Christo accipiat, & mittatur, eòque minor sit Christi æternitas.

VIII. Objectiones de Filio olim viso, descendente, &c. Respondetur ad assumptas tunc visibiles formas hæc spectare, assumendæ carnis præludia.

IX. De Spiritu sancto & Filio, de Patre, ad cujus amplitudinem redundat, ut qui abipso nascitur, vel procedit, tantus sit, quantus ipse est.

X. Rursum de Filii æternitate.

XI. Ut Filius Deus ex Deo nascens Patre, non eripiat illi hoc decus, quo solus Deus est.

XII. Hinc etiam probatur vera Christi divinitas, quòd unum charitate cum Patre sit, quòdque illi carne assumpta subjiciatur.

XIII. Hieronymi testimonium de Novatiano.

I. INter opera Tertulliani circumfertur & liber de Trinitate, usque adeo illi consentaneus, ut & ejus esse ferè hactenus existimatus fuerit, quamquam Novatiani sit illorum ipsorum temporum Presbyteri. Hunc ergo tantò diligentiùs excutiemus, ejusque de Trinitate doctrinam, quantò hinc certiora elicientur documenta superioris nostræ sententiæ de doctrina Tertulliani circa trinam unamque Deitatem. Nec ad unum Tertullianum illustrandum conducet nostra hæc diligentia, sed ad illos quoque posteriores eo, etsi Concilio Nicæno vetustiores Scriptores Latinos, quibus eadem à nonnullis illinitur Arianæ perfidiæ infamia antè ipsius Arii exortum. Cùm paucæ eæque breves horum scriptiones ad nos devenerint, non tam facile nobis erit eorum doctrinæ & fidei intaminatæ invicta accumulare præsidia. De illis ergo ex Tertulliano & Novatiano conjectandum erit, qui plura de hoc scripsere primario Christianæ Religionis capite.

II. In

II. In eo igitur primùm Novatianus Tertullianum imitatur, quòd Deum id esse pronuntiat, quod summum est, quod totum est, atque adeo infinitum; ut & unicum esse necesse sit, nec quidquam illi esse æquale; nec enim aliàs summum esset, si æquale aliud quid esset. *Ideo & unus pronuntiatus est, dum parem non habeat: Deus enim, quidquid esse potest quod Deus est, summum sit necesse est. Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem. Et ideo solum & unum sit necesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt, ut rerum dictat ipsa natura. Infinitum est autem quidquid nec originem habet omnino, nec finem. Excludit enim alterius initium, quidquid occupaverit totum.*

Pag. 608

Ubi ergo posthac Filius & asseverantissimè Deus à Novatiano dicetur, & ex Scripturis probabitur, ne venire quidem in mentem poterit inferioris notæ illum esse Deum, aut degenerem Filium, aut inæqualem Patri, vel sive loco, sive tempore finitum; cùm Deus non sit nisi summum Magnum, cui nihil æquale, quo nihil majus esse possit.

III. De Christo infrà differens, & tam Deum, quàm hominem demonstrans, in utraque hac natura totum, integrum declarat, & perfectissimum; ut cui tam Pater Deo omnia sua dederit, quàm omnia sua mater homini: si enim matris in dedecus redundasset, si non totam in illum naturæ humanæ perfectionem transfudisset; resiliisset & in patris contumeliam, si naturæ suæ filium sibique parem generare non potuisset. *Non sic de substantia corporis ipsius exprimimus, ut solùm tantum hominem illum esse dicamus: sed ut divinitate Sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum secundùm Scripturas esse teneamus. Etenim periculum grande Salvatorem generis humani totius dominum & principem mundi, cui à suo Patre omnia tradita sunt, & cuncta concessa, per quem instituta sunt universa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, evorum omnium & temporum Regem, Angelorum Principem, ante quem nihil prater Patrem, hominem tantummodo dicere, & autoritatem illi divinam in his abnegare. Hæc enim contumelia hæreticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit.*

Pag. 608.

Cùm tam se Christus Deum Deique naturæ esse probaverit, quàm se probavit hominem hominibus cæteris consubstantialem, non potest unum horum concuti, quin & alterum labefactetur: & homo jam non sit perfectus, si tam totus & perfectus non sit Deus quàm Pater. *Quæcumque enim lex in alterutro fuerit posita, in altero invenietur esse suspecta. Periculum enim erit, nec hominem illum ex passionibus ostendi, si non potuerit etiam Deus ex virtutibus adprobari. Non est ergo in unam partem inclinandum, & ab alia parte fugiendum, quoniam nec tenebit perfectam veritatem, quisquis aliquam veritatis excluserit portionem. Tam enim Scriptura etiam Deum adnuntiat Christum, quàm etiam hominem ipsum adnuntiat Deum: tam hominem descripsit Jesum Christum, quàm etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantùm illum Filium esse proponit, sed & hominis; nec hominis tantùm dicit, sed & Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit; ne si alterum tantùm sit, alterum esse non possit. Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit; ita eadem natura præscribit & Deum credendum esse, qui ex Deo sit: ne si non & Deus fuerit, cùm ex Deo sit, jam nec homo sit, licèt ex homine fuerit; & in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur.*

Ibidem.

IV. Hinc inferius dicitur Filius in forma Dei & exemplo Patris Deus, super omnia; hoc uno à Patre distans, quòd à Patre sit, ab eoque omnia habeat; ex quo fit, ut & ante incarnationem sibi præludens incarnando, & post incarnationem Patri obsequatur & obediat, formam servi induat; divinitatem qua Deo Patri æquatur, non ut rapinam habeat, sed ut ipsam charitatis, concordiæ, unitatis essentiam; ideoque tum ex ipsa filietatis suæ indole, tum ex missionis ratione, tum denique ex assumptæ humanitatis ingenio, omnem Patri in omnibus obedientiam præstet. *Et meritò in forma pronuntiatus est Dei, dum & ipse super omnia, & omnis creatura divinam obtinens potestatem, & Deus est exemplo Patris: hoc ipsum tamen à Patre proprio consecutus, ut omnium & Deus esset, & Dominus esset, & Deus ad formam Dei Patris ex ipso genitus atque prolatus. Hic ergo quamvis esset in forma Dei, non est rapinam arbitratus æqualem se Deo esse. Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit: memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est habere se, quia Pater dedisset. Inde denique, & ante carnis assumptione, sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter ac præstat. Ex quo probatur, nunquam arbitratum illum esse rapinam quandam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo: quin immo contrà, omni ipsius imperio & voluntati obediens atque subjectus, etiam ut formam servi susciperet contentus fuit.*

Pag. 613.

V. Christum tradit mox Novatianus tam constanter Deum Deoque Patri æqualem, & unum cum eo, quem Deum esse Scripturæ testificantur: ut complures hæretici illum dicant non in natura tantùm, sed & in persona unum esse Deum cum Patre, & nomine solo Filium à Patre differre. *Nam usque adeo hunc manifestum est in Scripturis & Deum tradi, ut plerique hæreticorum Divinitatis ipsius magnitudine & veritate commoti, ultra modum extendentes honores ejus, ausi sint non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare. Quod & si contra Scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande atque præcipuum est: qui usque adeo Deus, sed qua Filius Dei natus ex Deo, ut plerique illum (ut diximus) hæretici ita Deum acceperint, ut non Filium, sed Patrem pronuntiandum putarent.*

Pag. 614.

At ex adverso hæretici totam usque adeo in Christo summi Dei naturam & majestatem residere existimant, ut humanitatem & carnem illi abjudicent. Etsi pugnantes hinc & hinc hos errores damnemus, non leve tamen hinc authore Novatiano argumentum ducimus, Christum tantoperè Deum esse, ut etiam pro Deo Patre à quibusdam habitus sit, ab aliis homo esse negatus sit. *Alii quoque hæretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne, & totum illi susceptum detraxerint hominem; ne decoquerent divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, ut arbitrabantur, nativitatem. Quod tamen nos non probamus, sed argumentum afferimus, usque adeo Christum esse Deum, ut quidam illi subtracto homine, tantummodo putarint Deum; quidam autem ipsum crediderint Patrem Deum; cùm ratio & temperamentum Scripturarum cælestium Christum ostendant Deum, sed qua Filium Dei, & assumpto à Deo etiam filio hominis credendum & hominem.*

Ibidem.

VI. Premebant Sabelliani illa Christi verba, *Ego & Pater unum sumus*, ut unum etiam hypostasi & persona esse concluderent. Novatianus unum esse respondet, *societatis concordia, non unitate personæ*; ideoque Unum illud spectare

ad

Pag 617.618. *ad concordiam & eandem ſententiam, & ſocietatis charitatem, ad amorem, ad dilectionem* mutuam Patris & Filii: *Sed quia frequenter intendunt illum nobis locum, quo dictum ſit, Ego & Pater unum ſumus, & in hoc illos æquè facilè vincemus. Si enim erat, ut hæretici putant, Pater Chriſtus, oportuit dicere, Ego & Pater unus ſum. At cum Ego dixit, deinde Patrem infert, dicendo, Ego & Pater, proprietatem perſonæ ſuæ, id eſt Filii à paterna autoritate diſcernit, atque diſtinguit, non tantummodo de ſono nominis, ſed etiam de ordine diſpoſita poteſtatis. Qui potuiſſet dicere, Ego Pater, ſi Patrem ſe eſſe meminiſſet. Et quia dixit unum, intelligant hæretici, quia non dixit unus. Unum enim neutraliter poſitum, ſocietatis concordiam, non unitatem perſonæ ſonat. Unum enim, non unus eſſe dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, ſed ad ſocietatem alterius exprimitur. Denique adjicit, dicens, ſumus, non ſum; ut oſtenderet per hoc quod dixit, ſumus, & Pater, duas eſſe perſonas. Unum autem, quod ait, ad concordiam & eandem ſententiam, & ad ipſam charitatis ſocietatem pertinere, ut meritò unum ſit Pater & Filius per concordiam & per amorem & per dilectionem.*

Qui hinc Novatiani ſanæ fidei inſidias ſtruunt, præjudicatæ illi mihi videri ſolent opinionis ſuæ amantiores, quàm vel æquitatis, vel veritatis. Expreſſiſſimè enim ipſemet declaravit, cur concordiæ, amori, dilectioni, ſocietati tantum hìc tribuerit, ſcilicet ut malè his aſtructam deſtrueret perſonæ unitatem. *Societatis concordiam, non unitatem perſonæ.* Si unitatem ſubſtantiæ hìc deſignaſſet, non aberraſſet à vero, id enim ipſum poſtea confitebitur, ſed cauſæ ſuæ officere viſus eſſet. Unitatem enim naturæ & ſubſtantiæ non aliter Sabelliani interpretabantur, quàm unitatem perſonæ; unde ut unam naturam, ita & unam perſonam in Deitate ſtatuebant; Catholicoſque trium Perſonarum defenſores non aliter traducebant, quàm ut trium cultores Deorum. Ut plures ergo Perſonas ſignificaret Novatianus, concordiæ, dilectionis, amoris, ſocietatis vocabula compulſus eſt uſurpare, quòd ea plures invehant Perſonas. Cæterùm ſuſiſſimè à nobis oſtenſum eſt ſuprà Patres Græcos Latinoſque divinas inter ſe Perſonas etiam charitate copulaſſe.

VII. A Patre miſſum, Patre minorem confitetur Chriſtum Novatianus, ſed ut Filium; tantùm ut eo proderetur, illum non eſſe Patrem. Si Pater enim fuiſſet, miſiſſet, non miſſus eſſet, non mittenti obediſſet. Totum hoc ergo non naturæ, non divinitatis in Filio detrimentum eſt, ſed argumentum filiationis, & perſonalis proprietatis; qua fit, ut à Patre mittatur, etiam ut Deus: & Patre minor ſit, juxta ſuperiùs laudatos Patres aliquot Catholicos, etiam ut Deus. *Dum ergo*
Pag.618. *accipit ſanctificationem à Patre, minor Patre eſt: minor autem Patre conſequenter eſt, ſed Filius. Pater enim ſi fuiſſet, ſanctificationem dediſſet, non accepiſſet: nunc autem profitendo ſe accepiſſe ſanctificationem à Patre, Filium ſe eſſe, non Patrem monſtravit. Miſſum præterea ſe eſſe dicit, ut per hanc obedientiam, qua venit Dominus Chriſtus miſſus, non Pater, ſed Filius probetur, qui miſiſſet utique, ſi Pater fuiſſet. Miſſus autem non fuit Pater, ne Pater ſubditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur.*

Quin ut Chriſtum à Patre mitti & accipere, eoque minorem eſſe fatetur Novatianus; ita & Spiritum ſanctum à Chriſto mitti & accipere probat, atque ita illo minorem eſſe, licèt Deus ſit. Quantus ergo Novatiano Deus eſt Chriſtus, qui Spiritu ſancto major eſt, ejuſque largitor? quantus Deus eſt, qui Deum dat? *Sed ſi à Chri-*
Pag.618. *ſto accepit quæ nuntiet, major ergo jam Paracleto Chriſtus eſt; quoniam nec Paracletus à Chriſto acciperet, niſi minor Chriſto eſſet. Minor autem Chriſto Paracletus repertus, ab illo ſumit quæ cæteris tradit. Quandoquidem ſi homo tantummodo Chriſtus, à Paracleto Chriſtus acciperet quæ diceret], non à Chriſto Paracletus acciperet quæ nuntiaret.*

Repoſcebat Chriſtus à Patre gloriam, quam habuerat ante mundi conſtitutionem. Erat ergo ante mundi conſtitutionem. Oro te quot annis, quot diebus cogitabat Novatianus Chriſtum fuiſſe ante mundi exortum? an paucis? an pluribus? an tota potiùs æternitate? nam dies, & anni, & tempora cum mundo cœpere, nec tempora præcedit niſi æternitas. Aperta hìc eſt ergo Chriſti Dei æternitas. *Sed enim Chriſtus habet gloriam ante mundi inſtitutionem, ergo ante* Pag.619 *mundi inſtitutionem fuit. Niſi enim ante inſtitutionem mundi eſſet, ante mundi inſtitutionem gloriam habere non poſſet, cùm ipſe non eſſet. Sed enim homo gloriam ante mundi conſtitutionem habere non potuit, qui poſt mundum fuit: Chriſtus autem ante mundum igitur fuit: non igitur homo tantummodò fuit, qui ante mundum fuit. Deus eſt igitur, quoniam ante mundum fuit, & gloriam ante mundum tenuit.*

VIII. Objectant & illa nobis aſperiores Novatiani cenſores, ubi ſub veteri Teſtamento non Pater, ſed Filius narratur viſus eſſe, in loco fuiſſe, deſcendiſſe, homines viſitaſſe; quæ omnia majeſtati Filii videntur non parum derogare. *Quid ſi idem Moyſes ubique introducit Deum Pa-* Pag.619 *trem immenſum atque ſine fine, non qui loco claudatur, ſed qui omnem locum claudat: nec eum qui in loco ſit, ſed potiùs in quo omnis locus ſit: omnia continentem, & cuncta complexum, ut meritò nec deſcendat nec aſcendat, quoniam ipſe omnia & continet & implet: & tamen nihilominus introducit Deum deſcendentem ad turrem, quam ædificabant filii hominum, conſiderare quærentem, & dicentem: Venite; & mox, Deſcendamus & confundamus illic ipſorum linguas, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Qui volunt hìc Deum deſcendiſſe ad turrem illam, & homines tunc illos viſitare quærentem? Deum Patrem? Ergo jam loco clauditur. Et quomodo omnia ipſe complectitur?*

At quæſo te, Filio hæc adſcribunt ſacræ litteræ in propria divinitatis ſubſtantia, an in aſſumpta tum ad tempus corporali ſpecie aliqua? Si in propria ſubſtantia, & non in aſcititia corporea forma, ergo Angelis, ergo beatorum hominum animabus inferiorem volebat Novatianus Filii naturam, quod ne adverſarii quidem auſint illi imputare. Nec enim Angelus poteſt ad homines deſcendere, illos viſitare, & alloqui, aliquo cum illis loco concludi, ab illis videri, niſi in emendicata viſibili forma quapiam. Si Filium autem intelligebat Novatianus hæc omnia non aliter ſubjiſſe, quàm in aſſumpta ſpecie viſibili, ſicut & poſtea in aſſumpta hypoſtaticè humanitate: hinc ergo nihil decerpitur de ſumma ejus divinitate & æqualitate cum Patre. Quamquam enim æqualis ſit, immo una Patris Filiique natura dignitaſque, ex proprietatis tamen perſonalis ratione, Filio magis congruit quàm Patri, mitti, corporari, incarnari, condeſcendere & accommodare ſe naturis creatis, iiſque videndum ſe ſub his involucris exhibere, ut paulatim homines convaleſcerent, & aſſueſcerent Deum videre, per alios & alios gradus hujus contemperationis: in antiquis figuris, poſt in aſſumpta humanitate, à qua trajiciendi tandem aliquando ſunt ad videndam divinitatem Filii, & per Filium ad Patrem ipſum videndum.

Ea eſt in his Novatiani ſententia: *Ergo verè viſus eſt Deus. Ex quo intelligi poteſt, quod non Pater viſus ſit, qui nunquam viſus eſt, ſed Fi-* Pag.620 *lius, qui & deſcendere ſolitus eſt, & videri,*

quia

quia descenderit. Imago est enim invisibilis Dei, ut mediocritas & fragilitas conditionis humanæ Deum Patrem videre aliquando jam tunc adsuesceret in imagine Dei, hoc est in Filio Dei. Gradatim enim & per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videre posset aliquando. Et mox: *Sic ergo & Christus, id est, imago Dei, & Filius Deus ab hominibus inspicitur, qua poterat videri. Et ideo fragilitas & mediocritas sortis humanæ per ipsum alitur, producitur, educatur, ut aliquando Deum quoque ipsum Patrem, adsueta filium conspicere, possit, ut est, videre; ne majestatis ipsius repentina & intolerabili fulgore percussa intercipi possit, ut Deum Patrem, quem semper optavit, videre non posset. Ex quo Filius est hic, qui videtur; Dei autem Filius, Dei verbum est: Dei autem Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; hic autem Christus est.*

Pluribus infrà declarat Novatianus, non Patrem, sed Filium visum esse, & Abrahæ olim, & Agari, & aliis; unde & creberrimè Angelus in his vocabatur, quòd eò à Patre mitteretur. Atqui & Scriptura & res ipsa clamat per figuras & imagines corporeas peracta hæc omnia fuisse. Hinc igitur nec Filio quidquam detrahitur, nec Patri quidquam præ Filio accedit, cùm in confesso sit neutrum in substantia sua corporeis oculis visibilem esse, quibus ne Angeli quidem conspicabiles sunt; sed proprietati Filii à Patre procedentis consentaneum magis fuisse, ut à Patre ad has carnis suæ prolusiones mitteretur. *Absit Deum Patrem Angelum dicere, ne alteri subditus sit, cujus Angelus fuerit, &c. Quod Filius erat futurus, meditabatur in sacramento Abrahæ factus hospes.*

IX. Nec de Spiritu sancto mutus fuit Novatianus, quem jam dixit eo loco esse apud Filium, quo hic apud Patrem, atque adeo ab eo accipere, ab eo mitti, quod utique fit procedendo. *Sed enim ordo rationis, & fidei authoritas, digestis vocibus, & litteris Domini admonet nos post hæc credere etiam in Spiritum sanctum olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum.* Et aliquantis intertextis: *Sanctitatis effector, quid agens in nobis ad æternitatem & ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra producat, dum illa in se adsuefacit cum cœlesti virtute misceri, & cum Spiritus sancti divina æternitate sociari. Eruditur enim in illo, & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temporare.* Cernis ut æternitatem Spiritui sancto ascribat, ac proinde & Filio. Multa ille inferiùs accumulat encomia in Deum Patrem, sed illa semper inconcussa stante regula, ut omnia Pater Filio dederit, ut sola innascibilitate, & paternitate Pater emineat; tantò major, quantò majus est summam divinitatem non habere tantùm, sed & dare: Deum non esse tantum, sed & generare, ut suprà dixit Novatianus: Denique dum non innatus sit Filius, nil moratur hic Scriptor, ut nec Tertullianus, quin tantus sit, quantus est Pater, dum ex Patre sit natus; tum enim ad amplitudinem Patris exaggerandam facit, quòd æqualem sibi Deum generare potuerit; etsi implicet, ut genuerit ingenitum. *Est ergo Deus Pater omnium institutor & creator, solus originem nesciens; invisibilis, immensus, immortalis, æternus, unus Deus, cujus neque magnitudini, neque majestati, neque virtuti quicquam non dixerim præferri, sed nec comparari potest. Ex quo, quando ipse voluit, Sermo Filius natus est; qui non sono percussi aeris, aut tono coacta de visceribus vocis accipitur; sed in substantia prolata à Deo virtutis agnoscitur: cujus sacræ & divinæ nativitatis arcana nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec Angelus scivit, nec creatura cognovit: Filio soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit. Hic ergo, cùm sit genitus à Patre, semper est in Patre: semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem.*

Pag. 633.

X. Quando ait, Ex quo Pater voluit, natum esse Filium, non aliud vult, quàm quod Patres alii dixere: Ex volente, non ex nolente Patre natum esse Filium: quamquam ex natura enim potiùs, quàm ex voluntate nascitur Filius; Dei tamen voluntas, Sapientiaque à natura non differt; natus est ergo Filius Dei, quando Pater voluit, ideoque ab æterno, quia voluit ab æterno; eccur enim cunctaretur & cessaret Patrem se esse velle, & Filium habere velle? Potest tamen hoc aliter intelligi, scilicet de Sermone, & Verbo tum prolato à Patre foras, quando jussit, ut è nihilo orbis universus prodiret, ut suprà in Tertulliano exponebamus. Malim tamen de æterna Verbi ex Patre & in Patre generatione hæc accipi, propter ea quæ ibidem illico subjiciuntur: Nec Apostolis, nec Angelis notam fuisse illam generationem, sed *soli Filio, qui Patris secreta cognovit.*

Sed quid his apertius ad Filii æternitatem astruendam & æqualitatem cum Patre? *Hic ergo cum sit genitus à Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem.* Quasi dicat æterno & sempiterno Patri coæternum & consempiternum esse Filium, sed ab eo tamen natum. Cùm sit enim Filius ante omnes creaturas, quarum ipsemet creator est, est ergo ante omnia tempora, quæ in creaturis & ipsa computantur; est ergo æternus. Adde quòd nisi semper sit Filius, nec Pater dici poterit semper esse. Nec id tamen vetat, quin dici posset esse ante Filium Pater: non ut Deus, sed ut Pater: non tempore, sed origine, vel potiùs innascibilitate; quodam enim etiam modo innascibilis prior est nato etiam æterno. Ita Filius, ita Verbum semper cum Patre, semper in Patre fuit; & quando Pater voluit, ex eo erupit ad orbem condendum. *Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater; quin & Pater illum etiam quadam ratione præcedit; quod necesse est quodammodo prior sit, qua Pater sit. Quoniam aliquo pacto antecedat necesse est eum, qui habet originem, ille qui originem nescit. Hic ergo, quando Pater voluit, processit ex Patre: & qui in Patre fuit, processit ex Patre: & qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit: substantia scilicet illa divina, cujus nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil.*

Pag. 633.

Pag. 634.

XI. Luculentissimè ibidem confestim Novatianus declarat, ut Filius Deus ex Patre nascens, non illi eripit hoc insigne præ cæteris omnibus decus, ut Deus unus sit. Tunc enim præter illum alius esset Deus, si alius innatus esset: si alius Deus esset, & non ex illo; si aliunde quàm ab illo, si aliam quàm ipsius propriam Deitatem haberet: tunc enimverò alius præter Patrem esset Deus. Alius quoque Deus præter Patrem esset, si Christus alium ex se Filium & Deum genuisset, cujus ipse Pater esset, atque ita duos Patres constituisset. At cùm longè aliter se habeant hæc omnia, manifestum est, & unam Dei Patris Deitatem esse, & unum ipsum Deum esse, qui Filium in se suum habeat, & sua, ipsius individua Deitate donet. Ita certè unus fons, una aqua est, dum ex uno fonte tota manat & eadem aqua fluminis. *Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens, sed non eripiens illud Patri, quòd unus est Deus. Si enim natus fuisset innatus, comparatus cum eo, qui esset innatus, æquatione in utroque ostensi duos faceret innatos; & ideo duos faceret Deos, si non genitus esset; collatus cum eo, qui genitus non esset, & æquales inventi, duos Deos meritò reddidissent, non geniti: atque ideo*

Pag. 633. 634.

duos.

duos Christus reddidisset Deos, si sine origine esset ut Pater inventus, & ipse principium omnium, ut Pater, duo faciens principia, duos ostendisset nobis consequenter & Deos. Aut si & ipse Filius non esset, sed Pater generans de se alterum Filium, merito collatus cum Patre, & tantus denotatus duos Patres effecisset; & ideo duos approbasset etiam Deos. Christus autem non innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est: sive dum Verbum, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, & quicquid horum est; dum non aliunde est, quàm sicut diximus jam superiùs, ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit: quo genere dum & unigenitus est & primogenitus ex illo est, quia originem non habet, unus omnium rerum & principium & caput.

Vix mihi videtur ex aliis Patribus proferri quidquam posse, vel expressius, vel manifestius, vel etiam splendidius. Vides hìc autem rursum, cur tam inculcatè hic Scriptor suprà dixerit unum esse charitate, dilectione, concordia Filium cum Patre: nempe his vocibus insinuabatur origo & nativitas Filii à Patre; ei enim origini imputatur charitas unitasque Filii cum Patre, *Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero Deorum facere non potuit, qui ex illo qui est unus Deus, originem nascendo contraxit.* Illa quoque obedientia & subjectio tota, quam Patri exhibuit Filius, adeo nil præjudicat ejus divinitati, ut eidem vehementissimè suffragetur, dum suffragatur origini. Dum obsequitur enim Patri Filius, ex eo se nasci probat; & illum unum innatum esse, unumque verum Deum, qui Filium generare degenerem non potest; tum quòd innati, summi, uniusque Dei & Principii ex natura & dignitate sit, non imparem sibi generare; tum quòd tanti Patris primogenitus & unigenitus Filius, non possit non totam implere Filii dignitatem, quanta maxima potest esse; sicut tantus Pater non potest non totam implere majestatem Pa-
Pag. 614 tris. *Ita dum se Patri in omnibus obtemperantem reddit, quamvis sit & Deus; unum tamen Deum Patrem de obedientia sua ostendit, ex quo & originem traxit: & ideo duos facere non potuit, quia nec duas origines fecit, qui ex eo, qui originem non habet, principium nativitatis ante omne tempus accepit. Nam cùm id sit principium cæteris, quod innatum, Deus solus Pater est, qui extra originem est: ex quo hic est, qui natus est; dum, qui ex illo nascitur, merito ex eo venit, qui originem non habet, principium probans illud esse, ex quo ipse est; etiam si Deus est, qui natus est; unum tamen Deum ostendit, quem hic, qui natus est, esse sine origine comprobavit.*

Sic Novatiano una summa divinitatis plenitudo visa est, quæ tota in Patre sit, tota ab eo in Filium effundatur, & denique propter communionem substantiæ Patris & Filii ad Patrem revolvatur. Ita unus Deus Pater est, quia tota Dei majestas ab eo in Filium ita effluit, ut ad Patrem refluat, in cujus unitatis sinu Filius conquiescit.
Ibidem. *Unde unus Deus ostenditur verus & æternus Pater, à quo solo hæc vis divinitatis emissa, etiam in Filium tradita & directa, rursum per substantiæ communionem ad Patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur Filius, cui divinitas tradita & porrecta conspicitur; & tamen nihilominus unus Deus Pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa majestas atque divinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio missa revertitur & retorquetur.*

XIII. Novatiani hujus Romanæ urbis Presbyteri meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi multa illum alia scripsisse ait, & *de Trinitate grande volumen, quasi ὑπομνὴν operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant.* Ubi multa observanda: Non potuisse non orthodoxum videri hunc de Trinitate Tractatum, qui Cypriano imputabatur, ne vel minima in his aspersо unquam obliquiori suspicione. Ex quo id etiam efficitur, necesse fuisse, ut orthodoxæ etiam fidei concineret grandius illud Tertulliani de Trinitate volumen, quod Novatianus in hanc suam Epitomen contraxit. Et hinc patet rursus non immeritò nos Capite superiori Tertullianum demonstrasse in Trinitate Catholicum, & hoc ipso Capite non temerè nos desudasse in purganda Novatiani fide in negotio Trinitatis.

CAPUT XL.

Orthodoxa de Trinitate Cypriani & Lactantii doctrina.

I. Verè Cypriani esse Libros Testimoniorum ex Scripturis, probatur ex Hieronymo & Augustino.

II. In iis libris ut divinitatem Christi Cyprianus ex Scripturis probarit.

III. Ut in aliis opusculis suis.

IV. Ex Ruffino quam orthodoxa Cypriani semper fuerit fides.

V. Lactantii doctrina excutitur. Deus unus est, non solitarius: nec inæqualium societate beari potest.

VI. Quo sensu dicatur à Lactantio Deus ex se procreatus. Quomodo ab eo Filius consecietur Patri.

VII. De Trismegisti & Lactantii testimoniis à Lactantio relatis.

VIII. Ambigua & sublustria tamen ejus quædam de Filio verba; eorum humanior, & vera tamen interpretatio.

IX. Ex ipso Lactantio luculentè confirmatur nostra hæc interpretatio, & Catholica de Filii generatione doctrina.

X. Commodè explicantur duriora quædam Lactantii verba.

XI. Multa Lactantii consentanea Nicenis Patribus; multa præclarissimè.

XII. Hieronymi de Lactantio judicium.

I. TAm incorrupta semper & intaminata fuit ubique non doctrina tantùm Cypriani sanctissimi & celeberrimi Martyris, sed & fama doctrinæ, ut ne levissima quidem aspergi potuerit suspicione obliqua, in ea quam hìc versamur quæstione. Scripti sunt ab eo duo Testimoniorum ex Scripturis corrasorum Libri ad Quirinum, quorum in secundo tam perspicuè Christi divinitas, æternitas, æqualitasque cum Patre constituitur & tam validè, ut nec de re ipsa ullus supersit ambigendi locus, nec de sententia Cypriani. Ad hoc Cypriani opus perspicuè alludit Hieronymus in confutando Pelagio, ubi ait, *Beatus Martyr Cyprianus, cujus se in Scripturarum testimoniis digerendis æmulum gloriaris, &c.* Alludit & Augustinus, ubi ait Pelagium id venditasse, scribi à se Testimoniorum librum ad Romanum, sicut scripserat Cyprianus ad Quirinum: *Hoc se dicens facere ad Romanum, quod ille fecerit ad Quirinum.* Sed & Gennadius in Catalogo Virorum illustrium, in Pelagio, *Ex divinis Scripturis librum unum Capitulorum indiciis in modum sancti Cypriani Martyris præsignatum* scripsit.

L. 1. adv. Jul. Ll. ad Bonifac.

II. Jam vide quàm apertè & quàm constanter Cyprianus in his libris Testimoniorum suffragetur divinitati Christi: *Quod idem Angelus & Deus Christus in Genesi ad Abraham, Et vocavit eum Angelus Domini de cœlo, &c.* Et infrà: *Quod Deus Christus in Genesi dixit ad Jacob,*

Fac

Fac illic altare Deo. Et infra: *Item Baruch, Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo, &c. Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Et rursus: *Et in Psalmo 44. Thronus tuus Deus in sæcula sæculorum, &c. Unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis super participes tuos. Et in Psalmo 45. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*. Nec illa omisit Cyprianus, *In principio fuit Sermo, & erat apud Deum, & Deus erat Sermo. Thomas dixit illi, Dominus meus & Deus meus*. Et illa Dei verba ad Cyrum apud Isaiam, *Ego Dominus Deus vocavi te in justitia, &c. Ego Dominus Deus, hoc nomen mihi est; claritatem meam alteri non dabo*. Et rursum: *Quod cùm à principio Filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundùm carnem*. Et infrà: *Quod hoc futurum esset signum nativitatis ejus, ut de Virgine nasceretur homo & Deus, hominis & Dei Filius*. Et rursus, *Quod homo & Deus Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos & Patrem posset*.

L. 2. c. 1.

Ibid. c. 7.

Ibid. c. 8. 9.

III. His expressiora & splendidiora Deitatis Christi testimonia ne desiderari quidem à quoquam possunt. Nec minùs præclara sunt hæc ex Libello ejus de Idolorum vanitate: *Hujus indulgentiæ, gratiæ, disciplinæque arbiter & magister Sermo, & Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator & doctor humani generis prædicabatur. Hic est Virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia ejus & gloria. Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur; hic Deus noster, hic Christus est, qui Mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem*. In Epistola denique Cypriani ad Jubaianum de Hæreticis baptizandis, hæc leguntur de unius & trinæ Deitatis fide: *Templum Dei factus est. Quæro cujus Dei? Si Creatoris: non potuit, qui in eum non credidit. Si Christi: non hujus fieri potest templum, qui negat Christum Deum. Si Spiritus sancti, cùm tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus ei esse potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est*: His luculentiora ne Nicæni quidem Patres, aut his etiam posteriores doctissimi quique Patres scribere potuerunt pro Christi æternitate, unitateque substantiæ cum Patre. Agit hìc autem Cyprianus de baptizato hæretico.

IV. Aliqua narrat Ruffinus in Apologia pro Origene, de Libello de Trinitate, quem ipse Tertulliano adscribit, inter Epistolas Cypriani insidiosè à quibusdam inserto, & ita Constantinopoli publicato ac distracto, ut perversa ejus de Trinitate doctrina Cypriano imputaretur, & tanti nominis authoritate convalesceret: quamquam non diu latere potuerit illa impostura, sed paulò pòst difflata sit. His immorandum non censui, quòd nec fides Ruffini tanti sit ponderis; & doctis omnibus jam perspectissimum sit, non Tertulliani, sed Novatiani esse Tractatum illum de Trinitate; & nihil in eo de Trinitate dici, quod non Catholicæ doctrinæ facilè concilietur.

V. Ad Lactantium venio, quem & ipsum criminantur affinem Tertulliani errorum. Et hujus ergo expendenda nobis accuratiùs est sententia. Proponitur ab illo primùm illa apud Ciceronem Hortensii quæstio, Si Deus unus sit & solitarius, qui possit esse beatus? Respondet autem ex Seneca ipso, Genuisse sibi Deum Regni sui ministros; at hos nec esse, nec haberi se velle, colique ut Deos. Erat hic opportunus locus Filii & Spiritus sancti commemorandi, quorum societate Deus oblectaretur. Sed consultius Lactantio visum est, de iis omnibus tacere, ne Ethnicis ansam daret plurium Deorum cultum nobis imputandi, aut uni & solitario Deo eos includendi. Quòd enim eos non permisceat Angelis, liquet ex eo, quòd Angelos neget vocari & coli ut Deos. *Sed fortasse quærat aliquis à nobis idem illud, quod apud Ciceronem quærit Hortensius: Si Deus unus est, qua esse beata solitudo queat? tamquam nos, qui unum esse dicimus, desertum ac solitarium esse dicamus. Habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Et est illud verum, quod dixisse in exhortationibus Senecam suprà retuli: genuisse regni sui ministros Deum. Verùm hi neque dii sunt, neque deos se vocari aut coli volunt, quippe qui nihil præter jussum & voluntatem Dei faciant*.

Lactant. l. 1. c. 7. pag. 21.

Facilè autem hinc intelligis, quàm non satisfaciat quæstioni illa, sive Senecæ, sive Lactantii responsio. Ecqua enim beatitudo Deo accedere potest ex Angelorum, ex ministrorum qualiumcumque suorum contubernio? Ne homo quidem, qui non magnoperè famulis suis antecellit, homines & ipsi cùm sint, eorum congressu plerumque delectatur, certè nunquam beatur. An ergo beabitur Deus congressu & societate opificiorum suorum? Necesse ergo est, ut æqualium sibi Personarum societate fruatur, Filii & Sapientiæ, Spiritus & Charitatis, & hinc exurgat cumulus ejus beatitudinis; quando vel Gentiles ipsi agnovere, cumulatissimè beatum esse non posse, si prorsus solitarius sit; nec possit non esse solitarius etiam inter densissimas famulantium sibi Angelorum cohortes: sicut & homo solitarius esset inter innumerabilia pecorum armenta. Præclarè in hanc rem Ambrosius docet inæqualium societatem non tantùm beatitudinem non esse, sed & offensionem esse melioris. Sic enim ille libro de Fide contra Arianos: *Porro Pater & Filius etsi duæ personæ creduntur; ratione tamen & substantia unus sunt. Nam inæqualium societas, melioris offensa est, & in injuriam ejus qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cum autem ego Patrem & Filium statuo, unitatem generis assigno*.

Ambr. to. 3. pag. 468. c. 7.

VI. Redeo ad Lactantium, cujus hæc sunt verba eodem Capite, de Deo, quem ille ait ex se procreatum, quoniam ante illum nihil fuit, quoniam ingenitus, sive increatus, infectusque est cæterorum omnium creator: *Verùm quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus. Ideoque ab Apolline αὐτογενὴς, à Sibylla αὐτογόνη, & ἀγέννητος & ἄναρχος nominatur. Quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit: Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit*.

Lactant. Ibid. pag. 24.

Hìc certè pro his verbis, *Quin id quod sit*, malim, *Quin id quod fit*: ita enim necesse est, facta & creata omnia aliquando cœpisse. Reliqua ibi omnia etsi ad Patrem peculiariùs spectare possint, possunt tamen & aliis in Deo personis esse communia: quòd omnes increatæ & infectæ sint, ἄναρχοι, cui verbo tria reliqua consonant hoc loco. Etsi enim procedat Filius à Patre, Spiritus sanctus ab utroque, Pater à nullo; ex æquo tamen in tribus illis Deus increatus est, & ipse se *fecisse* utcumque dici potest eo sensu, quia à nullo est *factus*. Ad hoc faciunt & illa inferiùs ex eodem Lactantio: *Solus igitur Deus est, qui factus non est: & idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest. Permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus; nec nativitas ejus ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex se ipso est, ut in primo diximus libro; & ideo talis est, qualem se esse voluit, impatibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus*.

L. 2. c. 9. pag. 111.

Et hinc sanè etsi Pater solus designari videri possit, si in solo verborum cortice hæreamus; verè tamen tres Personæ indicantur & involvuntur,

ubi

ubi minimè necesse erat eas evolvi & explicari. Ita rem habere perspicuè colliges ex hoc longiusculo ejusdem alibi contextu, ubi eadem omnia de Dei præstantia, de Angelorum & cæterorum omnium intra eum dejectione habet, & ubi Filium Patri unum consociat: *Nam Deus, ut principio docui, neque nomine, cùm solus sit, eget; neque Angeli, cùm sint immortales, dici se deos aut patiuntur, aut volunt: quorum unum solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quicquam, nisi jussu ejus facere. Sic enim Mundum regi à Deo dicimus, ut à rectore provinciam; cujus apparitores nemo socios esse in regenda provincia dixerit, quamvis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter jussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ; ille autem præses mundi & rector universi, qui scit omnia, cujus divinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum Filio suo potestatem. Nec est in Angelis quicquam, nisi parendi necessitas. Itaque nullum sibi honorem tribui volunt, quorum honor in Deo est.* Quæ cùm ita se habeant in mente Lactantii, ex Angelorum ille, an ex Filii unius societate potuit Deum beatum prædicare? Porro quantus est Lactantio Deus Filius, qui longissimè ablegatis in ministeria sua Angelis, *solus habet omnium cum Patre suo potestatem?*

L. 2. c. 17. pag. 143.

An ad Filium, ut ad Sapientiam & Veritatem genitam & increatam hæc ejusdem alibi pertineant suo quisque fruatur sensu: *Sicut unus est hujus mundi constitutor & rector Deus, una Veritas: ita unam esse ac simplicem Sapientiam necesse est: quia quicquid est verum ac bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare.* At rursum vide ut alibi Filium ab Angelis omnibus discriminet, ut Filium, ut genitum dicat, ut primogenitum, ut solum *patria virtute & majestate pollentem*, idque ante mundi exordium, id est ab æterno; ante mundum enim, qui creatas naturas omnes complectitur: ante tempora, mundi sanè portionem, non fuit nisi æternitas. *Deus igitur machinator constitutorque rerum, sicuti in secundo libro diximus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum, & incorruptibilem, & irreprehensibilem spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios postea innumerabiles creavisset, quos Angelos dicimus: hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patria scilicet virtute ac majestate pollentem.*

L. 2. c. 15. pag. 140.

L. 4. c. 6. pag. 327.

VII. Quid illa Hermetis, seu Trismegisti verba, quæ ibidem græcè inserit Lactantius? *Dominus atque omnium creator, quem Deum vocare censuimus: quia secundum Deum fecit visibilem & sensibilem; sensibilem autem assero, non ideo quia ipse sentit: de hoc enim non est notum, utrum ipse sentiat; sed quia ipse in sensum misit & mentem: Quoniam erga hunc fecit primum & solum & unum; pulcher autem ei visus est, & plenissimus omnium bonorum; sanctificavitque & amavit valde, quasi proprium Filium: ὡς ἴδιον τόκον.* Quid & illa Sibyllæ verba, quæ ibidem mox laudat, *Ipsum tuum agnosce Deum, Dei Filium existentem.* Porro & Sibyllæ & Trismegesti scripta subdititia esse non pauci ex doctis suspicantur, & ab homine Christiano fabricata. Utcunque res habeat, ab ea suspicione alienus non fuit Augustinus, etsi & ipse quandoque ex his nonnulla decerpat; quæ hinc illustrat, firmioribus aliis præsidiis alibi, vel ibidem eadem muniens. Certè in his Lactantii non obscurè apparet subscripsisse cum veræ Filii divinitati. Et dilucidiora adhuc sunt ea, quæ mox subjicit, interpositis iis quæ Salomon de Sapientia mundi creatrice disseruit, quibus & Trismegistum vult, & Sibyllam consentire: *Idcirco autem Trismegistus δημιουργὸν τοῦ λόγου dixit, & Sibylla σύμβολον appellat, qui tanta sapientia & virtute sit instructus à Deo Patre, ut & consilio ejus & manibus uteretur in fabricatione mundi.* Qui tanta sapientia & tanta virtute instructus est, ut ejus consilio & manibus utatur Deus ad Orbis omniumque creationem, non ille creatura, non Angelus, non Deo minor est. An minore enim sepso sapientia utitur Deus? Quid quòd nomen Filii ne Angelis quidem notum esse vult beatis, sed soli Deo & Patri, nec beatis notum fore ullis, nisi in cœlesti Patria à *Primùm scire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum esse, qui morantur in cœlo, sed ipsi soli ac Deo Patri: nec antè id publicabitur, ut est sanctis litteris traditum, quàm dispositio Dei fuerit impleta.*

Pag. 143. Cap. 7.

Pag. 137.

VIII. Implicat fateor & turbat nescio quid infrà Lactantius, ut qui hæc scriberet rudis adhuc & penè tyro in doctrina Christiana. Et tamen ea interserit lumina veritatis, ex quibus æqui rerum & verborum æstimatores à Catholico dogmate eum non recessisse agnoscent. En ejus verba, in quæ postea observemus, quæ in rem nostram conducant. Agit autem hic ille de ipsa generatione Verbi ex Patre: *Quomodo igitur procreavit? Primùm nec sciri à quoquam possunt, nec narrari opera divina: sed tamen sanctæ litteræ docent, in quibus cautum est, illum Dei Filium, Dei esse sermonem, itemque cæteros Angelos Dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum voce aliquid significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus & sermo diversis partibus proferuntur, si quidem spiritus naribus, ore sermo procedit: magna inter hunc Dei Filium & cæteros Angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, qui non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille verò cum sit & ipse spiritus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut Verbum, ea scilicet ratione, quia vox ejus ad populum fuerat usurus; ideo quod ut magister futurus esset doctrinæ Dei, & cœlestis arcani ad homines perferendi: quod ipsum primo locutus est, ut per eum ipse ad nos loqueretur; & ille vocem Dei ac voluntatem nobis revelaret. Meritò igitur sermo & verbum Dei dicitur: quia Deus procedentem de ore suo vocalem spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabili quadam majestatis suæ virtute ac potentia in effigiem, quæ proprio sensu ac sapientia vigeat, comprehendit, & alios item suos spiritus in Angelos figuravit.*

Observa hìc igitur primùm inenarrabilem rursus declarari Verbi ex Patre generationem. Hunc item unum esse Filium Dei. Magnam interponi differentiam hunc inter & Angelos; hunc enim Filium, illos ministros; Angelos ad ministerium creari, hunc ad doctrinam, ut Verbum, ut Magistrum, procedere; at ne Deum quidem dedecet, aut sempiternam ejus Sapientiam, ut doceat, ut Dei arcana & voluntatem revelet. Quæ hìc de voce ex ore prodeunte, & de Spiritu ex naribus dicuntur, ea vel necessariò excusanda sunt, vel ad figuratas locutiones traducenda. Pulcherrimæ enim illæ Dei apud Lactantium descriptiones, non patiuntur nos tam absurdas ei affingere sententias, ut Deo crediderit, & os esse corporeum, quo voces & sonum proferat: aut nares, quibus spiret. Hoc ergo ille tantùm voluit, in Scripturis, in Psalmis maximè de Deo verba fieri, accommodatè ad hominum captum, quasi corporeum in modum ille & loquatur & spiret: sed his materialibus symbolis spiritales & Deo digniores subesse sensus. Id Lactantius ita se intellexisse non siluit, dum dixit, *vocalem hunc Spiritum de ore suo procedentem, Deum non utero, sed mente concepisse; & inexcogitabili quadam majesta-*

jestatis suæ virtute & potentia in his unum esse. Hæc ergo omnia corporalibus sensibus involuta, evolvenda sunt, & *ad mentem ad inexcogitabilem divinæ virtutis potentiæque majestatem* transferenda.

IX. Sed omnis hinc ambiguitas amputabitur, si quæ mox ibidem adjiciuntur seriò perpendas: *Nostræ voces licèt aura misceantur atque vanescant; tamen plerumque permanent, litteris* Ibid. p. 231. *comprehensæ; quantò magis Dei vocem credendum est, & manere in æternum, & sensui ac virtute comitari, quam de Deo Patre, tanquam rivus de fonte traduxerit: Quòd si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis, de spiritu potuisse generari, si sacras voces Prophetarum cognoverit, desinet profectò mirari.* Ergo Lactantio ita Patris vox & verbum est Filius, ut maneat in æternum, ex Patre tanquam rivus ex fonte manans. Denique ita Filius instar vocis & Verbi à Patre procedit, ut *Deus ex Deo generetur.* Cap. 9. p. 233. Denique ne quis superesse posset hæsitandi locus, accipe quæ statim subjiciuntur; ubi docet meliùs à Græcis Filium vocari λόγον, quàm Verbum, aut Sermonem à Latinis; Græci enim sua hac voce significant non Sermonem, aut Verbum tantùm, sed Rationem & Sapientiam Dei; immo Zenon & Philosophi Stoici λόγον vocabant rerum naturæ dispositorem opificemque; quem & fatum appellabant, & necessitatem rerum, & Deum & Animum Jovis, pro ejus Scholæ & ævi consuetudine, ubi Jovem pro Deo accipiebant; latiùs manifesta, ut alibi dictum est à nobis, consonantia Jovis cum Geova, seu cum nomine Dei tetragrammato apud Hebræos. *Sed meliùs Græci λόγον dicunt, quàm nos Verbum, sive Sermonem. λόγος enim & sermonem significat, & rationem: quia ille est vox, & sapientia Dei. Nunc sermonem divinum ne Philosophi quidem ignoraverunt. Si quidem Zenon rerum naturæ dispositorem, atque opificem universitatis λόγον prædicat, quem & fatum, & necessitatem rerum & Deum & animum Jovis nuncupat. Ea scilicet consuetudine, qua solent Jovem pro Deo accipere. Sed nihil obstant verba, cum sententia congruat veritati.* Quibus nihil vehementius, nihil dilucidius à Lactantio dici potuit ad Verbi divinitatem stabiliendam.

X. Est tamen, & non semel est ubi Lactantium videas præclara quidem ponentem tyrocinia, sed tyrocinia tamen Christianæ doctrinæ; minùs explicantem, minùs circumspectè loquentem, quæ sentiebat. Ejusmodi est hic locus, ubi Filium Angelorum Principem vocat; negat cum inter homines versaretur, se unquam ipsum dixisse Deum; ideo accepisse Sacerdotis & Regis dignitatem, & propter constitutum in terris unius Dei cultum, accepisse Dei nomen. En verba Lactantii, in quibus nimiùm suspicax lector aliqua culpet, æquus & ad humanitatem propensior aliqua excuset, aliqua desideret, omnia rapiat ad sanæ fidei doctrinam. *Filium suum Deus principem Angelorum legavit ad homines, ut eos converteret ab impiis & vanis cultibus, ad cognoscendum* L. 4. c. 14. p. 247. *& colendum Deum verum: ut eorum mentes à stultitia ad sapientiam, ab iniquitate ad justitiæ opera traduceret. He sunt viæ Dei, in quibus ambulare eum præcipit: hæc præcepta, quæ servanda mandavit. Ille verò exhibuit Deo fidem; docuit enim quod Deus unus sit, eumque solum coli oportere. Nec unquam se ipse Deum dixit; quia non servasset fidem, si missus ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere præconium; nec ejus, qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo, quem illustratum venerat, separare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia sibi nihil prorsus assumpsit, ut mandata mittentis impleret, & Sacerdotis perpetui dignitatem, & Regis summi honorem, & judicis potestatem & Dei nomen accepit.*

Certissima constat veritas his verbis, nisi duriùs interpretando vexentur. *Docuit, quod Deus unus sit, eumque solum coli oportere; nec unquam se ipse Deum dixit, quia non servasset fidem, si missus ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum.* Verissima hæc sunt; sed suæ veritati permittenda, & ex ejus ævi aliis orthodoxis Scriptoribus exponenda. Docuit Christus unum Deum esse, unum colendum esse; eo honore & nomine se non exclusit; nunquam se Deum esse dixit, quia insinuavit magis, quàm dixit; probavit magis, quàm dixit; Filium Dei & germanum Filium se dici probavit: & si se Deum dixisset, ut certè dicebat, cùm se Dei Filium diceret, & dici sineret, non tamen alium se Deum dixisset, quàm Patrem, quàm unum illum. Dum includit enim se Deo, ut Patri Filium: dum in Patre se esse, in se Patrem esse, unum se cum Patre esse testatur, certè in his non alium, sed unum Deum prædicat, unum coli jubet, nec se ab eo unquam *separat*. Ita factum est, ut à terris in cœlos avectus, & unius summi Dei religione propagata, *ipse quoque Dei nomen acciperet*, quo diu abstinuerat, quo ei tribuendo abstinuerat & ipsa aliquamdiu Ecclesia, donec recentes ad eum ex gentibus adgregati insuescerent duos Deos non suspicari, & si Deum cum Patre ipsum esse audirent, ut Filium à Patre Deo, rivum à fonte, radium à Sole, surculum à radice indivulsum. Alium prædicasset Deum Christus, si aliud primum Principium, si alium Patrem, si se Deum & non à Patre, si se Deum & ipsummet Patrem, aut alterum Patrem prædicasset; tum enim duos prædicasset fontes deitatis, duas radices primarias; ut duos Deos prædicarunt hæresiarchæ primi, secundi & tertii sæculi, bonum & malum, bonum & creatorem mundi mali, & hujusmodi alia. At cùm non annunciaverit Christus, nisi unum Deum Patrem, utique non sine Filio Patrem, nec Filium nisi cum Patre & in Patre, summa cum eo concordia, charitate, immo & unitate naturæ: jure merito ita expressit Lactantius, Non se illum dixisse Deum, non alium Deum præter Patrem cujus Filius esset; & ideo ipsum ita manifestato Patre, manifestatum tandem & ipsum fuisse Filium Dei, & unum cum Patre Deum, ut fons & flumen unum sunt, brachium & corpus unum sunt; non duo fontes, non duo corpora. Quamquam enim partes corporum non idem, non totum sint, quòd ea sit labes naturæ corporeæ: at in anima, maximè rationali, & in Angelis in qualibet parte totum est; quantò magis in Deo, si quæ possent in eo partes dici?

XI. Inferiùs ait Lactantius Judæos adversùs Christum coiisse: *ut Deum suum condemnarent.* L. 4. c. 18. Non aliud illi scelus impegisse, *nisi quod diceret se Filium Dei esse.* In cruce *Deum à cultoribus Dei suspensum esse atque suffixum.* Sed quàm præclara, quàm posterioribus Nicæno Concilio Patribus suprà relatis consentanea, quæ idem infrà habet: *Cùm dicimus Deum Patrem & Deum Filium,* Ibid. c. 19. pag. 280, 281. *non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat & Filius Patrem: una utrique mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam Sol, hic quasi radius à Sole porrectus; qui quoniam summo Patri & fidelis & carus est, non separatur, sicut nec rivus à fonte, nec radius à Sole; quia & aqua fontis in rivo est, & Solis lumen in radio: quo neque vox ab ore sejungi, nec virtus, aut manus à corpore divelli potest. Cùm igitur à Prophetis idem manus Dei, & virtus & sermo dicatur, utique nulla discretio est, quia & lingua sermonis ministra est, &*

manus

manus in qua est virtus, individuæ sunt corporis portiones. Et statim ibidem: *Cùm quis habet Filium, quem unicè diligit, qui tamen sit in domo & manu Patris, licèt ei nomen Domini, potestatemque concedat, civili tamen jure & domus una & unus Dominus nominatur. Et hic mundus, una Dei domus est, & Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus est: & quia unus tanquam duo, & duo tanquam unus. Neque id mirum, cum & Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium; & Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret; nec unquam faciat, aut fecerit, nisi quod Pater, aut voluit, aut jussit.*

Vereor ut hæc legens, non Lactantii me, sed Athanasii, vel Nazianzeni Latinè versi verba retulisse putes, usque adeo non doctrina tantùm, sed similitudines, sed voces ipsæ consentiunt; idem dixero de Ambrosio & Augustino. Ex his enim omnibus verè Pater & Filius unus Deus, quia utrique una mens, una substantia; Pater quasi exuberans in Filium fons, Filius ut ex Patre defluens rivus; ita ut totus sit in rivo fons, cùm unus sit rivus, & in eum fons exuberet: & rivus totum fontem in se habeat, cùm unus exuberantem in se habeat; cùm denique hæc sit indoles & præstantia naturæ spiritalis, multò magis divinæ, ut in ea majus & minus non sit; totum & partes non differant; in singulis partibus totum sit. Idem dico de Sole & radio apud Athanasium & Nazianzenum, apud Ambrosium & Augustinum, quin ergo & apud Lactantium & Tertullianum, totus in intelligibili Sole radius, totus in unico & intelligibili radio Sol est?

Si malis alteri inhærere similitudini, Patris & Filii in una domo, hæc erit illa jure decantatissima Monarchia apud Patres maximè Græcos, nihil reformidantes ne non una sit divinitas, aut ne non unus teneatur Deus, dummodo unus Monarcha, unum primum sit Principium, Pater Filium suum ex se in se generans, & se totum illi infundens, ut una sit utriusque substantia, una individua unitas, una plenitudo, à Patre in Filium à Patre non effluentem infusa. Quæ etsi jam luculentissimè à Lactantio explanata sint, audi rursus rem magis ibidem explanatam, certè inculcatam: *Unus est enim solus liber, Deus summus,* Ibid. p. 280. *carens origine, quia ipse origo est rerum, & in eo simul & Filius & omnia continentur. Quapropter cùm mens & voluntas alterius in altero sit, vel potiùs una in utroque, meritò unus Deus uterque appellatur: quia quidquid est in Patre, ad Filium transfluit; & quidquid in Filio, à Patre descendit.*

Tam plana, tam expressa & tam valida sunt hæc omnia ad Filii divinitatem & cum Patre æqualitatem tuendam, ut non possim non admirari homines doctos, sed suspiciosos, qui Lactantium secus sensisse fidenter affirment. Esto dixit Lactantius, *antequam ordiretur hoc opus mundi Deus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur*, Filium genuisse, qui cum ipso *mundum fabricaret & regeret*: an inde inferes æternitatem Filii ab eo negari? at mera hæc erit inclementiùs, imò iniquiùs interpretandi licentia; nihil enim ejusmodi hæc verba sonant, ex quibus id ut suspicari possis, nunquam elicies, nunquam evinces. Quin immo Theologi est contrà argumentari: si ante mundum, si ante creaturas omnes erat Filius, erat & ante omnia tempora; at ante omnia tempora non est, nisi divina æternitas.

XII. In suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro Hieronymus, Lactantii encomium texuit, opera ejus recensuit, nec ullius eum erroris ibidem reum egit. At in Epistola ad Pammachium & Oceanum de Erroribus Origenis, negatam ab eo ait Spiritus sancti substantiam in datis ad Demetrianum Epistolis: at non eo se prohiberi, quin legat Institutionum ejus libros, quibus contra Gentes fortissimè scripsit: *Lactantius in libris suis, & maximè in Epistolis ad Demetrianum Spiritus sancti negat substantiam: & errore Judaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum ejus libros, quibus contra Gentes scripsit fortissimè, quia superior sententia detestanda est?* Hieron. tom. 2. p. 4.

Non ex aliis quàm ex his Institutionum libris decerpta sunt à nobis, quæ suprà ex eo protulimus; & quod ad Filium attinet, ne in litteris quidem ab eo ad Demetrianum scriptis, expostulat Hieronymus, nisi de negata Spiritus sancti substantia. Tardiùs autem elucidatam fuisse de Spiritus sancti divinitate doctrinam, tum ex antedictis toto hoc Tractatu patet, tum ex Concilii Constantinopolitani tempore, ubi ea constabilita est adversùs Macedonianos, annis propemodum sexaginta post Nicænam Synodum. Ad hunc Lactantii lapsum spectat, quod ait Hieronymus de eo in Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi: *Utinam tam confirmare nostra potuisset, quàm facilè aliena destruxit.*

CAPUT XLI.

Orthodoxa de Trinitate doctrina Minutii Felicis & Arnobii Senioris.

I. Minutii Felicis de Platonica Philosophia judicium.

II. Quàm magnificè Arnobius de Deo sentiret, qui Christum non nesciret Deum à nobis credi.

III. Plura Arnobii de Divinitate Christi testimonia.

IV. Apertissimè affirmat Christum videri non potuisse nisi in assumpta forma corporea.

V. De Angelorum & animarum nostrarum immortalitate, quid sentiat Arnobius, & quid inde in rem nostram colligi possit.

VI. Rursus de æternitate Christi & Dei.

VII. Rursus ut idem Christo, qui Deo ingenito cultus penderetur.

VIII. De Victorino Martyre, quanto ille præsidio esse possit Scriptoribus de quibus hactenus.

IX. Zenonis Veronensis doctrina: quàm magnificè ille de Deo Patre & Filio dixerit.

I. MEminit Lactantius alicubi & Tertulliani, quem multis nominibus commendat, etsi ejus dicendi genus non probet *parum facile, minùs comptum, & valde obscurum*: & Minutii Felicis, quem ait *idoneum veritatis assertorem esse potuisse, si se totum ad id studium contulisset*: Hujus meminit & Hieronymus, tum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, tum in Epitaphio Nepotiani, ubi illum inter eos recenset, quos Nepotianus in ore frequens habebat, Tertullianum, Lactantium, Arnobium, Victorinum, & alios, *quorum lectione assidua & meditatione diuturna pectus suum Bibliothecam fecerat Christi.* Porro cum ad studia sacrarum Litterarum se totum non contulerit Minutius, & ex eo non supersit nobis nisi Dialogus perbrevis, quem Octavium inscripsit, ne attigit quidem ille argumentum quod hic tractamus: Gentilium impias religiones evertere magis laborans, quàm nostram explanare. Unum afferam ejus de Platone & Platonis Philosophia testimonium, ex quo facilè conjicies, quàm alienus non esset à Verbi divinitate, æternitate, & cum Patre æqualitate defendenda. Ejus Philosophiam de Deo ait toram cœlestem fore, nisi civilis Reipublicæ rebus altiùs se immersisset; Lactan.

eum multa dicere, quæ eadem ferè ac nostra sunt; denique de hujusmodi Philosophis dici posse, quòd vel jam tunc Philosophi fuerint Christiani, aut certè nunc Christiani Philosophi sint. *Platoni apertior de Deo rebus ipsis & nominibus oratio est: & quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo Deus est ipso nomine Mundi Parens, artifex animæ, cœlestium, terrenorumque fabricator, quem & invenire difficile præ nimia & incredibili potestate, & cùm inveneris, in publicum dicere impossibile præfatur. Eadem ferè & ista quæ nostra sunt: Nam & Deum novimus, & Parentem omnium dicimus, & numquam publicè, nisi interrogati prædicamus.* Et mox: *Ut quivis arbitretur aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos fuisse jam tunc Christianos.* Bibl. Patr. To. 9. P. 59. 11.

II. Arnobium author est in Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis sub Diocletiano Principe apud Africam Siccæ florentissimè Rhetoricam docuisse, & scripsisse adversùm Gentes volumina quæ extant. In Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi, hæc de eo habet: *Arnobius inæqualis & nimius, & absque operis sui partitione confusus.* Nec præterea quidquam in eo sugillat. At in Epistola ad Magnum: *Septem libros adversùs Gentes Arnobius edidit, sotidemque discipulus ejus Lactantius.* Quanquam autem Arnobius de divinis sigillatim Personis pauca dixerit, propterea quòd non illa doctrinæ nostræ pars à Gentilibus impetebatur, unde nec de iis Minutius verbum fecit ullum; ea tamen de Deo in his Arnobii libris & de Christo dicuntur, ex quibus conjectura ducatur de iis etiam quæ ab illo silentur. Audi quid ille de Deo vero pronuntiet: *Prima enim tu causa es, locus rerum, ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt; infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus.* Et mox: *Da veniam, Rex summe, tuos persequentibus famulos, &c. quod tuæ benignitatis proprium, fugientibus ignosce: tui nominis & religionis cultum. Non est mirum, si ignoraris: majoris est admirationis, si sciaris.* Et paulò post: *Nam Deus omnipotens mente una omnium, & communi mortalitatis assensu, neque genitus scitur, neque novam in lucem aliquando esse prolatus, neque ex aliquo tempore cœpisse esse, vel sæculo. Ipse est enim fons rerum, sator sæculorum atque temporum.* Bibl. Patr. Tom. 15. pag. 6.

Creatorem omnium ille & increatum affirmat Deum, sive ingenitum, quem ignorari à tam multis mirum non sit; magis mirum sit sciri vel à paucis; denique & æternum, & rerum omnium fontem esse Deum, & non posse ex aliquo tempore genitum vel prolatum dici contendit. Cùm ergo ille in Ecclesiis Christianorum Christum Deum prædicari & laudari frequens audiret, & doctus ipse audiret, cùm Magister fuerit Lactantii; ecquid ille de Christo sentire potuit, nisi ipsissimum hunc Deum illum esse, increatum, æternum & ipsum, ingenito Patri intimum, & unum cum eo Deum, unum cum eo omnium fontem? qui quomodo unus cum Deo Patre Deus sit, vestigari non debeat, cùm Deum sciri à nobis quàm ignorari, magis mirum sit.

III. Sed accipe ut mox tamen Deum Christum dici à nobis, & exprobrarent Gentiles, & defenderet Arnobius: *Sed non, inquit, idcirco dii vobis infesti sunt, quòd omnipotentem colatis Deum; sed quòd hominem natum, & quod personis infame est vilibus, crucis supplicio interpretum & Deum fuisse contenditis.*

Cùm autem postea strictim attigisset, quantis nos erroribus & impietatibus extricaverit Christus, vide ut vel hinc illum à nobis ostendat, ut Deum coli debere, non qualemcumque, non minusculum, quales Ethnici deos plures venerabantur, & in plures classes gradusque digerebant; sed ut maximum, ut summum magnum, ut tantum quatenus maximus possit cogitari: *Nunc Doctores tanto in via veritatis inductus, omnia ista quæ sint, scio: digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino, & quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atque authoritatibus tribuo. Ita ergo Christus non habeatur à nobis Deus? nec qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, à quo jamdudum tanta & accepimus dona viventes, & expectamus, dies cùm venerit, ampliora.* Sic ille Christum profitetur maximum Deum, ut qui cultu qui maximus excogitari potest prosequendus sit. Sed & mox confirmat *Deum dici appellarique à nobis debere Christum; & Deum & interiorum potentiarum Deum esse, & eo nos illum cultu donasse, quod proprium & dignum fuerat Deo vero.* Pag. 7.

IV. Cùm instarent Gentiles, si verè Deus esset Christus, cur in forma hominis visus esset: non respondet Arnobius Patrem quidem Deum invisibilem esse & incongressibilem, sed Filium ejus visibilem esse, & natura ita contemperatum, ut cum hominibus congredi posset; sed invisibilem respondet natuta esse Christum Deum, nec potuisse se inferre & commodare hominibus, nisi corporea se forma vestisset: nec enim quemquam hominum ferre & videre potuisse in primigenia illum sua natura. *Sed si Deus, inquiunt, fuit Christus, cur forma est in hominis visus? & cur more est interemptus humano? an aliter potuit? invisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre & commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quàm ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, & ubi se figere ineptissima posset contemplationis obtutus? quis est enim mortalium, qui quæreret eum videre? quis cernere, si talem inferre voluisset se terris, qualis ei primogenia natura est? Et qualem se ipse in sua esse voluit vel qualitate, vel nomine.* Pag. 10.

V. De animarum nostrarum origine ambigua sequitur & non satis accurata Arnobii disputatio; quas cùm Ethnici summi Dei filias, & ab eo genitas contenderent, tametsi tot ærumnis & peccatis obnoxias; contra Arnobius non à summo Deo, sed ab inferiore aliquo ejus ministerio editas affirmat; sua haud sanè natura immortales, sed Dei cognitione & beneficio; quod qui fieri possit, ut Dei munere fiant immortales, quæ sua sponte non sunt, respondet: *Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiori credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa? si omnipotenti credidimus Regi nihil esse difficile, nihil arduum: si quod impossibile nobis est factu, illi possibile, atque admodum executioni paratum? est enim quod obstare ejus voluntatibus possit, aut quod esse voluerit, non necessariò sequatur ut fiat? an numquid nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit: nec rationes considerabimus nostras tam esse mortales, quàm sumus nos ipsi, & nullius apud principem nominis?* Lib. I. p. 17. 18.

Quin & Angelos, seu Deos Gentium mox declarat, nonnisi ex Dei voluntate & beneficio esse immortales; nec dissimulat hanc esse Platonis doctrinam. Longè petita hæc videri poterunt, & parum facere ad rem nostram, nisi recurrat animo Catholicæ de Trinitate doctrinæ hoc à sanctis Patribus, hoc à nobis suprà positum esse fundamentum: Quæ impossibilia sunt, aut videntur esse, ea nec potentiæ, nec essentiæ divinæ impossibilia esse; posse enim Deum facere, quæ incomprehensibilia nobis sunt, & multò magis esse. Si recurrat item animo, cùm naturas omnes infra summum Deum intellectuales, seu omnes Angelos

velit Arnobius nonnisi ex Dei beneficio esse immortales; ubi ab eo Christus tam constanter dictus est Deus, verum Deum dictum illum esse, cui natura sua immortalitas & æternitas competat. Vide enim ut de Deo Patre differat: *Omnes concedimus unum esse rerum Patrem, immortalem, atque ingenitum solum, &c.* Jam vide ut de omnibus sentiat naturis extra Deum intellectualibus, seu de Angelis, & Diis: *Prolati & geniti & ordinis sunt posterioris & temporis: si ordinis posterioris & temporis, ortus necesse est habeant, & exordia nativitatis & vitæ; quod autem habet introitum, & vitæ incipientis exordium, necessariò sequitur, ut habere debeat & occasum.*

Quanquam in his nonnumquam titubet Arnobius, abundè tamen liquet quando superiùs de Christo verba faciebat, ejusque divinitatem adversùs Gentiles tuebatur, non eam fuisse ejus mentem, ut Christum his Angelorum agminibus misceret, sed potiùs ut Patri Deo illum copularet, quando nihil faciebat medium.

VI. Ad id facit quod iterum iterumque ingerit de Christo Deo & animarum servatore, cùm servare animas unius Dei sit, & ejus Dei, qui
Pag. 24. ad id à Deo missus est: *Et ideo Christus, licèt nobis invisus, Deus; Deus, inquam, Christus, hoc enim sæpè dicendum est, ut infidelium dissiliat & dirumpatur auditus, Dei principis jussione loquens sub hominis forma.* Et mox: *Servare animas alius nisi Deus omnipotens non potest; nec preterea quisquam est, qui longævas facere perpetuitates possit, & spiritum subrogare, nisi qui immortalis & perpetuus solus est, & nullius temporis circumscriptione finitus.* Et rursum: *Sed si, inquiunt, Christus ad hoc missus à Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid sæcula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumpta sunt?* Et denuo: *Sed si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Nam æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat.* De Deo Patre rursum
Pag. 34. idem magnificentissimè: *Nisi molestum est, dicite, Omnipotens & primus Deus novella vobis videtur res esse? & qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Estne illo antiquius quicquam, aut quod eum præcedat, re, tempore, nomine, potest aliquid inveniri? Nonne solus ingenitus, immortalis & perpetuus solus est? quis caput aut fons rerum est? non ipse? cui debet æternitas hoc ipsum quo nuncupatur æternitas? non ipsi? infinita ut prodeant sæcula, non ex ejus perpetuitate perficitur? Indubitabile istud & verum.* Magnificè, inquam, hæc de Deo Patre, sed nihil hinc colligi nisi absurdissimè & iniquissimè potest in detrimentum Christi, qui & ipse constantissimè & inculcatissimè Deus dicitur, & à Deo missus:
Pag. 35. *Potest ergo fieri, ut tum demum emiserit Christum Deus omnipotens, Deus solus, postquam genus hominum fractior & infirmior cœpit nostra esse natura.*

VII. Facilè potuisset Arnobio cum Gentilibus convenire, si ut hi nobis de summo Deorum Principe & omnium dominatore Deo assentiebantur; ita & ipse illis assentiri voluisset non aliter Christum à nobis coli, quàm ut Dei præcellentem ministrum, & ejusdem propemodum sortis, cujus tam multi dii minorum gentium ab illis colebantur. Ita non ægrè illos nobis conciliasset, saltem placasset. At vidisti, quàm fidenter & quàm invicta constantia ille Deum professus sit Christum esse, & verum Deum, etsi hac nostra confessione frenderent & diirumperentur Gentiles. Ergo non aliter illum à nobis haberi, colique sentiebat, quam illum ipsum summum Deum, ingenitum, increatum, & omnium authorem. Id manifestius adhuc fiet ex Arnobii responsione ad hanc Ethnicorum querelam, cur non eosdem cum illis Deos & eadem sacra celebraremus? Respondet enim illorum Deos nulli non flagitiorum probris inquinatos esse; sed antequam ad id declarandum veniatur, id interim à nobis excipi, unius summi & primi Dei cultum satis esse nobis; in eo enim coli & adorari à nobis, quidquid colendum & adorandum est. In fide ergo & cultu summi Dei censebat Arnobius contineri cultum etiam & fidem Christi, quem tam exertè Deum & Deum verum esse profitebatur. *Subjiciunt enim hæc, Si vobis divina res cordi est,* Lib. 1. p. 1.
cur alios nobiscum neque Deos colitis, neque adoratis, nec cum vestris gentibus communia sacra miscetis, & religionum conjungitis ritus? Possumus interim dicere, Ad cultum divinitatis obeundum, satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, rerum primus, pater rerum ac dominus, constitutor, moderatorque cunctorum: in hoc omne, quod colendum est, colimus: quod adorari convenit, adoramus: quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cùm enim Divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcumque sunt, dicitur: supervacuum putamus personas ire per singulas, cum & ipsi, qui sint, & quæ habeant nomina, nesciamus.

VIII. Hactenus de Arnobio Seniore, nihil enim pertinet ad nostrum hoc argumentum Junior Arnobius, qui tandiu post Concilii Nicæni tempora scripsit, Marium Victorinum quidam in eandem classem conjecerunt, etsi tandiu post Nicænum Concilium vitam ille egit, & tam luculentè de Trinitate scripsit, tamque catholicè, ut superiùs probatum est à nobis, peculiari Capite ad id deposito. Tenebricosum, σκοτεινὸν, non minori jure illum ajunt cognominari potuisse, quàm olim Heraclitum; nec ego inficias ibo; sed monebo non Heraclitum, sed Victorinum scripsisse de Trinitate, in qua sanctissimi Patres & oculatissimi caligare se, & parum videre, parum videri à mortali quoquam posse confitebantur; ut non aliter melius illa, quàm nesciendo sciretur, tacendo diceretur, videretur non videndo. Non hìc refero, quæ Victorino objectantur; multo enim plura ex eo retuli & illustravi superiùs, ostendique à Catholico dogmate non discrepare. Cùm ergo non negetur, inter Catholicos Scriptores post Concilium Nicænum referri debere Victorinum; æquius utique fuerat ab ejus exemplo præsidium parari Scriptoribus Nicæno antiquioribus, qui ejusmodi aliqua scripsissent, quàm horum obtentu illum etiam infamari. Ab hac æquitate non recessit Hieronymus in Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi data: *Inclyto Victorinus Martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest.* Quo Hieronymi judicio non video quod sapientius fieri potuerit. Martyrem enim Christi nemo ambigit Catholicum fuisse, catholicè de Trinitate sensisse & scripsisse. Tanti mysteri non fidei tantùm acquievisse Victorinum innuit Hieronymus, sed & intelligentiæ consequendæ studuisse, nec incassum omnino laborasse: *quod intelligit.* Eloquii in eo difficultatem non tacet Hieronymus, nec nos dissimulamus; quanquam eam ex parte saltem altitudini & difficultati materiæ imputari posse omnes fateantur.

IX. Nec magnoperè dispar est Zenonis Veronensis Episcopi causa, qui sub Gallieno passus pro Christo fuisse scribitur, etsi memoria ejus nunquam fuerit ante Gregorii Magni Dialogos ex Bellarmino. Martyrem illum, at non Veronæ Episcopum celebrat Gregorius. Anno 1508. prodierunt Venetiis Sermones sub ejus nomine aliquot, Veronæ anno 1586. Sunt in his, quæ in eandem reprehensionem incurrant Arianæ prælusæ perfidiæ, si asperiores illos censores audiamus. Nobis omnia Catholica esse, vel Catholicæ fidei,

fidei, vel Patrum Nicænorum iisque posteriorum Theologiæ facillimè conciliari posse videntur. Nec enim in his quæ ei objectantur, quidquam est, quod non illi commune sit cum bene multis sanctorum Patrum luminibus splendidissimis. Ex Sermone ejus tertio de æterna Filii generatione hæc depromunt & lancinant: *Principium, fratres, Dominus noster incunctanter est Christus; quem ante omnia sæcula Pater adhuc utrumque in semetipso Deus beatæ perpetuitatis indiscreta spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum, filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur; sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus, incomprehensibilisque sapientia è regione cordis eructat verbum, omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, alter retinet in altero, cujusvis gloria communis est honor: quia quod est Filii, Patris est; quod Patris amborum. Lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se. Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari: namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere. Cùm imperat Pater orbem fieri, opus cum dicto completur à Filio.*

Bibl. Patr. tom. 2. pag.

Atqui vel his ipsis verbis non emicat, nisi orthodoxa Ecclesiæ de Trinitate doctrina, ut attentiùs legenti patet, nec superiùs à nobis dictorum immemori, utque mox prolixiùs ostendetur, ubi reliqua attulerimus, quæ horum sermonum authori vitio dantur, quasi Arianæ insaniæ Præsultori; qui sexagintæ & ampliùs ante Arium annis, fidem suam nobili martyrio consignavit. Primus de eadem æterna Filii generatione Sermo sic habet: *Principium, Fratres dilectissimi, Dominus noster incunctanter est Christus, quem ante omnia sæcula Pater in profunda sue sacræ mentis arcano, insuspicabilis, ac soli sibi nota conscientia filii, non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa, incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus, de Ingenito ingenitus, de Solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat ante quàm nasceretur; in Patre æqualis omnibus: quia Pater in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet, sua illa substantia, in qua procreavit, beatus manens in sempiternum, omnibus, quæ habet, habentem Filium paria, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum.* Sermo autem 2. de eadem re in hunc modum habet: *Sicut sacra Scriptura testatur, erat ante omnia manens unus & idem æternaliter ex semetipso in semetipsum Deus, secreti sui solus conscius, cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus filius, cordis ejus nobilis inquilinus, exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, aliàs æqualis in omnibus Patri: quicquid enim præcepit, ut fieret, Filius, utpote Dei virtus, Deique sapientia, omnia illa opere mirifico ejus dicto complevit.*

Pag. 424. lit. b.

Ibidem.

Hæc omnino sunt quæ Zenoni crimini dantur, quo jure æquus æstimabit lector. Nec enim video quid amplius, aut illustrius dici potuerit his Zenonis verbis, ubi *Principium* Filius dicitur, *ante omnia sæcula à Patre genitus, sapientia de sapientia, omnipotentia de omnipotentia propagatus; natus de Deo Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus, totum Patris habens, Patri æqualis in omnibus, quia Pater in ipso alium se genuit ex se; qui habet habentem Filium paria procreavit.* Quid magnificentius ad æternam Filii generationem, divinitatem, æqualitatem cum Patre, vel cogitari potuit, vel dici? Si paria his sentiebant, concionabantur, scribebant Patres Episcopique Latini, trium priorum ante Nicænam Synodum Sæculorum, quis non miretur tantam jam tum Catholici nostri de Trinitate dogmatis perspicuitatem, antiquitatem, consensionem cum Nicæna, cum posterioribus Synodis Generalibus? Quis non hinc etiam aliquid præsidii accedere videat nostræ superiùs Tertulliani, Novatiani, Arnobiique defensioni, cùm tam propè absit ab eorum ævo ævum Zenonis?

Quod autem in eodem Sermone habetur, *Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur*; & quod habetur tursus in Sermone 2. *Erat ante omnia sæcula manens unus & idem æternaliter ex semetipso in semetipsum Deus*: id sanè vehementer proposito nostro suffragatur. Priore enim loco æternitas Filii astruitur, posteriore idem significatur, atque ibi suprà, *Pater in ipso alium se ex semetipso genuit*: ubi enim Deus de Deo, unus de uno, sapientia de sapientia, omnipotentia de omnipotentia gignitur, & hoc totum Deus unus, ibi videtur æternaliter Deus ex semetipso in semetipsum prodire. Quid illud quàm manifestum, quod Filius præterquam quod carnem sumpsit, *humanum genus visitaturus*, *aliàs in omnibus Patri æquali* dicitur; quodque tum *visibilis effectus est*, quod sua sponte non erat? Ut in plenitudine porro temporum Filius humanam naturam induit, ita in condendo orbe tota rerum universitate induit quodammodo seipsum, ut per eam invisibilia Dei visibilia fierent, & ad omnes jam inde à mundi exordio homines sermocinaretur Verbum per totam creaturam visibilem: quæ tota peræquè ut *Cæli, enarrat gloriam Dei, ubi dies diei eructat verbum*. Ita nostrum corpus indutus, & jam ante tota rerum natura vestitus Filius Dei, & Deum Patrem & se mundo per hanc annuntians, *temperabat se, ne æternæ majestatis Dominum non posset mundi istius mediocritas agnoscere*, Patrem scilicet & se.

Jam verò si alios Zenonis sermones evolvas, & ex his judicium feras de aliis Patribus ei coævis ante Arium, quibus eadem impingitur calumnia de aperta, vel clandestina cum Ario consensione: quid his in eorum patrocinium apertiùs? *Totum Pater, totum possidet Filius: unius est, quod amborum est; quod unus possidet, singulorum est: dicente Domino, Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Et rursus, Filio cum Patre *originalis perpetuique regni una possessio, coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una æqualitas; si quid Filio detraxeris, ad Patris cujus habet totum, injuriam pertinebit; nec est in illo aliquid, quod sit inferius; quia sicut Pater, nec plus potest habere, nec minus; alter enim in alterius plenitudine infusus est.* Sic ille in Sermone in illa verba Epistolæ primæ Pauli ad Corinthios, *Cùm tradiderit Regnum Deo & Patri*. Tam Catholica sunt hæc, quàm quæ maximè. Reliquos lubens omitto Sermones hujus vel authoris, vel compilatoris; nec enim unius mihi Scriptoris esse videntur, nec unius forsan ætatis.

Ibidem; pag. 424.

CAPUT XLII.

Orthodoxa Patrum Græcorum Nicæna Synodo antiquiorum doctrina de Trinitate, Justini, Athenagoræ, Theophilii, Tatiani, Can. De Luciano.

I. Quàm multa de Trinitate existimaverit Justinus Platonem à Mose hausisse.

II. Complura Justini testimonia de Christi divinitate.

III. Alia rursus ejusdem de eodem praclarissima documenta.

IV. Alia argumenta ex Sapientia Salomonis.

V. Exponuntur que dixit Justinus, de conspecto olim à Patriarchis Filio, non Patre.

VI. Luculenta Trinitatis confessio apud Lucianum.

VII. Athenagora expressissima testimonia de Trinitate.

VIII. Complura adhuc & expressiora ejusdem testimonia ad Trinitatis confessionem.

IX. Ex Theophilo Antiocheno Episcopo multa egregiè pro divinitate Filii & Spiritus sancti.

X. Ex eodem aperta duplicis Verbi distinctio, interioris & aterni alterius, alterius externi & ad rerum creationem prodeuntis.

XI. Tatiani de Trinitate doctrina, de Verbo maximè interno & prolatitio, refertur & explanatur.

XII. Cujus vir doctissimus antiquissimos hos omnes Patres laudat apud Eusebium, ut Trinitatis doctrinæ addictos.

I. A Latinis ad Græcos accedo Nicæna Synodo anteriores, & primò ad Justinum Martyrem. Hic Platonis de tribus Principantibus hypostasibus ita exponit primùm fluctuantem animum, tum deinde paulò certiorem & propriorem vero, in Cohortatione ad Græcos: *Plato ipse aliquando tria principia rerum omnium constituit, Deum, materiam, & ideam: aliquando quatuor: adjicit enim animam universalem. Idem ubi materiam ingenitam esse professus est, genitam eandem postea dicit. Et ubi antea Idea proprium attribuit ortum, & per se ipsam constitisse, seu substantiam esse censuit, deinde immensis intelligentiis eam ipsam esse ait.* Ita longè ablegata materia, & doctrina de Ideis sanæ intelligentiæ reddita, supersunt tres illæ superiùs cùm de his Philosophis ageremus commemoratæ hypostases, Pater, Verbum, & Anima universalis, ἡ καθόλου ψυχή: Anima & Spiritus duæ voces sunt, res una. Hinc est, quòd & hanc doctrinam Platonis à Moyse mendicatam fuisse infrà docet: *Quin & Platonem secundum Deum & materiam, & tertium principium Ideam, seu formam esse dicentem, non aliunde quàm à Mose sententia talis occasionem sumpsisse apparet: nomine quidem Idea è Mose dictis accepto, sed non satis tum intellecto: quod à peritis edoctus non fuerit, nihil eorum, que à Mose sunt dicta, extra arcanam theoriam & contemplationem intelligi clarè posse.* Cùmque hæc Platonis verba retulisset, *Virtus profectò neque natura, neque doctrina, verùm divino munere, non sine mente obvenerit, quibus illa obvenit:* hæc Justinus existimat à nostris Platonem accepisse. Prophetis, & Spiritum sanctum virtutis appellatione designasse. *Hæc, ut puto, manifestè à Prophetis de Spiritu sancto edoctum Platonem, in Virtutis appellatione transtulisse patet.*

Justinus, Pag. 6.

Pag. 28.

Pag. 34.

At quàm diserta sunt hæc ejusdem Apologiæ primæ verba: *Universarum autem rerum Patri, quia ingenitus est, nomen impositum non est. Quocumque namque demum ille vocetur nomine, vetustiorem se habeat eum qui nomen imposuerit. Pater verò & Deus, & creator, & Dominus, & herus, non nomina sunt, sed à beneficiis & operibus ejus petita appellationes. Porro filius ejus qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas & existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit. Christus quidem ex eo, quod per illum Deus omnia conformaverit, atque ornaverit, appellatur: quod & ipsum nomen est, significationem minimè notam complectens; quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed rei ineloquibilis naturæ hominum insita opinio.* Pag. 44.

Qui Dei ingeniti & Patris Filius & solus proprièque Filius dicitur, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός; is rebus creatis non annumeratur. Quid illud? *Verbum simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit.* Si creatura & ipse esset, quantumvis primogenita & præcellentissima, non esset ante creaturas, ne & antecederet seipsum; non esset cum Patre, sed cum creaturis; his proximus, ab illo vehementissimè summotus; non per eum crearentur omnia, ne & per seipsum crearetur, & creatura crearet, quod ne venire quidem in mentem potest; denique Filius & principaliter, ac propriè Filius non esset.

II. Nec minùs perspicuè idem ipse in Apologia II. in hæc verba: *Et Jesus Christus unus & solus proprie Filius Deo genitus,* μόνος, ἰδίως τῷ θεῷ γεγένηται: *qui nimirum ratio & Verbum ejus, & primogenitus & virtus est, atque de consilio voluntateque ejus, instaurandi & restituendi humani generis ergo homo factus, nos ista docuit.* Et aliquantò antè: *At enim Filius Dei Jesus dictus etiamsi aliorum communi more homo tantùm esset, propter Sapientiam tamen dignè Dei Filius diceretur. Parentem enim virumque Deumque Scriptores cuncti Deum vocant. Sin peculiariter etiam præter communem mortalium nativitatem, genitum eum ex Deo, Rationem & Verbum dicimus, quemadmodum anteà memoravi: commune hoc nobis sit vobiscum, &c.* Quid his apertius, ubi unus, solus, Filius, proprie Filius, ex Deo genitus, Ratio & Verbum Dei prædicatur Christus? Pag. 9. Pag. 11.

Sed sunt & alia, quæ ex eadem II. Apologia ad rem nostram faciant: *Itaque Judæi existimantes semper parentem rerum cunctarum cum Mose esse locutum; cum, qui cum eo est colloquutus, Filius Dei esset: qui & Angelus & Apostolus cognominatus est; rectè & à Prophetico spiritu & ab ipso Christo coarguuntur, neque Patrem, neque Filium nosse. Qui enim Filium Patrem esse dicunt, comperiuntur neque Patrem scire, neque Filium ei Patri universorum nosse; qui quod Verbum & Primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* Pag. 5.

Hic illud certè animadversione dignissimum est, quid causæ fuerit, quamobrem antiquissimi illi Patres & Christianæ religionis vindices adversùs Judæos, illum qui in antiquis Scripturis exhibebat se visibilem Deum, & cum hominibus congredi facilem obviumque, Filium fuisse, non Patrem contenderent. Scilicet Judæi Patrem reverebantur, Filium negabant, nec faciliùs ullo argumento revinci poterant, quàm si edocerentur illum tam familiarem Patribus Deum Patriarchis & Prophetis, illis adumbrari lineamentis, quæ Filio imprimis consentiant, non conveniant Patri. Nunc enim Deus, nunc Angelus idem dicebatur; Deus à Deo mitti & venire perhibebatur. Moysi primùm, pòst Salomoni, ne alios commemorem Prophetas, ut Sapientia, ut Verbum Dei, ut Consiliarius summi Dei describebatur. Ita cogebantur Judæi hunc & Filium agnoscere & à Patre distinctum hypostasi, & Deum. Certissimè Justinus quoad Deitatem, nihil discriminis hic interponit, unum Deum, unam Deitatem confitetur; sed illud evincit, non solum Patrem Deum esse, ut assentiebantur Judæi, sed & Filium, ut ex Judaicis etiam Scripturis eliciebatur. Denique ab eo ita concluditur: *Cum Verbum & Primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* Non ait minusculum esse Deum, vel nomine tenus, vel utcumque Patre inferiorem, in quo magnam à Judæis iniisset gratiam; sed Dei Filium & Deum. Hoc argumentum non paulò copiosiùs prosequutus est Justinus in Dialogo cum Triphone Judæo, ad quem antequam accedo, hanc denique hìc insuam ex eadem Apologia II. confessionem prorsus Catholicam Trinitatis: *Et profitemur quidem nos tales esse & atheos: sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ & castitatis & virtutum aliarum, &* Pag. 6.

ab

ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni expertes. Verùm hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos, bonorumque Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus. Hic ipse Spiritus sanctus est, qui ut in Symbolo canit Ecclesia, *Locutus est per Prophetas.*

III. Venio jam ad Dialogum cum Triphone, ubi hæc habet Justinus: *Quæ dico, persuadere quoque vobis annitar, Scripturas scientibus; esse videlicet & dici Deum & Dominum alium, præter factorem omnium, qui & Angelus sive Nuntius vocatur, eo quod annuntiet mortalibus, quæcumque annuntiari eis vult universitatis fabricator; supra quem alius Deus non est.* Et infrà: *Moyses, inquam, o fratres, iterum scriptum reliquit, hunc Patriarchis conspectum Deum, qui dicitur, etiam Angelum & Dominum nominari: ut inde quoque cognoscatis, cum rerum universarum Patri administrum esse.* Et rursus: *Necessarium arbitror esse vobis etiam referre verba, quibus commemoratur, quomodo ipsi fugienti fratrem Esaum, apparuerit iste & Angelus & Deus & Dominus, qui & Abrahæ in forma viri conspectus, & in specie hominis cum Jacobo luctatus est.* Et aliquantò post; *Sustinete inquam me, ex libro quoque Exodi vobis demonstrantem, quemadmodum idem ipse & Angelus & Deus & Dominus, & vir & homo, Abrahæ & Jacobo visus, in igne flammæ è rubo apparuerit, & collocutus sit Mosæ.* p. 275. Idem. 280.

Hæc ad nauseam usque hìc inculcantur, & eorum omnium summa hæc est, & Deum ac Dominum esse, & à Patre mitti, eoque Angelum nominari Filium. Ex his duobus æqualitas ejus cum Patre evidenter astruitur, qui non aliter quàm ille Deus & Dominus est; nec ab illo differt, nisi quòd ab illo mittatur, unde Angeli nomen & officium: ne Nicæni verò quidem Patres, vel cæteri deinceps omnes dissimularunt mitti Filium à Patre, intacta & illibata tum consubstantialitate, tum æqualitate utriusque.

Illud hìc porro antè monebo, quàm ulteriùs progrediar; nec in Justino, nec in aliorum Patrum Nicænis anteriorum doctrina expendenda, id mihi curæ fore, ut ex iis probem Christum fuisse ante Mariam. Nec enim in eos hìc desudat noster labor, qui id olim negarunt. Ne id quidem magnoperè curabimus, ut ante mundi hujus creationem illum probemus fuisse. Hæc enim omnia & his multò plura largiebantur Ariani, quos hìc oppugnandos adgredimur. Nostra omnis industria in id collimabit, ut Christum & æternum, & Patri Deo coævum, & consubstantialem & æqualem ex illis ipsis evincamus antiquissimis Patribus, qui Nicenæ Synodo præiverunt, præluxeruntque in illas definitiones, quæ ab illa constitutæ sunt, plaudente & suffragante Catholico orbe, utpote gnaro per eas se in avita & antiquissima, atque ab ipsis usque Apostolis hausta fide confirmari.

IV. Pergit deinde Justinus ad aliud argumentum ex Proverbiis Salomonis petitum, ubi Filii à Patre, Sapientiæ à Deo nativitas describitur ante omnem creaturam; ut jam Patris administra fuerit Sapientia, in naturis omnibus tum condendis, tum administrandis. En verba Justini: *Aliud verò etiam vobis, ò amici, inquam, ex sacris Litteris producam testimonium, primitus ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quandam rationalem, quæ quidem & Gloria Domini à Spiritu sancto vocatur, nonnunquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus, & Verbum. Fuit quando Archiducem seipsum dixit in hominis forma, Josue Nave filio apparens: his enim nominibus omnibus appellari habet, tùm ex paterni consilii & voluntatis administratione, tum ex voluntaria Patris generatione.*

Verba Salomonis Proverbiorum de generatione Sapientiæ à Deo mox inferit, interserit autem hæc pauca, quibus addoceat, qualis æstimanda sit & cogitanda ista Sapientiæ & Verbi generatio à Patre: adducta nempe similitudine mentis nostræ, quæ verbum suum intus parit: similiter & ignis, à quo alius ignis succenditur. *Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo, verbum enim aliquod proferentes verbum gignimus, non per resectionem, ita ut quod in nobis proferentibus est, imminuatur verbum: & quomodo in igne videmus alium fieri, non decrescente ille, unde facta est alterius accensio, sed in eadem statu permanente; quippe qui ex ipsa incendatur, & ipse appareat, non imminuens illum unde est succensus.*

Atqui his exemplis & consubstantialitas prodiit, & æqualitas. Nam ignis accendens & accensus, ignis gignens & genitus, & ejusdem substantiæ sunt, & prorsus æquales; nec ullo distant, nisi quòd ille genuit, hic genitus est. Nec aliter Mens, sive Sapientia cogitans, & Sapientia cogitata, & naturæ ejusdem sunt, & non sibi dispares, saltem in Deo, ubi nihil accidentarium, totum substantia, vel supra substantiam est.

V. Priscæ illius Patrum Theologiæ expertibus, aut parum peritis, aliquantò molestiora videntur, quæ ibidem infrà subjicit Justinus, ut ostendat non Patrem unquam descendisse ad homines, vel ab iis rursum ascendisse, vel varias illas subiisse vices, quæ in Veteris Testamenti paginis memorantur. Ait enim *non debere vos putare ipsum ingenitum Deum vel ascendisse, vel descendisse quopiam; nam ineffabilis ille Pater, & Dominus universitatis hujus, non venit in locum aliquem: neque deambulat, neque dormit, neque surgit; sed in regione sua, quacumque ea tandem est, manet, acutum cernens, & acutum audiens; non oculis certè quidem, nec auribus: verùm virtute infinita ille inspectat & omnia noscit, neque nostrum quisquam illum latet: neque mobilis est, neque loco ullo, atque adeo neque mundo universo comprehensibilis, ut qui ante extitit, quàm mundus est conditus. Quonam igitur modo ille vel alloquatur aliquem, vel conspiciatur ulli, vel in minima parte terræ appareat? quandone ejus quidem, qui ab eo est missus, gloriam & majestatem populus in Sina intueri: neque Moses ipse in tabernaculum quod fecit, nisi à Deo proveniente claritate repletus, ingredi valuit?* Nec minùs expressè paucis interjectis: *Itaque neque Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque hominum alius quisquam, Patrem & ineffabilem Dominum rerum omnino universarum, & ipsius Christi vidit: sed illum ipsum, qui juxta consilium ejus & voluntatem & Deus est Filius ipsius, & Angelus, ex eo quo sententiæ illius est administer, & qui de voluntate ejusdem homo ex virgine natus est, qui etiam aliquando ignis fuit in suo cum Mose è rubo colloquio. Quod nisi ad hunc modum sacras intellexerimus Litteras, eo res evadet, ut Pater & Dominus universorum tum in cœlis non fuerit, cum per Mosen dictum est, Et Dominus pluit super Sodomam ignem & sulphur, à Domino de cœlis: ac rursum, cum per Davidem est dictum: Tollite portas, Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: & iterum cum David ait: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; seipsum Pater ad dextram suam collocaverit?* Pag. 356.

Sicui hæserunt animo, quæ non sine fastidio forsan inculcata sunt, nihil hìc est, quod possit negotium facessere. Ut illa enim omittam, quæ ibidem paulò ante Justinus dixerat: *Nam si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis ipsum esse Deum, singularis & ingeniti, ineffabilisque Dei Filium.* Ut hæc, inquam, missa faciam, ad unum id omnia revolvuntur, de quo Ibid. p. 355.

apud omnes constat, Patris non esse, ut a quoquam mittatur, sed ut alias ipse divinas Hypostases mittat, quo eas cumque expedit ascititia in aliqua sensibili forma videri, audiri, tangi, & alias corporum qualitates subire. Cùm enim non mediocriter differant mittere & mitti, nemini non obvium & manifestissimum est, Patri magis congruere, ut mittat, quàm ut mittatur; Filio magis convenire, ut mittatur à Patre, quàm ut illum mittat. Mittere autem & mitti non aliud hic est, quàm sensibili aliqua specie induere, vel indui. Hinc autem nec naturæ diversitas, nec inæqualitas illa suspicanda est inter mittentem & missum; cùm totum in eo vertatur, ut incolumi manente utriusque natura & persona, extrinseca aliqua & corporalis species ei induatur: cujus siqua vilitas, siqua imbecillitas displiceat, ea ad speciem ipsam sensibilem, non ad mittentis vel missi injuriam refunditur. His ita statutis, jam fatemur Patri, primoque rerum omnium & ingenito Principio non convenire, ut in locum aliquem descendat, vel ascendat, vel dormiat & surgat, vel stet ambuletve, vel cum hominibus congrediatur, quòd hæc omnia non fiant nisi per simulatas imagines corporeas, quibus tam non indui Patrem decuit olim, quàm nec postea incarnari; tam decuit olim obumbrari Filium, quàm postea inhumanari. Cùm porro Scripturæ Christum præformarent, & præfingerent jam tum quodammodo, ut ipse Christus docuit: ita necesse erat illas temperari, ut sensim insinuaretur hominibus mirum & stupendum hoc arcanum de Patre & Filio, & de Filio potiùs quàm Patre incarnando.

Non est ergo mirum, si dixerit Justinus Deum Patrem, ut visendum se sisteret Abrahæ, Noe, aliisque, *non potuisse superiora cœlo spatia relinquere, nec in exigua terræ parte conspici: Filium Patri ac Domino subjectum, ejus voluntati servisse; non ascendisse, non descendisse unquam Patrem; nullo eum loco contineri, ac ne mundo quidem toto; videri & congredi cum hominibus, non illi congruere, sed Filio, qui & homo factus est in Virgine, & antè ignis in illo Moysis rubo factus fuerat:* Non est, inquam, valdè mirum hæc à Justino scripta esse, cùm hæc omnia ille referat ad formas illas sensibiles, seu in carne, seu ante carnem assumptam, ad quas mitti Patrem, quibus indui Patrem non decebat, Filium decebat; quòd ingeniti & Patris proprietati magis concinat totam incomprehensibilis Deitatis majestatem subire ac sustinere, non se dejicere ex illo fastigio: Geniti & Filii proprietati personali magis consentiat ad has condescensiones sese infringere, contemperare se creatis naturis per has assumptas corporeas formas, ad has mitti à Patre, per has obsequi & servire Patri.

VI. Eodem quo Justinus ævo vitam agebat Lucianus, homo ethnicus & impius, Christianæque fidei infestus. Is verò in Dialogo Philopater, Tryphonem Christianum inducit, antequam Ethnicum Christianis Mysteriis initiaret, hoc ab eo juramentum exigentem, quo ne fingi quidem quidquam potest luculentius ad Catholicam de Trinitate confessionem: *Jura Deum altè regnantem, magnum, æternum, atque æternum Filium Patris, & Spiritum sanctum ex Patre procedentem. Unum ex tribus, & ex uno tria; tres hæc tu Jovem puta, & Deum existima.* Ea ergo tunc fide, uno sacramento unius & trinæ Deitatis imbuebantur Christiani omnes, tam apertè, ut nec Ethnicos id latere posset.

VII. Athenagoras Justino suppar, & qui ipse quoque insignem Apologiam pro Christianis scripsit, obtulitque Imperatoribus Marco Aurelio Antonino & Commodo, in eadem classe locatur, quasi & ipse incautiùs de Trinitate aut tenserit, aut scripserit. Atqui ejus hæc sunt verba, ad regulam fidei orthodoxæ satis accurata, si æquum interpretem habeant: *Quippe ut Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum sanctum; unita quidem secundùm potentiam,* ἑνούμενα μὲν κατὰ δύναμιν; *Patrem, Filium, & Spiritum; quoniam Mens, Verbum, & Sapientia profluit à Patre, sicut lumen ab igne, similiter & Spiritus,* ὅτι νοῦς, λόγος, σοφία, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ ἀπόρροια, ὡς φῶς ἀπὸ πυρὸς τὸ πνεῦμα. Vides ut tres Personas confiteatur distinctas, & tamen potentia, seu essentia & substantia unitas. Vides ut Filium Patris Mentem, Verbum & Sapientiam dicat: at non potest vel esse, vel fuisse Pater, immo ne cogitari quidem potest sine Mente, sine Sapientia, sine Ratione sua, ut quæ unam cum eo naturam & substantiam constituat. Vides denique & Filium & Spiritum sanctum à Patre profluere, ut lumen ab igne, quo nihil amplius desiderarunt Nicæni, Nicænisque posteriores Patres, ad Filii & Spiritus sancti divinitatem consubstantialem & coæternam stabiliendam.

Nec minùs præclara sunt ista ejusdem Athenagoræ, ajentis ita Orbem regi universum à Patre Deo & Filio, ut Imperium Romanum à Marco Aurelio Imperatore & ejus filio Commodo administrabatur: *Vos quidem in summa Imperii majestate adeo conjunctis animis orbem gubernatis, ut inde cœlesti etiam regni contemplationem clariùs animo quis complecti queat. Ut vobis enim patri & filio in potestate sunt omnia: regno divinitus in vos collato: Regis enim anima, inquit Spiritus Propheticus, in manu Dei est; sic uni Deo & Filio ejus, hoc est, Verbo inseparabili, subjecta sunt omnia.* Quid apertius ad astruendam Filii cum Patre Deo & substantiæ unitatem, & potestatis ac naturæ æqualitatem? Sed & ista accipe, in quibus non tam Athenagoram audire te putes, quàm Nazianzenum, si hujus superiùs laudata testimonia non prorsus exciderint animo: *Quem utpote Deum cum Verbo suo cognoscere optemus, ut quænam Filii ad Patrem sit unio, intelligamus; quid Pater cum Filio communicet, quid sit Spiritus; quæ unitas trium, quæ discretio unitorum: Spiritus scilicet Filii & Patris, τίς ἡ τῶν τριῶν ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνωθέντων.* Athenag. pro Christ. Pag. 18.

VIII. Sed ut totam Athenagoræ Theologiam magis exploratam habeas, hoc est, omnium Patrum Theologorumque fidelium, qui tria priora Ecclesiæ sæcula illustrarunt, & eos ab Ariana vesania alienissimos fuisse certò scias, ut de incorrupta hac traditione ne dubitare quidem unquam possis; audi quid ille ex professo, & velut in Theologica Schola prolixiùs de his differat: *Verùm satis jam mihi demonstratum est, non negare nos numen, qui unum illum ingenitum, æternum, invisibilem, impassibilem, qui nec loco includi potest, nec aliter quàm sola mente & ratione comprehendi: qui luce, pulchritudine, Spiritu, & potentia ineffabili continetur; à quo facta sunt omnia per Verbum ipsius, per quod & digesta sunt & stabiliuntur, hunc, inquam, unum prædicamus Deum. Quin & Dei Filium mente complectimur, nec est quod aliquis ridiculum putet, Deo Filium a me attribui. Non enim, ut Poetæ fabulantur qui nihilo meliores hominibus Deos suos faciunt, vel de Deo Patre, vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Verbum Patris, in idea & efficacia. Ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, quum Pater & Filius unum sint. Ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per unionem & potentiam Spiritus. Siquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est.* Athenag. pag. 24.

Hæc ille castigatissimè de Patris & Filii & Spiritus sancti divinitate. Quibus & hæc de Filio specialiter subnectit, quem factum esse negat, quem à principio, id est, ab æterno à Patre prodiisse ait, ut rationem, ut ideam omnium;

ab

ab æterno quippe sua in Deo est ratio, sua sapientia, sua rerum omnium creandarum in Deo idea, quæ tunc foras prodiit cùm res creavit: sed non tum cœpit, immo nunquam cœpit Dei ratio, Verbum & Sapientia esse; ne & Deus serò, & in tempore tantùm sapere cœpisse dicatur. *Primogenia hic est Patris progenies, quo non ut facta; à principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso λόγον, hoc est Verbum, aut rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit; sed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est.* Denique de Spiritu sancto, qui ita à Deo emanat, ut à Sole radii: *Quanquam & ipsum Spiritum sanctum, agentem in illis, qui Prophetica Sermones fundunt, ita à Deo emanare, ad ipsumque reflecti dicimus, ut emissi à Sole radii reciprocant. Quis igitur non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus & Deum Filium & Spiritum sanctum, ita ut & unionis eorum vim & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?* Ex his Athenagoras vehementer insurgit in eos qui Christianos calumniabantur, veluti nulli Deo deditos, cùm ipsi Patrem Deum, & Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum confiterentur.

IX. Athenagoræ subjungitur sanctus Theophilus Episcopus Antiochenus, qui sub iisdem Imperatoribus M. Aurelio & Commodo vitam agebat. Scripsit is libros tres ad Autolycum pro Christianæ Religionis defensione. Hic ergo audi primùm ut Deum ingenitum & conditorem universorum defendat, confutetque eos, qui materiam æquè ingenitam & ei coæternam volebant esse, ac proinde immutabilem fateri cogebantur; cùm ex adverso mutationum omnium sedes ipsa
Ibid. p. 82. sit. *Plato cum suis assectis Deum quidem confitetur ingenitum: Patrem præterea & conditorem omnium: at deinde subjicit, sive supponit Deo materiam quoque ingenitam, quæ simul cum Deo prodierit sive extiterit. Verum si Deus censetur ingenitus, & materia perhibetur ingenita, jam nec amplius Deus conditor & creator est omnium etiam secundùm Platonicos: nec quod unus & solus sit, ab iis verò demonstratur. Quemadmodum Deus ingenitus, ita etiam immutabilis est. At hac ratione si materia ingenita foret, nulli mutationi sive alterationi obnoxia foret, nec quicquam differret à Deo. Nam id quod gignitur, mutationi & alterationi succumbit.*

Jam verò audi, ut ab ingenito Deo creatus sit mundus, cùm dixisset eum ex nihilo creatum esse, ἐξ οὐκ ὄντων, idque à Propheris non accepisse; utque rursus Deus suum in seipso Verbum, semper habuisse se dicat, quem ex se genuit, effuditque cum sua Sapientia, ante hæc universa, ἔχων ἐν ἑαυτῷ ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἰδίας σοφίας, ἐξερεύσας πρὸ τῶν ὅλων. Accipe locum integrum:
Pag. 82. *Nihil enim cum Deo floruit, aut vixit; sed ipse sibi locus erat, nullius indigens, & ante sæcula subsistens. Hinc ductus, hominem, à quo cognosceretur, condere voluit. Hinc præparavit mundum. Is genitus, proinde egens est: ipse verò ingenitus, nullius rei eget. Deus igitur habens suum sermonem in suis visceribus, genuit eum, cùm eum produceret cum sua sapientia ante hæc universa. Hoc sermone usus est in mundi creatione; & omnia quæ condidit, per ipsum fecit. Hic principium dicitur, quia omnium est principium, dominaturque omnium, quæ per ipsum facta sunt. Hic igitur existens Spiritus Dei, principium & sapientia, Altissimique potentia descendit in Prophetas.* His jure videbitur Theophilus confutasse potiùs Arianos; quàm illis præluisse, aut vel tantisper consensisse; eosque omnes, qui Filium esse dicebant ἐξ οὐκ ὄντων, vel æternum esse negabant. Quæ hìc Sapientia à Theophilo dicitur, is Spiritus sanctus, quem à Patre cum Verbo ab æterno effusum esse tradit.

De Spiritu sancto dici, quæ de Sapientia ibi dicuntur, certissimè intelliges ex iis, quæ multis interpositis habet: *Tres dies qui præcessere creationem duorum luminarium, Trinitatis mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet Deum, Sermonem, Sapientiam, quartus dies typus est hominis, qui lumine indiget, nempe ut sit Deus, Sermo, Sapientia, homo.* Pag. 94. Non alia hìc certè Sapientia, quàm Spiritus sanctus, cui homo subjungitur, quia natura intellectualis, seu rationalis subjungitur incommutabili & æternæ Sapientiæ & Veritati Deo, nulla interposita alia creatura. Addit Theophilus cætera omnia Deum condidisse, quasi obiter & nulla peculiari adhibita diligentia; at in condendo homine quasi Filium & Spiritum sanctum, Sermonem & Sapientiam suam in consilium adhibuisse. *Cùm enim cætera omnia* Pag. 96. *Sermone nudo constitueret Deus, & ea quasi obiter nulla peculiari adhibita diligentia conderet, hominem existimavit solum esse opus sempiternum, suisque manibus dignum. Præterea dum hæc loquitur, videtur ea proferre, quasi aliquo auxilio egeat: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, &c. At hæc verba ad neminem alium, quàm ad suum sermonem sapientiamque direxit.*

X. Cùm objicerent Gentiles Deum non potuisse, ut in Genesi legitur, in Paradiso deambulare, cùm loco non claudatur. Respondet Theophilus: Non Patrem deambulasse, sed Verbum, & Filium, assumpta persona Patris, & per quem omnia facta sunt; porro Verbum hoc insitum in corde Patris semper esse, ἐνδιάθετον σοφίαν πατρὸς, Patris consiliarium, & mentem: & ita quidem semper habuisse ante sæcula; quando verò Pater orbem condere voluit, tunc eum Verbum istud protulisse extra se, τὸν λόγον ἐξήνεγκε προφορικὸν, ut per eum universa crearet & gubernaret: quanquam ne tum quidem nec postea carere potuerit Deus Verbo suo intimo, quem semper gignit, & cum quo semper loquitur: οὐ κεκώφωται αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, τῷ τοῦ λόγου αὐτοῦ διὰ παντὸς ὁμιλῶν. En objectionem Gentilium, & Theophili responsionem: *Supra tradidisti, Deum* Pag. 100. *loco non comprehendi; nunc vero vis, eum in paradiso ambulare: audi responsum: Deus quidem universorum pater, loco nec includitur, neque in loco invenitur. Non enim est locus, in quo ipse quiescat. Cæterùm sermo ejus, per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris, assumit personam Patris & Domini universorum. Is venit in paradisum sub persona Dei, & colloquebatur cum Adamo. Si quidem Scriptura sacra disertè potuit Adamum dixisse: Vocem tuam audivi. At vocem quid aliud dixeris, quàm sermonem Dei, qui ejus filius est?* Est statim: *Nec arbitreris, ut Poetæ, & fabularum scriptores perhibent, Dei filios ex concubitu esse natos; sed intellige hoc loco enarrari sermonem perpetuò existentem, & insitum in corde Patris Dei. Antequam enim quicquam eorum quæ facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus foret. Cùm verò jam condere, quæ deliberaverat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum universæ creaturæ: nec interno Deus exinanitus est sermone, sermonem gignens, & sermone alloquens quæ volebat semper.*

Duplex hìc manifestissimè distinguitur Verbum, seu Sermo; alius interior in corde Patris, ἐνδιάθετος; alius exterior & prolatitius, προφορικὸς, qui foras prodit & profertur, per rerum creationem. Nec enim universa natura creata aliud est, quàm veluti vestis quædam, qua se induit sempiterna Dei sapientia, quando orbem ex se effundit. Prior ille Sermo sempiternus est, & Consiliarius æternus æterni Patris est, & ante & post mundi creationem. Hic posterior tum profertur, quando creando orbe, hoc se velut indumento circumdat,

& spectabilem reddit. Quanquam reapte non sit, nisi unus idemque Dei Filius & Sermo, gemina hac & diversa ratione à nobis contemplandus. Unde mox ibidem: *Deus itaque existens sermo, & ex Deo progenitus, quando vult Pater universorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum. Qui adveniens auditur, & videtur ab eo missus, & in loco reperitur.*

Non est itaque quòd suspicetur quisquam Verbum illud insitum intimumque in corde Patris, quem ab alio prolatitio & exteriore distinguit Theophilus, ipsum Patrem, vel Patris essentiam esse. An diceretur enim Pater Verbum suum, id est, essentiam suam Consiliarium habere? *Antequam ulla res existeret, Consiliarium habebat istum, qui mens ipsius est & sapientia. Cum autem efficere voluit, quæcunque deliberaverat, hunc λόγον genuit prolatitium.* An posset Athenagoras Verbum exterius ab interiore sejungere? quorsum enim tum hoc exterius sine illo interiore, sine ratione, sine sapientia? Vide ut utrumque Verbum unum esse declaret, prorsus ut nos Verbum increatum ante sæcula, & incarnatum in tempore, unum esse Verbum scimus, alio & alio statu spectatum: dum Joannis Evangelii verba ita refert & interpretatur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Quibus ostendit in principio solum fuisse Deum, & in ipso Verbum.* An diceret solum fuisse Deum, & in ipso mentem & essentiam suam? *Postea dicit, Et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Verbum itaque cum sit Deus, & ortum habeat ex Deo.* Non possunt hæc de Verbo dici, quod sit ipsa essentia Dei: sed de æterna Verbi hypostasi à Patre distincta: *Quandocunque vult Pater universorum, mittit ipsum quemlibet ad locum.* Hæc jam missio est Verbi prolatitii, sive ad assumptas olim Propheticas umbras & visibiles species, sive ad humanitatem, qua se induit in plenitudine temporum. Et quid apertius illa comparatione trium priorum orbis creati dierum cum tribus divinis hypostasibus? Erant enim dies illi prorsus æquales inter se; nec novum est nomine Sapientiæ donari quandoque Spiritum Sanctum, qui Spiritus veritatis & sapientiæ passim in Scripturis & Patribus dicitur; & qui charitas cum sit, est utique sapientia illa, quæ non menti tantùm lucet, sed & cordi sapit.

XI. Accedo ad Tatianum Justini Martyris discipulum, cujus extat Oratio contra Græcos, ejusdem prorsus salivæ, sed minùs explicata. Explicabimus tamen illam haud ægrè, si tam clementes simus interpretes, quàm nos decet esse eorum, quæ inter ipsa penè crepundia Christianæ doctrinæ scribebantur à Sectæ nostræ penè tyronibus. Referam primò verba Tatiani, tum ea subjiciam elucidamenta, quibus sinistræ suspi-
ibid. p. 145. ciones possint dilui. *Nunc manifestiùs religionis nostræ arcana pandam: Deus erat in principio. Principium autem Verbi potentiam esse accepimus quippe Dominus mundi cum ipse sit universorum substantia, nondum condito mundo solus erat: si vero respicias potentiam ejus, in qua visibilia & invisibilia cuncta consistunt, omnia cum ipso erant. In ipso enim per potentiam Verbi, tum ipse, tum Verbum, quod in eo erat, extitit. Cùm voluit autem ipse, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit. Et Verbum non inaniter prolatum, primogenitum opus fit ipsius Spiritus. Hoc scimus esse principium mundi. Natum est autem per divisionem, non avulsionem: Quod enim avellitur, à primo separatur: quod vero dividitur, id functione donatum propria, nihil imminuit illum, à quo vim suam sumpsit. Quemadmodum enim ab una face aliæ multæ accenduntur, nec tamen prima facis lux minuitur propter plures inde succensas; sic etiam Verbum e Patris potentia progressum non reliquit geni-*

torem Verbi expertem. Quasi dicat initio & ante omnia Deum fuisse, & cum ipso potentiam Verbi generatricem, *ἀρχὴν λόγου δυνάμει*. Nondum condito orbe, non aliam fuisse substantiam, quàm ipsius Dei substantiam; at in potentia ejus creatrice jam tum fuisse omnia, quæ creare poterat, & quæ creaturus erat. Itaque cum ipso & in ipso fuisse omnia, quatenus in Verbo ejus erant omnia, ut idea, ratione, & creatore omnium, Verbum autem in ipso; accessisse tandem Deum ad creationem naturarum omnium, idque perfeciisse prolato primùm foras Verbo suo, adeo ut primus Dei partus extra se fuerit hoc Verbum prolatitium, per quod reliqua condita sunt omnia. Hoc autem Verbum, quod prolatitium vocamus, quatenus creata à se jussu Patris universitate amictum & quasi velatum prodiit; per sese & in sua substantia spectatum, à Patre natum & effusum est, *divisione, non avulsione*; id est, generatione personæ a Patre distinctæ, non divisione substantiæ Patris; genito enim Filio, & paternæ substantiæ plenitudine ei communicata, de paterna substantia nihil decisum, decerptum nihil est; non aliter sanè quàm fax à face accenditur: tota luminis substantia accensæ faci accedit, nihil tamen ejus decedit accendenti. Lux & fax ista in Patre & Filio sapientia est, ibi generans, hìc genita, utrobique non consubstantialis tantùm, sed una & eadem, & genitrix tamen hìc, illic genita. Quod ergo videtur Tatianus innuere Verbum à Patre *ab æterno* productum, non fuisse actu & in seipso, sed tantùm in potestate, sicut & naturas creatas; non id ad Verbum internum pertinet, seu ad ipsius Verbi substantiam; sed ad Verbum prolatum, *προφορικὸν*, quod unà cum ipso orbe condebatur quatenus orbe ipso velatum proferebatur; sicut Verbum in tempore cum humanitate assumpta natum & procreatum est ex Patre. *In ipso enim Deo per potentiam Verbi, tum ipse Deus, tum Verbum quod in eo erat, extitit.* En Verbum æternum & internum, Pater cum Filio, Filius cum Patre & in Patre. Sequitur statim Verbum æternum ad creationem mundi, quo obvelaretur, & quo velatum rursus quodammodo nasceretur. *Cum voluit autem ipse Deus, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit. Et Verbum non inaniter prolatum, primogenitum opus fuit ipsius Spiritus. Hoc scimus esse principium mundi.* Si ante mundum conditum non aliud fuisset Verbum intimum, nisi ipsa Patris mens, sapientia, persona; ergo mundi creatio ipsius personæ Patris ejusque Verbi essentialis fuisset obvelatio, & temporaria generatio. Non aliter sanè, quàm si ante divinæ Personæ in nostra carne generationem non alia fuisset Persona divina quàm Patris, illa indubitatissimè fuisset Patris incarnatio, vel incarnati Patris nativitas.

XII. Non abs re hìc assuetur testimonium Caii viri doctissimi apud Eusebium in Historia Ecclesiastica, ubi Artemonem confutabat, à quo Christus quasi merus homo lacerabatur. Sic autem ille suffragatores ac commilitones sibi ascisçit adversùs hanc pestem, tunc primùm erumpentem, Scriptores complures antiquos, qui hactenus pro Christiana Religione apologias concinnaverant, ediderantque: *Ac fortasse id quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur, primùm quidem sacræ Scripturæ, deinde fratrum quorundam scripta Victoris ætate antiquiora: quæ illi adversùs Gentes, & adversùs sui temporis Hereticos pro veritatis defensione scripserunt. Justinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum, & Clementem, aliosque complurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas astruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum scripta, quis ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicarunt? Psalmi quoque & Cantica fratrum, jam pridem à fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei*
Euseb. l. 5. c. 27.

con-e-

concelebrant, *divinitatem ei tribuendo*. Ex his antiquissimis Psalmis, Canticisque, quibus teste hìc Cajo Christi divinitas celebrabatur, supersunt non pauca, ut suspicor, in divinis Officiis, cùm tanta semper religio fuerit quidquam in his demutare, & tantam hæc etiamnunc redoleant antiquitatem. Eadem ergo quæ nunc, vigebat tum quoque fides Christi divinitatis. Denique ab hoc eodem Melitone Sardensi Episcopo testatur
L. 4. c. 26. alibi Eusebius scriptum esse Sermonem *De Deo incorporato, sive incarnato*.

CAPUT XLIII.

Orthodoxa de Trinitate doctrina Irenæi.

I. Ex Irenæo Pater nullo egens creavit orbem per Verbum suum & Spiritum sanctum, velut per manus suas.

II. Ut Sabellius in unum Patrem, ita Simon Magus in seipsum recolligebat tres Trinitatis Personas.

III. De Verbo & de prolatione ejus à Patre, sana Irenæi doctrina, quàmque inenarrabilis ejus generatio.

IV. Quomodo Pater major est Filio, & solus diem judicii scit; quomodo omnia Patris, Filio communia sint.

V. Plura & nova æqualitatis Filii cum Patre documenta.

VI. Ut visibile Patris sit Filius, invisibile Filii sit Pater, luculentissimè ex Irenæo.

VII. Quo sensu nobile ministerium dicantur præstare Patri Filius & Spiritus sanctus, ut Mens & Sapientia ejus, ut brachia ejus.

VIII. Ut videatur Deus à naturis creatis, collaborantibus tribus divinis Hypostasibus.

IX. Ut non videatur Pater, nisi per Filium, naturis se creatis accommodantem, atque ita & se & Patrem illis ostendentem. Ut Filius & visibilem faciat Patrem, & invisibilitatem ejus custodiat.

X. Quàm nec Filius videri unquam potuerit, nisi per temperamenta quædam carnis vel speciei assumpta.

XI. Quomodo infectum esse, tribus divinis Personis commune sit.

I. SI plura ad nos pervenissent litterarum monumenta à suprà laudatis Patribus Græcis exarata, plura forsan & validiora ex eis documenta promsissemus, ad eorum doctrinam à suspicionibus Arianæ vecordiæ purgandam. Ejus rei periculum primò faciemus in clarissimo Martyre Irenæo Lugdunensi Episcopo. Audi primùm ex eo brevissimam fidei regulam, quæ tribus Personis ea tribuit, sive propria, sive communia, quæ valeant profectò ad summæ Divinitatis apicem singulis illis vindicandum: *Omnia per ipsum Verbum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia; sive sensibilia, sive intelligibilia; sive temporalia, propter quandam dispositionem; sive sempiterna; & ea omnia non per Angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia, nihil enim indiget omnium Deus; sed per Verbum & Spiritum sanctum omnia faciens, & disponens, & gubernans, & omnibus esse præstans.*
L. 1. c. 19. pag. 114.

Non potest non summus Deus esse; qui creator est omnium, etiam intelligibilium, etiam sempiternorum; non potest non Deus intelligi tam Filius, quàm Spiritus, cùm per eos omnia creet & gubernet Pater, qui nullius indiget. Si quid alienum à substantia Patris esset Filius, vel Spiritus sanctus, tum non posset dici Pater nullius egere, si per eos Orbem crearet. At si per eos creet, ut per brachium suum, per digitum suum, per Sapientiam & Charitatem suam substantivam, tum verò Pater nullius eget.

II. Simonis Magi impia deliramenta mox refert Irenæus, utque unum ille & Patrem esse diceret, qui Samaritis; & Filium, qui Judæis; & Spiritum sanctum, qui Gentilibus se exhibuerat. Tres ergo Personas ille in se recolligebat, & sibi mutuò coæquabat, æquales nimirum prorsus à Christianis haberi & ita coli videns. Ita & multò postea Sabellius usque adeo intelligebat ab Ecclesia universa tres divinas Hypostases consubstantiales & prorsus æquales prædicari, ut eas omnes in unum conflaret. En Irenæi verba: *Hic igitur à multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius adparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; & in reliquis verò gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater, & sustinere vocari se quodcumque eum vocant homines.*
L. 3. c. 20. pag. 223.

III. Proprium hoc ait esse Irenæus inferiùs eminentissimæ Dei amplitudinis, ut nullo indigeat ad rerum creationem, sed Verbo suo omnia moliatur; quòd non alienum scilicet ab eo sit Verbum, sed illi intimum, ab eo in eo natum: *Omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit. Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ, non indigere aliis organis ad conditionem eorum quæ fiunt; & idoneus est & sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, quemadmodum & Joannes Domini discipulus ait de eo, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*
L. 2. c. 30. pag. 147.

Cùm multa verò ineptirent hæretici de Dei mente, cogitatione, Verbo, de prolatione & de generatione Verbi à Patre, quasi in hæc arcana ipsi altissimè penetrassent; contrà argumentatur Irenæus, Si Christus ipse diei & horæ Judicii notitiam ne sibi quidem vindicavit, sed Patri soli; quantò magis reservanda est eidem Patri notitia sive prolationis, sive generationis Verbi? *Si igitur scientiam Dei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est: neque nos erubescimus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum vos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est. Si quis itaque nobis dixerit, Quomodo ergo Filius prolatus à Patre est? Dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem existentem nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes, neque Potestates, nisi solus qui generavit Pater, & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cùm sit, quicumque nituntur generationes & prolationes enarrare, non sunt compotes sui; ea quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes. Quoniam enim ex cogitatione & sensu verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt homines.*
L. 2. c. 48. pag. 205.

Ejusdem Verbi vides hìc esse generationem, & prolationem; nec aliud esse prolationem extrinsecam, quàm manifestationem intimæ generationis; uti nec aliud est Verbum prolatum, quàm Verbum genitum; illic obvelatum, hìc nudum & incomprehensibile: ut ejus scientia uni Patri & Verbo vendicetur, non aliam esse posse, quàm quæ ab Ecclesia Catholica prædicatur, ut Verbum genitum unus idemque Deus sit cum Patre gignente; si creatura enim quantacumque est, non est ejus generatio usque adeo stupenda.

IV. Quid verò causæ sit, ut Christus Patri servarit scientiam extremæ illius diei, docet Irenæus id eò referri, quòd major sit Pater, cui proinde

moneamur quæstiones istiusmodi omnes permittere. *Etenim si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire & horam & diem, à Domino manifestatus est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram, quàm hanc inveniat in præsenti, quoniam cùm solus verax magister est Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater, ait, major me est; & secundùm agnitionem itaque præpositus esse Pater annuntiatus est à Domino nostro: ad hoc ut & nos, inquantum in figura hujus mundi sumus, perfectam scientiam & tales quæstiones concedamus Deo: & ne fortè quærentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, ut quæramus, an super Deum alter sit Deus.*

L. 2. c. 49. pag. 207.

Nec inficias tamen ire quisquam potest, quin Verbum, Sapientia, Consilium, Voluntas Patris illum diem sciat, immo & cum Patre definierit. Ad honorificentiam ergo Patris id à Filio ita dicebatur, quòd eam scientiam prorsus divinam, ut & ipsam essentiam divinam non haberet Filius, nisi à Patre; ex quo fiebat, ut solus sciret Pater, nempe majestate primi Principii & omnium fontis, & tamen sciret Filius: sicut major est Pater Filio, nec minor est tamen Patre Filius; major Pater eo uno nomine, quòd solus genitor & fons primus Divinitatis; non minor Filius, ut totus paternæ consors divinitatis; unde fit ut totus Pater & Patris omnia in eo sint, præterquam esse Patrem.

Aliquantò antè monuerat Irenæus in Scripturis Deum non vocari, nisi verum Deum, Patrem scilicet & Filium ejus: *Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset merus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus, qui dominium accipit à Patre suo omnis conditionis.* Et paulò pòst: *Utrosque Dei appellatione significavit Spiritus sanctus, & eum qui ungitur Filium, & eum qui ungit, id est, Patrem.* Ita ille exponit ea Psalmi verba, *Unxit te Deus, Deus tuus.* Et inferiùs: *Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est super omnia Deus, & super quem alius non est Deus?* Et cùm obiter mentionem feciisset Danielis Deum verum adorantis: *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & Verbum ejus, qui locutus est Moysi, qui & Saducæos redarguit.* Et tandem: *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.*

L. 3. c. 6.

Nec minùs luculentè, ubi ait, cùm homo non sit increatus, nec coæternus Deo, ut Verbum, fieri non posse, ut rerum omnium creatarum causas pervideat. *Non enim infectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum: sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium factura accipiens, sensim discis à Verbo dispositiones Dei qui te fecit.* Si increatum, si æternum est Verbum, certissima hæc sunt divinitatis ejus argumenta.

L. 4. c. 11.

Ergo Irenæus quæ vel maximè Patri uni ascribit, sine initio esse, & sine fine, infectum esse, nullo indigere, sibi sufficere, mox tamen Filio communicat, ut qui Patris sit Verbum, Sapientia, Brachium, & nunquam ab eo tejungi possit. *Ipse enim infectus & sine initio & sine fine, & nullius indigens, ipse sibi sufficiens & adhuc reliquis omnibus, ut sint hoc ipsum, præstans: quæ vero ab eo sunt facta, initium sumpserunt: quæcumque autem initium sumpserunt, & dissolutionem possunt percipere, & subiecta sunt, & indigent eius, qui se fecit: necesse est omnino, uti differens vocabulum habeant apud eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo talia habent. Ita ut is quidem, qui omnia fecerit cum Verbo suo, justè dicatur Deus & Dominus solus: quæ autem facta sunt, non jam ejusdem vocabuli participabilia esse, neque justè id vocabulum sumere debere, quod est Creatoris.*

L. 2. c. 8. pag. 256.

V. Hinc apertissimè declarat Irenæus ab Apostolis & Apostolicis viris non alium prædicatum esse Deum, Patriarchis & Moysi notum, cœli & terræ conditorem, quàm solum verum Deum Patrem, & Verbum ab eo nusquam sejunctum, ne tum quidem cùm solus verus Deus dicitur. *Cùm enim declaratum sit manifestè, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt prædicatores & apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem & Verbum ejus, qui in omnibus principatum ejus habet; manifestè erit ostensum factorem cœli & terræ, & qui locutus sit cum Moyse, & Legis dispositionem dederit, qui convocaverit Patres, Dominum Deum confiteri eos, & alterum neminem nosse.* Et infrà: *Manifestavimus neminem alium Deum appellari à Scripturis, nisi Patrem omnium, & Filium, & eos qui adoptionem habent.* Solus vel tum est Pater, quando cum Filio est; ille maximè Pater, qui totus in Filio est, in quo totus Filius est. Unde rursum Irenæus ttadit omnia in mensura feciisse Deum; ipsi Deo immenso mensuram esse Patrem Filio, Filium Patri; quia totum Patrem capit Filius, quem utique non caperet, si inæqualis, si minor esset. *Omnia enim mensura & ordine Deus facit, & nihil non mensum apud eum; quoniam nec incompositum. Et bene quis dixit immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.*

L. 4. c. 11. pag. 251.

Quanquam manifestissima hæc sint, sunt tamen quæ sequuntur manifestiora; ubi convenienter Evangelicis litteris ait, Ut Patrem non novit nisi Filius, ita nec Filium à quoquam nosci, nisi à Patre; invicem enim se noscunt, & soli noscunt, quia invicem se capiunt; & soli capiunt, quia & invicem soli æquales sunt. *Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante; neque Filium, nisi Patris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perficit: mittit enim Pater, mittitur autem & venit Filius: & Patrem quidem invisibilem, & interminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, & cùm sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis. Rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater. Utraque autem hæc sic se habere manifestavit Dominus, & propter hoc Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est, Filii manifestatio. Omnia enim per Verbum manifestantur. Ut ergo cognosceremus, quoniam qui advenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat Discipulis: Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, & quibuscunque Filius revelaverit: docens semetipsum & Patrem, sicut est, & alterum non recipiamus Patrem, nisi eum qui à Filio revelatur.*

L. 4. c. 44.

VI. Filii ergo est Patrem revelare, nec aliter magis Filius Patrem revelat, quàm semetipsum ostendendo, ut in quo totus sit Pater; ut in quo sint omnia Patris; ut qui talis & tantus sit, qualis & quantus est Pater; aliàs enim Pater in Filio non videretur; totus in eo non videretur; non diceret, aut non jure diceret, *Qui videt me, videt & Patrem.* Porro ut per carnem tandem visus est Filius, ita & per Legem & per Prophetas videbatur & ipse, & in ipso Pater. Ubi enim, authore Irenæo, Filius visibilis fit & palpabilis, per eum Pater ostenditur; ita in Filio visibili per assumptas illas species facto, videbatur Pater. Porro si in visibili facto Filio videbatur Pater, in invisibili vel tum Patre invisibilis erat Filius;

ita

ita enim erectbat, ita personatibus proprietatibus congruebat, ut visibile Patris esset Filius, & invisibile Filii esset Pater. Ideo & Christus flagitantibus Apostolis ostendi sibi Patrem, respondit verissimè, *Qui videt me, videt & Patrem*: ita visibile Patris est Filius; & idem rursus non videri se contestabatur, nisi à Patre, & quibus revelaret Pater; ita invisibile Filii est Pater. *Per Legem & Prophetas similiter Verbum & semetipsum & Patrem predicabat. Et audivit quidem universus populus similiter: non similiter autem omnes crediderunt, & per ipsum Verbum visibilem & palpabilem factum, Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei; sed omnes viderunt in Filio Patrem. Invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius; & propter hoc omnes Christum loquebantur presente eo, & Deum nominabant: sed & demones videntes Filium, dicebant, Scimus tu quis es, sanctus Dei. Et tentans diabolus videns eum dicebat: Si tu es Filius Dei: omnibus quidem videntibus & loquentibus Filium & Patrem, non autem omnibus credentibus.*

L. 4. c. 14. pag. 334.

Controversia ergo jam fieri Filio non poterit de invisibilitate Patri concessa, ei negata ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus. Indubitatissimè enim hic ex Irenæo, immo ex Christi ipsius verbis ab eo hic relatis & explanatis, & invisibilis est cum Patre Filius, & visibilis fit cum Filio Pater; *Invisibile Filii Pater, visibile Patris Filius*. Si Pater enim in Filio est, non ut in loco; sed ut in consubstantiali & consorte ejusdem naturæ, utique invisibilitas Patris in Filio est: Si Filius in Patre, visibilitas Filii ad Patrem exporrigitur, *Per Verbum visibilem & palpabilem factum Pater ostendebatur. Omnes viderunt in Filio Patrem*. Id discriminis igitur intererit, quòd assumpta per incarnationem humanitate, vel in umbris & figuris Propheticis videbatur Filius, qui hæc sibi vela induebat, videbatur & per Filium Pater; cùm autem his se velis non obumbraret Pater, ipse quidem non videbatur eo sensu, sed & illam Filii in se majestatem tuebatur, qua videri à mortalibus divinitas Patri Filioque communis non potest. Mox ibidem rursum Irenæus: *Agnitio enim Patris, Filius; agnitio autem Filii, in Patre & per Filium revelata: & propter hoc Dominus dicebat: Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, & quibuscumque Filius revelaverit. Revelaverit enim, non solùm in futurum dictum est, quasi tunc inciperet Verbum manifestare Patrem, cùm de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati revelat omnibus Patrem, quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult Pater; & propter hoc in omnibus & per omnia unus Deus Pater, & unum Verbum, & unus Filius, & unus Spiritus, & una fides, & salus omnibus credentibus in eum.*

VII. In Propheticis igitur omnibus visionibus Veteris Testamenti non videbatur, non loquebatur Pater, ut contendebant Judæi; sed Filius, atque ita & in Filio Pater. Ut enim Verbi est Patrem manifestare, ita & ejus erat eas species corporales sibi induere, quibus ipse hominibus in sensibilia demersis appareret, & in ipso Pater. Nobile hoc est & divinum ministerium, quod Patri unus potest Filius, unus Spiritus sanctus exhibere, non Angelus quisquam. *Propter hoc Judæi excesserunt à Deo, Verbum Dei non recipientes: sed putantes per se ipsum Patrem sine Verbo, id est sine Filio, posse cognoscere Deum; nescientes eum, qui in figura loquutus est humana ad Abraham & Aaron, & iterum ad Moysen, dicentem: Videns vidi vexationem populi mei in Ægypto, & descendi liberare eos. Hic enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente Patre Angelis, ut faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat: neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant; sed habente copiosum & inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua, id est Filius, & Spiritus sanctus, Verbum & Sapientia, quibus serviunt & subjecti sunt omnes Angeli.*

L. 4. c. 14. pag. 337.

Non est quòd quemque moveat, si Spiritus sanctus hic ab Irenæo Sapientia dicatur, ut & ab aliis jam Scriptoribus Ecclesiasticis dictus est in superioribus, quibus tamen forsan authoritas ex Irenæo potiùs accersenda est, quàm Irenæo ex illis. Posterioribus etiam Nicæno Concilio Patribus usurpatum illud fuit; ut Verbum Verbi Spiritum sanctum dicerent. Nec offendi quisquam hic debet ministri voce; nam & apud homines ministrat filius patri, cui consubstantialis est; ministrat & in provectiore ætate sua, patre persæpè jam & virturibus & eruditione & gloria superior, una re eo minor, quòd filius est, eòque minister.

Non de prolatitio, non de præformato ad formandas creaturas Verbo loquebatur Irenæus, sed de æterno & æternùm manente in Patre ante creaturas omnes, & tum glorificante Patrem, & vicissim clarificato à Patre, ac proinde ei coæquali: quando ita inferiùs scribebat: *Igitur initio non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam; sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia. Non enim solùm ante Adam, sed & ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo, & ipse à Patre glorificabatur; quemadmodum ipse ait: Pater clarifica me claritate, quam habui apud te, priùs quàm mundus fieret.* Jam quod ad creationem rerum attinet, ne ad eam quidem extrinseco & prolato Verbo Deus usus est, si Irenæum audias; sed Filio seu Sapientia sua, & Spiritu sancto, quos habet quasi geminas manus suas, suæ ipsius substantiæ, & tamen sibi ministrantes, ut suæ homini manus ministrant: *Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasmarunt; nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec alius quis præter Verbum Domini, nec virtus longè absistens à Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum quæ ipse apud se præfinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim in semper Verbum & Sapientia, Filius, & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & sponte fecit; ad quos & loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; ipse à semetipso substantiam creaturarum, & exemplum factorum, & figuram in mundo ornamentorum accipiens.*

L. 4. c. 37. pag. 369.

VIII. Ut videatur autem ab hominibus Deus, sic Irenæus declarat; Deum à nemine mortalium videri posse secundùm magnitudinem ejus & gloriam: Incapabilem enim esse Patrem, hoc est à nemine capi posse; at ex indulgentia Deum videri: unde fit, ut Deus videatur ab hominibus, à quibus vult, quando vult, & quemadmodum vult; aliter enim visus est olim à Prophetis; aliter per incarnationem Filii unigeniti, homines sibi Patrique adoptantis; aliter in beata Patria; totum id autem perficitur collaborantibus quodammodo tribus divinis hypostasibus; scilicet Spiritu sancto præparante homines Filio, Filio adducente eos ad Patrem, Patre beatam largiente immortalitatem, & sese palam ostendente. *Nam Prophetia est prædicatio futurorum, id est eorum, quæ post erunt, præsignificans. Præsignificabant enim Prophetæ, quoniam videbitur Deus ab hominibus, quemadmodum & Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed secundùm magnitudinem quidem ejus, & mirabilem gloriam, nemo videbit Deum, & vivet.*

L. 4. c. 17. Ibidem pag. 170.

Incapa-

Incapabilis enim Pater: secundum autem dilectionem & humanitatem, & quod omnia possit, etiam hoc concedit iis, qui se diligunt, id est, videre Deum; quod & prophetabant Prophetæ. Quoniam quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum; homo etenim à se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult & quando vult & quemadmodum vult: visus quidem tunc per spiritum Prophetiæ, visus est autem & per Filium adoptivè; videbitur autem & in regno cœlorum Paternaliter, Spiritu quidem præparante hominem in Filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem; Patre autem incorruptelam donante in vitam æternam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum.

Evanescunt hîc, ut vides, nubeculæ illæ omnes difficultatum ex Patre invisibili, visibili Filio; illo incongressibili, hoc congressus hominum penè ambiente. Namque hic Pater natura quidem sua invisibilis & incapabilis est; at *secundùm dilectionem, & humanitatem, & quod omnia possit*, visibilis fit & capabilis & palpabilis, peræquè ut Filius & Spiritus sanctus; qui ne ipsi quidem in sensus nostros corporeos incurrere possunt, nisi per ascititias formas; nec vel mente & intellectu conspici possunt, nisi ex indulgentia & humanitate sese nobis accommodent. De Patre enim ipso hæc mox ibidem subjicit Irenæus: *Et propter hæc incapabilis & incomprehensibilis, visibilem se & incomprehensibilem & capacem omnibus præstat, ut vivificet percipientes & videntes se.* Pag. 171.

IX. Nec tamen nescivit Irenæus speciali quadam proprietate Patri tribui, quòd sit invisibilis, & incomprehensibilis; nec videatur, aut capiatur nisi per Filium; qui assumat ipse quidem corporeas species, ut per eas utcunque videatur ipse, & per ipsum atque in ipso Pater, Ita dum se Filius nobis familiariùs immiscet, & congreditur, & sermones miscet; & in se, tanquam in imagine Patris expressissima, Patrem repræsentat videndum, invisibilitatem Patris nihilo minùs tuetur, ut quam nobis vehementer revereri conducat, & contremiscere. Hoc igitur semper distat Pater à Filio, quòd species sensibiles quibus videri dignatur Deus, non sibi, sed Filio circumdat; & non ipse quidem per eas videtur, sed per Filium illis amictum & per illas visibilem. *Sed quoniam qui omnia in omnibus operatur Deus est, qualis est & quantus est, invisibilis, & inenarrabilis est omnibus, quæ ab eo facta sunt, incognitus autem nequaquam. Omnia enim per Verbum ejus discunt, qui est unus Deus Pater, qui continet omnia, & omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est: Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Enarrat ergo Filius ab initio Patris, quippe qui ab initio est cum Patre, qui & visiones propheticas, & divisiones charismatum, & ministeria sua, & Patris glorificationem consequenter & compositè ostenderit humano generi; apto tempore ad utilitatem.* Et infrà: *Verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos tantas fecit dispositiones; hominibus quidem ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem; & invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, & ut semper haberet ad quod proficeret. Visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens à Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo. Vita autem hominis visio Dei. Si enim, quæ est per conditionem ostensio Dei, vitam præstat hominibus in terra viventibus; multò magis ea, quæ est per Verbum manifestati Patris, vitam præstat his, qui vident Deum.* Invisibilis ergo semper jure prædicabatur Pater, quia Filius tantùm videbatur, & in eo ipse: nec majestati Filii quidquam deperibat, quia nonnisi per ascititias corporum formas spectandum se exhibebat. *Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Helias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, & Prophetiæ futurorum: manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo & Dominus dixit: Deum nemo vidit unquam. Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, & ad utilitatem videnti claritatem monstrabat Patris, & dispositiones exponebat; quemadmodum & Dominus dixit: Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Pag. 172. Ibidem.

X. Quòd autem ne Filius quidem ipse nisi per condescensionem & indulgentiam hominibus se præbuerit conspicabilem, primùm in figuris & apparitionibus veteris Testamenti, postea in assumpta humanitate, ita luculentissimè declarat Irenæus, ut facillimè intelligas eadem hîc Filium magnificentia indui, eadem inenarrabili gloria, qua Patrem; eadem denique intolerabili majestate, nisi eam ipse per hæc corporeæ formæ blandimenta & temperamenta infregisset. *Quemadmodum enim mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam: sic & Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio; homo autem impotens percipere illam: infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster, in novissimis temporibus recapitulans in se ipse omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum videre nos poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat; sed nos magnitudinem gloriæ ipsius portare non poteramus. Et propter hoc quasi infantibus ille, qui erat panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstitit, quod erat secundùm hominem ejus adventus; & quasi à mammilla carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare & bibere Verbum Dei, & eum, qui est immortalitatis panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possimus.* Inenarrabilis hæc gloria, hæc gloriæ magnitudo, hæc majestas quam portare non poterant homines, eadem illa erat prorsus, quæ Patris; sed ubi illam contemperari nobis oportuit, id Filium magis addecuit. Unde rursus mox: *Sic & initio Deus quidem potens fuit dare perfectionem homini, ille autem nunc nuper factus, non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum est homini Verbum Dei, cum esset perfectus; non propter se, sed propter hominis infantiam; sic capax effectus, quemadmodum homo illum capere potuit.* Lib. 4. pag. 221. Ibid. c. 38. pag. 254.

XI. Quid quòd sive ingeniti, sive increati, sive infecti, ἀγένητον, ut existimo, gloriam tribus ibidem divinis personis videtur Irenæus communicare, atque ita eas à creatis naturis omnibus discriminare? Nec id tamen prohibet, quin Filium Patri ministrare dicat, etiam ubi illum maximè videtur exæquare Patri. *Et sic principalitatem quidem habebit in omnibus Deus. Quoniam & solus infectus, & prior omnium, & omnibus ut sint, ipse est causa; reliqua vero omnia in subjectione manent Dei; subjectio autem Dei, incorruptela perseverantia est, incorruptela autem gloria infecti. Per hanc igitur ordinationem & hujusmodi convenientiam, & talis factus, & plasmatus homo secundùm imaginem & similitudinem constituitur infecti Dei, Patre quidem bene sentiente & jubente; Filio verò ministrante & formante: Spiritu verò nutriente & augente: homine verò paulatim proficiente & perveniente ad perfectum, id est, proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus, hic autem est Deus.* Solus hic dicitur Deus infectus, & omnium causa, solus subjectionis expers, solus perfectus, quia infectus; & ibidem tamen ea laus & gloria in Patrem

trem & Filium & Spiritum sanctum refunditur. Perspicuum est ergo tres personas ab Irenæo æquales constitui, nec eam æqualitatem violari, etsi constent personarum proprietates, ut & inter homines mutuò æquales servantur. Ad has personales proprietates pertinet illud etiam ejusdem Irenæi, ubi ad calcem libri 5. ait, oportere nos crescere, *& per hujusmodi gradus proficere; & per Spiritum quidem ad Filium, per Filium autem ascendere ad Patrem: Filio deinceps cedente Patri opus suum: quemadmodum & ab Apostolo dictum est, Quoniam oportet eum regnare, quoadusque ponat inimicos sub pedibus ejus.* L. 5. c. 36.

Nec illud nos effugiet, ubi ait Irenæus Patrem facere per semetipsum, quæ facit per Filium & per Sapientiam suam, id est, per Verbum & per Spiritum sanctum: *Sed solus unus Deus, fabricator, hic est qui super omnem principalitatem & dominationem & virtutem, hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum & per Sapientiam suam, cœlum & terram & maria & omnia quæ in eis sunt.* Ita in unum Deum coalescunt tres personæ, & constat quod dixit Irenæus suprà, & quod à nobis ita expositum est, Deum nullo indigere, etsi per Verbum & per Spiritum sanctum omnia moliatur. Audi rursus ut coexistat semper Patri Filius, & Verbum, intimum utique: *Cognoscunt enim Patrem ii, quibus revelaverit Filius; semper autem coexistens Filius Patri, olim & ab initio revelat Patrem, & Angelis, & Archangelis, & Potestatibus, & Virtutibus, & hominibus, quibus vult & revelare Deus.* L. 2. c. 47. Iren. part. pag. 194. Ibidem.

CAPUT XLIV.

Orthodoxa de Trinitate doctrina Patribus Nicæna Synodo antiquioribus vendicatur, ex Clemente Alexandrino, ex Clemente Romano, Ignatio & Polycarpo.

I. Apertissima in Clemente Christi Divinitas, æternitas, æqualitas cum Patre.

II. Ut indivulsè sibi cohæreant divinæ hypostases.

III. Plura ad trium hypostaseon Divinitatem & unitatem naturæ argumenta.

IV. Ex Clemente ut Verbum sit ipsum Esse; Pater supra Esse, quia ulterior origine; Pater summa Essentia sese propagans, Filius summa Essentia propagata.

V. De ideis, veritate, scientia: cur Filio hæc magis quàm Patri tribuuntur; cur unum simplicissimum Patri. Rara tunc mentio Verbi prolatitii.

VI. Ut una sit Patris & Filii invisibilitas, & incomprehensibilitas. Ut factus vel infectus quandoque dicatur Filius.

VII. Apertissima divinitatis Filii testimonia & æqualitatis cum Patre.

VIII. Clementis Romani suffragium de Christi divinitate. Cur ab Herma, seu Pastore, cur à Barnabæ Epistola abstinuerimus.

IX. Ignatii plurima de divinitate Christi testimonia.

X. Ejusdem divinitatis Christi testimonia ex Epistola Polycarpi, vel Smyrnensis ejus Ecclesiæ apud Eusebium. Hieronymi de Ignatio & de Polycarpo judicium.

XI. XII. Suffragia Methodii & Hippolyti pro Deitate Verbi.

I. IDnimirum molimur, ut non Irenæum tantùm, & Clementem Alexandrinum demonstremus orthodoxo de Trinitate dogmati constantissimè inhæsisse; sed & cæteros ejusdem, & superioris, & aliquantò posterioris ævi Patres, Nicæna Synodo antiquiores; quòd nec illi ab his, nec hi ab illis recedere potuerint. Vide ut Clemens describat nobis Verbum velut instrumentum, vel ministrum Patris, sed ejusmodi, cui ipsamet insit Patris sapientia, divinitas: *Pulcrum instrumentum Dominus, & quidem spirans, hominem fecit ad suam imaginem. Certè ipse quoque est Dei concinnum & aptum instrumentum & sanctum, Sapientia supermundana, Verbum cœleste. Quidnam ergo vult instrumentum Dei Verbum Dominus noster & novum Canticum?* Clemens Alexand. pæd. 4.

Vide ut & ejus æternitatem ante tempora, & assumptam humanitatem in tempore astruat: *Nullus certè (hominum vel deorum) fuit ante hunc mundum; nos autem sumus ante mundi constitutionem, qui eo quod esse oporteret, in ipso priùs Deo sumus geniti. Dei Verbi sumus nos figmenta ratione prædita: per quem antiqui sumus, quoniam in principio erat Verbum. Sed quoniam Verbum quidem erat ab alto petita origine, divinum universorum Principium & fuit & est. Quia autem nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum, Christus, novum mihi vocatum est Canticum. Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus; erat enim in Deo, & ut bene videmus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo.*

Vide ut mox Christum dicat ante carnem assumptam fuisse illum ipsum Deum Qui est, seu qui est ipsum Esse; & in eo Qui est, hoc est in Patre fuisse: *Apparuit autem nuper, qui priùs erat Servator: apparuit Qui est, in eo Qui est; ὁ ὢν πρὸς ὄντι ὤν, quoniam Verbum quod erat apud Deum, Doctor apparuit, per quod omnia sunt fabricata.* Quid illud inferiùs? *Est enim Dei imago ejus Verbum; & Filius mentis legitimus divinum illud Verbum, lucis lux archetypa.* Et infrà: *Verbum Dominum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus; quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo.* Apertissimè Deum esse Verbum docet, & Patri eo æqualem, quo Filium. Nec ab his dissonant hæc ibidem paulò inferiùs: *Hæ mysteriorum meorum debacchationes sunt. Si velis, tu quoque initiare, chorumque cum Angelis circa eum qui ingenitus est, duces, & ab interitu alienus, & qui solus est verè Deus; unà nobiscum hymnum canente Deo Verbo. Æternus hic est, Jesus unus, qui magnus Pontifex & unius Dei, qui idem quoque est Pater, orat pro hominibus, & hortatur homines.* Pag. 45. 51. Pag. 55. 56.

Solus ingenitus Pater hic dicitur verus Deus, sed jam centies monuerunt nos Patres etiam Nicænis anteriores, cùm solus dicitur Pater Deus, non excludi Filium, qui in Patre est, in quo Pater est, cujus brachium est, cujus manus, cujus sapientia est; nec enim cùm homo quispiam solus dicitur, excluditur ejus sapientia, brachium, manus. Et hæ quidem hominis partes sunt, non hypostases peculiares; sed id Dei insigne & summum decus est, ut quidquid in eo est, non pars, sed totum sit, totus ipsemet sit, perfecta hypostasis sit. Unde ibidem mox Clemens, *Venite ad me sub uno Deo collocandi, & uno Dei Verbo.* Quidquid enim Deo subest, subest & Verbo & Brachio ejus.

II. At libro Pædagogi primo vide ut tres divinas Hypostases conjungat, à reliquis sejungat omnibus, eis subjungat totam naturam intellectualem, Ecclesiam: *O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam universorum Verbum, & Spiritus sanctus unus, & ipse est ubique. Una autem sola mater est virgo: Mihi autem placet eam vocare Ecclesiam.* Cap. 6. pag. 76.

Accipe

Accipe ut infra Verbum dicat alimentum animæ immortalis, quæ pascitur cibo Veritatis incommutabilis; atque ei nos affigi velit, ut infantes mamillæ Patris & Dei: *Alimentum infantium est Dominus, qui & Spiritus & Verbum. Alimentum, id est Dominus Jesus, hoc est, Verbum Dei, est spiritus incarnatus, caro cœlestis sanctificata. Nutrimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ipse itaque qui est dilectus & alter noster, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanæ naturæ afferens, per quem qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum confugimus.* Ibidem.

Et in illa Christi ad Patrem verba, *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te:* sic primùm Clemens pulcherrimè de unitate Patris differit, qui ipsum unum est, & supra unum, eo forsan maximè, quòd unum illud trinumque idem sit: *Ego in ipsis & tu in me, ut sint perfecti in unum, unum autem est Deus, & ultra unum, & supra ipsam unitatem. Et ideo particula illa, Tu, demonstrativam habens emphasim, eum qui verè solus est, qui fuit & est & erit, Deum ostendit. In quibus tribus temporibus ponitur unum nomen, nempe Ens. Quod autem is ipse, qui solus Deus est, ipse quoque solus, & verè justus sit in ipso testabitur Evangelio.* Cap. 8. pag. 87.

Mox vide ut bono & justo Patri Filium copulet & æqualia ei omnia cum Patre admetiatur: *Qui enim hos quidem statuit à dextris, illos verò à sinistris, quatenus quidem Pater, qui bonum est, mente concipitur, id solum, quod est bonus, appellatus est: quatenus verò, qui Filius est, Verbum ejus in Patre est, justus appellatur ex mutua, quæ est inter se, relatione & habitudine, ut sit dilectionis æqualitate dimensum nomen potentiæ.* Denique ut summus universorum solus Deus sit Pater in Filio, Filius in Patre: *Ut sit veritate apertum, quod qui est universorum Deus, unus solus sit bonus, justus, opifex, Filius in Patre, cui gloria in sæcula sæculorum amen.* Pag. 83. Pag. 89.

III. Jam verò ut Christum quoque, seu Verbum inhumanatum affirmet Deum esse, & Dei Filium, tametsi Pontificem nostrum & Dei ministrum; *Vera est pulchritudo, est enim Deus: Deus autem ille fit homo, quoniam Deus vult. Rectè ergo dixit Heraclitus, Homines dii, dii homines; ratio enim hæc est evidens mysterium. Deus in homine, & homo Deus, & voluntatem Patris interpressor efficit. Interpressor enim est Ratio, seu Verbum, quæ est communis ambobus; Dei quidem Filius, servator autem hominum: & illius quidem minister, noster autem pedagogus.* L. 1. c. 9. pag. 157. L. 1. c. 7. Ac rursum inferiùs: *Est enim minimè indigens, qui Deum Verbum habet omnipotentem, & nulla eorum quibus opus habet, nunquam eget. Verbum enim possessio est, cui nihil deest; & est causa omnis copiæ.* Vide, ut non omnipotentiam modò, sed & impeccabilitatem, id est immutabilitatem uni Verbo attribuat, dotem prorsus divinam, nulli creatæ naturæ concessam: *Solum enim Verbum est, in quod peccatum non cadit; est enim peccare natura omnibus innatum & commune.* L. 1. c. 12. pag. 194. 195. Et rursum de Verbo, ut charitas, ut sapientia, ut sanctitas, adeoque unus sit cum Patre Deus, non creatura: *Rectè autem cecinit Ecclesia, & sponsus qui est solus magister, boni Patris bona voluntas; sapientia germana, sanctificatio cognitionis.* Jam verò ut unus Deus sit Pater & Filius, unus Dominus, unum ambo: *Quod ergo restat in tali Verbi celebratione, Verbum orabimus; Placare tuis o pedagoge pueris; Pater, auriga Israel; Fili & Pater, unum ambo, Domine.* Denique ut tres Personæ unus sit Deus, unus omnia, unus per quem omnia, unus uno eodemque semper hymno celebrandus: *Laudemus unum Patrem & Filium; Filium, inquam, pedagogum & magistrum, una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est, quod semper est, cujus membra omnes, cujus sunt gloria in sæcula, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus; cui gloria nunc & in sæcula sæculorum, amen.* Pag. 83. Pag. 87. Pag. 167.

IV. Jam verò in libris Stromatum sic Clemens declarat, veræ Dialecticæ, seu Philosophiæ esse, super omnia eluctari ad præstantissimam omnium essentiam, θεὸν τὸν πάντων πρεσβύτην ἰδέαν, hoc est, ad Verbum, qui est ipsum Esse: quin & ultrà progredi ad Deum universorum, hoc est ad Patrem, qui ultrà esse dicitur, quia origine prior est Pater quàm Filius. Summa enim & universalis Essentia, quæ ipsum Esse, totum Esse complectitur, non sterilis aut infœcunda est, sed Solis vel fontis instar seipsam in seipsa effundit & propagat, ut Pater sit summa Essentia sese propagans in seipsa tantam quanta ipsa est; Filius sit eadem illa Essentia propagata. Eo sensu capiendi sunt Patres, seu Clemens, seu quivis alii, ubi ipsum Esse dicunt esse Filium & Verbum, ac Patrem esse ultrà ipsum Esse: *Cùm sit autem vera Dialectica, Philosophia permixta veritate, res considerans, facultatesque & potestates examinans, transcendit ad præstantissimam omnium essentiam, & audet etiam ultrà progredi ad Deum universorum, non rerum mortalium peritiam, sed divinarum cœlestiumque scientiam profitens, quam consequitur.* Pag. 18.

Jam quid apertius illo Clementis contextu, ubi Contemplatoris, seu germani Philosophi & Theologi mentem ait semper versari circa ideas divinas, quæ sunt in mente divina, atque adeo in Deo, cùm Mens illa Ideis fœta Deus sit? *Meritò ergo Plato quoque eum qui Ideas contemplatur, dicit visurum esse deum inter homines: mens autem est locus idearum; mens verò est Deus. Eum qui Deum, in quem non cadit aspectus, contemplatur, dixit deum viventem inter homines.* Paulò pòst ait Deum quidem Patrem nec sciri, nec demonstrari posse, posse autem & sciri & demonstrari Filium, qui est Sapientia, Veritas & his similia omnia. Ex his non id efficies, Pater sit, Filius non sit Deus, si quem cepisti jam gustum Patrum Theologiæ. Nam Veritas, Sapientia, Charitas & id genus alia, æterna & immutabilia cùm sint; & ne in cogitationem quidem cadere possit, ea aliquando non fuisse, vel fore, ut non sint; vel aliter & aliter fore, vel fuisse, quàm nunc sint: & naturas illis omnes intellectuales necessariò & essentialiter obnoxias & subjectas esse; ex his omnibus perspicuè concluditur, hæc omnia in Deo summo esse, & summum ipsum esse Deum. Atqui hæc omnia collocantur cum Ideis divinis in Verbo. Summus ergo Deus est Verbum. Sed quoniam in his intelligendis compositio & multitudo nescio quæ se interserit, Deus autem ipsa simplicitas & summa unitas est; hinc factum est, ut à Platonicis, à sanctis Patribus, à Theologis antiquis id Patri propriè tribueretur, ut esset ipsum Unum, omnium simplicissimum & antiquissimum; Verbo tribueretur Veritas, Sapientia. Mens, sedes Idearum, sese jam quodammodo inflectens ad nostram intelligentiam. Verè enim Irenæus suprà ajebat, Patrem esse incomprehensibile & invisibile Filii: Filium esse visibile & comprehensibile Patris; Patrem in Filio, Filium in Patre esse; unum ambo Deum esse: Unum ibidem Clemens: *Atque Deus quidem cum demonstrari nequeat, non efficit scientiam; Filius autem est & sapientia & scientia & veritas, & quæcumque cum his ullam habent cognationem. Quin etiam habet demonstrationem, & vim ratiocinandi.* Et mox ut Verbum sit unum omnia propter omnium Ideas sibi implicatas, ex quibus intelligibilis nobis efficitur, cùm Pater sit ipsum Unum, ipsa summa simplicitas supra scientiam, Strom. 6. pag. 8. Pag. 194.

supra

supra intelligentiam omnem ; quanquam alioqui & Pater in Filio videatur & intelligatur, & Filius in Patre omni intelligentia, scientia & visione superior sit. *Est autem Filius infinitus unaquaque suarum potestatum notione. Quanquam non sit verè unum, ut unum ; neque multa, ut partes, Filius ; sed ut omnia unum, unde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in unum circumvolvuntur & uniuntur ; & ideo Verbum dictum est alpha & omega, cujus solius finis sit principium ; & rursus desinit in id quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens & dimensionem.*

De Patre non multò pòst ita differit Clemens, ut ad Filium delabatur, & non facilè dijudices de Patre, an de Filio alicubi verba faciat, usque adeo Patrem Filio immiscet, ut unum ambo Deum. *Deus autem expers principii perfectum & omni ex parte absolutum universorum principium : principii efficiens, & quatenus quidem est essentia, est principium loci efficientis ; quatenus autem est bonum, moralis ; quatenus autem rursus est mens, ratiocinantis loci & judicantis ; unde etiam solus est magister, qui est solus altissimi casti Patris, qui erudit hominem.* Et aliquantò pòst, ut Idearum sedes, ut Mens, ut Veritas æterna & incommutabilis sit Filius, & Ratio, & Verbum Dei, & mundi opifex ac creator, & creator sui ipsius, quatenus Verbum caro factum est. Ubi rursum moneo nihil apud Clementem ; nihil in Schola & Ecclesia Alexandrina sonare, ac ne verbum quidem ullum fieri de prolatitio illo Verbo, qui simul cum Orbe erupisset, vel nonnisi ad creandum Orbem erupisset. Posteriora hæc, ut existimo, fuere ævo Clementis hujus & Irenæi. *Si ergo dicimus aliquid esse justum, dicimus autem etiam esse pulcrum & honestum : quin etiam veritatem aliquid esse dicimus ? Ex his autem nihil oculis unquam vidimus, sed sola mente. Verbum autem Dei, Ego sum, inquit, Veritas. Est ergo Verbum mente considerandum. Viros autem, inquit, Philosophos quosnam dicis ? Eos dixi ego, qui sunt studiosi contemplandæ veritatis. In Phædro autem Plato veritatem declaravit esse Ideam. Idea autem est Dei intelligentia : sed quod à mente divina intelligitur, quod quidem Barbari dixerunt λόγον θεῦ, id est, Dei Verbum, seu Rationem.* Et mox : *Verbum autem quod progreditur, officii causa est & creationis. Deinde etiam seipsum generat, quando Verbum caro factum fuerit, ut etiam cadat sub aspectum.* Et infrà tres dies illos exponens, quos consumpsit Abraham, ut perveniret ad locum à Deo sibi designatum, vide ut locum velit esse Verbum, conceptaculum æternarum Idearum : *Erunt autem tres quoque dies mysteriorum signaculi, per quod is qui verè est Deus, creditur. Eminus ergo consequenter videt locum ; est enim regio Dei captu difficilis, quem appellavit Plato χώραν ἰδεῶν, hoc est, Idearum regionem, seu campum ac receptaculum, cùm à Mose eum accepisset esse locum, ut qui omnia & universa contineat.* Tres illi dies mysterium signaculi dicuntur, quòd per eos authore Clemente designentur tres divinæ Hypostases, in quarum nomine baptizamur & consignamur, & in Deum qui verè est credimus.

Pag. 395.

Pag. 403.

Pag. 415.

VI. Quod verò dixi, Clementi tam invisibile & incomprehensibile esse in sua sursum natura Verbum, quàm Patrem, etsi indulgeat ipse & se nobis accommodet ea condescensione, quæ magis propriè illi quàm Patri tribui possit : audi Clementem id tradentem, & suprà laudato Irenæi testimonio concinentem : *Et Joannes Apostolus : Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse exposuit. Cùm autem id quod inaspectabile, & ineffabile est, Dei sinum nominasset, tunc quidam eum profundum vocaverunt, ut qui omnia comprehenderit, & veluti sinu com-*

Strom. l. 5. pag. 434.

plexus sit, nec possit quis eum assequi, & sit infinitus. Habitat ergo Filius in sinu Patris, quem nemo videt : & hic sinus est id quod est ineffabile & invisibile Patris ; unde sinum hunc vocabant aliqui Profundum, βαθὺ, an βύθον, quasi abyssum. Subjicit autem mox ibidem Clemens, quæ sit hæc abyssus, hoc Profundum, hic Sinus Patris, in quo habitat Filius : nimirum quòd Deus propriè, & ut nos capimus, nec unum, nec bonum, nec mens sit, nec Esse ipsum, nec Pater, nec Deus ; cùm hæc omnia efficientias magis Dei designent, quàm ejus essentiam. Eadem ergo hæc omnia de Filio, ut & de Patre dicit Clemens, cùm dicatur ab eo Filius habitare in eo quod habet Pater maximè ineffabile, & inaspectabile. *Etsi aliquando eum nominemus, non propriè vocantes, aut unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum id, quod est, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum ; non id dicimus tanquam nomen ejus proferentes ; sed propter ejus potestatem pulcbris utimur nominibus, ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio. Non enim unumquodque ex his Deum significat, sed omnia simul omnipotentis indicant potentiam.* Ibidem.

Ingenitum unum alibi dicit Clemens, Prægenitum unum, per quod omnia facta sunt, principium universorum, Primogenitum Filium, Sapientiam, Consiliarium Dei, magistrum naturarum omnium intellectualium. *Quoniam autem unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium, ut scribit Petrus, præclarè intelligens illud, In principio Deus fecit cælum & terram. Is autem dictus est sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium, quæ orta sunt, Dei consiliarius, qui præscivit omnia. Is autem ab alto, à prima mundi constitutione, multifariam multisque modis & docuit & perficit. Unde meritò dictum est : Ne dixeritis vobis magistrum super terram.* Omnia hìc mihi videntur ita dicta esse, ut verè Deus intelligatur Filius, cùm nulli prorsus creaturæ competere possint, quæ de eo hìc dicuntur. Si dicitur autem Deus principium omnium illum fecisse ; ἐφάνη : ita intellige, ut non fecerit, sed genuerit quidem illum, utpote Filium ; fecerit autem illum, seu constituerit esse Principium rerum omnium. Nisi mavis pro uno & eodem hìc habere, ut & non rarò alibi, *Genitum*, & *Factum* ; sicut & cùm ingenitus dicitur Deus, non semel perinde illud accipitur, ac si diceretur infectus ; ἀγένητος, ἄκτιστος. Unde & infrà illud contra Gentiles premens, non debere Dei nomen rebus creatis communicari & inquinari, rationem hanc subdit, *In identitate enim ingenita, Qui est, est ipse solus.* ᾧ ταυτότητι γὰρ ἀγένητόν ἐστιν ὧν αὐτὸς μόνος. Infectus & ingenitus unum ibi, ut reor, idemque sunt. L. 6. p. 464.

Pag. 491.

VII. Accipe postremò quibus, si qua residua foret, omnis elui possit suspicio obliquior ; ita perspicua sunt quæ supersunt nobis duo Clementis suffragia pro tuenda Patris singulari proprietate, illæsa coæquali Filii divinitate, Magnificentissimè ille de Patre, ut & Christus ipse verba facit : sic tamen ut quæ statim de Filio subdit, abundè sufficiant ad declarandam ejus non disparem naturæ Patris majestatem : *In his autem, quæ intelligentia percipiuntur, id quod est vetustius generatione : tempore & principio carens principium : & eorum, quæ sunt primitias, Filium ; à quo discere oportet eam, quæ omnia superat, causam, nempe Patrem universorum ; quæ quidem est vetustissima, & omnium beneficentissima, & voce non utique traditur, sed cultu & silentio cum sancta admiratione est colenda & veneranda : & per quam propriè quidem dicitur à Domino, quantum* L. 7. p. 703.

tum possunt audire ii, qui discunt; intelligitur autem ab iis, qui à Domino electi sunt ad cognitionem, qui sunt, ut ait Apostolus, exercitati sensibus. Tempore & principio antiquius principium Filius, haud dubiè Deus est: ἄχρονος, ἀπάρχου ἀρχή. Primitiæ entium, ἀπαρχὴ τῶν ὄντων, utique Deus est; est enim ipsum Esse, totum Esse, cùm Pater tanquam incomprehensibilis collocetur supra Esse, in ipso uno, vel supra unum.

Aliquantis denique interjectis hæc rursus habet Clemens, In terra rem omnium præstantissimam esse hominem pium; in cœlo Angelum. At supra hæc perfectissimam & maximè imperatoriam esse naturam Filii, uni Deo omnipotenti propinquissimam; maximam & excellentissimam potestatem, omnia ordinantem & gubernantem ex voluntate Patris; ubique præsentem, omnia habentem sibi subdita. Quid his amplius summo omnium Deo & Patri arrogari potest, nisi ut Pater sit, & tanti Filii sit Pater? Nec majus enim quidquam Filio vendicari potest, ut par sit Patri Deo Deus, quàm quod mox illi vendicat Clemens, ut sit tota mens, tota lux & sapientia Patris: ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς παρῶν. *In terra quidem res est præstantissima homo, qui est maximâ in Deum pietate. In cœlo autem res est præstantissima, Angelus; qui loco propiùs & jam loco puriùs est aterna & beate vitæ particeps. Perfectissima autem & sanctissima, & maximè principalis, & quæ maximè imperat, & est maximè regia, & longè beneficentissima, est natura Filii: hæc est maxima excellentia, quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, & optimè gubernat universum, indefessa & inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit arcanas & abditas respiciens notiones. Numquam enim à sua excedit specula Dei Filius, ut qui non dividatur, non discedetur, non transeat à loco ad locum; sit autem semper ubique, & contineatur nusquam: tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates. Ei subjecta est universa militia Angelorum & Deorum; Verbo, inquam, paterno, quòd sanctam suscepit dispensationem, propter eum, qui subjecit.*

Pag. 104. lin. 5.

Configunt aliqui illa superiùs Clementis verba, ubi naturam Filii dixit omnipotenti Deo *propinquissimam* esse, cùm non proxima tantùm, sed eadem sit. Verùm nemo jam nescit naturam, φύσιν, non semel id designasse, quod nunc hypostasis, vel persona dicitur. Addè quòd cum natura Filii dicitur, jam persona designatur. Ita potiùs clementer interpretandus erat laudatissimus Scriptor & apud antiquos omnes Scriptores Ecclesiasticos magni nominis, qui tam disertè alibi divinitati Christi suffragatus est, & illo potissimùm loco, ubi in Admonitione ad Gentes dixit Verbum *revera Deum*, & *æquatum universorum Domino*. Ita equidem opinor Clementem cùm *propinquissimum* dixit, idem sensisse ac voluisse, atque cùm æquatum Patri Filium dixit. Quid ubi dixit Pædagogo, *Deum nihil odisse, sed neque Verbum. Unum quippe sunt ambo, videlicet Deus ἐπὶ τῷ ἄμφω, ὁ θεός. Dixit enim, In Principio Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Lib. 1. c. 8.

VIII. Clementi Alexandrino multis nominibus Clemens Romanus præponendus fuerat, si plura ejus opera germana ad nos perveniissent. Cùm videam tamen nunc quidem de ejus Epistola nuper publicata & ad Corinthios inscripta vix dubitari à doctis, pauca inde excerpam: *Sceptrum majestatis Dei Dominus noster Jesus Christus non venit in jactantia superbiæ & arrogantiæ, quamvis potuerit, sed in humilitate, &c.* Declarari ibi satis perspicuè videtur velut consortium aliquod Regiæ Dei majestatis Christo concessum. Jubet infrà, ut homines stultos potiùs *quàm Deum offendamus, Dominum Jesum Christum, cujus sanguis prò nobis datus est, veneremur, Præpositos nostros revereamur.* Sed quàm apertum est illud pro Verbi æternitate? *Hæc omnia fides, quæ est in Christo, confirmat: sic enim ille per Spiritum sanctum nos compellat in Psalmis, Audite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Si verò alicubi summi Sacerdotis Christi meminit, nec tangit quidquam ibi de ejus divinitate, non erat quod hinc illum Photius criminaretur in Bibliotheca, cùm nec Paulus qui singulis penè versibus de Christo meminit, ubique totam ejus majestatem inculcet. Gratulandum tamen Photio, quod mox fateatur Clementem Romanum in secunda ad eosdem Corinthios Epistola, *ipso mox initio Christum Deum prædicasse.* Quin & Clemens ipse eo ipso loco cui irascebatur Photius, mox ait *voluisse Deum nos per Christum immortalem cognitionem gustare; qui magnificentiæ ejus splendor & radius existens, tanto major est Angelis, quanto præstantius nomen sortitus est: scriptum est enim, Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignis flammam: de Filio autem suo sic dixit Dominus, Filius meus es tu, Ego hodie genui te, &c. Sede à dextris meis, &c.*

Pag. 76.

Phot. in Bibliot. Cod. 126. Pag. 96.

His adde quæ refert ex hoc Clemente Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 29. in hæc verba, *Sed & Clemens antiquior, Vivit, inquit, Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus sanctus.* Ea certè veluti formula juramenti est, nec juratur nisi per Deum.

Denique quod à Photio laudatum est initium secundæ Clementis Epistolæ ad Corinthios sic habet, apertissimè pro Christi divinitate, qua eversa labefactaretur & tota spes nostræ salutis ac religio, quod ille ita probat: *Fratres ita sentire nos oportet de Jesu Christo, tanquam de Deo, tanquam de Judice vivorum ac mortuorum: nec decet nos humilia sentire de salute nostra. Dum enim humiliter sentimus de illo, parva etiam accepturos nos speramus: & dum tanquam exigua audimus, peccamus.* Quæ alia Clementi huic tribuuntur opera, vel ejus non sunt, vel sunt adulterata. Clementi suppar fuit Hermas, cujus est liber Pastoris; sed ejus non satis constare mihi visa est, vel nominis authoritas, vel ipsius scriptionis textus. Eo ergo allegando prorsus abstinui. Ne Barnabæ quidem Epistolam etsi receptiorem adhibui, quòd longè certiora & invictissima aliunde nobis adsint & abundent præsidia.

Lib. 1.

IX. Insigne est cum primis ad testificandam statim Christi Deitatem Ignatii Epistolæ ad Smyrnæos exordium, ex ea editione quæ anno 1646. prodiit ex Bibliotheca Florentina, in qua speraverunt sinceras Ignatii Epistolas ab interpolatis secrevisse. Sic ergo ibi statim: *Glorifico Jesum Christum Deum, qui vos sapientes fecit.* Nec id officit Fidei Deitatis Christi, ubi post ait, *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem.* Etsi enim Deus est, Filius tamen est, & carne assumpta factus est obediens usque ad mortem. Scripsit & ad Ephesios Ignatius idem, ubi Ecclesiam eorum ait *electam esse in voluntate Patris & Jesu Christi Dei nostri.*

Et in eadem ipsa ad Ephesios Epistola: *Unus medicus est, carnalis & spiritalis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in immortali vita vera; ut ex Maria, & ex Deo, primò passibilis, & tunc impassibilis.* Hunc Ignatii locum intexuit Theodoretus Dialogo suo primo, seu ἀπαθῶ: in hæc verba: *Ex Epistola Ignatii ad Ephesios; Unus est medicus carnalis & spiritalis: genitus ex ingenito Patre; Deus in homine, vera vita in morte, natus ex Maria, sed primò ex Deo: passibilis, sed olim impassibilis, Jesus Christus, Dominus noster.*

Pag. 34.

Eundem Ignatii locum urget contra Arianos Atha-

Athanasius, quem Theodoretus contra Eutychianos, L. de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, *Ignatius ergo post Apostolos Antiochiæ Episcopus & Martyr Christi, ita de Domino locutus est: Unus est medicus carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in homine Deus, in morte vera vita, & ex Maria, & ex Deo.* Quo sensu autem Ignatius dixerit Christum ingenitum, ἀγέννητον, quem dixit & genitum: sic exponit Athanasius: *Genitum illum ob carnem appellans, eo quod Christus caro factus sit: Ingenitum verò, hoc est, non factum, quoniam creatus non sit, sed Filius ex Patre.* ἀγέννητον δ', ὅτι μὴ ἦν ποιητὴς, ἐξ ἡμῶν δὲ ἦν; ἀλλ' υἱὸς ἐκ πατρός. Ita ergo & Athanasio & Theodoreto persuasissimum erat, nec Ignatium, nec Epistolas ejus à sana de Christi Deitate doctrina deviare.

[1] Athanasius p. 709. 710.

Hæc pulcherrima sunt Christi hominis, atque Dei lineamenta. Quid ubi toties Ignatius & se Christiferum, & fideles omnes piosque Christiferos vocat, nonne apertè Christum Deum vociferatur? Quorsum enim ad sanctitatem nobis conciliandam Christum in nobis gestare, si Christus creatura esset? Quid ubi fidem & charitatem hortatur ibidem habere in Jesum Christum, *quia hæc duo in unitate facta, Deus est*? Quid ubi ait habitante Christo in nobis *fieri nos ejus templa, & ipse in nobis Deus noster*? Et mox: *Accipientes Dei cognitionem, qui est Jesus Christus, &c. Deus enim noster Jesus Christus conceptus est ex Maria secundùm dispensationem Dei, &c. Convenitis in una fide, & in Jesu Christo secundùm carnem ex genere David, filio hominis & Filio Dei.* Jam in Epistola ad Magnesios, *Jesus Christus qui ante secula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* Et rursus: *Omnes ut in unum templum concurrite Dei, ut in unum altare, in unum Jesum Christum, ab uno Patre exeuntem, & in unum existentem, & revertentem.* Ac rursum enucleatissimè & evidentissimè: *Quoniam unus Deus est, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum, non à silentio progrediens; ὃν ἀπὸ σιγῆς προελθόν, qui secundùm omnia bene placuit mittendi ipsum.* Quin & ibidem Christum vocat *Verbum, non prolativum, sed essentiale, λόγον οὐκ ἐκφορικὸν ὄντα, ἀλλ' ἐνούσιον.*

De Sige multa fabulati sunt hæresiarchæ nequissimi tertio Ecclesiæ sæculo. Suspicantur aliqui huc inde irrepsisse hoc verbum, velut ad eos refellendos hìc insertum, unde & harum Epistolarum fidem elevant. Non facile est authoritatem labefactare Epistolarum Ignatii, à sanctissimis & antiquissimis Patribus toties laudatarum. Quod autem de Sige hìc dicitur, perfacile est & perexpeditum ad æternitatem potiùs Verbi id referri, quòd ab æterno à Patre gignatur, ab æterno dicatur, non à silentio processerit; quòd nunquam siluerit, nunquam cessarit Pater ab eo dicendo ac generando. Enimverò cùm Verbum idem sit, ac Sapientia Patris, tam non potest cœpisse Pater illud effari, cùm antè siluisset, quàm non potest cœpisse sapere. Si quem autem malis hæreticum ibi ab Ignatio configi, is fuerit potiùs Simon Magus, quàm Valentinus. De illo enim refert Eusebius lib. II. cap. 9. contra Marcellum: *Qui hæresiarcha blasphema istiusmodi dogmatizavit, Erat Deus & Sige. Post Sigen & Hesychian processisse ait Logon, in principio constitutionis mundi.*

In eadem rursus Epistola ita Ignatius: *Subjicimini Episcopo & ad invicem ut Christus Patri secundùm carnem, & Apostoli Christo & Patri & Spiritui, ut unio sit carnalis & spiritalis.* En ut Apostoli subjiciantur Trinitati, Christo, Patri, & Spiritui sancto, utque Christus ipse secundùm carnem subjiciatur Patri. Philadelphios in Epistola ad eos data optat Ignatius manere *in charitate Dei Patris & Domini Jesu Christi.* Trallenses jubet revereri Episcopum, *ut Jesum Christum existentem Filium Patris.* Scribens verò ad Romanos ita habet, *Deus enim noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet.*

X. Sine piaculo sileri non potest Polycarpi Smyrnæ Episcopi, & Martyris, sive ejus Ecclesiæ Epistola ad Ecclesias Ponti scripta, quæ habetur in Historia Ecclesiastica Eusebii. Sic autem ibi statim: *Omnibus ubique terrarum sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ populis misericordia, pax & charitas Dei Patris & Domini nostri Jesu Christi multiplicetur.* Non ita consociaretur Deo Patri creata quævis substantia & persona. Instante Proconsule, ut Christo conviciaretur Polycarpus, vide quid ipse responderit: *Sex & octoginta continuos annos ei ministravi, δοῦλος αὐτῷ, nec ulla me unquam affecit injuria: & quomodo possum impiè loqui adversùs Regem meum, authoremque salutis meæ?* Nulli meræ creaturæ illa servitus impendi, nulli nisi Deo æternæ salus deberi potest. Alioqui quo distarent à Gentilibus Christiani, si & ipsi creaturæ servirent? Quid illa Polycarpi paulò ante mortem oratio ad summum Patrem? *Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus; Deus Angelorum & Potestatum, & universæ creaturæ, omniumque justorum, benedico te.* Christi ut unigeniti Filii Pater est, ita creaturarum omnium Deus. Per Christum Patris notitiam accepimus; per Filium enim Pater, per creaturas Creator agnoscitur. Denique invocata Trinitate vide ut finem faciat orandi & vivendi: *De omnibus te laudo, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi unà cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc & in secula seculorum. Amen.* Ita fas est sanè Christum agnoscere Patris in assumpta carne Pontificem, dum agnoscas & Filium, & unigenitum Filium, & unà cum Patre & Spiritu sancto pari gloria & religione prosequendum.

[1] L. 4 c. 15.

Non injuria ergo Hieronymus adversùs Helvidium scribens Polycarpum recenset cum Ignatio, Irenæo, Justino, aliisque Patribus, qui Ebionem & Theodotum Byzantinum Christi divinitati adversantem strenuè confutaverant: *Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui adversùs Ebionem & Theodotum Byzantinum hæc eadem sentientes, plena sapientiæ volumina conscripserunt?*

Denique ita profitentur Smyrnenses in eadem apud Eusebium Epistola: *Illum (Christum) utpote Filium Dei adoramus; Martyres verò tanquam discipulos & imitatores Domini meritò amore prosequimur, ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem ac magistrum suum declararunt.* Ubi vides divinos honores non Martyribus, sed Christo dependi, ut uni Dei unius Filio. Etsi enim humana etiam natura in Christo spectetur, non colitur tamen, non adoratur à nobis nisi increata ipsa Verbi persona, Patri æqualis & coæterna, quæ nostram hypostaticè sibi copulavit naturam, nec à se sejungi umquam patitur, ut sæpissimè ab Athanasio & Cyrillo declaratum est, & à nobis prolixissimè explanatum in Theologicis de Incarnatione Dogmatibus.

XI. Addendus hìc inclytus Martyr Methodius, Olympi in Lycia, postea Tyri Episcopus, ex Hieronymo in Scriptoribus Ecclesiasticis, sub Diocletiano, ex aliis sub Decio passus, multis in Porphyrium & Origenem editis libris, multis etiam in Scripturam Commentariis. Iisdem suspicionibus exagitatus & ipse fuit, quasi Ario prolusisset. At in Bibliotheca Photii, qui parum propitius illi fuit, ea ex illo referuntur certè, quibus fides ejus purissima declaretur. In hæc enim Joannis verba, *In principio erat Verbum, &c.*

Bibl. Phot. Cod. 235. p. 919.

sic ille habet: *Principium enim à quo germinavit, ἀνεβλάστησεν, verissimum Verbum, fatendum est esse Patrem creatorem universorum, in quo erat Verbum. Illud autem, Hoc erat in principio apud Deum, potentiam Verbi, quam habuit apud Patrem, antequam mundus crearetur, insinuare videtur, cùm potentiam principium appellat. Ergo ipse est aliorum principium, post proprium & sine principio Principium Patrem.* Ubi & omnipotentia & æternitas Verbo tribuitur, nec ei præponitur nisi Pater, tanquam Principium sine principio: *μετὰ ἣ ἰδίαν ἄναρχον ἀρχὴν ἣ πατέρα.*

Pag. 919.

Apertiora etiam sunt ista ejusdem Methodii inferiùs apud eundem Photium: *Oraculum cœlitus à Patre Christo in Jordane datum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Observandum hìc illud, Filium suum esse indefinitè, & sine tempore dictum. Es enim Filius, ipsi dixit; & non, Factus es: declarans neque novam seu recentem, ipsum adeptum esse Filiationem: neque finem habuisse eum qui priùs extiterit, sed eundem semper esse. Illud verò, Ego hodie genui te: Volui, inquit, eum, qui priùs jam inde ante sæcula in cœlis fuerat, etiam mundo generare, hoc est, priùs ignotum notum reddere. Nimirum iis qui multimodam Dei sapientiam nondum intelligunt, nunquam adhuc natus est Christus; id est, nunquam cognitus & revelatus.* Æternæ ergo Verbi nativitati hæc accedit temporalis nativitas, dum vel per mundi creationem, vel per assumptam humanitatem Verbum manifestatur, priùs ignotum.

Ibid. p. 918.

Porro homines plus æquo suspicaces hæc Methodii verba carpunt: *Duas affirmabamus esse effectrices facultates: δυνάμεις ποιητικὰς, unam quæ ex nihilo quidquid vult efficit: est autem Pater: alteram quæ perficit, variatque & exornat secundùm prioris potentiæ ideam, quod jam antè factum est. Et hic est Filius, omnipotens nempe & invicta manus Patris, quæ materiam ex nihilo priùs creatam, postea perficit, seu exornat.* Quis non videt Patrem hìc dici causam efficientem, Filium causam exemplarem; quòd res sint, ab illa habent: ab ista quòd comptæ & decoræ sint. At rursus quis non videt, duas has causas unam esse causam, tam certè, quàm idea & sapientia opificis una est cum opifice ipso causa, aliter & aliter spectata. Si Filius idea, si sapientia, si manus est omnia creantis Patris, an alterius substantiæ potest esse, quàm Pater ipse, an degeneris naturæ? Invicta & omnipotens Dei manus non potest non esse Deus ipse. Ideo ergo nec Photius hunc Methodii locum vellicare ausus est. Quin etsi quid in Symposio claudicaret, unde hæc decerpta sunt, monuit Photius ipse ibidem *magnam partem adulteratam esse, adjectaque ei Arianas opinationes, aliasque malè sentientium fabulas.*

XII. Hippoliti Episcopi & Martyris extat *homilia de Deo trino & uno, & de mysterio Incarnationis contra Noetum.* Clementis Alexandrini & Irenæi discipulus fuisse memoratur, & hinc manifesta præjudicia de orthodoxa ejus doctrina. Et quid opus est his uti præjudiciis, cùm suos ipse calumniatores disertissimè confutet, & ita Noetum, seu Sabellium oppugnet, & ab Ariana insania alienissimus sit? Quàm catholica enim sunt ista ex ea homilia, laudatis antè Pauli verbis: *Si omnia igitur subjecta sunt ei, præter eum qui subjecit omnia; omnium tenet dominatum; ipsius verò dominatum tenet Pater, ut in omnibus unus Deus reperiatur; cui omnia subjecta sunt simul cum Christo, cui omnia Pater subjecit præter seipsum.* Perspicua non minùs sunt & ista: *Necesse est, ut quamvis nolit confiteatur Patrem Deum omnipotentem, & Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit præter se & Spiritum sanctum, & hos esse verè tres.* Ita Personarum divinarum Trinitas constabilitur.

Bibl. Patr. to. II. p. 621.

Inferiùs autem cùm dixisset mundum à Deo, qui solus erat, & cui coævum nihil est, factum fuisse, hæc addit: *Nihil erat præter ipsum, ipse solus multus erat; nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine consilio.* Deus ergo etiam tum cùm solus erat, antè mundum conditum, minimè solus erat, multus erat, quia suam secum habebat Rationem, seu Sapientiam, atque ita duæ saltem erant Personæ. Homo enim etsi suam secum habeat sapientiam, solus tamen est, quia hæc ejus sapientia, hypostasis propria, seu persona non est. At Sapientia Dei Persona est perfectissima, ideoque ubi Pater eam secum habet, solus non est, multus est. Hæc ad æternam Verbi generationem spectant, cùm ab æterno non potuerit Pater sine Ratione & sine Sapientia esse.

Pag. 619.

Jam pergit Hippolytus ad temporalem Verbi generationem, sive ostensionem, tum ubi mundo condito, tum ubi assumpta carne conspicuum factum est, cùm antè lateret in Patre: ostendi enim & declarari Verbo generari est. *Omnia erant in eo Deo, ipse erat omnia. Quando voluit & quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quem fecit omnia. Qui cum vult, facit: quando cogitat, perficit: quando loquitur, ostendit; quando format, sapientiam edit.* Hæc Verbi generatio non alia perspicuè est, quàm ejus ostensio & declaratio quando sempiterna Dei Sapientia universo hoc orbe quasi vestita & corporata apparuit, visibilisque ex invisibili facta est. Unde mox ibidem: *Eorum autem quæ facta sunt ducem, consiliarium & operarium generat Verbum: quod Verbum cùm in se haberet, effetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem & lumen ex lumine generans, deprompsit ipse creaturæ dominum, sensum suum; & qui priùs ipsi tantùm erat visibilis, mundo autem invisibili hunc visibilem fecit; ut mundus cùm eum qui apparuit videret, salvus fieri posset.* Hic certè sensus idem sonat ac Mens νοῦς; ita enim sæpissimè apud Paulum, νοῦς est *sensus*.

Manifestissima hìc est duplex Verbi generatio, alia qua Verbum invisibile, inaspectabile, soli Patri visibile, Sapientia & Ratio Patris fuit, qui nunquam sine Ratione & Sapientia esse potuit: alia qua idem Verbum visibile, palpabile mundo creato factum est: utrobique ex Patre prodiens, ut Verbum, ut vox, ut lumen de lumine. Nec tamen hinc duo augurandi sunt Dii: nec enim lumen de lumine duo sunt lumina, sed unum lumen; nec aqua de fonte manans duæ aquæ, sed una aqua; nec radius à Sole fusus duo Soles, sed unus Sol. Ita etiam cogitandus Sol, Fons sapientiæ & veritatis, Pater & Filius, ut mox Hippolytus ait: *Atque ita astitit ei alius. Cum alium dico, non duos Deos dico; sed tanquam lumen ex lumine, & aquam de fonte, aut radium à Sole. Una enim virtus ex toto; totum verò Pater, ex quo virtus Verbum: hoc verò Mens, sive Sensus, qui prodiens in mundum, ostensus est puer Dei. Omnia enim per eum facta sunt, ipse solus ex Patre genitus.* Sole ipso clariora hæc sunt, nec Nicæni Patres, & qui hos exceperunt alii, disertiùs, aut expressiùs locuti sunt.

Pag. 619.

Cùm ostendisset autem Hippolytus Verbum Patriarchis & Patribus apparuisse, & incarnationis suæ præconem jam tum ipsum fuisse, mox hæc addit de fide Trinitatis: *Ergo Verbum incarnatum cernimus, Patrem per eum intelligimus, Filio credimus, Spiritum sanctum adoramus.* Et rursus de Deo per œconomiam se nobis manifestante: *Oeconomia consensionis ad unum Deum redigitur. Unus enim est Deus; qui mandat, Pater; qui obedit Filius; qui docet scientiam, Spiritus sanctus; Pater,*

qui

qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus sanctus in omnibus. Et mox de tradita à Christo baptismi forma, seu confessione Trinitatis, *Docuit hìc Christus, quod quicumque unum quid horum omiserit, imperfectè Deum nòn glorificavit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, Filius fecit, Spiritus sanctus manifestum fecit: Omnes igitur Scripturæ de hoc prædicant.* Expressissima sunt hæc.

Nec molestiam facere possunt, quæ paulò pòst subjiciuntur: *Nec enim Verbum per se & sine carne perfectus Filius erat, cùm tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus; neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habet τὸ σάσαν, in Verbo subsistebat. Sic ergo unus Filius Dei perfectus manifestatus est.* Hæc quippe eò spectant, ut intelligatur Filii nomen ex hominis natura desumptum esse, & Verbo tributum; corporeæ enim naturæ & carnis est, ut in ea sint patres qui filios generent, filii qui à Patribus gignantur: Dei est ut summæ & fœcundissimæ Mentis, Verbum suum, Rationem & Sapientiam generate sibi consubstantialem. Qui ab æterno ut Verbum & Sapientia à Patre manabat, is authore Hippolyto Filius dici cœpit, ubi naturam humanam induit, & ei se totum accommodavit.

Cùm idem enim sit Filius & Verbum, seu Ratio & Sapientia: manifestum est prius illud nomen à natura animali & humana translatum esse ad Deum: posteriora hæc autem tria à natura intellectuali, cùm Deus ipse in sese supra mentes & supra sermones hominum sit. Adversùs omnes hæreses scripsisse Hippolytum author est post Eusebium Hieronymus. Ad id ergo referenda hæc contra Noetum lucubratiuncula. Scripsisse & de Antichristo & de Resurrectione Hippolytum affirmat idem Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis, & post illum Photius. Extat hoc opus in Bibliotheca Patrum, meminit ejus etiam Photius. Sunt & non pauca hujus Hippolyti fragmenta in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii. His hic laudandis abstineo, quòd superiora mihi visa sint satis esse superque.

CAPUT XLV.

De Gregorio Thaumaturgo, & de Dionysio Alexandrino.

I. Divinitatis Christi luculenta ex Gregorio Thaumaturgo testimonia.

II. A Basilio ipso purgatur, & Catholica esse ostenditur Thaumaturgi doctrina.

III. In interpretandis Patrum scriptis quàm clementes nos esse oporteat exemplo Athanasii & Basilii.

IV. Orthodoxa fidei formula ex Gregorio Nysseno cœlitus Thaumaturgo allata.

V. De Dionysio Episcopo Alexandrino; utque illum Basilius partim accuset, partim defendat.

VI. Aliqua observantur in hanc Basilii de Dionysio censuram.

VII. Ut Athanasius Dionysium purgarit, ex ipsiusmet Dionysii Apologia ad Dionysium Romanum missa. Ut purgaverit se Dionysius ipse.

VIII. Dionysii Romani Epistola Nicænæ postea confessioni & doctrinæ consonantissima apud Athanasium.

IX. Rursus Athanasius purgat Dionysium, ex eo quod in Ecclesiæ pace vixerit & devixerit.

X. Purgat & illud ubi Filium dixisse videbatur factum & creatum.

XI. Ex Athanasio qua occasione famosam illam Epistolam scripserit Dionysius.

XII. Constantissima jam tum erat fides consubstantialitatis Verbi, cum Dionysius ea tantillum solicitata, usque adeo exagitatus sit.

XIII. Simillima dispensatione usos esse Apostolos, atque Dionysium, demonstrat Athanasius.

XIV. Pergit Athanasius Dionysium purgare, & ex variis ejus scripis æternitatem & divinitatem Filii probare.

XV. Multa rursum præclarè ex eodem Dionysio ad Filii divinitatis doctrinam tuendam & illustrandam; ad intelligentiam quoque tanti arcani multa pertinentia, maximè ex Mentis & Verbi comparatione.

XVI. Ut aptissimè Dionysius & Sabellium offocarit, & prefocarit Arium.

I. NE Gregorius quidem Thaumaturgus Episcopus Neocæsariensis suam omnibus approbare potuit de Trinitate orthodoxam doctrinam, ac fidem. At nobis indubitatissima semper illa visa est, nec levia ad id supperunt argumenta ex Operibus ejus certissimis. Ex ea quam adolescens adhuc pronunciavit oratione in laudem Origenis, cujus auditor erat, Origene ipso præsente, hæc obiter delibabimus, ubi Verbum celebrat rerum omnium conditorem & gubernatorem, ut ipsam veritatem, ipsam Patris omnium Sapientiam & Potestatem; in ipso & cum ipso semper conjunctum; quem Pater omnium unum secum esse fecit, per quem sese ipse quodammodo totum ambit & complectitur, quem pati secum honore coli jubet, ut unigenitum suum, ut in Patre Deum Verbum. *Sed nos laudationes quidem & hymnos in omnium regem & moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei, qui & in hoc ipso infirmitatem nostram sanat, & quod deest, explere solus potest, relinquamus, præsidi, inquam, animarum nostrarum ac Salvatori, primogenito ejus Verbo, omnium conditori & gubernatori, ipsi soli pro se ipso, & pro omnibus privatim ac universè facile est assiduas atque perpetuas gratias agere: quia cum sit ipsa veritas & ipsa Patris universorum & sapientia & potestas: ad hæc & in ipso, & cum ipso verè atque omnino conjunctus; nullum est periculum, ne vel per oblivionem, vel insipientiam, aut præ imbecillitate aliqua, ac si quis ab eo sejunctus & alienus esset, vel assequi laudationis modum nequeat; vel ut assequatur quidem, volens tamen, quod nefas est dicere, Patrem sua laudatione destituat.* Et statim ibidem: *Cùm ei soli sit in promptu perfectissimè omnes congruentium illi laudum numeros adimplere; quem ipse omnium Pater unum secum faciens, per ipsum tantùm, non sese ipse circum ambiens, æquali usquequaque cum sua virtute, quodammodo honoret, & honoretur: quod quidem primus, solusque ex omnibus sortitus est unigenitus ejus, qui in ipso est Deus Verbum.* Quibus evidentissimè Divinitas Verbi & unitas substantiæ cum Patre astruitur; ut qui unum cum Patre sit, totum complectatur Patrem, quem minor substantia non complecteretur, qui Veritatis & Sapientiæ ipsa per sese essentia & substantia sit; at nulla creata substantia ipsa per sese potest esse Veritas & Sapientia. Gregorius Thaumat. p. 13. 14.

II. Sanam semper fuisse & Catholicam Thaumaturgi fidem, testis locupletissimus est Basilius Magnus in Epistola ad Neocæsarienses data, ubi eos hortatur, ut ne ab illius vestigiis & incorruptis doctrinæ traditionibus vel tantisper deflecti se sinant, quibus olim exoriens Sabelliana pestis consopita sit. *Hoc studiosè agitur apud nos, ut fides subvertatur, idque subversione Apostolicis & Evangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni magni revera Gregorii, & eorum qui illum ex ordine subsequuti sunt ad beatum usque Musonium: cujus dogmatum recentem esse etiamnum apud vos memoriam manifestum est. Sabellii namque pestem, olim quidem motam, traditione verò magni* Basilius Epist. 64. tom. 3. pag. 99.

Gregorii consopitam, renovare conantur: qui ne deprehendantur & convincantur, ista contra nos somnia confinxerunt.

Objiciebant adversarii illud Thaumaturgi in Expositione Fidei, ubi Patrem & Filium dixerat juxta mentis considerationem duos esse, hypostasi verò unum; quæ non ad Arii, sed ad Sabellii impia placita trahebantur. At respondebat Basilius hæc à Gregorio dicta fuisse non dogmaticè, sed ex impetu quodam concertationis adversus Ælianum, quocum res illi erat; nec non ut accommodaret se homini gentili, quem pellicere hac humanitate studebat; quin immo ibidem Gregorium aliqua dixisse, ex quibus postea Ariani occasiones aucupati sint fidei Catholicæ oppugnandæ: ut cùm verbum vocat creaturam, facturam, κτίσμα, ποίημα, *Dederunt autem experimentum aliquod per Epistolam etiam ad ejusdem nobiscum sententia Anthimum Thyanorum Episcopum; de eo quod Gregorius in expositione fidei dixerit: Patrem & Filium juxta mentis quidem considerationem duos esse, hypostasi verò unum. Hoc autem non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione adversùs Ælianum dictum esse, intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese reputant: in qua concertatione multi sunt eorum quæ descripta sunt, lapsus: quemadmodum, si Deus volet, ex ipsis verbis ostendemus. Deinde cum Gentilem ad fidem adducere niteretur, non existimabat sibi circa verba exactiùs disceptandum esse: sed alicubi consuetudini ejus quem ad fidem induceret, nonnihil condonandum; ne fortè principalibus ac necessariis reluctaretur. Quapropter & multas invenias illic voces, quæ jam Hæreticis plurimum addant roboris, utpote creatura, & factura, & siquid aliud ejusmodi est. Invenias etiam multa quæ ad hominis conjunctionem pertinent: quæ ad divinitatis & hoc ipsum est, quod ab istis circumfertur.*

Ibid. p. 191 ter.

III. Perspicis hic quàm circumspectos & quàm clementes interpretes esse nos deceat in sanctorum Patrum monumentis exponendis, si qua illis macula temerè inuratur. Magna nobis esse momenta ad id debent in exemplo & authoritate Basilii, qui & ipse in eo Athanasium sequebatur; eadem temperamenta sectantem in purgandis superioribus Scriptoribus ab Arianæ labis suspicione. Potuisset Basilius Gregorium Thaumaturgum minùs curare, & uni Catholicæ doctrinæ defensandæ incumbere; si eo fuisset animo, quo fuere postea, qui tam facilè antiquissimos Patres non paucos Ario prolusisse assentiebantur. At videbat Basilius, quanta hinc Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Theologiæ invidia conflari posset, si ejus lumina tam turpiter caligasse impunè dicerentur. Consultius ergo illi visum est tueri non Ecclesiæ tantùm, sed & Thaumaturgi fidem: quòd de ea successores ejus & Ecclesia ipsa Neocæsariensis Catholicis aliis Ecclesiis semper confœderata testimonium dicerent; quod quæ vitio vertebantur, ea illi in æstu disputationis excidere potuissent; quòd dogmaticè nihil ejusmodi unquam dixisset; quòd ab eodem alicubi Verbum Creatura & Factura dicatur, atque ita jam in Arium propensior, quàm in Sabellium videri posset, si fas esset singulis ita vocibus insidiari, & inde ansas calumniandi captare; quòd denique usqueadeo à Sabellio dissideret, ut propenderet ad Arium; usqueadeo ab Ario abhorreret, ut illum sibi Sabelliani vendicarent.

Potuisset Basilius illa ipsa expendere & purgare verba, quæ in crimen vocabantur. Quod enim in illa Expositione Fidei, quæ jam non extat, dixerat Gregorius, *Patrem & Filium ratione quidem & cogitatione esse duo, unum autem hypostasi*; πατέρα καὶ υἱὸν ἐννοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν; eo id unum significatur, Essentiam & substantiam, quam hypostasin tunc frequentissimè appellabant, unam esse, cùm unus sit Deus, una Deitas; at in una illa & individua Deitate cogitandas esse & credendas duas personas Patrem & Filium; qui substantia nec separentur unquam, nec separari possint. Joannis Maxentii locum appositissimè laudant in hanc rem, ubi in libello contra Acephalos ita habet: *Si nullatenus ea quæ secundùm aliquid discernuntur & numerantur, possunt in unitate subsistere; quero, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui non reipsa, sed cognitione tantùm ab invicem discernuntur, quomodo non in divisione, sed in natura unitate subsistant.* Quod ad illas pertinet voces, κτίσμα, ποίημα, infrà Athanasium audiemus, illas in Dionysio Alexandrino purgantem.

Bibl. Patr. 4. p. 461.

IV. Quando ergo hujus Dionysii mentio incidit, de eo accuratiùs hic nobis video dicendum; ubi antè breviter attigerimus illam alteram Gregorii Fidei formulam, quam refert Gregorius Nyssenus in ejus vita, immo & quam ei narrat cœlitus allatam, & à B. Joanne Evangelista dictatam, summaque religione & diligentia deinceps in Ecclesia Neocæsariensi conservatam fuisse, unde & ea ad nova hæreticorum commenta nunquam declinarit. In ea autem Fidei formula dicitur Filius sapientia subsistens & virtus, character æternus Patris, perfectus perfecti Filius, unus Dominus, unus ex uno, Deus ex Deo, Filius verus veri Patris; invisibilis, incorruptibilis, immortalis, æterni Patris Filius & ipse invisibilis, incorruptibilis, immortalis, æternus; similiter Spiritus sanctus ex Deo subsistens, &c. Trinitas perfecta, quæ gloria atque æternitate & regno non dividitur, neque abalienatur. Hinc perspicuè colligitur Filii & Spiritus sancti consubstantialitas cum Patre, & una trium divinitas, æternitasque.

V. De Dionysio Alexandrino jam dicendum nobis est, & ex Basilio primùm dicendum, qui interrogatus à Maximo Philosopho, quid de eo sentiret, ita rescripsit, ut non tam pro ipso, quàm contra ipsum videretur calamum strinxisse. Non omnia ejus se laudare ait, aliqua etiam damnare; primùm illum Arianis januam aperuisse ad nefarium dogma, ex imprudentia magis quàm ex improbitate; dum Sabellio vehementiùs, quàm cautiùs obluctatur; & quasi tortuosam arborem violentiùs retorquens, in contrarium detorquet; ita illum hypostases divinas distinxisse, quod egregium erat, ut & essentiæ unitatem violaret; *hinc contigisse, ut minùs sibi constare videatur, & consubstantiale nunc probet, nunc improbet; Spiritum sanctum denique ab eo Deitate extrudi, & in naturarum creatarum classes relegari. Quæ de rebus Dionysii sciscitaris, venerunt quidem ad nos admodum illius multa; libri verò nondum adsunt, atque adeò nihil dum misimus. Est autem hæc nostra de illo sententia. Non omnia viri hujus laudamus; sunt quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum, quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis istius Anomœana, quæ jam passim obstrepit, seminaria præbuit. Causam verò hujus non puto animi malitiam esse; sed quod vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum similem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis correcturus plantæ aversionem, ita immoderatè illam retorquet, ut à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impietati Afri illius se opponit acriore impetu, minùs prudenter sibi prospiciens, in malum huic oppositum præceps abiit; & quidem nimio contendendi studio: satis enim huic fuit, si argumentis doceret Patrem & Filium non idem esse subjecto personali, ac palmarium hoc præsumptæ victoriæ ex hoste blasphemo, nimirum Sabellio reportaret. Atqui is Dionysius, quod unum expetebat, perspicuè admodum obtinuit, sed ex superfluo. Nam non solùm diversitatem, τὴν διαφοράν, hoc est personarum; sed & τῆς ἰδίας essentiæ differentiam constituit; potentiam Filii imminuit; &*

Basilius ad Amphil. ep. 1. p. 60. b.

& ipsius gloriam immutat ac majestatem. Hinc adeo contigit, ut malum permutarit malo, atque aberrarit à scopo rectissimæ & sincerioris doctrinæ. Quo factum est, ut varius sit deprehensus & inconstans in conscriptionibus suis; & quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον coessentiale, per ea quibus in recta constitutione τῆς ὑποστάσεων, personarum scilicet, minùs rectè usus est: nunc contra admittit, dum respondet sibi cognomini. Nec bis contentus & de Spiritu sancto voces edidit, quæ nulla prorsus sui parte competunt sancto Spiritui, divinam illi atque adorandam adimens majestatem, ut eundem ad hæc inferiora devexum creatæ adnumeret ac servili naturæ.

VI. Etsi parum mitis sit hæc Basilii censura & animadversio in opera Dionysii Alexandrini, sunt tamen in ea non pauca humanitatis vestigia, quæ desiderare cogimur in iis, qui generalem hanc censuram exeruerunt in tam multos Patres Nicænis vetustiores. Uni Sabellio oppugnando illum studuisse affirmat, & dum in eo certamine totus est, minùs sibi caviisse ab Arii errore contrario, qui nondum eruperat, & quem erupturum aliquando præsagire ille non poterat. Cui verò non ejusmodi aliquid contingat, ut dum laudabili & præfervido zelo unum aliquem ex hostibus persequitur & debellat, alteri latus aperiat? Si loca ipsa Dionysii intexuisset Basilius, magnam iniisset à nobis gratiam, ut ea ejusdem & superioris ævi Scriptoribus componeremus, & ex hoc conflictu extunderemus aliquid lucis, forsan & aliquid præsidii. Dionysii ævo persæpè promiscuè habebantur illæ voces, ὑπόστασις, οὐσία, ut doctis jam omnibus exploratissimum est. De re & de rerum discrimine, omnibus Catholicis conveniebat; in vocum usu magna erat dissensio, magna inconstantia. Quid mirum autem si alio & alio tempore Dionysius consubstantialis vocem vel admisit, vel rejecit, cùm Concilia ipsa Nicænum & Antiochenum in ea voce non consentiant, hic improbata, illic probata? Si Spiritum sanctum Dionysius alicubi dixit Ministrum, λειτουργὸν, non paucos jam audivimus ea voce utentes, nec abutentes; cùm & de Filio idem dicant, & Patrem dicant uti geminas manus suas habere sibi ministrantes Filium & Spiritum sanctum, quo consubstantialitas manifestè indicatur.

VII. Sed audire jam præstat Athanasium ipsum in defendendis Decretis Nicænæ Synodi adversùs Arianam hæresin; ubi & prædecessoris quoque hujus sui defensionem arripit, & rem in primis confirmat ex Dionysii ipsius Alexandrini ad Dionysium Romanum Epistola, ut illi se purgaret, abstergeretque impactam sibi accusationem apud ipsum, atque calumniam, quasi Filium dixisset creatum & factum, & non consubstantialem Patri. En verba Athanasii primùm: *Dionysius porro Episcopus Alexandriæ contra Sabellium scribens & Salvatoris ministerium in carne pluribus verbis exponens, iisque convincens Sabellianos, refellensque Patrem non fuisse carnem factum; sed Verbum ejus fuisse quod carnem induerat, quemadmodum à Joanne dictum fuit; & in suspicionem raptus, quòd Filium creaturam nominasset, eumque factum esse & non consubstantialem Patri dixisset: ad Dionysium Episcopum Romanum ejusdem secum nominis pro defensione criminis ita scribit, se non dixisse Filium esse factum, quem Patri consubstantialem confiteatur.*

Athanas. to. 1. pag. 421.

Ecce jam ipsa Dionysii verba Epistolæ ad Dionysium Romanum, apud quem reus agebatur, & apud quem per plures Epistolas non sibi defuit: *Et in alia Epistola scripsi, qua demonstravi falsum esse crimen, quod mihi objiciunt, quasi dixissem Christum non esse consubstantialem Deo. Etsi hoc nomen consubstantialitatis dixerim non inveniri uspiam in sacris litteris; tamen argumenta mea, quæ ipsi tacita omiserunt, à re ipsa significatione-*

que vocabuli non abludunt. Nam & humanam procreationem in comparationem adduxi ut congenerem, eoque solo esse parentes diversos à liberis, quod ipsi sui liberi non essent, neque vicissim liberi, sui ipsorum parentes: ipsam verò Epistolam hoc quidem tempore ob certos casus nequeo proferre. Verùm quia tibi præsentis negotii verba mitto, facilè inde colligere poteris, multò me libentiùs ipsum autographum missurum fuisse; quod & faciam, ubi id primùm adeptus fuero. Scio autem & memini me plures ex congeneribus rebus addidisse similitudines. Nam & plantam dixi, sive à semine, sive à radice procreata sit, diversam quidem eam esse ab eo, unde progerminata sit: sed tamen cum eo omnino natura convenire. Fluviumque dixi à fonte profluentem, aliud quidem nomen sortiri, neque enim fontem fluvium, neque fluvium fontem dici; sed tamen utrumque simul existere, & fluvium esse aquam ex fonte. Cæterùm neque opus aliquod esse neque creaturam Verbum Dei, sed proprium paternæ substantiæ germen, idque indivisibile, ut scripsit magna Synodus.

Hic verò perspicis ante hanc ipsam accusationem & sui defendendi necessitatem, ex vulgatissima tunc Orthodoxorum doctrina consubstantialitati Verbi cum Patre consentaneum fuisse Dionysium, & sin minùs vocem, certè rem & sententiam propugnasse; hanc ab eo & illustratam & probatam fuisse, tum ab hominum exemplo, qui filios procreant sibi congeneres suæque substantiæ; tum à similitudine plantarum quomodocunque satarum; tum denique comparatione fontium fluminumque, quorum alia & alia origo, substantia & aqua una est. Denique negabat Filium Dionysius à se dictum esse creaturam, aut opificium, ποίημα, κτίσμα; sed proprium paternæ substantiæ germen, & inseparabile.

VIII. His subrexit Athanasius Epistolam Dionysii ipsius Romani, qua ex æquo rejiciebat damnabatque eos, qui Trinitatem dividebant in tres naturas discrepantes, tres potentias, tres deitates; & in eos similiter qui prætextu Monarchiæ stabiliendæ eundem prædicabant esse Patrem ac Filium; cùm media hic via terenda sit, ut tres distinctæ personæ retineantur, sed in unum revinciantur veluti verticem, ὥσπερ εἴς κορυφήν τινα, Deum omnipotentem, in quem consummentur & coalescant, συγκεφαλαιῶσαί τε, καὶ συνάγειν. Ita enim vitabuntur gemini hinc & hinc scopuli, naufragiis infames, Marcion & Sabellius; ille tres Deos prædicans, iste tres unius Dei personas in unam complicans. En ipsa verba Epistolæ Dionysii Romani, ab Athanasio relata: *Meritò deinceps dixero in divisores, sectoresque & peremptores reverendissimæ Ecclesiæ de Deo præconii, qui monarchiam in ternas potentias, ternasque substantias, & ternas Deitates carpunt. Audio enim quosdam apud vos divini Verbi magistros hujus sententiæ professores, qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum placitis Sabellii. Ille enim cum blasphemia dicit Filium esse Patrem, Patremque Filium: isti autem quodammodo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas, & inter se omnino segregatas, sanctam unitatem dispartiuntur. Uniri enim necessum est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere, versarique Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem in unum omnium rerum Deum, omnipotentemque, veluti in verticem principemque consummari & coalescere. Marcionis enim vaniloqui doctrina sectionem, divisionemque Monarchiæ in tres principatus instituit. Sed ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum & acquiescentium Salvatoris præceptis. Illi enim, ut Trinitatem prædicari à sacris litteris planè sciunt, ita tres esse Deos à veteri, aut à novo Testamento uspiam inducti nequaquam agnoscunt.* Ibid. P. 421. 422.

IX. Redeo ad Alexandrini Dionysii apologiam ab Athanasio concinnatam, & ad libellum specia-

lem *De Dionysii sententia contra Arianos*, quem frustra Ariani suis partibus vendicabant. Id verò primùm obtendit Athanasius certissimum integræ Dionysii fidei documentum, quòd ille nunquam ab aliis Episcopis de errore ullo convictus sit, non ab Ecclesia recesserit, in ejus pace obdormierit, in ejus Diptychis etiamnunc celebretur. *Magni certè argumenti est nihil eos veri dicere, & calumniis virum premere; quod ille nunquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque hæresim propugnando ab Ecclesia secessit; sed in ea cum pietate obdormivit, quodque ejus memoria hactenus cum patribus hinc usque celebrata est, & in catalogum relata; qui si cum istis ejusdem opinionis fuisset, aut si scriptorum rationem non reddidisset, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, passurus fuisset.* Viderint Lectores an eodem scuto muniri possent, qui suprà prolusisse Ario à quibusdam arguebantur, à nobis defendebantur. Nec enim impunè illi tulissent, si hujus ipsius criminis affines fuissent,

Pag. 439.

X. Sed accedit statim Athanasius ad Epistolam Dionysii, ubi scripserat Filium Dei opus esse quoddam factitium; nec Patri suum ac proprium, sed ab ejus substantia alienum; qui ad Patrem ita se haberet, ut vitis ad agricolam, navis ad fabrum; denique Filium, perinde ut opus quodlibet aliud, non fuisse, antequam fieret. Non negat Athanasius ejusmodi Epistolam à Dionysio scriptam esse, sed & plurimas alias ab eo scriptas fuisse affirmat, ex quibus omnibus, non ex ea sola, de eo ferendum judicium sit; & ne eam quidem eo scriptam fuisse, ut fidem tuam ederet, sed in iis temporum, locorumque & personarum commissuris, quibus accommodare seipsum penè cogeretur, & ea scribere, quæ per alias forsan Epistolas retractaret; æquum denique fuisse non dictiunculas aucupari, sed omnes ejus Epistolas excutere, quibus fidem denique suam purgavit. *Dicunt igitur in Epistola beati Dionysii scriptum haberi, Filium Dei opus, & quiddam factitium esse: neque Patri naturaliter suum ac proprium, sed alienum ab illius substantia, qualis est vitis à natura agricolæ, aut navis fabri; eumdemque, qui opus est quoddam conditum, non fuisse, antequam fieret. Scripsisse Dionysium istius generis Epistolam agnoscimus; verùm non hanc solam, sed plurimas ab eo postmodum scriptas esse dicimus, quas ab istis quoque legi oportuit, ut ex omnibus simul; non ex unica duntaxat judicium de ejus fide constitui posset.*

Pag. 440.

Et rursum ibidem: *Si igitur simpliciter, tanquam qui fidem suam ederet, hanc Epistolam scripsit, esto, accusent eum, ut velint; non enim crimine caruerit istiusmodi sententia. Quod si temporis & personæ ratio eum ad talia scribenda traxit; aliasque postmodum Epistolas subdidit, quibus se de suspicione purgat; non oportuit omissis causis, cur ita scribendum fuerat, homini temerè odium conciliare; ne alioqui videantur, nihil nisi dictiunculas aucupari, & veritatem & fidem rerum, quæ ex aliis Epistolis elucet, prætermittere.*

Ibidem.

XI. Subjicit denique Athanasius, qua occasione famosam illam Epistolam scripserit Dionysius; nimirum in Pentapoli Libyæ quosdam Episcopos ita Sabelliana hæresi fascinatos fuisse, ut jam altum esset in Ecclesiis de Filio Dei silentium; legatos eò missse Dionysium, & hi cùm nihil promoverent, addidisse hanc Epistolam, qua Filii humanitatem assumptam ex Evangeliis commonstraret, evinceretque quæ humanati erant Filii non posse Patri ascribi. *In Pentapoli superioris Libyæ quidam Episcoporum sententias Sabellii amplectebantur, tantumque eorum commenta invaluerant, ut vix ulterius Filius Dei in Ecclesiis prædicaretur. Re cognita Dionysius, ad cujus curam ea Ecclesiæ pertinebant, legatos misit, qui authores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis autem de stultitia sua non remittentibus, impudentiùsque in impietate pergentibus, coactus est ad illorum improbitatem retundendam, istiusmodi Epistolam scribere, & humanitatem Christi ex Evangeliis commonstrare; ut illis audaciùs Filium Dei abnegantibus, & humana ejus Patri imputantibus, commonstrata rei veritate, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem esse genitum, rudibus illis & insciis hominibus Patrem non esse Filium persuaderet, & paulatim ad veram Filii Deitatem credendam, & Patris cognitionem evehere posset. Hic nimirum scopus est ejus Epistolæ, quæ ad retundendam eorum pervicaciam, qui veritatem fidei mutare volebant, scripta est.*

Ita demonstrat Athanasius nihil Dionysio commune fuisse cum Ario; nec enim aliqua ejusmodi necessitate cogebatur Arius Filii majestatem premere, humilitatem carnis exaggerare, nequis amplius eum cum Patre confunderet. His addit Athanasius suspiciones hac Epistola sua adversum se excitatas abstersisse Dionysium aliis Epistolis, neque post hanc excusationem suam à catholica fide recessisse. Hinc ergo de eo ejusque fide æstimandum esse, nec aliter eum spectandum esse, quàm ut peritissimum medicum, qui morbis nonnihil obsequitur, ut eos faciliùs curet: vel probum præceptorem, qui multa utatur dispensatione ad discipulorum suorum promovenda studia. *Hic autem aliis Epistolis conscriptis purgata suspicione, rectè se sentire edocuerit. Quod si secum in scripturis suis dissidet, non debet in ea parte, qua fidem non meretur, ad commilitium ab illis trahi. Rursus si idem de se Epistola sua ad Ammonium, unde suspicio nata est, adhibito remedio excusarit, neque post excusationem de sententia orthodoxa decesserit, certum est, eum, ea quæ suspecta fuere, ex usu rerum pro negotii conditione conscripsisse; neque istiusmodi scripta, quæ negotiis attemperata sunt, oportuit malignè odioseque interpretari, aut ad cujuslibet libidinem studiumque torqueri. Medicus subinde ea remedia, quæ aliis inter se congruere non videntur, pro sua peritia vulneribus adhibet, non alio tamen quàm ad curationem mali respiciens.*

Pag. 441.

XII. Seriò hìc perpendendum est, quanta in Dionysium concitata sit tempestas, ex eo quòd una vel altera Epistola, visus esset aliquantulum decedere de constantissima & antiquissima Ecclesiarum omnium doctrina, in Filii divinitate profitenda. Nisi enim constantissima fuisset ea & vetustissima Ecclesiarum fides, non ad eam adactus fuisset Dionysius sui purgandi necessitatem, non apud Dionysium Romanæ Ecclesiæ Antistitem in crimen vocatus esset, non ei se per Epistolas purgare compulsus fuisset,

XIII. Suam hanc & Dionysii causam ac defensionem communit Athanasius exemplo Apostolorum, qui aliquamdiu frequentissimos de humanitate Christi, raros de divinitate ejus habuere sermones, quòd ita conducere existimarent tum certè, ne Judæi, vel Gentiles ab eo alienarentur, si ejus anticè divinitas inculcaretur, quàm per stupenda ejus opera & miracula fides illi, & reverentia conciliaretur. Ita enim & Dionysius à Sabelliana hæresi suos abduxit manifestata humanitate Christi & carnis humilitate, ne illum eundem esse amplius dicerent, atque Patrem: gnatus semel Christo adglutinatos, paulatim ad ejus divinitatem amplexandam gradum facturos esse, ubi vidisset eum in Scripturis vocari sapientiam, virtutem, splendoremque gloriæ Patris. *An quia ita isti calumniantur, suspicandum est Apostolos his verbis utentes, Christum tantummodo hominem esse existimavisse, neque quicquam sublimius de eo cogitasse? Absit, ut hoc cuiquam in mentem veniat; illi ut Architectones periti & dispensatores mysteriorum Dei non sine justa ratione rem ita temperarunt. Judæi enim ejus temporis partim ipsi errantes, partim Ethnicos in errorem abducentes,*

Pag. 442.

Jesum

Jesum nudum & merum duntaxat hominem ex semine Davidis prodiisse credebant, eo modo, quo cetera illius posteritas; neque eum Deum, aut Verbum esse carnem factum opinabantur. Hac de causa beati Apostoli prudenter admodum humana Salvatoris primum Judæis attulere, ut eos jam Christum venisse ex signis, miraculisque persuasos paulatim ad credendam ejus divinitatem producerent: demonstrantes certissimis rationibus istiusmodi opera, non hominis, sed Dei esse. Et paulò pòst: *Idem igitur Dionysius ab Apostolis edoctus fecit, coactus ob Sabellii hæresim, quæ jam irrepserat, istiusmodi Epistolam scribere, verbaque illis, quæ humanitus & humiliter de Servatore sonant, objicere, ut rebus humanitatis ejus interseperentur, quo minus Filium Patrem esse dicerent, faciliorem illis viam, ad credendam Filii divinitatem, strueret, in illis Epistolis; ubi ex Scripturis sacris Verbum eum esse sapientiam, virtutem, vaporem, splendoremque Patris esse demonstrat. Certè in scriptis suæ Apologiæ propalam & ingenuè piam in Christum fidem confitetur.* Ac tandem ibidem: *Ut igitur Dionysius, Apostoli ob humana de Christo verba homine facto culpandi non sunt: sed potiùs ob doctrinam pro tempore dispensatam admirationi esse debent; ita Dionysius quoque ob Epistolam Euphranori & Ammonio contra Sabellium scriptam, culpandus non est.*

XIV. Hic porro vides, ad id connixum esse Dionysium, ut Filii amplitudinem præ Patre extenuaret, quo eum distingui à Patre doceret: nec id tamen potuisse, nisi ostentata humanitatis, & humanitatis infirmitatum assumptione; in divinitate autem Filii nec Dionysio, nec Athanasio quidquam occurrisse, quo infra Patrem deprimeretur. Hinc Athanasius scitissimè declarat, ubi Dionysius dicit Christum vitem esse & Patrem agricolam, ad Christi humanitatem referri id debere. Et de cæteris id genus similiter. *Si igitur Filium nobis consubstantialem esse velitis, sit igitur ea ratione alienus à substantia Patris, eo modo, quo vitis ab agricola. At si Filius aliud etiam est & diversum à nobis, nimirum Verbum ratioque Patris, nos contrà nihil nisi terrigenæ, posterique Adæ; certum est illud dictum de vite & agricola non referri ad Deitatem Verbi, sed ad ejus humanitatem, cùm ad istum modum Dominus verba sua temperaverit: Ego sum vitis & vos palmites, Pater verò meus agricola est.*

Catholicos quosdam illa Dionysii Epistola ad Ammonium & Euphranorem scripta vehementer offensos, utpote ejus consilii ignaros, scribit Athanasius Romam convolasse, illumque accusasse apud Dionysium Romanum Præsulem, quo compulsus est Dionysius Alexandrinus opus edere in sui defensionem, *Elenchi & Apologiæ* nomine. Addit verò Athanasius, *Ex Dionysii Romani voluminibus contra eos qui Filium Dei, opus, aut creaturam asseverant scriptis, clarè ostendi, hæresin Arianorum non jam primùm, sed olim ab omnibus damnatam fuisse.* Porro ex Apologia Dionysii Alexandrini, Pag. 414-416. quam non contentio, sed sui purgandi cura exprimebat, constare quàm alienus ille esset à perversitate, quæ illi affingebatur; palam enim fecisse, *se in recensendo dicta, quæ humanitatem Salvatoris sapiunt, non ignorasse Christum Verbum & Sapientiam esse, minimèque à Patre divisum:* quin & conqueri ipsum de adversariis, *quod non integrè ipsius scripta, sed truncatim adducant.*

Interserit & aliqua hìc Athanasius Dionysii Apologiæ verba, ex quibus præfocari ab eo videbatur Ariana hæresis nondum exorta: *Nunquam fuit Deum non esse Patrem. Semper Christum fuisse Verbum, & Sapientiam, & Virtutem. Neque enim cum hæc antea non genuisset Deus, postea genuit.* ὑ γδ δὺ τότων ἄγον ὢν ὁ θεὸς, εἶτα ἐποιήσατο. *Sed neque à seipsa Filius est, sed à Patre habet esse. Jam quia splendor est æternæ lucis, omnibus modis ipse quoque æternus est. Luce enim semper existente, certum est & splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse, quo splendeat, intelligitur; non enim fieri potest, ut lux non luceat.* Hæc Athanasius ex variis Dionysii locis carpit, evidentissima divinitatis, æternitatisque & consubstantialitatis Filii Patre cum documenta. En rursus & alia in eandem sententiam verba & argumenta Dionysii: *Si Sol est, est & splendor & dies; quod si horum nihil est, magnoperè abest, ut Sol possit dici* Pag. 436. *adesse. Quod si Sol æternus esset, indesinenter & dies esset; nunc autem non est, incipiente igitur Sole incipit & dies, & desinente desinit. Deus autem æterna lux est, nec incipiens unquam, nec desinens. Igitur æternus coharet illi & conjunctus est splendor; qui sine principio genitus semper ab eodem promicat, hoc est, sapientia; cujus hæc sunt verba: Ego eram cui gratulabatur, quotidie autem per omne tempus gestiebam coram eo.* Et mox ibidem: *Si Deum lucem voces, Filium splendorem esse* Pag. 437. *dices: Si Spiritum, si quidem Deus Spiritus quoque dicitur, Filium vaporem appellabis. Est enim ut inquit ille vapor potentia Dei.* Et rursus: *Solus Filius cum Patre semper coexistit, plenusque existentis est, & ipse ex Patre existit.* Et denique ut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus à Dionysio ita copularentur, ut in una earum personarum nominata cæteræ intelligerentur: utque Spiritus sanctus à Patre & Filio sit: *Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita ut pariter adjungerem, undenam ille, & per quem venerit. Sed isti ignorant Patrem à Filio alienari non posse, & sub Patris vocabulo primarium conjunctionis autorem contineri, & Filium à Patre quasi domicilio disgregatum non esse; eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, & in Patris Filiique manibus esse Spiritum sanctum, sed ita ut neque à mittente, neque à ferente segregetur. Quì fieri igitur posset, ut cùm istis nominibus utar, suspectus habear, quasi ista separari, dividique existimaverim?* Et statim ibidem: *Hoc scilicet pacto unitatem, quæ indivisibilis est, in Trinitatem dilatamus: & Trinitatem,* Pag. 437. 438. *quæ diminui non potest, in unitatem consummamus; & tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus Filium unum esse ex numero rerum factarum, & nequaquam Patri suo consubstantialem.* Et paulò inferiùs: *Pluribus ad id excogitatis exemplis rem instruxi, quæ tibi in alia Epistola descripsi, quæ ostendo falsum esse crimen, quo mihi objiciunt, quod Christum Deo consubstantialem esse negassem.* Et mox: *Qui & humanam sobolem pro exemplo allegavi, de qua nihil dubium, quin sit cum genitore ejusdem generis; atque eo solo parentes à liberis alios esse, quod ipsi liberi sui non sint.* Ac rursum: *Et plantam ibi dixi sive ex seminio, sive ex radice succrescentem, aliam quidem esse ab ea unde pullulaverit; sed tamen ut cum eo ejusdem naturæ maneat: & fluvium à fonte profluentem aliam formam & nomen accipere; neque enim aut fontem fluvium, aut fluvium fontem dici, & ambos ita existere, ut fontem quasi Patrem esse, & flumen esse aquam ex fonte dicas.* Ac denique: *Vita ex vita genita est, & ut flumen à fonte defluxit, & à luce inextinguibili, splendida lux accensa est.*

XV. Stomachatur mox prolixissimè Athanasius in Arianos, qui sibi de Dionysio isto quasi suffragatore suo blandiebantur, qui infensissimus illis reapse erat; qui consubstantialem Patri Filium affirmabat; eamque vocem etsi in Scripturis non legeretur, sensu tamen & sententia in illis ajebat contineri; & quamquam Pater creator omnium à se dictus esset, non tamen creatorem eum esse Filii, sed Patrem; etsi autem quandoque Filii creatorem dixisset, eo sensu id dictum esse, quo Græci suorum verborum & librorum nunc Patres, nunc factores, ποιητὰς vocant. *Quod si de Ver-*

Verbo quispiam hoc dictum esse sustinetur, modo benignè audiat, intelliget me nequaquam sentire Verbum creaturam esse: cum Deum ejus non conditorem, sed Patrem appellem. Nam tametsi obiter à me Dei Filii sui creator nominetur, tamen vel ita quoque res non caruerit sua defensione: Nam Graci sapientes sese suorum verborum, quorum parentes genitoresque sint, factores nuncupant. Quin etiam sacra Scriptura motuum nostrorum ex nostro corde prodeuntium, factores nos appellat, factoresque item legis, judicii & justitiæ; adeo ut undequaque appareat magnum illum Filium, nec creaturam, nec opus esse, ac proinde se alienum esse ab Arianica pravitate.

Quid verò luculentius his rursum Dionysii verbis ab Athanasio mox relatis laudatisque, quibus non tantùm Nicænæ Synodi doctrina perdiu ante eam Synodum & ab ipso Ecclesiæ exortu viguisse demonstretur; sed & plurima lux accedat iis quæ suprà ad hujus tam stupendi sacramenti illustrationem ex antiquis Patribus coacervata sunt? Sic ergo Dionysius: *Dictum est superiùs fontem omnium bonorum Deum esse, fluviumque, quem inde exundantem reperimus in Scripturis, Filium esse, Si quidem Verbum promanationem mentis nominari convenit.* Et paulò pòst præstantissimè, de Patre ut Mente, de Filio ut Verbo, de utriusque indivulsa conjunctione; utque nec Mens sine Verbo, nec Verbum sine Mente possit esse; ut Mens intus sit, Verbum quasi prodeat; ut Mens sit quasi Verbum quietum, Verbum autem quasi Mens prosiliens: καὶ ὁ μὲν νοῦς ἔνδον, οἷον λόγος ἐγκείμενος, ὁ δὲ λόγος τῶν προφερομένων; ut sit Verbi Pater Mens à seipsa existens, Filius autem mentis Verbum; denique ut non possit esse Verbum ante Mentem, sed neque Mens sine Verbo esse possit: *Nostra enim Mens eructat ex se verbum, quemadmodum loquutus est Propheta, Eructavit cor meum verbum bonum; & utrumque alterum ab altero suum proprium & distinctum locum possidet, cum hoc in corde, illud in lingua & ore commoretur, & motum suum habeat; sed non tamen ut distent, ac se invicem careant; neque est mens irrationalis, hoc est, sine verbo & sine ratione; neque verbum amens, hoc est, sine mente; sed mens verbum facit, & in verbo apparet; & verbum mentem quæ in ipso consistit, declarat; & mens est, quasi verbum quietum: verbum verò, quasi mens prosiliens; & transit mens in verbum, verbum autem mentem in auditores insinuat, atque ita mens in auditorum animis collocatur, una cum verbo intrans; estque mens, quia per se existit, verbi Pater, verbum autem veluti Filius mentis: quod, ut ante mentem extiterit impossibile est; ita nequaquam sine ea, sed una cum ea extitit, & ab illa progerminatum est. Eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens filium suum Verbum, interpretem & nuncium sui habet.* Duplex Verbum, duplicemque Sapientiam Dei aiebant Ariani esse, nec Christum esse volebant, nisi sapientiam extrinsecam, quæ ab interiore prodiret; at contra Dionysius unum Dei Verbum intimum, unam intimam sapientiam astruebat, Christum ipsum. En ejus verba ex Athanasio: *In principio, inquit, erat Verbum; sed non erat aliud Verbum, quod hoc Verbum proferret: erat enim Verbum apud Deum. Sapientia est Dominus, non tamen alia sapientia erat, quæ hanc sapientiam produceret; Ego, inquit, eram in qua oblectabatur.*

XVI. His ita præstructis ex Dionysio, jam illud consultissimè monet Athanasius, ejus exemplo ita refelli oportuisse Sabellium, ut non statim ostenderetur Christus Sapientia, Verbum & Potentia Dei, ne hæc ille arriperet ad Christum cum Patre permiscendum; sed ut initium duceretur ab humanitate & humilitate ejus, ut hæc Patri aptari non posse liqueret. Post verò quàm ita disjunctus fuerit à Patre homo Christus, tum idem ipse declaretur Patri conjunctissimus & consubstantialis, qua Virtus & Verbum & Sapientia ejus est. *Est revera bona persuadendi forma, ad subruendum Sabellii furorem, ut qui velint quàm citissimè convincere istiusmodi homines, non initium faciant ab iis quæ demonstrant Verbi divinitatem, nimirum Verbum, sapientiam, & potentiam, & Filium esse, Patremque cum eo unum esse; ne illi rectè dicta pravè interpretantes, inde sibi occasionem suppeditent improbæ suæ contentionis; quam audiant, Ego & Pater unum sumus: &, Qui videt me, videt & Patrem meum; sed præmittant ea, quæ de Salvatore humanitus dicta sunt, quemadmodum Dionysius fecit, quale est, quod esurierit, quod defessatus fuerit, quod vitis sit, quod precatus sit, & passus: quantò enim ista humiliora sunt dictu, tanto magis ostenditur Patrem hominem non esse factum.* Et aliquantis interjectis: *Citiùs refutabitur Sabellius, non Patrem, sed Patris Verbum carnem esse factum, quod & carnem redemit, quam Patri obtulit. Deinde quum eum ita refutaverit, & persuaserit, expeditiùs in posterum de Deitate Verbi demonstrationes faciet; eum sapientiam, Filium & potentiam, splendorem & sigillum esse. Nam necesse est ut hæc denuò cogites; quum Verbum sit, esse quoque ejus Verbi Patrem: & quum sapientia sit, esse quoque sapientiæ parentem: & splendor quum sit, esse & lucem; atque ita Patrem & Filium unum esse. Cum hac igitur consideratione Dionysius scripsit, & per illa Sabellii os obturavit, iisdemque Arii hæresim evertit. Quemadmodum enim humana Salvatoris Sabellium evertunt, ita ad refutandos Arismanitas documenta, non ex humanis, sed ex illis, quæ Verbi Deitatem declarant, mutuanda sunt.*

CAPUT XLVI.

De Conciliis Antiochenis, de Theognosto, de Luciano.

I. De Concilio Antiocheno ubi repudiata vox consubstantialis; quàm necesse sit ex Athanasio, hos Patres conciliare Nicænis.

II. Uterque Dionysius & Romanum Concilium consubstantiali ante subscripserant.

III. De Epistola Dionysii Alexandrini adversùs Paulum Samosatenum.

IV. Ex Epistola Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samosatenum.

V. Ex Facundo Hermianensi ad defensionem Dionysii Alexandrini, aut certè Athanasii ejus defensoris.

VI. Defenditur & Theognosti doctrina ab Athanasio.

VII. Photii judicium de Theognosto expenditur.

VIII. Athanasii apologia pro Dionysio Alexandrino, ad alios omnes exporrigitur Nicana Synodo anteriores Scriptores. Eosdem una defensione sua complexi sunt Basilius quoque & Hilarius.

IX. Quod fuerit Hieronymi, quod aliorum judicium de Luciano Antiocheno Presbytero. Quàm invicta ejus defensionis sint munimenta.

I. NOnnulla in hanc rem habet Athanasius in *Libello de Synodis Arimini & Seleuciæ*, ubi & illud præfatur, ita ferri, A Patribus Concilii Antiocheni, qui Paulum Samosatenum damnarunt, definitum esse Patri Filium non debere dici consubstantialem: atque ita cùm illam vocem admiserint Nicæni Patres, optimum factu sibi videri, ut Patres illos omnes honori habeamus, nec pro aliis adversùs alios certemus, nec numerum numero, tempus tempori comparemus; cùm omnes piè in Christo jàm dormierint. *Nam arietare cum illis*

illis prorsus inirritum est, eo quod omnes Patres sint. Rursus diiudicare, istos bene, illos malè dixisse, nequaquam sanctum est. Omnes enim in Christo dormierunt. Quapropter neque contentiosiùs agendum est, neque numerus eorum qui congregati fuere, in comparationem mittendus, ne videantur trecenti illi Nicaenses, eos qui pauciores sunt perstringere: neque tempora metienda sunt, ne priores videantur posteriores exauctorare, omnes enim isti quemadmodum dixi Patres sunt.

II. Iniquum porro esse subdit Athanasius, siqui Nicænos traducant Patres, quòd ab Antiochenis Patribus recedere visi sint: cùm Antiochenis ipsis Patribus irasci nefas sit, etsi illi discesserint à verbis utriusque Dionysii Romani & Alexandrini, immò & Romanæ tum Synodi, à quibus consubstantialis vox & fides propugnata strenuissimè fuerat, antequam Synodus Antiochena Paulum damnaret. *Si igitur aliquis carpit Nicaenses, quod non dixerint omnia, quæ ipsorum antecessoribus placuerunt; idem quoque meritò carpserit septuaginta Episcopos Pauli Samosatensis condemnatores, quod ea, quæ antecessorum erant, non observaverint. Antecessores autem eorum fuere duo isti Dionysii, ceterique, qui Romæ tum congregati fuere. Verùm neque hos, neque illos fas est culpare; omnes enim Christi curam gessere, studiaque sua contra hæreticos intenderunt; & hi quidem Samosatensem, illi verò Arianam hæresim condemnaverunt. Bene verò & hi & illi pro subjecta materia scribunt.* Et Nicænæ ergo & Antiochenæ Synodorum etsi verba discrepent, æquum est mentem eandem esse existimari; idque si piè quæratur, haud ægrè invenietur. *Ita quoque etsi amborum Conciliorum Patres diversimodè de consubstantiali mentionem fecere, non tamen ea de causa ab illis dissidere debemus; sed illorum mentes scrutari; quod si fecerimus omnino, inveniemus ambas Synodos inter se consentire.* Ubi aliis aliisque locis & temporibus verba facit Paulus de Lege, verbis persæpè secum conflictari videtur, etsi re & doctrina consentiat: ita de duobus Dionysiis, ita de duabus Synodis, Antiochena & Nicæna: ita addendum hic à nobis æstimari debere de Patribus Græcis Latinisque, qui ante vel post Nicænam Synodum de Trinitate scripsere in pace & charitate Ecclesiæ Catholicæ. *Quemadmodum nunquam quisquam, ut superiùs dixi, Apostolum culpaverit, quod de lege ad istum modum Romanis, ad illum verò Hebræis scribat; ita Neoterici priscos homines nunquam culpaverint, si videant eorum mentem, & interpretationem; neque rursus prisci Neotericos reprehenderint, si conspiciant, quo animo & in quem usum de Domino scribant. Nam utraque Synodus justam habet & rationabilem causam, cur illa ad illum, ista vero ad istum modum verba suaserit.*

Pag. 707.

Pag. 708.

Ibidem.

III. Meminit hujus Dionysii Photius in Bibliotheca, eumque ait à Basilio minùs excusatum fuisse, quasi Sabellii impugnandi studio in contrariam partem deflexerit; at ipse quidem videtur præferre judicium Athanasii, qui quàm propitius fuerit Dionysio, & quàm justis de causis, satis hactenus diximus. Cessisset ut existimo Basilius huic Athanasii judicio, eique subscripsisset, si ejus copiam habuisset, sicut & Theodoretus teste eodem ibi Photio.

Cod. 232.

Sed ne Athanasius quidem forsan ipse omnia Dionysii prædecessoris sui opera nactus erat, aut non omnia certè in hac ejus defensione allegavit: Non enim illam prætervolasset Epistolam ab eo scriptam contra Paulum Samosatenum, quæ de jam doctos paucos ambigere video; quamquam ambigant nonnulli an ea ipsa sit, quam Turrianus edidit, & quæ in tomis Conciliorum habetur. Videtur mihi saltem illa Scriptoris perantiqui. Sic porro ille, sive Dionysius, sive quivis alius apertissimè & humanitati Christi & Divinitati attipulatur: *Potens ignoras, o amice, unum & unigenitum Filium Dei prædicatum esse, ut Scripturæ divinitus afflatæ de eo testantur, & Christum Jesum vocatum Dominum gloriæ, sicut de eo dictum est, qui propria passione salvos facit credentes in eum; secundùm divinitatem inquam, salvos facit, & non secundùm humanitatem; Ipse enim, inquit, salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Solus enim Deus potest salvos facere à peccatis, sicut is cui debetur, solus potest remittere & condonare debitum.* Et de Divinitate ejus ex Isaia: *Esaias Spiritu Dei afflatus, Deum fortem, Deum puerum prædicat, & Virginem in utero accipientem. Quid igitur contra divinum præconium venis? Unus enim Dominus Jesus Christus. Quare non duo, sed unus est.* Et paulò pòst egregiè prorsus de eo inter Christum Deum hominemque & meros homines discrimine; quòd Forma, Sapientia, Potestas apud homines persona & hypostasis non sit, apud Deum & in Christo sit; ita enim tradidere sancti Patres. *Forma autem Dei, Verbum ejus, & Sapientia Filius Dei, & Deus ipse, semper existens una persona, & una hypostasis personæ. Non enim possunt hæc esse in hominibus. Nam ratio hominis, & sapientia, & potestas ac forma, partes sunt unius hominis, quæ non per se subsistunt; sed unaquæque harum non est homo, neque Filius hominis. Sic igitur & forma Dei, & Verbum ejus esse non potest homo perfectus, id est persona: forma autem Dei & Verbum cum ipso Deus & Filius Dei, Verbum Patris est, quod per se est. Et sic confessi sunt eum sancti Patres; & ut confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt.* Et aliquantò inferiùs: *Quomodo ais tu hominem esse eximium Christum, & non revera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine & Deipara Maria?* Et rursus vide ut Christum constantissimè Deum pronuntiet, & Patri homousion: *Desertum dicis eum qui erat natura Dominus, & Verbum Patris, per quem omnia Pater fecit, & quem sancti Patres homousion Patri vocaverunt; tu verò dicis quod Christus Filius hominis non est hoc Verbum Patris.* De una autem æqualique & coæterna substantia & Deitate Patris & Filii & Spiritus sancti, quid his rursum præclarius desiderare potes? *Ejusdem formæ est cum Spiritu sancto in specie columbæ ostenso Christus Verbum: ejusdem formæ cum Patre Spiritus Christus Dominus, ductus ut sacrificaretur. Sic enim ait Hieremias de eo: Ego sicut agnus innocens qui ducitur ad sacrificium faciendum, non cognovi; ego, inquam, qui semper sum persona Christus æqualis Patri, nulla dissimilitudine substantiæ, coæternus Domino spiritui: cui quia Ananias & Saphira mentiti sunt, non homini, sed Deo, expiraverunt, Paracletus enim Deus est, sicut & Pater Christi, coæternus Christo.* Jam rursus de consubstantialitate Patris & Filii ab exemplo ipsorum hominum: *Neque differebat Seth ab Adam, quod esset ex substantia lumborum ejus. Hæc in hominibus, uno ingenito, & altero genito: & sicut scriptum est: Ex creaturis proportione quadam contemplamur Creatorem. Sicut igitur intelligimus, quod si quis ex igne corporeo, quo utimur, sumat, neque passionem, neque sectionem infert ei, lumen accendens ex lumine; sic generatio Christi ex Patre ex æternitate non potest intelligentia comprehendi: & solam Scripturam divinitus afflatam sequimur, sicut enarrat nobis Pater: In lumine ejus videbimus lumen.*

Bibl. Patr. to. 11. pag. 274. 275.

Pag. 176. 177.

Pag. 284.

Pag. 287. 288.

IV. Sexcenta alia lubens prætereo, ejusdem ponderis, protuenda & hujus Dionysii & cæterorum Patrum Nicænis antiquiorum orthodoxa de Trinitate sententia. Venio ad Epistolam ab Episcopis orthodoxis Antiochenæ Synodi ad Paulum eundem Samosatenum scriptam, antequam deponeretur. Sic illi primùm magnificentissimis verbis Deum Patrem exornant, ingenitum, invisibilem, inenar-

inenarrabilem; & mox tamen Filium illi adjungunt tanto splendore circumfusum, ut Sapientia, Verbum & Virtus Dei ante sæcula sit, substantia & hypostasi Deus Dei Filius: ἐσήμανε τῇ ὑποστάσει Θεὸς, Θεοῦ υἱός, *Decrevimus fidem scripto edere, & exponere quam à principio accepimus & habemus traditam & servatam in Catholica & sancta Ecclesia, usque in hodiernum diem à beatis Apostolis, qui viderunt ipsi & ministri fuerunt verbi, praditum ex Lege & Prophetis ac novo Testamento; esse unum Deum ingenitum, sine principio, invisibilem, immutabilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest; cujus gloriam vel amplitudinem intelligere aut enarrare pro dignitate, ut jure & veritate est, humana natura non potest: notionem verò ejus utcumque mediocrem si habemus revelante Filio ejus, sicut ait: Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius revelaverit; contenti esse debemus. Hunc autem filium genitum, unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam & verbum, ac virtutem Dei ante secula; non præcognitione, sed substantia & hypostasi Deum Dei filium: cùm in veteri & novo Testamento cognoverimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contradicit filium Dei non esse ante constitutionem mundi, dicitque credere & confiteri duos prædicari Deos, si filius Dei prædicetur Deus: hunc alienum esse ab Ecclesiastica regula arbitramur, & omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt.* Ibidem, pag. 303.

Ut ne hos Episcopos putes recedisse à Theologia antiquiorum Patrum, vide ut totus illis assentiatur, totus illos interpretetur hic Antiochenorum Patrum Senatus: *Et omnes Scripturæ divinæ Deum filium Dei declarant; quas singulatim proponere in aliud tempus differimus; hunc filium, qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem paternam in creatione universi. Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium esse persuasum habemus, quàm unigenitum filium Dei, Deum.* Et paulò inferiùs: *Quippè qui verè est & operatur, utpote Verbum simul & Deus, per quem omnia fecit Pater, non tanquam per instrumentum, neque tanquam per scientiam, non per se existentem. Generavit quidem filium Pater, tanquam actum viventem & per se existentem, omnia in omnibus operantem.* Ac rursum: *Qui implens voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur; in iisdem clausulis & iisdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus, quandoque verò tanquam Dominus: quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi impium est existimare vocari Angelum; filius verò Angelus Patris est, qui est ipse Dominus & Deus. Scriptum enim est; Angelus magni Consilii.*

Confirmat ergo evidenter hæc Synodus, quæcumque suprà à nobis dicta sunt ad eorum defensionem Patrum, quibus incautiùs nonnulli parum æquas suspiciones asperserant. Hæc verò Synodi Antiochenæ Epistola, etsi ejus fidem apud nonnullos labare video, mihi visa est non tam facilè loco suo moveri posse; tum quòd nullæ satis validæ ad id promantur rationes, tum quòd probabile non sit innumerabiles Episcopos, sic enim legitur apud Eusebium, adversùs Samosatenum convenisse, & nihil scriptis mandasse ad ejus doctrinæ confutationem. Adde quòd quæ in hac Epistola fusiùs edisseruntur, ea compendiosissimè insinuantur in ea Epistola ejusdem Synodi, quam Eusebius historiæ suæ intexuit, ubi dicitur Firmilianus aliquandiu distulisse damnationis sententiam in Paulum, quòd eum sperarer resipiscere posse; illusus nimirum ab homine, *qui Deum ac Dominum suum negabat.* Eusebius l. 7. c. 30. l. 7. c. 30.

V. Superest & ex Facundo Hermianensi Episcopo, quod in defensionem Dionysii Alexandrini dicatur, vel Athanasii saltem, à quo defensus est Dionysius. Sic enim Facundus: *Nam neque cùm Ariani vellent quedam ex dictis venerabilis Dionysii Alexandrini Episcopi in testimonium & assertionem sui erroris adsciscere, ut ex hoc ostenderent Arium non esse novi dogmatis inventorem; quippe cùm Dionysius olim docuisset facturam esse Filium Dei, neque natura proprium, sed extraneum ab essentia Patris, & quia idem Filius non erat antequam fieret, aliaque similia, que in eodem opere continentur: Athanasius, germanum specimen & probabile Catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, ea constanter excepit; & quamvis nostris auribus dura, & ad excusandum difficilia, defendere non refugit, & prius eorum authorem Dionysium per hoc voluit esse purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum; quod ipse non sicut Arius, cùm viveret, de impietate fuerit accusatus, aut de Episcopatu dejectus; neque hæresim defendens, de Ecclesia sicut ille discesserit, sed in ejus permanserit unitate.* Et aliquantò pòst: *Igitur Athanasius, qui non tantum verbi doctrina, quantum passionibus, trine unitatis erat assertor, & cujus tota vita martyrium, authoritati se subdit Ecclesiæ; & quod Dionysio communicavit usque in finem, hoc solum judicat ejus purgationi sufficere; ita ut illum pro talibus dictis non condemnare dicet, verùm nec leviter culpare præsumat.* Lib. 11. c. 4.

VI. Ex his vides quàm non temerè à nobis suscepta sit defensio, non unius, ut alterius, sed tot Ecclesiæ Procerum & Patrum; vides & quantùm æstuasset Athanasius in eorum fama & doctrina tuenda adversùs obtrectatorum licentiam, qui tantum laboris & operæ posuit in uno Dionysio purgando. Venio jam ad alios ab Athanasio laudatos, & Nicæna Synodo antiquiores, & ejusdem doctrinæ vindices. Expressissima sunt hæc Theognosti viri doctissimi verba, ubi Filium docet non aliunde, non ex nihilo, sed ex substantia Patris ita progenitum, ut à Sole jubar, ut ab aqua vaporem, quo utroque exemplo declaratur Filium esse veluti profluentem substantiæ Patris, ἴδιόν τι τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας; sic ut substantia Patris non dividatur. Ubi negat Theognostus vaporem idipsum esse quod aquam, vel jubar quod Solem, non unitatem naturæ negat, sed personæ; perspicuè enim quod profluit ejusdem substantiæ est cum fonte, à quo profluit. Audiendus Athanasius in Decretis Synodi Nicænæ contra Arianos: *Discite igitur nunc Christo rebelles Ariani, Theognostum virum disertum non abhorruisse à vocabulo substantiæ. Scribens enim de Filio in secundo Hypotyposeon, ita locutus est: Non forinsecus, aut ex rebus extraneis Filii substantia constat; neque ex non entibus producitur, sed ex Patris substantia ita progenitus est, ut à luce jubar, ut ex aqua vapor. Neque enim vapor idipsum est, quod aqua: neque jubar idipsum, quod Sol; sed non alienum tamen verum, ut profluentem eum esse dicas Patris substantia; idque ita ut interim substantia illa Patris, divisionem non patiatur. Quemadmodum enim Sol non diminuitur suis ex se profluentibus radiis; ita nec substantia Patris diminutionem sustinet, imaginem sui Filium progignens.* Athanas. de Synod.

VII. Frustra ergo Photius, frustra & qui nuper authoritatem Photii secuti, Theognostum Arianæ insaniæ affinem habuere. Unius Athanasii nomen his & suspicionibus & accusationibus diluendis abundè est. An Ariana perfidia ne ipsi quidem Athanasio perspecta fuit? An ei se implicuit præter mentem suam Athanasius, dum & Scriptoribus & scriptis ea lue imbutis laudes & plausus dedit? Audiendus hic planè Photius, ut & ejus veluti Palinodia audiatur, ubi studio defendendi Origenis tribui posse agnoscit, quæ in Theognosto culpabantur; vel discipulorum ejus imbecillitati, quos alienari omnino posse existimabat, si totam fidei Catholicæ sinceritatem retinuisset: *Argumento quidem ponit Theognostus,* Biblioth. Cod. 106.

quibus

quibus effici aiit necessario, Patrem habere Filium. At cum Filium dicit, creaturam esse demonstrat, & ratione præditis tantùm præesse. Ac plura id genus alia, unà cum Origene Filio ascribit: sive eadem impietate ductus; sive ut quis dixerit, illius defendendi studio; exercitationis ista gratia, & non ex sua sententia proponens; sive à veritate nonnihil abduci sinens ob imbecillitatem captumque auditoris: qui nulla fortasse fidei Christianæ cognitione imbutus, minus poterat accuratiorem de religione cognitionem admittere: ut Filii propterea cognitionem qualemcumque auditori utiliorem existimaverit esse, quàm si omnino nec agnitus ille sit, nec auditus. Hactenus Photius, qui ibidem mox percurrens libros omnes Hypotyposeon Theognosti, fatetur Filium ab eo dictum esse, *re & actu ipsa incircumscriptum:* quod de nulla creatura dici posse palam est. Denique concludit Photius ex clausula ipsa operum Theognosti: *Aliquantò piè magis eum de aliis tractasse, præsertim de Filio in extrema operis parte.*

VIII. Bene meritus de nostro hoc ævo esset Athanasius, si ut Dionysium Alexandrinum à suspicione Arianæ vecordiæ purgavit, ita purgasset & alios, quos posterioris hujus ævi Scriptores aliqui eadem infamia conspersere: aut si ut Theognostum ostendit fidei consubstantialis adhæsisse, ita & alios superioris ævi Patres curasset ejusdem doctrinæ assecias approbare. Verùm non abs re creditur hoc laborę illum ideo supersedisse, quòd non alii in hanc suspicionem vocarentur, & universim præjudicatum tunc esset, Scriptores omnes Ecclesiæ hanc eandem ejus doctrinam & secutos esse, & scriptis defendisse, quòd in ejus pace & sinu vitam transegissent clausissentque. Si Dionysio enim Alexandrino secundas post Romanum Præsulem sedes occupanti, & lis intentata, & sui purgandi necessitas incussa est: quid de aliis opinabimur minorum gentium Scriptoribus? Illos ergo omnes Athanasius eadem qua Dionysium defensione sua complecti visus est, quos ne impetitos quidem fuisse, & cùm in pace conquievissent Ecclesiæ, pro inculpatis habendos esse ostendit.

Idem de Basilio affirmare fas est, qui in homilia contra Sabellianos habita Patres hactenus & Martyres ab exordio omnes demonstrat, immò ut rem indubitatam ponit, eandem fidem retinuisse, quam Nicæna Synodus splendidiùs promulgavit. *At ne Spiritum sanctum à Patre ac Filio separes, absterreat te Dominica traditio. Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, Martyres confirmarunt. Satis tibi sit ut dicas quemadmodum edoctus es.* Nec aliter de Hilario sentiendum, qui Patres & Episcopos superiores omnes ostendebat eodem percelli anathemate, quo homousion percellere ad homoeousion subrogandum homines turbulenti meditabantur. *Cogitemus tot Sacerdotes sanctos, & jam quiescentes, Quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia Episcopi non fuerunt, nos quoque nec ceperimus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores. Renunciemus Episcopatui, quia officium ejus ab anathemate sumpserimus.*

Basilius, to. 1. Pag. 124.

Hilarius, pag. 191.

Sic ille in Libello de Synodis adversùs Arianos, qui mox statim subjicit rem prorsus memorandam, se etiam tum cùm harum controversiarum rudis adhuc esset, ita semper constantissimè sensisse, homousion & homoeousion re idem prorsus esse, etsi syllabis distarent: nec enim similem, sed magnoperè dissimilem esse eam naturam, quæ non est eadem natura, maximè ubi de natura divina agitur. Quidquid enim natura divina non est, non tantùm simile non est illi, sed & dissimillimum est: in homousio ergo si damnetur, damnari Evangelia & Apostolos, damnari Patres omnes. *Deum esse Dominum cœli atque terræ, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse; quod per homoeousion homousion oporteret intelligi, idest, nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, & in Episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam nisi exulaturus audivi: sed mihi homousii & homoeousii intelligentiam Evangelia & Apostoli intimaverunt. Pium est quod volumus; nec damnemus Patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæresin expellimus, hæresin nutriamus.* Ibidem.

IX. Luciano Antiocheno Presbytero eadem quæ Dionysio Alexandrino calumnia illinebatur, & eadem prorsus ex occasione, quasi in vehementiùs quàm prudentiùs oppugnando Sabellio, in contrarium errorem deflexisset. Hujus meminit Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis, libellos ab eo de fide scriptos testatur, martyrium ejus non tacet, nec gravi ulla eum notat censura. Verùm apud Theodoretum Alexander Alexandrinus Episcopus data ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum Epistola adversùs recentem Arii hæresin, hanc ait non ab Ebione & Artema tantùm, atque à Paulo Samosateno disseminatam fuisse, sed & à Luciano, qui diuturno trium Episcoporum tempore exclusus fuerat ab Ecclesia Antiochena. Verùm hæc Alexandro excidisse existimantur, flagrante tum maximè infamia Arianæ perfidiæ, quæ sibi patrocinium à Luciano captabat, adeo ut Ariani se Collucianistas dicerent, quòd complures eorum ex ejus schola prodierant. Eam calumniam necdum per tempus licuerat Alexandro discutere, quam successor ejus postea purgavit Athanasius, purgarunt & ipsi quodammodo Ariani, edita fidei formula tanquam Luciani, quæ tamen consentanea prorsus est fidei Catholicæ, nec potest in crimen vocari, nisi quòd ibi consubstantialis vox omittatur, quam constat nonnisi in Nicæna Synodo postea in authoritatem receptam fuisse. Eam fidei formulam Sozomenus historiæ suæ inseruit, eamque ipsemet pronunciat Catholicam, & Nicænæ Synodo consonantem, nisi quòd vox consubstantialis siletur. En verba Sozomeni, ita nobis approbantis, quàm Catholica fuisset Luciani doctrina, cui ne Ariani ipsi quidem potuissent imputare nisi Catholicam fidei formulam: *Postea verò cum illos, ut verisimile est, hujus formulæ pœnituisset, aliam rursus ediderunt: quæ in reliquis quidem cum Nicæna fide consentit, ut opinor, nisi fortè quis sensus mihi quidem incompertus, in verbis abditus latet. Sed tamen nescio qua de causa consubstantialem Filium dicere detrectantes, immutabilem nec conversioni obnoxiam ejus divinitatem asseruerunt; eumque substantiæ, consilii, potentiæ & gloriæ Patris nullatenus discrepantem imaginem, & omnis creaturæ primogenitum pronuntiarunt. Ajebant autem reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani, ejus qui Nicomediæ Martyrium perpessus est; viri tum in aliis rebus præstantissimi, tum in sacris litteris admodum exercitati.* Luc. Hist. c. 3. Sozomen. L. 3. c. 5. pagin. 502. 503.

Idem prorsus colligitur ex Dialogo III. de Trinitate, apud Athanasium, etsi non Athanasii, sed vel Theodoreti, vel Maximi Martyris, quando de eo non consentiunt viri docti. Ibi certè profitetur Orthodoxus ita se, *ita nos credere, non tantùm ut credidit B. Lucianus, verùm etiam ut omnes sancti Martyres & Apostoli.* Rursum interrogatus idem Orthodoxus, quid in illa Fidei Confessione damnaret, respondet, *Condemno vestrum illud additamentum, idque possum demonstrare à vobis adjectum esse, contra ejus sententiam.* Vides ergo merè Catholicam fuisse Luciani doctrinam, sed eam vel Arianos, vel Macedonianos adulterasse, additis præter ejus sententiam *quæ ad impietatem vergerent*, ut ibi subjicitur. Denique ita ibidem Catholicus sentit, ita Athanas. To. 2. pag. 179.

præ

præ se fert Lucianum sensisse. *Beatus autem Lucianus cum diceret Filium esse imaginem Patris essentiæ, & consilii, & pietatis non diversam; per Filium ostendit, quid ex ipsa esset; per non diversum, ostendit identitatem; διὰ τ ἀπαραλλάκτυ τὸ*
Lib. 2. c. 5. *ταυτόν.* Sozomenus ipse miratur, cur refugerent qui se Collucianistas ex hac Confessione vocitabant, Consubstantiale confiteri, cùm ea dicerent in hac Confessione, quæ idem valerent: *Immutabilem, nec conversioni obnoxiam Filii divinitatem asseruerunt; eumque substantiæ, consilii, potentiæ & gloriæ Patris nullatenus discrepantem imaginem, & omnis creaturæ primogenitum pronunciarunt.* Sentiebant Ariani hac confessione Luciani causam suam strangulari, unde & ea illi incrustaverunt, de quibus expostulabat suprà Orthodoxus ille Dialogi Athanasio falsò inscripti.

Vel hinc autem rursus patet, quàm desperarent Ariani ullum se Patronum posse invenire inter antiquos Scriptores Ecclesiasticos: quàm non Justinum, non Clementem, non Irenæum, non quenquam alium laudatum virum. Qui enim Lucianum valdè nuperum, nec nisi Presbyterum ambiebant, & scriptis non magnoperè clarum, nec placitis suis obsecundantem, nisi per furtiva quædam additamenta: quomodo non potiùs patrocinium imploràssent eorum, quos Ario prolusisse nunc tandem aliqui nostrorum hominum suspicari cœperunt? An Eusebium latere potuerant Clementis, Justini, Irenæi opera? Quo ille in doctrinæ genere non erat versatilissimus? quas non evolverat Bibliothecas? Arianorum ergo de his Patribus silentium præsidio illis est adversùs horum temporum suspiciones. Arianis, & Eusebianis Lucianistas copulat Marius Victorinus Afer,
Lib. sed ut æquum est interpretari, non tam ex suo judicio, quàm ex communi præjudicio tum Arianorum, tum eorum ex Catholicis, qui labore isto excutiendæ Luciani causæ & innocentiæ supersederant.

Ad purgationem denique Luciani omitti non potest encomium, quo illum in Historia Ecclesiastica sua ornavit Eusebius: *Ex Antiochenis verò Martyribus Lucianus ejusdem Ecclesiæ Presbyter, vir in omni vita sanctissimus. Qui cœleste*
Lib. 9. c. 11. *Christi regnum primò verbis & oratione Apologetica Nicomediæ præsente ipso Imperatore, postea verò etiam rebus ipsis ostendit.* Quis facilè sibi persuadeat hoc encomio ab Eusebio decoratum iri eum, qui toto trium Antiochiæ Episcoporum tempore extorris fuisset communionis Ecclesiæ ob pertinacem Sabellianæ hæreseos defensionem?

CAPUT XLVII.

De Origene, de Beryllo, de Catholicorum fiducia, de desperatione Arianorum in ascisendis sibi antiquorum Patrum suffragiis.

I. Athanasius Origenem facit æternitatis Verbi & consubstantialitatis cum Patre defensorem.

II. Idem probatur ex ipsis Origenis verbis ab Athanasio relatis.

III. Quàm propitius Origeni Russinus, tam infestus fuit Hieronymus.

IV. Unde tanta conflictatio inter Origenis accusatores & defensores.

V. De damnatione Berylli Arabiæ Episcopi præsente Origene, & de agnita in ea Synodo Christi divinitate.

VI. Et Arius & omnes ejus sectatores statim nihili faciebant & priores omnes Patres, & cæteros orbis tunc Episcopos.

VII. Par fiducia Catholicorum de suffragatione antiquorum Patrum sub Theodosio & Nectario, par Arianorum vesania in contemnendis Patribus antiquis, quos non nesciebant sibi adversari.

VIII. Quas nunc aliqui cœpere suspectas habere doctrinas, ut Ario obsecundantes; eas propugnarunt etiam post Nicenam Synodum Optimates quique Catholicorum Patrum. Id primùm probatur ex Hilario.

IX. Probatur idem ex Augustino, ut Patriarchis appareret Filius Dei per Angelica ministeria, per corporales species, Patrem in seipso habens.

X. Ut non collidatur ipse secum Augustinus, cùm Patrem olim visum esse, negare nunc videtur, nunc affirmare.

XI. Ex Cassiano rursus probatur, illum qui cum Prophetis & Patriarchis olim congrediebatur, non Patrem, sed Filium fuisse, Christumque adeo Deum illum ipsum esse.

XII. Idem ex Prudentio Poeta confirmatur, ut hanc doctrinam pervagatissimam fuisse intelligas in ipsa plebe fidelium.

I. UNus nobis supereſt purgandus quantum dabitur Origenes, vereor enim ut satis illius nomen, famam, doctrinam valeamus ubique emaculare. Ingens profectò illi præsidium in Athanasio, qui non dubitavit ex Origene ipso posse confirmari, & æternam consubstantialemque Patri Verbi naturam, & totam Synodi Nicænæ doctrinam; cùm tamen non dissimulet sanctus Pater, quin persæpè ille cæspitaverit, ubi contentionis ardor illum ultra sobrietatis limites rapiebat, sive Gentiles ab eo, sive Hæretici oppugnarentur. Audiamus ergo priùs Athanasium ita Origeni patrocinantem; *Verbum porro eternaliter esse cum Patre, neque alterius essentiæ, aut substantiæ, Patrisque sui proprium Filium, ut sanci-* Adversus Arian. *tum est ab illis, qui Synodo interfuerunt; licebit denuò ex laborioso illo Origene audire. Quæ enim disputandi certandique gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorum qui cum eo contentiosiùs disputarunt, accipienda sunt. Hæc igitur laboriosi illius Origenis sententia est. Post illa ergo quæ certandi gratia, quasi in palæstra adversùs Hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit.* Sic ille in Synodi Nicænæ Decretis contra Arianos.

II. Jam verò audiendus Origenes ipse, ut ab Athanasio ipso ibidem mox refertur, ubi ut Patrem, ita & Filium invisibilem esse declarat, & Patri coæternum esse; nec enim fuisse cùm lux suo splendore careret; denique ne cogitari quidem posse affirmat, quòd Pater aliquandiu caruerit Filio suo, Ratione & Sapientia sua, denique Vita sua. Quæ evidentissimè demonstrant ipsammet Patris substantiam & vitam & sapientiam & lucem esse Filium, non degenerem & creatam aliquam essentiam: *Si est, inquit Origenes, ulla imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit; imò hoc quoque ausim addere, quod cum sit ille similitudo Patris, fieri non posse, ut fuerit quando non fuerit. Quando enim Deus, qui secundùm Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ majestatis? ut quis audeat Filio principium ascribere, quasi antea nondum existenti? quando autem non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisque Patris substantiæ Imago, Forma, Ratio, quæ Patrem cognoscit? Cogitet secum quicumque audebit dicere, erat quando non erat Filius: se hoc ipsum dicere, erat quando sapientia non erat, quando ratio non erat, quando vita non erat.* Et statim ibidem: *Idem Origenes alibi dicit, Sed fas non est, neque periculo vacuum est ob infirmitatem nostram, quantum in nobis est, spoliare Patrem unigenito suo semper secum existente Verbo; spoliare item eum sua sapientia, in qua lætabatur: inde enim colligeretur eum non semper lætatum fuisse. Ecce nos demonstramus istiusmodi*

sen-

sententiam à Patribus, ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis, cum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in authorem citare possitis. Vides quàm fidenter Athanasius contendat, nec Origenem, nec ullum ex aliis Patribus hactenus patronum asciscì posse ab Arianis.

III. His Athanasii verbis tanta humanitate temperatis non illubenter accommodat se Ruffinus, cujus hæc sunt in Præfatione sua ad libros Origenis de Principiis, quos ipse latinè verterat, recisis quæ sanæ de Trinitate fidei pugnabant, velut adulterinis: *Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab eo cæteris locis fideliter & piè de Trinitate fuerat definitum: veluti adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundùm eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam.*

Hieron. to. 2. pag. 65.

Ab hac Ruffini clementia, ut apparet, nimia procul erat Hieronymus in Epistola ad Pammachium & Oceanum data de Erroribus Origenis; ubi & illam perimit quorumdam causationem, damnari à se non posse Origenem, qui in Nicæna Synodo damnatus non esset. Contrà enim respondet Hieronymus: *De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit. Quamquam latenter Origenem patrem Arii percusserunt. Damnantes enim eos qui Filium de Patris negant esse substantia, illum pariter Ariumque damnaverunt.* Quoniam verò & Ruffinus, ut hìc vides, & alii contendebant hujusmodi errores Origenis libris ab ejus adversariis aspersos fuisse; hanc quoque cavillationem ibidem mox refellit Hieronymus, ex eo quòd non potuissent ubique terrarum, etsi potuissent alicubi, corrumpi libri Origenis: *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe pariter falsarentur: & quasi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, non universa ejus opera, quæ diversis & locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt.*

Ibid. p. 65.

IV. Sexcenta hujusmodi alia ex Hieronymo uno referri possent adversùs Origenem in hac ipsa de Trinitate quæstione, ne tot Concilia memorem, quæ posteriùs in longè plurimos ejus errores detonuerunt. Non aliunde porro hæc tanta mihi videtur exorta inter Athanasium & Hieronymum dissensio, in excusandis vel laudandis Origenis operibus, quàm ex ipsius secum Origenis conflictatione. Tam multa enim scripsit, tam multa peregregiè, tam multa oscitanter & mendosè, ut non potuerint non esse diversissima hominum de eo judicia. Audi rursus Hieronymum in Epistola eadem ad Pammachium & Oceanum: *Mille & amplius Tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit. Innumerabiles præterea Commentarios, quos ipse appellat τόμους. Quis nostrum potest tanta legere, quanta ille conscripsit? &c. Interdum magnus dormitat Homerus. Verùm operi longo fas est obrepere somnum.*

Ita non magnoperè discordant Athanasius & Hieronymus. Utrique compertum est, in confesso est apud utrumque, Origenis multa esse, quæ meritò laudentur, multa quæ jure damnentur; bona retineri debere, mala vel ardori disputationis imputari posse, vel humanæ etiam in summis hominibus imbecillitati. Unum id hìc ad nostram rem facit, quòd certissimè etsi multa moverit Origenes; etsi verè de eo dictum sit, Ubi benè, nemo melius: ubi malè, nemo pejùs; etsi in ipsa de Trinitate doctrina sæpiùs erraverit, sive contendendi, sive philosophandi studio nimio plus indulgens; usque adeo tamen non potuit illum latere Filii cum Patre & in substantia unitas, & in æternitate æqualitas, ut in hac quidem re defensorem habuerit Athanasium; accusatores ne in ipso quidem Concilio Nicæno habuerit; denique suis illum partibus adgregare, ne Ariani quidem ipsi se posse speraverint; etsi patronos sibi accerire tantoperè studerent, nunc Dionysium Alexandrinum, nunc Lucianum Antiochenum.

V. Peropportunus mihi visus est hic locus agendi de damnata in Arabiæ Synodo Berylli Bostrorum in Arabia Episcopi hæresi. Rem narrat Eusebius, non sine ingenti Origenis commendatione, qui ei Synodo non aderat tantùm, sed ingenio & authoritate præerat, etsi infra Episcoporum subsellia sederet. Divinam Christi naturam personamque à Patre distinctam negabat Beryllus. Non ergo jam dubia cuiquam esse potest doctrina, tum in Ecclesiis pervagatissima & constantissima fuisse de Christi divinitate. *Tunc temporis Beryllus, de quo superiùs dictum est, Bostrorum in Arabia Episcopus, Ecclesiasticam perverteris regulam, nova quedam & aliena à fide Catholica inducere conatus est; ausus asserere Dominum ac Servatorem nostrum antequam inter homines versaretur, non substitisse in propria persona differentia: nec propriam, sed Paternam dumtaxat divinitatem in se residentem habere. Cùmque ea de re plurimi Episcopi quæstiones ac disputationes adversus illum habuissent; rogatus unà cum reliquis Origenes, primùm quidem cum illo familiariter collocutus est, ut quanam esset hominis sententia exploraret. Postquam verò liquidò cognovit quid diceret, errorem ejus coarguit: allatisque rationibus ac demonstrationibus convictum hominem quasi manu apprehendens, ad veritatis viam perduxit, & ad pristinam sanamque sententiam revocavit. Extant hodieque tum Berylli tum Synodi ipsius causa congregata edita monumenta; in quibus & quæstiones adversùs illum propositæ ab Origene, & disputationes in Ecclesia ejus habitæ, & singula quæ tunc gesta sunt continentur.* Ubi perspicis quanta animorum consensione conspirarent omnes ad suam Christo divinitatem asserendam ante Nicænam Synodum.

Eusebius Hist. l. 6. c. 33. pag. 231.

VI. Jure ergo meritissimo Alexander Alexandrinus Episcopus in Epistola ad Alexandrinum Byzantinum data, invehitur in incredibilem effrænemque audaciam Arii, gregaliumque ejus, qui non dissimulabant novam à se doctrinam promulgari, antiquis incompertam Patribus, & Ecclesiarum magistris, atque adeo cæteris orbis Episcopis, quos sibi æquari, aut antehaberi iniquissimè ferebant. *Si ita Catholicis, si ita Arianis persuasum erat illo ipso tempore Nicænæ Synodi, si ne Ariani quidem, viri utique docti, utinam tam sani sobriique, sperabant de antiquorum Patrum patrocinio, quàm absurdum & intempestivum jam est antiquissimos Patres Arianis invitos invitis conciliare? En Alexandri verba apud Theodoretum: Nam qui aciem contra Dei Filium instruxere, contra nos ingratis animis debacchari non refugiunt, qui nec ullos secum ex antiquis comparari sinunt, nec eos quibus ab ineunte nos ætate magistris usi sumus, pares dici patiuntur. Quin immò nec ullum collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam pervenisse censent: solos se sapientes jactant, solos egestatem sectantes, solos dogmatum inventores, sibique solis ea esse patefacta quæ in nullius unquam sub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, vesaniam immensam, inanem gloriam cum furore conjunctam, Spiritum Satanicum, qui in istorum animis callum obduxit! Non illis divina veterum Scripturarum claritas pudorem incussit, non consentiens collegarum de Christo pia doctrina horum adversùs illum audaciam repressit, quorum scelus nefarium nec dæmones ipsi laturi sint; qui sedulò cavent, ne quam in Filium Dei maledicam vocem mittant.*

Theodoret. hist. l. 1. c. 3. to. 3. pag. 132.

VII. Id ipsum eliciemus ex Socratis Ecclesiastica

Socrates Vallesii. l. 5. c. 10. pag. 267.

stica historia, ubi ab eo narratur Nectarius Constantinopolitanus Episcopus consilio usus Sisinnii viri inter Novatianos doctissimi, Theodosio Imperatori pacis inter tot sectas restituendæ cupidissimo persuasisse, earum ut duces omnes percunctaretur, An veterum Doctorum Patrumque, qui ante hæc dissidia floruerant, placitis stare vellent: fore enim, ut si annuerent, productis Patrum testimoniis Ecclesiæ recolligerentur: si abnuerent, vel suis posthac contemptui & execrationi essent. *Quoniam compertum habebat*, (verba hæc sunt Socratis de Sisinnio) *veteres studiosè caviſſe, ne principium exiſtentiæ Filio tribuerent*; quippe qui *censerent illum Patri coæternum esse*: *suadet ut dialecticas quidem concertationes omittat, expositiones autem veterum in testimonium abducat: utque Imperator singularum sectarum principes interroget, utrum veterum Doctorum qui ante dissidium in Ecclesia floruissent, rationem habendam esse censerent, an vero tanquam à Christiana religione alienos eos rejicerent. Nam si illos rejiciunt, audeant igitur eos etiam anathemate damnare, Id verò si facere ausi fuerint, à multitudine vulgi protinus extrudentur. Atque hoc facto manifesta erit veritatis victoria. Quod si priscos Doctores minimè repudiabunt, nostrum erit libros veterum proferre, quorum testimonio sententia nostra confirmetur.* Paruit huic consilio Theodosius, & primatios singularum sectarum authores convocans, *id unum ex illis scisciatus est, num rationem aliquam ducerent eorum, qui ante ortam*
Pag. 368. *dissensionem Doctores Ecclesiæ extitissent, & utrum eos admitterent. Illis minimè inficiantibus, seque eos tanquam magistros impensè colere affirmantibus: iterum quæsivit Imperator, utrum illis tanquam idoneis ac fide dignis Christianæ doctrinæ testibus acquiescant.* Tum verò cùm in varias dissonantesque scinderentur opiniones Sectarum heterodoxarum Episcopi, intellexit Imperator *eos sola disputatione, non autem veterum Patrum expositione fretos esse*: atque ad alia se convertit consilia. Quamquam perfrictissimæ frontis essent isti omnes dissidentium Sectarum principes, non
l. 7. c. 12. tamen authoritatem antiquorum Patrum statim detrectare audebant. Sozomenus rem eandem narrans apertè docet acquievisse primùm illos interpretationibus veterum: nec tamen adduci potuisse, ut ex eorum doctrina quæstiones fidei in controversiam vocatæ dirimerentur. Imperator *tentare cœpit Hereticorum animos, quidnam ipsi*
Ibid. p. 719. *de veterum interpretationibus sentirent. Qui cum eas magnoperè laudassent, Imperator apertiùs ex iis percontatus est, utrum ex illorum dictis controversias decisuri essent, & num illos idoneos doctrinæ testes judicarent. Cùm verò hæc etiam de re inter Sectarum principes orta esset dissensio: neque enim eadem omnes de veterum libris sentiebant: intellexit Imperator, illos opinionum suarum altercationibus confisos conditionem propositam recusare.*

VIII. Vides hic quàm non fiderent hæretici, quàm confiderent Catholici Doctores omnes in ea se versari fidei doctrina & Theologia, quam tenuissent antiquissimi Patres, & quàm nulla adhuc comminisceremur dissidia, aut divortia sententiarum inter eos qui sequuti, eosque qui præcesserunt tempora Nicænæ Synodi. Quippe qui ex Patribus & Episcopis habebantur potissimi vindices Nicænæ fidei Synodique, illi ea ipsa defensitabant placita, quibus nunc demum cœpere quidam illinere sinistras nescio quas suspiciones. Exemplo Hilarii res fiet manifestior. Angelum illum, qui in antiquis Scripturis cum Patriarchis congrediebatur, sexcenties ille inculcavit Verbum ipsum fuisse, & Filium, à Patre missum, Patris ministrum, hominibus visibilem & palpabilem, & ejusdem tamen substantiæ & deitatis cum invisibili illo Patre, à quo mittebatur. *Sed quid tandem de eo qui Dei Angelus, quæ soli Deo propria sunt loquebatur, Scriptura testata est: Et vocavit nomen Domini qui loquebatur secum, Tu Deus qui aspexisti me. Primùm Angelus Dei, secundò Dominus. Vocavit enim nomen Domini qui loquebatur secum; dehinc tertiò Deus: Tu enim Deus qui aspexisti me. Qui Angelus Dei dictus est, idem Dominus Deus est. Est autem secundùm Prophetam Filius Dei, magni consilii Angelus: ut personarum distinctio absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus. Qui enim est Deus ex Deo, & ipse est, & Angelus Dei.* Et aliquantò inferiùs: *Deus igitur est, & qui Angelus Dei est: quia & qui Angelus Dei, Deus est ex Deo natus. Dei autem Angelus ob id dictus, quia magni consilii est Angelus. Deus verò idem postea demonstratus est: ne qui Deus est, esse Angelus crederetur.* Hilarius de Trinit. l. 4. p. 66.
Et inferiùs: *Sermonis enim exordium ab Angelo*
Pag. 68. *Dei cœpit, sed in confessione Dei constitit. Ita qui sub mysterio magni Consilii nunciandi Dei Angelus est, & ipse natura & nomine Deus est. Nomen enim naturæ, non nomini natura componitur.* An quisquam veterum expressiùs Hilario affirmavit Verbum ipsum fuisse Angelum, qui ad Patriarchas mittebatur, qui colloquia cum eis miscebat, qui Angelum se Dei & ministrum profitebatur? & tamen disertissimè idem Hilarius confitetur eum & nomine & natura Deitatis præcelluisse, idque ex Scripturis ipsis evincit. Non injuria ergo & Constantini & Theodosii temporibus Doctores Theologique Catholici consentaneos sibi fuisse confidebant Patres omnes Nicæno Concilio anteriores; diffidebant, eorumque authoritatem detrectabant Ariani.

IX. Augustinus quoque contra Adimantum Manichæum scribens docet non pugnare vetus Testamentum cum novo: etsi hic affirmetur Deum à nemine unquam visum, nec verò nisi à Filio videri posse: illic autem sæpè narretur Deus & homines allocutus, & visendum se illis præbuisse. Hinc Manichæi somniabant utriusque Testamenti fœdissimam conflictationem. Respondet autem Augustinus: *Totam ipsam solvi posse quæstionem, quia ipse Filius, qui est Verbum Dei,* cap. *non solùm novissimis temporibus, cùm in carne apparere dignatus est; sed etiam priùs à constitutione mundi, cui voluit, de Patre annunciavit, sive loquendo, sive apparendo, vel per Angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam: quia ipse est in omnibus veritas, & omnia illi constant, & omnia illi ad unum serviunt, atque subjecta sunt; ut etiam oculis per visibilem creaturam, cui vult, quando dignatur, appareat: cùm ipse tamen secundùm divinitatem suam, & secundùm id quod Verbum est Patris, coæternum Patri & incommutabile, per quod facta sunt omnia, nonnisi purgatissimo & simplicissimo corde videatur. Et ideo quibusdam locis etiam Scriptura ipsa testatur Angelum visum, ubi dicit Deum visum.*

Non video, his Augustini verbis diligenter perpensis, quid consonantius dici possit, vel Nicænæ fidei Synodoque, Verbum Patri coæternum & consubstantiale, atque incommutabile prædicanti, vel vetustioribus illis Nicæna Synodo Patribus, quos calumniantur Arii præsultores fuisse, quòd ea ipsa dicant, quæ hìc Augustinus dicit de Verbo Patriarchis olim viso congressoque. Non oscitanter verò præteriri debet, quod ait Augustinus, visum olim fuisse Verbum, non in substantia ipsa divina, qua unus est cum invisibili Patre Deus; sed vel per corporeas formas, vel per Angelica ministeria. Malim equidem per utrumque, ut Angelos inhabitaret Verbum, & per eos concinnaret sibi formas illas visibiles, quibus & Angeli, & per Angelos ipse indueretur. Ea est enim naturarum rerumque contextio, ut Verbum per Angelos, Angeli per corporeas species se nobis accommodent: & ne quid hic omittamus,

ut

ut Pater ipse summus per Verbum suum hæc omnia operetur. Est enim videturque Pater in Filio, Filius in Patre: ut nec operetur quidquam Filius, nisi Patre in ipso, cum ipso & per ipsum operante.

X. Ita certè sedabitur imaginaria illa Augustini cum Augustino pugna, vel cum aliis Patribus, ubi affirmat nonnisi temerè dici posse, *Deum Patrem nunquam Patribus aut Prophetis per aliquas formas visibiles apparuisse*. Nequaquam secum colliditur Augustinus, ubi hæc nunc de Patre, nunc de Verbo affirmat. Verè enim mittebatur à Patre Filius, & congrediebatur cum Prophetis, per Angelos corpoream aliquam formam illi sibique aptantes, nomen ejus & personam indutos, cùm non posset non inesse in persona Filii persona Patris; etsi ad Patris, velut primi principii honorificentiam & ad proprietatem ejus personalem declarandam, significaretur Filium ad nos mitti, non Patrem; Filium incarnationi suæ jam tum præludere, non Patrem: Angelos ipsos Filii potiùs personæ & nomine indui, quàm Patris; quod immediatè personam Patris repræsentare Verbi sit, non Angeli cujusquam. Huc faciunt illa Augustini ex libro contra Sermonem Arianorum: *Solus Pater non legitur missus; quoniam solus non habet authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Et ideo non propter naturæ diversitatem, quæ in Trinitate nulla est: sed propter ipsam authoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.* Etsi autem mittat ignis splendorem, non ab eo mittatur, est tamen in splendore ignis. Non erat ergo quod reformidarent Nicæni Patres sub Constantino, vel illis posteriores sub Theodosio, illis assentiri antiquioribus Patribus, qui alterum tertiumque Ecclesiæ sæculum illustraverant; non erat quod illos sibi quomodocumque adjungere sperarent Arii sectatores: cùm quæ fuerat priscorum illorum Patrum doctrina, eadem esset & Hilarii & Augustini, quæ Ario utique erat infestissima.

De Trinit. l. 2. c. 17.

Cap. 4.

XI. Sed ut intelligas, quàm constanter in Ecclesia Catholica perpetuata fuerit illa antiquissimorum & Nicænis priorum Patrum doctrina, de viso & congresso Patriarchis & Prophetis, non Patre, qui soli Filio visibilis est, sed Filio unigenito, qui & in carne tandem nostra visus est; audi & expende ut Cassianus Nestorium confutarit, & ex toto veteris instrumento Scripturæ demonstrarit Christum hominem illum ipsum esse Deum, qui legem dederat Moysi, qui figuras illas & Prophetias omnes suæ incarnationi præluserat: *Ut intelligant omnes Scripturam sacram venturum in carne Dominum toto quodammodo suo corpore quasi uno ore clamasse, &c. Jeremias ait, Hic est Dominus noster, non reputabitur alius præter eum; qui invenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post in terris visus est, & inter homines conversatus est. Hic est ergo, inquit, Deus noster.* Subdit Cassianus hunc Deum non Patrem dici, ut qui Judæis jam satis perspectus esset: sed Filium, ut illum agnoscerent legem dedisse: *Dic mihi quem Deum his signis Propheta tunc atque indiciis demonstrabat? Nunquidnam Patrem? Et quid necesse erat ostendi eum, quem se omnes nosse credebant? Sed id agebatur utique, ut Filium Dei Deum noscerent. Et ideo bene Propheta eum, qui omnem disciplinam invenisset, id est, legem dedisset, videndum in terris, id est, venturum in carne dicebat; ut quia eum qui Legem dederat, Deum esse Judei non dubitarent, eum qui in carne venturus esset, Deum esse cognoscerent.* Et infrà: *Hic ergo unus est ad Patriarchas loquens, in Prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex Virgine Maria.* Et infrà: *Numquid Pater unquam, qui nonnisi Filio tantùm visibilis esse legitur, aut in terris visus est, aut in carne editus, aut in terris conversatus est? Non utique. Intelligis ergo, quod omnia hæc de Filio dicta sint.*

Cassianus de Incarn. l. 4. c. 4.

Tutissimam ergo & manifestandæ Catholicæ veritatis, & opprimendæ hæreseos Arianæ viam inibant Theodosius Imperator, Nectarius Byzantinus, cæterique Episcopi, cùm hererodoxos Episcopos omnes, ac potissimum Arianos provocabant ad eorum vetustissimorum Præsulum doctrinam, qui ante eorum dissidia, ante Nicænæ Synodi tempora vitam egerant. Quandoquidem ne hac quidem ætate censores acerbissimi & inexorabiles deprehendere quidquam in iis potuere, quod non & Nicænis posteriores Patres Catholici defensitarint.

XII. Unus ad cumulum superest mihi laudandus hìc Prudentius Poeta, qui sub eodem Theodosio Imperatore elegantissima scripsit carmina. Pauca seligam ex ejus Apotheosi, ex quibus perspicuum fiet, quàm vulgus etiam fidelium non penitus indoctorum in eadem versaretur sententia, quam inconsideratè Theologi nunc quidam obliquis exagitant suspiciunculis. Sic ergo ille Patrem canit semper invisibilem, nunquam visum, Filium semper antè visum, visum tandem in carne: *Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum, Lumen, Imago Dei, Verbum Deus, & Deus ignis. Nam lucis genitor, Verbi sator, author & ignis, creditur extra oculos, ut Apostolus edocet author; qui negat intuitu fontem Deitatis adiri. Credite, nemo Deum vidit; mihi credite, nemo Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons visibilis. Cerni potis est, qui nascitur; at non innatus cerni potis est.* Luculentè prorsus Patrem vocat Fontem, nempe inconspicuum, de quo manat fluvius jam valdè conspicuus, etsi utriusque una aqua, una substantia. Unde infrà rursus: *Pater est quem cernere nulli est licitum: Pater est, qui nunquam visus in orbe est, &c. Est invisibilis donum Patris, edere natum visibilem, per quem valeat Pater ipse videri.* Quæ valdè consentanea sunt Augustino supra laudato.

Prud.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

TOMI TERTII,

TRACTATUS TERTIUS,

QUO PROPONITUR COMPENDIARIA OMNIUM

de Gratia Controverſiarum eluçidatio, ſemel & iterùm jam pridem Gallicè edita, nunc primùm Latinè ab Authore ipſo verſa. Ponitur autem ob oculos doctrina Auguſtini, cæterorumque ſanctorum Patrum, Græcorum & Latinorum, Thomæ Aquinatis, omniumque propemodum Scholæ Theologorum ad Concilium uſque Tridentinum, & exinde celeberrimorum quorumque Doctorum, qui Italiæ, Franciæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Belgi & Angliæ Univerſitates illuſtrarunt.

PRÆFATIO

QUALIS EDITIONI GALLICANÆ SECUNDÆ præfixa fuit anno 1682.

I. ITA mihi concordare viſi ſunt, tum ſancti Patres Græci Latinique, tum antiquiſſimi Scholæ Theologiæ Antiſtites, in omnibus quæ ad Gratiam Chriſti pertinent graviſſimis quæſtionibus; ut non vana hac jamdiu ſpe me oblectaverim, fore ut eorum omnium conſentientem doctrinam brevibus his Commentariis complecterer. Nec illud tamen diſſimulabo dolere mihi vehementer, quòd cùm centum amplius ab hinc annis in tres quatuorve Sectas ſciſſa ſit Schola, earum uni ut me addicerem, inevitabilis illiſa ſit mihi neceſſitas. Quid enim mihi optatius eſſe poſſit, quàm ut illas mutuò conciliare omnes daretur, atque ita omnibus ſibi conſonantibus aſſentiri? ut ſicut earum una eſt, & intaminata fides; ita una eſſet omnium ſententia in iis, quæ tam arctè cum fide cohæreſcunt.

II. Unum in eum ſcopum collimat tota hæc mea lucubratio. Difficiles exitus habet hic conatus; ſed magna & præclara vel conari, magnum & præclarum eſt. Sicubi certè nonnihil deflecto à doctrina gemini illius religioſiſſimi doctiſſimique Sodalitii, quo nunc ceu gemino ſidere illuminatur Eccleſia; Dominicanos dico, & Societatis Jeſu Theologos; palam profiteor & illud præ me ferro, non id eò à me fieri, quòd eam Eccleſiæ Catholicæ conſentire diffidam, aut de impenſiſſima in ejus hinc & hinc ſectatores obſervantia mea quidquam deceſſerit. Sed cùm non ea fuerit vis & acies ingenii mei, ut tantorum Theologorum penitiores omnes ſenſus pervaderem: cohibui memet intra mentis meæ anguſtias, & eam uſurpavi libertatem, quam ſuis omnibus indulget, & vendicat Eccleſia, ut inter pugnantes Scholæ ſententias, in eam concedant, cui potiſſimùm ſua cujuſque lux & ratio ſuffragatur. Ubi eo animo ſunt Theologi, ut ſint in eis opinionum, non ſunt animorum aut voluntatum diſſidia. Una veritatis charitas illos agit, & ad has vel illas appellit ſententias: & ita quas non ſequuntur, ex animo tamen reverentur. Ex hac denique opinionum diſſenſione id eluceſcit, ſi in inveſtiganda veritate non omnes eandem rant orbitam, in unum tamen omnes concurrere ſinum Charitatis, quæ ipſamet Veritas eſt.

III. Non alia certior illuſtriorque via eſt, qua ad veritatem pertingamus tandem, ejuſque ſuavitate perfruamur, quàm verecunda hæc animi ſuſpenſio, & obſervantia mutua ac infucata Theologorum cujuſvis in Schola ſectæ. Etſi una enim ſit veritas, opulentiſſima eſt tamen hæc unitas, feraciſſima eſt, & latiſſimè patet. Simpliciſſima eſt, & omnia tamen ſibi conglutinat, omnia complectitur. Individua illa quidem eſt, at radii ex ea manant innumerabiles; & alia atque alia ſine numero lumina ſunt, quibus videatur. Ita quæ nobis opiniones videntur, eæque diſſentientes, eæ altiùs introſpicientibus videri forſan poterunt ejuſdem veritatis & pulchritudinis alia & alia eſſe ſive lineamenta, ſive promicantia hinc & illinc ornamenta. Penitiùs alii vim victricem gratiæ inſpexerunt, alii illecebras ejus & blanditias libertati hominum non fruſtra inſidiantis. Hæc vis, hæc lenocinia, hæ blanditiæ poſſunt ſociari; & hæc ſocietas ſi noſtram fugit mentem, divinam nec mentem fugit, nec ſuperat poteſtatem.

IV. Quandocumque ergo ultra mentis noſtræ limites effunditur fraterna charitas & veneratio, tum veritatem in iis etiam aſſequimur, in quibus noſtra nos fallebat opinio; voluntas affigitur illi, dum animus aberrat; ad nos etiam redit fructus & voluptas ejus doctrinæ, à qua videmur alieni, dum alieni ne ſimus ab iis qui ei ſe devoverunt. Et virtus & decor omnis quorumlibet hominum nobis communicatur, dum amori nobis eſt, & honori: habetur enim virtus, dum amatur; ſapit, quiſquis ſapientiam amat; ſobrius eſt, qui ſobrietati ex animo ſtudet; Diſciplinæ ſectator eſt, qui ejus ſectatoribus conjunctiſſimus eſt.

Faces

Faces præferentibus qui se comitem dat, earum luce fruitur. Denique veritatis radios alios in aliis Christianis Scholis radiantes, qui admiratur omnes & reveretur, is tota qua fas est mortalibus veritate pascitur; cordis primùm, inde & mentis innatas angustias molestissimè ferente charitate.

V. Quæ perspectissima & exploratissima habere nobis videmur, in iis etiam persæpè allucinamur. Perspicuum id in iis est, quæ summa quandoque animorum contentione disceptantur; & hi, & illi plerumque, quod semel amplexi sunt, summa constantia, an pertinacia sequuntur, etsi diversa sequantur & pugnantia. Errant tamen indubitatissimè alterutri, forsan utrique. Hæc ergo frequenter non convictio est, sed contumacia. Atque ita ferè usuenit, ut quò obtusior quisque & ineptior est, eò præsumptis temerè opinationibus invictiùs se affigat, & prejudicia sua pro demonstrationibus habeat. Ne hos tu dixeris vehementes veritatis amatores, etsi quod verum esse opinantur, id vehementissimè teneant. Veritatis frustulum vident, quam totam à se videri jactant; hinc qua illis parte patet, ea id oppugnant quod illos latet; & præposterо veritatis amore adversùs veritatem digladiantur.

VI. Veritatem ergo ut ames fortiter, ama sapienter, ama temperanter & cum modo; ne prepropere & inconsultè amanti & amplexanti elabatur. Si quæ dubia sunt, pro certis habemus; si pro veris verisimilia; si probabilia pro demonstratis: si veritatis particulas nacti, totam nos attigisse putamus: si adversas nostræ doctrinæ doctrinas sua tamen verisimilitudine & probabilitate gaudere negamus; non is verus est & sincerus veritatis amor; nec jam nos veritatis amori servimus, sed præjudicatis opinionibus nostris.

VII. Siqua aut vera, aut similia veri esse utrimque conveniat nobis, quorsum de his contendemus, aut in partes secedemus? ita enim liquebit non veritate nos, sed nostro de veritate judicio delectari; atque adeo non ipsam nobis amori esse, sed nostras de ipsa sententias. Ejusmodi olim erat Augustini de iis expostulatio, qui suas Scripturæ interpretationes jactantiùs quàm sapientiùs venditabant; & cæteros aspernabantur, quorum verbis etsi diversis suam tamen constare veri speciem inficiari non poterant. *Non noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est.* Confess. Lib. 6. 24.

VIII. Si nostris in sententiis non placet nobis, nisi veritas, aut veritatis species: quin placeant & aliorum sententiæ, quas non dispar commendat similitudo veritatis? Lumen illud qualecumque veritatis, quod veri dicitur similitudo, omnibus in commune lucet hominibus; publicum nostri generis universi bonum est, quod nemo sibi privatim arrogare possit, nisi qui se maximè eo privari velit. Non spernenda hæc est veritatis, ceu publici thesauri delibatio, ita se nobis parcè & ex parte aperientis, & hisce nos probabilium & verisimilium doctrinarum prolusionibus roborantis, ut ipsammet aliquando tandem in splendidissima luce sua contemplari valeamus. *Amant suam sententiam, non quia vera est, sed quia sua est. Alioqui & aliam veram pariter amarent: sicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est: & ideo jam nec ipsorum est, quia verum est. Si autem ideo amant illud, quia verum est, jam & ipsorum & meum est, quoniam in commune omnium est veritatis amatorum.*

IX. Tam frequentes Christianæ & Catholicæ Scholæ in has dissonantes de Gratia sententias ultro citroque non concessissent, nisi eximia quædam illas & vehemens probabilitas illexisset. Fateor equidem posse eam his quàm illis propensiùs suffragari. Nec enim mihi has opellas meas cudenti aliud propositum fuit, quàm ut quò magis veritas propenderet, declararem. Sed cùm hinc & inde quædam subrutilet veri similitudo: sunt ergo hinc & inde lucida veritatis simulacra, quæ religioso cultu & amore prosequamur; quando Veritatis, perinde ut Deitatis vel umbræ ipsæ amori & honori nobis esse debent.

X. Erat illa quidem turpis Symmachi allucinatio, ubi omnes de Deo sententias & religiones in promiscuo jubebat haberi; quasi variæ tantùm hæ fuissent semitæ, quibus ad unum idemque deduceremur reconditissimum arcanum, seu ad primam rerum omnium principemque causam. *Æquum est, quidquid omnes colunt, unum putari. Quid interest, qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere perveniri non potest ad tam grande secretum.* Concerpens Symmachum B. Ambrosius, ostendit hac ejus Philosophia vel fœdissimam defensari idololatriam, & execrabiliora quæque mendacia in ipso summæ Deitatis fastigio collocari & coli. Epist. 31.

XI. Valentem Imperatorem adversùs Catholicos insanientem & atrocissimè sævientem revocare & mollire nitebatur Themistius Philosophus, sanctissimè affirmans, minimè mirum esse, si Christianos inter tot increbuerint Sectæ, cùm multò plures inter Gentiles ebullierint; quòd ita forsan summo Numini visum sit, ut impervia & inaccessa nobis ferè sit ejus amplitudo, ut tantò proniùs ei assurgere & morem gerere assentiamur. *Themistius Philosophus atrocitatem ejus aliqua ex parte mitigavit, dicta illi oratione, quæ προτρεπτικὸς inscribitur: in qua Imperatorem admonet, ne magnoperè miretur, quòd tanta sit dogmatum diversitas apud Christianos. Eam enim exiguam esse, si cum multitudine & discrepantia opinionum, quæ apud Gracos sunt, conferatur: quippe cùm apud istos plures quàm trecentæ sint opiniones. Porro ex varietate opinionum, necessario consequi maximam dissensionem. Deum tamen hac opinionum varietate delectari, ut singuli majestatem ipsius magis revereantur, vel ob id quòd difficile est eum cognoscere. Hæc & ejusmodi alia cùm Philosophus ei exposuisset, aliquantò mitior in posterum factus est Imperator.* Non minùs ista Themistii, quàm illa Symmachi oratio abludebat à vero, & illo ipso labefactari poterat exemplo Paganorum, quo nitebatur. Quid insulsius enim in mentem venire poterat, quàm ut Ecclesiam Christianam quis hortaretur, Gentilitatem ut à se funditus eversam imitari vellet, fovendis suo in gremio innumeris errorum & impietatum portentis, ex ineptissima hac persuasione, mendaciorum quorumlibet cultu æternam coli veritatem? Socrates l. 4. c. 31. Soct. Vales. pag. 219.

XII. Hinc luculenta illa Ambrosii Symmachum confutantis responsio, Accuratissimam Deitatis cognitionem cœlitùs nobis allapsam esse, illabente in humanos artus per Verbi Incarnationem Deitate: proindeque deinceps & ab Imperio & ab Ecclesia eliminandam esse illam plurium Sectarum licentiam, quæ non poterat non esse cujusque modi errorum licentia. *Cœli mysterium doceat me Deus ipse, qui condidit; non homo, qui seipsum ignoravit. Cui magis de Deo, quàm Deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis? Uno, inquit, itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia Dei & veritate compertum habemus.* Ambrosius Epist. 22.

XIII. Tametsi autem sempiterna Veritas & Sapientia Christus, induenda natura nostra, se se nobis ostendit & indidit; & Paganorum Hære-

Hæreticorumque Sectas omnes ab Imperio & ab Ecclesia exulare jussit; necdum tamen tenebras nostras discussit omnes, necdum omnes dubitationum nebulas abegit, quæ Veritatem vestigantibus aut contemplantibus nobis se offundunt. Multa nobis dubia, & indefinita reliquit; nec eorum nisi pedetentim & lentissimè per Ecclesiam suam definitiones promulgat. Sapientissimæ & amantissimæ ejus providentiæ condimentum hoc est, ut hac circumfusa caligine concilietur Theologis Fidelibusque omnibus, & suimet despicientia, & grati animi sensus ac memoria divinæ beneficentiæ. Permagnam quippe illa lucis jam eis infudit copiam; cumulatiorem in dies additura, si amore veri magis magisque inflammescant in dies, eamque ita mentis munditiem consequantur, orandique indefessam perseverantiam, qua in sanctissimæ Religionis penetralia possint invadere. Ita sentiebat Gregorius Nazianzenus: *Videbo, inquit ille, cœlos opera digitorum tuorum; ut conjicere possimus, ea quæ nunc cernimus, non veritatem ipsam esse, sed quædam veritatis simulacra. Quocirca si quid mihi obtemperas, hoc est, Theologo minimè audaci, ut nonnulla jam percepisti, ita ea quæ supersunt, ut percipias roga, precibusque contende. Ea parte quæ in te manet, contentus esto; reliqua in supernis thesauris recondita maneat. Per vitæ probitatem ascende: per purgationem, eum qui purus est adipiscere. Vis Theologus aliquando fieri ac divinitate dignus? mandata serva, per Dei præcepta incede. Actio enim gradus est ad contemplationem.* Orat. 29.

XIV. Addit Nazianzenus Paulo quidem ipsi Apostolo, dum hanc agitaret mortalem vitam, illum indultum fuisse superni luminis cumulum, cujus in cœlis compos futurus erat: tantòque æquius esse, ut concessæ nobis lucis modulo adquiescamus, suspiremus ad ejus incrementa, perfectionem & plenitudinem ne nobis nisi in æterna patria spondeamus. *An quisquam est mortalium, qui ad eam sublimitatem efferri possit, ut ad Pauli mensuram perveniat? At ille se tamen videre per speculum & ænigma dicit, tempusque affore, quo facie ad faciem visurus sit. Sis tu licèt aliis in disputando sublimior, at Deo haud dubiè inferior es. Sis licèt aliis fortasse acutior ac perspicacior, at certè veritate tantò posterior es, quanto essentia Dei essentiam tuam antecellit. Pollicitationem habemus, fore ut aliquando tantum cognoscamus, quantum cogniti sumus. Si in hac vita fieri non potest, ut perfectam rerum cognitionem assequamur, &c. Perfectissima rerum omnium est Dei cognitio. Verùm eam partim teneamus, partim quandiu in terra versamur, percipere studeamus, partim in futurum ævum reservemus.* Ibidem.

XV. Summo igitur hoc & incomparabili Theologo authore, tres hi sunt doctrinæ gradus secernendi. Alia enim ab Ecclesia universali edisci-mus, & ea sunt fidei ortodoxæ capita: *partim teneamus*. Alia sunt quibus rimandis vita hæc nostra insumenda est: *partim quandiu in terra versamur, percipere studeamus*. Alia sunt denique beatæ posthac vitæ sepositа: *partim in futurum ævum reservemus*. In primo & tertio genere nec dissensionibus locus est ullus, nec contentionibus. In secundo frequentissima est contendendi materia: optatissimum est, ut orandi sit potiùs, & nobis displicendi, humilitatis, patientiæ & charitatis explicandæ, mutuæque aliorum in alios observantiæ. Ut enim ajebat Nazianzenus, quantumvis acumine ingenii & sagacitate alii alios superemus; nemo hominum est, quem non divinorum veritas infinito post se & immenso quodam relinquat intervallo. *Sis licèt aliis in disputando subtilior, at Deo haud dubiè inferior es. Sis aliis perspicacior, at veritate tantò posterior es, quantò natura divina essentiam tuam antecellit.* Cum veritatis divinæ & mentis humanæ infinita sit intercapedo, nec ea possit nisi valdè mediocris esse inter ipsos homines: non prorsus recedet à vero, qui dixerit, ex æquo nos à summa Veritate summotos esse; cùm infinito ab ea sejuncti simus intervallo. Non est ergo quòd sibi valdè quisquam nostrum blandiatur, quasi fortunatior cæteris ipse fuerit in hac veritatis perscrutatione, quæ sollicitos nos hìc & occupatos habet.

Huc accedit quòd emaculatæ potiùs mentis puritate & charitate inveniatur latitans veritas, quàm ingenii solertia: *Per purificationem eum, qui purus est, adipiscere.* Precibus etiam magis, quam labore & studio panduntur hæ fores: *Ea quæ supersunt ut percipias, roga, precibusque contende.* A puritate verò animi, à charitate, & ab orandi assiduitate abest mirum in modum ille tumor, illa sui insania, qua nostras intemperantiùs amamus cogitationes, non sine cæteroram aspernatione.

XVI. Quid porrò veniæ superest, aut indulgentiæ in eos, qui concordiam dirimunt in ejus vestigatione, qui concordia ipsa est; pacemque conturbant in ipsius tractandis pacis mysteriis? Ita sanxit Deus, ut ametur veritas; sed ne abea sejungatur pax: *Pacem & veritatem* diligite. Docet & Gregorius idem Nazianzenus, quo animi æstu ardere debeamus ad pacem & concordiam in cœlestium rerum disceptationibus, cùm inconcussæ pacis serenitas in cœlis vigeat. *Pax amica, medicatio mea & decus meum, quam Dei, & cujus Deum, & quam Deum esse audimus: velut in illis Apostoli verbis, Pax Dei, & Deus pacis: &, Ipse est pax nostra: ac ne sic quidem eam veneremur. Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conservatum, ubinam nos tanto jam temporis spatio reliquisti? Quando ad nos rediturа es? Equidem te supramundales omnes cupio & exosculor, ac præsentem amplector, & absentem multis lachrymis & luctu revoco, &c.* Orat. 2. Orat. 29.

XVII. Omnibus illa quidem in commune hominibus proposita est lex, sed Theologis potissimùm, ut & profiteantur, & moribus ipsis suis testificentur Deum esse unum: unum autem non substantiæ tantùm suæ simplicitate, sed & pace ineffabili, concordia & divinarum inter se personarum charitate. Hinc Deus in sacris Litteris pax vocatur & charitas, ut his nosmet virtutibus, velut Deo adglutinemus. Hinc pax æterna inter Angelicos regnat Choros. Hinc quo propiora Deo sunt omnia, tanto beatiùs in pace & unitate conquiescunt. Idem Nazianzenus: *Pax & Charitas Deus appellatur, quo per ipsa quæque vocabula nos admoneat, ut has virtutes tanquam Deum consequi studeamus, &c. Deus unus est, & esse creditur, non minùs propter concordiam, quàm propter essentiæ identitatem, &c. Quicumque ex Deo prima, & circa Deum, hoc est cælestes virtutes, quæ primæ primum lumen haurientes, ac veritatis Verbo illustratæ, lumen quoque ipsæ sunt, ac perfecti illius luminis radii. His porro nihil tam proprium est, quàm pugnas & dissidia nescire.* Idem. Orat. 2.

XVIII. Nec inficiamur ex earundem Scripturarum doctrina inter Angelos ipsos exarsisse dissensiones: nec inter eos tantùm qui Principes vocantur tenebrarum, sed & inter Angelos lucis & pacis. Sed vel harum ipsarum contentionum magisterio imbuimur ad incorruptæ pacis studium. Ita quippe affirmat Daniel, interprete idoneo Gregorio Magno & Isidoro Peluſiota: Hæc Angelorum dissidia inde profecta esse, quòd nondum illis penitus patefacta fuissent supremi Numinis consilia: & tandiu æstuatum certatumque esse inter illas cœlestes substantias lucis & pacis amantissimas, quandiu illis divina non plenè diluxit voluntas. Cùm primùm enim illa

resplen-

resplenduit, illicò restituta pax est; quòd non de obsequio, sed de diversa & nondum satis comperta ei obsequendi ratione certamen esset. Erat quin etiam illa discordia paci amicissima, & certissima omnium consensio ad Omnipotentis jussa implenda, ubi illa patuissent: & donec paterent, promptissimis omnium votis expectanda: *Quorum tamen omnium una victoria est, sui super se opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt, &c.*

XIX. Ejusmodi esse par est Theologorum inter se contentiones. Eorum omnium amor, studium, labor uni suspirat, uni fervet veritati. Si cubi ab ea mens aberrat, cor non divellitur. Non eandem omnes viam insistunt, sed ad eandem omnes metam properant, ad quam & pervenient tandem. Discrepant sententiæ, suspite & intacto voluntatum consensu. Una forsitan eademque res est; cujus varius tamen est, & alternus aspectus. Eadem fortè veritas est, quæ præsto cùm omnibus sit, alios alia sui parte recreat. Cùm enim toti intuendæ impares sint singuli, non idem omnes in ea contuentur. Suspicari ergo non injuria possit quis, non tam de veritate, quàm de diversa veritatis specie pugnari; ut quo tandem cumque vergat victoria, non possit nisi ad veritatem vergere. Hi sunt veluti colores, inter sese longè diversissimi, nonnunquam & contrarii; cùm diversi tantummodo modi sint, unius & ejusdem lucis, inflectentis sese divertimodè, aut infringentis.

XX. Qui veri Theologi audire volent, eos opus est terrarum ita Angelos esse, sicut Angeli cœlorum Theologi sunt. Scitissimè Augustinus dixit, æterna & irrequieta meditatione sanctos Angelos vacare lectioni, intelligentiæ, & amori superni illius & mirabilis Codicis, Verbi scilicet, & voluntatis Dei. *Vident faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit aeterna voluntas tua. Legunt, eligunt & diligunt: semper legunt, & nunquam praterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam immutabilitatem consilii tui.* Est in hoc libro abstrusum & invium quid vel Angelis ipsis, qui tantò vehementiùs in illud subire ardent: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Non alia est nostrorum in terris Theologorum forma, quorum scilicet Theologia ab illa manat origine, & ad illam se refingit. Non est comparatæ jam doctrinæ modus, nisi gradus ad ulteriorem venandam. Quæ disputationes & contentiones dicuntur, incitamenta quædam ea sunt & quidem vehementissima, ad nova partæ jam eruditioni quærenda vel præsidia, vel augmenta. Conflictu ipso lux excitatur; & dum oppugnatur in speciem veritas, quàm inexpugnabilis sit demonstratur. Magno disputationum æstu ita fervent, ut ab Ecclesiæ sinu non recedant, quæ veritatis sponsa, os, & regia sedes est; ita procul exulat dissensio; aut si qua interdum perstrepit, hinc etiam augescit pulcritudo pacis, charitatis & individuæ unitatis, qua constringuntur omnes, & cui se arctissimè astringunt ipsi.

XXI. Immani & pernicioso se implicabant errore Symmachus & Themistius, cùm velle se Deum coli interpretebantur, vel multitudine mentitorum gentilitatis numinum, vel hæreticarum colluvione Sectarum in Christiani nominis dedecus exundante. Sed à vero nos haud sanè aberramus, ubi dicimus, cùm veritas divina se nobis non pandat nisi paulatim, nec nisi gradatim in has lucis semitas nos progredi sinat: coli & observari se Deum à nobis velle hoc lucis & caliginis temperamento, uti dierum & noctium vicissitudine; his nostris in veritatem ferventibus studiis, sive fugitantem, sive ingerentem se nobis; alternantibus nostris ad eam totam pervidendam, nunc hac, nunc illac conatibus; nostra denique cum iis inconvulsa pace & charitate, quibus illa aut plus, aut minùs, aut aliàs quàm nobis copiam sui facit.

XXII. Molli & sterili otio languentium hominum ajebat esse Symmachus his occupari contentionibus intelligendæ, vel exponendæ veritatis divinæ. *Quid interest, qua quisque prudentia verum requirat? uno itinere perveniri non potest ad tam grande secretum. Sed hæc otiosorum hominum disputatio est.* Et hìc rursus vehementer allucinabatur improvida hominis gentilis prudentia. Nulla enim potest homines excellentior distendere occupatio; nulla gloriæ & compendio illis esse majori, quàm ubi studium suum operamque, & vitam ipsam impendunt in scrutandis rerum divinarum arcanis. Homo quippè eo homo est, & animantes rationis expertes antecellit, quòd Dei cognitione unus donatus est. *Domine quid est homo, nisi quia innotuisti ei?* Nisi hac Dei cognitione frænaremur, ingenii nostri haud dubio vires omnes converteremus ad nequitiam, & in mutuas cædes, quo tandem obbrutescceremus, nec ratione magis quàm calamitate bruta vinceremus. Hæc denique Dei cognitio, hæc veluti lux humanæ gentis brevi extingueretur, nisi pars hominum non mediocis totam se dederet contemplandis divinis, & ei lumini effundendo in cæteras turbas, quarum mentes in terrenas curas & sordes demersæ sunt. Sic enim demum alitur in orbe hoc universo fax illa scientiæ, sapientiæ & religionis, qua homines ut sint homines omnes illuminantur; in densissimæ alioqui noctis tenebris vitam ferinam miserrimamque propagaturi.

XXIII. Ad hæc seriò advertant animum necesse est ii, quos vitæ civilis officiorum gloria fascinavit, & qui ea tantùm magni pendunt, quibus foventur, aut promoventur commoda mortalis hujus vitæ, in quam peccato delapsi sumus. Facilè illi assentirentur, sepiri obstruique aditus omnes ad litterarum gymnasia, & dicatas sapientiæ scholas ab ignobili opificum agricolarumque turba insideri. Non satis verò unquam ab illis perpensum est, nec tam facilè, nec tam diu adduci potuisse turbas has, ut tantis operum artiumque laboribus & molestiis obrui se paterentur: nisi à Theologis & sapientibus viris inculcatum illis persuasumque fuisset, non casu, non injuria factum esse, ut ipsi tantum laborum & ærumnarum sustinerent, dum otio & delitiis alii diffluunt; sed legis æternæ & summi Numinis providentia, æqua lance omnia pensantis & temporalibus sui causa exhaustis laboribus æterna gaudia despondentis. Usque adeo ergo nullius in Republica frugis, aut utilitatis videri non possunt ii, qui æternorum contemplationi se affigunt; ut his potissimùm accepta ferenda sit tota artificum industria, quos illi his immortalium præmiorum stimulis ad indefessos agunt labores.

XXIV. Quin & ipsi Philosophi Theologique operi & labori instant suo, quo sin minùs corpus, certè animus fatigatur; & nocturnis diurnisque fatigatur pensis, quorum maximè impatientes essent, qui artes, vel rura colunt. Corporis laborum conspicui sunt fructus, solatioque & voluptati statim sunt. Non ita conspicabiles sunt studiorum, contemplationis & Theologiæ fructus, si soli corporis oculi consulantur: tantò conspicabiliores oculis animi, qui ubi se in se recipit, & sese audit, non potest non illos tantò corporeis laboribus anteponere, quantò se ipse corpori suo ante stare sentit.

XXV. Si fine fine vestigat & quærit Theologia, hæc ejus præstantia est, circa id versari, quod sine fine & sine modo quærendum, sed &

vel quærendo fruendum sit. Si quæstionibus & dubitationibus inexplicabilibus implicata est, hęc est materiæ in qua versatur sublimitas, pręstantia, & infinitas. Cùm enim immensa sit ea & inenarrabilis opulentia veritatis, ita se exhibet, ut & se suffuretur; ita patet, ut & lateat; ita in aperto est, ut & invios habeat suos recessus; contrectari se sinit, mox elabitur; ad amplexus nos invitat suos, & comprehendi se vetat. Etiam dum nitet, involvit se caligine; sed ea caligo vel ipsa luce lucidior est. Divinitatis arcana verecundè ignorare, docta ignorantia est; in ea audaciùs irrumpere, temeritatis est, & cæcitatis. Ex adverso æternam & incommutabilem pervestigare veritatem, beatius, sanctiusque & honorificentius est, etsi ad eam minùs pertingas, quàm si humanas disciplinas artesque sectęris & consequaris omnes. De rebus divinis & æternis sobriè & religiosè, magna animi pace & tranquillitate dubitare, disceptare, pulcrius est, & æternæ felicitati propius, quàm summum in fastigium humanæ, sive gloriæ, sive sapientiæ conscendisse. Ceteris enim occupationibus nostris omnibus quid aliud vita nostra hęc mortalis, quàm velut inanibus quibusdam ludibriis, vel miseriæ suæ fugacibus solatiis distinetur? At noctu & interdiu Dei celsitudinem & veritatem meditari & revereri, nec non & gratiæ ejus miranda, & consiliorum abdita: jam anticipatio quædam hæc est & prægustatio cœlestis beatitudinis, & præfestina ut ita dicam æternitatis in tempore delibatio.

XXVI. Admonet Scriptura, ut Deum quęramus, & semper quęramus; ut non tantùm invenisse, sed & quęsisse ipsum, oblectamento nobis sit. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper. Lætetur cor quærentium Dominum.* Cætera non quęsisse, sed invenisse lętum est; semel inventa, non quęruntur amplius. At ita invenitur Deus, ut quærendus adhuc sit, quòd non totus inveniatur. Sed & illum non tantùm invenire, sed & quærere voluptati est; ita & qui quęrit, jam quodammodo fruitur; quòd quęri non possit, nisi ut ex parte sui aliqua inveniatur. Inexhaustus ille opum thesaurus est, auri infinita abstrusaque copia, quam qui invęniunt, & effodiunt, à quærendo & effodiendo non cessant: novæ enim semper opes effodiuntur. Siquando dubitant, si altercantur, qui auri venas delitescentes scrutantur: si non uno omnes loco, non uno modo scrutantur; nemo ambigit conducibiles & compendiosas esse has dissensiones. Ea mente Theologos esse par est, in ea de Theologis sententia cæteros æquum est esse. Audiendus hìc jam non nostris, sed suis verbis Augustinus: *Videtur, quod semper quæritur, nunquam inveniri. Et quomodo jam lætabitur, & non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire, quod quærunt? Non enim ait, Lætetur cor invenientium, sed quærentium Dominum. Et tamen Dominum Deum inveniri posse, dum quæritur, testatur Isajas, cum dicit, Quærite Dominum: & mox, Ut inveneritis, invocate eum. Si ergo quæsitus inveniri potest, cur dictum est, Quærite faciem ejus semper? An & inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit? Nisi quia cessandum non est, quandiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur; & melior meliorque sit quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & quærendum invenitur? Nam & quæritur, ut inveniatur dulcius; & invenitur, ut quæratur avidius.* De Trinit. l. 15. c. 2.

XXVII. Paulum ipsum Apostolum docet nos idem Augustinus, quanquam cœlesti cœlis in ipsis Theologia imbutus fuisset, non tamen perfectum & omnibus numeris absolutum Theologum sibi visum esse: sed exemplo pariter & præcepto ita cæteros instituisse, ut de accepta à Deo luce & peritia contenti & grato essent animo, donec Pater luminum majore illos ubertate exhilararet, residuasque expungeret dubitationum & difficultatum tenebras. *Itaque, dilectissimi, ne vos perturbet hujus quæstionis obscuritas. Moneo vos primùm, ut de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est autem, quo pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem servantes, à Domino, ut intelligatis, orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quo pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cùm dixisset nondum se esse perfectum, paulò post ait, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus. Continuoque subjunxit, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod pervenimus, & quo nondum pervenimus, pervenire poterimus; Deo nobis revelante, siquid aliter sapimus, si ea quæ jam revelavit, non relinquamus.* Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 8.

XXVIII. Docet nos idem ipse sanctissimus Doctor, quo non alius inter sanctos Patres aut doctrina, aut animi moderatione suique contemptu præstantior, non alius ad clementiam & humanitatem propensior: docet nos, inquam, idem ipse, qui tenendus sit æquitatis & indulgentiæ modus in eos, qui in doctrina à nobis dissentiunt. Illis tum scribebat, quibus minùs arridebat ejus de Prædestinatione Gratiæ sententia. Id primum constituit, Catholicos illos nihilominus esse, cùm ab orthodoxa non discedant doctrina in primariis ejus de Gratia capitibus: tum deinde addit cohortandos illos esse, ut fruantur illi quidem tributo sibi divinitus luminis modo, sed orationi instent, quò augeatur, & ad cumulum tandem perducatur. *Videre mihi videor eos fratres eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus, quibus ait: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit. Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione Sanctorum. Sed habent unde in ea si quid aliter sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent, in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cùm dixisset, Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit; Verumtamen, inquit, in quod pervenimus, in eo ambulemus. Pervenerunt autem isti fratres nostri, ut credant cum Ecclesia Christi, Peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut prævenire voluntates hominum Dei gratia fateantur; atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel proficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista, in quæ pervenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, si quid de Prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis revelabit.* Lib. de Prædest. Sanct. c. 4.

XXIX. Clarissimo Ecclesiarum Magistro, & reconditorum gratiæ dogmatum laudatissimo servatori, ita videbatur, Catholicorum ex albo expungi non posse, quicumque confiteretur, peccati labem in origine ipsa nostra nos contraxisse, sola Christi gratia posse nos justitiæ redintegrari, nec nisi prævenientis auxilio gratiæ vel incipi posse, vel perfici opus quodcumque bonum. Quod ad quæstiones autem spectat gratuitæ prædestinationis, & invictissimorum auxiliorum, quibus quos ante sæcula prædestinavit, servat Deus, & æterna consilia sua indeclinabili vi in tempore ad exitum perducit: unum id flagitat Augustinus, ut qui contraria suis placita

placita defendunt, indefessu orandi studio Patrem luminum interpellent, quò copiosiori in dies luce illos perfundat, & quæ hactenus latuerunt, aperiat: *Orent eum, qui dat intellectum: si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis quoque revelabit.* Quid opportunius dici potuit ad laudem veritatis, & ad commendandam modestiam ejus defensorum? Altiùs cæteris omnibus in ejus penetralia subiit Augustinus, nec cæteros tamen cogit Theologos, eidem cum ipso antè ut sententiæ subscribant, quàm ipsa se illis ostenderit, aut ab Ecclesia definita sit. Qui necdum Augustini penitiora dogmata capere potuerunt, illa tamen venerantur, & jugi prece aures Dei fatigant, ut illorum sibi soliditas clarescat. Quisquis ita affectus, ita animo comparatus est, is certissimè in pace & veritate diligenda Scripturis obsequitur: is juxta Augustinum in veritatem introducitur per charitatem, quando non aliud ad eam magis obvium limen est. *Non intratur in veritatem, nisi per charitatem.*

XXX. Non alius quisquam majori animi vi & eloquentiæ vigore pro Augustini doctrina certavit, quàm Prosper, ut planum est ex ejus libro contra Collatorem. Et ubi tamen ille calamum suum Cælestino Papæ commodavit, ut regulas & definitiones fidei in negotio gratiæ scriptis mandaret: eadem cum Augustino temperamenta adhibuit, apertè contestatus abstinuisse se ab iis spinosioribus quæstionibus definiendis, quæ libertati, contemplationi & precibus Theologorum permittendæ sunt. *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit prefixis sententiis esse contrarium.*

XXXI. Hic verò non possumus nos summam æterni Ecclesiæ Sponsi non admirari & adorare sapientiam, excubias pro illa agentem, & Apostolicæ maximè Sedis regendo gubernaculo incumbentem. Quantumcumque enim, dum æstuarent vel maximè disputationes, hinc & inde Theologi pro sua quisque causa desudaverint: Apostolica Petri sedes immota perstitit, decretorum olim suorum & temperamentorum retinentissima; convenienter Augustino ipsi & Prospero, Cælestino & tot aliis Pontificibus in Cælestini vestigia insistentibus, ut ne quid definiretur de quæstionibus illis difficillimis. Quo nimirum ferax & perpetua hæc esset materia exercendæ humilitatis, charitatis, moderationis, constantiæ in orando, aliarumque virtutum, ex quibus sobrii & pii veritatis indagatores non paulò plus utilitatis demetunt, quàm ex ipsius veritatis eliminatiori cognitione.

XXXII. Obiter & illud monebo Lectorem, exemplo me hìc uti Prosperi, qui laborem & industriam suam omnem contulit, ad elucidandas gratiæ quæstiones; nec tamen existimavit, sententias suas in authoritatis & fidei arcem evehendas esse: abundè esse persuasus, ut quæ faciliora sunt, & de quibus inter Catholicos constat, ab Ecclesia definirentur; cætera permitterentur vestigationi, precibus pietatique fidelium, & singulorum privatim profectui.

XXXIII. Placuit præ cæteris Facundo Hermianensi Episcopo temperata illa aureaque mediocritas, tam necessaria iis, qui hæreseos calumniam mutuò sibi illidunt, quamquam utrimque Catholicæ & fidei tenacissimi sint, & unitatis. Non is statim hæreticus, quem Catholicæ veritatis pars aliqua præterit: cùm nec Apostolis ipsis inter initia sua dogmatum morumque perfectio affuerit; cùm tam multa ignoraverint, etsi præsens & coram esset ipsa Veritas, eisque Sacerdotii & Apostolatus summa culmina largiretur. Dum mortalitatis hæc statio peragitur, nonnulla nos vallari finit Deus caligine: non ut mutuò nos hæreseos convitio impetamus; sed ut hæc sit augendæ humilitatis & sapientiæ exercitatio. Schola veritatis est Ecclesia; nec tamen in ea edisces, nisi quæ ignoraveris. *Si nunc Ecclesia quædam Christi Schola est, omnesque fideles ejus Christi dicuntur esse discipuli; nec quisquam dici potest veraciter discipulus, qui non aliquid discit; neque discitur, nisi quod ignoratur: proculdubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis jam Catholicus esse dicetur, si omnis qui de Christiana Religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? &c. Cùm ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici. Cùmque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, &c. Si illi qui præsentem habebant ipsam in corpore Veritatem, potuerunt absque crimine secus aliquid de illa minusve sentire; cur hæresis crimine deputetur, si quis in Ecclesia pietate præditus, obedientiæ devotus, subjectus & habilis ad discendum, aliquid de illa senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? Quocirca omnes qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subjectos authoritati præbent Ecclesiæ: si aliter sapiant de his quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minùs rem animadvertendo, quàm opus est: impiè proculdubio tanquam hæreticos arbitrantur.* Ep. 120. c. 11.

XXXIV. Hæc ab Augustino hauserat Facundus, quo se magistro uti profitebatur. Hauserat & ab eodem, quod inferiùs tradit, esse in Ecclesia ad eum provectos perfectionis apicem, ut ea intelligant, quæ cæteri sola fide complectuntur: esse & imperfectos atque infirmos, nonnullis erroribus fidei inimicis delusos, sed quos docilitas sua, charitas & ingens unitatis amor ita indivulsè Ecclesiæ astringit, ut ejus authoritati & sapientiæ penitùs acquiescant. Quantumvis ergo imperfecti sint, perfecti accenseri possunt, quòd perfectissimæ Ecclesiæ intelligentiæ toti incumbant. *Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiæ dono prævalent mente contemplari, quæ tantummodo creduntur ab aliis in vita perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in servanda ejus unitate perfecti; qui cùm per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cujus se confidunt unitate salvari, &c. Ita credentes juxta quendam gradum & ipsi videntur in fide perfecti, qui se perficiendos ex unitate Ecclesiæ crediderunt.* Pag. 120. 121.

XXXV. Nec fidelibus tantùm Laicis pernecessaria est hæc indulgentia; sed & doctis quandoque, & Theologis, & ipsis illis Principibus, qui clavum Ecclesiarum tenent: ut si fides Facundo adjiciatur, verendum sit, ne solitudo & vastitas inducatur Ecclesiis, si alia ineatur ratio; nec pateat Magistris ipsis & Doctoribus ea humanitas, quæ parvulos communi excipit humilitatis, charitatis & unitatis sinu. *Isti inferiores quanquam per aliquod longius intervallum, ad idem tamen aspiciunt, & illuc habent veniendi propositum. Qui si hæretici judicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de Ecclesiarum Præpositis relinquetur, quæ Catholica debeat judicari? Cùm & illos excellentioris intelligentiæ, necessitate suscepti officii per ardua gradientes, nonnunquam lapsos sinus pietatis excipiat; qua se auctoritati subdunt Ecclesiæ, cujus Magistri sunt; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Pag. 121.

XXXVI. Horum omnium fundamenta jecerat Augustinus, tum variis locis, tum in libris

ad Vincentium Victorinum de Origine animæ: Scriptori enim huic Ecclesiastico constanter affirmaverat, posse quem vel tunc Catholicum haberi Theologum, cùm propositiones minimè catholicas defendit; dum præsto sit Ecclesiæ judicio incunctanter stare: discere quæ nescierat, dedisce quæ malè didicerat: *Absit, ut arbitreris te hæc opinando à fide Catholica recessisse, quamvis ea fidei sint adversa Catholicæ, &c. Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipsa est correctionis prædeterminatione ac præparatione Catholicus.*

L. 3. Civit.

XXXVII. Has omnes moderationis regulas adhibuit S. Remigius Archiepiscopus Lugdunensis, & Ecclesia Lugdunensis ipsa, ad sopiendas quæ tunc excitatæ fuerant de Gratia controversias, sæculo Ecclesiæ nono in causa Gotteschalci Monachi. Ipsi inter se diffidebant Præsules; at cùm non ventilarentur tunc nisi quæstiones ex, quas Cælestinus Papa pronuntiaverat liberas & indefinitas, hinc contendebat Remigius integrum esse Catholicis alterutri parti accedere; neutram quippe doctrinam hæreticam dici posse, nisi ea contumacia inexpugnabili, quæ propria hæreticorum nota & labes est. *Cùm hæ duæ opiniones de hac re propositæ & expositæ fuissent, subjunctum est protinus valdè utiliter & dictum, Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cælestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in Decretis suis posuit, dicens de eis, Quæ sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.*

Simillimum veri est pugnantes has sententias fuisse hinc quidem Augustini, hinc cæterorum Patrum, maximè Græcorum; ac proinde hinc austeriores, hinc humanitati magis accommodatas. Remigius doctrina nescio, an sanctitate clarior, fidenter pronuntiavit his illisque venerationem dependendam esse, & utrimque Catholicos habendos, nisi alterutros inexpugnabilis quædam contumacia hæreticorum partibus adjungeret. Ut enim ne opiniones quidem hæreticæ hæreticos illos faciunt, qui judicium Ecclesiæ experiri & sequi parati sunt: ita vel vera ipsa doctrina potest in hæresin desciscere, si quis ea contendendi importunitate illam tueatur, quæ schismati & hæresi familiaris est. *Sit ergo de hac re inter nos istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenus & sanctis Patribus debitus servetur honos; & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum. Sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit.*

L. de tenenda veritate Script. 12.

XXXVIII. In alio quoque ejusdem Lugdunensis Ecclesiæ libello, pro eadem decertatur libertate sentiendi, & in alteruttram, ut libuerit, partem declinandi, vel in neutram: ubi illud inculcatur, quæ sua sponte libera sunt, hæretica posse fieri, quando ea contendendi indomita pervicacia defenduntur, quæ hæreticarum omnium sectarum parens est. *Si inveniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant, &c. Si placet, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur. Nulla ergo contentione pro aliis contra alios litigetur; non una sententia pro altera damnetur. Et quia verè fieri potest, ut per ignorantiam, vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nimis temerè definiatur; ut quolibet quis acquiescat modo, non sit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.*

L. De Tribus Epist. c. 4.

XXXIX. Cùm in Sardinia insula exularent complures Africæ Episcopi, eosque inter Fulgentius, scripta est ab eis vehementissima Epistola, in Augustini potissimùm doctrinæ de Gratia defensionem. Sed nec ibi tamen illud prætermittitur unitatis & charitatis delimimentum, ut pax & charitas illibata cum eis retineatur, qui alibi existimabuntur errare. Ejus autem rei ratio hæc depromitur, quòd eximendis & compescendis erroribus, & instillandæ veritati multò tempestivior sit charitas, quàm contentio. *Vos itaque dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles & immobiles: ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem. Nec de aliquo desperetis; quia qui hodie veritatem in aliquo non cognoscit, potest cras Deo revelante cognoscere: Deo enim subest, cùm volet, posse. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos possumus habere mercedem.*

XL. Luculentum est in hanc rem, quod ab Agobardo Archiepiscopo Lugdunensi propositum est Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini exemplum: qui validissimè quidem Nestorii hæresim confutaverat, sed ea tamen scriptorum ejus sorte, ut à Joanne Antiocheno Archiepiscopo Alexandrino, & à Theodoreto Episcopo Cyri & Joanni devinctissimo minùs intelligerentur. Erant hi Antistites hinc & inde Catholici: sed Joannes & Theodoretus, sive nescio qua animi alienatione à Cyrillo, sive somnolentia sua in lectitandis ejus libris, illum suspicati, ac denique calumniati sunt, ita Nestorium exagitasse, ut in Apollinaris vesaniam contrariam ipse delaberetur. Tum verò Cyrillus mira cum primis animi lenitate, non in sui tantùm, sed & in adversariorum ipsorum suorum defensionem ita incubuit, ut ne in mentem quidem illi veniret, de criminationibus iisdem, quod facillimum illi fuisset, & verisimilius, in eos retorquendis. Cyrillum fidei Catholicæ vindicem invictissimum adversùs Nestorium, Joannes & Theodoretus velut hæreticum infectabantur: contra autem Cyrillus in id totus connitebatur, ut fidem famamque Joannis & Theodoreti purgaret; eoque maximè illos in fide confirmaret, quòd illos ab ea nunquam discessisse ipsis persuaderet. Hinc admonemur, qua prudentia & circumspectione, qua charitate & pace tractandæ sint quæstiones Theologicæ; ne eodem cum Theodoreto errore implicemur, qui pro veritate contra veritatem pugnabat: & sperabat fidei nihil detrimenti importari, etsi defensores ejus hæreseos insimularentur: cùm Cyrillus ex adverso Catholicos prædicare mallet eos, quos facilè ut fidei adversantes traducere potuisset, atque ita illos Catholicæ Ecclesiæ arctiùs devinciret. Sic Agobardus adversus Dogma Felicis: *Cùm ergo utrumque, id est Nestorium & Eutychen veritas fidei abjiciat, quæ medium inter eos tenet locum; beatus Cyrillus ejusdem veritatis defensor, Alexandrinus Antistes, dum vellet corrigere Nestorii pravitatem, propter obscuritatem verborum, utpote subtilissimæ rei, offendit beatum Joannem Præsulem Antiochenæ Ecclesiæ, & eos qui cum illo erant; factaque est divisio inter Antiochenam & Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri Episcopus, ut ageret adversùs beatum Cyrillum: & mirum in modum dum essent utrique Catholici, id est, Antiocheni & Alexandrini; beatus Cyrillus dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est à Theodoreto inter Nestorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medius locus. Unde idem Theodoretus pugnans pro veritate ageret contra veritatem, dum istis Catholicis placeret, illis displiceret. Quod tamen Deo auxiliante Joannis & Cyrilli industria correctum est. Hecitaque idcirco ad medium deduxi, ut quàm subtiliter, quàm humiliter, quàm veraciter, quàm timidè fidei veritas inquirenda sit, sollicitè perpendamus.*

XLI. Ve-

XLI. Vestigia hìc Agobardus legebat Facundi Hermianensis Episcopi. Sed in hac primùm concertatione, ac deinde concordia Joannis Antiocheni & Cyrilli Alexandrini, illud in primis memorandum est, quod à Facundo animadversum est: Etsi veritas fidei, æquitas, Oecumenici Concilii Ephesini, ac denum Ecclesiæ universæ authoritas pro Cyrillo staret: ipsum tamen Orientalibus fidei suæ integritatem approbasse; ipsum, ut illos demereret, confessioni fidei ab illis scriptæ subscripsisse. Is hauddubiè cumulus fuit, quo surgere poterat humilitas, moderatio, charitas, humanitasque, cùm fidei patronus nobilissimus criminatores suos occupabat, satis illis facere satagebat, eorum doctrinæ subscribebat, quam certissimus erat esse Catholicam, etsi altercandi & calumniandi libidine sua effræni, obliquis illam suspicionibus objecissent. En verba ipsa Facundi: *Patres Orientales aliarumque provinciarum Episcopi intentione Capitulorum B. Cyrilli minùs animadverterant, ut ea etiam à Concilio Ephesino suscepta culparent, &c. Hinc creditus est Cyrillus, non rectam priùs in suis Capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium postea esse correptas: quoniam cùm ipsa unitas Ecclesiarum fieret, non Orientales Patres ejus Capitulis subscribere compulsi sunt; sed ipse potiùs expetitus est directa sibi ab eis confessioni subscribere, &c. Hinc contigit, ut conversione B. Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera cui non subreperet ista suspicio (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus) cùm nihil Orientales Patres qui hæc Capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur; B. autem Cyrillus non solùm fidei confessioni, quam, sicut necessarium crediderunt, illi dictaverunt, expetitus ante subscriberet; sed etiam ipsa sua Capitula retractaret?*

L. 6. p. 156, 157.

XLII. Si Facundum audiamus, gestiebat Cyrillus, & domi sibi plaudebat, quòd conviciis & calumniis proscinderetur, velut adversarius ejus fidei, cujus defensor erat præcipuus. Multò ille impensiùs delectabatur eo animi ardore, quo adversarii fidem Catholicam tuebantur, cui illum repugnare putabant: quàm offenderetur eorum insectationibus, quibus haud satis esset explorata fides sua. Incredibili quadam voluptate perfundebatur, contemplatione eorum commodorum, quæ ex hac dissensione emersura in Ecclesiam aliquando erant; cùm aliquando tandem intelligerent homines, eam esse doctrinæ Catholicæ lucem & constantiam, ut ne dissidentes quidem Episcopi, & in partes distracti aliud sentire potuissent, quàm quod Catholicæ fidei consentiret: altiùs consulente Deo, ut ex ipsismet dissensionibus nostris & lumina & munimenta quædam nova doctrinæ orthodoxæ accederent. *Quis autem dignè consideraret, quis verbis explicare sufficeret, quàm sapienter ad institutionem prædestinatorum humana quoque ignorantia Deus utatur: cujus omnipotens bonitas in magnam utilitatem, cùm voluerit, noxia quæque convertit? Illa namque de B. Cyrillo consacerdotum ejus ignorantia, quæ paci Ecclesiarum contraria fuerat, si quis bene consideret, institutioni Ecclesiæ nunc assertionique proficit. Evidentius enim documentum est veræ fidei, si inter se dissidentium quasi pacatorum inveniatur eadem de illa fuisse sententia.* Et aliquantò inferiùs: *Quantum B. Cyrillus lætari potuisse credendum est, cùm se videret ob eam fidem, quam tenebat, & quam ab omnibus teneri volebat, à suis consacerdotibus infectari? quod enim in illo fallebantur, nec ibi credebat statum fidei Christianæ constare; nec existimabat diu esse mansuros; cùm in ejus esset potestate, quòd postmodum fecit, dictorum suorum pandere rationem, & sedare aliter æstimantium motus. Quod autem felicius, quod constanter ea quæ veritatis fuerant asserebant, quamvis contra ipsum asseri necesse non fuerat; ibi rectæ fidei statum, ibi suam illorumque salutem, ibi Ecclesiarum omnium de cætero firmitatem consistere judicabat; ut de Incarnationis Dominicæ sacramento nemo dubitaret ulteriùs, de quo etiam inter dissidentes ac de se aliter sentientes, una inveniretur eademque sententia.*

L. 6. p. 165

XLIII. Nec inter Cyrillum tantùm Alexandrinum, Joannem Antiochenum & Theodoretum conflagravere id genus contentiones, quòd alios aliorum doctrina lateret. Docet nos Vigilius, vulgus ipsum Catholicorum non multò pòst simillimis suspicionibus & obtrectationibus efferbuisse, & mutuis se passim hæreseos accusationibus laceràsse, cùm purissima omnium undique & sana fides esset. Si geminas in Christo naturas profiterentur, ut Nestoriani traducebantur, si quo in ea re dubio æstuarent, Apollinaristæ habebantur, quòd non satis liquidò omnibus constaret, quid discriminis interesset naturæ & personæ. Catholici utrimque nihilominus erant, nec aliunde scandalorum & calumniarum seges pullulabat, quàm ex eo quòd minùs perspicuè animi sui sensa exprimerent, aut minùs quàm par esset laborarent in singulorum sententia exploranda. *Hæc multi Orthodoxorum minùs attendentes, aut attendere nolentes, vel discernere non valentes, in duas sese partes, non diversitate sententiæ, sed vocis professione diviserunt; ut id quod eodem modo (sentiunt,) pronuntiare formident; inutili profectò atque superfluo timore; ut jure illud propheticum eis posset aptari, Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Nam plerique orthodoxorum sensum utrarumque naturarum cùm catholicè exponant, ideò tamen duas nolunt dicere naturas, ne secundùm Nestorium duas putentur fateri personas: à confessione utriusque naturæ non corde, sed voce tantummodo recedentes, &c. Ecce sunt timores inanissimi & sollicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum sibi nomina impingere, dum voce depromi palpatur, quod expressius corde clamatur. Qui enim ore nolunt duas fateri naturas, quas fidei expositione defendunt, Eutychianistæ reputantur, cùm non sint. Item qui duas unius Christi naturas publicè profitentur, Nestoriani putantur esse, cùm non sint. Et videas eos luctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum nomine se invicem accusare. Tu inquit Euthychianus es; &c. tu Nestorianus es: Apostolicæ sententiæ in totum obliti, dicentis: Videte, ne cum invicem accusatis, ab invicem consumamini.*

Vigilius, L. 2.

XLIV. His exemplis & antedictis omnibus manifestum fit, antiquissimorum Patrum & Ecclesiasticorum Scriptorum doctissimos & sanctissimos quosque, Athanasium & Cyrillum Alexandrinos, Augustinum & Fulgentium, Facundum, Vigilium, Agobardum, Remigium aliosque, fixum id ratumque habuisse, id constantissimè secutos esse & in sermonibus & in lucubrationibus suis, ut Ecclesiasticos Scriptores in pace Ecclesiæ mortuos, cujus fidei & unitati semper adhæserant, ab infamia hæreseos fortè aspersa vindicarent. Ut illos sibi mutuo quantum fas esset conciliarent, quantælibet in eorum vel gestis vel scriptis discordiæ perstrepuissent. Ut catholicum in sensum torquerent, quæcumque eorum dicta eò retorqueri poterant. Ut privatas opiniones, etsi invicem adversas, in honore haberent. Ut ne damnarent, nisi quod ab Ecclesia condemnatum esset. Ut effusissimam Ecclesiæ charitatem æmularentur, quæ discrepantias illas omnes individuæ unitatis suæ sinu complectitur. Ut hanc opinionum in rebus liberis dissonantiam, existimarent non esse, nisi veluti diversos ejusdem veritatis colores, ab eadem luce exilientes; vel leviusculos Theologorum quorundam nævos, quorum non unus est perfectionis gradus, & qui in hoc mortali studio non possunt non aliquando labi. Ut eam potiùs vim animi & magnitudinem interpretarentur, quæ indulgeret & ani-

animos adderet infirmis, quàm quæ in eorum lapsus insultret. Ut ne hæreticis permisceret eos unquam, quos Ecclesia filiis semper adgregaverat suis, qui nunquam divelli se passi sunt ab hujus ubere matris, quæ errare non potest, quanquam non ea fuerit eorum lucis abundantia, ut doctrinæ & sapientiæ ejus recessus in omnes penetrare possent. Ut medium denique semper tramitem tererent, quando Catholicis inter se non convenit, quando diversus immerentibus sibi impingunt hæreses; & ad concordiam eos vocarent, suaderentque non alio magis ex capite oriri has dissensiones, quàm ex eo quòd penitus alii alios non capiant, quandoque quod in animo habent, satis expedire non possint: porrò in his tristissimis rerum commissuris, non aliud magis hæreticum videri, aut dici posse, quàm mutuam & irrevocabilem animorum alienationem, & contendendi atque calumniandi insatiatam libidinem.

TRACTATUS III.

Consensus Scholæ de Gratia.

CAPUT PRIMUM.

De Gratia Angelorum & hominis ante lapsum.

Augustin. Civit. l. 12. c. 9 l. 14. c. 19. 27.

ITA condidit Deus hominem, ut & omnibus eum dotaret consentaneis naturæ humanæ ornamentis, & ad gradum simul illum evehieret natura longè superiorem, infuso ei Spiritu sancto, infusa charitate, quæ gratia habitualis est, sive sanctificans, additis & gratiarum actualium adminiculis.

Ibidem. l. 11. c. 18. l. 14. c. 27. De Corrept. & Grat. c. 10. 11. 12.

Est porrò charitas affectus pius & cœlestis, pronitas & pondus vehemens in Deum, in justitiam, in æterna. Ea erat velut sanitas animæ, unde vigor & virium copia manabat ad cujusvis generis opera bona facienda, mala declinanda, tum in communi, tum in particulari.

Verùm ut oculus, quamlibet sanus & vegetus ad videnda & pervidenda omnia, opus habet præterea luminis adjutorio; ita voluntas hominis innocentis, quamlibet sana & robusta ex infusa sibi charitate, nec velle tamen poterat, nec facere quidquam boni, sine adjutorio gratiæ actualis.

De Correp. & Grat. c. 11. 12.

Per geminam hanc gratiam homini conciliabatur potestas, facilitas, & proclivitas ad bonum; sed non voluntas ipsa insuperabiliter applicabatur ad volendum, vel faciendum bonum. Inde fiebat, ut posset resistere atque reniti, ut reapse peccando restitit, & ponderi charitati habitualis, & motioni gratiæ actualis. Ejusmodi ergo erant hæc auxilia gratiæ, ut homo iis munitus posset facere bonum, nec semper tamen faceret; sine iis autem ne posset quidem facere.

Ibid. & De Genesi ad litt. l. 8. c. 12.

Id genus est hæc gratia, quæ ab Augustino vocatur *Adjutorium sine quo non*, nimirum sine quo non potest fieri bonum, nec tamen eo fit, ut certissimè homo illud velit, aut faciat. Longè aliud est Augustino *Adjutorium quo*, quo videlicet ineluctabiliter fit bonum. Primi generis exempla profert sanctus Pater in alimento ad vivendum, in lumine ad videndum; in Beatitudine secundi generis exemplum est. Quisquis enim beatitudine donatur, is certissimè beatus est; at qui alimenti & luminis copiam habet, non statim is aut vivit, aut videt, cùm possit his abstinere seipsum.

Hoc adjutorio gratiæ, quo plena potestas datur voluntati, quo tamen ipsa non invictissimè torquetur ad bonum: hoc, inquam, adjutorio donati sunt Angeli, donatus est & primus homo, ut in justitia perseverarent: hoc eorum aliqui perseverarunt. Vel hi ipsi autem perseverantiam suam Deo acceptam referre debuerunt. Namque primùm quidem perseverando nequaquam sese ipsi meliores fecere, quàm à Deo creati fuerant, sed in donatæ sibi charitatis & gratiæ gradu perstitere. Novos impræsentiarum gradus aliquos charitatis adipiscimur, quia gradatim ad perfectionem promovemur; at ex Augustino Angelos & Hominem statim condiderat Deus perfectionis compotes. Sunt tamen Theologi, quibus visum sit nonnullum gratiæ incrementum suo sibi merito Angelos comparasse. Cui doctrinæ non est quod magnoperè repugnemus. 2. Angelis ad perseverandum vires sufficiebat charitas, qua à Deo sibi indulta flagrabant: tametsi cæteri Angeli eadem gratia roborati, ei obsecundare renuerint. Sanitas, vigor, & robur libertatis ante peccatum, hæc ipsa erat charitas in voluntate regnans, quandiu voluntas ei charitatis regno non reluctabatur. Erat quippè ea sanitas charitasque, non adjutorium *quo*, sed *sine quo non*. 3. Satis apertè innuit Fulgentius, cùm jam Angeli nequiæ in rebellionem præcipites ire cœpissent, potuisse & bonos Angelos eodem torrente abripi, nisi Deus fidæ hactenus eorum perseverantiæ merito, antevenisset discrimen, ex innata instabilitate libertati creatæ semper imminens; & cumulatissimæ charitatis vim invictissimam & peccati insolentem, quæ ipsamet est partrix beatæ gloriæ, illis acceleraſſet. In eadem sententia versatur Bernardus, immo & Augustinus in Civitate Dei.

Fulgent. ad Trasimund. l. 1. Bernar. in Cant. & de dil. Deo. Aug. Civ. l. 12. c. 9.

Dominicanæ Scholæ Theologi, qui ab annis admodum centum gratiam illam prædeterminantem & insuperabilem efficaciam Angelis quoque ipsis necessariam fuisse sanxerunt, atque adeo hominibus primigeniæ ex statione innocentiæ nondum delapsis, ad opera bona & ad perseverantiam: iis se implicuere difficultatum laqueis, qui mihi quidem semper visi sunt inexplicabiles. Quam enim cumque gratiam homini ad perseverandum concedant, si alia præterea necessaria erat, ut reipsa perseveraret: hanc ergo Deus illi subduxit, ante etiam quàm ullo se obligasset flagitio, cùm revera non perseveraverit. Quæ ergo culpa hominis in primæva innocentia non perseverantis, cùm auxilio destitueretur ad perseverandum necessario? Ecqui Deus obedientiam præcipiebat, si auxilium negaturus erat ad obediendum necessarium? Qui potuit Deus tantam Angelorum multitudinem reprobare, & ita secum statuere, ut illos adjutorio fraudaret ad perseverandum in justitia necessario: cùm necdum ullam prævidisset eorum in peccatum prolapsionem? Denique si Angeli & primi hominis peccatum scelesto aliquo voluntatis actu peractum est; qui potuit Deus juxta hos Theologos movere & prædeterminare ad criminosum hunc actum, sive assensum, voluntatem hactenus puram & innoxiam? Ex illo ergo placito quæ nascuntur, non

Augustin. de Lib. Arbitr. l. 1. c. 15. 16.

minùs

minùs ea Augustino & Thomæ adversari videntur, quàm communi ipsi hominum sensui & judicio, pieque de Dei bonitate & justitia sententiæ.

CAPUT II.

De lapsu hominis, & de Prædestinatione gratuita.

Aug. Euch. c. 26. 27. 28. 29.

SPontaneo peccato suo, se posterosque omnes orbavit homo donis omnibus, virtutibus, gratiisque beneficiis naturam supra naturam evehentibus, à Conditore priùs concessis. Quin & gravissimè sauciatæ & debilitatæ sunt facultates ejus naturales: offusæ sunt menti tenebræ: effreni sui ipsius ceterarumque creaturarum amori immersa voluntas: universa jam tum gens humana non fuit coram Deo nisi velut massa quædam peccati & damnationis; originis ipsius contagio singulis & universis ab Adamo prognatis afflato; & ex hoc parentali delicto illa scatente culparum actualium colluvione, sine quibus non potest diutius protrahi hæc vita mortalis.

Generali ex hac damnationis massa selegit Deus quos sibi collibitum fuit, mero gratiæ suæ nutu ac misericordiæ beneficio; his gloriam prædestinavit, atque auxilia præparavit certissima & invictissima, quibus ad eam perducerentur; tantæ salutis fundamentum stamens immobile & inconcussum, Unigenitum Filium suum, quem carne nostra induere tum decrevit, ut cum incommutabili Verbo suo infunderet naturæ humanæ sapientiæ & sanctitatis suæ plenitudinem omnem. Æquissimo ceteri & tremendo justitiæ judicio relicti sunt in damnata illa perditionis massa: sive contemplatione peccati originalis, cui immorituros vidit, quibus ultra immaturæ ætatis annos non erat vitam prorogaturus: sive odio & detestatione peccati ejusdem originalis, actualibus peccatis compluribus cumulati in adultis, qui gratiam vel primum aspernarentur, vel semel acceptam conculcarent.

Augustinus De vera Relig.

Voluit enim Deus, ut electorum saluti reprobi famularentur; voluit ut & terris & ipsi rerum universæ naturæ ornamento essent. Ex naturis enim ratione præditis, quanquam sceleratissimis, plus decoris & perfectionis redundat ad absolutionem universi, quam ex cæteris omnibus ratione expertibus. Denique ita nonnullis visum est sanctissimis Patribus, præstabilius esse, ut sint homines vel inquinatissimi & infelices, quàm si prorsus non essent.

His nimirum causis post prolapsionem nostram nihilo seciùs Deus propagari voluit genus humanum, plerisque hominibus diuturnioris vitæ usuram annuit, familias, urbes, regna crebrescere jussit; ut ex innumerabili multitudine reproborum segregaret ipse, purgaret, exerceret, perficeret electos suos; atque ita mundo reprobato adversaretur mundus prædestinatus; & utriusque hujus civitatis ea essent bella, eventaque, quæ terris ornamento essent, cederentque omnia in summam Dei justitiæ & misericordiæ laudem ac commendationem.

CAPUT III.

Prima pars auxiliorum divinorum, quibus vitantur peccata, etsi necdum præparatur homo justificationi.

August. De lib. Arbit. l. 2. c. 5. & 7.

NOn potest naturæ humanæ, nisi sua ipsi ratio & intelligentia penitus excutiatur, non aliqua intercedere conjunctio & necessitudo cum sempiterna Lege & Veritate incommutabili, quæ Deus ipse est. Missos hic facio eos, qui æternis jam cruciatibus mancipati sunt, & de quibus non satis exploratum nobis est, quis supersit ipsis rationis usus. At in hac mortali statione non potest homo non æternæ Legi assurgere, ut cujus jussis dicta factaque sua omnia conformare teneatur. Ne ipsa quidem civilis hominum vita, familiarumque & civitatum administratio consistere potest, nisi vinculis constringatur legum quarundam justitiæ & æquitatis, quibus humanum genus omne subjicitur. Hinc necessariò id efficitur, non ab hominibus excogitatas eas esse, sed ita omnibus affulsisse, ut radios quosdam Legis æternæ; cùm vim suam & authoritatem terras in omnes & in omnia diffundant tempora; nec ab hominum pendeant versatili arbitrio, sed ipsos potiùs cogant suis subesse imperiis. Harum legum numerus infinitus est propemodum; utpote quòd honos parentibus & amor filiis impendendus sit, quòd sua cuique sint tribuenda; non committendum in alios, quod in nos committi nolimus; quòd sapientia, justitia, virtus quælibet vitiis præponenda sit contrariis.

August. De vera Relig. c. 19. n. 40. 41. 42.

Posita hac inter Deum & homines etiam post peccatum officiorum vicissitudine, jam fieri non potest, quin multiplici Dei adjutorio foveamur. Namque primùm penitissimo quodam semper ardemus desiderio felicitatis, quæ nullo fine claudatur, nullo errore deludatur, nulla perturbatione vexetur. Hic sanè arcanus instinctus & infitus est amor æternitatis, veritatis, verissimæ tranquillitatis, quæ bona in solo Deo reperire est. Tres illæ sunt dotes perfectissimæ, sive proprietates, aut, ut loquuntur, appropriationes trium beatissimæ Trinitatis Personarum. Atqui summum ipsum illud Bonum, à quo ita insculptus est nobis hic instinctus, nulla ut vi exsculpi possit: illum subinde excitat, movet, juvatque ad agendum, atque ita nos ad se revocat. Ita enim comparatum est, ut naturæ omnes quæ ab eo effusæ sunt, ab eodem juventur & excitentur, ut convenienter suo ordini graduique operentur, atque adeo ad Deum ut ad finem & principium omnium omnia pertrahantur.

Qua rebus creatis affigitur homo vitiosa cupiditate sua, ea ipsa ad eas hos instinctus impetusques nativos detorquet, in quibus divinæ in ipso imaginis residua sublucent vestigia. Motiones etiá divinas his instinctibus obsecundantes detorquet, ut in seipso cæterisque creaturis quærat celsitudinem, sive æternitatem; sapientiam, sive veritatem; voluptatem sive pacem, quibus bonis liquidis & qualia concupiscimus frui non datur, nisi in Deo. Hinc irrequietæ illæ hominum jactationes, quorum natura ad unum Deum ipsos allicientem suspirat, velut ad unam quietem & satietatem suam: & quorum ægritudo ad creata anhelat ludificatoria oblectamenta, quæ non possunt non offensioni magis & dolori esse, quàm voluptati. Jactationes ergo istæ Dei motioni & gratiæ adscribendæ sunt, ut quibus ad ipsum alliciamur.

His adde notitiam ingenitam Deitatis, summæque ejus præstantiæ & unitatis. Vel ipsis olim Gentilibus persuasissimum id erat, unde & Deos suos non aliter habebant, quàm ut summi Dei ministros & internuntios. In Orbe Novo, qui nobis tandem patuit ducentis ab hinc plus minùs annis

eadem

eadem Gentibus penè omnibus insederant præjudicia de summa Deitate. Hinc Patribus omnibus æquè ut Tertulliano placuit dici hac in parte Animam naturaliter Christianam.

Tertull. De Test. animæ. Augustin. De Trinit. l. 8. c. 6. & 9.

Et nonnullo adhuc in pretio & amore apud omnes homines virtus est & aspernabile vitium. Quorum vita profligatissima est, ne ii quidem temperant sibi, quin castos, temperantes, & probos laudibus prosequantur; amori etiam & veneration illos habeant. Illorum simillimos se velint esse, nisi tam magno id constaret, nisi sudandum, nisi laborandum esset. Non proficiscuntur hæc omnia, nisi ex reliquiis amoris arcani & ingeniti ad justitiam, odii similiter ingeniti & detestationis quorumlibet scelerum. Hos residuos affectus inertes jacere non sinit summum Bonum, prima causa, primus & universalis motor; ergo illos, ut & causas omnes secundas opportunis motionibus & auxiliis excitat adjuvatque, ut in actus sibi convenientes exiliant.

Addenda rursus his est, quæ vulgò dicitur Syndereseis, seu mentis cruciatio & carnificina, qua lancinantur omnes homines post peccatum perpetratum, plus minùsve alii aliis, perinde ut in nequitia obduruerunt. Cùm autem nunquam omnino extinguantur interiores hæ scelestorum lanienæ, dum hic vivitur: hinc certò colligitur, inextinctas semper quasdam superesse scintillas amoris ingeniti ad justitiam.

Inde etiam manat pudor peccandi, & peccati pœnitentia. Pudor enim ille & admittendi & admissi peccati, frænum est, quo cohibentur persæpè flagitiosi à flagitio, & innumera prævertuntur scelera.

His accedit timor æternæ pœnæ sceleribus imminentis, quo vehementer Infideles ipsi & Idololatræ perciti fuere. Occurrant ubique in fabulis Paganorum, in Philosophorum libris, in variarum Nationum historicis monumentis, earum etiam quas nuperrimè perlustravimus, hujusmodi de scelerum pœnis sempiternis narrationes. Ut hinc certissimè constet, quod scribit Tertullianus, ingenitam omnibus & anticipatam esse cognitionem Dei, ut scelerum ultoris: & tam certos esse omnes de æternis inferorum pœnis, atque de justitia divina.

His addemus omnium virtutum primordia quædam & rudimenta, omnium animis naturaliter inseminata, etiam post lapsum: ut hæc sint veluti residua lineamenta divinæ imaginis, quæ obscurari peccato potuere, non omnino oblitterari. In his residuis notis & lineis numerabis, si voles, leviores quasdam pronitates & fugacia desideria omnium ante justificationem virtutum, & divinarum perfectionum omnium innatam admirationem; nisi si qui jam ad supernum omne lumen cæcutiant, & ad omnem justitiæ sensum occalucrint. Nec enim possumus non magni facere & expetere virtutes in cæteris radiantes, easque etiam percupere, si facilè ad eas accedere detur, non abdicatis voluptatibus terrenis. Cùm ita affectæ sint etiam nunc mentes hominum, nemo jam ambiget, quin summus & primus motor moveat & excitet illas, ut convenienter his affectibus agant; cùm principis & universalis causæ sit, causas particulares movere & adjuvare omnes, pro earum ingenio & proclivitate.

August. De vera Relig. c. 49. 40. Confes. l. 1. c. 20. L. 2. c. 6. L. 4. c. 12.

Mirum dictu, etiam dum ad flagitia se convertit homo, ad eas aspirat suavissimas perfectiones, quæ uni insunt virtuti, ab uno, ut ab origine sua, scaturiunt Deo. Amat superbia præcellere, inertia quiescere, curiositas scire. At Dei solius est, & virtutis, quæ Dei simulacrum est, summam excellentiam, & quietem imperturbabilem, veritatemque & sapientiam ex omni parte absolutam obtinere. Divina motio, cùm à Bono exoriatur summo & universali, ad illudque nos revocet, neminem non excitat, ut hæc tanta bona quærat in ipso bonorum omnium fonte Deo, in quo illa insunt: at homo motiones ejusmodi deflectit, ut creatis in rebus ea aucupetur, ubi eorum non sunt nisi umbræ. Sic ex Augustino vitia sita sunt in præpostera quadam & tenebrosa imitatione Dei; quòd non possit homo tam longè à Deo recedere, & in tantam Creatoris sui dissimilitudinem tum quibuslibet in operibus aberrare, tum in natura, ut non fugientia quædam retineat ejus similitudinis vestigia.

CAPUT IV.

In primum hoc genus generalium auxiliorum necessarias quedam animadversiones.

MOtiones istæ omnes & auxilia divina, de quibus verba fecimus, spectari possunt vel ut gratiæ Creatoris, & ordinis naturalis, cùm residua sint divinæ imaginis lineamenta, & beneficia quodammodo naturalia. Sed si advertamus per peccatum excidisse nos his omnibus beneficiis, vel quolibet certè ad ea jure, ac potuisse nos jam inde in æternas pœnas deturbari: si addamus contemplatione & beneficio Verbi incarnati, quidquid hoc est gratiarum, immerenti humano generi propagatum esse: utraque ex hac ratione forsan affirmari poterit, supernaturalia jam suo quodam modo evasisse auxilia hæc omnia; & quæ fuerant Creatoris, jam Redemptoris beneficia facta esse.

Confitendum est, quin etiam, generalibus his auxiliis omnibus vitari ut summum posse peccata singula, non universa; nedum peragi opus bonum quodlibet, quo proximè vel remotè mereamur auxilia verè & propriè supernaturalia, quibus, ut infrà dicemus, justificationi præparemur.

His quippè generalibus auxiliis satis & lucis & roboris accedet homini, ut crimen aliquod declinet, & præceptum aliquod legis naturalis utcumque impleat: patri reverentiam, amico benevolentiam præstet, depositum reddat, &c. At non omnia poterit effugere peccata, non omnia implere hujus ipsius legis naturalis mandata: propterea quòd densa ejus menti insideat caligo, propensio vehemens in malum vuluntati; inveterata ipse ægritudine cùm langueat, aliquandiu poterit, non poterit semper, immo ne diu quidem vigilare & conniti. Denique quilibet homo necdum justificatus, nec bonum operatur, nec à malo declinat, nisi ægrè & difficilè. At quisquis æger est, etsi quandoque res difficiles perficit, nec frequenter id facit, nec diu.

Augustin. De peccat. mer. & rem. L. 2. c. 18. Hieron. Dialog. 3. Pelag. c. 1.

Facultas ergo homini datur generalibus his auxiliis, singula ut vitet peccata: unde & crimini illi vertitur, si in peccatum labatur, quod potuit vitare: & ea quidem de re inter Theologos convenit: sed non datur, ut universa simul declinet; quia non detur sanitas & facilitas bene agendi; quod ea non detur, vel reddatur, nisi per justificationem. Ubi autem generalibus his auxiliis & naturalibus morigeratur homo, atque ita vel peccatum aliquod vitat, vel bonum aliquod opus morale peragit, non eò tamen justificationem meretur, immo ne illi quidem præparatur. In promptu ratio est. 1. Si enim unum aliquod fugit peccatum, in complura alia prolabitur; si quid boni agit, plura omittit. 2. Ita omnes naturæ vires exuperat gratia justificationis, ut promereri non unquam possit; est enim ipsa principium & exordium meriti cujuscumque. 3. Quandiu servus peccati est homo, & mancipium diaboli, nihil à Deo mereri potest, quod ad æternam salutem pertineat; membrum Christi sit, necesse est, ut veri aliquid meriti consequatur. 4. Non peccandi si quod meritum est,

est id nimirum præstabit, ut ne pœnas des; nec præterea quidquam speres. 5. Denique quandiu homo peccato & diabolo mancipatus, plura incurrit peccata, quàm vitat: plura omittit opera bona, quàm facit: non ille sanè animam suam ad justificationem præparat, ad quam non præparatur quisquam, nisi verè supernaturalibus auxiliis.

CAPUT V.

In eandem rem necessaria quædam elucidamenta.

Epist. Prosp. & Hilarii ad August.

MUltiplici in errore versabantur Semipelagiani, ubi hominem propriis viribus sentiebant posse & velle aliquid, & facere quod initium esset boni, & gratiam Dei quomodocunque promereretur. 1. Quod vellent ad boni rudimenta nullo opus esse Dei adjutorio, quo moveretur voluntas; satis enim superque esse exteriora Dei auxilia, si vel maximè superni luminis aliquid adjiceretur. 2. Quod vellent his conatibus suis hominem gratiam Dei & justificationem certissimè allicere; cùm in confesso debeat esse, his conatibus, etiam aspirantibus generalibus auxiliis, nihil promoveri, vel ut justificationem mereantur, vel ut ad eam proximè, vel remotè præparemur. 3. Quod vellent homines his conatibus suis exerendis, vel non exerendis ad exordia aliqua voluntatis, vel actionis bonæ, authores ipsosmet esse suæ sibi sortis; ut sese ipsi discernerent; ut deinceps piorum in grege essent, vel impiorum: electorum, vel reproborum. Quod ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina mirum in modum distat.

Hinc collige, quantum tribuerent Semipelagiani seminibus virtutum, quæ post peccatum in nobis supereſſe existimabant. Nostrarum enim esse partium censebant illa excitare, ad fœcunditatem illa provehere, atque ita promereri, & nobis conciliare justificationis gratiam & prædestinationis. Cum ex adverso sanctissimi Patres Græci Latinique, hæc virtutum innata semina admiserint illi quidem, ut superstites imaginis divinæ lineas, non penitus per peccatum detritas; sed noluerint iis vitari posse peccatum quodlibet sine generalibus auxiliis, ex mera Dei misericordia indultis: nedum ad justificationem provehi nos & præparari sine speciali auxilio Dei, quode agemus capite sequenti, & quòd dicemus non annui nobis nisi ex gratia Dei multò magis speciali.

Plures erant & Molinæ allucinationes, ut liquet ex ejus Concordia, & excerptis inde Propositionibus iis, quæ ad Examen vocatæ sunt in Congregationibus De auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V. Etenim 1. ad initia prima boni non requirebat, nisi auxilium naturale, & quod ne poterat quidem Deus denegare: cùm confitendum fuisset posse nobis prima illa post peccatum auxilia denegari; cùm potuerit jam tum Deus omnes indiscriminatim, & incunctanter damnare; & probabile cum primis sit ex meritis Christi ea concedi, ut vel hinc supernaturalibus auxiliis possint annumerari. 2. Irrevocabili veluti pactione quadam volebat ille Deo Patri & Christo convenisse, ut supernaturalia gratiæ beneficia in eos dispensarentur, qui naturalibus obsequentes se præstitissent auxiliis & motionibus. Atqui ex adverso confitendum erat auxilis his naturalibus bene uti prorsus neminem, nec posse naturæ viribus gratiam allici. Quisquis enim necdum justificatus est, is in peccata crebrò defluit, quanquam singula possit vitare, & nonnulla effugiat. 3. Commentitia prorsus est illa Deum inter Patrem & Christum pactio, Augustini doctrinæ prorsus inimica, & ipsi rerum experientiæ, quæ gratiam conversionis efficacissimam dari quandoque commonstrat contaminatissimis quibusdam hominibus, aliis minùs contaminatis non dari. 4. Concursum illum suum sive auxilium Molina non voluntati infundi censebat, sed operationi ipsi nostræ, vel operi; ne præveniretur, atque ita perimeretur nostra libertas. Eo autem apertè labefactabatur gratia præveniens, tum qua Deus primùm hominem donavit, tum quam nobis Christus restituit: hæc enim voluntati ipsi infunditur, illam prævenit, & in bonum inclinat, incolumi & illæsa ejus libertate. 1. 2. q. 9. art. 5.

Sentio quàm non facilè sibi persuaderi sinant nonnulli, divinam motionem illam, qua in scelus quodpiam deflectimus, illam ipsam esse, qua nos Deus ad se trahebat, ut causa universalis, & summum bonum. At respondeo ita docuisse Thomam Aquinatem, ita ab Augustino didicisse, trahi nos à Deo per suæ pulcritudinis luculenta vestigia creatis impressa naturis, & inde promicantia, trahi certè ad ipsum: adhærescere autem nos creaturis ipsius, ut his fruamur summæ pulcritudinis simulacris, cùm per hæc ad ipsam provocaremur: ut his obiter & cursim uteremur, ad ipsum sempiternè fruendum properaremus. Minimè mirum est autem, si qui motionem divinam irritam facere omnino possunt, illi ex parte obsequantur, renitantur parte ex alia.

Anselm. De Conc. præs. prædest. & gratiæ cum lib. arb. pag. 1204. 1205.

Rem hanc eandem, eandemque doctrinam paulò aliter expedivit Anselmus; nec deerunt forsan, qui rationi ejus libentiùs assentiantur. Ingeneratus à Deo fuerat hominum cordi geminus affectus, velut cæterorum princeps & cardo affectuum, Amor honesti, & Amor commodi, ita certè ut ille huic præiret, & dominaretur. Accommodatè ad duplicem hunc affectum movebat Deus hominem. Per peccati labem posteriùs invectam, posterior hic affectus nihil detrimenti passus est, prior ille penè obtritus est; ne penitus contereretur & extingueretur, interceſſit misericordia Dei. Generalibus auxiliis pergit Deus movere hominem secundùm insitas illi affectiones & propensiones. Peccat ergo nunc homo, cùm docilem se & sequacem præbet ei motioni divinæ, quæ amorem commodi in eo excitat; non assentitur autem, nec obsequitur ei, quæ amorem excitat recti & honesti. Cùm manifestum ergo sit, plerumque nos iis morem gerere affectibus, qui cæteris sunt vehementiores: hinc patet etiam fore, ut plerumque obsequatur homo amori vehementi suo ad commodum, donec gratia justificans & charitas per Spiritum sanctum infusa cordi ejus, inferat illi affectum, vel affectus potiùs ipsamet sit in eo adhuc vehementior ad justitiam: ut infrà aperiemus, ubi dixerimus de auxiliis generalibus & specialibus, quibus ad justificationem præparamur.

CAPUT VI.

De altera parte generalium auxiliorum, quibus etsi justificationem non promereamur, ad illam tamen præparamur.

QUibus nunc de auxiliis verba facturi sumus, supernaturalia ea sunt omnino: quòd non juvent modò nos ad peccatum aliquod vitandum, vel opus bonum morale quodlibet peragendum; sed ad assurgendum ad Deum, motionibus, operationibusque virtutum supernaturalium, fidei, timoris divini, spei, charitatis. Etsi enim non extollatur homo ad statum supernaturalem & perfectum filiorum Dei, nisi per gratiam sanctificantem, quæ delibatio veluti quædam est & participatio naturæ

Molina in Concor. q. 14. art. 4. disp. 26. §. Dicendum. Et q 14 art. 13. disp. 7. § Ut ergo. § Pars affirmans. Et disp. 16. 13. &c.

naturæ divinæ: per hæc tamen auxilia actualia, de quibus sermo jam nobis est, multa opera supernaturalia edit, quanquam imperfecta: donec istorum operum principium interius in semetipso habuerit, videlicet Spiritum sanctum, & Esse divinum, per gratiam justificantem sibi infusum. Quanquam ergo quandiu eo loco est adhuc homo, *in naturalibus* adhuc sit, ut loquitur sanctus Thomas, & omnis cum eo Schola; & bona ejus opera *ex viribus naturæ* prodeant; id tamen non dicitur, nisi spectato hominis statu, cui tum necdum infusa est ipsius Esse divini participatio: non spectatis auxiliis, quibus tunc juvatur, & quæ verè supernaturalia sunt.

Ideo specialia vocantur hæc auxilia, quanquam pars quædam sint adhuc generalium auxiliorum. Generalia enim auxilia illa, de quibus suprà cap. 3. & 4. supernaturalia cùm non sint, nisi quodam modo, hæc supernaturalia omni modo sunt, & hinc illis ea nominis gloria in Scholis, ut *Speciale auxilium* dicantur. Sed cùm tamen ea in omnes, vel penè omnes disseminentur homines, meritò inter auxilia generalia collocantur. Cùm alioqui quæ specialis propriè gratia dicitur, illa demum sit, qua justificamur. Hæc auxilia dixi hominibus omnibus & singulis, aut penè omnibus esse communia, quod noluerim illi me quæstioni intricare permolestæ, de iis qui ante baptismum & ante ipsum rationis usum immatura morte rapiuntur. Omni illos videtur Augustinus gratiæ adjutorio frustrare. Libelli de Vocatione Gentium Scriptor lenimenti aliqui adhibet ejus doctrinæ austeritati. Integrum cuique est in suo sensu abundare. Mihi quidem certum est, Augustino me addicere, nec eos tamen damnare, qui his delinimentis delectantur.

Quod ad Adultos autem spectat, etsi certò constare videatur, potuisse Deum illos massæ damnationis per peccatum immersos, supernaturalibus auxiliis omnibus fraudare, ad æternam salutem nos propellentibus; antiquissimi tamen Patres omnes & omnes ferè Scholæ Theologi consentiunt, aspersisse illis Deum rorem aliquem sanguinis & meritorum Christi, per specialia hæc auxilia; & munificentiam ejus in omnes sese patiter effudisse, etsi non pari in omnes ubertate. A centum, vel viginti supra centum annis sensere Theologi quidam, inexorabili quidem nos cogi necessitate, primis illis generalibus auxiliis ad fugiendum peccatum omnes impertiendi: at non his etiam, quæ ad conversionem impellunt. Et vel ipsi tamen confessi sunt, piè verè & generaliter Patres & Theologos assentiri, horum ipsorum etiam largæ in omnes dispensationi. Hæc excogitata est nono sæculo via concordiæ in concertationibus hujus generis, quando in causa Gotteschalci Episcopi Galliarum in diversas jere sententias. Qui modi & temperamenti studiosiores fuere, illis placuit hanc admitti auxiliorum generalitatem, ut piam & veram Græcorum Patrum doctrinam, quæ universim non possit Latinorum consensioni repugnare.

Hoc sensu, omnes homines vult Deus antecedente, ut vocant, voluntate salvos fieri: hoc sensu pro omnibus dempto nemine sanguinem Christus fudit, ut Redemptor omnium. Hæc enim Dei voluntas, etsi non plenè executioni mandetur, propter hominum ei obluctantium contumaciam; sincera tamen est & benefica, omnibusque idonea & sufficientia ad salutem suppeditat adjutoria. Pro illis etiam verè Christus mortem subjit, quibus mortis ejus contemplatione hæc auxilia indulgentur.

Augustinus Enchiridi. c. 100. 101. 102. 103.

Scripturarum interpretationes istæ de voluntate Dei & de morte Christi ad omnium salutem procurandam, ex Augustini etiam libris exculpuntur; sed rariùs tamen leviùsque iis impressæ: quod nihil admodum conferrent ad eas hæreses debellandas, quæ ejus ævo adversùs Ecclesiæ Catholicæ fidem serpebant. Certè interpretationes aliæ, quas frequentiùs in ore habuit sanctus Pater, haudquaquam his adversantur. Ut enim omnibus omnino indiscriminatim generalia auxilia dilargiri potuit Deus, & justificationis præterea gratiam specialem, denique perseverantiæ gratiam maximè specialem paucis illis largiri, quos electione gratiæ cohonestavit: ita potuit æterna voluntate sua præparare & generalia illa auxilia, & efficacissima hæc quibusdam; denique his illisque impetrandis potuit Christus mortem suam impendere. De his porrò efficacissimis ad justificationem & ad perseverantiam auxiliis sermonem habet Augustinus, quando ait non voluisse Deum absolutè omnes homines salvos facere, nec sanguinem suum fudisse Christum, ut omnibus invictissima illa ad salutem auxilia donarentur.

Daret quidem indubitatissimè Deus illa omnibus efficacissima ad salutem, si generalibus auxiliis semper morigeros se præberent. Sed cùm nemo sit prorsus, qui illis semper obsequatur: integrum rursus Deo est, ex innumerabili eorum numero, qui his divinis motionibus reluctati sunt, eligere paucos illos electos, quibus per invictissima adjutoria, vel justitiam, vel certissimam in accepta justitia perseverantiam largiturus est.

Ex adultis autem neminem omnino esse, qui generalibus auxiliis docilem se & sequacem præbeat semper, permirum quidem & penè incredibile videri potest, si leviter & perfunctoriè res pensitetur: at indubitatissima tamen res est apud Theologos illos omnes, qui pro gratuita prædestinatione decertant. 1. Hæc quippe auxilia etsi omnino supernaturalia, insuperabiliter tamen non torquent voluntatem, uti nec superiora. Eis ergo aliquando resistitur. 2. Qui his excitatur auxiliis, subest adhuc peccati & dæmonum servituti, terrenisque illecebris innexam gerit voluntatem. Denique sui ipsius insano amore flagrat, usque ad contemptum Dei. His imbutus vitiis poterit ille quidem aliquandiu niti, & adversùs hanc sui cordis perversitatem pugnare: sed diu, sed diutissimè, sed semper non poterit. 3. Quisquis ita affectus est, difficilè peccata vitat, motiones divinas ad bonum ægrè & tardè sequitur. Non diu fit autem, quod ægrè & difficilè fit. 4. Denique in confesso est apud Theologos, nonnisi post justificationem, qua charitas infunditur, & cum charitate boni facilitas, posse peccata vitari omnia, & præcepta omnia etiam conjunctim impleri. Ante justificationem ad singula valemus sejunctim, non ad omnia conjunctim vel declinanda peccata, vel adimplenda præcepta: semel enim & iterum potest ingens aliqua difficultas superari, non diu, non semper, ab homine dubiæ, vel etiam afflictæ valetudinis.

CAPUT VII.

Rursum de generalibus auxiliis, quibus ad justificationem præparamur, nec eam tamen promeremur.

MAgno ergo in errore versantur qui generalia, de quibus hactenus dictum est à nobis, auxilia existimant cum doctrina prædestinationis gratuitæ conflictari. Contrà enim modò hic ostendimus alteram veluti damnationis massam, cui infixi sunt omnes adulti, quòd omnes his auxiliis frequenter obstiterint; atque ita duplici jam hoc nomine gratuita est prædestinatio; cùm ex hac altera

altera massa damnata, quos vult Deus educit, reliquis in ea dimissis.

Si perconteris autem, cur hæc auxilia illis largiatur Deus, quibus largiturus non est meliora illa, insuperabiliter peccatores ad conversionem, justos ad perseverantiam pertrahentia; cùm non nesciat sine his illa irrita fore, atque ita graviori in culpa homines fore: Respondeo 1. hac difficultate non peti, non urgeri nos privatim, sed omnes penè Theologos. 2. Permanat hæc eadem difficultas ad generalia auxilia primæ etiam speciei. Qui enim iis donantur, pluribus semper implicantur erratis, quàm si præcox illos fatum pueros rapuisset. 3. Longè gravior illis incumbit difficultatis moles, qui docent ita sufficere generalia hæc auxilia ad non peccandum, vel ad implenda mandata, ut qui his tantùm juvatur auxiliis, peccet semper, præceptis nunquam pareat. 4. Non tenetur Deus sua suspendere beneficia, etsi prævideat ingratis majori ea exitio futura. 5. Cùm consentaneum esset, ut cùm vellet Deus propagari genus humanum post lapsum, civitates & imperia condi, darentur auxilia primi generis generalia, ut posset utcumque legi naturali obtemperari: consentaneum quoque & consequens erat, dari auxilia specilia & supernaturalia. Propterea nimirum quòd inexorabilis necessitatis vinculo obligetur homo, non legis tantùm naturalis mandata servare; sed etiam Deum diligere, peccata sua lacrymis pœnitentiæ eluere, & aliis fungi officiis religiosis, quæ non possunt sine supernaturalibus auxilis impleri. 6. Cùm dicitur Deum prævidisse, rarò homines generalibus auxiliis obsecuturos, eoque crimina sua cumulaturos: supponitur hæc auxilia jam prævisa fuisse, jam data, jam repudiata. Qui ergo fieri potest, ut ea non suppeditet auxilia, quæ suppeditata prævidit? Non prævidet Deus futura, nisi quæ certò futura sunt. Ubi autem futura prævidit, jam supervacaneum est rogare, cur non prohibeat, ne sint futura. Ita Augustinus & principes ejus discipuli argumentabantur adversus consimilem Dei præscientiam conditionatam rerum futurarum non futurarum, ab adversariis gratiæ tum fabricatam.

Quod ad illud autem spectat Scholæ affatum, Non negari eis gratiam, qui ex naturæ viribus faciunt, quidquid suæ potestatis est: nunquam in mentem venit hujus effati authoribus, illa excludere generalia auxilia, quæ hominem nec justificant, nec ad esse quoddam provehunt supernaturale. Ita cùm dicitur homo agere ex viribus naturæ, homo intelligitur necdum ad esse supernaturale provectus per gratiam justificantem, etsi actualibus auxiliis non destituatur. Hoc ita posito, si non adsint homini nisi auxilia primæ speciei generalia, in multis hoc effatum à vero aberrat, 1. His auxiliis quippe declinantur peccata aliqua, non omnia; fiunt opera bona quædam moralia, sed rara. 2. Non aliud hinc emergit meritum, quàm ut effugiatur pœna, horum auxiliorum contemptui infligenda. 3. Nemo facit quod potest per hæc auxilia, quia nemo eis plenè obtemperat, ob suprà sæpiùs memoratam naturæ lapsæ & nondum restauratæ ægritudinem.

At si quis his secundi generis auxiliis generalibus & supernaturalibus omnino obtemperaret, multò similius veri est, annuendam illi fore gratiam sanctificantem. Cùm enim ad justificationem hæc auxilia præparent, veniretur aliquando tandem ad cumulatissimam præparationem. Nec tamen illud dissimulandum est, hanc abstractam esse hypothesin, quæ optari magis possit, quàm exemplo ullo comprobari. Illa est enim certissima persuasio Augustini & Thomæ, Patrum omnium & Scholæ Procerum consensione firmata, posse justos solos vitare peccata omnia lethalia, singula & universa: posse necdum justificatos vitare singula, non universa. Nemo ergo ante justificationem facit quidquid potest per auxilia generalia: cùm nemo viter peccata omnia mortalia.

Non potest igitur effato illi locus esse, nisi in illis, quibus præter auxilia generalia statuit Deus dare auxilia maximè specialia & efficacissima; ita ut illos corroborer, protegatque, summovendis occasionibus peccati & tentationibus, perducat denique ad justificationem. Hæc erat Thomæ Aquinatis sententia, quoties verba faciebat de puerulo in silvis enutrito; aut certè verba faciebat ex regulis piæ probabilitatis, commentitiæ hypotheseos, & moraliter impossibilis.

Auxilia porro, de quibus hìc disserimus, non exteriora tantùm Dei beneficia complectuntur, ut prædicationem Evangelii, miracula, &c. sed etiam lumina & incitamenta affectuum supernaturalium, quæ menti & voluntati Deus infundit, ante deliberationem & consensionem qualemcumque nostram, quibus nostræ potestatis est assentiri, vel dissentire: quibus assentimur quandoque, quandoque & dissentimus. In his potissimùm affectibus luminosis & indeliberatis, quos inspirat Deus, posita est gratia illa, quam prævenientem & excitantem appellant; quòd à sopore nescio quo nostro excitet nos, & ad Deum trahat, denique consensum nostrum antreveniat. Ubi illi assentimur, nihil aliud quam illum eundem affectum continuamus, interrumpere absistimus: & tunc gratia illa, sive affectio, adjuvans vel subsequens gratia appellatur. Hi plerumque sunt præfestini quidam veluti radii, & primi motus, sive affectus fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, amoris, aliarumque virtutum supernaturalium; quibus Deum suspicimus, ut liberatorem nostrum, exorabilemque pœnitentibus, ut vindicem impœnitentium, ut fontem justitiæ, ut summum bonum nostrum, æternamque fœlicitatem.

CAPUT VIII.

Elucidamenta quædam alia auxiliorum eorundem generalium.

Admissa & approbata est ab illustrissimo Iprensi Episcopo Jansenio gratia hæc generalis, in dono timoris servilis & aliis id genus. Invictissimè efficacem noluit esse, cùm ea sit apud illum prærogativa victricis delectationis justitiæ, sive charitatis. Generale hoc esse auxilium agnovit ex mente Augustini & antiquorum Patrum. Sed eò hallucinatus est, quòd novi semper aliquid peccati existimavit inesse actibus mero timore servili expressis. Hunc Lutheri errorem jam damnaverat Concilium Tridentinum, damnarunt & postea Scriptores omnes, qui pro tuenda Ecclesiæ fide desudarunt.

Si qui se defensioni Iprensis Episcopi addixere, bona fide hunc ejus errorem agnoscerent, haberent aliunde in ejus Scriptione gratiam verè generalem & sufficientem ad non peccandum, & ad sinceram mandatorum possibilitatem conciliandam, non justis tantùm, sed omnibus penitus hominibus. Accommodatissimè enim ad Augustini doctrinam docuit Iprensis Episcopus, non modò timorem servilem gratiam esse generalem, omnibus communem: sed hortandos etiam esse omnes, præcepta ut impleant æternæ saltem pœnæ formidine, si necdum possunt amore justitiæ. Hæc mihi profectò visa est ratio & via brevissima & sincera defendendi hujus Præsulis, astruendæ ex ejus doctrina possibilitatis præceptorum, & ereundæ ex

ejus

ejus Libro Gratiæ ad id verè sufficientis; Sed in hac ejus defensione fateri cogimur à vero aberrasse eum, ubi dixit, actibus omnibus timoris servilis nonnullam semper adhæresceræ maculam peccati. Quanquam enim qui solo agitur adhuc timore servili, peccati mancipium ipse quidem sit; actio tamen, quæ hoc stimulo exprimitur, peccaminosa non est; nisi ubi illi comes est desiderium actuale peccandi, & peccato consentiendi voluntas, si nulla æternarum pœnarum vindicta immineret.

Quòd ad gratiam autem pertinet sufficientem, quam ab annis admodum centum tueri se profitentur Dominicanæ familiæ Theologi: quæ nimirum proximam dat potestatem, ex qua tamen nullus actus sequatur unquam, quòd necessaria sit præterea gratia efficax, ut agas, etsi sufficiens det posse agere: haud arduum est divinare, unde ortum duxerit hęc opinio. Paulò enim antè diximus, convenienter antiquorum doctrinæ, auxilio generali vitari posse peccata mortalia singula, non universa; sejunctim, non conjunctim: præcepta singula impleri, non omnia diu. Facillimè id intelligitur, & ipsa suffragatur experientia, quæ docet imbecillos facilè lassari: ægrotantes diu non posse, quæ difficilia sunt, peragere, quanquam semel aut bis id possint, & singula sigillatim possint: denique omnes homines fervere ad initia aliquandiu, mox defatigari & nauseare, etsi de pristinis viribus nihil detritum sit. Ex hac ergo doctrina certissima, per auxilium generale & sufficiens potest unusquisque vitare peccata omnia, omnia observare præcepta, nec tamen id unquam præstat, quia ad id desideratur auxilium aliud speciale & efficacissimum, quode inferiùs agemus. Eò collimabant Dominicani, etsi nonnihil deflexisse videantur, ubi de auxilio ad actum quemlibet bonum necessario dixere, quod non dixerant veteres, & quod nec intelligi poterat, nisi de auxiliis generalibus ad plures, aut ad omnes actiones conjunctim.

S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8.

Si mireris autem vitari reapse à nobis peccatum aliquod, vel fieri opus aliquod bonum per hæc auxilia generalia, vel sufficientia: dicam fidenter, nihil tua hac admiratione mirabilius esse posse. Si hæc enim auxilia verè auxilia sunt, qui fieri potest, ut nihil inde utilitatis redeat ad innumerabiles homines, qui his donantur innumerabilium annorum spatio? Si bona fide sufficientia dicuntur auxilia, si proximam verè dant potestatem, qui fit ut ex innumerabili tamdiu hominum, qui ita juvantur, multitudine, vel peccatum declinat, vel præceptum observat omnino nemo? At quo tandem modo verè sufficientia sunt illa adjutoria, si præterea gratia efficax modis omnibus est necessaria? Non is potestatem habet proximam, sufficientem & completam, cui deest aliud auxilium necessarium, quod in ejus potestate non est. Frustra sunt autem, ubi respondent, aliud illis auxilium efficax dari, si bene uratur sufficienti: cùm ita censeant ipsi, ut bene uratur quis sufficienti, efficaci auxilio opus esse. Veristima ergo concordia, qua & illud verè sufficiens auxilium defendatur, & hoc tamen efficax necessarium prorsus sit; illa ipsa est, quæ à nobis est jam explanata, nempe gratiam sufficientem sufficere ad actus quoslibet faciles sejunctim; efficacem necessariam esse ad omnes actus conjunctim, quibus ad justificationem præparamur, aut quibus datur perseverantia in bono usque ad finem; denique quibus graves superantur tentationes, vel heroicæ arduæque virtutes exercentur. Non aliud capere me potuisse profiteor; nec tamen mihi decessisse quidquam de admiratione & observantia mea in alios Catholicos Theologos, qui contraria sectantur placita, quia ultra definos intelligentiæ meæ limites illi excurrere potuerunt.

Cæterùm auxilia hæc generalia, etsi omnibus dantur, non semper tamen forsan dantur, sed loco & tempore consentaneo. Fieri potest, ut qui ea diutiùs aspernantur, iis postea seponantur. Qui indurati dicuntur, iis forsan otiosatur omnino, aut parciùs iis asperguntur. In his opiniones sunt inter Theologos. Meam egomet in his non dissimulo, vel fluctuationem, vel ignorantiam.

Illud denique indubitatissimum est, auxiliis his omnibus posse quidem nos præparari ad justificationem, at non eam promereri. Nec enim meremur, nisi postquam in membra Christi adsciti sumus per gratiam justificantem, quæ nos illi copulat & incorporat. Meritum aliquando dixit Augustinus, quam dispositionem dicimus, vel præparationem. At alibi constanter eam vocem hoc sensu rejecit, gratiamque justificantem omnis meriti principium esse prædicavit. Ad hanc gratiam justificantem nunc pergamus.

CAPUT IX.

De Gratia speciali, justificante, vel habituali: Eam esse gratiam Christi proprie dictam, & excellentissimam, charitatem & delectationem justitiæ, charitatem quæ per Spiritum sanctum & cum Spiritu sancto diffunditur in cordibus nostris.

PErspicuum est hanc gratiam propriam Christi gratiam esse, & jure merito additum illi esse nomen *Gratiæ specialis* apud sanctum Thomam, & in omni Schola: *Gratia proprie dicta* apud Augustinum; *Gratia* ob excellentiam suam usitatissimè apud Patres & fideles omnes etiamnunc. Nec enim in gratia, aut in statu gratiæ esse quenquam dicimus, nisi justificatus sit. Et sanè generales omnes gratiæ ad hanc nos præparant; gratiæ actuales omnes, quæ post justificationem dantur, hujus veluti germina fructusque sunt; nec conducunt, nisi ut ea in lucis & pietatis opera sese explicet. Denique quid est perseverantiæ gratia, nisi hujus custodia ad mortem usque?

Paulus ipse nomine gratiæ toties in ejus Epistolis inculcato, illam plerumque designat, quæ peccata delet, quæ justitiam nobis infundit, quæ in Dei filios nos transcribit, quæ cum Spiritu sancto nobis illabitur, quæ per baptismum additur nobis, quæ prædestinationem necessariò consequitur, quæ Christi nos membra, Spiritus sancti templa & organa efficit, quæ novam aspirat vitam, novum dat esse, cives sanctorum & domesticos Dei efficit. At beneficia hæc omnia ipsi maximè accepta feruntur gratiæ justificanti & permanenti in justis, quæ parvulis ipsis in baptismo infunditur.

Proximè ad Paulum Paulique lumina accessit Augustinus, ut & ipse Gratiæ Doctor meritò diceretur. Plurimus ille enim est in describenda charitate justificante, & in justis permanente; de cæteris auxiliis verba non facit, nisi ob eorum cum charitate justificante connexionem, in quam denique omnia desinunt. Negabat Pelagius peccatum originale, & necessitatem ejus gratiæ, qua id deletur. Augustinus adversus eum statim constituit Ecclesiæ fidem de peccato originali, & necessitatem gratiæ Christi, ut illud eluatur; ut liquet ex ejus libris De remissione peccatorum, ubi docet hanc gratiam occultè submini- L. 1. c. 1. & 10.
strari, instillarique cordibus parvulorum dum baptizantur.

Pro-

Proprium separatim Commentarium subjiciemus, ut vel obstinatissimi fateri cogantur, charitatem, dilectionem, delectationem justitiæ, de qua tam copiosè egit Augustinus, & quam voluit esse maximè propriam & excellentissimam Christi gratiam, non aliam esse, quàm charitatem habitualem; & eam fuisse Patrum omnium doctrinam, qui in ejus vestigia sunt ingressi, uti & omnium Scholarum Theologicarum ante & post sanctum Thomam. Unum illud hìc addam, non potuisse non ita sentire Augustinum, cùm tam lubens amplecteretur, & identidem illa Pauli verba inculcaret, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Apertiora sunt hæc verba, & interpretum in ea consensus manifestior, quàm ut negare quis possit, agere hìc Paulum de gratia justificante, ea scilicet quæ parvulis etiam per baptismum infunditur.

Omnibus in Operibus suis, ubi prolixiùs de Gratia disputat sanctus Thomas, de gratia hac habituali potissimùm disputat, in ea explicanda penè totus est, vel in aperiendis ejus causis & effectis; hanc *gratiam specialem* vocat, hanc maximè *gratiæ* nomine donat; de ea potissimùm sunt Quæstiones ejus omnes, omnes penè Articuli; illi primum aptat divisiones illas Gratiæ solemnes in Prævenientem & Subsequentem, Operantem & Cooperantem; ad illam refert esse illud divinum & supernaturale, quo nos Deus nobilitat, quando in novam nos refingit creaturam. Gratiam actualem plerumque non vocat, nisi *motionem Dei*, vel *auxilium Dei moventis*. Non ita frequenter illam gratiam vocat, etsi ita quandoque eam vocet, in posterioribus maximè Scriptis suis. Qui præiverant illi Theologi; rariùs adhuc ipsi nomine gratiæ donaverant divinas illas motiones. De gratia hac actuali non ferè loquitur, nisi ex occasione data, nulla peculiariter quæstione instituta de ea, nec ullo ferè expressè articulo. Denique quidquid boni fit ante justificationem, etsi non fiat sine actualibus his & supernaturalibus auxiliis, dicitur ab eo id totum fieri *in naturalibus*, *ex viribus naturæ*. Cùm dicit, *in naturalibus*, id scilicet vult, Esse & statum ipsum hominis nondum provectum esse ad Esse divinum, & ad illud naturæ divinæ consortium, cujus participes efficimur per gratiam justificantem. Cùm verò dicit, *ex viribus naturæ*, non excludit auxilia actualia supernaturalia; sed principia interiora, vel facultates & potentias permanentes ad bene operandum, cujusmodi sunt virtutes infusæ, fidei, spei, charitatis, &c. Virtutes enim istæ sunt veluti potentiæ supernaturales, *vires*: sicut oculi auresque facultates sunt viresque naturales, ad videndum & audiendum. Qui necdum insuescere potuerant his vocibus, earumque significationibus, præfestinè quandoque Scholasticis antiquis obtrectarunt; quorum ex præstructa doctrina id emergit, ut hæc auxilia ex quibus bene operamur ante justificationem, tantò magis supernaturalia sint, quòd miro magis & inusitato more operentur, ad eas nos promovendo operationes, quarum necdum potestatem, vel facultatem proximam nacti sumus: perinde acsi daretur nobis, vel sine oculis videre, vel audire sine auribus.

In his autem omnibus insistebat sanctus Thomas in vestigia Magistri sententiarum, & eorum qui ante ipsum prima jecerant Scholasticæ Theologiæ fundamenta; Guillelmum dico Parisiensem, Guillelmum Antissiodorensem, Alexandrum Alensem, Albertum Magnum, Innocentium III. Petrum Pictaviensem, Robertum Pullum, Hugonem & Richardum de sancto Victore, aliosque plures sursum versus usque ad beatum Anselmum. Hi omnes Theologicæ Scholæ Optimates viam illam eandem jam triverant, cui insistebat Thomas Aquinas; & quæ in hunc modò observata sunt à nobis, eadem prorsus omnia observari poterant in horum de Gratia commentationibus. Denique aggressus Anselmus Prædestinationem & Gratiam humanæ libertati conciliare, de sola habituali gratia verba fecit. Ar ne dubitare quidem quisquam potest, quin tantus hic Augustini discipulus, acumine & vi ingenii incredibili cùm esset, Magistri sui Augustini doctrinam probè intellexerit, & in id desudaverit, ut cardinem ipsum tam difficilis concordiæ elucidaret.

Anselm. l. De Conc. præscien. prædest. & gratiæ cum lib. arbit.

Magistrum Sententiarum & sanctum Thomam sectati sunt cæteri Scholæ Magistri usque ad Lutheri tempora & Concilii Tridentini. In libris Lutheri & Sectatorum ejus hæreseos; adde & eorum Ecclesiæ Theologorum, qui eum confutarunt, puta Ekii, Cochlæi, Erasmi, Fischeri, & aliorum; dilucidum est in usu adhuc fuisse priscum loquendi usum; gratiæ nomine non ferè tum donatam fuisse nisi eam, quæ justificat; actualia verò auxilia appellari solita fuisse *divinam motionem*, *auxilium speciale*.

Operum Lutheri. tom. 1. & 2. Vitemberg.

At cùm inde occasionem arriperet Lutherus tritissimis his vocibus abutendi, & peccati maculam inurendi bonis omnibus operibus, quæ nos ad justificationem præparant, tanquam sine gratia editis; cœpere Catholici Theologi nomine gratiæ sæpiùs donare actualia hæc auxilia, & illam inculcare gratiæ divisionem in habitualem & actualem, quæ non ita expressè legitur, nec apud sanctum Thomam, nec apud antiquos Theologos, quanquam eidem & ipsi revera doctrinæ suffragentur. Ei usui authoritas accessit à Concilio tandem Tridentino, tributo utrique nomine gratiæ, tum habituali, tum actuali, quanquam frequentiùs habituali.

Denique propria Christi gratia illa est, quæ novi Testamenti gratia dicitur. At novi Testamenti gratia propriè non est, nisi justificatio. Gratia enim novi Testamenti ex Paulo ea est, quæ ex servis liberos, filios, amicos Dei nos facit esse; quæ pro littera occidente Spiritum lagitur vivificantem, id est, justificantem ex Augustino & aliis Patribus; quæ pro spiritu timoris, cordibus nostris charitatem inserit cum Spiritu sancto; quæ nos in unum cum Christo corpus conglutinat; quæ mortificat & vivificat; qua Christo commorimur, & conresuscitamur, unà in cœlum conscendimus, ibi cum eo conversamur, ut ejus personam induti; quædenique significabatur, non continebatur, promittebatur, non repræsentabatur sacramentis synagogæ: cùm novæ legis sacramentis & contineatur, & repræsentetur. Uni gratiæ sanctificanti & habituali arrogari jure meritò potest tota hæc gloria & munificentia. Auxiliis enim actualibus ad hæc omnia præparamur bona, non eis donamur; uti lex ad gratiam præparabat, non eam largiebatur. Itaque quandiu homo actualibus auxiliis ad justificationem præparatur, cùm necdum vel peccatis solutus sit suis, vel jugo concupiscentiæ, sub lege est adhuc, non sub gratia; ad vetus Testamentum adhuc pertinet, non ad novum: quod in vetere fit adhuc homine, donec innoverur per baptismi, vel per pœnitentiæ sacramentum. Contra autem erant veteris Testamenti tempore, qui interiùs ad novum pertinerent; non ii omnes qui actualibus auxiliis juvabantur: cùm non posset eos lex ad justificationem præparare, nisi per actualia auxilia: sed qui justificari erant. Illis enim jam incarnatus erat Christus, cùm formatus jam esset & jam hospitaretur in eorum cordibus per gratiam justificantem. Porrò indubium illud est, ut novi Testamenti tempus cœpit ab Incarnatione Verbi, quæ totius Ecclesiæ quodammodo justificatio fuit, infusa naturæ nostræ Verbi hypostasi & sanctitate ipsa ejus divinæ; ita cujusque hominum justificationem, & incorporationem

S. Thomas. 1. 2. q. 106. art. 1.

2. 2. Sect. dist. 24. 25. 26. 27. 28.

nem cum Christo, sive formationem Christi in ipso, veluti novam esse in ipso Verbi incarnationem, novi in ipso Testamenti exordium, & veluti natalem,

CAPUT X.

Iterum de eadem re; Fidem & doctrinam gratiæ habitualis eandem hactenus semper in Ecclesia viguisse, quæ nunc viget; nec aliter vel capi posse justificationem, vel exponi.

CONsentiunt Catholici omnes Theologi in hanc gratiam, & in genere in actualia auxilia supernaturalia, quibus illa nobis procuratur, aut ad operandum exinde excitatur: consentiunt inquam, velut de Fidei nobili dogmate. Non una eorum sententia est, in quæstionibus aliis ad efficaciam, vel ad efficaciæ gradum actualium auxiliorum spectantibus, & ad prædestinationem. Tolerat nonnunquam Ecclesia, etsi nunquam probet flagitia, cùm ejusmodi ea sunt, ut sine manifesto scandali, vel schismatis periculo corripi non possint. Nec approbat autem, nec tolerat unquam hæreses; ideoque nec toleraret publicè & impunè, hanc in Schola hodie licentiam aliter sentiendi in his duabus quæstionibus, nisi utraque pars posset citra fidei Catholicæ discrimen defendi. Ideo nec Pontificum Epistolæ Innocentii, Zosimi, Cælestini: nec Concilia Africana, Diospolitanum, Arausicanum, Tridentinum, quidquam disertè definierunt de his duobus, etiamnum in Schola controversis. Hinc admirari & venerari datur Numinis curam pervigilem pro Ecclesia; & tam exuberante sapientia perfundentem sedis Apostolicæ Pontifices, à quibus jussi sunt hinc & inde Theologi, ne crimen hæreseos mutuò sibi allinerent, sed ea se invicem charitate prosequerentur, qua prosequi par est ejusdem fidei defensores, donec suo Ecclesia judicio has finierit controversias. Qui subiniquè ferunt his se coerceri limitibus, videntur illi mihi quidem plus sapere se velle, quàm Ecclesiam, quæ columna est veritatis: & justitia sua regulam ipsam justitiæ superare.

Qui Augustino ex animo student, sed studio suo huic plus ardoris, quàm luminis adjiciunt, suspicabuntur forsan contumeliam illi fieri, nisi Catholicorum ex albo expungantur, qui gratuitæ prædestinationi infesti sunt & gratiæ efficaciæ vel ei potiùs rationi & viæ, qua ejus efficacia exponitur. Verùm hac ipsa in re contumelioſissimi ipsi sunt Augustino. Quæ gravior enim illi contumelia aspergi potest, quàm si dicatur pro indubitatis fidei dogmatibus venditasse ea placita, quæ Ecclesia Catholica, quæ nescit errare, in controversiam vocari sinit, & publicè oppugnari, in bene magno, forsan & in majori Christianarum Scholarum numero? Adde quòd & inconsideratius hoc studium ulteriùs aliquando progreditur, & iisdem rationibus quasi ex consequenti damnat erroris complurimos Scholæ Theologos ab annis quingentis, aut etiam sexcentis; eademque censura percellere audet Patres Ecclesiæ Græcæ omnes; ex Latinis autem eos, qui Augustino anteriores fuere, cui eos adversari falsò existimant in negotio prædestinationis & gratiæ. Æquioris censuræ cauterio censura hæc inuri potest. Quo enim ex traditionis fonte & alveo hauserit Augustinus suam de gratia doctrinam, nisi ex consensione unanimi Græcorum Latinorumque Patrum, qui ante eum Ecclesias illustrarunt? Nonne suis ipse in Libris adversùs Pelagianos editis frequentissimas Synodos congregavit ex Græcis & Latinis antè Patribus, quos eò convocaverat ad roganda eorum suffragia? An interponendam eorum sibi authoritatem censuit, ubi liberet: ubi minùs liberet, oppugnandam? Nonne fidi & constantissimi ejus discipuli, Prosper & Fulgentius, id præ se tulerunt, doctrinam ejus non aliam esse, quàm quæ Orientalis Ecclesiæ Patrum fuisset & Occidentalis? Nonne peræquè fugillati damnatique fuere Pelagiani, Constantinopoli, in Conciliis Diospolitano & Ephesino, denique in Oriente, atque in Occidente? Aug. l. 1. Prosper ad Ruff. &c. & Gennad. Fulgent. De verit. prædest. & grat. c. 6.

Si leges ergo ab Augustino præscripturas sectari volumus, non minùs ad utilitatem & charitatem pertinentes, quàm ad veritatem: zelo huic & studio nostro frænos injiciemus; & cum demum rationem, quam in his iniit Ecclesia, summæ sapientiæ & æquitati constare nobis liquebit; ac præterea intelligemus, quàm necessariò agendum nobis antè fuerit de actualibus auxiliis supernaturalibus, ad impetrandam gratiam justificantem necessariis, & ad agendum postea incitandam. Hæc enim illa duo sunt, à quibus recedere nulli unquam licuit Theologo Catholico, & de quibus nunquam fas fuit controversiam movere. Nec desunt, qui opinati sint novam esse & nuper invectam totam doctrinam de gratia habituali & inhærente. Incidere illi in eam calamitatem, quam rarò vitant, qui res tenuiter & in cortice tantùm intuentur. Viennense enim Concilium ipsum, cui innituntur, neminem unquam dubitasse declarat, quin infusione gratiæ & virtutum adulti justificarentur; idemque definiit de parvulis, qui baptizantur, juxta receptissimam inter antiquos Theologos sententiam. In causa ergo tantùm parvulorum justificationis, pauci Theologi deflexerant à communi aliorum doctrina; cui constantissimè sancti Patres suffragabantur jam olim, cùm Paulo assentiebantur, & charitati juxta ipsum diffusæ per Spiritum sanctum, & cum Spiritu sancto, ut in nobis principium sit interius, & forma ipsa justificationis. Paucæ apud Augustinum paginæ sunt, ubi non agat de charitate, uti de flamma in cordibus justorum accensa, & semper flagrante: uti de sanitate, de vigore & fortitudine animæ; uti de libertate, de filiatione, & sanctitate novæ creaturæ; uti de pondere voluntatis eorum, de voluptate, de affectu principe, & cæteris omnibus dominante. Vulgatissima & inter Patres est hæc doctrina, ut in Scripturis evidentissima, & ex ipsis fidei nostræ elementis indubitatissima. At voces istæ omnes, & delitescens in eis veritas, ad imputationem extrinsecam & moralem trahi non possunt. Flamma amoris, sanitas, fortitudo, libertas, facilitas bene agendi; pondus, delectatio, affectus cæterorum affectuum rex & dominator, non possunt non esse qualitates reales & physicæ, sed supernaturales: quas Ecclesiæ traditio ab ipsis ejus incunabulis commendavit; etsi extremis tantùm his sæculis habitum & justitiam inhærentem vocare cœperit. Minimè novum est in Ecclesia novas adhibere voces, ad antiquam fidem apertiùs declarandam. Qui non medullæ, sed cortici rerum hærent, hanc vocum novitatem facilè & temerè sibi persuadent innovationem esse doctrinæ.

Etsi seponeretur Traditio, vix aut ne vix quidem aliter capi posset nostra post peccatum justificatio. Nec enim in peccato sola est offensa Dei, ejus odium, & meritum pœnæ: sed & ægritudo est animæ, ordinis perturbatio, aversio à justitia, conversio pronitasque ad quamliber injustitiam, impotentia bene faciendi, omnium animæ affectuum perversitas, amor præsertim cæcus & præceps sui & creatarum rerum usque ad contemptum Dei. Etsi abstineret se Deus ab imputanda offensa, & ab exigenda pœna; extrinseca hæc non imputatio, uti & extrinseca imputatio justitiæ Christi, nobis justificandis impar esset; nec enim animam nostram purgaret à maculis & qualitatibus illis

illis perversis & criminosis, quas modò numeravimus. Qualitates hę omnes affectus animæ sunt veri & reales, quibus iniquus & nocens fit homo. Non ergo justificari ille poterit, nisi vera & physica infusione affectuum contrariorum. Non curabitur morbus, nisi restituta sanitate; aversio à justitia non expungetur, nisi inserto amore justitiæ: boni impotentia non excludetur, nisi infusa cum charitate facilitate boni; amor creaturæ non expugnabitur, nisi afflato amore Creatoris. Ne cogitari quidem aliter potuit justificatio omnibus retro sæculis. Hinc autem manabat eorum error, qui secus senserunt, quòd gratiam & charitatem justificantem non spectaverint, nisi ut inertem & otiosam qualitatem, languidam & emortuam: cùm Theologi antiqui omnes illam exhibuerint, ut pondus & proclivitatem animæ ad justitiam, vim, robur & ardorem ad cœlestia; denique ut affectum imperiosum, & amorem Dei in corde inhospitantis & regnantis.

CAPUT XI.

Gratiam, vel charitatem habitualem, actuosam esse, & vires addere, quibus malum vitetur, & bonum fiat.

MAgno possent hìc numero acervari rationes validissimæ ad demonstrandam vim & efficaciam gratię hujus habitualis & justificantis: sed aliquas earum hìc perstringere contenti ut simus, cogit nos necessaria compendiariæ elucidationis brevitas.

In uno habitus nomine satis esset nobis præsidii, si naturam ejus & vires serio penderemus. Inclinant enim voluntatem habitus, & vehementissimè inclinant quandoque. Quem non pertrahunt quandoque pravi habitus? Quotusquisque inveteratæ habitudinis servus, non ei insenescit & immoritur? Infusæ charitatis habitus non minus pro suo modo habet virium, ut nos trahat, quandoque & pertrahat ad bonum. August. confess. l. 8. c. 5.

In affectus voce spirat etiam quodammodo ejus efficacia. Sunt enim affectus veluti clandestinę quædam & interiores machinæ, quibus agitur & torquetur anima, illis prorsus obnoxia, etsi & quandoque suum recuperet imperium. Constat enim domari à voluntate posse, & domari reapse aliquando affectus nonnullos; sed magno ad id conamine, longo certamine opus esse; ideoque cùm laborem & luctam natura refugiat, hinc illud usuvenit, ut plerumque nostris affectibus indulgeamus. Atqui charitas affectus est, & pia, si fari licet, licet autem cum Augustino, æternorum concupiscentia est, quæ nos ad Deum rapit.

Si seriò perpendamus vires & impetum humanorum affectuum: quàm amor, ambitio, avaritia, curiositas fortes præstet homines & vegetos, infatigatos & invictos ad aucupium ludicrę voluptatis, quam sibi ex laboribus suis despondent: hinc æstimare poterimus, quantam fortitudinem addere possit charitas, humilitas, castitas, temperantia, & quæcumque demum id genus virtus. Istæ enim virtutes affectus etiam sunt, & cœlestes concupiscentiæ, quas inspirat & imprimit Deus justis, ut animosos illos, fortes & invictos reddat, victoresque difficillimarum rerum & tentationum gravissimarum. At inter habitus, affectusque & cupiditates omnium efficacissimus, imperiosissimus & invictissimus est amor. Principatum amor & imperium summum in omnes alios affectus gerit. Primus ille dici potest cardo, ex quo motus impetusque omnis imprimitur ad concitandas omnes animæ nostræ facultates. Illa ergo universim valet lex, cui exceptiones forsan aliquæ inferiùs subjicientur: Perinde ut amor qui in corde nostro dominatur, rectus, aut perversus fuerit, reliquos affectus omnes consentaneos ei futuros.

Illud Paulus, illud Augustinus iterum iterumque sanxere, ut radix est cupiditas malorum omnium, ita radicem esse bonorum omnium charitatem. Non ergo mortuæ sunt hę radices, aut steriles: sed plurima inest illis vis, vita, fœcunditas, sive in malas fruges, sive in fructus vitæ & justitiæ. At quem fallit quanta sit vis & effrænitas cupiditatis in malum?

Illud quoque frequentissimè & Paulus inculcavit & Augustinus, charitatem & cupiditatem geminas & adversarias esse delectationes, constantes stabilesque in anima, quarum illa ad legem justitię, hęc ad legem peccati propendeat. Nemo autem non sentit, nihil esse efficacius, nihil violentius esse voluptate & delectatione, ad animam quocumque rapiendam, vel à quocumque abstrahendam. Adde quòd ratio ipsa & natura justitiæ conjunctissima videtur esse cum delectationis piæ fortitudine & efficacia. Ut ne de actibus enim jam agam, & constantem dumtaxat animæ statum & dispositionem spectem: An ille satis justus est, qui languet, nutat, & anceps pendet in bono? cujus magnum robur, ingens pondus est ad malum, permodicum autem vel nullum ad bonum? qui amore impensissimo sui & mundi æstuat, ac proinde efficacissimo; Dei autem nullo, vel tepidissimo afficitur, & prorsus otioso? Verissimè ab Augustino dictum est, Justum esse non posse, qui non amat justitiam. An is autem amat justitiam, qui minùs eam amat & tepidiùs, quàm injustitiam? Ita enim anteponitur justitię injustitia. Quis porro tam impius est, ut justitiam non amet, si fas sit interim injustitiam vehementiùs amare?

His rationibus authoritate perspicua Scripturarum & Patrum munitis, aliisque non paucis alibi referendis, adducti eò sunt Theologi omnes, novi, priscique, ut de gratia habituali & justificante verba facerent, veluti de qualitate actuosa & efficaci, ut de pondere & impetu quodam. Sanctus Thomas in omnibus operibus suis easdem adhibuit voces, nec minùs frequenter adhibuit, ut vim & efficacim exprimeret gratiæ habitualis & actualis. Eas quippe dixit ad id valere, ut voluntatem juvent, moveant, inclinet ad bonum. Efficacem aliquando vocavit gratiam illam, quæ habitualis est; nunquam actuali soli eam laudem vendicavit; exemplo priscorum Theologorum gratiam habitualem ita se habere dixit ad voluntatem hominis justificati, ut equitem ad equum, cui insidet, & quem quò vult agit. Denique cum antiquis omnibus Theologis dixit, posse justificatum, at non posse nondum justificatum implere præcepta omnia, & crimina vitare omnia, tum singula seorsim, tum universa conjunctim.

Hoc autem ex effato, tam expressè apud Augustinum & apud Concilii Tridentini Patres constituto, accedente etiam Scholarum omnium consensu, posse justos, non posse impios crimina vitare omnia conjunctim etsi possint hi aliqua sejunctim; ex hoc, inquam, effato certissimè emicat, & invictissimè probatur gratiæ habitualis efficacia. Ex ea enim gratia repetendum est discrimen justorum & impiorum, cùm actualia auxilia illis quandoque saltem communia sint. Ab hac ergo gratia manat illa vis efficax, qua soli possunt justi omnia implere præcepta.

Hanc doctrinam munivit S. Thomas ratione ab Augustino petita, qua penetrare altiùs nobis dabitur in intelligentiam hujus efficaciæ. Docet enim hominis nondum justificati voluntatem à Deo aversam, ad peccatum autem & ad creaturas conversam, iisque conglutinatam, posse quidem brevissimo tempore pervigilem excubare, vim sibi facere, & per actualia auxilia cupiditatibus suis relu- 1. 2. q. 109. art. 8. & q. 24. de verit. art. 12.

reluctari, atque ita vitare peccatum aliquod. Sed quandiu ita affecta erit, non posse illam semper, immo nec diu, & quacumque occasione, maximè improvisa & inopina, ubi deliberationi locus non datur, vigilare, & vim sibi facere, & ita certare adversùs ingentes & diutinas difficultates, ut non fatiscat. Ratione & experientia plus satis constat illam tandem defatigari, & improvisis tentationibus ne repugnare quidem, sed agi & sequi quò ducit affectus cordis vehementissimus & quasi imperatorius. Justus ex adverso peccati & mundi odio percitus, Deique amore succensus, inopinis oppressus eventis, convenienter suis his affectibus aget & loquetur; præcepta observabit, non facilè tantùm, sed & suaviter, & cum voluptate; atque ita semper observare poterit; ad id quippe opus erit tantùm, ut suis affectibus, animique sui præcipuis propensionibus obsequatur, quibus ne posset quidem nisi ægrè renitii. Vulgatissima hæc fuit inter Patres Theologosque omnes argumentatio; & ex ea enitescit, quanta sit ejus vis & efficacia gratiæ, & charitatis, quæ justorum in cordibus insidet, noctuque & interdiu conflagrat.

Ab annis tamen plus minusve quinquaginta Theologi quidam nonnihil ab hac tritissima & antiquissima via deflexerunt; sic tamen ut ad illud tandem redierint, unde diverterant. Cùm enim hactenus vis & efficacia gratiæ ad bonum faciendum ad malum declinandum, partim habituali gratiæ, & partim actuali tributa fuisset: ita ut quò prisca tempora altiùs revolvuntur, eò habitualis gratiæ efficacia sæpiùs, clariùs, validiùsque confirmetur, etsi & actuali quoque gratiæ ea laus ex parte vendicetur: posteriores hi Theologi totam efficaciam huic actuali gratiæ adscripserunt. Nec longiùs tamen aberrarunt, cùm ex eo diverticulo in regiam statim viam redierint, atque gratias actuales statuerint instar habere individui satellitii, quo jugiter gratia habitualis cingatur. Ita huic geminæ conjunctim gratiæ eam adserunt, quam & antiqui Theologi efficaciam. Par ergo efficacia ab antiquis novisque Theologis gratiæ habituali tributa est; sed hoc discrimine, quòd antiqui suam sejunctim habituali, suam & actuali efficaciam assignavère; recentiores autem totam efficaciam tribuerunt tum actualibus auxiliis immediatè, tum habituali gratiæ per actualia auxilia, quæ veluti copiæ ejus sunt, & vires ei individuè cohærentes. Verborum magis hæc est, quàm rerum discrepantia: & hinc rursus mirari lubet omnipotentiam ejus Spiritus veritatis, quo aspirante & procurante, tanta est tot dissentientium Ecclesiæ Catholicæ Theologorum, toto orbe, tot volventibus sæculis, concordia.

CAPUT XII.

Charitate habituali verè suppeditari vires & potestatem implendorum præceptorum.

His ita præstructis, jam facilè intelligitur, quàm possibilia sint justis præcepta. De justis enim verba faciebat Concilium Tridentinum, & illis demum definiebat impossibilia non esse præcepta. Omnes etiam Theologi ante & post sanctum Thomam gratiæ habitualis rationem habuerant, ubi egerant de possibilitate præceptorum. Concilium Arausicanum, Africana antè Concilia facem prætulerant Concilio Tridentino. Hujus doctrinæ dux & magister, acerrimusque defensor videtur fuisse Augustinus, ubi toties illud contra Pelagianos inculcavit, non aliam nobis libertatem, hoc est, facultatem, potestatem & facilitatem esse ante justificationem, nisi ad peccandum: non restitui nobis libertatem, hoc est, potestatem & facilitatem bene agendi, nisi cùm eximit nos Christus à servitute peccati & diaboli; hanc esse justorum prærogativam, ut vitam possint sine crimine traducere, etsi non sine peccato & veniali aliquo lapsu. His effatis illud conjunctum, illud necessariò consequens est, Gratiam justificantem, quali non gaudent nisi justi, actualibus cùm semper cingatur auxiliis, illam esse, quæ proximam dat implendorum præceptorum potentiam, vel illam ipsam esse potentiam.

Non quòd non fateantur Concilia & Patres, vitari posse ab impio peccata illa singula in quę prolabitur; cùm ad id sufficienter juvetur, & eorum nonnulla viter; perinde ut justus peccata venialia quælibet vitare potest. At cùm actualia auxilia plerumque dentur pro modo habituum, affectuum, viriumque uniuscujusque: hinc fit ut non possit justus vitare peccata omnia venialia, propterea quòd gratia habitualis & charitas in eo permanens, necdum ad tantum crevit virium cumulum: nec aliter impius, etsi singula potuerit vitare crimina, non tamen vires habere dicitur, quibus ea etiam conjunctim omnia vitare possit, quòd necdum insint illi vires & affectus, quibus ad id opus esset.

Atqui demonstratum est jam suprà, gratia, seu charitate dari justis non solum potestatem, sed & facilitatem, pronitatem, delectationem implendi præcepta, & vitandi peccata. Ex eo id nascitur, opus ad id illi non fore, nisi gratia actuali, ejus simillima, quæ donati sunt Angeli & primi Parentes nostri, in beata illa innocentiæ statione: quale auxilium ab Augustino vocatur *Adjutorium sine quo non*, non *Adjutorium quo*. Duo porro illa eo discrepant, quòd illud det vires agendi, si velit; & eo agatur quandoque: hoc autem insuperabiliter torqueat voluntatem, faciatque invictissimè ut velit & agat.

Antequam Jansenii Iprensis Episcopi Commentarius de Gratia publicaretur, consentiebant Catholici omnes Theologi, actualem gratiam justis ad quodlibet opus bonum nunc necessariam, illam eandem esse, qua gaudebant Angeli & homo innocens: nec utriusque status ante & post peccatum discrimen in alio versari, quàm in perseverantia, ad quam idem *adjutorium sine quo non* homini innocenti sufficiebat: cùm impræsentiarum efficacissimo illo *adjutorio quo* indigeant certissimè justi ad perseverandum.

Voluerat Calvinus ad omnia opera bona extendere necessitatem ejus auxilii, quod desiderat Augustinus ad perseverantiam; at vehementissimè illi à Catholicis Theologis restitum est.

Et sanè in libro de Correptione & Gratia, quo uno Augustinus prolixè de hacce tota re agit, statim profitetur, & inculcatissimè posteà affirmat, evidentissimèque, de sola usque ad finem perseverantia agere se: & ubi duo illa commemorantur à se auxilia, *quo* & *sine quo non*; adjutorium *quo* efficacissimum, justis nunc post lapsum declaratur esse necessarium. Manifestissimę sunt & rationes, quæ ab eo ad id conglobantur, ubi ait non posse nos jam tot superare labores, tot persecutionibus & acerbissimis tentationibus reluctari, nisi insuperabili aliquo adjutorio roboremur. Atqui hę tantæ difficultatum moles, tentationum persecutionumque procellæ non ad quælibet incurrunt opera bona. Sunt ex eis aliqua facilia, immo & facillima: sunt & quę voluptati sint & delectamento, nullo prorsus interjecto obice.

Eandem nobiscum interpretandi hujus Augustini loci rationem sectati sunt Theologi omnes, duce sancto Thoma. Thomistis antiquis & novis omnibus convenit, eandem nunc sufficere gratiam actualem & habitualem ad quod-

quodlibet opus bonum, quæ ante peccatum sufficiebat.

Desiderant quidem ab annis admodum centum Thomistæ gratiam invictissimè efficacem ad quodlibet opus bonum; sed illam peræquè necessariam fuisse censent in primigenia innocentia. Duo sunt in quibus illis assentimur. 1. Ubi agnoscunt discrimen utriusque status, stantis & lapsi hominis, non spectare nisi ad perseverantiam usque in finem. 2. Ubi fatentur restitui nunc justum ei sanitati, robori, libertati, cujus compos erat primus parens ante peccatum: ac proinde si iisdem juvetur auxiliis, posse implere præcepta; quanquam adversùs concupiscentiæ carnalis fluctus, quibus per omne mortale hoc curriculum impetitur, auxilio indigeat validiore ad perseverandum usque in finem. In his duobus summa est cum illis cæterorum etiam Theologorum consensio.

CAPUT XIII.

Posse à nobis nunc opera aliqua bona edi per eandem gratiam habitualem & actualem, per quam poterat homo ante lapsum omnia implere præcepta, & perseverare usque in finem; nec semper egere nos delectatione boni prædeterminante.

MAnifestissimè conflictati secum visus est Jansenius Iprensis Episcopus, ubi docuit potuisse hominem ante lapsum bene operari, immo & in justitia perseverare usque in finem, per solum *adjutorium sine quo non*: at hominem reparatum à lapsu & justificatum, nihil operis boni agere posse, quantumvis facile illud sit, si auxilio tantùm eo actuali juvetur, quo voluntas ejus non invictissimè determinetur. 1. An reparatus enim dici potest, si nihil prorsus potest cum eo auxilio, quocum antè omnia poterat?

2. Quomodo per justificationem reddita est illi vita & sanitas, si nihil eorum potest, quæ poterat? An vivit, qui ne movere se quidem potest? Estne vera sanitas illa, estne initiata saltem sanitas, quæ ne gradum quidem unum promovere potest, ne rem quidem facillimam facere, vel incipere?

3. Restituta nobis est ex Augustino per justificationem libertas boni, hoc est facilitas bene operandi, quam in Adamo amiseramus. Si hæc restituta nobis est facilitas, aliquid ergo boni moliri poterimus, eodem muniti adjutorio quo Adamus innocens.

4. Ex eodem Augustino, quin immo ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, baptismo non aboletur tantùm peccatum, sed nova inditur vita, resculpitur imago Dei primæva, in novam excitamur creaturam. An iis verè innovatus & redintegratus est, qui de pristino suo ad bonum operandum robore ne tantillum quidem recuperavit?

5. Ex Paulo & Augustino per baptismum non tantùm commorimur Christo, sed & unà resuscitamur, inserta nobis vita, vi, fortitudine, quæ respondeat membro Christi à mortuis suscitati. Non ergo charitas hominis cum Christo suscitati & redivivi tam elanguida erit, vel tam emortua, ut nihil omnino agere possit boni cum eodem auxilio, quo Adamus ante lapsum omnia poterat.

6. Non desunt forsan nunc justi, qui fide sint vegetiore, & charitate flagrantiore, quàm esset Adamus. An ergo ne semel quidem operari quidquam poterunt, etiam ubi nihil ingruit difficultatis: cùm posset Adamus & innumera exerere opera bona, & difficilia?

7. Erat quidem præcellens Adami sapientia, nec ulla eum stimulabat concupiscentia. Sed complura sunt opera bona, ad quę plus satis est nobis luminis, & ubi aliquandiu saltem quievit & silet concupiscentia. Tum ergo poterunt justi aliquid boni peragere, eodem freti quo Adamus auxilio.

8. Justis nunc speciali auxilio opus sit ad omnia, nihil abnuo: sed cùm ea necessitas non oriatur, nisi ex ignorantia & rebellante identidem concupiscentia carnis nostræ, satis erit, ut Deus idoneum lumen ingerat, & aliquandiu concupiscientiam sistat. Novo hoc auxilio non prædeterminatur voluntas nostra, sed eo loco nos statuit, eidemque potestati restituit ad hoc opus peculiare, qua pollebat Adamus, quandiu ab innocentia primigenia non defecit.

9. Cùm gratia habitualis & charitas, qua præditus erat Adamus, ingentes superare posset difficultates; quin nunc eadem charitas iisdem succincta actualibus auxiliis, leviissimas saltem vincat carnis tentationes? 1. 2. q. 109. art. 9.

10. Inde est, quòd ubi de speciali auxilio disputat sanctus Thomas, eo quo nunc justi adversùs ignorantiam & concupiscentiam egent, non aliis quàm his illud exprimit verbis, *dirigit, protegit*, & tentationum amolitione. Ex quo liquet, & non semper desiderari hoc auxilium ad quodlibet opus bonum; & eo voluntatem non determinari semper, sed dirigi protegique.

11. Augustino curæ potissimùm fuit, ut consentirent auxilia divinæ gratiæ, nostræ ad bonum facilitati, vel difficultati. Inde est quòd latum voluit esse discrimen perseverantię in utroque statu hominis stantis & lapsi. An sensisset autem Augustinus Paulo in flagrantissima illa charitate sua difficilius fuisse opus bonum quodlibet, etiam ex sese facillimum: quàm Adamo difficillimum quodlibet opus, & ipsam usque in finem perseverantiam?

12. An sensisset Augustinus perinde arduum esse quantulumcumque opus bonum, ideoque ad id eodem adjutorio opus esse homini justificato, atque ut vincula abrumpantur quælibet quæ nos peccato astringunt, ut voluptatibus mollissimis nuncius remittatur, & superentur tentationes atrocissimæ ante justificationem?

13. An existimasset Augustinus æquè validа opus esse gratia, atque adeo tantundem nos experiri difficultatis, ad implendum unum præceptum, atque ad implenda omnia? ad vitanda singula peccata, atque ad effugienda omnia? ad vincendas tentationes singulas, atque ad omnes? Contra militat experientia. Sed ubi docuit sanctus Pater posse à justis vitari culpas singulas veniales, sed non universas: eo satis prodidit distinguenda esse auxilia, quæ ad res tam diversas essent necessaria; ideoque nec desiderari indiscriminatim debere auxilium efficacissimum ad res etiam facillimas.

14. Si nulla sunt nimirum actualia auxilia, nisi quæ invictissimæ sint efficacię: cui ejusmodi dabitur auxilium, is tam universa conjunctim præcepta implebit, vitabit peccata, quàm singula separatim: contrà, qui eo fraudabitur, tam singula omittet præcepta, & peccata committet, quàm universa. Quo ergo evadet constantissima illa Augustini doctrina, Hieronymi, Thomę, & omnium scholę Theologorum, qui tantum operæ posuerunt in constituenda facilitate singulorum bonorum operum, difficultate universorum?

15. In quo autem collocabitur speciale perseverantiæ donum, si nihilo plus difficultatis sit in implendis semper præceptis, quàm in uno eorum aliquo observando? Si ad quodlibet opus bonum sigillatim requiritur efficacissima gratia, nihil amplius desiderari potest ad perseveran-

verantiam usque in finem. Contrariam tamen doctrinam & docuit Augustinus, & Concilium Tridentinum definiit.

16. Addi posset delectationem illam & dilectionem justitiæ victricem, in qua vis gratiæ efficacissima à Jansenio constituitur, indubitatissimè Angelis & primo parenti concessam fuisse; cùm ne ipse quidem neget eam esse ipsissimam charitatem. Atqui charitate donati fuerant. Aut ergo gratia efficax indulta illis fuerat; aut aliud est ea gratia, aliud charitas. Sed de his copiosiùs infrà dicetur.

CAPUT XIV.

Quibus machinis gratia prædeterminans oppugnari possit.

NOn ita secum colliduntur nunc Thomistæ, constitutis semel doctrinæ suæ fundamentis. Semel enim statuta necessitate concursus prævenientis, & prædeterminantis, sive infallibiliter efficacis, tanquam necessarii, ut causæ secundæ subordinentur primæ, hinc certissimas illi exprimunt & valdè perspicuas definitiones suas. Manifestissimè hinc elicitur gratiam efficacem non post lapsum tantùm esse necessariam, sed & ante hominis innocentia. Hinc Deus quos vult, prædestinat, cæteros reprobat; voluntatis suæ decreta insuperabiliter exequitur, tum in Angelis, tum in hominibus. Adprimè consentit hæc doctrina, tum amplitudini & omnipotentiæ Dei, tum nostræ sub ejus imperio servituti: gratiæ ejus potestati ineluctabili, humanæ denique imbecillitati.

Sed sospite & illibata reverentia, summis his Theologis, & castissimæ Theologiæ hactenus propugnatoribus meritò dependenda, brevissimè hìc subjicimus, quæ nos remorentur difficultates, & quæ demum sint, à quibus propter mentis nostræ angustias expedire nos necdum potuimus.

1. Augustinus & Thomas, sancti Patres & antiqui Theologi, efficaciam & vim tribuebant gratiæ, quæ propria ipsi soli & peculiaris esset; non eam quæ illi communis est cum divina in omnes naturas creatas motione. 2. Nolebant motiones divinas æquè efficaces esse ad actus vulgares & naturales, atque ad supernaturales. 3. Noluissent ad actiones etiam physicas peccati, opus esse auxilio, quo voluntas æquè insuperabiliter ageretur. 4. Si efficacissimum hoc adjutorium existimassent Angelo & homini stanti necessarium esse, nunquam assensi essent subtrahi illud alterutri posse, antequam sponte sua peccassent. 5. Tum demum visus est illis Deus homines aliquos reprobasse, postquam omnes prævideratmassæ damnationis implicatos. 6. Tum demum visus illis est Deus Angelos aliquos reprobasse, postquam illos vidit, aut prævidit voluntariæ defectioni consentientes. 7. Alia illis visa est hominum prædestinatio, scilicet gratuita: alia Angelorum, spontaneæ illorum perseverantiæ innixa. 8. Alicubi etiam alia & alia visa sunt illis adjutoria utriusque stationis, ante & post peccatum; atque adeo non omnia visa sunt illis prædeterminantia. 9. Si qua nobis nunc necessaria sint insuperabilis efficaciæ adjutoria, eorum illi causam contulerunt in ægritudinem & imbecillitatem naturæ per peccatum sauciatæ. Id nihil omnino pertinet ad causarum à causa prima pendentium seriem & concatenationem. Alienum denique id prorsus est à primo homine ante casum. 10. Copiosissimo & invictissimo adjutorio opus nunc nobis esse senserunt ad conversionem impiorum, & ad justorum perseverantiam usque ad finem, quòd cæ demum sint res difficillimæ. 11. Ingens discrimen interponi voluerunt, unum inter aliquem actum bonum, & bene multos: inter id quod brevissimo tempore fit, & quod fit diutissimè: ut inter res faciles & difficiles, quibus proinde æquè disparia parata sunt auxilia. 12. Denique hanc illi inierunt rationem conciliandæ indifferentiæ libertatis nostræ cum efficacia gratiæ, ut inferiùs dicetur; quod liber sit justus ad peccata venialia, impius ad mortalia, propterea quod singula sejunctim vitare possint, non conjunctim omnia. Ei verò axiomati non facilè convenit cum motionibus prædeterminantibus.

His argumentis Alvares & Thomistæ recentiores eas adhibuere responsiones, quæ clarissimis placuere ingeniis, quibus nos valdè impares esse ingenuè confitemur. Sed cùm indefinitè pendeant adhuc hæ quæstiones, & interim sinat Ecclesia Catholica liberas hinc & hinc esse Theologorum sententias; ut tanto proclivius sit hæreticis eis se colligere, & in eas descendere partes, in quas magis propendebunt; tantò propensiùs nos in hanc, quæ hìc à nobis exponitur, concessimus doctrinam: quantò certiores sumus, eos à quibus dissentimus, orthodoxos haberi à nobis, ut & nos vicissim ab illis. Dabimus tamen operam, ut aliqua ex parte saltem gratiæ prædeterminanti subscribamus.

CAPUT XV.

Gloriari non posse hominem, etsi gratia ad singulos actus prædeterminante non egeat.

UNam maximè video difficultatem elucidandam nobis superesse; quì uni Deo accepta referenda sint omnia bona justorum opera, si ea plerumque fiant sine gratiæ invictissimè efficacis auxilio. Respondeo autem 1. hæc Pauli effata, *Quid habes, quod non accepisti?* &, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, ad Angelos & ad hominem ante lapsum æquè manare, atque ad nos, ex Augustino, Fulgentio, Anselmo, Bernardo. Non hinc ergo elici potest auxilium certissimè efficax. Augustinus De Gen. ad lit. Lib. 12. Fulgentius ad Trasim. Anselmus lib. de casu Diab. Bernard. ser. Cant.

2. Docet Augustinus creatos à Deo esse Angelos in charitate & justitia, ne gloriari possent, quasi meliores à seipsis facti essent, quàm à Deo. Unum id ergo sancti Angeli præstiterunt, unum id Deus desideravit, ut in acceptæ à Creatore charitatis & justitiæ gradu perseverarent. Justi nunc autem ut summum aliquandiu perstant & operantur in eodem charitatis gradu, quem Deus illis infudit, nec propriis illum viribus augere unquam possunt. Etsi enim possint pia operatione aliqua promereri ulteriorem aliquem gradum charitatis; at nequeunt ipsi illum sibi inferere; & hoc ipsum meritum non debent, nisi promissioni & gratiæ Dei. Denique operationi illi piæ, ex qua meritum hoc existit, pretium non facit, nisi charitas quæ præivit, non quæ successit. Deo igitur uni vendicanda est gloria totius creaturarum justitiæ & charitatis: cùm ne tantillum quidem ejus assequi possint gradum, nisi à Deo illum largiente, & creante in eorum voluntatibus, omnipotenti potestate, accommodatè ad arcanum prædestinationis ordinem.

3. Promanant opera omnia bona à charitate, quam Deus gratis infudit. Qui ergo tam eximiam nobis radicem inseruit, ei fructus omnes ejus debemus. Si quid enim volumus, & agimus, nostrum id & à nobis est: at si divinum & supernaturale quid volumus agimusque, à charitate habituali & actuali id proficiscitur.

4. Gratia rursum sua & charitate Deum nos induisse tradit Anselmus, qua spoliati eramus per pec-

peccatum; si inflemur autem propterea quòd cœlestem hanc novi hominis vestem abjicere cùm possimus, ea indui pergimus: perinde insanire nos; atque si mendicus quis gravissimæ Principi suo irrogatæ injuriæ reus, & ab eo non venia tantum, sed & pretiosa veste donatus, venditaret sese & superbiret, quòd cùm posset tantum & veniæ & vestis concessæ beneficium aspernati, ei assentiri, eo frui mallet. Si vestem hanc repudiaret, aut abjiceret mendicus, tota certè in illum resiliret hujus insaniæ infamia: si ea indui acquiescat, tota in largitorem ejus gloria refundenda est.

5. Si justum certè spectemus ut omni destitutum potestate vel volendi, vel faciendi cujuscumque boni supernaturalis, aut spiritualis: & gratiæ tamen habitualis atque actualis beneficio evectum ad esse quoddam divinum, & ad potestatem, vim & proclivitatem vehementem in opera divina & supernaturalia: manifestum est, si quid boni operetur, totum illud non deberi nisi gratiæ, quę illum provehit ad esse quoddam divinum, & ad operandi ejusmodi potentiam, quæ omnes naturę vires superet. Si ab operando cesset, ejus est ea cessatio. Si repudiandæ ergo gratiæ vires illi sint, suo ex penu illas habet: si eam abjiciat, ejus sunt hæ vires: at si possit assentiri gratiæ & morigerari, non suas sibi, sed precarias has vires habet; solis gratiæ viribus gratiæ assentitur: non ejus ergo hæ vires sunt, nec ejus ille glorię ullam partem suffurari & sibi tribuere potest.

6. Nec aliter res habet in affectibus animæ. Si illis reniteatur quis, hic dissensus ab animę voluntate totus est, non ab affectu. At ubi illis consentit & obtemperat, tum affectus ipse voluntatem pertrahit; & hic consensus atque obtemperatio non aliud est, quàm hic ipse affectus prædominans. Nec enim consensus hic & affectus dominans aliud est, quàm affectus ipse cui non resistitur, etsi resisti possit. Nec aliter æstimandum de charitate & gratia, tum habituali, tum actuali; non aliud hęc enim, quàm affectus sunt divinitus inspirati.

7. Ut ad Anselmum retro flectamus vestigia, & universim explanemus, quale demum sit Augustini *Adjutorium sine quo non*, ita res habet. Quando eo maximè indigemus, ejus autem vel impetrandi, vel consequendi mera nobis insidet desperatio, ut indignis prorsus & infirmis; si tunc eo donemur, & eo utamur, extremæ tum erit dementiæ, si ejus gloriæ partem ullam nobis decerpamus, nec totam eam beneficentiæ adscribamus divinæ: etsi non desint, qui hæc auxilia fastidiant, incredibili prorsus insulsitate & improbitate sua.

8. Illud quoque non segniter pendendum est, præter habitualem & actualem gratiam, persæpè, forsan & semper egere nos protectione singulari Dei, qua tentationum procellæ & dæmonum insidiæ propulsentur. Hi quippe sunt salutis hostes nostræ infensissimi, & iis viribus, quibus nos passim in peccatum impellant, nisi tot & tantorum adversariorum impetum cohiberet Deus, vel temperaret: Ubi ergo assentiuntur gratię, eas amolitus est Deus tentationes, quibus prostrati fuissemus.

9. Si quid ergo boni operis peregit justus quispiam, quod non peregit alius: ita persuasum illi sit, affuisse illi à Deo gratiam uberiorem, sive habitualem, sive actualem; aut protectionem opportuniorem: illum autem alterum aliàs præclariùs se gessisse; lapsu ipso suo ad majorem humilitatem accensum iri, sese autem forsan in eandem foveam prolapsurum: denique non discerni propriè & certissimè homines, nisi prædestinatione divina, misericordiæ & justitię plenissima; perseverantiam nonnunquam denegantis justis, qui quòd lapsi non sint, superbiunt; largientis verò iis, qui de lapsu suo erubescunt & humiliantur.

CAPUT XVI.

Nunquam determinari gratiam à voluntate, etsi voluntatem non semper gratia prædeterminet.

His animadversionibus nostris, satis illis fiet, qui verentur, nequando justus gratiam determinet, cùm gratiæ potiùs sit illum determinare. Ita enim suspicantur, sicut *adjutorio quo* voluntas determinatur, ita *adjutorium sine quo non* à voluntate determinari. Maximus ille error est. Secundæ enim speciei hæc adjutoria, duas rursum in species secanda sunt valdè diversas. Priora illa sunt, à quibus nihil influit in hominis facultates, saltem in voluntatem ejus, ut ad assensum impellant. Ita alimenta non agunt in homines, ut eos ad manducandum adducant; lumen oculum subit, recreat, invitatque ad videndum; at voluntati nihil adjicit, ut eam impellat, quò luce frui velit. Si cui placeat hęc auxilia determinari à voluntate, id facilè largiemur. Sed aliud est auxiliorum istiusmodi genus, quę immediatè in voluntatem ipsam agunt, illam excitant & urgent, ut velit & faciat, etsi non insuperabiliter ad actuum applicent. Id genus erat gratia actualis & habitualis in primo parente ante lapsum. Quando voluntas dissensu suo hęc auxilia frustratur, nemo tam ineptus est, qui tunc ea ab illa determinari dicat. Nec multò minùs insulsum est id dicere, cùm illis morigeram se præstat. Ipsa enim hæc auxilia, pronitates, inclinationes & determinationes quędam sunt ad bonum, etsi non invictissimæ & semper victrices. Qui illis obsequitur, is eorum determinationem sequitur, non illa determinat. Nec enim determinationem ipsam determinat quis, uti nec calorem calefacit, nec lumen illuminat. Qui eis obsistit, ne is quidem ea determinat; pronitas enim & inclinatio in quidvis, non potest unquam ipsamet inclinari, & determinari in contrarium; uti nec lumen potest in caliginem & tenebras converti. Perspicuum ejus rei exemplum est in affectibus & cupiditatibus animæ. Potest quis credere, vel reniti cupiditatibus suis; quando illis cedit, non eas determinat, sed earum determinationi obsequitur, cui utique reluctari posset: quando eis repugnat, ne tum quidem eas determinat, sed earum determinationi resistit, quòd ea talis non sit, cui resisti non possit. Cupiditas, exempli causa, voluptatum, vel honorum, ad quidvis aliud determinari non potest, sed potest homo illi dissentire. Eò ergo redeunt hæc omnia, ut fateamur, Ubi justus boni aliquid operatur per *adjutorium sine quo non*, non ab ipso tum gratiam hanc determinari: sed ipsum determinationi hujus gratiæ obsecundare, cui quandoque renititur, cui potest semper reniti. Sed qui nos hac urgent difficultate, multò magis, ut reor, laborarent ipsi, ut planum nobis facerent, quomodo auxiliis gratiæ possint homines semper resistere, nec resistant unquam. Si enim invictissimè semper efficax est, quomodo potest illi resisti? si potest resisti, quomodo invictissima est ejus efficacia? Non me pręterit quibus verbis respondeant: sed responsionem equidem cuperem, quæ vel capi, vel probari facilius posset. Si alterum autem auxilii genus ita merè sufficiens semper sit, ut sit & inefficax, quì liberum est ei non resistere? Fatentur denique, qui hac nos objectione lacessunt, posse resisti gratiæ, posse & non resisti. Ex eorum ergo sententia potest gra-

tia à nobis determinari. Si enim resistendo, vel non resistendo determinatur gratia: ergo qui potest resistere, vel non resistere, potest eam determinare,

CAPUT XVII.

Gratiam ne tum quidem subjici homini, cùm illi resistitur,

NEc illud objici nobis potest, gratiam tum à nobis libertati subjici, cùm id tantùm dicimus, & sincerè atque insucatè dicimus, resisti quandoque gratiæ, quandoque non resisti. Si qui id confitentur, gratiam Dei libertati hominis subjiciunt, ne ipsi quidem hujus objectionis authores effugere hæc jacula possunt, Nec enim ii sunt illi, qui negent & resisti quandoque gratiæ, & resisti semper posse. Qui poterit ergo illi resistere, poterit illam sibi subjicere; Ut ergo verus, sincerus & candidus sit sermo noster, confitendum est gratiam Dei libero hominis arbitrio non subjici, etsi resistere illi semper possit liberum arbitrium, & nonnunquam resistat.

1. Etsi Angeli resistere gratiæ potuerint, eique nonnulli eorum restiterint, ineptè & importunè loqueretur, qui gratiam diceret eorum libertati obnoxiam subjectamque fuisse.

2. Spiritus ipse sanctus gratia increata est, quæ in justis hospitatur, qui illi nonnunquam resistunt: quin & illum cordis sui domicilio extrudunt quandoque. An ergo Spiritum sanctum volent subjici hominum libertati? haud equidem opinor.

3. Gratia habitualis vinculum est, quo cor nostrum Spiritui sancto obstringitur, In nostra potestate est vinculum hoc abrumpere, cùm possimus à nobis Spiritum sanctum repellere. Ut inde inferri non potest, Spiritum sanctum libertati nostræ subesse; itane id quidem inferri potest, gratiam illam nobis subjici, quæ à Spiritu sancto sejungi & dissociari non potest.

4. Possumus, si tam dura nobis insit libido, Solis & Astrorum lumine orbare nos. An ergo ideo subjici nobis dicentur cum suo lumine Sol & Sydera? Beneficia Principis vel statim repudiare possumus, vel postea rejicere: an ergo ideo liberalitas Principis libertati nostræ subjici dicetur? Potest qui ex morbo decumbit contumaciùs repellere opem medici, medicamentorum, & amicorum: an ergo hæc auxilia illi subjicientur? Unum illud dici tum meritò poterit, Peropportuna & per sese efficacia esse hæc auxilia, sed ægrotum insanire. Denique ne nos hic effugiat exemplum apud antiquos celeberrimum: non subest suo eques equo, etsi quandoque ab eo excutiatur; ea est enim nihilominus ejus naturæ præstantia, industria & potestas perdomandæ superbiæ ferocientis equi, ut tam fœdo convitio intercessi non possit.

5. Per se ac sua sponte charitas, sive habitualis, sive actualis, dominatrix est, omnium affectuum & motionum hominis quedam velut regina. Etsi resistatur ei, etsi adversùs eam rebelletur, illa tamen regina est; sed qui ab ea deficit, perduellis is habetur. In regno adversus Regem concitato, Rex nihilominus Rex est. Etsi non pareant subjecti, subjecti tamen sunt; nec rebellantibus subjectus esse Rex unquam dici poterit.

6. Multò manifestiùs id pateret, si ea rebellione subjecti in acerbissimas demergerentur calamitates, Rex nihil damni pateretur, haberetque in potestate, quoties sibi libitum esset, contumaces perdomare, & imperio rursum suo subjicere. Atqui homines abjicienda gratia, ærumnis se implicant innumeris & æternis: an hinc concludes subjectam illis esse gratiam? Spiritus sanctus cum gratia ita ejicitur, ut nihil hinc illi importetur detrimenti, intactamque servet summam potestatem suam ad frangendos rebelles: immo ad prestandum, ut hæc ipsa defectio plurimum conducat, ut gratia illos posthac habeat sibi obsequentiores. Fieri ergo nunquam potest, ut gratia Dei subjiciatur hominis libertati,

7. Affectus naturales etsi ex se & natura sua dominatores, subjiciuntur tamen voluntati nostræ; at non ita illi qui infusi sunt & supernaturales, Nascuntur illi ex ipsa voluntate, quæ proinde illis semper ut parens & domina præest. At hi cœlitùs infunduntur, à Deo ipso scaturiunt, pendentque multò magis à fonte, à quo existunt, quàm à subjecto in quo recipiuntur: non aliter quàm à Sole multò magis pendet lumen, quàm ab aere. Si vincit tandem Sol caliginem, nebulasque densissimas, quibus illi videtur terra suo quodam modo repugnare; & tempestatum fructuumque terræ se dominatorem & parentem esse invictissimè demonstrat: quantò magis Spiritus sanctus charitatis suæ lumine & igne nunc parciùs, nunc largiùs effundendo, vincet tandem nos quanquam non rarò repugnantes, subjicietque quando volet omnipotenti gratiæ suæ? Si ea potestate minùs uratur in reprobos, in causa non est nisi extrema & desperata indurato eorum adversùs beneficentissimam ejus providentiam; quæ minùs bono studeret, nisi & quandoque malum ulciscereturr, cohibenda saltem infinita misericordiæ suæ potestate.

Illud denique advertamus, si nos Schola vetat dicere, 1. Gratiam subjici libertati: 2. Gratiam à libertate determinari: vicissim Ecclesiam ita præcipere, ut fateamur, 1. Præcepta non esse impossibilia, maximè justis: 2. Justos nunquam à Deo deseri, nisi priores ipsi illum deseramus: Ita assentiri nos gratiæ, ut & resistere possimus. Qui æquo & sincero est judicio Theologus, nihil ille poterit amplius exigere, quàm quæ suprà diximus, ut prioribus effatis Scholæ satisfiat: quibus & nos lubenter assentimur. Sed illud vicissim perpendi par est, ac pari fide & candore, an qui gratiam invictissimè efficacem prædicant semper esse necessariam, ut vel bonum fiat, vel malum vitetur, tribus illis aliis satisfaciant effatis, quibus tot Concilia authoritatem & pondus addiderunt, An verè enim possibile est ei præceptum, qui auxilio caret ad id observandum necessario? Annon prior Deus justum deserit, cui hactenus innoxio auxilium subducit necessarium ad non peccandum? An potest quisquam gratiæ non assentiri, si ineluctabilis gratiæ vis inest ad consensum extorquendum? Si vis hæc gratiæ insuperabilis est, est etiam, ut cum antiqua Schola loquar, irresistibilis. Quas Theologi quidam Catholici adhibuere responsiones, ejusmodi visæ sunt, ut libertatem pariter nostram & possibilitatem præceptorum negaverint, hæreticisque se castris adjunxerint ii, qui fastu turgentes Catholicam unitatem scindere maluerunt, quàm ea vel probare, vel tolerare Theologorum aliorum placita, quæ mera verborum esse ludibria interpretabantur. Catholici sunt tamen hi Theologi, orthodoxa est & eorum doctrina. Sed per eos, ut spero, licebit, quibus minor supperit luminis & ingenii copia, charitate ut abundare se malint, ultra modum etiam forsan, si quis esse debeat charitatis modus; & in id incumbere, ut hæreticos moneant addoceantque, posse prædestinationis gratuitæ & gratiæ illi consentaneæ doctrinam sanè arduam ita defendi, ut non incurratur in ea, quæ illis intoleranda visa sunt: plures esse in Ecclesia Scholas, plures in Scholis rationes eliquandi quæstiones difficillimas, ut ne desperent

occur-

occurrere posse earum aliquam, quæ & Augustino & Patribus consentiat, nec tamen sincero & communi hominum judicio adversetur.

CAPUT XVIII.

Efficacissimæ & ineluctabilis Dei Gratiæ ad conversionem peccatorum, & ad perseverantiam justorum ante sæcula prædestinatorum, ratio & via quadruplex explanatur.

CUm hominum post lapsum prædestinatio ad gloriam, quàm gratuita est, tam invicta & infallibilis sit; ejusmodi gratiæ auxilia investigare cogimur, quibus voluntas nostra ad bonum & ad malum anceps & libera, mollissimè & invictissimè tamen adducatur ad consentiendum, tum conversioni suæ ad bonum, tum deinde perseverantiæ in bono. Non complectitur hæc controversia nisi adultos; nec enim ambigitur, quin parvuli quos præcox fatum extinguit post baptismum, & justitiam & perseverantiam mero ex Dei beneficio consequantur, nullo usu nisuve accedente liberæ voluntatis suæ. Sed venanda sunt nobis jam auxilia æquè insuperabilia, quibus adultorum electorum voluntas versatilis, flexilisque tam in malum, quàm in bonum, bono constantissimè & indivulsè affigatur, atque ita ad desponsam sibi gloriam provehatur.

In hac spinosissima quæstione variæ & pugnantes perstrepunt Theologorum Catholicorum in Scholis sententiæ, quas omnes ad quatuor has primarias revocari posse existimo.

Prima eorum est, qui Scientiæ Mediæ patrocinium arripuerunt, Deoque censent infinita præsto esse auxiliorum genera, quibus voluntas hominis libera, ad quodlibet opus bonum possit consentire, possit & dissentire. Censent præterea præter scientiam visionis, qua videt Deus, quidquid fuit, est, eritve; præter scientiam simplicis intelligentiæ, qua cognoscit omnia, quæ esse possunt, etsi nec fuerint, nec sint, nec futura sint unquam: tertiam quandam inesse Deo scientiam, quæ ideo Media dicatur, quòd inter duas illas superiores media incedat. Hac quippe existimant sciri à Deo, quo se cumque conversura sit libera quarumlibet naturarum intellectualium voluntas, quibuscunque valletur rerum temporumque circumstantiis & auxiliis divinis; quibus opportunè juvetur illa quidem, non tamen certa & invicta vi determinetur ad consentiendum bono, vel ad bene operandum. Hoc semel ita fixo & statuto, ubi Deo libet peccatorem convertere, tunc ejusmodi auxilio aliquo illum impellit, cui præscit illum assensurum. Liber est consensus, cùm id genus sit auxilium: at indubitatissimus est eventus, non propter ineluctabilem vim aliquam auxilii; sed quia nec falli, nec frustrari potest Dei præscientia. Vides ergo non hìc agi à nobis, nisi de iis Theologis, qui & scientiam mediam & gratuitam prædestinationem tuentur.

Secunda est, defensorum prædeterminationis physicæ, quæ actio & motio est causæ primæ causas in omnes secundas, & in voluntates ipsas liberas; qua excitat illas & determinat, appellitque indeclinabiliter ad volendum & agendum, quidquid agunt voluntque. Hoc indeclinabili auxilio convertit Deus peccatores ad justitiam, justos autem ad quæ ipse vult opera bona agit urgetque, quin & ad perseverandum usque ad finem, quos vult, perducit. Ita enim excita & mota voluntas, infallibiliter consentit.

Ad hanc revocari potest Jansenii Iprensis Episcopi sententia. Etsi enim vim efficacem divinæ gratiæ constituat ille quidem in cœlesti quadam delectatione, & in dilectione vehementi justitiæ inspirata supernè à Deo; non discrepat tamen à superiore sententia in modo efficaciæ, cùm huic delectationi eam vim ascribat, quæ certissimè libertatem creatam prædeterminet.

Tertia eorum sententia est, qui vim ineluctabilem gratiæ victricis locant in multitudine, varietate, consonantia & conspiratione plurium auxiliorum, interiorum exteriorumque: quorum singula seorsim frustrari possunt, quin & frustrantur quandoque per libertatis humanæ contumacem dissensum; at universa obstinatissimos quosque fatigant tandem, & multitudine, conspiratione, indefessa oppugnatione sua, ad assensum tandem pertrahunt. Nec ad istud desiderari sinunt scientiam mediam, sed sapientiam dumtaxat & potestatem infinitam Dei, cui obvia & ad manum sunt innumerabilia adminicula, quibus quolibet contorqueatur vel detorqueatur hominum voluntas ad ejus nutum.

Quarta denique eorum sententia est, qui hæc omnia adjutoria ad unum contrahunt, cui uni vis inerit summa & prorsus indeclinabilis; quòd ei Deus eam inserat congruitatem, convenientiam, & infinitam quodammodo consonantiam cum omnibus animæ ejus affectibus, quem Deus ad se converti vult, & gratiæ suæ assentiri. Videt enim immensa sapientia Dei sinus omnes & abditissimos recessus cordis, affectus omnes, & arcanas voluntatis propensiones, denique qua oppugnari ea debeat sui parte, ut expugnetur: Potentia Dei, cujus nulli sunt limites, unam aliquam temperare ita poterit motionem, quæ & illecebras omnes complectatur, quibus illici possint omnes penitissimi animæ affectus: & anteveniat, vel amoliatur ipsas cogitationes omnes, quæ illam aliò possent inclinare.

Postrema hæc sententia non tantùm valdè consentit tertiæ, sed illi etiam permiscetur, & in unum tandem cum ea conflatur. Hujus enim patroni omnes ipsa veritatis & experientiæ vi fateri tandem coguntur, infinitam hanc quodammodo congruitatem & convenientiam gratiæ cum libertate, quæ voluntatis pleniissimè respondet amplitudini, ut quolibet pelliciatur, vel à quolibet abalienetur; vel pluribus committi posse motionibus divinis, vel uni tantùm. Sed cùm profiteantur & ipsi multifariàm à Deo mentem hominis illuminari, voluntati ab eo inspirari amorem, odium, pudorem, timorem, affectusque alios complures, extrinsecùs etiam ea objici, quæ ad movendum aptissima sint, tentationes summoveri, obicesque quoscunque alios: his omnibus testificantur, à tertiæ opinionis patronis nihil admodum se discrepare. 2. Favet tamen evidentiùs rerum experientia multitudini diversarum motionum & iteratarum oppugnationum, quibus cogatur tandem voluntas cedere, & in deditionem venire. 3. Si uni gratiæ includatur infinita hæc convenientia cum voluntate, verendum est, ne eam determinet; & incurratur in eas difficultates & molestias omnes, quæ objectæ fuerint prædeterminationi physicæ. Cùm enim possit semper voluntas resistere, ecqui fiet, ut nunquam resistat? 4. Ubi verò ea gratia non annuetur, nec converti poterit homo ad Deum, nec mandata implere, auxilio scilicet necessario destitutus: cùm tertiæ sectatores sententiæ hos scopulos facilè declinent; suum illud usurpantes, Resisti posse semper, & verè aliquando resisti his motionibus singulis, non universis unquam. Atqui libertas voluntatis non explicatur, nisi in actus singulos sejunctim; nec actus est ejus ullus, qui respondeat multitudini & diuturnitati horum auxiliorum, quæ sensim & longo tempore sese explicant. Ita his auxiliis

non prædeterminatur voluntas ; & quisquis ad Deum non convertitur, is aliquod hujusmodi adjutorium frustravit, cùm in potestate haberet ei morigerati.

Has ergo duas postremas sententias posthac in unam conglutinabimus ; & ut idem tamen numerus servetur, delectationis victricis patronos sejungemus à prædeterminationis physicæ assertoribus ; hæc secunda à nobis dicetur sententia, illa tertia ; quarta denique duas complectetur postremas, quæ divelli à nobis non potuerunt. Prima erit semper, quæ Mediæ se dicavit scientiæ. Ex iis porro, quæ in secundo dicentur Commentario, palam fiet, nec debuisse, nec potuisse nos omnino illis obniti, qui absolutissimam gratiæ efficaciam quandoque uni commiscunt motioni, cui numeris suis omnibus absoluta & perfecta insit convenientia & congruitas.

CAPUT XIX.

Tres priores sententiæ inter se comparantur.

MUlta sunt, quibus quatuor illæ opiniones in commune commendentur. 1. Orthodoxæ sunt omnes. 2. Inter Catholicos Theologos magna sunt fama & claritate earum defensores. Quo enim Ecclesiæ judicio perculsus est Jansenii liber, eo non involvitur doctrina Gratiæ efficacis. Qui verò delectationem justitiæ victricem, eòque prædeterminantem tuentur, ii & possunt & débent unà tueri gratiam generalem & sufficientem, unà cum patronis primæ sententiæ, vel secundæ, ut ne impossibilia videri possint Dei præcepta ; eo certè sensu nos de illis verba fecimus. 3. Omnes consentiunt in prædestinatione gratuita, & in gratia efficacissima defendenda, ad certissimam ejus executionem. 4. Omnibus convenit de possibilitate mandatorum Dei, de libertate hominis, de ipsa libertatis indifferentia, resisti posse gratiæ, Christum pro omnibus mortuum esse, bonorum operum gloriam ad unum Deum referri totam debere. Quanquam enim molestissimis objectionibus impetatur unaquælibet quatuor harum sententiarum, quasi his non possit satis ingenuè subscribere effatis aliàs indubitatis : magno tamen animo refellunt hi Theologi illas objectiones : conjuncta & consequentia negant esse suæ doctrinæ, quæ contra disputantur ; hæc certissima fidei effata amplectuntur, in residuis & liberis hactenus controversiis judicium Ecclesiæ expectant, in antecessum illi assentiuntur, quæ germana est Catholicorum Theologorum tessera.

Præter has earum sententiarum quatuor in commune laudes : est & suum singulis peculiare quoddam decus. Prima videtur meliusculè consulere hominum libertati, quàm vel secunda, vel tertia ; at vicissim hæ victricem gratiæ divinæ potestatem strenujùs tuentur, quàm prima. Secunda & tertia consentiunt in tribuenda gratiæ efficacia quadam summa & vi prædeterminante. Sed secunda videtur efficacitatem illam validiùs firmare, cùm illam exprimat ab insuperabili potestate primi motoris & supremæ causarum omnium causæ. Vix satis tueri potest tertia vim totam efficacissimæ gratiæ à sola manare delectatione & dilectione justitiæ : cùm tantùm timor cæterique affectus pii possint ad conversionem peccatoris & ad perseverantiam justorum. At aliunde proponitur ab ea id efficaciæ genus, quod consentaneum omnino sit, propriumque gratiæ, cùm secunda auxiliatrices motiones perinde efficaces addat causis omnibus naturalibus, & ipsi homini ad actiones civiviles, bonas, malasve.

Pertinent hæc omnia ad gratiam efficacem. Quod ad sufficientem jam spectat, candidè & sincerè loquitur prima sententia : & quod ab ea sufficiens vocatur auxilium, verè sufficiens est ; eo enim solo adjuti, nonnunquam bene operantur. Vocat secunda auxilium sufficiens, & proximè sufficiens ; quanquam si vel semel intra centum annorum millia & voluntates inter innumerabiles sequeretur effectus, tota horum Theologorum doctrina labefactaretur ; necessaria enim jam ampliùs non esset gratia efficax. Denique auxilium vocat plenè & proximè sufficiens, etsi vel tum aliud efficacius, & quod in nostra potestate non est, sit penitus necessarium. Tertia sententia alterutri horum auxiliorum sufficientium suffragari potest, secundi generis auxilia sufficientia tribuunt nonnulli Jansenio Iprensi Episcopo. Sed si ingenuè & sine fuco, atque ablegatis præjudiciis res agatur, facilè liquebit primi generis gratias sufficientes illi potiùs arrisisse, easdem scilicet, quas Commentarioli hujus nostri Capite tertio declaravimus. Reliquias enim nescio quas admittit amoris justitiæ, seminaque vel initia virtutum omnium, timoris quoque donum, quam gratiam generalem vocat, aliaque plura auxilia, quæ hoc eodem nomine contineri vult. Si magni nominis hic vir confessus esset, posse homines per hæc auxilia ita vitare unum peccatum, ut in aliud tum non labatur, ut Concilio in Tridentino definitum est de timore servili : admissa ab eo esset gratia verè sufficiens, convenientiùs ab eo exponi potuisset præceptorum possibilitas, defendi indifferentia libertatis ; intelligi denique, quàm non semper charitas satis efficax sit auxilium, nisi timor gehennæ & alii id genus affectus suppetias ferant.

CAPUT XX.

Quantum præstet quarta sententia, quæ multitudini & conspirationi auxiliorum innititur, tertiæ quæ soli delectationi victrici totum tribuit.

QUarta hæc sententia accuratiùs elimatiùsque declarat, unde proficiscatur efficacissima illa potestas gratiæ victricis, quàm tertia,

1. Victricis delectationis vindices, ubi gratiæ tribuunt huic vim prædeterminantem, in easdem incurrunt difficultates, quæ suprà conglobatæ à nobis fuere adversùs prædeterminationem physicam.

2. Non minor certè, forsan & multò major erat hæc delectatio justitiæ in Angelis, & in homine ante lapsum ; nec tamen victrix aut prædeterminans erat.

3. Manifestissimè patet ex Augustino, Fulgentio, cæterisque Patribus, uti & ex Scholasticis omnibus, delectationem hanc victricem non aliam esse, quàm gratiam, seu charitatem habitualem, hospitantem in corde justi ; qua fit ut Deum amet, etiam tum cùm de eo non cogitat, & aliud agit. Paulus Patrum Theologorumque omnium dux & magister, non minùs stabilem ac permanentem hanc delectationem in corde justorum ostendit, quàm delectationem contrariam, sive concupiscentiam carnis. Verùm specialem ea res Commentarium desiderat, ubi evincatur Jansenium, quæ habitualis erant gratiæ, ea actuali tribuisse. Cùm ita res habeat, non potest habituali gratiæ invicta tribui vis & efficacia, nisi homini mortali, quod nefas, impeccantia vendicetur.

4. Exordia conversionis peccatorum à timore æternæ pœnæ repetenda esse, ipsa docet experientia. Consentiunt Patres, consentit & Vetus

Testa-

Testamentum totum. Nec enim aliud eo agebatur, quàm ut præpararetur genus humanum, velut peculiaris aliquis homo, ad percipiendam gratiam Christi justificantem. Atqui hæc præparatio timore fiebat. An auxilium efficax esse negabitur, quo cogitur homo abstinere à peccato, nuntium remittere voluptatibus, inolitarum pravarum consuetudinum vincula perfringere, locum parare charitati? Atqui hæc sunt munia timoris pœnarum æternarum.

5. Quæ leguntur in Evangelio, & in Ecclesiæ publicis precibus voces, *cogere*, *compellere*; hæ & gratiæ designant efficaciam, & à plerisque Patribus ad timorem æternæ pœnæ trahuntur.

6. Docet Augustinus, Paulum ipsum, Doctorem Gratiæ, compulsum fuisse subjicere se Christo, terrifica ejus minacique visione, oculorum jactura suorum, & terrore fulminantis Christi majestatis. Hinc ab eo concluditur posse cogi Donatistas metu pœnarum temporalium, ut in sinum redeant unitatis Catholicæ.

Augustinus. Epist. 48. c. 204.

7. Verissimè dixit Augustinus & accommodatissimè, tum ad experientiam, tum ad commune omnium judicium: Si quando hinc justitiæ, hinc peccati delectatio sit pari utrimque vi & robore, in eam partem declinaturum esse hominem, ubi delectationi timor aliquis suffragabitur. Ergo tunc exurget efficacia divini auxilii ex utriusque hujus effectus societate & conspiratione.

August. in exposit. Epist. ad Gal. paulò ante finem.

8. Quin & illud addit alicubi, Martyrum ipsorum constantiam cruciatuum quandoque atrocitate labefactandam fuisse, nisi infernarum timor pœnarum labantem firmasset charitatem.

Idem in Psal. 118.

9. Tradit & alibi posse hæreticum hominem Martyrum pœnas perferre, ne Christum ejuret, solo animatum & roboratum timore pœnarum æternarum. Quis ergo negabit vehementi hujusmodi timore accedente roboratum iri charitatem aliàs mediocrem, ut tentationibus reluctetur, quibus frangenda aliàs fuisset?

Idem l. De Patient. c. 16. 17. 28.

10. Fatetur Jansenius Iprensis Episcopus timore pœnarum ita posse vitari graviora peccata, ut culpæ tantùm leviores incurrantur: posse minoribus vitiis majora vinci, atque ita debilitari carnales concupiscentias. Idem perfici posse docet per virtutes morales, aut philosophicas. Ut delectatio victrix efficax sit, negat necessarium esse, ut semper æquè valida & vehemens sit; sed satis esse, ut validior sit delectatione carnis contraria. Minor ergo delectatio efficax erit, ubi minùs ardebit concupiscentia. Nonne perspicuum hinc est, tunc temporis illam quæ concupiscentias domat divini auxilii efficaciam proficisci, partim ex cœlesti delectatione, partim ex timore, aut ex morali virtute? Denique si timorem, vel virtutem quampiam moralem comites addas charitati, nonne tunc his consociatis viribus infringentur concupiscentiæ vires, & charitati conciliabitur victoria, quam si sola pugnasset, consequi non potuisset? Summam ergo manum divini auxilii efficaciæ & inde existenti victoriæ imponit charitas, non sola totam confert.

11. Non timor solus, sed omnes affectus animæ, desiderium, odium, pudor, & complures alii impellunt voluntatem; & ubi amori accedunt, vires ejus exaggerant, & tandem victrices præstant. Ideo & quotidianis constat experimentis, ubi vel ad bonam frugem se recipiunt peccatores, vel bonis operibus se justi dedunt; majorem quidem ejus laudis partem amori justitiæ imputandam esse; sed vehementer tamen illi adminiculari vires & stimulos aliorum animæ affectuum.

12. Illud quoque certissimis constat experimentis, viros pietate & sanctimonia persæpè insignes, operibus bonis instare sæpè diuque, nullo delectationis sensu, nulla suavitate, nullo pietatis gustu, etsi non sine amore Dei plurimo. Delectatione aliqua scatere plerumque amorem, profiteor ipse, & præ me fero; sed non semper. Erravit ergo Jansenius, ubi vim gratiæ efficacem & victricem manare voluit à delectatione, nec alia post peccatum quàm delectationis illecebra pellici homines ad quidvis: quòd peccato evaserint cupidissimi voluptatum.

13. Parentes, mariti, amici, ut liberis, conjugibus, amicis consulant, res aggrediuntur perficiuntque difficillimas, sine ullo amoris actualis lenocinio, sola vi affectus, sive amoris in eorum mente regnantis, nec ullum voluptatis sensum excitantis. Intimus cordi plerumque hic affectus, nullo actu amoris expliciti intus edito, foris actuosissimus est, vimque suam efficacem prodit; nulla denique non in discrimina ruit. Pro natis dulcissimis parens grande aliquod facinus editurus, non ab actu amoris intus eliciendo rem orditur; sed citra ullum ejusmodi actum solo rapitur affectus sui æstu, & ardua quæque molitur. Justi ipsi his amoris actibus interioribus rarò vacant, nisi dum vacant orationi: aliàs affectu solo amoris volunt, valent, aguntque omnia convenienter legi charitatis.

14. Valet quidem universim illud effatum, Ea quemque facere, quæ magis illum delectant. Sed huic generali regulæ subjiciuntur exceptiones longè plurimæ, quibus illa quam urgent victricis delectationis efficacia evertitur. Quo enim magis quàm Deo delectabatur primus Parens ante casum, & tamen ab eo descivit? Impensiùs liberos amat pater, iisque vehementiùs delectatur; erit tamen ubi extraneum aliquem illis antehabebit. Ardet conjux amore conjugis, & nihilo tamen minùs illi quandoque irascitur, facitque quod illi displiceat. Qui avaritiæ, qui ebrietati deditus est, auro & vino magnoperè delectatur, & eis tamen nonnunquam abstinet.

15. Obtemperat utplurimum voluntas suis affectibus, & inde axioma illud, Facere omnes, quod eos magis delectat. At illis tamen quando libet renititur, illos domat, illos nonnunquam funditus excindit. Avarus & ebriosus qui aliquandiu, qui diu fuit, esse postea nonnunquam desinit. Qui dominatus cæteris aliquando fuit affectus, regno suo quandoque excutitur, & vicissim servit; qui servierat, principatum arripit. Non ita usuveniret, si delectationem victricem voluntas sequeretur semper, infallibiliter & sine ulla exceptione.

16. Libera semper enim voluntas est & affectuum suorum dominatrix. Potest itaque, ubi qui dominabatur antè affectus, torpet, frigetque, vel non admodum fervet; sunt enim in his vices; potest, inquam, tum alium adversum excitare, illecebras ei & escas atque objecta suppeditare, stimulosque subjicere, qui illum inflamment, roborentque, & summa in affectus alios potestate donent. Prohibebit tamen Deus, si volet, ne electi sua ea arte charitatis regnum labefactent: lenocinia contraria omnia summovebit; omnia ea conteret, quæ voluntatem possent seducere, & aliò avocare; menti ipsi intus clarissimè ostendet, terrenas res omnes & voluptates mera esse ludibria; tot illos cinget delinimentis aliis, tot objectis, tot aculeis charitatem excitantibus & animantibus, affectus adversos avertentibus, ut illos tandem compellat suum charitati imperium intactum integrumque permittere.

17. Nec est quòd dicas moralem duntaxat esse hanc determinationem, eaque non satis virium & efficaciæ divinis addi adjutoriis. Respondetur enim ne Iprensem quidem Episcopum delectationem victricem constituere, nisi in actibus indeliberatis amoris à Deo inspiratis. Atqui his actibus

non

non potest voluntas physicè determinari ad consentiendum, sed moraliter tantùm. Nec enim actus alter alterius causa physica esse unquam potest, etsi possit esse causa moralis. Rei cujusquam conspectus & auditus, alterius cujuspiam videndæ vel audiendæ causa esse potest, non visu & auditu physicè producendo, sed inclinanda ad id & persuasa voluntate, hoc est moraliter. Potentiæ solius & facultatis est actus omnes producere; sed ab eorum aliis ad alios producendos invitari potest. Denique actus isti alii aliis succedunt; antè desiit actus indeliberatus, quàm consensus incipiat. Non potest ergo ille hunc producere, cùm ante hunc desierit.

Longiorem me fuisse video, in hac sententiarum exequenda & libranda comparatione; sed inde non parum lucis emersurum spero, ad quartam illam sententiam, cui nos addiximus, ut mediocritati nostræ magis accommodatæ, penitius cognoscendam. Illud nunc restaret demonstrandum, secundæ & tertiæ sententiæ necessarias esse gratias quasdam sufficientes, & illas tamen minimè sufficientes fore, si qua alia præterea desideretur. Primæ & quartæ sententiæ insigne decus hìc emicare jam suprà diximus.

CAPUT XXII.

Quomodo Gratia efficacissima juxta quartam hanc sententiam, immutet voluntates, easque invictissimè torqueat, ad ea volenda & facienda, quæ divinæ consentiant prædestinationi.

GRatia hæc superiores omnes complectitur, eisque addit *propositum*, *intentionem*, *consilium voluntatis Dei*, *decretum*, ut loquuntur Theologi; & peculiarem Dei providentiam ad omnia hæc auxilia ita dispensanda, ut effectus infallibiliter sequatur. Ubi constituit enim Deus pecatorem ad se convertere, motionibus illum primùm oppugnat primi generis, easque ea multitudine & ea vi admovet, quam opportunam ipse judicat. Reliquiæ omnes laudabilium affectuum, quamvis imbecillium, admiratio & amor justitiæ, odium injustitiæ, morsus conscientiæ acriores, timor nescio quis naturalis æternarum pœnarum, naturalis Dei notio & timor, vincula hæc sunt omnia, quibus nostras potest Deus ad bonum pertrahere voluntates; cùm præsto & prona sit semper anima affectibus suis obsequi.

Si qui sint affectus his adversi, eos poterit Deus extenuare & frangere, summovendis eorum objectis, illecebrisque sæculi, quibus pascuntur; aspergendis amaritudinibus in delicias omnes terrenas; persecutionibus, cladibus, damnis ingerendis, negotiisque quæ alìo avocent. Contrà autem robur adjiciet novum piis & probis illis affectibus, per pias validasque quas suggeret cogitationes, per desideria quæ inspirabit, crebra & vehementia; per eventa & objecta ad movendam voluntatem apposita; per eorum denique amolitionem, quæ contagii & nequitiæ aliquid afflare possent. Ineffabili enim & infinita pollet Deus & sapientia & potestate, ut paulatim nexus solvat omnes, qui nos peccato obligant; & affectus corroboret, qui religioni & justitiæ devincire nos possunt, aliis, aliisque innumeris & mirabilibus modis intus & foris.

Capite superiùs quarto diximus nihil nos juvari, vel præparari generalibus his auxiliis ad suscipiendam Dei gratiam: sed non diximus non posse Deus illis ad hoc uti. Mundi hujus universi venustas & ordo Evangelicas veritates non possunt animis nostris informare; & hæc tamen quandoque Deus adhibet, ut ad sui cognitionem & cultum eos adducat, quos ita præparat ad Christi fidem suscipiendam. Sed ut hic nodus penitus incidatur, existimari possunt generalia hæc auxilia, specialia jam fieri intentione & providentia Dei, ea tunc ita temperantis & corroborantis, ut his etsi longiùs, præparemur tamen ad salutem.

Secundi verò generis auxilia generalia, prorsus supernaturalia & specialia cùm sint, multò plus virium & momenti habent ad immutanda peccatorum corda. Potest Deus has augere vires, & vim adversantium habituum atterere, eo qui dictus est modo, inspiratione frequentissima cogitationum & affectuum indeliberatorum fidei, timoris inferni, pœnitentiæ, amoris inchoati, spei: amolitione, vel debilitatione cogitationum, affectuumque his repugnantium; denique per exteriùs objecta, per tribulationes, ægritudines, persecutiones, & quæcunque demum conducere possunt promovendis & ad optatos exitus perducendis divinis consiliis in immutando hominum corde.

Nec enim gratiæ resistitur, nisi perverso cujuspiam rei amore; ac proinde si & res ista & amor iste conteratur, tum eidem gratiæ non amplius resistetur. Sicui rei alii affigat se tum privatus amor, rursum Deus & rem & malè conglutinatum rei amorem destruet. Denique affectuum immoderatorum, eorumque pugnacitatis adversùs gratiam divinam, fines sunt aliqui, modus est aliquis: omnipotentiæ & sapientiæ Dei non est numerus, non est finis ullus. Hominis pertinacia adversùs bonum suum fatigata tandem cedet: clementia & potestas infatigata Dei vincet.

Illam cum primis, eamque validissimam admovet Deus machinam ad expugnandam hominis obstinationem, Terrorem æternæ pœnæ. Sui enim ipsius & sæculi voluptatum amore penitissimè imbutus cùm sit, sapere illi non possunt delitiæ amoris justitiæ; sed qui his blanditiis deliniri non potest, frangi potest terrore æternarum flammarum, quibus devorandus injiciatur, si antè vita, quàm malitia excedat. Timor iste infestus non est ei sui ipsius amori, quo naturaliter totus madet; ideo facilè illi *assentitur*; sicut & facilè assentiebatur eidem timori divinitus *inspirato*, formidine naturali, qua exhorrescunt omnes homines acerbitatem æterni supplicii obstinatis peccatoribus subeundi. Cùm hic timor consentiat amori naturali hominis in seipsum, fieri haudquaquam potest, quin illi aliquando tandem se permittat, si curæ sit Deo, ut excitet illum, nec satiscat; sed novas usque suggerat vires, cogitationibus, inspirationibus & objectis opportunis.

Postquam verò æternæ timor pœnæ voluntati dominabitur, ab illis omnibus indubitatissimè se subducet homo, quibus illi certissimè tantum supplicium inveheretur; abstinebit ergo se à quocunque crimine; nervos contendet omnes, ne desideriis etiam malis assentiatur; tum quod vel his unis pœna eadem infligeretur; tum quod inauditæ sit dementiæ, voluptates carnales ipsas quidem ablegare æternæ damnationis metu, at earum desideriis cedere, eadem pœna vindicandis. Hac cessatione mali cujuscunque, vel faciendi, vel desiderandi, consuetudines hæ malæ dilabentur, & evanescent. Evanescunt enim consuetudines non adversis tantùm habitibus contrahendis, sed longa actuum cessatione: ita per mali desuetudinem facilè inducetur boni consuetudo & facilitas.

Si tum verò Deus incipiat, vel pergat inspirare animæ amoris sui dulcedinem: assentietur illa citra dubium, cùm obices omnes procul summoti sint. Suavi quadam necessitate naturæ amat rationalis

nalis anima delicias ; postquam interdictum sibi videbit terrenis voluptatibus, expuncta etiam earum cupiditate, gustu ipso eorum jam excusso ; si tunc cœlestes deliciæ ingerantur, cupidissimè illas complectetur.

Adde quòd animæ primigenia propensio, cujus radices in ipsa rationalis & immortalis naturæ substantia defixæ sunt, ad incorruptas vergit delectationes justitiæ, sapientiæ, veritatis, æternitatis. Perturbato rerum ordine per peccatum, quæruntur ab ea in luto sensibilium rerum, voluptates illæ, quæ liquidæ & castæ non inveniuntur, nisi in Deo. Restituto ordine, in seipsam anima redit, suæ se reddit naturæ, & reparatæ jam aliquantulum naturæ suæ pronitatibus si modò morem gerat, cœlestes gratiæ & charitatis delicias non amplius aspernabitur.

Eo certè temporis intervallo, quo fit & maturescit cordis conversio, temperandum forsan nonnihil est illud Augustini, Thomæ, cæterorumque Patrum & Theologorum axioma, Hominem nondum justificatum non posse diu vitare omnia conjunctim crimina, etsi singula sejunctim possit. Perquàm simile enim veri est, absolutum Dei decretum de conversione peccatoris alicujus, providentiam pro salute ejus excubantem & profectu, timorem æternæ pœnæ, amorem justitiæ inchoatum, præstare id ei posse, ut nullo se interim crimine obstringat. Nec tamen solemni illi omnino derogatur axiomati, in quo agitur de interiori potestate omnia & declinandi crimina, & præcepta implendi, quam consequi potest nemo, nisi per charitatem justificantem ; cùm peccatori quo de hic agitur, non sit ad id, nisi potestas extrinseca, quæ non tam in ipso est, quàm in Deo, pro illo excubias agente.

CAPUT XXIII.

Quomodo Gratia hæc prædeterminet voluntatem, nec indifferentiæ tamen ejus officiat.

MOraliter tantùm prædeterminat Deus hominis voluntatem, auxiliis illis omnibus & actibus, de quibus verba fecimus ; & illam tamen insuperabiliter immutat & contorquet quò ipse vult ; physicè illam movet & præmovet ; & moraliter tamen tantùm illam prædeterminat. Hæc porro prædeterminatio moralis, nihilominus invicta & infallibilis est.

1. In potestate peccatoris est, ut crimina declinet singula, non omnia ; ita & auxiliis gratiæ reluctari potest singulis, non universis. Duobus in his exemplis infallibilitas moralis est tantùm, & peræquè tamen certa, quàm si physica esset. Tam certò & infallibiliter quippe peccator & non omnia vitat crimina ante justificationem, & non omnes respuit gratias, quàm si physicè ad id prædeterminaretur, etsi moralis tantùm sit illa prædeterminatio.

2. Potest justus singula declinare venialia peccata, non potest omnia ; lassesset enim tandem aliquando & peccabit : Infallibilitas hæc ut defatigetur aliquando tandem justus, moralis tantummodo est, nec tamen minùs certa, quàm si physica esset prædeterminatio.

3. Universim valet illa regula, quòd omnes homines, ægri potissimùm & languidi, nunquam diu tota viriam suarum contentione nituntur ; sed remittunt semper nonnihil de summis conatibus suis. Moralis hæc necessitas tam certa & inevitabilis est, quàm si physica esset.

4. Eventuum contingentium regula generalis, etsi moralis sit, nihilo minus indubitata tamen est, quàm si physica esset : eique ut fundamento quodam inconcusso nituntur antedicta omnia. Eiusmodi autem illa est : Si penes omnes homines potestas sit aliquid faciendi, vel non faciendi : alii facient, alii eo abstinebunt ; nunquam continget, ut vel omnes faciant, vel omnes ab eo faciendo supersedeant. Si res innumerabiles sint, quas posset aliquis unus facere, vel non facere, earum aliquas certissimè faciet, alias omittet : nec eveniet unquam, ut vel omnes faciat, vel omnes omittat. Non aliter qui innumerabilium Dei motionum multitudine lacessitur, quibus potest resistere, potest & non resistere : indubitatissimè aliis resistet, aliis cedet : nec unquam continget, ut vel omnibus resistat, vel omnibus obsequatur.

5. Ita existimat sanctus Thomas immortalitatem specierum à Deo servari per individua mortalia. Cùm enim innumerabilia sint hæc individua, etsi deficere singula possint, non possunt tamen omnia simul deficere ; sed aliis à propaganda specie cessantibus, alia non cessant. Addit autem sanctissimus Doctor ea prorsus ratione infallibilem esse prædestinationis executionem, per auxilia minimè sigillatim infallibilia, sed quæ ita alia aliis succedant, ut non possint unquam omnia simul frustrari. q. 24. De veritate ar. 14.

Innumera alia acervari possent exempla, tum vulgatissima, tum indubitatissima, quibus demonstratur, in actionibus omnibus, seu civilibus, seu naturalibus, nunquam hominem suas omnes vires diu ita exercere, ut nulla ex parte cesset, aut pigrescat ; nunquam magnis multisque difficultatibus obniti diutissimè, ut nec tantillum defatigetur ; nunquam nisi exhaustis viribus omnibus à certando cessare. Sed ut omnes suas ad resistendum gratiæ vires homo exhauriat : an decem, an viginti annis ita totus conniteretur ? Etenim ut perseverantia in bono usque ad finem superat etiam justi vires, & impossibilis prorsus illi est, etsi moralis tantùm sit hæc impossibilitas ; nisi Deus auxilio maximè speciali prohibeat, ne ultra virum suarum patientiam frequentiùs, aut diuturniùs à spiritalis salutis suæ adversariis oppugnetur : Ita & finalis in malo perseverantia impossibilis est impio, si assiduitate, vi, & diuturnitate auxiliorum suorum, blanditiarum, terrorum pergat infatigata Dei clementia illum incessere & fatigare. Denique fines & modum habent hominis vires, non habent Dei.

Perdomat homo ferocissimas quasque bestias, illas etiam quæ naturæ sunt indomitæ. Nec in earum tamen animas penetrare potest ; sed illas earum corpori vel molestias adfert, vel voluptates, quibus adducuntur cogunturque, ut velint, quod nolebant. Si qua verò posset arte suas illis ostendere rationes, cogitationes inspirare, si affectus earum commovere, multò sanè facilius illas promptiùsque ad obsequium inflecteret. Hanc omnem potest Deus explicare vim in voluntates hominum quantumvis rebelles ; poterit ergo illas edomare, ubi volet, hac ipsa ratione, quæ physicam habet motionem, prædeterminationem autem moralem tantùm, quanquam prorsus ineluctabilem.

Quisquis inter homines sapientia, viribus, & authoritate præcellit, is cæteros potest ad bene multa & volenda & facienda compellere, à quibus antè abhorrebant. Ejus tamen supra cæteros præcellentia permodica est, nec ulla vi sua potest irrepere, aut pertingere in eorum mentes, vel voluntates. Humanæ & sapientiæ & potestati quantum antistet divina, quis capere, quis eloqui potest ? pervadit & in nostras voluntates, & in eis immediatè operatur, quidquid sibi collibuit. Ita ergo aget illas, ut approbent velintque quidvis.

Ex Augustini sententia, qua utitur homo potesta-

testate in jumenta sua, ea utuntur & abutuntur dæmones in homines impios; non quo eorum in mentes & voluntates subire ipsi possint; sed per eam potestatem, qua donat illos Deus in res corporeas omnes. Quanquam enim arcto satis limite includatur hæc potestas, per eam tamen illos in ea passim inducunt, quæ diabolicæ sunt nequitiæ; quæ nec velle, nec facere possunt nisi scelestissimè; illos denique cupiditatibus ipsis suis quasi vinctos quocunque pertrahunt. Si principi illi nequitiæ permitteret omnino Deus homines, si circumjectas res omnes sensibiles, quibus incendi possunt cupiditates nostræ; nihil non ille eis suadere, vel dissuadere posset arbitratu suo. Hinc ergo conjicies quanta sit ipsius Dei potestas in voluntates omnium hominum, cùm & illas in manu sua habeat, habeat & affectus earum, sensibilesque res omnes, quibus hi affectus incitari, retardari, vel comprimi possunt.

CAPUT XXIV.

Ejusdem argumenti continuatio.

VUlgatissima ea est inter Theologos doctrina, clara Dei visione invictissimè determinari Beatorum voluntates ad ejus amorem, & ad omnimodam impeccantiam: uti ex insita boni in communi & beatitudinis notione, ea invehitur nobis necessitas, ut non possimus non velle bonum & beatitudinem. Ergo si Deus non totum se homini ostendat, sed ex parte: si non tota se tum induat claritate sua, sed magna ex parte; tunc non prorsus quidem illum ad amorem suum determinabit, sed vehementissimè inclinabit, ut perdifficilè obniti possit. Si conjuncta enim fidei caligo in causa est, ut peccare adhuc possimus; si clara Dei visio impeccantiam conciliat: ita temperari poterit inter utrumque Dei cognitio, sive contemplatio, ut difficillimum sit tum peccare: si ejus boni frequens sit fruitio, si charitas in corde magis magisque ardescat, si exteriora vel admoveantur, vel amoveantur accommodatè ad Dei propositum; quis non videt hac auxiliorum multitudine & conspiratione moralem quandam & infallibilem tamen determinationem conflatum iri?

Non absimile argumentum exprimetur ex charitate in corde justorum regnante. Quando hic charitatis affectus mediocriter ardet, non omnibus tunc eximimur adhuc peccatis; ubi inflammatissimus verò est, ut in Beatis, tunc peccandi potestas omnino exuritur. Si potest hic habitus ad eum perfectionis cumulum exurgere, ut nostram ad peccandum libertatem versatilem extinguat: quin possit non omnino ad eum apicem contingere, sed tam propè ab eo abesse, & amorem veritatis & justitiæ ita flagrantem infundere, ut moraliter impossibile sit ab amando Deo nos cessare? Si addantur verò à Deo auxilia alia mentem illuminantia, affectus alii, tempestivæ rerum exteriorum illecebræ, quò non ab eo voluntates nostræ insuperabiliter pertrahentur?

Spectat id ad justos, quibus ita potest Deus inexpugnabilem adjicere patientiam inter ipsas suppliciorum carnificinas, atque ita demum victrici eorum perseverantiæ coronas addere. Si libeat autem non jam de habituali, sed de actuali charitate sermonem habere, pari ratione expediri poterit peccatorum conversio. Actualis enim charitatis abrupto impetu invictiùs voluntas trahetur, quàm pari gradu habitualis amoris. Poterit ergo Deus ita illam incendere, ut peccare ne possit quidem, quandiu vigebit hic æstus: poterit minuscula adhibita flamma, non ad impeccantiam justum propellere, sed propè admovere; poterit consensum ejus extorquere ad quæcumque volet, proximè illum admovendo ad eum ardoris gradum, qui consentiendi necessitatem importaret; vel sæpiùs idem tentando, vel si quid adhuc minus sit, id complendo per alia adjutoria, sive affectuum intus, sive rerum exteriorum.

Quod de cœlesti gaudio & charitate dictum est, porrigi id potest ad conspectum infernarum pœnarum, earumque formidinem. Scitissimè enim ab Anselmo observatum est, Si nutanti & deliberanti homini, Dei præceptis, an cupiditatibus suis famularetur, tum Deus ostendat inferorum pœnas: futurum certissimè, ut voluntatem suam homo convertat ad ea effugienda mala, quæ & æterna sunt, & omnium incomparabiliter atrocissima.

Eadem prorsus ratio est affectus, sive motionis timoris æternarum pœnarum. Si motiones & affectus ejusmodi, sive conjunctim, sive separatim, tam vehementes esse possunt, ut necessitatem afferant consentiendi in ea omnia, quæ à Deo præcipiuntur; ubi de iis nonnihil remittet Deus, non determinabitur tum quidem infallibiliter ab eis voluntas, sed tantùm illi imprimetur pondus, ut difficillimè resistere possit; unde fit, ut frangatur tandem & cedat, si sæpiùs ita oppugnetur.

Non poterat Iprensis Episcopus doctrinæ suæ labem & ruinam vitare omnino, nisi vitii & peccati aliquid aspergeret actionibus omnibus, solo ex timore inferni profectis, nullo charitatis accedente afflatu. Aliàs enim assentiendum illi fuisset dono timoris servilis, ut gratiæ generali verè sufficienti, qua quædam & vitantur peccata, & fiunt opera bona, ad justificationem præparantia; ita tamen ut per illam voluntas non determinetur, cùm vim ille prædeterminantem uni tribuat victrici justitiæ delectationi. Assentiendum rursus illi fuisset, ubi delectationi justitiæ non satis supperit virium ad superandam concupiscentiam, tum si comes & commilito accedat timor gehennæ, junctis viribus timoris & delectationis emersuram gratiam efficacem & victricem. Perspicuè conjuncta & consequentia hæc sunt ejus sententiæ; consultiusque fuisset his subscribere, quàm de timore gehennæ ea sentire, quæ Concilium Tridentinum jam præscripserat, confutaverantque Catholici Theologi, in tuenda Concilii Tridentini & Ecclesiæ doctrina adversùs Lutherum.

Quibus quarta hæc ratio proponitur exponendæ ineluctabilis efficaciæ divinorum auxiliorum, ii talibus illam convellunt objectionibus, quales opportunissimæ sunt ad eam confirmandam. Pugnant enim inter sese; & hinc objicitur, hanc auxiliorum conspirantium multitudinem nunquam satis virium habituram sine prædeterminatione physica, ut voluntatis contumacia frangatur, & expugnetur assensus. Inde ab aliis ex adverso, nonnunquam & ab iisdem objicitur, hanc auxiliorum copiam, cui nunquam resistitur, vel eandem rem esse, vel iisdem patere difficultatibus, ac prædeterminationem physicam. Ex iis quæ dicta sunt manifestum est, hac gratiarum conspiratione contineri præmotionem physicam; prædeterminationem autem seu infallibilitatem non physicam, sed moralem. At ex his objectionibus ita sese collidentibus, jure meritò concluditur, gratiæ efficaciam, cui assentimur, usque adeo non esse prædeterminantem, ut nonnullis videatur effectu suo frustrari posse: & usque adeo rursus optato exitu frustrari non posse, ut non paucis prædeterminans esse videatur.

CAPUT

CAPUT XXV.

Consensus & concordia trium priorum quæstionum cum quarta.

CUm secundùm veritatem non alio magis quàm pacis amore æstuare debeat Theologus; noltrum ut hoc studium approbemus, ita præ nobis ferimus, quatuor suprà explanatas sententias in unam coire & coalescere posse, si earum patroni aliquid temperamenti æquo animo ferre possint.

Scientiæ mediæ accommodari potest assensus, ut dicatur Deus voluntati, quam emendatam vult, auxilia aptare ita tempestiva, ut certò consensuram prævideat: dum hujus defensores sententiæ ingenuè fateantur, 1. Dum sacri Codices & Patres de præscientia Dei agunt, nostræ tum eos servire imbecillitati; ut ne nos cogant nervos semper ingenii omnes contendere, ut cogitemus omnia tempora semper præsentia Deo esse, & ab eo coram semper videri omnia, nihil prævideri. 2. Gratiæ quam largitur Deus, vim suam victricem & inexpugnabilem per sese inesse, nec ab effectu pendere; ita ut ex præscientia Dei necesse non habeat efficaciam suam expectare. Sanè Angelorum sanctorum gratiæ primævæ invicta non inerat efficacia, etsi ex eventu efficacem fore eam Deus præsciret.

Potest etiam nonnunquam admitti prædeterminatio physica, si ejus vindices id nobis annuant, ut eliciatur priùs voluntatis assensus per aliam quamvis gratiam, minimè prædeterminantem. Præeunte enim semel hoc assensu, jam libera & rata erunt quæcumque Deus extorquebit, vel ebblandietur voluntati per invictas motionum suarum vires. Ejus rei & exemplum peti potest, & argumentum ab illis quibus persuasum est, induratos & excæcatos nulla jam donari divinarum gratiarum parte ad vitanda peccata; nec tamen eorum peccata hac excusari peccandi necessitate, quòd in eam ipsi sese ultro præcipites egerint. Qui enim similiter gratiæ semel liberè consenserint, mereri deinceps jure pergent, si quando eos charitatis æstuantis impetus rapiat & innatæ indifferentiæ usum tunc suspendat. Ita visum est Ruardo Tappero, Petro de Lorcas, Puteano, aliisque doctissimis Theologis, causas incidere, ubi admitti possit gratia prædeterminans. Non video quid his magis appositè dici possit ad concordiam ineundam. Denique incomparabiles fœminæ & cœlesti imbutæ Theologia, Catharina Genuensis & Theresia, quod expertæ non semel fuerant, vitæ suæ commentariis mandarunt; Rapi quandoque animam à Deo, ligari tum ab eo ejus libertatem, ut jam charitatis æstuationi resistere non possit, sed ejus antè à Deo impetrari consensum. In eandem sententiam dictum est olim à Dionysio & nonnullis aliis sanctorum Patrum, animam in his excessibus suis jam non agere, sed pati divina.

Denique assensi sumus delectationem victricem justitiæ non aliter æstimandam, quàm ut nobilissimam validissimamque earum gratiarum, quæ ad efficacissimum gratiæ adjutorium conflandum concurrunt. At aliunde negari non potest, nisi quis adversari volet Scripturis simul & Patribus, rationi & experientiæ, animam illici, moveri, trahique persæpè, per alios affectus à delectatione plurimùm discrepantes.

CAPUT XXVI.

Probationes ex Scriptura, Augustino & Thoma.

SUppeditat nobis Scriptura probationes complurimas, ex quibus evincatur efficacitas illa gratiæ, quæ ex plurium existit concursu inspirationum, & objectorum cujusque generis. Longè pulcherrima & splendidissima illa est, quæ ex universali Dei providentia sumitur, & ex utriusque dispensatione Testamenti. Perdiu cunctatus est Deus, antequam fidem daret, ut experiretur diutissimè, & ita convinceretur homo, quanta sua esset divini lumini egestas. Legem postea dedit, & bis mille annos labi deinde antè passus est, quàm Filium suum unigenitum cum gratia mitteret; ut tam diutina & permolesta experientia persuaderetur homini, sine gratia justificante Mediatoris nec à peccatis admissis mundari se posse, nec ab admittendis liberari. Auxilio enim Legis & timoris servilis peccata vitabat nonnulla, in alia mox defluebat, quòd necdum justificatus esset, necdum Christus cum charitate in corde ejus formatus esset, quòd ne in terris quidem adhuc natus esset. Pœnæ, bella, servitutes, transmigrationes cogebant illum quandoque, ut peccato valediceret, & ad Deum recurreret. Sed cùm timor solus non posset illum sanitati & pristinis viribus restituere, atque adeo nec prohibere, quin brevi in peccatum delaberetur; his constringebatur quodammodo ad invocandam verissimam Liberatoris gratiam, qui invictissimo amore justitiæ vincula solveret fœdissimæ servitutis peccati, & libertatem filiorum Dei redintegraret. Hujusmodi dispensatio blanditiarum & illecebrarum hominem aliquando tandem, quin immo universum genus humanum præparavit, adduxitque ad consentiendum Christo adventanti, & illabenti cum eo gratiæ justificanti. Tam diutina experientia innatæ ignorantiæ & infirmitatis, inutilium denique timoris conatuum ad justificationem, nisi cum charitate adproperaret Christus; tam diutina, inquam, experientia minimè necessaria fuisset, si æquè postea ut de his homo convinceretur, opus habuisset gratia prædeterminante, quæ totum negotium expedire potuisset, etsi illis experimentis supersederetur. Atqui statum fixumque illud est in doctrina Augustini, ita regi unumquemque hominem singularem à Deo, ut universum humanum genus. Ideo & in unoquoque peccatore convertendo eadem observavit Augustinus Dei curas, eandem multiplicem providentiam. Quem enim Deus à peccato ad justitiam invictissimè convertere constituit, illum primò temporalibus concutit calamitatibus & timore inferni, quòd non aliis tum temporis affici & moveri possit stimulis. Si gratia quælibet efficax prædeterminante vi polleret, æquè hominem cogeret statim assentiri amori justitiæ, atque formidini pœnæ. Permittitur homo languere in ignorantia, in infirmitate, in inutilitate timoris, quandiu solus est, servilis; & tandiu in his languere permittitur, quandiu opus est, ut adducatur certissimè tandem ad Liberatorem humillimè & enixissimè implorandum.

Ea leguntur exempla in Ezechiele, in Osea, in parabola Evangelica adolescentuli intemperantis, quæ manifestè nos addoceant, infidam sponsam & profugos paternis ex ædibus filios cogi quodammodo à Deo, ut ad ipsum gressum retorqueant, eique se recolligant: cogi inquam per blanditias & minas, per amaritudines perversis eorum suavitatibus aspersas, & per amoris sui instillatas delicias, donec fatigati longis asperitatibus sæculi, statuant ad sponsum cœlestem

stem, & ad Patrem misericordiarum revocare gradum. Qui hos Scripturæ locos scriptis illustravere sancti Patres, ab his observatæ sunt istæ omnes divini animarum regiminis vices mirabiles, & sinuosi multiplicium gratiarum flexus.

Exequutus est Augustinus in suis Confessionum libris quas expertus erat in seipso gratiarum varietates, quibus pedetentim laxabantur compedes, quibus peccato & mundo astringebatur; ita ut quæ ultima illum prostravit erexitque justificationis gratia, post complanatas difficultates maximas tum demum se illi infuderit, nec justificationem perfecisse dici potuerit, nisi sua cum innumeris auxiliis aliis conspiratione. Ita restitutæ sanitatis laus uni vulgò tribuitur extremo medicamento, quamvis quæ anteiverant, ea vim morbi maximam jam fregissent.

Nusquam luculentiùs Augustinus idem efficaciam gratiæ victricis exhibuit, quàm libro de Gratia & libero Arbitrio. Per plura ibi Capita coacervantur ab eo exempla plurima Scripturarum, ubi Deus omnipotenti potestate immutavit cor sive justorum sive impiorum nutu & arbitratu suo, adegitque ut vellent quod nolebant, nollent quod volebant, tam in malum, quàm in bonum. Ideo & illud ibi ab eo concluditur inclinari à Deo corda hominum, sive in bonum, sive in malum, ita ut illi resistat nemo. Atqui quando indurat Deus peccatores, non id facit inspirando malitiam, non prædeterminando voluntates, sed ea foris objiciendo, & eas causas, sive ocasiones præbendo, quæ præcipites jam ad malum voluntates eò pertrahant. Ita sanctus Pater eum nodum extricat Quæstione VIII. in Exodum; ita & sanctus Thomas & Hugo Victorinus; ita & Jansenius ipse in Exodum, ubi agit de Pharaone indurato etiam *per potentiam* divinam; ea enim ipsius Augustini verba sunt. Quanquam ergo moralis tantummodo sit hæc prædeterminatio, proficiscitur illa tamen ab omnipotentia Dei, nec minùs indeclinabilis & invicta est, quàm physica prædeterminatio. Poterit ergo illa à Deo adhiberi & tempestiviùs & potentiùs ad bonum, infundendis scilicet præterea cogitationibus & affectibus piis compluribus.

Cap. 18. 19. 20. 21.

S. Thomas Ep. ad Rom. c. 9. lect. 1. Hug Victor Miscell. l. 1. Tit. 164.

Libro rursus primo ad Simplicianum apertissimè declaravit idem Augustinus, cur ex pluribus qui vocantur, alii obsequantur, alii terga vertant. Ait autem id eò fieri, quòd illi tantùm, non hi vocentur, *ut aptum est, ut congruit: Si vellet Deus misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & sequerentur. Illi qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi: non electi, quia non secuti, quamvis vocati.* Tanta neminem docet esse duritie cordis & obstinatione, quem non possit Deus delinire, & ad se allicere: *Quis dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?* Hæc eadem centies inculcantur ab eo in eodem Libro, & in cæteris quos adversùs Pelagianos edidit; quorum in extremis ait id fieri *miris & occultis modis.*

Consentit & sanctus Thomas, ubi tradit *qu. 6. de Veritate art. 3.* effectus quosdam inevitabiles à Deo prodire, idque duplici ratione: vel unius tantùm causæ necessariæ adminiculo, quæ suspendi, aut inhiberi non possit: aut plurium simul causarum contingentium, quarum si quæ cadant irritæ, subrogabuntur illico complures aliæ, & quidem eo numero, ut simul omnes deficere non possint. Ita multitudine innumerabili individuorum mortalium immortalitas nititur specierum. Ita & ex eodem sancto Thoma indeclinabilia prædestinationis decreta executioni mandantur, per id genus auxilia sine numero & sine fine, quæ singula declinari possint, non possint universa. Ita denique hunc locum sancti Thomæ interpretatus est Franciscus Ferrariensis Dominicanorum Præpositus generalis, Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanus, Sixtus Senensis ejus discipulus, Dominicanæ ambo familiæ, ut & Mathias Aquarius, Venetæ Capreoli Editionis Author, ejus & ipse addictus sententiæ, ut Thomistarum Principis; adde Carthagenam, Franciscum à Castro, Alphonsum Curielem, aliosque, qui in hac re antiquissimam facillimamque innovarunt methodum, conciliandæ prædestinationis divinæ cum indifferentia libertatis humanæ.

CAPUT XXVII.

Elucidamentum necessarium de potestate faciendi, vel non faciendi cujuscumque actionis bonæ, vel malæ.

SUprà dictum est à nobis Thomistas novos ab annis circiter centum cuique gratiæ generali & sufficienti tribuisse, quod tribuendum non erat nisi multitudini plurium simul hujusmodi gratiarum: ab illa videlicet dari proximam faciendi boni potestatem, vitandi mali, præparandi hominem ad justificationem: sed eam potestatem effectu suo semper frustrari. Videntur porro illi similiter vendicasse uni gratiæ efficaci vim inexpugnabilem impellendæ ad consensum voluntatis humanæ: cùm ea vis & potestas plerumque vendicanda non sit, nisi ingenti variorum auxiliorum multitudini.

Par ergo efficacia tribuitur gratiæ & ab ipsis & à nobis, sed ejus modus & ratio dispar est. Conciliandæ verò gratiæ efficacissimæ cum libertate nostra & cum possibilitate mandatorum difficultas, non ex ipsa præcisè efficacia gratiæ exoritur, sed ex speciali ratione explicandæ hujus tantæ efficaciæ. Nemo enim non intelligit, & facilè intelligit, resisti semper posse, & reapse resisti quandoque auxilio cuique sejunctim, quanquam omnibus conjunctim auxiliis nunquam resistatur; at difficillimè intelligitur, quomodo qui singulari gratiæ & resisti semper possit, & resistatur nunquam; aut quomodo & illa invictissimè per sese sit efficax, & nostræ tamen potestatis sit illam frustrare & ludificari. Eo sanè adducti sumus in hanc nostram sententiam, ut quæ perspicuitatis, ingenuitatis, facilitatis non paulò plus haberet, & antiquissimis unà placuisset Theologis ad incundam gratiæ & libertatis concordiam. Inest tamen adhuc huic sententiæ, quod arduum & non facilè pervium dici possit, eoque invitet nos ad demiranda & adoranda propensiùs sapientiæ & potentiæ Dei arcana.

Sunt hinc ergo Theologi, qui uni gratiæ sigillatim adjutorio tributam volunt totam illam efficaciam, quæ in plura dispertienda erat: unde difficillimos habuere exitus, cùm exponere aggressi sunt quomodo resistatur ei nunquam, & resisti semper possit: cùm proniissimum contrà sit capere, singulis sive peccatis, sive divinis auxiliis resisti posse semper, & aliquando resisti, nunquam universis. Sunt rursus hinc qui dixerint quodlibet auxilium sufficiens plenè sufficere, etsi plenæ ei sufficientiæ nunquam respondeatur, quòd vehementiori præterea & efficacissimo opus sit auxilio. Id nostra quidem ingenii mediocritas capere nunquam potuit: cùm facillimè contrà capiamus, singula auxilia verè sufficere, & effectum perspicuè sortiri; sed aliqua semper fore, quæ frustrentur, si merè sufficientia sint, & eis non obtemperetur, nisi ægrè & difficulter: propterea quòd ægra hominis voluntas lassescet tandem aliquando, & postquam aliquandiu pugnaverit, in diuturniore tandem

dem illam dimicatione fatiscet & concidet. Ad hunc verò modum necessitas gratiæ efficacissimæ nequaquam repugnat doctrinæ auxiliorum sufficientium; cùm hæc ad singulos actus bonos sufficiant; at gratia efficacissima necessariò requiratur ad universam bonorum operum multitudinem, quam justificationi, vel finali perseverantiæ præire necesse est. Sufficientia illa auxilia ad unum aut alterum opus bonum voluntatem corroborant; Gratia efficax ad universa illam armat, prohibetque ne lassata ejus constantia ullis cedat molestiis aut tentationibus.

Ex alia parte verò sunt Theologi, qui actibus singulis eam adsignarint peccandi necessitatem, quæ non spectat nisi ad multitudinem quandam eorum. Si affirmant enim factæ Litteræ *necesse esse* ut hæreses sint & scandala; ea necessitas non pertinet nisi ad genus humanum universum, eoque nihil præjudicat privati cujusque hominis libertati. Perinde enim est, acsi diceretur, necesse esse ut sint qui temulentiam sectentur, cùm omnes homines amore flagrent voluptatis, quæ permagna ex vini potu exiitit. Hæc sive necessitas sive impossibilitas in genere, privatam nullius libertatem labefactat; nec cujusquam ebrietatem excusat, cùm tam facilè potuerit hic ebrius vel ebriosus hoc sese abstinere vitio, quàm reliqua sobriorum multitudo. Quod autem de actione aliqua dicimus ad innumerabiles homines comparata; hoc idem dicendum de quolibet privatim homine innumerabilibus actionibus comparato; utrobique valet regula illa certissima rerum contingentium: nunquam universos arduis operibus defungi; nunquam universos iis se rebus abstinere, quas perditissimè amant; nunquam unum aliquem hominem obluctari innumeris pronitatibus, vel affectibus, sibi innatis, vel aliunde affricatis; nunquam ab uno & eodem homine innumeras superari difficultates, & quidem diu. Hæc necessitas peccandi, vel lethaliter ante justificationem, vel venialiter post justificationem, cujusque peccati sigillatim vitandi libertatem potestatemque non aufert; & hæc ipsa est de qua disputabat Augustinus adversùs Pelagianos, ubi docebat, non posse hominem post lapsum, immo ne justum quidem posse, *Esse sine peccato, Vivere sine peccato, Perficere justitiam*; quòd ad id opus esset, ut integra quis, vel redintegrata esset sanitate: sive per justificationem, ut omnia crimina possint vitari; sive per gloriam, ut venialibus quoque culpis abstineatur. At Pelagiani, quibus certi & explorati nihil erat de peccato originali, & de inflictis per illud naturæ humanæ vulneribus, tam volebant nos nunc, quàm Adamum adhuc stantem, vitam omnino degere posse sine qualicunque culpa. Ex statu ergo ipso quæstionis patet, disputatum non fuisse tunc, nisi de generali & vaga peccandi aliquando necessitate; quod & ipsa Augustini verba confirmant. Inde est quòd & iisdem locis constanter dimicat pro mandatorum possibilitate, & pro hominis libertate etiam post peccatum.

Ex uno ergo capite in quatuor diverticula sive divortia itum est. Duo priora spectant ad potestatem bene operandi, sive per gratiam efficacem, sive per sufficientem: posteriora duo ad potestatem vitandorum peccatorum, cum mortalium, tum venialium. De singulis dictum est, vel auxiliis, vel peccatis, quod dici non potuerat, nisi de universis; aut de universis dictum est, quod de singulis debuerat dici. Sed qui priora duo in diverticula se conjecerunt, illi nihilo seciùs orthodoxis annumerantur: quod non æquè fas est affirmare de aliis.

CAPUT XXVIII.

De Gratia ad unumquodque bonum opus necessaria. Quæ sit Gratia operans, & cooperans.

EAm secuti sumus in exponenda efficacissima gratia rationem, quæ nos una penè suprà objectis difficultatibus omnibus expedivit. Si rursus verò objiciatur, à nobis negari ejus ad omnia bona opera necessitatem. Respondebimus 1. Henriquem virum doctissimum, & Societatis Jesu lumen, gratiam efficacissimam non aliter descripsisse, quàm nos suprà, & illam tamen ad opus quodlibet bonum necessariam prædicasse. Ea nobis sententia pia videtur esse, excelsumque & magnificum nescio quid spirare; lubentissimosque nos ei assensuros fuisse, si satis capere eam potuissemus. Sed cùm in ea posita sit efficacia illa, quòd variarum multitudine gratiarum expugnet assensum, etsi nonnullas earum frustremus; dilucidum est hanc auxiliorum conspirationem spectare non posse, nisi ad ejusmodi opera, in quibus plurimum est & momenti & difficultatis.

2. Ideo & hanc gratiam appellamus efficacissimam, ut cui superandæ incumbunt gravissimæ difficultates; cùm alioqui gratia habitualis auxilio actuali & idoneo munita, ut solet, auxilium sit efficax, quo juvamur, & validè inclinamur; quo & plerumque agimus, etsi & quandoque illi renitamur. Quid æquius enim est, quàm ut intersit aliquid discriminis inter auxilia, cùm tantùm intersit inter opera ipsa, propter quæ desiderantur? Quid æquius est, quàm ut quantum distat conversio peccatoris obstinatissimi, & opus quodlibet bonum justi: tantundem distent auxilia necessaria ad conversionem illam utique difficillimam, & ad quodvis opus bonum justi, qui ad justitiam totus propendet?

3. Inde est quòd perseverantiæ donum speciale donum est ex Augustino, ut cæteris auxiliis longè validius. Ecqui autem validius & efficacius esset hoc auxilium, si ad opus quodlibet bonum adjutorio opus esset validissimo & efficacissimo?

4. Augustinus & ævi ejus Concilia ad quodlibet opus bonum desiderarunt charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum & cum Spiritu sancto: cùm interim ambigeret nemo, quin homini in novam creaturam efformato, & ad esse quoddam divinum evecto, adderetur auxilium actuale illi accommodatum, & charitatis habitualis pronitati contemperatum.

5. Ita nunquam justus à Deo deseritur. At si ad quodlibet opus bonum requiritur auxilium invictissimè efficax, & illud ei subtrahitur, quoties peccat: deseritur ergo à Deo, & quidem hactenus peccati expers.

6. Agnovit Jansenius Iprensis Episcopus, gratia habituali possibilia fieri præcepta; atque ita Augustinum, ita Patres & Theologos sentire. Sed fatendum confestim erat, Patres & Theologos gratiæ habituali vendicasse vim & efficaciam ad id accommodatam, nec deesse actualia auxilia ad id opportuna, ut nec ullis desunt causis naturalibus. Eo uno argumento constare illi potuisset, gratiam hanc habitualem esse sanitatem, facilitatem, delectationem & dilectionem victricem; denique gratiam illam, cui declarandæ totum se addixit Augustinus. Denique si nihil habet efficaciæ gratia habitualis, si robusta, si actuosa non est, si nullis certò vallatur auxiliis actualibus: ecquid causæ est, quamobrem mandata divina per eam dicantur fieri possibilia?

7. In ultimis Congregationibus de Auxilis Clemens

mens VIII. Scriptum concinnavit, quasi dubitabundus, ubi erant aliqua, quibus efficacia gratiæ commendaretur; at quod attinebat ad gratiam quæ ad opus bonum quodlibet necessaria est, voce *efficacis* ibi abstinebatur, etsi ea non abstineretur in propositionibus quinque immediatè præcedentibus.

8. Gratiam sanè ad quodlibet bonum opus necessariam esse, definitum non fuit, nisi adversùs Pelagianos, qui non alias admittebant gratias, quàm naturam, libertatem, legem, remissionem peccatorum, quæ mera esset venia, & non imputatio peccati: ut ex operibus Augustini patet, qui extorquere nitebatur illis confessionem gratiæ & charitatis inspiratæ à Spiritu sancto, & non peccata tantùm delentis, sed & juvantis, nequa posthac committantur.

Unum hoc superest, quod addamus & commendemus de gratia operante & cooperante, quæ ex mente sancti Thomæ & priscorum Theologorum gratia est ipsamet habitualis & justificans. Etsi enim Scholasticæ Theologiæ antiqui proceres hanc gratiæ divisionem, in operantem, & cooperantem, actuali quoque gratiæ adscripserint; illam tamen primò & præcipuè gratiæ habituali tribuerunt. Non est quòd id stupeat quisquam, si modò attendat, hanc gratiam actuosam & efficacem esse suo modo; eo nimirum modo, quo sunt efficaces habitus, & affectus, qui actuosi semper sunt, nonnunquam & efficacissimi. Augustino locupletissimo teste, immo & experientia ipsa astipulante, nisi consuetudini malæ resistatur, fit necessitas. Efficacitas ergo habituum & consuetudinum validissima esse poterit, minùsque mirum est, si gratia habitualis, operans & cooperans esse dicatur. Thomæ ergò & antiquis Theologis videri poterit præluxisse in hac re Augustinus, ubi docuit, ut cupiditas radix est malorum omnium, ita bonorum omnium radicem esse charitatem. Utraque radix ista constanter & jugiter permanet in homine, & efficacissima utraque est. Minùs ergo mirum erit, si dicatur charitatem justificantem, ipsammet esse gratiam efficacem, necessariam ad quodlibet opus bonum: cùm ab affectu qui in corde cujuslibet dominatur, proficiscantur opera omnia, quæ inde germinant, ut à radice & principio suo.

CAPUT XXIX.

Gratiam habitualem & actualem affectus esse, affectus autem esse veluti vincula, quibus voluntates Deus nostras trahit ad quæcumque fieri vult.

ACtualia ipsa gratiæ auxilia ferè non sunt, nisi inchoati quidam affectus, quos in voluntate nostra creat Deus; ita ut post etiam quàm actus ipse effluxit, ita affici pergat voluntas, & hic sit stabilis affectus animæ & propensio in bonum. Vel existimari potest Deus habitum primò affectumque inserere animæ, & tum per illum actus ipsos, qui ex affectu illo promanant, ita ut cessante actu quovis persistet affectus altè impressus, donec illum voluntas expellat. Si nostram contumaciam vincere statuerit Deus, & eundem affectum sæpiùs excitatum sæpiùs & constantiùs infatigata bonitate inculcare; fatigabitur tandem voluntas humana, & bono suo acquiescet. Etiam tum enim cùm excutitur pius affectus, quem Deus afflaverat, vestigia tamen ab eo impressa non omnia statim expunguntur, residua aliquandiu supersunt aliqua; unde fiet, ut affectibus iisdem iterum iterumque postea inspiratis, minùs minùsque resistat homo, cique tandem assensus expugnetur. At ubi movet excitatque nos Deus convenienter reliquiis illis piorum affectuum, quæ supersunt in omnium animis post eversam illam primigeniæ felicitatis nostræ innocentiam, & ubi per reparatricem Christi gratiam naturam restaurat, tum multò facilius illi est, attrahere & devincire nos sibi residuis his affectibus, velut extremis quibusdam annulis earum catenarum, quibus ipsi primùm obstringebamur. Timore enim æternæ nescio cujus pœnæ & admiratione virtutis atque justitiæ: cùm naturaliter etiam nunc imbuti simus, & ita materna ex alvo prodeamus, hæ reliquiæ sunt piorum affectuum, ac veluti funes gemini, quibus facillimè nos Deus ad se trahit, adducitque ad consentiendum consimilibus affectibus duobus ab eo supernè aspiratis, timoris gehennæ, & amoris justitiæ supernaturalis. Si universim expendamus quanto sit nobis naturaliter horrori flagitium, quantæ admirationi virtus: quæ veluti residua sunt lineamenta divinæ imaginis, quæ per peccatum penitus oblitterari non potuit; hos nobis constabit esse generales affectus duos, cæterorum cardines affectuum, sive reliquias malimus esse primigeniæ probitatis, sive inchoationes futuræ: ac veluti vincula, quibus nos Deus detrahet quocunque volet, his scilicet corroborandis per affectus simillimos, sed supernaturales & vehementiores, castiores & diviniores. Quì posset enim Deo abjudicari omnipotens hæc facilitas homines ad se pertrahendi per ipsos eorum interiores affectus: cùm & diabolus ipse peccatores quò vult ferè trahat, per cupiditates ipsas eorum dominatrices? cùm denique homo ipse si quis sapientia & industria cæteris præstet, illos ad nutum suum agat & inflectat, per ipsos eorum affectus? Si verò hæc Deus arte impios potest ad justificationem perducere; multò facilius poterit justos, quò volet, agere & torquere: cùm in potestate habeat quodam veluti frænum principis eorum affectus, id est, charitatis.

Vix aliter intelligi à quoquam potest invicta gratiæ efficacia. Nec enim capies unquam, ab actu voluntatis uno alium produci; sed facillimè intelligitur voluntatem actu aliquo anteriore affectam prosilire ad alium actum: vel potiùs ab actu illo anteriore excitatum affectum, ultrò ad assensum prosilire, in quem non aliàs prosiliisset. Hujus ergo consensionis, seu actus consentiendi principium est affectus excitatus & *inflammatus per* actum indeliberatum, qui gratia excitans appellatur. Ita demum concordare poterunt prisci novique Theologi. Prisci enim gratiæ habituali, novi actuali gratiæ adscribunt nomen & munus gratiæ operantis & cooperantis. Nec immeritò hinc & illinc ita sentiunt. Principium enim & causa consensus est affectus, sive gratia habitualis, ut expergefacta & inflammata per gratiam actualem & excitantem.

Sed hinc denuò admonemur, efficaciam hujus gratiæ per se spectatæ, ejusmodi non esse, quæ frustrari non possit. Nec enim affectus, habitus, cupiditates invictissimè determinant voluntatem, nisi forsan ubi summoperè inflammantur. Nec hinc prohibetur, quin affectus charitatis efficax semper & invictus sit. Sponte enim & naturæ ipsius suæ vi amor & justitia regnant & dominantur cæteris omnibus naturis creatis; voluntas una ita illis subest, ut & rebellare possit, & totum illud imperium labefactare. Id volebat Paulus, ubi ajebat nullam esse rem creatam, quæ separare nos possit à charitate: non ajebat autem, nec usquam alibi ab eo dictum est, non posse voluntatem nostram sese à charitate divellere.

Inde est quòd consentiunt sancti Patres hoc fuisse misericordiæ divinæ consilium, ut cùm adhuc inimici ejus essemus, suo nobis amore præcurreret, homo fieret, mortem pro nobis adiret, beneficiis

neficiis denique suis obrueret, ut voluntates nostras ad se pelliceret: gnarus neminem ad amandum cogi. Supervacaneus forsan fuisset totus ille gratiæ & amoris apparatus, si qualicunque nobis objecta amoris illecebra gratia semper prædeterminans eandem vim suam invictam in nos exereret.

CAPUT XXX.

Non tantum nunc laudis & meriti colligi à nobis ex bonis operibus, postquam gratia invictissima juvandi sumus, quantum in statu innocentiæ.

UNi consilio, intentioni & voluntati Dei nostra nunc ad bonum conversio, & in bono perseverantia vendicanda est, quando & multitudine innumerabilium auxiliorum suorum & suavitate oppugnat nos, & expugnat tandem, nostra nihil curans fastidia, nihil tam diutina offensus pertinacia. Eo sensu certissimum est, auxilii hujus vim invictissimam manare à consilio, à voluntate & intentione Dei, ut à Paulo, Augustino & Thoma sexcenties confirmatum est. Certissimum quoque est ex eodem Augustino, Prædestinationem esse præparationem complurimorum auxiliorum Dei: *Præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur*. Certissimum denique est ex eodem Augustino, promereri nos gloriam: sed non ea qua Angeli ratione promeruerunt, vel Adamus ipse promeruisset, si in innocentia perseveraſſet. 1. Prædestinati sunt enim Angeli sancti contemplatione meritorum suorum, non ejusmodi bonitate Dei, quæ homines massæ perditionis, quos voluit, exemit. 2. Non permittit Deus nostræ libertati, nisi consensum, quem singulis præstamus divinis auxiliis, & eo meremur: sed retinet ipse sibi regimen & dispensationem totius nostræ vitæ, operum nostrorum & auxiliorum suorum; si nos enim nobis omnino permitteret, complorata esset omnium nostrum salus. Adamo certè adhuc stanti permiserat Deus clavum & moderamen omne sui; & perseverantiam denique finalem. Atqui nulla ex eis rebus metimus merita, quæ non nostra posita sunt in potestate. Angeli denique & Adamus auxiliis sibi concessis moderabantur, nunc illa nobis moderantur. Nostrum ergo nunc aliquid minus est; nec tanti est meritum nostrum, ubi Deus centies à nobis repulsus, à nobis repugnando fatigatis, vix tandem extorquet assensum. Non satis video, an qui alias sectantur invictæ divinorum auxiliorum efficaciæ rationes, peræquè possint hunc nodum extricare, & Augustinianæ doctrinæ caput istud pari facilitate & candore tueri.

TRACTATUS IV.

CONSENSUS SCHOLÆ DE GRATIA,

Semel & iterùm jampridem Gallicè editus, nunc primùm Latinè paulò auctior; ubi demonstratur consensus Tractatus tertii de Gratia actuali, habituali & efficacissima, cum doctrina Sanctorum Anselmi, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, omniumque fermè Theologorum usque ad Concilium Tridentinum, & à Concilio Tridentino celebratissimorum in omnibus Universitatibus Doctorum.

PRÆFATIO EDITIONIS PRIMÆ Anni 1666.

QUi sit scopus, quæ materia Commentarii hujus secundi, vel ex ipso ejus titulo abundè patet; paucis hìc aperiemus, quæ nos causa adduxerit, ut hìc statim primò subjungeretur.

1. Quingentis aut sexcentis admodum ab hinc annis, Theologi Scholæ arti, ordini, præceptisque Dialecticæ impensissimè studuerunt; ideoque doctrinam quique suam & sententiam expressiùs, enucleatiùs, distinctiùsque, quàm moris esset sanctis Patribus, editis à se monumentis consignarunt. Ideò & eorum methodo verbisque ipsis nos affiximus in superiore Commentario, etsi propositum nobis, peræquè ut ipsis id esset, ut ipsissimam Augustini cæterorumque Patrum doctrinam traderemus. Intemerata enim illa viget lex in Ecclesiâ, retinere antiquam Patrum fidem; at voces usurpare eas, quæ in usu frequentissimo sunt Catholicorum ævi nostri Theologorum.

2. Facilius sibi persuadebit, non aliam quàm Patrum doctrinam à nobis hìc esse litteris mandatam, quisquis intellexerit, eam non aliter quàm nos interpretatos esse tot jam sæculis tot clarissimos sanctitate viros, dignitate, eruditionis fama, numero & consensione sua spectatissimos.

3. Agmen duci voluimus ab Anselmo & Bernardo, quòd ne ambigere quidem quisquam possit, quin principem quendam illi locum teneant inter fidissimos Augustini discipulos, ejusque doctrinæ tenacissimos, clarissimisque Ecclesiæ Patribus annumerandi sint. Mira quadam Numinis providentiâ factum est, ut medio illo tempore ætatem agerent, quod effluxit ab Augustini ævo ad hoc nostrum; ne tam longè vel ab ipso, vel à nobis abessent, ut ab ipso eorum ore exaudire non possemus, quod exaudissent ipsi ab Augustino, summo Gratiæ Doctore.

4. Consultissimè id quoque ad utilitatem Ecclesiæ cavit Deus, ut inciderint Scholasticæ

Theologiæ incunabula horum in duorum virorum tempora, qui si seriem temporum spectes, ultimi sunt Patrum; si singularis autem sanctimoniæ, si ingenii supra admirationem positi, si eminentissimæ doctrinæ rationem habeas, vel inter primos collocari possint. Non poterat ergo tum dissidere à Patrum Theologia Theologia Scholæ; cùm concurrere tunc utraque visa sit, cùm ab illa prognata hæc sit, cum hæc in illius locum postea suffecta sit: nonnulla methodi & vocum, nulla autem prorsus rerum & sententiarum discrepantia.

5. Et ne hæc quidem mutatio tota statim erupit. Quos enim mox laudaturi sumus, Hugo & Richardus à sancto Victore, Ælredus Abbas Rievallensis, Robertus Pullus Cardinalis, Innocentius III. Papa, Guillelmus Episcopus Parisiensis; ii mediam quandam stationem occupasse videntur inter Patres & Scholasticos Theologos, tum in verborum usu, tum in methodo & doctrina. Mutata est, ut ita dicam, vestis, idque sensim sine sensu; at corpus ipsum Theologiæ unum idemque perstitit.

6. Id manifestissimè emicat in Thoma & Bonaventura, quorum certissima sanctissimaque doctrina eadem profectò est, atque Augustini & Patrum; quo factum est, ut ambo illa lumina Solis instar Ecclesiæ his extremis temporibus adsplenderent: altero eorum Theologiæ Patrum totam lucem mentibus infundente, altero eundem charitatis ignem in omnium cordibus accendente;

7. Denique ubi primùm postrema hac ætate Novatores pestilentissimæ suæ virus doctrinæ spargere cœperunt, protinus in eorum capita Scholasticis censuris sævitum est. Appellarunt illi, & à Thoma, & à Bonaventura, & a Scholæ Theologis omnibus, & ad Scripturas, ad Concilia & Patres provocarunt. Sed cùm consensioni unanimi adversarentur Ecclesiæ suorum temporum; hinc necessariò illud existebat, ut authoritatem detrectarent, non modò plurimorum ex sanctis olim Patribus, sed & Conciliorum Generalium Constantiensis, Basileensis, & Tridentini, quorum decreta non poterant non maximoperè consentire cum doctrina Episcoporum & Theologorum, qui his intererant. Quantò plus sibi licere voluerunt Scholæ Doctores, ut omnia propemodum in controversiam vocarent; tantò eorum consensus in præcipuis dogmatibus invictius arguthentum est, constantissimam eam esse fidei regulam, & avitæ Traditionis evidentiam, quæ illos ad hanc concordiam compulit. Non satis id à Sectariis animadversum est. Porrò quòd ab illis ad Scripturas & Patres provocabatur, non ea erat eorum mens, ut his se inconvulsa fide addicerent; sed ut eis tantò impuniùs illuderent, insana & infinita quadam interpretationum suarum licentia. Certissima ergo tutissimaque terenda est via Theologis, interpretandorum non tantùm sacrorum Codicum per Sanctos Patres, & Patrum ipsorum per eorum inter se consensum; sed & horum illorumque omnium illuminandorum, perpetuæ & nunquam intermissæ Traditionis face, omniumque Theologorum consensione; qui illos quidem secuti sunt; nobis autem ad hæc usque tempora præiverunt.

Ut enumeratio autem illa prolixissima Theologorum hactenùs propè omnium, quam hìc aggredimur, illustrior distinctiorque sit, in quatuor Partes illam secabimus.

Prima Pars duo sæcula complectetur, ab anno videlicet centesimo supra millesimum, ad millesimum usque ac trecentesimum. Ex his duobus sæculis prius quidem Anselmi & Bernardi gestis scriptisque nobilitatum est; quibus illi successere Theologi, quorum Commentarii eam retinent adhuc scribendi & docendi rationem, quam præmonstraverant sancti Patres. Posterius ornarunt Thomas & Bonaventura, qui ab oratoria quidem illa arte & eloquentia, quam in Theologicis etiam rebus tractandis sancti Patres excoluerant, desciverunt: sed qui nihilo tamen minùs lucubrationes suas omnes plurima & eadem prorsus luce & pietate perfuderunt. Utriusque hujus sæculi Theologi omni ope conspirabant, ut ne alji ab aliorum doctrina discederent. Ne tantillum quidem deflectebat Bonaventura à sententia Thomæ, qui plerumque in Alensis vestigia insistebat. Petrus Tarantasiensis, qui & Innocentius V. Papa, tam pronus erat ad consentiendum Bonaventuræ, sibi amicitia conjunctissimo, quàm Thomæ, quo magistro utebatur. Clarissimi ergo illi Cœtus gemini concordia etiam mutua claruerunt, donec Scotus argutiarum & contentionis amantior, Thomam refellere aggressus, Scholam Theologicam importuno schismate laniavit.

Secundæ Parti includemus sequentia duo sæcula, ab anno supra millesimum trecentesimo usque ad quingentesimum; etsi illos tantùm ferè adducturi simus, qui Thomæ doctrinam mordicùs retinuisse visi sunt.

Tertia Pars ab anno millesimo quingentesimo porrigetur ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum quartum, quo finem accepit Concilium Tridentinum. Grassante enim tum Lutherana lue, compulsi sunt Catholici Theologi agmina & vires consociare. Eos ergo omnes qui Concilio huic interfuerunt, infrà commostrabimus, illa ipsa amplexatos esse placita, quæ superiori Commentario explanata à nobis fuere; nec ab iis declinasse, quicumque postea in Lutherum calamos strinxere.

Quarta eos in aciem educet Theologos, qui summa nominis & doctrinæ fama celeberrimis in omnibus Universitatibus floruerunt post Concilium Tridentinum, atque in iis nonnullos etiam Dominicani Sodalitii & Societatis Jesu. Ut enim classicum canente Luthero adversùs Ecclesiam Catholicam, ad arctiorem concordiam compulsi sunt Theologi nostri; ita pace per Tridentinam Synodum quodammodo redintegrata, cœpta nescio quæ sunt dissidia doctrinæ; inter hos sapientia & pietate præstantissimos greges duos, intacto scilicet unius Catholicæ fidei vinculo, Annis admodum centum Dominicani & Franciscani altissimam coluerant pacem; non tam diutina illa fuit inter Dominicanos & Societatis Jesu Theologos. Jurgia primus illic serere cœperat Scotus, hìc Molina; nonnihil uterque defecerat à Patricia illa Augustini Theologia de Dogmatibus Gratiæ. Quantumvis autem hæ dissensiones exarserint, intaminatæ tamen Augustini & Thomæ doctrinæ retinentissimi semper fuere nonnulli Theologi utriusque gregis hujus, complures & aliorum Religiosorum Sodalitiorum, complurimi denique omnium Universitatum.

Quatuor his partibus accedere posset & quinta eorum, quorum mentes cœlesti quadam Theologia imbuit ipsa potissimùm eminentior pietas & contemplatio. Nec enim improbo labore, aut studio, sed superno lumine, & divinorum experientia quadam, in eam penetrarunt doctrinam, quàm Theologi sanctique Patres longa Scripturarum & Traditionum meditatione consecuti erant. Non est quòd quisquam moveatur, si doctrinam hìc deprompserimus in Gallicanis editionibus, non dicam Berullii Cardinalis, Francisci Salesii, Ludovici Granatensis, sed & sanctissimarum virginum Teresiæ, Catharinæ Senensis, Gertrudis, ne prætermissa quidem Catharina Genuensi. Usu enim magis quàm meditatione panduntur divinorum gratiæ auxiliorum,

arca-

arcana, & consultissimis quibusque id solemne est, ut non speculationi tantùm se dedant, sed & consulendis audiendisque iis, qui divina etiam experti sunt. Nobis tantus eorum concentus, qui doctrina hinc, hinc religione & pietate floruerunt, non poterit non ingens videri certissimæ veritatis argumentum.

In his equidem compilandis de Gratia Christi Commentariis illud profiteor & præ me fero, uni hæsisse me primùm sanctorum Patrum consensioni, & constantissimæ ubique doctrinæ, nusquam sibi pugnantis Augustini. Tum accessisse me ad perlegenda priscorum Scholasticorum Opera, ad Opera potissimùm omnia sancti Thomæ, & his illisque mirificè sibi concinentibus, vehementer in animo meo confirmatam corroboratamque fuisse hanc totam, quam hìc prono, doctrinam. Desperasse me aliquandiu de conciliandis mihi Scholæ mediæ & novæ Doctoribus; ut qui faciliùs quàm sapientiùs fidem habuissem Scriptoribus recentissimis, ita pronunciantibus, non esse nisi duas in Schola sectas, quarum alteri nomen dandum esset, fautorum videlicet Prædeterminationis Physicæ, & Scientiæ Mediæ. At tandem didicisse me, quod malè didiceram; pervolutatisque Theologis, qui ab annis centum & quinquaginta ingenii sui monumenta evulgarunt, plerosque eorum inveniisse me mihi manifestissimè consentientes.

Nec id mihi quisquam meritò veluti probrum obiicere poterit, quòd à priori & diversa sententia mea recesserim. Constat enim quandiu Theologicis Scholis præfui, immo & cùm Philosophicis antè annos ampliùs quadraginta, alienum me semper fuisse & à Prædeterminatione Physica, & à Scientia Media. Nec suffragatum esse me Jansenii Iprensis Episcopi doctrinæ, nisi antequam Apostolicæ sedis Decreto percelleretur; & cùm necdum mihi per tempus licuisset omnia per memet excutere Patrum, Augustini in primis, Conciliorum, Scholæ Doctorum monumenta perscrutari, omnia evolvere, omnia trutinari; quod sanè tantum operæ, studii, temporisque desiderat, quantum ne potuit quidem junior Theologus impendisse. Denique id quoque gloriæ debet & laudi vertere Theologus; ut quod nescierat, ab Ecclesia Catholica discat: studiis ex suis fructum aliquem capiat semper novum; quod nec fit, nec fieri potest, nisi ut priores errores suos exuat, priorem saltem ignorantiam suam expungat. Hoc erat animo Augustinus ipse, cùm proficienter se scribere fateretur. Hieronymus Origenis placita apertiùs constantiùsque posteà detestatus est, quam initio; lectoresque suos monitos voluit, plus fidei & reverentiæ habendum canis suis, quàm juventuti. Denique sanctus Thomas posterioribus in Scriptis suis aliquid retractavit priorum. Quibus hæc ratio tota displicet, illis reformidandum est, ne inseneścant ei doctrinæ, in quam temerè & præpropere eos appulerit, vel authoritas magistri, vel inconstantia temporum, vel præcox & immaturum studium, soli rerum cortici adhuc hærens. Præposteram illa constantia est, quod levitate animi arripueris, id invicta contumacia retinere. Si ne diutina quidem studia id præstant, ut de præsumptis & præjudicatis sententiis aliquid eiicias, aut ea fuit beata primùm sors, quæ te ad rectam appulit viam; aut miseranda vesania, si aberrasse te neges, quòd errare constantissimè pergas. Sed ubi reditur ad eam doctrinam, quæ Patribus Græcis & Latinis inter se consonantibus consonat, maximè Augustino, Scholasticisque omnibus ante eorum de Divinis Auxiliis dissiduum, benè multis eorum post hoc dissidium; maximè autem cùm ad ea reditur placita, quæ tantoperè consentiunt cum iis omnibus, quæ annis ab hinc centum ampliùs & quinquaginta ab Ecclesia definita sunt: dolere nobis nihil magis debet, quàm quòd non antè nobis hæc obtigerit resipiscentia.

Non paulò facilius nobis fuisset, contextam seriem repræsentare sanctorum Patrum, & consspirationem in hæc eadem dogmata. Sed locis, temporibusque & personis serviendum fuit, quibus id potiùs conducebat, ut à Scholasticis auspicaremur. In percensendis autem Scholæ Magistrorum sententiis, si quid aliquando illi mutuò dissentire invenientur; ita tecum statue, ne id quidem exigi, aut expectari potuisse, ut ne minimis quidem in rebus unquam dissonarent; abundè autem esse, ut illis & inter sese, & nobiscum conveniat, in iis quæ momenti aliquid habent: ne vim nobis illisque faciamus in dissentiunculis illis, quas sedari & silere nihil interest ad pacem Ecclesiæ. Evenire ergo id poterit, ut ea aliquando referantur à nobis, quorum authores, vel fidejussores esse nolimus, nisi quatenùs ad primum hìc Commentarium nostrum revocari poterunt.

Sentio fore ut stupeant non pauci, ubi audient, non antè, quàm post finem Concilii Tridentini, factam esse illam insignium Scholæ Theologorum discessionem in adversas de Prædeterminatione Physica & de Scientia Media sententias; & nihilo tamen minùs magno & nomine & numero Theologos omnium Religiosorum Cœtuum & Universitatum, à mea hac, hoc est à tritissima priscorum Patrum & Theologorum via non recessisse. Sed ea res ejusmodi est, quæ facillimè elucidari possit, si ea fide, diligentia, & ingenuitate expendatur, qua solent facta historica. Itaque ut dogmatum totus fuit Commentarius primus, ita hic alter dogmatum erit, & factorum.

Præter id quod suo loco ex Cumele referetur, non dissimulante ipsam Prædeterminationis Physicæ vocem suo ævo excogitatam fuisse, & adscriptam Thomistis ab eorum adversariis ad invidiam eis conflandam, affirmat etiam Pererius Societatis Jesus Theologus doctissimus, Augustino, Prædestinationi gratuitæ, & gratiæ per se efficaci addictissimus, non eam modò vocem, sed rem ipsam esse recentissimam: *Intellexit Augustinus Deum inclinare voluntates ad malum, non propriè & efficienter movendo eas, & ut non ita pridem à Theologis dici cœptum est, physicè movendo, & determinando ad malum, &c.* Sanè cum Prædeterminationis vox tam crebra sit apud Thomam eodem sensu, etsi nunquam ab eo dicatur Deus ita movere voluntatem creatam: si priscis Thomistis res ipsa placuisset, ab ea voce non abstinuissent. Rem confirmat Molina, & quidem disertissimè: *Doctores Hispani qui à viginti annis scripserunt, cùm rerum difficultates meritò plus persequi voluerint, quàm ante nostra tempora fieri consueverat, nec tamen invenerint modum, quo Deus e. sua æternitate, salva arbitrii nostri libertate, rerumque contigentia, certissimam de futuris scientiam habuit; tales Dei optimi maximi ad ejus præscientiæ certitudinem, nec non prædestinationis, quæ ex eadem præscientia, quam includit, certa est, tales inquam prædefinitiones prædeterminationesque ad singulos actus voluntatis humanæ exercendos invexerunt, ut libertatem nostram de medio tollere ac rem de solo titulo facere videantur.* Litteris id mandabatur à Molina circa annum 1570. sex, septemve annis post Concilii Tridentini finem; idque primùm in Hispania cœptum, ut Theologi priscæ doctrinæ non acquiescentes circa Prædestinationem & Libertatem, subire in eam penitiùs voluerint hinc & inde: eo fructu & exitu, ut invecta Prædeterminatione Physica & Scientia Media adeò non extricaretur difficultas, ut inexplicabilioribus in dies nodis implicaretur. Scientiæ Mediæ author & parens

In c. 1. epistol. ad Roman. disp. 2.

Pag. 80; Append. ad Concord. Olyssipone, pag. 14.

rers Molina, qui novitatis invidiam aliis faciebat, in eandem & ipse venit. Nec ab his abludit doctissimus & incomparabilis vir Mariana, ubi has perstringit flagrantes tum in Hispania contentiones de gratia efficaci & sufficiente: *Nova gratiæ nomina, recens controversia. Nam in Thoma Aquinate & vetustioribus rara, aut nulla vestigia.* De mortis immortalitate. L. 3. c. 3.

PARS PRIMA.

QUÆ PATRES CONTINET ET THEOLOGOS Ab Anno Millesimo centesimo ad millesimum trecentesimum.

S. ANSELMUS CANTUARIENSIS Archiepiscopus.

Ex Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, non alia gratia Christi proprie & præcipuè, & specialis dicta, quam recta voluntas, seu charitas habitualis. Eidem comperta & alia complura auxilii divini genera, quorum conspiratione perficitur conversio, perseverantia, tentationum gravissimarum victoria.

LIquet hoc planè ab ipso limine libri de Libero Arbitrio: *Si libertas arbitrii est, posse peccare & non peccare, sicut quibusdam solet dici, & hoc semper habemus, quomodo aliquando gratia indigemus?* Non inquirit, quì sociari possit libertatis indifferentia cum gratiæ motione omnipotente, & ineluctabiliter determinante voluntatem in alteram partem: qui tanto vindice longè dignior nodus fuerat. Sed quærit, quomodo libertas arbitrii sit posse etiam non peccare, cùm indigeat gratia, Ad hoc autem indiget etiam gratia habituali *aliquando*, nempè ut diu sit sine peccato. De lib. arb. c. 1.

Infrà ait *non esse credendum factos esse sine recta voluntate* primos parentes. Ex quo *restat libertatem arbitrii datam esse rationali creaturæ vel naturæ, ad servandam acceptam rectitudinem voluntatis:* non propter commoda temporalia, sed propter ipsam: *Itaque jam clarum est liberum arbitrium non aliud esse, quàm arbitrium potens servare rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem.* Itaque Anselmo gratia est *recta voluntas*, vel *rectitudo voluntatis*. Et perindè est acsi definisset liberum arbitrium ex eo, quòd possit consentire, vel dissentire gratiæ acceptæ. Illa autem accepta à Deo seu gratia, seu rectitudo voluntatis, utique habitualis est, cùm vel maximè servanda sit. Ibid. c. 3.

Hæc voluntas recta invicta Anselmo est, & victrix omnium tentationum, nisi voluntas ipsamet volens aliquid aliud plus amet, quod rectitudini adversarium sit. Itaque ingens omninò & proxima possibilitas non peccandi & præcepta implendi inest rectæ voluntati, seu charitate formatæ: *In homine quandiu ipsa voluntas recta est, nec servit; nec subjecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine ulla vi aliena avertitur, nisi ipsa, cui non debet, volens consentiat.* Nihil enim extrinsecum cogit voluntatem à rectitudine deflectere; sed ipsa vitioso amori hactenùs imbecilliori manus dat, subiicitque se, & tunc *vincitur non aliena potestate, sed sua.* Nec enim se subtrahit gratia, seu rectitudo voluntati, sed voluntas subtrahit se rectitudini. Ibid. c. 5.

Sed quoniam intoleranda quandoque vis tentationis superare & cogere videtur rectam justi voluntatem, vide quid Anselmus respondeat: *Si vult homo mentiri, ut non sustineat mortem, & servet vitam ad tempus: quis dicet impossibile, velle eum non mentiri, ut vitet æternam mortem, & sine fine vivat? Quapropter jam dubitare non debes hanc impotentiam servandi rectitudinem, quam dicis in nostra voluntate esse, cùm tentationibus consentimus, non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate. Frequenti namque usu dicimus, nos non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus. Hæc autem difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci. Impugnare namque invitam voluntatem potest, expugnare nequit invitam.* Denique *illa impotentia quam non ob aliud in voluntate dicimus esse, nisi quia non potest tenere suam rectitudinem sine difficultate, non aufert eidem voluntati perseverandi in rectitudine potestatem.* Rectæ voluntati quamlibet tentationem vincere difficile quandoque est, nunquam impossibile. Unde hæc tanta vis & tam invicta? Anselmo non aliunde quàm ab ipsa rectitudine, seu charitate. Peccanti autem justo si deest actualis gratia ad non peccandum necessaria, non difficile tantùm, sed & impossibile fuit non peccare. At si ad non peccandum sufficit charitas inhabitans, adjutorio *sine quo non* vincitur tentatio, non destituta: tum non impossibile, sed difficile erit ingravescentis quandoque tentationis æstum superare. Ibid. c. 6.

Quì fiat autem, ut voluntas justi, quæ rectitudinem, quàm rectitudinis inimicam voluptatem fortiùs tunc vult, incipiat fortiùs hanc, quàm illam velle, & ita peccet, exemplo mox patefacit: *Si scias virum ita fortem, ut eo tenente taurum indomitum, taurus non posset se movere, & videas eundem virum tenentem arietem, ut ipse aries sese de manibus ejus excutiat: putabisne illum minùs fortem in tenendo arietem, quàm in tenendo taurum? Illum quidem non dissimiliter fortem in utroque opere judicabo: sed eum sua fortitudine non æqualiter uti fatebor. Sic intellige voluntatem inseparabilem fortitudinem habere, qua aliquando magis, aliquando minùs utitur in volendo.* Ex quo tandem ita concludit: *Vides igitur quia cum homo habitam rectitudinem voluntatis aliqua ingruente deserit tentatione, nulla vi aliena abstrahitur, sed ipse convertit se ad id quod fortiùs vult.* Etsi ergo *rectitudinem*, seu charitatem Dei habitualem voluntas non habeat, nec habere possit à seipsa; cùm illam tamen habet à Deo, *habitam* ut servet, habet invictissimam fortitudinem, sed ea *non æqualiter utitur* ubique. Ibid. c. 7.

Ergo qui mortis metu veritati terga vertit, *eligit quod mavult, sponte, non necessitate. Non enim minùs fortis est ad volendum veritatem, quam ad volendum salutem, sed fortiùs vult salutem. Nam si præsentem videret gloriam æternam, quam statim post servatam veritatem assequeretur: & inferni tormenta, quibus post mendacium sine mora deputaretur, proculdubiò mox virium sufficientiam ad servandam veritatem habere cerneretur.* Cùm præsentia vitæ & mortis, sive æternæ, sive temporalis nihil inspiret voluntati intimæ: si quis mortem Ibid. c. 9.

pro-

procul spectatam contemnit, præsentem ita timet, ut veritatem deserat: si vitam æternam fide sola obumbratam postponit, coràm repræsentatam antehabet temporali: argumento id est sua inseparabili & insuperabili fortitudine voluntatem non semper æqualiter uti: & difficultati cedere, non impossibilitati.

Ibid.c.10. Quòd differat autem difficultas & impossibilitas in hoc negotio, illicò aperit Anselmus: *Semper itaque habet rationalis homo liberum arbitrium, quia semper habet potestatem servandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem, quamvis aliquando cum difficultate. Sed cùm libera voluntas deserit rectitudinem per difficultatem servandi, utique post servit peccato per impossibilitatem per se recuperandi.* Iraque ut mortuo vitam, ita impio rectitudinem suapte vi recuperare omninò impossibile. *Ma-*
Ibid. c.11. *jus miraculum existimo, cum Deus voluntati desertam reddit rectitudinem, quàm cum mortuo reddit vitam amissam.* Hæc rectitudo, animæ vita, charitas habitualis est utique. Quæ ideo servari, amitti, reddi potest: Ut vita casSus per se vitam recuperet, semper impossibile est. Ut recta voluntas rectitudinem servet, aliquando difficile, aliquando facile est, prout tentatio fervet, aut lenitur; nusquam impossibile: *Nunquam enim est ejus potestatis capere rectitudinem, cum non habet: sed semper est ejus potestatis servare, cum habet.* Si peccanti autem deesset gratia ad non peccandum necessaria, æqua esset & vitandi & expiandi peccati impossibilitas.

Ideò impius servus est peccati, quia per se justificari non potest: justus non est servus peccati, quia viribus instructus est satis idoneis per charitatem, qua justus est, ut non peccet. Ibidem Anselmus: *Non ob aliud est homo servus peccati, nisi per hoc, quia nequit redire ad rectitudinem,*
Ibid.c.12. *aut recuperare, aut habere illam, qua potest homo non peccare. Cum autem habet eandem rectitudinem, non habet impotentiam non peccandi. Quare quando habet rectitudinem illam, non est servus peccati.*

Sed idem alibi Anselmus eo libro quem scripsit de Concordia Præscientiæ, Prædestinationis, & Gratiæ divinæ cum libero arbitrio, hæc eadem luculentiùs declarat. Et primò illud replicat, quòd libertas *sit potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem.* Item quòd *justitia quae-*
De Concord. præsc. prædest. & grat. cum lib. arbit. pag.195. *libet magna, vel parva, sit rectitudo voluntatis propter se servata.* Denique quòd *naturaliter & inseparabiliter sit in homine hæc libertas, quamvis non ea semper utatur: & quòd sit ita fortis, ut nulla res homini fortitudinem, aliàs certitudinem prædictam, id est, justitiam quam habet, valeat, quandiu hac libertate voluerit uti, auferre.* Ubi apertissimum est: gratiam non aliam dici, nec aliam cum libero arbitrio conciliari, quàm *justitiam, rectitudinem voluntatis*, rectam voluntatem, quæ eadem Augustino bona voluntas, & charitas, & delectatio justitiæ dicitur.

Posito ob oculos exemplo ejus, cui mors incumbit adeunda, nisi veritatem deserat, ita confestim Anselmus aperit, quàm fortis & invicta per charitatem sit voluntas justi, ad peccata quælibet declinanda. Item quàm non determinetur voluntas ad assentiendum vel gratiæ, vel peccato, nisi à seipsa: *Voluntatis arbitrium, ut rectitudinem deserat, nulla cogitur necessitate, quamvis mortis impugnetur difficultate. Licèt enim necesse sit aut vitam, aut rectitudinem relinquere; nulla tamen necessitas determinat, quam servet, aut deserat. Nempè sola voluntas determinat sibi, quid teneat: nec aliquid facit vis necessitatis, ubi sola operatur electio voluntatis. At cui non est deserendi rectitudinem voluntatis, quam habet, necessitas; palam est, quia non deest servandi potestas, sive libertas. Semper enim hæc potestas libera est.*

Pergit porrò & docet, necesse esse, ut priùs recta sit voluntas, & tum demum rectè velit: id est, ut justificetur antè, & pòst operibus bonis abundet. Gratia ergo Anselmo, seu rectitudo voluntatis, ipsamet est habitualis justitia, & charitas inhabitans, bonorum operum radix: *Dubium ita-* Ibid p.198. *que non est, quia voluntas non vult rectè, nisi quia recta est. Sicut namque non est acutus visus, quia videt acutè; sed ideò videt acutè, quia acutus est: Ita voluntas non est recta, quia vult rectè; sed rectè vult, quoniam est recta.*

Hinc illud emergit, voluntatem impii non posse sibi suis viribus redintegrare rectitudinem. Nam rectitudinem velle, est rectè velle: rectè velle non potest, nisi recta voluntas: sicut nec acutè videre, nisi acuta oculi acies: impii autem voluntas non est recta. Non potest ergo rectè velle, nec rectitudinem seipsa velle: *Cum vult rectitudinem voluntas, proculdubio rectè vult. Non ergo vult rectitudinem, nisi quia recta est. Idem est autem voluntati rectam esse, & rectitudinem habere, &c. Sequitur itaque quia nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi, voluntatis, nisi per Dei gratiam.* Vides quam gratiam constituat Anselmus, solam habitualem rectitudinem voluntatis, seu charitatem.

Hæc gratia salutem perficit parvulorum, citra usum liberi arbitrii: *Deo igitur largiente, invenimus gratiam ejus ad salvandum hominem cum libero arbitrio concordare, ita ut gratia sola possit hominem salvare, nihil ejus libero arbitrio agente, sicut fit in infantibus & in non intelligentibus.* In istiusmodi sola habitualis charitas locum habet. De ea ergo una gratia Anselmus meminit, eam satagit cum libero arbitrio conciliare. Quod alienissimum foret, si actualis gratia quæpiam alia voluntatem determinaret.

Eadem porrò gratia, quæ parvulos justificando servat, adultos juvat, & semper juvat, ut per liberum arbitrium rectitudinem servare possint. Ibidem Anselmus, nullo verbo interposito: *Ipsa semper adjuvat liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem, quam servet per liberum arbitrium.*

Jam verò si libertas ita adjuta, suis viribus benè utatur, & servet rectitudinem, & bonis efflorescat operibus, an sibi plaudere debebit, & hujus gloriæ particulam saltem aliquam sibi decerpere? Minimè gentium. Quia primæ huic gratiæ, qua data est rectitudo, omne meritum, decus omne, & ita totum Deo acceptum referendum est. Ibidem nullo interjecto verbulo: *Et quamvis non omnibus det, quoniam cui vult misereatur, & quem vult indurat; nulli tamen dat pro aliquo precedenti merito; quoniam quis prior Deo dedit, & retribuetur ei? Si autem voluntas per liberum servando arbitrium, quod accepit, meretur aut augmentum accepta justitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod; hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia, & ideo totum imputandum est gratiæ. Quia neque volentis est, quod vult: neque currentis est, quod currit; sed miserentis est Dei. Omnibus enim excepto Deo dicitur, Quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo ut servetur data rectitudo, ipsa adjuvat; ipsamet enim est gratia principalis: & ita totum ei tribuendum. Nam influentia primæ causæ, boni universalis, primi moventis, qua causas omnes secundas, seu naturales, seu morales, seu supernaturales necesse est juvari & inclinari in suos actus, ab Anselmo supponitur, non memoratur, quia non ea est propria Christi gratia. Quæ tamen in primis commemoranda fuerat, & in concordiam adducenda cùm libero arbitrio, si vim haberet ineluctabilem illud quocumque inflectendi.

Rursus ibidem hæc rectitudo, seu charitas infu-

infusa, gratia est & prævæniens & subsequens, quæ numquam justo se subtrahit, nisi se prior ipse subtrahat: *Habere illam rectitudinem nullus valet, nisi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accipit, nisi gratia præveniente, ita nullus eam servat, nisi eadem gratia subsequente. Nempè quamvis illa servetur per liberum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, cùm hæc rectitudo servatur, Quoniam illa liberum arbitrium nonnisi per gratiam prævenientem & subsequentem habet & servat. Sic autem gratia subsequitur donum suum, ut nunquam, sive parvum, sive magnum sit, illud dare deficiat, nisi liberum arbitrium volendo deserat rectitudinem, quam accepit.*

Sunt & alia tamen auxilia gratiæ, sed quæ ea sint, audi Anselmum: *Adjuvat etiam gratia liberum arbitrium, quando, ut deserat rectitudinem acceptam, impugnatur, mitigando, aut penitus removendo vim tentationis impugnantis, aut augendo affectum ejusdem rectitudinis. Denique cùm omnia subjaceant dispositioni Dei, quidquid contingit homini, quod adjuvat liberum arbitrium ad accipiendum, aut ad servandum hanc rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est.* Tria hìc auxilii genera attinguntur. *Tentationum mitigatio*, aut propulsatio. *Augumentum affectus* rectitudinis in voluntate, Quidquid *contingit* extrinsecùs, quod movere hominem, aut juvare possit ad servandam rectitudinem. At motio Dei invictissimè torquens voluntatem, ubique siletur, etsi illa minimè dissimulanda fuerat, ut quæ capitales inimicitias libertati nostræ indixisse plerisque videatur.

Consequenter addit Anselmus justis tantùm hanc gratiam competere; & præter infantes, tum gratiæ, tum libero arbitrio tribuendam salutem. *Dixi omnem justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam. Unde sequitur omnem habentem hanc rectitudinem, habere justitiam, & esse justum, quoniam omnis habens justitiam justus est.* At verò gratia actualis justo & injusto promiscuè quandoque datur. Et mox: *Ita intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum hominis arbitrium salutem hominis operetur.*

Quo ita constituto, quomodo totum Deo & gratiæ dandum sit, evidentissimo aperitur mox exemplo, & ejusmodi, ut nulla tergiversatione ludificari possit; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à se potest indumentum habere, dat vestem. Non tamen quamvis ipse habeat potestatem utendi & non utendi accepta veste, si ea utitur, imputandum est induto, quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest, Non est induti, quod est indutus, sed miserentis, id est, dantis vestem. Multò verò magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiam potestatem servandi eam, & utendi, sicut Deus homini cum dat rectitudinem sepè satam, dat etiam potestatem servandi, & utendi, quia dedit prius liberum arbitrium ad servandum illam & utendum. Si verò nudo, cui nihil debetur, non daretur vestis, aut si ipse acceptam proiiceret, nulli nisi ipsi imputaretur ejus nuditas, ita cum Deus alicui concepto & nato in peccato, cui nihil nisi pœnam debet, dat velle & currere, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et qui eandem gratiam non accipit, aut acceptam reiicit, ejus est, non Dei, quod in sua duritia & iniquitate permanet.* Hìc perspicis, 1. gratiam Dei instar habere vestis, qua libertas nostra uti & non uti potest: prorsus ut habitibus & affectibus anima suis vel servire potest, vel reluctari. 2. hanc gratiam ceu vestem *accipi* ab eo etiam qui non utitur: *servari* ab eo qui utitur, quod de gratia actuali non quadrat dici, sicut & *acceptam proiici*. 3. Quibus negatur gratia, ex Anselmo, hanc nimirùm habitualem gratiam negari. 4. Etsi voluntas hominis uti & non uti possit accepta gratia, non tamen si utatur, homini, sed Deo tribuendum esse, quod homo benè operatur. Sicut nec sibi, sed vestem danti gratulatur, qui nudus vestem & immeritus, aut malè meritus accipit. 5. Ideò totum Deo acceptum referri debet, quia & rectitudine vestivit voluntatem, & potestatem liberi addidit arbitrii, quo illa utatur vel non utatur. Si bonum opus quodlibet gratiæ invictissimè torquenti voluntatem, nempè actuali & determinanti deberetur, de ea potiùs agendum fuerat, ut cum arbitrio libero concordaret, ut laus prorsus omnis Deo vendicaretur. At de habituali gratia hæc præloquutus Anselmus, ita concludit, *Ita gratia & liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum & salvandum hominem.* Et paulò infrà hanc gratiam eandem interpretatur esse, quæ *incrementum* est, quod unus dat Deus: *Rectitudo est incrementum, quod Deus dat. Sine quo neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* 1 Cor. 3.

Subdit posse quemlibet minùs velle ea, nempè carnalia bona, quæ nimiùm volendo, efficitur, ut his posthabeat rectitudinem à Deo acceptam. Etsi enim nemo possit rectitudinem velle, nisi eam voluntatem rectam Deus det: quodlibet tamen temporale bonum potest homo & ampliùs & minùs minùsque velle, atque ita minùs velle, quàm velit acceptam rectitudinem. Ad refringendas ergo voluntates carnalium commodorum potest homo difficultatem, non potest impossibilitatem experiri. *Ut nitentes non proficiant, aut post profectum deficiant, non impossibilitate, sed aliquando gravi, aliquando facilè superabili difficultate fieri existimo. Sepissimè namque asserere solemus impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus. Si enim diligenter unusquisque motus suæ voluntatis consideret, intelligit se nunquam rectitudinem voluntatis acceptam per gratiam, nisi aliquid volendo, quod simul velle nequit, deserere. Quod certè non facit deficiente potestate servandi eandem rectitudinem, quæ potestas est ipsa libertas arbitrii: sed deficiente voluntate servandi, quæ per se non deficit, sed alia voluntate illam, ut dixi, expellente.*

Sed ut ad cardinem in quo summa rei vertitur veniamus, voluntatis vocabulum trifariam sumi ait Anselmus. Primò voluntas dicitur *Instrumentum*, seu facultas & potentia ipsa, qua volumus. Secundò affectus seu *Affectio*, seu qualitas affectionalis, qua in aliquid ferimur & inclinamur, etiam dum aliud agimus interim, vel somno sepulti jacemus, Tertiò *Usus*, seu actus ipse volendi. Audi Anselmum de primo: *Instrumentum est vis illa animæ, qua utimur ad volendum*, Audi de secundo: *Affectio hujus instrumenti est, qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid, etiam quando illud quod vult non cogitat, ut si venit in memoriam, aut statim, aut suo tempore illud velit. Nam sic est instrumentum volendi affectum, ad volendum salutem, etiam quando illam non cogitat, ut mox cum venerit in memoriam, statim eam velit.* Ita & ad somnum, & ad quælibet necessaria vitæ subsidia; non ad *ægritudinem*, non ad dolores quisque est affectus: *In iusto quoque homine similiter est affectum idem instrumentum, ad volendum justitiam, etiam cum dormit: ut cum eam cogitat, statim eam velit.* Audi denique de tertio, *Usus verò ejusdem instrumenti est, quem non habemus, nisi cum cogitamus rem quam volumus.* De affectione quæ potissimùm nobis spectanda hìc est, ita habet infrà ibidem: *Cùm dicimus hominem semper habere voluntatem, ut benè sibi sit, vocamus hanc voluntatem affectionem, qua vult sibi benè esse. Eodem modo cum sanctus homo asseritur, etiam cum dormit & non hoc cogitat, indesinenter habere voluntatem*

ratem justè vivendi dicitur. Et cum hanc voluntatem afferimus alium alio habere maiorem, non aliam dicimus voluntatem, quàm illam affectionem ipsius instrumenti, qua vult iustè vivere. Jam ergo ambigi non poterit quid sit affectio, & quo differat à potentia vel actu voluntatis.

Affectiones porrò duas mox cæterarum omnium duces & antesignanas secernit Anselmus : *Instrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco affectiones. Quarum una est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem. Nempe nihil vult voluntas, quæ est instrumentum, nisi commoditatem, aut rectitudinem. Quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult, & ad has etiamsi fallitur, putat se referre quod vult. Per affectionem quippe quæ ad volendum commoditatem pertinet, semper vult homo beatitudinem & beatus esse. Per illam verò quæ nunc est ad volendum rectitudinem, vult rectus, id est, iustus esse. Propter commoditatem vult arare, laborare, ut habeat unde tueatur vitam, salutem, &c. Propter rectitudinem vult discere, ut sciat iustè vivere.*

Jam verè voluntatis quidem potentia movet foris vires omnes & partes alias animæ corporisque. Sed ipsa suis movetur affectionibus. Et quidem alterutra maximè illarum principalium & quasi imperatoriarum affectionum huc illucque ducitur, sive in bonum, sive in malum. Quod propè abest ab Augustino docente, alternis ponderibus sive affectibus terrenæ cupiditatis & cœlestis charitatis agi voluntates liberas. Audiamus Anselmum: *Voluntas instrumentum movet alia omnia instrumenta, quibus spontè utimur, & quæ sunt in nobis, ut manus, lingua, visus; & quæ sunt extra nos, ut stylus & securis, & facit omnes voluntarios motus. Ipsa verò se suis affectionibus movet, &c. Ex his duabus affectionibus, quas etiam voluntates dicimus, descendit omne meritum hominis, sive bonum, sive malum.* Addit voluntatem commodi seu affectionem ab affectione recti eo distare, quòd hæc possit, illa non possit expui eiicique. Item quòd *illa quæ est ad volendum commodum, non est hoc quod ipsa vult. Illa verò quæ ad volendum rectitudinem, rectitudo est. Nullus quippe rectitudinem vult, nisi rectitudinem habeat; nec potest aliquis rectitudinem velle, nisi rectitudine.* Addit denique hanc rectitudinem justitiam ipsammet esse & veritatem, in qua diabolus non stetit.

Ibidem. pag 204.

Denique ut ab affectione alterutra commodi & recti bonum malumque omne fluat, sic ibidem prosequitur Anselmus : *Rectitudo quidem quantum in ipsa est, nullius mali causa est, & omnis meriti boni mater est. Hæc enim favet Spiritui concupiscenti adversus carnem, & delectatur legi Dei secundùm interiorem hominem.* At affectio commodi *non semper mala, sed quando consentit carni concupiscenti adversus Spiritum.* Norma autem & lex harum affectionum ista subditur esse : *Sic autem Deus ordinavit has duas voluntates, sive affectiones, ut voluntas quæ est instrumentum, uteretur ea, quæ est iustitia, ad imperium & regnum, docente spiritu, qui mens & ratio dicitur, & alterâ uteretur ad obedientiam, sine omni incommoditate.* Peccato voluntatis amissa est affectio rectitudinis, supersest affectio commodi, quæ duce & principe affectione recti destituta cùm sit, non potest non subinde peccare. Commodum appetere fas est, si rectitudo jubeat, alioqui nefas. Hinc pullulant peccata omnia : *Non absurdè possumus dicere affectiones voluntatis, quam instrumentum dixi animæ, quasi instrumenta ejusdem instrumenti esse. Quia nihil sine istis operatur. Perdito igitur instrumento volendi iustitiam, id est, rectitudinem, nullo modo, nisi per gratiam reddatur, potest voluntas instrumentum velle iustitiam. Quapropter quia nihil debet velle, nisi justè, quidquid vult sine rectitudine, vult iniustè.*

Ita mala sunt à Deo, quatenus sunt; dedit enim Deus affectionem commodi; non quatenus mala sunt; quia non Deus abstulit, sed homo abjecit affectionem recti, à Deo acceptam, qua præsente & regente affectio commodi non peccaret : *Non est culpa Dei qui creavit in eo cum libertate arbitrii voluntatem, & contulit ei justitiam, ut nihil nisi justè vellet; sed culpa hominis, qui justitiam deseruit, quam servare potuit. Deus igitur habet in bonis quod bona sunt per essentiam, & quod bona sunt per justitiam. In malis verò solummodo quod bona sunt per essentiam, non quod mala sunt per absentiam debitæ iustitiæ, quæ non est aliquid.* Ita movet Deus ut primùm movens affectionem commodi, etiam dum per eam peccatur, quia per eam non peccatur, nisi ex absentia affectionis recti, ejectæ non à Deo, sed ab homine.

Bona autem sunt à Deo, & quod sunt, & quod bona sunt : cùm à Deo sit eorum & essentia, & justitia : ut ait Anselmus loco proximè laudato. Et rursus idem paulò antè, etsi voluntas voluntarios motus faciat, *Ille verius dicitur facere omne, quod facit natura, aut voluntas, qui facit naturam & instrumentum volendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit.* Id est à Deo sunt bona, qui dedit & voluntatem & affectionem rectitudinis. Pag. 204.

Postremò hominis sunt bona, si qua facit, quia cùm posset malefacere, & justitiæ rectitudinem abigere, abstinet à maleficio, ipsa justitiæ rectitudine seu gratia adjuvante : *Homo autem habet in bonis, quod mala non sunt, quia cum posset deserere justitiam, & mala facere, non deseruit, sed servavit per liberum arbitrium, dante & subsequente gratia.* Pag. 205.

Hactenùs Anselmus. Ubi adverte 1. gratiam ab eo non aliam extolli, quàm *affectionem rectitudinis*, seu habitum charitatis. Non quod actualem gratiam nesciat, sed quod primaria Christi gratia sit illa habitualis : & quod actualis motio primæ causæ summique boni semper adsit, & subintelligatur adesse omnibus viribus, potentiis, habitibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus. 2. Concordiam instituit ab Anselmo gratiæ habitualis cum libero arbitrio, de actuali fileri : quod utriusque una ratio sit, neutra voluntatem determinet, sed ipsa se voluntas suis affectionibus moveat. Quod tamen merum foret ludibrium, si actualis gratia voluntatem infallibiliter applicaret ad opus. 3. Totum Deo & gratiæ tribui ab Anselmo, quod habitus, seu affectio rectitudinis sit à Deo solo, sine qua nihil boni est in homine. De gratia actuali hìc tacet Anselmus. Non ergo ea voluntatem agi sensit indeclinabiliter ad bonum. Hujus enim potiùs concordia tentanda fuerat cum voluntate libera, hinc laus Deo tota arroganda. 4. Hominis esse *uti, vel non uti* rectitudine, seu gratia sibi data *per liberum arbitrium* : & totam hanc esse hominis laudem, quod *cum posset deserere justitiam, non deseruit*, ad hoc ipsum adjutus gratia rectitudinis datæ, seu *affectionis* piæ, qua movetur & incitatur ad bonum, ut suis affectionibus voluntas quocumque incitatur.

Postremò denique cùm gratuitæ prædestinationi apertissimè patrocinetur Anselmus, eaque perfici nequeat invictissimè solitaria illa gratia, seu affectionis *rectæ voluntatis*, qua tanquam veste uti & non uti potest libertas. Id nimirùm supersest, ut gratiam istam circumvallent & roborent alia Dei auxilia, quæ suprà enumeravit Anselmus, cùm dixit; primò sicubi justus ad declinandam mortem à rectitudine casurus sit, non casurum, si effulgeat illi coram aperta vitæ æternæ gloria : Secundò eundem fortiter occubiturum, si manifestè gehennæ incendia ostendantur. Hæc enim *visa* illa sunt congrua ad movendum, de quibus tam sæpè Augustinus. Tertiò si mi-

si mitigetur tentatio, vel arceatur. Quartò si intus charitatis flamma accendatur vehementior. Quintò si Deus in cujus dispositione sunt omnia, eventa omnia & circumstantias ita temperet, ut absint, quæ in malum; non desint, quæ in bonum movere & incitare possunt. Hoc præsidio conspirante auxiliorum, victrix omnium tentationum, & quantæcumque duritiæ domitrix fiet gratia, ad conversionem & perseverantiam necessaria.

SANCTUS BERNARDUS

Claræ-vallensis Abbas.

Beato Bernardo Clarevallensi Abbate, quæ generalis gratiæ primordia, ex pudore peccandi, ex metu pœnæ. Quæ specialis gratia, maximè charitas habitualis & infusa. Quæ invictissima gratia ad conversionem & perseverantiam. Quæ superbis gratia subtrahatur,

GEneralis gratiæ rudimenta quædam in pudore peccandi, puta monastici propositi abrumpendi, tum deinde in timore gehennæ locat Bernardus: ab his ad charitatem, ut ad perfectionis vinculum provehi hortatur: *Tria sunt vincula, quibus Deo astringimur, & sic tria, ut sola: cùm solis istis, vel istorum similibus, omne quod ligatur, ligetur. Et primùm accipite funes. Secundùm clavos ligneos, vel ferreos. Tertiùm gluten. Fune quodammodo alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit. Si quidem putrescunt funes, & pudoris vinculum aut obliviscimur, aut abrumpimus citò. Est autem qui clavis configitur Domino majestatis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Durius tamen & fortius primo imprimitur, quia cum ille vacillet à proposito, iste propositum non amittit. Tertius verò glutine ei conglutinatur, id est, charitate, &c. Misericors Dominus, qui novit figmentum nostrum, neminem salvandorum dimittit in primo, sed provehit ad secundum, & nec ibi deserens, de secundo perducit ad tertium,* Ita gratiæ generalis rudibus initiis præparantur electi, ad verissimam gratiæ justificantis gratiam.

Sed & initia quædam bonæ voluntatis obscurissima omnibus inesse ex generalitate quadam gratiæ, idem alibi insinuat: *Quod autem homines solent conqueri & dicere: Volo habere bonam voluntatem, & non possum, nequaquam præscribit huic voluntatis libertati, sed plane illa libertate, quæ dicitur à peccato, se carere testantur, &c. Quanquam jam proculdubio utcumque bonam voluntatem habet, ubi habere vult. Bonum quippe est quod vult. Nec potest bonum velle, nisi bona voluntate: nec velle malum, nisi mala voluntate. Cum bonum volumus, bona est voluntas: cum malum, mala voluntas.* Quotusquisque hominum non vult habere bonam voluntatem? non justitiam anteponit iniquitati? non admiratur virtutem & pietatem? non sapientia & justitia præclaros quosque suspicit & amat? Hæc indubia inchoamenta sunt bonæ voluntatis & amoris justitiæ.

L. de Gratia & lib. Arbi

Itaque cùm infrà dicitur homo per peccatum *corruisse de posse peccare, in non posse non peccare*, id unum vult Bernardus, hominem lapsum & nondum justificante gratia reparatum, non posse vitare omnia crimina, etsi possit vitare singula. Sicut & cùm ibidem mox ait peccato nos corruisse *de posse non turbari, in non posse non turbari*. Nec enim per momenta singula turbamur, sed etsi singulas possumus, etsi aliquas, universas sanè non possumus perturbationes & ærumnas mortalis vitæ propulsare.

Ibidem.

Ideò prolixè mox docet, vi & necessitate neminem, omnes voluntate peccare, hoc est, ita ut vitare potuerint. Ita Petrus cùm Christum ejuravit, *duas habebat voluntates. Unam qua voluit non mori, penitus inculpabilem. Alteram & multùm laudabilem, qua sibi complacebat, quod esset Christianus, &c. Peccavit non spernendo, aut odiendo Christum, sed se nimis amando, &c. quia mentiri quàm mori maluit, &c.* Itaque servandæ tum vitæ, tum fidei voluntates, illam inculpabilem, hanc laudabilem cùm haberet, illi plus indulsit, quàm huic, quia voluit: *Quando enim vox mulierculæ linguam sacram in verba nefanda formare potuisset, si non linguæ domina voluntas annuisset? &c. Voluntas intus præsidens os aperiebat, non gladius, qui foris apparebat.* Sic ergo quisquis etiam ante justificationem peccat, malo consentire potiùs, quàm vel pudori, vel timori, vel initiatæ bonæ voluntati, quam ex gratia generali jam accepit, non cogitur, sed ultroneus eligit. Etsi enim gratiæ hujus initialis incrementa facere fortassis non potuit, potuit tamen utique adversarias peccandi cupiditates minùs inflammare.

Petro autem cur & quæ gratia defuerit, minùs obscurum est. Superbierat enim, & se posse jactaverat pro Christo ipsi Christo præmori. Objecta est ea tentatio, quam vinceret, si venditatis polleret viribus. Gratia interim priore, sive habituali, sive actuali, non nudatus est. Subtracta est ergo superbo gratia, non alia, quàm ea quæ protegit, & tentationes repellit, aut temperat ad virium cujusque modum: *Ergo argumentum superbiæ privatio est gratiæ.* Addit tamen Bernardus: *Interdum tamen subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* Ut in Paulo liquet, *qui stimulos carnis suæ sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur.* Ita sanè; sed cautissimè Bernardus hic gratiam ait non subtrahi, sed retrahi; hoc est, non hominem à Deo dimitti, ut peccet: sed permitti tentationi carnis, ne tentatione superbiæ peccet. Itaque *cum extolleretur* Petrus, paululum dimissus est, ita ut peccaret: *ne extolleretur* Paulus, paululum dimissus est, ut tentaretur, sed non peccaret. Serm. 49 in Cant.

At rursus Bernardus de generali gratia timotis, *Præcedit timor, ut sequatur justificatio, &c. Timore vocamur, amore justificamur, &c. Vocatus per timorem, justificatur per amorem, &c. Audit se vocari, cum timore concutitur: sentit se justificari, cum amore perfunditur, &c. Initium sapientiæ timor Domini, in quo dicta est esse nostra vocatio; provectus in sapientia amor Dei, ex quo justificatio, &c. Terrore judiciorum suorum Deus cor hominis pravum & inscrutabile educit in admirabile lumen suum, &c.* Quæ Bernardi dicta omnia de timore immaniter diffant ab eorum sententia, qui timore solo utcumque peccati opinantur. Epist. 77.

At verò de initiis rursum quibusdam bonæ voluntatis inseminatis in omnem naturam hominum, sic author libelli *de natura & dignitate Amoris divini*, apud eundem Bernardum: *Sola anima nescit, vel difficile discit ad suum redire principium. Naturali quidem pondere suo semper eò impellitur; cum beatitudinem desiderat, beatitudinem somniat, nonnisi beatus esse quærit. Beatus autem ille, & non alius, cujus est Dominus Deus ejus; sed beatitudinem quærens non in regione sua, nec in via sua, longè aberrat à naturali intentione sua.* Homo ergo *naturali pondere impellitur* ad Deum, ut ad veram *beatitudinem*: & convenienter

huic

hnic affectioni suæ movetur intus à causa universali bonorum: sed has & affectiones & motiones declinat ipse ad consectanda adumbratæ beatitudinis vestigia, terrenis voluptatibus impressa. Ita demum peccat,

Jam verò de gratia speciali ac justificante, ejusque ingenti prorsus efficacia & vi ad crimina omnia deviranda, ad levia etiam singula delicta, non universa, sic Bernardus: *In levibus peccatis à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in gravioribus difficilis res, & soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari, nisi in manu forti.* Sermo de tripl. misericordia, & quatuor miserationib.

Hoc robur subjugandi universas criminum cupiditates obtinet amor justitiæ, & quâ amor est, & quâ justitiæ. Cedunt enim & serviunt omnia intus amori, omnia foris justitiæ; *Amor sibi abundat; amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud novit nihil, &c. Magna res amor, si tamen ad sunum recurrat principium, si sua origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde ingiter fluat.* Et alibi de siti & esurie justitiæ: *Hoc desiderium cognatum magis spiritui, & naturalius, vehementius occupat cor humanum, cæteraque viriliter desideria pellit, Sic nimirum fortem armatum fortior superat, sic clavus clavo solet extundi.* Virtus enim ac justitia tum suapte sponte potentior, quàm improbitas, tum naturæ rationali amicissima cognatissimaque est, unde & altiùs illi infunditur, insidetque firmiùs: *Nullum vitium naturale est, virtus verò omnis homini naturalis est, &c. Virtus quoniam naturæ res est, cum venit in animam aliquando, non venit sine labore, sed venit in locum suum, & sedet fideliter, & bene cum ea natura convenit, &c.* Serm. 83. in Cant. De Convers. ad Clerie. c. 22. De vita solit. ad fratr. de Monte Dei.

Nec enim imaginandus est nobis charitatis habitus quidam otiosus & iners, sed vegetus affectus animi, negotiosus, efficax, animus ipse amore jugi conflagrans, voluntas Spiritu sancto ebria & exæstuans, ad carnis illecebras nauseabunda, ad delicias spiritus inexaturata. *Liberatur voluntas, quando efficitur charitas, cum charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datur nobis. Et tunc verè est ratio, hoc est, habitus mentis per omnia conveniens veritati. Cum enim liberata voluntate per liberantem gratiam, spiritus agi incipit libera ratione, tunc suus est, hoc est, seipso liberè utens efficitur, & fit animus, & bonus, animus.* Ergo per gratiam liberantem & justificantem fit nostra voluntas charitas, fit ratio ratio, fit animus animus, hoc est, homo reparatur & sibi redditur, habitu affectuque in quo conditus fuerat innovato: ex quo vigor & sanitas & robur efflorescit. Etenim tunc *labore & studio perseverante virtutes trahuntur in affectum, & mentem bonam:* & ut ibidem aliquantò antè, *Ubi cœperit spiritus reformari ad imaginem conditoris sui, mox etiam reflorescens caro ex voluntate sua incipit conformari reformato spiritui. Nam & contra sensum suum incipit eam delectare, quidquid delectat spiritum suum. Delectationes enim non perdimus, sed mutamus de corpore ad animum, à sensibus ad conscientiam. Panis furfureus & simplex aqua, & olera, & legumina simplicia nequaquam res delectabiles sunt: sed in amore Christi & desiderio interne delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est.* Ibidem. Ibidem.

De hoc amoris affectu multa præclarè Author libelli de Amore Dei apud Bernardum: *Nos Domine diligimus te affectu amoris à te nobis indito: tu conditor omnium & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, numquid affectu amas, vel afficeris? &c. Amas nos inquantum nos efficis tui amatores; nos amamus te, inquantum à te Spiritum tuum accipimus, qui est amor tuus, obtinens & possidens omnes affectionum nostrarum recessus, & perfecte eos convertens in puritatem veritatis tuæ.* Vehementia hæc sunt ad vehementem hanc charitatis immanentis efficaciam testificandam. Et aliquantò etiam mox luculentiùs: *Sed cùm te amamus, afficitur quidem spiritus noster Spiritui sancto, per quem habitantem in nobis charitatem Dei diffusam habemus in cordibus nostris. Cùmque amor tuus, amor Patris ad Filium, amor Filii ad Patrem, Spiritus sanctus habitans in nobis, ad te est, quod est, id est, amor; omnem captivitatem Sion, id est, animæ nostræ omnes affectiones in se convertens & sanctificans, amamus te, vel tu amas te in nobis; nos affectu, tu effectu; unum nos in te efficiens per unitatem tuam, id est, per Spiritum sanctum tuum.* Ut sicut divinis Personis non est aliud vicissim nosse & amare, quàm esse; *ita nobis qui ad imaginem tuam conditi sumus, & per Christum ad illam renovamur, non sit aliud amare & timere Deum, & mandata ejus observare, quàm esse, & unum spiritum cum Deo esse.* Ubi observare est, & constantem & permanentem in justo vim ac potestatem charitatis, & eandem ab ipsius Spiritus sancti simul inhabitantis omnipotentia defluentem. Et Author libelli *de natura & dignitate Amoris divini*, convenienter antedictis, Justus *jam sic afficitur virtutibus, ut sicut Deo hoc est esse quod bonum esse, sic jam justæ & sanctæ animæ non aliter sit esse, quàm sanctè, justè & piè esse. Ex augmento enim gratiæ Dei sic inficit justam animam justus affectus, ut jam in nulla sui parte vel cogitatuum, vel affectuum, vel actuum, sciat vel possit esse, nisi justa, in toto suo, in omni eo quo est, justitiæ plene & indissolubiliter affecta.* Ideò & mox ait electos à charitate numquam ita excidere, ut omnes amoris divini radices stirpitus evellantur: supereſſe fibras semper aliquas, quibus illos inter ipsa flagitia devinctos sibi retinet Deus, & revocat tandem ac recolligit sibi, Cap. 5. 6.

Sed in libro prorsus aureo *de Gratia & libero Arbitrio* Bernardus totus est omnino in commendanda *gratia*, quæ eadem ipsa prorsus illi est libertas à peccato; libertatem enim à necessitate, docet esse naturæ; libertatem à miseria, patriæ: at libertatem à peccato, gratiæ. Hac *reformamur in innocentiam*, efficimur *nova in Christo creatura*; hæc habet *plurimum virtutis*, hæc *carnem subjicit*; hæc inerat *Christo*, hæc inest *Beatis perfecta*; hæc etiam dici potest *libertas consilii*, cujus est *probare quid expediat, vel non expediat*, & non tantùm quid liceat, vel non liceat, quod judicii est. Porrò hæc *libertas consilii ex parte tantùm nunc & in paucis spiritualibus manet, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, quatenus jam non regnet peccatum in mortali eorum corpore*. Ex parte tantùm nunc vel justis inesse ait hanc libertatem vel à peccato, vel consilii, quia leves culpas omnino vitare nequeunt. Non quadrant hæc omnia nisi gratiæ habituali, ut palam est.

Et ibidem mox: *Liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum vel. Quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum: & aliud amare simpliciter, aliud amare Deum: quippè timere & amare simpliciter prolata, affectiones: cum additamento autem virtutes significant: ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum. Simplices namque affectiones insunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis, additamenta ex gratia. Nec aliud profectò est, nisi quod gratia ordinat, quas donavit creatio; ut nihil aliud sint virtutes, quàm ordinatæ affectiones.* Nec ipse equidem cuperem præclarius quidquam, & in nostram hanc sententiam accommodatius dici. Hinc enim perspicuum in primis est, *gratiam, bonum velle, amare Deum,* Cap. 7.

Deum, virtutem, affectionem amandi ordinatam, unum idemque esse. Nec enim aliud gratia, quàm *affectiones* ordinat, non solas actiones; ideoque *virtutes* inserit, non solos virtutum actus. Ideo subdit Bernardus per hanc nos *esse Dei*, & jam non esse diaboli. Addit & Adamo datam fuisse libertatem consilii, & per eam *posse non peccare*: hanc reparati dum datur nobis, *peccato etsi nondum ex toto carere, certè non consentire*. Denique in exemplo Petri Christum & vitam pariter amantis, sed vitam ampliùs, & ideo Christum negantis, apertè prodit Bernardus hanc totam affectuum conflictationem fuisse.

Nunc de tertia eaque efficaciissima gratia rogemus sententiam Bernardi. En ut ille multiplex hoc auxilium describit: *Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere, &c. Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, &c.* Si quæras quam *multitudinem* auxiliorum dicat, *De quatuor filiabus magnæ misericordiæ dictum est, quæ sunt immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis. Quandoque enim ei qui peccato quovis obligatus tenetur, piè immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt perniciosam delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque donat virtutem resistendi, quod majus est, ut scilicet tentationem sentiens, viriliter agat, & non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, & in quo prorsus tentatio tollitur, ut non solùm non consentiatur ei, sed nec sentiatur quidem.* Multiplex vides auxilium intus & foris, vides peccata aliqua vinci, etsi affectio nondum sanata sit; sed cumulum gratiæ summum esse in *sanitate affectionis*, hoc est, in infusione virtutum; nam ubi virtus inest & altè infigitur aliqua, vitii adversarii vel nulla, vel rara & infirma tentatio sentitur.

Serm. de Sept. miser. & quatuor miserat.

Sed ut sanetur affectus, multis antè auxiliis opus est, & ex parte potentiæ & ex parte objecti. *Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne denique in hoc gradu adhuc stabant, qui ajebant: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Solo profectò corporalis præsentiæ amore reliquerant omnia, &c.* Observa hic 1. quantum incarnatio & exinanitio Verbi Dei profuerit etiam objectivè ut aiunt & moraliter, ad persuadendam humano generi fidem, spem, charitatem, humilitatem. Si opus ubique est præmotione indeclinabiliter semper prædeterminante, æquè consentiet homo in hæc omnia, quovis alio objecto proposito. At si præmotio gratiæ physica quidem est, prædeterminatio autem ad consensum & infallibilitas tantùm moralis est, & ab objecti etiam vi ac congruitate pendet, tum sanè constat, quòd non ita exarsisset in charitatem Dei genus humanum, si Verbum carne nostra sese nunquam indutum repræsentasset. 2. Observa quantum efficaciæ fluat ex congruitate & contemperatione gratiæ cum affectibus, quibus imbutus jam homo est. Carnali enim in Christum amori facilem præstabant carnales assensum, spirituali statim non consensissent. Peræquè autem & huic consentire adegisset gratia si qua esset prædeterminans.

Serm. 20. in Cant.

Rursùm ut dulcibus & asperis, amore & timore trahamur, & duplici ex hoc auxiliorum genere concrescat gratiæ efficacitas: *Trahe me post te. Disce duplex auxilium sperare, correptionem & consolationem. Altera foris exercet, altera visitat intus. Illa reprimit insolentiam, ista erigit in fiduciam. Illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur. Illa cautos, ista devotos facit; Timorem docet illa, ista timorem infuso temperat gaudio. Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur: currimus, cùm internis inspirationibus visitati respiramus.* Vides, non amore totum profligari, sed aliquas esse partes etiam *timoris, tribulationum, correptionum, tentationum*; his nos *trahi*, doceri *humilitatem*, effici *cautos*. Nonnihil ergo virium est in morali prædeterminatione, & collectione plurium intus foris que auxiliorum. Eò spectat quod idem alibi ait, *Coruscant miracula, & mundus credit. Citò persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur.*

Serm. 19. in Cant.

Et idem rursum, ut ex timore & amore consurgat efficacia gratiæ: *Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina: timor Domini sanctus, & sanctus amor, His perfectè affecta anima, velut quibusdam brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait, Tenui eum, nec dimittam. Perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quàm amor ipse quo amas, & quo amaris?* Vides quòd non totum tribuat amori, sed aliquantum timori donet; & utrique affectioni potiùs quàm actui plurimum tribuat.

De Consid. L. 5. c. 14.

Et idem alibi primordia conversionis, & illam vim validissimam, qua peccatori consensus extorquetur ad peccatis valedicendum, timori potissimùm vendicat, quo percelluntur repugnantes, ut consentientes fiant. *Nemo salvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: item in alio loco, Compelle intrare: nihil impedit, quin profectò quantoscumque compellere, vel trahere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri: nullum tamen judicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium. Hoc quippè intendit, cùm terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem.* Ergo manifestè ex Bernardo, Deus nos *trahit, compellit, ex invitis voluntarios facit, dum percutit, & terret.* Quod temerè diceretur si eadem intus motio prædeterminans consensum exprimeret, etsi tota hac terrendi & percutiendi providentia abstineretur.

L. de gr. & lib. ar.

Terrendo item & percutiendo Deus *mutat voluntatem de malo in bonum*, hoc est mutat affectum ejus. Jam enim æternarum metu pœnarum territæ sæpiùs & vehementiùs animæ, & percussionibus fatigatæ, amarescunt illecebræ peccati, illam malorum lernam secum trahentes, & si quà se tunc gratia cœlestis & charitas justitiæ infundat, prorsus dulcescit. Ita immutatur *affectus* animæ, dum timore fit, ut dulcescere desinat voluptas peccati & gratiæ instillatione fit, ut dulcescat charitas justitiæ. Utrumque Dei miserantis, & congruè, opportunè, importuneque adjuvantis est; liberi arbitrii unum est, consentire. *Non equidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit; cùm nec cogitare, quod minus est quàm consentire, aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus, Verba sunt Apostoli, &c. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis, primùm profectò sine nobis, secundum nobiscum, per nos tertium facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit: immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit: ministrando consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.* Vides tunc *consensum* elici, cùm *immutatur voluntas*. At ut antè dixerat, terrendo & percutiendo immutatur volantas: hoc est, adducitur ad consentiendum.

Ibidem.

Et ibidem statim: *Gratia liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum: sanat, cùm immu-*

Ibidem.

immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentias defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur: ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Seminatur cogitatus, cùm non cogitationes tantùm piæ immittuntur in mentem, sed & affectiones in voluntatem; sed tam parcè & repentinè, ut voluntati integrum sit hæc omnia abjicere, vel non abjicere. Sed si quem Deus ex massa damnata elegit, in hunc tam crebrò, tam congruè, tam validè arietat, ut tandem adducat ad assentiendum. Et tunc immutatur affectus & sanatur, cùm qui indeliberatus cœpit, & supernè tantùm immissus, jam continuatur placitus & admissus, fatigata & cessante hominis contumacia. Ita non habet homo, unde se venditet, qui ex suo censu hoc unum habet, renisum esse sæpissimè beneficentiæ Dei, nec cessisse nisi fatigatum. *Quid habes quod non accepisti? Crearis, sanaris, salvaris. Nec creare non creatus, nec justificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare.* Ibidem.

Ideo & ibidem tandem sic infert: *Deus igitur author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.* Applicat enim operi voluntatem, dum inclinat, dum afficit, dum trahit, dum compellit, dum ex invitis facit voluntarios. Quod qui fiat, jam vidisti. Meriti autem quæ vel origo, vel conditio sit, jam præmonstraverat idem Bernardus: *Sive Dei simus, sive diaboli, non tamen desinimus esse & nostri. Manet quippe ubique libertas arbitrii, per quam maneat & causa meriti: quatenus merito vel puniamur mali, quod tanquam liberi ex propria voluntate efficimur; vel glorificemur boni, quod nisi aquè voluntarii esse non possumus.* Ibidem. Causam meriti refert in libertatem, quam ideo in bonis malisve incolumem asserit superesse. Libertatem autem non aliam quàm indifferentiæ à se intelligi, constanter & apertè ibidem Bernardus testatur non multò pòst: *Soli inter animantia datum est homini, posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum autem, non ut proinde peccaret, sed ut glorioſior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Quid namque ei glorioſius esse poterat, quam si de ipso diceretur, quod Scriptura perhibet, dicens, Quis est hic, & laudabimus eum? Unde ita laudandus? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.* Gratia ergo efficacissima quæ est, ea ita se temperat, ut nihil officiat huic indifferentiæ, ne nostra præfocet merita. Ideo & propria prædestinatorum gratia non ea est, quæ absolutissimè arcet à peccando; sed quæ ita providet, ut vel non peccent, vel resurgant à lapsu Ibidem; *Omne quod natum est ex Deo, non peccat. Hoc dictum est de prædestinatis ad vitam; non quod omnino non peccent, sed quod peccatum illis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel charitate absconditur.* Adde quod alibi habet, *non omnes qui habuerunt charitatem, habere & perseverantiam in charitate.* Ibid. Sed tum futuros fuisse *beatos, si interim rapti fuissent, antequam malitia mutaret corda eorum.*

Et hæc autem per præfestinatam mortem infallibilitas perseverantiæ doni, utique ex morali prædeterminatione est; quemadmodum & illa quæ ab objectis petitur. Cui quantum tribuat Bernardus, accipe rursum ex loco, qui penè nos effugerat. *O geminum ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, & meretur amari; spiritus afficit, & facit amari. Ille facit, cur amemur: iste, ut amemur. Ille multam suam dilectionem in nobis commendat, iste & dat. In illo cernimus quod amemus: ab isto sumimus, unde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ab isto affectio.* Spirit. 10. Sed hanc affectionem faciliùs abjiceremus, nisi illa objectæ Christi charitatis infinitas nos pudefaceret, adduceretque ad assentiendum.

Unde apud eundem, *Quidquid fecit, quidquid dixit in terris, usque ad opprobria, usque ad sputa & alapas, usque ad crucem & sepulcrum, non fuit nisi loqui suum nobis, in Filio amore suo, provocans & suscitans ad se amorem nostrum. Sciebas enim creator animarum Deus, in animabus filiorum hominum cogi non posse, sed provocari oportere affectum istum.* De Amore Dei. c. 4. Non inspirando igitur tantùm intus, sed & foris provocando amorem per beneficia, fidem per miracula, maximè autem per incarnari Filii sacramenta, adducit Deus invictissimè ad consentiendum.

HUGO DE S. VICTORE.

Ex Hugone de sancto Victore, Christi propria gratia est charitas habitualis justificans, cui tamen præcurrit gratia generalis, maximè timor gehennæ: neutra determinat, utraque inclinat voluntatem in bonum: & tamen invictissimè electos suos justificat prius, & ita servat Deus.

QUæ propriè sit Christi gratia, nempe justificans, eademque vires ad bene deinceps operandum præbens, ibi operans, hìc cooperans dicenda, declarat Hugo Victorinus his verbis: *Post lapsum homo non solùm cooperante, sed etiam gratia operante eget. Operans gratia facit à peccatis surgere, facit etiam velle bonum. Cooperans gratia volenti cooperatur, ut bonum facias. Sed ante lapsum non egebat nisi cooperante; nondum ceciderat, & ideo non egebat gratia, per quam surgeret, sed ea sola per quam proficeret. Post lapsum vero operans præcedit, quæ movet & excitat cor, de qua dicit Propheta, Et gratia ejus prævenit me. Hæc inspirando prævenit, hæc adjuvando prosequitur. Primo enim gratia operatur sine nobis, & ibi nihil meretur homo, quia tunc accipit bonum velle. Sed pòst utitur accepta voluntate, & cooperatur gratiæ, in qua meritum hominis est. Non est enim meritum hominis in hoc quod accipit bonam voluntatem, quia ibi nihil facit; sed in hoc quod accepta utitur. Unde Apostolus, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Summ. Sen. Tract. 3. c. 7. Hìc adverte, 1. gratiæ operantis esse, ut faciat à peccatis surgere; ideo Adamo stanti necessaria non fuit: item ut det bonum velle, ita ut homo sic accipiendo bonam voluntatem, nihil faciat, nihildum mereatur: ergo ea non est nisi gratia justificationis, seu charitas primùm cœlitus infusa. 2. Gratia cooperante jam hominem uti, & ita mereri. Ergo illa operans gratia erat justificationis, quam bona opera & merita non præcedunt, sed sequuntur. 3. Gratiam cooperantem & stanti & lapso homini promiscuè necessariam. Non ergo infallibiliter determinat voluntatem.

Idem mox confirmat: *Post peccatum antequam liberum arbitrium per gratiam sit reparatum, premitur à concupiscentia, & vincitur: post reparationem & ante confirmationem, quæ erit in futuro, premitur, sed non vincitur. Post confirmationem nec vinci poterit, nec premi.* Ibid. c. 4. Liberum arbitrium *reparatum* idem est ac justificatum, sed nondum confirmatum. Tunc, id est per vires gratiæ justificantis, fit ut à peccato non vincatur. Adest quidem actualis motio summi Boni, sed de ea nihil dubii residet, ut quæ præsto semper sit opitulari naturis, causis, facultatibus, habitibus omnibus naturalibus & supernaturalibus, suo cuique ex ingenio & gradu, sive naturali, sive supernaturali. Sed de ea generali opitulatione summi Boni nihil ferè controversiæ movebant prisci Doctores, ut quæ

ut quæ talis & tanta adsit, qualem & quantam exigit facultas creata. Sextò pronuntiamus Solem lucere, ignem ardere posse, propter insitas naturaliter eas vires, etsi nec id possint sine ope & motione primæ & universalis causæ bonorum omnium. Sed quia nusquam & nunquam ea deest, tota vestigatio est de rerum viribus & facultatibus. Ergo ad eum modum prisci ævi Theologi gratiæ reparatricis, seu justificantis hoc munus esse aiunt, ut det vires libero arbitrio vincendi peccatum; hoc est, ut det libertatem à peccato, sive facilitatem superandi peccati. Hugo ibidem: *Istam libertatem homo peccando amisit. Et hoc est quod Augustinus ait, Homo male utens libero arbitrio, se perdidit & ipsum. Non est amissa libertas à necessitate, sed libertas à peccato. Hanc libertatem à peccato illi soli habent, qui per gratiam reparantur.*

Libertas quam peccando amisimus, non aliud est Augustino, quam facilitas faciendi boni cum solo adjutorio sine quo non. Hanc ex eodem & Hugone; immò ex antiquis omnibus Patribus Theologisque recuperamus per justificationem. Subdit Hugo Adamo *nullam difficultatem ad rectè volendum* incubuisse, ideo liberum fuisse: nunc nos esse *compeditos*, & per gratiam *solvi*, ut possimus in via justitiæ ingredi. Postremò cooperante gratia in utroque statu peræquè opus fuisse subjicit.

Quid sit autem illa gratia operans, qua inspiratur nobis bona voluntas, ibidem Hugo patefacit: *Aliud est velle simpliciter, aliud velle bonum. Sicut aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum. Et timere & amare simpliciter prolata, affectiones sunt; cum additamento, virtutes. Velle est nobis per naturam; velle bonum per gratiam. Simplices namque affectiones insunt nobis naturaliter, tanquam ex nobis; additamenta, ex gratia.* Gratia igitur non est potentia voluntatis, non est actus voluntatis, seu ut loquebatur Anselmus, non est instrumentum volendi, non usus; sed medium quid, nempè affectus, sive affectio. Ideò etiam gratia inter virtutes locum habere potest, quatenus & ipsæ affectiones sunt. Ideò ex Augustino Hugo bonam voluntatem seu gratiam mox locat peræquè ut virtutes inter *magna bona*.

Idem alibi rursus virtutes definit *affectiones*, & illis gratiam accenset; *Nos virtutes dupliciter haberi respondemus, secundum naturam, & secundum gratiam. Virtus namque nihil aliud est, quàm affectus mentis secundum rationem ordinatus.* Et infrà: *Bona igitur natura & affectus ordinati secundum naturam virtutes sunt naturales, &c. Sed in virtutibus quæ per gratiam reparatricem sunt, Spiritus sanctus bonam voluntatem operatur: deinde bonæ voluntati moventi se & operanti cooperatur.* De Sacram. L. 1. Part. 6. c. 17.

Non potuit expressiùs declarari natura gratiæ Christi. Est ergo *affectio* bonæ voluntatis, eademque Augustino dicta bona voluntas, dilectio, delectatioque justitiæ, bonum velle. Hæc enim omnia non propriè actum, non potentiam volendi, sed affectionem designant, seu pondus & pronitatem voluntatis. Ideo & inter virtutes gratia hìc numeratur, quæ & ipsæ affectiones sunt. Ibidem mox Hugo ait, per hos affectus voluntatem agi regique à Spiritu sancto: *Bona enim voluntas instrumentum est: Spiritus sanctus est artifex, &c.* Id sanè libertati indifferenti nihil officere constabit, si satis accuratè pensitetur, agi quidem animam justi à Spiritu sancto, sed per habitus, seu affectiones: quæ utique vincula potest abrumpere, & quandóque abrumpit, etsi rarò, libertas versatilis.

Eodem conspirat, quod idem alibi convenienter Paulo & Augustino docet, legem obfuisse quibus *gratia adjuvans* non aderat; eam advectam esse per Christum, qui *Spiritum dedit in igne, ut lumen haberet ad cognitionem; flammam ad dilectionem; Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Qui enim non habet Spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore uno, spiritus unus. Nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum. Per fidem membra efficimur, per dilectionem vivificamur.* Quæ gratiæ justificantis descriptio est. Ea est ergo *gratia adjuvans*, quam Lex non dabat. Ibid. l. 3. Part. 1. c. 4.

Sed rursus de gratia, seu charitate sanante, ut ea non in alio magis, quàm in affectione inspirata, seu in virtute charitatis sit, non in actu: *Aliud virtutes, aliud opera justitiæ, quæ ex ipsis oriuntur. Virtus enim quasi quædam sanitas est & integritas animæ rationalis, cujus corruptio vitium vocatur: Opus verò justitiæ est in motu mentis rationalis, &c. Homo igitur in peccatis jacens ægrotus est, vitia vulnera sunt, Deus medicus, dona Spiritus sancti antidota, virtutes sanitates; per dona enim Spiritus sancti vitia sanantur. Sanitas vitiorum integritas est virtutum. Sanus operatur, operans remuneratur. Sic post virtutes opera bona sequuntur, & ex virtutibus opera ipsa oriuntur.* Gratia ergo velut *sanitas* animæ inter virtutes locatur; utpote charitas: ab actu seu opere distinguitur, cujus radix & origo ipsa est. Idem alibi de fide inspirata, *In affectione fides est.* Ibid. l. 1. Part. 1. c. 4. Miscell. l. 2. Tit. 67.

Sed quoniam visum est nonnullis charitatis scintillas quasdam & gradus mediocres ante justificationem haberi posse, contra insurgit Hugo, & gratiam à charitate, seu charitatis affectione, hanc à justificatione sejungi non sinit. Sic enim ille de Davide & Petro post lapsum; quos omnino à charitate defluxisse quidam negabant. *Dicent fortè, Spiritus quidem Dei recessit, sed charitas remansit. Considerate utrum Apostolus hoc patiatur, cum dicit: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: Nos charitatem non habemus, nisi inquantum Spiritum sanctum habemus: & tu dicis, quod recedente & absente Spiritu sancto charitas manet? Et dicunt: Quid ergo, nulla scintilla pietatis, nulla affectio dilectionis in David & in Petro remansit? &c. Proculdubio in ea voluntate qua contra Deum carni consentire elegerunt, charitatem utique Dei nullatenus habuerunt.* De Sacram. L. 1. Part. 6. c. 16.

Prorsus enim Hugoni charitas non est, nisi quæ Deum creaturæ anteponit. In eo enim cardine summa & tota natura charitatis vertitur. Ita charitas affectus est, qua homo justificatur. Unde idem alibi: *Sunt qui amant Deum solum. Sunt qui amant præter Deum, sed nihil contra Deum. In his amor Dei non destruitur. Sunt qui amant contra Deum, & in his fundamentum destruitur, quia amor Dei esse non potest, ubi non est solus, vel summus.* Miscell. l. 2. Tit. 44.

Si quæ autem affectiones vel ante justificationem adeptam, vel post eam gravi piaculo amissam, quasi antelucanæ vel residuæ post extinctum diem faculæ subluceant, eas Hugo vetat charitatis nominæ insigniri. Nec enim ad specialem gratiam, quæ charitas est, & justis propria, sed ad generalem pertinent. Ibidem consequenter; *De affectu verò pietatis, quem hujusmodi peccantes nonnunquam habere videntur, quando simul & peccare consentiunt, & tamen quodammodo in peccato, quod non deserunt, dolore quodam affici non desistunt; cavendum tamen est omnino, ne charitatis, sive dilectionis Dei nomine dignus existimetur.* Si enim in justis *affectus quidam & dilectiones præteritorum malorum remanent; qui tamen in bono proposito constitutis, ad iniquitatem non imputantur; quare non similiter in iis qui ad iniquitatem declinaverunt, ex usu præteritæ virtutis etiam in malo proposito, affectiones quædam amissi sive corrupti boni aliquando superesse dicantur? Quæ quidem sine proposito bonæ voluntatis ex usu sive ex natura inesse possunt, sed sine ipso meritum habere non possunt.* Itaque ut qui fidem Catholicam capite in uno ali-

qua ejuravit, vel amplexus est, non in aliis, ille ab infusa fide prorsus exulat; sed acquisitæ fidei vel primitias habet aliquas, vel reliquias. Ita qui crimine suo quopiam abjecit propositum illud seu affectum, quo Deus anteponitur creaturæ, quo in uno vera charitas & gratia justificationis rutilat; is charitatis omnino expers est, ejus sanè quam Spiritus sanctus simul illabendo infundit: residuas tamen retinere potest aliquas affectiones acquisitæ pietatis: *quales affectiones increduli & iniqui aliquoties sive ex natura, sive ex usu inesse videmus.* Hæc ergo ad generalem gratiam spectant.

Ad eandem spectat, quod idem suprà approbarat: *Charitatem talem ac tantam virtutem habere, ut sine illa reliquæ virtutes omnes, quamvis aliquo modo secundùm affectum naturæ ad bonum proclivem inesse possint, meritum tamen æternæ retributionis habere non possint, &c. Naturæ enim bonum est, non gratiæ; in natura, non supra naturam.* At hæ virtutes ante justificationem, ante gratiam, ante charitatem justificantem partæ, etsi à natura & in natura dicantur esse, à generali tamen gratia Dei sunt. De his idem supra: *Quædam virtutes ex sola natura sunt, quædam ex gratia, &c. Bona igitur naturæ & affectus ordinati secundùm naturam, virtutes sunt naturales, quæ etsi laudabiles sunt, quia bonæ sunt, & à natura sunt, non sunt tamen dignæ merito illo, quod est supra naturam.* Et alibi: *Potest dici quod etiam mali naturaliter volunt bene. Et ita videtur quod ante susceptam gratiam aliquis habeat velle bonum. Sed nihil aliud est naturaliter velle bonum, quàm rationem judicare illud esse bonum, &c. Prius est voluntas bona per naturam, quæ non habet meritum: sed postea fit bona per gratiam, & tunc habet meritum.* Gratiam ubique non aliam indicat, quàm justificatorum, ut quæ sit principium meriti. Non negat generalem illam gratiam, quæ residua aliqua excolit vestigia divinæ in nobis imaginis, per peccatum non omnino oblitteratæ.

Ibid. c. 11.

De Sacram. L. 1. part. 6. c. 17.

Summ. sent. Tract 3. c. 9.

Ubi ergo idem Hugo alibi definit liberum arbitrium *habilitatem rationalis voluntatis, qua potest, vel adjuvante gratia ad bonum quod non habet, aut minus habet, proficere: vel sinente gratia, à bono quod vel habet, vel habere debet, deficere*: Nemo inde id exculpere debet, gratia destitui justos, quicumque peccant, sive nondum justificatos. Quòd enim justi peccent *gratia deserente*, id ita sumendum, quòd peccando gratiam à se ablegent, non quòd ante effluat gratia, & tum ipsi peccent. Apertissimum illud est ex eodem Hugone casum Angelorum alibi describente: *Qui à bono avertebantur, sponte præcipitabantur, gratia deserente, &c. Sed qui avertebantur, non idcirco præcipitabantur, quia gratiam cooperantem non habuerunt: sed idcirco à gratia deserebantur, quia avertebantur & præcipitabantur.* At nondum justificati, per gratiam generalem virtutes naturales consequi possunt, quas bonas & laudabiles suprà dixit Hugo, & supernaturalis tantùm meriti inanes. Ita ergo etsi meriti nihil colligant, culpam tamen, pœnamque vitabunt. An autem sine gratia justificante possit quis omnes virtutes naturales parare, & ita vitare peccata omnia, & non singula tantùm, non hìc attingit Hugo, & verisimillimè, si attigisset, negasset.

Erud. Theolog. Miscel. L. 1. c. 175. & Summ. sent. tract. 3. c. 8.

De Sacram. L. 1. part. 5. c. 24.

Generali autem gratiæ adscribendus est maximè timor servilis, quem Hugo initialem vocat. Servilis enim timor ille est *qui pœnam quæ ab hominibus infertur, metuit: & idcircò ei sufficit cessare à malo opere, & reatum conscientiæ non metuit, hominibus placere volens.* At verò initialis Hugoni, qui aliis servilis appellitatur timor, ille est, *quo quis eam, quam Deus comminatur pœnam, declinare satagit: nequaquam sibi sufficere videt, ut ab illicita se operatione contineat; quia ei qui cor intuetur, non est satis si innocens fuerit actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio impolluta appareat. Sub hoc per bonam voluntatem, & virtus initium capit, & vitium finem. Necdum tamen perfectio est. Quia dum aliud agitur, & aliud intenditur, ipsum adhuc propter se bonum non amatur. Tunc accedit charitas, & intrat per timorem illum. Convertit igitur cor ad Deum, ut quodammodo de ipsa fugiat ad ipsum, hoc est, dum cavet habere iratum, studeat habere propitium.* Quibus absolutius nihil dici potuit. Vides ergo timore gehennæ non manum tantùm, sed & cor cohiberi ab illicita concupiscentia: alioqui nec gehenna fugeretur. His ergo generalibus auxiliis peccata & pœnas vitare possunt, quos nondum gratia seu charitas justificans juvat.

De Sacram. L. 1. part. 13. c. 5.

Nunc ut tertium quoque diluceat ex Hugone genus auxilii, scilicet invictissimi, ut justificationi & perseverantiæ consentiant electi: audi eundem primò electioni gratiæ patrocinantem: *Qui secundùm propositum vocati non sunt, & qui ad vitam prædestinati non sunt, etsi aliquando ad tempus Deum diligant, usque ad finem in dilectione Dei non perseverant. Qui propterea amissa charitate pereunt, quoniam cùm ad iniquitatem ceciderint, ad charitatem non resurgunt. Prædestinati autem postquam Deum diligere cœperint, vel perseveranter diligunt, ut à dilectione non cadant; vel cùm à dilectione ceciderint, iterum ad eam resurgunt, ne pereant. Apostolus hoc dicit, &c.* Et infrà: *Si quæratur, cur eis perseverantiam non dederit, qui eam qua Christianè viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Respondeant & ipsi si possunt, cur illos Deus cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis eripuit, ne malitia mutaret intellectum illorum?* Non potest ergo in dubium vocari Hugonis sententia de gratuita prædestinatione.

Ibidem. L. 2. part. 13. c. 11.

Ibid. c. 12.

Sed cùm illi infallibiliter exequendæ paria non videantur esse, vel generalia, vel gratiæ specialis seu justificantis auxilia, ex eodem Hugone expiscandum est tertium adjutorii genus, quo Deus voluntatem suam omnipotenter & indeclinabiliter adimpleat. Sic igitur Hugo alibi premens Augustini vestigia: *Tribus modis Deus cor emollit. Primò per inspirationem, bonam voluntatem dando. Postea per aspirationem excitando. Deinde per occasionem foris adhibitam provocando. Per inspirationem ponit, per aspirationem impellit, per occasionem trahit. Ponit ad volendum, impellit ad appetendum, trahit ad perficiendum. In cordibus autem malorum Deus pravas voluntates nec inspirando creat, nec aspirando excitat; tantummodo secundùm dispensationem suam aliquando manifestam, aliquando occultam, semper autem justam, occasionem aliquando foris adhibendo, justo judicio præcipitat.* Bonis inspirando Deus inserit *bonam voluntatem*, hoc est gratiam sanctificantem, & affectionem cœlestis charitatis. Aspirando hanc *excitat, impellit*, hoc est, per gratias actuales, qua prima causa bonorum summumque bonum formas omnes naturales & supernaturales movet ad actus suos, quasque consentaneo sibi modo. Per occasiones verò trahit. Malis verò etsi malas non inspiret voluntates, per vitiosas tamen eorum affectiones, vel ab origine inolitas, vel consuetudine roboratas, eos, quocumque vult, omnipotenter inclinat, & non aliter quàm per *occasiones præcipitat*. Ita Pharaonem & Ægyptios obduravit, & eò perduxit, ubi projecti absorptique omnes sunt, ut mox subdit Hugo; qui tandem concludit, *Adhuc etiam quotidie cum mentibus humanis congrua internis motibus suis extrinsecus occasio opponitur, ut qui in sordibus sunt, ampliùs sordescant; & justi ampliùs justificentur.* Igitur ubi simul conspirat gratia justificans, gratia actualis & movens, & dispensatio occasionum congruarum, Deus infallibiliter cor emollit, & agit, circumagitque quocumque vult.

Miscell. t. 2. Tit. 164.

vult. Ita ergo quos elegit, adducit consentire justificationi & perseverantiæ; & sicubi cadunt, rursus eos justificat, & antè eripit vitæ, quàm à justitia deficiant.

Nec necesse est vim ullam prædeterminantem affingere & indeclinabilem ulli seorsim auxiliorum supradictorum. Quandoquidem & malorum voluntates Deus agit inclinatque omnipotenter, quocumque sibi collibitum est ipsi, etsi malitiam nec inspiret, nec juvet, nedum prædeterminet, sed congrua solùm *dispensatione* administret occasiones. Multò invictiùs & omnipotentiùs bonas voluntates faciet, aget, inhibebit pro suo nutu, funiculo illo triplici constrictas. Timore præsertim & amore proniſſimum est Deo inflectere quocumque libuerit voluntates nostras, non prædeterminando abruptè, sed congruè, sed diutinè, sed omnimodè lacessendo & tandem fatigando, ut bono suo consentiant. Etenim ut ait Hugo; *Duo sunt motus cordis, quibus anima rationalis ad omne quod facit agendum impellitur. Unus est timor, alter amor. Hæc duo cùm bona sunt, omne bonum efficiunt: cùm mala sunt, omnium malorum initium & causa existunt.* De Sacram. l. 2. part. 13. c. 3.

Unum illud superesse video, quod creet molestiam, quomodo dicat Hugo malas voluntates non tantùm non inspirari à Deo, sed nec *excitari*; cùm causa prima secundas omnes excitet, & impellat eò, quò ipsæ vergunt. Sed hunc nodum alibi solvit idem ipse ad mentem Anselmi superiùs elucidatam. Peccat enim homo cessans velle justum, nec cessans velle commodum, cùm ad utrumque simul incitetur à Deo, sed non sine discrimine, ut voluntas justi regat & moderetur voluntatem commodi. Non ergo peccaminosa per sese est voluntas commodi, sed eo rea fit, quo cum cessatione voluntatis justitiæ conjungitur. Deus ergo non movet ad cessationem voluntatis justitiæ, ideoque cùm movet ad voluntatem commodi, ad nihil criminosum movet. *Quia ergo homo appetitum justi deserens, non velle cœpit, quod prius noluit: sed tantummodo quod priùs voluit, velle desiit; non necesse est ut hoc aut volens, aut nolens feciſſe dicatur. Voluit tamen aliquid, quod quia cum isto velle non potuit, desiit istud velle, quod voluit. Peccatum tamen & iniquitas ejus non ex eo pendet, quia illud voluit, sed quia istud velle desiit: quoniam si hoc velle non desineret, sive illud, sive aliud volendo, numquam peccare potuisset.*

RICARDUS DE S. VICTORE.

Ex Richardo Victorino, Christi propriè gratia est charitas habitualis & justificans, cui tamen præmunit viam gratia generalis, maximè timoris gehennæ: Neutra determinat, utraque inclinat voluntatem in bonum: Electos tamen suos invictissimè justificat Deus & salvat.

GRatia Christi Richardo à sancto Victore ea maximè est, quæ non actum modò, sed affectum ipsum animi in ima vergentem retorquet, immutatque inspirata *affectione* contraria cœlestis charitatis. Radix enim actuum omnium, radix boni malique in affectione est. *Quis præsumat naturalem illum humanæ affectionis cursum rapidissimum, impetumque vehementissimum ad ima posse cohibere, & in contraria deflectere, &c. Aliud est in naturalibus affectibus sæpè consensum cohibere, & aliud affectionem mutare, & humanæ concupiscentiæ profluvium in virtutum montana convertere, & spontaneo quodam intimi amoris nutu contra morem insuper cœlestium desideriorum concupiscentias aſurgere.* Hoc operæ pretium est gratiæ Christi, non actus modò & consensus malos cohibere, sed *affectionem mutare* cordis. Ut enim idem ait alibi, *Amor, odium, gaudium & dolor, quatuor principales affectiones sunt, ex quibus cætera omnia desideriorum, voluntatum, votorum, affectionumque originem ducunt.* Et in his quatuor principatur & regnat amor. Et alibi: *Affectus in nobis sæpè secundum Deum vivunt, dum in bono fortes sunt, & ad virtutum opera convaleſcunt, dum gratiam cooperantem habent.* Sic affecta Dei amore voluntas, bona voluntas dicitur, & bona voluntas est, bonumque facit hominem, etiam dum terrenis necessitatibus, aut somno servit: sicut & à diverso affectu mala est voluntas impii, etiam sterentis. *Inter omnia Dei dona quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale donum bona voluntas esse cognoscitur, per quam in nobis divinæ similitudinis imago reparatur. Quidquid homo agat, bonum esse non potest, nisi ex bona voluntate procedat. Quidquid ex bona voluntate fit, malum esse non poterit.* Hæc imago Dei utique permanet in homine reparato. Ergo donum illud bonæ voluntatis charitas est habitualis, seu affectio constans amoris divini. De statu interior. hominis c. 34. tract. 1. De eruditione interior. hominis c. 14. l. 2. De præpar. ad contemplat. c. 66.

Idem alibi Spiritum sanctum inhabitantem, ignem inextinctum, affectum ferri instar candentis igneum docet esse: *Spiritus sanctus homini tunc datur, quando Deitatis amor menti humanæ inspiratur. Cùm enim hic Spiritus spiritum rationalem intrat, ipsius affectum divino ardore inflammat, & ad proprietatis suæ similitudinem transformat, ut authori suo amorem quem debet exhibeat. Quid enim est Spiritus sanctus, nisi ignis divinus? Quod facit ignis corporalis circa ferrum, hoc agit hic ignis circa cor fœdum, frigidum, & durum. Nam ad hujus ignis immissionem animus humanus omnem nigredinem, frigiditatem, duritiem paulatim deponit, & totus in ejus à quo inflammatur, similitudinem transit. Nam ex succensione ignis divini incandescit, totus exardescit, pariter & eliquescit in amorem Dei. Juxta illud Apostoli, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hæc ergo *Charitas*, quæ Augustino gratia Christi est, non tam illa est quæ actu transit, quàm quæ permanet affectu candefacto, ignique inextincto divini amoris. De Trinit. l. 6. c. 16.

Tractatum specialem & aureum edidit idem Richardus *de gradibus charitatis*, & ibi caput primum prænotavit de *insuperabilitate* charitatis, ubi, *O insuperabilis virtus, charitas, &c. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, valens ad omnia, & omnibus prævalens.* Et infrà: *Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Validum profecto vinculum, cui nulla prævalet violentia, inseparabiliter continens amantem pariter cum amato.* Virtus, vinculum, non actu fluunt, sed manent. Ibidem incunctanter: *Nemo me æstimet cum illis sentire, imo desipere, qui charitatem semel habitam asserunt ultra perdi non posse. Quia si omnis qui habet charitatem, habet & perseverantiam, frustra suos discipulos Dominus monuisset, dicens, Manete in dilectione mea. Sed in hoc indubitanter censerem charitatem sponte posse deseri, non violenter auferri.* Hæc charitas utique habitualis est, quæ visa est quibusdam semel habita amitti non posse, quæ Richardo & cordatis omnibus videtur deseri posse, auferri non posse. At eadem est insuperabilis, inseparabiliter nos Deo colligans, de qua Paulus ait, Charitas Dei diffusa est, &c. &, Quis nos separabit à charitate Christi? quæ de gratia Christi propria & peculiari interpretatur idem Augustinus. Cap. 16.

Evolve si vacat & bracteatum ejusdem Richardi tractatum *de quatuor gradibus violentiæ charitatis*, ubique summam & invictissimam efficaciam ei tribui, & ei habitualiter afficienti ac permanenti tribui comperies: *Charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum adducit, &c. Nonne tibi videtur corde percussus, quando igneus*

De extermin. malit. & promot. boni. tract. 2. c. 1.

igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque transverberat interim, ut desiderii sui æstus cohibere vel dissimulare omnino non valeat. En de primo gradu qui vulnerat. Jam de secundo qui ligat: *Secundus interpolationem non recipit, sed acutæ febris more, continuo ardore animum urit, jugique desiderii sui æstu incendit; nec die, nec nocte animam quiescere finit.* Tertius gradus est, *quando omnem alium affectum excludit, quando nihil præter unum, vel nisi propter unum diligit. In hoc tertio violentæ charitatis gradu nihil omnino satisfacere potest præter unum, sicut & nihil sapere, nisi propter unum.* Quartus gradus *violentæ charitatis, quando æstuantis animi desiderio jam nihil satisfacere potest. Bibendo sitim suam non extinguit, sed quò amplius bibit, eò amplius & sitit.* Et tandem: *O quàm pretiosus primus ille dilectionis gradus; quando est insuperabilis! Multò pretiosior secundus, quando ardens affectus incipit esse insuperabilis. Multò melior, quando in aliâ re delectari non potest, quàm in Deo, Summus & præcipuus, quando desiderio suo nihil satisfacere potest.* His ille ea substruit loca Scripturæ, quibus invicta gratia charitatis Christi designari solet: *Fortis est ut mors dilectio. Quis nos separabit à charitate? Adhæsit anima mea post te, &c.*

Solet enimvetò Richardus per vires constantes & habituales à Deo inditas animæ justi designare vim & efficaciam gratiæ, gnarus actualia supernaturalis gratiæ auxilia à summo Bono irrigari pro illarum modo & exigentia, nisi culpa hominis intercedat. *Quis gloriari potest, vel totum facere, quod utiliter facere potest; vel totum posse, quod fieri oporteret, si fieri potuisset? Sicut enim nec totum volunt, quod valent: sic nec totum valent quod debent. Ergo ulterior est facultas, quàm voluntas.* Non sapiunt hæc illis, quibus nulla gratia possibilitatis, tota actualitatis: quibus posse & agere idem est: quibus nemo potest proximè, quin velit, & agat. At contrà denuò: *Hoc est futuri temporis, non vitæ præsentis. Ibi sanè sicut totum valet, quod justè valebit; sic totum poterit, quod jure debebit. Hic autem & actionem superat agendi facultas, & faciendi possibilitatem excedit debiti necessitas.* Nempe gratia qua justi, & consequenter robusti ad bona opera efficimur, hìc inchoatur, in patria perficitur. *Ibi perfectio nostræ glorificationis; sed hic est nonnisi quædam inchoatio nostræ justificationis. In illa glorificatione erit exinanitio omnium malorum, & plenitudo omnium bonorum. Sed in hac nostra justificatione nec est plena exterminatio vitiorum, nec perfecta consummatio virtutum.* Nunc ergo per gratiam justificationis adjuti, & minus facimus, quàm proximè possumus: & minus possumus, quàm perfectio flagitat, quia nondum est consummatio virtutum, à quibus vires adduntur.

Ideo gratiæ efficacia in eo est apud Richardum, ut libertatem faciat sanam & robustam, & ita boni facultatem, seu facilitatem & expeditam possibilitatem restituat. *Aliud est esse liberum, aliud est esse robustum. Et liber & infirmus esse potes, sicut & sanus & servus esse potes. Qui sanus & robustus est, multa & magna facere potest. Sed qui liber est, ad aliqui cogi nisi injustè non potest.* Et mox: *Posse facere bonum est potestatis.* Et ibidem infra: *Liberum hominis arbitrium, quod ex seipso nihil boni potest, incipit posse, quando & quantum voluerit ille, qui omnia potest. Incipit ergo posse ex divino adjutorio, quod non potest de seipso: & quod jam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam. Quotidie crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita ut jam in potestate consistens, & habens sub se nitites, possit dicere huic, Vade, & vadit, &c. Et quantum hoc esse putamus, posse omnes rebelles animæ motus reprimere & ab actu cohibere, quamvis nec-dum possit omnes perfectè delere, & regnum suum ad plenam pacem reformare?* Motus enim inopinos concupiscentiæ cohibere non potest, etsi consensum potest verè & proximè: remotè enim & illud posset. Totum, ut vides, robur gratiæ Dei est in danda hac possibilitate. Per gratiam enim est *liber ille arbitrii consensus tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum Imperator & Dominus*; non tamen repentinorum concupiscentiæ motuum.

De Exterm. mali. c. 9. Tract. 2.

Ibid. c. 13.

De statu inter. homin. c. 12. 14. 16. Tract. 1.

Reparatrix quippè gratia Christi restituit nobis *possibilitatem*, quam Adamus ante peccatum habuit, qua peccando spoliatus est. Illud autem erat posse proximum & robustum, non autem ipsum agere. *Amisit Adamus potestatem, non libertatem. Nam bonum posse, est verè posse, &c. Etiamsi eum ante peccatum aliquid boni sine adjuncta gratia potuisse negamus, tamen non mediocrem faciendi boni possibilitatem peccando amisisse negare non possumus. Quod enim per gratiam potuit, verè potuit: & quod magna per gratiam potuit, magna possibilitas fuit. Attende ergo qualem gratiam accepit; & quantum per illam potuit, & tunc intelliges, quid potestatis amisit.* Per Christum nunc eam possibilitatem boni, sed non integram, non totam recuperamus. Nec enim gratia qua donamur nunc sufficit ad non concupiscendum, non sufficit ad veniales culpas etiam collectim, & non tantùm singulatim vitandas. Etsi ergo eandem possibilitatem boni faciendi & mali vitandi gratia Christi habitualis nunc restituit, non tamen integram, quia non ad illa duo sufficientem. *Quis glorietur se hanc possibilitatis integritatem recuperasse, vel præsumat se posse in hac vita recuperare? Quis glorietur se vel totum fecisse, quod oportuit, vel totum non fecisse, quod non licuit?* Et mox: *Gratiam itaque, sed gratis recuperare potest, & in recuperata gratia quotidie crescere potest; veruntamen primæ possibilitatis integritatem recuperare non potest. Etsi majorem gratiam juxta aliquid recuperare possit, integram tamen in hac vita habere non poterit. Puer semel truncatus, majus corpus habere potest, integrum omnino habere non potest.* Et mox de eadem rursus gratia possibilitatis ad bonum per charitatem inhabitantem: *Sicut non potest per se semel amissam recuperare, sic gratis recuperatam non potest nisi ex aliena tutela custodire.* Gratia sanè quæ recuperatur amissa, quæ recuperata custoditur, ad quam custodiendam divina tuitione indigemus, habitualiter immanet. *Cùm igitur audis liberum arbitrium esse captivum, intellige nihil aliud quàm infirmum, & nativæ possibilitatis virtute privatum.* Reparatum ergo erit, cùm nativam possibilitatem recuperabit.

Ibid. c. 11. 12. 13. Tract. 1.

Nec multò pòst, ut gratia nunc nec semper adsit, nec sufficiat ad culpas omnes vitandas collectim, vel ad non concupiscendum; *Tunc utique valet, cùm aspirantem gratiam præsentem habet. Sed quis est qui in hac vita semper gratiam præsentem habeat, vel habere valeat? &c. Plus aliquid audeo dicere, &c. Numquam homo in hac vita habet gratiam sufficientem, quamvis tamen quandoque habeat gratiam præsentem. Sicut in hac vita numquam habemus gratiam sufficientem ad bonum faciendum: sic numquam gratiam sufficientem habere possumus ad verum discernendum.* Nec enim sufficit charitas vix ad Deum toto corde, & quantùm diligendus est, diligendum; sufficiebat Adamo & Angelis. Non actus enim, sed affectus potissimùm illo dilectionis præcepto imperatur. Unde Richardus: *Ostende mihi aliquid, circa quod affectum tuum ita ad certam legitimamque mensuram restringas, ut aliter omnino, aut minus, aut amplius circa ipsum extendere non debeas. Sed quomodo poterit animus affectum suum ad perfectam æquitatis legem vel in una aliqua re restringere, quandiu intellectus nullam rem poterit ad plenum com-*

Ibid. c. 31.

Ibid. c. 14.

prehen-

prehenderet? Sine scitur perfecta mensura dilectionis, vel alterius cujuslibet affectionis, quomodo custodiri potest? Si itaque animi affectus in multis est inordinatus, &c. Vides quàm inculcatè de affectionibus disputet: ut ex quibus, ut ibidem ait, pendeant religati cardines omnium *desideriorum, voluntatum, votorum, actuum.*

De prudit. inter. hom. L. 1. c. 10.

Sed luculentissimè idipsum alibi Richardus: *Scimus quid dicat, Sine me nihil potestis facere, Tantum ergo possumus, quantum posse accepimus. Quid enim habes, quod non accepisti? Nihil enim aliud est habere ejusmodi potestatem, & fortitudinem, quàm habere gratiam cooperantem, Potestas tua, cooperatrix gratia. Quantum habes gratiæ, tantum habes & potentiæ. Et quantum gratia accepta crescit, tantum & potentia tua proficit. Et quantum gratia minuitur, tantum & potentia tua subtrahitur. Et si quando subtrahitur gratia, simul perit & potentia. Patet itaque quia aliud est arbitrii potestas, atque aliud arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, aliud liberum esse. Si sanus & robustus es, multa & magna facere potes; veruntamen si liber es, ad nihil cogi potes, vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis priorem potestatem, non tamen & libertatem.* Inculcatissimè & singulis penè verbis significatur gratia Christi propria dari *potestatem, sanitatem robus*, illam *crescere, minui*, illa denique dari *fortitudinem*, possibilitatem. Quæ omnia gratiam designant habitu permanentem.

Potentiam verò istam in actus bonos non prosilire sine illo summi Boni adjutorio, quod causis quibuscumque secundis, formis, habitibusque semper præsto est, & consentaneè cujusque genio, sive intra, sive supra naturæ ordinem opitulatur, quæ actualis & generalis gratia dicitur, in dubium venire id non poterat. Quis enim vel in extremis naturarum quisquiliis de eo vel sollicitus, vel dubius esse potest? In causa id fuit, quamobrem priscorum Theologorum non pauci ea de re omnino siluerint, alii paucis egerint, omnes de habituali & permanente gratia ac possibilitate ad bonum omni animi contentione disputaverint, ut cui vel habendæ viam munit, vel habitæ attemperatur gratia actualis. De generali gratia pulcrum est quod idem Richardus prolixè differit, ubi docet, qui Christus fuerit *desideratus cunctis gentibus*, & ex gentibus etiam non pauci anticipata quadam fidei ejus præsensione afflati sint, *tum ex insita ratione, tum ex divina revelatione*, Sed alium in locum res ea seponenda est.

De incarn. Verbi. c. 8. & 9.

Sed de timoris generali gratia non tacet Ricardus: *Quolibet modo dejecta mens, sine timore non reparatur. Quis enim de quovis peccato quamlibet parvo sine timore liberatur? Sine timore mala nostra nunquam deserimus: sine timore bona operari nec saltem inchoamus.* Ideo subiicit per Ruben designari timorem, cui dicitur: *Tu fortitudo mea.* Etenim *rectè primogenitus, quia à timore Domini omne bonum inchoatur. Rectè fortitudo dicitur, quia per timorem Domini cor contra concupiscentias suas roboratur.* Et rursus: *Inter omnia Dei dona quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale donum bona voluntas est, &c. Absque dubio per timorem Domini voluntas mala in bonam commutatur.* Vides quanta timoris sit & efficacia, quæ *voluntatem malam commutat in bonam*, & à peccato immunitas, cùm per timorem contra *concupiscentias* roboremur.

De præpar. ad contemplat. c. 6. & 8.

Jam verò cùm generalis gratia sit timor, per illum nemo non introduci potest in charitatem, Ita verissima Christi gratia, charitas offertur omnibus, & illa vitio suo carent, quicumque carent, ut qui timori terga obverterint illam invehenti. Idem Richardus, *Offertur omni charitas, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio illa careat.*

De tradib. char. c. 4.

Tertium denique divinæ gratiæ genus ab eodem attingitur alibi, quo durissima Deus corda mollit, flagello, terrore, blanditiis, charitate. *Solus Deus est, qui sine aliquo conatu, quoties & quacumque voluerit, potest operari, &c. An forte in hujusmodi ferreis & obduratis mentibus melius operatur inspiratione, quàm percussione? corrigiturque sæpè interna illustratione, quem non possunt flagella corrigere? Percussi, inquit, filios vestros, & non doluerunt, renuerunt disciplinam, &c. Sæpè in his in quibus videtur percutientis manus opera defecisse, operatur quidem miro & incomprehensibili modo, interno suo verbo, vel sibilo. Verbum, inquit, quod egredietur de ore meo, non redibit ad me vacuum, sed faciet quæcumque voluit.* Vides ut nihil intentatum relinquat Deus, & terrendo blandiendove, tandem confringat cordis duritiem. Ratissimum est autem, ut nullæ sint timoris in ea re partes. Unde ibidem mox: *Lapis sine manibus abscissus, timor Domini divinitus inspiratus. In ictu hujus lapidis statua dejicitur, & monstruosum opus destruitur. Sicut per timorem mens dejicitur à proposito bono, sic per timorem sanè excutitur à proposito malo. Sicut enim initium omnis peccati superbia, sic initium sapientiæ timor Domini.* Conspirant ergo ista, ut ex mala fiat bona voluntas. At ubi bona jam voluntas est, & cor carneum, non tanto jam molimine gratiæ opus est ad singula bona opera. Sed ea abundè est quam primo loco descripsimus. Unde infrà: *Quid est vectes ferreos confringere, quàm pertinacem contradictionem & audacem rebellionem interna aspiratione & cordis compunctione coercere? Solius itaque Dei est, hanc tantam duritiam cordis conterere.*

De prudit. inter. hom. L. 1. c. 10.

Nec minùs præclarè alibi eandem divinæ gratiæ incomprehensibilem efficaciam describit: *Gratiæ De contem. L. 1. c. 14. sua munera multipliciter impendit: tot hominum mentes miris modis informat, & omnium voluntates ad voluntatis sua arbitrium sine aliqua coactione inclinat, &c. Mirо quodam incomprehensibilique modo, sic nobis suæ voluntatis beneplacitum inspirat, ut justè nobis ad meritum reputari debeat, quidquid bonitatis ejus in nobis gratia imprimit, vel reformat.* Omnipotentia hujus gratiæ in illo *multiplici, miro, incomprehensibili modo* adjutorii residet.

De sanit. pœnit. Tract. 1. c. 11. Ibidem: Tract. 1. c. 1.

Tutela autem Dei & excubatio jugis in electos suos ut perneccssaria sit, ita ille docet: *Sicut non potest homo per se semel amissam gratiam recuperare, sic gratis recuperatam non potest nisi ex aliena tutela custodire.* Et alibi: *Beatus vir qui Dominum habet adjutorem, eruditorem, protectorem. Adjuvare, erudire, defendere, totum est gratiæ. Adjuvat ad bonum, defendit contra malum, erudit ad utrumque discernendum.* Et rursum: *Ex hoc loco possumus patenter colligere, quod nullus sine divina protectione posset vel passionibus suis, vel suggestionibus malignis vel ad modicum resistere.* Tertiæ hujus gratiæ ad perseverandum in bono tam necessariæ pars non mediocris in hac custodia est, quæ occasiones vel tentationes aut abigit omnino, aut attemperat.

De eruditi. inter. hom. L. 1. c. 11.

Quod autem frequenter suprà & alibi inculcavit Richardus, nunc gratiam non sufficere, ut omnes officii numeros impleamus, & in totum quandoque subtrahi: id eodem ipso interprete sui idoneo ita accipiendum, quòd ob anteriorem aliquam culpam subtrahatur: *Nunc omni hora potest justè subtrahi, quia nunquam potest homo sine culpa inveniri.* Hæc ergo fixa illi norma est, & ob oculos semper habenda. Ibidem: *Sæpè negligentibus & torpentibus nobis ultro offertur: & sæpè multis & magnis conatibus nostris subitò & inopinatè subtrahitur.* Nempe etsi tunc coneris, antè peccasti, & tunc plecteris. Idem alibi: *Subtrahitur cooperatrix gratia, cum de suis bonis & divinis donis mens improba superbit, & sua sibi merita ascribit. Subtracta gratia affectus boni deficiunt, &*

De eruditi. inter. hom. L. 2. c. 3.

De statu inter. hom. Tract. 1. c. 8.

ad omne

ad omne bonum langueſcunt. Et quia rariſſimus eſt, qui non ea virium ſuarum fiducia aliquantulum tumeat, per leves & creatos caſus ſanctiſſimi quique ſemet experiuntur: *Ad hoc ſiquidem toties nobis ejus gratia ſubtrahitur, ut quàm per ſe nihil boni humana infirmitas poſſit, ex proprio defectu doceatur.*

De contemp. l. 3. c. 17. Et in Pſal. 136.

Quod autem non ſufficere hìc gratiam dixit, eò id pertinet, quod non ſufficiat ad non omnino concupiſcendum: vel quod non ſufficiat ad leviſſimas etiam culpas omnino & collectim vitandas: vel denique quod minor ſit, quàm ut Deum diligi faciat tanto affectu, quanto optandum eſt. Sed hac poſtrema in parte nemo reus eſt, ſi minus divinæ charitatis habeat, dummodo nulli illicitæ conſentiat cupiditati, juxta normam Auguſtini & aliorum Patrum. His conſentit Richardus: *Multum eſt per omnem modum, cùm ad illa accipit homo poteſtatem, quæ ſibi ſufficiunt ad ſalutem: Quid autem cum & illa ſibi ſuppetunt, quæ ſufficiunt ad perfectionem?* Nunc ergo ſi quibus non ſufficit ad perfectionem gratia, ſufficit ad ſalutem: ad tantam ſufficit dilectionem, quanta ſaluti, non quanta perfectioni neceſſaria eſt.

De erudit. hom. inter. L. 1. c. 30.

Sicubi autem dixit in eo eſſe libertatem Richardus, ut non cogatur, cogi ſenſit, ſi indifferentiæ ejus oſtrepatur. Ideo non dixit non poſſe cogi vel à Deo, ſed non decere. At indifferentiam ſolam tollere poteſt Deus, non efficere, ut nolens velit. Denique ipſum audi: *Libertatis eſt quod conſenſus ejus extorqueri, vel cohiberi non poteſt. Poteſt enim conſentire, vel non conſentire aſpirationi divinæ, ſimiliter & ſuggeſtioni diabolicæ.*

De Rect. inter. hom. Tract. 1. c. 13.

ROBERTUS PULLUS Cardinalis.

Ex Roberto Pullo Chriſti propriè gratia eſt charitas habitualis & juſtificans, cui tamen præcurrit gratia generalis, maximè timoris gehennæ. Neutra determinat, utraque inclinat voluntatem in bonum. Eo tamen invictiſſimè Deus electos ſuos & juſtificat & ſalvat.

COævus Bernardo Robertus Pullus in ſumma Sententiarum triplex boni genus ita ſecernit: *Deus bona in hoc ſæculo largitur, aut terrena, quæ abundantiùs contingunt perditis; aut altera, inter quæ eſt timor gehennæ, quibus peccator commutatur à via ſua prava: aut tertia quibus vir jam juſtus dignus fiat corona. Prima dantur, ut inde in terra vivatur. Secunda ſupplicationes & quædam via ſunt, ut ad illa, quæ remunerabilia ſunt, pertingatur.* Ut miſſa fiant mortalis hujus vitæ ſubſidia, duo hìc auxilia divina ad æternam vitam conducibilia commendantur, alterum eſt quod ad juſtificationem nos præparat, ut timor gehennæ, alterum eſt ipſa gratia juſtificans.

Sent. par. 6. c. 49.

Et ibidem de eodem duplici auxiliorum genere: *Nulla ſpes niſi reſpectus Dei voluntatem infundat, ut aut meliores fieri deſiderent, aut deſiderare ſaltem concupiſcant. Ineſt unicuique naturæ beneficio hujuſcemodi voluntas, qua quodammodo, quod iniquum eſt, abominetur: quod juſtum, amplexetur: adeo infirma, ut per eam nemo promoveatur, quiſque accuſetur. Unde Apoſtolus, Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio. Adjacet quoniam juxta eſt, & jacet: jacet, quoniam quod volo, efficere nequeo. Sed voluntas quæ ex gratia Dei inſpiratur, tantæ virtutis eſt, ut nunquam abſque effectu ſit, niſi cum ipſe homo gratiæ defuerit. De hac voluntate ſic ait Apoſtolus, Deus operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Gratiæ generali & illud utcumque tribui poterat, quòd quia imago Dei in nobis non omnino detrita eſt, ſupereſt quædam boni admiratio, abominatio mali, quam cauſa univerſalis bonorum, ut cæteras omnes facultates creatas, juvat, ut in actum prorumpant. Sed ea voluntas, & gratia quæcumque generalis tam infirma eſt, ut niſi ſpecialis Dei gratia per charitatem infuſam ſuccurrat, nemo juſtificationem, nemo ſalutem conſequatur. Porro efficacia hujus ſpecialis & propriæ Chriſti gratiæ ea eſt, quam Pullus deſcribit, *Tantæ virtutis eſt, ut nunquam abſque effectu ſit, niſi cum homo ipſe gratiæ defuerit.* Ergo cùm aliquando adſit ea gratia, & homo illi deſit, habitualis eſt; aut ſi actualis, non magis neceſſariò determinans voluntatem, quàm habitualis.

Non id enim ſatagimus tantoperè, ut hæc propria Chriſti gratia habitualis potiùs ſit, non actualis; quàm ut non infallibiliter prædeterminet voluntatem ad actus ſingulos, ſed inclinet tantùm. Id autem aſſequimur proculdubio, ſi habituali charitati principatum in gratiæ nomine à Catholicis ſcriptoribus vendicatum fuiſſe pervicerimus. Audi denuo Robertum Pullum: *Gratia alios flagitiis implicitos, prout illis dignum eſt, ſibi derelinquit. Alios autem, quoniam digna eſt ipſa, viſitare diſponit: id in homine actura, ut qui per ſe nullius eſt potens boni, jam id liberè efficere poſſit, niſi deeſſe gratiæ ipſe malit. Quippe quoties gratiæ id placet, ut ſe cuipiam offerat, is utrumlibet, aut gratiæ cooperans agit, aut ea ſpreta malè agere non deſiſtit.* An vel optari potuit quidquam dilucidius? Dat gratia, ut homo nullius per ſe *potens* boni, *poſſit* id perficere; niſi homo *gratiæ deeſſe* malit. Gratiæ homo *cooperans agit*, aut *ea ſpreta* peccare non deſiſtit.

Ibid. c. 50.

Quid verò de juſto cadente, vel perſeverante? *Quod iſte recidit, ideo fit, quod gratiæ, ſine qua nunquam bene vivitur, non conſentit. Quod autem ille in bono perſeverat, gratia operatur, cum qua concordat.* Ergo gratiæ præſenti *non conſentit*, quiſquis à juſtitia cadit; ea eſt enim gratia *ſine qua non* bene vivitur.

Hinc meritum nobis paratur, quòd reluctari gratiæ cùm poſſimus, eò ſuperſedemus. *Noſtrum apud arbitrium nonnulla, verum ſecundaria rerum agendarum authoritas converſatur. Nimirum facultatis noſtræ eſt, ut præventi gratia per ipſam bene agamus: ſubſecuti eam, à bono nequaquam deſiſtamus. Quare liberi arbitrii meritum aliquid eſt, dum mandatis Dei obſiſtere abhorrens, Deum jam colere inchoat, atque in inchoato perſeverat. Nam quamvis gratia revocet errantem, perducat obedientem, trahit tamen voluntarium, nec cogit invitum, &c.* Et mox: *Is quoniam converſioni, cui reſtitiſſe poterat, maluit acquieſcere; quoniamque in via Dei conſtitutus, deviare potens id noluit; quoniam demum, non, ut plerique faciunt, cooperari gratiæ neglexit, verum illam amplexus, per omnia ſe qui ſtuduit, præmio dignus eſtimatur.* Denique Deo opera bona noſtra dantur, *quia torporem liberi arbitrii ipſe excitat, promovetque:* libero arbitrio dantur, quia *nulla neceſſitate impulſum, ſponte tantùm oblatæ gratiæ ſe coaptat.*

Totum tamen Deo & gratiæ debetur, etſi gratia divina voluntatem noſtram non infallibiliter prædeterminat. Ibidem de ſancto Angelo diſputans: *Quod is Deo cohæſit, & ex propria prodiit voluntate, & primò ex datoris largitate.* Nec ibi tamen gratia aliud quàm voluntatem ita inclinabat, ut quandoque reſiliret. Quocirca nec primigeniæ Angelorum & hominum,

& restitutæ nunc per Christum gratiæ ullum ibi discrimen instituit Robertus, ubi concordiam gratiæ & liberi molitur arbitrii. Ibidem infrà; *Omnium bene gestorum prima præcipuaque causa gratia est, quippe quæ bene capta prævenit, ut subsistant: subsequitur, ut maneant.*

Et quanquam ita frustrari possit ab homine justo injustoque gratia Dei, & quandoque frustretur: si tamen intentio est Dei, quemvis aut justum aut perseverantem in justitia facere: id omnipotentissimè perficiet. Est enim gratia *adeo valens, adeoque vigens, ut quamlibet perversi voluntatem, vitamque, in quantumlibet emendationis gradum, absque omni difficultate & coactione, quoties libuerit, immutet.* Itaque ex Roberti Pulli sententia, etsi persæpè gratiæ divinæ refragatur homo & resistit, peritque; tamen *quoties libuerit* Deo, voluntatem hominis indomitam *immutat absque omni difficultate*, & ad justitiam, ad justitiæ quantumvis gradum propellit. Tertium ergo istud est gratiæ maximè specialis adjutorium: de quo infrà: *Spiritus invisibiliter & occultè, quoniam nescis unde veniat, aut quo vadat, animum nostrum ad voluntatem atque fidem cum operibus trahit, suisque modis & ferè incognitis nobis, omne bonum quod in homine est, operatur.*

Quanquam autem invicta & infallibiliter efficax sit Dei voluntas ista, indifferentiæ tamen libertatis nostræ nihil decerpit, ne & meriti radicem resecet. Nec enim aliunde meritum, quàm ex eo quòd qui potuit transgredi, non transgrediatur. Quo autem modo consentiat hæc merendi ratio petita ex indifferentia liberi arbitrii, cum ineluctabili efficacia divinæ voluntatis & gratiæ, scrutari operosissimum est. Ideò antè ajebat Pullus *suis modis & nobis ferè incognitis* ista Deum moliri. Utrumque autem uno capite idem contexuit, ubi de voluntate Dei hæc habet: *Quicumque igitur subversus corruit, ipsum erigi non ille voluit, cujus voluntas frustrari nequit, &c. Constat Deum non velle omnia, quæ si fierent, bona apparerent. Sed ea quæ vult, nondum existentia facit subsistere; vel jam subsistentia, non sinit perire.* De libertate autem & merito ibidem paucis intertextis: *Malum posse bonum est illi qui potuit transgredi, & non est transgressus. Nam qui quia non potuit, non fecit, nec in bono est vituperandus, nec in malo laudandus. Similiter qui cum posset, non fecit, aut de malo jucundè est bonus, aut de bono iniquè malus. Sic ergo mali placeat, nempe potentia bona, ut & mali displiceat voluntas & effectus.*

Pat. l. c. 18.

Postremò generalis gratia timoris gehennæ quorsum prosit, ut nos aptet justitiæ; & opera nostra ita inficiat, ut sin minus bona, certè mala non sint; sin minùs præmio, certè non digna sint pœnis: *Illa autem arbor, quæ suo anxia de germine noxio tristatur, atque de extirpando meditatur, jam mala arbor non est, quoniam germen suum malum detestatur; bona nondum est, quoniam licèt invita, malo germine oneratur. Medium ergo tenens statum, &c. Quæ ergo interim rectè quodammodo aguntur, ea agenti nec pœnam, nec præmium ingerunt; id tamen acquirunt, ut vitiis devictis, ea tandem obtineas, unde mercedem speres.*

Pat. l. c. 49.

ÆLREDUS ABBAS.

Ex Ælredo Abbate Rhievallensi in Anglia, Gratia Christi est primùm bona voluntas, seu affectio & habitus charitatis, cui actualis gratia præsto est: neutra determinat, utraque inclinat voluntatem: denique efficacissime gratiæ genus tertium electos ad justitiam & perseverantiam provehit.

TRiplex hoc gratiæ adjutorium distinxit uno contextu Ælredus Cisterciensis Ordinis in Anglia Abbas, & Bernardi ævo suppar, pietatis laude & doctrina juxta eximius. *Et in cœlis Angelo, & homini in Paradiso, licèt nulla eos coarctaret infirmitas, quia nulla dominabatur iniquitas, quia tamen uterque mutabilis natura, utrique hæc gratia necessaria: quæ utique si collata non esset, excusabiliter uterque peccasset. At quia ex creante gratia, bona eis erat collata voluntas; ex adjuvante gratia, si ipsi vellent, in ea perseverandi facilitas: nulla superest de mutabili natura causatio, cui sustentandæ ac promovendæ non deesset divina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas.* Ecce duplex jam adjutorium primigeniæ Angelorum & hominum stationi opportunum: primò *bona voluntas*, seu charitas affectu & habitu inspirata à Creatore. Secundò *gratia adjuvans*, sive in bona voluntate *perseverandi facilitas*. Habitualis ergo erat illa gratia bonæ voluntatis, in qua per adjuvantem seu actualem gratiam perseverarent facillimè, si vellent.

Spec. Cist. lib. 1. c. 14.

Pergit ibidem Ælredus: *Utrùm autem reprobis aliquando etiamnunc talis gratia conferatur, ut & bona eis inspiretur voluntas, addatur gratia, qua non desit, si tamen ipsi velint, perseverandi facultas, non audeo præcipitare sententiam.* Dubius hæret, an qui à massa damnationis per electionem gratiæ discreti non sunt, justificentur aliquando inspirata bona voluntate, & deinceps actualibus auxiliis donentur, quæ ad perseverandum sufficiant, si velint. Erat enim eo tempore quæstio illa famosissima, & magno hinc & hinc æstu decertata, an charitas semel habita amitti posset; censentibus nonnullis amitti non posse, nec sinceram unquam, sed mentitam simulatamque fuisse charitatem, quæ postea deficeret, ut ex Hugone & Richardo Victorinis suprà laudatis liquidum est, maximè ex Hugone, si cui vacat prolixum ejus ea de re Tractatum pervolvere. Si horum opinatio rata esset, reprobis nullo unquam puncto temporis inesset vera charitas, aut bona voluntas. Ea in æstuatione dissidentium hinc & hinc Theologorum alternat Ælredus.

Illud sanè vel ex ejus dubitatione emergit, si reprobis quandoque inspiraretur bona voluntas, id utique consequi, ut & actualia non negarentur auxilia, quibus in ea possent, si vellent, perseverare. Emergit & illud, hæc actualia auxilia non ea esse, quæ voluntatem indeclinabiliter agant. Cùm iis muniti deficiant à charitate reprobi. Vide suprà in verbis Ælredi, ut utrumque hoc genus auxilii consertum est.

Sed ad tertium jam auxilii genus descendit Ælredus: *Sanè electis, quia major quàm primis in paradiso hominibus incumbit miseria, major confertur & gratia; & quò major impugnat infirmitas, eò uberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, ut dictum est, datum novimus esse, perseverare si vellent; istis insuper ut perseverent.* Nec transversum unguem ab Augustino discedit. Invictissimum genus auxilii indigitat, lapso homini proprium, sed ad perseverandum. Non ergo ad singulas bonorum operum minutias. Nec enim ad has singulas tanta *incumbit miseria,*

seria, vel *impugnat infirmitas*, ubi per gratiam justificantem reparatus est vigor liberi arbitrii, restituta libertas boni, sanitas animæ reddita, imago Dei reformata.

Ideo antè Ælredus gratiæ Christi munus hoc esse dixerat, ut in bonum voluntatem *inclinaret*, & ita libertati nihil officeret. *Ut bonum velint*, Ibid. c. 13. *Dei gratia operatur, non liberum destruens arbitrium, ut nihil velint; sed ad hoc inclinans, ut* Ibid. c. 12. *bonum velint*. Et rursum: *Ut opus quod in nobis, sive per nos operatur Deus, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem, ut consentiamus. Sicque ex ejus gratia merces sit nostra. Si enim volens id facio, mercedem habeo. Ut autem sim volens in bono opere, Deus est qui operatur & velle*. Hæc ad gratiam habitualem bonæ voluntatis pertinent. Nam nullo interjecto verbulo sic statim prosequitur: *Ipsam deinceps voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat gratiam pro gratia, perficere scilicet pro bona voluntate*. Hæc demum est actualis gratia, quæ & cooperans dicitur cum habituali conjuncta. Prima ergo est gratia justificationis, seu bona voluntas, & per eam Deus *inclinat* voluntates nostras ad bonum, per eas *operatur & velle* bonum in nobis. Secunda gratia est *excitans*, ut bonum quod jam volumus, *perficiamus pro bona voluntate*.

Cùm autem justus quisque ita *inclinatur* hinc ad bonum infusa charitate, inde ad malum ex inolita concupiscentia carnis, libero ille arbitrio quo se vult cumque vertit. Hinc ergo liquet quàm non inevitabiliter prædeterminans sit cujuslibet efficacia gratiæ, & quàm libertati ad merendum vel demerendum accinctæ necessaria Ibid. c. 10. sit indifferentia. *Inter hanc concupiscentiam, quæ cupiditas congruentissimè appellatur, & illam spiritus, quam charitatem non immeritò dicimus; quæ utique spiritus est, non nostri, sed Dei; Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: inter hæc, inquam, duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium quodammodo locum tenet, ut ad quodlibet eorum se verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio*. Gemina, ut vides, pondera hinc & hinc inclinant, cupiditas & charitas: illa à nobis, hæc à Deo; nec enim, ut ibidem subjicitur, nunc *æqualis ad bonum & ad malum facultas* nobis adest: sed mali facultas à nobis est: boni facultas, seu bona voluntas à Deo gratis inspiratur. Sed anima rationalis & libera, cupiditatem à se, charitatem à Deo habens, quò vult *se vertit* ipsa.

In *affectu* verò voluntatis & charitatem, & imaginis divinæ innovationem idem constituit: *Sicut non pedum passu, sed mentis affectu, à summo Bono recedens, & in seipsa inveteràscens humana superbia, Dei in se corrupit imaginem: ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renovatur in imaginem ejus, qui creavit eum, &c. Profectò charitatem si mens perfectè induerit, &c.* Quid sit autem *affectus*, sic ille alibi definit: *Est affectus spontanea quædam ac dulcis ipsius animi in aliquem inclinatio*. Quæ utique inclinatio Compend. Spec. charit. c. 18. media est inter potentiam & actum volendi. Et rursus alibi, ut per affectum seu habitum bonæ voluntatis Deo subjiciatur nostra voluntas: *Ipsa* Spec. charit. l. 2. c. 18. *voluntas nihil est aliud quàm amor; nec aliud dicenda sunt bonæ, aut malæ voluntates, quàm boni aut mali amores. Denique ipsa Dei voluntas amor est ejus, qui nihil est aliud quàm Spiritus sanctus ejus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris; quæ charitatis diffusio, divina est & humanæ voluntatis conjunctio; vel certè divinæ voluntati humanæ voluntatis subjunctio. Quæ tunc fit, cum Spiritus sanctus, qui utique Dei voluntas & amor est, & Deus est, humanæ se voluntati ingerit & infundit; eamque ab inferioribus ad superiora sustollens, totam ipsam in sui modum qualitatemque transformat; ut ei indissolubili glutino unitatis adhærens, unus cum eo spiritus efficiatur*. Quæ æquum est intelligi de Spiritu sancto piorum corda inhabitante per habitum & affectum infusæ cœlestis charitatis.

Idem alibi in tribus ait amorem esse, *in electione, motu, fructu*. Electio est, cùm quis eligit quid sibi amandum sit, Creatorem, vel creaturam. Jam *electionem sequitur vel etiam comitatur amoris motus occultus, excitans quodammodo & movens animam in illius rei desiderium, quam eligendam putavit. Et hic similiter motus animi actus est, & ex amore est, & amor dicitur; & si sit ad id quod debet, & sicut debet, amor bonus est*. Qui ergo alibi affectus, hic motus dicitur, qui voluntatem inclinat *ad duo, vel interiùs ad desiderium, vel exteriùs ad actum*. Fructus denique est fruitio & in re amata quies. Ibid. l. 3. c. 8. 10.

PETRUS LOMBARDUS.

Ex Petro Lombardo Episcopo Parisiensi & Magistro Sententiarum, gratia Christi potissimum est bona voluntas, charitas, dilectio justitiæ per Spiritum sanctum inhabitantem permanens in homine: est præterea gratia actualis, est generalis; neutra voluntatem infallibiliter determinat.

MAjorum vestigiis insistebat Magister Sententiarum, & ea ipse imprimebat, quibus inhæsere posteri in stadio Theologico; cùm gratiam constituebat in ea voluntate bona, sive in eo affectu bonæ voluntatis, quæ jugis & constans in homine etiam dormitante permanet. Sic ergo ille primùm de statu primævo Angeli & hominis: *Investigari oportet, quam gratiam vel potentiam habuerit homo ante casum. Sciendum ergo datum esse per gratiam auxilium, & potentiam per quam poterat stare*. Et intextis Augustini locis de data Adamo *rectitudine, bona voluntate*, concludit: *His evidenter monstratur, quod homo rectitudinem & bonam voluntatem in creatione accepit, atque auxilium quo stare poterat, &c. Illud adjutorium fuit, libertas arbitrii, ab omni labe & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum anima sinceritas atque vivacitas*. Quæ hic memorat Magister, habitualia & permanentia dona sunt & adjutoria: rectitudo, bona voluntas, potentia, libertas. Siqua motio, seu gratia actualis desideretur, ea supponitur, ut quæ omnibus præsto sit, & admensa pro cujusque modo sit potentiis naturalibus & supernaturalibus. L. 2. Sentent. d. 24.

Et rursum ibidem: *Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente*. Quod qua ratione capiendum sit, suprà in Hugone Victorino audivimus. Et hìc rursus cùm de homine adhuc stante sermo sit, non ideo ille peccavit, quia gratia destiterat; sed ideo destitit, & abscessit gratia, quia ipse peccato suo eam opitulantem effugavit. Denique ibidem mox: *Est in anima rationali voluntas naturalis, qua naturaliter vult bonum; licèt tenuiter & exiliter: nisi gratia juvet: quæ adveniens juvat eam, & erigit, ut efficaciter velit bonum*. Utraque hæc voluntas bona, non actu fugit, sed affectu manet.

De homine autem post lapsum sic ille disputat, ut homo nondum justificatus non possit non peccare mortaliter: justificatus possit non peccare mortaliter, non possit non peccare interdum venialiter. Quod frustra diceretur, si totum gratiæ actuali esset dandum: per eam enim & nondum justificatus

catus posset non peccare mortaliter, & justificatus posset non peccare venialiter. At verò quoniam possibilitas non peccandi est in charitate infusa cordi per justificationem, per eam datur justo vitare posse omnia lethalia, & non datur vitare posse omnia collectim venialia, ob cupiditatum reliquias. *Prima libertas arbitrii fuit, in qua poterat homo peccare & non peccare. Ultima erit in qua poterit non peccare, & non poterit peccare. Media verò in qua potest peccare, & non potest non peccare: ante reperationem, etiam mortaliter; post reparationem verò, saltem venialiter.* Et mox: *Ante peccatum, ad bonum nihil impediebat, ad malum nihil impellebat; non habuit homo infirmitatem ad malum, & habuit adjutorium ad bonum.* Ideo charitas infusa, erat illi possibilitas proxima ad culpas omnes vitandas, collectim, sejunctimque, graves, levesque. *Post peccatum verò ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia, & vincitur; & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono: & ideo potest peccare, & non potest non peccare etiam damnabiliter.* Gratia illa, qua semper omnes carent post peccatum ante reparationem, utique gratia justificationis est. Denique *post reparationem, ante confirmationem premitur à concupiscentia, sed non vincitur: & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono: ut possit peccare, propter libertatem & infirmitatem; & possit non peccare ad mortem, propter libertatem & gratiam adjuvantem; nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfectè absorptam, & propter gratiam nondum plenè consummatam.* Quæ ex Hugone Victorino totidem penè verbis decerpit Magister. Gratia hic ergo justificans est, quæ verè reparat, quæ dat posse non peccare omnino lethaliter, non dat autem etiam venialiter omnino posse non peccare, ex Augustino & Thoma Aquinate.

Ibid. d. 25.

Per eandem gratiam, nempe justificantem, mox ait dari *libertatem à peccato*. Itaque *hanc libertatem à peccato illi soli nunc habent, quos Filius per gratiam liberat & reparat. Non ita quòd penitus sint sine peccato, sed ut in eis peccatum non dominetur, neque regnet.* Dat enim charitas habitualis ut *non dominetur* peccatum, dum dat posse vitare omnia mortalia: non dat ut simus sine peccato, quia non dat posse vitare omnia collectim venialia. Gratia actualis ubi adest, æquè dat vitare hæc & illa, æquè collectim ac singulatim. *Dicitur libertas ad malum faciendum, antequam per gratiam sit reparata: sed cùm per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum.* Non reparatur propriè homo, nisi dum justificatur. Gratia hæc dat *libertatem* ad bonum, hoc est, non dat prædeterminanti motione & indeclinabili actum bonum, sed facilitatem, & expeditam potestatem, immo affectum boni.

De operante verò gratia & cooperante hæc idem Magister consequenter: *Operante gratia præparatur & liberatur hominis voluntas, ut sit bona, bonumque efficaciter velit. Cooperans voluntatem jam bonam sequitur adjuvando.* Gratiam prævenientem cum operante, subsequentem cum cooperante eandem esse mox tradit. Etenim *gratia prævenit bona voluntatis meritum. Et ipsa bona voluntas pedissequa est gratiæ, non prævia.* Et mox: *Gratia voluntatem præveniens & præparans, est fides cum dilectione.* Atqui gratiæ justificantis & charitatis habitualis propria hæc sunt, facere voluntatem hominis *bonam, merita* antevenire; denique illa fides est cum dilectione. Et intextis Augustini verbis de justificatione per fidem, *Hic apertè ostenditur, quod fides est causa justificationis, & ipsa est gratia, & beneficium, quo hominis prævenitur voluntas & præparatur.*

L. de Bono d. 26.

Et rursum: *Per fidem enim ut ait Augustinus justificatur impius, id est, fit de impio pius, ut deinceps ipsa fides incipiat per dilectionem operari, unde omnia bona merita incipiunt.* Sed quid apertius his rursum verbis, ubi docet *ante gratiam prævenientem & operantem, qua voluntas bona præparatur in homine, præcedere quædam bona ex Dei gratia & libero arbitrio, quædam etiam ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam qua justificatur. Illius enim gratiæ percipiendæ, quæ voluntatem hominis sanat, ut sanata legem impleat, nulla merita præcedunt. Ipsa est enim qua justificatus impius fit justus.* Gratia prævenions & operans quam præcedunt quædam bona ex gratia facta, ne fingi quidem potest alia quàm habitualis ex justificans, cui præcurrunt quædam bona & gratia actuali facta. Denique conceptis verbis Magister ait eam esse gratiam prævenientem, merita scilicet omnia, sanantem, justificantem.

Nec minùs perspicuè id ipsum infrà, ubi inter virtutes gratiam quodammodo locat: *Virtus est, ut ait Augustinus, bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur, quam Deus solus in homine operatur. Ideoque opus Dei tantum est.* En ut *infusas* & supernaturaliter insertas à Deo virtutes ex Augustino fulciat. Et mox: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Ecce hic apertè traditur, quod fides non est ex libertate arbitrii: quod superioribus consonat, ubi dictum est, Gratiam prævenientem, vel operantem, esse virtutem, quæ voluntatem hominis liberat & sanat.* Non hic ergo actus vel motio, sed *virtus* est gratia præveniens & operans, nempe fides cum dilectione. Ergo gratia hæc est habitualis.

Ibid. d. 27.

Sed cùm infusa virtus à Deo non videatur quibusdam inter *affectus* connumerari posse, etsi acquisitæ virtutes non aliud quàm affectus quidam ordinati sint, ideo illi *tradunt virtutem esse bonam mentis qualitatem, sive formam, quæ animam informat, & ipsa non est motus, vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium juvatur, ut ad bonum erigatur, & moveatur: & ita ex virtute & libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi, & exinde bonum opus procedit exterius.* Et mox: *Ex fidei virtute & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus & remunerabilis, scilicet ipsum credere. Ita ex charitate & libero arbitrio alius quidam motus bonus provenit, scilicet diligere, bonus valde. Sic de ceteris virtutibus intelligendum est. Et isti boni motus vel affectus, merita sunt & dona Dei, quibus meremur, &c.* Ergo gratia his erit virtus seu qualitas & forma in justo permanens, ex qua & libero arbitrio bona opera efflorescent.

Alii verò virtutes, adeoque & charitatem & gratiam volunt *nihil aliud esse, quàm bonos affectus, vel motus mentis, quos Deus in homine facit, non homo.* His ergo fides charitasque motus seu affectus sunt animi, quos Deus solus operatur. Illud tantùm adverte, *motum* cum affectu hic confiari in unum, & ab actu sive interiori sive exteriori secerni. Est enim sive affectus, sive motus media affectio inter potentiam voluntatis & actum, qua potentia propendet & inclinatur in actum, etiam dum non agit, vel aliud agit. Neutri harum sententiarum palmam addicit Magister, cuique judicii sui & optionis potestatem facit. Ex utraque perinde patet gratiam vocari eam, quæ constans & jugi habitu manet in justo.

Jam verò huic gratiæ habituali præcipua & principalis laus bonorum operum & meritorum adserenda jure suo est. Etsi enim liberum arbitrium possit velle & operari, tamen bene velle & bene operari non est nisi ex gratia, id est, ex affectu justitiæ, ex charitate inspirata. *Sed in bonis merendis,*

rendis causæ principalitas gratiæ attribuitur, quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur, atque juvatur voluntas hominis, ut sit bona. Ita credere & diligere ex libero etiam arbitrio est; sed in Deum credere & Deum diligere, ex fidei & charitatis virtute principaliter est, ut mox ibi subditur. Etenim *usus bonus ex virtute est, & ex libero arbitrio, sed ex virtute principaliter.*

Eccur autem non gloria hæc principaliter actuali gratiæ consecretur, seu Deo ut primæ causæ actualiter juvanti, ratio prompta est; quia id supponitur, id in omni re alia æquè locum habet; Deus per solem illuminat, per ignem calefacit. Sed cùm divina hæc generalis motio seu naturalis seu supernaturalis ubique præsto sit, & formis omnibus creatis pro cujusque ingenio, modo, gradu, ordine adsit opitulatrix; sola quæstio superest de potestate & vi formarum creatarum; qualis enim & quanta hæc erit, talis & tanta aderit opitulatio & motio summi boni, ut causæ universalis bonorum omnium. Ibidem Magister: *Cum ex gratia dicuntur esse bona merita, & incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, id est Deus, vel potius gratia gratis data, quæ voluntatem hominis prævenit. Non enim esset magnum, si hæc à Deo dicerentur esse, à quo sunt omnia: sed potius ejus gratia gratis data intelligitur, ex qua incipiunt bona merita.*

Et quoniam *efficaciter* per gratiam fieri antè dixit Magister, ut homo bonum velit, accipe ut id sumendum sit. De Adamo stante idem pronunciat: *Gratia operans operatur liberando & præparando voluntatem hominis ad bonum. Egebat Adamus ea, non ut liberaret voluntatem suam, quæ peccati serva non fuerat: sed ut præpararet ad volendum efficaciter bonum, quod per se non poterat.* Et intextis Augustini verbis, subdit, *Ecce ostenditur satis, quod ante peccatum homo indigebat gratia operante & cooperante.* Utraque opitulante ea gratia peccavit, neutra ergo infallibiliter voluntatem agebat. Efficax tamen suo modo erat utraque, ut efficax est affectus quilibet, vehementer voluntatem inclinans, etsi non ineluctabilis. L. 2. Sent. d. 25.

Alibi quoque eliquatissima est Magistri sententia, ubi Circumcisioni Baptismum anteponit, quia *ibi peccata solùm dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum ibi præstabatur, ut in baptismo, ubi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adjutrix confertur, & virtutes augentur.* Ergo gratia baptismi, quæ utique habitualis est, præterquam quòd peccata abolet, etiam *ad bene operandum adjutrix* est, quia *virtutes* infundit, eaque est gratia, quæ positis sub Lege non dabatur; etsi per circumcisionem etiam conferretur. Nam Magistri hac in parte opinio posteris minùs placuit.

Huc etiam referri debet, quod infrà habet Magister: *Solet etiam queri, si parvulis in baptismo datur gratia, qua cùm tempus habuerint utendi libero arbitrio, possint bene velle & currere. De adultis enim qui dignè recipiunt sacramentum, non ambigitur, quin gratiam operantem & cooperantem perceperint; quæ in vacuum eis cedit, si per liberum arbitrium pòst mortaliter deliquerint: qui merito peccati gratiam appositam perdunt. Unde dicuntur Spiritui sancto contumeliam facere, & ipsum à se fugare. De parvulis verò qui nondum ratione utuntur, quæstio est, an in baptismo receperint gratiam, qua ad majorem venientes ætatem, possint velle & operari bonum. Videtur quod non receperint. Quia gratia illa charitas est & fides, quæ voluntatem præparat & adjuvat. Sed quis dixerit eos accepisse fidem & charitatem? Si verò gratiam non receperint, quia* L. 2. d. 4.

bene operari possunt, cùm fuerint adulti, non ergo sufficit eis in hoc statu gratia in baptismo data, nec per illam possunt modò boni esse, nisi alia addatur; quæ si non additur, non est eorum culpa, quia justificati sunt à peccato. Quidam putant gratiam operantem & cooperantem cunctis parvulis in baptismo dari, in munere, non usu. Ut cùm ad majorem venerint ætatem, ex munere sortiantur usum, nisi per liberum arbitrium usum muneris extinguant peccando; & ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiæ, quod mali fiunt: qui ex Dei munere valentes habere usum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, & usum pravum elegerunt. Observa hìc, 1. gratiam quæ in baptismo infunditur, seu habitualem, eam esse quæ *operans & cooperans* est, qua *possumus velle & operari bonum*: quam *in vacuum* receperunt, qui peccant: & hi *contumeliam faciunt Spiritui sancto*: quæ à Scholæ Magistris designatur, cùm dicunt *apponi gratiam*, vel non apponi. 2. Hanc gratiam esse *charitatem & fidem*, hac voluntatem *præparari & adjuvari*, ex Augustino. 3. Hac voluntatem uti & non uti posse. 4. Dimissis peccatis, & homine utcumque justificato, non posse denegari auxilium divinum, ut bonus quis esse & perstare possit. 5. Etsi Magister in ea quæstione, quam Synodus postea Viennensis definiit, alternare nonnihil videatur; ex ipso tamen ejus textu conjici, in eam quæ postea constanter obtinuit, sententiam illum inclinare.

Præter istam autem specialem, meminit etiam Magister *gratiæ generalis*, sed ad eam ferè non revocat ibi nisi dona naturæ. Alibi meminit *cogitationis bonæ, sive voluntatis quæ prævenit fidem, sed non est illa bona voluntas, vel cogitatio, qua rectè vivitur, &c. Hac voluntate compescitur illa bona voluntas, qua est magnum bonum, &c. sicut illa istam præcedit, ita illam prævenit intellectus.* Generales hæ sunt gratiæ, ad veram gratiam seu justificationem præparantes. Unde ibidem: *Attende hunc ordinem gratiarum, quem assignat Augustinus: qualiter scilicet intellectus bonorum præcedit concupiscentiam eorundem; & ipsa concupiscentia delectationem, quæ fit per fidem & charitatem, qua habita, verè bona est voluntas, qua rectè vivitur.* Ante charitatem ergo justificantem præcurrit aliqua intellectio bonorum supernaturalium, aliqua eorundem concupiscentia. Et mox: *Ante gratiam prævenientem & operantem, qua voluntas bona præparatur in homine, præcedunt quædam bona ex Dei gratia & libero arbitrio, quædam etiam ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam qua justificatur.* Illa bona quæ justificationem præcedunt, gratiæ tribuit, non tamen *prævenienti*, non *operanti*, non *præparanti*, quò certior sis his vocibus non designari nisi gratiam justificantem & habitualem. Prælusoriæ autem istæ præparationes videntur fluere ex illa gratia, quam *gratis dantem* mox vocat, id est, Deo, *à quo sunt omnia*: ut ex ejus verbis antè relatis patet. L. 2. Sentent. d. 25. Ibid. d. 26. Ibid. d. 27.

In his Præparationibus ad gratiam locum habet timor servilis, de quo idem alibi: *Bonus est ipse timor & utilis, licèt insufficiens, per quem fit consuetudo justitiæ, &c. nec per eum quis bene facit, etiamsi bonum est quod facit, &c. Initium sapientiæ est, quia præparat locum sapientiæ, &c.* Ita ille; at nusquam peccari ait, ubi ex solo hoc timore quid fit. Ergo ad gratiam generalem pertinent lumina aliqua veritatis, dona timoris, exordia aliqua bonæ concupiscentiæ, qua vera charitas concupiscitur. Ibid. l. 3. d. 34.

Cùm prædestinationi gratuitæ impensè faveat Magister, ad ejus executionem indeclinabilem quæ à Deo gratia invictissima adhibeatur, minùs explanasse videtur, divinæ sapientiæ & omnipotentiæ id totum credere contentus.

GRATIANUS.

Ex Gratiano famosissimi Decreti compilatore, triplex eadem astruitur gratia generalis, maximè per timorem; specialis per charitatem; maximè specialis ad prædestinatorum conversionem, ac perseverantiam. Hujus postrema efficacia ex concursu pluriam auxiliorum, & concordia cum libero arbitrio.

UT evincat Gratianus timore pœnarum temporalium compelli posse hæreticos, ut in Catholicæ Ecclesiæ sinum se recolligant, ita philosophatur convenienter nostræ sententiæ, ut Deus timorem ad charitatem nos compellat: *An mali sint cogendi ad bonum, facilè apparet. Antiquùm namque populus ille metu pœnarum ad observationem Legis cogebatur. In Evangelio quoque Dominus ait discipulis suis; Nolite, &c. eum timete qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Paulus quoque cùm Ecclesiam Dei persequeretur, in itinere cæcatus, ad Deum converti coactus est.* Mox verba profert Augustini ista ex Epistola ad Bonifacium: *Schismatici dicunt, Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & postea docentem: priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem, quomodo ille qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit, & quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem.* Hic perspicis generalem gratiam timoris, qua & Judæi in Lege continebantur, & Paulus coactus est Christo subjici. Utrobique enim timor auxiliabatur divinitus. Ubi autem non sola *cæcitas*, non sola *pœna corporis*, non solus timor, sed & *docens* & *consolans* adest Christus, hæc jam maximè specialis & efficacissima conversionis gratia est, ut in Paulo eluxit. Sic tamen, ut tantæ efficaciæ *consolatio*, seu charitas inspirata vim non totam sibi vendicet, sed magnam ejus partem sibi jure suo arroget timor, ut qui *compellit, cogit.*

23. q. 6.

Epist. 50.

Cùm autem multa adversus hunc timorem ingererentur, quòd *manus comprimat, non animum; sub Lege sit, nec Spiritu sancto ducatur, qui timore pœnæ, non amore justitiæ servit:* respondet appositissimè ad Augustini mentem Gratianus: *Si bonum ad quod mali coguntur, semper inviti tolerarent, & nunquam voluntarii servirent, inutiliter cogerentur ad illud. Sed quia humanæ naturæ est, & ea quæ in ea desuetudinem ducuntur abhorrere, & consueta magna custodia diligere, flagellis tribulationum mali sunt cohibendi à malo, & provocandi ad bonum: ut dum timore pœnæ malum in desuetudinem ducitur, abhorreatur; bonum verò ex consuetudine dulcescat.* En ut timor gehennæ non è diametro quidem pugnet cum cupiditate, sed obliquè, dum cessare illam cogit, & desuetudine tandem exolescere. Aperit autem januam charitati, cujus dulcedini facilè assentitur anima, deliciarum diligens, & excussis per timorem terrenis deliciis, ad cœlestes justitiæ suavitates compulsa. Hac arte efficacissima, hac terrorum, suavitatumque temperatione, & impios gratia ad justitiam convertit, & conversos perseverare facit.

Quòd autem nulla istiusmodi singularis delectatio justitiæ, seu charitatis inspiratio ineluctabilem seu prædeterminantem efficaciam obtineat, colligitur ex eodem Gratiano. Nihil enim necessitatis inferri libero arbitrio docet per gratiam, vel per præscientiam, vel per prædestinationem divinam. Certa Deo autem & explorata esse omnia futura, quæ à liberis nostris pendent voluntatibus; quia illi non futura, sed præsentia sunt æternitati omnia tempora circumscribenti. Si victrix autem justitiæ delectatio prædeterminaret creatam libertatem; non ut præsentia tantùm, sed & ut futura hæc videret Deus in decretis suis, & in voluntate æterna sic inevitabiliter opitulandi. *Non ergo necessitatem facit correctionis, vel obdurationis divina prædestinatio, seu præscientia: cùm boni per gratiam corrigantur, & libero arbitrio mali pereant. Neque enim quia prædestinatio, seu præscientia Dei falli non potest, necessariò eveniunt, quæ prædestinantur, vel præsciuntur.* Duplicem mox distinguit *necessitatem* ex Augustino, *simplicem & conditionis.* Ex præscientia autem & prædestinatione non simplex necessitas infertur, sed conditionata, sicut *nulla necessitas cogit incedere gradientem voluntate, quamvis eum tunc cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id necesse est esse, tametsi nullam habet naturæ necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum necessaria fiunt per dispositionem divinæ notionis: per se verò considerata absolutam naturæ suæ libertatem non deserunt. Fient igitur procul dubio cuncta, quæ Deus futura esse præscit: sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamvis eveniant, existendo tamen naturam propriam non amittunt, qua priusquam fierent, etiam non evenire potuissent.* Ubi vides indifferentiæ liberi arbitri nostri nihilo plus imminere periculi à prædestinatione, vel gratia, quàm à præscientia divina. Atqui necessitas præscientiæ conditionata cùm sit, manifestissimè nihil derogat libertati. Nec enim qui coram quempiam currentem videt, currere compellit, etsi necesse sit currere, qui currens videtur. Nec prædestinatio ergo, nec motio singularis ulla gratiæ libertatem nostram ad singulos actus determinat.

21. q. 4. c. 21.

Obiter ibidem stringit Gratianus artes, quibus liberas Deus voluntates vel à malo avocat, vel urget ad bonum: & ex adverso à malo non abducit, vel ad bonum non compellit. *Item Augustinus, De Tyriis verò & Sidoniis, quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, signa vidissent, &c. Item qui per Prophetam Judaicæ plebi promisit: Ecce ego sepiam vias tuas spinis, & muniam eas lapidibus quadris, id est, adimam tibi facultatem peccandi. Idem per Psalmistam de damnandis dixit, Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* Si quos elegit Deus, eis *facultatem adimit peccandi*, tot amaritudinibus aspergens, tot difficultatibus implicans vias omnes malitiæ, ut eas ingredi tantis cum ærumnis tandem abhorrescant: ex adverso ea illis objicit & aggerat bona, quibus affici, moveri, trahi possint. Quos autem præcedentibus peccatis traditos reprobavit, his eos destituit adjumentis ad bonum, avocamentis à malo.

PETRUS PICTAVIENSIS.

Ex Petro Pictavienſi, gratia Christi potissima est habitualis & justificans, charitas, dilectioque justitiæ, medicinalis & liberatrix: eadem operans & cooperans. Est præterea gratia generalis. Est & ea quæ prædestinationi famulatur.

MAgistri Sententiarum mens diluceſcet vehementer ex fidissimi ejus discipuli, Parisiensis Academiæ Cancellarii, & in ea celeberrimi Magistri Petri Pictavienſis doctrina. Angelorum primò gratiam sic ille describit, ut habitualem intelligas: *In malis Angelis culpa præcessit subtra-*

Sentent. Par. 2. c. 4. *subtractionem gratiæ, non tempore, sed causa. Nullo enim tempore præcessit in eis culpa, sed tantùm causa. Quia ante subtractionem gratiæ habebant quandam gratiam, qua saltem poterant stare.* Sed quod attinet ad Adami gratiam, sic Ibid. c. 20. ille primò distinguit cum Magistro: *Naturalia dicuntur illa quæ habet homo à nativitate sua, ut ratio, ingenium, memoria. Gratuita sunt illa quæ naturalibus superaddita sunt, ut virtutes & scientiæ; unde etiam dicuntur gratuita, quia à Deo homini per gratiam conferuntur.* In gratuitis non enumerat nisi habitualia dona scientiæ & virtutum. Gratiam Angelorum primam ita adumbrat, ut ejus subtractionem præcederet peccatum, non tempore, sed causa. Ergo ejusmodi ea erat, quæ per modum habitus inclinaret, non determinaret voluntatem. Ideo liberum arbi- Ibid. c. 22. trium postea describit *facultatem voluntatis & rationis, qua eligitur bonum, gratia assistente: & malum, gratia desistente.* Gratia hìc, ut vides, non antè desistit, & tunc peccatur: sed antè peccatur, & ita desistit illa, quia peccato fugatur. Hoc enim est, peccatum prius esse subtractione gratiæ, non tempore, sed causa.

Ibidem paulò pòst consentaneam Petrus Hugoni & Magistro partitionem instituit quatuor stationum liberi arbitrii: *Primus status fuit ante peccatum. Secundus post peccatum usque ad perceptionem sacramentorum, scilicet Fidei, Circumcisionis, Baptismi. Tertius post reparationem sacramentorum usque ad diem judicii. Quartus post diem judicii.* Hic perspicuè vides secundum & tertium statum dici ante & post reparationem, perinde acsi diceretur ante & post justificationem. Disertè enim Petrus ait *ante perceptionem sacramentorum Circumcisionis & Baptismi, & post reparationem sacramentorum.* Quòd autem sacramentum Fidei præponit sacramentis Circumcisionis & Baptismi, id eò spectat, quòd ante Abrahamum sacramento vel sacrificio Fidei aliquo expiatos fuisse homines autument sancti Patres, cui subrogata est Circumcisio, huic Baptismus.

Primum statum sic describit Petrus, ut antea Hugo & Magister. Secundum verò in hæc verba, item & tertium, quibus omnino Augustinus delineavit duos illos etiam status sub lege & sub gratia: *In secundo statu non poterat non peccare mortaliter, multa enim impellebant hominem ad malum, & nihil eum juvabat in bono. Tunc ratio premebatur & vincebatur.* His coloribus expinxit Augustinus statum sub lege. Ergo status sub lege ille est, qui justificationem, seu perceptionem sacramentorum anteit. *In tertio statu non potest homo non peccare venialiter, sed potest non peccare mortaliter. Aliquid enim impellit eum ad malum, & aliquid juvat eum ad bonum. In hoc statu ratio premitur, sed non vincitur.* Iisdem verbis illuminavit Augustinus statum sub gratia. Ergo status sub gratia Augustino est, qui justificationem sequitur, id est, perceptionem sacramentorum. *In quarto statu non poterit homo peccare, tunc enim erit gratia augmentata*, nempè charitas habitualis & virtus, quæ teste Paulo nunquam excidit.

Porro illa gratia qua possunt justi non peccare mortaliter, non possunt autem non peccare venialiter, habitualis sanè est: quæ omnino rationem Deo, non omnino concupiscentiam rationi subjugat. Item sicut justi non possunt non peccare venialiter quandoque, nec necesse est ut per singulos ita peccent actus; ita impii, seu nondum justificati non possunt non peccare mortaliter, nempe interdum. Possunt utrique quandoque, aliquandiu, non omnino, non semper his abstinere. Ideo infrà idem *libertatem à peccato* solis justificatis reservat: *libertatem à necessitate*, sive à coactione, etiam non justificatis annuit. *Ex* Ibidem. *Augustino voluntas semper libera est, sed non semper bona. Liberam à necessitate intel... Hoc enim de hac libertate dictum est. Voluntas enim cogi non potest. Libertas à peccato est, qua homo liber est à mortali peccato. Non enim dicitur homo habere libertatem à peccato, quia sit sine veniali; hoc enim esse non potest: sed quia est sine dominio peccati, hoc est, sine mortali peccato. Mortale enim peccatum dicitur habere potestatem in homine, sed non veniale. Hanc libertatem habent tantùm boni, qui scilicet carent mortali peccato, licèt habeant veniale.* Hanc libertatem à peccato restituit gratia Christi juxta Augustinum. Atqui ea libertas non est nisi in *justis*, qui carent mortali, etsi non carent veniali peccato. Ergo gratia sola justificationis, hujus libertatis largitrix est, & ea est Christi gratia potissima. Nondum justificati autem ideo non possunt ab omnibus omnino criminibus se continere, quia ea carent gratia justificationis. Hæc ergo gratia ingentes addit vires ad bene operandum. Ideo autem de actuali auxilio silet Petrus, quia illud omnibus pro cujusque exigentia & modo præsto esse intelligitur. Denique vides in suprapositis Petri verbis, quid sit liberum esse à necessitate, sive à coactione, ante justificationem. Nempe impii etsi non possint ab omnibus, possunt tamen à singulis abstinere mortalibus, ut & justi à venialibus. Illa ergo immunitas coactionis comitem habet indifferentiam istiusmodi. Quòd verò non possit impius ab omnibus collectim abstinere peccatis, non hinc obumbrare culpam ille suam, vel excusare potest: hac enim necessitate *ipsemet se ligavit: nec potest solvi,* Ibid. c. 23. *nisi gratia operante & cooperante.*

Sed etsi quis tergiversari hactenus potuisset, præcludit jam omne effugium liquidissima gratiæ operantis & cooperantis explanatio; *Ab isto statu, in quo non potest homo non peccare mortaliter,* Sentent. part. 3. c. 2. *non potest homo per se surgere absque gratia operante, nec proficere absque gratia cooperante. Videndum ergo quid sit gratia operans, & cooperans. Sed quia omnis gratia de qua hìc agitur est virtus, ideo à virtute tanquam ab altiori est inchoandum, &c. Virtus igitur est qualitas mentis, qua rectè vivitur, quæ nemo malè utitur, quam Deus in homine sine homine operatur.* Vides quid sit gratia operans & cooperans, nempe virtus infusa, non acquisita, quasi ex accidenti peccata delens, sed suapte natura dans rectè vivere, seu bene operari, eaque est *qualitas* in justo permanens. Ex Augustini verbis mox id elucidat, ita habentibus: *Feci justitiam & judicium. Cùm* In Psal. 118. Conc. 26. *Propheta dixit, Feci justitiam, non virtutem quam Deus operatur, & non homo, sed motum illius intelligi voluit.* Augustini verba in eum locum paulò diversa sunt, in idem tamen collimantia: *Justitia est virtus animi magna, &c. Justitia nomine hoc loco, non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est. Quis enim facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium? Hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum.* Ubi gratia justificationis virtus est ipsamet justitiæ, à Deo infusa, bonorum pòst operum parens fœcunda.

Pergit ibidem Petrus elucidare nobis Magistri, immo Theologiæ sui temporis receptissimæ dogmata: *Patet igitur quod virtus est qualitas quædam, quam Deus infundit animæ, & non est motus animæ, vel liberi arbitrii; sed excitat liberum arbitrium. Ex illa autem gratia animæ infusa, & libero arbitrio excitato, procreatur motus interior, ex quo interiori provenit exterior, id est actio, &c. Nam gratia infunditur menti hominis, illa statim excitat liberum arbitrium, & procreatur motus charitatis, scilicet diligere; statim diligit homo, & ille motus exteriorem procreat, & quod intus est in mente manifestat opere, reficit pauperes, vestit nudos.* Denique, *Virtus est in homine sine homine; sed motus liberi*

liberi arbitrii non est in homine sine homine, ergo virtus non est motus liberi arbitrii. Ubique urget gratiam esse *virtutem & qualitatem* animæ justi immanentem.

Nunc ad discrimen defluit gratiæ operantis & cooperantis: *Gratia operans est, quæ erigit hominem, ut velit. Gratia cooperans est, quæ adjuvat, ut rectè velit, vel ne frustra velit. Et est eadem gratia operans & cooperans; sed propter diversa officia, diversa sortitur vocabula. Operans enim dicitur, quia hominem erigit, ut velit, quia impium justificat, quod idem est. Cooperans dicitur, quia adjuvat, ne homo frustra velit, &c. adjuvat, ut perficiat, & opus addat, &c.* Vides ut eadem gratia quæ justificat impium, gratia sit operans & cooperans, deque bene velle & bene operari, idque principaliter, quia *potiùs dicitur liberum arbitrium consentire & cooperari gratiæ, quàm gratia libero arbitrio. Sicut miles dicitur ire cum rege, & servus cum domino, non rex cum milite, non dominus cum servo.* Denique quæ demum virtus sit gratia, ibidem sic tradit: *Quæritur quæ virtus gratia sit. Videtur debere esse charitas, quoniam ipsa est mater omnium virtutum. Sed dicimus quod ipsa est fides, quia fides est fundamentum omnium virtutum.* Sed si ita habet, hæc sanè fuerit fides cum dilectione. Et infrà rursum: *Restat inquirendum, utrum quicumque habet unam justificationem, habeat omnes, id est, quicumque habet unam virtutem, habeat omnes. Per justificationem enim non intelligimus, nisi virtutes.*

Sentent. l. 3. d. 17.

Jam verò quod ad gratiam generalem attinet, hæc ille primùm sibi objectat: *A nemine exigit Deus, nisi quod potest; sed à quolibet exigit, ut habeat fidem cum charitate; ergo quilibet potest facere, ut habeat fidem cum charitate, ergo ut habeat primam gratiam.* Vides gratiam justificantem hìc dici, nempe fidem cum dilectione, ad quam potest quisque se disponere. *Ad quod dicendum, quod hæc propositio, Aliquis homo potest facere, ut habeat primam gratiam, dupliciter potest intelligi. Si enim ita intelligatur, Ita se potest habilem reddere, quod possit gratiam Dei suscipere, si Deus eam apponere velit, verum est. Si verò ita intelligatur, Homo potest facere, ut Deus ei apponat gratiam, falsum est.* Exemplum subdit procuratoris, qui potest domum præparare & ornare, ut excipiat dominum si venerit, non autem efficere ut dominus veniat. Hæc igitur gratia generalis est, qua potest quilibet ad justificationem sese utcumque disponere, non tamen illam mereri, nec Deum in suum hospitium cogere.

Ibid. c. 3.

Sed quoniam gratiæ generalis portio non mediocris est timor gehennæ, hunc ut à culpa absolvat Petrus, & charitati inveliendæ aptum pronunciet, nunc prosequamur: *Bonum multipliciter dicimus, meritorium, utile, de genere bonorum. Servilis timor bonus est, quia utilis, id est, introductorius ad charitatem, sed non meritorius.* Etsi non posset haberi cum charitate, non ideo malus esset, sicut nec desiderium habendi charitatem. Addit mox ex quorundam sententia, quòd *quicumque serviliter timet, peccat; sed non ex hoc quod serviliter timet, sed ex hoc, quod charitatem non habet. Sicut desiderare charitatem non habitam, non est peccatum; & tamen quicumque desiderat non habitam, peccat.* Ubi planissimum est, serviliter timentem peccare, non semper, non in omni opere timoris hujus, sed quandoque, quia charitatem justificantem non habet, & ita non potest vitare omnia simul mortalia. Sicut desiderans charitatem non habitam peccat, non tali desiderio, non opere omni inde manante, sed quandoque, quia charitatem & justificationem nondum consecutus, non potest omnia lethalia effugere. Ideo rursum de timore, *Servilis timor retrahit à peccato, & introducit charitatem, &c. Quod excludit charitatem, verum est hoc sensu, quia non est simul cum charitate. Sed si dicas, excludit, id est, non præparat ad charitatem habendam, falsum est.* Si autem opus ex timore gehennæ profectum peccatum esset, verè excluderet & longiùs ablegaret charitatem, non ad eam præpararet. Quod ergo Petrus pòst ait timore servili cessari à malo opere, non à mala voluntate, malæ voluntatis intelligit non actum, sed habitum, quem sola expungit charitas. Denique ibidem: *Timor est donum gratuitum, non tamen eo, vel ejus usu meremur vitam æternam. Sicut desiderare charitatem non habitam est donum gratuitum, non tamen eo meremur vitam æternam.* Ubi non abs re advertimus initiali hoc etiam desiderio charitatis, & quasi amore amoris divini, ceu generalis gratiæ particula, ad justificationem homines disponi.

Sentenc. Pat. 3. d. 17.

Jam verò de tertio gratiæ genere, ad prædestinationem perficiendam efficaciissimæ, parcè & rarò loquitur Petrus, ævi illius usu tritissimo inter Theologos, occultissimos illos & miros modos non scrutari, sed divinæ contentus totum permittere & sapientiæ & omnipotentiæ. Gratiam sanè habitualem & justificantem illam esse decernit, cujus præparatio prædestinatio est, non præparatio reprobatio. *Sicut prædestinatio æterna causa est appositionis gratiæ, ita reprobatio æterna est causa subtractionis gratiæ. Sed non sicut gratiæ appositio causa est finalis retributionis, ita gratiæ privatio finalis damnationis.* Reprobationis enim, & consequenter non appositionis gratiæ causa est, ut mox ait, *meritum humanum.* Nam *meretur homo sibi gratiam non apponi. Cuicumque enim non apponitur, meritis suis exigentibus hoc illi accidere præsumendum. Si enim non est baptizatus, merito originalis peccati non apponitur. Si est baptizatus, peccando mortaliter, meretur appositam subtrahi. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in apostatica radice damnatos detinebat communis causa perditionis, ut si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam.* Adverte hìc primò semel baptizatos, peccando mortaliter mereri, ut gratia apposita subtrahatur. Ergo hæc est gratia habitualis. Secundò non propter originale jam peccatum illis gratiam subtrahi. Tertiò non baptizatis ob originale peccatum posse gratiam non apponi, nempe de qua hìc agitur, justificantem. Nam de generali antè dixit, posse per eam omnes aptare se utcumque justificationi, non tamen eam mereri.

Sentenc. P. 1. d. 46.

Ibidem pòst docet prædestinationem esse *causam justificationis:* illis enim Pauli verbis, *Quos prædestinavit, hos & justificavit,* respondent hæc Augustini, *Prædestinatio est gratiæ præparatio.* Unde ibidem Petrus ait quòd *apponi gratiam ad solos & omnes justos* extenditur. Et infrà objicienti *nullam habere gratiam, nullam apponi gratiam, esse mortale peccatum:* respondet, *Distingue, Nullam virtutem habere est huic mortale peccatum, id est, contemnere habere, verum est: sed ipsa virtus non habita, non est huic mortale peccatum.*

Ibid. c. 16.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS.

Honorio Augustodunensi, Anselmi admiratori præcipuo, gratia Christi propria est habitualis, qua sicut & actuali, non prædeterminatur voluntas, & per eam tamen servantur gratis à Deo prædestinati.

CIrca annum Christi MCC. Gallicanæ Ecclesiæ eluxit fax eximia, & singularis imitator Anselmi

Anselmi Honorius hic, ut ex hac statim patebit liberi arbitrii definitione, ex ejus dialogo *Inevitabili*: *Libertas arbitrii est potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. Rectitudo autem voluntatis est justitia.* A solo Deo accipi posse hanc seu justitiam, seu rectitudinem mox subjicit: *Hanc autem non habitam per se habere non potest homo, quia nullus excepto Deo habet, quod non accepit. Quæ si ei datur, gratia ejus est, qui ait, Sine me nihil potestis facere.* Meritum autem hominis in quo sit, ibidem statim declarat: *Acceptam justitiam non deserere, liberi arbitrii est: hanc autem servare, meritum est.*

Hæc voluntatis rectitudo, hæc justitia, quæ non deseritur, quæ servatur, gratia sanè habitualis est: cui uni hæc omnia verba propriè magis concinunt. Idque liquidius fit ex eo quod statim attexitur: *Ideo non volentis est, nec currentis, sed miserentis Dei, qui nullis præcedentibus meritis, sed gratis gratia eum prævenit, dando ut justus sit: & subsequitur, ut in studio justitiæ currat, quatenus bravium vitæ suscipiat.* Gratia sanè qua quis justus sit, charitas justificans est.

Perspicuum magis id fiet ex ipsamet Anselmi comparatione, quam Honorius ita stringit: *Sicuti si egens nudus a divite vestiatur, non est ipsius quod vestitur, sed ejus qui vestem largitur. In suo autem arbitrio est, utrùm vestem portet, aut deponat. Sic est de gratia præveniente: libero arbitrio comitante.* Itaque liberum arbitrium tanquam spiritali veste induitur gratia, nimirum habituali. Sicut Paulus hortatur nos indui Christo, indui armis lucis, indui visceribus misericordiæ, hoc est, his affectibus supernaturalibus. Nec tamen motio actualis summi Boni ad se omnia trahentis expungitur; sed cùm principatum tenet charitas habitualis, in eo satis argumenti est, ut intelligamus gratiam quamvis actualem non eam esse, quæ voluntatem determinet infallibiliter.

Si autem nemo quidquam habet, nisi quod accepit: si sine Christo nihil possumus facere, ut sacræ Litteræ confirmant, id eo fit, quòd à Deo solo habeatur charitas justificans, quæ totius radix est meriti. Et quidem id totum creatæ cuique naturæ commune est, ut nihil à se, nihil non acceptum à Deo habeat.

Liberi autem arbitrii quod munus sit post justificationis gratiam acceptam, jam declaravit Honorius, quæ item ejus vires: *Acceptam justitiam non deserere, liberi arbitrii est. Hanc autem servare, meritum est.* Ergo quòd acceptam justitiam homo non deserat, quòd servet in quolibet bono opere, hoc arbitrii est, per eundem justitiæ habitum adjuti. Et tamen meritum omne à gratia est, à Deo est. Sicut quòd qui veste carebat, vestiatur, id ille diviti vestienti debet: & totum ei debet, non sibi; etsi oblatam vestem vel acceptam abjicere potuerit, nec abjecerit. Quis enim tam vecors est, qui nudus & malè meritus, si vestem accipiat & gestet, sibi plaudat, sibi grates habeat, quòd vestem non abjiciat: & non potiùs danti totum se debere confiteatur, quòd veste utitur? Anselmo ergo & Honorio adversantur, qui nunc totum gratiæ tribui non existimant, nisi ea sit gratia, quæ voluntatem torqueat invictissimè, non ea quæ instar veltis libero permittatur arbitrio servanda, vel abjicienda.

Idem enucleatiùs infrà asseritur: *Ex gratia Dei est, quod à Deo præventi bonum volunt: ex libero arbitrio, quod bonum non deserunt, &c. Unde est quod quidam in malis inveterati, tandem salvantur? Ex gratia & libero arbitrio. Ex gratia quippe præveniente bona voluntas divinitus gratis inspiratur: ex libero arbitrio ipsi oblatæ cooperantur, & pro hoc merito salvantur.* Constanter bona voluntas & gratia justificans hìc gratiæ prævenientis nomine donatur, quia prævenit omne meritum: jam verò infusæ cœlesti gratiæ cooperari, nostrum est.

Quibus autem gratia denegatur, hæc nimirum gratia habitualis, seu affectio rectitudinis non datur ob culpas anteriores, seu originis, seu propriæ voluntatis. Sed eisdem non statim denegantur actuales gratiæ. *Cur alii non salvantur? Hoc ex justitia & libero arbitrio esse non ignoratur. Ex justitia, quia gratia ad bonum non emolliuntur, sed indurari permittuntur: licèt sæpiùs fons gratiæ in eos affluat, & eis pœnitentiam ad horam tribuat, quam ipsi mox abjiciunt, & ut canes ad vomitum redeunt. Ex libero arbitrio, quia justitiam oblatam recipere nolunt, & iniquitatem magis diligunt.* Offertur impiis justitia, cùm actualibus auxiliis sollicitantur, ut ei sese præparent.

Rursus ut infusa à Deo rectitudo voluntatis sit una eadem gratia præveniens, quæ dat *velle* bonum, & subsequens quæ dat *posse*, jam verò liberi sit arbitrii consentire, vel dissentire: *Si Deus operatur, quæ merces homini imputatur? Et Deus operatur, & electi cooperantur. Deus operatur in electis suis sua gratia præveniendo velle, & subsequendo posse. Cooperantur ipsi per liberum arbitrium consentiendo bona voluntate. Hæc bona voluntas remuneratur in eis.* Perspicuè *velle* bonum gratia præveniens hìc dicitur, seu charitas justificans, quæ & recta voluntas, vel rectitudo voluntatis. Deinceps autem ea non dat nisi *posse* bene operari, & ad hoc inclinat: cooperatur libertas, si velit, & ideo cùm vult remuneratur. *Gratiam accipimus, cum nos Deus prævenit, ut velimus, & subsequitur, ut possimus.* Porro si ex Apostolo Deus operatur in nobis velle & perficere, id idem interpretatur Honorius, quia Deus dat per gratiam prævenientem & subsequentem *velle & posse*.

Qui gratia deserantur, & cur, sic mox exponit: *Quidam de arbitrio magis, quàm de gratia præsumunt, & cuncta suis meritis ascribunt. Ideo eos gratia deserente justè labores suos perdunt.*

Meriti cassos & vacuos fore infrà scribit Angelos hominesque, si invictissimè peccare prohiberentur. Roganti enim, cur liberos fecerit, quos peccatores præscivit? respondet, *Si liberum arbitrium non haberent, necessitati per omnia ut bestiæ subjacerent, nec ullum meritum haberent.* Urgenti, cur peccare siverit Deus? hæc reponit: *Deus condidit eos ad plenum gaudium; plenum gaudium non haberent, si liberi non essent. Creavit eos liberos, ut liberè in justitia delectarentur; & non necessitate coacti, vel violentia compulsi.*

Honorii ejusdem censetur nunc à plerisque esse Elucidarium, quod inter opera Anselmi radiat. Ex eo itaque etiam pauca carpemus: *Liberum arbitrium est libertas eligendi bonum, vel malum, id est, in potestate hominis esse & velle & posse bonum, vel malum. Hoc in paradiso homo habuit liberum arbitrium, nunc habet captivum. Quia bonum non vult, nisi gratia Dei præveniatur; nec potest, nisi eum subsequatur.* Itaque libertas in indifferentia est. Gratiæ prævenientis, seu justificantis est, dare *velle* bonum: gratiæ subsequentis est, dare *posse*.

Luculentiùs id mox patebit ex duplicis necessitatis discrimine. *Duæ necessitates sunt, una naturalis, ut Solem in Oriente oriri: altera voluntaria, ut aliquem ambulare, vel scribere. Quæ Deus vult ut fiant, ut cœlum & terra, inevitabile est non evenire, sed per omnia necesse est ita contingere. Quæ autem fieri tantùm permittit, ut homines per liberum arbitrium bonum vel malum facere, non est necesse evenire. Omnia quæ futuri homines erant facturi, Deus futura præscivit, & per Prophetas fienda prædixit: non tamen sua præscientia aliquam necessitatem eis intulit, ut fierent: sed potiùs ipsi necessitatem intulerunt, cùm suam voluntatem explerent.* Ecce quàm dilucidè liberas voluntates

tes veret à Deo prædeterminari ad quidvis, etsi præmoveri non neget. A seipsis enim determinantur, etsi non sine auxilio divino; ideoque quidquid boni malive faciunt, non eo faciunt, quia Deus præscivit; sed quia suapte sponte faciunt, ideo Deus præscivit. Item ideo quidquid boni fit, non eo fit, quòd Deus *velit inevitabiliter* ut fiat; sed Deo *permittente* fit, hoc est, adjuvante, non inevitabiliter prædeterminante voluntatem creatam.

Sed illud tamen mordicus retinendum, nihil usquam veri boni scintillare, quod non divinæ sit gratiæ beneficium. Quantumvis enim enitatur & grassetur creata libertas, nec stillulam tamen boni nisi à gratia consequetur divina. Dei est ergo misericordissimi & gratiam præparare, & modulum gratiæ admetiri cuique, ultra quem nemo quantumlibet conando eluctabitur, *Quia scriptum est, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, unusquisque obtinebit mansionem secundùm proprium laborem: ita quis prout plus laboraverit, digniorem; qui minùs, inferiorem possidebit. Nullus tamen plus laborare poterit, quàm eum divina gratia juverit. Nec aliam mansionem quis habiturus erit, quàm eam ad quam ante mundi exordium præordinatus fuit: quia nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.* Liberii enim arbitrii est facultas gratiam respuere, vel non deserere, nequaquam autem suo conatu amplificare: & utcumque connitatur, cœlestis charitatis, in qua sola meriti fons scatet, nec guttulam sibi adaugere ipsa poterit: nec in totum poterit, nisi acceptæ charitati obsecundare.

INNOCENTIUS III.

Ex Innocentio III. triplex eadem gratia demonstratur, generalis, ad vocationem, ad peccati devitationem; specialis, ad justificationem; maximè specialis ex omnium auxiliorum coacervatione, ad prædestinatorum vel conversionis, vel etiam perseverantiæ executionem.

IN Parisiensi gymnasio hauserat primùm, quæ postea in universum effunderet Catholicum orbem sacræ doctrinæ flumina Innocentius III. Romanus Pontifex. Videsis autem quàm odorem saporemque sui fontis sapiat hæc ejus doctrina, ex Apostolici throni majestate augustiùs promanans. Sic enim ille in Sermone de Conversione Pauli Apostoli: *Tractus est Paulus de profundo confusionis, per spiritum timoris, ad semitam veritatis, &c. Tractus est à spiritu timoris, & per fulgorem illustrationis superna, quia subitò circumfulsit eum lux de cœlo: & per tremorem inspirationis interna, quia tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Lux superveniens excæcavit illum in corpore, ut lux interveniens illuminaret eum in mente. Lux intulit cæcitatem, & cæcitas intulit lucem. Tractus est quidem & ad fidei sacramentum, quia baptizatus est.* Ergo Paulus, ut mox idem repetit: *Tractus est per illustrationem externam, & aspirationem internam*, nempe spiritu *timoris*, unde *tremens ac stupens* factus est. Hìc habes & generalem gratiam timoris, & maximè specialem conversionis, quam efficacissimè Deus perfecit, tali viso, ut solet loqui Augustinus, objecto, quo moveri posset & perterrefieri, mox inescari talis mens. Habes denique specialem, seu habitualem in baptismo, ad quem tractus est.

Tom. 2. pag. 101. 102.

Multa subinde congerit Innocentius hortamenta, quibus omnes prorsus invitentur ad spem veniæ, & ad sinum gratiæ omnibus obviæ: *Quis enim dubitet, quin Deus misereri velit illius, quem talem ac tantum fecit creando? quem talem ac tantum fecit, etiam redimendo, &c. Quis dubitare velit, quin Deus misereatur illius, propter quem exinanivit se, &c.* At quoniam eximia portio gratiæ hujus generalis, qua omnes primùm colliguntur, est donum timoris gehennæ, de eo sic ille: *Timor Domini expellit peccatum. Cùm enim peccator incipit cogitare magnitudinem, multitudinem & turpitudinem peccatorum, & attendit in Judice potentiam, quam non potest effugere; sapientiam, quam non potest latere; & justitiam, quam non potest corrumpere: videt quæ & quanta & qualis gehenna peccatores maneat, statim obstupescit, & timet, concipiens compunctionem in corde, pariens confessionem in ore, nutriens satisfactionem in opere: ut jam dicere valeat, A timore tuo Domine concepimus & peperimus spiritum salutis.*

Et infrà rursum de eadem generali gratia, quæ via est ad verissimam gratiam, quæ jam vita est animæ. In altero Sermone ejusdem Festi: *Triplex vita, naturæ, gratiæ, gloriæ. De vita gratiæ dicitur, Justus ex fide vivit. Convertatur peccator à morte culpæ ad vitam gratiæ, ut evadat à morte gehennæ ad vitam gloriæ. Deus enim semper tenet manus expansas, ut recipiat peccatores. Quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut, &c.*

Sed si Deus, utique omnipotens, velit, omnes converti & vivere, quì fit, ut tam multi pereant, *cùm divinæ voluntati nihil obsistat, cùm omnia quæcumque voluit, fecerit? An quos non vult mori, convertuntur & vivunt? quos autem vult mori, convertuntur & pereunt? Quid est ergo, Deus vult omnes homines salvos fieri?* Vide ut hunc nodum Augustini gladio secet, & electioni gratiæ, & consentaneis illis subscribat auxiliis efficacissimis, nec tamen generali gratiæ injuriam faciat. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c.* Hæc responsio quid valeat, exploratum est. Pergit porro intacto electorum privilegio cæteris quoad fas est consulere: *Voluntas tamen Dei multipliciter accipitur, pro beneplacito videlicet & pro signo. Beneplacitum unum est, sed signa diversa. Inter quæ sunt consilium & præceptum. Vult ergo Deus, id est, consulit omnes homines salvos fieri. Et vult, id est, præcipit, ut convertantur & vivant. Sed consilium ejus & præceptum ejus non semper impletur.* Quæ ad Augustini saporem omnino sunt.

Verùm urget præterea, quì converti possint, quibus gratia non apponitur. Vide autem ut respondeat: *Verùm cùm sine gratia Dei operante peccator converti non possit: nam ut dicit Apostolus, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: & gratiam operantem nemo possit promereri, quoniam ut idem Apostolus ait, Si ex meritis est, jam non ex gratia: non videtur homini imputandum, si non convertatur, quandoquidem Deus gratiam non apponit. Sed aliud est promereri, aliud demereri. Promereri gratiam nemo potest, sed demereri gratiam quisque potest. Ideo non penitus imputandum homini, si gratiam modò non mereatur: sed imputatur ei prorsus, si gratiam demereatur.* Quæ hìc *gratia operans* dicatur, dubium illi non erit, qui ejusdem ævi Scriptores degustaverit. Ea enim est omnino gratia habitualis. Ea est, quæ *convertit* hominem, & justificat. Ea est, quam *promereri* non possumus, quia meriti principium primum ipsa est. Ea est, quam Deus *apponit* quibus misereſcit, cæteris non apponit. Ea est quam impii demerentur malis operibus, non actualis, sine qua nec vitari possunt mala opera. Sensus ergo Innocentii ille est: etsi ante gratiam habitualem mereri quidquam, & ipsam maximè non possimus: posse nos tamen demereri, posse & à peccatis continere, quibus demeremur: posse quemque demum facere quod in se est, non sine utique generali auxilio Dei, & ita se ad veram

gra-

gratiam justificationis disponere. Quod sequentibus verbis liquidò commendatur: *Si ergo fratres aliquis vestrum præoccupatus est in aliquo delicto, nullo modo desperet, sed interim faciat, quidquid boni potest, ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam; aperiat oculos, ut Solis lucem aspiciat: mollificet ceram, ut impressionem sigilli recipiat: reddat se habilem, ut ei Deus formam suæ similitudinis imprimat, & gratiæ suæ virtutem imponat.* Vides quæ *gratia* apponatur, vel imponatur à Deo, nempe forma divinæ similitudinis, quæ uti sigillum ceræ, animo imprimitur. Ea est utique gratia justificans, cui se quisque potest disponere, *faciendo quidquid interim boni potest*, hoc est, faciendo quod in se est, non sanè sine adjutorio Dei, quod ideo siletur, quia semper præsto est; præsto est, inquam, non ut merearis gratiam, sed ut ne demerearis; non ut bona opera facias, sed ut peccata declines.

Porro gratia illa habitualis quæ imprimitur animæ justorum, quantam virium coppiam addat ad bona opera, accipe ex eodem in sermonibus de Pentecoste: *Antequam Apostoli Spiritum sanctum accepissent, quasi timore liquefacti, relicto Christo fugerunt. Sed ubi Spiritum Paracletum acceperunt, quasi confirmati virtute Spiritus ex alto, ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Unde Petrus qui prius ad vocem ancillæ negaverat, postea coram Regibus & Principibus nomen Christi portavit, &c. Mali liquefiunt per vitia & peccata. Boni autem confirmantur per virtutes & dona, per ardorem charitatis, &c. Tunc fecit Apostolos ossa corporis sui, id est, fortes, constantes, & virtuosos.* Tunc sanè per Spiritus sancti & inspiratæ charitatis plenitudinem, quæ constanter in eis deinceps permansit, eam fortitudinem invictam illis contulit, qua munus Apostolicum implevere, torque labores pertulere infracto pectore. Hæc invicta & victrix fortitudo inerat eis per *virtutes, dona, charitatem*. Et in Encomio charitatis: *Charitas ab illo in quo habitat, radicem vitiorum extirpat, virtutum omnium mater est, &c. Animam in qua charitas est, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non vexat, &c. Semper munda est, in adversis secura, in prosperis non elata, &c.* Vides quanta sit efficacia charitatis inhabitantis, &c. Sed hæc non est, ut mox ait, nisi *hominis justificati*.

Tom. 1. pag. 64. 64

Pag. 315.

Et rursus in hæc verba Psalmi primi Pœnitentialis: *Convertere Domine, & eripe animam meam*: hæc habet de generali & speciali gratia: *Nisi tu Domine convertaris ad me, ego ad te converti non valeo: & nisi tu me prævenias, ego ad te pervenire non possum. Sed quoniam ad perfectam conversionem tu semper paratus existis, sicut Propheta testatur, Tanquam diluculum paratum inveniemus illum: securius dico, Convertere Domine, &c. Deus tribus modis se convertit ad aliquem, quando spiritalem gratiam infundit, quando temporalem pœnam remittit, quando æternam concedit salutem, &c.* Deus, ut vides, semper est paratus per prævenientia & præparatoria auxilia, ut infundat gratiam, nempe justificantem. Etenim mox ait, *Quando homo convertitur, justificatur: porro justificari non potest, nisi priùs ei charitas infundatur, &c.* Hanc eandem *gratiam subtrahi* dixerat ibidem, cùm Deus ab aliquo se avertit.

Pag. 1241

Denique sermone primo in Parasceve, Peccatorem in medium producit, qui confitetur Sacerdoti, sed à fornicatione abstinere se non posse profitetur. Ex adverso Innocentius probat eum posse, si enim oculus statim post infandam expletam libidinem exculpendus esset, utique tunc posset abstinere & verè abstineret se à flagitio. *Ecce potes, quia oculum perdere times. Quod potes per oculum, non potes per Deum; nisi quia plus diligis oculum, quàm Deum. Num plus valet oculus, quàm Deus? Noli itaque dicere quod soles, Vellem, si possem: immo dic, Possem, si vellem. Corrige voluntatem, & dilige castitatem, & continendi accipies potestatem. Si autem te profiteris infirmum, quare non curris ad medicum? Si te conspicis impotentem, quare non suspicis omnipotentem?* Ubi liquet in cujusque esse potestate, ideoque non deesse auxilium Dei, ut possit à quolibet crimine temperare, Deum ut infirmitati suæ medeatur, invocare. *Ipse curabit, ipse sanabit, ipse virtutem præstabit. Ipse medicus, ipse salus, ipse etiam virtus, ipse sanitas.*

Pag. 1241

GUILLELMUS PARISIENSIS.

Ex Guillelmo Parisiensi Episcopo, specialis & propria gratia Christi est charitas sanctificans & ad bona opera roborans. Est præterea generalis gratia. Est & gratia plurium ex gratiarum intus forisque coacervatione invictissimam habens efficaciam, ad conversionem, ad perseverantiam, ad gravissimas tentationes superandas.

DE gratia agit Guillelmus in tractatu de Virtutibus, ut jam hinc omineris gratiam illi specialiter esse charitatem cordi infusam & inhospitantem. Quærens ergo an præter virtutes *naturales & consuetudinales*, opus sit sublimioribus aliis, quibus enitamur ad æternam felicitatem, respondet sensisse aliquos ad id *sola naturalia* sufficere, *& de hoc genere fuerant Pelagiani hæretici, qui & gratiam esse negaverunt, & eam omnino non esse necessariam posuerunt.* Consentit ergo Thomæ Aquinati, vel illi Thomas, erasse Pelagium, quòd charitati, seu gratiæ habituali adversatus sit.

De Virtutib. c. 11.

Concludit autem necessariam nunc esse gratiam, *propter præsentem miseriam & corruptionem, ut natura fiat recta, & accepta creatori, &c. Gratiam intelligimus divinæ largitatis adjutorium, ad operandum quæ bona sunt, & digna remuneratione æternæ fœlicitatis: ad certandum contra se, ad vincendum se, ad frænandum se & domandum perfecta domatione, &c.* Et mox ibidem: *Nam in initiis perversorum desideriorum, cùm adhuc debilia essent & quasi scintilla, fortassis potens est super ea ex naturalibus bonis suis anima; cùm autem in flammas & incendia creverint, captivam in omne periculum rapiunt.* Et rursus objectioni occurrens, *Quòd si dixeri quis, quia sufficit unicuique libera voluntas ad resistendum his incendiis, cùm nemo peccet invitus; quare si non vult superari, non superabitur, &c. Respondemus quia revera si vult quis vincere quancumque tentationem, vincet eam, si vult inquam præcisè & absolutè. Verùm hoc modo volendi non potest velle ex se, id est ex naturalibus bonis suis anima humana omni hora, &c. Igitur necesse est nobis dari adjutorium, quod sufficiat spiritale nostrum defendere, & servare, & carnale nostrum subjicere, jugiterque mortificare: & hoc est, quod nos vocamus gratiam, videlicet gratuitum creatori donum, quod naturalibus nostris apponitur, ut per ipsum spiritalitas nostra animalitatem nostram vincat, captivet, mortificet.* Subscribit majorum doctrinæ, nondum justificatum à peccatis abstinere se posse quandoque, non *omni hora*: & ideo opus esse gratia, id est, *gratuito dono naturalibus apposito*, ut per ipsum *jugiter* crimina superentur.

Etenim ut voluntas nostra sit *religiosa & Deo accepta, necessaria est ei affectio sublimior atque nobilior, quàm sit ejus affectio quæcumque naturalis.* En & alteram rationem necessitatis hujus, *Si dixerit quis, quia Deus adjutor sit pugnantium, virtute sua præstans eis victoriam, absque eo quod aliquid novum apponat animabus eorum, hic destruit victoriam pugnantibus. Non enim vincit, qui virtute sua non vincit.* Et rursum: *Destruit ille virtutem omnem & bonitatem in electis. Cùm enim non possit aliquis per aliquid quod in ipso sit, vincere luxuriam in se, non*

Pag. 121.

potest

potest ergo habere castitatem, cùm castitas virtus sit, & bonitas, per quam resistitur luxuriæ, & vincitur ejus malitia. Denique, *Destruuntur & merita & opera bona, non sunt enim hæc necessaria, Deo per semetipsum & propria virtute operante resistentiam & destructionem vitiorum.* Gratia ergo cujus necessitas hìc adseritur, ea est, quæ Deo acceptos facit; quæ non opus, sed *affectionem* nostram religiosam efficit; quæ victoriæ de peccatis architecta virtus est, ut castitas victrix luxuriæ virtus est, bonitas malitiæ, quæ denique meriti radix est. Addit quòd ut *fidem* dat Deus, qua homo *credit veritati supra se & contra se*; pari *virtute*, nempe *charitate* mactare nos debemus divinæ *bonitati*. Denique cum de amore naturali præfatus esset, addit, *Amor autem virtuosus, quem hìc stabilire intendimus, est similiter ex divina bonitate, per donationem, & ut donum. Si quis autem quærat, utrum creetur à Deo, dicimus quod sic.* Quæ compertum est nisi de virtute charitatis habitualis non posse intelligi.

Ideo tandem concludit, *Jam igitur stabilivimus ibi virtutes sublimes, & nobiles, transcendentes nobilitate tam consuetudinales, quàm naturales.* Et infrà: *Istæ virtutes faciunt nos esse in spiritu, & faciunt esse spirituales, & faciunt homines esse supra homines, & plusquam homines.* Et ibidem: *Sicut naturales virtutes custodiunt animam, & conservant in statu suo & rectitudine naturali: sic istæ sublimes virtutes rapiunt eam, & elevant à seipsa, & supra se velut suspensam in spiritalibus & æternis eam tenent.* Denique, *Nec veri nominis bonitates sunt, nec verè bonos efficiunt, neque virtuosos, nisi virtutes istæ; nec enim verè rectos, nec verè justos.* Quin immo virtutes istas demum omnes in unam quòdammodo coagulat charitatem: *Certissimum habet unusquisque sanctorum virorum, quod amor Dei sit ei principium movens ad operandum quidquid operatur. Quare manifestum est, ex uno & eodem amore Dei posse esse quantamlibet multitudinem & diversitatem bonarum operationum.* Quo virtutem charitatis præfert cæteris virtutibus, quæ ad singula tantùm sufficiunt.

Sed & si quid hactenus dubii residere in cujusquam animo potuisset, nunc certè fugiet caligo omnis, vel ipsa propositione quæstionis mox solvendæ: *Habet quæstionem non parum difficilem, quod virtutes tam citò & facilè & tam levibus insultibus vincuntur. Quia cum habitus sint, sunt ex necessitate difficilè mobiles. Contrarium autem penitus apparet in multis. Amplius, eo ipso quod virtutes sunt, sunt fortificantes virtutem humanam, & invictam facientes, maximè ab infirmiori: vitia autem infirmiora sunt, quàm virtutes, &c. Denique cum incomparabiliter sit major charitas & quidquid ejus est, quàm cupiditas, & luxuria, qualiter cedit alteri earum?* Hæc est famosa prorsus illa quæstio, quomodo gratiæ resistatur, quomodo tam facilè gratia, charitas & totus chorus virtutum infusarum excutiatur animo. Videsis autem ut ille ad actualem gratiam non recurrat, ut hoc se laqueo eximat, gnarus eam formæ, virtuti, habitui sese attemperare & admetiri, ideoque totam difficultatem versari in virtutum & gratiæ habitualis comparatione cum libero nostro arbitrio.

Respondet ergo in hæc verba: *Scito igitur quia virtutes nec cadunt, nec deficiunt, nec cedunt vitiis, infirmitate sua, sed infirmitate subjecti substinentis & portantis ipsas. Sunt enim in anima tanquam bellator fortissimus super equum debilem & vitiatum. Ut enim bellator talis casu equi necesse habet cadere, sic virtutes. Si dixerit quis quia virtutes debent hoc prohibere fortitudine sua, cùm animam fortem efficiant, & robustam. Respondemus quia hoc utique faciunt, quantum & quandiu vult. Quandiu enim vult uti eis & pugnare in ipsis, tandiu fortis est & robustus homo per eas. Ubi autem negligit & avertit se ab usu earum, sicut insanus pugnator qui projicit arma sua, immo quod plus est, ipsam fortitudinem, & dat se in manus hostium.* Ea ergo tunc erat receptissima Theologiæ norma, expendere vires liberi arbitrii virtutibus infusis & maximè charitate habituali armati: *non excluso* actuali Dei auxilio, sed spectata potissimùm *speciali* gratia charitatis cum virtutum agnatarum choro inhabitantis. Illa prosus gratia est, quæ animæ, ut equo bellator invictissimus insidet.

Postremò hanc alibi ait esse, quæ *est gratia gratum faciens, gratia adoptionis & filiatio, cui jure debetur hereditas*, & propter eam operibus bonis alinitur meritum; nam *ex Gregorio, Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi à radice processerit charitatis.* Opus enim meritorium est, *quia sapit & redolet gratiam, ut fructus radicem.* Tract. De merit.

Ad gratiam generalem nunc delabamur. Jam docuit Guillelmus posse quemlibet ex *naturalibus bonis suis*, hoc est, ex virtutibus acquisitis, vel conatu vehementi, non sine generali auxilio Dei, quod nulli rei creatæ usquam abest, vincere initia pravorum desideriorum, immo & incendia, sed *non omni hora*: hoc est, posse impium hæc & illa, non omnia peccata vitare; posse aliquando, non semper, sine gratia speciali. Et infra idem: *In viris enim malis & aliquibus vitiis laborantibus experimur, ut eas bonas dispositiones voluntatis habeant, & bonos etiam habitus voluntatum, sed particulares. Nonnulli enim carne lubrici, pii in pauperes inveniuntur, & invenitur in eis voluntas particularis recta, fervens ad subveniendum pauperibus, & hoc propter Deum. Sic & alia multa bona voluntates particulariter & rectæ inveniuntur, & vocantur virtutes & mores laudabiles. Nos autem intelligimus, quod virtutes sunt secundùm quid, & particulares, nec sunt nomine virtutum dignæ simpliciter.* De virtut. q. 11. Præclarissimè prorsus. Quandiu impius quis est, etsi boni aliquid operetur, idque propter Deum, non est tamen in eo bona voluntas, non charitas, non virtus ulla vera, quia bona voluntas non particularis, sed universalis est, & omnium criminum affectus eliminat; ideoque bona voluntas, charitas, gratia non est, nisi super omnia Deus diligatur; sicut nec fides, nisi omnia credulitatis capita amplexetur. His tamen particularibus virtutibus peccata vitantur aliqua & pœnæ.

Jam attigit illud etiam, quod & alibi repetit, posse impium tentationibus resistere, si leves sint; gravissimis non posse suis viribus, sed posse, si à *Deo recipiat virtutem & gratiam.* Unde *ex nostro igitur spiritali solo non possumus resistere cuicumque, vel quantacumque tentationi, imò videretur etiam quod nulli, si tota fortitudine sua animale nostrum pugnaret in qualibet tentatione. Fortiori quippe bene resistit debilior, si fortior modica parte fortitudinis sua pugnaverit.* Etsi ergo desit *adjutorium virtutis & gratiæ*, ut ille vocat, id est, charitas inhabitans, vinci possunt aliquæ tentationes. Tract. de tentat. & resistent. c. 4.

Quod attinet autem ad auxilia, quibus se ad gratiam præparare quis potest, sic ille: *Qui orat Deum, ut remittat sibi peccata, quod suum est, vel potest, lugendo, dolendo, pœnitendo, lacrymando, congruit divinæ bonitati, ut misereatur ipsius: congruit etiam cordi sic parato, ut respiciatur à Deo, eique gratiam suam infundat.* Vero tamen merito, seu condigno negat quenquam mereri posse primam gratiam. Illa ergo omnia pœnitentiæ documenta anteiverant primam *gratiam*, hoc est, specialem & justificantem, non gratiam generalem. Et infrà: *Disputamus utrum ex solis naturalibus possibile sit gratiam mereri.* Vocat tunc more usitatissimo *naturalia*, quandiu desideratur gratia justificans, etsi pluribus interim quis suffulciatur Dei auxiliis, ut ad eam se comparet. Probat ergo umbram aliquam meriti inesse his præparationibus ex naturali possibilitate factis, maximè quia *amor naturalis habet aliquid gratuitatis, quia per eum gratis interdum aliquid diligitur, &c. Et sic diligens Deum,* Tract. de Merit.

& ser-

& serviens ei, facit Deum revera sibi debitorem, non ex virtute, vel bonitate hujus amoris, vel servitii; sed magis ex promissione divina, qua se obligavit. Jam verò *si quæritur propter quid naturalis dilectio, vel obsequium quod ex ipsa est, non sufficit ad proprie merendum gratiam vel gloriam; respondemus quia hoc efficit paucitas bonitatis ejus, quia parva & parum intensa. Incomparabiliter enim minor est dilectione, quæ est gratiæ gratum facientis. Parum est rapiens in Deum, parum abstrahens à seipso & eis quæ sua sunt. Dilectio verò gratiæ totum in Dei gratuitam ac spontaneam possessionem transfert.* Hæc ille de dilectione Dei initiali, quam naturalem vocat, quia præcurrit veræ gratiæ, seu habituali.

Ibidem. De timore pœnæ frequenter idem id unum affirmat, *nullam ei deberi retributionem.* Eo peccari, vel pœnæ obligationem tantillam trahi nusquam dicit. Quin ipsum timorem alibi inducit Tract. de Morib. c. 2. in suas laudes ita perorantem: *Infernus mihi medicina mirifica, solo intuitu innumeras infirmitates & plagas sanans in omni anima, quam inhabito. Omnia enim vulnera & ardores carnalium desideriorum extinguo per aspectum ejus. Ego sum janitor & custos cordis humani, &c.* Vide ibi plura.

Ad tertium gratiæ efficacissimæ genus venio, ubi ipsa charitas habitualis principatum tenet roboris, simul & interiorum exteriorumque omnis generis auxiliorum exercitu vallatur. Quærit Vuillelmus, an possit justus resistere quantæcumque tentationi *absque nova gratiæ auxilio, vel ejus quam habet argumento.* De tentat. & resist. c. 4. Respondet posse, *Omnis enim virtus gratuita major est in infinitum qualibet dispositione naturali, & quolibet vitio, &c. Armatura virtutum qualiter daretur à Deo bellatoribus suis, si non esset sufficiens, &c. Ea non tam est armatura animarum, quàm robur & virtuositas intima ipsarum, &c.* Primas ergo hìc tenet charitas cum virtutibus inhabitans. Sed quia *dona virtutum & gratiarum facilè destruuntur, sive cùm deseruntur à nobis, sive cùm ea negligimus;* ideo respondet Vuillelmus, quòd *preter dona gratiarum & virtutum ipsa Dei custodia & protectio necessaria est, ipsiusque multiplicia adjutoria, quibus adjuvat pro se certantes electos.* Vides 1. ut efficaciam invictissimam derivet à gratia habituali, & à *custodia & protectione* Dei, quæ verba sunt ipsissima sancti Thomæ, 2. ut hæc sint *multiplicia adjutoria.* 3. ut non passim iis opus sit omnibus, sed ubi ingruit gravissima tentatio: 4. his juvantur *electi*, vel ad conversionem, vel ad perseverantiam.

Multiplicia hæc adjutoria illico enumerantur: 1. *est hostium effugatio, ne tentent.* 2. *hostium refrænatio, ne tentent quantum vellent & possent.* 3. *adjutorium de ipsa tentatoris forma, ut cum Evam nisi in forma serpentis non est permissus tentare.* 4. *cùm in ipsa tentatione timorem ingerit, qui est custos optimus: vel ad pugnandum provocat.* 5. *nova gratia vel augmentum prioris; bene enim negotiantibus in talentis virtutum auget Deus eadem.* 6. *cessatio tentationis.* 7. *refrigeratio ipsius.* 8. *confortatio vel Dei per se apparentis, vel per Angelum.* 9. *latificatio in molestiis.* 10. *spei datio & fiducie.* 11. *susceptio eorum qui impelluntur pene usque ad casum, ne ledantur lethaliter, sed agnoscant infirmitates suas.* 12. *susceptio fugientium ad ipsum.* 13. *debellatio hostium, quod facit Deus propria virtute extinguendo noxias cogitationes, & ardores tentationum.* 14. *forinseca tribulatio, sicut paupertas, tribulatio, ignominia, de quorum utilitatibus alibi.* 15. *memoria novissimorum, mortis & judicii venturi.* Hæc ille. 1. Quorsum hæc coacervatio, si una motio & delectatio victrix totum perficit? 2. Quorsum timor gehennæ, si delectatio justitiæ sola est invictissimè efficax? 3. Quorsum tot extrinseca adjutoria, si his demptis æquè intus consensio voluntatis fit ab omnipotente motione? 4. Quorsum mitigatio vel cessatio tentationum, si omnium æquè victrix delectatio justitiæ, vel quælibet Dei motio adest? Etsi autem quælibet *virtus* invicta & per sese victrix sit, opus est tamen justa horum auxiliorum custodia & protectione, *quia non potest pugnare tota fortitudine alicujus virtutis, neque se toto; sed partem sui semper habet contra se, &c. Licet quantum est ex fortitudine uniuscujusque virtutis, quilibet vir justus potest resistere cuicumque & quantæcumque tentationi, &c.* Eandem adjutoriorum divinorum conspirantem catervam brevius enumerat idem Vuillelmus ad calcem penè Tractatus supra laudati de Meritis.

VVILLELMUS ALTISIODORENSIS.

Ex Vvillelmo Altisiodorensi, Gratia Christi propria & specialis ea est, quæ justificat, liberat, reparat, sanat, dat vires bene operandi. Est præterea gratia generalis, qua ad eam disponimur; est & invictissima quædam prædestinatorum ad justitiam, vel ad gloriam propria.

GRatia absolutè & simpliciter Vvillelmo est fides & charitas justificans, habituque immanens animæ justi: *Opera bona sunt à tribus,* L. 2. Tract. 16. q. 1. *scilicet à libero arbitrio originaliter, & à gratia effectivè, & à Deo principaliter operante. Sunt à libero arbitrio principaliter, à gratia principalius, principalissimè à Deo. Opera autem de genere bonorum sunt à duobus tantùm, scilicet à Deo & à libero arbitrio: ut quando homo non habet nisi naturalia. Quandoque sunt à tribus, ut quando homo habet aliquam gratiam, licèt non gratum facientem, ut fidem informem, vel timorem servilem. Tunc opera de genere bonorum sunt à tribus, à libero arbitrio, à gratia, & à Deo.* Gratia hìc dicitur vel gratum faciens, vel virtus informis, utputa fides, vel timor gehennæ ante justificationem. At hæ virtutes habitus sunt. Ergo tota illa gratia habitualis est. Addè quòd gratia hìc distinguitur à Deo operante, ergo gratia hæc habitualis est. Denique etsi gratia habitualis hìc memoretur, illi tamen potiùs quàm libero arbitrio vendicatur laus boni operis. Ergo nec Deus per gratiam actualem determinare liberas voluntates rectè colligitur, etsi ab eo principaliter fit opus bonum. Quod ex hoc loco lucidissimum est: *Qui est in mortali, licèt faciat aliquid propter Deum, tamen Deus non est principale movens ad illud. Sed movetur ad illud opus faciendum, vel timore pœnæ, quam timet incurrere propter peccata; vel pro aliqua utilitate, quam intendit natura, vel fides informis. Quoniam Deus nunquam est principale movens cor hominis, nisi per fidem, spem & charitatem. Et ita nunquam est purè gratuitum opus, nisi ex gratia.* Et quà finis ultimus, & quà primum agens, ea enim duo conserta sunt, nunquam Deus movet, ut vides, nisi cùm movet per fidem formatam, seu per gratiam charitatis inhabitantis. Movet autem tunc accommodatè ad naturam habituum, scilicet inclinando, non determinando infallibiliter, quod habituum ingenio refragaretur vehementissimè. Rursus idem alibi: L. 3. Tract. 2. q. 7. *Bonis operibus meretur homo vitam æternam ex condigno, & tamen totum debet Deo attribui, quia dedit gratiam, & quia sine ipso etiam cum gratia non potest homo facere bona opera, scilicet nisi ipsi principaliter cooperetur ad illa, & moveat.* Et paulò post: *Ait Apostolus, Non ego, sed gratia Dei mecum: quasi dicat, Non ego per liberum arbitrium principaliter, sed per gratiam principaliter illud ago. Et sic non sequitur quod bona opera non sunt ab homine; imo sunt ab homine utente gratia sibi data, & merente, scilicet per gratiam datam sibi.* Et hìc quoque gratia habitualis dicitur, cùm differat ab L. 1. Tract. 12. q. 2. de merit. virtut.

actua-

actuali gratia, sive a Deo cooperante & movente. Et cùm principaliùs à gratia ista sit opus bonum, quàm à voluntate nostra, non tamen hæc gratia determinat voluntatem. Immo voluntatis est ea *uti*. Similiter ergo nec Deus determinare voluntatem dicendus est, etsi principaliùs illi arrogetur gloria boni operis tota.

L. 1 Tract. 11. q. 3. Nec minùs præclarè idem alibi: *Libertas à necessitate inevitabilitatis non est in diabolo, qui inevitabiliter peccat. Libertas à necessitate coactionis extrinseca est in omni habente liberum arbitrium. Libertas à peccato est magna libertas: quia qui facit peccatum, servus est peccati: & hæc libertas tantummodo est in bonis hominibus, quos Deus per gratiam liberat: non ut peccare non possint, sed ut peccatum eis non dominetur.* Gratia hæc utique sanctificans & habitualis est, cùm non sit nisi in bonis hominibus, quibus peccatum non dominatur, & ideo habent *magnam libertatem* hanc, ut possint non peccare mortaliter. Et rursum: *Opus meritorium semper est ex tribus, scilicet ex libero arbitrio originaliter, ex gratia elicitivè, ex Deo principaliter movente. Similiter opus de genere bonorum quandoque est ex tribus, scilicet ex libero arbitrio originaliter; ex gratia, scilicet aliqua virtute informi elicitivè, (in paucis enim contingit quod non habeant aliquam gratiam, id est, virtutem informem:) & ex Deo principaliter movente. Veruntamen quandoque opus de genere bonorum est sine omni gratia superaddita libero arbitrio: & dicimus quod liberum arbitrium per se sine gratia, est potens in bonum tale, non tamen excluso Deo, sine quo nihil tale bonum est. Ad hoc quod dicit, Sine me nihil potestis facere, sic dicimus, Sine me operante, vel cooperante. Et bene dicit, sine me, non sine gratia.* Observa hìc, 1. actuale Dei auxilium jam expressiùs memorari, quòd olim ferè supponebatur: idque notari his verbis, *non tamen excluso Deo*, nec enim antiqui Theologi id excludebant, vel cùm tacerent. Sed de eo nihil erat controversiæ, nec ea erat specialis & propria Christi gratia. 2. Ideo nec his quidem gratiæ nomine donatur illud auxilium actuale. Immo disertè dicitur *sine gratia* posse, quod sine eo non potest liberum arbitrium, nempe opera de genere bonorum. 3. Gratiæ nomine honestantur virtutes informes, fides informis, timor servilis, non illud auxilium. Ergo efficacia & vis gratiæ potissima non in eo est actuali auxilio. 4. Gratia ad opera meritoria habitualis est, cùm ad opera moralia illi respondeant virtutes informes. 5. Mox tamen concedit Vuillelmus, utcumque gratiæ nomine donari posse auxilium actuale, sed ibidem aperit, quid strictissimè gratiæ nomine vestiendum sit: *Gratia strictè & largè sumitur. Quod enim liberum arbitrium potest in opera de genere bonorum, sine gratia, gratia dicitur ibi habitus superadditus naturalibus: secundum autem quod gratia largè sumitur, pro omni gratis dato à Deo, bene concedimus, quòd liberum arbitrium non potest in opera de genere bonorum sine gratia.*

L. 2 Tract. 2. c. 1. Et idem alibi rursus quid gratia sit, ita depromit: *Remissio peccatorum est deletio culpæ, & naturaliter sequitur infusionem gratiæ tanquam effectus suam causam. Sed desertio actus peccati præcedit infusionem gratiæ, quoniam antequam gratia infundatur homini, oportet quod habilitet se ad gratiam suscipiendam.* Et quæ sit efficacia hujus gratiæ justificantis, paulò infrà: L. 2 Tract. 29. c. 1. q. 3. *Gratia facit dignum vita æterna, per hoc quod facit mundum & promptum servire Deo.* Facit ergo gratia justificans *promptum servire Deo*. Et alibi, *Ille qui est in peccato mortali, non habet absolutè impotentiam vitandi peccatum mortale. Imò simpliciter habet potentiam vitandi peccatum veniale & mortale; sed vix potest vitare per magnum tempus, quin peccet, maximè venialiter.* Igitur gratia sanctificans dat eam potestatem proximam vitandi omnia mortalia, & singula venialia, *non excluso*, sed semper supposito Dei actuali auxilio. Sed cùm hoc auxilium accommodet se formis, habitibus, viribusque, harum tantùm ratio & modus & vis vestigari solet.

Jam verò de generali gratia Vuillelmus duo quædam nos addocuit: primò *paucos* esse, qui non habeant *aliquam gratiam*, scilicet virturem informem, per quam possint in opera de genere bonorum, ut peccata vitent, & gratiæ se præparent. Secundò sine ejusmodi virtutibus informibus solum arbitrium posse aliàs hujusmodi opera elicere sine gratia, non tamen sine auxilio Dei actuali. Unde ibidem: *Ductus ab infantia ad paganos, cùm venerit ad tempus adultum, non habet impotentiam credendi? immo potest credere: quia si faceret, quod in se est, Deus illuminaret eum, & ita crederet.* Porro hic quode agitur, tum *faceret quod in se est*, si quidquid potest faceret cum actuali Dei auxilio ad vitanda peccata, saltem diutissimè, si non semper. Unde alibi idem, *Cæcus corporalis non potest facere aliquid, quo facto videat, nec potest se illuminare. Cæcus autem spiritualis licèt non possit illuminare se, tamen potest facere aliquid, quo facto sequatur, quod illuminetur. Sicut iste non potest illuminare domum, tamen potest aliquid facere quo facto domus illuminabitur; scilicet aperire fenestram. Similiter si iste aperiat ostium liberi arbitrii, id est, si faciat quod in se est, statim subintrabit lux vera, & illuminabitur spiritualiter.* Uno verbo dixerit, Si faciat quod in se est ex adjutorio actuali Dei, quod Solis instar præsto semper est, vel ex virtutibus etiam informibus fidei, & timoris, quibus pauci carent, illuminabitur gratia habituali.

Tract. 8. L. 4. c. 4. Ideo ut ibidem dicitur luculentissimè: *Liberum arbitrium magis se habet ad bonum, quàm ad malum. Quia multa juvamina habet ad bonum, scilicet Deum, delectationem, naturam, gratiam paratam. Ad malum non habet aliquod adjutorium cooperans, sicut ad bonum. Quoniam non est unus fons generalis malorum, sicut bonorum.* Primum ergo *adjutorium* ad bonum, est *Deus*, seu *fons generalis bonorum*, sive summum bonum omnia ad se trahens. Ibidem infrà: *Nullus per solum liberum arbitrium potest sibi acquirere fidem articulorum, formatam, vel informem. Per miracula tamen potest venire in fidem informem, tanquam per argumenta. Et quoniam talis fides non innititur primæ veritati, sed argumentis, non est vera fides. Est tamen aliqua illuminatio præambula ad veram fidem, ut per illam illuminationem faciat homo quod in se est.* Alibi fusè idem prosequitur gratiam, videlicet habitualem, dari facientibus quod in se est omnibus, probatque ex Scripturis, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Fidelis est Deus, negare seipsum non potest. Si quis mihi aperuerit, intrabo & cœnabo cum eo.* Ubi duplex cautela ex ipsomet Guillelmo refricanda est; Primò non sine actuali Dei auxilio facere quenquam quod in se est; immo plerumque nec sine donis gratuitis habituum informium fidei, timoris, &c. Secundò hac tota præparatione non mereri quenquam ut gratia detur, sed ad eam tamen disponi. Gratus enim Deo sit oportet, ut de eo quis bene mereatur. *Prima gratia non cadit sub merito, quia est primum principium merendi.* Ibid. c. 4.

L. 4 Tract. 4. q. 1. Ideo rursus peccanti subtrahi gratiam cùm dicitur, de gratia habituali id sumendum; peccato enim effugatur gratia: non ex deserente priùs gratia peccatum nascitur. *Quæritur, utrum qui scienter peccat mortaliter, teneatur velle, quod Deus subtrahat ei gratiam suam. Solutio. Deum subtrahere gratiam, est Deum non apponere gratiam. Deus enim non subtrahit isti gratiam per se, ita quod extinguat gratiam in isto. Sic enim Deo authore fieret iste malus. Dicimus ergo quod iste tenetur velle, quod Deus subtrahat ei gratiam modo, quando peccat.* Et alibi: *Peccatum est pœna peccati, id est, subtractio gratiæ, ex qua sequitur peccatum, est pœna peccati præcedentis, &c. Peccatum est causa subtractionis gratiæ, ex qua sequitur aliud peccatum, quoniam subtracta gratia de facili cadit homo in aliud* L. 4 Tract. 4. q. 4. Tract. 8. L. 2. c. 4. q. 1. 2.

peccatum. Sicut aliquis de facili cadit in lubrico, Ubi adverte primò non ex subtractione gratiæ peccari, sed ex peccato natura priore, subtrahi gratiam, habitualem scilicet. Secundò subtracta gratia *de facili peccari*, non semper, non necessariò; quia impius potest singula, non potest omnia vitare mortalia. Et ibidem rursum: *Deus cohibet quandoque homines ne peccent, per infirmitates, per flagella, per flagella verbi sui & similia. Et tunc verum est, quod quia Deus non permittit, homo non peccat. Quandoque autem Deus propter præcedentia peccata permittit, quod homo cadit in alia, nec cohibet ipsum: Sicut ipse dicit, Zelus meus recessit à te, non irascar tibi amplius. In hoc casu utraque istarum est vera: Quia Deus permittit, iste peccat: Quia iste peccat, Deus permittit eum peccare.* Ubi adverte primò si quem Deus peccare permittat, ob præcedentia peccata id fieri. Secundò id quoque tum fieri, non quòd gratiam, non quòd auxilium actuale Deus subtrahat, sed quia flagella abstinet, quibus ante à peccando cohibebat.

Ibid q. 4.

Tract. 29. L. 2. c. 4. Idem rursus confitetur *teneri facere ex charitate, quidquid universaliter fieri tenemur: sed qui non habet charitatem, in tali statu non tenetur facere aliquid ex charitate; sed tenetur se præparare ad gratiam suscipiendam.* Et alibi de eo qui *imperfectam charitatem habet; si perveniat ad eum casum, ut oporteat eum mortem subire pro Christo, non tenetur ad hoc primò, sed tenetur primo, ut faciat quod in se est, ad hoc, ut detur charitatis perfectio.* Adeo cordi tunc erat, nequid impossibile præcipi crederetur.

Tract. 5. L. 3. c. 5. q. 2.

Tract. 26. L. 2. c. 1. De generali rursum gratia præclarè idem: *Nobis videtur, quod nullus est, vel rarus, qui non habeat gratiam aliquam, fidem informem, vel timorem servilem, vel aliquid tale. Si tamen ponatur aliquis in solis naturalibus, dicimus, quod potest declinare à malo in hoc statu, & facere opus de genere bonorum, sine gratia naturalibus addita. Sed non sine Deo, qui est principalis actor & fons omnis boni operis, & principalis causa effectiva. Unde circumspectivè Dominus dicit, Sine me nihil potestis facere. Non dixit, Sine gratia mea.* Et alibi de virtutibus moralibus, quæ in eandem gratiarum classem cum timore servili conjici possunt: *Data sunt præcepta naturalia primo & principaliter, ut habilitent nos ad habendum virtutes politicas, ut per has veniamus ad theologas, per quas meremur.* Et infrà: *Istæ quatuor virtutes politicæ habilitant hominem ad habendum theologicas*, & præ cæteris charitatem, quæ justificat, & meriti radix est.

Tract. 7. L. 3. c. 1. q. 3.

Ibid. c. 2.

Sed quoniam inter gratias generales verissimæ gratiæ præludiorias principem ferè locum tenet timor gehennæ; hunc confitetur Guillelmus *naturalem* fore, si à sola sit hominis *imaginatione*; at *Timor servilis est ex fide informi, ideo donum est Spiritus sancti, & est utilissimus ad charitatem, & quasi medicina & habitus habilitans hominem ad sanitatem, & gratiam, dum hominem humiliat, & facit abstinere à peccato.* Et infrà: *Hæc propositio, Timens timore servili, timet magis pœnam, quàm Deum, falsa est. Quoniam timere pœnam nihil est aliud quàm timere Deum, cujus est infligere pœnam æternam impœnitentibus: sive timere justitiam Dei, vel æternum judicem.* Negat mox apud Augustinum usquam legi, quòd *timere serviliter* sit malum. Negat *importari isto termino, Timor servilis, ex vi suæ significationis, aliquam deformitatem*; quanquam certum est, quòd *in quocumque est timor servilis, in eo est peccatum mortale.* Etenim *Cùm timor servilis sit donum Spiritus sancti secundùm suum esse, stultum est in eo quod est servilis timor ponere aliquam deformitatem.* Et infrà: *Hæc propositio generaliter intellecta est falsa, Amor creaturæ qui non refertur ad finem supremum, est peccatum. Amor enim creaturæ, qui non est libido, non est peccatum. Sicut quando diligitur temporale ad necessitatem: nec eo spernitur Deus.* Similiter citra peccatum potest timeri incommodum.

Tract. 7. L. 3. c. 5. q. 1. & 2.

De tertio gratiæ genere efficacissimo ob propositum & intentionem Dei, ambigere non potuit Vuillelmus, cùm de gratuita prædestinatione tam scitè scripserit: *Deus quemcumque reprobat, justè reprobat; & quemcumque prædestinat, misericorditer prædestinat: & gratia apponitur in præsenti ex sola misericordia Dei: & justè non apponitur, si est parvulus, propter peccatum originale; si est adultus, propter peccatum originale, & actuale.* Gratia quæ electis datur, reprobis non datur, saltem in finem usque, justificans est, ut ex toto ejus contextu liquet. Sed miris modis eam Deus in electis *conservat.* Unde idem, *Prædestinatio multis modis fuit causa standi; Deus prædestinans. Quia eadem ratione, qua prædestinat, conservat, & facit perseverare.* Supra etiam docuit flagellis cohiberi multos à peccando. Hæc ergo conservatio & custodia Dei actuali & habituali gratiæ vim illam efficacissimam addit, quæ prædestinationi exequendæ necessaria est.

L. 1. c. 1. q. 2.

Ibid. q. 3.

ALBERTUS MAGNUS.

Ex Alberto Magno, Gratia specialis Christi est habitualis & sanctificans, eadem charitas, sanitas, vigor ad bona opera. Est & gratia generalis, qua summum Bonum ad se omnia trahit, & timore maximè ad gratiam præparat. Est denique gratia secundùm propositum Dei efficacissima ad justificationem impii, vel justi perseverantiam in justitia.

COloniæ primùm, postea Lutetiæ claruit Albertus Magnus Theologicæ Scholæ magisterio, Thoma Aquinate illic discipulo, hìc successore longè charissimus. Porro acceptam à majoribus doctrinam Albertus consignans posteris, gratiæ habituali scilicet eam vim tribuit, ut & peccata deleat, & peccata vitare faciat, nempe mortalia, quæ alioqui vix ac ne vix quidem vitari possint omnia. Sic ille ab Augustini verbis exorsus: *Sanitas est vera libertas, quæ non periisset, si permansisset bona voluntas; quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, ut accipiatur tota libertas. Sensus est, Non potest non peccare, id est, non potest non esse in peccato. Et hoc planè verum est, quia non liberabitur à peccato, nisi per gratiam reparantem, quæ est gratia gratum faciens. Vel secundùm Anselmum dicimur non posse, quod difficulter & non sine labore possumus. Et ideo dicitur hic non posse resistere peccato, vel non posse non peccare, quia difficile est stare infirmo, cum tentatur.* Et mox: *Verùm est, non quod sine gratia non possit aliquis resistere peccato; sed quod non sine Deo: quia in Deo vivimus, movemur, & sumus. Et nisi ipse continuè contineat, & salvet, & moveat, nihil possumus esse & operari. Sed hoc non ponit gratiam specialem.* Adverte hìc primò *gratiam* simpliciter, & *specialem*, non dici nisi eam quæ delet peccata; eam esse animæ *sanitatem, libertatem, reparatricem.* Secundò ea gratia qua sanitas, qua libertas est, addit vires, ut cum ea facilè crimina vincantur, & ideo omnia; absque ea difficilè, & ideo non diu, non omnia. Ideo ibi ait in impiis *pondus* cupiditatum esse *inclinationem, non necessitatem*; sed inclinationi jugi & vehementi quotusquisque diu reluctatur?

In l. 2. Sentent. d. 25.

Necessariam esse hanc gratiam postea evincit primò, *ut aliquid sit creatum in nobis à Deo, per quod nos Deus reputet dignos vita æterna. Id gratiam vocamus.* Scilicet ne fictitia tantùm imputatione justi dicamur magis, quàm fiamus.

Secun-

Secundò ut aliter sit Deus rebus in omnibus, aliter in Sanctis; *Necesse est in his sit per habitum*
Ibid. d. 26. *gratiæ acceptæ & infusæ ab ipso*. Adde tertiò, *quod nobilissimus spiritus Deus non conjungetur spiritali menti, nisi mediante qualitate, influxa ab ipso. Hoc gratiam vocamus*. Adde & quartò quòd *opus gratificationis est ad hoc, ut operari possimus meritoriè, & ideo necessariò in nobis ponit formam & habitum perficientem illud opus*, Subdit gratiam esse accidens, sed ut lumen à Sole, ita à Deo magis sui principio, quàm à subjecto dependens. Item ut anima ad potentias, ita gratia ad virtutes se habet, quia *gratia est habitus faciens esse bonum, & secundùm virtutes infusas perficit ad actum*. Gratiam habitum esse sæpissimè inculcat, & unà cum virtutibus infusis infundi, *Deus enim totam perfectionem secundùm esse bonum, & secundùm agere simul infundit*. Igitur cùm individuo nexu cohæreant gratia & virtutes infusæ, Deus justificando simul infundit *bonum & esse & agere*. Conglobat mox definitiones gratiæ & approbat, nec has omittit, *Gratia est sanitas, delectatio cordis, nitens in intellectu, ardens in affectu*. Item, *Gratia est vita animæ, secundùm quod vita formaliter adhæret vivo, ut forma effluxa à causa & fonte vitæ*.

Ad divisiones gratiæ jam pergit: *Gratia præveniens est, quæ omne nostrum meritum prævenit: & hæc est quæ operatur esse bonum per informationem voluntatis. Subsequens invenitur in voluntate ea quæ meretur. Quia habitum immediatè sequitur actus. Et ideo dicitur cooperans, quia liberum arbitrium in merito ministrat materiam actus; sed formam per quam est efficacia meriti, dat gratia,*
Ibidem. *quæ est in anima*. Et paulò post; *Operans dicitur gratia, quia operatur esse bonum in voluntate; & dicitur operari; sicut forma facit esse, non sicut efficiens. Hoc autem facere, quod est formæ, non est nisi diffusio sui in subjecto*, Infrà autem ait *gratiam* operantem & cooperantem esse *unam numero*; quia *forma quæ dat esse, est principium operationum*. Denique ait *non idem esse secundùm essentiam gratiam & virtutes; sed secundùm substantiam aliquo modo possunt esse idem, ut anima cum suis*
Ibid. d. 29. *potentiis*; etsi complures alii Magistri censeant *gratiam & virtutes esse omnino idem secundùm essentiam & substantiam, sed ratione differentes*. Postremò inferiùs tradit Adamum ante peccatum eguisse *gratia operante*, non quidem ut peccata oblitterarentur, uti nos; sed *ad hoc, ut formaliter secundùm gratiam bonus esset*.

Has ille, nec plures quæstiones movet & solvit, de gratia nimirum habituali, seu speciali omnes, de actuali seu generali auxilio nullas; de eo contentus quædam interspargere ex occasione data, non ex instituto agere. Usque adeo id inoleverat, & hanc esse *specialem* Christi gratiam, seu charitatem cum Spiritu sancto & virtutibus omnibus cordi infusam, justificantem, liberantem, sanantem, roborantem: & actualia Dei ut primæ causæ & summi Boni auxilia nusquam abesse, formisque omnibus & viribus habitualibus accommodari, ideoque minùs enixam esse debere illorum, quàm istarum pervestigationem.

Quæ sit autem vis & efficacia gratiæ hujus, licèt habitualis, operantis tamen & cooperantis, prævenientis & subsequentis; etiam cum libero arbitrio cooperata: docet Albertus in hunc modum; *Bene concedo, quod liberum arbitrium est*
L. 2. Sentent. d. 26. *secundarium in opere illo, tribus de causis. Primò quia gratia est primum movens, sicut habitus movet in modum inclinantis naturæ ad impetum actus alicujus, ut grave inclinat ad deorsum. Secundò quia dat formam substantialem meriti, à qua est tota meriti efficacia; actus sine illa forma positus, non esset meritorius, nec valeret ad vitam æternam. Tertia est ratio quam tangit Augustinus, quia gratia regit liberum arbitrium, & liberum arbitrium est, ut jumentum obediens. Unde Psalmus, Ut jumentum factus sum apud te*. Etenim ut idem Albertus ibidem non multò post approbat ex Anselmo, Voluntas dicitur, vel potentia, vel affectio, vel actus; potentia hæc suis affectionibus inclinatur, regitur, agitur in actus suos. Est autem gratia sanctificans affectio rectitudinis. Hinc satis patet quanta sit efficacia hujus gratiæ habitualis, quæ est primum movens, quæ est ut sessor ad jumentum. Ut ne vim infallibiliter prædeterminantem suspiceris, sicubi hæc ad gratiæ actualis auxilia deflectantur. Hic sanè Albertus & alii prisci omnes Theologi hanc comparationem gratiæ ad liberum arbitrium cum sessore ad equum, ex Augustino depromptam, gratiæ habituali vendicarunt.

De gratia autem generali sparsim ea interserit Albertus, quæ suprà relatis Scriptoribus consentiant. *Homo nihil potest esse, vel facere sine gra-* Ibid. d. 28.
tia; sed hæc non est gratia gratum faciens semper, sed potius conservatio & influentia divinæ bonitatis ad esse & operari. Sic ipse dicit, Sine me nihil potestis facere. Et mox: *Ad alia quæ objiciuntur, respondeo, quod illa non removent gratiam influentiæ divinæ, & superadditorum in naturalibus potentiis, quæ dat Deus unicuique naturæ secundùm proportionem capacitatis suæ, & talis fuit etiam gratia quam accepit Adam. Sed in homine propriè vocatur gratia, quia ordinatur ad gratiam gratum facientem; in aliis autem non propriè vocatur nomine gratiæ, sed dati, vel naturæ*. Generalis igitur hæc gratia est *conservatio & influentia divinæ bonitatis ad esse & operari, gratia influentiæ divinæ, quæ datur cuique naturæ secundùm proportionem capacitatis suæ*. Ideo minùs mirum, si de hac aliqui tacuerint, plerique omnes prisci Theologi parcissimè disseruerint, ut quæ omnibus adsit naturis, & cuique secundùm modum capacitatis suæ. Ideo nitebantur tantùm capacitatem cujusque vestigare per formas vel habitus inexistentes: gnari paremasfore mensuram hujus auxilii. 2. Hæc *influentia divinæ bonitatis* in aliis naturis vocatur *datum*, vel *natura*, quia ad naturalia tantùm opera exporrigitur: at in Angelo & homine, quia ad supernaturalia juvat, & ipsa supernaturalis est, nomine *gratiæ* donatur: quæ *propriè* gratia est, si ad inferiores naturas comparetur; non propriè, vel minùs propriè, si ad gratiam specialem. 3. Hac gratia, ut ait ibidem Albertus, *poterat primus homo stare in eo quod acceperat*: nec tamen stetit, non ergo ea infallibiliter agit. Adde quòd si tantæ vires ejus essent, facilè primas teneret, & ipsamet potius specialis esset gratia. 4. De hac gratia generali illud sumitur, *Sine me nihil potestis facere*.

De hac eadem gratia Albertus infrà: *Nullus* Ibid. d. 28.
homo quandiu est in via, destitutus est ab omni gratia adjuvante contra peccatum. Semper enim habet aliquam influentiam divinæ bonitatis, vel in timore, vel spe informi, vel fide, vel aliquo tali sublevante se: & habet etiam extra instigationem boni Angeli, quibus potest resistere peccato. En partem alteram gratiæ generalis, quæ continet habitus quosdam informes timoris, spei, fidei, verecundiæ, virtutum politicarum, quibus à peccato absterrentur, ad bonum præparantur homines. Adde & tertiam, quæ continet auxilia Angelorum, quorum in tuitione & custodia sunt singuli; item flagella, ægritudines, &c. Si his nemo mortalis destituitur, Alberti judicio, multò minùs parte prima hujus auxilii, nempe *influentia divinæ bonitatis* immediata, per quam solam sequestratis etiam aliis mox docet posse quemque non peccare. *Si tamen ponatur habere solum liberum arbitrium, videtur mihi quod adhuc potest resistere tentationi, &c. Nec probant authoritates, quod non possit resistere sine*

gra-

gratia, sed quod non potest sine Deo. Et hoc planè verum est, quia in Deo vivimus, movemur & sumus: & nisi ipse continuè contineat, & salvet, & moveat, nihil possumus esse & operari. Sed hoc non ponit gratiam specialem. Actuali ergo hoc & generali gratiæ auxilio potest quisque etiam impius vitare peccatum quodlibet; & hujus auxilii fons est *Deus, in quo vivimus, movemur & sumus*, qui omnia *continet*, sine quo non possumus *esse* vel *operari*: ut non ineptè hæc dicatur quandoque *gratia Creatoris*. Tametsi enim ex Christi meritis illa nobis perpetuetur, ubi vel ad vitanda peccata, vel ad præparandam gratiæ animam confert vel tantillum; non tamen vocatur *specialis* & *propriè* gratia Christi, nisi quæ justificantem charitatem cordibus infundit.

Si sine *gratia gratum faciente bonum velis* voluntas cujusquam, tunc ait Albertus eam non esse bonam, nisi *imperfectè & semiplenè*. Quomodo ergo implere potest mandata, quæ sola charitas impletur? Respondet dupliciter: primò *si forma, seu charitas est in præcepto, tunc non est in potestate nostra implere divina mandata: & tamen præcipiuntur nobis, quia nobis possibile est aliquid facere: quo facto habeamus potestatem ex gratia; hoc autem est facere, quod in nobis est: quia si hoc fecerimus, Deus inevitabiliter dat gratiam. Quia ipse uno modo se habet semper ad nos, scilicet gratiam porrigendo; sed nos non uno modo nos habemus ad eum, quando avertimur. Sed si convertimur, faciendo quod in nobis est, statim accipimus. Quia igitur antecedens in nostra potestate est, ideo etiam consequens imperatur nobis.* Ibid. d. 29. Respondet secundò: *Si forma non est in præcepto, tunc possumus mandata Dei implere, sed non habebimus meritum vitæ æternæ, sed evitabimus pœnam.* Addit denique: *Sed mandata dilectionis Dei & proximi, ad quæ referuntur mandata decalogi, sicut ad formam, non possumus implere: quia illa sunt de forma mandati potiùs, quàm de mandato ipso.* Quoad hæc igitur videtur primæ responsioni hærere.

Primam porrò gratiam, scilicet habitualem, per sola gratiæ generalis auxilia nemo meretur: *Primam gratiam nullus sibi, nec de condigno, nec de congruo omnino potest mereri. Quia antequam habeat gratiam, non est dignus pane quo vescitur.* Ibidem.

De timore gehennæ, qui inter gratiæ generalis dona & habitus primum locum ferè tenet, ita sentit Albertus; esse *donum* Spiritus sancti, saltem secundæ cujusdam classis. Naturam *non sufficere* ad hunc timorem, quia *sola fides ostendit pœnas inferni*. Et rursum: *Timor servilis donum Dei est, donum accipiendo generaliter de omnibus quæ dantur à Deo, & sunt supra naturam, ad ordinandum vitam in bonum gratiæ. Sicut ergo fides informis est donum Dei, ita timor servilis est donum Dei. Bonus est, quia removet ab actu peccati: utilis est, quia introducit charitatem. Paulatim enim retrodendo ab actu peccati, removetur etiam peccati placentia, & introducitur amor Dei.* L. 3. Sentent. d. 15. Ita terrenæ concupiscentiæ timor iste bellum infert, non aliter scilicet quàm materiam & alimenta subtrahendo, ut inedia extabescat tandem. Quia autem timor videtur quasi pullulascere ex amore aliquo, confitetur Albertus, hunc prodire ab *amore naturali propriè boni*; utque de timore naturali idem ibi docet, ita hic amor naturalis *nec bonus, nec malus est*. Non inde ergo habet hic timor, ut malus sit; ut bonus autem sit, habet à fide informi, à qua prodit; & à Deo, à quo datur.

Tertium postremò gratiæ genus non omnino intactum reliquit Albertus, ubi quærenti *an beneficia multiplicia quæ non omnia cadunt in ratione gratiæ gratum facientis, quæ tamen liberant ab aliquibus malis, sint* effectus prædestinationis? Nam ex Machab. *l. 2. c. 6.* peccatores pœna præsenti cohibere, *extremi beneficii indicium est*. Ibid. l. 1. d. 40. Respondet: *Prædestinatio non est propriè nisi gratiæ & gloriæ, & alia sunt indirectè operantia ad liberationem, sicut satisfaciendo, vel humiliando, &c.* Ergo prædestinatio est *præparatio gratiæ*, scilicet *gratum facientis*: sed est etiam *præparatio beneficiorum*, nempe *multiplicium*, quibus utcumque vel *indirectè* liberantur electi. Et mox: *Prædestinatio non compellit ad virtutem, sed tamen finaliter facit eam in liberè acceptante & volente. Quia licèt non cogatur accipere eam, tamen inevitabiliter inclinabit voluntatem ad accipiendum eam.* Illa enim *multiplicitas* auxiliorum quamlibet pertinacem *finaliter* vincet, & *inclinabit* voluntatem.

Et ibidem rursum Albertus: *Non est in præscientia & prædestinatione certitudo demonstrationis, quia non sunt causa per quas inferri possit salus de necessitate rei, sed de necessitate consequentiæ, ut suprà diximus de infallibilitate præscientiæ divinæ.* Si quo autem infallibiliter prædeterminante auxilio perficeretur prædestinatio, esset ibi & certitudo demonstrationis, & rei necessitas, non sola consequentis, non modò ut in præscientia. An autem prædestinatus possit finaliter peccare, exponit inferiùs distinguendo per sensum *compositum* & *divisum*, per necessitatem *consequentis* & *consequentiæ*. At an motus à gratia possit dissentire, nec Albertus, nec Thomas, nec alius quisquam tunc laborabat inquirere, vel his distinctionibus elucidare. Usque adeo in mentem illis non venerat gratiæ prædeterminantis discussio. Discrimen autem prædestinationis & gratiæ hac in re non tacet Albertus: *Prædestinatio non inest absolutè rei, sed rei comparatæ ad aliud. Et propterea eo malo quo inest, non tollit potentiam ad contrarium, quia non tollit liberi arbitrii flexibilitatem. Sed sic non est, cum dicitur, Cygnus potest esse niger.* At gratia non est in homine comparatè ad aliud, ut prædestinatio, ut præscientia: sed absolutè, ut accidens in subjecto, albedo in cygno.

ALEXANDER DE ALES.

Ex: Alexandro Alensi specialis & maximè propria Christi gratia, medicinalis, liberatrix, dilectio justitiæ, est gratia habitualis. Est præterea & gratia generalis.

ACademiæ Parisiensis ingens decus Alexander Alensis, & in Magistri vestigiis hæsit ipse, & ea scripsit, quæ discipuli longè celeberrimi Thomas & Bonaventura sectarentur. Quærens ergo ille, *creatum, an increatum quid sit gratia in habente eam?* sic demum concludit: 2. Part. q. 69. mem. 2. art. 2. *Dicendum quod est gratia creata & increata in habente eam. Gratia increata est Spiritus sanctus secundùm quod dicitur donum: & dicitur donum, secundùm quod dicitur amor, &c. Spiritus enim sanctus facit nos gratos, quia facit nos Deiformes: hoc autem facit, quia amor est: Quia ergo Spiritus sanctus amor est, immò & virtus prima amoris: inde est, quod cum datur nobis, transformat nos in divinam speciem, ut sit ipsa anima assimilata Deo. Ex alia parte debemus intelligere gratiam creatam velut similitudinem & dispositionem ex parte animæ rationalis, ex qua habet quod sit accepta Deo & assimilata. Quia ibi est forma transformans, & hæc est gratia increata: similiter ibi est forma transformata, quæ derelinquitur in transformato, videlicet in anima ex transformatione, & hæc est gratia creata.* Gratia hæc creata, ut perspicuum est, habitualis est gratia, quæ

Deo assimilat, acceptum facit, quæ in Deum transformat, per quam, ut mox ait, gratia increata *unitur* & inhospitatur animæ justificatorum.

Quærit rursus Alensis, an gratia sit substantia, vel accidens? & respondet: *Quantum ad primum esse animæ, quod est esse naturæ, gratia est accidens, quia est dispositio adveniens animæ post completionem illius, quantum ad illud esse. Quantum ad secundum esse, quod est bene esse, vel esse ordinis, gratia est dispositio substantialis, non tamen substantia.* Est enim gratia quasi substantia ipsa novæ creaturæ. Et ibidem: *Destruitur gratia ex defectu sui subjecti, quod est liberum arbitrium. Deficit autem ipsi liberum arbitrium, quando dissentit gratia per peccatum, consentiendo peccato.* Ibid. art. 3.

Quærit rursum, quo *gratia & virtus* differant. Respondet, *Sicut se habet esse ad operari, & bene esse ad bene operari, sic gratia & virtus. Nam quo anima bene est, gratia est; quo bene operatur, virtus est. Quamvis ergo secundùm substantiam & rem sint idem gratia & virtus, non tamen secundùm esse & rationem, &c. Quæ comparatio animæ ad suas vires, eadem gratiæ ad virtutes, &c. Lumen & radius sunt idem, differunt tamen, &c. In anima lumen est gratia, radius virtus. Per fidem intelligimus radium, dirigentem vim rationabilem in primam veritatem. Charitas est radius, per quem dirigitur concupiscibilis ad summam bonitatem. Spes est radius, per quem dirigitur irascibilis in summam majestatem.* Denique *gratia & virtus sunt idem substantialiter, & propter hoc quod est unius, attribuitur alteri.* Quibus palam est gratiam habitualem significari. Sed idem ex definitionibus patet gratiæ, quas mox coacervat: *Gratia est cordis delectatio. Gratia est sanitas. Gratia est justificatio. Gratia est quidam motor, vel quidam nitor animæ ad conciliandum sanctum amorem. Gratia est gratis data, gratum faciens habentem, & gratum reddens opus propter beatitudinem. Gratia est habitus mentis, universaliter totius vitæ ordinativus.* Cui postremæ definitioni magis acquiescit. Ibid. art. 4. Ibid. art. 5.

Differentias verò gratiæ vestigare adgressus hæc habet: *Non multiplicatur per formas differentes in quantum gratia est, tamen habet diversos effectus, quos derelinquit in anima. Præparat enim voluntatem ad bonum, ut ipsum velit: item addit facultatem, ut possit illud operari, ne frustra velit.* Et infrà: *Gratia præveniens, qua boni sumus: subsequens, qua bonum operamur. Unde secundum hoc gratia præveniens informat ipsam animam: subsequens ipsum liberum arbitrium, ad operandum bonum.* Et ibidem: *In parvulis non est gratia secundùm actum, sed in habitu: quia illa eadem gratia quæ modo est in parvulo, erit operans & cooperans, quando operabitur & habebit usum liberi arbitrii.* Non possunt hæc nisi de gratia sanctificante & habituali intelligi. Ita & postea gratiam Adami & nostram ejusdem fuisse generis censet, etsi *per accidens* ista morbum pellat, non illa. Similiter in parvulo & adulto gratiam docet esse eandem. *Gratia in adulto & parvulo non differt secundùm essentiam, quamvis operetur aliquid in adulto, quod non operatur in parvulo. Hoc enim est propter diversitatem, non quæ sit in gratia, sed ex parte suscipientis; quia in parvulo est ratio ligata quantum ad usum, & arbitrium voluntatis ligatum, in adulto expeditum; sed gratia operatur in recipiente secundùm capacitatem recipientis. Quia ergo parvulus est tantùm capabilis informationis, adultus autem est capabilis informationis & operationis: propter hoc gratia est in parvulo solum ad informationem, in adulto autem ad informationem & operationem.* De una habituali gratia hæc dicuntur. Ibid. memb. 3. artic. Ibid. art. 2. Ibid. art. 5.

Effectus ejusdem gratiæ hos exequitur, *Purgare, illuminare, perficere: vivificare, assimilare, gratificare: justificare, excitare, motus meritorios elicere.* Sed ipsum audiamus Alensem luculentissimè hæc edisserentem: *Gratia comparatur ad animam, & ut vita, & ut motor, & ut lux. Quia ergo gratia est similitudo summæ veritatis, sic comparatur, ut lux. Quia est similitudo summæ bonitatis, sic comparatur, ut vita. Quia est similitudo potestatis & virtutis, sic comparatur, ut motor arbitrii ad animum. Potentia autem attribuitur Patri, veritas Filio, bonitas Spiritui sancto. Et ideo gratia est similitudo totius Trinitatis. Secundùm quod comparatur ut lux, ut est similitudo primæ veritatis, sumuntur tres effectus gratiæ. Secundùm quod comparatur ut vita, eo quod est similitudo summæ bonitatis, sumuntur tres alii effectus. Secundùm verò quod comparatur ut motor, scilicet eo quod est similitudo summæ potestatis, seu virtutis, tres sunt ejus effectus, justificare, excitare, motus meritorios elicere. Excitare est effectus gratiæ circa liberum arbitrium, (quod gerit similitudinem divinæ potestatis, eo quod non potest cogi,) quoad rationem: justificare, quoad voluntatem: motus meritorios elicere, quoad facultatem. Unde gratia movet voluntatem per justificationem, &c. Unde tria hæc, bonum cogitare, velle, perficere, gratia operatur in nobis.* Denique voluntatem justificari ait, dum *gratia immutando malam voluntatem, nos sibi per affectum jungit.* Est enim justificatio inspiratio bonæ voluntatis, seu affectus rectitudinis. De gratia justificante & habituali constantissimè hæc dicuntur. Et tamen illa *motor* est liberi arbitrii. Movet enim ad bona, à malis removet. Ibid. memb. 1. artic. 4.

Ideo paulò post quærit, an gratia in præsenti vita faciat nos esse sine peccato. *Et ex Augustini* sententia respondet per gratiam vivere posse sine crimine, non sine peccato, nempe justos. Ad justificatos enim tantùm ea quæstio & responsio Augustini pertinet. Ergo & gratia hic ea intelligitur, quæ justificatorum propria est, adeoque habitualis, non actualis. En Alensis verba: *Potest per gratiam assistentem eligere bonum & vitare quodlibet malum in singulari, sed non quodlibet malum in universali. Quia potest per ipsam vitare hoc verbum otiosum, & hunc motum concupiscentiæ carnalis, & sic quodlibet singulariter per se: sed non potest vitare omne peccatum, vel concupiscentiam in universali. Sicut si navis aliqua esset perforata centum foraminibus, &c.* Ibid. memb.

Denique effectus gratiæ inter se componens, ait hoc præire in gratia, quòd sit *vita animæ, quia est configuratio animæ ad summam bonitatem, quæ est Spiritus sanctus; deinde ex illa configuratione est nobis communio totius Trinitatis. Consequens configuratio est ad primam veritatem, quâ gratia lux est. Ultima configuratio est ad potentiam Patris, quâ gratia motor est.* Eo ordine ait effectus gratiæ digerendos, ut prius vivificet, tum illuminet, denique moveat ad bene vivendum. Hæc omnia uni consentiunt gratiæ inhabitanti. Ideo mox ait eodem instanti secundùm substantiam, non secundùm rationem in aliquo *desinere peccatum, & gratiam incipere esse.* Vide & quæstionem sequentem, ubi & inter virtutes gratiam penè locat, ut hæc substantiam animæ, illæ potentias insideant. Ibid. art. 5.

Nunc flectamus calamum ad gratiam generalem; sic Alensis de ea: *Non est in potestate nostra tanquam efficiente, diligere Deum super omnia; est tamen istud in potestate nostra tanquam præparante, faciendo quod in se est.* Et alibi: *Fuit culpa gentium, quibus dominabantur Angeli, quæ non præparaverunt se, & noluerunt recipere illuminationem per legem, quam Angeli ministrassent,* Par. 3. q. 17. mem. 4. artic. Ibid. qu. 18. mem. 1. art. 4.

si se

si se præparassent, ut ait Dionysius. Et rursum: *Non habens gratiam, etsi non habeat potestatem ad opera gratiæ, habet tamen facultatem faciendi quod in se est, ut habeat gratiam; ex qua est potestas ad opera gratiæ.* Et alibi: *Duplex est meritum, scilicet interpretativum, & meritum congrui vel condigni. Meritum interpretativum appellatur, quando non est aliqua condignitas in recipiente, & tamen exhibet Deus donum suum ex sua liberalitate, ac si ille meruisset, & tamen non meruit. Cum ergo ait Propheta, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, non probat aliquod debitum, sed solùm est declaratio divinæ bonitatis; quia sua liberalitas tanta est, quòd non negabit se, si aliquis faciat quod in se est, etiamsi sit existens in peccato mortali. Sed hoc non erit propter ea quæ facit, sed propter liberalitatem dantis.* Et infrà: *Concedendum quod si homo faciat quod in se est, Deus dat ei gratiam, & etiam necessariò, id est, immutabiliter. Sicut Sol immutabiliter dat lumen suum omni volenti recipere, &c. Et hæc est laus liberalitatis Dei, quod ipsa est immutabilis, & negare se non potest, volenti eam recipere.* Et ibidem: *Nullus potest sufficienter se disponere ad gratiam, nisi Deus ipsum disponat: sed si faciat quod in se est, consequitur dispositio divini adjutorii.* Et ibidem quid sit facere quod in se est: *In quolibet homine per naturam est recta ratio, & hæc rectitudo est notio boni indita à creatione, qua quælibet anima potest cognoscere suum principium, scilicet Deum, & scit se non semper fuisse, & scit quod ab illo debet petere bonum, & quod per illum debent suppleri sui defectus. Si ergo secundum istam notionem operetur homo arbitrio suo, recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium, & quem scit esse orandum sibi, & petat ab eo lumen fidei & boni, dabitur ei, & sic faciet quod in se est.* Et mox: *Naturalis rectitudo semper contradicit peccato.* Liquet ergo omnes posse ad gratiam sanctificantem se præparare, faciendo quod in se est, non sine auxilio Dei actuali; suam æternam legem suique notitiam omnibus imprimentis, & aversationem mali, cupidinem boni; & hæc initia motionibus actualibus adjuvantis, quarum nemo hominum omnino expers est. Unde mox: *Lux prima quæ est bonitas summa, semper radiat super creaturam, non semper recipitur, quia creatura est indisposita, &c. Deus semper porrigit omnibus gratiam suam, non tamen omnes extendunt manum, id est, voluntatem, ut eam recipiant.* Et rursum, *Recta ratio in infidelibus est gratia gratis data & disponens, licèt insit naturaliter. Hæc facit eos cogitare quod Deus creator est, & bonus, & colendus. Sic excitat ad amorem & timorem ipsius.* Quibus in omnibus illud universaliter retinendum, hæc dici *non excluso* actuali Dei auxilio, quod causis omnibus naturali supernaturalique pro earum modo opitulatione & cooperatione adest. Sed quia omnibus præsto est, eo non excluso, eo semper subintellecto, de viribus causarum secundarum inquiritur, quibus attemperabit se motio & præmotio summi boni.

Ibid. q. 61. mem. 1. art. 1.

Ibid. q. 61. mem. 5. art. 2.

Ibid. art. 5.

Ibid. art. 4.

Ibid. mem. 6. art. 3.

Quoniam autem inter gratias generales locum habent non extremum virtutes morales, & inter eas potissimum timor gehennæ: hunc docet Alensis esse *donum Spiritus sancti*, quatenus *timetur pœna per se, vel timetur Deus, ne puniat æternaliter, & ita facit resilire à peccato:* non quatenus *excludit amorem justitiæ*, & conjunctam habet *voluntatem peccandi, si adesset impunitas.* Sed amorem justitiæ excludit, ut ad eum præparans, & illum introducens: voluntatem peccandi conjunctam habet, sed *habitu*, *actu* verò conjunctam habet voluntatem non peccandi. Denique hoc timore non plus timetur pœna, quàm Deus: sed unus timetur Deus, ut pœnam inferens. Denique *timere serviliter est facere bonum de genere bonorum, sed non bene, quia non cum debita circumstantia, scilicet non cum charitate.* At facere ex charitate non tenetur nisi *qui potest*: qui est autem in peccato mortali, id *non potest, quia non habet gratiam* habitualem: tenetur ergo tantùm ad charitatem se præparare, quod potest & facit per timorem.

Tert. part. q. 66.

Denique tertium gratiæ genus non tacetur ab Alensi, cùm quærit an *gratia moveat voluntatem spontaneè, vel coactè.* Et violentiam quandam fieri probat his locis, *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Compelle eos intrare, ut impleatur domus mea. Nostras rebelles compelle propitius voluntates.* Qui extremus locus in solemni canitur Ecclesiæ prece. *Compulsionem* mox distinguit duplicem, *passivam*, ubi invitus & citra consensum suum quis cogitur: & *activam*, ubi per *timorem & dolorem* adducitur quis consentire & velle, quod nolebat. *Gratia ergo nunquam compellit liberum arbitrium ad bonum compulsione passiva; quamvis aliquando compulsione activa ipsum compellat, quia aliquando movet ipsum per dolores & timores, ut convertatur ad bonum. Unde Bernardus: Hoc quippe intendit, cùm terret & percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos.* Ubi observa 1. efficacissimam hìc esse gratiam, quæ *trahit, compellit rebelles etiam voluntates.* 2. Ibi principari verissimam gratiam, de qua totus Alensis, scilicet charitatem: sed efficaciam illi accumulari per *timorem* intrinsecùs, per *dolorem* extrinsecùs: ita conspiratione plurium simul auxiliorum constare efficaciam gratiæ: immò ex Bernardo *terreri & percuti* nos, ut consentiamus. 3. Scitè Alensem dicere, ita fieri *aliquando*, scilicet cùm voluntas ex mala in bonam mutanda, cùm gravissima tentatio superanda est, cùm in bono perseverandum. Nec enim par moles difficultatis superanda ubique est.

Ibid. q. 61. m. 6. art. 4.

S. THOMAS AQUINAS.

Ex sancto Thoma Aquinate, ostenditur gratiam Christi propriam, medicinalem, liberatricem, sanantem, specialem, eam denique de qua potissimùm confligebat Augustinus cum Pelagio, esse gratiam habitualem. Summa ejus rationum ex Summa Theologica, ubi ex occasione agitur & de gratia generali.

QUòd Christi *propriè gratia* & medicinalis, & sanans, & liberatrix, de qua cum Pelagio confligebat Ecclesia, habitualis gratia & charitas sit, constanter docet sanctus Thomas in Magistrum. Ubi quærens *an homo sine gratia possit facere aliquod bonum*, tres recenset sententias. Primò Manichæorum, qui ajebant hominem *necessitate peccare*, & ita liberum tollebant arbitrium. Nec enim homo liberi esset arbitrii, *nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.* Secundò Pelagianorum, qui ajebant hominem *per liberum arbitrium quodlibet opus bonum posse sine gratia superaddita, etiam in opus meritorium.* Tertiò Catholicorum, *Ideo secundùm fidem Catholicam in medio contrariarum hæresum incedendum est, ut scilicet dicamus hominem per liberum arbitrium & bona & mala facere posse, non tamen in actum meritorium exire sine habitu gratiæ.* Et infrà: *Homo in peccato mortali existens, non potest se à peccato præterito absolvere, nisi per gratiam liberetur. Et in hoc errabat Pelagius, æstimans hominem propriis viribus sine gratia posse se à peccatis præteritis absolvere satisfaciendo.* Gratiam ibidem mox ipsemet interpretatur *habitum infusum.* Et infrà rursum *sine habitu infuso* gratiæ negat impleri posse præcepta secundùm intentionem Dei præcipientis, hoc est,

Li 2. Sent. d. 28. q. 1. art. 1.

Ibid. art. 2.

Ibid. art. 3.

memoriè ex chamate : *Et inde Pelagius erravit, qui simpliciter impleri præcepta legis posse sine gratia posuit.* Quapropter minùs jam mirum est, si idem alibi scribat, *Communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali justificante*, Jam indè enim ab ævo Augustini & Pelagii id inoleverat apud fideles. Denique in Summa Theologica similiter docet, ut in statu naturæ corruptæ impleat quis *omnia* præcepta, etiam secundùm substantiam operis, opus esse *gratia sanante*, præter actualem gratiam, quam vocat *auxilium Dei moventis*. At verò ut ibidem ait, *Hoc pertinebat ad hæresin Pelagianorum, ut Augustinus dicit in libro de Hæresibus, ut credant sine gratia hominem posse facere omnia divina mandata*. Ergo ea erat hæresis Pelagii, quòd gratiæ sananti, seu habituali adversaretur.

De verit. q. 24 art. 14.

1 2 q 109. art. 4.

Sed idem rursus apertius fit, ex eo quòd sancto Thomæ gratia habitualis ea sit, quæ sanans, reparatrix, medicinalis Augustino est, & dilectio justitiæ. Itaque *virtute gratuita superaddita virtuti naturæ*, nunc indiget homo post peccatum Adæ, etiam *ut sanetur*, & præterea ut opera ejus sint meritoria: Adamus ante peccatum indigebat tantùm, ut opera ejus essent meritoria. Sed in utroque statu opus est auxilio Dei moventis præterea. Rursum, non ante peccatum Adæ, sed nunc voluntas corrupta *sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei*. Etenim in utroque statu ad diligendum Deum opus est auxilio Dei moventis; sed *in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis*. Illa autem habitualis charitas *addit promptitudinem quandam & delectationem, sicut habitus quilibet virtutis, &c.* Et rursum nequidem quoad substantiam operum *omnia* impleri mandata nunc posse docet *sine gratia sanante*, quam ait Augustino illam esse, *non solùm qua monstrante, quid faciendum sit, sciant; verùm etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione, quod sciunt*. Illa ergo dilectio, delectatioque justitiæ apud Augustinum, illa gratia medicinalis & sanans, charitas habitualis est. Rursus ut homo à peccato resurgat, opus esse ait gratia justificante & habituali: *Cùm enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari, nisi Deo denuo illustrante; unde requiritur habituale donum, quod est gratiæ lumen. Similiter ordo naturæ reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente*. Ibidem per gratiam habitualem inculcat sanari, reparari hominem, resuscitari, *sicut si mortuo corpori resuscitando denuo infunderetur anima*. Igitur gratia habitualis est, quæ hominem illustrat, reparat, Deo subjicit, ad Deum trahit, resuscitat. Rursum nunc in statu corruptæ naturæ opus esse tradit *gratia habituali sanante*; opus esse, ut *reparetur per gratiam justificantem*; opus esse, ut *per gratiam ad debitum ordinem reparetur*, quo *diu maneat absque peccato, vel omnino à peccato abstineat*.

1 2 q 109. art. 9.

Ibid. art. 7.

Ibid. art. 3.

Ibid. art. 4.

Ant. 8.

Quia enim *non potest ratio semper esse pervigil*, quia non potest semper esse *in tali præmeditatione*, non potest contingere, ut diu permaneat, quin operetur *secundùm consequentiam voluntatis deordinatæ à Deo*, & secundùm *habitum præexistentem*, nisi citò per gratiam sanetur: qua fiat, *ut habeat cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, ab eo separari velit*. Quibus abundè patet gratiam habitualem eam esse, quæ propria Dei gratia est, sanans, reparans, & Deo voluntatem affigens.

Ejusdem salivæ sunt, quæ in Summæ Theologicæ quæstionibus & articulis aliis de gratia idem disputat, Ubique auxilium Dei moventis vix nomine gratiæ dignatur; Gratia absolutè & simpliciter non alia illi est, quàm habitualis. At si quod actuale auxilium invictissimè efficax admitteret, huic potiùs nomen gratiæ Christi reservaret.

1 2. q. 109. art. 6c.

2. Ubique *ex puris naturalibus, ex viribus naturæ* fieri ab eo dicitur, quod fit cum auxilio Dei moventis, sine gratia habituali.

3. Ubique supernaturalia non dicuntur, nisi quæ à justificatis fiunt bona; ubique justificatio orditur & inchoat esse supernaturale.

Ibidem.

4. Ubique auxilium actuale omne, à primo movente, à causa universali proficisci dicitur. Non ergo ea est gratia Christi propria & efficacissima, aut medicinalis.

Ibidem.

5. Auxilium illud actuale, cùm à primo movente sit & à causa universali, omnia ad se convertente, utique omnibus datur. At gratia Christi efficacissima non datur omnibus.

6. Motio primi moventis æquè est necessaria ad effectus naturales, ac supernaturales; ad necessarios, atque ad liberos; ad malos, atque ad bonos actus, ut sanctus Doctor ubique docet. Non ergo inde repetenda est propria Christi gratia.

7. Auxilium Dei moventis æquè necessarium erat Adamo innocenti, ac nobis; at Christi gratia non erat illi necessaria. Eidem sancto Thomæ etiam ad cognoscendum quodcumque verum, opus est auxilio Dei moventis. At ad id non est necessaria Christi propriè gratia.

8. Si auxilium illud Dei moventis esset invictissimè prædeterminans, & infallibiliter efficax, æquè sine gratia habituali sufficeret impio ad vitanda omnia, atque ad vitanda singula crimina. Æquè item sufficeret justo ad vitanda omnia, atque ad vitanda singula venialia. Æquè utrique sufficeret, ut diu & semper, atque ut aliquandiu vigilaret quis, & præmeditaretur, & conaretur. Et vicissim eo denegato, nec ad singula posset, qui non posset ad omnia; nec brevi posset, qui non semper.

2. 2. q. 10. art. 4. 5.

9. Per illud idem auxilium actuale & infallibiliter prædeterminaret, æquè pares essent vires justi ad perseverantiam usque in finem, atque ad quodlibet opus bonum.

1 2 q. 109. art. 10.

10. Augustini *Auxilium quo* in libro de Correptione & gratia, quo *invictissimè* agitur homo à Deo, restringit sanctus Thomas ad solam perseverantiam, prout sonant Augustini verba liquidissimè.

Ibid. alt.

11. Auxilium gratiæ actualis, perinde ut habitualis, non aliud & aliud, sed idem prorsus homini stanti & lapso necessarium fuisse ait, sed stanti ob unam rationem, lapso ob duplicem. Gratia habitualis homini stanti necessaria erat, ut ad esse supernaturale elevaretur, lapso præterea necessaria est *speciali ratione*, ut sanetur; sed una & eadem. Auxilium actuale homini stanti opus erat, generali ratione, ut causa secunda moveretur à prima; lapso necessarium est *speciali ratione*, quia nondum omnino & perfectè sanus est; sed unum & idem. Nec unquam duo distinguit sanctus Thomas.

1 2 q. 109. art. 2. 3. 4.

12. Homini lapso certè opus esse docet à Deo *dirigi, protegi, conservari*, ob ignorantiam crebram, ob tentationes varias, &c. Sed illis verbis auxilium infallibiliter prædeterminans significari nemo sobrius dixerit. Nec rem tanti momenti tam paucis & tam alienis ab eo sensu verbis dixisset sanctus Thomas.

1 2 q. 109. art. 9. 10.

13. Si quibus denegatur gratia habitualis, eos ait non excusari, quia non se præparaverunt ad eam consequendam: nempe per auxilium actuale. Ergo affuit omnibus hoc auxilium: & inefficax in plerisque saltem fuit. Nam si potuit

1 2 q. 109. art. 8. ad 2.

nega-

negati, poterat & habitualis gratia multò æquiùs.

1.2. q. 111. art. 3. 3. 14. Gratia tàm habitualis, quàm actualis, immò magis propriè habitualis, quàm actualis, dividitur à sancto Thoma in prævenientem & subsequentem, operantem & cooperantem, excitantem & adjuvantem. At si actualis esset infallibiliter prædeterminans, illi uni hæ divisiones competerent; aut non promiscuè illi, & habituali concederentur; non saltem huic magis, quàm illi.

15. Et hæ divisiones gratiæ indiscriminatim ferè locum habent ante & post peccatum. At ante peccatum nulla erat infallibiliter prædeterminans.

1.2. q. 112. art. 3. ad 1. 16. Quæ gratia Augustino efficacior, quàm quæ ad animam se habet, ut sessor ad equum? Atqui ea est sancto Thomæ gratia habitualis.

1.2. q. 112. art. 3. ad 1. 17. Justo negari à Deo non potest auxilium actuale; at id justo, ubi peccat, inefficax est. Ergo non est infallibiliter prædeterminans.

1.2. q. 9. art. 6. 18. *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum. Et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum.* Ergo non determinat universalis motor Deus voluntatem, sed ipsa à Deo mota ad *bonum universale*, quod non aliud est quàm ipse *Deus*, ut ibidem in corp. art. habetur, *determinat se ad volendum hoc, vel illud.*

19. Si autem ibi mox additur, *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infrà dicetur*: non hinc colligitur infallibiliter determinari per gratiam voluntates. Sed per *gratiam* absolutè & simpliciter intelligit sanctus Doctor habitualem, per quam movet, & inclinat Deus voluntates nostras ad seipsum. In omnibus enim articulis ejus de gratia, vel in Summa Theologica, vel alibi, *gratia* simpliciter non est, nisi habitualis: Et per eam Deus *movet* voluntates. Adde quòd in hoc loco quem versamus, vox *determinatè* in objectum cadit, ad quod Deus movet; non in voluntatem, quasi eam infallibiliter determinet. Denique etsi per gratiam Deus determinet, id est, moveat ad bonum aliquod determinatum, purà amorem justitiæ, non tamen determinat infallibiliter voluntatem, ut nunquam resiliat.

20. Nusquam sanctus Doctor objicit sibi, quomodo voluntas auxilio infallibiliter prædeterminante mota, possit dissentire; vel eo destituta, possit non peccare. Nusquam apud eum mentio sensus compositi & divisi in hac parte. At tam gravis difficultas non potuisset omitti intacta à tanto Theologo in tanta congerie operum Theologicorum, in tanta objectionum præ hac levidensium farragine.

21. Et meminit quidem sanctus Thomas sensus compositi & divisi in negotio prædestinationis; & in quæstione ea, An possit prædestinatus perire, reprobari: sed perinde hoc esse ait ac de præscientia & providentia Dei, quæ nihil ponit in voluntate, vel non eam determinat. At in necessitate eventuum, quæ obtenditur ex præscientia Dei, nihil difficultatis est, & sensui composito ac diviso omnes acquiescunt. Quia præscientia divina in Deo est, extra voluntates nostras est, nihil in his ponit, quod earum libertati insidietur. At similiter *prædestinatio non ponit aliquid in prædestinato.*

1. P. q. 23. art. 6. ad 3. Ibid. art. 2. 1.2. q. 10. art. 4. 22. Quod autem alibi dicit sanctus Thomas, *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur;* præsto est ibidem in corpore articuli elucidatio & responsio limpidissima, *Quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.* Ergo si Deus non determinat ad unum voluntates nostras, & tamen impossibile est quòd non moveantur ad id, ad quod Deus illas movet, id eò fit, quia ut idem dicit, *intentio Dei deficere non potest.* Per plura enim auxilia, quæ sigillatim frustrabilia sunt, collectim rem perficit; & ita motio potest deficere, non *intentio.* 1.2. q. 112. art. 3.

23. Enimverò cùm *intentioni* Dei efficaciam invictissimam tribuat, non motioni, palam est intentionem invictissimam per plures motiones perfici posse, etsi hæ singulæ sint frustrabiles. *Si ex intentione Dei moventis est, quod homo cujus cor movet, gratiam consequatur, ipsam infallibiliter consequitur.*

24. Ita ad duo tantùm, nempe ad justificationem & perseverantiam, infallibiliter efficax est Dei motio, vel potiùs intentio. De justificatione fidem faciunt verba paulò antè relata. De perseverantia idem asserit sanctus Thomas, cùm ait *divino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum impulsus, custodiri aliquem à malo usque ad finem vitæ, &c. concedi domum gratiæ, quo perseverare possit; & ulteriùs dari, quod perseveret.* 1.2. q. 119. art. ult.

25. Si quas etiam peculiares ad actiones, vel gravlorum tentationum victorias præmovere justos intentio Dei sit, ad id quoque efficacissimo Dei auxilio & infallibili opus erit, cui subscribit sanctus Thomas paulò superiùs, cum ait propter residuam in justis carnis infectionem, ignorantiam, instabilitatem, opus esse, ut *à Deo dirigamur & protegamur*, & oremus, *ne nos inducat in tentationem.* Quod auxilium aut non ad singulos actus necessarium erit; nec enim omni puncto temporis imminet vel tentatio, vel ignorantia: aut certè si ad singulos actus bonos necessarium est, cùm id in eo sit, ut Deus dirigat, & protegat, non eo fiet, ut ad bonum opus infallibiliter applicetur voluntas; sed ut tentatio vel temperetur, vel antevertatur, quæ si gravissima incumberet, humana voluntas fatisceret. Ibid. art. 10.

26. Eodem pertinet & illud quod alibi ait: *Possumus considerare charitatem ex parte Spiritus sancti moventis animam ad diligendum Deum. Ea ex parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando. Nam donum perseverantiæ computatur inter illa beneficia Dei, quibus verissimè liberantur, quicumque liberantur, ut Augustinus dicit.* Et hìc perspicis infallibilem efficaciæ vim tribui voluntati potiùs, quàm motioni Spiritus sancti. Voluntas enim per plura *beneficia* consequitur quod intendit. Cæterùm cùm non omnibus suffragetur illa voluntas Dei prædestinans & perseverantiæ largitrix, ideò charitas amittitur quandoque. Unde subditur: *Potest considerari charitas ex parte subjecti, quod est vertibile secundùm arbitrii libertatem, &c. Forma est in subjecto amissibiliter; quandò non replet totam potentialitatem materiæ, &c. Charitas via non replet potentialitatem sui subjecti, quia non semper actu fertur in Deum. Unde quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, per quod charitas amittatur.* Ergo ad *dirigentem & protegentem* Deum pertinet, si quos vult perseverare, vel efficere ne ea occurrant, per quæ 2.2. q. 34. art. 2.

charitas omitteretur: vel charitatem inflammare, ut actu semper vigeat, quandiu urget tentatio. Unde mox: *Spiritus sancti conservatione, à peccato immunes redduntur, quos ipse movet, quantùm ipse voluerit.*

1. 2. q. 106. art. 2. 27. Quærit alibi sanctus Doctor, *an Lex nova justificet?* Respondet ad Legem novam *principaliter pertinere ipsam gratiam Spiritus sancti interiùs datam, & quantùm ad hoc lex nova justificat. Unde Augustinus dicit in libro de Spir. & lit. Ibi, scilicet in Veteri Testamento, lex extrinsecus est posita, qua injusti terrerentur; hic in novo intrinsecus data est, qua justificentur.* Et mox: *Etiam Evangelii littera occideret, nisi adesset interius gratia fidei sanans.* Et ibidem: *Gratia novi Testamenti etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit. Hoc enim pertinet ad statum glorie. Et ideò si quis post acceptam gratiam Novi Testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Hic liquet unam & eandem esse *gratiam novi Testamenti, justificantem, sanantem, adjuvantem ad non peccandum, dantem sufficiens auxilium ad non peccandum*, ut nemo jam justus peccet, nisi qui *auxilio sibi dato non utatur*. Quod ludificatorie diceretur, nisi & actuale auxilium, quanto opus est, adsit ad gratiam habitualem ad actum impellendam.

Q. 23. de verit. art. 5. ad 3. 28. Proferunt aliqui aliunde, ut probent sensus compositi & divisi authorem esse sanctum Thomam, hunc locum, *Quamvis non esse effectum divine voluntatis, non possit simul stare cum divina voluntate: tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.* Sed & hoc frustra obtruditur. Nam ut præscientia, providentia, prædestinatio, ita & voluntas divina, extrinsecum quid est, non intimum voluntati liberæ. At motio gratiæ intima huic est. Nihil prohibet ergo necessitatem esse in voluntate divina, in nostra contingentiam. At ut motio infallibiliter ac necessariò determinans insit voluntati, & voluntas proximè possit dissentire, id verò ne cogitari quidem seriò potest, si præjudicia & tricæ absint.

29. Quod verò alii urgent à sancto Thoma dictum, impossibile esse, ut Deus liberum arbitrium moveat, & illud non moveatur. Multifariam id sumi potest. Primò quidem, cùm Deus movet inspirando bonum propositum, tunc utique in voluntate esse inchoatum à Deo bonum propositum, velut actum indeliberatum à Deo immissum, & ita infallibiliter Deo movente movetur animus: sed huic inspirationi consentire vel dissentire jam nostrum est. *Oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.* Et infrà: *Anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam anime. Actus enim moventis in moto est motus.* Voluntas ergo, cui inspiratur bonum propositum, movetur utique eo motu, seu actu indeliberato. At dissentire vel consentire non cogitur ulla infallibili Dei motione. Secundò cùm, ut idem sanctus Doctor ait, *Deus sicut universalis motor movet voluntatem ad universale objectum voluntatis, quod est bonum*: est autem *ipse Deus universale bonum*; tunc utique si Deus movet, movetur anima: sed vel tunc *homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum*. Ergo motio Dei à libera nostra voluntate frustrari omnino non potest; ut non si ille movet, ipsa moveatur: sed obliquari & detorqueri aliò potest, ut Deo ad verum bonum movente, moveatur voluntas, declinetque ad veri boni vestigia. Tertiò ita Augustinus ait à Deo trahi animam ad summa, vera, suavia quærenda, sed in Deo, qui summitas, veritas, suavitas ipsa est: sed eam declinare ad horum vestigia lambenda in creaturis, & ita vitia omnia non esse, nisi perversa Dei imitamenta: usque adeo non potest divina motio in totum frustrari. Unde Augustinus ad Deum: *Perversè te imitantur, qui longè se faciunt à te. Sed etiam sic te imitando indicant creatorem te esse omnis nature, & ideò non esse, quò à te omnimodo recedatur.*

L. de vera Relig.

Confess. l. 3. c. 6.

SANCTUS BONAVENTURA.

Ex sancto Bonaventura, Gratiam Christi propriè medicinalem, liberatricem, sanantem, eam de qua cum Pelagio certatum est, esse gratiam habitualem: ubi & obiter aliqua de gratia generali.

QUærit Bonaventura, cur à Magistro *gratia voluntatem præveniens & præparans dicta sit fides cum dilectione*. Respondetque: *Gratia nihil aliud est quàm fides cum dilectione, pro eo quod per illos duos habitus fidei & charitatis dicitur gratia in actus exire, per quos innotescit nobis.* Varias mox subjicit gratiæ definitiones: *Gratia est justificatio & remissio peccatorum. Gratia est sanitas mentis, delectatio cordis. Gratia est similitudo glorie.* Sed hanc ait esse Magistralem definitionem, *Gratia est forma à Deo gratis data sine meritis, gratum faciens habentem, & bonum ejus opus reddens.* Et Magistro ergo & ipsi *gratia* est, quæ habitualis dicitur, & ea est *sanitas, delectatio*.

In 1. Sent. d. 26. in expositione textus.

Omnes ibidem deinceps quæstiones de sola habituali gratia & instituuntur, & finiuntur; de actuali seu generali auxilio non agitur nisi ex occasione, & strictim, ut quæ non sit propria Christi gratia. Concludit ergo gratiam *ponere aliquid in gratificato*, id verò esse non increatum tantùm, sed *creatum donum*, cujus est *recreare, animam informare, vivificare, illuminare, assimilare, unire, stabilire, acceptum facere, sursum levare*. Quæ munia sunt gratiæ habitualis. Parco alias quæstiones percurrere. De eadem habituali gratia concludit, quòd ea sit ut *motor* seu *principalis motrix* respectu operis meritorii, anima verò ut *pedissequa*. *Unde non est aliud dicere, gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse Spiritus sancti instrumentum ad movendum liberum arbitrium. Gratia enim operans liberum arbitrium prævenit, & movet, quia Deus illam infundendo, voluntatem hominis præparat & sanat. Gratia verò cooperans, sive subsequens, dicitur liberum arbitrium movere, quia voluntas tali dono gratiæ informata movet seipsam.* Ubi vides gratiam habitualem esse eam, quæ *præparat, sanat, operatur, prævenit, cooperatur, subsequitur, movet liberum arbitrium*; quia per eam Deus movet voluntatem, & voluntas per eam *informata movet seipsam*. Actuosa ergo est, & efficax hæc gratia, sed ut habitus esse potest; sed ut voluntatem non infallibiliter agat, & applicet operi. Actuale verò auxilium Dei huic accommodatur. Movet enim Deus per habitum: hoc est inclinat, non inevitabiliter determinat voluntatem.

Ibid. art. 1. q. 1. ad 4.

Ibid. q. 2.

Distinctionis proximè sequentis eadem ratio est.

De

De gratia habituali sola disceptatur. Vigesimæ octavæ idem timor. In expositione textus, docet habitus acquisitos non novam addere potentiam, sed priori potentiæ adjicere facilitatem & pronitatem: at infusus *habitus, qui desursum descendit, & non solùm dependet ab eo in quo, sed magis ab eo à quo, & talis habitus habet potentiam nobilitare; & potest etiam illud in quo est, movere, & supra se elevare, ratione illius à quo procedit. Et talis habitus est gratia ipsa. Et quoniam Pelagius non attribuebat plus habitui gratiæ, quàm aliis habitibus: hinc est quod Augustinus & Magister arguunt eum tanquam hæreticum.* Ergo Pelagii hæresis in eo erat, quòd adversaretur habitui infuso gratiæ, & solos habitus acquisitos nostra industria probaret. Vides rursum in his, qui gratia habitualis moveat animam. Movet enim ut habitus infusus, & eo habens efficaciam singularem, cùm alioqui efficacissimi plerumque sint habitus acquisiti, & inveteratæ consuetudines, ad animam huc illucque raptandam.

Et ibidem mox quærens, an homo *absque gratia gratum faciente possit à culpa resurgere*; ait aliud sensisse Philosophos Gentiles, aliud hæreticos; sed *Catholici tractatores luce fidei cognoverunt, quod ad hoc necessaria est gratia, secundùm quod dicitur habitus animi.* Ergo de hoc habitu gratiæ conflictatio fuit Augustino cum hæreticis Pelagianis. Pergit ibi vim hujus habitus exequi, quòd ea sit bona voluntas. *Aliquid velle est dupliciter. Vel exiliter & semiplenè, sicut dicitur, Vult & non vult piger. Vel plenè & sufficienter, sicut dicit Apostolus, Deus operatur in nobis velle & perficere. Primo modo potest esse in peccatore, & talis voluntas non facit aliquem justum. Secundo modo non potest esse sine gratia præveniente, & adjuvante voluntatem. Hoc autem secundo modo tantùm potest voluntas justitia reddere animam justam.* Itaque operatur Deus in nobis velle bonum & voluntatem bonam, cùm justificat nos, & hæc est gratia præveniens & adjuvans.

Sed nil præclarius hoc mox ibidem contextu, *Multipliciter erravit Pelagius, qui dixit liberum arbitrium tantum posse habere, ut non indigeret gratia gratum faciente. Hac autem positione tanquam hæretica repudiata, imploranda est gratia Dei, per quam deleantur peccata, & vincantur diabolica tentamenta, & impleantur divina mandata, non solùm secundùm genus operis, sed secundùm intentionem mandantis: non solùm ad vitationem pœnæ, verùm etiam ad meritum gloriæ. Nam etsi primus modus observandi posset esse per gratiam gratis datam, secundus tamen modus non potest esse absque gratia gratum faciente.* Vides in quo errarit Pelagius; & quæ sit propriè gratia. Vides quanta sit habitualis gratiæ efficacia. Vides quid postulemus, cùm propriè gratiam à Deo postulamus, nempe jugem & permanentem illam in anima charitatem flagrantissimam, qua fiunt mandata, & ex charitate fiunt. Nam utcumque fieri possunt semper per gratias gratis datas, sine quibus nemo est, ut alibi idem dicit, & per quas præparare se quisque potest ad gratiam adjuvantem, quæ ideo *præsto est* semper, ut idem ait. Rursum ait errasse Pelagium, quòd necessitatem gratiæ habitualis sustulerit, suspicatus *aliquem ex simplici mandatorum observantia, quantum ad exteriora opera, dignum esse vita æterna, quod est contra fidem.*

Infrà rursum Bonaventura secernit 1. generalem influentiam, sive cooperationem Dei, quæ omnibus creaturis communis est: per quam etsi ægrè, potest tamen peccator in opus bonum ex genere, *relicto libero arbitrio in puris naturalibus, cum naturali judicatorio & instinctu.* 2. Gratias gratis datas, seu *quibus superadditum naturalibus, adjuvans aliquo modo, & præparans voluntatem ad habitum, vel usum gratiæ*, cujusmodi sunt *pietas servilis, pietas inserta ab infantia, &c.* ita ut *sine gratia gratis data, vix, aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur.* Et sanè, *Hoc fuit quod decepit Pelagium, quod liberum arbitrium nunquam destituitur omni gratia gratis data. Et ipse posse gratia attribuit ipsi naturæ. Superbia enim excæcatus nescivit distinguere inter dona naturalia & gratuita.* Per has gratias gratis datas fit, ut & faciliùs peccator faciat opera bona ex genere, & ad justificationem se præparet, & ad *usum gratiæ* justificatus *adjuvetur*. Hæc duo genera commiscuit sanctus Thomas, & per auxilium Dei moventis designavit, quod tamen aliquando vocat *auxilium gratuitum Dei, interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.* Hoc enim auxilium *gratuitum* sancti Thomæ complectitur & influentiam generalem & gratias gratis datas Bonaventuræ, ad justificationem præparantes. Denique gratiam habitualem tertio loco commemorat Bonaventura, & addit, *Patet igitur ex prædictis, quantum sit necessaria libero arbitrio gratia gratum faciens, quia sine ea non potest à peccato resurgere, nec potest adversarium vincere, nec potest mandata Dei implere. Patet nihilominus quantum sit necessaria gratia gratis data, quia sine ea non potest liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem se sufficienter disponere: non potest etiam omni tentationi resistere, non potest etiam in aliquod bonum quantumcumque modicum, quod sit ordinatum ad salutem. Et licèt possit in aliquod bonum morale, vix aut nunquam tamen faceret nisi malum, propter peccati corruptionem. Et ex his manifestè convincitur error Pelagii & superbia.* Quibus nihil expressius dici potuit in rem istam.

PETRUS TARENTASIENSIS, sive Innocentius V.

Sanctorum Thomæ & Bonaventuræ sententia ad cumulum exculpitur ex Petro Tarentasiensi, seu Innocentio quinto, sanctis Patribus utrisque conjunctissimo.

TAm copiosè & tam perspicuè suam mentem explanarunt Thomas & Bonaventura, ut nihil dubii residere possit in cujusquam mente, si præjudicia seponantur. Ex redundanti tamen eorum sententiam expiscabimur etiam ex scriptis Petri Tarentasiensis, qui Thomæ & discipulus, & collega deinde Cathedræ Theologicæ, & successor; Bonaventuræ autem amicitia conjunctissimus, cùm jam uterque ad summas insulas provectus esset, Bonaventura ad Romanam purpuram, Petrus ex Lugdunensi Ecclesia ad sedem Petri demum perductus. Utriusque sanè non sensa tantùm, sed & verba Petrus ipsa persæpè imitatur, maximè Bonaventuræ.

Et hic ergo gratiam non aliam quàm habitualem per omnes prosequitur quæstionum articulos. Huic gratia ponit aliquid *in gratificato, ut possit in actus, in quos priùs non poterat*: & ea creata forma est, sed *superaddita naturæ*, quod negat *hæresis Pelagiana*. Verùm ut Bonaventuram alibi retulimus, ita hìc Petrus; *Sicut ad illuminationem corporis exteriorem duplex lumen requiritur, lux efficiens in Sole, & lux formalis in aere; ita ad illuminationem mentis interiorem duplex lux requiritur: lux efficiens, scilicet gratia increata in Sole æterno; & formalis in mente, scilicet gratia creata.* Rursum: *Gratia comparatur*

ratur ad subjectum & ad causam suam. Causa quidem est immutabilis, scilicet Deus; unde ex illa parte nunquam corrumpitur. Sed subjectum est mutabile & voluntarium, quod quando vult potest se gratiæ subtrahere, & ita destruitur gratia. Sicut si aer esset subjectum voluntarium lucis, posset in eo lux destrui dupliciter, vel absentia Solis, vel sua subtractione. Sol autem æternus non potest abesse, sed subjectum potest se subtrahere. Rursum
Ibid. art. 7. idem docet gratiam se habere ad liberum arbitrium, ut *motorem*, nimirum non *effectivè*, sed *dispositivè*, scilicet *sicut pondus, vel levitas movet inclinando.* Item *gratia se habet ad liberum arbitrium, ut sessor; vivificat, movet, elevat, quia inclinat disponendo, non efficiendo.* Denique ibidem gratia sumitur *largissimè*, pro donis
Ibid. art. 8. naturalibus: *minùs largè pro gratia gratis data, disponente liberum arbitrium ad bonum*: strictè, & demum *strictissimè, pro dono gratiæ gratum facientis, quæ est principium merendi. Et sic secundum Magistrum gratia præveniens dicitur, quæ mundat & sanat liberum arbitrium à malo; subsequens verò, quæ coadjuvat ipsum ad benefaciendum. Prima dicitur operans, quia operatur in libero arbitrio; secunda cooperans, quia cooperatur cum libero arbitrio. Hæc autem gratia una est per essentiam, sed dividitur secundùm effectus.* Et huic ergo gratia habitualis est strictissimè gratia, sanat, mundat, movet, inclinat, ut pondus, prævenit, subsequitur, operatur, cooperatur, est ad voluntatem, ut motor, ut sessor ad equum, denique ea est quam negavit Pelagius.

Et infrà denuò, *Gratia est origo virtutum, ut corpus luminosum origo radiorum; est sicut sani-*
In 1. d 17. q. 1. art. 1. a. *tas in corpore, cooperatur libero arbitrio per virtutes.* Sed quàm præclara hæc mox, *Potentia naturalis determinata est ad unum actum, unde naturali inclinatione tendit in illum, nec indiget habitu inclinante. Sed potentia rationalis se habet ad utrumlibet æqualiter; unde non determinatur ad alterum, nisi per aliquid superadditum, unde & delectabiliter & faciliter operetur. Hoc autem non est nisi habitus aliquis, non potentia, vel passio, vel actus. Cùm ergo hoc faciat virtus, inclinat enim potentiam de se indeterminatam in alteram partem per modum naturæ, ipsa est habitus.* Vides per habitum *determinari* potentiam ex se indeterminatam; sed ut par est rationalem & liberam voluntatem determinari, nempe incolumi indifferentia. Addit habitu virtutis non tantùm
Ibid. art. 3. semper informari, sed semper etiam inclinari in bonos actus voluntatem, sed eam posse dissentire: *Quamvis semper exerceat actum secundum, qui est operatio, quantum est de se gratia inclinando; non tamen exercet reipsa exequendo, quia liberum arbitrium aliquando impeditur in suo actu, impedimento naturali, vel voluntario.* Ergo gratia habitualis, ut pondus spiritale, semper inclinat, & urget ad actus bonos: quia lucem hanc creatam semper vibrat, & ejaculatur impingitque in voluntatem lux increata; sed voluntas vel naturæ necessitatibus, vel sua supinitate persæpè cessat. Unde mox: *Gratia & virtus quantum est de se semper manat; sed quod non manat aliquando, ex parte subjecti est.*

Sed disertissimè infrà juxta Thomæ & Bonaventuræ placita bifariam, vel trifariam secernitur gratia in *generalem & specialem*: ita ut *gratis data* quandoque cum generali commisceatur, ut à sancto Thoma; quandoque seponatur, quasi media inter generalem & specialem, ut factum est à Bonaventura. *Omnis causa primaria plus*
L. 2. Sent. d. 26. q. 1. art. 2. *est influens in causatum suum, quàm causa secundaria. Unde cum omnis effectus creati Deus sit causa primaria, virtus verò creaturæ causa secundaria, nullus effectus potest exire à virtute creata, sine influentia causæ primæ. Sed duplex est ejus influentia; quedam generalis, qua influit omni naturæ, ipsi cooperando; quedam specialis, qua influit creaturæ rationali, donum aliquod superinfundendo, ultra principia naturalia. Sine influentia ergo generali liberum arbitrium nullum bonum potest facere: sine influentia verò speciali, id est, sine dono superaddito, potest in aliqua bona, scilicet in bonum ex genere, & bonum ex circumstantia, secundùm quosdam: secundùm alios verò non potest quidem in hoc sine dono gratiæ gratis datæ, quæ nulli omnino subtrahitur; sed potest sine dono gratiæ gratum facientis.* Harum opinionum primæ, nempe sancti Thomæ, non esse absolutè necessarias gratias gratis datas, puta habitus timoris servilis, & alias ejusmodi, restatur mox se magis acquiescere, quàm posteriori, quæ est Bonaventuræ. Unde mox: *Quamvis sine Deo nihil possimus cogitare, tamen sine gratiæ dono superaddito possumus, ex influentia scilicet generali, sine speciali.* Influentia hæc generalis illud est auxilium Dei moventis sancto Thomæ, quod semper præsto est; cùm & gratiæ gratis datæ, si quæ sunt necessariæ, ut se quis ad gratiam gratum facientem præparet, *nulli omnino subtrahantur.*

Unde mox ait mandata Dei à quolibet perfici posse secundùm substantiam operis per *gratias gratis datas*; secundùm intentionem verò man- Ibid. art. 3. dantis, *non sine gratia gratum faciente.* Cæterùm in culpa esse, quisquis mandata non servat, quia *mandatum est in potestate nostra efficienter, secundùm substantiam operis; est etiam in potestate nostra præparativè, secundùm intentionem mandantis.* Ita reus est, quisquis mandata transilit, cùm semper assistit, & gratia generalis, & gratia gratis data, ut servetur mandatum secundùm substantiam operis, saltem ex timore gehennæ; utque se præparet ad charitatem justificantem, ex qua servabit amore justitiæ. Ideò mox: *Secus est in Deo & in homine. Quia adjutorium hominis non est semper paratum servis suis, & ideo iniquè præciperet, quod sine ejus adjutorio non possent facere. Sed Dei adjutorium semper est paratum servis suis.* Subdit errasse Pelagium, quòd existimaret sine gratia servari posse mandata, etiam secundùm intentionem mandantis.

Jam verò, an possit sine gratia, nimirum habituali, liberum arbitrium peccata vitare, tentationes vincere, idem prorsus tradit ac Thomas & Bonaventura. Sed *quomodo possit quis se ad* Ibid. quæst. 2. *gratiam justificantem sufficienter disponere*, sic ille mox aperit: *Dispositio ad gratiam duplex est,* Ibid. art. 1. *quædam remota per quodlibet opus de genere bonorum, & tali dispositione potest se homo per se disponere. Quædam propinqua per appetitum, seu desiderium, seu consensum gratiæ. Et tali non potest homo per se disponere, sine gratia gratis data. Quia gratia gratum faciens est supra facultatem & cogitatum naturæ. Unde Philosophi ductu naturali rationis ad eam non perveniunt. Ergo ad ejus cognitionem requiritur aliqua inspiratio superaddita naturæ: ergo requiritur similiter ad ejus desiderium, quia omne desiderium surgit ex aliqua cogitatione.* Et mox; *Deus convertit nos monet ad eum, non quia sit totaliter in potestate naturæ secundùm se, sed naturæ per gratiam gratis datam adjutæ, quæ nulli deest.* Ergo & gratia generalis, & gratia gratis data, qua se quis ad justitiam præparet, & mandata omnia impleat, *nulli deest.* Et ita mox ait dari indubitatissimè gratiam *facienti quod in se est*, sed *non sine adjutorio gratiæ.* Denique timorem duplicem distinguit, *unus est qui oritur ex consideratione justitiæ Dei per ductum rationis naturalis, & hic non est donum*: hoc est, non est gratia gratis data, sed ex influentia generali, seu auxilio Dei moventis tamen manat: *alter qui per vim fidei, & hic est donum, & propinquè disponit ad gratiam.* Itaque gratia gratis data, propinquè disponens

ponens ad justificationem, est habitus timoris servilis. Hic omnibus præsto est. Unde mox ibidem in expositione litteræ: *Aliquid potest homo facere dupliciter; vel per se, vel cum adjutorio aliquo quod sibi præsto est. Illud quod non per se potest, tamen potest per alium, bene imputatur homini. Qui enim per se non potest deservire in Ecclesia, si per alium potest, & non facit, imputatur ei.*

ALIQUA SUMMATIM
& generatim observantur in doctrinam suprà positam Patrum & Theologorum primæ hujus ætatis.

CLarissimis his omnibus doctissimisque Theologis, 1. id conveniebat, esse gratiam, quæ generaliter omnibus daretur ad vitandum peccatum; quòd jam peccatum non esset, si vitari non posset.

2. Aliquanti apud illos pretii fuit, quidquid superest luminis ingeniti animæ rationalis naturæ, legis æternæ cordibus inscriptæ, imaginis divinæ, notitiæ Dei naturalis, admirationis innatæ virtutum, vitiorum detestationis, formidinis æternarum pœnarum, conscientiæ intimorum instinctuum & stimulorum, & pudoris à peccato avocantis.

3. Naturalia ab illis dicebantur auxilia hæc omnia, non quò non aliquo modo supernaturalia esse existimarentur; sed quòd Esse supernaturale non tribueretur ab illis, nisi gratiæ habituali.

4. De gratia actuali reliquias piorum affectuum horum excitante, rariùs verba fecere, nec tamen de illa penitus siluere; expressiùs de ea egere temporibus sancti Thomæ; denique illam semper poni & intelligi voluere, ut supponitur semper concursus generalis, quo causæ naturales & earum effectus nunquam destituuntur.

5. Omnibus etiam hominibus largiti illi sunt auxilium speciale, quo possint credere, converti, resipiscere, Deum diligere, justificari; hoc verò speciali & supernaturali auxilio id præstari putavere, ut si faciat homo quod in se est, justificantem gratiam assequatur.

6. Si verò duplicis hæc auxilii genera aliquando tantùm, non semper commemorata sejunctim & expressè ab illis sunt; id ex eo forsan emersit, quòd à primis ad secunda veniatur; & quòd quæ secunda dicuntur, illa eadem ipsa sint, quæ prima; sed ad robur amplius, ad esse divinius, ad finem nobiliorem provecta.

Gratiæ nomine ferè non honestarunt, nisi eam, quæ habitualis est, & justificans; hanc propriam & specialem, hanc Christi & Novi Testamenti gratiam dixere: hanc medicinalem & sanantem; hanc dilectionem & delectationem justitiæ; hanc pondus animæ & charitatem diffusam in cordibus per Spiritum sanctum; hanc affectum dominantem justis: hanc quæ illis adderet propensionem & vires ad præcepta implenda & ad declinanda crimina omnia; hanc operantem & cooperantem; quæ voluntatem ita regeret, ut eques equum; hanc bonorum operum causam præcipuam, in quam tota eorum gloria esset refundenda.

Denique gratia ab illis divisa est nunquam in Sufficientem & Efficacem: gratiam nunquam dixere Prædeterminantem; à Deo nunquam dixere determinari voluntatem, contrà sæpè dixere; voluntatem semper dixere à seipsa determinari; moveri & inclinari voluntatem à gratia persæpè dixere, sed & idem testificati sunt de gratia habituali; quo tandem modo gratia sufficiens sit verè sufficiens, etsi præterea gratia efficax sit necessaria: aut quo pacto efficax sit necessaria, si illa sit verè sufficiens, hujus difficultatis nodum ne attigere quidem unquam. Ne id quidem unquam quæsiere, qui constaret nostræ voluntatis indifferentia, si illam Deus ad singulos actus prædeterminet. Inaudita illis fuere Decreta Dei prædeterminantia. Voluntatem Dei semper impleri dixere, quòd qui præcepta implent, præmio: qui non implent, pœna afficiuntur. Liberos & contingentes eventus videri à Deo dixere, non ut futuros & in Decretis suis, sed in scientia suæ visionis, tanquam æternitati semper præsentes, postquam sese causa libera determinavit. Uno consensu dixere Prædestinationem esse præparationem gratiæ justificantis; immutari corda impiorum à Deo, primùm per timorem æternæ pœnæ, deinde per charitatem, per amaritudines & blanditias; justos, ut ad finem usque perseverent, ab eo dirigi, protegi, conservari, innumeris variisque auxiliis roborari. De Scientia Media apud eos littera nulla est.

PARS SECUNDA,
QUÆ THEOLOGOS COMPLECTITUR
ab anno millesimo trecentesimo ad quingentesimum supra millesimum.

EX RICHARDO DE MEDIAVILLA, *Ordinis Minorum, Anglo.*

THOMAM Aquinatem hic apertè imitatur, quòd necdum Scotus initium fecisset dissidii in Schola, Minorum maximè, & Prædicatorum. Ergo *merito secundùm quid*, quod *nec operi*, nec *operanti*, sed *soli liberalitati retribuentis* innititur, hic ait posse quemque sibi mereri *primam gratiam*, ut quæ datur *facienti quod in se est*; non autem *merito simpliciter*, cùm ante gratiam nec operi, nec operanti insit *dignitas*. At verò ad quamlibet *cognitionem veri & voluntatem boni indiget liberum arbitrium generali motione primi moventis. Sicut enim nulla creatura posset subsistere, nisi conservaretur per virtutem primi Entis: ita conservata in esse nullo modo posset agere, sine motione primi moventis. Et prædicta motio primi moventis est illa influentia generalis, de qua dicitur, quod sine influentia generali causæ primæ, nulla creatura posset exire in suam operationem.* Cum hac porro generali influentia, *non potest liberum arbitrium, per peccatum infirmatum, aliquos actus, quos posset, si esset sanum. Sicut homo infirmus quamvis possit agere aliquos actus homini naturales, non tamen omnes.*

L. 2. d. 27. art. 2. q. 1.

Ibid. d. 28. art. 1. q. 1.

Ex quibus id emergit, ut *possit liberum arbitrium per sua naturalia cum sola motione primi moven-*

L. 2. d. 28. art. 1. q. 2.

moventis, quam supponit quelibet actio creatura, disponere se ad gratiam gratum facientem, remota & indirecta dispositione; quia qui libero suo arbitrio rectè utitur, quantùm potest; disponit se ad gratiam gratum facientem. At dispositione propinqua & directa id non potest, nisi per aliquam gratiam gratis datam, comprehendendo sub gratia gratis data non tantùm aliquod habituale donum naturalibus superadditum, sed etiam Spiritus sancti aliquam specialem motionem, factam per se immediatè tantùm, vel cum hoc etiam mediante aliqua creatura. Ibid. q. 1. Emergit & illud quod *ex Apostolo gentes qua legem non habent, naturaliter ea que legis sunt faciunt, quantùm ad substantiam operis per virtutem naturæ, præsuppositâ generali influentia Dei.* At secundùm intentionem Dei mandantis ut impleantur mandata, opus est *gratia gratum faciente & charitate.* Et tamen verè dicuntur *mandata non esse supra hominem, quia omni volenti se disponere, Deus dat gratiam gratum facientem, per quam illa mandata potest implere.*

Similiter etiam *per liberum arbitrium sine gratia gratum faciente in statu naturæ corruptæ potest homo vitare quodlibet peccatum in singulari; non tamen diu, non omnia potest vitare in communi, donec sanetur & adjuvetur per gratiam gratum facientem, sine qua non est habitualiter fixum in fine debito, qui Deus est.* L. 2. d. 28. art. 2. q. 2. Ita ille ait interpretandum esse Magistrum, *posse hominem peccare, & non posse non peccare ante reparationem, etiam mortaliter.* Hanc porro *necessitatem* peccandi ideo docet non excusare, quia non *necessitas coactionis* est, sed *defectibilitatis.* Necessitas ergo coactionis tunc abest, cùm per actus singulos potestas adest non peccandi.

Denique pressiùs legens vestigia sancti Thomæ Ricardus, ibidem *circa litteram Magistri* advertit etiam justum & gratia gratum faciente formatum, egere adhuc motione speciali: *Quamvis enim Deus infundendo gratiam gratum facientem, animam sanet, & elevet ad operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt facultatem naturæ; tamen quia remanet corruptio & infectio in viribus inferioribus, & in intellectu quædam obscuritas ignorantiæ; adhuc indiget anima ad rectè agendum, & usque in finem perseverandum moveri à Deo, non tantùm illa motione generali, sine qua nulla creatura posset aliquid agere, sed etiam quadam motione speciali.* Hoc sanè auxilio, seu *motione speciali*, non aliud designatur, quàm quæ suprà dicebatur gratia gratis data, sive habituale quodpiam id donum foret, sive specialis motio Spiritus sancti. Quòd autem hæc specialis motio physicè & infallibiliter prædeterminet voluntatem, applicetque consensui; immo quòd ad singulos actus sit necessaria, non exprimit Ricardus, quod omnino tamen silendum non fuerat, si hæc esset mens ejus.

Nunc ad gratiam habitualem defluamus, de qua jam non semel ille nos docuit, per eam liberum arbitrium *sanari, adjuvari, elevari, defigi in debito fine*, qui Deus est: per eam posse non tantùm *singula*, sed etiam *omnia* & præcepta impleri, & vitari peccata. Hanc ibidem ait esse, de qua Bernardus in libro de libero arbitrio dicit: *Ut esset liberum arbitrium, creans gratia fecit: ut proficiat, salvans gratia facit.* L. 2. d. 28. art. 2. q. 2. Hunc esse ex Glossa *Spiritum gratiæ, qui imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Eandem alibi esse docet *gratiam & charitatem: gratiam que in esse supernaturali animam perficit; charitatem, ut virtus est, in cooperatione ad operandum, ut per eandem caliditatem ignis & calidus est & calefacit.* L. 1. d. 26. art. 1. q. 2.

De hac eadem gratia habituali infrà quærit, quomodo ea moveat liberum arbitrium, & accommodatè ad sententiam Bonaventuræ respondet, quòd *gratia movet liberum arbitrium & per modum efficientis instrumentalis, & per modum formæ. Primo modo movet liberum arbitrium in instanti suæ infusionis; quia in illo instanti Spiritus sanctus tanquam principale agens, per suam influentiam, quæ est gratia, tanquam per instrumentale efficiens, in libero arbitrio causat quandam excitationem & inclinationem ad bonum voluntatis actum.* L. 2. d. 28. art. 2. q. 3. Motio ista illa videtur esse voluntatis seu *affectus immutatio*, quæ ex Bernardo & Patribus fit à Deo in justificatione impii. Nec enim præit actus charitatis, sed prior Deus infundit habitum, seu immutat affectum; sunt quippe virtutes ex Augustino, & habitus, & affectus: tumque ex hoc affectu creato divinitus, seu ex habitu infuso erumpit actus charitatis infusæ. Hæc prior est ratio motionis à gratia.

Posterior ibidem exponitur illico, *Movet etiam gratia liberum arbitrium per modum formæ, in quantum liberum arbitrium per formam gratiæ potest se movere & elevare ad opera meritoria de condigno; quibus motibus se movere sine gratia non poterat. Et his dictis concordat Augustinus libro de Gratia & Libero Arbitrio, dicens de Deo, quod præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operandum incipit; quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et parum post, Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cùm autem volumus & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Ibidem. Et ex Bernardo subdit idem opus bonum esse & à gratia & à libero arbitrio, *quia per duo movet se liberum arbitrium ad opera meritoria, per se, & per gratiam.* Observa hic primò de gratia habituali intelligi, prisco more & usurpato jam olim ab Anselmo, Magistro, Hugone Victorino, Thoma, Bonaventura, quæ Augustinus, quæ Bernardus, quæ alii antiqui Patres scripsere de gratia Christi propria & speciali. Secundò verè *moveri* liberum arbitrium à gratia habituali, & dum infunditur illa primò, & deinceps cùm bene operamur.

Ita & mox eadem esse gratia dicitur & *operans* sive *præveniens*, inquantum *facit Deo gratum, & prævenit motum liberi arbitrii, ipsum liberum arbitrium excitando & inclinando.* Ibid. q. 4. Eadem dicitur gratia *cooperans*, seu *subsequens*, inquantum est *principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio per ipsam procedit.* Ut hic vides, gratia habitualis *excitat, inclinat* ad opus quodam suo modo; sed etsi solum *posse* daret, id abundè esset, ut cum *adjutorio* solo *sine quo non* posset nunc justus quilibet bene operari, nempe posse & facultatem rursus assecutus boni operis, quam peccando Adamus amiserat.

Quærit infrà, an charitas & virtutes sint semper in actu nunc; respondet semper esse in actu primo, non semper in actu secundo. L. 2. d. 27. art. 1. q. 2. Quod autem dicitur quòd *Amor Dei nunquam est otiosus*, ait verum esse, *quando est opportunitas ad operandum, hæc autem opportunitas non est in somnis.* Ubi rursum vides ipsi habituali gratiæ, seu virtuti charitatis id inesse, ut otiosa esse non possit, ut prompta & præceps sit ad suum opus, ubi opportunitatem nanciscitur.

Denique idem alibi docet, *Habitibus nos indigere, ut nos possimus bene habere in repentinis. Item propter perfectionem habentis, per quam homo bonus est, etiamsi actu non operetur. Denique propter perfectionem actus, qui perfectus non est, nisi per habitum bonum.* L. 1. d. 41. art. 1. q. 2. Addunt etiam habitus facilitatem. *Quantò enim homo habet charitatem majorem, tanto facilius facit opera charitatis.* Habitus verò infusi, seu virtutes Theologicæ necessariæ sunt, *ut determinemur ad cognitionem & amorem finis supernaturalis, à quo solo possumus beatificari.* An insint autem nobis hi habitus, haud certò scire possumus, *Quia aliquando credit homo se Deum fortiter diligere, qui tamen in tentatione positus experitur, se non ita fortiter* Ibid. art. 1. q. 2.

dili-

diligere, ut credebat. Ergo fortitudo & vires diligendi penes habitum expenduntur, quarum periculum fit per tentationem. Postremò parvulis etiam in baptismo infundi gratiam & virtutes docet, etsi ut exeant in actum credendi, requiratur *cognitio articulorum & assuefactio de lege communi.* Et nihilo tamen minùs *ceteris paribus baptizati venientes ad ætatem adultam, facilius exeunt in actum credendi, quàm si non fuissent baptizati.*

L. 4. d. 4. art. 1. q. 4.

De efficacissima denique gratia sententiam Richardi facilè colligemus, ex eo quòd futura contingentia præsciri à Deo velit, primùm quidem quia æternitati ejus præsentia sunt. Æternitati enim *ratione immensitatis suæ* omnia sunt *realiter* præsentia; *Contingens autem dum videtur ut præsens, perspicuè videtur.* Secundò eadem præsciri vult à Deo, quòd nec boni, nec mali quidquam contingat usquam, nisi Deo volente, aut permittente. Ut enim in tempore nusquam se voluntas nostra determinat, nisi permittente Deo: ut voluntas creata ab increata semper obnoxia pendeat; ita ab æterno præsentia non sunt divinæ æternitati, nisi approbante vel permittente divina voluntate, ut ita existant, hoc est, ut ita sese voluntas creata determinet.

L. 1. d. 38. art. 1. q. 5.

Ideo ibidem mox ait à præscientia divina nihil nostram periclitari libertatem, nempe quia ex Anselmo emergit in nostros inde actus *necessitas consequens* tantùm, quæ *nihil cogit esse*, & *non plus dicit, nisi necessariam consequentiam eventus rei ad suam futuritionem & Dei præscientiam*; non autem *necessitas præcedens, quæ rem facit esse.* Si autem voluntas Dei prior actus singulos voluntatis creatæ liberos præfiniret, & indeclinabiliter efficeret, & ita præsciret, vel potiùs æternitati suæ præsentes intueretur, ea esset sanè *necessitas præcedens, quæ rem faceret.*

Ibid. q. 6.

Rursus idem alibi negat *cogi* à Creatore posse liberum nostrum arbitrium, etsi *potest Deus ipsum efficaciter inclinare, & facere, ut liberum arbitrium moveat seipsum liberè ad quancumque partem Deus voluerit.* Si urgeas illud Christi, *Compelle intrare:* respondet id fieri *non per coactionem, sed per inclinationem inducentem*, scilicet *per tribulationes, & comminationes, & angustias & similia. Secundùm quem modum dicit Bernardus in libro de diligendo Deo circa medium, Quod ex occasione frequentium necessitatum crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari.* Et ibidem mox: *Deus trahit non compellendo, sed vehementer inclinando.*

L. 2. d. 25. art. 1. q. 2.

Idem alibi docet impios a Deo converti posse bifariam. Primò *privilegiatè*, ut si in somnis revellat pravos habitus, gratiam infundat. Secundò *lege communi*, & tunc debet se impius disponere. Id quomodo fiat, ex Bernardi verbis lib. de Lib. Arb. sic tradit: *Profectò quoscumque trahere, vel compellere videatur ad salutem benignissimus Pater, qui omnes vult salvos fieri; nullum tamen judicat salute dignum, nisi quem antè judicaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, dum terret vel percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos.* Hæc est ars, hæc invictissima efficacia gratiæ impios convertentis. Eo modo mox ait conversum esse Paulum, *etsi in modico tempore omnia fuerint facta, quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Addit denique *complementum conversionis à solo Deo* esse, dum infundit gratiam habitualem.

Quodlib. 2. art. 3. q. 3.

Omnia æternitati divinæ *ob immensitatem* ejus esse præsentia, & ita præsciri à Deo idem ibidem fusè prosecutus erat. Alibi monuerat, ut à Christo prædicente, ita à Deo præsciente nihil necessitatis inflictum esse Petro, ut peccaret.

Ibid. art. 2. q. 1.

Quodlib. 2. art. 3. q. 1.

EX ÆGIDIO COLUMNA Romano, Augustiniane familiæ Generali, Archiepiscopo Bituricensi, S. R. E. Cardinali.

Ann. 1300.

DOctoris *Fundamentarii* cognomine, ut Thomæ Aquinatis defensione, quo Magistro usus erat, maximè claruit Ægidius. Et primùm de gratia generali convenienter sancto Thomæ docet nec naturalia vera posse cognosci *sine Deo prout operatur in operibus naturæ, quia ex Augustino, extincta esset operatio naturæ, si Deus subtraheret suam latentem operationem. Operatur enim Deus etiam naturæ opera operando, & una est operatio à Deo & natura, à Deo principaliter, à natura instrumentaliter. Nam si corpora inferiora nihil agunt, nisi ut sunt organa cœli; multo magis omnia ista inferiora, & omnia supercœlestia, & omnes naturæ creatæ nihil agunt, nisi ut sunt organa Dei.* Hanc mox ait esse *gratiam largè* sumptam, ut natura dicitur gratia. At *gratiam propriè* esse, quæ *gratis data* dicitur, nempe *omne superadditum naturæ*, quali opus esse vult ad verum supernaturale cognoscendum. Denique *gratiam magis propriè* esse docet eam, quæ gratum faciens & habitualis est.

In l. 2. Sent. d. 28. q. 1. art. 1.

Docet & mox, *suppositio auxilio divino ut operatur in omni opere naturæ*, potuisse hominem integrum *facere & velle bonum quod non excedit naturam*: at nunc infirmum posse laptum non posse *omnia*. Etenim *infirmus non potest in omnia opera sani, & hujusmodi opera non potest facere omnino sufficienter, quia homo per peccatum spoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus, & redditur inhabilis ad ipsa opera naturæ. Incurrit enim cæcitatem in intellectu, & difficultatem in affectu.*

Ibid. art. 2.

Ita etiam ut ad gratiam quis se præparet, necessarius est *impulsus & motus divinus, seu compunctiones & bonæ cogitationes; hæc est divina pulsatio, & divina statio ad ostium cordis pulsans; item vocatio Dei, &c. In potestate nostra est sequi, vel non sequi; si sequamur, infunditur gratia.* Et quidem indubitanter, *in potestate nostra est facere quod in nobis est, & si faciamus quod in nobis est, Deus infundit gratiam. Sed nisi precedat divina vocatio, & bonarum cogitationum à Deo immissio, quæ est quædam gratia, non possumus per liberum arbitrium nos sufficienter movere ad gratiam.* Vides quæ gratia justificationem antecedat, nempe bonarum cogitationum & affectionum immissio, quæ *quædam gratia* est, ut mox etiam repetit, & cui consentire, vel dissentire nostri juris est.

Ibid. art. 3.

Et quidem nulli denegatur, omnibus conceditur hæc generalis auxilii copia: *Nam licet habentes gratiam, habeant eam per divinam misericordiam: non habentes eam, carent ea per suam culpam. Dum sunt adulti, si semper fecissent quod in se est, & non restitissent divinæ motioni & divinæ vocationi, habuissent divinam gratiam: quam nisi volentes nunquam perdidissent.* Adultis ergo omnibus præsto est *motio* divina, qua possint consequi *gratiam* habitualem, si faciant *semper* quod in se est. Sine gratia habituali *semper* facere quod in se est, omnia bona facere, omnia peccata vitare, nemo potest, ut idem antè & pòst tradit. Ideo sua quisque culpa caret gratia justificante.

Ibidem.

Non solùm enim quoad *modum agendi* & quoad intentionem mandantis, sed etiam *quantum ad genus operis, non possumus omnia implere mandata sine gratia, quia habemus naturam infirmam & vulneratam. Infirmus autem & vulneratus, etsi potest facere aliqua opera sani, non tamen omnia.* Duo ergo per peccatum inflicta sunt vulnera, aut impotentia duplex: primò ut homo non possit *omnia* mandata implere, & quæ potest infirmus, non possit eo *modo* quo sanus, nempe ex chari-

Ibid. art. 4.

charitate & meritoriè implere. Ideo ex eodem ibidem Ægidio; *Augustinus vult, inflictum esse homini propter peccatum, ut non videat, quid rectè faciendum sit; & si videat, & vult rectè facere, hoc non possit implere.* Ergo quæ in hanc sententiam plurima disputat Augustinus, ad id valent; ut homo non possit omnia, non ut non possit singula implere mandata: vel ut non possit meritoriè, non ut non possit utcumque, & ad evitandam culpam pœnamque. Unde ibidem rursum Ægidius: *In hoc reprehenditur Pelagius de errore, quia voluit quod sine gratia possemus implere omnia divina mandata.*

Verùm præter auxilium istud generale motionis divinæ, si quis ei consentiat, alio rursum speciali opus esse, ut ad gratiam pertingatur, consentit Ægidius. Negat tamen locum esse speciali huic & validiori auxilio, nisi ubi primo & generali nostra libertas assensa est. *Post bonas inspirationes & cogitationes, quæ omnes possunt vocari quædam divina gratia, ut per eas movemur ad bonum supra naturam, dato quod per liberum arbitrium velimus illas bonas inspirationes sequi, & ex hoc adipisci gratiam, non tamen possumus sine speciali ulteriori motione divina. Habemus enim nos in consecutione gratiæ ad Deum, sicut puer nesciens scribere ad scriptorem, &c. oportet quod scriptor capiat manum pueri, & ducat eam ad hoc quod bene scribat. Sic non sufficit quod Deus inspiret nobis bonas cogitationes, & quod voluntas secundùm illas velit habere gratiam: sed oportet, quod Deus moveat liberum arbitrium nostrum supra naturam suam, &c. Quia quantumvis Deus immittat bonas cogitationes, & quantumcumque liberum arbitrium consentiat eis, non erit hoc sufficiens, nisi specialiter moveatur liberum arbitrium à Deo ad consequendam gratiam.* Istud auxilium Dei *speciale* vides perspicuè non adhiberi, nisi post consensum voluntatis liberæ. Frustra ergo esses, si velles eo prædeterminationem physicam significari, nedum generali auxilio; ut quod omnibus præsto est.

Ibidem.

Quin & mediante hoc generali auxilio præsto est omnibus & auxilium speciale & gratia ipsa habitualis, qua & ex charitate & omnia impleantur mandata. Nulli ergo potest justa ulla obtendi excusatio, cùm & immediatè ac proximè per auxilium generale in potestate sit singula vitare peccata, etsi non omnia: & mediatè ac remotè, si nempe generalibus auxiliis quis non renitatur, possit etiam omnia ac meritoriè & vitare peccata, & mandata implere. *Gentes naturaliter possunt facere hoc vel illud, sed non omnia: per aliquod tempus, sed non semper, &c. Nec enim diu possumus persistere in tali conatu sine gratia,* quia gratia sola facit, ut *delectet*. Et infrà: *Mandatum de dilectione dicitur non esse super nos, nec longè à nobis, quia Deus intimus nobis est, paratus dare gratiam, per quam possimus illud mandatum implere, non solùm quantum ad genus operis, sed quantum ad intentionem præcipientis, &c. Non possumus nos excusare quin possimus, quia semper Deus paratus est nobis dare gratiam, &c. Non possunt se excusare, quod peccent invisi, quamvis non possint implere legem, nec cavere omnia peccata sine gratia, quia semper Deus paratus est dare gratiam.*

Ibidem.

Jam de gratia habituali. Et hactenus quidem ajebat Ægidius auxilia actualia posse dici *quandam gratiam*; sed *gratiam* propriè & absolutè dictam, atque habitualem, semper idem esse significat. Ideo *gratiam* tradit esse non in potentia, sed in essentia animæ; *Quia sicut non dicitur aliquid generari naturaliter, nisi accipiendo substantiam & naturam: ita non dicetur aliquis generari spiritaliter secundùm animam, nisi accipiendo aliquid spirituale in ipsa substantia animæ, &c. Per gratiam habemus esse spirituale, &c.* Item quia *non possumus habere operationem divinam, nisi habeamus esse divinum. Virtutes ergo Theologicæ, fides, spes, charitas non possunt facere illas operationes, nisi habeamus esse divinum, quod est per gratiam.* Item quia *sicut creat, ita perfectè recreat Deus, perficiendo essentiam & potentias. Recreando enim perficit animam gratia, potentias virtutibus.* Vel sic ergo gratia habitualis inclinat ad operandum, & operatur ipsamet per virtutes, ut anima per potentias: *Sic gratia potest dici primum operans, & virtus potest dici immediatè operans, quia gratia est operans bonum opus meritorium mediante virtute.*

L. 2. d. 26. q. 2. art. 1.

Ex eo autem quòd gratia non immediatè ordinatur ad actum, negat propriè dici eam posse habitum: sed dici potiùs debere *habilitatem* quandam, vel *qualitatem habilitantem*, immo esse *sanitatem animæ*. Etenim *sicut corpus sanum potest rectè uti membris suis, tanquam instrumentis propriis; sic anima sana per gratiam potest rectè uti potentiis suis.* Eadem hæc gratia ex Augustino, *prævenit voluntatem, ut bonum velit; subsequitur, ne frustra velit.*

Ibid. art. 1.

Ibidem.

Trifariam nomen gratiæ accipi infrà docet, ita ut *omnino specialiter gratia* non sit, nisi habitualis. *Licèt naturalia possint dici gratiæ, accipiendo gratiam omnino generaliter: & licèt quædam bona quæ adipisci non possumus per naturam, communia tamen bonis & malis, possint dici quædam gratiæ, accipiendo gratiam minùs generaliter: tamen illud dicitur gratia omnino specialiter, qua sumus digni Deo, digni vita æterna, grati Deo.*

L. 2. d. 26. q. 2. art. 3.

Etsi autem *gratia operans sit, quæ dat esse spirituale, eademque cooperans, ut per illud esse spirituale dat spiritaliter agere*: potest tamen etiam gratia cooperans dici gratia habitualis, gratia verò operans *impetus divini & motus liberi arbitrii, qui ad eam disponunt. In justificatione enim impii præcedunt quidam impetus & divini motus, quos plenè sequendo convertitur impius, & justificatur. Sed si incompletè sequatur, non sufficiunt impetus interiores, sed requiruntur ibi motus exteriores, vel operationes exteriores. Quia aliquando per illos impetus non fit homo contritus, sed attritus. Et ideo si humiliet se, & subjiciat se clavibus Ecclesiæ, multoties de attrito fit contritus, & infunditur sibi gratia, per quam justificatur.* Paulò antè Ægidius *impetus* istos distinxerat in *naturales & supernaturales*, prout illis homo ordinatur ad finem naturalem, vel supernaturalem. Quæ paulò prolixiùs hìc adscripsi, ut nostræ sententiæ cum primis consentanea.

Ibidem.

Et rursum quòd gratia habitualis sit inclinans & operans: *Gratia potest dici operans formaliter & effectivè. Formaliter quidem, prout dat esse spirituale animæ, quod facit per seipsam; effectivè verò, prout dat ei agere, quod facit mediante virtute.* Eadem *Prveniens* & *Subsequens* respectu sui ipsius est, secundùm varios effectus. *Ut sit unus effectus, prout dat esse gratum; secundus, prout dat bene operari interiùs, &c.*

Ibid. art. 3. & 4.

Quo differant autem habitus virtutum acquisiti & infusi, idem infrà elucidat. Acquisiti enim habitus *inclinant ad actus* eosdem, & generati habitus signum est *delectatio*. At verò *differunt infusi & gratuiti habitus virtutum à naturalibus & acquisitis, quia secundùm hos magis agimus, quàm agamur: secundùm illas autem magis agimur, quàm agimus. Juxta illud, Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Sumus ergo per gratiam & per charitatem & per alias virtutes infusas, organum Spiritus sancti; & sicut organum magis agitur, quàm agat; sic nos in talibus magis agimur, quàm agamus. Disponit omnia suaviter. Sicut naturalia suaviter agunt, quia habent in se virtutes, per quas sunt apta nata agere illa opera: sic & in gratuitis nos suaviter agimur, quia infunduntur nobis virtutes, per quas suaviter mo-*

L. 3. d. 23. q. 1. in 1.

L. 4. Sententiar. d. 16. q. 1. art. 4.

vemur à Spiritu sancto, & suaviter agimus opera Spiritus sancti.

Adverte hic primò totam *suavitatem & delectationem* gratiæ ab habitu virtutum & gratiæ derivari. Et sanè justorum est proprium delectari in Domino, & deliciari de veritate. Adverte secundò per gratiam, sed habitualem, nos *agi* ad bonum, magis quàm agere. Si actualis autem gratia invictissimè torqueret semper voluntatem, illi potiùs hoc tribueretur, quòd ea ageremur. Adverte tertiò ex Paulo id hausum esse, ajente *agi* à Spiritu sancto filios Dei. At gratia actualis etiam in impios effunditur.

Ibid. art. 2. Quærit infrà Ægidius, *an virtus & charitas semper in actu suo existat?* Negat in viatoribus, cessat enim in dormientibus actus opusque omne. Idem infrà docet non statim *delectabile simpliciter & per omnem modum* fieri mandatum Dei omne per gratiam habitualem & charitatem: Ibid. d. 28, q. 1. art. 2. etsi *Facit hæc gratia quantumcumque modica, quod possimus omnia peccata mortalia vitare.* Longa enim præterea assuetudine opus est, ut illa omnimoda delectatio ingeneretur adversùs concupiscentiæ lenocinia. Ita enim experiri quemlibet infrà docet, ut licèt existens in gratia *possit* vitare *omnia* mortalia, *difficile* sit tamen ea vitare; at sine gratia *impossibile*. Licèt enim gratia addat facilitatem ad bonum, non extinguit tamen cupiditatem, hoc est difficultatem boni.

De efficacissima nunc denique gratia sic censet Ægidius, ex Augustino lib. 7. Civit. cap. 30, L. 2. Senten. d. 2. q. 1. art. 3. *Deus sic administrat res, ut eas proprio motu agere sinat. Aliquando tamen facit præter cursum solitum, & in his quæ sunt naturæ, & in his quæ gratiæ. Licèt ergo non possit cogere, potest tamen immutare liberum arbitrium. Sic Pauli cor convertit & immutavit.* Quomodo autem *inclinetur, immutetur, compellatur, impellatur* liberum arbitrium, mox exponit: *Nam vel adversitatibus, vel aliis stimulationibus aliquando homines festinant converti. Juxta illud, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Et Gregorius exponens verbum prafatum ait, Qui mundi hujus adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, compelluntur intrare.* Et mox: *Sicut homines compelluntur intrare in domum Dei, sic trahuntur ad Christum per Patrem.* Deo ergo moventi, delectantique interiùs, ne voluntas resistat, efficitur hac arte & experientia malorum.

Potest sanè Deus voluntatem beata necessitate constringere. Id quì fiat, idem aperit: Ibidem. *Si aliquid offeratur voluntati sub omni ratione boni, necessitabitur ut velit illud. Propter quod quilibet de necessitate vult esse beatus. Sed sub omni ratione mali necessitabitur, ut nolit illud. Propter quod de necessitate nullus vult esse miser.* At ubi bonum objicitur quadam mali contage vel umbra perfusum, tunc voluntas *determinat* sese ad alterutrum. Hìc emergit permolesta difficultas, *utrùm istud determinare se, sit aliquis actus.* Negat Ægidius, sufficere enim quòd sit *desistere ab actu.* Etenim *desistendo ab uno determinabit se ad aliud.* Et mox: *Vocat nos Deus per bonum spirituale. Vocat nos per bonum carnale diabolus. Potest voluntas claudere, vel aperire, Deo, vel diabolo. Desistendo ab uno, determinabit se ad aliud.* Ita sanè utroque affectu intus excitato & ebulliente, hinc spiritali per Deum, hinc carnali per adversarium, si sponte hic desistat voluntas, illic non desistat, hæc ejus determinatio profecta ab ipsamet, non erit actus, sed cessatio ab actu vel affectu contrario. Vides porro quò hæc colliment. Ut possit voluntas sese determinare, nec necesse sit eam semper prædeterminari à Deo, si ejus determinatio actus peculiaris sit, quem à Deo esse necessum sit.

Refellit quidem alibi Ægidius Præpositivum, alioisque complures, qui tunc opinabantur naturas, substantias, resque omnes esse à Deo, non tamen actus omnes, non sanè actionem peccati, etiam quà actio est. Ipse autem affirmat actiones etiam omnes à Deo esse, qua *actiones* sunt; at quà actio est *malè fruens & malè utens*, ut est *defectus*, ut *deordinatio*, hactenus negat esse à Deo. Ideo Augustinus ait *à Deo esse omnem potestatem, non omnem voluntatem.* Et sanè *motus manus reducitur in Deum, ut in primum Motorem. Tamen usus illius motus, ut quod cadat talis motus super non debitam materiam, sed super interfectionem innocentis, hoc non habet causam efficientem, sed deficientem.* Idem alibi repetit: *Bonus est pes, & bonus est motus pedis; sed pede & motu pedis possumus bene & malè uti. Pes voluntatis est amor ejus, isto pede potest voluntas malè uti, & bene.* Multis mox aperit, ut voluntatis sit *seipsam determinare.* Et talis *determinatio non oportet, quod dicat actum, sed sufficit, quod dicat desistere ab actu, &c. Vocat nos Deus, vocat diabolus, &c. Ex desistere ab uno sequitur adhæsio ad aliud.* L. 2. q. 37. q. 1. art. 1. L. 2. q. 39. q. 1. art 1.

Concinit in his Ægidius Anselmo, ex cujus sententia ita fit peccatum, & non à Deo: quòd Deo movente ad honestum & ad commodum, sed principaliter ad honestum, ad commodum verò, qua fas est per honesti normam: cessat voluntas circa honestum, non cessat, non reluctatur circa commodum. Consentit & Thomæ Aquinati, ajenti à Deo nos moveri ad bonum universale, voluntatem verò sese determinare ad bonum apparens. Hæc enim determinatio voluntatis non actus aliquis peculiaris est, quem adeo necesse sit à Deo peculiariter esse: sed cùm Deus voluntatem ad seipsum per creaturas etiam degustandum trahat, pigritatur & cessat voluntas circa Deum, in creato atque apparente bono conquiescit, motioni divinæ dimidiatè tantùm obsequitur.

Nunc consulendus fuisset Ægidius in librum primum Sententiarum, si ejus copia fuisset.

EX RAYNERIO DE PISIS,
Ordinis Prædicatorum.

Anno 1383.

SUam ex divo Thoma potissimùm compilavit Raynerius *Pantheologiam*, hoc est, Theologiam universam, Alphabetico ordine digestam. Hic ergo primùm de gratia generali sic disserit: *Quamvis homo non possit gratiam, qua facit opera meritoria, ex libero arbitrio acquirere: potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non negabitur, si quod in se est, fecerit. Unde ad habendam gratiam, necesse habet homo facere quod in se est, & ad Deum converti: quod si fecerit, recipit gratiam. Ideo si aliquis in barbaris Nationibus quod in se est faciat, Deus necessaria ei ad salutem inspirando, vel docentem mittendo, exhibebit.* Verbo Gratia c. 3.

Quærit mox, *Quomodo homo quod in se est faciat.* Respondet autem cum Anselmi: *Quod notio primi Principii indita est homini à creatione, sicut notio boni, qua quelibet anima potest cognoscere suum principium: Eo quod in quolibet homine inest recta ratio per naturam, & quilibet naturaliter scit se non semper fuisse, sed esse factum, & ita scit se habere principium, à quo est totum bonum quod habet; itemque quod ab illo debet petere totum bonum, quod sperat. Et si secundum illam notionem operetur homo suo arbitrio, recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium, & petit ab eo lumen cognitionis fidei & boni, dabitur ei. Et hoc quilibet homo facere potest, sive fidelis, sive infidelis sit, magis tamen fidelis, &c.* Ibidem.

Alibi

Verbo Liberum arbitrium c. 3.

Alibi autem idem docet quòd *bonum naturæ humanæ proportionatum potest homo implere per liberum arbitrium, ut agros colere, domos ædificare, & alia plura bona facere, sine gratia operante, id est, gratum faciente; non tamen potest ea facere sine Deo: Cùm nulla res possit in naturalem operationem exire nisi virtute divina: quia causa secunda non agit nisi per virtutem causæ primæ.*

At verò ut se quis ad *gratiam* præparet, opus habet *gratia*; quod probat, quia *Nemo venit ad* Ibidem. *Christum, nisi Pater traxerit.* Et probat denuo, *Quia impossibile est hominem incipere velle aliquid de novo, nisi sit aliquid quod ipsum moveat. Unde cum homo se ad gratiam incipit præparare, de novo voluntatem suam ad Deum convertendo: oportet quod ad hoc aliquibus exterioribus occasionibus inducatur, utpote exteriori admonitione, aut corporali ægritudine, aut aliquo ejusmodi, vel aliquo instinctu interiori, secundùm quod Dominus in mentibus operatur. Hæc autem omnia ex divina misericordia contingunt. Et ideo ex divina misericordia contingit, quòd homo se ad gratiam præparet.* Hæc ille ex divo Thoma, convenienter Augustino, docenti, non moveri animum, aut mutari, nisi *visis congruis*. Unde mox idem hanc actualem gratiam, qua disponimur ad habitualem, docet esse *divinam providentiam, qua misericorditer homo ad bonum dirigitur.*

Quòd autem *sine gratia habituali, non autem sine divina voluntate, per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur, possit homo in peccato mortali existens vitare peccatum mortale committendum*: probat, quia *quod est per voluntatem, non est per necessitatem. Et ex Augustino, Nullus peccat in eo quod vitare non potest. Et, Quod est necessarium, non est voluntarium.* Quod explicatiùs sic tradit paulò post: *Omnis necessitas vel est coactionis, vel naturalis inclinationis. Sed existens* Ibidem. *in peccato non inducitur ad peccandum necessitate coactionis, quia liberum arbitrium cogi non potest: nec necessitate naturalis inclinationis, quia tunc natura esset mala, eo quod inclinaret ad malum.* Et rursum: *Dæmon quia non potest non peccare, irremediabiliter peccasse dicitur: sed homo remediabiliter peccavit. Potest ergo non peccare.* Si verò ex Gregorio Magno, *Peccatum per peccatum non deletum trahit ad aliud inclinando, non tamen est necessarium, quod liberum arbitrium huic inclinationi semper obediat; sed potest in aliquo actu contra eam niti.* Si objicias denique: *Qui habet habitum peccati, necessariò secundum habitum agit:* Respondet, *Liberum arbitrium posse uti habitu, vel non uti. Unde non oportet quod semper aliquis agat secundùm habitum: sed potest aliquando etiam contra habitum agere, licet cum difficultate. Non tamen manente habitu potest contingere, quod diu maneat nihil secundum habitum agens.*

Si vel *cogatur* autem voluntas, vel *necessitetur* ad aliquid, docet idem infrà perimi omne sive meritum, sive demeritum. Ideo nec mereri nos per naturalem & necessarium beatitudinis appeti- Ibid. c. 7. tum. Etenim etiam *sanctus Thomas dominium actus quando ponit in eo, quòd sit homo sibi agendi causa, non intelligit tantum quod ex intrinseco principio quomodolibet exerat actionem, sed cum indifferentia judicii ad hoc agendum, vel non.* Denique *libertatem ut naturam* paulò infrà ait *coactioni tantum violentæ, non etiam necessitati opponi*: at verò *libertatem arbitrii*, quæ etiam *libertas magis propriè appellatur, prout electionem dicit, non solùm coactionem violentam, sed etiam necessitatem prorsus excludere, ut perpetuò docet sanctus Thomas.*

Nunc ad gratiam habitualem flectamus gradum. De ea sic Raynerius, ut juvet inclinet, roboret in bonum: *Existens in gratia homo potest vitare peccatum mortale.* Probat ab Apostolo, *Sufficit tibi gratia mea.* Probat item ratione: *Ille* Ibid. c. 3. *in quo non est habitualis inclinatio ad peccatum mortale, potest peccatum mortale vitare: sed in habente gratiam non est aliqua inclinatio ad peccatum mortale, imò potiùs inest ei habitualis inclinatio ad vitandum peccatum. Et ideo quàm citò occurrit ei aliquid sub ratione peccati mortalis, ex habituali inclinatione per donum gratiæ dissentit ab illo.* Item, *Fortior est homo existens in gratia, quàm existens in culpa & sine gratia. Sed qui est in peccato mortali, potest vitare peccatum committendum, &c.*

Immo infrà ex sancto Thoma ait voluntatem nostram *ad aliquid agendum inclinari, vel induci à Deo dupliciter. Uno modo movendo tantùm vo-* Ibid. c. 7. *luntatem, & non imprimendo aliquam formam. Alio modo imprimendo aliquam formam, per quam voluntas inclinetur ad aliquid, ad quod naturalis ejus inclinatio non erat priùs determinata. Et hoc iterum dupliciter. Uno modo perfectè, ut in Beatis, in quibus perfecta charitas inclinatur sufficienter in bonum, ideoque necessariò voluntatem ad id volendum determinat: Alio modo imperfectè, vel non usquequaque perfectè, ut in viatoribus, quibus forma gratiæ superadditur ad supernaturale bonum appetendum. Ideoque voluntas ex tali forma superaddita inclinatur quidem, sed non ut ex necessitate in illud bonum.* At ibidem aliquantò infrà, peccatum trahit in peccatum aliud, *inquantum privat gratia, per quam homo fortificatur contra peccatum.*

Gratiam eandem habitualem ita idemalibi de- Verbo Gratia c. 1. scribit: *Gratia est perfectio elevans animam ad esse supernaturale. Gratia voluntatem creaturæ rationalis immutat. Dicit enim Augustinus, quod gratia est, quæ præparat voluntatem hominis, ut bonum velit. At solus Deus voluntatem immutat effectivè.* Verè enim ingeneratus à Deo affectus charitatis supernæ, & in voluntate permanens, eam immutat. Et ibidem: *Gratia est habituale donum Dei, quo humana voluntas præparatur ad bene operandum.* Vides ut huc trahatur Augustinus, & ex eo gratia habitualis sit, quæ *præparat* voluntatem, & *immutat, ut bonum velit.*

Monet idem infrà opus esse nihilo seciùs *auxilio divino* habentibus gratiam habitualem: cùm eo etiam *Beatis* sit opus. Nempe quia *etsi donum habitualis gratiæ datur nobis ad vitandum peccatum, non in actu tamen secundo nos constituit, sed in actu primo.* Et quamvis justo inhospitetur Spiritus sanctus, ut illum sanctificet, non tamen hoc unum ab eo manat in justos beneficium. *Sed in nobis est cum Patre & Filio, ut* Ibid. c. 14. *nos protegat, & moveat per auxilium actuale, ad operandum bonum.*

Rursum cum sancto Thoma Raynerius ita constituit, *existentem in peccato mortali non posse* Ibidem. *diu manere, quin ex ipsa inclinatione ad peccandum, in aliquod peccatum sequens cadat. Ut enim inferiori appetitu non totaliter subdito rationi, non potest esse quin contingant in eo inordinati motus: ita etiam ratione hominis non totaliter existente subdita Deo, consequens est, ut multæ inordinationes in actibus rationis contingant, &c. Præcipuè quia in repentinis operatur homo secundùm finem præconceptum, & secundùm habitum præexistentem, ut dicitur 3. Eth. Sed & quamvis interdum ex præmeditatione rationis possit aliquis agere contra ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus, quia tamen in præmeditatione semper esse non potest, sequitur quod non possit longo tempore permanere, quin operetur secundùm consequentiam deordinatæ voluntatis, & à Deo aversæ, nisi per gratiam ad ordinem debitum reparetur.* Quæ sunt ipsissima sancti Thomæ verba, quibus ostendit gratia habituali reparari voluntatem, ad Deum reflecti, inclinari & ordinari, ut jam ubi secundùm habitum

bitum ageret, agat piè & religiosè, & ita facilè possit *omnia* præcepta legis implere.

Non *cogitur* tamen unquam aut *necessitatur* ad peccandum quisquam extra gratiam existens; *Est enim contra propriam rationem liberi arbitrii determinari ad unum*. Ideo censet Raynerius, non singula tantùm, sed & omnia vitari posse crimina ab eo qui extra gratiam est. Et ne ipsum sibi collidi, vel sanctum Thomam sibimetipsi committi existimes, cùm istud docet in lib. 2. Sent. d. 28. qu. 1. art. 2. illud autem ex adverso in 1. 2. ita hoc se laqueo expedit Raynerius: *Cum sanctus Thomas dixit existentem in peccato non posse diu remanere propter vitiosam inclinationem, quin in aliquod peccatum cadat: non intellexit impotentiam absolutam, sed solummodo difficultatem vitandi peccatum: nec significare voluit ullam necessitatem, quæ absolutè hominem impellat ad peccandum; sed solummodo quandam proclivitatem, quæ difficulter potest cohiberi*. Quasi dicat, non physica, sed morali necessitate, peræquè tamen infallibili necesse est, ut & nondum justificatus mortalia, & jam justificatus venialia non omnia vitet peccata, etsi singula possit vitare.

Ibidem.

Eadem prorsus moralis infallibilitas adsignanda est actualibus Dei auxiliis, sicubi ex proposito Dei prædestinantis dantur. Tot enim & tanta, tam apta, tam crebra dantur, ut etsi possint singula respui, non possint omnia; etsi possint etiam omnia physicè, non tamen moraliter. *Nam præter gratiam habitualem etiam gratia dicitur auxilium divinum, movens & disponens ad bonum, quod dupliciter contingit. Aut enim per exteriores occasiones & incitationes ad salutem, utputa prædicationes, exempla, ægritudines, flagella, terrores & hujusmodi: aut per interiorem instinctum & motum, scilicet cor hominis interiùs movendo ad bonum*. Conversionem mox duplicem distinguit, alteram quæ *paulatim & successivè fit*, cujus exemplum statuit in Augustino, *qui tandiu converti disposuit, antequam ad effectum conversionis perveniret*: quod probat ex ejusdem Confessionibus procrastinationes tædiosas testificantibus. Alteram quæ *non paulatim & successivè* fit, sed *subito simul cum illa homo gratiam accipit pro arbitrio Dei*. Fit enim *sine mora per efficacem attractionem*, ut in Paulo contigisse ait. Vel sic tamen subdit *creaturas rationales resistere pro sua libertate posse huic motioni*. Et eas in malum ferri, *quia divinum instinctum & motum deserunt*. Ostensum à nobis est alibi etiam in Pauli conversione etsi non tantam, aliquantam tamen moram fuisse, ut in ea etsi compendiosiùs explicaret se gratiæ efficacia.

Ibid. c. 2.

Ibidem.

Idem infrà docet *perseverantiam*, ut est *continuatio boni usque in finem*, constare præter gratiam habitualem *auxilio divino*, quo *dirigatur & protegatur quis contra tentationes, & custodiatur à malo usque in finem vitæ*. Subdit & utriusque status discrimen, *quia majus donum conceditur nunc per gratiam Christi, quàm in statu innocentiæ habuit primus homo. Nam in statu innocentiæ homo accepit donum, per quod posset perseverare; non autem accepit ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi non solùm datur donum, quo homines possunt perseverare, sed etiam quo perseverent. Hæc S. Thomas*, 1. 2. q. 109. *art.* 10. *ad* 3.

Ibid. c. 2.

Verbo, Liberum arbitrium c. 7.

Luculentè rursus idem alibi quomodo nec vim adferat gratia, & tamen infallibiliter compellat, & adducat, vel ad conversionem, vel ad perseverantiam: *Compelle intrare ad cœnam cœlestem. Compulsio illa non est coactionis, sed efficacis persuasionis, vel per aspera, vel per levia. Unde Augustinus serm. 33. de Verbis Domini, Foris invenitur necessitas, intus nascitur voluntas. Et Gregorius hom. 36. in Evang. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, compelluntur intrare. Et Bernardus lib. de Lib. Arbitr. c. 11. Hoc intendit Dominus, cum terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos: quatenus dum de malo in bonum mutat voluntatem, transferat, non auferat libertatem*. Hæc illi & Patribus ratio efficacissimè compellendi, & indeclinabiliter quo Deus cumque voluerit agendi voluntates creatas: non quo denegetur auxilium interius, sed quòd efficacia talis auxilii ex his omnibus extrinsecis adjumentis etiam coalescat.

Ibidem c. 2.

Denique si quæras, quì fiat, ut confirmati in bono non peccent; non ad scientiam ille mediam recurrit, non motiones divinas physicè & ineluctabiliter prædeterminantes obtrudit usquam, quod longè compendiosius fuisset, si qua horum illi adlubuissent: sed solam in causa ait esse habitualem gratiam intus roborantem, divinam providentiam foris excubantem. *Dicuntur aliqui confirmati in bono, per hoc quod eis datur donum gratiæ divinæ, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili possunt deflecti à bono. Non tamen per hoc donum ita retrahuntur à malo, quod omnino non possint peccare, nisi divina providentia custodiente.*

Ibidem c. 2.

Usque adeo autem Raynerio inaudita incompertaque fuit, perinde ut & omnibus illius ævi Theologis, gratia physicè prædeterminans, eoque efficax; itemque gratia, quæ det ita proximè posse agere, ut agatur tamen nunquam, & ad hunc modum sufficiens: ut de his ne verbum quidem ullum scripserit, dubia omnia solverit prisco more, nulla horum recentium placitorum ope adhibita. Quocirca & qui nuperrimè recudendam curavit ejus Pantheologiam vir doctissimus & ejusdem Ordinis socius Joannes Nicolai, sex Capita suo ipsius ex penu calamoque deprompta interseruit, à quinto ad decimum, ubi de gratia physicè prædeterminante illa disputat, quorum nec vestigium in Raynerio extabat ullum. Eadem prorsus arte possent hæc recentium Thomistarum placita legi in commentariis priscorum ejusdem instituti Theologorum, si similiter intruderentur. Perinde enim apud eos omnes ante Concilii Tridentini finem, atque apud Raynerium, altissimum silentium observare fas est de his omnibus, quæ post Alvarem jam, passim apud aliquos perstrepunt.

EX JOANNE DE NEAPOLI Dominicano, Theologo Parisiensi.

NEcdum copia nobis fuit librorum ejus in Magistrum sententiarum. Pauca hìc libabimus ex *Quæstionibus* ejus *disputatis* in urbe Parisiensi. Tuendæ Aquinatis doctrinæ addictissimus hic fuit. Et primùm ita censet de gratia generali, *Quod quamvis ex puris naturalibus non possit homo omnia præcepta collectivè implere, potest tamen adimplere omnia distributivè, id est, quodcumque de omnibus, ut communiter dicitur:* quod, ni fallor, dicitur suppositâ generali gratia. Hæc porro libertas ad vitanda peccata, & implenda præcepta, singula, non omnia, abundè est; cùm nec merito, nec peccato locus sit ullus, nisi in singularibus factis. Quamquam enim idem alibi sæpè affirmet *necessitate immutabilitatis* non perimi libertatem, de Dei, & Beatorum libertate ibi disserit, vel de nostra etiam circa fœlicitatem in communi. At ibidem statim declarat rem secus esse in statu viæ & merendi statione. *In via autem, quodcumque bonum potest non diligi; tum quia talis cognitio potest interrumpi, tum quia potest aliquid aliud apparere magis bonum, quod non potest diligi simul cum illo; quorum neutrum est in patria.*

Q. 8. puncto 3.

Q. 7. punc.

Circa

Circa gratiam autem habitualem, sic idem sentit, *posse de potentia absoluta moveri voluntatem à Spiritu sancto ad actum dilectionis, sine habitu supernaturali charitatis*. Idque probat, quia ut moralis, ita infusus & supernaturalis habitus non est necessarius *simpliciter* ad actum eliciendum, sed ad eliciendum ipsum *promptè & delectabiliter*, Ordinariè tamen talis habitus infunditur, tum quia *virtus bonum facit habentem*, etiam quando actu non operatur; & *opus ejus bonum reddit*: tum quia opus ipsum perfectius fit, quod *promptè & delectabiliter*, id est, ex habitu fit. Addit quòd *Non minus suaviter Deus disponit creaturas quoad esse gratuitum, quàm quoad esse naturale. Ergo motio Spiritus sancti non excludit habitum charitatis, per quem talis actus ei efficitur quasi connaturalis, & facilis, & delectabilis*. Præterea *habitus facit promptè & delectabiliter operari, ut patet ex 2. Ethic. Sed sancti homines experiuntur hunc actum delectabilius, & promptiùs elicere, quàm aliquem alium*. Vides quàm constanter tueatur ex *habitu* charitatis infuso proficisci, quòd quis *promptè, delectabiliter & faciliter* operetur bonum.

Q. 1. Puncto 1.

Nuper autem ad Deum conversi, si quas experiuntur in bono difficultates, acceptum id referre debent vitiorum acquisitis habitibus, qui necdum exoleverunt. Vel in illis autem ipsis charitatis habitus inclinat ad bonum, facilitatemque & delectationem in bono creat, quæ semper potest vincere, quæ plerumque & ut in pluribus vincit illas & innatæ & adventitiæ difficultatis reliquias.

Ibid. puncto 3. *Habituatus in malo de novo ad Deum conversus, experitur difficultatem in actibus virtuosis per accidens; quia scilicet tales actus habent quandam repugnantiam ad habitus vitiosos acquisitos, qui adhuc remanent in ipso. Quantum tamen est ex parte charitatis præcisè, tales actus essent faciles & delectabiles. Sicut medium spissum, ut aqua, vel ejusmodi, prohibet motum gravis, ne sit velox, & facilis; qui tamen quantum est ex parte gravitatis, esset facilis & velox. Quod autem est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus, secundùm August. l. 13. Confess. c. 3. Amor meus pondus meum; eò feror, quocumque feror. Actus autem ipsius dilectionis, & tales de novo conversi experiuntur esse satis faciles & delectabiles*. Duo ergo respondet Joannes Neapolitanus. Primò recens etiam conversis ipsos charitatis immediatos, seu elicitos actus, esse faciles & delectabiles. Secundò imperatos charitatis, seu actus aliarum virtutum esse quandoque difficiles, ob inhærentes adhuc vitiorum habitus acquisitos, qui suo pondere pondus charitatis & virtutum remorantur. Sed vel hic charitas & virtus, instar ponderis inclinat ad promptè & delectabiliter operandum, etsi retardetur repugnantia habituum contrariorum. Unde mox idem: *Habitus acquisitus facit prompte & delectabiliter operari, & etiam habitus infusus; nisi sit aliquid impediens, scilicet habitus vitiosus acquisitus*.

Q. 2. punct. 2.

Infrà idem nomine *gratiæ* intelligi ait *donum supernaturale, per quod homo elevatur ad esse supernaturale, & redditur Deo gratus*. Etenim, *Sicut anima essentia dat homini esse naturale, & non est immediatum principium alicujus operationis, sed ab ea effluunt potentiæ, quæ sunt immediata principia operationum naturalium: ita gratia animam in esse supernaturali constituit, nec est immediatum principium operationum supernaturalium, sed ab ea effluunt virtutes supernaturales, quæ sunt principium talium operationum*. Et paucis interjectis, ut gratia *inclinet* ad bonum per virtutes infusas: *Ergo ad assequendum finem supernaturalem requiruntur tria distincta, scilicet gratia, per quam natura elevatur & fini proportionatur: charitas, per quam inclinatur ad eum: & cetera virtutes, per quas prompte habeat operationes, quibus ipsum attingat. Per aliud ergo homo proportionatur fini, quod est gratia; per aliud inclinatur & tendit in ipsum, quod est charitas, juxta August. Amor meus pondus meum*. Quæ omnia prolixiùs ibidem inculcantur. Hæc sanè *inclinatio* voluntatis *formaliter* magis intelligenda est, quàm *effectivè*. Sicut item ait alibi à voluntate cæteras moveri potentias *formaliter* potius, quàm *effectivè*, ut *gravitas* quæ est *inclinatio naturalis*, non est principium effectivum, sed formale.

Q. 4. punct.

Quod ad gratiam efficacissimam attinet, illud in primis inculcat Joannes, *Deum operari in omni agente creato, etiam voluntario*. Quod probat ex Augustino sic ajente lib. 4. de Gen. ad lit. c. 11. *Quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omniumque natura concideret*. Probat rursum, quia ut creatura, qua ens pendet à primo ente, ita & qua agens à primo summoque agente. Est autem Deus *causa* omnis actionis creatæ trifariam. Primò ut dans & conservans virtutem agendi creatam. Secundò *quia causa universalissima in causando, id est Deo, respondet effectus universalissimus, id est esse*. Ergo omnis effectus, ut est *Ens*, à Deo est: ut tale ens, à causa secunda est. Tertiò Deus causa est actionis creatæ, *sicut applicans, seu movens omne agens ad effectum suum*.

Q. 11. punct.

Confitemur & nos moveri ac præmoveri à Deo omnes voluntates creatas ad agendum; sed physicè & infallibiliter ubique prædeterminari, ut nunquam non effectus sequatur, hoc nec Joannes iste, nec sanctus Thomas unquam affirmavit. Etenim primò hìc Joannes locum Augustini promit, qui in omni creata actione valet. At efficacissima Augustino gratia non ubique, non semper necessaria est, Nec enim ante peccatum, non in omni actione naturali. Secundò movet Deus ut causa universalis ad effectum universaliter, qua ens est. Semet ergo ipsa voluntas creata determinat ad particulares effectus. Tertiò ita & mox dicitur ab eodem: *Quod Deus est causa actionis peccati, qua actio est: & ad talem actionem qua actio est, movet liberum arbitrium: nec tamen movet ipsum ad talem actionem, qua est peccatum; sicut nec est causa talis actionis, inquantum est peccatum*.

Q. 11. punct.

Ita & alibi idem ait *omnia entia creata inquantum entia, esse effectus Dei; quamvis in quantum talia entia, possint dici effectus causarum creatarum, &c. Causa enim universalissima correspondet effectus universalissimus, &c. Non quod aliud reale sit in illo effectu a Deo, aliud à causa creata. Sed totus idem effectus secundum se totum est à Deo, inquantum est ens: & secundum se totum est à causa creata, inquantum est tale ens. Sic totus homo est à Sole, inquantum corpus generabile; & totus ab homine, inquantum est hoc corpus generabile, seu hic homo*. Convenienter sancto Thomæ moveri & præmoveri à Deo docet voluntates omnes, sed ut à motore universali, ad bonum universale; ita ut voluntatis creatæ sit semet in particulari determinare ad hoc vel illud bonum.

Q. 11. punct. 2. arg.

Ita & alibi idem ait, quòd *Deus dicitur hominem reliquisse in manu consilii sui, quantum ad hoc quod ei dedit liberum arbitrium, per quod posset bene & malè agere, non determinans sibi finem, & ea per quæ posset finem attingere, sicut determinavit omnibus aliis creaturis ratione carentibus: non autem quantum ad hoc, quod continuò in ipsum non influat esse, & omnem perfectionem quam habet*. Quorsum jactaretur illa universalis indeterminatio, si per singula homo determinaretur? Nihilo plus esset in manu consilii sui.

Expendendi nobis fuissent ejusdem libri in Magistrum sententiarum, si eorum copia nobis facta fuisset.

EX

EX DURANDO A S. PORTIANO, *Dominicano, Episcopo postea Aniciensi.*

VOluntatem Dei antecedentem, ut omnes salvi fiant, hanc esse Durandus interpretatur, à qua sunt *communia auxilia, quæ dantur omnibus, ut salvi fiant, scilicet liberum arbitrium, præcepta, consilia, & hujusmodi, quibus omnes possunt dirigi in his quæ pertinent ad salutem.* L. 1. Sent. d. 46. q. 1. Sicut à voluntate consequente sunt *auxilia specialia, ut gratia, virtutes, perseverantia in bono & hujusmodi, quæ dantur quibusdam specialiter & singulariter.* Gratiæ itaque actuales sive habituales omnes, quæ antecurrunt *gratiam & virtutes*, hoc est, gratiam justificantem, *communibus auxiliis annumerantur.*

Idem alibi censet *gratiam dupliciter accipi, uno modo pro grata Dei providentia, qua gratis omnibus rebus impendit ea, quæ ipsis conveniunt. Alio modo pro habituali dono, recepto in anima.* Et denuo: *Gratis pro dono habituali, aut est gratum faciens, aut solum gratis data. Gratum faciens, vel idem est quod charitas, vel non sine charitate. Gratia gratis data est quodcumque habituale donum, commune bonis & malis, &c.* Vides auxilia gratiæ ab habituali & sanctificante gratiæ distincta, quomodo describat. L. 2. d. 28. q. 1.

Jam verò *sine gratia*, nimirum gratum faciente, idem docet posse fieri *opera bona bonitate morali, quia eorum sunt in homine principia sufficientia, nempe recta ratio agibilium, & voluntas per eam recta.* Meritoria verò opera geri non possunt sine gratia gratum faciente: *Et in hoc erravit Pelagius, dicens, liberum arbitrium sufficere ad merendum sine gratia, quod non est verum: quamvis per se sufficiat ad eliciendum opus morale, bonum ex genere, sine & circumstantiis.* L. 2. d. 28. q. 2. Illud verò addit Durandus non omittendum circa opera moralia: *Per hoc quod dicitur per se, non excluditur generalis influentia Dei, qua rerum principia in esse conservat, sine qua nihil esset, aut fieret. Et sic intelligitur illud Joannis 15. Sine me nihil potestis facere. Et illud 2. Corint. 3. Non sumus sufficientes cogitare, &c.* Ita rum solebant auxilia divina ad bene moraliter operandum ante justificationem, *generalis influentia* nomine designari.

Ut verò se aliquis ad gratiam præparet, fatetur quidem Durandus *speciali auxilio* opus esse, sed non ejusmodi quod sit *immediata motio voluntatis à Deo*; neque enim id opus esse, cùm *bonum morale* sit *præparatorium* ad gratiam: sufficere ergo speciale auxilium, nempe quod sit *à speciali providentia Dei circa electos, & ex hac quidquid eos promovet ad salutem, sive sit exterior admonitio hominis, sive ægritudo corporis, vel quidquid voluntatem excitat ad bonum. Et si hoc vocetur gratia, sine tali gratia non potest se homo præparare ad gratiam.* L. 2. d. 28. q. 6. Sed hac in re cùm non à sancto Thoma tantùm, sed & à Patrum doctrina deflectere videatur Durandus, non immeritò ab eo dissentiemus & nos, ac immediata motione voluntatis à Deo, & quidem ut plurimùm multiplici opus esse confitemur, ut quis se ad gratiam præparet.

Jam de gratia habituali, hanc censet eandem realiter esse Durandus cum virtute charitatis. Ab hac esse enim & esse supernaturaliter, & operari supernaturaliter ac meritoriè. Ait quippe Apostolus, *Si charitatem non habeam, mihi sum.* L. 2. d. 26. q. 1. Ab ea ergo est esse supernaturale; sicut & de gratia dicitur, *Gratia Dei sum id quod sum.* Et rursum de charitate, *Omnia suffert, omnia sperat, &c.* Ab ea ergo est operari supernaturaliter, sicut & de gratia dicitur, *Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et charitas ergo idem est quod gratia habitualis, & idem est principium essendi ac operandi supernaturaliter charitas.

Et rursus ut gratia habitualis sit operans & cooperans: *Gratia ut est habituale donum, inquantum animam Deo gratam facit, dicitur operans: inquantum verò est principium operis meritorii, quod etiam ex libera arbitrio procedit, dicitur cooperans.* Ibid. q. 3.

Postremò denique quomodo efficacissima sit Dei voluntas, & propositi gratia, qua infallibiliter electos suos protrudit ad salutem, facilè dilucescet ex ea ratione, qua Deus prænoscit futura contingentia, etiam libera; ex Durando. Ita enim ipse statuit, si introspiciatur ipsa tantùm in sese causa libera & contingens, utcumque conjici posse, sed certò præsciri non posse, quo ea sit inclinatura suum assensum. At verò si simul provideantur omnia, quæ eam vel impellent, vel absterrebunt, tunc certò à Deo præsciri posse, quam in partem declinatura sit. Et ita à Deo præsciri futura contingentia libera, ut quem nihil lateat eorum omnium vel incitamentorum, vel avocamentorum, quibus libera voluntas urgenda, vel inhibenda sit in negotio quolibet. Non ergo Deus voluntates liberas quolibet infallibiliter determinat. Hæc enim longè compendiosior ratio foret expediendæ divinæ præscientiæ. *Sicut in causa necessaria præcognoscitur effectus necessarius certa cognitione; sic cognita causa impedibili & omnibus quæ eam impedire possunt, & insuper in iis quæ eam impedient, vel non impedient, certitudinaliter cognosci potest, quis effectus eveniet, vel non eveniet: Et similiter cognita causa indifferente & impedibili, si cum ea cognoscantur omnia, quæ eam determinare possunt, & determinabunt, & omnia quæ eam impedire possunt, & quæ impedient, vel non impedient, potest infallibiliter cognosci quis effectus eveniet.* L. 1. d. 38. q. 5. Quæ ille ibidem prolixissimè explanat.

Qui rursus ibidem his exemplis declarat effugere nihil posse ordinem universalis providentiæ Dei, in cujus potestate sunt, quemcumque ab agendo impedire, vel incitare ad agendum possunt. Ut si qua stella plantæ faveat & aspiret, ut efflorescat, alia obstet obsitque, tum planta fallet spem & consilium prioris sideris, non autem cœli siderei providentiam universalem, cui utrumquæ sidus infixum est. Ut rursum si quis opifex nunc ignem adurendo ligno, nunc aquam adhibeat igni cohibendo, tunc vim ignis effugiet lignum semiustulatum, non autem opificis. Ita cùm & adjumenta & impedimenta omnia quorumcumque effectuum in potestate Dei sint, universalem ejus providentiam fallere & ludificare nihil prorsus valet. Ut potentiam autem, ita & intellectum Dei nihil effugere potest, quia par utrique constat infinitas.

Porrò nec in his Durandi omnia nobis possunt arridere. Illud enim propiùs à verò abest, futura eventa libera, non ut futura, sed ut præsentia à Deo videri, tum quia ejus æternitati coexistunt, tum quia alioqui ejus visioni omnia penitus circumscribenti prostant. Et rursum non dissimulabo, necdum mihi satis exploratum esse, an inspectis omnibus quæ voluntatem vel inclinabunt ad assentiendum, vel ab assentiendo revocabunt, certò sciri possit, quo reapse assensum ipsa suum deflexura sit in actu quolibet. Sed illud prorsus indubitatum mihi est, si quam in partem deflectere voluntates nostras visum Deo sit, tot ab eo posse accumulari ingerique incitamenta, tot ex adverso repagula objici, ut difficillimè dissentiat voluntas: ideoque si iisdem machinis sæpiculè arieteretur, tandem certissimè veniat in deditionem. Nemo autem tam excors est, qui non intelligat, si Durando tam emunctæ naris viro illud visum est esse certissimum, in quo longè plus

est difficultatis; multò hoc firmius & indubitatius esse, quod à nobis astruitur, auxiliorum licèt frustrabilium multitudine & conspiratione expugnari tandem assensum voluntaris, quoties Deo visum est.

Eidem porrò dogmati suo Durandus prædestinationis gratuitæ certitudinem superstruit, *quia* L. 1. d. 41. q. 1. *Deus scit infallibiliter quæ possunt determinare liberum arbitrium, & quæ determinabunt: & quæ possunt impedire quamcumque causam impedibilem, & quæ impedient, &c.* Atque ita proclive Deo est, ea adornare auxilia gratiæ, quæ liberam voluntatem, quocumque volet ipse, impellant.

Postremò denique *efficaciter semper impleri* voL. 1. d. 46. q. 1. luntatem Dei colligit Durandus, quia *etsi quandoque agat Deus mediante alio, & supposito subjecto; tamen excludere potest omne impedimentum incidens circa medium per quod agit, vel circa subjectum in quod agit.*

EX WILLELMO OKAM, Ordinis Minorum.

An. 1320.

SUam de generali gratia sententiam prodit Okamus, cùm sufficientia ad salutem adjutoria omnibus suppeditari docet, voluntate Dei L. 1. d. 46. antecedente: *Deus vult antecedenter omnes salvos fieri, quia scilicet dat eis antecedentia, quibus possunt consequi salutem, & eis erit paratus coagere, &c.*

Jam verò quòd gratia habitualis, & universim omnis habitus inclinet, idem sæpissimè inculcat; sed hoc singulariter ab eo animadversum est, non omni habitui proprium esse delectare, vel cum delectatione inclinare; quia sunt & habitus ad tristitiam urgentes, putà odium, invidia, & id L. 1. q. 1. 4. genus alia. *De ratione habitus non est plus inclinare delectabiliter, quàm tristabiliter, &c. Sicut habitus generatus ex actibus volendi, inclinat delectabiliter; ita habitus generatus ex actibus odiendi, invidendi, detestandi, inclinat tristabiliter ad omnem actum, ad quem inclinat. Nullus enim potest aliquem odire delectabiliter.* Vereor tamen, ut satis firma sit hæc Okami distinctio. Etsi enim dispar, nonnulla tamen est ex inveterato habitu delectatio sæviendi, conviciandi, dolendi. Est & lacrymis, est & dolori sua voluptas. Odio quoque & invidiæ indulgere lubet quandoque & delectat. Felle tamen aliquo illa voluptas delibura est.

Et rursum idem quòd habitus inclinent: *Te-* L. 1. q. 4. *neo quod habitus est causa effectiva actus, &c. Habitus est causa efficiens respectu actus, &c. Habitus inclinat potentiam ad actum, &c.* Quinimmo ibidem docet usque adeo habitibus nos inclinari vitiosis, ut identidem erumpant actus aliqui inopini, atque ea de causa minùs culpandi, ut qui libertatem rationemque nostram effugerint. *Dico quod non est in potestate voluntatis, quin eliciat cum habitu inclinante aliquem actum circa illud. Et ille actus potest dici primus motus, qui excusatur à peccato secundùm Doctores. Et hoc etiam videtur Augustinus dicere, quod non est in potestate nostra quibus visis per intellectum tangamur in voluntate.*

Quòd verò habitus infusi æquè inclinent, immo & latiùs quàm acquisiti, idem alibi affirmat: L. 2. q. 8. 9. *Habitus acquisitus nunquam inclinat ad actum alterius habitus, nisi mediante actu proprio, ad quem immediatè inclinat. Sed habitus infusus potest immediatè inclinare ad actum alterius habitus, absque hoc quod inclinet ad actum proprium. Et ideo charitas infusa potest bene inclinare ad actum illius habitus, quo aliquis detestatur peccatum propter Deum, absque hoc quod inclinet ad actum proprium immediatè.*

Postremò quo tandem modo gratia efficacissima torqueat voluntatem liberam, atque adeo quomodo futura eventa libera omnia præsciat Deus, ita Okamus sentit. Primò rem omnino esse abstrusissimam, & supra aleam omnem humanæ sagacitatis. Ante rei enim ipsius existentiam neutra pars certò vera est, adeoque neutra certò sciri, vel præsciri potest. *Tenendum tamen quod Deus* L. 1. *evidenter cognoscit omnia futura contingentia. Sed modum exprimere nescio. Potest tamen dici, quod Deus, vel divina essentia est una cognitio intuitiva tam sui ipsius, quàm omnium aliorum factibilium, & infactibilium, tam perfecta & clara, quàm omnium præteritorum & præsentium.* Per omnipræsentiam ergo quandam, non æternitatis divinæ, tanquam omnibus temporibus, & omnibus in tempore quolibet existentibus coexistentis; sed scientiæ & intuitionis divinæ præterita & futura omnia ex æquo ambientis & perlustrantis, à Deo prævideri existimat omnia futura contingentia. Longè aliter sensisset Okamus, si de prædeterminatione physica vel suspicari aliquid potuisset.

Jam verò prædestinationem Okamus duplicem facit, aliorum ex electione gratiæ, aliorum ex meritorum contemplatione. *Potest dici sine pre-* L. 1. d. 41. *judicio & assertione, quod alicujus prædestinationis est aliqua causa & ratio, & alicujus non est. Hujus ratio est, quod aliqui propter merita salvabuntur; ita quod si voluntariè mererentur, salvarentur. Aliqui autem solùm ex gratia speciali sunt ordinati ad vitam æternam, ita quod sibi ipsis non sunt derelicti; sicque præveniuntur, ne possint ponere obicem, ne perdant vitam æternam. Sic fuit de beata Virgine & de quibusdam aliis.* Hæc ille, ubi gratis electos infallibiliter à Deo converti ad bonum, & in bono conservari ait, quia *sibi ipsis eos non derelinquit, & prevenit eos, ne possint ponere obicem.* Et ut ibidem ait: *Non permittit eis aliquid inesse, quod possit eos impedire à vita æterna.* Quam unam tantùm gratiæ prædestinationem cum Augustino complectimur, repudiata altera.

EX HERVEO NATALI Brittone, Theologo Parisiensi, Ordinis Prædicatorum Generali Magistro.

An. 1323.

QUàm nulli desint authore Herveo sufficientia ad salutem præsidia gratiæ generalis, liquet ex voluntatis antecedentis & consequentis Dei ad omnium salutem ista apud eum interpretatione. Ut enim vult cupitque alicui victoriam, qui arma illi suppeditat, quibus eam assequatur, si volet: *sic ex hoc ipso quod Deus contulit homini* Summ. sent. L. 2. q. 1. art. 1. *ea, quibus ordinatur ad beatitudinem, dando intellectum & voluntatem, præcepta & consilia, dicitur velle salutem omnibus voluntate antecedente, quia vult eis beatitudinem quodammodo in suo antecedente, dum vult eis conferre illa, quibus possunt assequi beatitudinem. Sed considerato quomodo quisque se habet in utendo eis, simpliciter & in se, vult uni beatitudinem, & alteri damnationem.* Observa hic, 1. qui militi arma dat ad vincendum, omnia dare, quæ parandæ victoriæ sufficiant, ita ut nihil præterea ex parte dantis sit necessarium: quantumvis enim donet, si quid necessarium subtrahat, ne antecedentem quidem vult illi victoriam. 2. Seriò ergo Deus *confert omnibus illa, quibus possunt assequi beatitudinem:* ita ut nihil necessarium ex parte Dei desit. 3. Ideo ubi præcepta dat, confert & vires illis implendis non impares. Nec enim impossibilia jubet.

Rursus non aliam ferè quàm habitualem nomine *gratiæ* designat Herveus. Eò pertinet, quod ait, *conatu* disponi nos ad gratiam, eique congruere;

gruere; quod de gratia habituali indubium est, actuali non quadrat, cùm ab ista potiùs sit conatus & dispositio qualiscumque. *Deus vult isti conferre gratiam, & causa effectiva, vel dispositiva, saltem de congruo, est conatus; & è converso Deus dat conatum propter gratiam in genere causæ finalis, quia est causa finalis ipsius conatus, quod ad hoc Deus vult dare, ut quis adipiscatur gratiam.*

Ibidem. Eò pertinet etiam quod docet nostrum esse bene uti gratia, ad quam conando pertigimus. *Conatus qui est causa disponens ad gratiam, à nobis est; & similiter bonus usus gratiæ, per quam meremur gloriam.* Nemini dubium esse potest cui gratiæ propria sit vis gloriæ promerendæ.

Eò pertinet multò manifestiùs, quod infrà argumentatur, gratiam & charitatem unum idemque re esse, quia esse & operari ab uno eodemque principio proficiscuntur. *Sicut virtus moralis se habet ad esse morale & ad operari moraliter: ita etiam virtus supernaturalis ad esse supernaturale & ad operari supernaturaliter. Sed per virtutem moralem aliquis habet esse morale, scilicet bonus moraliter; habet & operari moraliter: ergo per virtutem supernaturalem, præcipuè quæ est charitas, habet aliquis esse supernaturale, & operari supernaturaliter. Sed illud quod dat esse supernaturale, est gratia secundùm omnes; & illud quod dat operari supernaturale, est virtus supernaturalis, & præcipuè charitas; ergo gratia & charitas sunt idem per essentiam.* Ergo perspicuè *secundùm omnes* illa est *gratia*, quæ dat *esse* supernaturale: ideoque gratia est habitus, & virtus, & maximè charitas: denique ipsa eadem quæ dat esse, donat & *operari*.

L. 2. q. 22. q. 1.

Ibidem. Eò pertinet & ista ibidem argumentatio: *Nullus respicit aliquid extra se, nisi mediante aliqua operatione. Ergo nos non respicimus Deum, nisi mediante aliqua operatione, vel habitu eliciente operationem. Sed gratia est quidam habitus, mediante quo ordinamur in Deum. Ergo hæc est habitus operativus. Sed talis habitus quando est bonus, est virtus, & constat quod gratia est bonus habitus. Ergo gratia est virtus. Sed non potest esse alia virtus, quàm charitas.* Ad hunc ergo modum gratia erit ipsemet habitus charitatis.

Si autem ab habitu charitatis differat gratia, alternat enim velut in ancipiti Herveus, tum intimius aliquid erit & penitius, à quo ipsemet charitatis habitus profluet, à quo per habitum charitatis manabit pia quælibet operatio. Erit inquam gratia velut *naturæ divinæ participatio*; à natura porro exorientur potentiæ, seu habitus supernaturales.

Ibidem.

Eò etiam pertinet quod ibidem Herveus quæsit, *an homo possit vitare peccatum mortale sine gratia.* Respondet autem cum Manichæo insanire, si qui dicant hominem ad malum culpæ determinari, ut lapidem ad descensum: errare rursum si qui sentiant *ex inclinatione peccati non posse vitari peccatum, etiam in speciali, nec ad horam quamlibet; quia sic sequeretur quod privatus gratia, nullum dominium haberet sui actus.* At verò ut mox ipse ait, *Communiter hodie omnes tenent, quod existens in peccato mortali non possit diu vitare, quin committat peccatum mortale hoc, vel illud; licèt quodlibet per se acceptum possit vitare, nitendo determinatè contra hoc, vel illud.* Ita gratia nimirum habituali destitutus potest singula, non potest conjunctim omnia vitare peccata, *supposito quod non velit convertere se ad Deum, & recedere à peccato.* Ratio est, quia *quando ratio & appetitus rationalis non sunt ex toto subjecta præceptis divinis, impossibile est, quin insurgant in eis aliquæ inordinationes, quæ sint contra præcepta divina, & sint peccata mortalia.* Etenim *qui adhæret habitualiter peccato mortali, non movetur ad vitandum aliquid ex hoc solo quod est contra præceptum Dei, cùm ipse adhæreat ei, quod scit esse contra præceptum Dei.* Et rursum *impossibile est esse ho-*

L. 2. d. 22. q. 1.

minem in vitâ istâ, qui habeat tam vigilantem deliberationem circa quemlibet actum occurrentem sibi, de eis quæ sunt contra legem Dei.

Si objicias autem, singulis repugnando peccatis convalescere hominem, & ita fore ut possit etiam universis reluctari: Respondet, *Licèt resistendo primo fortificetur ad resistendum secundo, non tamen sequitur quod si resistat uni, contra quod ad horam nititur, resistat multis, quæ occurrunt in magno tempore. Quia multa sunt fortiora ad impellendum & ad distrahendum mentem hominis, quàm unum. Et ideo illa multa de facili vincunt illam fortificationem, acquisitam resistendo uni, vel etiam duobus, vel tribus.* Addit existentem in peccato implere præcepta quælibet sejunctim posse, *non secundùm intentionem præcipientis, quæ est inducere ad virtutem, & quod illud fiat ex charitate ad merendum vitam æternam; sed quantum ad substantiam actus, & ad vitandam pœnam.* Addit denique non injuria imputari homini nondum justificato illam ipsam necessitatem peccandi aliquando, quia illa est necessitatis ex suppositione, & *suppositionis ipse causa est; quia ex hac suppositione est impossibile talem vitare peccatum, quia supponitur nolle recedere à peccato, cujus ipse causa est.*

Ibidem.

Eò pertinet denique, quod idem alibi ait, *Definitio Damasceni, scilicet quod baptismus est, per quem primitias Spiritus habemus, & fit in nobis principium alterius vitæ, regeneratio & custodia, inquantum effectus baptismi custodit hominem in statu gratiæ, quantum est in ipso.* Ubi perspicis gratiæ habitualis, quæ per baptismum infunditur, efficaciam. Et infrà rursum: *Quod virtutes morales infundantur in baptismo, licèt aliqui hoc negent, potest ostendi sic, quia in generatione naturæ, cum esse confertur posse proportionatum naturæ; ergo in regeneratione spirituali cum esse gratiæ confertur posse proportionatum ipsi gratiæ. Sed hujusmodi posse fit per virtutes.* Ergo per virtutes quæ in baptismo cum gratia habituali inspirantur fidelibus, confertur & *posse proportionatum gratiæ* eidem habituali, nempe posse facilè & expeditè, & tanquam ex habitu delectabiliter tum implere præcepta, tum vitare crimina, & singula, & omnia.

L. 4. d. 3. q. 1.

L. 4. d. 4. q. 1. art. 3.

Jam verò quod ad tertium genus attinet gratiæ, nimirum juxta Dei propositum efficacissimæ, etsi pauca Herveus hac de re scripserit, ut qui multas omiserit intactas libri secundi distinctiones: etsi rursus ejus mens abundè inde dilucescat, quòd gratiæ nomen uni principaliter vendicet habituali: rursum tamen sententiam ejus expiscabimur ex ea ratione, qua Deo præscientiam astruit futurorum contingentium. Futuros enim liberos actus eo præsciri à Deo docet, quòd etsi reapse non coexistant æternitati divinæ, præsto tamen & coram adsunt omnia sæculorum volumina complectenti ejus visioni. Videt ergo Deus hos eventus liberos *in ipsorum actuali existentia, & ita potest de eis habere certitudinem. At realis hæc & actualis existentia*, etsi ab aliis coexistere æternitati existimetur, ab Herveo tamen spectatur tantùm, ut *præsens Deo intuenti, sive per intuitionem. Simul enim & ab æterno intuetur, & intuitus est Deus existentiam actualem omnium. Ita quod simultas referatur non ad res visas, sed ad ipsam visionem.* Ratio est, quia *sicut Deus in una essentia simpliciter comprehendit omnem perfectionem essendi, ita comprehendit in uno actu cognoscendi omnium cognitionem.* Ita certitudo divinæ præscientiæ de liberis futuris eventis secundùm Herveum innititur non decretis divinis, non efficacissimis præmotionibus ejus, sed ipsi eventuum præscientiæ & existentiæ actuali, atque omnipræsentiæ divinæ visionis. Et ita *eo modo stat certitudo divinæ scientiæ cum contingentia futurorum, sicut necessitas actualis existentiæ*

L. 1. d. 36. q. 1. art. 1.

ipsorum quando sunt, stat cum contingentia ipsorum.

Sed nihilo tamen minùs, *necessarium est, omne quod est præordinatum à Deo, evenire*; quia & impedire ipse potest, ne agant causæ liberæ; & amoliri potest impedimenta, quibus sublatis agent; & ipsa denique contingentia Dei jussu ac voluntate nititur. Jussit enim ipse, ut alia necessariò, alia contingenter & liberè agant. Cùm ergo semet creata libertas determinat & convertit quolibet, id omnipotens voluntas Dei sanxit, cùm donavit hominem libertate. Ideo idem alibi eos confutat, qui opinantur eundem eventum, & necessarium esse, si voluntati divinæ ita decernenti comparetur; & contingentem, si in semet spectetur. Hos inquam inde confutat, quòd *non possit stare simpliciter contingentia cum necessitate*. Ideo ipse mox ait *ad infallibilitatem voluntatis divine* pertinere hoc ipsum, ut quædam contingenter eveniant, cùm ita decreverit Deus, ut nonnisi contingenter ea eveniant. Ideo *prima causa contingentiæ est voluntas divina.*

Ibid art 3,

1. 1. d. 41. q. 3 art. 3.

Ideo & Providentiam alibi Herveus describit, omnia quidem præfinientem, sed bicipitem, & bona facientem, mala sinentem fieri, & bono aliquo inde exoriente compensantem. *Ad bonam provisionem Dei pertinet, quod diversimodè provideat diversis. Ita quod quibus providet de principiis naturalibus determinatis de necessitate ad unum, malum naturæ, ut mors, recompensatur per nutrimensum hominis: in habentibus autem dominium sui actus malum culpæ recompensatur per bonum punientis justitiæ.* Ita Dei voluntas invicta & efficaciissima est, semperque impletur, dum vel bona fiunt ipso adjuvante, & præmiantur; vel mala ipso sinente, & puniuntur. In hac ipsa ergo quæ præter voluntatem Dei fiunt, dominatur invictissima Dei voluntas, tum quia impedire posset, si vellet, ne fierent; tum quia ab ordine justitiæ relabuntur in ordinem vindictæ. *Illa quæ deficiunt à fine, quem providet illis Deus, subsunt ejus providentiæ, qui omnia impedimenta potest excludere à suo effectu, si providit ea ad illum finem infallibiliter tendere. De illis autem quæ quandoque deficiunt à fine & cursu suo, Deus providit isto modo quod tenderent, ita quod deficere possent: nec tamen ita deficere possunt, quin perveniant ad aliquem finem. Talia inquam subsunt divinæ providentiæ.* Ideo negat plura esse mala quàm bona, cùm mala omnia *ordinet* in bonum Deus; *Nullum malum est, quod non ordinetur per divinam providentiam, ut inde eliciatur bonum; sicut persecutio tyranni est occasio patientiæ martyris, & eadem persecutio culpabilis ordinatur per pœnam justitiæ justam ad bonum.* Ideo denique infrà ait ad providentiam non pertinere, ut oporteat *certam & infallibilem finis consecutionem, sed ad prædestinationem.*

1. 1. d. 41. q. 3 art. 3.

1. 1. d. 39. q. 3. art. 4.

1. 1. d. 38. q. 1. art. 1.

Referri & huc possent, quæ idem alibi fusè disputat de voluntatis motione non morali tantùm, sed physica per objecta, seu per intellectum, apta proponentem objecta. Firmari hinc enim possent quæ alicubi diximus de quadam efficientiæ portione ab objectis derivanda, ut voluntas libera quolibet impellatur.

1. 2. d. 26. q. 1.

An. 1335.

EX ALVARO PELAGIO
Hispano Ordinis Minorum Theologo, & Episcopo Silvensi.

De planctu Ecclesiæ, l. 2. c. 8.

PAucis perstrinxit Alvarus totam suo ævo de gratia & prædestinatione receptissimam inter Theologos sententiam. Et primùm circa gratiam generalem sic sentit: *Liberum arbitrium potest per se in bonum naturæ, sicut est dormire, vigilare, comedere & similia: non tamen à se, quia non excluditur causa efficiens prima. Omne enim quod est, à summo Deo est. Unde ait Joan. 15. Sine me nihil potestis facere. Et ex Augustino, Quamvis Christus vitis non esset, nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi & Deus esset.* Sic ille *gratiæ* nomine honestat concursum illum naturalem, & auxilium Dei moventis, quo sensu & ipsa natura gratia quandoque dicitur.

Rursum verò: *Potest per se liberum arbitrium in bonum ex genere, sicut dare eleemosynam. Quod probatur hac ratione. Videmus quod animal brutum affectu naturali dat fœtui nutrimentum; ergo si homo non posset dare eleemosynam ex bonis naturalibus, deterioris esset conditionis. Ad hoc verò ut possit in bonum ex circumstantiis, scilicet in bonum morale, de quo tractant Philosophi, quod consistit in exercitio politicarum virtutum, indiget gratia data gratis, quæ removet difficultatem, quæ est in operabilibus. Ad removendum autem tentationem, cui per se non potest resistere, indiget gratia gratis data superaddita. Ad hoc ut liberetur à peccato, indiget gratia gratum faciente. Sola enim voluntate cadit homo in foveam peccati, sed non ex voluntate sufficit resurgere.* Ita ergo æstimat Alvarus ad bonum morale, sive ex genere ac circumstantiis, sufficere liberum arbitrium *ex bonis naturalibus*; sed auxilio nihilominus egere divino, quæ jam *gratia gratis data* dicatur. Si qua verò immineat tentatio, quam suis homo viribus superare non possit, tum opus illi esse *gratia gratis superaddita*, quod, ni fallor, alii appellitant *auxilium speciale*. Denique ut à peccatis commissis quis abluatur, gratia gratum faciente seu habituali opus est.

Ibidem.

Ibidem.

Nunc de gratia habituali: *Est duplex gratia, creatrix & salvatrix. Per gratiam creantem virtutes naturales sunt nobis insitæ. Per gratiam salvantem bona perdita restaurantur, & opera Deo grata eliciuntur. Hujus gratiæ multiplex est effectus; primò namque liberat à culpa cum arbitrio libero, & à pœna æterna. Hæc gratia semper offertur homini, si velit eam accipere. Secundò præparat voluntatem, ut bonum velit. Bonum autem velle non potest, nisi ipsa sit bona. Esse non potest bona, nisi à gratia. Hominis est præparare animum; quia homo præparat materialiter per humiliationem: sed Deus præparat effectivè per informationem. Tertiò dat bene operari. Esaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Quartò protegit à malo, dando vires resistendi, contra tenebras ignorantiæ & infirmitatem. Quintò promovet in bono. Sextò perficit, dando perseverantiam. Septimò complet, gloriam tribuendo.* Hæc encomia sunt & beneficia gratiæ gratum facientis. Ejus ergo efficacacia & vis in eo primùm est, ut culpas omnes deleat. Deinde ut *præparet* voluntatem, dum *bonam* facit esse, & *bonum velle*. Tertiò ut *det bene operari*; itaque de ea intelligitur etiam illud, quod *omnia opera nostra* bona *operatur in nobis Deus*, & sine Christo *nihil possumus facere*. Quartò protegit à malo, *dando vires resistendi infirmitati & ignorantiæ* per charitatem & fidem.

Ibidem.

Postremò quia *ex præscientia, providentia & prædestinatione Dei* fatalem quandam nobis incumbere necessitatem aliqui objectabant, his ita respondet Alvarus: *Verum est quod præviso Dei non fallitur, nec mutatur; videt enimverò res, sicut futura sunt; non tamen cogit liberum arbitrium, nec ad bonum, nec ad malum; sed in nobis est sequi Deum ad virtutem, vel diabolum ad errorem. Unde ad commendationem justi dicitur, Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Sed homo potest per se ad malum, ad bonum verò meritorium non; sed adjungitur adjutorium gratiæ, &c.* Et infrà mox: *Nullus de necessitate salvatur, aut damnatur, sed per opera liberi arbitrii, quæ sine necessitate fiunt. Prædestinatio enim non facit certam salutem, sed per bona opera, quæ fiunt libero arbitrio,*

Ibidem.

certa

certa efficitur vocatio, & electio. Quamvis enim quæ prævisa sunt, necessariò eveniant; non tamen hujusmodi necessitas infert vim libero arbitrio. Quibus ille nec gratuitam, nec infallibilem labefactat prædestinationem; sed ab ea nihil necessitatis imprimi ostendit, vel libero nostro arbitrio, vel executioni bonorum operum.

Idem manifestiùs subinde declarat, cùm ex Anselmo secernit duplicem necessitatem. Alteram *quæ præcedit & efficit rem*, ut cum dico, necesse est cœlum volvi. Alteram quæ *sequitur rei positionem, & nihil efficit:* ut cum dico, necesse est te sedere, cum sedes. *Et talis est prævidentiæ divinæ necessitas.* Unde *quid aliud est dicere, necesse est prævisum evenire? nisi ut dicatur, necesse est aliquem salvari, dum salvatur? Et ita per eam necessitatem non tollitur contingentia rei. Omnia enim quæ à libera arbitria procedunt, non necessariò eveniunt.* Ibidem.

Nec ista eo collineant, ut æterna Dei prædestinatio certa non sit; sed quod operibus quibus promovemur ad finem beatitudinis prædestinatum, nulla dominetur necessitas, sed indifferens nostra sponte se addicat libertas. *Nam ipsius quoque regni perennis prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur acquirere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.* Ibidem.

Quomodo autem & certa sit prædestinatio, & indifferentia sua nostræ libertati perstet incolumis, idem mox aperit: nempe quod gratia trahat voluntatem delectatione, & voluntatis ipsius affectibus. *Nemo venit nisi tractus. Quem trahe, & quem non trahat, noli judicare, si non vis errare. Quid est autem trahi? Secundùm Augustinum, si Poetæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, justitia, sempiterna vita, quod totum Christus est?* Postremò monet multa hìc nos latere, & necessariò exclamandum superesse, *O altitudo divitiarum, &c* Ibidem. Ibidem.

An. 1340. **EX THOMA BRADVARDINO,** *Dominicano, & Oxoniensi primùm in Academia Professore, postea Archiepiscopo Cantuariensi, de gratia primùm generali, & de habituali aliqua præmittuntur.*

PAuca antè carpemus ex Bradvardino de gratia generali & habituali, tum ad ejus singularem defluemus sententiam de physica prædeterminatione divinæ voluntatis ad actus creatæ libertatis singulos. Et quidem ad gratiam generalem spectat, quod ab eo prolixiùs etiam quàm par erat, & ultra veri metas effusum est, dum ita ait: *Forsitan dici posset, quosdam etiam Idololatras cognovisse & coluisse veraciter summum Deum, sub nomine tamen & Idole Dei Jovis; & nihilominus præter ipsum alia quædam idola coluisse, sanctis Angelis, hominibus, vel dæmonibus dicata, non tamen finaliter propter ipsamet idola, neque finaliter propter ipsos, quorum fuerant idola; sed quia sunt creaturæ, & servi, & instrumenta Dei, &c. Et licèt fortassis in modo colendi Deum, ex simplici ignorantia, non ex certa malitia erraverunt; diligentes tamen eum pre omnibus, volentesque scire, & diligentiam debitam adhibentes, quis cultus & modus colendi fuit Deo placitus & acceptus, paratique cultum illum & modum cognitum observare, ipsum interim secundùm suam scientiam & conscientiam honoraverunt. Deus ista piè & discretè respiciens, ignorantiæ & simplicitati eorum pepercit: sinceram verò dilectionem, sanctam intentionem, & voluntatem benevolam acceptavit. Hoc autem videtur consonum rationi. Non enim videtur, quod justissimus atque piissimus plus requirat ab homine, quàm accepit, & quam sit in hominis potestate; imò quod illud acceptet, si intentione debita offeratur.* De causa Dei, Lr. c. 1. pag. 61. Et paulò post: *Credo constanter, quod Deus pius & justus omni eum amanti pre omnibus, volentique efficaciter ipsum cultu & modo debitis venerari, & diligentiam debitam perseveranter adhibenti, revelet quandoque religionem debitam & necessariam ad salutem, videlicet Christianam, implicitè, vel explicitè.* Ibid. p. 62. Quæ etsi non immeritò ultra Theologiæ castigatioris regulas exspatiari videantur; inde tamen liquebit, quàm eo ævo non abhorrerent à gratia generali in omnes effundenda austeriissimi quique Theologi.

Non gravabimur illud quoque ex eodem Bradvardino advertere, liberum arbitrium non posse ulla tentatione superari; & sicubi impossibile dicitur, ut superetur tentatio, ibi pro difficili sumi impossibile. *Tanta est aliquoties difficultas, quod dicitur impossibilitas resistendi, sicut & difficile dicitur impossibile aliquando. Nam quod nonnisi difficilè facere valemus, & ideo non faciamus, dicimus nos hoc facere non posse. Sic qui mentitur, ne moriatur, mentiri invitus & nolens dicitur, & ex necessitate, &c.* Sic ille ex Anselmi doctrina. L. 2. c. 3. pag. 465.

Nunc de gratia habituali, quòd ea inclinet voluntatem ad bonum, ita docet Bradvardinus, convenienter omnibus aliis Scholæ Magistris: *Dicendum quod merita aliter tribuuntur Deo, quàm peccata; scilicet propter habitus à solo Deo creatos & nobis infusos, ad merita excitantes, & merita omnia facientes, &c. Unde Anselmus Concordia 6. Facit, inquit, Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt; in malis verò, non quod mala sunt, sed tantùm quod per essentiam sunt.* Habitus ergo infusi ad merita *excitant*, merita *faciunt*, & per eos Deus bona opera facit in omnibus bonis. L. 1. c. 34. pag. 391.

Alibi autem fusè & operosè probat, *Quod gratia, qua est habitus gratis datus à Deo, unà cum voluntate humana est causa efficiens propriè cujuslibet boni & meritorii actus sui.* Nimirum *virtutes Theologicæ & supernaturales non sunt minùs efficaces similium actuum, quàm virtutes naturales & morales. Sed hæ omnes efficiunt propriè actus suos.* Et rursum: *Gratia seu charitas facit intentionem rectam, elevat & erigit voluntatem.* Et denuò: *Virtus, & maximè summa virtus, scilicet gratia, seu charitas, non est minùs efficax, quàm vitium; vitium autem efficit actus malos: ergo & gratia seu charitas actus bonos.* Et quoniam tricari posset aliquis, & habitus infusos ab acquisitis eo nomine discriminare, quòd hi inclinent, non illi: occurrit ex adverso Bradvardinus, & habitum non acquisitum, sed innatum vitiosæ concupiscentiæ objicit, quo maximè & efficacissimè non inclinamur tantùm, sed excitamur & identidem instimulamur ad malum. *Ut autem taceam de vitiis moraliter acquisitis, quis nesciat, quis non sentiat quales actus efficiat vitium radicale, fomes peccati, concupiscentia carnis nostræ?* Si potest autem inclinare habitus innatus, poterit & infusus renascentibus, neuter acquisitus. Vide hìc porrò ut *efficacia* disertè tribuatur habitibus infusis gratiæ & charitatis. Quod ipsum idem colligit denuo ex divisione vulgatissima *gratiæ operantis & cooperantis*. Quin & *Pelagianorum amicos* affinesque suspicatur eos, qui dicunt *quod gratia seu charitas virtus creata nullo modo efficit actus bonos, sed gratia & charitas increata, quæ est Deus & Spiritus sanctus.* Eos quoque suggillat, *qui æstimant, quod gratia facit actus bonos, non effectivè, sed tantum formaliter, sicut albedo facit subjectum album.* Hinc dubitari non sinit, quin justus, seu Deo *gratus* facilius & fortius operetur, *quàm non gratus; habet namque magnum adjutorium gratiæ, &c. gratia facit jugum* L. 1. c. 40. p. 364. &c.

Domini ſuave & onus leve. Adde quòd *operatio propria charitatis & gratiæ eſt diligere Deum charè & gratuitè ſuper omnia finaliter propter ipſum, & ſic facere reliqua propter Deum. Hujuſmodi autem dilectionem & operationem nullus carens charitate & gratia poteſt habere. Sed quandiu bis caret, neceſſariò diligit maximè proprium commodum & ſeipſum, & propter ſeipſum finaliter reliqua operatur*. Hinc infert, dilectionem juſtificati & non juſtificati differre *ſpecificè*. Quamvis enim aliquo dilectionis Dei rudimento initietur quis antę juſtificationem; dominatur tamen in illo adhuc amor ſui. Unde impenſiùs ſeipſum quàm Deum diligens, non poteſt dici ex charitate Deum diligere.

L. 1. c. 41. p. 471. &c. Non ſolùm autem *gratia cum voluntate efficit actus bonos, ſed gratia gratis infuſa prius naturaliter voluntate facit actus bonos. Voluntas enim humana peccati gravedine intantum deprimitur, quod non poteſt niſi ſe & commodum ſuum finaliter diligere; niſi virtute gratiæ erigatur ad Deum tanquammodo propter ſeipſum gratuitò diligendum. Hujuſmodi autem erigens neceſſariò prævenit, ſicut patet de lapide ſuperiùs elevato, &c. Sicut homo gravis & debilis jacens in terra, non potens multum, nec modicum ſe per ſe erigere; poteſt tamen cum alio ipſum præveniente, & continuè præerigente, & ne recidat, ſuſtinente, quodammodo corrigere ſemetipſum*. Ideo Apoſtolus ait, *Non ego, ſed gratia Dei mecum; ut innuat primo gratiam & principaliter quaſi efficiens principale efficere actus bonos; hominem verò non ſic, ſed ſecundariò, inſtrumentaliter & ſubſervienter gratiæ ſic agenti*. Et hinc infert gratiæ actualis & habitualis confœderationem, ut alterutra nominata altera non excludatur; *Authores dicentes Deum facere opera noſtra bona, non excludunt, ſed includunt Dei gratiam, eadem ſimiliter facientem; dicenteſque Dei gratiam facere opera noſtra bona, non excludunt, ſed includunt Deum, eadem ſimiliter operantem*.

Si quæras autem, quo ordine moveat Deus & gratia, nimirum habitualis, voluntatem, ſic ille rem elucidat: *Deus prima cauſa & primus motor,* L. 1. c. 42. pag. 474. &c. *&c. gratiſſimè & liberaliſſimè primo vult homini vitam æternam, vult merita & gratiam, per quam meretur, quam & liberaliſſimè infundit, ipſam creans, & movens, & per ipſam hominem ad bene agendum; ita quod Deus in iſta motione eſt ſimpliciter primum movens, & non motum: gratia ſecundum movens & motum: voluntas creata tertium movens & motum: actus verò bonus motum & non movens*. Eſt enim, ut ibidem mox ſubjicitur, gratia ſeu charitas, *unio Dei cum homine, hominiſque cum Deo, per quam & ſanat infirmum, erigit elisum, excitat otioſum, & dirigit operantem*: ita nimirum ut charitas ipſa *à ſancto Spiritu reguletur & regatur*.

Antedictis porro omnibus multa interſperſit Bradvardinus & egregia Auguſtini teſtimonia de gratia præveniente & ſanante, ſubſequente & cooperante, de charitate, de juſtitia; ut vel hinc pateſcat hæc ab Auguſtino de gratia habituali & juſtificante dicta interpretatos tunc fuiſſe vulgò Theologos.

Quomodo autem nec juſtificetur antè quiſquam, quàm Deum ſuper omnia diligat, nec id quiſquam poſſit, niſi ex infuſa cœlitus charitate; ſic ille exponit, ut prius ſit habitum gratiæ & charitatis à Deo infundi, & ita contritionem ex germana exeri charitate. Itaque non per actum charitatis ſinceræ ingeneratur habitus charitatis & gratiæ: ſed per habitum charitatis à Deo primùm inſpiratæ exeritur actus charitatis & contritionis. L. 1. c. 43. pag. 407. 411. *Ipſe Deus pœnitentem ſolvit à debito pœnæ, & tunc ſolvit, quando intus illuminat, inſpirando cordis veram contritionem, ſcilicet habitualem, id eſt, habitum charitatis ſeu gratiæ, effectivum contritionis, & ipſam tunc ſimul tempore facientem. Solus ergo Deus interiùs mundat à macula peccati, & à debito pœnæ æternæ ſolvit. In juſtificatione peccatoris adulti, quamvis juſtificetur per habitum charitatis ſeu gratiæ, antecedentem naturaliter actum dilectionis, aut pœnitentiæ ſalutaris: actus tamen ejuſmodi ſecundum legem ſtatutam in juſtificato requiritur comitanter, velut quoddam gratuitum conſequens ex antecedente jam grato, & veluti quidam fructus ſanctus ex arbore priùs mortua, nunc vivificata & fœcundata*. Subdit *pœnitentiam* ſeu contritionem, *veram, formatam, meritoriam*, peccata delentem, eam eſſe, quæ ex infuſa divinitus charitate & gratia habituali proficiſcitur: *informem* autem & *præparatoriam* eam eſſe, *quæ naſcitur communiter ex timore pœnæ inferni, ex timore incommodi, ex timore ſervili: præcedens temporaliter gratiam, & præparans peccatorem ad dimiſſionem peccati, ad operationem boni, & ad receptionem gratiæ & pœnitentiæ ſalutaris*.

Obſerva hìc primò, ubi de pura putaque Dei ſuper omnia charitate agitur, non actu priùs aliquo hominem vel eniti, vel donari, & ita ad habitum pervehi: ſed antè immutari affectum ipſum infuſo cœlitus habitu, ſive inſpirata virtute charitatis habitualis, & ex hac jam bona arbore deinceps fructus proſerpere actuum charitatis. Sunt enim habitus ſupernaturales inſtar potentiarum, quæ non ex actibus, ſed ex quibus actus prorumpunt. Ut priùs redintegrari neceſſum eſt aciem facultatemque videndi ipſam, quàm actu quiſquam videat. Si poſſet enim ſemel, poſſet & ſemper actus charitatis ſine habitu infuſo exeri: & actu præeunte qui conſequeretur habitus, acquiri æquiùs diceretur, quàm infundi. Eſto autem ut actibus moralibus & naturalibus parturiendis idonea & par ſit voluntas creata, divinitus adjuta: at ſupernaturalibus & divinis impar ſanè eſt, niſi præter actuale adjutorium inſtruatur habitu ſuperno aliquo, ceu potentia & facultate actibus ſupernaturalibus coaptata. Ideo conſtanter Auguſtinus docet Deum *in nobis ſine nobis operari virtutes* veras & Chriſtianas.

Obſerva ſecundò *Charitati* non tribui, videlicet veræ & ſinceræ, quidquid juſtificationem antecedit, quidquid tunc initialis Dei amoris ſcintillat. Ubi enim necdum principatur, ubi necdum terrenæ cupiditati dominatur charitas, ubi necdum uſque ad contemptum ſui & mundi diligitur Deus, necdum charitas eſt, necdum Deus diligitur: ſed amoris divini initiatio & ſemen aliquod præcurrit. Si quid autem boni tunc fit, timori gehennæ potiùs acceptum fertur, ut qui tunc concupiſcentiam premit, quam necdum cohibere poſſet præluſoria illa dilectionis divinæ initiatio.

Obſerva tertiò hinc conciliari forſan poſſe jurgia dudum inter Scholæ Magiſtros excitata. Ajentibus aliis, aliis inficiantibus deſiderari charitatis & contritionis perfectæ initia ad quemlibet juſtificationi præparandum: aut metum gehennæ abundè ad id ſufficere. Initia enim divinæ dilectionis non excludunt, qui ſolum gehennæ timorem ſufficere contendunt. Et ea ipſa alii nequaquam charitatis nomine indigna putant, aut certè non de præparatione, ſed de ipſamet juſtificatione diſputant.

ANIMADVERTUNTUR ALIQUA

in eodem Bradvardino, circa divinæ voluntatis ineluctabilem prædeterminationem ad actus ſingulos creaturæ liberos, cujus hic doctrinæ princeps & anteſignanus quidam in Schola fuiſſe videtur.

AUſterioris illius doctrinæ de divina voluntate omnes actus creaturæ liberos præfinientę & prædeterminante, parens hic in Schola & author

author fuisse videtur non immeritò. Hinc enim primò ille aucupatur certitudinem divinæ de futuris contingentibus præscientiæ. *Deus scit futura contingentia, ergo per aliquod quod realiter est certum. At causa inferior non est certa, sed contingens similiter ut effectus. Ergo ista scit Deus per voluntatem sibi certissimam, qua vult omnia illa fore.* Suffragatorem adjicit sibi Scotum, ajentem *non haberi à Deo scientiam de futuris contingentibus, nisi quia certitudinaliter novit determinationem voluntatis suæ respectu eorum. Præscit enim Deus se cooperaturum ad substantiam illius actus qui erit peccatum, hoc autem præscit, quia vult cooperari illi.* Verùm Scotus *concomitantia* magis quàm præfinientia divinæ voluntatis decreta constituit; & *cooperationem* Dei prædicat ad actus liberos, non prædeterminationem. Tametsi enim Deus concomitanter se habeat, & volenti quidpiam seque ad id determinanti libertati creatæ consentiat & cooperetur; hoc tamen ita fore, antequam fiat, præsciet, ex Scoti sententia, non ex creatæ voluntatis speculatione, quæ necdum est, quæ extra est; sed intus introspecta voluntate sua, quam videt & pervidet, quid volitura sit, adeoque quid se volituram jam prævelit.

De causa Dei. L. 1. c. 16. pag. 225.

At Bradvardinus suam mentem dilucidè aperit alibi: *Nullus potest agere sine Deo agente, nec aliquis potest ab agendo quiescere, sine Deo quietem ejus causante. Quemlibet tentatum Deus necessariò vel vult superare tentationem, & tunc insuperabile auxilium fert tentato: vel non vult ipsum superare, imò vult ipsum non superare, & tunc nullatenus superabit.* Et mox: *Si volitionem habet Deus, ergo insuperabile auxilium dat, &c. Talis victoria placet Deo, ergo vult illam, ergo volitio ipsa est auxiliatrix insuperabilis superanti.* Hinc concludit *nullum tentatum solius liberi arbitrii viribus sine gratia, vel cum gratia quantacumque*, nimirum habituali, *sine alio Dei auxilio speciali posse tentationem aliquam superare.* Placet ergo Bradvardino *auxilium speciale* & ubique necessarium esse, & *insuperabile* idem esse. Unde mox: *Illud auxilium quo tentati omnia superant tentamenta, & sine quo in omnibus superantur, cùm non sit liberum arbitrium, nec gratia creata, seu charitas, quæ sunt maxima Dei dona creata & maximi auxilii, quid potest esse nisi divina voluntas?*

L. 2. c. 4. p. 472. &c.

L. 2. c. 5. & p. 489.

Multò magis ad perseverandum finaliter speciali & insuperabili auxilio opus erit. Hoc ille prolixè differit, concluditque *nec ad tempus, nec finaliter* perseverari posse cum quantacumque gratia, nempe habituali, sine speciali auxilio. Itaque singulorum bonorum operum, & omnium, sive perseverantiæ auxilia non discriminat.

L. 2. c. 8.

Quin immo nec stantis & lapsi hominis adjutoria distingui debere putat, sed ex eo, *Nec Angelus, nec homo cum quantacumque gratia ante lapsum potuit perseverare finaliter, vel ad tempus, sine alio Dei auxilio speciali.* Idque probat, quia si tunc poterat sine speciali auxilio tentationem aliquam superare, posset & nunc post lapsum, etsi aliquanto difficiliùs, imo æquè facilè tanto debiliorem tentationem, quanto justus nunc debilior est, quàm in innocentiæ vigore primogenio. Et hoc *auxilium speciale* inculcat iterum utrique statui necessarium esse *Spiritum sanctum*, seu *Dei voluntatem*. quam eandem infrà docet esse causam confirmationis quorundam in bono; nempe *insuperabilem & immutabilem Dei voluntatem.*

L. 2. c. 13. a. 16.

Et multis ille quidem probat, *cujuslibet actus voluntatis creatæ Deum esse necessarium coeffectorem*: & à Stephano Parisiensi Episcopo *excommunicatos*, damnatosque ait fuisse hos articulos, *In causis efficientibus causa secunda habet actionem, quam non accipit à prima causa. In causis efficientibus cessante prima, non cessat secunda ab operatione. Humani actus non reguntur providentia divina. Aliqua possunt casualiter evenire respectu primæ causæ, & falsum est omnia esse præordinata à prima causa, quia tunc evenirent ex necessitate.*

L. 2. c. 10. p. 542. &c.

Quibus sanè articulis anathema inustum esse non immeritò & nos agnóscimus; non continuò tamen inde id emergit, ut Deus nostras voluntates ad singula quæque ineluctabiliter & physicè prædeterminet. Movet enim & inclinat ad actiones omnes causa prima, nec tamen inevitabiliter applicat operi liberas voluntates; sed motionem suam nostro dissensu finit ludificari. Itaque nihil agitur, nisi Deo movente; non tamen omne illud agitur, ad quod movet. Cessante illo cessat omnis nostra actio, non vicissim illo instigante nostra obsequitur actio semper. Omnia regit providentia Dei, sed vel faciendo, vel permittendo. Casualiter Deo nihil evenit, quia sic omnia ille præfiniit, ut vel bonæ ejus motioni obtemperantes afficiantur præmio, vel immorigeri supplicio. Denique etsi aliqua singularia eventa præfinita sint à Deo, ut electorum conversio, fortia quæpiam gesta, perseverantia: non tamen ea ex necessitate eveniunt, sed tot adminicula Deus præparat, ut aliis deficientibus ob dissensum liberæ voluntatis, alia non deficiant: & ita constat nostræ indifferentia libertatis cum infallibilitate divinæ providentiæ. Postremò ut idem Stephanus exposuit, *Omnes motus voluntarii reducuntur ad motorem primum simpliciter non causatum, & intelligendo de motu secundùm substantiam, non secundùm deformitatem.* Etsi enim refellere & frustrare possit libera nostra voluntas motionem Dei, si tamen eam sequitur, motus ejus in primum motorem refertur.

At verò *ex Dei coefficientia, immo & præefficientia cum libero arbitrio in libero actu suo*, ut loquitur Bradvardinus, necessitatem invehi humanis actibus, vix ipse negat. Illud enim in primis efficere nititur, *Deum posse necessitare quodammodo omnem voluntatem creatam ad liberum, immo ad liberrimum actum suum, atque ad cessationem ab actu. Deus enim potest velle voluntatem creatam producere liberum actum suum, & hoc antecedenter, & prius naturaliter voluntate creata; quare & illa de necessitate obediret, & hoc quandiu Deus sic voluerit ipsam velle.* Voluntas ergo Dei Bradvardino est immediatè effectrix omnium actuum etiam nostræ voluntatis liberorum, & quidem inevitabiliter & necessariò. Addit quòd *nulla voluntas creata est liberior voluntate Christi humana. At illam potuit necessitare voluntas ejus divina; immo & necessitavit de facto ad omnes & singulos liberos actus suos.*

L. 3. c. 21.

Hinc & illud ab eodem exprimitur corollarium, *quod necessitas & libertas, necessitas quoque & quodlibet meritum non repugnant. Unde & concordia generaliter fati, præscientiæ, prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio, ac merito cognoscitur evidenter.* Denique pluribus ibidem est in inculcando approbandoque hoc axiomate, quòd *necessitas & libertas nequaquam repugnant; quare nec necessitas & meritum repugnabunt, &c.* Itemque *mereri & peccari hominem, licèt necessariò faciat.* Et *licèt quis necessitatus fuerit ad faciendum quidquam boni, vel mali, si tamen necessitationem illam ignoret, & faciat hoc voluntariè & liberè, quantum in eo est, meretur.*

Ibid. p. 640. &c.

Ideo infrà suggillat Anselmum, Magistrum sententiarum, Thomam Aquinatem, aliosque Scholæ signiferos, qui *necessitatem illam secundùm causas superiores* exponunt *de necessitate consequentiæ, non consequentis; dicti, non rei; conditionata, non absoluta.* At contra Bradvardinus, *Ista responsio multipliciter deficit, primò quia falsa, secundò quia incauta, tertiò quia diminuta.* Sic ille: quanquam connitatur postea hos Scholæ antistites in suam pertrahere sententiam.

L. 2. c. 28.

Objectantes autem hoc quasi ex Officina Pelagiana telum, Quòd *nullus peccat in eo, quod vitari non*

non poteſt; ſic repercutit. Primùm exemplo Chriſti, qui meruit, etſi neceſſitate ageretur. Secundò *qui iſtam neceſſitatem in meritis vult vitare*, *ponet cum Pelagio merita non à Deo, ſed à libero tantùm arbitrio proficiſci*. Tertiò ait etſi neceſſariò, liberè tamen peccari, quia *quantum eſt de potentia voluntatis per ſe nudè & abſolutè conſiderate, poſſet illud non facere*. Quartò non peccari, ſi quid neceſſariò fiat *ex neceſſitate naturæ*. Quintò *Nullus peccat in eo quod cavere non poteſt, etiamſi velit, ſed nolenti & invito contigit, ut ſic neceſſitatem violentam, cogentem & invitam removeat à peccante*. Sextò *fortaſſe ſubtiliùs & probabiliùs dici poteſt, quod Deus neceſſitat quodammodo ad actum peccati ſecundùm ſubſtantiam ipſius actus, non ad deformitatem peccati, quatenus eſt peccatum, deformitaſve peccati*.

L. 3. c. 29.

Vides quàm ingenuè ſuæ doctrinæ corollaria agnoſcat, & ipſemet commendet Bradvardinus: quæ cùm tamen à vero & ab Auguſtino immane quantum abhorreant, hinc utique vacillat, aut potiùs corruit illud, unde ea naſcuntur. Quis enim æquo animo ferat, quis Auguſtino, quem ille identidem crepat, conſentire putet hæc placita, ſolam coactionis neceſſitatem obſtrepere noſtræ nunc libertati; libertatem & neceſſitatem non pugnare: meritum & neceſſitatem coire: tam nobis quàm Chriſto conſtare meritum cum neceſſitate; peccari, etſi neceſſariò, ſi modò ſponte neè peccetur: abſoluta neceſſitate res agi & rotari a providentia Dei; ſtantis & lapſi hominis adjutoria nil diſcrepare, etiam ad perſeverandum, unde & prædeſtinatio utrobique par, & quorundam reprobatio quæpiam ante præviſa peccata. Qui ergo volent Bradvardini authoritate niti, videant an his poſſint ſubſcribere.

Quantum verò ſibi ſumeret in novandis dogmatis, & quàm infeſtos haberet reliquos paſſim omnes Scholæ proceres, nec ipſe diſſimulavit Bradvardinus. Sua enim tueri decreta non potuit, quin Scholam omnem Pelagianæ inſaniæ ream ageret: *Et quot, & quàm innumerabiles Pelagio favent. Totus etenim penè mundus poſt Pelagium abiit in errorem, &c. Sicut olim contra unicum Dei prophetam octingenti & quinquaginta Prophetæ Baal & ſimiles ſunt reperti, quibus innumerabilis populus coherebat, ita & hodie in hac cauſa, &c.* Caput autem & ſummam ſuarum querelarum hanc divinis infert auribus; *Non verentur aſtruere ſuam voluntatem in actione communi præire, ut dominam; tuam ſubſequi, ut ancillam. Quin immo & voluntati ſuæ in contingenter futuris omnimodam tribuunt libertatem, in tantum ut etiam à tua ſubjectione exemptionem prætendant, & voluntatem tuam liberrimam, omnipotentiſſimam, immutabiliſſimam de ſumma arce libertatis dejicere moliantur.*

Prefatio.

Non ii autem nos ſumus, qui Bradvardino ipſi litem movere, vel contumeliam facere adgrediamur. Quin ejus catholicam hanc oſculamur operis totius concluſionem, catholico Theologo conſonantiſſimam: *Nequaquam tantæ authoritatis me reputo, ut tanta cauſa per me tantillum decidatur. Flexis genibus imploro Eccleſiam, præcipuè Romanam, quæ ſumma authoritate vigere dignoſcitur, & ſpiritu ſapientiæ gubernari, quatenus ipſa determinare dignetur, quid circa præmiſſa catholicè ſit tenendum. Non enim ſine periculo in talibus aberratur.* Si qua ergo Bradvardini placeant, placeat ejus hoc animi conſilium, ita ſuſpensè & trepidè ſuam promere ſententiam, ita alienam convellere; ut Eccleſiæ, maximè Romanæ, judicio omnia committantur.

L. 3. c. 51.

Cæterùm tametſi hanc hæreſin deteſtatus erat Bradvardinus conceptis verbis, *quod omnia ex neceſſitate eveniant*: quia ex ejus tamen placitis id patam conſequi videbatur, hanc non multò poſt innovavit Vuiclephus in eadem ipſa Anglia; ex Vviclepho Joannes Hus, ex Huſſo Lutherus, & reliquæ deinceps peſtes idem virus hauſerunt. Deſæviit in Vviclephum tempeſtas quædam fulminum Pontificalium in Anglia, in Huſſum Conſtantienſis Synodus detonuit, Lutherum, Calvinum, alioſque eandem neceſſitatem noſtræ libertati infligentes Tridentinum Concilium eliſit; tametſi illi eandem ſemper obtenderent cauſationem defenſandæ divinæ voluntatis omnipotentiæ, providentiæque inſuperabilis; item gratiæ ſecundùm Auguſtinum contra Pelagium tuendæ. Quanquam autem ab horum peſtifera vecordia alienus eſſet Bradvardinus, quia illorum tamen nefaria commenta ab ejus principiis apta religataque pendere videbantur, ideo & Thomas Vvaldenſis ita Vviclephum refellit Anglus Anglum, ut Bradvardinum eodem impetu proſternat. Et Vviclephus enim illam neceſſitatem repetebat *ex voluntate, conſilio, determinatione, propoſito, ordinatione, præſcientia, prædeſtinatione Dei*. Libertatem *ſolæ coactionis neceſſitate* perimi idem jactabat, non ſponte neo, licèt inevitabili vinculo. Peccari ajebat, etſi *neceſſariò*, ſi modò *voluntate, non invitè*. Negabat *neceſſitate auferri omnem vim meriti*. Abundè poſſe cenſebat hominem, modò *poſſit, ſi velit*. Quæ omnia vides quàm Bradvardini è fontibus derivata videri poſſint. Ea ut exagitet Vvaldenſis, fidei Eccleſiaſticæ defenſor eximius, infrà liquebit, cùm ipſius ſigillatim ſuffragium rogabimus.

Thom. Valdenſis in Doctrinale fidei. l. 1. art. 1. c. 15. 24. 25. 30.

Verùm nec idem tacet Vvaldenſis, Catholicis quibuſdam à Scriptoribus incautè & periculosè ea ſcripta eſſe, de neceſſitate antecedente, ex divinæ voluntatis ſummo imperio impendente noſtris voluntatibus, quæ Vviclephi ſententiam præſtruerent & roborarent. *Neceſſitas præcedens non compatitur arbitrii libertatem; & ideo ipſa non convenit humanis affectibus. Periculosè ergo, ut mihi videtur, quidam magni viri neceſſitatem iſtam præcedentem ponunt in humanis operibus: etiam & quod fluat voluntate Dei: maximè cùm antiquis Eccleſiæ Patribus nihil conſonans reperire poſſint, cùm conantur: Quomodo iſti non dicerent unà cum Vviclepho, quod Chriſtus ſubivit mortem neceſſitate, &c.* His perpenſis, nemo mirabitur, ſi tandiu delituerint ſcripta Bradvardini, ſi nuperrimè emerſerint.

Ibid. c. 25.

EX GREGORIO ARIMINENSI, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Generali, Doctore Pariſienſi.

AN. 1346

ADversùs *multos* ſui ævi Theologos, ut ipſemet præfatur, acriter contendit Gregorius, non poſſe nunc à quoquam *ſine ſpeciali adjutorio Dei* actum ullum moraliter bonum tum ex officio, tum ex fine perfici, qui non ſit peccaminoſus; immo nec *ſufficienter cognoſci* quid ſectandum vitandumque ſit ad mores bonos. Nec ad hæc cuiquam ſufficere *generalem influentiam*, immo nec juſtis nunc *gratiam habitualem* cum generali influentia; ſed omnino opus eſſe præterea *auxilio ſpeciali*. Probat ex Auguſtino, ex quo *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotente bono*. Multa id genus ex eodem corradit.

In 1. Sent. d. 46. q. 1. a.

Probat rurſum, quia non poteſt ſine ſpeciali auxilio diligi Deus, vel aliquid propter Deum. Sed non poteſt eſſe actus ullus moraliter bonus, niſi ex amore Dei eliciatur, vel ad Deum referatur. Probat denuò, quia oramus Deum, ut & quid agendum ſit, alluceat nobis: & ubi alluxerit, ut id præſtemus. Item gratias Deo referimus, ubi borſi quidpiam à nobis præſtitum eſt. Nec meritoria tantùm, ſed & moralia quælibet opera bona orando & gratias agendo accepta Deo referimus.

Ergo

Ergo speciali Dei auxilio ea deberi sentimus. Probat rursum, quia ad singula Dei præcepta implenda, ad singula peccata vitanda, ad singulos actus bonos, ad singulas tentationes superandas auxilio illo speciali indigemus gratiæ, quam Concilia & Patres definiunt ad singulos actus dari. Probat denuò: ad bonos quoslibet actus Ibidem. alio opus est auxilio, quàm ad malos; sed ad hos necessaria est influentia generalis; ergo ad illos aliter & specialiter adjuvat Deus. Probat item, quia libertas cum influentia generali illa ipsa videtur esse *gratia possibilitatis*, quam obtrudebat Pelagius, & quam ideo Augustinus sugillabat, quia ad malum æquè atque ad bonum juvaret. Addit Gregorius specialis hujus auxilii necessitati suffragari sanctum Thomam 1. 2. q. 109. art. 2. 3. 4. 6.

His adde, quòd parentali peccato contraxerimus pœnalem ignorantiam veri, & cupiditatem mali; veri cujuslibet lucem à Deo flagitemus, ut non sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Itaque si ex timore Dei obstetrices in Ægypto, si ex amoris divini igniculo Philosophi vel Romani egerunt aliquid piè, religiosè, fortiter, id ex Augustino *divino muneri*, atque Ibidem. adeo speciali auxilio adsignandum est. Etsi carebant enim gratia gratum faciente & habituali, *Non tamen carebant omni gratia Dei gratis data, & omni gratuita Dei motione; quin immo multis talibus Deus specialiter auxiliabatur ad bene agendum.*

Si quæras autem quomodo ergo sint possibilia Dei præcepta, tum in mandatis implendis, tum in peccatis vitandis, tum in superandis tentationibus: respondet ea omnia possibilia esse nunc *cum adjutorio Dei*, sive cum auxilio speciali. Si quibus autem nunc tale auxilium speciale deest, hanc esse peccati pœnam, saltem originalis; & ita imputari nunc peccata istiusmodi, quia *peccati reus* est homo, in cujus pœnam hoc spoliatur, vel non donatur auxilio. Hoc genus multa per ignorantiam, vel infirmitatem peccari. *Secun-* Ibidem. *dum statum præsentem omnis homo impotens est ad bene agendum ex se propter culpam originalem. Ideo si alicui Deus non auxilietur modo illo speciali ad bene agendum, non propterea excusatur à peccato. Secus autem fuisset, si primo homini, antequam peccasset, tale auxilium defuisset.*

Etsi ergo in multos spargat Gregorius istud auxilium Dei speciale; etsi infrà assentiatur auxilio Dei speciali adjutos esse eos omnes, qui ex Apostolo Deum invisibilem ex visibilium contuitu cognoverunt, Deo vel sic revelante: non tamen omnes homines; non omnes qui peccant, ne peccent, eo juvari existimat, ut ex antedictis patet, & ex ejus responsionibus ad objecta circa impossibilitatem non peccandi, ubi deficit auxilium speciale. Qua in re si semel justificatos in eandem cum aliis navim conjiciat Gregorius, & hos quoque velit auxilio speciali frustrari, & ita primùm peccare: non satis intelligo, qui catholicæ regulæ consentiat ejus doctrina. Sed non facilè occurret in ejus commentariis aliquid satis expressum, quo etiam semel justificati ob solam originalem culpam speciali defraudentur auxilio. Quin immo infrà docebit justos non nullum, sed non quodlibet vitare posse peccatum: nec nullam, sed non quamlibet superare posse tentationem sine speciali auxilio.

Nunc quod ad gratiam habitualem attinet, ea adjuvari & inclinari voluntatem ad bonum, præ se fert Gregorius. Ideo enim irridet eos qui *gratia* non *juvari*, sed ornari tantùm putabant operationes nostras, hoc est meritorias fieri; quasi gratia *vestis* instar haberet, non adjutorii. Idem patet ex eo quòd idem censeat, nunc justum cum gratia habituali, & influentia generali, sine auxilio speciali alio non posse vitare *omne peccatum*: nec *quodlibet*, nec quamlibet, hoc est *quantamlibet* superare tentationem. Ex quo inferunt nonnulli posse illum ex Gregorio vitare peccata aliqua, aliquas domare tentationes, solo habitualis gratiæ speciali auxilio. Nam ut ibidem ait ipsemet, *gratia habitualis etsi non moveat voluntatem, adjuvat tamen cogendo*. Idem patet ex eo quod Ibid. q. 2. idem ait, etsi justis ad bene agendum opus sit art. 2. *speciali auxilio* Dei moventis, non tamen inutiliter aut superfluè dari gratiam habitualem: *Sicut infirmus oculus nec superfluè, nec inutiliter sanatur, quamvis etiam sanus sine adjutorio lucis videre non possit*. Et mox: *Per gratiam qua sanatur natura vitiata, non solùm intelligitur habitus gratiæ sanans, tanquam animæ medicina: sed ipse etiam Deus gratis assistens, & sanans, ut medicus.*

Rursus idem patet ex eo quod idem docet, nec ipsum Adamum ante lapsum *per suas vires naturales præcisè cum generali Dei influentia* L. 2. d. 29. potuisse actum moraliter bonum elicere, sed *auxilio speciali* indiguisse. Unde nec ipsum sine *gratia* conditum fuisse ait Augustinus. Sed hoc *auxilium speciale* & hanc *gratiam* interpretatur Gregorius gratiam habitualem; nam *possibilitas naturalis Adæ ad bene agendum fuit ante peccatum talis, quod ipse per liberum arbitrium, suasque vires naturales cum adjutorio habitualis gratiæ suis naturalibus additæ, sufficiebat sine alio speciali auxilio Dei ad bene agere moraliter.* Hanc possibilitatem peccato amissam ait. Ideo & Bradvardinum mox impugnat, qui æquè Adamo opus fuisse censebat præter habitualem gratiam alio speciali auxilio. Quod inde exprimebat, quia si eo non indigebat Adamus, nec nunc egeret justus per gratiam habitualem sanatus. Contrà excipit Gregorius, neminem in hac vita ita persanari, ut non ad singulos egeat actus auxilio speciali alio.

Hinc verò ut defluamus ad tertium gratiæ efficacissimæ nimirum genus, patet non ita *speciale auxilium* obtendi à Gregorio, & ad singulos actus bonos necessarium adseri; ut ab eo physicè prædeterminari velit voluntatem nostram, & ad assensum infallibiliter applicari. Nam & gratiam habitualem insignit nomine specialis auxilii, quæ utique non infallibiliter applicat voluntatem. 2. Auxilium aliud speciale præter gratiam habitualem, nempe ut ipse ait, *quo Deus moveat voluntatem, faciendo eam bene velle, & consequenter* Ibid. d. 29. *bene operari & perficere quod bene voluerit*: negat Adamo innocenti fuisse necessarium. Non ergo ea est predeterminatio physica. Cujusmodi autem sit, vel ex hac Gregorii collectione conjice: Indiguit homo innocens *auxilio speciali* ad bene operandum, ergo & homo lapsus. 3. Idem influentiam divinam bipartitur in generalem & specialem, & hanc iterum bisecat in actualem & habitualem. 4. Influentiam specialem, seu auxilium speciale eo uno maximè nomine commendat, quòd nec omnibus, nec ad omnes actiones datur, non quòd invictissimè voluntatem determinet. *Adjutorium Dei dupliciter capi potest. Uno modo pro adjutorio generalis influentiæ, quo dicitur adjuvare generaliter omne agens in omni sua actione. Alio modo pro adjutorio assistentiæ seu influentiæ specialis, quo specialiter aliqua agentia juvat, & non omnia: & ad aliquas actiones, non ad omnes, &c. Sive Deus immediatè per seipsum, sive mediante aliquo dono suo opituletur ad agendum.*

Idem liquet quintò ex eo quod ait, *hoc aliud* L. 2. d. 28. q. 2. art. 2. *speciale auxilium non esse aliquod habituale donum causatum in anima, sed quandam specialem Dei assistentiam, sive Deum ipsum specialiter assistentem, & gratis juvantem ad bene agendum, & volendum, & ad non peccandum: sive non permittendo ultra virtutem ab ipso nobis præstitam tentari: sive faciendo nos fortiter & rectè contra tentatio-*

tationem pugnare : sive alio modo ignoto nobis juvando. Quæ omnia ab auxilio voluntatem physicè prædeterminante valdè abhorrent. 6. Negat ad actus malos divina motione nos applicari : sed sola juvari influentia generali. Igitur ea non est prædeterminatio physica. 7. Ad actus bonos ita auxilio speciali moveri & applicari voluntatem ait, ut *non necessitetur* : igitur negat infallibiliter applicari. Nec enim eo ævo invaluerant argutiæ & calliditates, quæ postea eruperunt. Unde & eodem ævo Bradvardinus rotundè loquutus necessitari voluntatem auxilio speciali dixit, & solam libentiæ libertatem admisit. At Gregorius sic habet : *Deus auxilio speciali juvat voluntatem, faciendo ipsam partialiter concausare, applicatam & quasi instrumentaliter motam à Deo ad sic partialiter causandum. In qua tamen motione ipsa non necessitatur, sed instrumentum liberum existens, in cujus potestate est sequi motionem primi agentis, juvatur ; ita ut agat, quæ non sic adjuta, nequaquam agere potuisset.*

Ibid. q. 1. art. 3.

Idem rursus liquet octavò ex eo quòd alibi Gregorius Scoti sententiam, ajentis futura contingentia libera à Deo præsciri in divinæ voluntatis utpote immutabilis & inimpedibilis determinatione, impugnat hoc Okami argumento : *Aut determinationem voluntatis divinæ necessariò sequitur determinatio voluntatis creatæ circa idem, aut non. Si sic, ergo ita naturaliter agit voluntas creata, sicut quæcumque causa naturalis. Quia sicut voluntate divina existente determinata ad unum oppositorum, non est in potestate rei naturalis non coagere, ita &c. Si verò determinationem voluntatis divinæ non necessariò sequitur determinatio voluntatis creatæ, tunc ad sciendum utrùm effectus sequetur, aut non sequetur, non sufficit scire determinationem voluntatis divinæ, sed oportet scire cum hoc determinationem voluntatis creatæ.* Nullus hìc tergiversandi locus. Nec voluntate, nec motione divina ad actus singulos determinatur infallibiliter libertas creata.

L. 1. Sentan. d. 18. q. 3. art. 2.

Liquet idem nonò ex modo quem subjicit, ut futura contingentia libera præsciantur à Deo, nempe quia *intellectualis æternusque Dei oculus intuitivam omnium rerum habet visionem ; imò ipse est incomprehensibilis quædam intuitio, quæ immediatè super quamlibet rem actualiter, vel possibiliter existentem simul fertur.* Et mox : *Futura sunt illi præsentia, non quòd actualiter coexistant Deo in suo esse realiter, quia sic non essent futura : sed quia actualiter ista intuetur æquè clarè, ac si actualiter existerent.* Ideo & infrà ait præscientiam Dei non tam causam esse rerum futurarum, quàm signum, sicut æterna Veritas propositionum de futuris contingentibus apud eos, qui illi suffragantur sententiæ ; sicut hominis certa de quopiam futuro eventu præscientia, rei futuræ causa non est ; sicut memoria rei præteritæ, signum est, non causa.

Idem ;

Cùm ergo Augustinianæ de gratia & prædestinatione sententiæ vindex omnium acerrimus fuisse jactetur Ariminensis : constat nobis ex ejus doctrina tamen, 1. nulla in Deo constitui debere absoluta decreta ad actus singulos infallibiliter prædeterminantia voluntatem creatam. 2. Nec motione divina, sive auxilio speciali, quo movetur & applicatur ad bonum voluntas creata, physicè & infallibiliter eam determinari. 3. Gratia habituali adjuvari & inclinari voluntatem justi ad bonum in actu primo, etsi in actu secundo opus sit actuali motione. 4. Constare quidem ex Gregorio, quòd auxilium speciale actuale ad implenda præcepta necessarium sit, & multis denegetur ob culpam originalem, qui nihilo seciùs peccant ; qua in re equidem confiteor plurimùm dissentire me ab eo ; eo maximè jure, quòd ab omnibus propemodum Theologis ipse discrepet : sed non constare, an ejus ex mente etiam semel justificatos Deus fraudet speciali auxilio propter peccatum originale jam condonatum.

Lutherus cùm Scholasticos omnes, Thomam ipsum, Bonaventuram, Capreolum summo haberet fastidio, solum obtendebat Gregorium Ariminensem, *totum nihil aliud quàm Augustinianum* venditabat, & *Scholasticis Doctoribus omnibus resistentem* : Ekius ex adverso in *Disputatione Lipsiensi* Ariminensem repellebat ; cui nihilo clementior fuit Fisherus Cardinalis in Lutheranorum articulorum confutatione. Fuit sanè in Gregorio, quod Catholici detrectarent ; non fuit quo tantoperè se jactaret Lutherus, quasi omnium errorum suorum patronum nactus.

Unum nobis exciderat non parvi momenti, quod hic ad calcem assuemus. Sicubi quandoque deficit auxilium speciale necessarium ad non peccandum, tunc ex Gregorio peccari *necessariò*, & tamen liberè, quia *spontaneè* & non coactè. *Ille utique sic constitutus de necessitate transgreditur præceptum, & tentationi succumbit, nec tamen talis necessitas excusat à peccato.* Et infrà : *Propter hujusmodi necessitatem non fit, quin illud peccatum sit voluntarium, quoniam adhuc à sciente & non coacto committitur, quæ sufficiunt ad rationem voluntarii.* Addit posse etiam dici hæc peccata voluntaria, sed voluntate primi parentis, qui in hanc nos allisit necessitatem. Ergo ingenuè confitetur Gregorius suam hanc doctrinam de subtractione auxilii specialis conciliari non posse cum indifferentia libertatis merentis, aut demerentis. Ergo qui suffragatore uti volent Gregorio in hac parte, necesse est, ut utrique propositioni subscribant, & *necessitate* peccari, & libertatem ad peccandum necessariam, non in indifferentia, sed in spontaneitate & libentia sola esse sitam. Denique antè relata Gregorii verba inseruit quidem Capreolus ; sed hactenus tantùm probavit, qua inde efficitur, non posse nunc vitari omnia, etsi *possint* vitari singula peccata.

L. 2. d. 37. q. 1. a. 3.

Adverte hìc rursum Gregorium ita existimare, peccati nunc necessitate nos non excusari, quia originali peccato ea invecta est, cujus *rei sumus*. Ergo postquam rei esse desiimus, jam vel cessat illa necessitas, vel excusat. Adde ex eodem Gregorio Augustinum authorem venditante, peccatum omne vitari posse, vel *præsenti* nostra, vel Adami *præterita* voluntate. Hoc non constat, si nullum nunc omnino usquam, vel unquam perpetretur peccatum, quod nostra præsenti voluntate evitabile sit. Atqui si *auxilium speciale* & ad singulos actus necessarium est, & infallibiliter voluntatem nostram determinat, tunc eo præsente nunquam peccatur, eo absente inevitabiliter peccatur. Ergo sola Adami voluntate vitari potuerunt peccata prorsus omnia, tum quæ ipse, tum quæ nos commisimus.

Postremò denique lucidissimè idem Gregorius explanat constantem suam de Dei & voluntatis cooperatione sententiam, quam ita temperat, ut prædeterminatio physica explodatur. *Deus sequitur determinationem voluntatis. Non quòd determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate & actu ejus, quæ primò fiat à voluntate, sicut imaginari videtur argumentum. Nec etiam intelligendo, quod prius natura voluntas agat actum illum, quàm Deus, proprie loquendo de priori natura : Quoniam tunc sequeretur, quod posset illum agere Deo non coagente : sicut patet ex definitione prioris secundùm naturam. Sed ad hunc sensum dico, Deum sequi determinationem voluntatis : quoniam ideo Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit ; & non quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo dicitur magis proprie Deus coagere voluntati, talem actum causando, quàm voluntas dicatur coagere Deo.*

L. 2. d. 37. q. 1. a. 3.

Accuratiùs expendi debet hic locus, & consuli author ipse.

An. 1346. *EX JOANNE BACHONE Anglo Carmelita, Doctore, ut vocant, Resoluto. Ex Guillelmo de Rubione. Ex Joanne Bassolis, ex Scotello.*

QUæ sit habitualis gratiæ, seu charitatis efficientia, aut inclinatio ad bene operandum, ita exponit Bacho, ex aliorum primò, deindè sua ex ipsius sententia: *Gerardus existimat & probat habitum facere tantùm ad modum actus, non ad ejus substantiam; Herveus vult causare utrumque. Ita & habitus supernaturales quidam existimant & probant facere tantùm ad modum actus; quidam volunt facere etiam ad substantiam. Alii distinguunt, nam ad substantiam illorum actuum, quos naturaliter facere non possumus, volunt habitum facere, non ad substantiam reliquorum.* Hæc de aliis, jam suam ipse doctrinam sic temperat Bacho: *Dici potest, quòd habitus nullam efficientiam habeat respectu substantiæ actus, nec alicujus accidentis ipsius actus, scilicet promptitudinis, vel meriti: sed habeat solùm efficientiam respectu potentiæ operativæ, utputa quod habitus virtuosus existens in potentia, impellat potentiam, ut prompte & rectè agat. Ita videtur quòd habitus solùm efficienter causet talem impulsionem in potentia, & tunc potentia sequens talem impulsionem, elicit secundùm me substantiam actus, imò ipsum actum circumstantionatum, scilicet promptum & meritorium.* Quod abundè nobis est, ut habitus *impellat potentiam, ut prompte & rectè agat*, utque *efficienter causet talem impulsionem* in potentia, quæ ita demum actum pariat. L. 2. Sent. d. 28. q. 1.

Circa prædestinationem & gratiam Dei efficacissimam, danda quidem Bachoni venia est, quòd etsi trepidè, sentit tamen prædestinari à Deo quos prævidet bene usuros libero arbitrio: *si quis eam sententiam posset sustinere.* Bonum usum liberi arbitrii duplicem statuit, *primò ex bonitate moris, quæ est in potestate nostra ex naturalibus, supposita influentia generali, qua bonitate operationes virtutum moralium bonæ sunt. Hæc præcognitio boni usus liberi arbitrii est causa prædestinationis ex congruo, non ex condigno, &c. causa alliciens, & congruentiæ, &c. Alia est bonitas supernaturalis, quæ dicitur bonitas gratuita, per quam aliquis dicitur gratus & acceptus Deo, & talis bonus usus est effectus prædestinationis.* L. 1. d. 41. q. 1. art. 2.

Condonato hoc errore, si quæras quos Deus vel sic prædestinavit, quomodo, & quibus auxiliis invictissimè & ad conversionem & ad perseverantiam perducat: liquet sanè, quòd non motionibus physicè determinantibus, quæ peræquè desideratæ fuissent ad illas virtutum moralium operationes, quibus sola *influentia generalis* suppeditata à Deo est, quæ omnibus ex æquo datur, qua non omnes utuntur æqualiter. Liquet idem rursus ex eo quod paulò pòst habet: *Damnatio reprobi imputanda ipsi, quia actus demeritorios liberè elegit, à nulla compulsus; & ideo sibi imputandum est, quia Deus non est causa illorum actuum determinans, sed solùm per influentiam generalem permissivè, licèt infallibiliter ab æterno & actus illos, & casus cognosceret.*

Liquet idem denuo ex eo quòd superiùs cum Giltone senserat præsciri à Deo ab æterno futura contingentia libera, sed *non priùs quàm causa secunda se ad illa determinet. Nam licèt omnis eventus futuri contingentis voluntas Dei sit causa, tamen non omnium est causa eadem; quædam enim vult velle beneplacito & efficaci, sicut productionem mundi: alia non vult velle efficaci, sed solùm permissivè. Et respectu sic productorum voluntas divina est causa activa per generalem influentiam, tribuens agenti particulari facultatem agendi sic vel sic, non tamen determinat agens ad aliquam partem, nec efficaciter vult hanc vel illam. Et isto modo voluntas divina est causa actuum nostrorum, quantumcumque deformium, &c. Imaginor sic, quod Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis vel istam, non determinante me magis ad hanc quàm ad illam, ego eligo alteram partem, & eo ipso pars illa in esse ponitur; ergo in esse & modo ponendi secundùm quem ponitur, est & fuit nota apud Deum ab æterno.* Etenim ut infrà subditur: *Quod præsciantur à Deo, hoc accidit productioni eorum in esse. Sunt enim ista præscita à Deo, quia Deus sciendo se scit omnia. Sed scire se & omnia, hoc accidit & per accidens ac concomitanter se habet ad hoc quod ego curram cras, &c. Nam me currere cras dependet à voluntate mea, & potentia currendi, quæ sunt causæ contingentes, & à voluntate Dei permissiva & generali influxu, quæ etiam sunt causæ contingentes, ut sunt ad extra.* L. 1. d. 40. q. 1.

Guillelmum de Rubione Ordinis Minorum Theologum lubens omitto, quamvis minimè nobis infestum, non tamen satis apertè suffragatorem. Etenim voluntatem Dei antecedentem, eam ait esse, *qua dantur homini antecedentia ipsi necessaria & sufficientia ad finem ultimum consequendum.* Idem alibi docet vitari posse ab omnibus peccatum, *sine gratia*, sed non sine prima causa sibi coagente. L. 1. Sent. d. 46. q. 1. L. 2. d. 28. q. 1. art. 2.

Habitu infuso mero inclinari quemquam ad actum idem negat, sed trepidè tamen, ut secus sentienti haud ægrè assensurum se confiteatur. At ubi acquisitus accessit, tum verò inclinari utroque hominem ad agendum prolixè probat. Quæ una pars nostræ sententiæ constituendæ penè sufficit. De adultorum enim maximè vel conversione ad justitiam, vel perseverantia, disputarum à nobis est, in quibus habitus infusi acquisitis roborantur. L. 3. d. 14.

Denique *divinæ voluntatis efficacia & determinatione omnia fieri* idem tradit, & ita à Deo præsciri futura contingentia. Suggillat autem sententiam divi Thomæ, ad rerum omnium prænotionem in divina æternitate confugientis. Ut vel hinc scias, quàm verè divus Thomas à decretis prædeterminantibus abhorreat, & quàm certò ab ejus adversariis eorum origo repeti debeat. Quanquam & ipse Rubio non motionis, sed voluntatis efficaciæ omnium contingentium determinationem tribuit. Posset autem plurium motionum sigillatim frustrabilium multitudine non frustrabili perfici divina voluntas. Et rursus idem sola electorum præmia & merita, etsi contingenter, infallibiliter vult fieri, ob voluntatem consequentem beneplaciti divini. Ubi nec omnia quæ fiunt contingenter, sed sola electorum merita: & hæc ipsa non sigillatim, sed generaliter sumpta, infallibiliter evenire infert, non ex vi motionis, sed ex efficacia voluntatis divinæ, quæ per plures motiones sejunctim fallibiles, conjunctim infallibiles, expedire potest rem quamlibet. L. 1. d. 47. L. 1. d. 39. q. 2.

Hæc eadem ferè omnia observare est in Joanne Bassolis, Ordinis Minorum, Scoti discipulo. 1460.

Nec ab his multùm abludit Petrus de Aquila, sive Scotellus, Ordinis Minorum. Censet enim *sine gratia gratis data* posse quemlibet se disponere ad gratiam habitualem *dispositione remota, supposita generali motione primi moventis; quia illa dispositio est rectus usus liberi arbitrii. Si autem loquamur de dispositione propinqua, non potest fieri sine speciali motione Spiritus sancti.* L. 1. d. 18.

De gratia habituali similiter ille assentitur, quòd ipsemet habitus charitatis sit, quo *determinetur* voluntas ad Deum diligendum & proximum; quòdque hic virtutis habitus & *inclinet* in actum, & actus principium ac causa sit. L. 2. d. 26. q. 1.

Denique refellit sanctum Thomam soli rerum præsentiæ & coexistentiæ in æternitate divina perstruentem sua de futurorum contingentium certa

certa & infallibili præcognitione placita. Ipse autem cum Scoto *divinæ voluntatis determinationi* totum tribuit, quæ nostræ tamen nihil officiat libertati, *Quemadmodum in sanctis & confirmatis in gratia ponitur, ita quod non possunt mortaliter peccare, & tamen stat libertas voluntatis.* Quæ sanè Scoti & Scotelli doctrina conciliari potest & commisceri cum ea quam infrà tradet Henriques, nempe ad actus singulos tot incitamenta, totque præsidia adhiberi à Deo, ut voluntas creata etsi singulis his possit reniti, non tamen unquam reapse reluctetur omnibus, & ita semper eo se vertat, quo Deus prædefiniit. Infrà sanè idem Scotellus cum Scoto docet prædestinationis ex parte nostra causam non esse, esse reprobationis: quod non staret, si invictissima præmotione prædeterminari à Deo ad actus singulos indigeret creata libertas.

L. 1. d. 42.

L. 1. d. 41.

EX JOANNE DE COLONIA
Ordinis Minorum.

EX omnibus subtilissimi Scoti voluminibus compilavit Joannes Colonienſis *Quæstiones Magistrales*, ex quibus pauciſſima nos ista delibabimus, ut Scoti ſententia, ejuſque aſſeclarum perſpicuè pateſcat.

Primò quod ad gratiam generalem attinet, eam ex Scoto Joannes ſic aſtruit, *Deus vult omnes ſalvos fieri, quod intelligitur diſtributione accommoda pro omnibus, qui ſalvi fiunt. Aliter & melius, vult omnes ſalvos fieri voluntate antecedente quantum ex parte ſui, quia dedit omnibus dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria ſufficientia ad ſalutem.* Voluntas ergo iſta antecedens eſt, quæ ut mox reperitur, *dat adjutoria antecedentia ad ſalutem, quibus omnes poſſunt ſalvari.*

Quæſt. 43.

Rurſum alibi quærens, an ſine gratia, nimirum habituali, poſſit liberum arbitrium *cavere omne peccatum mortale*, refellit Scotus ſententias D. Thomæ & Henrici Gandavenſis, quòd poſſit cavere ſingula, non omnia: itemque ſancti Bonaventuræ, quòd poſſit vitare omnia, quia poteſt ſe ad gratiam præparare; aſtruit autem ipſe vitari poſſe omnia. Quod metaphyſicè magis, vel phyſicè, quàm moraliter ab eo dici auguramur. Re enim phyſicè ſpectata, non repugnat vitari omnia, cùm nuſquam cogatur voluntas. At in actu & experimento rerum aliter res habet; quia nunquam diu, nunquam ſemper habitui quopiam inclinanti & perſeveranti reſiſtitur. Et ea forſan via eſt concordiæ reſarciendæ inter Magiſtros in ſpeciem diſſidentes.

Quæſt. 151.

Jam de gratia habituali, ſeu charitate, quod ea verè ſit gratia, quod ad bene agendum determinet, inclinet, adjuvet voluntatem, ſic idem ex Scoto, *Gratia determinat ad operationem gratuitam, ſicut pertinet ad habitum determinare.* Formam eandem infrà ait eſſe, & *gratiam* qua Deo grati ſumus, & *charitatem*, ut eſt habenti *principium operandi*. Probat infrà gratiam eſſe *principium activum merendi*. Etenim *Gratia perficit, ut voluntas indigeat perfici in ratione principii activi*. Item *Gratia eſt virtus, virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed perfectio non eſt, niſi in ratione activi*. Item ex Auguſtino, *Charitas eſt ignis, ſed ignis ubicunque ponitur, ponitur in ratione activi.*

Quæſt. 195. 196.

Quæſt. 197.

Cùm verò actus meritorii cauſa ſit duplex, Gratia & Voluntas; utra dominetur, ſic ille enucleat: *Actus meritorii duplex eſt cauſa, principalis, & ſecundaria. Principalis voluntas, ſecundaria gratia, quantum ad illud omne, quod eſt abſolutum. Sed quantum ad illud quod eſt meriti, ſic eſt è converſo.* Primum ita probat: *Potentia mota à cauſa non libera, non movet liberè: ſed voluntas liberè agit ad actum meritorium, ergo principaliter movetur à ſeipſa.* Secundum verò ſic firmat: *Deus magis acceptat illud, quod in ipſum inclinat, ut eſt in ſe diligibilis; ſed charitas eſt pondus inclinans in Deum, & ſic principalis cauſa meriti.*

Ibidem.

Et rurſum in ea quæſtione, *an habitus ſit cauſa activa actus*, primò refert Scotus opinionem Gandavenſis, habitus infuſos diſcriminantis ab acquiſitis, quod hi juvent potentiam ad actus ſibi conſentaneos: at illi ſint ipſamet potentia ad actus ſupra naturam exertos. Tum addit ſententiam Gottofredi de Fontibus, ſubſtantiam actus prodire æquè tum à potentia, tum ab habitu, ſive infuſo, ſive acquiſito: at intenſionem actus, ſeu vim merendi, à ſolo habitu. His confutatis ita ſentit Scotus, *quod habitus nullam rationem principii habeat reſpectu actus, ſed tantùm inclinat potentiam ad operationem, quaſi actus prior determinans ſecundum, & conveniens cum eo: ſicut gravitas eſt actus prior determinans & inclinans ad determinatum ubi.* Vult ergo Scotus, ut rurſum ſubditur, quod *habitus ſit quedam inclinatio ad operandum, non quidem ut potentia activa ad agere, ſed ut forma prior inclinat ad formam poſteriorem, ſicut gravitas ad deorſum.* Ex quo illud quoque emergere ait, ut ex habitu naſcatur *delectatio, facilitatio, expeditio & promptitudo* in operando.

Quæſt. 41.

Poſtremò tertia propoſiti divini gratia, eaque efficaciſſima cujuſmodi ſit, etſi jam ſubluceat ex ante dictis, liquebit præterea, ex eo quod juxta Scotum *Voluntas eſt cauſa totalis ſuæ volitionis.* Quod hinc aſtruit, quia ex Scriptura, *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui.* Et ex Auguſtino, *Sic Deus res quas condidit, adminiſtrat, ut eas proprios motus agere ſinat.* Et ex ratione, *Nulla potentia habet perfectè in poteſtate ſua effectum, ſi non poteſt cauſari ab ea immediatè, nec ab alio, cujus cauſatio ſit in poteſtate illius potentiæ. Sed cauſatio Dei non eſt in poteſtate voluntatis creatæ. Ita voluntas creata non habebit volitionem in poteſtate ſua, & per conſequens non erit libera.* Ita ex parte libertatis. Nunc ex parte contingentiæ ſic inſurgit: *Nullus effectus eſt contingens propter habitudinem ſui ad cauſam determinatam, ad cujus determinationem ſequitur neceſſariò determinatio omnium cauſarum inferiorum. Si ergo voluntas divina ſit cauſa immediata volitionis meæ, jam eſt determinata reſpectu ejus, quia æternaliter fuit determinata ad alteram partem contradictionis: & determinationem voluntatis divinæ neceſſariò conſequitur determinatio voluntatis meæ reſpectu ejuſdem effectus.* Ita periret rerum & effectuum omnium contingentia. Objicitur Scoto, *Deum eſſe cauſam meriti.* Reſpondet, *Deum eſſe cauſam meriti aliquo modo, quo non eſt cauſa peccati: quia cauſat in anima gratiam immediatè, quæ inclinat ad merendum per modum naturæ.* Ex his omnibus plus ſatis conſtat, non ad prædeterminationes phyſicas, non ad ſcientiam mediam recurri debere ex Scoto, ut infallibilis efficacia gratiæ, qua ſuſcitur executio gratuitæ prædeſtinationis, explanetur.

Quæſt. 41.

EX ROBERTO HOLKOT
Anglo Dominicano.

An. 1349.

QUicunque non ponenti obicem, vel ſeſe diſponenti ex naturalibus, hoc eſt, ſine gratiæ habitualis dono, dari ipſam gratiam habitualem, non ex neceſſitate vel ex natura rei, ſed ex divinæ miſericordiæ munere & *pacto*; frequens inculcat hic Scriptor. *Non eſt in poteſtate liberi arbitrii*

quod

L. 1. Sent. q. 1. *quod sit in gratia, absolutè loquendo; licet quodammodo ex pacto habito inter Deum & hominem sit modò de facto in eius potestate.* Exponit mox *pactum istud de dando gratiam cuicumque creaturæ rationali non præstanti obicem.* Et infrà: *Si disponat se voluntas, & non ponat obicem, vivendo contra dictamen naturalis rationis, habebit gratiam. Et quia gratia & liberum arbitrium sufficiunt ad servandam rectitudinem, ideo quidquid ad hanc operationem requiritur, est in potestate voluntatis.*

Ita & infrà concludit *posse hominem ex suis naturalibus sine habitu supernaturali diligere Deum super omnia; id est sine gratia & charitate.* Ex quo & illud infert, æquè eum posse implere omnia Dei præcepta. Sed tamen *stante lege quæ nunc* L. 1. q. 4. *est*, negat vel dilectionis, vel aliud quodvis præceptum impleri *ad intentionem Dei præcipientis*, licèt impleatur quantum *ad substantiam præcepti*, sine gratia habituali. Ubi observa 1. *per sola naturalia*, vel *sine gratia & charitate* quodpiam fieri ubi scribunt prisci Theologi, non eo excludi actualia quævis auxilia motionis divinæ, etiam supernaturalis: sed solam seu gratiam, seu charitatem habitualem.

2. Ita quibusdam tunc visum esse, sola lege Dei positiva & arbitraria factum esse, ut necessaria esset habitualis gratia ad meritoriam dilectionem Dei, & præceptorum observationem; cùm seposita hac lege posset per actualia auxilia homo & Deum super omnia diligere, & præcepta implere, etiam meritoriè, si ita visum esset Deo acceptare actualem charitatem sine habituali. Ab hac doctrina non recedit Holkot.

3. Ut hæc illorum animis insideret sententia, inde ni fallor contigerat, quòd actualia auxilia communia essent & obvia omnibus, & ea ad vitandum peccata dari, adeoque ad non ponendum obicem gratiæ, cogere videretur quodammodo ipsa rerum natura & necessitas, cùm peccatum non sit, quod vitari non possit, nec vitari possit sine motionis divinæ adjutorio. Aliam ergo præterea gratiam, verè gratiam, merè gratis ex divina largitate fluentem, nempe habitualem, totius condigni meriti fontem invexerunt.

4. Longè tamen plures aliam iniere rationem extricandæ hujus difficultatis. Actualibus nimirum auxiliis & motionibus divinis perfectam non ingenerari animis nostris charitatem & sanctimoniam, nisi ipsemet inspiretur habitus sanctimoniæ & charitatis. Virtus enim verior, penitior & robustior est, quæ habitu constat, quàm quæ actu solo. Imò actus ipsi virtutum haud satis perfecti absolutique suis numeris sunt, nisi ab anteriore habitu proficiscantur. Etenim nec homo ipse bonus ante est, quàm virtutis habitum sibi pararit, etsi aliquos in ejus actus quasi præluserit: nec actus ipse virtutis ea, qua par est, exeritur animi alacritate, promptitudine & facilitate, nisi ab habitu virtutis fluat. Verissima ergo & perfectissima gratia, seu charitas illa est, quæ habitualis est; huic famulantur motiones & auxilia gratiæ actualis, sive ut illam in operando juvent, sive ut illi subjectum præparent, cui inspiretur.

5. Eodem redit quod Anselmus, Bernardus & alii in eo maximè collocabant vim gratiæ, quòd *immutaret affectum* cordis nostri, quòd *affectum rectitudinis* insereret. Ex affectu enim cordis bona opera, non ex operibus bonis cœlestis & pius affectus nasci debet. Nec enim usquequaque bona sunt opera, nisi ex bono affectu profecta. Affectus habitusque pro uno & eodem sumi possunt, cùm virtutem definierit Augustinus nunc habitum, nunc affectum.

6. In hanc porro posteriorem sententiam & utique veriorem illa quoque Holkoti & aliorum doctrina, quasi ex brevi diverticulo in regiam viam redibat. Et ipsa enim confitebatur potissimam gratiam esse habitualem, & actualibus auxiliis ad eam iter præstrui, & omnino gratis eam donari, quantumcumque actualibus auxiliis quis progressus esset.

Itaque ut homo Deum diligat super omnia, & impleat omnia præcepta, etsi utrumque possit per actualia auxilia, quæ sunt ad manum, ex Holkoto indiget tamen gratia habituali, quia hujus gratiæ necessitatem lege voluntaria ad hæc sanxit Deus. Sed vel sic in potestate hominis est habere hanc gratiam, quia dabitur ad eam se disponenti, quod utique potest. *Esse in potestate hominis accipitur* Ibidem. L. 1. q. 4. *dupliciter. Uno modo completè & perfectè, alio modo dispositivè. Potest igitur homo per usum bonum liberi arbitrii in aliquam operationem, quæ dispositione existente in homine Deus infundit sibi gratiam: & sic aliquo modo habemus gratiam in nostra potestate, videlicet dispositivè & incompletè, non tamen perfectè & effectivè.*

Idem infrà docet *hominem ordinari à Deo ad beatitudinem, quia creat capacem beatitudinis, &* L. 1. q. 1. *removet prohibens quantum in eo est. Sicut ordinat grave ut sit deorsum, generans grave, hoc est, dans gravitatem, & removet prohibens. At non sic ordinat Deus hominem ad beatitudinem, sicut ordinatur sagitta ad metam per arcum, ut continuè moveat, vel pellat hominem ad beatitudinem.* Subjicit non multò pòst tamen ex prædestinatione Dei gratuita oriri & fidem & bonum usum omnem liberi arbitrii, non vicissim. Sed addit tamen *nemini non provideri de mediis, quæ si servet, salvabitur: & voluntate beneplaciti antecedente velle Deum omnes salvari, qua dat naturalia vel antecedentia, quibus potest salutem consequi, paratus cogere, si illi velint.* Ubi *naturalia* vocat quæcumque auxilia habitualem gratiam antecedunt.

Nec multò pòst non imputanda Deo peccata nostra ait, quia coagit Deus tantùm, nostræque potestatis est non agendo malè, efficere ut Deus non coagat. *Imputatur creaturæ, quod in potestate ipsius fuit Deum esse causam hujus peccati. Unde eo ipso quod homo est liber, quia Deus statuit coagendo unicuique creaturæ secundùm modum suæ naturæ, sequitur quod homo habet in sua potestate facere Deum coagere & non coagere, sicut sibi placet. Unde peccatoribus exprobrat Deus, Servire me fecistis in peccatis vestris. Sed quare non* Ibidem. *subtrahit cooperationem; tunc enim nemo peccaret? Respondeo, quia Deus non vult; tunc enim impediret liberum arbitrium.* Vides quantum ista abhorreant à prædeterminatione physica. Subjicit tamen ex Augustino invictam semper esse Dei voluntatem, quia Deus *ordinat peccata, statuendo leges punitivas, & illas opportunè executioni mandandas.* Alibi sanè negat à Deo præsciri futura, quasi futura; sed quæ futura nobis sunt, ejus æternitati omnia esse præsentia ex Anselmo, sciri que & videri magis docet, quàm præsciri, vel prævideri. Ibid. q. 2.

Approbat item alibi ex sancto Thoma *gratiam* L. 4. q. 1. *baptismatis & confirmationis, ac gratiam virtutum donorumque distingui secundùm speciem, quia ad alios & alios effectus ordinantur. Ut sicut in virtutibus moralibus ubi invenitur specialis difficultas, ibi requiritur specialis virtus; ita gratia baptismatis perficit in iis quæ pertinent ad communem statum vitæ Christianæ: sed gratia confirmationis habet perficere in iis quæ sunt difficilia in vita Christiana, sicut est confiteri nomen Christi coram persecutoribus fidei.* Ita & mox ait gratiam circumcisionis valuisse ad eluenda peccata; sed gratiam baptismatis *valere etiam ad innovationem hominis, & ad reprimendam concupiscentiam.* Ubi vides efficaciam quandam gratiæ habitualis.

Sed & infrà prolixè idem probat, *Gratiam seu charitatem esse vitam animæ, qua Deus vivificat animam:*

animam : Itemque, *Deum ab anima vitam non subtrahere, nisi anima priùs vitam deserat*. Accumulat autem Augustini loca complura, ajentis quòd *ab anima deseritur vita sua, quæ illi Deus est; non enim deserta est, ut desereret : sed ut desereretur, deseruit*. Ex Isidoro item & Gregorio magno prolixè mox probat, quibusdam *subtrahi gratiam & ejus usum in pœnam peccati præcedentis, & facit quosdam Deus peccare, sed in quibus talia peccata præcesserunt, ut justo judicio ejus mereantur in deterius ire*, ut ait Isidorus : *ut præcedentis peccati merito etiam in alia cadant*, ut Gregorius. Et ne cavillari possis, iterum iterumque inculcat Holkotus, *Tunc solùm propriè & per se deserit anima gratiam, quando scienter facit aliquid, per quod existimat se gratiam perdere, vel incerta est utrum gratiam perdat*. Negat infrà ibidem omnia opera infidelium esse peccata, cùm laudet Augustinus in libro de patientia hæreticum, mori potiùs, quàm Christum ejurare eligentem. Unde Augustinum ait non aliud velle, quàm quòd *omnia infidelium opera admixta sunt cum peccato, & quod malè omittunt finem debitum, ad quem referre deberent omnia opera sua, scilicet charitatem*. Nec enim ex sancto Thoma semper & omni momento & in omni actu referre tenentur ad Deum quæ agunt.

Trast. de impeccabilitate peccanti.

Insinuat idem alibi voluntatem tentatione *cogi* non posse, cùm velle non possit nolens; sed tamen *necessitari* posse, si supra vires tentetur; sed tunc non peccare. *Dicendum est quod non obligatur ad resistendum, nisi usque ad certum gradum tentationis, vel difficultatis, quia non potest ulterius. Et si tamen ulterius tentatio invalescat, vel Deus faciet proventum, hoc est, præveniet secundùm gradum tentationis; vel sine peccato tentationi cedetur, ut non perdatur.*

Determinatio, q. 3.

Postremò idem fusè probat posse *hominem in gratia existentem vitare quodlibet peccatum, tam veniale, quàm mortale. Etenim Deus præcipit, ut homo vitet omne peccatum, ergo hoc potest cum adjutorio gratiæ*. Alioqui *nimis onerosa esset lex Christi, quam nemo posset servare, etiam adjutus per gratiam*. Cùm ergo Augustinus vel alii dicunt, non posse à justis vitari *omne* peccatum, hoc dicunt, quia *vix & cum difficultate possunt : capitur impotentia vel impossibilitas pro difficultate; non propriè. Eodem modo cum dicunt, quod quædam fiunt necessitate, non accipiunt necessitatem pro necessitate absoluta. Et inevitabilem accipiunt pro difficultate vitandi; ita quod facultas humana difficultatur ad vitandum quodlibet peccatum.*

Determinatio, q. 4.

An. 1410.

EX JOANNE CAPREOLO
Dominicano, Thomistarum principe.

In l. 2. Sent. d. 28. q. 1. art. 1.

INter divi Thomæ interpretes principem jure sibi suo vendicat locum Capreolus. Et primò circa gratiam generalem ita sentit, *posse nunc hominem multas veritates cognoscere sine gratia habituali, gratum faciente, per lumen naturale, cum motione primi motoris*. Sentit, *posse nunc sine gratia habituali aliquod bonum agere & velle naturæ suæ proportionatum, & virtutis acquisita; quia natura humana in statu præsenti non est per peccatum totaliter corrupta*. Sentit *non tamen omne bonum velle, vel agere naturæ suæ proportionatum posse sine gratia habituali. Nullus enim infirmus potest omnia opera facere hominis sani, nisi priùs sanetur, & accipiat formam sanitatis*. Sentit *sine speciali auxilio Dei non posse quenquam aliquod bonum velle, aut agere, etiam naturale; quia indiget motione primi moventis*. Sentit *non posse sine gratia habituali ullum servari præceptum perfectè*, nempe quia charitas ad hoc necessaria est : *nec omnia etiam imperfectè*. Sentit *nec peccata mortalia singula & omnia vitari posse sine gratia habituali nunc*, etsi hoc poterat Adam ante peccatum, qui tamen nec ipse hoc poterat *sine auxilio Dei in bono conservantis, quo subtracto etiam ipsa natura in nihilum decideret*. Quod autem vitari nunc omnia nequeant sine gratia habituali, sic probat : *Nulla voluntas adhærens perverso fini, vel perversè habituata, vel non subdita rectæ regulæ, potest diu carere electione perversa secundùm congruentiam mali habitus, vel perversæ regulæ. Sed qualibet voluntas carens gratia habituali nunc est ejusmodi, &c.* Quod verò sine gratia habituali possint vitari singula mortalia, sic probat : *Nullus culpandus est pro actu quem vitare non potest : sed homo existens sine gratia habituali culpatur pro actu peccati mortalis, igitur illum potest vitare*. Sentit denique *neminem posse se ad gratiam habitualem sufficienter præparare sine Dei auxilio, sive sine motione Dei gratuita*. Ubi illud maximè adverte, nemini peccanti deesse illam gratuitam Dei motionem, quæ ad non peccandum necessaria est : *Cùm nemo culpandus sit pro actu, quem vitare non potest*.

Exístimat porro Capreolus consentire Gregorio Ariminensi sanctum Thomam 1. 2. q. 109. art. 9. in eo capite, quod *nullus nunc potest sine speciali Dei auxilio perfectè cognoscere quid volendum sit, aut nolendum, quid agendum sit, aut vitandum in materia morali, non solum quoad omnia agibilia collectivè sumpta, immo nec quoad aliquod agibile seorsum & in particulari sumptum*. Ubi & advertit quod sive ante, sive post justificationem, *illa motio ad bene cogitandum necessaria, non est sola generalis Dei influentia, immo est specialis Dei directio ad rectè cogitandum*. Ubi Ariminensi acquiescit, immo sanctum Thomam ei accommodare nititur Capreolus, præter aliorum fermè omnium Thomistarum consensionem, qui negant ad hoc vel requiri, vel à sancto Thoma admitti auxilium *speciale*, sufficere enim generale.

Ibid. art. 9.

Ut ut ea quidem res habeat, concessa etiam ad Ariminensis & Capreoli mentem necessitate hujus *specialis* auxilii, ad quodlibet bonum cogitandum, volendum, faciendum in statu naturæ corruptæ : non possum non hìc notare fœdam eorum hallucinationem, qui speciale hoc auxilium ejusmodi interpretantur, quod indeclinabiliter flectat & prædeterminet physicè liberum arbitrium. Contra enim 1. de indeclinabili ea vi specialis auxilii nusquam vel Gregorius, vel Capreolus meminere. 2. A physica prædeterminatione prorsus aliena est tota eorum doctrina, nec de ea vel verbum usquam fecere ullum. 3. Ab hujus specialis auxilii necessitate abhorrent plerique Thomistæ alii. Ergo si id fuerit auxilium prædeterminans, ab eo dissentient. 4. Hoc auxilium speciale discriminant à generali influentia. At si qua Dei ut primi Mororis motio sit prædeterminans, ea est generalis influentia, ut quæ latissimè pateat, & totam complectatur naturam. 5. Vocatur à Capreolo hoc auxilium speciale *specialis Dei directio ad rectè cogitandum*. Quibus verbis parum appositè describeretur physica prædeterminatio voluntatis. 6. Contextus divi Thomæ suprà laudatus, cui Capreolus incumbit, speciale auxilium non indigitat aliud ferè, quàm uberiorem illuminationem, directionem Dei & protectionem, propulsationem tentationum & id genus aliqua, alieniissima à physica prædeterminatione.

1. 2. q. 109. art. 9.

Quod autem Gregorius Ariminensis existimat Ethnicos speciali auxilio destitutos, opera quidem virtutum ex officio bona exercuisse, sed ipso interim non recto fine peccasse : vehementer ab eo dissentit Capreolus, negatque *omnes actus infide-*

Ibidem. *infideles vitiosos*. Etenim ex ipso, *Possint infideles, & alii non habentes gratiam gratum facientem, facere aliqua opera bona, quæ nullo modo sunt peccata, nec punitione digna; illa tamen non fiunt sine speciali Dei auxilio, non quidem habituali, sed se habente per modum motionis, & cujusdam passionis.*

Multa mox refert ex Ariminensi Capreolus, nec improbat de impotentia evitandi peccati, sive ex ignorantia, sive ex infirmitate, quæ tamen ideo imputentur peccata, quòd propter originalem culpam ea nobis impotentia accesserit. Verùm ad eam impotentiam id totum spectat, qua fit, ut etsi singula possimus, non possimus tamen omnia vitare peccata ante justificationem. Unde non multò pòst ex sancto Thoma hæc describit, *Unde patet stulta Pelagianorum opinio, qui dicebant hominem in peccato existentem omnia & singula posse vitare peccata.* Et ex eodem multa in eundem sensum corradit, tum ibidem, tum alibi. Illam autem propositionem, quòd à nondum justificatis possint vitari singula crimina, non omnia, sic exponit; 1. quod *in sensu diviso & potentia remota* possit injustus vitare peccata, quia potest ad gratiam se præparare & justificari. 2. quod valeat illa regula in præceptis Decalogi tantùm, non in præceptis supernaturalibus, & de charitate factis. Cui secundæ interpretationi magis acquiescit Capreolus. Ergo ex eo nusquam ulli deest potentia proxima & auxilium sufficiens ad vitanda singula peccata juris naturalis: nulli deest potentia remota hoc est mediata implendi præcepta juris supernaturalis & charitatis, quia non deest auxilium supernum, quo possint converti & justificari.

Quod rursus idem confirmat his verbis: *Ex quibus patet, quod non est mens sancti Thomæ, quod homo sine gratia possit singula peccata vitare hoc modo quod vitatio illa fiat sine gratia, nisi sit sermo de peccatis oppositis præceptis Decalogi. Nam peccata directè opposita præceptis charitatis non vitantur sine gratia. Tamen carens gratia potest illa vitare in sensu diviso, & quadam potentia remota, in quantum potest se disponere ad gratiam, qua vitantur.*

Et rursus ibidem: *Carens gratia non potest vitare omnia peccata contraria præceptis juris naturalis, vel Decalogi, potentia proxima, & in sensu composito; licèt possit potentia remota, & in sensu diviso, modo præexposito. Et cùm quæritur, unde provenit illa impotentia, dicitur quòd ratione infirmitatis contractæ ex peccato originali.*

Non piguit hæc paulò prolixiùs recitare ex Capreolo, ut advertas nunc tantò lubentiùs aliqua ingentis prorsus momenti ad rem istam. 1. Illam impotentiam quam ex originali peccato contraximus, quæque imputatur, eam esse qua omnia non possumus, etsi singula possumus vitare peccata. Id disertè sonant dicta Capreoli, maximè quæ ultimò retulimus. 2. Illam impotentiam ad omnia vitanda proximam intelligi, non remotam; nam simul remota adest potentia vitandi omnia peccata, quia adest potentia proxima & immediata, qua quis convertatur & justificetur, & mediante hac potentia adest remota potentia vitandi omnia. 3. Singula verò peccata juri naturali adversa, vitari semper posse potentia proxima & immediata etiam ante justificationem. 4. Singula peccata, quæ sine charitate habituali vitari non possunt, à nondum justificatis vitari posse potentia remota & mediata, quia possunt converti, & à peccatis ablui. 5. Procul esse Capreolum & Ariminensem ab eorum nunc opinatione, qui gratiam sufficientem pernegant, qua possint, quicumque peccant, singula vitare crimina; quique eorum hac in re patrocinio sibi blandiuntur. Capreolus & Ariminensis confitentur vitari posse singula, etsi non omnia: ut non omnia vitandi impotentiam cum potentia singula vitandi conjunctam, præposterè interpretantur impotentiam vitandi singula. Illi potentiam saltem remotam ad omnia etiam vitanda annuunt; hi auferunt, nec enim semper adesse volunt auxilium quo possint converti. Illi impotentiam vitandi omnia solis injustis, seu nondum justificatis tribuunt; hi etiam justificatis cùm peccant, impingunt impotentiam vitandi singula. 6. Denique dissidere non mediocriter etiam à Capreolo eos, qui sufficientem quidem omnibus peccantibus ad non peccandum largiuntur gratiam, sed ita sufficientem, ut alia quæpiam, nempe efficax, sit præterea necessaria ut actu viteur peccatum. Ideo gratia sufficiente ajunt dari potentiam remotam vitandi peccatum; sed proximam efficaci. Immaniter hæc distant à Capreolo. Hic enim proximam ad singula, vel vitanda peccata, vel implenda præcepta potentiam admittit, illi remotam. Ille lato intervallo sejungit potentiam ad omnia & ad singula, hi commiscent. Ille potentiam proximam ad omnia vitanda peccata, vel implenda præcepta, vult conferri per gratiam habitualem; hi potentiam suam ad singula proximam referunt ad gratiam actualem, efficacem. Ille cum potentia remota vitandi omnia crimina conjungit potentiam proximam & immediatam, ut possint, si velint, converti: hi ad gratiam efficacem obtinendam nulla potestate nos muniunt.

Ideo non immeritò *sepè* inculcat Capreolus, quod nondum justificatus nec omnia, nec singula potest crimina vitare *sine speciali auxilio*. Ergo cùm singula possint vitare omnes, adest omnibus speciale auxilium. Quocirca & infrà idem affirmat, *nihil debere imponi cuiquam, nisi quod statim est in ipso, ut impleat*. Ideo rursum subdit, *Præcepta Decalogi non obligare ad modum charitatis simpliciter, sed sub conditione*, ut quis promereatur vitam æternam. Ibidem.

Denique si objicias, vitando singula quemque convalescere, ut vitet alia; ita vitari posse omnia: Respondet: *Licèt resistendo uni efficiatur quis fortior sine gratia ad vitandum peccata ejusdem speciei, non tamen ad peccata disparata: immo quandoque debilior, quia attendendo ad unum, non cavet illud quod primò surrepit ex inclinatione habitus, vel passionis, vel diabolicæ suasionis.* Ibidem.

Jam verò de gratia habituali consentit prorsus Magistro & sancto Thomæ Capreolus. Huic quippe uni singulariter & propriè *gratiæ* arrogat nomen. De gratia quærit, virtus sit, an virtutum origo quædam prior. Etenim *dicit Magister post Augustinum, quod gratia præveniens est fides per dilectionem operans; sed fides est virtus, igitur & gratia.* Censet tamen Capreolus cum sancto Thoma gratiam esse quæ dat esse quoddam divinum, ex quo virtutes, ceu potentiæ ad operandum proclives, manant. Unde, *Gratia datur ad elevandam naturam hominis ad quandam dignitatem, secundùm quam talis finis sit ei competens. Ad inclinandum autem affectum in hunc finem, datur charitas. Ad exequendum opera quibus prædictus finis acquiritur, dantur aliæ virtutes.* Et rursum: *Ut in naturalibus, &c. ita & in gratuitis alia est perfectio supernaturalis, per quam creatura rationalis proportionata est beatitudini supernaturali, & hanc dicimus gratiam. Aliud erit inclinatio in illum finem, quam dicimus charitatem. Et aliud erit virtus executiva motus in finem.* Igitur habitus gratiæ, charitatis & virtutum infusarum, verissimè *inclinant* voluntatem in bonum, & bona opera *exequuntur*. Et infrà rursum: *Sicut anima est immediatum principium essendi, potentia autem est immediatum principium operandi; sic proportionabiliter gratia est immediatum principium supernaturaliter essendi, virtus vero est immediatum supernaturaliter operandi.* Igitur quibus re

L. 2. Sent. d. 26. q. 1. art. 1.

Ibid. art. 1.

non

non differt anima à potentiis, gratia à charitate, ut anima, ita & gratia immediatum est principium essendi simul & operandi.

Et quoniam suspicati sunt docti quandoque viri, per actualia auxilia expediri omnia posse, & de illis tantùm certamen Augustino fuisse cum Pelagio, altumque tunc temporis silentium fuisse de habitibus infusis; obiter moneo longè illos à scopo aberrasse. Nam sexcenties Augustino & gratia charitas est, & charitas virtus est, & virtus habitus est, adeoque gratia habitus est. Adde quòd cùm primùm in Pelagianos congressus Augustinus, statim & peccati originalis & gratiæ fidem ex parvulorum baptismo comprobavit, quibus non actualis infunditur, sed habitualis gratia. Denique delectationem ut gratiæ Christi propriam dotem inculcat Augustinus; at facilitas & delectatio operandi ex habitu fluit. Undè Capreolus, *Sine habitu potest quis articulis fidei assentire, est tamen necessarius habitus ad hoc ut assentiat faciliter & discretè.* Et mox: *Habitus fidei in duobus adjuvat, scilicet quod intellectum facit facilem ad credendum credenda contra duritiem, & discretum ad refutandum non credenda contra errorem.*

L. 3. d. 23. q. 1. art. 3.

Et rursum ante justificationem ait non facilè vitari peccata, eoque non vitari omnia, quod careat homo gratia habituali juvante ad bonum, abducente à malo: *Cùm per unum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcumque aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum.* Et rursum: *Peccatum præcedens causat peccatum sequens, inquantum tollit gratiam, & charitatem, & alia Dei auxilia, quibus homo retrahitur à peccato, potissimè firmam adhæsionem hominis ad Deum ut ad fidem ultimum, qui erat principium in agendis.*

Ibidem.

Ideo ut ante habitualis gratiæ inspirationem obluctetur quis tentationibus, vehementius Dei adjutorium desideratur. *Vitatio peccatorum & resistentia tentationum sine gratia gratum faciente habituali non est facilis, nec prompta, nec delectabilis, &c. modicum attribuenda libero arbitrio, sed quasi totaliter, vel principalissimè divinæ motioni, aut protectioni vel præservationi.*

Ibidem.

Quanta denique vis & efficacia competat gratiæ habituali ad implenda Dei mandata, ex hac liquebit Capreoli disputatione adversus eos, qui negabant gratiam circumcisione fuisse collatam, ne pariter servandæ totius legis possibilitas data fuisse videretur. *Quidam dicunt, quod circumcisione non conferebatur gratia, sed solùm remittebatur peccatum. Hoc non potest esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam. Ideo alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus privativos remotionis culpæ, sed non quantum ad effectus positivos, ne dicere cogerentur, quod gratia in circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superfluus fuisset adventus Christi. Sed etiam hæc positio stare non potest. Quia priores sunt effectus positivi, quàm privativi, &c. Et ideo alii dixerunt quod in circumcisione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna; sed non quantum ad omnes effectus, quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi visum est. Sed diligenter consideranti apparet, quod non est verum. Quia minima gratia potest resistere concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale. Minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti. Et ideo dicendum quod in circumcisione conferebatur gratia ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quàm in baptismo.* Nempe quia baptismus gratiam confert, ut mox subdit sanctus Thomas, cujus hæc apud Capreolum verba sunt, & virtute sua, & *copiosiorem.* Unde rursum infrà: *Circumcisionis gratia non ita perfectè reprimebat concupientiam, sicut gratia baptismalis. Unde difficilius erat concupiscentiæ resistere circumciso, quàm baptizato; & occasione hujus lex vetus dicebatur occidere occasionaliter: quamvis circumcisio intra legis Mosaica sacramenta non contineatur, eo quod non est ex Moyse, sed ex Patribus.* Non video quid apertius dici possit ad declarandam vim, possibilitatem & efficaciam ad implenda mandata, quæ ex gratia habituali proficiscitur.

Ibid. an. 3.

Ad tertium nunc denique gratiæ genus demonstrandum accingamur, qua invictissimè ad conversionem Deus impios, ad perseverantiam pios agit, quos elegerit. Et primùm quidem fusissimè Capreolus declarat ex sancto Thoma futura contingentia libera *infallibiliter cognosci non posse ut futura; sed ut præsentia sunt in seipsis, à Deo aeternaliter cognosci. Cognitio autem Dei de his futuris est infallibilis & certissima. Sicut, inquit sanctus Thomas, visus noster non fallitur, cùm videt præsentia, & tamen ex hoc non removetur, quin illa contingenter eveniant: ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia futura, quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit esse, tunc quando sunt. Unde ex hoc non removetur, quin contingenter eveniant, &c. Contingentia ad utrumlibet certitudinaliter in causis suis nullo modo cognosci possunt, sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc enim habent in seipsis esse determinatum.* Nulla hìc, nulla usquam alibi apud Capreolum, vel apud sanctum Thomam mentio decretorum absolutorum, vel motionum Dei prædeterminantium ad actus singulos voluntates liberas; etenim tunc futura, etiam ut futura certò præsciri possent.

L. 1. Sent. d. 38. q. 1. art. 3.

Hinc alibi infert: *Divina præscientia nullam necessitatem rebus præscitis imponi. Contingens enim refertur ad divinam cognitionem secundùm quod ponitur esse in rerum natura: ex quo autem est, non potest tunc non esse.* Quin immo ex eodem *nec providentia rebus provisis imponit necessitatem, contingentibus enim contingentes causas aptavit.* Unde sicubi causæ istæ deficiant ab eo scopo, quo eas destinabat providentia, id quoque provisum fuerat, quod deficere possent. Denique cùm prædestinatio præscientiam & providentiam Dei complectatur, nec ipsa necessitatem impingit ullam.

L. 1. d. 40. q. 1. art. 3.

Addit tamen idem ex D. Thoma, *certitudinem prædestinationis addere supra certitudinem providentiæ.* Nam providentia deficere res quaspiam finit à particulari suo fine, quem tamen defectum ipsa ordinat ad alium finem, & sic à generali ejus ordine nihil excidit. At prædestinatio indeclinabiliter provehit electos ad finem desponsæ sibi beatitudinis. Ea infallibilitas quì consentiat cum libero hominum arbitrio, ita exponit Capreolus verbis sancti Thomæ q. 6. de veritate, art. 3. *Invenimus ordinem infallibilem esse respectu alicujus dupliciter. Uno modo in quantum una causa singularis necessariò inducit effectum suum ex ordine divinæ providentiæ. Alio modo quando ex concursu multarum contingentium & deficere possibilium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat. Sicut videmus quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secundùm naturam salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente. Hoc modo est in prædestinatione. Liberum enim arbitrium potest deficere à salute; tamen in eo quem prædestinat Deus, tot & talia adminicula præparat, quod vel non cadat; vel si cadat, quod resurgat.* Si motio prædeterminans

Ibidem.

physicè

L. 4. Sent. d. 3. q. 3. a. 1.

physicè & infallibiliter jam tum vel sancto Thomæ, vel Capreolo alluxisset, neuter eorum adjecisset animum ad hanc alteram rationem exequendæ infallibiliter prædestinationis: cùm una causa singularis, scilicet motio seu gratia prædeterminans, necessariò induceret effectum suum; nec opus esset illa multitudine & conspiratione variorum auxiliorum, quorum aliis deficientibus alia subrogarentur.

Quàm verò non determinetur à Deo infallibiliter ad actus singulos creata voluntas, liquet ex Capreolo ita primùm referente objectionem ex Bernardo de Gannaco, *Deus potest necessitare omnem voluntatem creatam necessitate naturaliter præcedente, sed hoc non posset aliud faciendo, quàm volendo; alia enim nullo modo agit ad extra, ergo necessitat, vult enim.* Respondet Capreolus, non ita velle Deum, ut necessitet: *Talis enim necessitas potest provenire ex impressione alicujus formæ, quæ nunc non imprimitur, scilicet gratia consummata; vel ex aliqua motione Dei speciali, qua nunc non movetur; ut ostendit sanctus Thomas de veritate q. 22. art. 8. Unde Deus sic posset movere voluntatem ad aliquid necessariò, quia scilicet voluntati proponeret aliquid sub ratione boni, & nullo modo sub ratione mali, ita quod cessatio à volendo nullo modo appareret voluntati bona, nec à volendo aliquo modo distraheretur per passionem aliquam. Constat autem quod Deus pro nunc non movet isto modo voluntatem; quia in omni objecto citra ultimum finem apparet ratio boni & mali, & cessatio ab actu apparet bona, & quandoque judicium distrahitur propter multa alia.* Vides quas artes excogitet Capreolus, ut possit Deus indeclinabiliter, si velit, determinare quamlibet voluntatem liberam nostram, & ne eas quidem ab eo adhiberi existimet, nedum physicam prædeterminationem.

ent. l. 1. d. 17. q. 1. art. ult.

Ibidem. Unde rursus idem ibidem: *Voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet ut velit, vel non velit, determinatur à seipsa, & illud quo se ad hoc determinat, est actus ejus determinatus. Sed quantum ad specificationem actus, scilicet ut tendat in hoc, vel in illud, determinatur per intellectum, ostendentem sibi suum objectum.* Et idem alibi quidem docet voluntati *à Deo propositum esse objectum, ad quod de necessitate naturalis inclinatio determinatur; unde nullus potest necessariò per tale objectum immutare voluntatem, nisi solus Deus.* At infrà idem cùm sancti Thomæ verba intexuisset, quibus docet voluntatem à Deo ut universali motore ad universale bonum moveri, ipsum verò à semetipsa determinari ad hoc, vel illud bonum, verum, vel apparens, addit, *Ex quibus apparet mihi, quod prima motio voluntatis est à Deo ad volendum bonum in universali, &c. Sed semper illam generalem affectionem ad bonum concomitatur affectio ad aliquod particulare bonum.*

I. 2. d. 25. q. 1. art. 1.

Vid. art. 2.

Et infrà rursum sic moveri à Deo voluntatem, & omnes voluntatis actus singulares à Deo effici interpretatur, quia affectum boni in universali Deus imprimit, ex quo deinde voluntas semel excita determinat se ad hoc vel illud bonum. *Convenientiùs dicitur, quod primus actus volendi est à Deo, qui quidem actus est velle finem; vel quædam generalis complacentia boni, quam habet voluntas à natura sua. Unde sicut primus motus gravis est à generante, & non ab alio effectivè: sic primus actus voluntatis est à creante. Voluntas autem facta in actu per volitionem, vel generalem complacentiam boni, movet se ad alios actus volendi. Et sic ipsa per aliud, id est, per affectionem finis, causat in se effectivè actum volendi, quem specificat objectum.* Et rursum de eodem: *Nec ponitur, quod secundùm idem voluntas sit in potentia & in actu; quia primum motum, id est, actum voluntatis habet à Deo, & per illum reducit se in actum volendi ea quæ sunt ad finem, ad quem actum est in potentia formali, & in actu virtuali.*

Ibidem.

EX THOMA WALDENSI Carmelita Anglo. An. 1420.

OMnia *necessitate* evenire senserat Wiclephus. Quidam, ut ait Waldensis, *simulatæ pietatis viri, hanc hæresim illius & suam excusare conantes, dicebant eum intelligere de necessitate sequela, seu conditionata.* At ut idem ex ipsismet ejus verbis & contextibus probat, absolutè ille docebat *necessitari omnes creaturas activas ad quemlibet actum suum; & absolutè necessarium esse, quod damnandus ponat obicem in peccando; & infantem præscitum necessariò vivere diutiùs, & peccare in Spiritum sanctum.*

Doctrinale fidei l. 1. art. 6. c. 21.

Adversùs hanc insaniam idem Waldensis de voluntate Dei salvifica & benefica in salutem omnium, seu de gratia generali hæc habet: *Quis hæc toleret de Deo dici, qui ipse per seipsum spirat ad vitam, per angelicas officinas præservat, per Prophetas minatur, per Patriarchas hortatur, allicit dulcibus, asperis excitat, Filium misit, Apostolos reliquit, trahit per gratiam, roborat per exemplum: & quid amplius facere debuit ut salvaret à morte, ut vitæ nos perpetuæ copularet?*

Idem infrà relatis Chrysostomi verbis, ex illis infert, *quod prædestinatio Dei non infert necessitatem, & quod in potestate nostræ voluntatis positum est, ut salvemur ex gratia, vel pereamus ex culpa.* Nec liberum arbitrium Wiclephus palam lacessebat, quin incolume esse jactabat, quia non cogebatur, sed sponte huic necessitati lubensque consentiebat. En ejus verba, *Deus non illiberatur quidquam facere, licèt absolutè necessariò illud fiat: sicut non illiberatur producere Verbum, vel Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.* Hanc necessitatem Wiclephus derivabat ex *voluntate, consilio, determinatione, proposito, ordinatione, præscientia, prædestinatione Dei.* At contrà Waldensis ex Ecclesiæ doctrina & ex Augustino maximè probat *fallacem non esse Dei determinationem, nec fallibilem prophetiam, sed divinam præscientiam nullum arctare, nec ejus providentiam quemquam obligare ad sequelam. Præscit enim Deus pœnam, si cadant, & providet: Præscit etiam præmium, si laborent. Et prævidit certè culpam, non providet ad ruinam: sed gratiam præordinat ad coronam. Nec hic tamen necessitat, nec ibi impellit.* Sic ibi. Itaque *effectus necessariò causati à præscientia & prædestinatione*, non sunt mala, vel bona merita, sed *retributiones unicuique condignæ*: ut ibidem probatur ex Augustino.

Ibid. c. 22.

Ibid. c. 24.

Quòd autem non qualibet, sed sola *coactionis necessitate* perimi libertatem jactabat Wiclephus, contra Waldensis pugnat, coactione sola non violari libertatem, ut quæ possit in corpus sævire, non in animam, non in voluntatis penetralia. *Coactio libertatem non tollit omnino. Primo Machabæorum c. 2. qui cogebant Judæos ad sacrificandum, non abstulerant eis libertatem voluntatis, quo minùs imputabatur eis ad culpam, qui coacta sacrificia compleverunt, &c. Non est ergo coactio in causa, unde libertas prodatur, fons humani meriti, vel delicti: sed vis illa necessitatis occulta, quæ sic voluntatem stringit ad effectum, ut nec aliter facere valeat*, hoc est, necessitas inevitabilitatis.

Ibid. c. 24.

Radicem verò meriti eam libertatem esse subdit Waldensis, quæ ad utrumque versatilis est; quam *gratia* vel *motiva* alia possunt *trahere*, hoc est, inclinare, non necessitate ulla constringere. *Tradit antiquitas Ecclesiæ, originem actus humani mali & deformis esse voluntatem humanam in sua radice liberrimam, & sine freno alicujus necessitatis distinctam. Eandem insuper voluntatem docet*

esse principium originale & jurigenium actus boni, preveniente eum gratia Dei, in ratione motivi. Nullibi tamen infertur necessitas actui absolutè dicta; sed necessitas tractionis, vel inclinationis operantem perficit, vel promovet aliquando. Quanta sit autem vis hujus tractionis, mox declarat exemplo Jobi & Judæ: *Ecce tentatum Judam, & concupiscentia propriæ voluntatis evictum: ecce & tentatum Job, & proposito amoris Dei servatum. In utrumque tentator se ingerit, & nec in Job deficit, nisi per propositum voluntatis sanctificatæ à Deo; nec in Juda proficit, nisi per avaritiam voluntatis à Deo desertæ.* Hinc concupiscentia, indè charitas inhabitans, ea vis est qua voluntas inclinatur in malum vel bonum. Idèo quisquis peccat, ut mox ait, *potuit voluntate sua, concurrente gratia Dei, vitasse peccatum.* Alioqui *invitè* peccavit. Negabat Vviclephus *invitè* peccasse, sed *voluntate necessariò*. Contra ex Augustino pluribus Vvaldensis, à solo Deo posse voluntati hanc necessitatem inferri, qui tunc fuerit author, nec possit esse ultor peccati. Hinc tamen addit excipi, si qua peccata pœnæ sunt peccatorum: ut concupiscere: *quæ non tam peccata sunt, quàm pœnæ peccatorum: quæ utique vitari possunt.*

Sed quoniam excipiebat Vviclephus, Beatos omnes & libertate frui, & beata ad bonum necessitate obligari, ideo Vvaldensis cum *Ecclesia* duos status dispescit libertatis, *Unus est status cursus,* Ibid. c. 25. *alius status termini. Status viæ, status termini esse non potest: quæ sic distant, qualiter mereri præmium habendum, & præmium jam habere. Et quo pede currimus ad bravium obtinendum, nisi pede libertatis incertæ? Quo pede inhæremus bravio jam percepto? Pede certè libertatis, sed fixo. Non est ergo pes fixus, pes meriti, pes cursus nostri: nec similis est pedi comprehendentis pes currentis. Sic libertas nostra pro statu viæ est libertas, sed mobilis.* Ex Augustino id probat, *necessitate auferri omnem vim meriti, &c. Nunquam voluisse Deum aliquem necessariò trahere, &c.* Soli ex Anselmo assentitur necessitati consequenti & conditionatæ, non antecedenti.

Ibidem. Etenim ut ibidem ait, *Necessitas præcedens non compatitur arbitrii libertatem, & ideo ipsa non convenit humanis affectibus. Periculosè ergo, ut mihi videtur, quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam & quod fiant voluntate Dei, maximè cum antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possunt cum conantur, &c. Quomodo isti non dicerent unà cum Vviclepho, quod Christus subivit mortem necessitate, &c.* Ubi non obscurè videtur mihi quidem Vvaldensis carpere Bradvardinum, qui primus inter Catholicos *voluntate* Dei omnia indeclinabiliter & necessitate torqueri scripsit: quam doctrinam ait Vvaldensis *periculosam*, utpote tam consentaneam Vviclepho.

Ne cui autem de doctrina Vvaldensis suboriatur præposstera suspicio, apertè ipse mox Augustini doctrinam de prædestinatione gratuita profitetur; & *præscientiam* à se tumi ait, ut cum *odio*, vel *amore* Dei conjunctam, hoc est ut *reprobationem & prædestinationem*. Ideo non dissimulat hanc concordiæ inter libertatem & prædestinationem esse *maximè formidandam inter materias fidei quæstio-*
Ibid. c. 26. *nem*. Ubique porro præ se ferr, & nos in bonum malumque semper & indifferenter esse liberos, & Deum certò præscire ac prædestinare; gratia sua tantùm inclinare, sed præscire tamen *ex qua parte pondus in libra descendet; nec tamen ut necessitatem inducat alterutri lancis brachio, manum premit.*
Ibid. c. 27. Et rursum: *Nonne Deus potest prærogare nobis gratiam prædestinationis indebitam, &c.* Posse respondet. Et tamen mox Soli incommutabiliter gratiæ suæ lumen spargenti in omnes Deum comparat, cui se hominum alii subjiciunt, alii subtrahunt. *Cur ergo non poterit manere immutabilis Deus, si oculo præscientiæ suæ viderit istum posse salvari, & illuminandum lumine gratiæ ultimatæ, quoniam voluntariè se intra istud lumen constituit: & iterum ipsum scire perdendum in tenebris, qui ab illo lumine se sponte subtraxerit?* Et infrà: *Dico ergo quod Petrus potest facere, se irradiari à Sole; sed non potest facere Solem irradiare se, quia Sol non est in potestate Petri.* Nec enim Deum cogimus, ut gratiam affundat; sed eam effundenti liberalissimè, nosmet vel subducimus, vel non subducimus.

Nec ulla compugnantia in eo pertimescenda est, si idem effectus & fallibilis dicatur, & infallibilis, cum alia & alia causa comparatus. Deo enim præscienti & prædestinanti infallibile est, causæ secundæ & liberæ fallibile idem est. *Ista necessi-*
Ibid. c. 4. *tas libertati non repugnat arbitrii, eo quod duplicem causam respiciat. Causam superiorem, penes quam suam necessitatem habet, scilicet scientiam & voluntatem divinam. Et aliquam causam mediam, pro causa secunda, per quam providit Deus rem talem esse futuram, &c. Et sic in secundis causis est libertas & possibilitas aliter eveniendi, non autem in primis.* Quæ adprimè concinunt sancto Thomæ, & exemplo Solis suprapositio quadrant. Etsi enim possint singuli se subducere luci Solis, non tamen omnes simul subducent sese. Ita idem & unus homo infinitis lucis radiis & beneficiis innumeris si lacessatur, singulis poterit reluctari, & quibusdam reluctabitur reapse, non omnibus collectim. Et ita infallibilis voluntas causæ primæ nihil officit libertati & fallibilitati voluntatis nostræ ad singula auxilia, quibus nos inclinare quopiam adgreditur. Ea est enim lex contingentium, ut nunquam omnia simul vel eveniant, vel non eveniant. Itaque nec uni gratiæ innumerabiles homines, nec innumerabilibus gratiis idem unus homo unquam reluctabitur, etsi gratia trahat citra necessitatem. *Ad bonum te misericordia tua creatam voluntatem prævenire confiteor; ut trahas per gratiam,* Ibid. c. 13. *non per necessitatem astringas. Ita ut libera ipsi potestas permaneat, te sequendi Salvatorem, vel insequendi Judicem.*

Perinde esse ac si *cogeretur* voluntas, si qua premeretur necessitate inevitabili; & *obdurare* Deum permittendo tantùm, crebrò hic inculcat Vvaldensis. Sed unum hic addo ex Augustini doctrina penitissima haustum: Providentiam scilicet Dei esse *bipartitam*, dum alia jubet, alia permittit: quædam facit, quædam fieri sinit. *Deus quædam facit per se sine nobis; quædam supposuit libertati nostræ.* Unde Augustinus: *Deus bipartito providentiæ suæ opere, præest universæ creaturæ: naturis ut fiant: voluntatibus autem, ut sine suo jussu, vel permissu nihil faciant. Hæc ille dixit de voluntatibus disjunctivè, quia aliter concurrit Deus in bono, scilicet jubendo: aliter in peccato, scilicet permittendo, quod faciunt.* Quo illud liquet, nec coactione, nec necessitate ulla agi à Deo nostras vel ad bonum vel ad malum voluntates: sed ita juberi, vel juvari ad bonum, ut ire tamen permittantur in malum. Quod autem sperabat Vviclephus evadere, ajendo, *Potest homo, si vult*, hoc Vvaldensis ex Augustino & Anselmo confutat; nec enim potest si vult, qui velle non potest.

Illud sanè Valdensis non immeritò contendit, Anselmo & sancto Thomæ non aliam placuisse necessitatem, quàm *consequentem*, nequaquam Ibid. c. 4. antecedentem. *Venerabilis Anselmus & sanctus Thomas clarissimo ore dicunt, non esse ibi necessitatem aliquam præcedentem, sed consequentem, quæ nihil efficit.*

EX

EX JOANNE GERSONIO
Doctore & Cancellario Parisiensis Academiæ.

An. 1420.

ASsentitur Gersonius gratiæ gratum facienti in adultis præire *longinquas dispositiones, seu operationes informes, quibus peccatrix anima intendit facere quod in se est, seque disponit ad vitam. Non quod ista dispositio sufficiat, utpote que longinqua est, & nihil de vita Spiritus habens in se; sed quia nihil interim anima majus habet, quod faciat, quàm ut bene utatur suis naturalibus potentiis, & donis quibusdam gratuitis, licèt non vivificatis*, Ita ex mera largitate Dei infundi subdit animam immortalem corpori quantumvis egregiè disposito.

To. 1. de vita spiritali animæ lect. 1

Eorum mox opinationem, ut durissimam, passim repudiari ait, qui sine gratia, id est, ante justificationem nihil boni etiam moralis præstari à quoquam posse existimabant. *Quis enim non obstupesceret, audiens quod absque gratia honorare parentes, eleemosynas dare, immo ad gratiam se disponere per attritionem, est mortaliter peccare? Non enim requiritur, quod in omni actu nostro agamus ex gratia, aut quod gratia illum informemus, nisi pro quanto & dum mereri tenemur per aliquem ejusmodi actum. Reliqui verò actus si fiant circa materiam bonam de genere, & cum intentione debita finis immediati, ponendo alias circumstantias bonas moraliter, etsi non sint meritorii vitæ æternæ, sunt tamen boni moraliter, & bonorum temporalium meritorii, ad gratiam præparatorii de congruo, quia per eos homo facit quod in se est. Nam facere quod in se est, intelligo hoc facere quod homo potest, secundùm vires quas actualiter habet.* Addit gratiam dici hìc *donum infusum supra vires naturæ*: nam sine quacumque Dei ope ne moralia quidem bona fieri posse.

Ibidem.

Cùm hac generali Dei opitulatione potest vitari peccatum quodlibet, tum ignorantiæ, tum infirmitatis. Itaque ignorantia invincibilis vel nusquam ulla est, vel peccato non est obnoxia: *Sequitur statim ex his, quod apud facientem quod in se est, nulla est ignorantia invincibilis, neque juris, neque facti in lege divina, ut tenet Guillelmus Parisiensis; vel agens ex ignorantia tali nunquam peccat, ut Guillelmus Antisiodorensis.* Et mox: *Sic enim sentiunt Doctores, quod nemini deesset Deus in quocumque loco poneretur, qui faceret quod in se est, utendo scilicet bene donis jam habitis, quin eum de necessariis ad salutem divinitus illustraret, sicut dicit Petrus Actuum, &c.* Et infrà: *Quidquid sit de ignorantia facti & juris humani, & naturalis positivi, concors est sententia nullam in his quæ legis divine sunt cadere ignorantiam invincibilem; quoniam facienti quod in se est, Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem.*

Ibid. lect. 2.

Lect. 4.

Inest prorsus omnibus hominibus, & convenienter suæ naturæ movetur à Deo Synderesis, quam ita describit Gersonius: *Synderesis est vis animæ appetitiva, suscipiens immediatè à Deo naturalem quandam inclinationem ab bonum, per quam trahitur insequi monitionem boni, &c. Synderesin aliis nominibus appellamus, vel habitum practicum principiorum, vel scintillam intelligentiæ, ratione cujusdam suæ evolationis & ardoris ad bonum, vel portionem virginalem animæ, vel stimulum naturalem ad bonum, vel instinctum indelebilem, aut aliquo tali nomine, ut quod est cælum supremum in affectivis potentiis.*

De mystica Theologia speculativa, Consid. 14.

De gratia habituali ita sentit Gersonius. hanc esse quæ non omnibus datur, quam Christus omnibus sufficienter meruit, non efficaciter. *Medium præcipuum ad consecutionem beatitudinis est gratia, quæ ideo dicitur vita æterna, quia pignus ejus est, vel arra. Hanc autem gratiam nulli dedit, neque daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum; quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam, sed non ad efficaciam, nisi incorporatis sibi per fidem habitualem, ut in parvulis, vel habitualem & actualem, &c.*

De Consolatione Theologiæ l. 1. Prosa 4.

Hæc nimirum est gratia, quæ libertati concilianda, quæque ita illi conciliatur, quia libertatem non perimit, cujus vita potiùs, & sanitas ipsamet & robur est. *Neque tamen tollitur libertas arbitrii. Fortificatur siquidem magis & instituitur, sed in Deo vivificante per gratiam, quæ est velut anima quædam, vitam habens in potentia ad vitam secundam, ad meritoriam videlicet operationem. Itaque sicut operatio animalis præsupponit vitam naturæ, sic operatio spiritualis vitam gratiæ.* Et alibi: *Cùm omnis vita spiritualis fundetur in solo miraculo influentiæ divinæ, propterea reducitur vita operum ad vitam habituum supernaturalium, & hæc habitualis vita ad primam in Deo vitam.*

Ibidem.

Centilogii decade 4.

Gratiam alibi idem locat in classe virtutum, sive habituum, quibus *elevatur & juvatur* anima ad bene operandum. *Virtus moralis est habitus juvans & elevans animam ad operationes suas, &c. Virtus Theologica est habitus à solo Deo infusus, &c. Gratia in genere est virtus qualiscumque prout à Deo gratuitè donata est, &c. Gratia specialis est habitus aliquis animæ, supernaturaliter infusus, ad finem beatitudinis consequendum. Hoc modo fides, & spes, & dona & beatitudines computantur in gratiis. Gratia propriè prout convertitur cum charitate, est habitus mentis à Deo solo supernaturaliter infusus, vivificans ad actus meritorios.* Perspicuè cernis, quæ *propriè gratia* dicatur, nempe quæ charitati comes individua, vel ipsamet charitas est habitualis.

Tom. 4. Descriptiones terminorum ad Theologiam utiliū.

Denique electioni gratiæ juxta Paulum & Augustinum impensissimè suffragatur Gersonius: *Supremoque Dei judicio, quo homines ex massa peccatrice prædestinavit ab æterno, hos beatitudinis sempiternæ fore participes, alios præscitos & reprobatos ad supplicium perpetuum, &c. Nec confugiendum est ad illorum merita, vel opera, quos prædestinat Deus, quia si ex operibus, jam non ex gratia.* Si quæras autem, quorsum reprobos? Respondet quòd *sicut animalia propter homines creata sunt ad obsequiorum varietatem, illa blandiendo, ista sæviendo: sic intelligere habemus propter electorum salutem præscitos esse formatos, sive nocere, sive obsequi conentur.*

De Consol. Theolog. Li. Prosa 3. & 4.

Ita enim invicta & ubique efficax Dei voluntas est; non indeclinabiliter voluntates humanas quocumque semper inclinando, sive in bonum, sive in malum; sed in bonum inclinando omnes: sifemet autem ipsæ reflectant in malum, hoc ipso earum malo in salutem electorum suorum abutendo, & de non facientibus quod vult, faciendo ipsemet quod vult. *Elucescit divina præcognitio, & providentia regitiva omnium, quæ geruntur, tam in cœlo, quàm in terra, quæ voluntati suæ servire facit universa, nunc per bonos, nunc per malos; adversus quam non est sapientia, neque consilium, adeo quod homines vel dæmones implent prædispositionem revelatam Dei, dum conantur illam vel effugere, vel frustrare. Sunt in exemplum venditus Joseph, & expositus Moyses in aquis, & David à Saule persecutus, &c.*

Ibidem l. 2. Prosa 4.

Promovendæ porrò prædestinatorum saluti efficacissimum gratiæ adjutorium famulatur, quæ voluntatem illæsa libertate sua agit tamen indeclinabiliter quo vult cumque Deus: *Deus illabitur animæ rationali, quatria capit ab ipso sine medio; naturam, gratiam, & gloriam. Dicitur autem illapsus plenum super animam interius & exterius dominium. Cor Regis, inquit Sapiens, in manu Dei est: quocumque voluerit, inclinabit illud. Diabolus autem, vel alter a creatura dominium tale nunquam habet.*

Centilogii decade 4.

habet. Divinus illapſus etſi non poſſit cogere liberum arbitrium, ut liberum eſt; quoniam hoc implicat contradictionem, ut idem fiat violenter & non violenter; poteſt tamen inducere neceſſitatem ad illud quod ſibi placuerit, & de anima non voluntaria poteſt reddere ſpontaneam. Docuit hoc Pauli converſio. Condonanda hic eſt & molliùs interpretanda vox *neceſſitatis*. Unum enim molitur Gerſonius, ut Deus quoties & ubilibet vult, infallibiliter & indeclinabiliter agat voluntates liberas; nec interim exprimit, an prædeterminante phyſicè id fiat, an per ſcientiam mediam, an potiùs, ut ipſe ait, per *illapſum* gratiæ, per *interius exteriuſque* quodlibet ſubſidium, per artes varias, quas tamen omnes nec diabolus poſſit adhibere ad invadendam liberæ noſtræ voluntatis arcem.

Et ſanè aſſentitur Gerſonius illapſu gratiæ in animam non confirmari in bono electos, ſed ancipiti indifferentiæ ſuæ permitti; *Divinus illapſus* ibidem. *non ita confirmat animam rationalem, ut deliberans, vel arbitrans non poſſit in oppoſitum prolabi, vel in ſuſpenſo ſe tenere. Propterea finalis & radicalis confirmatio beatorum eſt in aterna manutenentia illapſus beatifici.*

Quin & diſertè ait voluntatem liberam à ſeipſa determinari, negat determinari à Deo. Ergo illa neceſſitas, vel potiùs infallibilitas, qua Deus quos vult, indeclinabiliter ad ſe pertrahit, non ex phyſica prædeterminatione mutuanda eſt. *Efficiens* Tom. 4. Compilogium de cauſa finali pag. 2b. *cauſa ſecunda libera libertate arbitrii, qualis eſt anima rationalis, eſt cauſa ſeipſam movens & determinans in actibus ſuis contradictorie liberis. Nec determinatur ab objecto, nec à Deo, quia ſic eam inſtituit, ut eam proprios motus agere ſinat, & ad hoc influat ſibi & coagat; & libertas ſua ſufficit ſibi ad ſuum curſum, & ad finem poteſt dicere illud Satyrici, Sic volo, ſic jubeo, &c.* Voluntatem ergo Deus movet, præmovet, illi agenti coagit, illam non determinat; ſed determinat ipſa ſemet, & proprios motus à Deo agere finitur. Ita voluntas qua cauſa ſecunda eſt, ſubordinatur cauſæ primæ, dum ab ea pendet ut præmovente, ut coagente, ut qua non agente nihil ageret, ut ibidem paulò antè docet Gerſonius.

Illapſus porro Dei per gratiam, cui multam tribuit efficaciam Gerſonius, ad gratiam refertur ſanctificantem & habitualem. Ideo & hanc idem alibi rurſum libertati noſtræ molliter conciliat, quam ab ea liberari, ſanari, vivificari docet, adeoque non perimi. *Inducunt illud Auguſtini, quod Deus ſic res adminiſtrat, ut eas proprios motus agere ſinat. Liberum arbitrium, inquiunt, cur ab hac lege dicetur exemptum? Nec exemptum eſt, fatemur, quin ſinat ipſum Deus propriis motus agere; immo tanto liberiùs & efficaciùs ſinit, quanto ipſum ampliori prevenit gratia, vivificat, corroborat, informat & languidum erigit ac ſanat. Puto exempli gratia, quod dum egrotus homo ſanatur à Deo, non idcirco Deus eum proprios motus agere non ſinit, ſed ad eoſdem aptiorem reddit.* Sanatur autem libertas per gratiam habitualem, utpote per quam inhabitat illam Spiritus ſanctus, quo de hic eſt ſermo. Addit denique ex Proſpero conſenſum tametſi *vivificatum & formatum à gratia*, non minùs eſſe & liberum, & meritorium, quàm ſi hunc homo *ex puris naturalibus* elicuiſſet *ſine gratia*.

Ja. 4. Serm. De Spirit. ſanct. pag. 3me

EX PETRO DE ALLIACO, *Epiſcopo Cameracenſi & Cardinali.*

PEtri Alliacenſis ſententia circa gratiam generalem & ſufficientem diluceſcet ex illis, quæ ab eo diſputantur circa voluntatem Dei antecedentem & conſequentem, ut omnes ſalvi fiant. Et quidem *ſecundùm Scotum, Deus dicitur velle antecedenter omnes homines ſalvos fieri, quia omnibus dedit dona naturalia, & leges rectas, & etiam adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem. Sed ſecundùm Occam & ſatis conformiter modo prædicto, voluntas Dei antecedens eſt, qua dat alicui naturalia, vel antecedentia, quibus poteſt aliquid conſequi, cui etiam paratus eſt coagere, ſi ille velit; voluntas autem conſequens eſt illa, qua Deus vult efficaciter aliquid, ponendo illud in eſſe. Et ideo Deus dicitur velle antecedenter omnes homines ſalvos fieri, quia dat omnibus antecedentia, quibus poſſunt conſequi ſalutem, & erit paratus eis coagere ad conſequendam ſalutem.* Hanc Ockani doctrinam ait Alliacenſis à Gregorio Ariminenſi exagitari, ſed immeritò & furiliter. *Nam ſi ſic eſſet, quod nihil diceretur adjutorium ad aliquid conſequendum, niſi de facto conſequeretur illud, quare prædicaretur quotidie, quod plura dona, vel bona receperint Chriſtiani ad conſequendam ſalutem, quàm alii, ſcilicet notitiam de Scripturis, fidem, ſpem, & multi charitatem? Qui tamen non omnes conſequentur ſalutem, immo inde graviùs punientur propter ingratitudinem, &c. Quia tales magis obligantur, qui talia receperunt: Sed quare magis obligantur, ſi talia non ſunt adjutoria? Et nonne Chriſtus oſtendebat Judæos magis eſſe obligatos ad credendum in eum, tum quia habebant leges & Prophetas, tum quia coram eis multa mirabilia faciebat? Et tamen certum eſt, quod eis non erat datum, ut crederent. Et ita licèt Deus non vellet efficaciter, ut crederent; tamen illa erant eis adjutoria ad fidem, ad quam tenebantur.* Ita voluntas antecedens omniumque ſalvifica, licèt efficax non ſit, largitur tamen auxilia omnibus aliqua, quibus poſſint ſalutem conſequi; unde his auxiliis acceptis, magis obligantur, & plectuntur graviùs, qui illis abutuntur; quod parum æquitati conſentiret, ſi ea auxilia proximè non ad id ſufficerent, ad quod immediatè obligant. Unde idem Alliacenſis docet *voluntatem ſigni* etiam *beneplacitum* Dei aliquod implicare: *Iſte terminus, Præceptum, non minus proprie ſupponit pro beneplacito divinæ voluntatis, quo præcipit aliquid debere fieri, ſeu vult aliquid debere fieri, quàm pro ſigno extrinſeco talis actus.* Rurſum idem monet voluntatem Dei antecedentem hactenus efficacem eſſe, non ut ſalutem quis conſequatur, ſed *ut cuicumque Deus vult dare talia dona antecedentia ad ſalutem, talis ea conſequatur.* Denique huic interpretationi verborum Apoſtoli nequaquam repugnare idem oſtendit alias ab Auguſtino celebratas interpretationes, de voluntate beneplaciti efficaciſſima, ut nonniſi Deo volente ſalvi fiant, quicumque ſervantur; vel ut ſalvi fiant omnes, id eſt, ex omni gente, ætate, ſexu, &c.

Jam verò de gratia habituali, hæc idem habet, impleri per eam poſſe præcepta, ut oportet, & eam à Pelagio eſſe ſublatam: *Nullus homo poteſt ſtante lege per pura naturalia implere præceptum de dilectione Dei ſuper omnia. Patet quia lex quæ eſt, jubet quod actus cadens ſub præcepto fiat in gratia, quæ eſt habitus ſupernaturalis. Ergo licèt exiſtens extra gratiam per ſola naturalia poſſit diligere Deum ſuper omnia: non tamen implet præceptum ad intentionem præcipientis, niſi ſit in gratia.* Ubi ne & Alliacenſi, & illius ævi Theologis iniquas perperam allinas ſuſpiciones, advertę 1. *gratiam* hic perſpicuè non vocari, niſi habitualem, quæ dat eſſe ſupernaturale; & ideo quidquid *extra gratiam* habitualem fit, uſitato tum loquendi more, dici fieri *per ſola naturalia*, tametſi adſint actualia gratiæ ſupernaturalis auxilia. Spectatur enim in his non operatio & actualis gratia, ſed ſtatus ipſe totius hominis, & *eſſe*, quod nondum per gratia habitualem factum eſt ſupernaturale. Adverte 2. ita cautè loqui Alliacenſem,

L. 1. Sent. q. 1. a. 4.

censem, quòd possit quis diligere Deum super omnia *existens extra gratiam*, non autem sine gratia: hoc est, id possit absolutè loquendo, sine gratia habituali, etsi non sine gratia actuali. Adverte 3. etsi tunc ita ferè sentirent, positiva tantùm Dei lege cautum fuisse, ut præcepta non implerentur meritoriè & ad intentionem præcipientis, nisi implerentur ex habituali gratia infusa; nequaquam autem si ex gratia tantùm actuali, illa etiam qua Deus diligeretur super omnia, implerentur: licèt inquam ita ferè tunc sentirent plerique; expeditius tamen esse quod antea erat, quod postea fuit persuasissimum Theologis, amorem Dei super omnia à gratia habituali seu ab habituali charitate proficisci, ab eaque non divelli unquam, sicut ultima dispositio ad formam ab ipsa manat forma, nec ab ea sejungitur. Adverte 4. ne id quidem aliter ferè cogitari posse, quàm ut qui actu Deum super omnia diligit, is illico sic afficiatur, ut affectum, seu habitum induat charitatis; vel è converso potiùs actu Deum super omnia ideo diligat, quia ita jam intus affectus est animo, ita medullitùs immutatus à Deo, hoc est, affectu seu habitu charitatis à Deo inspirante donatus. Affectus enim & habitus apud Augustinum pro uno videntur haberi, cùm virtutes nunc inter habitus numerat, nunc inter affectus.

Rursus ibidem fusè Alliacensis docet, sine gratia hac habituali neminem posse quidquam agere *meritoriè*, vel *rectè simpliciter*, & *absolutè*, posse tamen confiteri *moraliter*. Et alibi sæpè idem tradit per habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis *inclinari ad actum* voluntates nostras. L. 3. Sent. art. 2. q. 1. Et rursum alibi in baptismo infundi tum gratiam, tum virtutes Theologicas, nequaquam autem morales: L. 4. Sent. art. 4. q. 2. *Unde aliquis ante baptismum habens habitus morales vitiosos, quamvis ritè baptizetur, tamen sentit se pronum ad vitia consueta, sicut priùs, igitur tunc manet habitus inclinans in talia peccata.* Sed cùm tamen infundatur per baptismum charitas, ea inclinat sufficienter voluntatem ad repugnandum habitibus quibuslibet vitiosis, etsi desint adhuc virtutes morales. *Charitas infusa saltem cum charitate acquisita est sufficiens principium cujuslibet operis meritorii sine virtutibus moralibus. Quia charitas inclinat immediatè ad actum cujuslibet virtutis. Ideo dicit Gregorius, quod omnia præcepta sunt unum in radice charitatis. Et hoc modo etiam virtutes sunt connexæ in charitate: quia charitas inclinat ad actum cujuslibet earum, licèt non ita promptè & expeditè, sicut cum aliis virtutibus. Ita licèt Deus in baptismo infundat virtutes in parte intellectiva, & non in parte sensitiva, quæ virtutes dicuntur morales; tamen Deus perfectè sanat hominem in baptismo, quia dat omnia necessaria ad salutem. Dat etiam homini, unde potest virtutes morales acquirere.*

Denique Augustini sententiam de electione gratiæ ante prævisa merita mordicùs tuetur Alliacensis. Qui autem fuerit ejus animus circa infallibilia auxilia gratiæ, quibus libertas humana provehitur ad salutem certò sibi desponsam, hinc conjectura existet aliqua. Futura contingentia præsciri à Deo & prævideri opinatur Scotus in decretis voluntatis ejus. Cùm nihil unquam, vel usquam fiat, etiam contingentium & liberorum eventuum, nisi Deo volente. Hanc doctrinam refellit Alliacensis, multis argumentis, censetque L. 1. Sent. q. 14. art. 2. ipse omnia futura à Deo prævideri: *Quia sicut ea quæ nostris oculis sunt præsentia, intuitive videmus: sic intellectus & æternus oculus Dei, est quædam intuitio, quæ immediatè super quamlibet rem actualiter, vel potentialiter existentem simul fertur.* Ergo intuitio Dei omnia tempora, & omnia in tempore quolibet existentia amplectitur, omnia pervidet, nec potest ea non videre: sicut oculus hominis, quæ coram posita sunt, non videre non potest. Ita cùm res existentes actu determinatæ sint, omnia Deus certò & determinatè videt.

Ita liquet quomodo ex præscientia Dei nulla inferatur rebus contingentibus necessitas. Cùm nulla habeatur hic ratio voluntatis, vel operationis divinæ. Unde & mox subdit, tam liberè & contingenter fieri, quæ Deus fore præscivit: quàm liberè & contingenter fiunt, quæ futura aliquando esse determinatè semper verum fuit, si ea teneatur sententia de determinata veritate propositionum de futuris contingentibus.

Similiter infrà sic Augustinum & Origenem aliosque Patres in concordiam revocat Alliacensis, cùm ajunt alii res præsciri à Deo, quia futuræ sunt; alii futuras esse, quia Deus prænovit. Quia nimirum ipsa rerum substantia non ita causa est scientiæ divinæ, sicut visionis meæ causa est objectum, quod video. Ita jure negat Augustinus Deum res scire, quia sunt. Sed ipsa rerum existentia quodammodo *causa est, vel potiùs concausa cum immensa perfectione divinæ scientiæ, quod Deus sit præscius, seu quod isti termini verè dicantur de Deo. Et ad hunc sensum potest dici, quod quia res futuræ sunt, & Dei scientiam nihil potest latere, ideo illas præscit Deus esse futuras.* Ideo ait Origenes res á Deo præsciri, quia futuræ sunt. Utque rem breviùs & dilucidiùs dicam, futura contingentia, & libera, ideo sunt, quia Deus novit; nisi enim approbaret & vellet, nequaquam esse permitteret: & nequaquam Deus sciret futura esse, nisi certò futura essent, causis liberis ad alterutram sese suo tempore determinantibus, & utcumque sese determinent, visioni divinæ obversantibus. L. 1. q. 14. art. 3.

EX S. BERNARDINO SENENSI Ordinis Minorum. An. 1440.

DE gratia generali hæc habet Bernardinus Senensis, *Attritio est actus displicentiæ informis, contritio est actus charitate informatus. Attritio oritur ex timore pœnæ, contritio verò ex consideratione divinæ offensæ. Item attritio elicitur à voluntate, contritio verò à gratia. Propterea attritio gratia informata dicitur contritio.* Hìc *gratia* dicitur habitualis, seu charitas justificans, à qua oritur contritio, quia antè affectus ipse immutatur à Deo, & tunc actus ab hoc ceu fonte veræ charitatis promanant. Attritio verò dicitur elici à *voluntate*, hoc est ex puris naturalibus, quia quantocumque actuali auxilio juvetur quis, nondum ad esse supernaturale evehitur, si nondum habituali radiat charitate. Negatur ergo ab habituali, non ab actuali gratia prodire attritio. Et mox ibidem: *Advertendum est tamen quod si homo disponit se per attritionem, & facit quod in se est, Deus infundit gratiam gratum facientem de necessitate per veram contritionem. Non quidem de necessitate coactionis, sed de necessitate immutabilitatis, ex præsumptione immutabilitatis suæ & ordinationis suæ, qua immutabiliter & liberaliter ordinavit se daturum gratiam omni petenti, & quod in se est facienti. Unde Apocalypsis 3. Ego sto ad ostium & pulso, &c.* Feria 3. post 1. Domin. Quadrag. artic. 1. c. 1.

Itaque timor pœnæ generalis quædam gratia est, qua potest quisque sese disponere ad verissimam, seu habitualem gratiam, adeoque ad salutem comparandam. Nam quandiu solo quis timore agitur, necdum in statu salutis est. *Qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis: quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damatio ex perpetrata culpa, cessaret & illa contritio.* Sed ex Augustino tamen, *Ad conjungendum Deum animæ peccatoris, requiritur actus, id est, Dei timor, &* Ibid. art. 2. c. 2.

inferni horror, qui velut aculeus compungit animam peccatoris, & Dei amorem, velut ferici filum, introducit.

Feria 4. post Domin. 1. Quadrag. art. 2. c. 3.

Idem infrà gratias gratis datas sic describit: *Duo sunt genera gratiarum, unum est gratiæ gratificantis, quod est charitas: alterum gratiæ gratis datæ, &c. Licèt gratia justificans subitò & tota simul homine se avertente à Deo auferatur; donatamen & gratiæ gratis datæ paulatim decrescunt, dum homo impiè vivit. In extremis autem agenti & maximè peccatori auferuntur, &c. Quandiu gratiæ non omnino ablatæ sunt, juvantur ad pœnitentiam perficiendam.* Et mox iterum: *Variæ sunt gratiarum gratis datarum genera, quædam mentales, videlicet intellectus bonus & clarus, voluntas libera, & memoria firma. Hæc sunt velut Sol lucens in intellectu, calens in voluntate & vigens in memoria.* Ejusdem salivæ & ista sunt. Inter gratias gratis datas videri potest ipsas naturæ rationalis facultates numerare, intellectum, memoriam, voluntatem, ut suprà solam commemoravit voluntatem, ceu attritionis parentem; nimirum quamdiu necdum ad esse supernaturale, necdum ad habitum charitatis homo evectus est, operari non dicitur nisi per facultates naturales, tametsi suffultas motionibus auxilii supernaturalis. Unde hic Bernardinus censet gratias gratis datas esse, ceu *Solem lucentem* in intellectu, *calentem* in voluntate, & *vigentem* in memoria, & has gratias homini adhuc inesse postquam lethali culpa gratiam ex animo suo ejecit.

Feria 5. post Reminis. c. 1.

Gratiæ hujus generalis fons est Christus. *Sicut Christus Mediator erat totius creaturæ rationalis ad Deum, eo quod gratia ejus toti rationali creaturæ sufficeret ad salutem: licèt aliqui mediatoris gratiam impugnantes, gratiæ ejus facerent se immunes.* Fons est ejusdem gratiæ & voluntas Dei, ut omnes salvi sint. Nam *Ex Damasceno voluntate antecedente Deus, quantum in se est, vult omnes salvos fieri. Non autem voluntate consequente, quia nolentem & suæ gratiæ resistentem Deus non vult salvari, quia nec bonum, nec justum est. Patet exemplo. Licèt enim Sol omnes homines illuminare sit aptus, tamen qui oculum claudit, vel se ab eo avertit, non illuminatur à Sole. Sic Deus quantum in se est, paratus est omnes salvare, & tamen homines, qui obstaculum ponunt, nunquam salvat, &c. Necesse igitur est hominem facere quod suum est, scilicet se disponere ad salutem: quia ex se Deus vult omnes salvari.*

Tom. 2. Serm. 15.

Gratiæ nunc habitualis vim & robur ex eodem Bernardino vestigemus. Sic ille habet de Angelis bonis per hanc gratiam serpenti antiquo ad defectionem solicitanti repugnantibus. *Cauda nempe illa quæ trahebat tertiam partem stellarum, etiam cæteras stellas, nisi creator illas manu suæ gratiæ tenuisset, traxisset. Nesciebat siquidem serpens antiquus, donec experimento probaret, quod in omnibus validior est gratia, quàm natura. Per naturam datur creaturæ esse, quod est in se: per gratiam verò datur naturæ esse, quod est in Deo. Unde convenienter subditur, Et non prevaluerunt, scilicet gratiæ resistere per naturam. Natura enim limitata & finita virtutis est, gratia verò quodammodo infinita. Natura siquidem esse suum per creationem à Deo communicat, per gratiam verò esse divinum participat ipsa natura. Nihil ergo gratiæ prævalere potest, sicut etiam nec Deo.* Hæc gratia quæ *esse divinum* dat animæ, utique habitualis est. Atqui illa invictissima dicitur, & infinitæ quodammodo virtutis, cui exterior quantacumque potestas ac vis tentationum resistere, dominari, prævalere non potest, quamdiu ipsa intus voluntas non rebellat.

Et infrà idem habitu charitatis, tum Deo conglutinari, tum *dirigi* voluntatem tradit. *Tres sunt habitus divinarum, seu Theologicarum virtutum, fidei, spei, & charitatis. Hi siquidem gratis ad informationem trium potentiarum à Domino infunduntur, eisdem quoque ipsæ potentiæ diriguntur. Fide, spe, charitate cum Deo anima per gratiam copulatur.* Et mox: *Per hos igitur virtutum habitus ab his tribus virtutibus tres actus eliciuntur. Primus est credere assentiendo summæ veritati propter se & super omnia. Secundus est sperare innitendo summæ largitati propter se & super omnia. Tertius est diligere complectendo summam bonitatem propter se & super omnia. Ex his patet, quod per has tres virtutes tota anima redditur Deo grata.* Et alibi: *Sicut vinum habet splendorem, vigorem & dulcorem; sic vinum gratiæ habet splendorem fidei, vigorem spei, & dulcorem charitatis.* Tom. 1. Serm. 51. art. 1. Tom. 1. Serm. 22. art. 1. c. 2.

Et infrà rursum gratiæ hujus proprietates ita prosequitur: *Christus aquæ suæ, quæ est idem quod Spiritus suus & gratia, tres notabiles proprietates attribuit. Prima est satietas, omnem sitim & causam sitis excludens. Non sitiet in æternum; pro quanto extinguit mortalem culpam & concupiscentiam terrenorum, certaque spe & infallibili jam bibitur æterna gloria beatorum. Secunda est fontalitas, scilicet radicalis. Fiet in eo fons aquæ salientis. Nam Deus intimatur menti, & ita radicatur in ipsa, quod ad instar fontis quotidie scaturientis semper in anima viget, & gloriam scaturizat in ea. Tertia est potestas. Potentissima enim & rapidissima, seu agillima est translatio, seu ascensio ejus, scilicet ad ultimum finem, in quo est summa quies. Super omnem enim intellectum, usum, rationem, & artem hæc aqua suum provehit potatorem. Sursum agunt dona Christi, quæ tanquam hamo, piscantis Dei mentem attrahunt ad superna.* Tom. 2. Serm. 31. art. 3. c. 3.

Charitatis denique qualis in anima sancta jugiter flagrat, vim insuperabilem, non transeuntem cum actu, sed habitu permanentem, sic idem alibi describit: *Amor quo inflammatum extitit cor Magdalenæ, insuperabilis dicitur. Hic amor tantæ fortitudinis est, ut nemo sibi resistere possit, omnia sibi subjicit, omnia suis profectibus servire cogit.* Omnia exteriora superat, si modò ab ipsamet voluntate non deseratur. Tom. 1. Serm. 51. art. 3. c. 1.

Postremò de efficacissima gratia, qua impius ad Deum convertitur, sic idem: *Surgam & ibo ad Patrem meum. Quod variis & contrariis cogitationibus mens hujus miserabiliter conquassatur: hinc desperationis dolor, illinc redeundi ad patrem timor; inde amor paternæ & fraternæ dilectionis, aliunde spes benignæ receptionis: ex altera parte verecundia mundi, ex alia timor, scilicet ex inedia & necessitate moriendi.* Vides quàm multis diversisque stimulis, verecundia, timore, dolore, spe, amore, incitetur & tandem adducatur anima ad resipiscendum. Exordium sanè à timore est. Etenim *gratiæ prevenientis tria sunt officia, repensare mala quæ commisit, bona quæ omisit, damna quæ incurrit.* Serm. 11. in. 3. art. 2. c. 3. Ibid. c. 1.

Et alibi de eadem arte omnipotentis gratiæ: *Per triplicem gratiam & donum convertit ad se Deus animam cujuslibet peccatoris. Per splendorem veritatis in intellectu, per ardorem charitatis in affectu, per vigorem strenuitatis in conatu.* Et mox: *Quis dubitare queat ipsam sapientiam Dei Christum, qui Magdalenæ abscondita, præterita & futura cernebat, verba tali sensu formare, & mentem illius tali radio illustrare, ut cor illius compungeret, & molliret, & secundùm quod opus erat, plenius illustraret?* Non potuit præclariùs significari gratiæ hujus efficacia ex contemperatione & congruitate ad omnes animæ expugnandæ affectus. Serm. 41. in. 2. art. 1. c. 3.

EX D. LAURENTIO JUSTINIANO primo Patriarcha Veneto.

Anno 1440

Pietate juxta & eruditione claruit divus Laurentius Justinianus, isque fuit, cui ut experto plurimùm tribuamus in arcanis gratiæ Christianæ propalandis. Docet hic autem primò quoad gratiam generalem, duplici affectu innato veri & boni donatum esse hominem à Deo, quo Deum utpote veri & boni fontem sitit & quærit etiamnunc, etsi peccati præstigiis excantatus persæpè inter creaturas veri & boni vestigia quædam præ se ferentes divertat & ludificetur. Hoc sanè affectu gemino, quasi vinculis quibusdam revocari & trahi rursum hominem ad Deum, ubi ad meliorem frugem se adjutorio gratiæ recipit. *Duplicem ineſſe naturaliter homini affectum, cuilibet rectè ſapienti notiſſimum eſt, ſcilicet appetitum veri & boni. Hi namque pariter ab ineunte ætate nutriuntur & creſcunt, eo vehementiùs, quo altiùs homo rationis eſt capax. Qui enim fecerat hominem propter ſe, juſtiſſimum fuit, ut taliter conderet, qualiter ſi juxta naturalem inſtinctum viveret, non alio tenderet, aliudve diligeret, quàm id ad quod & propter quod plaſmatus erat. Cuncta quidem naturali ſuo curſu indeſinenter tendunt ad illum, propter quem ordinata ſunt, finem. Finis autem hominis cum ſit Deus, debet & ipſe quoniam bene conditus eſt, ſuo naturalem curſum dirigere fini.* At verò ex originalis peccati labe *veri ignorantia & boni inſenſibilitas effluxerunt, ſed non prævaluit viri iniquitas opus Dei funditus deſtruere. Vulneravit quidem, non tamen totaliter extinxit naturæ bonum. Nam veri & boni ineſt illi appetitus, licèt longè debilior, quàm priùs. Ex appetitu namque veri, ſcientiæ & cognitionis deſiderio fatigamur. Quoniam autem deſerto vero Deo veri naturale acumen inveſtigandi debilitatum eſt & pro majori amiſſum parte, tot opiniones, errores, ſectæ, ſchiſmata oborta ſunt, quorum mundus hic plenus eſt. Ex appetitu verò boni quot labores, quanta ſtudia, quanta ſubeant pericula, quis enarrare poteſt. Hinc bella commovent, maria tranſeunt, hinc venereæ voluptates, &c. Nam incommutabili & ſummo ſpreto bono, commutabili & infimo adhæſerunt, &c. Ex inordinato affectu divinæ ſimilitudinis languet appetitus ſummi boni, &c.* Itaque uterque hic affectus ab incommutabili bono ad quod naturaliter ſuſpirat, deflexus ad commutabilia bona, divinam ſimilitudinem fruſtra hìc affectat, pruritu quodam excellendi, experiendi, voluptandi: ſed divinæ tandem gratiæ beneficio, fidei & præceptorum diſciplina reſtituitur & reformatur, & hac gratia nemo fraudatur. *In cunctis Deus noſter benevolus eſt, nulli gratiam ſubtrahit, omnibus offert, neminem excludit venientem ad ſe, &c. Medicamentum languoris hujus optimum eſt obedientia præceptorum, per quam reformatur natura, augetur gratia.* Et alibi: *Cœleſtis gratia omnibus ſe communicat, non tamen æqualiter; cunctos ſalvare vult Deus, non tamen ſanctificare;* hoc eſt, non eximia illa ſanctitate & inuſitata gratiæ copia inundare, qua florent qui in Sanctos nunc referuntur, quorum ut mox ait, quandoque *acta magis veneranda, quàm imitanda ſunt.*

De cæſa connubio Verbi & anima c. 4.

De diſciplina & perfectione monaſticæ converſationis, c. 23.

Et alibi denuò ut nunc parciùs, nunc largiùs, ubique tamen & in omnes aſpergat Deus ſalvificæ ſuæ gratiæ munera: *Ab ipſo ſunt omnes creati, ab ipſo gubernati, atque directi, quos quidem vult, quantum in eo eſt, ſalvos fieri, &c. Neminem gratiæ ſuæ Deus exortem reddit, neminem ſpernit, nullumque rejicit credentem in ſe. Nam etſi juxta temporum qualitates hominibus diverſos ſacrificiorum indixeris ritus, &c. una tamen eſt inſtituentis intentio, ut ſalventur omnes, interveniente & cooperante fide, quæ juſtificat impium & per dilectionem operatur.* Nec multò pòſt ibidem, *Multifariè ad obtemperandum legibus ſuperiorum accendi ſolet humanus affectus, minis, promiſſionibus, donis, rationibus, exemplis. Cæterùm ut proprio quiſque convincatur judicio, & nullus tranſgreſſor ante Deum excuſabilis ſit, idem Dominus, qui vult, quantum in eo eſt, omnes homines ſalvos fieri, indeficienter prænominatis modis univerſos ad ſibi obediendum, quamquam non ſemper immediatè per ſe, ſed opportunis mediis advocare non ceſſat.* Et paucis interpoſitis: *Quis dinumerare valeat quanta omnipotens Deus cuique gratis largitur beneficia? Singulis temporum atque horarum momentis quiſque divinis utitur donis, non minùs privatis, quàm communibus, ex quibus profectò Deo obtemperare conſtringitur.*

Ibid. c. 8.

De gratia nunc juſtificante & habituali, quàmque ea ad bona opera inclinet, juvetque. *Non poteſt vera eſſe juſtitia, ſine gratia juſtificante. Gratia etenim ſe homini infundens ipſum juſtificat.* *Gratia etenim eſt quædam lux divinitus infuſa, gratis data, quæ interioris hominis illuminat oculos, & excitat affectum: ut videat quæ agenda ſunt, & quæcumque viderit, opere perficiat.* Quæ de eadem gratia ſic alibi: *Hanc gratiam gratum facientem appellaverim, ſine qua nullus gratuitè diligit Deum, nullus Sanctorum eſt dignus conſortio & hereditate cœleſti. Et ipſius generationis effectus eſt, cum nos per regenerationis undam gratificat, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.*

Lignum vitæ tract. 3. c. 1.

De triumphali Chriſti agone c. 3.

De eadem rursum alibi luculentiſſimè, *Trahit intus Deus nos ad ſe per gratiam quæ immutat, per lucem quæ informat, per manifeſtationem quæ tangendo lætificat. Namque ubi deeſt gratia, jacet homo obvolutus in fœtore facinorum; ubi non erudit fides, mens oppreſſa tabeſcit. Eſt namque gratia gratum faciens, quædam matutina ſtella præfulgida, quæ electum quemque præcedens, corde ducit ad Chriſtum.* Et quàm nos à peccato retrahat hæc gratia, ſic alibi: *Quo amplius quis elongatur à Deo, eo efficitur pejor & gehenna dignior. Elongatur inquam non coactè, ſed ſponte. Quomodo autem non ſponte, cùm intus reclamet conſcientia, condemnet ratio, diſſuadeat cuſtos, retrahat gratia? Cæterùm quoniam libero potitur arbitrio, peccato conſentiens, reſcindit conſcientiam, rationem ſubvertit, ſpernit Angelum, rejicit gratiam. Juſto igitur Dei judicio agitur, ut perpetrato ſcelere, qui priùs liber exſtiterat, efficiatur ſervus.* Erat quippe hæc gratia liberatrix, & libertas ipſamet, cùm ea amiſſa, hoc eſt, *amiſſa libertate, facta ſit ſerva voluntas.*

Serme in Epiphania.

De contemptu mundi c. 8.

De hac denique habituali & juſtificante gratia, rursum ibidem præclariſſimè, *Nemo credat aliunde humana opera Deo eſſe accepta, quàm per ipſius gratiam & liberi arbitrii conſenſum. Non tamen qualemcumque gratiam, ſed eam quæ juſtificat impium, illumque facit gratum Deo. Hanc profectò dixerim principaliter eſſe Deo efficiente, per quam pro ſua liberali bonitate influere non ceſſat creaturæ rationali vitam ſpiritualem, ut benè ſit illi in eſſe gratiæ. Porro gratia iſta in Scripturis ſacris nunc Donum divinum, ſine quo nullus poteſt mereri, nec in bono proficere, neque ad gloriam pervenire; nunc charitas nuncupatur, de qua Apoſtolus, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus, &c.* Et infra ait de congruo poſſe nos *gratiam gratificantem* mereri, non de condigno, *quoniam bonum quod ex gratia prærogatur, ſummum eſt, inenarrabile, ſempiternum eſt.* Ergo ex Laurentio Justiniano propria gratia eſt charitas, juſtificans impium, trahens ad bonum, excitanſque, & meriti principium, ſcilicet condigni.

Ibidem c. 5.

Poſtremò gratiæ illius efficaciſſimæ vim, qua à peccando deterrentur, qua ad juſtitiam convertuntur

L. de obedientia c. 5.

tuntur impii, qua denique justi fistuntur figunturque in bono, ex timore pœnæ partim derivat idem Scriptor: *Timor à lapsu protegit, quia odit vitia, virtutes custodit, cor sedula vigilantia observat, ab ingressu ejus noxias cogitationes repellens clava terribili, videlicet memoria æternæ pœnæ. Ingerit namque sicut veraciter, ita frequenter, quod post hanc peregrinationem tunc edax flamma comburet, quos nunc delectatio carnis polluit.* Vides divino timore non manum tantùm, sed & voluntatem arceri à crimine, cùm eo æquè terrearur voluntas atque actio ipsa peccandi; quo Dei timor ab hominum metu distat. *Nam timor hominum peccandi differt facultatem & operationem, non autem aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem, en solus enim Dei timor est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetem confert benè agendi voluntatem.* Confitetur tamen idem infrà cum Augustino, qui solo timore non peccat, non esse *victorem* peccati, *cùm intus cupiditas mala* superfit, nimirum habitualiter, qualiter est in omni homine nondum justificato.

Lignum vitæ Tract. 1. c. 2. §

Principium ergo conversionis timori gehennæ, quo consensus eximitur non peccandi, progressus perfectioque charitati assignari debet, qua ipsa intus mali cupiditas non sola desuetudine, sed flamma contraria & benè operandi consuetudine dulcedineque extinguitur: *Utrumque in Petri conversione signatur; in galli cantu judicis terror; in aspectu Christi gratia cœlestis infusio. Præcedit judicii pavor, subsequitur benevolentia charitatis. Ambo tamen immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, & convertunt ad Christum, &c. Hæc sunt tua dona ò Domine Jesu. Quos prædestinasti ad vitam, quamvis per semitas devient delictorum, congruo tempore, ineffabili, alta & repentina mutatione illos trahis ad te.*

De triumph. Christi 2. p. c. 9.

Quod idem alibi rursum confirmat: *Tales difficilè corriguntur, corriguntur tamen nonnunquam, quoniam Deo universa possibilia sunt, qui quos vult à tenebris vocat ad lucem, & ex inimicis amicos facit & filios. Correctio quippe ista malorumque conversio agitur operante gratia, & ut plurimùm interveniente flagello. Bona gratia quam ad justificationem impiorum largitur Deus. Verùm divini flagelli quis valet enarrare præconia, ipsiusque referare profectus? Munus est Dei, filiorum præcipuum signum, lumen mentis, peccatorum venia, emendator scelerum, origo virtutum, concupiscentiarum interemptor, nutrimentum spei, robur fidei, charitatis augmentum, præcursor veritatis, additamentum sapientiæ, & passionum carnalium antidotum singulare.*

De contemptu mundi, c. 3.

Ubi timor initiavit conversionem, desuetudinem fecit peccandi, & facilem paravit venienti charitati locum, jam ipsa charitatis suavitas, quis sermone, quis mente capiat, quantas habeat vires ad trahendam vinciendamque voluntatem? *Nemo venit, nisi Pater traxerit. Trahit Pater ad Filium, conferendo gratiam, infundendo lumen, præbendo gustum, & manifestando se.* Et sanè qui terrenis omnibus valedicunt, *nequaquam ò pie Salvator hoc actitare præsumerent, nisi introrsus traherentur & vocarentur à Deo. Nam quos prædestinasti, ubique vocas sua tempore, &c. Ostendis namque de illis in lumine formatæ fidei, quàm dulcis, quàmve multæ misericordiæ sis diligentibus te; siquidem irradiasti divina, atque insueta delectatione refecti, te nihilominus illos alliciente, trahente, vinciente, mutantur in viros alteros, &c. Tanquam verus figulus, & potens, de eadem massa uti aliud vas in honorem, & aliud vas facit in contumeliam: ita ut non sit qui possit resistere ei, sed neque respondere illi. Vocat enim quem vult, & flectit ad percipiendam gratiam, &c. Singularissimum itaque*

l. de obedientia c. 16. 17.

divinæ clementiæ est beneficium, cùm liberi arbitrii facultas se inclinat ad bonum. Omnipotenter igitur *flectit* Pater ad bonum quos vult, dum efficit ut eorum voluntas *se inclinet* ad pietatem, terroribus primò, deinde blanditiis adducta.

Denique alibi rursum ut voluptate sapientiæ & veritatis trahatur homo ad Christum: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Trahit Pater ad Filium mediante fide. Pes animæ fides est. Tantum vadis quantum credis. Nullus tamen invitè credit. Si autem sponte credit, quomodo trahitur? Et tamen quisque trahitur, & sponte credendo trahitur. Trahit Pater ad Filium quum cognoscere facit Filium. Non enim potest agnosci Verbum, non potest videri veritas, non potest gustari sapientia, & non diligi. Si verò diligitur, concupiscitur & quæritur. Propterea ut homines qui apostataverant à suo Conditore, traherentur ad ipsum, exposuit ipsis Filium suum, & ipsum cognoscibilem fecit, quatenus credentes in ipsum, tracti per ipsum, salvarentur ab ipso. Nihil illo melius habuit, quod daret, nihil delectabilius, nihil ad trahendum aptius.* Ita ille Augustinum suo more exprimens. Trahitur ex Augustino animus sapientia, trahitur veritate, beatitudine, justitia, quod totum Christus est, sicut trahitur ovis gramine, puer nucibus. Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem ex innato affectu veri, quem tunc Deus redaccendit, reformat, roboratque, cùm nos eo uti fune trahit?

Fasciculus amoris c. 15.

EX ALPHONSO TOSTATO
Episcopo Abulensi.

Anno 1449.

GRatiam generalem, actualemque ab habituali & speciali sæpè & luculentè dispescuit Tostatus, quòd illa à Deo ut *causa universali & principio omnis boni* profluat, & in omnes promiscuè dispergatur. *Gratia dupliciter dicitur, scilicet donum gratuitum, naturalibus superadditum, sine quo multa bona facimus, quæ sunt bona ex genere suo, sed non meritoria. Vel ipse Deus gratis dans, sine qua nihil facere possumus, cùm ipse sit causa universalis, & principium omnis boni, non solùm in hominibus, sed etiam in omnibus creaturis.* Ita subdit exponi debere verba Christi, *Sine me nihil potestis facere*, hoc est, vel nihil boni meritorii, sine gratia superaddita & habituali: vel nihil boni ex genere, sine Deo gratis dante; sed priorem sensum aptiùs congruere, cùm mox se Christus viti, nos palmitibus comparet, quod ad gratiam sanctificantem apertè refertur. Et rursum infrà docet egere hominem in utroque statu naturæ stantis & lapsæ *auxilio divino, sicut prima movente, & causa universali, sine qua impossibile est prorsus aliquam operationem esse.* Ita nihil *posse cogitare* nos ex Paulo ait, vel utcumque bonum, sine ope causæ universalis; vel verè & supernaturaliter bonum, sine habitu fidei.

Inc. 19. Mo. th. q. 114. 7.

Et hæc duo rursum accuratiùs infrà discernens, ita habet: *Gratia ut nominat habitum, dicit aliquid creatum, quod in nobis manet, & nos informat. Gratia autem ut dicit divinam voluntatem, non est aliquid creatum, nec in nobis manet, sed in Deo est. Gratia enim quæ est voluntas Dei, vocatur largè gratia, scilicet gratis operans. Non enim possumus aliquid boni operari, sive meritorium, sive non meritorium, nisi moti à Deo. Quod tamen Deus movet nos ad bona cogitandum vel volendum, non meruimus. Ita movet nos gratis, & voluntas ejus gratia vocatur.* Et rursum ut impleantur præcepta etiam quoad substantiam operum, opus ait esse auxilio Dei, *Inquantum ipse est*

Ibid. q. 17.

pri-

primum movens pluribus, quantum ad omnes motus tam corporales, quam spirituales: & inquantum ipse coadjuvat, ut causa universalis, in qualibet actione cujuscumque creaturæ: quia sicut eo non conservante, non potest aliquid manere, saltem ad punctum temporis: ita neque eo cessante operari, potest aliquid operari.

Ista autem gratia præmovens excitansque, inferiùs magis elucidatur, nempe sive in ispiratione luminis & affectus superni ea sit posita, sive in excitatione per apta quædam objecta. *Gratia potest dupliciter accipi, uno modo pro ipsa divina providentia, quæ gratia dicitur, quia omnibus gratis impendit ea, quæ ipsis conveniunt: dum illa non sint aliquid manens habitualiter in anima. Alio modo gratia dicitur aliquod donum habituale in anima receptum.* Ibid. q. 81.

Prima gratia opus est, *quia mutatio voluntatis non potest fieri, ut ostenditur octavo Physicorum, sine aliquo movente per modum excitantis. Omne autem motum necesse est ab alio moveri. Neque differt, quidquid sit illud, quod hujus mutationis, vel variationis causam, vel occasionem præbeat, voluntatem excitando: sive sit admonitio hominis, sive ægritudo corporis, sive timor ab extra incussus, sive accidens somniorum, sive lectio sacræ Scripturæ, sive admonitio angelica, sive quidquid aliud sit: quæ omnia constat divinæ providentiæ esse subjecta, & in bonum converti electorum.* Hic vides quàm non infallibiliter, aut inevitabiliter voluntatem liberam consensui operique applicet hæc Dei gratia, præmotio, excitatio; 1. quæ nimirum ab Aristotele mutua sumitur, quem constat immane quantum abhorruisse à prædeterminatione physica & infallibili liberis voluntatibus incutienda; 2. quæ perinde habetur à Tostato; immò à sancto Thoma, cujus hæc sunt verba, *sive in interiori impulsu, sive in exteriori per objecta excitatione constituatur.*

Quocirca infrà ibidem: *Ut disponat se ad gratiam, necesse est quod moveatur liberum arbitrium à Deo, sive interius pulsando, sive alio modo, ut suprà dictum est.* Et denuò: *Nemo potest venire ad Deum, nisi trahat eum Deus, & istud trahere est præparatio quædam, & tamen non est aliquod habituale donum infusum, sed motio, vel excitatio quædam voluntatis ab extra facta, quæ fit interdum per res exteriores, interdum per interiorem Dei pulsationem. Quidquid autem fiat, semper dicitur Deus trahere hominem, quia isti modi & omnia quæ sunt, subsunt divinæ providentiæ, & ordinata sunt à Deo ad salutem electorum.* Ibidem.

Quòd autem præsto sit omnibus gratia illa excitans ad bonum, sic ille: *Cùm homo facit quod in se est, Deus dat ei gratiam, & tamen homo nihil facit, nisi motus à Deo: juxta illud, Sine me nihil potestis facere. Et ideò dicimus, quod in potestate hominis est, facere quod in se est, quia præsupponimus eum moveri à Deo, quia iste motus est communis, quia omnes movet, & semper est quasi in nobis, &c.* Ibidem. Et paulò antè, *Per naturalem rationem simul cum pulsatione Dei interiori, poterit quis se sufficienter disponere ad fidem. Unde si quis sit apud barbaras nationes natus, qui fidei veritate nihil audierit, si faciat quantum in se est, Deus sibi revelabit id, quod ei ad salutem necessarium est, vel inspirando, vel Angelum mittendo, vel Magistrum, &c.* Ideò & alibi docet, nunc quidem ex præcepto necessariam In Matth. c. 10. q. 46. esse ad salutem fidem de Christo explicitam: sed antè *sufficiebat homini de Deo sentire ea quæ naturaliter sentiri poterant, & si aliquid ultra revelaret, non dissentire, &c.*

Sic alibi ait Tyriis & Sidoniis negata esse auxilia superabundantia, non ad salutem necessaria: *Ea enim quæ sunt simpliciter ex necessitate salutis nostræ, si Deus subtraheret, vel non concederet, injustè nos condemnaret.* Subdit ex eadem massa alios eligi, alios reprobari, ex Augustino, quia aliis dantur, aliis non dantur *quæ sunt supererogationis, sine quibus salus esse potest*, quod utique potest Deus. Tradit alibi & Judæ & Judæis à Christo suppeditata esse adjutoria, quibus possent ab exitio emergere, & servari. In c. 11. Matth. q. 15. In c. 10. q. 43.

Reprobis, induratis, infidelibus præesse & adesse Angelos ad custodiam, alibi docet, *Quia omnes effectus custodiæ angelicæ, qui inveniuntur in bonis, inveniuntur etiam in malis. Primus effectus est in bonum inducere, secundus retrahere à malo, tertius tollere impedimenta profectus spiritualis, quartus liberare ab exterioribus periculis, &c.* In cap. 18. Matth. c. 63. 64.

Denique universim idem alibi, *Deus non deest nobis in necessariis, sicut in regimine naturali, ita & in spirituali, cùm regimen sit optimum. Et quia nos nihil boni à nobis ipsis possumus, sed moti à Deo, necesse est quòd dicamus, quòd ad bona necessaria ad salutem, mox ut petiverimus ea, vel fecerimus id quod in nobis est, Deus concurrat nobis, &c.* In Matth. c. 19. q. 81. & alibi, *Potest homo redire ad gratiam per duo, scilicet per impulsum divinum, quia Deus semper impellit, aut tangit aliquo modo cor nostrum, pulsando ad bonum, juxta illud Apocal. 3. cap. Ego sto ad ostium, & pulso: & per naturalem quandam vim. Quia licèt nemo possit se reducere ad gratiam quam perdidit, tamen potest facere aliquid quod in se sit, & cùm illud fecerit, Deus concurrit, & gratiam donat. Sed communius est, quod existens in mortali, ad hoc quod liberetur, pulsatur à Deo, ita efficaciter, quod se cognoscat esse in malo statu, & velit recedere ab illo, & esse in bono; & cùm hoc voluerit, faciendo quod in se est, Deus dat illi formatum spiritum compunctionis, & ita dat gratiam, quâ gratus Deo efficitur.* Ibid. q. 179.

Nunc de gratia habituali eruenda nobis est Tostati sententia; & quidem prolixè ab eo traditur. cum motione causæ universalis posse hominem edere bona opera ex genere, meritoria autem vitæ æternæ nonnisi cum gratia habituali: *Quia meritorium dicit efficaciam operis, inquantum habet efficaciam excedentem virtutem naturalem, id est, inquantum est efficax ad consequendum præmium vitæ æternæ.* Aberrasse Pelagium subdit, quòd utriquè adversaretur auxilio Dei: *Posse quidem liberum arbitrium ex seipso velle facere actum meritorium: quia sicut est in potestate ipsius determinare se ad genera actuum, & objectorum, ita potest se determinare ad modos actus. Non potest facere liberum arbitrium, quod ille actus sit meritorius, si non habeat gratiam adjunctam.* In Matth. c. 19. q. 174.

Etsi autem possit quis sine habitu bene operari, non tamen promptè & delectabiliter, sed cum tristitia quadam. *Non potest statim facere illa bona taliter, qualiter justus, temperatus & fortis: quia isti in quantum operantur ex habitu, operantur promptè, & delectabiliter: quia signum habitus est delectationem advenire operibus.* Virtutes paulò infrà duplicis generis docet infundi; alias quæ acquiri etiam possent, putà *morales*; has enim *infundi* etiam censet justificatis omnibus, sive per baptismum, sive per pœnitentiam: *Idque teneri fide Catholica, ut patet in Clementina unica, de summa Trinitate & fide Catholica.* Qua in re non omnes Tostato assentiuntur. Alias quæ acquiri omnino non possunt, urpote Theologicas. Qui ergo his virtutibus caret, quoad substantiam operis potest implere præcepta, non quoad modum, hoc est, non cum delectatione: *Non est in potestate hominis ut eo modo faciat actum virtutis, quomodo facit virtuosus, priusquam virtutem habeat infusam, vel* Ibid. q. 174. Ibid. q. 175.

acqui-

Ibid. q. 178. *acquisitam. Nam virtuosus facit bonum promptè & delectabiliter, & inclinante ad hoc habitu virtutis. Qui autem nondum est virtuosus, potest quidem facere idem opus quod virtuosus, quia ad illud potest se determinare liberum arbitrium; & tamen non potest facere promptè & delectabiliter, quia iste sunt conditiones operis procedentis ex habitu; sed faciet impeditè, cum difficultate & tristitia. Intentio autem Legislatoris est, non solùm ut opus fiat, sed etiam ut taliter fiat, qualiter virtuosus facit. Nam ut dicitur 2. Ethic. Intentio Legislatoris est facere cives bonos. Et ex Apostolo, finis præcepti est charitas.* Ex Tostato igitur, & ex sancto Thoma, ex quo corrasa sunt hæc omnia, præcepta tunc fiunt *sicut oportet*, & ex *intentione finis* debiti, & *secundùm intentionem Legislatoris*, quando fiunt ex habitu charitatis, quia tunc *virtuosè, promptè & delectabiliter* fiunt; eaque delectatio manat ex habitu charitatis: & ea est *intentia Legislatoris*, ut cives sint *boni*, & virtuosi, hoc est ut non solùm bona, sed faciliter, delectabiliter & ex habitu operentur.

Unde rursus nos ait per gratiam actualem non facere opus delectabile, sed per habitualem: *Ista gratia non facit, nisi movere hominem ad agendum. Et etiam quantum ad substantiam operis erit difficile nobis implere illa. Quia per illam gratiam non tollitur corruptio naturæ nostræ, seu ineptitudo ad mandata Dei implenda. Gratia autem quæ est aliquid gratuitum, nobis à Deo* Ibidem. *datum, manet in nobis, & non solùm inclinat ad agendum, sed etiam reddit opus facile & delectabile, quia illa est quidam habitus: & insuper bonos reddit habentes, quia est forma inhærens, &c.*

Et infrà rursus, *Homo sanatus per habitum gratia, & elevatus ad bene agendum, & sufficienter ad hoc determinatus*, eget adhuc auxilio actuali excitante, *sive excitetur per creaturas, sive per* Ibid. q. 184. *Dei pulsationem interiorem, &c. Licèt enim gratia habitualis ex natura sua determinet ad bonum, ad hoc tamen non movet, quia non est actus; & ita manentem in gratia contingit nihil agere, sicut dormientem. Ideo requiritur auxilium gratiæ alterius, id est divinæ pulsationis, per se, vel per alias res, &c. per donum gratiæ habitualis sanamur, & ad bonum determinamur, &c. Gratia habitualis est forma manens in nobis, nos sanans, & derminans ad bonum: auxilium verò gratiæ non est aliquid in nobis manens, sed est pulsatio à Deo facta per se, vel per alias res.* Ubi observa habituali gratia homines *sanari*, *inclinari*, *determinari* ad bonum. Gratia actuali non dici unquam nos determinari, sed moveri, juvari, excitari. Unde promiscuè plerumque ait Tostatus hanc positam esse in pulsatione Dei vel interiori per se, vel exteriori per creaturas.

Nunc denique de tertio gratiæ genere ita sentit Tostatus, posse voluntates nostras à Deo, quo ipse cumque voluerit, ineluctabiliter agi; sed ratione longè diversissima, quàm complures vulgo nunc opinentur. Etenim duo ille quædam secernit, deliberare de re quapiam, & re perpensa ac deliberata in hanc, vel illam partem semet conferre. Prius in nostra non omnino esse potestate docet, nec enim deliberamus nisi in cogitationem quidpiam veniat; non est autem in potestate, quid veniat in mentem nostram. Multa enim nos effugiunt, etsi maximè cupientes: multa in mentem irruunt, etiam nolentibus. At re semel oblata cogitationi, ejusque vel bonitate, vel importunitate, jam in alterutram partem flecti, & determinari, nostri juris, liberique arbitrii est. *Duo sunt in actu liberi arbitri, unum est ipse actus deliberandi, aliud est quod secundùm illud flectat se homo ad hoc, vel illud. Quantum ad secundum, est simpliciter homo dominus actus sui. Quia quod flectat se in rem istam, non in illam,* In Matth. q. 19. q. 171. *non est nisi per libertatem. Quantum ad primum, dependet liberum arbitrium ab alio. Quod enim habeam istum actum cogitandi, non est ex cogitatione liberi arbitrii, &c. Non potest dici, quod causa sit actus præcedens liberi arbitrii, quia etiam quæreretur causa illius, & consequenter ibitur in infinitum; quod est inconveniens. Ideo oportet poni causam extrinsecam, quæ moveat rationem ad cogitandum id de quo deliberet, & istud oportet quod sit superius ratione, & est Deus.*

Cùm ergo non in hominis, sed in Dei sit potestate, quid homini ipsi in mentem veniat, quid cogitet, quid bonum & prosequendum, quid malum & fugitandum videatur: multa enim vel inviti videmus & assentimur bona & appetenda, mala & declinanda esse: jam integrum Deo est, vel cogitatum nostrum à rebus, vel res à cogitatu nostro avertere: vel efficere in illis, ut nil nisi malum, nec umbra autem boni reluceat, & ita invictissimè efficiet ut eas nolimus: non bicipitem nostram indifferentiam ad alterutrum determinando, sed ea nobis permissa, intacta, efficiendo ut ne locum habeat quidem sese exerendi, si res ne cogitetur quidem, vel nonnisi sub ratione mali cogitetur. Ex adverso autem invictissimè Deus efficiet, ut velimus quidpiam, sospite eadem indifferentia, si efficiet, ut non solùm id cogitatui occurset, sed etiam ut mera boni specie vestitum, & ne fuligine quidem ulla oblitum mali repræsentetur: In potestate enim semper liberi arbitrii est, se ad alterutrum ex duobus bonis determinare: sed sicubi aut merum malum, aut purum putumque bonum occurrat, tunc nec deliberandi locus est, nec eligendi. Ita non potest non appeti facilitas, fugitari miseria, quia ibi nihil nisi bonum, hic meta mali species extat: *Ex hoc apparet quomodo Deus habeat* Ibidem. *potestatem quandam super volitionem nostram, non tollendo nobis libertatem, neque impediendo eam, juxta illud, Cor regis in manu Domini. Facit autem hoc duobus modis. Primò quia quædam sunt, quæ homo valdè vellet, & ad quæ nimis afficeretur, si occurrerent ei in mentem: & quia non occurrit ei cogitare de illis, nunquam illa eligit. Et ista modo quando Deus vult, quod homo incidat in malum pœnale, facit quod non sibi veniat in mentem cogitare de illa re, quam si cogitaret, caveret malum: & quia non cogitat, non potest cavere, & incidit in illud. Et isto modo Deus dicitur excæcare sapientes, &c. E contrario cùm Deus vult aliquos liberare de malo, dat in mentem eorum quod cogitent de rebus, de quibus aliàs cogitaturi non essent, & movet animos eorum ad eligendum aliquid, quod aliàs eligere nescirent, & ita malum evadunt.* Hic prior modus est, ubi constat nobis nostra libertas, quia de iis quæ in cogitationem veniunt & deliberationem, integrum nobis est alterutrum eligere; non de iis quæ ne cogitantur quidem. Amoliendo enim cogitationem eorum, quæ avocarent à volendo, certissimè etiam facit Deus, ut velimus.

Superest modus alter, quo infallibiliter à Deo movetur voluntas ad assentiendum & volendum: *Secundo modo fit, quando propositis ambabus par-* Ibidem. *tibus contradictionis, Deus facit quod una earum eligatur, non quidem determinando liberum arbitrium ad hoc, & distrahendo ab illo, quia esset contra conditionem libertatis, & nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod esset liberum; sed quia liberum arbitrium est facultas intellectus & voluntatis, & non potest voluntas aliquid eligere, vel determinare se ad aliquid, nisi intellectus præcesserit, ostendendo illud esse bonum. Si intellectus potest deduci ad hoc quod putet aliquid esse bonum, poterit indirectè voluntas deduci ad se determinandum*

dum ad illud: Non potest moveri voluntas nisi in objectum suum, nempe bonum, vel subratione boni, quia æquale est quantum ad hoc esse bonum, vel putari bonum. In malum autem impossibile est moveri voluntatem, neque hinc detrahitur libertati, quod non possit moveri in malum; sed est libertas sua, quod propositis duobus bonis æqualiter, vel inæqualiter, possit se determinare in quodcumque eorum voluerit. Luce meridiana clarius hic est *non determinari liberum arbitrium* à Deo, *quia esset contra rationem libertatis, & nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod esset liberum:* sed objecti bonitate patefacta, & persuaso intellectu, *indirectè deduci voluntatem ad se determinandum.* Et sicut ibidem mox, *Quia potest intellectus à Deo moveri, ut judicet aliquod, quodcumque Deus voluerit judicari bonum: & cùm judicatum fuerit bonum, determinabit se voluntas ad illud: potest voluntas à Deo determinari indirectè ad actum suum: non quidem directè in eam agendo, sed in causam suam, id est, intellectum.*

Sed ne tum quidem cogitur, vel necessitate ulla constringitur voluntas, quia *etiam circa illam rem præsentatam ut bonum, poterit suspendere actionem suam, non eligendo illam, & hoc sufficit ad conservandam rationem libertatis.* An ergo si voluntas possit se non determinare ad bonum à Deo oblatum, poterit homo nolle, quod Deus volet eum velle? *Dicendum quod non accidit.* Ibidem, *Certum est enim quod proposito quocumque bono voluntati, potest suspendere actionem suam, non eligenda illud; quia licèt non respuat illud ut malum, tamen non cogitur eligere ut bonum. Et tamen si Deus vult, quod illud eligatur à voluntate, faciet illud repræsentari intellectui sub tam perfecta ratione boni, quod voluntas illud sibi oblatum statim amplectetur volens, & ita semper agens spontanè id quod Deus illam agere voluerit; quia non movet eam per modum violentiæ, sed per modum naturæ suæ; sicut si quis det alicui quod summè desiderat, trahet eum ad se volentem.*

Observa hìc 1. id quod frequens inculcat Tostatus, *non determinari voluntatem à Deo ad hoc vel illud directè*; ita enim perimeretur libertas: *nec directè in eam agi*, sed *indirectè* per intellectum & per objecta eam lacessi, ac trahi. 2. Ostensa enim objecti cujuslibet creati bonitate, posse voluntatem cessare ab actu eligendi, & suam ita liberam retentare indifferentiam. 3. At si Deus velit invictissimè ut voluntas creata velit quippiam, *sub tam perfecta ratione boni* illud objiciet intellectui, ut voluntas *statim amplectatur* illud. Quod perspicuum est in fœlicitatis innato nunc appetitu, & in amore Dei clarè visi. Utrobique enim bonum objicitur intellectui sub tam perfecta ratione boni, ut illud incunctanter prosequatur voluntas. 4. Quod autem quoties benè operatur quispiam, toties ita à Deo indirectè determinetur ostensa *perfecta ratione boni* cujuspiam, id verò non docet Tostatus, id ex eo colligi nequaquam potest, id experientia ipsa oppugnat, id denique refellit potiùs Tostatus his verbis, quæ paulò antè retulimus: *Est libertas in eo, quod propositis duobus æqualiter vel inæqualiter bonis, potest se determinare in quodcumque eorum voluerit.* Ita autem in usu rerum quotidiano res habet, cùm benè operantur justi: bonum hinc unum, inde aliud, illic majus, hic minus ostenditur, voluntas melius anteponit sequiori. 5. In his ergo si velet Deus invictissimè adducere voluntates nostras quopiam, tantum hinc boni, inde tantillum; tantam hìc affectibus animæ consonantiam, tantam inde dissonantiam ostendet, toties id iterabit, ut tandem voluntatem pelliciat. Ita enim *trahet* per id quod anima *summè desiderat*. 6. Et istud est planè quod ait Augustinus trahi voluntates liberas à Deo *persuadendo*, ostenso *quod aptum est, quod congruit*, sicut *trahit sua quemque voluptas*; sicut *nuces puero, ramus viridis ovi* ostenditur & *trahitur*.

Quòd autem istiusmodi conspiratione atque oppugnatione plurium intus & foris auxiliorum voluntas invictissimè à Deo quandoque flectatur, liquet ex Pauli conversione, quam Tostatus alibi sic describit: *Gratia gratis data, fuit quædam claritas, quæ circumfulsit Paulum, & fuit corporalis: quæ ipsum terrore concussit, & excitavit voluntatem illius ad conversionem. Et ideo reducitur istud ad modos suprapositos, quo aliquis ab extrinseco movetur, ut ad gratiam se præparet. Quia exteriora etsi voluntatem non tangant, sunt nata excitare illam; & ista lux circumfulgens excitavit voluntatem Pauli per modum excessivi terroris, unde ad terram dejectus est pavens, & ad manus deductus Damascum perdito visu. Sic excitatus fuit sufficienter, ut gratiam vellet, & cùm hoc voluit, statim consecutus est.* In Matth. c. 19. q. 181. Ita & alibi prolixè ostendit Matthæum adduci potuisse, ut Christum sequeretur, vel movente Christo interiùs, & mutante cor ejus; vel voce efficacissima Christi, ut aliàs contigit, percussum; vel radiante in ejus vultu Deitatis majestate, ac splendore aliquo insolito. Ita & donum perseverantiæ alicubi in eo constituit, quòd cùm peccato non consentiamus, nisi *dum animus noster, vel per errorem, vel magnitudine æstimatæ delectationis, vel oppositarum tristitiarum impellitur*: Deus ita *mentem nostram dirigat, ut nunquam in illa incidamus, &c. efficaciter dirigat circa tentationes, non permittendo ab illis superari, &c.* In c. 4. q. 42. In c. 19. q. 185.

Firmabuntur antedicta omnia ex futurorum contingentium præscientia divina, *quæ si ab inanimatis & naturalibus contingentiam non excludit, ergo à fortiori non excludet eam ab intellectualibus, in quibus libertatem arbitrii ponimus.* Etenim ut ibidem mox habetur, *De natura Providentiæ est, uti rebus secundùm modum naturæ ipsarum; modus autem agendi cujuslibet rei consequitur formam ejus, quia forma est principium actionis; sed forma per quam agens voluntarium agit, non est determinata: ergo providentia non determinabit voluntatem ad aliquid.* Nihil expressius dici potuit. Rursum subjicit meritum & demeritum, præmia & pœnas sublatum iri, si tollatur per providentiam libertas *indifferens ad hoc, vel illud volendum*. In Matth. c. 19. q. 117.

Regnat tamen & vincit providentia, non ad singula indeclinabiliter libertatem creatam determinando; sed si quid mali fiat, præsciendo, permittendo, ordinando, puniendo, & ita bonum ex malis exculpendo. *Libero voluntati competit ex conditione sua, quod possit tenere rectum ordinem tendendo in finem, vel ab eo deficere. Si autem tenderet inevitabiliter in finem suum, divina providentia illam determinante ad hoc, tolleretur sibi conditio naturæ suæ; & ideo à Deo taliter constituta est, quod possit deficere & non deficere. Istos tamen defectus voluntatis Deus non intendit, sed præscivit, & permisit, ordinavit in bonum justitiæ, dum malum culpæ emendatur per rectitudinem pœnæ, &c.* Ibid. q. 114.

Et alibi non minùs perspicuè, *Voluntas beneplaciti semper impletur. Ea distinguitur in duas; in operationem, qua Deus non solùm vult bona fieri, sed etiam adjuvat: & permissionem, quantum ad mala, quæ fieri non possunt contra voluntatem Dei; ad ista tamen nihil adjuvat, scilicet, quia nec inclinat hominem ut malum velit, nec etiam adjuvat, inquantum malum est; sed vult non prohibere, &c.*

Denique quia ex antecedente Dei præscientia, providentia, prædestinatione suspicio quædam necessitatis emergit, à qua libertati nostræ non

medio-

mediocre creetur periculum ; hanc ita Toſtatus profligat ; quòd nulla horum anteceſſio reipſa ſit. Omnia enim Deo præſentia ſunt, nihil futurum, nihil præteritum, immò nihil noſtro more præſens, ita nimirum, ut à futuro in præteritum fluat. Ergo ille omnia coram & ſemper ſcit, videt, ordinat, facit, nihil antè præmeditatur, aut præmolitur. In Matth. c. 20. q. 117. *Si providentia Dei tempore præcedat res præviſas, neceſſe eſt quod illis imponat neceſſitatem, vel quod ipſa fruſtretur interdum, aut ſaltem fruſtrari poſſit. Utrumque eſt inconveniens. Sed tollitur inconveniens, quia providentia non precedit tempore res præviſas, nec precedere poteſt. Eſt enim providentia, vel ſcientia Dei, ipſa Dei ſubſtantia; ſed ſubſtantia ejus eſt in æternitate, ideo providentia æternitate menſuratur, &c. Cuilibet inſtanti temporis coexiſtit tota æternitas, &c. Quodlibet æternum præſens eſt cuicumque rei & tempori; non eſtantè, nec pòſt; & ita providentia non præcedit tempore res proviſas, nec ſubſequitur, ſed coexiſtit : Et tunc verum eſt, quod omne proviſum infallibiliter evenit; & tamen non eſt verum de aliqua re proviſa, antequam fiat, quod illa neceſſariò eventura ſit propter providentiam, &c. At in præſenti qualibet res de ſeipſa habet neceſſitatem, quia omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe.* Quæ vides quàm immaniter diſtent ab eorum doctrina, qui putant decretis Dei antecedentibus ſingula præfiniri, & operatione prædeterminante Dei ſingula in præſenti fieri.

In Matth. c. 20. q. 116. Et alibi prolixiùs de eodem : *Cùm conſtet quod non præcedat prædeſtinatio, aut præſcientia mortem noſtram, apparet manifeſtè quod nullam neceſſitatem operationibus noſtris poterit imponere. Et ſicut prædeſtinatio & præſcientia non ſunt ante operationes noſtras, ita neque ſunt poſtea, quia utrumque repugnat naturæ æternitatis. Nam prædeſtinatio neque eſt præterita, neque futura, neque in iſto inſtanti, in quo ſumus. Quia ſicut præteritum eſſe eſt præteriſſe, & jam non eſſe; & eſſe futurum eſt nondum eſſe, quorum utrumque Deo repugnat : ità eſſe in iſto nunc noſtro eſt non fuiſſe ante hoc, neque poſt hoc futurum eſſe, quorum utrumque repugnat æternitati. Prædeſtinatio ergo quia eſt cognitio entis æterni, eſt verè, non eſt tamen præterita, neque futura, neque præſens in noſtro nunc, &c.*

EX NICOLAO DE ORBELLIS

Andegavenſi Ordinis Minorum.

An. 1455.

GRatiam generalem nulli non offerri à Deo volente omnes ſalvos fieri, docet Nicolaus de Orbellis. Vult enim Deus omnes ſalvos fieri, vel ex Auguſtino, *quia nullus ſalvatur, niſi velit Deus*; vel ex Damaſceno, *voluntate antecedente, quantum in ſe eſt, dando ſcilicet antecedentia ad ſalutem, puta naturam rationalem, & gratiam offerendo, ac ad bonum inſpirando. Non autem vult omnes ſalvare conſequenter, quia illos, qui moriuntur in peccato mortali, non ſalvat.* Vides omnibus gratiam offerri, omnibus bonum inſpirari.

L. 1. Sent. d. 46.

Ideò & alibi negat culpæ verti, ſi quid invincibiliter ignoretur; ea enim tantùm imputari ex Auguſtino, quæ quis ignorat ex ſupinitate ſua : Ideo rurſus & alibi etſi neget *potentiam peccandi eſſe libertatem, ſive libertatis partem, accipiendo liberum arbitrium ſecundùm communem ejus rationem*, prout libertas Deo convenit, & creaturæ, comprehenſori & viatori : *poſſe tamen in actum cui annexa eſt difformitas, bene eſt pars libertatis, non ſimpliciter, ſed creatæ.*

L. 2. d. 25. q. 1.

L. 2. d. 25.

Et rurſum alibi, ut præſto ſit omnibus auxilium Dei aliquod, quo diſponant ſe ad gratiam gratum facientem : *Liberum arbitrium non poteſt ſe diſponere ad gratiam gratum facientem, niſi per aliquam gratiam gratis datam; comprehendendo ſub gratia gratis data non tantum aliquod habituale donum naturalibus ſuperadditum, cujuſmodi eſt timor ſervilis, vel pietas aliquorum viſceribus ab infantia inſerta; ſed etiam aliquam ſpiritalem motionem, factam per ſe immediatè, vel mediante aliqua creatura. Ad hoc enim non ſufficit generalis motio primi moventis, quam ſupponit qualibet actio creaturæ. Unde Salvator, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum. Sine autem gratia aliqua moderum prædictorum accepta, vix, aut nunquam aliquis habens uſum liberi arbitrii reperitur.* Multa hìc ex Bonaventura decerpſit Orbellus. In primis autem illud obſerva, vix aut numquam quenquam adultum reperiri, ſine gratiæ auxilio, quo ad Deum converti poſſit. Et illud rurſus ; quòd hæc gratia generalis ſit, vel affectus aliquis habituſque ad pietatem initiandam conducibilis ; vel motio auxilii *ſpecialis*, diſcreta à motione generali, quæ omnibus naturis promiſcuè datur.

L. 2. d. 26.

Præcepta denique impleri à quolibet poſſunt, non tantùm per gratiam hanc generalem ſecundùm ſubſtantiam operis, & ad evitandam pœnam; ſed etiam ſecundùm intentionem Dei, ſicut oportet, & meritoriè, verùm mediatè, quia poteſt quiſque per gratiam generalem fieri compos gratiæ ſanctificantis. *Omni volenti ſe diſponere Deus dat gratiam gratum facientem, per quam præcepta poteſt adimplere; non tantùm quantum ad genus operis, ſed etiam quantum ad intentionem mandantis.* Ibidem.

Gratiam verò habitualem deſcribit Orbellus, *Gratiam à Deo ſine meritis datam, facientem hominem Deo gratum & acceptum, unde juſtis ſolis convenit.* Et mox ut gratia habitualis ſuo quodam modo ſit efficax, eademque operans & cooperans, præveniens & ſubſequens, dans bene velle, & bene operari, idque ex Magiſtro : *Diſtinguit autem Magiſter gratiam gratum facientem in operantem ſeu prævenientem, & cooperantem ſeu ſubſequentem; & hoc ſecundùm varios effectus gratiæ. Dicitur enim gratia prævenions & operans, inquantum prævenit bonum motum liberi arbitrii, ipſum ad bonum excitando, & operatur, ut velimus bonum. Dicitur verò gratia ſubſequens & cooperans, inquantum per ipſam liberum arbitrium proficit in bono, eique cooperatur ad eliciendum opus meritorium. Unde Auguſtinus de gratia & libero arbitrio dicit, quod Deus præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et ſubdit, Ut ergo velimus, ſine nobis operatur ; cùm autem ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Hæc omnia de gratia habituali Orbellus, ut & omnes retro, & etiam tunc Theologi ; ideò eam & gratum facientem, & juſtis ſolis convenire dixit ; & ibidem à gratia gratis data, ſive actuali ſæpiùs diſtinxit. Ergo & habituali gratiæ nonnulla efficacia adſcribenda eſt, & ea eſt quæ ex Auguſtino, voluntatem præparat, operatur bonam voluntatem primùm, eique poſtea cooperatur. Ad eandem refert Orbellus & Bernardi verba : *Quod à ſola gratia præceptum (an inceptum) eſt, pariter ab utroque perficitur, ſcilicet à gratia & libero arbitrio.*

Et rurſus de eadem gratia habituali ex libris hypognoſticon apud Auguſtinum, & ex Bonaventura ſic Orbellus : *Siquidem gratia ſe habet ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum. Ipſaque voluntas reſpectu gratiæ eſt pediſſequa, non domina, ſecundùm Auguſtinum. Gratia enim operans, ut ait Bonaventura, liberum arbitrium præ-*

prævenit, & movet; quia Deus infundendo illam, voluntatem hominis sanat & præparat. Unde gratia est instrumentum Spiritus sancti, ad movendum liberum arbitrium. Gratia verò cooperans liberum arbitrium dicitur movere, quia voluntas tali dono gratiæ informata, movet seipsam. Vides ab habituali gratia non solùm *præveniri*, *præparari*, *sanari*, sed etiam *moveri* voluntatem; moveri autem inquantum voluntas tali dono gratiæ informata, *movet seipsam*. Denique instar equi est voluntas, qui & seipsum movet, & à sessore suo movetur, regitur, agitur.

L.2. d.26. Addit definitionem virtutis ab Augustino assignatam, *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*: non quadrare nisi virtutibus infusis, *quia virtus potentiam dirigendo & inclinando, nunquam movet ad malum usum.* Denique docet Orbellus *mandata impleri*
L.2. d.28.q.2. *posse quantum ad genus operis & ad vitationem pœnæ per gratias gratis datas: sicut per fidem mandatum de adoratione, & per quandam naturalem pietatem & amorem mandatum de parentum honoratione, & sic de aliis. At quantum ad intentionem mandantis, & meritum gloriæ, nonnisi per gratiam gratum facientem: Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Et hoc fuit quod Pelagius non advertit, propter quod in errorem cecidit.* Ubi vides & ipsas gratias gratis gratas, quas actuales ferè interpretamur, tamen ab Orbello & à plerisque ejus ævi Theologis sumi persæpè pro habitibus ad bonum quodvis inclinantibus præter charitatem, cujusmodi est fides in Deum, pietas in parentes innata quibusdam, & id genus alia.

Postremò quod attinet ad gratiam propositi, & efficacissimam, ita existimat Orbellus, infallibilitate divinæ præscientiæ nullam inferri necessitatem rebus contingentibus & liberis, sicut à vidente quæ ob oculos geruntur, nulla importatur iis quæ geruntur necessitas. *Possunt predicta de-*
L.1. d.38. *clarari duplici exemplo. Primum est, si in potentia mea visiva sit semper stans unus actus videndi, & ab aliquo præsentante nunc sit ille color præsens, nunc iste, oculus meus videbit nunc hoc, nunc illud. Et si unus color fieret præsens naturaliter, alius liberè, non esset differentia formaliter in visione mea, &c.* Ergo etti Scotus ex voluntatis divinæ determinatione præsciri ab intellectu divino futura contingentia dixerit, eam voluntatis permissionem fortassis ille intellexit, qua finit Deus & non prohibet, quin res ipsæ causæque liberæ sese determinent, quo ipsis lubet. Posset enim Omnipotens prohibere, non prohibet, & vult non prohibere: ab hac voluntate divina, non ab ipsa re creata oritur divinæ præscientiæ veritas & certitudo. Ità Scoti interpres Orbellus ab ejus tramite non deviabit.

L.2.d.25.q.2. Nec nesciebat tamen ille, *Posse Deum liberum hominis arbitrium efficaciter inclinare, & facere, ut moveat se liberè ad quamcumque partem Deus voluerit. Cor enim Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Cùm hæc Orbelli ipsius verba sint. Sed parum curavit ille enucleare minutias hujus efficacis inclinationis & motionis divinæ. Utcumque tamen conjici potest mens ejus, ex eo quòd dicat, Cor & arbitrium hominis *inclinari* à Deo, & fieri, ut *se moveat*, quo Deus vult: qui non multò pòst dicit, ut suprà retulimus, à gratia habituali *inclinari* voluntatem, & agi ut equum à sessore, immò *moveri in quantum voluntas gratia dono inclinata, movet seipsam.*

EX DIONYSIO CARTHUSIANO Belga.

Aliorum magis sententiam Scolæ Doctorum, quàm suam edisserit Dionysius, summa & eruditione & pietate vir, adeoque non immeritò nobis præstituendus ob oculos, quem imitemur. Hæc maximè norma illi præfixa fuit, eaque nobis potissimùm amplexanda visa est, omnes qua fas est in concordiam inclinare; dissensionum minutias levissimas aut excusare, aut silere; Thomæ Aquinatis & Augustini doctrinam mordicùs tueri. Obiit 1471.

Quod ad gratiam generalem & sufficientem attinet, hæc refert & approbat ille ex Bonaventura: *Vix aut numquam libertas arbitrii destituitur omni gratia gratis data, per quam hic intelligitur omne, quod spiritualiter superadditur naturalibus, adjuvans aliquo modo & præparans voluntatem ad habitum usumve gratiæ; sive sit habitus, ut timor servilis, aut ingenita pietas; sive instinctus divinus, aut allocutio interior excitans animum hominis ad conversionem. Et vix aliquis sine his invenitur.* Ex Aquinate subinde decerpit quæ eodem faciant: *Mutatio voluntatis effici nequit sine aliquo movente per modum excitantis. Omne etenim motum necesse est ab aliquo moveri. Nec refert, quidquid sit illud, hujus variationis præbet occasionem, excitando videlicet voluntatem, sive sit admonitio hominis, sive ægritudo corporis: quæ omnia constat divinæ providentiæ esse subjecta, atque in bonum electorum ordinata.* Hæc, ut ille mox ait, *ritè intellecta non discrepant à Bonaventura. Concordat Petrus Richardus.* Ita ille Richardum de Media Villa & Petrum Tarentasiensem cum Bonaventura & Thoma conciliat, quibus & Durandum subjicit, aliquanto etiam indulgentiorem. L.2.sen.d.28.q.2.

Jam de Gratia Habituali. Hanc Dionysius docet ex Alberto esse *habitum infusum, & similitudinem divinæ bonitatis, qua Deo reconciliamur & unimur. Habitum ex Augustino, totius vitæ ordinativum. Proprius enim effectus est gratiæ totam hominis vitam universaliter ordinare ad Deum. Et in hoc differt ab universitate virtutum, quoniam virtus non ordinat nisi ad actum, & potentiam, gratia autem universaliter ordinat totum hominem ad Deum.* Ex Aquinate aliisque eadem confirmat, quibus omnibus *gratia* simpliciter & absolutè non dicitur, nisi habitualis & sanctificans, etsi *auxilia* summi Motoris, seu gratias actuales non nescirent. L.2.d.26.q.1.

Quærit idem infrà, *An gratia sit motor liberi arbitrii?* Et respondet Bonaventura primùm his verbis: *Quemadmodum Sancti testantur, liberum arbitrium à gratia movetur & excitatur: quia à gratia operante prevenitur, atque à gratia cooperante ad opera meritoria elevatur; ita quod respectu operis meritorii gratia est motrix specialis, & voluntas pedissequa. Propter quod Augustinus comparat gratiam ad liberum arbitrium sicut sessorem ad equum, &c. Cùm gratia sit spirituale animæ pondus, quo anima habet sursum moveri, &c. Gratia est voluntatem erigens, adjuvans & præparans, &c.* Enucleatiùs aliquando Petrus Tarentasiensis, *Movere contingit dupliciter, primò effectivè, sicut sol movet vaporem, sursum elevando: secundò dispositivè, ut pondus, secundum quod levitas movet sursum. Primo modo Deus movet liberum arbitrium, & etiam illud seipsum, præsertim dum per gratiam est perfectum, & adjutum ad movendum seipsum. Secundo modo gratia movet illud.* Quo nihil dici potuit accuratius. Ex Richardo subjungit, quæ ab his non dissonent. Etenim ex illo *gratia movet* liberum arbitrium *per modum efficientis instru-* Ibid. q.4.

men-

mentalis, dum Spiritus sanctus *ut principale agens causat excitationem & inclinationem ad bonum voluntatis actum*. Et de hac gratia sumit idem,
Ibid. q. 1. quæ Augustinus disputat *de gratia præparante, operante, cooperante*. Sed speciali idem ipsum confestim quæstione eventilat, efficitque ex Alberti, Thomæ, Richardi, Petri, Udalrici consensu, gratiam unam & eandem habitualem esse *prævenientem & subsequentem, operantem & cooperantem*.

Quærit denique an gratia idem sit atque virtus. Et quidem ex Bonaventura, *virtus magis proprie est gratuita, sive infusa. Quæ per comparationem ad finem, definitur ab Augustino, Virtus est ratio recta ad finem suum perveniens. Per comparationem ad subjectum quod informat, quod est voluntas, definitur ab eodem, Virtus est bona*
L. 3. d. 27. q. 1. *voluntas. Per comparationem ad suum actum, seu complementum, definitur ab eodem, Virtus est ordo amoris, seu amor ordinatus. Per comparationem ad suum principium effectivum, Virtus est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Ex quibus non obscurum est gratiæ & charitatis habitum unum esse eundemque. Utrumque habitum distingui jubet sanctus Thomas, cujus verba promit Dionysius, eique consentaneos esse asserit Petrum & Richardum, in ea etiam quæstione, *An virtutes sint semper in actu*, quod sanctus Thomas vehementer negat; *Quoniam virtus naturam potentiæ non tollit; natura verò talis potentiæ est liberè operari, non cogi*.

Jam de gratia efficacissima divini propositi pauca attingamus. Et illud primò quòd relata Alexandri Alensis sententia de prædestinatione, hæc habet Dionysius: *Responsio ista tanti Doctoris admirationem & timorem ingerit mihi, eo quod apertissimè dicat præscientiam meritorum esse ra-*
L. 1. sent. d. 41. q. 1. *tionem collationis gratiæ & gloriæ. Quæ videntur esse contra intentionem Augustini & Patrum, quia ex his sequi videtur, quod præscientia meritorum sit ratio prædestinationis, non mera liberalitas Dei: & item quod gratia non datur purè ac prorsus gratis, sed intuitu meritorum*. Albertum & Henricum Gandavensem infrà præstringit, in eadem re hallucinatos. Hujus hæc sunt verba, *Prima gratia habet in nobis causam congrui, non propter quam, sed sine qua non conferretur uni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur*. Exemplum statuit mox *in duobus quorum corda uno motu gratiæ prævenientis aliquo modo stimulet Deus, & unus illorum respuat; alter non contradicat, quamvis nullum bonum motum eliciat. Non est æquum, quod ambobus æqualiter fiat*. Alter ergo prædestinabitur, non ex merito, sed ex occasione potiùs, quòd non posuerit obicem. Ita Henricus & alii olim pauci. Etsi autem à scopo aberrarent illi in ipso limine, cùm tamen vel sic prædestinatos à Deo, censerent deinceps infallibilibus auxiliis à Deo dirigi & perduci ad salutem, in causa id fuit, quamobrem eos in auctoritatem adhibuerimus. Longè enim hæc duo distant; frustrabilibus merèque sufficientibus auxiliis à Deo juvari toto vitæ decursu, ut eorum usu, vel abusu suæ quisque architectus sit, vel prædestinationis, vel reprobationis: atque semel arrepta occasione aliqua à Deo prædestinari, & deinceps ad salutem agi protrudique ineluctabilium auxiliorum copia quadam incredibili. Qui primum illud opinati sunt, eos a nobis prorsus alienos esse duximus. Qui hoc secundum sectati sunt, hos quandoque adhibuimus nobis suffragatores; quòd nimirum eo semel errore condonato, cùm aliis deinceps sentirent, & electos ad salutem provehi invictissimè à Deo docerent per ejusmodi auxilia, quorum etsi singula sæpè frustrarentur, tota collectio tamen & conspiratio infallibiliter voluntatem liberam, quocumque Deo visum esset, inflecteret.

Illud rursus ex Dionysio adverte, frustrà esse, qui Bonaventuram exagitant iniquis suspicionibus, quasi & ipse electioni gratiæ subinfestus fuerit, Tametsi enim non mera voluntate Dei alios eligi senserit, alios omitti, sed ratione & sapientia summa; non tamen hanc ille rationem peti voluit à meritis hominum, sed ab arcanis abstrusissimæ Dei sapientiæ, nobis prorsus inexploratæ, Quod nec Paulo obstrepit, nec Augustino. Et enim cùm voluntas Dei summa ipsa sit ratio & sapientia, quod facit Deus quia vult, facit utique summa ratione & sapientia adductus; sed cùm nos prætereat ea ratio, compendiosius est, ut Dei voluntatem importunis percunctatoribus obtrudamus. Ita sanè Paulus in hac ipsa re, non solam Dei voluntatem, sed & sapientiam nobis inaccessam admiratur & stupet, cur alter altero dimisso eligatur: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*. Audiamus nunc Dionysium: *Quamvis positio Thomæ sit probabilis, attamen si salva authoritate Scripturæ dici potest, rationabiliorem puto positionem Bonaventuræ, quantum ad hoc quod dicit prædestinationem habere rationem in particulari, sive singulari, sicut in communi; ita quod non sola Dei voluntas, ut voluntas, est ratio, cur iste prædestinetur magis quam* Ibidem. *ille; sed certa atque legitima ratio, ob quam voluntas sic agit; præsertim cùm voluntas Dei essentialiter sit ipsa infinita sapientia ac justitia ejus*. Ideò Paulus Deum prædestinare ait & operari secundùm *consilium voluntatis* suæ, non mero imperio, sed & consilio.

Denique totus in sententia sancti Thomæ conquiescit Dionysius, circa divinam futurorum contingentium & liberorum eventuum præscientiam. Nempe ea à Deo videri, nec aliter posse videri, L. 1. sent. d. quàm ubi jam existunt & coexistunt æternitati 38. q. 2. ejus. Cùm ante non sint determinata, adeoque nec determinatè & certò sciri possint. Parco adscribere verba Dionysii, quæ ipsissima sunt sancti Thomæ.

EX STEPHANO BRULEFER,

Ordinis Minorum, Doctore Parisiensi. An. 1503.

BOnaventuræ potissimùm doctrinam & elucidare & amplexari professus est hic. Et primò de gratia generali sic sentit, velle Deum omL. 1. sent. d. nes salvos fieri *voluntate beneplaciti antecedente*, non consequente. Ex illa autem salvifica antecedente Dei voluntate dimanare in omnes *omnia dona naturalia, intellectum, voluntatem, & gratias gratis datas*, quæ nempe annumerantur donis naturalibus, quia homini in naturalibus adhuc constituto, hoc est ante gratiam habitualem conferuntur. Ex eadem effluere *adjutoria communia & sufficientia* in omnes, nempe sacramenta.

Inferiùs autem *primam gratiam* nimirum habitualem promereri nos posse docet *merito congrui, quod est quando homo existens in peccato facit, quod in se est*. Quod ipsum tamen meriti adumbrati nomen, à gratia hauriendum esse idem infrà tradit; sed ejusmodi gratia, quæ omnibus sit obvia. Sic enim ille Bonaventuræ sententiam & verba allambens: *Vix aut numquam homo reperitur habens usum liberi arbitrii sine gratia gratis data aliqua; sed communiter habet aliquam. Ex hoc sequitur quod multùm obligamur Deo, qui semper vocat nos ad salutem*.

Et ibidem specialiter de generali timoris gratia: *Timor servilis est donum Spiritus sancti, & bonus, ut est qui timore pœnæ æternæ ambobus oculis declinat à malo, & facit bonum*. Quo tamen

men meliorem subjicit eum timorem esse, qui nonnullo amoris rudimento initiatus est. Istiusmodi gratias gratis datas omnino necessarias esse ibidem affirmat, ut *sufficienter* se disponat quis ad gratiam gratum facientem. Quin immò infrà concludit, *Liberum arbitrium lapsum, absque munere gratiæ gratis datæ non potest in bonum dispositivum de congruo*. Etsi possit *bonum opus ex genere, & ordinabile in finem* peragere, *ex solis naturalibus, non tamen sine auxilio divino, & generali influentia*. Ibidem.

Gratias has gratis datas inter influentiam generalem & gratiam sanctificantem medias, alibi idem bipartitur in hunc modum: *Omnes gratiæ gratisdatæ datæ sunt ad adjuvandum ad gratiam gratum facientem acquirendam. Gratia gratis data quædam habitualis est, & est donum habituale, ut scientia acquisita, bonitas. Quædam actualis, seu actuale donum, naturalibus additum, seu actus inductionis ad diligendum Deum.* Et rursum, *Gratia gratis data actualis duplex est, quædam consolatoria, quædam afflictiva. Prima vocatione fuit vocatus Joannes Evangelista, & isti portantur inter brachia; attrahuntur enim per consolationes spirituales. Secunda vocatione vocantur peccatores & duri per flagella.* His denique superaddit gratiam, *quæ est motiva; & est speciale Dei auxilium, quo ipse movet specialiter voluntates nostras ad bene operandum*. L. 2. d. 26. q. 1.

Hactenus de gratia generali. At verò ex eodem, *Propriè gratia est gratum faciens habentem, & opus gratum reddens. Hæc dicitur gratia operans, in quantum reddit animam gratam Deo, vel inquantum dirigit ad bonum opus, & est eadem gratia*. L. 2. d. 26. q. 2.

Circa eandem habitualem gratiam, quærit mox ibidem, *an comparetur ad animam in ratione motoris*. Respondet autem his verbis: *Liberum arbitrium habet moveri à gratia, & ab ea excitari. Nam movere nihil aliud, quàm causare aliquid in mobili. Sed gratia habet causare aliquid in libero arbitrio, quia inclinat animam nostram ad bonum. Dicitur gratia operans, quia facit animam gratam Deo: cooperans autem, quia inclinat ad bona opera*. Ibid. q. ult.

Quin immò *respectu operis meritorii gratia est velut principalis motrix, & voluntas velut pedissequa. Quia nunquam Deus acceptaret bonas voluntates nostras, nisi mediante gratia*. Idem denique infrà docet non posse sine gratia gratum faciente servari præcepta *quoad intentionem mandantis*, id est, ita ut perveniamus ad vitam æternam: etsi possint *quantum ad genus operis*, ita ut vitetur peccatum. Ibid. q. ult. L. 2. d. 28. q. 1.

Postremò denique quod spectat ad efficacissimam divini propositi gratiam, ex his facilè conjicietur Stephani doctrina, perinde aliena, hinc a scientia media, hinc à physica prædeterminatione. Primùm enim negat *necessitatem rebus imponi ex divina præscientia*. Ex Augustino enim, *Sicut mea memoria non cogit facta esse, quæ præterierunt; sic Dei præscientia non cogit facienda esse, quæ futura sunt*. Item sic ille arguit: positio vel ablatio præscientiæ divinæ extrinseca prorsus est nostræ voluntati, illique nihil vel addit, vel demit: non ergo ei necessitatem infert. Item præscientia non est causa malorum. Denique Deus præscit futura, sed & contingenter futura præscit. L. 1. d. 38. q. 2.

Similiter infrà docet prædestinatione divina non imponi necessitatem libero arbitrio, *quia non violentat liberum arbitrium, nec cogit, sed stat cum ipso, dimittens hominem in sua libertate & contingentia, quia sic contingenter quis facit bona opera, vel mala, cùm est prædestinatus, sicut si Deus eum non prædestinasset. Sicut si velit quis Joanni cras aliquid dare, non tollit aliquid à libero arbitrio ejus, sic nec Deus*. L. 1. d. 40. art. 2.

Inanes autem & scrupulosas quorundam querimonias sic idem ibidem retundit: *Deus non est tota causa salutis tuæ, sed cum voluntate tua. Quid autem frangis caput tuum per diversas cogitationes? Facienti quod in se est, Deus nunquam deficiet. Unde quidam Doctor, Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris. Unde in potestate tua est damnari, vel salvari*. Ibidem.

Quoniam autem ingerit se statim gravis difficultas, quomodo certò & infallibiliter Deus quos vult prædestinet, & ante sæcula prædestinarit, si actus liberi voluntatis nostræ in futurum pendent incerti, & pro libertate nostra huc illucque versatiles; hanc ille sic eximere difficultatem aggreditur: *Difficile est hoc intelligi, potest tamen sic capi. Præsens divinæ æternitatis complectitur omne tempus. Per præsens intelligitur nunc, vel instans æternitatis permanens. Non enim transit in præteritum; sed idem nunc æternitatis, quod coexistebat tempori in principio mundi, est hodie*. Hoc ita constituto, jam pronum est intelligere, omnia omnium temporum simul à Deo intelligi *unico actu intelligendi simplicissimo & invariabili*. Ex quo id emicat, quomodo Deus quæ nobis futura, eoque incerta sunt, eventa quælibet, etiam libera & contingentia, non tam prævideat, quàm videat, utpote præsentia, & actu existentia ac coexistentia æternitati, qua tota simul Deus semper fruitur: nec ullam tamen inferat rebus necessitatem, nec enim res cogit fieri, qui factas videt. Emicat rursum, quomodo Deus certò, quos vult, ad gloriam & prædestinet & provehat, nempe coram positos & libertate sua nunc utentes, intus foris que ita inescare, circumagere, & incitare novit, solando, terrendo, ut antè dictum est, ut & ad bonum converti tandem adducat, & in bono perseverare. L. 3. d. 40. q. 1.

Videsis ut idem alibi non obscurè id innuat: *Impossibile fuit hominem, vel aliquam creaturam rationalem per naturam habere liberum arbitrium inflexibile ad malum. Per naturam dico; nam per gratiam aliqua creatura fit inflexibilis, sive impeccabilis. Non quod gratia mutet naturam, sed sunt impeccabiles per gratuitam Dei manutenentiam, quia Deus non vult eis cooperari in peccatum, sed continuè sustentat in bono*. Si omnimoda impeccantia, quantò magis quòd à peccato quis emergat, & ante iteratam ruinam excedat è vivis, acceptum ferri poterit manutenentiæ Dei, & sustentationi in bono, & tentationum propulsationi? L. 2. d. 24. q. 1.

Eodem spectat quod ait voluntatem nostram nec à Deo *cogi* posse, nedum ab agente creato. *Induci* posse etiam ab agente creato, *immutari* à Deo solo. Immutat Deus voluntatem, cum charitatis habitum, seu affectum infundit. At verò, ut idem ait ibidem, inducitur libertas ad consentiendum, *tam per blanditias, quàm etiam per minas & tormenta*. Quæ duo sunt genera gratiæ gratis datæ suprà descriptæ. Potest & agens creatum blanditias minasque adhibere, sed pro suo modulo, ideoque non invictissimè quo volet liberas inducet voluntates. Potest Deus sine modo & supra omnem modum, ideoque ineluctabiliter inducet, quo volet cumque. Unde idem infrà: *Quadruplex est gratia, prædestinationis, vocationis, justificationis, & magnificationis. Gratia prædestinationis est ordinatio creaturæ rationalis ad gratiam & gloriam. Gratia vocationis est illa, qua gratia nobis offertur per aliquas monitiones, vel flagellationes*. Meminit & mox ibidem *gratiæ protectionis*, quæ tentationes temperat. L. 2. d. 25. q. 1. a. 2. L. 2. d. 26. q. 3.

Quod attinet denique ad prædestinationem gratiæ, hanc prorsus gratuitam tuetur Stephanus cum Bonaventura; sic tamen ut cum eodem *non sine ratione* asserat à Deo hunc eligi, alium reprobari, L. 1. d. 41. q. 2.

cùm

cùm ambo in eadem priùs massa delitescant. Nihil enim summa ratio & sapientia Deus agit, sine ratione & sapientia: at quæ hujus delectus ratio, quæ causa sit, nobis prorsus incompertum est, invium & inaccessum nobis est hoc arcanum, unde exclamat Apostolus, O altitudo divitiarum sapientiæ Dei. Longè aliter sanè & Bonaventura & Stephanus philosopharentur, si superstrui putarent prædestinationem consensioni liberæ nostræ, qua gratiam oblatam hic amplexatus esset, ille respuisset. Nec enim ea ratio inexplorata nobis est.

EX GABRIELE BIEL

An. 1490. *Germano.*

CIrca gratiam generalem ita sentit Biel, posse quemque per eam mereri de congruo gratiam justificantem: *Anima obicis remotione, ac bono motu in Deum, ex arbitrii libertate elicito, primam gratiam mereri potest de congruo. Quia actum facientis quod in se est, Deus acceptat ad tribuendum gratiam primam, non ex debito justitiæ, sed ex sua liberalitate.* Id probat verbis Alexandri Alensis, ita ajentis: *In quolibet homine est recta ratio per naturam, quia quilibet potest cognoscere suum principium, scilicet Deum: scit enim se non semper fuisse, & se habere principium, à quo debet petere suarum defectuum suppletionem. Cùm ergo recurrit homo ad illum, quem scit suum esse principium, & petit ab eo lumen fidei & boni, facit quod in se est. Et hoc est generaliter in quolibet homine.* Hæc de Gentilibus & infidelibus quibusvis. De fidelibus autem sic habet: *In fideli autem peccatore qui habet fidem informem, nihilominus fides illa ad duo radiat, scilicet ad divinam justitiam damnantem reprobos, & ad divinam misericordiam salvantem electos. Ex primo generatur timor, ex secundo spes: hoc faciendo facit quod in se est.* Hæc ille ex Alensi.

L. 2. Sent. d. 27. q. 1.

Ubi observa non actualem gratiam hic, ejusque necessitatem negari, quin immò astrui. Hæc interserit obiter Gabriel eo loco: *Supposita semper generali influentia Dei, sine qua omnino nihil potest.* Itaque auxilium Dei moventis, influentiam generalem, hoc est gratiam actualem semper supponebant, aliquando innuebant disertè, sed obiter & strictim. At in eam omnes tum maximè curam incumbebant, ut investigarent vires aliquas, sive facultates, sive habitus, quibus excitandis & in actum propellendis motio illa actualis destinaretur. Itaque Alensis & Gabriel in fideli impio fidei informis habitum spectant, ut vim, qua possit & timorem justitiæ, & spem misericordiæ Dei elicere; supposita semper generali motione actualis adjutorii, quæ nullis facultatibus, habitibusve deest, cùm opus est; & singulis accommodat sese, naturalem naturalibus, supernaturalibus supernaturalem. In infideli autem utrque observat innatam Dei notitiam abstrusumque sensum, quo gentes omnes quantumvis efferatæ Deum venerantur, suspiciunt, invocant, si qua repentè irruit calamitas. Huic sive facultati, sive habitui, sive instinctui non defore augurantur actualia Dei auxilia, quæ igniculos illos penè sepultos obrutosque excitent, & redaccendant, nisi homo ipse sponte sua pigritetur, & cœleste respuat adjutorium. Hæc germana ratio est priscos Scholæ Theologos & interpretandi, & vindicandi à calumnia.

Addit ibidem Gabriel, *Facienti quod in se est*, gratiam conferri à Deo *necessitate immutabilitatis*, sive *ex suppositione*, quia ab æterno ita ipse misericorditer atque irrevocabiliter decrevit. At verò mox idem inquirens ad quæ valeat libertas hominis post lapsum cum generali influentia, ad quæ speciali indigeat adjutorio; profert primò sententiam Gregorii Ariminensis, *parum attribuentis libero arbitrio*, & ajentis *speciali auxilio* opus nunc esse ad quodlibet bonum opus morale, ad sufficienter cognoscendum quodlibet verum morale, ad resistendum cuicumque tentationi, ad implendum quodcumque præceptum, ad vitandum denique peccatum, non tantùm omne collectivè, sed etiam quodlibet distributivè; denique semel etiam justificatos egere adhuc speciali auxilio ad vitandum peccatum quodlibet, & cuicunque obluctandum tentationi. Quanquam enim sine gratia habituali, & sine speciali auxilio possit homo honorare parentes, subvenire egentibus, & id genus alia: non tamen sine labe culpæ aliqua, quia non *propter quod oportet*, scilicet propter Deum, ut finem ultimum.

Istud porrò *auxilium speciale* Gregorio Ariminensi, si qua Bieli fides, est *quedam specialis Dei assistentia, vel Deus assistens, & gratis ad bene agendum & volendum juvans, & ad non peccandum; sive non permittendo ultra virtutem ab ipso nobis præstitam nos tentari, sive faciendo nos fortiter & rectè contra tentationes pugnare, sive alio modo nobis ignoto, sibi noto, juvando.* Hæc ille, ne quis hic suspicetur per auxilium speciale à Gregorio Ariminensi prædeterminationem physicam insinuatam esse. Id enim ab ejus mente alienissimum fuit. Nam prædeterminatio physica æquè necessaria foret ad colendos parentes quomodocumque, etiam non propter Deum. Denique auxilium speciale Gregorio quandoque in sola est tentationum amolitione, vel moderatione.

Subjicit mox Gabriel sententiam divi Thomæ, qui ut ipse ait *videtur temperatiùs loqui*: & primùm statuit necessitatem auxilii *Dei, ut primi moventis*, ad omnes motus tam spiritales, quàm corporales; & summatim *sic videtur sanctus Thomas sentire, quod ad actum meritorium indiget homo dono gratiæ habitualis infusæ, & hoc in utroque statu, naturæ integræ & lapsæ. Sed ad actus bonos non meritorios sufficit liberum arbitrium ex suis naturalibus, cum generali motione divina, sine gratia infusa. Sine qua etiam potest ab omni actu peccati ad tempus cessare, se etiam ad gratiam recipiendam præparare, non autem à peccato resurgere. Præcepta etiam divina licèt non omnia, quantum ad substantiam actus, non quantum ad intentionem precipientis adimplere: concurrente tamen semper auxilio Dei, ut primi moventis, sicut hoc requirit omnis creatura, in omni suo actu, actuari, & conservari: specialiter tamen hoc auxilio indiget homo lapsus, propter naturalium vulnerationem in carnis infectione, mentis obscurationem, & voluntatis ad seipsam recurvationem. Sed an illud auxilium articuli noni speciali ratione homini impensum, sit aliud ab influentia & cooperatione Dei generali, qua assistit omni agenti, ipsum movenda, an sit idem, non determinat. Non enim dicit quod homo indiget speciali auxilio Dei, sed dicit quod indiget tali auxilio gratiæ sub duplici ratione, id est, generali & speciali. Dicit denique quod in statu naturæ corruptæ indiget homo auxilio gratiæ naturam sanantis, ut Deum super omnia diligat.* Adverte hìc primò ex Gabrielis interpretatione, quam ut vero accommodatissimam nos semper sectati sumus, *gratiam sanantem* sancto Thomæ esse *donum gratiæ habitualis, infusæ*. Secundò gratiam quancumque actualem ab eo designari nomine *auxilii Dei moventis*, accommodari nempe effectis suis, sive naturalibus, sive supernaturalibus. Tertiò hoc auxilium Dei moventis sancto Thomæ idem esse atque aliis influentiam generalem. Quartò auxilium speciale ab eo nullum disertè constitui articulo illo famoso in eam rem, sed auxilium Dei moventis *specialiratione*

necessarium dici nunc, ut res habent post peccatum. Potest enim nunc idem atque antè, speciali ratione esse necessarium auxilium. Non aliter quàm gratia habitualis eidem sancto Thomæ necessaria nunc est eadem, quæ ante lapsum; sed antè generali tantùm ratione, nempe ad elevandam naturam ad actus supernaturales; nunc præterea speciali ratione, ad sanandam eandem. Quod tamen non prohibet, quin eadem sit omnino habitualis gratia. Postremò denique etsi speciale auxilium à divo Thoma desideraretur, longissimè aberrant à scopo, qui illud ejusmodi interpretantur, quo voluntas invictissimè determinetur. At suprà audivimus ex Gregorio Ariminensi, quid sit speciale auxilium. Audivimus & aliquantò temperatiùs molliùsque sentire divum Thomam, quàm Gregorium Ariminensem.

Sententiæ divi Thomæ *satis concordat* divus Bonaventura, ut ait Gabriel. Existimat enim gratiam habitualem necessariam esse, *ut resurgat à peccato, ut tentationes vincat; sic ut fiat Deo amicus, & præmio æterno dignus, ut denique impleat mandata secundùm intentionem mandatis*. Et rursum *gratiam gratis datam, qua vix, aut nunquam liberum arbitrium omninò destituitur, intelligendo per gratiam gratis datam, quidquid naturalibus superadditum adjuvat aliquo modo, & præparat voluntatem ad habitum, vel usum gratiæ; sive sit habitus, ut timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia; sive aliquis actus, sicut vocatio, vel locutio, qua Deus excitat hominis animam, ut se præparet*, hanc inquam gratiam, quæ idem Bonaventuræ videtur esse, quod Ariminensi *speciale auxilium*, existimat ille *necessariam esse, ut homo ad gratiam gratum facientem se disponat, ut omni tentationi resistat, ut bonum quantumcumque faciat, quod sit ordinatum ad æternam salutem, ideoque cum recta intentione, licèt extra charitatem: denique ut bonum quodlibet morale ordinabile ad Deum, quamvis non revera ordinatum, faciliter faciat*. Denique censet Bonaventura *ad bonum morale ordinabile in Deum sufficere aliquando & rarò rationem ac residuum boni instinctum, cum generali influentia & cooperatione Dei, sicut cooperatur aliis creaturis. Nam sine primo agente nullum agens potest agere*. Ita Bonaventura aliquantò explicatiùs quàm Thomas, & clementiùs quàm Ariminensis. Nam divus Thomas auxilio Dei moventis complectitur utrumque illud auxilium ab habituali gratia distinctum, quod Bonaventura discriminavit. Et rursum Bonaventura *specialis auxilii* necessitatem non ad omnia opera moraliter bona extendit, sicut Gregorius Ariminensis. Illud denique nec Gregorio forsan displicuerit, quod ait Bonaventura, sine speciali auxilio seu gratia gratis data vix, aut nunquam liberum arbitrium reperiri. Itaque licèt speciale hoc vocetur auxilium, quòd ab influentia generali differat, generalis tamen & ista gratia est.

Scoti denique & Ockami doctrina à Gabriele profertur, *Cùm loquimur de puris naturalibus, non excludi generalem Dei influentiam, qua ut causa prima concurrit cum agente secundo: sed per pura naturalia intelligitur anima natura seu substantia, cum qualitatibus & actionibus consequentibus naturam, exclusis habitibus ac donis à Deo supernaturaliter infusis*. Ibidem. Et denuò *distingui triplex bonum, meritorium, quod est à charitate & gratia: morale, quod fit, quia dictatur à recta ratione: bonum ex genere, &c.* His positis conclusiones parum absimiles antecedentibus subjiciuntur: *Posse quemque ex puris naturalibus bonum morale opus facere: se disponere ad gratiæ susceptionem, faciendo quod in se est: quodlibet peccatum mortale novum cavere, &c.* Et mox tamen defluit Gabriel ad Bonaventuræ sententiam, *vix aut nunquam liberum arbitrium destitui omni gratia gratis data; itaque homo tot difficultatibus nunc implicatus, rarò vellet bonum, rarò se ad Deum converteret, nisi specialiter Dei auxilio fideli sustentaretur*. Specialis itaque auxilii necessitati, sed & generalitati ipse quoque subscribit. Postremò ut ignorantia invincibilis à culpa prorsus excuset, ut facienti quod in se est, fidei ad salutem necessariæ inscitia vel non obsit, vel divinitus abstergatur, idem alibi docet in hæc verba consentanea prorsus illis, quæ ex Alensi & aliis alibi retigimus. L. 2. d. 22. q. 2. Vide quæ & alibi prolixè differit de syndereſi, ad bonum incitante, revocante à flagitiis. ibid. d. 39. q. 2.

Jam verò de gratia habituali, quòd ea *inclinet* ad diligendum Deum & ad implenda præcepta, sic Gabriel: *Charitas, sive Gratia nominatur. Gratia quòd ea Deus acceptat naturam, Charitas quia inclinat ad diligendum Deum. Habet hoc donum infusum inclinare primò & principaliter ad actum proprium, qui est diligere Deum, & mediante illo ad cujuslibet alterius virtutis actum; sicut ceteri habitus acquisiti ad faciliùs, expeditius, delectabiliùs eliciendum actus similes illis, à quibus geniti sunt, inclinant*. Et mox ait tametsi habitus *inclinet naturaliter*, tamen actum charitatis esse liberum, quia *in actu meritorio duo est attendere, substantiam actus, & rationem meriti: quantum ad substantiam actus, est principaliter à voluntate liberè producente; quantum ad rationem meriti, est principaliter à charitate*. L. 1. Sent. d. 17. q. 3.

Alibi verò præter gratiam increatam, seu Spiritum sanctum & totam Trinitatem animæ sanctificandæ *illabentem*, creatam statuit gratiam eamque multiplicem; sed gratiam *propriissimè & strictissimè* sumptam vult esse habitualem, quæ gratos Deo facit, & opera vitæ æternæ meritoria efficit: hanc ait à Pelagio negatam, huic aptat loca & verba Augustini omnia de gratia propriè dicta. Hanc ait dividi in *operantem*, quatenus *justificat impium*: & in *cooperantem*, quatenus *inclinat hominis voluntatem ad eliciendum opera sua principaliter propter Deum; & per hoc facit opera hominis meritoria, & æterna præmio digna*. Rursum gratia operans eadem *præveniens* est, & gratia *cooperans* eadem *subsequens* est, *pro quanto adjuvat voluntatem inclinando eam ad opera meritoria perficienda*. Et ibidem rursus manifestissimè, *Gratia est habitus animæ virtuosus, non acquisitus, sed infusus; est enim qualitas dirigens animam, & inclinans ad opera meritoria*. Denique quòd sit virtus *infusa*, probat ex Augustino, qui virtutem ita definit, ut eam *Deus in nobis sine nobis operetur*. Denique *idem sunt realiter charitas & gratia, quia eodem habitu, quo Spiritus sanctus inhabitat animam, voluntas inclinatur ad suum finem super omnia diligendum*. L. 2. d. 26. q. 1.

Et rursum ut actus bonus principaliùs sit & à bona voluntate secundùm substantiam, & à gratia secundùm rationem meriti, illustrat exemplo cursus, qui & ab equo est, & ab equite. *Cursus equi per certam viam ad certum terminum, est ab equo & sessore dirigente equum. Principaliùs quidem ab equo, quantum ad substantiam motus & ejus velocitatem: sed inquantum directus per talem viam ad hunc terminum, principaliùs est à sessore dirigente. Et secundùm hoc intelligendum est illud Augustini ad Sixtum Presbiterum, quod gratia habet se ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum. Et illud ad Bonifacium Papam, Voluntate comitante, non ducente; pedissequa, non prævia*. Et mox aliquid in ea comparatione claudicare non dissimulans: *Nam voluntas est quasi equus liber, & gratia quasi sessor per modum naturæ inclinans*. L. 2. d. 27. q. 1.

Ut autem habitus incliner, & ideo vel faci-

litatem, vel difficultatem ingeneret ad actus quoslibet, nec tamen libertatem indifferentiamque perimat, sic ille non multò pòst: *Difficultas in eliciendo, non minuit libertatem, quia ita elicit actum, quod omnibus eodem modo se habentibus, habet in potestate sua elicere & non elicere. Et ideo quantumcumque crescit difficultas, nunquam aufert libertatem; sed bene tollit delectationem & promptitudinem. Et per hoc frequenter mutat voluntatem, ut desinat velle quod voluit, sublata delectatione, aut incipiat velle quod voluit, accedente metu, vel tristitia; semper tamen manet libertas in volendo.* Ita liquet quomodo habitus quicumque mutent voluntatem & inclinent, ut nolit quæ volebat, & quæ nolebat velit vicissim; nempe addita vel delectatione ad actus proprios, vel mœstitia & difficultate ad adversos.

L. 2. d. 38. q. 1.

Ut denique gratia habitualis necessaria sit *ad merendum* vitam æternam, & ad operandum *ex recta intentione*, idem infrà declarat *ex recurvatione voluntatis ad seipsam, propter quam nihil magis se diligit: indiget ergo gratia, qua se elevet supra se ad summum bonum.* Sic ille non recurrit ad solum Dei beneplacitum, quo jusserit sanxeritque habitus hujus necessitatem; sed ad ipsam rei naturam & summam difficultatem, qua fit ut recurva in seipsam voluntas, nequeat prorsus assurgere in Deum, nisi omnipotente operatione Dei affectus ipse intimus ejus immuterur, & affectu radicitùs in melius mutato, actus jam inde boni & meritorii pullulascant.

L. 2. d. 28. q. 1.

Circa efficacissimam denique gratiam, qua Deus voluntates nostras liberas indeclinabiliter agit, quo ipse cumque vult, utcumque mens Gabrielis patescet ex ea ratione, qua secundùm ipsum prævidet Deus futura contingentia. Et primùm quidem aliquos ita sentire ait, quòd futura contingentia libera certò sciat & præsciat Deus *per ideas, quantum ad omnes conditiones existentiæ, propter perfectionem repræsentationis, qua ideæ repræsentant res secundùm omnem ratianem & habitudinem extremarum.* Alios verò *per hoc quod totus fluxus temporis est præsens æternitati.* Scotus autem dicit, quòd *voluntas divina quæ est prima regula contingentium, priùs determinat contingentia, antequam illa intellectus divinus intelligat. Unde intellectus divinus videns determinationem divinæ voluntatis, videt illud fore, quod voluntas determinat.* Denique ex Ockamo Deum præscire futura contingentia & libera, *quia Deus, sive essentia divina est cognitio intuitiva, tam sui quàm omnium futurorum & possibilium, tam perfecta & clara, quàm præteritorum & præsentium.* Scit enim omniscius, *Quæ pars contradictionis esset, fuit, & erit vera, quæ falsa.* Ut enim homo præsentia contuetur, ita Deus futura & præterita omnia. Huic Ockami sententiæ accedit Gabriel.

L. 1. d. 38. q. 1.

Nec ab eodem discedit in negotio prædestinationis, quam duplicem facit, alteram eorum, qui ob prævisa merita eliguntur ad gloriam, alteram verò illorum, *qui ex gratia speciali ordinati sunt ad vitam, ita quod sibi ipsis non sunt derelicti, sed præventi, ne ponere possent obicem & ne possent peccare, vel in peccatis permanere; sicut beata Virgo & Paulus à Domino percussus & illuminatus.* Nobis sanè bipartita hæc prædestinatio infesta prorsus videtur Pauli Augustinique doctrinæ. Eam ergo tantùm tuemur partem, quæ gratuitæ electorum omnium prædestinationi suffragatur.

S. 1. d. 41. q. 1.

Horum postremò voluntas quomodo invictissimè flectatur à Deo, idem Gabriel alibi patefacit, exponens illa in Evangelio verba, *Compelle intrare, Nisi Pater traxerit, &c.* Et rursum quomodo voluntatem possit Deus cogere: *Voluntas quatenus ad actus elicitos potest induci, potest*

L. 2. d. 25. q. 1.

& timore, vel promissione mutari, ac ab actu elicito recedere, & contrarium velle. Clara sunt hæc teste experientia. Potest enim per divinam immissionem, & illuminationem, & Spiritus sancti specialem motionem, gratiaque infusionem recedere à vitiosis volitionibus & elicere bonas. Et hæc dicitur tractio divina. Quoniam sic voluntas divino adjutorio separatur ab his, quibus per amoris glutinum fortiter adhæsit, & æternis incipit adhærere. Sic dicit beatus Bernardus, Hoc intendit Deus, cùm terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos: quatenus dum de malo in bonum mutat voluntatem, transferat libertatem, non auferat.

UNIVERSIM ALIQUA & summatim observantur in suprapositam Theologorum secundæ hujus ætatis doctrinam.

ILlud hìc primùm animadverti æquum est, quàm consentiant inter sese Theologi omnes secundæ hujus ætatis, & quàm non dissentiant à Theologis primæ, quæstionibus in omnibus, in quibus aliquantulum est momenti. Consentiunt enim omnes in constituendo influxu, seu concursu generali Dei, ut primi Entis, primæ causæ, primi motoris in causas omnes secundas, & in effectus eorum, seu liberos, seu necessarios; at in liberos maximè, colore qualiscumque saltem oblitos bonitatis moralis.

Consentiunt etiam penè omnes & de necessitate auxilii specialis, ad actus paulò difficiliores & sublimiores, sive in præceptis servandis, sive in superandis tentationibus. Etsi speciale dicatur hoc auxilium, quòd non ille tantùm sit concursus generalis: omnibus illud tamen commune esse sentiunt, ut possibilia sint mandata; nisi adulti priore aliquo delicto illud sibi subduci meruerint.

Consentiunt influxum, seu motionem generalem primæ causæ intelligi posse, aut de impulsione interiori, aut de exteriori excitatione per objecta, per exhortationes, per consilia, per pœnas & adversitates: horum enim omnium mentio fit apud sanctum Thomam.

Consentiunt auxilium speciale conflari & coalescere ex timore servili, ex suavitate quadam indolis & tenetitudine naturali, ex lumine naturali, ex reliquiis piorum affectuum, ex rebus ipsis convenienter objectis, ex piis suasionibus, promissis, minis, pœnis, aliisque id genus.

Consentiunt bis tum generalibus tum specialibus auxiliis non determinari infallibiliter voluntatem. Ne voces quidem ipsæ determinationis, aut infallibilis efficaciæ usquam hìc leguntur. Unum id affirmant, auxiliorum specialium alia aliis validiora esse.

Consentiunt utroque hoc genere auxiliorum præparari homines ad justificationem, per priora mediatè, per posteriora immediatè. Si enim voluntas primis cooperetur, dantur posteriora; si his obsecundet, ad justificationem perducitur.

Consentiunt auxilia hæc naturalia posse dici, non modò quia omnibus communia sunt hominibus: sed etiam quia is Scholæ usus est, ut quidquid justificationi præit, eo non dicamur evehi supra naturam: quòd sola habituali & justificante gratia adjiciatur nobis nova generatio, esse novum & supernaturale. Nec tamen vetant, supernaturalia etiam dici, & gratiæ nomine contineri: cùm ad gratiam iis vel mediatè præparemur, vel immediatè; cùm gratiæ gratis datæ dicantur; cùm plerumque lumina sint menti infusa, vel piorum affectuum initia voluntati instillata.

lata. Si qui autem aliquando horum Theologorum dixerint, influxus generalis ope posse imperfectum aliquod meritum comparari, quo specialia auxilia nobis concilientur; nihilo tamen minùs specialia hæc auxilia gratis semper dari contestati sunt; quòd meritum hoc omne, quod congruum dicitur, adumbratum tantummodo & precarium sit, uni divinæ innixum misericordiæ.

Consentiunt generalia hæc auxilia ab antecedente Dei voluntate proficisci, qui auxilia sufficientia omnibus impertitur ad implenda præcepta, ad vitanda peccata, ad superandas tentationes, ad habitualem gratiam comparandam, quòd omnes velit salvos fieri. Si qui horum Theologorum inusitatam nescio quam austeritatem affectarint, ut Thomas Bradvardinus, & Gregorius Ariminensis, illos cæteri abjecerunt, vel etiam damnarunt. Sicubi discrepare visi sint Thomas, Bonaventura & Scotus, non magni fuit momenti illa dissensio. Dominicanorum omnium eadem fuit, quæ & aliorum sententia de generalibus & specialibus auxiliis, de præscientia & decretis Dei, de actualium auxiliorum sincera & infucata sufficientia. Nemo eorum vel uno saltem verbo attigit sufficientia illa auxilia, quorum effectus nunquam est ullus. Nemo eorum illorum unquam meminit efficacium auxiliorum, quibus resisti potest semper, nec unquam resistitur. Omnibus ea placuere sufficientia auxilia, verè sufficientia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non assentitur; & per quæ tamen certissimè agitur, agitque, quando ita Deo visum est, cujus omnipotens voluntas est, ut horum auxiliorum tanta sit copia, congruitas, suavitas, vis, ut effectu nunquam frustretur.

Quod ad gratiam jam sanctificantem spectat, illam hanc esse consentiunt, quæ gratia principaliter dici debeat; quam Joannes vocat generationem divinam & initium novæ creaturæ; quam appellat Paulus charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum; charitatem permanentem in anima justorum, affectum eorum dominantem; sicut concupiscentia carnis permanet & dominatur in eis, qui justificantis gratiæ exortes sunt; illam denique gratiam, de qua certamen fuit Ecclesiæ & Pelagio.

Consentiunt per hunc habitum infusum, seu affectum dominantem charitatis, inclinari & impelli, adjuvari & roborari voluntatem ad opera bona; quòd ea sit vis & natura habituum & affectuum dominantium. Hæc itaque gratia vires largitur implendi præcepta, & tentationes vincendi; quod nihil obstrepit necessitati gratiarum actualium, ut mox dicetur.

Consentiunt hac nos gratia justos fieri, filios Dei, & divinæ consortes naturæ. Laborant aliqui in derivandis tantis his nominibus & ornamentis ex habitu inhærente. Sed laborare desinent, remque facillimè capient, si advertant hunc habitum nequaquam otiosum esse & sterilem; sed affectum esse stabilem & permanentem divini in nobis amoris, cæteris omnibus dominantem animæ affectibus. Manifestissimum est enim, justos & Dei filios, & naturæ divinæ consortes esse, atque ita ad esse quoddam supernaturale sublimari eos omnes, in quibus residet & dominatur charitas.

Consentiunt jure meritissimo gratiam hanc habitualem & permanentem principalis gratiæ nomine decorandam fuisse. Non aliter enim certa nobis & solida ratio, oratioque constabit, quàm si ante cætera omnia constituamus in homine principium aliquod permanens bonorum operum, cui consentaneas deinceps Deus adjiciat motiones & gratias actuales. Ita nimirum Author naturæ sensus & organa sensuum in nobis primùm constituit, quibus fit, ut possimus sensuum operationes edere, & verissimè possimus, etsi ad id præterea desideretur motio & auxilium Motoris universalis. Ita res habet in cæteris etiam naturis omnibus. Inseruit illis Deus principia & facultates, quibus effundere ex se possint operationes omnes illis congruentes; nec dubitat quisquam, quin verè id possint, etsi ne id quidem possint sine concursu generali; qui etsi non exprimatur, poni tamen semper intelligitur, nec unquam denegari. Æquum est ergo, ut & causæ liberæ, morales & supernaturales, principio intimo instruantur operationum sibi propriarum. Ea est porro gratia habitualis in justis & Dei filiis: per eos potest illa edere opera bona prorsus omnia, quamvis id non possit, nisi cum auxiliis actualibus, quæ illi consentiunt, & quibus nunquam destituitur.

Consentiunt proinde hanc gratiam prævenientem esse & subsequentem, operantem & cooperantem; principium esse bonorum operum, causam & fontem meriti, dilectionem & delectationem justitiæ; quòd habitus id præstent, ut operari, & facile, & volupe sit; denique illam ita voluntati, ut equitem equo imperitare.

Solidè hæc constanterque & sentiuntur & dicuntur: & nisi quis hac doctrina imbutus fuerit, is Scholæ antiquæ procerum Theologicos Commentarios non leget sine fastidio; forsan nec sine contemptu; scilicet quòd eos non assequatur, aliisque occupatus sit opinionibus, quæ ab illa & perspicuitate & firmitate procul sint.

Quod ad Prædestinationem attinet, illam omnes ferè consentiunt esse gratuitam; & gratiam illam efficacissimam, qua perficitur & executioni mandatur, positam esse in protectione Dei, in multitudine innumerabili divinorum intus & foris auxiliorum, in mira quadam vicissitudine minarum & blanditiarum, amaritudinum & suavitatum, in summovendis tentationibus & occasionibus peccandi, in abnuendo concursu ad malum. Nec his Theologis in mentem unquam venit, ut decreta, vel auxilia prædeterminantia commemorent.

Consentiunt divinam liberorum eventuum præscientiam scaturire, non ex Decretis ejus, vel præmotionibus physicis: de his enim altum apud illos silentium; sed vel ex eo quòd quæ nobis futura sunt, ea omnia verè & realiter coexistant divinæ æternitati; vel ex infinitate visionis divinæ, quæ illi ut præsentia sistit ea omnia, quæ nobis præsentia, præterita, vel futura sunt, non aliter quàm possibilia omnia; aut ex Dei divina & infinita scientia, quam nulla omnino potest latere veritas; atqui ex duabus propositionibus contrariis circa futura hæc contingentia & libera, altera determinatè & ab æterno vera est, ut hi quidem volunt, altera falsa; aut ex eo denique quòd prævideat necessariò Deus, quibus cooperaturus sit operationibus causarum secundarum.

Consentiunt impleri semper voluntatem Dei, non prædeterminandis causis secundis ad operationes indiscriminatim suas omnes; sed bona præcipiendo, juvando, præmiando: mala prohibendo & puniendo.

Consentiunt voluntates liberas à seipsis determinari, sed præesse illis Deum semper, & quo ipse cumque vult eas torquere, tum omnipotentia sapientiæ suæ, tum provida dispensatione eorum omnium, quibus potest voluntas, vel ad quidvis inclinari, ut ad id semetipsa determinet: vel à quovis avocari, ne ad illud ipsa sese determinet:

PARS TERTIA,

THEOLOGORUM SÆCULI DECIMISEXTI ab anno milleſimo quingenteſimo ad finem uſque Concilii Tridentini.

ITALI.

Obiit an. 1528.

EX FRANCISCO FERRARIENSI Ordinis Prædicatorum Priori Generali.

SANCTI Thomæ veſtigia ſcrupuloſiſſimè ſectatus eſt Franciſcus Ferrarienſis in Commentariis ad ejus Summam contra Gentiles. Et primò quidem quod ad gratiam habitualem attinet, ejus neceſſitatem ille hinc aſtruit cum ſancto Thoma, *quòd ſine tali auxilio, quæ eſt gratia, homo non poteſt conſequi beatitudinem, tanquam formaliter & intrinſecè dignus beatitudine, & tanquam opera ſua ſine tali auxilio ſint formaliter vitæ æternæ meritoria.* Ut enim ad conſequendum finem naturalem inſtruitur homo forma & potentiis naturalibus; ita ſupernaturalibus formis & virtutibus muniendus eſt ad finem ſupernaturalem. Nec tamen libertati obſtrepit gratia hæc cùm *urget*, cùm *trahit*. Nimirum quia *Deus omnibus providet ſecundùm modum ſuæ naturæ, habetque natura rationalis, ut liberè agat. Conſtat quod trahi, urgere, & ſimilia non dicunt coactionem, ſed tantùm inclinari, & moveri ad bonum libertate ſervata.* Ergo gratia propriè dicta, ſive habitualis, & dignos facit æterna vita, & ad opera ejus meritoria urget & trahit, id eſt, *inclinat & movet.*

l. 1 ſumma contr. Gent. c. 147. 148.

Nec multò pòſt cùm ſanctus Thomas gratiam iſtam non actu ſolo fugacem, ſed habitu permanentem eſſe debere probaſſet his verbis, *Quod enim in aliquem finem dirigitur, oportet quod habeat continuum ordinem in ipſum: nam movens continuè mutat, quouſque mobile per totum finem ſortiatur. Cùm igitur auxilio divinæ gratiæ homo dirigatur in ultimum finem, oportet quod continuè homo iſto auxilio potiatur, quouſque ad finem perveniat. Hoc autem non eſſet ſi prædictum auxilium participaret homo ſecundùm aliquem motum, aut paſſiones, & non ſecundùm aliquam formam manentem & quaſi quieſcentem in ipſo. Motus enim & paſſio talis non eſſet in homine, niſi quando actu converteretur in finem:* illam ſententiam & argumentationem multis illuſtrat confirmatque Ferrarienſis, & gratia juſtum, ceu *pondere* & gravitate ſua lapidem, ſemper *dirigi* & *inclinari* oſtendit, & habitu hoc effici, ut *quaſi connaturaliter, faciliter & delectabiliter bonum & bene operetur.*

Ibid. c. 148.

Cùm autem hinc quidam urgerent *ſequi, quod ſemel directus à Deo ad beatitudinem per infuſionem gratiæ, nunquam ipſam gratiam poſſit amittere, quouſque ad beatitudinem perveniat:* reſpondet luculentiſſimè Ferrarienſis *hoc intelligi quantum eſt ex ipſa ratione directionis ſecundùm ſe conſiderata. Dirigens enim rem aliquam ad finem ſua motione, quantum eſt ex ſe, non ceſſat, quouſque rem ad finem perduxerit: & per conſequens talis habitudo & ordo rei directè ſecundùm ſe non habet, quod interrumpatur. Cum hoc tamen ſtat, quod per aliquod impedimentum ſuperveniens, poſſit ipſa directio & ipſe ordo impediri: ſicut poteſt ſuperveniente vento impediri ſagitta, ne ad ſignum intentum à ſagittante perveniat. Eodem modo dicitur quod ipſa directio hominis Deo grati ad beatitudinem, ſecundùm ſe continua eſt, & ordo hujuſmodi hominis ad ipſam directi, quantum eſt ex ſe, habet ut continuè duret, quouſque homo beatitudinem conſequatur: poteſt tamen talis ordo & directio per peccatum impediens interrumpi.* Obſerva hic primò per gratiam habitualem juſtos jugiter inclinari, moveri, dirigi à Deo ad Deum & ad opera fini huic conſentanea: & ex parte Dei nunquam interrumpi hanc directionem, adeoque nunquam ab eo ſubtrahi reliqua auxilia, illi perpetuandæ neceſſaria. Secundò magnas vires & ingentem efficaciam ineſſe huic gratiæ ad bona opera, cùm ſit jugis motio, inclinatio, directio, pondus animæ. Ineſt enim gravitati gravium efficacia non mediocris ad ea deorſum rapienda. Tertiò cogitari debere gratiam non tantùm ut formam inhærentem, immanentem, ſanctificantem: ſed ut aliò inclinantem, ſurſum trahentem, ad æterna rapientem. Quartò per hanc gratiam ita juſtos à Deo moveri & dirigi ad æterna, ut telum quopiam à jaculatore emittitur. Utrobique poteſt obex aliquis intercurrere, at motio ipſa ſuapte ſponte efficax eſt. Ita ergo cùm juſtos ceu inſtrumenta, ceu ſagittas à Deo deſtinari & efficaciter moveri dicitur, de gratia hac etiam maximè tunc ſermo eſt. Ut enim gravia omnia deorſum vergunt & feruntur tandem, etſi aliqua aliquandiu impediantur; ut humana ſpecies propagatur in ſæcula, etſi poſſint ſinguli abſtinere, etſi aliqui abſtineant à procreandis liberis: inclinatio enim ut in pluribus obtinet, etſi non ſemper; ita motio hæc & directio Dei per gratiam, etſi quandoque aliquandiu impediatur, non tamen ſemper impeditur; cùm vel maximè ſit in poteſtate Dei protegentis amoliri impedimenta. Etenim ſi accedat protectio Dei, virium & efficaciæ ſatis eſt in gratia habituali ad perſeverandum in bono. Unde idem non multò pòſt: *Habitus infuſi* l. 2 c. 15. *ſecundùm ſtatum præſentis vitæ non auferunt à libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum, licèt aliqualiter per eos ſtabiliatur in bono. Ideo ex ſancto Thoma auxilium gratiæ ad perſeverandum non eſt habitualis gratia, ſuperaddita gratia ſpirituali prius infuſa ad bene operandum, ſed eſt auxilium divinæ providentiæ exterius operantis, &c. protegentis contra tentationum incurſus, &c.* Sed hæc jam ſpectant ad alia hæc duo gratiæ genera. Nempe ad gratiam generalem, & maximè ſpecialem, ſeu propoſiti.

Gratia ergo generali & ſufficientiſſima jam liquet non deſtitui unquam juſtos ad bene operandum. Quoad omnes autem homines, cum ſancto Thoma docet Ferrarienſis, poſt lapſum ſupereſſe in omnibus *boni deſiderium, dolorem de malo, potentiam ad bonum.* Ideo ad hunc finem *aptos* eſſe moveri omnes, & *nihil in operibus Dei fruſtra eſſe.* Et Infrà, *Licèt homo per motum liberi arbitrii nec gratiam promereri poſſit, nec ad Deum converti: poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat. Ideo non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, quia Deus quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare. Illi autem ſoli privantur gratia, qui in ſeipſis impedimentum gratiæ præſtant.* Declaratur exemplo *claudentis oculos, Sole mundum illuminante.*

Ibid. c. 146 & 149.

Sed ne tergiverſari fas ſit, accipe quæ idem ſtatim enucleatiſſimè ediſſerit: *Cùm duplex ſit auxilium, quo ad beatitudinis conſecutionem indigemus, ſcilicet habitualis gratia & divina motio tam intrinſecè quàm extrinſecè facta, qua ad bonum dirigi-*

Ibid. c. 152.

mur,

mur, & ad gratiæ præparationem excitamur : primum auxilium Deus non omnibus dat, absolutè loquendo, postquam peccaverunt : sed bene omnibus se ad ipsum præparantibus ex divina motione concedit. Secundum autem auxilium omnibus impendit, & nulli quantum ad hoc est absens Deus, cùm nullus sit, qui ab eo non moveatur ad bonum, & ad gratiæ præparationem. Juxta illud, Ego sto ad ostium & pulso. Sed quia homo liberi est arbitrii, & potest divinam motionem sequi & non sequi, &c. Ergo Deus paratus est omnibus gratiam habitualem dare, quia omnibus se ad eam præparantibus vult dare, nullique deest auxilium suum, ipsum quandoque movens & instigans ad hoc, ut se ad gratiam præparet. Et ideo bene hic dicitur, quod meritò homini imputatur, si gratiam & virtutes eam comitantes non accipiat. Quod enim non recipiat aliquid ab eo qui paratus est dare, & qui quandoque ad accipiendum instigat, non est absque ejus immutatione. Quæ ita perspicua sunt, ut interpretando obscurari magis possint, quàm elucidari.

Admonet tamen mox Ferrariensis, non extra culpam fore eos, quibus ut ad gratiam se præparent, divina motio defuerit, si modò ideò defuerit, quia antè ipsi in crimen aliquod *propria voluntate ceciderint, ipsi sua culpa causa fuerint hujus privationis.* Quæ ad peccatum originis trahi non possunt. Abstinere autem à crimine, seu impedimentum gratiæ non præstare, homini nondum lapso in potestate erat, nempe omnino & ad omnes actus, & semper, ut ibidem cum sancto Thoma sancit Ferrariensis; nunc autem in potestate est *ad aliquod momentum, ab aliquo actu peccati particularis : si tamen diu sibi relinquatur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur.* Ita ergo præstat peccator impedimentum gratiæ, ut possit non præstare, cùm *actu particulari* præstet, quo *poterat abstinere propria potestate.*

Ibid. L. 3. c. 34.

Ibidem.

Ibid. c. 160.

Addit Ferrariensis illam potestatem vitandi peccata singula, non omnia, esse potentiam *remotam:* at potestatem vitandi etiam omnia ex habitu gratiæ, vocari potentiam *proximam.* Etenim si careat quis habitu revocante ad Deum, & gravetur habitu inclinante deorsum, *consequens est, ut aliquando peccet : sicut & habens habitum, non potest diu stare, quin secundùm illum habitum operetur. Et sic ille qui peccavit, manente illa dispositione & privatione, non potest omne peccatum vitare, licèt aliquod particulare peccatum vitare possit.* Etenim ut infrà ait, *sicut habitus virtutis non imponit necessitatem operandi absolutè hoc vel illo particulari considerato : sed tantùm facit inclinationem ad actum habitui conformem, &c. Ita stante habituali inclinatione mentis ad peccandum, potest hoc particulare peccatum & illud ex hominis vigilantia vitari : propter quod dicitur, quod existens in mortali peccato potest singula peccata vitare. Sed tamen quia in multis occupatur mens humana, nec continuè, nec diu esse in tali vigilantia potest, qualis requiritur ad hoc, ut peccatum vitetur : Ideo necesse est, ut quandoque taliter dispositus peccet, & non maneat diu absque peccato. Ex quo fit quod existens in peccato mortali, non potest omnia peccata vitare collectivè.* Licèt ergo hæc potestas hominis nondum justificati *proximè* sufficiat ad vitandum singula, dicitur tamen *remota*, quia à potentia liberi arbitrii sumitur, non ab habitu medio inter potentiam & actum. Ita actus omnes, quibus habitum gignimus nobis quemcumque, à potentia remota nascuntur, etsi verè à nobis erumpunt : at actus, ex potentia habituque acquisito deinceps emergentes, illi oriuntur à potentia proxima.

Ibidem.

Ibidem.

Denique addit Ferrariensis, cùm dicitur peccator posse vitare singula, *commune semper intelligi divinum auxilium.* Quia enim causis omnibus præsto semper est, ideo prisca schola illud semper intelligebat, etiam cùm tacebat. Si quæras autem cur non affluat tanta copia hujus auxilii divini, ut vitari queant etiam omnia : respondet *quod divinum auxilium movet hominem secundùm ejus conditionem.* At conditio hominis nondum reparati ea est, ut non semper vigilet, non semper connitatur. Postremò monet à nondum justificato posse servari singula præcepta Decalogi & juris naturalis, non autem juris supernaturalis. Hæc enim observari nequeunt sine *gratia* justificante. Crimini ergo datur, non quòd ista non servent, sed quòd gratiæ non se præparent.

Ad efficacissimam & per sese invictissimam venio gratiam, ex plurimorum auxiliorum collectione constantem. Sic ergo Ferrariensis luculentissimè : *Attendendum ex doctrina sancti Thomæ, de verit. quæst. 6. art. 3. quod dupliciter invenimus ordinem respectu alicujus effectus esse certum. Uno modo ex eo quod una causa particularis suum effectum ex ordine divinæ providentiæ infallibiliter producit. Alio modo ex eo quod multæ causæ, quarum quælibet potest deficere, ad consecutionem unius effectus à Deo ordinantur, loco ejus quæ deficit, vel ne deficiat. Sicut videmus perpetuitatem speciei salvari in rebus corruptibilibus, non per unicum individuum, sed per successionem unius ad alterum : divina providentia sic gubernante, ut non deficiant omnia uno deficiente. Si ergo loquamur de effectibus necessariis, illa infallibiliter eveniunt : non in ordine ad causas proprias, sed in ordine ad divinam providentiam : quæ tot adminicula apponit, quod illorum propriæ causæ non deficiunt.* Subjicit ad eum modum intelligi debere illud decantatissimum apud sanctum Thomam, moveri à Deo causas omnes, suo quasque ex ingenio, liberas & contingentes liberè & contingenter, necessarias necessariò.

Ibid. L. 3. c. 34.

Alio ibidem exemplo rem aperit Ferrariensis : *Si quis debilem viribus, & volentem aliquò proficisci, juvaret sustinendo, ne caderet in via, sicque eum ad aliquem destinatum locum absque defectu perduceret, suis tamen pedibus gradientem ; diceretur utique quod iste perduxit ad terminum absque defectu, cum qui si sibi relictus fuisset, multoties in itinere cecidisset. Et tamen hoc non obstante, hic suis pedibus ad terminum pervenit : & quantum est ex se, defectibiliter, cùm viribus debilis esset. Simili ratione cùm per divinam providentiam homo ad aliquem finem perducitur, Deo ejus voluntatem movente, & adjuvante, atque universa removente impedimenta, homo quidem liberè, & propria voluntate, ac quantum est ex ipso, defectibiliter operatur : adjutus tamen per divinam proviventiam, inquantum hujusmodi, infallibiliter ad illum finem pervenit.* Utrobique per frustrabilium sigillatim auxiliorum conspirationem divina intentio & providentia infallibiliter, quodcumque prædestinavit, exequitur.

Ibidem.

Et alibi rursum cùm dixisset sanctus Thomas, ad perseverantiam præter gratiæ & virtutum habitualia dona, opus esse *divinæ providentiæ auxilio exterius gubernantis*, ait Ferrariensis opus esse *auxilio divino, sive divina motione dirigente & protegente, contra tentationum incursus.* Sed nonnisi auxiliorum & motionum perpetuitate ex *intentione* Dei perficitur perseverantia. *In eo qui perseverat in bono, sunt multi motus, & multæ actiones pertingentes ad unum finem. Ergo oportet ut totus ordo ipsorum causetur à primo dirigente in finem.*

L. 3. c. 155.

Sed illud momenti plurimum habet, quod ibidem sanctus Thomas ait : *Potestas liberi arbitrii est respectu eorum, quæ sub electione cadunt. Quod autem eligitur, est aliquod particulare operabile. Particulare autem operabile est, quod est hic & nunc.* Idem habet Ferrariensis. Ex quibus hoc illi eliciunt, perseverantiam non nostri esse arbitrii, sed providentiæ Dei, cùm amplectatur

Ibidem.

Ibidem.

non hoc & illud opus, ſed *continuationem operationis per totum tempus*. Sed & illud indidem exculpemus, quòd collectio auxiliorum infallibilis & invictiſſima rametſi ſit, non tamen decerpit quidquam de libertate noſtra: cùm libertas non ſe explicet, niſi circa ſingularia opera, & ſingula auxilia gratiæ, quæ ſunt fruſtrabilia.

Non pigebit extremò adnotare, quod idem Ferrarienſis annuit, *excæcatis & obduratis non conferri à Deo auxilium ad vitandum peccatum, quod quibuſdam aliis confert: quod quidem auxilium, non ſolum eſt infuſio gratiæ, ſed etiam exterior cuſtodia ab occaſionibus peccati.* Item quod docet prædeſtinationi anteire, reprobationem ſubſequi præviſa merita.

v. 4. c. 161. Ibid. c. 105. 165.

Art. VIII. EX THOMA DE VIO Cajetano, Dominicano & Cardinali S. R. E.

Gratia habitualis & charitas eſt proxima poſſibilitas bonorum operum ſingulorum; nec opus habet ſpeciali auxilio, niſi ad converſionem & perſeverantiam finalem. Per gratiam generalem nemo non poteſt ſingula vitare peccata. Gratia propoſiti propria, & prædeſtinationis executrix, ut ſtet cum libertate, inſcrutabile eſt: utcumque tamen elucet in ſola directione & protectione Dei eam eſſe, quæ libertati ad ſingula nihil officit.

SAncti Thomæ ſcita explanans Cajetanus, famoſum illud placitum, vitari non poſſe ſine gratia habituali peccata omnia, ita exponit, quòd poſſint vitari *potentia remota*, quæ ſpectatur ex *potentia* voluntatis liberæ, quæ ideo *poteſt in utrumque oppoſitorum, ſcilicet deliberare vitationem, vel commiſſionem peccati. Et ſi non poteſt de utroque ut libet deliberare, non eſt libera in deliberando, &c. alioqui non peccaret unquam.* Non poſſint autem vitari *potentia proxima*, quæ ſumitur *à facultate habitus*. Ita proximè quis ſcit concluſiones geometricas per habitum illius ſcientiæ, remotè per vim intellectus. Etenim potentia proxima vitandi *omne* malum culpæ oriebatur ante lapſum ex duobus, *ex vigore rationis, & ſubjectionis ſimpliciter voluntatis ad Deum*. Per illum *vigorem* vitari poterat omne peccatum actuale, quia poterat homo ſemper vigilare & niti. Per hanc *ſubjectionem* poteſt vitari *generaliter* omne mortale. Quodlibet enim mortale vitari poteſt qualibet ſingulari virtute; at crimina omnia *univerſaliter* vitari poſſunt hac *univerſali* ad Deum ſubjectione, quæ *talis natura ac ſufficientiæ* eſt. Non potuit luculentiùs exponi efficacia gratiæ habitualis ad evitanda peccata; & quomodo in eam illa nos reſtituat integritatem vitandi peccata, à qua per Adamum excidimus, nempe cum ſolo adjutorio ſine quo non.

In 1. 2. q. 109. art. 8.

Sicui tamen deeſt habitualis gratia, non ideo excuſatur. Etenim *liberè peccat, quia ſingula poteſt vitare; ſicut etiam non excuſatur à voluntario in commiſſione venialium, licèt non poſſit (adde ni fallor, omne) veniale vitare, eadem ratione, quia ſingula poteſt vitare.* Et quod ad præcepta attinet diligendi Dei, *Non præcipit Deus homini in quocumque ſtatu, ut faciat quod impoſſibile eſt ab eo fieri, &c. Nec præcipitur homini lapſo in peccatum, ut tollat ipſum à ſe, ſed ut deprecetur, & quantum in ſe eſt operetur, ut à Deo auferatur, juxta illud, Fili peccaſti, ne adjicias iterum, ſed de priſtinis deprecare, ut dimittantur tibi.*

Ibidem.

Sed de gratia habituali rurſum ibidem Cajetanus, hanc ait eſſe, vel ei conjunctiſſimum & individuum hærere, *amorem Dei uſque ad contemptum ſui*, ſicut nondum juſtificato cuicumque ineſt *amor ſui uſque ad contemptum Dei*. Hi enim ex Auguſtino, *Duo amores duas conſtituunt civitates*: & ex Cajetano, *ſibi infallibiliter ſuccedunt, nec datur medium.* Sicut ergo *qui eſt in peccato mortali, habet principium poſitivum ex natura ſua inclinans ad peccandum mortaliter, ſcilicet amorem ſui uſque ad contemptum Dei*; ita ad quodlibet bonum inclinat *affectus* contrarius, amor Dei uſque ad contemptum ſui. Quin immo habituum iſtiuſmodi tanta efficacia eſt, ut *ſola præmeditatio ſit, ex qua homo non ſequitur habitum communiter, ſeu præconceptum finem, ſecundùm pronitatem ſuam. Unde in repentinis ubi abeſt præmeditatio, homo operatur ſecundùm pronitatem ſuam.*

Ibidem.

Si dicas autem convaleſcere voluntatem reſiſtendo uni peccato, ut & reſiſtat cæteris faciliùs, ideoque ſi poſſint vitari ſingula, poſſe & omnia: Reſpondet: *Quamvis reſiſtendo uni mortali firmior ſiat ad vitandum aliud; non tamen tanta ſit firmitas, ut non ſit præmeditatione aſſidua opus ad vitandum omnia, ingruentibus tam frequentibus impulſivis, & propterea non diu vitare poterit caſum, &c. aſſidua præmeditatio impoſſibilis eſt homini hujuſmodi.* Duplici ex capite oritur labendi pronitas: primò ex habitu vitioſæ cupiditatis: ſecundò ex ingruentibus forinſecus tot mali incitamentis. Reſiſtendo uni peccato utcumque firmatur quis ad faciliùs deinceps reſiſtendum; ſed primò dimidiatè tantùm reſiſtitur, niſi ex charitate juſtitiæ reſiſtatur; ſecundò eſto minurum aliquid ſit de pravo habitu, ſed de extrinſecis ad malum ſtimulis nihil minuitur. Ideo aſſidua ſemper opus eſt virium contentione, & vigilia inſomni, quæ homini ægro impoſſibilis eſt.

Non multò pòſt quærit Cajetanus, *an ſine ſpeciali auxilio* poſſit homo juſtus operari *bonum opus morale, & meritorium*. Reſpondet contra *Thomiſtas* quoſdam, poſſe. *Quia homo etiam ſine gratia poteſt aliquod opus moraliter bonum facere; & in gratia conſtitutus habet ipſam gratiam ſanantem, & elevantem, quæ eſt potens operari opera bona etiam meritoriè. Et quod hæc ſit mens authoris, ex hoc patet, quod ratio indigentiæ ſpecialis auxilii ultra gratiam, ponitur infirmitas in carne, obſcuritas in intellectu. Conſtat autem quod nec infirmitas carnis, nec obſcuritas in intellectu tanta eſt, aut intantum viget & extenditur, ut impediat hominem in gratia conſtitutum à quolibet bono opere. Cùm manifeſtè pateat, quod nec exiſtentes in peccato mortali impediuntur à quolibet bono opere.* Vides eam eſſe efficaciam gratiæ habitualis, ut ſine ſpeciali auxilio cum ſola influentia generali poſſit exire in aliquod, non in omne opus bonum.

1. 2. q. 109. art. 9.

Quæ tamen efficacia charitati potiùs quàm gratiæ adſerenda eſt, immo utrique, ſed huic per illam. *Gratia facit Filium Dei formaliter, charitas operativè. Illa enim eſt principium eſſendi in natura divina participata, iſta eſt principium operandi ſecundùm naturam divinam participatam.* Et infrà: *Licèt habitus, quo Spiritus ſanctus inhabitat animam, inclinet voluntatem ad merendum, ut prima radix meriti: non tamen exequitur hoc per ſeipſum immediatè, ſed mediante habitu charitatis, quo formaliter voluntas inclinatur, gratia autem radicaliter tantùm.* Nec Deus ad actus charitatis aliter movet juſtos, quam per habitum ipſum charitatis: ſicut & cum primùm infundit habitum juſtificando adultos, unica actione movit ad actum per habitum quem infundebat. *Ita quod non ſolum ſimul, ſed unica actione, Deus infundendo gratiam, gratuite movet, &*

1. 2. q. 110. art. 1.

3. 2. q. 111. art. 2. 1. 2. q. 114. art. 4.

gra-

gratum facit, Et infrà : *Motio Spiritus sancti & gratia non sunt duæ disparatæ causæ meriti, sed sunt causæ subordinatæ. Motio quidem Spiritus sancti ut actio causæ primæ, & gratia ut causa secunda operis inquantum meritorii. Movet enim Spiritus sanctus hominem ad merendum mediante gratia*, &c. Et denique infrà sanctus Thomas *Videtur uti gratia quasi motore, quia gratia est velut organum, seu medium, quo Spiritus sanctus movet nos; ac per hoc eadem motio attribuitur Spiritui sancto & gratiæ, & ad idem se extendere dicitur*. Ubique consonantissimè & prisco more, actualia auxilia *motionis* voce designantur; *gratia* non dicitur, nisi habitualis, cujus efficacia ingens declaratur ad bene operandum.

Ibid. art. 8.

Quoad gratiam verò generalem, consentaneus divo Thomæ Cajetanus contra Gregorium Ariminensem docet *posse hominem in statu naturæ corruptæ per sua naturalia, quantum est ex sufficientia operativæ virtutis, operari aliquod opus moraliter bonum, licèt non possit suum universum moraliter bonum facere*. Probat primam partem, quia *alioqui infidelis & in peccato mortali existens in omni suo actu deliberato peccaret*. Item quia *experimur, quod existentes in mortali etiam pertinaciter seclusa fide, possumus reddere mutuum, quando oportet, cui oportet, & propter quid oportet, quia scilicet justum est, & ordinatur ad Deum, ut summum bonum, & per hoc finem universi*. Secundam verò partem probat, quia alioqui *posset quis nunquam peccare : at id proprium est naturæ integræ, universitatem operum bonam moraliter posse peragere*. Addit quòd exempla Augustini & Thomæ de agricultura, & ædificatione domuum huc conferant, hæ sunt enim artes & virtutes civiles : *& ex hoc quod homo potest per sua naturalia ædificare domos, quando oportet, sicut pportet*, &c. *sequitur, quod possit aliquod opus moraliter bonum facere per sua naturalia. Alioqui ædificanda domum peccaret mortaliter*. Si urgeas autem hominem nunc ægrum esse, non sanum, respondet quòd *infirmus non differt à sano in hoc, quod infirmus nullum opus sani possit. Potest namque infirmus videre, vel audire, vel odorare, ut sanus; licèt non possit ambulare, ut sanus. Sed differt in hoc, quod sanus omnes suos actus, infirmus non omnes suos actus potest, ut sanus, facere*. Quoad intentionem finis ultimi, qua instat maximè Ariminensis, respondet Cajetanus, *quod etiam infidelis potest in aliquo actu habere Deum ut finem naturæ, & ultimum finem propter seipsum Deum summum bonum. Potest enim cognoscere ex Philosophia Deum esse summum bonum, & operari bonum aliquod, & eligere vitationem malorum, puta homicidii, adulterii, ne faciat injustum, quod quia malum est, dissonat summo bono : & similiter in faciendis bonis, quia consonat summo bono*. Addit quòd *præceptum naturæ de habendo Deum pro ultimo fine explicitè, cùm sit affirmativum, non obligat ad semper; & cum sit de eo quod post multum studium adimplendum est, postquam scilicet homo explicitè didicit esse unum Deum*, &c. *constat quod non obligat pro omni tempore, quo homo operatur humana opera. Ac per hoc sufficit quandoque implicitè habere Deum pro ultimo fine naturæ*, non faciendo scilicet nisi bona, quæ sua sponte referibilia sunt ad Deum. Quod denique Ariminensis exaggerat tentationes irruentium dæmonum, respondet Cajetanus, id extra lineas jam vagari propositæ quæstionis. Etenim sanctus Thomas ab homine integro omnes, à lapso aliquos posse per sua naturalia actus bonos fieri docet *quantum ad sufficientiam operativæ virtutis*, quod dictum est ad excludenda *hujusmodi impedimenta extra naturam*, & complectenda sola *naturalia impedimenta*.

1. 2. q. 109. art. 8.

Cùm hæc posse hominem dicitur *per sua naturalia*, non excluditur influentia seu gratia generalis, quam vocat sanctus Thomas auxilium Dei moventis; sed sola gratia habitualis, quæ hominem prima evehit ad esse supernaturale. Porro per ista virium naturalium conamina, non disponitur homo ad gratiam, nisi remotissimè; sed necesse est accedere auxilium speciale : *Quod communiter dicitur, quod homo faciendo quod in se est, disponit se ad gratiam, hoc intelligitur de dispositione & præparatione non simpliciter, sed quantum est ex parte sua. At de dispositione simpliciter accipiendo, intelligitur ut faciat quod in se est, motus specialiter à Deo, obsequendo scilicet motioni divinæ, ut in resp. ad 2. author hic dicit, dicta sua in 2. sentent. ad meliorem sensum reducens, declarando & addendo*. Et quia verba illa Christi, *Sine me nihil potestis facere*, in alios & alios sensus rapiebantur, ideo scitè Cajetanus ea elucidat : *Authoritas illa non est limitanda ad communem influxum tantùm, sed est universaliter ut sonat intelligenda, & proportionaliter distribuenda : ita quod quemadmodum nihil naturæ sine Deo, ut principio naturali; ita nihil gratiæ sine Deo, ut principio gratiæ, facere possumus. Ac per hoc quia facere hominem quod in se est, ita ut per hoc sit sufficienter præparatus ad gratiam, aliquid gratiæ est : ideo sine speciali adjutorio Dei non potest homo facere quod in se est, & non potest præparare se ad gratiam, quidquid in secundo sententiarum minus digestum fuerit*.

1. 2. q. 109. art. 6.

Si qua autem præcepta impleri nequeant sine speciali gratia, vide ut hoc se nodo explicet Cajetanus, nimirum non posse ea à quolibet impleri, sed posse tamen peccatum à quolibet vitari. *Aliud est implere posse præcepta hujusmodi, & aliud est posse vitare peccata opposita. Quoniam adimpletio præceptorum horum claudit in se debitum donum supernaturale in habente, quo sit potens adimplere, & ex quo præcipitur adimplere. Cum enim dicitur, Diliges Dominum Deum tuum, ut est præceptum charitatis subintelligitur Diliges ex charitate. Ubi manifestè patet claudi charitatem in facultate adimplendi. Ad vitandum autem peccatum omissionis non exigitur supernaturale donum, sed sufficit ex naturalibus nullum ponere obicem, in nulloque reniti divinæ monitioni, inquantum præceptum obliget pro tali statu; aliter enim ad alium statum pertinet*. Eo enim præcepto mandatur diligi Deum super omnia propter seipsum, quod proprium est charitatis justificantis & infusæ. Ergo nondum justificatus illud præceptum implet pro suo modo & statu, & quantum tenetur ac potest, cùm *nullum ponit obicem, & in nullo renititur divinæ monitioni* & motioni, qua juvatur ut se præparet ad justificantem charitatem.

1. 2. q. 109. art. 8.

Ad propositi denique gratiam, eamque efficacissimam pertinet, quod idem Cajetanus docet cum sancto Thoma, præter habitualis gratiæ donum opus esse *speciali auxilio Dei, ut quis bona opera continuè faciat, & mala vitet, non hìc & nunc, sed absolutè*. Nempe quia gratia justificans relinquit *carnem infirmam*, & *intellectum obscurum*, adeo ut *inter tot occurrentia* lapsurus tandem sit justus, nisi speciali auxilio detur illi à Deo perseverantia. *Cum quo tamen stat, quod homo ex sola gratia potest ipsa gratia uti, bene faciendo, & mala vitando, nunc & ad hoc*. Ergo singula bona opera potest justus facere sine speciali auxilio, non potest omnia. Efficacissima igitur vis perseverantiæ doni non ad singula spectat, sed ad universa, adeoque in directione, protectione & custodia Dei est posita. Etenim ut mox subditur, *Licèt minima gratia sufficiens sit quantum est ex se resistere omnibus emergentibus tam ex infirmitate carnis, quàm ex obscuritate intellectus;*

1. 2. q. 109. art. 9.

quia tamen posita in tali subjecto non tollit hæc duo sibi adversantia, ideo indiget etiam extrinseco auxilio homo inter hæc contraria constitutus. Immo extrinseco hoc auxilio indiguisse hominem subdit in statu naturæ integræ *ob ignorantiam supervenientium.*

Et non multò pòst, licèt *gratia & charitas sint principia proxima bonorum operum*, & per ea bene operetur homo justus *ad horam*; ad perseverantiam tamen docet speciali auxilio opus esse; 1. 2. q. 109. art. 10. sicut *homo infirmus secundum vires ministrantes intellectui, potest intelligere, vitare errores, & in hoc condemnare, quia intellectus continuè magis intelligendo fortificatur. Tamen propter infirmitatem virium, nisi sanetur, non poterit quando oportet uti intellectu in judicando, quamvis posset sine tali ope ad horam rectè judicare.* Ita *multis datur gratia, quibus non datur uti ea, quando oportet, sed divina permissione abjicere eam. Et sic datur donum quo possunt bene operari, & resistere tentationibus, & perseverare omnibus, quibus datur gratia; non tamen omnibus datur executio horum simpliciter, ut experientia testatur: quia non omnibus dantur extrinseca requisita ad talem executionem. Et ideo oportet orare, ne nos inducat in tentationem.* Ergo cùm justus labitur, habet gratiam habitualem, & concursum Dei illi affixum, quo proximè potest tunc bene operari: sed desunt illi *extrinseca auxilia* protectionis & conservationis Dei, puta tentationum propulsatio, & alia id genus, quæ ita efficacissima sunt, ut libertati tamen suam indifferentiam non adimant.

Idem rursus cùm voluntas à malo ad bonum moveri à Deo incipit, hunc motum primum ait esse à Deo movente, & à voluntate nostra *motum tantùm*, quia absque *consilio* & deliberatione ejus, licèt ab ea *elicitivè* sit motus. Denique posse voluntatem *dissentire à tali velle, Deus enim movet suaviter liberum arbitrium, secundùm conditionem ejus.* Ab inspirato enim tali motu potest voluntas resilire, potest gratia habituali data *uti, cùm vult*; sed hæc per actus singulos. 1. 2. q. 111. art. 2. Nam universim, ut velit bonum, & convertatur ad Deum, ut perseveret quis in bono, Deus perficit *specialibus auxiliis*, quæ hominem ita regunt, ut quo Deus vult, inflectatur. Ita & alibi ait *mala culpæ à Deo permitti, ob suavem* 1. p. q. 22. *rerum dispositionem. Potentia namque peccandi ab universo subtrahi non potuit, absque illius maxima jactura in omissione omnium creaturarum intellectualium. Actus autem peccandi quamvis prohiberi, id est, non permitti potuisset; suavis tamen dispositio liberi arbitrii creati hoc non exigit, sed magis ut sua vi seipsum agat.* Et tamen nihil effugit, ut ibidem dicitur, *intentionem primi & universalissimi agentis.*

Quì autem consentiat infallibilitas providentiæ & prædestinationis divinæ cum libera voluntate nostra & auxiliis frustrabilibus quibus juvatur à Deo, idem infrà ait nihil *in Doctoribus se* 1. p. q. 22. *comperisse, nisi quæ communiter dicuntur de sensu composita & diviso, de necessitate consequentia & consequentis, &c. Sed hæc omnia intellectum* art. 4. *non quietant.* Unde satius existimat, *captivari intellectum in obsequium Christi, & sic quiescere, non evidentia veritatis inspecta, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ, &c. Nec propterea omnes doctores præsumptionis accusa, quoniam balbutiendo sicut potuerunt, infallibilitatem & efficaciam summam divinæ voluntatis insinuare intenderunt, &c. quorum nihil præfatæ suspicioni obstat, quæ altius quid in eis latere credit. Et verè si sic prædicaretur, nullus fortè circa prædestinationem erraret Christianus, sicut non errat in materia Trinitatis, quia dicitur & scribitur, & ita est, quod occulta est humano intellectui, & sola fides sufficit.* Concludit denique certò id constare, idque inconcussè retinendum, *Omnia quæ sub nostro libero arbitrio continentur, evitabilia esse à nobis, & propterea digni sumus pœna, vel præmio*: at quomodo cum eo stet divina prædestinatio, non scrutandum, quia inscrutabile. Adverte hìc primò *evitabilia à nobis* certissimè esse tum bona, tum mala quæ facimus, & ideo pœna vel præmio dignos nos esse. Nullis hoc distinctionum cavillis implicandum est, quod est explicatissimum. Secundò quì evitabilitas cohæreat cum infallibilitate prædestinationis, inscrutabile esse. Ita complures priscorum Theologorum abstinuerunt se ab eo nodo: divinæ omnipotentiæ & sapientiæ committere contenti, ut electos suos indeclinabiliter ageret, incolumi indifferentia humanæ libertatis. Quin & ipse sanctus Thomas divinæ *directioni & protectioni* id totum permisit: Augustinus *miris & ineffabilibus modis & altissimæ vocationi.* Tertiò & Cajetanus ipse tamen alicubi suprà, & sanctus Thomas & Augustinus quandoque patefacere enixi sunt arcana aliqua hujus concordiæ, ex congruitate, ex multiplicitate auxiliorum, ex universali denique omnium liberorum eventuum administratione. Quæ tamen elucidatio nusquam tanta est, ut non opus sit ad miras & inenarrabiles occultatissimasque artes omnipotentis sapientiæ Dei recurrere.

Præclarè idem Cajetanus infrà, *Licèt præscientia meritorum non concedatur causa prædestinationis, præscientia tamen demeritorum causa speciali quodam modo est reprobationis.* 1. p. q. 23. art. 5. Quo loco calumniam adversariorum à sancto Thoma similiter propulsat. Sed non omittemus quod idem alibi docet convenienter antedictis de motione primæ causæ & cooperatione cum causis liberis & contingentibus: *Licèt à prima causa moveatur necessariò secunda, recepta tamen motio in secunda* 1. p. q. 14. art. 13. *contingente, modificatur contingentia recipientis. Et quoniam priùs natura modificatur, quàm impellat ad movendum: motio illa jam modificata ad causam contingentiæ, movebit secundam ad movendum non necessariò, sed contingenter. Etsi causa secunda ponatur causa naturalis; possibilis tamen deficere; motio illa jam modificata ad naturam causæ secundæ, movebit illam secundam ad movendum non necessariò, sed ut in pluribus juxta modum proprium causæ secundæ & non primæ.* Ubi observa illud decantatissimum Cajetano: motionem causæ primæ etsi necessariò moventis, recipi tamen & modificari in causa secunda ad ejus modum, atque adeo in contingente ita modificari, ut non semper effectus sequatur, sed aliquando, & *ut in pluribus*. Jam verò id spectat ad sapientiam & consilium causæ primæ, ita motiones has seu media multiplicare, ut totus quem intendit effectus sequatur, etsi motionum seu mediorum aliquanta pars frustretur.

EX CARDINALI CONTARENO.

GAsparem Contarenum singularis doctrinæ & probitatis apex Romana tandem illuminavit purpura, variisque in Germaniam Legationibus adversus Lutheranos exercuit. Quæ sit specialiter Christi gratia, sic ille aperit: *Formaliter justificamur, id est, efficimur divini per gratiam, qua est quædam spiritalis qualitas, in animam à Deo infusa, ac participatio quædam divinæ naturæ, sicuti virtutes morales sunt perfectiones partis sensitivæ, quibus pars sensitiva attollitur supra se, & fit particeps rationis.* Ubi efficacia quoque justificantis gratiæ innuitur, ut quæ ita efficax sit, ut nos Deo subjiciat, ejusque legi Confutatio articulorum Lutheri p. 164.

morige-

morigeros præstet : sicut virtus moralis partem sensitivam subjugat rationi, redditque ejus imperio obsequentem.

Idem paulò pòst confirmatur, *Opera quæ gratiam & justificationem præcedunt, non possunt mereri vitam æternam, quia eorum operum quamvis bonorum principium est natura hominis, quæ etiam adhuc per peccatum depravata*. Non quo bona ista opera absque auxilio Dei fiant, sed eorum tamen principium dicitur esse *natura* hominis, ex usu sancti Thomæ & totius Scholæ antiquo, quia per illud auxilium actuale Dei præparatur quidem, sed nondum evehitur ad *esse divinum*, seu ad consortium divinæ naturæ. Id enim non consequimur, nisi per gratiam regenerationis. Cùm verò eadem opera bona prodeunt ab homine *jam renato per gratiam Dei, & in Filium Dei adoptato*; etsi ne tum quidem meriti quidquam obtineant, qua sunt ab hominis animo, ejusque viribus; *at si considerentur, prout à virtutibus divinitus in animam nostram infusis, rectè dici potest ea opera esse beatæ vitæ meritoria:* Existunt tunc illa & effunduntur bona opera à gratia, à virtutibus, ab esse divino, quod gratia justificante confertur. Ut ergo natura quælibet suorum sibi consentientium operum fœcunda & efficax est; ita divina natura per gratiam à nobis participata, dum justificamur, in bona & meritoria deinceps opera fœcundatur. *Nam unaquæque natura suum bonum attingit propriis actionibus & operibus. Natura ergo divina nobis per gratiam tributa, suis actionibus & operibus attinget bonum divinum, felicitatem & vitam æternam.*

Ibidem. p. 566.

Ab hac gratia speciali secernit paulò pòst Contarenus auxilium Dei generale, idque duplex, tum quod à causa prima universaliter in omnes creatas naturas spargitur, tum quod in naturas rationales & liberas specialiùs & genetaliter tamen in has omnes effunditur à Deo, ut ad summum bonum revocentur. *Quod si accipiantur opera nostra, quibus felicitas suprema debetur, manifestum est, quod præter universalem illam vim, qua naturaliter, secundùm tamen naturæ nostræ captum movemur à prima causa, requiritur privatus quidem, & particularis propriusque motus, quo in Deum per fidem convertamur, & conversi justificemur per gratiam, adoptemurque in filios Dei. Neque tamen hoc tollit libertatem arbitrii, imo magis liberos nos facit, nullique deest hic motus à Deo, dummodo quis non officiat, ac per defectum malæ voluntatis rejiciat hunc divinum afflatum. Nam quæ per alios possumus, dummodo velimus, seu dummodo non rejiciamus bonum oblatum, nostri arbitrii esse dicimus.* Observa hìc 1. *gratiam* dici, qua justificamur, qua adoptamur; agnosci præterea *motum*, quo Deus movet nos ad fidem, & ita præparat ad justitiam. 2. Hunc motum, seu divinum afflatum, quo per fidem disponere se possit ad gratiam justificantem, *nulli deesse*, si modò non rejiciatur. 3. Hinc colligi modum efficaciæ hujus auxilii actualis, cùm à tam multis rejiciatur. 4. Ita defendi liberum arbitrium à Contareno adversus Lutherum, quòd in nostri potestate arbitrii sit, *quod possumus per alios si velimus.* Possumus autem & vitare malum, & facere bonum per hanc Dei motionem, quæ præsto est, si non repudietur.

Ibidem. p. 170.

De justificatione. p. 599.

Idem alibi observare est, ubi ait: *Solus Deus remittit peccata, Deus dat gratiam, Deus justificat impium. Modus autem quo Spiritus sanctus hoc efficit, est motus inspiratio, qua intellectum illustrat, & voluntatem movet, &c. conversum Deus sanat, sanctificat, justificat infundens Spiritum sanctum suum, &c.* Duo hìc auxilii genera similiter distingui vides. Si quem moveat autem, quod subinde tradit Contarenus justificari nos tum gratia inhærente nobis, seu charitate diffusa in cordibus, tum imputata ipsamet Christi justitia, qua suppleatur, si quid minùs de divinis præceptis implemus; id sicui minùs arridet, certò minùs ægrè feret, ubi meminerit hæc scripta esse, & ipsum Contarenum è vivis excessisse ante Concilii Tridentini initia. Ego malim rursus advertere quod infrà habet de efficacitate charitatis habitualis: *Charitas ergo inhærens, Spiritus Christi gratia, quæ ab eo semper fovetur, & emanat à plenitudine gratiæ Christi, otiosa esse non potest: sed vel intermeditationibus se exercet, vel externis operibus piis.* Pag. 595.

Confutatis alibi Philosophorum opinationibus de libero arbitrio, ejusque per peccatum ægritudine, & ægritudinis curatione, ad gratiam tandem Christianam delabitur, quam ita describit; *Deus enim solus est, qui secretos mentis nostræ recessus perscrutari potest, internamque Spiritus sancti quem infundit per agitationem, mutatam voluntatis nostræ propensionem ad se convertit. Ad purgationis gratiam per Christum, & fidem charitate formatam pervenitur. Atque ita fide & sacramentis ab ægritudine ista liberati; Deum nobis, non nos ipsos ultimum finem proponimus, carnis concupiscentiis conculcatis.* Hæc sanè est justificationis & gratiæ Christi descriptio, dum deflexam ad creaturas *Deus voluntatis nostræ propensionem mutat, & ad seipsum convertit.* Id facit Spiritu sancto infuso, gratia, sacramentis. Ita *liberati* concupiscentias debellamus. Unde alibi iterum, *Dum hic vivimus, principium quod dam habemus, & quasi semen cœlestis vitæ, ex spiritali, quæ in Christo nascimur, ortu, & Spiritus sancti gratia animis nostris à Deo infusa.* [De Grat. & lib. Arbit. pag. 603.] De Prædest. p. 603.

Jam verò idem Contarenus non satis videtur acquiescere sententiæ Augustini de prædestinatione, quam non negat esse gratuitam, sed ægrè fert adultos etiam reprobari contemplatione peccati originalis, seu in perditionis massa relinqui, in quam originali peccato prolapsi sunt. Satius enim esse putat, sufficientibus etiam auxiliis adultos omnes donari, juxta sententiam sancti Thomæ in Summa adversùs Gentiles: *Ubi affirmat Deum cordis januam perpetuò pulsare, ejusque duritiem perfringere; verùm eos ad salutem perducere, qui aperuerint: eos verò qui cor illi recludere recusaverint, in sua cæcitate & ægritudine permanere; suaque culpa, non illa originali, sed actuali hac, qua pulsanti Deo cordis januam recludere noluerunt, in perpetuam damnationem detrudi.* Verùm generali huic gratiæ non Thomas tantùm, sed & Augustinus assentitur, ut alibi ostensum est. Adultos ergo non ob originalem solùm labem, sed & ob actualia scelera damnari uterque etiam confitetur. Non video ergo cur à consentaneo sibi Augustino dissentire voluerit Contarenus. Ibidem. p. 612. Ibid. p. 616.

Nam nec ipse alienus est ab ea gratia speciali, quæ præter generalem eximia est, & efficacissima, solitique juxta Augustinum electis datur, certissima conversionis & perseverantiæ opifex. Vult enim Contarenus, *illud semper servari principium, & verissimum fundamentum, prædestinationis salutisque nostræ Deum, damnationis verò nobis nos ipsos esse autores.* Eo servato & inconcusso dogmate, in tuto sunt cætera omnia. Gratia enim generali & sufficiente, ut peccata vitet singula, nemo adultus frustratur; sed nemo ea semper utitur, præ lassitudine utique spontanea. Ergo adulti nunquam propter solum originale peribunt. Sed quoniam nemo ante justificationem diu, nemo semper, nemo omnibus criminibus reluctatur, etsi possit singulis: ideo speciali præterea auxilio opus est, quo ex omnibus generalia auxilia aspernantibus, juvat Deus, quos gratis elegerit. A quo speciali auxilio se non abhorrere ibidem testatur Contarenus: *Hoc verò generaliter dictum esse velim, non de peculiari quadam gratia, quam*

quam si minus omnes assecuti sunt, nullus tamen est, qui jure queri possit. Hæc enim specialis gratia ob peccatum originis, semel non debetur: ob actualia peccata ex contemptu generalis auxilii, bis non debetur.

Comparatione mox illustrat suam mentem Contarenus. Si laterum instar habere homines fingas, suopte pondere deorsum vergentium, ita ut alicui sursum evehenti cedere vel repugnare possint, si velint: qui sursum vehentur, vehenti debebunt, non sibi, etsi restitare beneficio abstinuerint: qui beneficio repugnaverint, sibi debebunt, quòd jaceant. *Ita dicendum de Deo est, ille enim omnium hominum corda eo motu movet, qui eorum duritiem mollire, eaque ad se convertere possit. Nonnulli tamen novam sponte duritiem opponunt.* Sed hoc discriminis interest, quòd cùm non puncto temporis, sed diu fiat præparatio impii ad justificationem, nemo prorsus est, qui diu omnia vitet mortalia, etsi sufficienter adjutus per generalia auxilia. Non ergo servantur, qui præ aliis bene usi fuerint generali auxilio; sed cùm eo diu nemo utatur bene in omnibus, ex omnibus abutentibus generali auxilio, eligit Deus, quos specialibus servet auxiliis, eligit inquam gratis, bis immerentes, bis malè meritos.

Si verò quæras, quid causæ fuerit, quamobrem Augustinus indiscriminatim dixerit ex massa damnata, in quam omnes peccato originali implicari sunt, alios misericorditer liberatos, alios justè non liberatos. Respondeti potest primò in parvulis id esse conspicuum. Secundò specialia & efficacissima auxilia denegat quidem Deus adultis ob generalium auxiliorum contemptum: sed contemptus iste certissimè existit ex ea ægritudine & lassitudine, qua nos peccatum parentale infecit, qua crimina vitare non possumus omnia, etsi possimus singula. Ita brevi diverticulo reditur in idem, ut originali peccato debeatur hæc lassitudo adultorum, lassitudini contemptus aliquis tandem generalium auxiliorum, contemptui huic denegatio gratiæ specialis; & ita re in compendium missa, peccato originali debeatur denegatio gratiæ specialis, sive reprobatio. Tertiò nec multùm differt, sicui concessa sit gratia justificationis, non perseverantiæ. Justificati enim etsi lethifera possint omnia, non omnia tamen venialia vitare possunt. Superbiunt quandoque suarum virium fiducia, ut jure merito possint spoliari ea custodia & protectione Dei, sine qua in gravissimas aliquas & suis viribus vehementiores impingent tentationes. Etsi enim per gratiam sanctificantem vitare possint omnia etiam collectim peccata mortalia, id tamen restringi ad hunc modum debet, ut ne tentatio ingravescat ultra vires & patientiam gratiæ & charitatis inhabitantis. Etsi enim utcumque forsan posset eam superare cujusque charitas; tanta tamen cum difficultate posset, ut tandem fatigata tentationis diuturnitate & gravitate fatiscereț & frangeretur. Jam si justus criminali nexu se implicuerit, penes Deum est potestas gratiæ suæ vel reddendæ, vel denegandæ. Ergo & hic per anfractum eodem revolvitur res. Nec enim is quode nunc agimus, vel reprobatur, vel damnatur, vel perseverantiæ dono frustratur ob peccatum originis, vel alia olim in baptismo, vel aliàs condonata. Sed ob peccatum originis remanet ægritudo naturæ facilè, lassescentis etiam in justificato: ob hanc lassitudinem in aliqua venialia quis delabitur: ob hæc privatur speciali custodia, quæ tentationes temperaret: ob subtractam hanc custodiam, gravissima tentatione quis dejicitur & peccat: ob peccatum istud grave reprobatur. Ita prima ultimis connectendo, in causa quodammodo est originalis labes, ut reprobetur, causa inquam mediata, non immediata. Compendio rem strinxit Augustinus, & omnes in massa damnata relinqui reprobos dixit.

Si autem ut præscientiæ, ita prædestinationis nebulas dispungere libeat, & Deo nihil futurum, nihil præteritum, omnia præsentia esse cogitemus: tunc sanè ut nihil præsciet, aut prævidebit Deus, sed omnia ut præsentia videbit, & sciet: ita nihil prædestinabit se facturum, sed omnia faciet. Ut præscientia ergo, ita & prædestinatio non multa retro temporum sæculorumque anteeuntium volumina designabit; sed summæ omnium & omnipotentissimæ causæ constantem immutabilitatem. Ab æternitatis ergo suæ Deus summo apice, omnia quæ in tempore fiunt, facit ipse, aut permittit fieri, alia aliis priora & posteriora, ipse nec prior, nec posterior, sed extra omnia tempora & supra incommutabiliter idem. Ita quos vult nascentes, aut baptismo donatos, aut indonatos præripit parvulos. Ita quos vult adultos, generalibus auxiliis suis utentes & abutentes, hos speciali auxilio convertit ad se efficacissimè, hos non convertit. Ita denique justos, cùm perseverantiæ donum nulli debeatur; omnibus aliquando peccantibus, non debeatur; quos vult perseverare facit, condonans peccata quibus demeruerunt, vel anteveniens quibus demeruissent: vel perseverare non facit, ob peccata in quæ sunt collapsi. Quæ autem in tempore facit, ea dicitur ante tempora se facturum prædestinasse, cùm tempora non præcedat tempore, sed incommutabili & omnipræsente æternitate. Audi Contarenum hæc nobis præeuntem: *Nostro more, nobisque accommodata loquendi ratione prædestinationem, quasi ante factam destinationem appellavit. Quæ quidem vox præteritum tempus designat, quod tamen in divina æternitate minimè reperitur.* Vide eundem prolixiùs ista disputantem ibidem. Ergo ut adultos in tempore damnat Deus, non ob originale tantùm, sed ob actualia, vel sola, vel originali nunquam remisso accumulata peccata: ita & reprobat ab æterno, hoc est ex alto culmine complectentis & ordinantis omnia æternitatis suæ, temporalium & mutabilium omnium causæ incommutabilis. Nec similiter dici potest, quòd sicut non glorificat electos nisi propter merita, ita nec prædestinat, nisi ob eadem merita. Prædestinatio enim est præcessio non temporis ad tempus, sed causæ ad effectum. Deus autem dat merita propter gloriam, sive dat merita ut infallibiliter salvetur quis: ita voluntas dandæ gloriæ prior est causalitate, quàm dandi meriti. At non similiter Deus dat merita damnationis.

EX AMBROSIO CATHARINO
Dominicano, Archiepiscopo Compsano.

Gratia propositi efficacissima est secundùm intentionem Dei prædestinantis, protegentis, gubernantis, auxilia gratiæ frustrabilia quidem per nostram libertatem, & sæpè frustrata suggerentis, sed alia aliis deficientibus sufficientis: qua ratione sanctus Thomas conciliat infallibilitatem prædestinationis divinæ cum labili nostra libertate. Gratia specialis seu inhærens & justificans, sanat, liberat, vires dat ad bona opera, charitas est & gratia Paulo & Augustino celebrata. Gratia generalis etiam cum specialibus auxiliis suis nulli negatur, ut non peccet, ut pœnitentiam agat.

QUæ carpimus ex Catharino, procul ea sunt à propriis quibusdam ejus opinationibus, quibus ille licentiosiùs addixit se; minùs, quàm par erat, memor authoritatis Patrum, atque in primis Augustini. In prædestinatione etiam aliquid ab eo novatum est: cùm alios ante, alios post prævisa merita electos ad gloriam voluit, atque ita illis invictissima à Deo auxilia, his frustra-

ſtrabilia tantum decreta eſſe, quibus tamen ſervari poſſint omnes, ſerventur aliqui. Nos illam tantùm amplectimur partem, quæ Auguſtino conſentit, de electorum omnium gratuita prædeſtinatione, & auxiliorum infallibilium præparatione ad conſecutionem deſponſæ gloriæ. Cæterùm quì conveniat libertati noſtræ cum his auxiliis invictiſſimis, quibus ſecundùm Catharinum perficitur prædeſtinatio aliquorum tantùm eximiorum, ſecundùm nos omnium electorum, hic ex eodem libet ediſcere.

Et primò quidem poſſet aliquibus imponere, quod ille ſcribit in Epiſtolam ad Romanos, *Sunt qui cum talem hujuſmodi vocationem audiunt, cui non poſſit reſiſti: & talem juſtificationem, à qua tandem non poſſint excidere, qui prædeſtinati ſunt: putant per hoc liberum auferri arbitrium, cum potiùs ſtatuatur, & validius fiat per certitudinem luminis, & per adjectum robur fortitudinis.* Addit *non in eo eſſentiam liberi arbitrii conſiſtere, ut poſſit quodlibet bonum refutare, quantumvis bonum appareat, aut poſſit tendere in malum. Deus ergo eorum quos diligit, mentem ſic illuminat, voluntatem ita ſanat, ut promptiſſima voluntate bonum ſuum proſequantur.* Horum ſenſus perobſcurus eſſet, & in alienam prorſus à Catharino ſententiam deflecteretur, niſi ſuam ille alibi mentem præclariſſimè conſignaſſet.

In cap. 8.

Ut altiùs enim rem ordiamur, ſic ille luculenter concordiam ſtatuit providentiæ Dei & libertatis noſtræ, in peculiari opuſculo *de præſcientia & providentia Dei: Accidit deceptio in hoc, quod non attendunt aliud eſſe, providentiam eſſe infallibilem, aliud eventus quoslibet, qui non ſine providentia eveniunt, inevitabiliter evenire; nec ex infallibilitate providentiæ ſequi inevitabilitatem eventuum. Nam evitabilitas eventus contingentis non reddit fallibilem Dei providentiam, quæ illam evitabilitatem ordinavit.* Creavit enim Deus cauſas contingentes & liberas, unde ut invicta ſit providentia Dei, neceſſum eſt, harum effectus contingenter & liberè evenire. *Sed hinc natus error, quod ponunt tamquam dictum à beato Thoma, providentiam Dei circa eventus contingentes infallibilem eſſe, quod & verum eſt. Et ponunt ſimiliter, quod ſint proviſi à Deo omnes effectus contingentes, quod etiam ſimiliter verum eſt: ſed non quod illud, aut illud, diviſim capiendo, inevitabiliter eveniat; hoc enim non eſt proviſum à Deo; ſed ut eveniat hoc, vel illud, compoſitè intelligendo: id eſt, horum quodlibet: & poſtquam hoc evenit, nam alterum oportebat evenire, fateor quod Dominus Deus providet circa illud, aliud quiddam, ut ſit hæc nova proviſio ſequens eventum, non præcedens.* Ita non providit Deus, ut Judas Chriſtum proderet, ſed permiſit, & eo facto, providit, ut *illud cederet in magnum bonum humano generi.* Cajetanum mox ſuggillat, qui *phantaſticè cogitavit differentiam inter inevitabiliter & neceſſariò quid evenire. Quaſi poſſit quidpiam inevitabiliter evenire, & non neceſſariò, ſed contingenter, quod chimæricum eſt omnino.* Concinit his prorſus Auguſtinus, ſexcenties inculcans, poteſtates omnes à Deo dari, non voluntates; ſed has in bonum ita juvari, ut nec infructuosè bonæ ſint, nec impunè malæ. Ideo addit Catharinus, *non determinari à Deo voluntatem, ſed permitti, ut ſeipſam determinet; & coagit Deus ad illam determinationem, nihil cogens, quia jam ex providentia ſua ſic decrevit aſſiſtere, &c. Unde talis effectus non eſt certè & determinatè proviſus à Deo, licèt ſit proviſus, ſecundùm illam præſcientiam quæ non concurrit ut cauſa, quia potiùs natura præditur ab effectu, &c.* Denique perſpicuè favet ſanctus Thomas, ordinem providentiæ ſtatuens duplicem, uno modo in particulari, ut cùm cauſæ neceſſariæ unum aliquem effectum pariunt: altero *in univerſali, non in particulari*, ut cùm natura deficit in aliquantum formatione, *ſed tamen ipſe defectus divinitus ordinatur in aliquem finem.*

Opuſcula Catharini. Lugduni. an. 1544. Pa. 46. &c.

De verit. q. 6. a. 3.

Idem Catharinus Libro primo *de prædeſtinatione* nos à Paulo doceri ait, *unde certitudo prædeſtinationis veniat, nimirum à robore liberi arbitrii per gratiam, & ab aſſiſtentia Dei, ſive protectione, per quæ cooperantur omnia prædeſtinato in bonum.* Sanctum Thomam mox profert in illud idem conſpirantem, *Invenimus ordinem compoſſibilem eſſe reſpectu alicujus dupliciter. Uno modo inquantum una cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine divinæ providentiæ. Alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium & deficere poſſibilium pervenitur ad unum effectum: quarum unamquamcumque Deus ordinat ad conſecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat: ſicut videmus quod omnia ſingularia unius ſpeciei ſunt corruptibilia, & per ſucceſſionem tamen unius ad alterum poteſt in eis ſecundùm numerum ſalvari perpetuitas ſpeciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente. Et hoc modo eſt in prædeſtinatione. Liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute. Tamen in eo quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat: vel ſi cadat, quod reſurgat; ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ & alia hujuſmodi, quibus adminiculatur Deus homini ad ſalutem. Si ergo conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, ſed contingentiam: reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.* Hactenus ſanctus Thomas, ubi adverte 1. certitudinem non oriri niſi ex *intentione* Dei, adminicula alia aliis deficientibus ſubrogantis. 2. Eam oriri etiam ex *gubernatione* Dei, quæ deficientibus aliquibus alia & alia ſufficit, quæ non omnia deficiunt. 3. Ex multitudine ſola horum adminiculorum prodire perpetuitatem ſpeciei, ſeu infallibilitatem prædeſtinationis, etſi ſingula quandoque deficiant. 4. Huic multitudini conſpiranti auxiliorum non poſſe reſiſti, & finaliter peccari, etſi ſingulis quandoque reſiſtatur. Et hoc unum voluit ſuprà, & hìc rurſus ingeminat Catharinus, dum ait: *Neceſſe non eſſe, ponentem liberum arbitrium, ponere ſimul flexibilitatem ejus ad peccatum: quod ſi verum eſſet, nec Deus eſſet liberi arbitrii, nec Chriſtus, &c. At verè nihil libero detrahitur arbitrio, ſi negatur homini per illud potentia ad peccandum, quia hæc potentia defectus eſt.* Eo tandem ſenſu Catharinus removet à libero arbitrio neceſſitatem potentiæ peccandi, ne hac multitudine auxiliorum divinorum arceri à peccando, vel à finaliter peccando prohiberi non poſſit. Cæteroquì enim non adhiberetur tanta auxiliorum multiplicitas, niſi quia libertas noſtra ſingulis quandoque reſiſtit, & ita peccat: etſi univerſis non obſiſtit, & ita finaliter non peccat.

S. Thom. q. 6. de veritate art 3.

Ideo ibidem Catharinus, *Si unam certam cauſam ſeorſim conſideremus, poſſibile eſſet fortè damnari prædeſtinatum: ſi verò ſimul omnes, non poſſibile. Sicut nemo Philoſophus concederet, ullam ſpeciem corrumpi poſſe, licèt de ſingulis individuis concederet. Non ergo tanta erat difficultas concordare libertatem arbitrii cum certitudine effectus ultimi prædeſtinationis, ſeu ſalutis, ut oporteret ad recondita ſapientiæ Dei aſcendere, ſi hæc vera ſint. Cauſa enim manifeſtè patet talis neceſſitatis & infallibilitatis, videlicet decretum divinum, quo homo infallibiliter dirigitur multis mediis, & adminiculis, ut uno deficiente ſummittat aliud, ſic certò tandem ad ſalutem provehatur.* Hæc ille Cajetanum perſtringens.

Et idem infrà Libro tertio de prædeſtinatione in hæc Chriſti verba, *Ita ut in errorem inducantur etiam, ſi fieri poteſt, electi. Dixit, Si fieri poteſt: ſciens de ſummo electis fieri non poſſe,* Pag. 103.

se, propter protectionem suam. Sed longè pulcherrimum est quod ille docet libro secundo *de eximia prædestinatione Christi*, in hunc modum:

Pag. 135. *Si Deus quosdam ita reprobat & excæcat in hac vita, & obdurat, in pœnam insignium peccatorum, ut judicati sint, nec valeant ulterius credere, ut sanentur, ut in Juda & Pharaone, & aliis quibusdam dignum est credere: quid mirum si contra per insignem gratiam ita sint præventi & illustrati quidam, & fortificati, & protecti, ut non sint similiter casuri, & ex aliquo tempore adhuc in vita sanctificentur, ut vix valeant crimen, aut culpam admittere? Nec idcirco horum impeccabilitas à nobis asseritur, tanquam ex vi proprii arbitrii, aut ex operum meritis, sed ex gratia Dei præveniente, ac pura. Nec tamen talis impeccabilitas, qualis erit in patria, & quæ tales penitus ab omni peccato custodiat. Sed sicut immortalis fuisset homo in primario statu, non ex se, sed ex sustentaculis, & ligno vitæ, & cæteris protectionibus. Necdum enim ea potiebatur immortalitate, quæ erit in patria, ut sic aliquo modo mortalis dici potuisset. Sic & tales, qui ita custodiuntur à Deo, peccabiles quidem sunt adhuc sui natura; sed gratiæ auxiliis & protectione Dei tales fiunt, ut non peccent aliquando, ac sic aliquo modo impeccabiles reddantur.* Observa hìc primò, quì neget Catharinus potentiam peccandi essentialem libertati nunc nostræ esse, nempe quæ excluderet illam Dei protectionem, qua vetatur homo quandoque peccare: sicut nec carni nostræ ita essentialis est corruptibilitas, ut vetetur Deus à primo parente arcere corruptionem. Secundò totum hoc beneficium *à protectione* Dei derivari, cui debetur, ut caro corrumpi, anima peccare proximè potens, immo valdè prona, non corrumpatur tamen, non peccet. Ea protectio ut carnis corruptibilitati, ita voluntatis peccabili libertati non officit. Tertiò non abludere hæc ab illis, quæ ex Naclanto alibi adscripsimus. Nec enim iste aliò intuebatur, cùm negabat potentiam peccandi nostræ libertati necessariò implicandam, quàm ut aditum complanaret huic divinorum auxiliorum multitudini, qua non extinguitur quidem potestas peccandi, sed ita circumagitur, oppugnatur, regitur, ut rariùs erumpat, & finaliter cohibeatur.

EX EODEM AMBROSIO Catharino Senensi, Dominicano, Episcopo Minoriensi, postea Archiepiscopo Compsano, qui Tridentino Concilio interfuit.

Gratia specialis, seu inhærens & justificans, sanat, liberat, vires dat ad bona opera, charitas est & gratia, Paulo & Augustino celebrata. Gratia generalis, etiam cum specialibus auxiliis suis nulli negatur, ut non peccet, ut pœnitentiam agat.

PErgamus jam ad gratiam habitualem, ad justificantem. Qua de *gratia* Paulus tam frequenter differat, aperit Catharinus in hæc ejus verba: *Per quem accepimus gratiam. Per gratiam intellige cœlitus demissum & infusum nobis inhærens donum, quo gratiosi coram Deo statuimur, &c. De quo Dominus, Si scires donum Dei, &, Aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et rursum: *Gratia vobis & pax. Gratia primùm, id est, illud donum, quo gratificamur, & à Deo venit ad nos gratis, &c. Gratiam precatur illis, de qua audierat, Sufficit tibi gratia mea. Plena est salutatio, quæ & pacem seu felicitatem, & medium ad illam conducens habet.* Ergo gratia hæc palmaris & specialis illa est, quæ peccata delet, inhæret, immanetque justis. Eadem est *justitia* Paulo, qua justos nos facit Deus. Idem in hæc verba, *Justitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem. Innuit differentiam inter legem & Evangelium. Quoniam justitia Dei, non qua justus est & reddet unicuique juxta opera sua, sed qua, ut ait Augustinus, nos justos facit; hæc est justitia, quæ in Evangelio revelatur, &c. Hæc justitia donum Dei est inhærens cordi nostro, infusum desuper per Spiritum Christi, &c. Est hoc donum justitiæ quodammodo ipse Christus, qui factus est nobis sapientia & justitia.* Ergo propria Evangelii gratia, quæ per legem non dabatur, est gratia justificans & inhærens, est Christus ipse inhabitans in nobis.

In c. 1. Ep. ad Rom.

Idem infrà de hac gratia conflictatum esse cum Pelagio ostendit: *Gentes, quæ legis sunt, naturaliter faciunt, &c. Licèt natura lex ostenderet, quid esset bunum, & ipsi apprehenderent favente Deo; hoc tamen non satis erat, cum vis liberi arbitrii non posset ad bonum, etiam ostensum, nisi informatum esset gratia. In quo errarunt Pelagiani, &c. Falsa est ergo & detestanda hæresis Pelagiana, confidere scilicet in naturæ viribus, iisque sperare etiam legem naturalem servare posse sine alia superinfusa gratia, & ita consequi regnum æternum, ut inveniatur Christus gratis crucifixus.* Non satis ergo est, legem naturaliter inscribi, *& concurrere auxilium Dei*, ut ait ibidem Catharinus; sed adversùs Pelagium opus est *alia superinfusa gratia* Christi propria, qua homo gratus Deo justusque fiat.

Ibid. in c.2.

Etenim etsi fiant opera legis naturalis *naturaliter*, non fiunt ut oportet, & meritoriè, eo scilicet charitatis modo, gradu, igni, qui ad æternam mercedem valeat. *Arbitramur hominem justificari per fidem: Sanatur homo per fidem, quia per eam charitas desuper venit sanans, & robur habens ad operandum sicut oportet amore Dei, ut sit verum Domini dictum, Credenti omnia sunt possibilia.* Sola ergo fides charitasque justificans *sanat*, & ipsa eadem dat *robur ad operandum*, non utcumque, sed *sicut oportet*, hoc est, *amore Dei*, non qualicumque, verùm qui justificet. Nam sicut oportet non fit opus bonum, nisi à justo meritoriè fiat.

Ibid. in c.4.

Quia autem *donum* istud Dei est, quo *utimur*, quo *operamur*, cùm bene operamur, tota ideo refundenda in Deum est gloria, cujus est hoc donum, cujus est præterea *auxilium assiduum & externum*; ut ait infrà Catharinus; prisco more, à gratia etiam habituali, ut gratis data, & totius fonte boni, meritique, omnem Deo gloriam repetens de bonis nostris operibus.

Ibid. in c.5.

Et infrà, quid sit esse sub lege, quid sub gratia, & quàm efficax sit charitas inhabitans ad bene operandum: *Qui à malo abstinet solo pœnæ metu, serviliter operatur, non secundùm virtutem, quia revera malus est adhuc, & ideo sub lege. Sub gratia verò esse non est aliud, quàm liberatum esse à peccato per legem charitatis internam, & sic habere facultatem serviendi Deo de corde puro, &c. In primum statum ventum est per legem, qua cognoscitur peccatum, nec sanatur voluntas, quæ ob peccatum Adæ carens fræno justitiæ, non potest liberaliter servire Deo. In secundum verò statum redacti sumus per Christum, in quo sanata voluntas, libenter se exercet in operibus justitiæ.* Igitur *sub lege* esse perinde est, ac nondum esse justificatum; *sub gratia* esse perinde est, ac esse justificatum: igitur *charitas* & *sanitas* est ipsamet gratia justificans, quæ dat *facultatem* bene operandi.

Ibid. in c.7.

Pulcrè autem idem, ut voluntas per gratiam vivens, vigensque, possit in bona opera ire, vel cessare; si cesset, casura profundiùs: *Non est sine culpa homo, qui suo libero arbitrio gratia Dei adjuto, facere quæ sunt suæ partis negligit. Est enim in homine spiritali mens informata Spiritu,*

sed

sed non perfectè contenta ab illo. Invenitur quippe in voluntate, & amor Dei quo spiritalis est: & amor carnis, & sui ipsius, &c. Et licèt amor Dei qui est sub gratia, sit potentior, quamvis imperfectus, quàm carnis amor, & quàm ille amor sui proprius, si charitas suas vires exerceat: attamen si per carnem excitetur voluntas ad malum, & ille amor Dei non excitetur, & currat ad arma sua, quæ sunt humilis & assidua oratio: proculdubio succumbet homo sub carne, consentiens illi, &c. Tunc Deus subtrahit ab illo gratiam & donum Spiritus, per quod est vita, & vera vita. Si verò consenserit non in crimen, sed in aliud leve peccatum, patietur detrimentum aliquod, & licèt non moriatur, indignabitur tamen ex parte Deus, quia non sic adjuvabit voluntatem negligentem, & socordem non sic proteget, & fortè etiam mittet in tentationem, & derelinquet, & erit casus. Ubi observa primò, voluntatem inter effectus boni & mali, hoc est charitatem & cupiditatem liberè fluctuare, & huc vel illuc se conferre. Secundò etsi quandoque exæstuet cupiditas carnis, & tunc tepeat forsan charitas, posse tamen istam ad arma sua, ad orationem currere, & ista inflammescere & roborari. Tertiò si levi culpæ quis consentiat, fore forsan ut *non sic adjuvetur, non sic protegatur* deinceps, ut antè; vel mittatur in tentationem, & ita *delinquat* & cadat. Quartò non ergo ob leves culpas actualia auxilia subtrahuntur, sed parciùs dantur. Quintò *gratia subtrahitur*, sed habitualis, ob scelus sponte admissum.

In 1. ad Comn. c. 1. Etenim justis gratia jugiter influit: *Ita ut nobis nihil desit in ulla gratia. Significat eos qui sunt Christi, esse in eo per Spiritum tanquam insitos, & de Spiritu ejus assiduè attrahentes. Sic rami habent à radice, à quo fluit omnis in ramos humor: & à vite accipiunt palmites, &c.* Nam justitia inhærens est, non tantùm qua primùm ex impiis justi, sed etiam qua deinceps ex justis justiores

In Ep. ad Gal. c. 2. evadimus per bona opera. *Per donum justitiæ nobis inhærens sumus verè justi, & insuper possumus per illud donum justitiæ amplius justificari ad effectum salutis: Quoniam & justificari dicitur justus, cùm per opera bona majus justitiæ pondus acquirit.*

Ibidem. Etenim in quolibet justo *vivit non ipse, sed Christus per principia gratiæ & dilectionis, quam misit in illum, sicut vitis in palmitem.* Unde Petrus

In Ep. 1. Petri c. 1. Apostolus & ejus interpres Catharinus, *Gratia vobis & pax multiplicetur. Gratia enim tametsi qualitas sit quædam supernaturalis, potest tamen intendi ac remitti. Gratiæ enim appellatione frequentissimè donum illud intelligitur, de quo disputant Scholastici, an sit idem quod charitas, quod mihi longè probabilius esse videtur.* Charitatem hanc

In Ep. 1. Joan. c. 1. infrà ait eam esse cum Joanne Apostolo, *qua filii Dei nominamur, & sumus.*

Ad gratiam verò generalem spectat quòd pro-

In Ep. ad Rom. c. 1. ceditur *de fide in fidem. Homo enim impius & injustus, cùm se disponit, ut fiat justus, primùm credit adhuc in præputio existens, fide sua, id est, actu credulitatis, qui procedit ab ipso adhuc longè existente; licèt excitetur illa fides in illo à Deo miris modis. Et ex hac fide sua homo accipit hoc donum justitiæ & charitatis & gratiæ, quod non advenit sine dono fidei infusæ.* Ita gratiæ speciali præcurrit gratia generalis per actus, qui ex homine procedunt adjuto divinitus, sed nondum immutata & in charitatis affectum transformata voluntate. Ex Paulo subinde probat Gentilibus etiam per creaturas illuxisse, quæ de Deo credi par erat, quos *nec omittebat Deus per Angelos illuminare. Licèt enim poterant per creaturas conjectare, non tamen firmiter his hærere, tanquam rei manifestæ, nisi intus per Angelos adjuti fuissent, &c. Ideo Paulus adjecit, Deus enim illis manifestavit, &c. Homo enim si in veteri peccato relinquatur, nec speciali auxilio adjuvetur à Deo, etiam ex his creaturis, & cunctis quæ videntur, non poterit constanter colligere quæ sunt debita erga Deum pietatis officia. Cui sententiæ ex doctrina beati Augustini consentit divus Anselmus, cujus verba hoc in loco sunt, Deus illis manifestavit, id est, non solùm naturalis ratio profuit, sed Deus quotidie adjuvit, ne sola natura sufficere videretur.* Ita ille ex Augustino & Anselmo probat Deum Gentilibus affuisse, non tantùm generali, sed etiam *speciali auxilio*, utputa per Angelos, vel alio quopiam, quòd generalis gratia non omnino sufficeret, & ideo inexcusabiles illos fuisse.

Ut enim geminum hinc & hinc vitemus scopulum, & nec vi liberi arbitrii servari nos posse cum Pelagio, nec impossibilia Deum præcipere cum Luthero dicamus, id necessarium videtur Catharino, ut *speciale auxilium* illud annuamus omnibus, qui à Paulo dicuntur fuisse inexcusabiles ex eo quod Deus illis manifestasset. *Credimus ergo nec Philosophos fuisse Dei auxilio destituendos, si agnoscentes debilitatem suam, petiissent à Deo fortitudinem operandi per gratiam suam; quam ut suplices postularent, ipsa ratio & Angelicæ inspirationes proculdubio, ut par est credere, deposcebant. Sicut enim Deus illuminavit eos, ut intelligerent, quid esset eis faciendum ad salutem: ita non defuisset in præbendo opportunum, quo ea facere poterant, auxilium, si popposcissent.* Quasi dicat datum esse sufficientissimum auxilium ad initia quædam rudia, quibus si mos gereretur, dandum fuisset copiosius ad incrementa pietatis. Ibidem.

Nec multò post, exponit tradi à Deo aliquem in desideria cordis sui, non aliter quàm hominem sibi permittendo, vel objectando offendicula. *Deus dicitur facere malum & peccatum, cùm dimittit hominem, suomet regendum arbitrio, qui non potest ex se solo unum bonum patrare. Deus enim qui potest prohibere peccatum, ne fiat, & adjuvare hominem, ut caveat: non prohibet, nec adjuvat ad cavendum: imo permittit, imo & interdum ponit, ut sancti Doctores dicunt, offendicula, occasiones peccatorum, incitationesque per Angelos malos ad scelera. Ita nonnullo modo videtur Deus dici posse causa peccati, non ut est peccatum, sed ut est pœna peccati.* Ibidem. Non aufert ergo Deus hæc gratiæ generalis specialia adjumenta, nisi in pœnam priorum flagitiorum, quæ ideo ut vitarentur, non deerat auxilium gratiæ.

Potest enim utrumque, etsi non possit tota lex naturæ impleri per generalia hæc auxilia. Idem infrà: *Gentes etsi naturaliter haberent notitiam Dei, & boni, & mali: concurrente tamen auxilio Dei, qui per Angelos confirmat prædicationem naturæ in nobis, attamen non poterant legem naturæ implere naturaliter, id est, in sua natura corrupta.* Ibidem. Non servat enim legem nisi natura sanata per charitatem justificantem, ad quam tamen per illa generalia auxilia se quisque præparat. Etenim ut ex sancto Thoma subditur, Si quibus de Christo nihil annuntiatum est, sufficit illis ad salutem credere, ut habet Paulus, *Deum esse & & remuneratorem esse*, quod qui credit, *Implicitè etiam credit mediatorem per quem Deus remunerat.* At verò: *Illi articuli prædicantur à natura intus, per ea quæ visibilia facta sunt. Confirmantur autem sic à natura prædicata intus ab Angelis. Unde & beatus Dionysius ait, quod plurimi Gentilium per Angelorum illuminationes salvi facti sunt. Quoniam illam naturæ prædicationem secreto & interno lumine comprobando confirmarunt.* Ubi vides largiùs quidem spargi gratiam generalem, imo & hujus portionem eximiam, auxiliis specialibus juvantem: sed fidei tesseram servari intactam, ut sine Christi gratia, nec minima quidem rudimenta boni ulli obtingant.

Si quibus autem justificatis videatur non sufficere gratia, qua juvantur, ut legem impleant dilectionis perfectissimæ: respondet Catharinus,

Non

in c. 1. Ep. ad Rom. *Non tenemur ad illud omnino rectum & perfectum, ad quod eramus obligati in primo pacto, cùm eramus innocentes: modò confiteamur obligationem. Non enim exigit à nobis Deus impossibilia.* Itaque divina lex intonat obligationem primævam, non ut ea tota teneamur, sed ut grati & humiles simus dispensanti Deo ob nostram nunc virium penuriam.

An. 1556. ## EX SIXTO SENENSI Dominicano.

PIo V. Pontifici Maximo Bibliothecam suam dicavit Sixtus, sacra eruditione tota refertissimam, variisque adversus Lutheri hæreses jaculis instructam. Pauciſſima hinc carpemus ad antedictorum robur.

Et primò charitatem suapte vi & sponte robustissimam esse ac invictam, adeoque contra tentationes perefficacem esse, etsi ex humanæ voluntatis instabilitate amitti possit, sic ille ex sancto Thoma docet: & ita Patrum conflictationem sedat, qui nunc deficere posse, nunc sinceram charitatem non posse deficere senserunt. *Si charitatem juxta priores contemplandi modos inspiciamus: tunc secundùm propositas Patrum sententias pronunciandum, charitatem esse omnino inamissibilem: tum quod ipse charitatis author Deus nemini occasionem præbeat amittendi charitatem: tum quod ipsa charitas, suapte natura indeficiens, seipsam perdere nequeat. Si verò charitatem spectemus ex parte recipientium, quorum est ingenium varium semperque mutabile, nulli dubium est, charitatem propter liberam & instabilem hominum voluntatem facilè posse deperdi.*

Bibliothec. l. 6. Anno. 140.

De generali autem gratia interpretanda sunt, quæ idem Sixtus ex Chrysostomo refert & approbat de Abrahamo, *qui ante gratiæ tempus & ante legem fuit, & tamen à seipso, atque à scientia, quæ natura insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, ut sufficiat ad confutandum excusationes nostras. At fortè dicent aliqui, quod vir ille multam à Deo consecutus gratiam, &c. Fateor ita esse & ego. Verùm nisi priùs & ipse quod suum erat fecisset, non tanta à Domino obtinuisset.* Complura ex eodem horum similia promit ac tuetur adversus Oecolampadium Lutheri Sectatorem, Sugillatorem autem Chrysostomi, tanquam plus æquo extollentis vires liberi arbitrii, Sixtus autem Chrysostomo patrocinatur, & diversos ejus aliunde contextus profert, gratiæ prævenientis necessitatem testificantes. Ex quo id exprimit, gratiæ prævenienti concessisse Chrysostomum; sed in debellandis Manichæis sæpiùs meminisse gratiæ subsequentis, cui nostra præcurrit libertas, auxilio prævenientis subnixa. Ergo ut ex Chrysostomo nemo est, qui conari non possit, ut subsequentibus gratiæ donis locupletetur; ita ex Sixto præveniens gratia nemini non sese ultro ingerit.

L. 6. Anno. 161.

Negat idem Sixtus alibi omnia opera infidelium esse peccata: *cùm in eis naturalis illa rationis bonitas, qua deprecatur ad optima, non sit penitus extincta & abolita.* Nec multò post confitetur Philosophos ingentibus claruisse virtutibus, etsi si spectetur *internus agendi modus, & rectus operandi scopus, qui à nobis secundùm Christianæ charitatis regulam exigitur*, nemo eorum præcepta impleverit *ex philosophica tantùm ratione*.

Postremò quod attinet ad efficacissimam divinæ prædestinationis gratiam, Ambrosio Catharino præceptori suo consenserat, totumque se addixerat Sixtus, de duplici prædestinatione, aliorum ante, aliorum post merita prævisa idem sentiens, idem promulgans. Adeo ut, ait ipse, *eam sententiam ab anno ætatis meæ vigesimo usque ad trigesimum in multis ac præcipuis Italiæ urbibus pro concione explicaverim, non sine audientium plausu, ac perturbatarum mentium fructu:* quos scilicet atroces de prædestinatione opiniones quorumdam tantùm non in desperationem egerant. Sed *cùm postea animadvertissem, hujusmodi assertionem difficultatibus & angustiis non paucis premi, & ob id à plerisque doctis ac piis Theologis non probari, satius duxi ab ejus prædicatione desistere, quàm pio eruditorum judicio improbata docere.* Destitit ergo ille à discrimine illo duplicis prædestinationis, quod non immeritò à doctis & piis Theologis explodebatur. L. 6. Anno. 148. Ibidem.

Sed cùm gratuitæ prædestinationis infallibilitas à Catharino & Sixto derivaretur à multitudine, varietate, congruitate auxiliorum divinorum, quorum alia & alia subinde nova aliis deficientibus sufficerentur, non hoc improbabant Theologi, non hoc Sixtus recantavit. Non aliquos ergo eximios, sed omnes prorsus qui salvi fiunt, *tanto munere gratiæ donavit, tantisque ad salutem præsidiis instruxit, ut salva etiam arbitri libertate, à salute excidere nequeant.* Non aliquos, sed omnes qui salvi fiunt, *tanta gratiarum affluentia dignatus est, tot ac talibus ad beatitudinem consequendam adminiculis juvit*, ut nunquam prorsus à salute exorbitent.

EX JACOBO NACLANTO Clugiensi Episcopo, ex Ordine Prædicatorum assumpto, qui Tridentinæ Synodo interfuit.

Triplex eadem gratia statuitur, generalis, specialis, quæ justificans, & efficax est; denique maximè specialis, quæ & efficacissima est ad conversionem, & perseverantiam, gravissimasque superandas tentationes.

INterfuit Tridentino Concilio Naclantus, ex Dominica familia in Episcopatum evectus. Ex eo ergo ut Aquinatis discipulo, ut Tridentinæ Synodi lumine & interprete quodam, quæ hauserimus, liquida erunt, ut spero, & sincera veritatis arcana.

Sic ergo ille primùm de gratia justificante & habituali, quam duplici vi pollere ait, abolendi peccati, & roborandi hominis ad vitæ novitatem: *Justitiam hanc, quæ in scriptura Dei donum est præclarissimum & divinum, & plenissimè in superna patria possidendum, duo afferre adverte; exclusionem scilicet peccati, & novam ac innocentissimam vitam. Et quanquam hæc duo munera sunt, quia tamen sunt simul, & pariter ex uno fonte dimanant, imo & uno sunt justitiæ dono comprehensa, mirum non est, si & uno hausiu pariter hauriuntur, &c. Potatis Spiritu Christi, neutra justificationis portio deest, &c. Nec modo Spiritus Christi per fidem attractus, justitiam in renatis profundit, qua Christi justitia est, ut haud aliter evadamus à peccato liberi, ac si fuissemus cum Christo peccato commortui, atque in ipso proprio ejus sanguine, juxta rigorem divinæ ultionis multati; sed & aliam in illis haud dissimilem excitat & insufflat: qua, interveniente dono & gratia Dei, propensiores simus, non solùm fieri Capiti nostro conformes, sed & quod remanet in nobis peccati vestigium, validiùs infestari, mortificando membra nostra quæ sunt super terram & crucifigendo carnem cum vitiis, &c.* Sic ille justificationem describit quæ fit per baptismum, quo, quia commorimur Christo, ideo expiantur peccata nostra: quia item Christo conresuscitamur, ideo per *donum & gratiam* simul infunditur *nova vita*, sanitas, vis & *propensio* ad reliquias concupiscentiæ carnalis debellandas. In c. 1. Ep. ad Ephes. Sect. 1.

Chri-

Christum enim induimur per baptismum: *Novitas igitur vitæ, cujus modo primitias accipimus, eodem Spiritu operante confertur: idque non solùm vitæ Christi communicatione, ut eo à mortuis excitato, perinde ac coexcitati simus membra cum eo: sed & sanctarum actionum in nobis exercitatione, & eorum morum informatione, qui decent sanctos, & domesticos Dei, &c. Christi vita electis applicata, ac Spiritus participio vivis ejus membris concessa, vita est cœlestis Patriæ, in qua resurrexit a mortuis, & fruitur sedens ad dexteram Patris.* Ut enim baptismo conferimur morti Christi, ita commorimur peccato, & expiamur: sic conferimur resurrectioni Christi, haurimusque efficaciam & vegetationem viresque ejusmodi vitæ degendæ, qualis decet revectos à mortuis in immortalitatem justitiæ. *Sicut fidei vi & energia Christo connexi, atque in illum transformati, expiationem assequimur peccatorum, non aliter quàm commortui; ita eadem fidei efficacia, atque ejusdem Spiritus interventu, resurrectionis ejus perinde ac membra Capitis participes sumus facti, atque cum eo in novam vitam evecti, &c. Vita hæc est per illum non solùm donorum, charismatum, & virtutum profusione in nobis instituta; sed & ejus impulsu, applicatione, cooperatione, per sanctarum actionum exercitationem, ad imitationem novi hominis Christi in dies reformata.*

Et infrà rursum: *Dum justificamur in baptismo, Christi Spiritum haurimus, quo hausto exundat in nobis munus justitiæ, & per hoc non solùm expiatio peccatorum, & jugis mortificatio vetustatis; sed impartitio & communicatio novæ Christi vitæ, & insufflatio induitioque virtutum, donorum & charismatum Spiritus sancti, nec non jugis extimulatio & continua exercitatio sanctarum operationum.* De pœnitentia confestim hæc subjicit: *Si verò loquamur de justificatione pœnitentiæ, rehausto Spiritu Christi, excipitur in nobis munus justitiæ, tametsi communi cursu, non tanta felicitate, cum omnibus quidem donis, virtutibus, & charismatibus, quibus non solùm urgemur ad mortificationem carnis, & ad proficiscendum per semitam Christianæ perfectionis: sed & primitiis potimur vitæ Christi, in qua resurrexit à mortuis, &c.* Non potuit accuratiùs exprimi efficacia gratiæ justificantis, ut non solùm peccata deleat, sed etiam ad bona opera juvet, excitet, urgeat, extimulet. Hanc mox exponit esse *gratiam* nimirum habitualem, quam Apostolus per omnes imprecatur Epistolas, *qua stabilitur cor, Deo amicè vivitur, quæ sufficiebat Apostolo, cui quidquid erat, referebat acceptum:* ea infrà ait nos *in pristinam valetudinem reformari, renovarique.* Et alibi: *Ut in operatione naturæ ex eismet rebus, quibus constat unumquodque, alitur & vegetatur: ita in operatione gratiæ. Et ob id sicut ea fide consistimus, quæ per charitatem operatur: ita eadem nutriamur & adolescamus, nostro adhibito studio meritoque, necessarium est. Ergo si fide ab iniquitate recedimus, & justitiam superinduimus: indubiè eadem fide amplius iniquitatem explodimus, & in justitia proficimus, ut quæ sanctis fructibus gravida, numquam se occasionem nacta, non exerit, ac mediis virtutibus, donis, & Spiritus sancti charismatibus, quibus fulcitur, nunquam in frugem multam non erumpit. Ut illi tanquam radici, virtutibus ut proximis ramis omnis referendus sit fructus, omnis auctio justitiæ.*

Ibidem.

In c. 4. Ep. ad Rom.

Idem alibi legens vestigia exponensque verba ipsa sancti Thomæ, sic habet: *Gratia justificans & gratum faciens, reparat naturam nostram, & illius sanat infirmitates.* Ex adverso, quem mortalis culpa inquinat, *est affectus, & ob id inclinatus, quin & extimulatus quasi assiduè versus finem malum. Ergo nisi in assidua, aut quasi assidua fuerit meditatione, cautela, studioque, contineri non potest, quin brevi labatur, & sequatur prefatam inclinationem malam.* Affectus autem ille jugis in impio, semper *habitu*, non semper *actu* inhærens, est *amor sui usque ad contemptum Dei.* Porro *ex eo quod in mortali existens, caret gratia Dei, indubiè caret principio stabiliente mentem in bono:* efficax est ergo gratia justificans, cùm stabiliat cor in Deo, cùm ea orbatus, vergat subinde & extimuletur in malum, ut peccata vitare non possit, *nisi meditatione studioque assiduo, quod indubiè esse non potest, morali seu naturali, ut non semel dictum est, potestate, &c. Ideo redditur quis impotens ad vitandum omnia mortalia, etsi vitare valeat singula, & maximè loquendo de vitatione divina.* Ergo si quis objiciat, *quod privatio gratiæ non tollit nisi merendi principium; negatur hoc: eo quod sicut sui præsentia gratia dabat, non solùm merendi principium, sed sanabat animam, vim largiebatur ad persistendum in bono, illuminabat mentem, & dirigebat non leviter in rebus agendis: ita & ejus absentia privat omnibus his.* Ita ille ad unguem exprimens sancti Thomæ & priscæ Scholæ decreta: & ex quibus dilucida est efficacia gratiæ habitualis.

Theorema Theologale 13.

Ejus verò *gratiæ efficaciam*, qua omnipotentissimè Deus perficit electorum suorum conversionem ab impietate & in pietate constantiam, docet ille alibi eam esse, *ut cum suavitate electorum corda convertat, mollificando, mulcendo, persuadendo, &c. nobis Spiritu sancto afflatis, & arcana illius virtute impulsis, attractis, & persuasis, &c. Nam licèt electi labantur, & graviter in Deum aliquando committant, non tamen sine timore perpetrant mala, non latantur cum male fecerint, &c. id si quando contingit, non puto nisi conscientia reclamante contingere, quippe super quos signatum est lumen vultus divini, urgens semper ad bonum, &c. Et quanquam electi non semper stimulis præfatis auscultent, dissimulare tamen non possunt, se illos frequenter audire.* Ingenium hìc vides hujus gratiæ efficacissimæ, nempe in *mollificando, mulcendo, persuadendo, arcana virtute impellendo*, non sinendo ut electi *timorem* omnem abjiciant, vel ut *latentur in malis*, vel ut peccent *nisi reclamante conscientia*, assiduis *stimulis* vellicando, *urgendo semper ad bonum.* Tot vinculis, tot machinis conspirantibus trahit Deus electos, singulis aliquando, non universis unquam restitantes. Unde infrà: *Consilium, admonitio, persuasio, cùm proprium hominis sit his mediis ad operandum induci veræ libertati non obstant. Quapropter & in Ecclesia sunt Doctores, Evangelistæ, Prophetæ, in opus hujus ministerii, ad ædificationem corporis Christi. Ergo qui consulit, admonet, persuadet, tametsi nitatur urgentibus stimulis, nil tamen plus efficere potest, quàm ut rectè persuasa mens obsequatur, ac monitis ejus obtemperet. Qua de re si Deus quos prædestinavit, per semitam, quam unicuique æterna voluntate præscripsit, persuadendo conducit, nullo tamen pacto illorum libertati præjudicium facit. Quandoquidem stimulis sancti Spiritus excitati, ac suaviter persuasi, spontaneè obsequuntur, &c.* Si quandoque, si semel potest homo, potest & semper Deus ita persuadere, ut & efficacissimè & liberrimè homo persuadeatur.

Epist. ad Ephes. c. 1.

A generali autem gratia quo distet hæc maximè specialis, infrà explanat: *Quod autem favor & vocatio Dei, quibus omnes vocamur, excitamur, impellimur, non sunt in omnibus efficaces, multis non dissonat dicere, id ideo fore, quia etsi in omnibus sunt sufficientes, non tamen in omnibus paris sunt vehementiæ, & perfectionis: sed sicut super populum Domini, peculiaris est benedictio Domini, ita & peculiaris est favor & vocatio Domini. Quibus vehementiùs moti, tracti, compulsi, non solùm efficaciùs & perfectiùs, sed & facilius & suaviùs suadentur. Quandoquidem ab his si qua obstant, nec persuadeantur, longiùs propelluntur:*

& si qua conferunt, ut validiùs imprimantur, propinquiùs accersuntur. Propter quod etsi in illis & salus & persuasio sine illis non sit; quod tamen sint salvati, quod sint persuasi, propter peculiarem vocationem, & favorem, in Deum & peculiariter & maximè ab illis referendum est. In reliquis verò, qui etsi non ita peculiariter, non ita perfectè, sufficienter tamen sunt moti, tracti, compulsi, si non salvantur, si non persuadentur, cùm Deus illis non defecerit, nonnisi in illos rejiciendum est. Quibus quid oro te fingi potuit nostræ sententiæ magis consonum? Habes hic gratiam generalem, qua omnes *vocantur*, *excitantur*, *impelluntur*, non in omnibus efficacem, sed *omnibus sufficientem*, qua *omnes sunt sufficienter moti, tracti, compulsi*, ut nonnisi in illos rejiciendum sit, si non persuadentur, *cùm Deus illis non defecerit*. Electi verò quia *vehementiùs, perfectiùs, faciliùs, suaviùs*, ideo & *efficaciùs* trahuntur: amoventur etiam quæ *obstare* poterant, ne persuaderentur: accersuntur, quæ *conferre* possunt, ut validiùs trahuntur: Ergo totum hi debent *peculiari* huic vocationi, tot interna externaque adjumenta complectenti, eoque efficacissimæ. Etenim & hi si generali tantùm & sufficiente vocatione tracti fuissent, non constanter obtemperassent; quia ante gratiam reparantem & justificantem, etsi potest homo aliqua, non potest omnia vitare crimina, etiam cum generali auxilio.

Subtexitur ibidem aliorum sententia, qui opinantur vocationem *æqualis perfectionis, & vehementiæ* in omnes ire; sed alios trahi, alios non trahi, quia *non paris dispositionis* sunt omnes. Ut idem prorsus semen terræ mandatur, non æqualiter cultæ & præparatæ, hìc sterilescit, hic in largam segetem luxuriat. At hanc quoque sententiam priori, vel conciliare, vel inflectere nititur Naclantus: *Verùm cum hic cultus, hæc præparatio, non solùm sit rejicienda in Deum, propter donum antiquum, quo scilicet donavit illis animam bonam, concreavit illis timorem Domini à vulva matris, & aures concessit, ut audirent; sed & propter prævenientem gratiam, quæ donum est præsentaneum, quo Spiritus sanctus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo; palam est, si non fallor, quod hæ tandem sententiæ, fortè non sunt prorsus diversæ, & facilè conciliari possunt.* Quæ mihi quidem videntur Theologo, & Thomæ Aquinatis assecla, & Concilii Tridentini lumine dignissima. Verissimè enim congruitas illa, ille concentus dispositionis, qua quis vocationi contemperatur, eique obtemperat, inter Dei beneficia ab electione gratiæ profluentia numerandus est. Itaque ad efficaciam gratiæ hujus vocantis concurrit donum antiquum animæ bonæ, & concreati quasi à vulva timoris Dei, & id genus alia innumera.

Quod verò de libertate aliquantò antè idem dixerat, eam nonnisi in *spontaneitate* sitam esse, *solamque ab ea violentiam & coactionem excludi:* præclarè id quidem, si hæc non divellas ab iis quæ antecedunt & consequuntur. Ex iis enim quæ suprà descripsimus ex eodem, abundè ut spero patet, quomodo electos per gratiam invictissimè trahi sentiat, nempe persuadendo, & tot alias admovendo machinas, arte, vi, diversitate, congruitate pollentissimas. Hæ universæ consensum certissimè extorquent, etsi singulæ refelli possent, & quandoque refellantur à libera voluntate. Ergo ad eum modum non spontaneitas tantùm, sed & indifferentia liberi nostri arbitrii intemerata retinetur, & eo sensu *non cogitur:* etsi ex universarum machinarum collectione necessitas & coactio aliqua inferri possit videri, minùs accuratè rem contemplantibus. Exempla autem Dei & Beatorum quæ Naclantus promit, non omnino quadrant, cùm nobis de libertate ea quæstio vertatur, quæ meriti vel demeriti capax sit.

EX CONCILIO TRIDENTINO.

Gratia Christi specialis, medicinalis, liberatrix, charitas diffusa per Spiritum, dilectio justitiæ, est gratia habitualis, qua justificamur.

TRidentinæ Synodi doctrina de justificatione & gratia, eò vergit tota, ut gratiæ Christi justificanti impium, per habitum infusum & inhærentem, peccata delenti, & ad novitatem vitæ arrigenti juvantique, principatum suum vendicet. *Misit Pater Filium, ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret: & gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.* Hæc Christi incarnati gratia, hæc *justitia* inde nobis effusa, teste Paulo, *filiorum adoptio.* Sess. 6. c. 2.

Sicut enim homines *nisi ex Adæ semine nascerentur, non nascerentur injusti: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur; cùm ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Ut rescisças, quid à Christo in nos principaliter defluat, perpende quid ab Adamo. Hinc peccatum & injustitia, ergo illinc peccati abolitio, & gratia qua justi fiunt. Ibid. c. 1.

Etenim ubi ex Paulo, Deus *dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum*; his verbis, ut ait Synodus, *justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.* Ubi vides quæ sit gratia Dei. Ibid. c. 4.

Cumque de præparatione necessaria actum esset, rursum Synodus de justificatione, cujus gratiam efficacem esse docet, non tantùm ut peccata abstergat, sed etiam ut in novitatem vitæ nos instauret, vegetet, juvet. *Hanc præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, &c. Dum per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Etenim per charitatem inhærentem & per *dona* seu virtutes infusas affectio voluntatis nostræ recta fit, & retorquetur sursum ad Deum, ut ad opera justitiæ deinceps ferveat, & convalescat. Etenim *justificati, eunses de virtute in virtutem, renovantur, mortificando membra carnis suæ, &c. & in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justificantur.* Revera enim *fides cooperatur* bonis operibus, ea nempe quam dilectio format & corroborat, & hæc est gratia cooperans. Ibid. c. 7. Cap. 11.

Ideo nefas est dicere *homini justificato Dei præcepta esse impossibilia.* Neque ipsa justificationis gratia seu charitas, sanitas, vigor, vis est qua impleri possunt mandata. *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Justificatus enim *potest*, aut totam tentationem vincere, aut opem implorare, ut possit; ideo monetur, ut faciat quod potest, saltem orando ut totum possit; indubitanter quippe *adjuvatur ut possit.* Ipsa enim gratia inhabitans & charitas, proxima est possibilitas, qua possit & in facilibus exequi, & in difficilibus petere, quod Deus jubet. Unde mox Synodus, *Qui sunt filii Dei, Christum diligunt: qui eum diligunt, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus, quod utique cum divino auxilio præstare possunt.* Ubi dicitur, quòd *qui sunt filii Dei Christum diligunt*, charitas habitualis justorum maximè Ibid. c. 11.

insinua-

insinuatur. Cum additur verò, *Qui eum diligunt, sermones ejus servant*: non minùs apertè efficacia illius dilectionis, non actualis, sed affectionalis & habitualis significatur, in servandis mandatis. Nec deest actuale *adjutorium* Dei charitati à Deo infusæ & inhabitanti, cùm nusquam desit summum bonum; sed ideo maximè, quia ut mox addit Synodus, *Deus suæ gratiæ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Adjuvat ergo semper & per habitualem seu specialem, & per actualem seu generalem gratiam justificatos; desereret autem prior, si alterutram subtraheret, cùm utraque sit necessaria. Unde rursum infrà, *Deus nisi ipsi illius* Ibid. c. 11. *gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*. Et infrà enumeratis pluribus scelerum portentis subditur, *A* Cap. 13. *quibus cum divina gratiæ adjumento abstinere possunt*.

Sed nihil splendidius optarì potuit fonte ipso hujus gratiæ inexhausto, quem mox indigitat Synodus in justificatos perenni largitate exundantem: *Cùm enim ille ipse Christus Jesus tanquam* Ibid. c. 16. *caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam verè promeruisse censeantur*. Ubi planum est 1. de gratia justificante & habituali verba fieri. Cùm ea sit qua fiunt *Deo grata & meritoria* opera nostra, nec enim per actualem gratiam id efficitur. 2. Idem patet ex eo quòd hæc sit vita, visque jugis, & nec ad momentum abrupta, quam in justos effundit Christus, etiam aliud agentes tum forsan, ut caput in membra, vitis in palmites. 3. Hæc porrò gratia quæ merendi radix est, *virtus* vocatur, quia & bene operandi vis est. 4. Denique hæc gratia antecedens, concomitans, subsequens, qua habita *nihil deest*, quo minùs *plenè*, & Deo faciant satis justi, & vitam æternam per bona opera promereantur. Ergo si eam habentibus *nihil deest*, illa sanè perquàm efficax est, nec auxilio actuali ullo unquam destituitur. Confitebatur enim Lutherus inesse justis charitatem à Deo infusam; sed eam inficiabatur parem esse vel implendæ legi, vel promerendæ gloriæ: quòd inchoata tantùm hìc esset, & multis retrenis cupiditatibus debilitata. Respondet Synodus per eam plenè satisfieri legi pro hujus vitæ statu, & merita colligi ex contemplatione Christi capitis, cujus hæc in membris suis vita, virtus, spirituſque communio est.

Quod alia rursus comparatione Synodus declarat: *Cùm Christus Salvator noster dicat, Si* Ibidem. *quis biberis de aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Atqui de Spiritu sancto in justis hospitante hæc intelligi cogit & ipsa Evangelii authoritas, & Patrum, atque in primis Augustini interpretatio. Jugis ergo ille fons est bonorum operum, in vitæ æternæ meritum ebullientium. Si autem tam larga non fluat ista nunc vena, quàm in beata patria? hinc quidem id fiet, ut leviusculis culpis implicemur nonnunquam; sed per eam abundè erit virium, ut lethales culpæ vitentur. Eadem Synodus cùm dixisset à diligentibus Christum sermones ejus servari, hoc veluti restringit ad evitationem criminalium, *Licet enim in mortali vita quan-* Ibid. c. 18. *tumvis sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea desinunt esse justi*. Quod perinde est ac si diceretur, per gratiam justificantem vitari posse mortalia omnia, non posse omnia venialia; sed & justos *quandoque* cadere in illa.

De eadem justificationis gratia & habituali, ea cogit nos Synodus interpretari, quæ secundùm Scripturas Augustinus in eum sensum sexcenties edisseruit, & quæ perperam aliqui recentiorum ad gratiam actualem deflectere studuerunt. *Ita neque propria nostræ justitiæ tanquam ex nobis* Ibid. c. 16. *propria statuitur: neque ignoratur, aut repudiatur propria statuitur: neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur: illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum*. Et infrà, *Si quis dixerit homi-* Ib. can. 11. *nem justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: anathema sit*. Qui vel primoribus labris Augustinum delibasset, non nescire poterit, quoties hæc eadem apud eum inculcata sint, ubi gratiam Christi propriam & principem hanc esse vult, justitiam Dei nobis infusam, charitatem per Spiritum sanctum irrigantem. Atqui hæc non de actuali, sed de habituali gratia Synodus exponit. Ergo & Augustinus ita interpretandus est; nisi dicas vel Augustinum à Scripturæ, vel Synodum à Scripturæ & Augustini interpretatione vera & germana defeciſſe. Quod scelestum foret. Adde quòd Synodus non id commenta est, per inhærentem charitatem nos justificari. Qua id autem ex Patrum traditione hausit, nisi ex Augustino, Augustinique antecursoribus & sequacibus, Scripturas ad eum sensum interpretantibus? 2. Rursum ubi Synodus ait, *Si quis* Ib. can. 18. *dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit*: hìc edocemur, quid Augustino sit esse *sub gratia*, non *sub lege*, non *ante legem*. Sub gratia enim constituitur qui justificatur, eique possibilia sunt mandata; quia per gratiam justificationis fit, ut etsi cupiditatibus oppugnetur, non vincatur, ut ait Augustinus: nam qui sub lege est, seu nondum justificatus, etsi repugnat, tamen vincitur. Ubi vides mirificum Synodi cum Augustino concentum. Ita & can. 1. negat *naturæ* aut *legis* ope sine Christi *gratia justificari* quemquam posse: ergo & Augustinus cùm tres stationes distinguit ante legem, sub lege, sub gratia, & gratiam defuisse docet sub prima & secunda statione, de gratia justificationis intelligit.

Ad generalem verò gratiam pertinent, quæ eadem Synodus definit de gratia *præveniente, excitante, adjuvante* impios, ut ad justificationem se præparent. *Declarat Synodus justificationis exor-* Sess. 6. c. 5. *dium in adultis à Dei gratia præveniente sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illa libera sua voluntate possit*. Observa hìc 1. gratiæ nomine donari hæc auxilia Dei moventis, & hunc jam crebriorem invehi usum loquendi contra Lutherum, qui cùm solam justificantem gratiam gratiæ nomine insigniret, præparationes ad eam omnes aspernabatur, omnia præter eam facta peccati labe existimabat maculari. 2. Excitanti huic gratiæ *cooperari*, & *liberè assentiri* hominem, & *nonnihil agere*, propterea quòd *illam recipiat*, cùm *abjicere possit*. Hunc singularum istiusmodi gratiarum claret qualis sit efficacia? 3. Idem liquet ex eo quod additur hanc excitantem

tantem gratiam ejusmodi esse, ut etsi abjici possit ab homine, *non sine illa possit* tamen voluntas se ad justitiam movere. Quod perspicuè quadrat *adjutorio sine quo non*, non adjutorio quo fit indubiè res.

Idem apertum est infrà; ubi definitur, neminem justificari posse *absque gratia*, neminem posse credere, sperare, diligere sicut oportet, *sine præveniente Spiritus sancti inspiratione*. Ubique necessitas inculcatur adjutorii sine quo non, Sed rursus disertissimè, si modò fucus cavillationum abstergeatur, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit: sed velut inanimè quoddam nihil omnino agere, merèque passive se habere, anathema sit.* Eo igitur liberè assentitur & cooperatur libertas gratiæ, quòd possit dissentire, si velit; quod ludificatorium est, si una motione, aut delectatione inevitabiliter figitur voluntas, ut velit assentiri, nec nolit dissentire. Assentiebantur enim Lutherus, & Calvinus lubentissimam, non coactam consentire voluntatem gratiæ, nec per istam demi illi radicalem illam & intimis visceribus insitam indifferentiam voluntatis; sed eam gratiæ vi inevitabili figi & vinciri.

Ibid. can. 1. 3. Can. 4.

Idem patet ex dictis superiùs de proxima per gratiam potestate justificatorum ad vitanda omnia mortalia & venialia singula. Et in ista tamen crebrimè, in illa nonnunquam labuntur justi. Ergo non invictissimè per gratiæ adjutoria quælibet constringitur libertas ad assentiendum. Ideo percelluntur ibidem, qui senserint justum *Posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia.* Si singula possunt, omnia non possunt justi peccata vitare, id ex eo fit, quòd etsi abundè adsit gratia, fatiscat nostra tandem voluntas, & gratiæ desit.

Can. 23.

Denique eadem Synodus voto castitatis obligatos verat hac causatione uti, quòd sentiant se non habere *castitatis donum*. Nimirum *Cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari*. Adest ergo omnibus vel continentiæ donum, vel potestas ejus per preces impetrandi, vel mitigandæ divina ope tentationis. Hoc porrò sufficientissimum est auxilium, quod nulli deest: cùm expungendæ causationi tam impiæ necessarium à Synodo æstimetur.

Sess. 6. c. 20.

De tertia gratia maximè speciali & efficacissima ad electorum salutem perficiendam, vix quidquam potest ex Tridentina Synodo exprimi. Ut quæ prædestinationis arcanum vix attigerit, Monet tamen, *Nisi ex speciali revelatione sciri non posse, quos Deus sibi elegerit*. Monet & speciale Dei donum esse perseverantiam. Monet & justificationem iis gradibus perfici, quos sæpè indigitavimus, *dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* His quippè verbis significatur assentatoriè gratiam quodammodo accommodare se ingenio hominis pravi, qui cùm facilius primò persuaderi possit sensu doloris & pœnarum metu, ut ab illicitis se voluptatibus abstineat: hac arte primùm gratia in illum grassatur. Ira avulsum à terrenis deliciis, & tamen ex instinctu naturæ amantem deliciari, facilè pellicit suavitas & delectatio justitiæ, ut malit à terrenis deliciis abstinere cum gustu & suavitate cœlestium, quàm insuaviter omnino, & cum æterno amaritudinis sensu. Ira ex plurium istiusmodi auxiliorum dispensatione & arte perficitur & impii conversio, & pii perseverantia.

Sess. 6. c. 12 & 13.

EX CATECHISMO Concilii Tridentini. Item ex Theologis qui hinc & hinc Congregationibus tunc affuerunt, idem ostenditur de gratia generali & speciali, item de ea quæ electorum perseverantiæ certa larzitrix est,

IN Cathechismo Concilii Tridentini hæc primò consignatur gratiæ definitio, ex ipsa Synodo, *Est gratia non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam & lux, &c.* Tum citantur varia Augustini opuscula, in quibus de hac gratia differitur. At ibi de dilectione & delectatione justitiæ, de charitate per Spiritum sanctum effusa disputat Augustinus. Hæc igitur est gratia sanctificans & habitualis.

Part. 2. de Bapt. c. 4.

Efficacia porrò hujus gratiæ per consertas ei virtutes illico describitur: *Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum. Augustinus verba illa, abundè effudit, explanans, Nimirum, inquit, ad remissionem peccatorum & copiam virtutum.* Copia enim ista virtutum per baptismum infusa cum gratia regenerationis abolente peccata, *renovationem* operatur, hoc est, piam deinceps vitam.

Ibid. fol. 9.

Id elegantissimè ibidem subjicitur: *Jamverò per baptismum etiam Christo capiti tanquam membra copulamur & connectimur. Quemadmodum igitur à capite vis manat, qua singula corporis partes ad proprias functiones aptè exequendas moventur: ita etiam ex Christi Domini plenitudine in omnes, qui justificantur, divina virtus & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia Christianæ pietatis officia habiles reddit.* Hæc gratia Baptismi Sacramento infusa, & Christo capiti nos ut membra conserens, à Christo capite in nos effluens, charitas est, & *virtus*, quæ *habiles* nos reddit & *movet* ad omnia Christianæ pietatis officia. Si de actualibus auxiliis hæc dici malis, nihil moror, dum à capite in membra semel justificata jugiter defluant, nec à gratia justificationis divellantur. Hinc enim liquidum erit, permagnas quidem has esse vires, sed non eas, quæ suo effectu non frustrentur unquam.

Ibid. fol. 11.

Unde consequenter ibidem: *Nec mirum cuiquam videri debet, si cum tanta virtutum copia instructi simus, tamen non sine magna difficultate & labore pias honestasque actiones inchoamus, vel etiam absolvimus. Id enim ob eam rem non evenit, quod virtutes à quibus actiones ipsæ proficiscuntur, Dei beneficio nobis donatæ non sint; sed quoniam post baptismum acerrima cupiditatis pugna adversùs spiritum relicta est.* Vides *actiones* pias proficisci à *virtutibus*, cum baptismi gratia infusis: his virtutibus nos *pugnare* post justificationem adversùs carnis cupiditates: ex hac virtutum pugna cum cupiditatibus oriri *difficultatem* bonorum operum. Ergo hæ virtutes vel ipsamet sunt charitas, vel charitatis & gratiæ inhabitantis vires. Nec enim debellatur cupiditas, nisi charitate. Vides rursum conflictum & victoriam ita perpendi, pensiculatis viribus hinc virtutum, inde cupiditatum: supposito indubiè auxilio actuali & supernaturali summi boni, pro virtutum modulo & viribus admensо; cùm & cupiditatum conatibus non desit motio primæ causæ. Alibi Cathechismus idem insinuat Dei

1. p. de 1. art. Symb. n. 11.

motione,

motione, impulsu, consilio omnia regi, quod & nos sponte confitemur, nec tamen hinc possunt prædeterminationes physicæ ad actus liberos admoveri: sed alias habet Deus artes & rationes molles, quibus liberas voluntates inclinet, quo ipse cumque vult.

Accedamus jam ad Theologos qui Congregationibus singulas Sessiones Tridentini Concilii anteeuntibus affuere, magna prorsus fama & eruditione viros. Sic ergo habet Paulus Suavis Polanus libro secundo Hist. Conc. Trident. cùm articuli V. & VI. Lutheri ventilarentur: *Liberum arbitrium à Deo impulsum nullo modo cooperari, sed sequi sicut instrumentum inanimum, aut verò animal irrationale. Deum quos sibi videtur, convertere, etiamsi nolint & recalcitrent.* De his articulis ita supradictus Scriptor: *In quinto & sexto articulis excutiendis, de assensu qui à libero arbitrio inspirationi divinæ, aut gratiæ prævenienti commodatur, non modo Franciscani à Dominicanis, sed & hi inter se sententiis variabant. Franciscani enim asserebant, quandoquidem voluntas possit seipsam præparare, hoc magis in potestate sua esse positum, præventionem divinam aut admittere, aut reiicere, quando Deus illi auxilium præbet, priusquam naturæ viribus utatur. Dominicani verò negabant opera vocationem præcedentia esse verè præparatoria, primum locum Deo semper ascribentes. Inter hos Soto defendebat, utcumque homo gratiam acquirere nequeat sine speciali Dei auxilio præveniente: voluntatem nihilominus posse semper certo quodam modo auxilium illud respuere & repudiare. Immò quando Dei opem recipit, id eo fieri, quia assensum suum præbet, idque vult: alioqui nisi assensus noster requireretur, nullam subesse causam, cur ad Deum omnes non convertantur. Deus enim, ut est in Apocalypsi, semper stat ad ostium, & pulsat: atque ut Patres loquuntur, Deus volentibus dat gratiam, & Scriptura teste, consensum à nobis efflagitat. Quique aliter sentiat, is & voluntatis libertatem justulerit, & à Deo vim adhiberi dixerit. At F. Aloysius Catanea contra differebat, juxta divi Thomæ doctrinam, Deum in animo duo genera gratiæ prævenientis operari, unam sufficientem, alteram efficacem: priori posse voluntatem & assentiri, & reluctari, posteriori minimè, quod includat contradictionem, posse repugnare efficaciæ. Ad sententiæ suæ confirmationem citabat D. Joannem, & D. Paulum, & super iis locis dilucidam D. Augustini explicationem. Dein ad objectionem quod omnes ad Deum non convertantur, respondebat id fieri, quod Deus non efficaciter omnes præveniret. Metum autem offendendi liberum arbitrium à divo Thoma sublatum, cùm dicit ea moveri violenter, quæ moventur à causa contraria, à sua autem causa nihil per violentiam moveri. Cùm autem Deus voluntatis sit causa, perinde esse voluntatem à Deo, atque à se moveri, &c. Damnabat illud Lutheranorum, quod Deus convertat ad se homines, etsi recusent & recalcitrent: quia contradictionem implicat, ut effectus recalcitret suæ causæ. Posse quidem accidere, ut Deus efficaciter aliquem convertat, qui aliàs sufficienti Dei prærentioni reluctatus sit, nunc autem minimè obluctetur: quia suavitas in voluntate impulsa consequens esse soleat efficacis divinæ motionis. Replicabat Soto omnem divinam inspirationem per se non sufficere. Eam cui liberum arbitrium assentitur, ab hoc assensu acquirere efficaciam: cui non assentitur, manere parum efficacem, non propter defectum inspirationis, sed hominis. Quam quidem opinionem ille timidè admodum propugnabat, quod alter obiiceret ita futurum, ut electorum distinctio à reprobis ab hominibus pendeat: quod pugnat cum perpetuo sensu catholico, qui vasa misericordiæ à vasis iræ sola Dei gratia discriminat: tum ut electio divina ex operibus præviisis, non ex Dei beneplacito procedat: cùm & Patrum & Conciliorum doctrina contra Pelagianos semper prædicant, Deum operari illud velle in electis; quod tantundem est ac si dicerent, Deum efficere ut consentiant. Quare cum assensum in nobis operetur, illum efficaciæ divinæ imputandum. Alioqui Deo nihilo magis devinctum qui salvatur, quàm qui damnatur, si à Deo ex æquo cum utroque ageretur. His nihilominus rationibus allegatis, contraria opinio majoris partis applausum obtinuit; multis etiam fatentibus rationes Cataneæ non satis confutatas, aliisque indignantibus Soto non satis liberè locutum.* Ex his satis constat, quàm falsò jactetur priscos omnes Thomistas conspirare in gratiæ generalis & sufficientis proximamque possibilitatem dantis profligationem. Nam ut de Franciscanis fileam, quibus tamen & sua inter Catholicos Theologos non mediocris gloria detrahenda non est, Dominicani ipsi quantum inter sese dissiderent, perspicis; perspicis quantò plures fautores haberet Soto, sufficientis & omnibus obviæ gratiæ vindex: perspicis quam & Catanea ipse, tametsi castior Thomæ & Augustini, efficacis gratiæ & gratuitæ electionis assertor, sufficientem tamen præterea gratiam adderet, cui *posset assentiri & reluctari* voluntas nostra, ita ut qui sufficienti prærentioni aliàs reluctatus sit, is quandoque à Deo efficaciter convertatur. Non video autem inter Thomistas ita altercantes, quæ commodior pax resarciatur, quàm si nobiscum velint verè & proximè sufficienter omnes à Deo præveniri, sed ob carnis luctam cum spiritu, lassescere tandem omnes: & *diu*, & *semper* non vigilare, non arrigere vires omnes, adeoque mitæ jam puræque Dei misericordiæ esse, ut quos ante sæcula gratis elegit, tanta & tam multiplici congruaque gratiarum largitate oppugnet, ut superet tandem & invictissimè sibi subjiciat, & omnipotenti protectione ita custodiat, ut in bono perseverent, vel antè excedant è vivis, quàm cadant? Nec enim Catanea, ut spero, offenderetur, si efficacia gratiæ in plures motiones spargeretur, nec uni committeretur tota, si inde id commodi reportaretur, ut suavissima & omnibus expedita difficultatibus concordia restitueretur inter gratiam & liberum arbitrium.

Ibidem Paulus Suavis de prædestinatione mox disceptatum esse ait, & hac quoque in re distantes Doctorum sententias memorat, & novellam demum illam Catharini, qui præter *aliquot pauciissimos* gratis à Deo electos, eoque mediis *potentissimis, efficacissimis, quæque fallere non possint*, instructos, aiebat, *Cæteros omnes velle Deum salvos fieri, atque huic fidei media omnibus sufficientia præparasse; sed penes ipsos relictum ea vel accipiendo salvari, vel reiiciendo damnari.* Quæ eo à me referuntur tantùm, ut videas, quàm non fuerint tunc alieni Theologi plerique omnes ab auxiliis generalibus & sufficientissimis in omnes dispergendis.

Idem Polanus libro eodem secundo inter Theologos Tridentinos disceptatum ait *de sensu composito & diviso*; verùm non in motionis, aut præmotionis divinæ, sed in prædestinationis concordia cum libertate nostra. Nempe certa & infallibilis est prædestinatio, non quælibet motio divina.

EX LUTHERI, MELANCTONIS, Calvini, Zanchii, & aliarum ejusmodi pestium verbis & sententiis ostenditur, etiam tunc ævo eorum de gratia speciali & generali eam fuisse consensionem Schole Theologicæ Catholicaque, quam suprà vindicavimus.

CUm primùm furere cœpit Lutherus anno MDXVI. & MDXVII. *in declamatione populari de primo præcepto*, Theologos exagitare cœpit, quòd sine gratia Christi vellent posse nos præce-

præcepta implere, peccata vitare, licèt non meritoriè: cùm omnes scientiæ & virtutes per liberum arbitrium acquisitæ *sint peccata & errores, quia fiunt necessariò ex corde malo, & nondum sanato per gratiam, quod non potest nisi seipsum quærere in omnibus*. Sic ille insaniebat, immemor Theologos Catholicos etsi gratiam specialem, seu justificantem ad id non requirant, desiderare tamen gratiam, seu influentiam generalem summi boni moventis omnia, & ad se trahentis. Rursus in Thesibus Luthero præside Vitembergæ disputaris anno MDXVI. *Homo Dei gratia excluſa, servare præcepta ejus non potest, neque se vel de congruo, vel de condigno ad gratiam præparare, verùm necessariò sub peccato manet. Voluntas hominis sine gratia, non est libera, sed servit, licèt non invita. Homo quando facit, quod in se est, peccat, cùm nec velle, nec cogitare ex seipso possit*. Usu tum Scholæ vulgatissimo *gratiam* hìc vocat habitualem, sanantem: nec in eo peccat: sed quòd alterius nempe generalis detrectator ex novella impietate factus, & obtrectator, perinde blatterat, acsi sine gratia fieri à nobis diceretur, quidquid sine gratia sanctificante fit. Ex Scholæ enim nostræ placitis, destitutus gratia speciali potest per gratiam generalem vitare peccata singula, non omnia: præcepta implere, ad vitandam pœnam, non ad merendam gloriam: ad justificationem se præparare; faciendo quod in se est, non peccare, nequaquam excluso actuali Dei auxilio.

Tom. 1. operum ejus Vitemb. an. 1582. pag. 12.

Ibid. p. 50.

Nec minùs idem hallucinabatur in aliis ejusdem anni Thesibus, *Veritas est, quod homo arbor mala factus, non potest nisi malum velle & facere. Falsum est, quod voluntas possit se conformare dictamini recto naturaliter, Sed necessariò elicit actum difformem & malum sine gratia, Omne opus legis sine gratia Dei foris apparet bonum, sed intus est peccatum*. Non improbè hæc dicerentur de gratia generali, sine qua nihil fit utcumque boni, nihil evitatur mali. At cùm profanus novator de gratia justificante agat, quæ propriè etiam tunc gratia dicebatur, insana sunt hæc commenta ejus omnia. Ideo tunc forsan id cœptum est, ut jam non semel monuimus, ut usitatiùs, & tandem usitatissimè *gratiæ* nomine decorarętur *auxilium Dei moventis*, ut loquitur Aquinas, vel *influentia generalis*, ut Bonaventura & alii: quæ antè gratia quandoque vocabatur, sed non ita frequenter, ut postea.

Ibidem. pag. 161. 171.

Ideo cum Eckius in solenni cum Luthero disputatione Lipsiensi an. MDXIX. dixisset Lutherum *æquivocatione falli, quod hanc gratiam, qua Deus prævenit corda hominum movendo, credit esse charitatem, cùm sit aliud gratuitum Dei munus:* utpote timor servilis, quode ibi agitur. Ad hæc ita Lutherus: *Ego prorsus nullum habeo medium inter peccatum & gratiam: sicut nec Christus cum dicit, Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam, &c. Non accipit Dominus Doctor quod gratiam dixi prævenire amorem & timorem: nisi loquar de gratia primæ motionis. Respondeo, Ego cum Apostolo & Augustino sentio, quod nisi lex diligatur, quod est charitatis, & non primæ motionis, non bene vivitur, ergo nec Deus timetur, nec colitur*. Consentiebat Eckius, nos charitate justificari, sanari: sed præterea gratiam *primæ motionis* invehebat, qua præveniremur, & gratiæ præpararemur, maximè per donum timoris, Lutherus unam gratiam charitatis agnoscebat, qua inspiraretur simul amor & timor filialis,

Ibid. pag. 86.

Et in Epistola ad Georgium Spalatinum, de actis hujus disputationis, Lutherus decreta Theologorum nostrorum rursum refellendo declarat & illustrat: *Idem cum Pelagianis dicunt Scholastici, dum sine gratia opus bonum, sed non meritorium fieri docent*, Ita quidem illi sine gratia habituali & justificante, non sine actuali & præparante gratiam, quam utramque Pelagiani suggillabant, *Deinde super Pelagianos addunt, hominem habere dictamen naturale rationis rectæ, cui se posset naturaliter conformare voluntas*. Ita apud Catholicos habet, si modò adsit gratia generalis actu juvans; idque totum *naturale* dicitur quandoque à priscis Theologis, etsi supernaturalia Dei hæc quoque sint munera; sed vox illa *supernaturalis* gratiæ tunc reservabatur gratiæ sanctificanti. Ubi de re constat, quid attinet de verbis altercari? *Carnifex illa conscientiarum Theologistria docet posse hominem facere, quod in se est, ad obtinendam gratiam*; verùm non sine auxilio Dei moventis, ut Aquinas & alii inculcant: *Posse removere obicem, posse non ponere obicem gratiæ, posse implere præcepta Dei quoad substantiam facti, licèt non ad intentionem præcipientis*: & hæc quoque non sine auxilio Dei, etsi sine gratia speciali, seu justificante. *Hi omnes errores corruunt ad conspectum duarum propositionum, quarum altera est Augustini, Liberum arbitrium sine gratia nihil valet, nisi ad peccandum. Posterior Ambrosii est, Liberum arbitrium sine gratia tanto citiùs propinquat iniquitati, quantò fortiùs intenderit actioni*, Et his subscribimus, si gratia actualis seu generalis ea sit, Si justificantem velis, id eo valebit, ut ejus inops quandoque peccet, non ut semper,

Ibid. p. 87.

Sed apertissimè tandem insanit perditissimus nebulo adversùs Catholicorum dogmata, ubi in *assertione articulorum* 1. per Bullam Leonis X. damnatorum, ad 36. conclusionem hæc effutiit; *Periit itaque hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt esse in potestate nostra naturales operationes operari. Secus rem habere monstrat experientia. Scimus nullo momento vitam nostram esse in manu nostra, & audemus dicere aliquam cogitationem esse in manu nostra? Quid absurdius dici potest? Qui ergo vitam nostram in manu sua retinuit, motus nostros & opera in manu tua posuit? Absit. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sinere. Quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare boni aut mali, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit ipse, aut facit. Nobis ad inferna spectantibus res apparent arbitrarie & fortuitæ, sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria*. Sic ille furebat adversùs gratiam generalem, seu *generalem influentiam*, qua libertas inclinatur juvaturque, etsi non indeclinabiliter flectitur, ut gratiæ vel obsequatur, si jam adsit, vel præparet se, si nec-dum adsit, Hinc porrò liberum arbitrium offocabat prorsus, quòd nondum justificatos pro inolita malitia in malum, justificatos pro inspirata charitate in bonum à primo movente Deo putaret inevitabili impetu contorqueri, & hac indeclinabili necessitate, etsi lubentes, constringi omnes, bonos, malosve.

Tom. 1. pag. 222. b.

Unde idem *de servo arbitrio* contra Erasmum scribens, *Deus nihil præscit contingenter, sed omnia incommutabili & æterna infallibilique voluntate & prævidet, & proponit, & facit, Hoc fulmine sternitur & conteritur penitus liberum arbitrium, &c. Ex quo sequitur, quod omnia quæ facimus, etsi nobis videntur contingenter fieri, necessariò tamen fiunt, & immutabiliter, si Dei voluntatem spectes, &c. Necessariò dico, non coactè: necessitate immutabilitatis, non coactionis; sponte ac lubenti animo: sed hanc lubentiam non potest suis viribus omittere, aut mutare*, Et rursum: *Quando Deus omnia in omnibus movet & agit, in Satana & in impio taliter agit, quales illi sunt, Cum sint aversi & mali, & rapiantur motu illo divinæ omnipotentiæ, nonnisi aversa & mala faciant*. Ita bonos malosque rotari vult indeclinabiliter etsi volentes & lubentes in bonum malumque *motu illo divinæ omnipotentiæ*; quem priscorum Theologorum subrogat *influentiæ generali*, libero arbitrio nostro amicissimæ.

Ita

Ita in tertio gratiæ genere Lutherus turpissimè allucinatus est, quod à primo non discrevit; & cùm priscæ Theologiæ optimates admisissent, & generalem gratiam seu influentiam, quæ omnes in bonum inclinaret, citra liberæ nostræ indifferentiæ dispendium; & efficacissimum præterea gratiæ auxilium, quo Deus electos ad justificationem & ad perseverantiam indeclinabiliter adduceret: ipse utrumque hoc commiscuit, & illum obtrusit *divinæ omnipotentiæ motum* generalem & inevitabilem, quo libertas strangulatur nostra, & quamvis volens, inevitabiliter tamen agitur, sive in bonum, sive in malum. Et ne quid intactum esset ab ejus vesania, habitualem quoque gratiam vellicare ausus est, quasi *stertentem habitum*, eique subrogare *non potentiam, non actum voluntatis, sed beneplacitum cordis, & voluptatem quandam in lege, amorem legis, amantem delectationem legis*. Qua in re frustra fuit. Id ipsum enim Aquinas cæterique antistites catholicæ Scholæ amplexi fuerant; sed eorum mentem non assequebatur Lutherus.

Tom. 1. in Psalm. 1. pag. 118.

Eandem ferè orbitam trivit Melanthon. Sic enim ille in *Apologia pro Luthero contra decretum furiosorum Parisiensium Theologastrorum*: ita enim hæretica virulentia convitiatur principi Academiæ. *Apparet in tota Sorbonica facultate neminem esse, qui Augustinum legerit. Augustinus, inquiunt, cùm de gratia disputat, non posse liberum arbitrium bene operari citra gratiam, non de gratum faciente gratia loquitur. Cæcitas cæcitatum & omnia cæcitas. De qua tandem gratia vir ille disserit? Cùm toties in vocabulo gratiæ variasse Pelagium scribit, testatur se exigere gratiam justificantem, seu Spiritum sanctum diffusum in corda justificatorum. Dona naturæ palam reiicit, auxilium speciale Sorbonitum ignorat, quì potest igitur non de gratia justificante loqui? &c. Et vos Sorbonici quid aliud vocatis gratiam, quàm charitatem? &c.* Ita ergo & Philippus generalem gratiam nesciebat, quam Scholæ proceres appellitarunt quandoque *dona naturæ*, veluti *gratiam creatoris*, vel *auxilium Dei moventis*, vel *gratias gratisdatas*, vel *speciale auxilium*, scilicet alicujus doni & habitus superadditi, puta virtutum philosophicarum, vel informis fidei, timoris gehennæ, & id genus alia. Hæc sunt Augustino *dona concubinarum*, quæ multùm distant à gratia justificante, seu charitate per Spiritum sanctum infusa, quod donum est peculiare, & hereditas filiorum liberæ. Hæc generalis gratia sufficit, ut non peccetur in aliquo opere; ut autem meritum comparetur, necessaria est gratia charitatis, ut perspicuè ibidem Augustinus.

Tom. 2. Vitemb. an. 1581.

L. de Patientia, cap. 26. 27. 28.

Idem Philippus in Confessione Augustana nostros concerpit, qui docent *posse sine Spiritu sancto præcepta Dei impleri quoad substantiam operum*. Item in Apologia Confessionis Augustanæ, Catholicis illudit, quòd censeant *homines mereri remissionem peccatorum faciendo quod in se est, &c. Deum necessariò gratiam dare sic operanti, necessitate non coactionis, sed immutabilitatis*. Impingit, ubi nos impegisse calumniatur, nescius actualium generalis gratiæ auxiliorum, quæ admitti necesse est, ut per ea quis se gratiæ justificanti præparet. Ideo has omnes præparationes exsibilant Lutherus & Melanthon.

Tom. 1.

Jam verò de gratia habituali sic ille calumniatur, ut illam detrectare usquequaque non possit: *Primam gratiam intelligunt habitum esse inclinantem, ut facilius diligamus Deum. Fingunt voluntatem posse diligere Deum, sed habitus tamen ille extimulat, ut idem faciat libentius*. Imponit nobis Philippus. Habitus enim infusos ab acquisitis eo secernunt Principes nostræ Scholæ Theologi, quòd necessarii sint hi, ut faciliùs, illi ut simpliciter fiat actus, utpote qui sint loco potentiæ. Et *de vocabulo gratiæ agens in locis Theologi-*

Ibidem.

cis, Philosophorum imaginationem secuti Monachi gratiam tantùm intellexerunt novas virtutes à Spiritu sancto excitatas: Et cum dicitur accipi remissionem per gratiam, sic sunt interpretati, accipi eam propter illas virtutes. Vides quæ Catholica sit sententia, quam ipse vellicat, ut justificationem vendicet *gratuitæ imputationi*. Nec dissimulare tamen vel ipse potest, quin præterea opus sit *donatione Spiritus sancti*, seu gratia habituali *contra Pelagii errorem*.

Sed præclarissima sunt hæc Philippi verba alibi, pro nostræ tunc ejusque doctrinæ elucidando discrimine: *Nomen gratiæ valde obscuratum est, cùm Monachi tantùm usurparunt pro habitu infuso. Sciendum est igitur gratiam significare gratuitam misericordiam, seu remissionem peccatorum & acceptionem, donatam propter Filium, cum qua tamen conjuncta est donatio Spiritus sancti accendentis novam lucem & novas virtutes in corde hominis, cui remittuntur peccata: Discernit Paulus hæc duo, Rom. 5. Multo magis gratia Dei & donum per Jesum Christum. Sic cùm dicitur, Non estis sub lege, sed sub gratia, non satis est sic intelligi, Gubernamini habitu infuso; sed &c.* Ita ille, præter imputationem à Luthero excogitatam, cogitur nobiscum conspirare pro gratia habituali, seu virtutibus, quæ simul cum Spiritu sancto & remissione peccatorum infunduntur.

In Epist. ad Rom. to. 4. pag. 10. 11.

De tertio gratiæ genere altum Philippo silentium, ut qui mollius Luthero in multis senserit, libero arbitrio subscripserit, abhorruerit à ferrea illa necessitate, fortassis & à placito prædestinationis gratuitæ deflexerit.

Calvinus in generalem gratiam ita bacchatur: *Extra controversiam erit, non suppetere ad bona opera liberum arbitrium, nisi gratia adjuvetur, & gratia quidem speciali, qua electi soli per regenerationem donantur. Nam phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiscuè expositam esse garriunt, &c. In partitione gratiæ operantis & cooperantis apud Magistrum sententiarum hoc mihi displicet, quod dum gratia Dei tribuit efficacem boni appetitum, innuit hominem jam suapte naturâ bonum quodammodo licèt inefficaciter appetere. Sicut Bernardus bonam quidem voluntatem opus Dei esse asserens, homini tamen hoc concedit, ut motu proprio ejusmodi voluntatem appetat. Sed istud ab Augustini mente procul abest.* Ita illum in has calumnias impegit ignoratio aut inficiatio gratiæ generalis, cui hæc Bernardi, Lombardi, aliorumque dicta nituntur. Idem infra: *Qui gratiæ Dei prima tribuunt ut efficaciter velimus, e converso innuere videntur inesse facultatem animæ ultro ad bonum aspirandi, sed imbecilliorem, quàm quæ in solidum affectum emergere, aut conatum excitare possit. Nec dubium quin hanc opinionem ab Origene & veterum quibusdam sumptam Scholastici communiter amplexi sint. Quando solent hominem in puris, ut loquuntur, naturalibus reputare, qualem describit Apostolus his verbis, Non quod volo bonum, hoc facio, &c. Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Sed illi in puris naturalibus solam excludunt sanctificantem gratiam, non auxilium Dei moventis & excitantis, per timorem pœnæ & alia id genus exordia boni. Ut autem Paulum ita interpretarentur, author fuit ipse Augustinus, qui gentes *naturaliter* Legi obsequentes, non tantùm justificatos, sed & non justificatos sumi posse docet, ob reliquias imaginis Dei & legis innatæ, nondum omnino obsolefactas, quas excitare non desinit summum bonum, tractu ad se jugi. Et hac generali gratia utcumque par est præparari homines ad justificationem. Quibus præparationibus, ut & gratiæ generali ibidem Calvinus remittit nuncium, *Faceſſat igitur, quidquid de præparatione multi nugati sunt.*

Institut. L. 2. c. 2. n. 6.

Ibid. n. 27.

Nec negat idem infrà Dei *donis* accenseri debe-

L. de Spir. & lit. c. 27. 28.

re virtutes quaslibet morales, sed his vel peccata vitari, vel quomodocumque ad justificationem disponi quemquam pernegat, quia *bonum opus inchoat in nobis Deus, justitiæ & amorem & desiderium & studium in cordibus nostris excitando.* Atqui sexcenties ingeminat Augustinus, non ab amore justitiæ *inchoari* bonum, sed à timore pœnæ: ideoque non à speciali gratia, sed à generali. Ibid. c. 3. n. 4. 6.

Et mox idem, *Christus ait, Omnis qui audivit à Patre, venit ad me: ut efficacem à seipsa Dei gratiam doceat: quemadmodum & Augustinus contendit. Qua gratia non quoslibet promiscuè dignatur Dominus, quemadmodum vulgo jactatur illud nisi fallor Occamicum, Eam nemini denegari facienti quod in se est, &c. Augustinus eam deridet eos, qui aliquas volendi partes sibi arrogant; quàm reprehendit alios, qui promiscuè putant dari omnibus, quod speciale est, gratuitæ electionis testimonium: Communis est, inquit, omnibus natura, non gratia.* Rectè hæc ille cum Augustino de gratia speciali justificationis: eam enim non omnibus dari compertum est. At scelestum est non cum eodem Augustino generalibus aliis assentiri Dei donis, quibus ad bonum pelliciuntur omnes à summo bono. Nec generalem hanc motionem nesciebat Calvinus, qui infrà ait, *Omitto hic universalem Dei motionem, unde creaturæ omnes ut sustinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt.* Sed non vidit hac universali motione summæ & veritatis & bonitatis, non posse non extimulari & illic ad verum & ad bonum naturas rationales, in quibus nondum obtrita omnino essent divinæ imaginis vestigia. Ibid. n. 10.

Gratiæ speciali seu justificanti consentit Calvinus, sed ita tamen ut ab ea, & ineluctabili necessitate quam illi affingit, libero nostro arbitrio machinetur exitium. Magistrum Sententiarum convellens hæc habet: *Ideo putarunt nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quod nostri juris sit primam gratiam, vel respuendo irritam facere, vel obedienter sequendo confirmare. Quod author operis de vocatione gentium sic exprimit: Liberum esse iis qui rationis judicio utuntur, à gratia discedere, ut non discessisse sit premium: ut quod non potest nisi Spiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Hæc notare libuit, ut videas quantum à sanioribus Scholasticis dissentiam. Longiore enim intervallo à recentioribus Sophistis differo, quanto scilicet à vetustate longiùs abscesserunt.* Sic ille superbiæ tumore excæcatus non vidit à se & Scholasticos repudiari, quasi à vetustate abscesserint, & ipsi vetustati terga verti, dum rejicit authorem libri de vocatione gentium. Æquè enim & infrà ait, *non rectè à Chrysostomo scriptum esse, Nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quidquam posse operari: quasi verò non ipsam quoque voluntatem operetur gratia.* Quin & Augustini verba à Petro Lombardo relata, bono operi præire gratiam, *comitante, non ducente; pedissequa, non prævia voluntate;* ita deflectit in alienissimum sensum, quasi non fuerit Augustino consilium, *dum pedissequam gratiæ vocat humanam voluntatem, secundas quasdam à gratia partes illi assignare in bono opere.* Sic totam cooperationem, merendi vim, libertatem nostram ille labefactat. Nempe ut ait infrà: *Ipsum audi, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Et citra controversiam elicitur ex Joannis verbis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili effectu sequantur. Qui ex Deo genitus est, inquit, non potest peccare, quia semen Dei in eo manet. Nam medium quem Sophistæ imaginantur motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, apertè excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.* Ideo conclamatam ubique nunc libertatem increpitat; *Movet Deus voluntatem, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum, repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit, &c.* Ita homo oris durissimi Patribus convitium facit, nec intelligere præ insania potest, voluntatem nostram & *efficaciter affici* à Deo quandoque, & eligendi tamen vim atque indifferentiam non circumscribi. Institut. L. 2. c. 2. n. 6. Ibid. n. 10.

Enimverò ex Augustino ille hanc sanæ & reparatæ naturæ differentiam astruere molitur, *Primam fuisse libertatem, posse non peccare: nostram verò majorem, non posse peccare.* Quo nihil alienius ab Augustino. Ita & suprà dixerat, *Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem, ut potuerit ad alterutram partem inclinare, &c.* Indifferentiam ergo libertatis nunc funditùs evertit, ut insociabilem cum gratiæ specialis efficacia. Ibid. c. 1. n. 15. Ibid. n. 1.

Quanquam autem ille, & mala sine gratia, & bona per gratiam necessariò & indeclinabiliter fieri omnia putet, & ita vel ipsum nomen liberi arbitrii exulasse cupiat: à lubentibus tamen, & spontaneis, vehementissimè volentibus, non coactis, hæc fieri vult. *Malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem: sed quorsum attinebat rem tantulam tam superbo vocabulo insignire? &c. Itaque siquis vocis hujus, liberi arbitrii, usum non prava intelligentia sibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem. Sed quia sine ingenti periculo non posse retineri censeo, magnò è contra Ecclesiæ bono futurum, si abolestur, neque ipse usurpare velim, & alios, si me consulant, abstinere optarim.* Et alibi: *Manet voluntas, quæ propensissima affectione ad peccandum & propendeat & festinet, &c. Porrò quod libertate abdicata, voluntatem dico necessitate in malum vel trahi, vel duci, &c. offendit eos, qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt, &c. Annon Deus necessariò bonus est?* Parco pluribus. Institut. L. 2. c. 2. n. 6. & 7. Ibid. c. 3. n. 4. & c. 4. n. 1. & 6.

Ita triplex gratiæ genus corrupit Novator audacissimus, dum generalem sustulit, speciali affixit necessitatem indeclinabilem, & in exitium libertatis conjuratam: ipsam denique libertatem de medio sustulit. Sed dum ille insectatur Scholasticæ Theologiæ duces, quæ eorum sententia fuerit, nobis approbat.

Hieronymus Zanchius in prolixo opere *de natura Dei, seu de divinis attributis*, hæc refert de Scholæ Catholicæ sententia conspirante: *In hac fere significatione accipere soliti sunt Scholastici, & non in alio nomen gratiæ, nempe pro donis & qualitatibus in animam infusis, per quas bona operamur. Aliam enim gratiam ferè non agnoscunt, quàm donum, seu dona Dei infusa, quæ causa est cur toto aberrent cœlo, cùm Scripturas interpretantur; in quibus dicimur gratia Dei justificari & servari. Qualitatibus enim infusis, fidei inprimis & charitati justificationem atribuunt: & ex consequenti, ipsorum etiam fructibus, hoc est, bonis operibus.* Extrinsecæ imputationi mavult justificationem arrogari, & incassum nititur ex Aquinate id exprimere: sed abundè ex eo testatum est, Scholasticis omnibus quæ propriè & specialiter celebrata sit Christi gratia. L. 4. c. 4. n. 1.

Quod autem ejus unius meminisse Scholasticos ait, hæreticæ fidei vel perfidiæ argumentum illud est. Consentiunt enim omnes in triplicem illam gratiam, quam alibi ipsemet distinguit: *Gratia sive auxilium Dei trifariam accipi potest. Aliquando pro motione & actione divina generali, qua omnia movet & agit, secundùm suam tamen quidque naturam & ingenium. Vocatur hoc auxilium Dei à Scholasticis quidem superfluxus generalis: à nostris, præsertim à Luthero, actio omnipotentiæ: & communis est animantibus omnibus, imo & rebus inanimis. Nonnunquam intelligitur speciale auxilium Spiritus sancti, quo dona sua & virtutes morales hominibus, quibus vult, distribuit, tam infidelibus, quàm fidelibus, quanquam sine regeneratione.* De libero arbitrio l. 1. c. 6. Th. 2. & 4.

Et com-

Et communes sunt hæ gratiæ tam impiis, quàm piis, prout vult Dominus. Tales fuerunt gratiæ in Romanis justitia, fortitudo, temperantia, prudentia. Denique nomine gratiæ significatur propria gratia regenerationis, & gratia Christi, sine qua nihil verè boni præstari posse, docet Spiritus sanctus in sacris litteris. Et de hac est illud Christi, Sine me nihil potestis facere. Hæc est pura putaque Scholasticorum doctrina; quorum in commentariis evolvendis Zanchium versatissimum fuisse omnes pene loquuntur ejus paginæ, nisi ubi peculiare hæreseos virus aspergit.

Unum illud est à nostræ Scholæ placitis dissonum, quòd sine gratia justificante censet non tantùm *nihil verè boni* fieri, hoc est, meritorium: id enim ultro amplectimur: sed etiam nihil quod non peccati macula inquinatum sit, quod abludit à vero. Ille idem infrà: *Homo non renatus, utut auxilio etiam speciali adjuvetur, nullum verè bonum opus aut eligere, aut efficere potest. Sed quidquid agit, aut vult, donec per gratiam regenerationis alius fiat, totum illud peccatum sit, necesse est.*

Ibid. q. 2. Thes. 8.

Aberrat iterum Zanchius, dum gratiæ Christi propriæ eam affricat efficaciam invidiosam, qua libertas ruat, ut quæ reluctari gratiæ non possit oblatæ. *Humana voluntas cùm incipit regenerari, gratiam sibi efficaciter oblatam, inque se immissam, licèt suapte natura possit reiicere, propter tamen efficacitatem Spiritus, & firmam Dei voluntatem non potest: Deoque regenerare volenti, non ita volet reluctari, ut non regeneretur.* Et alibi, *Falsum est in hominis esse potestate positum, accipere, vel respuere oblatam gratiam. Nemo venit ad Christum, nisi Pater traxerit eum. Verbo trahendi omnes arbitrii vires, in iis quæ ad salutem pertinent, & merita omnia excluduntur.* Si efficacia gratiæ perimit libertatem, perimit utique & merita omnia.

L. 1. de lib. arb. c. 7. Thes. 23. L. 5. de nat. Dei. c. 2. q. 3.

Etsi necessariò autem, non tamen coactè fieri, sed spontaneè & lubentissimè opera nostra tradit. *Aliud est necessitate constringi, aliud cogi. Cogimur cùm inviti, & contra voluntatem nostram, eoque repugnantes ad aliquid agendum vel patiendum compellimur. Necessitate verò constringimur, cùm non possumus aliter facere, etiamsi volentes, sponte, ultro, & cum delectatione aliquid faciamus.* Et alibi: *Neque enim voluntas cogi potest, ut velit quod non vult. Non enim vellemus, si nollemus, ait Augustinus. Hæc est necessitas coactionis. Alia est necessitas quam vocant Scholæ, infallibilitatis: nos necessitatem divinæ providentiæ. Sub hac nostras esse voluntates, nec tamen illarum tolli libertatem cum Augustino sentimus. Est enim necesse ut velimus, quæ Deus ab æterno voluit ut vellemus; imò ut velimus, efficit.* Ita ille libertatis nomen intactum finit, rem jugulat, dum indeclinabili necessitate, cui restitari non possit, bonos malosque volentes & spontaneos contorqueri divina voluntate & omnipotentia comminiscitur.

Ibid. L. 4. c. 2. part. 4.

Ibid. L. 5. c. 1. q. 4.

Suboluerat illi tamen posse cum libera etiam indifferentia nostra coalescere vim ineluctabilem divinæ voluntatis. Dum exponeret enim, quì Deus *non violenter trahendo, sed suaviter flectendo ex nolentibus volentes faciat*, hoc exemplo rem illustraverat: *Nonne aliquis Orator ut Cicero, sua ratione ita persuadebit alicui, puta Cæsari, quod vult: ut Cæsar qui ad utrumque erat indefinitus, postea ad unum sese definiat? Num propterea Orator sua efficaci oratione liberam Cæsaris voluntatem sustulit, aut necessitatem illi intulit?* Ita prorsus & multò vehementius ne indifferentiam quidem tollet libertatis Deus, nedum lubentiam.

L. 3. de nat. Dei. c. 2. q. 14.

LUTHERUM, MELANTHONEM, Calvinum, dum ex Scholastica Theologia fastidio à receptissimis tum in ea placitis resiliunt, ab avita Patrum traditione, & à fidei orbita deviasse, circa doctrinam de gratia.

OMnibus omnium ætatum Novatoribus familiare id fuit, detrectare authoritatem & consensum Theologorum sibi coævorum, aut paulò vetustiorum, ad antiquissimos provocare, & patefacto demum utrorumque concentu in rebus fidei invariabilis, ab his quoque abscedere. In hunc eundem scopulum impegere Lutherus, Melanthon, Calvinus, aliique horum & superbiæ & perfidiæ sectarii. Idque exitio demum ipsis fuit. Tametsi enim ubi varias in sententias scissi sunt Theologi, suo ibi ingenio indulgere fas sit, & alterutris se addicere; ubi consentiunt omnes, mirus in tanta disputandi licentia hic concentus à fidei utique necessitate emergit. Certè si tum Ecclesia quidpiam pronuntiet, illam consentionem ab antiquæ fidei traditione derivari indubium est.

Ubi primùm Lutherus bacchari cœpit, *Resolutionibus disputationum de virtute Indulgentiarum ad Leonem X. Papam*, hanc præmittit præfationem: *Primùm protestor me nihil velle dicere & tenere, nisi quod ex sacris litteris, Ecclesiasticis Patribus ab Ecclesia Romana receptis, ex Canonibus & Decretalibus Pontificiis habetur. Unum adda & mihi vendico jure Christianæ libertatis, quod opiniones beati Thomæ, Bonaventuræ, aut aliorum Scholasticorum, aut Canonistarum, nudas sine textu & probatione positas, volo pro meo arbitrio refutare, vel acceptare, secundùm consilium Pauli, Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ab his initiis quantam in petulantiam eruperit adversus Patres, Pontifices, Concilia, etiam generalia, nemo nescit. Et in sua ad Prieriatem responsione, *Solas opiniones divi Thomæ mihi nunc decantas; qui æquè ac tu nudis verbis incedit, sine Scriptura, sine Patribus, sine Canonibus, denique sine ullis rationibus; ideoque meo jure, & Christiana libertate, te & illum simul reiicio & nego, &c. Sic docetis infelices discipulos Scholastici Theologi, superbire scilicet & perire.* Et in Scripto suo ad Caietanum Cardinalem Legatum ait se *rejeciisse Scholasticorum opinatorum commenta.* Et in Epistola ad eundem, *Narrationes divi Thomæ & aliorum tantæ non sunt, ut mihi in hac quæstione satisfaciant.* Et in disputatione Lipsiensi, cùm Eccius repudiasset authoritatem Gregorii Ariminensis, circa illum articulum à Concilio Constantiensi damnatum, *Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quidpiam, tunc agit vitiosè: & si est virtuosus, & agit quidpiam, tunc agit virtuosè.* Respondet Lutherus, *Gregorium Ariminensem ab Eccio reprobatum, ego approbo: est enim totus nihil aliud quàm Augustinus, & divina Scriptura, resistens quidem omnibus doctoribus Scholasticis, tum maximè Aristoteli, sed nondum ab ullo confutatus est.* Et in Epistola ad Gregorium Spalatinum de actis disputationis hujus, *Certum est modernos quos vocant, cum Scotistis & Thomistis in hac re, id est, libero arbitrio & gratia consentire. Excepto uno Gregorio Ariminensi, quem omnes damnant. Qui & ipse eos Pelagianis deteriores esse, & rectè & efficaciter convincit. Id enim solus inter Scholasticos contra Scholasticos omnes recentiores cum Augustino & Apostolo Paulo consentit.* Et alibi in Resolutionibus super propositionibus Lipsiæ disputatis, *Duo sunt quæ his opponi solent: primum est, authoritas omnium ferè Scholæ Theologorum per orbem, qui contra sentiunt. His divinas litteras præfero. Secundò obiicitur quod hic articulus est à Concilio*

Tom. 2. oper. Luth.

Constantiensi inter Hussiticos damnatus. Sed nonne Concilia sæpiùs erraverunt? Vides eo gradu quod tandem in impudentiæ culmen proruperit. Ejusdem farinæ est quod in Confutatione Latomi ait, *Thomas Aquinas an damnatus, vel beatus sit, ve-*
Tom. 2. oper. Luth. *hementissimè dubito, citiùs Bonaventuram crediturus beatum, Thomas multa hæretica scripsit, & author est regnantis Aristotelis, vastatoris bonorum operum.* Denique huc attinet quod Scholasticos
Tom. 3. oper. Luth. omnes, immò omnes ferè Ecclesiasticos tractatores reos egit Pelagianæ insaniæ, uni Paulo, Augustino & Gregorio Ariminensi hanc maculam abstergens. Quæ contumelia proinde in universam redundat Ecclesiam, ut ex ejus verbis liquebit: *Pellagianus error verè omnium sæculorum error est. Sæpius oppressus quidem, sed nunquam extinctus. Eum percussit Christus, Paulus, &c. Augustinus, &c. post Augustinum resurgens tandem prævaluit, non tantùm nemine contra stante, sed etiam Romana Ecclesia imperante & cogente, universitatibus palam docentibus, Episcopis, Principibus, & toto orbe imitantibus tanquam rem optimam & Christianissimam. Nam quod aliqui adversus eum Parisiis mutire cœperunt, & alibi, nihil promotum videmus. Hic error fons est universæ idololatriæ. Qui enim fuerunt idololatræ, qui non arbitrarentur suis & viribus & studiis Deo placere? Et quid aliud agit Pelagianus error? Rectè ergo à Pelago Pelagius dicitur, quod hic error sit mare quoddam erroris, inundans omnem terrarum orbem.* Non ad has tandem intemperias præceps isset profligatissimæ frontis homo, si intra cancellos Scholasticæ contentionis cohiberi potuisset; at eo effracto repagulo, in Conciliorum, in Ecclesiæ denique universæ criminationem erupit: ut cui Scholam in rebus fidei succinere, ut quam Scholæ præcinere intellexit. Erat autem scelestissimum ab ea discedere Augustini interpretatione sententiæ, quam in universa & Schola & Ecclesia videbat invaluisse.

In Ps. 17.

Nec impar hac in re Melanthonis vecordia. In
Tomi 1. operum Melanth. Apologia pro Luthero contra Censuram Sorbonæ; *Superiore anno Evangelium damnarunt Colonienses ac Lovanienses Sophistæ: horum insaniam vicere nunc, qui Parisiis damnarunt Lutherum, &c. Constat natam esse Lutetiæ prophanam illam Scholasticen, quam Theologiam vocari volunt, qua admissa nihil sani reliquum est Ecclesiæ: & pro Christiano populo moralium Aristotelis populus sumus.* Ibidem infrà statim erumpit in Conciliorum contemptum, *Fuerunt Papistica Concilia aliquot intra hoc tempus regni Antichristi Romani: his se refragari fatetur Lutherus. Constantiensis Synodus decrevit esse quædam bona opera præter gratiam, quæ sententia ex diametro pugnat cum Evangelio,* Et rursum: *Scripsit Lutherus, Non posse liberum arbitrium citra gratiam aliud quàm peccare. Nota res est & plana, si Scripturam consideres, &c. Et Scripturam sequitur Augustinus adversus Pelagianos, hoc est, Sorbonicos Sophistas, &c. Apparet in tota Sorbonica Facultate neminem esse, qui Augustinum attigerit, &c.* Ita non possunt non ab Augustino excidere & procul deviare, qui ita illum solum sibi ducem optant, ut reliquos omnes Ecclesiæ Magistros & Scholæ, per varias ætates eandem Catholicam propagantes doctrinam aspernantur. Nec enim solitarius usquam Augustinus, sed examine longo Patrum Doctorumque Ecclesiasticorum, & cum primis ipsi consentaneo circumseptus. Præierunt quos sequeretur ipse, præeuntem ipsum sectati sunt longè plures. Ab Augustino procul aberrat, qui à Catholico isto agmine omnia Ecclesiæ sæcula implente abhorrescit. Quocirca nec illud Melanthonis placere potest, quod alibi docet in libro de Ecclesia: *Augustinus sua ætate doctrinam Evangelii de gratia & fide in Christum pene extinctam restituit, & rursum accendit.* Inextincta radiat in Ecclesia Christi fides usque, & de gratia Cyprianus, Ambrosiusque ea scripserant, quibus vel ipse proficeret Augustinus. Exortum statim Pelagium & Hieronymus calamo, & Orientalis Synodus fulmine Ecclesiastico perculit. Hujus victoriæ principem & palmarem gloriam jure suo sibi Augustinus vendicat, sed citra contumeliam aliorum Ecclesiæ Patrum.

Nec dissimilis Calvini procacitas: *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem; non nostræ ætatis Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis adversam suo more criminentur. In quo scilicet Patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam Augustinus ipse protractus est.* Idem alibi Chrysostomum & Græcos Patres, Hieronymum, Bernardum æquè proscindit, ut gratiæ Christi parum propitios. Denique ait *veteres omnes excepto Augustino sic in hac re aut variare, aut alternare, aut perplexè loqui, ut certi fere nihil ex eorum scriptis referre liceat.*

Instit. l. 2. c. 3. n. 11.

L. 2. c. 2. n. 4.

EX ALOYSIO LIPOMANO,
Episcopo Veronensi, qui Tridentino interfuit.

ITa gratuitæ prædestinationi suffragatur Lipomanus, ut generali tamen gratia omnes perfundi censeat, *Tantùm de Ismaele relatum est, quod risserit, vel luserit, ideoque hereditate pulsus est, non ob risum, sed Dei beneplacitum, qui cui vult miseretur, & cui vult, bona largitur, vel negat. Gratiam tamen Ismaeli non negavit; Fuit enim, inquit Scriptura, Deus cum puero.* Atqui reproborum personam sustinebat Ismael. Et alibi de Pharaone: *Ne cavillentur impii scriptum esse, Ego induravi cor Pharaonis. Certum est Hebraica phrasi significari permissionem, non voluntatem efficacem, seu cogentem. Induravit Deus Pharaonem, quod permiserit abuti sua voluntate, idque secundum justissimum judicium suum; qui cor peccatoris reprobum, quod nec patientia nec longanimitate Dei ad pœnitentiam emollitur, nec compunctione scinditur, nec timore frangitur, nec emollitur amore, in obdurationis sua perseverare permittit. Atque hæc permissio, seu patientia Dei magis accusat, quàm excusat impium. Vides enim quot miraculis Deus Pharaonem ad pœnitentiam invitarit, adeo ut fractus malis cœperit resipiscere, dum vocavit Moysen & Aaron, dicens ad eos, Peccavi, &c.*

In Genes. c. 21.

In Exod. c. 10.

Gratuitæ verò prædestinationi luculentè patrocinatur Lipomanus, ita Deum inducens loquentem ad Moysen: *Glorificabis nomen meum, cum beneficia gratiæ & gloriæ in te & totam hanc gentem conferam, quam tamen non omnes sunt susceptori; non enim omnes fruentur beneficiis meis, qui non omnes credent: multi murmurabunt, & contemnent bonitatem, beneficia & portenta mea, Non enim omnes digni sunt, quia non omnes à me electi. Ego autem quos elegi, servabo & pascam, beatos reddam, & confirmabo in gratia & gloria. Quos verò ad bonorum meorum participationem non elegi, isti sua culpa qua sponte semper peccare volunt, & contemnere meas leges, isti misericordia mea indigni invenientur, & eam non desiderabunt, nec precibus ac votis assequentur. Locus difficilis, etiam Paulo admirabilis, tamen secundum Dei sapientiam & bonitatem nulli calumniæ obnoxius, Dominus est enim, & is ipse justus & clemens.* Pergit ostendere id revera arcanum gratuitæ prædestinationis consilium & Moysi & Abrahæ patuisse, eligente jam tum Deo suum Israelem, *non ob alicujus merita, sed sola ac libera gratia, quæ dispensat beneficia sua, fidem, gratiam & gloriam, cui, quando, quantum sibi placet, &c. Salus enim hominis etsi detur meritis operum suorum, tamen ex misericordia, ex gratia provenit, quia ita voluit & promisit Deus.*

In Exod. c. 11.

Indecli-

Indeclinabiliter ergo aguntur electorum voluntates ad conversionem, ad perseverantiam, ad salutem; sed quomodo ea infallibilitas consentiat cum nostra libertate, cum nodum vix attingit Lipomanus, utcumque tamen licebit ejus mentem hinc conijcere. Per malos efficit Deus, quæ æternis suis præfinita sunt consiliis. Non eorum tamen voluntates eò physicè prædeterminat, non conditionatæ ex scientiæ officina motione librat, & seligit; sed gratiam subtrahendo, idoneasque sceleri occasiones vel obiiciendo, vel non amoliendo, ad ea peragenda inclinat malos jam homines, quæ divinæ famulentur voluntati: *Cùm Dominus sit justus, quomodo dicitur indurasse cor Pharaonis. Respondetur, Pharao fuit sibi ipse causa indurationis, & non Deus. Fuit quidem Deus occasio, verùm haud aliter, quàm lapis in via, qui pratereuntibus iter ostendit, in quem incircumspectus impingit. Pharao in pœnam præcedentium delictorum, haud dignus fuit ut gratia Dei descenderet in eum, & daret illi cor tractabile. Non igitur illi Deus duritiam contulit, sed exigentibus ejus meritis nulla cor ejus desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.* Quantò magis ergo Deus electorum voluntates in bonum converteret, cum volet, cum possit non occasionibus tantùm & ex parte objecti, foriscque eos lacessere; sed intus oppugnare, variis iteratisque illuminationibus suasionibus, inspiratis affectibus, terroribus, delectationibus? Si prædeterminationi physicæ astipulatus esset Lipomanus, rem hanc totam longè aliter explanasset. Ibid. c. 7.

Vehementer autem allucinantur, qui hinc ominantur Lipomanum favere prædeterminationi physicæ, quòd alibi *omnipotentis Dei voluntatem infallibiliter impleri semper* asserat, cùm ei etiam venditio Josephi à fratribus famulata sit. Toto inquam cœlo aberrant. Nam venditio fuit à Deo, ex Lipomano, non voluntas vendendi nefaria: est enim ex Augustino & Patribus omnis potestas à Deo, non omnis voluntas. Et suam mentem plus satis aperuit antè Lipomanus, cùm inculcavit malas voluntates & obdurationes cordis à Deo permitti, non fieri. Denique per scelestorum etiam voluntates implet Deus voluntatem suam, ex Augustino, non eas ad malum physicè determinando; sed sinendo, vel non sinendo, ut semet ipsæ determinent; & quo se cunque ipsæ vertant, eorum improbitatem retorquendo in usum & incrementum bonitatis suæ, & electorum suorum salutis. In Genes. cap.

EX JOANNE MARIA VERRATO Ferrariensi Carmelita, Professore Bononiensi.

Anno 1643.

PAulo III. P. M. luculentas hic dicavit *adversùs Lutheranos Disputationes*. In his circa gratiam generalem sic statuit, posse infidelem quemvis *facere quod in se est, quia per rationem rectam potest cognoscere suum principium, Deum, scit se non semper fuisse, se habere principium, & ab illo se habere quidquid boni habet: sic nulla natio sine Deo, &c. Cum homo ad illum recurrit quem scit suum esse principium, & petit ab eo lumen fidei & boni, facit quod in se est, & hoc natura est in quolibet homine.* Ita & mox ait posse quemlibet *non ponere obicem gratiæ*, nempè quia potest à novo quolibet abstinere peccato. De fide & operib. concluf. 1.

Liberum arbitrium ut ut habeat in Deo, beatisque, vel in dæmonibus: certè dum *meriti & demeriti principium est*, necesse est ut possit *peccare & non peccare, velle & non velle, tam bonum, quàm malum*. Nec tunc peccat, cùm diligit virtutem, honestatem, pietatem in parentes, non referendo hæc *actualiter* in Deum. Mox ibidem autem libero homines potiri probat arbitrio, quia cùm *in gratia sunt*, possunt ab ea abscedere: *Si sunt in peccato mortali, ipsi ex suo libero arbitrio possunt, stante semper generali influentia Dei, qua vocat omnes homines ad pœnitentiam, & vult omnes salvos fieri, possunt facere quod in se est, pœnitentiam agere, & se disponere ad gratiam.* Ibid. Demonst. 5.

Potest enim *adultus quilibet per suum liberum arbitrium in puris naturalibus existens, sine gratia gratum faciente, operari opera moraliter bona, & se disponere ad gratiam suscipiendam*. Subdit, cùm dicitur *in puris naturalibus*; non excludi *generalem Dei influentiam*, sed excludi *habitus & dona supernaturalia*. Ideò rursum ait posse *ex puris naturalibus, sine dono gratiæ, stante sola generali Dei influentia, quodlibet mortale peccatum novum caveri, tentationibus resisti etiam per longum tempus, &c. impleri præcepta quantum ad substantiam operum, &c.* Docet idem infrà, *principia practica ita insita nobis esse à natura, ut sunt principia speculativa*: in illis porrò versari legem naturæ, ergo observari eam posse. Nec observari tantùm quoad substantiam operis præcepta, sed etiam posse à quolibet meritoriè, idem probat ex eo quòd ad id *paratus sit Deus dare gratiam* omnibus petentibus. Ibid. Concluf. 3. Concluf. 4. Apologia.

Sed luculentissimè infrà secernendam monet à gratia gratum faciente *gratiam gratis datam, qua Deus omnibus assistit, operaturque omnia in omnibus, speciali autem modo in hominibus; quoniam sine hac gratia non valet homo facere quod in se est, nec ad gratiam gratum facientem se disponere, nec cessare ab actu peccati*. Quin imò statim accuratiùs hanc quoque bipartiri posse docet; *Talis autem gratia gratis data, qua semper prævenit liberum arbitrium in opere suo, duplex assignari solet. Una universalis, qua dicitur generalis Dei influxus, vel universalis Dei influentia, qua movet omnes creaturas ad operandum, quibus etiam cooperatur. Alia specialis gratia, quæ specialis Dei influentia merito appellatur, seu speciale Dei auxilium, quo specialiter movet homines ad benè operandum, in quibus etiam operatur velle & perficere*. Sed abstineri tamen posse ea distinctione ait, ut quæ aliàs influentia Dei generalis & intra naturæ limites est, ea dum hominem ad bonum juvat, & specialis & supernaturalis dicatur & sit: *Puto tamen salva semper veritate, hujusmodi divisionem gratiæ gratis datæ in universalem & specialem, non esse divisionem in membra distincta, sed quod sit una & eadem diversimodè considerata. Nam eadem gratia qua Deus operatur omnia in omnibus, & cooperatur omnibus creaturis, sive considerata respectu omnium creaturarum, dicitur generalis Dei influentia; considerata autem prout speciali modo movet omnes homines ad operandum, sine qua nullus homo potest operari, juxta illud Christi, Sine me nihil potestis facere, dicitur specialis Dei influentia, seu speciale Dei auxilium; specialissimum autem prout operatur in electis.* Addit à Divo Thoma constitui præter habitum gratiæ, aliud *auxilium divinum non speciale, sed generale*; sed ab eodem *non determinari, an auxilium illud primi motoris speciali ratione homini impensum, sit aliud ab influentia & cooperatione Dei generali, quæ assistit omni agenti*. Sustineri igitur facilè potest, *quod una & eadem gratia gratis data dicatur generale & speciale Dei auxilium. Generale enim est prout communicatur omni creaturæ, speciale verò prout speciali modo communicatur creaturæ rationali, tam existenti in gratia, quàm non existenti. Et sic constat quod sine Dei gratia nihil fieri potest in mundo. Ex quibus omnibus liquet quod interdum videntur Doctores invicem dissidere, & revera non dissident*. Ad eum ergo modum constant omnia priscorum Theologorum dicta; qui influentiam Dei specialem à generali dispescere minùs laborarunt. Præjudicatum id enim erat, quæ ad naturales effectus vel causas naturalis & generalis influentia Dei est, eam adsupernaturales supernaturalem & specialem esse, quæ communis tamen diceretur, quòd nullus ea fraudaretur homi- Concluf. 6.

minum, Ita mox ait & sibi invicem, & sano dogmati concordare Thomam, Bonaventuram, Scotum, Joannem Bachonum Carmelitam, Michaelem Bononiensem & alios.

Jam ad gratiam habitualem pergimus. Hanc ille ait à Pelagio negatam: *Fuit error Pelagii, qui negabat gratiæ gratum facientis necessitatem, & libero arbitrio attribuit facultatem, gratiam, & vitam æternam merendi, stante sola generali influentia Dei.* Ibidem. Hanc paulò antè discreverat à gratia gratum faciente, eamque definierat esse *qualitatem & formam à Deo infusam, qua anima formaliter redditur Deo grata, & datur solum modo bonis.* Et de eadem rursum, *Hæc gratia gratum faciens dividitur in operantem & cooperantem: quæ divisio non est in membra distincta, sed est unum & idem diversimodè consideratum, in ordine ad diversos effectus. Sunt enim duo principales effectus gratiæ, unus est gratificare animam, & liberare à culpa: secundus est inclinare operationes, & conducere eas in finem ultimum. Inclinat igitur hæc gratia & ordinat voluntatem hominis ad eliciendas opera sua principaliter propter Deum, & per hoc facit opera hominis meritoria, & digna æterno præmio. Quantum ad primum effectum dicitur gratia operans, & præveniens, quia prævenit voluntatem eam præparando, ut justa & Deo accepta efficiatur. Quantum verò ad secundum effectum dicitur gratia cooperans, vel subsequens, pro quanto adjuvat voluntatem, inclinando eam ad opera meritoria perficienda.* Quibus nihil expressius fieri potuit, nihil manifestius in nostram sententiam.

Denique de efficacissima propositi divini & prædestinationi exequendæ coaptata gratia, non minùs idem perspicuè, si tamen hoc illi condones, quod & à Catharino peccatum est, quòd in omnes electos eam non effundat, sed in eximios tantùm quosdam, quorum gratuita est electio, & meræ puræque Dei gratiæ; cùm cæteri ob prævisum bonum usum gratiæ prædestinentur. Hoc ergo uno errore abstersо, media seu auxilia ad exequendam electionem gratiæ qualia sint, sic ille describit: *Duplex est vocatio, una externa, quæ fit per concionatores, per Scripturarum comminationes, & admonitiones, per adversitates & prosperitates, &c. alia interna, quæ fit per voluntatis immutationem, quæ magis voluntas Dei efficax, quàm simplex vocatio appellari solet. Constat autem quod tali internæ vocationi, quæ fit per voluntatis immutationem, seu voluntati Dei efficaci nullus resistere valet. Quidquid enim Deus efficaciter vult, nullo resistente fit. Talis autem fuit Pauli vocatio, cui non potuisset, vel cum maxima difficultate, ut salvetur liberi arbitrii facultas, resistere potuisset. Quamobrem dictum fuit ei, Durum, non autem impossibile est tibi contra stimulum calcitrare.* Ibidem. Aliam illicò vocationem internam attingit, quæ & omnium est & inefficax. Vides ergo in Paulo vocationem efficacissimam, externis internisque gratiæ conspirantibus præsidiis, cui resisti non potest, hoc est, nonnisi cum maxima difficultate resisti potest, & ita salvatur libertas arbitrii. Nempè quia singulis auxiliis seorsim resisti potest, sed pluribus conspirantibus difficillimè, omnibus collectim omninò non potest resisti.

Eodem pertinet, quod idem alibi ait: *Aliqui ex gratia speciali ordinati sunt ad vitam æternam; ita quod sibi ipsis non sunt derelicti, sed præventi, ne ponere possent obicem, & ne possent peccare, vel in peccatis permanere; sicut beata Virgo Maria, Jeremias, Joannes Baptista, & Paulus Apostolus a Domino percussus & illuminatus. In illis enim nulla videtur ratio, quare Deos illos prædestinat, sic gratia præveniendo, nisi sola Dei voluntas propter publicas utilitates.* De prædest. conclus. Seposita Deipara, quam omnis omninò labis expertem fuisse constat, verissimè de reliquis dicit, & de electis omnibus idem ratum est, *eos non sibi derelictos, sed præventos esse, ne possent peccare, vel in peccatis permanere:* Complexio enim gratiarum omnium efficacissima ex intentione Dei prædestinantis id præstat, ne peccent, vel in peccatis non permaneant.

Idem ibidem præclarissimè prosequitur, ut quæ nobis futura, ea Deo præsentia sint, & conspiciantur coram omnia, eoque nullam eventis contingentibus & liberis necessitatem invehat vel præscientia, vel providentia, vel prædestinatio Dei. *Nullum præteritum, nullum futurum, sed omne tempus est præsens apud eum, nullaque est prædestinatio, præterita, vel futura, sed omnis prædestinatio est præsens, in conspectu Dei.*

EX BARTHOLOMÆO Camerario Beneventano.

Dialogos hìc de *gratia & libero arbitrio* adversùs Calvinum, qui *Augustinianum* se esse venditabat, uno ferè ex Augustino contexuit, & Lotharingo Cardinali Carolo nuncupavit. Quadruplicem hìc primò libertatem constituit, *in opere nimirùm naturali, morali, meritorio, & in futura vita.* Lib. 2. Affirmat mox *Liberum arbitrium homini post peccatum remansisse, quod tametsi debilissimum sit, à gratia roboretur.* Cap. 6. Bonum velle etiamnunc enim ante justificationem habemus, non posse: ideò enim Paulus ait hominis nondum justificati nomine, *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Quem in modum post Adami peccatum habemus liberum arbitrium ad velle, vulneratum, absque merito, non ad posse.* Velle quippe illud, quod ex primigeniæ integritatis reliquiis superest, marcidum & exangue est, ideò ad posse non convalescit. Semper autem sedulòque distinguenda est *libertas naturalis, seu potentia consentiendi vel dissentiendi, à libertate gratiæ, seu à potentia operandi meritoriè justitiam.* Hæc peccato amittitur, non illa.

Residua autem illa ad bonum libertas moralibus maximè bonis operibus enitescit: *Nemo enim cordatus istud negare audebit, hominem nimirùm posse absque merito æterno, morale bonum aliquod opus operari; Paulo dicente, Abrahamex his operibus gloriam invenisse, sed non apud Deum.* Cap. 4. Etenim etsi post peccatum cupiditatibus mancipatus sit carnalibus; *Cupiditates tamen non sic sub servitute nos detinent, ut peccare perpetuò cogamur.* Cap. 6. *Sic intelligenda Augustini verba sunt, cùm necessitatem peccandi adeo magnam esse contemplatur, ut cum Propheta dicere necesse sit, De necessitatibus meis erue me.* Et in eo Calvinus fœdissimè allucinabatur, quòd existimaret, *propter voluntarium peccatum originale, omnia actualia sic necessaria esse, ut absque libero arbitrio peccemus, & propter originale peccatum eo calamitatis hominem pervenisse, ut servus factus sit ad peccandum omnia actualia peccata.* Augustini ergo doctrina ea est, originali peccato esse factum, ut peccata omnia vitare nequeamus, etsi possumus singula sine gratia, cum gratia autem nimirùm justificante etiam omnia. Unde Augustinus, *Et tamen vitare potest peccatum, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Ubi Camerarius, *Gratiæ adventum proponit, quæ efficere potest, ut omnia peccata præcavere valeamus.* Extra gratiam autem, *experientia docet eundem hominem sub ira constitutum, qui non potest omnia vitare, aliquod particulare peccatum excludere, in quo consentiendi & dissentiendi liberum arbitrium ostendit, quo voluntariè peccatum committitur.* Denique Calvinus meritò inuritur, quòd *necessarium cum spontaneo* misceat ut liberum tollat arbitrium, quodque originali peccato factum putet,

ut necessarium actuale peccatum excusationem non habeat.

Cap.10. Jam verò quod ad præparationem attinet voluntatis ad gratiam, ita Cameratius: *Prima præparatio est, quam Deus ab æterno fecit, præparans electis bona opera. Secunda præparatio à Dei quoque providentia processit, dum suo generali influxu hominum voluntates excitando, propria bonitate omnia nobis tribuit, qua hominibus conveniunt.* Negat Lutherus *influxum generalem dari. Paulum ergo negat, dicentem, In eo vivimus, & movemur: universam quoque Philosophiam, quæ de prima causa id ipsum tendit: ita ut eo movente, opera cum naturalia, tum etiam mortalia consumarentur.* Negat tamen Cameratius hoc *influxu generali*, sive *naturæ dono* præparati nos ad gratiam: *cùm natura & influxus omnibus detur.* Ideo ergo *præparatio tertia est, quando homo antequam justificetur, à Deo vocatur, & inspiratur, specialiter motus à Spiritu Dei ad diligendum Deum movetur. Quam præparationem remotam ea de re vocamus, quia absque ullo merito condigno, sic hominem præparari Deus ipse dat, ut ipsius deinde misereatur.* Scorum sancto Thomæ hac in re ait consentire reapse; etsi verbis discreper. Speciale enim auxilium desiderat Thomas, Scotus sola influentia generali contentus est; sed cùm supponat fidem, quæ speciale donum Dei est, utique Thomæ concinit, qui præter fidem solum poscit auxilium Dei moventis. Rursum hujus præparantis auxilii copiam omnibus fieri ait Cameratius:
Cap.10. *Ut si quis non habet gratiam, non propterea sit; quod Deus nolit; sed quia homo non vult accipere, interea dum ad ostium manet pulsans, lumen quod in tenebris lucet, omnibus offerens.* Denique est *& quarta præparatio animæ, quæ proxima nuncupatur, dum ipsa justitia infunditur.*

Sicubi Magister sententiarum sentit ante gratiam à libero arbitrio esse bona quædam, annuit Cameratius; sed non sine *speciali auxilio* ab eo id
Ibid.l.2.c.1. intelligi. Etenim ut infrà idem ait, justificatus potest *velle & proficere bonum*; nondum justificatus optare potest, sed *à Spiritu movente motus*. Sic impleri possunt mandata, sed per gratiam justificantem maximè impleri possunt, nempè etiam omnia, & ideò omnes possunt: *Possumus enim ea quæ per alium possumus.* Quinimmo *Tempore datæ legis,*
L.3.c.2. *quæ absque gratia impossibilis erat, gratia simul ostensa fuit, ad quam pro lege implenda Hebræi recurrere possent.* Denique vel ipsum dilectionis mandatum impleri hìc etiam potest, *quantum in via mandatum est.*

Denique *Lex naturalis legem æternam participat, propter impressionem divini luminis in creatura rationali, quæ inclinatur in debitum actum & finem,*
Cap.5. *dum naturalis ratio suadet, ut omnia effugiat, quæ virtuti adversantur.* Verùm ad supernaturales virtures quod attinet, *Lex divina se offert, quæ naturæ*
Cap.5. *instinctum explicat, defectumque ejus supplet, & quasi auxilium legis naturalis est.* Infrà tamen monet idem quod Paulus, nempe quòd etiam peccatur, etsi nec velle, nec perficere bonum possit quis, cùm possit tamen optare à concupiscentiis non vinci: *quo fit ut aliquis effectus justitiæ originalis deperditæ jam, adhuc certo modo maneat, &c. Quod nihil aliud est, quàm ad optandum valendumque bonum, aliquid liberi arbitrii diminuti jam remansisse, ad posse autem nequaquam.*

Nunc ad gratiæ habitualis efficaciam ex Camerario stabiliendam venio. Sic ergo ille, Pelagius gratiam in sola locat potentia, qua potest homo esse justus, non in voluntate, non in actione, sed
L.1.c.5. *aliud est potentia humana, aliud virtus à Deo infusa; ut sanato homine ipsa voluntas sic præparetur, ut homo bonum velle possit.* Et infrà, *Liberum arbitrium est animæ potentia, gratiæ supervenientis subjectum, qua assistente operamur bonum, ea verò desistente malum. Potentia est, qua possumus aliquid simpliciter, etiam circa plura; habitus verò nec simpliciter, nec circa plura potest, eo quod aptitudinem circa unum continet. Ita facultas concupiscendi, addito habitu temperantiæ, bonum concupiscere potest: addito verò habitu intemperantiæ, malum. Quomodo liberatum arbitrium liberum infusa gratia dici poterit, si gratia propter unum, id est, bonum, infunditur? Hoc solo vulnerata anima agebat, ut ad volendum & operandum bonum sanaretur, non ad peccandum, quod suapte natura homo omni tempore habuit.* Hinc dilucidè patet, quod & expressè subditur, *Quomodo gratia se habitus instar habeat, ut homo unum dumtaxat, nimirùm bonum meritorium cum arbitrii libertate consummare queat, & gratia principium actus, qui sequitur, sit.* Vides perspicuè ut gratia habitualis ea sit, quam Pelagius nesciebat, quæ voluntatis & actionis gratia est, quæ propriè gratia, quæ sanat, quæ principium est actuum bonorum, quæ inclinat voluntatem ad bonum; qua assistente, fit bonum; qua desistente, malum. Hac enim homo *gratia assistente, suapte voluntate bonum cogitat, vult & cooperatur.* Est Cap.6.
enim gratia veluti fortitudo bellica, qua suos milites donat & informat Deus, & ita merita donat:
Sic Deus virtute præcinxit Davidem ad bellum, dum Ibid.
ipse propriis brachiis suapte voluntate certabat. Sic quoque mirabilis est Deus in sanctis suis, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ; ipsi verò suapte vo- L.1.c.7.
luntate certant, non soli, sed gratia duce, quacum bonum opus cooperantur, &c. Etenim voluntas adventu gratiæ sanatur, roboratur, habilisque redditur; qua fit, ut sic sanata, ex se gratia assistente suapte voluntate bonum cum gratia cooperetur. Quæ eadem sæpiùs inculcat, nusquam ferè gratiam nisi habitualem appellitans; actualia autem auxilia designans per motiones, vocationes, inspirationes. Unde alicubi, *Aliud est vocare, gratiam* Cap.8.
suis inspirationibus offerendo, aliud gratiam infundere.

Et alibi rursum quid Augustino charitas, quid bona voluntas sit, nempè inhabitans justificantis gratiæ sanctitas & affectio justitiæ: *Cor mundum crea, Spiritum rectum innova in visceribus meis, per Spiritum sanctum tuum, qui abundè charitatem diffundit in cordibus nostris. Quem in modum bona voluntas in nobis, idcirco creatura solo Deo: quia ipse solus charitatem infundit, ut mala arbor, id est, mala voluntas in bonam arborem, id est, bonam voluntatem gratia Dei convertatur.* Ideò & alibi illa L.2.c.21.
Pauli verba, *Deus qui operatur in vobis velle & operari*, de bona voluntate, id est, de gratia justificante interpretatur: *Deus est qui operatur in vobis velle* L.1.c.21.
& perficere pro bona voluntate, quæ nihil aliud est quàm ipsa charitas diffusa in corde nostro per Spiritum sanctum. Et infrà, *Gratia urget, sine qua lex ipsa non solùm suave jugum non esset, verùm etiam impossibile. Ea verò assistente, quia charitati omnia facillima sunt, leve jugum legis est, minimèque gravia mandata. Siquidem charitate homo petit id, quo destituitur, ut impleat, quod jubetur. Illa namque est qua justificamur, quando per Spiritum sanctum diffunditur in corde nostro. Illa omnia potest, Paulo dicente, Omnia possum in eo, qui confortat me.* Gratia ergo charitasque justificans, illa est quæ mandata possibilia, levia, suavia facit, quæ legem implet, quæ omnia potest. Unde rursus: *Si Christus in uno loco dixit, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: alibi addit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Quæ verba conjungenda sunt, ut lex per gratiam suapte voluntate ab homine gratia assistente servetur.* Ita sensisse Tridentinos Patres affirmat, legem impleri non posse sine speciali gratia Christi.

Quod ad maximè efficacem gratiam spectat, docet primùm Cameratius, *in omnibus generalem Dei affluentiam adesse, qui omnia verbo veritatis sua portat; & tamen cum hoc generali influxu liberum arbitrium concurrit*, & potestate quam habet, quandoque

doque non utitur. Habitus fidei à solo Deo est, *actus fidei simul & noster est, qui in solidum cum gratia cooperamur.* In opere verò meritorio, *virtus solius Dei est gratiam infundentis, opus commune.* Itaque generali influxu non ineluctabiliter agitur homo: Gratia propriè habitualis est, nec ipsa infallibiliter torquet voluntatem. Quid ergo? *Dicemusne Deum,* L.1 c.5o *qui solus trahit, contra Prophetæ testimonium, nolentem hominem justificare? An potius ovis instar trahere, cui herba monstratur, suas internas inspirationes in animam immittendo, ut eo adjuvante velimus?* Ea tractio moralis est, exemplo oviculæ, quæ gramine porrecto trahitur: physica est, per inspiratas cogitationes affectionesque, utroque insuperabiliter agit Deus voluntatem liberam. Et infrà, Cap.6. *Inspirationes invito homine in ejus animam intrare, atque cum intrant tales esse, ut Deus id in homine agat, quod ipse vult, libenter cum Augustino fatemur.* Nec enim voluntas ita à Deo, ut dolabra à fabro movetur; sed secundùm proprium motum, nempè suadendo, afficiendo; moventur enim homines rationibus, affectibus, in verum, in bonum. Utrumque copulavit Augustinus, *cujus verba hæc sunt, Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat: non necessitatem imponendo.* Qui docet & delectat, suasionibus & affectibus trahit.

Gratia ergo opus est, nempè habitualis, *ut debilitatum liberum arbitrium, languentis hominis instar, qui adjutus sua potentia ambulat, bonum opus consummare queat*, ut ibidem subditur. Nec enim homo languidus ex peccato, vehitur ad bonum, sed ad illud gradi adducitur, & scipione relevatur, hoc Cap.7. est gratia. Ideò infrà: *Voluntas mala mutatur in bonam, inspiratione, ac charitatis in cordibus nostris per Spiritum sanctum infusione; ita homo præparatur, sanatur, roboratur, ut non solùm velle possit, sed propter hanc gratiam velit.* Per hanc gratiam *Deus in animo sedet imperator*, præter hanc gratiam *possidet diabolus. In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an diabolo? Cui paraveris, qui possidet, ipse imperabit.* Quæ Augustini verba sunt. At diabolus suos ita ad imperium regit, ut suadendo tantùm, & afficiendo in eos agat, idque extrinsecùs. Deus etiam intrinsecùs docet & afficit.

Acceptari ab homine gratiam non aliud esse infrà ait, quàm *non contradicere*. Porrò non infundi Cap.8. à Deo gratiam, nisi non contradicenti, sive *quem suæ vocationi assensurum præsciat*, ex Ambrosio, vel potiùs Ambrosiastro Pauli interprete. Præscit autem consensuros, quoscumque volet ipse trahere, ut pastor ovem herba trahit porrecta; alibi, *Gallina similitudinem affert, quæ pullos non cogit, sed suavi materna voce filios allicit.* Et quidem *inspirationes plus in unum, quàm in alterum veniunt*, & ita quemque Deo subjungant, *tametsi ante consensum multam expugnationem patiatur.* Extrinsecis impedimentis, vel amotis, vel admotis, fieri posse docet, ut Deus consensum nostrum suo nutu exprimat, vel cohibeat, & vel sic verè dicat, *Ego facio, ut facias.* Sed intus foris que *per vias congruas nobis pro hac, vel illa reducit Deus voluntates nostras, ut velimus & operemur*; si Augustino fides est, maximè in lib. de Gratia & libero arbitrio.

præfinitasque fuisse; & ita constare effatum Augustini, *quia scivit, creavit; non quia creavit, scivit.* At operationes jam naturis ipsis permissas censet, L.3 c.4. ut harum *concausa* tantùm Deus sit: non ut duo navim trahunt, sed ut Sol & homo hominem generare dicuntur. Multò id certius esse de actionibus nostris liberis, quas nostræ Deus voluntati permittit, ut de his ratum sit illud Origenis, *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat.* Justinus item, Chrysostomus & Hieronymus, *Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum.* Ita ex eo concordat Augustinus de naturis differens, cum Græcis de operationibus maxi- Ibid. mè liberis aliter disputantibus. Quin & his concinit Augustinus, cùm frequens ait, *Sicut omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt.* Et alibi: *Deus omnia quorum author est, præscit: non tamen omnium quæ præscit, author est: quorum autem non est malus author, justus est ultor.*

Ita etiam ait Deum *decernere* ab æterno de naturis, *suo solo consilio, sine rebus ipsis.* At verò de operationibus liberis, *præter nonnullas quas sibi arcano consilio servari voluit*, decernit *non sine ipsis rebus*, sed unà cum ipsis, hoc est *pro earum appetitu & inclinatione, rebusque ipsis se accommodat, &* Ibid. *inclinatur.* Ita omnia *disponit suaviter*, quia voluntates *dum operantur adjuvat atque dirigit, non urget, aut cogit, aut alio inflectit, quàm quo ipsas tendere contuetur.* Disponeret autem omnia *insuaviter prorsus*, si voluntates sibi ipsis permissas, ipse semper indeclinabiliter quocumque flecteret. Ita decernit Deus de malis, *dimittendo*, de bonis *dirigendo & adjuvando*, nihil *determinando*.

Ideò mox ait *ante prævisa merita prædestinari* quidem nos à Deo ad gloriam, sed ad gloriæ gradum hunc vel illum, nonnisi post prævisa merita. *Determinationem* autem liberæ voluntatis, nec cum Pom- Ibid. ponatio vult ab ipsa tantùm esse, nec cum aliis à Deo solo, *Ille enim humanæ voluntati plus tribuit, quàm conveniat: hi tollunt arbitrii libertatem, &* Cap.xii. *inevitabilem cunctis eventis necessitatem inducunt.* Sed ejus causam vult esse Deum & nostram voluntatem: *Deum, quatenus humanæ voluntatis arbitrio sese accommodat, eidemque ferre suppetias non desinit. Concurrit enim ad actum determinationis, non secus quàm ad cæteras voluntutis actiones. Voluntatem, quatenus & à Deo & à seipsa, & ab objecto, vel fine movetur ac determinatur, &c.*

Et paulò antè idem: *Non enim aliquo pacto voluntatis & actionis nostræ urgens & cogens causa est* Ibid.c.4. *Deus, sed benè dirigens, consilians & adjuvans. Dirigit, quia propter peccatum ad terram delapsum est genus humanum. Consulit, ut ad Deum, qui nostra beatitudo est, tollamus vultus. Adjuvat, sua nos præveniente & subsequente gratia ineffabili.* Usque adeò autem divina voluntas necessitatem non importat nobis, ut *contra Dei voluntatem sæpè nostra voluntas veniat.* Vincit tamen Deus, quia & malis benè utitur.

Quàm obvia sit omnibus autem Dei gratia, sic ille alibi, ubi ait voluptatum infimarum illecebris posse utique hominem eximere se, & abdicare, vi L.1 c.11. voluntatis, prudentiæ, virtutis: *Adde, quod omnium est maximum, potentissima Dei gratia, quam, modò volueris, copiosissimè tibi impartitur Deus, vallatum* esse hominem.

Scripsit etiam Sirenius libros *de libero arbitrio & de prædestinatione proprios*, quos videre nondum mihi contigit.

An. 1563.

EX JULIO SIRENIO *Hieronymiano Brixiano.*

LUculentos *de fato* libros hìc Herculi, Oecumenici Concilii Tridentini Legato primario pro Pio IV. aliisque dicavit Gonsagis Cardinalibus. Et quidem rerum contingentiam nostræque libertatis indifferentiam conciliare aggressus cum præscientia, providentia & prædestinatione divina: confitetur rerum naturas omnium à Deo prælineatas

EX

EX THOMA ELYSIO

An. 1563. *Neapolitano Ordinis Prædicatorum Observantiæ.*

Plorum Clypeum hic edidit adversùs sui maximè temporis hæreses, quem Romanus Index confixit quidem, donec expurgetur, sed ex eo speramus ea tantùm à nobis delibatum iri, quæ innoxia & pura non possint non videri, ex sui cum cæteris omnibus fidei defensoribus concentu.

q.1. de prædest. ar.4. De gratia generali sic ille habet: *Nos in Euangelio clarè habemus, quod multi sunt vocati; tamen credimus quod omnes sunt vocati, ex quo Deus vult omnes salvari. Sed quomodo, qualiter, & quando, ignoramus.* q.2.art.1. Et infrà: *In non habendo gratiam homo est causa magis principalis, Deus minus principalis, quia Deus vult omnibus conferre suam gratiam, quia omnes diligit, & ut in se est, vult salutem omnium. Sed non omnes volunt Dei gratiam acceptare, sed ponunt obicem, sponte illi resistendo.* Ibid. ar.3. Et rursus: *Deus vult omnes salvos fieri, quod sancti exponunt, & bene, de voluntate antecedente, &c. Ego sto ad ostium, & pulso, &c.* Ex quo infert, quod Deus permittat peccare quempiam, *dum sinit in libertate esse suæ voluntatis, cui semper paratus est gratiam tradere, si ille non renuerit, obicem ponendo. Non autem quasi aliquem ita destituat, quod nunquam opitulari statuerit. Tunc enim esset causa malorum nostrorum.* Et rursum: *Benè velle & benè facere* q.3.ar.4. *meritoriè est per gratiam inexistentem, quam homo de facili potest habere, quandocumque voluerit; ideo sibi imputabitur, si non benefecerit.* Et ibidem: *Bonum omne, aut est naturale, ut comedere, aut morale, aut meritorium. Primum non potest fieri sine influxu universali Dei, quem influxum gratiam Dei communem & universalem appellamus. Morale bonum non potest fieri sine gratia Dei particulari, quæ est motus Dei, aut vocatio, vel inspiratio Dei ad tale bonum. Meritorium non potest fieri gratia gratum faciente.* Et infrà: *Homo multa ex se facere nequit,* q.3.ar.5. *quæ gratia præventus facere poterit; quam gratiam poterit habere quando volet, dummodo non ponat obicem, sed faciat quod in se est.*

Inferiùs autem docet sine gratia, nimirùm habituali, posse quoad substantiam operis impleri ab omnibus, etiam infidelibus, non omnia, sed aliqua præcepta Dei, & tamen omnes prorsùs teneri omnia servare, & ex charitate sanctificante ac meritoriè servare, etsi id non possint sine gratia sanctificante, q.6.ar.3. *Quia possunt habere gratiam quandocumque voluerint, ideo non excusantur. Deus quia vult omnes homines salvos fieri, dat gratiam suam omnibus facientibus quod in se est; sed nos ex nobis, & per nos possumus facere quod in nobis est, ergo imputatur nobis, si gratiam non habemus.* Jam suprà monuit non sine auxilio motionis divinæ fieri posse bonum ullum morale, ergo nec quod in nobis est; hoc Ibid. ar.5.8. enim non fit nisi per opera moralia ante gratiam sanctificantem. Similiter intellige quod infrà ait, nondum justificatum posse singula, non posse omnia peccata vitare. Item posse hominem se ad gratiam gratum facientem præparare, sed non sine auxilio Dei particulari, quod quidem auxilium est motio Dei intrinseca, ac vocatio particularis & inspiratio ad tale bonum, quod extenso nomine gratiæ, etiam gratia dicitur à Doctoribus.

Quod ad opera infidelium attinet, etsi quidam *Theologi viri docti & catholici teneant quod peccata* q.6.ar.2.3. *sint omnia, quæ circumstantia necessaria est, ut fiant amore Dei*; Elysius tamen sequitur *sanctum Thomam & magnam partem Theologorum, docentes, quod possunt infideles & faciunt opera bona moralia, ad quæ peragenda non sufficit gratia communis, quæ est influxus Dei universalis, nec requiritur gratia gratum faciens, sed necessariò requiritur & sufficit intrinseca Dei vocatio, & motio ad tale opus.* Addit ab infidelibus *multa opera fieri propter honorem Dei, & placuisse Deo in opera Cornelii*: non ab omnibus Deum explicitè cognosci, sed non aliud exigi quàm quo ipsum modo cognoscunt, sua opera in ipsum referant, *scilicet implicitè & mediante aliquo bono fine, & honesto, qui careat omni circumstantia mala*: idque totum *dispensatione* temperandum esse.

Jam de gratia habituali, videtur Elysius reum agere Pelagium ejus denegatæ, cùm eo damnatum ait, quòd *omne bonum*, etiam *meritorium* sine gratia fieri posse opinaretur. Jam suprà Elysius q.3.ar.3. actuales Dei motiones & inspirationes monuit non vocari gratias, nisi *extenso nomine gratiæ*. Itaque apud eum gratia semper pro habituali sumitur, prisco ex usu, & etiam tum vulgatissimo. Ideò infrà quærit, *an possit adultus mereri primam* q.4.ar.5. *gratiam simpliciter, quam recepit in baptismo: ac etiam primam gratiam post baptismum.* Respondet hanc gratiam semper dari facienti quod in se est, ideò posse nos eam mereri, sed congruo merito, & per accidens tantùm; ideoque non ex merito justi- q.6.ar.3. tiæ, sed gratis etiam tum eam dari. Hanc gratiam infrà ait, *non esse habitum in illis, qui eam nuper recipiunt. Cùm habitus sit ex frequentatis actibus non interpolatis, & est difficile mobilis. Sed qui nuper eam receperunt, de facili illam perdunt.* Sic ille, quod non immeritò à plerisque reiicietur.

Ibidem sanè gratiam hanc gratum facientem & habitualem, distribui docet in prævenientem & subsequentem, *operantem & cooperantem*, etsi *una sit eademque gratia, sed varii ejus effectus; quorum primus est, Deum super omnia amare; alter effectus, esse principium boni operis, & movere voluntatem ad benè operandum.* Hanc gratiam Pelagius negabat, Ibid. art. 4. 5. sentiens naturali potestate posse *Præcepta servari secundùm voluntatem Legislatoris, omnia bona fieri Deum diligi super omnia*: cùm ad hæc necessaria sit Ibid. art. 13. gratia gratum faciens. Similiter *vitare peccata possunt homines omnes habentes gratiam gratum facientem, quia habent quandam facilitatem ad hoc ex auxilio talis gratiæ; ideo novo non egent auxilio ad vitanda peccata, quia illa gratia sufficit. Sed ut perseverent in bonis usque in finem, illa gratia non sufficit, sine novo Dei auxilio.* Denique inter effectus baptismi alibi idem numerat *adoptionem, regenerationem, & per accidens præservationem à peccato, quia per baptismum licèt non extinguatur fomes, tamen satis mitigatur, ne dominetur. Baptismus enim per gratiam minuit fomitem, prout inclinat in contrarium.* q.2.ar.1.

Jam ad efficacissimum gratiæ ex proposito datæ adjutorium. Omnia Deo præsentia esse semper secundùm esse reale contendit Elysius, ita à Deo præsciri omnia. Plura autem ab eo præsciri, quàm prædestinari: *Nam Deus illa prædestinat, quæ scit se esse facturum; sed non facit omnia, quæ præscit; præscit enim mala & peccata, quæ nunquam est facturus.* Ita vides quantum discedat à præmotionibus q.1.ar.2.4. & decretis prædeterminantibus, quibus posteà cœperunt quidam superstruere totam Dei de futuris præscientiam.

Prædestinationem ante prævisa merita, & omninò gratuitam propugnat Elysius. Cùm tamen Ibid. omnia in esse reali semper Deo præsentia sint, & tempore bona utique opera præeant, sequantur gloriæ cœlestis præmia, & talia coexistant æternitati omnia, qualia existunt in tempore: hinc molesta difficultas emergit, quomodo paret ante Deus gloriam electis, quàm merita viderit. Nec minùs illa urget perplexitas, si sui compos & liber est electus, ut peccare semper possit, quomodo non possit aliquis saltem sua contumaci pugnacitate divinum frustrare propositum, vel Deum cogere, ut ad exitum usque sæculi procrastinetur ejus vita, dum ipse conversionem procrastinat. Hìc ille non ad prædeterminantem physicè gratiam, non ad scientiam me-

mediam confugit, sed cum Caietano ad arcanam divinæ naturæ & operationis caliginem, hominibus inaccessam. *Dei mysterium & arcanum hoc prædestinationis & reprobationis cùm sit soli Deo notum,* q.1.ar.3. *qui suaviter disponit omnia, & omnia in finem suum ordinat; respectu creaturarum est ignotum. Nec mirum, quia nos scimus solùm de Deo, illum esse, & nescimus quidnam sit. Dicunt enim Theologi quod propositiones negativæ de Deo, veriores sunt, quàm affirmativæ. Ignorato quod quid est Dei, contingit ignorare quomodo & qualiter operetur, quia operari sequitur esse, & sic oportet nos ignorare, quomodo & qualiter intelligit, & prædestinat, & reprobat, Nam nos fallimur judicantes de Deo, sicut de nobis arbitrantes Deum operari, & intelligere, & agere in tempore per discursum, ut nos. Quod profectò ostendit, quia nemo nostrum intelligere potest, quomodo in uno hæc tria possint esse simul, infallibilitas prædestinationis, libertas arbitrii, & necessitas gratiæ gratum facientis.* De eodem infrà rursum,

Ubi duo præterea adverte. Primò quod illud unum nobis constat, quod Deus suaviter disponit omnia, & in finem provehit. Secundò quod gratia necessaria ad infallibilitatem prædestinationis, & cum ea concilianda, est gratum faciens; quam idem suprà à gratia actuali, quam gratis datam vocat, & vocationem, motionem, inspirationemque Dei, accuratè distinxit. Operæ ergo hoc pretium est, hoc impervium nobis arcanum, quomodo stet cum libertate hominis & infallibilitate prædestinationis necessitas hujus gratiæ. Nam si satis efficax illa est ad prædestinationis infallibilitatem præstandam, libertati infesta videtur esse: si huic amica est, quia habitualis tantùm est, illi minùs sufficit infallibilitati. Illud tamen mordicùs retinendum, & suaviter à Deo disponi omnia, adeoque agi electos ad salutem per habitus, vel habitualium similia auxilia: & gratiam potissimam qua præstatur infallibilitas prædestinationis, esse habitualem.

Eodem vergunt quæ idem infrà habet de Deo q.6.ar.3. *movente hominem* ad opus bonum, ita *ut habeat dominium suarum operationum; quapropter homo suaviter à Deo movetur: nam Deus movens hominem non aufert libertatem.* Hæc suavitas verbo tenus inculcatur nunc à physicæ prædestinationis assertoribus; sed reapse prædeterminans voluntatem motio physica nihil præ se fert suavitatis, Sanctus Thomas suaviter & delectabiliter hominem moveri ait, quia per habitus movetur, qui inclinant tantùm, non determinant. Elysius hìc illi suffragatur, habituali gratiæ hanc & suavitatem & efficaciam vendicans.

Qui rursus ibidem cum sancto Thoma ait: *Unumquodque recipitur per modum recipientis, actio itaque primæ causæ recipitur in secunda per modum causæ secundæ. Quod moderni hæretici attendentes, asserunt omnia evenire ex necessitate absoluta propter actionem causæ primæ universalem.* Nemo non videt, si seponantur tantisper præjudicia, quorsum evadat illud effectum. Causa enim contingens & libera motionem primæ causæ ita recipiet, si suo modo recipiat, ut quandoque illam effectu suo fraudet. Unde rursus ibidem omnia opera bona, eorumque potestas effectrix vendicantur gratiæ habituali; cujus etiam concordia cum libero arbitrio hæreticos latuit, utrique infestos. q.4.ar.8. q.6.ar.2.

Si quæras rursum quomodo trahat Pater ad Filium, respondet, *non violenter, sed suaviter, gratiam specialem infundendo, &c. Ipsa est principium intrinsecum operandi opera Deo grata & meritoria vitæ æternæ.* Et rursum, *Cùm voluntas movetur ad benefaciendum, cùm à seipsa non possit moveri, movetur intrinsecè à Deo movente voluntatem suaviter per vocationem, inspirando, illuminando, inclinando, persuadendo voluntati ut faciat tale bonum. Nemo venit ad me, ait Christus, nisi Pater traxerit eum.* Trahit ergo Deus non prædeterminando, sed inspirando, illuminando, persuadendo, & hoc est suaviter trahere. §.bid.

Denique efficaciam divinæ vocationis sic ille exponit: *Omne quod movetur, ab alio movetur, ut ostendit Philosophus. Voluntas nostra licèt moveatur ab objecto, tamen principaliter & per se movetur à Deo ad bonum, multifariè tamen & suaviter, aliquando per bonas inspirationes, aliquando per Prædicatores, per exempla bonorum, aut per flagella, & portenta, aut visiones.* Vides efficaciam gratiæ desumi & ex parte objecti, & ex parte Dei moventis voluntatem, moventis autem multifariè & suaviter, per inspirationes, prædicationes, exempla, flagella, &c. q.9.ar.6.

EX CLEMENTE MONIANO
Cardinali Ara Cœli. Anno 56.

COmpendium *Theologicarum institutionum* ex Scripturis & Patribus hic consarcinavit, cui accessit ut ederetur authoritas à Michaele Ghislerio Cardinali Alexandrino tunc & summo Inquisitore, posteà Pio V.

Primùm quidem gratiæ generali luculentè hìc suffragatur, cùm præceptorum possibilitatem non aliter stare posse docet: *Præsuppono quod observantia præceptorum divinorum est nobis cum ipsius adjutorio possibilis, quod ipse tamen paratus est nobis semper præstare, si nos eo uti volumus. Unde Deuter. 30. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est, &c. Jugum meum suave, &c. Mandata ejus gravia non sunt, &c.* Ambrosii, Basilii, Hieronymi loca aliqua ad id facientia contexit. De præcept. §.

At si obiiciant hæretici hìc non impleri præceptum dilectionis Dei *ex toto corde*: Respondet quod *non sic præcipitur nobis, ut Deum ex toto corde diligamus, ut nihil præter illum diligamus, aut quod omnes vires nostræ voluntatis tali dilectioni applicemus: sed sic jubemur diligere, ut nihil repugnans præceptis Dei amemus. At dilectio Dei ad quam producendam anima adhibet omnes vires & omnem conatum, in hac vita haberi non potest: nec illa nobis præcipitur, sed illa est, quæ expectatur in præmium.* Id probat ex Augustino & Thoma, additque ex Bernardo hunc locum, *Est charitas in actu, est & in affectu; & de illa quidem quæ operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in premium datur.*

Jam de gratia habituali sic idem sentit: Ad justificationem impii requiri primò *gratiam Dei prævenientem, seu gratis datam.* Cùm scriptum sit, *Nemo potest venire, nisi Pater traxerit.* Et, *Ego sto ad ostium, & pulso.* Secundò requiri *liberi arbitrii cooperationem*; nam ex Augustino, *Consentire divinæ vocationi, & ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Tertiò requiri *motum liberi arbitrii per fidem, spem, charitatem & pœnitentiam interiorem.* His præmissis Deus culpam gratis condonat; & culpa remissa *sequitur secundus actus justificationis, qui est infusio gratiæ, ad quam voluntas se habet merè passivè, & cum gratia & charitate Deus infundit habitum fidei & spei.* Ex quo sequitur, *Immutatio mentis, Cor novum, & Spiritus novus.* Porrò in innovatione ista *homo per gratiam annectitur corpori Christi, membrum ejus efficitur, ab ipso capite Christo vegetatur, & tanquam fœcundissimus palmes veræ viti, quæ Christus est, inseritur, & unitur, & vivificatur, ita ut uberes bonorum operum fructus, vitæ æternæ dignos producere possit. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, hic fert fructum multum, &c. Spiritualem à Christo capite vegetationem accipiens, fructuosus & ad producendum bonorum operum fructus* De Symbo loc. 9.

ilus fœcundus efficitur. Gratiæ habitualis efficacia, seu fœcunditas in bona opera non potuit disertius exprimi.

Postremò de prædestinatione & efficacissimis ad eam exequendam auxiliis nihil ex instituto disseruit Clemens, in suo hoc adversùs hæreses omnes quasi Enchiridio. Nempè suspicari fas est rem istam ad fidei amussim minùs pertinere, nec inter necessaria, vel certissimè definita dogmata referri debere. Utcumque tamen subluçet mens ejus ex voluntatis Dei antecedentis & consequentis explicatione. Divina ergo *voluntas antecedens est, quæ dat alicui antecedentia, unde possit consequi aliquid, vel operari, parata çoagere, si ille velit eandem exequi. Voluntas divina vult antecedenter Petrum mereri, quando dat Petro liberum arbitrium, atque gratiam, additque præceptum vel consilium ut mereatur, paratus sibi cooperari ad actum meritorium*. Ea non semper impletur: *At voluntas consequens, seu beneplaciti semper impletur, &c. nempe quia potest removere omne impediens, &c. Item quia potest immediatè producere omnem effectum, sine causa secunda, &c.* Nusquam hic Scriptor meminit vel scientiæ mediæ, vel præmotionis infallibiliter determinantis. Nusquam illi mentio ulla de auxiliis sufficientibus, quæ ita sufficiant, ut aliud sit omninò necessarium, quod sæpè desit. Sed seriò & verò idem asserit, quòd, *Non possunt excusari incontinentes dicendo se non posse continere. Cùm dicat Paulus, Omnia possum in eo qui me confortat: & Jacobus, Deus dat omnibus affluenter, & non improperat, Et licèt nihil possimus ex nobis, possumus tamen omnia, & mundum vincere, & justi esse, & çontinenter vivere in eo, qui nos çonfortat suarum gratiarum auxilio: quique orationum instantia pulsatus datçito, datque omnibus petentibus affluenter. Non tamen credas propter hoc quod ex solo Deo, sed etiam quod ex nobis pendet continentia nostra. Quia donis Dei sæpè, vel non utitur, vel abutitur humana perversitas.*

De præceptis c. 3.

Ibid. c. 10.

GALLI.

EX CONCILIO SENONENSI

Anno MDXXVIII.

Gratia Christi potissima est habitualis, eadem inspiratio charitatis. Est præterea generalis gratia. Est & tertia invictissima prædestinationis gratuitæ executrix.

GAllicanæ çonsensus Ecclesiæ dilucebit ex hac Provinciali Synodo: in qua Lutheri pestilentissima doctrina confossa est. De speciali & propria Christi gratia sic ibi definitur: *Nec enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam. Sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis affiatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam.* En disertè quæ sit vera illa gratia, nempè quæ dignos efficit vita æterna: cui famulatur tota præparatio per tot auxilia misericordiæ divinæ. Generalis enim gratia, auxilii nomine donatur; gratia propriè ea est, quæ justificat. Consentiebat Lutherus ex prisco usu gratiam non dici, nisi justificantem; unde nec illi ea in re Synodus, aut Catholicus Scriptor ullus refragabatur: quin omnes pergunt eundem vocabuli usum vetustissimum retinere. Sed eo Lutherus objurgabatur, quòd præter hanc gratiam specialem, non aliam generalem & actualem dari confiteretur, quæ ad illam nos præparet; ideoque præparationes has omnes detestaretur.

Decreta & def. ejus.

De generali ergo hac gratia illicò Synodus sic habet: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidam pratereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset: cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Ita intaminata constat nobis libertas, quæ per auxilium semper obvium, & nullo momento non paratissimum potest & justificanti gratiæ se præparare, & semel justificata benè operari.

Qualis sit autem istud Dei trahentis auxilium, jam satis liquet, çùm præsto semper sit, pulsetque ad ostium, & toties non admittatur: sed expressissimè Synodus hoc ipsum contestatur: *Nec denique tale sit hujusmodi auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina çongregat pullos suos sub alas, & noluit? Frustra certè Stephanus Judæos aura cervicis, & incirçumcisi cordis arguebat, qui semper Spiritui sancto resistebant: frustra Paulus Thessalonicenses admonebat, spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Quæ nullis debent cavillis ludificari, sed ea, qua par est, synodicas sanctiones, reverentia & sinceritate interpretandi, ut sonant, observari.

Tertium denique tangitur genus auxilii invictissimum, & obiter tantum innuitur ratio ejus cum labili nostra libertate concordiæ: *Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus; non vi, non unco raptamur. Prædestinat, eligit, vocat; sed eos demum adultos glorificat, qui in fide & charitate radicati, per bona opera certam suam vocationem electionemque fecerint. Et licèt attingat à fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter.* Ubi hinc quidem efficacia invictissima insinuatur verbis trahendi, prædestinandi, eligendi; sed ejus auxilii suavitas ex omnium dispositione, & plurium adjumentorum à fine usque in finem conspiratione innuitur.

Nec ab his abludunt, quæ habet eadem Synodus in præfatione: *Erravit Pelagius, dum ad vitam beatam comparandam, minimè necessariam putat divinam gratiam. Sed ad id sufficere censet liberum arbitrium, si modò adsit divinæ legis cognitio. Ecclesia Catholica requiri docet fidem, bona opera, & divinam gratiam.* Vides gratiam hìc verissimam dici, ex qua prodeunt bona opera, adeoque potissimùm justificantem. Nam præparans excitansque in fidei potiùs vocabulo hìc innuitur. Illam ergo negans Pelagius erravit. Unde mox: *Accedentem siquidem ad Deum oportet primùm credere, divinæ gratiæ munere adjutum. Deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur & gratia: primo tamen & principaliùs gratia.* Hæc gratia, quæ bonorum operum radix est, sanctificans gratia est: nec enim nisi justificatorum bona sunt opera. Illa ergo gratia, principalior causa est bonorum operum, quàm voluntas nostra ipsamet: *Quapropter qui hominem operari bene, & salutem consequi arbitratur absque gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est, &c. At Lutherus metuens liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne bonum opus quod est in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ, nihil prorsus libero arbitrio; sicque tollens omnino liberum arbitrium, factus est Manichæus, dum refugit esse Pelagianus.*

Colonienſis Synodus hanc eandem utramque gratiam, specialem & generalem, paucis complexa est verbis, quæ tamen cordato lectori sint satis: *Jam quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem; attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur. Cùm ille semper stet ante ostium pulsans, nimirùm per internum & externum verbum commonens, ut convertamur à via nostra pessima, & inclamans quoniam ira, indignatio, tribu-*

Pat. 7. c. 12.

tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum; gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Quo palam est saltem timoris gehennæ stimulo pulsari ad ostium cordis omnium, etiam interiùs. Sed si quos Pater in filios prædestinavit, ita pulsat, ut concutiat tandem, & mollitos trahat.

EX IODOCO CLICHTOVEO
Neoport. Doctore Parisiensi, & Canonico Carnotensi.

ALtero post Senonense Provinciale Concilium Anno, sive MDXXIX. edidit & Francisco I. dicavit Clichtoveus Doctor Parisiensis, *Compendium veritatum ad fidem pertinentium, contra erroneas Lutheranorum assertiones, ex dictis & actis in Concilio Provinciali Senonensi apud Parisios celebrato, Anno* 1528. Ex quo pauca hæc juvabit decerpsisse: *Prædestinatio, aut reprobatio nullam ingerit necessitatem operibus nostris, neque adimit nobis quæcumque velimus, liberè agendi facultatem. Cùm & electi & reprobi hic liberè agant omnia, nec eis divina ad benè agendum desint præsidia. Nempè non solùm petentibus sua largitur munera Deus, sed etiam interiore impulsu & inspiratione nos assiduè admonet, ut ultro se nobis offerentem ipsum suscipiamus intra cordis nostri domicilium, & munera nobis gratuita sua bonitate oblata non refutemus. Ecce, inquit, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Nostræ igitur id attribuendum est culpæ, quod pulsanti ad ostium cordis nostri Deo januam non aperiamus. Interior autem hujusmodi Dei pulsatio, nec bonis, nec malis deest, dum hic vivunt, &c.* Apertissimè gratiæ generali suffragatur, in omnes universim sparsæ bonos magisque, qua mali non tantùm non peccent, sed & converti ad Deum possint: qua boni possint in bono perseverare. Et ita ille tuetur liberum hominis arbitrium, adversùs necessitatis jaculum, quod illi intentabat Lutherus à prædestinatione & reprobatione. Libertas ergo sua electis reprobisque constat, quia neutris deest ea gratia, quam & accipere possint & repellere.

Cap. 23.

Idem Clichtoveus in *Antilutero* suo constanter docet *divinam in nobis gratiam & Deum præcipuam in nostris bonis operibus & primariam agendi vim habere. Nostram autem voluntatem divino motam præsidio, etiam illorum operum causam esse operatricem, atque instrumentariam, ut quæ moveat & vires animi intraneas, & corporis membra in executionem operis.* Quod illustrat exemplo oculi, quem cœlestis lux implet & juvat: ipse tamen ita adjutus videt & percipit. Haud absimili modo anima rationalis, ad bonum opus agendum, & *gratiam Dei, ut fulgorem quendam spiritualem & calorificum in se admittit, & adjuta illius subsidio cooperatur ipsi ad illius boni operis productionem.* Quæ de gratia & habituali & actuali intelligi par est, quæ instar lucis oculum mentis juvat.

Lib. 3. c. 17.

De gratia verò generali idem prolixè disputat & evincit, nec impossibile quidquam à Deo præcipi posse; nec sine ejus gratia impleri posse præcepta. Ex quo id emergit, præsto esse ubique gratiam opitulatricem. Sed continentiam maximè professis voto speciali, negat impossibile unquam esse eam servare, *Si quis ad implorandam opem divinam studiosè confugiat, &c. Quæ enim sunt homini impossibilia ex seipso, redduntur eidem ex Deo possibilia.*

Cap. 14. 15.

Denique & continentiæ custodia eam voventibus, & mandatorum omnium observatio omnibus possibilis est, quia omnibus quod suarum est virium facientibus præsto est gratia opitulatrix: *Non solùm illa in nostra dicuntur esse potestate, quæ nos ipsi ex nobis, & natura adminiculo, concurrente quidem Dei auxilio generali, rebus omnibus naturales suas motiones administrante, facere possumus: qualia sunt ambulatio, studia, cursitatio, & cætera id genus naturæ opera: sed & ea quæ virtute Dei adjuvante infirmitatem nostram, & suam nobis elargiente gratiam possumus assequi, quod illa adjutrix hominum Dei gratia omnibus eam petentibus, & quod in se est, pro virili præstantibus, sit paratissima. Siquidem divinum auxilium, nulli illud enixiùs postulanti denegatur unquam. Castitatis autem donum, etsi solis naturæ viribus obtineri non potest à nobis, divino tamen adjutorio, quod postulantibus semper adest, neque iis refutatur, qui toto corde illud implorant, potest ab hominibus acquiri, illabefactumque servari.*

Lib. 3. c. 19.

Edidit idem Clichtoveus *Commentarios* in Damasceni libros de fide orthodoxa. Ibi rursum de gratia generali sic habet, *Omnes inter virtutem vitiumque constitutos, & liberos, non cessat monere Deus, ut virtutem prosequantur, obsequentes suis monitionibus adjuvat, & dirigit ad optatam metam.* Si qui autem ad vitia corruant, pereantque, nihilo plus in divinam præscientiam refundi posse ait eorum interitum, quàm varii casus hominum per urbem discursantium tribui possunt illi, qui sublimi ex specula omnes contemplatur. Si quos autem deserere Deus dicitur, eò id pertinet, ut casu suo cautiores, humiliores, ferventiores evadant deinceps; *Finalis autem derelictio est, quando attributis à Deo congruis ad salutem præsidiis, quis ex sua pravitate illa repudiat, & in sua malitia ad finem usque vitæ perseverat; propter quod justè à Deo perpetuo deseritur, destituiturque divino opitulamine pro meritis suæ culpæ.*

Lib. 3. c. 19.

Rursùs idem latiùs se exporrigere docet Dei præscientiam, quàm prædeterminationem. Præscit enim Deus omnia prorsus, prædeterminat autem ea tantùm, quorum ipse author est, & quæ in nostra non sunt posita potestate: *Omnia quæ in nostra potestate non sunt, Deus præscientia prædeterminavit. Siquidem quæ in nostra potestate collocata sunt, & quæ si volumus, facimus: si verò nolumus, non facimus: præscire quidem dicitur Deus, ut mala quæ suo permissu perpetramus; non tamen prædefinire, neque prædeterminare, quod illorum author non est.* Idem alibi prolixiùs exequitur, additque, *Est itaque præscire latius quiddam, & prædefinire contractius, ad sola bona, & quæ in nostra potestate non sunt, se extendens.*

Lib. 3. c. 19.

Cum Damasceno ibidem duplicem Dei voluntatem discriminat, *antecedentem & consequentem.* Cap. 20. *Antecedens voluntas est, qua Deus ex seipso quemque hominem ad consummatam vult pervenire perfectionem, & finem ad quem conditus est; & ad illud assequendum præsidia naturalia & gratuita sufficienter cuique subministrat. Et hac voluntate vult omnes homines salvos fieri, quia ad salutem omnes condidit, & congruentia illi fini media præstitit, scilicet naturam rationalem: gratiam, quam cuique parato recipere offert; Ecclesiastica sacramenta, & inspirationem ad bonum. Voluntas verò consequens est, qua secundùm operum nostrorum qualitatem & exigentiam, vult nobis retribuere mercedem, præmiumque, aut pœnam; & hac voluntate, pendente potissimùm ex conditione nostrarum actionum, perseverantes in bono, vult cœlesti gloria remunerari; persistentes in malo, æternùm puniri.* Vides quænam eo ævo esset Parisiensium Doctorum sententia, & quantum abhorreret à prædeterminationis physicæ assertoribus.

An. 1526

EX JOANNE MAJORE
Scoto-Britanno, Doctore Parisiensi.

NArrat Major ipsemet, ante annos duodecim quàm suos emitteret in Magistrum Commentarios exortam esse Martini Lutheri hæresin; ad eam confutandam Parisienses sese accinxisse Doctores; in Majorum Ordinariarum materiam congeri cœpisse, quæ eò pertinerent: ne Scholastica studia vilescerent, cautum esse à Facultate Theologica, ut Scholastica prælia in Tentativas & Sorbonicas disputationes conferrentur: ex novellæ hæreseos malo id boni redundasse, *ut sacris litteris & earum illustrationi Theologia Professores sinceriùs insudarent, & aliena studia rejicerent.* Incubuit sanè Major ipse accuratiùs in Scripturarum, Patrumque & Augustini maximè placita, iisque uberiùs libros suos inserfit.

Prolog in l. 1. & 2. Sent.

Ad gratiam generalem pertinet, quòd omnes salvos fieri vult Deus *voluntate beneplaciti antecedente*, quam ne beneficiorum sterilem putes, sic ille describit: *Voluntas beneplaciti antecedens, est voluntas divina, alicui donans antecedentia, quibus consequi potest salutem, paratus ei coagere, & ad hoc præcepta & consilia addit.* Refellit autem Gregorium Ariminensem secus sentientem, & ad peccandum etiam antecedentia dari objectantem. Respondet autem Major, à Deo ut peccetur nec præcipi, nec consuli.

l. 1. sent. d. 46. q. 1.

At alibi in ea percelebri quæstione, *An requiratur gratia Dei præveniens, seu auxilium speciale ad hoc, quod homo actum moraliter bonum eliciat:* etsi alii aliter sentiant, respondet Major, ex *Scriptura*, ex *Augustino*, ex *Magistro*, ex *multis aliis posterioribus Scriptoribus*, ex *Gregorio* Ariminensi, qui idem putat tenere sanctum *Thomam*, & sanè idem tenere videtur, 1. 2. qu. 109. art. 6. ex *Thomistarum longè primo Joanne Capreolo*, à quibus non longè distat *Doctor Seraphicus*, ex his inquam omnibus, quidus suum & ipse calculum addit, existimat Major opus esse *speciali Dei auxilio*, nec sufficere *influentiam generalem*, ut homo *benè moraliter agat, & rectè judicet de omnibus circumstantiis requisitis ad benè agendum; secus autem de actu bono ex genere, vel de indifferenti, si detur.* Si autem auxilio speciali opus est, ut *sufficienter quis cognoscat, quid sit faciendum in his, quæ ad moralem vitam spectant*, & ut eo cognito, *voluntas tali dictato sese conformet*: multò magis eo opus est, ut rebus divinis credat, & tentationes vincat.

L. 2. sent. d. 28. q. 1.

Porro istud auxilium speciale, quantumvis dicatur speciale, nec ulli tamen negatur adultorum, nec voluntatis assensum semper extorquet. Quæ duo vehementer adnoranda sunt, ut eorum repellatur importunitas, qui hujus nostri ævi placita antiquis obtrudunt Theologis, arrepta qualibet vocis occasione, quam in longè diversos sensus nunc detorquent. Audi Majorem ex sua & Capreoli, & Ariminensis, & Aquinatis sententia utrumque istud confirmantem, quòd & auxilium speciale omnibus detur adultis, & dissensu voluntatis persæpè irritum cadat. *Cùm Augustinus infamaretur ab hostibus, quod diceret liberum arbitrium solum posse in malum, nisi priùs erigeretur à Deo; & inferretur, quod idem esset in dæmonibus; respondit non esse idem: quia Deus auxilium speciale dat hominibus in via, dæmonibus autem nulla servata est conversio.* Est autem non tantùm inter aliquos, sed inter omnes prorsus homines & dæmones aliquanta intercapedo. Et infrà, *Licèt auxilium speciale prærequiratur ad actum moraliter bonum, etiam libertas voluntatis non semper necessitatur ab illa ope. Voluntas ergo potest non agere, & si agat secundùm inclinationem auxilii dati, jam actus est meritorius de congruo.* Hinc illud infert: *Unus credit, & non alter, quia est à Deo vocatus, & benè utitur naturalibus, non autem alter.* Ubi vides auxilium speciale nihil aliud quàm *inclinare*; illi ab aliquibus reapse resisti: si nemo resisteret, eo *necessitaretur* voluntas. Nondum enim eruperant calliditates illæ, de motione infallibiliter applicante, & non necessitante.

Ibidem.

Et rursum nihilo plus ait Major obligari nos ad impossibile ex necessitate auxilii specialis, quàm ex necessitate generalis influentiæ. Utrobique enim verè posse dicimur, quod possumus ope amicorum. At ut influentia generalis nulli deest, ita auxilium speciale nulli nisi propria ipsius culpa negatur. *Si culpa adulti non obfuerit, communiter & communissimè cuilibet datur auxilium speciale. Et si adultus mediocriter utatur naturalibus, licèt interdum non habeat auxilium speciale ad tempus, datur ei alio tempore, dummodo benè utatur naturalibus suis. Et sic culpa adulti est in causa; quare non datur interdum ei. Etiam Deus plurimis hoc auxilium speciale impartitur, quos non necessitat ad benè agendum, quia cum auxilio requiritur concursus voluntatis ad benè moraliter agendum. Hi indigni faciant se, ne habeant auxilium speciale Dei ad magnum vel parvum tempus, secundùm quod Deo placet. Ergo indignitas adulti facit, ne detur ei auxilium speciale ad nutum.* Subdit ergo speciale ideo dici, & à generali secerni auxilio, quòd istud ad malos etiam actus detur, & nemini subtrahatur etiam ob culpam, illud ex adverso.

Ibid. ad 17. arg.

Ideo mox ait *auxilio speciali* illustratos fuisse Gentiles, qui tam multa & tam præclara veri lumina scriptis consignarunt. Eodem donari & prophanos hypocritas, dum adversus vitia detonant, quæ clam ipsi sectantur: item infideles reprobosque omnes, quoties faciunt boni aliquid ex genere & circumstantiis: nulli sanè injuriam fieri à Deo, si Paulo, si Magdalenæ copiosiùs auxilietur, *reliquis omnibus crebrò, imo creberrimè dans auxilium speciale suum, & eos ab errore revocans.* Quin & auxilium speciale Pharaoni quoque datum *iterum atque iterum*, quo malè usus est. *Ad quod propositum enim Deus faceret coram eo utiliora signa, si non dedisset ei auxilium ad hoc, quod poterat se convertere?* At non utendo dato auxilio speciali, dignus evasit, *ut Deus illud si subtraheret. Et circa finem, ut verisimile est, abstulit illi gratiam suam temporaneè & perpetim.* Ita & *Tyrii & Sidonii habebant auxilium speciale, sed non tot, quot illi de Corozain & Bethsaida. Si tot habuissent, credidissent. Cuilibet benè utendi naturalibus auxilium sufficiens dat Deus. Non tamen omnes efficaciter trahit, &c. Non semper necessitat. Sed aliquos parum trahit, aliquos magis.* Non patitur autem Major cum adultis commisceri causam parvulorum, quos in originali mortuos ait pati *pœnam damni mitissimam.*

Ibidem.

Illud certè non semel admonet Major, hoc auxilium speciale *apud majores communius vocari gratiam Dei.* Et hoc nihil aliud esse quàm *Deum opem ferentem. Qui paratus est omnibus hanc opem dare, quantum est ex parte ejus, si homines cooperentur; ab aliquibus opem subtrahit, quia se indignificant. Ab aliquibus non tollit suam opem pro suo beneplacito, esto quod tantùm se indignificant sicut alii.* Quod postremum habet momenti plurimum; nempe abuti omnes prorsus aliquando specialibus his auxiliis, certè ante justificationem: cùm nemo tunc omnia possit, etsi possit singula vitare peccata. Etsi omnes porro his specialibus quandoque abutantur auxiliis, Deus tamen ex his gratis eligit, quos misericordiret & invictissimè provehat ad justificationem, alios justissimè deserit.

Ibidem.

Ibid. ad 7. arg.

Distinctiùs ibidem Major de efficacia hujus auxilii hæc habet: *Triplex est auxilium Dei, quoddam generale, aliud speciale, & istud allicit, & instigat*

ſtigat hominem ad benè agendum, ſed non eſt tantæ efficaciæ, quod hominem neceſſitet. Aliquis poſſet habere illuminationes Spiritus ſancti ſpeciales ad hoc bonum opus, vel ad illud, & illi impulſui reluctari, & poſt hoc reddet ſe indigniorem ad ſpeciales motiones Spiritus ſancti. Tertium eſt auxilium ſpecialiſſimum, quo Deus neceſſitat creaturam ad actus bonos, nec concurrit cum actibus malis producendis, ſicut Deus facit in beatis. Iſtud auxilium voluntatem neceſſitat. Et ſic dæmones & damnatos homines neceſſitat ſtare in pœna, &c. Et hic ponendi ſunt gradus. Magis neceſſitantur beati in patria ad bonum, quàm Paulus & Magdalena in via: & Saulus & Magdalena plus attractionis ad bonum habuerunt, quàm alii communiter. Quo nihil accuratius potuit fieri.

An autem ſpeciale auxilium ubi datur, generale etiam tunc detur, an in ſpeciali contineatur generale, ideoque tunc unicum ſpeciale detur, videtur Major in medio relinquere. Denique idem alibi nulli à Deo negari ſpecialia auxilia, ſic rurſus docet, *Non admitto quod aliquis adultus benè in omnibus utatur naturalibus, quin Deus eum illuminet in neceſſariis, vel per ſeipſum immediatè, vel per creaturam ſuam; ſicut fecit de Cornelio, & Eunucho Candacis Reginæ.*

Idem, ad 2. arg.

Nunc de gratia habituali: *Gratia gratum faciens eſt per quam creatura fit Deo grata, & ideo dicitur operans; cooperans autem, quia effectivè ad opus meritorium concurrit.* Actuali quoque gratiæ mox ait competere, ut operans dicatur, & cooperans, ſeu prævenienſ & comitans. Et rurſum de habituali: *Potentia indiget determinari, quia ipſa eſt indeterminata ad benè, vel malè agere, vel omittere. Gratia eam determinat ad meritoriè operandum, &c. Fides infuſa determinat ad determinandum actum, ſcilicet ad credere.* Vides quàm aberrent à vero, qui à voluntate determinari putant gratiam omnem ſeu habitualem, ſeu actualem, quæ non illam torquet indeclinabiliter. Contrà enim, hæc omnis gratia quædam eſt ipſamet determinatio, quæ poteſt utique noſtro reniſu ludificari, non poteſt in contrarium determinari.

L. 2. ſent. d. 26. q. 2.

An autem ſine gratia habituali poſſint Dei præcepta impleri, hæc habet Major: *Robertus Eliphatius dicit in prima diſtinctione primi, quod quilibet actus factus extra gratiam eſt peccatum. Idem tenuit Thomas Bradvardinus, ut Dionyſius Ciſtercienſis in ſecunda recitat. Dionyſius in* 1. d. 17. qu. 1. *tenet quod nullum præceptum poteſt adimpleri ſine gratia.* Contrà ſentit Major poſſe impleri præcepta extra gratiam, ita ut non peccetur eo actu; nempe ubi ſpeciale auxilium adeſt. Immo quandoque cum generali ſolo. Ut enim antè dixerat, *Probabile eſt, quod homo poteſt cum generali auxilio Dei parvæ tentationi reſiſtere, non conſentiendo illi.*

L. 2. d. 28. q. 1. a.

Et rurſus idem cenſet ſine gratia habituali *poſſe diu evitari mortalia*, per auxilia actualia. Quod probat, quia *Habens gratiam cum auxilio Dei hoc poteſt. Sed gratia gratum faciens non infinitè adjuvat. Ergo liberum arbitrium bene ſe regens, fugiendo occaſiones peccatorum, poteſt tantum adjuvare, vel paulò minùs, quantum concurſus gratiæ ad cavendum à peccato.* Diu, non ſemper poteſt crimen vitari à nondum juſtificato, ſicut & veniale à juſtificato. Si urgeas, uni reſiſtendo evadit fortior, ergo & cæteris poterit reluctari: reſpondet non illud tantùm cui reſtitiſti, ſed alia occurrere complura peccata, quæ tandem ſuperant. Ut unum pugilem dejiciendo, convaleſcit quis, & tamen ſi mox ab alio & alio impetatur, tandem ab aliquo cadet. Ita ubi irruunt catervatim tentationes, cadimus. Si inſtes, non tenetur homo ad impoſſibile, tenetur autem ut *omnia* vitet. Reſpondet nec *impoſſibile* hoc eſſe, ſed *difficile*.

Ibid. q. 1.

Quærit alibi quare ponantur habitus. Reſpondet, *Quia aliquando impræmeditatè oportet agere, & ad hoc habitus plurimum conducit.* Item quia rurſum ex Ariſtotele, *Nemo eſt bonus, niſi qui gaudet bonis operibus, & hoc non contingit, niſi per habitum.* Item *quia habitus ad bene agendum promptificat, & ex habitu operans delectabiliter agit.* Ideo habitus in voluntate ponendos decernit, *ut ad actus ſimiles inclinetur, ut intenſiùs & faciliùs exeat in actus ſuos.*

Ibidem.

Sanctus Thomas, ut idem ait, 1. 2. qu. 51. art. 4. ad 3. cenſet, *Quod actus qui producuntur ex habitu infuſo, non cauſant aliquem habitum, ſed confirmant habitum præexiſtentem. Sicut medicinalia remedia adhibita homini ſano non cauſant aliquam ſanitatem, ſed ſanitatem priùs habitam corroborant.* Ambigi ergo non poteſt, quin ſanctus Thomas doceat *inclinari* nos ad bonum per habitus infuſos, cùm nullos ipſe admittat acquiſitos ad actus ſupernaturales. Diſſentit in hac parte Major à ſancto Thoma, & duo accidentia ejuſdem ſpeciei, adeoque duos habitus, alterum infuſum, alterum acquiſitum in eodem ſubjecto conſiſtere poſſe exiſtimat: & ex actibus fidei, & charitatis acquiri habitum. Refellit idem mox Durandum negantem *habitus effectivè concurrere ad actus.* Contrà Major ſic arguit, *Habitus infuſi ad actus generationem concurrunt, ergo & acquiſiti.*

Ibid.

Idem Major alibi docet ſola fide credi habitus infuſos, nempe ex c. *Majores*, *in Clementinis*. Nam experientia conſtat parvulum baptizatum, ſi ad barbaras transferatur gentes, de Deo uno & trino nihil fidei habiturum. Idem tamen exiſtimat adveniente fide acquiſita, tunc ſanè habitum fidei infuſæ & inclinare & adjuvare ad actum fidei efficiendum. *Fides infuſa, ſuperveniente acquiſita, activè concurrit ad actum fidei. Eſt enim perfectior infuſa, quàm acquiſita, ergo non eſt ei denegandа cauſalitas. Sic habens utramque, intenſiorem actum producit.*

Ibidem.

De gratia efficaciſſima nunc paucis. Prædeſtinationem ante omnes vel umbras meriti aſtruit Major, reprobationem nonniſi poſt præviſa peccata, quo in poſtremo diſſentire ſe a ſancto Thoma & à Gregorio Ariminenſi ipſemet profitetur. Qui autem infallibiliter electi & convertantur & perſeverent, etſi jam plus ſatis ex antedictis liquere poteſt, ubi nulla ſeorſim auxilia infallibiliter prædeterminantia admiſit Major, ubi nullam uſquam ſcientiæ mediæ mentionem fecit, ut nec quiſquam alius ante finem Tridentini Concilii: liquet idem præterea ex eo quòd idem divinam futurorum contingentium præſcientiam elucidans, ait quod: *Quia aliquid eſt futurum, Deus denominatur præſcius futuri, &c. Quia aliquid eſt futurum, & nihil ſcientiam Dei immenſam præterfugit, Deus eſt præſcius futuri.*

Ibidem.

EX IACOBO ALMAINO.

Ab illo.

JOanne Majore præceptore uſus erat Almainus: Itaque cùm pauca hic ediderit, ex illo conjectura erit, quæ potiſſimùm hic placita ſectaretur. Actum indifferentem ab omnibus Theologis admitti ait, præterquam à ſancto Thoma & Gregorio Ariminenſi. Etſi enim quis referre teneatur omnes actus ſuos in Deum, non tamen ſemper actu. Ergo tunc peccarit, cùm ceſſavit actu ſua omnia ad Deum referre, quò virtualiter deinde eodem collimarent: at deinceps non peccat per actus ſingulos, cùm bonos ex genere exerit & circumſtantiis.

L. 4. Sent. d. 21. q. 1.

Idem alibi ait ſanctum Thomam nullos admittere habitus, ubi potentia eſt jam determinata ad unum; quia *habitus non ponitur, niſi ut potentia determinetur ad unum. Conſequenter non ponitur habitus inclinans ad actum beatitudinis.* Et infrà Almainus:

L. 3. Sent. d. 23. q. 1.

Dico

Dico quod habitus inclinat ad faciliter operandum. Inclinat etiam ad delectabiliter operandum, contra OKamum. *Habitum autem inclinare ad consimiles actus, nihil aliud est, quàm habitum partialiter coefficere cum potentia similes actus sequentes, &c. Ergo habitus causat actum effectivè*; contra Durandum & Scotum; qui uterque consentit, *etsi nihil agat habitus ad substantiam actus, facilitari tamen ab habitu potentiam, ut citiùs producat actum.*

2. Alibi autem sententiam sancti Thomæ refert cum primis memorandam, ut constet quàm certò ab eo statuatur habitus infusos *inclinare* ad bene operandum. *Imponitur Thomæ, & de facto tenet in 1. 2. quod ex actibus procedentibus à fide infusa nullus causatur habitus. Et motivum Thomæ est, quia quandocumque aliqua potentia naturalis, sicut est voluntas, potest in aliquem actum, sed non potest in illum sine elevatione, & adjutorio supernaturali, ex illis actibus non causatur habitus; sed sufficit habitus supernaturalis, per quem elevetur potentia. Sed si sit aliqua potentia, quæ possit in aliquos actus ex propria natura sine elevatione supernaturali, ex illis actibus producitur habitus.* Quamvis dissentiat Almainus à sancto Thoma in hac parte, non otiosum tamen fuit advertere, quàm certò ex Thomæ doctrina habitus infusi inclinent ad bene agendum.

L. 1. d. 27. q. 1.

Almainus ergo præter habitus infusos acquiri etiam existimat alios habitus fidei, spei, & charitatis, quibus infusi sustulciamur, & utrisque simul inclinemur propensiùs ad sanctè & meritoriè operandum. *Differentia est inter fidem acquisitam & infusam. Quia respectu omnium credibilium est unica fides infusa, & non acquisita. Quia rursus fides infusa non inclinat ad actum immediatè & per se, sed solùm mediante fide acquisita. Sed fides acquisita sine medio alterius inclinat ad actum.* Sed mox tamen prolato in medium exemplo pueri in cunis baptizati, postea ad usum rationis progressi; ubi ille primum fidei actum exerit, consentit Almainus, nullo tunc adhuc acquisito fidei habitu, habitum infusum *concurrere ad actum fidei* istum. Nec aliter postea docet fidem infusam *concurrere* ut *causam universalem* ad actus fidei omnes; nempe quum creditur certissimè verum, quidquid à Deo revelatum est, fide acquisita singulos jam sejunctim articulos designante, & fidem infusam eo determinante. Denique *quando producitur actus ab habente habitum infusum simul cum acquisito, producitur intensior, firmior & certior, quàm si produceretur ex solo habitu acquisito; & in hoc nulla est difficultas.* Ita & habitu charitatis *determinari & inclinari* debere voluntatem ad diligendum Deum, alibi docet.

Ibidem.

L. 3. d. 27. q. 1.

An. 1527.

EX NATALI BEDA *Theologo Parisiensi.*

JAcobi Fabri Stapulensis Commentarios in Epistolas Pauli & in Evangelia censorio stylo intectatus est Natalis Beda Doctor Theologus Parisiensis, easque censuras edidit, quas comprobasse visa est Facultas ipsa Theologorum Parisiensium.

Et de gratia primùm generali sic habet Beda Fabrum objurgans: *Posse salvari, te assertore, non est in hominis voluntate, potestate, aut ejus operibus: neque igitur in ejusdem est voluntate, potestate & operibus, ut à peccatorum sordibus exurgens ad justitiæ pulcritudinem emergat, &c. Dicere quod in hominis voluntate ac potestate sit mala opera facere, sed non justa, quod id excluso Dei concursu & auxilio nequeat, contra omnem hoc est experientiam, nedum Scripturis manifestè adversum; quæ homini rectè agere jubent, & prohibent ne scelerate operetur, quod foret omnino ridiculum,*

In c. 9. Ep. ad Rom. prop. 59.

ut docent sanctus Augustinus, & omnes cæteri Doctores, si in hominis non esset collocatum voluntate & potestate, studiosè si liberet operari. Non est præterea tam stupidus, qui non in se experiatur, quod quandocumque vult, justa & honesta amplectitur. Divinum enim ad hoc auxilium non modo cuicumque præsto semper adest, sed & omnem præveniendo hominem invitat Dei bonitas, Ego, inquit, sto ad ostium, & pulso. Deus obligat hominem, ut se salvet, nec ligat ad impossibile. Et alibi ait vasa iræ detrudi tandem in æternum interitum, quòd *gratiis omnibus impiè abutantur.*

In cit. pro. 72.

Jam de gratia habituali, eam esse docet celebratam Paulo & Augustino charitatem dilectionemque justitiæ: *Norunt fidei certitudine nulli unquam remissum fuisse peccatum originale, aut aliud quodvis actuale, nisi gratiæ dono, de qua scribit Apostolus; Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nihil autem omnino est, secundùm spiritum nasci, quàm mortuo peccato charitatem cum cæteris Spiritus sancti donis accipere.* Et alibi: *Homo fit de malo bonus dum justificatur, quando ei quoad culpam remittuntur crimina, quod stante Dei lege fieri nequit, nisi per formalem charitatis infusionem; quæ nunquam homini solà datur, sed cum ea semetipsum donat Spiritus sanctus cum aliis nonnullis gratiis; unde Apostolus, Charitas Dei diffusa est, &c.* Ex Augustino mox subdit: *Cùm Paulus Apostolus dicit, Radicem omnium malorum esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem omnium bonorum charitatem. Quid est homo bonus, nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum sunt facta, dicta, cogitata, quæ bona de voluntate bona procedunt, mala de mala.* Concerpit mox Pelagium, qui pro gratia obtrudebat solam possibilitatem, quæ *una eademque radix est bonorum & malorum*; non charitatem, quę radix est bonorum. Ergo hinc claret, charitatem, quæ peccata delet & justificat, illam esse gratiam, quam nesciebat Pelagius, quæ radix fœcunda est omnium bonorum operum.

In c. 8. prop. 57.

In Evang. Matth. c. 5. prop. 15.

De efficacissima propositi divini gratia potest accipi, quod idem Beda pro defensione timoris servilis, quem Faber culpabat, multa præloquutus, Christi ipsius verba & exempla profert, ex pœnarum timore ad pœnitentiam cohortantis? *Quo poterant sermone peccatis assueti efficacius isto concitari, ut pœnarum formidine mala agere desinerent.* Si sermone incussus timor movet efficaciter, quid inspiratus animo? Cùm autem videretur Faber quandam rebus nostris necessitatem infligere ex *præscientia & electione Dei*, contrà Beda vulgo ipsi fidelium ait exploratum jam esse, ut *divina præscientia nihil prorsus rerum contingentiæ & libertati voluntatis obsistat.* Sicut Christi de Petri negatione præscientia & prædictio nihil decerpsit de Petri potestate ad non negandum. Electione quidem gratiæ à Deo prædestinari quos ipse vult citra ullam meritorum contemplationem, disertè Beda tradit cum Augustino, & *Deo movente ac agente* opus esse præcipuè; sed nihilo tamen minùs voluntas libera *suæ salutis causa efficax & efficacior & efficacissima in suo genere dici debet.* Et mox: *Prædestinat gratis Deus, vocat, excitat, prævenit; Paulum multis detentum peccatis, actuque perversè agentem Deus ineffabili sua bonitate vocat, pulsat, provocat; non tantum fortassis tamen, quantum circa Pharaonem actum est Moysè ministro, egit.* Si physicè prædeterminat gratia, major utique & longè alia Paulo, quàm Pharaoni concessa fuerit. At si moraliter tantùm & ex congruitate prædeterminat, potuit major Pharaoni quàm Paulo concedi, nec illum tamen, nempe longè induratissimum emollire, etsi hunc demulserit. Etenim ut infrà dicitur: *Cùm sint sapientiæ & scientiæ Dei viæ, id est, agendi causæ & modi,*

Jac. 8. Ep. ad Rom. prop. 11.

In c. 9. prop. 69.

Ibid. prop. 68.

modi, ſeu rationes procedendi ininveſtigabiles, pauciora, ſed aptiora auxilia aliquem Deo ſubjicient, plura circa alium irrita cadent.

Ibidem. Prop. 72. Fabrum acerbiſſimè convellit Beda inferiùs, ajentem, *omnes à Deo eſſe prædeſtinatos*, cùm ſacris litteris nihil ſit infeſtius. Quantumvis autem certa & immutabilis ſit prædeſtinatio, electos tamen ſuos ſinit Deus, quaſi remiſſis liberi arbitrii habenis, ſuo ſe conſilio & nutu agere. In Evang. Matth. c. 10. prop. 51. *Deviat Faber à Chriſti ſenſu, exiſtimans prohibitos fuiſſe Apoſtolos in obeundo prædicationis officio, agere quidquid cum Dei univerſali auxilio poſſent, & citra miraculum*. Ad ſingula volebat Faber Apoſtolos à Dei Spiritu impulſos & prædeterminatos fuiſſe, nihil humano conſilio arbitrioque *cum univerſali Dei auxilio* adgreſſos eſſe. Id prolixè Beda refelſit. Ea eſt enim Dei omniporens ſapientia, ut quocumque conſilia ſua advertant electi, humano ſe regentes conſilio, adjuto divinitus, in divini conſilii ordinem relabantur; idque ipſi ita orant: *Nec enim ſeſe ut nuda inſtrumenta, ut moti tantum & nihil agentes gerunt: ſed omni vigilantia & ſollicitudine quærunt, petunt, pulſant, ut per eos operetur Deus, id eſt, ut ipſi Dei confortati virtute & cooperante gratia ejus agant, quæ infallibiliter acturi ſunt, &c. Agunt Apoſtoli quod valent, quia pie ſentiebant, natura dona & acquiſita, adjuvante Dei gratia, otioſa eſſe non debere. Nec aliud intendebat Chriſtus, niſi quod ubi eis deeſſet, humano modo prius tentato, quod foret gerenda rei impoſita conducibile, illud ipſe ſupplere*. Explicat ergo ſeſe in electis humana induſtria, & libertas; ſed quo ſe vertat cumque, ejus conſilia cogit Deus famulari æterno ſuo propoſito, & in bonum illis cedere. Sed internis motibus interim Deus corda inclinat, quando, & quo vult, promiſſis, terroribus. Ibidem, in cap. 20. propè fin. *Conductus fuit interno motu pendens in cruce latro, & promiſſione tractus. Hinc dixit, Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum; tecum ex toto corde jam cupio regnare*.

EX CLAUDIO ESPENCÆO
Pariſienſi Theologo,

GRatiam Chriſti illam eſſe ſpecialiter, qua peccata donantur, infunduntur dona & virtutes, ex Paulo ipſo declarat Eſpencæus: *Gratia, miſericordia, & pax. Non eſt inſolens, effectui cauſam velut explicando ſubjungere, cum alioqui gratia ex miſericordia manet; & nos ideo in gratiam Deus recipiat, quia miſeretur; ut ſit miſericordia in remiſſione peccatorum, gratia in virtutum ampliatione, pax in præmiorum conſecutione*. In 1. ad Timo. c. 1. Et infrà, *Ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret & gratia; & præcedentem culpam ſequens vinceret ſanctitas: ut in perſecutionibus ferendis gauderem, &c. cum fide & dilectione quæ eſt in Chriſto, per Dei gratiam. Et Dei enim donum illa eſt, & hæc per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffunditur. Ut videremus, utique per fidem, viſi ſumus; ut diligeremus, dilecti ſumus; infunditur gratia, operatur fides per dilectionem*: *Auguſtinus Sermon. 8. de verbis Apoſtoli*. Palam eſt & Apoſtolo & Auguſtino *gratiam, fidem, dilectionem*, eſſe *dona*, quibus peccata remittuntur, *ſanctitas* confertur, *virtutes* amplificantur, non aliter quàm quia *infunduntur*. Quæ ad habitualem gratiam omnia pertinent.

Idem alibi prolixè diſputans *de legis impletione per charitatem*, ex Auguſtino & ex Apoſtolo Paulo perſpicuum facit, eam charitatem non aliam eſſe quàm juſtificantem. Tom. 3. pag. 197. *Facit ad charitatis, ut ea eſt legis plenitudo, commendationem, quod Auguſtinus noſter eam eſſe juſtitiam, nedum nos ea juſtos fieri, non ſemel ſcripſerit. De natura & grat. c. 38. In Abel, ait, juſto charitas Dei, qua una vere juſtus eſt, quicumque juſtus eſt. Cap. 63. Per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, diffunditur charitas in cordibus noſtris, qua una juſti ſunt, quicumque juſti ſunt. Cap. 42. Caritas Dei ipſa eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia, Cap. finali, Charitas ergo inchoata, inchoata eſt juſtitia charitas provecta, provecta juſtitia, &c.* Accumulantur ab eo ibidem & alia Auguſtini loca, quæ idem perſuadent, charitatem & Paulo & Pauli interpretibus antiquis eam dici, quæ juſtificat, & juſtitia immanens eſt.

De generali autem gratia, non tacet idem Eſpenceus in tractatu ſpeciali *de humano arbitrio & Chriſtiano merito*: ubi cum Auguſtino & Proſpero approbat gratia liberum arbitrium *reformari, renovari, ſanari, juvari*: non tolli, non negari, non excludi: immo cum Scholaſticis ita ſe ſentire teſtatur. Atqui hos conſtat generali gratia confirmaſſe noſtri libertatem arbitrii. Quin immo & Proſper in idem conſonat: cujus verba hæc refert: *Omnium ergo hominum cura eſt Deo, & nemo eſt, quem non aut Evangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut etiam natura conveniat; ſed hominum infidelitatem ipſis quidem aſcribamus, fidem autem Dei donum eſſe fateamur, &c.* Ibid. pag. 169. 174. Ubi liquet infideles omnes reos eſſe, quòd Deum ſpreverint vocantem, aut Evangelii, aut legis, aut naturæ ipſius prædicatione. Et ex eodem Proſpero alibi, *Si per generalitatem vocationis & abundantiam bonitatis Dei etiam non perſeveraturi perſeveraturis admixti ſunt, &c.* In 1. ad Tim. c. 1. pag. 44.

Sed quod attinet ad auxilium generale, quo poſſint omnes, quoties peccant, non peccare, ſic ille rurſum ex Proſpero: *Non eſt autem conſequens quod quidam abjiciunt, ut quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit; & quos non levarit, alliſerit; cum aliud ſit inſontem in crimen egiſſe, quod alienum eſt à Deo: aliud criminoſo veniam non dediſſe, quod de peccatoris eſt merito*. Ibidem. Itaque etſi quandoque non det Deus illud ſpeciale auxilium, ſine quo non agitur unquam pœnitentia; non deeſt tamen generale auxilium, quo peccatum quodlibet vitari poteſt.

Sed & ſpecialibus auxiliis aliquando ſaltem juvari omnes, ut reſipiſcant, idem non obſcurè alibi inſinuat, cùm ſententias Patrum clementiſſimas addenſat in illa Pauli verba, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. In 1. ad Tim. c. 2. pag. 32. Et primùm ex Ambroſio, *Vult Deus omnes ſalvos eſſe, ſed ſi ad eum accedant: ſalvari vult, ſi & ipſi velint: neque ſic vult, ut nolentes ſalventur*. Ex Hieronymo, *Nemini ad credendum vim inferendam, nec tollendam arbitrii libertatem. Velle Deum, &c. Sed ſi Deo vocanti nos conſenſerimus*. Sed breviter Sedulius, *Omnes homines Deum cupere ſalvos fieri, ſi vocanti conſenſerint*, Damaſcenus *voluntates in Deo diſtinxit, Deum præſertim præcedenterque velle omnes ſalvari, & regnum ejus conſequi. Nec enim nos ad puniendos, ſed ut bonitatis ſuæ participes efficeret, plaſmavit ut bonus; at peccantes puniri vult ut juſtus. Prima ergo præcedensque voluntas & acceptio, ex ipſo. Secunda vero voluntas ſequens & permiſſio, ex noſtra cauſa exiſtit*: Damaſceno Aquinatem concinere ſubjicit, mox & Auguſtini explicationes, ut diverſas, non ut adverſas promit. Unde infrà idem Eſpenceus Pauli veſtigia lambens, *Dedit ſemtipſum redemptionem pro omnibus. Cur ergo non omnes ſervantur? Quia non hanc omnes mediationem & redemptionem admittunt. Non enim omnes obediunt Evangelio: Pro omnibus ſe tradidit, ſiquidem omnes crederent, obedirent, reconciliari & redimi omnes vellent. Nullum ille excepit, niſi cujus obſtiterit infidelitas & inobedientia: ut qui non ſervatur, non habeat, quod vel de Deo, qui omnes ſervare vellet, vel de mediatore, qui pro omnibus mortuus eſt, conqueri poſſit: de ſemetipſo, qui & Dei ſalutem, &*

Domi-

Domini redemptionem fidei obedientia capere aut apprehendere noluit. Utramque utrique dedit & obtulit; pro omnibus quidem sufficienter, pro solis autem electis efficaciter. Sanguinis enim pretium ad salutem sufficit omnium, non etiam ad efficaciam: ejus effectum impediente defectu, qui nimirum ex eorum, quibus non proficit, malis meritis provenit. Sic communis Schola post Thomam & Lyram. Et suprà in hæc verba Pauli, *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere: Gratiam ad se pertinentem ostendit omnibus esse propositam, quasi dicat, Cùm ajo Deum mei misertum, ne mireris hoc me munere affectum; neu diffidas alios pari posse gratia dignari. Hunc in omnium salutem concessit Dominus.* Quæ non piguit paulò copiosiùs exscribere, quod alioqui constet Espencæum in Augustini verba juratum, ejus lectione imbutum præ cæteris fuisse, ut omnes penè ejus paginæ clamant.

Ibid. in c. 1. pag. 18.

Jam verò quod ad speciale efficacissimæ gratiæ adjutorium pertinet, quo prædestinati ad justitiam & salutem provehuntur: totus quidem Augustino affixus est Espencæus. *Cur huic & non illi detur perseverantiæ donum, non habet rationem, nisi solam Dei voluntatem. Qui quare hunc, non illum trahat, noli dijudicare, si non vis errare, ait Augustinus.* Et infrà cùm de vasis gloriæ & ignominiæ in domo patris familias differuisset, & ex nonnullis priscis interpretibus retulisset, distare inter homines & ista vasa; quòd hæc non possint pretium sibi facere aut decorem: *at homini magna mutationis hujus & migrationis facultas datur volenti: quippè cum cuique liceat ex lignea, ut sic loquar, aut testacea voluntate se repurgare, ac auream argenteamque reddere.* Advertit hìc gratiam fileri, quòd necdum Pelagiani erupissent, & cum Manichæis certamen esset. Gratia porrò opus esse *non comite, sed duce, immò præduce; & non adjuvante tantùm, sed & excitante & faciente.*

In 2. ad Tim. c. 2. pag. 55.

Ibidem. pag. 57. 58.

Quì autem cohæreat cum arbitrii nostri flexibili in utramque partem libertate ista efficacia indeclinabilis gratiæ secundùm propositum, non usquam elucidat Espencæus, sed totus Cajetano acquiescit, qui hoc arcanum omnino impervium esse confitetur. Adverte tamen generali gratiæ cùm tam liberaliter suffragetur Espencæus, vix aliter posse ab eo hujus specialis auxilii invictissimam efficaciam exponi, quàm ut à nobis exposita est.

Ibidem. pag. 630.

BELGÆ.

EX ADRIANO VI.
Summo Pontifice, in Academia Lovaniensi quondam Professore.

Est gratia specialis, seu charitas sanctificans: est generalis, qua possunt omnes ad fidem & pœnitentiam aliquando converti, si ex naturalibus faciant, quantum in se est: est denique gratia secundum propositum, qua datur non solùm ut possit quis ad Deum converti, sed ut convertatur.

IN Academia Lovaniensi Theologicis prælectionibus claruerat, qui postea Romana purpura & tandem Apostolica sede sublimatus est, dictusque Adrianus VI. Contorsit & ipse in Lutherum Apostolici oraculi fulmina post Leonem X. Sed antè in Quartum sententiarum scripserat, unde hæc sunt delibata: *Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & plangenda ultra committere nolumus.* Sic ille prisco more gratiam inter virtutes recenset.

Edit. Rom. an. 1522. pag. 100. 101.

Quærit mox an verè pœnitentem Deus in *gratiam* recipiat, *peccata condonando.* Respondet dupliciter posse quem verè pœnitere: Primò, *qui actus ad pœnitendum requisitos, bonos moraliter, & sub debitis circumstantiis elicit.* Secundò, *cùm quis conatum omnem adhibet, & quidquid in se est facit ad placandum Deum.* His præstructis respondet, *Potest quis pœnitere primo modo, & non recipi à Deo in gratiam: sed non secundo modo.* Ubi vides justificantem gratiam solam *gratiæ* nomine donari; antè verò fieri *actus bonos moraliter & sub debitis circumstantiis*, etsi tunc doleat quis *de peccato, non principaliter propter pœnam, sed propter divinæ majestatis offensam.* Pag. 102.

Quærit iterum, *An homini semper maneat facultas verè pœnitendi, aut sit certa periodus divinæ miserationis, ultra quam homini nequaquam conceditur pœnitere?* Respondet, *quod non omnibus Deus excitationis gratiam impendere curat, sed quosdam despicit, & quasi pro derelicto habens à se repellit, &c. Nam terra animæ nihil dignum Deo potest efficere, nisi Sole gratiæ illustretur, & ad operandum excitata adjuvetur.* Ut quibusdam autem quandoque deesse gratiam hanc excitantem ostendat, multa ex Scripturis accumulat & ex Patribus. Ex Glossa illud, *Quibusdam gratiam non apponit, aliis infert quasi coactis, ut de Paulo & Pharaone constat.* Et rursum: *Addo quod quibusdam adhibet suam gratiam ad tempus, quos postea repellit, & de manu sua proiicit.* Et tandem *ratio specialis, quare Deus sic faciat, à nobis assignari non potest, sicut nec ejus, quare aliquos immatura morte prævenit, ne peccent, alios non.*

Sed suam ipse responsionem paulò uberiùs & temperatiùs sic mox proponit: *Sicut damnatis nulla est facultas per pœnitentiam revertendi ad Dominum: ita peccatoribus in via perditæ vitæ merito adimitur sæpè facultas, sine qua non sint convertendi. Dico notanter restrictè, sine qua non convertentur, non sine qua converti non poterunt. Quia eam misericordiam, ut probabiliter teneo, viatoribus exhibet Deus, quod sufficienter eis assistit, & suam gratiam offert, qua pro extremo saltem virium laborando possent peccati indulgentiam promereri; ut in hoc differentia sit viatorum ab iis qui transierunt terminum. Si tamen contrarium faciat, id est, si non det eis indulgentiam peccatorum, laborando pro viribus, quod apud Doctores dubium & incertum est, nequaquam injustitiæ argui potest.* Ubi observa 1. ex sententia Adriani peccatoribus omnibus semper adesse auxilia, quibus *converti possint* ad Deum, idque proprium esse *viatorum*, quo differant à via vitaque perfunctis. 2. Id tamen dubium esse apud Doctores, & nonnullos intercedere, ne semper & omni momento præsto sit tale auxilium. 3. Si ea auxilia quandoque Deus neget, non posse argui injustitiæ, cùm peccator quisque æternæ damnationis reatu sit constrictus, possitque omni tempore in inferna detrudi. 4. Quamvis clementiùs sentiat Adrianus dari vel offerri omnibus omni hora hæc auxilia, *quibus converti possint*, si *pro extremo virium* laborent: docet tamen negari aliquando ea, *sine quibus non convertentur*: hoc est, tam copiosa auxilia, & tam valida, ut per ea facillimè converti possent. Vix ullus enim est, qui tota virium suarum contentione unquam enitatur, aut saltem qui diu. Qui ergo tam parcè juvantur, ut nisi *pro extremo virium laborent*, converti non possint, illi possunt converti, sed non convertentur. Pag. 102.

Id mox manifestissimè ipsemet aperit, ut nullus tricandi locus sit, & rem quotidiano experimento compertissimam narrat, qua tamen gravissimæ & alioqui inextricabiles expediri possunt difficultates. *Advertendum quod regulariter homines onus intensi & profundi cogitatus refugiunt, & à ponderegravi humeros subtrahunt; leve autem lubenter subeunt. Paucos invenies, qui ad extremum virium aliquid*

Pag. 103. *aliquid faciant. Ideo si debeant ad Deum carnalia corda, id est, peccatores converti: opus est plusquam sufficienti gratia, id est, divina assistentia, sed abundanti, & quæ onus in magna parte alleviet. Hanc scilicet gratiam abundantem ob hominum mala merita, quasi indignis sæpè subtrahit, ut sint quasi vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, &c.* Vides quam Deus gratiam interdum subtrahat indignis *ob mala* merita, nempe *abundantem*; non tamen subtrahat unquam sufficientem, qua possint converti, etsi non ea convertantur, quanquam converti possint.

Hìc habes porrò 1. auxilium *sufficiens*, quo possit quis converti, nempe si nihil virium remittat, si totus quantus quantus est connitatur; quo tamen nunquam convertetur, quia nemo unquam, nemo saltem diu & per omnia connititur omnino tantum, quantum potest: ut nec ulla pars vitium otiosa tandiu sit. 2. Istud ergo est, quod postea in Scholis obtinuit, gratia sufficiente dari *potentiam proximam*, non dari unquam actum. 3. Istud est, quod Anselmus aliique suprà ajebant, *impossibile* sæpè dici, quod *difficile* est. Posse enim quemlibet si velit, quaslibet tentationes vincere, cùm hæ extrinsecùs oppugnent, nec voluntatem cogant, immò nec attingant. Sed ignavia sua homines *difficultatem* nomine impossibilitatis exaggerare. 4. Istud est quod Augustinus sæpè difficultatem, nonnunquam impossibilitatem boni faciendi & mali vitandi ex peccato ortam dicit. Difficultas enim ad singula, impossibilitas est ad omnia, quia nunquam homo diu totis viribus luctatur. 5. Illud est, quod in Schola vulgatissimè dicitur, posse à peccatore vitari mortalia singula, non omnia mortalia, venialia à justo. Quia enim cum difficultate uterque vitat peccata, ideo nunquam vitat omnia, quia tandem lassescit, & vires ultro remittit. 6. Istud est quod sæpè inculcatum à nobis est, etsi omnibus præsto sit auxilium, quo possint converti ad Deum, neminem tamen ea potestate uti, quia nemo toto æstu nisuque virium suarum diu pugnat; ideo si quos Deus gratis prædestinavit, his datur speciale auxilium, seu ut vocat Adrianus, *gratia plusquam sufficiens & abundans*, qua invictissimè *convertuntur*, non tantùm qua converti possint. 7. Istud est, quòd facienti quod in se est ex viribus naturæ, hoc est, ex auxilio generali, consentiunt dari gratiam justificantem, illi etiam qui gratuitæ prædestinationi subscribunt. Idem enim cum Adriano confitentur, nunquam diu peccatorem facere quod in se est, nunquam omnia diu mortalia peccata vitare, etsi possit.

Porrò etsi omnia vitare nequeant crimina impii, possunt tamen singula, ex eodem Adriano: *Qui tamen cuilibet peccato in speciali dominantur, & sub se habent appetitum ejus.* Idque constaret, etiamsi gratia ad pœnitendum sufficienti carerent. Longè aliud enim est de præteritis pœnitere, aliud de novo non peccare; Multò ergo magis possunt sigillatim non peccare, qui possunt & per auxilium speciale sufficiens pœnitere.

Pag. 104. Rursus ibidem ad solos fideles & justos porrigi vult illud Pauli, quod supra vires non tententur,

Ibidem. *Promissio, cujus 1. Cor. 10. Apostolus meminit, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c. facta videtur fidelibus, à fide per dilectionem operante, seu charitatem habentibus, & Deo gratis.* Cæteris ob *culpæ demeritum* quandoque subtrahitur non sufficiens auxilium, sed *facultas illa abundantioris gratiæ*, Vis autem maxima hu-

Pag. 105. jus gratiæ, qua justi possunt quaslibet tentationes vincere, est in charitate permanente & dominante in animo. Unde mox: *Una mors Christi unum baptisma consecravit, quod sufficit contra omnia peccata etiam sequentia.* Sufficit enim charitas contra peccata etiam *sequentia*, illa quæ per baptismum infunditur.

Superiorem sententiam suam rursum confirmat Adrianus: *Ex his colligi potest, quod ob mala vitæ meritum subtrahitur sæpè homini facultas illa abundantis gratiæ, sine qua non pœnitebit. Et quanquam absolutè manserit ei facultas pœnitendi, quod illa nunquam utetur. Sicut infirmus, qui nunquam extremum virium, vel maximum laborem tentabit incedere cum baculo. Hinc horribile est peccatis alia peccata adiicere. Quia incertum est pro qua culpa, aut quanto scelere, occulto judicio suo sit nos in præsenti vita judicaturus Deus, ut seducamur, & seducti tandem perpetuis cruciatibus condemnemur.* Inculcat rursus, *viatori tempore vitæ suæ sufficienter saltem assistere Deum, ut possit converti, licet nunquam sine uberiore assistentia faciat.*

Pag. 104.

Idem alibi de baptismi necessitate differens, circa eos maximè, quibus fides Evangelica denunciata non est, nec baptismi necessitas: idque quandoque citra culpam propriam hactenus, hoc est, citra *abusum naturalium*; respondet in hæc verba: *Dico quod tales attingentes usum rationis, aut faciunt quod in se est, ad recte suos actus & vitam dirigendum; & non est verisimile, quin eos Dominus per se, aut ministrum, docebit veritatem Evangelii, ut Act. 10. habemus de Cornelio Centurione; vel non faciunt, quantum in se est ad finem prædictum, & sic peccantes per omissionem, abutuntur naturalibus, & satis demerentur non informari. Nihilominus supposito quod aliquis sine abusu naturalium remaneret non informatus, dico quod talis per ignorantiam excusaretur à transgressione præcepti, sed non consequitur fructum operis operati ipsius baptismatis; licet speciali prærogativa posset per Deum salvari, ut prius dixi de parvulis.* De parvulis enim qui dum ad baptismum deferuntur, antè abeunt è vita, quàm tingantur, priùs sententiam Magistri sententiarum protulerat, eos *damnari*, idque ex *multis Sanctorum testimoniis*: addiderat tamen, *Dicunt tamen quidam piè credi, quod Deus sua benignitate ibi suppleret, quod deesset ex parte sacramenti: quod utique certum est Deum posse, cum virtutem suam non alligaverit sacramentis: sed quod hic faciat, nulla est certitudo, &c. Pie credi potest, sed non temerè asseri, quod certitudinem ex Scriptura & doctrina Ecclesiæ non habet.* Ut ut habeat, quod hìc dicitur de parvulis, de adultis perspicua est sententia Adriani, quòd si *ex naturalibus* faciant quod in se est. 1. Probabilius sit speciali auxilio donatum iri, ut ad fidem se præparent, & ad baptismum perveniant. 2. Id minimè certum esse: ut enim parvulis, ita & adultis posse Deum hæc auxilia denegare, indebita post peccatum originis. 3. Posse tamen hos adultos ex naturalibus omnia vitare peccata, cùm ad fidem Christi & baptismum non tenentur, si hoc speciali non donentur auxilio. Postremò ubi Adrianus ait ex *naturalibus* hoc eos posse, gratiam sanctificantem, & specialia fidei ac pœnitentiæ auxilia illis aufert, non generalem influentiam summæ veritatis summique boni, omnia illuminantis, omnia ad se trahentis. Ita enim in Schola veteri usus inolevérat, ut generalis hæc gratia etsi fileretur, intelligeretur tamen.

Tertium gratiæ divinæ genus efficacissimum ex intentione & proposito Dei prædestinantis, non tacuit Adrianus, cùm discriminavit auxilii divini duplex genus: alterum *sufficientis*, alterum *abundantioris* gratiæ: illud quo possit quis converti, hoc quo convertatur. Cùm enim in hac mortali ægritudine nemo omnes virium suarum nervos contendat diu, si ad conversionem sufficiat tantùm gratia, nemo convertitur, etsi possit: si pluspiam sufficiens, si abundantior, si *uberior assistentia* detur, tum non tantùm fieri potest, sed fit conversio. Idem de perseverantia sentiendum. Nisi uberior gratia affluat, non perseverabit diu, non usque in finem justus ullus, quia nullus *pro extremo virium* conatur, nemo lacertos omnes excutit.

EX JACOBO LATOMO

Theologiæ apud Lovanienses Professore celeberrimo, Lutherum refellente.

Propria & specialis gratia Christi est ea, quæ justificat, eademque dat vires bene operandi: eadem charitas dilectioque justitiæ apud Augustinum. Item de gratia generali.

EXorientem Lutherum, & Lovanienſis cenſuræ ſtatim fulmine aduſtum, compluribus opuſculis confixit Latomus. Itaque cùm gratiam Lutherus juſtificantem interpretaretur eſſe favorem Dei extrinſecum & imputationem; contrà ex Auguſtino Latomus evincit, gratiam juſtificantem & habitualem eſſe illam charitatem, dilectionem, delectationemque juſtitiæ, de qua & pro qua Auguſtinus contra Pelagianos decertavit: *Auguſtinus aliter loquitur, cui vel ob hoc in hac re major fides adhibenda eſt, quod gratiam copioſiſſimè defenderit, diligentiſſimè Scripturam de gratia loquentem excuſſerit propter hæreſin Pelagianam. Unde ad Bonifacium dicit, Fides gratiam impetrat, &c. Et infrà, Legem volunt intelligi gratiam, ut ſcilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda ſunt, noverimus: non inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt. Et infrà, Cognitio itaque legis facit ſuperbum prævaricatorem, per donum autem charitatis delectat legis eſſe factorem. Attende quod Auguſtinus dicit, Inſpiratio dilectionis propriè, gratia eſt, charitas eſt, donum eſt: Per donum, inquit, charitatis delectat legis eſſe factorem. Alibi dicit Auguſtinus, Virtus eſt charitas. Idem, virtus eſt bona qualitas mentis. Idem, virtus eſt habitus in modum naturæ, rationi conſentaneus. Lutherus ergo dum recentiores ſuggillat, impingit in Auguſtinum, qui de habitu, qualitate, gratia, & dono ſimiliter loquitur, ut loquuntur recentiores.*

Reſponſio ad Luther. c. 4. & l. 4. c. 5.

Adverte 1. non Latomi hanc unius, ſed Theologorum illius ævi ſententiam eſſe, & maximè Lovanienſium, quorum cenſuram exagitaverat Lutherus, Latomus hìc defenſitabat. 2. Chriſti *propriè gratiam* Auguſtino eſſe inſpirationem dilectionis, ſeu charitatem inſpiratam & infuſam à Deo, ſed hanc habitualem, nempe *donum, qualitatem mentis, virtutem*, adeoque habitum ex Auguſtino. 3. Auguſtini loca illa cohærere ſibi, ubi nunc gratiam ait eſſe charitatem, nunc charitatem eſſe virtutem, nunc virtutem eſſe habitum ſeu qualitatem mentis. Ex quo tandem conſequitur gratiam dilectionis & charitatis, de qua Auguſtinus conflixit cum Pelagio, eſſe virtutem & habitum charitatis. 4. Adverſus juſtificationem jejuna ex imputatione commentitiam, quam Lutherus obtrudebat, habitualem gratiam ex fidei dogmate propugnari præſidio Auguſtini, de charitate & inſpiratione dilectionis adverſus Pelagium diſputantis. Ex quo fit, ut hæc dilectio Dei ſit habitualis.

Et rurſum habitu fidei, ſeu charitatis juſtificari impios, & roborari pios ad bona opera, ibidem ex Auguſtino probat Latomus contra Lutherum: *Attendite ſecundò, quod notanter dicit Auguſtinus, Fides gratiam impetrat: hoc eſt inſpirationem dilectionis, ſive charitatem. Fides ergo non eſt illud donum, quo formaliter impius juſtificatur, lex impletur, natura liberatur & ſanatur, ne peccatum dominetur: ſed eſt diſpoſitio antecedens, natura prior, imo & frequenter tempore, ipſa juſtificatione. Fides enim orat, & orando impetrat donum gratiæ & charitatis. Abraham per donum fidei diſpoſitus fuit ad donum charitatis recipiendum, vel ejus augmentum, ſi priùs inerat, ut fieret de impio pius, vel de pio magis pius.* Ecce ut ex Auguſtino vendicet non fidei, ſed charitati, ut ejus ſit juſtificare, & ita ſanare, liberare, peccato non ſervire.

Ecce autem *propriè gratia* hæc dicatur, quæ remiſſione peccatorum primùm conſtat, ibidem indicat: *Propterea autem remiſſio peccatorum in Scriptura ſpecialiter gratiæ nomine intelligitur, eo quod ſit major gratia. Ratio enim gratiæ includit aliquid indebitum.* Quòd autem ea remiſſionis peccatorum gratia, non in mera ſit non imputatione peccatorum, ſed in inſpiratione doni ſupernaturalis, idem mox probat ex eo, quòd *quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura cauſatum*: Ideoque ſpecialis hoc gratiæ donum infundatur à *dilectione ſpeciali, ſecundùm quam Deus trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni*. Ut naturis enim omnibus largitur *formas & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundùm ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus*: ita illis quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, dat juſtificationis gratiam, *ſeu qualitatem qua juſti fiunt, & prompti redduntur ad juſtè operandum*. Ita ille totidem penè verbis ex ſancto Thoma.

Jam verò de gratia generali ibidem Latomus: *Duobus modis adjuvatur homo à Deo. Uno modo inquantum divinitus movetur ad aliquid cogitandum, volendum vel agendum; & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur 3. Phyſicorum.* Aliter jvandi modus eſt per gratiæ juſtificantis donum, de quo ſuprà. Porro quod illud auxilium generale ſit, quod ad implenda Dei præcepta requiritur, ſic ille alibi tradit: *Duobus modis poteſt intelligi, præceptum alicui eſſe impoſſibile. Uno modo quia non habet poteſtatem implendi ex ſuis viribus, quas tunc habet; poteſt tamen facultatem adipiſci ab aliquo, qui paratus eſt dare petenti. Alio modo quod ille cui mandatur, facultatem exequendi non habet, nec requirere poteſt, quod petenti nemo velit dare. Primo modo obligatur homo ad impoſſibile. Rom. 8. Ut quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens Filium ſuum in carne, de peccato damnavit peccatum, ut juſtificatio legis impleretur in nobis. Hìc habes, quod liberum arbitrium hominis peccatoris, legis juſtificationem implere non poterat; ſed facultatem implendi Deus per Chriſtum donavit. Secundo verò modo nullus ad impoſſibile obligatur, nec cuiquam in peccatum imputatur, quod tali impoſſibili mandato non paruerit. Quod habendum eſt pro principio naturaliter noto, quod ſi quis negaverit, non apparet rationibus eſſe conveniendus, eo quod contra communem naturæ ſenſum loquatur.* Quæ pura putaque eſt Aquinatis & priſcæ Scolæ doctrina. Ergo ex Latomo *partum* eſt *peccataribus* auxilium Dei, quo præceptum implere queant; alioqui impoſſibile id foret, nec eo tenerentur, idque inſtar eſt *principii naturaliter noti*.

Ibidem.

Pro articul. Lova. Con. Lutherum. art. 1. p. 22.

Id continuò multis ex Auguſtino teſtimoniis munit, quæ in id vergunt omnia, quòd *Deus impoſſibilia non potuit præcipere. Hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus: & in difficilibus, quid petamus.* Poſſibilia ergo ſunt præcepta per auxilium, quod paratum eſt petentibus. Hinc habes, ait Latomus, *quod in præcepto divino complendo, ſemper habet homo facultatem implendi: aut ſaltem quod non negatur legitimè petenti; aut ſi negetur, extra culpam eſt non faciens mandatum.*

Exemplo rem ille declarat hominis pedibus trunci, qui ſicubi adeſſe jubeatur, extra culpam non eſt, ſi vehiculi copia ſit, vel ſuis ſumptibus, vel amici ope: alioqui nullius culpæ reus eſt, ſi ſe non ſiſtat. *In propoſito verò, quia Deus juſtus & bonus irrationabiliter nihil poteſt præcipere, nihil homini præcipit, cujus homo non habet poteſtatem; aut habere poteſt, ſi poteſtate quam habet, legitimè utatur: quod incalumniabiliter verum eſt de electis in ſtatu gratiæ exiſtentibus, de quibus*

Ibidem. pag. 24.

Apostolus, *Fidelis Deus, qui non patietur, &c.* Universim quidem exploratissimum est non præcipi à Deo, nisi quorum facultas adest, vel parata est; sed de justis quàm de aliis id multò æquius est credi, quibus suam Deus jam oppignoravit benevolentiam,

Iterum idem probat Latomus præclarissimo illo Augustini suffragio, ex libro tertio de Libero Arbitrio, ubi congenita ignorantia & difficultate laborantes dicitur nihil conqueri posse, cùm præsto semper sit auxilium divinum. Unde Latomus, *Hic habes, ex Augustini sententia, quod solùm imputatur homini, quod habet in potestate, ut faciat; aut cujus potest acquirere facultatem, sed negligit.*

Ex quo jure merito id colligit, neminem in hoc mortali stadio ad summam & perfectissimam teneri dilectionem, cùm Deus nulli ad hoc, sicuti neque ad videndum Deum, opituletur: *Ex quibus infero, quod cùm Deus pro statu hujus vitæ non sit paratus cuivis petenti, etiam justo, pro extremo virium laboranti, illam perfectam dilectionem ex toto corde dare, sicut neque claram sui visionem: neminem teneri præcepto ad eam habendam. Neque censeri debere transgressorem, eo quod illam non habeat.*

Ita nec obligamur lege non concupiscendi, nec concupiscendo peccamus, sed consentiendo. Quantumvis enim abhorreamus ab ipsa concupiscentiæ instigatione, & ea nos absolvi flagitemus à Deo, non tamen id auxilium à Deo præsto est petentibus: *Et consimiliter dicendum est, nullum justum teneri pro statu viæ ad non habendum fomitem peccati, & radicalem concupiscentiam, cujus reatus baptismo deletus est: ex eodem fundamento, quod videlicet non sit in ejus potestate, nec Deus supplicanti dare decreverit, non magis quàm corpus immortale.*

Facienti verò quod in se est, ex hoc auxilio divino semper obvio, protinus adesse gratiam, idque nec à Luthero ipso reapse dissimulari potuisse, etsi verbis fucum faceret & calumniaretur: ita mox docet Latomus: *Quod Martinus dicit, de faciendo quod in se est, miror cur voluerit calumniari. Nam si verum est quod ipse dicit, Liberum arbitrium nihil aliud facere posse, quàm de se desperare, & ad gratiam confugere: nonne hoc agere, est facere quod in se est? Hoc siquidem est quod in se est facere, facere quod est in potestate, seu uti potestate, &c. An hoc Thomas & recentiores dicunt, & non veteres? Unde Origenes super Matthæum, &c. Et Augustinus de consuetudine mala loquens, ait, Hanc vincere difficillimum est, & tamen ipsam etiam consuetudinem, si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, vincet. Hæc ille. Quid hoc est aliud, quàm facere, quod in se est?* Scitè id quidem, Nam omnino facere quod in se est, perinde est ac se non deserere.

Ibidem, art. 2. p. 245.

l. 1. de Serm. Dom. in mo pag.

Tertiæ quoque gratiæ, ejusdemque ad prædestinantis Dei propositum efficacissimæ auxilium Latomus indicavit. Etenim *prædestinationem & electionem in filios, item reprobationem, seu non electionem, docet Apostolus non ex operibus contingere, sed ex mera Dei voluntate: ut totum Dei muneris sit, nec alia ratio reddi possit, cur hunc eligit, aut prædestinat Deus, illum autem reprobat, seu non prædestinat, nisi quia sic vult, qui nihil iniquè vult.*

De fide & operib. pag. 137.

pag. 140.

Et infrà: *Aliis donat Deus perseverantiam in fide, dilectione & opere bono, aliis non donat; in utro ordine horum, tu & ego futuri simus, nescimus, &c.* Non potuit Augustini sententia de electione gratiæ ad justificationem & perseverantiam exertiùs prædicari,

Jam si quæras quæ sit gratia illa efficax, quę nos eò provehit quò prædestinati sumus: Respondet ex Apostolo, eam esse gratiam justificantem. Quos enim prædestinavit, hos & vocavit, & justificavit, *Considera nomine prædestinationis, tria quædam per ordinem se habentia significari. Quorum primum est, æternum propositum miserendi. Secundum temporalis collatio gratiæ, sive gratuiti doni, quo justificatur prædestinatus. Tertium est collatio æternæ gloriæ. Horum trium primi ex parte nostra nulla omnino est causa. Secundi similiter ex parte nostra nulla similiter est causa; quia licèt in adultis dum justificantur, regulariter concurrat liberum arbitrium; tamen nihil antecedit ut meritum doni gratuiti, quo impius justificatur; sed gratis menti infunditur, &c. Secus est de tertio, quia inter collationem gratiæ justificantis, dispositionumque eam præcedentium, & collationem gloriæ, mediant opera bona, interna & externa, ex dono justificante, & libero arbitrio, per Spiritus sancti inhabitantis singularem directionem proficiscentia, quibus justè gloria redditur.* Adverte hìc primò prædestinationem esse præparationem gratiæ justificantis & habitualis. Secundò opera bona post justificationem proficisci *ex dono justificante & libero arbitrio.* Verissima enim gratia illa est, quæ justificat, & efficax feraxque est bonorum operum. Tertiò quòd prædestinati per gratiam habitualem infallibiliter in bonis operibus perseverent, id fieri *per Spiritus sancti inhabitantis singularem directionem.* Ita singularem perseverantiæ gratiam in eo locat sanctus Thomas, quòd electos suos singulariter Deus *custodit, dirigit, protegit*: nempe tentationem, occasionesque mali amovendo, aut temperando, ea foris intusque admovendo, quæ etsi sigillatim lapsum non arceant, catervatim conspirantia arceant.

pag. 141.

Ideo rursus Latomo nemo quidquam habet suum, nemo quo se discernat, nemo quod non acceperit, nemo quo in se glorietur, quia meritum omne est à gratia justificante gratis concessa. *Sed dices, Vita æterna redditur justis ex gratia, ergo non ex operibus. Istud argumentum convinceret, si diceremus, opus quod est meritum, non esse donum gratuitum Dei: aut si diceremus quod valor ineset operi, qua proficiscitur à nobis, & non ob hoc principaliter, quia proficiscitur à gratia & à charitate. Hoc enim dicit Paulus, Donum Dei est, ne quis glorietur.* Et alibi: *Nec quisquam bonus, aut sanctus sibi tribuit bonitatem, aut sanctitatem, tanquam à se habeat, & non à Deo. Novit enim quisquis ejusmodi est, per Spiritum in se habitantem dona, quæ à Deo accepit. Novit opera sua bona Dei dona esse, sicut & fides Dei donum est.*

De fide & operib. pag. 118.

Ideo denique facillimè conciliat Latomus nostræ libertatis indifferentiam, cum efficacia gratiæ, nempe habitualis, seu *sanctificantis & dirigentis.* Audi ipsummet, *Dilectio fidem formet, & quasi vivificet, ut à dilectione habeat operandi efficaciam, & vim legis implendæ. Ut enim anima accedens corpori vitæ, sensus, & motus corpori causa est, non è converso; sic fidei accedens charitas, vitam gratiæ, sensum & motum Spiritus sancti affert.* Et quomodo qualiaque simus *instrumenta* Dei moventis, infrà: *Aliud est instrumentum conjunctum, ut manus, aliud separatum, ut gladius. Separatorum aliud animatum, aliud inanimatum. Animatum, ut servus domino ad actionem, mulier viro ad generationem. Et tali instrumento imputatur actio. Ut si dominus per servum homicidium facit, ambo legibus plectuntur, quia servus est naturaliter liber, habens in sua potestate, domino parere, vel non parere. Sic homo est instrumentum Dei separatum, animatum, & liberum; non solùm motum, sed seipsum movens per liberam voluntatem, in potestate habens agere, & non agere.* Et mox ait Sennacheribum ferræ comparatum hactenus, quòd nefas sit ferram rebellare artifici; *nec minùs absurdum est, si quando homo se erigat adversùs Deum. Quod tamen homo utique facere potest, & sæpè facit, licèt injustè, & propterea non impunè.* Ita omnipotenter dominatur Dei voluntas, quia etsi quid injustè fiat, sed non impunè. Et alibi, *Quod Lutherus asserit, voluntatem per gratiam trahi, rapi, moveri, sic ut ipsum velle non partialiter sit à libero arbitrio; non credo uni-*

Ibidem: pag. 137.

Adv. Tindalum. l. 4. pag. 87.

Articul. de Libero arbitr. 16.

universaliter posse sustineri. Quia homines in Scriptura non tam rastra, vel aratra dicuntur, quàm agricolæ, vinitores, ædificatores, mercenarii. Immo & Dei adjutores, & cooperatores. E contrà Deus dicitur, Adjutor noster & cooperator. Per illam vim *dirigentem* intrinsecùs & extrinsecùs aget & torquebit invictissimè & liberrimè tamen Deus hæc instrumenta sua separata, animata, libera.

EX RUARDO TAPPERO
Lovaniensis Academiæ Cancellario, contra Lutherum scribente.

Gratia habitualis, illa est de qua Paulus & Augustinus, sanitas & reparatrix animæ, dilectio justitiæ, charitas diffusa per Spiritum, virtus, virtutum omnium choro cincta, dans potentiam proximam justo diligendi Deum & bene operandi, cum solo concursu generali causæ universalis gratiarum.

ARticulos aliquot adversùs Lutheri insana commenta sanxerat Academia Lovaniensis, horratu & jussu Caroli V. Imperatoris, *velut symbolum quoddam circa dogmata Ecclesiastica*. In horum declarationem defensionemque suasu & auspiciis Philippi II. calamum strinxit Ruardus Tapperus anno MDLV. & MDLVII. ejusdem Academiæ Cancellarius.

In defensione articuli VIII. *de justificatione* copiosè disputat, evincitque nos justificari formaliter inhabitante & inhærente *forma dante esse divinum, & mentem transmutante, ut sit bene ad Deum disposita, Deiformis: quam rectam dispositionem inseparabiliter comitatur charitas: quæ per Spiritum sanctum diffunditur, quæ facit in tota hominis vita, primò autem in amore & affectibus rectitudinem & conformitatem ad voluntatem Dei & legem ejus æternam. Charitas enim patiens est, benigna est, &c.* Et infrà, cùm Christus innovarit omnia & redintegrarit, in eandem nos gratiam restituit, à qua per Adami culpam excideramus: *Eadem namque justitia per Christi gratiam nobis restituitur, quæ ablata est per primum nostrum parentem: quæ ei intrinseca erat, & inhærens.* Idem de ea gratia loquitur Paulus, cum ait, *Non sicut delictum, ita & donum: &c. multo magis gratia Dei & donum in plures, &c.* Et infrà: *Sicut regnavit peccatum, ita & gratia regnet per justitiam.* Et alibi: *Superabundavit & gratia.* Hæc & ejusmodi testimonia Scripturarum de gratia justificationis informante & inhærente interpretatur Tapperus, & ita fidem tuetur. Item quæ de charitate identidem Apostolus habet, ea huc quoque transfert.

Et ex Augustino idem elicit; de charitate enim & gratia quoties apud eum disputatur, hæc ad hanc rapit Tapperus justificationis & charitatis habitualis gratiam: *Hanc autem sententiam, inhærentem scilicet nobis esse justitiam, plurimis in locis ex sacris Scripturis manifestè ostendit & docet B. Augustinus; nec tacet, quæ sit hæc fidei justitia, per quam impius justificatur. Ait enim, Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est, &c. Ipsa est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et rursum Augustinus: *Si in Abel justo charitas Dei, qua verè justus est, quicumque justus est, adhuc erat, quo posset & deberet augeri, &c.* Et idem: *Charitas ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.* Et iterum: *Per Spiritum diffunditur charitas in cordibus nostris, qua una justi sunt, quicumque justi sunt.* Et alibi: *Istam gratiam qua justificamur, id est, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, in Pelagii & Cœlestii scriptis nusquam eos invenit, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Et alibi rursum: *Christus præter imitationem, gratiæ illuminationem, justificationemque nostram intrinsecùs operatur. Hac gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, &c. Dat Christus sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis, &c. Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis.* Ita ille ex Augustino demonstrat justificari pios gratia verè interna & inhærente, non imputatitia, & quasi extrinsecùs attricata.

Ergo frustra sunt, qui hæc Scripturæ & Augustini testimonia de gratia & charitate, ad actualia gratiæ auxilia deflectunt, cùm palam sit, & ex verbis ipsis sine præjudicio pensiculatis, & ex necessaria fidei defensione, & ex Concilii denique Tridentini definitione ad gratiam habitualem hæc trahi. Ut nempe hæc sint adminiculaà Scripturis haustæ, & per Patrum traducem ad nos provectæ traditionis, de gratia intrinseca & inhærente, *id quod definivit sacrum Concilium Tridentinum post B. Augustinum*, ut ait infrà Tapperus.

Et suprà rursus idem ex eodem Augustino congerit ea quæ ad *charitatem* spectant, & *virtutem*, & *rectam voluntatem*, & *ordinem amoris*, & hanc Augustino contendit esse gratiam Christi justificantem & inhærentem. Quo nihil æquius, Nec enim ab injustitia ad justitiam, vel à creatura ad Creatorem converti, justificari, sanctificari quisquam potest; nisi voluntas ejus exuatur amore creaturæ & sui, quo insaniebat usque ad contemptum Dei: & induatur amore Dei usque ad contemptum sui. Ita intrinsecè creatur & inhæret animæ rectitudo voluntatis, affectio ad æternitatem propensa, charitas Dei, dilectio justitiæ, ordo amoris; quod non aliud est, quàm justitia & sanctitas. Ita inhærente & intima gratia nos justificari sentire & consentire Patres omnes, cùm dixerint intimum animæ affectum mutari, & à peccato ad justitiam, à temporalibus ad æterna, à sese in Deum retorqueri. Quid enim intimius animæ, quàm suus ipsi affectus, sua in quidvis pronitas?

Quin immo ex Augustino ajente virtutes omnes non aliud esse, quàm ordinem amoris, & charitatis veluti particulas diversas, hinc infert Tapperus virtutes omnes simul, charitatis velut individuas comites, infundi per justificationem: *Totum enim virtutum chorum secum adducit, per quas omnes animæ vires in suis operationibus rectè disponuntur.* Nec illud hìc nimis anxiè rimari necesse est, differat-ne gratia sanctificans à charitate, *Sunt enim à se invicem hæc duo inseparabilia.* Illud sanè idem monet sedulò vitandum, ne cum Alberto Pighio, suo olim condiscipulo, sub Præceptore eo qui postea summus Pontifex creatus est Adrianus VI. ne ita inquam diffidamus huic justitiæ, qua Christus nos medullitùs irrigat & justificat, ut præterea imputatitia Christi justitia & sanctitate nos supervestiriri, quasi in intimæ illius supplementum necesse sit. Ita enim vel ipsi Christo fit injuria, si membris suis non potest infundere intimitus veram & sinceram justitiam, sed tam tenuem modò & decolorem, ut indumento præterea quodam dissimulanda illa & tegenda sit. Amplitudo, efficacia, necessitas justitiæ Christi eò referenda est, ut nos intus mutet & sanctificet, non ut foris cohonestet. Hoc uno argumento dilui possunt quæ Pighius ex lectione institutionum Calvini fascinatus profert in sui præsidium.

Illud malim Tapperi adnotare, præter infusos habitus virtutum supernaturalium, *operibus justitiæ, fidei, & charitatis acquiri habitus. Nam testatur experientia post frequens exercitium in his virtutibus nos reddi paulatim promptiores ad operandum.* Eo distare habitus istos, quòd acquisiti

patian-

De pecca. mer. l. 2. c. 5. 10. 11.

Pag. 13.

Pag. 1.

Tom. 1. p. 2

Pag. 11.

Pag. 20. 21. 22.

Ibid. p. 4.

Pag. 7. 8.

To. 2. pag. 3.

Pag. 11.

Pag. 121

De nat. & grat. c. 21.

Ibid. c. 38.

Ibid. c. 48. c. 63.

L. De Grat. Christ. c. 30.

patiantur super nos manare iram Dei & peccatum: non infusi, qui statim justificant, *Est enim justitiæ qualitas omnem naturæ creatæ virtutem excedens.* Imo ex eodem *alia est justitia fidei habitualis, quæ à Deo infunditur per Spiritum inhabitantem, & facit naturæ divinæ consortes, ac filios Dei. Alia est quæ acquiritur ex operum fidei frequentia, & ideo dicitur justitia acquisita, manens in peccatore.* Hæc ille, quibus dissentire Thomam confitetur, vereor ut consentiat Augustinus. Ubi enim fortius est robur charitatis, quàm cupiditatis, adest incontanter justificatio; sed non operibus id illis fit efficientibus, licèt fiat illis disponentibus: fit ergo tantùm inspirata misericorditer à Deo charitate tanta, quanta opus est ad superandas cupiditates. Ubi verò inclinata & cupiditatibus impar adhuc charitas adest, operibus hinc profectis esto ut generetur habitus; sed nec justitiæ, nec charitatis nomine dignandus erit, cùm adhuc homo amore sui ferveat usque ad Dei contemptum.

Tom. 3. pag. 188. cap. 70.

In tractatu autem *de libero arbitrio*, de gratiæ hujus habitualis efficacia sic differit Tapperus: *Per hanc natura humana corrupta sanatur, & sanata elevatur ad operandum opera æterna vitæ meritoria, per quam secundùm sententiam beati Petri sumus naturæ divinæ consortes & deiformes. Et ideo vires præbet ad benè operandum per amorem Dei & proximi, fidem, spem & reliquas virtutes, sicut sanitas corporis ad operandum naturaliter. Hæc dicitur gratia gratum faciens, de qua dicit beatus Augustinus lib. de nat. & grat. quod sit vera justitia fidei, & gratia Dei per Jesum Christum, eam non distinguens à charitate, quæ ipsam semper comitatur.* Perspicuè gratia habitualis est ea quæ *sanat*, quę *vires dat ad benè operandum*, quę à *charitate* non distinguitur apud Augustinum. Ergo cùm de charitate, cùm de dilectione & delectatione justitiæ victrici agit Augustinus, de hac agit. Nec immeritò. Cùm hæc sit sanitas, quæ utique robusta est, & efficax in operando, victrixque in oppugnando.

Totus erat in eo Lutherus, ut quęcumque Augustinus de charitate, de dilectione & delectatione justitiæ contra Pelagianos disputat, hæc ad gratiam justificantem omnia raperet. At omnes Catholici Scriptores ultro annuebant, quod tamen præ cæteris intererat non concedi, si per veritatis normam liceret: ne inde inferret Lutherus, ergo quęcumque ante justificationem fiunt, cùm sine gratia fiant, esse peccata. Huic errori refellendo aliam Tapperus viam ingreditur. Concędit ibi agere Augustinum de gratia habituali & justificante, concedit per eam vires dari ad bene operandum; sed negat eam prorsus necessariam esse ad bene utcumque & prælusoriè operandum, qualia sunt opera bona quæ justificationem antecedunt, ad ipsam scilicet præparantia, & proficiscentia ex alio gratiæ genere,

Pag. 189. scilicet ex *motione* qua intellectum & voluntatem excitat juvatque Deus. *Tametsi igitur hæc gratia habitualis per quam renascimur & sanamur, imo quæ est ipsa anima sanitas & vita, ad bene operandum multùm conducat, sicut sanitas corporis, ad opera vitæ, non tamen necessaria est ad bene agendum: licèt necessaria est ut vivamus in Christo & sanemur. Gratia autem ad bene operandum necessaria, est motio, qua Deus applicat intellectum ad cogitandum salutaria, & voluntatem ad eadem bene afficit.* Ita sine habituali, cum sola actuali gratia fiunt opera bona, id est, ad bonitatem & justificationem præparantia, nec tamen sine vi & nisu vehementissimo: *Nec tamen natura sine virtutibus infusis ista opera præstare potest, nisi quadam violentia illata se erigendo supra id quod est, non quasi naturaliter: quomodo fiunt ab homine virtutibus decorato.* Majorum more naturam vocat stationem illam, quæ præcedit justificationem,

Rursum inferiùs perspicuè idem docet, posse eum qui fide, spe, charitate aliisque virtutibus instructus est, in harum opera prosilire quoties libet, accedente solo concursu generali, qui in hujsmodi tamen rebus jam supernaturalis & specialis auxilii nomine appellitatur. *Posset inquiri, an sicut ex bona voluntate, tanquam semine ac principio ad alios voluntatis actus & mediorum electionem progredi possumus, sine alio auxilio gratuito, præter generale, quo Deus cooperatur donis suis gratuitis, & ex principiis fidei inferre conclusiones: ita an virtutum divinarum habitibus, fide, spe, & charitate cum solo auxilio generali, quo cooperatur donis, ad opus progredi possimus. Sed magna ex parte ex præcedentibus facilè innotescere possunt. Nam fidelis credere potest, Christum pro nobis esse passum, quando vult; & homo justus in operibus pietatis excitatus, pauperi occurrenti eleemosynam dare potest ex fide & charitate fratris ob Dei amorem; sicut ex naturali pietate, & quia honestum est, hoc facere potest peccator, & imo ethnicus.* Prolixiùs subinde concludit, posse fidelem quoties vult in actus fidei erumpere, *nec requiritur alius Dei concursus, quàm conservatio luminis, & ejus tanquam causæ universalis in ordine gratiarum cooperatio per hoc lumen & liberum arbitrium: sicut cooperatur ad cognitionem physicam per lumen naturale. Nam posito operis principio sufficiente cognoscendi, vel credendi, hoc est Spiritu fidei, possumus eousque quando volumus. Et concursus Dei cum principio operis gratuiti & supernaturalis ad affectum supernaturalem, omneque opus salutis, gratia sive auxilium speciale dicitur, sine qua fidelis non potest credere, nec justus bene operari. Nam dicit Augustinus, &c.* Ita ille juxta Augustini & Thomæ sententiam docet ex habitu supernaturali fidei, spei, charitatis, ceu *principio operis gratuiti*, & cum influentia generali, seu *concursu* Dei & *auxilio generali* quo Deus donis suis gratuitis *cooperatur*, posse nos prodire, & actu prodire quoties volumus in bona & meritoria opera harum virtutum: sicut cum eodem concursu generali possumus ire in actus cujusliber facultatis naturalis, aut moralis virtutis. Hic tamen concursus & cooperatio *Dei tanquam causæ universalis in ordine gratiarum* speciale nomen sibi jure vendicat, & *auxilium speciale dicitur.*

Ibid. p. 191. 192.

Et ibidem rationem manifestissimam ejusdem rei expromit: *Nec enim Spiritus fidei & charitatis minus sufficiens est, aut minus potens suos fructus operari, fidei scilicet ac charitatis, & naturæ divinæ opera: quàm spiritus naturalis, puta rationalis anima, opera vitæ naturalis. Eadem namque in justis est operandi potentia propinqua, quæ erat in Adam ante peccatum.* Et quanquam ad perseverandum nunc propter *infirmitatem & ignorantiam* indigeamus speciali auxilio *protegente & dirigente*, ut mox tradit ex sancto Thoma, quo non egebat Adamus: non aliud tamen est nobis bene operandi principium, quàm habitualis gratia & virtus cum concursu generali causæ universalis gratiarum. *Hoc tamen auxilio posito, non alio principio operantur, quæ sunt pietatis, quàm per gratiam quasi habitualem, sive Spiritum inhabitantem, per quem non tam nos, quàm Christus in nobis & per nos operatur.* Unde subjicit non nimis arrogari libero arbitrio, *quod principium sit operis, ut opus est. Per virtutem autem & gratiam divinam ita operatur ea quæ sunt salutis, sicut ea quæ sunt naturæ & morum per suam naturam. Hæc videtur esse sententia sancti Thomæ, &c.* Ibidem.

Quocirca meritò subjicit Tapperus *quod non omnis gratia dans posse credere, posse converti, posse bene operari, & perseverare, facit hæc opera. Nam justus auxilium habet, quo resistere potest peccato, & quando peccat perseverare, & multa pietatis opera facere, quæ non facit. Et ex gratia ablata, imo præsente, multi credere possunt, qui non credunt,*

dunt, ob hujus sæculi affectum, Dono enim fidei informis & timoris gehennę ante justificationem, post illam habitui charitatis & concursui generali Dei à multis resistitur; etsi per hęc adjumenta detur *potentia proxima* sese ad Deum convertendi & bene operandi.

Et idem alibi gratię habitu inhabitantis & charitatis sanctificantis quanta sit efficacia, rursum declarat: *Novitas cordis est ejus sanitas & vita. Nec propriè in homine cor novum format Deus, ut velit, sed ut sobriè, justè & piè vivat in hoc sæculo, & per Spiritum sanctum hoc velit efficaciter.* Utcumque enim velle bonum incipit quis, cùm se præparat ad gratiam per auxilia generalia: at per gratiam justificationis vult plenè & *efficaciter*, & ita ut faciat. *Dicimus enim quod sicut animam viventem à Deo accipimus, & illius virtute omnia opera humanæ vitæ operamur, Deo in omnibus tanquam causa prima & principali cooperante: ita hic accipimus Spiritum vivificantem, cujus virtute ea quæ salutis sunt agimus, Deo nobis similiter cooperante.* Ubi vides quomodo distinguat majorum more influentiam generalem, seu cooperationem Dei, quæ nusquam deest, & gratiam specialem, seu Spiritum vivificantem. Sic ille contra hæreticos pugnat totum gratiæ ita vendicantes, ut necessitatem, adeoque exitium inferrent nostræ libertati. Unde infrà, *Formatur voluntas ut bona sit, quando accipit charitatem Dei per Spiritum vivificantem, quo potens efficitur, ut mandata Dei impleat, & Deum toto corde diligat. Hic enim Spiritus est forma faciens hominem consortem divinæ naturæ & Filium Dei.* Hæc est gratia habitualis potens & efficaciter potens implere mandata. Illico autem sequitur gratia actualis: *Movetur autem voluntas à Deo, ut obsequatur vocationi, si libeat, quando immittuntur sanctæ cogitationes, sanctique affectus, quibus obsequi potest, si velit.* Paulò pòst subdit ea nunc Dei auxilia, quibus invictissimè & indeclinabiliter efficitur, ut velimus, secus quàm in Adamo, non ad singula bona opera pertinere, sed ad solam perseverantiam, contra Calvinum, qui ea ad omnia porrigebat.

Pag. 241, 243

Pag. 246

Ibidem,

Pag. 246, 247

EX RUARDO TAPPERO Lovani. Academiæ Cancellario, fidem tuente adversus Lutherum.

Gratia seu influentia generalis, qua peccata singula vitentur, nulli deest, idque indubitatissimum, & tuendæ libertati necessarium. Ad conversionem autem & fidem & pœnitentiam omnibus aliquando saltem adest, si pietati, si plurium Patrum, si penè omnium Scholæ Doctorum consensui fidem habeamus.

VIsum est Ruardo Tappero, etsi libet sit homo circa res civiles & naturales, ut eligat, vel repudiet: sed tamen *ad eligenda ea quæ sunt pietatis & religionis Christianæ, si sic destitutum est liberum arbitrium, ut gratiam nec pro tunc habeat, nec habere possit, non manet liber arbitrii usus; nec locum in illis habet libera hominis electio, quandiu gratia destituitur; maximè si sine culpa propria sic destituatur. Non enim liberum circa illa est arbitrium, in quibus nullum, vel solum determinatum potest esse judicium: & electio eorum dumtaxat est, quæ in nostra sunt potestate.* Ex quibus rectè infert in his non peccari, cùm libertas exulet: etsi pœna peccati originalis hæc sit. *Si igitur deest gratia, qua opus est, ut ad Deum cor converti possit, non potest pro tunc ad Deum converti, & necessariò non convertitur, & per consequens non liberè. Intelligo autem, si gratia sic deest, ut nec pro tunc impetrari possit. Quo casu nec peccatum est, quod quis non convertitur: sicuti peccatum non est, quod non credit, qui non habens à quo Evangelium audiat, credere non potest. Est tamen ejusmodi incredulitas pœna peccati, eo quod talis divinorum ignorantia consecuta est peccatum primi parentis, ut dicit B. Thomas post B. Augustinum.* Idem denique concludit de omnibus operibus *quæ sunt supra hominis facultatem, ut converti, credere, Deum super omnia diligere, sperare*, si hæc non fiant *ob gratiæ defectum, & gratiæ defectus non descendat à propria hominis voluntate.* Ubi enim necessitas est, libertas abest, ideoque & peccatum.

Tom. 1, pag. 204

2. 2. q. 10. art. 1.

At in aliis omnibus quę ex suo genere non excedunt naturæ vires, non ita habet: in his enim etiam sine gratia potest quilibet vitare peccata singula, etsi non omnia. Nec enim judicium rationis extinguitur, non voluntas deficit: nec consensus potest ullus invitis extorqueri. Quantacumque ergo sit naturæ infirmitas post peccatum, & gratiæ inopia, in his non peccatur nisi liberè, & ita ut à singulis abstineri possit. *Sed aliud est de operibus quæ ex suo genere naturæ nostræ vires non excedunt, nisi propter infirmitatem ex peccato proprio, vel Adæ secutam, & gratiæ defectum. Hæc enim singula, quamvis simus infirmi & gratia destituti, in nostra sunt potestate. Nemo enim est, qui non possit nolle, & etiam vitare homicidium, & quodlibet aliud peccatum etiam veniale. Nam nulla passio, nulla mortis formido inducere potest necessitatem ipsam sequendi, ut non maneat in nostra potestate ipsum velle, & nolle, quandiu non absorbetur, sed liberum manet judicium rationis, ut docet Augustinus & Thomas.* Nulla quippe creata vis potest subire in ipsa voluntatis penetralia, & ei inferre, non dico vim & coactionem, ut nolens velit, quod impossibile est, sed necessitatem inevitabilem volendi quidvis. *Necessitas igitur peccandi, quæ ex nostra est infirmitate, opponitur inevitabilitati quoad universa, non quoad singula, nec est ad aliquod peccatum in specie committendum.*

Ibidem pag. 204

super Levit. q. 22. & l. de Spir. & lit. c. 31. 1. 2. q. 10. art. 4. & de malo. q. 10.

Discriminis ratio prompta & expedita est, absoluta est enim impotentia ad supernaturalia, si desit gratia: ideo nec libertas ibi, nec peccatum est. At in his extremis impotentia est ad universa collectim; potestas, ideo & libertas & peccatum in singulis: *Propter quod in hoc operum genere defectus gratiæ & impotentia, quæ ad singula vitanda non est, à peccato excusare non potest, sicut nec libertatem tollit.* Ideo mox improbat Tapperus Gregorium Ariminensem, qui quamlibet impotentiam agendi & ignorantiam invincibilem non excusat à peccato, quod eæ sint pœnę peccati originalis. At contrà ait Tapperus: *Soli peccato originali proprium est, quod ad ipsum sufficiat voluntas aliena.* Immo & ex Augustino: *Nullum potest esse peccatum propriæ vitæ sine propria voluntate.* Ideoque ubi Hugo Victorinus ait non excusari nos ea necessitate, quæ ex pœna originalis culpę effluxit, *intelligit necessitatem peccandi, quæ est inevitabilitas universorum; non intelligit necessitatem, quæ opponitur evitabilitati singulorum.*

L. 2. d. 28. q. 1. ad 3. & q. 2.

De peccat. mer. l. 1. c. 25.

De Sacra. Par. 7. l. 1. c. 23.

Jam verò an gratia illa Dei, quæ necessaria est ad supernaturalem conversionem ad Deum & pœnitentiam, omnibus à Deo detur, respondet Tapperus, quòd *ita videtur docere sanctus Thomas; ita docet Ferrariensis, Dominicus Soto, sanctus Martyr & Doctor Joannes Episcopus Rossensis, &c. Mihi quidem certum est, non omnibus & singulis semper adesse hujusmodi auxilium, quo opus est ut convertatur, aut converti possit peccator, & hanc esse sententiam beati Augustini. Nam hujusmodi effectus vocationis suæ non semper in quolibet peccatore operatur Deus. Aliquando tamen & secundùm temporum vicissitudines omnibus adesse, à multis sanctis Doctoribus piè creditur. Quamvis ex Scripturis nec hoc, nec contrarium efficaciter pro-*

Pag. 205. L. 3. Cont. Gent. c. 159.

Pag. 206.

probari possit, neutrumque eis manifestè adversetur. Et ideo nullum esse fidei periculum, si secundùm hanc pietatem de Deo sentiamus. Tria ergo tradit Tapperus. 1. An hæc gratia ad conversionem sufficiens omnibus detur, ex Scripturis & fide non certò constare. 2. Thomam & plerosque eò inclinare, ut dari credatur omnibus. 3. Non tamen omnibus semper & omni momento præsto esse, sed nulli omnino deesse, etsi aliqui semper adesse sentiant. Posse autem credi quod quibusdam omnino denegetur ob peccatum originis, arguit ex eo quod parvuli baptismo præmortui ea orbentur, quod nemo non possit vel insanus & mentis impos nasci & vivere, aut in cunis extingui.

Totus tamen ipse propendet in id, ut omnibus omnino, sed non omni puncto temporis præsto sit hæc gratia Dei. Idque probat ex sancto Thoma, & ex Augustino. Acceditque ipse lubentiùs Roffensi, induratis & excæcatis hoc Dei auxilium subtrahenti, quàm Dominico Soto, ea de causa in Roffensem stomachanti. Porro justificatis semel negat Tapperus unquam subtrahi gratiam necessariam, ut stent. *Subtrahit ergo Deus suæ misericordiæ dona ab his, qui merentur hæc pati: justos autem non derelinquit, nisi desertus ab iis fuerit. Nec tamen ex toto ab illis se subtrahit, sed secundùm aliquos gratiæ effectus, quibus peculiariter præsens erat: nunquam autem relinquit absque ullo amoris stimulo & absque ullo conversionis instinctu. Atque ita quamvis anima quæ semel acceptam gratiam deserit, justè repudietur, & digna sit, quæ ea semper indigeat; si tamen ita cadat, ut supra lapidem Christum maneat, non negans, aut contemnens ipsum, quin potiùs per fidem tenens illum, ut manum sibi divinitus suppositam: sic lapsa non prorsus conteritur, sed gratuitum Dei auxilium habet, quo per pœnitentiam reservatur ad salutem hauriendam ex fonte gratiæ Christi, ut interpretatur Hieronymus.* Hoc gratuitum Dei auxilium fides est; in peccatore remanens, quod motionibus Dei actualibus non destituitur, ut stimuletur peccator ad resipiscentiam.

Pag. 209: 210.

Pag. 214.

In Matth. 5. 22.

Inferiùs autem cùm Patres omnes prorsus demonstrasset in eo consentire Augustino, *quod non sit aliquod meritum hominis, propter quod à Deo, aut vocetur, aut præparetur, ut credat & justificetur*: Rursum ait, *Doctores Scholasticos ferè omnes convenire, quod facienti quod in se est, Deus non deest in his quæ sunt ad salutem necessaria, paratus intellectum illustrare, & inspirare salutaria, quamvis non similiter hoc intelligant & applicent. Cùm igitur ut ajunt in uniuscujusque potestate sit facere quod in se est, ut credat & salutem consequatur: videtur quod cuilibet adulto, etiamsi ethnicus sit, adest sufficiens auxilium, quo credere potest & salvus fieri, vel saltem eo pervenire, ut credere possit & fieri salvus.* Suffragia quoque Patrum & Augustini ipsius ad hoc accumulat. Sed illud & ex Augustino & ex omnium catholicorum consensu ratum fixumque est, *hominem relictum in solis naturæ talentis, per ea, Deo generaliter cooperante, discernere inter multa licita, & illicita, ac pro tempore & loco posse non peccare, juxtaque Apostoli sententiam, naturaliter ea quæ legis sunt facere, ut docet Augustinus*, contra Lutherum docentem *quod homo peccat, quando facit quod in se est.* An verò faciente homine quod in se est, per liberum arbitrium, & influentiam *generalem cooperationemque* Dei; addat tum Deus ea auxilia, quibus præparetur ad fidem & conversionem, *non æquè certum est*. Quanquam enim *injuriam faciat divinæ gratiæ quisquis dixerit, hominem ex ingenitis legis naturæ stimulis per vim liberi arbitrii posse credere, placere Deo, absque peccato, sive justè vivere: non tamen eidem gratiæ derogare videtur, si dixerit hominem ex solis ingenitis naturæ stimulis sese quodammodo præparare, aptumque facere ad quem adjuvandum veniat Deus: non quod adjuvari mereatur, ut dicit Pelagius, sed quod se tam docilem & tractabilem exhibeat, ut deceat Deum & dignum sit ejus bonitate illum adjuvare.* Subàit sanctum Thomam olim sensisse, posse hominem se præparare ad gratiam, faciendo quod in se est per vires naturæ. Verùm id postea recantasse, & docuisse, quod non posset homo se præparare ad gratiam sine auxilio speciali. Prolixè denique inculcat Tapperus, Pelagium docuisse, *ex sola liberi arbitrii naturalis possibilitate hominem posse esse sine peccato, mereri gratiam & fidem, qua Christianus fiat, rectè vivere, placere Deo, &c.* At verò *nullum esse periculum hæresis Pelagianæ, quando auxilium sufficiens, quo possent salvi fieri, non ponitur esse naturæ talentum, sed fides, aut excitatio ad fidem, aut initia quædam fidei.*

In l. 2. sent. d. 28. q. 1. art. 4. 2. 2. q. 109. art. 6.

Pag. 119.

Et justo quidem, seu *justificato quantum in se est facienti, ex Spiritu inhabitante & auxiliis quæ semper præsto adsunt, nunquam deest Deus in his quæ sunt, & ad permanendum in justitia, & ad salutem necessaria.* Quin immo *parvulo baptizato & à paganis sublato, postquam pervenerit ad ætatem adultam, si faciat quantum in se est, non deerit Deus in his quæ sunt necessaria ad salutem, propter Spiritum sanctum inhabitantem, & custodientem omnem hominem justum, qui est membrum Christi.* His adde quod *etiam homini nondum justificato, immo nondum fidem habenti, tamen ad accipiendam gratiam fidei attracto, Deus in necessariis ad salutem non deest: si sic attractus, quantum in se est, Deo adjuvante faciat.* Quod etiam cuicumque ex solis naturæ viribus conanti & facienti quod in se est, non desit Deus, sed gratis offerat initia fidei & gratiæ, ut se disponat, ait Tapperus *piè credi*, & ita sentire Lyranum, Alensem, Scotum, Anselmum, Adrianum sextum. *Sed alia tamen opinio magis consentanea est Augustino & Patrum Conciliis, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium, &c. Et hujus opinionis est Gregorius de Arimino & ejus sequaces.* Quæ earum sententiarum sit verior, *difficillimum* esse judicare subdit. *Diximus autem superiùs piè credendum esse & valde probabile, quod cuilibet adulto habenti usum liberi arbitrii communicatur sufficiens adjutorium, quantum est ex parte Dei, quo possit credere, pœnitere, & ad Deum converti: sed aliquando, non semper. Pro quo superiùs citavimus Scripturas & Patrum sententias.* Cùm hanc ergo sententiam amplectatur Tapperus, cùm pro ea Scripturas & Patres afferat, cùm indubium sit plerosque Patres ei suffragari, maximè Græcos & Augustino antiquiores Latinos, à quibus in negotio gratiæ & prædestinationis ipse præclarissimè hìc ostendit non dissonare Augustinum, cùm ferè omnes Scholasticos astipulatores accedere confiteatur: non possum equidem non satis mirari, quì dixerit, *Augustino & Conciliis Patrum* magis consentaneam esse aliam opinionem, pro qua unum etiam allegat Ariminensem.

Pag. 211.

Pag. 212.

Pag. 213.

Pag. 215. 216.

Et quia generali huic & sufficienti auxilio alius renititur, consentit alius; hinc ejus adversarii calumniandi ansam arripiunt, quasi se homo discernat ab homine, & habeat suum aliquid in quo glorietur. Respondet Tapperus, *Illud quo discernitur peccator à non peccatore, est ipsa gratia, sive Spiritus Christi inhabitans, qui est à Deo tantùm. Per hoc enim quod peccator non renititur divino instinctui, aut illum sequitur, non ponitur ad statum justorum, quandiu Spiritum Christi non accipit.* Hic autem Spiritus Christi seu gratia justificationis, nulli nisi gratis datur.

Pag. 214.

Quin immo definitum esse videri ait à Concilio Tridentino, id *quod diximus de libero usu, liberoque neglectu gratiæ quæ datur ad pœnitentiam conversionemque peccatoris; quodque ea ad ipsam vel uti possumus, & converti; vel negligere etiam*

Sess. 6. c. 1. & can. 4. pag. 194.

eam,

Ibidem;

I. 2. de Spir. & lit. c. 26. 27. 28.

Pag. 218.

sam, quæ ad conversionem est sufficiens, sic quod ea stante, non convertamur. Quod idem fusius prosequitur in Lutheri & Calvini confutatione circa liberum arbitrium, quod illi etsi spontanea & lubentissima, inevitabili tamen necessitate vinciebant, sive ad malum absente gratia, sive ad bonum ea præsente. Quos eo refellit, quòd nec Manichæi olim libertatem aliter oppugnabant; nec enim invitam & nolentem cogi velle sentiebant, cùm id impossibile sit, & ne fingi quidem possit, Item non aliter Adrumetini Monachi negabant libero arbitrio cum gratia convenire posse, cùm ne cogitare quidem id possent, quòd per gratiam voluntas nolens vellet, aut dissentiens consentiret, Eos ergo Augustinus aliique Patres eo nomine detestabantur, quòd strangulata indifferentia, ita agi voluntatem putarent, ut etsi lubens & sponte, necessariò tamen quidvis vellet.

Pag. 137. 73

Quo illud etiam spectat, quod contra ambos illos hæreseos architectos disputat, etiam ante gratiam non necessariò ubique & per singula nos peccare; *Certum est enim quod colimus agrum, manducamus, bibimus, parentes honoramus, subvenimus pauperi, quando volumus; eadem etiam negligimus, quando libet, Ita & liberum est vitia detestari, homicidium, adulterium, divitias etiam & honores,* Et infrà ait, *Ante regenerationem non posse quidem hominem non peccare, & nisi de peccatis pœniteat, peccare necessariò mortaliter, sed tamen singula cavere posse, Natura enim pravitas inclinat tantùm, nec ullam adducit necessitatem; sicut habitus boni & mali inclinant, similiter consilia, suasiones, & comminationes, quas tamen non necessario sequimur.* Ideo suprà dixerat ex Augustino nos per peccatum amisisse *posse bonum, id est posse simpliciter, sic ut nunquam peccemus.* Vel sic ut *agamus quæ Christiana pietatis sunt*: non ut singula vitemus peccata,

Pag. 231. 239. 240.

Pag. 185. 188. 287.

Non aliter existimavit Tapperus se fidem Catholicam de libero nostro arbitrio tueri posse, adversùs Calvinum & Lutherum. Et hæc tantò majoris sunt momenti, quòd de gratia & prædestinatione Tapperus consonat prorsus Augustino. Rursus autem in homine nondum justificato, nondum arbore bona, *per naturæ & gratiarum dona*, multa esse dicit opera laudanda, *à radice cupiditatis aliena*, qui fructus sunt non *arboris bonæ*; sed *naturæ & donorum Dei*, puta fidei informis, quibus disponitur ad justificationem,

---

EX RUARDO TAPPERO
Lovaniensis Academiæ Cancellario, contra Lutherum & Calvinum scribente,

Gratia efficacissima Dei ad Conversionem, & Perseverantiam constat collectione plurium Dei auxiliorum, actualium, habitualiumque, intus & foris, quibus Deus tam congruè & consentaneè ad cujusque ingenium, nos custodit, dirigit, protegit, ut eò perducat, quo vult.

HOc primùm præstruit Tapperus magni prorsus momenti, *quod primi actus intellectus & voluntatis fiunt naturaliter à Deo tanquam primo authore naturæ & gratiæ; ab his tamen viribus etiam effectivè procedunt, sed necessario & naturaliter,* Ex otio enim suo in actum causa secunda non exit, nisi impulsu primæ; sed semel impulsa, jam deliberat, liberèque deinceps se agit voluntas. *Sunt autem hi primi actus cogitatio salutaris, & complacentia, sive affectio boni ac placendi Deo; qui sunt voluntati ratio consultandi & eligendi,* Sed hinc illa Augustino difficillima visa quæstio de concordia gratiæ cum libero arbitrio. *Difficillimum namque est intelligere, quod Deus operetur ipsum velle, utens voluntate tanquam instrumento, ipsam applicans ad opus, sicut intellectum ad salutares cogitationes, ut docent Scripturæ: ipsam tamen voluntatem sic applicatam & motam ad opus unum, nihilo minus posse, & in sua habere potestate, liberè eligere & velle contrarium, ac refutare opus, ad quod movetur.* Et par quidem difficultatis moles imminet *libertati voluntatis in naturalibus & politicis, in quibus etiam per divinam providentiam movetur & determinatur ad opus.* Sed non hinc elucidatur difficultas, si ad plura exporrigitur,

Tom. 2. pag. 19. art. 6. & de lib. arbitrio.

Respondet ergo Tapperus primos quidem illos motus, ad quos necessariò agit Deus voluntatem, non esse liberos: sed deinceps à voluntate deliberante & eligente eos vel continuari liberrimè, vel abrumpi: eam tamen intentioni Dei non reluctari unquam, quia Deus blandè, aptè, & convenienter cujusque ingenio movet, & ita suader, ut persuadeat. *Hoc intelligetur, si consideremus, quod præter primum velle, quod diximus produci naturaliter & necessario, quamvis in continuatione liberè reliquos actus voluntas operetur, ex deliberatione & judicio rationis; ex quibus dum indeterminata sunt, ipsa libertatem & contingentiam habet in sua electione. Agit enim Deus in cordibus nostris suasione inclinando, & avertendo dissuasione.* Id probat ex Augustino, *unumquemque vocari à Deo, quomodo pro suo affectu aptum & idoneum novit ad sequendum. Et qui hoc modo vocanti non consentiunt, possent alio modo vocati, accommodare fidei voluntatem.* Item ex eodem alibi, *visorum suasionibus agit Deus, ut velimus.* Ex quibus concludit Tapperus, *Sicut quod nobis humana persuasione sequendum esse videtur, sequi possumus, & non sequi, habentes de errore suspectam persuasionem, vel plenius deliberare volentes; ita contingenter sequimur, quod suasi sumus divinitus. Qui enim vocati ad nuptias persuasi venerunt, poterant ob apparentem aliquam difficultatem non venire: & qui vocati non venerunt, venire poterant, ut ait Augustinus. Et Pharao vocationi Domini potuit obtemperare, dimittendo ad jussum Dei filios Israel.*

q. 2. ad Simplic.

Lib. de Spir. & lit. c. 34. l. 83. qq. q. 68.

Sed de suasione duplici mox agit, humana & divina, & distinguit rursus divinam in usitatam & inusitatam. *Suasio sive à Deo fiat, sive ab homine, non movet voluntatem efficaciter, quia solum in genere causæ finalis, & objectivè: & si active, non sufficienter, Ipsa enim sola ex suo judicio se flectit in eam partem, quæ magis placet, quam tamen tunc refutare potest; nec ulla creatura quacumque suasione, comminatione, promissione ei dominari potest, & reddere necessariò volentem, aut nolentem. Quam tamen potestatem in eam habet Deus, in cujus manu sunt corda etiam regum, ut à proposito, quod habent, in illud flectere possit efficaciter, imo quocumque voluerit. Et hac potestate sæpè usum esse Deum, ex Scripturis docet Augustinus.* Ubi vides duplicem discerni suasionem Dei, alteram humanæ instar, non per se & invictissimè efficacem, cui tamen nostra perexpè obsequitur voluntas: alteram efficacissimam, & solius Dei propriam, qua Deus non semper, sed *sæpè* utitur: quando & quocumque vult aversas reflectens voluntates nostras. Sed etiam tum cum omnipotenter inclinat Deus quo vult corda nostra, *hoc facere potest libertate liberè sequente ob suasionem, vel apparentiam, qua hoc magis convenire videtur. Facit enim Deus voluntatem sequi ex suo judicio & deliberatione: & quando ex ea non agit voluntas, tunc movetur à Deo non ut liberum arbitrium, sed ut agens naturale.*

Ibid. p. 191. L. de grat. & lib. arb. c. 20. 21. de Correp. & grat. c. 4.

Sed quærit postea Tapperus, *an usus gratiæ bonus sit liberi arbitrii, ita ut cuilibet sit liberum data gratia per liberi arbitrii vim & naturam uti & non uti?* Respondet autem affirmativè, & probat ex Augustino, Gennadio, Bonaventura. Sed ut suasioni & vocationi internæ consentiat voluntas,

an exigatur adhuc alia gratia, per quam immediatè inclinetur & accommodetur, per pium affectum, & per quem etiam voluntas à Deo effectivè flectatur an non: qui nodus est implicatissimus quæstionis hujus; respondet nihil interesse ad arbitrii libertatem: quia ita suaviter illam determinat Deus, ut semetipsa determinet. Itaque illa quæ-
Ibid. pag. 194. 195. 194 stio *nihil mutat, nec impedit libertatem voluntatis in libero usu gratiæ, quia ita suaviter inclinat & determinat eam Deus, ut ex judicio ac consilio, ac sic liberè sequatur hanc Dei appropriationem. Et Spiritus Christi suadendo ut sequamur, simul voluntatem quasi naturaliter afficit placentia quadam rei suasæ, quæ voluntati ratio est se determinandi, principium & seminarium bonarum volitionum, quas ex eo quasi semine producit.* Ita illic aliorum sententiam refert, nec improbat.

Sed suam ipse doctrinam paulò pòst in varias propositiones secat, & dilucidè explanat. Earum
pag. 195. hæc est tertia: *Impossibile est, quod gratiæ præcedentes conversionem, vel fidem, si fiant ex vocatione secundum propositum Dei, suo effectu & fine frustrentur: quamvis eædem si aliter fiant, per hominis libertatem quandoque suo fine atque effectu frustrari possint.* Septima verò ita habet: *In eo qui sequitur vocationem credendo, vel pœnitendo, & in alio qui eam negligit, potest esse idem conversionis & fidei principium, hoc est, eadem illuminationes, suasiones, inspirationes: adeout ex sola eorum libertate, unus eorum negligat vocationem, & ideo non credat, nec convertatur, Deo ad hoc propter ejus negligentiam non cooperante: & alter credat & convertatur ob suam diligentiam, qua ad verbum Domini auscultat, & ideo efficaciter conversionem ejus Deus operatur.* Nona istiusmodi est:
1. 2. q. 109. a. 9. & 10. *Sicut Adam adjutorium habuit quo poterat perseverare in bono si voluisset, non solùm contra tentationem uxoris suæ, sed simpliciter per totam vitam in omnibus sibi occurrentibus: ita justi in simili tentatione in bono perseverare possunt: imo & facultatem habent simpliciter totâ vita perseverandi; quamvis propter carnis infirmitatem, & obscuritatem intellectus, hac facultate uti non possint propter varios rerum eventus, & tentationum impulsus, sine divino auxilio ipsos dirigente & protegente:* prout *declarat sanctus Thomas, citans beatum Augustinum.* Etenim: ut mox subditur, *per*
De correp. & gr. c. 11. *donum gratiæ & charitatis justus potens est bene operari, & peccata vitare: sunt enim ista bonorum operum proxima principia, & ex consequenti vivendi peccata, sicut ignis per eundem calorem calefacit, & pellit frigus.* Sed hujus potentiæ usus & exercitium aliquando prohibetur, sicut oculi sani visio, quia pendet etiam ab objecto & lumine;
pag. 166. *Ita sine extrinseco lumine quo Deus illuminat, & ape qua dirigit & confortat, non potest esse perseverantia propter obscuritatem mentis & carnis infirmitatem. Quamvis ad tempus perseverare & bene operari ac peccata vitare possit, sine his adminiculis. Hæc post sanctum Thomam declarat Cardinalis Cajetanus.* Hæc est sanè & Thomæ & Augustini doctrina expressissima. Adverte hìc autem nostræ & Adami stantis gratiæ discrepantiam in
1. 2. q. 109. art. 10. sola perseverantia esse. 2. Sine illis efficacissimis & ad perseverantiam necessariis gratiæ adminiculis, posse justum vi gratiæ & charitatis habitualis quelibet implere præcepta, vincere tentationes *ad tempus*. 3. Extraordinariam gratiam istam perseverantiæ positam esse in eo ut Deus *dirigat, protegat*, confortet. 4. Idque ob *infirmitatem carnis & intellectus obscuritatem*. Atqui non omni momento & singulis in actionum minutiis hæc duo nos urgent incommoda. Non semper cupiditas furit, non semper caligat intellectus. 5. Hæc custodia, directio & protectio Dei, ad eos etiam trahi potest, qui ad justificationem adhuc se præparant. Etsi enim iisdem gratiæ auxiliis alii reluctentur, & obsecundent alii, obsecundabunt ea-
men indubiè, quos Deus specialiùs dirigèt protegetque. Itaque singulis auxiliis hi reniti poterunt, non universis. 6. Ideò efficacia conversionis & perseverantiæ doni, non tam est in auxiliis ipsis, quàm in *proposito & intentione Dei* dirigentis & protegentis.

Unde rursus decima propositio sic habet: *Quod*
pag. 165. Lucæ 9. *ex similiter tractis, & interius in corde vocatis; unus credit, & alius manet incredulus, nec convertitur; contingere potest ex sola arbitrii divinitus præparati libertate, nec aliter contingere potest,* Pag. 197. *si similiter sunt affecti, & vocantur secundum quod apti sunt ad sequendum, &c. De quo casu quasi possibili videtur loqui beatus Augustinus in Civitate Dei.* Multa & ex aliis accumulat Patribus, *in omni materia pietatis & gratiarum, morali & civili, ad voluntatem pertinere se determinare ad unam vel alteram partem*, consentientibus. Ex quo liquidum est, *quod in opere bono licèt totum sit à gratia & libero arbitrio, quod tamen opus pietatis est, à sola habet gratia: quod autem opus sit, & ejus fiat determinatio, à solo est libero arbitrio.*

Quę cùm ita sint, & tamen *qui vocantur secundum Dei propositum, indeclinabiliter & insuperabiliter vocationem sequantur*; Quì tandem id fit? Respondet Tapperus in hęc verba: *An ex eo solùm, quod vocatur voluntas prout apta est sequi secundum suas affectiones? An dispositione & directione Dei insuperabili, quæ tamen nihil in homine sic directo ponit præter motus cordis, quales sunt etiam in alio, qui secundùm hoc propositum non dirigitur? vel ex eo quod impediuntur cogitationes & motus animi, quibus impediri, vel retardari posset vocatio, vel aliis modis, ipse novit solus. Attingit enim sapientia secundum Scripturam à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: ita ut liberè & contingenter, quamvis indeclinabiliter & infallibiliter sequatur voluntas.* Insuperabile igitur robur & efficacia invictissima gratiæ, quæ perficitur conversio & perseverantia secundùm propositum & intentionem Dei, his omnibus adminiculis constat, & aliis *miris & ineffabilibus modis*, quos *intentio, directio, & protectio* Dei excogitat, continuat, accumulat.

Tota porro hæc conspiratio auxiliorum non est communis omnibus qui vocantur, immo nulli datur, qui non non sequatur vocantem. *Hujus autem propositi & divinæ gubernationis habita consideratione, & non solùm principii divinitus immissi, quo agimus nostram salutem, impossibile est, quod duo similiter vocentur, & unus vocationem sequatur, & non alter. Qui enim sequitur, vocatur, & dirigitur secundum æternum Dei propositum, & directionem. Alius autem non sic vocatur.* Et consequenter, *Quid autem & an aliquid positivum necessariò requirat, vel ponat hoc propositum in voluntate ante assensum, sive voluntatis determinationem in eo, qui secundùm ipsum vocatur, obscurum est. Videtur tamen fieri posse per hoc quod impediantur cogitationes, quæ sequelam possent impedire, vel per submissionem occasionum, quæ ad eam conducant, manentibus iisdem in utroque inspirationibus, &c.* Promit loca Augustini, inculcantis ideo non perseverasse quosdam in Ecclesia, quia etsi erant in nobis, sed non *ex nobis*, non erant vocati *secundùm propositum* Dei. Unde Tapperus denuò, *Potest quidem humana voluntas resistere divino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei: quia corda hominum in manu Dei sunt, quocumque voluerit inclinabit ea, quamvis sese efficienter sola determinent.* In eo enim sunt *ineffabiles & miri modi* hujus efficaciæ in gratia, & in eo ejus concordia cum libero arbitrio difficillima, quòd voluntas nostra sese *sola determinat*, & eam tamen Deus quo ipse cumque vult inclinat indeclinabiliter.

Et quia ad terrum etiam gratiæ gloriæque mo-

dum

dum ac gradum Deus quemque gratis prædesti-
Pag. 199. nat, *adhuc quasi scopum totam nostram vitam, omniaque opera & incrementa eadem sua gratia disponit & gubernat*, ait Tapperus. Ex quo id quoque sequitur, quòd nemo ad gradum gratiæ ulteriorem enitatur eo, quem Deus prædestinavit.

536. 7. 345. 9. 350. Idem rursum inculcat opera pietatis *fieri à libero arbitrio, à gratia esse, ut pietatis sunt. Tamen*
Pag. 100. *ut sic à libero arbitrio gratia informato effectivè fiunt, non autem à sola gratia, quæ est potius ratio agendi, quàm causa efficiens; Actiones enim sunt suppositorum.* Si voluntas autem se determinet, & ita ejus sit opus, qui tamen trahat Pater quos vult, respondet ex Augustino Donatistas refellente, & coercitionibus pœnarum docente posse compelli hæreticos ad fidem voluntariè amplectendam.

Hæc maximè specialis, & efficacissima gratia paucorum est, electorum est tantùm, vel ad temporalem, vel ad æternam justitiam. Est generalis quidem gratia, omnibus patens, sed longè alia,
Pag. 209. Audi Tapperum: *Quare autem unus velit credere & verè pœnitere, causa est, quod ei sic intus suadetur, quomodo secundum suas affectiones aptus est, ut sequatur: & quomodo à Patre doctus idoneus est, ut discat. Cujus causa est eterna Dei electio. Et ideo verum non est, quod Deus quantum in se est, omnibus æqualiter suam gratiam impartitur: quam-*
L. 3. Con. gent. c. 148. *vis Scripturis sit consentaneum, quod Deus quantum in se est, omnes juvat, & suam impartitur gratiam, sicut docet B. Thomas.*

Præclarè autem Tapperus ostendit hac omnipotentia propositi & intentionis Dei nihil lædi libertatem nostram, hoc est indifferentiam. Consentiebant enim Manichæi & Adrumetini monachi non ita cogi libertatem, ut nolens vellet, quod impossibile est, vel cogitari: & tamen libertatem labefactabant, quia ejus indifferentiam abrogabant, inflicta necessitate inevitabili, etsi
Pag. 237. volita. Concordat autem omnipotentia intentionis Dei cum nostra indifferentia, quia *bonam & malam voluntatem hominis Deus inclinat & determinat* huc vel illuc per oblatas occasiones, vel
pag. 236. Pag. 245. *suggestiones mediorum convenientium, quam inclinationem in nostra est potestate non sequi.* Ad bonum etiam etsi *indeclinabiliter* quandoque, inclinat tamen Deus per *virtutes*, quæ sicut & *virtutes morales* ita inclinant, ut necessitatem non inferant.

Cùm Calvinus autem nobis exprobraret, quòd non discernamus gratiam nunc à Christo nostram, & gratiam Adamo concessam. Respondet Tapperus hanc gratiæ discrepantiam in sola perseve-
Pag. 147. rantiæ gratia sitam esse, *Ex peccati infirmitate secuta est necessitas percandi, & impotentia in bono usque ad finem perseverandi sine singulari protectione & directione gratiæ divinæ. Adam verò creatus est in ea virtute & fortitudine, qua perpetuò perseverare poterat, per sola dona quæ acceperat. Non autem est differentia in posse resistere, & ad tempus perseverare contra particularem aliquam tentationem.*

Addit postremò Tapperus posse aliquando non indeclinabiliter tantùm, sed & necessariò agi vo-
Pag. 149. 150. luntatem nostram à Deo: *Diximus tamen quod Deus ita invitare potest intellectum illuminando, & voluntatem inspirando, ut non solùm indeclinabiliter & inseparabiliter sequantur, verùm etiam necessariò. Ut non sit in nostra potestate non cogitare, aut non velle divinam inspirationem suscipere. Ut si fiant sine rationis deliberatione relatio & inspiratio. Et fortassis si etiam fiat ex plene rationis judicio, ratio tamen & voluntas à reflexu super se actusque suos impediantur. Vel à cogitationibus per quas judicium immutari posset, impediatur ratio, & quidem ita impediatur, ut occurrere, vel potius assumi non possint. Quod si fiat aliquando, rarò certè fit. His autem qui credunt & ad Filium veniunt, datur à Patre ut discant, & non occurrant quæ à discendo impedirent: nec tamen tollitur eis illa cogitandi potestas, nec auditum avertendi, ac relinquendi ultimum judicium practicum, de veniendo ad Christum.*

Hìc omitto, quæ ad antedictorum confirmationem attinent, de gratia indeclinabilis efficaciæ, qua electos suos Deus facit & converti ad bonum & in bono perseverare. Quod hìc addit posse contingere, sed *raro* contingere, ut *necessario* Deus torqueat quo volet voluntates nostras, & artes modosque significat, quibus id fieri possit, ne id extra fidem sit, memini me sæpiusculè legere in pientissimis scriptiunculis Catharinæ Genuensis, Teresiæ Abulensis, & ejusmodi aliis non pauca hujus generis. Cuique autem experto fides adjicienda impensiùs est. Ex quo & suspicari quandoque libebat, num hæc Tapperi nostraque ratio explicandæ efficacissimæ cujusdam & indeclinabilis Dei gratiæ conciliari cum gratia prædeterminante summorum quorundam Theologorum posset, ut utrique per vices locus esset; & ubi per hanc nostram liberrimum consensum elicuisset Deus ab indifferente & libera voluntate nostra, tum verò per hanc prædeterminantem extorqueret quidvis. Prioris enim consensionis libertimæ vis in hæc posteriùs omnia permanaret. Sed hìc audire malim alios, & discere, quàm dicere & docere. Sanè si cubi indurati & excæcati non possunt vel vitare peccata, vel præcepta implere, hi tamen fructus sunt liberi, jam inde ab illa pullulantes libera & indifferente voluntate, qua sese ipsi in hanc contrusere necessitatem.

EX JOANNE DRIEDONE
Lovaniensis Academiæ Professore Theologo.

Gratia generalis certissimè nulli deest, qua quodlibet peccatum vitet: piè creditur cum Augustino, nulli adulto non aliquando adesse, ut converti & servari possit: justificatis & trahi cœptis nunquam deest. Quid sit gratia præveniens: quomodo fides impetret justificationem, quam nemo mereri potest. Quomodo Deus operetur in nobis sine nobis.

ILlum Pelagii sensum, Deum velle omnes homines salvos fieri, si & ipsi velint, Ambrosio, Hieronymo, aliisque Patribus non displicuisse censet Driedo, dummodo non, ut Pelagius contendebat, existimemus, *omnem Dei gratiam præveniri humana voluntate, & hac sua præventione tanquam merito bono se quemque salvum facere*: sed tum omnes salvos fieri, si gratiæ prævenienti consentiant. De Captiv. & redemp. gen. hum. Tract. 4. c. 1. part. 2. pag. 94. 95.

Sed cùm ut velint salvi fieri, gratia opus sit voluntatem disponente, hìc quæritur, *an præparans se ad gratiam, teneat medium quendam locum inter injustum & justum; & ita sit aliquid nec justè, nec injustè factum. Si enim homo ab injustitia ad justitiam transiens, justè facit, ergo est quædam justitia in homine priusquàm justificatus sit: hoc autem absurdum. Si autem injustè facit, peccat igitur qui se præparat ad accipiendam justificationis gratiam. Hoc itidem absurdum est. Nemo enim cum peccat, ad gratiam se præparat, sed magis ab illa deviat.* Quem nodum ita pòst exolvit: *Quamvis nulla sit creatura, quæ locum teneat medium inter justum & injustum, cùm omnis homo, aut captivus sit sub diabolo, aut liber sub Christi jugo: utique tamen est opus quoddam rationalis creaturæ, medium & indifferens, quod neque meretur præmium, neque supplicium. Quemadmodum ait Apostolus, Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Ibidem.

eiunt. Quod tractans Augustinus in libro de Spiritu & litera, &c. Ita ergo quod ex gratia generali quis facit, sive ex timore gehennæ, id veluti transitus est ab injustitia ad justitiam; id ideo nec justum, nec justum est; sed medium quid & indifferens, cui nec supplicium debetur, nec præmium; quo non peccant, sed se gratiæ præparant homines injusti, ut justi fiant.

Illidem. Tract. 4. Cap. 2. part. 4. Pag. 99. 100.

Similiter infrà Pelagianæ esse insaniæ affirmat, si quis dicat *fidem esse generale talentum naturæ insitum*. Sed longè aliud esse, si dicatur *auxilia quædam gratuita omnibus sine operum meritis esse parata, quibus adjuti valeant sese ad donum gratiæ præparare*. Et mox hæc duo comparans, *Illud tanquam injuriosum divinæ gratiæ non est admittendum: istud autem docet gratiam Christi copiosè dispergi*. Et mox: *Nec oportet hìc curiosè investigare, utrum singulis hominibus pro loco & tempore adsit sufficiens vocatio, qua valeant ad fidem converti, quemadmodum in loco quodam docet venerabilis Augustinus*. Non sentit ergo cum Pelagio, nec gratiæ injuriam facit, qui ejus necessitati ubique subscribit, sed eam copiosiùs spargit. Quanquam satius sit, ut ait Driedo, non rimari nimis anxiè, an adultis omnibus adsit aliquando auxilium gratiæ sufficiens ad conversionem: etsi ita affirmet Augustinus. Secus tamen infrà sentire videtur ipse Driedo, ubi negat omnibus dari hæc *auxilia sufficientia* ad fidem & conversionem: cùm multis parvulis non dentur; *Non oportet igitur hujusmodi auxiliorum sufficientiam in adultis omnibus ponere, qui propria voluntate fecerunt sese indignos gratia Dei. Alioqui in dispensandis gratuitis auxiliis benevolentiorem, ut inquit Augustinus, facerem Deum, in gravissimis peccatoribus, quàm in parvulis propter alienum peccatum miseris*. Fatetur mox tamen Driedo labare hoc argumentum, & persæpè ingentia prorsus beneficia congeri à Deo in homines scelestissimos, & salvos eos fieri; cùm parvulis ne unda quidem sacri aspergatur lavacri.

Ibidem. Part. 2. membr. 1. pag. 115.

Sed ut ut res habeat de his auxiliis ad conversionem sufficientibus, in omnes, vel non in omnes sparsis: Certè illud Driedoni certum est, semel justificatos nunquam peccare, *nisi quia gratiæ semel acceptæ jungere noluerunt proprii laboris officium*. Atque ita sufficiente non caruerunt auxilio. At infideles adulti sicubi peccant, de inopia auxilii non excusantur, cùm per sola naturalia potuerint vitare peccatum quodlibet, nempe adjuti generali influentia gratiæ summi boni. *Ita neque ullam rationem excusationis invenire poterit, quisquis post susceptum usum liberi arbitrii negligit jam vivere secundum acceptas tunc naturæ talenta. Quia propter proprium jam peccatum reus efficitur, nec perit in solo Adam*. Sive ergo dentur, sive non dentur omnibus sufficientia ad fidem, conversionem & salutem auxilia; certissimè tamen adest omnibus possibilitas vitandi quodlibet peccatum. Nec rei sunt, si non credant, quibus credendi auxilium denegatur.

Ibidem. membr. 2. pag. 116. lin.

Sed perspicuè mox Driedo inclinat in eam sententiam, quæ dubitat, vel negat hæc omnibus sufficientia ad fidem & conversionem auxilia dari: etsi neget gratiæ aut fidei ab eo contumeliam fieri, qui ea omnibus communicat. *Quamvis tutior vivat, quisquis cum Augustino non per auxilia sufficientia ex æquo omnibus adultis proposita, sed per divinam misericordiam & justitiam à curiosis hominum quæstionibus se absolvit; sentiens Deum non injustè agere, si ex adultis æqualiter reis juvet sufficienter unum, ut perveniat ad fructum passionis Christi, alterum non juvet. Non tamen sentit contra divinam gratiam, neque si fallitur, perniciosè fallitur, quisquis* adultis omnibus generaliter auxilia hæc sufficientia ad conversionem prodigit. *Ex hujusmodi auxiliandi modis per generalia quædam & specialia dona ortum habuerunt Magistrorum sententiæ, de facere quantum in se est, & de hoc quod venientes primùm ad usum liberæ mentis, illuminantur à Deo, si his quæ acceperunt, non fuerint abusi*. Scholasticos agnoscit conspirare ferè pro his generalibus auxiliis in omnes spargendis, etsi ea quæstione temperari malit.

Ibidem. pag. 116.

Illud certè non immeritò inculcat Driedo, etsi adultis denegentur quibusdam, vel quandoque omnibus, vel semper quibusdam hæc auxilia specialia ad fidem Christi & conversionem: non deesse tamen ulli auxilia generalia, quibus vitare singula peccata possit. Sed utcunque quis utatur his naturæ, hoc est, auxiliorum generalium viribus, non tamen per ea ad fidem se præparat & conversionem, cùm & illa infimi sint ordinis, & inter ea homo sæpè impingat. *Quamvis quisque etiam nondum justus talentis naturæ posset uti, & utendo non peccare, & secundùm modum quendam laudabiliter vivere, non merendo supplicium; eis tamen nemo tam rectè tamque laudabiliter utitur, ut ex his solis valeat venire ad Christum, aut ad participandum fructum passionis ejus sese præparare*.

Prolixiùs hæc omnia inferiùs idem pertractat, perstatque in sententia, etsi sine speciali auxilio gratiæ trahentis, possit vitari peccatum à quolibet; non posse tamen cor præparari gratiæ, nec eam gratiam omnibus dari, etsi qui eam gratis omnibus dari asseret, Pelagio non suffragabitur. Si quis faciat quantum in se est sine auxilio speciali, vitabit peccatum, non se disponet ad gratiam: si cum speciali auxilio, disponet se ad fidem & per fiem impetrabit justificationem. *At firmiter credendum est unumquemque jam justificatum & gratiam assecutum multa posse tum ex gratia, tum ex viribus liberi arbitrii facere, quæ non facit: sic & quisque nondum justificatus potest tum ex adjutorio Dei sibi parato, tum ex lumine rationis interne multa facere, quæ non facit. Vocati ad cœnam, potuerunt non contemnere vocantem, &c.* Sufficienter ergo juvantur justi, juvantur & vocati per gratiam vocationis, ut multa faciant bona, quæ non faciunt: sufficienter juvantur omnes prorsus, ut non peccent. Ideo *ignorantia quæ solet vocari invincibilis, quamvis excusset, ne factum ex hujusmodi ignorantia imputetur in peccatum; non sic tamen excusat, ut sempiterno igne non ardeat is, qui non fuerit regeneratus*.

Ibidem. Tract. 4. c. 3. p. 120. 119.

Sed etsi hactenus alternare visus sit Driedo, hanc tamen conclusionem tandem disertissimè depromit & confirmat: *Deus etsi non faciat justitiæ & misericordiæ suæ præjudicium, si non omnibus sub usu liberi arbitrii viventibus dispenset auxilium sufficiens, quo valeant ad salutem pervenire: nos tamen neque Scripturis, neque testimoniis Sanctorum adversamur, si non superba animositate, sed pia fiducia quadam doceamus omni peccatori sub usu liberi arbitrii agenti cœlitus dispensari, etsi non semper, sed pro loco & tempore sufficiens excitationis auxilium, quo valeat credere, & ex fide orare, impetrare, &c.* Ex Scripturis mox declarat hanc Dei beneficentiam in omnes effusam, immo & ex Augustino, *Hanc sententiam in propriis ferè terminis docet Augustinus*. Et in textu Augustini testimonio, *Hactenus Augustini doctrina, ex qua discimus ita piè de Deo sentiendum esse, ut opinemur, etiam Pharaoni & Ægyptiis datam esse misericordiam, qua possent resipiscere, quam & Scriptura approbat, significans illis data esse tempus & locum, per quæ potuissent mutari à malitia*. Et denique triplex auxilii genus distinguit, quo omnes possunt non peccare, quo piè creditur omnes etiam posse credere Deo & converti, quo denique electi ad fidem & salutem invictissimè aguntur: *Patet quod si piè sicut expedit velimus sentire de Deo, cujus misericordia plena est terra, non erit Evangelicæ doctrinæ contrarium, si credamus, impias gentes, præter naturales instinctus syndereseos, quibus naturaliter ederunt furtum, mendacium, adulterium,*

L. de Prædest. Sanct. c. 14. 15.

homi-

homicidium, etiam habere quasdam divinarum excitationum vicissitudines; sed non tales, quales sunt inter sponsum & sponsam. Ubi duo priora auxilii genera ad generalem, posterius hoc ad specialem gratiam pertinet. Quin & parvulis infrà ait suffragari Deum, dum ea parentibus confert, quibus si bene uterentur, non sine baptismo parvuli excederent.

Ex Augustino promptum est & illud quod idem alibi docet, *responderi posse omnem hominem habentem liberi arbitrii usum, jam habere Deum utcumque intus loquentem, per lumen rationis internæ testificantem de gratia, misericordia & justitia super peccatores. Ad quem consulendum, si ad cor suum intus quisque rediret, satis adiret Deum vocantem atque invitantem ad accipiendum quædam initia fidei justificantis. Sic sunt venerabiles quidam Patres piè sentientes de divina gratia omnibus parata, &c.* Locum Augustini ita differentis alibi adscripsimus. Idem infrà de *vi media*, seu lege naturaliter insita disputat, qua posse quemque ait peccare, & non peccare; non autem se ad gratiam præperare: neque nisi adsint motiones gratiæ excitantes.

L. de Concor. lib. arb. P. 24.

p. 44.

Prolixè ibidem infrà tradit, quòd *adultus relictus in solis naturæ talentis per solam naturæ legem Deo generaliter cooperante, pro tempore & loco potest non peccare, & juxta Paulum naturaliter ea quæ legis sunt facere.* Idem ex Augustino prolixè probat in libro de Spir. & lit. eum interpretante locum Pauli, & adversus Lutherum excandescit, qui ex eodem libro urgebat sine gratia ubique peccari; nec advertebat eodem ex libro contrarium revinci; immo & toto ex Augustino. Ubi autem ibi Augustinus ait sine gratia liberum arbitrium *non valere nisi ad peccandum*: intelligit Driedo de *valore* ad merendum, sive demerendum. Mereri enim sine gratia non potest homo nisi pœnas æternas. Non tamen necesse est, ut omni opere suo homo mereatur, sive præmia, sive pœnas. Cùm libro eodem doceat Augustinus in impiis etiam reperiri quædam *opera secundùm justitiæ regulam non vituperanda, sine bonis operibus difficillimè non vitam etiam cujuslibet impii reperiri*: Quæ tamen ad salutem nihil prosint. Parco plura excerpere ex hoc loco Driedonis elegantissimo, quo eadem ferè quæ priùs inculcat omnia, maximè de justificato, & per gratias actuales tracto, quo utroque faciente quod in se est per gratiæ adjutorium, *paratus est adjuvare* semper Deus. Addit & de parvulo ad paganos abducto, sive post, sive ante baptismum; nec huic autem defutura gratiæ auxilia, si adultus faciat quod in se est, piè credi, & citra Pelagii hæreseos discrimen commendat.

Pag. 30. 31

Sed præteriri sine piaculo non potest, quod idem ait infrà, non pugnare sibi Augustinum, cùm nunc ait *fide impetrari* charitatem & justificationem, nunc eam non posse ullo *merito* anteveniri. Immo in Epistola ad Sixtum ait: *Quid enim meriti possunt habere peccatores nisi meritum malum? Sed tamen nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, sed fides hanc impetrat.* Quæ ita Driedo conciliat, nos fide *impetrare*, non *mereri* justificationem. *Impetratio innititur liberalitati, meritum justitiæ.* Ideo & sanctus Thomas, *Oratio hominis nondum justificati est quidem remissionis peccatorum impetratoria, sed non ipsius meritoria.* Quod & alibi similiter exponit Driedo.

Pag 15.

2 2 q. 83. art. 15, 16.

Nec omitti illud debet ubi duplicem gratiam distinguit, habitualem & actualem: *In potestate liberi arbitrii est uti & non uti habitibus, fide, charitate, cæterisque virtutibus. Sed his ut velit uti operatur Deus, præveniente gratuita sua motione, immittens menti absque ejus consilio & deliberatione prævium quemdam cogitatum, aut motum ad bonum, quo voluntas reducitur aut ex otio in actum, aut ex vana inutili cogitatione in voluntatem salutarem, qua sese ex ratione & virtute accepta applicet ac moveat ad operandum. Atque ita non solùm infusio gratiæ, qua justificatur homo, sed etiam usus acceptæ gratiæ, est gratuitum beneficium Dei, operantis etiam ipsum eundem gratiæ usum. Quamobrem & actio causæ naturalis, per formam naturalem operantis, non potest esse absque Deo operante, cujus operatione cessante nec ignis combureret, &c. Ita Deus operatur omnia in omnibus.* Vides quid sit actualis gratia, seu promotio Dei, justis etiam necessaria, ut ex charitate Deum diligant, & quidvis boni faciant. Nempe immissio quorumdam actuum indeliberatorum, vel ad eos motio indeclinabilis, quo necessariò cogiter & initiali affectu velit bonum homo, & tum ipse *sese ex ratione & virtute accepta applicet ac moveat ad operandum*, vel moveri & affici non desinat. Si desinat enim, quod potest, id verò dissentire est: si non desinat, id consentire gratiæ est. Quomodo infallibiliter quandoque Deus efficiat, ut homo non dissentiat; & ut moveri cœpit, ita durare velit; alibi ex Driedone ostensum.

L. de Concor. & lib. arb. p. 62.

Ad eandem gratiam prævenientem spectat, ut per eam Deus in nobis sine nobis operetur. Quod ita præclarè Driedo: *Bifariam potest intelligi, quod Deus operatur in nobis sine nobis. Uno modo quod Deus operatur illa sine nobis elicientibus, seu producentibus illa. Alio modo quod ipse operatur illa sine nobis facientibus nos facere, aut producere illa. Unde multa facit mens hominis intellectu & voluntate, quæ non facit se facere, utpote cogitationes & volitiones, quibus tangitur absque prævio rationis judicio, aut consilio. Sic ut velimus Deus operatur in nobis sine nobis, dum sine rationis nostra consilio, aut imperio, incipimus subitò velle bonum aliquod. Interdum verò ut velimus Deus operatur in nobis, non sine nobis, veluti dum suadet, ut nos moveamus nosmetipsos ad ipsum velle, ita quod sit motus non solùm à voluntate nostra elicitus, sed etiam imperatus & volitus.* Primum modum operandi in nobis sine nobis amplectebatur Lutherus secundum doctrinam Ecclesiæ Catholicæ. Est & tertius æquè Catholicis approbatus, & frequentissimus Augustino, quo Deus operatur justificationem in nobis sine nobis, id est, sine ullis antecedentibus meritis.

De grat. & lib. arb. l. 2. pag. 143. 145

EX JOANNE DRIEDONE Theologiæ Professore in Academia Lovaniensi.

Gratia Christi specialis ea est, quæ à peccatis mundat, justificat, sanat, roborat fidei lumine, charitatis igne, dat posse bene operari, & ad id pronum esse: A Pelagii possibilitate procul est ea possibilitas.

CHaritatem & gratiam sanctificantem, ceu *affectionem* justitiæ & rectitudinis, docet Joannes Driedo *vinculum* esse, quos nos Christus trahit & devincit sibi, sicut & carnalis cupiditas vinculum carnis & peccati est. *Bona sunt vincula quibus Christus liberaliter nos jam ereptos de vinculis diaboli transfert in regnum charitatis suæ. Trahis nos Deus, cum sanctis affectionibus ac votis & cœlestium rerum desideriis nos imbuit. Trahar, inquit, te in vinculis charitatis, &c. vinculum magnum super omnem carnem est lex in membris habitans, &c.*

De Captiv. & redempt. gen. hum. Tract. 2. c. 1. p. 8.

Sanctitudo, vis, efficacia hujus vinculi ad Deo nos, ceu fonti justitiæ copulandos, ad vires bene operandi indendas, hinc enitescit, quòd per charitatem non trahat tantùm ad se Christus, sed sibi copulet, conseratque, & ita inhabiter nos, sanctificet, vegetet ipse. *Quamvis Sanguis Christi* ibid p. 19.

neque visibiliter adsit, neque visibiliter se jungat, aut infundat homini qui justificatur; invisibiliter tamen adest non modo sanguis, sed & totus ipse Christus per fidem, spem, & charitatem inhabitans, possidens, & gubernans animam, quæ per gratiam Christi facta est Spiritus Sancti templum, sed & totius Trinitatis, &c. Illic est Christus potentia & virtute, ubi est tota ejus virtus & potestas, quæ est Spiritus sanctus.

Quia enim peccato sordidati & vulnerati sumus, gratia abluimur & sanamur. Quod ad primum attinet, ait Paulus, *Sed ablati estis, sed sanctificati estis, per nomen Domini nostri Jesu Christi, & per Spiritum Dei nostri.* Etenim Spiritus sanctus *per charismata est tanquam aqua purgans & sanctificans*: ut ait Driedo. Quo ad alterum autem, sicut anima *per peccatum est mortua, seu privata sempiternæ vitæ gratia, & in omnibus viribus suis vulnerata, infirmata, debilitata: ita per gratiam habet vitam spiritalem, secundùm quam Deus perficit illam secundùm omnes vires illius, rationem illuminans fide, cæterisque Spiritus sancti donis intellectum perficientibus, ut videat atque attendat viam & finem salutis suæ: voluntatem autem corroborans virtute ex alto, sancta videlicet charitate, &c. Gratia est animæ vita, secum adferens lumen quo videat, & robur seu fortitudinem, quo confortetur.*

Pag. 29. 30.

Varias alibi idem concervat comparationes gratiæ, quibus in singulis consentiant aliqua, aliqua dissonent. Itaque instar habet gratia instrumenti, talenti, indumenti ex Anselmo, armorum ex Scripturis, quibus juvatur homo, sed ita ut his uti possint & non uti: verùm his non incitatur homo, ut his utatur: incitatur autem per gratiam. Rursus instar est gratia brachii apprehensi, funiculi quo quis trahitur, luminis effusi; sed in his illud dictat, quòd non debet cogitari libera voluntas aliquid per se seorsim conari, ut his utatur. Id incommodi declinatur, si Deus sit artifex, qui nos ut instrumenta per gratiam moveat, sed ita tamen ut homo *non ut instrumentum necessitate impellatur ab artifice, sed à Deo accipiat suavitatem & inclinationem, qua ex proprio judicio & spontanea voluntate movetur.* Aptiùs dicitur ergo gratia tua Deus esse noster *medicus, dux, illuminator.* Immo gratia *sessor* est, voluntas ut *jumentum*: quia videlicet, *Liberum arbitrium, à Spiritu sancto apprehensum, fræno gratiæ illius mansuescit: ut cursim, sive leviter incedat ad voluntatem illius, cujus frænis agi summa libertas est. Quod si petulantia calcitrare voluerit, & sessorem dejicere, plerumque etiam calcaribus, id est flagellis cæditur.* Per gratiam ergo domatur libertas nostra, & instar equi agitur à Spiritu sancto; non ita quin resistere semper possit, & quandoque resiliat, corruat, sessorem excutiat; sed tamen domatur tandem aliquando & mansuescit.

Tract. 6. p. 1. c. 2. rat. 1. & 2. & segq.

Sed nihil expressius hoc apud eundem mox argumento, quòd cùm gratia, seu charitas virtus sit, non solum animam mundat, sed etiam corroborat, & actuosam facit. *Fides, spes, charitas in anima quamvis comparentur annulo, aut vestimento nuptiali; non tamen ideo oportet quod hujsmodi charismata Spiritus sancti sint otiosa quædam ornamenta in anima, quibus non juvetur anima; quia non in omnibus debet quadrare similitudo. Unde pelagiana est hæresis, dicere animam sine Deo gratificatam non augeri fide, spe & charitate ad opera bona vitæ: tanquam charitas sit qualitas quædam otiosa ad solum decorem animæ addita, aut tanquam ornatus quidam spiritalis, ait tutor. Unde Augustinus, Charitas dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Vides quid erraret Pelagius, utque vel gratiam habitualem tolleret, vel concedo solo decore, efficaciam ejus

Ibid. p. 151.

l. de fid. & op. c. 14.

perimeret, cùm *virtus* non possit esse otiosa. Denique Pauli interpres Augustinus non tantùm pulchros & mundos, sed & *Dei dilectores* effici nos ait per gratiam infusæ charitatis. Hæc ut mox idem ait gratia gratum faciens, ea est *quam commendat fides Christiana*; etsi etiam auxilia & motiones quibus ad eam disponimur, *nomine gratiæ congruè appellentur.*

Et quanquam non ea sit istius gratiæ efficacia, quæ prædestinationis & propositi divini: permagna tamen illa est. *Verum quidem est prædestinationem non solùm dare electis virtutem habitualem quæ est potestas quædam bene operandi, qua electus potest uti & non uti: sed etiam operari in eisdem electis ipsum virtutis opus, ipsumque bonum voluntatis usum: sed non inde sequitur, liberum arbitrium nihil agere, aut ex necessitate recipere solùm opera bona à Deo. Nam quemadmodum sæpè jam diximus, Deus operatur in nobis opera bona, propterea quod ipse sua gratia justificante facit nos libera & spontanea voluntate bene operari.* Itaque in illa etiam opera bona, quæ prædestinationis complexu constringuntur, effunditur efficacia gratiæ justificantis. Quamvis enim hac non uti electus tunc possit, utetur tamen, Deo id intendente, dirigente, custodiente, protegente. Etenim *gratia non est naturalis potestas, sed est naturalis potestatis perfectio, seu virtus, secundùm quam Deus sanctificat, & purificat animam à maculis peccatorum, liberat à reatu damnationis, & ad Deum suum convertit, suaviterque ducit, & dirigit liberum hominis arbitrium in finem destinatum.* Cæteri quippe habitus dant faciliùs agere, quod utcumque posset, etsi difficiliùs agi. At habitus infusi, fides, charitas, dant simpliciter posse agere, quod utpote tota ulterius natura, omnino peragi non posset.

L. de Corr. & grat. c. 14. n. 43. & pag. seq. 44.

Ibid. p. 42.

Et infrà duplicem secernit gratiam, habitualem, & actualem, sed illi primas concedit. *Verum quidem est gratiam Dei esse facultatem, seu potestatem quandam bene agendi cœlitus infusam, utpote gratuitum Spiritus sancti donum habituale, quo parata est anima exire in actum, cùm opus est: sed non solùm tale donum habituale est gratia: verùm etiam actus & motus animæ tam in intellectu, quàm in voluntate.* Lutherus totum gratiæ nomen & munus uni gratiæ & charitati justificanti vendicabat. Hoc unum satagunt Catholici Scriptores, ut aliquod etiam, ut secundarium saltem gratiæ nomen actualibus his auxiliis impetrent: persuasissimi & ipsi principatum gratiæ justificanti & inhabitanti dandum esse.

At quoniam cuidam *possibilitatis* gratiæ Pelagius suffragabatur, quantum ille abluderet ab hac charitatis inhabitantis possibilitate, sic mox subjicitur: *Virtus hæc sic diffusa per Spiritum sanctum in corde nostro, non est naturalis possibilitas, quam Pelagius dicebat esse gratiam Dei, æstimans hominem per solam naturalem vim & potestatem liberi arbitrii à conditore naturæ insitam posse esse sine peccato, posse peccare & non peccare unquam. Si naturalis hæc possibilitas sufficeret, ergo Christus gratis mortuus esset. Longè verò alia est potestas bene operandi, possibilitati naturæ supervenions naturam vitiatam, vitioque damnationis captivam sanans, ac liberans: qualem potestatem habent electi, jam fide justificati, & induti virtute ex alto: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* En quæ Pelagio possibilitas gratiæ, & quàm diversa Catholicis placeat. Paucis rursus interpositis, de *adjutorio movente* seu actuali, ait ex Scripturis constare, præterea *aliquid esse tale & permanere in nobis, per quod sumus aut proni, aut parati aliquid agere, etiam dum non operamur.* Et alibi rursum de utriusque possibilitatis discrimine, *Posuit Pelagius Dei gratiam esse possibilitatem peccandi & non peccandi, à creatore insitam, quam Christianis atque Pagani nis, piis atque impiis existimat esse communem, dejen-*

Ibid. p. 44.

Pag. 45.

Ibid.

L. 2. de grat. & lib. arb. pag. 76

dens Deum suæ gratiæ auxilio adjuvare hujusmodi possibilitatem, non ipsam voluntatem, non actionem. Declarans autem quonam modo adjuvet possibilitatem: Adjuvat inquit possibilitatem Deus vocando, instruendo, dando legem, viam salutis demonstrando. Gratiam autem Dei qua neque est cognitio legis, neque naturalis liberi arbitrii ratio, ad hoc tantùm valere dixit, ut præterita peccata remittantur, non ut futura vitentur. Liquet ergo quanta intercapedine distet hæc utraque possibilitas.

Prolixè idem inferiùs probat ex Scripturis & ex Concilio Milevitano & Carthaginensi gratiam propriè dici donum gratuitum, quo *grati* Deo efficimur, *qua sumus Christiani, qua liberamur à*

Pag. 77. 78 *damnationis vinculo, qua justificamur, & justificati ita facimus opera legis, ut perveniamus ad finem legis, quæ est vita æterna.* Quanquam & nomine gratiæ designentur etiam actualia auxilia. Sed inferiùs cùm sibi nodum istum ob-

L. 2. p. 150 jecisset, *Si dixeris opus esse medico, qui peccatorum vulnera curet, & justificet liberum hominis arbitrium, prinsquam rectè valeat operari. Hoc nihil obstare videtur sententiæ Pelagii. Nam peccatorum remissione, fide ac charitate acceptis, videtur homo stante generali influxu Dei posse ex fide & charitate operari absque concursu alicujus alterius auxilii specialis.* Respondet ipse infrà: *Quandam*

Pag. 153 *esse Dei gratiam, qua potestas quædam est bene operandi, qualis est fidei & charitatis virtus, manens in homine etiam dormiente; sed hoc non suffragatur sententiæ Pelagii, qui dicit hominem habere illam potestatem à natura, & eandem potestatem nihil aliud esse, quàm naturalem possibilitatem liberi arbitrii, qua potest homo bene & malè agere; & Evangelio sibi monstrato, aut lege monstrata justè vivere, sine ulla Dei gratia liberante & adjuvante, desuper inspirata.* Sic ille retundit Lutheri calumniam, qui Pelagianæ hæreseos ignominia Catholicos omnes conspergebat.

Ex hac gratia immanente est, quòd justi possunt singula vitare, etsi non omnia conglobatim ve-

Pag. 150 nialia. *Singula peccata vitare potest homo jam sub gratia adjuvante constitutus; sed non tota vita sua potest vitare in universum omnia: & peccat in eo quod non vitat peccatum, quod vitare debuit; sed non distincto peccat peccato, in eo quod non vitat omnia. Habet quidem justus pro loco & tempore voluntatem bonam Deo adhærentem; sed non potest in hac vita sub tot & tantis tentationibus habere hoc velle perpetuum. Distrahitur enim mens hominis justi, & in hujus mundi magno mari variis jactatur fluctibus.*

EX JOANNE DRIEDONE
Theologiæ in Lovaniensi Academia Professore.

Gratia propositi & intentionis Dei efficacissima.

GRatiam efficacissimam ex intentione & proposito Dei insuperabili ad conversionem impii, ad perseverantiam justi, ita describit Driedo, ut Deus invitet, trahat, suadeat, illiciat, non necessitatem inferat; cùm & diabolus homines non cogendo, sed suadendo ad se pertraxerit, & sibi addictos circumagat quo demum cumque vult; Cùm vel maximè Deus possit, non possit diabolus in corde hominis novas creare affectiones. Etsi enim liberum sit homini his affectionibus inspiratis à Deo assentiri, vel reniti; permagnum tamen id monumentum habet, ut sæpiùs his lacessitus homo tandem aliquando con-

De Captiv. & redempt. gen. hum. Tract. 2. c. 1. p. 10 sentiat. *Quemadmodum homo venumdatus est sub peccato, non ab aliena natura, aut cogente, aut impellente, sed à libera sua voluntate, consentiente hosti suggerenti: ita & per Christum non ulla vi, aut necessitate adactus, sed divino Spiritu ita invitatus & tractus, ut per liberum voluntatis motum à peccato in Deum resiliat, satana & pompis ejus sua sponte renunciet. Et ideo tam Christus liberans, quàm diabolus consensum exigit nostræ voluntatis, &c. Discrimen tamen est inter Dei & diaboli potestatem super hominem. Deus enim cum sit creator humanarum voluntatum, omnipotentissimam habet super illas potestatem, potens eas inclinare, vertere, & de affectione una in aliam mutare quocumque voluerit. Diabolus verò non habet talem in corda hominum potestatem. Suggerere quidem potest, sed intus sic creare novas affectionos & corda hominum sic mutare non potest. Est nobis diabolus author peccati, sed nonnisi suggerendo; Deus verò in nobis author est justitiæ & vitæ, etiam immittendo. Omnis tamen humanæ voluntatis consensus, sive diaboli suggestione ortus, sive à Deo suggerente immissus, est voluntarius.* Vides discrimen inter potestatem Dei & diaboli super corda hominum. Potest diabolus suggerere, non subire in ipsa animi adyta, in voluntatis libertæ penetralia; non potest creare novas affectiones. At Deus & cogitationes intellectui, & pias affectiones voluntati creando immittit, quibus necessariò primùm illuminatur mens, afficitur voluntas; & si consentit, perseverat affici, jam liberè & voluntariè: immo consentire ipsum, non aliud est quàm in eo affectu durare quem Deus inspirat, non eum abrumpere. Ita quodam modo consensum ipsum facit Deus, si modò illum, hoc est inspiratum affectum libera voluntas non abrumpat. Ut ne abrumpat autem, id antea Deus flagellis & amaritudinibus curat, ita præparans, & penè cogens voluntatem assentiri, cùm experiri cogit omnia alibi dura & amara, in Deo uno quiescere & deliciari se posse. Audi Driedonem: *Præmittit quidem Deus interdum coactionem, quam ad tempus homo nondum justificatus patitur nolens & invitus; sed illam facit Deus, ut ex ea faciat ipsum hominem ad cor redire & spontaneè consentire: quemadmodum patet in persecutione Pauli Apostoli, qui in terram prostratus & cæcus factus, jam conversus Deo percutienti consensit, dicens, Domine quid me vis facere?* Ita prostratione, cæcitate, percussione *cogitur* Paulus liberè & spontaneè consentire gratiæ illicienti & sananti. Ex illa asperorum & suavium auxiliorum congerie temperieque constat efficacia hujus gratiæ.

Sed quàm alta ab origine Deus ordiatur instruere & adornare machinas, occasiones, dispositiones, tribulationes, illecebras, quarum conspiratione conversionem cordis secundùm propositum suum inexpugnabile aliquando tandem perficiet: idem alibi luculentè edisserit: *Deus præparat hanc gratiam homini etiam plerumque id ignoranti, neque consideranti, neque aliquid adhuc de gratia cogitanti. Sed hæc est præparatio ad gratiam generaliter accepta, quæ est effectus quidam ex intentione Dei ordinatus ad justificationem hominis, sive sit opus, sive passio, vel impressio, aut in homine justificando, aut in alio, ad justificationem tamen hominis ordinata. Plerumque enim effectus, aut operatio in altero est, per quam homini gratia præparatur. Deus omnium futurorum non solum conscius, sed & author & gubernator, futurorumque eventuum præparator, secundùm occulta sua judicia interdum præparat causas, occasiones, dispositiones & passiones, ordinans illas in salutem electorum, etiam finem illum vel ignorantium, vel non attendentium. Proinde occasiones conversionis nostræ & salutis oportet ascribere divinæ providentiæ & prædestinationi, &c.* Et paulò infrà, ut varias artes, supperiasque explicet Deus ad cordis conversionem: *Deus hominem pulsat, ut quandam sui notitiam & credulitatem faciat in mente hominis, &c. deinde increpat, conturbat, & terrore sui judicii tremefactam facit, nunc spe quadam, ac desiderio cœlestis vitæ erigit. Sed sive isto modo, sive alio egerit, totam agit, ut faciat hominem voluntarium, & voluntariè*

Ibidem: Tract. 4. p. 1 c. 2. pag. 91

Ibidem. pag. 96

credere, quærere gratiam, & rectè vivere. Sic persequutorem Paulum dejecit in terram, ut rebellem illius voluntatem traheret in sui obedientiam, faceret illum voluntarium, ut tremens & stupefactus diceret, Domine quid me vis facere? Frustra tam longo anfractu, tot plagis, adversis, blanditiis, uteretur Deus, si consensum unica motione, aut delectatione victrici perfecturus esset.

Ibidem. Tract. 4. part. 1. c. 2. pag. 100.

Et rursum infrà: *Ad hoc prævenit Deus, ut sua excitatione & suasione faciat animo intendere in ea quæ dicuntur, & accommodare sese, dociles reddere, & aperire corda sua Domino. Prævenit non vim inferendo voluntatibus, sed suaviter trahendo eas, suasionibus suggerendo & invitando. Qui etsi interdum præveniat, corporibus eorum vim inferendo, ut in Evangelio præcipit, Exi in vias & sepes, & compelle intrare; quod & in Paulo Apostolo videtur accidisse; hoc totum facit, non ut cogat illorum animos, & nunquam voluntarii serviant: sed ut eos faciat dociles & benevolos: primùm reddens illos attentos in suam miseriam spiritalem & salutem, de quibus antea non cogitabant.* Ita avocamentis sæculi excussis, amaritudinibus ubique sparsis, pœnis etiam incussis corpori, vim quodammodo facit Deus, ut in cor redeat homo, & ibi cum Deo deliciari malit, quàm cum mundo amarescente afflictari.

Quì fiat autem, ut paribus auxiliis à Deo adjuti duo quidam cum sint, alter convertatur, vel perseveret, alter non convertatur, vel non perseveret; præclarè idem mox aperit, ex eo id fieri, quod etsi paria sint adjutoria, non æqualis est tamen Dei intentio, non æqualis utriusque affectio. Eadem autem auxilia dissimiliter excipiunt, affecti dissimiliter. Jam verò divinæ est intentionis ea aptare cujusque affectibus auxilia, quibus consentire pronus est. *Quemadmodum ex duobus jam æqualiter justis contingit alterum libero arbitrio à gratia deficere, consentiendo desideriis carnis suæ; alterum eodem libero arbitrio, innixo Dei auxilio perseverare: sic ex duobus adhuc impiis æqualiter indignis, æqualiter divinis instinctibus pulsatis, atque admonitis, aut ad fidem, aut ad pœnitentiam, contingit alterum non reluctari, sed locum dare pulsanti Deo, alterum verò resistere. Habuit is qui sic vocatus resistit, in potestate sua non resistere; alioqui neque peccaret, neque sibi supplicii meritum faceret resistendo.* Prolixè hìc probat, non posse in semet gloriari, qui vocatus ita consentit, etsi alter dissentiat: nec enim consentiret, nisi misericorditer indignus vocaretur. Sed cùm æqualiter licèt adjuti à Deo, non æqualiter tamen aut intus affecti, aut foris sæculo implicati sint: hinc dissentiente altero alter consentit. At verò quod pauciotibus quis vinculis, aut oblectamentis sit mancipatus sæculo, quod amara sæculi expertus, & pertæsus, facilè in ejus fugam consentiat; hæc anterior animi præparatio accepto ferenda est providentiæ & intentioni Dei, qui jam olim hunc sibi servabat, hunc sibi parabat. Itaque si totum ambitum curæ & opis divinæ complectare, etsi ambo sufficienter, non ambo tamen æqualiter sunt adjuti. *Citiùs obediunt, inquit Gregorius, qui non habent in hoc mundo quod delectet. Ex his possumus reperire causam unam propter quam duo æqualiter divinis indistinctibus, & admonitionibus tracti, non æqualiter credunt, aut obediunt Evangelio, quia non sunt æqualiter affecti. Quemadmodum proposito lucro aliter movetur avarus, aliter pecuniæ contemptor: ille ad facinus perpetrandum, iste ad facinus contemnendum. Unde in homine nondum justificato quidquid fit, quominuatur carnis stimulus, sit peregrinatio, sit labor, sit per jejunium castigatio, hoc ipsum est præparatio quædam ad accipiendum fructum passionis Christi.*

Pag. 101. 011

Inculcat rursus infrà *causas & occasiones* præmitti à Deo, ut ad fidem infideles, ad pietatem impii, seu lapsi excitentur: sed quia *cœleste præmium non est tam potens in sui desiderium & amorem ducere carnales homines, quàm æterni ignis supplicium trahere illos in timorem judicis: nemo est enim qui non magis dolorem fugiat, quàm appetit voluptatem; hinc fit ut vera interior pœnitentia in Christianis carnaliter viventibus frequentiùs & in pluribus magis sumat originem ex timore gehennæ ignis, quàm ex amore cœlestis præmii. Ideo Christus passim comminatur gehennæ ignem impœnitentibus, &c.* Si ergo efficacia gratiæ convertentis impios partienda est in plura adjutoria, ejus particula non minima timori gehennæ concedi debet.

Ibidem. Tract. 4. p. 6. c. 2. pag. 105.

Et posset utique Deus uno impetu homines mutare, convertere & ad se rapere. Sed eo anfractu consulit nostræ libertati. *Quamvis omnipotens Deus ad operandam hominis conversionem, non indigeat in corde hominis timore primo; neque necessarium habeat expectare ullam loci & temporis opportunitatem; neque egeat alia causa creata, quæ Christum prædicet, & revelet, vel metum incutiat, aut timorem gehennæ: quippe qui in momento potens est revocare peccatorem; subitò trahere voluntatem ejus in consensum & obedientiam Christi. Ipse tamen ita agit, ut jam ipsius auxilio pulsati, aut excitati, aut invitati, simus non otiosi, non segnes, sed cooperatores salutis & nostræ & aliorum. Quidquid in convertendis cordibus impiorum minister Dei agit, sive flagellis, aut comminationibus, sive consolationibus, promissionibus, & spe cœlestis gloriæ animos erigendo, id totum agit ut corda inducat in virtutem charitatis: quæ tametsi immittitur desuper à solo Deo, non tamen absque consentiente & sese accommodante libero arbitrio. Est ergo timor divini judicii via quædam perveniendi ad charitatem Dei.* Ita nostræ indifferentiæ voluntatis consulitur, ut ipsa sese voluntas determiner, tot concussa terroribus, & illecta blandiciis, inspirata intus bona affectione, quæ si non repellatur, ipsa erit consensio.

Ibidem.

Posset tamen Deus breviore compendio totum solus convertere ad se cor hominis omnipotente efficacia motionis, vel delectationis, ut innuit Driedo, ut Tapperus, ut alii consentiunt. Potest ergo & hìc gratiæ, vel motione, vel delectatione indeclinabili voluntates nostras prædeterminanti locus esse, si priùs, si vel semel voluntas consenserit, hoc auxiliorum circuitu sinuoso adducta. Poterat & ratio forsan haberi gratiæ ex præscientia efficacis, cùm suprà Driedo diceret, Deum futurorum præscium præstruere & præparare causas & actiones, quibus tam aptè quis moveatur, ut consentiat. Etsi enim in Deo propriè non sit præscientia, tamen cùm humano more tam crebrò & in Scripturis & à sanctis Patribus præsciens futurorum Deus dicatur, non ægrè ferri forsan debet, si ex præscientia futurorum dicatur tanta fieri congruorum auxiliorum præparatio, ut contumacia voluntatis vel sic expugnetur. Possumus ergo & huic acquiescere sententiæ, si non uni alicui, sed conspiranti multiplicitati, varietati, congruitati & infatigabili auxiliorum oppugnationi dicatur tandem cedere contumacia nostræ voluntatis.

Id rursus confirmat Driedo, posse una motione divina prædeterminari voluntatem; sed consultius esse, si vel semel indifferens libertas semet ipsa ad consentiendum determinet. *Expectat Deus, non quod impotens sit subitò convertere, mutando voluntates impiorum: sed quod paulatim eis correptis flagellum miseriæque peccati sentiantur i quatenus concussi timore, sua sponte relinquant nequitiam, sua sponte implorent medicum & auxilium.*

L. de conv. Tract. 1. c. 3. p. 1.

Duplex alibi secernit auxilium Dei: aliud secundùm propositum Dei, aliud non item, etsi sufficiens. *Deus quorumdam voluntates ita juvat, qualiter aptum novit, ut obediant. Quorumdam autem voluntates ita juvat, ut vel credere vel-*

Ibidem. Tract. 5. c. 4. p. 111.

valeant, vel ad ea quæ fidei sunt ediscendum seſe accommodare. Istud est adjutorium secundùm suggestionem, suasionem, vel instinctum divinum. Istud verò adjutorium secundùm prædestinationem divinam, cujus intentio tamesi nequeat impediri, aut frustrari, tam suaviter tamen Deus hanc suam intentionem adimplet per rationales creaturas, ut liberas hominum voluntates non impediat; quo fit ut sub divina prædestinatione liberè operetur etiam voluntas humana, voluntariè consentiens Deo intus suggerenti. Subdit sub jugum cogi debere intellectum, quod *pauci* capere queant, qui stet hæc omnipotentia *intentionis* Dei, cùm per auxilia frustrabilia indeclinabiliter tamen perficitur. Hic sanè perspicuum est Driedonem Adriani VI. vestigiis inhærere, cùm distinguit duplex adjutorium: aliud quo potest fieri res, aliud quo fit. Nemo enim nervos omnes semper vel diu saltem contendit. Ideo si merè sufficiat auxilium in re ardua & prolixa, nunquam bene cedet. Si uberius & copiosissimum sit, res fiet.

Similiter infrà & inextricabilem rei difficultatem confitetur, & unam tamen hanc viam esse ejus utcumque expediendæ: *Quantumlibet fueris conatus penetrare sempiternæ prædestinationis abyssum stare cum mutabilium rerum contingentia, & cum potestate humanarum voluntatum ad oppositacorum, quæ sunt ordinata ab infallibili prædestinatione; non comprehendes, nec prorsus quiescet investigatio mentis tuæ, nisi in obsequium fidei captivaveris intellectum, &c.* Et infrà, *In omnibus justificandis voluntas præparatur à Deo, qui excitans & pulsans hominis animam, variis utitur mediis, nunc totum simul infundens, nunc paulatim hominis animam præparans, nunc incutiens gehennæ timorem, nunc coram hoc mundo pudorem, nunc ingens animi mœrorem, nunc afflictionem; ut animus non delicias, sed miseriæ solatium potius quærat; nunc mortis metum, ut amplius peccare non libeat. Atque hæc omnia operatur Deus, nunc per homines corripientes, nunc per tyrannos, &c. Quæ & absque his omnibus potest occulto, mirabili, & ineffabili modo, quæcumque in nobis voluerit, operari, &c. Nec satis est timere gehennam, aut cessare à voluntate peccandi; sed & oportet amicum fieri Deo, ut displiceat peccatum ex amore justitiæ per Spiritum intus vivificantem.* En quanta auxiliorum multiplicitas, & quàm sinuosus plerumque in impii conversione circuitus. Siquando autem Deus *totum simul infundat*, nimirum breviore & brevissimo gyro hæc ille omnia nihilominus coarctat, & compendiosiùs explicat intus in penetrali pectoris. Explicatio hæc autem eademque usitatior supellex auxiliorum & mora, argumento est quàm multa brevi temporis spatio peragantur in conversionibus inusitatis.

Tract. 6. part. 2. c. 1.

Adde quæ idem alibi habet de duobus æqualiter tractis, quorum alter venit, alter non venit, quanquam præsens gratia par sit, non tamen par est intentio prædestinantis Dei, immo nec par gratiæ adaptatio ad cujusque affectum. *De duobus indignis æquabiliter inspiratione divina attractis, quorum unus salubriter obedit, alter non sic obedit; sciendum est quod illo stante casu, dicendi sunt non fuisse æqualiter tracti secundùm gratiam prædestinationis. Hæc namque est divina voluntas, taliter trahens electos, qualiter eis aptum noverit, ut non contemnant, sed obediant, &c. Potest quidem humana voluntas resistere divino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei: quia corda hominum in manu Dei sunt, quocumque voluerit, inclinabit ea.* Et mox, *Quamvis conatus fuerit homo ante gratiam, non liberabitur à peccatis; neque justificabitur, donec secundùm intentionem Dei prædestinantis, suaque gratia adjuvantis ita trahatur, ut Spiritu charitatis desuper accepto ex massa perditionis erigatur. Erigatur inquam voluntariè, utpote qui etsi nequeat resistere intentioni Dei, quæ est secundùm voluntatem sui beneplaciti, habet tamen in potestate sua non obedire, sed & reluctari divino tractui: dicente Scriptura de justo jam tracto, Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Sic ille libertatem cùm gratiæ efficacia conciliat; quod etsi voluntas possit resistere *instinctui* & motioni Dei, non possit tamen resistere *intentioni*: etsi non sit indeclinabilis motio, est tamen indeclinabilis intentio, & intentioni omnipotentis serviens omnigenarum motionum conspiratio. Non ulla autem hic mentio sensus compositi & divisi, ut nec apud sanctum Thomam, cujus sententiæ & verbis Driedo insistit. Adverte rursus ut ubique satagat hic Scriptor circa conversionem & perseverantiam, non circa singula opera bona.

L. de concil. inter arbit. & grat. p. 25. 26.

Et infrà, *Verum quidem est homines Dei prædestinatione justificatos, suis studiis, deliberationibus, consiliis, seipsos determinare ad bonorum operum electiones; sed Deus facit eos ad bene vivendum spontaneè determinare seipsos, &c. Quidquid ipse suâ bonitate operatur, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, cor ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, ad hoc tendit, ut nostræ voluntates illi operanti cooperentur.* Et infrà: *Charitate & virtutibus infusis utitur anima si velit; sed ut velit inter tot & tantas tentationes, Deus operatur quotidianis auxiliis, protegens & confortans animam, ut perseveret.* Et infrà rursum: *In eos quos sic trahit, qualiter aptum novit, ut obediant, est judicium suæ gratiæ & misericordiæ. In eos autem quos non sic trahit, ut obediant, est judicium justitiæ.* Et rursum: *Qui nondum credunt, in sua habent potestate, ne veniant: & qui credunt, in sua habent potestate, ut exeant: qui si fuerint prædestinati à Deo, ut essent crediturí & perseveraturi in lege justitiæ, tam suaviter tamen & dulciter gubernantur à Deo voluntates eorum ad credendum rectèque vivendum, ut & ipsi sentientes se posse excidere à via justitiæ, quotidianum implerent adjutorium, ut in eo quod inceperunt, perseverent.* Ubique vim invictam hujus efficaciæ ponit, vel in multiplicitate auxiliorum, vel in directione, protectione, gubernatione Dei. Ad conversionem & perseverantiam mox subdit dari victricem hanc gratiam, non qua possit fieri, sed qua fiat res: *Multifariam adjuvat prædestinatum, ut inter tot & tantos animæ hostes, ita pugnet & vincat, ut finaliter à gratia non deficiat, &c. Non quod bona voluntas prædestinati sit in bono confirmata & indeclinabilis ad vitia: sed quod voluntas Dei intendentis suæ gratia sic juvare electos, ut eant & fructum afferant, qui maneat sic efficax, & ab humana voluntate non impedibilis, &c. Deus non facit eos in bona voluntate immobiles; sed tam suaviter gubernat eos, ut voluntariè bene vivant.* Adamus enim cui nihil obstabat, tanto non egebat divinæ custodiæ præsidio; *at nunc in statu lapso ita dirigitur humana voluntas, ut velit perseverare in bono quod cæpit.* Sola quippe charitas infusa ad id non sufficeret: quia etsi *nihil eorum quæ Apostolus enumerat, possit animam separare à charitate, quia charitatem nemo potest perdere invitus: utique tamen propria nostra voluntas, quæ in se mutabilis est, potest nos separare.* Ita pergit ostendere perseverantiam ab Augustino non celebrari, nisi eam quæ ad finem usque vitæ pertendit, & quæ Dei speciale donum est, & quæ non cadit sub merito.

Ibidem. pag. 41.

Pag. 41.

Pag. 15.

Pag. 16.

Pag. 17.

Pag. 18.

Denique non multò pòst ibidem diligentiùs vestigans, quæ sit illa invicta perseverantiæ gratia, ita concludit: *Respondeo, Adjutorium tale ultra gratiam habitualem, non est aliqua res creata, nec virtus acquisita, aut infusa; quia nulla talis facit hominem ad peccandum indeclinabilem. Sed adjutorium tale est Christus ipse, qui unà cum Patre & Spiritu sancto justificans prædestinatos, incipit habitare in cordibus eorum, secundùm tem-*

Pag. 59.

porum opportunitates varios erga illos operatur effectus, nunc salutares inspirationes & affectiones, nunc hominum admonitiones, nunc utilem metum & timorem divini judicii ingerens, nunc adversitatem, & tentationes opponens in conservationem humilitatis, & ad impediendum superbiæ motus, nunc blanda cæteraque id genus alia providens singulis prædestinatis, secundum uniuscujusque qualitatem, conditionem, &c. Atque ita fit ut Deus sit prædestinatis turris fortitudinis, dum inter medios hostium cuneos intus & foris animas multis modis adjuvat, ut ex fide & charitate cæterisque virtutibus semel acceptis rectè vivant: quibus etsi ad tempus à veritate devient, fert opem ut resurgant, & rursus accipiant dona quæ perdiderant, &c. Donum ergo seu adjutorium nunc datum prædestinatis est ipse Christus prædestinans, de perditionis massa sanctificans, & assiduè inter tot & tantas imbecillitates nostras adjuvans per fidem, spem, charitatem, per salutares inspirationes, timores, affectiones, & id genus alia quotidiana auxilia. Quibus optari vix potest quidquam enucleatius.

EX FRANCISCO SONNIO

Episcopo Boscoducensi, qui Tridentino affuerat, cum litterarum sacrarum Professor esset & Canonicus Ultrajectensis,

EDidit Sonnus *Demonstrationes religionis Christianæ ex Verbo Dei* contra hæreses eo ævo grassantes. Hic fulget tractatus *de fide & justificatione*, ubi non imaginaria & imputativa, sed vera & inhærente seu habituali gratia justificari hominem probat ex eo quòd ad supernaturalem beatitudinem *Deus hominem condidit rectum, id est, debitè qualificatum, sicque dispositum per gratiam justitiæ originalis, naturæ superadditam, ut oportuit ad consecutionem dicti finis. Qua gratia velut semine quodam ex Deo, cœpit esse consors divinæ naturæ, & vivere jam non solum naturaliter, sed & spiritualiter vitam quandam sanctam, quæ secundum Deum est.* Ideo nec nunc *justus est*, aut talis *qualem esse oportet*, qui non habet *gratiam*, seu *justitiam originalem*; neque *alia dona equivalentia quibus fiat consors divinæ naturæ, ut denuo vivat in Deo.* Gratia ergo hæc primaria & inhærens, duo præstat, ut & justi simus, & vivamus vitam spiritalem sanctamque. Unde mox: *Justitia, seu rectitudo includit essentialiter duo pro statu naturæ lapsæ. Primò ablationem peccatorum, &c. Deinde regenerationem, seu renovationem Spiritus sancti per dona cœlestia, quibus efficimur consortes divinæ naturæ, & sine quibus nemo vivit, ne initiative quidem vitam quandam æternam secundum Deum.* Addit hoc fieri *per charitatem, quam Spiritus sanctus diffundit, &c. qui est Spiritus vivificans, &c. ubi notabis quod vivificare est vivum facere, non sanè vita corporali, sed vita animæ, qua secundum Deum vivimus. Qua vita quod potest vivificare, potest & justificare.* Prolixè denique probat hanc gratiam inhærentem & justificantem, illam esse Pauli & Augustini charitatem decantatissimam, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris, *quæ aptos facit fini creationis, & ordinem ponit in omnibus viribus, omnibusque actibus* nostris.

Cap. 7.

Hac charitate docet impleri præceptum de diligendo Deo, dum peccata omnia mortalia vitantur, quod illa dat posse. *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Itaque qui sic toto corde diligit Deum, ut nihil eorum, quæ ille præcipit, omittat; nihil etiam eorum quæ vetuit, faciat; ille revera satisfacit præceptioni de diligendo Deum, & habet in se charitatem verè perfectam, perfectam inquam perfectione viæ.* Quod fusiùs idem prosequitur in tractatu *de diligendo Deum & proximos.* Dat enim charitas

Ibid. c. 9.

inhabitans vetè posse & præcepta implere, & vitare peccata omnia. Ideo alibi comparat hanc gratiam Soli, qui non solùm tenebras fugat, sed etiam *reddit aerem salubrem, terram vivificam & fœcundam. Sic & Deus per lumen gratiæ purificat corda à maculis, sanat, vivificat, fœcundat.* Est enim, ut mox ait, hæc gratia *fides per dilectionem operans, sive fides ad cor transiens, adeo ut immutetur affectus in amorem ejus, quod per fidem cœpit esse in cogitatione.* Etenim *affectus* permanet constanter in animo; & non solùm ubi Deo affigitur, maculas expungit peccatorum; sed etiam vegetat, roborat, incitat, urget ad bona opera, cùm anima suis affectibus, ceu ponderibus agatur, quocumque agitur. Hoc denique ait *incrementum* esse, quod dat solus Deus, frustra alioqui sudaturo, qui plantat, & qui rigat.

Trad. de peccatorum remissionibus, c. 6.

Quod adgratiam generalem attinet, subinfestus illi videtur fuisse Sonnius. Disertè enim ita ait; *Cujus vult misereri Deus, trahendo ipsum ad Christum, illius miseretur; quem verò vult obdurari, illum obdurat, relinquendo eum sine pulsu, tractu, aut inspiratione, quibus convertatur ad Christum.* Quod verò hunc trahat, illum non trahat, negat simulari Deum posse iniquitatis, cùm omnes homines jerint *in unam massam perditionis, propter peccatum originale, aliaque superaddita.* Et quidem *Christus omnibus sufficienter meruit patiendo; attamen non ad omnes pervenit fructus meritorum ejus. Primò quia non omnes prædestinati sunt, ut salvi fiant per Christum. Voluit enim Deus ab æterno quosdam in massa perditionis perire, ad ostensionem justitiæ suæ in vindicando peccatum. Cui voluntati Dei Patris semper mansit conformis voluntas Christi.*

De Passion. Dom. c. 10.

Multos tamen non divina, sed sua voluntate orbati parta Christi meritis salute, probat ex illis, qui vocati, *cùm parata essent omnia, respuerunt. Non est enim propter insufficientiam meritorum Christi, quia dicit, Omnia parata sunt. Sed est propter negligentiam, vel contemptum, aut malitiam eorum qui vocati erant; qua vel neglexerunt, vel noluerunt se aptare ad percipiendum fructum passionis, alio convertentes affectum. Sicut ignis in commune expositus, ad calefaciendum quosvis sufficiens, non transmittit calorem nisi in eos, qui vel sua sponte appropinquant, vel aliena voluntate propinqui fiunt. Ita Christus attulit medicinam omnibus sufficientem; sed hæc non operatur nisi in eos, qui vel sua sponte per fidem appropinquant, vel aliena voluntate propinqui fiunt, ut parvuli in baptismo.*

Ibid. c. 10.

Etsi ergo non omnibus, multis tamen *sufficientem* dari gratiam existimat Sonnius, ut ad Christum veniant, qui tamen non veniunt, etsi *sufficienter* possint. Itaque à sufficiente efficacem gratiam secernit. At quibus nec sufficiens datur gratia, illi ea de re non vocantur in crimen, nec damnantur, nisi ob originale, vel actualia quæ sine illa gratia vitare potuerunt peccata. Rursus ibidem: *Qui non est tractus à Deo, aut non sit tractus, qualiter aptum erat, ut veniret: ille non fit quidem particeps meritorum Christi, attamen citra novam culpam contemptus, vel negligentiæ. Qui verò est tractus, & invitatus à Deo sufficienter, nihilominus tamen non accommodat se, sed negligit, vel contemnit venire; profectò is multò fit damnabilior propter hunc neglectum suum, vel contemptum. Erat enim sic præventus & tractus, ut potuisset gratia Dei cooperante credere, pœnitere, ac bene vivere, sed noluit.* Mox quadripartita distributione, alios ait *non habere fructum passionis Christi, quia accipere per fidem noluerunt;* alios *quia postquam acceperunt, repulerunt à se:* alios *quia merentur non accipere, quia tradidit illos Deus in reprobum sensum, sic merentibus illorum sceleribus.* Quartos denique, *quia Deus non dedit, ut accipere possent. Quemadmodum*

Ibidem.

dum parvulis quibusdam non datur, ut perveniant ad lavacrum regenerationis. Quibusdam etiam adultis forsitan absque nova culpa propria negligentiæ, non datur ut audiant Evangelium salutis.

Gratiam ergo generalem approbat Sonnius, sed aliquò usque. Et primùm ea orbat parvulos sine baptismo hinc excedentes. Secundò illos qui scelerum enormitate indurari meruerunt. Sed his tacitè assentitur non defuisse vires & auxilium, ut peccata vitarent, quibus indurari meruerunt, & reliquis gratiæ beneficiis privari. Si enim nec illa vitare poterant, indurati jam ergo erant. Tertiò illos etiam adultos, quibus citra ipsorum culpam non datur, ut audiant Evangelium. Sed de his non constanter loquitur Sonnius, suamque trepidationem testatur ea voce *forsitan*. Denique his ipsis ait *non esse damnabile, vel imputabile, quod non habuerunt fructum passionis Domini; sed imputabilia eis esse illa peccata, cum quibus ad judicium veniunt*. Nec enim imputatur, nisi quod potuit vitari.

Itaque cùm adsit omnibus auxilium, quo vitare possint peccata quælibet, si quibus *forsitan* deest quo ad Christum veniant, his speciale potiùs auxilium deest, quàm generale. At verò fidelibus nunquam deesse gratiam, qua proximè possibilia fiant Dei mandata, immo & qua justificari possint, si *faciant quod in se est*, perspicuè docet idem Sonnius: *Non hic disputamus, an vestris solius naturæ viribus possimus implere præceptum charitatis, aut nostris dilectionibus nos vivos & justos facere. Scimus enim id divinæ esse gratiæ per fidem, quæ est donum Dei, & per charitatem desuper diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec Christus hic moratur, an gratiam habuerit Legisperitus, quandoquidem sine gratia nec hoc præceptum posset impleri, nec alia. Scivit enim homini credenti, qualis erat Legisperitus, dum facit quod in se est, non deesse gratiam necessariam ad faciendum, quod Dei ordinatione factum oportet.* Fidelibus ergo saltem omnibus semper adest gratia generalis & sufficiens, qua & præcepta impleant, & peccata vitent, & denique justificari possint.

Tract. de diligendo Deum & proximo c. 8.

Tam addictus cùm sit Sonnius gratuitæ prædestinationi, & tamen adultis vel omnibus, vel complurimis auxilium communicet, quo possint justificari, qui tamen non justificantur, & perseverare, qui non perseverant: vix potest hæc ille decreta copulare, nisi ea ratione & via, quam illi Theologi Belgæ præiverant. Itaque constanter illud retinet, meritoriæ libertati essentialem esse ad utrumlibet indifferentiam: *Cur non dedit hoc Deus, ut non possimus, ne nostra quidem voluntate, superari à morte? Quia gratia perficit naturam, non destruit. Præcipua vero portio, qua differimus à brutis animalibus, est liberum arbitrium. At Christus non venit perdere liberum arbitrium, sed superare suis gratiis, promovere, adjuvare: Omnia possum in eo qui me confortat. Id enim possumus, quod per amicos aliorumve auxilio possumus. Rursum dicente Deo, Sufficit tibi gratia mea, scilicet ad hoc ut non vincaris stimulis carnis, nisi velis. Porro velle te vinci certum est, si quæ tui sunt officii, & in tua sita sunt potestate, per negligentiam omiseris, vel contemptum, vel malitiam.*

Dom. c. 16.

Cùm tam multis in potestate ergo sit justificari, & perseverare, qui non justificantur, non perseverant, id ex eo fit, quòd etsi vocentur & juventur per auxilia divina, & quidem sufficienter, non tamen efficaciter juvantur, quia non *ut aptum est* eos juvari, ut consentiant. Ita enim ille ex Majorum dictatis, & maximè ex Augustino: *Itaque quod electus sic trahitur ad Christum, sicut Deus aptum novit, ut veniat, quodque veniens purgetur à peccatis & sanctificetur in periculum, hoc gratiæ Dei & meritis Christi acceptum ferre oportet.* Ita-

Ibid. c. 19.

Ibid. c. 20.

que hæc est electorum prærogativa, *sic trahi ut aptum est, ut veniant*. Et infrà, *Qui non est tractus, aut non sic tractus à Deo, qualiter aptum erat, ut veniret, &c.* Atqui hac aptitudine auxiliandi continetur tota illa auxiliorum collectio, in qua efficaciam gratiæ propositi collocamus cum Lovanien sibus tam multis hìc relatis Theologis & Duacensibus. Aptum est enim hos timore, hos amore; illos asperis, hos blandis duci trahique: & eundem nunc ista, nunc illa diversa ratione tentari.

Hæc enim ratio est efficacissimæ gratiæ, accommodatissima liberis nunc voluntatibus nostris per indifferentiam ad bonum & malum. *In cœlis quidem manet in nobis eadem arbitrii libertas, quæ fuit antea, sed longè aliter ibi disposita, quàm hic. Ibi inflexibilis erit ad malum propter consummatam beatitudinem, æternum bene actæ virtutis præmium. Hic verò ad utrumlibet flexibilis manet, ut gloriosior sit pugna, & ex ipso quodammodo surgat futuræ coronationis meritum.* Ideo & mox subditur Deum, nec velle mala, nec nolle, sed permittere; multa fieri præter voluntatem Dei, non præter ejus permissionem; & tamen vel faciendo vel permittendo efficacem semper esse Dei voluntatem.

Tract. permissionibus divinis c. 2. 4.

Cùm alibi denique disputaret idem Sonnius de *Consiliis Evangelicis*, & adversùs Lutherum Calvinumque defensaret Tridentinæ Synodi doctrinam de votis continentiæ; gratiæ Dei *donum* esse continentiam primò demonstrat. Addit autem, *Dona dici nequeunt, nisi ubi donata fuerint: ubi autem donata sunt, jam uti illis, vel non uti, ejus qui dona accepit, efficitur.* Et paulò pòst, *Tanta est autem Dei erga nos munificentia propter Christum, ut nulli homini Christiano desit nulla gratia necessaria ad peragendam debitè functionem, Evangelio Christi comprobatam, dummodo ipse non defuerit sibi.* Id probat ex verbis Pauli ad Corinthios, *Divites facti estis in Christo, ita ut nihil vobis desit in ullis gratia.* At verò excipit Sonnius, *Si cuipiam deest, adeo ut nec habeat, nec habere possit, etiamsi faciat quod in se est, juxta traditionem Evangelicam; is qua ratione dicetur dives effectus in omnibus per Christum, & non potiùs pauper & inops derelictus, &c. Si Christi fidelibus desint dona Dei, sine quibus impleri nequit, quod status illi requirunt, non jam homo, sed Christus culpandus erit, &c.* Ita constanter & ex necessaria Tridentinæ Synodi tuitione docet gratiam Christianis omnibus adesse sufficientissimè ad implenda sua cuique munia, & eam adesse ita, ut veluti dono *uti aut non uti possint*. Ubi vides actualia auxilia habitualibus copulari, habitualia enim sunt dona continentiæ & id genus alia, quod ille ibidem prolixiùs disserit; adeo ut ne uno quidem aut altero flagitio totus ille habitus excutiatur. Hæc autem dona in electis suis tuetur Deus invictissimè, obstacula tentationum amoliendo, & aliis miris modis.

Cap. 8.

EX JOANNE BUNDERIO à Gandavo, Dominicano.

An. 1548.

EDidit Bunderius brevitate & eruditione sacra laudatissimum *Compendium conversationis Theologorum super erroribus sui temporis*. Pauca hinc libabimus, ex quibus conjici queat de ejus sententia. Urgente adversario, *si necessariò Deus prævenit voluntatem, & bonum velit, quomodo liberi sumus arbitrii?* respondet in hunc modum: *Dat Dominus gratuitò, ut velimus bonum verum, quia omnia secundùm sibi inditam naturam gubernat: voluntatem, quam liberam condidit, movet quidem ut liberè velit; non autem necessitate compellit. Secundùm illud Chrisostomi, Deus nolentes*

non cogit, sed volentes trahit. Non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult. In libertate itaque hominis situm est assentire, vel dissentire divinæ voluntati; parere, vel spernere ejus motionem. Et Theophylactus. *Multi vocati, pauci electi: Dei est vocatio: electos autem fieri, vel non, nostrum est.* Et Hyeronymus, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioqui ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Clementer ut vides omnia, & ita ut Hyeronimus, priscique Latinæ gentis Patres, Chrysostomus, Theophylactus, cæterique Græci coalescere, & in unam cum Augustino sententiam mediocrem & temperatam possint adduci.

Et ibidem rursus ejusdem salivæ hæc sequuntur: *Dat Dominus, ut bonum velimus, per voluntatem verò nostram liberè acceptamus & volumus bonum. Dum autem volumus bonum, nobis cooperatur Deus, ut perficiamus.* Tertullianum mox, & Cyprianum, & Chrysostomum affert, consentientes, *Hominem suæ libertati relictum, & in arbitrio proprio constitutum, sibimetipsi vel mortem comparare, vel salutem.* Quæ omnia etsi detorqueri possint in sensus alienissimos, cavendum tamen etiam atque etiam est, ubi manus pro veritate catholica conseruntur, ne totum, ne plus æquo calliditati detur; ne denique in easdem opinationes delabamur, quas adversarii Ecclesiæ defensitant. Ecquid enim Lutero Calvinoque consilii erat, cùm necessitatem invehi jactabant gratiæ divinæ vi & efficacia? Non sanè illi negabant, lubentes, volentesque ad bonum se justos conferre per gratiam: non negabant radicem liberæ indifferentiæ in humana voluntate altissimè defixam, & cum ipsa concretam, supereſſe cum gratia; & liberum tamen negabant arbitrium.

Jam gratiæ habitualis quanta sit efficacia, sic ille depromit, eam quæ Sacramentis confertur, elucidans: *In Confirmatione miles Christi inungitur, ut assequatur gratiam, qua nec mortis formidine à fidei confessione recedat. In Eucharistia est manducatio Corporis Christi, & eo cibo anima specialiter confortatur, in via Domini ambulatura.* Pergit aliorum Sacramentorum vires & effectus contexere summatim, & singulis vendicare vim infundendæ gratiæ, nimirum habitualis, quæ postea corroboret hominem in aliis aliisque, vel vitæ periculis superandis, vel exercendis virtutum documentis.

Tit. 10. init. 10.

invidia, sive odio Dei, quod non semper in omnibus universi orbis partibus illuminata luceat Ecclesia; sed ex nostra pravitatis est defectu, qua ipsius obsistit lumini, obstaculumque ultro præbet, & obicem ponit illius gratiæ. Ipse enim, ut Joannes ait, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verùm ii ad quos venit ipse, quosque peculiariter voluit radio illustrare, venientem noluerunt recipere. Et denuo alibi, *Cùm legem scriptam gentes non habentes, naturali mentis lumine illustrati, ea faciunt bona opera, quæ moralis lex præcepit, ipsis sua mens lex quædam est, in qua legis opera scripta se habere demonstrant.* Hactenus de rudimento quodam lucis supernæ, nunc de exordio quodam bonæ cupiditatis; cùm utroque genetale conflet Dei auxilium, sed non omnino salutis efficax, sine gratia speciali: *Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio. Ex parte spiritus video mihi bonum in electione esse & desiderio; sed propter carnis concupiscentiam nequeo perficere, quod secundùm Spiritum utcumque volebam. Jam autem diximus de homine nos sic loqui, ut est in seipso, sine auxilio divinæ gratiæ superadditæ. Non enim volentes sumus ex nobis, ut bonum quod quomodocumque elegimus, perficiamus, &c.*

Epist. 1. ad Roman.

Ibid. in c. 8.

Quibus in verbis *gratia superaddita* non alia intelligitur, quàm habitualis & sanctificans, quæ verè roborat & voluntatem & operis executionem. *Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Nulla posthac ratione permittendum est in nobis regnum peccati, postquam peccatis estis mortui & sacramentis sanctificati. Sub gratia enim Dei jam estis; quam & in Baptismo accepistis, quæ contra malum fortificat, & ad bonum præbet auxilium, non amplius sub infirma & invalida lege.* Perspicuè ergo *sub gratia esse*, & non sub lege: idem est ac Baptismi gratia sacramentali esse informatum, & ea roborari ad bonum, & ita jam non esse sub peccati dominatu. Et alibi idem, *Fortis est ut mors dilectio; sicut mors hominem separat ab omnibus quæ videntur delectabilia, & ab omni vitæ hominumque commercio avellit: sic vera Christi dilectio hominem quem invaserit, mundo penitus mori facit, affectum separans ab omnibus, quæ in hoc mundo videri possunt delectabilia; ita ut neque cogitare libeat, nec tractare eorum aliquid, quæ in hoc mundo jucunda reputantur.* Totum vertitur in hac *affectus* immutatione.

Rom. 6.

In Cantic. cap. 8.

Et hinc etiam robur maximum gratiæ efficacissimæ. Principante enim affectu cordis sui facilè quisque trahitur. *Trahe me post te: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm tibi placuit me trahere per gratiam tuam, & cordis mei affectiones in te subvehere. Deo enim trahente & operante interiùs, cor dilatando per suam gratiam, facile est nobis post ipsum etiam currere, qui per nos ipsos nec ambulare lento cursu valemus.* Et alibi efficaciam gratiæ invictissimam sic describit: *Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea, &c. Ego sto ad ostium, & pulso. Pulsare dicitur Deus, quando per gratiam suam prævenientem corda nostra tangit, & visitat per internas inspirationes, & tacitas occultasque cordis motiones, &c. Quanquam verò ipsius est cor nostrum, ipsumque habeat in manu sua, eo quod ipsum fecerit ab initio; attamen à nobis postulat aperiri cordis ostium. In liberi enim arbitrii potestate est, ut Christo pulsanti, vel aperiamus, vel claudamus ostium cordis nostri, &c. Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium, Similitudine ejus dictum, qui per multas horas intempesta nocte perseveravit pulsans. Indefessa perseverantia pulsantis repulsam pati non debet. In Evangelica Parabola qui per noctem perseveravit pulsans, propter importunitatem obtinuit, quod postulavit.* Vides perseverantia, seu multitudo & diuturnitas gratiarum excitantium quàm efficax sit.

Ibid. c. 1.

Ibidem.

Et

An. 1550. *EX FRANCISCO TITELMANNO Belga, Ordinis Minorum.*

GRatiæ generali aptari possunt hæc Titelmanni verba in Joannem, *Erat lux vera, quæ mundum universum in omni tempore, & vult, & potest illuminare, omnem scilicet hominem, qui vel natus est, vel nascetur in mundo. Hæc lux verbum est Patris, quod in omnes homines participium suæ lucis lumen naturalis rationis infudit: lumen quoque spiritalis visitationis, & interne illuminationis semper prompte infundit humanis mentibus; ita ut quantum in ipso est, hac etiam illuminatione omnes illuminet. Denique nihilo omnino est luminis in quoquam, vel naturæ, vel gratiæ, quod non ab illa una & prima luce effluxerit.* Sic ille triplicem horum verborum sensum ex Cyrillo, Chrysostomo, & Augustino contexit, nec quidquam inter eos pugnæ esse suspicatur, *Sine personarum acceptione semper & ubique Deus gratia suæ dona infundit illis, qui ad se convertantur, quemadmodum beatus Petrus in Actis ait, In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum & facit justitiam, acceptus est illi. Nec proinde ex avaritia est, vel*

In Evang. Joann. 1.

In Cantic. c. 6.

Et rursum mox: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, &c. Surrexi ut aperirem, &c. Sponsus ubi videt sponsam inutiles prætendere moras & excusationes, manum suam immittit per foramen, ut pessulum levet, & repagula amoveat; sponsa tunc exurgit & aperit. Ita Christus cùm nos videt non promptè acquiescere suis inspirationibus, & moras nectere, tum manum suam illam validam, quæ intima nostra operatione suæ virtutis sufficit commovere, in cor nostrum immittit, ut impedimenta ingressus sui amoveat, id est, ut affectiones inordinatas rerum temporalium, & maximè nostri ipsius inordinatum amorem removeat: quæ impedimenta donec potenti manu & efficaci operatione sponsi fuerint ablata, ostium cordis nostri clausum tenent. Ad hujusmodi verò quæ carni dura videntur infirma, nequaquam ex nobis sufficientes sumus, nisi manum illam validam & impotentem mittat sponsus noster; sic in nobis efficaciter per gratiam suam operando, ut quæ nobis ex nobis impossibilia videntur, implere valeamus.* Et mox denuo, *Venter meus intremuit, &c. Christo per spectalem gratiæ operationem tangente ventrem animæ, id est, mentem, affectum, ille ipse venter merito intremiscit & commovetur; salubberrima profectò commotione & tremore, qui nos ex inobedientibus obedientes, & ex pigris alacres reddit. Et notandum quod sponsus non per se aperit ostium sine sponsa, nec sponsa ipsa sine sponso.* Sed sponsus misit manum ut aperiat, sponsa exurgit & aperit. Duo hìc efficaciæ cœlestis aperiuntur tela, terrenarum affectionum debellatio, quod fit per rerum ipsarum quæ improbè amantur spoliationem, per tribulationem & amaritudines: rursum tremor, seu formido & experientia quædam pœnarum, quæ ex nolentibus volentes facit. Cùm aperuisset sponsa, aufugit sponsus, quia *Christus bonis inspirationibus quotidie mentes nostras tangere non desistens, &c. non desinit opportunè importunè ad cordis ostium pulsare, manu etiam immissa ad amovenda impedimenta salutis; donec vel invitos, ut ita loquar, cogat sibi aperire; tanta sedulitate pulsat ad ostium, & assiduè exhortatur, cùmque eo perduxerit, ut voluntariè cupiamus illi ostium aperire, ad tempus se subtrahit, ut ariditatem mentis sentiamus, & pœnas demus, quod diu pulsantem negleximus, & cogamur eum jam quærere cum dolore & labore.* Oritur ergo hæc efficacia gratiæ ex inspirationum assiduitate, importunitate, opportunitate, ex terrestrium illecebrarum remotione, terroris immissione, sponsi fuga post blanditias, & aribus innumeris. His adde quæ idem habet in hæc verba Christi apud Joannem: *Nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Trahimur ex Cyrillo, non vi, sed monitione, doctrina, revelatione ineffabiliter facta. Et ex Augustino, Si Poeta licuit dicere, Trahit suam quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; quantò fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, justitia, sempiterna vita, quod totum Christus est?*

copia, ac Lutheri nuper insanire exorsi confutatione illustravit. Cùm fidem Ecclesiæ tueretur adversùs Novatoris insaniam, non alia sanè potuit ille obtrudere dogmata, quàm quæ Catholicis receptissima, & ad fidei necessariam tuitionem accommodata essent. Sic ergo ille Lutherum adgreditur: *Dic nobis quæso, quando tu relictum sibi peccatorem existimas? An propter inopiam generalis influentiæ Dei, qua cuncta vivunt, moventur, & sunt? An propter defectum gratiæ gratis datæ, qua juvari potest liberum arbitrium, ut resipiscat, quomodo & filium prodigum convertì fecit miseriæ suæ contemplatio, & multi per conciones quotidie resipiscunt? An denique propter gratiæ gratum facientis amolitionem, quæ certum est destitui cunctos, qui mortali peccato sunt affecti? Hos enim tres modos tunc ille Gregorius Ariminensis distinguit, palam asserit.* Hæc ille ex Scholæ tritissimo pulvere, cui consentiebat & Gregorius Ariminensis; ut vel hinc constet frustra etiam hujus unius præsidio se jactasse Lutherum, cùm cæteros omnes nihili faceret Scholasticos. Addit ex eodem Gregorio, immo ex Augustino, ante gratiam justificantem, & Cornelium & Catechumenos bonis *moraliter* operibus ad eam se præparasse, non sine auxilio gratiæ utriusque prioris.

In Confutatione asser. Lutheranæ. art. 16. pag. 368.

Præclarè idem infrà de triplici illa gratia, & qua quisque potiatur: maximè de secunda, quæ ut vitet quis peccatum, gratiæque summæ se præparet, præsto est: *Nec adulter absque generali influxu Dei potest adulterandi facinus committere, sed neque postquam ipsum admisit, sine speciali auxilio Dei conari valebit, ut resurgat. Et ratio est, quoniam ubique præsens est, tam generalis influxus ille, quàm istud auxilium speciale, nec deest aut hoc, aut ille cuiquam peccatori, nisi vel indurato, vel in sensum reprobum tradito. De quibus utrisque certum est, quod auxilio Dei speciali fuerint destituti. At non opinor quosque peccatores ita communiter à Deo deseri, sed quanquam in peccato mortali fuerint, & extra gratiam, nihilominus hoc auxilium speciale præsens esse, quo Deus ad eorum corda pulsat, ut intret.* Triplex Dei auxilium secernit, influxum generalem, auxilium speciale, gratiam. Prius utrumque omnibus semper adesse vult, etiam peccatoribus: solis obduratis & reprobum in sensum traditis abesse sentit speciale auxilium, non generalem influxum: etsi vitare peccata, aut boni quid velle nemo possit sine speciali auxilio. pag. 378.

Indignatur ea de causa quibusdam Scholasticis, qui præter Patrum normam velint sine speciali auxilio, cum solo influxu generali, à peccatoribus opera moraliter bona fieri: & ita etiam ab indueratis, quos generalis influxus non destituit. *Hoc dixi, propter Patres, quorum sententiam sequi malui, quàm Scholasticorum, cùm in hac re mutuò sibi pugnent. Patres enim asserunt neminem posse quidquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contrà Scholastici contendunt hunc sufficere, &c.* Quod pace invictissimi Martyris dixerim, suspicio non levis oboritur mihi, verbis magis, quàm re discrepare hìc Scholasticos, cùm quas aliqui gratias gratis datas, vel auxilium speciale appellirant, præter influentiam generalem: id totum alii complectantur uno nomine gratiæ generalis, vel influentiæ generalis. Cùm enim omnibus præsto sint hæc auxilia specialia, non est cur specialia dicantur. Sanè & Thomas & Bonaventura hanc gratiam generalem nunc bipartiuntur, nunc insecabilem utamque utroque auxilio fœtam constituunt. Nec obstrepo sententiæ Roffensis, censentis speciale hoc dici debere auxilium, quòd eo careant indurati & excæcati: sed an ea de re ad unguem consentiant sancti Patres, sicut & Scholastici, ego confiteor meam inscitiam, nondum mihi prorsus constat. Scitè autem Roffensis Patrum & complurium Scholasticorum sen-

ANGLI.

EX JOANNE FISHERO Episcopo Roffensi, Romana & martyrii purpura præclarissimo, Lutherum confutante recens exortum.

Eadem vendicatur doctrina, de gratia generali, speciali seu justificante, & demum efficacissima ad conversionem & perseverantiam.

CArdinalitiam purpuram Roffensis martyrio suo, sed & universam Ecclesiam eruditionis

sententiam ita interpretatur: *Ut communibus inquinati peccatis medii sint, inter justos qui sunt in gratia, & illos à Deo derelictos, qui traditi fuerunt in reprobum sensum. Nam justus præter influxum quem vocant generalem, habet auxilium Dei speciale, simul & gratiam in ejus anima præsentem. Communes verò peccatores gratia carent interna, sed præter generalem influxum, non deest eis auxilium speciale, quo miris modis stimulantur ad reditum. Reprobi & indurati ità generalem duntaxat habent influxum, ut ceteris careant.* Sed cùm excæcati tamen & indurati resipiscant aliquando forsan, tum Roffensi approbanda esset exceptio hæc, quæ axiomati generali derogat; tumque in sententiam illorum forsitan revolveretur Scholasticorum.

Pag. 181. Pag. 192. Inferiùs sanè Lutherum acriter objurgat *influentiæ generali* illudentem: cùm eo subducto præsidio *nec motus agere suos, nec esse omnino res omnes possint.* Et postea rursum: *citra gratiam per fidem præparari* ad gratiam nos posse docet, eamque præparationem *supra naturam* esse, perinde ut ipsam fidem. Qualis verò sit hæc tota gratia, vel generalis influentiæ, vel auxilii specialis, sic idem infrà: *Pulsat Dei misericordia multorum corda, quæ nondum gratiam admiserunt, sed spreverunt oblatam. Annon Christus Corezain & Betsaide exprobat, non admissam gratiam, quæ ultro fuerat eis oblata? Annon igitur præsto illis fuit auxilium Dei, modo pœnitere voluissent? Fuit haud dubiè, alioqui nunquam istud eis Christus exprobasset.* Alia id genus exempla accumulat, ubi ratio & sensus communis jubet, & tanta præterea cogit authoritas: ubi hæc visa congrua, hæc miracula foris repræsentabantur, increpitabat reprehensio, quòd non emollescerent, affuisse simul interius auxilium influentiæ generalis, & specialia fortè auxilia, quibus id possent: *Fuit igitur præsentissimum eis auxilium Dei, quo pœnitere potuissent, & ad gratiam parare se. Quod si fecissent, gratiam accepissent haud dubiè.* Et infrà quanto authoritatis pondere hæc nitantur, *Dixi sæpiùs, Quoniam Dei auxilium cunctis hoc tempore gratiæ paratum est, & iidem liberum habent arbitrium. Idcirco per confessionis & pœnitentia humilitatem sacramentis Ecclesiæ se subdere possunt, & amissam gratiam recuperare. Hoc & orthodoxi Patres cuncti & constantissimè protestantur, atque uno ore prædicant: ita damnant Pelagianos, qui sine gratia nos asserunt salvari posse. Quare plurimùm refert, an cum Pelagio quis dixerit, Sine gratiâ nos posse salvari; an gratiam in hominis arbitrio sic posuerit, ut cum auxilio Dei, quod nulli non paratum est, eam posse parari confidat.* Ita ille.

Pag. 400. 401. Quo ex loco illud etiam effulget, quo à Catholicis differret Pelagius. Sed id non minùs perspicuum fit ex his ejusdem verbis: *Neque Pelagianorum hæresin hic habere locum ulla formido est, quando non dicimus hominem absque gratia gratum faciente, cogitationem habere meritoriè bonam, id quod illi posse fieri pertinaciter asseruerunt. Nam hoc præcipuè damnat in eis Augustinus, &c.* Ita sanctus Thomas, Bonaventura & alii, hanc propriè gratiam & propugnatam ab Augustino, & à Pelagio oppugnatam fuisse consonabant, gratum facientem. Nec enim de qualibuscumque bonis operibus, aut virtutibus concertatio erat; sed de meritoriis æternæ vitæ, qualibus non instruimur, nisi per gratiam justificantem. Virtutes enim operationesque quamlibet bonas, sed meriti inanes, nec Deo acceptas, nec in vitam æternam conducentes, facilè concedit Paganis, hæreticisque Augustinus; dummodo meritoriæ, Deo gratæ, eoque veræ vendicentur auxilio gratiæ Christi, quod non habent à gratia actuali, sed ab habituali.

Sed ad tertium gratiæ genus venio, quo citra jacturam liberæ nostræ indifferentiæ, miris & ineffabilibus modis omnipotens Deus ad consentiendum justitiæ & perseverantiæ electos suos invictissimè perducit. Cùm Lutherus enim conclamatam esse libertatem nostram diceret, ex eo quòd Deus corda nostra, quocunque vult, omnipotenter inclinet: respondet Roffensis posse & libertati nostræ consultum esse ita, ut & divinæ nihil decerpatur omnipotentiæ voluntatis: *Esto, quocumque voluerit, Deus inclinet cor regium, num propter hoc invitum coegisse creditur? Haud quaquam. Neque enim per vim, sed sua sponte magis unusquisque tractum Dei sequitur. Quemadmodum si quisquam à consiliis regi sic se gereret, ut rex haberet persuasissimum, illum nolle, nisi quæ fuerint optima, consulere, quippe cujus prudentiam & fidem sæpiùs ante fuisset expertus. Annon auditis hujus viri rationibus, rex facillimè, si quid vel aliter faciendum constituisset, esset mutaturus? Esset haud dubiè. Et quo melior atque prudentior ipse rex foret, tanto libentiùs esset id fallurus. Sed & cum id ipsum fecisset Rex, quis dubitaret eum, sua sponte, nullaque vi coactum id fecisse? Sic pari modo, cum Deus, aut regis, aut cujusvis hominis animum inclinet ad hoc, vel illud faciendum, nulla prorsus violentia voluntatem adigit, sed potiore monstrata ratione potiùs allicit, ut aliud faciat, quàm ipse pridem facere secum constituerat, &c. Non enim vi res agitur, ut ait Origenes, neque necessitate, in alteram partem anima declinatur. Alioqui nec ei culpa, nec virtus posset ascribi: nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur.* Pag. 181. Quæ concinunt Augustino tradenti congruis visis intus moveri eximitùsque corda hominum, & quo Deus cumque voluerit inclinari.

Luthero rursus Augustinum obtendenti, qui ait à Deo nolentes converti & reluctantes, sicut exemplo Pauli monstratum est, ipsiusmet ex Augustini verbis & sententiis hæc replicat Roffensis: *Non opinamur Dei misericordia quenquam invitum cogi. Quod & Augustinus eodem libro quem tu citas, hoc est contra duas Epistolas Pelagianorum testatur, ubi & de Pauli vocatione mentionem facit. Quis inquit trahitur, si jam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari. Non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. De quo tractu fusiùs agit super Joannem: ubi etsi non trahimur, orare nos, ut trahamur. Sed & ovium ac puerorum exemplo docet, qualis fuerit is tractus, non violentus utique, sed placidus. Neque enim vim inferri voluntati, sed amore potiùs eam duci putat. Talis, inquit, est ac si ramum viridem cum ostendis ovi, & illa trahitur: aut cum nuces puero demonstrantur, & trahitur ipse.* Pag. 182. Tract. 26. Vult ergo Roffensis ita indeclinabiliter nos trahi à Deo, ut nec de omnipotentia Dei, nec de libera indifferentia nostra detrahatur quidquam. Id enim palam faciunt exempla ovis, pueri, gregis, qui trahuntur, quia persuadentur, sic ut sua illis etiam indifferens libertas illæsa permaneat, quod de ove clementer accipiendum est. De indifferentia enim agit Roffensis, cùm cogi nos à Deo negat. Alioqui Luthero consentiret, qui & ipse cogi nos negabat, aut invitos trahi, etsi eam necessitatem invehieret, quam tota virium contentione labefactare nititur Roffensis. Denique ex toto contextu operis, & vel ex iis quæ suprà de generali gratia excerpta à nobis sunt, liquidum est, libertatem nunc hominis à Roffensi in indifferentia locatam esse: ita ut dissipetur libertas nostra, nisi semet ipsa quolibet determinet, quantislibet visis congruis illecebrisque delinita.

Pergit Roffensis edisserere tractum illum insuperabilem, & libertati tamen nostræ innoxium: Lib. 4. *Duplex itaque tractus est, alter per timorem, per amorem alter. Sed prior ille sic posteriori inservit, sicut amori timor. Præcedit enim timor, & post timorem amor subsequitur. Sic & Paulus vehementi primùm

primùm timore concussus, subinde tractus amore fuit. Quemadmodum & de correctione D natistarum ad Bonifacium scripsit idem Augustinus, Quem major timor compulit ad charitatem, perfecta charitas ab eo foras misit timorem. Quando sic timore concussus fuit Paulus, nondum fuit in gratia; & tamen Dei misericordia sic prævenit eum, ut postea consentiret in gratiam, & ad eandem se pararet. Timori gehennæ vel in ipsa Pauli conversione pars utique permagna tribuitur ejus efficaciæ, qua Pauli contumacia fracta est, & voluntas ejus edomita, adductaque ut consentiret gratiæ charitatis.

Aliò spectat, sed tamen huc quoque lucis conferre nonnihil potest, quod idem alibi profert liberæ nostræ voluntatis documentum. Quàm multa enim sunt quæ etsi possint & proximè possint homines, certissimè semper tamen iis abstinebunt, & omnes, & semper; aut penè omnes, & penè semper, Gulam sibi frangere, in propatulo canum more indulgere infandæ veneri, & id genus alia sexcenta nemo hominum non liberè potest: & tamen quotusquisque hæc perpetrat? Nemo propemodum in tota & tam numerosa generis humani republica, in tanta sæculorum serie. Ergo si pudoris innati retinaculum, si evidentia rationis ita invictissimè torquet voluptates liberas, ut incolumi differentia sua, nusquam & nunquam agant, quod possent: quanta & quàm varia, quàm congrua, quàm visibilia, quàm multiplicia ejusmodi vincula & machinamenta in manu sunt Dei summè sapientis & summè potentis, ut quo ipse eumque volet & unde volet, inducat, vel abducat homines; ita persuadendo rationem, & afficiendo voluntatem, ut indifferentiam suam determinent: ipsimet & inflectant in eam partem, quam constituerat Deus? *Cur in foro, cæterisque*
pag. 185. *locis publicis, ubi fœminæ viris, virique fœminis coram præsentes sunt, abstinetur, ut non more canum se publicitus cognoscant, & ea quæ sunt necessitatis peragant? Quod si dixeris humanum pudorem id prohibere, &c.* Enimverò hoc pudoris indeclinabili vinculo omnipotens Deus constrixit homines, ut se homines quo volunt, per indifferentem libertatem determinent, nec alio tamen se deflectant, quàm quo Deus sancit, & ducit, suaviter & omnipotenter consulens humano generi, ne vel per impudentiam prorsus obbrutescat, vel per insaniam in semet sæviendi omnino & præmaturè intereat.

GERMANI

EX CATHOLICIS SCRIPTORIBUS qui Lutheranæ conflagrationi primùm exorienti restiterunt,

Ostenditur gratiam Christi specialem & propriam fuisse charitatem habitualem, generali præterea gratia opus esse, qua peccata vitare, & præcepta implere possint, etiam qui nondum justificati sunt.

Censura Parisiensis & Lovaniensis. Erasmus Roterodamus, Eckius, Cochlæus hìc intexuntur.

MAnus cum Luthero conseruit EcKius, ejusdem cum ipso Vitembergensis Academiæ Doctor Theologus, sed Catholicæ fidei defensione longè clarissimus, & hæreseos in ipsis ejus jucunabulis oppugnator, in disputatione scilicet Lipsiensi, anno MDXIX. Cùm enim urgeret Lutherus peccari per actus singulos, qui non ex gratia, seu ex charitate existant: atque ita nullam nisi charitatis gratiam agnosceret; contra insurgebat Eckius præter specialem charitatis gratiam, qua justificamur, esse & aliam generalem, maximè timoris gehennæ, qua movet & prævenit nos Deus, ut ad justificationis gratiam progrediamur. *Hunc* Tom. 1. oper. Luth. Pag. 286. *timorem inquantum disponit ad veram pœnitentiam, prævenire inspiratione divina nullus negavit. Nam indubitatum est apud Christianos contra Pelagii perfidiam, quod salutis nostræ initium Deo inspirante habemus. In uno tamen videtur mihi Lutherus æquivocatione falli, quod hanc gratiam qua Deus prævenit corda hominum movendo, credit esse charitatem, cum sit aliud gratum Dei munus, Timor medicamentum est, charitas sanitas.* Vides ante gratiam charitatis, cui uni consentiebat Lutherus, opus esse antecunte & præparante gratia quapiam generali, puta timoris, quo veluti vehiculo à peccato ad justificantem charitatem attollamur.

Et ibidem iterum Eckius: *Gratiam Lutherus assumit prævenire timorem & amorem. Quod si loquitur de gratia motionis divinæ, qua Deus nos aspirando prævenit, fateor quidem tunc. Si autem loquitur de gratia charitatis, illud non accepto.* Et timori enim alicui Lutherus applaudebat, sed filiali, qui charitatis gratiam sequeretur; non servili, qui antecederet. At Eckius timorem quoque servilem acceptum Deo referebat, & *gratiæ motionis divinæ*, vel *primæ motionis*. Cui gratiæ irascebatur Lutherus, timore servili semper peccari ratus. En verba Lutheri: *Non accepit Eccius, quod gratiam dixi prævenire amorem & timorem, nisi loquar de gratia primæ motionis. Ego cum Apostolo & Augustino sentio, quod nisi lex diligatur, quod est charitatis & non primæ motionis, non bene vivitur, nec Deus timetur, nec colitur.*

Detonuit in Lutheri propositiones L. censura Sorbone anno MDXXI. Hæc Lutheri propositio, *Lege manifestata, aut in memoriam revocata, mox sequitur augmentum peccati, si gratia desit*: his verbis inuritur: *Hæc propositio loquendo de gratia gratum faciente est falsa, à Scripturis aliena.* Et hæc rursus, *Opera quæcumque ante charitatem, sunt peccata, & indisponentia ad gratiam, & damnabilia*: hoc cauterio aduritur: *Hæc propositio est falsa, hæresin sapiens, &c.* Et hæc rursum, *Qui bonum opus, aut pœnitentiam à peccatorum detestatione ante dilectionem justitiæ incipi, nec in eo peccari asserit, inter Pelagianos numerandus est*: hoc jaculo configitur: *Hæc propositio est falsa & ignoranter asserta, capiendo dilectionem justitiæ pro charitate, seu gratia gratum faciente.* Parco tempori & calamo, ne plures & erroris & censuræ articulos attexam. Ubique patet Luthero non aliam gratiam placuisse, quàm *charitatis*, & justificantem: Catholicis aliam magis generalem præterea approbatam esse, maximè timoris, qua & peccata vitare, & ad justitiam se queat disponere, quem nondum charitas justificavit. Nusquam de Luthero conqueruntur, quòd gratiam charitatis revocet ad solam justificantem; sed quòd non aliam etiam magis generalem confiteatur.

Tom. 2 Op Luth. p. 186. &c.

Promulgarunt Lovanienses contra Lutherum articulos XXX. anno MDXLIV. quorum quartus hic est, *Gehenna metus ad veram animi contritionem præparat.* Septimus autem, *Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male, & cum gratia Dei bene agere; & post peccatum mortale admissum Deo adjuvante pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.* Uterque gratiæ generalis præter specialem assertor est.

To. 2. op. luth.

Propositionum Petri Malvendæ in colloquio Ratisbonensi anno MDXLVI. hæc fuit septima, ex qua edisces, quàm verè propria & specialis gratia Christi sit, ea quæ peccata delet, atque vires aggerat ad opera bona quælibet; sub-

pag. 106.

subintellecto interim, quod nusquam abest, auxilio Dei moventis. *Is cui remissa sunt peccata, potest auxilio gratiæ Dei, sic implere præcepta Dei, ut Deo & proximo reddat, quod debet. Quod dum facit, non solùm non peccat mortaliter, sed potius est justus apud Deum, & legis impletor; & ejusmodi homines verè justi sunt apud Deum, & legem ejus implent; quia gratiam habent omnino peccata delentem, & suggerentem vires ad implendam legem.*

Sed ad Erasmum Roterodamum venio, qui cùm Luthero confligere adductus tandem est Catholicorum omnium hortatu precibusque impensissimis. Magno sanè eruditionis penu redundasse illum nemo nescit: si cæteris quàm Theologicis Scholasticisque disciplinis ornatior locupletiorque fuisse quibusdam videatur, nihilo moror: sed vel hinc plusculum fidei & authoritatis accedet ejus dictis, quod non sui cerebri insomnia, sed vulgatissimæ inter Catholicos doctrinæ placita consignabit. Ille ergo in *Diatriba de libero arbitrio* sic habet: *Ratio per peccatum obscurata est, non extincta: voluntas, qua eligimus, vel refugimus, hactenus depravata fuit, ut suis naturalibus præsidiis non posset sese revocare ad meliorem frugem; sed amissa libertate cogebatur servire peccato, cui se volens semel addixerat. Sed per Dei gratiam condonato peccato, hactenus facta est libera, ut juxta sententiam Pelagianorum, absque præsidio novæ gratiæ posset adipisci vitam æternam: sic tamen ut salutem suam Deo ferret acceptam, qui & condidit, & restituit liberum arbitrium: secundùm orthodoxos, sic posset ope divinæ gratiæ, semper adjuvantis conatum hominis, perseverare in recto statu, ut tamen non careret proclivitate ad malum ex semel inoliti peccati vestigiis. Quemadmodum autem progenitorum peccatum in posteros derivatum est, ita & ad peccandum proclivitas transiit in omnes: quam gratia peccatum abolens hactenus mitigat, ut vinci possit, non extirpari. Non quod hoc non possit gratia, sed quia nobis non expediebat.* Hic vides Pelagianos non aliam agnovisse gratiam, quàm qua *peccata condonantur*, at orthodoxos amplecti gratiam *semper adjuvantem* conatus nostros, eandemque tum *peccata abolentem*, tum *mitigantem* reliquas post justificationem concupiscentias, ut *vinci possint*, *non extirpari*; hoc est, ut per gratiæ habitualis vires possit justus non consentire concupiscentiis, etsi non possit non concupiscere: possit mortalia omnia, non possit omnia venialia effugere peccata.

Sed infrà idem Erasmus cùm Scholæ Magistros in nonnullis dissidere monuisset, hanc tandem velut summam vulgatissimæ Theologiæ colligit: *Itaque cum gratia significet beneficium gratis datum, tres, aut, si mavis, quatuor gratias ponere licebit. Unam naturæ insitam, & per peccatum viciatam, ut diximus, non extinctam, quam quidam vocant influxum naturalem. Hæc omnium communis, manet etiam perseverantibus in peccato. Liberum est enim illis loqui, tacere, sedere, sublevare pauperem, legere sacros libros, audire concionem: sic tamen ut ista secundùm opinionem quorundam nihil conducant ad vitam æternam. Nec desunt tamen, qui considerata immensa Dei bonitate, dicant hactenus hominem proficere hujusmodi benefactis, ut præparetur ad gratiam, ac Dei misericordiam erga se provocet. Quanquam sunt, qui negent hæc etiam fieri posse sine gratia peculiari. Hæc gratia quoniam est omnium communis, non dicitur gratia, quum revera sit: quemadmodum majora miracula quotidie Deus edit gigneudis rebus, conservandis, & gubernandis: quàm si sanaret leprosum, aut liberaret dæmoniacum. Et tamen hæc ideo non vocantur miracula, quia ex æquo quotidie præstantur omnibus. Altera est gratia peculiaris, qua Deus ex sua misericordia peccatorem nihil promeritum stimulat ad resipiscentiam; sic tamen ut nondum infundat gratiam illam supremam, quæ abolet peccatum, ac Deo gratum facit hominem.* Sic Erasmus triplicem delineat gratiam, *generalem*, *peculiarem*, *gratum facientem*. Duas priores distinxit Bonaventura cum aliis, illam *influentiam generalem*, hanc *gratiam gratis datam* dixit: utramque cum pluribus aliis sanctus Thomas conflavit in unam, & *auxilium Dei moventis*, vel generalem influentiam votavit. Omnes porrò has velut præludorias gratias diligenter ab ea distinxerunt, quam Erasmus hic vocat *Supremam illam gratiam*, quæ gratum Deo facit.

Referamus nos denuo ad descriptionem secundæ gratiæ, seu peculiaris & ad gratiam præparantis justificantem: Videat eam omnibus esse communem jubeat Schola. Pergit Erasmus: *Itaque peccator adjutus gratia, quam diximus operantem, displicet sibi, tametsi nondum exuit affectum peccandi: tamen eleemosynis, precibus intentus, sacris studiis, audiendis concionibus, interpellandis piis hominibus, ut pro se Deum orent, aliisque factis moraliter, ut vocant, bonis, summæ illius gratiæ velut candidatum quemdam agit. Existimant autem gratiam, quam nunc secundam facimus, per Dei bonitatem nulli mortalium deesse: quod divina bonitas singulis in hac vita suppeditet occasiones idoneas, per quas possit respiscere; si quod reliquum est in ipsorum arbitrio, accommodent ad opem numinis, velut invitantis, non compellentis ad meliora.* Hæc secundæ gratiæ delineatio est, quæ *nulli mortalium deest*, ideoque à quibusdam sub nomine generalis gratiæ, vel generalis influentiæ, vel auxilii Dei moventis comprehenditur. Quæ per hanc fiunt, *moraliter bona* dicuntur, imo & à quibusdam fieri dicuntur viribus naturæ, quia hæc gratia communis omnium est, & ne gratia quidem perlæpè vocatur, etsi *revera sit*: sicut nec miracula dicuntur, quorum crebritas & frequentia admirationem extenuavit. Gratia autem omnibus dicitur illa *summa gratia*, seu justificationis.

De hac summa & suprema gratia, seu justificante, sic ille ibidem: *Quoniam autem immensa Dei charitas erga genus humanum, non patitur hominem frustrari etiam illa gratia, quam gratum facientem vocant, si totis viribus eam ambierit: fit ut nemo peccator debeat esse securus, nemo rursus debeat desperare. Fit item illud, ut nemo pereat, nisi suo vitio.* Et illico de tribus his gratiæ gradibus, *Est igitur gratia naturalis: est gratia eximulans, licet imperfecta: est gratia quæ voluntatem reddit efficacem, quam cooperantem diximus, quæ quod cœptum est provehit*: quibus quartam tandem addit perseverantiæ gratiam, *Est gratia quæ perducit usque ad finem.* Hic vides *efficaciam* tribui gratiæ habituali. Cui eam rursus adscribit infrà, ubi ait meritò refelli eos, *qui negant hominem quantumvis justificatum dono fidei & charitatis, ullum Dei præceptum implere posse.* Et infrà de discrimine secundæ & tertiæ gratiæ, *Non sequitur ex hoc, quod ante gratiam gratum facientem, non possit homo adjutus auxilio Dei, per opera moraliter bona sese præparare favore divino, quemadmodum legimus de Cornelio Centurione, &c. Si omnia opera mala sunt, quæ fiunt ante gratiam illam summam, an opera mala conciliant nobis favorem Dei?* Sic ille, perinde ut suprà Parisienses & Lovanienses non expostulabant cum Luthero, quod gratiam sanctificantem existimaret summam, supremam, propriam & specialem gratiam; quodque hanc interpretaretur Pauli & Augustini charitatem diffusam in corda per Spiritum sanctum simul illabentem, dilectionem delectationemque justitiæ, charitatem: sed illud crimini dabant, quod non præterea subscriberet gratiæ generali ad illam præparanti.

Quì libera autem nostra voluntas cum gratia concurrat & collaboret, & gratiæ tamen Deitorum

tum jure suo detur, sic ille ex Catholicorum sententia exponit: *Orthodoxi Patres tres gradus faciunt operis humani: cogitare, velle, perficere. In primo ac tertio nullum locum tribuunt libero arbitrio quidquam operandi. Animus enim à sola gratia impellitur, ut cogitet bonum; & à sola gratia peragitur, ut perficiat, quod cogitavit. Caterùm in medio, hoc est in consensu, simul agit gratia, & humana voluntas: sic tamen ut principalis causa sit gratia: minus principalis, voluntas.* Et infrà: *Tantum in cursu tribuunt nonnihil hominis voluntati, quæ se non subduxerit gratiæ Dei, &c. Cùm perpusillum sit quod hìc agit liberum arbitrium, & hoc ipsum quod agere potest, sit divinæ gratiæ, quæ primùm condidit liberum arbitrium, liberavit etiam & sanavit.* Et ut cavillandi ansas amputet, exemplo rem agit, & quidem quo frequens utitur Augustinus: *Oculus hominis quamvis sanus, nihil videt in tenebris; excæcatus, ne in luce quidem. Ita voluntas quamvis libera, nihil tamen potest, si se subducat gratia. Et tamen infusa luce, potest occludere, qui sanos habet oculos, ut non videat: potest & oculos avertere, ut desinat videre, quod videre poterat. Plus autem debet, qui oculos habebat excæcatos, vitio quopiam. Primùm debet conditori, deinde medico. Ante peccatum utcumque sanus erat oculus, peccato vitiatur oculus. Quid hic sibi potest arrogare, qui videt? Est tamen quod sibi imputet, si prudens claudat, aut avertat oculos.* Gratiæ ergo totum debetur, sicut sananti & illuminanti totum debet, qui videt oculus; etsi utrobique spectetur adjutorium sine quo non fit res, non quo fit. Etsi enim possit oculos claudere, qui sanatus & illuminatus est, tumque sibi debeat, si non videat: non tamen ullo pacto sibi debet, si videat.

Denique nec illud efficacissimum auxilii genus fluit Erasmus, quo Deus voluntates invictissimè liberas contorquet quo vult, sive in bonum bonas, sive in malum malas. Ex Origene, Hieronymo & aliis exponit induratum esse Pharaonem per patientiam & beneacta Dei, quibus emolliri debuerat: *At Pharaonis malitia Deus abusus est in suam gloriam, & ad salutem populi sui, quo perspicuum magis esset homines frustra conari, qui Dei voluntati resistunt. Nec tamen ideo vis fit nostræ voluntati, si rerum eventus in manu Dei est, aut si ille conatus hominum pro suo arcano consilio aliò vertit, quàm illi destinarant. Quemadmodum igitur malorum conatus vertit in bonum piorum, ita bonorum conatus non assequuntur quod expetunt, nisi adjuti gratuito Dei favore.* Mox ait *occasiones* justè suppeditari, quibus exerat se malitia cordis intima. Denique instrumenta Dei nos esse ait, sed ut servos domini. Quæ ab Augustino propè absunt, ajente à Deo omnipotenter inclinari corda hominum, sive in bonum, sive in malum, si mali jam sunt.

Cap. 18. Idem Eccius, aut Ekius in *Enchiridio locorum communium*, docet ex Catholico sensu *Deum esse causam primam omnium rerum, & nihil sine ipso fieri posse; unde ad omnem effectum naturalem influit generaliter, & ad operationes bonas rationalis creaturæ concurrit etiam speciali influxu. Deinde fatentur Catholici liberum arbitrium ex se solo non posse in bonum, & nihil esse: sed gratia Dei facit, ut aliquid possit. Ideo nullus homo ex se cogitat aliquid boni, sed ex gratia Dei speciali. Tertiò dicunt hoc non solùm intelligi de gratia, quæ est charitas, & gratum facit Deo; sed etiam de motione gratuita prævia, qua Deus inspirat, pulsat, & vocat hominem ad bonum.* Vides, ut propriè gratiam vocet charitatem justificantem. Item ut ab ea distinguat *motionem* gratuitam, qua præparatur quis justificationi. Item ut hoc utrumque auxilium vocet *influxum specialem*, quem secernit ab *influxu generali*. Invidiam Pelagianæ hæreseos conflabant Lutherani *Ecclesiasticis Patribus & Scholasticis*; à quibus hanc propulsat Ekius; *Non enim negant peccatum originale, non dicunt hominem ex puris naturalibus salvari; sed constanter affirmant gratiam necessariam.* Addit denique Ekius, *ex præscientia Dei non posse concludi, omnia ex necessitate evenire; & ita actus nostros esse necessarios, necessitate absoluta, quæ dicitur necessitas consequentis; sed bene necessitate conditionata, quæ dicitur necessitas consequentiæ, cum qua stat libertas arbitrii in humanis, sicut etiam rerum contingentia in contingentibus.* Præscientiæ nomine etiam providentiam & prædestinationem complectebatur tum Ekius, tum Lutherus. Ex hac enim maximè necessitatem rebus omnibus hic invehebat, ille refellebat. Certitudinem ergo providentiæ & prædestinationis infallibilem non aliter poterat Ekius satis vendicare ab injuria oppressæ libertatis nostræ, quàm per varia media, quorum alia aliis deficientibus sufficerentur.

Idem Ekius alibi ait, *Baptismo conferri gratiam Dei, & reliquas duas virtutes Theologicas, fidem & spem. Hoc negari à Luthero in omnibus Sacramentis.* Si objicias autem, ubi puer baptizatus adolescit postea, nulla fidei hujus vestigia eminere in ejus animo, aut voluntate: Respondet, ut in natura præter calorem, quo actu calida ferveſcunt, est calor quidam potentia rebus aliis insitus, qui tum demum emicat, cùm excitatur: ita infusas virtutes tum demum effervescere, cùm acquisitis virtutibus excitantur. *Accedente jam rationis usu in parvulo, cùm jam paulatim fidem addiscere, & amare Deum incipit, tunc sanè virtutes illæ infusæ excitantur, ut jam parvulus iste multò sit promptior ad discendam fidem, ac diligendum Deum, quàm si virtutes infusas non haberet.* Hom. 11. de Bapt.

Joannes Cochlæus in discussione articuli decimi-octavi Confessionis Augustanæ, qui est de libero arbitrio, hæc habet: *Potest homo legem Dei facere suis viribus quoad substantiam actus, licèt non possit meritoriè sine gratia Dei. Sed neque substantiam actus facere potest sine quocumque Dei auxilio: Deus enim est in quo vivimus, movemur, & sumus. Ipse est primus motor, primus actus, primum esse, sine quo nullus queat homini esse motus, nullus actus, nullum esse, nulla natura, aut essentia; omnia à Deo habet, tam vires proprias, quàm naturam ipsam. Omnia ipse debet. Quid enim habes quod non accepisti? Noli ergo tibi deesse, conare uti viribus tuis, tibi non frustra datis. Deus conatibus tuis pro summa erga omnes bonitate sua non deerit. Noli ignaviter desperare, noli Deum impiè accusare tyrannidis, tanquam exigat à te impossibilia, &c.*

EX ENCHIRIDIO CHRISTIANÆ Institutionis Pollicitæ in Concilio Coloniesi anni MDXXXVI. sive ex Groppero Cardinali designato.

Gratia justificans est charitas, dilectio justitiæ, inspiratio amoris ex Paulo & Augustino; sanitas, robur ad bene operandum. Est & gratia generalis, quæ nulli deest ad non peccandum & ad conversionem. Est denique gratia maximè specialis & efficacissima, ex conspiratione plurium auxiliorum, & protectione Dei.

INhabitantis Spiritus & justificantis gratiæ efficaciam ita declarat author hujus institutionis, *Hæc est eximia Baptismi virtus, quod non tantùm peccatum tollit; sed & contra fomitem gratiam confert, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus, quod ut facere possimus, impartit nobis Deus in Baptismo Spiritum; cujus ductum sequuti, non in nostra, sed* De Baptis. pag. 81.

in ejus

in ejus virtute, de concupiscentia ac diabolo triumphemus, &c. Orandum cum Paulo, ut Spiritus ille in Baptismo nobis collatus, integer perseveret in nobis: nimirum ut gratia Spiritus sancti, que spiritum nostrum movet, incitat, purificat, fovet ac confirmat, nunquam auferatur à nobis; sed in visceribus nostris continuò innovetur, ut illius virtute justificatio legis impleatur in nobis. Non potuit luculentiùs commendari vis, fœcunditas, vigor, efficacia Spiritus & gratiæ & charitatis inhabitantis ac justificantis, ad edomandas carnis cupiditates, & individuè illi cohærens tota supellex motionum actualium ad id necessaria.

Nec aliter infrà de Apostolis præmittitur, ut die Pentecostes ea plenitudo Spiritus & charitatis eis sit illapsa, à qua deinceps infracti steterint adversùs sævientis mundi procellas, qui antè ad auram periculi leviſſimam trepidabant: quod non de actualibus adjutoriis, sed de habituali charitate capi necessum est; cui pro sua vi vehementissima, ita Deus deinceps cooperetur, sicut & formis omnibus pro suo cuique modo opitulator adest. Tum deinde subditur in sacramento Confirmationis rem non omnino dissimilem con-

De Confir. Pag. 85 tingere. *Hoc in sacramento Confirmationis agitur, ut Spiritum sanctum, quem in Baptissimo ad purificationem & emundationem accepimus, ad robur & augmentum virtutis capiamus: quo adversus mundi peccatorum & diaboli insultus confirmentur, & facti intrepidi, nullis perturbationibus frangi, nullis tribulationibus succumbere, nullis denique terroribus ac cruciatibus à Christo separari valeamus.* Istud robur autem quodnam sit, si quæras, non multò pòst additur, *Hoc Spiritus sancti robur est illa charitas Dei, que diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui nos certos facit: quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Et inter enumeranda ac describenda Spiritus sancti dona, de fortitudine hoc habetur; *Fortitudo quartum donum Spiritus est, quo Dei respectu res labentes forti animo contemnimus, nullis illecebris emollitur, nullis adversis perturbamur, non lucris aut divitiis vincimur, non favore delinimur, sed invictum animum pro conservatione Christiana justitia tenemus.* Quorsum hæc invicta efficacia & vis, si nihil huic fortitudini, totum das motioni vel delectationi actualiter prædeterminanti? Quorsum tantum robur exaggeratur, si cum actuali Adami stantis adjutorio nihil usquam boni agitur, si tantumdem opus præterea est opis actualis, quantum si robur illud desset, quantum ad robur istud per justificationem comparandum?

Pag. 87

Gratiam infrà docet *generaliter & specialiter* accipi. Gratiam generaliter posse dici naturam, quæ nempe nullis meritis creatur. *Gratia verò specialiter accepta, quam doctrina Christiana demonstrat & prædicat esse propriam Christianorum, non est natura, sed est occulta misericordia Dei; qua per subministrationem Spiritus sanatur ac salvatur natura; qua prædestinati vocamur, justificamur, sanamur & glorificamur.* Etenim ubique

De Perfect. Pag. 127 Paulus *gratiam intelligit, qua justificamur ab iniquitate, & qua salvamur ab infirmitate.* Rursus autem hæc propriè Christi *gratia distinguitur in operantem & cooperantem, seu in prævenientem & subsequentem. Deus enim nolentem prævenit, ut bene velit; & volentem subsequitur, ne frustra velit, sed ut per perficere valeat. Operans ergo gratia est, quæ prævenit ac præparat voluntatem: non ut fiat voluntas, quia & ante hanc gratiam voluntas erat: sed ut voluntas bona fiat, & quæ priùs erat serva peccati, liberetur. Cooperans verò gratia voluntatem jam bonam factam subsequitur, ut quod jam vult bonum, perficere possit.* Vides ubique gratiæ nomen & decus gratiæ justificanti tribui, ut ad quam referantur, ut cui conferantur ante & post remissionem peccatorum actualia omnia auxilia, ideoque plerumque ut illi implicata intelligantur & fileantur.

Sed ea non prorsus hìc silentur; unde mox: *Gratia præveniens plurimos habet gradus, & ut summatim dicamus, duplex est. Una qua Deus prævenit peccatorem, ut resurgat: altera qua peccator prævenienti Deo assentiens jam resurgit. Utraque voluntatem nostram prævenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur; in altera voluntas nostra Deum prævenientem subsequens, ei per velle seu assensum, remissionem peccatorum accipiendo, cooperatur.* Hìc perspicuum est in gratia *præveniente*, & operante, ipsam *peccatorum remissionem* & justificationem contineri: ad quam ut principaliorem referuntur motiones omnes præparatoriæ, quæ ita & ipsæ honestantur nomine gratiæ.

Verùm ut infrà traditur, *Gratia præveniens qua* Ibidem *Deus hominem incitat, ut justificetur, gratia quidem Dei est eximia, sed non sufficit, nisi accedat gratia justificans, que voluntatem sanat, & sola facit, ut rectè vivatur.* Habitualis igitur gratia, illa est, quæ justificat, *sanat, sola facit, ut rectè vivatur*: non utique sine actualibus auxiliis, de quibus infrà. Sed cùm varias præparationes justificationi prævias percensuisset, utpote *temperare à malitia, gemere, lacrymari, tundere pectus, reddere alienum, facere eleemosynam de proprio, sitire justitiam*; mox tamen ait, *Jam ut hanc sitim & cetera que diximus conversionis studia, nemo negaverit bona quedam esse, ex Dei gratia voluntati nostræ insita, ob que interdum dicimus hominem talibus votis æstuantem, bonam habere voluntatem; tamen hæc non est illa bona voluntas, seu cogitatio, qua bene vivitur. Hæc enim non accipitur, nisi per fidem justificantem, que voluntatem sequitur, præparatam. Nam ut Augustinus inquit, sine Spiritu non est voluntas hominis libera ad bonum, nisi fuerit liberata. Non autem liberatur, nisi per Spiritum sanctum diffundatur charitas in cordibus nostris; non est libera voluntas, nisi eam liberet gratia per legem fidei, id est, non est libera sine fide operante per dilectionem.* Vides hìc quæ sit Paulo & Augustino *bona voluntas, charitas, liberatrix gratia, lex fidei, fides per dilectionem operans, libera & liberata voluntas, libertas*: non utique aliud quàm gratia quæ justificat, non illud omne quod justificationem antecurrit & adornat.

Ideo quæcumque justificationi præstruuntur bona, non tamen justificationem merentur, nisi ex *condecentia* forsan quadam, seu ex congruo; ersi. P. 118 B *impetrant* & accipiunt. At per infusam charitatem justificantem, Deus *voluntatem nostram immutat, & sic operatur in nobis velle*, utique consentientibus, & ita cooperantibus. Ita immutata & in Deum rapta voluntas, bene & meritoriè deinceps operatur, non sine cooperante gratia.

De hac *cooperante & subsequente* gratia, ita subjicitur: *Postquam per gratiam justificantem, que* P. 130 B *est gratia gratis data, hominis voluntas sanata, & à captivitate peccati liberata est, absit ut jam securam se putet, & post hæc se non indigere Dei gratia ad concupiscentias tentationesque vincendas, & operandum bonum existimet.* Nemo ista potest, nisi *per continuum & quotidianum adjutorium*; cui suffragatur *oratio Ecclesiæ*, quæ petit, quo indiget. *Dicitur autem hæc gratia subsequens & cooperans comitari voluntatem nostram, quod voluntas nostra sanata per gratiam justificantem, jam nacta sit aliquam libertatem repugnandi jam infirmitati suæ, & bene operandi; non quidem jam timore pœnæ, sed amore Dei & justitiæ; quum jam adjuvetur à Spiritu sancto, quem in justificatione Deus nobis impertit, & per eundem charitatem in cordi-*

cordibus nostris diffundit. Ergo gratia cooperans, ipsamet est gratia & charitas habitualis; voluntati quam operando sanavit, sanatæ jam cooperans; nempe quia sanatæ, ideo & valenti jam robustæque ad bene operandumque. Exempla subinde adfert terræ, cui semen; servi, cui talentum concreditur; si quid hinc frugis nascatur, talento & semini, non terræ, aut servo imputandum est; etsi & hic & illa potuerit sterilescere.

De justificatione pa. 153. 164. 165

Prolixè idem alibi exequitur, ut in affectus immutatione, & non in sola peccatorum remissione sit justificatio: *Quis justificatum dixerit eum, cum tantùm sunt remissa peccata, non autem voluntas etiam commutata, nempe ex mala facta bona?* Ex Augustini testimoniis accumulatis hoc probat, maximè ex libro de Spiritu & litera, ubique inculcantis, gratiam justificationis illam esse, quæ non solùm delet peccata, sed quæ legem scribit in corde, quæ charitatem infundit, quæ justitiam facit diligi, quæ lex fidei, lex spiritus, lex libertatis, justitia spiritus dicitur, quæ innovat & liberat hominem: qua sentimus *alio jam affectu nos rapi, quàm priùs; quo affectu peccata, quæ priùs delectabant, ex animo odimus*. Ergo quoties hæc & id genus alia apud Paulum & Augustinum occurrant, tunc gratia potissimum describitur justificans, & habitu affectuque justis inhærens.

Pag. 167

De Contt. p. 136. 333. 334

Nec parcior ibidem mentio habetur gratiæ generalis. *Non habet peccator quod dicat, pœnitere, conteri, de vita in melius commutanda statuere non possum. Nam Deus nulli gratiam subtrahit, sed & non petentes, ac ne cogitantes quidem gratia sua antevertit; petentes verò provehit, sanat, adjuvat, ac confirmat. Imputet ergo æger, cui medicus præsto est, sibi ipsi, non medico, si ejus oblatam medelam recusans, morbo pragravatus extinguatur*. Ita ampliandæ in omnes gratiæ dux Paulus ostenditur; *Esset impiorum excusatio longè apparentior, nisi Paulus tantus esset in amplificanda gratia. Haberent impii quod de sua imbecillitate quererentur, nisi constaret Deum semper paratum esse ad infirmitatem nostram per gratiam suam sublevandam, modò ipsi inspiranti obedire, ac justificanti & adjuvanti consentire & obsequi velimus. Propterea totam percurrentes Scripturam, duriorem censuram nusquam reperiemus, quàm repudiatæ gratiæ*. Et mox, *Nihil ergo mirum, si ille peccato demersus succumbat, hic resurgat; hic enim divinæ gratiæ dexteram non neglexit; sed apprehensa dextera ductu & tractu è peccatorum facibus emersit. Ille verò divinæ gratiæ dexteram sedulò oblatam, ac nunquam subtractam, apprehendere neglexit, & sic in luto peccatorum defixus remansit. Ambo in peccati foveam corruerant; sed hic funem gratiæ demissum apprehendit, & mordicus tenuit & extractus est; ille funem Dei demissum apprehendere neglexit, ita miser in peccati fovea periit*. Nec ipsi Pharaoni divina adjutoria ibidem defuisse ostendit, *adeo ut fractus malis resipiscere, dum vocavit Moysen & Aaron, & dixit ad eos, peccavi, &c. Verùm eum salutaris pœnitentiæ pœnituit, &c.*

Pag. 118.

Et idem antea, *Constat Deum nulli hominum gratia illa generaliùs accepta deesse; adeo ut nullus sit peccator tam sceleratus, cui Deus quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat. Nam per hanc stans ad ostium sedulo pulsat; initium nostræ salutis, quæ est peccati cognitio, in nobis operari desiderans. Et quis tandem est hominum, qui non sentiat se hac gratia prævenirì? Quin & gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus, &c.* Nec Judæ, nec Pharaoni illam gratiam defuisse ait. Si verò Paulus ait Deum sivisse gentes ingredi vias suas: non tamen ex eodem se *expertem testimonii reliquit*, nimirum ut *quærerent Deum, si fortè attrectent eum*. Denique urget velle Deum omnes homines salvos fieri, *ut nemini, quamlibet scelerato gratiam suam subtrahat*.

Pag. 119. Adde & pag. 124.

Et hæc quidem de gratia generali ad fidem & conversionem necessaria. Nam ut vitentur peccata, vide quid idem asserat: *Cùm vires hominis non sint penitus extinctæ, sed vitiatæ; reliquum est in natura hominis naturale judicium, & delectus quidam rerum, quæ sunt subjecta sensui & rationi, & operum externorum; quo fit, ut eadem suis viribus aliquo modo efficere possit*. Cùm ait *suis viribus*, generalem influentiam non excludit, quæ & inter auxilia Dei numeratur.

Pag. 118.

De timore servili sæpè hìc disputatur, ut ad inchoandam pœnitentiam perneccssario, etsi non sufficiente ad totam absolvendam: nusquam innuitur quòd ex eo peccetur. Ex Hieronymo, Gregorio, Basilio multa conglobantur ad commendandam hujus timoris utilitatem, *ut voluntas priùs depravata, recta efficiatur*.

P. 123. 124.

Quod ad tertium gratiæ efficacissimæ genus, illud hìc præmittitur, quod ad conversionem attinet peccatoris, ut inde ad prædestinati perseverantiam in bono, conjectura sit. Ita enim delineatur gratia conversionis & potentiæ efficax: *Prior gratia, qua Deus hominem prævenit & incitat ut resurgat, iterum duplex est. Una generalior quæ est bonus motus, bonaque cogitatio, veluti cùm peccator Dei inspirante agnoscit peccatum suum, cùm terrore gehennæ concutitur, cùm de amittenda æterna beatitudine dolet. Altera specialior est, tot habens species, quot sunt specialis boni motus ad resipiscendum, veluti sunt auditio verbi Dei, immissio adversitatis, quæ ferocientis hominis animum deficit, & ad Deum respicere facit, remotio occasionis peccandi, ablatio seu debilitatio tentationis, & id genus alia. Jam constat Deum gratia illa generaliùs acceptà nulli hominum deesse*. Ita cùm Gentes ex generali gratia Deum cognovissent, & glorificare possent, nec glorificassent, *dimissi sunt ingredi vias suas. Atque eadem omnino ratione fit, ut non omnes motus illos gratiæ specialis omnibus peccatoribus Deus impertiat. In causa enim est peccatoris obduratio, gratiam illam communem, seu generalem repudiantis*. Gratia ergo hæc generalis, cognitionis peccati, timoris gehennæ, motus doloris de amissa æterna beatitudine, omnibus omnino præsto est. Sed hanc repudiantes, possunt non donatià Deo *speciali gratia*, quæ in custodia, protectione, directione Dei ferè ponitur, si hanc ejus descriptionem perpendas accuratiùs. Et ea utique invictissimè efficax est conversionis; cùm tot intus & foris auxilia complectatur.

Pag. 118.

Non erat autem opportunum in Enchiridio Christianæ institutionis de prædestinatione disputare. Obiter alicubi tangitur verissima concordia libertatis cum præscientia & providentia Dei, malas voluntates non faciente, non decernente, sed permittente & ordinante in pœnis. *Prævidit Deus Judæ malam voluntatem, permisit ut proderet Christum, non coactus, sed voluntariè, & decrevit quomodo Judam sic voluntariè peccantem perderet*. Vides quid permiserit, quid decreverit.

Pag. 115.

EX JUDICII UNIVERSITATIS & Cleri Colonienſis adversùs librum Martini Buceri de doctrina & vocatione ſua ad Bonnam, defenſione per Everhardum Billick Theologum Carmelitam & Provincialem per inferiorem Germaniam.

CUm Germanus Colonienſis Archiepiſcopus anno Chriſti MDXLIII. Bucerum evocaſſet, & libellum hic edidiſſet *de doctrina & vocatione ſua* adversùs Cleri & Univerſitatis querimonias; eo de libello *judicium* ſuum edidit *Univerſitas & ſecunda-*

cundarius Clerus Colonienſis, & hujus judicii defenſionem eruditiſſimam evulgavit biennio poſt, ſeu anno MDXLV. Everhardus Billick Theologus & Carmelitici inſtituti Provincialis. Hic ergo duplicem gratiam diſcriminat, ſed cui principatum adſignet, facilè intelliges: *Multiplex eſt gratia Dei,*
Edit. Pariſ. fol. 116. p. 1. *ſed quod attinet ad præſens argumentum, duplex nobis conſideranda venit. Una juſtificans, alia præveniens, ſeu præparans. Utraque gratis datur, & nullis noſtris meritis præcedentibus: attamen non utraque idem operatur. Prior illa incomparabilis, redemptionis, ſanctificationis, & juſtificationis gratia ſola ſalvat. Altera præveniens illa, præſervat à malo ulteriori, & præparat voluntatem noſtram, ut fiat homo aptus majori gratiæ percipiendæ. Sed tamen non ſalvat, neque juſtificat ſola ad vitam æternam.* Principaliter ergo gratia, & ſpecialis illa eſt, quæ immanet, & juſtificat, & charitas Dei ſincera eſt, ut mox patebit, ſeu charitas & gratia habitualis.

De generali autem ſeu præveniente gratia, fusè hìc diſputatur. Et primò poſſe qualemcumque Dei gratiam in nondum juſtificatis inveniri oſtenditur. Id enim nonnullis videbatur inſolens, quòd propriè & uſitatiſſimè non diceretur gratia, niſi quæ juſtificat: reliqua auxilii vel motionis vocabulo
Ibidem. donarentur. *Nec debet hoc alicui mirum videri, gratuitum gratiæ donum dari & conſervari in peccatoribus, cùm Auguſtinus pluribus locis velit ſpeciali gratiæ Dei tributum, quidquid laudatorum & bonorum operum etiam infideles ac idololatræ geſſerunt ſupra naturæ vires. Sic gratia Dei erat donum prophetiæ Balaam, cùm eſſet Balaam peccator, & gratia illa abuteretur.* Ita concludit *omnes bonos motus* voluntatis eſſe à Deo.

Jam verò quàm obvium ſit omnibus hoc auxilium, & in aliis aliiſque majus minuſve pro Dei largitate, noſtro verò diſſenſu non ſemper, ſed pertapè fruſtretur, idem ibidem declarat: *Jam verò ſicut in naturalibus donis habent alii plus alii*
Ibidem. fol. 126. p. 2. *minus, hic tardum, ille præcox & promptum ingenium; ita & in gratuitis unus minorem, alius majorem accipit gratiam. Multi gratiam Dei quæ poterat ipſis eſſe præparatoria, amittunt ſine fructu per negligentiam. In aliis vero augentur hæc dona ſenſim, in his ſcilicet, qui eis non deſunt, ipſaque pro facultate arbitrii ſui amplexantur.* Et mox, prævenientis hujus gratiæ *donum non poteſt ab invito Deo extorqueri, ſed ille nemini ſideliter petenti negat, ultro exponit, & oblatione ejus prævenit appetentes. Non poteſt homo Deum antevertere, qui nunquam in conferendo hoc munere eſt apprehendente poſterior. Nam ſicut lumen Solis prius eſt noſtro aſpectu, & tamen non habetur, niſi quando apertis oculis hauritur: ita & ille prior eſt ſua gratia, quæ tamen non habetur niſi ab accipiente. Quamlibet properet homo, ſemper ille expectat; paratior ad dandum, quàm homo ad accipiendum. Niſi præveniret enim, non invitaret. Omnes vocat, omnibus exponit parata munera.*

Qualis ſit autem hæc præveniens motio auxilii divini, ſic exponit: *Non negaverim aliquantam fidem & amorem aliquantum contritioni præire. Nam quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Et*
Ibid. fol. 125. 114 *quomodo ſperabunt, ſi neque amant, neque credunt? Sed talem fidem & amorem talem habent etiam peccatores, mortui coram Deo, & gravibus peccatis oppreſſi. Eſt fides informis in peccatoribus, & amor informis, quavis glacie frigidior, qualis eſt amor commodi ſui, amor concupiſcentiæ, amor inordinatus. Et tamen hic amor, eſt amor quidam Dei, quem habere poſſunt ſceleratiſſimi, & à Deo longè alieni. Si poſſunt enim idololatræ diligere Deos ſuos falſos, verum Deum quare diligere non poterunt? Si poſſunt homines peſſimi amare ſuos parentes natura impellente, aut benefactores propter beneficia, aut propter virtutem homines bonos? cur non & Deum, qui &c. Hæretici quidam pro Chriſti fide martyrium paſſi ſunt: & quis auſit dicere, hos nullum ad Deum habuiſſe amorem? Itaque eſt fides quædam, & quidam amor in peccatoribus, utraque imperfecta, informis, rudis, inordinata, nullius apud Deum meriti & dignitatis. Talis fides & talis charitas ad initia contritionis ſufficiunt.* Vides quàm latè pateat hęc generalis gratia. Multa ibidem & de dono timoris differit, quæ nos in alium ſeponimus prôprium locum.

At verò dum primò generali, & habituali gratiæ morem gerit homo poſteà, longum intereſt utriuſque obedientiæ diſcrimen. *Itaque homo jam* Ib. n. 7. p. *concipiens contritionem, ſeu pœnitentiam, præbet voluntatem & arbitrium ſuum prævenienti gratiæ Dei exercendum & dirigendum, licèt non tam promptè ac perfectè, quàm facit ille, quem jam gratia juſtificans regit & ducit.* Efficax eſt ergo ſuo quodam modo gratia juſtificans, regitque & ducit hominem, & quidem promptè & perfectè, quod non poteſt gratia generalis tam promptè.

De generali gratia plura excerpere ſupersedeo. Venio ad maximè efficacem propoſiti divini gratiam. Hanc author iſte ſtrictim tantùm attingit, ut quæ tunc in diſputationem non venerat. Summatim tamen reſtatur ſuam hanc de tota Chriſti gratia hactenus explicata ſententiam, *omnium eſſe* Ibid. n. 10. *orthodoxorum, quam Auguſtinus multis voluminibus prolixè explicat, & poſt eum Proſper Aquitanicus, Innocentius, Bonifacius, Zoſimus, Cæleſtinus, &c. tenendam commendarunt.* His ducibus aberrare non potuit à recta prædeſtinationis gratuitæ doctrina.

Sed quamvis præſto ſit omnibus gratia generalis, non tamen ad converſionem pervenitur & juſtificationem, niſi prolixa perſeverantia: in tam longo autem curriculo opus eſſe ſpeciali auxilio Dei protegentis perſpicuum eſt. *Quod ſi non ita ſta-* Ibid. c. 11. *tim ſuccedat, perſeverantia opus eſt, quæ eadem ſæpiùs repetantur. Faciendum nobis eſt, quod faciunt medici boni, qui ubi non levant uno atque altero poculo febres, tertium ſubminiſtrant, ac quartum, & quintum denique, vel plura ſi res poſcat, donec toto vitio hominem repurgent.* Et in hac præparationis mora nemo eſt cui non ſomnus obrepat quandoque, ut jam divinæ ſit miſericordiæ, quibus volet, ſpecialia conferre auxilia. *Debemus quantum poſſumus* Ibid. c. 12. *præparare nos ad Dei voluntatem, & gratiam, atque ita diſpoſitos, committere Deo, ut faciat nobiſcum ſecundum beneplacitum ſuum. Si dat gratiam, hanc ſuæ liberalitati, non noſtræ præparationi debemus aſcribere. Si non dat, non debemus propterea à pœnitentia illa ceſſare. Ipſe novit, quid electis ſuis & quando dare diſpoſuit.* Quantumlibet ergo ſe præparent homines ex generali gratia: Deus tamen gratiam converſionis non dat niſi *electis ſuis*, quia nemo ad præparationis finem uſque perſeverat, niſi ſpeciali auxilio adjutus.

EX CONCILIO MOGUNTINENSI anni MDXLIX. & Catechiſmo ejuſdem, ſeu Chriſtiana Inſtitutione.

Gratia Chriſti ſpecialis & propria, quæ ſanat & roborat voluntatem, quæ poſſibilia & ſuavia facit mandata, eſt charitas juſtificans inhabitanſque. Eſt præterea gratia generalis, etiam ad converſionem aſſequendam invitans & initians, nulli non oblata.

COncilii Tridentini ſententia diluceſcet magis magiſque ex Synodis Provincialibus pauco poſt tempore celebratis. Decernitur ergo in hac Synodo *peccatum* primorum parentum in omnes homines propagari, *ut ſint in peccatum pro-* Cap. 1. *ni, qui per libertatem arbitrii ſui, quæ exigua*

& in-

& infirma in iis residet, nondum adjuti gratia Dei, ea quæ sunt Spiritus, & ad salutem conferunt, non cognoscere, nedum appetere queant. Nihil his elimatius. Itaque ubi nondum adjuvat gratia Dei, sumus in peccatum proni, non inevitabiliter ubique peccamus: nec agnoscere, nec appetere possumus spiritalia & salutis æternæ bona: sed non statim peccatur, si supernaturalia scire, & præstare non possumus; sed si quid committitur in insitam naturæ legem.

Jam verò gratia ibidem incunctanter aperitur, scilicet quæ Baptismo infunditur, eaque non eluens tantùm peccata, sed ad non peccandum cæteroqui innovans, roboransque: *Christo dum per Baptismum* Cap.6. *inserimur, per Spiritum sanctum mundamur, & omnem reatum, quem nascendo vel propriè peccando contraximus, renascendo exuimus, & per Spiritum sanctum sanctificamur & innovamur secundùm internum hominem, viresque contra relictæ concupiscentiæ impetus accipimus; ut jam non regnet peccatum in nostro mortali corpore.* Itaque ut etiam mox subditur, *remissione peccatorum acceptâ, renovamur* Cap.7. *Spiritu Dei, & vires accipimus* contra concupiscentiam.

Præparans autem ad justificationem gratia, quæ præveniens hîc vocatur, ita paulò pòst describitur: *Cùm homo peccatorum suorum admonitus, & à Deo* Cap.7. *justo judice constituta peccatis supplicia metuens, mox excitatus & adjutus gratia Dei, à timore peccati ad misericordiam Dei cogitatione deflectit, & spem concipit propter Christum, & Deum diligere incipit, &c.* Ubi duplex gratia præveniens significatur, primùm timor gehennæ, secundò & magis proprie initia quædam fiduciæ, spei, dilectionis Dei.

Quàm efficax sit autem charitas justis inhabitans ad opera bona, sic declaratur: *Charitatem verò sine* Cap.8.9 *qua nemo justus esse potest, jam tum cum in justificatione hominis accedit, operibus bonis gravidam esse, nec otiosam manere in justificatis; quin oblata occasione & facultate permissa promat de se opus bonum, & justitiæ quotidiana faciat incrementa.* Infusa porrò per Baptismum, aut per quamlibet justificationem charitas, si ad bona opera vires dat, si efficax est, si otiosa non manet, utique id supponitur ratum certumque nusquam deesse auxilia motionum actualium. Unde subditur opera bona ex charitatis radice pullulantia, vitæ æternæ meritoria esse, quia gratiæ Dei effectus sunt, & movente & adjuvante Spiritu sancto sunt. Ubi gratia dicitur, quæ justificata motio & adjutorium Spiritus sancti auxilium actuale cooperans.

Ideò postea subditur ob inhabitantem maximè gratiam Spiritus sancti possibilia esse renatis & justificatis mandata Dei: etsi & actualia cooperationis divinæ auxilia peræquè necessaria sint. Sed cùm hæc sint quasi consentanea illius, sicut & fuere præludoria; ideò principaliter gratiæ nomen, & præceptorum possibilitatis gloria illi dedicatur: *Mandatorum Dei observatio renatis ac justificatis* Cap.9. *est possibilis, non secundùm naturæ infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem: sed secundùm gratiam Christi, qua imbuti sunt, & secundùm opera Spiritus sancti, quem renati ac justificati acceperunt. Ut jam divinorum præceptorum observatio renatis tantò sit possibilior, quanto majorem gratiam, eodem semper opitulante Spiritu, vel semel acceptam retinent, vel amissam novo subinde munere recuperant.* Vide quàm magnifaciat, quàm ostentet gratiam possibilitatis mandatorum, scilicet quam renati ac justificati acceperunt, qua imbuti sunt, quam acceptam retinent, vel amissam recuperant; etsi non desint actualia auxilia, quæ obiter innuuntur his verbis, semper opitulante Spiritu. Ita & in Cap.17. Confirmationis sacramento, fiduciam & robur contra vitia accipimus: quod convenienter de aliis Sacramentis intelligi par est.

Promissa est in eodem Concilio Institutio Christiana, quæ & illi subtexitur. Hic charitas Baptismo infusa animis ita efficax describitur & robusta: *Opus peculiariter attributum Spiritui sancto est; per* In Symbol. Apost. ar.9. pag.47. *infusam in Baptismo charitatem, concupiscentiæ impetus reprimere, & voluntatem nostram ad bonum convertere, opera carnis mortificare, desideria sancta in nobis suscitare, & ad bonum efficiendum vires suggerere. Non est in hominis potestate & natura, vel cogitare bonum, vel facere, sine ope & afflatu Spiritus sancti, sine quo imbecilles & infirmi, cum ipso autem & per ipsum ad omne opus bonum efficaces & validi sunt omnes, qui ex aqua & Spiritu sancto renati sunt.* Præclarè omninò dicitur justos esse efficaces & validos ad omne opus bonum, ex quo Spiritum sanctum in Baptismo perceperunt. Hæc enim est efficacia charitatis infusæ in Baptismo, quam irritam facimus quandóque nostro renisu: *Fit autem dum acceptam in Baptismo Spiritus sancti gratiam negligenter custodimus, & magis secundùm carnis desideria declinamus, quàm ut Spiritus S. ducatum ad bonum sequamur: ut in peccata sæpè relabamur. Ubi rursùs novo Spiritus sancti afflatu indigemus, &c.*

Et sanè decerptum quid videretur de Baptismi præstantia, si concupiscentiæ reatum absolveret solùm, fomitem ipsum dimitteret, nec vires subministraret, quibus illum contereremus. Unde De affectu Bapt.p.116. ibidem infrà: *In eo autem virtus Baptismi non imminuitur, imò commendatur, qui non solùm omnis peccati reatum nobis semel ademit, sed contrà remanentem concupiscentiam & desideriorum bella in nobis cientem, vires suggerit impartito Spiritu S.* Et congestis Pauli ad id testimoniis: *Vides itaque totum Baptismo conferri, ut & præterita delicta mundentur, & contra futura pugnaturis vires suppetant; & sic omnis in homine sanitas Baptismi virtute incipiat & perficiatur.* Primarium ergo & principale istud est adjutorium ad debellandas toto in vitæ stadio cupiditates, quo in Baptismo donamur, charitas cum Spiritu sancto hospite infusa; quando id unum ferè ad nauseam usque inculcatur, & actuales motiones præterea necessariæ non defuturæ innuuntur sæpiùs, quàm exprimuntur.

De timore servili infrà asseritur, quòd inter modos excitandæ contritionis is *præcipuus sit &* De Contr. pag.175.176 *à timore pœnitentia concipiatur, teste Augustino,* 176. *adeò ut qui sine timore est, juxta dictum Sapientis, justificari non potest.* Ex Augustino mox afferuntur aliqua, timori huic parum propitia, additur verò, *Per accidens tamen servilis timor ad pœnitentiam & conversionem plurimum deservit. Siquidem ad justificationem hominis propinquus gradus est, à peccando desistere. Per hunc gradum paulatim subducit hominem timor, qui vitia reprimit, & improbas cupiditates metu futuræ pœnæ restinguit.* Multa denique penè atrociter contra hunc timorem dicuntur, sed quòd vel peccatum sit, vel culpæ affine sit, quod ex eo fit, id nusquam innuitur, quin utilis minister & initium contritionis dicitur, quòdque post peccati declinationem per Dei misericordiam introducat in cor charitatem.

Quàm verò generalis sit Dei gratia, sic infrà: *Admonendi sunt homines, ne conversionem à peccatis de suis viribus præsumant, sed à Deo expectent, oblatamque totam Deo acceptam ferant, ex quo omnis est sufficientia nostra: qui & velle in nobis operatur & perficere, &c. Firmissimè autem tenendum est, benignum & liberalem Deum nulli homini quantumvis malo & perverso gratiam suam subtrahere. Qui juxta Joannis testimonium stat ad singulorum ostia, & pulsat; adeò ut etiam adversos à se ultro sequatur, & ad gratiam suscipiendam amanter invitet.* Quod ex Jeremiæ & Ezechielis verbis ibidem constituitur. Non potuit disertiùs gratiæ hujus generalitas stabiliri; non qua peccata tantùm vitari possint, sed quod ampliùs omninò est, qua fides & conversio incipi, perficique possit.

Duo hìc advertit author hujus institutionis: *Unum est, si quid in conversione nostrum est, id solum est, quod oblatam Dei gratiam non repellimus: sed vocanti Domino præbemus assensum. Qui assensus noster cùm admodùm sit imbecillis, nequaquam conversionem mereretur, sed admittit solum & suscipit. Itaque hoc necessariò relinquitur, ut totam conversionem nostram in Deum referamus, gratias agentes illi, qui in nobis & velle operatur & perficere.* Ubi liquet primò gratiam hanc conversionis, cùm nulli homini subtrahatur, à multis non tantùm refelli posse, sed reapse refelli & irritari. Cur autem ab aliis abiiciatur, admittatur ab aliis, hìc omninò non inquiritur; nec ea res in Institutione manibus omnium terenda postulabat elucidari. Liquet rursus nostrum assensum inbecillem admodum primò esse, ideòque non esse meritorium conversionis: plerumque enim timore potiùs, quàm charitate exsorquetur. Quipe inter illa initia plurimum timoris, dilectionis pusillum est. Gratis ergo Deus charitatem & justitiam infundit, tametsi consentientibus. Etenim cùm timore & amore agatur voluntas ad assensum, ante justificationem assensio, quæ datur, ex timore magis quia majore, quàm ex Dei dilectione, quia inchoata tantùm, proficiscitur.

Denique additur *alterum, ut cogitemus, quam impudenter scelerati & impii homines, malitiam suam in Deum velut autorem rejicientes, quod converti non possint, impietatem suam excusent, cùm utique nemo rectè infirmitatem suam prætenderit, cui ubique præsens adest Dei gratuitum auxilium.* Ubi perspicis quàm nemo possit vel libertatis inopiam, vel impossibilitatem mandatorum hinc obtendere, quòd desit gratia possibilitatis ad bonum: cùm ea ubique præsens adsit.

Et alibi quantum deteratur de gratia nostræ regenerationis, si dicatur lex nobis impossibilis; In Decalog. pag. 72. *Præcepta Decalogi facere quod jubent, id homini esse impossibile, cùm de renatis asserere audent, gratiam Christi insigni blasphemia afficiunt. Non potest natura infirmitas implere, quod lex exigit: sed in renatis non sic est deprimenda carnis infirmitas, quam habent cum omnibus hominibus communem, ut simul etiam gratia Christi, qua imbuti sunt, quasi infirma & imbecillis incusetur. Insignis in Deum contumelia est, quoniam voluntas nostra per peccatum saucia, ad legis impletionem invalida est, eandem ubi à Deo sanata est, nihilo fortiorem æstimare, sed adhuc pristinæ infirmitatis condemnare.* Ubi lucet primò quæ proprie gratia Christi sit, nempè justificans. Secundò quàm verè ea sanet, roboretque hominem ad implendam legem. Tertiò iniuriam fieri gratiæ Christi, si justificatos eadem infirmitate teneri æstimemus & languere, ac impios, sanitate, & qualibuscumque ad bonum viribus destitutos.

Idem consequenter confirmatur: *Renati ex aqua & Spiritu jam ipsi quoque spirituales sunt, & contra vitia non jam solis naturæ viribus, sed ope Spiritus sancti muniti depugnant, & quod non valet natura, in eis implet gratia Christi. Fides enim impetrat à Deo Spiritum S. Spiritus sanctus in cordibus eorum diffundit charitatem. Charitas adimplet legem, sanans voluntatem eorum, & infirmitatem roborans; ut jam non modò possibilis, sed facilis & jucunda sit omnis obedientia mandatorum Dei.* Ergo gratia Christi, gratia sanans, gratia implens legem, delectatio justitiæ quæ faciles & jucundas facit leges Dei videri, apud Augustinum, quem hæc verba totum redolent, est charitas per Spiritum justificantem diffusa in cordibus.

EX CONRADO CLINGIO
Minorita, Doctore Ephordiensi. Ann. 1535

COnrado Clingio in locis communibus Theologicis pro Ecclesia Catholica, Gratia Christi propria est *quæ datur propter fidem in Christum, Spiritus adoptionis filiorum Dei, nempe Spiritus suavis, voluntarius & pius ac promptus, cujus patrocinio lex voluntariè servatur, atque impletur.* Cap. 17. lit. a. *Et est ipsa gratia quæ confertur homini, qua mediante liberè servat atque hilariter Dei mandata. Ideo dixit Apostolus, Omnia possum in eo qui me confortat. Et præcepta gravia non sunt, cum hac Dei gratia non sunt servatu impossibilia, licèt bene nostris viribus simpliciter citra gratiam.* Et infrà: *Gratia justificat, & non lex. Gratia diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum extinguit & odium concupiscentiam. Gratia igitur facit hilariter servare legem, & ex intimo corde, non solum foris simulare opera.* Quibus apertè proditur gratiæ justificantis necessitas & efficacia.

Et infrà de eodem, *Hæc gratia gratum faciens quando dominatur in homine, aliquem parturit fructum, qui sit inculpatè bonus. Nam si gratia potentior est quam fomes, id quod probat Apostolus, & fomes facit opus malum, cur gratia quæ potentior est, non possit efficere fructum, id est opus inculpatum?* Et infrà, *Gratia est donum creatum, quo Spiritus sanctus datur homini in amicum, est charitas Dei contra fomitem peccati, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, &c. Respicit gratia primò personam quam justificat, tum & opera illius, veluti arboris bona fructus, &c. Et sic Deus dona sua in nobis coronat, quando dat gratuitè primò gratiam, denique propter illam gratiam omnia nostra acceptat.* Vides quo sensu Deus donet merita, & cùm merita nostra remunerat, dona sua coronet, propter sanctificantem gratiam, quæ & bonorum operum, & meritorum fœcunda parens est.

Nec minùs liberaliter idem de gratia generali sentit: *Est voluntas Dei, ut omnes homines salvi fiant. Quod autem non omnes salvi fiant, hæc ratio est, quod plerique non Dei, sed propriam operantur voluntatem in flagitiosissimis peccatis, &c. Deus omnes qui suam divinam volunt exequi voluntatem, non deserit absque speciali auxilio, quando nituntur, & sese præparant ad rectè operandum, &c. Nemini præterea deest auxilium istud speciale, nisi prorsus induratis, & traditis in reprobum sensum, à quibus non injuria propter summam ipsorum ingratitudinem id subtractum est. Et quoniam hoc auxilium nunquam non adest cuique peccatori, potest, cum velit, ad benè operandum sese convertere.* Prolixè idem infrà generalem influentiam constituit, *Sine qua cunctæ res remotus, nec operationem aliquam habere possent. Quam assistentiam generalis influentiæ si creaturæ non haberent, nec operationes suas haberent.*

Et infrà rursum, *Sub præscientia & prædestinatione Deus expectat voluntatem suam, in quam partem velit sese inclinare. Si in partem bonam, consentiendo divinæ voluntati, quæ vult omnes homines salvos fieri, sese inclinaverit, abiiciens obicem, statim Deus sua gratia præsens est, illique gratiam offert & adjuvat, nullique subtrahit necessaria ad salutem, modò quis faciat, quod in se est. Hæc gratia Deus omnibus præsto est, Ego sto ad ostium & pulso.* Itaque si ex generaliore auxilio homo se disponat ad gratiam, non deerit speciale auxilium, quo ad eam perducatur: *Si ad faciendum se homo disposuerit, Deus non deest speciali suo adjutorio, & gratia, ut perficiat.* Et rursum, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ipse Deus præsto est gratia sua, ut si quis velit effici filius, parata sit gratia.* Gratia hìc non dicitur propriè, nisi habitualis & sanctificans, quæ etiam

etiam speciale vocatur auxilium. Illam assequitur quisquis se præparat per auxilium generaliter omnibus obvium, in quo continetur illud etiam, quod alii complures vocant auxilium speciale: *Quando ergo quis fecerit quod in se est, & fuerit adjutus gratia, quæ semper præsto est facienti quod in se est, tunc constituitur arbor bona, cujus fructus boni erunt.*

Utque abiiciatur omnis scrupulus, vide quid sit, facere quod in se est: *Est autem facere quod in se est, quando homo sentit pulsum Dei, & consentit ac obedit illi, juxta illud, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Pulsu autem illo commovetur, & excitatur ad dolendum, & ad Deum pro misericordia clamandum, & ad avertendum se à creaturis ad creatorem, eum præ omnibus diligendo, sic quod deinde propter nullam creaturam velit transgredi mandata ejus. Hoc est facere quod in se est, & amovere obicem. Nemo autem est hominum, qui non aliquando sentiat hunc pulsum Dei, juxta illud, Ego sto ad ostium & pulso. Non excitatur hic pulsus à natura nostra, sed ipsa Dei gratia primò pulsat, & consensus noster tunc dicitur facere quod in se est, illi obtemperando.* Et rursum, *Omnium pene Theologorum est sententia, nempe liberum arbitrium vix, aut nunquam destitui omni gratia gratis data, adjuvante & præparante voluntatem ad habitum, vel usum gratiæ; sive sit habitus, ut timor servilis, vel pietas inserta ab infantia, sive aliquis actus, ut est vocatio, locutio, qua Deus excitat hominis animam, ut se præparet. Et ita semper provenit divina tractio, monitio, aut motio.*

Invictissimam denique electorum propriæ gratiæ efficaciam, qualem Clingius probaverit, colliges primò ex eo quòd contingentia præscit aut à Deo, quia æternus est, cui præteritum, præsens & futurum tempus idem est. Et ex Hieronymo, *Non ex eo quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum.*

Collige rursum ex eodem infrà sic differente: *Differunt hæc duo, præveniri aliquem misericordia Dei, ut benefaciat, & cogi ut invitus benefaciat. Paulus fuit præventus hac Dei misericordia, sed post prostrationem consentit in gratiam. Et si Deus corpori atque membris aliquando infert vim aliquam, sicuti prosternendo corpus, linguam cohibendo vel manus, aut per infirmitatem aliquam, &c. Nullam tamen vim infert voluntati, sed amore potiùs eamducit, nec voluntas cogi patitur. Quando igitur ex timore pervenitur ad amorem, vel ex terrore consentitur gratiæ, ibi voluntas utitur sua libertate. Facit enim Deus aliquando peccatori, sicut parens filio, quem primùm corrigit, ac terrorem incutit: mox nucem, aut pomum porrigit, id est, gratiam suam illi posteà consentienti confert. Sic enim Augustinus utitur exemplo in tractione peccatoris: Sicuti dum ramus viridis ostenditur ovi, aut cùm nuces puero demonstrantur: Sic trahit Deus peccatorem, nullam autem vim facit voluntati.* Ita ex congruitate, multiplicitate, & varietate auxiliorum conflatur gratiæ efficacia secundùm Dei propositum.

Collige idem rursus ex eodem infrà: *Prædestinatio, electio, & vocatio ex Dei gratia est, nullo præcedente merito. Sed inquis, Hic tollitur liberum arbitrium: Responsio secundum Athanasium, Non. Nam electio, vocatio & prædestinatio ex gratia facta, non cogit necessariò hominem, neque impellit, sed exigit voluntatis consensum. Ut exempli gratia dicit Athanasius: Quemadmodum dum ædificanda est domus, in opifice omnia pendere dicimus, tametsi ille opus per se solum exequi nequeat, sed & materia est ad structuram necessaria, atque ministrorum se juvantium servitium. Sed quoniam ipse est ædificator, moderator supremus ædificii, fatemur illius esse omne id opus. Sic etiam de Deo dicere solemus, in ejus potestate cuncta consistere, qui tamen à nobis exigit animi promptitudinem.* Ita prosùs Dei est, ut supremi moderatoris, ad spiritalis demus suæ prædestinatam fabricam homines vocare, allicere, trahere, miris quos ipse novit modis, cùm & homo architectus possit, vel pœnis, vel mercede homines sui similes certissimè ad domum animo præsumptam suo extruendam compellere.

Collige denique ex eo, quòd certissima illi quidem est gratuitæ prædestinationis executio, & tamen gratiæ voluntas nostra liberrimè consentit, vel dissentit; sed ita Deus moderatur omnia, ut consentiat voluntas electorum, ubi Dei propositum jubet. Ita Petri voluntas, & cùm Christum negavit metu mortis, & cùm ne Christum negaret, mortem subiit, *ipsa se utrobique mutavit: in altero ex seipsa deficiens, in altero per gratiam adjuta, &c. Gratia se habet veluti lux Solis quæ dormientis oculum excitat, & ut vigilet ac operetur, ansam præbet, licet non necessario cogat voluntatem.* Cap 7.

EX JOANNE FERO An. 1545.

Franciscano Germano.

QUæ efficax sit Christi, vel Patris ad Christum trahentis gratia, & insuperabiliter agens corda hominum ad pœnitentiam, convenienter Augustino declarat Ferus, in ea Christi verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit.* Ita enim habet, *Homo opus habet ut trahatur, solus autem Deus perfecte trahere potest & efficaciter, quia solus potest Spiritum dare, & cor lapideum auferre. Christus non dicit, Nemo venit ad me, nisi Pater meus eum cogat: Non est violenta attractio, nec quenquam cogit, neque ad bonum, neque ad malum. Interim nemo dicere potest, quod à Deo non trahatur. Sicut enim medicus, aut doctor aliquis insignis hominis ad se trahit, non vi, sed scientia sua; item sicut ovem trahis ramo viridi, canem pane, puerum nuce, & generaliter sicut trahit sua quemque voluptas; sic Deus trahit beneficiis, promissis, manifestatione veritatis; immo etiam flagellis; quamvis potiùs flagellis nos cogat. Maximè autem trahit Pater ad Filium in eo, quod ipsum nobis manifestat. Non igitur est quod in cœlum suspicias, & expectes violentam tractionem. Satis nos trahit Deus, sed nos sequimur.* Ubi vides duplicem distingui tractionem, aliam perfectam & efficacem, qua solus Deus trahit, dum cor lapideum aufert. Sed nec ea infallibiliter efficax est, nisi infallibilitate morali, vel potiùs infallibili quidem, sed morali prædeterminatione, ut declarant omnia Feri verba. Alia est tractio communis, & generalis, qua trahuntur omnes, etsi inefficaciter. Unde rursus idem ibidem ait illis verbis Christum nos extimulasse ad quærendam gratiam; nec tollit hominis conatum bonum, sed indicat opus esse gratiæ. Nulla igitur excusatio est, si gratiam non habeas, cùm Christus ostenderit, ubi certò invenienda sit. Id ergo ad generalem gratiam pertinet. In cap. 6. Joannis.

Et rursum de invictissimo gratiæ ad perseverandum electis datæ præsidio, in hæc verba Christi, *Oves meas nemo rapiet de manu mea. Est hoc verbum ingens piorum consolatio. Habet diabolus varias nocendi artes, habet & mundus carceres, catenas, virgas, secures, exilia, mortes, & quidquid terrorem constantibus animis solet immittere; habet ex adverso voluptates, honores, dignitates, & quidquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. Cadunt quidem justi aliquando, sed non colliduntur, quia Dominus supponit manum suam. Securè igitur fideles dicere possunt, Quis nos separabit à charitate Dei? Hoc igitur verbo Christus mirabiliter suam potentiam indicat, Me, inquit, protegente tuti erant, qui in me credunt. Nemo potest rapere de manu* In c. 10. Joannis.

Patris, Pater omnipotentissimus est. Ipse est Deus gloriosus, fortis, terribilis, atque liberrimus. Quem igitur ipse decreverit salvare, nemo poterit perdere. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Ergo invictissimum est illud adjutorium quo perseverant electi, sed illud non vetat, quin cadant aliquando; sed efficit, ut vel non cadant; vel si cadant, resurgant, casu ipso suo cautiores, humiliores, fortiores. Est enim illud auxilium auxiliorum multitudo ingens, qua ita Deus protegit, ut stent, vel non longè devient.

Et tamen in ipsa justorum habituali gratia inest vis quædam & efficax suo modulo, & victrix externorum hostium, si ea semet ipsi non exuant, sponte arma abjicientes: *Consequitur ex hoc verbo, quod qui nunc perit, sua culpa perit: non potest casum suum ascribere demoni. Christus dicit, Nemo tam fortis qui possit rapere de manu mea. Nec potest casum suum Deo imputare. Non enim abbreviata est manus Domini. Sibi igitur imputet, qui Dei gratiam non quærit, immò reiicit & fugit.* Et infrà: *Quidquid procellarum afflictio accedat, si per fidem fuerit ovis Dei factus, possidet secum Patrem & Filium, quorum potestate nulla major invenitur. Quid igitur formidaret pius An egestatem? Sed Deus ditior est. An Satanam? Sed Deus fortior est.* Deo enim hospite justus quilibet insuperabilem fortitudinem assequitur.

Ibid.

Et rursus de gratia conversionis efficacissima, in hæc verba Christi, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ostendit se tanta beneficia ostensurum humano generi, ut vel inviti & cunctantes per hæc trahi possint.* Hæc trahendi efficacia ingens est, ab inanitione Verbi Dei propter nos, à cruce, à charitate Christi: & tamen objectivè tantùm illa afficit, & moraliter.

In cap. 13. Joan.

Quod autem Christus pollicetur fore, ut omnia trahat: omnes Patrum interpretationes coacervat Ferus, ut nec sibi, nec vero pugnantes, etsi aliæ aliis clementiores sint. *Non dixit, Traham omnes, sed omnia; scilicet animam & corpus. Vel traham omnia prædestinata ad salutem. Aut certè omnium hominum genera. Aut denique omnes homines quantum in se est trahit, quia omnes vocat, & omnibus salutem offert. Nam vult omnes salvos facere, & propitiatio est pro peccatis totius mundi. Quod autem non omnes salvantur, eorum efficitur culpa, qui renituntur trahenti, neque ejus tractum sequuntur, ponentes obstaculum ne salvi fiant.*

Ibid.

In c. 1. Joan.

Et in hæc verba: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Melius intelligitur de lumine gratiæ. Non autem intelligas omnes homines, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, à Christo illuminari. Non enim omnium est fides, pauci sunt electi, & reliquiæ solùm salvantur. Sensus igitur est, Illuminat omnem hominem, quantum in se est; quia esset omnibus lumen sufficiens, & omnibus innotuit; sed quidam sua sponte oculos claudunt. Vel illuminat omnes, id est, quotquot illuminantur, per solum Christum illuminantur. Vel illuminat omnem, id est, ex omni genere quosdam.*

In Matth. c. 9.

Et alibi cum de gratuita prædestinatione omninò ad Augustini mentem disseruisset, addit, *Fieri potest, ut qui non videtur electus, eligatur tamen, si in Christo vera vitæ fructum ferat.* Usque adeò generalis gratiæ inculcandæ studiosus fuit Ferus, & cum efficacissima electorum gratia conciliandæ. Alibi sanè rursum modum efficaciæ insuperabilis alium colligit ex Christi verbis, per tentationum videlicet amolitionem: *Propter electos breviabuntur*

Ibid. c. 24.

dies illi. Dei providentiam erga pios homines ostendit, ut qui non patitur eos tentari supra quàm possint sustinere, & qui novit pios de tentatione eripere. Et

Ibid. c. 25.

denique paulò antè de gratia generali, *Attendamus quanta charitate & affectu nobis assistat Christus, non secus quàm Gallina pullis. Nunquam enim cessat nos vocare, fovere, pascere, defendere. Timeamus demum, ne & domus nostra deserta à Deo relinquatur.*

EX STANISLAO HOSIO
S.R.E. Cardinali, & Episcopo Varmiensi, Concilii Tridentini aliquando Præside.

Specialis gratia est quæ abluit peccata, innovat, roborat ad bonum; charitas, sanitas, dilectio justitiæ, bona voluntas. Hujus inhærentis justitiæ fidem ad nos propagarunt suffragia Scripturarum & Patrum de charitate infusa cordibus. Gratia præterea generalis præsto omnibus est, ut ne peccent, ut ad Dei fidem & pietatem convertantur.

VIx ab alio certiùs edoceri possumus, quæ Synodi Tridentinæ, quæ Augustini, quæ Patrum sententia fuerit, quàm ab Hosio, qui & Synodo præfuit aliquandiu, & in Patrum commentariis, Augustini potissimùm pervolutandis erat versatissimus, adeò ut eorum ex testimoniis ferè omnium contexuerit luculentissimas suas lucubrationes, adversùs grassantes suo ævo hæreses.

Ille ergo in Confessione Catholicæ fidei, Baptismi effectus percurrens, cùm de regeneratione & ablutione peccatorum verba feciisset, ad innovationem progreditur, qua vires ad superandas concupiscentias suggeruntur: *Quamobrem haud aliter se habet Baptismus ad refrigerandum æstum concupiscentiæ, quàm se habet aqua ad calorem nimium temperandum. Ut appositè hujus quoque rei sacræ, hoc est invisibilis gratiæ visibile signum aqua Baptismi dicatur, & quidem signum efficax, &c.* Et mox: *Aqua natura clara & perspicua, idonea est ad significandum splendorem justitiæ, qui baptizatis infunditur, ejus justitiæ, quæ virtutes in se continet omnes, qua renovatur homo, ut non jam idem sit, qui priùs fuerat; verùm à sordibus peccatorum ablutus, omnium virtutum splendore fiat illustris, quod quidem fit dono Spiritus sancti, quem gratiarum & virtutum omnium largitorem accipimus in Baptismo.* Ergo gratia Baptismi non modò peccata eluit, sed concupiscentias carnis superstites refrigerat, & ita hominem innovat, dando virtutes concupiscentiæ debellatrices. Sola enim peccatorum remissio, imputatitiæ, non veræ justitiæ speciem præ se ferret. Ideò rursum, *Non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus. Neque enim existimandum est, nihil aliud nos in Baptismo, quàm remissionem peccatorum consequi; renovamur præterea, atque ut Paulus vocat, nova quædam creatura efficimur. Neque verò aliud est nova creatura, quàm fides charitate formata, quæ cum baptizamur, per Spiritum sanctum qui datur omnibus renatis, diffunditur in cordibus nostris, & nobis inhæret. Quamobrem à Cypriano & Optato, Baptismus non modò mors criminum, verùm etiam vita vocatur virtutum: quod in eo justitia, quæ virtutes in se continet omnes, baptizatis infunditur.* Igitur ut non imputatitia & imaginaria, sed vera & inhærens sit nostra justitia, confitendum est Baptismo infundi gratiam, quæ non tantùm peccatorum oblitteratio est, sed innovatio, charitas, nova creatura, vita virtutum, justitia, virtutes omnes.

Cap. 11. de Baptis.

Ideò subdit nihil quenquam mereri ante fidem, etsi se præparet ad gratiam. Fidem hìc intelligit, quam suprà dixit, charitate formatam. Eo sanè innuitur opera bona prodire ab hac fide & charitate. Sed ea de re posteà suo loco. Inferiùs autem in Novatores denotat Hosius, qui docebant *haud aliter se habere facinorosos ad ea quæ patrant crimina, quam habet se gladius, quo jugulatur proximus. Neque minùs esse proprium opus Dei, Davidis adulterium, aut Judæ proditionem, quàm Pauli voca-*

Cap. 17. Quomodo Deus in nobis bonum operetur.

vocationem. Contrà Hosius, nec vel opera bona ita per nos à Deo censet effici. *Quando legimus in Scripturis, quod omnia opera nostra operatur Deus in nobis, quod operatur velle & perficere, quod operatur omnia in omnibus, quod facit in nobis quod placeat coram se: nequaquam eo sensu accipiendum est, ut sic agi nos, cùm agimur Dei Spiritu, putemus, quemadmodum faber agit serram; sed potiùs quemadmodum sessor agit equum. Operatur quidem Deus in nobis, verùm non otiosis nobis, sed ipsis etiam & voluntatem & conatum adhibentibus.* Conglobas hìc multa ex Augustino, quæ & Guillelmi Parisiensis calculo illustrat: *Opera nostra opera sunt etiam Dei, quæ operatur ipse in nobis, & etiam per nos. Non quidem tanquam per organa quædam, aut instrumentum; tunc enim nec ad laudem, nec ad vituperium, nec ad culpam aut ad meritum imputanda nobis essent opera bona, sicut citharæ & tibiæ nihil imputatur ad culpam, aut ad meritum, sed citharizantibus, aut tibicinantibus. In nobis igitur operatur Deus opera bona sua & nostra, non tam præstando virtutem, facultatem, & opportunitatem, quàm etiam excitando, & foris doctrinis & prædicationibus, & beneficiorum consolatione, flagellorum quoque stimulationibus, & interdum compulsionibus; & interiùs inspirationibus, & revelationibus, terroribus & aliis modis multiplicibus, qui sibi soli noti sunt.* Consentit Hosius efficacissimas vires ad conversionem nostram à Dei gratia præstari per hanc omnigenam auxiliorum coacervationem, & ita Deum omnia opera bona operari in nobis. Si spectes autem refelli ab Hosio hæreticos, qui necessariò, etsi voluntariè & lubentissimè bona malaque opera à nobis fieri somniabant, satis intelliges, quid valeant hæc ejus & Vvillelmi verba, & quæ Augustini verborum interpretatio cæteris anteponi debeat.

L. de meritis.

Ne nobis autem gloriolæ tantillum tribui possit, ibidem subditur, *Æquum est, ut illius adscribamus omnia divinæ bonitati; non quod nihil agamus ipsi, sed quod nihil possumus, nihil volumus, agimus, aut sumus; quod non illius beneficio possimus, velimus, agamus, aut simus.* Ut enim vivit Christus in nobis, & tamen nos vivimus: ita operatur Christus in nobis, & tamen nos operamur.

Cap. 8.

Porrò charitatis justificantis robur invictum ideò posteà declarat ex Paulo, & Patribus: *Quid erit quod præstare non possimus, illo per fidem in cordibus nostris habitante, illo vivente in nobis, illo operante in nobis ut velimus, cooperante ut quod rectè volumus faciamus? Etenim à Domino præparatur voluntas nostra, quæ si magna est, charitas vocatur. Nulla namque voluntas major esse potest, quàm sit voluntas charitatis. Quin ardentem voluntatem, ipsam esse charitatem dixit Petrus Chrysologonus, quæ tanta est, nihil ut sit, quod ei resistere queat. Sensit vim hujus magnæ voluntatis ille qui dixit, Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Hæc igitur magna voluntas, quæ charitas dicitur, quam sanctus Thomas Aquinas perfectionem charitatis appellat, in cujus corde diffusa est per Spiritum sanctum, huic jugum Domini verè suave, huic onus ejus verè leve est.* De justificatis agit hoc capite, ut expressè ejus in exordio claret, quos non deserit Deus, nisi deseratur. Ergo charitas propriè non est nisi in justificatis, ipsa nempè justificans. Nec enim charitas dicitur, nisi magna voluntas, qua plus Deus quàm mundus diligitur. Nam etsi & justi charitas quandoque parva sit, præ ea quæ adolescit posteà & exæstuat, cùm perficitur: ipsa tamen magna est, qua plus Creator quàm creatura diligitur. Huic charitati possibilia sunt mandata, imò suavia, ideoque facilia.

De eadem infrà ex Augustino, *Habere virtutes alias & malus potest. Sola charitas est, quam habere & malus esse nemo potest. Hæc ex Dorotheo, abbate*

solutio & perfectio virtutum est. Ex Richardo Victorino, charitas non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda est: eo quod ab illa omnes accipiant, ut veræ virtutes sint. Hæc vita fidei, spei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, & excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus prævalens. Non potuit efficacia & vis invicta vehementiùs exprimi. Et tamen hæc charitas virtus est, adeoque habitus, & affectus, non actus. Idem fusè ex aliis subinde Patribus promit, & tandem rursus testatur hæc dici de ea *charitate*, non qua Deus nos diligit, *& quæ est causa nostræ justificationis efficiens; sed de formali, de ea quam Paulus diffusam esse scribit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut habitet in nobis.* Et paulò antè, *Charitas enim, ut ait Augustinus, ea est, qua verè justus est, quicumque justus est.* Et infrà, *Tunc nobis dari Spiritus sanctus intelligitur, qui Patris amor est & Filii, quando sui nos amoris participes facit; ut quemadmodum ipse cum Patre & Filio unus est Deus, una substantia, sic nos adhærentes Deo unus cum eo Spiritus efficimur. Atque hoc est quod justificari, quod justum fieri dicimus.* Sexcenta alia ex Augustino, Patribus aliis, Scripturis etiam colligit, ex quibus testatissimum esse potest, ad gratiam & charitatem justificantem spectare hæc & alia id genus testimonia Patrum & Scripturarum.

Justitiam Dei hanc esse & charitatem, non qua justus est ipse, nosque diligit, sed qua nos facit justos & dilectores sui, infrà ait semper in Ecclesia certum & indubitatum fuisse. Quod & ex precibus Ecclesiæ elicit: Deus quem diligere justitia est. Augustini loca complura ex variis ejus opusculis ad id constipat; hanc Augustini, hanc Hieronymi sententiam, hanc aliorum Patrum confirmat de justificatione nostra per inhærentem charitatem. Viderint ergo qui hæc Augustini, Patrumque & Scripturarum loca ad sola actualia gratiæ auxilia trahunt. Ne inopini latus nudent adversariis fidei & Ecclesiæ, quorum justitiæ imputativæ commentum non aliter explosum ejectumque est, quàm ad charitatem inhærentem, infusam, justificantem, revocatis illis Scripturæ, Patrumque & maximè Augustini testimoniis. Et si cui leve aut vile sit fidei defensores prodere, ac insimulare, certè necessum est, nobis ut aperiatur, quo traditionis avitæ vehiculo ad nos perducta sit tam constans de formali & inhærente justitia & charitate consensio orthodoxorum; quæ non ut Lutherus oppugnaretur, erupit tum demum; sed quam hactenùs regnasse & à se oppugnari Lutherus ipse professus est. Hujus traditæ per Ecclesiam omnem fidei non alia sunt præsidia, quàm quæ suprà indigitavimus. Auxiliis verò actualibus suffragantur alia Scripturarum, Patrum & Augustini documenta.

Cap. 7.

Hinc illa pendent, & nectuntur omnia, quæ posteà fusè disputat de operibus ante justificationem, quæ etsi præparant ad justificationem, etsi illam impetrant, non tamen merentur. Augustino enim & Ecclesiæ indubitatum, nihil inesse meriti operibus quæ gratiam præcedunt. Gratiam autem vocare visum est reconciliationem, sive amicitiam cum Deo, quæ fidelibus contingit per Baptismi, vel Pœnitentiæ sacramentum. Congerit ex Augustino multa, ut ostendat sine fide, sine intentione bona, sine charitate nil quemquam mereri nisi malè? non fit nisi quod dilectione fit. Addit ideò Scholasticos excogitasse merita congrui & condigni. Concilium Tridentinum sanxisse ante *justificationis gratiam esse posse præparationes, non merita.* Cap. 7. Ideò *explodendum nonnullis visum est totum meritum congrui, solumque condigni retinendum*, quod justorum est. Nec enim à Deo merentur nisi amici, filii, membra Christi.

Quoniam autem dubitari impensiùs poterat de

possibilitate præcepti dilectionis Dei ex toto corde; respondet in hunc tandem modum, ut cætera amputem: *Quatenus præceptum est, expleri potest. Quatenus autem expleri non potest, nobis adhuc à Domino peregrinantibus, minimè præceptum. Verùm quo contendere, quove currere nos oporteat, via tantùm est demonstrata, quemadmodum in libro quoque de perfectione justitiæ ab Augustino est commonstratum.* Itaque non peccat, qui minùs Deum diligit; sed qui pravæ cuilibet cupiditati consentit. Cap. 74.

Justos autem actualibus auxiliis ad non peccandum necessariis non destitui, nisi Deum priùs ipsi deserant, ita ex Augustino traditur: *Est enim, quod ab Augustino quoque annotatum legimus, Dei tanta bonitas, ut quem semel justificavit impium, gratia sua nunquam deserat, si non ab ipso deseratur, nihil ut ei desit, quo minùs piè semper justèque vivere queat.* Quod ex libris de vocatione Gentium probat, & ex Scripturis. Mox ex Damasceni his verbis, *Sicut Sol ad illuminationem omnibus ortus, sine invidia porrigit radios; ita & Sapientia sui appetitores more Solis illuminat, &c. Non deest alicui intueri se volentium Sol justitiæ, neque tamen cogit quenquam, &c.* Cap. 68.

Ex Augustino alibi, Chrysostomoque, ex Scholasticis denique latiùs effundit gratiam hanc generalem. In Gentilibus quippè ait esse Augustinus laudabilia quædam opera, non bona, hoc est, non ad æternam salutem conducentia; nempè inania, sed bona bonitate moris, ut ajunt Scholastici. Infrà ait ex Basilio dilectionis præceptum nobis esse natura insitum. Ex Hieronymo autem, *naturæ omnibus inesse Dei notitiam: nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ caterarumque virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè: ut parentibus obsequantur, inopi manum porrigant, magisque Dei judicio obnoxii fiant, quod habentes in se principia virtutum, & semina, non credunt in eo, sine quo esse non possunt.* Hæc semina & initia boni, qualia in Cornelio, etsi sine Euangelio Christi insint; sed non sine Christi gratia generali, cui præparant; non tamen ita, ut perducant ad justificationem sine speciali auxilio. Ideò scitè monet Hieronymus, omnes per ea magis obnoxios fieri Dei judicio; omnes enim utcumque his abutuntur, quia non pro virili semper, aut diu nituntur, nisi uberior succurrat gratia. Idem ex Athanasio confirmat in vita Antonii. Item ex Dorotheo, imò ex Augustino in Lib. de Spir. & lit. Ex Nazianzeno, ex authore Sermonum de operibus Christi Cardinalibus apud Cyprianum, cujus hæc sunt verba: *Reprobatio mali & electio boni sic animæ rationali infixa sunt divinitus, ut de hoc nemo rectè causetur. Quia nulli ad harum rerum persecutionem decst scientia, sive potentia: quia & quod agendum est scimus, & quod scimus facere possumus. Quod si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata; vel voluntas tua sic abdita, ut non posset intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo; licèt invitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusari delictum: nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio authoritate cognoscibili providissent: & simul se complecterentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas. Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te, hoc & possum & debeo.* Cap. 73. Cap 17. 18 Sermon. de Bapt. Chr. & manifest. Trin.

Cum alicubi autem visus esset Hosius insinuasse, quod omnia infidelium opera sint peccata, vel potiùs quod sint æternæ pœnæ meritoria, constanter negat hanc sibi fuisse mentem: *Cum constet esse quædam opera fidem præcedentia, ejus generis ut præparent hominem ad gratiam, qualia Cornelii fuisse creduntur, &c. Cum sint opera quædam ante fidem, quæ Scholastici vocant civiliter bona, quæ nonnunquam disponunt ad gratiam, &c. Sed ea tamen ejus generis esse non concedimus, ut mereantur gratiam, multò minùs vitam æternam, &c.* Ita fit ut ante fidem, etsi non omni actu suo peccet quis, non tamen mereri possit, nisi ubi peccando pœnas meretur: *Ut non possit non esse verum, quod ante fidem, nullum sit nisi supplicii meritum.* Actus enim tunc moraliter boni, nec peccata, nec merita sunt; actus mali, & peccata & merita sunt. Cap. 34.

HISPANI.

EX DOMINICO SOTO

Dominicano, qui Tridentinæ Synodo affuit.

Gratia generalis omnibus præsto est, & semper, & ita libertas nobis constat ad bonum & malum: per eam mali moraliter, boni supernaturaliter & meritoriè operari bona possunt; per eam impii vitare possunt peccata singula, non omnia. Gratia speciali ad bona moralia singula, vel ad non peccandum aliquando, nec justi, nec injusti egent.

GRatiam generalem quæ præsto sit semper, ut tuendæ adversùs Lutherum libertati necessariam astruit Dominicus Soto: *Libertas quadamtenus nobis inest respectu divini beneficii. Primum quod neminem coactum Deus, aut necessitate ad se trahit; sed in nostra est potestate gratiam ejus respuere, uti Tridentina Synodus determinavit. Et præterea quoties assensum nostrum præbeamus, & cooperari Deo velimus, nunquam per ipsum stat, quominùs præsentissimo favore nobis auxilietur. Quippe qui jugiter ostium cordis nostri pulsat, ut convertamur.* De lib. grat. l. 3.

Etenim libertatem naturalem eam esse docet, quæ est immunis à necessitate & coactione, ut quis quodlibet eligat: ideoque solam creaturam rationalem donari gratia, propter libertatem qua in sua habet potestate divinum favorem & respuere & acceptare: jussaque tum facere, tum excutere. Ita liber est homo, vel ad bonum, cùm gratia nusquam deest; vel ad malum, cùm præsens gratia respui possit, & respuatur à tam multis: *Si enim Deus ita nos justificaret per gratiam suam, ut nihil assensione nostra & arbitrio opus esset: cùm ipse ad ostium sit semper & pulset: quid causæ restaret, cur non omnes converteret?* Nec ad prædestinationem recurri potest, cùm ea sit causa suprema & remota; sed causa proxima expedienda est. Ut enim parvulus hic servatur, non ille, quia hic tingitur, non ille: *ita in adultis reddenda est proxima causa, cur cum duos æquè sit Deus paratissimus convertere, præsentissimaque utrumque misericordia aspiret, hunc trahat, illum non trahat. Quæ revera reddi non potest, nisi quod alter præbet assensum, & cooperatur, alter vero minime.* Et rursum: *Sed & rationem cur majori hanc gratia, quam illum perfundat, nullam certè aliam effingere poteris, quàm quod unus majori se quàm alter conatu amoris converterit.* Ibid.

Sed vide quàm præclara sint & ista: *Cum Deus Ecclesiam suam tam ex animo percupiat eo esse decore & sanctitate, qua decebat esse dilectissimam Sponsam Christi sanguine redemptam: tamque sit præsto qui nobis opituletur; nimirum qui irradiare Principum corda Sol ipse justitiæ non cessat unquam; quid in causa esse potest, cur non instauratur, nisi quia assensum nostrum expectat & operam? Ecce enim, inquit, sto ad ostium & pulso. Ipse quidem est, qui aperit corda nostra; sed quia liberum nobis est* Ibid.

& obsistere; & assensum prebere: idcirco ait, Si quis audierit & aperuerit. Ex Augustino mox ait, *In potestate hominis esse mutare in melius voluntatem*; possumus autem etiam *quod per amicos possumus*. Denique ideo Tridentinos Patres sanxisse ait, *ita nos reconciliari, ut possimus beneficium abiicere.*

Quod verò nihil posse liberum arbitrium sanciat Augustinus, nisi divinitùs adjutum; non ex eo colligere debuit Lutherus, ergo nihil posse: cùm Sol illuminare orbem possit, nec possit sine concursu generali Dei. Ubi movet autem Deus liberum arbitrium, etiam tum liberum est non agere: *Etenim dum liberè moveor, possum in sensu diviso non agere, & tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.* Quasi dicat, Dum moveor à Deo, non possum non moveri motu illo indeliberato; sed deinceps liberum mihi est vel assentiendo durare in illo motu, vel illum dissentiendo abrumpere, & tunc cessabit concursus Dei, qui non cessat nisi re ita exposita. Et ne effugia quæras, statim negat cogi propriè posse voluntatem; cùm cogi sit contra inclinationem quopiam rapi, voluntas autem sua ipsamet est inclinatio: *Necessitari tamen voluntatem à Deo nihil vetat, sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo illam, ceu brutam pecudem. Quod tamen nunquam facit lege communi.* Ergo ita libera semper est voluntas nostra, non modò ut non cogatur, sed ut incolumi sit indifferentia. Ibid. c. 16.

Sunt aliqua tamen quæ in nobis sine assensu nostro fiunt à Deo, *prædestinatio, vocatio, admonitio, pulsatio ad ostium*, imò *& aliquando inspiratio & illuminatio.* Quin imò *nonnunquam hujusmodi appulsum Dei nullus subsequitur consensus noster. Quorum duritiem improperat Christus, dum ait; Quoties volui congregare sicut Gallina filios tuos, & noluisti? Gallina enim non cogit, sed vocando allicit.* Id liquet ex Augustino, aiente *non esse in nostra potestate quibus visis tangamur, sed ea sumere, vel respuere.* Et quidem isti boni cogitatus in mente, boni motus in voluntate nostra sunt: & nos inovemur Deo ita movente, sed *fiunt sine libero assensu & concursu nostro. Quoniam sunt repentini motus per modum coruscationis prævolantes, instar naturalium, nisi judicio & libera voluntate foveantur.* At verò motus deinceps liberi, à Deo & à nobis fiunt, sed à Deo priùs natura. Nam & Angeli & Adamus in primigenia gratia ubi consentiebant motioni divinæ, priùs natura à Deo erat illa eorum libera motio, quàm ab illis. Ibid.

Quoties ergo in Scripturis admonet Deus, ut veniamus, aperiamus, convertamur, *promptitudinem misericordiæ suæ significat, qua præsentissimus nobis est ad ostium pulsans. Et ideò quamvis priùs dicat, Convertimini, quàm dicat, Convertar: non significat exordium à nobis esse, sed per nos stare, quominùs nos trahat, nostraque corda aperiat.* Id Tridentina Synodus confirmat his verbis Scripturæ iisdem, *nos libertatis nostræ admoneri, & Dei gratia præveniri.* Ad peccatum autem non movet quenquam Deus efficaci impulsu, ut volebant Lutherani; ita enim cedere Deo moventi non esset inobedientia, ideoque nec peccatum. Adde quòd cogeretur voluntas & ideò non peccaret. Cogi enim non potest voluntas, nisi dum necessitate premitur. Et rursum Lutherani, *Si intelligerent non posse nos errores evitare & cupiditatibus obsistere, absque auxilio Dei & favore, qui tamen præsto nobis est & præsentissimus, nihil aliud profiterentur quàm veritatem catholicam. Sed quia sentiunt ita nos esse numine destitutos, ut necessitate succumbamus erroribus & pravis affectibus, hoc est, quod nos persistimus sacris eloquiis expugnare. Nam nisi in nostra esset semper positum potestate cum promptissimo auxilio Dei evitare singula mala, quid est quod nos commonefacit Paulus, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore?* Eò denique refert Canonem Tridentinum. Ibid. c. 16. Sess. 6. c. 5. Ibid. c. 17. Ibid. c. 16.

Peccata ergo non fiunt, nisi Deo permittente: idque non subtrahendo auxilia sua, sed ita ut semper sit paratissimus manum porrigere, nisi per hominem stetерit. Ea de re non se tantùm esse certissimum ait hic Scriptor, sed & omnes sanctos Doctores certissimos fuisse ait; alioqui tantundem ferè esset *acsi Deus nos directè subigeret pravis nostris cupiditatibus, adigeretque ad malum. Sed absit ut in animum Christianus inducat, ita de illo sentire.* Etsi illud enim Augustinus quòd Deus vult omnes salvos fieri aliter interpretetur; id tamen etiam exponi debet præterea de voluntate antecedente, quæ ideò benefica est, & horum auxiliorum largitrix. Illud etiam addit Soto damnationis extremæ proprium esse, divinis auxiliis ad non peccandum prorsus destitui; ideò nil novi demeriti, vel supplicii tum accumulari. Quin & Roffensi mox subirascitur, *qui gratis id elargitus est Luthero, quod Deus ita nonnullos deserat, ut resipiscere nequeant. Est enim consideratior sententia S. Thomæ, asserentis errorem esse, quod aliquod sit peccatum, de quo homo pœnitere non posset.* Art. 36. 3. p. q. 86.

Proposita verò quæstione, *an omnia opera liberi arbitrii sive in infideli, sive in recidivo Christiano sint peccata:* Respondet ejus *affirmationem in nullo unquam ex Catholicis se offendisse. Nam etsi quosdam videam Gregorio Ariminensi eam notam inurere, attamen hoc solùm ille astruit, quod nemo citra speciale auxilium valet vel minimum præstare opus bonum morale. Censet tamen eum qui est in peccato, imò & eum qui foris est extra fidem, auxilium hujusmodi suscipere, quo benè agat moraliter, quamvis non convertatur. Verùm Lutherani sunt, qui acervo suorum errorum hunc etiam apponunt.* Ratum ergo illud vult Soto esse inter Catholicos, inter peccata & opera Deo grata medium interstare opus morale, id est, conforme rationi naturali. L. 1. c. 19.

Quod verò etiam cum solo generali Dei influxu, absq; speciali auxilio gratiæ, opus moraliter bonum & honestum fieri possit, cui nec meritum insit, nec demeritum, adversùs Gregorium Arminensem prolixè demonstrat Soto, illumque ait primùm sententiæ illius authorem fuisse, eique subscribere Capreolum. Confitetur autem Gregorius reclamare sibi omnes Scholæ Theologos, cùm statuit moraliter bonum opus esse non posse, nisi referatur in Deum. Quin sine speciali auxilio, in Deum ut finem universi ultimum, naturali lumine allucescentem, referri posse opus quodlibet. Adde quod Concilia Melevitanum, Arausicanum, Tridentinum non aliud urgent, quàm opera sine gratiæ auxilio facta, non esse gratiæ & gloriæ meritoria. Augustinus ubi has esse veras virtutes negat, non statim ait esse peccata. Adde quod *neque illa opera utcumque bona damus posse hominem multo tempore, aut in materiis, vel pluribus, vel arduis efficere.* Etenim *homo corruptæ naturæ differt ab homine integræ respectu naturalis boni in materia morum, non sicut mortuus à vivo, ut ille possit totum ex suis naturalibus, nos verò nihil, ut Gregorius & Capreolus confingunt: sed sicut infirmus & debilis à sano & valido. Quod ille habebat potestatem in totum bonum, nos verò in aliquod, non in omnia.* Et S. Thomas apertè ad hæc opera in utroque statu opus ait fuisse *auxilio Dei moventis, quod Capreolus & qui eum auscultant, glossant de auxilio speciali, cùm tamen luce sit clarior mens S. Thomæ de auxilio generali.* Et author Hypognosticon istiusmodi bona per nos effici posse confitetur *non sine gubernaculo divino.* L. 1. c. 19. Greg. Arim. Sent. l. 2. d. 26. 27. 28. L. 1. c. 12. 1. 2. qu. 109. ar. 1. 2.

Quod verò urget Ariminensis ex Augustino damnatum Pelagium, quòd diceret *victoriam nostram, quando tentationes vincimus, non ex adjutorio Dei esse.* 1. 2.

esse. Respondet Dominicus Soto, etsi non possemus ullam tentationem vincere sine speciali auxilio, possemus tamen opera edere bona complura, quibus nihil tentationis imminet. Item sine auxilio speciali non posse graves, posse leviores vinci
Civit. l. 22. c. 16. tentationes. Denique ex Augustino tunc vinci vitia, cùm Dei amore vincuntur, & ideò meritoriè coram Deo. Id fieri posse sentiebat Pelagius sine gratia, ideò jure proscriptus est. Idem docet sanctus Thomas, sine gratia posse vitiis resisti, non ea vinci. Etsi autem generalis influentia etiam ad actus malos concurrat, non tamen ut malos; sed ad bonos moraliter concurrit, ut ad bonos.

L. 1. c. 21. Consequenter autem demonstrat Soto *per naturalia, id est soli generali Deo auxilio impleri posse precepta Dei quod substantiam actus*, etiam ab impiis & infidelibus, & ita non meritum parari, sed vitari peccatum; & ita sentire omnes Theologos nemine excepto, quamvis Gregorius Ariminensis ad hoc requirat suum speciale auxilium: consentire item Theologos, *quidquid sit de singulari precepto claritatis, preceptis aliarum virtutum non comprehendi finem, sed solam ipsorum sententiam*. Præceptum enim non occidendi, utique impletur non occidendo: & sic de aliis. Porrò etsi singula, non tamen omnia potest homo lapsus implere præcepta sine auxilio speciali: etsi & hoc posse putent Scotus & Durandus. Sed experientia comprobat frequenter labi nondum justificatos. Ideò Augustinus Libro de hæresibus ait damnatum fuisse Pelagium, quòd diceret sine gratia posse servari omnia mandata: nempè quantum ab substantiam: vel aliqua meritoriè. Ita ubi Synodus Arausicana ait, *Nulla fa-*
Can. 6. 10. *cit homo bona, que non Deus prestet, ut faciat homo:* Scilicet, inquit Soto, *quod bona moralia præstet per generale auxilium, meritoria per speciale.*

Quoad præceptum dilectionis Dei super omnia, tripliciter illud impleri ait posse Soto. Primò actu istiusmodi, Volo Deo in omnibus & per omnia complacere. Et hæc dilectio in nondum justificato esse potest ex naturalibus. Secundò *non per singularem actum, sed per universalem observantiam mandatorum. Quæ propterea supernaturalis est, & ex gratia orta.* Nam ex Joanne charitas non est, nisi ubi mandata servantur omnia. En ut fide, ut charitate sola supernaturali possumus omnia quæ Deus jubet credere, vel facere. Non possumus ergo omnia implere mandata, quod est Deum super omnia diligere, nisi ex speciali auxilio, quod tamen Deus paratissimus est nobis annuentibus ferre. Tertiò diligi super omnia Deus potest per charitatem infusam justificantem. Ex his porrò planum est, neminem absque speciali auxilio posse se disponere ad gratiam, cùm nequeat omnia implere mandata, etiam quantum ad substantiam operum.

Denique duplicem partem nostri liberi arbitrii alibi statuit Soto; primò quòd ita justificemur, ut inspirationem Dei abiicere possimus & amplecti. Cùm ex adverso Pelagius diceret *non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio. Et erat sermo de justificatione.* Secundò quòd *neminem unquam Deus ita deserit, cui non sit præsto subvenire, jugiter ad ostium pulsans.* Imò olim senserat Soto naturali lumine posse quemque cognoscere quòd Deus sit & remunerator sit, ubi cognitio confusè implicatur Christi; idque ad salutem sufficere, si quibus non est annunciatum Euangelium. Verùm id nunc recantat, & supernaturali lumine opus esse docet. Ideò si qui tenentur ignorantia invincibili circa Christi fidem, & alioqui faciunt per auxilium Dei quod in se est, reconciliantur Deo per illam Christi fidem confusam, sicut in lege naturæ.

Postremò denique non pigebit adjicere quæ idem in alio opere habet de meritis congruis ante justificationem: *Cùm in Tridentina Synodo fautores meriti de congruo, multarum dierum disputationibus contendissent, ut in canone poneretur, justificationem fieri, nullis nostris propriè meritis precedentibus,* L. 4. tract. 4. q. 2. a. 1. *ut insinuaretur præcedere merita de congruo, neutiquam obtinere potuerunt; tum quod si impropriè est meritum, non est dignum meriti nomine; tum quod Patres in Concilio Palæstino, Melevitano, Arausicano, ab omni nominatione meriti ante gratiam prorsùs exhorruerunt.*

EX EODEM DOMINICO

Soto Dominicano, qui Concilio Tridentino interfuit, à Carolo V. missus, cui à sacris Confessionibus erat.

Gratia habitualis seu charitas justificans illa est gratia specialis, de qua Paulus & Augustinus; que dat vires ad benè operandum, qua possibilia fiunt justo mandata, que ad singula opera bona sufficit cum generali auxilio Dei, reservato ad perseverandum finaliter speciali.

HAbitualis gratiæ necessitatem & efficaciam ad benè operandum, ex mente & verbis ipsis sancti Thomæ exprimit Dominicus Soto, *Duplex est* De nat. & grat. l. 1. c. 4. *preparatio voluntatis ad bonum, una quidem ad benè operandum & Deo fruendum, que fieri nequit sine habituali gratia gratum faciente, que principium est operis meritorii. Porrò conclusio hæc communis est consensus Theologorum adversus Pelagium. Alia est, &c.* De hac ergo certamen erat cum Pelagio, ut potissima gratia, & ad benè operandum inclinante. Cùm autem posteà justificationis significatio triplex prolata esset, nempè vel comprobari justum, vel justum ex injusto fieri, vel justitiam justi augeri; de secunda justificatione controverti hìc dicitur; & quod perinde est de sensu horum verborum, Fides quæ per charitatem operatur. Omnibus enim convenire, his describi justificationem. Nec multò pòst additur, fide infusa designari habitum, non actum. Item posteà, fidem, spem, & charitatem virtutes esse. His apertum satis est, gratiam justificantem esse fidem & charitatem, habitus utique efficaces, qua sunt virtutes. Ideò & posteà eò aberrasse dicitur Magister sententiarum, non quòd actus nostros charitatis ipsum esse Spiritum sanctum sentiat, sed *habitum charitatis* expungat, & *arbitretur, quod Spiritus sanctus non excitet nos & moveat ad amorem Dei & reliqua charitatis officia per aliquem in nobis immanentem habitum, sed per seipsum proximè, ut de auxilio speciali loquuntur Theologi.* Ubi planum est habitus charitatis eam esse vim, ut moveat exciteque, vel per illum excitet moveatque nos Spiritus sanctus. Ideò *rationi consonat, ut in operibus gratiæ Spiritus sanctus infundat habitus. Quandoquidem nullo nos coactu impellit, sed quæ nostra natura est, liberè allicit, & appellit ad bonum; atque adeò ad opera gratiæ, ac si naturæ congruerent, ita dulciter promovet.* Id enim habituum affectuumque voluntati intimorum proprium est, ut si quis per eos trahatur, suaviter inclinetur, non adigatur ulla necessitate.

Justificationem causa formali non alia perfici infrà idem docet, quàm ex Paulo & Augustino, *Charitate Dei, qua dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Item *Semine Dei, quod in eo manet, qui ex Deo natus est, & non peccat.* Vides ergo in Scripturis & apud Augustinum de gratia justificante & immanente hæc capi debere; eamque efficaciam esse ad hoc etiam, ut non peccemus, ut Deum diligamus. Unde infrà, *Bifariam justificari dicimur; & quia condonan-*

tur

tur: peccata, atque adeo grati Deo reddimur; & quia facultatem accipimus ad faciendum justa. Primum gratiæ per se formaliter attribuitur, alterum charitati & reliquis virtutibus.

Cùm verò *justitiæ inhærentis* vocibus significari possint actus & habitus, apud Lutheranos *de habitibus nullus sermo: Melancton nostrum irridet habituum figmentum. Porrò autem hac ratione negare justitiam inhærentem, non esset quidem apertissima inficiatio Scripturæ sacræ. Quare sancta modò Tridentina Synodus verbum habitus subticuit. Esset nihilominus temeritatis insignis, non solum sanctorum Patrum, atque omnium Theologorum sententiæ, ut habetur in Concilio Viennensi, absque ulla ratione & causa obviare: verùm etiam Synodo ipsi idem censenti, tanquam magis & Scripturæ consonum, & probatum Patribus.* Sed ne tamen per Tridentinos Patres licere jam putes doctrinam habituum explodere, accipe quæ idem mox subjicit: *Quamvis Synodus nomen habitus subticuerit, quia non duxit illos sub anathemate sancire: tamen utendo nomine infusionis fidei, spei, & charitatis, & appellando inhærentem justitiam, stolam primam restitutam pro illa quam Adam perdiderat: probatissimum habet auxilia ejusmodi nobis ferri per infusos habitus, quibus Christum induimus. Adeo ut ingentissima jam sit temeritas habitus negare.* Illud sanè indubitatissimum, hinc sanctos Patres ex Concilii Viennensis judicio, justificationem designasse per habitus, maximè charitatis. Ideo ubi Augustinus de charitate, de dilectione & delectatione justitiæ agit, de vi & efficacia agit charitatis habitualis & justificantis.

Ibid. c. 19.

Sed interim dum quasi in re ancipiti simulat se hæsitare Dominicus Soto, habitu aliquo an actu justificemur, vide quid scribat: *Est ergo confessio Catholica gratiam Dei, utcumque id fuerit, nobis inesse, seu in habitu, seu in actu. Et ita semper intelligit Ecclesia, Sine me nihil potestis facere, &, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, scilicet de speciali auxilio Dei. Et, Deus est qui operatur in nobis velle & perficere. Et, Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, &c.* Hæc ergo omnia Scripturæ loca ad gratiam justificantem pertinent, sive illam actualem dixeris, sive habitualem. Si de habituali, vides quantam illi debeas efficaciam adnetiri. Si de actuali capias, idem nihilo minùs perpende, cùm de habituali eadem constent. Immò cùm de habituali, hoc est, justificante gratia sumantur. Ideo huc refertur ibidem Tridentinæ Synodi canon, *ubi anathema eum censet, qui inhærentem justitiam non confiteatur, nempe auxilia, quæ virtute Baptismi & justificantis gratiæ Deus impendit justificatis ad operandum.*

Ibidem.

Imputativam sanè justitiam, quam inhærenti quidam ex Catholicis per nescio quam oscitantiam accumulabant, refellit idem Dominicus, ut dignitati & abundantiæ inhabitantis gratiæ injuriosam, & adversam Tridentinæ Synodo, determinanti *unicam causam formalem* nostræ justificationis, justitiam qua nos justos Deus facit. Sed præterea quàm sint efficaces isti habitus infusi, conjice ex eo quod idem docet de habitu fidei, qui non in opera tantùm, sed in habitus etiam alios virtutum sese explicaret, nisi nostra obsisteret repugnantia. *Nam nisi nostra obstaret libertas, fides suo ingenio ferax est omnium bonorum, spei quoque genitrix, & charitatis parens. Sed tamen quia distincta sunt virtutes, & nos liberi ad singulas sumus, revera non sola sufficit ad justitiam.* Sanè iustificantis gratiæ triplicem vim à sanctis Patribus prædicari infrà docet: *Porrò trina facultas semper agnita fuit & confessa à sanctis Patribus & Theologis, hominis per Dei gratiam justi, ejusdem favore & auxilio nixi, ad complendum opera legis, ad satisfaciendum pro remissis peccatis, ad merendum vitam æternam.* Ideo quod ad præceptum implendum attinet, maximè dilectionis Dei, illud hìc etiam in via servari ait posse, *non ut perfectè impleatur, sed ut ne violetur: aliud est enim nondum totam assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem:* quæ postrema sunt Augustini verba. Nec enim Deus præcipit, nisi quantum posse dat: reliquum inculcat, ut sciamus quò eniti oporteat. Possumus autem, quia Deus dat *vigorem & facultatem*: ideo non Deus implet legem, sed *nos implemus* eius auxilio.

Ibid. c. 10.

Cap. 11.

L. 3. c. 1.

Ibid. c. 5.

Sed minimè omnium omitti potest, quod idem infrà multis contendit, & ex sola gratia iustificante & auxilio generali Dei moventis, sine speciali auxilio posse iustos singula quælibet & bona facere, & mala vitare, etsi non omnia collectim possint, adeoque nec perseverare. *Quamvis pro opinione quibusdam non improbabili habeatur, quod justus non ad singula opera meritoria egeat præter gratiam gratum facientem novo speciali auxilio; nihilominus simpliciter verum est, quod indiget novo auxilio ad operandum & implendum legem, ad non peccandum & ad perseverandum. Primum membrum opinantur, qui prolatam habent doctrinam illam, quæ communis est Theologorum, & libro superiori cap. 20. asserta à nobis, Videlicet quod potest homo vigore naturali cum solo generali auxilio præstare quandoque bonum opus morale, etiam extra gratiam, atque adeo implere præcepta aliqua aliquando, quantum ad substantiam operum. At omne opus quod extra gratiam factum est moraliter bonum, si fiat ab illo qui est in gratia, est meritorium vitæ æternæ, &c. Nam opus ex objecto bonum natura sua refertur in Deum; & quando quis in ipsum convertitur, virtualiter in eum refert omnia opera.* Ex quibus liquet quòd *potest homo qui est in gratia implere aliquando præcepta, & facere alia bona opera cum solo concursu generali Dei, multò melius quàm poterat extra gratiam.*

L. 3. c. 4.

Cur Ariminensis & Capreolus secus senserint, statim declarat: *Gregorius autem & Capreolus quia hallucinantur sanctum Thomam in illa fuisse opinione, quod ad singula opera moraliter bona requiritur extra gratiam auxilium speciale: bene inde conjiciunt, quod secundùm ipsum existenti etiam in gratia ad singula opera meritoria idem sit etiam requisitum auxilium. Nos tamen qui suprà contrarium patefecimus de opere moraliter bono, contrarium etiam de peritiorum censura opinamur de operibus meritoriis, scilicet quod præter gratiam non est requisitum aliud auxilium speciale ad singula. Quæ quidem opinio probatissima fuit ante nos Cajetano loco citato super S. Thomam.*

Sed ad implendam totam legem, ad vitanda omnia peccata, id est, ad perseverandum usque in finem, opus utique est speciali auxilio. Idque unum contendit sanctus Tomas. *Probat enim sanctus Thomas, quia dupliciter eget homo naturæ lapsæ auxilio Dei. Primo propter generalem rationem, quia creatura in actum prodire non potest, nisi virtute motionis divinæ, &c. Secundò propter peculiarem conditionem naturæ lapsæ, quæ licèt per gratiam quantum ad mentem reducatur in ordinem, remanet tamen corrupta & infecta secundùm carnem. Et in hac secunda ratione ostendit se non loqui de singulis operibus, quia ut dixerat, 2. art. ejusdem quæstionis, non est tanta corruptio sensualitatis, quin posset homo aliquando per auxilium generale Dei operari secundùm rationem. Sed simpliciter requiritur tale auxilium, quia neque omnia, neque diu possumus bene agere ad custodiam gratiæ sine illo. Et eadem ratione sequitur, quod ad non peccandum requiritur etiam præter gratiam auxilium speciale, atque ideo ad perseverandum: si tamen perseverantia dicat continuationem boni usque ad finem vitæ.* Perspicuum ergo est ex sancto Thoma non ad *singula* opera bona,

sed

sed ad perseverandum in bono opus esse speciali auxilio; ad illa autem sufficere cum generali auxilio gratiam habitualem.

Idem confirmat mox ex Augustino, Cypriano, Hieronymo, ex Concilio Milevitano, immò & ex Tridentino sanciente *justificatum speciali auxilio ad perseverandum indigere*. Arausicanum denique eodem trahit. Ubi ea est mens Dominici Soto, his authoribus egere justificatos gratia speciali ad perseverandum finaliter, gratia generali ad opera bona singulatim. Ibidem.

Addit denique posse à justis venialia vitari singula, non omnia: *Quoniam ratio non potest in assidua specula & vigilia durare ad reprimendum incursiones* carnalis concupiscentiæ. Nec ad peccata surreptionis tantùm valet hæc ratio, ut putat Durandus; sed ad omnia, quia & aliorum *crebriores occurrunt occasiones, quàm ut possimus universas repellere. Tum quia cùm sint levia peccata, segniores reddimur & remissiores ad illas superandas*. Hanc non Scholasticorum modò, sed Patrum ait esse mentem, adversùs Pelagium gannientem *posse hominem sine peccato vivere*, si velit. Ibidem.

Obiter attingam, quod idem infrà tradit, *Neminem posse pro peccati pœna satisfacere, antequam remittatur culpa. Communis est consensus Sanctorùm omnium Patrum & Theologorum. Quod dumtaxat adnotamus ad eluendam calumniam, qua nos ubique vexant. Lutherani, hoc nobis falsum crimen intendentes, quod doceamus, per nostra nos opera satisfacere Deo de nostris delictis. Nemo enim unquam hoc cogitavit de operibus naturalibus peccatoris*. Prisco more vocat *opera naturalia* quæ fiunt ante gratiam, nimirum justificantem. Subdit Scotum ipsum ita sentire, & consentire aliis, etsi existimet de remissi semel peccati pœnis satisfacere eum posse, qui alia in scelera relapsus est. Quod tamen vehementer inficiatur sanctus Thomas. L. 3. c. 6.

Postremò denique charitatis inhabitantis vim invictissimam idem Dominicus Soto agnoscit, sed eo sensu quem ex Paulo & Augustino vendicavimus, ut ab extrinsecùs irruentibus vinci non possit, à voluntate libera deseri possit. *Quis ferat imponi Paulo, quod affirmaverit non posse justum ulla de causa separari ab amore Dei? Quandoquidem justitia non auferat libertatem peccandi: neque omnes confirmet in bono, ut peccare nequeant. Et ideo licèt nulla per se res habeat potestatem cogendi nos in malum, nos ipsi ad hoc sumus liberi*. Ex aliena autem loci hujus Paulini interpretatione dementissimam suam Lutherani salutis fiduciam constituere nitebantur. Et staret utique eorum utcunque dogma, si tam invicta esset charitas ad voluntatis ipsius cohibendam indifferentiam, atque ad exteras tentationes superandas, si à voluntate nostra non deseratur. L. 3. c. 13.

EX EODEM DOMINICO Soto Dominicano.

Gratia efficacissima non ad singula opera bona, vel ante, vel post justificationem requiritur; sed ad conversionem & perseverantiam datur misericorditer à Deo, quos vult prædestinante.

QUæritit Dominicus Soto, *utrum Deus specialia auxilia, aquelia conferat universis*. Respondet autem: *Si interrogatio sit de inspirationibus & splendoribus veritatis, quas Deus in nobis sine nobis liberè assentientibus operatur, proculdubio majora subsidia confert Deus uni, quàm aliis. Adest enim omnium cordibus pulsans, imparitèr tamen. Quin immò sæpenumero, qui cumulatiora hujusmodi dona recipiunt, vel nullo modo, vel segnius proficiunt, propter majorem duritiem. Id quod in illis seu flagellis seu allectamentis, atque id genus vocationibus, quibus nos Deus in viam forinsecus revocat, evidentius est. Duorum enim eadem audientium consilia & exhortamenta alter animo perculsus in viam redit, alter verò minimè. Quemadmodum videre est in Pharaone & Nabuchodonozore, quorum primus majoribus portentis commonitus induruit, alter minoribus resipuit flagellis. Huc pertinet quod ait Christus Bethsaida & Corozaim, Si in Tyro & Sidone, &c.* Complura hìc enumerantur adjumenta, quibus impios ad resipiscendum Deus provocat, *consilia, exhortamenta, flagella, allectamenta, splendores veritatis, inspirationes*. His *specialibus auxiliis* si quorum perficitur conversio, eorum sanè multitudine, congruitate, perseverantia perficitur. Ideo non æqualiter omnibus à Deo dantur, etsi omnibus dantur. Plura enim alicui utpote duriori emolliendo adhibenda sunt. Etsi vel id posset compensationis instar habere, quòd qui paucioribus cedit, quia minùs antè obduruerat, non sine Dei auxiliatoris providentia occasiones ablegante contigerat, ut minùs lapidesceret. Porrò noster *assensus* quì fiat, sic ille ibidem: *Nostrum Deus efficit assensum, si nos tamen simul liberè concurramus. Quare per eundem assensum, & nos illi aperimus, & ipse aperit. Unde nostrum concurrere est permittere nos ab ipso moveri: coagendo illi, qui jugiter ad ostium pulsat*. Pulsat ad ostium per inspirationes boni repentinas: si *permittimus* nos ita moveri, nec primam motionem illam cohibemus, jam id assentiri est. Ibidem.

Ideo prorsus assentitur Dominicus Soto Joanni Driedoni, quem *doctissimè* ait & *copiosissimè* disseruisse *de gratia & libero arbitrio*. Sibi quæstionem illam quì constet libertas cum vi & necessitate gratiæ, obiter percurrendam ait. Quocirca mirum non est, si ejus sententia minùs diluceat circa hanc invictissimam efficaciam gratiæ specialis. Utcumque tamen illa subrutilat. Unde ibidem non multò pòst, *Non ad se nos Deus trahit ut pecudes aut inanime organum: sed illuminando, dirigendo, alliciendo, pulsando, & instigando*. Nec dubium tamen illi erat, quin prædestinatio Dei causa esset remota, certissima tamen, cur cæteris contumaciter dissentientibus aliqui traherentur. *Prædestinatio causa est suprema, & remota, &c. De cujus effectu* ait *Augustinus* t. *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli dubitare, si non vis errare*. At infrà rursus, *Quod nos Deus liberè moveat, nihil contra ejus cunctipotentiam & efficaciam pugnat. Quin immo inde amplissimè patet infinita ejus virtus & sapientia: quod alias causas instituit naturaliter movere, alias liberè: & cum singulis modo proprio concurrere. Quo circa quidquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit, juxta illud, Voluntati ejus quis resistit? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri salva humana natura, & libera voluntate: quæ idcirco resistere Deo potest: ut legitur de Pharaone. Et de Jamne & Mambre, Ita & hi resistunt veritati. Et, Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Ibid. c. 16. L. 3. de nat. & grat. c. 16.

Quibus in verbis indubitatissima tenetur Dominici sententia. Nam *voluntatem beneplaciti* semper impleri ait, nec ei unquam resisti; quando *verò* cum libero homine *concurrit* Deus, jam hæc ergo ad voluntatem beneplaciti non spectant: & ideo huic non voluntati tantùm sed & concursui *resisti potest*, immò *resistitur* persæpè. Ergo liberas voluntates Deus ita semper movet, ita semper cum illis concurrit, ut resisti possit, ut quandoque resistatur, quia nec ista pertinent ad voluntatem beneplaciti. Nec enim quandoque, sed universim, non velle tantùm, sed & *concurrere* ita cum libera nostra voluntate dicitur Deus, ut & resistere possimus, resistamus nonnumquam, & ad voluntatem beneplaciti hæc non sint trahenda. Nec infles de vi invictissima propositi Dei prædestinantis aliquos, vel ad conversionem, vel ad perseverantiam

tiam. Est enim hæc quidem voluntas beneplaciti, & semper impletur, sed nulla singularis motio, seu concursus Dei cum electis ejusmodi est, ut non illi sigillatim resisti possit, & aliquando resistatur; universarum autem motionum intus & foris conspiratio resistentiam nostram fatigat tandem, & volentes superat. Ideo aiebat Soto hinc patere Dei *infinitam virtutem & sapientiam*, nempe in tot auxiliorum multitudine & contemperatione.

Et rursus idem Soto, quàm variis artibus machinisque Deus ad se peccatores convertat: *Nisi assensum cooperationemque liberi nostri arbitrii operaretur Deus, qui ad ostium cordis nostri pulsare perseveraret? Num effringere non posset ferreos obices pectoris nostri? &c. Profectò nihil opus esset, vocare nos ad pœnitentiam, allicere ut veniremus, & converteremur ad ipsum, atque adeo eos terroribus percellere, qui sunt rebelles.* Et infrà: L. 2. c. 1. *Si motus voluntatis nostræ ad pœnitentiam, necessaria est præparatio gratiæ, inde fit consequens, ut quæ nos cuncta in hunc saluberrimum affectum commovent, præparatio etiam sint nonnulla, etsi non ita proxima & necessaria. Uti terrores inferni & judicii Dei, quin immò metus ignominiæ apud homines, & aliarum pœnarum, quæ lege decretæ sunt.* Subinde ostendit in veteri testamento *hostium pavoribus, comminationibus, aliisque flagellis* populum ad pœnitentiam sæpè compulsum, novi etiam testamenti prædicationem cœpisse à pœnitentia atque *ab incussione metus gehennæ.* His ergo tot machinis, seu blandientibus, seu terrentibus, seu cruciantibus, extunditur tandem assensus, si quos Deus ad justitiam prædestinavit.

Etsi enim per opera moraliter bona & per auxilium generale possit quisque se *remotè* ad gratiam L. 2. c. 3. disponere, ut ait Soto; non tamen sine *speciali auxilio gratiæ* potest quisquam se proximè præparare *ad gratiam specialem*, seu gratum facientem, ita ut hæc *infallibiliter & certa lege* subsequatur. Ita Soto adversùs Durandum, Scotum & alios. Probat autem ex sancto Thoma, immo ex Evangelio, neminem venire, nisi *trahatur* ad Christum. Item ex Augustino, quia gratia *nullis meritis nostris* datur. Item hæc dispositio proxima est *effectus prædestinationis: ideoque in nobis causam non habet.* Si dicas autem nihil nobis impossibile præcipi, & abundè esse ut faciat quisque quod in se est, ut gratiam recipiat: Respondet Soto ex sancto Thoma, *Facere hominem quod in se est, non intelligitur ante auxilium Dei, sed potiùs præveniente Deo. Tunc enim homo facit quod in se est, quando Deo inspiranti respondet cooperans, & tunc certissima lege consequitur gratia, &c. Converti autem etsi non possumus sine auxilio Dei, non tamen est impossibile, quia promptissimus est, nisi nos resistamus, nobis opitulari.*

Huc etiam pertinent quæ suprà retulimus ex eodem Dominico Soto, de *auxilio speciali*, quod probat in justificatis ex sancto Thoma non requiri ad singula opera bona, sed tantùm ad perseverandum: L. 3. c. 4. *Quia neque omnia, neque diu possumus bene agere sine illo ad custodiam gratiæ. Et eadem ratione sequitur, quod ad non peccandum requiritur etiam præter gratiam auxilium speciale, atque ideo ad perseverandum. Si tamen perseverantia dicat continuationem boni usque ad finem.* Manifestissimè ergo *auxilium speciale* Thomæ & Augustini, quo uterque status hominis stantis & lapsi discriminatur, quo non egebat homo ante lapsum, quo nunc eget, ad solam perseverantiam revocatur, hoc est, ad omnia collectim, non ad singula sejunctim vel vitanda peccata, vel præcepta implenda. Etenim auxilium actuale ad singulares actiones pertinet; directio autem, custodia, protectio, conservatio in universum consulit. Ergo non illinc, sed hinc derivatur infallibilis efficacia specialis auxilii ad perseverandum. Ita ergo interpretur Soto decretum Tridentinum de speciali gratia perseverantiæ.

Porrò his Dominici Soto libris *de natura & gratia*, tanto plus adjiciendum est fidei & observantiæ, quod & primùm Concilio Tridentino dicati sint, & ab ipso sæpiùs expoliti, & retractati. Maximè verò libet hìc adnotare, quod ad calcem libri quarti sententiarum ipsemet jam canis conspersus & morti imminens eosdem repurgans & illuminans, eos refellit, qui crimini vertebant, *quod nimium libero arbitrio tribuisset.* Quin sententiam ipse eandem suam confirmat, illustratque, ut gratiæ prævenientis *effectus, non causa*, sit noster assensus, *Est enim pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus, quamvis causa prior efficiens, quæ nos convertit, sit ejus spiratio & motio prævenions; tamen dispositio materialis, quæ hoc modo dici potest causa, est assensio nostra. Sicut causa efficiens prævenions, cur fenestra aperitur, est aer intrans; sed causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperitur.* Ubi gratiam prævenientem & præmoventem voluntates nostras ab bonum declarat per aspirationem venti in fenestram clausam: quæ invitat, impellit, non infallibiliter efficit, si sola spectetur. Est ergo ea gratia simillima adjutorii sine quo non bene agi potest, quo à Deo stans Adamus juvabatur; cui aliquandiu consensit, dum stetit; dissensit postea, dum lapsus est. Unde quod ceciderit, non potest ea permissio Dei inter effectus reprobationis numerari. Etenim reprobatio, ut idem ibidem paulò antè astruit *ex Augustino & Thoma*, causam in nobis habet, non prædestinatio. *Merito namque peccati universa massa damnata est. Unde colligitur permissionem, qua Deus Adam primùm permisit, ac subinde nos delinquere sinit, non esse per se effectum reprobationis, sed per accidens: per se verò nostræ pravæ voluntatis, divinis inspirationibus resistentis.* Gratia ergo Adami erat ea, quæ inclinaret, & quæ præmoveret voluntatem ejus in bonum, non tamen infallibiliter; seu cui nunc assentiretur, nunc dissentiret. Eadem nunc movet & præmovet, & in electis ita dispensatur, ut propter directionem, protectionem, providentiam singularem, congruitatem & contemperationem infallibiliter agat.

Idem ibidem docet *actum pœnitentiæ à timore servili procedere, sicut à primo motu nostri affectus.* Item *gehennæ metu absterreri homines à peccatis.* Et ex Cassiano, *per timorem servilem nos incipere converti in Deum.* Et ex sancto Thoma, *ipsum etiam motum timoris servilis procedere ex actu Dei, convertentis cor.* Ibidem. Denique, *Si quis in charitate existens, ob timorem servilem, aut peccata sibi dimissa detestetur, aut futura caveat, metus ille, quia fit ex gratia, est meritorius de condigno.* Ubi palam est ingentem esse efficaciam timoris gehennæ, & ad hominis primò conversionem ad justitiam, & ad justos etiam à peccatis avocandos. Et sanè, ut ibidem ille ait, etiam Adamus innocens terrore mortis à peccando absterrebatur.

In Epistolam ad Romanos scribens idem Soto, acriter & prolixè tuetur prædestinationem gratiæ ante prævisa merita, & eos confutat, qui eam superstruebant meritis ex bono usu gratiæ prævisis. Cæterùm nonnisi post prævisum Adæ peccatum, & ejus contagio peccati vitiatum omne genus humanum, aliorum prædestinationem statuit, aliorum reprobationem; etsi omnes *voluntate antecedenti* vult Deus salvos fieri, *atque adeo universis paratus est auxiliis gratiæ communibus saltem succurrere.* Cap. 9. Certa mox ait electis media ad salutem præparata esse, sed ita ut *possimus earenuere.* Ideo postea ait quod *Stat simul in sensu composito, hunc qui prædestinatus est, hoc vel illo modo delinquere, licet non stet in peccato mori. Quocirca in singulis peccatis nulla est difficultas explicandæ libertatis, sed in hoc quod vel prædestinatus possit decedere in peccato, vel*

reprobus in gratia. Nulli ergo motioni, vel gratiæ prædeterminanti ad singulos actus bonos necessariæ assensus est Soto; hac enim posita jam impendet gravis difficultas in actus peccati singulos, qui vitari potuerint, si defuit motio necessaria: ea enim si non defuit, utique vitata sunt. Ideo Soto priscо more sensum compositum & divisum prædestinationi, non motioni divinæ adjungit. Denique Catharini duplicem prædestinationem copiosè refellit, non autem illam exequendæ absolutæ prædestinationis rationem, à Catharino explanatam, per mediorum frustrabilium successionem & multitudinem non frustrabilem.

EX DIDACO COVARRUVIAS
Episcopo Segobiensi, qui Tridentinæ Synodo interfuit.

GRatiæ habituali & charitati justos inhabitanti specialiter & propriè nomen *gratiæ* tribui author est Covarruvias: *Gratia generaliter dicitur quodcumque donum, quod non debetur suscipienti, sed voluntate donatur. Licèt hoc sit generale nomen, speciali tamen nomenclatura dicitur gratia quædam gratum faciens, reliquis nomen genericum retinentibus, ut dicantur gratiæ gratis datæ. Est autem gratia gratum faciens, per quam homo ipse Deo conjungitur, & formaliter fit amicus, & Deo gratus, & justificatur.* Et infrà, gratiam gratis-datam seu actualem secernens à gratum faciente, seu habituali, ait habitualem dici *operantem, dum sanat & justificat: cooperantem, qua parte est principium meritoriè deinceps operandi ex libero arbitrio.* Ubi & efficaciam nonnullam hujus gratiæ agnoscit.

In caput, Alma Mater, § 4 de bonis operibus.

Atverò generalem gratiam, seu speciale auxilium à concursu generali idem distinguit jure merito, quòd illa sit supernaturalis, hic naturalis ordinis. *Ego opinor auxilium Dei speciale, concursumque ejus prævenientis convertentisque ad se nos, licèt connumeretur inter gratias gratis datas, ab eis tamen posse distingui, & nomen habere speciale auxilii quidem gratuiti peculiaris, quo nos super naturam Deus evehit; ut discernatur à generali Dei concursu, quo movet fovetque res naturales.* Actuale hoc auxilium idem locat *in affectu illo, quo mens nostra movetur*, & tum eadicitur actualis gratia operans; ubi mens consentit, cooperans. Est enim affectus ipsemet, ut à Deo nobis inopinantibus inspiratus, gratia ipsa præveniens: ut nostro non exturbatus deinceps dissensu, gratia concomitans. Porro quàm generaliter omnibus impartiatur hoc auxilium Dei moventis speciale; eo constat, quòd à concursu generali non differat, nisi quòd illud ordinis sit supernaturalis, hic naturalis. Denique in doctrina Andreæ à Vega & Dominici Soto totus conquiescit Covarruvias.

Ex hoc postremò consensus perspicuè Covarruviæ cum Dominico Soto conjici potest etiam de efficacia invictissima gratiæ ejus, quæ secundùm propositum datur. Adde & hæc pauca rursum, *Gratiam gratis datam, qua Deus trahit peccatores ad gratiam & justitiam, nemo meretur, sed illa omne meritum antecedit.* Trahi peccatores confitetur hac gratia conversionis efficacissima. Et tamen paulò antè sic habebat idem, *Postquam Deus voluntatem nostram speciali auxilio gratiæ excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo moventi & inspiranti consentiat aut dissentiat.* Et infrà: *Gratia gratis data seu auxilium speciale est, quo Deus peculiariter juvat, & potentiùs movet, & inflectit potentias nostras, ut ea facere possimus, quæ sunt necessariæ ad justificationem nostram, & sic ad consequendam gratiam gratum facientem.* Cùm ait *potentiùs moveri & inflecti* à Deo voluntates nostras, efficacissimam denotat gratiam conversionis; & ea tamen dari ait ut *facere possimus*, quæ ad justitiam comparandam sunt necessaria.

EX ANDREA DE VEGA
Salmanticensi Professore, Ordinis Minorum, qui Tridentino interfuit.

IN Tridentinæ Synodi tuitionem adversus Calvinum, Lutherum & alios, edidit Vega libros quindecim *de justificatione*, & rursus quæstiones quindecim de fide justificante, Affuerat ipse Synodo, ejusque adeo & Augustini de gratia sententiæ testis erit nobis & interpres locupletissimus.

Primùm ergo ille gratiæ habitualis efficaciam commendat, cùm justificationem nostram ait fieri non sola sanctificatione, seu peccatorum oblitteratione, sed etiam innovatione, seu gratiæ & virtutum infusione. *Nam dona & virtutes ad renovandum nos præcipuè videntur concedi. Per ea namque reformantur pravæ inclinationes, contractæ, vel consecutæ ex peccato.* Justificamur enim justitia Theologica, seu *rectitudine sufficienti ad consequendam beatitudinem, seu observantia præceptorum.* Illa autem duplex est, *actualis*, cùm actu exercemus præcepta; & *habitualis*, quæ nimirum est *qualitas permanens, quæ nos promptos facit & expeditos ad ea exequenda.* Sive ea sit bene operando *acquisita*, sive *infusa*, qua scilicet *Deus justos nos facit, & ad ea quæ sibi placent, facilius & latius exequenda, virtutem & facilitatem tribuit.* Sicut enim *peccata animam deturpant, & tardam, debilem, instabilem faciunt, proclivem ad malum, debilem ad resistendum tentationibus, &c. Ita gratia simul cum justificatione nostra languores & vulnera sanat, sordes abluit, dominium pravorum affectuum disrumpit, servitute demonis liberat, fomitem mitigat, libertatem restituit, collapsas animæ vires reparat & communit, pronos in bonum facit, tardos & difficiles in malum, fortes ad resistendum tentationibus, fœcundos bonis operibus, &c. Fidem vivificat, charitatem accendit, impartitur fortitudinem, temperantiam, humilitatem, &c.* Quocirca mirum jam non accidet cuipiam, si tritum sit apud Theologos axioma, *Minimam gratiam sufficere ad resistendum omnibus tentationibus*. Etenim hac renovatione assequimur *esse quoddam ordinis divini*, quin immo *illabitur animabus nostris illapsu quodam intimo & omnino admirabili tota Trinitas, & ita se nobis unit & conjungit, & mansionem in nobis facit.* Porrò ubi inhospitatur Spiritus sanctus, charitas Deus, *non otiosè & sine fructu manet. Cùm vivus ignis sit, intellectum illuminat, affectum inflammat, memoriam commonefacit, & ad orationis, fidei, potestatis, reliquarumque virtutum opera jugiter, quos inhabitat, hortatur, excitat, extimulat, adjuvat.* Ubi claret & quanta sit efficacia hujus gratiæ seu charitatis immanentis; & unde illa fluat; & quàm individua illi adhæreat turma actualium auxiliorum.

Ibid. c. 4.

Ibid.

Argumentatur idem alibi justos verè dici & esse non posse, maximè parvulos, nisi infundatur *habitus justitiæ*, qui vel natura, vel consuetudine inolitos injustitiæ habitus deleat, ut saltem debiliter, & refellat, *pronosque & promptos reddat nos ad credendum*, diligendum & operandum benè. Cùm enim constet *impossibilia prorsus esse Dei mandata, nisi Deus sua ope & gratia imbecillitatem nostram adjuvet*: nunquam justis deest gratia, qua fiant possibilia.

L. 7. c. 11.

L. 11. c. 11.

Est enim justis *necessaria etiam auxilii specialis gratia præter gratiam gratum facientem, ut divina omnia mandata impleant: & in accepta*

gratia

gratia perseverent. Verùm ut sciremus *hoc auxilium tam potens quàm necessarium nulli deesse justorum, mox subjecta sunt in Tridentino decreto illa verba totius suavitatis plena, ex Augustino desumpta; Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. In justis enim manet Deus, *nec tam liberaliter & absolutè mansionem suam in justis polliceretur, nisi tandiu in eis esset mansurus, quamdiu ab ipsis non expelleretur. Et ab hac felici præsentia habent justi, ut servare possint mandata, & occurrentes vincere tentationes*. Per hanc ergo *Dei gratiam, qua omnes paratissimus est juvare, nobis possibilia sunt mandata*. Addensat ibidem mox Vega Augustini contextus plùrimos, id inculcantes, charitate infusa cordibus, non possibilia tantùm fieri mandata, sed facilia, levia, suavia. Ergo hæc Augustini loca de delectatione & dilectione justitiæ ad hanc habitualem gratiam spectant. *Quamvis igitur mandata Dei ex se, & ad exiguas vires nostras comparata, difficilia sint: per adjutorium tamen Dei, diffundentis in nobis suam charitatem ad ea implenda, fieri possunt, fiuntque persæpè justis & levia & omnino jucundissima*. Cùm vel maximè *qui habet gratiam gratum facientem, habeat in sua potestate omnem aliam gratiam, qua ad implendum præcepta requiritur*.

Ibid. l. 11. cap. 11.

Ibid. c. 12.

L. 13. c. 12.

Decantatissimum autem cùm sit vitari posse à justis venialia divisim, non collectim: ne hinc decerpatur quid de efficacitate gratiæ justificantis, vel auxiliorum ab ea indissociabilium, ideo Vega suam ea de re sententiam ita promit: *Nullum est vitæ momentum, in quo non possit homo, & singula, & omnia evitare peccata. Nam si posset homo singula & non omnia evitare, aut non teneremur evitare omnia, ad impossibile essemus astricti. Quorum utrumque absonum est, &c. Adeoque verum est posse hominem omnes & singulas tentationes ei ingredientes quocumque in momento superare, &c.* Sed cùm hæc *& sint & esse debeant inter Catholicos incontroversa*, jam quæri ait, An non quolibet momento, sed tota vita possit quis vitare singula & omnia venialia. Et quidem docet bifariam dici res possibiles, vel impossibiles. *Moraliter impossibilia dicuntur, quæ fieri non possunt, nisi rarissimè & cum magna difficultate: Logicè seu metaphysicè impossibilia, quæ nullo modo fieri possunt*. Jam contra Pelagianos certum esse ait non posse sine gratia vitari omnia venialia: *Sed cum gratia Dei secundùm legem communem, constitutissimum omnibus crediderim esse debere, neminem quantumcumque justum, excepta Deipara Virgine, posse aut potuisse moraliter tota vita cuncta devitare venialia*. At verò si *res metaphysicè & dialectice* consideretur, *Simpliciter crediderim, posse nos per opem Dei omnia & singula peccata tota vita devitare*. Tenetur enim homo *vitare omnia, est igitur per gratiam Dei hoc simpliciter & absolute possibile*.

L. 14. c. 19. 20.

Ibid. c. 21.

At verò suam de possibilitate mandatorum per gratiam sanctificantem, alibi Vega distinctissimè elucidat sententiam: *Prima conclusio. Aliqua bona possunt justi, sine auxilio Dei speciali. Possunt enim justi quæ possunt peccatores; cùm ergo secuti communem opinionem docuerimus posse omnes homines facere aliqua bona, & vitare aliqua peccata sine auxilio Dei speciali, eadem potuerunt & justi*. Hanc esse *communem opinionem Scholasticorum* docet contra Gregorium Ariminensem. *Secunda conclusio. Aliqua sunt opera bona, quæ justi possunt efficere absque auxilio Dei speciali, quæ tamen non possent, neque peccatores, neque homines in puris naturalibus constituti. Probatur, Per gratiam justificantem & virtutes cum ea infusas, augentur vires nostræ naturales, & potentiores efficiuntur. Alioqui frustrà darentur, & imperfectiores essent virtutibus & habitibus acquisitis. Ergo aliqua bona poterimus facere jam justificati, sine auxilio Dei speciali, quæ ante sine illo non poteramus*. Idem elicit ex Concilio Milevitano, Gratiam justificantem valere etiam *ad adjutorium*. Quod & confirmat Can. 10. Cælestinus Papa. *Tertia conclusio. Necessarium est tamen justis auxilium speciale Dei ad aliqua eximia & præcellentia virtutum opera, & ut impleant omnia mandata Dei, & ne deficiant in multis quæ passim occurrunt, periculis & tentationibus; &c. ut omnia bona faciant, omnia peccata vitent, omnes tentationes vincant, omnia præcepta impleant*. Hæc est enim perseverantia, quæ ut omnium difficillima, ita maximè speciali eget auxilio.

Quæst. 14. de necess. Grat in jam justificatis.

Ad generalem gratiam defluximus. De hac affirmat Vega, per *influentiam generalem* posse impleri præcepta aliqua. *Non sunt usque adeo imminuta nostræ libertatis vires, ut nihil possimus boni facere, cum sola generali influentia, nullum implere præceptum, nullum vitare peccatum, nullam vincere tentationem. Possumus etiamnum omnia ista ex communi Scholasticorum sententia contra Gregorium Ariminensem. Imminuta tamen in duobus sunt; quia nec possumus modò cum sola generali Dei concursu omnia servare mandata, aut omnia vitare peccata. Nec valemus præcepta implere, nisi quæ magnam non habent difficultatem, vel laudem. Et leves possumus vincere tentationes, non fortes & vehementes, nisi Deus peculiariter adjuvet*.

L. 2. c. 11.

Hac influentia generali Deus ad bonum indesinenter urget, adjuvatque, cui obsequuntur impii, si quid benè moraliter operantur; illam detorquent, si quid malè. *Nobis, non Deo imputari debent vitia. Nos quippe sumus, qui ad mala opera illius generali concursu abutimur, cùm ille perinde, immò multò magis paratus sit nobis ad bona cooperari. Et quemadmodum nemo imputat fabro homicidium, patratum gladio ab ipso bona intentione facto: nemo angelo motori orbium cœlestium, quod per eorum influxum multa mala faciamus: & vitium ambulationis claudi in detortam tibiam reiicimus: ita prorsus nostra peccata non debent imputari Deo, qui auxilio dumtaxat generali ad ea concurrit, sed nobis qui deflectimus & claudicamus ab ipsius lege, atque influxum illius in malum detorquemus*.

L. 2. c. 15.

Ideo mala nobis, Deo nonnisi bona nostra imputanda sunt. *Ille semper stat ad ostium & pulsat, semper vocat, semper allicit, semper hortatur & instigat ad bonum*. Et ibidem: *Habemus libertatem respectu illorum, in que non sufficimus sine generali influentia*. Non ad singula autem, sed *ad multa moralia bona opus habemus gratia speciali*. Sed & ista omnibus offertur authore Vega: quin & ejus mensura in cujusque potestate est, si illi fides habeatur. *Quod si ex libertate nostra non esset, ut quidam divinæ motioni in suam ipsorum justificationem assentirentur, & cooperarentur, alii verò minime: cùm Deus paratissimus sit omnes convertere, & semper stet ad ostium cordis nostri, & pulset: cur non omnes converterentur, & justificarentur? Quæ causa etiam proxima assignari potest, ob quam Deus uni peccatori pœnitenti majorem gratiam elargiatur, quàm alteri, nisi quia unus ferventiùs se ad Deum convertit, & perfectiùs, quàm alter?*

Ibidem. L. 2. c. 15. 16.

Objicit sibi idem infrà in hunc modum: *Auxilium Dei generale non communicatur nobis ob merita Christi, ut in confesso est apud omnes; nam debitum est ordini, & suavi dispositioni & administrationi mundi, & superfluo applicata essent merita Christi ad illud obtinendum. Par autem ratio videtur de speciali, cùm & illud videatur debitum suavi hominum dispositioni, & alioqui non esset imputabilis intermissio eorum operum, quæ auxilium speciale requirunt*. Respondet peccato amissa non naturalia, inter quæ numerarur generale auxilium; sed gratuita, adeoque auxilium speciale. Hoc per Christum reddi, non illa. Respondet potuisse

L. 4. c. 7.

tuisse Deum sine speciali auxilio homines dimittere, sicut damnavit & Angelos, si Filium nostra carne non induisset. Respondet denique Christi sanguini imputanda esse *specialia auxilia*, quibus infideles præclara quædam opera ediderunt. *Dedit enim Christus animam suam in redemptionem pro omnibus, & omnes vult salvos fieri, & suæ passionis fructum participare. Sicut jugiter pro suis crucifixoribus oravit; ita jugiter extendit manus suas ad populum non credentem & contradicentem sibi; nec est qui se abscondat à calore misericordiæ suæ. Per illum audiunt, qui non ponunt obicem, prædicatum sibi Evangelium. Et ipsius meritis sæpè mitigatur ira Dei adversùs infideles, ac longanimiter eos Deus expectat, ut faciat pœnitentiam.* Sic ille auxilium generale negat meritis Christi deberi, quod an ita in confesso sit, ut ille ait, meritò ambigitur. Sed auxilium speciale ejus meritis innixum in omnes & singulos spargit. Unde mox assentitur quidem Christum nec mortuum esse, nec orasse pro eorum justificatione, qui justificati nunquam sunt: sed sin minùs *efficacem*, certè *sufficientem* esse passionem ejus *ad reconciliandum omnes Deo, & satisfaciendum pro omnibus, &c. Et nemo est qui si velit ad gratiam Christi venire, & suæ justificationi sedulam operam exhibere, non vel ob merita Christi habere possit auxilia omnia necessaria ad ejus assecutionem, &c. Et fortassis nemo fuit unquam, aut erit, cui non aliquem fructum attulerit mors, quam ille pro omnium commodo & salute susceperit.*

L. 4. c. 10.

Ideo infrà negat omnia infidelium opera esse peccata, & merito explosum in Scholis ait Gregorium Ariminensem, qui id non de omnibus tamen infidelibus asseruit in 2. d. 26. q. 1. sed de iis, qui *neque Deum nossent esse ullum*. Possunt enim omnes *ad gratiam se disponere*, & ita non peccant: & obligantur ad præcepta legis naturalis, ergo possunt ea implere. Augustinus autem bonum hic non appellat, nisi meritorium vitæ æternæ.

L. 6. c. 40.

Cur autem Tridentina Synodus sanciens præcepta esse possibilia, addiderit *homini justificato*, recenset has rationes Vega: *Quod peccator non possit peccata collectim omnia vitare, immo nec aliqua, nisi justificetur. Item quod ex Scholasticis aliqui non consentiant. Adrianus 6. quodlib. 4. putat esse aliquas ignorantias culpabiles in peccatoribus, quæ vinci non possunt, nisi se in Deum perfecto & pleno animo convertant. Gregorius Ariminensis etiam novum peccatum admittit & nova pœna imputabile in peccatoribus, qui ob culpam suam destituuntur auxilio speciali Dei, necessario secundùm illum, ad implendum quodvis præceptum. Et sanctus Episcopus Roffensis tenet omnes induratos carere ob sua peccata auxilio necessario secundùm Patres ad bene operandum moraliter. Ad quod consequens est, aut eos liberos esse à præceptis, aut illis impossibilia esse præcepta ad quæ tenentur.* Censet tamen Vega à Concilio potuisse absolutissimè definiri, etiam impiis possibilia esse præcepta. Etsi aliqua enim essent quæ gratiam gratum facientem desiderarent, *Potest, ut jam Ecclesia definivit, quicumque peccator per veram semper pœnitentiam reparari. Et si ad hoc adnitatur, ut debet, implebit & singula & omnia, & perveniet statim ad gratiam.*

L. 11. c. 11.

L. 2. d. 28. q. 1. a.

Postremò non posse *propriis naturalibus viribus cum sola communi influentia* facere quemquam quæ necessaria sunt ad salutem, credere, diligere Deum super omnia, pœnitere, idem docet, sed opus esse speciali auxilio. Sed cùm Deus nil præcipiat impossibile, *Semper Deus est paratus adjuvare omnes ad servandam suam legem, neque deficit in re adeo necessaria. Sed ne superbiremus, totique ab eo penderemus, noluit eas præstare vires, ut sine sua gratia & favore speciali possemus servare omnia mandata. Ut vere autem posse dicamur, satis est nos cum sua gratia posse, & cum semper esse paratum eam præstare non ponenti obicem. Ea enim posse dicimur, quæ per amicos possumus, &c. Totum quod ex Dei auxilio requisitum est, promptissimus est Deus exhibere. Facienti enim quod in se est, Deus non unquam denegat suam gratiam.* Ergo ad præcepta ardua opus est speciali auxilio, & illud paratissimus est Deus dare: ad cætera sufficit auxilium generale. Idem infrà, *Ad opera fidei & religionis & generaliter ad opera præcellentia, ad consilia & mandata graviora, ad vincendum difficiles tentationes necessarium est auxilium speciale, non verò ad alia, quæ nullius aut certè exiguæ sunt difficultatis & nullam, vel non eximiam laudem merentur.* Probat: quia ex confessione Catholicorum ad res tantùm arduas opus est auxilio Dei speciali, etenim alioqui peccato Adæ non attenuatum dumtaxat, sed extinctum esset liberum arbitrium. Item alioqui nil possent facere infideles, quo se disponerent ad gratiam. Item mala erit natura, si nihil boni potest cum generali auxilio.

Quæst. 1. de necess. grat. ad bene oper.

Ad tertium idemque invictissimum gratiæ auxilium accedamus. Distinguit Vega duo auxilia Dei: *Antecedentia sunt prædicationes, inspirationes sanctæ, admonitiones amicorum, timor gehennæ, spes regni cœlestis, tribulationes, miracula, exempla aliorum & his similia. His namque omnibus trahit Deus & allicit misericorditer peccatores ad pœnitentiam. Hæc auxilia à plerisque inefficacia vocantur, quia non semper habent suum effectum, sed plerumque à peccatoribus propter suæ mentis obstinationem frustrantur.* Illud est primum genus, seu gratia generalis & sufficiens. Jam de secundo & efficaci: *Posterioris generis sunt concursus quidam speciales, quibus Deus peculiariter & immediatè nostras rebelles ad se convertit voluntates, conjungens se, & intimo quodam benignissimoque modo uniens se ipsis, & potentiores eas ad operandum reddens, atque ut doleant de peccatis, & vitam commutent, inflectens. Eo hæc auxilia efficacia dicuntur communiter, & simultanea, sive comitantia possunt appellari, nec unquam frustrantur.* Quòd ex priori illo auxiliorum genere pauci resipiscant, in causa esse ait, tum ex parte Dei eorum auxiliorum parcitatem, etsi nulli omnino denegentur, tum ex parte hominum, *quia rarò vel nunquam homines faciunt quod possunt. Virtus est circa difficile: pessimos habitus sibi comparavit impii.* Ideo hujusmodi homines *vel numquam, vel nonnisi rarissimè & difficillimè pœnitent.*

L. 11. c. 13.

Sive generali autem, sive speciali concursu Deus nos juvet, cùm sit prima causa principaliùs ab illo est effectus. *Causa quippè universalis movet ad agendum causam particularem, & facit suo influxu & applicatione, ut illa operetur.* Quòd autem per gratiam Dei *trahi* dicimur, non violentia significatur aliqua. Nam *trahimur plerumque in sententias aliorum, non demonstrationibus, sed persuasionibus probabilibus. Et trahit sua quemque voluptas.* Et infrà, *Gratia operans est adjutorium, quo Deus facit, ut interius, vel exterius, sive circa finem, sive circa media bene operemur. Ideo Augustinus asseruit à Deo esse sine nobis, quæ sunt à gratia operante, quia ipse solus facit, ut ea faciamus, sive aliquibus bonis inspirationibus, quas in nobis per se solum producit, sive alio ignoto nobis modo, applicando & inflectendo voluntatem ad operandum.* Et rursum, *Gratia præveniens est concursus specialis, quo Deus peccatores præparat & disponit ad suam gratiam. Sed & gratia prævenions possunt dici omnia illa, quibus Deus nos vocat & trahit ad se. In his inspirationes primum locum tenent.* Et mox eliquatissimè innumeram supellectilem horum auxiliorum, quibus cordis duritia tandem perfringitur, sic recenset: *Itaque cùm Deus ad se nos paulatim trahat, nunc bonis cogitationibus, vel mortis, vel gravis agritudinis instantis, vel judicii divini, vel gehennæ imminentis: nunc re-*

Ibid. c. 4.

cordatione gratiæ à qua excidimus, vel gloriæ quam perdidimus: nunc admonitione ipsius ingratitudinis nostræ, vel turpitudinis peccatorum nostrorum: nunc spe regni cœlorum, vel timore pœnarum: nunc afflictionibus, tribulationibus, objurgationibus: nunc amicabilibus suasionibus, & blandis exhortationibus: omnia ista gratiæ prævenientis nomine possunt appellari, & vocationis nomine à Patribus appellantur. His tot tantisque machinis extorquet Deus assensum quoties vult nostræ voluntatis, quam tam variè, & tam potenter, aptè, blandèque *excitat adjuvatque.*

Tametsi autem potest gratia Dei intus *adjuvans* voluntatem nostram ad Deum convertere sine *excitante*, seu sine *vocatione* externa, hoc est sine ulla earum foris *occasionum*, quibus primum excitamur, ut convertamur ad Deum; rarissimum id tamen est, *Ut enim experientia nos docet, non nisi ex novis occasionibus incipimus nolle, quæ antea volueramus, &c. Et Tridentini Patres asserunt à vocatione sumendum esse justificationis exordium, & peccatores excitante, adjuvanteque Dei gratia converti, quia hæc est communis & protrita via conversionis.* Intus sanè Deus supplere potest & exercere omnem illam oppugnationem mentis per varia auxilia, si quando foris non explicatur.

Ibid. c. 7.

An autem *vocationes, illustrationes, inspirationes, appetitus, spes, dolor, timor, aliique impulsus, quibus ad Deum trahimur*, à Deo solo, an etiam à nobis fiant, mox dubitat. *Non tamen est omnino certum, utrum horum modorum Deus servet in vocatione peccatorum. Et fortassis nunc uno, nunc altero vocat. Verùm tandem pensatis omnibus probabilius videtur, à Deo totaliter, vel per seipsum, vel per Angelos suos, & semper sine nobis produci vocationes, illuminationes, inspirationes, seu bonos effectus, quibus Deus nos per se vocat & excitat ad pœnitentiam, &c. Sunt enim repentini motus instar naturalium coruscationum prævalentes, & antevertentes omnem nostræ libertatis consensum, &c. Nec sunt in potestate nostra, nec laudem ob illas meremur, nisi cùm liberè illas in nobis nutrimus, & eis acquiescimus:* Ubi jam gratia *adjuvans* cooperatur, nempe ubi excitanti assentimur. Et ideo *auxilium adjuvans speciale hoc sic in potestate nostra est, ut generale.*

Ibid. c. 8.

Ibid. c. 7.

Perseverantiæ donum specialis esse gratiæ, eo probat, quòd Deus *in occasionibus, quibus alii cadunt, quosdam benigna sua manu tenet:* item *eos protegit & adjuvat sic jugiter & fortiter, ut nulla ratione in aliquod trahi possint peccatum mortale.* Nec injuria fit gratiæ justificanti, si ad perseverandum opus sit specialiori auxilio. *Quocirca cum status justorum in hac vita asseratur in Scripturis esse status fidei, & pueritiæ, & auroræ comparetur, nihil derogabimus gratiæ gratum facienti, quæ hic est in statu sibi præternaturali, neque sinitur totas exercere vires suas, sed tantum datur, ut ex parte, & quantum huic statui satis est, nos perficiat: si dicamus eam non habere perfectionem tantam, quantam habebit vel ipsa, vel certè Dei visio & fruitio in patria.* Quod verò idem ibidem addit, non tantùm *posse justos multa per gratiam gratum facientem bona opera facere, & peccata vitare, quæ aliàs non possent*: quod indubium sanè est; sed etiam *non sic dici requisitam specialem gratiam ad perseverandum, ut non quandoque per leves tentationes occurrentes, & breve tempus vitæ, etiam sine alio auxilio perseverent justi, per libertatem suam, & auxilium gratiæ gratum facientis usque ad mortem:* Id ea cautela tenendum est, ut hæc ipsa sit protectio singularis Dei & specialis gratia, quòd tam leves & raræ incurrant tentationes, & brevi rapiatur, quem vitæ longævitas difficillimis tentationibus objecisset,

L. 12. c. 10.

Ibid. c. 11.

EX GASPARE CASALIO *Lusitano Episcopo Leirienſi, qui Tridentino affuit.* An. 1562.

PRolixum & omnimoda eruditione refertissimum opus *de Justitia quadripartita*, sive de justificatione hic edidit, dicavitque Tridentinæ Synodi Legatis Apostolicis Patribusque omnibus, quos inter ipse radiabat interea.

De necessitate *specialis auxilii* præter *generalem* influentiam, nemo accuratiùs, nemo austeriùs scripsit. Sed illud tamen omnibus omnino dari contendit: *Per generalem vocationem Dei, & per adjutorium ejus speciale, sed generaliter concessum omnibus, Deus ob Christi merita vocat, & juvat omnes homines, non solùm prædestinatos, sed & alios, quantum sufficit singulis.* L. 3. c. 4.

Speciali auxilio prolixè vendicat bona moralia omnia quarumcumque virtutum, quæ communi ferè calculo ab aliis tribuuntur *generali influentiæ*, seu *gratiæ Creatoris*; ipse *gratiæ Redemptoris* omnia illa utcumque bona moralia & inculpata adserit, si circa Deum & propter Deum fiant. Alioqui frustra olim damnatum Pelagium fuisse tradit, cùm gratiæ Creatoris suffragaretur. 2. Ad hæc qualiacumque bona præparat nos Deus, aptatque, ergo per speciale Christi auxilium. 3. Dei veri notitia & virtutibus jam incipit homo fieri spiritalis. Ergo per speciale Christi auxilium. 4. Notitiam Dei quam per creaturas assecuti sunt Philosophi, & Paulus & Augustinus tribuunt speciali gratiæ, eosque superbisse aiunt, dum sibi eam tribuerent. 5. Sola Dei ut Creatoris & Remuneratoris cognitione consequebantur homines justitiam & salutem, ante legem datam, immo & inter Gentiles post legem Judæis latam. Ergo non sine speciali auxilio tunc eam cognitionem, & consentaneos illi mores assequebantur. Ergo & postea eodem opus semper fuit speciali auxilio. 6. Est omnino *Via* ad Patrem Christus, est Christi gratiæ debita etiam *generalis vocatio* per creaturas ad Creatorem. 7. Ante datam legem verè *fides* erat, & implicitè Christum ipsum complectebatur cognitio veri Dei æternique remuneratoris: non ergo sine Christi gratia ea obtingebat. 8. Gratia Christi est ad singulos actus necessaria. An ergo nihil auxilii divini opus erat ad actus credendi, colendi, diligendi Dei Creatoris? L. 1. c. 10. L. 1. c. 11.

9. Apertè favent Gregorius Ariminensis & Capreolus, *sine speciali auxilio* cum generali influentia nihil fieri posse boni, etiam naturalis. 10. Si seriò pensitet quis difficultates & caliginem, hebetudinemque nunc post peccatum nostræ mentis, non ægrè confitebitur, vix ac ne vix quidem posse nunc quenquam sine speciali auxilio assequi certam & constantem de Deo uno, & vero spiritalis beatitudinis authore notitiam. Ut simillimum veri sit in omnibus id assecutis, voluntatis pio affectu aliquo roboratam fuisse mentem, alioqui sua ægritudine vacillantem. 11. In tanta quoque contagione morum, qua post parentale delictum laboramus, sicui virtuti morali studemus, & vitia innata posthabemus, æquum est credere, non sine singulari quadam Dei propter Christum cura & vigilantia in nos benevola id contingere. Debemus illi & mala quæ non fecimus. Debemus illi specialiter curanti & custodienti, si quid minùs peccamus, quàm alii. 12. Meriti saltem congrui & umbratici pars aliqua inhæret virtutibus his moralibus. Ergo nonnisi per Christi gratiam. 13. Ideo Augustinus *divino muneri* virtutes philosophicas adscribit, non ergo generali influentiæ. 14. Adde quòd hæ virtutes ad quandam jam *reformationem* animarum nostrarum spectant, Christo ergo Reparatori acceptæ referri debent. L. 1. c. 15. Ibid. c. 16. 17. Cap. 19. Cap. 21. Cap. 27.

15. *Quidquid potest homo circa bonum, vel non malum in actionibus deliberatis, quod non possunt dæmones* L. 1. c. 30.

mones habentes nobiliora naturalia & generalem influentiam Dei, potest homo mediante gratia redemptionis: non ex sola gratia creationis, secundum quam & dæmones etiam habent naturam intellectualem nobiliorem & fortiorem, ac Dei influentiam generalem. At bona moralia virtutum non possunt dæmones exerere, Ergo ex Christi gratia id nos possumus.

Cap. 21. 16. Adde quòd *generalis influentia* ea est, qua Deus ad bonum ita nos movet, ut & ad malum detorqueri à nobis possit, id est, ad bonum apparens, ut docet Casalius ex sancto Thoma. At *auxilio speciali* movet Deus, prævenit, præparat ad bonum, etiam *fortiùs & abundantiùs*, eoque egemus, tum quia indifferentes sumus ad bonum & ad malum, tum quia ægri & imbecilles.

Ibidem. Cæterùm id auxilium etsi *speciale*, etsi *Christi* gratiæ sit, *non tamen uni, vel paucis datur, nec his præstatur, & non aliis. Omnibus enim adultis sanæ mentis suum adjutorium speciale affatim communicat Deus, quia omnes vocat, omnes excitat, omnes prævenit, omnes præparat ad bonum, quantum est ex parte sua, nobis necessarium. Quamobrem ratione personarum quibus datur, generale utique est, quia omnibus datur hominibus, &c.* Quo nihil apertius dici potuit. Cùm ergo natura insit nobis ad virtutes morales *potentia remota* tantùm, ut idem ait, proxima accedit beneficio Christi, sed ea cum omnibus communicatur.

Non ergo placet Casalio, quod dicta Patrum & Synodorum, aientium non posse boni quidquam fieri sine gratiæ adjutorio, alii interpretati sint ita, ut bonum meritorium vitæ æternæ intelligatur, alii ita ut illud Dei adjutorium non aliud sit, quàm influentia generalis. Contrà ipse statuit, illud Cap. 16. quodcumque adjutorium speciale dici, & bonum quodcumque remotè saltem ad pietatem pertinere, utrumque de Christi censu esse. Cui nos tantò gratulamur impensiùs, quod cùm idem professi simus sæpiculè, raros, ac penè nullos hactenus nacti eramus suffragatores.

Illud quoque non silemus, Casalium inter bonos & malos actus, aliquos interponere medios: etenim ut ipse ait, *Inter omnes Scriptores Catholicos* L. 3. c. 44. *atque hæreticos, quos nobis legere contigit, vel quos ab aliis lectos audivimus, Lutherus primus, idemque solus negavit omne medium, omnemque actum indifferentem in actibus humanis.*

Jam verò de gratia habituali præclarè Casalius ita differit, ut ejus efficaciam nobis aperiat. Hanc ait esse illam Dei gratiam, quæ nostram ita voluntatem, ut sessor equum dirigit, incitat, gubernat: quæ operans & cooperans, præveniens & subsequens est. Cùm hæc omnia enim ille ex Augustino, sive ex authore librorum Hypognosticon retulisset aprasetque gratiæ increatæ, seu Deo nos moventi: eadem ipsa mox adaptat gratiæ habituali. L. 8. c. 5. *Etiam gratia gratum faciens creata habitualis dicitur operans, inquantum animam sanat, vel justificat: dicitur cooperans, inquantum est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio manat. Atque de hac gratia operante & cooperante loquitur sæpè Augustinus, & præcipuè de Lib. Arbit. & Hypognost. ubi supra. Ipsa sic nobis præsens & intima, una & eadem simplicissima in seipsa, operatur in nobis multos effectus, & secundùm unum illorum dicitur præveniens, secundùm alium verò dicitur subsequens. Sicut Augustinus ait de Gratia Dei per Christum, Prævenit, ut sanemur: subsequitur, ut sanati vegetemur. Ipsa nos excitat & juvat ad bonum, ut dicit Bernardus. Conatus nostri ad bonum, nulli sunt, nisi à gratia excitentur; & cassi sunt, nisi à gratia juventur. Unde & ipsa gratia dicitur excitans & juvans.* Excitatur enim etiam quisque sui cujuscumque affectus vehementia. Refellit ibidem mox eos Casalius, qui soli habituali gratiæ eam divisionem in operantem & cooperantem vendicatum ibant;

In ea autem solemni quæstione, an justus possit exerere actus virtutum infusarum ex influentia generali sola, an opus habeat speciali auxilio? vehementer pugnat Casalius pro necessitate specialis auxilii adversùs Tapperum alioque generali in- L. 4. c. 41 fluentia contentos. Probat, quia sine speciali auxilio nihil potest mereri justus. Item quia gratia Christi ad actus singulos est necessaria. Rursus generalis influentia ad gratiam creationis pertinet, at ea non est qua merentur justi, vel quæ ad actus singulos est necessaria. Rursus gratia habitualis est in parvulis, sed otiosa: ergo ut agat in adultis, excitari eam opus est auxilio speciali. Verùm jam sæpè monuimus, hanc nobis videri verborum magis litem quàm rerum. Etenim *generalis influentia* Tappero, ubi gratiæ habituali & supernaturalibus formis applicatur, supernaturalis & ipsa est; eoque specialis gratia est, sed generalis dicitur, quod præsto semper est, nec ulli justo negatur.

Inter effectus gratiæ habitualis idem hunc recenset, *affectum animæ sursum ducere & elevare.* Et infrà ex Bonaventura, *Gratia facit hominem Deo amicum, facit hominem gratis facere ea quæ facit.* Cap. 4. *Affectus enim hominis recurvus est, & mercenarius quantum est de se. Unde quod facit, intendendo proprium commodum facit. Sed cùm divina gratia supervenit, sic hominem totum gratum facit, ut sive ad utilitatem proximi, sive ad honorem Dei velit totum gratis impendere.* Et infrà rursum ex Dionysio ait, *Sacræ dilectionis ad divina mandata facienda principalem progressionem, esse secretissimam illam & ineffabilem operationem, qua divinus in nobis status efficitur*, per Baptismi regenerationem. Huc refert & quæcumque Augustinus disputat de charitate; quam ait esse *virtutem, & rectissimam animi nostri affectionem.* Et infra Casalius, *Charitas est qualitas spiritualis, & est habitus ope-* L. 4. c. 1 *rativus, & est gratia.*

Et infrà rursum gratiam habitualem, eam confirmat esse, quæ ex Augustino, *prævia & dux est voluntatis pedisequæ, & comitantis*: quæ libero comparatur arbitrio, ut *sessor equo*: quæ ex authore librorum de vocatione gentium *domina est famulæ voluntatis*; quæ ex Scholæ Magistris *principa-* L. 4. c. 4 *lis est causa* operis meritorii, tum quia *inclinat* in illud voluntatem, tum quia in eo opere ratio & lux meriti ac justitiæ potissima est, & à gratia prorsus est, etsi materia ipsa actus à libero arbitrio sit principaliter. Et sanè justificari potest nemo, nisi *obedientiam habeat erga Deum, sive propositum obe-* L. 4. c. 6 *diendi*: at ejusmodi obedientia est charitas habitualis. Nec sola remissione peccatorum justificat, seu justos facit nos Deus; sed quia *nos illuminat,* L. 4. c. 5 *juvat, reddit pios, credentes, sperantes, diligentes, pœnitentes, prudentes, sapientes, fortes,* L. 4. c. 6 *temperantes, castos, justos, humiles.* Denique ex eo quod in mortali hoc ævo nemo perfectè consequitur hanc habitualem justitiam & charitatem, cum Augustino concludit, non posse justos nunc ab omni labe veniali puros semper esse.

Postremò denique qui & efficacissima sit divini propositi gratia, & nostræ tamen libertati nihil officiat, sic illo ex authore librorum Hypognosticon apud Augustinum, verba ejusdem hæc promens: *Rectè arbitror comparari liberum arbitrium* L. 4. c. 6 *jumento; unde dictum est, Ut jumentum factus sum apud te: gratiam verò sessori. Quia sicut jumentum, ut dometur, apprehenditur de armento, & incipit per curam domantis se ad ejus proficere voluntatem: ita liberum arbitrium gratia Dei apprehenditur de armento luxuriæ sæculi, in quo sub pastore diabolo vagabatur per incongruas voluptates, &c. Sicut jumentum dum in via dirigitur, sessoris manu regitur, ut iter rectum, seu leniter, seu cursim secundùm sedentis in se voluntatem possit incedere, quoadusque ad locum perveniat destinatum; ita & liberum arbitrium, &c. Et ut ju-*

mentum

mentum cum aliquoties sub sessore, pastum largioribus cibariis, incumbens freno, cursu extollitur, sessoris flagello caditur, ut secundùm ejus ambulet voluntatem: similiter & liberum arbitrium, dum homo gratia Dei immemor in prosperis efficitur, & tanquam de sui possibilitate gloriatur, extollitur, ejus flagello corripitur, cum variis tribulationibus, & afflictionibus subjugatur, &c. Sessor dicit, Feci hodie ut puta triginta milliaria, cùm illo sedente jumentum cucurrerit triginta milliaria: sed non ea cucurrisset, nisi à sessore tam directum, quàm gubernatum fuisset, &c. Ita Christianus facit præceptum, sed non sine gratia dirigente, vel gubernante. Hæc ille de gratia increata, seu de Deo movente per gratiam, domante per conversionem, dirigente ad perseverantiam. Addit & verba authoris librorum de vocatione gentium, *Gratia in omnibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* In hac enim auxiliorum multiplicium conspiratione, in illa directione, & protectione Dei sita est efficacia gratiæ hujus invictissima.

Jam suprà *speciale adjutorium* ex Casalio sæpè memoravimus; ejus id proprium est, quod Christi sanguine partum sit nobis, quod supra naturam, quod abundantius sit. At verò quod in singulis motionibus suis indeclinabiliter efficax semper sit, nunquam vel leviſſimè insinuat Casalius, quin satis apertè id negat, cùm sessori jumentum agenti illud comparat cùm commune vult omnibus omnino esse: cùm nusquam duplex auxilium actuale, seu speciale secernit: sed unum semper declarat esse, *quo mota voluntas liberè velit, aut operetur, vel non, quod possit suscipere, vel abiicere.* Ideo docet; *Gratiam ad actus singulos necessariam esse vel gratum facientem, vel gratis datam, vel quodcumque Dei speciale auxilium ad bene operandum, sive adjuvet Deus donum aliquod creatum infundendo, sive immediatè per seipsum movendo voluntatem, sive quocumque alio modo speciali Deus juvet hominem. Ita nomen gratiæ accepit Gregorius Ariminensis.* Ergo gratia habitualis potest dici ea quæ ad actus singulos est necessaria. Cæteroqui gratia actualis hinc conjici non potest voluntates infallibiliter determinare, sed ex adverso conjicere est ea voluntatem non determinari, sicut nec habituali gratia. Quanquam prædestinationi gratuitæ totus studeat cum Augustino & Thoma Casalius.

L. 1. c. 25. 34.

L. 2. c. 13.

L. 11 c. 12.

Ad utramque gratiam pertinet, etsi habituali hoc tribuat hic Casalius, quod affectionem justitiæ affectioni commodi anteponant justi: *Hec gratia facit, ut velimus bonum ex affectione justitiæ; & ut non excedamus volendo bonum ex affectione commodi. Hec nobis præparat justitiæ honestatem dilectam, & commodi affectionem temperatam, & ad mediocritatem redactam.* Et infrà: *Affectio enim justitiæ ordinat affectionem commodi; nec affectio commodi est sine peccato in habentibus rationem, nisi affectionem justitiæ comitetur, aut illi subjecta sit.* Ita peccat homo, cùm Deo movente ad utramque hanc affectionem, sed prout altera alteri subesse debet; bono motionem justitiæ irritat, motionem commodi amplexatur.

L. 2. c. 12.

L. 1. c. 32. 33.

EX MELCHIORE CANO Dominicano & Episcopo Canariensi, qui Tridentino interfuit, cum antea Salmanticensi Theologica Cathedra præfuisset.

FRanciſco Victoriæ, de quo infrà, non impar magistro discipulus fuit Melchior Canus. Hic de gratia generali sic sentit, Relectione *de*

necessitate fidei Christi ad salutem; Olim quidem implicita tantùm, nunc *post Evangelii divulgationem explicita Christi fide* opus esse ad salutem, secus sentientes erroris affines putat, & tantùm non hæreseos, nisi Ecclesiæ definitioni rem mallet reservare. Si quibus autem annunciatum non sit Evangelium, negat eos de inopia fidei reos agi posse; sed salutis æternæ exortes facit ob alia peccata, quæ sine fide & Baptismo non abluuntur: *Quod si fingas ejusmodi legem natura servare, respondet divus Thomas quod si quis faciat, quod in se est, huic Deus providebit, vel per hominem, vel per Angelum, si opus fuerit. Et si quæras unde hec tam extraordinaria providentia? Certè preter quàm quod ratione constat, nec enim Deus deficit in necessariis; sacris etiam litteris traditur. In Actis Angelus rapuit Philippum ad Eunuchum virum religiosum. Angelus apparuit Cornelio viro timenti Deum. Et Joannes in Evangelio: Erat lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, &c. Ego lux veni in hunc mundum, &c. Sicut in lege naturæ, facienti quod in se erat, & servanti naturæ legem, Deus præsto erat ad revelandum supernaturalia, sine quorum fide salvari non poterat: sic in nova lege, præstanti quod in se est, lux Evangelii resulgebit: quam qui non habet, manet in tenebris.*

Part. 2. §. concl.

Non multò pòst tamen idem existimat, sine fide Evangelii explicita posse etiamnunc homines *justificari per solam fidem in Deum, ita ut mox querant salutem à Deo, que est per Christum Jesum.* Id liquet in Cornelio Eunucho & aliis. Est portò hoc inter justificationem & æternam salutem discriminis, *quod illa in temporis puncto cuique adest facienti quod in se est: hec verò secundùm divine procurationis ordinem per media quædam temporaria & successiva administratur.* Rursum in his cave, ne quemquam suspiceris aliter facere quod in se est, quàm cum gratuito & supernaturali, generaliter tamen in omnes effuso auxilio. Quod expressè idem Canus infrà, *In hunc sensum facienti quod in se est, per naturæ dumtaxat vires, Deus non denegat gratiam, quia præsto adest gratuitum Dei auxilium moventis hominem & ad cognoscendum, & ad amandum finem supernaturalem.* Unde mox ait puero deliberanti circa viram honestam, quia mortalium cogitationes tiuidæ & incertæ semper sunt, affuturum Deum *non solùm movendo affectum, verùm etiam illuminando intellectum, majori quodam lumine, quia ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ibidem.

Et infrà rursum gentes ex Paulo ait naturaliter quæ legis sunt facere, quia *possunt præcepta legis naturaliter cognosci, & singula naturaliter etiam fieri; licèt omnia sine auxilio Dei speciali impleri non valeant.* Denique *Servanti naturæ precepta non denegat Deus gratiam, per quam ea etiam servet, que naturæ lumen excedunt.*

Ibidem.

Ad gratiam quoque generalem pertinet, quod idem habet in Relectione de Pœnitentia, etsi & ad maximè specialem trahi potest. Plura Attritionis genera sic describit; *Primum cum quis dolet de peccato propter humana, naturaliaque motiva, ut quia turpe est, & contra rationem, vel quia inducit infamiam, vel etiam quia contrarium Deo est, quatenus finis est & principium naturæ. Cùm sit hic imperfectus dolor, qui interim frangere atque atterere animum potest, licèt non perfectè, nos attritionem eam nuncupamus. Vide Augustinum libro de vera & falsa pœnitentia c. 2. & 9. Secundum genus est quod oritur à timore pœnarum spiritualium & temporalium, quæ lumine fidei cognoscuntur. Tertium imperfecta displicentiæ genus, cùm quis dolet quidem de peccato, qua ratione offensa*

Part. 3.

Dei est, sed ex velleitate, non ex voluntate absoluta & efficaci: habet enim desiderium imperfectum placendi Deo, dimittendi peccatum. Sicut & dilectio Dei imperfecta potest appellari, volitio qua Deo vellem bonum & gloriam, ipsique placere in omnibus, desiderio tamen imperfecto. Ita attritio procedit *vel à timore pœnarum, vel ab amore proprio & naturali, vel à dilectione imperfecta, conditionata, & inefficaci.* At contritio oritur *ab amore infusæ charitatis. Ideo ad contritionem requiritur auxilium Dei speciale, cùm sit actus supernaturalis. Attritio verò solis naturæ viribus haberi potest, nisi attritio secundi generis, quæ tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis auxilio speciali opus habet. Timor siquidem servilis donum Dei est. Et quemadmodum ad credendas pœnas supernaturales necessarium est auxilium Dei, quo moveatur intellectus: sic ad timendum ejusmodi pœnas, necessarium est, ut excitetur affectus; & consequenter ad dolendum de peccato propter hunc finem supernaturalem. Credimus enim nullam pœnitentiam efficaciter attingere effectum supernaturalem cum solo auxilio Dei generali. Ad alias verò attritiones ex parte voluntatis, nullum auxilium speciale requiritur. Nam illa primi generis, cum naturale objectum habeat, solis naturæ viribus nititur. Illa verò postremi generis, supposita fide Beatitudinis supernaturalis, haberi potest sine auxilio Dei speciali, sicut & desiderium inefficax & imperfectum Beatitudinis.*

Observa hìc primò, ex Cano disertè id haberi, quæ *solis naturæ viribus fiunt*, fieri tamen cum *auxilio Dei generali*, sive speciali, ut primum & tertium genus attritionis. Secundò, timorem pœnarum æternarum, & donum Dei esse, & ex speciali auxilio proficisci, intellectum & voluntatem attingere, & supernaturalem esse, & proinde à vero procul esse, qui macula culpæ inficiunt, quidquid ab eo proficiscitur operis. Tertiò generalis gratiæ particulas quoque esse illas inchoationes, seu velleitates placendi Deo, diligendi Deum, vitandæ offensæ propter Deum, desideria rudia quædam summæ beatitudinis. Quæ utcumque languida sint conamina, & infirma auxilia, poterunt tamen actiones quasdam forsan facillimas & rarissimas expedire, culpas devitare, ne prorsus sint steriles. Quartò *frangi atterique* non nihil concupiscentiam mali per attritionem primi generis, atque ita ad gratiæ efficacissimæ, qua impius convertitur, integritatem concurrere etiam auxilia generalia, & pudorem, verecundiam famæ curam, timorem, amorem sui naturalem & innocuum, aliaque id genus imperfecta.

Jam verò ad omne gratiæ genus flecti posse videtur, quod ibidem habet Canus: *Nihil vetat cum quis semel habuit actum amoris, odio habere malum, sine amore præsenti, ex vi tamen præcedentis. Ut post primum assensum conclusionis, quem sine assensu antecedenti principiorum habere nequivimus, nihil prohibet eidem conclusioni iterum atque iterum assentiri, sine principiorum assensu. Sic & primam pœnitentiam sine dilectione habere impossibile fuit; secundam verò, vel tertiam habere poterimus ex efficacia solùm prioris dilectionis. Ita quoque puer vi & potentia amoris naturalis, quem dubio procul aliquando primùm habuit, postea malum fugit naturæ contrarium, etiamsi amor ille actu non perduret.* Præclarè hæc omnia; quia hæc actus dilapsi efficacia, non jam ipsi dilapso in nihilum, sed affectui superstiti vegetoque adscribenda est. Itaque intellectus semel conclusioni ex vi principiorum assensus, sic afficitur, sic hujus rei memoria informatur, ut conclusioni sine principiis valeat assentiri. Sic & puer & pecus malum naturæ adversum fugit, non ex actu semper aliquo, sed ex affectu semper vegeto & efficaci amoris naturalis. Ita & affectus charitatis sine actu expresso & proprio sui, multa intus & foris efficaciter operatur. Ita gratia sive charitas, eadem habitualis, eademque efficax est, qua affectus est; eadem est gratia operans, & cooperans; eadem per gratias actuales, seu per actus improvisos inspiratosque amoris excitatur, & agit postea.

Ibid. per. 1. Conclus. 9.

Nec multò pòst idem de efficacia gratiæ habitualis, vel charitatis individuo nexu illi conglutinatæ: *Anima quoniam actus est primus, dat esse & vivere. Hanc consequuntur potentiæ naturales, hoc est, intellectus & voluntas, per quas operatur ad consecutionem finis. Sic & gratia vita quædam animæ est, quæ illi & vivere & esse divinum præstat; quam charitas & reliquæ virtutes consequuntur, quarum operationibus finem suum homo consequetur.* Ibidem.

Ut Cani sententiam exculpamus de modo gratiæ efficacissimæ, duo proferemus loca ex *Locis Theologicis* ejus. Deum causam & authorem peccati, obdurationis, excæcationis vehementer negat; & tamen cur tam crebrò Scriptura secus affirmare videatur, rationem ipse excogitavit, qua *nec actio propriè Dei sit, nec sola permissio.* Quosdam enim excæcasse & induraße legitur Deus, ut *potentiam* suam ostenderet. Itaquerùm *hæc à natura Dei abhorreant, improprie & figuratè illi tribue* sentit, idque triplici ratione. *Primò quia sublato ejus lumine, nihil aliud quàm cæcitas superest. Secundò ad exequenda mandata sua Satana administro utitur; ob idque ea dicitur efficere, quæ minister illius authoritate roboratus efficit. Tertiò ut unus Solis calor secundùm subjacentes essentias, alia liquefacit, alia indurat; sic Deus eodem lumine male affectum excæcare dicitur, bene institutum illuminare; eodemque prorsus beneficio indurare illum, hunc mollire. Videlicet miraculis eisdem editis emollitus est Israel, obduruit Pharao: eadem doctrinæ luce Apostoli viderunt, Pharisæi cæci facti sunt. Quoniam divina lux tametsi per se quidem ad videndum editur; sed per occasionem tamen in eo cæcitatem efficit, qui prave affectos habet oculos: in eo duritiem, qui pravo affectus est animo.* Vides quàm non assentiatur Canus prædeterminationi physicæ; & per malos omnipotenter Deum facere quidquid æternis decreverit consiliis, quomodo expediat. Nimirum Deus ex se non effundit, nisi lumina & beneficia; excæcantur tamen & indurantur his impii, ex *occasione*, & quia ita *affecti* sunt. Aliter enim & aliter affecti homines, per occasiones suis affectibus opportunas transversi & præcipites quolibet aguntur. Si ita mali in mala hæc, vel illa, quæ divinis famulantur consiliis, quantò facilius boni in bona quælibet Deo placita agentur? Cum his bonos præterea Deus & inspirer & accendat affectus, nequaquam malos illis. Denique actionis peccaminosæ ut actio est, causam Deum esse confitetur Canus, sed *generali naturalique concursu* tantùm; quocirca nec ea Deo imputari potest, uti nec cœlo. *Stultus quippe erit is, qui in cœlorum motrices intelligentias, culpas, vel proprias, vel alienas retorserit.* Ergo ut cœli, ita & Dei concursus generalis in actiones liberas ab ipsa libertate nostra determinatur, & ita demum in culpam degenerat: Deus in bonum movet, utpote semper beneficus; voluntas in boni sese deflectit umbras, ut Sanctus Thomas tradit.

De locis Theolog. l. 2. c. 14.

Rursus idem Canus alibi, quomodo sese ipsa voluntas nostra agat, nec exorbitare sinatur tamen extra fines à divina voluntate præstitutos? *Quæ res præcipuè in hominibus illustrior apparet, qui quoniam non aguntur, ut servi; sed liberè potius agunt, ut domini, ratione eligunt media; & se ipsi cient, ut per talia media fines propositos consequantur. Nec idcirco tamen aut primæ causæ virtus minor est, aut potestas infirmior, immò hoc uberior & major, quod attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Ecqua enim vis ea for-*

L. 12. c. 14. ad 7. arg.

ea fortior esse potuit, quæ adeo suaves & congruentes impetus in rerum natura posuit, ut eas nulla vi quidem illata moveat, sed vehementissimè moveat tamen? Quæ Dei virtus eximia insignisque suavitas, multò latiùs in gratuitis effectis, quàm in naturalibus se effundit: Non enim solum vitales operationes, quæ supra naturam sunt, in se edit mortalis homo per gratiæ formam & virtutes; sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat, & vivendi sibi causa est. Vides quàm magnificè ostentet, ut homo sese ipse moveat cieatque ad operationes etiam supernaturales *per gratiæ formam & virtutes*, immo & per præparatorias quasdam boni initiationes ad vitam ipsam spiritalem semet protrudat. *In nativitate spirituali, is ipse qui nascitur, non solùm principium est, ut post ægritudinem sanus sit, verùm etiam ut postquam fuerit mortuus, & vitam habeat, & abundantiùs habeat. Hieronymus præclarè ait, Hominem sibi esse vivificationis suæ causam. Nempe actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, quibus Deus utitur ad animum vivificandum, homo ipse in se facit, gratuito quamvis & supernaturali auxilio permotus.* Si hæc cum antedictis componantur, non puto latere posse mentem Cani, à prædeterminatione physica alienam.

EX ALPHONSO VIRVESIO
Episcopo Canariensi.

An. 1540.

CArolo V. Imperatori hic dicavit *Philippicas disputationes* viginti, adversùs Lutherum & Melanthonèm, pari eloquentiæ & eruditionis vi copiaque insignes. Hic primùm negat ulla peccandi necessitate constringi impios etiam. Nam peccandi, & quicumque demum *habitus etsi retardet, & impediat ab operibus è regione diversis: non tamen prorsus impedit, quin si major conatus adhibeatur, contrariis operibus resistamus habitui.* Ea sanè est natura & vis habituum, ut etsi non semper & in omnibus, at sæpè & in singulis possimus resistere & resistamus. Addit ad hæc opitulari *gratiam*, non gratum facientem, qua peccata remittuntur; sed *gratis datam*, qua homini

Philipp. 5. *confertur facultas ad faciendum ea, quæ alioqui perficisse nequiret. Ideo quoties peccator orat, jejunat, indigentibus subvenit, Christi gratiam illi adesse credo: non quæ Deo gratum omnino reddat, sed quæ gratis dumtaxat immerentem juvet, & ad alteram quæ verè gratia est, gradum faciat.* Ergo etsi actualis gratia utique est, *verè gratia* tamen est habitualis.

Philipp. 6. Et alibi idem, *Naturæ lumen malignum sanè & inefficax, nisi gratia sublevetur. Quo tamen lumine semper animus gliscit & gestit ad meliora. Nemo est enim quantolibet peccatorum pondere prægravatus, qui non intima quadam animi energia revocetur à turpitudine: à qua tamen haud nostrarum est virium prorsus recedere, nisi adsit Christi gratia, quæ rationem frustra conantem & adnitentem erigat & perficiat. Illud igitur quidquid est animi nostri, cui turpitudo etiam cum maximè delectat, non probatur, quodque vel in mediis facinoribus ad honestum provocat, sollicitat, conspirat; idipsum Paulo dicitur mens, à Theologis verò nunc mens, nunc ratio nuncupatur.* Quæ omnia sine generali divinæ motionis beneficio fieri, vix aut nec vix intelligi potest.

De gratia verò habituali, quam *verè gratiam* jam nuncupavit, ut ea inclinet ad agendum: *Infans admotus Sacramento habet charitatem & cæteras virtutes, quibus præstanda est lex.* Et infrà: *Inutilis fides, nisi virtutes adsint, quibus superetur cupiditas.* Et rursum, *Prior est fides, major charitas,*

Philipp. 7. *fidei vita, virtus & energia.*

Nunc denique de gratia efficacissima sic ille:

Philipp. 15. *Quid, aut quantum in bono opere voluntas impendat, & quid gratia efficiat, variè traditum est à Doctoribus, in diversum salva illa communi veritate abeuntibus.* Subdit effatum universim ratum, fixumque, sive à gratia, sive à voluntate sola nihil fieri, totum ab utraque. Rei elucidationem hac similitudine expedit: *Similis videtur animi nostri imbecillitas infantiæ puerorum, gestientium ambulare, nondum tamen valentium ingredi: quibus apponitur machinula quædam lignea, curriculum appellant Hispani, rotulis quatuor, ceu pedibus suffulta. Huic machinæ admotus infans, innititur ad ambulandum, ita ut quasi præcedentem machinam sequi videatur: quæ tamen minimè præcederet, nisi ab infantulo impulsa: nec infans impellere posset, nisi machinæ innixus. Alioqui omnes ejus conatus tantummodo conferunt, ut frequentiùs cadat. Quandiu infans ambulare vult, præcedente machina potest: potest etiam si velit cessare; nec id tantùm, verùm & à machina si libeat discedere; accedere verò posteaquam semel ceciderit, etiamsi maximè conetur, suis viribus minimè potest.* Itaque si stet, si ambulet, alieni beneficii est, & sui utcumque conatus: si cesset, si cadat, ipsius est tantùm infantuli, sive voluntatis. Hìc enim *machinula gratiæ, puer voluntatis speciem gerit.* Et multis quidem prævenitur voluntas, multis subinde excitatur stimulis, ut machinula oblata utatur, ut incedere velit, quos hæc comparatio non attingit; sed quod attinet ad vim assentiendi, vel dissentiendi liberam, seu ad facultatem utendi, vel non utendi gratiæ oblatæ subsidio, Scriptoris mentem ea comparatio non inelegantèr declarat.

EX PETRO SOTO
Dominicano Theologo, qui Tridentino interfuit.

AD gratiam generalem fortassis spectat quod tradit Soto, quandiu superstes hìc agit homo, de quolibet peccato agere pœnitentiam posse. *Augustinus enim, Hieronymus, & alii antiquiores contra Manichæum hac una potissimùm ratione egerunt, quod frustra essent admonitiones, pœnæ & præcepta præmiaque, si non esset libertas arbitrii. Cum igitur omnibus peccatoribus, quandiu in hac vita sunt, loquatur Deus per Scripturam, Convertimini ad me, comminetur pœnam obstinatis, pœnitentibus veniam promittat; necesse est fateri omnem peccatorem liberi arbitrii esse ad hæc agenda: & meritò, cùm nondum pervenerit ad terminum illum malitiæ damnatorum, Probatur & alia ratione non minùs necessaria. Nullius enim tanta est malitia, quam divina gratia superare non possit, & quem non possit Deus convertere, qui cujus vult miseretur, &c. Sunt simul cogitanda duæ istæ rationes: cùm pœnitentia ex duobus pendeat, gratia & liberi arbitrio.*

De institutione Sacerdotum. Lect. 5. de Pœnitentia.

De induratis tamen mox assentiri videtur Soto, quòd eis subtrahatur gratia, aut facultas pœnitendi: *Igitur subtrahitur obstinatis id quo acturi essent pœnitentiam, aut vellent, non tamen facultas pœnitentiæ. Longè aliud est impediri executionem virtutis alicujus, & auferri ipsam virtutem. Qui bonis adhortationibus avertit à peccato aliquem, non aufert ab eo libertatem peccandi, sed voluntatem. Et e contrario qui bonis adhortationibus potuisset avertere à voluntate peccandi proximum, nec fecit, non compulit illum ad peccandum, nec abstulit libertatem arbitrii, qua posset non peccare. Ita si Deus non dat, non facit, ut pœniteat peccatorem, aut ut id velit, non aufert tamen facultatem, &c. Subtrahitur itaque, quibus subtrahitur gratia, actus ipse, scilicet pœnitere, vel credere; sed non subtrahitur posse hoc facere. Illud porro est gratiæ, hoc naturæ. Augustinus Lib. de Prædest. SS. posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ* Ibidem.

est hominum; habere autem charitatem atque fidem, gratia est fidelium. Ergo obduratis gratiam aufert pœnitendi Soto, non facultatem, non libertatem: sed primò obduratis tantùm, non omnibus, non ullis aliis peccatoribus. Ergo hanc illi gratiæ spoliationem meruerant peccatis aliis, ad quæ vitanda non deerat gratia. Secundò subtracta gratia, subtrahitur actus ipse pœnitendi, non facultas; sicut qui dehortamenta à peccando peccanti subtraxit, quibus illum avocasset à malo, actum bene operandi sustulit, non facultatem.

Idem attingit infrà generalis gratiæ portionem, timorem pœnæ: *Pœna timor quanquam imperfectus sit, & possit nonnunquam malus esse: cùm scilicet peccatum amatur, & solo timore pœnæ, quam mallet non esse, non peccatur; est tamen bonus & aptus his, qui non aliud noverunt, quàm se amare, & incommoda sua timere. Propterea ad hoc hortantur nos sacræ litteræ, proponuntque æternas illas pœnas. Unde Christus, Timete eum qui, &c. Itaque manifestissimus est ille error, de quo aliàs dictum est, damnans peccati illum, qui timore pœnæ retrahitur à peccato.* Sic ille contra Lutherum.

Ibidem, Lect. 8.

Sed & generalius aliquod auxilium in reliquiis quibusdam primigeniæ Dei imaginis idem alibi locat, quanquam levius quoque in firmiusque illud sit. Nec enim funditùs extincta est per peccatum lux veri, aut honesti cupido, aut detestatio vitii, quin horum bonorum semina supersint aliqua. *Non negamus fieri posse, ut detestetur peccatum impius, aut boni aliquid ex suo genere, ductus naturali ratione & instinctu faciat, Sed nec pœnitentiam, nec opus aliquod quo tantillum appropinquet ad Deum aut disponatur ad gratiam, nisi à Deo adjutus, facere potest.* Quasi dicat posse per illa auxilia vitari utcumque peccatum quodlibet, non tamen fieri, quod vel Deo placeat, vel ad pœnitentiam, gratiamque disponat. Unde hæc Scripturæ verba, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, &c. Sine me nihil potestis facere,* ab Augustino ita ait exponi, quòd *nihil ad salutem pertinens* possimus.

Ibidem, Lect. 9.

Ideo infrà negat opera infidelium vel peccatorum omnia esse peccata. *Nam cuncta illa quæ afferuntur contra hoc ex Scriptura, Omne quod non est ex fide peccatum est: & quæ Augustinus ex hoc loco contra Julianum acerrimè disputat de virtutibus gentilium, manifestè intelligenda sunt de his, quæ ex infidelitate procedunt: quæ ut hujusmodi mala sunt. Atque ita Scriptura loquitur de sacrificiis & oblationibus Judæorum, quæ illi superbo animo & gloriantes, sibique securitatem promittentes offerebant, sine vera pœnitentia.*

Ibidem,

Luculentè autem mox docet, dum se quis præparat ad justificationem, etsi *nulla merita habeat, nisi damnationis, &c, etsi magis amet peccatum adhuc, quàm salutem; nam si non ita esset, sed fortior esset voluntas gratiæ, jam & ille non amaret peccatum & remissum esset ei. Itaque si totus consideretur, magis provocat iram, & magis meretur iram, quàm misericordiam*: respicit tamen Deus bona opera, quibus se præparat ad justificationem, quia Dei sunt dona. An autem per ista saltem de congruo mereatur quis justificationem, rem in medio relinqui suadet, aliis aientibus, negantibus aliis, bellè utrisque, cùm utrisque constet *peccatorem quandiu in peccato est, magis dignum esse damnatione, quàm venia; & propter hoc ipsum in se consideratum, nulla ratione mereri, nisi damnationem.* Augustinus in Epistola ad Sixtum voce meriti usus est, sed rem mitigavit, cùm dixit *aliquod meritum.*

De ratione medendi peccatis, ut pertinet ad Spirituales judices. L. 2.

An fides Christi, an jus divinum sine culpa ignorari possit, controverti ait inter Catholicos; satiùs autem esse *hoc divino judicio relinquere, de quo nihil certi nobis in Scriptura est proditum. Satis est ea quæ ignorantur absque dolo, & fraude, & absque negligentia manifesta discendi & sciendi, quæ necessaria sunt, excusare à peccato.*

Postremò cùm duplicem Soto in homine rationem discrevisset, quarum altera contemplandis æternæ legis regulis vacat, altera administrandis ex ea norma temporalibus: cùm item duplicem intellectum, speculativum & practicum: utrique ait inesse naturaliter, semina quædam & summa fastigia verorum omnium. Ut intellectui speculativo, *Non posse idem esse & non esse, Totum esse majus parte, &c,* Intellectui practico, *Beatitudinem esse appetendam, studendum esse sapientiæ, juste vivendum, postabenda esse deteriora melioribus, æterna & incorruptibilia meliora esse temporalibus & corruptibilibus, avertendum esse animum à corruptione & transferendum ad incorruptionem. Hanc Synderesin vocant, alii apicem & sublime mentis, quod semper inviolatum manet & incorruptum, quantumvis falsis opinionibus & perversis affectibus sit homo corruptus.* Jam verò *quia voluntas cognata est rationi, hunc rationis actum sequitur in voluntate alius similis actus, naturalis scilicet appetitus finis, velle esse beatum, velle juste vivere, incorruptionem & æternitatem appetere.* Non tamen ita, ut *necessarium judicemus, explicitè & actu, vel à ratione cogitari, appetendam esse beatitudinem, vel voluntatem ita eam velle. Sed satis est, quidquid judicat ratio appetendum, & quidquid voluntas appetit, ut indutum ratione beatitudinis, sapientiæ & justitiæ appeti, & judicari appetendum. Unde in omnibus quæ volumus, sunt virtute hi finium appetitus; sicut in omnibus, quibus intellectu speculativo assentimur, prioria illa principia virtute continentur.* Ubi adverte 1. hæc veri bonique semina residua esse ex bono naturæ priore, licèt per liberatoris beneficentiam jam nobis conservata & ei debita, 2. Justitiæ, sapientiæ, legis æternæ, & lucem & cupidinem aliquam in mente & voluntate nostra esse residuam, ut nihil mirum sit, si hoc generali auxilio vitentur aliqua peccata, vel bona moralia fiant, quæ tamen ne remotè quidem disponant ad justificationem, nisi speciale accedat gratiæ auxilium. 3. Non tam actus, quàm affectus horum esse efficaces in dirigendis & intellectus & voluntatis operationibus. Ratò enim aliquis actu appetit & vult, vel cogitat beatitudinem, sapientiam, &c. Sed eo affectu inebriata voluntas, propensiùs fertur in ea quæ huic consentiunt. Ideo sæpè adnotavimus ingentem esse efficaciam affectuum, virtutum, gratiæ habitualis.

De peccat. discrimine & ratione medendi. Lect. 4. & 5.

Ergo de efficacia gratiæ habitualis aliqua præclarè alibi idem Soto, *Gratia Sacramentorum est multò abundantior & plenior, quàm gratia virtutum & donorum septem quæ tribuuntur Spiritui sancto. Igitur non solùm per Sacramenta, vel confertur de novo, vel augetur sanctitas, & consequenter datur gratia ad omnia opera virtutum & donorum Spiritus sancti exequenda, quod semper fit in gratiæ collatione: sed confertur per ea potissimum quoddam & superabundans auxilium gratiæ ad omnia Christiana opera & fines Sacramentorum. Baptismus non tantum justificat, & ad bona opera exercenda regenerat hominem; sed tantam confert gratiam, ut perfectè homo consepeliatur Christo, & moriatur præteritis omnibus peccatis, & resurgat etiam ad operanda tanta virtutum opera, quanta & qualia decent verum membrum Christi; & ita de cæteris Sacramentis.* Gratia quæ per Sacramenta confertur, utique habitualis est, & vides tamen quanta ejus efficacia prædicetur.

De Sacram. in genere, Lect. 9.

Unde idem infrà: *Effectus Baptismi est gratia Dei & virtutum collatio, quam aqua significat, quia fœcundat & perspicua est; ut videlicet non sit anima nostra sterilis, ut terra sine aqua; sed inebriata potiùs, & infusa & potens germinare. Unde Paulus vocat lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Addit Baptismo nos uniri Christo, ut membra capiti, palmites viti.

De Baptis. Lect. 1.

Ideo & infrà juxta sententiam Thomæ, Bonaventuræ,

venturæ, Alensis, constare ait, quòd *justificatio impii sit peccatorum remissio, & innovatio quædam, atque sanatio animæ*. Confitetur ibidem Scholæ Doctores gratiæ nomine habitualem designare solitos, etsi & actualem sciant ac commendent: *Quanquam Scholastici sæpius gratiæ nomine, habitum quendam virtutem animæ, sive priorem virtute intelligant; non tamen propterea vel rationem ipsam primam & propriam gratiæ, quæ est, quod non sit ex meritis, negant, vel solum illum habitum intelligunt. Distinxit diligenter divus Thomas duplicem gratiam, alteram habitum, alteram gratuitam Dei cooperationem, motionem atque conversionem animæ ad bonum*. Principatum tamen hujus nominis penes gratiam habitualem esse agnoscit Soto, cùm hanc adversùs Lutheranos probat esse justitiam inhærentem justis, de qua Paulus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*.

De Pœnit. Lect. 10.

Ibidem. Lect. 11.

Denique quòd gratiæ habituali bonorum nostrorum operum laus vendicetur, & ita refundatur in Deum, ita tradit Soto, Lutheranos refellens, qui nos, quasi nostræ plus industriæ quàm gratiæ tribuentes insimulabant. *Isti asserunt Dei gratiam nihil in nobis aliud efficere, nullam immutationem, nisi tantùm non imputari nobis peccata, & imputari justitiam Christi. Nos asserimus divina gratia ita nos immutari, ut deleantur omnia peccata, inseramur Christo, donemur à Deo maximis & pretiosis muneribus gratiæ, admirandis virtutibus, quibus cooperemur illi, & impleamus spiritu ejus legem. Certè si consideremus naturæ opera, Deus non tantùm in creaturis omnibus operatur, ut prima causa; sed etiam tribuit creaturis virtutes mirabiles, & pulcherrimas, & saluberrimas, quibus & ipsæ operentur, nec putat sibi quidquam detractum esse. Si Sol mirabiliter lucet, & illuminat, & producit germina omnia, magis in hoc illustratur Dei omnipotentia, ut non tantùm per seipsum, sed per creaturas etiam suas operetur. Cum naturæ opera multò sint minora, quam gratiæ, & tamen proportionabilia eis; quare non est credendum, in operibus gratiæ Deum creaturis suis, nobis scilicet virtutes dare, quibus ei cooperemur? Hoc est disponere omnia suaviter. Dei, inquit Paulus, adjutores sumus.*

Ibidem. Lect. 12.

Tertium postremò gratiæ genus ita expinxit Soto, ut expressiùs non potuerit delineari nostra illa auxiliorum varietas, multitudo, congruitas, conspiratio & hinc efficacia. *Cùm actus omnes pœnitentiæ in nobis sint & ex Dei motione & ex nostri arbitrii libertate & qualitate; nec semper eodem principio oriuntur in nobis, neque eodem ordine procedant. Hoc manifestissime ipsa experientia testatur, dum alius timore pœnarum, alius præmiorum intuitu, alius divinæ bonitatis consideratione convertitur, prout scilicet Deo placet, qui habet corda nostra in manu sua, & prout affectus noster dispositus est. Non possunt itaque sub arte & certa ratione comprehendi hæc divinæ gratiæ admiranda opera. Quia verò suaviter Deus omnia disponit, hominesque juxta ipsorum dispositiones movet; ipsa experientia docet, peccatores corporeis delectationibus affectos, facilius & communius pœnarum timore trahi.* Vides nos moveri à Deo pro *qualitate* arbitrii nostri, prout *noster affectus dispositus est*; omnes moveri à Deo *juxta dispositiones ipsorum*, hanc esse gratiæ *suavitatem* & efficaciam: ideo innumerabiles illos divinæ tractionis modos *sub arte & certa ratione comprehendi non posse*: sed tamen timore pœnarum plerumque incipi, quia hoc sensu tangi faciliores sunt, qui sui & voluptatum amore deliburi sunt adhuc.

De Pœnit. Lect. 10.

Subdit motus istos quibus pœnitentia perficitur, fidei, timoris, spei, charitatis, quandoque sed rariùs, *uno citissimo & quasi subito actu* fieri, ut in Paulo & Latrone; at communiter, *seorsim, paulatim & successivè*. Et quidem *exemplum est in Augustino, qui de sua ipsius à peccatis conversione, & pœnitentia, quàm scilicet longo tempore, & tardo motu tandem completa fuerit, scribit apertissimè in sexto & septimo Confessionum*. Quæ ille omnia lectione sequenti prosequitur; ubi & levissima quæque exordia vel timoris, vel affectus cujuscumque, quo resipiscere incipimus, à Deo esse testatur.

Ibidem;

Postremò denique idem alibi docet, quo fune trahi possint naturæ liberæ & rationales, incolumi libertate sua. Nempe per habitus, qui naturam indeterminatam suapte sponte & ancipitem, non determinant, sed inclinant in id, quod ei conducibilius est. Nec enim naturæ quæ ad quidvis sunt determinatæ, per habitus ullos egent, vel possunt inclinari. Ergo habitus, seu affectus animæ vehementes, vincula sunt, quibus vel à Deo in bonum, vel à diabolo in malum pertrahi possunt sospite libertate.

De peccat. discrim. & ratione medendi.

EX JACOBO PAYVA Andrado Lusitano Theologo, qui Tridentino interfuit.

An. 1564.

TRidentinæ Synodo affuit Andradus à Sebastiano Lusitaniæ Rege missus, eoque ipso tempore horis à Synodo vacuis elucubravit *Orthodoxarum Explicationum libros decem* adversùs Martinum Kemnitium novellæ hæreseos tum signiferum.

Hic ergo primùm habitualis gratiæ efficaciam ita describit: *Nisi potentissima Dei gratia voluntati nostræ præeat & præluceat, fieri certè non potest, ut eorum quæ perfecti boni nomen merentur, quidquam consectari valeamus. Quæ cum humanam naturam non evertat, sed perficiat; non perdat, sed instauret, & pristinæ dignitati restituat; non quidem liberum arbitrium nobis à natura inditum alligat, illiusve actionem impedit, aut retardat; sed jacentem erigit, languentem excitat, viresque suppeditat, ut quæ pulcra sunt & divina, ultro prosequatur & complectatur.* Et infrà, *Quod nihil perfecti ac spiritalis boni facere scelerati homines possunt, quandiu eorum mentes flagitiorum sunt maculis cooperta, non quidem est, quia libera voluntate carent sed quia adeo illa est peccatorum laqueis implicata, ac scelerum pondere pressa, ut nec se ab illis extricare, nec emergere ullo modo propria virtute possit. Non secus ac ligneis soleis devincti, qui incedendi quidem facultatem habent, etsi ingredi nullo modo possint, nisi vincula rumpantur prius, quæ motum reprimunt ac retardant. Cùm igitur divinæ gratiæ splendor sceleratis mentibus elucet, &c.* Ea est ergo vis gratiæ justificantis, ut cùm peccata delet, simul servitutis vincula perfringat, voluntatem liberet, sanet, promptam & expeditam faciat ad bona opera.

L. 4. pag. 341. 341.

Cùmque infrà dixisset *Deum in nobis nullo nostro consensu efficere, ut ad se nos vocet, voluntatemque nostram ad justitiæ amorem excitet*: Verùm ut nostra voluntas *non repugnet gratiæ, sed ad illam se explicet, neque liberum arbitrium gratia expers potest, neque divina virtus in nobis facere libero arbitrio non consentiente solet. Unde liquet ex gratia & libero arbitrio unicam causam conflari nostræ ad justitiam applicationis.* Sed rursum ut gratia erigat, sanet, liberet voluntatem roboretque, *Finge te omnibus corporis viribus fractis prostratumque longa ægritudine jacere, ut nec erigere te, nec membris uti ullo modo possis: occurrat vero homo potens, qui tui commiseratione provocatus, tibi vires restituat, valetudinem resarciat, totiusque corporis firmitatem instauret: ut jam nihil sit quod membrorum omnium functionem retardare, aut motum comprimere valeat: hunc ne libertatem ingrediendi, membrisque utendi ideo tibi ademisse, vel extenuasse putabis, quia sine ejus ope illis uti nullo modo poteras?*

L. 4. p. 350. 351.

Hæc eſt efficacia gratiæ, à qua libertatis excidium fruſtra formidabat Kemnitius, cùm nihil aliud quàm ægritudinem noſtram ſanet, vincula abſolvat, noſque ad bene operandum ſanos, robuſtos, proclives efficiat, & hominem eò reſtituat, unde exciderat. Quocirca ex Scripturis & Patribus conſequenter oſtendit obſiſti gratiæ à nobis poſſe; & gratiæ obſequi *proprium id eſſe liberi arbitrii munus, poſtquam vires divino beneficio recuperavit*, Pag. 319.

Cùm autem Kemnitius ſola peccatorum condonatione juſtificationem conſtare contenderet, & *inhærentem* noſtram ſugillaret *juſtitiam*: ex adverſo Andradus probat cum juſtificatione illabatur nobis beata Trinitas, cum tota eam donorum & virtutum opulentia illabi. *Cùm Pater & Filius rebus omnibus continenter aſſideant, neque abeſſe ab illis unquam poſſint; liquidò ſanè conſtat peculiari aliqua ratione juſtorum mentes inhabitare, divinaque ſecum ornamenta afferre, quibus cùm mentes illuſtrantur, Spiritus ſancti domicilia & ſedes dici poſſint.* Et rurſum præclariſſimè: *Cùm juſtificare ſit juſtum facere, juſtus eſſe nequit, qui juſtitia caret. Juſtitiam verò conſtantem eſſe mentis rationiſque æquitatem & moderationem, quæ omnes ſuas actiones & conſilia divina lege & voluntate metitur, ſacræ nos litteræ docent. Nam cùm divina voluntas omnis ſit æquitatis & juſtitiæ norma, juſtus certè is ſolùm dici poteſt, qui divinæ voluntati omnibus in rebus paret, &c. Quare juſtitia nihil aliud eſt, quàm habitus animi divina lege conformatus, ad parendum divinæ legi atque voluntati, virtutumque omnium officia obeunda inducens, &c. Univerſa autem divina lex dilectione incluſa continetur &c.* L. 6. p. 455, 456. 457. 459. 464.

Ex his manifeſtiſſimè id eluceſcit divinæ charitatis infuſione conſtare juſtificationem, ut non tantùm deleantur peccata, ſed ea diſpoſitio, habitus ille, ea vis, proclivitas, affectio inferatur animo, & libero arbitrio noſtro, ut divinæ legi per omnia obſequi poſſimus, velimus, ardeamus. *Quare qui Charitatem Spiritus ſancti munere menti habent infixam & penitus inſitam, totam ſanè legem intra ſe continent, animumque illa habent mirabiliter informatum, atque adeo verè juſti ſunt, &c.* Pag. 464. &c.

Hìc ex Scripturis & Auguſtino coacervantur plura teſtimonia, quibus efficitur, tum juſtos fieri nos, cùm charitas Dei infunditur ſuperne. Porrò hinc liquet & ea omnia Auguſtini loca de dilectione & delectatione juſtitiæ, de charitatis inſpiratione, ad gratiam juſtificantem, inhærentem, immanentem pertinere, & eò revocata eſſe à fidei Catholicæ defenſoribus, quod huic intelligentiæ innitatur traditio Eccleſiaſtica de juſtitia inhærente. Denique illud hìc conſtanter tuetur Andradus, in juſtificatione noſtra priorem eſſe charitatis infuſionem remiſſione peccatorum, ut lucis exortus prior eſt tenebrarum fuga, cùm & charitas ceu juſtitia exoriens, tenebras noctemque peccatorum ipſa fuget.

Denique ut idem infrà luculentiſſimè argumentatur, *Cùm juſtitia divinus nodus ſit, qui mentem cum Deo aptat & conjungit, neceſſe eſt humanum animum contrariis motibus ad juſtitiam atque ad peccatum ferri. Cùm igitur peccare nihil ſit aliud, quàm amorem à ſummo Deo & incommutabili bono avertere, & in labentibus caduciſque bonis collocare; nulla certè alia patere poteſt ad juſtitiam via, quàm omnem amorem in Deum transferre & ab infimis atque abjectis rebus abalienare. Unde juſtificatio converſio in ſacris litteris dicitur.* L. 6. p. 499. Hæc Auguſtinum mirificè redolent. Quo ex eodem facilè intelligitur, quanta vis ſit & efficacia amoris, ſeu pios Deo per juſtificantem gratiam applicet, ſeu impios ſæculo per carnis concupiſcentiam. Ex hoc amore caſto, ſeu ex Spiritu ſancto per eum inhabitante, *incitante & impellente*, fluunt actiones piæ juſtorum, & inde *divinitatem quandam habeant neceſſe eſt*, divinorumque præmiorum dignitatem, Pag. 519.

Quod ad gratiam generalem attinet, confitetur Andradus inter Catholicos controverti, an ſingula infidelium opera ſint peccata, Proſpero ajenti in L. 3. de vita Contempl. c. 1, *multos conſentire, plurimos diſſentire*; tum maximè diſſentire Auguſtinum, ubi *divino muneri* tribui jubet philoſophicas virtutes, hoc eſt *ſpeciali auxilio*, non generali tantùm influentiæ: ubi ait gentes naturaliter quæ legis ſunt facere, quia nondum omnino detrita eſt imago Dei; ubi hæc auxilia Dei comparat muneribus, quæ Abraham contulit filiis concubinarum; ubi laudat Hæreticorum conſtantiam, mortem perferentium, ne Chriſti nomen ejurent. Ergo etſi *liberum ſit* hac in re ſuo quemque ſenſui ac judicio ſervire; ſatius tamen eſſe ait cum Auguſtino ſententiam temperare, & infidelium opera eatenus damnare, quòd plerumque ex amore laudis, aut voluptatis, vel ex propiana ſuperſtitione prodirent. L. 1. p. 178. &c. 184.

Cæterùm ex naturæ contemplatione aſſurgere eos potuiſſe infrà docet ad qualemcumque Dei ut omnium authoris & *remuneratoris* notitiam & cultum, cui implicitè jam inerat Chriſti fides obſcura quidem, ſed quantula ad ſalutis initia ſufficit iis, qui eo loco & tempore vitam degunt, ut nihil accuratius de eo inaudire potuerint. Nec enim vel Moſaicæ legis tempore, vel antè multò explicatior erat Chriſti fides, & tamen ea ad ſalutem utcumque conducebat. Addit ideo Juſtinum cenſuiſſe, Socrati & aliis ejuſmodi Philoſophis Chriſtum non fuiſſe prorſus incognitum. Addit & Clementem Alexandrinum, Hæc ille de generalibus auxiliis Dei, quibus utcumque & remotè poteſt quis ad juſtificationem præparari: etſi promereri eam nullo modo poteſt. Quod enim vel propioribus ad eam diſpoſitionibus quidam allinunt adumbratam quandam meriti imaginem, vel ipſi non ſilent, quàm leve & perfunctorium ſit hoc meriti genus. *Nam vel ipſum congrui nomen indicat, non verè ac proprie meritum eſſe, cui quidquam jure debeatur; ſed quod Dei miſericordia magis, quàm juſtitia innitiſtur.* L. 4. p. 118. &c. 158. L. 6. p. 108.

Ad tertium poſtremò tandem, idemque efficaciſſimum gratiæ auxilium ſpectaſſe videtur Andradus his verbis: *Quod ipſum Auguſtinus aperte docet, cùm liberum arbitrium equo comparat intractato & indomito; gratiam verò equiti, qui jumentum domat & condocefacit. Quare ſicut univerſum iter eques feciſſe eo ſolùm dicitur, quia equum moderatus eſt, effecitque ut iter equus conficeret: itineris tamen labor utrique communis eſt; ita juſtitia univerſum iter gratia & liberum arbitrium unà conficiunt, cùm tamen gratia liberum arbitrium ferocitate exultans domet, iſtudque dirigat, ut Dei voces audiat, & ſeſe ad illius monita ſponte applicet.* L. 4. p. 111. Ita ſanè invictiſſima eſt & blandiſſima tamen vis atque efficacia gratiæ in liberam voluntatem, ut eam *domet* juſtificando, ut *univerſum iter* conficiat perſeverando, nempe quia illam ſanat, condocefacit, moderatur, dirigit. Cùm autem Andradus Jeſuitarum Patrum Colonienſium cenſuram adverſus calumnias Kemnitii tueretur, hæc habet de eorum ſententia de gratia hac efficaci: *Neque verò ea ſolùm ratione Deum operari in nobis Colonienſes exiſtimaverunt, quia verbo nos ſuo ſuadet & monet, ut Kemnitius fictè & fallaciter dicit; ſed potiùs quia ſingulari quadam & eximia gratia mentem movet, ut ſeſe ad Dei voces accommodet, oblataque juſtitiæ ornamenta libenter accipiat. Quod hæc Colonienſium verba ſatis aperte indicant: Gratia hæc quæ ad operandum neceſſaria eſt, & velle facit, non eſt quæcumque inſpiratio, ſeu cogitatio ſancta, ſeu boni propoſiti ſuggeſtio, ſed efficax Dei operatio.* L. 4. p. 111.

Sed aliquantò explicatiùs idem alibi omnipotentiam gratiæ multiplicem in perficienda converſione peccatorum delineat: *Variè homines à Deo juſtificari valdè eſt compertum. Quoſdam enim divina* L. 6. p. 504. 505. 506.

divinæ clementiæ rara quadam & insolenti misericordia, atque nihil minus quam Deum cogitantes ad se pertrahit, & veluti eorum se mentibus ingerit: quemadmodum Paulum, effrenato quodam & præcipiti furore insanientem, ita Deus invasit atque commovit, ut unâ & Christi vocem audivisse, & justitiæ charitatisque opibus exornatus fuisse videretur. Nam cùm divina virtus nullis certis legibus astringatur; aliquando quidem humanam mentem tanta vi excitat, ut illam una & commoveat & justificet. Cùm tamen divina gratia nemini vim inferat, eo quidem liberiùs humanus animus Dei vocibus auscultat, oblataque sibi cœlestes opes eo libentiùs prosequitur, quo firmiori & exaggeratiori gratia fuerit à Deo excitata, &c. Amplissima hæc justificandi ratio non quidem præparationem tollit, sed confert: non minuit, sed auget. Quanquam repentina & uno impetu profligandæ fuisse videatur hæc conversio, collectioni tamen auxiliorum divinorum locus fuit, tametsi angustior. Sed breviori quandoque & loci & temporis gyro sævior & intolerabilior sævit tempestas, quam prolixiori. Novit Creatoris omnipotentia compluscula machinas, artes, affectuumque congressiones brevissimo spatio explicare. Paulus certè timore concussus, cœlitus consternatus, excitate percussus, intus foris que asperitate & suavitate tentatus est, & ita subactus.

Pergit porrò ibidem ob oculos ponere conversiones explicatiores: *Quandoque verò Deus mentem divinarum rerum contemplatione sensim à peccatorum sordibus avocat, ad se allicit, suique amore inflammat. Quibus omnibus charitatis inchoatis atque imperfectis motibus ad justitiam paulatim præparatur, qui ipsam antecedunt quidem, quoadusque tandem animus perspecta scelerate vitæ infelicitate, se totum in charitatis potestatem tradat.* Vides pluribus stimulationibus amoris in Deum, & timoris ob anteactam scelerate vitam, allici, adducique tandem hominem, ut Deo se totum tradat.

EX FRANCISCO HORANTIO Hispano Ordinis Minorum, qui Tridentino Concilio affuit pro Episcopo Palentino jussu Philippi II. Hispaniæ Regis.

LIbros septem *Locorum Communium* hic scripsit adversus Calvinum, nuncupavitque Carolo Hispaniarum Principi. Hic Alphonsi à Castro se discipulum profitetur, sententiis magis, quàm verbis. Et primùm quidem justificationem sic ille describit: *Est transitus quidam ad formam penè divinam, ac similem illi quam Christus habet, è cujus præstantia & merito hæc est orta, &c. Procedimus ad gratiam & justitiam, nec quiescimus, donec tota mente nostra recreati per Spiritum sanctum, qui in nostros animos infunditur, recti, Deo cari, mundi fuerimus, &c.* Et rursus, *Hæc rectitudo quæ nos justificat, est ordinatissima quædam hominis interioris potissimum dispositio, qua regnante principes partes animi nostri, fide, spe, charitate, dulci profectò nexu, cum Deo colligantur: ubi & inferiores animæ virtutes, ne quid rectitudini desit, rationi & menti obtemperare atque inservire docentur. Comitem habet charitatem, quæ nunquam est otiosa, sed in ea incumbit, quibus æternam vitam & Deum ipsum nobis conciliamus.* Unde mox negat in sola peccatorum remissione esse justificationem, nisi hæc addatur rectitudo, quæ rationem Deo, cætera hominis rationi subjugat, & per individuam sibi charitatem à bonis operibus nunquam otiari finit, *in Dei obedientiam mirabiliter reformatos.* Hanc ait à Christo nobis non *imputatione*, sed infusione manare, sicut & ab Adamo peccatum. Quam de inhærente justitia doctrinam *non recens natam, sed cum ipsa Ecclesia simul ortam* comprobari docet ex Augustini opusculis compluribus, apud quem illud inculcatissimum legitur, *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* Quocirca meritò subdit eam doctrinam à Concilio Tridentino sancitam. Hinc claret, quid sit *charitas* apud Augustinum, & quanta gratiæ hujus justificantis sit efficacia. Et aliquanto ante expendens verba Joannis, *Ex Dei semine nati, id est, qui divinum illud pignus hereditatis æternæ, gratiam scilicet, in se habent, quamdiu semen tale in illis est, peccare non possunt. Semen diaboli peccatum est, mors, caro, concupiscentia; quamdiu hæc semina in nobis vigent, quod inde nascitur, peccatum necessariò erit. Dei verò semen, gratia, vita, spiritus, & justitia est: quo sanè semine regnante, non magis dominari peccatum potest, quàm in luce tenebræ.* Planè ut semen diaboli concupiscentia, instigat urgetque ad peccandum: ita semen Dei gratia & charitas regnatrix quædam est, & impellit ad bonum.

Et alibi non minùs egregiè de hac gratiæ inhabitantis efficacia, *Cùm Paulus dixit, In mortem Christi baptizati sumus, consepulti ipsi, ut in novitate vitæ ambulemus, rem altiùs repetit; nempe quod per Baptismum, seu per suæ divinæ misericordiæ instrumentum, Christus nos mortis suæ fecerit participes, ut in eam medio Baptismo inseramur: & quemadmodum surculus substantiam alimentumque ducit à radice, cui insitus est: ita qui Baptismum ea mente qua debent, recipiunt, verè efficaciam mortis Christi participant, in mortificatione carnis suæ: simul etiam resurrectionis, in vivificatione Spiritus.* Qui porrò ita inseruntur Christo, ut tanquam surculi à radice, *substantiam alimentumque* ab eo sugant; illi utique possunt præcepta Dei implere, & ipsum etiam mandatum dilectionis ex toto corde. De quo ille: *Quod si ita intelligamus, ut non solùm nihil repugnans charitati, verùm etiam nihil de ea diminuens, vel ad ipsam minimè pertinens sit in corde; sed totum quod est in nostra mente, actu quàm maximè intento in Deum propendeat, hoc proculdubio erit in patria. At verò ex toto corde Deum diligere, sic scilicet, ut nihil neque opere, neque verbo, neque ipsa cogitatione quidem admittamus contra ejus voluntatem: tali certè modo viatores adhuc Deum diligere tenemur: qui si sic diligamus, præcepto divino satisfecerimus.*

Nunc de generali gratia texamus ejusdem Horantii doctrinam: *Nemo negat, nemo qui non agnoscat, & sanitatem rationis graviter vulneratam ex peccato, & sic illam nostram primam voluntatem pravis cupiditatibus esse implicatam, ut ad ea quæ ad regnum Dei spectant, addo etiam lubens, ad magnas vincendas tentationes, atque heroicas exercendas virtutes, Dei motione ut advertat, favore ut operetur, gratia verò ut mereatur, homini sit opus.* Apertè significat Horantius sine *gratia*, nempe justificante, posse per solam generalem Dei influentiam, seu *motionem* vitari peccata, impleri præcepta, fieri bona aliqua quoad substantiam actus, & non meritoriè: nec opus esse speciali auxilio, quem ipse *favorem* vocat, nisi ad magnas tentationes, aut heroicas actiones profligandas. Ideo & de philosophicis virtutibus subinde disputat, quas ut negat veras fuisse virtutes, ita peccata dici vetat, cùm Dei dona sint: *Non natura in bonum propensa tantùm, & justo obediens Dei donum est; verùm ipsa etiam operatio, loquor de heroica, (ne bellum per me susceptum adversùs Ariminensem hic quisquam suspicetur) ex divinæ munificentiæ thesauris dimanat & proficiscitur, &c.*

Hinc liberum cuique esse philosophatur Horantius peccare, vel non peccare, cùm nullus fraudetur generali hoc auxilio. Cùm autem exciperet Calvinus liberè peccari, etsi necessariò; quia non coactè,

L. 2. c. 53.

Ibid. c. 54.

L. 7. c. 3.

L. 11. c. 36.

L. 1. c. 2.

Cap. 26. 27.

coactè, sed voluntariè; quod ad libertatem satis est, ut in Angelis elucet bonis malisque, qui ita liberi sunt, ut boni tamen malique necessitate obligentur. Contrà resistitur ab Horantio, esto ut hi liberi sint, sed tamen nihil merentur; at homo, ut meritoriam habeat libertatem, necessum est ea
L. 1, c. 29. fruatur indifferenter ad utrumlibet expedita, *Num diabolo, qui necessariò malus est, & voluntariè malus, cui nec peccandi finis est, num peccata illa omnia denuo imputantur? Absit, ut eam fingas divinam justitiam, aut nobis viatoribus præscribere velis. Beatissimis spiritibus ex Bernardo summa in bonum necessitas cum summa libertate mirè quadrat. Sed ista omnia fœliciissimo illi statui debentur, à quo quidem omnis ratio meriti & novæ culpæ est exclusa. Sine nos viatorum legibus vivere, &c.*

Et de gratia generali justis suppetente ad perseve-
L. 1, c. 31. randum in bono: *Est sanè & ipsa perseverantia donum Dei, sed quam cum omnibus altissimus, cujus prompta & parata est in largiendo celeritas, communicare est expeditissimus. Nec aliunde proficiscitur, quod alii ad finem perseverant, alii incepto cursu prolabuntur, quàm quod extensa cœlestis manus beneficio ultro renunciant, apertoque Dei latere omninò se privant. Si igitur differentiæ causa requiratur, præsentis justitiæ & injustitiæ, & cur alii constanter perseverent, alii in stabilitate deficiant, ut ea omittamus, quæ æternam prædestinationem spectant, hæc potissimùm est, quod quamvis omnes sua virtute roboratos sustinere Dominus cupiat, & velit salvos facere universos, ne pereant: perversa tamen eorum conscientia divinam præsentiam in se illapsam haudquaquam sustinet, &c. Tametsi ex electorum numero non fuerunt, qui sic pereunt.*

Certè infrà generaliùs ad omnes prorsus exporri-
L. 1. c. 32. guntur generalia auxilia: *Ostendamus juxta Augustini mentem, Dei gratiam quæ sufficiens & necessaria sit, omnibus paratam esse; non minus, quàm sit pervia oculis nostris lux hæc materialis: immò nolentes & reluctantes humanissimè provocat, atque inexcogitabili arte impiorum etiam pectoribus sese insinuat, &c.* Quibus ille refellit Calvinum his verbis insultantem, *Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiscuè expositam esse garriunt.*

Quin immo idem Horantius de induratis & reprobis hæc habet: non aliud Deum quàm *permittere* ut cadant, *subtrahendo præcipua illa filiorum auxilia sola*, non omnia, non generalia. Nam
L. 4. c. 8. *nunquam Deus statuit hujusmodi hominibus, non se ea largiturum auxilia, quibus à peccato resurgant. Esset enim hoc ab infinita sua pietate perquam alienum, qua semper paratissimus est cuicumque subvenire, ad ostium pulsare, excitare, pellicere, atque terrere.*

Efficacissimam denique & propositi divini executricem gratiam, ut libertatis consentaneam esse doceat, tria operum genera distinguit Horantius.
L. 3. c. 33. *In primo operum genere nullam penitus voluntas nostra partem habet, non consensum, non cooperationem. Ea sunt prædestinatio, vocatio, admonitio, pulsatio, aspiratio, atque illuminatio.* Etenim ut subditur ex Augustino, non est in potestate nostra positum, non sæpè *visis tangi*. Sed hæc beneficia *repudiare & aspernari* possumus. *Secundi generis opera sic in nobis Deus exercet, ut & nos nostrum etiam illis assensum præbeamus. Ea sunt omnia, quæ motum quempiam liberi nostri animi designant. Hæc simul à Deo, simul à nobis fiunt, à Deo tamen prius natura. Hic intelligi non potest, Deum operari, quin & nos operemur.* Nempe cum priùs priori vocationi consenserimus. Ad hoc secundum genus revocat illud Christi, de iis qui *trahuntur* ad ipsum. Nam *Deus promptissimus est, ad ostium pulsans, ut per ipsum non stet, quo minùs aut trahamus, aut trahamur, & ut corda nostra adaperian-tur.* Restant denique *tertii generis opera, quæ solius Dei munera sunt, ut gratiæ, virtutes, cum habitibus infusis &c.* Hoc triplici ex genere auxiliorum, ea tantùm quæ primi generis sunt, possunt ebblandiri consensum nostrum, *vocatio, admonitio, pulsatio, illuminatio, & visorum* objectio, quibus aptè quisque *tangitur* ex Augustino. Efficacia enim hæc erunt, si ex intentione Dei prædestinantis aptentur.

Idem ibidem insinuat hoc ipsum ex Augustini sententia, quam eam esse testatur, *quod per gra-* L. 3. c. 33.
tiam impresso non modò delectationis affectu, verùm etiam cœlestis auxilii vigore ad perpetuitatem conformetur voluntas: quod invicta fortitudine, dummodo constare sibi velit, roboretur: quod si gratiam gubernare & regnare patiatur, nunquam ipsa excidat: quod gratuita domini misericordia & ad bonum convertatur, & conversa, quandiu voluerit, per divinum favorem non stet, quin in bono perseveret: quod voluntatis humanæ directio in bonum, & post directionem constantia, ex Deo utraque pendeat. Ubi palam est, & præsentissimam omnibus esse gratiam, quæ & ad conversionem, & ad perseverantiam sufficiat; & illi gratiæ plerosque reluctari; sed tamen à Deo pendere *humanæ voluntatis directionem* in bonum, & in bono *constantiam*, ut utramque det quibus volet, *dirigendo & gubernando* voluntates ita, ut etsi obluctari possint, non pertinacissimè reluctentur.

Sed quid apertius verbis ejusdem hic non multò
L. 4. c. 14. pòst: *Si sermo sit de iis primi ordinis & gratiis, quas Deus in nobis sine nobis liberè assentientibus operatur, proculdubio majora ac plura subsidia pro suâ misericordia confert electis, quàm reprobis. Adest enim omnium corda pulsans, impariter tamen.* Hæc sunt auxilia consensum antevenientia, eumque ebblandientia, vel extorquentia electis, non reprobis, etsi utrisque communia, quia consequuntur electis *plura & majora*. Ergo non sola vi, sed etiam multitudine sua efficaciam obtinent invictam. Nec ad præscientiam conditionatam confugitur, nec ad motionem, vel delectationem prædeterminantem, quæ vel unica sufficeret; sed ad *plura & majora* auxilia electis collata, non reprobis. *Hæc est mirabilis providentia erga suos electos, ut eos ex ultimo orbe ad se vocet. Hæc est illa divinæ voluntatis abyssus, hæc illa altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, cujus consilia incomprehensibilia, viæ investigabiles.* Etsi enim, *Sic Deus nos moveat, ut ipsi obsequi, vel eum repellere liberum sit; tamen ipsa ad perseverandum constantia est à Deo, non voluntatem nostram ullis necessitatis vinculis coercente, sed incredibili bonitate sua eam asservante.* Dirigit, gubernat, asservat Deus, & ita infallibiliter agit voluntates liberas per media fallibilia.

Alibi idem demonstrat, tam non labefactari humanam, quàm nec divinam libertatem, æterna sive præscientia, sive prædestinatione. Et sua enim opera præscivit Deus, ac præfiniit. Si dicas autem etiam *media per quæ perveniamus* ad Deum sive per conversionem, sive per perseverantiam, à L. 4. c. 6.
Deo esse præfixa: respondet id in confesso esse, *sed tamen ut ea media recipiamus, in nostro arbitrio posuit, sic quod ea renuere pro libertate nostra possumus.* Quare infallibiliter eventus, non à singulorum, quæ respui possunt, sed ab universorum mediorum, seu auxiliorum efficacia existet. Unde infrà confitetur, *Si Deus efficacissimis illis* Ibid. c. 18.
favoribus quibus ornare solet electos, si iisdem inquam auxiliis reprobos cumulasset, & ipsos ad meliorem frugem convertendos fuisse; sed Deus *omnibus paratissimus est auxiliari & opitulari, ne pessimi homines duritiam suam Deo ascribant. Quod verò majoribus præsidiis suos muniat, ne cadant; & quod certioribus hamis eos lapsos è peccati cœno prehensos trahat, electionis suæ penitus latens est sacramentum. Cujus aliam causam neque esse nos fingimus,*

gimus, neque inquirere volumus, preter suam ipsius voluntatem, Infrà denique elegantissimè declarat divina voluntate & operatione constitui & confirmari invictissimè proprietatem voluntatis liberæ,
Ibid. ex. ut agat, sicut agere apta nata est, *nempe libera ad utramque contradictionis partem*. Motio autem divina si se accommodat huic nostri arbitrii liberæ indifferentiæ, non potest aliter effectum aliquem infallibiliter ab eo elicere, quàm multa & alia aliis majora infatigabiliter offerendo auxilia & incitamenta, quæ singula possit respuere, & pleraque respuat, non universa,

EX ALPHONSO A CASTRO Ordinis Minorum.

An. 1559. ETsi adversus omnes hæreses scripsit Alphonsus à Castro, acriùs tamen sæpiùsque adversùs Lutherum decertavit. Et primò quidem non fidei, seu scientiæ solius, sed & charitatis, quæ vera Christi gratia est, necessitatem tuetur adversùs Lutherum Pelagiumque: *Habita scientia dicit Pelagius*
V. Gratia. *non esse nobis opus ulteriore dono gratiæ, aut charitatis, quoniam nec charitatem vult fateri donum Dei, neque eam dicit necessariam, sed sufficere solam fidem cum nostri arbitrii potestate. Et hoc modo interpretatur illud Pauli, Gratia estis salvati per fidem. Sed advertat Pelagius, quod ait Paulus, non sola fide esse salvatos, sed gratia, & hoc per fidem.* Hanc esse infrà docet gratiam, qua opera meritoria possumus edere, adeoque sanctificantem: *Nunquid per peccatum perdimus liberum arbitrium? absit. Verùm perdimus per peccatum gratiam divinam, cujus auxilio liberum nostrum arbitrium bonum poterat operari; qua jam sublata, amplius non potest bonum operari, quod ad vitam perducat æternam.* Et rursum ibidem gratia hac habituali usque adeò effici ait, ut possimus non peccare, ut quidam ea habita ne peccari quidem posse conijcerent ex Joannis verbis, quæ in speciem id sonant: *Omnis qui natus ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Semen dixit gratiam aut charitatem, per quam filii Dei efficimur. Causa ergo quare qui natus est ex Deo non peccat, est, quia semen Dei, id est gratia, in eo manet. Non est enim possibile, ut quis in gratia existat, & peccet. Illa enim duo ad idem tempus referenda sunt, &c.* Ideò alibi ait hac de re gratiam vocari libertatem, hoc est, libertatem à peccato. Quia in charitate causa est & potestas non peccandi: *Aliquando libertas significat gratiam, per quam liberamur à peccati servitute, cui opponitur. De hac Apostolus, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Denique hac gratia docet servari posse omnia Dei præcepta, ea verò orbatos posse ad eam se præparare, & tunc præcepta servabunt: *Ostendamus observationem omnium præceptorum Dei esse nobis possibilem cum ipsius Dei adjutorio, quod tamen ipse paratus est semper nobis præstare, si nos eo uti volumus.* Adfert verba Deuteronomii, *Propè est verbum in ore tuo*, & ibidem memoratum ait fuisse præceptum dilectionis, ut & hoc ostendatur *esse nobis possibile cum Dei adjutorio, quod ille paratus est nobis præstare.* Impleri porrò præceptum dilectionis ait, etsi non toto & plenissimo affectu amoris Deus diligatur nunc à nobis, dummodò nihil adversum mandatis ejus fiat: & non actu solo tamen, sed etiam affectu diligatur, *quoniam inter multa mala hoc enumerat Apostolus, Sine affectione. Oportet ergo affici Deo. Et si cum hoc reliqua omnia illius mandata quispiam servaverit, ille dicendus est diligere Deum ex toto corde secundùm illum modum, secundum quem dilectio Dei nobis in hac vita præcipitur.*

V. Libertas. Verbo Præcepta.

Nunc de gratia generali has ille assertiones ut Catholicas astruit; *Ut arbitrii libertatem & gratiæ necessitatem ostendamus, advertendum est voluntatis nostræ operationes esse triplices. Quædam enim* V. Gratia. *earum est bona, ut velle dare eleemosynam egenti propter Deum. Alia mala, ut velle furari. Alia media, quæ nec bona, nec mala est, ut velle fricare barbam, vel deambulare, nullo considerato fine, ad quem hæ operationes diriguntur. Nam si aliquis illis operationibus præfigeretur finis, ab eo posset quælibet illarum malitiam aut bonitatem accipere. His ergo jactis fundamentis, quinque addo assertiones catholicas. Prima, liberum arbitrium ex se, & ex sua conditione potest eligere quamlibet volitionem malam. Secunda assertio Catholica, liberum arbitrium ex sola sua natura conditione (non excludo hic, aut in prima assertione illam Dei generalem concausationem) potest eligere quodlibet opus medium, quod videlicet nec est bonum, nec malum. Tertia assertio Catholica, liberum hominis arbitrium ex sola sua potestate, addita etiam illa communi & generali Dei concausatione, non potest sine aliquo speciali Dei auxilio bonum aliquod operari. Quoniam semper circa illud præcedit quædam monitio, aut attractio, aut inspiratio, aut aliquod donum naturæ superadditum, quod Deus merè gratis, quibus illi placet, donat. Quarta assertio Catholica, postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo monenti & inspiranti consentiat, aut dissentiat. Quinta assertio Catholica, postquam voluntas nostra cum Dei adjutorio cœpit agere aliquod bonum, non potest sine ejusdem Dei speciali adjutorio bonum incœptum prosequi, & in eo perseverare. Ex his quinque assertionibus paret, quanta sit liberi nostri arbitrii potestas, quanta divinæ gratiæ necessitas.* Ubi austeriori Gregorij Ariminensis sententiæ accedit Alphonsus, non posse sine speciali auxilio ullum fieri bonum: nisi de bono meritorio intelligat, ut infrà liquebit,

At idem non multò pòst declarat, quàm paratum obviumque omnibus sit hoc Dei auxilium: *Obiiciunt, Nullus peccat in eo quod vitare non potest, Si ergo non est homini liberum præcepta omnia* Ibid. *adimplere, & peccata omnia vitare, cùm non vitat, non peccat. Respondemus hanc esse arbitrii nostri potestatem, ut Deo monenti consentiat, & Deo operanti cooperetur. Deus autem nunquam seipsum nobis negat, imo semper paratus est, ut nos excitet, & adjuvet.* Et locis Scripturæ de hoc auxilio præstantissimo depromptis, *Ecce jam vides, quà de re Dominus peccatores accuset; quia scilicet vocavit, & noluerunt respondere, nec impotentiam aut infirmitatem propriam causari potuerunt, quia ipse extendit manum suam, ut eos adjuvaret, ipsi tamen ejus adjutorium neglexerunt.*

Idem ibidem libertatem nunc nostram eam monet dici, quæ immunes facit non à peccato, vel à miseria, sed à necessitate, sive à coactione. Sed quæ sit Alphonso immunitas à coactione, idem ipse alibi declarat: ipsissima est enim indifferentia agendi & non agendi: *Libertas est quæ opponitur necessitati, vel ut verius dicam, coactioni. Quando* Ibid. *ergo dicimus hominis arbitrium esse liberum, de hac libertate intelligimus; quia cùm operatur, potest non operari; & cùm nihil operatur, potest operari.* Ideò ut suprà docuit, possunt omnes per generalem influentiam vitare malum, possunt per auxilium speciale, quod omnibus aliquando saltem præsto est, facere bonum, & implere præcepta. Possunt denique si præludoriis utantur his auxiliis, ad fidem & justificationem pervenire. Ibidem, *Joannes Evangelista ait, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc potestas non solis justis data est, quoniam hi cùm justi sunt, in filiorum numerum jam redacti sunt. Peccatoribus ergo hæc potestas est collata. Quoniam si juxta vires suas se ad gratiam suscipiendam præparaverint, Deus non subtrahet se ab illis, quin imò*

dabit

dabit illis gratiam, per quam in filiorum adoptionem recipiantur.

Denique illa Christi verba: *Sine me nihil potestis facere*, sic ille exponit adversus Lutherum, hinc insidias & exitium struentem nostræ libertati: *Nihil sine Deo possumus facere, quia sine ejus concausatione, nulla creatura potest aliquid facere;* Ibid. *quoniam etsi divisiones operationum sint, idem tamen est Deus, qui operatur omnia in omnibus. Habita etiam hac generali Dei assistentia & concausatione, nihil, hoc est, nullum opus meritorium potest facere liberum arbitrium sine speciali Dei auxilio, hoc est, sine gratia Dei, per quam quis habet ut possit vitam æternam mereri. Hac ergo gratia seclusa, etsi multa possit liberum nostrum arbitrium, cum Dei generali adjutorio; nihil tamen potest mereri, & ita nec fructum vitæ æternæ ex se producere.* Ubi communiori jam sententiæ videtur suffragari, ut per generale adjutorium fieri possint aliqua bona moraliter opera.

Efficacissimam denique & propositi divini gratiam sic ille ibidem mox elucidat, & eo conciliat libertati, quòd ei resisti possit, & quandoque resistatur reapse; non universis scilicet, sed singulis ejus motionibus. Nec enim res aliter stare posset ut frustretur à nobis, & tamen infallibili famulentur prædestinationi Dei: *Obiiciunt Lutherani illud Salvatoris, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Tractus violentiam dicit, non est ergo liberum hominis arbitrium. Respondeo falsum esse, quod assumunt, hunc tractum divinum esse violentiam aliquam: quoniam non est aliud quàm vocatio quædam interna, & exhortatio, & monitio, qua monet & movet voluntatem nostram ad benè operandum. Huic autem vocationi & monitioni homo sæpè resistit, inobediens existens, ex quo convincitur talem vocationem non esse violentam, &c. Et in hoc est nostra libertas ad bonum, ut postquam Deus monuerit ad bonum, sit jam nobis liberum declinare ad id quod magis placuerit, sive bonum, sive malum.* Huic ergo vocationi & motioni resistit libertas nostra sæpè, non semper, si ex proposito Dei sæpiùs, jugiter, infallibiliter moveatur; fatigatur enim tandem & cedit.

Alioqui consequenter ibidem suam Alphonsus de electione gratiæ sententiam sic exequitur: *Obiiciunt rursus illud, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et, Cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Respondeo hæc accipienda de voluntate prædestinationis & reprobationis.* Ibid. *Dicit enim Paulus prædestinationem illam, qua aliquos Deus præordinavit ab æterno ad vitam æternam, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordiâ divina, quæ sine nostris meritis ad tam grande bonum nos elegit. Et idem sentit de reprobatione, ea videlicet quæ non est actus positivus suæ voluntatis, sed sola privatio prædestinationis, quia non vult ordinare aliquem ad vitam æternam. Quia cùm nulli debeat Deus, nulli facit injuriam, cùm non dat, quod non debet.*

Qui autem infallibilis prædestinatio constet cum fallibili nostra libertate & frustrabili gratia, sic idem confestim: *Etsi Deus absque ullis hominum meritis & demeritis quosdam prædestinat ad vitam, & quosdam non vult prædestinare; talis tamen prædestinatio nullam infert necessitatem operibus nostris, nec tollit arbitrii potestatem & libertatem. Nam post talem prædestinationem & reprobationem & electi & reprobi liberè agunt. Neque obstat quod talis prædestinatio sit infallibilis, ut propter hoc liberum nostrum arbitrium juxta illam operari cogatur. Quoniam qui prævidit finem prædestinatorum, videlicet gloriam æternam, prævidit etiam media, per quæ talis finis est acquirendus, opera scilicet bona quæ cum Dei adjutorio illi sunt operaturi.* Ut ergo reprobat Deus aliquos, & infallibile est propositum Dei reprobans, nec tamen infallibilia illis media Deus prospicit, ut cadant, nec resurgant; sed inter tot vitæ discrimina, tot vitiorum procellas, sine speciali Dei adjutorio cadent aliquando tandem, nec resurgent: ita nec infallibilia sunt auxilia specialia singula, quibus electos suos Deus adjuvat; sed in tanta eorum multitudine, varietate, congruitate, illaqueabuntur aliquando tandem, & ad Deum pertrahentur.

EX FRANCISCO VICTORIA

Obiit an. 1546.

Dominicano, Salmanticensi Professore Primario,

QUanta Theologicæ eruditionis laude claruerit Victoria, neminem fallere potest. Ille ergo primùm de generalis gratiæ primis rudimentis sic sentit: *Nusquam est, nec fuit unquam natio, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes rationabiliter teneantur credere. In historia nunquam legimus tam barbaram & efferam nationem, quæ non putaret Deum esse, &c. Hoc fuit multo tempore toto orbe receptum post diluvium, ergo nunquam traditum est oblivioni, &c. Si Deus permitteret tolli memoriam sui ab hominibus, nulla posset esse Religio, quod omnino non esset congruum providentiæ divinæ, &c. Deus vult omnes salvos fieri; at non possunt salvi esse, nisi per cognitionem Dei, &c. Præceptà juris naturalis & decalogi non sunt per se nota, & tamen ex providentia Dei Doctores concedunt, quod non stat ignorantia, saltem nisi ex malitia, in quacumque provincia & natione. Ergo cùm multò magis exigatur ad vitam humanam cognitio Dei, quàm præceptorum; nullo modo est dicendum, quod Deus permittat aboleri memoriam Deitatis. Ex quibus ille infert, quod quilibet cùm primùm pervenit ad usum rationis, potest habere notitiam Dei.* Relect. Ad quid teneatur homo ad assumptum.

Confestim verò refellit Victoria Gregorium Ariminensem, ajentem peccati omni actu, nisi referatur actu, vel habitu ad Deum. Contra enim cùm sine speciali auxilio non possit quisquam se, vel sua referre ad Deum; peccaret ergo quis inevitabiliter, cùm illud auxilii non omnibus detur. Respondet Gregorius nihilo seciùs imputari, Ibid. *quia ista privatio est ex peccato originali. Sicut si quis ex ignorantia, quam incurrit ex originali peccato, ageret quod non debet.* Ad quæ Gregorii dicta hæc reponit Victoria, *Sed hoc profectò non videtur catholicè dictum.* Pergitque probare bona moraliter opera, hoc est, non peccaminosa à quolibet fieri posse, rationis & liberi arbitrii usum assecuto. Imò ex sancto Thoma, ut primùm homo rationis usuram nactus est, *si faciat quod in se est, Deus ei gratiam infundit; si autem non, peccat mortaliter, quia tunc tempus est, ut de sua salute cogitet, & ei operam det. Est enim gravissima negligentia, si non disponat de ratione vitæ, ex qua salus & damnatio dependet.* Ita Victoria, qui inde eximit, quòd *talis tenetur se convertere ad bonum, eo modo quo potest tunc conformiter ad cognitionem quam habet:* Scilicet vel de Deo, vel de honesto. *Hoc expressè dicit divus Thomas, ubi dicit de eo qui nutritus esset in silvis, quod si faciat quod in se est, ad providentiam Dei spectat subvenire in necessariis, & declarat quid sit facere quod est in se, dicens, quod est sequi dictamen legis naturalis, cum aspectu boni & fuga mali.* Si enim ut primùm promulgatur lex Christi, tenetur quis eam amplecti; ergo etiam cùm primùm promulgata est ei lex naturalis, tenetur eam recipere. Sic ille sententiam S. Thomæ attemperat.

Alibi rursus idem Victoria censet barbaros non peccare peccato infidelitatis, si nihildum de Christi-

Christo inaudierint: Contra Altisiodorensem, qui dicit, *quod non potest aliquis habere ignorantiam invincibilem non solùm Christi, sed cujuscumque articuli fidei: quia si faciat quod in se est, Dominus illuminabit, sive per doctorem intrinsecum, sive extrinsecum; & sic semper est peccatum mortale, credere aliquid contrarium articulis fidei. Eadem fuit opinio Guillelmi Parisiensis, qui eodem modo argumentatur; vel enim talis facit, quod in se est, & illuminabitur: si non facit, non excusatur. Et in eadem sententia videtur fuisse Gerson, L. de spirituali vita animæ, Lect. 4. Concors, inquit, est sententia Doctorum, quod in his quæ sunt juris divini, non cadit ignorantia invincibilis; cùm facienti quod in se est, Deus semper assistat, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem. Et Hugo de sancto Victore dicit neminem excusari per ignorantiam à præcepto Baptismi suscipiendi; quia nisi sua culpa obstiterit, audire & scire poterit; ut exemplum est de Cornelio. Hadrianus in quodlibetis quæst. 4. Sunt inquit ad quorum scientiam Deus generaliter obligat omnes, ut articuli fidei, præcepta universalia legis, & de his est verum, quod Doctores dicunt, quod non potest quis excusari per ignorantiam. Si enim quis facit quod in se est, illuminabitur à Deo per Doctorem interiorem vel exteriorem.* Ubi vides quàm conspiratè Doctores Scholæ omnes assentiantur, præsto semper esse Deum, ut illuminet & ad salutem juvet facientes quod in se est. Nec ab iis Victoria dissentit, nisi specie tenus. Docet enim ille quidem de articulis fidei, verbi gr. de adventu Christi, esse in aliquo posse invincibilem, adeoque inculpatam ignorantiam; non quod neget, si feciisset ille quod in se erat, affuturum à Deo fidei magistrum aliquem: sed quod etsi ita res habeat, & hujus negligentiæ reus iste sit, non tamen etiam reum esse posteà putat infidelitatis. Sicut qui ebrietate peccat, non statim peccat, si quid per ebrietatem committit perperam. Ita ille vult, ut ignorantia sit vincibilis, requiri negligentiam circa illam materiam, puta quia noluit audire, vel auditum non credit. Cæteri vincibilem vocant ignorantiam, quæ nascitur ex negligentia etiam circa aliud quidvis. His porrò omnibus nemo offendetur, si meminerit, generalem Dei gratiam non excludi, cùm dicitur quis facere quod in se est ex naturæ viribus.

Relect. 5. de Indis. l. 2. par. 6. l. 5.

De gratiæ habitualis efficacia unum illud carpo ex Victoria, quod possit in eam conferri ex regula generali habituum, qui vehementer adeò possunt esse, ut deliberationem auferant, inferantque necessitatem: *Taliter possunt crescere habitus, quod superent virtutem naturalem intellectus, & omnino tollant potestatem deliberandi. Quia si possunt inferre difficultatem, ergo & omnino impedire. Et confirmatur, quia tantum possunt perturbare mali habitus, quantum passiones. Ergo si passiones hoc possunt, quare non etiam habitus?* Hinc conjice, quanta possit esse vis & efficacia charitatis, spei, fidei, aliarumque virtutum infusarum.

Relect. 1.

De tertia verò eaque efficacissima gratia, pauca habeo, quæ proferam ex Victoria. Vel ex his tamen gustus sumi aliquis poterit. Motionem, sive auxilium Dei moventis sic ille cum divo Thoma exponit: *Prima deliberatio est ex causis omninò naturalibus, vel prorsùs extrinsecis, puta à Deo, vel ab Angelo. Non potest enim esse ex electione voluntatis, quia illa electio jam præsupponeret aliam deliberationem: ergo oportet omnino ut sit, vel ex motu phantasmatum facto ab objecto, vel ex aliqua causa extrinseca. Unde Aristoteles dicit, quod principium consultandi est aliquod intellectivum principium altius intellectu nostro, quod est Deus: & per hunc modum ostendit, quod non est processus in infinitum.* Jam verò cùm Deus ita movet intellectum & voluntatem, non utique inevitabiliter determinat: cùm moveri ad deliberandum possit intellectus, & à phantasmate, & ab Angelo, ubi non est dubium, quin abstinere nihilo seciùs possit quis à deliberando. Denique hæc argumentatio Aristotelis, cui sanctus Thomas, cui Victoria innititur, usque adeò determinationem indeclinabilem non adfert voluntati liberæ, ut dicatur Aristoteles divinam à terrenis omnibus providentiam arcuisse, ne libertati humanæ officeret.

Ibid.

EX ALFONSO DE HERRERA

Dominicano, qui Cæsari à Concionibus erat, idem Theologiæ Professor, An. 1540.

FIdei donum, de quo Paulus, sic iste describit in *Disceptatione adversùs Lutheranos de valore bonorum operum*, quæ ab eo dicata est Catharinæ Reginæ Portugalliæ: Ut hinc intelligas quanta habituum cæterorum virtutumque sit efficacia: *Ab hoc dono provenit, ut multi mira quadam affectione ad res fidei sint propensi, quas avidè suscipiunt, & hilari animo tractant, etiamsi circa virtutum aliarum opera sæpè inveniantur remissi.* Pag. 17.

Idem infrà ait opera bona ante justificationem, ejusmodi esse, etiam in infidelibus, ut nec cedant operanti in salutem, nec etiam in damnationem. Pag. 14.

Infrà rursum docet hæc nostra, hæc naturæ opera esse, quæ ab habituali gratia non procedunt, quæ nimirùm propriè gratia est; *Opera ut procedunt à libero arbitrio, secluso gratiæ dono, quam habitualem vocant, dicuntur propriè opera nostra, eo quod per liberum arbitrium homo suarum est dominus operationum. His non opinamur nos gloriam posse mereri. Cum enim sint naturæ opera, in ea duntaxat possunt, quæ naturæ consona sunt & proportionata.* At verò opera *ut Dei sunt & nostra, ut procedunt scilicet à subjecto libero, gratiæ dono suffulto & illustrato, æternæ vitæ è condigno meritoria censentur.* Vides quid gratiæ nomine significetur: & qua gratia fiat, ut opera nostra bona, Dei sint: nempè habituali potissimùm. Etsi enim actualis gratia & præeat & comitetur habitualem, hæc tamen antistat & præcellit, ut cui illa nunc viam sternat, nunc excitatrix & comes sit; Pag. 28. 29.

Et ibidem mox, *Quanquam omnia creaturæ opera sint à Deo, ut à primo motore, quemadmodum & creatura ipsa, juxta id, Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine; tamen virtutis opus potissimùm meritoriæ, dicitur peculiariter à Deo: tum quia dono quodam speciali cum homine concurrit, tum etiam quia natura ipsa sine tali dono effecta, nonnisi ad ea quæ naturæ sunt, valet.* Gratia actualis hic designatur, ut à primo motore profluens, nempè convenienter effectis producendis; ideòque supra naturam motio ea est, ubi supra naturam opus aliquod assurgit. At principatus tamen vindicatur habitui gratiæ & virtutum.

Præclarè rursus idem, operibus gratia sanctificante perfusis gloriam deberi censet, & eam tamen mero Dei beneplacito donari, nec ea inter se collidi putat: *Non continuò censendum est, non suapte natura meritorium, quod naturæ author & conditor liberè statuit, & ad suum beneplacitum sic pro libito, disposuit & ordinavit. Quin ea est rei cujusque natura, quam natura conditor cuivis rei indidit & inseruit.* Addit exemplum ejus, qui gratia adoptatur in filium, cui jure suo deinceps debetur hæreditas. Ita Deus gratis prædestinat, justificat, Pag. 10.

ado-

adoptat in filios, jure quodam suo hæredes mox futuros.

Et infrà de gratia, *Gratis te elegit, & vocavit, & gratuito tibi gratiæ donum concessit. Sed ut concessis uti liberè possis, cum tui ipsius periculo, voluit: ut si bene, ad meritum: sin verò malè, ad pœnam tibi perpetuò cedant.* Et infrà; *Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna. Id est, Quemadmodum peccato demeretur ad mortem perpetuam, ita gratia, seu dono Dei gratuito meretur ad vitam æternam. Et constat hominem liberè & sponte in delictum incidere ad demeritum; accepto igitur gratiæ dono, liberè etiam operatur ad meritum. Hoc enim naturæ proprium est rationali seu liberæ, ut propriè derelicta arbitrio, & boni & mali delectum habere possit.* Efficaciam potissimam bonorum operum adserit habituali gratiæ; nec enim de conversionis, aut perseverantiæ usque ad finem gratia hìc agitur: & eam efficaciam gratiæ cum nostra libertate conciliat. Quæ hinc in rem nostram effici possint, palam est.

GENERATIM ET SUMMATIM observantur aliqua in Theologos tertiæ hujus Partis.

INter secundæ priùs, & tertiæ hujus nunc partis Theologos, non multum est discriminis.

Idem enim senserunt omnes, de gratia generali, sive ad non peccandum, & ad servanda præcepta, sive ad conversionem. Expressiùs tamen hi posteriores monuerunt indubitatam esse illam, hanc piè teneri, etsi communiter à sanctis Patribus, & ab Augustino ipso teneatur. Frequentiùs etiam & evidentiùs de gratia actuali sermonem habuere, quàm priùs. In prisca illa doctrina de virtutum initiis naturaliter inseminatis, de bonis actibus moralibus, & de operibus infidelium, nihil innovarunt. Accuratiùs incubuere in defensionem auxiliorum generalium ad tuitionem libertatis nostræ, & possibilitatis mandatorum, ne impiis quidem exceptis, adversùs Lutherum, qui & libertati, & præceptorum possibilitati adversabatur. Dissensionis aliquid fuit circa induratos; quos nec ipsos tamen plerique spoliabant specialibus auxiliis.

Quoad gratiam habitualem, non video quid mutatum sit. Eandem illi prorsùs omnes efficaciam tribuunt, validiùs etiam quàm antiquiores Theologi. Enimverò cum cœpisset Lutherus justificationem non collocare, nisi in remissione peccatorum, & in extrinseca imputatione justitiæ Christi, & ludibrio habere qualitatem, vel habitum inutilem, ut ipse causabatur, quem ad id admittebant Theologi; necessariò adversùs illum declarandum fuit, ut justus quis sit, non satis esse, ut remittantur, vel non imputentur ei peccata: sed constantissimè opus esse, funditus ut extirpentur pravi affectus cordis, inseratur affectus sanctior, qui dominetur, subiiciat voluntatem legi æternæ, inspirato ejus amore, oppugnet edometque carnales cupiditates: porrò qui charitatis dicitur habitus, hunc ipsum esse affectum sanctum & justum. Non injuria ergo dici poterit, in Concilio Tridentino adornatum fuisse quendam quasi triumphum efficaciæ hujus habitualis gratiæ; ut cujus maximè efficaciæ ratio habita sit.

Quod ad gratiam denique spectat efficacissimam, eadem prorsùs omnia observari hìc denuò possent, quæ observata jam fuere ad calcem primæ partis. Nihil necesse est eadem repeti, cùm immutatum sit nihil; nisi quòd disertè distincta & sejuncta fuerit gratia sufficiens ab efficaci. Sed nemo dixit, hanc esse prædeterminantem, aut ab ea voluntatem infallibiliter operi admoveri, unius motionis alicujus vi; aut ad quodlibet opus bonum eam necessariò requiri. De scientia media idem atque antè silentium.

PARS

PARS QUARTA,
AB EXITU CONCILII TRIDENTINI
Ad nostra hæc usque tempora.

Si mollior fuerat & remissior Scotus in nonnullis de Gratia quæstionibus; si cupidior aliàs oppugnandæ sancti Thomæ doctrinæ, Decreta & Concursus invexerat; non ut prædeterminarent, sed ut concomitarentur, ad actus omnes voluntatis humanæ; quò ex his sciret Deus ab æterno liberos eventus omnes: utpotè non nescius, quibus cooperaturus esset: ita ut nihil jam opus esset recurri ad rerum omnium nobis futurarum præsentiam coram Deo, & coexistentiam cum æternitate divina: Post finem Concilii Tridentini, Thomistæ Novi, ut novis adversariis suis acriùs reniterentur, ad hanc se contulere doctrinam Decretorum & Concursuum, non modò concomitantium, sed & prædeterminantium, hoc est prævenientium, & invictissimè contorquentium voluntates creatas ad actus suos omnes. Admiserat S. Thomas motionem, seu præmotionem divinam, non prædeterminationem, hoc est ejusmodi motionem, qua ineluctabiliter ageretur voluntas. Dixerat ille quidem, si moveret Deus, moveri certissimè voluntatem: sed non agebat ille tunc nisi de motionibus, sive de inspirationibus indeliberatis, quas operatur Deus in nobis sine nobis. Thomistarum nullus ante finem Concilii Tridentini, ac ne Capreolus quidem, aliter quàm nos sententiam sancti Thomæ interpretatus fuerat. Quin imò in pervolutandis horum omnium Theologorum operibus, eadem passim placita ac decreta occurrent, quæ à nobis hoc in Commentariolo consignata sunt, ubi de sancti Thomæ sententia diximus. Cùm contentiones autem istæ de Gratia in Hispania primùm exarserint, primique omnium Dominicani Hispani in aciem prodierint; superfuere in Italia non pauci ejusdem nobilissimi cœtus Theologi, qui ab avita Thomistarum doctrina, ne latum quidem unguem deflexerint. Ab his ergo ordiemur.

ITALI,

EX MATTHIA AQUARIO *Dominicano.*

An. 1688.

CApreoli Commentarios in Magistrum Sententiarum ex sancto Thoma ferè compilatos hic, dum Neapoli Philosophicis prælectionibus vacaret, edi curavit, & suis ipse privatim brevioribus scriptis, tum Magistri, tum Capreoli, tum maximè S. Thomæ doctrinam complexus, hæc omnia Sixto V. P. M. dicavit, Concilii Tridentini adversus novellas hæreses tuendi studiosissimus.

Hic ergo in Additionibus suis ad Capreolum, sancit primò ex Tridentino gratiam esse qualitatem divinitus infusam & animæ inhærentem, item esse qualitatem, seu habitum, qui dirigit animam & inclinat ad opera meritoria. Et rursus si gratia sumatur, non increata, quæ potest dici tota Trinitas, quæ illabitur menti, juxta illud, Ad illum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: sed creata gratia, eaque bifariam, vel pro gratuita motione Dei, vel pro habituali dono divinitùs infuso, utrobique aptissimè distinguatur per operantem & cooperantem. De divina motione perspicua res est: *At si loquamur de gratia habituali, cùm habeat plures effectus, quorum primus est sanare, justificare & gratam facere Deo animam, & hic dicitur gratia operans. Deinde facit alium effectum, quod anima sic grata operatur meritorie, & respectu hujus dicitur grata cooperans.* Ita & mox docet eandem gratiam propter diversos effectus suos vicissim dici prævenientem & subsequentem: *Nam quinque sunt effectus gratiæ, quorum primus est ut anima sanetur: secundus ut bonum velit: tertius ut bonum quod vult, efficaciter operetur: quartus ut in bono perseveret: quintus ut ad gloriam perveniat. Prout gratia causat in nobis primum effectum, præveniens dicitur respectu secundi effectus. Et prout causat secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus.* Nil expressiùs dici potuit ad efficientiam & vim gratiæ habitualis testificandam.

L. 1. Sent. d. 26.

Nec multò pòst eo aberrasse à scopo Pelagium ait, quòd meritum vitæ æternæ adscriberet operibus sine gratia hac factis, à qua manat meriti dignitas; *quod attenditur secundum virtutem Spiritus sancti moventis nos ad vitam æternam, & secundum dignitatem gratiæ, qua fit homo divinæ consors naturæ*; Ideò ut ibidem mox dicitur, *Christus in nobis & per nos meretur vitam æternam de condigno, quia caput influit in membra sua, & operatur in eis.* L. 2. d. 27.

Quod ad gratiam generalem attinet, refellit Aquarius Scotum, opinantem *ex puris naturalibus, & communi influentia, posse esse attributionem, quæ fit meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.* Quin & omne congrui meritum cum Anselmo & Dominico Soto exufflandum ait, *quia meritum congrui non potest esse, ubi est aliquod impedimentum; sed in homine lapso est impedimentum ad reparationem gratiæ, scilicet peccatum. Igitur neque de congruo potest sibi lapsus mereri reparationem.* At verò si obicias, *Facienti quod in se est, à Deo non denegari gratiam:* respondet Aquarius, *Hoc esse verum ex parte divinæ libertatis & bonitatis, sed non ex parte meriti de congruo in homine.* Denique si quæras, quid sit facere quod in se est; respondet: *Catholicus Christianus tunc facit quod in se est, quando secundùm regulam fidei detestatur peccatum super omne odibile, proponens in omnibus obedire Deo, removendo obicem, & habendo bonum motum, eumque ordinando in ipsum Deum super omne amabile. Homo infidelis tunc facit quod in se est, quando conformat arbitrium suum rationi, & toto corde quærit, illuminari ad cognoscendam veritatem, & justitiam, & bonum suæ salutis.* Ibid.

Sed

Sed ne ista fieri posse existimes sine divinæ motionis adjutorio, utque pensiculatiùs res tota expromatur, sic rursum ille inferiùs: *Ad cognitionem cujuscunque veri homo indiget divino auxilio, quia causa secunda non valet operari sine motione causæ primæ. Auxilium divinum duplex est, Universale & Speciale. Hæc conclusio est de auxilio universali, & etiam de vero universaliter sumpto.* Hactenus prima conclusio, Jam secunda sic habet: *Homo in statu naturæ destitutæ potest viribus propriis cognoscere, stante influentia sola generali, seu auxilio generali, aliquas veritates morales, & interdum judicare, quid sequendum sit, quidve fugiendum. Ratio est, quia unaquæque res stante influentia generali per suam formam potest producere actum proportionatum suæ naturæ.* Tertia conclusio sequitur: *Homo in statu naturæ destitutæ non potest viribus propriis sine speciali auxilio & peculiari illustratione Dei habere certam cognitionem atque judicium de eo quod est faciendum vel fugiendum in omni re ad veritates morales pertinente. Ratio est, quia in hoc distinguitur homo sanus ab ægro, quia sanus potest per seipsum integrè & perfectè munus suum exercere, ager verò aliqua ex parte id poterit.* Ita Aquarius, ubi etiam monet Capreolum à S. Thoma deviasse ad Gregorium Ariminensem, & cum isto sensisse, sine speciali auxilio non posse nunc cognosci ullum verum morale, quod ad vitæ emendationem spectet. Et ideò abjiciendam Capreoli hac in parte doctrinam.

L. 2 d. 28.

Quod ad intelligentiam ergo spectat, non indiget homo speciali auxilio, nisi ut nusquam titubet in perscrutatione moralium officiorum, item ut fidem Christi amplectatur; quæ jam salus est. At verò quod attinet ad bene operandum: *Homo sine auxilio speciali, tantum suis viribus adjutus, potest bonum aliquod morale operari, sed raro & difficulter. Ratio est, quia hoc est proportionatum viribus humanis: igitur cùm vires naturæ humanæ non sint penitus per peccatum extinctæ, necesse est hominem posse aliquod bonum morale operari.* Adde etiam quòd *infidelis potest ex naturali compassione & non propter alium finem dare eleemosynam indigenti; sed talis actus est moraliter bonus.* Quòd autem secus sentiant quidam Doctores Lovanienses cum Gregorio Ariminensi, his antehabendum censet Thomam, Bonaventuram, Dominicum Soto, Vegam, aliosque: & quod ab illis objicitur Christi verbum, *Sine me nihil potestis facere*, de generali influentia id sumendum ait.

Ibid.

Denique idem concludit hominem lapsum non posse sine speciali auxilio bonum moraliter operari semper, neque ut in pluribus. Hoc enim est discrimen hominis sani & ægri, integri & saucii, quòd possit sanus, non possit æger *operari bonum perfectè per totam vitam suam, semper & ut in pluribus.* Item *non posse hominem sine speciali auxilio disponi mediatè vel immediatè ad gratiam justificantem. Alioqui initium salutis esset ex nobis.* Postremò denique *non posse sine gratia Dei implere omnia præcepta legis naturalis quantum ad substantiam operum. Quia natura imbecillis non potest omnia opera naturæ sanæ exercere.*

Ibid.

Postremò ad tertium idemque invictissimæ efficaciæ auxilium defluamus. Et primùm ut timore incusso, amore inspirato, concursu suspenso agatur omnipotenter voluntas nostra à Deo, sic Aquarius describit: *Voluntas quantum ad actus elicitos potest induci, & timore, vel promissione mutari, & ab actu elicito recedere, & oppositum velle. Poterit enim per divinam immissionem & illuminationem, ac Spiritus sancti specialem motionem, & gratiæ infusionem, recedere à vitiosis volitionibus, & elicere bonas, & hæc dicitur tractio divina: quando sic voluntas divino adjutorio separatur ab his, quibus per glutinum amoris fortiter adhæsit, & æternis incipit adhærere. Unde Bernardus Lib. de lib. arbitrio, Deus cùm terret, aut percutit, hoc intendit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invictos.* Vides ut timore & amore Deus concutiat voluntatem nostram, & ex nolente volentem faciat, maximè tamen terrore & percussione inter initia. Si verò timor & amor à Deo incussus oppugnetur vehementiùs ab amore & timore adversario, hujus vim sufflaminabit forsan Deus subtracto concursu suo, & ita voluntas tametsi possit adhuc, non tamen resistet inspirato cœlitus timori & amori: *Cùm enim nulla causa secunda possit agere, nisi coagente prima: prima verò causa liberè agat ad extra, & ideò possit non coagere, ideò voluntatem à suo actu impedire potest, sive eam suspendere, quod est cogere, ut non agat.*

L. 2 d. 28.

Sed infallibilitati divinæ prædestinationis non aliter concordare libertatem nostram indifferentem, quàm ex multitudine & conspiratione auxiliorum divinorum, quæ licèt singillatim frustrabilia, universim tamen & conglobatim victricia & infallibilia sunt, idem Aquarius ex sancti Thomæ & Capreoli germana sententia edisserit. Idque multis ex capitibus colligi potest. Docet enim primò, *Contingens ut futurum, non posse infallibiliter cognosci. Quia id cujus eventus potest impediri non potest certitudinaliter cognosci, an sit futurum. Sed eventus futuri contingentis potest impediri. Igitur ut futurum non potest certitudinaliter cognosci, sed tantùm ut est in præsenti.* Ideò & rursum ex eodem, *Deus cognoscit futura contingentia, prout sunt illi præsentia in nunc æternitatis. Futura enim contingentia non possunt aliter infallibiliter & certissimè cognosci, nisi ut coexistunt æternitati divinæ.* Quæ ille pluribus prosequitur. Ex his autem illud emergit indubitatissimum, nullo Dei decreto absolutissimo præfiniri, adeòque nullo ineluctabili auxilio perfici opera singula, quibus electi justitiam & perseverantiam in bono consequuntur.

L. 1 Concord. d. 14.

Id verò disertissimè asserit Aquarius, infallibitatem prædestinationis in sola collocans multitudine auxiliorum, quæ singulatim quidem deficere possunt, sed tota eorum collectio nunquam frustratur: *Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Ubi nota, quod certitudo divinæ prædestinationis potest esse ex concursu multarum causarum, quæ possunt deficere. Tamen Deus videns quod una deficit, subrogat aliam, & sic de secunda & de tertia, donec effectus eveniat. Verbi gratia in aliquo prædestinato, puta Petro, etsi deficit liberum arbitrium ejus à salute peccando, subministrat huic defectui Deus exhortationes, orationes, eleemosynas, peregrinationes, jejunia, & alia ejusmodi, donec sequatur effectus prædestinationis, quæ est salus.* Quod ex S. Thomæ in quæstione sexta de veritate articulo tertio à se promptum esse infrà insinuat.

Ibid. cap.

EX CHRYSOSTOMO Javello Dominicano,

An. 1580.

NOn abs re erit verba ipsa statim promere doctissimi & præstantissimi hujus Theologi, ubi de anima nostra agens, ita habet: *Recipit anima à Creatore principia cognitionis boni & mali, & continuè movetur ad bonum, ac trahitur ab agente primo, ut ferrum ad magnetem, quæ motio divinum dicitur auxilium. Et quoniam hæc motio ex parte Dei continua est, & fit in quolibet homine utente ratione, juxta illud, Erat lux vera, ideò nullus excusatur, si per bona opera non disponit se ad charitatem, declinans à malo, & operans bonum moraliter. Quod si quis dicat, se non semper habere divinum auxilium ad operandum bonum, blasphemat, & est,*

Philosoph. Christ. p. 1. l. 6. c. 6.

& est, ac si quis diceret quod non semper habetur lumen ex parte solis, &c. Alibi tamen in hunc modum: *Divina bonitas non cessat dirigere hominem* Ibid. Tr. 5. c. 6. *in bonum per syndæresin & conscientiam remordentem, per comminationem æternæ pœnæ, per repromissionem æternæ beatitudinis, per doctrinam ac vitam Filii Dei incarnati. Quod igitur damnetur, homo imputet sibi, &c.*

Laudibus affici vetat timorem servilem, quòd per eum homo non fiat bonus; utilem tamen illum & necessarium censet ad avocandos homines à malo, & insuefaciendos bono. Tria alibi divina distinguit auxilia, Naturale, Morale, Gratuitum: Naturale naturis omnibus conceditur, & homini ipsi, sive ad bonum, sive ad malum. Morale inclinat ad bonum, & abducit à malo; hoc indigemus post lapsum; ideò *non cessat Deus hominem cujuslibet* Ibid. Par. 4. c. 21. *status, conditionis, legis movere ad bonum, revocare à malo, ut peccator salvus fiat, &c. & hoc est auxilium, quo in omni gente, quis vivit moraliter, juste, pie, temperatè, &c. Hæc est prima dispositio ad gratiam; qua & multi Infideles conversi sunt ad veram Christi legem, ut Dionysius, Cornelius, Cyprianus, Augustinus, &c.* Ibid. par. 6. c. 1. V. & par. 6 c. 5.

Auxilium gratuitum est gratia habitualis, quia bonum eliciturn ex primo & secundo auxilio est commune justo & peccatori existenti extra gratiam, Judæo & Gentili. Alio ergo opus est auxilio, quo fiat opus bonum Christianum & meritorium vitæ æternæ. Hanc Scriptura vocat Gratiam, ait Javellus; Theologi verò hanc appellant gratiam gratum facientem, quàm Deus solus producit in anima, quæ ad eam se præparavit. Hæc gratia movet ad supernaturale bonum; usque adeò porrò necessaria est, ut non possimus sine illa, nec opus perfectum exercere, nec Deum supra omnia diligere, vel divina servare præcepta, nec à peccato resurgere, nec omne peccatum vitare, nec in bono perseverare. Sic enim homo per peccatum depravatus est, ut jam non possit ad bonum se conferre, nisi hac gratia sanatus, roboratus, illuminatus.

Quoad gratiam efficacissimam, docet Javellus homini dare naturale auxilium, ut possit velle & nolle bonum, aut malum, absque ulla determinatione. En ipsa ejus verba: *Influentia naturalis mo-* Ibid. *vet per intellectum & voluntatem liberè, id est, non tantùm ad unum, sed etiam ad opposita; quoniam movet naturam modo naturæ, ut scilicet liberam liberè moveat, & determinatam determinatè. Hinc est quod si voluntas imperet manui, ut det eleemosynam, Deus cooperatur motioni præceptæ à voluntate. Si etiam imperat, quod percutiat proximum, Deus non subtrahit influentiam suam à manu, ut sit universalis motor naturæ.* Ex his perspicuum fit, liberam voluntatem non determinari à Deo, sed à seipsa.

Alterum auxilium, quod post peccatum necessarium est, validius debet esse, & morale tamen vocatur, omnibusque hominibus commune est, ut ad Deum convertantur. Non ergo prædeterminat. Denique ita disertè Javellus, *Quoniam hoc auxilium commune est omni homini, & ipsius est acceptare & non acceptare, Deo semper cooperante ad partem quam elegerit ex auxilio naturali, ideo nullus excusatur.* Nihilo plus ergo voluntas determinatur hoc secundo auxilio, quàm primo.

Tertium auxilium tametsi spectabilius sit, non determinat tamen, cùm ipsamet sit gratia habitualis.

Quartò docet Javellus alio loco, non posse perseverantiam finalem aliquid intrinsecum homini esse, cùm versatilis sit semper ejus voluntas, nec per charitatem habitualem concilietur adhuc illi impeccantia. Oritur ergo perseverantia ex dono divinæ bonitatis, quod tamen nulli negat, nisi ponenti obicem. Ibid. Par. 2. tr. 5. Ibid. c. 6.

Si paulò mollius, quàm par esset, locutus sit Javellus de Prædestinatione, quanquam gratuitam illam esse consentiat; error is est, tam illi condonandus, quàm doctis aliis viris, Henrico Gandavensi, Scoto, forsan etiam Bonaventuræ, ut aliqui censent. V. Banner. 1. p. qu. 23. ubi Javellum refellit.

EX FELICIANO CAPITONO Ann. 1570.

Narniensi, ex instituto Fratrum Servorum, Archiepiscopo Avenionensi,

EDidit Capitonus *Explicationes Catholicas* locorum ferè omnium veteris & novi Testamenti, quibus ad fulciendà commenta sua abutebantur novarum hæresum architecti.

Hinc ergo primùm inhabitantis gratiæ & charitatis efficaciam non mediocrem ad mala vitanda, implendaque præcepta edocemur; *Quomodo justi-* P. 1. c. 61. *tia nostra in nobis manente justificamur? Docet Apostolus, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Est enim charitas Deus, & est donum Dei, per quam Deum & proximum diligimus. Dicitur Dei, quoniam donante eo habemus illam. Dicitur & nostra, quia per eam in nobis manentem movemur, adjuvamurque, tam ad Deum quàm ad proximum diligendum. Diffusa verò est in cordibus nostris, quia latè* P. 3. c. 6. *& copiosè data, manet in nobis,* Hanc alibi gratiam charitatis & fidei immanentem & justificantem, eam esse interpretatur, quæ omnia merita antevertit, quæ impetrat gratiam, id est, gratiæ & justitiæ incrementum.

De gratia verò generali idem alibi ex verbis Joannis argumentatur: *Dedit eis potestatem filios Dei* Ibid. *fieri. Dedit potestatem, non necessitatem, ut bene velit in nomine ejus, bene cogitet, bene faciat, & liberè hæc omnia, non necessario operetur. Igitur si ad bene operandum se disposuerit homo, non deest illi Deus speciali auxilio & gratia, quo perficere possit: sin verò malitia voluntatis ad malum se converterit, non concurrit Deus, sed sola perversa voluntas operatur. Sententia enim Pauli est, quod Deus vult omnes homines salvos fieri,* Ita cum præsto sit auxilium generale, eoque utentibus non desit speciale, quo Christum & justitiam amplectantur, exsufflatur omnis excusatio: *Propterea quod minimè dicendus est* P. 2. c. 65. *non posse, qui tametsi seipso non possit, auxilio tamen alterius, quod imperatur, perficere valet.* Ita claudus potest quocumque ire, si ad manum sint vehicula: *Ita fermè impossibilitati naturæ per peccatum corruptæ gratia & auxilio Dei subvenitur, Non est ergo impossibile homini à peccato resurgere, quoniam quod seipso præstare non potest, per gratiam Dei maximè perficiet. Dicitur quis posse, quod amicorum opera potest. Gratiam verò Dei, illiusque auxilium nemini deesse, tum ex multis rationibus, tum frequentissimis Scripturæ authoritatibus elucescit. Apocalypsis c. 3. Sto ad ostium & pulso, &c.*

Alibi idem cum Damasceno duplicem constituit Dei voluntatem, antecedentem & consequentem. Illa paratus est unicuique gratiam salutis impartiri, vult omnes salvos fieri, &c. Duplici voluntati respondet duplex vocatio, generalis & specialis. Generalis omnium est, specialis electorum. Ad generalem spectant dona Creatoris, ad specialem speciale auxilium Redemptoris. Unde infrà: *Generalis notitia mandatorum Dei, est à Deo, ut Conditore, non à Deo ut Redemptore. Et idcirco quamvis per dona naturæ, si quispiam bene utatur, meretur aliquid; fides tamen & cognitio mysteriorum Dei non datur, nisi prævia speciali gratia Dei.* Et ipsum tamen bene uti auxiliis Creatoris, deberur Redemptori, & inter effectus prædestinationis meritò numeratur, si ad justificationem quid conferat. Et rursum, *Etsi Deus nemini desit, & neminem nisi* P. 2. c. 11. *meritum deserat, omnes ad pœnitentiam vocet, &*

omni-

omnibus misericordiam suam proferat, non omnes tamen divinum auxilium operemque & vocationem suscipiunt. Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?

Et apertissimè idem infrà duplex genus & operum humanorum & auxiliorum Dei ita secernit: *Sunt duo operum genera, quæ ab hominibus fieri dicuntur, unum gratia Dei universali, sive viribus naturæ, alterum speciali gratia auxilioque Christi perficitur. Primi generis sunt agros colere, domos ædificare, negotia gerere, parentes honorare, & naturali quadam pietate subvenire indigentibus. Quæ cum tam bonis quàm malis, fidelibus quàm infidelibus, communia sint, & viribus tantùm naturæ fiant, dicimus generali divinæ providentiæ influxu ab homine effici. Secundi generis sunt, credere in Christum, pro ejus nomine pati, à peccato resurgere, legem Dei & mandata observare; quæ cum sine speciali auxilio Dei gratiaque Christi fieri nequeant, à Christo vitè facta & producta esse fatemur. Et de hoc operum genere ait, Sine me nihil potestis facere.* Par.2. c.80.

Vides hìc gratiæ duplex genus, generalis, & specialis, etsi utraque generalis dici queat, quia omnibus utriusque copiam facit Deus; omnes ad Christum vocat, nisi renuant. Vides quod auxilio & gratia generali primi generis fit, viribus naturæ fieri, eo quem sæpè explanavimus modo. Quod autem mandata impleri dixit per solam gratiam specialem, de gratia gratum faciente intellexit, & de observatione præcepti secundùm intentionem præcipientis, non secundùm substantiam operis, ut ipsemet alibi disertissimè expressit. Ex quo id etiam licet colligere, non esse peccatis accensenda omnia opera infidelium, cùm non pauca fiant ex gratia generali, & secundùm substantiam operis tunc præcepta legis impleantur. Denique id ipsemet profitetur, & prolixè probat,

Prædestinationi gratuitæ, gratiæque ad eam exequendam accommodatæ, idem Capitonus non semel, nec obscurè suffragatur. Sed infallibilem licèt prædestinationis effectum, per auxilia tamen gratiæ singillatim frustrabilia obtineri, manifestè satis idem significat. Et primò cùm assertam priùs electionem gratiæ objectarent hæretici exitio esse libertati nostræ, probat ipse ex adverso, ea nec cogi hominem, nec necessitatem imponi. Primò quidem *quia quandocumque effectus provenit à duabus causis, quarum una sit necessaria, altera contingens, semper contingens sequatur effectus. Sed prædestinatio est effectus divinæ voluntatis, ut causæ universalis & necessariæ, & liberi arbitrii, ut causæ contingentis, ergo effectus erit contingens.* Par.1.c.24. Prorsùs ut à Sole velut causa universali ac necessaria, & ab homine, vel terra, ut causa particulari & contingente, prodeunt effectus contingentes, ita ut quandoque non prodeant, ob defectum causæ particularis & contingentis: ut in pluribus tamen effectus sequitur. Ità effectus singulares prædestinationis seu gratiæ divinæ non tantùm possunt deficere, sed deficiunt quandoque ob contingentiam causæ secundæ, sive ob libertatem hominis versatilem: sed cùm alia aliis deficientibus sufficiantur auxilia, frustrantur aliqua eorum, non universa unquam.

Secundò ut idem argumentatur, Si prædestinatio necessariò prædestinatum cogit, ergo reprobatio reprobatum impellet. Ex consequentis insulsitate conjicitur antecedentis absurditas. Ergo cùm reprobatio sit infallibilis, nec tamen mandetur executioni ullo Dei impulsu ineluctabili, sed eo tantùm, quod homo æger nullo speciali Dei auxilio adjutus possit singula, non possit omnia collectim vitare peccata; ita & infallibilis prædestinatio sortietur effectum suum per auxilia frustrabilia, sed tam aptè & toties inculcata, ut etsi aliqua, non tamen omnia agminatim frustrentur.

Addi potest quod idem alibi exequitur: *Deus cuncta res eodem ordine, conditione ac virtute administrat & regit, quibus condidit, & motus proprios agere sinit, neque aliquid contra illius naturam per vim operatur; quæ ergo à necessaria causa proveniunt, necessitata dicuntur: quæ verò à libera & contingente, liberè quoque & contingenter fiunt.* Par.1.c.16. Quæ si purè & insucatè sumantur, planum est, quid sonent, quid valeant.

Adde rursum quod ibidem omnium rerum præscientiam Deo inde tantùm vendicat, quod apud eum nihil prætereat, apud eum idem est tempus præteritum, præsens, & futurum. Non ergo ineluctabilibus decretis auxiliisque singula Deus definit efficitque, Ideò addit præscientia Dei neminem cogi: *Si quidem is non est futurus talis, quia sic futurum præscivit Deus; sed ideò præscivit, quia talis futurus erat, quamvis Deus non sic fecerit illum.* Quæ ad singularia hominum opera rectè referuntur. Nec enim ad ea inevitabili concursu urget Deus: *Necessitas igitur potiùs atque rectiùs colligetur ab opere erga divinam præscientiam, quàm à præscientia ad opus. Ita sanè ut dicatur, Hoc ita futurum est, ergo ita futurum esse Deus prænovit; quàm si dicatur, Hoc Deus prænovit, ergo necessariò futurum erit.*

Adde rursus quod idem alibi docet à Deo prædestinante moveri & trahi liberrimè, & tamen certissimè voluntates liberas, quia suis ipsarum trahuntur affectibus. Affectibus enim etsi homo non semper, tamen utplurimùm obsequitur: ideò inspirantur creberrimè à Deo electis affectus pii, ut etsi paucis dissentiant, pluribus tamen assentiantur. Ita liberè & invictè trahitur homo: *Tractio hæc non est violentiæ, nec necessitatis, sed voluntatis & desiderii. Unde dicitur, Trahit sua quemque voluptas. Si ergo à voluptatibus trahitur homo, in quibus non est vera delectatio & beatitudo, quanto magis trahetur à Christo, qui est via, veritas, & vita, cùm à Patre fuerit manifestatus?* Cap.5.

Postremò denique idem tradit *aliud esse voluntatem induci, aliud mutari, aliud cogi. Voluntatem induci, est, cùm adhuc in dubio sit, persuasionibus hominum, aut fortè tentationibus disponi, ut alteram partem eligat.* Ita Eunuchus à Philippo persuasus est tingi: *Voluntatem mutari, est de contraria in contrariam affectionem transire, & de nolente fieri volentem. Ut cùm Deus rerum temporalium amatorem, infusa gratia facit contemptorem.* Par.2.c.80. Addit & exemplum Petri; nam *affectio constantiæ in Petro expellitur à timore mortis: & rursùs affectio timoris excluditur ab affectione dilectionis. Prima mutatio voluntatis sola ipsius voluntate, & nemine adjuvante facta est. Secunda illa liberè volente, sed gratia Dei & movente & adjuvante. Voluntas itaque Petri utrobique seipsam mutavit: sed deficiens sola defecit, & rediens est adjuta per gratiam.* Cogi denique voluntatem posse negat, cùm non possit nolens velle, aut volens nolle. Hìc satis liquet qua arte Deus grassetur ad hominis libertatem edomandam, partim persuasionibus vocando, partim affectionibus inspirando, quas tam opportunè & multipliciter ingerit, ut tandem pervincat & expugnet contumaciam voluntatis.

EX CHRISTOPHORO DE CAPITE FONTIUM, Minorum Ordinis Generali Ministro.

Anno 1576.

PAri elegantia vehementiaque ac eruditionis ubertate edidit Christophorus de Capite Fontium *De libero arbitrio & meritis bonorum operum Assertionem Catholicam* ad Gregorium XIII. Papam adversus Lutheri & Calvini vecordiam. Ille igitùr primò gratiam habitualem, seu possibilitatem bonorum operum proximam tuetur contra Pelagium: *Neque verò docentes*,

nos

Edit. Antuerp. an. 1575. P. 51. 52.

non habere potestatem faciendi & volendi, Pelagii sectamur insaniam, ut omnia voluntatis humanæ viribus tribuentes, auxilium gratiæ Dei, sine qua vires nostræ illi gratum aliquid & acceptum præstare non possunt, videamur excludere, &c. Neque ignoro nos hanc potestatem à nobis non habere. Quid enim habemus, quod à Deo non accepimus? Illud tantùm dico, me hac à Deo potestate accepta uti posse, si velim, &c. Tradit mater Ecclesia in primis, nos à Deo vires accepisse, quibus ab eo sumptis bona opera facere, iisque rectè uti possimus. Quod si non fecerimus, sed ut nequam ille de Evangelio servus, qui talentum abscondit in terra, nobis tradita divinitus potestate, gratiaque Dei munere rectè non utimur, nos jure meritoque puniri. Quæ Solis ipso radio lucidiora videri possunt.

Et infrà rursum: *Sine Dei auxilio bona opera fieri nequeunt, facilia sunt igitur, non impossibilia. Quid enim nobis potest esse difficile, quid impossibile, si tale habeamus auxilium? Ideo nostri Doctores sic argumentantur: Sine Dei auxilio nihil possumus, omnia igitur possumus. Nec dubitant cum Apostolo dicere, Omnia possum in eo qui me confortat, &c. Qui cum Dei auxilio omnia potest, is perfecto aliquid potest. Etsi omnia possibilia sunt credenti, consequens est credentem boni plurimum posse.* Nempe cum insit justis gratia bonorum operum efficax, inest possibilitas bene operandi: & omnia possunt justi, quia Dei auxilium non præsto tantùm est, sed inhæret medullitus.

P. 130. 131.

Ideo aliquantò infrà gratiæ justificantis efficaciam disertè profitetur: *Cùm igitur illius aquæ, videlicet Spiritus sancti gratiæ, ex cordibus nostris in vitam salientis æternam, efficaciam vimque considero, si opera tali aquâ non modò lota, sed etiam irrigata & vivificata, cælestis vitæ præmio ex æqualitate digna dixissem, me ipsum esse non arbitrarer. Nam quod operibus ex eorum natura deest, id gratiæ Dei vis, sanctique Spiritus efficacia supplet.* Et mox, *Fateris esse opera Spiritus sancti; & tamen imperfecta, torpia, immunda esse pronuntias. Sentisne secum pugnare orationem tuam?*

P. 239. 240.

Et rursum gratia Christi restitui nos in illam virium integritatem & sanitatem, qua per Adæ peccatum excideramus, ita prosequitur: *Alioqui summum illud Christi beneficium, quo & redempti, & reparati sumus: nobisque tantum ad bona opera facienda gratiæ, quantum in sua creationis exordio acceptum, Adam per peccatum amiserat, restitutum esse credimus atque confidimus, quomodo intelligemus? Vim illam reparationis nostræ, atque efficaciam, qua in re quæso ponemus? &c. Ut per illud originale peccatum meritorii operis facultatem amisimus, ita per Christi gratiam non minus ad bona opera facienda virium, quàm in illo innocentiæ statu protoplastus habuit, nos recuperasse credimus atque confidimus. Illa igitur liberii arbitrii vis atque energia, quam in Adamo perdidimus, nobis per Christi gratiam restituta est; cujus beneficio fit ac munere, fremant licèt isti, ut omni tentationi non minus quàm protoplastus in illa integritate naturæ, repugnare possimus. Vires igitur nostras de Christi beneficio sumptas, tantùm valere credimus, ut nullo tentationis genere invisti ad peccatum impelli cogique possimus.* Addit *sine Dei gratiæ speciali auxilio* potuisse Adamum vi primigeniæ sanitatis quamlibet vincere tentationem: nunc nostrum Christus *curat morbum, & hominem non minus ad bona opera facienda, & ad resistendum tentationibus aptum atque alacrem reddit, quàm protoplastus erat ante peccatum. Hominem igitur Christianum dicimus omni tentationi posse repugnare, propterea quod gratiæ divinæ firmitatem ac robur accepit: Sufficit tibi gratia mea.*

P. 257. 258. 259.

P. 261. 262.

Hactenus copiosè satis de gratia justificante, & per eam collata possibilitate atque efficacia bonorum operum contra Lutheranos.

Jam verò de gratia generali non minùs perspicuè: *Quamvis, inquiunt Lutherani, homo nihil aliud possit, nisi peccare, liberum tamen voluntatis habet ad peccandum arbitrium, & sponte peccat. Perinde ac si argumentarentur & dicerent, Ille non est animal rationis particeps, sed tamen homo est. Non habet tres angulos, est tamen triangulum. Ad eundem modum isti negant nos habere liberum arbitrium, nisi ad peccandum. Liberum autem arbitrium definitur, Potestas ad duo opposita: necessitas autem, Potestas ad unum solum. De libertate hominis in via constituti loquor; nam dæmones & damnati, tametsi nihil aliud possunt, nisi peccare, tamen amplius commereri non possunt: neque peccatorum, nisi eorum, quæ in via admiserunt, pœnas luunt. Ita & beati, cùm jam peccare non possunt, ne mereri quidem amplius possunt, quia meritum & demeritum nonnisi in viatoribus, qui ad duas res sibi oppositas habent potestatem, reperiuntur. Quæ cùm ita sint, isti qui hominem in mortali etiamnum corpore constitutum, nihil aliud posse dicunt, nisi peccare, & tamen ob peccata sua jure meritoque puniri; pejoris illum conditionis faciunt, quàm eos qui jam cruciantur in tartaro; qui quamquam assiduè peccant, ob illa tamen sola peccata, quæ in via constituti admisere, dant pœnas.* Quibus disertius, vel vehementius dici nihil potuit, pro bicipiti indifferentia libertatis ad merendum vel demerendum necessariæ, & pro auxiliorum copia semper parata, ut peccata vitari possint. Alioqui optatior esset damnatorum sors, quàm mortaliter adhuc viventium: cùm æquè peccarent utrique necessariò, sed illi nullas, hi novas in dies sibi accumularent peccando pœnas.

P. 61. 62.

Rursus infrà validè intonat in hanc Calvini argumentationem, *Sine Dei auxilio nihil potes, ergo nullam bene faciendi potestatem habes. Quod argumentum ut rectum sit, hunc modum habeat, necesse est. Sine Dei auxilio homo nihil boni potest, Dei autem auxilium, ut hominem ad bonum adjuvet, invalidum est; aut certè isto modo, Deus autem homini opem auxiliumque non feret, igitur homo nihil boni potest. Sed in hoc argumenta assumptio, aut minor falsa est. Ex quo in hac ratiocinatione contra Dei honorem & gloriam, nescio quam latere blasphemiam intelligi potest. Hinc enim sequitur Deum, aut minus potentem, aut minus bonum esse. Nos igitur melius argumentamur, Sine Dei auxilio nihil possumus, omnia ergo possumus, neque quidquam nobis impossibile est. Nostra namque conclusio hoc fundamento nititur, Deus omnia potest, nosque vult adjuvare. Credenti omnia sunt possibilia. Cur id? Quia Dei auxilium efficacissimum est. Ex eo igitur quod Dei auxilium nobis est necessarium, non impossibile, aut difficile esse bene vivere, sed potiùs id esse facile, colligendum est. Deus enim adeo bonus est, ut opem auxiliumque suum, quo nihil efficacius, nihil potentius, petenti deneget nemini.*

P. 118, 119. 120.

Nec minùs præclarè alibi adversarios suos ipsos telo configit. Ut elevarent enim authoritatem Ecclesiæ & traditionis Scripturarum interpretis, omnibus obvium esse jactitabant donum Scripturas ceu fidei regulas intelligendi. Quin ergo & reliqua virtutum dona obvia omnibus esse agnoscebant, & ita nihil impossibilitatis superesse ad bona opera? *Si Dei munera ita facilè capiuntur ab omnibus, si adeo exposita sunt quibusvis, atque obvia; cur ergo continentiæ donum vobis difficilius est, quàm nobis munus intelligendi Scripturas?* Ut ergo ad intelligentiam Scripturarum, ita & ad continentiam non denegari Dei auxilium, quibus eo opus est, profiteri debebant.

P. 124.

Negat alibi opera ante justificationem esse Deo grata, aut gratiæ gloriæque meritoria: *Illud tantùm quod ex Scripturarum fonte hausi, libe-*

P. 201. 202.

reque isto, eum hominem, qui non malitia aut pertinacia ducitur, sed errore, & nihilo minus bonis operibus incumbens, Deum religiosis precibus orat, à Deo non deseri, quin illi veræ fidei lumen tribuat. Tanta est enim Dei benignitas, ut si ita erranti humana remedia subsidiaque deessent, Angelum mitteret potiùs, quàm illum in errore jacere pateretur. Ita affuturum illi Deum, qui id præstiterit, *quod in sua potestate est*, conjicere se ait ab exemplo Cornelii.

Jam verò tertium gratiæ efficacissimæ genus, quo Deus, ut ait Apostolus, *operatur in nobis velle & operari*, sive dum impios justificat, sive dum justos in bono facit perseverare: sic idem nobis elucidat: P. 141, 142, 143. *Cùm duæ causæ aliquem effectum unà producunt: tametsi primæ principalique causæ laus præcipua tribui soleat, tamen ex eo non sequi, secundam nihil omnino agere. Exempli causa, sit victoria militum virtute ac fortitudine à Rege parta. Quam ita commemorabit Historia, ut tota victoriæ laus regi, non militi propria esse videatur.* Ita Scripturæ totum Deo tribuunt, etsi & aliquæ sint partes hominis, sub Deo duce, & adjutore diabolum debellantis. Ideo & eædem Scripturæ alicubi totum ventura scribere homini, ut cùm Deus Abrahæ filium mactare promptissimo dicit; *Quia fecisti hanc rem*: & Christus Magdalenæ, *Bonum opus operata in me*. Nec tamen hinc colligere fas est, nihil ad hæc bona opera adjutorium Dei contulisse.

Idem alibi nihil deteri ostendens de libero nostro arbitrio, cùm Pater ad Filium nos *trahit*, varia Scripturæ loca accumulat, ubi Christum dicuntur discipuli *coegisse*, Loth Angelos *compulisse*, P. 168, 169. citra libertatis detrimentum. *Animadvertendum est igitur hæc verba, trahere, cogere, compellere, non significare vim aliquam, cùm ad hominis voluntatem admoventur; sed tantùm vehementem quandam persuadendi rationem, quæ precibus, exhortationibus, supplicibus verbis fieri consuevit. Cùm verò actionem aliquam circa corpus ostendunt, tum demum necessitatem vimque significant. Ad hunc modum orator cùm audientium movet affectus, iisque quod vult dicendo persuadet, auditorum suorum animos in sua potestate habere, illosque in quancumque voluerit partem flectere dicitur. Unde est illud Poetæ, Trahit sua quemque voluptas, & tamen hìc nulla vis ad trahendum adhibetur. Unde est & illud Jacobi, Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Voluptas igitur hominem ad se trahit, non vi impulsum, sed cujusdam suavitatis illecebris delinitum, qualem in Cantico canticorum Sponsa cupiebat, cùm Sponso diceret, Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Hoc ergo modo, nos ad Filium trahit Pater, non vim ac necessitatem afferens, sed multis de causis illum & sequi & amare persuadens. Hac quoque modo verbi Dei prædicatoribus dicitur, ut ad regni cœlestis convivium invitatos intrare compellant, id est, ut instent opportunè, importunè, arguant errantes, desides obsecrent, increpent delinquentes, &c.* Si invictissimè quandoque persuadet & voluntatem huc illucque rapit & trahit citra libertæ indifferentiæ jacturam orator, concionator, amicus, voluptas, concupiscentia carnalis: non vi adhibita, sed blanditiis, minis, exemplis, rationibus; quantò facilius & indeclinabilius Deus quocumque volet nos volentes traher, qui præterea unus potest mentem intus luce perfundere, corda ingeneratis affectibus novis mutare, mollire, mulcere, terrere?

Huc facit & illud, quod idem infrà ex Bernardo refert: *Unde egregiè Bernardus, Volens, ait, Deus hominem errantem in viam salutis revocare: Si, inquit, invitum coegero, asinum habebo, non hominem. Scio quid faciam. Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si fortè convertatur & vivat. Itaque comminatus est acerbiora, quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cùm autem homo nec sic revocaretur, ait; Non solùm timidus, sed etiam cupidus est, promittam ei quod potissimùm desiderabile videatur. Desiderant homines aurum & argentum, & similia, & super hæc omnia vitam desiderant. Si inquit tantoperè desiderant miseram hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantum diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam, promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ita Deus hominem hinc timore supplicii, inde amore præmii ad virtutis studium revocat.* In hanc sententiam nihil apertius dici potuit. Ita enim Deus hominem trahit, & ex nolente ac repugnante volentem facit & consentientem, contemperando se ejus affectibus: si *timidus* est, terrendo suppliciis: si *cupidus* est, præmiis alliciendo. Et quia nemo potest affectui quem Deus inspirat repugnare, nisi contrario effectu quopiam, hunc ipsum affectum contumacem Deus sapientia & omnipotentia sua oppugnat, lacessit, fatigat, blandiendo, comminando, sæviendo, & tandem cedere persuadet.

EX ALEXANDRO PESANTIO Romano, Doctore Theologo. An. 1606.

THeologicas disputationes suas Paulo V. P. M. dicavit Pesantius eodem ipso tempore, quo sub eodem Congregationes de Auxiliis celebrabantur. Gratiæ invictissimam efficaciam, cui gratuitæ prædestinationis infallibilis executio mandatur, sic ille describit; *Auxilium efficax est illud, quo Deus sic excitat & juvat, ut infallibiliter de facto is cui tale auxilium confertur, convertatur, & operetur. Hæc gratia à nullo duro corde respuitur. Hæc efficientia gratiæ non provenit à voluntate hominis, sed Dei: nec provenit ex physica quadam determinatione, qua Deus determinat nostram voluntatem: sed consistit in vocatione, persuasione, illustratione interna, additis aliquando specialibus auxiliis, moventibus, impellentibus, excitantibus voluntatem, non tamen necessitantibus. Præterea in objecto facit, ut nulla, vel modica appareat difficultas in eo quod est eligendum, & ut in oppositio nulla ratio boni appareat.* Hactenus præclarissimè omnia, & abundè ea sunt ad constituendam gratiæ efficaciam. Ex redundanti est & præter mentem Augustini & Thomæ quod idem addit consequenter: *Et supposita scientia conditionalium in qua videt Deus infinita media applicabilia ad emolliendum cor, novit determinatè ad quodnam medium, si proponatur voluntati creatæ, ipsa liberè se applicatura sit.* Condonari hæc possunt, si ut par est, intelligatur hæc præscientia in Deo nulla esse, utpote cui omnia præsentia & cernuntur & sunt coram existentia; sed fingi quodammodo à nobis, & accommodari ad usum loquendi vulgatissimum, & ab usu vulgi ad Scripturas etiam sacras translatum. Igitur ut præscius futurorum dicitur Deus, & in Scripturis, & à Patribus, ut serviant hominum indoctorum sensui; & ab iisdem tamen accuratiùs alibi disputantibus tota hæc præscientia & futurorum à præsentibus distinctio ablegatur à Deo, cui non datur nisi omnium rerum præsentia & præsentium æterna intuitio: ita concedimus, ut præsciisse dicatur Deus, quibus quisque auxiliis consensurus esset, si modò hæc crassiùs & populariùs dici, reapse nil Deo futurum, nil prævidendum esse confiteantur; sed in præsenti, ea & sapientia & potentia eum pollere, qua quaslibet voluntates quo volet cumque inflectat, aliis aliisque persuasionibus, inspirationibus, oppugnationibus adhibitis. 1. p. q. 14. art. 13. disp. 7.

Adde

Adde quòd non præscientiam, sed scientiam conditionalium vocat Pesantius, & ad scientiam simplicis intelligentiæ id totum revocari potest. Undè rursus præclarè Pesantius, *Nunquam frustratur Deus. Potest enim etiam illabi in voluntatem & suaves impulsus in illam facere*. Et infrà ait, *non defuisse in divina sapientia & omnipotentia multos modos, quibus efficaciter potuisset vocare illos Galilæos, ex Augustino L. 1. ad Simpl. q. 2.* At Augustinus nusquam præscientiæ meminit.

Gratiæ habitualis efficaciam cum sancto Thoma & Theologis omnibus, idem Pesantius agnoscit: *Dico multa bona posse efficere hominem justum* 1. 2. q. 109. art. 9. d. 2. *sine auxilio speciali, quæ non potest efficere homo injustus. Patet quia cum gratia infunduntur multæ virtutes, quæ multùm facilitant ad bene agendum. Deinde per gratiam sanatur natura humana, ergo debet posse aliquid, quod non poterat antea*. Et rursum de opere supernaturali id exponit, cùm justi sit supernaturalia opera exercere.

Jam de gratia generali sic idem sentit: pueros sine Baptismo excedentes, ea prorsus destitui: sed *nullum adultum qui capax sit rationis,* 1. 2. q. 112. art. 5. disp. 1. 6. *ita à Deo destitui, ut non habeat gratiam sufficientem. Quia Deus non præcipit impossibilia, ex Tridentino: quare cum præcipiat, ut omnes ad se convertantur, non debet id esse impossibile. Atqui cum id fieri non possit viribus naturæ, necesse est ut omnes ad id recipiant gratiam à Deo*. Addit tamen mox, *Auxilium sufficiens ad surgendum à peccatis, adesse quidem omnibus pro loco & tempore, non tamen adesse omnibus momentis temporis. Ita Abulensis, Roffensis, Driedo, Vega, &c.* Addit denique, *auxilium sufficiens ad evitandum quodlibet peccatum semper omnibus adesse, aut immediatè, aut mediatè*.

EX PAULO GRYSALDO
An. 1586. *Perusino Ordinis Prædicatorum Theologo.*

Decisiones fidei Catholicæ, verbo Gratia.

QUærit, *Cùm operatur homo ex divina motione præveniente ad ipsam gratiam consequendam, sic tanto auxilio adiutus, meretur ne gratiam, saltem de congruo? Capreolus negat esse meritum aliquod, etsi sit dispositio ad gratiam. Ferrariensis ait esse meritum de congruo, nam si facit homo quod in se est, disponendo se ad habituale donum gratiæ, congruum est ut Deus largiatur*. Utrumque conciliat Grysaldus, ajens non mereri merito congruo perfectè, sed imperfectè. Ex Driedone mox ait si *gratiis conditoris* bene utatur quis, mereri eum hoc merito imperfecto, *non tamen sine misericordia Dei, nec sine initiis fidei*.

Ibidem. Et infrà idem; *Gratia non omnibus datur à Deo. Hæresis. Fuit quorundam hæreticorum inventum, quosdam etiam baptizatos non posse credere, neque operari, quia illis non est datum à Deo. Ideo audiunt verbum, & non credunt, quia non datur, quo credere possint. At vana, immo impia est eorum excusatio. Num Deus omnibus dat, quo credere & operari possint. Solem suum oriri facit super bonos & malos. Vult omnes homines salvos fieri. Stat ad ostium & pulsat. Omnes vocat, vel mane, vel sexta, nonaque*. Hæc ille de gratia generali.

Idem alibi de timore servili docet, quòd ille non pœnam tantùm, sed & Deum respiciat, au- Verbo Justus. thorem pœnæ. Si quo ex amore sui est, ille *amor naturalis* est, non inordinatus, & si *ex sui conservatione* prodit, vel sic *non est culpabilis*.

Jam de gratia habituali. Huic uni nomen gra- Verbo Gratia. tiæ aptari, ex antedictis patet. Et rursum: *Gratia non est habitus à Deo infusus. Error*. Ex Chrysostomo gratiam mox definit, *Sanitatem mentis, delectationem cordis*. Et mox: *Nominatur habitus, quia dat esse supernaturale*. Hæresim Pelagii in eo mox ait fuisse, quod diceret *Gratiam non esse necessariam ad divina mandata adimplenda*. Et infrà rursum: *Gratia gratum faciens ad hoc datur, ut Deum diligamus, & ad ultimum finem perveniamus. Et etiam datur gratia ad perficiendum effectum, at principalis perfectio gratiæ est dilectio. Hæc demum est quæ perficit operationes nostras*.

Postremò denique ex eodem, *Gratia Dei quosdam liberat à peccato, & quosdam relinquit. Durum multis videtur hoc verbum, quod tamen expressè docet Augustinus, de prædestinatione, &c.* Qui autem electos suos indeclinabiliter Deus agat ad salutem, conjici poterit ex accumulatione internorum auxiliorum & externæ protectionis id fieri, cùm confirmati in bono ad eum modum id consequantur, ut nunquam à recto devient. Ibidem. *Gratia non potest hominem in bono confirmare, ut non peccet. Hæresis. Docet Ecclesia Apostolos post datum Spiritum sanctum esse in gratia confirmatos, adeo ut peccare non possent. Quod & de beatissima Virgine credit. Et sic homo confirmatur, non quia ab intrinseco detur sufficiens principium, quo peccare non possit, ut aliqui hæretici dixerunt; sed partim ab intrinseco, partim ab extrinseco datur donum gratiæ, quo ad bonum adeo inclinatur, quod non possit facilè ad malum trahi: non tamen redditur impeccabilis, sed speciali cura, divina providentia custoditur, ne peccare possit. Ferrar. l. 4. c. 70.*

EX LACTANTIO DOMANINIO
An. 1592. *Mantuano Theologo Carmelita.*

EX tomo primo hujus operum, cujus unius copiam habui, quique *de divina providentia & gubernatione* agit, pauca hìc libabo, donec secundi quoque copia fiat, ubi de prædestinatione agit.

Hic ergo exponens illa Christi verba, *Quoties volui congregare filios tuos & noluisti*: Præter Augustini interpretationem, utique magni faciendam hanc ex aliis litteræ consonatiorem profert, *De* De lib. arb. l. 4. c. 21. *voluntate Dei antecedente, sive signi, non consequente: Voluit namque Deus salvare Jerusalem voluntate antecedente, quæ non semper impletur. Voluntas antecedens est, cùm Deus omnia dat homini necessaria, ut vitam consequatur æternam. Et ita dicit Paulus, Deus vult omnes homines salvos fieri; voluntate antecedente, quia Deus nemini suum negat auxilium*. Sic ille convenienter Damasceno, à quo hausta; & sancto Thomæ, à quo derivata est in Theologicas Scholas hæc distinctio voluntatis antecedentis & consequentis; antecedentem non prorsus sterilem & jejunam ostendit, sed sufficientium auxiliorum largitricem, quæ tamen nihil perficiant, nisi abundantioribus auxiliis salus promoveatur.

Idem postea ex Augustino advertit per peccatum primi parentis nos amisisse non *velle bonum*, sed *posse bonum*: seu libertatem & possibilitatem in justitia vivendi, atque justitiam operandi, quæ utique est à gratia. At post peccatum incolume Ibid. c. 25. remansit velle, seu *potentia consentiendi & dissentiendi*: remansit & voluntas levissima boni, secundùm quam *velle adjacet mihi*: non velle validum, id enim esset etiam posse. Quocirca idem persæpè Ibidem. refellit hanc Calvini insaniam, *quod propter originale peccatum homini actuale peccatum imputetur, licèt necessariò peccet*. Præsto est enim semper auxilium Dei stantis ad ostium & pulsantis, & *qui* Ibid. c. 30. *universum absque ejus assensu creavit & illuminavit, idem universum genus humanum gratia sua subitò perfunderet, nisi spontaneam coöperatricem voluntatem nostram præstolaretur*. Et infrà: *Deus namque nemini suam gratiam denegat,*

nec aeterit facientem quod in se est, ille qui paratus est omnibus subvenire.

Hoc verò axioma, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, luculentè sic exponit Domaninius trifariam posse intelligi: *Primò facere quantum ipsa natura potest ex se, suis solius viribus à conditore insitis natura, non peculiariter attractis à Patre; ut ædificare domos, diligere benefactores, honorare parentes, non furtum facere, non mentiri, &c. Ita faciens quod in se est, neque meretur gratiam, nec ad acquirendum gratiam se præparat.* Ibid. c. 33. *Secundò facere quantum natura potest absque habituali gratiæ dono, ex viribus rationalis naturæ peculiariter à Deo ad initia fidei attractis. Et sic facienti quod in se est, largitur Deus initium fidei, ex qua etiam orare, invocare & Dei misericordiam implorare valeat.* Primus ille est *generalis influxus, omnibus semper hominibus post lapsum etiam debitus, sicut ratiocinari, benefactores diligere, quod & Ethnici faciunt, ut ait Christus.* Secundus ille *peculiaris est & gratuitus tractus, ante quem homo nec orare potest, ut trahatur; nec desiderare gratiam, ut justus efficiatur.* Denique *tertio modo facere quantum in se est ex gratiæ habitualis dono, &c.* Utroque hoc posteriore modo facientibus quod in se est, dat Deus gratiam vel gratiæ perseverantiam.

Ibidem, &c. cap. 35. Pluribus ille ibidem prosequitur posse quemlibet cum *generali auxilio* opera moraliter bona facere, vitare peccata, non tamen parare se ad gratiam sine speciali auxilio & tractu Dei ad fidem. Concursus ille generalis, naturalis est, & à Creatore: hic specialis, supernaturalis est, & à Redemptore; speciali hoc influxu, præterquam quod Deus concurrit cum homine ad aliquid supernaturale, etiam *prævenit* & movet *fortiùs & abundantiùs*; & his de causis speciale vocatur. Cæteroqui enim *omnibus adultis communicatur, quia omnes vocat, omnes excitat, omnes prævenit & præparat ad bonum, quantum est ex parte sua, nobis necessarium.*

Ibidem. Præclarissimè autem quomodo omnes jam tum à rationis diluculo vocet Deus: *Vocat nos Deus, cùm primùm incipimus rationis usum habere, quoniam statim lux quædam de cælo descendit, quæ ad beatitudinem nos naturaliter instruit & invitat; asserens in hac miserrima vita neminem perfectam gloriam comparare posse, cùm ad alia majora sit creatus; quæ omnia adipiscetur facillimè, si malum vitaverit, bonum autem secutus fuerit. Hoc autem quilibet infans, cùm primùm annos judicii tangit, cognoscit; nec eum latet furari, aut mentiri malum esse; obedire autem cultumque debitum præstare parentibus, bonum esse. Itaque cum incipimus homines esse, illicò Domino à Deo nostro invitamur.* Hæc generalis est vocatio. Particularis autem ex eodem fit *multis modis. Nempe inspirationibus, prædicationibus, infirmitatibus, tribulationibus, & aliis modis.*

Ibid. c. 37. Postremò denique Domaninio: *Duplex est gratia præveniens, generalis & specialis. Prima est bonus motus, & bona cogitatio, veluti cùm peccator Deo inspirante suum peccatum cognoscit, & cum terrore pœnæ convertitur & contremiscit, & de amittenda æterna beatitudine dolet. Secunda est, quæ huic & non illi homini donatur, & tot habet species, quot sunt species boni motus ad resipiscendum. Quemadmodum sunt auditio verbi Dei, immissio adversitatis, remotio occasionis peccandi, ablatio seu deliberatio tentationis, & hujusmodi alia. Illa generalis nulli hominum deesse dignoscitur unquam, quoniam Deus stat ad ostium & pulsat, initium nostræ salutis, quæ est peccati cognitio, in nobis operari desiderans. Illam verò specialem non omnibus peccatoribus Deus impartitur, & hoc non ex defectu Dei, sed ex induratione peccatoris, qui gratiam illam negligit communem & generalem.*

Efficacissima propositi divini gratia, vel ex hoc ipso loco diluescere potest. Illa est enim quæ non omnibus datur; nam quibus datur, utique convertuntur. At certa hæc efficacia vides quibus ex rebus proveniat, nempe ex conspiratione multorum intus & foris auxiliorum, ut à Domaninio descripta est.

Idcò quod ad præscientiam futurorum contingentium & liberorum spectat, non aliter ille eam Deo vendicat, quàm ex reali omnium temporum rerumque præsentia in Dei æternitate. Quod ab eo fusè tractatur.

Et assentitur ille quidem: *Quamlibet naturam juxta ejus modum moveri à Deo; efficaciam divinæ voluntatis, esse in causa, quare divina scientia, sub ea ratione quæ est causa, non inducit necessitatem in effectu; quoniam res sicuti vult, producit: & voluntatem divinam principalitatem obtinere supra scientiam in causando; virtutem primæ causæ efficacissimam esse, nec necessitatem inducere in affectu, quoniam disponit omnia suaviter: denique Deum scientia visionis nihil scire, nisi quæ priùs, nostro servato modo loquendi, à voluntate Dei decreta fuere.* L. 1. de divina providentia c. 11. 19. At nihilo tamen minùs idem infrà, prolixè, defensans libertatis nostræ indifferentiam, sic illa omnia clementer interpretatur, *Non sunt actiones nostræ, vel aliquando futuræ sunt, unius, aut alterius generis, sive bonæ, sive malæ, quoniam tales ab æterno Deus illas noverit; sed è contra quoniam tales à nobis vel sunt, vel futuræ sunt, pro arbitrio scilicet & electione nostra, illas propterea hujus vel illius generis esse, vel futuras esse, novit ab æterno Deus.* L. 2. c. 31. Et mox, *Speciali quadam suavitate res humanas disponit Deus, &c. excitat hominem, inflammat, & auxiliatur, ad bene operandum, &c. Si quando dicimus eventus omnes, id est universa cunctarum rerum opera divina voluntate esse decreta, ad hunc modum decretum illud venit intelligendum, quod scilicet ipsa divina voluntas in omnibus rerum eventibus & ipsarum operationibus ita fieri decrevit, ut novit agenda cuncta pro tempore & eorum natura de posse ad velle facere. Non enim decrevit divina voluntas, ut velim, nolim, tractatum hunc de divina providentia conscribam: sed sua ineffabili sapientia novit ab æterno iis me temporibus hoc velle & posse facere; & quia novit, decrevit, id est, hanc meam voluntatem admisit. Nec tantùm admisit, at etiam se auxiliatricem præbuit. Admisit autem, quia causarum ordinem quæcumque illæ sint, ad hanc scripturam usque, non impediri optimè novit; mihi quoque & spiritui meo, qui rectissimus est, suppetias se laturam decrevit.* Addit peccata sola à Deo non juvari, non admitti, sed dimitti & permitti.

Addit & ex Damasceno, multa à Deo præsciri, quæ ab eo non prædefiniuntur; non enim prædefiniri ab eo omnia, etsi præsciantur omnia. Concludit denique *à voluntate Dei efficaci esse omnium rerum essentias, affectiones, proprietates; posse ab eo rerum omnium operationes absoluta potentia suspendi, & immutari, etiam contra vim earum; sed potentia ordinaria creaturis auxiliari Deum ad operandum, ita ut eas proprios motus agere sinat. Unde agentium operationes & futuri eventus non ità sunt à divina voluntate decreti, quemadmodum sunt rerum essentiæ atque naturæ. Deus vult hominem esse dominum suarum operationum. Unde non quia ejus operationes noverit Deus, ideo bonæ sunt, vel malæ; at contra quia tales sunt, vel futuræ sunt, eas novit Deus. Et etiam voluntate sua efficaci vult nos semper liberè operari, & non aliter, nec alio modo, licèt res humanas speciali quadam suavitate disponat. Denique de peccatis nulla est apud Deum vera & propria determinatio, at permissio tantùm.* Collimant eò hæc omnia, ut *non omnia quæ vel evenerunt, vel eveniunt, vel etiam eventura sunt, decre-*

decreta priùs fuerint à divina voluntate: nisi quatenus sanxit ut omnia suos motus agant, & eos non suspendere statuit, etsi possit.

De gratia sanè ad bonum adjutrice idem infrà ostendit ea *non tolli libertatem*, nihilo plus quàm Patris præcepto & hortamentis tollitur libertas pueri ad litteras ediscendas. Id infrà paulò uberiùs exponit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Ille tractus nullam dicit vim, nequidem necessitatem: at est tractus amorosus atque spontaneus, ex divina charitate procedens. Deus enim movet unumquodque secundùm propriam suam naturam. Idcirco creaturam rationalem convertit, & movet ad Christum intellectualiter, sponte ac liberè. Unde Augustinus, Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur & trahitur; & quod currit, trahitur, amando trahitur. Si ita quæ inter voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas; non trahit revelatus Christus à Patre? quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem? Hæc Augustinus.* Quibus necessariam hanc cautelam adjungit Domaninius: *Istis similitudinibus non intendit Augustinus plenè declarare, quomodo Pater trahit ad Filium: sed ita loquitur, ut noscamus hunc tractum nullam dicere violentiam aut necessitatem, sed simplicem amorem. Non enim trahit Deus Pater tantùm ostendendo & dicendo, aut suadendo & persuadendo, sed etiam efficaciter excitando mentem hominum ad credendum in Christum & amandum eum.* Ex parte objecti tantùm trahitur ovis & puer, cui herba, vel pomum ostenditur, quia inest jam illis propensus in ista affectus: at Deus etiam divini boni & justitiæ affectum ipsum virtute creandi inserit nobis, quem nulla natura creata suo ex censu habere potest, nedum peccato sauciata: at eum ne respuamus, ne excutiamus, ne otiari finamus, excitat per objecta blandientia & delectantia. Sic gratia Dei operatur & ex parte potentiæ & ex parte objecti, trahitque eo *tractu, qui cùm sit amorosus & delectationem includens, non tollit, sed astruit liberum arbitrium.*

De lib. arb. l. 4. c. 19. 27.

Ibid. c. 29. Si quando autem in sacris litteris *cogere* vel *compellere* dicitur gratia, *coactio eo loci accipitur improprie pro vehementi quadam persuadendi ratione, quæ precibus, exhortationibus, supplicibus verbis, & comminationibus damnationis æternæ fieri consuevit.* Et infrà rursum de eodem tractu, *Ipse Deus monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum nostrum. Revelat ipse cœlestem veritatem, docet, suadet, excitat, commovet, prævenit, desiderium inducit justitiæ & odium injustitiæ, non cogendo, sed monendo & excitando. Iste tractus non violentus, sed amorosus est; si quidem trahimur in aliorum sententias non demonstrationibus, sed persuasionibus probabilibus.* Quod ex Cyrillo confirmat, trahi nos à Patre, *monitione, doctrina, revelatione ineffabiliter facta.*

Ibid. c. 31.

Cùm igitur ex eodem, agente de prædestinatis & electis ad gloriam, *Deus qui prædestinavit fines, media quoque prædestinarit ad hos fines obtinendos:* & rursum, cùm voluntas ad diligendum Deum, *non se applicet, neque determinet ex aliquo creato principio, sed potiùs determinetur ex divina motione, qua de re vocatur gratia operans: quia non est in nobis aliqua virtus, per quam operemur ante illam motionem:* Hæc ita capienda sunt, ut antecedentibus non pugnent. Verè enim per gratiam seu habitualem seu actualem *determinatur*, hoc est determinatè inclinatur voluntas ad amorem supernaturalem, quæ sua sponte terrenos tantùm amores capiebat. Verè Deus prædestinat suis electis media ad gloriam, sed in communi, vel aliqua tantùm in particulari, & eo tractu qui suprà descriptus est. Porro cùm alicubi ait Domaninius, *Electio ex priori præscien-*

Ibid. c. 32.

Ibid. c. 33.

Ibid. c. 35.

tia rationem sumit, de executione agit, non de intentione Dei.

Postremò tandem de gratia habituali, hanc quoque perinde ut actualem ait Domaninius dividi *in operantem & cooperantem*. Illa ait animam *justificari, sanari, vivificari, illuminari, reformari, adoptari*: ait hoc esse *pignus donumque Spiritus, per quod operamur justitiam*: hanc denique ait esse *Habitum, quo formaliter anima vivificatur, sanatur; &c.*

Ibid. c. 32.

Ibid. c. 40 41.

EX AUGUSTINO OREGIO Cardinali. An. 1629.

CIrca gratiam generalem, qui velit omnes homines salvos fieri Deus, cujus voluntati nihil resistere potest, sic exponit Oregius, quod velit salvos fieri ex omni gente, statu, ætate, sexu, non singulos generum, sed de generibus singulorum: vel quod velit omnes salvos fieri, quia nemo nisi eo volente salvatur: vel denique quia voluntate antecedente vult omnes & singulos *salvos fieri, si mandata ejus custodierint, ad quæ observanda dat auxilia gratiæ sufficientia, vocando & ad ostium cordis pulsando, stans & expectans; ut ei per consensum liberum voluntatis adjutæ auxiliis gratiæ aperiatur. Ait enim apud Joannem, Ego sto ad ostium & pulso, &c. Quod si qui voluntati ejus resistant, voluntate consequenti non vult eos salvos fieri, &c.* Et paulò post: *Relinquens homines in manu consilii proprii, non eos auxiliis gratiæ sufficientibus destituit; quin immo neque ab iis quos interdum indurare dicitur, subtrahit Deus sufficientia gratiæ auxilia; sed ideo indurare illos dicitur, quia permittit, ut in suam perniciem convertant ea, quæ ad salutem & conversionem sunt data.*

Tract. 1. c. 14. q. 3. Edit. 1.

Jam verò de auxiliis efficacissimis ad eorum salutem necessariis, quos Deus gratis & ante prævisa merita è massa damnationis eripuit, sic ille statuit; hanc efficaciam neque ex scientia media mendicandam, nec ex prædeterminatione antecedente consensum voluntatis nostræ; sed ex omnipotentia & sapientia Dei, qui novit & potest, ea temperare, ac condire auxilia, quibus infallibiliter consentiat voluntas, etsi liberrimè & citra determinationem antecedentem. Hi sunt illi *miri modi*, hæ *multiformes gratiæ*, hæc *congrua & contemperata auxilia*, quæ ex omnipotentis Dei sapientiæ arcano depromuntur.

Tract. 1. c. 10. q. 1.

Ideo docet, *Scientia Dei, qua futura cognoscuntur, non tollit libertatem. Cognitio enim non est causa rerum, quæ cognoscuntur; sed potiùs res cognitæ sunt causa cognitionis.* Et sanè homo liberè operaturus prævidetur à Deo, si in tempore liberè operatur, hoc est, ita *ut antecedenti necessitate non sit determinatus ad operandum. At nihil est quod necessitate antecedente voluntatem nostram prædeterminet, etiam in operibus gratiæ, &c.* Addit scientia Dei, seu speculativa, seu practica, hoc est approbationis, & cum decreto conjuncta; nihil necessitatis infligi, quod perspicuum est de speculativa. De practica autem, & de decreto voluntatis divinæ probat ex eo quod *decrevit Deus dare esse rebus contingentibus juxta earum naturæ exigentiam. Disponit enim omnia suaviter. Quare si Deus quando de facto concurrit cum voluntate creata, suo concursu & auxiliis necessitatem antecedentem non imponit rebus contingentibus, vel actibus liberis; neque ex eo quod scientia approbaverit, & decreto suæ divinæ voluntatis statuerit, rebus necessitatem imponit.*

Ideo illud ingeminat, *auxiliis & concursu Dei nihil poni in voluntate hominis, quod antecedenti necessitate ipsam prædeterminet ad operandum, etiam in actibus supernaturalibus, quibus peccatores se ad Deum convertunt, ad quos producendos non*

Ibidem

ſolum requiritur univerſalis Dei concurſus, ſed requiruntur etiam ſupernaturalia auxilia, quibus & illuminetur intellectus, & inflammetur affectus. Aptos enim congruoſque modos novit Deus flectendæ quo ipſe vult voluntatis noſtræ, etſi non prædeterminat uſquam, quia omniſcius, & omnipotens eſt: *Nam & infinita ſua ſcientia præcognovit, quid requireretur ad hoc, ut creata voluntas poſſet liberè operari, tam in actibus naturalibus, quàm ſupernaturalibus, & juxta creatæ voluntatis naturam & exigentiam, uti ſcivit, ac potuit, ita etiam concurrere decrevit.*

Ideo in exemplum affert Urbani VIII. S. P. dum adhuc inter Cardinales ageret, monitum ad familiarem quendam ſuum, qui multa de terræ motu excogitarat, ut conſtare poſſent omnia phænomena: An non potuiſſet, & ſciviſſet Deus alio modo quopiam ita orbes omnes movere, ut conſtarent omnia ſimiliter? Scivit utique & potuit, *Ibidem.* cùm id contradictionem non implicet. Ita ait Oregius, præter illas de motione prædeterminante & de ſcientia media rationes, poſſe & ſcire Deum, auxiliis fruſtrabilibus, & ita nihil noſtræ libertati inſidiantibus, eam tamen infallibiliter inclinare, quo ipſe volet: cùm id contradictionis nihil implicet.

Ideo rurſus *non admodum utile exiſtimat diſputare, an ſcientia conditionatorum diſtinguatur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & nominetur media:* immo abſtinendum cenſet ab ea quæſtione: *Ibidem.* *an & quomodo hæc ſcientia poſita, & ordo divinæ providentiæ melius cognoſcatur, & noſtra libertatis cum divinis auxiliis concurſus explicetur:* cùm abundè ſit ad ſobrietatem ita ſapere, ut dicamus ſapientiæ & omnipotentiæ Dei congruos aptoſque modos adeſſe innumeros ſic auxiliandi, ut libera voluntas ſemet ipſa deflectat & determinet quo volet Deus, & ita tum liberè, tum infallibiliter à Deo regatur: *Nam infinitis Deus ſuæ ſapientiæ ac potentiæ theſauris, ſcivit ac potuit decernere, & ab æterno concurrere decrevit cum cauſis liberis ita, ut integra & illibata remaneret creata libertas.*

Tract. 1. c. 14. q. 1. Et infrà ait: *In ſpecie deſcendere ad unum ſpecialem ac individuum modum, quo cum gratiæ auxiliis ſtet noſtra libertas, excludendo cæteros, periculoſum eſt, ne præfigere videamur velle modum infinitæ potentiæ Dei ac ſapientiæ, ad operandum juxta noſtrum imperfectum intelligendi modum.* At noſtra ſanè ratio explicandæ hujus concordiæ totum committit cum Auguſtino & Proſpero *modis miris, innumerabilibus, & multiformibus,* quibus novit Deus aptè congruèque movere voluntatem quamlibet: nec ullum ſingulariter determinat. Prout ibidem Oregius annuit à Patribus quandoque modum hujus concordiæ nonnihil elucidatum fuiſſe exemplis & rationibus.

Ideò infrà ait etiam *voluntatem ſigni*, quando Deus præcipit, aut conſulit, *ſemper impleri*, quia ita præcipit, ut liberos nos eſſe velit; & morigeros remuneret, contumáces plectat. Ea volun- *Ibidem.* tas complexa ſemper impletur. Ideo cenſet *ſignis voluntatis divinæ, quæ ſunt præceptum, conſilium, prohibitio, permiſſio, & operatio, correſpondere in divina mente aliquam beneplaciti voluntatem*, ſed conditionatam, ut alterna conditio ſemper impleatur, dum præmium obedientiæ, perfidiæ rependitur pœna. Quæ Auguſtini ipſiſſima doctrina eſt.

Ideo infrà denuo cenſet, ab iis qui gratiæ ſufficientis auxilia reſpuunt, non ludificari divinam providentiam, ut quæ plures & omnes ac infinitos complectatur modos, & ita eam non effugiunt, qui *cum per culpam recedant ab ordine miſericordiæ, in ordinem juſtitiæ redigantur.* Tract. 2. c. 15. q. 1.

Ideo ait, & ſi Deus *antecedenti neceſſitate non prædeterminet voluntatem, tamen infinita ſua potentia & ſapientia novit ac potuit attingere à fine* *Ibidem.* *uſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter, auxilia efficacia ita dando, ut liberè operentur*, ii nimirum, quos *à maſſa perditionis miſericorditer electos, per infallibilia media in vitam dirigit æternam:* quod ex Conſilio Senonenſi Inferiùs confirmat. Tract. 1. c. 16. q. 1. & 3.

Quod ad reprobationem ſpectat, nonniſi poſt præviſum peccatum locum ei fuiſſe docet Oregius; cùm alioqui Deus antecedente voluntate velit omnes ſalvos eſſe.

HISPANI.

EX JOANNE MARIANA Societatis Jeſu Theologo. An. 1585.

JOannis Marianæ nomen vel ipſum, encomium eſt, tanta ille & fama, & ſupra famam eruditionis tum ſacræ tum prophanæ copia abundavit. Ac primùm de gratia generali ſic ille, ubi de reprobis diſſerit: *Neque tamen ita eos deſtituit* De nom. & immut. L. 1. c. 1. *Deus, ut non ſæpè invitet ad ſalutem, offeratque ſuam opem conantibus; haud levi proventu, quando cum Deo ſingula peccata vitare poterunt: cæterum perveniendi ad frugem, & ad extremum ſpiritum in bono perſeverandi, nulla ſpe: quando perſeverantiæ donum non omnibus datur, ſed ſolis prædeſtinatis.* Omnibus ergo reprobis annuit ille auxilia generalia duplicis generis; nempe tum quibus peccata *ſingula* vitare queant, tum quibus ad ſalutem invitentur. Quanquam autem ſemel & iterum Catharini ſententiæ accedere videatur, de gemina prædeſtinatione, altera eximia, qua indeclinabilibus auxiliis paucos Deus omnipotens ſervat; altera vulgari, qua per auxilia generalia quidam enituntur & emergunt ad ſalutem: reapſe tamen & ſeriò hanc bipartitam ſalvandorum diſtinctionem, & hanc totam expungit exſufflatque per generalia auxilia ſola partam ſalutem: ut vel ex verbis ſuprà relatis liquet.

Actualem ab habituali gratia mox diſcriminat, & hanc rurſus biſecat. *Hæc rurſus gratia, quæ actio eſt, in excitantem paſſim tribuitur & adjuvantem. Excitat Deus per concionatores, prodigia, per mala quæ infert & ſupplicia. Aſpectu quin etiam rerum omnium, quæ ſub ſenſum cadunt: atque earum ſpecie extrinſecus excitamur: Interius* Ibid. c. 7. *commotis in mente variis imaginibus ſalutares affectus ſæpè exiſtunt, amoris, timoris, ſpei, doloris, & gaudii. Admonitio externa, commotio imaginum, affectus inde exurgentes, gratiæ excitantis ambitu continentur. Adjuvantem gratiam intelligimus, ipſam Dei opem & juvamen, quo nobis junctus, ſublevat infirmitatem noſtram, ut præſtare poſſimus, eo præſtante, quæ noſtris viribus non poſſumus ſalutares actiones.* Subdit exercitanti gratiæ etiam prævenientis nomen indi, adjuvanti ſubſequentis, vel concomitantis.

At denuo ut auxilium generale omnibus aſſit, etiam ad ſalutem, ſic ille expedit: *Sed numquid* Ibid. c. 8. *dis auxilium ſufficiens dari omnibus etiam reprobis ad reſurgendum à malo, ad vitanda peccata? Credo equidem: Verax eſt enim, qui ſine diſcrimine dixit, Ego ſto ad oſtium & pulſo, & multa id genus; Vocavi & renuiſtis; Tota die expandi manus meas, &c. Verùm quid de infantibus dicas, qui in matrum utero pereunt? quid de iis, qui in primis annis, ſed inter barbaros, quibus Evangelii nulla notitia eſt? Et conſtat illis ſine Baptiſmo ſalutem non contingere. De adultis non loquor, quoniam ſignatum eſt ſuper illos lumen tum Domine, tenue quidem, & quaſi in nocte illuni, nonnullum tamen. Ego de iis infantibus ſic ſtatuo, in Adamo, quo peccante ſunt infecti, & cujus delicti pœnas luunt,*

ſuffi-

sufficiens auxilium accepisse. Ea repudiata gratia mirum non est, si à communi lege, qua post lapsum omnes invitantur ad justitiam aditu patenti, ii infantes excepti sunt. Etiam ad perseverandum efficax auxilium negat dari reprobis, sufficiens annuit. Denique *sine auxilio gratiæ* concludit posse homines bona aliqua opera facere moralia, quæ ad justificationem tamen nihil conferant, etsi Deus his *remotè* flecti queat, ut perficiat, quod inchoatum est. Quod, pace tanti viri, malim equidem indictum, aut expunctum, cùm alioqui gratuitæ prædestinationi, & Augustino, Thomæque totus studeat Mariana, gratiarumque sufficientium satis uberem copiam effuderit, ut his bona etiam moralia imputentur.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 7.

De gratiæ habitualis efficacia ad bene operandum sic paucis Mariana, *Gratia alia habitus est, alia actio. Animi vires imbecilles sunt, neque in ipsis, ut ad Deum & divina, sine vi altiori consurgant. Habitibus virtutibusque opus habet, cælo datis, quibus vegetatus faciat, quæ ex se præstare non potest. Sic fidem, spem, charitatem, virtutes alias Deus ingerit menti, quibus cælestia complectatur.* Gratiam cum charitate commiscet, & accenser inter habitus virtutum ad bene operandum pronitatem indentes.

Nunc quod attinet ad tertium efficacissimæ gratiæ genus, hinc primò conjectura sumi potest de sententia Marianæ, quòd nobis quidem opitulari & concurrere Deum fatetur, sed mali authorem esse hominem solum, qui divinum juvamen aliò deflectit. *Ita quod malum sit, nostrum est, qui ope Dei & juvamine abutimur, &c. Id non favorem dicit, non definitionem in Deo, sed permissionem, quam solam adversus mala concedimus. Si quis daret pecuniam ut in quos velles usus expenderes, tu ad lupanaria converteres, ad popinas, num ea pravitas tribueretur dantis largitati, quod sine pecunia non fecisses, an potiùs abutentis pravitati?* Ideo mox negat Deum æternis consiliis ac decretis sanxisse scelera hominum *singula*, sed tantùm *generatim & in communi*: Christi mortem ab impiis inferendam statuit Deus, quod in tanta sceleratorum multitudine & licentia non potuit non contingere: *quod autem hi, aut illi eam pravitatem suscipiunt, non ex divino decreto factum est, sed ex pravitate singulorum.*

De morte & immortal. L. 2. c. 12.

Ibid. c. 311

Universim mox affirmat de providentia, *Quidquid electuri sumus, vidit Deus intuitu æterno: cognitio necessitatem non affert: vidit, non sanxit: prævidit, non definivit, ut fierent. Præscit omnia, sed non omnia præfinit, quæ sunt Damasceni verba latinè reddita.* Addere poterat & Augustini, Prosperi, Fulgentii, aliorumque Patrum complurium. Si qua Deus definierit facienda, & facere adigat ineluctabili impulsu, in his arbitratur, *hominem nihilominus liberum dici, sed libentia potiùs, qualis est in cœlestibus, quam voluntate indifferenti & ancipiti in utramque partem, bonum & malum facienti.* Denique confitetur *providentiam divinam extendi quidem ad omnia, non tamen eodem prorsus modo. Sed definire præcepta quædam, alia nobis definienda relinquere. Leges denique esse sanctissimas, quæ voluntati omni necessitate solutæ præmia & supplicia pro vitæ conditione proponunt.* Ita prorsus Augustinus *bipartito providentiæ opere* omnia regi censet à Deo, faciente, vel permittente fieri, nec sine pœna, si male; nec sine præmio, si bene.

Prædestinationem Angelorum convenienter Augustino, ex præscitis eorum meritis factam tradit Mariana, *Qui divino dono ad salutem sponte usi sunt, ii prædestinati vocantur; qui secus, reprobi: utrique ex meritis, quæ Deo nota erant, antequam fierent. Sic præscientia præcessit, prædestinatio secuta est. Prædestinatio Angelorum causam habuit à Deo præcognita merita.* Idem de homine integro ex eodem Augustino in Lib. de corrept. & grat. argumentatur. *Integrum hominem Deus in salutem non alia ratione quàm Angelos destinavit. Si in bono primus humani generis parens perstitisset, alia prædestinationis forma opus non esset, quàm quæ cum Angelis erat communis.* At verò de hominis post lapsum prædestinatione, etsi molliùs sensisse existimet Mariana Græcos Patres & Latinos antiquiores, vehementer tamen suggillat eos, qui in unam eos cum Semipelagians cimbam conjiciunt. Augustinum ait compulsum fuisse in gratuitæ prædestinationis doctrinam, tum Pauli authoritate, tum exemplo parvulorum, immo & complurium adultorum, qui in extremas orbis oras ejecti, tenui aut nulla emergendi spe tenentur. Huic Augustini doctrinæ totum se Mariana addicit, una in re forsan obiter allucinatus, quòd hanc novam ab Augustino vel excogitatam, vel à Paulo Apostolo tam longo ex intervallo repetitam, restauratamque putat fuisse doctrinam.

Ibid. l. 3. c. 6.

Jam verò ut expediantur certissima gratiæ auxilia, quibus prædestinationi ad viram indeclinabiliter provehantur; *de gratia efficaci & sufficienti* certatum ait Mariana hisce annis magno æstu, ad severa tribunalia ventum esse, appellatum Romanum Pontificem: ab eo necdum promulgatum esse novum decretum. *Nova gratiæ nomina, recens controversia. Nam in Thoma Aquinate & vetustioribus rara aut nulla vestigia.* Ita prorsus res habet. Gratiam sufficientem mox describit, eam qua datur facultas operandi divina ante ipsam operationem: unde ei annumerat gratiam habitualem, excitantem, prævenientem. Efficacem ab aliis definiri ait, eam *quæ ad actionem eliciendam omnino constringat, nulla vagandi relicta facultate;* ab aliis verò eam cui sufficiens cùm sit, *liber voluntatis consensus accedit.*

Ibid. c. 8.

Ibidem.

De utraque hac sententia sententiam ipse refert Mariana prorsus luculentam; *Hi libertatem nostram tuentur, illi gratiæ dignitatem, sine qua neque opus salutare inchoamus, neque complemus. Utrumque si jungeretur salutari aliquo temperamento, consultius esset, quàm inter se convitio & petulantia linguæ pugnare, quasi priores novis Lutheri placitis faveant, posteriores Pelagium sequantur.* Et temperamentum ipse mox istud concinnat: *Inter hæc duo præcipitia medii tutissimi vadunt, qui supra gratiam quidem sufficientem, addunt efficacem. Negant tamen ab illa voluntatem ulla necessitate constringi.*

Ibidem.

Sed quo tandem modo nec prædeterminetur à Deo unquam voluntas nostra, & tamen inevitabiliter electi consequantur salutem, hunc ille nodum sic extricat: *Deum finge modis omnibus tueri prædestinatum decrevisse, ne ex hac vita decedat, labe contaminatus peccati. Quod in singulis actibus & motionibus, non cogendo pro imperio & viribus facit; sed placitè invitando, & demulcendo. Ita qui omnibus machinis, quas Deus paravit, junctis, prædestinatus resistere non posset, & vocibus omnibus surdas aures præbere; singulis potest repugnare, liberèque consentit, eoque in meritum ascribuntur, quæ facit. Neque insolens hoc videri debet, quando in culpa ponuntur minora peccata: quia etsi omnia vitare nemini licet, singula liberè facimus.* Addit siquem Deus prævideret nullis omnino machinis istiusmodi expugnabilem, hunc non inscriptum iri albo prædestinationis. Sed & hoc expungi malim, aut potiùs ex commentitia impossibilique hypothesi confictum. Reliqua sunt sanè præclarissima, & quæ Marianam deceant.

An. 1585. EX HENRICO HENRIQUES
Societatis Jesu, in Academia Salmaticensi
Theologiæ Professore.

Gratia habitualis non mediocrem efficaciam ad bona opera habet. Gratia generalis præsto semper est omnibus, & ad vitanda peccata, & ad conversionem. Gratia propositi invictissima plurium ex auxiliorum intus & foris accumulatorum congerie consurgit.

GRatiæ habitualis & inhærentis, præter quàm quod participes facit nos divinæ naturæ, hanc etiam efficaciam asserit Henriques, quòd *per infusas virtutes, quarum fons est, tollitur omnis deordinatio, quam peccatum induxerat; ut charitate & dilectione tollitur aversio voluntatis: fide viva & quibusdam donis expelluntur tenebræ ignorantiæ in intellectu, & aliis virtutibus roborantur aliæ potentiæ infirmæ, & peccato vulneratæ. Cum gratiis & donis datur justo ipsa persona Spiritus sancti. Homo justus his præsidiis juvatur, ut per principia hæc habitualia & intrinseca possit præstare opera digna gloriæ, & vincere tentationes.* Non potuit præstantiùs describi efficacia virium, quas ad benè operandum sufficit gratia justificans.

De fine hominis c. 14.

Quo se usque autem hæc efficacia porrigat, ibidem aliquibus interpositis sic declarat: *In statu naturæ lapsæ minùs perfectè sanatur natura & persona hominis per gratiam, & ad plura eget homo gratia & specialibus auxiliis, quàm olim in statu innocentiæ, ubi cum generali naturæ & gratiæ auxilio potuit implere omne præceptum, vitare omne peccatum etiam veniale, perseverare in gratia. Nunc verò nemo vitavit omne veniale præter beatam Virginem ex speciali privilegio; eget homo speciali auxilio ut vincat tentationem difficilem, servet diu omnia præcepta etiam naturalia, & perseveret in gratia usque in finem vitæ. Infidelis autem, & fidelis fide & spe mortua contentus, egent speciali auxilio, ut præparentur ad gratiam.* Itaque justus per gratiam justificantem potest & proximè potest cum *generali auxilio*, sine speciali implere præcepta, vitare peccata; singula non omnia diu; non in finem usque perseverare. Unde alibi idem, *Baptismus dat sacramentalem gratiam, id est, assistentiam divini auxilii præparati, quo mitigatur fomes, ne regnet & noceat concupiscentia.*

Ibidem.

L. de Bapt. c. 6.

Jam verò de gratia generali seu sufficiente sic idem refellens Molinam & alios gratuitæ prædestinationis inficiatores: & divinorum decretorum momenta seriemque depromens: *In primo signo Deus in quo vult omnes homines salvos fieri, præbet sufficiens auxilium & remedium, præscit omnes eos adultos qui damnantur, non bene uti præparatis auxiliis, cùm libere possent; at si quis his utens, faceret quod potest, & peteret quod non potest, ait Tridentina Synodus, dabitur ulterius auxilium, ut vincat tentationem, & impleat præceptum, vitetque peccatum. In secundo signo rationis Deus quosdam prædestinat gratis, qui relicti communi providentiæ damnarentur.* Vides quàm latè fundat auxilia generalia, & alia aliis, si locus detur, subroget.

L. de fine hom. c. 4.

Sed aliquantò etiam disertiùs infrà: *Adultus qui reprobus est, suæ libertati cum quadam communi providentia gratiæ relictus, non habet justam conquerendi causam, si sponte manens ac decedens in peccato damnetur. Nam nihil eorum quæ necessaria sunt ad hominis salutem, aufert Deus, aut negat reprobo viatori, qui vult omnes homines salvos fieri, id est, offert omnibus auxilia sufficientia, etiam dum puer pervenit ad usum rationis, & parvula omnibus habet sacramenta ex merito Christi.* Adnotat ibi tamen Henriques, *Quod quidam Patres significant obduratos privari auxiliis in pœnam,* Eidem à Deo deseri, non aliud est, quàm relinqui *in communi quadam providentia cum communibus auxiliis. Permissio & derelictio non aufert homini auxilium sufficiens; quo si bene utatur, posset vitare peccatum, aut post peccatum agere dignam pœnitentiam,* Cujus sententiæ astipulatores longè plurimos annumerat, quorum aliqui secus sentientibus notam *erroris* aliunt.

Ibidem.

Denique ibidem rursum recensens seriem consiliorum divinorum circa reprobos, ita ait: *Primò statuit Deus condere naturam hominum, cum dono justitiæ, quo posset servare omne præceptum, & salvari. Secundò post lapsum naturæ, de se vult omnes salvos fieri, quia dat auxilia gratiæ de se sufficientia; in quo signo nondum intelligitur prædestinasse, sed negativè se habere circa homines. Tertiò vult & statuit intellectu ita negativè se habere cum communi tantùm providentia circa plurimos, & præscit certò istos communi providentia relictos esse damnandos: sed neminem statuit punire & damnare, nisi præviso peccato. Quartò quosdam de massa perditionis eligit, & eos gratis prædestinat, qui tamen, si relicti essent in communi providentia damnarentur.* Ita summatim omnes præsciuntur casuri, si in communi providentia cum sufficientibus tantùm ad salutem auxiliis dimittantur, quia sine speciali auxilio & efficacissimo etsi possint singula, non possunt omnia collectim vitare peccata. Ita ex massa bis damnata eligit & prædestinat quos vult Deus adultos, Ideo merito Henriques prædestinationem à reprobatione secernit eo capite, quòd illa antecedat omne meritum prævisum, hæc consequatur peccati prævisionem, non in executione tantùm, sed in intentione Dei.

Ibid. c. 14.

Postremò denique asseverantissimè idem postea, cùm gratiam prævenientem definisset, *qua Deus activè movet ex parte potentiæ, & impellit voluntatem, ut cooperetur liberè ad actum supernaturalem contritionis propter Deum summè dilectum, ad liberam receptionem donorum, quibus impius justificatur;* addit in hunc modum, *quia omnis adultus in quacumque hora, aut momento temporis, habet præparatum gratiæ auxilium, quantum est ex parte Dei, ut statim & ante mortem dignè possit pœnitere & converti. Nec ulli viatori quantumvis obdurato, ut Pharaoni & Antiocho, Deus unquam negavit auxilium sufficiens, sine cujus præventione, nemo potest ita dignè credere, sperare, diligere ac pœnitere, ut ei gratia justificationis conferatur.*

Sed longè copiosior est Henriques in efficacissimi elucidatione auxilii, quo per plures artes machinasque ita Deus terret, allicitque, agit & circumagit liberam voluntatem, ut tandem assentiatur. Et primò quidem Molinam cum sua *conditionatorum præscientia* prolixissimè convellens, negat *Patres & Theologos veteres* eò confugisse, negat ad concordiam gratiæ & libertatis id requiri. *Novit enim Deus præparare voluntatem nostram, ac munire tot, tantis, talibusque auxiliis, & causarum concursu ac conditionibus, ut infallibile sit scientiæ divinæ secuturum effectum prædefinitum, & liberum nostræ voluntatis consensum, &c. Augustino ad Simplicianum & sæpè, electos vocat Deus, prout novit congruum, ut convertantur.* Quod longè aliud est ab *otioso actu* illo scientiæ conditionatæ, quæ in Deo nulla est, quæ nusquam ab Augustino & Patribus adhibita, quæ uni sufficienti auxilio fidit, cui prævidetur consensura libertas; cùm hic longum agmen plurium, variorum, congruorum, vehementium auxiliorum, & crebra jugisque oppugnatio voluntatis, ac tandem expugnatio adferatur. *Nec enim præscientia & approbatio eorum, quæ homines facerent relicti in communi causarum concursu,*

Ibid. c. 14.

cursu; satis est ut sequatur decentissimus prædestinatorum numerus, & gradus, qualis ex Scripturis & Patribus explicatur. His præter quandam concurrentiam causarum, Deus speciali cura & directa intentione præparat voluntatem, conjungens interdum miraculosè alias causas, aut impediens, munit custodiâ suâ & Angelorum, movet opportunè tum majori auxilio ex parte potentiæ, tum ex parte objecti, quod cum meliori cognitione practica, aut majori lumine proponit; & aliis viis Deo notis, quas ignoramus. Atque ita Patres ac Theologi, quos duces in re tanta sequi oportet, nullâ, aut exigua facta mentione de hac reflexa conditionatorum præscientia, aut providentia, explicant prædicta media, quibus directè & efficaciter Deus deducit electos in finis & mediorum provisorum consecutionem, salva hominis libertate. Ubi cum omnia veritati apprimè concinunt, tum illud maximè, quòd Patres & Theologos veteres hanc unam iisse rationem & viam dicitur, conciliandæ efficacissimæ gratiæ & nostræ nunc libertatis.

Et rursum cùm dixisset Deum *efficaci auxilio præmovere ex prædefinitione sua ad bona supernaturalia*, addit de singulari casu: *Quod si dato duobus hominibus æquali auxilio ex parte potentiæ, staret unum operari, altero non cooperante; certè qui cooperatus est, habuit auxilium præveniens melius moraliter in eo, quod ex Dei providentia adhibitæ sunt aliæ causæ, aut objectum fuit cum energia quadam majori opportunè propositum voluntati præparatæ, aut abstulit impedimenta & actus reflexos.* Etenim ut ibidem habetur in glossa marginali, *Licèt æquale sit auxilium physicum ex parte potentiæ: sed majus morale consistit in eo, quod Deus ex efficaci intentione finis tot cumulat causas externas, & interdum impedit solitum aliarum cursum, ut quamvis una defecerit, suppleatur per aliam, & infallibile est, non defecturas omnes. Item Isaiæ 30. Expectat Dominus ut misereatur vestri; id est, opportunum tempus quærit, quo novit hominem excitatum & vocatum obediturum, ut ajunt Augustinus, Ambrosius, Prosper, & alii. Novit enim Deus pondus nostræ voluntatis, & propensiones omnes istius hominis: & scit cum quanto auxiliorum numero & vi efficaciter excitabitur, & permovebitur infallibiter.* Ibid. c. 13.

Infrà autem Cajetanum videtur perstringere, nimiùm diffidentem de qualicumque hujus arcani perscrutatione: *Dei voluntas & providentia non imponit homini necessitatem simpliciter, cùm sit causa extrinseca, & remota: quæ finem quidem attingit fortiter, sed sapientia disponit suaviter executionem mediorum, ut omnino voluntas velit eligere, &c. Nec tam difficile est intelligere, ut quidam putant, quod salvo usu libero nostræ cooperationis, Deus temperans vim sui concursus, efficaci auxilio moveat, tum physicè ex parte potentiæ nostræ, tum moraliter ex parte objecti; ita ut infallibile sit hominem agere, & tamen liberè agat.* Et ibidem Glossa: *Nec ea difficultas est tam inexplicabilis, quàm putant Gregorius & Marsilius & Cajetanus. Sed apud divum Thomam facile est, quomodo prædestinatio quæ prædeterminat nostram voluntatem, non est suppositio intrinseca, sed extrinseca & remota causa, quæ nihil ponit in re. In motione autem & executione quæ est propinquior causa, Deus cumulat varias causas & auxilia, quibus spontè consentit homo, & liberè se determinat; ubi si una causa defecerit, per aliam supplebitur. Quare falsò quidam negant divum Thomam assum fuisse expressè versare eam difficultatem, quomodo Deo prædeterminante & præmovente voluntatem nostram, necesse sit in sensu composito hominem moveri, & tamen voluntas nostra ita liberè moveatur, ut in sensu diviso & simpliciter possit non moveri.* Ibid. c. 6. Observa hìc etiam atque etiam quomodo Deus prædeterminet voluntatem efficiùs, nempe *cumulando varias causas & auxilia*, quæ singula frustrantur quandoque; sed *si unum deficit, suppletur per aliud*, & ita conspiratione auxiliorum suppletur singulorum fallibilitas. Eo sensu sumenda est *sensus compositi & divisi distinctio*. Etenim voluntas nostra hìc *physicè* quidem à Deo præmovetur, seu ex parte potentiæ; sed non infallibiliter prædeterminatur, nisi quia etiam *moraliter* ex parte objecti stimulatur, & physica moralique omnium intus forisque auxiliorum motione indeclinabiliter torquetur, quo Deus vult. Etenim *in prædestinato ita præparatur voluntas à Domino, ut auxilium sit plenè efficax, & post unam aut iteratas inspirationes ex speciali intentione Dei tandem disponat ad gratiam.*

Gratuitæ porro electionis doctrinam ex Augustino quàm acriter urgeat Henriques adversùs Molinam, liquebit ex his ejus verbis: *Hæc sententia planè constat ex Augustino, cujus authoritatem Patres & Concilia venerantur, & ipsi hæretici refellere non audent. Atque in hac re de prædestinatione & gratia Dei unus Augustinus valet pro mille testibus, cùm Patres Milevitani, Arausicani, Tridentini pendentur illius non tantùm sententias, sed & verba.* Ibid. c. 11. Paulò infrà ait sanctum Thomam, *& qui illius eximiam sanamque doctrinam ab Ecclesia approbatam sequuntur*, Ibid. c. 12. ita amplecti doctrinam de prædestinatione gratuita, ut rejiciant *oppositam, tanquam in Theologia improbabilem omnino, & parum tutam, ac temeritatis nota dignam.* Ergo nec latum unguem discessisse credendus est Henriques ab Augustino & Thoma, tum in prædestinationis gratuitæ, tum in gratiæ efficacis doctrina. Quode rursus, *Deus est causa rei cum suo modo, nempe ut prædestinatus & infallibiliter faciat, & liberè ac suaviter faciat. Deus enim cum sit sapiens & potens, munit prædestinatum tot & tantis auxiliis ex parte objecti & potentiæ, opportunè inspirans, & tollens impedimenta occasionum, ut quamvis interdum voluntas nostra resistat, & una hæc aut altera causa non esset efficax, suppleatur tamen per aliam causam, & tandem homo sponte cooperetur, & consentiat Deo. Voluntati enim ejus quis resistet?* Quæ sunt luculentissimè dicta. Ibid. c. 13.

Et denique infrà rursum jam propositam speciem versans, *Si in duobus hominibus auxilium videatur æquale, & interdum qui resistit & non convertitur, habeat majus auxilium extrinsecum, majoremque lucem intellectus: sanè in voluntate præparata ejus qui convertitur, majus est moraliter, cùm sit efficax, & detur ex speciali providentia opportunè, & secundùm talem causarum concurrentiam ac dispositionem, affectionemque hominis istius, & cum occulta quadam energia morali, ut infallibile sit voluntatem, quæ præparata est à Domino, moveri. In altero verò qui resistit, non sequitur, si Deus de se movet illum, ut voluntas ejus moveatur eo auxilio sufficienti. Nec id referendum est in Deum, sed in voluntatem resistentem, in quâ nullus, aut non totus effectus sequitur, in quem Deus de se movebat.* Ibid. c. 14. Ubi vides ex duobus æqualiter ex parte potentiæ & intus à Deo motis, alterum extrinsecùs ab objectis vehementiùs motum resistere, alterum non resistere, quia etsi ille vehementiùs, hic congruentiùs & ex intentione Dei motus est.

Et posset quidem Deus uno impetu ictuque totum profligare, sed temperat vim suam, ut libertati cautum sit nostræ; & sæpiùs pulsando fatigat resistentiam nostram, ut tandem admittatur. *Interdum verò Deus uno ictu & inspiratione non movet statim, cùm posset, sed suaviter bis, ter, aut septies iterato impulsu: ita ut omnes isti impulsus ex fide, spe, timore, attritione, &c. reputentur ex intentione Dei unum moraliter auxilium* Ibidem.

xilium efficax, quod suo tandem tempore infert optatum effectum. Ideo in praxi rerum, si ex duobus alter tantùm convertatur, hic saltem *plus aliquid morale de auxilio habet, sicut & convertitur ex antecedente Dei providentia.*

Si urgeas autem ex causarum omnium concursu malos etiam actus provenire, respondet Henriques: *Quilibet bonus effectus tribuitur Deo,* Ibidem. *tanquam primo authori, primò quia dum ita fieri vult, ex intentione finis providet concursum causarum & auxiliorum in hunc finem. Secundò in executione habet se ut causa proxima, dum ut author naturæ, vel gratiæ, confert pondus naturæ, aut habitus infusos, quibus inclinat in actum. Tertiò movet interdum per actualem inspirationem ex parte potentiæ, & excitat proponendo debitè objectum, & conjungit causas concurrentes, ea intentione ut hic effectus fiat. Quartò ut causa moralis & proxima interdum præcipit, aut consulit fieri talem actum. Non ita vult Deus, aut providet concurrentiam causarum, ut hominem implanet & pelliciat in actum peccati: nec facit illum ut causa proxima, & privata, prædeterminando ex parte potentiæ, aut objecti, vel consulendo; quin deterret comminando, &c.*

Supereſt gravis & permoleſta quæſtio, an Deus præfinierit, & nunc invictiſſimè exequatur ſingula opera bona ſpeciali auxilio; an ſolam converſionem & perſeverantiam, aliaque facinora quædam, reliqua libero permittens arbitrio cum auxiliis generalibus, vel ſpecialibus, non tamen infallibilibus. Hìc Henriques aliorum primò ſententiam refert; *Quidam ſatis putant, ſi Deus di-* Ibid. c. 11. *catur prædeſtinaſſe conſecutionem finis per media in communi. Quaſi prædeterminatio ex providentia ſit cauſa omnium: ſed executio ſuaviter relinquatur ſoli optioni noſtræ, per hoc aut illud medium, quod diviſivè eſt defectibile. Fatentur tamen Deum præcipuos quoſdam effectus antecedenter prædefiniſſe ac præmiſiſſe &c.* Pro hac ſententia Driedonem, Clictoveum, Ægidium, Ferrarienſem, Almainum, Bonaventuram, Carthuſianum, Catharinum, Tapperum, Abulenſem, alioſque complures citat. Ipſe tamen ſingula prorſus bona opera à Deo prædeſtinata eſſe cenſet, & efficaciſſimo auxilio peragi. Sed quo in ſententiam iſtam ſtimulo incitetur, idem ſuprà declaraverat, quòd cùm Deus præſciat omnia bona, *nec omnes admittant illam difficilem* Ibid. c. 5. *in æternitate præſentiam realem*, neceſſe ſit ea à Deo prædeterminari. Sed & facilius, & æquius multò eſt, reali huic rerum præſentiæ ad æternitatem ſuffragari, quàm ſingulorum bonorum operum præfinitioni inevitabili. Quin & ipſe Henriques in ſuprà relatis teſtimoniis perſæpè teſtatus eſt gratiæ auxiliis ſæpè reſiſti, ſed alia aliis ſuccedere, & tandem ſuperari voluntatis contumaciam. Non ergo præfiniuntur ſingula bona opera; nam ubi reſiſtitur, potuerat non reſiſti.

Fateor equidem eo me totum prominere, ut ſpeciali & indeclinabili auxilio Dei ſingula opera bona fieri dicerentur, ſi id liceret per iſtam efficaciſſimæ gratiæ rationem ſuperiùs elucidatam. Sed etſi cupio id etiam atque etiam, non tamen capio, quì conſtet, & cohæreat ſibi hæc doctrina, ut ſingula opera bona tum præfiniantur, tum fiant à Deo indeclinabiliter, & tamen eo ſit Dei auxilium ad ea efficax indeclinabiliter, quòd pluribus intus & foris concreſcat adjutoriis, quæ ſingula poſſint, non poſſint univerſa ludificari. Nam ſi quod auxilium ſingulare fruſtratur noſtro reniſu, non ergo præfinitur à Deo per ſingula opera, ne voluntas uſquam noſtra renitatur. Poſſet certè illud credi, opera momentoſa & præfiniri & perfici invictiſſimè à Deo, ſed minutias operum quibus via ſternitur ad ea non præfiniri. Denique ſi ſingula non fiunt ſine invictiſſimo auxilio, ergo iſtud ad illa eſt neceſſarium: ergo ubi non fiunt, deeſt adjutorium neceſſarium, ſine quo fieri non poſſunt, quod nefas eſt dici.

EX FRANCISCO TOLETO An. 1587.
Societatis Jeſu Theologo, S. Eccl. Rom. Cardinali.

DE gratiæ habitualis, per eamque inhoſpitantis Spiritus ſancti efficacia, ita diſſerit Toletus in verba Chriſti: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aquam vivam Spiritum ſanctum eſſe oſtendimus. Sed differentia eſt: Aqua lavat & non manet in corpore loto, ſed recedit aqua cum ſordibus; at Spiritus ſanctus lavat animas, & permanet: Apud vos manebit, & in vobis erit. Eſt autem mirabilis modus, quo Spiritus ſanctus eſt in his quos lavat. Non enim eſt tantùm per præſentiam quandam, ſicuti Deus dicitur eſſe in omnibus: ſed per quandam veluti unionem & aſſiſtentiam, quæ in hoc ſæculo cognoſci perfectè non poteſt, juxta quam dicitur habitare in homine, & hominem templum eſſe Spiritus ſancti, & quod magis eſt, opera hominis ei tribuuntur.* Et paucis interpoſitis: *Sicut aqua fœcundam facit terram,* In cap. 4. Joan. aphor. 18. *& arbores, eaſque facit fructificare; ſic Spiritus ſanctus facit fœcundas animas, ut fructificent. Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, &c. Ad hæc ut aqua variis plantis, herbis, ceteriſque inſervit, diverſos fructus, multiplices flores, coloribus, & odoribus & figuris juxta cujuſque naturam diſtinctos efficit; ſic Spiritus ſanctus miro modo diverſis & aliquando contrariis complexionibus & conditionibus hominum naturalibus ſe accommodat. Sunt enim homines aliqui vehementes, aliqui temperati, alii ſolitudini dediti, alii converſationem amantes, alii ſeveri, alii placidi, milleque modis differentes, & tamen omnes juſti & ſancti, eodemque ducti & nutriti Spiritu ſancto.* Mira eſt ergo fœcunditas & efficacia Spiritus ſancti juſtos inhabitantis, & unius ex charitatis radice flores fructuſque longè tum uberrimos, tum diverſiſſimos profundentis.

Et alibi in hæc verba, *Spiritus ubi vult ſpirat, &c. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Habet enim libertatem quandam ſpiritus, legem implet, tentationes ſuperat, peccata vitat, diabolum vincit; quod bonum vult, operatur; in libertatem filiorum Dei per Spiritum ſanctum evectus, à charitate Dei nunquam invitus ſeparatur.* Addit per hanc Spiritus & gratiæ juſtificantis libertatem liberari hominem non ſolùm à lege Moſaica, ſed etiam *à lege morali, quæ hominum cordibus à natura inſita eſt; non quod obſervantia legis hujus ablata ſit renatis; ſed quod per Spiritum ſanctum renatis collata ſit gratia, & virtus, qua eam implere valeant. Sine Spiritu enim moralis lex perfectè impleri non poteſt, peccato vires adimente. Ideo qui de Spiritu nati non ſunt, ſerviunt legi, ſeu potiùs ſervitute legis premuntur: nati verò de Spiritu, eam implere omnino valent, Spiritus gratia roborati.* Addit denique dari etiam renatis per Spiritum *libertatem à ſervitute peccati & diaboli. Qui enim eſt in peccato, diu perſeverare non poteſt, quin in alia incidat: nec tentanti diabolo valet omnino reſiſtere.* Vides ut gratia juſtificans det libertatem & poteſtatem implendæ legis, & vitandi peccati, & vincendæ tentationis *omnino, perfectè, diu;* cùm impius id poſſit, ſed non omnino, nec diu, nec perfectè, & id ipſum non ſine Dei auxilio.

Generali ergo gratiæ hìc favet Toletus, qua poſſunt impii etſi non omnia collectim, ſed diviſim

visim singula declinare peccata. Unde infra in hæc Christi verba, *Sine me nihil potestis facere.* In Joan. c. 15. annot. 24. *Adverte aliquos Catholicos his abuti verbis, ad probandum omnia opera infidelium, etiam ex suo genere bona, esse vitia & peccata. Sed locus hic eorum opinioni non favet; nam de fructu sermo est, quem fideles in Christo faciunt. Longè autem aliud est opus frugiferum, & opus simpliciter bonum. Frugiferum enim opus est quod ad vitam æternam refertur; nullum autem tale est, nisi à fide per dilectionem in Christo. Unde Paulus, Si distribuero omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Non dicit, mihi nocet, sed non prodest: sine fructu est: at non continuò malum & peccatum est, quia potest esse bonum aliquod morale; sunt enim opera mala, bona, & fructuosa. Non si fructuosa non sunt, mala sunt; possunt enim esse moraliter bona. Sicut si Deus in gratia hominem non creasset, non continuò sequebatur, igitur peccator & iniquus est. Quia medium quoddam datur, ut nec sit iniquus, nec Deo amicus & justus; sed bonus quadam naturali bonitate. Ita etiam in humanis actibus fit.* Ita vides nemini deesse auxilium, quo peccata vitet, si & Gentiles singula poterant vitare.

Et alibi exponens hæc Christi verba, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent:* In cap. 4. Joan. Annot. 27. hæc habet valdè appositè: *Ratio est, nam Christus verus Deus & homo quando prædicabat, & sermonem suæ doctrinæ diffundebat, non solùm exterius aures, & sensus movebat; sed divino motu interius corda excitabat, ita ut qui vellent, possent credere: nec eis deerat auxilium necessarium, nisi libero suo repugnassent arbitrio.* Ideo ergo in culpa erant, quia necessario intus auxilio non destituebantur.

Nec minus pellucidè de efficacissima gratia divini propositi, in hæc verba, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* In cap. 6. Joan. annot. 20. Ubi refellit Toletus molliorem Chrysostomi & aliorum Græcorum ante exortam Pelagii insaniam securiùs agentium explanationem, quòd nemo veniat ad Christum, nisi adjutus gratia. Plusculum enim dicit Christus, nempe omnino venire ad Christum, quicumque à Patre illi dantur. *Omne quod dat mihi Pater, veniet ad me: quia non solùm qui venit, datus est à Patre: sed si à Patre datus est, certissimè veniet; quia à Patre habet, ut venire possit, & simul ut de facto veniat.* Et cùm rursum dicat Christus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, his verbis utrumque ostendit Dominus; *Neminem venire, nisi qui à Patre datus est: & omnem qui à Patre datus est, efficaciter, & infallibiliter venturum.* Non potuit efficacia gratiæ trahentis ad Christum luculentiùs declarari.

Quàm gratis autem detur & omne meritum anteveniat hæc gratia, sic idem ibidem: Ibidem. *Quibus datum est, ut veniant, ex gratia habent, & dono Dei, non ex aliqua dignitate arbitrii, aut præparatione humana conatu solo effecta. Jam enim non esset donum & gratia, si dignitas in humano præcessisset arbitrio, quæ non esset ex eodem Dei dono. At quibus non datur, utique non sine culpa eorum non datur; & propterea quod non detur, ipsis imputatur, quia sine culpa non sunt. Et in hoc authores citati Græci non probantur, quia parem utrorumque fecerunt rationem, arbitrii conatui dantes, quod se fide dignum faciat, & indignum, &c.* Quæ à me excripta sunt, non quòd Græcos erroris hujus affines putem, sed ut Toleti propria sententia dilucescat, Augustino prorsus accommodata, ut ipsemet ibidem contestatur.

Quomodo autem *trahat* ad Christum Pater, sic ille ibidem adversus Manichæos, hinc libertatem nostram perimentes: *Verbum trahendi non semper violentiam aliquam significat. Tum quia* Ibid. annot. 21. *& apud authores prophanos trahi sæpè idem significat, quod inclinatione vehementi in aliquam rem duci. Trahi enim multi appetitu gloriæ, multi appetitu scientiæ dicuntur. Et ut Augustinus Poetam allegat, Trahit sua quemque voluptas. Non tamen vi trahuntur, aut necessitate aliqua. Tum etiam Scriptura infinitis penè locis huic vi & necessitati adversatur, dum invitat peccatores, &c. Efficax & divina dextera mutatio, tractio dicitur, quod ab his quæ vehementissimè diligebantur, volens & libens homo ad omnino contraria repentè convertatur.*

Et idem rursum in illa Christi verba apud Lucam, *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, &c.* suam de auxilio sufficiente & efficaci sententiam sic exponit: *Nota Deum non negare ea auxilia, quibus peccatores etiam Idololatræ possint, si quod suum est exhibent, converti, & à peccato eripi, gratiamque consequi. Si enim non reciperent hæc à Deo, excusationem quandam haberent, cùm sine auxilio tali & ope nemo possit emergere à peccato. Unde Tyro & Sidoni non defuit Deus in his ministrantibus, quæ necessaria erant illis, ut possent facere pœnitentiam, si vellent; idcirco imputatum est illis, quod non pœnituerunt, & punientur in judicio divino, ut statim dicit Dominus.* Et rursus idem ibidem *notat Deum non æqualia dare auxilia sua divina omnibus, sed quibusdam ministrare etiam superabundantia; majora inquam iis quæ necessaria erant. Data sunt enim civitatibus Corozain & Bethsaida talia ac tanta, quibus Gentes, Idololatræ, & remotiores à Deo possent converti, si tanta eis fuissent.* Rursus idem *notat Deum quibusdam dare talia auxilia, quæ si aliis daret etiam magis peccantibus, utique hi converterentur, & tamen illi quibus dantur, non convertuntur.* Quòd autem Tyrii ipsi & Sidonii illa auxilia *majora & superabundantia* non habuerunt, quibus convertendi erant, *Justitiæ Dei est, qui eos privat, quia necessariis auxiliis sibi datis abusi sunt. Est etiam voluntatis divinæ. Ad gratiam enim, non ad justitiam, aut debitum id pertinet. Nec etiam est quod quidquam Deo ex hac voluntate imputetur: juxta illud, Accipe quod tuum est, an non licet mihi quod volo facere? Augustinus enim in Enchir. Væ tibi Corozain, &c. Nec utique Deus injustè noluit salvos fieri, cùm possent salvi esse, si vellent.* Notat postremò idem ibidem *solis exterioribus argumentis non posse moveri arbitrium ad fidem, aut pœnitentiam, nisi interius Deus etiam operetur suæ gratiæ auxilio, & ope, quod quidem non defuit omnibus istis. Aliter non approbaret Christus virtutes has, nisi etiam significaret ex data interius, quæ cum virtutibus ipsis ad pœnitentiam abundanter sufficiunt.* Ergo non pro generali tantùm gratia hæc faciunt, sed etiam pro efficacissima & paucis electis data ex proposito prædestinantis Dei; atque suam efficaciam derivante, tum ab interioribus auxiliis, tum ab exterioribus, & utrisque superabundantibus.

Quod autem idem Toletus in Epistolam ad Romanos scribens, post firmatam luculentè ex Paulo & Augustino doctrinam de prædestinatione gratuita, hæc addat: *An tamen aliquid sit ex parte hominis, quod sit vel causa, vel motivum, vel aliquid cooperans ad propositum prædestinationis Dei, ut sentiunt Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus; an verò sit ex pura & sola gratia Dei, nullo non solùm merito; nam hoc certum est non esse in homine; sed nec ut causa, vel motivo, quod præviśum à Deo cooperatum sit ad hanc voluntatem Dei absolutam, ut vult Augustinus: nec Paulus significat, nec est nostri instituti hic in præsenti discutere.* Non In Epist. ad Roman. c. 8. Annot. 31.

hinc

hinc adversari credendus est electioni gratiæ. Nec enim suam hic declarat Tolerus sententiam inter hæc duo placita, & cùm alteri eorum Chrysostomum alteri Augustinum suffragari profiteatur, ex aliis ejus omnibus commentariis facilè conjicitur eum Augustino adhærescere, quem Chrysostomo semper in his quæ ad gratiam pertinent anteponit. Id unum voluit Toletus, non posse in crimen vocari quasi reos proditæ fidei, qui non merito aliquo suo propositum Dei salvificum provocari existimaverint, sed causa seu occasione aliqua, *quando causa hæc voluntaria est ex parte dantis & vocantis Dei, quia sic ei placuit. Non enim desinit esse beneficium & gratia, quando aliquis donat pecunias manum porrigenti, quia manum porrigit.* Et si hos ita sentientes purgare Toletus laboret, non tamen illis consentit.

Denique in eandem Epistolam ad Romanos gratiam frequentissimè docet sumi *pro dono divino infuso, quò homo justificatus, & Deo gratus efficitur, quod complectitur dona multa, quæ cum ipsa gratia sunt, quibus homo perficitur & juvatur ad operandum rectè secundùm Deum pro ratione sui muneris & functionis.* Ubi habitualis gratiæ & charitatis efficacia aliqua signatur, quæ *juvet ad operandum rectè.*

In cap. 2. Annot. 11.

Quod verò idem Toletus alicubi adserat à prima causa moveri causas omnes secundas, non ideo transire censendus est in castra prædeterminationis physicæ defensorum. Movet enim & præmovet etiam Deus causas omnes, etiam liberas, dum inclinat ad agendum, nec tamen infallibiliter prædeterminat, dum sinit suam motionem libero nostro dissensu & renisu irritari.

L. 2. Phys. c. 5. Tex. 32. q. 6.

In Lucam Annot. 54.

An. 1577. EX BARTHOLOMÆO MEDINA *Dominicano, Theologiæ apud Salmanticenses Professore.*

GRatiæ justificantis efficaciam derivat Medina ex eo, quod per eam in nobis Christus vivit & operatur, ceu vitis in palmitibus, caput in membris, & per jugem spiritus vitiumque influentiam. *Cum per Sacramentum Baptismi Christo crucifixo simus complantati, & ad idem corpus attinemus, & eodem spiritu vivimus. Ego sum vitis, vos palmites; in qua similitudine ista duo continentur. Et quidem vitis cum palmitibus pro eodem supposito computantur, & eadem anima vivunt. Attamen sic est similitudo accipienda, ut in unoquoque justificato sit formalis justitia inhærens, ut explicatur in Concilio Tridentino. Sicuti ergo cuique Fidelium licet dicere cum Paulo, Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus: ita & justificatis & in Christo manentibus licet dicere, Operor ego, jam non ego, operatur verò in me Christus. Ob id opera nostra prout virtutem & influentiam mutuantur à capite, efficaciter & condignè sunt meritoria gratiæ & gloriæ.* Ideo ibidem Medina inculcat *gratiam, charitatem, justificationem esse proprium & per se fructum Evangelicæ legis:* item *Legem novam principaliter esse gratiam Spiritus sancti, quæ abundanter dari non debuit, antequam peccati impedimentum ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum.* Quasi dicat tunc justificationem & verissimam gratiam humano generi & singulis advenire, cùm Christus incarnatur, & moritur: anteriora omnia ad legem, & ad gratiæ præparationem pertinere.

1. 2. q. 106. art. 2. 3.

Sess. 6. cap. 7.

Ideo & ante justificationem in peccatum projectos præcipitesque esse homines docet idem Medina, utpote gratiæ habitualis præsidio nudatos. *Nam voluntas hominis peccatoris non est subjecta Deo, neque in eo firmata, sed potius aversa à Deo. Et quemadmodum homo Deo subjectus, est munitus & armatus sufficienter contra quodcumque peccatum; ita è contrario cùm homo careat ista subjectione animi & voluntatis ad Deum, non habet in se aliquod principium, neque aliquam virtutem, qua possit in universum peccata mortalia vitare. Secundò homo quamdiu est in peccato mortali habet pro ultimo fine amorem sui inordinatum usque ad contemptum Dei, qui amor ex Augustino ædificat civitatem Babylonis.* Qui ita affectus est, non potest non subinde convenienter huic affectui suo operari. Quare mox idem, *Homo peccator non potest vitare omnia peccata mortalia, nisi habeat gratiam justificantem, per quam ad Deum convertatur. Hæc propositio est fides Catholica, & contrarium pertinet ad hæresim Pelagianorum.* Si dicas hominem esse liberum, & ideo posse vitare omnia peccata, respondet posse, sed *cum auxilio gratiæ, quod omnibus Deus liberaliter semper est paratus conferre.*

L. 2. q. 109. art. 6.

Et rursum idem, *Homo justus sine speciali auxilio per se potest operari aliquod bonum morale. Item homo justus per se sine speciali auxilio potest efficere aliquod bonum opus, quod alioqui extra gratiam non poterat efficere. Per gratiam enim habitualem, & per virtutes infusas, homo efficaciter potentior ad benè operandum, quàm antea erat, & debilitatur concupiscentia. Igitur poterit efficere aliquod bonum opus, quod antea non poterat.* Et tamen idem existimat, *justum indigere auxilio speciali ad quædam opera excellentia, ad implenda cuncta mandata, ad diu perseverandum. Immo etiam ad singulos actus supernaturales & meritorios.* Sed auxilium istud speciale ad singulos actus supernaturales necessarium interpretatur Medina concursum altioris ordinis, & alterius generis, ac rationis, quàm est concursus generalis, quo concurrit cum homine ad opera naturalia: hoc est concursum supernaturalem, utpote supernaturalibus actibus consentaneum. At verò auxilium speciale ad perseverandum eidem est *quædam peculiaris & selecta manutenentia, & assistentia Dei*, de qua infrà.

Ibidem. art. 3.

Denique idem Medina robur & efficaciam gratiæ habitualis ita prosequitur, *Gratia habitualis non solùm efficit hominem gratum Deo formaliter, sed confert auxilium ad bene operandum. Nam gratia habitualis sanat mentem humanam infirmam & ad malum pronam: ergo confert vires ad bene operandum. Etenim sanitas animæ nihil aliud est, quàm effici potentiorem ad bonum. Item defectus virium & infirmitas in homine peccatore ex eo procedit inter alia, quod habeat pro ultimo fine bonum commutabile. Igitur illa res, quæ formaliter efficit, ut homo abjecto illo deteriori fine habeat pro ultimo fine bonum incommutabile, confert eo ipso vires ad studiosè & rectè operandum.* Ideo per gratiam habitualem ait posse justos in bono perseverare, per eam enim *natus est ex Deo, & particeps fit naturæ divinæ, ex quo fit potens operari omne bonum, & vitare omne malum. Semen Dei in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Quo explicatur nobis potestas & virtus gratiæ ac charitatis infusæ. Hinc est quod dicunt universi Theologi, minimam gratiam & charitatem, quantum est ex parte sua esse potentiorem, quàm sit aliqua tentatio objecta à dæmone, vel à carne.* Quod autem præter gratiam habitualem, & virtutes infusas, & *auxilia gratiæ quæ inde profluunt*, homo justus indigeat ad perseverandum auxilio speciali, *ita accidit ex parte subjecti. Nam si gratia esset in aliquo subjecto idoneo, absque aliquo impedimento daret sine dubio perseverantiam in bono. Sed quia gratia habitualis est in subje-*

Ibidem. art. 2.

subiecto infirmo, & ignorante, multis casibus incidentibus necessarium est auxilium copiosius, per quod nostra imbecillitas adjuvetur.

Nunc de gratia generali ita censet Medina, *posse hominem in statu naturæ lapsæ viribus propriis cognoscere aliquas veritates morales, & interdum judicare, quid sequendum sit, quid fugiendum.* Alioqui non infirmatus, sed *penitus extinctus* esset intellectus noster. Et sanè *qui egrotant, si aliquid vitæ supereſt, possunt nonnulla operari.* Ad hæc, *generale auxilium & commune, quo Deus cum omnibus rebus ad proprias concurrit operationes, haudquaquam peculiaris gratia & speciale donum nuncupari debet, quoniam debetur ex pacto rerum naturis. Debetur autem naturæ humanæ jam productæ, ut Deus concurrat cum ea ad intelligendum & volendum, sicuti ad videndum concurrit. Ergo non eget speciali auxilio ad veritates cognoscendas.* Negat tamen ubique & semper & *in omni re* hominem lapsum posse vera dignoscere sine speciali illustratione Dei. 1. 2. q. 109. art. 2.

Rursus idem cum sancto Thoma docet *hominem lapsum sine auxilio speciali posse suis viribus bonum aliquod morale operari, sed rarò & difficulter. Alioqui non vulnerata, sed extincta esset natura.* Concinit Augustinus, dum ait hominem posse plantare vineas, diligere amicos, &c. Et Paulus, Naturaliter quæ legis sunt facere, &c. Porro quamvis nil posset homo boni facere, non careret tamen libero arbitrio, quia *posset cum gratia Dei, quæ illi semper præsto est, dummodo velit ipsa uti, & potest illam acceptare & refutare.* Ita solus errat Lutherus, nec ei consentit Gregorius Ariminensis, qui *cum sibi objecisset ex sua opinione sequi omnia opera infidelium esse peccata, negat consequentiam, & apertè affirmat à peccatoribus & infidelibus fieri multa bona opera ex speciali Dei auxilio, maximè cùm incipiunt se ad gratiam disponere, quod quidem auxilium Deus illis nequaquam denegat.* Ibidem. art. 3.

Etsi autem *semper & ut plurimùm* non possit homo sine speciali auxilio bene operari; tamen ex Medina, *Deus stat ad ostium, & pulsat, & vocat ad se omnes peccatores, ut eos excitet, & ad se revocet, & inde converti incipiunt, ex quo divinæ gratiæ pulsanti corda obtusa non habuerunt.* Adest itaque & præsto est utrumque auxilium, & generale, quo opera moralia fiunt, *quæ sunt tanquam medium inter peccatum & meritum:* & speciale, quo excitantur peccatores ad pœnitentiam. Auxilium generale mox ibidem definit *motionem divinam, qua concurrit cum omnibus creaturis, veluti ex pacto & fœdere cum illis inito ad operationes sibi connaturales.* Auxilium verò speciale, *gratuitam Dei motionem, & supernaturalem, qua concurrit Deus ad opera supernaturalia, conducentia ad justificationem.* Ibidem. art. 3.

Ingentis porro momenti est, quod idem ibidem admonet de præstanda gratia facientibus quod in se est: *Non esse certum operanti bene moraliter & facienti quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deum conferre semper & infallibiliter auxilia necessaria, ut se ultimatè ad gratiam disponat. Intelligendum est insuper, quod operari bene moraliter, & sequi rectam rationem diu & per multum tempus, atque in omnibus quæ se offerunt, non potest homo absque peculiari Dei auxilio: & ita primum initium gratiæ ex Deo est. At verò homini, qui operatur bene moraliter unum aut alterum opus, rarò tamen, & maxima ex parte malè operatur, Deus non confert infallibiliter gratiam, neque auxilium gratiæ quo se ad justificationem disponat.* Ubi luculentè Medina declarat axioma illud facientis quod in se est ex generali gratia, abstractam esse hypothesin, & ab actu rerum sejunctam. Reapse enim ante justificationem nemo prorsus diu facit quod in se est, cum sola generali gratia; quia etsi singula, non omnia tamen vitare potest crimina. Ita nemo ex generali gratia sola ad gratiam justificationis se disponit. Ibidem.

Idem alibi docet homines lapsos ante justificationem per suas vires, adeoque cum generali tantùm gratia, posse servare *aliqua* præcepta legis naturæ, immo & *omnia ad breve tempus*, non autem diu, etiam *quantum ad substantiam operum.* Immo ad difficiliores quasdam tentationes vincendas, vel operationes præstandas egere auxilio speciali. Est enim homo æger. *Et quanquam homo per exercitium virtutum non fiat ineptior ad operandum, sed habilior: cùm tamen in se sit debilis & imbecillis, tandem aliquando corruet; sicut patet in exemplo infirmi. Licèt enim ambulando fiat habilior, nihilominus si pergit ambulare, sine dubio corruet. Immo ex ipso exercitio virtutum occasionaliter defatigatur homo, & lassatur, ut cadat, nisi per gratiam adjuvetur.* Quo de eodem paulò pòst: *Possibile logicè est, quod non continet evidentem contradictionem, consideratis naturis rerum absolutè; impossibile quod includit contradictionem; moraliter impossibile, quod nunquam contingit, neque continget, secundùm facultatem liberi arbitrii. Igitur hominem servare per vires liberi arbitrii, non est impossibile dialecticè, sed moraliter: sicut dicimus esse impossibile, quod in hac civitate omnes sint studiosi, tametsi quilibet potest esse justus & studiosus. Hæc autem doctrina fundatur in quodam principio certo & evidenti, quod omne quod natura sua est defectibile, necesse est quod aliquando deficiat, nisi per aliquod fortius contineatur. Sed hominis liberum arbitrium est defectibile, &c.* Quæ omnino præclarissima sunt, & tum priscæ Theologiæ, tum rationi & experientiæ apprimè concinunt. 1. 2. q. 109. art. 4.

Plura idem infrà contexit de præparatione ad gratiam, quæ prorsus nulla est ex solis operibus moraliter bonis; quæ aliquantula, sed non infallibilis est ex metu gehennæ, inspirationibus, &c. Nec tamen excusabiles sunt homines si non justificentur, faciendo quod in se est, cùm speciale auxillum præsto sit omnibus. *Quiescant, ait Augustinus, hoc murmurare. Fortè enim rectè quererentur, si non præsto esset, qui aversum revocat, & credentem docet. Non enim homines sunt in culpa, quoniam inviti ignorant: sed quoniam negligunt medicinam.* Ibidem. art. 6.

Denique auxilia etiam specialia ad conversionem nulli negari, perspicuè idem, & penè tanquam fide certum tradit: *Quilibet homo viator potest ad Deum converti, & salvari: & contrarium asserere, est dogma temerarium & hæreticum. Ex quo evidenter sequitur, quod quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ necessarium & sufficiens ad salutem consequendam.* Mox ait auxilium *efficax* non conferri omnibus, sed tamen *propriè non negari; nam Deus est paratus conferre, si homines non contradicant, & resistant. Ita homines possunt salvari, quia possunt habere auxilium efficax, & sua culpa non habent, licèt reipsa nunquam habeant, &c. Reprobus non trahitur, sed Deus paratus est trahere, si non resistat.* Si urgeas parvulis denegari quodlibet auxilium, ergo posse & adultis quibusdam; Respondet, *Adulti habent præceptum convertendi se ad Deum, & agendi pœnitentiam, & ideo non sunt illis negata auxilia gratiæ necessaria ad id faciendum.* Et mox, *Gentes quæ non audierunt Evangelium, præter instinctus naturales, quibus odio habent homicidium, &c. habent divinarum inspirationum vicissitudines. Si bis excitata rectè viverent, & facerent quod in se est, certè à Deo illuminarentur de fidei veritate.* Postremò denique sufficiens auxilium ait esse *motionem & inspirationem divinam,* 1. 2. q. 109. art. 10.

vinam, qua quisque homo excitatur, ut rectè vitam instituat: & efficax esse ad id, ad quod mittit Deus illud: non enim redit ad eum vacuum: sed non semper est efficax ad peccatoris conversionem.

Efficaciam nunc indeclinabilem gratiæ quæ secundùm propositum datur, exponit Medina primùm ex parte objecti: *Ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Id est, Cùm hominibus annunciatum fuerit, pro illis me vitam posuisse, motivum hoc tantæ erit efficaciæ, ut homines quasi invitos trahat.* Rursum ex interna persuasione, qua Deus mentem flectit: ita Deus Nabuchodonosorem alia meditantem induxit Jerosolymam venire ad cœleste consilium, cujus erat nescius, implendum: *Hoc ipsum disponebat Deus, non cogendo liberum arbitrium, sed ordinando, ut ei bonum appareret mutare sententiam.* Denique inspiratione affectuum in voluntatem: *Deus multa bona operatur in peccatoribus, ut fidem, timorem inferni, &c.* Ita Deus consensum nostrum exprimere laborat: alioqui *quorsum stat ad ostium, & pulsat? Estne impotens ad confringendos obices pectoris nostri? Quorsum exhortatur, & immittit timorem inferni?* Et mox, *Immittit Deus metum gehennæ, & illuminationes, & inspirationes, quibus homo commotus per imperfecta desideria justificationis paulatim ad salutem trahitur.* Ad perseverandum verò in justitia tot auxiliis & tam multiplicibus adminiculis parta auxilium rursus maximè speciale necessarium ita declarat: *Concurrit Deus ad operationes bonas concursu speciali, qui duplex est. Unus communis omnibus, qui aliquid bene, sive justè operantur, sive justi, sive injusti sint. Alter vero magis specialis, quo concurrit Deus non quidem cum omnibus justis, sed cum certis quibusdam, qui concursus est quædam peculiaris & selecta manutenentia, & assistentia, & providentia divini numinis, faventis & custodientis justos viros peculiari quadam & sollicita ratione, & majori quàm reliquos.* Infra docet, etsi detur justis omnibus, ut perseverare possint, cùm ea sit possibilitas in gratia habituali: non tamen omnibus dari, ut perseverent. *Unde dicit Scriptura, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.*; *ubi significatur donum perseverantiæ esse concessum quibusdam justis, qui proinde rapti sunt immatura morte; si enim diutius vixissent, gratiam perdidissent.* Unde ut infrà ait: *Non fuit à casu quod moreretur in gratia, sed ex intentione Dei, &c. proposito bonæ voluntatis suæ.*

3. 2. q. 106. art. 3.

3. 2. q. 109. art. 6.

3. 2. q. 109. art. 9.

Ibidem.

art. 10.

Quod verò ibidem Medina centet auxilium efficax quandoque subtrahi justis, ita ut *causa subtractionis non sit semper peccatum, sed aliquando sola divina voluntas*; id mihi quidem permirum videri solet. Cùm enim subinde lapsi justus, eccur non potiùs gratiæ subtractio huic ejus negligentiæ imputabitur? Nec locus Augustini, quem promit, id efficit. Nam cur uni justo detur perseverare, non alteri, imperscrutabile quidem est, sed cui tamen negatur, ob peccatum non datur: alteri etsi æquè & fortasse sæpiùs peccaverit, datur nihilo seciùs. Sicut & rimari nefas, cur hic trahatur, non ille ad pœnitentiam: etsi qui non trahitur, peccatis suis id debet.

Ibidem.

Satius est audire eundem donum perseverantiæ delineantem: *Donum perseverantiæ non unius est generis, sed multiplex & varium. In communi est quædam particularis providentia, qua Deus custodit, atque fovet eos qui perseveraturi sunt; quibusdam confert per spiritalem concursum majores vires, tempore quo occurrunt tentationes: quosdam alios antequam adveniant tentationes, Deus sua particulari providentia adjuvat bonis consiliis; aliis vero aufert occasiones peccandi; alios tandem per particularem hanc providentiam eripit è vita, ne malitia immutaret sensum eorum.* Infallibilitas ergo hujus auxilii efficacissimi ad perseverandum, non ex unius gratiæ vi ineluctabili & invictissimè voluntatem contorquente ad bonum repeti debet: sed ex particulari providentia, tot machinas, tot artes intus foràque, tot præsidia adhibente. Huic efficaci Dei auxilio *nemo resistere potest*, ut ait infrà Medina; nam etsi singulis motionibus Dei resisti possit, universis non potest resisti: *Auxilium efficax est, quo homo convertitur & salvatur, & hoc universis hominibus qui pereunt, non confertur; nam certè si conferret Deus auxilium efficax, converterentur. Efficaci enim Dei motioni nemo resistere potest. Quod hoc auxilium universis hominibus non conferat, patet ex illo, Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Ecce quomodo hominibus Tyri & Sydonis datum non fuit auxilium efficax, quo sine dubio converterentur.* Hoc sanè auxilium efficax perspicuè fuisset in adaptatione & contemperatione horum signorum cum ingenio & affectu Tyriorum & Sydoniorum, & in motione intima Dei his extrinsecis rebus intus consentiente. Quæ adaptatio & contemperatio signorum cum ingenio & affectu Judæorum, non eadem, non par, non ulla forsan erat; ut qui fortè ad signa, vel visa, vel audita jamdiu occalluerant. Ideo etsi intus & foris æquè juvarentur, non tamen afficiebantur. Unde idem infrà, *Qui convertitur, efficaciter convertitur à Deo: quod non habet, qui non convertitur. Ex quo sequitur, quod in sequentibus eandem vocationem, ejusdem vocationis est aliquis modus, vel aliqua ablatio impedimenti, vel aliquid simile nobis occultum, quod non est in eo qui non sequitur vocationem.*

Et idem denuo gratiam prævenientem qua excitat nos Deus ad resipiscendum, cui nostrum est contentire, vel dissentire, duplicem esse ait: *Una est generalior, qua est bonus motus, bonaque cogitatio. Veluti cum peccator Deo inspirante cognoscit peccatum suum, & terrore gehennæ concutitur, & contremiscit; etiam de amittenda æterna beatitudine dolet. Altera specialior est, & tot habet species, quot sunt species boni motus ad resipiscendum, veluti sunt auditio verbi Dei, immissio adversitatis, qua ferocientis hominis animum deficit, & ad Deum respicere facit, remotio occasionis peccandi, oblatio, debilitatio tentationis, & id genus alia. Illa generalior nulli hominum vel sceleratissimo deesse cognoscitur, per hanc enim stat ad ostium & pulsat, initium nostræ salutis, quæ est peccati cognitio, in nobis operari desiderans. Quod autem gratiam specialiorem omnibus peccatoribus Deus non impertiat, in causa est peccatoris indurati, gratiam illam communem, seu generalem negligentis.* Vides perspicuè quo distet gratia specialior à speciali, seu efficax à sufficiente. Nempe ne inspiratis bonis & cogitationibus & affectionibus dissentiant electi, Deus efficit multiplici illa arte & providentia.

1. 2. q. III. art. 2.

Hic porrò pronum est intelligere, qui consentiat efficacia victricis gratiæ cum libertate nostra. Etsi enim singulis motionibus restitare sinatur nostra voluntas, tota tamen collectione auxiliorum divinorum circumvenitur & expugnatur. Unde idem infrà: *Quando legimus, quod omnia opera nostra operatur in nobis Deus, quod operatur velle & perficere, nequaquam eo sensu accipiendum est, ut sic agi nos, cùm agimur Spiritu Dei, putemus, quemadmodum faber agit, & movet serram aut securim, sed potius quemadmodum sessor agit equum.* Nempe sapientia magis quàm vi, blandiendo, terrendo, demulcendo, stimulando; arte magis, quàm potentia.

1. 2. q. III. art. 4.

Hactenus Medina pronissimus visus est esse nostræ hujus de efficacia gratiæ doctrinæ suffragator. Si qua alibi inserit quæ ad prædeterminationem physi-

physicam videantur spectare, ea ut ad Philosophicas magis quàm ad Theologicas quæstiones spectantia hic fas est dissimulare. Quid enim ad gratiam Christi ea motio, vel prædeterminatio, quæ communis est naturis omnibus, operationibus omnibus, sive utentibus, sive carentibus ratione & libertate, naturalibus & supernaturalibus, ante vel post lapsum Adæ, bonis & malis? Itaque sepositâ ea quæstione, quæ à re nostra prorsus aliena est, totus Medina nostrarum partium est. Idem conjicere fas est de compluribus aliis recentioribus Scholæ Thomisticæ apicibus. Uno in Medina experimentum edere volui, ut ab eo de cæteris conjectura fiat.

An. 1578. ## *EX FRANCISCO A CHRISTO, Lusitano, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Conimbricensi Doctore & Professore.*

SUos hic in Magistrum sententiarum Commentarios dicavit Gaspari Cassaleo Conimbricensi Episcopo, qui inter Tridentinæ Synodi Patres singulari eruditione radiaverat. De gratiæ habitualis efficacia ad bene operandum pauca ista illinc excerpo: *Verba illa Joannis, Qui natus est ex Deo, non peccat, referenda sunt non ad impeccabilitatem justorum, profectam ex gratia & charitate, sed ad inclinationem charitatis & gratia, & ad vigilantiam, curam ac sollicitudinem, quam adhibent justi, ne peccent, & à divina gratia excidant: ad quam sollicitudinem & vigilantiam inclinat & impellit eos charitas & gratia. Qui enim sunt in gratia cum Deo, sibi ipsis invigilant, seque ipsos summa vigilantia & sollicitudine custodiunt, in idque studium incumbunt, ne divinam gratiam amittant, impellente eos ad hanc curam semine Dei, quod est gratia, in ipsis immanente. Ex quo fit, ut rarissimè peccent: peccantes verò citissimè resurgant, & sese Deo reconcilient. Cùm ergo rarissimè peccent, & lapsi continuò resurgant, efficitur, ut perinde sit, acsi non peccent.* Non potuit efficacia immanentis gratiæ & charitatis nitidiùs elucidari, quæ *inclinat*, quæ *impellit*, quæ efficit ut justi *rarissimè peccent*, & peccantes *continuò resurgant*.

L. 1. Sent. d. 40. 41. de prædest. q. 9.

Nunc quod spectat ad generalem gratiam, distinguntur hìc *duo auxiliorum genera, unum generale, alterum speciale. Generale est, quo Deus tanquam causa prima cooperatur omni creaturæ, sine quo nec boni nec mali quidquam possit operari. Speciale auxilium est, quo Deus invitat ad bonum, & retrahit à malo. Hoc verò triplex est: Commune scilicet; Speciale, sive sufficiens necessarium; Efficax, sive superabundans. In communibus auxiliis, quibus homo abducitur à malo, & invitatur ad bonum, prospera & adversa eventa, siquidem adversis homo emendatur à malo, prosperis invitatur ad bonum. Ad speciale auxilium pertinent adhortationes piæ tam internæ, quas Deus in animum immittit, quàm externæ, quas Deus per lectionem sacræ Scripturæ, & per prædicatores suos facit. Quo auxilio efficitur, ut homo compungatur, & sibi displiceat, & à peccato abstinere instituat. Auxilium efficax est illud, quo homo anteactam vitam omnino detestans, totum sese ac corde perfecto in Deum convertit: quod auxilium nisi Deus largiretur, homo ad Deum converti non posset.*

L. 1. d. 40. 41. de reprobat. q. 4.

Jam verò duas ibidem subjicit rationes conversionis ad Deum, *extraordinariam*, cùm omissis generalibus seu communibus auxiliis, auxilio efficaci & superabundanti irruit Deus, & momento uno hominem convertit, ut in Paulo contigit, Latrone, Magdalena. *Ordinariam* verò, cùm *Deus sensim & paulatim peccatorem internis inspirationibus emollit, unde initio illi generalia præstat auxilia, quibus si recte utatur, proponens non peccare, specialiora largitur, &c. Si peccator generalia auxilia contempserit, Deus tamen illæ iterum atque iterum repetit, paratus semper dare uberiora auxilia, si peccator prioribus auxiliis rectè utatur.*

Ibidem.

Et consequenter idem concludit, quòd *Deus non subtrahit reprobis commune & generale auxilium. Immo dat illis & paratus est dare communia & specialia auxilia, quibus abducantur à malis, & alliciantur ad bona. Omnes enim ad se vocat, nullumque excipit, &c. Unde vult omnes salvos fieri; at hæc voluntas inanis esset, si eis auxilia ad salutem communia & specialia minimè præberet. Item, Illuminat omnem hominem, &c. Item, Ego sto ad ostium & pulso.* Ita sentire ait omnes Patres, in primis Augustinum. Immo ita *videtur definitum cap. Firmiter de summa Trinitate, quo loco dicitur omnibus hominibus quamdiu vivunt patere additum ad veram pœnitentiam.* Addit Deum *præcipere omnibus ut se convertant, nec præcipere impossibilia, igitur non subtrahere auxilia ad salutem.* Addit ideo damnatos etsi peccent, nihil novæ pœnæ mereri, quia divinis auxiliis destituti peccant. Postremò addit, etsi sola efficacia auxilia reprobis Deus deneget, & sufficientia donet; tamen *si denegaret non solùm specialia, & necessaria ac sufficientia ad salutem, verùm etiam generalia, nihil alienum faceret à sua justitia.* Deus enim *nulli debitor est*, & nemo reprobatur, nisi post peccatum saltem originis. Jam tum autem *potest Deus reprobum vita spoliare, & in infernum dejicere.*

Expendit infra prolixiùs, quæ induratis dentur auxilia gratiæ prævenientia, quæ quadrifariam partitur. Nempe ea quæ sunt bona naturæ; item eventus prosperi & adversi, ut à malo ad bonum incitent; tertiò doctrina & prædicatio; denique illuminationes & inspirationes. Obduratos à cæteris peccatoribus distare ait, quoad sola hæc auxilia quarti generis, quibus orbantur. Unde bene operari illis *quasi impossibile* est.

Ibid. q. 2.

Quod autem Scriptura commendat, Deum velle omnes homines salvos fieri, hoc exponitur, vel de voluntate antecedente, *quæ efficax non est, sed tamen præbet omnibus sufficientia auxilia, quibus possunt converti, vivere, & salvari:* vel de voluntate beneplaciti & consequente, sed secundùm distributionem accommodatam. Ibidem denique copiosè docet à Deo omnes creatos destinatosque esse homines ad supernaturalem finem & beatitudinem, omnibus provisa auxilia, quæ ad id sufficiant, omnium saluti prædestinatum & donatum esse Christum. At si quid boni faciat homo ex generali concursu & influentia Dei, nihil meriti nequidem congrui hinc colligi ad gratiam promerendam, cùm illud sit merè ordinis naturalis, & homo impius capitales adhuc cum Deo exerceat inimicitias.

Ibidem. L. 1. d. 40. 41. de præd. q. 4.

Nunc gratia propositi efficaciam suam invictissimam unde derivet, sic traditur ibidem, primò cùm effectus prædestinationis omnes enumerantur. *Omnia illa quæ hominem promovent ad salutem, sive ad bonum invitando, sive à malis avocando, sive ea sint auxilia naturalia, ceu naturæ bona, quibus etiam annumerantur bona temporalia, ceu divitiæ & honores, sive sint prosperi & adversi eventus, sive sint auxilia supernaturalia, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, omnia inquam illa, non quidem absolutè & secundùm se, sed quatenus sunt homini adjumento ad æternam salutem consequendam, ex æterna Dei prædestinatione proveniunt. Omnia enim cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Ergo infallibilitas prædestinationis existit ex collectione & conspiratione horum auxiliorum omnis generis, qui effectus ideo dicuntur esse prædestinationis.

Ibidem.

Sed

Sed multò apertiùs postea, *Habet divina prædestinatio certitudinem, & ex parte providentiæ, qua certissimo modo dirigit, & perducit ad finem; & ex parte divinæ scientiæ, quæ falli nullo modo potest; & ex parte divinæ voluntatis efficacis, cui nemo resistere, & cujus efficacitatem nihil potest impedire. Sic igitur ille qui per divinam prædestinationem est ordinatus ad salutem, infallibiliter consequitur salutem, neque ulla res creata efficiet, ut hac salutis consecutione frustretur. Nam quamvis liberum arbitrium hominis possit à salute deficere, ut quod sit defectibile: Deus tamen prædestinato tot adjumenta & adminicula apponit, ut non cadat: vel si cadat, resurgat; id quod fit per donum gratiæ, per inspirationes internas, per orationum suffragia, perque multa alia, quibus divina providentia homini adjumento est ad salutem.* Ibid. q. 6.

Certa ergo & infallibilis est prædestinationis executio, quia etsi frustrabilia sint auxilia Dei singula, Deus tamen *tot* accumulat alia aliisque deficientibus subrogat, ut universa rem omnino perficiant. Et ille modus est quo se accommodat Dei providentia causis contingentibus & liberis, modumque cauiandi illis contentaneum confert.

Et infrà rursum: *Fatetur divus Thomas de verit. q. 6. art. 3. difficile esse concordare infallibilitatem & certitudinem divinæ prædestinationis cum arbitrii libertate. Quam tamen concordiam sic efficit divus Thomas, ut dicat, quòd quamvis homo, quod attinet ad liberi arbitrii libertatem, possit consecutione salutis defraudari, ut effectu multi defraudantur; prædestinatis tamen Deus tot adminicula præparat & adjungit, ut non cadant; & si exciderint à gratia, resurgant, eandemque recuperent. Hæc porro adminicula sunt dona gratiarum, sunt exhortationes, & orationes, & hujusmodi cætera, quæ homini adjumento sunt ad salutem. Hoc divus Thomas explanat exemplo. Nam in naturalibus cernimus effectum aliquem indefectibiliter & infallibiliter provenire dupliciter. Uno modo ex habitudine necessaria alicujus causæ singularis ad suum effectum. Altero modo ex concursu multarum causarum contingentium & defectibilium; quarum quæque licèt possit deficere, ex concursu tamen omnium pervenitur indefectibiliter ad unum effectum. Verbi gratia in sublunaribus singularia cujusque speciei omnia sunt corruptibilia & occidua; ea tamen successione unius post alterum, quandam perpetuitatem consequuntur, divina providentia ita disponente, ut non omnia simul intereant, sed quibusdam intereuntibus alia succedant. Ad hunc etiam modum, quamvis humana voluntas sit defectibilis; in prædestinatis tamen Deus eandem multis adminiculis aut sustinet ne cadat, aut cadentem erigit: ita fit ut certus sit divinæ prædestinationis effectus. Itaque si causam proximam consideres, non est certus prædestinationis effectus; si primam, quæ est ipsa Dei ordinatio, omnino certus est.* Ibidem.

Et rursum ait à multitudine conspirante auxiliorum, quorum singula frustrantur quandoque, nunquam universa, depromendam esse gratiæ efficacis vim; *Media quæ à Deo sunt parata & disposita ad salutem electorum, possunt illa quidem divisim refutari omnia, pro humani arbitrii libertate; non tamen conjunctim, ita ut refutentur omnia, & nullum sit reliquum, quod non rejiciatur. Divina enim providentia circa prædestinatos est particularissima, multisque modis eos & tuetur, ne cadant, & prolapsis manum porrigit, ut resurgant; & sic tandem certò perveniunt ad prædestinationis effectum. In illis tamen modis omnibus, quibus Deus electos suos tuetur, ne cadant, aut juvat, ut resurgant, humanæ voluntatis arbitrium suaviter a Deo trahitur, magna tamen efficacia, cui humana voluntas licèt libera, non possit tamen non acquiescere, non quidem ut coacta, sed ut efficaciter permota & tracta.* Ibid. q. 6. Ergo *non potest non acquiescere* voluntas nostra *modis omnibus*, quibus Deus tuetur & juvat efficacissimè electos, licèt possit singulis: hoc est auxiliis divinis potest resistere, & resistit quandoque *divisim*, non *conjunctim*. Catharini sententiam de duplici ordine salvandorum mox refellit, & pluribus elucidat, quomodo suavi hac ratione infallibiliter electi ad salutem perducantur, incolumi libertatis suæ indifferentia.

EX FRANCISCO CARTHAGENA
Salmanticensi Theologiæ Professore.

An. 1581.

LUculentissimos *de prædestinatione & reprobatione discursus* Gregorio XIII. nuncupavit, ejusdemque privilegio & auspiciis Romæ edidit Franciscus de Carthagena Presbyter Salmanticensis Diœcesis Magister in Theologia. Hinc pauca nostro more delibabimus. Edit. Romæ, an. 1581.

Et primò de gratiæ habitualis efficacia peringenti hæc apud eum capi videntur debere: *Minima gratia, qua etiam non datur minor, ut Theologi fatentur, sufficientissima est ad tuendum hominem, non solùm contra carnem, quæ quidem interior inimicus est, sed etiam contra omnes demones, & obstrusissimas eorum insidias. Et hoc non solùm verum habet de gratia secundùm se, sed de gratia, ut afficit quodlibet subjectum: quia ea reddit illud potentissimum, ut si velit, possit profligare omnes dæmonum incursus, & adversùs omnem inferorum cœtum sine casu persistere.* Quæ licèt ità habeant, opus tamen esse ait ad perseverandum gratia seu protectione Dei maximè speciali: *Licèt quælibet minima gratia de se sit potens, & potentem reddat subjectum in quo est contra omnia mala extrinseca, quæ possunt homini evenire: est tamen hæc vis in subjecto, quod non ita plenè gratiam participat, & ideo non potest, nisi ulteriùs adhuc foveatur, in ultimam fœlicitatem pervenire: ad eum modum, quo Theologi præter virtutes Theologicas infusas ulteriora dona requirunt, quæ dicuntur Spiritus sancti, ut sit mens bene mobilis à Spiritu divino. Sic nos asserimus præter communia auxilia, specialiora requiri.* Disc. 1. pag. 341. 349. Sic ille de efficacia hujus gratiæ.

Ad gratiam verò spectat generalem, quòd idem distinguit providentiam duplicem Dei: *Altera est sufficiens & conditionalis, quæ prædeterminat tantùm prima auxilia, in quibus sicut in radice & semine cætera continentur; quod verò ad actum illa media perducantur, relinquit Deus arbitrio substantiæ intellectualis.* Hæc sunt auxilia generalia, omnibus concessa, in potestate omnium. Nam *altera est providentia specialissima & absoluta, quæ prædefinit non solùm prima principia, sed omnia alia media in actu secundo & formali, cum tanta sollicitudine & cura, ut taliter provisus infallibiliter consequatur finem beatificum; nec id ponitur sub conditione ejus qui provisus est: quia ante determinationem ejus jam finis prædefinitus fuerat secundùm electionem divinam.* Disc. 1. pag. 17. Non potuit aptiùs exponi voluntas Dei antecedens ad omnes prorsus salvandos generalia spargens auxilia, & voluntas propositi, seu prædestinatio, qua certissimè electi liberantur.

Confitetur tamen idem alibi expressè, quòd *quamvis Deus humano generi post primum peccatum denegasset finem supernaturalem, & consequenter media pro illo consequendo, nihil alienum faceret à sua bonitate & justitia. Potuit enim post peccatum hominem interficere, & pœna æterna castigare, ergo justiùs posset illum deserere, &c. Secundo, qui in originali decedunt, justissimè exclu-*

excluduntur a regno propter solum illud, &c. Sed nihilo tamen minùs post peccatum *Deus misericordem habuit voluntatem reducendi humanum genus ad finem supernaturalem, ad ejusque consecutionem conferendi auxilia sufficientia: & omnibus in tempore dat auxilia sufficientissima. Primum ex Scriptura: Ecce sto ad ostium & pulso. Stat ad ostium, id est, intellectum instruit. Pulsat, id est, auxilium confert excitans.* Item, *Illuminat omnem hominem, &c.* Accumulat loca Scripturæ complura ad idem, nonnulla etiam ex Ambrosio & Augustino, item ex Conciliis, maximè ex Tridentino. Idem probat ex Incarnatione Verbi Dei, qui est Salvator mundi, & Propitiatio pro peccatis totius mundi. Sed addit tamen his auxiliis neminì necessitatem inferri: quin immò neminem his solis ad justitiam vel salutem provehi omnino, nisi accedant specialia auxilia per *efficacem electionem & prædestinationem.*

D'eurf. 8. pag. 184. 185. &c. 190.

Sed nec infidelibus ipsis deesse sufficientia ad salutem auxilia infrà docet, nec ullis omnino, si faciant quod in se est, vel ante justificationem per gratiæ excitantis vires adjuti, quæ vocantur vires naturales, quia ad statum supernaturalem non evehitur homo nisi justificatione: vel post justificationem per vires supernaturales. *Respondeo omnes infideles etiam in particulari sumptos habere sufficiens auxilium illis à Deo provisum. Nam quandocumque homo fecerit quod in se est juxta id quod potest, sive per vires naturales, sive per supernaturales, clementissimus Deus sufficienter illuminabit eum, ut credere possit. Nec ideo equidem assero illud operari quod in se est per vires naturales, esse veram, infallibilem rigorosamque dispositionem ad dona gratuita: sed certè congruitatem quandam ibi intercedere, quæ potius se tenet ex parte divinæ bonitatis, &c.* Denique constanter idem affirmat *nullum esse hominem, qui aliquando, sive bene utatur naturalibus, sive secus, non intimè à Deo præveniatur auxilio aliquo ordinis supernaturalis; cui si ipse non contrà veniat, amplius & perfectius illuminabitur, quod sæpè sacra Scriptura significat, &c.*

Dise. 8. pag. 201. 204. 205.

Et quanquam efficacissimum perseverantiæ donum non detur, nisi illis qui perseverant; illud tamen ex se Deus paratus est dare, si prioribus & sufficientissimis auxiliis homo non dissentiat. *Illud donum quod in specialissima quadam cura consistit, necessarium est ad salutem, quia sine eo nullus salvatur. Negatur tamen Deum istud secundum auxilium alicui denegare, quia quantum est ex se Deus paratus est omnibus illud dare. Et licèt actu non det, dat tamen illud in virtute & radice, quando donat prima principia gratuita, vel primum illud donum perseverantiæ, quod dicitur sufficiens.* Quin & induratis negat subtrahi omnia auxilia; sed ea tantùm specialia non dari vult, quibus cor emollitur, quibus omnino non fraudantur cæteri peccatores.

Ibid. pag. 217.

Pag. 226.

Denique auxilii generalis & sufficientis partes quatuor idem enumerat. *In parte prima ponuntur bona naturæ, id est, facultates naturales ad bene operandum, & illa item bona extrinseca, quæ excitant invitantque hominem ad amorem Dei, ut cœlum & ornatus universi, & infinitæ penè aliæ creaturæ, quæ in mundo reperiuntur. In secunda verò parte collocantur particulares quidam eventus, ut salus, morbus, divitiæ, paupertas, fortunæ, infortunia, & alia id genus, quæ hominem suscitare solent ad conversionem. Sed in tertia parte reponuntur doctrina revelata, vox externa prædicatorum, miracula & alia similia. Atque in ultima denique parte quasi ultimò dispositiva ad conversionem, ponuntur motiones quædam divinæ interiores, emollientes intrinsecus corda humana.*

Discurs. 8. pag. 210.

Jam venio ad tertium & conversionis & perseverantiæ efficacissimum auxilium ex intentione Dei gratis præstantis, ex æquo repudiat Carthagena, *& primum dicendi modum, qui omnia necessitat ratione prædeterminationis divinæ; & secundum, qui e contrario omnia constituit indeterminata & indifferentia, quippe qui ponat volitiones divinas, quasi conditionatas & pendentes à libertate creata.* Ut ergo concordare possit *prædestinatio & libertas, dico Deum opt. max. non omnes actus liberos prædefiniisse antequam videret causas secundas liberas seipsas determinare. Ita tenent Albertus, Ægidius, Bonaventura, Catharinus & alii.* Probat ex actibus peccati, qui nec secundùm entitatem physicam prædefiniuntur à Deo, *quia tali entitati semper annectitur malitia.* Probat & ex nostra libertate, *quæ consistit in indeterminatione respectu utriusque.* Probat ex eo quòd Deus naturam gubernat suo quamque ex ingenio: at natura intellectualis flagitat, *ut sit libera & determinativa sui ad quodcumque maluerit.* Et tamen Deo tribuendæ sunt bonæ operationes omnes, *primò quia Deus prædeterminat nos circa ipsum bonum & beatitudinem in communi, ex quo gignitur omnis alia appetitio bonorum particularium. Secundò circa bonum specialiter nos Deus allicit variis modis, non quidem necessariò movendo, sed ad modum causæ moralis, utilitatem & honestatem virtutis proponendo, & in ejus amorem excitando, &c.* Et quidem *ad bona dat Deus præceptum, & præterea movet & excitat per specialem motionem: circa peccata verò se habet Deus solùm permissivè.*

Dise. 4. pag. 67. 68. 69.

Pag. 70.

Si quæras autem quomodo præsciat Deus actus liberos, quos non prædefinit: respondet *Deum infallibiliter cognoscere eos in sua æternitate præsentes, futuros verò nobis.* Cæterùm licèt non omnes actus liberos prævoluerit, *aliquos tamen ab æterno prædestinavit, ante determinationem propriam liberi arbitrii creati. Aliqui enim homines fuerunt prædestinati ante prævisionem operum.*

Discurs. 4. Pag. 71.

Sed horum tamen etiam electorum opera omnia libera sunt, quia non determinavit Deus omnia media in particulari, sed tot accumulavit, & alia aliis suffecit, ut omnia non deficiant. *Dico hos qui ita prædestinantur, absolutè esse dicendos liberè operari. Quia nunquam Deus eorum opera ita prædeterminat, quod omnia media in particulari determinet. Non enim inconvenit, Deum solùm prædefinire beatitudinem supernaturalem & media in communi, ac gradus ipsos operum meritoriorum, non tamen omnes actus secundùm particularem eventum & singulares rationes. Quod item dicere necessum est de omnibus confirmatis in gratia, & de Christo, & aliis, qui licèt necessariò tenderent in bonum, ut dicitur, secundùm specificationem, tamen respectu mediorum talium, vel talium, dabatur eis libera voluntas. Sicut etiam docemus voluntatem necessariò amare bonum in communi, & tamen in illud liberè tendit voluntas, quia non necessario cogitur ad hoc vel illud medium. Quod si omnia etiam in particulari essent à Deo prædefinita, non video, ut mei visus debilitatem fatear, quomodo realis libertas in substantia intellectuali supereesse potest, nisi per distinctionem sensus compositi & divisi velis me redocere, quod nunquam satis percepi.*

Discurs. 4. pag. 71. 72.

Et infrà, *Quantum ad illa media, quæ à Deo non fuerunt præordinata, eorum infallibilitas fluit ex sola præscientia, quæ in suo instanti æternitatis omnia præsentialiter intuetur. At media in communi, & media quæ Deus prædeterminat, eorum infallibilitas fuit ex præordinatione divina & præscisntia.*

Ibid. Pag. 74. 75.

Et infrà idem: *Hoc prædestinandi modo non offenditur libertas, quia vel confugitur ad distinctionem sensus compositi vel divisi: vel si justè rejiciatur, ut superficialis, non requiritur quod isthac prædestinatio omnia media in particulari prædefiniat.*

cessitat. Et sic salvatur libertas, sicut in Christo & confirmatis in gratia. Et infrà: *Sicut in Christo confitemur necessitatem ad bonam operationem, adeo quod peccare non possit, & tamen liberrimè operabitur in eo objecto, ad quod erat necessitatus: quia non prædefinierat Deus omnes particulares actus & circumstantias, quas Christus in vita deberet exercere. Similiter dicendum est prædestinatum sine præviſione operum, secundùm illam tantùm rationem quasi metaphysicè per intellectum abstractam necessariò salvari. Sed quia à parte rei salus ista multis modis est variis actibus & vicissitudinibus involuta & permixta, ideo simpliciter liberè salvatur homo, quia non sunt illi prædefiniti omnes actus particulares, quibus ad tantam gratiam & gloriam, totque merita eum oporteat pervenire. Sed modò sic, modò secus disponere potest circa salutem suam, modo persistendo in divina gratia, modò liberè gratiam repellendo: sed tandem gloriam consecuturus est ex infallibili prædestinatione divina.*

Discursu 10. pag. 311.

Ibid. pag. 315.

Catharini sententiam de duplici salvandorum classe, & de duplici prædestinatione, absolutè conditionata, ait idem mox à Sixto Senensi per decennium tota Italia prædicatam, ita referente Sixto ipso in Bibliotheca sancta, Annot. 248. desiisse tamen illum ab ea prædicanda, cùm sensisset à Theologis minùs probari. Ergo universim gratuitæ prædestinationi subscribendum est, & ad illud maximè refertur specialissimum perseverantiæ donum. *Nam quilibet homo sufficientia arma à Deo accipit spiritualiter, quæ illum defendunt ab intrinseco, & naturam sanant, & confirmant adversus omnem debilitatem, & mollitiem, qui originalis peccati quidam sunt effectus, & contra cæterorum suæ salutis hostium impetus. At verò ab extrinseco vel ex secretissima dæmonum arte & versutia, vel ex homine, qui multis ultro & citro negotiis implicatur, negligentia, moraliter sine specialiori auxilio nemo resistet: sed tandem finali peccato certè succumbet.* Ex quo sequitur *dari specialissimum illud auxilium, quod perseverantia, vel prædestinationis juvamen nuncupari potest, proveniens ex speciali Dei & attentissima manutenentia, gubernatione & cura.*

Ibid. pag. 324.

Postremò denique probat à Deo non prædefiniri omnes occasiones salutis, cùm ejusmodi non rara sint peccata. *Sed solùm Deus statuit ex parte sua electis suis; & si electus cooperatur, & acceptat medium ad salutem, incipit illud meritum esse effectus prædestinationis, quia antea fuerat solum secundùm substantiam suam effectus communis providentiæ. At si electus tunc non cooperatur, statuit illum movere alio tempore, & modo, & isto pacto decrevit illum pervenire usque in finem vitæ. Qui quidem modus prædestinandi videtur mihi verus, aptus, apertus atque sufficiens, quem apertè docet sanctus Thomas q. 6. de verit. art. 3. & 4. &c. ex ordine plurium causarum taliter ordinatarum inter se per providentiam divinam, ut omnes collectivè non deficiant: quamvis in particulari aliàs ista, aliàs illa deficere possit.*

Discursu 10. pag. 338.

EX FRANCISCO OVANDO
Mogollone de Paredes, Ordinis Minorum Hispano.

An. 1584.

VOluntatem Dei beneplaciti antecedentem, qua omnes vult salvos fieri, hanc iste interpretatur esse, qua *dat omnia antecedentia ad salutem, parata cogere, si aliquis velit exequi præceptum, vel consilium.*

L. 1. tom. 2. pag.

Idem alibi docet liberum arbitrium dici *in puris naturalibus* dupliciter. *Uno modo prout est sine habitu gratiæ gratum facientis. Alio modo prout est sine aliquo dono gratis dato, quod vocatur auxilium speciale.* Addit *auxilium* à Theologis distingui in generale & speciale. *Generale auxilium est concursus Dei generalis cum rebus ad operationes naturales, computaturque inter dona naturalia, pertinens ad generalem providentiam, quia est concursus naturæ debitus. Speciale est ad operationes supra rerum naturas, ut ad credendum, pœnitendum, & similia.*

L. 1. q. 18.

Rursus speciale auxilium eidem aliud est *præveniens actum, propter quem datur, ut sunt inspirationes, & vocantur hæc auxilia inefficacia, quia ipsis positis non necessariò fit illud, propter quod dantur. Auxilium speciale præveniens, vocatur gratia præveniens, sive excitans, qua Deus peccatores præparat & disponit terroribus, minis, prædicatione, inspiratione.* Aliud est *Concomitans actum, ut quando inclinat ad operandum, & vocantur hæc auxilia efficacia, quoniam actus sequitur cum effectu. Hæc vocatur adjuvans gratia, quia illa adjuvamur ad actus, quibus acquiescimus.*

Ibidem.

His positis sic ille censet, *Nullum in peccato existentem posse mereri auxilium speciale, sive gratiam prævenientem, neque de congruo, neque de condigno; multò minùs gratiam habitualem.* Censet item, *Secluſa gratia habituali & auxilio speciali, posse nos in multa opera bona moralia per solum auxilium generale, non tamen in omnia, vel in opera præcellentia.* Etenim *hæc est media inter errorem Pelagii dicentem quod potest in omnia, & inter opinionem Gregorii Ariminensis, tenentis quod post lapsum Adæ innullum opus morale possumus sine auxilio speciali.* Censet rursum *sine gratia posse hominem cavere novum peccatum pro aliquo tempore, non prolongo tempore.* Censet denique vitari posse omne peccatum ab homine, *Quia licèt non possit per seipsum, potest cum auxilio Dei, qui præsto est ad adjuvandum, si se disposuerit.* Alibi omnia Dei mandata esse possibilia contra Lutherum docet, nec aliam prætexi posse impotentiam, quàm qua se quisque volens illaqueaverit, ut si quis vino mentem suam obruat, & ita jam non possit fungi officio.

L. 4. c. 17.

Hactenus de generali gratia, nunc de speciali, sive habituali. Hanc iste ait divisam à Magistro in *operantem & cooperantem*, secundùm diversos *effectus*. Etenim *vocatur gratia operans, inquantum sua informatione, inhæsione, & diffusione operatur, quod anima sit grata Deo; vocatur cooperans, inquantum cooperatur cum voluntate ad opera Dei, spei, dilectionis, pœnitentiæ, &c. ut sint Deo accepta.* Rursum *vocatur gratia operans etiam præveniens, inquantum prævenit, excitando arbitrium ad bonum; cooperans dicitur subsequens, sive adjuvans, inquantum perficit in bono per arbitrium actum volendi.* Hæc ille ex Magistro; quæ tamen gratiæ nomina & munia etiam actuali aptari infrà docet.

L. 4. c. 18.

Rursus ex eodem Magistro censet *gratiam quæ prævenitur & præparatur voluntas, esse fidem cum dilectione.* Rursus *Scotus interpretatur voluntatem gratiæ pedissequam esse, quia actus inquantum meritorius, principaliùs est à gratia; sed quantum ad substantiam actus, principaliùs à voluntate. Quia potentia utitur habitu, & non è contra. Secundò, quia actio non esset libera, si gratia esset prima causa, quia moveret naturaliter, & voluntas naturaliter moveretur. Ergo non ageret liberè, cùm non ageret, nisi mota.*

Ibidem.

Cum Scoto iterum existimat unum esse habitum gratiæ & charitatis; unumque esse in voluntate. Alioqui *gratia non esset habitus operativus, cùm ex adverso Paulus dicat, Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ergo gratia est habitus operativus.*

Ibidem.

Con-

Confirmatur quia alias non esset virtus, quæ operantem perficit, & opus bonum reddit. Item ipsa erit otiosa. Item ex Augustino gratia comparatur ad voluntatem, sicut sessor ad equum. Sed sessor regit equum, & in illa directione per sese operatur. Item gratia operans & cooperans est eadem. Sed cooperans est charitas, & in voluntate: ergo & operans. Denique etsi actus bonus principaliùs fit à voluntate, quàm à gratia; à gratia tamen inesse illi bonitatem & meritum, sic idem exponit, *Sicut divisio cultelli est à manu, tanquam* Ibid. d. 27. *principaliori agente; sed levitas partium divisarum, magis placet visui ex acutie instrumenti, quàm ex efficacia manus.*

Postremò denique cujusmodi sit efficacia gratiæ, quæ secundùm propositum datur ad conversionem & perseverantiam electorum, etsi jam satis diluceat, ulteriùs tamen elucidabitur. Itaque cum Scoto censet author iste à Deo præsciri futura contingentia libera ex determinatione divinæ voluntatis, qua nempe Deus liberè vult permittere, ut voluntas creata inclinet se in quam partem voler, statuitque illi cooperari. Non itaque scientiam Deus suam mendicat à voluntate creata sese ad quidlibet determinante; sed à divina voluntate creatæ voluntati concedente, ut se determinet, & ei sese quodlibet determinanti coagente, cùm sine permissione & cooperatione Dei non possit voluntas sese quoquam inclinare. *Deus prævidens inclinationem hominis,* L. 1. d. 38. *determinat illum relinquere in manu consilii sui, non coagendo cum illo ad unam partem, qui ex libertate voluntatis alteram eligit. Ecce stat contingentia, & tamen cum præscientia, quoniam illa contingentia se tenet ex parte causæ proximæ, scilicet humanæ voluntatis. Sit exemplum in naturalibus de Sole, cujus motus est necessarius, sed effectus in germinatione plantarum contingens à causa proxima, à qua potest impediri. Ita scientia Dei est necessaria & effectus contingens. Facit & exemplum Bonaventuræ: Si cogitetur oculus fixus in pariete, qui seipso videat transeuntes sine alicujus speciei receptione, visio talis oculi non imponet necessitatem motibus transeuntium, & tamen erit visio infallibilis & immutabilis.* Hæc forsan est germana Scoti doctrinæ interpretatio.

Idem alibi ex Scoto docet prædestinationis nullam dari rationem ex parte prædestinati; dari verò reprobationis; quia ex Augustino, *Deus non est prius ultor, quàm sit aliquis* L. 1. d. 41. *peccator.*

Voluntatem Dei idem alibi docet *semper impleri, vel à nobis quando bonum facimus: vel de nobis, quando peccamus. Quia nihil homo facit, de quo Deus non operetur, quod vult.* Sic ait tratres Josephi in eo vendendo, Assyrios in evastanda Judæa, Judæos in interimendo Christo, *divina obsecutos esse voluntati, præter intentionem facientium.* Unde ex Anselmo, ut *Si ea quæ sub* L. 1. d. 47. *cœlo sunt, vellent non esse sub cœlo, aut elongari à cœlo, non possent, neque fugere, nisi propinquando ex una parte cœli ad alium. Ita fugiens voluntatem præcipientem, transit ad permittentem & punientem.*

Quo autem modo invictissimè voluntas creata inflectatur, quo Deus cumque voluerit, sic idem alibi: *Liberum arbitrium induci potest ad* L. 1. d. 48. *aliquid volendum, vel nolendum, & hoc tam ab agente creato, quàm increato, cogi verò non potest. Authoritates Scripturæ sonantes coactionem ex parte Dei, ut Lucæ 14. Compelle intrare: Joannis 6. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum: in secreta Sabbati ante Dominicam Passionis, Ad te nostras rebelles compelle voluntates: intelliguntur de inductione per minas, flagella, remotionem eorum, quæ possent in contrarium allicere; mitigando tentationes, & fortè aliquando non concurrendo ad volitionem contra præcepta.* Quibus nihil potest evidentius fieri, ad expungendam & scientiam mediam & prædeterminationem physicam, quæ Ovandi tamen tempore à suis hinc inde architectis incipiebant fabricari.

EX ANTONIO CORDUBENSI
Ordinis Minorum Theologo. An. 1593.

VOluntate Dei antecedente & salvifica docet Corduba omnibus suppeditari auxilia ad salutem sufficientia. *Antecedens voluntas Dei est,* Quæstion. *qua vult dare gloriam, quantum est ex parte* L. 2. q. 56. *sua, & dat media sufficientia, si obstaculum non opponatur; non tamen efficaciter perducentia ad finalem beatitudinem, quia ponitur impedimentum, vel quia non impletur conditio &c.* Alibi autem sigillatim quærens quid sit *facere quod in se est*, ad sciendum quidquid sui muneris est, respondet *ad habendam notitiam eorum, quæ jure* L. 2. q. 2. *divino vel naturali simpliciter ad salutem sunt necessaria, & in omnibus in quibus specialis Dei directio & illuminatio necessaria est, tenetur homo utens ratione inquirere diligenter veritatem per seipsum & per alios, &c. Si est infidelis, tenetur ut potest secundùm rationem naturalem saltem in confuso, Deum, aut suum principium & factorem omnium considerare, & ut dicta ratio naturalis agere ad veram cognitionem salutarem habendam.* Quin immò *ad sciendum ea quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, in quibus etiam ignoranti invincibilis non datur, ut est fides Christi, tenetur homo ad orationem, qua à Deo petat, ut dirigat vias hominis, vel ipsum illuminet opportunè, &c. Dum illuminetur, ignorantia erit invincibilis, sed non permanebit in finem, quia ante mortem illuminabitur.*

Infrà quærit an *certa lex* sit, quòd faciens quod in se est, illuminetur de fide Christi explicita ante mortem. Respondet autem id non esse certum, sed probabile; alternare enim Doctorum ca de re sententias. *At cuilibet viatori usum rationis habenti Deus semper dat illustrationem supernaturalem, sicut & auxilium necessarium, ut possit se sufficienter præparare, & ad Deum convertere, & facere quod in se est, ut gratiam obtineat justificantem & salutem, quam Deus facienti quod in se est, ad id certissimè dabit. Et hoc est de fide, quia 1. Timot. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri. Quamvis non omnibus det semper abundans & extraordinarium auxilium ad id, nec alias illustrationes & dona, ut latiùs agunt Adrianus, Medina de Pœnit. q. 2. &c.* Observa hìc 1. gratiam dari facientibus quod in se est, per auxilium supernaturale. 2. Hoc auxilium nulli negari, unde & ejus mentio ab aliquibus non fit. 3. Id videri Cordubæ esse de fide. 4. Etsi omnibus detur ea gratia sufficiens, non omnibus dari efficacem, hoc est *abundans & extraordinarium auxilium*. 5. De parvulis & amentibus negat Corduba parem esse rationem, qui ob solum originis peccatum rejici possunt.

Denique in ambigua illa quæstione, an post promulgatum Christi Evangelium, possit esse de Christi adventu ignorantia invincibilis, & an explicita Christi fides ad salutem necessaria nunc omnibus sit: etsi hinc & hinc æstuasse videatur Ibid. q. 5. Cordubia, in eam ipse tandem se confert sententiam, quòd quibus promulgatum nondum est Evangelium, sufficiat Christi fides implicita, sicut & ante ejus Incarnationem. Idque probat exemplo Cornelii, Eunuchi, Lydiæ purpurariæ, qui justificati sunt ante auditam Christi fidem, ex implicita fide ejusdem. Denique multi eo loco nunc sunt, quo erant omnes ante adventum

Christi, Illud sanè omnibus convenit, sive explicita opus sit, sive implicita satis ad salutem sit Christi fides, nemini à Deo deesse auxilium, quo id consequatur quod est necessarium, ut idem Corduba testatum facit in explanandis singulorum hinc & hinc placitis.

De gratiæ habitualis vi & efficacia ad inclinandum cor, unum profero Cordubæ locum, ubi Scoto favere videtur, non distinguenti gratiam à charitate, *quæ quatenus gratum facit Deo, dicitur gratia; & quatenus inclinat ad diligendum illum, dicitur charitas.*

L. 1. q. 1.

Postremò de efficacissima propositi divini gratia, quæ sit Cordubæ doctrina, hinc conjice quòd cum Divo Thoma & Cajetano sentire videtur, futura contingentia libera videri à Deo, *ratione suæ æternitatis, per hoc quod totus fluxus temporis, & omnia quæ fiunt in tempore, sunt præsentia æternitati. Nam sicut Deus per suam immensitatem est præsens cuique loco; ita ratione suæ æternitatis, quæ est duratio æterna tota simul, est præsens cuicumque tempori.* Scotum verò refellit hanc Dei scientiam repetentem ex voluntate divina, quæ ab æterno determinavit concurrere cum causis liberis ad hos, & non ad illos effectus; Contrà ruit libertas, & necessitas inevitabilis invehitur, ut arguit Okam & Gregorius Ariminensis in 1. d. 38. q. 2. Hinc satis claret usque adeo alienum fuisse sanctum Thomam à doctrina decretorum & motionum Dei prædeterminantium, ut eam commentus sit Scotus adversùs illum. Quo magis mirum est, in eandem ferè Scoti doctrinam defluxisse juniores Thomistas post Concilium Tridentinum. Concursui enim concomitanti Scotus, illi prævio, utrique determinanti infallibiliter voluntates liberas favent, & ita jam futura contingentia in decretis divinis videri cum Scoto contra Divum Thomam sentiunt.

L. 1. q. 55. ad. 4.

At verò Corduba ita sentit: *Libertas voluntatis stat in hoc, quod stante concursu illo Dei universali & habituali, prævio, & requisito, potest suum actum producere, & non producere. Consonat Gregorius Ariminensis in 1. d. 38.* Tria mox distinguit signa rationis, inter decreta divina: *In primo signo consideratur Deus, ut ab æterno vult dare pro tali tempore virtutem & influxum, & movere nostram voluntatem, & paratus est cum ea concurrere in suo tempore ad suos particulares actus. In secundo signo, ut ab æterno vult modificari, & modificatur, & determinatur temporaliter à nostra voluntate, ut postea in tertio signo cum ea liberè ad talem actum concurrat. In tertio denique signo, ut jam predicto modo modificatus & determinatus à nostra voluntate, vult cum ea concurrere, & concurrit ad suos actus singulares.* Nisi vellet Deus suum concursum à voluntate libera sic modificari & determinari, *non bene salvaretur libertas nostræ voluntatis cum concursu divino.*

Ibid. dub. 10.

Sicut autem videatur ita nimis obnoxiam fore divinam & voluntatem & operationem humanæ libertati, respondet suum Deo imperium inconcussum & illibatum constare, qui hoc nostræ libertati concessit, hoc sanxit, hoc jussit. Si Davidi enim, si Salomoni semel & iterum Deus copiam fecit eligendi, non suæ ipse voluntati, aut operationi derogavit vel tantillum. Ita & Ludimagister parvulum, & nutrix infantem regens, ille scribentem, hæc gradientem, ejus quem quisque regit nutui obsequitur, ducique se finit dux. *Et idem est de concursu auxilii divini specialis ad opera gratiæ supernaturalia, & ad diligendum Deum super omnia, ubi predicta tria signa in ejus concursu cum nostra voluntate ponenda sunt, ut bene omnia intelligantur, ut Soto & Vega &c. latiùs agunt.* Ita facilè conciliatur rerum contingentia cum præscientia & voluntate Dei,

Ibidem.

Ibid. dub. 11.

ut consonat Ariminensis in 1. d. 2. art. 2. & d. 36. 37. in 2. dubio.

Præclarissimè rursus idem Corduba infrà advertit, emendanda esse nostræ imaginationis ludibria, cùm futura & præterita, cùm antecessionem quandam fingimus in præscientia & prædestinatione Dei, & ex hoc figmento nodos difficultatum quosdam implicamus inexplicabiles, qui statim evanescunt, ubi primùm se ob oculos mentis sistit æternitatis divinæ infinitus prospectus, omnia sibi præsentissima & videri & esse cogens. *Igitur dicendum est, quod predestinatio & præscientia divina non transit in præteritum, quia in Deo nil præteritum, neque futurum est, sed semper omnia præsentia in nunc æternitatis sunt, quod præteritis simul & futuris præsentialiter coexistit. Unde sic intelligendum est de divina volitione & præcognitione cujuscumque rei, ac si per impossibile nunc inciperet cognoscere, velle, ac deliberare. Quia semper ab æterno est in egrediendo, & in fieri de præsenti. Et ita liberè vult & præscit Deus in nunc æternitatis quod vult & præscit, quasi ad nihil sua voluntas & scientia determinata esset.* Ita etiam nihil humanæ libertati formidandum est à præscientia & à prædestinante voluntate Dei, quasi hæc infinitis sæculorum lapsibus illam antecesserit & determinarit. Ita enim Deus definit, & regit præsentes singulas operationes liberas nostras, acsi præsens illis præsentibus adesset, non retro extitisset; immutabilitate, æternitate, omnipotentia superior & anterior, non tempore.

Ibid.

Jam verò de gratuita prædestinatione ad Augustini mentem & Thomæ prolixè infrà disputat Corduba, eamque definit esse *præparationem gratiæ. Ubi nomine gratiæ comprehenduntur omnia auxilia divina etiam ordinaria, & omnia etiam naturalia media, juvantia & efficaciter perducentia ad finem, puta ad gloriam æternam.* Quasi dicat esse præparationem totius collectionis beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Denique cùm ex antedictis liqueat nec prædeterminationi physicæ, nec præscientiæ mediæ suffragari Cordubam, cui auxiliorum generi concredatur ab eo infallibilitas prædestinationis, non potest esse obscurum.

Ibid. q. 6.

EX FERDINANDO Mascarennas Episcopo Algarbiorum.

An. 1634.

FErdinandus Martinus Mascarennas Algarbiorum regni Episcopus, *Tractatum de auxiliis divinæ gratiæ* brevem, sed copia doctrinæ eximium Philippo III. Hispaniarum Regi nuncupavit. Pauca hinc libabo. Et generali primùm, sive sufficienti gratiæ, omnibus impartitæ, ut non sine culpa sint, sive peccent, sive à peccatis non convertantur ad pœnitentiam, sic ille suffragatur, ut contrariam opinationem Luthero & Calvino adscribat. Ex Augustino in suæ hujus sententiæ præsidium promit, quod ille in libro *de natura & gratia* repetit ex libris quondam suis *de libero arbitrio*; quod alibi non semel jam nos adscripsimus. Cùm ergo conveniant omnes Catholici de gratia sufficienti, authore tamen Ferdinando, *Ex Theologis ita nonnulli de efficaci loquuntur, ut timendum sit, ne fortè cum Lutheranis & Calvinistis non animo quidem, sed sensu conveniant. Videntur enim verbo, non re, sufficientem admittere.*

Disput. 1. de gr. sect. 10.

De illa verò propositione, *Facienti quod in se est, ex viribus naturæ, Deus non negat gratiam:* ità sentit Mascarennas: si id certa *lege* ita fieri existimetur, pinguem eam esse allucinationem. *Nam opera moralia bona ex liberi arbitrii facultate facta, siqua ita fieri possunt, non disponunt hominem*

Disput. 1. de gr. sect. 10.

ad

ad gratiam, aliudve ſupernaturale donum obtinendum: quia ſunt inferioris ordinis, & prorſus improportionata. Si autem ſenſus ſit, Facientibus quod in ſe eſt ex naturæ viribus, dari auxilia ſufficientia à Deo, non ex lege, non ex merito, vel condigno, vel congruo, ſed ex mera & generali liberalitate, cenſet concedendum: nam *idem valet, ac ſi accommodatiùs diceretur, Deum ſua liberalitate, atque ex pura miſericordia, dare ſuam gratiam non ponenti obicem, & impedimentum per ea, quæ propriis viribus facere poteſt. In hoc ſenſu explicata propoſitio, nihil habet cum Semipelagianis commune, quin potiùs videtur expreſsè tradita in Tridentino his verbis, Deus neminem deſerit, niſi priùs ab ipſo deſeratur.* Hæc ille; aliorum potiùs ſententiam à Semipelagiana infamia vendicans, quàm ſuam, ut qui ambigat, an viribus naturæ poſſit quiſquam bona moralia edere. Et ſanè ne ea quidem opera moraliter bona aſſentietur fieri Auguſtinus, ſine Dei auxilio, & ſine donis illis, quæ Deus etiam in filios concubinarum diſſeminat. Deinde ne id quidem annuet Auguſtinus, eos miſericorditer à Deo eligi, qui his donis uruntur, præ aburentibus; cùm perſæpè contaminatiſſimi ab eo vocentur & pertrahantur, omiſſis minùs nocentibus. Sed non ſtatim contrà diſputare Semipelagianum eſt, etſi vel in hoc Auguſtinum ſequi laudatiſſimum ſit.

Efficaciam gratiæ inſuperabilem docet Maſcarennas, & multis proſequitur, non eſſe locandam in prædeterminatione phyſica. Hanc enim ſancto Thomæ & priſcis Thomiſtis eſſe incompertam. Diſput. 3. par. 3. 4. Scientiam conditionatam admittit ille quidem, ſed vehementer intercedit, ne ei efficacia gratiæ ſuperfunderetur. Diſput. 3. p. 1. Vetat & in determinatione morali conſtitui infallibilem gratiæ efficaciam; quippe moralem determinationem in ſola vehementia motionis divinæ tunc ſitam eſſe interpretatur; necnon etiam & vel maximè in congruitate, ac multiplicitate divinorum intus & foris auxiliorum. Ibid. part. 2. Quocirca totum hoc de verbis litigium eſt. Prohibet denique efficaciam gratiæ peti à conſenſu & cooperatione liberi arbitrii. His ergo ablegatis opinationibus, & ea maximè quæ ex præſcientia Dei peteret efficaciam gratiæ, cùm præſcientia Dei extrinſeca ſit; Ibid. part. 3. cùm non præſcientia, ſed ſcientia Dei ſit cauſa rerum; cùm efficacia gratiæ intima, & propria eſſe ipſi debeat; cùm denique præſcientiæ infallibilitas id tantùm valeat, ut Deum certum faciat de eventu rei, non ut ipſum rei eventum perficiat.

Efficaciam gratiæ locandam cenſet in congruitate, non temporis tantùm, ſed omnimoda. Ibid. part. 4. *Peccatoris voluntas tum propter circumſtantias loci ac temporis, tum propter nativam corporis complexionem, tum propter aliquos triſtitiæ, vel alterius paſſionis affectus, ex aliqua occaſione ortos, tum demum propter cauſas alias, ſic aliquando affecta eſt, ac diſpoſita, ut talis mentis illuſtratio, ac talis inſpiratio, nimirum cogitatio de gehenna, & timor æternorum cruciatuum in tanta, vel tanta intenſione, animo concepta, ad efficiendam infallibiliter converſionem ſint illi debitè proportionata. In hac igitur proportione, ſive contemperatione erit meritò collocanda illa efficacia gratiæ. Quis enim non experitur ſeipſum pro varia animi corporiſque diſpoſitione ad res divinas, vel humanas variè affici, & leviſſimis interdum cauſis facillimè flecti, ad illa eadem, quæ aliàs maximè adverſabatur?* Hinc monet captata occaſione diabolum plerisque inſidiari; & tandem ex opportunitate inſilire ac dominari. Oſtendit ex Auguſtino habere nonnullos *in ipſo ingenio & mentibus*, quo moveantur ad fidem, *ſi congrua vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* De bono perſev. c. 14. Plura ex eodem Auguſtino decerpit in hanc rem, jam alibi relata. Nec tamen hinc ſequitur, ut efficacia gratiæ referatur in complexionem ejus qui vocatur, niſi ut in cauſam materialem. Si urgeas autem poſſe alicujus contumaciam uſque adeo occaleſcere, ut nulla benefacientis & beneficiorum tempeſtivitate poſſit molliri; reſpondet cum Auguſtino, *Quis dicat modum, quo ei perſuaderetur, ut crederent, etiam omnipotenti defuiſſe?* Et ex eodem, *Quis dicat defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?* Finem enim modumque habet hominis duritia, non habet Dei ſcientia & omnipotentia. Si præſcientia opus eſſe urgeas, id etiam atque etiam negat: *Nec ad hanc infallibilitatem neceſſaria eſt in Deo præſcientia; quoniam poſito quod gratia ſit congrua, quamvis per impoſſibile id à Deo neſciretur, nihilominus effectum haberet. Nam Dei præſcientia non facit gratiam eſſe congruam, ſed facit Deum certum de ipſa congruitate.* Denique ſi duo aliqui æquali gratia & vocatione prævenlantur, negat contingere poſſe, ut alter tantùm convertatur, ſi modò æqualitas gratiæ & vocationis petatur, unde petenda eſt ex contemperatione omnimoda. Nam alioqui gratia minùs intenſa, poteſt eſſe magis congrua, eòque efficacior. Unde Auguſtinus, *Quamvis multi uno modo vocati ſunt, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.*

L. 1. ad Simpl. q. 2.

Diſput. 3. p. 1.

L. 1. ad Simpl. q. 2.

Hactenus Maſcarennas, cui nequaquam refragabitur, qui hanc tantam contemperationem non uni, ſed pluribus committet auxiliis divinis, ſive internis affectionibus, ſive externis ſimul excitationibus congruis. Ita enim Scripturæ, Patreſque, ita experimenta docent, pluribus & diverſiſſimis oppugnationibus expugnari tandem contumaciam hominis.

EX ALPHONSO CURIELE
apud Salmanticenſes Theologos Primario Profeſſore. An. 1609.

Gratia habitualis ſuo etiam modo efficax eſt ad operandum. Gratia generalis nulli deeſt, ſed nullum ſola ad juſtitiam & ſalutem provehit. Gratia propoſiti efficaciſſima eſt ex auxiliorum complurium, licèt fruſtrabilium, collectione non fruſtrabili.

GRatiæ habitualis vires latè proſequitur in primo parente Alphonſus Curiel, ut per eam poſſet homo innocens *implere præcepta omnia ſine aliquo ſpeciali auxilio, præter illud quod eſt gratiæ annexum.* Sed & alibi fusè docet gratiam hanc eſſe participationem divinæ naturæ, ſeu *intellectualitatis*, non otioſæ, ſed vegetæ & efficacis, hìc per fidem, poſtea per ſpeciem, utrobique per charitatem. Controv. 6. D. Iol. in c. 2. Sap. *Gratia quæ infunditur eſſentiæ animæ rationalis, vel angeli, habet rationem cujuſdam naturæ intellectualis ſupernaturalis, ad quam conſequuntur in intellectu & voluntate habitus luminis gloriæ & charitatis, quorum operationibus attingitur Deus, ſecundùm prædictam rationem objecti connaturalis, & proportionati efficacis intellectualitatis divinæ.* Quin & ex ſancto Thoma probat *eſſentiam gratiæ in hoc conſtitui, quod eſt eſſe principium operationum. Conſtat autem has operationes eſſe proprias naturæ intellectualis, ſcilicet in via actus credendi & amandi, & in patria actus videndi & amandi hujuſmodi bonum.* Et infrà gratiam jam nunc infuſam, etſi nunc ex parte deliteſcat, ait mox eruptura aliquando in has operationes beatificas. Denique gratiam reponit inter habitus & *bonum eſſe dantes, & operativos.* Controv. 3. in 2. Epiſt. Petri num. 164. 169. 171. 181.

Jam verò de gratia generali ita Curiel suam sententiam depromit: *Certum est Deum dare voluisse omnibus adultis, de quibus nunc loquimur, gloriam, nisi ipsi suis peccatis se reddderent indignos ea: & insuper auxilia, quæ revera & non solùm nomine essent sufficientia ad consequendum gloriam. Hoc autem quamvis absolutè ab omnibus concedatur, tamen si magis in particulari explicetur, videtur negari ab aliquibus.* Et mox hoc argumento rem conficit, *Si Deus voluit dare Christum, ut redemptorem omnium hominum in particulari, & secundùm se; necesse est, quod etiam voluerit dare omnibus hominibus in particulari & secundùm se gloriam & media sufficientia ad consequendum eam. Sed Deus voluit dare Christum ut redemptorem omnium hominum in particulari & secundùm se. Major est evidens. Ergo Minor est de fide.* Quapropter mox sugillat eos qui auxilia sufficientia verbo tenus admittunt, reipsa auferunt: *Ex his potest impugnari distinctio illa auxilii sufficientis, in sufficiens ad posse, & sufficiens ad operari. Quia si auxilium non dat potentiæ operativæ vires sufficientes ad operandum, ergo cùm Deus solùm vult dare hoc auxilium, ad implendum præceptum, obligat ad impossibile; quia non obligat suo præcepto ad posse, sed ad operari.* Subdit in hac cavillatoria distinctione æquivocationem inesse, ex eo quòd *auxilium habet duos effectus, unum in genere causæ formalis, qui est subjectum suum constituere in actu primo ad operandum; & alterum in genere causæ efficientis, qui est ipsa actualis operatio*: sed effectum illum non posse, hunc posse impediri. *Et ex hoc sequitur, esse impossibile, quod auxilium sit sufficiens per modum virtutis activæ ad priorem effectum, & non sit eodem modo sufficiens ad posteriorem.*

Controv. 4. in 1. Ep. 2. Petri nu. 116. 134 135. 144 149.

Confitetur tamen idem Curiel infra his solis sufficientibus auxiliis neminem ad justificationem, vel ad salutem promoveri reapse, nisi electio gratiæ specialia conferat adjutoria. *Ex Scripturis certum est, nullum ex non electis salvari de facto. Non quia desit eis aliquid simpliciter necessarium, ut de facto salventur, sed quia ipsi nolunt. Et non est mirum, nullum ex tanta multitudine salvari, quia licèt hæc auxilia respectu singulorum sint simpliciter sufficientia, tamen moraliter loquendo, præsertim in hoc statu, non sunt adeo sufficientia, ut non sit valdè difficile cum eis solis salvari.* Quippe cùm longum sit stadium decurrendum, ut proximè quis se gratiæ præparet justificanti, interim homo æger lassescit interdum, & prolabitur in scelus aliquod, & conatus pristinos irritat. Denique addit Curiel, non minùs operosum esse intelligere casum hominis primùm conditi, & Angelorum. Et tamen certa fide constat hic casus.

Ibid. n. 178.

De propositi autem ac prædestinationis divinæ auxiliis indeclinabilibus, ita Curiel: *Certum est, præter hoc genus providentiæ, quod Deus habuit cum aliquibus hominibus in particulari; quibus ita voluit dare gloriam & media ad ejus consecutionem, ut non solùm possent eam consequi, sed etiam de facto, & infallibiliter eam consequerentur. Hoc argumentum non habet per se argumenta tam efficacia, sicut præcedens, & ideo communiter non reputatur tam certum. Sed nihilominus probari potest satis efficaciter ex Augustino.* Ex Augustino profert, quod ille habet de multiplici vocatione, alia nempe quam appellat *altam & secretam & secundùm propositum*; altera est vocatio simpliciter. Addit ex eodem, utriusque discrimen non oriri *ex entitate intrinseca & physica*, ut ideo illa sit, hæc non sit infallibilis; sed *ex voluntate Dei*, & ideo appellatur *secundùm propositum Dei*. Promit ex eodem Augustino discrimen duplicis adjutorii *ad perseverandum*, quo primo homini dabatur posse, si vellet; nunc electis datum ut velint perseverare, & infallibiliter perseverent. Addit cum solis sufficientibus auxiliis neminem consequuturum salutem fuisse, quia id *difficillimum, & moraliter impossibile.* Ergo Deum decebat aliquos indeclinabili auxilio ad salutem agere. Id rursum confirmat ab exemplo Christi, qui gratuita & singulari ac efficacissima electione constitutus est caput Ecclesiæ.

Controv. 4. in 1. Ep. 2. Petri n. 146 &c.

Ibid. n. 146 & 179.

Sed cùm certò constet libertati nostræ intactam servari debere suam indifferentiam, & solus Naclantus vulgatissimæ huic doctrinæ adversetur, contentus non cogi liberam voluntatem: concordiam hujus nostræ inconstantiæ & illius infallibilitatis venatur Gabriel deinceps, persuasus & professus *de fide* esse illam liberæ nostræ voluntatis indifferentiam. Quæ possit excusatio obtendi Naclanto, alibi diximus. Curiel autem ex Tridentino urget voluntatem nostram cum quacumque gratia nunc compositam posse resilire. Ideo fusè insectatur authores prædeterminationis physicæ, & distinctionis sensus compositi & divisi.

Ibid. n. 146 & seqq.

Denique duplici via ait Curiel ad hujus arcanæ difficultatis penetralia vestiganda perringi posse, quarum alteram iniit Bellarminus & Stapletonus, per scientiam mediam & futurorum conditionatorum: alteram Catharinus, duce sancto Thoma in quæstionibus disputatis, cujus loci verba alibi retulimus. *Ex quibus divi Thomæ verbis apertè colligitur, posse duobus modis esse infallibilem eventum alicujus effectus; ante executionem alicujus finis ex vi ordinationis mediorum ad ipsum. Primò quando præparatur & ordinatur unicum tantùm medium, quod ex sua natura est determinatum ad illum effectum, aut finem, & tantæ efficaciæ, ut nullo modo possit ab extrinseco impediri. Secundò quando præparantur & ordinantur plura media, quæ sunt talis naturæ, ut vel nullum eorum in particulari sit secundùm se determinatum ad illum effectum, vel unumquodque possit ab extrinseco impediri, & tamen ex omnium collectione sequatur infallibiliter effectus, aut consecutio finis. Et hoc posteriori modo dicit divus Thomas fuisse per electionem præparata media, quibus electi infallibiliter consequantur salutem. Et eodem modo posset dicere, fuisse præparata media respectu cujuscumque actus liberi, quem Deus voluisset absolutè prædefiniri antecedenter ad cooperationem liberi arbitrii creati.*

Ibid. n. 178 & seqq. de via præmot.

Res ergo contingentes, liberæ, indeterminatæ in causis proximis, possunt esse prædefinitæ & determinatæ in causa prima, seu in *voluntate* Dei, *quæ altero ex duobus modis nunc explicatis, & forsan aliis nobis ignotis, potest inferre infallibiliter executionem nostri consensus pro tempore ab ipsa determinato.* Ubi etsi alternare videatur Curiel, utri se addicat ex his sententiis, non injuria tamen in illam conjicitur consentire, cùi sanctum Thomam suffragatorem concedit. Sed nec illud dissimulandum, non desperare Curielem, quin præter istos sint & alii nobis incomperti modi, quibus Deus infallibiliter perducat quo ipse vult nostras voluntates per media fallibilia, seu frustrabilia à nostræ libertatis indifferentia. Quin & has ipsas rationes duas extricandi hujus nodi non dissimulat *continere magnam difficultatem.* Nam adversus primam objicitur, qui possit infallibiliter cognosci determinatio liberæ voluntatis, antequam se ipsa determinet, cùm interim anceps sit? Adversus secundam, cùm etiam collectio ipsa auxiliorum non determinet voluntatem, quomodo infallibiliter consequatur effectus? Cui postremæ difficultati fieri potest satis, compluribus exemplis rei similimæ. Nam & impius potest resistere tentationibus singulis, non omnibus: & peccata vitare, implere præcepta singula, non omnia: & justus potest culpas veniales effu-

Ibid. n. 171.

effugere singulas, non omnes. Ita ergo resisti potest auxiliis singulis, quorum ex collectione coalescit auxilium propositi, non universis. Nec ipsa enim collectio peccatorum, aut leviùm, aut gravium, determinat voluntatem, cùm nusquam existat tota illa simul collectio, vel peccatorum, vel tentationum, vel auxiliorum; sed singula suo quæque loco & tempore immineant, singulis cedatur, aut resistatur. Et horum exemplorum plenissima est hominis vita, si locum sancti Thomæ recolas. Singuli enim homines possunt abstinere hìc & nunc à currendo, esitando, dormiendo, amando, procreando liberos; & tamen nunquam omnes simul & collectim abstinebunt. Quia hæc est regula certissima & natura contingentium, ut quandoque fiant, quandoque non fiant; ab aliquibus fiant, ab aliquibus non fiant. Argutiarum autem logicarum minutias consectari alienum est à Theologo, cui hæc tam certa, tam evidens, tam quotidiana experientia præstò est.

Confirmantur hæc Curielis placita ex ejus commentariis in sanctum Thomam, qui Duaci in lucem exierunt anno MDCXIX. à Doctoribus Duacensis Academiæ probati. Ubi ex eodem concludit *non posse nunc justos sine speciali auxilio per longum tempus vitare omnia peccata mortalia, & exercere opera bona moraliter*; posse tamen aliqua, posse singula, posse ad breve tempus, & si ad ista requiratur *motio Dei*, seu *auxilium Dei moventis*. Sed sancto Thomæ hanc Dei motionem non vocari gratiam, quòd *sit debita gratiæ habituali, sicut cuicumque virtuti creatæ est debita motio prima causæ ad operandum*. Et ut idem ibidem, *Sicut naturalibus naturalis, ita supernaturalibus formis, gratia & virtutibus, necessarius est concursus actualis Dei, eis proportionatus, ut sunt principia operandi, & eis debitus ex lege ordinaria gratiæ: & quamvis hic concursus possit appellari auxilium speciale, facta comparatione ad hominem secundùm naturam, quia non est ei debitus: tamen alia ratione potest appellari auxilium generale, & concursus generalis, scilicet intra ordinem gratiæ, quia facta comparatione ad hominem, ut habet gratiam, est debitus ex connaturalitate ad ipsam gratiam*. Hoc ergo generale auxilium justis ad singula opera bona abundè sufficit, & aliquandiu.

1.2.q.109.art.8. 10.dub.1.

Sed est præterea *auxilium speciale*, quod consistit in tribus. *Primum est directio extrinseca, qua Deus rationem vivendi alicujus dirigit, & ordinat per media, quibus adjuvetur ad observandum præcepta, & vitandum peccata mortalia. Secundum est protectio etiam extrinseca, qua Deus removet impedimenta, sive moventia ad peccandum, sive retardantia à prosecutione boni. Tertium est copia internarum illustrationum, & inspirationum valde efficacium*. Hoc auxilium *speciale* dicitur, quia nec justis debetur: *Deus tamen justis non denegat unquam hoc auxilium speciale, nisi per eos steterit, ut non utantur oratione, vel bonis operibus, &c.* Si tamen denegaretur, non excusarentur, quia *sufficit potentia ad vitandum singula peccata; non obstante impotentia ad vitandum omnia*. Ita ubi labitur justus, primùm orare cessat ipse, etsi juvetur speciali auxilio hoc; tum hoc illi subtrahitur; cum solo generali auxilio procliviùs lapsat: & tandem in scelus ruit.

Ibidem.

Sed cùm maximè speciale sit perseverantiæ donum, ideo Curiel rejecta tum Molinæ, tum aliorum sententia, qui vel negant *infallibiliter* dari perseverantiam, vel eam infallibilitatem superstruunt scientiæ mediæ: ipse constanter docet *dono perseverantiæ dari actu & infallibiliter perseverare in gratia usque ad mortem: & hoc donum consistere in quatuor quasi partibus, scilicet ordinatione mediorum externorum adjuvantium ad perseverandum in bono: remotione tentationum: magna copia illustrationum & inspirationum internarum: & tandem in tali dispositione circa mortem, ut contingat quando quis est in gratia*. Id probat ex sancto Thoma, qui hoc donum sæpè vocat *specialem protectionem & directionem Dei*. Item ex Augustino. Addit Curiel neminem sine hoc dono perseverare.

Ibid. art. 12. Dub. 2.

1. de persev. dono. c. 9.

Sed tamen *ad perseverandum omnibus paratum esse à Deo auxilium sufficiens ad perseverandum. Si quæras unde constet ex tanta multitudine reproborum, qui carent hoc dono & habent auxilium sufficiens ad perseverandum, nullum perseverasse: respondetur hanc difficultatem esse eandem cum alia simili de prædestinatione, & dicendum est ad utramque hoc constare ex Scriptura, & Conciliis & Patribus*. Denique ex Augustino docet perseverantiam Adamo datam, qua posset, si vellet, non qua indeclinabiliter vellet perseverare.

Ibidem.

Infrà idem tradit gratiam habitualem ex Augustino rectè dividi in operantem & cooperantem, quod prolixè ex eo probat. Operatur enim, ut formæ operantur. Et ipsum auxilium actuale forma inhærens est. Addit Pelagium negasse etiam gratiam habitualem. Postremò idem docet ex sancto Thoma *motione* seu *auxilio Dei moventis* moveri voluntatem, & omnem naturam, secundùm *inclinationem quam habet*, quæ in voluntate est ad bonum universale; & ideo ipsa sic mota *se determinat* ad alteram partem respectu boni particularis.

1.2.q.111. art.2.

Ibid. in tract. de grat. actu. dub. 2. §. 5.

EX LUDOVICO MONTESINO

Complutensis Academiæ Theologo & Primario Professore.

An. 1621.

OMnia opera infidelium esse peccata asserere, *erroneum* putat Montesinus; probatque tum ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. adversùs Bajum, tum ex Augustino, opera moraliter bona & inculpata etiam infidelibus quandoque adscribente. Et quidem *sine gratia* fieri posse putat opera moralia Montesinus, non tamen sine *motione Dei, ut causæ universalis, quæ est auxilium generale*. Probat ex præfata Bulla damnante hanc propositionem Baii, *Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Probat & ex Augustino, ajente post Paulum, quæ legis sunt, naturaliter fieri à gentibus. Item quia imago Dei & libertas voluntatis peccato sauciata est, non extincta. Hæc tamen opera *ad remissionem peccati, & ad impetrandam fidem, vel gratiam nihil prodesse censet, quantumvis fiant ex auxilio gratiæ ordinis naturalis*. Denique nec ut finem naturalem diligi ab homine lapso posse Deum super omnia *sine gratia* idem docet. Firma enim & diuturna illa dilectio pugnat cum instabilitate ægræ naturæ. Ideo nec omnia legis præcepta potest homo lapsus servare etiam quantum ad substantiam, *sine gratia specialis auxilii*. Nec enim potest æger exercere opera sani omnia. Necessitas autem ut cadat in aliquod lethale peccator, in aliquod veniale justus peccatum, nihil officit libertati. Nam & Christus dixit, *Necesse est ut veniant scandala*; & tamen libero arbitrio suo hæreseon portenta homines confingunt.

1.2.q.109.art. 2.d.27.q.3.4.

Ibid. q.6.

Ibid. q.7.

1.2.q.109 disput.29. q.1.

Jam verò auxilium speciale, sive gratiam actualem existimat Montesinus esse ipsammet operationem intellectus & voluntatis, sicut & auxilium generale est ipsamet *operatio causæ secundæ, quatenus dependet ex Deo*. Si esset enim qualitas, non posset agere sine alio concursu Dei. Cùm verò una operatio est causa moralis alterius operationis, *sicut operatio intellectus est causa operationis*

1.2.q.111. disput.31. q.2.

voluntatis, saltem eo modo quo consulens, est causa, ut alter velit, & ita cogitatio aut cognitio objecti est causa moralis, ut voluntas velit: ita Deus media cogitatione est causa respectu actus voluntatis. Hæc est influentia moralis Dei in voluntatem. Est & physica & immediata in eandem. Actus porro vitales vel cogitationum vel affectionum, in quibus gratia operans posita est, non à solo Deo, sed & ab homine physicè & effectivè fiunt: non tamen liberè. Et hæc sunt quæ hoc sensu Augustinus ait fieri in nobis sine nobis.

Cùmque gratia dividatur in excitantem & adjuvantem; gratia excitante, sive externæ vocationis, sive internæ, indigent utique infideles & impii, ut incipiant operari, quæ ad salutem spectant. Sed an justi ad singula opera bona indigeant excitari, dubium inter Theologos Catholicos. Negant enim quidam, *profitentes gratiam habitualem præsupponi ad quodlibet opus meritorium, & habitum fidei infusum ad opus credendi, per quod excluditur error Pelagianus.* Censet tamen Montesinus ad quodlibet opus bonum etiam justis opus esse nova gratia excitante: *Quamquam enim habitus fidei inclinet ad actum credendi, suppositâ cogitatione objecti credibilis; tamen quod concurrat tale objectum, semper est gratia.*

Denique dum quæritur, *an facienti quod in se est ex viribus naturæ, infallibiliter detur gratia:* Molinæ doctrinam, legemque quam ille ad hoc commentus est, multis concerpit Montesinus. Quin immò & eos refellit, qui non ex lege aliqua, sed ex mera Dei largitate gratiam his dari ajunt. Contrà enim vel sic prior daret homo aliquid Deo, & non mera esset illa misericordia, quam aliquid provocaret. Denique nec illud sinit dici, gratiam negari non facientibus quod in se est; cùm gratia non conferatur nisi non facientibus quod in se est, & uberior quandoque gratia licentiosiùs peccantibus. Sicubi autem gratia concedi dicatur opera moraliter bona facientibus, intelligendum est ea fieri ob finem supernaturalem, adeoque per auxilium supernaturalis gratiæ.

Jam de gratiæ habitualis efficacia Montesino cum antiquis convenit, ad implendam *totam* legem gratia habituali opus esse: *Peccatum enim quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*, ex Gregorio Papa. Gratia ergo pondus contrarium imprimit. Deinde *nunquam videmus, quod aliquis existens in statu peccati adimpleat totam legem, aut vitet omnia peccata.* Denique *qui adimplet totam legem, est rectè ordinatus circa omnia media; est ergo rectè ordinatus & circa ultimum finem, qui est Deus.* Contrà autem, *qui est in mortali, est aversus à Deo, ut ultimo fine, & conversus ad creaturam, ut ultimum finem. Unde operabitur juxta illum finem.* Ideo Concilium Milevitanum licèt *nomine justificationis comprehendat non solùm gratiam habitualem, sed etiam auxilia, quibus ad illam disponimur; tamen magis propriè & principaliùs ipsa forma dicitur gratia justificationis, quàm dispositio ad illam.* Ergo ex eo Concilio forma ipsa justificationis conducit etiam *ad vitanda peccata.* Denique qui est in gratia, ut ait Suarez, *indiget minori auxilio ad observationem mandatorum, quàm qui est in peccato. Nam qui est in gratia, habet omnes virtutes infusas quibus inclinatur ad opera omnium virtutum, ac per consequens ad observationem omnium mandatorum.* Ideo infrà negat Montesinus justis ad quodlibet opus bonum opus esse *auxilio speciali* novo. Etenim divus Thomas eo opus esse docet, non ad quodlibet opus, sed *ad rectè vivendum.* Similiter Augustinus, velut oculo sano opus est luce, & medico opus est sanato; ita opus esse ait justis hominibus nova gratia ad bene vivendum. Nam illud exemplum geminum non designat nisi externum auxilium protectionis, idque non ad singula opera, sed ad bene vivendum. Denique ut formæ cuilibet, ita & charitati debetur concursus proportionatus, quo aliqua præstare possit sui generis. Sed cùm non sola charitas, verùm etiam voluntas nostra actus bonos exerat, ideo gratia illi debita, huic indebita est; ideo potest & debet hæc necessaria ad singulos actus gratia *auxilium gratuitum* dici. Denique divisionem gratiæ habitualis in operantem & cooperantem & sancto Thomæ & omnibus priscis Theologis usitatissimam fuisse idem confitetur.

Postremò de gratiæ efficacissimæ vi insuperabili agit Montesinus, cùm perseverantiæ donum statuit in gratia habituali & actuali; & in duplici actuali, *una qua est interna inspirationis, alia externæ protectionis, qua Deus specialiter providet justos aliquos non tentari ea tentatione, ut cadant, vel qua novit illos casuros.* Si qui tamen statim post Baptismum moriantur, his donum perseverantiæ in sola protectione est. Addit *plus requiri modò ad perseverandum post lapsum, quàm antè, tunc enim nulla erat tentatio ab intrinseco, ut nunc.*

Quòd verò gratiam operantem actualem dicat Gregorius Ariminensis, non in sancta solùm cogitatione, & motu subito voluntatis circa bonum, sed *in applicatione voluntatis ad actum liberum* consistere, id multis argumentis ut libertati adversum refellit Montesinus. Censet autem ipse eam esse positam *in sancta cogitatione, & in motu voluntatis subito, qui sit vel dilectio boni, vel terror & fuga mali.* Ea est Augustino *victrix delectatio.* De hac & illud Augustini, *Quis habet in potestate tali visu tangimentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?* De hac author librorum de vocatione Gentium, *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis.* Denique tentationum exempla huc conferunt, ita enim & in malum voluntas impellitur, objecta foris, vel etiam intus insinuata, vel formidine vel delectatione quapiam. *Ut per cimbalum tanquam per instrumentum excitamur & vocamur, ut curramus in templum; ita Deus per nostrosmet actus intellectus & voluntatis assumens istas potentias, ut instrumenta, vocat & excitat nos à somno peccati & desidiæ.*

Rursus idem infrà docet cogitationem sanctam, & motum voluntatis, quibus gratia excitans constat, *causam esse moralem* nostri consensus, cujus causa physica est voluntas. Deus per illam moralis, per hanc physica ejusdem causa est. Ibi enim se habet, sicut qui *consulit & præcipit*, quæ causa moralis est. Potest tamen motus voluntatis subitus esse etiam causa physica actus, *eo modo quo unus actus physicè influit in alium actum ejusdem potentiæ, ut assensus principiorum in assensum conclusionum, & intentio finis in electionem mediorum, hoc est, voluntas actuata per intentionem finis, influit physicè in electionem mediorum.*

Postremò in quo sit invicta efficacia gratiæ, vel ad conversionem, vel ad perseverantiam, breviter declarat Montesinus: *Respondetur facilè, totam seriem auxiliorum, aut motionis divinæ, quam Deus tribuit, ex quo homo incipit converti, vel ex infidelitate ad fidem, vel ex peccato ad justitiam, neque de congruo, neque de condigno mereri possumus; tamen postquam homo jam est justus, potest impetrare à Deo donum perseverantiæ.* Ergo utrumque hoc auxilium in *serie auxiliorum* quadam situm est.

Ex his omnibus facilè conjicitur, quàm in sententiam de gratiæ efficacia propendeat author

iste.

1 2. q. 111. d. 11 q. 4

Ibid. Disput. 34 q. 1.

Disput. 37. q. 7 §. 4

Disput. 25 q. 2.

Disput. 11 §. 1. 5.

Disput. 19 q. 1.

Disput. 11. q. 1. 2.

Lib. de Simpl. q. 2.

Lib. cit.

Disput. 11 q. 1.

Disput. 16 q. 7. & alib.

iste. Ex instituto enim de ea re nil ab eo scriptum vel editum est; quòd typis quidquam mandari ea de re vetuisset Paulus V. *& exisset edictum à Patribus sanctæ Inquisitionis, datum die 24. Julii ann. 1612. quo id ipsum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ fuit prohibitum: & cum Pater Suarez bis orasset Paulum V. ut sibi liceret ea quæ ad istam materiam pertinent, edere; per illustriss. Cardinal. Burghesium à S. Pontifice responsum fuit; justissimis quibusdam causis hoc pro tunc non oportere: quæ quidem prohibitio adhuc extat data die 26. Aprilis anno* 1617.

Disput. 31. q. 1.

EX DIDACO STUNICA
Augustiniano, & Salmanticensi Theologiæ Magistro.

An. 1576.

SCripsit hic & Philippo II. Hispaniarum Regi dicavit *libros tres de vera Religione in omnes sui temporis hæreticos.* De gratia primò generali sic habet; *Fateor magnum vulnus arbitrium nostrum per peccatum primi parentis accepisse, valdeque fuisse dejectum; sed tanto vulneri magnam afferunt medicinam leges & præcepta Dei, auxilia etiam multa Deus præstat, quæ & mentem illustrant, & voluntatem confirmant, & perturbationes sedant. Quare tantis homo munitus auxiliis, nihil accepto vulnere impeditur, quominus satis ampla libertate fruatur.* Et infra objectis aliquot Scripturæ testimoniis: *Hæc probant non posse viribus tantùm nostris nixos ea præstare, quæ ad salutem consequendam, & Dei amicitiam ineundam necessaria sunt. Quapropter oportet Dei auxilium implorare, quod ipse se daturum promisit iis omnibus, qui pro virili parte ad rem tantam aspiraverint. Optio tamen nostra est, velimus nec ne, tanto ejus uti auxilio.* Et infra, *Ea lege quæ servari non potest, nemo tenetur. Sed non postulat à nobis Deus, ut ad se per nos tantùm veniamus. Neque ut ad eum viribus modò nostris enixi convertamur; sed ipso nobis auxilium ferente, qui semper stat ad ostium, & pulsat. Quocirca si nos ipse non adjuvaret, non essemus in culpa, si non ei reconciliaremur. Sed cùm ejus nobis auxilium propositum & paratum semper sit, magnum crimen est tantum beneficium negligere.* Parco plura acervare ex eodem in rem istam.

L. 2. c. 4.

L. 2. c. 5.

Gratiæ habitualis, sed ut feracis bonorum operum, necessitatem sic ille idem tuetur adversus Calvinum: *Quemadmodum vis & præstantia naturalium formarum in eo posita est, non solùm ut rem faciat consistere, sed etiam ut potestatem ei ad agendum suppeditet; ita magna ea gratiæ præstantia est, quod nos Deo gratos non tantùm efficiat, sed etiam ut opera Deo grata præstemus. Et quemadmodum ridiculum esset concludere, viventium animam in vita tantùm valere vestibulo, reliquo autem vitæ tempore otiosam esse; quod multa vivantia, opera & industria sua ad vitam necessaria acquirant: ita ridiculus est Calvinus, qui concludit gratiam in justificationis progressu non regnare, ex eo quod nos multa bona merita ejus virtute ponamus.* Non potuit elegantiùs describi vis & fœcunditas hujus gratiæ. Sic idem infrà de fidei habitu: *Quemadmodum ea radicis natura est, ut arborem, si non impediretur, sua virtute posset provehere, usque dum magnam fructuum copiam ederet: Ita etiam ex fide, si peccatis nostris ejus vis non comprimeretur, magnos justitiæ, pietatis & vitæ fructus ferre possemus.* Et infrà probans non ex Christi imputatitia, sed nobis inexistente justitia justos nos esse, ait hoc esse *cor carneum*, quod Deus olim pollicitus, nunc dat, ut in præceptis ejus ambulemus. *Nam ut rebus omnibus sunt vires à natura ad agendum tributæ, ut ignis per calorem insitum urit; aqua per frigus refrigerat, homo per rationem intelligit, per voluntatem diligit; ita consentaneum est, ut vires dentur eis ad divina præcepta tenenda, ex quibus ut ea teneant, exigitur.* Ergo ut per calorem ignis calefacit, homo per intellectum intelligit; ita per gratiam justus præcepta implet.

L. 2. c. 5.

L. 2. c. 6.

Denique quod ad gratiam efficacissimam attinet, docet hic primùm ex Scripturis colligi, *nihil Deo invito, nihil nesciente fieri, sed aut volente, aut permittente, nihilque temerè, sed omnia magno consilio administrare.* Non omnia ergo Dei decretis prædeterminantibus & facientibus fiunt, sed quædam permittentibus. Ita & inferiùs Dei distinguit duplicem scientiam, *speculativam*, quæ adeo rerum causa non est, nec necessitatem rebus ullam intentat; & *practicam*, & hæc quoque *integram nobis potestatem relinquit. Nam ita Deus considerat res per ipsum faciendas, ut postea fient. Fient autem liberè, ita ut integrum facienti sit secus efficere; considerat igitur eas tanquam liberè faciendas.* Sed ne cavillis locus hic sit ullus, exponit illico, quomodo & in nostra & in Dei potestate sint actiones nostræ. Nimirum in potestate Dei sunt, etiam quatenus in nostra sunt potestate; hoc enim ille ita sanxit, ita decrevit, ut homo suo se nutu huc illuc vertat. *O homo stulte, si Deus illam actionem non suo, sed hominis arbitrio gubernari vult, eritne contra ejus voluntatem, quod hominis arbitratu fiat? Sane verò vult, quippe qui homines ita fingit, ut se arbitrio suo in rebus nonnullis gerendis regant. Quemadmodum verò fingit, ita regit atque tuetur. Et quemadmodum nihil de Dei potestate detrahitur, quod se in agendo cum rebus ad earum vires accommodet; ita neque ejus minuitur potestas, quod arbitratu nostro nonnulle actiones procedant, tametsi ipse aliter fieri preceperit.* Ideo & paulò antè dixerat, nullius animum à Deo *ad peccandum inclinari.*

Sed quomodo ad bonum Deus inclinet corda, & quidem quandoque omnipotenter, sic ille: *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Sed nunquid invitum inclinabit? Ego dico, sua sponte. Idem enim dici solet de iis qui apud Regem gratia & authoritate valent. Id tamen Regis voluntate efficiunt.* Et infrà ex Augustino ait, quòd ad Christum quis *trahitur miris modis, ab illo qui novit in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant: sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et mox, *Eo modo Augustini sententia Deus nolentes & reluctantes convertit, quo bonus orator abalienatos animos sibi conciliat, aut quo beneficiis aliquis infensi hominis studium assequitur, qua omnia non contra voluntatem, sed voluntate fiunt.* Quæ omnia moralem determinationem significant.

Ibidem.

L. 2. c. 10.

EX S. FRANCISCO XAVERIO
Societatis Jesu.

XAverii suffragium non abs re erit rogare, in istis maximè de gratia quæstionibus, quem gratiæ & charitatis copia longè uberrima abundasse ambigit nemo. Oculato expertoque testi nemo facilè fidem negabit. Sic ergo ille primùm de gratia generali, ejusque veluti primitiis, in notitia Dei unius summi & veri, in omnes homines disseminata. De Brachmanibus enim impiæ apud Indos superstitionis antistitibus, sic scribit ille: *Exploratum sibi esse dicunt, unum esse Deum, eique se supplicare.* Et rursum, *Unum ex mysteriis Brachmanum illud fuit, unum esse Deum, cœlique terraque*

raque conditorem ac dominum, illumque ab ipsis coli oportere. Nam idola nihil aliud esse, quam demonum simulacra. Ergo cùm illis compendiosè Xaverius fidei Christianæ summam, symbolum videlicet Apostolicum, præcepta Decalogi, quæ probos in cœlis præmia, quæ scelestos pœnæ manerent apud inferos, aperuisset, *His illi auditis subito consurgentes, certatim me amplexari, Christianorum Deum verum esse profiteri, cujus leges omni ex parte congruerent rationi.* En ut *ratio* humana, ac mens non usqueadeo cœlesti destituatur lumine, quin oblatæ primùm luci Christianorum Sacramentorum, legisque, quam informandis moribus Christus promulgavit, adgaudeat & adgratuletur, quasi suapte sponte, ut cognatæ videlicet, & consentaneæ sibi. Minùs ergo mirum quod infrà ait, *Mensis unius spatio amplius decem hominum millia* L. 1. Ep. 8. *Christiana feci.* Et mox, *Demirantur scilicet Ethnici divinæ legis sanctitatem, seque tandiu sine veri Dei notitia vivere erubescunt.* Si autem ut ibidem subditur, *complures obstinatis animis* L. 1. Ep. 5. *cognitam respuunt veritatem*, id eo fit, quòd ut alibi ait, *Sermonum materiam hominibus dare, vel ne ad victum cultumque necessaria sibi desint, religione mutata vereantur.*

Bonziorum apud Japones alibi idem explanat prophana placita, ita sanè ut intermicent in condensa hac errorum caligine lumina veri innati. Etenim de vitiis eorumque pœnis, de virL. 4. Ep. 1. tutibus, & sempiternis piorum præmiis certissima sunt omnibus dogmata apud illos; sed voluptatum cupiditas volentes fallit, & insanis illudit erroribus, quibus sibi inultam sperent nequitiam posse obtingere.

Adde quòd cum gravissimè ferrent Japones, verum Deum ante Xaverii ad ipsos adventum nunquam se eis indicasse, majoresque suos hac cognitione fraudatos æternis apud inferos suppliciis cruciari; sic illos demulsit Xaverius: *Divinam legem omnium esse antiquissimam. Siqui-* Ibidem. *dem omnes natura magistra scire, Nefas esse hominem occidere, furari, pejerare & alia; argumento esse quod si quid ejusmodi admisissent, conscientiæ stimulis torquerentur. Jam rationem ipsam docere fugiendum malum, sequendum bonum. Idque naturæ insitum esse animis hominum: sic prorsus ut divinæ legis notitiam omnes à natura naturæque authore habeant, priusquam accedat disciplina. Id experiri licere in aliquo, qui disciplinæ expers, in monte aliquo ac solitudine sit educatus, &c. Ita necessariò effici, ante omnes leges ab hominibus latas, divinam legem in animis hominum innatam extitisse.* Hæc eis ratio ita probabatur, ut acquiescerent, atque hisce laqueis expediti, suave Domini jugum facilè subirent.

Universim autem quid sibi de divinis auxiliis spondere debeant homines, maximè fideles, sic ille suam promit sententiam, rerum divinarum expertissimus: *Et quoniam Deus ad suum obse-* L. 3. Ep. 4. *quium, & peccatorum fugam, satis auxilii tribuit omnibus, speramus fore, ut pro sua benignitate nobis non deneget. Quippe in eo res vertetur, utrùm rectè utamur, an abutamur divinis beneficiis.* Et alibi ad Rodericum scribens, Apostolici muneris collegam, *Aveo scire, istic* L. 4. Ep. 3. *quid proficiat, aut potius quid per te efficiat Deus. Quid ipse divinis conatibus officias. Nostram quippe incuriam ac nequitiam semper apud Deum accusare debemus. Siquidem nostra vitio fit, ut ille minus nobiscum suarum opum communicet, minusque aliis per nos suæ lucis ostendat, non sine divinæ gloriæ impedimento: quod contrà accideret, si tales essemus, quales nos esse oporteret.* Hæc castæ Theologiæ, Christianæque pietatis medulla est. Ita pii omnes sentiunt, ita consentiunt. Quàm immaniter porro hæc distant ab eorum cautationibus, qui gratiæ sufficientia auxilia deesse sibi subinde suspicantur, etiam volentibus, & conantibus, ut maximè, pro modo virium præsentium, deesse inquam non sæpiculè tantùm, sed quoties peccatur, idque duntaxat in pœnam originalis peccati, tametsi olim expuncti lustrali aqua Baptismi.

Jam verò de gratia, seu charitate habituali, sic ille primùm existimat, eam in dies augescere, & roborari, ac senescente corpore quasi juvenescere, ingenti virium incremento in viris probis. Itaque ubi plenam hi victoriam retulere de vitiosis cupiditatibus, in hoc beatæ senectæ otio, regnat charitas, & ad opera bona profilit, nullo difficultatis, aut raro obice intercurrente. Actuali igitur auxilio, non illo invictissimo opus præterea est, *quo* ineluctabiliter bonum peragitur, sed illo nimirum *sine quo* non agitur. Vegeta enim virtus, & sponte sua in bonum propendens urgensque, eo suffulta tantùm auxilio, piè, fortiter, justè & prudenter multa peraget. *Episcopus viribus* L. 4. Ep. 6. *corporis destituitur, utcumque animi vires in eo abundent, & in dies augeantur. Deus enim eum tanta gratia dignatur, ut quanto magis in carne debilitatur, tanto plus corroboretur in spiritu. Qua solet mercede Deus noster remunerari eos, qui multos annos perseverarunt in ejus obsequio. Talibus quippe indulget Deus eum assiduarum contentionum fructum in ultima ætate, quo veluti rejuvenescere se sentiant renovatione spiritualium virium.* His *plenam victoriam* ut ibidem dicitur adeptis de concupiscentia, quis invictissimo opus esse dicat & prædeterminante semper auxilio, cùm jaceat prostratus hostis, & nihil, aut penè nihil jam pugnet?

Sed ut Xaverio de Xaverio ipso credamus, vide ut sui ipse animi non actum, non conatum repentinum, sed affectum jugem, habitumque constantem describat, nempe pronum, & præcipitem, actuosum robustumque in opera bona. *Equidem sic mihi persuadeo, crucis Chri-* L. 2. Ep. 1. *sti amatores, vitam hujusmodi exercitam erumnis beatam ducere: crucis autem fugam, aut vacuitatem mortis instar putare. Quæ enim mors acerbior esse potest, quam sine Christo, ubi semel eum gustaveris, vivere? eumque deserere, tuas ut sequaris cupiditates? Mihi credite, nulla crux est cum hac cruce comparanda.* Et idem alibi, *Quid scribam nihil habeo,* L. 2. Ep. 1. *nisi tantam esse vim & copiam gaudiorum, quæ Deus suis hujusce vineæ operariis in hac barbarie excolenda sedulò laborantibus elargiri solet, ut siqua vera est ac solida in hac vita jucunditas, hæc una mihi esse videatur. Soleo sæpe numero quendam in his laboribus versantem audire, cum dicat, Quæso te, Domine, noli me tanta lætitia perfundere in hac vita.* Sic ille de seipso. Quem cœlestis lætitiæ & delectationis affectum jugem & perennem permagnæ fuisse ad bene operandum efficaciæ nemo non intelligit. Et idem denuo alibi: *Nimirum hæc* L. 2. Ep. 4. *omnia pericula atque incommoda Christi Domini nostri causa suscepta, thesauri sunt cœlestibus solatiis refertissimi. Equidem nunquam alibi, nec tam liquidis perpetuisque animi voluptatibus perfusum esse me memini, nec tam leviter labores omnes & ærumnas corporis pertulisse.* Etrursum: *Spe omni in immensis Christi promeritis* L. 2. Ep. 6. *collocata, tot tantisque præsidiis circumseptus, longè majore perfruebar voluptate, in horribili illa tempestate periclitans, quàm deinde præsenti periculo liberatus. Me sanè pudet nequissimum omnium mortalium in ultimo discrimine pro cœlesti lætitia tantam lacrymarum vim profudisse.* Scitè prorsus ait Augustinus, utcumque gravia sint quandoque præcepta, quendam *esse animi affectum, cui gravia non sunt*, quin

immo

immo cui suavia sunt & lætissima. Hoc animi affectu, non tantùm actu, nempe volatico, non habitu otioso; sed affectu & constanti & actuoso fervebat jugiter Xaverius, & inter ipsa vitæ mortalis discrimina immortalis patriæ gaudia prægustabat.

Et rursus idem alibi; Ubi increpuit oppetendæ pro Christo mortis periculum, & hora urget novissima, tum constantiam ait omnem labascere, & contenebrari cœlestis præcepti conscientiam, nisi interior Magister doctrinam illam mortis aspernatricem victricemque infundat animo. *Tum verò nescio quomodo fit, ut quod ante præceptum dilucidum videbatur, incredibili involvatur obscuritate. Nam ne doctissimi quidem viri tam præclare sententiæ vim consequuntur, sed ii duntaxat quos singulari beneficio Deus ipse interior Magister instituit.* De hac cordis schola, & doctrina charitatis aspiratrice, vel ipsa potiùs charitate luminosissima Augustinus interpretatur illa Christi verba, *Qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Porro cùm *doctrina* ea sit, constanter utique in animo perseverat, non subitario tantùm actu fulgurat & fugit ex animo.

L. 2. Ep. 3. L. 1. Ep. 15.

Postremò denique qualis illa sit efficacissima gratia, qua Deus quos vult cumque ad se pertrahit, quamlibet repugnantes, ita Xaverius expertus edocet: *Et quidem insigne existebat Dei in ægrotos beneficium. Si quidem per morbum ipsum eos ad salutem animi vocabat, ac penè per vim ad Christi trahebat fidem.* Quo eodem pertinet & illud quod idem alibi narrat de Legati Apostolici famulo quodam Stabuli Præfecto, qui conceptum votum suscipiendæ vitæ monasticæ suspenderat primùm segni & ignava mora, ac ad extremum omiserat. Is enim in faciendo itinere, dum rivum trajicit incerti vadi, impetu ruentis amnis abreptus, præceps vorticibus ferebatur. *Multò tunc maluisset in monasterio esse, quàm ubi erat. Isque illum tum maximè scrupulus angebat, memoriam ingerens omissæ opportunitatis, quam tunc frustra quantovis redemptam cuperet. Hoc ipse mihi fassus postea est, affirmans minùs se in tam acerbo casu consternatum horrore periculi præsentis, quàm verbere conscientiæ acriter exprobrantis vitam inconsultè actam sine ulla provisione mortis. Addebat præsertim se tali articulo turbatum sera pœnitentia ingressus in monasterium dilati, quo se à Deo vocari non dubiè senserat. Adeoque plenus his cogitationibus nobis est redditus, ut omnes ultro admoneret, ne similia peccarent.* Cœlestium inspirationum vis & copia eadem, quæ olim hujus animum pulsaverat, & propulsata fuerat, ejus vel procrastinatione, vel demum contumaci renisu: nunc eadem ipsa ubi in tanto vitæ mortalis, & æternæ mortis discrimine versantem adgreditur, utique vincit & edomat; non quo tuas ipsa vires exaggerarit; sed quòd ejus pertinaciam ex parte nunc magna conterat gehennæ mox incurrendæ timor. Itaque multò efficacior existit gratia, ubi cum ea conspirat & connititur auxiliaris iste timor. His inspirationum multimodis & iteratis congressibus *persuadet* Deus quidquid æternis consiliis decretum ipsi statutumque est in creatæ voluntatis actus. Unde idem: *Opto ac spero Deum, intimo in animam tuam afflatu inspirationis suæ, persuasurum tibi penitus, &c.*

L. 2. Ep. 5.

L. 5. Ep. 2.

L. 1. Ep. 6.

EX ALPHONSO SALMERONE

Toletano Societatis Jesu Theologo, qui Tridentino affuit Pauli III. Julii III. & Pii IV. Pontificum Theologus.

Obiit An. 1585.

EXpendens Salmeron quì latro in Cruce ad fidem sit tam subitò conversus, hæc habet: *Probabilius est latronem hunc visa, ac probè pro spectæ Christi patientia, & charitate ejus audita insignique mansuetudine, qua pro crucifixoribus orabat, cognitis quoque signis tenebrarum, terræ motus & lapidum scissorum, dispositum fuisse, quo intus Dominum illustrantem & irradiantem audiret, ac tam magnificam fidem conciperet.* Vides qua in collectione & conspiratione ac congruitate divinorum auxiliorum, & ex parte objecti, & ex parte potentiæ invadentium, sirum velit esse gratiæ invictissimæ efficaciam.

Tom. 10. Tract. 40.

Et alibi gratuitam ante ulla merita prævisa prædestinationem asserens, *Antequam videret eorum opera, prædestinavit, id est, firma sua & immobili prædeterminatione, per certa media, quasi serie quadam instituit, ut possent ad gloriam pervenire.* Sed pressiùs mox exponens, qua in re sit illa certiudo & infallibilitas mediorum: *Seimus liberum arbitrium in hac natura corrupta sibi dimissum, non posse nisi in malum tendere. Et scimus stante gratia communi, quæ nulli denegatur, nisi ipsam quisquam sua culpa recuset, posse etiam in malum flecti & sæpè flecti: sed si cum illa communi gratia ponamus prædestinationis donum, asserimus cum Augustino & Thoma à via non deflexuram, & propter ejusmodi protectionem & assistentiam, & tot gratiæ adminicula posse illud ita erigi, ut non obdormiat in peccato, sed præservetur à morte secunda. Quia etsi cuique concedatur per gratiam communem posse perseverare; prædestinatis tamen amplius datur, ut omnino perseverent: non quidem coacti & inviti, sed magis volentes, & cum majori virtute liberi arbitrii. Est si quidem Deo perfacile ita illustrare intellectum, & ita charitatis fervore voluntatem incendere, & alia quæcumque objecta, quæ obstare poterant, ita amovere, ut proposito sibi bono, non contingat ejus recusatio; & proposito sibi malo, non accidat ejus electio: quod non est ab ullo defectu liberi arbitrii, sed potius ab ejus sanitate & robore. Non tamen propterea existimandum est, tale esse liberum arbitrium in hujusmodi, etiam cum confirmantur in gratia, quale est in beatis. Quia in prædestinatis & confirmatis, velut in Apostolis & similibus, verè dici potest esse peccabile, & per se omni motui gratiæ resistere posse; sed propter Dei protectionem & adminicula, prohiberi ne peccet. In beatis verò omnino impeccabile redditum est. Quemadmodum immortalitas corporis Adæ non erat ex principio intrinseco, sed ex protectione Dei, & per remedia ligni vitæ fiebat, ut in eo statu vitæ non moreretur. At beati corpus omnino immortale habebunt.*

Tom. 13. in Epi. ad Rom. disp. 19.

Disput. 20.

Nihil usquam luculentius in hanc sententiam. Ubi observa 1. totam efficaciam vendicari *assistentiæ & protectioni Dei*, non motioni ulli prædeterminanti, vel scientiæ mediæ. 2. Eandem tribui auxiliorum multiplicitati & congruitati: Etenim *tot gratiæ adminicula* suggerit Deus, dum *intellectum illustrat, voluntatem incendit, objecta removet*, in quæ impingi posset, ut tandem voluntas consentiat. 3. Ejusmodi erat immortalitas Adæ ante lapsum, quæ à protectione Dei, & à variis intus & extra adminiculis proficiscebatur, non ab ulla propria immortalitatis forma. 4. Ideo appositè ad marginem citatur sanctus Thomas *de veritate* q. 6. art. 3. unde hanc eandem doctrinam nos supra hausimus, & cujus verba ipsa sequitur Salmeron.

Huc etiam revocandum, quod idem infra docet

docet futura contingentia libera videri à Deo in ejus æternitate, quæ sibi simul & semel omnia tempora, temporaliaque colligit & repræsentat: Ibid. disp. 21. cùm videri nequeant in causis indeterminatis, hoc est antequam existant. Quod verò idem Salmeron minùs probet, reprobos omnes in massa damnationis relinqui, in quam absorpti sunt ob Disp. 22. peccatum originis, cùm tam multi inde educantur ad temporalem justitiam, id ad rem nihil attinet, quam versamus.

Gratiam habitualem idem constituit adversus hæreticos, & probat, quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c. Gratia ejus in me vacua* Ibid. disp. 7. *non fuit, &c. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c.* Quia etiam Augustinus ait, *Virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus.* At ut ait Salmeron, *qui habitus otiosos detinent, in vacuum gratiam Dei recipiunt, &c.* Addit opus tamen esse ad actus bonos singulos gratia actuali nova, & auxilio speciali motionis divinæ.

De gratia generali multa ille interserit. Vocationem secundùm propositum à vocatione generali secernit. Et alibi ait nullam esse, vel concupiscentiæ, vel tentationis vim, quæ cogere possit voluntatem: In c. 8. disp. 18. *Quamquam sine gratia Dei ad fructum bonum edendum per se natura non sufficiat. Sed hanc gratiam nulli Deus denegat, nisi ipse sibi velit deesse, & oculos veritatis luci velit claudere.*

EX BENEDICTO PERERIO

Obiit An. 1610. *Valentino Societatis Jesu Professore Theologie.*

SOcietati aggregatus ann. 1552. Pererius, ut author est Ribadeneira, priscam, hoc est, Augustini & Thomæ mordicus doctrinam retinuit, nec in ullas se novitates abduci passus est. Romæ perpetuò vixit, & tandem devixit anno 1610. teste Philippo Alegambe. Quod de industria adnoto, ut sciri possit, dum ferverent Congregationes de Auxiliis, hunc infinita penè doctrina virum, & tunc & postea etiam tenacissimè antiqua Augustini & Thomæ placita retinuisse.

Itaque quoad gratiam generalem, refellit primùm eos Pererius qui negant *primam vocationem, æternam electionem & prædestinationem,* In c. 6. Ep. Joan. disp. 4. *contingere homini propter meritum Christi, sed propter solum Dei beneplacitum, æternumque propositum voluntatis ejus; at meritis Christi dari remissionem peccatorum, gratiam justificantem, potestatem faciendi bona opera, & perseverantiam usque in finem.* Ut enim Christi incarnationem, ita & illa prima divino uni beneplacito imputant beneficia. Contra Pererius argumentatur ex Scriptura, *Benedixit nos Deus omni benedictione spiritali in Christo, &c. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, &c. Christus est vitis, nos palmites, &c. De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia, &c.* Ergo ea etiam omnia Christo ferenda sunt accepta.

Cur autem hunc & non illum *trahat* ad se Christus, *cùm omnes ponant obicem;* respondet Ibid. disp. 21. Pererius cum Augustino, *Noli quærere, si non vis errare.* Respondet secundò cum Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, & aliis Græcis, *Ut ferrum non omnia trahit, sed magnetem, cum quo habet naturalem convenientiam: ita Deus trahit quos reperit idoneos & dignos.* Cùm autem *Chrysostomus doceat pluribus locis gratiam Dei esse fontem omnium bonorum, & initium omnis boni*, non existimandum est, illum hic favere Pelagianis. Sed cùm varii sint *motus* Dei in animo, & primò illustret intellectum, deinde afficiat voluntatem, tertiò *trahat efficaci persuasione intellectus, & inclinatione voluntatis*; ex his qui consentit primo motui, idoneus fit secundo, & ita de cæteris. Qui ergo *secundùm viam ordinariam* trahitur, ita trahitur, si idoneum se præstitit, consentiendo prieri gratiæ. Ideo alibi ait quibusdam gentibus, scilicet priora auxilia aspernantibus, *non mitti efficacia subsidia, quibus ad salutem accipiendam convertantur.* L. 1. in Dan. p. 40.

Sufficientibus enim omnes omnino juvari auxiliis docet, dum ait, *non posse legem naturalem omnino ignorari, & ex corde hominis deleri*, ex Augustino: itemque, *Sicut bene agens naturaliter gaudet; ita cùm male agit, naturaliter metuit, & morsum conscientiæ patitur, etiam si nemo scelus ejus accuset, aut etiam noverit. Se judice nemo nocens absolvitur. Et primi nostri parentes statim post lapsum cognoverunt peccatum suum; nam continuò erubuerunt, & seipsos abscondere à conspectu Dei voluerunt.* Semina virtutum superesse mox confitetur, sed non *vivida & efficacia*, si careat quis Dei gratia, cùm peccatis & concupiscentiis sint offocata. In c. 2. Ep. ad Rom. disp. 14.

Sed quàm nullus defiat auxiliis ad conversionem sufficientibus, liquebit ex ejus disputatione de induratis septima. *Sciendum, cùm primum quis peccat, Deum ei auferre gratiam justificantem; sed plura illi relinquere auxilia, quibus interius exteriusque juvari queat, ad surgendum à peccato & redeundum ad gratiam. Si hæc porrò auxilia peccator contemnat, peccata peccatis cumulans, difficilior fiet ejus conversio, tum ex parte ipsius, qui pluribus peccatorum vinculis constrictus tenetur; tum ex parte Dei, qui in pœnam tot & tantorum ejus criminum, multa de auxiliis suis, quibus ille juvari posset, subtrahit. In tantum verò posset ille peccando procedere, ut penitus deseretur à Deo, auxiliis ejus fermè omnibus destitutus: & tunc diceretur induratus.* Hactenus Pererius. Itaque ne induratis quidem omnia subtrahit auxilia. Profert subinde eorum sententiam, qui ita opinantur, cumulum esse peccatorum aliquem, quo impleto, jam nihil penitus auxilii à Deo suppetat, adeo ut resipiscere amplius haud possint. Contestatur autem hanc Tostati sententiam *ante ipsum inauditam fuisse inter Catholicos Doctores; immo contrariam, quod nulli peccatori antè mortem denegatum sit posse pœnitentiam agere, & ad Deum converti, viguisse semper in Ecclesia, & inter Patres ac Theologos.* Etenim hujusmodi jam viatores non essent, nec distarent à damnatis. De Manasse & Pharaone, id si constaret, existimandum fuisse. Et tamen ille ad meliorem frugem se recepit, hic idem potuit. Ideo fixum semper Patribus & Theologis fuit, *de nullo peccatore, dum vivit, esse desperandum, nulli Deum sufficiens ad pœnitendum auxilium denegare.* Denique etsi pro ea sententia referantur Adrianus, Cajetanus & alii quidam, hos ab ea alienos esse ostendit Pererius. De eadem generali gratia vide quæ idem dicat in cap. 1. Joan. disputat. 21. 22. in ea verba, *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Jam de gratia habituali, hanc ex multis Augustini testimoniis idem evincit esse *charitatem*, quæ ex Paulo diffunditur in cordibus nostris; & *justitiam*, de qua Augustinus: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; Charitas provecta, provecta justitia est, &c.* Hanc habitualem intelligi probat ex verbo Pauli *Diffusa*. Unde *apud Theologos appellati sunt habitus infusi, & virtutes infusæ. Actus enim dilectionis, cùm sit à voluntate ipsa factus, non potest, si propriè loquamur, appellari infusus.* Addit opus fuisse infundi hunc habitum illis, quos *Deus in filios adoptat, quos vult ac jubet facere opera divina & supernaturalia; præsertim cùm multa*

sint,

De morib. Eccl. c. 11. De nat. & grat. c. 63. in Pl. l. 8. Conc. 26

sint, quæ retardant hominem, partim propter propensiones ad malum, partim propter pravos habitus. Sicubi autem charitatem vocavit Augustinus animi *motum*, respondet Pererius eo singulari loco de actu charitatis verba fieri, alibi de habitu, cùm tam crebrò charitatem inter virtutes numeraverit.

In c. 6 Ep ad Roman disp. In cap. 7. disp. 19.

Et alibi idem Pererius ex Augustino exponens quid sit, esse sub gratia, hæc summatim concludit: *Esse sub gratia est hominem à peccatis liberatum, Deique gratia donatum, & sub ejus præsidio ac protectione manentem, & velle, & posse universam legem implere, atque in posterum peccata cavere*. Et infrà, *Gratia facit ut homo à concupiscentia non pertrahatur ad peccatum, & ut qui antea concupiscentiæ serviebat, per gratiam fortiter ei resistat, vincens eam, &c.* Ita ex Augustino, sub lege non est, sed sub gratia, & concupiscentiam vincit, quisquis justificantem gratiam adeptus est. Addit exemplum Scoti, de lapide alligato alis Aquilæ. *Si enim cresceret virtus motiva Aquilæ, licèt non minueretur gravitas lapidis, minùs tamen tardaret volatum Aquilæ*. Et alibi ait Pererius Joannem eo verbo, *Qui natus est ex Deo, non peccat*, declarare voluisse *admirabilem vim & efficaciam divinæ gratiæ justificantis hominem*. Quam eandem & Paulus manifestat, dum ait nullius creaturæ vi posse quemquam justum superari ac separari à charitate Dei. Ubi Bernardi profert verba Pererius observantis, non adjecisse Paulum, *nec nos ipsos* posse nos separare à charitate Dei: *Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos ab ipso, aut vim nobis facere possit. Soli nos deserere Deum possumus, propria voluntate abstracti, &c.* De eadem gratia vide prolixè eundem in cap. 4. Evang. Joan. disp. 4. 5.

In cap. 8. disp. 26.

Ibidem disp. 28.

Serm. de dupl. Baptismo & de resuscitanda propria voluntate.

Perganus nunc ad tertium gratiæ, & quidem efficacissimæ genus. Perseverantiæ *usque in finem* donum, quo fit, ut non solùm possit quis perseverare, sed etiam ut perseveret, docet Pererius cum Augustino *donum esse Dei, nec cadere sub meritum hominis*. Alibi horum verborum, *Quis nos separabit à charitate Dei?* hunc esse posse sensum docet, *Quid potest esse tam triste & acerbum, quod Deus qui nos tantoperè amat, non ita moderetur, & gubernet, ut nequaquam deficiamus ab ipso?*

In c. 8. Ep. ad Rom. di p. 9.

Ibidem disp. 22.

In c. 8. Ep. ad Rom. disp. 2.

Approbat etiam alibi, ut ipsemet ait, *illam à Theologis hujus temporis frequenter usurpatam, & celebratam auxilii divini distinctionem in efficax & sufficiens. Sufficiens auxilium est, quo quis posset converti, si vellet ei cooperari; sed quia ipsum negligit, non convertitur. Efficax est, quo non solùm potest converti, sed actu convertitur. Efficacia namque conversionis hominis, licèt principaliter à divina gratia & auxilio proveniat, habet nihilominus tamen necessariam connexionem cum assensu & cooperatione liberi arbitrii, sine qua non est efficax quantum ad productionem effectus*. Utrumque hoc auxilium ex Augustino exculpit & ex Scripturis. Apud Augustinum sanè ait efficax ad perseverandum esse auxilium, quod ab eo appellatur *auxilium quo*; sufficiens verò, *auxilium sine quo non*. Sed illud hìc observa Pererii, hanc distinctionem frequenter usurpari à Theologis hujus temporis; etenim ut Mariana jam adverterat, nova erant tunc ea nomina, nova jurgia, etsi res ipsa & olim eadem, sed quæ civiliùs clementiùsque tractabatur: gratiæ efficacis congruitatem omnibus amplexantibus, plerisque minùs perscrutantibus, & totum divinæ commirtentibus sapientiæ, & omnipotentiæ. Et sanè ipsemet Pererius, infrà Cajetanum prolixè intexit, ita censentem, Deo prædestinanti gratis omnia deberi, homines libera uti voluntate sua, horum concordiam credi pareesse, vestigari nefas & irritum.

Ibidem in cap. 9. disp. ult.

Alibi tamen Pererius persæpè & prolixè venam invictæ hujus efficaciæ venatur ex ejus congruitate cum libera hominis voluntate, cui adeo facilè illam conciliat. Ergo liberè & tamen indeclinabiliter movet agitque Deus voluntates hominum, quia ex divo Thoma, *convenienter naturæ* illas movet, ut *per consultationem, & deliberationem, & electionem ipsa procedant ad agendum*. Ubi se autem interserit consultanti homini divina sapientia & omnipotentia, quid tandem non persuadebit, quò non inclinabit? Agit enim Deus teste Augustino, *visorum suasionibus, ut velimus, & credamus; sive extrinsecus, per evangelicas exhortationes; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem*. Et quamquam explodat Catharini duplicem salvandorum classem Pererius jure meritoque, non tamen rejicit vim gratiæ qua prædestinatos ille censebat à Deo ad salutem protrudi, *quod tot & tantis gratiæ suæ donis eos censebat cumulari, tamque firmis providentiæ præsidiis muniri, ut infallibiliter, salva tamen semper voluntatis eorum libertate, perventuri essent ad vitam æternam*. Reprobis certè ait Pererius non dari à Deo *congrua & efficacia* gratiæ auxilia.

In c. 9. ad Rom. disp. 8.

Ibidem c. 8. disp. 25.

Sed quorsum attinet consectari verba huc illucque sparsa, cùm copiosè rem ipse tractaverit, aggressus elucidationem horum Christi verborum, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*? Ubi notat verbo *trahere*, designari *efficaciam divinæ gratiæ, effectum suum infallibiliter habentis in animo hominis*: verbo autem *venire*, liberum hominis arbitrium. Et rursum, *Verbo, traxerit, significatur efficacia divinæ gratiæ, quæ nullo modo frustratur effectu, ad quem dirigitur à Deo. Hæc infallibilitas nititur tum immutabili decreto Dei voluntatis, tum certissima Christi promissione, &c. Sanè vocatio Pauli potest verissimè dici tractio ad Christum, quia per magnam Dei virtutem compulsus quodammodo est venire ad Christum*.

In c. 6. Ev. Joan. disp. 17.

Ibidem disp. 19.

Nec multò post ait non posse voluntatem à creatura ulla trahi *effectivè*, ut palam est; sed tantùm *objectivè*, proposita boni creati specie. At eam tractionem *non posse esse efficacem, nec infallibilem habere effectum*, quia creatura finitæ bonitatis est, voluntas infinitæ capax est. *At Deus & effectivè trahere potest voluntatem, cùm sit enim causa prima efficiens & movens, omnes movet ad agendum: trahit quoque objectivè, quia cùm sit conditor voluntatis, & perfectissimam omnium rerum quoquomodo scibilium habens scientiam, optimè scit, quibus bonis objectis trahatur cujuscumque hominis voluntas. Et cùm sit infinitè bonus & potens, potest voluntati offerre omne bonum ab ipsa expetibile*. Nihil his aptius, nihil præclarius, validiusve dici potuit. Et rursus, *Quibus modis Deus trahat hominem, indicavit ipse per Oseam, In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Id est, traham eos funiculis, quibus homines voluntariè, ac libenter trahi solent: id autem est, promissis, beneficiis, ostenso amore, oblata bonitate, revelata veritate*. Liquet ergo per hanc gratiam à Deo moveri & præmoveri voluntatem physicè, sed infallibiliter determinari moraliter & objectivè.

Ibidem disp. 22.

Multiplicia autem adjutoria ad idem conspirantia mox recenset: *Trahe me, curremus in odorem unguentorum tuorum. Unguenta sunt quatuor. Primum est indeficiens Dei clementia erga peccatores verè pœnitentes. Secundum severissima justitia adversùs impœnitentes, sempiternis inferni cruciatibus eos punientis. Tertium est justitia*

Ibidem.

Dei

Dei benignissimè remunerans justos eternis bonis & gaudiis. Quartum est exemplum passionis & mortis Christi. Hæc ubi objectivè intentantur animo, & importunè opportunèque inculcantur, si unà mentem Deus affectuum, inspirationibus lacessat infatigabiliter, nulla tanta duritia est, quæ non molliatur.

Eò referri possunt, quæ idem habet de modo quo Deus indurat etiam *per potentiam*. Quod ita fieri docet ex Augustino: *Excitat Deus in eo varios affectus, vel motus, fiducie, spei, cupiditatis, ire; varias item imaginationes & perplexas cogitationes immittit, etiam somnia & visa nocturna injicit. Similiter circa eum multa facit exterius, vel bona, quibus contemptis fit pejor, vel mala, que ad malum possunt inclinare, & eo sunt inclinatura ejus animum, &c.* Et alibi: *Explicandum est quomodo Augustinus intellexerit, Deum inclinare voluntates hominum ad malum. Intellexit nempe inclinare eas Deum ad malum, non propriè, & efficienter movendo eas, &, ut non ita pridem à Theologis dici cœptum est, physicè movendo & determinando ad malum; sed quia multa circa peccatores operatur, per se quidem non mala, sed quibus tamen occasionem illi capiunt gravius peccandi, &c. Ergo Deus inclinat voluntatem ad malum, non efficienter movendo eam, sed tantùm per occasionem, & ut ita dicam, objectivè.* Quantò faciliùs ergo ad bonum omnipotenter flectet, quos volet, cùm ibi non objectivè tantùm, sed & efficienter possit quod vult peragere?

In c. 11. Exodi disput. 8. In c. 1. Ep. ad Rom. disput. 18.

Observa hic autem primò nusquam Pererium meminisse scientiæ mediæ, seu conditionatæ; sed eam tunc explodere, cùm dixit, *Cùm sit conditor voluntatis, & perfectissimam omnium scibilium quoquo modo rerum habens scientiam, optimè scit, quibus bonis objectis trahatur cujuscumque hominis voluntas.* Hæc enim scientia simplicis intelligentiæ est, & absoluta, atque ab illis etiam celebrata sæpissimè in hoc negotio, qui scientiam mediam ex instituto confutabant. Secundò, *physicæ determinationis* meminisse eundem, sed ut illam rejiciat, & *non ita pridem* à Theologis quibusdam excogitatam dicat.

EX JOANNE AZORIO

An. 1600. *Lorcitano Societatis Jesu Theologo.*

Esse viam quandam ac rationem omnipotentissimæ Dei providentiæ, qua electos suos & ab impietate ad justitiam, & in justitiæ deinceps stadio certantes ad perseverantiæ palmam insuperabiliter agat pervehatque, citra vel prædeterminantem physicè gratiam, vel scientiam mediam, nequaquam dubium esse potuit Azorio. Sic enim ille confirmatos in bono censet à Deo custoditi perenniter per beneficia tam densa, tam suavia, tam opportuna, ut nusquam cadant, etsi incolumi utantur liberi arbitrii sui indifferentia. Idem gratiæ præsidium si cuilibet admoveas, non perenne & indivulsum, quale confirmatis conceditur; sed breve & momentaneum; tum videlicet cum gratia efficaci ad conversionem, vel ad arduum pietatis facinus quodcumque adjuvatur; ineluctabilem gratiæ efficaciam cum ancipiti nostra libertate mollissimè conciliaveris, *Apostoli & confirmati in bono, & gratia divina, dum in hac vita mortali degunt, peculiari & singulari providentiæ Dei munere per totum hujus vitæ cursum ita suaviter ducuntur, & diriguntur, ut à bono nunquam graviter vel leviter peccantes, aut saltem graviter, aberrent & excidant. Hujusmodi autem singulare & eximium divinæ providentiæ donum in eo situm est, ut confirmatus in bono, sic certis quibusdam & peculiaribus divine gratie presidiis prevenientibus, comitantibus & subsequentibus efficacissimè dirigatur, ut à recto nunquam deflectat, quamvis liber prorsus semper existat citra ullam violentiam & necessitatem. Nam ubi & quando & cui vult Deus, bonam cogitationem ita opportunam & commodam injicit, ut id velit, quod vult Deus, quamvis possit non velle; & ita adversùs malum cogitationem suggerit, ut id respuat & fugiat, licèt possit non fugere.* Vides ut Azorius à confirmatis in gratia delabatur ad quosvis alios, artemque aperiat, qua Deus citra vim deflectat eorum voluntates, quo ipsi cumque libuerit.

Institution. Moral. l. 1. c. 2. q. 2.

Et quoties agit, aut movetur voluntas creata, moveri ac præmoveri eam à Deo assentitur Azorius; sed cogitationum & affectionum piarum inspiratione moveri eam censet, sive à Deo solo, sive à Deo medias quoque creaturas aliquas adhibente. At ubi consequenter voluntas ex repentinis & indeliberatis inspirationibus inclinatur in aliquid, moraliter, non physicè per illas ad istud censetur determinari. *Cum voluntas à Deo externo principio movetur, non propterea id fit, quia semper Deus proximè per seipsum absque aliarum causarum naturalium aut supernaturalium ministerio & opera vel menti cogitationem ingeneret, vel voluntati rei cupiditatem & amorem instillet; sed quia tanquam natura author & conditor voluntati dedit principium motionis; quapropter prima bona cogitatio & appetitio, cùm non ex alia priori voluntate promanet ac exurgat, in Deum tanquam authorem refertur. Hinc igitur fit id, quod verè tradidit sanctus Thomas, ut cum voluntas incipit aliquid velle, non à se, sed à Deo moveatur.* Tunc enim etiam à seipsa movetur, cùm ex priore seu cogitatione, seu voluntate in aliam venit. At quæ prima vel cogitatio vel voluntas suboritur, eam necesse est à Deo illi injici, *Sive illud sit naturæ, sive gratiæ bonum.* Ita à Deo præmovetur voluntas, ut assentiri, vel dissentire his inspirationibus possit, ideoque non determinatur. Ibid. c. 2.

Et ibidem rursum cùm monuisset præscientia divina nihilo plus periclitari libertatem nostram, quàm cujusquam, vel legendi, vel scribendi potestas libera deteritur, si spectatores habeat. Quærit mox, *Quomodo cum eterna divina voluntatis præfinitione, qua futura bona præfinivit, salva sit humane voluntatis libertas? Nam voluntas divina est efficacissima, cui nihil potest obsistere. Hanc quæstionem infrà commodius diluemus, in præsentia dixisse sufficiat, Deum sic nostrum in bonis consensum præfinisse, ut suo loco & tempore ita opportunam & commodam bonam cogitationem injiciat, ut id velimus & sequamur, quod Deus nos secuturos præfinivit, licet possimus non sequi. Sic item opportunis & accommodatis auxiliis voluntatem excitat ac movet, ut ipsum Dei ductum homo liberè sequatur. De hac re alio in loco fusiùs disputabo.* Totam constanter efficaciam gratiæ vendicat *certis, peculiaribus, opportunis, accommodatis auxiliis* compluribus. Nusquam vel scientiæ meminit mediæ, vel motionis infallibiliter prædeterminantis; etsi & præmotionem inculcarit, sed quæ motus indeliberatos inspiret & ita excitet. Lib. 4.

Et infrà denuo auxilium gratiæ ita distinguit & describit: *Duplex est Dei auxilium ad bene agendum necessarium, movens, sive præveniens: & adjuvans, sive comitans. Movens auxilium, sive præveniens, quod ad intellectum spectat, est cogitatio, qua bonum oblatum cognoscimus, & quidquid ante consensum hominis allicit, invitat, flectit, & movet hominem ad bonum, monendo, docendo, dirigendo. Quod verò ad voluntatem attinet, est motus quo Deus voluntatem movet, ut bonum velimus, quamvis simpliciter*

citer possimus, aut id non velle, aut oppositum velle: sive id efficiat Deus per seipsum suo nutu & arbitratu: sive opera & actione alicujus causæ secundæ naturalis vel liberæ: sive ministerio causæ supernaturalis. Adjuvans sive comitans auxilium est, quo Deus cum homine jam excitato & moto operatur in volendo & perficiendo bono. Utrumque auxilium vocatur speciale, ea quod quibusdam, non omnibus conferatur, aut quia ad quædam opera, non ad omnia detur. Prolixiùs hæc
Ibid. q. 7. à se elucidatum iri jam semel iterumque promisit Azorius: hic rursus idem spondet se præstiturum libro septimo. At in editione Lugdunensi anni 1602. cujus unius copia mihi fuit, de hoc argumento altum est silentium toto libro septimo. Consulenda ergo editio Romana tomi ejusdem primi anno 1600. ipso vivente & præsente Azorio facta.

Idem ibidem auxilio generali patrocinium adserit Augustini, Prosperi, Fulgentii, ei nimirum, *quod Scholastici Theologi datum homini ad*
L. 3. c. 14. *bonum moris cogitandum, volendum & faciendum, appellant commune & generale Dei auxilium, quia omnibus tum bonis tum malis hominibus dari solet, & ad omnia opera bona, tum naturæ, tum moris.* Hanc Bonaventuræ ait esse *generalem influentiam*; de hoc generali auxilio interpretandum illud quoque censet, *Sine me nihil potestis facere*. Speciale definit esse, quod datur ad opera gratiæ, vel fidei; sed maximè speciale, quod *datur ad semper vel diu honestè pièque vivendum, ad opera ardua & difficilia virtutis facienda, ad magnas & vehementes tentationes vincendas.* Sed rursus ibidem de
Ibid. q. 8. auxilio generali, illud ait *vocari à Scholasticis generale & commune, tum quia datur probis & improbis, Christianis & Paganis; tum quia datur ad bona opera naturæ & rationi consentanea. Alii ut Gregorius, Capreolus, Major illud speciale appellare maluerunt, quia distinctum est ab eo quo Deus cum homine facit actum malum, non ut malum, sed ut actum. Omnes tamen contra Pelagium conveniunt, illud auxilium necessarium ad bene cogitandum, bene volendum, bene operandum, & esse gratuitum auxilium, hoc est, sine ullo merito hominis dari, nec esse supernaturale, quia datur ad opera naturæ, & rationi consentanea, non supernaturalia.*

Jam verò quod per virtutes infusas detur potestas bene operandi, etiamsi præterea opus sit auxilio Dei moventis illis consentaneo, idem persæpè ibidem docet. *Primus homo acceperat singulares virtutes & dona, quibus posset omne pec-*
L. 3. c. 15. q. 8. *catum etiam veniale cavere. Nunc virtutes & habitus supernaturales infusi dant homini, quo à peccati labe servetur, & quo possit lethalia peccata in posterum devitare; sed non dant, quo possit omnia venialia declinare.* Eadem ratione commune supernaturale auxilium Dei, prædictis habitibus infusis consentaneum, datur homini quo à peccato surgat, & quo lethalia peccata devitet; sed non datur, quo omnia peccata venialia declinet: quoniam est auxilium cum habitibus supernaturalibus infusis congruens, & illis respondens.

EX FERDINANDO VELLOSILLO
Episcopo Lucensi.

An. 1601.

SCripsit Vellosillus *in Chrysostomum & in quatuor Doctores Ecclesiæ Advertentias Theologiæ Scholasticæ*: quibus verbis abundè declaratur operis consilium.

Docet hic primò posse aliquod, non posse *omne* bonum morale peragi ab homine lapso, *sine auxilio speciali. Bifariam dicitur aliquid possibile,* In tom. 1. Chrysost. quæst. 9. *vel potentia logica, quia non implicat contradictionem; vel moraliter, & modo humano loquendo. Simile est de infirmo, qui potest iter agere per unam leucam, & tamen per tres non potest. Sic ergo dicimus, posse hominem unum, aut alterum opus bonum morale operari; & tamen omne, & in omni eventu, & toto vitæ cursu sine auxilio speciali non potest.* Sicubi Chrysostomus gratiæ prævenientis necessitatem elevare videatur, molliùs illum ex aliis ejusdem contextibus interpretandum tradit.

Ad moralia enim bona opera nunquam destituitur quisquam generali Dei concursu ad bonum inclinante, quem tamen homo deflectit non rarò ad peccandum. *Constanter asserendum est omnia operum nostrorum vitia & defectus omnes nobis,* In to. 5. Hieronymi quæst. 7. *sed non Deo imputari debere. Nos enim sumus, qui ad mala opera generali ejus concursu abutimur, cùm ille paratissimus sit nobiscum ad bona cooperari. Et quemadmodum nemo imputat fabro homicidium, gladio ab ipso bona intentione facto perpetratum; neque Angelo motori orbium cœlestium mala quæ per eorum influxum facimus; neque vitium mala ambulationis claudi in tibiam detortam rejicimus, neque vitium scripturæ malè exaratæ ab optimo scriba in papyrum malam, aut in calamum malè temperatum; ita prorsus neque peccata nostra Deo imputari debent, qui auxilio solùm generali ad ea concurrit; sed nobis qui ab ipsius lege deflectimus, & claudicamus, & ipsius influxum in malum detorquemus.*

Et rursum de generali gratia consequenter ibidem, *A nobis ergo ipsis est, quod deficimus,* Ibidem. *quod erramus, & quod perimus. Ille semper stat ad ostium & pulsat, semper vocat, semper allicit, semper hortatur & instigat ad bonum. Ideo verissimè Augustinus ait, Deo authore, nemo fit deterior.* Quod & ex Tridentino ibidem nititur confirmare. Ideo & alibi prolixè confirmat, non omnia infidelium opera esse peccata, etiam eorum qui Deum esse, vel unum esse nesciunt. In B. Ambrosium q. 22. & ad tom 1. Aug. q 18. & ad to. 10. q. 1.

Si quæras autem, an per gratiam hanc generalem, facienti quod in se est, detur gratia sanctificans; respondet convenienter antedictis, cùm aliqua, non omnia opera moralia fieri possint sine gratia habituali, sine hac perspicuè neminem prorsus facere quod in se est: ideoque non tantùm nihil meriti, sed etiam nihil dispositionis in his esse ad gratiam. *Dicimus quod de* In tom. 4. Aug. q 9. *facto homo nunquam facit totum quod potest, nisi gratia habitualis opera naturalia concomitetur; Lex autem Dei est quod illi communicet gratiam, qui satagit se ad illam præparare.*

Efficaciam gratiæ habitualis jam apertè insinuavit Vellosillus, cùm docuit posse cum gratia habituali, non posse sine ea vitari *omnia* peccata, & opera moralia *omnia* peragi. Quia nimirum potest sanus, quæ non potest æger. Ideo rursus idem: *Omne bonum quod poterat Adam in statu naturæ integræ, propter sanitatem naturæ, potest nunc homo per gratiam & auxilium speciale Dei.* Auxilium speciale & gratiam habitualem pro uno & eodem hìc habet. Unde mox, *Ut vitam æternam in utroque statu homo possit mereri, indiget auxilio speciali, vel gratia gratum faciente.* At multò etiam splendidiùs infrà de eadem efficacia gratiæ habitualis, *Divus* In Tom. 1. Aug. q. 19. *Thomas dicit nullam virtutem esse, quæ ita inclinet ad actus suos, & ita delectabiliter operetur, sicut charitas. Forma quanto perfectior est, tanto perfectiùs operatur. Charitas autem perfectior est omnibus virtutibus. Ergo. Item, Charitas essentialiter amor est, & ex amore passiones omnes proficiscuntur, & in objectum suum tendunt; ex quo provenit, quod qui verè diligit, faciliùs & promptiùs operetur. Item charitas est amor Dei, qui summum bonum est,*

ideo

ideo magis inclinat, & ex majori inclinatione major delectatio & promptitudo oritur. Addit virtutibus acquisitis excludi habitus contrarios virtutum, non infusis; ideo sentiri magis illas, quàm istas: *Ceteris tamen paribus virtus infusa amplius inclinat, quàm acquisita; quia si duo exerceantur in operibus misericordiæ, & alter sit in gratia, alter verò non, majorem promptitudinem in se experietur qui in gratia est, quàm alter qui in mortali manet. Secundò dicimus, quod aliqualiter etiam virtutes infusas experimur. Quia si baptizatus, & non baptizatus æqualiter se exerceant in operibus charitatis, qui baptizatus est, promptiùs & delectabiliùs & majori suavitate operatur, quàm alius operetur.*

Denique de prædestinatione censet Velloso-
In tom. 3. Christ. q. 13. lus *non esse hæreticum dicere dari aliquam causam prædestinationis & reprobationis ex parte prædestinatorum & præsciterum. Probatur, quia Catholici & graves Doctores id asserunt. Et licèt Augustinus id retractaverit, sed non tanquam hæreticum. Secundò quia Ecclesia huc usque id non definivit; & si cognovisset esse hæreticum, Tridentinum Concilium damnasset, quod non fecit.* Acriter tamen pugnat Velloso-lus pro electione ante prævisa merita: qui autem ea concordet cum libertate nostra, sic populariter exponit: *Demus quod ab æterno Deus nullum omnino prædestinarit, neque reprobaverit, sed solùm exerceat ministerium optimi rectoris & gubernatoris universi, cujus munus est præmio afficere bonos, & malos punire. Hoc supposito,*
In tom. 10. Aug. q. 12. *Nunquid non aliqui fuissent boni & aliqui improbi? Utique, neque in dubium cadere potest. Isto ergo modo assero quod Deus prædestinavit justos, & iniquos reprobavit, & omnes dimisit ita liberos, ac si nihil prævidisset, neque ordinasset.* Quod totum adprimè quadrat nostris rationibus, qui actiones singulas omnino liberas arbitramur esse, nec ante sæcula à Deo omnes præfinitas; sed ita homini permissas, ut à divina tamen providentia circumscribatur. Unde & infrà Velloso-lus Catharini quidem illam doctrinæ partem suggillat, quæ prædestinationem aliquorum post prævisa merita statuebat; nequaquam autem illam, quæ eximiorum electorum salutem per varia media suffulciebat, quæ sigillatim frustrari possent, non conjunctim. Et idem alibi quòd confirmati in gratia
In tom. 1. Christ. q. 89. non peccent, derivat ex *speciali providentia assistentis Dei.*

EX JOSEPHO ANGLES

An. 1596. *Valentino Ordinis Minorum, Theologiæ Professore, postea Episcopo Bosanensi.*

FLores Theologicarum quæstionum hic Sixto V. P. M. nuncupavit in librum secundum sententiarum, ex quibus ista libabimus.

Gratia habituali roborari & inclinari ad bonum voluntates sic ille docet; hanc enim esse
D. 26. q. 2. art. 1. liberatricem, hanc propriè Christi gratiam, hanc charitatem: *Gratia idem est quod donum in anima residens, à plenitudine gratiæ Christi ad eam derivatum, de qua, Gratia Dei per Jesum Christum facta est, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc enim gratia est quæ liberat, hanc Scholastici Doctores vocaverunt gratiam gratum facientem. Hæc est quæ proprio nomine gratia Christi, sive gratia per Jesum Christum appellata est. Quæ etiam gratia justificans nominatur; de qua Paulus subtiliter philosophatur, & de qua omnino nobis futura disputatio est; differendum enim nobis est de gratia, quæ justè vivitur, aut saltem injustè acta vitæ venia obtinetur.* Et infrà, *Gratia gratum faciens dicitur operans, quatenus hominem sanat, & justificat; cooperans, quatenus voluntatem ad benè operandum inclinat.*

Et sancto Thomæ alludens infrà, *Ut agentia naturalia per suas formas moventur ad operandum; ut per habitum moralem ad actus studiosos; & per habitum supernaturalem, ut charitatem infusam, moventur ad operandum actus, quorum finis est supernaturalis. Ratio est, quia Deus agentibus tam naturalibus quàm liberis largitur formas, quibus faciliter & delectabiliter operentur. Hoc docuit Scriptura sacra quando dixit, Deum disponere omnia suaviter.* Quin & infrà probat *de habituali, non de actuali charitate* loqui Paulum, cùm ait, *Charitas Dei diffusa est, &c.* Ne & ipse extra charitatem fuisse dicatur, cùm penulam sibi suam à Timotheo referri mandabat; nec enim tunc actu de charitate cogitabat. *Denique si agentibus naturalibus præstat Deus principia operandi, ut igni calorem, & aquæ frigiditatem; multò magis voluntati præstabit habitum, quo perfectiùs, & faciliùs eliciat actum erga ipsum Deum. Quod patet exemplo justorum, qui faciliter, & delectabiliter, & intensè dilectionem meritoriam operantur.* Eadem sæpiùs inculcat, quodque una, & eadem gratia habitualis tum operans & præveniens sit, quatenus nos formaliter Deo gratos facit; tum cooperans & subsequens, quatenus *inclinat ad meritoriè operandum.*
Ibid. l. 4. q. 4.

Instructus autem semel habituali gratia, *speciali insuper Dei auxilio, & peculiari concursu eget ut possit omne peccatum cavere, & omne præceptum per totam vitam adimplere. Ut enim ex Augustino Thomas, sicut oculus corporis plenissimè sanus, non potest cernere, nisi lucis candore adjutus; ita neque homo perfectissimè etiam justificatus, nisi æterna luce divinitus adjuvetur, poterit rectè vivere.* At eodem non eget, ut singula, vel peccata vitet, vel præcepta impleat; quin immo *Homo in gratia constitutus potest absque auxilio speciali plura & perfectiora opera per solam gratiam habitualem facere, quàm in mortali existens. Et ratio est, quia gratia gratum faciens dat animæ robur adversus sensualitatem; non quod malitiam sensualitatis extenuet, sed quia vires animæ auget.*

Jam ad actualem gratiam veniamus, sive generalem, sive specialem, & maximè specialem, seu efficaciissimam. Tria operum genera Scriptor iste distinguit: *Primi generis sunt, quæ longo tempore nostram justificationem antecedunt, qualia sunt auxilia prevenientia, ut prædestinatio ab æterno, vocatio interior per inspirationem, sive exterior per concionatorem, per flagella, terror pœnarum, gloriæ desiderium, de quibus in Apocal. Ego sto ad ostium & pulso. Secundi generis sunt productiones qualitatum supernaturalium, ut infusio fidei & gratiæ, quibus homo formaliter justificatur. Tertii generis sunt opera intermedia, quæ sequuntur post auxilia prævenientia, & antecedunt gratiam justificantem: tales sunt actus fidei, & spei, & dilectionis, & pœnitentiæ, disponentes nos ad gratiam. Primi & secundi generis opera sunt à Deo sine nobis; respectu operum tertii generis non se habet homo passivè tantùm, verùm etiam activè; cooperatur enim Deo voluntas.*
Ibid. an. 1.

Rursus apud eundem duplex est gratia, *operans & cooperans, sive adjuvans.* Prima est *auxilium præveniens, quam Deus in nobis sine nobis operatur, & hanc frequentissimè communi-*
Ibidem.

municat Deus peccatoribus, quando per terrores, sive gloriæ desiderium illos ad pœnitentiam provocat. Secunda est *auxilium concomitans ipsam pœnitentiam, & dicitur gratia cooperans, non ob aliud, nisi quia ille actus, scilicet pœnitentiæ, non elicitur à solo Deo, sed etiam à nobis. Et est hæc gratia actualis concursus, sive actualis volitio Dei movens nos ad peccatorum detestationem eliciendam. Non enim possemus moveri, nisi à Deo movente, instar mobilium naturalium, quæ non à se, sed ab alio moventur.* Concomitantis autem, seu adjuvantis auxilii summa & invictissima efficacia mox ita aperitur, *Auxilium adjuvans, sive concomitans, non est qualitas positiva, ut est gratia gratum faciens; sed solùm est volitio divina, qua vult voluntate beneplaciti, & non tantùm voluntate signi, peccatorem sufficienter pœnitere. Et quoniam quibusdam concedit hoc auxilium adjuvans, quibusdam verò negat, ideo auxilium speciale nominatur. Concessit illud Petro, & negavit Judæ, & ideo ille pœnituit, & iste desperatus laqueo se suspendit.* Prævenienti ergo gratiæ quandoque resistitur, at gratia adjuvans seu concomitans suo nunquam frustratur effectu, ideoque quibusdam proculdubio negatur. Unde mox, *Quamvis initium nostræ justificationis sit à solo Deo, nos variis modis excitante; hoc tamen initium sine usu liberi arbitrii suum effectum haud sortitur; quia possumus hæc auxilia prævenientia rejicere, ut rejecit Pharao, &c. Ultima dispositio ad justificationem, quæ est conversio in Deum, hoc est actus pœnitentiæ, aut dilectionis, non est opus solius Dei, sed etiam arbitrii nostri liberi, auxilio divino concomitante adjuti.*

Illud ergo hic insinuatur, auxiliis prævenientibus posse voluntatem, vel dissentire, vel hactenus assentiri, ut *initium* aliquod inchoet dispositionis ad justificationem: at perfectam & ultimam dispositionem non perfici, nisi auxilio concomitante, quod nunquam suo frustratur effectu. Quod non omnibus datur, quod meritò negatur iis, qui auxiliis prævenientibus abutuntur. Unde idem rursum, *Gratia peculiariter hominibus communicata triplex est: scilicet auxilium generale, auxilium præveniens, & auxilium concomitans nostram justificationem. Differunt hæc tria auxilia in hoc, quod duo priora sunt in nostra potestate, quia possumus illis resistere, vel acquiescere. Et primum de auxilio generali quoad opera moralia, quæ possumus viribus naturæ elicere, patet, quid est frustrabile. Similiter de auxilio præveniente constat, Vocavi & renuistis.* D. 26. q. 1.

Quod autem generale auxilium, nulli unquam denegetur; quod auxilium speciale non semper, non omnibus detur; quodque si denegetur, prior hominis culpa, & contemptus auxiliorum generalium id efficiat, liquet ex eodem: *Auxilium generale nemini unquam nisi miraculosè a Deo denegatur, &c. Speciale verò ad actus meritorios, ut ad pœnitendum multis citra miraculum denegatur, ut Pharaoni, quando fuit cor ejus induratum, & Judæ, quando laqueo se suspendit. Hinc denegatio auxilii specialis nihil aliud fuit, quam Deum non habuisse volitionem, ut dictos suorum peccatorum pœniteret, quemadmodum voluit, ut beatum Petrum pœniteret: & ideo dicitur specialis, quando citra miraculum uni conceditur, & alteri denegatur. Substractio auxilii specialis ad pœnitendum necessarii est pœna peccati. Ratio est, quia ex eo quod aliquis abutitur auxilio generali ad bene moraliter operandum, substrahitur illi auxilium speciale ad conversionem necessarium. Ideoque illi imputatur, quia fuit volita substractio in sua causa.* D. 26. q. 2.

Auxilio igitur speciali adjuvanti vel concomitanti nunquam resistitur, etsi resisti potest: generali seu prævenienti, quandoque resistitur, unde *in nostra potestate esse* dicitur; & omnibus dari, etsi non omnes consentiant. Generalium auxiliorum bono usu non mereri, sed impetrare possumus auxilium speciale, abusu propulsare: *Gratia adjuvans est volitio divina, qua Deus vult nos elicere tales actus, qui sunt immediata dispositio ad gratiam, ut credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet ad justificationem. Et licèt tale auxilium non sit in potestate hominis, est tamen in ejus potestate tale auxilium bonis operibus moralibus impetrare: quæ quidem opera moraliter bona possunt fieri ex viribus naturæ, & auxilio generali Dei, quod nemini unquam denegatur.* Ibidem.

Et mox ait, *gratiam excitantem ad voluntatem signi pertinere, quæ est impedibilis, & ideo non eam semper suum sortiri effectum: multos quin etiam non converti, quibus majorem Deus gratiam excitantem confert. At verò gratia adjuvans est voluntas beneplaciti, quæ impediri non potest: & ideo illi perfectiùs convertuntur, quibus Deus majorem gratiam adjuvantem confert; ut patet exemplo Petri, Pauli, Magdalenæ.* Denique, ut ille ibidem ait, *Gratia excitans præcedit tempore justificationem: at gratia adjuvans natura præcedit, non tempore, nostram justificationem & conversionem.* Et rursum, *Gratia adjuvans est entitas increata, scilicet volitio divina, qua Deus vult aliquem sufficienter pœnitere; gratia autem excitans est entitas creata, scilicet increpatio in Paulo, & in Pharaone flagella.*

De facientibus autem quod in se est, sic ille censet, *Si faciant quod in se est, cum generali tantùm concursu Dei, non statim gratiam consequuntur, nec specialiter adjuvantur à Deo, quia non ordinavit Deus hunc actum ad gratiam; tunc quamvis faciat totum quod in se est per naturam, non consequitur gratiam: & ratio est, quia donum gratiæ excedit omnem virtutis humanæ præparationem. At faciens quod in se est ex speciali Dei concursu, statim necessitate infallibilitatis consequitur gratiam. Quia hæc est voluntas Dei infallibilis.* Ex quibus illud sequitur, *Posse contingere, ut sint duo qui intensivè & extensivè de peccatis æqualiter doleant, & unus, & non alter eorum gratiam consequatur: ut patet Saulis, & Davidis exemplo. Hinc quod unus tunc & non alter gratiam consequatur, non erit ex parte hominis pœnitentis, sed ex parte Dei, cujus intentio fuit ut ille cujus cor movet, assequeretur gratiam, & non alter. Et hoc est negare uni auxilium speciale, & alteri concedere.* D. 26. q. 1. ad 2. Quod ipsum confirmat inferiùs, dum ait, *Opera moraliter bona extra gratiam facta non sunt etiam de congruo auxilii specialis necessarii ad resurgendum meritoria. Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Subdit, etsi meritoria non sint, esse tamen impetratoria auxilii specialis, ex infinita misericordia Dei. D. 27. q. 1. ad 2.

Cùm hæc autem pugnare inter se & collidi videantur, quod Deus speciale auxilium donet quibus vult, non autem facientibus quod in se est ex auxilio generali; & quod illud idem speciale auxilium impetretur per opera moralia facta ex auxilio generali: non video, qui melius possit hæc conflictatio sedari, quàm si dicatur, ut infrà hìc dicitur, quod *Homo in statu naturæ lapsæ solo generali auxilio servare collectivè omnia præcepta moralia, quæ sunt legis naturæ, ut præcepta virtutum, absque speciali Dei auxilio haud potest. Ratio sumitur ex discrimine inter statum naturæ integræ & lapsæ. Singula autem præcepta adimplere potest cum generali concursu.* Quod & inferiùs rursum inculcat. D. 28. q. 1. ad 4.

Cum ergo nemo possit sine speciali auxilio, sive ante, sive post justificationem, servare omnia præcepta legis naturæ, & opera moralia virtutum omnia exercere, etsi possit singula; nemo sanè poterit impetrare sufficienter auxilium speciale; & ita in potestate erit Dei illud conferre electis suis, etsi & ipsis negare æquè posset; etsi & ipsi non omnibus, immo & paucioribus forsitan quàm multi reprobi perfuncti sint virtutum moralium operibus.

Si autem convenienter aliis Scoti sectatoribus author iste doceat, quod ut voluntas Dei concomitans, ita & gratia concomitans, seu adjuvans suo nunquam frustretur effectu; Adverte hìc primò non sigillatim exprimi ab eo, qua in re sita sit hæc efficacia invictissima; sed tantùm affirmari quòd nunquam irrita cadat, quod & nos confitemur, & posset illa efficacia vindicari multitudini auxiliorum indeclinabili. Secundò hæc gratia adjuvans efficit ultimam & perfectissimam dispositionem ad gratiam & justificationem; præivit autem consensio voluntatis, & imperfecta dispositio excitata per gratias excitantes & auxilium generale. Ubi autem præcessit consensio voluntatis, jam nec nos moramur, quin Deus si volet, prædeterminet indeclinabiliter voluntatem, priori assensu suo rata deinceps omnia habentem. Tertiò hæc Scoti & ejus gregalium voluntas concomitans adjuvansque, etsi excogitata primùm à Scoto fuerat, ut Thomæ Aquinati & ejus doctrinæ adversaretur de rerum etiam futurarum & contingentium & liberarum præsentia in æternitate Dei, unde præscientia Dei elucidaretur, sine ullo ad Dei decreta confugio; cùm ipse hæc præsciri omnia diceret in voluntate & concursu Dei concomitante & indeclinabili: annis tamen ab hinc admodum centum in eandem propè doctrinam defluxere ipsius sancti Thomæ interpretes eximii. Pro concomitante enim & adjuvante, præmoventem & prædeterminantem invexere tum voluntatem Dei, tum gratiam: sed & ea nominum magis quàm verborum pugna est. Etsi enim concomitans illis dicatur gratia, natura tamen præit, & principatu; etsi his præmovens; non tamen præcurrit tempore: utrisque indeclinabiliter torquet voluntatem. Quartò denique perinde & his manus dabimus, si æquè assentiantur, priùs assensum voluntatis impetrari per auxilia prævenientia, quæ aliquando effectum sortiantur, aliam fore, quæ verè sufficiens esset, aut quæ daret potestatem agendi, cùm agere posset nemo sine prædeterminatione physica; ne in nostra quidem potestate fore, ut ad eam præpararemur, cùm id fieri non posset nisi operatione, quæ illam supponeret. Ita ergo repudiata prædeterminatione physica, inde id concludit, auxilium efficax necessarium esse ad conversionem & ad perseverantiam. Etsi enim possit fieri conversio per auxilium sufficiens, non fit tamen, Quod his efficax est auxilium, aliis non esse. Infallibilitatem gratiæ efficacis non esse plerumque nisi moralem, inspirandis cogitationibus intus & affectibus piis; foris autem proponendis objectis, movendo cordi accommodatis. At extra usitatum ordinem posse à Deo adhiberi gratiam physicè prædeterminantem, quando videt aliam quamvis irritam fore, luberque omnipotentiæ suæ specimen dare in conversione peccatoris. Non vult tamen motionem hanc divinam prævenientem esse, aut propriè prædeterminantem; sed tantummodo adjuvantem, & concomitantem; & ipsummet esse voluntatis nostræ actum, ut ab omnipotentia Dei & à nostra voluntate manantem.

BELGÆ.

EX VVILLELMO LINDANO Amisso Ruræmundensi, & Cornelio Jansenio Gandavensi Episcopis.

Gratia habitualis inclinat ad bene operandum, quia charitas & dilectio justitiæ est. Gratia generalis præsto est omnibus, ut non peccent, & se gratiæ præparent verissimæ. Gratia propositi divini efficacissima est ex protectione Dei, ex persuasione eblandiente consensum, ex timoris cum charitate conspiratione.

LIbertatem seu boni facilitatem, quam in Adamo amisimus, per Christi gratiam, nimirum habitualem, restitui nobis ex Augustino & sui ævi Theologis docet Lindanus, maximè ex Ruardo Tappero, cujus ut *Theologorum sua memoria phœnicis*, & colendissimi magistri vestigia ubique legit. Præmissis enim Augustini verbis, quòd *libertas periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana, divina indiget gratia, dicente Domino, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis; utique liberi ad bene justèque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant: & amore peccati, hoc eis placet, quod libet.* Ubi Lindanus addit, *Porro quod ad peccandum est liberum, hauddubiè liberum est. Rursus liberum hominis arbitrium Christi gratia sanari, pristinaque restitui libertati, ut jam non modò ad peccandum, sed ad bene quoque agendum, sit verè liberum.* Innumera ad hoc loca Augustini à Roffensi, Tappero, & aliis collecta ait. Sed Tapperi maximè *aureos Commentarios* consuli jubet contra Lutherum, ut *catholica de libero arbitrio doctrina abundantissimè hauriatur.* Panopl. Evang. l. 1. c. 14.

Gratiæ autem vis quæ & quanta sit, docet, dum id ait nobis adversùs hæreticos controverti. *Liberum arbitrium rectè beneque, & quod Deo placitum sit, operetur, an per se, nullaque Christi gratia & auxilio adjutum; an hujus potiùs præsidio tam excitatum, quàm invitatum, erectum, suffultum, ac porrecta quasi manu directum? Multa est Scriptura in commendando divino auxilio, quo nostra ad bene agendum adjuvatur infirmitas, eruditur cæcitas, ac inchoata Dei dono rectè operandi perficitur facultas.* Illud mox Ibid. c. 17.

velut

EX PETRO DE LORCA Cisterciensis Ordinis.

Malderus, 1. 2. q. 111. art. 3. Vide & Malderum, pag. 501. 506. 511.

TAntò pluris faciendus hìc nobis est Petrus de Lorca in his de Gratia quæstionibus, *quod sine partium studio magis visus est rem tractasse*: ut ait Malderus Episcopus Antuerpiensis, ex quo pauca hæc delibabimus, quòd facta non sit nobis copia hujus Theologi operum.

Docet ergo Petrus de Lorca, præter gratiam sufficientem, esse & efficacem, qua fiat, ut infallibiliter agamus; non necessariam illam esse ad omnia opera supernaturalia; nunquam à sancto Thoma stabilitam esse motionem prædeterminantem & semper efficacem ad omnia opera naturæ & gratiæ; Cajetanum, Conradum & Capreolum ita interpretatos esse ejus sententiam, ut hanc ei doctrinam non adscriberent; prædeterminationi physicæ adeò non studuisse Scotum, ut vehementer eam oppugnarit; priscorum Theologorum neminem ejus meminisse; Augustinum, Patres, Concilia ita sensisse, Gratiam efficacem nunc necessariam esse propter vulnera, quæ per peccatum nobis inflicta sunt, non propter subordinationem causarum secundarum sub imperio primæ; Si gratia prædeterminans semper esset necessaria, nullam

velut ex fide Catholica propugnat adversus Calvinum; Paulum gratiæ *cooperatorem*, & gratiam Paulo *cooperatricem* fuisse. *Jam auxilium adeo non excludit operam & cooperationem ejus qui juvatur, ut eam necessariò includat. Nam qui adjuvatur, si ita ab alio adjuvatur, ut nihil operetur ipse, non jam adjuvatur, sed opera levatur & liberatur. Necesse est igitur ut cœlestis illa gratia, quæ cum Paulo est operata, fuerit non omnium effectrix, sed omnium cooperatrix.*

Sed quæ sit illa Christi *gratia liberans, qua pristinæ reddimur integritati, etsi non sanitati atque incolumitati, qua adjuti possumus operari rectè*; subinde aperit, cùm ait esse *salubberrimum medicamentum, donumque cœleste, nobis per fidem ac fidei sacramenta communicatum, &c. Spiritum quem in Baptismo concipimus, &c.* Sed hujus gratiæ per Baptismum impartitæ seu Spiritus inhabitantis quanta sit efficacia, eleganter statim subjicitur: *Hic porro Christi Spiritus, sive anima vivificans, Christianis per Christum impertita, est non ipsius qui vivit anima, sed cœleste divini Spiritus charisma, gratia, atque donum, quod suorum cordibus per Spiritum sanctum communicat. Charitas Dei, inquit Paulus, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Fieri igitur nequit, quin hic cœlestis Spiritus baptizatis verè communicatus, suas quoque cœlestes vires exerat, illaque efficiat in hominibus universa, quorum efficiendorum facultate divinis in litteris præditus legitur. Proinde sicuti animam peccato mortuam verè vivificat, atque pristinæ illi vitæ cœlesti restituit: ita eandem peccati vulneribus sauciam sanat, & serpentini illius afflatus veneno liberat, pristinæque reddit incolumitati. Unde humanam mentem divina imbuit cognitio, affectumque cœlestis illa accendit amor, igniſque ille inflammat, quem Christus venit mittere in terras.* Ubique hìc præsto adesse subintelligitur motio & influentia actualis causæ primæ, quæ ne naturalem quidem motionem à naturalibus, nedum supernaturalem à supernaturalibus formis abstinet. Ibid. c. 13.

Idem alibi ex sanctis Patribus, maximè ex Cypriano confirmat, ajente per gratiam Baptismo infusam, *nos in novum hominem reparari, tum mirum in modum confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa: facultatem dare, quod priùs difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur.* Verè ergo possibilia fiunt mandata per hanc Baptismi gratiam. Si minùs autem nunc perfectè diligitur Deus, non eo prævaricatores sumus, sed humiles esse monemur, & quo suspiremus ostenditur, quo enitamur. *Illud animadvertendum, non esse Decalogum homini præscriptum, ut omni eum ex parte hac in vita præstet, atque impleat perfectissimè: sed quasi scopum esse præfixum, in quem omnes animi & cogitationes & cupiditates intenderentur, &c. Pharum in isto mundi salo præfert Decalogus, &c. Cavendum, ne Deum impossibile quidquam præcepisse sentiamus, &c. Quemadmodum igitur illo dilectionis præcepto bonum homini præcipitur faciendum, non autem perficiendum: ita concupiscentiæ prohibitione malum vetatur faciendum, non quidem ut non concupiscat, sed ut post concupiscentias non eat.* L. 4. c. 17. L. 3. c. 19.

Modum denique efficacissimæ gratiæ etsi vix attingit Lindanus, etsi ex Tappero cui se totum committit, colligi possit quid ipse senserit, unicum tamen ejus locum adscribam, ut ejus hac de re sententia hinc etiam pateſiat: *Non eo pacto accipienda sunt esse Spiritus sancti in nos diffusi opera, quasi nos Enthusiastarum ritu agamus nihil, agamur solum, instrumenti inanimati modo, lutique in hanc, vel illam formam efficti manu figuli: sed quod occultissimis illis tractibus primùm invitati, lenissimisque motibus acti, bonum opus scientes volentes perficiamus.* Hic est planè modus efficaciæ hujus invictæ, *motibus lenissimis* ob nostram libertatem, *occultissimis* ob divinæ intentionis infallibilitatem. Non aliter prorsus quàm Dux & Imperator invictus & infallibiliter victor futurus, per milites, quorum singuli vinci possunt, & persæpè cadunt; multitudine tamen militum, sapientia, arte, fortitudine Ducis certam reportat victoriam. *Ut victoriæ causa Imperator militibus manum gladio armat, animos verbis erigens, aciem scientia militari dirigens, cuneos componens, alasque disponens; sic Spiritus ille cœlestis tyronum Christi pædotriba, militumque dux verissimus, victoriæ omnis adversùs peccati & diaboli phalanges unus est author atque effector. Contrà sicut ille vincit Imperator, sed militum opera, sed commilitonum industria, ad eum prope modum & per nos Christi Spiritus Evangelio collaborantes, cœlestique illi vi nobis inspirata cooperantes, diaboli destruimus opera, hostiumque catervas profligamus.* Ita prorsus etsi nulli militum, seu auxiliorum gratiæ divinæ singulatim insit vis invicta & infallibilis; eorum tamen innumera multitudine & robore permagno, sed maximè Ducis, sive Christi imperatoris consilio, sapientia, intentione, omnipotente proposito, directione, protectione infallibiliter debellatur impietas, gratia vincit in impii justificatione, vel justi perseverantia.

Lindano succedet Jansenius Gandavensis Episcopus, in hæc verba Christi: *Qui facit peccatum, servus est peccati. Quia peccatum ei dominatur, ita ut obnoxium teneat morti æternæ. Denique quia ipsum sua vi continuè ad aliud & aliud peccatum trahit. Adeo ut in peccatoris persona dicat Paulus, Non quod volo bonum, illud ago; sed quod odi malum, illud facio. Non quod necessitate aliqua & præter voluntatem propriam homo aliquod peccatum committat; sed quod homini per peccatum aversò à Deo, & ejus gratia destituto; tanta sit infirmitas spiritus, ut non possit omnia peccata vitare: tantaque fortitudo concupiscentiæ in carne, ut frequenter in peccatum hominem pertrahat.* Ubi vides 1. omnem impium esse *gratia* destitutum, & ideo peccare. Quæ utique nonnisi habitualis gratia est. 2. Destitutum gratia peccare non omni actu, sed *frequenter*: & posse singula, non posse *omnia* peccata vitare. 3. Eam ergo esse efficaciam gratiæ habitualis, ut det non solùm singula, sed omnia posse vitare peccata. 4. Utrique statui supponitur non deesse motio auxilii generalis, quo & impius singula, & justus omnia vitare potest peccata. Concord. Evang. c. 77.

Rursus idem Jansenius in hæc Christi verba, *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*, affert primò sensum Augustini in Enchiridio, ipsam noluisse, sed vel ea nolente Deum congregasse sibi filios quos voluit. Affert rursus aliam ut consonantiorem verbis Christi, quem *magis apparet hic significare voluisse non esse factum quod ipse voluit. Sicut apud Ezechielem, Mundare te volui, & non es mundata, &c. Itaque quod hìc dicitur, Quoties volui, non est intelligendum de voluntate efficaci, sed beneplaciti, sed de voluntate optativa, quam vocant signi. Dicit ergo se multoties voluisse, quia multoties illis obtulit varias occasiones, quibus ad ipsum pertraherentur, mittendo Prophetas, præcipiendo, invitando, comminando. Porrò ex hoc loco evidenter astruitur arbitrii nostri libertas, & vis, quod scilicet in nobis situm est & nostra voluntate salvari: quanquam non sine Dei gratia nos præveniente; quam esse necessariam, etiam hic locus ostendit, dum priùs dicit Dominus se voluisse filios Jerusalem congregare. Si enim ille noluisset, nec ista velle potuisset: sed illo volente, ista voluit; unde sine præveniente Dei gratia be-* Ibid. c. 90.

tia bene quidem velle non possumus. Sed prævenientem Dei gratiam nulla necessitate amplecti cogimur; sed liberum est eam amplecti, vel non. Ubi liquidò claret posse omnes salvari per gratiam prævenientem & per libertatem; gratiam hanc præsto esse, sed nostra contumacia sæpissimè frustrari.

Sed quanquam hunc aptiorem sensum existimet Jansenius, non illum tamen respuit Augustinianum; & assentitur ipse, si de voluntate efficaci, seu beneplaciti ea verba intelligantur, tunc invictissimè Deum quoscumque vult congregare sibi filios, & ex nolentibus facere volentes. Et ad hos spectat maximè comparatio gallinæ hìc
Ibid. c. 41. adhibita, *ut intelligamus quantopere Dei gratia, protectione & veluti fomento egeamus. Unde orat Propheta Dominum, ut velut pullum se protegat, Sub umbra, inquit, alarum tuarum protege me.*
Ibid. c. 33. Ideo & alibi hac prece, *Fiat voluntas tua*, orari à nobis ait & peti *Gratiam & protectionem Dei*. Et alibi rursus, *Oves meæ non peribunt in æternum, mea nimirum manu eas protegente, quia nemo rapiet eas è manu, id est potestate, & protectione, & possessione mea*. Addit quod quidam non credant, *Partim in Deo situm esse, qui gratiam fidei justo suo judicio non dat, & quosdam non prædestinavit: & partim in hominibus, qui credere recusant, & ab ovibus Christi sese sua prava separant voluntate*. Et ibidem prolixiùs docet etiã sua culpa exulent ab ovili Christi, qui oves Christi non sunt: divinæ tamen electionis & prædestinationis esse, quod oves sint, quicumque sunt. Porro hinc satis elucet *ex Dei protectione* perseverantiæ electorum infallibilitatem oriri.

Verùm ut gratia & liberrimè & infallibiliter trahat, quando secundùm propositum Dei datur,
Ibid. c. 19. idem alibi aperit in hæc Christi verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, Quid hoc loco sit trahere, Dominus ipse mox exponit, cùm subjicit, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Venit itaque ad Christum, suo libero arbitrio non minus, quàm cùm aliquid quidpiam amplectitur, de quo audivit & didicit, hoc est certò cognovit sibi utile fore. Non trahit igitur Pater ad Filium homines, velut homo saxum, aut lignum: sed ita ut si modo sacra prophanis componere licet, Herculem Gallicum fabulæ memorant homines extraxisse catenis ab ejus ore pendentibus, & auriculis hominum infixis, sed iis laxis, quo significabatur illos attrahi solitos fuisse, oratione Herculis persuasos, ac ita persuasos, ut jam ultro occurrerent. Ut igitur nemo persuadet certiùs quàm Deus, ita nemo debet dici veriùs homines attrahere, & attrahere simul liberiores & lubentiores. Quo enim certiùs & pleniùs hominibus utilitas ingens in re aliqua ostenditur, eo reddantur animo in eam rem proniores & ardentiores.* Ita cùm Christus ostenditur ut veritas, ut fœlicitas, facilè homo persuadetur, & ad eum trahitur. Addit verba Augustini, & exempla ovis, cui ramus, pueri cui pomum ostenditur, & trahitur voluptate.

At quoniam ex parte objecti tantùm hæc persuasio & tractio spectatur, ex parte quoque potentiæ Deus trahit, seminando cogitatum, inspirando affectum, creando intus bonam voluntatem, quam ne dissensu suo homo rejiciat, illa
Ibidem. adjuvat persuasio. *Non trahit Deus tantùm ostendendo & docendo, aut suadendo & persuadendo, sicut homo; sed etiam efficaciter, excitando mentem hominum ad credendum in Christum & amandum eum. Eo enim distinguitur ab homine, qui sermone docet, &c.* Ergo Deus trahit, quia non foris tantùm, sed intus docet, & persuadet, non intellectum dumtaxat illuminando, sed voluntati affectus inseminando, denique ut ex Augustino subditur, *miris modis*.

Si nemo potest venire, nisi trahatur, ergo in culpa non sunt, nisi trahantur? Excusat primò Jansenius Chrysostomum & Græcos, qui cùm *optimè de gratia senserint*, tamen ante exortum Pelagium adversus solum Manichæum pugnabant pro libertate. At ex Augustino respondet quod hi trahantur, non illi, esse *divinæ prædestinationis*. Et tamen: *Quamvis solius gratiæ divinæ sit, quod quis trahatur, tamen qui non trahuntur, non excusantur, quod non venerint ad Christum, eo quod obicem & impedimentum posuerunt divinæ tractioni, dum acceptis ab eo donis non bene utuntur, aut media ad credendum illis data non sunt amplexi*. Ibid. c. 31. At cùm omnes habeant *demeritum quo merentur non trahi*, cur alios trahat, alios non trahat, *noli velle judicare, si non vis errare*, ut ex Augustino subditur; divinæ enim prædestinationis hoc arcanum est. Denique optimum factu esse concludit, *ut ne considerantes omnia pendere ex divina gratia, diffidamus, atque torpeamus, sed ea faciamus, & aliis consulamus, qua Scriptura nos docet ad impetrandam Dei gratiam esse media convenientia, quæque in nostra sita sunt potestate, quamvis non sine Dei gratia*. Ubique gratiæ generali author hic favet, per quam impetrari utcumque possit specialis & justificans gratia, sed ita tamen ut nemo non obicem ponat, & ita solùs jam sit omnipotentis & efficacissimæ gratiæ, quod ex his aliqui trahantur, & veniant ad Christum. Ideo infrà in hæc verba Christi, *Sine me nihil potestis facere*, Ibid. c. 46. ait sine Christo *nihil Deo gratum, & meritorium vitæ æternæ* fieri posse, hoc est nihil fructiferum: at sine Deo *nihil humanum*, quia in ipso *vivimus, movemur, & sumus*. Quæ duplex est interpretatio hujus locĩ antiquorum Scholæ Theologorum generalis gratiæ vindicum.

Postremò denique efficaciam victricis gratiæ in gravissimis tentationibus superandis non ex solo amore repetendam esse, & charitate Dei; sed ex timore etiam gehennæ, suppetias ferente justis & supplente robur, quo caret charitas nondum perfectissima: *Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Non vult Christus suos servili timore, qui non est in charitate, obtemperare Patri cœlesti: sed vult inordinatum illum mundi timorem reprimi & superari, consideratione & timore eorum malorum, quæ Deus infligere potest. Qualis timor etiam esse potest in eo qui habet Dei charitatem; si modo non præcipuè & potissimùm ob illorum malorum timorem à malo sibi temperet, & bonum operetur, &c. Timor enim Dei alium quemvis superare debet*. Ibid. c. 11. Et sanè etsi efficax est timor ante-charitatem; at ipsi charitati imperfectæ conjunctus satis efficax erit ad timores mundanos superandos, quos sola hæc charitas vincere alioqui forsan non posset.

EX JUDOCO RAVESTEIN Toletano, Theologiæ Professore in Academia Lovaniensi. An. 1567.

SCripsit hic author *succinctam Confutationem Ministrorum Antuerpiensium*, ex qua pauca carpemus, ut ex eo etiam eluceat, quæ Ecclesiæ, quæ Paulo, quæ Augustino *propriè gratia* sit Christi, & *charitas, & bona voluntas, & justitia*: gratia nimirum habitualis, non iners & otiosa qualitas, sed vivax & actuosa, robur & pondus animo imprimens. Cùm aliqua Augustini protulisset testimonia, hæc subjicit: *Ex quibus manifestum est, Augustinum intellexisse per Christi justitiam fideles justificari, quia propter ejus meritum donatur fidelibus donum* De justificatione, c. 6.

gratiæ

gratiæ spiritalis, quo in renatis ipsis formaliter justi sunt. Hoc enim ille molitur, ut non imputatitia Christi, sed intima & inhærente justitia justi simus. *Est igitur justitia, qua justificamur, internum gratiæ spiritalis donum, quod nos faciat justos & rectos coram Deo, & mente promptos ad præstandam obedientiam mandatis ejus. Sicut Adam justus & rectus creatus fuit, quia bonam & rectam voluntatem à Deo acceperat, qua secundùm sinceram charitatem Deo adhærere, atque ejus mandatis obedire poterat, quam bonam voluntatem sinceramque charitatem per inobedientiam amisit. Ita justitia quæ reparatur in homine, dum per Christum justificatur, est donum gratiæ per Spiritum sanctum, quo iterum ejus voluntas efficitur subdita Deo, & ei per sincerum amorem adhærens, & ad mandatorum ejus obedientiam prompta & valida; quod donum Scriptura vocat charitatem. Admodum clarè id testatur Augustinus, dum scribit gratiam qua justificamur, esse quæ charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Item, Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, est provecta justitia. Et, Justitia Dei est charitas sincera, &c.* Et infrà: *Justificamur, inquit Augustinus, per inspirationem gratiæ spiritalis, quæ faciat hominem Deum diligere deinceps, & implere legem. Item justitiam & gratiam scribi dicit per Spiritum in interiori homine.*

Et rationes authoritati infrà accumulans, ita habet: *Cùm verè & propriè justus non sit, nisi qui Deo factus subjectus rectè vivit, & legi Dei obedientiam in veritate præstat: consequens est, quod verbum justificandi apud Paulum insinuet vires & virtutes homini donatas, quibus rectè vivere, & Deo obedire, & velit, & possit.*

Et infrà rursum, *Quod ajunt adversarii justificationem non esse realem mutationem qualitatum malarum in bonas, seu mali cordis in bonum, id prorsus pugnat cum Scriptura sacra. Dabo leges meas in mente eorum. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova, &c.*

Et denique, *Sicut filiorum Adæ peccatum & injustitia per inobedientiam Adæ invecta, consistit non in solo reatu æternæ damnationis, sed etiam in concupiscentia pravi, quæ ad malum propensi facti sunt; ita justitia per Christi obedientium in credentibus reparata, consistit non in sola abolitione reatus supplicii æterni; sed etiam in rectitudine & justitia voluntatis, qua rursus est Deo per charitatem adhærens, Deo subjectus, ejusque legi obediens.*

An. 1576. *EX THEODORO PELTANO*
Belga Societatis Jesu Theologo.

CHristi gratiam quaquaversum in omnes effusam sua sponte, sed ab hominibus persæpè repudiatam, & ita irritam cadere testatur Peltanus in Ingolstadiensi olim & Augustana Academia Theologus celeberrimus & verè omniscius. *Quod satisfactionis Christi robur suo fine non infrequenter frustretur, id inde non provenit, quod ipsa secundum se sit infirma; est enim secundùm se potentissima, & ad efficiendum efficacissima; sed quod media per quæ hujusmodi applicatio contingit, vel per quæ ipsa operatur, neglectui, vel etiam despectui habeantur. Causa enim quantumlibet per se potens & efficax, nihil efficit, nisi applicata.* Solis mox igniisque promit exempla, luce caloreque omnes ex æquo perfundentis, nisi semet ipsi hoc beneficio fraudent. Et infrà, nisi homines sibi deessent ipsi, omnes singulosque ait gratiæ ubertate quadam ingenti donatum iri: *Quod si absque omni opera & industria nostra, omnia simpliciter nobis donata forent, omnes & singuli omnem sortirentur gratiam, tam gratum facientem, quàm gratisdatam; quippe cum multo plus sit donare Filium, quàm aliud quodcumque infra Deum positum. Et tamen ob oculos videmus non quamvis gratiam cuivis obtingere, sed huic illam, alteri alteram, quibusdam præter communem omnino nullam. Non ergo sat est, Filium nobis datum, vel natum esse, nisi illud quoque præstetur, quod à nobis præstitum oportet, & quod ille à nobis postulat.* Ergo *communis gratia* omnibus impartitur; ne copiosior etiam, & ipsamet gratum faciens concedatur, in causa sunt ipsi, qui non præstant quod ab ipsis præstitum oportet.

De nostra satisfactione Sect. 10.

Idem superiùs dixerat, *opera moralia cujuslibet non temporali tantùm, sed nonnulla interdum spiritali mercede pensari. Nam etsi primam gratiam & justificationem non promereantur, disponunt tamen remotè ad utrumque. Si præcepta fuerant, omissionis peccatum cavent. Pravos habitus ex animæ regno paulatim expellunt, & studiosos inserunt. Angelorum custodiam retinent, &c. Unde videmus peccatores in officiis Christiano homine dignis plurimùm se occupantes, feliciter tandem ad Deum converti.* Subdit hæc qualiacumque merita non esse nisi *ex congruo, adhibita hac etiam moderatione, ut congruitas illa non spectetur ex natura operis, vel rei; sed ex natura & benignitate, clementia & liberalitate Dei.* Ibidem. Sect. 7.

Moralia hìc vocat opera quæ fiunt extra gratiam, nimirum sanctificantem, quam solam propriè gratiam appellat. Hujus etiam efficaciam alicubi tangit his verbis: *Verùm quod cœlestis medicus per pœnitentiam, vel sacramenta, vel alia quæcumque huc pertinentia, nos sanat, vel sanctificat, illud non impedit, quo minus ille languores nostros verè portasse dici queat. Nam & vires, quibus nos portemus, subministrat, & in nobis existens una nobiscum portat; vel ipse, si ita loqui libet, per nos tanquam caput per membra portat.* Per gratiam ergo sanantem & sanctificantem, qua nobis inhospitatur Christus, vires nobis subministrat, ut portemus; immo ipse per nos, ut caput per membra fortiter & invictè portat hujus corruptibilis vitæ tædia. Sect. 10.

Denique de Prædestinatione gratiæ, sic ille ibidem: *Quamvis Christi satisfactio extiterit plena, & copiosa redemptio, non in omnibus tamen fructuosa, aut efficax est; & in quibus est, non æquè fructuosa & efficax est. Provenit autem disparitas illa ex eo partim quod exposuimus, nempe ex dispari eorum applicatione, per quæ vis illius, veluti per quosdam canales in mortalium animos derivatur. Partim etiam ex secreta æterni Patris electione; hac enim fit, ut œconomiæ Christi fructus effectusque quibusdam clementer conferatur, aliis justo judicio subtrahatur. Quemadmodum id varii infantium casus minimè obscurè nobis ostendunt. Nec enim aliam hyperphysicam causam (nam physicè & liberè itidem multa existere possunt) assignare possumus, cur alii suscepto baptismi sacramento extincti, cœlesti beatitudine potiantur, alii ejusdem sacramenti gratia frustrati, in æternum exilium a Christi regno proscribantur; quàm diversum Dei optimi maximi de his, aut illis consilium, diversumque in hos & illos studium.* Infrà rursus multos in infernum detrudi ait, *non quod pro illis pretium sanguinis sui non obtulerit Christus, quamvis non eo prorsus modo id fecerit, quo pro electis; nam aliàs & ipsi quoque qui nunc pereunt, salutem consequerentur: sed ea omnia quæ ad vitam & salutem omnium ab ipso præstita oportebat, perfectissimè sufficientissimèque præstitit.* Mox subjicit alternare Scripturas, in eo quod Christus & pro omnibus, & non pro omnibus satisfecerit, orarit. *Cùm ergo Spiritus sanctus, qui in Scripturis loquitur, secum non pugnet, certò statuendum est, Christum uno*

quidem modo omnium Servatorem & Redemptorem esse; alio autem non omnium, sed tantùm multorum, vel aliquorum: hoc quidem secundùm efficientiam, illud verò secundùm pretii sufficientiam & magnitudinem. Quærit mox, *Cur non pro omnibus secundum efficientiam?* respondet *Christum Patri copiosam redemptionem pro omnibus obtulisse, sed interim secreta illius dispositioni liberum reliquisse, quibusnam illud secundùm æternam prædestinationem efficaciter vellet applicare, quantumque inde unicuique vellet adjungere. Ad quam utique prædestinationem in electis explendam, potissimùm in mundum venerat, & mortem sustinuerat.* Quod ergo parvulorum quidam intereant ante, quidam post baptismum susceptum, *id provenit ex arcana cœlestis Patris electione, vel justa ejusdem permissione. Idem & de adultis quoque dici posset, nisi quod hi sua plerumque culpa meritorum Christi participatione & fructu priventur.*

Electioni igitur gratiæ totus studet Peltanus. Ei exequendæ nec prædeterminantem gratiæ motionem, nec scientiam Dei conditionatam usquam adhibet, ut qui tum istis ex Hispania necdum afflati potuerat opinionibus. Solam memorat *gratiam* Christi germanam, charitatem *justificantem & gratis datam*, priscorum Theologorum more, qui gratis datæ nomine actualem gratiam significabant. Principatum defert sanctificanti, cujus efficaciam rursus ita commendat, *Liberum arbitrium gratia informatum, modò intensiùs, modò remissiùs, per odium in peccatum, & per amorem in Deum fertur: ex liberi arbitrii conditione & qualitate, tum ex debili & infirma ejusdem dispositione. Forma namque secundum materiæ, in qua recipitur, conditionem agere ut plurimùm consuevit.* Hinc obscurum vix esse poterit, quo demum pacto efficax & efficacissima fiat hæc gratia. Ibidem.

Enchiridion controversiarum. De lib. arbitr.

EX FRANCISCO COSTERO
Mechlinensi Belga Theologo Societatis Jesu.

SEmel iterumque nec sine nominis encomio Costerum memoravere Lovanienses Duacenseque Theologi in suis adversus quosdam alios ejusdem Societatis Theologos censuris. Hinc facilè suspicaberis, nec transversum unguem ab austerissima Augustini doctrina illum deflexisse.

In primis ergo circa generalem gratiam, sic ille differit de residua liberi arbitrii potestate post peccatum: *Est igitur arbitrii quidem natura in peccatore, læsa tamen, & debilitata: non quod invita cogatur, sed quod levissimis blanditiis ad peccatum adducatur, & minimis impugnationibus cedat. Proinde multa quidem potest ex se naturaque sua liberum arbitrium, non solum adiaphora, quæ in vitiis, aut virtutibus non ponuntur, qualia sunt ambulare, sedere, emere, non emere, hisque similia: sed moralia quoque virtutum opera. Nam Ethnici, ut ait Scriptura, & diligentes se diligunt, & naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; & Deum quem naturaliter noverant, poterant etiam glorificare. Eorum multi fuerunt ad virtutem intenti, multaque præstiterunt laude, & præmio aliquo temporali digna, ut agnoscunt veteres, Clemens Alexandrinus, Justinus, Hieronymus, Augustinus, qui etiam affirmat bona Gentilium opera valuisse ad inferni pœnas mitigandas. Nam cum natura voluntatis bona sit, cur non velit & operetur bonum, quandoquidem omnis arbor bona bonos fructus facit? Et tametsi cogitatio peccatoris prona sit ad malum omni tempore, est tamen in eo igniculus virtutum. Nec enim omnes ad omnia vitia propendent, quin potius multi natura sua ad virtutes feruntur, hic ad misericordiam, ille ad sobrietatem, obedientiam, mansuetudinem, & id genus reliquas.* Etsi hæc omnia naturæ viribus ascribantur, divino tamen muneri, & generali gratiæ, seu communi influentiæ ea deberi constat; quæ etsi specialis etiam dici queat, quòd & Christi sanguine parta sit, & nemini post peccatum debeatur: quia tamen omnibus obvia semper & præsto est, ideo generalis dicitur, distarque ab auxilio speciali, de quo mox Costerus.

Enumerat enim ea ad quæ egemus *speciali auxilio* relevari, unde etiam liquet generali auxilio priora illa rudimenta boni eguisse. *Cæterùm peccator ex viribus arbitrii sui, sine peculiari divino auxilio multa non potest. Primò licèt possit quædam virtutum moralium opera, non tamen potest omnia; quod ob continuam oppugnationem concupiscentiæ, non sine Dei singulari dono pleraque vitentur, ad quæ natura proclives sumus. Secundo peccator in quo jam dominatur peccatum, non se continet multo tempore ab omni peccato mortali; quia cùm vires concupiscentiæ & dæmonis per peccatum augeantur, voluntas autem per id magis infirmetur, fit ut eorum imperiis facilius cedat. Tertiò peccator viribus suis, non modò à peccato liberari non potest, sed neque ab illo resurgere, neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam, aut peccatorum remissionem se disponere, neque piè erga Deum affici, neque pio affectu de Christo ut Redemptore loqui, sine divina motione & gratia præveniente. Non quod peccator invitus in peccato detineatur, vel necessariò hærere cogatur; sed quod in eo tanta sit intellectus cæcitas, tantaque cordis duritia, ut nisi gratia Dei præveniat, mentem illustret, affectum moveat, nunquam serio pœniteat, vel ad Deum revertatur.* Ad hæc ergo opus est speciali auxilio, cùm ad illa priora generale sufficeret adjutorium.

Etenim quod generalis gratia quædam ad salutem sufficiens in omnes spargatur omnino, sic ille infrà tradit: *Singulis hominibus tam Ethnicis quàm Christianis tantum dedit auxilii Deus, tum per naturam, tum per gratiam peculiarem, quantum eis sufficere posset, si industriam suam conatumque adhiberent, ad Christi notitiam accipiendam; cujus deinde fide & doctrina imbuti, adipiscerentur suorum peccatorum per sacramenta remissionem. Quia & per orbem universum prædicatus est ab Apostolis Christus, & cuique dictare potest recta ratio Gentilium ac Judæorum religionem neque peccata condemnare, neque salutem conferre, aliamque inquirendam esse, quæ pacem det conscientiæ.* Ibidem.

Induratis tamen gratiam subtrahi, diserte infrà testatur. Eo enim Deus indurat, quod puta *Pharaoni justè gratiam sustulit: Pharao verò induravit se, quia merito suo privatus gratia, ipse se ad mala convertit; liberè tamen, quia gratiam retinere potuisset, si voluisset: aut recipere, si petiisset, cùm Deus petenti non desit.* Ibid.

Hinc incolumem superesse libertatem etiam post peccatum docet. *Illam enim homo retinuit primò in rebus adiaphoris & politicis. Secundò ut gratiam à Deo oblatam recipiat, vel abjiciat. Tertiò ut gratiæ admissæ cooperetur liberè. Sicut homo qui in puteum incidit, caret quidem facultate in loco spatioso ambulandi, neque potest seipsum educere. Multa tamen potest, ut loqui, clamare, immisso fune se cingere, & ligare; ut extrahatur, cooperari.* Ibid.

Hinc rursus negat omnia infidelium opera esse mala, nisi quæ ex infidelitate prodeunt. *Alia infidelium opera non ex infidelitate oriuntur, sed aliunde, velut ex naturali instinctu, & rectæ rationis judicio, & hæc nemo dixerit esse peccata. Non peccarunt Philosophi & Gentiles,* De justificatione ad ofi. 7.

quando

quando virtutibus moralibus operam navaverunt, quandiu conatus suos ad inanem gloriam non retulerunt, sed oculos defigentes in virtutum pulchritudinem, earum amore capti sunt.

Nunc de gratia habituali ejusque efficacia vide ut prisco more sentiat & loquatur Costerus. Et de habitu quidem fidei, sic ille: *Fidei donum divinitus immissum, intellectum inclinat, voluntatemque movet ad veritatem suscipiendam.* Hæc universim de fide etiam informi. At mox de fide quam format & condit pietas: Ea illi est, *non sola assensio intellectus, sed interna mentis affectio, & sapor, qua gustat & videt homo pius, quàm suavis sit Dominus.* At de gratia ipsa habituali infrà, *In homine justificato, per Spiritum sanctum præsentem & per gratiam inhabitantem major est arbitrii libertas. Gratia enim illa illustrat intellectum, ne errore deceptus mala pro bonis proponat eligenda; frangit vim concupiscentiæ, ne tanto impetu ad voluptatum illecebras pravaque desideria nos impellat; corroborat voluntatem, ut lenocinia & blandities cupiditatum spernat: cæteraque potentias confirmat virtutibus, ut ad id quod rectum est, magis propendeant: denique claritate sua & eximia luce, qua mentem illustrat, dæmonem ab anima procul, ut sol noctuam fugat. Estque hæc gratia in arbitrio voluntatis, ut ea uti possit, & non uti: retinere, & abjicere. Quemadmodum baculus in manu convalescentis, cujus auxilio si velit utetur; sin minus poterit eam removere.* Et infrà rursum, *Gratia in homine justificato, intellectum lumine divino illustrat, calore charitatis voluntatem accendit, liberum arbitrium, cæteraque animæ potentias confirmat: totumque hominem prius jacentem, & externo ad resurgendum auxilio indigentem, in pedes erigit, atque ad ambulandum vires auxiliumque subministrat.* Et tandem, *Cooperatur nobis Deus per gratiam justificantem, quæ idem est animæ liberoque arbitrio, quod sanitas corpori.* Non video quid expressius dici possit, & ad priscæ Theologiæ gustum aptius, pro efficacia justificantis gratiæ habitualis.

De fide object. 1.

Object. 4.

Dg lib. 2a.

Postremò de gratia propositi divini invictissima verba facit Costerus, cùm ait ea secerni credentes è non credentibus; illis eam dari, his non dari: *Quod diversis eandem Christi concionem audientibus, & eadem miracula videntibus, atque admirantibus, alii crediderint, alii in sua perfidia obstinati perstiterint, inde provenit, quod illorum corda Deus moverit, istorum non moverit.* Ideo hanc infrà gratiam ait cum libero nostro arbitrio conciliare, id verò operosissimum esse. *Voluit sanè Deus hac difficultate palam facere nobis omnipotentiam suam: quod in his etiam rebus, quæ nos attingunt, plus possit & faciat, quàm nos capiamus, aut intelligamus; ut omnis intellectus & obsequium Dei captivum se reddat; neque plus sapiat, quàm oporteat sapere.*

De fide:

De lib. 2a.

Cujusmodi sit autem ea Dei motio, infrà docet: *Gratia præveniens est divina motio, qua Deus mentem illustrat, ut magnitudinem peccati, periculum suum, Deique offensi indignationem & iram videat; suadetque & exhortatur, ut peccata deponat: voluntatem verò suaviter pia affectione movet, & in bonum inclinat. Quæ gratia appellatur in Scripturis, Lux in tenebris lucens, lumen, vocatio, pulsus ad ostium, tractus Patris, manus Dei auxiliatrix.* In exemplum affert instigationes diabolicas, quibus etsi obluctari possint etiam nefarii homines, plerumque tamen illaqueantur, & abducuntur quovis ad ejus nutum, cui mancipati scelere suo sunt; quia scilicet ratò homines suis affectibus non indulgent, ratò magnis diu difficultatibus obluctantur. *Sicut enim dæmon mentem nostram prava cogitatione & concupiscentiæ motu tangit, ac pulsat, afficereque conatur voluntatem, ut in peccatum consentiat, &c. Ista sunt in nobis arcani quidam influxus, aliquando quidem repentini, qui subitò ad instar corruscationis effugiunt, nisi foveantur: aliquando verò constantiores, qui cor nostrum pulsant, relicta interim sua voluntati libertate, &c.* Ita sanè dum *constantiores*, validiores, frequentiores influxus isti divinæ gratiæ in quempiam exundant, fatigant tandem illum & superant, volentem licèt, & ultro cedentem: sicut & dæmon crebris incursationibus & prævalidis neminem non vel robustissimum fatigaret aliquando, & tandem prosterneret, si sineret Deus.

Ibidem.

Et rursum hæc gratiæ efficacia in eo, quod *afficiat hominis mentem, ut bonum agnoscat, & voluntatem, ut bonum ei placeat, suaviterque trahit, sicut trahit sua quemque voluptas; sicut puer trahitur poma, inquit Augustinus: & sicut filius à parente munusculis, & blandimentis, ad litteras discendas adducitur.* Nemo est prorsus, cujus non & mens tanta boni objecti luce & evidentia perfundi possit, & voluntas tanta suavitate, utilitate, honestate ejusdem boni propositi demulceri, ut utraque persuadeatur, utraque occurrat. Cùm vel maximè nostra omnis sapientia & constantia Deo non aliud sit, quàm imbecilla quædam pueritia: ut multò facilius ille nos, quàm peritissimi ex nobis pueros, possit ad quidlibet inescare, & circumagere.

Ibidem.

Speciali hoc auxilio justo præter habitualem gratiam opus esse docet inferiùs, *quo magna aliqua pro Christo suscipiat, qualia sunt irrisiones, jactura bonorum temporalium, tormenta, martyria, religionis ingressus, ut multo tempore resistens tentationibus in pietate perseveret.* Hoc auxilium *ab auxilio communi* infra distinguit, eoque non minui libertatem ita edisserit: *Illud enim quo voluntas juvatur, ut promptius, libentius, minorique molestia faciat, non adimit libertatem, sicut sanitas, qua homo robustior est ad gaudium: vel delectatio ciborum, quæ laborem edendi minuit: vel vinum, quod debili vires addit: vel scipio, cui infirmus innixus ambulat; nullam necessitatem afferunt agendi, sed facilitatem. Gratia quippe non tollit naturam, sed perficit.*

Ibidem.

Ibidem Object. 1.

Damnatam generis humani massam ex parentalis labis contagio non multò pòst ob oculos ponit, prorsus ex sententia Augustini: *Universum genus abjicere Deum potuisse, ut in peccatis suis progrederentur, immorerenturque*, confitetur: sed satius Deo visum omnibus aspergere auxilia ad salutem sufficientia. *Sed quia peccato mens hominis obcæcata rarò advertit, quod rectum est, & à concupiscentia vehementioribus motibus permittit se superari; fit ut præter hoc commune auxilium alio adhuc majori sit opus, quod intellectum illuminet, & voluntatem ad bonum amandum afficiat. Hoc auxilium nemini dare tenetur Deus, non omnibus tamen negat; sed confert aliquibus ex misericordia sua, aliis non confert ex justitia sua. Quia ad justitiam pertinet, ut peccator à Deo abjiciatur, abjectusque, sit vas ignominiosum & sordidum.* Non potuit electio gratiæ præclariùs prædicari, & auxilium indeclinabiliter electos agens ad salutem, quod adeo electis solis datur, aliis non datur, etsi his alia dentur auxilia.

Ibidem. Object. 2.

Nulla hic usquam Costero vel prædeterminationis mentio, vel scientiæ mediæ; sed solius lucis mentis illuminantis, & affectus delectationis, charitatis inspiratæ voluntatibus nostris, & ita pertrahentis, ut pueri pomis munusculisque, ut omnes quocumque objecta voluptate trahuntur. Ita & non multò pòst ait à Deo fieri mala, dum malæ voluntati occasiones objicit tempestivas: *Ad eum modum quo paterfamilias, si ebrium quempiam*

Ibidem.

videat flagrare desiderio aliquem percutiendi, neque cessaturum, donec desiderio satisfaciat : juberet ab eo vapulare servum suum ; qui alioqui pœnas daturus erat sceleris commissi.

EX JOANNE LENSÆO Theologiæ Lovanii Regio Professore.

An. 1590.

QUàm latè pateat peccati servitus, declarat Lensæus his verbis, quibus & *boni naturalis reliquias* in omni homine, & in justo lapso *boni operis aliquod principium* supereſſe prodit, ut minimè neceſſe ſit omnia infidelium opera eſſe peccata. *Neque enim tyrannis peccati quamvis magna est ; aut omne bonum naturæ evertit ; aut si quis semel gratiæ beneficio liberatus, iterùm in peccati se dimisit servitutem, ita hæc suscepta Dei munera expellit, ut nullum ex iis operis boni principium supereſſe patiatur.* Sunt enim etiam infidelium aliqua clementer, fortiter, justè, temperanter facta, *velut informes virtutum fœtus, à naturæ bono procreati, & ex amore honesti, bonique profecti, etsi veræ virtutes non sint, quas de fidei radice & de charitate surgere necesse est.* Nec neceſſe eſt *ut cupiditas inficiat omnes ejus actiones, in quo dominatur ; ut nec charitas omnia producit opera ejus, in quo ineſt. Ita nec infidelis omnia infideliter operatur. Itaque infidelis etsi verum Deum ignoret, tamen inquantum prælucentem sequitur interdum naturæ scintillam, atque impulsu quodam naturali agitur, peccato non servit.* Propterèà *necesse quidem est omnem hominem servire Deo aut diabolo, justitiæ vel peccato : non autem consequens est in singulis motibus atque operibus horum alterum reperiri oportere. Nam ut justitia non dominatur in singulis justorum operibus, sed in iis subinde aliquid sibi suffuratur relictus concupiscentiæ fomes : ita injusti iniquitas non cunctas ejus imperat actiones ; sed exurgit interdum naturæ quamvis in multis oppressa generositas, seque profert in opere, quasi inducias largiente, neque commovente se cupiditate.*

De Christiana libertate, l. 3. c. 5.

Ibidem.

Subdit in lapsis nunc adultis à justitia supereſſe *non pauca, quæ boni operis possunt esse principium, velut fidem, religionis zelum, temperantiam, castitatis amorem, & alia complura, tanquam munuscula Dei, filiis ancillarum vel misericorditer relicta, vel liberaliter collecta ; quæ licèt non sufficiant ad capessendum regnum cœlorum, quod solis est filiis præparatum, ad id tamen conferunt, ne plurium vitiorum sit servitus subeunda. Cujusmodi per ipsam etiam gentilitatem sparsa esse munuscula, dicit Augustinus, cùm Gentilium virtutes Dei dona esse docet.* Vides ut gratia hæc Dei generalis sufficiat ad non peccandum in singulis operibus, non sufficiat ad capeſſendum regnum cœlorum. Unde illud Augustini, *Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccandum valet*, non singula hominis opera, sed omnia, & vitam ipsam, ac converſationem amplectitur ; *ut non in peccati servitute universorum operum significetur inclusio, sed duntaxat justæ & sanctæ converſationis denotetur exclusio.*

Sicubi autem *peccandi necessitatem* memorat Augustinus, ait Lensæus eam neceſſitatem *insuperabilem non esse, quia si quæ sui officii sunt, homo Deo adjuvante facit, à sua poterit necessitate liberari.* Ex adverſo ignorantia invincibilis nullo studio pelli poteſt, ideo excuſat à peccato ; quia quod ex ea fit, fit *ab invito*. Prolixè enim infrà refellitur Calvinus, ſolam coactionis neceſſitatem a libertate ablegans, cum *à naturali quoque necessitate* immune ſit liberum arbitrium, ut ex Bernardo in Cantica probatur. Ideo & infrà docet *Angelos sanctos necessario quidem bonæ amore teneri, sed in variis tamen beatæ illius vitæ officiis & operibus liberam habent electionem, cùm aut his opitulantur præ illis, aut hoc & illo modo, istoque tempore & loco, non alio, &c.* Ita & dæmones liberos eſſe tradit in multarum electione rerum eis permiſſa, etſi à malo in bonum nequeant emergere. Ita ergo & ſceleſti circa ſingula liberi ſunt flagitia, etſi ſeſe ab omni ſcelere cohibere non poſſint.

Ibid. c. 4.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 12.

Gratia habitualis ea eſt quæ *libertas à peccato* vocatur ; facit enim liberos, expeditos, robuſtos ad non peccandum. *Hæc non naturæ libertas est, sed gratiæ, quam spiritus inhabitans facit, peccati servus amisit*, inquit Lenſæus. Sanata enim per gratiam habitualem voluntas, tam liberè & expeditè, tam facilè & delectabiliter opera dona exequitur, quàm ſanus oculus videt, & vegeta quælibet potentia ſuo munere defungitur. *Quæ remansit peccato subdita naturæ libertas, ea est quæ liberante & vegetante Spiritu Dei, bonum omne quod ad nostram salutem confert, operatur : & id quidem haud minus liberè, quàm si innatis sibi viribus sufficeret ad id perficiendum. Ut enim non aliter vel videt cæcus, vel graditur claudus, divino uterque beneficio restitutus, quàm is qui ejusmodi nunquam vitiis laboravit ; ita omnino liberum arbitrium non aliter officia virtutis exequitur opitulante gratia Christi, quam si propriis ea viribus nemine juvante perageret. At sicut arte medici fit in oculis caligantibus, ut possint videre, quod non videbant : nec tamen non ipsorum visio est, quam medicina contulerit ; ita in cordibus tardis & hebetibus acies obducta tergitur per Spiritum sanctum, & lumen accipit.* Apertiſſimè vides efficaciam vitandi mali, faciendi boni, gratiæ ſananti voluntatem, ſeu voluntati ipſi ut ſanatæ vendicari.

L. 1. c. 1.

L. 1. c. 1.

Poſtremò gratia efficaciſſima divini propoſiti ea eſt, qua ait Auguſtinus *subventum ita esse infirmitati voluntatis humanæ, ut gratia divina indeclinabiliter atque insuperabiliter ageretur. Non tamen subjunxit, ideo humanam voluntatem non posse deficere, sed addidit ; Ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Quod maximi prorſus momenti argumentum eſt. Illud enim *adjutorium quo* indeclinabiliter agitur voluntas humana ad perſeverandum in bono uſque in finem, non prohibet, ne juſti quandoque labantur, etiam in aliquod crimen, ex Auguſtino ; ſed id præſtat, ut vel non deficiant à bono, vel non in finem uſque vitæ deficiant. Nam & Petrus defecit, ſed non in finem uſque defecit, quia rogarat pro eo Chriſtus, ne ejus fides deficeret. Ita quibus datum eſt perſeverantiæ donum ſpeciale, vel non cadunt, vel reſurgunt. Ergo adjutorium illud quo, non ſingulare aliquod eſt auxilium, ſed auxiliorum quædam collectio efficax, & cum fine vitæ conjuncta, quæ cùm labi nos ſinat, ſi velimus, nunquam nihil officit liberæ noſtræ indifferentiæ. *Non quod gratia ipsum nobis liberè operandi modum conferat, quem invenit in natura : sed quod sic operetur in nobis, efficaciterque & tamen suaviter nos moveat, ut illum incolumem salvumque relinquat*, inquit Lenſæus.

L. 1. c. 8.

Ideo ex eodem gratia efficax incitans voluntatem, eſt ipſa charitas inhabitans ; eſt cor ipſum hominis novum, quia innovatum ; eſt voluntas liberata, & ita libera : *Divinis litteris per gratiam sanari, vivificari, excitari, adjuvari, & roborari dicitur humanus animus, ut vivificatus operetur, sanatus ambulet, excitatus evigilet, torporemque vitiorum excutiat, adjutus procedat, roboratus pugnet & vincat, victor denique cum perseverantiæ laude muneretur.* Et infrà juſtum ait *divina gubernatione destitutum, ad ea quæ sunt salutaria sibi non sufficere : sed gratiæ beneficio sic juvari, ut haud minus libera sui con-*

De libero, c. 11.

Ibid. c. 12.

silii electione suscipiat quacunque sequatur, atque si ad ea præstanda satis magna ex natura vires suppeterent. Et infrà rursum, sicubi effervescat flagrantior vis cupiditatum, vinci tamen eas divina virtute docet, *quæ fit, ut quod bonum est, liberè faciamus, secundum modum & naturam liberæ facultatis; quam Deus non destruit in ea operando, sed sanat, tanquam si faciat medicus, ut videat, qui objecto humoris impedimento nihil videbat prius.*

Ibid. c. 12.

Et quanquam non physicè prædeterminet Deus voluntates, ducet tamen eas quo volet, per ipsosmet earum affectus proprios, velut habenas quasdam agens inhibensque; cùm & diabolus etsi illabi humanis mentibus non possit, dominetur tamen sibi mancipatis, & eas quo vult detorqueat. *Etsi autem dictum est, magnam esse diaboli vim atque energiam in corda eorum, quos suo tenet subjugatos imperio: non est tamen existimandum, quod substantialiter illabi hominum animis possit, &c. Quo etiam fit, ut humanæ voluntatis motum in potestate non habeant dæmones, unde nec ipsum voluntatis consensum efficiunt, sed petunt; vehementerque ad id incitant, admotis tam foris, quàm intus illecebris, quæ sint ad inflammandum impellendumque quam accommodatissimæ.* At Deus inhabitat ipsam animam, affectus illi inspirat pios, quos ne dissensu suo ludificet, illecebris terroribusque perfinit.

L. 2. c. 30.

Sed primùm ex nolentibus volentes, ex dissentientibus consentientes Deus facit timore gehennarum. Unde Lensæus prolato ad hoc Cypriani

L. 7. c. 14.

testimonio, *His Cyprianus declaràvit, quantum valeat ex fide conceptus timor, quo divinorum judiciorum severitas & proposita delinquentibus pœna formidatur. Hic divinæ severitatis timor & peccatum expellit, & cum peccato diabolum; cùm sanctissimæ Dei voluntati cogit parere, ut æterna supplicia fugiantur. Institum esse hunc animis nostris timorem voluit, ut eo extimulati bellum indicamus nostris cupiditatibus, &c. Est hic timor basis quædam, unde imbecilla voluntas stabili accipit firmitatem.* Unde quandiu hic vivitur, quia nondum perfecta est charitas, hoc semper timore opus est, quo suppleatur efficacia, quæ deest charitati. *Major timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium.*

Et infrà quàm utilis & quàm efficax sit timor pœnæ: *Alios reperias, quorum est vel nulla adhuc*

L. 13. c. 14.

fides, vel ea sanè languidior. Si nulla est, concipi ex doctrina metu adjuvante potest, quia scriptum est: A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis. Si languida est & dormiens, non ei est utile, ut libera sit ab hac necessitate, qua compellit ad bonum. Ubi timor subjugavit Christo hominem, tum volenti jam & consentienti blanditur gratiæ & charitatis suavitas: *Primò per spiritum timoris quem præmittit, aditum sibi facit Deus, domiciliumque præparat; posterioribus suaviter se insinuat per incrementa charitatis.* Id exemplo Pauli declaratur, à quo *Christus non leviter aperiri sibi tanquam ab amico postulavit, sed fores cordis ejus & interius commovendo, & foris dejiciendo, atque excæcando, vehementer durèque concussit.* Itaque nemo credit invitus, sed *disciplina severior ad hoc confert, ut multi ex nolentibus & invitis fiant aliquando volentes. Ad convivium regis quidam compelluntur intrare; foris invenitur necessitas, sed nascitur inde voluntas; & felix illa prorsus necessitas, quæ ad meliora compellit. Quid Saulo alienius à Christo? Sed divinitus adhibita compulsio fecit eum ex nolente volentem, ex lupo ovem. Hæc compulsionis ac terroris utilitas.* Testificatio hujus rei est Testamenti veteris tota series & dispensatio; etenim *ad introducendam liberam charitatem, spiritus servitutis in timore præcessit.* Etenim indubiè quidem *Cor solus inflectit Deus, sed ad eam rem plerumque externum quodpiam ministerium admittit, per quod secretiùs in cordibus operetur. Fidem solus infundit, & tamen ex auditu fides. Ut igitur per increpationis institutionisque verbum, sic & per disciplinæ flagellum, quos vult ad se convertit, occulta operatione gratiæ suæ.*

L. 14. c. 2.

EX NICOLAO SANDERO
Anglo Theologiæ Doctore.

An. 1578.

GRatuitæ ante quæcumque prævisa merita prædestinationis vindex acerrimus Sanderus, efficaciam gratiæ invictissimam ad electorum conversionem ita exponit: *Cùm Deus nos conversurus ad fidem Christi, operetur in nobis ipsum velle, id est, nostram intimam, dignissimam & liberrimam actionem, qua credimus: quì fieri potest, ut Deo tale opus, quod actio nostra liberrima est, in nobis operante, nos interim quod ex nostra parte agi debet, non agamus liberè unà cum illo?* Ut enim infrà ait, *non aliud est opus Dei, quod per illum efficitur, & aliud quod nos per illum facimus.* Sed ita facit Deus, quia *potestatem* dat faciendi: *Gratia sola prævenit nos, ut mutet in viros alios, & convertat ad Deum; sed modus convertendi est per assensum nostrum. Quia Deus ante omnia liberat nos ab illa captivitate, qua captivi tenebamur ad diaboli voluntatem, dans nobis potestatem filios Dei fieri, hoc est ex gratia sua liberum nobis faciens, ut si volumus, per ejus gratiam, ad Deum accedere possimus.* Cùmque conglobasset multa Scripturæ loca, *Quid aliud hæc omnia insinuant, quàm in eorum qui vocantur potestate per Dei gratiam esse, ut audiant vocantem Deum, si velint? Et ideo quia nolunt audire, cum possunt, justè illos ob illam cordium suorum obdurationem puniri?* Ideo infra ait per Christum restitui nobis facultatem boni operis peccato amissam: *Cùm per peccatum id effectum esset, ut non sicut primi parentes ante lapsum poterant, ita nunc possemus, quod bonum erat, eligere & sequi: Christus hoc malum abstulit à nobis, liberans nos à servitute peccati, & restituens libertati gratiæ, ut jam possimus iterum eligere bonum, sicuti primi parentes poterant.* Sic ille exponit efficaciam gratiæ Christi, & nostræ conciliat libertati.

De justific. lib. 3. c. 17.

Ibid. c. 18.

Sed etsi gratia illa solitariè spectata, non infallibiliter determinet: sunt adjumenta alia quæ ei accedant, vimque ejus exaggerent, ut possit horum accumulatione determinatio moralis conflari. Huc pertinet quod Sanderus ait, ne justi, ne electi superbia suique fiducia intumescerent, providè à Deo cautum esse, ut de justitia, de prædestinatione sua certi & securi esse non possent. Comprimitur ergo superbiæ tumor tum interioris gratiæ inspiratione, tum hujus velut objectæ formidinis opportunitate. *Potuitne suavior, utilior, efficacior medicina huic morbo adhiberi, quàm ut ille, qui gratiam Dei accepit, tum non desperaret, se dignè accepisse, si tamen bona conscientia præditus est; tum certò id non sciret, ut eo difficiliùs per elationem seduceretur, quo minus se existimaret aliquid esse, cùm nihil sit?* Et rursum, *Nec ignorantia æternæ salutis nostræ facit, ut eo minus, sed potius ut eo suaviùs salvemur, dum hinc confidimus in Deo, inde timemus de impletione officii nostri: ex fiducia in Deo repositaspem & gaudium concipientes, ex timore humiliùs de nobis sentientes, &c.*

L. 1. c. 18.

Et alibi idem ait, *Fide Christi, fide viva, quæ justitiam formaliter efficit, vinci concupiscentiam, & hanc justitiam esse reipsa nihilo inferiorem justitia originali, quin potiùs ea potentiorem & fortiorem.* Et mox luculentissimè, ut Christus ab ortu statim suo ex animæ gloria immortalitatem carni refusurus erat, nisi ex dispensatione aliquandiu id cohibuisset; *Eodem modo cum mens nostra per fidem*

L. 5. c. 6.

Chri-

Christi justificatur, justitia mentis etiam in plenam carnis obedientiam erat transitura, sicut ante lapsum in primis parentibus revera evenit; nisi quod aliter fieri oportuit, tum ad memoriam prioris inobedientiæ firmiùs retinendam, quo in posterum cautiores redderemur: tum ad humilitatis majus exercitium, & spiritalis vitæ misterium occultandum, &c. Et rursum, *Hinc liquidò apparet Spiritum Dei habitantem in nobis, habere eam in se vim, ut posset omnem carnis concupiscentiam penitus tollere, &c.* Postremò efficacissimam potestatem fidei justificantis, seu gratiæ habitualis, sic describit: *Fides & plura quàm lex monstrat, & eadem apertiùs monstrat, & præterea cum per charitatem operatur, vivificat, seu vires internas subministrat,* L. 6. c. 2. *quibus id fiat quod monstratur.* Et mox, *Fides non solum foris præcepta justitiæ tradit, verùm etiam intus ad operandam justitiam efficacissimè movet & persuadet. Fides nos movet atque excitat, &c.*

Dùm tanta ergo portio efficaciæ tribuatur gratiæ habituali, reliqua actualibus auxilis intrinsecis & extrinsecis: nimirum hinc liquidum est, qualis cogitanda nobis sit gratia ex proposito divino efficacissima.

Jam verò quod gratia habitualis, seu fides viva & charitate formata, vires addat inclinetque ad bonum omne, liquet ex eo, quod ea dicat Sanderus non tantùm justificari hominem; sed L. 3. c. 2. *mundum vinci; oves Christi quas nemo rapit de manu ejus, ad æternam vitam perduci; perfectionem omnium virtutum annexam ei esse; per illam, eum qui credit justitiam operari, &c.* At infrà duas discriminat gratiæ species; L. 3. c. *Est unum genus donorum quod tantùm facit nos scire voluntatem Dei, & hæc est gratia quæ appellatur gratis data: est verò aliud genus donorum, quod etiam facit nos facere voluntatem Dei; de quo scriptum est, Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, &c. Et hæc est gratia gratum faciens, &c. Hæc autem gratificans gratia in Scripturis sacris lux, justitia, veritas, pietas & sanctitas, interdum verò usitatiore etiam in scholis vocabulo, virtus ἀφετὴ dicitur.* Subdit Augustini verba, *Virtus est charitas, qua id quod diligendum est, diligitur.* Igitur virtus seu habitus charitatis illa ipsa gratia est, quæ *facit nos facere voluntatem Dei.*

Eodem spectat quod infrà ait, *Evangelio obe-* L. 3. c. 4. *dientiam non deposci tantùm, sed gratis conferri.* Etenim, *Evangelium Christi attulit secum rationem gratuitam, qua fieret lex. Ratio faciendi legem est donum fidei, & charitatis, quod nobis propter Christum gratis donat Deus, creans in nobis cor mundum, & spiritum rectum innovans in visceribus nostris.* Et infrà, *Eadem facilitate Deus dat nobis pœnitentiam, spem, charitatem, qua fidem. Eadem facilitate diligimus, qua credimus; immo longè majori facilitate diligimus, qua id demum maxima cum oblectatione facit homo, quod ex amore facit, & præsertim ex amore cœlitus donato.* Reliquarum chorum virtutum statim fidei & charitati ut indivulsum adjicit. Et alibi similiter, *Dicimus nos fieri non posse,* Ibidem. *cùm fides, spes, charitas, gaudium, patientia & alia virtutes, & adesse ponantur, & velut mutua membra in unum quoddam corpus compacta & coagmentata sint, ut una istarum virtutum, nempe fides, id quod totius reliqui corporis commune bonum est, ut in justificatione accidit, sola operatur.* Hæc prisco more scribebat Sanderus, & etiam tum usitatissimo, quid posset, quid faceret voluntas per gratiam, attendens potissimum ex parte habituum & virtutum, seu affectuum animæ permanentium; non nescius tamen actuali Dei auxilio & motione opus semper esse, cùm & vires omnes naturales supernaturalesque non aliter in opus egredi queant.

EX PELBARTO de Themesuvar Ordinis Minorum. An. 1585.

NOn posse quemquam converti ad Deum hic docet sine *omni gratia gratis data*, nec sine gratia gratum faciente posse mandata omnia impleri, etiam quoad substantiam actus, etsi aliqua possint. Aureum Sacræ Theologiæ Rosetum Tom. 1. v. Gratia.

At de gratia habituali sic censet, eam *propriè gratiam dici*, quæ gratos Deo facit, & opera reddit digna æternæ vitæ. *Hæc est operans ex Augustino, inquantum animam gratam facit Deo, & operatur interius: cooperans, inquantum ad opus bonum dirigit etiam exterius.* Ex eodem Augustino, ut ait iste, *Gratia non est aliud, quàm quædam lux animæ, illuminans mentem ad bene & gratuitè operandum secundùm legem Dei, &c. Est ergo habitus, & informat animam.* Inferiùs etiam docet voluntatem quidem *animæ reginam* esse; at ex Augustino, *gratiam se habere ad liberum arbitrium, sicut sessorem ad equum.* Ibidem.

Et infrà inquirens quomodo *Gratia moveat liberum arbitrium hominis?* Respondet ex Bonaventura, *Præcipuè tripliciter: Primò per modum efficientis instrumentalis, quia Spiritus sanctus tanquam efficiens principale movet per suam influentiam, quam in instanti infundit; & hæc influentia causat quandam excitationem & inclinationem ad bonum voluntatis actum. Secundò per modum formæ, in quantum per formam gratiæ potest liberum arbitrium se movere & elevare ad opera meritoria vitæ æternæ, ad quæ sine gratia gratum faciente se movere non poterat. Tertiò per modum gubernantis & dirigentis; unde Augustinus hypogn. 3. Rectè arbitror liberum arbitrium comparari jumento, gratiam verò sessori.* Ibidem.

Idem alibi prisco more hoc quoque habet, *gratiam subtrahi*, cùm habitualis & sanctificans gratia aufugit, nempe peccato fugata. *Gratiæ subtractio est malum, inquantum exigente culpa hac caremus. Unde si Deus sine culpa nostra à nobis retraheret suam gratiam, non esset malum pœnæ: unde dicendum quod remotionis gratiæ nos sumus causa demeritoriè per vitia nostra.* Ibidem, v. malum.

Jam de gratia efficacissima, non multa hic scripsit. Utcumque conjici poterit ejus sententia, ex eo quod ait actum meritorium qua meritorius est vitæ æternæ, à gratia principaliùs esse: qua actus autem est, à libero arbitrio esse principaliùs. Et quanquam principetur agens instrumento, pluris tamen quandoque fit, quod ab instrumento propriè est, quàm quod ab agente: verbi gratia, *Licèt divisio panis plus fiat à virtute motiva manus, quàm à cultello scindente: tamen talis divisio considerata inquantum placet Principi cui datur, plus est à cultello bellè & pulchrè scindente, quàm à manu, quæ sine cultello non posset tam pulchrè scindere.* Ibid. verbo Gratia.

Idem alibi cum toto Theologorum agmine docet, divina prædestinatione necessitatem non imponi voluntati liberæ. Cùm enim ejus excusatio pendeat à Deo & à voluntate nostra, hæcque sit variabilis & contingens, erit & effectus ipse contingens. Universim enim cùm causa universalis & necessaria concurrit cum particulari & contingente, contingens effectus est, ita ut quandoque deficiat effectus singularis aliquis. *Exemplum secundum divum Thomam in floritione arboris, cujus causa remota est motus Solis, sed proxima est virtus generativa plantæ. Unde quamvis motus Solis currat invariabiliter, tamen floritio arboris impeditur quandoque per virtutem plantæ, ita quod non floreat arbor.* Non tamen omnes collectim, sed aliquæ sejunctim arbores florere quandoque cessant. Ita & auxilia gratiæ non omnia collectivè cadunt irrita, sed aliqua divisim, quorum cessatio suppletur ab aliis. Ibid. verbo, Prædestinatio. Verba prudentissima.

OB-

OBSERVATIONES ALIQUÆ in Censuras Facultatis Theologicæ Lovaniensis, anno 1586. & Duacensis anno 1586.

GRatiæ sufficienti vehementissimè adversatur gemina hæc Censura, ubi tamen sermo non est nisi de ea, quam ab efficaci gratia non separabant, & quæ verè per consensum libertatis humanæ efficax fiebat & ad peccatoris conversionem, & ad justi perseverantiam; ita ut sociari ea non possit cum doctrina prædestinationis gratuitæ, & gratiæ per sese efficacis. *Exactè loquendo, ut fatentur ipsi, quia gratia non est efficiens nisi ubi qui eam habet, nulla alia opus habet: exactius verius que dicemus non data esse posteris Adæ omnibus auxilia sufficientia ad salutem.* Censura Lovaniensis prop. 2. In eandem rem declaratur, illud esse sufficiens Dei auxilium, præter quod ex parte Dei nullum aliud necessarium est. Videntur ergo adversarii gratiam veram Christi labefactare, quæ ex Augustino bonis malisque communis non est. Non ergo rejiciebatur ab his Facultatibus, nisi ea gratia sufficiens, qua evertitur singulare beneficium gratiæ Christi, quæ non omnibus datur, & quæ tamen omnibus necessaria est ad conversionem & ad salutem. Nec enim converti potest peccator quisquam, nisi peculiari gratia Dei, sive auxilio speciali, quo voluntas in bonum mutetur; quo auxilio non donetur, nisi cùm reapse convertitur. Damnabantur igitur non immeritò his Censuris, qui conversionem, excellentissimum omnipotentiæ divinæ opus, tribuebant auxilio omnibus communi; unde & communicabatur etiam induratis, etiam infidelibus, omni loco, omni tempore. Ita gratia efficax evertebatur. Nec id minùs dilucidè patet in *justificatione Censuræ*, quam eodem anno edidere Lovanienses, hortantibus Episcopis, quibus & eam obtulere. Id improbatum ibi est, gratiam hanc absolutè sufficientem, excluso speciali auxilio, quo bonus usus datur omnium aliorum auxiliorum, dari *omnibus omnino*.

Censura Duac. prop. 2. Prop. 14. 15. Prop. 31. Prop. 14. Ibidem.

Cæteroqui non abnuunt hæ Facultates duæ, quin admittatur gratia sufficiens, quæ consociari possit cum prædestinatione gratuita & absoluta, & cum gratia efficacissima ex parte Dei. *Sunt qui putent esse credendum quod Deus ex abundantia misericordiæ suæ omnium & singulorum corda aliquando saltem sic moveat, ut credere possint & converti, idque censent insinuari ab Augustino quibusdam locis, quibus non omnino resistimus.* Addunt tamen nullo id posse certo argumento convinci; sed ajunt paulò inferiùs, quicumque peccat, posse cum non peccare; posse enim petere & impetrare auxilium ad non peccandum, & ad conversionem cordis. *Neminem in hac vita sic peccare, quin peccatum quod facit, possit non facere, & ad meliora converti; non quod habeat unusquisque auxilium sufficiens; sed quia id à Deo obtineri potest.* Ajunt inferiùs, neminem teneri ad impossibile, quòd auxilium ita præparet bonitas divina, nemini ut illud deneget petenti, ut oportet. Et rursus alibi, Ambigi non potest, quin observatio Decalogi possibilis sit infidelibus: sed utiliter ad salutem observari non potest, nisi ubi Deus illos juvat & illuminat ad credendum. Denique cùm dixissent de gratia efficacissima, necessaria ad cor lapideum conterendum, ajunt eos, qui illa non donantur, non habere auxilium sufficiens ad conversionem suam, cùm nullum aliud auxilium sufficiat sine ista gratia, sive ea sit prædicatio exterior miraculis confirmata, sive motio interior timoris divini, sive inspiratio aliqua voluntatis imperfectæ. Assentiuntur ergo sufficientibus auxiliis, dum ne iis excludatur necessitas gratiæ infallibiliter efficacis. Unde & paulò antè dixerant, Hæc expressio sufficientis auxilii tolerari quodam modo potest, & excusari, inquantum divina beneficia nunquam orbi defuere, quibus si adulti bene usi essent, ad salutem pervenire potuissent.

Ibid. c. 15. Censura Duac. & Lovan. prop. 19. Cens. Lov. prop. 14. Propos. 2.

Quod ad gratiam jam spectat efficacem, seu efficacissimam, affirmant Facultates hæ duæ, illa voluntatem *infallibiliter determinari*; sed nihil dicunt, quod intelligi non possit de determinatione morali & infallibili. Cùm ab adversariis diceretur, ad agendum minimè necessariam esse motionem excitantem, quæ efficax sit, & infallibiliter voluntatem determinet, qualis in Paulo fuit & Magdalena, & nonnullis aliis, cùm ad Deum converterentur; contra ajebant Censores, non in quibusdam tantùm, sed universim ab Augustino requiri gratiam Dei ita efficacem, ut voluntatem determinet. Fatebantur adversarii, concessum fuisse Apostolis, & aliis forsan quibusdam, certum perseverantiæ donum, in speciali quodam auxilio situm, ut in protectione, quo nonnullos ita Deus roborat & protegit, ut in gratia quasi immutabiliter & ineffabiliter perseverent usque in finem. Vult autem Censura donum hoc perseverantiæ omnibus dari qui perseverant. Atqui indubium est adversarios ei gratiæ, quæ voluntatem infallibiliter determinat, non vendicasse nisi vim moraliter, & tamen infallibiliter determinandi. Eam ergo unam flagitat Censura, dum universim ea impertiantur, & peccatores omnes, quando convertuntur: & justi omnes, qui ad finem usque perseverant.

Cens. Lov. Prop. 10. Prop. 13.

Idcirco propter nostram tantummodo nunc infirmitatem, utque discrimen constituatur inter Adamum stantem, & nos à lapsu nunc resurgentes: jubet Censura gratiam admitti infallibiliter determinantem ad conversionem & ad perseverantiam. Atqui prædeterminationi physicæ & gratiæ prædeterminanti inde emergenti perinde locus esset in natura hominum stante & in Angelis.

Prop. 10. 13.

Dilucidè Censura eadem ob oculos ponit prædeterminationem moralem, qua infallibiliter perseverantia datur. Addit enim, *Certum esse, posse semper ipsos etiam electos labi, & coronis suis excidere; sed omnipotentis Dei manu juvari eos in tentationibus: ut quando jam in lapsum propendent, labuntur quandoque, & pro humana fragilitate mox prolapsuri videntur; confestim surgant, & confirmentur. Miro denique modo quodam fieri, ut cadere semper possint, & perire; & adgubernante tamen illos Deo, & protegente inter ipsa discrimina; nec labantur, nec pereant, sed invicti semper perseverent.* Adgubernatio hæc Dei & protectio, quæ ne lapsus quidem omnes pervertit, moralem tantùm significat prædeterminationem.

Prop. 14.

Censura Duacensis authoritate utitur Pererii Societatis Jesu Theologi, à quo ostenditur non admitti nisi determinationem moralem. Affirmat autem laudatus ibi Pererius, si Deus ita moveret voluntatem, ut non moveret ipsa seipsam ullo modo, nec determinaret se ad agendum: tum & meriti & demeriti inanem illam fore, immo & libertatis expertem. Sed quoniam ita illam movet Deus, ut ipsa sese ipsam moveat, & deliberatione sua sese determinet ad agendum hoc, vel illud: ideo jure dicitur libera, & libera est. Sic ille; Ne cogitari autem quidem potest, voluntatem à seipsa determinari, si Deus illam physicè & infallibiliter determinat. Sed facilè intelligitur Deus ita movere & inclinare voluntatem, tot, tam variis, & tam diutinis motionibus, ut quamvis ipsa sese determinet ad consentiendum singulis motionibus, vel dissentiendum: solus tamen Deus illam determinet multitudine, varietate, congruitate & diuturnitate

Prop. 10.

motio-

morionum fuatum, faciatque infallibiliter velle, quod nolebat; nolle, quod volebat.

Justificatio seu defensio Cens. Lov. c. 1.

Defensores propositionum his Censuris inustarum, nullam in electis omnibus admittebant gratiam infallibiliter efficacem; hinc prædestinationi gratuitæ infesti erant, eique soli subscribebant, quæ scientiæ mediæ inniteretur. Ergo ut tota expungatur illarum propositionum doctrina, sufficit admitti gratiam efficacem ejusmodi, quæ voluntatem determinet moraliter & efficacissimè.

Ibid. c. 2.

Nec injuria etiam displicebat Censoribus illa congruitas, quam adversarii obtrudebant. Illam enim ab homine ipso derivabant, qui tum se ad consentiendum determinet, ubi gratia pristinis ejus affectibus consentit. Cùm ex adverso intelligendus esset Deus prior & irrevocabiliter velle electos suos convertere, & ideo hos illis affectus, has propensiones inferere, quibus facillimè adducantur ad consentiendum gratiæ conversionis, *Prædestinatio nullam in hominem affectionem, dispositionem, aut præparationem prærequirit; sed ipsa est quæ hominem quem vult, & quomodo vult, præparat, disponit, afficit. Non ergo præsupponit humanarum dispositionum atque affectionum præsentiam, &c.* Id verò trifariam capi potest; aut à Deo electis instillari jam inde ab ortu suo eos effectus, per quos volet eos ad se trahere: aut qui tandem cumque sint eorum affectus, innumerabilia diversissimaque Deo supperere subsidia invictissimè perdomitura animos his affectibus imbutos: aut in potestate ejus esse artes innumeras immutandi affectus cordis omnes gratiæ suæ aliàs repugnaturos.

Placet his Censoribus, ut homo sese aliquando determinet; si aliàs autem determinatur à Deo, id fieri dirigendo & gubernando, quo quidvis potiùs aliud, quàm prædeterminatio physica significatur. Ad omnia enim hæc omnino porrigitur, tam mala, quàm bona; nec verò illud est dirigere & gubernare. *In iis omnibus quæ Dei gubernationem contingunt, Deus causam ad effectum determinat; in iis vero quæ facit homo, non ex gubernatione Dei, sed ubi gubernationi suæ relinquitur, ibi seipsum determinat, ad effectum, seu potius defectum.* Inferiùs etiam eo à Pelagio erratum esse ajunt ex Hieronymo, quòd negaret *directionem & gubernationem Dei per singulos actus nostros nobis esse necessariam, qualem directionem petit Ecclesia, cum dicit, Dirigere & sanctificare, regere & gubernare, dignare, Domine sensus, sermones & actus, corda & corpora nostra.*

Defens. c. 10. §. 13.

Concursum à gubernatione sejungunt, ita ut manifestissimum sit gubernationem illam, à qua efficaciam gratiæ repetunt, non ejusmodi esse, quæ voluntatem physicè prædeterminet. *Multum interest inter gubernationem & concursum, nam concursus comitatur & adest paratus agere volenti, ideoque palam est, nullum inde libertati nostræ fieri præjudicium: gubernatio verò atque directio præest ad agendum, potestque eam superbus metuere, ne sibi adimat libertatem. Rursum comitatur concursus etiam in actibus non bonis; at in his quæ malè facimus, non à Domino, sed à nobis ipsis gubernamur. Hinc qui bene humiles sunt, à Domino per singula regi cupiunt, ne proprie permissi gubernationi deficiant.* Et ibidem, *Non ita indeclinabiliter aguntur sancti, ut non possint declinare; sed, quia cum tali directione Dei & agente ipsos spiritu non consistit, ut declinent.*

Ibidem.

Haud sanè illis placet Catharini distinctio in negotio perseverantiæ, prædestinationis & gratiæ efficacis. Quam autem illi gratiæ efficaciam paucis inter electos ipsos eximis concedit, ipsi ex Augustino communem volunt esse omnibus, qui salvantur. *Clarum est priorem illum modum quem fingit Catharinus esse paucorum, ab Augustino fie-*

ri communem omnibus, qui usque in finem in hac vitæ fragilitate perseverant. Atqui non aliam Catharinus agnoscebat gratiam infallibiliter efficacem, quàm quæ consurgit ex morali determinatione plurium auxiliorum, aliorum aliis substitutorum. Ibidem.

Ubi ergo refert Henriques hanc ab homine docto, scilicet à Lessio expositam fuisse doctrinam, *cum magno scandalo Academiæ, & ad Sixtum V. delatam, sustinuisse suæ temeritatis acrem reprehensionem;* mox autem sparsis rumoribus Theologicam Lovanii Facultatem disputationibus & argumentis Lessii cessisse, & de priore doctrina sua decessisse: quo factum est, ut anno 1613. solemniter contestata sit illa Facultas, constantissimè tueri se adhuc eam doctrinam, quam Censuræ Romam missæ mandaverat: his ex omnibus apertè liquet, vitio datum fuisse Lessio, quòd discessisset: & Facultatem publicè contestatam esse, non discessuram se unquam à doctrina prædestinationis gratuitæ & gratiæ infallibiliter determinantis ad conversionem & ad perseverantiam finalem, procul amandata Catharini distinctione, ut supra declaratum est à nobis. De fine homin. c. 12.

His ita constitutis jam facile erit obliquas abstergere suspiciones à Theologis Lovaniensibus & Duacensibus; & demonstrare, ne tantillum quidem eos recessisse à majorum suorum doctrina superiùs proposita, in exponendis sententiis Adriani VI. Latomi, Tapperi, Driedonis, Sonnii, Lindani, Jansenii Gandavensis: quam & post hanc publicatam Censuram, pari constantia tuiti sunt Jacobus Bajus, Viggers, Malderus, aliique Doctores Belgæ; qui ante finem Consilii Tridentini ne verbum quidem fecerunt ullum de gratia physicè prædeterminante, nisi forsan ad eam refellendam; unde & post Concilium illam uno omnes animo oppugnarunt. Ideo & Lovanienses Doctores affirmant in Peroratione Defensionis suæ unum fuisse Tapperum, qui nonnihil obstrepuerit doctrinæ Majorum suorum. Quod eo tantùm spectare videtur, ut improbetur Tapperus, ubi cum Henrico Gandavensi dixit, in discernendis electis suis à reprobis potuisse Deum intueri imperfecta quædam boni rudimenta, quæ in illis, non in his invenirentur; etsi hoc quidquid est boni, non meritum, sed occasio dici deberet hujus delectus. Ibid. c. 15.

Hic sanè advertere est, quibus gradibus interpolata sit doctrina hæc in Scholis quibusdam. Scientiæ enim mediæ Patroni Catharino primùm se adglutinaverant, & concordiam nescio quam meditabantur utriusque prædestinationis & utriusque gratiæ. Deinde verò illud abjecerunt, quod in Catharino optimum fuerat, & nec gratuitæ posthac prædestinationi ulli, & gratiæ per se efficaci assensi sunt: ita tamen certè, ut Bellarminus, Suarez, Ruys, & complures alii viri doctissimi ab antiqua doctrina gratuitæ omnium prorsus salvandorum prædestinationis non deflexerint, non sine nonnullis tamen ex Scientia media additamentis. Contrà autem ex alia parte ut his novationibus occurreretur, cœptum est vehementiùs augeri, nonnunquam & duriùs exponi dogma de gratia per se efficaci; frequentiùs jam verba illa usurpari cœpere, determinationis, infallibilis determinationis: cùm antè motio hæc, vel præmotio familiariùs diceretur; cùmque motio hæc physica esset, actusque & affectus indeliberatos inspiraret, hinc facilè delapsi sunt ad determinationem, vel prædeterminationem physicam admittendam. Non admittebatur illa primùm nisi ad opera bona, & ut nostræ post peccatum imbecillitati medicina fieret: postea admissa est, ut præmotio, & prædeterminatio physica, universim necessaria, ob necessariam subordinationem causarum secundarum a prima pendentium: atque ita utrique stationi vendicata est, ante & post peccatum;

rum, & omnibus prorsu operibus, bonis malisque. His uberior accedet lux ex nostris jam in Estium & Sylvium observationibus.

OBSERVATIONES IN ESTII Sylviique Duacensium Theologorum doctrinam.

VEnerunt in manus nostras Theologicæ Estii Orationes, ab ipso habitæ ab anno 1583. ad annum 1612. cùm Doctor esset, Professor & Cancellarius Universitatis Duacensis. Censet vir doctissimus *opera moraliter bona* fieri posse sine gratia Christi, etsi non sine auxilio generali Dei, *Non sine auxilio Dei & cooperatione saltem generali, quæ ad omnes actiones atque effectus causarum secundarum necessariò requiritur*. Hanc ille confirmat esse doctrinam Augustini, Prosperi, Concilii Arausicani, & Aquinatis. Docet posse ab infidelibus exerceri opera moraliter bona & peccati immunia solo hoc auxilio, *ex solo naturali affectu*: quod hic affectus naturalis implicitè & confusè ad Deum tendat.

L. 2. Sent. d. 26. §. 15. 16.

Ibid. d. 44. §. 3.

Favet etiam Estius duplici illi rationi servandorum Dei mandatorum: aut materialiter, prout ea servabant infideles in operibus moraliter bonis: aut meritoriè. Hanc distinctionem ait communiter admitti; & authoritatem illi accessisse publicatis adversus Bajum Bullis Pii V. & Gregorii XIII. Eodem ipso loco docet in hunc modum: *In statu naturæ corruptæ potest homo sine gratia Christi per solas naturæ vires servare quædam præcepta legis naturæ, nimirum quoad nudam operum substantiam. Quam propositionem clarè probant argumenta, quibus ostenditur, non omnia infidelium opera esse peccata, sed multa ab iis fieri moraliter bona.* Et ibidem: *Potest homo in statu naturæ corruptæ, ad breve aliquod tempus sine gratia servare omnia præcepta legis, quæ servanda per idem tempus occurrunt.* Et denique, *Nemo potest in statu naturæ corruptæ per vires suas sine auxilio gratiæ servare omnia præcepta legis naturæ, nequidem quoad substantiam operum.* Fatebatur ergo Estius, cum solo concursu, vel auxilio generali potuisse vitari singula peccata, quoties peccatur: sed ante justificationem non posse evitari universa, & semper. Non aliud desideratur, ut possint impleri præcepta, & declinari peccata: cùm non teneamur nisi ad actus singulos convenienter divinæ legi edendos.

In l. 2. Sent. d. 26. §. 40.

Illum tamen sibi quoque nodum objicit, teneri nos non singula tantùm ad præcepta implenda, sed etiam ad universa. Respondet autem posse universa etiam impleri præcepta, à justis quidem quia gratiam assecuti sunt habitualem: à fidelibus verò, quia fidem: ab infidelibus etiam, quia prædicatur illis, vel prædicari potest Evangelium, atque ita possunt præparari ad gratiam habitualem. Quatuor hæ sunt rationes implendorum præceptorum: *valde propinqua, minus propinqua, remota, remotissima*. Sed id non dicitur nisi ad observationem omnium simul mandatorum: nec bona fide agit, qui non statim fatetur, ab Estio simul admitti potestatem proximam ad singula, tum implenda mandata, tum peccata vitanda. In ejus Paulinarum Epistolarum Commentariis eadem enitescit doctrina, etsi frequenter ibi confutet gratiam illam sufficientem, quæ omnibus generaliter detur ad conversionem.

L. 2. Sent. d. 26. §. 22. Et l. 2. Sent. d. 44. §. 14.

Jam quoad gratiam habitualem, refertur ab Estio eorum sententia, qui illam opinantur auxilium esse sufficiens cum concursu generali ad omnia bona opera facilia & ordinaria: nec justo opus esse auxilio speciali, nisi ad actus heroicos, ad vincendas validiores tentationes, & ad perseverandum in justitia usque in finem. Nec illorum silet probationes, gratiam videlicet & habitus dari ad operandum: habitus infusos, non minùs actuosos esse debere, quàm acquisitos: vehementissimos illos esse in justis quibusdam, atque ita minùs egentes auxilii; per gratiam restitui nobis sanitatem & vires; gratiam sanctificantem, ipsammet esse animæ sanitatem & vigorem; per habitus adjici nobis suavitatem & delectationem illam, ex qua emergit efficacia gratiæ ex Augustino; gratiam meritò comparari aquæ salienti, & semini, quo terræ inseritur fœcunditas. Si quis verò objiciat, justis ipsis repugnare semper concupiscentiam, & impacato bello eos fatigare, atque ita auxilio speciali opus semper esse: in eorum gratiam respondet Estius, incredibiles esse quandoque gratiæ & charitatis vires; per eas minui concupiscentiæ vim; hujus flammas quandoque sopiri; habitus acquisitos, & probas naturæ propensiones ad moralem aliquam virtutem suppetias ferre charitati, quæ tunc non egebit auxilio speciali.

Confitetur ergo Estius, si non spectetur, nisi ignorantia & concupiscentia, & quæcunque demum ægritudo naturæ lapsæ in ipsis justis residua, auxilio tantùm generali opus illis esse ad opera bona. Sed vult tamen *auxilio speciali* illos egere ad quodlibet opus bonum, ex alia ratione, *Quia nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ*. Verùm cùm latissimè serpat hæc ratio, complectaturque stationes omnes naturæ rationales, ante & post peccatum, Angelos & homines, actus bonos malosque, faciles & difficiles: ex illa daretur auxilium speciale, hoc est efficacissimum ex parte Dei, in his indiscriminatim omnibus: quod quantum à doctrina Augustini abhorreat, nemo facilè dixerit. Ideo & ex hoc uno axiomate elicuit Estius durissima & omnino intoleranda placita circa prædestinationem & reprobationem hominum & Angelorum ante peccatum, & circa gratiam necessariam ante, vel post lapsum; quæ perspicuum est Augustini doctrinæ adversari, & magnoperè etiam abhorrere à doctrina Censuræ, tum Lovaniensis, tum Duacensis, ipso ejus ævo editæ. Hinc illa nimirum labes Estii, ex eo quod *motionem divinam*, cui nos vehementer assentimur, prædeterminationem voluerit esse physicam, physicè semper efficacem. Simillimum veri est, Bannesii librum, quem in Belgium anno 1588. perlatum fuisse testatur Defentio Censuræ Lovaniensis, has animo Estii novitates inseminasse, quibus tantò proniùs ille plausit, quod has videret opportuniores esse ad convellendam doctrinam eorundem Theologorum, quibuscum in Hispania decertaverat Bannesius, & in Belgio certandum tunc erat.

In his propè abfuit Sylvius ab Estio. Existimat enim posse omnes homines opera edere moraliter bona, *sine auxilio speciali, & supernaturali gratiæ*, solo auxilio generali munitos; non posse quenquam ampliùs contrariæ turò inhærere doctrinæ post Bullas Pii V. & Gregorii XIII. quibus proscriptæ sunt propositiones istæ: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet. Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, id est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Propositiones his adversas censet Sylvius verissimas esse, unde & Facultas Theologiæ Lovaniensis à Pontificio Internuntio super his interrogata, his verbis respondit: *Non sic omnia boni principia evulsa sunt, ut liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valeat. Multa quippe sunt quæ vel ad humanos usus utiliter, vel ad excolendos ornandosque vitæ mores, vel ad respublicas*

1. 2. q. 109. art. 2.

consti-

constituendas, industriè prudenterque primi honoris reliquiis protulit ; neque ea inquantum hujusmodi sunt, peccata esse censeri ullo modo rectè possunt. Quocirca qui aliquid naturalis boni, id est, quod ex solis naturæ viribus, non ex illa per Christum speciali ortum ducit gratia, agnoscit, minimè is cum Pelagio errare dicendus est ; sed perspicuè acquiescere veritati. Addit Sylvius si ita pronunciatum sit à Concilio Arausicano, *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*: non eam fuisse ejus mentem, ut actus hìc eos etiam perstringeret, qui non fiunt à nobis, nisi cum generali concursu primi motoris : damnationis sententia innodatum fuisse Pelagium, quod existimaret voluntatem nostram satis habere virium sine gratia, ad *non peccandum absolutè & simpliciter, id est ad vitandum omne peccatum, & ad omnia mandata divina implenda.* Ubi dixit Apostolus, *Sine fide impossibile est placere Deo*, intelligi eum debere, *de placendo in ordine ad justitiam & ad salutem.* Esse actus nostros puros peccati, quando in objectum laudabile feruntur, & nullo malo fine depravantur. Auxilium generale primi motoris ad opera moralia, esse quodammodo gratuitum. *Hoc auxilium non est simpliciter præsertim hìc & nunc debitum, nec in potestate hominis absolutè positum.*

Posse hominem existimat post lapsum diligere Deum imperfectè sine gratia, sed non super omnia, servandis omnibus ejus præceptis. *Potest absque gratia diligere Deum aliquo modo, amore benevolentiæ absoluto, imperfecto tamen, per naturæ vires, non autem diligere super omnia, nequidem ut authorem naturæ.* Posse ab eo sine gratia cum solo generali concursu impleri præcepta aliqua, posse quin etiam omnia impleri ab eo ad breve tempus, materialiter, hoc est quantum ad substantiam actus: at sine gratia ne materialiter quidem posse ab eo omnia servari. Gratiam verè sufficientem, hoc est præter quam nulla alia necessaria est, non omnibus semper dari censet, quod ea sit gratia efficax; peccare nihilominus, qui ea destituuntur, quod crimen vitare potuerint. Scitissimè ab Estio quatuor separatos esse gradus potestatis implendi præcepta omnia ; sed ab omnibus hominibus vitari posse singula peccata : *Propter flexibilitatem liberi arbitrii, & propter conditionem status in quo versantur, cui statui conjuncta est possibilitas vitandi singulos actus peccati.* Non spectat ergo, nisi ad conversionem, justificationem, perseverantiam, opera supernaturalia & meritoria, quod Estius, & Sylvius existimant, non dari omnibus hominibus auxilium verè plenè sufficiens : cujusmodi non est ex eorum quidem opinione, nisi cùm est efficax ; quia necessarium semper est auxilium efficax, ideoque quodvis aliud non est plenè sufficiens. At fatentur illi ipsi neminem destitui auxilio generali, quo possit vitare singula peccata, & bonis moraliter operibus sese addicere. Author est denique Sylvius hanc ipsam esse doctrinam Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

Ibidem, art. 4.

Quoad gratiam habitualem, etsi dixerit alicubi Sylvius, si ea destituti non possint servare omnia mandata, ex eo id fieri, quod opus ad id sit singulari protectione Dei, quæ justis solis annuitur: alibi tamen confessus est, posse à justis vitari peccata lethifera, tum singula, tum universa : *Quia per gratiam sanctificantem ratio est sanata, & reparata.* Et ibidem, *Quia illi in quibus est gratia sanctificans, diligunt Deum : qui autem diligunt Deum, præcepta servant.* Quo declaratur hujus gratiæ efficacia. Eget justus *speciali auxilio* ad quodlibet opus bonum, ex sententia Sylvii ; sed eo uno distare vult auxilium speciale à generali, quod illud supernaturale sit. *Ut enim nullum opus ordinis naturalis, absque Dei influxu & operatione, quæ naturæ naturalique ordini conveniens sit, fieri potest ; ita nullum opus quod naturæ vires superat, fieri potest absque auxilio Dei speciali, proportionato nimirum tali operi.* Fatetur denique quam sanctus Thomas gratiam in operantem & cooperantem divisit, eam esse gratiam habitualem ; & eam reapse operantem & efficacem esse per virtutes infusas; immo & per seipsam, si ipsamet charitas sit.

1. 2. q. 109. art. 6. q. 8.

Ibid. art. 8.

Ibid. art. 9.

Quod ad motionem denique pertinet physicè prædeterminantem, non recessit ab Estio Sylvius, & 1. utrique placuit prædestinatio tam gratuita Angelorum, quàm hominum post peccatum. 2. Reprobationem admisere nescio quam ante prævisum etiam peccatum. 3. Tam efficax gratiæ auxilium stanti, quàm lapso largiti sunt homini. 4. Eam efficacis auxilii necessitatem non ab ægritudine naturæ lapsæ derivarunt, sed à causarum secundarum subordinatione ad primam. In his certè, & in cæteris, quæ his finitima & consequentia sunt, aberraverunt ambo hi Theologi ab Augustini doctrina, à consensione priscorum suæ Facultatis Theologorum, à Censuris denique Theologiæ Lovanienſis & Duacensis anni 1588. Cùm ergo gemina hæc Censura in quatuor his capitibus ab Estio & Sylvio discrepet, hinc facilè intelligitur, authores utriusque Censuræ nequaquam consensisse gratiæ per prædeterminationem physicam efficaci. Consule si vacat Censuram Lovanienſem anni 1586. in propositionibus IX. X. XIII. XXII. & Duacensem anni 1588. in propositionibus X. & XIII. Earum doctrina quatuor in his articulis doctrinæ Estii Sylviique infestissima est. Quod & prolixiùs & manifestiùs declaratur ex justificatione Censuræ Lovanienſis.

EX MATHIA FELISIO
Belga Ordinis Minorum Theologo.

An. 1579.

PAri elegantia & eruditionis Theologicæ ubertate scripsit Felisius adversus Calvinistas & Lutheranos *institutionem Christianam*, quam Christophoro à capite fontium, Generali Minorum; & *Catholicam Decalogi elucidationem*, quam Cunero Petri dicavit, Episcopo Leovardiensi.

Hic ergo generalis gratiæ hanc primò particulam attingit, quod Dei notitia omnium mentibus sit inscripta. *Aliquem inesse humanæ menti, & quidem naturali instinctu, divinitatis sensum, extra controversiam ponimus. Siquidem nequis ad ignorantiæ prætextum confugeret, quandam sui numinis intelligentiam ipse Deus indidit, cujus memoriam assiduè renovans, novas subinde guttas instillat.* Et mox, *Cùm nulla ab initio mundi regio, nulla urbs, nulla denique domus fuerit, quæ religione carere posset, in eo tacita quædam confessio est, inscriptum omnium cordibus divinitatis sensum.*

Inſtitut. Chriſt. l. 1. c. 4.

Et rursum de generalibus ad conversionem & pœnitentiam auxiliis idem: *Pium fuerit sentire, divinæ bonitatis viscera omnibus & singulis esse exhibenda, nullumque Deum relinquere ; sed omnibus & singulis hominibus inspirationes aliquando præstare, quibus ad resipiscentiæ cognitionem, melioremque vitæ frugem pertingere queat. Scripturæ namque generaliter loquuntur, Venite ad me omnes &c. Augustinus quoque edocet, nullam esse animam, quantumvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus.* Et mox : *Influxu generali convertit Deus universa ad seipsum tanquam ad finem ultimum secundùm esse naturæ. Specialis autem influxus, seu auxilium speciale est, quod hominem convertit ad finem supernaturalem, hoc est ipsum Deum, & ad visionem beatificam, &*

Ibid. l. 2. c. 10.

S. Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 10.

proin-

proinde ad ea quæ ad istum finem prospiciant. Hic specialis influxus, non est aliqua gratia habitualis, sed est motio divina, sive instinctus, quo movetur, ac ad bonum excitatur, nec alicui denegatur, quamdiu degit in hac miseriarum valle. Homines diversimodè se ad istum habent instinctum. Aliqui namque illi acquiescunt, sicque ad gratiam habitualem de congruo disponuntur, quia facientibus quod in se est, non defore creditur, secundùm Augustinum, Non sunt, inquit, mediocria bona, quod anima facultatem habeat, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, capereque virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur, Non enim ante meritum boni operis, parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponit errori, & quietem difficultati, ut ad hæc studendo perveniat; quod si facere noluerit, peccati rea inre tenebitur, tanquam quæ non bene usa sit ea facultate, quam accepit. Sic ille ex Augustino probat, facienti quod in se est, nimirum ex facultate & instinctu atque ex auxilio speciali ac supernaturali, quo nemo hìc destituitur, non denegari gratiam justificantem. Unde mox, *In hominis potestate quodammodo relictum est, ut ei fides & charitas infundantur. Potest namque aliquid facere, quo facto, Deo dante, accipiat.* Quod probat exemplis Eunuchi, Cornelii, & aliorum complurium.

Observa hìc autem, generalia hæc, eademque specialia auxilia, quia in omnes omnino sparsa, ideo generalia; quia supernaturalia, ideo specialia, vocari à Felisio *instinctus*, sive *motiones*. Reapse enim quod Deus, quod unus, quod summus, quod colendus sit, quod sapientia sit anteferenda errori, pietas & justitia improbitati, inscriptum est naturæ & conscientiæ hominum, ideo *instinctus* dici jure & merito queunt: at subinde excitantur à Deo, ut summo bono ad se omnia convertente, ad sui beatificam fruitionem omnes vocante, & ita *motiones* sunt; & quidem speciales ac supernaturales, quatenus & gratis, & ex Christi cruce, & ad supernaturalem felicitatem assequendam omnibus asperguntur. Ita ex reliquiis primævæ imaginis, sive ex gratiis Creatoris, fiunt beneficia Redemptoris, & quædam primitiæ novæ creaturæ.

Nam ut idem ait infrà, *Peccato non est prorsus extinctum, vel amissum liberum arbitrium. Secundùm Augustinum, non usqueadeo imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, &c.* Ideo sine gratia gratum faciente *aliqua* potest. Potest non negligere ipsam gratiam; potest non consentire *aliquibus* peccatis & tentationibus, non omnibus, *propter instabilitatem & infirmitatem hominis*. Per plures enim & varias tentationes diabolus tandem dejicit hominem aliquibus obsistentem; & his etiam *non diu*. Item sine gratia gratum faciente potest homo facere præcepta legis, ut Paulus ait, *naturaliter*, sive *secundùm substantiam operis*. Quo etiam modo & martyria subierunt hæretici, sed quia sine charitate, ideo infructuosè, nisi quòd mitiora in inferis luent supplicia. Sed in his omnibus cùm solam justificantem gratiam excludat Felisius, gratiæ generalis auxilia non negat adesse.

Ibid. c. 25.

Ad gratiam habitualem defluit Felisius, cùm ait Adamo *datam à Deo sanam & omnino integram voluntatem:* cui cùm *adjutorio sine quo non* præterea opus esset ad perseverandum, hoc ipse existimat in eo positum esse, quòd *assiduè præberet intellectui hominis lumen sapientiæ, & bonæ ejus voluntati fomentum amoris:* perinde ac si diceret, eam fuisse gratiam seu motionem actualem, qua jugiter vegetabatur, & excitabatur sapientia habitualis ejus, & charitas. Lumini enim & alimentis comparat Augustinus hoc auxilium; & eo satis designatur, non naturale, non generale, sed

Ibid. c. 33.

specialis. Conservat enim naturali sua cuique rei natura & operatio propria servatur. At isto extrinsecum & supernum aliquid confertur & ultra naturæ vim. Quod mihi quidem videtur non aliud esse, quàm ut naturis naturale, ita formis supernaturalibus supernaturale, utrisque contentaneum conferri auxilium actuale à Deo, omnia ad se, pro cujusque tamen modo & ingenio, ut ad summum bonum, trahente.

Sed cùm actuale hoc auxilium velut consectarium sit gratiæ habitualis, hæc propriè gratia est. Unde Felisio teste, inter varias gratiæ nominis significationes, *Est hæc acceptio Scripturis propria, ut idem sit, quod donum in anima residens, à plenitudine gratiæ Christi in eam derivata, de qua Paulus, Charitas Dei diffusa est, &c. Hanc Scholastici vocarunt gratiam gratum facientem, extenditque se ad justitiam, ad remissionem peccatorum, &c. Atque hæc est quæ proprio nomine gratia Christi appellata est, sive gratia Dei per Jesum Christum. Hæc est gratia justificans, qua justè vivitur, aut saltem injustè actæ vitæ venia obtinetur.* Addit nec cognitionem legis, nec quamcumque *possibilitatem, quæ sit ab actione & effectu separata, posse gratiam Christi propriè dictam censeri.* Quæ verba nil præjudicant Christi gratiæ generali: etsi enim Christi gratia ea quoque sit, non tamen specialis & propriè dicta. Quin immo *specialis* & propriè dicta est gratia habitualis, quæ ab actione & effectu separata non est, ut hìc asserit Felisius, cùm de gratia speciali & propria hoc asserat, ibidemque eam esse habitualem sive justificantem & Scholasticis gratum facientem dicat. Enimverò gratia habitualis *ab actione & effectu separata* non est, cùm quandiu inest, faciat bene velle, velle bonum, esse justum, diligere justitiam, cùm inclinet, urgeat & inflammet in opera pietatis, ut habitus, ut pondus, ut intentio efficax.

Ibid. c. 15.

Idem infrà: *Negat justo præter gratiam justificantem, quam habitualem & gratum facientem in scholis appellant, opus esse speciali auxilio Dei moventis ad singulas actiones bonas præstandas, singulasque tentationes vincendas.* Omnes ferè Scholasticos secum sentire ait contra Gregorium Ariminensem. Si enim *cum solo generali concursu* possunt impii opera edere moraliter & ex genere bona, quin possint & pii? *Per gratiam enim gratum facientem, virtutesque cum ea infusas, non modo sanantur animæ nostræ, libertati perditæ restituuntur, & naturæ vires per peccatum graviter læsæ reficiuntur, atque reparantur: verùm etiam incrementum, roburque accipiunt. Quamobrem rationi consentaneum videtur, posse hominem sine speciali auxilio quædam opera facere, quæ ante acceptam justificantem gratiam minimè poterat.* Ex Concilio Milevitano idem probat.

Ibid. c. 23.

Si verò quis reclamet ex eo quòd justi imputent divinæ gratiæ actiones bonas singulas, negat ex eo sequi *auxilii specialis* per singula necessitatem, præter gratiam justiacantem. *Quis enim nescit etiam pro his gratias Deo esse agendas, quæ ad gratiam gratum facientem pertinent? Cùm ad cœleste etiam auxilium reducantur, quæcumque homini Deus per gratiam gratum facientem, & virtutes infusas præstat.*

Ibid. c. 25.

Adde quod idem alibi ait fœdissimè errare Calvinum, *constituendo justificationem perfici, consistereque in remissione sola peccatorum. Adsit enim præterea oportet, novitatis vitæ prosecutio, &c. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Non in hoc solo consistit justificatio nostra, si vetus homo noster exuatur, quia necesse est insuper induere novum, qui secundùm Deum creatus est, in sanctitate & justitia veritatis; ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos simul cum eo resurgentes, in novitate vitæ ambulemus.*

Elucidatio primi præcepti c. 27.

Postre-

Postremò ad tertiam eamque efficacissimam gratiam pertinet, quod idem ait: ut contingens effectus est, si à duplici causa fluat, altera necessaria, altera contingente; ita *prædestinatio dependet ex causa necessaria, nimirum Deo, & causa contingenti, id est libero arbitrio; ergo prædestinatio quoad nos est contingens, quia divina voluntas non impedit modò, sed permittit ut homines prædestinati, perinde atque reprobati liberè & contingenter agant. Possunt igitur prædestinati etiam deficere, & in peccata ruere; propter divinam tamen, eamque immutabilem voluntatem, cui subjiciuntur, cujusque intentionem nequeunt evadere, non possunt in peccato mori & damnari, utpote prædestinati ad vitam.* Ubi observa primò effectus ita contingentes, ut quæ à solo & terra gignuntur, quandoque deficere, & non gigni; sed etsi deficiant aliqua individua, perpetuari speciem ex multitudine aliorum individuorum. Quid hinc in rem nostram efficiatur, apertum est. Secundò, infallibilitatem prædestinationis non scaturire, nisi ex voluntate & *intentione* Dei, quam non possunt evadere causæ etiam liberæ. Tertiò, ita sæpè in scelus ruere electos, sed non in eo cœno mori.

Ibid. c. 34.

Sed quomodo invictissimè, & liberos tamen ad se convertat, idem infrà: Vocat nos Deus *exhortationibus exemplorum ab aliis factorum; aliquando flagellis, mala siquidem quæ hìc nos premunt, ad Deum ire compellunt. Nonnunquam promissionibus bonorum & præmiorum, &c. Si pueri nucibus oblectati, & oves viridi ramo tractæ pastorem sequantur, teste Augustino, quanto magis quibus talia bona promissa sunt in cœlis?* Et paucis interpositis: *Alii mane vocantur, id est in pueritia; alii hora tertia, in adolescentia; alii hora sexta, in juventutis flore; alii hora nona in viridi ætate; alii undecima, in extremo vitæ curriculo, quia tunc erant obtemperaturi, gratuita bonitate Dei prædestinantis & vocantis, id est volentis tunc ita vocare eos, taliterque adjuvare, qualiter necessarium noverat, ut vocati, intusque attracti, nefas ducerent tam plausibili Dei inspirationi non obsecundare.* Et infrà, *Docendo delectat, non necessitatem imponendo compellit.* Et rursum, *Nemo funibus aut restibus impetuosis instar pecudum trahitur; nam miris modis trahitur à Deo ut velit, qui novit in ipsis hominum cordibus operari, ut volentes ex nolentibus fiant.* Vides perspicuè indeclinabilem efficaciam gratiæ constitui in eo, quòd vocet *miris modis; ita, taliter, delectando, quando* erant obtemperaturi. Quæ contemperationem gratiæ omnia significant, eamque variis ex capitibus promptam.

Ibid. c. 24.

Hoc est prorsus maximè speciale Dei auxilium, quo non ad singula opus est, cùm speciali auxilio justis opus sit ad actus singulos justitiæ. *Non negaverim, quin ut homo justus in justitia accepta diu perseveret, ut excellentia magnaque pietatis opera præstet, & gravibus tentationum fluctibus fortiter resistat, præter justificantem gratiam etiam speciale auxilium Dei requiratur. Magna est enim in carne nostra corruptio, & in malum proclivitas, & in intellectu obscuritas, quæ per gratiam justificantem non penitus ab homine tolluntur.* Ita sanè æquum est operum difficultati attemperari auxilia, non promiscuè ingeri ejusdem semper efficaciæ. Cùm ergo in prima ad Deum conversione & perseverantia ingravescat moles summa difficultatis, ibi enimverò invictissimis opus est adjutoriis.

Instituc. Christ. d. 24. c. 22.

Rursus ineluctabilem efficaciam hujus gratiæ elucidat ex Augustino; *Voluntati nullam inferri vim, sed amore potiùs eam duci. Nam qualis sit iste tractus, explicans, ramum, inquit, viridem ostendis ovi, & illam trahis; & nuces puero demonstrantur, & trahitur.* Ex Chrysostomo, Hilario, & Concilio Tridentino idem elicit, voluntarios trahi nos, & ita ut dissentire possimus. Denique necessitatem, quam ex præscientia, providentia, prædestinatione divina quidam intentabant, sic ille amolitur, quod res noverit Deus futuras, quia futuræ sunt; non futuræ sint, quia eas noverit: immo quod Deus nihil præteritum, nihil futurum habeat sibi, sed præsentia sibi coram habeat cernatque omnia; nec videndo fieri quæ fiunt, vim adferat ut fiant.

Ibid. c. 26.

Vocationem alibi divinam expendens, pluribus eam communit præsidiis, *Gratia gratis data appellitatur, quidquid illud sit, quod naturalibus superadditum est, adjuvans aliquo modo, & preparans voluntatem ad gratiam gratum facientem, sive illa sit gratia, sive habitus, sive timor servilis, sive pietas aliquorum visceribus inserta, &c.* Sic ille ex Bonaventura. Hæc quippe omnia aliquid conducunt plerumque ad mansuefaciendam paulatim cordis feritatem.

Ibid. c. 25.

Denique inquirit inferiùs, *utrum gratia vel liberum arbitrium sit agens principalius.* Respondet autem, si actus ut meritorius spectetur, esse illum à gratia principaliùs. Meritum enim à gratia propriè in actum derivatur. At si actus materialiter ut actus spectetur, *Sic voluntas est agens principalior, & gratia minus principalis.* Etenim Deus *tam suaviter movet liberum arbitrium & dirigit, ut in ejus potestate relinquat etiam ea quæ fecit, non posse facere: & multa quæ non fecit, posse facere. Huic consentaneum est exemplum libri tertii Hypognosticon, de jumento quod dirigitur à sessore: sic liberum arbitrium à gratia.* Sessor autem ita equum dirigit, ut tandem ad metam perducat; non tamen singulos ejus vel gressus efficit, vel defectus lapsusque impedit inevitabiliter.

EX JOANNE HESSELIO
Lovaniensis Theologiæ Professore.

An. 1580.

JUstificantis gratiæ efficaciam non mediocrem ut amet homo honesta, quæ priùs oderat, oderit turpia, quæ amabat, paucis descripsit Hesselius: *Homo tantùm prius credebat se per Christum, si ad eum confugeret, mutandum ex iniquo in justum, ex impuro in castum, ex guloso in sobrium. Cùm jam mutatum se videt, & abominari iniquitates, quas ante solebat amare, experitur in parte id quod credebat ante, Deum scilicet justificare invocantes se, atque ex ea justitia redditur conscientia tranquilla. In istis Spiritus sancti donis, intellectu, justitia, pace conscientiæ & gaudio consistit arrha futuræ hereditatis.* Ergo gratia justificans non tantùm peccata eluit, sed ex impuris castos, ex gulosis sobrios facit, vitia omnia expungit, ingenerat virtutes; id justificatus ipse factis experitur; inde pacem, gaudium, tranquillitatem percipit. Idem infrà inquirens *cui filiorum Dei tribuat Scriptura justificationem ex veterum sententia*; ex Augustini libro maximè de Spiritu & littera adscribit complura, quibus justificari hominem ostenditur fide per charitatem operante, seu charitate diffusa per Spiritum sanctum. Ergo charitas, dilectio justitiæ Augustino, illa est forma inhærens, qua justificamur: idque adversus Lutherum Catholici Scriptores omnes constituunt.

Confessio fidei Lect. 2. c. 16.

Ibid. c. 18.

Ibid. c. 18.

De gratia generali sumi possunt, quæ habet ille ibidem, *Christus venientem ad se non ejicit foras, non ejicit venientem, sive fide & charitate sibi adhærentem. Sed eum dumtaxat abjicit, qui Christo adhærere non vult, & si ei adhæserit, sponte recedit.* Quo satis innuitur posse ad Christum venire aliquos, posse in Christo perseverare,

qui

veniunt, qui non perseverant. Et rursum, *Christus dicit se venisse, ut vocaret peccatores ad pœnitentiam, se medicum vocat: quia nimirum potens est & paratus mederi infirmis, sed illis qui se curandos præbent, qui manum vulnera rimantem tolerant, qui potiones ab eo paratas non fastidiunt. Ipse est fons patens, &c.* Sic ille retundit insaniam Lutheranorum de sua tanquam electorum salute fiduciam. Atqui compendiosius fuisset ad hanc infringendam, negare gratiæ sufficientia præsidia omnibus dari, etiam justificatis. Concideret enim statim temeraria illa præsumptio. At Catholici Scriptores de auxiliorum divinorum copia omnibus parata dubitari vetuerunt, sed de sua quemque inconstantia & levitate diffidere sanxerunt & timere. Quocirca ibidem Hesselius adductis ex Scriptura verbis Sapientiæ, omnes ad se vocantis, omnes allicientis, addit: *Ecce hic Christi beneficium ita describitur, ut tamen & à nobis requiratur ut veniamus, comedamus, bibamus, relinquamus infantiam, & ambulemus per vias prudentiæ. Ipse stat ad ostium cordis nostri & pulsat. Sed aperire ei oportet, ut ingrediatur ad nos, & cœnet nobiscum. Vitis vocatur Christus, quia vivore gratiæ suæ palmites sibi adherentes vivificat, atque fœcundat. Caput vocatur, quia membra sua dirigit & salvat. Oliva quia omnes sibi insertos pingues reddit. Sed certare oportet, atque sollicitum esse, ut ipsi Christo, veluti palmites & membra, atque velut surculi oliva inseramur, succumque atque influxum ejus non impediamus, neque exscindamur.* Cùm ergo securitas nostra timore temperanda sit, de auxiliorum divinorum ubertate, de *succo & influxu* capitis in membra, vitis in palmites, olivæ in surculos, Christi in nos jubemur esse securi; sed de nostra voluntate & constantia merito sollicitari & timere monemur. Plura possem ad hujus generalis gratiæ confirmationem excerpere ex eodem Hesselio, in alio opusculo *de brevi & dilucida explicatione Decalogi*. Complura hìc enim ex Patribus Græcis Latinisque constipat, ut idem evincat, Deum ad ostium cordis stare, & pulsare: nostram esse culpam, si ultro obsurdescimus. Sed parco operæ & tempori. Præterquamquod ea Patrum loca alibi intexuimus suis quæque locis.

Gratiam propositi efficacissimam, qua electis perseverantia datur, longè aliam idem tradit, nempe de cujus si detur efficacia, & danda per eam nobis constantia dubitare nefas sit: sed animi dubios pendere nos tamen debere jure meritissimo, an detur, nec enim omnibus justificatis datur. Itaque adversus Lutheranæ confidentiæ vecordiam, jubet Hesselius, jubent Scriptores Catholici, de generali gratia danda confidere, sed de sua erga illam socordia timere: de speciali autem perseverantiæ dono certos esse, si detur, non frustra fore: sed merito anxios esse, ne non detur. Hæc enim perseverantiæ gratia in eo est sita, ut per *protectionem* Dei fiat, ne parta jam justitia & gratia à nobis deseratur. *Interrogo de hac inani & merè fictâ fide gloriantes, num persuadeant sibi, quod non sint casuri à fide aut justitia, sed protegendi à Deo? Utique dicent mihi, Et hoc statuimus: quandoquidem oramus, ut Deus quotidie nos custodiat. At justus erat David, & statuebat se à Deo protegendum omnibus diebus vitæ suæ, &c.* Idem de Apostolis argumentatur, cùm justi essent, postea cecidisse, & ideo non tam certa *fide* statuisse, *se à Deo, ut in scelera non caderent, protegendos, licèt hoc bene sperarint*. Ex his paucis satis liquet invictissimam hujus gratiæ efficaciam peti ex Dei *protectione & custodia*, quæ utique in suspicionem quidem movere potest necessitatis libero arbitrio inferendæ. Num enim mea vel libertas vel indifferentia minor erit, si vigilantiùs Deus excubet circa me, & præpotentiùs arceat tentationes, vel temperet, vel impedimenta boni amoliatur, atque incrementa mali?

Ibid, c. 10.

EX JACOBO BAJO Doctore Theologo, & Professore Lovanii.

Ann. 1691.

Gratia specialis, seu habitualis charitas est, eademque sanitas, libertas, amor, pondus animæ, affectio, delectatio, magna voluntas. Gratia generalis bipartita in influentiam generalem, quæ omnibus presto est ad non peccandum, ad opera moraliter bona, & in auxilium speciale. Gratia denique propositi efficacissima, ob plurium auxiliorum conspirationem, quæ non determinans voluntatem, sed faciunt invictissimè, ut ipsa se determinet.

EDidit Jacobus Bajus *Institutiones religionis Christianæ*, omnium laude & admiratione percelebres. Ex hoc castigatissimæ Theologiæ compendio delibabimus hìc pauca nostro more ad triplicis gratiæ elucidationem. Et primò de gratia habituali sumendum utique est, quod libertatem *à necessitate*, quæ *naturæ*; item libertatem *à miseria*, quæ *gloriæ* libertas est, discriminans à libertate *à peccato*, hanc ait *gratiam* nuncupari: *Libertas à peccato, quæ gratia nuncupatur*. Ex Augustino enim gratia justificans liberat à peccatis & commissis, remittendo ea: & committendis, roborando adversùs ea; & ideo *libertas* etiam dicitur, quam peccando amiseramus, quæ justificatione restituitur. L. 1. c. 25.

Idem alibi gratiæ habitualis naturam & efficaciam præclarissimè demonstrat, ex eo quod hæc virtus charitatis sit, qua uti pondere agitur & fertur anima. *Deus humanam voluntatem inclinat, efficienter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimit, sicut infundendo gratiam & virtutes, inclinat voluntatem ad bonas actiones. Amor enim instar ponderis est affectum inclinantis in rem amatam. Unde si tantus amor veritatis & justitiæ inspiretur hominis animo, ut ita oblectet animum, ut quidquid aliud voluptas, seu dolor suaserit, delectatio illa superet, per talem cordis affectionem voluntas inclinatur, ut gratiæ cooperetur; ut docet Augustinus, &c. & docet petendam magnam à Deo voluntatem, quæ sit efficax, &c.* Ergo forma ista est gratia seu *virtus* charitatis, qua Deus *movet* & *inclinat* animam, amore, ceu *pondere*. Quocirca si hic *affectus* seu *delectatio*, non actus, sed affectus, tanquam juge pondus animæ, superet alios affectus, qui deorsum vergunt, anima sursum ad Deum rapietur. Ergo Augustinus cujus hìc plurima citat testimonia, cùm de *amore*, *delectatione*, *pondere*, *magna voluntate* loquitur, de hac loquitur habituali gratia; & ea est *efficax* gratia Dei, facilè consistens cum arbitrii libertate. Verè enim, ut idem infrà ait, *Justus ex accepta in Baptismo gratia potest ad salutem opera necessaria Christo auxiliante & cooperante exercere*. Ideo & alibi hanc agnoscit esse gratiam, cujus potissimùm præparatio prædestinatio est, de qua & Paulus, *Quos prædestinavit, hos & justificavit, & glorificavit*. Denique alibi inter effectus Baptismi hunc refert ex Cypriano, *Spiritum sanctum hominem secundâ nativitate reparatum animare, dirigere, ad omnia pietatis officia habilem reddere, illuminare tenebras, corroborare potentias, ut jam clausa videat facilèque efficiat, quæ antea factu impossibilia censebat*. Quæ ingens sanè efficacia est. L. 1. c. 101. L. 1. c. 114. 120. L. 2. c. 10.

Jam verò de gratia generali hæc ille statuit. Primò *sine speciali Christi gratia posse nos cognoscere Deum esse unum*. Secundò *ad actiones naturales & civiles generali Dei concursu adjutos nos* L. 1. c. 100.

sufficere, ut artes addiscere, familiam, vel rempubl. administrare: Tertiò *ex naturali judicio conscientiæ, quæ à quibusdam manifestis sceleribus abhorret, & ad bonum honestum inclinat, cum generali Dei concursu, posse opera moraliter bona exercere, in quibus nec genere operis, neque ex intentione finis quis peccet; veluti quoniam latrocinari quis nolit, furta, adulteria, gravioraque flagitia oderit, quia rectæ rationi adversentur, & quia facere alteri non vult, quod ab alio pati nollet.* Quartò *generali cooperatione Dei adjutum peccata quædam vitare, tentationesque nonnullas superare posse.* Quintò *sine Christi gratia neminem posse, vel omnia cum naturæ lege pugnantia crimina vitare, vel omnes tentationes superare, vel ad justificationem se præparare, vel habitus verarum virtutum acquirere, vel justificari, & piè vivere, ac mereri vitam æternam.* Quæ definita videntur à Tridentino anathema intentante illis qui senserint *absque Christi prævenientegratia & adjutorio hominem posse credere, sperare, diligere, pœnitere, justè vivere, perseverare.* Ubi innuitur & hæc non posse sine speciali Christi auxilio, & reliqua posse fieri cum generali influentia.

Sess. 6. can. 1. 2. 3.

Generale porro illud auxilium *quamvis non sit absolutè debitum; ex hypothesi tamen, qua Deus res extare & operari vult, eis debetur*: auxilium speciale *prorsus est indebitum.* Illud *à Deo ut authore naturæ, & ad opera naturalia*, hoc *à Deo ut gloriæ authore præstatur, ad ea, quæ ad æternam beatitudinem ordinantur.* Hæc duo tamen auxilia persæpe nos suprà cum antiquis Theologis uno gratiæ generalis nomine, sed bipartitæ in hæc duo membra, complexi sumus.

L. 1. c. 103.

Auxilium speciale rursus idem bisecat in excitans & adjuvans. *Excitans est quo Deus torpentem hominis animum tangit illustrationibus, atque inspirationibus, vocando, pulsando, & stimulando: bonis suasionibus, immittendo timorem gehennæ, remorsum, justitiæ pulchritudinem, peccati fœditatem, beatitudinis desiderium.* Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso. Adjuvans auxilium dicitur divina cooperatio, directio, atque protectio, quibus juvamur, tum ut eligamus, tum ut faciamus, quod Deus præveniens inspiravit.*

Ibidem. 71

Non omnibus autem adultis dari auxilium ejusmodi speciale, quod ad initia pietatis veræ sufficiat, ita docet idem Bajus: *Utrùm porro Deus omnes adultos pro loco & tempore excitet salutiferis inspirationibus, & bonis affectionibus, quibus sensim possent ad salutem pervenire, si vellent acquiescere, Scriptura sacra non definit, neque universali experientia, neque certa ratione, vel authoritate convinci potest; ideoque absque periculo affirmantem, vel negantem partem eligere fas est. Scripturæ sacræ atque beato Augustino conformius est, gratiam Dei quæ ad salutem sufficit, non omnibus adultis & parvulis dari: sed peccati originalis, aut etiam actualis merito plerosque à Deo deseri; quod in parvulis, qui absque Baptismo decedunt, apparet, &c. Si parvulos autem absque sufficienti gratia deserat, cur non possit etiam adultis auxilium ad salutem sufficiens non dare? &c. Et sanè cùm experientia constet, multis infidelibus vocationem externam deesse, absque fundamento affirmatur, quod sufficienter intus vocentur. Fides ex auditu.*

L. 1. c. 116.

Hæc duriuscula videri possent, sed ea utcumque mox emollit Bajus: *Quod si hanc singularem gratiam qua cordis durities auferetur, quibusdam suis contemptoribus Deus negat, non tamen illi poterunt in die judicii se excusare, ut dicant, Non potuimus vitare peccatum, tua præcepta observare nequivimus. Primùm quia potuerunt, si voluissent: ut autem vellent, admoniti fuerunt saltem generali prædicatione, cujus auxilio poterant ad quærendum & invocandum Deum excitari. Paratus autem Deus est ad exaudiendum omnes invocantes se. Deinde inexcusabiles sunt, quia libero animi judicio & electione in peccatis vivere perstituerunt, quorum singula vitare potuissent, si voluissent.* Duo hìc lenimenta habes ad levandam superioris placiti asperitatem accommodatissima. Primum est, etsi gratia sufficiens justo judicio multis negetur adultis, non tamen deesse illis, immo præsto semper esse auxilium Dei generale, quo peccata singula vitare possunt. Itaque si hoc Dei auxilio utantur, ab actuali culpa abstinebunt, & solius originalis reatus vinculo & damnatione tenebuntur, & judicabuntur, ut parvuli. Nihilo plus ergo queri possunt, quàm parvuli morte præfestina ante Baptismum abrepti. Alterum est, etsi his adultis negetur gratia proximè sufficiens ad conversionem, fidem, salutem, non deest tamen remotè sufficiens; *admoniti sunt enim saltem generali prædicatione, cujus auxilio poterant ad quærendum & invocandum Deum excitari; paratus est autem Deus ad exaudiendum omnes invocantes se.* Quæ gratiæ generalitas est à Prospero prædicata, & àb Augustino in libris de libero arbitrio & alibi. Sed hæc gratia etsi sufficit ad Deum agnoscendum & invocandum, quia tamen parcè sufficit, & stillatim irrigatur, nisi per speciale auxilium uberiùs & copiosiùs affluat, non patet, non sequitur homo, qua nunc ægritudine est, ut ajebat suprà Adrianus sextus, & tot alii cum eo.

L. 1. c. 117.

Ideo infrà expressè docet & auxilia generalia à Deo conferri, & ipsum velle ut omnes salvi fiant voluntate antecedenti, non omnino sterili. *Vult ergo Deus omnium hominum salutem antecedente voluntate, sed non omnes eadem vel æquali voluntate salvari vult. Quia electos vult salvos esse voluntate beneplaciti. Præscitos autem quibus dat sufficientia solum generalia auxilia, vult salvos esse solùm simplici affectu.* Vides ut ab antecedente salvandi voluntate fluant in omnes *generalia auxilia*: sed ea quòd *sufficientia solùm* sint, irrita & inutilia per hominem fieri. Vide & alibi, ut idem neget necessum esse, ut ex amore Dei præcepta serventur, quo peccatum vitetur: etsi necesse id sit, ut meritum colligatur. Denique ex Tridentino colligit alicubi, *Omnes justificatos habere auxilium sufficiens, quo perseverare possint, si velint; non omnes tamen habere finaliter efficax.*

L. 1. c. 111.

L. 1. c. 21.

L. 1. c. 109.

Efficax nunc ista demum superest & secundùm propositum Dei gratia: *qua propter Christum Deus ita hominem vocat, & excitat, instigat, illustrat, movet, afficit, dirigit, protegit, eique cooperatur, ut sic vocatus infallibiliter credat, convertatur, & bonum faciat.* Ad hoc multa ex Augustino congerit: & Molinam refellit, auxilii efficacis & sufficientis discrimen repetentem à consensu voluntatis. At ex Augustino efficacia gratiæ *non ab humana voluntate pendet, sed à divina.* Si quæras autem unde oriatur hæc infallibilis efficacia gratiæ, respondet Bajus disertissimè: *Non enim solum Deus hominis voluntatem præparat & operatur, docendo, pulsando, & excitando, vel etiam quomodocumque suadendo & illuminando; sed etiam majus lumen communicando, intensiorem actum excitando, vel plures & diversos motus inspirando, quibus voluntas hominis ita alliciatur & præparetur, ut infallibiliter consentiat. Novit enim Deus capacitatem & inclinationem humanæ voluntatis, omnesque vias & modos, quibus ad consentiendum inclinari, vel impediri possit; & sua infinita sapientia & potentia ea providere, atque dare potest, quibus homo certissimè inclinetur; attamen liberè, quia remanet potentia non consentiendi vera, realis, physica; etiamsi futurum non sit, ut homo sic præparatus dissentiat. Quia nimirum occulta inspiratione, atque dilectionis & delectationis infusione ita afficiatur, ut libero suæ voluntatis arbitrio verum credat, nec suasus tantummodo, verùm etiam persuasus & consentiens abscondat, atque ut bonum velit, amet, operetur, & præcepta Dei observet. Quæ Dei efficax operatio cum suaviter hominis voluntatem afficiendo, non autem violenter inflectendo, neque*

L. 1. c. 118.

motum

motum necessitate prædeterminando fiat, nihil humanæ libertati officit; immo illam statuit, gubernat, dirigit, hominemque infallibiliter perseverare facit. Advertè hìc primò oppugnari Molinam, & veram gratiæ efficaciam à divina voluntate vendicari. Secundò nec gratiam prædeterminantem statui: cùm dicatur motum seu consensum non fieri prædeterminando. Tertiò vim & efficaciam infallibilem gratiæ hinc elici, quòd Deus *plures & diversos motus inspiret*, quòd Deus sciat *omnes vias & modos*, quibus possit quisque aliquo inclinari: quòd *capacitatem & inclinationem* cujusque exploratam habeat: quòd *infinita sapientia & potentia* polleat, ut vias & modos suprà dictos videat & adhibeat: quòd maximè inspirando *dilectionem & delectationem* alliciat nos.

Et rursum cum sancto Thoma in directione & protectione Dei locat non mediocrem portionem hujus efficaciæ: *Quare Dei gubernatio atque directio homini lapso ad singulos actus bonos prævia & necessaria, minimè homini lapso adimit libertatem; sed adjuvat, ne sua imbecillitate, & ad malum pronitate, à bono operando deficiat, liberaque sua electione Deum deserat.* Et multiplicitas rursum ac congruitas conspirantium Dei auxiliorum ita describitur: *Præparatur autem voluntas hominis interna inspiratione, illuminatione, suasione, congrua vocatione, excitatione, delectationis infusione, accommoda persuasione. Ita præparata voluntas liberè assentitur.* Ita voluntas gratiam *quam amplectitur & vult, potest respuere & nolle*, contra Calvinum secus sentientem, quem ideo Tridentina Synodus damnavit. *Quamquam enim Deus sic hominis voluntatem flectere & afficere possit, ut necessario sequatur; id tamen ordinarius divinæ providentiæ modus non patitur.* Ubi rursum vides posse à Deo voluntates nostras quolibet agi, etiam necessariò, sed ordinarium id non esse. Si consensus sanè noster præcesserit, minùs erit insolens.

L. 1. c. 104. 105.

Quærit infrà Bajus, moralis an physica causa sit bonorum actuum gratia. Respondet autem quod *Auxilia excitantia vim causæ moralis potissimùm obtinent, quia Deus efficit ut velimus, suadendo exemplis, aut periculis incitando, intellectum illuminando, bonisque inspirationibus tangendo, atque affectionibus imbuendo voluntatem. Auxilia verò gratiæ adjuvantis seu cooperantis immediate in actus supernaturales influunt, ideoque rationem causæ physicæ habent.* Addit tamen etiam quod *actus, qui habitus præcedunt, & ad illos disponunt, etiam à gratia excitante, non solùm moraliter, sed etiam physicè causantur.* Etenim ad illos omnes actus prævios justificationi, Deus illuminat intellectum, inspirat affectum; ideo *manifestum est, Deum actus supernaturalis non solùm moralem esse causam, sed & physicam.*

L. 1. c. 109.

Ideo si duo moveantur à Deo ad conversionem, & hic convertatur, non ille, negat parem esse potuisse gratiam utriusque, si *intentio & propositum* Dei spectetur. Etenim cuicumque *efficaci intentione* Deus gratiam confert, is utique convertitur: nec irritum est unquam *propositum miserendi*. Et ideo est *confitendum, omnem illum qui convertitur, majorem gratiam prævenientem recipere, quàm illum, qui non convertitur. Ac proinde numquam accidere, ut posita omni ex parte pari gratia in similiter dispositis, unus credat, & bene operetur, alius verò minimè. Quia si utrique detur gratia secundùm propositum miserendi, uterque credet, &c.*

Ibidem.

Idem infrà ait admissam à Pelagio fuisse *influentiam, concursum, cooperationem Dei generalem, utpote pertinentem ad creationis gratiam.* Sed negabat Pelagius *indigere nos peculiari auxilio gratiæ Christi, diffundentis charitatem in cordibus nostris.* Idem negabat *indigere nos continuo afflatu atque cooperatione ac directione Spiritus sancti, &c. Negabat Dei directionem, atque gubernationem, per singulos actus bonos homini necessariam esse, existimans hujusmodi gubernationem hominis libertati contrariam esse. Unde hominem sibi ipsi ducem constituebat.* Addit ideo ex Hieronymo, quod ex Augustino æquè claret, Pelagio non placere, ut gratia nitamur & *regamur*, sed hanc Ecclesiæ precem familiarem esse, ut dignetur Deus *dirigere, sanctificare, regere & gubernare*. Idem orant justificati, cùm orant *non induci in tentationem*. Ergo gratiam utramque inficiabantur Pelagiani, habitualem, seu charitatis diffusæ in cordibus, & actualem hanc, quæ in directione & gubernatione & tentationum ablegatione elucet. Ea tamen utraque ad singulos actus bonos necessaria est.

L. 1. c. 101. L. 1. c. 180.

Rursum gratiam quæ non solùm det *posse*, sed etiam *agere*, sic Baius describit: *Quam gratiam consistere diximus in operatione Dei, qua hominis mentem sic & intantum illuminat, & sic voluntatem inspirando succendit, movet & afficit amore veri & boni, ut veritatem & justitiam sic diligat, ut omnibus alio trahentibus superatis, justitiam exerceat.* Ubi multiplex auxiliorum cooperatio satis claret: sed & ibidem mox, *Juvamur, ut bonum velimus & operemur, per assiduam intellectus illuminationem, & inspirationem, succensionem, conservationem, bonæ voluntatis directionem, protectionem & gubernationem.* Vides apertè in quo sit efficaciæ hujus invictæ ratio, & tamen cum libertate mollissima concordia.

L. 1. c. 104.

Quærit rursum, an in omni opere bono justus egeat *speciali auxilio*, puta *excitatione, motione, protectione, succensione, conservatione, illuminatione, cooperatione Spiritus sancti*. Respondet egere, quia *justificatus ignorantia & difficultate laborat adhuc: idem dæmon semper operibus justorum insidiatur: unde justi quotidie dicunt, Ne nos inducas in tentationem.* Quæ pluribus ille ibidem prosequitur. Et quidem jure meritissimo huic doctrinæ subscribimus. Nec enim *speciale auxilium* istud in omni opere bono efficaciam ineluctabilem habere prædicatur, sed dutaxat conferre necessariam ad omnes bonos actus justorum directionem & protectionem Dei, præter habitualem gratiam, & influentiam actualem, quæ gratiæ habituali, ut & unicuique formæ naturali ac supernaturali præsto semper est. In tanta enim nunc etiam justorum vacillatione, in tantis dæmonum infestationibus, nec ullum opus bonum justi exererent, nisi hostiles incursus dæmonum aut temperaret, aut averteret Deus. Itaque auxilium istud speciale ad opera singula justorum bona necessarium est, non quòd eo fiant efficacissimè, sed quòd sine eo omnino non fiant.

L. 1. c. 115. 119.

Auxilia gratiæ non omnibus æqualiter dari idem infrà ostendit, evincitque exemplo parvulorum. Rursum alibi docet, *Quod Angelorum atque hominum in statu naturæ integræ prædestinatio alterius erat rationis, quàm nunc sit: quoniam ex sententia Scripturarum & beati Augustini prædestinatio qualis nunc est, prævisionem originalis peccati sequuta est, ob quod universum genus humanum instar massæ cujusdam damnatæ factum est. Ideo quos Deus elegit, misericorditer liberat, &c.* Quin & Patres Græcos astipulari censet doctrinæ huic de gratuita prædestinatione; sed ideo præscientiam meritorum ab eis commemorari, quòd de executione prædestinationis verba faciant, ubi meritis redditur merces gloriæ.

L. 2. c. 132.

Denique idem alibi fusè disputat contra Calvinum, Zuinghium, Bezam, *qui verbo negant, reapse docent Deum esse authorem peccati. Tradunt enim hæc fieri à Deo non tantum permittente, sed insuper volente, desiniente, imperante, & operante: quamvis respectu Dei peccata nec sint, nec dicantur.* Contra ipse ex Scripturis & Patribus demonstrat permitti tantùm à Deo peccata, *nec malas voluntates Deum inspirare, sed permittere, ac ita cla-*

clavum tenere, ut ad exequenda sua judicia impiorum conatus rectissimè convertat. Quod declarat
Ibid. c. 113. ex Hugone Victorino, *Deum male voluntati non dare corruptionem, sed ordinem.* Nec ex Augustino aliud colligi, quàm quòd *Deus voluntatem proprio vitio malam permittat in hoc potiùs peccatum, quàm illud ferri, impediendo, vel non impediendo, ut hoc faciat.* Ex quibus abundè clarer, quàm possit Deus voluntates liberas quo ipse cumque vult omnipotenter inclinare, sive in bonum, sive in malum; ita tamen ut liberę earum indifferentię nihil officiat, ut qui nulla eas necessitate constringat, aut determinet.

EX JOANNE MALDERO

A. D. 1613. *Episcopo Antuerpiensi, Theologiæ quondam Professore in Academia Lovaniensi.*

DE gratiæ justificantis seu charitatis efficacia convenienter sancto Thomę differit Malderus, cùm docet posse justos, cùm possint & injusti, opera moraliter bona edere *sine gratiæ auxilio.* Etenim justus *per gratiam & justitiam evasit non infirmior, sed potiùs fortior ad bonum.* Sed
1. 2. q. 109. art. 9. ad actus supernaturaliter bonos cùm *solo concursu generali* opus esse justo existimet Molina, & *favere videatur Tapperus*, reliqui Theologi *supernaturali concursu* eum indigere consentiunt. Utriusque sententię authores ita conciliari ait Malderus à Suarezio, quòd idem concursus & naturalis quodammodo generalisque dici possit, si charitati & gratiæ infusæ componatur: & supernaturalis, si hominis naturæ: illi enim debetur, non huic. Tapperus sanè speciali & supernaturali auxilio hìc opus esse disertè exprimit.

An autem ad actus singulos supernaturales justo necessaria sit prętet gratiam habitualem non solùm gratia actualis, supernaturalis, sed etiam *excitans & nova*, alternant Theologi. Malderus
Ibidem, dubio 1. & 2. etsi putet *non improbabile renatum non indigere nova gratia excitante ad singula opera supernaturalia, ita enim tenere multos Theologos, inter quos Bellarminum, & Tapperum:* Censet tamen *probabilius, & Scripturis, Patribus, Conciliisque consonantius esse, renatum post lapsum Adæ nullum habere actum liberum meritorium, ad quem actualiter tunc à Deo non excitetur.* Ut autem fiat hæc excitatio per novam quandam Spiritus sancti inspirationem, sic idem pręclarissimè describit: *Inspiratio qua justus communiter dum vult credit, sperat, amat, initium habet à Spiritu sancto inhabitante, habitus infusos fidei, spei, & charitatis quasi sopitos excitante. Et quia prælto est Spiritus suis donis, facile est fideli elicere actum fidei, dum vult; sed ut velit, radius & scintilla est inhabitantis ignis Spiritus sancti. Has scintillas per libertatem suam aliquando in se extinguit, & contristat Spiritum sanctum, & rebellis lumini, ab ipso relinquitur. Ratione hujus motionis dicitur ipse homo suscitare gratiam quæ in se est, quando suscitanti eam Deo per gratiam cooperatur.*
Ibidem. Et rursum ut hęc actualia excitantiaque gratiæ auxilia tam prętto, tam ad manum sint justo, ac si per solum habitum charitatis operari posset
Ibidem. quoties vellet, idem luculentissimè: *Dicta inspiratio quodammodo est nova gratia, & quodammodo non est nova. Nova est, si precisè sumas priorem gratiam, ut sopitum quendam habitum: non est nova, si consideres connaturalitatem istorum habituum, cum ejusmodi in Deum, quasi ex præconcepto fine, assensionibus: ratione quarum assensionum, vocantur isti, habitus vivi, propter vivificantem Spiritum Christi, qui simul cum nostro spiritu, cui intimè unitur, quemque movet & dirigit in opere pietatis, efficit quod facit solus spiritus hominis in opere naturali, facto ex habitu acquisito, quo utimur, quando volumus per solum auxilium generale Creatoris ordinis naturæ.* Ergo habitu infuso charitatis utitur justus quoties vult ad bene operandum, licèt id bifariam à Theologis explicetur. Alii enim nulla excitante, sed sola actuali adjuvante gratia supernaturali opus esse illi censent, quæ paratissima est semper. Alii etiam egere illum putant ad actus singulos excitante gratia nova, vel quasi nova; sed eam à Spiritu sancto inhabitante tam copiosè ac indesinenter suggeri, ac si ipsemet esset spiritus proprius hominis justi, qui perinde hac commoditia gratiarum excitantium jugi vena irrigatus, per supernaturales æquè ac per acquisitos habitus quoties lubet operatur. *Ex quo consequens est hac* Ibidem. *ex parte rectè dici, justum credere, sperare, amare Deum quando vult, non secus ac si credere posset ex sola habituali gratia per auxilium Dei concursus generalis. Quamvis relinquatur difficultas quædam ex parte carnis, sic tamen ut semper habeat justus paratum auxilium sufficiens, quo occurrentia præcepta implere possit. Ut enim velit, quoties oportet, satis semperque ab inhabitante Spiritu excitatur.*

Ubi ingentis prorsus momenti res observanda venit. Nempe verbis, non rebus differre novos quosdam Theologos ab anterioribus, dum illi efficaciam gratiæ habitualis parciùs, hi liberaliùs effundunt. Parem enim illi utrimque vendicant efficaciam, sed quam hi ex parte habitualis gratię lubentiùs spectant, illi in actualium auxiliorum ubertimam copiam refundunt, quę habituali gratiæ affixa indivulsè, utpote connaturalis eidem sit. Cùm ergo nusquam exerere se possit habitualis gratiæ efficacitas sine actuali, non est magnoperè litigandum, an hęc efficacitas proficiscatur à gratia qua habitus est, an à connaturalibus sibi auxiliis actualibus. Nonnulla hęc est, sed facilè condonanda hominibus suo judicio fruentibus discrepantia.

Nunc ad gratiam generalem. Et hìc Malderus tritissima incedit orbita, ac profitetur potuisse hominem stantem, non posse nunc lapsum *viribus naturæ, quantum ad sufficientiam operativæ virtutis, nimirum accedente solo generali concursu Dei, totum bonum morale perficere, etsi aliquod nunc possit facere opus virtutis morale.* Et tamen idem infrà affirmat, ne ullum quidem opus moraliter bonum nunc effici, *sine singulari beneficio Dei, qui hominem dirigit; quod etsi ordinis naturalis forsan sit, eo tamen supernaturale habeatur, quod meritis Christi debeatur,* probabile id valdè esse, ita docente Vasquesio: *Probabilius tamen videri, non esse in merita Christi referendum auxilium Dei, sine quo nullum omnino opus moraliter bonum homo faciat.* Porro his moralibus operibus ex generali concursu, & omnino *ex solis naturæ viribus tenendum est nullam esse dispositionem nequidem remotissimam, nullum meritum sive de condigno, sive de congruo, ullius gratiæ, sive habitualis, sive actualis.*

Jam verò ut gratia sufficiens à Calvino & Calvinianis explodatur, infrà demonstrat Malderus, & ipse contra pronunciat, *Adultis qui non sunt indurati, dari sufficiens gratiæ auxilium, quo ad Deum converti possint.* Id probat ex Scripturis & Patribus, item quod alioqui à damnatis non differrent, denique quod pro illis Christus mortuus sit. *Non existimo enim opinionem illam Calvinistarum, quæ negat pro omnibus & singulis hominibus Christum mortuum esse, tolerandam esse. Inter studiosos autem veritatis non debere obtinere, salvo meliori, & in primis Apostolicæ sedis judicio, &c.* At frustrà dici Christum pro illis mortuum, quibus nhil confert ad salutem. Ideo addit quod detur auxilium sufficiens omnibus ad peccata vitanda, implenda

prę-

præcepta, convertendum se se ad Deum: consentire Cumelem, Petrum de Cabrera, Cordubensem, Didacum Alvarem, Bannem, Dominicum Soto, Vegam, Petrum de Ledesma, qui & consonant ita *certissimum esse inter Theologos, ita ab omnibus admitti debere, ut oppositum sine errore affirmari non valeat.*

Negat tamen idem Malderus infrà, *Adultos non obduratos habere semper proximè sufficiens auxilium ad conversionem, etsi habeant sufficiens saltem mediatè, non quidem dandum singulis momentis, sed opportuno tempore & loco. Nec enim omnis excitatio divinæ gratiæ dat vires sufficientes ad perfectam contritionem, aut amorem Dei super omnia, sed sæpè à minoribus incipit.* At verò quoties *præceptum obligat, semper ex parte Dei paratam habet non solùm justus, sed etiam peccator illud auxilium, quo vitare queat novum peccatum, saltem mediatè, auxilio, quod actu habet, bene utendo, verbi gratia, orando & impetrando majus. Quod non intelligo eo modo, quasi ex viribus naturæ aliquid facere possit, ad quod infallibiliter detur hoc auxilium; sed quod semper ex viribus gratiæ aliquid facere possit, quo infallibiliter idem auxilium consequatur.* Ut ne excæcatis quidem denegat hoc auxilium ad vitanda peccata. *Quamvis cum Petro de Lorcas libenter fateamur, obduratos non solùm auxilio efficaci privari, sed etiam quodam sufficienti magis speciali; rectè tamen sustinemus quod retineant auxilium aliquo modo sufficiens.*

Ibid. memb 2. & 4.

Ibid dub. 6.

Nunc denique ad efficacissimam propositi gratiam descendamus. Hanc, quod ad perseverantiam attinet, ita describit Malderus: *Perseverantiæ donum ad commune auxilium renati addit protectionem & custodiam Dei, qua fiat, ut justus reipsa usque in finem perseveret, & quæcumque ad hujusmodi custodiam necessaria sunt, sive interna, sive externa auxilia, aut excitationes, aut aversiones tentationum, & impedimentorum salutis.* Itaque homo nunc post lapsum justus *tam potentem habet gratiam ad perseverandum, quàm habebat primus homo, sed differentia est magna ex parte subjecti.* Nempe ob carnis nondum sanatæ corruptionem: *Necessitas ergo specialis doni perseverantiæ provenit ex infirmitate carnis, cui infirmitati gratia consulit tribus modis, videlicet, vel tentationes superando, vel eas homini subtrahendo, vel hominem illis subtrahendo per mortem. Quos modos videre licet apud Augustinum L. de don. pers. c. 9.* Vides ergo hujus doni & auxilii maximè specialis infallibilitatem consurgere ex directione, protectione & custodia Dei, atque ex plurium auxiliorum intus & foris conspiratione.

T. 2. q. 109. art. 10. dub. 1. & 2.

Sed generatim gratiæ efficacissimę vis invictissima ab eodem alibi prolixè in hunc modum delineatur: *Dicimus omnimodam gratiæ infallibilitatem & efficaciam in eo tanquam extremo complemento sitam esse, quod homines Deus ita vocet, quomodo illis aptum novit, ut sequantur, & quomodo scit eis congruere, ut vocantem non respuant. Ut eam explicuit iisdem verbis Augustinus l. 1. q. 2. ad Simplic. Dico insitam esse omnimodam infallibilitatem. Si quis enim moralem gratiæ infallibilitatem sine hac præscientia astruere velit, sive eam ponat in una excitatione, sive in pluribus, nihil falsi dicet, si spectetur excellentior illa conversio, qua fuit in divo Paulo, & similes. Sed præter hanc efficaciam, ponimus unam communem & essentialem omni gratia efficaci, quæ consistat in eo, quod gratiæ motio sit à Deo non solùm per voluntatem antecedentem, sed etiam per consequentem, intendente consensum hominis, ideoque ita movente, quomodo certissimè novit hominem secuturum. Quæ motio multis modis contingit, inter quos modos ille etiam esse potest, quod Deus gratiam faciat efficacem, circumvallando liberum arbitrium pluribus motionibus, quibus simul omnibus videat non dissensurum: aut movendo una motione talis efficaciæ, ut difficile sit ei resistere, simulque prævidendo quod sit consensurus. Aliquando enim Deus, ut gratiam suam faciat efficacem, eam armat majori virtute physica, qua opus esse videt, ut cor durum penetretur. Aliquando immittitur à Deo amor quidam, vel delectatio victrix, quæ initio non sit libera, pelliciat tamen tandem, & attrahat in liberum sui amplexum & consensum liberam voluntatem. Aliquando verò solùm eam attemperat ingenio hominis, & quasi invadit hominem ea parte, qua videt ad ejus cor patere liberum aditum: quod fieri potest sine physica virtute majore, quàm quæ est in gratia sufficiente.*

1. 2. q. 111. art 4. d. 10. memb. 4. pag. 514.

Ubi adverte primò consentire Malderum posse gratiam esse efficacissimam & infallibilem sine præscientia ulla Dei, sive in una excitatione, sive in plnribus ponatur. Ergo nobis assentitur, efficaciam Dei gratiæ indeclinabilem locantibus in congrua multiplicitate divinorum auxiliorum absolutissimè spectata. Secundò idem existimat *pluribus motionibus circumvallantibus* liberum arbitrium & expugnantibus, æquipollere unicam motionem posse tantę efficacię & tantæ congruentiæ, ut difficillimum sit ei resistere: nec nos dissentimus ita fieri posse. Potest enim forsan unica gratiæ motio tam multiplex esse virtute, & tot congruitates, tot contemperationes obtinere cum hominis omnibus & diversissimis affectibus, ut una omnium instar sit, una hominem expugnet. Sed quia id ingeniosè magis excogitatum, quàm vel reipsa comprobatum, vel à Scripturis & Patribus proditum est, ideo malumus hanc efficaciam dispartiri in plures motiones. Etenim & in Paulo, & in Latrone, & in Magdalena, non tam brevi temporis spatio res profligata est, ut non pluribus, immo infinitis affectibus eorum animi excitandis, coercendis, inflammandis, restinguendis, per diversissimas & menti cogitationes, & voluntati affectiones inspiratas, locus spatiumque abundaverit. Brevissimo enim gyro potest Deus hæc omnia in compendium missa exerere, tanto forsan efficaciùs, quantò breviùs. Denique in antecessum perdiu Deus sibi plerumque præparat, quos unico nos puncto temporis converti putamus, quia interiorem & occultiorem salutis procurationem non cernimus. Tertiò Malderus quandoque facilioris intelligentiæ ergo ad præscientiam Dei confugit, sed eam minimè necessariam & ipse annuit; eam plebejo loquendi genere & à Patribus usurpari agnoscimus & nos, etsi ab eisdem alibi non cum plebe balbutientibus, sed castam Theologiam promentibus refellatur. Non ergo ægrè feret Malderus, si negemus hinc ullam partem efficaciæ hujus gratię derivari posse, ut quam ipsa gratia, seu gratiarum collectio totam per sese obtineat implicetque. Quartò quod ait idem, ita quandoque contemperari homini gratiam alioqui sua sponte merè sufficientem, ut illi sit efficax, id nos quoque eo non invito interpretamur ita, ut longa antè cura & providentia misericordiæ illum sibi Deus præservaverit, ita omnium foris & intus dispensatione contemperaverit gratię huic dandæ, ut ex hac omni intentione & providentia & collectione beneficiorum Dei exurgat hæc efficacia.

Idem ibidem Malderus prædicat, etsi mediocri gratię Dei bene cooperetur homo, totum gratiæ tamen dandum esse, quæ tentationem alioqui sęvituram moderatus est, vel propulsavit. Efficacia ergo est in illa copulatione gratiæ interioris, cum exteriori protectione. *Quomodocumque bene operetur justus, totum divinæ motioni, quam ad singula opera diximus esse necessariam, ascribendum est. Si enim non magna tentatio, aut non longa, quomodo propter electos tentationis dies breviabuntur apud Matthæum, aut etiam nulla in contrarium tentatio urgeat; idipsum adscribendum est divinæ gratiæ subtrahenti tentationem, non secus ac divinæ ascribitur prædestinationi, quod Deus electum præripiat tentationi, ut eum coronet.*

Idem rursus disertissimè, ut possit gratia divina unius vel plurium motionum efficacissima infallibiliter esse, citra ullam opem scientiæ conditionatę; *Si Deus semper uteretur in sua gratia efficaci victrice illa delectatione in mente hominis, eo gradu quo eam posuimus in confirmatis in gratia, quoad vitandas tentationes; prout eum posse, & aliquando facere etiam in non confirmatis in gratia non dubium est; non opus esset uti alia scientia Dei in explicatione gratiæ efficacis, quam qua novit figmentum suum, qua novit hominis naturam, vehementiam & illecebram delectationis bonæ, aut alterius affectionis a se immittendæ, vehementiam tentationum, terroris, aut illecebræ, à mundo aut diabolo & carne in contrarium opponendæ.* Ubi vides emergere illum tandem aliquando ex illa scientia media, & gratiæ efficaciam per sese absolutissimam ex intentione Dei, & ex vehementia virium gratiæ tueri, nimirum ex affectionum variarum, quas Deus inspirat, maximè delectationis victricis copia, varietate, multiplicitate, tentationum cohibitione. Quocirca mox ait hanc efficacis gratiæ motionem non *moralem* tantùm esse, sed *physicam* etiam, *quatenus in homine operatur & inserit amorem quendam, vel timorem, vel alium affectum.* Ibidem,

Et infrà rursum, quo lapsus homo differat à stante, præclarissimè ex Augustino: *Dicendum videtur divum Augustinum pro fundamento habuisse, quod homo integer, aut angelus, ut post acceptum bonum justitiæ bene operaretur, & in eo quod acceperat, perseveraret, non indiguerit alia gratia, aut alia singulari protectione, præter habitus infusos in justificatione, & auxilium gratiæ adjuvantis per modum concursus tantùm. Et quod homo post lapsum indigeat non tantùm gratia habituali, & auxilio gratiæ cooperantis per modum concursus, sed ad bene operandum gratia excitante; tam ad bene operandum, quàm ad perseverandum, gratia protegente. Quæ quidem excitans & protegens gratia quando datur secundùm Dei propositum, quo hominem efficaciter ordinet ad bonum opus, omnino potentissima est & efficacissima. Ad perseverandum autem homo reparatus indiget peculiari Dei protectione, propter infirmitatem, & tentationes & pugnam quæ superest cum carne, ut dicit Trid. Conc. &c.* Hæc autem seu protectio, seu efficacia Dei gratiæ mox uberiùs elucidatur, citra usum præscientiæ, *Illud facit Deus certissima & infallibili custodia contra victoriam omnis adversitatis, interdum quidem pluribus motionibus, interdum etiam una physicè efficaciori; interdum ingenio ejus congrua, licet in se non ita vehementi; interdum quasi illecebra addita motivi naturalis, aut contrarii timore; interdum amovendo impedimenta, ut tentationes; aut denique quacumque alia ratione omnipotenti obvia, & omniscienti nota.* Pergit deinde illud dubium solvere, *An ex duobus æqualiter dispositis & æquali gratia excitatis, contingat unum consentire præ altero?* Qua de re consulendus ipsemet est. 1. 2. q. 111. art. 3. d. 11.

Denique idem infrà efficaciam gratiæ in congruitate locat victricis delectationis, cui suprà sæpissimè & alias contexuit affectiones, *Quærimus cum Augustino, Quomodo efficacia quæ est in gratia excitante, præsertim quando physicam motionem vehementiorem habet, immissa divinitus certa scientia & victrice delectatione, concilietur cum hominis libertate. Et dicimus ideo conciliari, quia Deus sive physicè, sive moraliter ad bonum, vel in bono moveat, custodiat, aut promoveat, cùm ipse optimè noverit plasma suum, ita id facit, quomodo aptum novit, &c.* Et rursum cùm homo sic motus possit consentire, vel dissentire *amori & delectationi sibi immissæ & victrici gratiæ*, an dum consentit, consensus iste à gratia etiam est? Respondet, *Non secus est consensus liber totus à gratia, & ex gratia, ac amor divinus nondum liber à Deo immissus. Sicut in naturalibus uterque æquè est à voluntate, amor necessarius ac liber. Neque enim mutatur physicum amoris principium, quando ex necessario fit liber, aut contrà ex libero necessarius.* Indeliberata enim amoris casti affectio quæ à Deo primùm inspiratur, cùm ei consentit voluntas, & liberè jam fit, consensus ipsemet ipsa est, adeoque perinde pergit esse à gratia. Inspiratæ enim dilectioni consentit voluntas dilectione ipsamet continuata; quocirca una eadem dilectio, si non abrumpatur per dissensum, qua consensum prævenit, gratia excitans est; qua continuatur jam liberè, consensio ipsamet est. Unde mox, *Solet Deus sua potentia immittere victricem delectationem, adeoque amorem, qui initio subinde non sit liber, sed postmodum fiat liber.* 1. 2. q. 111. art. 3. d. 11. Ibid. d. 17.

Finem hìc facio, hoc unum prælocutus, neminem aptiùs versatum esse in efficacia gratiæ hujus victricis reperenda ex contemperatione & multiplicitate plurium intus & foris seu motionum, seu protectionum, si à scientia conditionata, in totum abstinuisset Malderus. Emersit nonnunquam ille ex hoc scopulo, & tunc demum nos illi adhæsimus, solam Dei omniscientiam absolutam & omnipotentiam adhibere contenti.

EX JOANNE VIGERS Ann. 1619.
Lovaniensis Academiæ Professore.

SAncti Thomæ placita religiosissimè sectatur Joannes Vigers. Itaque gratiæ habitualis efficaciam sic ille primò declarat: *In statu naturæ corruptæ potest homo vitare singula peccata mortalia, & hoc secundùm aliquod tempus, etiam antequam per gratiam sanctificantem sit sanatus. Sed si citiùs per eam non sanetur, non potest diu manere absque alio peccato mortali.* Probat ex Concilio Milevitano, sanciente, *gratiam justificationis dari, ut peccata vitare possimus.* Item ex Gregorio, ajente, *peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ad aliud peccatum trahere.* Eccur autem possit homo peccator vitare singula, non omnia, hanc adsignat primam rationem, *Homo fatigatur & tædio afficitur, tentationibus & peccatorum occasionibus diu multumque resistendo, sic præ lassitudine succumbit. Non quod non possit absolutè ultrà resistere adhuc huic, vel illi: sed quod inter multas & varias difficultates, cum illa animi fatigatione & tædio non possit moraliter loquendo non deficere temporibus intermediis.* Secunda ratio hæc est, *Sola fragilitas & mutabilitas liberi humani arbitrii, quando illud non est divino amore & charitate firmatum, consideretur. Propria inconstantia à recto deficere natum est, &c.* Quæ tamen secunda ratio temperanda est, ne æquè in primo parente locum habeat. 1. 2. q. 109. art. 8.

Ut autem vires gratiæ justificantis magis pateſcant ex comparatione actualis auxilii, quo eget, duplex ille ait considerari posse actuale auxilium. *Unum quod se habeat per modum causæ primæ, & concursus universalis. Alterum quod se habeat per modum causæ particularis, quale est illud quod dici solet, præveniens, dirigens, protegens, illuminans.* Auxilium actuale primi generis mox ait trifariam exponi. *Molina illud non distinguit nec re, nec nomine, à concursu causæ primæ cum causis omnibus creatis. Ruardus vult vocari auxilium & concursum gratiæ.* Alii meliùs docent à concursu naturali prorsus distingui, *docentque esse secundùm substantiam altioris & supernaturalis ordinis, quod probabiliùs & veriùs dicitur.* Cui postremę verçque sententiæ equidem suffragari Ruardum existimo. His ita positis. 1. 2. q. 109. art. 4.

Censet Vigerius *non posse ullum bonum opus operari justos absque actuali auxilio primi generis*, & quidem quod sit ordinis supernaturalis: immo, nec *posse diu in bono stare, ac omne bonum* neces-

necessarium operari, absque speciali auxilio gratiæ secundi generis, quo scilicet Deus hominem excitet, Ibidem. *dirigat, protegat, confortet.* Probat ex Concilio Arausicano, *Adjutorium Dei etiam renatis & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare, &c. Homo sine Dei gratia non potest salutem custodire, quam accepit.* Addit rationes: *Licèt gratia sanctificans sanet hominem, remanet tamen obnoxius concupiscentiæ motibus, &c. remanet obscuritas in intellectu, &c. remanet corporis mortalitas, quæ aggravat animam, &c. His ita habentibus, non potest homo etiam justus longo tempore operari omne bonum necessarium, & omnem culpam mortalem vitare absque speciali Dei auxilio & protectione.*

Quin immo ex eodem *non potest justus operari quodlibet bonum in particulari, nec quamlibet gravem tentationem vincere absque novo auxilio gratiæ prævenientis & adjuvantis.* Probat ex verbo Christi ad Petrum, *Non potes me modo sequi:* quo indicabat, Ibidem. *Petrum pro tunc non habuisse virtutem faciendi, quòd spondebat.* Ratio verò est, quia *habitus justitiæ non mox est proportionatus quibuscumque arduis operibus hominis Christiani efficiendis, nec quibuscumque tentationibus evincendis, sive propter ipsius gradum remissiorem, sive etiam propter subjecti infirmitatem, & ejus in contrarium inclinationes.*

Denique non adjuvante tantùm, sed etiam prevenient & excitante gratia egere justos existimat Viggerius ad quodlibet opus pium. Id probat ex prece qua jugiter sibi adesse justi jubentur, ex necessitate gratiæ ad actus singulos, ex inopia bonæ etiam cogitationis, nisi à Deo suggeratur. Et tamen *non improbabilem, aut reprobandam* Ibidem. censet Ruardi, Bellarmini & aliorum sententiam, *Posse justos aliqua bona opera facere, absque nova gratia excitante, cum sola gratia adjuvante, in virtute scilicet habituum, quos habent infusos.* Vereor equidem, ut hæc magis nominis, quàm rei controversia sit. Nam & hi qui Ruardo consentiunt, consentiunt & ipsi Viggerio, *Temporibus & locis opportunis Spiritum sanctum in justis habitantem non deesse officio suo, sed præsto est suis donis, ad ostium pulsat, quotidiana præstat auxilia, non deficit in donando; neque otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit. Non dona enim modò Spiritus sancti, sed ipsemet secundùm substantiam est in justo. Hinc qua ratione habitus infusi ponuntur principium boni operis, eadem & meliùs hoc attribuitur Spiritui sancto.* Cùm ergo charitas inhabitans sit actuosa, negotiosa, efficax; cùm affectio quælibet vehementior sit fervida, inquieta; cùm Spiritus sanctus insit, & flammam istam nutriat, accendat, augeat, nimirum aliis excitationibus vix opus est, quàm quæ ab amoris ingenio sejungi non facilè possunt.

Jam de gratia generali, quæ sufficiens nunc familiariùs appellatur. Calvinum explodit primò Viggerius, qui gratiæ divisionem repudiabat in sufficientem & efficacem. De hac ita primùm statuit ille generali seu sufficiente gratia: *Post lapsum primorum parentum potuit Deus justissimo judicio denegare omnibus & singulis hominibus omne auxilium gratiæ, quo vel peccati remissionem, vel salutem consequi valeant.* Statuit secundò. *Non omnes infantes qui in peccato originali moriuntur, possunt dici habere auxilium verè & propriè, sufficiens ad justitiam & salutem consequendam.* Statuit tertiò, *Non omnes adultos peccatores habere quovis tempore & singulis momentis hujusmodi gratiæ auxilium, quo opus ut convertantur aut converti possint.* Ita sentire ait Ruardum, Adrianum, Driedonem, Bellarminum. Cum quibus etiam statuit quartò, *Piè credere & de Dei bonitate confidere nos posse, neminem adultorum sic gratia destitui, ut nunquam ad ostium cordis ejus pulset Dominus, nunquam salutares suggerat cogitationes, quibus se ad fidem, pœnitentiam & salutem possit disponere: quin potius vicissitudines esse instinctuum & inspirationum divini Spiritus, ad peccatores euntis & redeuntis, quibus trahit & vocat, &c.* Statuit denique idem, *Hoc quoque de Dei bonitate posse nos piè sentire, quod auxilium præstet homini, quoties occurrit obligatio alicujus præcepti; sic ut in hominis sit potestate, quamvis non semper proximè, tamen mediatè, sive remotè, eam transgressionem, quæ mortalis esset, vitare. Dico, saltem remotè, quia hoc fateri oportet, hominem non semper actu instructum esse tantis viribus, ut per eas solas, non accedentibus novis, possit implere quæcumque præcepta, & quasvis superare tentationes: sed dicimus quod saltem aliquid auxilii, vel assistentiæ divinæ adsit, ut remotè saltem possit, quatenus potest ad Deum precibus confugere, & ejus adjutorium implorare.* Multa ad hoc astruit argumenta, & illud præ cæteris, quòd alioqui *non manebit liber usus arbitrii, si homo nec sufficientes vires habeat, nec eas impetrare possit ad transgressionem vitandam.* Unde idem infrà convenienter sancto Thomæ, *Si aliquis enutritus in silvis, vel inter bruta, ductum rationis sequeretur, quod non sit sine omni auxilio gratiæ, tenendum est, quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret.* Cautè additum est sine auxilio gratiæ id non fieri, ut quis ubique rationis ductum sequatur. Nam alioqui 1. 2. q. 112. art. 3. ex eodem Viggerio, & ex ipsa rei veritate, *Homo non habens fidem, nec divinæ gratiæ auxiliis motus, sed sibi in solis naturæ viribus derelictus, etsi quantum in se est, faciat, non præparatur, aut disponitur per hoc ad gratiæ receptionem.* Immo verò *nec dici etiam potest, quod ad qualecumque opus hominis facientis quod in se est, ex solis naturæ viribus, tanquam ad conditionem saltem sine qua non, conferenda sint illi certò, aut infallibiliter prima gratiæ auxilia ex Dei promissione & Christi meritis.* Postremò *nec dicendum est facienti quod in se est ex solis naturæ viribus conferendum certò & infallibiliter auxilium gratiæ, tanquam amoventi, aut non ponenti obicem.* Nulla enim affinitas, aut proportio, vel congruitas naturalium conatuum, vel operum moraliter bonorum cum supernaturalibus gratiæ auxiliis. 1. 2. q. 109. art. 2. Nam per vires naturæ etsi homo lapsus *non possit totum bonum naturæ proportionatum facere, aut tentationes alicujus momenti vincere; potest tamen facere opera moraliter bona, contra Lutherum & plures alios hujus temporis hæreticos.* Sed hæc moralis bonitas, etsi criminis expers sit, ad gratiam tamen nihil momenti habet penitus.

Ad tertiam nunc & efficaciæ invictissimæ gratiam pergimus. Ad eam spectat quod idem ait, ad perseverantiam non egere justos alia gratia habituali, sed indigere *auxilio divino præveniente, dirigente, protegente*, ex sancto Thoma. Additur justos auxilio non destitui, quo possint perseverare, ex Tridentino, affirmante justos non deseri, nisi deserant. Ubi & eorum suggillatur cavillus, qui *non deseri* interpretantur, quia gratia habitualis non substrahitur. *Nam dicere & definire quod omnes justi & baptizati possint ea quæ pertinent ad salutem adimplere, si velint laborare, vel quod possint laborare, cum speciali Dei auxilio: & interim non declarare, vel non supponere, quod velle laborare sit in eorum potestate per gratiam eis paratam; & similiter quod speciale illud Dei auxilium, cum quo dicit eos posse perseverare, eis quoque præsto sit, esset nihil doctrinæ tradere.* 1. 2. q. 109. art. 10.

Sed potissima hìc difficultas est, unde oriatur infallibilis consecutio effectus ex dono perseverantiæ; *an ex divina præscientia, sive intuitiva visione*

effectus secuturi ex conjunctione talium causarum, puta istorum auxiliorum gratiæ cum voluntate talis hominis, qui tali loco, tali tempore victurus & moriturus prævidetur? Ita aliqui sentiunt, quos prolixè hìc refellit Viggerius, docetque ipse *infallibilitatem muneris perseverantiæ non dependere dumtaxat ex prævisione effectus secuturi in tempore, sed ex bona & efficaci Dei voluntate, qua absolutè decrevit hos homines qui salvantur, liberare ex damnationis massa, ad justitiam adducere, & facere eos finaliter perseverare. Nam de gratiæ auxiliis quæ ex virtute ejusmodi divini propositi & voluntatis absolutæ præparantur, & conferuntur, certò certius est, etiam ante intuitum eventus, quod suum consequentur effectum & finem. Nam quæcumque voluit, Deus fecit, nec est qui resistat ejus voluntati.* Etenim ut infrà ait, *Deus gratiæ suæ auxiliis ita prævenit, juvat, protegit, & dirigit in omnibus, ut certissimè perseverent.* Et hoc esse affirmat discrimen apud Augustinum adjutorii hominis ante & post lapsum, quòd illo daretur posse perseverare, hoc detur ipsum perseverare.

Sed & universim de gratia invictissimè efficaci idem infrà disputat, non posse ejus efficaciam constitui *in sola & nuda operatione gratiæ cum libero arbitrio intuitivè prævisa à Deo, quasi efficax gratia antecedenter ante effectum secuturum præcognitum nihil plus habeat ex parte Dei in ordine ad operis positionem, quam gratia sufficiens*, contra Molinam & Lessium. Quam opinionem Tannerus ait *post diuturnam & diligentem hujus rei discussionem peculiari decreto Claudii Aquavivæ Præpositi generalis esse improbatam, an.* 1613. Ergo repudiata hac doctrina, *Gratia efficax ea est, quæ adjuvat, excitat, & datur à Deo secundum propositum, sive ex absoluta voluntate & intentione operis, seu effectus; hoc ergo superaddit sufficienti, quod præsupponat in Deo absolutam voluntatem talis affectus, ideoque sit à Deo adaptata, & proportionata homini, ejusque affectibus, prout novit Deus, quod infallibiliter hominem movebit ad opus, daturus aliam, si hæc non fuisset operatura.* Laudat pro hac sententia Ruardum, Bellarminum, Suarem. Sed eam ex Augustino probat, qui hanc vocat *gratiam secundum propositum*, quam & efficacem vocationem tradit esse, qua quis vocatur, *quomodo aptum est*, tum enim Deus *attemperat se & adaptat homini, ejusque affectibus, tali modo, quo novit, quod infallibiliter faciet illum sequi & obtemperare.* Etenim Deus *qui scrutatur corda & renes, penetrat & novit omnium hominum animos, complexiones, affectiones, mollitiem, & duritiem eorum. Novit quibus modis singulorum corda in quodcumque opus infallibiliter commovenda sint, sive quibus se infallibiliter sua libertate commovebunt. Continet quoque in sua omnipotentia omnes illos modos, & media, & infinita alia. Prædominatur itaque Deus libero arbitrio per gratiam suam, quia infinita sua sapientia & infinita sua omnipotentia simul concurrentibus, facit illud se liberè & infallibiliter flectere, & se determinare in omne opus bonum, quod Deus absoluta voluntate voluerit & prædefinierit ab eo fieri, &c. Valet Deus hominem emollire & convertere, seu efficere, ut infallibiliter se ad Deum convertat, quia potest Deus sua sapientia & potentia tollere omne impedimentum, quod occurrere potest.*

1. 2. q. 111. art. 3.

Indubitatissimè autem, ut efficaciter & infallibiliter, ut aptè & congruè moveatur homo per gratiam ad conversionem, vel ad tentationes gravissimas superandas, vel ad perseverandum in bono, plura conspirant auxilia Dei. Ideo dictum est, quod auferat impedimenta, quod adjuvet, quod excitet, quod dirigat, quod protegat. Et rursum infrà, *Gratia efficax & congrua adjicit vires ampliores & fortiores præ gratia sufficiente tantùm: quod apparet in subitis & miraculosis conversionibus. Deinde etiam ordinariè pluribus & frequentioribus tum inspirationibus sanctis, tum piis affectionibus præveniuntur, incitantur, eriguntur, & corroborantur, qui ad justitiam & salutem perveniunt, præ aliis qui vel vocationem negligunt, vel à justitia & salute excidunt.* Et sanè nihil tam aptum, congruumque ad pertinaciam hominis domandam, quam *amplioribus, fortioribus, pluribus, frequentioribus* lacessi inspirationibus, oppugnari inspirationibus, tam infatigabiliter, ut tandem expugnetur. Itaque etsi invictissima sit Dei intentio, tamen ipsummet auxilium gratiæ habet ex parte sua *aliquid crebrius & majus & congruentius tum dispositioni hominum, tum circumstantiis extrinsecis*, quorum omnium conspiratione efficax est.

GALLI.

EX JOANNE PUTEANO Anno 1651.
Augustiniano Theologo & in Academia Tolosana Professore.

SI pauciores numeravimus Theologos Gallos in tertia & quarta hujus Commentarii Parte: solatio id erit, quòd in prima Galli propemodum omnes essent, aut Theologiæ saltem tyrocinia in Academia Parisiensi posuissent, quę omnium Orbis Christiani Academiarum parens, & Theologiæ totius Scholasticæ fons fuit.

Juxta amussim sancti Thomæ non mediocrem gratiæ habituali efficaciam tribuit Puteanus, cùm definit, *Hominem in statu naturæ corruptæ posse pleraque peccata mortalia vitare, sine ullo alio dono superaddito, non tamen omnia & singula collectivè spectata, præsertim ad finem usque vitæ: sed desideratur ad hoc speciale Dei auxilium, supra gratiam gratum facientem. Probatur ex Paulo, Omnia possum in eo qui me confortat. Deinde, Spiritus sancti assistentia est satis ad quodlibet peccatum mortale in particulari spectatum fugiendum. Quod enim est minimum Dei, fortius est omnibus hominibus. Quemadmodum nihil est quod possit Deo resistere. At constitutus in gratia & charitate, habet Spiritum sanctum, aut saltem aliquem effectum productum à Spiritu sancto; Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Eandem inhabitantis charitatis efficaciam mox porrigit *ad pleraque peccata venialia vitanda, non autem omnia & singula ad finem usque vitæ.*

1. 2. q. 109. art. 8. dub. 4.

De gratia generali idem non minùs disertè; *Nullus planè datur, etiamsi agat in abditissimis & remotissimis partibus terræ, in quibus nihil hactenus auditum fuit de Evangelio, qui non habeat gratiam sufficientem, per quam potest salutem propriam perficere, si velit.* Id probat ex Apostolo, ex Arausicana Synodo, ex Augustino. Et denuo idem, *Gratia sufficiens non datur in quolibet instanti temporis, sed tantùm quotiescumque incumbit necessitas adimplendi præceptum aliquod, aut vitandi aliquam culpam, aut etiam bonum aliquod opus perficiendi.* Probatur, *Auxilium sufficiens ordinatur ad peccata vitanda & ad bona opera præstanda, ex se & ex divina institutione: unde dicitur, Ecce sto ad ostium & pulso. Ergo tunc temporis erit hoc auxilium præsentissimum, quando incumbet necessitas adimplendi præceptum, aut quando superandæ erunt tentationes, & bona opera exercenda.*

1. 2. q. 109. art. 8. dub. 3.

Maximè specialis & efficacissima denique gratia propositi in quo sit posita, idem aperit primò, cùm *speciale auxilium* vitandi omnia venialia etiam collectivè docet consurgere *ex gratis gratum faciente, & aliis donis per se infusis, & ex speciali aliqua Dei providentia, qua fit ut nullis*

dentur

dentur motus deordinati in parte inferiori, nulla item inadvertentia inter operandum. Secundò cùm docet donum speciale perseverantiæ consurgere *primùm ex ordinatione quorumcumque mediorum externorum, quæ conducere possunt ad perseverandum finaliter, ex remotione impedimentorum, maximè verò tentationum, quæ impedire possunt boni prosecutionem, ex inspirationibus internis conducentibus ad prosecutionem finalem boni, & denique ex speciali providentia circa mortem, qua fit, ne hæc contingat extra statum gratiæ & charitatis.* Probat ex sancto Thoma *appellante donum perseverantiæ specialem directionem & protectionem contra tentationes & occasiones peccandi,*

3. 2. q. 109. art. 8. d. 2a

Ibidem, art. ult.

Tertiò idem ex eodem colligitur, dum ait, *Negari nequit hominem prædeterminari moraliter per gratiam prævenientem efficacem, ad actum conversionis exercendum, saltem interdum.* Probat ex sancto Thoma, qui ad perseverandum, præter concursum divinum & habitus infusos, desiderat *specialem directionem, & ordinationem. Directio autem & ordinatio divina cum extrinsecè se habeant ad voluntatem nostram, videntur tantùm moraliter operari in nobis conversionem.* Addit & illud Augustini, *Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam, &c.* Et ex eodem, *Eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Et rursum ex eodem, *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Et rursum ex eodem, *Visorum suasionibus agit ut velimus, & ut credamus.* Denique ait Puteanus, *Cogitatio de gaudiis paradisi, de pœnis inferni, de judicio & de morte, immo & auditio Verbi divini censentur interdum gratiæ prævenientes efficaces, nempe in illis omnibus, qui de facto resipiscunt à peccatis, dependenter abiistis cogitationibus. At cogitationes istæ liberum arbitrium determinant tantùm moraliter ad actum conversionis. Habent enim se objectivè tantùm, ergo tantùm motivè causant, & moraliter, non physice.* Ubi necessum est distingui præmotionem à prædeterminatione. Nam præmovet Deus physicè, & inclinat voluntatem ipsam nostram per habitus infusos, per interiores inspirationes, per concursum prævium supernaturalem, quo illam urget, etsi non infallibiliter applicat: at prædeterminat, seu infallibiliter applicat consensui & actui, cùm accumulat objecta & motiva hæc omnia de quibus suprà.

1. 2. q. 112. ar. 3. d. 4.

Quartò idem claret ex eo aiente, etsi *possit Deus per gratiam prævenientem efficacem determinare voluntatem creatam physicè, manente illæsa libertate ejusdem: tamen communi lege gratia quæ datur iis qui convertuntur, non determinat physicè libertatem, sed tantùm moraliter.* Quæ duo mihi quidem non videntur coalescere posse, nisi ut insinuatum est jam à nobis, primùm ut Deus eblandiatur consensum voluntatis gratia efficaci citra prædeterminationem, & hujus consensus vi ratum habeatur liberumque, quidquid deinceps physicè prædeterminans gratia exprimet. Maximè cùm idem Puteanus ex Tridentino mox arguat, *liberum arbitrium a Deo motum posse dissentire, si velit;* & ipsemet urgeat, *physica prædeterminatione destrui libertatem.* Potest ergo locus esse utrique huic gratiæ efficaci, ita tamen ut semper *efficacia gratiæ ab ipsamet gratia repetatur, & infallibiliter sequatur effectus*, quia etiam ubi non prædeterminatur physicè voluntas, Deus tamen effectum producit cum voluntate, *suadendo rationibus ex dono aliquo impresso intra intellectum, movendo commodis, deterrendo periculis, & aliis modis quibus ipse certissimè novit, voluntatem ita excitatam infallibiliter consensuram.*

Ibidem.

Ibid. Dub. 4t 5.

Quintò liquet ex eo quod idem infrà ait, *Infallibilitas effectus gratiæ non est repetenda ex scientia conditionata, qua Deus prævidit ab æterno gratiam datam huic vel illi homini in his & illis circumstantiis habituram effectum infallibiliter.* Probat, quia efficacia gratiæ ab ipsamet gratia repeti debet. Deinde etsi Deus non prævidisset, non tamen gratia efficax desineret producere suos effectus. Denique præscientia de rebus futuris, cùm extrinseca sit, nil ponit in effectu.

Ibid. Pub. ult.

Sextò liquet ex eodem docente, *infallibilitatem effectus gratiæ efficacis esse refundendam in congruitatem & contemperationem, quæ datur inter gratiam efficacem, & libertatem illius, cui hæc confertur.* Id probat ex Augustino, & ab experientia, quæ *docet voluntatem citiùs producere suos effectus, quando proponitur illi objectum, quod habet aliquam cum illa convenientiam, ut pueri pomis magis moventur, quàm auro.*

Ibidem.

EX NICOLAO ISAMBERTO

An. 1648.

Doctore & Socio Sorbonico, Professore Theologiæ in Academia Parisiensi.

GRatiæ habitualis vires & necessitatem latè prosequitur Isambertus. Et primò quanquam re præcisè spectata existimet homini lapso ad servanda omnia collectim præcepta legis naturæ quoad solam substantiam nulla opus esse supernaturali gratia, sive actuali, sive habituali, sed actuali tantùm auxilio ex speciali providentia ordinis naturæ. Idem tamen postea sic concludit, *Considerando integram hanc observationem præceptorum conformiter ad illum ordinem rerum, quem Deus instituit pro hoc statu, præter actuale auxilium etiam supernaturale, gratia habitualis, seu justificans requiritur.* Id probat ex Concilio Milevitano, *Gratiam justificationis non tantùm valere ad remissionem peccatorum, sed etiam ad adjutorium, ut non committantur peccata.* Rationem addit hanc, *Ex ordinatione Dei, qua decrevit non denegare auxilia proximè sufficientia ad implendam totam legem, etiam quoad solam substantiam, suis amicis, seu existentibus in gratia habituali; & contrà hæc eadem auxilia proximè sufficientia & immediata denegare suis inimicis. Est enim valde congruum Deum prosequi suos amicos specialioribus favoribus.* At verò impius *licèt careat auxiliis immediatè & proximè necessariis pro vitandis omnibus peccatis, peccat tamen violando aliquod, quia non caret remotis auxiliis a Deo sibi præparatis, quatenus potest si velit ex gratia excitante & adjuvante conteri de suis peccatis, & ita accipiet gratiam habitualem, cujus ratione accipiet à Deo auxilia proximè & immediatè necessaria ad hanc integram observationem. Moraliter* ergo hic censet non divelli posse à gratia habituali totam illam auxiliorum actualium copiam, quæ implendæ toti legi sufficiat.

1. 2. q. 109. disp. 7. art. 7. & 9.

Art. 10. 11.

Et rursum quærens *an justus possit ex sola sua habituali gratia cum generali auxilio supernaturali illi correspondente, evitare per longum aliquod tempus peccatum mortale oppositum legi naturæ:* respondet *non posse diu & per longum tempus bene moraliter operari, & vitare omnia peccata mortalia, absque auxilio speciali.* Ratio est, quia gratiæ sanctificanti non inest *vis removendi omnia impedimenta extrinseca*, quæ non possunt non incurrere, si longa fit mora temporis. At si quæras, Ecquid sit istud *auxilium speciale*, respondet in tribus esse situm, *in singulari Dei protectione, tentationes & occasiones peccatorum amoventis, in copia internarum illuminationum & piarum affectionum, denique in singulari assistentia Dei.* Postremò docet *vel minimam gratiam habitualem consideratam præcisè secundùm se, & suam virtutem, esse sufficientem ad resistendum cuilibet tentationi, quantumvis gravissimæ. Est enim secundùm suam entitatem supernaturalis, & agit ex concursu Dei proportionato suæ entitati.* At non ita habet, si

Ibidem. disp. 8. art. 1. 2. 3.

spe-

ſpectetur hominis, in quo illa eſt, morbus & imbecillitas.

Ibidem. disp. 9. art. 1. Præterea eidem juſtus quilibet *indiget auxilio ſpeciali tum excitantis gratiæ, tum adjuvantis ad exercendos ſingulos actus quoad ſubſtantiam ſuam ſupernaturales*. Recentiores verò qui id negant, ait ſibi poſſe conciliari in hunc modum, quòd ſpecialia hæc auxilia gratiæ excitantis & adjuvantis ad actus ſingulos non negent requiri, & dari, ſed *ea includant in ipſo habitu gratiæ ſanctificantis, ut aliquid ei connaturale, & ex vi habitus gratiæ debitum juſtificato*. Quo nihil aptius dici potuit. Verbis enim, non ſententiis diſſident, qui efficacitatem hinc habituali communicant, hinc gratiæ actuali totam vendicant. Nam cùm ambo actualia hæc auxilia confiteantur & neceſſaria eſſe, & connaturalia, debitaque ac indivulsè cohærentia gratiæ habituali, tantumdem efficaciæ omnes tribuunt huic copulæ indivulsæ, Poſtremò ſpecialia hæc auxilia videtur ille infrà deſcribere, cùm tradit *gratiam operantem conſiſtere in ſubitis & indeliberatis actibus intellectus & voluntatis à Deo infuſis, ſeu in ſancta cogitatione, & pia affectione, &c. quæ ſunt efficienter à nobis etiam, non tamen à nobis liberè agentibus, &c. At gratiam cooperantem eſſe liberum conſenſum in pias illas cogitationes & affectiones, prout hic conſenſus elicitur à Deo aſſiſtente ſpeciali modo*. Non enim conſenſus eſt aliud, quàm ipſamet pia affectio liberè continuata, quæ non liberè, ſed indeliberatè cœpta, ſeu inſpirata fuerat.

Ibid. q. 112. diſp. 3. art. 4. §. 7.

Nunc de gratia generali, ſeu ſufficienti, docet idem *non poſſe quemquam ſolis viribus naturæ etiam de congruo & remotè ſe diſponere ad primam gratiam*. Arauſicana enim & Tridentina Synodus omne ejuſmodi meritum explodunt, proinde & congruum. Immo *actus boni & honeſti eliciti ex ſolis viribus naturæ non ſunt aliqua conditio ſine qua non ad accipiendam à Deo primam ſeu prævenientem gratiam; nec ſunt removens prohibens, &c.* Contra Molinam qui docet *facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, infallibiliter dari primam gratiam, ex pacto quod Deus pepigit cum Chriſto, quo propter Chriſti merita ſtatuit dare primam gratiam iis omnibus adultis, qui etiam ex ſolis naturæ ſuæ viribus facerent, quod in ſe eſt*. Quam Molinæ doctrinam Vaſques, Gregorius Valentia, Bellarminus docent *facere cum Semipelagianis*. Auguſtinus enim lib. 1. ad Simplic. docet, nec minoribus peccatis, nec virtutibus philoſophicis propiorem quemquam fieri gratiæ Dei. At ex Iſamberto, *Facienti quod in ſe eſt ex viribus actualis gratiæ, ſeu actualis auxilii ſupernaturalis, Deus dat infallibiliter actualem illam gratiam, ad quam prior illa gratia immediatè ſubordinatur*.

q. 112. diſp. 3. art. 3. §. 5.

Ibid. art. 9.

Quàm generaliter verò ſpargatur in omnes gratia ſufficiens ad vitanda peccata quælibet, & ad converſionem, idem declarat: *Infideles adulti qui nunquam audierunt prædicationem Evangelii, habent auxilium aliquod ſupernaturale, internum, mediatè ſufficiens, quo utendo bene, majus accipient, & tandem ſalvabuntur, ſi velint*. Eſt enim Chriſtus pro omnibus mortuus, ut Salvator omnium: & adde quòd *adulti infideles obligantur ad obſervationem totius legis naturæ, ergo dat illis Deus media ad illam totam obſervandam requiſita*. Obduratis etſi aliqui negent, concedit tamen cum pluribus Iſambertus ejuſmodi auxilia, etſi pauciora, ne alioqui nec peccare, nec demereri poſſint, cùm vitare peccata non poſſint ſine his auxiliis. Denique quod ad bonum faciendum ſpectat, *Licèt Deus non ſingulis momentis actu det adultis ſufficientia auxilia interna, quibus agant pœnitentiam de peccatis, vel bonum aliquod opus exerceant: dat tamen eis ſufficientem gratiam, quotieſcumque occurrit aliquod præceptum obſervandum, vel quædam tentatio ſuperanda*.

q. 2. qu. 112. diſp. 4. art. 1.

Ibid. art. 9.

Ibid. art. 8.

Nunc ad efficaciſſimæ propoſiti gratiæ explanationem deſcendit Iſambertus: *Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ penetrat ſingulas omnium creaturarum poſſibilium voluntates, item omnia media poſſibilia ad quencumque finem obtinendum; illorum virtutem, & quantitatem efficaciæ, habet item in ſua omnipotentiſſima voluntate omnia ſibi ſubjecta. Sic poterit Deus prædefinire aliquem actum bonum voluntatis creatæ, non prædeterminando phyſicè voluntatem, ſed ſatis eſt quod Deus inter omnes gratias actuales illam exhibeat, quam novit eſſe potentiſſimam, & obſtinatæ voluntati congruentiſſimam, cujus dulcedine & ſuavitate ita alliciatur ad liberè conſentiendum, ut licèt poſſit abſolutè loquendo, de facto tamen ſic allecta conſentiat indeclinabiliter*. Negat tamen neceſſarium eſſe ad perfectam rationem providentiæ divinæ, ut Deus actus omnes bonos prædefiniat & ſingulos, etiam quoad omnes circumſtantias, *cùm ex ſancto Thoma cauſa ſecunda determinet primam & concurſum ejus ad hunc vel iſtum finem*. Denique ibidem ait poſſe imprimi formam voluntati, cujus effectus à voluntate poſſit impediri, nec impediatur tamen unquam, quia Deus id efficiet *corroborando voluntatem adverſus tentationes, amovendo occaſiones peccatorum, & alia id genus adminicula tam extrinſeca quàm intrinſeca admovendo illi*, ut patet in confirmatis in gratia.

1. 2. qu. 111. disp. 1. art. 4.

Sed idem mox multò apertiùs delineat nobis indeclinabilem efficaciam gratiæ: *Singularis efficacia gratiæ prævenientis conſiſtit præcisè & formaliter in ſpeciali aptatione & contemperatione vocationis cum voluntate vocati, ejuſque circumſtantiis, remotione impedimentorum, per gratiam externæ protectionis. Qua aptatione & contemperatione gratia vocans eſt efficienter potens ducere inſuperabiliter & indeclinabiliter voluntatem in liberum conſenſum dandum Deo, ſic illam vocanti*. Addit ita ſentire communiter omnes, qui rejiciunt prædeterminationem phyſicam. Item hanc gratiam efficacem conſiſtere in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis, *& proinde in ſuaſionibus, delectationibus, terroribus, vel aliis ejuſmodi affectibus*. Probat ex Auguſtino ad Simplicianum, *Miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocavit, quo modo aptum erat*: & in libro de bono perſeverantiæ, *quoſdam habere divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Quòd nimirum ait Iſambertus, *hæc ſigna & prædicatio habeant ex ſingulari providentia Dei internam motionem intellectus & voluntatis ſibi comitem*. Et ne quis elevet authoritatem horum Auguſtini librorum ad Simplicianum, ubi maximè congruitas gratiæ vocantis ad affectiones vocati inculcatur, ad hos libros Auguſtinus ipſemet remittit Semipelagianos in libro de prædeſtinatione Sanctorum c. 4.

Ibid. art. 4.

Quòd autem hæc efficacia gratiæ ſit tantùm moralis, hoc eſt, ni fallor, moraliter infallibilis, ita exponit: *Illuſtratio intellectus, pia affectio intellectus, inducens & alliciens ad bonum, incuſſio timoris ex apprehenſione mali, & alia his ſimilia, ſunt tantùm in genere motionis moralis, quia ſolummodo excitant, provocant, impellunt ſuaſione, ipſa manifeſtatione boni & mali, delectatione boni, vel fuga mali propoſiti per intellectum, quæ omnia ſunt purè moralia, ut Philoſophi docent, &c.* Quod vehementiùs etiam urget hoc argumento: *Nullus actus intellectus, ſeu voluntatis concurrit efficienter & phyſicè, ſed tantùm moraliter ad alios actus ſubſequentes intellectus, ſeu voluntatis; quia non datur actio actionis, nec una actio eſt proprius effectus, ſeu terminus alterius actionis, ſed alicujus rei alterius, nimirum qualitatis. Atqui gratia efficax conſiſtit in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis; igitur hæc gratia, ſicut & hi motus, poteſt tantùm ſuadere, movere, incitare, impellere,*

Ibid. art. 8.

qua

quæ sunt tantùm moralia, non physice efficere. Quo argumento constringuntur, qui in moribus indeliberatis victricis delectationis gratiam constituunt cum Jansenio.

Exemplo medici peritissimi rem illustrat, qui si morborum, si pharmacorum omnium plenissimam assecutus fuerit scientiam & potestatem, cuique sanè morbo statim efficacissimam temperabit, nempe congruentissimam medicinam. Ita sanè Deus & nostros affectus & gratiæ suæ efficaciam *comprehensivè* cognoscens, potest gratiam aptare, quæ sit efficax. Ibid. art. 4.

At idem rursum suam gratiæ huic *efficaciam intrinsecam* esse concludit, *non ex aliqua scientia*, contra scientiæ mediæ defensores. Ait enim Christus, *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et Paulus, *Quæ promisit, potens est & facere.* Et Augustinus, *Prædestinatione præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et ipsa ratio prompta est, *Efficacia enim & infallibilitas hujus gratiæ est ejus coaptatio & contemperatio, at hæc contemperatio est aliquid gratiæ intrinsecum. Sicut & coaptatio medicinæ ad morbum ægroti, & mores ejus & complexionem, est ipsa qualitatum in rebus quibus constat, ad certos gradus, ad certam quantitatem & pondus commixtio, quæ huic medicinæ est intrinseca. Ergo pari jure hæc coaptatio in gratia efficaci sumpta adæquatè, erunt singulares quædam entitates miro & potenti modo inter se dispositæ à Deo, & in ipsa interna gratia quidam gradus tali modo coordinati accommodatè ad voluntatem ejus, quem Deus vocat.* Ergo ex plurium congruitate & coaptatione consurgit hæc infallibilis efficacia gratiæ. Ibidem disput. art. 2.

Scientiam mediam, seu conditionatam adversus Suarem & cæteros Societatis Theologos, quos ait Isambertus decreto Generalis ad eam tuendam astrictos, immo & quancumque scientiam Dei absolutam, seu simplicis intelligentiæ, negat idem adniberi debere, ut ex prævisione consensus futuri dicatur gratia efficax. *Ita Mascarennas disput. 3. de auxiliis, parte 4. num. 1. & seq. Item plerique recentiorum, præsertim Ordinis Eremitarum sancti Augustini.* Immo Gregorius Valentia docet plerosque ejusdem Societatis ante illud decretum, rejecisse scientiam illam mediam; Suares ipse sine hac scientia confitetur *voluntatem creatam posse determinari moraliter per gratiam excitantem, salva etiam libertate creata.* Molina ipse confitetur hanc scientiam mediam fuisse Patribus incognitam: de tali commentatione sua gloriatur. Ratio hujus conclusionis in promptu est: *Efficacia gratiæ est illi intrinseca, non adveniens ei ab extrinseco, qualis est hæc scientia, quæ tantùm facit, ut subjectum in quo est, cognoscat absque periculo deceptionis objectum. Deinde hæc scientia conditionata nihil ponit in tali gratia; quin potiùs supponit illam habere in seipsa talem efficaciam in actu primo, qualem post decretum habet in actu secundo.* Quin immo *nec scientia media requiritur in Deo, ut non sit incertus de futuro eventu, antequam conferat illam de facto; nam eo ipso quo Deus cognoscit comprehensivè se esse omnipotentissimum, divinam suam voluntatem esse summè efficacem, seu habere summum dominium in quaslibet voluntates creatas, se posse illas inclinare, salvo etiam libero earum consensu, in quancumque partem voluerit, suavitate objecti propositi, & delectatione victrici cujuscumque oppositi, hæc scientia media est illi inutilis ad tollendam incertitudinem, quæ tunc nulla potest fingi.* Explorare in antecessum rei eventum opus habet homo, qui nec scientiam, nec potestatem habet plenissimam omnium & auxiliorum seu mediorum, & voluntatum seu affectionum ejiciendarum vel inserendarum. Ibid. art. 4.

Isamberto Duvallium & Gamachæum lubens subjungerem, nisi hos nonnihil deflexisset facilitas major, ut ipsis quidem videbatur, explicandæ infallibilis gratiæ & victricis contemperationis auxiliorum Dei per scientiam mediam. Multis hæc facilitas fraudi fuit, qui alioqui & prædestinationi gratuitæ, & gratiæ ex congruitate efficaci suffragabantur.

EX CARDINALI PERRONIO. An. 1620.

EN ipsamet verba summi viri, ingenii & doctrinæ laude, quàm ipsa Ecclesiæ Romanæ purpura eminentioris: ubi Gratiam *generalem*, vel *sufficientem* in omnes effundit, ut possibilia fiant præcepta: admittit & gratiam *efficacem*, etsi non exprimat, quo tandem modo sit efficax. *Donum continentiæ, de quo Paulus agit, non est possibilitas continendi, quæ ad gratiam generalem pertinet, quam Scolastici appellant sufficientem, & quæ omnibus datur hominibus. Alioqui actus incontinentiæ inexcusabiles non essent, nec peccata essent ab illis scilicet commissi, quibus non adesset potestas eos non committendi. Sed per donum continentiæ intelligit Paulus actum continendi, qui spectat ad gratiam efficacem, quæ dat, non solùm ut possimus facere, sed etiam ut faciamus. Deinde etsi hoc loco Pauli dono continentiæ significaretur possibilitas continendi; impetrare illud possunt, qui eo carent, illud scilicet à Deo postulando.* Hærebat ibi & suffragabatur Perronius Concilio Tridentino, adversus Novatores contendens, voveri posse Deo continentiam, posse & servari: propterea quòd omnibus hominibus præsto sit gratia generalis & sufficiens ad servanda præcepta: aliàs quippe excusatum iri, quòd peccarent. Potest autem hæc gratia sufficiens, vel proxima & immediata esse, velut possibilitas servandæ continentiæ; vel remota, & mediata, velut gratia orandi, ad obtinendam à Deo hanc possibilitatem. Ejusmodi est Augustini doctrina. Rep. Lit. Observ. 3. tit. 19.

Quoad gratiam efficacem, donum continentiæ, de quo Paulus loquitur, est virtus habitualis continentiæ, vel facilitas continendi. Porrò hæc gratia suo quodam modo efficax est, sicut habitus, affectus & virtutes efficaces sunt, dantque ut faciamus, quia vehementer urgent & inclinant ad faciendum: unde & qui virtute aliqua instructus est, agit plerumque consentaneè huic virtuti, quia is est tum dominans affectus ejus in hac parte.

Ex Epistolis Perronii compertum habemus partes ejus fuisse aliquas & quidem illustres in Congregationibus de Auxiliis sub Paulo V. plurimum ab eo temporis & operæ positum fuisse in his quæstionibus perscrutandis, pervolutatis etiam & expensis monumentis omnibus Vaticanæ Bibliothecæ circa Concilium Tridentinum. Multa de eo expostulat Doctor Penna, cujus præ manibus sunt Acta harum Congregationum; ut qui totus esset in Dominicanis contra Jesuitas tuendis. Perronium ait ille *non bene fundatum fuisse Theologum*, jussum fuisse ab Henrico IV. Rege Jesuitis favere, ut in partes Dominicanorum propendebant Hispani. Denique Perronio maximè videtur ille imputare exitum harum Congregationum, silentiumque partibus hinc & inde imperatum. Hinc conjectura facili assequeris, quæ potissimùm sententia insideret animo doctissimi Cardinalis circa gratiam prædeterminantem Thomistarum, quam potissimùm oppugnabant Jesuitæ sub Paulo V. Qui Congregationes tandem has clausit eo qui neminem præterit modo.

EX

EX CARDINALI BERULLIO.

ALtissima & cœlesti quadam Theologia scatent Berullii Cardinalis, quo se parente jactat Oratorium Gallicanum, opera omnia. De gratia generali sic ille primùm, *Cùm nos primùm creavit Deus, instinctum nobis & impetum quendam indidit, quo ad ipsum agimur: Feciſti nos Domine ad te; ipse ad seipsum nos retulit & revocavit; nec à natura creata sejungi potest hæc motio, æternum ergo durabit. Nostrum est proniſſimo in Creatorem cultu & obsequio, obsequi motioni universali, quam manus ejus omnipotens impressit intimis visceribus creaturæ ad authorem suum retorquendæ.* Et rursum, *Nobis ut à Deo manantibus inserit Deus instinctum, quo ad eum revocemur. Ut effundit ille nos à se, ita & ad se revocat, nos ad se trahit, in seſe nos perficere & absorbere vult. Obsequamur huic postremæ motioni, quæ gratiam largitur, & originis nostræ assentiamur.* Authore illo eodem, *Toto vitæ hujus tempore operatur Deus, & ab eo influit aliquid in animas nostras, progratiæ & sanctitatis gradu, quam largiri dignatus est. Utque Deus ex parte sua præsto semper est ad januam, Sto ad ostium & pulso: semper intentus, semper operans & infundens; ex parte quoquè nostra æquum est vigilare semper nos, & orare, & inertiam vitare; qua abrumpitur, & aliò deflectitur decursus & influxus jugis divinarum in animas nostras gratiarum.* Multa sponte reseco, quæ prolixiùs à nobis inscripta reperies in posteriore Editione Gallicana horum de Gratia Commentariorum.

Opera pia c. 110. 111. 112 113.

Venio ad gratiam habitualem & ejus efficaciam, quade sic ille: *Eadem ipsa operatione, qua nos Deus extra se creat, attrahit ad se, & revocat nos. Præter hanc motionem, quæ à natura sejungi non potest, est & esse novum, creatio nova, motio per gratiam impressa: naturam gratia perficit: obsecundemus huic motioni gratiæ, quæ huic motioni naturæ accedit, & illam perficit. Hæ gratiæ motiones divellunt nos à rebus terrenis, & ad Deum trahunt. Duplici huic motioni, qua ad Deum ferimur: alteri ex natura, alteri ex gratia; vel potiùs alteri ex Deo in natura per creationem, alteri ex Deo in nobis per infusionem gratiæ, tertiam adjiciamus per voluntatis nostræ electionem.* Alibi verò, *Restitui* ait *à Christo vitam, potestatem, libertatem operandæ salutis nostræ.* Alibi rursus docet *cooperandum esse donis & gratiis, quibus nos Spiritus sanctus impartit; omnes enim gratiæ quas largitur nobis Deus, ad operandum dantur.* Et alio loco, *Ut in prima creatione esse & vita accipitur ad edenda opera vitæ; ita in hac secunda creatione cum impertita sit nobis gratiæ vita, edenda sunt opera gratiæ. Ideo & Apostolus cum dixisset, Creati in Christo Jesu: hanc illico clausulam & legem attexuit, In operibus bonis.*

Ibid. c. 113. Ibid. c. 116. 117. Ibid. c. 116.

Quoad gratiam efficaciſſimam, *Uno temporis puncto datam ait Magdalenæ à Christo eam gratiæ abundantiam, ut inde illa cœperit, ubi vix alii desinunt; unde & primo conversionis suæ gradu ad summum provecta fuit perfectionis apicem.* Alibi verò, *Juvari nos à Deo docet privatione valetudinis, commodorum vitæ, voluptatum, detrimento & inconstantia rerum humanarum, moderante hæc omnia providentia speciali & dilectione ejus, & ita hæc omnia convertente ad salutem nostram, ut rara abeat dies, qua non piiſſimus Dominus duplicem nobis hanc consignet amoris sui significationem, subducendis suavitatibus multis, pluribus autem permittendis, ut fragilitati nostræ blandiatur. Ita quippe sapientiſſimus medicus comperta ægri fragilitate, explorata & ipsius ægritudinis vi, hinc vim morbi acribus oppugnat medicamentis, hinc blandimenta adhibet, quibus & leniatur malum, & ægroti vires foveantur.* Sapientiſſimam denique & omnipotentem Dei providentiam sic ille describit: *Duplici hoc in terris munere fungitur Dei providentia, bona operari, mala dirigere, virtutes infundere, mendacia ad suam gloriam detorquere. Excellentiſſimo hoc usu & à nobis adorando fit, ut nullum sit malum, quod effugere possit arcanum ordinem providentiæ & potentiæ divinæ; quæ illud ita regit & ordinat, ut majus inde bonum redundet.*

De Magdal. c. 1. n. 4. De abnegat. c. 2. §. Opera pia c. 3.

Si qua ergo in Epistola sua dixerit ampliſſimus & sanctiſſimus vir, *Non subsistentiam tantùm, sed & existentiam Verbi, tribui humanitati Christi in Schola sancti Thomæ, quam in hoc sequimur, & in materia gratiæ, & in reliquis omnibus, quantum possumus*: non statim æstimandus est repugnare doctrinæ his Commentariis nostris explanatæ. Dilucidè enim ostendimus religioſiſſimè hærere nos vestigiis sancti Thomæ, nec alienum nos ei sensum affingere; sed illum omnino, quem secuti sunt omnes ejus discipuli, etiam Dominicani, usque ad Concilium Tridentinum. Et ubi Berullius idem unionem etiam hypostaticam locare videtur in existentia & subsistentia Verbi naturæ humanæ communicata, non ideo recessiſſe credendus est à doctrina Patrum omnium & ipsius sancti Thomæ in hac eadem re, ut alibi à nobis in Tractatu de Incarnatione declaratum est. In utroque hoc capite sanctus Thomas & antiquior ejus Schola paulò aliter loquuntur, quàm Thomistæ recentiores: ad has minutias animum non adjiciebat Berullius, in genere adglutinabat se Scholæ omnium florentiſſimæ; at ubi suas ipse cogitationes litteris mandabat, consentiebat plerumque sanctis Patribus, tum verbis, tum sententiis. Epist. 164.

Postremò denique summus hic Theologus præter gratiam habitualem, admittit etiam alibi *gratiam actualem, prævenientem, excitantem, adjuvantem & subsequentem*; nusquam prædeterminantem: gratia autem penes illum efficaciſſima illa est, quæ à Verbi Incarnatione manat, accommodatè ad antiquiſſimam Patrum Græcorum sententiam, ut à nobis fusè dictum est in eodem Tractatu de Incarnatione: ubi & illud patefecimus, quàm non posset hæc gratia efficax à Verbo incarnato manans, cum Angelis, cum Adamo stante communicari, aut prædeterminationi physicæ permisceri. Opera pia c. 127.

EX S. FRANCISCO SALESIO Genevensi Episcopo.

GRatias generales primi ordinis, quæ reliquiæ sunt gratiarum Creatoris, nec non & primitiæ beneficiorum Redemptoris, egregiè cum primis edisseruit sanctiſſimus hic Episcopus: *Cùm primùm homo mentem suam ad Deùm advertit, illico suaviter movetur cor ejus: quo interiore testimonio patet, Deum cordis humani Deum ac Dominum esse. Ad repentinos terrores, statim ad Deum recurrimus; persuasiſſimi, cùm mala & intuta sunt cætera omnia, ipsum solum bonum esse nostrum; & undecumque immineant discrimina, hoc summum bonum, hoc perfugium, hoc præsidium nobis esse. Hæc voluptas, hæc fiducia cordis humani in Deo naturaliter conquiescentis prodire non potest, nisi ex consensione bonitatis divinæ & animæ nostræ. Hujusmodi est autem hæc consensio: ubi videt anima nostra nihil usquam esse, quod ipsam exsatiet, nec terrena, aut creata re ulla famem interiorem suam sedari posse: ubi videt intellectum suum infinitam quadam sciendi siti ardere, voluntatem insatiato boni summi appetitu flagrare: nonne exclamare cogitur, Non creatis his bonis se natam factamque esse: esse summum aliquod bonum à quo pendeat: esse opificem supremum, qui ipsi insculpserit interminabile hoc sciendi desiderium, & appetitum hunc boni insatiabilem; ideoque necesse esse, ut ad ipsum tendat & contendat, ut ejus se affigat bonitati, à qua est & cujus est?* Inferiùs verò ait, *insertam à Deo esse cordi humano specialem naturalemque ad ipsum propensionem; ad amau-* De amore Dei, l. 1. c. 15. cap. 16.

amandum non modò bonum in genere, sed ipsam specialiter & supra omnia bonitatem divinam, &c. Quantacumque sit nostra post peccatum depravatio, supereſt nobis pia pronitas ad diligendum Deum super omnia: supereſt & lumen naturale, quo cognoscimus, super omnia amandam nobis esse Dei bonitatem. Ne fieri quidem potest, ut homo serio de Deo cogitans, sola etiam naturali ratiocinatione, non sentiat impetum amoris nescio quem, ab intima ipsa naturæ propensione excitatum, qua prævenitur voluntas, & exciri se sentit, ut in Deo delectetur & conquiescat. Ut siqua perdix, non à sua matre, sed ab aliena quapiam fota & enutrita fuerit, ubi primùm matrem occurrit, ad eam revolat: *Ita cor hominis creatis rebus & deliciis innutritum, ubi primùm oculos ad Deum convertit, confestim naturalis & primæva pronitas ad amandum Deum à diutino sopore suo expergiscitur, erumpitque instar scintillæ mediis ex cineribus.*

Cap. 17. Et ibidem rursus paulò pòst: *Fateor Philosophos, quibus tanta lux affulgebat ad intelligendum Deum, & tanta proclivitas ad illum amandum, viribus ad eum amandum destitutos fuisse, &c. Ex humano quippe corde nostro naturaliter quidem exiliunt aliqua amoris divini initia, sed ut ametur Deus super omnia, id verò peculiare bonum est cordium gratia cœlesti animatorum, & adjutorum, & sanctissima charitate flagrantium. At amor ille imperfectus, cujus impetum natura ipsa in sese experitur, voluntas tantum est nescio quæ sine voluntate; voluntas quæ vellet, & non vult; voluntas sterilis, nec ulla fructu utilis, & de ea Apostolus velut ex peccatoris ore clamat, Velle adjacere sibi, sed non suppetere implendi facultatem.* Et paulò infrà: Cap. 18. *Verum si non possumus ex naturæ viribus Deum diligere super omnia: quorsum ergo naturaliter ad id propendemus? Hæc sanè pœna peccato infligi debuisset, ut eo nos spoliaret Deus ornamento, quo naturæ nostræ lumen vultus sui impressérat, & hoc corda nostra gaudio perfuderat, ut nos ad diligendum summum bonum naturæ ipsius sponte pronos esse sentiremus. Sed noluit ille nos penitus destruere, nec gratiæ amissæ vestigia omnia abolere; ut in hæc intuentes, & hanc ad eum diligendum naturalem proclivitatem nostram sentientes, ad id conniteremur; nec posset quisdam dicere, Quis ostendet nobis bonum? Quanquam enim per solam hanc naturæ pronitatem non possimus ad hunc felicitatis cumulum pertingere, ut Deum diligamus, sicut oportet; si ei tamen diligenter obsequamur, auxilium aliquod divina indulgebit bonitas, quo ulteriùs progrediamur. Si primo autem auxilio huic morigeri essemus, uberius aliud paterna Dei bonitas affunderet, & in dies proveheret nos; donec suavissimè perduceret ad summum amorem illum, ad quem naturæ ipsius nostræ impetus vergit.*

Nec verò tacuit melleus hic Theologus auxilia generalia secundæ classis, utque ea conjugata sint cum illis prioribus. Ait enim *effusam esse à Deo ubertatem quandam gratiarum & benedictionum in omnes homines, velut imbrem in bonos & malos promiscuè manantem, ut inexcusabiles sint omnes Redemptori suo. Quanquam autem copiosissima hæc sufficientia gratiarum in omnem naturam humanam defluat, & in eo pares omnes simus; permagna tamen intervenit varietas. Quis enim non videt adminicula salutis, & majora, & validiora affluere Christianis, quàm Barbaris? Cur verò uno quàm alio loco exuberent copiosius divina hæc beneficia, in id à nobis inquiri nefas est; cùm adsint omnibus sufficienter, immo abundanter, quæ ad salutem necessaria sunt.* Et infrà: *Hæc verò auxiliorum generalitate satis testatur Deus non frustra voluisse se, ut residua in nobis esset illa naturalis pronitas ad eum diligendum. Ne otiosa enim hæc langueat, generali amoris præcepto urget, ut ei serviamus; utque hoc impleri possit præceptum, nemini non mortalium subministrat adjutoria omnia ad id necessaria.*

De amore Dei l. 2. c. 7. 8

Nec illaudatam intactamve reliquit sanctissimus Antistes gratiam habitualem & ejus efficaciam: *Alios affectus bonos esse docet, vel malos, perinde, ut amor à quo fluunt, bonus est, malusve; ita enim sua indole illos imbuit amor, ut amores & ipsi quidam videri possint. Non movetur voluntas, nisi affectibus suis, quos inter amor, ut primum mobile, & princeps affectus, reliquos impellit omnes, & omnium animæ motuum author est. Dominatur tamen voluntas amori, & ejicere illum potest: at ubi ei se addixerit, ut uxor viro, tum ei subjicitur & servit. Quandiu ergo vivit amor in voluntate, regnat ille, servit ista.* Et infrà: *Regit ergo voluntas facultates omnes alias, sed regitur ipsa per amorem, qui qualis est, talis & ipsa est. At inter amores omnes principatur & imperat Dei amor: usque adeo ut si regnare desinat, desinat & esse.* Ibidem. L. 1. c. 4. 6.

Jam verò quod ad gratiam efficacissimam pertinet, vide ut illam luculentissimè describat Salesius: *Omissis vocationibus illis potentissimis, & illecebris sanctissimam quandam vim adferentibus, quibus Deus eximias quasdam animas uno temporis puncto transtulit ab improbitate summa ad summum pietatis culmen: transmutata quodammodo spiritaliter & moraliter ipsa substantia animæ per inundantis gratiæ vim, &c. ut in Paulo contigit: solet providentia Dei corda nostra ad amorem suum pertrahere, ut docet Oseas, vinculis humanitatis, charitatis, amicitiæ; per lenocinia quædam, per dulcissimas illecebras, per inspirationes cœlestes, naturæ liberæ hominis accommodatas. Vinculum voluntatis humanæ proprium, voluptas est & delectatio. Nuces puero ostendis, ait Augustinus, & trahitur amando: trahitur vinculo non corporis, sed cordis. Ea ergo ut trahat nos Pater cœlestis; docendo delectat; infundit cordibus delectationes & voluptates spirituales, tanquam sacras illecebras. Non infert gratia libertati voluntati necessitatem; sed quanquam vis omnipotens misericordiæ divinæ, movent, obsidet, vinciat animam tot tantisque inspirationibus, delinimentis, blanditiis, perstat voluntas nulli necessitati obnoxia. Prepotens est, sed & blandissima est gratia, quæ voluntates nostras movet, &c.*

Alibi rursus in hunc nondum: *Inter primam excitationem à peccato & conversionem multum quandoque temporis labitur; interim autem potest homo, ut ait Augustinus, orare, ut si nondum trahitur, trahatur. Tam varia Augustinus lenocinia expertus, per congressus Ambrosii, per collationes cum Potitiano, & compluribus aliis modis, cunctationes tamen & moras nescio quantas interposuit, antequam gratiæ totum se daret, &c.* Quoad perseverantiam autem, *Ut blandissima mater filiolum secum deducit, juvat, & portat, ut jubet necessitas; ingredi ipsum sinit aliquantulum ubi plana est via & tuta; nunc manu prehensum firmat, nunc complectitur & gestat: ita & Dominus jugi cura imminet & adest filiis suis, idest, iis quibus inhospitatur charitas, ob oculos suos ingredi jubens, manum subinde porrigens, perferens ipsemet eos, ubi labori ferendo impares videt. In hoc regimine pietatis divinæ ab exordiis charitatis usque ad finalem ejus perfectionem, cum ipso mortalis vitæ fine, positum est ingens perseverantiæ donum.* Plura ex eodem de his excerpsimus in editione Gallicana, possent & innumera alia huc congeri ex eodem Salesio, uti & ex Berullio, ex Theresia, Gertrude, Catharina Senensi & Genuensi, & aliis quæ in Editione Gallicana perstrinximus. L. 2. c. 21. L. 3. c. 4.

EX

EX LUDOVICO GRANATENSI *Dominicano.*

PRæstantissimus hic Orator, idemque Theologus, nec doctrina modò, sed & rerum spiritualium experientia spectatissimus, non potuit non altissimè penetrasse in arcanas de gratia veritates, quæ horum omnium caput & fons est.

De gratia primùm generali sic ille docet: *Prædestinatio gratia gratiarum est, quod nostra anteveniat quæcunque merita, ex infinita Dei clementia una & misericordia proficiscens. Nec enim potest Deus injuriam cuiquam facere; quin immo juvantur ab eo omnes homines auxilio sufficienti ad parandam sibi salutem; in quosdam autem immensas misericordiæ suæ opes profundit, uti Rex aliquis bonorum suorum arbitratu suo munificus dispensator.* Alibi autem cùm egisset de conversione beati Augustini, sic peccatorem objurgat: *Quæ te vincula constringunt, ut non possis hæc imitari? Si ingentia hæc exempla cogunt te confiteri, hæc eadem nunc posse gratiam, nec eam denegatum iri, si quis eam ex toto corde quærat: idem est enim nunc Deus, qui fuit olim, sine acceptione personarum, &c.* Et alibi, *Nunquam eos repellit Spiritus sanctus, qui faciunt, quod possunt; itaque occurrit & opitulatur eorum conatibus, &c. Rectissimè ab eruditis Doctoribus traditur, non posse homines Deum diligere super omnia ex solis naturalibus viribus suis; quanquam per illas possint aliqua facere moraliter bona opera, non tamen meritoria. Diligere verò Deum super omnia, hoc ut ita dicam vinculum est, quo trahuntur omnia; in eo sunt virtutes omnes. Ea est determinatio tam generalis & præcellens, ut verè haberi non possit sine gratia, & auxilio divino.*

Guides des pach. c. 5.

Ibid. c. 18.

Memor. vol. 2. Tract. 1. c. 2. §. 3.

De gratia habituali ejusque efficacia audiamus jam Granatensem: *Lex docet, quid bonum, quid malum sit: Evangelium gratiam addit, qua illud sectemur, hoc fugiamus.* Et infrà, *Divina hæc gratia deficientem naturam reparat, primigeniæ pulchritudini animam restituit, illam vestit, ornat, gratam Deo facit, hæc per comitantes eam virtutes & habitus bonos, quos parit, vulnera nostra obducit & sanat, illuminat mentes, corda inflammat, ægros roborat, cupiditates furentes tranquillat domatque. Sicut enim ab essentia animæ prodeunt potentiæ, per quas illa agit: ita ab essentia gratiæ, quæ vitæ spiritualis veluti anima est, gignuntur virtutes omnes & omnia dona Spiritus sancti.* Et statim ibidem: *Per hanc gratiam susci piuntur virtutes & dona Spiritus sancti, & in omnes animæ facultates dispensantur; quas meliores efficiunt & præpotenter præparant afficiuntque ad implenda virtutum opera: itaque cùm essent ante veluti captivæ & impotentes ad bonum, jam evadunt cœlesti ope liberæ & robustæ ad amplectendum, quidquid jubet Deus, &c. Imbecilli ad malum, evadimus maximosissimi & valentes ad bonum, per auxilia gratiæ ad bene operandum, per dona, quorum scaturigo est.* Alibi autem rursus: *Charitas est voluntas recta & sincera, igne Spiritus sancti succensa, affectus omnium affectuum potentissimus, dominatrix, domitrix & victrix omnium, quæ difficilia putantur, radix bonorum omnium operum, robur pugnantium, maxima virtutum, quas & omnes suo in sinu gestat. Deus ipse charitas vocatur, quod nihil Dei similius sit, quàm pulcherrima virtus ista. Fortitudo martyrum ab hac manabat virtute; quoniam ex Augustino, nihil amore validius est. Per charitatem reportant homines gloriosam de tentationibus omnibus victoriam. Penetrat & perfringit omnia amor, summas quasque difficultates superat.* Ita certè cogitari debent gratia habitualis, charitas, virtutes, ut actuosæ & efficaces qualitates.

Tract. c. 1.

Ibidem & Tract. 7. c. 1.

Nec minùs luculentè descripta est à Granatensi gratia efficacissima: *Cùm suaviter omnia & ordinatè disponat Deus, si quem ille ad gloriam suam elegit propter hanc electionis gratiam, gratias illi plures alias accumulat: abundanter suppeditans quidquid necessarium est, ad primam illam gratiam impetrandam. Prorsus ut qui inter homines ex filiis aliquem Clero vel litteris destinat, a teneris statim unguiculis incipit illum iis addicere occupationibus, quæ Clericis, vel litteratis consentiunt, id curans ut omnia ejus studia ad hoc colliment: Ita Deus Pater, quem ad gloriam suam elegit, cura habet, ut illum illuc pergere compellat.* Alio loco vide ut peccatorem inducat de sua conversione in aures divinas termocinantem: *Non solùm sustinuisti me Domine, dum peccarem; sed frequenter visitasti me, & vocasti ad te blandis & occultis inspirationibus tuis: objecisti oculis meis enormia commissa mea, brevitatem hujus vitæ, æternitatem futuræ, justitiæ tuæ terrores, & incredibiles misericordiæ tuæ blanditias. In ipsa flagitiorum meorum flamma ita me quandoque sentiebam præsentia tua stimulis pungi, ut in lacrymas diffluerem. Diutissimè tecum certavi; sed pugna longè diversissima: tu bona usque ingerebas mihi; ego iram tuam peccatis meis semper provocabam. Istiusmodi gratiæ omnes totidem voces erant, quibus ad te vocabar, leniissimèque trahebar. Sed postquam vidisti eas minus valere, tum clamore vehementissimo personuisti in interiores aures animæ meæ eoque veluti rugitu Leonis, excitare me & vitæ reddere adoressus est. Quot & quanta in hoc uno beneficio beneficia? Et infrà: Quid tot alia commemorem bene vivendi adminicula abs te mihi parata? Quot concionatores, confessarii, libri præstantissimi? Nusquam non occurrant aliqua ex his subsidia. Si qui ad te sine his redierint, tu compendiosiore via eos ad te perduxisti, per teipsum hæc omnia suppeditasti. Nihil homo quisquam peccat, quod non peccet & alius quivis, si tu deseras: ita in quot scelera vidi lapsos alios sine me, tot beneficia numero in me tua, qui me his subduxisti. Quot me peccandi tentationibus, atque adeo quot lapsibus exemisti me?* Et in alio Tractatu: *Vocatio summa illa gratia est, &c. Nec una est ea gratia, sed plurimarum coacervatio gratiarum, &c.*

Guides des pech.

Memor. To 7. Part. 1. §. 1

FX JOSEPHO DE VITA *Dominicano.*

An. 1665

JN lucem exiit anno 1665. Panormi in Sicilia Josephi de Vita Dominicani operum Theologicorum Tomus 1, cum approbatione Generalis, Provincialis, & Theologorum Ordinis, velut prorsus consentaneus doctrinæ sancti Thomæ, & Thomisticæ Scholæ. Porrò Scriptoris hujus doctrina consentit omnino cum ea, quæ his nostris Commentariis continetur. Non hìc ulla usquam scientia media, non prædeterminatio physica; sed coacervatio & conspiratio plurium intus & foris auxiliorum, quæ singula & sejunctim possunt illa quidem frustrari; sed cùm succedant alia aliis, & quod his deest, illa impleant: hinc fit ut universa & conjunctim illam obtineant vim & efficaciam, quæ irrita cadere, effectuque suo fraudari non possit. Si pervolutandis Thomistis antiquis operam navasset hic Theologus, gratulatus sibi esset de suo cum illis consensu, nec illos dubitasset Augustino concinere, cui opus hoc suum, conjunctim cum Beato Thoma dicavit. Hinc illa nos non inanis consolatur spes, fore ut illustrissimi hujus Cœtus Theologi graviter audiant eandem hìc à nobis explanatam fuisse doctrinam, utque suæ Scholæ adgregatos velint, quicumque pro prædestinatione gratuita certant, & pro auxilio Dei invictissimè efficaci ex parte Dei ad ejus executionem. Nec enim alio consilio fieri potuit,

potuit ; ut Præpositus Generalis , Provincialis , & Theologi Ordinis Dominicani hunc Josephi de Vita Tomum suffragio suo & encomio prosecuti sint.

An. 1651.

EX ANONYMO BELGA

Auctore Libelli , cui titulus est , Lucta divi Thomæ contra præmotiones physicas , & sancti Augustini contra gratiam physicè efficacem.

MEdiam inter Jansenium & Molinam hic apetire viam adgressus , prolixè primùm demonstrat nullas nec Thomæ , nec Augustino placuisse præmotiones physicas , & physicè prædeterminantes . Cùm tamen exequenda sit infallibilis prædestinatio quorumdam ad gloriam , quærit tandem, *Quænam gratia sit , quam agnoscunt sanctus Augustinus & divus Thomas , ad opera salutifera , homini lapso necessaria?* & respondet brevissimè , sed ita perspicuè & disertè , ut nihil dubii possit residere , *Gratia hæc est tot gratiæ actuales , ex se tantùm distributivè sufficientes , instantaneè , aut successivè homini lapso concessæ , donec ex libera ejus electione sequatur salutiferum opus.* Multa ex Augustino ad hoc efficiendum congerit, nec illud sanè omittit , *Ramum viridem ostendis ovi , &c.* Et rursum , *Velle & nolle , correspondere , vel non correspondere singulis gratiis distributivè , ex quibus aggregatur gratia prædestinationis , perseverantiæ ; &c. Ita in volentis & nolentis est potestate , ut divinam voluntatem quoad effectum correspondentem singulis gratiis collectivè , non impediat , nec superet potestatem.*

Cap. 1;6 127. 128.

Cap. 131.

Exemplo rem elucidat : *Sic philosophandum , ut minus possibile sit , hominem prædestinatum , sive gratia Christi instructum , non correspondere uni ex omnibus gratiis prædestinationis collectivè sumptis , quàm aleas jacientem non semel habere numeros pares inter aleæ jactus collectivè sumptos.* Et sanè regulæ contingentium hoc totum innititur usquequaque certissimæ , quòd potest fieri & non fieri , quandoque fiet , quandoque non fiet : nec continget unquam , ut vel nunquam fiat , quod impossibili proprium est , vel semper fiat , quod necessario . Itaque cùm jactus aleæ is esse possit , ut numeros pares , vel non pares exhibeat ; indubium est , fore , ut si jactus iterentur sæpiculè , exeant aliquando tandem numeri pares . Ita frustrari potest intentio jacientis in singulari quoque jactu , non in universa jactuum multitudine , si pares velit infallibiliter numeros prodire. Sic infallibiliter executioni mandatur intentio per media contingentia & fallibilia singillatim , sed conjunctim nequaquam fallibilia.

Cap. 137.

Ideo mox idem Scriptor definit distinguitque gratiam sufficientem & efficacem : *Cùm in se sit sufficiens & versatilis attendendo ad omnes , ex quibus conflatur , distributivè sumptas : licèt ob sui multiplicationem , donec homo cooperetur , attendendo ad omnes , ex quibus conflatur , collectivè sumptas , sit efficax.* Minùs feliciter illi , qui sufficiente cum gratia posse agi , & nunquam agi : efficaci cum gratia posse non agi , & semper agi affirmant , præter regulam contingentium.

Cap. 139.

Denique ne ambigas unde hic Author suam hanc hauserit sententiam , recitat mox sancti Thomæ qu. 6. de veritate , art. 3. locum decantatissimum , & à nobis ad nauseam usque inculcatum in rem istam . Si quæras autem quæ sit hæc voluntatis determinatio per gratiam efficacem : respondet esse

Cap. 147.

efficaciam moraliter infallibilem , necessariò & infallibiliter efficacem , propter conjunctionem cum aliis gratiis , collectivè & conjunctim ; simul aut successivè multiplicatis.

OBSERVATIONES *in Doctrinam Theologorum quartæ hujus Partis.*

QUoad gratiam generalem , nihil penè novatum ; sufficientem illam appellari crebrior usus esse cœpit : plures etiam licere sibi noluerunt , ut non eam omnibus largirentur ad conversionem . Ad non peccandum etiam nemini in mentem venit , eam ut negaret omnibus dari : ne Estio quidem & Sylvio . Cœpere & Dominicani hanc gratiam sufficientem ita describere , ut cæteris Theologis videatur solo nomine sufficiens esse , cùm ita describitur . Porrò Catholici Theologi omnes alii antiquissimæ doctrinæ retinentissimi fuere.

Gratiæ quoque habituali sua semper vindicata est efficacitas ; deflexum tamen nonnihil est à tritissima olim via ab annis amplius quinquaginta , cùm cœpit tota , aut penè tota ejus efficacitas ab auxiliis actualibus repeti , quæ illi indivulsè cohærent . Et quanquam ex hoc diverticulo in viam statim redeatur , & ad sanctorum Patrum doctrinam , auxiliis his actualibus ab habituali gratia nunquam sejungendis : leviuscula ex hac tamen mutatione aliquantulum emersit detrimenti.

1. Ansa dari videtur priscis Lutheranorum & Calvinistarum cavillationibus , quibus gratiam suggillant habitualem , & illa ejus debilitatur defensio à Majoribus nostris prænonstrata ; profitentibus nimirum , ut verè justus efficiatur quis , opus esse , non tantùm ut remittantur peccata , sed etiam ut affectus cordis à terrenis ad cœlestia retorqueantur , amor justitiæ inseratur , & radices agat in animo , denique ut justorum affectus dominans ad Deum anhelet.

2. Ansa datur perperam interpretandi sanctos Patres & antiquos Scholæ proceres , qui hanc gratiam semper commendarunt , ut principem & propriam Christi gratiam ; & discrimen incurritur , ne qui jam minùs eos capiunt , ad eos vel damnandos , vel contemnendos propendeant.

3. Sed illud multò magis dolendum est , quòd dum non advertit Iprensis Episcopus Jansenius , dilectionem & delectationem justitiæ victricem , in qua commendanda tam multus est Augustinus , ipsissimam esse gratiam & charitatem habitualem , ex ipsorum etiam Scholasticorum , etiam ex Thomistarum consensu : in eas delapsus est opiniones , quæ jure merito sunt improbatæ.

Verùm in eo potissimùm novatum est post Concilium Tridentinum , quod ad gratiam efficacissimam , sive prædeterminantem spectat . Etsi non paucos protulerimus & Dominicanos & Jesuitas , antiquæ de his doctrinæ tenacissimos ; certum est tamen perillustres geminos hos cœtus dissentire paulatim & dissilire cœpisse , in Hispania maximè & in Belgio ; & cùm Jesuitæ ex Dominicanorum placitis id exculperent , gratiam ab illis invehi prædeterminantem : hanc ipsam vocem hos amplexatos esse , quæ antè nunquam adhibita fuerat , nisi ut damnaretur , ut ostensum est . Sed illud satius est confirmare ipsius verbis Cumelis Ordinis de Mercede , Doctoris Salamanticensis , doctissimique vindicis gratiæ prædeterminantis . Audi ut de Suaresio conqueratur : *Et sanè modus loquendi de physica prædeterminatione , & vocabulum ipsum ab ipso & à suis inventa sunt ; cùm tamen ante hanc ætatem contenti eramus , explicantes efficaciam gratiæ Dei , quod Deus nos movet auxilio efficaci ad pœnitendum , & quod Deus nos movet sua gratia mirifica , & vi sua , aut quod propriè efficienter nos præmovet . Solitum etiam erat dici à nobis , quod Deus nos movet infallibiliter , aut quod præmovet nos effectivè , aut efficienter intus agendo . Illud autem*

Pag. 171 An. 1597. Disput. in 1. & in 1. 2. disp 4. Sect 2. concl. 1.

autem vocabulum physica prædeterminatio, quia sonat prædeterminationem naturalem, non bene inventum est ad explicandum efficaciam gratiæ. Atqui admittitur à nobis præmotio gratiæ prævenientis; locum illa habebat etiam in statu naturæ integræ. Admittimus & præmotionem infallibilem, at non prædeterminationem physicam & infallibilem. Potest enim præmotio physica infallibilem efficacitatem consequi prædeterminatione morali tantùm, conglobatis & conspirantibus motionibus pluribus, suasionibus, affectibus cœlitùs inspiratis, objectis etiam ipsis foris ad hoc acommodatis. Physica hæc erit præmotio; moralis autem dumtaxat prædeterminatio, & moraliter infallibilis, qua voluntas hominis fatigabitur tandem, & ad consentiendum adducetur. Ideo & testificatur quandoque Cumel ipse velle se abstinere à voce prædeterminationis; à Deo ait nec præmoveri, nec prædeterminari quenquam ad malum; moralem prædeterminationem physicæ semper à Deo jungi; quin & illius efficaciam luculenter describit; apparet denique nervos omnes eum ad id contendere, ut adversariis reluctetur, qui hinc quidem nolebant præveniri à Deo, ac præmoveri voluntates nostras, sed ut efflueret tantùm aliquid ab eo in actiones & affectus: & inde rursus mollius sentiebant de efficacia gratiæ & de prædestinatione. Minùs apposita illi videbatur prædeterminatio moralis ad labefactanda adversariorum machinamenta. Eo scilicet & ipse, & complures alii adducti sunt, ut physicam prædeterminationem morali anteponerent.

1. p. q. 23. art. 8. disput. 18.

At ex adverso Theologi alii omnes Religiosorum Ordinum & omnium Universitatum, quibus placuit in medio consistere, gratiæ efficaciam illam retinuere, eam consignavere, quam & antiqui Theologi, fusiùs tamen, splendidiùsque & accuratiùs, quàm superioribus sæculis. Nunquam ante tantum artis, studii, operæque collocatum fuerat in explananda multitudine, congruitate, conspiratione variorum auxiliorum, intus & foris juvantium, quibus constat & quasi compingitur gratia efficax. Sed illa antiquioribus Theologis laus asserenda est, quod frequentiùs ab illis & vehementiùs inculcaretur amor Dei, cujus primæ tanè sunt partes inter hæc divina adjutoria.

Accedit & illud ad insigne horum Theologorum decus, quod & Ecclesiæ & sibi gratulentur ipsis, de iis omnibus, quæ ab Ecclesia hisce de rebus definita sunt, ab annis admodum centum quinquaginta; quod ab illis fit ea facilitate, eo candore, quem non facilè imitentur cæterarum Sectatores sententiarum. Tridentina enim adversus Lutherum & Calvinum decreta, Bullæ adversus Baium publicatæ, Propensiones Congregationum de auxiliis, Constitutiones nuperorum Pontificum adversus Jansenii Iprensis Episcopi librum, denique ipsa nunc Ecclesiæ Catholicæ propensio ad damnanda ea, quæ de his circa gratiam quæstionibus, vel remissiùs dicuntur, vel duriùs & inclementiùs; hæc, inquam, omnia ejusmodi sunt, ut ad hæc cæteri complures Theologi clanculum ingemiscant, velintque alium fuisse horum exitum: at his quibus adhæresci nova hæc sunt argumenta confirmandæ sententiæ suæ, immo & invictissima sunt documenta pervigilis & omniporentis Dei providentiæ in Ecclesiam, cui intaminatum servat & tuetur veritatis depositum tantas inter disputationum & contentionum procellas. Postremæ istæ denique Ecclesiæ, quæ columna veritatis est, definitiones argumento indubitatissimè sunt, Episcoporum & Theologorum ejus partem longè maximam huic suffragari doctrinæ, quæ tam consentanea illis est.

TRACTATUS V.

CUR IN MEDIO ANNORUM, sive in plenitudine temporum, non maturiùs, non tardiùs, natura se nostra induerit Deus Verbum.

CAPUT PRIMUM.

Eccur Verbum caro factum sit in medio annorum, seu in plenitudine temporum. Ac primò inquiritur, quo Dei consilio & quo hominum compendio lex ante gratiam præstructa sit.

I. Quàm merito stupendū, quod tardiùs distulerit Verbum incarnari, peccati merúsque lue interim naturā nostram depascente.

NOn scrutandæ majestatis æstro agimur, nec in Dei consilia inverecundiùs tentamus irrepere; sed in lege Dei noctu & interdiu meditari, & ab initio memores esse mirabilium ejus inardescimus. Non curiositati obtequimur, sed torporem excutimus, atque inertiam. Non qua vetat, irruimus; sed qua prolicit veritas, sequimur.

Mirari ergo subit atque adeo timari juvat, ecquid causæ fuerit, quam ob rem cum nostros miserari labores æterno penes se Deus consilio statuisset, non temporiùs affuerit, & morbum peccati lue afflatum inter ipsa sui exordia opprimere prævertetit: sed serpere cum & grassari passus sit complura annorum sæculorumque volumina, & quaquaversum jacebat, humani generis viscera depasci ac depopulari; & tum demum post tantas strages, ubi omnia videbantur conclamata, suppetias tulerit. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & sapientiæ ejus non est numerus: mirabilis in sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Sed in hoc operum suorum fastigio, in sapientiæ suæ operæ pretio, in sanctitudinis suæ & magnitudinis summo documento, necessum est præcipuam quandam & præ cæteris admirabilem sapientiæ & æquitatis laudem affectaverit. In hæc arcana non gestiens antevolabit curiositas, non humana sibi quidquam indulgebit conjectandi solertia: sed qua Deificæ Scripturæ authoritas, qua sanctorum Patrum Dei Spiritu afflatorum, ab eoque in divini consilii conscientiam adscitorum, fax præluxerit, pietas sequax audebit.

II. Inquiritur cur Christus Mediator ac fuerit præstruenda.

Et quia plurimæ sunt in Mosaicæ legis consilio interpretando Scripturæ, & consonantes ipsis ubique Patrum sententiæ, non abs re fuerit, ut reor, hunc auspicari, qua se plurima lux ingerit. Quim ergo depopularetur exitialis morbi vis genus humanum, cur veram & efficacem medicinam procrastinavit Deus, legem autem interim edixit, qua adeo non levaretur, ut vehementissimè malum exacerbaretur? *Lex enim propter transgressiones*

xes posita est. Lex subintravit, ut abundaret delictum. Littera occidit. Nihil ad perfectum adduxit lex. Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Virtus peccati lex. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Atque ut reliqua ex eodem Paulo complura in eandem sententiam armata prætervolem, ex his abundè liquet, an levamenti quidquam per legem accesserit humanæ genti ubique locorum ægrescenti. Emicat enim dilucidè exasperatam potiùs esse & propemodum desperatam vim morbi post legem datam.

III. Per legem incipiebat curari genus humanum, medicus adventabat.

Curabatur nihilo seciùs jam tum genus humanum ab omnipotente medico. Adventabat, quin aderat jam Verbum Deus, sensimque & gradatim per incarnationis suæ præludia quædam homini medebatur. Suæ nimirum ægritudinis homines admonebat, inopinos, imprudentes, amabili sui insania delusos, sibi tanquam bellè & feliciter habentibus gratulantes. Caput ergo nostræ ægritudinis cum istud esset, quod ægritudinem naturam esse ipsam interpretaremur, & sanitatem non aliam suspicaremur, quàm morbum ipsum, atque adeo medicum propulsaturi videremur: primus videlicet curationis gradus, primæque medici partes in eo erant, ut dementia illa depelleretur, ut sua ægroto ægritudo pateret, ut medicum vel cunctantem invocaret, vel invocatum & spontaneum saltem patereretur. Et quidem usque adeo necesse erat, sui morbi admoneri & convinci ægrotum, ut ipsam nudari, ostentari, quin & exasperari ægritudinem expediret, ut vel sic sanari posset. Quid ergo sempiterna lex Deus Verbum moliebatur, dum per Moysen aliasque sui præsultrices umbras præciperet, nisi ut hoc primum medicinæ suæ beneficium, vel invitis & reluctantibus impingeret, quo minus pertinaces dehinc eos in reliqua curatione, sibi præstaret? Non ergo moras nectebat medicus, non tergiversabatur, non cunctatione beneficentiam suam obumbratum aut detritum ibat: sed properabat imminebatque, quantum morbi nostri natura patiebatur. Si enim repentinus irruisset, repulsus utique fuisset ab homine morbi sui nescio, & de suæ sibi valetudinis prosperitate intus plaudenti.

IV. Per legem cognitio & sensus morbi: necessitas medici statuit.

Ut suum porro homini morbum lex nudaverit, in aperto res est. Ante legem enim quid fas, quid nefas esset, minùs internoscebat; itaque aut nulla, aut rara & perobscura peccati conscientia pungebatur. At legis radio perfusus, priùnas suas tenebras sordesque pervidit & exhorruit. Accinxit ergo se nervosque contendit, ut ex illa fæce emergeret, & hic jam ejus superbia atque infirmitas prodita est. Erat enim superbiæ cujusdam incredibilis de viribus suis confidere & ferocire: soloque sibi lucis seu legis auxilio supernè suppeditato, justitiæ totius reliquam suis viribus gloriam arrogare. Conanti ergo legem implere, nec valenti, sua patuit, sua simul detumuit superbia: sua patuit, sua medicum & auxiliatorem omnipotentem invocare compulsa est infirmitas. Legis ergo medicina tempestivè adhibita est, quæ ignorantiæ, quæ superbiæ id est, penitissimis morbi radicibus stirpitùs excisis atque elisis sanitatem initiaret, & infirmitatem reliquam denudaret, præpararetque efficaciori adjutorio gratiæ medicinalis.

V. Ex Augustino antecedentia probantur. Ju Pl. 81.

Arcanam hanc Theologiam ex illimibus divinorum oraculorum fontibus hauserunt nobisque propinarunt sancti Patres. A Latinis initium ducemus, eisque ducem Augustinum præponemus. Is ergo apertissimè: *Et putabamus nos facilè justos esse posse, quasi viribus nostris, antequam acciperemus mandatum. Adveniente autem mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum. Hoc ait Apostolus. Data est enim lex hominibus, non qua salvaret eos jam, sed per quam cognoscerent, in qua ægritudine jacebant. Audi verba Apostoli: Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Veniret gratia post legem: inveniret hominem non solùm jacentem, sed jam etiam confitentem, & dicentem, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ut opportunè veniret medicus ad convallem plorationis, & diceret, Certè cognovisti, quia cecidisti: audi me, ut surgas, qui me contempsisti, ut caderes. Data est ergo lex ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur; ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur. Demonstrato peccato per datam legem, auctum est peccatum, quia peccatum est & contra legem. Occasione inquit accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Quid est, occasione accepta per mandatum? Acceptum mandatum quasi viribus suis conati sunt facere homines: victi concupiscentia, mandati etiam ipsius transgressione rei facti sunt. Sed quid ait Apostolus? Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia: id est, auctus est morbus, commendata est medicina.* Legis ergo utilitas in hominem plurima manavit, per quam effectum est, *ut ager de morbo convinceretur, qui sanus sibi videbatur*: effectum est, *ut peccata demonstrarentur*, etsi nequedum auferrentur: effectum est denique, ut post legem *gratia inveniret hominem non solum jacentem, sed etiam confitentem, & dicentem, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* hoc est, ut homo morbi sui jam certus & pudibundus invocaret liberatorem. Aderat ergo jam tum in lege medicus Christus homini, à quo ignorantiæ portentosissimæ tenebras effugabat, cujus insaniam de sanitatis ludibrio sibi blandientem diluebat, cujus superbiam de imaginariis quibusdam viribus insolescentem elidebat, cui humilitatem & confessionem & liberatoris votum inserebat. Magnæ erant prorsus & egregiæ jam tum istæ, cœlestis medicinæ non procrastinatæ, sed præsentissimæ & ægro incumbentis partes.

Idem Augustinus: *Danda itaque fuerat lex, quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem: ne superbus animus humanus à seipso justum se esse posset putaret, & ignorans Dei justitiam, id est, quæ homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est, quasi suis viribus partam, justitiæ Dei subjectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato, cujus vox est, Non concupisces; superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret.* Scitè sanctus Doctor, & valdè convenienter Paulinæ Theologiæ, per legem ait non sanatam, id est non persanatam fuisse, sed convictam infirmitatem. Nam sanitatis portio non pœnitenda in eo ipso sita erat, ut infirmitas convinceretur. Convinci enim haud poterat, nisi illuminaretur quæ priùs tenebrescebat; humiliaretur, quæ superbiebat; medicum invocaret, à quo antè abhorrebat. Ubi cæcitas, ubi superbia, ubi contumacia sanatur, infirmitas ut reor sanatur, etsi nondum persanatur. Etenim ut morbi, ita sanitatis gradus & incrementa secerni necesse est. Ne conqueramur ergo de medico quod temporiùs non affuerit; affuit, & sanitatis stillas jam inde irroravit, ubi primùm ægrotavimus. Epist. 177.

VI. Lex naturaliter omnibus inita, tenuis quidem, sed utcumque tamen idè præstabat cæteris gentibus, quod Mosaica Hebræis.

Nec inconsultò putes excidisse id nobis, quod sæpè inculcavimus, humano generi per legem initiata esse cœlestis medicinæ beneficia. Quanquàm enim Mosaica lex angusto satis limite arctaretur, nec extra genus Abrahæ se per orbem effunderet: erat tamen lex antiquior, & intimior, hominum mentibus naturaliter insita, atque ingenita, qua obligabantur & cujus prævaricatione constringebantur omnes etiam extra genus Abrahæ peccatores terræ. Hujus ergo legis omne hominum genus,

complectentis non dispar erat ratio atque Mosaicæ. Perinde enim etsi tenuiùs & illa, quid jus, quid fas esset, hominem edocebat, & præcupiditatum impotentia deficientem objurgabat, humiliabat, supernum medicum invocare adigebat. Augustinus: *Quid intellecturi sumus in isto Psalmo dictum esse, Prævaricantes æstimavi omnes peccatores terræ: nisi intelligamus aliquam legem non per Moysen datam, secundùm quam sunt prævaricatores, cæterorum gentium peccatores? Ubi enim lex non est, nec prævaricatio. Quæ ista lex est, nisi fortè illa, de qua idem dicit Apostolus, Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Secundùm hoc ergo quod dicit, Legem non habentes, sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; secundùm id verò quod ait, Ipsi sibi sunt lex, non immeritò prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Nunquid autem lex ista naturalis, non erat in populo Israel? Erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generi esse potuissent. Multo magis ergo prævaricatores facti sunt lege divina, quæ naturalis illa, sive instaurata, sive aucta, sive firmata est.* Quantumcumque porrò lex illa naturæ obsoleviſſet, & improbitatis colluvione obscuraretur, non exoleverat tamen penitus, nec detrita ita erat, ut non prævaricationis reatu constringerentur, quicumque illius repagula transilirent. Cùm ergo lex Mosaica legem illam universalem vel labantem instauraſſet, vel nutantem firmaſſet, vel nova præceptorum congerie subſtruxiſſet, non autem abrogatam renovaſſet, nec quasi extinctam excitaſſet, per utramque Deus Verbum non dispatem humano generi condiebat medicinam, sed hic evidentiùs, illic obscuriùs; illic invisibiliter, hìc visibiliter: & ideo visibiliter in populo Israel atque manifestiſſimè, ut vel hinc clareret, quod invisibiliter & secretiùs vulnera humani generis infatigabili arte sua medicandi ubique gentium æternus medicus contrectaret. Pergit Augustinus: *At per hoc nullo prorsus excepto prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Omnes autem peccaverunt, & egent gloria Dei. Omnes igitur prævaricantes gratia Salvatoris invenit, alios magis, alios minus. Quantò enim legis major in quocumque cognitio, tanto minor peccati excusatio. Quanto minor peccati excusatio, tanto manifestior prævaricatio: Restabat ergo ut omnibus non sua, sed Dei, id est, à Deo donata justitia subveniret.* Et denique omnes ubique gentium homines in eandem navim compingit, unamque omnium causam esse ita declarat ibidem, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, propterea dilexi testimonia tua: Tanquam diceret, Quoniam, lex sive in paradiso data, sive naturaliter insita, sive in litteris promulgata, prævaricatores fecit omnes peccatores terræ, propterea dilexi testimonia tua, quæ sunt in lege tua, de gratia tua, ut non sit in me justitia mea, sed tua. Lex enim ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam, &c.* Vis ergo non dissimilis erat, & scopus idem legis, seu naturaliter insitæ omnibus ubique hominibus, seu specialiter Hebræis indultæ, ut ex ejus prævaricatione genus humanum suæ infirmitatis admoneretur, convinceretur, humiliaretur, ad Deum medicum confugere compelleretur. Sed de his alibi prolixiùs disseremus.

In Ps. 118. Conc. 24.

VII. Per legem ergo jam tum Deus consolebatur hominem, ignorantiæ & superbiæ medicinam, gratiæ & redemptionis Christi ea erant primordia. In Ps. 118. Conc. 26 27.

VII. Rursus idem Augustinus: *Quid est enim, Dissipaverunt legem tuam, nisi prævaricationis iniquitate ejus integritatem non custodierunt? Oportebat ergo ut superbis & de libertate arbitrii sui præsumentibus lex daretur, qua prævaricata, quicumque compuncti humiliarentur, non jam per legem, sed per fidem, ad subvenientem currerent gratiam. Dissipata ergo lege tempus fuit, ut per Unigenitum Filium Dei misericordia mitteretur.* Et infrà ibidem: *Quid enim mirum, si bona imperat bonus Dominus? Immo verò idipsum est omnino mirandum, & cur ita sit, perscrutandum, quod cum Deus bonus bona præceperit, eis tamen dederit bonam legem, quos eadem lex vivificare non posset, nec ulla esset ex bona lege justitia. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Cur ergo data est, quæ vivificare non posset, & ex qua nulla esset justitia? &c. Manifestatio inquit verborum tuorum illuminat, & intelligere facit parvulos. Quid est parvulus, nisi humilis & infirmus? Noli ergo superbire, noli de tua quæ nulla est virtute præsumere, & intelliges quare sit à bono Deo bona lex data, quæ tamen vivificare non possit. Ad hoc enim data est, ut de magno parvulum faceret: ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic inops indigus & egenus ad gratiam confugeres & clamares, Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, &c. Ita Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri; imo impera, quod nonnisi per tuam gratiam possit impleri; ut cum homines per suas vires id adimplere nequiverint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur.* Frustra sunt igitur, quibus in mentem venit, exaggeratiùs impossibilitatem legis intentare, quasi consultò insidiaretur homini Deus, & illuderet magis, quàm consoleret. Consilio medicinæ & de Christi sanguinis præsumpta beneficentia, legem Mosaicam curandæ hominum ignorantiæ superbiæque opportunissimam temperaverat Deus, & jam tum redimebat homines, jam tum sanabat, gradatim curationis nostræ & largitatis suæ gradus atque augmenta dispensans, à benefaciendo tamen & à Christo suo prærogando nusquam cessans. Nam quod legis jugum importunius gravisque servilibus Hebræorum cervicibus illiserat, non ingrevandis, non cumulandis peccatis invigilabat, sed prodendis & ex latibulo conscitiæ in apertum, in lucem, in pudorem, in medici manum proferendis. Ipsa enim naturæ lex congenita, animorumque fibris intimis conserta, nihilo forsitan molliora, aut faciliora præcipiebat. Una enim Dei proximique charitas omnes officiorum fines, omnes omnium legum anfractus complectitur, omnes difficultatum nodos & infirmitati nostræ penitus insuperabiles nexus implicat. Id homines minùs advertebant, eoque incautiùs peccabant, minùs de peccatis suis suffundebantur. Accessit lex Mosaica, patentius factum est, quod antea obscuriùs erat hominis flagitium.

VIII. Legis naturalis vetustissima est, atque primæva ejus cum Mosaica: ab utraque pariter invidia abstergenda.

Non ergo uni legi Mosis adhæresci tota hujus rei invidia, ut hinc quasi confletur invidia Deo ipsi. Eadem infamia respergeretur in legem naturæ, in conscientiam animæ, si qua hinc infamia vel invidia in Deum legis Mosaicæ authorem ebulliret. At quis suam ipse naturam, quis conscientiæ, quis animæ substantiam, quis substantiæ suæ innatam legem carpat, aut in invidiam vocet? Nec ergo in crimen vocanda est lex Mosaica, quæ legis naturalis explicatio & confirmatio quædam erat, ejusque prævaricatores clanculariosque latere & sibi suppalpari non patiebatur. Nam quod lex Mosis plura cæremoniarum & judiciorum onera præter legem insitam aggeraverat, ne id quidem invidiosiùs aggerendum est. Nam & homini in beato innocentiæ domicilio tametsi summa aspirabat libertas, nec aura autem ulla servitutis tantæ felicitati obstrepebat; arboris tamen alicujus fructu interdictum erat illi: nec ille cæremonialis legis justus de legis naturalis illibata sinceritate quidquam derogabat. Quin & Mosi inter ipsa Decalogi dictata, quo pura puraque naturæ lex continebatur, feriatio Sabbathi à Deo indicta est, ut vel hinc commissura & cognatio utriusque legis intelligeretur. Et sanè cum corpore & animo compagi-

paginetur homo, id quoque lex naturalis & ingenita præcipit, ut obedientia Deo debita corporeo etiam aliquo externoque præcepto astringatur. Et quidem quanto ab extimis expeditior, & ad intima projectior hominis anima, in Deumque arrecta magis est, tanto paucioribus foras vinculis est obliganda: quandiu tamen corpus animale vegetat, & necessariò deorsum nutu aliquo adhuc vergit, non potest, non debet ab externo obsequio penitùs feriari, ne non tam servitutem corporalem declinásse, quàm corpori suo spiritalem libertatem invidisse videatur. Externæ enim religionis moderata frequentatione, non serviliter deprimitur animus, sed ex animi collegio corpus ad intelligibiles rapitur sursum delicias, & præter, aut supra naturam suam, æternæ divinæque vitæ rorem aliquem delibat. Et hic modus est hominis nondum spiritale, sed animale corpus obtinentis: hic scopus est conjugii, corpus inter & animam divinis legibus fœderati, ut natura corporea alioqui bruta & exanimis, intelligibilium & divinorum per sese insolens, ad eorum gustum aliquem per animæ consortium proveberetur.

IX. Eadem rursus ex Augustino. In Ps. 129.

Idem rursum Augustinus: *Non data est lex quæ posset vivificare, sed quæ ostenderet peccata peccatori. Peccator enim oblitus erat se, nec videbat se. Data est illi lex ut videret se. Fecit reum lex, liberavit lator legis. Lator enim legis Imperator est, &c.* Principalis itaque author latorque legis Mosaicæ non alius erat quàm Imperator Christus, qui peccatorem ipsum sibi nudabat, & suffundebat, ut pertæsum sui, & salubriter prostratum atque elisum, denique sanaret. Alibi quoque medicinalem legis efficaciam pulchrè describit: *Ut eos* In Psal. 31. *qui sub lege erant, redimeret. Sub lege enim erant, quia premebat eos lex, conditio eos premebat, convincendo de reatu, non salvando, & quidem mala prohibebat. Sed quia illi vires non habebant per seipsos justificandi se, clamandum erat ad illum, quomodo clamabat, &c. Miser ego homo, quis me liberabit, &c. Erant omnes homines sub lege, non in lege: jam illa deprimente, illa de reatu convincente. Illa fixit spinam. Illa fecit cor compungi. Ipsa admonuit, ut reum se quisque agnoscere, & pro venia clamare ad Deum.* Et alibi: *Bonum est ergo humiliari peccatorem, & nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur. &c. Superbiebant Judæi,* In Psal. 19. *humiliati sunt, &c.* Et rursum: *Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit & gratiam. Sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit.* Tract. 3. In Joan. *Et unde facti sunt homines sub lege? Non implendo legem, &c. Omnes ergo homines sub lege constitutos, reos facit lex, & ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat. Lex ergo jubet, dator legis miseretur. In eo quod lex jubet, conantes homines implere viribus suis quod à lege præceptum est, ipsa sua temeritate & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, imploraverunt liberatoris auxilium: & reatus legis fecit agritudinem superbis. Ægritudo superborum, facta est confessio humilium. Jam confitentur ægroti quia ægrotant: veniat medicus, & sanet ægrotos.* Et infrà: *Lex subintravit ut abundaret delictum. Hoc pondus erat superbis ut abundaret delictum. Multum enim sibi dabant, & quasi viribus suis multum assignabant, & non poterant implere justitiam, nisi adjuvaret illos qui jusserat. Superbiam illorum volens domare Deus, dedit legem: tanquam dicens, Ecce implete, ne putetis deesse jubentem. Non deest qui jubeat, sed deest qui impleat. Si ergo deest qui impleat, unde non implet? Quia natus cum traduce peccati, &c. Lex minabatur, non opitulabatur: jubebat, non sanabat: languorem ostendebat, non auferebat: sed illa præparabat medico venturo cum gratia & veritate. Tanquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primò servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, & sanari nolebat, & ne sanaretur, sanum se esse jactabat. Missa est lex, ligavit eum, invenit se reum, jam clamabat de ligatura. Venit Dominus, curat amaris aliquantum, &c.* Si insanabilior nemo est eo, qui sibi sanus videtur: si sanus non erat homo, & sanari nolebat, & ne sanaretur, sanum se esse jactabat: si *medicus curare illum volens* Christus, primò misit servum suum, ut lege ligaret eum, & vulnera ostenderet, adduceretque ut medicum pateretur, cuperet, invocaret: quis de lege, quis de medici contatione conqueratur?

X. Per legem Christus docere, curare, redimere, sanare genus humanum incipiebat: itaque jam tum medicus veniebat, & quá tempestivũ erat aderat.

Non cunctabatur enim qui curare jam tum volebat, qui per servum ligabat ægrotum, qui per legem excutiebat insanam, contumaciam, superbiam. Ut quid ergo dicitur lex jussisse, non juvisse? peccata ostendisse, non abstulisse? objecisse, non ejecisse? Juvabat enim vel jubendo: auferre atque ejicere incipiebat, ostendendo atque approbrando. Minabatur, non opitulabatur, & tamen ipsum minari, erat opitulari. Præparabat enim medico, sanitatis cupiditatem insinuabat ægro, humilitatem confessionemque inspirabat, jubendo, minando, convincendo: ergo jubendo juvabat, minando opitulabatur, convincendo humiliabat & sanitatem prælargiebatur. Si medicus ipse Deus cum carne sua assumpta affuisset, num amplius quidquam ei per rerum modos gradusque staros ordinisque leges licuisset? Num antè sanasset, quàm sanitatis egere suasisset? Num ullam prius ægritudinem quàm ipsam insaniam ægritudinis inficiatricem, sanitatis recusatricem profligasset? Num vulnera priùs sanasset, quàm nudasset? Num beneficia sua ita præcipitasset, ut & sibi gloriam, & homini gratitudinem interciperet? Ita enim comparata est hominis natura & indoles, ut nisi malorum sensu & experientia, boni suavitatem non gustet: miseriæ & servitutis longo cruciatu adducatur, ut felicitatis & libertatis beneficium beneficumque largitorem suspiciat. Cùm ergo sensim stillatimque hominis curatio promovenda esset, ne præcipitata ipsum falleret, & in superbiæ vel ingrati animi recidiva & aliquanto exitialiora ipsum discrimina conjiceret; ne ægrè feramus si dignitati suæ medicus noster consuluit, nullo nostro dispendio, suæ gloriæ non modico incremento. Primas enim illas & quasi præludorias medicinæ partes per servum suum obire atque implere: per seipsum autem postea vim totam morbi opprimere, & sanitatem cumulatissimam instaurare, erat ex ejus dignitate. Ideo, *Lex per Moy-* In Joann. Tract. 4. *sen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* In quæ verba Augustinus: *Per servum lex data est, reos fecit: per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit. Lex per Moysen data est, non sibi aliquid amplius servus assignet, quàm quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium, tanquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundùm legem potest, solvere à reatu legis non potest. Lex ergo per Moysen data est, & gratia & veritas per Jesum Christum facta est, &c. Quis Dominus? Ipse Christus, qui præmisit legem per servum, ut veniret ipse cum gratia & veritate.* Non per seipsum, sed ipse tamen per servum, sed Dominus ipse, vim suam legi servoque inserens, præstitit humano generi tum, quidquid per seipsum in sua carne præstare potuisset per æternas suas decoris, ordinisque leges. Quid enim amplius tum ipse, si sanitatis exordia, non finem moliretur, quàm ægrum de ægritudine, insanum de insania convicisset, pudefecisset, humilitate & confessione imbuisset, gratiæ præparasset? Id per servum, id per legem præstitit; nullo ergo nostro detrimento si suæ prospexit majestati, quid de ejus procrastinatione expostulamus? An non utilitate nostra, sed ejus injuria delectamur? An displicent beneficia, nisi benefacientem dehonestent?

Sunt & alia hujus necessariæ dispensationis ar-

XI. Initia gratiæ non per præsentiã, sed per umbras Christi prærogandæ fuere,

gumenta, eaque non paulò illustriora. Illud in primis uno saltem verbo hic stringendum, quòd Verbum in carne ipsa sua premere seipsum, seque usque adeo cohibere non posset, ut sola initia sanitatis perficeret. Præludia illa curationis nostræ abunde per sui umbras vacuasque imagines exerebat, corporali autem sua majestate atque præsentia non poterat nisi in lucis & libertatis plenitudinem erumpere. Ordinem ergo decoremque beneficii sui corrupisset, si votorum nostrorum præproperæ festinationi obsecundasset. Sed de his alibi.

XII. Cur Paulus & Augustinus tantã multi fiant in legis infirmitate prosequenda. Quo id fieret consilio adversùs Judæos.

Quid ergo, inquiet aliquis, Paulus Apostolus, quid sidus ejus interpres Augustinus, tam multus est & tam densus, atque atrox in legis inutilitate, imperfectione, & propemodum in pernicie per eam invecta persequenda? Nimirum Paulo res erat cum Judæis legem prætendentibus, ut gratiæ adjutorium dissiparent. Res erat Augustino cum Pelagianis, Judaicæ superbiæ discipulis, & legis obtentu pariter in excidium Christianæ gratiæ conspirantibus. Utrisque ergo legem à Christo & Christi gratia divellentibus, & quasi adversariam objectantibus, non injuria legis ipsius per se solitariè & seorsim spectatæ inutilitas, infirmitasque inculcatur. Nam medicinalis beneficii prolusio quædam & portio nequaquam inutilis erat lex, si ab expectatione reliquæ curationis non disjungeretur. At si prolusione illa contentus, reliquam & principalem respuas sanationis efficacitatem, id est, si suis adversùs Christum beneficiis pugnes, si gratiam gratiæ præcoquis anticipationibus oppugnes, in tuam perniciem jam cedet lex, & toto illo infelicitatis elogio onerabitur. Audi Augustinum: *Superbia Judæorum præsumentium tanquam de viri-*
In Psal. 91. *bus suis & de justitia operum suorum, gloriabatur de lege, quod ipsi legem acceperint, alia gentes non acceperint: in qua lege, non de gratia gloriabantur, sed de littera. Lex enim sine gratia, sola littera est; manet ad convincendam iniquitatem, non ad dandam salutem.* Vides in quos detonet Paulus: nempe in eos qui in lege, non de gratia gloriabantur, sed de littera: & litteræ soli acquiescentes, gratiam repudiabant. His inutilis, his exitialis lex erat, non legis, sed ipsorum vitio: non legislatoris, seu Mosis, seu Christi consilio, sed ipsorum indomabili supercilio, & humilitatis ac confessionis impatientia. Ibidem Augustinus: *Quid*
Serm. 4. De verbo Apost. *tibi profuit littera, quam non imples? Quare autem non imples? Quia de te præsumis. Quare non imples? Quia negotiator es, & opera tua extollis. Nescis necessariam esse gratiam adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ecce jussit Deus, age quod jussit. Incipis agere, quasi ex viribus tuis, & cadis: & manet super te littera puniens, non salvans. Meritò lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta.* Et paulò pòst: *Sed data est lex, ut reos vos faceret, rei facti timeretis, timentes indulgentiam peteretis, jam de viribus vestris non præsumeretis, de littera vos non extolleretis, &c.* Non igitur lex deprimitur, nisi quando ultra modum suum extollitur à superciliosis virium suarum admiratoribus, & gratiæ Christi adversariis. Rursum peccata per legem vehementiùs conflagrasse, ita scribit: *Peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat: legem audivit, peccatum vidit, conatus est vincere, superatus atque prostratus est, factus est & legis prævaricator, qui fuit antea nescius peccator. Hoc dicit Apostolus: Lex peccatum est, absit, sed peccatum non cognovi nisi per legem, &c. Minor erat concupiscentia, quando ante legem securus peccabas: nunc oppositis tibi obicibus legis, fluvius concupiscentiæ quasi frenatus est, paulatim siccatus: sed increscente impetu, qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando tuam movebat libidinem: omnis est, quando transcendit legem.* Duplici ex capite ingravescere visa est labes, nostra post legem, authore secundùm Paulum Augustino: tum quod qui priùs peccator tantùm erat, postea erupit & prævaricator: tum quod in vetitum nixa sit concupiscentia, ut affolet, effractisque legis obicibus effrænatior luxuriaverit. Num ergo lex ad morbi curationem non valet, sed ad exacerbationem: Quin immo ibidem: *Ideo* Ibidem. Serm. 5. *non vicisti, quia de te præsumpsisti.* Conferenda ergo tota culpa est in Judæorum superbiam, quæ de suis etiam remediis & de legis pharmaco ægrescebat. Et rursus: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Quomodo conclusit? Ne vagareris, ne precipitareris, ne mergereris. Cancellos tibi fecit lex, ut non inveniendo qua exires, ad gratiam convolares.* Proderat igitur, & saluti vertebat, & de arte medicinæ emergebat illa ipsa morbi per legem exulceratio. Consultius enim erat illata legis luce prævaricatorem fieri & sanari, quàm peccatorem de tenebris suis sibi blandiri, & desperatum consenescere. Consultius erat, concupiscentiam irritari & ultra modum efferari, atque ita tandem sui hominem suppudescere & pœnitere & confugere ad medicum, quàm modestiùs insanire & curationem fastidire. Nec inauditum cuiquam vel inusitatum videri debet, quod corporum medicinæ quotidie usuvenit, ut concutiatur & effervescat tum maximè morbi vis, cùm curatur. Et Ibidem. rursum Augustinus: *Data est ergo lex illa, ut in-* Serm. 6. *veniretur infirmitas. Parum est hoc. Non solùm ut inveniretur, sed etiam ut augeretur, & vel sic medicus quæreretur. Si enim levis morbus esset, contemneretur: si morbus contemneretur, medicus non quæreretur: si medicus non quæreretur, morbus non finiretur.* Quin etiam hoc ipsum crassiori, & minùs accurato loquendi genere dicitur, per legem acriùs concupiscentiam exarsisse i. inerat etiam & priùs flamma eadem, sed delitescebat: erupit, emicuitque, non quæ nulla erat, sed quæ dolosis cineribus suppositа erat: fallebat, cœpit non fallere. Nam etiam in vetitum niti, adversùs repagula insolescere, quod prohibearis, acriùs concupiscere, id quantum quantum mali est, inest concupiscentiæ, & fallit, si desit occasio. Per legem perfectum est, ut non falleret, id ergo curationi profuit. Quod autem per legem ex peccatore prævaricator evasit, erat antè legis occultæ & intimæ prevaricator, tametsi occultior. Per legem ergo malum non tam ingravatum quàm patefactum est: sed ingravari visum est, ubi ejus gravitas in lucem & in infamiam protracta est. Ibidem. Idem Augustinus: *Prævaricationis gratia posita est* Serm. 16. *lex, ut te faceret prævaricatorem. Quare ut te faceret prævaricatorem? Quia noverat Deus superbiam tuam: noverat quia dicebas, O si sit qui doceat, O si sit qui mihi ostendat! Ecce lex tibi dicit, Non concupisces; cognovi legem dicentem, Non concupisces, surrexit concupiscentia quam non noverat: inerat enim, sed nesciebatur: cœpisti conari vincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe, per legem factus es prævaricator: agnosce gratiam, & esto laudator.* Undecumque ergo lex spectetur, tota ad sanitatem hominis vergit, tota de consilio medicinæ est, tota humilitatem Christo amicam dictat; unde idem: *Quia leviore ægritu-* Ibidem. *dine contemnebatur adjutorium medicinæ, crevit morbus, & quæsitus est medicus. Quid ergo lex? Prævaricationis gratia posita est, unde humiliaretur cervix superborum, multum sibi tribuentium, &c.* Et alibi; *Ad hoc enim lex data, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, ut vulnera ostenderet* L. de bono humil. *peccatorum, quæ gratiæ benedictione sanaret.* Et hoc quidem adversus Judæos temperamento agendum est, ut & sequestrata Christi gratia, legis infirmitas intentetur: & advocata Christi gratia, legis ad eam manuducentis utilitas atque necessitas non dissimuletur.

XIII. Jam autem ad Pelagianos Judæorum planè Gemilitios

Adversus Pelagianos, Oper. imperf. cont. Jul. l. 2. n. 124.

tilitios orationem convertamus. Insidiosè prorsus Julianus suam circa hæc sententiam aperit aut occultat potiùs apud Augustinum. *Opus malæ voluntatis, sicut ante legem peccatum erat, ita post legem cœpit esse transgressio. Quamvis non eo proposito legem Deus tulerit, ut mortales fierent ejus sanctione pejores. Neque enim lex peccatum, aut causa peccati: sed mandatum sanctum & justum & bonum. Verùm quia delinquentium pravitas, eos ferro, quo curari debuit, vulneravit, obstititque consilio Dei, ut inde perielitaretur, unde debuerat sanari, dicit Apostolus de effectu rerum, opinionem divini consilii quo data lex fuerat, injuriam pertulisse: & quia non fuit is proventus emendationis humanæ, in quo lator legis intenderat, sed in plurimis evenirent contraria, eo usque aits profeciſſe studia peccatorum, ut non ob aliud videretur data lex esse, quàm ut improbi improbiores fuerint, & ad peccatum prævaricatio jungeretur.* Multiplex fraudulentia in his verbis latitat, quam tamen omnem ad hoc unum caput revocare possis, quod sola lege curari sanarique potuisse & debuisse Israelitas innuatur, idque fuisse Dei consilium, eamque spem cùm legem promulgavit: sed cùm suo Deus consilio frustratus & spe fuisset, quod plerique lege vulnerarentur, magis quàm curarentur, tum demum incarnandi Verbi decreta processisse. Quo Judaico dogmate nihil protervius, nihil Christianæ fidei infestius. Nam si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si cuiquam uni ex lege solitaria salus obvenit, ergo non pro omnibus Christus mortuus est. Adversus istiusmodi salutis nostræ hostes, dogmatis interpolatores, legis adversus gratiam vindices, cogitur Augustinus perorare animosiùs in legem, non ut legem, sed ut solitariam, ut gratiæ adversam, ut adversus Christum armatam, ut Judaica, vel Pelagiana superbia circumvallatam. Ille ergo Pelagianum illud virus his verbis exsufflat: *Tu dicis ita, qui consilium Dei in data lege non ipsum sapis, quod Apostolus Paulus ostendit: & ad eas blasphemias ipse te impingis, ut dicas opinionem divini consilii, quo data lex fuerat, injuriam pertulisse: tanquam aliud factum sit, quàm Deus futurum fuerat opinatus: neque hoc provenerit lata lege, quod lator legis intenderat. Deum igitur præscium omnium futurorum, secundum tuam sapientiam sua fefellit intentio. Non attendis quod scriptum est, Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.* Cùmque ex Apostolo declarasset scopum legis: *Ecce quod est consilium datæ legis. Quis autem nescit, non legis, sed hominum vitio, in lege subintrante abundasse delictum? Sed hoc vitium quo prohibita plus delectant, & fit virtus peccati lex, non sanat nisi vivificans Spiritus, non littera occidens: quæ tamen ad hoc utilis fuit, quia cùm ipsa occideret per prævaricationem, crescente per prohibitionem cupiditate peccandi, vivificantem spiritum fecit inquiri: & hominem de sua virtute lethaliter confidentem, adjutorium gratiæ compulit quærere.* Consilium igitur Dei non id erat, ut garriebant Judæis consentanei Pelagiani, ut per legem meram & à Christi gratia speciali abruptam quisquam omnino sanaretur & servaretur: non id erat etiam ut Calvinianus aliquis blatteraret, ut in inevitabiles peccatorum nexus implicarentur homines: sed id erat quantum Scripturæ fax inextincta præluceret, ut hominum improbitas sua sponte in veritum præceps, & ingenitæ jam legis prævaricatrix, sed de nescio quo ignorantiæ velo futiles sibi excusationes prætexens, legis cujusliber patentissimæ peræquè prævaricatrix ex ingenio suo futura, hinc intelligeret non lumen sibi tantùm, sed & robur deesse, idque à Deo supernè mendicandum esse. Non ergo Deus ipsas prævaricationes aggerare meditabatur: sed insitam hominum ex parentali lue concupiscentiam, quaslibet leges transgressuram gnarus, clam si clam, palam si palam leges ediceretur, maluit ex apertis transgressionibus hominem humiliari, ad gratiam compelli & sanari, quàm clandestinis immori incuratum & desperatum. Ita non cruentum, sed mite Dei consilium in danda lege, & per Christi sanguinem partæ salutis initia prærogans, aperitur, quod alibi sexcenties Augustinus idem admonet: *Lex itaque docendo & jubendo, quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut querat demonstrata infirmitas salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod infirma non posset. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, &c. Ideo Lex Pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et alibi: *Hæc igitur utilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potiùs carnalis concupiscentia, quam sanaretur. Appetuntur enim ardentiùs, quæ vetantur, &c.* Non ergo erat consilii divini, ut augescerent improbitas, sed ut quæ latebat, patescerent, ut quo evidentior, eo gravior turpiorque appareret, & sui puderet ipsam. Non erat etiam consilii divini, ut sola lege quisquam persanaretur, sed ut insanabilis esse desineret. Porrò lex ipsa, cùm pædagogus esset, cùm velut intra cancellos coarctaret, ne ad prophana numina exerrarent, cùm ad fidem adduceret, cùm ad gratiam cogeret, cùm ad Christum compelleret, erat utique jam proœmialis quædam Christi medicina. Et rursus alibi: *Innocens sibi homo videbatur, & ex ipsa superbia innocentiæ falsæ, insanior fiebat. Ad domandam ergo superbiam & ad demudandam, danda est lex, non ad liberandos ægrotos, sed ad convincendos superbos. Ad hoc data est lex, quæ produceret morbos, non quæ tolleret, &c. Utilis ergo erat lex ad prodenda peccata, quia reus homo abundantiùs fictus ex prævaricatione legis, posset edomata superbia, implorare auxilium miserantis.* Et alibi: *Demonstranda enim fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem suam, nec præceptum sanctum & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas, quàm minuta. Quandoquidem lex subintravit ut abundaret delictum, ut eo modo convictus atque confusus videret, non tantùm doctorem sibi esse necessarium, verùm etiam adjutorem Deum: à quo ejus itinera dirigantur, ne ei dominetur omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ misericordiæ sanetur: atque ita ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, non peccantis merito, sed supervenientis auxilio.*

Epist. 144.

Epist. 100.

In Append. Symmum Sermon 5.

De spir. & lit. c. 6.

Sed audiendus potissimum est Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas, ubi legem & à Christo prærogatam, & quanquam ingravescente ad tempus ægritudine, sanitati restaurandæ accommodatissimam utilissimamque fuisse ita demonstrat: *Superbienti ergo populo lex posita est, ut quando gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, & sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec se suis meritis salvum fieri; quod superbum est, opinaretur: ut esset non in sua potestate & viribus justus, sed in manu Mediatoris justificantis impium. Per Angelos autem ministrata est omnis dispensatio veteris Testamenti, agente in eis Spiritu sancto & ipso Verbo veritatis, nondum incarnato, sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente.* Audin quam perspicuè doceat legem Mosaicam per Angelos dispensatam, sed *agente in eis Spiritu sancto, & ipso verbo Veritatis?* Quanquam enim nondum incarnatus esset Deus Verbum, per Spiritum tamen suum & per administros Angelos præmuniebat sibi viam, & gratiæ suæ prægustationes quasdam præseminabat. Et alibi: *Ubi ergo non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio*

XIII. Ex eodem Augustino ut lex fuerit proœmialis quædam Christi medicina.

l. 83. qq. q. 66.

bitio peccatorum: Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima, seipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de servitute peccati, atque hoc modo detumescente atque extincta omni superbia, subdatur liberatori suo, &c. Et alibi rursum: *Unde subintravit lex, ut abundaret delictum, & ubi abundavit delictum, superabundavit gratia; id est, ut acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confidens, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem, Salvatoremque requireret, atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiamque perduceret.*

L. de perf. Just. con. cæles. paulo ante fin.

Parco plura acervare; quanta enim horum seges apud Augustinum sit, neminem præterit, qui scripta ejus primoribus saltem labris delibaverit. Affatim hæc quæ suprà & penè ad nauseam usque, nisi quanti hæc momenti sint ad Christi medicinam intelligendam, seriò advertatur. Amarulentis hominum quippe querelis de comperendinato tandiu adventu medici, & de morbi interim exulceratione, necessariò occurrendum ita fuit, ut nunquam abfuisse medicum, nunquam a medendo cessasse, ante adventum carnis suæ, Spiritu suo, Verbo veritatis, præsumpto etiam carnis crucisque suæ merito adfuisse atque profuisse semper humano generi constaret, & ipsam legem non æmulam gratiæ ejus fuisse, sed amicam & præludoriam, prænunciatricem, pollicitatricem; ipsam legem denique Paulo atque Augustino etiam authoribus suo ex ingenio non cumulandis peccatis, sed prodendis, nudandis, exprobrandis, peccatoribus autem suffundendis, & ad medicum ac liberatorem perducendis inserviisse.

CAPUT II.

Consilio medicinæ, & merito sanguinis Christi, legem olim dispensatam esse, ex eo rursum demonstratur, quod etiamnunc post Christi adventum eadem ratio medicinæ perduret, & ante legem ac sub lege prius simus quàm sub gratia.

I. Non cunctabatur plus æquo Christus incarnari, cum eædem nunc ætates ante legem & sub lege nobis singulis sint decurrendæ

COnticescet, ut arbitror, expostulatio de legis morositate, atque inutilitate, & de Christi tam sero adventu, si planum fiat, ne nunc quidem aliam iniri aut teneri posse medendi rationem. Ecquid enim præmaturasset Christus incarnari, quando nihilo seciùs per eadem vestigia salus & medicatio nostra promovenda fuisset?

Ubi primùm ergo à veritate defluxit homo, & in corporalia peccato suo se impegit, exinde scream hanc sibi ipse & ineluctabilem necessitatis legem inflixit, ut nisi per flexuosos quosdam spinososque anfractus ad pristinam beatitudinem revocari non possit. Itaque primò ante legem in inscitia veri æquique tenebrosus gemit. Deinde lege illustratus, sed infirmitate vitiumque inopia constrictus torpet, jam sciens, nec volens; aut volens, nec valens rectè facere. Tertiò aspirante gratia infirmitati suæ obluctatur, pronæ in deterius cupiditati reluctatur & vincit, ac rectè facit. Postremò in pacem recipitur, ubi jam caro immortalitatem induta, nihil renitetur spiritui. Hanc viam rationemque curationis & omni universim humano generi, & singulis speciatim hominibus necessariò subeundam, & Scripturæ indicunt, & sancti Patres pronunciant, & rerum ipsa natura ratioque insita confirmat. Audi Augustinum: *Ex quo apprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis, in vita æterna manebitur. Quia enim oportebat, atque id justum erat, ut postquam natura nostra peccavit, amissa beatitudine spiritali, quæ Paradisi nomine significatur, animales carnalesque nasceremur: prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissimè credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, &c. Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer juncta & connexa, unum aliquid firma pace custodiunt. Quod fiet mortali corpore vivificato, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, &c.* Quibus ille substruit selecta Scripturæ loca, singulorum graduum discrimini accommodata, Prima enim statio ante legem, cùm ex legis inscitia imprudens homo peccat, apertè describitur à Paulo, cùm ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, &c. Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo fuit, peccatum autem non deputabatur, cùm lex non esset.* Et hæc quidem ad universitatem humani generis exporriguntur. Et quia singulorum eadem ratio est atque universorum, nec dissimilis curatio, eadem statio jam singulari homini adsignatur his verbis: *Sine lege enim peccatum mortuum est: Ego autem vivebam aliquando sine lege.* Iterum secunda statio sub lege ab eodem Paulo declarata satis superque est locis suprà vexatis, *Lex propter transgressiones posita est, &c. Lex subintravit ut abundaret delictum, &c.* Quæ ne ad genus humanum & non ad singulos pertinere hallucineris, affectavit idem Paulus semetipsum, seu quemcumque singularem hominem in exemplum adducere: *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, &c. Inventum est mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, &c. Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, &c. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum, &c.* Et illa rursum: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quibus allegatis Augustinus subjungit, *Huc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia: qui etiamsi nolit peccare, vincitur à peccato. Invaluit enim consuetudo carnalis, &c.* Jam reliquas stationes duas nihil necesse est locis Scripturæ ullis illustrare, quòd ad hujus capitis argumentum minùs spectent.

II. Spirituales ætates & universalis providentiæ & singularis oblendæ explanantur ex Augustino. l. 83. qq. q. 66.

Porro ex his perspicuum fit illam curandi legem quatuor distinctam gradibus, & quasi ætatibus, non ad humanum genus tantùm, sed ad singulos homines pertinere: atque adeo Christum cum individua comite sua gratia nonnisi tertiam ætatem agentibus singulis hominibus adventare, incarnari, nasci. In ipsa enim hodie Christiana republica, toto orbe jamdiu florentissima, singulis nobis eadem ferè ratio medicinæ subeunda est, qua deleantur iniquitates, & sanentur languores nostri. Et priùs infantia quædam animæ exigenda in alta quadam nocte ignorantiæ, cui juris æquique ne facula quidem ulla nisi rarissima interlucet. Tum inde in adolescentiam erepimus, cui ratio, cui lex, cui lux irradiat; sed natalium, sed consuetudinis corruptela deprimit, æstuantiorque in illo ætatis fervore cupiditas in obstantes obices insanit. Ubi de priori ignorantia, & de invicta tum cupiditate pudor, humilitas, propriarum virium desperatio, superni auxilii votum spesque enascitur, tum demum tertia ætas per Christi & gratiæ medicinalis

adven-

adventum initiatur. Obtusior esset aut nullus beneficii per gratiam collati sensus, si inexpectata atque invocata affuisset. Obtusior esset & beneficii per legem collati sensus, nisi in ignorantiæ caligine priùs jacuissemus. Geminus hic morbus ignorantiæ & infirmitatis ut sentiretur, ut dignosceretur, ut utriusque curatio adverteretur, ut grato animo recoleretur, ut superbiæ undique insidianti, undique occurreretur, necesse fuit seorsim & sigillatim priùs hunc per legem, deinde illum per gratiam curari. Qui ergo de tarditate incarnati Verbi expostulat, expostulet ille idem quòd beneficiis divinis non simul & semel obrutus ita sit, ut & sibi eorum sensus interciperetur: expostulet quòd priùs infantiæ, deinde adolescentiæ tyrocinia fuerint sibi ponenda, quàm ad virile robur matureſceret: expostulet, quòd ætatum discrimina non turbentur, quòd pueritiæ non insit proprium juventæ decus, quòd juventæ desit maturitas; expostulet quòd modi rerum, quòd temporum curricula, quòd temporalium succedaneæ modulationes non tumultuariè permisceantur. Si autem sibi per incrementorum gradus tum corpore, tum animo decurrendos, intelligit, & assentitur ab immo ad summum, à defectu ad profectum, à morbo ad sanitatem reptandum esse: acquiescat & cæteros homines, atque adeo & universos eodem ordine promoveri. Ut enim docet idem Augustinus: *Quod in uno homine rectè educato, ordine naturæ disciplinaque contingit, hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiam, peragique, pulcherrimum est.* Et rursus concludens de quolibet & de toto genere hominum: *Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis jaceat, ut per fidem implorato liberatoris auxilio, & solvi, & erigi, & firmissimè constitui mereatur. In prima ergo actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus & vincimus. In quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus.* L. 83. qq. q. 49. 66.

Eleganter idem Augustinus quadripartitam hanc exequitur curationis disciplinam, tam singulis, quàm universis hominibus exigendam, in expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos: *Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis. Sub lege, trahimur cum ea. Sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea. In pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere: sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jacemus, & dum surgere volumus, & cadimus, graviùs affligimur. Inde hoc dicitur, Lex subintravit, ut abundaret delictum &c. Sic ergo jacens cum se quisque cognoverit per seipsum surgere non valere, imploret liberatoris auxilium. Venit ergo gratia, quæ donet peccata præterita, & conantem adjuvet, & tribuat charitatem justitiæ, & auferat metum, &c.* Et nostrum ergo quilibet cùm ex ignorantia prolabitur, vel cùm detersa ignorantiæ nube, ex penuria virium lapsat & affligitur, quod nulli non ferè contingit diutulè & sæpiusculè ante justificationem, eatenus ante legem & sub lege est, eodemque gradu stat atque gens tota Israelitarum ante legem, vel sub lege, id est, ante Verbi Dei in terras allapsum. Tam ergo approbare universalem hanc, quàm particularem illam divinæ medicinæ disciplinam invitamur, qua non tam Christus, non tam gratia retardatur, quàm dispensatur & stillatim affunditur, ne temerè & repentinè si infundatur, obruat magis quàm relevet.

IV. In publica mundi ætate ante legem, erant aliqui privatim sub lege, & sub gratia; Iré in publica ætate sub lege, erant aliqui ante legem, vel sub gratia. Sunt etiam nunc ante legem aliqui & sub lege. Serm 12. De verbis Domini.

Idem Augustinus: *Ecce triennium est, quod venio ad hanc arborem, & fructum in ea non invenio, &c. Tanquam per triennium Dominus visitavit genus humanum, hoc est tribus temporibus. Quibus? Primum tempus ante legem, secundum tempus in lege, tertium quod modò est, tempus est gratiæ. Nam si non visitavit genus humanum ante legem, unde Abel, unde Enoch, unde Noe, unde Abraham, Isaac, Jacob, quorum Dominum se dici voluit? Et cujus omnes gentes erant, quasi trium hominum Deus esset, Et ego sum, inquit, Deus Abraham & Isaac & Jacob. In lege autem si non visitaret, ipsam legem non daret. Post legem venit & ipse pater familias, passus est, mortuus est & resurrexit, Spiritum sanctum dedit, Evangelium per totum orbem terrarum prædicari fecit, & adhuc quædam arbor infructuosa permansit.* Quo in loco illud sedulò observandum est, non ita has profectuum spiritalium ætates ab aliis alias esse discretas, ut non aliquo pacto permisceantur. Nam quandiu humanum genus ante legem in tenebris volutabatur, erant tum temporis singulares nonnulli, quibus privatim jam lex diluxerat, erant quibus Christus cum gratia affulserat, id est, erant qui sub lege, erant qui sub gratia clam versabantur. Nec aliter cum sub lege esset genus humanum, erant singulatim quibus nequedum lex irradiaverat, erant & quorum in visceribus jam per gratiam Christus informatus erat. Quo minùs mirum sit, si & nunc sub gratia, sint quibus nequedum lex affulserit, sint quibus adhuc innasci Christus per gratiæ suæ pleniorem ubertatem procrastinet. Itaque ipsa quidem species extima & patens humani generis, quasi hominis unius ita adgubernatur, ut per ætatum progressus à pueritia ad juventam, à juventa ad maturitatem proficiat, id est, ab insciitia ad legis peritiam, & inde ad legis charitatem. Sed interim cum quolibet homine privatim illa eadem medicinæ cœlestis disciplina intus dispensatur; ut & liceat excutere infantiæ caliginem, & adolescentiæ pruriginem, atque ad virilem justitiæ charitatem, id est, ad Christi complexum eluctari, nisi sua ipse seu inertia seu malitia spem suam corrumpat, & residua præfocet incrementa. Nec ea de re cuiquam fas est movere controversiam. Nam exempla ex Scripturis quæ id evincant prompsit Augustinus nonnulla, ex quibus par est, de reliquis conjicere. Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob ante legem, non legis tantùm lumine, sed & immenso quodam gratiæ & charitatis igne conflagrarunt. Moyses, Phinees, David, Elias, Prophetæ sub lege cùm essent, gratiæ & Christi ipsorum pectora inhabitantis muneribus florentissimi fuerunt.

V. Ita Christus omnibus mundi ætatibus advenit, omnibus adfuit, omnibus abfuit.

Ex his paucissimis quos Scriptura memorat, plures alios conjiciendos esse, præsumptis Christi donis ditatos, infrà manifestabitur. Longè complures sanè nunc sub gratia contuemur & plangimus, quibus nequedum Christus exortus est, quibus nequedum lux effulsit, qui cupiditatibus ne repugnant quidem, aut imbelles enerveque frustra repugnant. In quo satis argumenti est, ut à temporum vinculis Christum eximamus, ut à locorum dierumque servitute Incarnationem ejus intelligamus singulari quodam suo modo immunem esse, & de divinæ æternitatis afflatu, sæculorum voluminibus superiorem eminere, omnibus adesse ætatibus quæ dignæ sunt, nonnisi indignis abesse; non tempore, sed temporum temporaliumque contemptu conciliari & attingi; ante quàm palam fieret, clam adfuisse: postquam facta est, adhuc expectari à compluribus; atque ita stabilem constare, ut nec ab absentibus desideretur, cùm dignis adsit: & a præsentibus fugiat, cùm indignis absit. Nec inficias imus semel in plenitudine temporum carni nostræ copulatum esse hypostaticè Dei Verbum, & hoc tantum sacramentum, in quo cardo & summa est universæ salutis, illi articulo temporis illigatum fuisse, & inde exorsum in reliqua deinceps sæcula copiosiùs gratiæ suæ flumina effudisse. Sed cum Paulo sapere conamur illud,

lud, *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula*: de quo plura inferiùs, Hìc præsibasse obiter id unum contenti erimus, ita illo temporis momento peractum esse Incarnationis sacramentum, ut spiritaliter, ut utiliter, ut salubriter in hesterna & retrò, in crastina & ultra omnia sæcula peractum fuerit & peragendum sit. Dominatur enim in omnia tum tempora tum temporalia Verbum Deus & Verbum caro. Nam non Deitas tantum Verbi, sed & caro Verbi in omnia retro perinde, ut in omnia post sæcula principatur. Abest nunc à nobis in cœlum recepta, nec tamen abest, (ut de sacrificio Ecclesiæ sileam) cujus efficaciam persentiscimus, cujus absentia ipsa qualiscumque nobis salutifera & medicinalis est. Viget enim illud æternumque vigebit, dum temporum labentur vices, quod Apostolis semel dixit, *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Abest ergo nunc nobis, & absens tamen efficaciter adest, ipsaque sua absentia adest & opitulatur. Quin ergo & affuisse auguramur illis olim ante legem & sub lege specie tenus agentibus, reapse autem totam Christi & gratiæ ejus plenitudinem anticipantibus? Quin & affuisse omnamur olim ante legem & sub lege reapse degentibus, sed legis absentia ad legem, gratiæ penuria ad gratiam optandam acceleratandamque incitaris, & ita jam legem gratiamque occupantibus? Aderat enim utrisque, & his postremis aderat proderatque ipsa etiam sui absentia,

Enchir. ca. 118. Luculentissimè idem Augustinus superiora omnia complexus est: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. Sed cùm in altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione, vivitur secundum carnem, hæc sunt prima hominis. Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, & sciens peccat, peccatoque subditus servit; id agente scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adjecto. Atque ita quod scriptum est, impleatur, Lex subintravit, ut abundaret delictum. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, aut ad implenda quæ mandat, ipse adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis; ut quamvis sit adhuc, quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, justèque vivat, inquantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente dilectione justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis. In quibus si pia perseverantia quisque proficiat, postrema pars restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta.* Sic ille de cujuslibet sigillatim hominis progressione philosophatur, qualem omnes vel in nobis vel in aliis experimur, per quatuor istiusmodi stationes necessariò utique temperatam,

VI. Hæc ætatum series & vicissitudo quàm consentanea nostræ naturæ.

Ea enim rerum natura est, ea lex æterna, is modus naturæ humanæ in infantiam, hoc est, in boni insciliam & impotentiam præcipitatæ. Conari, juvarique supernè opus habet, non simul & semel omnino, non uno temporis puncto; nihil enim ejusmodi in natura corporalium temporaliumque vicissitudinibus mancipata, sed conanter, & per intervalla ætatum. Cùm ergo ita necesse sit singulorum procurari salutem, quod si non aliter universorum etiam salus instruatur? Quid enim pulcrius quàm ut omne genus hominum instar habeat unius hominis? Reapse enim unius stirpis omnes surculi sumus, atque ita in unum hominem omnes compaginamur. Et inter ipsa prophana hominum studia, ubi non illa eadem ætatum dispensatio enitescit? Urbes enim, Respublicæ, Imperia, nascuntur, adolescunt, virile quoddam adipiscuntur robur, ac demum consenescunt. Artes, disciplinæ, & id genus alia, exoriuntur, augescunt, matureścunt, exolescunt. Nempè quæcumque sunt hominis, non aliam quàm ipsam hominis indolem referre & redolere possunt. Quid ergo author naturæ Deus in sananda natura nonne & ipse ingenio naturæ, sese attemperabit? Reparare enim, non immutare, non pervertere naturam instituit. Non itaque cogamus ipsum, vim ut adferat naturis à se conditis: nam si vim allaturus fuisset, nequaquam ita condidisset. Itaque quas ita formavit, ut per ætatum curricula progrederentur, ita etiam sibi reformandas præfixit & præjudicavit. Quocirca Augustinus statim ita pergit ibidem ne verbulo quidem interjecto: *Sic est & Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura, numero & pondere cuncta disposuit. Nam fuit primitus ante legem: secundo sub lege, quæ per Moisen data est: deinde sub gratia, quæ revelata est per primum Mediatoris adventum. Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus impartiri eam oportuit, quamvis pro temporis dispensatione velata & occulta. Neque enim antiquorum quicumque justorum, præter Christi fidem & salutem potuit invenire. At vero nisi & illis cognitus fuisset, non potuisset nobis per eorum ministerium aliàs apertiùs, aliàs occultiùs prophetari.* Ex eo itaque quod singulorum ætates spirituales, corporalibus consentaneæ, per illa profectuum discrimina provehuntur naturali quadam necessitatis lege, inde fit ut & idem modus in universo genere administrando teneatur. Qui ergo gravatè fert non temporiùs Deum carni nostræ illapsum esse, perinde insulsus est, ac qui non plenam legis & rationis lucem infantibus inter ipsa crepundia alluceścere quiritaretur, aut non eandem adolescenti atque provectioris ætatis homini inesse consilii morumque moderationem. Ut enim dispunctis demum infantiæ tenebris, adolescentiæ procellis sedatis, ratio & sapientia ac justitia non adsplendet tantùm homini, sed & dominatur ac regnat in quolibet homine: ita nonnisi post eandem caliginem ac cupiditatum tempestatem abactam ab humano genere, potuit Christus, qui sapientia & justitia nobis à Deo factus est, advolare.

VII. Omnibus gratiam defuit Christus aliis & aliis, sed jam tamen. Jan. II.

Sed ut monuit Augustinus, *Hæc Christi gratia nec ante defuit, quibus impartiri eam oportuit, quamvis pro temporis dispensatione, velata atque occulta*, Singulis itaque vel ante legem, vel sub lege versantibus, vel affuit, vel adesse potuit gratia Christi, nisi eam à se repudiassent intempestivo noctis & sordidæ voluptatis amore. Rursum ille seriem & necessitatem horum profectus nostri graduum ita describit: *Aliud est non pugnare & esse in pace vera, atque perpetua; aliud pugnare & vincere: aliud pugnare & vinci: aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus qui non pugnant, qualis est iste de quo loquitur. Cùm enim dicit, Malitiam non odio habuit, quomodo pugnat contra eam quam non odit? Iste à malitia trahitur, nec pugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt, sed quia de viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus, quia ipse vincit, si se homo subjungit Deo, & pugnantes vincuntur; & cùm quasi cœperint tenere justitiam, fiunt superbi & eliduntur. Isti pugnant & vincuntur. Quis est autem, qui pugnat & non vincitur? Qui dicit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: videt repugnantem legem, legi mentis suæ; videt repugnantem, sed non de viribus suis præsumentem, ideo iste victor erit. Quid enim sequitur? Infelix ego homo quis me, &c. Gratia Dei per Jesum, &c. Præsumit de eo qui jussit ut pugnet, & vincat hostem adjutus à jubente.* Hæc singulis, hæc universis ratio disciplinæ necessariò præfixa est, post labem peccato invectam, ut mali experimento & tædio bonum concupiscere & tenaciùs constringere adigantur;

judi-

rudisque infantiæ & tumultuosæ juventæ scopulos prætervecti, in Christi sinum, in gratiæ, in sapientiæ & justitiæ portum cupidiùs lætiùsque invehantur.

VIII. Alterius repetitur hujus doctrinæ ratio, & per summa quædam capita explicatur. L. 83. qq. q. 61.

Pulcherrimè autem Augustinus hanc alibi argumentationem contexuit: *Quia omne pulchrum à summa pulchritudine est, quod Deus est, temporalis autem pulchritudo rebus decedentibus succedentibusque peragitur; habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas, ab infantia usque ad senectutem. Sicut ergo absurdum est qui juvenilem tantùm ætatem vellet esse in homine temporibus subdito; invideret enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt: sic absurdus est, qui in isto universo genere humano unam ætatem desideret. Nam & ipsum tanquam unus homo suas ætates agit. Nec oportuit divinitus venire magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Ad hoc valet quod Apostolus dicit, Sub lege tanquam sub pædagogo parvulos custoditos, donec veniret cui servabatur, qui per Prophetas promissus erat. Aliud enim est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tanquam publicè consulit. Nam & quicumque singulatim ad certam sapientiam pervenerunt, nonnisi ab eadem veritate, suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt. A qua veritate ut populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.* Quo uno ex loco totam hujus capitis doctrinam libet exculpere, & ad certa capita substringere, ut quamvis singulis singula non substruantur authoritatis & rationis præsidia, quòd implicata invicem conserta que sint sibi omnia, ordo tamen & series distincta rerum animo teneatur. Inde ergo liquet 1. Naturam rationalem ita implexam esse corpori, ut corporum legi temporumque quadantenus subjiciatur. Quanquam enim è spiritualium & intelligibilium, ideoque ex æternorum choro sit, infima tamen in summo illo ordine est, adeoque inferiori seu corporeæ naturæ & temporali cirima, eique propior jam, & consentanea. Hinc est enim quod & discurrere animo ac ratiocinari, nisi temporum excursu non possit. Denique nisi consentiret naturæ corporeæ natura rationalis, non utique in tam arctum cum ea conjugium devolveretur. Liquet 2. Naturam rationalem non sentienti tantùm, sed & vegetanti naturæ esse fœderatam, adeoque vegetantis legibus obnoxiam. Nec id peregrinum illi, aut insuave suspicamur esse, cùm non quasi exoticæ cuidam naturæ vegetanti copuletur, sed anima vegetans ipsa sit, eademque rationalis. Itaque nisi suæ ipsam naturæ substantiæque pœniteat, quod dictu nefas, tam libenter vegetantium, quàm suo ipsius ingenio obsequetur. Liquet 3. post suum maximè lapsum, animas rationales corporalium temporaliumque servituti obstrictas fuisse. Nam quæ priùs summis tantùm, ut ita dicam, vestigiis insistebant corporibus temporibusque, eminebantque penitus & dominabantur, toto autem vertice supra extabant inhærebantque æternis; afflixerunt se ipsæ, ac demerserunt in amorem, hoc est, in nexum mancipiumque naturæ corporalis & temporalis. Liquet 4. decus omne corporeum & temporale succedentibus rebus peragi, ætatumque vicissitudine explicari. Quia enim sunt & à summo sunt, ideoque summa & summè non sunt, summam æternitatem imitari possunt temporalia, assequi non possunt. Dum ergo conantur & deficiunt, utique fluunt; dum proficiunt, nec tamen perficiuntur, fluunt. Hic modus, hoc decus est imum, non summum, ideoque suo in genere adprobandum, non calumniandum. Liquet 5. animam rationalem maximè peccato allisam in temporalia, per varias ætatum vices consensu quodam cum suo corpore puerascere, adolescere, juvenescere, Cui enim obtingere potest sapientiæ perfectio, nisi priorum ætatum immaturitatem quandam permenso & elapso? Ineptit enim & balbutit anima cum corpore, & utrique penè simul accedit robur & perfectio. Liquet 6. Pædagogum non statim infantibus, inter cunas reptantibus, sed pueris velut in rationis diluculo quodam positis imminere: at magistrum ad sapientiæ summum columen provecturum, juventæ robustiorique ætati adjungi. Quanquam enim ætates istæ corporum sint magis quàm animarum, animarum tamen ad sapientiam progressiones, nisi per eas ætates liceat, non procedunt. Liquet 7. totum genus humanum instar habere unius hominis. Id enim jubet naturæ corporeæ & vegetantis, id temporum corporumque lex. Ita enim homines alii ex aliis, & universi demum ab uno, tanquam rami furculique alii ex aliis, & ab una demum omnes radice ac stirpe pullulascunt. Ita & urbium & regnorum, ita & artium ac disciplinarum, etsi in his dominatur maximè animæ immortalis natura, ortus quidam est, & rudimenta quædam infantiæ, & juventa, & denique senectus. Postremò cùm singulos homines per has ætates exigi decorum sit, ipsum universum genus non poterit decentiori venustiorique administratione dispensari, quàm qua singuli reguntur. Liquet 8. summam sapientiam atque justitiam Deum Verbum non decuisse priùs humano generi plenissimè atque hypostaticè sociari, quàm infantiæ nugis exussis, & adolescentiæ intemperiis sedatis, opportuna ad sapientiæ justitiæque maturitatem juventa affuisset. Quod enim singulis est rationis & æquitatis ubertas juventæ accommodata; id universæ humanitati fuit Verbi Dei seu incommutabilis sapientiæ & justitiæ illapsus. Utque non ab utero recentibus, non pueritiæ tyrocinia exigentibus, sed juvenibus tempestivum est sapere: ita humano generi infantiam sine lege, pueritiam sub lege tanquam sub Pædagogo, in umbris sapientiæ quibusdam emenso, & robustam demum quandam juventam assecuto, tempestivum fuit plenissima divinæ sapientiæ copia & ipsa sapientiæ justitiæque substantia perfundi. Liquet 9. nec suam infantiæ rationem & sapientiam deesse. Subrutilat enim, quantum necesse est pro ejus ætatis opportunitate: & præclarior si non affulget tum ratio ac sapientia, idipsum rationis & sapientiæ est. Pueritiæ autem jam illustriori legis ac rationis lux fulget, nec potest uberior, nisi ætatum limites & totum hujus generis decus evertatur. Tot non aliter affuisse Christum hominibus ante legem & sub lege existimamus, quàm ea mediocritate quæ illas ætates addecebat. Liquet 10. corporeæ naturæ legibus servire debuisse divini Verbi corporationem. Ideo enim & in sua carne omnes humanæ naturæ ætates emetiri voluit, & nec infantiæ cunas, nec pueritiæ cruditatem fastidiit. In quo argumentum, in quo etiam sacramentum erat, quo nobis constaret, easdem in universo genere hominum ætates incommutabilem sapientiam transigere decuisse.

IX. Alibi sex mundi ætates describit Augustinus.

Et hactenus quidem de quadripartita hominum tum singulorum, tum universorum ætate, satis copiosè, vereor etiam ne plus satis & forsan tædiosè disseruerimus. Nunc operæ pretium est perpendere nonihil dissonantem ejusdem Augustini doctrinam, sexcenties alibi iteratam de sex diebus seu ætatibus, quarum sextam demum adventu suo Christus illuminavit, & hanc quidem, mundi senectam. Aperta enim dissonantia est tertiæ atque sextæ ætatis, juventæ atque senectæ. *Finis autem seculorum tanquam veteris hominis, cum totum genus humanum tanquam unum hominem constituerit, sexta ætate signatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno homine, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, gravitas & senectus. Prima itaque generis humani ætas est ab Adam usque ad Noe.* L. 28. qq. q. 58.

ad Noe. Secunda à Noe usque ad Abraham, qui articuli sunt evidentissimi & notissimi. Tertia ab Abrahamo usque ad David, sic enim Matthæus Evangelista partitur, Quarta à David usque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta à transmigratione in Babyloniam usque ad adventum Domini. Sexta ab adventu Domini usque in finem seculi speranda est, qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur; & interior renovatur de die in diem. Inde requies sempiterna est, quæ significatur Sabbato. Huic rei congruit, quod homo sexto die factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Sic ille, qui & ad singularum istiusmodi ætatum quasdam proprietates venandas ex sacris litteris pergit ibidem. Sed prolixiùs id ipsum feliciùsque l. 1, de Genesi contra Manichæos: ubi & à sex diebus orbis conditi sex istas ætatis ætatumque notas expiscatur. Volupe erit audire hominem ipsas Scripturæ medullas intimasque venas perscrutantem: *Video enim per totum textum divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in septima speretur requies: & easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt, quæ Deum fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei quo Deus fecit lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius universi seculi, quod tanquam unum hominem proportione magnitudinis suæ cogitare debemus. Hæc tenditur ab Adam usque ad Noe generationibus decem: Quasi vespera hujus diei fit diluvium, quia & infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur:* Hæc de prima ætate. Jam de secunda: *Et incipit mane à temporibus Noe secunda ætas tanquam pueritia, & tenditur hæc ætas usque ad Abraham aliis generationibus decem, &c. Hæc ætas non diluvio deletur, quia & pueritia nostra non oblivione tergitur de memoria. Sed nec ista ætas secunda genera vit populum Dei, quia nec pueritia apta est ad generandum.* Jam de tertia ætate: *Mane ergo fit ab Abraham, & succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et bene comparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus quarum error instabilis & vanis simulacrorum doctrinis tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur: ab hac ergo gentium vanitate & hujus seculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra cum apparuit arida, id est, sitiens imbrem cœlestem, &c. Hæc ætas potuit jam generare populum Deo, quia & tertia ætas, id est, adolescentia filios habere jam potest. Et ideo ad Abraham dictum est, Patrem multarum gentium posui te, &c. Hujus vespera est in populi peccatis, &c. usque ad malitiam pessimi regis Saul.* Jam ad quartam progreditur: *Et inde fit mane regnum David. Hæc ætas similis juventuti est, & revera inter omnes ætates regnat juventus, & ipsa est firmamentum & ornamentum omnium ætatum: & ideo comparatur quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Quid enim evidentius significat splendorem regni, quam Solis excellentia, &c. Hujus quasi vespera est in peccatis regum, quibus illa gens meruit captivari atque servire, &c.* Hæc de quarta. Ad quintam confestim pergit: *Et fit mane transmigratio in Babyloniam, &c. Quinta ætas, declinatio à juventute in senectutem; nondum senectus, sed jam non juventus. Et bene comparatur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia & volatilia cœli, postea quàm illi homines inter gentes tanquam in mari esse cœperunt, & habere incertam sedem & instabilem, tanquam volantes aves. Sed planè erant ibi etiam ceti magni, id est, illi magni homines, qui magis dominari fluctibus seculi, quàm servire in illa captivitate potuerunt, &c. Hujus quasi vespera est, multiplicatio peccatorum in populo Judæorum, quia sic excæcati sunt, ut etiam Dominum Jesum Christum non possent agnoscere. Mane autem fit prædicatione Evangelii per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.* Et tandem ad sextam ætatem pertingit: *Incipit sextus dies, in quo senectus veteris hominis apparet. Hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando & templum dejectum est, & sacrificia cessaverunt, &c. In ista ætate tanquam in senectute veteris hominis homo novus nascitur, qui jam spiritaliter vivit, &c. Tunc fit homo ad imaginem & similitudinem Dei, sicut in ista sexta ætate nascitur in carne Dominus noster, &c. Senectus verò sicut in nobis nullo statuto annorum tempore definitur, sed post illas quinque ætates quantum quisque vixerit, senectuti deputatur: sic & in ista ætate seculi, non apparent generationes, ut etiam sit occultus ultimus dies, quem utiliter Dominus latere oportere demonstravit.* Et postremò his iisdem ætatum vicibus transigi singulorum vitam concludit, cum consentaneo spiritalium profectuum incremento: *Habet etiam unusquisque nostrum in bonis operibus & recta vita tanquam distinctos sex istos dies, &c.* Ex quibus perspicis primis creationis mundi diebus inseminata fuisse posterorum curricula sæculorum, iisdemque vestigiis orbem excurrere, quibus à Deo primùm erupit. Si qua autem inter hæc videantur cuiquam subaustero penè ludicra, & nimis ad pueriles lusus inclinata; meminerit, quæso, lusisse in orbe terrarum sapientiam, & delicias suas in filiis hominum legisse, non tam suæ magnitudinis, quàm nostræ infantiæ concinentes. Cæteroqui in tota mundi fabrica, & in omni Scripturæ pagina, ad nostram infirmitatem inclinat se Dei sapientia, & puerascit balbutitque nobiscum, & si fari licet, ludos agit satis festivos, quibus nobis blandiatur, & æternitatis arcana molliùs instillet. Ludit & deliciatur cum homine humanitùs, nam si divinitùs omnia perragat, terrebit, & obruet, conteretque. Itaque cùm reliqua vita nostra ludus & fabula sit, ne hìc præposteram austeritatem affectemus, sed Deo repuerascere, & imitari stultum Dei, beatius & sapientius hominibus esse ne dubitemus.

Gap. 23.

Portò nihil dissonare hanc posteriorem & illam priorem temporum ætatumque partitionem author est satis idoneus Augustinus ipse: qui utramque alibi conciliat: *Et sexta ætate generis humani Filius Dei venit, & factus est filius hominis, ut nos reformaret ad imaginem Dei. Ea quippe nunc ætas agitur, sive milleni anni singulis distribuantur ætatibus, sive in divinis litteris memorabiles atque insignes quasi articulos temporum vestigemus, ut prima ætas inveniatur ab Adam usque ad Noe, inde secunda usque ad Abraham, &c. Hunc senarium numerum quandam temporis gerere figuram, etiam in illa ratione tripartitæ distributionis agnoscimus, qua unum tempus computamus ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia, &c.* Inest enim non obest ternatio senarius, cùm ternarii partes explicatæ & connumeratæ senarium perficiant. Insunt & sex ætates istæ tribus illis, si tres istæ in plures subsecentur. Sed dum id fixum statumque permaneat, quod caput est hujus dogmatis, quandam in ignorantia antè conterendam ætatem, quàm ratio & lex dilucescat: & rursus quandam antè in fervore cupiditatum, quàm pleniùs regnet sapientia; & quandam denique priùs in regno sapientiæ, quàm corporis corruptionem devoret incorruptibilitas: dummodo fixum id maneat, jam integrum erit harum ætatum singulas vel aliquas saltem in plusculas alias partiri. Nec enim omnibus una placuit vulgarium etiam ætatum hominis divisio.

I. Conciliatio hujus dissonantiæ. De Trin. l. 4. c. 4.

C A-

CAPUT III.

Timore prius sub lege pueritiam quandam humani generis regendam fuisse, quàm charitate per Christum ejus juventa imbueretur: nec aliter etiam nunc consuli singulis post Christi adventum.

1. Puerascenti humano genericommitti nondum debebat Christus, qui ipsa sapientia & charitas est.

COgnata hæc sunt, nec facilè dissocianda, lex, pædagogus, timor, pueritia. Nec enim pueri nisi timore legum à pædagogis aguntur ad bonum, aut à malo refrænantur. Et rursum non dissimiliter consanguinea sunt, nec unquam à se divellenda hæc quatuor, lex, magister, charitas, juventa. Nec enim juvenes excocta pueritiæ seu adolescentiæ eruditate, ad legis obsequium à magistro, nisi charitate legis ipsius & amore justitiæ inclinandi sunt. Pueri ergo timore, juvenes charitate incitantur aut inhibentur: ita natura instituti, ita potiùs natura post peccatum adulterata pœnaliter comparati sumus. Tam intempestivum est rudem adhuc ætatem & penè silvestrem charitate tentare, quàm adultiorem metu efferare. Humano igitur generi vel infantiam, vel pueritiam adhuc suam decurrenti, importunum fuisset magistrum absolutissimum Christum sapientiæ & charitatis lenociniis circumfluentem ingerere. Id enim ætatis insolens est politioris sapientiæ, absoluti magisterii impatiens, charitatis castæ & spiritalis indocile. Sapientia ergo & charitas Christus illi ætati eo aderat, quod adesse procrastinabat. Erat enim sapientiæ & charitatis semetipsam suspendere & differre, viam autem sibi per rudimenta quædam puerilis disciplinæ & timoris præmunire. *Nunc verò quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur: populus timore constrictus tempore servitutis in veteri lege, multis sacramentis onerabatur:* ait Augustinus. Et rursus idem alibi: *Hæc disciplina de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur, coercitionem & instructionem. Coercitio timore, instructio verò amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse cujus bonitate atque clementia fit omnino ut aliquid simus, duobus testamentis vetere & novo, disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo, quia ibi servitus, hìc libertas ab Apostolis prædicatur, &c. Primò timeat, deinde diligat Deum; hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.* Ita ergo ratio medicinæ, non voluntaria, non temeraria, non arbitrio cujusquam demutabilis in aliam, sed necessaria & invariabilis est; naturæ quippe ipsius humanæ genio attemperata. Nisi enim susdeque omnia vertere, nisi gradus & ætates intervertere velis, & juventam pueritiæ prævertere, id est, naturam ipsam evertere funditus, non poteris nisi juventæ amorem inspirare, non poteris nisi timore infrænare pueritiam; non poteris denique ad charitatem nisi per timorem, perinde ut ad juventam nisi per pueritiam gressum & progressum moliri. Qui tenor cùm in singulis hominibus necessariò servandus sit, nihil concinnius fieri potuit, quàm in toto etiam humano genere teneretur; & emineret in tam conspicuo & perenni monumento cœlestis in nostra curatione disciplina.

L. De vera Relig. c. 17.

L. De moribus Eccl. Cath. c. 18.

II. Ut cuique privatim, ita humano generi regenda est pueritia per timorē, juventa per charitatē. Ep 120. c. 18.

Rursum idem Augustinus: *Initium sapientiæ timor Domini. Et timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum; qua tanquam domino veniente, ut illa insideat, abscedit. Ergo qui timetis Dominum, laudate eum, ut Deum non serviliter, sed liberè colatis: eum amare discite quem timetis, & poteritis laudare quod amatis. Timentes enim Deum homines veteris testamenti, propter litteram terrentem & occidentem, nondum habentes spiritum vivificantem, currebant cum sacrificiis ad templum.* Non discriminat causam publicam & privatam, singulis & universis idem indicit initium, idem incrementum sapientiæ & justitiæ, initium à timore, incrementum ab amore repetendum, nec aliter constare naturarum mutabilium leges. Quia enim non summè & immutabiliter sunt, à summo & incommutabili bono à quo sunt, id mutabilitatis suæ solatium sunt assecutæ, ut ad meliora in dies promoveantur. Hoc mutabilium decus, hic honor, ut proficiant, ut crescant: hoc artificis ingenium, ut à malo bonum eliciat, ut dedecus decore redimat, ut mutabilitatem tota proficiendi gloria compenset. Si ergo crescere, si proficere, si perfici compendio est & ornamento, ne humanæ naturæ, vel in singulis, vel in toto genere invideamus; ut non quæ ætatum annorumque, eadem sint & spiritalium virtutum augmenta. Puerascat & timeat, juvenescat & amet, senescat in caniciem quandam sapientiæ, & perfectionis ejus apicem cumulet immortalitas. Porrò sisti ei Christus qui veritas, qui plenitudo sapientiæ, qui charitas est, & propinari non debuit, nisi juvenescenti. Nec enim pueri est culmen sapientiæ involare, nec timoris est justitiam ipsam incommutabilem complecti: nec tam injurioši nos erimus, ut ad puerorum greges, vel ad timoris elementa prima summam sapientiam & justitiam ablegemus. Quocirca idem Augustinus: *Vide quemadmodum non utcumque ait? Qui nos separabit à Christo: sed ostendens unde cohæreamus Christo? Quis nos, inquit, separabit à charitate Christi? Charitate igitur Christo, non pœnæ timore cohæremus. Deinde commemoratis eis quæ videntur habere violentiam, nec tamen habent valentiam separandi, ita concluśit, ut eandem diceret charitatem Dei, quam dixerat Christi. Et quid est, à charitate Christi, nisi à charitate justitiæ? De illo quippe dictum est, Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Christo igitur, id est, justitiæ & sapientiæ non inhæretur per timorem, sed per amorem: timor ad illum suspirat, ad illum festinat, sed non pervenit nec contingit, nisi charitate inflammatus & devoratus. Amore inhæretur, non timore. Amoris enim est amplecti, osculari, constringere, inhærere. Ergo illi hominum ætati offerendus erat Christus, quæ amore inflammescere poterat, non quæ non poterat nisi metu rigescere.

Epist. 144.

Quid enim puerilius his carnalis illius populi vocibus ad Moysen: *Loquere tu nobis, & non loquatur ad nos Deus, ne quando moriamur.* In quæ Augustinus: *Multum & solidè significatur ad vetus testamentum timorem potiùs pertinere, sicut ad novum dilectionem. Quanquam & in vetere novum lateat, & in novo vetus pateat.* Et hunc eorum terrorem pædagogus mox intendit, *Constantes estote, propterea enim venit Deus ad vos, tentare vos, ut sit timor ejus in vobis, ne peccetis.* In quæ idem Augustinus: *Sic illi cohibendi fuerant à peccatis, utique timendo, ne pœnas sensibiles paterentur, quia nondum poterant amare justitiam.* Timere per ætatem poterant, amare justitiam nondum poterant; igitur à longè ostendenda & promittenda erat justitia Christus, non propinanda, non obtrudenda. Timeri enim possunt & quæ absunt: & penè satius est abesse, quæ timentur. At amanti præsentia largienda statim est. Alioqui si pueris, si timore solo imbutis justitiam oggeras, & de illis & de illa malè mereris. Illorum enim dedecus ingravescit, qui nec præsentem justitiam amare possunt: & hujus dignitas contaminatur, cùm puerorum ineptias, cùm servilis timoris sordes perferre jubetur. Amentius ergo

III. Quandiu timere tantùm poterant homines, non amare: Christum admittere non poterant, qui Charitas est. Exod. 20. Aug. qq in Exod. c 73. 74.

go huic hominum ætati medetur Christus, dum se ei denegat, nec tanta illam adventus sui amandi utique non timendi invidia onerat. Quod idem Augustinus ex Apostolo confirmat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater! Quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu Christi.* Quocirca Christum exauthorat Magistri summi & absolutissimi nomine ac munere, & ad viles illum sordidasque pædagogi vices subeundas amandat, qui ad pueros adhuc, necdum qui ad infantes pueritiæ lumina necdum ingressos remittit. Unde idem Augustinus: *Inchoatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur: cum tamen idem Deus & pædagogum parvulis dederit, legem illam scilicet per famulum suum; & magisterium grandioribus, id est, Evangelium per unicum suum.*

Ibid. q. 54.

L. 83. qq. q. 61.

IV. Dulcedo justitiæ & charitatis & sapientiæ Christus, non congruit tum spiritali juvente, seu singulorum seu generis humani. L. 21. Civit. c. 14.

Iterum autem quàm nefas sit Christum nobis sapientiam & justitiam sempiternam & summam, nisi infantiæ, nisi pueritiæ nugas egressis, nisi jàm sapere, jam æterna amare per ætatem valentibus, nisi timore diuturno purgatis & defæcatis à vitiorum colluvione, nisi in plenitudine temporum, in medio annorum vegetam & amatricem juventam exercentibus donari, idem sanctus Pater declarat: *Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti sperantibus in te. Quid est, Abscondisti timentibus te, perfecisti sperantibus, nisi quia illis qui timore pœnarum suarum volunt justitiam constituere quæ in lege est, non est justitia Dei dulcis, quia nesciunt eam? Non enim gustaverunt eam. In se enim sperant, non in ipso: & ideo eis absconditur multitudo dulcedinis Dei, quoniam timent quidem Deum, sed illo timore servili, qui non est in charitate, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Ideo sperantibus in eum perficit dulcedinem suam, inspirando eis charitatem suam, ut timore casto, non quem charitas foras mittit, sed permanente in sæculum sæculi, cum gloriantur, in Domino glorientur. Justitia Dei quippe Christus est, qui factus est nobis, sicut dicit Apostolus, sapientia à Deo, & justitia; ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hanc Dei justitiam, quam donat gratia sine meritis, nesciunt illi qui suam justitiam volunt constituere, & ideo justitiæ Dei, qui Christus est, non sunt subjecti. In qua justitia est multa multitudo dulcedinis Dei.* Audin justitiam Dei, Christum esse, charitatem esse? Audin hujus dulcedinis multam & incredibilem esse magnitudinem? Audin ab hac dulcedine procul esse qui timent, nec amant? Quando ergo nec justitia Christus sine plurima dulcedinis irroratione infundi potest, nec dulcedinis hujus à charitate stillantis gustum ullum habere possunt pueri solo adhuc timore constricti; inde patet non potuisse Christum nisi perfuncto sua ætate, dilapsoque timore, & in ejus vacuum locum succedente charitate incarnari. Sed si Scripturæ, si Augustini verba, si ipsam rationis medullam penitiùs introspicias, etsi timor Christo, id est, charitati viam sterneret, inerat tamen illi quo Christus etsi non auferretur, differretur tamen. Timore enim solo percitus quis, viribus suis multùm fidit, suæque industriæ salutem debere se facilè imaginatur.

V. Qui tantùm timet, nondum de suis viribus satis diffidit, nec Christo excipiendo opportunus est.

Id porrò à charitate & suavitate justitiæ, seu à Christo, immane quantum discrepat. Ea enim primaria est dulcedinis à charitate & justitia rotantis vena, ea prima est Christi servatoris irrigatio, quod se sibi homo surripit, Deo se committit, ab illo salutem & justitiam omnem expectat. Pro temporis ergo opportunitate adhuc timentibus, & ita à flagitio abstinentibus præerat quidem & effulgebat Christus justitia nobis à Deo factus: sed sui inducia adhuc ineptientibus, fontem supernæ justitiæ necdum sitientibus, procul erat, & nonnisi à longè imminebat. Unde rursum idem sanctus Pater: *Quamvis multi quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore justitiæ, quam dicit Apostolus, Justitiam suam quæ ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed Dei, quia sic sit nobis, ut sit nobis à Deo. Dicit enim, Ut inveniar in illo, non habens justitiam meam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est Jesu, justitiam ex Deo, &c. Quia ex lege justitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum; justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo: Suavis es, Domine, & in tua suavitate doce me justitiam tuam, id est, ut non formidine pœnæ serviliter cogas esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit.* Ubi advertis primò suavitatem justitiæ à timentibus longè exulare. Timori enim insuavis potiùs & amara adhæresci mœstitia. Cœlestem ergo justitiam & sapientiam Christum ineffabili suavitate diffluentem non capiebat timor & timori dedicata ætas.

L. de grat. Chr. c. 11.

Advertis secundò timori servitutem cohærere: serviliter enim fit quod pœnæ formidine fit. Timor servorum stimulus est, charitas filiorum. At plenitudo justitiæ & veritatis Christus abhorret mirum quantum à servitute. Veritas enim liberatrix & ipsa libertas est: *Et veritas liberavit vos.* Veritas Filius est, Filii autem est à servitute absolvere. Quanquam ergo timor antecursor quidam sit ad justitiam, quanquam servitus initiatio quædam sit ad filiorum libertatem: quandiu tamen & timor & servitus constat, libertas & filiatio, veritas & justitia Christus ostendi & promitti potest, exhiberi non potest. Advertis tertiò inesse timori, (immo non timori, sed timenti, & timenti tantùm, non amanti, sed nos pinguius hìc loquimur) tumorem quendam & fiduciam sui; qua efficitur, ut justitia illa qualiscumque ex timore mero efflorescens, hominis potiùs, quàm Dei esse in homines videatur; utpote quam pœnæ formido exprimat, non quam Dei supernè charitas imprimat. Sola quippe charitas hominem seipso exuit, & Deo subjicit. Timor ergo moras objicit Christo, & ejus adventum retardat, tantum abest ut acceleret. Est enim Christus à Deo, non à nobis, factus nobis justitia & sanctificatio & redemptio. Christum ergo seu sapientiam & justitiam cœlitus indultam, & singulari gratiæ largitate divinitus donatam, retardat magis quàm prolectat timor, suæ sibi justitiæ opifex & administrator.

VI. Servilis est timentium ætas, ideo nondum vocata Christo.

Cùm esset autem in timore, quo Christus retardaretur, erat & quo approperaretur. Stat enim illud inconcussum veritatis oraculum, *Initium sapientiæ timor Domini.* Initium, non perfectio, non cumulus. Initio autem inest, quo perfectio & differatur, & acceleretur. Nam initia perfectio subsequi debet, non comitari. Si subsequitur autem, intelligitur & aliquantulum differri & nihilo seciùs approperari. Porrò insociabilis est cum initio progressus, cum rudimentis perfectio: insociabilis, inquam, ut præsens adsit, non ut subsequens instet. Augustinus: *Ipsi sunt tanquam in compedibus, & tanquam in vinculis ferreis. Unde hoc? Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes sapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea & non aurea? Ferrea sunt, quandiu timent: ament, & aurea erunt. Audistis modo Apostolum Joannem, Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet, hoc est, vinculum ferreum. Et tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non*

VII. Timor, id est, necdum sapientiam & justitiam Christum, non admittit.

In Psal.

re, non perveniet ad amorem : Initium sapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de sapientia, Et torquem aureum circa tuam cervicem. Non tibi imponeret torquem aureum, nisi primùm in compedibus ferreis te alligasset. Sed cœpisti à timore, consummaris à sapientia. Quàm multi sunt, qui propterea nolunt male facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant justitiam! Ut sapientiam, ut justitiam, ita Christum timor, & in genere humano universim, & in singulis speciatim, necessariò subsequentem præcedit, non præsentem sistit.

VIII. Singuli per justificationem, humano genere per incarnationem adventi Christus timori charitas succedit.

Atque ut perspicua fiat hæc tota ratiocinatio, ita paucis illam fas est complecti. Tunc singulis innascitur & informatur in animæ quodam utero penitissimo Christus, cùm post servilis timoris perutilia elementa, jam amare sapientiam & justitiam incipiunt, & amando possidere. Nec enim aliter fruimur justitia, quàm amando; & amor ipse fruitio est. Tunc ergo inesse atque inhospitari incipit in singulis nobis justitia, & ipse Christus, qui veritas & justitia est, qui factus est nobis à Deo justitia, & sanctificatio, cùm exhausto timoris tyrocinio charitas inardescit. Timor enim ad justitiam præludio est, ad sapientiam initiatio quædam est, ad charitatem præsultor est, ad Christum præcursor est, non ipsa autem justitiæ forma, non sapientiæ copia, non charitatis, non Christi præsentia. Cùm ergo universitas hominum, tanquam homo unus aliquis, dispensanda sit, tunc illi offerendus fuit Christus, cùm post puerilia timoris rudimenta, & ea quidem diuturna, quia hominis tot sæcula decursuri non poterat non prolixior esse quælibet ætas, ad sapientiæ & charitatis perfectionem ematuruit. Quod enim singulis est forma ipsa justitiæ, & inhabitatio Christi, qua cumulatè justificantur, cùm vitiorum flammis timore salubri refrigeratis, cœlesti jam igne incalescunt; id ipsum universo generi hominum fuit Verbi incarnatio, cùm naturæ humanæ per legem seu pædagogum, per timorem, per servitutis vincula diu cohibitæ & purgatæ, infusa tandem est, & substantivè inserta incommutabilis justitia Deus Verbum. Quod verò reclamare posset aliquis, timore quidem sterni iter & complanari ad sapientiam & justitiam, nempe intelligibilem, internamque, non autem ad eandem corporatam, incarnatamque, ac proinde nec ad Christum; esse enim consentaneum, ut qui timuit legem, atque ita à vitiis desuevit, & amorem turpem excussit, sensim ad amorem castum & intelligibilem inardescat: at carnis Christi ne umbram quidem hic apparere ullam. Si quis eo moveatur scrupulo, is non satis advertit animum ad ea quæ superiùs non semel hac de re commentati sumus. Homini videlicet in corporalia lapso per peccatum jam nec sapientiam, nec justitiam occursare, nisi corporalibus sacramentis quasi obnubilatam. Sol enim justitiæ intelligibilis quo priùs puri purè fruebamur, sordidas ac lippientes nunc occultorum oculorum nostrorum acies fatigat & avertit, nisi quadam sensibilium velorum ceu nubium opacitate temperetur. Et hæc primaria est humilitatis, qua ad justitiam, qua ad Christum accedimus, inchoatio. Unde enim excidimus, eo redire nos posse, nisi se nobis temperet & largiatur sapientia, salubiter desperamus, & eo impensiùs speramus. Alioqui timor ipse subarrogans esse videtur, & de suis viribus ineptè ferox, nisi adventantis Christi & humilitatem præseminantis gratia mansuescat.

IX. Ex Augustino hæc confirmantur.

Sociari autem non posse perfectionem justitiæ cum timore sevili, quo pueri quandiu pueri sunt, id est, quandiu à servis nihil differunt, imbuuntur, atque adeo nec priùs Christum incarnari, nec plenæ justificationis formam cuiquam obtingere potuisse, quàm timor & timori consecrata ætas expungeretur, Augustini sententia est constantissima & manifestissima. Ex silva densissima contextuum, carpam paucissimos quibus id effulgescat. *Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines & non impleverunt, amaverunt & impleverunt. Timebant homines & rapiebant res alienas, amaverunt & donaverunt suas.* Et alibi: *Scimus enim, inquit, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum. In quo satis ostendit non posse impleri legem, nisi à spiritualibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spirituali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis & ipse in spiritalem surgit affectum, tanto eam magis implet. Quanto magis ea delectatur, jam non subejus ortere afflictus, sed in ejus lumine vegetatus, &c.* Et id ipsum pulchrè argumentatur allegorica Scripturæ interpretatione: *Magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei: nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei. Posteriores verò tabulæ tandiu mansuræ, ac in tabernaculo & templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, tam ab homine excisæ sunt, quàm ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus gratia Dei significabatur, &c. An fortè ideo magis in illis prioribus vetus significatum est testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in veteri testamento, quæ convinceret transgressores: quæ subintravit ut abundaret delictum. Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus legem constituit, Deus conscripsit, nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, & eum potiùs reum lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas fecit, atque conscripsit, quia novi testamenti charitas legem fecit. Unde dicit Dominus, Non veni legem solvere, sed adimplere. Dicit autem Apostolus, Plenitudo legis charitas. Et, Fides quæ per dilectionem operatur.* Et rursum alibi; *Ita per hanc differentiam duo testamenta significata esse diximus, ut in veteri testamento lex commendaretur tanquam opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eo quod lex timore non posset impleri: quoniam cùm verè fit opus legis, charitate fit, non timore, quæ charitas gratia est testamenti novi. Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.* Hoc genus alia quàm densa apud Augustinum, & singulis ferè paginis obvia sint, neminem fallit, qui ejus libros pervolutarit.

In Ps. 90. Lib. 1. Ad Simpl. q. 2.

Lqq. Super Exod. c. 166.

L. 1. in Deut. qu. 15.

Sed ne subrepat error, duplex præceptorum genus dispescendus est, quorum alteri obeundo paratior est timor. Idem Augustinus: *Non sicut Judæi qui timore ista implere cogebantur, non illo casto permanente in seculum seculi, sed quia timebant præsenti vitæ suæ: & ideo quædam opera legis implebant quæ in sacramentis sunt; illa verò quæ ad bonos mores pertinent, omnino non poterant: non enim implet ea nisi charitas. Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur, non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidat, quia injustum est, etiamsi id possit facere impunè, non solum apud homines, sed etiam apud Deum.* Magnum sanè momentum hæc sancti Doctoris verba afferunt ad hujus rei elucidationem. Præcepta quippe meris cæremoniis, judiciis, sacramentisque externis illigata implebat timor, quia hæ justificationes erant carnis; nec in his legis æternæ & justitiæ incorruptibilis pulchritudo efflictim & toto corde amanda collucebat: at præcepta ad bonos mores attinentia, legisque æternæ dictata, non implebat timor etiam tum cùm implere videbatur, quia non implentur, hoc est, non perfectè implentur, nisi cùm justitia ipsa adamatur. Quanquam illa etiam præcepta in sacramentis posita, si intelligi à pueris potuissent, ad bonos mores & ad

X. Cæremonialia præcepta implet timor, non moralia: hoc est, figurativa Christi, non ipsum Christum hoc est, justitiæ perfectionem continentia. Nec enim præcepta perfectè implet timore. In exp. Ep. ad Galat.

justi-

justitiæ spiritalis inviolabilem pulchritudinem referri comperirentur. Pergit ille ibidem: *Sed per charitatem, inquit, servite invicem. Qui enim per charitatem servit, liberè servit, & sine miseria, obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur. Omnis enim lex, inquit, in uno sermone impleta est, in eo quod diliges proximum tuum tanquam teipsum. Omnem ergo legem nunc dicit ex his operibus quæ ad bonos mores pertinent. Quia & illa quæ sunt in sacramentis, cùm bene à liberis intelliguntur, nec carnaliter observantur à servis, ad illa duo præcepta referantur necesse est, dilectionis Dei & proximi. Rectè itaque accipitur ad hoc pertinere quod etiam Dominus ait, Non veni legem solvere, sed adimplere; quia erat ablaturus timorem carnalem, spiritualem autem charitatem daturus, qua sola lex impleri potest. Plenitudo enim legis charitas, ut quando fides impetrat Spiritum sanctum, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus operantium justitiam, nullo modo quisquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter istos jactantes se de operibus legis, ita refellit Apostolus, dum ostendit opera vetusta Sacramentorum umbras futurorum fuisse, quas jam adventu Domini, libero hæredi necessarias non esse monstravit. Opera verò ad bonos mores pertinentia non impleri, nisi dilectione per quam fides operatur.* Ubi vides quàm inculcatè contendat legem non impleri nisi charitate, quantum ad ea attinet præcepta, quæ morum sanctitati prospiciunt. Impleri enim Augustino idem est ac plenissimè & perfectè impleri. In ea enim voce sonat plenitudo, nempè justitiæ & charitatis, quæ Paulo dicitur plenitudo legis. Quin immo illa etiam quæ in cæremoniis & figuris jacent, in sui medulla charitatem seu Dei seu proximi cùm gestarent & insinuarent intelligentibus, ideo plenè & perfectè non implebantur à timentibus. Quæ cùm ita sint, nemini obscurum jam est, illi ætati seu singulorum seu universorum, quam adhuc rudem timor merus occupat, inseri non posse justitiæ perfectionem, inspirari nondum posse charitatem, incorporari non posse Christum.

XI. Quæ verissima causa sit, cur timori servili charitas, & illi ætati Christi inhabitatio non quadret.

Quid causæ autem sit, quamobrem verissimæ perfectæque justitiæ & timori servili non conveniat, ex ipsa timoris natura edocuit nos idem sanctus Doctor. *Quia & quicumque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset, impunè committere.* Et alibi venas hujus rationis altiùs rimans, atque apertiùs expromens: *Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus, ut eam si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: inimicus autem erit, si ejus amore non peccat. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Ipse est timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi. Nam ille timor pœnæ tormentum habet, & non est in charitate, eumque perfecta charitas foras mittit. Tantum porrò quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* Quo uno ex loco elicere potes quanto timor ille initialis pœnarum à charitate discreper intervallo & à justitia absoluta. Timore arcetur malum, non mali cupiditas. Timore manus cohibetur ab opere, non cor, non animus ab amore flagitii. Timore non amatur justitia, sed injustitiæ impunitas. Timore non peccare timet quis, sed ardere. Timore antehabetur impunitas peccandi pulchritudini justitiæ. Timore plus metuitur pœna quàm injustitia. Timore denique occultatur, non extinguitur furtivum justitiæ quasi odium, quo sicui potestas detur, *præcipientem justitiam auferat, ne comminantem vel judicantem ferat.* Quæ tota animi sub timore adhuc jacentis præparatio, nemo non videt, quàm immaniter dissideat à charitatis & justitiæ veritate. Hæc quippè vitia timentis sunt, non timoris. Timoris enim est, quod malæ cupiditates comprimuntur, quod ipsa cessatione operis & desuetudine abolescunt paulatim, & charitati via panditur. At timentis vitium est, quod cùm necdum per charitatem amet justitiam, justitiæ clandestinus est inimicus; quod ardere magis metuit, quàm peccare; quod opera justitiæ cùm facit, subinvitus facit, quia non amat justitiam; denique cùm solo timore pœnæ serviat justitiæ, interpretando penè dici potest, quod animus ita affectus mallet non esse justitiam. Hæc vitia sunt non timoris, sed timentis. Hinc autem ostenditur, quantum abhorreret ab adventu Christi illa ætas, cujus teneritudini & infirmitati solus timor erat consentaneus. Nam quæ humanis generis ætas, timoris adhuc puerilibus tyrociniis arrerenda erat, quæ justitiæ veræ adhuc immatura erat, quæ clanculum adversaria erat justitiæ, quæ intus in ipsis affectuum radicibus maluisset non esse justitiam, quæ auferendæ justitiæ clandestina cupiditate non carebat, illi utique ætati committendus non erat Christus, justitiæ & charitatis plenitudinem secum advehens. Rursus Conc. II. in Ps. 118. *Qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, profectò invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus, &c.* Parco pluribus.

XI. Quanta non sit timoris inhabitatio necessaria.

Quod autem hinc perperam suspicari posses, inutilem ergo aut etiam exitialem esse timorem merum, hæc quoque hallucinatio existimanda est. Est enim timor iste bonus, utilis, pueritiæ spiritali necessarius, ad charitatem, ad sapientiam & justitiam necessariò præstruendus. Unde Augustinus: *Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo,* Ser. 8. de verb. Apost. c. 6. *ardorem timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Vanè times, malè times? Non audeo, quando quidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, ubi dixit, Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis, ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, malè times? Ita non dicam. Planè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.* Et alibi: *Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in* In Ps. 127 *gehennam, bonus est & iste timor, utilis est.* Et alibi: *Si ergo salubriter non solùm bonitatem, verùm etiam severitatem Dei sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus utiliter, & timetur,* L. 1. Cont. Adver. Leg. & Proph. *&c.* Ubi bonum utilemque timorem gehennæ non pronunciat tantùm disertè, sed invictè probat, quod passim sacræ litteræ ut illecebras bonitatis ad proliciendum amorem, ita severitatis flagella ostentent ad timorem incutiendum: quod Christus timorem gehennæ iterum, iterumque inculcaverit: quod cùm timere natura sit hominis, ut & amare,

L. de spirit. & lit. c. 8. Ep. 144.

re, lætari, tristari, &c. non incassum, sed boni alicujus consequendi causa impetus isti sint naturaliter insiti. Cùm ergo mala timenda sint, *nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas*, quàm corporis & animæ gehennam. Illa ergo vulnera quæ superiùs nudata sunt in animo timentis, non à timore inflicta, non timori ipsi impressa sunt, sed ex antiqua & inolita ægritudine residua sunt in animo hominis, & à timore sanari usquequaque non potuere. Inest enim naturaliter ex originali contagio, fervet etiam vehementiùs ex consuetudinis æstu cupiditas mali, odium justitiæ. Huic morbo timor gehennæ medicas manus admovet, & quanquam ei penitus profligando non sit par, medetur tamen ex parte, & salubertima aspergit fomenta. Cùm enim ab opere saltem peccati refrænat manus, desuetudinem tandem peccandi creat, flammamque voluptatis illicitæ sedat; ut quanto proclivius posthac est, abstinere à delectationibus carnis, tanto pronior & paratior sit animus ad cœlestes delicias degustandas & amandas. Morbi igitur æstum quendam servidiorem
In Ps. 149. sanat timor, reliquias charitati supervenienti sanandas præparat. Unde Augustinus: *Nisi timore*
Tract. 9. in Joan. *incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium sapientiæ timor Domini.* Et alibi: *Si nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Sera priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primò occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit,*
Epist. 120. c. 18. *ut introduceret charitatem.* Et ibidem: *Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini.*
In Ps. 117. *Timor quasi locum præparat charitati: cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, tanto decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras.* Et alibi: *Præmissus timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum, qua tanquam Domina veniente, ut illa insideat, abscedit.* Et rursum: *Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Vides quanta timoris utilitas, quanta necessitas medicinæ, quæ per illum inchoatur. Invehit enim timor desuetudinem malorum operum, & oblivionem paulatim conciliat pestiferæ voluptatis, atque ita animus amore & voluptate carere nescius, ad amorem & voluptatem cœlestium proclivior efficitur. In natura rationali seu privatim seu universim curanda hic necessariò gradus, hic modus tenendus est, ita corporum, ita animorum morbi, ita vitia curantur, ita virtutes ingenerantur. Christo ergo tanquam dominæ sapientiæ & charitati parandus erat locus per timorem, non ipse cum timore pariter & tumultuariè præcipitandus erat. Finis enim legis Christus, cumulus sapientiæ Christus, non initium; plenitudo charitatis Christus, non rudimentum. Aderat tamen etiam sub lege Christus, cum sibi locum parabat: aderat cùm per antecursorem suum timorem præstruebat sibi aditum: aderat cùm rudem pueritiam accommodato tali ætati timore regebat, & ad juventam sui patientem roborabat.

XIII. Timor erit servilis inter Dei dona. Inter Christi beneficia numeratur. L. 80 hom. hom. 25. c. 6

Et hìc obiter illud advertendum, de donis & gratiis Christi hunc quoque timorem servilem & charitati prævium censendum esse. Audi Augustinum eundem: *Adulter non fuisti in illa vita tua præterita plena ignorantiæ, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat, hoc tibi dicit Deus tuus, Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit, locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Ignosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non commisisti.* Audis gratiam hanc quoque Dei esse, cùm abest mali perpetrandi occasio, vel cùm non abest occasio, sed adest & timor qui assensum cohibeat. Audis cùm deterremur utcumque à malo, à Deo nos terreri. Audis generatim Dei gratiæ deberi & quidquid non peccatur. Quæ autem gratia, nisi Christi gratia, ejusque sanguine comparata? Quo Deus sibi nos regit, sibi servat, nisi Christi præsidio? Ad hæc indubitatum est Pauli Apostoli testimonium: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* Ubi timor a Spiritu sancto inspirari, & quidem ab eodem à quo & charitas profluit, insinuatur. Ut quid enim illud *iterum*, nisi ut idem Spiritus iterum effusus declaretur, sed in amore jam, qui priùs in timore? Unde idem Augustinus: *Proinde non arbitror alium* Super Exod. q. 15. *quàm eundem significari, ubi dicit Apostolus: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater. Quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu Christi.* Et rursum idem alibi: *Dicet aliquis, Alius est spiritus servitutis, alius spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus,* Iterum. *Idem ergo spiritus, sed in tabulis lapideis in timore; in tabulis cordis, in dilectione.* Et quid Serm. 11. De verbis Apost. c. 11. Apost. c. 13. apertius illo Isaiæ loco, ubi memoratur, *Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini.* Quod nimirum, ut Paulus ait, unus Spiritus sit, qui operetur hæc omnia, & distribuat singulis prout vult.

Præterea initium sapientiæ & justitiæ à timore repetendum est, at præter Christi gratiam ecquod non augmentum tantùm, sed vel initium cuiquam salutis? Augustinus idem: *Rarissime accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat, volens fieri Chri-* L. de Catech. rud. c. 1 *stianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus.* Et alibi: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* Et rursum: *Si nullus timor,* In Ps. 149. Tract. 9. In Joan. *non est qua intret charitas, &c. Timor ideo intravit, ut introduceret charitatem, &c. Timor locum præparat charitati, &c.* Quis porro ad nomen Christo dandum incitatur, nisi qui audit à Patre, nisi Pater traxerit eum, nisi Christus ipse eum trahat, qui exaltatus à terra, omnia traxit ad seipsum? Si ergo timore primùm trahitur, à Christo timor iste & à Patre cœlitus inseritur. Item si timore incipit homo Deum colere, hoc divini cultus exordium, Deo utique ipsi accepto ferendum est. Denique locum timor præparat charitati, at Christus via ad semetipsum ipse est, nec enim vita tantùm est, sed & via ad vitam: ut ad illum, nisi per illum non veniatur.

Adde quod timor ab Augustino Scripturas interpretante, prædicatur subinde, bonus, utilis, salubertimus. At omne bonum, desursum est descendens à Patre luminum: omne bonum ab incommutabili bono; sed omne bonum ad sempiternam salutem utcumque conducibile, à Christi nobis sanguine scaturit, quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri. *Severitate* De Catech. rud. c. 5. *Dei corda mortalium saluberrimo timore quatiuntur.* An verò non salubre tantùm, sed & saluberrimum aliquid est, quod ex aliis quàm ex Salvatoris fontibus in nos dimanet? Ita quod nefas, Servatoris nomen Christo sin minus abrogaretur, certè magna exparte detereretur. Ad hæc non tantùm timore ad Christum adducitur, quisquis ab ejus fide alienus & prophanus adhuc extitit: sed & fideles ab anteactæ vitæ contaminationibus resipiscentes,

non

non alio ferè quàm timoris vinculo ferreo ad illum primò pertrahuntur. Si ergo viribus liberi arbitrii, si amori sui insano, si ut summum generali cuidam providentiæ Dei imputatur iste timor, nec à Christi sanguine hauritur, salutis nostræ procuratæ gloria non mediocri Christus fraudatur. Augustinus nec ipsum Paulum Apostolum nisi timore domitum autumat, ad charitatem profeciſſe: *Quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem.* Et alibi universum ad Fideles: *Noli timere pœnam, sed ama justitiam. Nondum potes amare justitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam.* Et idem alibi: *Fac, fac, vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Hæc salutis exordia de suo non habet homo, qui de suo non habet nisi peccatum: qui sibi non est, nisi dux in præceps.

Epist. 10.

XIV. Itaque per timorem, ut per sui quoddam initium, sele olim prærogabat Christus.

Quibus ergo legem, quibus timorem, quibus pædagogum Christus, quibus salutis initia, & ad charitatem perfectamque justitiam necessarias præparationes largiebatur, illis utique non se negabat, illos jam suo irrorabat sanguine, illis gratiam suam prærogabat, non tam largè quàm nunc, sed pro modulo illius ætatis hominum, & infantiæ spirituali sufficientem. Erat quippe ipsa lex, erat timor lege incussus, erat spiritus timoris Domini, erat timor bonus, utilis, saluberrimus, erat timor non forinsecus tantùm intentatus, sed intus incussus, & inspiratus, ideoque spiritus Domini & spiritus timoris dictus, erat hic inquam timor auxilium idoneum & huic generis humani ætati religiosè degendæ planè sufficiens. Non ea erat Christi gratia palmaris, & præcellentissima, non sapientiæ & justitiæ copia exuberans, qua ipsa Christi incarnatio & adventus scatere largissimè atque juventam quandam Ecclesiæ inundare debebat: sed pueritiæ ad juventam properanti, nondum pertingenti, ad ubertatem sapientiæ & justitiæ progredienti, nondum progressæ, opportuna erant & omnino sufficientia illa timoris auxilia. Et qui id inficiatus fuerit, perinde erret, ac si eos qui nunc timore divino perculsi à peccatis abstinent, & perfectiori se gratiæ justitiæque percipiendæ purgant, neget hoc quidquid est virium, à Christi meritis mendicare. Nempè non ea tantùm Christi gratia est, quæ plenissima & largissima fluit: sed ut ad hanc perveniatur, obscuri quidam & exiliores rivuli, vel etiam stillulæ & rores corrivandi sunt. Paulo certè Apostolo cùm timorem Christus ipse præsens incutiebat, & ita in cor ejus charitati suæ iter aperiebat, non cumulum tantùm, sed & primordium hujus beneficii de sanguine sui lateris profundebat.

XV. Cùm timor sit Dei donum, quomodo justitia ex timore dicatur esse hominis, non Dei.

Quod autem in Pauli verba jurare addictus Augustinus, justitiam quæ ex lege ac timore pœnæ est, non Dei, sed nostram crebrimè vocitet justitiam, nihil id quidem officit, quo minùs timor divinæ gratiæ sit adsignandus. Ita enim & Apostolus & Augustinus non tam ex sua, quàm ex superbientium adhuc Judæorum sententia loquebantur. Judæi enim *justitiam suam quæ ex lege est, volentes constituere*, justitiæ Dei non erant subjecti. Suam ergo illi justitiam volebant constituere: hæc eorum erat sententia, superbiæ & mendacii palam rea. Nam & hæc qualiscumque prælibatio justitiæ, hæc abstinentia à malo, hæc malorum operum magis quàm desideriorum desuetudo, divino & ipsa adjutorio accepta erat referenda. *Quamvis multi quod imperat lex, facere videantur, timore pœnæ, non amore justitiæ, quam dicit Apostolus justitiam suam quæ ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed Dei, quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo.* Non ait non datam, sed tanquam imperatam, non datam: nempe ex eorum sensu qui sibi videntur suis viribus facere quod lex imperat. Unde rursum Augustinus: *Lege Dei proposita, quisquis tumuerit, & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo pœnam, fuit quidem secundùm justitiam quæ ex lege est, homo sine querela, &c.* Vides ut sensum exprimat ferocientis Judæi, qui suis viribus legem implere se posse fidit. Amant enim homines Dei dona, tanquam sua & à se sibi procreata venditare.

I. de grat. Christ. c. 13

Serm. 16. De Verbis Apost. c. 6.

Iterum potest justitia ex lege & timore profecta, hominis magis quàm Dei dici, quod per eam sibi magis homo consulat, sui amore implicatus adhuc hæreat, in Dei causa & amore adhuc hebescat. Itaque hominis est, quia ad Deum nequedum perfectè arrecta est. Sed id ipsum tamen Dei donum & Christi gratiæ munus est, quòd homo foris sparsus, semet in se primùm colligit, & ita gradatim à se in Deum poterit tandem aliquando eluctari. Nec enim se Deo reddet homo, nisi se priùs in semet ab externis in quæ peregrinatur avocamentis recipiat: *Non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortassis. Unde? Timore pœnæ. Quanquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit, &c. Si talis es, adhuc justitia tua est: qua justitia tibi consulis, ne torquearis. Quid magnum est, pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius?* Attende qua de causa, hominis justitiam dicat, quæ timore constat, nempe quia homo sibi consulit, ne torquetur.

XVI. De eodem.

Serm. 16. De Verbis Apost. c. 6.

Iterum potest justitia hominis magis quàm Dei dici, ea quæ uno timore servili conciliatur, quòd tenuis adeo & obscura sit, præ ea cujus specialiter largitor est Christus, cùm charitatem inspirat, ut homini magis quàm Deo sit adscribenda. Ita enim puerorum conatus imbelles etsi nonnullo juvamine aliunde fulciantur, ipsorum tamen infirmitati non ægrè tribuuntur, nec magnopere de iis sibi vindicandis laborat magister, qui illos sibi præparat. Sed omnino ita necessarium erat eos adoriri & elidere, qui legis justitiæ & timoris disciplinæ ita acquiescebant, ut Christi fidem, ut justitiæ perfectioris spem, ut charitatis divinæ ubertatem refellerent & suggillarent. Hujusmodi enim erant ad quos Paulus, ad quos Augustinus perstonabat, legisque imbecillitatem, & non timoris quidem, sed conjuncta tamen timori dedecora denudabat. Quod enim ubi timore solo lex implebatur, *coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiùsque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle, si fieri posset impune, committere*: item quod *potuit esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, non dilectione & delectatione justitiæ*: quod id genus alia tanquam occulta dedecoris, & penitiores ægritudinis fibras in lucem proferat Augustinus, non hæc in timoris, sed in superbiæ suggillationem pertinent, quam timor non omnino extruserat. Sed ita traduci decebat eos, qui de solo timore, tanquam de plena sanitate insanissimè sibi blandiebantur. His enim conducebat ostendi quanta cupiditatum flamma adhuc æstuaret, timore tanquem cinere doloso dissimulata magis, quàm extincta. Quanquam enim timor cœperit sanare, non tamen persanavit. Laudabilis itaque timor est, & ad initia justitiæ & sanitatis sufficiens, sed prefocandis clandestinis desideriis & concupiscentiis omnibus planè impar; nec id mirum, cùm nec charitas Christi & justitia hujus vitæ omnes hos igniculos valeat consopire. Ut ergo justitia charitatis, qua per Christum hìc justificamur, donum Dei est amplissimum, etsi fomites cupiditatum non extinguat: ita & donum erat Dei, Christique sanguine constabat

Lib. 1. de nupt. & concup. c. 23

Lib. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 3.

tabat timor, quanquam radices altissimas cupiditatum non revelleret omninò.

XIX. Rursùs quod timor gehennæ Dei sit donum, & gratia Christi initialis.

Sed ut invictiùs constet timorem illum servilem Dei donis & Christi gratiis annumerandum fuisse, ne eos tantùm spectemus, qui tanti muneris pulchritudinem, vel contumacia, vel superbia sua fœdabant. Alios intueamur, qui imbecillitatem suam experti, omne salutis præsidium in cœlesti adjutorio sibi situm esse profitebantur, nec tamen tanto gratiæ ubere perfundebantur, ut ad perfectam assurgerent charitatem. His sanè timor adhuc incumbebat, non jam venditator suarum vitium, sed superni adjutorii postulans incrementum. In hoc gradu sunt complures hodie & quotidie, qui revera sub lege sunt, etsi tempore novi Testamenti, quos solus timor ad præcepta urget; nec tamen suis quidquam imputant conatibus, sed ad charitatem puramque justitiam instrenuè quidem, & tepidè, sed tamen suspirant & connituntur. Dum in vestibulo charitatis sub pædagogo timore, vel singulus quisque, vel genus humanum spiritalem suam exerit pueritiam, & ad juvenile robur decusque aspirat, & nondum tamen attingit, oro te, nonne timor iste Dei donum est? Nonne Christi sanguinis pretium est? Nonne Christi morti accepto ferendum est? Quibus ergo lex & timor exprimebat confessionem, humilitatem, & liberatoris desiderium vehemens, illis non statim Christus, aut cumulata aderat justitia, erant illi adhuc sub lege? sed quis illos neget gratiis Christi illi ætati sufficientibus non frustratos fuisse?

XX. Sufficientia ad salutem auxilia per Christum semper affuere, & singulis & universis sed cuique spiritali ætati accommodata. Sic nusquam Christus defuit.

Illi ætati sufficientes consultò dixi gratias, quòd non de singulis, sed de universis differamus; aut si de singulis, non totam eorum vitam, sed id tantùm attendamus tempus, quo eam ætatem peragunt, quæ pueritia spiritalis vocitatur. Ut enim singulis hominibus dum in primis merent incipientium castris, & rudimenta pietatis adhuc ponunt, non deest gratia Christi sufficiens, si salubri concutiantur timore, eoque intra præceptorum Dei obedientiam coerceantur, & paulatim desuescant à vitiis prioribus, & carnalium delectationum longam potent oblivionem, & ita bibendæ dulcedine charitatis sese comparent: Ita universo generi humano, ad justitiæ robustam quandam juventam nondum provecto, sed proficienti, supperebant utique opportuna & penitus sufficientia auxilia, cùm & forinsecus intentabatur & intrinsecus inspirabatur spiritus timoris Domini, quo intra officii cancellos ita contineretur, ut vel præcepta impleret, vel sicubi non posset, humili confessione adjutorium supernum invocaret. Quod autem tum singuli, tum universi quandiu in hoc gradu stant, sub lege, nondum sub gratia esse dictitantur, perspicuum est gratiam hic nuncupari illam singularem & præcellentem, qua invictè vitium debellatur, & justificatio infunditur. Alioqui enim qui repugnant vitiis, qui desuescunt à vitiis, qui timore præceptis serviunt, qui incipiunt Deum colere antè timore, ut possint posteà & amore, qui proficiunt, hi utique sub gratia sunt saltem aliquali. Porrò quod genus humanum aliquandiu sub lege, nondum sub gratia fuerit, inde vix, aut nec vix effici potest, ulli penitus homini privatim idonea ad absolutam justitiam auxilia defuisse. Nam ut genus humanum, ita singulus quisque ad eam potuit ætatem promoveri, cui ea sunt præsto auxilia,

CAPUT IV.

Temporalibus priùs Dei beneficiis ineseandam fuisse humani generis pueritiam, quàm æternis juventa ejus cumularetur. Temporalia æternorum umbris & figuris honestanda fuisse.

I. Ad temporalia lapsus homo, per temporalia ad æterna revocandus erat. Ita temporalibus legis promissionibus illigata erat Christi temporalium mysteriorum imago, ad æterna nos retorquens.

APtum est, ut vides, nexumque superioribus argumentum hujus capitis. Nam legi, pueritiæ, timori temporalia congruunt, sicut charitati & sapientiæ politiori æterna. Et illud quidem jam in confesso est, & omnibus præjudicatum, humanæ naturæ, saltem in inferiora per peccatum revolutæ, revocandum esse gradum per ætatum & profectuum intervalla, non uno impetu atque uno temporis puncto summum sapientiæ & sanctitudinis apicem invadendum. Rimandi sunt ergo gradus & explorandi profectuum spiritualium, ut per eos homo provehatur, non præcipitetur. At in divinorum incuriam, & in temporalium cæcam effrænemque libidinem homini prolapso, is erat primus resipiscentiæ gradus oprandus, ut hæc ipsa temporalia in Dei censu & nutu esse intelligeret, ab eo promerenda, illi accepta referenda. Ita enim ad Deum reflecteret se homo carnalis, Deo subesse assuesceret, ab eo pendere, spem & præsidium in eo suum locare, & aliquando majora & potiora his, Deoque digniora, æterna videlicet bona expectare & exorare se posse confideret. Hoc planè fuit testamentum vetus, hic ejus scopus, hæc primis humanæ naturæ ad meliora respirantis profectibus tempestiva medicina. Si roges autem, quid hæc ad Christum? In promptu est, temporalia æternorum simulacra esse. Nam quandiu immergitur animus in corporalia, nullo ad superna nutu, nulloque nisu se surgens, ab æternorum memoria longiùs longiusque evagatur. At ubi aliquo sursum vinculo suspensus & Dei memor, temporalibus innatat, jam penè supernatat, & non potest non aliquos æternorum bonorum fulgores ab iis imis, sed summorum tamen vestigiis, resilientes excipere, quibus ad æternitatis desiderium stimuletur. Ita ergo testamento veteri illigatum erat novum, quia temporalibus Dei donis non poterant non adumbrari & respondere æterna, & corporalibus spiritalia, atque adeò Christus ipse, qui æternitas, qui veritas, qui spiritalis & æterna felicitas est. Sed ut expressior esset Christi, id est, spiritalis justitiæ & felicitatis imago, totam ejus dispensationem futuram, à temporalibus ad æterna nos per temporalia sua gesta novaturam, in illa temporalis veteris testamenti administratione per umbras & figuras crebertimas expinxerat Deus. Ut nimirùm quicumque in Deum suspensi, ab ejus nutu penduli temporalia illa bona perciperent, superscriptos his Dei quosdam nutus, & mutos hortatus adverterent, quibus de meliori felicitate per Mediatorem impetranda admonebantur. Atque ut nequid divini præsidii desideraretur, turbæ populorum tanquam puerorum promiscuæ interserebantur Prophetæ & adultioris sapientiæ aliquanti, qui clanculùm æternorum intelligentiæ & charitatis igniculos spargerent. Augustinus: *Volens itaque Deus ostendere etiam terrenam temporalemque felicitatem suum donum esse, nec aliunde nisi ab ipso sperari oportere, prioribus sæculi temporibus dispensandum judicavit testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, à quo ista vita necesse est incipiat. Sed illæ felicitates Patrum, Dei beneficio concessæ prædicantur, quamvis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur & tribuebantur: in occulto autem illis omnibus rebus novum testamentum figuratè prænunciabatur, & capiebatur intelligentia* Epist. 119. cap. 2.

paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat, Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis testamentum vetus, pertinebant verò ad testamentum novum. Nam & quando temporalem felicitatem agebant, aternam veram & praferendam intelligebant; & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in premio. Et si aliquando patiebantur adversa, ad hoc patiebantur, ut evidentissimo divino adjutorio liberati, glorificarent Deum bonorum omnium largitorem, non solum sempiternorum, quæ piè sperabant, verùm etiam temporalium, quæ prophetice gubernabant, Hominis in terrena lapsi hæc erat prima salutis spes, si terrenorum etiam dominatorem dispensatoremque Deum esse persuaderetur. Hæc est prima naturæ lapsæ reparatio, hæc ergo Christi reparationis prima affulgescentia, hæc ejus sanguinis prima gratia, ut naturæ author agnosceretur,

II. Deum temporalis felicitatis largitorem suspicere, ut quædam jam præparatio est ad æternitatis spem & charitatem ita quædam est Christi beneficiorum initiatio.

Terrenæ felicitatis amator sectatorque perditissimus, jam hinc ab illo emergere incipit barathro, cùm vel illius felicitatis arbitrum authoremque Deum verum suspicit: jam hinc ergo æstimanda sunt salutis ejus auspicia, jam tum numeranda veritatis seu Christi in ejus animo nascentis & prima æternæ salutis fundamenta jacientis initia. Si qui autem terrenis usque adeò inhærerent, ut Deum hæc administrantem & per hæc ulteriùs ad æterna provocantem mirari ac venerari fastidirent, sua nimirùm culpa hi peribant. Nam alii quidam, tametsi pauciores in terrena hac felicitate forinsecus ministranda, intelligibilia intus & æterna bona toto pectore meditabantur, & præmatura spe jam præsumebant.

Idem itaque in utroque testamento Christus, eadem æternorum bonorum charitas & felicitas, ibi opertiùs, hìc apertiùs: illic obscuriùs, hìc elucidatiùs: illic sub temporalium velo, hìc penè sine velo. Augustinus, *Eadem quippe sunt in veteri & in novo: ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solùm sacramenta diversa sunt, verùm etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale præmium occultè significetur: hic autem manifestissimè spiritualia promittuntur & aterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quàm passio Domini nostri Jesu Christi? in cujus morte satis constitit, non ita terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere prædicandam & optandam. Quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti voluit, longè aliud à se peti expetarique oportere apertissima distinctione declaravit.* Eadem ergo si sunt in utroque testamento, quis querelarum jam locus? Eadem utrobique sonant æternæ veritatis oracula, charitatis hortamenta, quid ergo ullorum vicem dolemus? At, inquies, quæ nunc revelata patent, tunc obumbrata latebant: assentior equidem, sed ne attendas tantùm, quod figuratum velo; attende etiam quod cupiditatum fumo illa tum obumbrabantur: & nunc non tam figuratum explanatione, quàm cupiditatum serenatione & charitatis illuminatione patescunt. Argumento est quod vel tum si qui à terrenis voluptatibus expeditiores erant, ii in illa opacitate umbrarum æternam veritatem Christum intuebantur & osculabantur: & nunc si quos carnis æstus adhuc obnubilat, ii in lumine Euangelii inanes umbras & temporales quisquilias vident & incassum prehensant. Ergo velantur & revelantur arcana sapientiæ pro sua cuique fumigantium cupiditatum vel obtenebratione, vel serenatione. Si autem prætendere vela aliqua sacramentorum & figurarum Deus videatur, consulit hominibus, dum cæcutientibus obumbrat ea, quibus præstricti magis excæcarentur, & perspicacibus revelat, quibus vegetati recreentur. Humano igitur generi Christum jam tum Deus repræsentabat, sed illum sibi

L. qq. super Num. c. 1 t.

III. Eadem sunt in utroque testamento: utrobique æterna veritas & charitas Christi, sed hic patens, illic latens sub temporalium involucro, carnalibus accommodato.

obnubilabat infantia & adolescentia hominum, tenebrosis libidinibus adhuc ebulliens, Deumque cogebat intolerabili suo fulgori umbratica quædam temperamenta circumjicere. Prodest enim ea dissimulari integumento aliquo, quæ nudata conculcarentur, non sine conculcantis pernicie. Insaniebant homines terrenarum libidinum vesania. Persuaderi poterat illis, has delicias à vero Deo donari, non ab homine, non ab idolo. Spernendas autem omninò, & abiiciendas, pro illius ætatis hebetudine persuaderi non poterat. Nihil ergo conducibilius fuit, quàm ea sacra illis concinnari, quibus terrena felicitas à Deo petenda palam prædicaretur, omnino fastidienda clam insinuaretur, ut illud tenentibus, hoc quoque sensim adhæreret.

Et totus hic orbis corporeis sensibus nostris undique obvius, undique irruens, aliud carnalibus, aliud spiritalibus concionatur. Carnalibus enim & à carnis fœculentia aliquantulùm emergere enitentibus, & Deum esse, & naturæ totius opificem esse, & ab ejus largitate terrenas opes blanditiasque omnes promerendas esse persuadet. At spiritalibus præterea insinuat hæc materialia non esse, nisi intelligibilium obsoleta imitamenta, & temporalia æternorum, mutabilia immutabilium; his innitendum, ad illa conitendum: his umbram, illis veritatem; his ludibria sensuum, illis germanam animi felicitatem contineri. Carnalibus ergo liber iste naturæ velatus est, spiritalibus revelatus, is tamen utrique, non alia magis quàm suarum cuique cupiditatum tempestate obscuratus, aut enubilatus tranquillitate. Non aliter Scripturæ codex, non aliter generis humani & orbis à Deo administrati regimen singulos convenit, *singulos alloquitur*, pro intimo cujusque affectu: incipientibus exordia pietatis dictat, temporalium usum temperare & ad Deum authorem reflectere: proficientibus altiora inspirat decreta, de æternorum veritate ambienda, & temporalium omnium contemptu emercanda: porrò quæ proficientibus insusurrat, eadem & incipientibus susurrat, sed surdis canit auribus, ideoque tacere existimatur, cùm non taceat, sed minus ex audiatur. Atque ut videas quàm non susurrarentur, sed intonarentur etiam validissimè carnali populo æternitatis oracula, adverte quàm frequenter oculis subiicerentur, & pii miseriis temporalibus conflictati, & impii terrenis bonis circumfluentes. Sed ad hæc illa adhuc ætas obsurdescebat. Augustinus: *Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur, & malis: ne ejus cultores adhuc in profectu animi parvuli, hæc ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc est sacramentum veteris Testamenti, ubi ecultum erat novum, quod illic promissa & dona terrena sunt, intelligentibus & tunc spiritalibus, quamvis nondum in manifestatione prædicantibus, & quæ illis temporalibus rebus significaretur æternitas, & in quibus Dei donis esset vera felicitas.* Et præclarè rursum: *Nam perductus est populus ad patriam promissionis. Nunquid semper staturam? Si hoc esset, non esset figura, sed res. Quia verò figura erat, ad temporale quiddam perductus est ille populus. Si ad temporale quiddam perductus est, oportebat ut desisteret, & defectu suo cogeretur quærere, quod nunquam deficeret. Synagoga ergo, id est, qui Deum ibi piè colebant, sed tamen propter terrenas res, id est, propter ista præsentia. Sunt enim impii qui præsentium rerum bona à dæmonibus quærunt. Hic autem populus ideò melius erat gentibus, quod quamvis præsentia bona & temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium & spiritualium & corporalium, &c.* Ad Deum ergo populus iste carni manciparus retorquebatur, hoc primùm facillimo vinculo, suarum scilicet cupiditatum, quas nisi Dei nutu terrenis bonis satiari non posse

IV. Hæc de auctoritate ostendit temporalem felicitatem à Deo esse promittendam & quæ spiritualibus, quæ carnalibus occultè sub figuris quærenda.

admo-

admonebatur. Sed hinc rursum illiciebatur ad ulteriora, ad spiritalia, fuga scilicet temporalium quibus inhiabat. Temporalia enim cùm essent, nec stare, nec constare poterant. Aderat ergo tota Christi disciplina, aderat medicina plenissima, cùm temporali felicitate præsente, ad Deum ejus authorem invitabantur, & eadem dilabente, ad Deum æternorum bonorum principem incitabantur; sed carnales priùs illam, nonnisi seriùs istam curationis suæ partem capiebant. Hic porrò status est, hæc natura totius rerum temporalium universitatis. Temporalis enim pulcritudo blanditur, ut ad Deum opificem suspiciamus; sed ejusdem fugacitas vellicat, ut ad æterna suspiremus. Ibidem paulò pòst: *Posteà verò populus iste intellexit, quid eum admoneret Deus quærere, cùm ista temporalia subtraheret servis suis, & donaret ea inimicis suis, blasphemis, impiis; admonitus intellexit, quia præ omnibus quæ dat Deus & bonis & malis, & aliquando aufert & bonis & malis, præ omnibus servat aliquid bonis. Quid est, Servat aliquid bonis, quid illis servat? Seipsum.*

V. Per temporalia ad Deum illectis, eadem temporalia subtrahebantur, ut æterna amare & quærere compellerentur.

Usque adeò autem implicata erat, usque adeò explicabat se & emicabat in veteri Testamento æternitas veritatis & charitatis & totus Christus, ut nisi huc se converterent, nec in illa possent consistere carnali Synagoga. Ubi enim terrena bona quibus inhiabant, & sibi subtrahi, aut suffugere, & idolorum cultoribus copiosiùs affluere conspicabantur, nisi ad Christi spem sempiternam & æternitatis felicitatem confugerent, animumque & vota sua converterent, necesse utique erat, ut ad idola delaberentur. Sine Christo ergo illud temporale testamentum non consistebat. Augustinus: *Hortamur illos, ut filii sint hominum, qui sub tegmine alarum ejus sperant, & misericordiam illam desiderant, quæ in cœlo est, & quæ annunciata est per nubes. Sed si non possunt adhuc, interim vel temporalia bona non desiderent nisi ab uno Deo, & sic in veteri Testamento serviant, ut ad novum perveniant. Nam & populus ille terrena bona desideravit, regnum Jerusalem, subjectionem inimicorum suorum, abundantiam fructuum, salutem propriam, salutem filiorum suorum. Talia desiderabant, & talia accipiebant. Sub lege custodiebantur. Desiderabant à Deo bona quæ dat & jumentis, quia nondum ad illos venerat filius hominis, ut essent filii hominum. Tamen jam habebant nubes annunciantes filium hominis. Venerunt ad illos Prophetæ, annuntiaverunt Christum, & erant ibi quidam qui intelligebant, & spem futuram habebant ut acciperent misericordiam quæ in cœlo est. Erant ibi qui nonnisi carnalia desiderabant & terrena, temporalemque felicitatem. Ipsis labebantur pedes ad facienda, vel adoranda idola. Quando enim illos admonebat & flagellabat in his omnibus quibus delectabantur, & auferebat ea, patiebantur famem, bella, pestilentias, morbos, & convertebantur ad idola. Talia bona quæ pro magno à Deo desiderare debebant, ab idolis desiderabant, & dimittebant Deum. Attendebant enim ipsis bonis quæ quærebant, abundare impios & sceleratos, & putabant se frustra Deum colere, quia non dabat mercedem terrenam.* Vides veteri Testamento usque adeò novum insertum & concatenatum fuisse, ut qui in hoc hebescerent, in illo statim titubarent & corruerent. Vides Christum & Evangelicam fidem non ita obscurè, ut quidam suspicantur, adumbratam tunc fuisse; sed satis perspicuè, quando nec ipsa litteræ temporalitas à Christi spe alienata constare poterat. Vides id Testamenti utriusque libro, quod orbis ipsius & naturæ decursu, peragi, sed aliquantò evidentiùs.

In Ps. 32.

Nam temporalium omnium fuga spontanea, jam Deum horum dominatorem intelligentes, admonet, æternorum etiam largitorem esse, & hæc potiùs ab illo captanda. Id ipsum manifestiùs duo testamenta vociferantur, cùm Deus Hebræis olim temporalia quæ promiserat, subtrahebat, ut ad æterna proliceret; cùm Prophetas ad hæc hortatores suggerebat; cùm posteà in unigenito Filio Incarnato de temporalium contemptu & æternorum amore legem solemniorem, exemplum efficacius, auxilium invictius dedicavit. Ita ergo naturæ rerum, & ipsi humanæ rationi accommodatissima est hæc tota Dei per utrumque testamentum providentia; semper & ubique à temporalibus ad æterna, & ipsa temporalium voce, facundia, evidentia ad æterna nos proliciens; per Christum ad Christum nos inescans; per sapientiæ & justitiæ temporalia involucra, quasi per carnem quandam Verbi, & denique per ipsam carnem Verbi, ad Verbi æternitatem, & demum ad Verbi Patrem nos perducens.

VI. Utcumque per rerum naturam, evidentiùs & efficaciùs per utrumque testamentum, à temporalibus ad æterna compellimur.

Et ipsi enim incarnato Christo carnaliter primùm, inde spiritaliter inhæremus. Undique enim gradus pueritiæ & juventæ, ac ætatum discrimina & vices incrementorum discerni æquum est. Augustinus: *Hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent. Sed quare ipsa primò promitti oportebat? Quia non primò quod spiritale est, sed quod animale, posteà inquit spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœlestis, tales & cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cœlo est. Ad imaginem terreni pertinet vetus Testamentum, ad imaginem cœlestis novum Testamentum. Sed ne quisquam putaret ab alio factum esse hominem terrenum, ab alio cœlestem: ideò Deus ostendens se esse utriusque creatorem, etiam utriusque testamenti se esse voluit authorem: ut & terrena promitteret in veteri Testamento, & cœlestia in novo Testamento. Sed tamdiu primus homo terrenus es, quandiu terrena sapis.* Num tota hæc mundi fabrica non satis argutè Deum prædicabat omnium architectum & administratorem? Sed quia jam ad hanc mundanam eloquentiam occalleſcebant homines, id ipsum Deus disertiùs per veteris Testamenti dispensationem voluit inculcare. Num temporalis creaturæ fluxus inhærentes sibi & prehensantes quasi desideriorum manus fallens aut discerpens, non satis apertè ad æterna intelligenda & diligenda reflectebat? Sed id ipsum per calamitates Judæis olim inflictas, & per ipsam Christi vitam mortemque efficaciùs nos Deus addocuit. Et quamvis utroque utrumque addoceat, qui utriusque patientes sunt; prima tamen quasi elementa, Dei nempè ut temporalium largitoris culturam parvulis & carnalibus priùs & facilliùs persuadet. Pergit ibidem: *Nunquid quoniam puero dantur puerilia quædam ludicra, quibus puerilis animus avocetur, propterea grandescenti num non excutiuntur è manibus, ut aliquid jam utilius tractet, quod grandem decet? Verùm tamen tu ipse dedisti filio tuo, & nuces parvulo, & codicem grandi. Non ergo, quia illa quasi ludicra puerorum Deus per novum Testamentum excussit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandescentibus, propterea priora illa non ipse dedisse putandus est.* Vides quàm necessariò indulgendum sit aliquid tenellæ ætati. Miramur & quasi insolens stupemus interdum Testamentum vetus, & anxiè ferimus quòd non statim Christum cum gratia & Euangelio Deus emittere maturarit. Et tamen, ut notat Augustinus, id ipsum nos quotidie factitamus. Nam parvulis nostris & carnalibus & spiritalibus, non statim porrigimus sublimioris sapientiæ codices, non solidos cibos, sed crepundia, sed lac, atque fomenta eorum teneritudini coaptata. Hæc hominis natura, hoc decus nostrum, hic modus est. Ita singuli regimur privatim, quin ergo & omnes universim? Num aliud omnes & universi, quàm homines sumus? Num etiam universi mutabilitati non subjacemus? Num mutabilitatis flumini innatantibus consuli providentiùs potest, quàm ut ipso

VII. Ita & per carnem Christi ad Verbi æternitatem traducimur. [Ps. 44.]

decursu suo, & profectuum vicissitudine ad æternitatis incommutabilitatem provehantur? Nonne & in Christo alii sunt parvuli, quibus carnis & lactis blandimenta subministrantur; alii adultiores, quibus caro non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat, & qui ne Christum quidem secundùm carnem jam norunt? Sed de his postèa. Pergit sanctus Augustinus: *Denique omnia quæ Judæis promissa fuerant, ablata sunt. Ubi est regnum eorum, ubi templum, ubi unctio, &c. Jam perdidit terrena, & nondum quærit cœlestia. Inhærere ergo terrenis, quamvis ea Deus donet, non debet, &c. Nam si pro magno ea daret, malis ea non daret. Ideo autem ea voluit dare & malis, ut discant boni aliud ab eo quærere, quod non dat & malis, &c. Si illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum novum Testamentum nondum fuerat revelatum, quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cœlestia in novo Testamento revelata sunt?* Inexcusabiles etiam tum erant, qui terrenis inhærebant, etiam nondum revelato novo Testamento, quia lucem novi Testamenti sua ipsis velabat atque offuscabat cupiditas. Nam fugacitas ipsa temporalium nativa, crebra calamitatum quibus eos Deus erudiebat incursatio, bonorum terrenorum plenior plerumque apud malos quàm apud bonos & securior copia, administratio denique tota & orbis & synagogæ, contemni terrena, amari cœlestia hortabatur, Christum & Euangelium offerebat. Non deerat ergo Christus ante suum adventum adventans; per ipsas cupiditatum blanditias, cupiditatum excidium indicens; per temporalium ærumnas æternitatis charitatem concilians, & litteræ vel creaturæ involucro, tanquam sapientiæ intelligibilis præludoria corporatione, Euangelicam prædicationem toto orbe perpetuans, & per omnes ætates propagans.

VIII. Ut timor, ita & amor carnalis sub vetere Testamento ad Christum præparabat ad charitatem, ad æternitatem sed parvulis ita congruebat, Ps. 18.

Et quàm consentaneum erat, ut illi ætati quæ solo timoris fræno poterat circumagi & ad bonum agi, solo etiam temporalis felicitatis gustu pietas rudis præformaretur? Nam affinia & conjuncta sunt ista, amor temporalium possidendorum, & amittendorum eorundem timor. Augustinus: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Præceptum Domini lucidum sine velamento carnalium observationum, illuminans hominis interioris aspectum. Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi. Timor Domini, non ille sub lege pœnalis, temporalia bona sibi subtrahi perhorrescens, quorum dilectione anima fornicatur: sed castus, quo Ecclesia sponsum suum quanto ardentius diligit, tanto diligentius cavet offendere: & ideò non foras mittit consummata dilectio timorem hunc, sed permanet in sæculum sæculi.* Quàm finitimus ergo est puerili ætati timor, tam cognata ei temporalium illecebrarum suavitas. Et id rursus declarat Augustinus: *Cùm enim charitas legem impleat, prudentia vero carnis commoda temporalia consectando, spiritali charitati adversetur, quomodo potest legi Dei esse subjecta: id est, libenter atque obsequenter implere justitiam, eique non adversari, quando etiam dum conatur, vincatur necesse est, ubi invenerit majus commodum temporale de iniquitate se posse consequi, quàm si custodiat æquitatem? Sicut enim prima hominis vita est ante legem, cùm nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit, quia non est qui prohibeat: sic secunda est sub lege ante gratiam, quia prohibetur quidem, & conatur à peccato abstinere se, sed vincitur, quia nondum justitiam propter Deum & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, &c. Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur,* In exposit. epist. ad Gal. *quod nisi charitate spirituali, quam Dominus exemplo suo docuit & gratia donavit, fieri non potest.* Ætati igitur illi crudæ & immaturæ, temporalium tanquam puerilium blandimentorum, vel amittendorum timor, vel fruendorum amor, aculeus erat idoneus, quo stimularentur ad justitiam, eique quantum illa ferebat ætas, id est puerilitèr & inconstanter adhærescerent. Puerorum est enim propria levitas & alternatio. Itaque justitiam non propter seipsam, sed propter temporalia commoda sectabantur, quocirca & ab illa deficiebant, ubi horum major copia aliunde affulgebat. Erat utique hæc pietatis mira imbecillitas, sed gradus tamen modusque, illi ætati accommodus, & ad ulteriora trajecturus.

IX. Annuebat justitiæ propter se, sed ob temporalia, ad quæ impetrata, secundum inclinationem, propendebat. Contra Gaudentium. Ps. 118. Contra Faustum.

Non erat autem è dignitate Christi, ut tum ad terras devolaret; ipsum enim decebat dedicatorem esse & principem ejus ætatis, qua justitia propter seipsam, ideoque constanter diligitur. Quid enim Christus, quàm justitiæ sempiternæ in animam, in mentem, in cor, in totum hominem & in intimas ejus medullas illapsio penitissima, & inexpugnabilis conglutinatio? At temporalia adhuc sectantibus & eorum amore Deo famulantibus non inhabitat justitia, sed foris alludit, & ostendit se, allicitque ad se his tanquam crepundiis. Unde idem: *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur, neque faciebant; quia non ipsa, sed aliud diligebant. Unde illa non erant opera volentium, sed onera potiùs invitorum. Cùm verò ipsa mandata diligantur super aurum & lapidem pretiosum multum, omnis pro ipsis mandatis terrena vilis est merces; nec ulla ex parte comparantur quæcumque alia hominis bona his bonis, quibus ipse fit bonus homo.* Vides non illabi homini justitiam, non incarnari, quandiu terrena mercede puerilitèr inescatur; sed circumvolitare, ut ita dicam, & extrinsecùs sese ostendere. Et rursus idem: *Illi etiam quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant; imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit aut metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* Ab his ergo longè adhuc aberat justitia, procul sapientia, & ad eos tamen adventabat; illis exerebat se, nondum inferebat: admovebat sibi, nondum conglutinabat; præparabat, nondum inhabitabat, nondum incarnabatur. Videbantur illi sibi servare mandata, nec servabant, quia puerilitèr servabant, non virilitèr; servilitèr, non liberalitèr. Servabant utique quantum fluxæ & evanidæ ætati congruebat, non quantum ipsius justitiæ dignitati.

Ad Bonif. lib. 1.

X. Portenta hominum, ut homines justificarentur, deberent non perficiendo perficere. Christus umbratus. Contra Faustum.

Umbratica ergo erat eorum justitia, nondum veritas, unde & justitiæ ac sapientiæ seu Christi umbris & figuris pascebantur, nondum solido corpore. Et infrà: *Verùm hæc planè magna distantia est, quod faciunt ista sub lege positi, quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi; & ideò non vere faciunt, quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur.* Non vera illa justitia; sed inchoata, & prolusio conatusque potiùs justitiæ, quàm justitia; quamobrem & Christus illis simulatus adumbratusque exhibebatur, ac sui quasi periculum faciens, sequè per umbras veri insuefaciens verè aliquando cum hominibus congredi. Concinebant hæc omnia, cùm & temporalis felicitas æternæ imaginem ac sponsionem: & carnalis

nalis justitia spiritalem, & Christi figura multiplex ejusdem corporationis veritatem præcurreret præluderetque. Nequis autem ferat iniquiùs hanc morositatem, neu præfestinatò Christum incarnari jubeat, Primævæ enim ætatis teneritudini nisi sensim & gradatim sapientia instilletur, nisi lenocinantibus temporalium voluptatum illecebris, umbra potiùs justitiæ quàm vera justitia primùm inspiretur, spes futuræ perfectionis non præmaturatur, sed præfocatur. Unde ibidem: *Deinde quia Testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere, novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire: ideò in illo sunt promissa terrena, in isto promissa cœlestia: quia & hoc ad Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem nisi à Domino creatore universitatis putet cuiquam posse conferri. Sed si propter illam colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ.*

Necessarium est cumprimis & non incuriosè pensitandum hoc temperamentum, illustrando autem huic dogmati nostro accommodatissimum. Ne justitiam eorum, qui sub lege divinis obsequebantur mandatis, non alio tum quàm temporalium bonorum delinimento illecti, æquo plus vel extollamus, vel deprimamus. Erat enim illa puerilis adhuc & servilis, erat infirma & vacillans, erat umbratica & personata justitia, quæ non ipsius propter se justitiæ pulcritudinem, sed illius umbras in temporali felicitate descriptas prosequebatur. Ideò ab Augustino extenuatur; imò illius justitiæ compos homo ab Augustino reus agitur, ut animo adhuc ad iniquitatem, si modò impunè liceat, propendens, & voluntaris in ima projectæ vulnera premens magis, quàm sanans. At illa tamen justitia erat initialis, rudique ætati idonea; quæ ad Deum proficere incipiens, in umbris justitiæ ipsam aliquando justitiam propter se amplecti meditabatur; reatum sin minùs tollens, at tollere incipiens: vulnera animæ non persanans, sed sanare incipiens. Ergo illi justitiæ id evenit quod rerum optimarum initiis. Hæc enim & perstringi ac vilipendi possunt, si in eis conquiescens aliquis ad ulteriora excutere se & eniti pigritetur: & summoperè extolli, si nisus & industria sese exerat, ut ad columen perveniatur. Nemo autem conqueri debet de cunctatione perfectioris justitiæ, quando viderit initia quædam ad eam jam surgere, & initia quidem; sed tamen ad eam fervere. Quin etiam censetur jam adesse summa justitia, quando in suis initiis adest, quando concipitur, quando nascitur, quando adolescit, etsi nondum juvenescit. Itaque & Christus ante legem, & sub lege jam tum aderat, quia seminabatur, quia nascebatur, quia initia & fundamenta summæ sapientiæ jaciebantur & justitiæ, quia tantus vel tantillus aderat, quantus vel quantillus per illam ætatem & suam & nostram adesse poterat. Et in sua enim carne cùm nasci orbique illucere dignatus est, mortalitatis & mutabilitatis nostræ vices subiit, exordia & progressiones excurrit, & in infantia etsi non eminebat, erat tamen summa virtus & sapientia Patris. Ita & in humani generis infantia & pueritia jam inde à mundi exordio, sapientia & justitia à Deo nobis factus crescebat & confortabatur Christus, & quanquam non tota sese foris explicaret, inerat tamen vel in sui proœmiis maturitas & summus apex sapientiæ. Quanquam enim veterem hominem Deo renascentem & repueraſcentem justitiæ omnes agerent extrinsecùs, & eam quasi personam à Deo tum sibi impositam sustinerent: singuli tamen intus succrescere poterant ad maturum juventæ robur, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, quia nihil eis deficeret ejus gratiæ & charitatis perfectæ, quam sua nobis morte Christus accumulavit. Nam singulorum juventa spiritalis, dummodò latitaret, aut emicaret rariùs, nihil universali vel infantiæ, vel pueritiæ derogabat, quàm pulcritudo universitatis jubebat tum dispensari. Itaque extitere tunc Patriarchæ, Prophetæ, aliique non pauci, quos ætatem plenitudinis Christi assecutos intusque defunctos esse nemo ambigit. Ex eo ergo quod tunc sub lege, vel ante legem degeret genus humanum, non ex eo effici potest cuiquam defuisse interioris gratiæ Christi valida auxilia, quia poterant singuli privatim sapientiæ & justitiæ Christi juventam vegetam latenter agitare, cùm patenter universim veteris hominis inter cunas reptantis & tardiùs ad divina proficientis partes actitarent.

XI. Quo temperamento debeat veteris testamenti justitia nec plus æquo deprimi, nec plus æquo extolli. Sed pro modo justitiæ non deerat Christi præsentia.

XII. Accepto ferendi Christo sunt omnes medicinæ gradus quantùvis tenues: utputa si per temporalia vel mundi, vel legis ad Deum compellamur. L. 10. civit. cap. 14.

Sed cùm ex Augustino multa & penè nimis multa hactenùs prompserimus, nihil aptius hoc uno loco: *Sicut autem unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei providentiam pertinet, recta eruditio, per quosdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit accessibus, ut à temporalibus ad æterna capienda, & à visibilibus ad invisibilia surgeretur. Ita se ut etiam illo tempore quo visibilia promittebantur divinitùs præmia, unus tantum colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficiis, cuiquam nisi vero animæ creatori ac Domino subderetur.* Et paulò pòst: *Optimè igitur anima humana adhuc terrenis desideriis infirma, ea ipsa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena, vitæ huic transitoriæ necessaria, & præ illius vitæ sempiternis beneficiis contemnenda, non tamen nisi ab uno Deo expectarè consuevit, ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat, ad quem contemptu eorum & ab eis aversione proveniat.* Quo uno textu disceptata hactenùs omnia continentur, quæ ad duo summa capita restringimus, à quibus reliqua apta nexaque sunt. Nempè hanc esse rerum omnium visibilium naturam, hanc legem, hanc Dei in iis condendis voluntatem, ut ab iis invisibilium æternitas intellecta conspiciatur. Itemque hunc esse animis in ima effusis primum emersionis & restaurationis gradum, si imis incumbant ut ad superna resurgant; si cupiditatibus ipsis suis ad finiendas cupiditates pertrahantur; si terrena quæ sola sapiunt, à Deo petere ita insuescant, ut Deo consuescant familiariùs; ab eoque divina sapere atque amare tandem adducantur. Cùm ergo ea sit natura rerum visibilium à Deo instituta, ut ad invisibilia alliciat, cùm nos præposterè visibilium pulchritudine pellecti ab invisibilibus defluxissemus; quando per visibilia rursùs & terrena ad intelligibilia & æterna gradatim revocari cœpimus, tum cœpit restitui rerum natura, tum Christus naturæ reparator orbi affulgere & aspirare cœpit. Ergo ne ea quidem prima restitutio qualiscumque nisi Christi sanguine procurata est. Rursum cùm primus sit ad Deum accessus, quamquam nondum proximus, sed satis longinquus, accessus tamen animæ ad Deum: cùm Dei antea immemor & terrenis deliciis immersa, has ipsas à Deo fundi, & ab eo petendas esse adducitur & assentitur, & hic quoque salutis recuperatæ primus, vel recuperandæ progressus Christo incarnato imputandus est. Unde idem: *Benigna & paterna indulgentia hæc donat, quæ non vult remanere in filiis suis jam grandiusculis, jam proficientibus. Donat ergo pueris nuces, quibus servat hæreditatem. Ludentibus & de quibusdam ludicris se oblectantibus, cedit paterna pietas, ne deficiat et eius infirmitas.* Hæc benigna indulgentia, & paterna pietas Dei, cùm ad æternam salutem defitura sit demum, Christi sanguine utique conciliatur. At & humanum genus illo gradu ad Christum aliquando suscipiendum promovebatur à Deo, & singulis quibusque plerumque prima spiritalis curationis auspicia indidem ducuntur: *Dicimus ita esse ista munera Dei, ut tamen sint infima: & in comparatione salutaris*

Ser. 311. de diverſ. c. 1.

L. cont. Adimant. c. 18.

confessionis non solùm amittenda, sed ultro etiam proiicienda: carnalibus tamen hæc amantibus, & nondum capientibus promissa cœlestia, ne ab idolis & dæmonibus ita peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita. Avocati ab idolis & ad Deum verum reflecti, jam diluculum erat sanitatis, quod à Christo medico irradiabatur. Et alibi eos idem exagitans qui æterna Deo, temporalia dæmonibus regenda, largiendaque assignabant: *Contra istam opinionem divina providentia vigilavit; ut ostenderet Deus ad se pertinere ista omnia, & in sua potestate esse, non solùm æterna quæ in futurum promisit, verùm etiam temporalia quæ in terra dat quibus voluerit, & quando voluerit opportunè, sciens cui det, cui non det, tanquam medicus medicamenta, sciens melius morbum ægroti, quàm ipse ægrotus. Ut ergo Deus hoc ostenderet, distribuit tempora veteris ac novi Testamenti. In veteri Testamento promissiones sunt rerum terrenarum, in novo autem regni cœlorum.* En quàm apertè de arte & consilio medicinæ hanc veteris etiam Testamenti dispensationem profectam esse docet. Et medicamenta utique appellari debent, quibus impietas idololatriæ profligabatur, aut prævertebatur. Religionis & sanctimoniæ hoc caput, hoc fundamentum est, unum Deum profiteri, portenta spuriorum numinum execrari. Hæc via prima salutis. Non ergo cuiquam nisi per Christum pandenda. Et rursum: *Synagoga ergo, id est, qui Deum ibi colebant, sed tamen propter terrenas res, propter ista præsentia. Sunt enim impii qui præsentium rerum bona à dæmonibus quærunt.* Si illos Dei propter temporalia bona cultores, cum his impiis conferas eadem mendicantibus à suis idolis, jure meritò pios pronunciabis, ut Deo vero addictos, ut impietatis gentilitiæ puros, ut divinæ providentiæ devotos, ut Deo congredi & consuescere incipientes, ut sua hæc cum vero & æterno Deo familiaritate in verorum & æternorum bonorum gustum & amorem proclivius inclinandos, atque adeò ut sempiternæ salutis jam prima limina prætergressos, non sine Christi Salvatoris idonea opitulatione & his initiis sufficiente. Si rursus eosdem conferas cum iis qui Deo propter æternorum, & propter ipsius Dei charitatem famulantur, atque adeò his illos ex adverso obiicias, ut nunquam in horum gregem ascisendos, non immeritò illorum vicem dolebis, & objurgabis inertiam, quod cœptæ sanationis initia non promoveant, quod reliqua vulnera incurata dissimulent, quod sordescant adhuc nefariatum cupiditatum illuvie, quod non tam Deum quàm avaritiam suam colant, id enim colitur quod diligitur; quod denique verissimæ Christi gratiæ & medicinæ totius ægritudinis expugnatrici reluctentur. Inter illos gratulantes, & hos iisdem conviciantes, videtur compugnantia quædam intercesse, nec ulla tamen est, nisi in speciem & verbo tenus. Nam & auspicatis initiis gratulandum est convalescere incipientium, & iisdem vehementer condolendum atque illacrymandum, si reliqua respuatur & potissima medicina, perfectæque sanitatis spes abiiciatur. Perspicuum est & quotidianum in iis experimentum, qui vel ex morbo corporali recreari incipiunt, & mox ægrescunt deteriùs: vel ex morbo animæ præludoriis quibusdam pœnitentiæ remediis relevari & revalescere aliquantulùm, si posteà ex incuria vel contumacia resorbentur in eamdem voraginem.

In Ps. 34. conc.

CAPUT V.

Quæ hactenus de humani generis pueritia, legis, timoris & temporalis mercedis imbuenda tyrociniis, & ita ad Christum manuducenda, disputata sunt uno ex Augustino, reliquorum Patrum astipulatione muniuntur.

QUia cæteros omnes hac in parte unus superavit Augustinus ubertate & copia quadam incredibili, id in causa fuit, ut quatuor superioribus Capitibus obmutuerint reliqui Patres, & discepandæ hujus controversiæ partes illi uni mandaverint. Nunc ne elingues, aut ab ejus sententia alieni videantur cæteri cuiquam, singulorum aut sanè complurium astipulatio hic obiter audienda: Nefas est enim promulgari à quoquam, nedum ab Augustino, doctrinam non à majorum authoritate, & ab ipsis usque Apostolicis fontibus haustam, & ad posteros derivatam ac derivandam. Nefas est & ab instituto hujus nostri operis alienum, unius à Patrum Senatu sententiam ita solam amplecti, aut solam ostentare, ut cæterorum, vel assensus contemni, vel dissensus dissimulari existimetur.

I. Prædictum necessitas quædam nos cogit.

Porrò in reliquorum Patrum assertione explananda, consultius visum est & brevitati accommodatius, quæ hactenus distinximus, ea permiscere, & legem, timorem, temporalis felicitatis illecebram, tanquam puerilium elementorum congeriem quandam promiscuam, unà pertractare. Ita enim intexta sunt permixtaque hæc omnia, ut nisi magno temporis impendio seponi non possint. Illud etiam præfandum excusandumque necessariò est, non inutiliter replicari antedicta, & penè nauseantibus quædam iterum, iterumque ingeri. Quæ enim ita à nobis refricantur sæpiùs, etsi in speciem protrita & obvia videri possint, reapse tamen abdita sunt, recondita sunt, profundioris egent indagipis, acumen totum ingenii & penè oculum contemplationis desiderant, ut non extrinsecùs delibentur, sed in medulla introspiciantur. Itaque eo abstrusiora sunt, quo promptiora videntur, & incautos fallunt, fugiuntque dum teneri putantur. Experior & ipse, quàm facilè elabantur, nec vel cogitando, vel scribendo comprehendi se & alligari patiantur à nobis. Unum illud est maximè in quo cardo vertitur hujus meditationis, de Christi adventu in plenitudine temporum, quod nempè homo & quilibet sigillatim & omnis universim puerilibus ante quibusdam imbuendus sit per legem, per timorem, per terrenas blanditias rudimentis, quàm ei infundatur & incarnetur æterna & summa sapientia ac justitia Christus; & singulis autem & universim gradatim tantumdem incorporetur & inhumanetur Christus, quantum ab imo surgentes in sapientia & justitia proficiunt: tunc autem verissimè incarnetur, cùm perfectioris sapientiæ & justitiæ capaces jam sunt. Hæc summa, hoc caput est, hinc religata pendent, huc collimant omnia, hoc sexcenties inculcatum jam supra est, hoc frequentiùs post hæc inculcabitur. An ergo recocta crambe nauseantibus obiicitur? An tempori, an operæ, an lectorum fastidio illuditur? Non desunt alia in quæ excurramus, sed hìc, hìc sistere & vel fastidiosos remorari juvat & consultum est. Hoc enim quo magis obvium videtur, hoc abstrusius est, hoc magis fallit. Hoc sapientiæ, hoc intelligentiæ, quantula in Incarnationis incomprehensibili sacramento radiare & explicare se potest, summum lumen, summum columen est. Hoc in sanctorum Patrum de inhumanatione Verbi doctrina luculentissimum, hoc reconditissimum est. Hoc arcanum, ut sentio equidem, vel à limine salutare pauciissimi, penitùs invadere ac perlustrare vix unus aut alter potest;

II. Quin non exprofesso dumtaxat hoc caput & propositum agat,

Ita-

Itaque nictitans ego ipse & palpans mihi videor fores tentare & pulsare, penetralibus inhiare, non illabi; ideò quodammodo luctor & conor irrepere, ac statim repercuti me sentio; nec spem tamen præsecari.

III. Augustino suffragatur Ambrosius, in exponenda legis uti litare ad Christi fidem initiandam. Ep. 71.

Gratior Augustino suffragator & libentior nullus accedet quàm Ambrosius, fortasse nec copiosior. Quo etiam aptiùs mitigari poterit ea, quæ in Augustinum quasi asperioris hujus doctrinæ principem & primum Architectum, invidia conflagraverat? Aspera enim audire non debebit ea doctrina, quam Ambrosius melle dulcior fuderit; nec invidiosiùs imputabitur Augustino, quod illi Ambrosius, quod Ambrosio ut posteà patebit avitæ Theologiæ trames irrigavit. Ambrosius ergo Epistola ad Iræneum sic habet: *Decursa lectione Apostoli non perfunctiore, motus es, quia audisti hodie lectum, Lex enim iram operatur; ubi autem non est lex, nec prævaricatio. Unde & consulendum arbitratus es, cur lata sit lex, si nihil proderat, imo oberat: quæ operaretur iracundiam, & prævaricationem introduceret. Equidem secundùm interrogationem tuam certum est, non fuisse legem necessariam, quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis, implicavit atque innodavit magis humani generis infirmitatem, quàm elaqueavit atque absolvit.* Cùmque elegantèr disseruisset de ea lege intima, *quæ non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur*: secundùm quam in extremo judicio omnes homines distringentur, hæc subdit: *Solvit hanc legem Adam, qui voluit sibi arrogare quod non acceperat, ut esset sicut creator & conditor suus, &c. Ergo quia per inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interdicta est, ideò scriptum legis existimatum est necessarium, ut vel partem haberet, qui universum amiserat. Et cui perierat quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret & custodiret. Simul quia causa dejectionis ejus superbia fuit, superbia autem orta est ex prærogativa innocentiæ: debuit ea lex ferri, quæ subditum Deo & subjectum redderet.* Scopum legis propalare aggressus, & ei respondere, qui ex Apostolo argumentabatur obfuisse potiùs, quàm profuisse; illaqueasse, non exolvisse legem: duas statim depromit legis utilitates non mediocres, primùm ut corruptam peccato legem innatam, renovaret, & naturam jam reparare cœptaret: deinde ut frangeretur hominis superbia, & Deo cervix ejus mollita subiiceretur: *Lata est ergo lex, primùm ut excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum nescivi, quia præscriptum non erat, quid caverem. Deinde ut omnes subditos faceret Deo agnitione peccati.* Ex quo planum est consilio medicinæ, & Christi gratia jam hominibus admovente medicas manus suas, jam suum Christo rotante sanguinem dictatam esse legem. Auxilii enim genus est, lex & lux. Qua si contingat detegi fialè latentes morbos, & exagitati, & dum curari incipiunt, nonnihil ad tempus exacerbari, id quoque arti & beneficio medicinæ adscribendum est, & benevolentiæ divinæ mala nostra nobis beneverrentis.

IV. De eodem.

Quid enim beneficentius, quid divinæ misericordiæ convenientius, quid Christi gratiæ speciosius, quàm de malefacientibus benefacere, & de insania sanare, de exulceratione morbi morbum profligare, & demum quod mortis ejus singulare decus est, de peccato damnare atque interficere peccatum? Unde ille consequenter: *Universorum itaque culpa operata est subjectionem, subjectio humilitatem, humilitas obedientiam generavit. Itaque quia superbia culpam contraxerat, è contrario culpa obedientiam generavit. Unde lex scripta quæ videbatur superflua, facta est necessaria, ut peccatum peccato solveret.* An ergo dubium esse poterit, morti Christi legem accepto ferendam, quæ mortem Christi imitabatur; imò per quam mors Christi, ut sibi familiare est, peccato peccatum solvebat?

At inquies, per legem abundavit peccatum: ergo obfuisse, non profuisse, adeoque nec Christi sanguine delibuta fuisse censenda est. Respondet Ambrosius, non ibi hærendum in salebroso nimis loco, quòd per legem abundarit peccatum; sed ultra pergendum cum Apostolo, Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. Itaque legi non abundantia peccati, sed redundantia gratiæ imputanda est. Hæc enim redundantia gratiæ non illa tantùm interpretanda est ubertas gratiæ per Christum & post Christum plenior, quanquam & ad hanc lex deduxerit: sed illa etiam confessio, illa humilitas, quæ ex agnitione peccati jam non ampliùs latentis emergebat. Perinde enim est ac si medicinæ qua primùm summa morbi rabies tentatur & concutitur, ut aliis remediis posteà expugnetur, hanc mali concussi effervescentiam imputaret aliquis, & non illam quoque mali posteriorem expugnationem. Utraque illi tribuenda est, sed hæc magis quàm illa, quia hæc ejus scopus & finis est: *Sed ne rursùs aliquis deterreatur & dicat, incrementum peccati factum esse per legem, & legem non solùm non profuisse, sed etiam obfuisse arbitretur: habet quo suam solari possit sollicitudinem, quia etsi per legem superabundavit peccatum, superabundavit & gratia. Quid sit hoc, intelligamus. Superabundavit peccatum per legem, quia per legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse, scire id quod per infirmitatem vitare non possem. Ad cavendum enim prodest præscire, sed si cavere non queam, offuit nosse. Versa ergo lex in contrarium. Tamen ipso peccati incremento facta est mihi utilis, quia humiliatus sum. Unde & dixit David: Bonum mihi, quod humiliatus sum. Humiliando autem me, solvi vinculum erroris superioris, quo Adam & Eva exuerant omnem propriæ seriem successionis.* Vides superabundantiam gratiæ, nempè humilitatem ex lege fluxisse, ideoque legem non obfuisse, sed obesse visam esse, ut post prodesset. Quod apertiùs statim subiicit: *Crevit quidem culpa per legem, sed & culpæ author superbia soluta est: idque mihi profuit. Superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam fecit.* In illo tumore tota vis morbi fervebat. Per legem tumor superbiæ detumuit, non sine vulnere, sed huic vulneri gratulandum est, & medico percutienti ut sanet, & percutiendo sananti.

V. Ut lex naturalis tenuiùs, sed utcunque eadem præstaret, quæ lex Mosaica.

Et ne hujus utilitatis à lege profluentis & ad Christum deducentis exortes opineris alias gentes penitus fuisse, idem Ambrosius ibidem lege naturali non penitùs oblitterata, legis etiam scriptæ fama aliqua omnem in orbem dicta & disseminata, universo generi humano eandem à Deo docet adhibitam fuisse medicinam: *Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, &c. Quam debuimus vel futuri judicii metu servare, cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum semper pateat Domino, tum maximè in die judicii manifestabitur, quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere.* Non latebant ergo, sed putabantur latere; ideoque secundùm ingenitam hanc legem prævaricatores erant omnes peccatores terræ: hæc lex occultiùs, sed aliquatenus tamen reos convincebat, & ad humilitatem, ad confessionem, ad opem superni liberatoris implorandum coartabat. Rursum ibidem paulò infrà de lege Mosaica non obscuris rumusculis omnem orbem pervagata: *Ut omnes subditos fecit, quia non solùm Judæis data est, sed etiam gentes vocavit. Proselyti enim ex gentibus sociabantur: Neque vero exceptus videri potest, qui vocatus defuit.* Ita ergo omnes gentes aura Mosaicæ legis perflaverat.

Pueritiæ generis humani non potuisse consultiùs provideri, quàm legis terrore tanquam pædagogo admoto, quo sensim mansuesceret ad jugum Christi, & præceptorum ejus portionem primùm aliquam subiret, eorumque corticem litteræ lamberet, atque ita demum insuesceret convalesceretque ad ferendam ejus plenitudinem & medullam charitatis degustandam, idem tradit: *Non otiosè dixit Apostolus, quia lex pedagogus noster fuit in Christo. Pedagogus cujus est, maturioris, an adolescentis, aut pueri, hoc est, ætatis infirmæ? Pedagogus ergo sicut interpretatio latina habet, doctor est pueri, qui utique imperfectæ ætati non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat, &c. Sciebat duræ cervicis populum Judæorum, lapsum, humilem, perfidiæ promptiorem, &c. lubrico quodam infantiæ levem & immemorem præceptorum. Et ideò legem tanquam pedagogum mobili plebis ingenio, & menti adhibuit infirmæ, ipsaque legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi; ut insipiens saltem quod legeret, custodiret, & à præscripto litteræ non recederet; sapiens intelligeret divinæ mentis sententiam, quam littera non resonaret: imprudens servaret legis imperium, prudens mysterium. Ideò lex severitatem gladii habet, tanquam pedagogus baculum, ut imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denunciatione deterreat, &c. Ergo sicut pueris, ita Judæis mandata sunt non plena præcepta, sed ex parte: &, velut unam membri sui partem mundam servare præcepti sunt, qui totum corpus suum mundum servare non poterant,* Medicinale hoc utique & salubre atque Salvatoris Christi gratia temperatum regimen est, quo pueri, qui charitate nondum per ætatem possunt, saltem metu agantur; qui spiritum & mysterium legis nondum valent, litteram & imperium servent.

VI. De timore servili Ambrosius cum Augustino sentit.

Epist. 71.

Et ne mollior tibi videatur, atque ab Augustini sensu alienior Ambrosius, audi eadem aliquantò duriùs increpantem: *Ideò lex non prævaluit, quia carnem non mortificavit. Ideò quasi umbra pertransiit, ideò etiam obumbravit nos à sole justitiæ, coacervavit crimina, non delevit, &c. Accessit vinculum, non solutio; addita est peccatorum agnitio, non remissio. Peccavimus omnes qui poteramus excusationem prætendere per ignorantiam, os obstructum est omnibus. Profuit tamen mihi, cœpi confiteri quod negabam, cœpi delictum meum cognoscere, & injustitiam non operire, cœpi pronunciare adversum me justitiam meam Domino, & tu remisisti impietates cordis mei.* Non legi imputanda nisi ex occasione illa criminum coacervatio; sed criminum agnitio, & detestatio, & confessio, & timoris aut charitatis etiam, sed adhuc tenerioris & immaturæ ad Deum liberatorem conversio. Nondum enim sub gratia, sed sub lege sunt adhuc, qui lege admoniti crimina sua agnoscunt, exhorrent metu divini judicii, confitentur, veniam & opem prant supernam, nonnulla etiam charitatis aura tepescunt, non ita fervent adhuc, ut vitia quibus repugnant, etiam expugnent. Hæc hominis pueritia est, hæc statio sub lege, nondum adulta juventa, nondum perfecta justitia, nondum charitas foras mittens timorem, nondum Christus. Imò jam Christus, sed sibi prævius, semet præcurrens, anteluçanos præseminans quosdam carnis suæ gratiæque radios. Quocirca nec Moyses olim in terram promissionis Israelitas induxit, sed Josue qui Jesu nomen præferebat, authoritatem præsignabat in veram & cœlestem patriam perducendi. Quod argumento posteris erat, non lege, sed gratia cœlum aditi, *Ideò nec Moyses eos induxit, ne legis hoc existimetur esse, sed gratiæ,* ut ait Ambrosius. Quod & à reliquis Patribus ferè omnibus animadversum est. At quanquam Moyses non perduxerit, adduxit tamen, & admovit proximè, & longo profectionum profectu immanem quandam utilitatem contulit, etsi salutis summam non attulit.

Ep. 73.

In Psal. 43.

Sub Moyse, hoc est sub lege fuerunt, non ii tantùm qui in deserto per varias strages deleti sunt; sed & ii, imò ii maximè, qui dictis ejus obsequentiores ad ipsa terræ promissæ, id est, ad salutis limina perducti ab eo sunt, & mox à Jesu in repromissam hæreditatem inducti. Illi enim cervicosi non tam sub lege seu sub Moyse, quàm contra legem Moysemque erant: uti & nunc plerique non tam sub gratia sunt, quàm adversùs gratiam furiantur. At sequaces Mosaicæ dominationis & legis verè sub lege erant, nondum sub Jesu, nondum sub gratia; sed ad Jesum tamen & ad gratiam sub legis imperio & adjutorio iter carpentes, iter celerantes. Ergo hinc auguraberis, non legis commoda ex iis conjectanda, qui adversùs eam ferociebant, & insaniùs tumebant, ut nec Moysis utilitas ex iis qui in deserto pœnas defectionis luerunt: sed ex iis qui ex lege admoniti & contertiti, peccata agnoverunt, horruerunt, declinarunt, infirmitatisuæ opem supernam exoraruntIta ergo fit ut in Apostoli, in Patrum monumentis, legis utilitas nunc elevetur, nunc commendetur, citra compugnantiam: quia deserioribus exitialis, sequacibus salutifera & Christi anticipatrix quædam fuit lex. Idem Ambrosius: *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. Quare non sit consecutus, agnosce, quia se justificare cupiebat, quia operum suorum jactantiam requirebat, quia fidem non detulit, nec gratiam recognovit, & ideo electio consecuta est, quæ vocantem audivit, audientem suscepit.* Quo utrumque genus complexus est; legis enim ad Christum vocantis vocem audierunt qui ex ea humiliati sunt, non audierunt quibus aures tumor obturavit.

VII. Duplex hominum ad legem subjectio.

In Psal. 43.

Sed ipsum nomen pædagogi, quo lex à Paulo decoratur, quantum legi debeamus, & quam tetram ingrati animi notam subeant, qui eam convellunt, apertè satis insinuat. Unde idem Ambrosius: *Lex secundum Apostolum, pædagogus est parvulorum, donec ad perfectæ fidei maturiorem quandam veniamus ætatem, &c. Ergo sanctus Propheta, qui adhuc in legis justificatione vivebat, videbat autem fulgorem Euangelii, quasi memor veteris disciplinæ legis, tanquam pædagogo utili gratiam reservabat. Consideret aliquem excedentem ex ephebis, in divitiis & honoribus constitutum, pædagogo suo honorificentiam reservatam habere, cujus officiis informatum se esse cognosceret, ut maturiorem regere possit ætatem. Monet siquidem etiam ipsa lex, ut his qui nobis aliquando profuerunt, nequaquam esse debeamus ingrati.* Puerili enim disciplinæ tota deinceps consecutura debetur quodammodo incrementorum perfectio. Pædagogo debemus, quod pædagogo jam non utamur: legi & timori debemus, quod in eam ematuruerimus justitiæ charitatem, ut terriculamentis illis jam incitandi non simus; lacti temporalium blanditiarum debemus, quod solido nunc veritatis æternæ cibo vescamur. Ergo utili pedagogo gratiam reservemus. Quæ utilitas non in eo tantùm versata est, quod superabundarit culpa, quam superabundantior gratia obruit & oblitteravit; sed in eo etiam & in eo potissimùm, quod sub pædagogi terrore ab opere peccati desueverimus, & inde etiam ab amore: quod imperio subesse didicerimus, atque ita assueverimus & mysterio: quod obedientiæ cervicem duriorem inflexerimus, ut emolliram & libentiorem charitati postmodum inclinaremus, in quo Christi gratiæ vestigia extant illustriora.

VIII. Legis ut pædagogi erat, ratio. In Psal. 43.

Legis etiam officia ominari possumus quàm salutaria humano generi fuerint, ex eo uno qui personam ejus videtur sustinuisse, Joanne Domini præcursore. Audiamus Ambrosium, cui ea in re Patres unanimi consensione suffragantur: *Factum est autem, ut sanctus Baptista Joannes pœnitentiam prædicaret. Et ideò plerique sancto Joanni typum legis imponunt, eo quod lex peccatum denunciare*

IX. Legis ut pædagogi officium claret ex Joanne eam personante. Legis gratia.

potuit,

potuit, donare non potuit. Lex enim unumquemque qui viam gentium sequebatur, revocat ab errore, restringit à crimine, pœnitentiam suadet, ut gratiam consequatur. Lex autem & Prophetæ usque ad Joannem: Joannes autem prænuncius Christi. Itaque lex Ecclesiæ prænuncia, & gratiæ prævia est. Personam ergo legis gestabat, vices obibat Joannes, perinde ut lex Christo præcurrebat, gratiam prænuntiabat; peccata ostendebat, non abolebat; oppugnari jubebat, non expugnabat; terrorem, non amorem indebat. At quis Joannem ambigat de hominibus bene meritum esse? Quis hoc ipsum quod revocaret ab errore, quod restringeret à crimine, quod pœnitentiam suaderet, inter beneficia Christi numerare abnuat? Gratiæ, charitati, Christo viam complanare, obstantia repagula superbiæ perfringere, quis gratiæ munera esse dissimulet? Erat itaque Joannes in hoc ipso suo munere defungendo, perinde ut reliqui omnes justi, Christi portio, erat Christi membrum & gratiæ Christi peculiare documentum. Et quando singuli eadem arte curantur qua universi, cùm suus in singulis nobis Christo præcurrit Joannes, pœnitentiæ præco, terroris & judicii ostentator, nonne hæc Christi gratia sentitur esse eximia, quod ita gratiæ præparamur? Nec enim gratiæ nisi per gratiam, nec Christo nisi per Christum præparamur. Ergo erat in lege, erat in Joanne Christus, erat gratia, sibi præcurrens, sibi viam aperiens & explanans. Idem Ambrosius: *Et fortasse hoc mysterium in hac vita nostra hodieque celebratur. Præcurrit enim animæ nostræ quædam virtus Joannis, cùm credere paramus in Christum, ut paret ad fidem animæ nostræ vias: & de vita istius tramite tortuoso, rectas semitas nostri faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris, quo omnis vallis animæ nostræ, virtutis fructibus possit impleri, & omnis sæcularium altitudo meritorum, Domino se humili magis timore prosternat, sciens nihil sublime esse posse, quod fragile est.* In c. 1. Luc.

X. Lex qua lac parvulorum sanguine Christi mabat. In c. 15. Luc.

Postremò tandem ne totum huc transferam Ambrosium, audi quid referat: *Lex enim ligavit sibi, ut absolveret cupiditatibus.* Et alibi: *Et ideo lex necessaria. Per legem enim peccatum agnovi. Si lex non fuisset, peccatum lateret. Agnoscendo peccatum, veniam peto. Per legem enim genera peccatorum, prævaricationis quoque crimen agnosco. Curro ad pœnitentiam, gratiam consequor. Lex ergo author est boni, quæ mittit ad gratiam.* Et rursus: *Illic qui infirmi sunt, adhuc quodam lacte legis potantur, & ideo per legis tramitem ducuntur ad gratiam: audiunt quæ legis sunt, ut ultra legem, legem sequendo procedant. Hic Ecclesia fundatior, non lacte imbuitur, sed cibo vescitur. Cibus enim validior est charitas.* Num lac quo ad solidum cibum roboramur, alio ex fonte quàm ex Christo profluit? Num lac istud aliud, quàm Christi sanguis est ad infantiæ blandimentum temperatus? Num currere ad gratiam, etsi qui currit adhuc, nondum sub gratia sit, aliunde quàm de gratia est? Et denuò: *Ideo lex data, promissa gratia. Ut lex peccatum ex parte resecaret, gratia omne donaret.* At peccatum vel ex parte resecare, gratiæ est, Christi muneris est. Sed quia tantilli beneficii authorem prædicari Christum, non est è dignitate ejus qui universam salutem confert; ideo gratia Christi non solet dici, nisi quæ justitiam & salutem impertit pleniorem. Itaque legem profuisse & salubre ex ea redundasse, sufficiensque ad ejus ætatis justitiam auxilium, ex Ambrosio jam indubitatum est, nec dubitari etiam potest, quin suam ex eo de his sententiam deprompserit Augustinus. Utque id extra omnem dubitationis aleam constituatur, audi eundem Ambrosium, duriora illa verba Augustino dictantem & simul emolientem: *Quid autem est quod tibi non contulit Dominus? Legem dedit, peccatum prodidit, adjunxit gratiam. Lex peccatum denunciavit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognovi enim peccatum quod nesciebam, cognovi concupiscentiam esse peccatum; & hac occasione, peccati æra cumulata sunt, &c. Cognitio culpæ quæ mihi profutura videbatur, hæc nocuit, ut scirem quod vitare non poteram. Peccatum enim prodidit, & per bonum denunciationis suæ, peccati istius cumulavit invidiam.* Cujusmodi alia complura ad eandem duritiem districta habet illo capite & sequenti: & tamen vide ut hæc statim mitiget & excuset: *Sicut ergo bonum est antidotum, etiamsi imprudenti, aut intemperanti non bonum: sic bonum mandatum, etiamsi intemperanti non bonum est. Ergo bonum mandatum quod alicui mors est.* Et ibidem paulò antè: *Quid miraris igitur, si lex quibusdam morti sit, cum morti sit & Domini salutaris adventus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi querit ex gratia, manet autem mandati gratia.* Quo nihil efficacius dici potuit. Nam uti mors Christi, ita & lex antidotum fuit, sanandæ animarum ægritudini temperatum; sed illud præ isto incomparabiliter excellentius. Antidoto mortis Christi quorumdam ægritudo recruduit, quin ergo & legis?

IX. Rursus de timore, quo sibi Christus adventans præstruebat iter.

Et hactenus de lege potissimùm: nunc de timore delibanda sunt paucula quædam ex eodem Ambrosio, ut liqueat quantum illi consentiat Augustinus, & quantum uterque etsi in speciem horridior, & in timorem velut cruentus & atrox, reapse tamen ejus salubertima in nos officia non dissimulet, quibus ad Christum deducamur. Ambrosius ergo: *Lex pædagogus est, pædagogus ad magistrum ducit. Magister noster solus est Christus. Pædagogus timetur, Magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad charitatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem; charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Ergo ubi fides, ibi libertas: servus enim sub metu, liber ex fide. Ille sub littera, iste sub gratia: ille in servitute, iste in spiritu. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si igitur ubi fides, ibi libertas: ubi libertas, ibi gratia: ubi gratia, ibi hæreditas. Judæus autem littera non spiritu, in servitute est: qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia: ubi nulla gratia, nulla adoptio: ubi nulla adoptio, nulla successio. Tanquam clausis ergo tabulis, cernit hæreditatem, non possidet, authoritatem non habet lectionis.* Non potuit timor servilis contumeliosiùs exagitari, & tamen non sileturlaus quod ad charitatem perducat, ac proinde & ad omnem bonorum exuberantiam charitati indivulsè cohærentem. Epist. 71.

Rursus idem Ambrosius: *Initium esse sapientiæ timorem Domini, dixit Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, nisi sæculo renuntiare? Quia sapere sæcularia, stultitia est, &c. Etenim vera sapientia à timore Dei incipit, nec est sapientia spiritalis sine timore Dei: ita timor sine sapientia esse non debet. Basis quædam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc majorem habet gratiam, cùm in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem; ita verbum Dei, in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud de incurioso & dissimulantis affectu.* In Ps. 118. Octon. 1. Equidem cùm audio timorem esse initium sapientiæ, audire mihi videor, timorem esse quoddam præludium Christi, immo quoddam ejus initium qui sapientia est. Jam ergo sapientia Christus per timorem legis nascebatur, jam initia quædam incarnationis suæ præsentabat. Cùm audio rursus & vehementer assentior, non inseminandum esse Dei verbum, nisi eorum pectoribus, quos timor jam concussit, Deoque auritos & sequaces fecit, alioquin fore ut sterilescat, vel ab infimis volucribus auferatur: audire mihi videor, & consequenter assensuros omnes arbitror, non inferendam, aut incorporandam humano generi priùs

fuisse

Ps. 61.

de Isaac anima, 40

fuisse ipsam sapientiæ Verbi hypostasin, quàm timor præiisset, atque ad obsequium homines inflexisset. Ita enim constat initium sapientiæ esse timorem Dei. Et ibidem rursus: *Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me; Ego infirmus, ego peccator, timeo judicia Dei propter conscientiam delictorum. Mihi terrorem adferunt, me exagitant, sanctos adjuvant. Sed tamen juvabunt etiam peccatorem, licèt diverso modo. Sanctus adjuvabitur, dum probatur: peccator adjuvabitur, dum humiliatur, dum castigatur, ut peccata solvat duplicia: dum opus ejus exuritur, ut ipse salvus fiat, sic tamen quasi per ignem.* Ubi videtur duplicem judiciorum Dei timorem discriminare, alterum justorum, alterum peccatorum, ut illi recreentur, hi humilientur, & castigentur, atque à sordibus suis excoquantur, utique adjuventur. At humiliari, castigari, excoqui, prævia quædam Christo venturo & gratiæ præludia sunt, & jam tamen præsumptæ sunt Christi ejusque gratiæ irrigationes. Quippe eo intuemur, eo tela omnia intorquemus, ut legem, ut timorem, & ad salutem conduxisse, & de Christi profluxisse gratiæ fontibus, & ipsi Christo incarnando præcurrere debuisse, & in antecursoribus suis his jam prænatum, jam præmortuum latitasse Christum, utpote agnum à constitutione mundi & natum & occisum, stabillamus. Sed jam nimis multa ex Ambrosio.

Ibidem. Oct. 12.

XII. Eadem omnia ex Hieronymo notat quæ lex in Mediatoris Christi gratia fecerit, l. 2. in Ep. ad Galat.

Hieronymus ab eadem doctrina nec vel latum unguem, quod aiunt, deflexit. Etenim hæc Apostoli verba exponens, *Quid igitur lex, propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promissum erat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: hæc habet: *Propter transgressiones, inquit, Post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum, & murmur in Dominum, lex transgressiones prohibitura successit. Justo quippe lex non est posita: iniquis autem & non subjectis, impiis & peccatoribus: & ut altius repetam, post idololatriam, cui in Ægypto fuerant mancipati, ritus colendi Deum & delinquentium pœna sancita est, in manu mediatoris Christi Jesu, quia omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Non solùm cœlum, terra, mare, & universa quæ cernimus, sed etiam illa quæ per Moysen duro populo quasi jugum legis imposita sunt. Postquam ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci, Dei & hominum homo Christus Jesus sequester est dictus. Antequam verò humanum corpus assumeret, & esset apud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch videlicet, Noe, Abraham, Isaac, & Jacob, & postea Moysen & cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur.* Ubi aliquanimulta non incuriosè perpendenda. Primò quod legem propter transgressiones positam commentatur, quasi prohibituram, non cumulaturam transgressiones: ob præteritas, ut in posterum vitentur, non ob futuras prævaricationes, ut crescant & ingravescant. Nam etsi transgressiones postea increbuerint, non de legis aut legislatoris consilio, sed de hominum perversitate id profectum est; de qua tamen legislator hominibus ipsis consuluit. Itaque hæc interpretatio Augustinianæ & Ambrosianæ non repugnat. Secundò legem non à Mose, sed per Mosis atque etiam per Angelorum ministerium, à Christo datam argumentatur Hieronymus. At à Christo quid nisi salutiferum, suavitate & gratia ejus conditum? Num à Christo daretur quod hominibus impedimento esset, non adjumento? Tertiò nequedum hominem induerat Deus Christus, & jam tamen Christus, jam Mediator nuncupatur in sacra Scriptura, in illa antiqui testamenti dispensatione moderanda. Nimirum ut obvium promptumque vel fidei nostræ tyronibus est, quia carni suæ præludebat, hominibus congredi prægestiebat & insuescebat, carnis suæ merita & beneficia hominibus prærogabat. Ergo si tanquam Mediator legem sanciebat, non impedimenta utique, sed subsidia struebat nobis ad salutem: nec gratiæ suæ remoras objiciebat, sed rivulos in antecessum spargebat. Quartò ita ad Mosen, ut ad Enoch ad Noe, ad Abraham, & ad Prophetas posteriores fiebat Verbum Dei, nempe ut his, ita illi, & forsitan copiosiùs illi, salutis non privatæ tantùm, sed publicæ administricula sufficiebat.

XIII. Rursus per legem Gal. 3. factum opus amittitur salutare.

Et ne Hieronymum causeris à supra laudata Patrum sententia deviasse, adverte quæ paulò pòst inferat: *Nunc autem propter transgressiones, ut supra diximus, posita lex, magis arguit eos peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, & ut ita dicam, in carcerem data est; ut quia per arbitrii libertatem noluerant innocentes expectare promissum, legalibus vinculis præpediti, & in servitutem mandatorum redacti, custodirentur in adventum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis afferret. Nec verò æstimandum Scripturam authorem esse peccati, quia omnia sub peccato concluserit dicatur. Cùm mandatum quod ex jure præcipitur, ostendat potiùs arguatque peccatum, quàm sit causa peccati. Quomodo & judex non est author sceleris, nequam homines vincendo; sed concludit eos, & nocentes sententiæ suæ authoritate pronunciat, ut debitos pœnæ, indulgentia postea, si voluerit, principalis absolvat.* An potuit quidquam in legem jactari sævius & probrosius? Carcer dicitur & vinculum servitutis, & sententia reos pronuncians, authoritas pœnæ reos addicens. Et hæc tamen clam innuunt exordia gratiæ latitantis. Vincula enim hæc præpediunt, ne ad idola defluas. Carcer iste custodit in adventum futuræ in Christo fidei. Sententia hæc non tam pœnam quam humilitatem incutit nocentibus, qua indulgentiam principalem promereantur. Unde postea: *Itaque lex pædagogus noster. Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur ætas, & prona in vitia corda teneantur: dum tenera studiis eruditur infantia, & ad majores Philosophiæ ac regendæ Reipublicæ disciplinas, metu pœnæ coercita præparatur, &c. Itaque & Mosi lex lasciviente populo ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, & futuræ fidei præpararet, &c.* Perspicua legis utilitas, ut fræno timoris lasciviam pueritiæ coerceat à vitiis, utque futuris præparet fidei & charitatis augmentis. *Quod si quis post consummatum ætatis suæ tempus, quando jam hæres & liber & filius appellatur, voluerit esse sub pædagogo, sciat se non posse legibus parvuli vivere.* Poterat utique dum parvulus erat, sub legis & timoris fræno vivere, quia illi ætati hæc sufficiebant adjumenta: at si voler quis in puerilibus rudimentis consenescere, jam non legis, non timoris, sed inertiæ suæ vitio præposterus & insulsus peribit: quæ enim parvulo sufficientia, adulto aut adolescere per naturam jusso sufficientia haudquaquam sunt. Ita jure laudatur lex & comes ejus timor, pueritiæ composita, cui sufficit: vituperatur, juventæ comparata, cui non sufficit. Nam ita lac, ita pædagogus pueris commendatur, viris suggillatur; quia illis competit & sufficit, his nec competit nec sufficit. Quod autem universa gens hominum de lege & de viribus suis superbientium peccavit, Christum & fidem gratiamque ejus repudiando, id singuli homines peccarunt, cùm de pueritia, & de legis timorisque rudimentis adolescere ad amorem sapientiæ respuerunt.

XIV. Ut cum conditam legem extollatur, nonnihil detrahatur.

Jam ibidem paulò post: *Rectè hi sub tutoribus & actoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, nondum meruere spiritum libertatis & adoptionis accipere. Ætas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit esse se liberum, licèt*

per

per naturam domina sit, &c. Parvulus iste tandiu sub tutoribus est atque actoribus, donec legitimum perfecti viri tempus impleverit. Legitimum autem tempus, sicut Romanis legibus viginti quinque annorum spatio terminatur, ita ad humani generis perfectionem Christi reputatur adventus. Statim ut ille venerit, & omnes in virum perfectum creverimus, pædagogus à nobis tutorque discedunt. Tutores actoresque parvulis, non ut repagula quædam salutis, sed ut necessaria pueritiæ & saluberrima præsidia circumponuntur. Et statim: *Cùm essemus parvuli, eramus sub elementis mundi hujus servientes, &c. Alii elementa mundi, legem interpretantur Moysi & eloquia Prophetarum, quod per hæc quasi initia, & exordia litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium est, suspiciamus.* Et infrà: *Legem nobis Moysi infirma & egena elementa dicentibus, occasionem inveniunt hæretici, ut detrahant creatori, qui mundum condiderit, & legem sanxerit. Quibus nos respondebimus id quod supra diximus, Infirma his esse & egena elementa, qui ad ea post Evangelii gratiam revertuntur. Antequam verò præfinitum tempus veniret à Patre, non tam infirma & egena elementa appellata esse, quàm mundi. Denique priusquam Christi in toto orbe Evangelium coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta legalia: postquam vero majus Evangelicæ gratiæ lumen effulsit, & sol justitiæ toti mundo se prodidit, stellarum lumen absconditum est, & earum radii caligaverunt. Ita ut Apostolus in alio loco diceret, Nam nec glorificatum est, quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam. Quod aliis verbis nunc loquitur, ut dicat, Lex Moysi quæ ante Evangelium dives, & opulenta, & clara fuit, post adventum Christi, ad comparationem ejus, quasi infirma & egena, imminuta atque destructa est ab eo qui major fuit Salomone, & templo, & Jona. Quod enim scriptum est, Illum oportet crescere, me autem minui, non tam ex Joannis, quàm ex legis persona dictum puto, quia semper cedunt minora majoribus, & perfecta initiis præponuntur.* Ubi advertis quorsum attineant ista omnia, vel ab Apostolo, vel ab aliis postea in legis extenuationem ventilata. Nimirum ubi Evangelio præhaberi à quibusdam cœpit lex, vel post Evangelium pertinaciter retineri, tum præ istius splendore & majestate illius obscuritas patefacta est. Priùs enim legis tanquam stellarum lex splendicabat, sed ea utique non potuit non hebescere atque evanescere, ubi primùm Sol Evangelicus illuxit. Infirma ergo & egena elementa contemptim appellantur legis præcepta, sed post exortum Christi. Nam priùs *opulenta & clara & dives erat lex Moysis.* Cessitque lex gratiæ & Evangelio, non ut hostile quid & impediens, sed ut initium perfecto, ut minus majori, ut bonum meliori, ut lucidum lucidiori, ut timor charitati.

XV. Naturalis ac Mosaicæ legis comparatio.

Sed ne tergiversetur aliquis, & hos commentarios non tam suis quam alienis & maximè Origenis sententiis suffarcinasse Hieronymum caucetur, ejusdem Epistolam ad Algasiam excutiamus, ubi hunc eundem Pauli de lege locum versat in hunc modum & in eundem sensum: *Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licèt his mali homines abutantur ad mortem, & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: sic lex data est, ut peccatorum venena monstret: & hominem libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improvidus & per præcepta ferebatur, fræno legis retineat, & compositis doceat incedere gressibus: ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate liberæ: id est vivamus sub præcepto, qui priùs in modum brutorum animalium dicebamus, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quod si subintrante lege, quæ docet quid facere, & prohibet quid non facere debeamus: vitio nostro & incontinentia feramur contra scita legalia, videtur lex causa esse peccati, quæ dum prohibet concupiscentiam, quodammodo eam inflammare cognoscitur. Sæcularis apud Græcos sententia est, Quidquid licet, minus desideratur. Ergo è contrario, quidquid non licet, fomentum accipit desiderii. Unde & Tullius de parricidarum supplicis apud Athenienses Solonem scripsisse negat, ne non tam prohibere, quàm commonere videretur. Igitur lex apud contemptores & legum præcepta calcantes, videtur esse occasio delictorum, dum prohibendo quod non vult fieri, ligat eos vinculis mandatorum, qui prius absque lege peccantes, non tenebantur criminibus.* Impotentiùs in omne nefas debacchatam esse, lege accepta, concupiscentiam, in vetita æstuantiorem, agnoscit; & tamen legem ait esse medicinam, ait datam, ut præcipites per abrupta fræno retineret, ut serviremus Deo in novitate spiritus. Et tamen eodem prævaricationis reatu constrictum fuisse extra Israelitas omne hominum genus, ex legis insitæ transgressione, ut legem Mosaicam nemo in invidiam vocare possit, quin & legi naturæ contumelios fit, paulò pòst ita docet: *Ista hominum est qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato, & conversi homines prævaricatores sunt legis, &c.* Itaque eadem ubique terrarum divina medicina humano generi propinabatur, sed apertiùs apud Israelitas, ut homines lege irretiti, & prævaricationum laqueis implicati, liberatorem votis accerserent, & accelerarent. Ut ergo legi insitæ aliqualiter debet unusquisque, si resipiscat à vitiis, quæ illa exprobrat jugiter & compungit: ita legi Mosaicæ debebatur manifestiùs humilitas confitentium & ad liberatoris gratiam confugientium. Unde ibidem paulò pòst: *Cumque videretur extrema desperatio, immo aperta confessio, omnem hominem diaboli laqueis irretiri, conversus in se Apostolus, immo homo in cujus persona Apostolus loquitur, agit gratias Salvatori quod redemptus sit sanguine ejus, &c.* Et in Epistola ad Gerontiam de Monogamia, ut famuletur lex Evangelio, & ejus veluti tyrocinium aut rudimentum sit necessarium, ita perhibet: *Hæc dicimus non separantes legem & Evangelium, ut Marcion calumniatur, sed unum & eundem suscipientes Deum, qui pro varietate temporum atque causarum, principium & finis, serit, ut metat; plantat, ut habeat quod succidat: jacit fundamentum, ut ædificationi, consummato sæculo, culmen imponat.* Denique timoris utilitatem venturæ charitati pectora nostra adornantem, declarat in Epistola ad Damasum: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Mercenarios secundum alium intellectum eos advertimus ex Judæis, qui ob præsentia tantùm bona, legis præcepta custodiunt. Hi justi sunt, & misericordes, non ob ipsam justitiam, & ob ipsum misericordiæ bonum, sed ut à Deo terrenæ fœlicitatis & longæ vitæ præmium consequantur. Qui autem ista desiderat, merito compellitur ad obsequium præceptorum, ne eorum prævaricatione quæ jussa sunt, careat concupitis. Porrò ubi metus est, non est dilectio. Perfecta quippe dilectio foras mittit timorem. Nam qui diligit, non ideo imperata custodit, quia aut timore pœnarum, aut præmii aviditate compellitur; sed quia hoc ipsum quod à Deo jubetur, est optimum.* Non dissimulat quàm immaniter dissideat amor justitiæ à timore pœnæ, seu à temporalis cupidine; sed eos tamen qui vel timore amittendi, vel spe comparandi temporalis boni Deo obsequuntur, meliore loco esse approbat, quàm qui exleges & abruptis obicibus in omne facinus evagantur. Itaque gradatim desertores primùm fiant servi, aut mercenarii, & ita filiorum dignitati præparentur, id est Christo suscipiendo.

XVI. Hilarius Pictav. Episc. suffragatur.

Hilarius parcior fuit in sententia expromenda, non tamen omnino obmutuit: *Juvenis insolens per observantiam legis, & finem legis qui Christus est, nesciens, & justificatum se in operibus exi-*

De Trinit. l. 9. In Matth. Can. 8. 11.

bus existimans, & non intelligens venisse eum ad oves perditas domus Israel, & impossibile esse legi per fidem justificationis servare credentes, &c. Et alibi: *Movet Scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantùm in Jesu Christo contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola justificat.* Et infrà: *Legis deinde difficultatibus laborantes & peccatis seculi oneratos ad se advocat, dempturumque se laborem onusque promittit Christus, &c.* An potest legis inutilitas apertiùs denudari? Nec tamen aliud hìc sonat, quàm non potuisse perfectionem justitiæ Christum obtingere, quandiu lex rerum potiebatur; sed nec potuisse obtingere, nisi priùs rerum lex potiretur. Ut enim nisi prænuncius anteiret Joannes, Christum non venturum Scripturæ præmonuerant; ita nisi præcucurrisset lex, timorque, & sapientiæ ac justitiæ viam straviset, non potuisse Christum repræsentari, & Scriptura & ipsa natura medicinę dictabat. Unde Hilarius ibidem: *Sed prebetur in his, quæ à Joanne gesta sunt, intelligentia amplior; & cum facti efficientia, gratia in eo expressa sentitur: ut Propheta ipse ipso quoque conditionis suæ genere prophetaret. Quia in eo forma legis elata est, Christum enim lex annunciavit, & remissionem peccatorum prædicavit, & regnum cælorum spopondit, & Joannes totum hoc opus legis explevit. Igitur cessante jam lege, quæ peccatis plebis inclusa & populi vincta vitiis, ne Christus posset intelligi, vinculis & carcere continebatur; ergo ad Evangelia contuenda lex mittit, ut infidelitas fidem dictorum contempletur in factis: & quod intra eam peccatorum fraude sit vinctum, per intelligentiam libertatis Evangelicæ absolvatur.*

XVII. Cyprianus & Tertullianus.

Cyprianus in Præfatione libri ad Quirinum adversùs Judæos: *Complexus sum verò duos libellos, unum quo ostendere nixi sumus Judæos secundum quæ fuerant ante prædicta, à Deo recessisse, & indulgentiam Domini, quæ sibi & pridem data, & in posterum promissa fuerat, perdidisse.* Ubi indulgentiam & promissam olim Israelitis ostendit, nempe copiosiùs, & jam tamen datam, mediocriùs videlicet. At Tertullianus libro de Virginibus velandis paulò pòst initium: *Nihil sine ætate est, omnia tempus expectant. Denique Ecclesiastes, Tempus, inquit, omni rei. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur. Deinde rami & frondes invalescunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine saluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & justitia, nam idem Deus justitiæ & creaturæ, primò fuit in rudimentis, naturæ Deum metuens: dehinc per legem & Prophetas promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* Insulsa hæc clausula & de posteriori hominis errore & Paracleti fabula fruticescens; cęterum hanc si præseces, reliqua erunt longè elegantissima, & ad Augustini mentem atque ad hujus doctrinę illustrationem appositissima. Extrà æternum enim & incommutabile, rerum omnium vices sunt & tempora profectuum, incommutabilitatem & æternitatem authoris Dei æmulantia & sequentia, nec penitus assequentia. Id in rerum natura tota spectatur, inde & de gratia conjectura exprimitur; idem enim naturę gratięque author est, ars eadem omnium opifex, & ad justitiæ intelligibilis imaginem totius creaturę corporeæ tanquam simulacri fabricator & fictor. Ergo ut natura, sic & justitia primò fuit in rudimentis, id est, ante legem, ubi contra ignorantiam luctabatur, deinde per legem progressa est in puertitiam quandam, jam bellaturientem adversùs vitia, nequedum victricem; postea per Evangelium efferbuit in juventutem bellacem & victricem, postremò denique profligata mortalitate, ita enim stertentis Tertulliani omnia castiganda sunt, componetur in maturitatem, seu in pacem. Cæterùm hæ sunt ætates justitiæ, hæ sunt ætates & incrementa Christi. Non deerat ante legem, vel sub lege Christus, aderat Christus, aderat justitia, sed in rudimento infantiæ, sed in progressu puertitiæ, necdum infervore juventæ. Cùm ergo lex esset justitiæ jam profectus quidam & ad ulteriora conatus, erat utique salutis statio quædam opportuna, non infida, non adversa. Idem rursus in Scorpiaco, cùm lapsum primi parentis narrasset, *Dominus sustentato fervore delicti, donec tempore medicina temperatur, paulatim remedia composuit: omnes fidei disciplinas & ipsas amulas vitio, verbum mortis verbo vitæ rescindentes, auditum transgressionis auditu fidei limantes: ita & eum mori præcipit medicus ille, veternum mortis excludit.* Ubi claret, ex quo primùm homo ex peccati ægritudine decubuit, jacuitque, nunquam cessasse divinam medicinam, sed tempore condiendam temperandamque paulatim fuisse, & illud ipsum quod statim cœlitus detonuit, mortis edictum, non tam de justitiæ consistorio, quàm de medicinæ officina manasse, ut mors in mortis & peccati medelam aliquando verteretur. Et alibi; *Nam etsi putas Creatoris quidem terrenas promissiones fuisse, Christi verò cœlestes: bene quod cœlum nullius alterius usque adhuc Dei apparet, nisi cujus & terra. Bene quod creator vel minora promisit, ut facilius illi & de majoribus credam, quàm qui nunquam de minoribus prius fidem liberalitatis suæ struxit.* Ubi patet terrenas olim promissiones non eum in finem collimasse, ut cupiditas alceretur, sed ut parvuli fœcibus immersi ad Deum se quomodocunque surrigerent, terrena ab eo expectarent, assuescerent Deo credere, Deo fidere, & paulatim emergentes, aliquando etiam æterna sperare auderent. Et alibi rursum, *Ecce autem & testimonium perhibet legi, & causa delicti eam excusat. Quid ergo dicemus? Quia lex peccatum? Absit. Erubesce Marcion, absit. Abominatur Apostolus criminationem legis. Sed ego delictum non scio, nisi per legem, O summum ex hoc præconium legis, per quam liquit peccatum latere! Non ergo lex seduxit, sed peccatum per præcepti occasionem. Quid Deo imputas legis, quod legi ejus Apostolus imputare non audet? Atquin & accumulat, lex sancta, & præceptum ejus justum & bonum.* Prædonium hinc legis elicit, quod per eam eliquescat delictum & nudetur vulnus, quod priùs latitans, & incuratum computrescebat. Denique de fræno legis seu de timore quid sentiat Tertullianus, planum satis ipse facit, cùm timorem appellat, *fundamentum salutis*, & salubri timore percitos, necdum fide imbutos, ait timore fieri *candidatos Dei*. Ira & Judaicus sub lege status erat per timorem, Dei jam & Christi candidatus.

Hactenus retro supra Augustini ætatem vestigia fleximus, ut hujus doctrinæ tramitem exploraremus; nunc ad suppares vel minores obiter excurramus, ne duriusculos ex ejus lectione evasisse quis suspicetur. Paulinus Nolanus Episcopus ad Severum: *Dispositis in ordinem suum seculis ab Adam usque ad Moysen, mortis potestas licentia bacchante regnaverat; & de lege intellecto, nec evitato peccato, creverat hoc regnum, &c.* En ut per legem intellecto, nec evitato peccato, crescebat regnum mortis. Quid immitius? Sed auscultà quæso, ut id alibi deliniat Epistola ad Amandum: *Ipse Dominus fecit nos, qui etiam refecit, jam ab initio per omnia quæ operatus est, & locutus in sanctis suis, salutis nostræ, id est, reparationis humanæ sacramenta molitus. Nam justum Abelem illico reparavit sancta generatio in Seth, qui ore consimili formatum ad imaginem Dei retulit Patrem. Inde per cæteros à prima fonte decurrens*

currens permanavit vena justitiæ: & quamvis interveniente diluvio, in uno quidem attamen justo universitatis peremptæ seminarium stetit, jam tunc operante mysterio unici redemptoris: ut per unum reconciliatio proveniret, quia per multos offensa venisset. Sed iterùm generis humani processu, relabente justitia, & crescentibus simul gentibus atque criminibus, ne rursum iniquitas hominum, generis mereretur interitum, rursum electus qui Pater fidei vocaretur, à quo & promissio regni & regis æterni semen emergeret. Quod multiplicatum fide gentium Christus implevit, qui Patriarchis visus, per legem præformatus, per Prophetas prælocutus & ipse adfuit, ut adimpleret legem & Prophetas: & quam lex operibus non valuerat conferre medicinam, gratia daret. Jam enim corpus omne, id est universum genus hominum ita pervaserat peccatum, ut neque malagma debilibus & sauciis, nec ligatura prodesset, &c. Nec hìc recantat quæ priùs asseruerat, lege enim & operibus non potuisse conferri medicinam disertè affirmat. Et tamen ait Dominum jam inde ab initio refeciſſe quæ fecerat, & salutis nostræ sacramenta molitum per Sethum, Noe, Moysen, Propheras. Ait venam aliquam justitiæ à primo fonte decurrentem permanasse, nec abruptam omnino esse unquam, aut exaruisse. Ait per egregios istos fidei & justitiæ apices, non ipsis privatim, sed humano generi Deum consuluisse. Ait per hæc omnia ubique visum, ubique operatum, ubique præformatum fuisse Christum, quem ne cogitare quidem possis, nisi gratia delibutum, gratia diffluentem. Ait legem & prisca illa omnia sacramenta instar habuisse malagmatis & ligaturæ, quibus nimirum sanitas præludi posset & initiari, non perfici. Nec nos aliud molimur, quàm ut totum illum ante legem & sub lege statum, salutiferum & medicinalem humano generi probemus, nec impedimentis, sed adjumentis Christi gratiæ aliqualibus saltem instructum, prima videlicet salutis fundamenta jacientibus.

XIX. Prosper pro Mixè suffragatur, author item librorum de vocat. gent. & Julianus Pomerius. In Ps. 118.

Prosper ipsa Augustini penè verba exscribit, *Mirabilia testimonia tua, &c. Multa mirabilia sunt testimonia legis ipsius, quorum utilitas & justitia altissimè latet, cùm quæritur quare data sit lex quæ vivificare non possit, & ex qua non justificaretur omnis caro coram Deo. Meritò ergo hanc altitudinem scrutatus est, qui intellexit per legis difficultates id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam, & divina ope adprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant.* Subtexit & multa deinceps, contexta ex Augustini verbis suo suprà loco in hunc Psalmum relatis. Et alio loco: *Notas fecit vias suas Moysi, &c. Magnum mirandumque mysterium est, ideo datam legem ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. Iste sunt viæ occultæ, quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, &c.* Tempero calamum, ne plura ex eodem istiusmodi decerpantur; imbecillitatem legis non celat, sed tamen ex misericordia Dei indultam esse non abnuit, & humilitatem, confessionem, timorem hominibus sub lege degentibus, ut ad gratiam conspirarent, contulisse: ea porrò etsi salutem non totam redintegrent, utcumque tamen resarciunt, relevantque. Etenim idem ipse rursus: *Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Id agit gratia ut mandata Dei dilectione impleantur, quæ impleri timore non poterant.* Huc ergo tota ferè vergit de legis difficultatibus expostulatio, quòd merum timorem inspiret, quo non impletur lex per charitatem implenda, At timore impleri legem ab incipientibus, satis est, abunde est: timore pueros abstinere à delictis, & intra officii lineas coarctari, hic pueritiæ modus, hoc decus, hæc salus est. Impletur ergo lex timore, sed à pueris, sed ab incipientibus: non impletur, sed à viris, sed à perfectis, his enim amor conciliandus est, Audi eundem Prosperum: *Legimus principium esse sapientiæ timorem Domini. Et legimus donum Dei hanc esse virtutem. Timor Domini inquit super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Domini. Cùm ergo timor Dei principium sit sapientiæ, quæ virtus haberi potest sine sapientia, cujus ex timore principium est? Beatus Petrus Apostolus, Gratia vobis, inquit, & pax adimpleatur in recognitione Domini nostri Jesu Christi, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quæ ad vitam & pietatem pertinent donavit.* Vides quanti faciat timorem, ut donum Dei, ut Christi beneficium, ut initium sapientiæ, ut fundamentum omnium virtutum esse illum affirmet? An ergo timore lex nullatenus implebatur? implebatur enimverò, sed ut ab incipientibus, non ut à perfectis: ut à Christi gustum, id est, initium sapientiæ jam præsumentibus, non ut à Christum totum & totam complexis sapientiam. Iisdem ferè testimoniis Scripturæ timorem esse donum Dei & gratiæ Christi beneficium probat author librorum de vocatione gentium, inter opera Prosperi, Quibus intextus est etiam Julianus Pomærius, quem operæ pretium est audire de timore disputantem in hæc verba: *Si ille qui timor in bonæ pudicitiæ tenet, atque is cui facultatem mœchandi negat occasio, vivere pudicè consuescant, in virtutem plerumque de necessitate proficiunt: & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente, pudici veraciter fiunt, & ita proficiunt, ut jam non sermone, sed virtute sordes impudicitiæ detestantes, non timore pœnæ carnalibus incentivis obsistant, quod est incipientium proprium, sed execratione peccati refrænent inquietos carnis affectus, quod est castitatis consummatæ fastigium.* Audis quàm molliter gradus struatur à timore pœnæ ad amorem justitiæ; audis illum esse incipientium proprium, hunc consummatorum. An ergo Christus aliunde salutem nostram auspicari debuit, quàm ab initio, id est, à timore, ut ad fastigium perduceret, id est, ad amorem? Struenda & expolienda paulatim fuit nostra perfectio, ut ejus primùm lineamenta quædam rudia per timorem describerentur, postea manus ultima per amorem adhiberetur ab eodem Christo, qui heri & hodie, qui alpha & omega, qui primus & novissimus, qui principium & finis est. Et infrà idem Pomærius cùm multiplicem timoris utilitatem executus esset prolixiùs, & ita Christianos ab omni scelere deterruisset, subdit: *Sed nos jam si videtur ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores voluptatum suarum tunc suæ damnationis experimento probabunt, quando jam quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his, inquam, terrificis & tristibus malis, ascendamus ad illa sublimia, quibus proficientium mentes in spem promerendæ beatitudinis assurgunt, abjuratisque terrenis cœlestia concupiscunt: Et quoniam proficere cupientes, à salubri timore incipiunt, & ad charitatem proficiendo perveniunt, nos quoque, &c.* Quis mentis compos, quis fidei orthodoxæ concors, fideles *salubri terrore concussos, à salubri timore incipientes, atque ab omnibus vitiosis delectationibus sese abducendos*, necdum charitate succensos, sed ad illam proficientes, id est, sub lege adhuc positos, abneget jam Christi gratiæ rores antelucanos prælibare? Quis illos non defieri Christi adventu, non orbari incarnationis fructu, quantus incipientibus sufficit, non confiteatur? Quod autem idem scriptor habet, *Non omnis timor haberi debet in vitio, sed ille tantùm, de quo scriptum est, Quia timor pœnam habet: ceterum timor iste, de quo dicitur, Timor Domini expellit peccatum, & timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi, non est in-*

Con. Collator. c. 19.

L. 1. c. 14. L. 1. de vita Contem. c. 7.

Ibid. c. 15. 17.

Ibid. c. 5.

est inter vitia numerandus, sed potiùs intelligendus est vitiis inimicus. Hoc, inquam, clementiùs accipiendum est, ne superiori ejus sententiæ obstrepat. Timor enim neuter inter vitia reputandus est, uterque inter Dei dona recensendus, sed ille servilis & amoris expers, eo vitiosus videri potest, quod quibus inhærer, vitiosi adhuc illi sunt, nequedum à vitiis omnibus flamma charitatis excocti & expiati. Unde & hic timor ejiciendus est tandem, ut locum cedat charitati perfectæ: ejiciendus autem non esset nisi vitiosus quodammodo, id est, imperfectus esset. Sed qui incipientibus honestus est, proficientibus vitiosus est: qui pueris decorus est, adultiores dedecet. Timor ergo ille instar lactis, pueris laudi datur, adultis vitio vertitur. Agebat hic autem Pomærius de adultis, utputa de hominibus sapientiæ numeros omnes assecutis, à quibus an affectus omnes extirpandi radicitus, an moderandi tantùm essent, id controvertebatur. Planum est autem ab istiusmodi exulare penitus debere timorem illum servorum & puerorum peculiarem, vitioque illis vertendum; inferendum autem timorem alium charitati consanguineum & longè laudabiliorem.

XX. Fulgentius: De incarn. & grat. c. 16.

Eandem terit viam Fulgentius: *In hoc Mediatore Dei & hominum & humanæ naturæ status reparatus est, & implendæ legis est consummatus effectus: quia nec sibi sufficere ad virtutem ullatenus potuit naturalis infirmitas, quæ utique ex quo omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lumine simul & virtute privata, in tantum natura cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat, propter quod dicitur, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Legalis quoque auditus non solùm neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam de peccatoribus cumulum prævaricationibus adjecit. Sine gratia quippe fidei, gravius lex agnita, quàm ignota contemnat*, De integra hìc agitur sanitate & perfecta justitia, quæ nec ante legem, nec sub lege versanti cuiquam contingit, ut perperam garriebant Pelagiani, gratiæ Christi gloriam hanc & palmam extorquentes. Nam justitiæ & sanitatis umbratilia quædam atque præluforia initia & ante legem & sub lege versanti humano generi, & singulis hominibus non desunt, dum superinè sollicitata & stimulata conscientia de suis tenebris erubescit, de legis insciția angitur, vel legi agnitæ etsi nondum amorem, jam tamen timorem & obsequium qualecunque vovet. Et hæc Christi gratiæ medicinalis prima sunt testamenta: unde idem Fulgentius: *Medicus itaque noster peritus & bonus, gratis ad vitam reducturus mortuos, ac sanitati redditurus ægrotos, ipse languentium salus & resurrectio mortuorum, in eo vivificandis ac sanandis hominibus insuperabili bonitate consuluit, in qua medicinam se nobis idem medicus fecit. Sed ut ordinem suæ curationis sapientia Dei sapienter expleret, priùs præceptum dedit per legem justitiæ, quo suam infirmitatem ægrotus agnosceret, daturus effectum per gratiam, quo infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, non jam confidens in virtute sua tumesceret, sed ipsum fontem vitæ salutisque cognoscens, ab ipso sibi vitæ salutisque beneficium postularet: nec suam jactans superbo corde justitiam, sic se putaret alienum à morbo, tanquam non egeret curationis auxilio, &c. Sed vulnera sua contriti cordis humilitate respiciens, veraciter exclamaret, Sana animam meam, quia peccavi tibi, &c.* Totus igitur legis apparatus à medico Christo, jam à primis orbis cunabulis, morbum nostrum curante præstruebatur, & initia salutis jam præfundante, cùm legem daret, cùm salubrem imprimeret formidinem, cùm propriarum virium retunderet jactantiam, cùm tumorem sanaret, cùm ad humilitatem & superioris auxilii petitionem coarctaret: quæ si quis neget salutis fundamenta esse, aut si quis ab alio quàm à Christo reparationis nostræ uno architecto poni potuisse affirmet, in meridiana luce prorsus cæcutit. Et rursum infrà idem Fulgentius: *Hæc igitur inter litteram jubentem & spiritum vivificantem, id est, inter legem gratiamque distantia est, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem, ut bonum velimus. Illa clamat, hæc donat: illic voluntati hominis incutit justitia divina terrorem, hìc infundit misericordia charitatem. Per illam accepit voluntas spiritum servitutis in timore, per istam accepit spiritum adoptionis filiorum, &c.* Ubi vides legem non crepare tantùm forinsecus, aut intentare flagella, sed intus in animum infundere timorem illum, *bonum, utilem, salubberrimum, donum Dei*, Quippe per legem, *accepit voluntas spiritum servitutis in timore*, ut per spiritum timoris Domini provehatur ad spiritum sapientiæ & adoptionis filiorum.

XXI. Gregorius Magnus. Lib. Moral. c. 14.

Gregorius magnus in hanc sententiam pulcherrimè detorquet ista verba Job: *Auferat à me virgam suam, & pavor ejus non me terreat. Loquar & non timebo eum, neque enim possum metuens respondere.* In quæ ita philosophatur alludens ad notissimam Scripturæ historiam: *Author quippe humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cùm extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen, terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante: nihil ad perfectum adduxit lex; ipse autem per semetipsum veniens, & super cadaver se humiliter sternens, &c. Super mortuum septies oscitat, quia per apertionem divini muneris, gratiæ septiformis spiritum, in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens exigitur, quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.* Et paucis interpositis: *Respondere homo tot beneficiis debet, sed tamen respondere metuens non valet, quia humani generis conditorem qui adhuc humiliter formidat, procul dubio non amat. Nam tunc solùm Deo vera obsequia reddimus, cùm eum propter amoris fiduciam non timemus: cùm nos ad bona opera affectus, non metus dirigit; cùm malum nostræ menti jam non placet, etiamsi liceat. Nam qui à perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret. Nequaquam ergo veraciter rectus est, qui adhuc à perversitatis desiderio liber non est.* Quandiu igitur solo timore avocamur à peccando, servilis est hæc justitia, per servos concilianda, non per Filium, cujus est manumittere, & libertatem aspirare: perfunctoria est hæc justitia, nondum verissima, nondum inhabitans, & in animę venas infusa, nondum interioribus desideriis infusa: ideoque neque dum redolens æternam sapientiam & justitiam Verbi hypostaticè humanitati copulatam, sed adhuc foris & umbratiliter consulentem, & circum alludentem magis quàm inhospitantem. Cùm enim Verbi divinitas incarnata est, non opera, sed desideria etiam peccati exsufflavit; non umbraticam, sed intimam & sinceriſſimam inspiravit justitiam; & quia in dies pergit in singulis carnis concupiscentias & desideria peccandi residua profligare, in singulis etiam quotidie pergit incarnari, in singulis parturitur & formatur Christus. Illud enim documentum, illud imitamentum, illud beneficium est justitiæ & sapientiæ hypostaticæ in viscera humanitatis personaliter infusæ, quòd jam non timore foris obsidet, sed amore intus insidet & inhæret justitia. Sed ordinis lex & rerum modus jubet, ut alludat ante justitia quàm combibatur: obsideat antequàm invadat & insideat, & terrore priùs cohibeat, exscindatque peccatorum sentes, quàm regium amoris solium inferat. Unde idem hæc verba elucidans, *Simplex & rectus & timens Deum & recedens à malo*, hæc tradit: *Bene autem dicitur,*

Lib. de verit. prædest.

Lib. Moral. c. 14.

tur, *Timens Deum, & recedens à malo: Quia sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat: cui tunc est funditus à malo recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cùm verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inultè potuisset. Rectè ergo cùm timere Deum Job dicitur, recedere etiam à malo perhibetur: quia dum metum charitas sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur. Et quia ex timore unumquodque vitium premitur, ex charitate autem virtutes oriuntur, &c.* Nondum recessit, sed recedit à malo, qui timore non peccat: prius est recedere, quàm recessisse; prior ergo timor quàm charitas, prior lex quàm Christus, non generi tantùm humano, sed singulis etiam, Nam singuli quocumque demum, vel ævo, vel loco, vel gradu sint, vias justitiæ timore inchoant, charitate consummant. Cùm autem ut ait Gregorius, *Sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat*, num hæc primordia sua sibi debet, an Christi gratiæ? Christo haud dubio debet redemptori, quòd à vitiis utcunque redimatur vel timore. Et tamen illa non propriè dicitur Christi gratia, quia singulari privilegio Christi gratia prædicari debuit, quæ gratiarum princeps & palmaris est, charitas, Unde idem Gregorius: *In veteri lege Ecclesia posita Christum exoptabat & expectabat, &c. Vult ergo sponsum foris sponsa invenire, & deosculari, quia concupiscit sub lege posita, ut per carnem appareat, ut ei per amorem serviat, cui prius non accepta gratia, plus timore, quàm amore serviebat.* Gratiæ erat quod timore serviret, gratiæ erat quod Deo consuesceret, quod adventum ejus, quod charitatem concupisceret, quod gratiam desideraret, quod desiderare concupisceret: & tamen ait Gregorius: *Non accepta gratia*: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est: ut gratia dulcior seu charitas gratiæ nomine insigniatur, non illa præcox & immatura, rudis & rudimentis incipientium properata. Sed illo tamen puerili gratiæ elemento, illo timoris spiritu, ut justitia, ita Christus inchoabatur, veniebat, formabatur. Quocirca idem Gregorius; *Tertiò Dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisivit. Dixit autem ad cultorem vineæ, Ecce anni tres sunt, ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, & non invenio. Venit ante legem, quia per naturalem intellectum, quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam, quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non inveniisse conqueritur, quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt.* Vides quo pertineant illæ duæ ætates generis humani, ante legem & sub lege, nempe ad inchoandam curationem, legis insitæ, legis additæ beneficio, & utrique apto terrore. Non ergo cumulandis peccatis illæ serviebant, non impedimenta gratiæ ingerebant, etsi *quorundam pravorum mentes* neutra lex vel tantillum emendare per terrorem potuerit, sed exasperare magis visa sit. Per illas ergo leges veniebat humano generi Christus, veniebat salvator, qui tertiò venit. Adventus enim per carnem tertius fuit & gratiæ plenissimus, sed tertius: ut nec gratia primo & secundo defuerit, nec tertio omnibus profuerit; ut enim insitæ, & scriptæ, ita & Evangelicæ legi *quorundam pravorum mentes* pertinaciter illuserunt.

Et ne mitior æquo tibi videatur Gregorius in exponendo legis consilio, adverte ad ea quæ habet, *Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre, non quisquam veterum Patrum, non Legislator Moyses humani generis redemptor extitit, &c. Ad hoc quippe illi missi sunt, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præpararent: neque ut pro ea, sed per eam subjectos populos regerent.* En indicabat peccata lex, non auferebat: convincebat, non absolvebat; & tamen viam sapientiæ Christo præparabat, quia timor initium est sapiendi: quia qui desuescit ab opere, lentescit & à desiderio peccati: quia qui corticem lambit justitiæ, medullam aliquando degustabit: quia denique qui lacte pueritiæ vescitur, ad solidas juventę delicias adolescit, Rursus idem Gregorius legem & timorem deprimere plus æquo videtur: *Judaicus populus servus fuit, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili. Lex namque sub ultionis persecutione populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur: nec Israelitica plebs ex amore, sed Domino serviebat ex timore. Nunquam autem impleri justitia potest per timorem, &c. Justus esse non valet in conspectu Dei, qui ei non per dilectionem, sed per formidinem servit.* Num in legem, vel timorem acerbius quidquam potest fulminari? Et rursum: *Aliter admonendi sunt, qui flagella metuunt, & propterea innocenter vivunt, &c. ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore permaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant, &c. Nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris, Bona enim pro semetipsis amanda sunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audacter illicita committat, Unde luce clariùs constat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos desiderio peccatur,* Satin hæc sapiunt Augustinianam circa hæc austeritatem? Et tamen idem Gregorius ibidem timoris medicinalis bonum non tacet, cùm pervicaciores quosque & fræni impatientes illico docet, qui terrore consternandi & à peccando revocandi sint, Et rursum alibi: *Hunc ergo tanti pavoris Judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete, ut hunc cum venerit, non timidi sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram à pravitate compescat.* Nobis ergo etiam, nobis Christus non gratiam, non charitatem tantùm, sed & terrorem sui injicit, & ita à pravitate compescit, ita in bona operatione exercet, ita timeri vult, ut ametur, timeri vult, ne timeatur. An ergo tunc nihil confert? An nihil salutis tunc inchoat nostræ, nil suæ gratiæ, nil sui sanguinis irrorat? Ergo & priscis illis cùm terrorem per legem suggerebat, adventum suum, gratiam, crucemque suam prærogabat, jam incarnatus illis, jam occisus illis erat ab origine mundi. Jam cùm terreret, advenerat, etsi venturus expectabatur; ut & nobis venit, etsi venturus terreat. Non implebant illi justitiam, sed inchoabant, quia nondum plenitudo legis charitas aderat, sed timor initium sapientiæ Dei amatricis; inchoatio autem justitiæ Christus est nascens, perfectio justitiæ ætas est plenitudinis Christi: *In via etenim Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur.* Et alibi: *Ex timore bonum opus aggredimur, sed ex initio timoris ad vinculum perducimur magnæ charitatis.* Timor ergo charitati prævius, Christus est Christo prævius, gratia est prævéniens & subveniens: Christo enim non præparat animum, nisi Christus: ipse via, ipse veritas: ad illum, per illum itur: salutem idem incipit, idem perficit: ejus gratia sufficit, sive cùm incipit, sive cùm perficit: sufficit ad incipiendum incipiens, sufficit ad perficiendum perficiens, Præposterus est, qui sufficientem

L. 12. in Job. c. 26.

L. 1. Moral. c. 20.

Pastor. Curæ. part. 1. Adm. 14.

Hom. 16. in Evang.

ficientem negat edm, quæ incipit, quia non perficit: sufficit enim tum incipere, etsi non sufficit perficere; sed si non abjicias incipientem, non desideratis perficientem. Sufficit gratia lactis parvulo, sufficit timor Judæo: non sufficit juveni, non sufficit perfecto. Sed vitio cujusque fit, si abjecta lactis gratia, ad juventæ cibum & maturitatem non adolescat. Eodem jure præposterus & præfestinus dici debet, qui Christi adventum acceleratum fore cuperet; accelerandæ enim initia sunt, non fastigia: incunabula priùs quàm incrementa. At omnium vota Christus anteverit, qui sui id est justitiæ consummatæ cunabula statim post peccatum, ante legem & sub lege deinceps curare & provehere maturavit.

XXII. Bernardus. Epist. 107.

Video quàm longè ultra metas expatietur hæc dissertatio: missos ergo faciam reliquos, ut uni Bernardo sit locus. Ille ergo ita habet: *Particeps ego sum omnium timentium te. Vides quia præcedit timor, ut sequatur justificatio? Forsitan ergo timore vocamur, amore justificamur. Denique justus ex fide vivit, illa procul dubio quæ operatur ex dilectione. Audiat itaque in sui vocatione peccator quod timeat, & sic accedens ad solem justitiæ, videat illuminatus quod diligat. Quidnam est illud? Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* Et paulò pòst: *Dum quisque vocatus per timorem, justificatus per amorem, præsumit se esse de numero beatorum: sciens nimirum quia quos justificavit, illos & magnificavit. Quid enim? Audit se vocari, cùm timore concutitur; sentit & justificari, cum amore perfunditur; & de magnificatione diffidet? Initiatur, provehitur, & de sola consummatione desperabit? Nempe si initium sapientiæ timor Domini, in quo dicta est esse nostra vocatio, quid nisi provectus in sapientia est amor Dei, is dumtaxat qui interim ex fide est, ex quo & nostra fit justificatio? Quid item nisi consummatio in sapientia est, ipsa quam in fine speramus de divina illa & deifica visione glorificatio?* Vides quo loco sit timor apud Bernardum, nempe nec summo, nec nullo. Timore non justificamur, sed vocamur: non provehimur, sed initiamur sapientiæ. Quis initiat, quis vocat nos, nisi Christus crucis suæ sanguine? Si justitia & sapientia nostra Christus est, num vocatio ad justitiam, num initiatio ad sapientiam aliud quàm Christi in nobis quædam jam portio, quædam velut præsumpta nativitas est? Et sermone de villico iniquitatis, triplicem Christi adventum non aliter quàm suprà Gregorius, ita breviter tangit: *Illud non semel aut iterum, sed tertio jam comminatur Dominus villico suo, videlicet ante legem, sub lege, sub gratia, &c.* Et infra quadruplicem timorem ita distinguit: *Et notandum, quod timor iste quadriformis est, scilicet mundanus, servilis, initialis, & filialis sive castus. Mundanus qui facit recedere à malo per evitationem pœnæ. Servilis qui facit à malis abstinere per evitationem pœnæ, mali retinens voluntatem. Initialis timor gehennæ, de quo dicitur per Prophetam, Initium sapientiæ timor Domini. Filialis, de quo per eundem dicitur, Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. In duabus his formis utilis est hominibus semper, in aliis minimè.* Ubi servilem timorem videtur bipartiti, in eum, cui comes est expressa peccandi voluntas, ni pœna ingruat; & eum qui voluntatem quoque peccandi ejurat, metu pœnæ, non opus tantùm, sed ipsum desiderium peccandi infectantis; & hunc postremum permagnæ utilitatis esse affirmat, quippe quo ipsa peccandi desideria refutentur, etsi non exurantur penitus. Est autem hæc distinctio permagni sanè momenti, ad illam difficultatis molem evertendam, quæ nos urgebat, qui utillis & bonus sit timor, cui conjuncta est peccandi voluntas, si impunè liceat. Si enim expressa voluntas peccandi lasciviat, nè haud magni facienda est hujus timoris utilitas. Si autem hæc voluntas non tam inest quam subest, non exprimitur, sed opprimitur, erumpit sed cohibetur, obstrepit sed juratur, tum sanè timor est adprimè utilis, & vocantis nos Dei, gratiæque Christi justificantis prævia quædam ara: Unde idem Bernardus: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex quibus verbis innatur, *quod triplicem gratiam divinitus accipimus; unam qua convertimur; alteram qua in tentationibus adjuvamur; tertiam qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur; secunda provehit, qua justificamur; tertia consummat, qua glorificamur.* Illa ergo etiam qua vocamur, qua initiamur, qua nondum justificamur, etsi timor est, gratia tamen est, & de plenitudine Christi scaturit. Nihilo plus ergo mirandum est cur non priùs carnem induerit, quàm cur ut singulos, ita genus humanum priùs vocaverit per timorem, ut postea justificaret per amorem. Serm. 1. De Assumpt.

Rursum idem Bernardus sermone de Cantico Ezechiæ, filium à servo & mercenario ita discriminat: *Denique audi vocem filii, Domine salvum me fac; quare? Fortè ne ardeat in inferno? Fortè ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed, Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. Non inquit quæro salutem, ut pœnas vitem, aut ut in cœlo regnem; sed ut te in æternum laudem, &c. Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, utique profectò quærit quæ sua sunt. Porrò qui Psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel periculæ fugit, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ,* Non dissimulat nevcs timoris, sua quærentis lucra, sua fugitantis damna, unde & mulctat illum, ne justitiæ plenitudine, ne personæ veritatis, ne Christi præsentia potiatur, sed spe, sed vocatione eius tantùm recreetur. Nam qui timet aut sperat, & necdum ipsam propter se amat justitiam, nunquam ille interim in arcana sapientiæ, nunquam in ipsius justitiæ corpus, nunquam ad incarnati Verbi substantiam amplexandam perveniet, sed ad eius fores pulsabit. Idem ibidem paulò antè; *Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Non revelatur servo veritas, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem, Filio autem Pater notam faciet veritatem, &c.* Quod eo relabitur, quod pronunciavit Augustinus, non patere nunc viam ad veritatem, nisi per charitatem. Corpus ipsum itaque & substantiam veritatis incarnatæ amplecti non potuit humanum genus, nisi ubi perlapsum eas ætates, quæ fræno timoris inhibendæ fuerant, ad juventam amori jam maturam appulisset. Et ipsa rerum natura ut nunc quidem comparata est, pueros ut hebetes ad amorem, ita obtusos ad contuitum sapientiæ efformat: juvenes autem tam diligendæ quàm intelligendæ eidem tempestivos,

XXIII. Bernardus idem,

Et sermone de triplici coliærentia vinculorum, &c. *Est qui clavis configitur Domino majestatis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere.* Gravi convitio timorem pulsat, quòd non culpam, sed pœnam exhorreat. Et tamen eo nos jam Deo religari non tacet. Et sermone de diversis afflictionibus animæ; *Jam vero secundo statu incipit esse sub Domino, qui tanquam servus carcerem timet, & metuit ne subigatur pœnis. In quo sanè statu conversio est, exitusque à seculo, & introitus vitæ. Unde & legis, Principium sapientiæ timor Domini. Et alius Propheta, A timore, inquit, tuo concepimus, & parturivimus spiritum salutis.* Timore igitur concipitur, & formari incipit in nobis salus & salvator Christus. Sermone autem de donis Spiritus sancti; *Prima*

gratia

gratia est timor Domini, &c. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest. Est igitur timor inter Christi gratias numerandus. Et inter sermones parvos: *Prædicant mira de dulcedine regni, intentant horrenda de terrore supplicii; fit summus auditoribus de utroque timor, ne vel illo fraudentur, vel isto plectantur, &c. Et illi quidem duo prædicti timores de futuro sunt sunt valde utiles. Sed est alius timor de præsenti valde probabilior, quo timet homo & semper est pavidus, ne interna gratia deseratur.* Ubi claret Evangelica etiam lege timorem priùs incuti, quàm insinuetur amor: ergo & nunc quibusdam, nempe incipientibus, adhuc lex incumbit, adhuc imminet timor, adhuc promittitur Christus, illis incorporandus, illis informandus, necdum corporatus, aut informatus.

Serm. 1. Sed pulcherrimè quoniam *hæc via agitur non gressu corporis, sed affectu mentis*, hinc concludit quatuor affectibus menti nostræ insitis tanquam rotis invehi nos provehique ad Deum debere. *Habet currus ille quatuor rotas, illas scilicet quatuor animi affectiones notissimas: amorem & lætitiam, timorem & tristitiam. Amant enim reprobi temporalia, & lætantur cum malefecerint: sed hunc amorem & hanc lætitiam sequitur timor & tristitia sempiterna. Electi verò quibus dicitur, Mundus gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium; ponunt primas rotas timorem & tristitiam, posteriores amorem & lætitiam. Ipsis enim commutatur timor in charitatem, tristitia in lætitiam sempiternam.* Hac salus, hac Christus vehitur, & invehitur quadriga affectuum: nec aliter via hæc confici poterat quam gressibus, id est, affectibus animarum. Itaque ipsi rerum naturæ, ipsi animarum rationalium texturæ, ipsis visceribus naturæ intellectualis apprimè consentit tota ratio dispensationis Christi ante legem, sub lege, sub gratia.

Serm. parv. Serm. 33. 36.

Nec inelegantius est quod idem ibidem paulò pòst nos docet: *Deus licet unus sit, & unum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione, gustantibus nobis diversos videtur habere sapores. Sapit enim timenti, justitiam & potentiam: sapit amanti, bonitatem & misericordiam. Unde & alibi ait: Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Idem quippe est audire hoc, quod gustare, quia utrumque fit una & simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus, quia unum genuit Verbum. Cæterum nos per unum verbum, duo hæc audimus, sive sapimus, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. At is quidem penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Discat quantum vult, ego sapientem non dixerim, dum nec timebit, nec diliget eum. Quomodo enim dixerimus in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? nam initium sapientiæ timor Domini, &c.* Contineascant jam ergo querelæ de tarditate Medici nostri: non ille tardiùs ad nos, sed nos ad illum lentiùs properavimus: aut non ille tardiùs venit, sed nos temporiùs venientem, pigriùs tardiùsque excepimus. Unus enim est, unum est, unum loquitur Deus & semel loquitur, sed nos pro varietate nostra non unum, non semel totum illum sapimus. Nunquam non occurrat mentibus hominum amanda efflictim potiùs, quàm timenda veritas & justitia Christus: sed ægro animi nostri, dum puerascimus, palato sapit timor, non sapit amor ejus. Nostra igitur hæc est, non illius tarditas. Adest quem sapiamus, non adest quo sapiamus, non adsumus ipsi qui sapiamus, quia foris peregrinamur, & per insulsa terræ condimenta lascivimus. Et tamen si vel timorem sapimus, utcumque sapimus, pueriliter sapimus, nondum viriliter, & hoc est initium sapientiæ, qua gratia vel non utuntur, vel carent, qui nec timent, nec amant.

Ibidem Serm. 16.

Et hactenus de timore Christi necessario præfultore, jam de lege aliqua ex eodem Bernardo stringamus. *Dies diei eructat verbum, Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ. Et nox nocti indicat scientiam, creatura irrationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ. Unde Apostolus, Invisibilia Dei, &c. Unde nos dicimus, verbum indicatum, verbum inspiratum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, secundum conversionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, secundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit, quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, &c. Secundum non profuit, quia non data est lex, quæ posset vivificare. Tertium vivificavit, quia per crucem redemit. Primum totum deforis, secundus foris & intus, tertium totum intus. Et nota quia quod eructatur, de plenitudine eructantis cum quodam substantiæ ipsius sapore profertur: & ideo sapientia incarnata dicitur, habens in se plenitudinem, in miraculis cognitionem, in doctrina conversionem, in passione vivificationem.* Triplici hoc magisterio humanum genus imbutum est, creaturæ, legis, Christi. Quid austerius, quàm cùm dicitur primum obfuisse, secundum non profuisse? An obfuit, quo data est cognitio? An non profuit, quo facta est conversio? Obfuit vita cognitioni dispar, sed ipsa cognitio profuit. Non profuit inertia in initiis conversionis pigrescens & ad amorem torpens, sed ipsa conversio proderat. Ergo illud obfuisse, hoc non profuisse dicitur, quia salutis culmen, nec illud, nec istud attigit sine tertio. Alioqui & Christus ipse cognitionem & conversionem priùs effudit, quàm vivificationem; & in his omnibus profuit. Proderat ergo & antè, cùm longioribus intervallis ætatum ante legem & sub lege, cognitionem & conversionem vivificando quandoque humano generi infundebat.

XXIV. Idem rursus Bernardus, Serm. 1. inter ser. parvos.

Ad Græcos jam descendimus obiter audiendos; & nos enim pœnitet pudetque tantæ hujus prolixitatis. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: *Quid illud? nonne scripturis iisdem prænunciatum est, pacturum Deum aliud fœdus præter id quod in monte Horeb pepigerat? Vetus Testamentum cum timore tremoreque acceperant Patres vestri, ita ut ne audire quidem Deum valerent. Ergo illud alterum Deus pollicitus est, non quale prius, sed tradendum sine pavore, tremore, fulguribusque, per quod ostenderetur illud mandatum sempiternum, quod convenire humano generi universo Deus novit; cæterum superiora fuisse accommodata duritiæ populi vestri, sicut ipse Deus per Prophetas suos oclamabat.* Strictim supradicta omnia confirmat, sed nullo duriori convitio vel legem vel timorem onerat; quin accommodatum & medicinale illud innuit fuisse ad populi adhuc puerascentis hebetudinem temperamentum. Irenæus: *Veniens autem lex quæ data est per Moysem, & testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abstulit, latronem & non regem eum detegens, & homicidam eum ostendit. Oneravit autem hominem qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritalis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit: dominabatur peccatum, sed homini.* Et ut lex regnum peccati abstulerit, nec tamen ita abstulerit, ut non homini dominaretur. Abstulit regnum, dum tyrannum, non regem esse aperuit, hominemque ad jugum ejus excutiendum armavit: non abstulit penitus, quia non eam virium copiam suffecit homini, quæ ad ejus libertatem plenam desiderabatur. Itaque lege instructus homo pugnavit, sed non vicit. Valere tamen etsi nondum ad vincendum, jam tamen ad pugnandum, nonnullus gratiæ viriumque nec pœnitendus modus est interim, si vel maximè spes non viduetur auxilii potioris. Et alibi idem: *Ipse quidem nullius horum est indigens Deus, est enim semper ple-*

XXV. Græcorum Patrum suffragatio à Justino, Irenæo, Nazianzeno.

Adv. hær. l. 4. c. 20.

Lib. 4. c. 38.

plenus omnibus bonis, &c. Facilem autem ad idola reverti populum, erudiebat per multas advocationes, præstruens eas perseverare & servire Deo, per ea quæ erant secunda ad prima advocans, hoc est, per typica ad vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad spiritalia, & per terrena ad cœlestia. Quemadmodum dictum est Moysi, Quoniam facies omnia juxta typum eorum quæ vidisti in monte. Quadraginta enim diebus discebat tenere sermones Dei, & characteres cœlestes, & imagines spiritales, & prafigurationes futurorum, quemadmodum Paulus ait, Bibebant enim de spiritali Petra, Petra autem erat Christus. Et statim: *Per typos ergo discebant timere Deum, & perseverare in obsequiis ejus. Itaque lex & disciplina erat illis, & prophetia futurorum.* Lex igitur erat illis disciplina, per quam discebant timere Deum & perseverare in obsequiis ejus: per temporalia enim instituebantur perseverare & servire Deo, æterna quandoque largituro: sed is gradus proficiendi retinendus erat rudioribus, ut per secunda ad prima, per temporalia ad æterna, per typica ad vera promoverentur. Tota ergo hæc erat disciplina salutis, & sanitatis. Nazianzenus: *Quando quidem nos ab initio per peccatum lapsos, atque à voluntate usque ad idolorum cultum ac nefarios cruores, surrepros & circumscriptos, propter viscera misericordiæ Dei Patris nostri, tanti opificii sui, id est, hominis, jacturam facere non sustinentis, revocari atque in veterem statum restitui oportebat; hanc in eo instaurando rationem initam esse existimamus, ut acriore atque asperiore medicina improbata, (ut que non modo fidem non factura, sed propter contractum temporis diuturnitate tumorem, fortasse etiam morbum exulceratura esset) leni ac facili medicamenti genere ipsius resipiscentia procuraretur: nec enim plantam incurvam subitam inflexionem, manusque erigentis violentiam ferre: sic enim potiùs fore ut lædatur atque infringatur, quàm ut erigatur: nec equum præferocem ac jam ætate aliquanto provectiorem, freni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam & adulabunda manu permulceatur. Propterea nobis adjumenti causa lex datur, velut maceria quædam inter Deum & idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illud autem revocans. Ac paulum quidem primò indulget, ut majus accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inserat, ac postea cum commodum fuerit, ipsa quoque sacrificia de medio tollat; mira sapientia per tacitas subtractiones, animos nostros sensim immutans, atque ad Evangelium traducens, jam ad obediendum exercitatos & assuefactos. Sic igitur atque his de causis lex scripta introducta est, ad Christum nos colligens, &c.* Hic est scopus legis, non aggerare peccata, non obicem vel sepem objicere saluti, non morbum exacerbare; sed mederi gradatim, sensim avocare ab idolis, ad Deum recolligere, obedientiæ insuefacere, ita ad Evangelium & ad Christum homines traducere. Ab his utique ordiendum erat, non antè præcipitanda Verbi incarnatio. De timore autem quid sentiat, audies ex eodem alibi: *Atque & veteris & novi testamenti libros omnes ita permeditatus, ut ne unum quidem quispiam alius, &c. Nam & timor Domini principium est sapientiæ, velut primum quoddam incunabulum: & sapientia cùm timorem excesserit, atque ad Dei amorem nos subvexerit, ex servis jam amicos ac filios efficit.* Christi ergo in nobis seu sapientiæ incunabulum timor est: hinc grandescimus, & ex servis in filios juvenescimus, nam pueri servorum instar sunt. In lege ergo ut timoris, ita & Christi cunabula erant, erant & incrementa amoris, sed in penetrali: unde idem: *Moyses autem & ascendit, & in nubem ingreditur, & leges ac tabulas accipit, vulgo quidem litteræ; iis autem qui supra vulgus assurgunt, spiritus.* Lex una & in fronte timorem puerilem, & in corde amorem gestabat filialem. In vitio ergo erant hominum ætates & mentis ægritudines, ut in cortice solam timoris asperitatem lamberent, non in reconditum charitatis mel sese altiùs insinuarent. Sed hoc genere medicinæ divinæ quid sapientius, quid humanius, quid humanatæ sapientiæ convenientius? *Quid Dei voces è monte auditas? Quid duplicem legem, alteram liberalem, alteram spiritualem?* ait idem *Nazianzenus.*

Orat. 42.

Orat. 41.

Orat. 43.

Nec ab illo suus dissonat Basilius: *Timeat Dominum omnis terra, &c. Jam quando timor Domini initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt, per timorem eruditantur. Timor enim quasi quid introductorius necessariò ad pietatem condiscendam assumitur. Charitas verò à timore instructivo exercitatos suscipiens, perficere solet.* Apertissimè monet non aliam esse viam, quàm timoris, qua pueri terrena sapientes ad cœlestium gustum & sapientiam Christum proficiscantur; ideoque legem timoris conciliatricem necessariò præmittendam Christo fuisse. Et alibi hæc verba expendens, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*: Filios hos esse ait, quibus utpote collapsis, Christus iterum parturiendus, iterum formandus est; *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Igitur venite filii, audite me. Quid tandiu pater hic spiritualis docturus est? Timorem, inquit, Domini docebo vos.* En quo semine primùm Christus in nobis singulis, & in universa natura humana formetur, seu reformetur, nempe timore. Et eo utique Christus formatur, salus reformatur, non larva, non obex salutis: nec amore sui quisque hunc sibi parit, sed studio cœlitus adjuto, cœlitus edocto: *Timor vero salutaris, & qui sanctitatis operarius est: timor item qui studio acquiritur, non qui per affectionem imprimitur animæ, &c.* Moxque describit terrificum Christi judicium, & tandem hunc locum ita concludit: *Hæc tu time, & hujusmodi timore eruditus, quasi quodam freno abarce animam & inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem.* Quàm utiliter autem timor secundo adventui Christi nos præparat, tam salubriter & Judæos primò instruebat. Et in proœmio regalarum fusiùs disputatarum, eos qui metu, qui spe, qui charitate ad officium urgentur, discriminat, servos, mercenarios, filios, omnes autem pro suo quemque modulo ornat laudibus, tanquam à præceptis divinis non unquam vel tantisper deviantes. Quibus gemina sunt, quæ habet Gregorius Nyssenus: *Nam qui vult omnes esse salvos & venire ad agnitionem veritatis: offendit hic perfectissimum, & beatum modum salutis, eum dico qui fit per charitatem, Nam nonnullis fit etiam salus per timorem, quando instuentes ad minas supplicii gehennæ separamur à malo, Sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam iis qui piè vixerunt, se rectè & ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes, sed expectatione remunerationis. Sed qui animo currit ad perfectionem, expellit quidem timorem; est enim ejusmodi servilis affectio, propterea quod non propter charitatem permaneat apud Dominum, propter flagrorum autem metum non aufugiat: despicit autem ipsas quoque mercedes, ne videatur mercedes pluris facere quàm eum qui donat lucrum; diligit autem ex toto corde & anima & potestate non aliquid aliud ex eis quæ ab ipso fiunt, sed eum ipsum qui est fons bonorum.* Non tacuit Nyssenus nævos timoris, aut spei à charitate disjunctæ, in quos si rhetoricari velis, copiosè invehi poteris, nec plura tamen dices, quàm tribus ille verbis strinxit. Nam timor plus ardere metuit, quàm peccare: spes ista rudior plus dona quàm donantem miratur. Et tamen timore & spe salutem obvenire nonnullis, dummodo in timore non conquiescant, sed hinc ad charitatem gradum faciant, atque adeo salutaria hæc esse dona ex de Christi

Orat. 43.

XXII. Basil. de Const. Monast. in Psal. 8.

Hom. 1. in Cant.

censu

censu irrigata profitetur. Et rursum Nyssenus: *Cæterùm illorum in quibus conveniente studio mens aucta est, quique infantiam reliquerunt, duplex hic discrimen discimus. Etenim animæ fiunt quidem illæ concorporeæ Verbo, tam hæ, quàm illæ. Verùm nonnullæ per amatoriam quasi quandam affectionem cum eo conglutinantur, cujus generis erat Davidis & Pauli anima: quarum illa, inquit: Mihi adhærere Deo bonum est: hæc verò, Nemo nos separabit à charitate, &c. Aliæ autem supplicii metu adulterii conatus vitant. Nam & ipsæ manent incorruptæ in integritate & sanctificatione, sed metu magis quàm desiderio adductæ, nullum flagitium admittunt. Quæ igitur per affectionem quandam perfectiorem, desiderio incorruptæ integritatis, cum Dei puritate quasi commiscentur, Reginæ propter regni societatem appellantur: quæ autem minarum metu virtutem colunt, Concubinæ vocantur.* Vides quàm non timori sit sua laus suffuranda, qui cum Verbo fecit esse concorporeos, qui in integritate & in sanctificatione perseverat, qui castitatem sui cum Verbo conjugii tuetur illibatam, etsi regnum charitatis necdum adipiscatur. Quid autem incarnatio Verbi est, quàm ejus cum natura nostra individuum conjugium? Non ergo ejus expertes erant Judæi in Synagoga, quos timor utcumque conglutinaverat conjugaveratque Verbo. In calce etiam opusculi de vita Mosis, ultra metum, supra spem, ad apicem charitatis grassari hortatur, tamquam ad perfectionem.

Homil. 15. in Cantica.

XXVII. Cyrilli Alexandrini.

Subit animum exceptio nonnullorum, qui nihil æquè durum vel acerbum in legem ergo parare Græcos conquerentur, atque Latinos, maximè verò Augustinum; ideoque hos propiùs abesse à Paulino dogmate, quod totum adversùs legem distringi & desævire videtur. Istiusmodi querela comprimetur, si prodeat extremus Cyrillus: ille enim legis damna & lucra unus complexus est elegantissimè, ita ut non potuerit claudi aptiùs hæc dissertatio. *Igitur lex quidem damnavit mundum, concluſit enim Deus omnia per ipsam sub peccato, ut scribit Paulus: & nos pœnè obnoxios esse ostendit. Salvator autem ipse nos potius liberat. Non enim venit ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus. Deinde lex gratiam quoque hominibus dabat, ad cognitionem Dei utique illos vocans, & ab idolorum cultu errantes abducens; & quid pravum, quidve rectum esse, edocens, si non perfectè, at pædagogi more & cum fructu. Veritas & gratia per unigenitum, non in typis bonum nos edocet, neque per umbram res salubres nobis exprimit: sed claris apertisque præceptis, & ad perfectam fidei cognitionem deducit. Lex spiritum servitutis dabat ad formidinem, Christus spiritum adoptionis, &c. Lex circumcisionem carnis quæ nihil est, inducit: Dominus autem noster spiritus & cordis circumcisionem per fidem conciliat, &c. Paulus absolvit paucis verbis illam de lege & Salvatoris gratia quæstionem, dum ait: Nam si ministrationi damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Ministerium enim damnationis vocat præceptum Mosaicum, ministerium verò justitiæ Salvatoris gratiam, &c. Igitur cùm lex condemnans data sit per Moysen, gratia verò justificans facta sit per unigenitum, &c.* Adversari hæc sibi & adversa fronte collidi poterant fortassis videri, quæ nunc in laudem, nunc in vituperium legis jactantur, nisi jam sæpiùs eorum concentus à nobis esset patefactus. Lex enim damnavit mundum, concluſit sub peccato, ministerium mortis fuit, & reliquo id genus infelicitatis elogio infamata est, cum eam à Christo divellere, & tanquam redintegrandæ saluti nostræ partem vendicare eam sibi solitariam machinati sunt homines. At rursùm lex *gratiam hominibus dabat, ad agnitionem Dei illos vocabat, ab idolis abducebat, justitiæ normam præscribebat, sin minus perfectè, at pædagogi more & cum fructu*: quando Christo præstruebatur, & ab illo fluere, ad illum vergere, illi præsultare intelligebatur. Nec aliter accipienda sunt quæ infrà idem Cyrillus in legem perronat: *Non enim missus sum, inquit Christus, ut sacrorum ille interpres Moyses, ut lege terrarum orbem condemnem, neque ad peccatum redarguendum mandatum fero, nec servili fungor ministerio, sed qualem Dominum decet, exhibeo benignitatem. Ut Filius & hæres Patris servitute homines libero, condemnatricem legem in justificantem gratiam commuto, suorum criminum catena constrictis peccata remitto: salvaturus orbem terrarum, non condemnaturus veni. Oportebat enim Moysen, ut famulum condemnatricis legis ministrum esse: me verò, ut Filium ac Deum execratione legis orbem terrarum vindicare, & benignitatis exuberantia infirmitatem mundi curare.* Num atrociùs potuit in legem perorare? Sed illico vehementem illum impetum excusat causa; *Salvator ternebat Nicodemum Mosaicis affixum legibus, & veteri mandato mordicus adhærere, & ad regenerationem spiritualem quodammodo exhorrescere, atque ad novam & Evangelicam vitam torpere*, &c. Tunc ergo in legem invehi fas est, tunc in timorem bacchari, quando iis ita affiguntur aliqui pertinaciter, ut ad Christum, vel ad charitatem proficere pigritentur, vel penitus desperent: nec illa ut tyrocinia, sed ut summa perfectionis culmina venditare ausint. Ita enim aliquando in lac puerilitæ stomachari necesse erit, ut in quantoslibet sub pædagogo provectus, si quis iis acquiescere animum induxerit, & ad juventæ solidiorem cibum nauseet, vel magistrum dictata vitilis sapientiæ daturum contemnat. Ita in medicinæ primos conatus quamlibet auspicatos bilem emovere par erit, si quis reliqua & quidem validiora ac sanitati in totum reparandæ pernecessaria respuat. Ex adverso autem hæc initia eximiis quibusdam laudibus ornanda erunt, si ut inita, ut majorum præludia in spem nisumque ulteriorem ferveant. Idem Cyrillus: *Vita secundùm legem à Judæis colebatur: à Gentibus verò vita secundùm justitiam nullo modo cognoscebatur*, &c. Et paulò pòst: *Creavit me, inquit, initium viarum suarum: vias hic nominat Legislatorem Moysen & Prophetas, quibus velut principium quoddam ac caput & potestas constituta est Christus. Quæ ab illis dicta sunt, ad Evangelicæ prædicationis novitatem traducens, idque cum proprietate absoluta. Lex enim dicit: Non mœchiaberis: Christus autem, Ego dico vobis, non concupisces. Vias autem sanctos vocavit, quippe qui suis admonitionibus ad Deum ducere possint.* Moyses ergo seu lex, via erat quæ ad Deum perduceret: erant & Prophetæ, sed his præerat Christus, initium viarum. Ad eam enim omnes viæ convergebant, atque in primis lex. Et rursus: *Angeli legem ediderunt, sed lex nihil perfecit. Filius autem perfecit opus Patris. Perfectus enim est in pietate qui ipsius legibus instructus est.* Lex aliquid fecit, non perfecit: cœpit, non ad umbilicum deduxit. Quanto Christus vel Moysen vel Angelos legis promulgatores antecessit, tanto legi præstat gratia Evangelica, ut Paulus ad Hæbreos, & ex eo Cyrillus loco citato argumentatur: At Christo nil derogatur, quin arrogatur plusculum, si ut ipse perficeret, alii cœpisse & delibasse hoc operæ pretium existimentur. Nam & Moyses & Angeli portiones quædam Christi fuere, ut non immeritò ei collaborasse, & præludoriam quandam suam operam ei navasse putentur. *Et Angelis quidem ut servis inferiorem administrationem tribuit, Filio autem eam quæ Filio & Domino congruat. Nam in melioribus, ut inquit Scriptura, repromissionibus sanctius est.* Cùm lex ergo condemnare, pœnam exigere, interficere perhibetur, non aliud innuitur, quàm quod vivificandi plenitudinem ut

L. 1. in Evangelium.

Thesauri Lib. 13.

Ibidem. pag. 207. 208.

Christus, non habeat : itaque condemnet, quos à damnatione non absolvit : perimat, quos peremptos non vivificat : quamvis enim tentet & incipiat vitam & libertatem largiri, nil tamen perficit. Ergo Christo conjuncta, vivificat, quia vitæ quædam exordia prælibat, quæ Christo perficienda transmittit : Christo autem adversa, condemnat, quia legis insitæ transgressores clandestinos prodit : *Melior est itaque qui justificat, quàm qui condemnat ; melior qui veniam largitur quàm qui pœnam exigit. Melior est eo, qui peccatum in carne condemnare non potuit, is qui hoc præstitit Filius.*

CAPUT VI.

Præceptis minoribus antè informanda erat humani generis pueritia per sapientiæ servos, quàm majoribus ab ipsa per seipsa sapientia imbueretur juventus.

I. Puerili ætati aptiùs præcepta dictãda erant, quæ per ipsã personam sapientiæ incommutabilis dictari non conveniebat.

FInitimum est & conjunctum hoc quoque superioribus argumentum, & ita illigatum, ut jam hujus semina veluti quædam præjacta sint. Pueris enim non tantùm lex instar pædagogi, non tantùm timoris flagella, non tantùm temporalium blandimenta exhibenda sunt, ut in officio persistent: sed ipsa etiam præcepta quibus onerantur, rudi ætati admoderanda sunt, ne virilem sapientiam præcoquis irritisque conatibus prævertere compulsi, incassum fatiscant. Præcepta autem puerili teneritudini admensa ut ipsa per seipsa sapientia carnem humanam induta instillaret, inconcinnum penitus atque indecorum fuisset. Nec enim sapientia ipsa premere ita se potest atque infringere, ut has minutias, & extremam hanc balbutiem eloquatur. Si balbutire eam cogat quandoque amor in filios, at per pueros, per servos suos balbutiat, per Moysen, per Angelos, per Prophetas legalia præcepta, tanquam conamina magis quædam, quàm verba meditetur & depromat. Aut si & ipsam quoque, ut parentem amantissimam decet balbutire, & parvulis alludere, atque blanditi humiliùs & penè despere, non poterit tamen ita dissimulare atque ejurare seipsam, quin grandius aliquid balbutiat, quin virile interserat quidpiam, quin Evangelicam saltem stultitiam sapiat. Nam lex Evangelica nobis quidem à pueritiæ nugacitate adhuc recentibus, grande aliquid & virile sonat, maturamque præ se ferre videtur sapientiæ perfectionem : at ipsi sapientiæ ea nihil aliud quàm balbuties est, & puerilis sapientiæ, id est, amabilis insipientiæ sapientiam conantis & ambientis ausus.

II. Non potuit persona sapientiæ dictare præcepta Evangelicis inferiora.

Non potuit profundiùs delabi, non potuit ampliùs diffingere atque abnegare seipsam sempiterna & incommutabilis sapientia & justitia Christus, quàm ut hanc Evangelicam justitiæ, nostro quidem sensu, maturitatem, suo autem judicio, id est, veritatis ipsius oraculo, infantiam dictaret. Ergo his rudiora si priùs necessum fuit mandata immaturiori cuidam nostræ ætati præcipi, per servos & ministros suos convenientiùs id præstitisse permittatur. Augustinus : *Quisquis autem ideo negat utrumque testamentum ab uno Deo esse posse, quia non eisdem sacramentis tenetur populus noster, quibus Judæi tenebantur, vel adhuc tenentur : potest dicere non posse fieri, ut unus Pater familias justissimus aliud imperet eis, quibus servitutem duriorem utilem judicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ movent, quod in veteri lege minora sunt, in Evangelio majora : & ideo putatur non ad unum Deum utraque pertinere : potest qui hoc putat, perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam salutem. Ut enim ars medicinæ cum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo ; ita divina providentia cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, & pro diversitate morborum aliis alia jubet aut vetat, ut à vitio unde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat, & firmet.* Antiquam ergo legem concinnavit & protulit ars medicinæ incommutabilis sapientia Christus, & jam tum mederi cœpit infirmiori ætati per ministros suos, ut eidem paulò valentiori factæ iis fomentis, postmodum plenissimam curationem & salutem adveniens ipsa inferret. Præcepta igitur legis, etsi typica sint & adumbrata : etsi cùm moralia sunt, jejuna sint & molliora, atque duris cordibus attemperata, sunt tamen medicinalia, sunt de una summa arte medicinæ condita, sunt illi ægritudini tempestiva : sunt salutifera. Ne ergo Christum maturiùs carni intrudere celeremus : aderat, cùm ars medicinæ aderat : aderat quantum adesse proderat : si plus affuisset, obfuisset, & ægros oneravisset, non relevasset.

III. Ira spoliandi Ægyptios jussi vel permissi olim populo Israëlitico fraudem, nec infidelitate nec injustitia tenet reddere jussi Chr. Quæst. L. 3. q. 84.

Pulchrum est & eruditum quod in rem istam disputat Augustinus idem de Hebræis, qui per fraudem spoliare Ægyptios ab eodem Deo jussi vel permissi sunt, qui Christianos instituit, neminì fraudem facere, nec fraudem fraude retaliari, & sua dilargiri, nedum aliena concupiscere. Nempe illud pueris lentè, utcumque tamen proficientibus, hoc viris robusta quadam & succulenta virium exuberantia ad virtutis apicem approperantibus congruebat. *Quisquis duorum testamentorum dispensationes pro temporum congruentia, generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur, satis quantum existimo intelligit, quid proprie priori ætati generis humani, quid posteriori conveniat. Divina enim providentia pulchrè omnia moderante, ita universa generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administratur, tanquam unius hominis, à pueritia usque ad senectutem, temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideo virtutum etiam gradus in moribus, donec veniatur ad summam hominis perfectamque virtutem, oportet cum distinguere, qui divinis lectionibus pie animum intendit : ne forte cum invenerit aliquando parvis parva, aliquando majora majoribus imperari, reputans in comparatione majorum, peccata illa esse quæ minora sunt, non arbitretur decuisse ut talia Deus hominibus imperaret.* Hæc ille primùm fundamenta jacit. Postea ad rem quæ præ manibus erat, pertractandam accedens, ait ; *Quantum ad decipiendum attinet, summa & perfecta virtus est, neminem decipere, atque illum exhibere quod dictum est, Sit in ore vestro, Est, est, Non, non. Sed quia hoc eis imperatum est, quibus jam regnum cœlorum promissum est ; magna autem virtus hæc implere majora, quibus debetur hoc præmium : Regnum enim cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud : quærendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionemque veniatur. In quibus utique gradibus inveniuntur illi, quibus adhuc terrenum regnum promittebatur, quo promissa tanquam parvuli præluderent, & ab uno Deo abundanter qui est omnium Dominus, interim terrenis gaudiis quibus adhuc inhiabant, impetratis, inde proficientes & in spiritu succrescentes, auderent etiam sperare cœlestia. Sicut ergo summa & propè divina virtus est, neminem decipere : sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus, gradus est, neminem quidem vel amicum vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere. Unde etiam illud, &c. Dolus an virtus, quis in hoste requirat ? &c. Sed quoniam & ipse hostis plerumque potest injustè decipi, velut cum pactum sit de temporali pace*

L. De vera Relig. c. 17.

quas

quas inducias vocant, & non servatur fides, & cetera talia. Multò est purgatior, summaque illi virtuti propinquior, qui quanquam velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi authoritate divina. Deus enim novit vel solus, vel certè longè excellentiùs quàm homines atque sincériùs, qua quisque pœna præmiove sit dignus, &c. Quapropter cum & Ægyptii deceptione digni essent, & Populus Israel pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indignè hostem deciperet: factum est, ut juberet Deus, vel potiùs pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea & argentea, quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, & peterent ab Ægyptiis non reddituri, & acciperent quasi reddituri.

IV. It adeuit lapsu temporū illapsum fieri supernarū virtutum, & dum se nostra mutabilitas exerit, justitiæ immutat illi latem gradatim nobis inseri

Ad illam ergo virtutis altitudinem quæ dolos funditus execat, & penitus extirpat atque elidit, gradus est proficientium, si non suos, non amicos, nonnisi hostes decipiat, & fraudem referat magis, quàm inferat, idque nonnisi prævio jussu aut permissu Dei, qui lux veritatis & justitiæ est. In hoc gradu sisti homines & ita altiùs protrudi decebat. Quid pulchrius autem, quàm eos esse ætatum, qui sunt virtutum gradus? Quid venustius virtutum progressione? Quid admiratione nostra dignius, quàm virtutum initia, incrementa, fastigia? Quo luculentiori ornamento illustrari potuit nostra & singulorum & universorum in communi mutabilitas per varios ætatum tractus necessariò exigenda, quàm si virtutum unà proficientium & easdem percurrentium ætates comitatu honestaretur? Quid speciosius, quàm non temporum hunc tam esse fluxum, quàm influxum virtutum? Non tam mutabilitatem per annos decurrentes exeri, quàm immutabilitatem per virtutes unà progredientes inseri? Radix enim immutabilitatis est sapientia, justitia, virtus. Ergo annorum lapsus cum virtutum compari illapsu, non solam explicantis se mutabilitatis venustatem præfert: sed longè digniorem implicantis se & regnantis immutabilitatis pulchritudinem ostentat. Nostris itaque utilitatibus adprimè ad eum modum consulitur.

Sed finamus ipsum quoque sibi consulere, qui nobis consulit. Si enim rationem habet nostri,

V. Legis æternæ plenitudo per Verbi Deitatem in patria, contemperatio Evangelica per Verbi carnem, umbra per Moysen, & alias Christi umbras explicanda fuit.

dum majoribus majora, minoribus minora præcipit: æquum est, ut & sui rationem habeat, dum majoribus majora non præcipiat, nisi major, nec minoribus minora, nisi minor. Refert enim non tantùm quibus, sed & à quo præcepta dentur: nec pueritiæ regendæ accommodata lex nisi pueris, nec nisi ab eo dictari debet, qui illi ætati consentaneus & penè affinis est. Ideo enim & in Christi disciplina, si quid per indulgentiam adhuc mollius & nostram ad imbecillitatem inflexum quandoque, atque à legis æternæ rigore remissius est, id quoque carni Christi, per quam infantia quædam adhuc nostra lactatur, imputandum est. Ita enim aiebat Christus, multa sibi & ampliora superesse suis præcipienda, sed illos tunc ferendo non esse: at ubi virtute ex alto induti, invictum pariter animo robur induissent, tunc illa ardua & castigatissima veritatis præcepta, non jam à Verbo carne, sed à Verbo Deo & carne etiam absorpta in Deo edocendos. Itaque caro ipsa Verbi temperamentum erat accommodum, non tantùm quo obumbraretur ejus divinitas intelligenda, sed etiam quo coaptaretur & lacteisceret nobis sanctitas ejus & lex præscribenda. Nec lex Christi accuratissimè & absolutissimè, aut intelligetur, aut eligetur, aut diligetur, nisi à beatis patriæ supernæ incolis, quibus jam nullo carnis obumbranda erit velo. Cæterùm si nuda Deitate explicatur legis æternæ perfectio & plenitudo; si Deitatis carne propria explicatur legis æternæ temperies Evangelica, tanquam proxima summæ illius derivatio plenitudinis, æmulatio perfectionis: certè longè degener ab his & decoloratior legis Mosaicæ mollities, non potuit nisi per umbras carnis Verbi, hominibus inter crepundia adhuc ineptientibus explicari. Pergit ibidem Augustinus: *Quod primo in terrenis rebus sit gradus ad cœlestem justitiam, qui jam infirmioribus imperatur, Dominus ostendit, cùm ait, Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis? Et quod pro suis gradibus animæ doceantur, ipse Dominus demonstrat dicens, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa. Et Apostolus cùm ait, Et ego fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, lac vobis potum dedi non escam: sed neque adhuc potestis. Adhuc enim estis carnales.* Hi erant sub gratia, non sub lege, jam initiati Christo & Evangelicæ legi, quos ita Paulus affatur; & tamen illos lacte potat, non esca, utpote pueros & carnales: longè tamen provectiores erant, quàm Hebræi sub lege, & præ his in viros penè adoleverant. Itaque his lac erat caro Christi, illis umbra Christi: hi carnales quod carnem Christi adhuc, neque dum æternam Verbi sapientiam saperent, illi quod nec carnem Christi, sed solas ejus umbras: hi Evangelium caperent, sed nonnullis blanditiis ex indulgentia mitigatum, illi nonnisi inflexam & assentientem suæ duritiei legem Mosaicam. Verbum igitur carne indutum & temperatum nostræ ægritudini, non poterat tamen remissiorem aut indulgentiorem ullam legem authoritate sua dictare quàm Evangelicam: Mosaicam autem nonnisi per umbras sui poterat. Etenim Verbi, sapientiæ, sanctitatis & legis æternæ nonnisi umbra & simulacrum est lex Mosaica; at ejus veluti caro quædam propria & corpus est lex Evangelica, nempe illa tam discolor est, quàm umbra à luce deficit: hæc tam concolor est & tam cognata temperies, quàm caro ad animam; sed utrobique tamen temperies est, & condescensus. Claudit tandem illam quæstionem Augustinus: *Quod enim in istis secundùm gradus suos actum est, hoc in universo genere humano agi cognoscimus, ut alia carnali populo, alia spiritali pro temporum congruentia juberentur. Non ergo mirum, si hostem decipi dignum decipere jussi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Non enim jam erant idonei, quibus diceretur, Diligite inimicos vestros: sed tales erant, quibus tantummodo dici poterat, Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum. Adhuc enim ille proximus quàm latè intelligendus esset, non erat temporis tradere. Inchoatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur: cùm tamen idem Deus & pædagogum parvulis dederit, legem illam scilicet per famulum suum, & magisterium grandioribus, id est Evangelium per unicum suum.* Lex pueris, lex à pædagogo tradenda, Verbi & sapientiæ & justitiæ summè nonnisi umbratica imago est & vacua ludibundaque simulatio. Itaque cùm à Verbo incarnato temporiùs optas illam fuisse promulgatam, nugas agis, nec carnem corpusque Verbi ab ejus umbra discriminas. Perinde enim est ac si queratis, quod umbra Verbi non sit caro Verbi. Ad hæc erat illa lex servitutis, nempe pueris qui à servo nil differunt, dum id ætatis sunt, imposita: nec ad charitatem filiorum, nec ad libertatem nudæ ac sinceræ veritatis assurgebat. At Verbum per suam carnem edicere legem non poterat, nisi libertatis. Est enim Filii libertas propria: est Filiatio Verbi nostræ carni insita, ut sua illam libertate impertiat: est generositas quædam humanæ naturæ universæ jam tum inspirata, cùm Verbo consociata est, ut jam servire respuat, & nec Deo nisi liberaliter servire dignetur. Lex ergo servitutis per servos feratur, Filius non potest nisi libertatem largiri & sancire, atque ita non potest, nisi illi ætati consentire, quæ libertati matura jam est. Ideo lex antiqua plerumque Mosis nomine prænotatur, nunquam Christi, etsi à Ver-

bo Christo per Moysen & per Angelos lata sit: nec enim dignatur nisi suas umbras & vicarios administros umbraticæ legis gloria honestare. Et Christus ipse, *Audistis quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Palam & conspicuè & penè ambitiosè, si fari licet, vendicat sibi auctoritatem & gloriam legis Evangelicæ, utpote jam liberalis & purgatioris, & quæ verbo temperamentum quidem aliquod adhuc obduceret, non tamen ut umbra, sed ut caro ejus.

VI. Consentire debent præcepta, & ipsi quæ [illegible] & illi [illegible]: & si modo seu [illegible] Attende [illegible], seu [illegible] non [illegible] præcepta [illegible] [illegible] [illegible]

quàm quod creator in fratres. Nam etsi major est bonitas quæ operatur in extraneos, sed non prior ea quæ antè debetur in proximos, &c. Quod si secundus gradus bonitatis est in extraneos, qui in proximos primus est, ejusdem erit secundus gradus cujus & primus, facilius quàm ut ejus sit secundus, cujus non extitit primus. Ita & Creator secundum naturæ ordinem, in proximos docuit benignitatem, emissurus postea in extraneos; & secundum rationem dispositionis suæ primo in Judæos, postea & in omne genus hominum. Prior est ea charitas atque humanitas, quæ proximis, quam quæ extraneis debenditur: hæc perfectior, sed illa prior: ab illa ergo ad hanc gradus moliendus fuit. Apage autem ut Christo demandetur charitas in proximos, & nondum in extraneos suscitanda, cùm ipse charitas substantiva & universalis sit, cùm magisterium ejus numeros omnes veritatis & justitiæ impleat, cùm nihil ei sit extraneum, cùm omnem ille humanitatem infinito quodam charitatis suæ sinu complexus sit. Non ergo incarnati tum poterat, cùm charitas adhuc suam insinuare nobis plenitudinem nequedum poterat, [illegible]

IX. Ex Hugone Victorino. Quod autem præcepta illa quamlibet impolita, climarent tamen humanum genus paulatim, & ad perfectionem seu ad Christum promoverent, planum facit Hugo Victorinus: *Si credéretis, inquit, Moysi, credéretis forsitan & mihi. Quid enim in Moyse nisi legem, & quid in lege nisi timorem Dei intelligere debemus? Et quid in Christo nisi gratiam & veritatem accipimus? Quid est ergo Moysi credere, nisi acceptæ legis mandata fideliter observare? Observare autem mandatum, hoc est verè timere Deum, sicut scriptum est, Qui timet Deum, nihil negligit. Et in Psalmo: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Quid est autem Christo credere, nisi confiteri & agnoscere gratiam & veritatem Dei: hoc est, redemptionem humani generis & salutem omnium per Christum compleri, & in Christo consistere, eamque cum amore & devotione suscipere? Dicatur ergo contumacibus & transgressoribus legis qui timorem Dei ante oculos non habebant, & ideo viam pacis, hoc est Christum non agnoscebant: dicatur, Si credéretis Moysi, credéretis forsitan & mihi: ac si diceret: Si servassetis legem, intelligeretis veritatem: Si audivissetis præceptorem, cognoscéretis salvatorem. Scio quidem quod me Deum cognoscere non potest, qui à me illuminatus non est: & ideo vos non creditis, quia à me illuminati non estis. Ego autem idcirco vox ad me cognoscendum non illumino, quia vestram contumaciam & prævaricationem scio: & dignum est ut me præsentem jam non cognoscatis, cujus præcepta priùs ad vos per Moysen missa servare noluistis. Audiant hoc illi qui præcepta Dei non custodiunt, & tamen secreta Dei se comprehendere posse præsumunt.* Quis ergo jam expostulandi locus non septus & occlusus est? Vel enim timori & minoribus præceptis servierunt, & ita ad veritatem & charitatem Christi perfectam tandem evecti sunt: vel timoris & legis frænos respuerunt, atque quod Christi exortes sint, suæ contumaciæ debent. Ita enim & olim & etiamnum, ita ipso rerum & naturarum ordine inconcusso fixum statumque est, ut qui credit Moysi, credat & Christo: qui credit Christo, crediderit priùs Moysi: qui Moysen conspuit, Christo terga vertat: qui Christum despicatur, Moysen antè conculcaverit: hoc est, ut per legis jejuniora & quasi puerilia elementa ad Evangelicam justitiæ amussim, & per timoris angustias ad latitudinem charitatis evadatur: nec Evangelii aut charitatis seu Christi exors sit penitus, nisi qui prudens & volens obvia sibi & oblata timoris legisque initia fastidierit. Viget lex eadem in eos etiam qui jamdudum sub Christi vexillo faciunt stipendia. Quò timori ejus & præceptis deditiores sunt, eò in penetralia quædam charitatis ejus & in altiora legis Evangelicæ lumina intimiùs illabuntur, ut sibi quidem videantur hactenus Christi expertes, sub legis & timoris jejunitate languisse, nunc autem illucescere sibi & incarnari Christum, legemque & charitatem ejus hactenus inexpertam nunc denique sibi infundi. Lex enim inviolabiliter fixa & rata hæc est peregrinanti a Deo post peccatum rationali naturæ, ut ad veritatem Christum non pertingat nisi per charitatem, nec ad charitatem nisi per timorem, nec timorem nisi ementitum personatumque gerat, nisi legis mandatis famuletur, & quidem minoribus, quia majora charitati uni pervia sunt, immo cum charitate concreta quodammodo & conflata sunt. Hæc via terenda, hæc lex subeunda, & ante legem Christum expectantibus, & sub gratia Christum jam tenentibus & tamen adhuc expectantibus, cumulatiùs sibi illustriùsque venturum, & tam copiosè superventurum, ut necdum veniisse, aut necdum sibi veniisse videatur. *Si igitur Judæi viam pacis, hoc est Christum, idcirco cognoscere non potuerunt, quia timorem Dei in custodiendo mandata ante oculos habere noluerunt, patenter nobis ostenditur, quod per experimentum boni operis, apertissimè pervenitur ad agnitionem veritatis.* Ait Hugo ibidem.

Tom. 1. pag. 51.

X. Ex Vuillelmo Parisiensi, Cap. 4. Nec pigebit Vuillelmum Parisiensem Episcopum ad dicendam sententiam citasse. Pulcherrima sunt enim quæ ille habet tractatu de sacramento Eucharistiæ: *Reprobatio sit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem, &c. Et si quæratur quare tot millibus annorum sustinuit Deus imperfectionem istam & diminutionem in cultu suo, quare non prius gloriæ suæ & saluti nostræ consuluit? Jam pro parte respondimus in isto. Si enim elementa & quasi alphabetum perfectionis divini cultus, vix paucissimi in mundo, id est, sola gens Hebræorum miraculis inducta, totque & tantis flagellis quodammodo compulsa recipere potuit, cùm etiam esset in hac quasi hereditaria Patrum eruditione adjuta; quantò fortiùs mundus totus & communitas hominum ad tantam perfectionem ineptus fuit? Sustinuit ergo Deus illam imperfectionem in cultu suo, donec venit plenitudo temporis: quemadmodum sustinet imperitiam in pueris, parvitatem in seminibus vegetalibus, & in omnibus animalibus, donec per incrementa, magnitudo suæ perfectionis eis adveniat. Et ut quæstionem istam amplius enucleemus, non alia est, quàm si quæratur, quare nascuntur homines parvuli, & non potiùs viri perfecti atque barbati? Et quare ponuntur ova ab animantibus ovantibus, & non potiùs animalia perfecta ex eis nascuntur? Natus est enim Dei cultus & vera religio in mundo, quodammodo ut semen, & quodammodo ut parvulus, propter imperfectionem, & ineptitudinem communitatis hominum.* Quippe ea est non natura instituti, sed pœna damnati hominis, ut non in matris modò, sed & in suo mœrore ac detrimento pariatur, edaturque in lucem sordidus, brutus, insipiens, nec nisi per longa ætatum intervalla erudiri, & expoliri in usum aliquem sapientiæ & religionis possit.

XI. Ex Prudentio. L. Posteriore Sect. 1. Bellulè hæc etiam lusit Prudentius adversùs Symmachum,

Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo,
Sic variat natura vices. Infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque.
Sanguine præcalido fervet nervosa Juventus.
Mox stabilita venit maturi roboris ætas.
Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata Senectus.
His genus humanum per dissona tempora fluxit
Curriculis ævum mutabile. Sic hebes inter
Primitias, mersumque solo titubavit, & instar
Quadrupedis, pueri lactantia viscera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, jamque artibus aptum
Noscendis varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adolevit in annos.

Donec decocto solidaret robore vires,
Tempus adest ut jam sapiat divina, serena
Mentis consilio, vivacius abdita soleret
Quærere, & æterna tandem invigilare Saluti,

Ita ille majestatem Theologiæ nostræ legibus metri subjugavit, nec dedecoravit. Porro inde liquet fluxisse id quidem de pœna peccati, quod penè marcidior ipso corpore animus, per easdem ætatum vices rotatur & expolitur ac corpus: at de Christi gratia id fluere, si ætatum decursus ad sapientiam etsi tardiùs, utcumque tamen properet. Ex quo fit ut Christi magis quàm hominis cujuslibet illæ censendæ sint ætates. Ita enim ab orbis conditu ad ejusdem exitum, nascitur, crescit per varia augmentorum curricula & matureſcit Christus. Quanquam ergo lex vetus, & testamentum vetus veteri homini soleat non immeritò adscribi, illa tamen etiam erat hominis jam præludoria quædam innovatio, & Christi proinde ætas. Agebatur enim vetus homo forinsecus, sed & excutiebatur paulatim ipsa vetustas, & ex parte circumcidebatur, etsi nondum ex toto: novitas autem paulatim stillatimque combibebatur & præseminabatur Christus, In veteri etiam homine, jam olim Christo licèt initiati, nosmet reputamur, non corpore tantùm, sed & ea animæ portione non minima quæ concupiscit adhuc adversùs spiritum, & primitias suas sursum religatas suo pondere deprimit. Ætatem ergo Christi aliquam nos agimus, agimus & veteris hominis; nec vicem nostram ita dolemus ob reliquias vetustatis, quin ob primitias novitatis uberiores congratulemur & nobis & nostro liberatori Christo, atque innovatori, in perfectissimam aliquando nos libertatem innovaturo, & jam nunc ad eam nos innovanti, sed gradatim. Ita ergo & sub lege agebatur ætas Christi aliqua etsi rudior, agebatur & veteris hominis, sanè quàm nunc plenior; nec illi suam sortem ita lamentabantur ob comperendinata absolutissimæ innovationis suæ tempora, quin & sibi & Christo plauderent, à quo innovari se per legem Mosaicam, & hoc gradu ad Evangelicam saltem intus & clanculariè innovandos se sentiebant.

XII. Ex Græcis denique Patribus. Orat. 2. Contra Arianos.

Ne Græcos videamur studio omisisse, unius aut alterius suffragium attexemus. Athanasius initium Epistolæ ad Hebræos exponens: *Deinde cum narratio haberetur de nostri cura ac dispensatione, deque ultimis temporibus, ad contextum argumenti pertinebat ut diceret, Deum neque superioribus ætatibus tacuisse, sed locutum esse per Prophetas: & ubi Prophetæ suo officio perfuncti essent, & lex per Angelos sua edicta prænunciasset, & Dominus ad nos immigrasset, & ad ministrandum accessisset, tunc demum subintulit, Tanto melior Angelis factus, &c. Ostendere volens, Quanto Dominus præ servo excellat, tanto functione & officio servorum, Filii administrationem meliorem esse.* Et infrà: *Spectent saltem gratiam per Filium datam, & cognoscant ipsum ipsis rebus probari contestatumque reddi, alium diversumque esse à rebus creatis, solumque verum Filium in Patre, & Patrem in ipso existere. Lex quidem per Angelos enunciata est, sed nullum perfecit, cùm opus haberet præsentia Domini, ut Paulus dixit: Verbi autem præsentia absolvit opus Patris.* Et ibidem statim: *Et tunc quidem nihil nisi formulæ, delineationesque erant, quæ ostendebantur, nunc autem veritas exhibita est, &c.* Et infrà: *Tunc enim veluti obnoxius judicabatur mundus a lege, nunc autem Verbum judicio in se translato, & corpore pro nobis excruciato, salutem omnibus comparavit. Id respiciens exclamavit Joannes, Lex per Moysen, &c. Melior porro gratia quàm lex, & veritas præstantior quàm umbra. Illud autem Melius, non poterat per alium nisi per Filium, qui sedet ad dexteram Patris, effici.* Et paulò antè: *Ad Verbi incarnationem & œconomiam respiciens, illum non similem esse prioribus nunciis ac legatis ostendere voluit; ut quantum natura discreparet ab illis, qui antea missi erant, tanto magis gratia per eum & ab eo data intelligeretur, eximia & excellentior præ Angelorum ministeriis. Servorum enim erat reposcere dumtaxat fructus, Filii ac Domini gratiam debiti facere, & vineam ad alios transferre.* Viderint jam ii, quibus quàm popularibus, tam inanibus rumusculis persuasum, præjudicatumque est, clementiores esse Græcos Latinis Patribus, & gratiæ Christi plus æquo liberaliores. Viderint, inquam, num durius quidquam jaculatus unquam sit Augustinus, quàm quod modò ex Athanasio deprompsimus: cujus verba totidem propè verbis expressisse videtur Cyrillus, sic ut nihil opus sit & hunc allegari, ne actum agamus. Porrò quantumlibet extenuetur lex præ Christi gratia, non possunt tamen ejus commoda & interspersa ei gratiæ Christi quædam ramenta ita premi aut dissimulari, quin subluceant. Quanquam enim tam immani intervallo lex Mosaica ab Evangelica distet atque deficiat, quàm Moyses à Christo, quàm servus à Filio; ut servus tamen Filii quædam umbra & spes est, ut Moyses Christi quædam imago & portio est; ita lex Mosaica gratiæ Evangelicæ quædam portio, quædam erat anticipata prolusio. Ergo tam nihil deteritur de amplitudine gratiæ Christi, si exordia quædam ejus & conamina legi & agentibus sub lege prærogantur: quàm de majestate Christi nihil minuitur, si Moysi, si Prophetis quædam ab eo derivata concedantur dignitatis & sanctimoniæ ornamenta. Quin immo ut nihil magnificentius Christo est, dum ei vel Angeli vel Sancti quilibet componuntur, atque incomparabiliter postponuntur, quàm quod horum quoque ab illo profluxerit omnis opulentia, sine qua nequidem ut postponerentur, componi cum eo potuissent; ita nec gratiæ Christi decus ullum, quo legi Mosaicæ antistet, amplius excogitari potest, quàm quod nonnisi gratiæ prævia quadam & præsumpta irradiatione lex Mosaica refulgesceret. Neque enim ita Moyses vel Prophetæ Christo comparantur, tanquam æmuli & adversi, qui tamen necessariò denique substernantur: sed tanquam amici & imitatores, qui non assequi, sed utcumque vel à longè sequi laborent: ut membra capiti, ut rivuli fonti suo, ut rami suæ radici, ut radii suo soli, ut plenitudini derivationes. Cedit autem in gloriam capitis, si membra non emarcuisse, sed succo vitali ab eo abundare, nec tamen cum eo exundare dicti erentur. Ita fonti laus inde quæritur, non si exaruisse, sed si ab eo fluentes rivuli affluere, nec tamen præ illo effluere memorentur. Similiter ergo & lex Mosaica, non æmula Christi gratiæ aut adversaria imaginanda est, sed ejus prælibatio quædam, quæ quo laudabilior ornatiorque erit, eo plus gratiæ debebit, eo ampliùs gratiam illustrabit. Erat enim consentaneum ut quemadmodum Christus Moysen & Prophetas tanquam sui portiones præmisit, & de sua opulentia pro suo quemque modulo locupletavit: ita Mosis legem & Prophetarum ministeria de ministerii sui gratia & plenitudine aspergeret.

CAPUT VII.

Insuefacienda erat primùm gens humana per figuras & umbras, postea per corpus proprium contrectare Deum & contueri.

EXpostulationis hujus, quam repercutimus jamdiu, æstu quodam solent homines abripi, qui nunquam satis attentè pensitarunt, quàm intolerabilis sit homini lapso divinitas. Est enimverò divinitas omnium penitus malorum omnipotentissima quædam medicina, sed nisi temperetur coapteturque ægrotantis imbecillitati, si intempesti-

1. Lex aterna, charitas, veritas, plenitudo, veritas (... Cui bonum est, sed non cùm tempestas

tur, ægros obruit & devorat, non juvat

pestivo & præfestinato infundatur, non ægritudinem tantùm, sed ægrotum conficiet & devorabit. Est lex æterna salutis ancora turissima, sed nisi temporaliter sonet homini in temporalia lapso, fallit, nec exauditur. Est charitas cupiditatum omnium victrix & debellatrix, sed nisi timore viam sibi aperiat, refellitur excluditurque. Est æternitas merces & illecebra immortalibus animabus accommodatissima & efficacissima, sed nisi terrenis affixas refigat per terrena quædam blandimenta, & ad se revocet, nihil proficit. Est sapientia totius sanitatis amussis quædam perfectissima, sed nisi parvulis balbutiat aliquid seque infringat per pueriles præceptiunculas, nunquam se adultis insinuabit. Est ad eundem penitus modum divinitas rationabilium naturarum cumulus felicitatis, sed lippientibus iisdem nisi obnubilet sese, lumen infert, non quo recreentur, sed quo præstrictæ excæcentur. Porrò non quodlibet temperamentum cuilibet ægrati & imbecillitati hominum opportunum est. Quo enim pinguior infantia, eo crassioribus nebulis opacanda illi lex divina est. Itaque caro assumpta à Verbo, velum quidem illa fuit, quo lux ejus nimia frangeretur & adultis hominibus aptaretur: sed parvulos oneratsset obruissetque ipsa illa lux, quę carnis velum perrumpebat. Ferendo ergo divinitatis lumini insuefaciendi fuerunt homines per densiores quasdam figurarum nebulas, quas pauculi admodum radii trajiciebant & perlucebant. Nam ut spero non diu illudet tibi crassa illa quæ subire potest imaginatio, carnem Christi densius fecisse umbraculum, atque opacius figuris Mosaicis Prophetici sque, quas sua statim levitas & fugacitas discutiebat. Quò leviores enim & fugaciores erant illæ umbræ & quasi perfunctorię, eò parciùs illis se Verbi Deitas permiscebat. At carni quàm suam & sui accessionem & seipsum esse voluit, infudit se & inundavit plenissimè. Nec poterat Verbi Deitas carni se substantivè & hypostaticè insinuare, quin per eam trajiceretur & perluceret tanta lucis copia & majestas, quantam ferre non possent mortalium oculi, nisi diutina nubecularum & subtilium ejus imaginum contemplatione roborati. Vide hic ut hæc nobis prælineaverit Irenæus: *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Sed quoniam qui omnia in omnibus operatur Deus est, qualis est & quatenus est, invisibilis & innumerabilis est omnibus quæ ab eo facta sunt: incognitus enim nequaquam: omnia enim per Verbum ejus discunt, qui est unus Deus Pater qui continet omnia, qui omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est: Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Enarrat ergo Filius ab initio Patrem, quippe qui ab initio est cum Patre, qui & visiones propheticas & divisiones charismatum & ministeria sua & Patris glorificationem consequenter & composite ostenderit humano generi apto tempore ad utilitatem. Ubi est enim consequentia, illic & constantia: & ubi est constantia, illic & pro tempore: & ubi pro tempore, illic utilitas.* Audin non posse naturam rationalem divina visione in totum fraudari citra interitum suum, ideoque cùm invisibilis sit natura Deitatis, jam inde ab initio enarratam esse Patris, ostensamque Deitatem à Verbo ejus conscio & consorte, sed consequenter, compositè, aptoque tempore, nimirum per visiones primùm propheticas, per variegata ministeria divinorum præconum, inde per carnem suam, denique apertè in gloria revelatum iri? Nam nisi gradatim fieret hęc dispensatio, nulla nobis utilitas constaret. Et idipsum statim apertiùs: *Et propterea Verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem; & invisibilitatem quidem Patris custodiens, nequando fieret homo contemptor Dei, & ut semper haberet ad quod proficeret: visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens à Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo: vita autem hominis visio Dei.* Vita quippe non hominis, sed animantis est, quæ in corporalibus & corruptibilibus deliciatur. At vita rationalis, quæ vita hominis est, de incorruptibili & intelligibili cibo toleranda utique est. Cùmque vita hominis per incrementa proficiat, dimetienda illi proinde est per varios provectus visio Deitatis. Propheris ergo primum dilargienda, ut iis innixæ plebes commanso & quasi transfuso per eos hoc cibo sustententur, & proficiant ad id, ut omnes aliquando visione Dei pascantur. *Quoniam ergo Spiritus Dei per Prophetas futura significavit, præformans nos & præaptans ad id ut subditi Deo simus: futurum autem erat ut homo per sancti Spiritus beneplacitum videret; necessario oportebat eos per quos futura prædicabantur, videre Deum, quem ipsi hominibus videndum intimabant, &c. Quemadmodum & Esajas ait, Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis, &c.* Ad id ut apertè aliquando videretur, gradus erat, ut ænigmaticè, seu propheticè: ad id ut ab omnibus, gradus erat, ut à pauçis quibus cæteri incumberent, videretur Prophetis. Omnium enim hominum una causa, una penè substantia est. Vidimus ipsi quod in amicis vidimus: illorum experimentis oculisque perinde ut nostris inhæremus. Et etiamnum divina pauciissimi vident hominum, pauciissimi intelligunt, quibus reliquorum fides adglutinatur: vident enim & intelligunt quodammodo, qui videntibus intelligentibusque conferti implicatique inhærescunt. Ita & olim humanum genus erudiebatur ad Deum videndum, cùm optimates quippe & eximii, ac reliquorum capita & oculi Deum videbant, & umbraticè primum videbant, ut dilucidè videre aliquando sustinerent. Coibat hominum familiaritas cum Deo, & Deus hominibus congredi adsuescebat, cum plebium capita rebus divinis informabantur. *Non igitur manifestè ipsi faciem Dei videbant Prophetæ, sed dispositiones & mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum.*

tientiam Verbi per carnem fus radiantis,

II. Sapientiæ carnem hypostaticè induta, & velata, radiabat tamen vehementius, quàm ut à parvulis ferri posset.

III. Itaque prophetici illustrius figuris infirmitas hominum obfirmanda erat ad pa-

Et quoniam cachinnari ad hæc solent homines opinionum suarum plus justo amantes, & contemptim interrogare, num Deo integrum non fuerit, eandem homini perfectionem atque ad divina contuenda perspicacitatem impartiri statim initio, atque postea? hujus quoque cavillationis impetum retundit idem Irenęus: *Si hoc dicat aliquis: Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem? Sciat quoniam Deus quidem cùm semper sit idem, & innatus, quantum ad ipsum est, omnia possibilia ei. Quæ autem facta sunt ab eo, secundùm quod postea facturæ initium habuerunt, secundùm hoc & minora esse oportuit eo qui se fecerit. Nec enim poterant infecta esse quæ nuper facta sunt: propter quod autem non sunt infecta, propter hoc & ideo deficiunt à perfecto. Secundùm enim quod sunt posteriora, secundùm hoc & infantilia: & secundùm quod infantilia, secundùm hoc & insueta & inexercitata ad perfectam disciplinam. Quemadmodum enim mater potest præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam: sic & Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam: infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster novissimis temporibus recapitulans in seipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo nos illud videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat, sed nos magnitudinem gloriæ suæ portare non poteramus.* Hæc sunt arcana illa divinæ dispensationis consilia, quæ Irenęus ab Apostolorum

IV. Ita comparatum cum natura humana, ut per gradus, non uno impetu ad apicem provehatur. l. 4. c. 73. 74.

disci-

discipulis, à Christo ipso exprompta acceperat. Natura quippe rationalis, quà ex nihilo ad esse semel provecta est; hinc proficiendi, id est ab imis ad superiora surgendi, non ipsam perfectionem uno impetu & quasi congenitam obtinendi necessitatem subiit. Itaque ad Dei visionem, qui ejus beatitatis summus est apex, per varia profectuum curricula impellitur. Alioqui nostræ etiam post Christi adventum sorti succensere debueramus. Nam ne nunc quidem nuda patet nobis Deitas, nec nisi sub carnis involucro. Si autem non gravatè nec indignanter ferimus, necdum aperiri nobis patriam lucis, sed ad eam nos variis sacramentis purgari: si ubi plusculum illa subaperire se & subrutilare furtim raptimque videtur proficientibus nobis, hinc gratulamur præsenti, & avidiùs inhiamus futuræ visioni, non priori irascimur frustrationi, quæ frustratio sanè non erat, sed purgatio: quin ad eundem modum veteris Testamenti hominibus adgaudemus, quod eruderarentur in dies, & elimarentur pedetentim per varia figurarum sacramenta, ad Deum in carne aliquando potiendum?

V. Sæculorum decursus, & mirabilitatis lapsus, eo pulcherrimus, quod ad Dei conditum gradatim proficiscatur; magis magisque in dies homo deificetur, Deus deificet. L. 4. c. 22, 24.

Nam in totius naturæ conditæ ambitu atque in omnium decursu sæculorum, nihil venustius, nihil admirabilius, quàm quod homo ad Deum semper proficiat, hominem Deus ad se semper provehat? Quid enim hac largitate, quid illa felicitate magnificentius? Homo Deus non est, ergo homo semper deificetur, Deus hominem semper deificet. Insita naturæ creatæ mutabilitas feliciùs verti, compensari, ornari, liberari non potuit. At verò ad id necesse est, ut hæc deificatio homini stillatim irroretur, non temerè infundatur, Irenæus iterum: *Novo enim Testamento cognito & prædicato per Prophetas, & ille qui illud dispositurus erat secundum placitum Patris prædicabatur, manifestatus hominibus quemadmodum voluit Deus, ut possint semper proficere credentes in eum, & per testamenta maturescere per affectum salutis. Una enim salus est, unus Deus qui formavit hominem: præcepta autem multa & non pauci gradus, qui abducunt hominem ad Deum.* Et infra: *Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno & eodem Deo omnia semper per Verbum revelata, & ostensa fuissent credentibus: aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando verò exprobrante, aliquando vero exortante ac deinceps liberante servum suum & adoptante in filium, & apto tempore incorruptibilem hereditatem præstante ad perfectionem hominis. Plasmavit enim eum in augmentum & incrementum, quemadmodum & Scriptura dicit, Crescite & multiplicamini. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: & quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, & initium & medietatem, & adjectionem & augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Deus quidem perfectus in omnibus, ipsi sibi æqualis & similis, totus cum sit lumen & totus mens; homo vero perfectum percipiens & augmentum ad Deum. Quemadmodum enim Deus semper idem est: sic & homo in Deo intentus, semper proficiet in Deum: neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo & locupletando hominem; neque homo cessat beneficium accipere & ditari à Deo. Exceptorium enim bonitatis & organum clarificationis ejus homo, gratus ei qui se fecit, &c.* Vides quàm latè serpat, & quàm invictè regnet lex illa & vox Dei, ad hominem, Crescite. Exinde enim homo per omnia decedentium & succedentium temporum volumina nihil aliud quàm impluitur divinis beneficiis, irrigaturque jugiter, & crescit. Itaque tota vetus in lege & in figuris dispensatio à Verbo administrabatur in hominis augmentum, in hominis salutem. Crescebat homo in Deum, benefaciebat homini Deus, nec posteriora legis Evangelicæ, & uberioris Christi gratiæ, & veritatis in carne conspicuè incrementa capere homo potuisset, nisi prioribus illis augmentis confortatus.

VI. Apparitiones Dei in prophetia & umbra legales, quæ eæ sint, quomodo Verbum laborantis fidem roborarint, & locum nemini.

Atque si veri patientes animos, non contentionis & rixarum amantes nanciscamur, hoc illis etiam deponere atque insusurrare licebit arcanum Irenæi dogma; illas nempe Verbi per multiplicem figurarum varietatem apparitiones olim, quibus carni suæ præludebat & quodammodo prægestiebat, inhumanationes totidem fuisse, & corporationes, quibus coaptabat se Verbum illis tum hominibus, qualem poterant pro sua vel infantia, vel pueritia ferre. Corporascebat enim revera Verbum, & hominis plerumque formam sibi obducebat, atque ita se objectabat hominibus brevi, sed beata usura fruendum, non omnibus, sed selectioribus, & cæterorum principibus. Nec in carne sua omnibus se contrectandum præstitit, sed paucis egregiis, quibus cæterorum fides inniteretur. *Sic & initio Deus quidem potens fuit dare perfectionem homini, ille autem nunc nuper factus, non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum est homini Verbum Dei, cùm esset perfectus, non propter se, sed propter hominis infantiam, sic capax effectus, quemadmodum illum homo capere potuit.* Coinfantiari, nonne id ipsum est quod incarnari, & per corporationem lactescere infantiæ nostræ? Ab initio autem Verbum coinfantiatum est. Non ergo procrastinatam diutiùs queramur Verbicorporationem, quæ ab initio statim facta est jugiter, nec fieri unquam desiit, desinetque. Nunquam enim cessavit, aut cessabit Verbum intelligibilem & intolerabilem nobis in infantiam revolutis lucem suam opacare & attemperare per corporea involucra, id est, per corpus, per carnem suam. Quod autem priùs umbratica, postea vera carne, quod priùs perfunctorio, postea solido & perenni corpore & in æternum suo esse Verbum induat, parciùsque vel copiosiùs perluceat, unius habetur ratio salutis nostræ, per mediocres ad sublimiores gradus agendæ, non præcipitandę. Porro ipsa qualiscumque corporatio Verbi & cum hominibus congressio, nonnisi de misericordia descendit, & gratiarum rore permadescit. Ergo qui ut adventus Verbi in carne splendidiùs clarescat, priores ejus in figurarum nubeculis corporationes plus nimio premunt, atque ut gratiæ penitus infœcundas & ingravandis quàm sublevandis hominum morbis aptiores infamant, quid, oro, aliud quàm pro Christo adversùs Christum digladiantur? Verbum enim ipsum idemque, postea in carne, priùs aliter & aliter corporascebat. Æquum est, ut qui de carne sua exundaturus erat gratiarum flumina, de carnis prolusionibus rores gratiarum aliquos stillaret. Carni ipsi hinc accedet gloriæ quamplurimum. Nec enim ambigam de carnis Verbo propriæ & hypostaticè copulatæ opulentia & gratiarum ubertate, si vel ipsas carnis umbras & temporarias Verbi corporationes beneficiorum stillis rorasse comperero. At si priores Verbi corporationes & ad hominem congressiones, inanes penitus gratiarum audiam, non immeritò forsitan anceps animi dubiusque nutabo, in posterioris verioris que corporationis liberalitate confitenda.

VII. Quæ habenda ex Irenæo, circa Athanasii formulam. Orat. 4. Adv. Arian. paulò ante finem.

Huc conferri debet quod monet Athanasius: *Quandoquidem in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis servare credentes. Non enim amplius ut superioribus ætatibus per imaginem & umbram sapientiæ ejus, qua in rebus deprehenditur, voluit Deus innotescere: sed ipsam veram sapientiam carnem jussit assumere, & hominem fieri, mortemque crucis sustinere, ut per fidem quæ in eum est, omnes jam credentes servari possint. Eadem ipsa est*

ist illa sapientia Dei, quæ prius per imaginem sui rebus creatis inditam, qua de causa creari dicitur, manifestavit seipsam: & quæ per se suamque indolem Patrem nobis manifestum reddidit: postmodum ipsa & Verbum & ratio Dei caro facta est, &c. Ubi creatam ab initio illam sapientiam in Proverbiis, Verbum ipsum interpretatur, quod in natura rerum corporea quodammodo creabatur; quia eo ceu amictu velabatur & revelabatur, tanquam corporata & infusa ipsi naturę universi, & inde ceu ex vestis suæ pellucidate perlucebat sapientia. Quantò magis ergo creabatur & corporascebat Dei sapientia in veteris instrumenti universa dispensatione? Si autem ab initio creabatur in creaturis corporeis sapientia ad salutem hominum, ut per ea quę facta sunt, intellecta conspiceretur divinitas: quantò magis salubres hominibus & gratiæ muneribus scatentes erant ex Verbi appariciones, quæ reparationi hominis jam serviebant?

VIII. Item ex Basilio. l. de Spirit. sanct. c. 14.

Basilius quoque præclarè hoc ipsum, *Quemadmodum doctores facere solent in instituendis discipulis, ita nos in exercitatione pietatis dum ad perfectionem inducimur, primum perceptu facilioribus & nostro modulo congruentibus ad incomprehensibilem scientiam paulatim introducti fuimus; Deo qui nostra gubernat, oculos nostros velut in tenebris enutritos, paulatim ad magnum illud lumen assuefaciendo subvehente. Dum enim parcit infirmitati nostræ in profunda opulentia sapientiæ suæ, inque imperscrutabilibus judiciis, placidam hanc nobisque accommodam adhibuit institutionem, ut prius corporum umbras intueremur, & in aquis solem cerneremus, consuefaciens, ne protinus spectaculo puræ lucis offensi caligaremus. Ad consimilem enim rationem, tum lex umbram habens futurorum, tum per Prophetas facta delineatio quæ est veritatis ænigma, exercitamenta excogitata sunt, quibus oculi cordis nostri præpararentur, ut ab his facilis nobis transitus esset ad reconditam in mysterio sapientiam.* Hìc duo illa existunt emicantque perspicuè, quæ jamdiu inculcamus: nempe nec Christum priori illi ante carnem ejus ętati hominum defuisse, nec vacuum gratiæ ejus statum illum regnumque legis effluxisse. Aderat enim seque spectandum fruendumque exhibebat, qualem quantumque illa ætas plenioris boni impatiens ferre poterat, nempe in umbris sui, consuefaciens paulatim homines ut lucem puram aliquando paterentur. Jam verò quod dum procrastinatur incarnatio, gratiæ fluenta non usquequaque cohiberentur, liquet vel ex eo quod ipsa procrastinatio in numero gratiæ sit. Parcebatur enim lippitudini hominis, ne jaculo coruscantis è sua carne deitatis confoderetur: & interim per umbras curabatur, & Soli in umbris adumbrato & sublucenti alludere interim atque consuescere condocefiebat. Non ergo ad desperationem morbi & ingravescentiam spectabat, sed ad ejus curationem opportunam ea tarditas.

IX. Ex Nazianzeno. Orat. 42.

His affinia sunt quę disputat Nazianzenus: *Enimvero legem universam futurorum atque eorum quæ animo & ratione intelliguntur, umbram fuisse divinus Apostolus ante nos pronunciavit. Ac Deus etiam qui Moysi ante oracula edidit, Vide, inquit, ut omnia facias juxta exemplar, quod tibi in monte ostensum est. Ea nimirum quæ aspectu sentiuntur, quasi adumbrationem quandam & delineationem earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse ostendens. Atque illud persuasum habeo nihil temerè atque inconsideratè, nihil humiliter, denique nihil Deo legislatore & ministro Moyse parum dignum, constitutum esse, &c. Nam in ipso quoque monte Deus hominibus apparet, partim de specula sua ipse descendens, partim nos ex terrena depressione in altum evehens: ut à creata natura leviter saltem, & quatenus tutum est, incomprehensibilis ille concipiatur. Neque enim aliter terreni corporis ac mentis vinctæ crassities Deum concipere potest, nisi divinitus adjuvetur.* Adjumenta ergo erant ad Deum pro captu mentis intelligendum, illa omnia legalium Sacramentorum spectacula. Adjumenta inquam & Deo digna authore, quem nefas est nisi beneficum imaginari: & Moyse ministro, quem nisi beneficiorum interpretem haud licet prædicare: & Christo mediatore, qui illa omnia sibi præstruebat, nec poterat vel umbras sui ullas expingere, quin suæ illas pulchritudinis & opulentiæ radiis donisque conspergeret.

X. Ex Cyrillo Alexandrino. Dialog. 4. De Trinit. pag. 475.

Sed humani generis statum tunc temporis, Deo videndo inhiantem, & necdum idoneum, ideoque non crudeliter, sed medicinaliter, in divinorum simulacris adumbratis exercitandum, purgandumque, & ad patientiam superni luminis firmandum, nemo descripsit felicius quàm Cyrillus: *Christi cognitio legalem institutionem longè antecellit, clariorem enim habet prædicationem, & ad cognitionem se extendit legi insuetam. Quocirca ipse etiam sacrorum antistes Moyses precabatur, idque frequenter, ut certam atque umbræ expertem ejus qui est, cognitionem acciperet, ideoque ipsum omnium servatorem Deum compellabat: Ostende mihi teipsum, apertè videam te. Quin etiam jussit petram perfodere, & per angustissimum foramen, si vellet, contemplari. Quo nobis Deus, opinor, enigmaticè subindicat, legem discipulis suis exiguam Dei cognitionem irradiare, ac veluti per foramen, lucem istam propemodum immittere. Unum etenim tantummodo Deum esse credi volebat, errantes ab imaginariis Deis avocans: quo pacto autem in se habeat se divina & ineffabilis natura, non clarè demonstravit, quemadmodum salutaris illa prædicatio per Christum. Cognito enim Filio, credimus natum esse & processisse à Patre, tanquam radice: & geniminis gloria genitoris naturam velut in tabulæ depingens, efficit ut mentis oculus res intellectu & oratione superiores assequatur. Proinde ad Patrem ac Deum qui in cœlis est, ajebat: Manifestavi nomen tuum hominibus, &c. Evangelica itaque præconia institutioni legali longè antecellunt, quæ unum quidem esse Deum dumtaxat veteribus prædicabat: Deitatis verò naturam ad Trinitatem secundùm hypostasin nequaquam extendebat, ac rursus in naturalem unitatem colligebat.* Ostendi Christus non poterat nisi fidem professis unius triqæque Deitatis. At quæso, num fides illa residere poterat in eorum animo, qui pueriliter vacillabant in unius Dei religione, & subinde ad plurium numinum adulteria revolvebantur? Ergo nihil inhumanius in hos consuli poterat, quàm si palam incarnata Verbi hypostasis, Deitatisque Trinitas ingereretur, nictitantibus, lapsantibusque identidem in spuriam Deorum colluviem. Medicinale his ergo temperamentum fuit, ut umbraticè exhiberetur, & paulatim insinuaretur id, à quo si statim erumperet, statim resilirent. Si violentus irruisset, refutaretur Christus à contumacibus; per cuniculos igitur, per umbras irrepsit, noctu penè insidiatus est & illapsus, qui per diem non fefellisset. Nec aliis artibus grassatus est postquam carnem sibi nostram conjunxit: nam hominem se primò mirificum probavit, ut postea Deus terrificus crederetur: & Apostoli eadem ferè triverunt vestigia in ejus fide orbi terrarum inseminanda. Fefellit ergo Deitas per carnem; ita & olim fallebat per umbras; piaque fraude imponebat hominibus, tanquam ægris limphatisque, ut sanari se & ditari sinerent; nec credere cunctarentur quod credidissent, nec in luce refellerent, quod in umbris essent amplexati, nec de die aversarentur, quod noctu tantoperè profuisset.

XI. Diluitur objectio inde petita, quod Christus in carne veniens, à Gentilibus propensius, quam à Judæis receptus sit.

Nec nos præterit, quod emunctioris naris hominibus jam olim suboluit, latere hìc molem ingentem & penè inexpugnabilem difficultatis. Nam qui his sacramentis nebulisque legalibus informabantur ad Christum convenienter his postea amplectendum, ii ab eo agminatim resilierunt, & hacte-

hactenus illum detestantur, nec nisi senescente sæculo sperantur redituri. At Gentiles hujus tantæ morositatis expertes, exleges, inter idolorum vitiorumque vepreta hactenus silvescentes impunèque lascivientes, ad Christi lumen illico certatim catervatimque convolarunt. Quì ergo non ruit & in frustra dissilit tota illa operosæ argumentationis machina? tota illa negotiosæ ad Christum contingendum substructionis fabrica, qui non ludibrio erit? Nec equidem dissimulo, acumine & mentis robore aliquantulo opus esse, ut non de priore sententia sinat se dejici, quisquis vel obiter vel supiniùs in Patrum volutandis lucubrationibus versatus est. At qui altiùs in eorum dogmata pervadenda velificatus erit, & penitiora inspexerit adyta hujus doctrinæ, is hac mole non deterrebitur. Nam primùm quidem ex infrà dicendis liquebit, permagnam in Israelitas ipsos utilitatem redundasse ex Mosaicis sacramentis; idque argumento ejus rei est, quod ex illis qui nomen Christo dederunt, Israelitæ, ut notavit Augustinus, Christianæ sanctimoniæ, temporalium abdicationi, amori æternorum impensiùs se dediderunt, quàm Ethnicorum Ecclesiæ alibi terrarum. Nec enim de aliis quàm de Judaicis Ecclesiis proditum est, sua singulos vendidisse, & ad Apostolorum pedes contulisse pauperibus eroganda. Denuo non adeo pauci ex Israelitis, atque plerumque jactari solet, Christi fidem complexi sunt; semel tria millia, iterum quinque millia, & deinceps turmatim complures accessisse Christo comperies, si Acta Apostolica, si Eusebii historiam, aliaque id genus monumenta evolvas. Sed non tantum momenti in his omnibus est, ad exsufflandam hujus dubitationis nebulam, quantum in eo uno, in quo caput & summam hujus dogmatis verti jam non semel monuimus. Nempe de universali generis humani tanquam unius hominis, non de singulorum cura & providentia hìc disceptari. Disjuncta enim est singulorum atque universitatis ratio. Universitas enim hominum, tanquam unus ingens & ubique gentium sparsus, & omnes temporum tractus pervadens homo, adgubernatur à Deo, per ordinata ætatum profectuumque intervalla. At singuli breviori gyro & loci & temporis coarctantur, & intra eas tamen angustias, easdem profectuum ætates compendiosiùs explicant. Quæ cùm ita habeant, jam perspicuum est, illi humani generis ætati quæ in umbraculis figurarum Deum pati atque intueri condocefacta fuerat, eam succedere debuisse, quæ Deitatem in proprio corpore radiantem verè incarnatam contemplaretur. Atque, ut res ea constet, nihil opus est, eosdem ipsos singulares homines qui priùs adumbratis imaginibus innutriebantur, ad verum corpus in quo plenitudo Deitatis inhabitabat, contrectandum accessisse. Non enim id nisi paucissimis eorum contingere potuit. Præmortui enim omnes per diutinos tot sæculorum decursus, & in figuris umbraticis, sub lege ad exitum usque hinc suum exercitati, Christi carnem illi quidem non attigerunt. Qui item post Christi hinc demigrationem in cœlos, prognati editique sunt in hujus mortalis vitæ usuram, ii nec visu, nec tactu, nec sensu ullo carnem Christi delibare potuere. Ergo secernenda est singulorum ratio ab universitate: idque unum mordicus tenendum, ut publicè universum genus ab umbris opacantibus Deitatem promovendum fuit ad evidentiorem ejusdem in propria carne lucem, ut & hinc ad eandem etiam sine velo carnis intuendam fruendamque aliquando perficiatur: ita singulos in quancumque demum incurrant universitatis ætatem, privatim per eadem ætatum curricula volvi, & umbratilibus primùm divinitatis initiari simulacris, ut crescant proficiantque ad ejusdem in propriè carnis natura complexum. Quorsum enim attinet in re manifesta tricari, & tenebras luci offundere? Hæc rerum natura est, hic ordo necessarius, hæc lex inexorabilis atque indeclinabilis naturarum, vel sorte, vel pœna sua mutabilitati illigatarum, & à regione longinqua dissimilitudinis ad patriam lucis anhelantium, ut & publicè universi, & privatim singuli per gradus quosdam ab imis ad media, à mediis ad summa se surrigant; & lentè crescere, quàm præcipites elidi malint. Notabilis est & conspicua, quia videlicet publica in universo genere humano, hæc graduum provectuumque discriminatio: obscurior est quia privata in singulis, sed necessariò auguranda, quia ea est rerum natura, ea est lex æterna, ea est Patrum doctrina, ea est una ratio ita dispensandæ universitatis, quòd singuli ita regantur. An autem etiam Gentilibus præseminatus umbraticis quibusdam sacris esset antea Christus, ut ad eum postea evidentiùs promulgatum confertim advolarent, accuratiori indagine id postea pervestigabitur: nunc refricabo id unum brevissimè, quod suprà semel & iterum submonuimus, legem naturaliter insitam easdem penè vices, quanquam paulò jejuniùs & occultiùs, obiisse apud Ethnicos, atque penes Hebræos Mosaicam. Nam ante legem erant Ethnici, quibus lex innata densiori nocte ignorantiæ aut vitiorum caligine obruebatur: quæ ubi seu per Philosophiam, seu quocumque alio modo non sine supernis auxiliis, paululùm diluxisset, tum secunda hæc erat statio sub lege, cujus prævaricatores erant omnes peccatores terræ, cujus timore identidem conscientia lancinabatur, cujus instinctu Deo saltem, ut omnium sensibilium moderatori ac distributori morigerati incitabantur: cujus præcepta primùm faciliora, inde sensim elimatiora patefiebant: cujus de Deo sensus consensusque congenitus primùm umbrosior, & implicatior, pedetentim magis ac magis illuminabatur. In has progressiones ultrò explicat se natura rationalis, ut non injuriata de Gentilibus ominemur, ad Christum postea conversis, aut suo vitio non conversis: vel ad Christum posthac convertendis, aut suo vitio non convertendis. Sed ea apud Hebræos divinis auxiliis instructiores multò erant etiam illustriora.

XII. Latinorum quoque Patrum suffragia. L. 4. de Trinit.

Latinorum jam Patrum testimonia Græcorum doctrinæ substruamus. Hilarius: *Non perimunt naturæ veritatem cœlestis misericordiæ sacramenta: sed nec Sanctorum fidem species, quæ ad fidei visionem coaptantur, eludunt. Sacramenta enim legis mysterium dispensationis Evangelicæ prefigurant, ut Patriarcha videat & credat, quod Apostolus contempletur & prædicet. Namque cùm lex umbra sit futurorum, veritatem corporis umbræ species expressit. Et Deus in homine, & videtur & creditur & adoratur, qui secundùm plenitudinem temporis esset in homine gignendus, &c. Ad veritatem verò nascendi familiaritas proficit assumpte ad contemplandum formæ. Illic homo per Deum secundùm naturæ nostræ infirmitatem videndum assumitur: hic pro naturæ nostræ infirmitate nascitur quod erat visum. Accipit umbra corpus, & species veritatem, & visio naturam.* Ubi multifariam vides quàm consentiret rerum naturæ & ordinis legi, ut umbraticè primò prælinearetur, quod perficeretur postea: ut in umbra præmeditaretur Verbum, & post in vero corpore sese experiretur: ut homo in figurarum elementis prædisceret sacramentum, cujus majestatem inopinatò fulgurantem exhorruisset. Christus enim in lege occultabatur veluti throno quodam regio, ubi tantus talisque singulis vel panderetur, vel abderetur, qualem quantumque singuli ferre possent. Hilarius idem: *Quia non in lege Christus, sed lex sanctificaretur in Christo, in qua veluti sedes thronusque sibi positus sit.* Cui succinnit Ambrosius: *Quotidie videns drachmam, attende imaginem: hoc est, videns legem, attende in lege imaginem Dei Christum.* In Matth. cap. 14. Epist. 2.

stum. Quia ipse imago Dei invisibilis & incorruptibilis, lucebat tibi velut in speculo legis. Considerare eum in lege, ut eum in Evangelio recognoscas. De Arca moral. l. 4. cap. 5. Sed elegantissimè Hugo Victorinus: *Volens ergo Deus ab hac distractione corda nostra colligere, & ad interna gaudia contemplanda revocare, foris loquitur, ut nos intus redire admoneat. Sed quia mens visibilibus assueta nescit tam cito ad invisibilia consurgere, idcirco voluit ipse quædam etiam visibiliter exhibere miracula, in quibus nostrum affectum enutriret, & suam nobis charitatem commendaret. Hæc autem sunt specialiter illa quæ ad reparationem hominis pertinent, &c. Hæc igitur operatus est Deus, ut qualem erga nos haberet dilectionem, ostenderet; & nos ab amore hujus mundi ad amorem sui revocaret. Hæc igitur opera ita moderari voluit, ne infinita essent, ne animum nostrum qui colligendus erat, in occupatione sua distraherent; tamen multa essent, ut eundem animum perfectæ adhuc stabilitatis impatientem, rerum varietate delectarent. Propterea elegit unam gentem & unum locum, ubi sacramenta non ad unius gentis tantùm, sed ad salutem totius mundi pertinentia initiaret, ut unitas ubique commendaretur, ut humanus animus intus & foris ad unitatem revocaretur; ut sicut ab uno Salvatore est salus omnium, ita etiam ab uno loco & uno populo manaret salutis initium.*

CAPUT VIII.

Sacramentorum corporalium multitudine & obscuritate domandum primo fuit interim, dum puerascit genus humanum, & ita Christo initiandum.

I. Adultæ ætati tum ætati ut charitas, ita veritas: pueritiæ ut timor, ita sacramentorum opacitas & multitudo congruit.

LUminosissima charitas, veritas ipsissima est: nec in veritatis abditiora penetralia, nisi charitas pervadit. Ergo Sacramentorum divinorum veritas illi demum ætati patere debebat, quæ charitatis ignem ferre posset. Illi autem pueritiæ hominum, cui timor adhuc conducibilis erat & necessarius pedagogus, quàm non poterat charitas, tam nec poterat veritas patentior indulgeri. Sed ut timor ad charitatem pandit aditum, ita timori conjuncta sunt sacramenta & umbracula quædam veritatis, per quæ ad veritatem tandem attingatur. Ideo igitur veteri populo gravis tarcina incubuit & servile onus sacramentorum, quæ pauci intelligerent & diligerent; plures eo timerent amplius, quo minus intelligerent; & hoc timore intra servilis saltem officii metas constringerentur, & averterentur ab omnimoda à Deo defectione. Augustinus: *Initium sapientiæ timor Domini, & timor non est in charitate, &c. Proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum, &c. Timentes enim Deum homines veteris Testamenti propter litteram terrentem, & occidentem, nondum habentes spiritum vivificantem, currebant cum sacrificiis ad templum. Et quamvis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes, quid per eos præfiguraretur, cruentas victimas immolabant.* Vides illi timori contexta esse hæc figuratum onera, non multitudine tantùm, sed ignoratione maximè sui deprimentia, atque consternantia homines, crudam adhuc & longævam pueritiam actitantes. Ergo ut timoris, ita & sacramentorum onerumque servilium utilitas erat permagna jam Christo dedicans hanc ætatem, & pœnæ formidine ad ejus charitatem, & per charitatem ad veritatem præformans.

Ep. 120. cap. 18.

II. Utcumque ad intelligebant Israelitæ,

Quanquam autem ipsa corporalium signorum viscera non introspiceret puerilis Judæorum hebetudo & levitas, non poterat non aliquam tamen luculam intelligentiæ superspargam haurire. Nam ea saltem capiebant omnes quamlibet carnales ad Dei cultum signa pertinere, Deo religare, ad Dei amorem promerendum conducere. Id autem caput est & fastigium unum religiosæ intelligentiæ: nec potest non exinde summa derivari utilitas ad germanam aliquando religionem & intelligibilem veritatis charitatem eliciendam. Augustinus: *Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere: & supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse. Quæ tamen servitus in Judæo populo, longè a cæterarum gentium more distabat. Quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quanquam signa rerum spiritalium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referrentur: id tamen in situm habebant, quod tali servitute, uni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pædagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus.* Hæc igitur servitus ad filiationem gradus erat, ideoque necessariò præcurrenda, & divinæ adscribenda erat gratiæ. Nam universim his signis benevolentiam unius & veri Dei promereri se posse, non sine Dei adjutorio, non sine ingenti compendio illis persuadebatur.

sacramenta hæc ad hominem Deo religandum pertinere. l. 3. de doct. Christi. cap. 6.

III. Quanta Mosaicorum sacramentorum utilitas fuerit, liquet ex Ecclesiæ Circumcisione, quâ Gentium perfectio longè major fuit.

Sed quanta esset signorum istiusmodi crassa & pingui intelligentia utcumque observatorum utilitas, fidem facit abundè Ecclesia de Hebræis ad Christum conversis primùm conflata. Ea enim cœlestium dogmatum quanto avidior, quanto capacior facta esset per Mosaici ritus umbras, inaudito & nusquam alias aut alibi gentium prodito testata est documento ejurationis omnium temporalium. Augustinus ibidem: *Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, satis ostenderunt: quanta utilitas fuerit eo modo sub pædagogo custodiri, ut signa quæ temporaliter imposita erant servientibus, ad unius Dei cultum qui fecit cœlum & terram, opinionem observantium religarent. Namque illi quia proximi spiritualibus fuerunt; in ipsis enim temporalibus & carnalibus vocibus atque signis, quamvis quomodo essent spiritaliter intelligenda nescirent, quia unum tamen didicerant venerari æternum Deum, tam capaces extiterunt Spiritus sancti, ut omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, seque totos dedicarent Deo tanquam templum novum, cujus terrenæ imagini, hoc est, templo veteri serviebant. Non enim hoc illos Ecclesiæ Gentium fecisse scriptum est: quia non tam propè inventi erant, qui simulacra manufacta Deos colebant. Etsi quando aliqui eorum, illa tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant.* Si quia sacramentis Mosaicis, quanquam serviliter, innutriti fuerant, per ea *proximi spiritalibus fuerunt, tam capaces fuerunt Spiritus sancti*, ut sua omnia exenterent seque totos Deo dicarent, eximia ergo quædam utilitas ex illa institutione emergebat: ea ergo erat Christi illos sibi instruentis, sibi admoventis, sui capaces efficientis gratia. Quid ergo quiritaris de cessante Christo, qui nunquam cessavit viam suam, id est seipsum qui via est, hominibus informare? Num cessat nunc Christus, si quos sui capaciores efficit, aut si quos spiritualibus proximos esse procurat? Quandiu ad Christum incrementa fiunt, nihil est quod de ejus cunctatione expostules. Non cunctabatur Christus venire, cùm Hebræos ita imbuebat, ut ex iis excitaret sibi postea non discipulos tantum, sed discipulorum magistros, & Apostolos, & Evangelii omnem in orbem invictos propagatores. Nam ut ex Gentilibus coaluerint turbæ Ecclesiarum, at ex Hebræis, ex Moysis schola effulserunt apices & principes fidei.

Ergo

IV. Observatio legalium sacramentorum, quomodo dicatur nunc obfuisse, nunc profuisse. l. de Catech rud. c. 20.

Ergo ne sibi ipsi pugnet Augustinus, paulò humaniùs accipienda sunt quæ alibi duriùs videtur in carnales legalium sacramentorum observatores increpuisse. *Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sanè lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quo legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona desiderantes à Domino, magis carnali timore, quàm spirituali charitate tenebantur: legem autem non implet nisi charitas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo premerentur, in observationibus ciborum, & in sacrificiis animalium, & in aliis innumerabilibus, quæ tamen signa erant rerum spiritalium, ad Dominum Jesum Christum & ad Ecclesiam pertinentium; quæ tunc à paucis sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & observabantur ad congruentiam temporum: à multitudine verò carnalium, tantummodo observabantur, non intelligebantur.* Decocta hìc & dilapidata videtur illa utilitas omnis, quam suprà ipsemet venditaverat, ex signis Mosaicis in eos ipsos refluens, qui ea non intelligentes, observabant tamen. Sed ne conflictetur ipse secum, tenenda est illa concordiæ regula superiùs jam sæpè & ad nauseam usque inculcata. Prosunt hæc signa incipientibus & prima jacentibus fundamenta religionis per timorem: at ubi superstruenda est fundamentis ulterior jam pietas & perfectio charitatis, nil prosunt; immo obsunt eatenus, quod in initiis pertinaciter hærere, in pueritia consenescere, fundamentis indormiscere, præposterum & exitiale est. Ita legem timor implet, & non implet: implet pro modulo incipientium, non implet pro officio proficientium, aut eorum, quibus probrosum est semper incipere, nec unquam proficere, & ideò deficere.

V. Etiamnunc onere premimur sacramentorum, licèt pauciorum, efficaciorum, illustriorum. Epist. 118. De doctrin. Christ. l. 4. c. 9.

Et nobis sanè non illa omnis signorum corporalium servitus abstersa est, etsi post Christum allevata vehementer & nobilitata atque illustrata est. Unde Augustinus: *Primò itaque tenere te volo, Christum leni jugo suo nos subdidisse & sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* Et idem alibi: *Hoc verò tempore postea quàm resurrectione Domini nostri Jesu Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu angustissima, & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina. Quæ unusquisque dum percipit, quo referantur, imbutus agnoscit: ut ea non carnali servitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur.* Et alibi: *Verbum enim consummans & abbrevians faciet Dominus super terram. Remotis enim innumerabilibus & multiplicibus sacramentis, quibus Judaicus populus premebatur, per misericordiam Dei factum est, ut brevitate confessionis fidei ad salutem perveniremus.* Et rursum idem: *Proinde prima sacramenta quæ observabantur & celebrabantur ex lege, prænunciativa erant Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta: non enim venit legem solvere, sed adimplere. Et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat.* Et rursus: *Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Et rursus alibi: *Propter quod ita divinæ pietatis dispensatione actum est, ut interior homo qui renovatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed jam sub gratia, exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat revera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quidquid molestiarum exteriora homini so-*

In expos. quar. propos. Epist. ad Romanos. n. 67.

L. 19. contr. Faust. c. 13.

In Ps. 73. Serm 9. De verbis Apost.

rinsecus intulisset ille princeps qui missus est foras interiori gaudio leve fieret. His ut vides sacramenta novæ legis copiosè ornantur, nec tamen ingravescit, sed exoneratur potiùs invidia atque inutilitatis infamia, quæ priscis illis à Moyse institutis inhæserat. Utimur enim nos paucioribus, illi pluribus sacramentis: nos evidentioribus, illi obscurioribus: nos efficaciotibus, illi minùs efficacibus: nos facilioribus, illi operosioribus; sed tamen ut illi, ita & nos sacramentis seu signis rerum utimur & constringimur: & lene ac suave, lenius ac suavius hoc nostrum jugum est, sed tamen jugum est: & facillimum onus, sed tamen onus. Quid ergo hinc efficitur, nisi hìc plus, quàm illic, sed illic tamen utilitatem quoque carpi non modicam? Si prodest enim nobis leviori jugo premi, proderat & illis graviori. Si salubris est ista adhuc signorum servitus adultioribus, erat & illa operosior pueris salutifera. Sed gradus servandi erant, ut à jugo timoris signorumque pondere graviori, ad charitatis jugum lenius sarcinamque leviorem progederemur.

VI. Peccato allisi in corporalia, his incumbimus, ut surgamus: sed quo minus habemus corporalibus, paucioribus egemus signis corporeis.

Et dilucida res erit si primam scaturiginem adeas sacramentorum visibilium, per quæ ad invisibilia reflectamur. Humi enim pondere peccatorum & cupiditatum mole allisi, quò cecidimus, illic incumbimus, ut surgamus. Per corporalia ergo in quæ cecidimus, supra corporalia ad intelligibilem veritatis charitatem enitimur. Et quidem quo defixi magis sumus terreno luto, hoc pluribus adminiculis istiusmodi sublevandi sumus: hoc pauciоribus, quo expeditiores jam & in auram veritatis superam exertiores: sed quia pondus cupiditatis intitæ nonnisi cum mortali corpore, cui penitissimè concrevit, excutitur, non possumus à necessitate corporalium signorum, dum stadium hujus metimur mortalitatis, penitùs explicati. Plura ergo erant olim, pauciora nunc hæc sacramentorum adminicula, nulla penitus erunt in beata patria; quia olim emergere incipiebant ex illa voragine vitiorum, nunc ex parte emersimus, tunc hinc penitus excussi, in plenam respirabimus veritatis libertatem. Hæc compendiaria est ratio corporalium omnium signorum, sed inde claret quàm necessariò multitudine signorum ad eorum paucitatem promovendum fuerit genus humanum, ut à paucitate ad omnimodam libertatem quandoque expediatur.

VII. Non constat religio sine signis corporalibus: in Christo evanuit animus. L. 14. contr. Faust. c. 10.

Nec abludit Augustini illa ratio, qua signorum corporalium necessitas omni indicitur religioni. *In nullum autem nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideo contempta sacrilegos facit. Impietas quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* Hæc ille, ac postea ad Christiana Mosaicaque sacramenta descendit. Universim autem negat coire aut coalescere posse religionem ullam sine sacramentis visibilibus, *quorum vis inenarrabiliter valet plurimùm*: nec contemni citra impietatem potest, quia per eam pietas perficitur. Perficiebatur autem pietas per sacramenta Christum promittentia; ad Christum, ne foras evagarentur, concludentia. Etsi enim ea non omnes enucleare possent, generatim tamen ea ad unum verum Deum promerendum, & grande aliquod ejus arcanum continendum valere, persuasum illis erat. Unde rursus Augustinus: *Quapropter Christiana libertas, eos quos invenit sub signis utilibus, tanquam prope inventos, interpretatis signis quibus subditi erant, elevatos ad eas res, quarum illa signa erant, liberavit. Ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israelitarum.* Non intelligebant ea signa, & tamen jam propè erant; quia rem ipsam & veritatem promptiùs amplexabantur, quam in signo sui jam osculari alluerant, quam in signo latere, etsi non videbant, obscurè tamen subodorabantur. Et rursus:

De Doctrin. Christ. l. 2. c. 16.

sus: *Qui autem non intelligit, quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute.* Enimverò quotusquisque de plebe Christiana medullam omnem signaculorum in Ecclesia frequentatorum perscrutatus est? & illis tamen inhæret subestque, nec frustra inde juvari se, Deoque conciliari sperat. Ergo & in Mosaica gente *Sacramentorum vis inenarrabiliter valebat plurimum*, & carnalium mentes Deo conciliabat, & Christo palam universis, clam singulis adventanti, in plenitudine temporum, id est, in juventæ limine, post profligata pueritiæ primordia, coaptabat.

VIII. Itaque per utilitatem sacramentorum Mosaicorum Christus humano generi jam medebatur, jam quà fas erat, advenibat. In Expos. Epist. ad Galat.

Atque ut indubitatius fiat profuisse mirum in modum sacramenta legalia, & in iis medicinæ Christi partem non mediocrem delituisse, ideoque non præmaturandum fuisse carnis Christi adventum, cùm jam advenisset, jam mederetur; audi eundem rursus Augustinum, quem quasi adversæ sententiæ patronum venditare solent: *Non ergo lex data est, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem peccati possent putare justitiam, ut hoc modo humiliati, cognoscerent non in suâ manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maximè quippe humilitas revocat, unde nos dejecit superbia. Et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est. Ne quisquam hic tam imperitè dixerit: Cur ergo non profuit Judæis quod per Angelos legem ministrantes in manu mediatoris dispositi sunt? Profuit enim quantum dici non potest. Quæ enim gentium Ecclesiæ venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, quod tot millia hominum tam repentè fecerunt? Nec turba infidelium considerandæ sunt. Omnis enim area multis partibus ampliorem habet paleam quàm frumentum.* Audin ut asserat, profuisse, *quantum dici non potest*? Idque evincat ex eo quod multa hominum millia terrenis omnibus valedixerunt, quod nunquam Ecclesiæ præstiterunt Gentilium, tam salutiferis sacramentis minimè innutritorum. Ergo per corporea sacramenta etiam qui eorum venas intimas intelligendi acumine non pervidebant, informabantur, juvabanturque ad corporalia omnia aliquando abjicienda: & quasi in vestibulum spiritalis charitatis perducebantur. Rursum domabantur, & humiliabantur hac gravi signorum sarcina, & ea erat humilitas medicinalis, qua ad Christum liberatorem confugere stimulabantur: non aliter quàm nobis residua signorum corporeorum sarcina, stimulus est ad æternitatem veritatis intelligibilis vehementiùs concupiscendam. Sed illud in primis adverti cupio quod notat post Lucam Augustinus, etsi plures ex Hebræis à fide Christi resilierint, multa tamen eorum millia palam ei accessisse; ut hinc conjicere liceat, & clam olim complusculos sigillatim per illa sacramentorum suffulcimenta sublevatos intus fuisse ad Christi venturi fidem hauriendam. Nam exterior hæc & universalis administratio, delineatio est expressioque clandestinæ singulorum curationis. Et inculcat hoc ipsum paulò pòst Augustinus de legis eximia utilitate: *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ postea revelata est. Ut enim tam prope inveniremur, qui etiam de proximo ad Deum venditis suis rebus accederent, quod Dominus eis præcepit, qui vellent esse perfecti, lege ipsa factum est, sub quâ custodiebantur, conclusi in eam fidem, id est, in adventum ejus fidei, quæ postea revelata est. Conclusio enim eorum erat, tum timor unius Dei.*

IX. Quantæ vires Prophetici sacramenti præconii Christo egerit, Tract. 15. in Joan.

Eo utique spectabat quod Christus ad discipulos ajebat apud Joannem: *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit, & alius est qui seminat: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* In quæ verba Augustinus: *Quo ergo erant messores mittendi? Ubi jam Prophetæ prædicaverant, ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat; Scio quia Messias veniet? Jam ista mulier fructus maturus erat, & erant albæ messes, & falces quærebant. Misi vos quoque metere, quod vos non seminastis, Alii seminaverunt, & vos in labores eorum introistis, Qui laboraverunt? Ipse Abraham, Isaac & Jacob, Legite labores eorum, In omnibus laboribus eorum prophetia Christi, & ideo seminatores, Moyses & cæteri Patriarchæ & omnes Prophetæ, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant? Ergo jam in Judæa messis parata erat, Meritò ibi tanquam matura seges fuit, quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant & ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris à sarcinis sæcularibus, Christum Dominum sequebantur,* Non infrugifera ergo nec otiosa fluxerunt illa ante Christum sæcula: seminabatur enim Christus, seminabatur gratia à Moyse, à Prophetis; surgebant & adolescebant hæc semina, jamque matura erant & falci tempestiva, cùm messores immisit Christus Apostolos. Non extenuandi ergo semper, sed extollendi quandoque sunt etiam Moysis & Prophetarum labores, quorum tam copiosæ messes albescebant, & Apostolorum votis abundè respondebant. Sed quo labores illi Abrahæ, & Isaaci, & Jacobi, & Moysis, & Patriarcharum, & Prophetarum, tot retro evolutis sæculis exantlati, ad seminandum per prophetiam Christum, si nonnisi extinctis omnibus illis quos exoluerant, tam serò post venturus erat Christus & messores immissurus? An tot illæ olim messes ipso Patriarcharum Prophetarumque tempore & opere maturæ, messorum apostolicorum inopia aut tarditate emarcuerant? Minimè gentium: sed quod jam sæpiùs replicavimus, quod publicè & visibiliter in universo humano genere peragitur, idipsum privatim & invisibiliter in singulorum salutis procuratione transigi augurandum est. Itaque & illæ segetes temporibus Moysis & Patriarcharum & Prophetarum, sacramentis legalibus prophetici sque elaboratæ exultæque & ad maturitatem excoctæ, etsi non eadem copia, aliqua tamen messorum invisibili cura, in Christi horrea, id est, ad salutis cumulum provehebantur.

X. Loca Patrum, qui paucissimos sub lege, ajunt, conscios Christi mysterii, & salutis consortes fuisse. De Catech. rud. c. 24.

Et quandoque quidem incredibilem quandam paucitatem perhibent sancti Patres extitisse eorum, qui Christum in Mosaicis sacramentis intelligerent. Augustinus: *Christi adventu sexta ætas agitur, ut jam spiritalis gratia quæ paucis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus, &c.* Et ibidem: *Carnalis populus agens veterem hominem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis & Prophetis, & nonnullis latentibus sanctis carnaliter vivens, carnalia præmia desiderabat à Domino Deo, & in figurâ spiritalium bonorum accipiebat.* Et in expositione Epistolæ ad Galatas: *Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nasceretur. Semen autem cui promissum est, populum significat, non illos paucissimos, qui revelationibus ea futura cernentes, quamvis per eandem fidem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant.* Et rursus: *Adjunctis etiam sibi illis quamvis paucissimis, qui ex fide Domini ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt, &c.* Ubi vides quàm affectatè paucissimos semper memoret. Cui succinit Bernardus: *Æterni connubii cecinit sacramenta Salomon, &c. jucundo elogio, figurato tamen: Nimirum velabat & ipse instar Moysi faciem suam, non minùs forsitan in hac parte fulgentem, eo quod illo adhuc in tempore, nemo, aut rarus erat, qui revelatâ facie gloriam istam speculari sufficeret.* Et rursum: *Non latuit sanctos & ante adventum Salvatoris Deũ super mortalium genus cogitare cogitationes pacis.* Serm. 1. in Cant. Ibidem. Serm. 2.

Nec

Nec enim faceret verbum super terram, quod non revelaret servis suis Prophetis, Erat tamen verbum hoc absconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodum spes in pluribus quoque illorum, qui expectabant redemptionem Israel. Quin etiam conscios hujus arcani tam salutiferi paucos illos, seu Propheras, seu alios quoslibet, clam illud habuisse, & cæteris penè invidisse, ne tanta fœlicitas propalata evulgaretur, innuere videtur idem Bernardus: *Vox turturis audita est in terra nostra. Donec homines pro Dei cultu mercedem tantùm in terra, & tantùm terram acceperunt, illam utique lacte & melle manantem, minimè se cognoverunt peregrinos esse super terram, nec more turturis ingemuerunt, veluti patriæ reminiscentes, &c. Ita tamdiu non est vox turturis audita in terra nostra, &c.* Et paulò infrà: *Fuit & in tempore Patrum vox ista gementium, sed rara, & penes quemque suus gemitus? Unde & dicebat quis, Secretum meum mihi, secretum meum mihi, Sed & qui aiebat: Gemitus meus à te non est absconditus, profectò monstrabat absconditum esse, qui soli Deo non esset absconditus. Et ideo tunc dici non potuit, Vox turturis audita est in terra nostra: quoniam secretum adhuc paucorum jam tunc in multitudinem non exivit. At ubi palam clamatum est, Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, ad omnes jam cœpit pertinere gemitus iste turtureus, & una omnibus esse gemendi ratio, quia omnes sciebant Dominum, secundùm quod in Hieremia legitur, Et cognoscent me omnes à minimo usque ad maximum, &c.* Quod prædocuerat Augustinus sæpiculè, regnum cœlorum non cœpisse palam nisi à Christo prædicari.

Ibidem. Serm. 59.

XI. Ex iisdem tamen Patribus aliquam multi in Christum credebant.

Nihilo tamen seciùs iidem ipsi sancti Patres alibi contestantur, non obtuisse silentio tam necessarii ad hominum salutem mysterii conscientiam sanctos illos veteris Testamenti homines, sed eandem fidem spemque suam pro virili in cæteros etiam diffudisse. Porrò si nunc complusculi, nunc pauci, nunc paucissimi dicantur, vel à sanctis Patribus, vel à nobis eorum vestigia lambentibus, salutem consecuti esse ante Christi in carne adventum, nulla in eo rerum, etsi aliqua verborum pugna sit. Comparatione enim plurium, vel pauciorum, iidem paucissimi sunt, & complusculi. Neminem fugit, verissimè dici electos nunc paucissimos, nunc innumerabiles. Qui innumerabiles enim sibi sunt, iidem comparatione reproborum paucissimi sunt. Hæc præfari ad rem veniamus & ad Patrum suffragia. Idem Bernardus: *Erat verbum hoc absconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodum spes in pluribus quoque illorum, qui expectabant redemptionem Israel. Qui verò præsciebant, ipsi & prædicabant Christum in carne venturum, & cum ipso pacem. Unde quidam eorum, Et pax erit, inquit, in terra nostra cùm venerit; Immo per ipsum Dei gratiam homines recuperaturos, cum omni fiducia, sicut divinitus acceperant, prædicabant, &c. Caterùm illis prænunciantibus pacem, moram autem faciente authore pacis, nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret. Itaque causabantur homines moras, quod ille totiens nunciatus necdum veniret, princeps pacis, &c.* Non igitur tam arcto silentii vinculo arcanum hoc premebatur, quandoquidem *qui præsciebant, prædicabant, & cum omni fiducia prædicabant, &, Populi fides nutabat*: erat ergo & in populis fides, sed nutans & infirma, non nulla, & quidem non ex paucitate vel invidia præconum Christi, sed ex ejus cunctatione nutabat. Fatigabantur enim tam diutina expectatione populares animi, & dubitationis ac desperationis fluctibus plerumque mergebantur. Rursus idem Bernardus: *Quid, non amatus est à Patriarchis & Prophetis Christus? Est, sed non tritus, quam visus est, &c. Neque enim non viderunt, quem præviderunt; &c. Sed dico, Numquid omnes Prophetæ? Quasi omnes videre voluerint, aut fuerit omnium fides. Sed eum qui viderunt, aut Prophetæ fuerunt, aut Prophetis acquiescentes. Et credidisse enim, vidisse est. Non modò namque qui per Prophetiæ spiritum, sed & qui per fidem videt, si quis ipsum quoque dicat videre in spiritu, mihi non videtur errare.* Non Prophetæ igitur tantùm, sed & qui Prophetis prædicantibus acquiescebant, ii Christum videbant. Sed nusquam apertiùs suam circa hæc mentem aperuit Bernardus, quàm ubi vanum quendam refellit circa hæc blatteronem, qui hominibus veteris quàm novi Testamenti lucem & conscientiam ampliorem prodigebat mysteriorum Christi. *Ecce enim in hac assertione sua dum pares in scientia facit omnes, qui ventura sperabant, iis qui præterita legunt, Deum profectò aut nimis parcum prædicat, aut nimis largum, oculum discretionis ex nulla parte aperiens. Aut enim numerum electorum illius temporis sub paucitate redigit rarissimorum spiritalium, quos pro suæ sanctitatis speciali excellentia insignes illustresque illis temporibus extitisse, ac singulari munere Spiritus, singula uti ventura erant prævidere certissimè potuisse Scriptura commemorat; & sic nimis abbreviat manum Dei, dum præter paucos illos perfectissimos, neminem eo tempore putat potuisse salvari. Aut certè si & illa tempora multitudinem salvandorum etiam præter istos habuisse non diffitetur, magnam, sed inauditam divini muneris largitatem veteri populo collatam asserit: siquidem omnem multitudinem omnia quæ de mysterio nostræ redemptionis superius enumerata sunt, liquidò præcognovisse constiterit. Cùm enim ex his quippiam tunc nec scriptum manifestè, nec publicè prædicatum fuisse manifestum sit, restat ut fateamur omnia omnibus revelata fuisse: & sic omnes spirituales, omnes perfectos, omnes extitisse Prophetas, quotquot ab adventu Domini retrò justi & salvi fuerunt. Fuit itaque antiquis temporibus aut perrara salus, aut nimium numerosa perfectio. Quorum quidem quodlibet sapere, discretionis terminos excedere est.* Ab utroque scopulo cavet sibi, cavendumque præcipit Bernardus, ne vel tarissimos tantùm tunc salutem consecutos jactemus, nempe mysteriorum Christi tam plana, quàm quæ nunc est, luce ac notitia perfusos; aut eorum etiam multitudini salutem annuamus, & eandem & æquè enucleatam atque nunc, Christianæ fidei illuminationem. Illud enim clementiæ Dei obstrepit, hoc novi testamenti prærogativæ adversatur, ut prolixiùs ibidem disputat Bernardus. Itaque rursum est, & ab ingruente hinc & hinc mendacii naufragio reductum, *etiam illa tempora multitudinem salvandorum habuisse præter illos paucos perfectissimos*, nec tamen *inauditam divini muneris largitatem veteri populo collatam*: sed plerisque tum salutem obtigisse, citra accuratiorem Christi mysteriorum diligentiam. Nam nec Prophetæ tunc omnes omnia videbant, sed alii alia. Deindè illud prærogativæ populo Christiano vendicandum est, ut copiosiore Christi luce & salutis instrumento fruatur. Rursum illud è dignitate Christi est, ut ejus carnis adventu plurima lux orbi influxerit. Denique ne nunc quidem de futuro Christi adventu in gloria elimatam omnes sententiam assecuti sumus, nec tamen despondemus animum. Unde Bernardus ibidem: *Alioqui quid opus erat foris videre carnem, & carnis audire sermones, si jam intus à Spiritu fuerant perfectè instructi de omnibus: præsertim cùm Dominus dicat, Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat? Quod si Prophetæ & qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquidò æqualiter agnoscere voluerunt, sed alii plus, alii minus, prout eis Spiritus dabat dividens singulis prout volebat, idque absque præjudicio suæ sanctitatis atque perfectionis: Quanto magis simpliciores quique justi sine detrimento suæ salutis, sal-*

Ibid. Serm. 59.

Serm. 2. in Cant.

Ibidem. Serm. 76.

salvationis tempus, modum, & ordinem nescire potuerunt, quæ tamen certa spe & fide, uti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt? Quanti hodieque profectò in populo Christiano, vitæ æternæ sæculique futuri quod indubitabiliter credunt, & sperant, & ardenter desiderant, formam tamen ac statum ne cogitare quidem vel tenuiter norunt? Ita ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide & expectatione salvati sunt, licèt quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Constanter urget Bernardus, ut fides, ut spes, ut salus multis, non pancissimis, multitudini, non solis Patriarchis & Prophetis & paucis latentibus sanctis aperta fuerit ante Christum legalium ope sacramentorum. Ad illud autem stabiliendum, quamplurimum præsidii est in hac ejus sententia, quod saluti tum necessaria haudquaquam esset eliquatior Christi mysteriorum elucidatio, sed affatim esset crassa illa & pervulgata tum credulitas, qua *multi Deum omnipotentem tenentes, & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum Redemptorem, in hac fide & expectatione salvati sunt.* Pingui enim huic fidei formulæ inest implicataque atque opacata delitescit Verbi incarnatio, crux, mors, resurrectio, gratia. Sed illa opacitas legalium propria sacramentorum, saluti nihil tum officiebat. Nec potest ea sententia invictiùs fulciri, quàm nostro etiam nunc experimento. Nam resurrectio carnis, judicium, Christi adventus in gloria, beatæ patriæ fœlicitas, tanquam fidei nostræ salutisque certa monumenta à nobis tenentur, sed eorum omnium explicatior diligentiorque cognitio omnino nos præterit; nec minùs fortasse à rei veritate & magnificentia degenerat quidquid de iis figillatim opinamur, quàm quod de Christo ominabatur crassa illa & obtusa vulgi Mosaici fides, à splendore incarnatæ majestatis Verbi deficiebat.

Profert ibidem Bernardus in suæ sententiæ patrocinium suffragium Bedæ: *Denique Beda apertè docet, aperta omnia omnibus nequaquam fuisse quæ de Christo futura erant, quod tu quoque testimonium in tua Epistola posuisti. Unum inquit idemque Dominicæ crucis tropheum, priùs Prophetæ & Moyses quàm Apostoli noverant, & prædicabant: sed Prophetæ hoc aliquotiens figuratis velatisque sermonibus: Apostoli autem Apostolorumque successores patefacta luce Evangelii semper apertè prædicabant: ita ut nunc omnis populus Christianus scire & confiteri debeat fidem quam eo tempore pauci admodum & perfectiores quique noverant; quamvis omnis populus Dei etiam tunc ejusdem mysteria fidei in legalibus cæremoniis typicè portabat.* Assentitur Beda Apostolos semper publicè, Prophetas autem aliquotiens adumbratè Christi mysteria prædicasse. Prædicabant ergo & Prophetæ sæpiùs adumbratè, rarò publicè, privatim autem instantissimè Christi fidem in mysterio. Et sanè ita comparatum natura est, ut pueris sub lege agentibus nonnisi adumbratè objiciantur adultioris justitiæ decreta, aut si perspicuè, perrarò id fiat. Nec enim deterrendi sunt, sed alliciendi & paulatim consuefaciendi. Absterrentur autem si palam, si jugiter ingerantur accuratiora sanctitatis placita, quæ eorum vires magnoperè adhuc superant: at ubi ea commodè dissimulantur, & ex parte tantùm patent, vel aperiuntur quidem, sed rariùs, sed privatim validioribus quibusque, nulla hinc desperationis formido, sed spes profectus multa ostenditur. Per umbras enim rellucet quandoque veritas, & tanta patet, quanta capi tum potest, & major subinde patet, quia major in dies capi potest, & tandem tota capitur, quia sui familiaritate animum sibi devinxit.

XII. Quod supra ex Bernardo, idem ex Hugone Victorino probatur. Tom. 3. p. 113. 114.

Sed quoniam illa Bernardi Epistola, ex qua tam multa decerpsimus, ad Hugonem Victorinum mittebatur, hujus quoque sensus explorandus est. Ille ergo hæc habet: *Ante legem dixit Deus se esse: sub lege unum: sub gratia trinum, ut paulatim cresceret cognitio veritatis.* Et infrà: *Sic per tempora crevit fides. Ante legem Deus Creator credebatur, & ab eo salus & redemptio expectabatur: per quem verò & quonam modo eadem salus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à cæteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona redemptoris mittenda prædicabatur, & ventura expectabatur; quæ autem ipsa persona foret, hoc est, an homo, an Angelus, an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt, qui per Spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifestè ab omnibus jam & prædicatur, & creditur, & modus redemptionis & qualitas personæ Redemptoris. Semper tamen in Ecclesia Dei ab initio fides fuit Incarnationis & Passionis Christi: quia ab initio nunquam defuerunt, qui hoc cognoverunt. Alii salvabantur, quia horum perfectioni fide simplici jungebantur, & eos bene operando sequebantur.* Et hic perinde ut Bernardus, ut Beda inter studiosissimos Augustini non postremus est, paucis secundus est, & vides tamen quàm latè explicet, & quàm largè multiplicet illos pauciissimos, qui salutis tum compotes fiebant. Complanat enim ipsis viam latissimam, & in quam confluere possit non selecta paucitas, sed multitudo copiosa, hominum nempe Deo adhærentium Creatori, Liberatori, Beatificatori, & plenæ libertatis ac feliciratis Largitori quandoque futuro; horum autem peculiarem vestigationem non attingentium, sed paucis peritioribus & sanctioribus incumbentium, horumque auctoritate & exemplo componentium vitam. Et rursus idem Hugo: *Hæc sunt quibus nihil unquam minus recta fides habere potuit, ut unus Deus credatur factor omnium, & hominum Salvator.* Interrogatus autem postea: *Qualem fidem habuerunt antiqui de Salvatore venturo, maximè ii qui circa primordia sæculi existentes, nondum adhuc Scripturas in quibus adventus ejus promittebatur, acceperant?* Ad hæc respondet: *Non necesse est, ut dicamus omnibus, qui tunc fideles erant, adventum ejus in carnem, crucem & resurrectionem manifestè revelatum fuisse. Cum etiam Apostoli qui eum præsentem in carne viderunt, quorum fides & justitia ab ipso Salvatore prædicatur, hoc ignorasse legantur. Credebant tamen se salvari per eum, quomodo & quando ei placuisset. Sed quod morte illius redimendi essent, exceptis paucis quibus hoc à Deo revelatum fuerat, eos ignorasse ex hoc patenter ostenditur, quod & Petrus Domino mortem suam prædicenti contraire nititur: & cæteri Apostoli omnes in morte ipsius desperasse leguntur, ideo ut ipsi propter Crucem jam desperantes dicerent: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Qui enim eo vivente redemptionem speraverant, postea autem ipso moriente desperant, patenter ostendunt, quia quod per mortem ejus redimendi fuerant, nescierunt.* Quod argumentum Hugonis ineluctabile prorsus videri potest. Nam Apostoli jam baptismo abluti, jam Eucharistia pasti, jam mundi à Christo prædicati erant, & de morte tamen ejus orbi salutifera ac resurrectione adhuc ancipites pendebant, immò adhuc increduli, tametsi ab eo salutem se adepturos non dubitabant. Ex quo tandem concludit ad salutem fuisse satis tum, ut Deus Creator hominum crederetur, idemque Salvator venturus: & fuisse

Tom. 3. p. 414. 415.

tunc hdem *cognitione parvam & magnam constantia: sicut è contrario nunc multi fidem habent cognitione magnam, & constantia parvam.* Sed ne nobis blandiamur ineptiùs: *Apud Deum pretiosior est magna fidei constantia, quàm cognitio magna.*

XIII. Idem ex Augustino & Gregorio Papa, quod nulli salus sine Christi fide unquam obtigerit. Hugo summ. sententiar. l. 1. c. 3.

At in Summa sententiarum ait quosdam sentire *quod nullus de antiquis potuit salvari, nisi ista quatuor ad minimum crederet: scilicet Christum venturum, moriturum, resurrecturum, & ad judicium venturum*; eosque suæ sententiæ patrocinium accersere ex plurimis Augustini & aliorum Patrum testimoniis. Nam Augustinus apertè: *Ut sciamus etiam antiquos justos quicumque esse potuerunt, nonnisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos; fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut à nobis facta annunciatur. Ideo enim Christum hominem dicit, cùm sit & Deus, ne quis existimet antiquos justos per Deum tantummodo Christum, id est per Verbum quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis ejus, qua & homo Christus dicitur, potuisse liberari. Sententia* August. Ep. 89. *quippe ista destrui non potest, de qua & alibi dicit, Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum.* Et idem alibi: *Habentes autem,* Ibid. Ep. 57. *inquit Apostolus, eundem spiritum fidei, &c. Non diceret eundem, nisi & illorum idem ipse esset spiritus fidei. Sicut autem illi quando idem sacramentum occultum erat, credebant Christi incarnationem futuram, sic & nos credimus factam. Et à nobis autem & ab illis futurus expectatur ad judicium adventus ejus. Non est enim aliud Dei mysterium nisi Christus, in quo oportet vivificari mortuos in Adam, &c.* Et alibi: *Et ita à sanctis Patribus dispensatio suscepte carnis futura credebatur, sicut à nobis facta creditur.* In Psal 30. in Psal. 104. *Tempora variata sunt, non fides.* Et rursum: *Non enim quisquam præter istam fidem quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo, cùm sit ab Apostolo verissimè definitum, Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus.* Hujusmodi testimonia ex Augustino congeri possent longè plurima. Cui sententiæ suffragatur & Gregorius Magnus: *Rectè quoque exterius limen illos Patres designat, qui ab ipsa incarnatione Re-* Hom. 15. in Ezech. *demptoris nostri per intervalla temporum longiùs constiterunt. Et quidem ab Abel sanguine, passio jam cœpit Ecclesiæ: & una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur, Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: antiquis Patribus quasi foris stetisse est, Redemptoris nostri præsentiam corporaliter non vidisse. Exteriùs igitur, sed tamen non divisi à sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, prædicatione ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc præstolando, sed jam habendo conspicimus. Sicut enim nos in præterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura sunt salvati. Illi ergo foris, non extra mysterium, sed extra tempus.* Et rursus idem rei hujus rationem indigitat luculentam, & jam sæpiùs animadversam, quod mens hominis post peccatum flaccida & fatiscens non possit diutiùs in contemplanda Deitatis luce defigi, nisi carnis assumptæ adminiculo subinde recreetur. *Sicut aquila* Moral. in Job L. 9. c. 16. *volans ad escam. Moris quippe est aquilæ ut irreverberata acie radios solis aspiciat; sed cùm refectionis indigentia urgetur, eandem oculorum aciem quam radiis solis infixerat, ad respectum cadaveris inclinat: & quamvis ad alta evolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet, sic antiqui Patres fuerunt, qui inquantum humanitatis infirmitas admittebat, creatoris lucem erecta mente contemplati sunt, sed incarnandum hunc in fine mundi præscientes, quasi à solis radiis ad terram oculos deflexerunt: & quasi de summis ad ima veniunt, dum hunc Deum supra omnia & hominem infra omnia agnoscunt.*

XIV. Idem ex Nazianzeno. Orat.

Atque ut unum saltem è Græcis tanquam reliquorum consensionis fidejussorem repræsentemus, accedet Gregorius Nazianzenus: *Ac simul mysticus & arcanus hic sermo est, mihi quidem atque omnibus Dei amore præditis admodum probabilis, neminem videlicet eorum qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Christi fidem esse consecutum. Quamquam enim Verbum suo postea tempore liberè promulgatum sit, puris tamen animis etiam ante intonuit.* Hanc omnium Dei amatorum, atque adeo omnium Ecclesiæ Græcæ luminum, unanimem esse consensionem perhibet. Parco pluribus acervandis. Hinc ergo multi argumentantur ad salutem nulli patuisse aditum nisi per fidem enucleatam Verbi incarnati, passi, redivivi.

XV. Sed Christi fides sim. etior & evolutior fuit sufficiebat.

Perstat tamen Hugo in sententia, nec isto authoritatum pondere deterretur, utpote quod in suas potiùs partes inclinari posse sperat: *Aliis quibus magis assentimur, dicunt eos fidem Christi velatam in mysterio habuisse; & quod alii quibus revelatio facta erat, sciebant, & credebant, hoc isti, etsi nescirent, credebant: commiserant enim illis fidem suam. Unde in Job, Boves arabant & asinæ pascebantur juxta eos. Isti erant asinæ pascentes juxta boves. Sicut hodie in Ecclesia multi simplices, etsi ita distinctè nesciant Trinitatem assignare, credunt tamen, quia in fide & humilitate adhærent illis, qui hoc & sciunt & credunt.* Itaque Augustini Patrumque aliorum authoritatem, & receptissimam illam non vellicat sententiam, nulli salutis æternæ januam nisi Christi mediatoris fide patuisse: sed eam humaniùs interpretatur Hugo, & Christi mediatoris fidem salutiidoneam ominatur eam tum fuisse, quæ simpliciùs & involutiùs Deum non creatorem tantùm, sed futurum etiam pleniissimè salvatorem venerabatur; innitebatur autem solertioribus nonnullis salutis illius mysteriorum scrutatoribus, eisque acquiescebat. Quin & ipse Augustinus non Prophetas tantùm in latibulo conscientiæ, sed & populos eorum institutione imbutos fuisse Christi fide consentit, quæ nonnisi rudis admodum esse tum potuit, & trunca. Sic enim habet: *Venerunt ad illos* In Psal. 31. *Prophetæ, annunciaverunt Christum. Et erant ibi quidam qui intelligebant, & spem futuram habebant, ut acciperent misericordiam quæ in cœlo est. Erant ibi qui nonnisi carnalia desiderabant & terrena, &c.* Ut nunc ergo, ita & tunc, quamvis nec tam publicè, nec tam explicatè annunciabatur à Prophetis Christus æternorum bonorum author, alii acquiescebant, alii adversabantur. Cùm autem non adeo explicatè annunciaretur, nec tam explicata fides reposcebatur. Et rursum: *Profectò erant* In Psal. 77. *etiam in illo populo, qui intelligerent, habentes fidem quæ postea revelata est, non ad legis litteram, sed ad gratiam spiritus pertinentem. Non enim sine ipsa fide fuerunt, qui ejus in Christo futuram revelationem prævidere & prænunciare potuerunt, cùm & illa vetera sacramenta significativa fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non & populus? Immo verò etiam qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adjuvabantur gratia, ut intelligerent quod audiebant.* Et paulò pòst hoc ipsum confirmat Apostoli testimonio: *Sed non, inquit, in omnibus illis beneplacitum est Deo. Omnes quidem eundem cibum spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt, id est, spirituale aliquid significantem, sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Cùm dicit, Non in omnibus, erant ergo ibi aliqui, in quibus beneplacitum est Deo. Et cùm essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia quæ*

sacra-

sacramentorum virtus est. Sicut & nunc jam revelata fide quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatis commune est lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia cujus ipsa sunt sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptismum, & falsi fratres in communione Catholici nominis. Ergo & hìc rectè dicitur, Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Quæ Augustini verba disertè favent sententiæ Bernardi & Hugonis, non paucissimos tantùm, sed aliquantam populi multitudinem per Mosaica sacramenta propheticis vocibus elucidata ad fidem Christi, & ad salutis spem admittentium. Sed Evangelica veritas non obscurè patrocinatur. Subinde enim existunt emicantque vestigia fidei in Christum, non legis peritis, aut sacerdotibus tantùm, sed ipsis etiam populorum turbis evulgatæ. Hæc erat utique fides illa caliginosior, redemptionis à Deo per hominem præstandæ conscia, sed singularium quorumque dogmatum ignara. Nec discrepat Hieronymus: *Sic igitur & sanctos Prophetas & Moysen ambulantes Spiritu & Spiritu viventes, non sub lege, sed quasi sub lege vixisse, ut ipsi viderentur quidem esse sub lege, sed eos qui sub lege erant, lucrifacerent, & ab humilitate littera ad altitudinem spiritus provocarent.* Quanquam ergo littera ipsa veteris instrumenti, quia littera est, non aliud sonare videatur, quàm temporalitatem; nunquam tamen non affuerunt Prophetæ, qui spiritaliter interpretarentur vivæ vocis magisterio, & de populo sequaces morigerosque quoslibet spiritali Christi fide & charitate æternorum imbuerent.

In c. 5. Epist. ad Galat.

XVI. Ex Irenæo quantum animos præmunierit ad Christum Mosaica sacramenta. L. 4. C. 4.

Sed meritò subtexetur his Irenæus, qui quanto essent emolumento ad Christi fidem prehensandam prophetica sacramenta, apertum facit exemplo Eunuchi, quem Philippus brevissimo tempore docuit, tinxit, dimisit. *Nihil enim aliud deerat ei, qui à Prophetis fuerat præcatechizatus, non Deum Patrem, non conversationis dispositionem, sed solum adventum ignorabat Filii Dei, quem cum breviter cognovisset, agebat iter gaudens, præco futurus in Æthiopia Christi adventus. Quapropter non multùm laboravit circa eum Philippus, quia erat in timore Dei præaptatus à Prophetis. Propter hoc autem & Apostoli oves colligentes, quæ pericrant domus Israel, de Scripturis alloquentes eos, ostendebant Jesum crucifixum, hunc esse Christum Filium Dei vivi, & magnam multitudinem suadebant, quæ tamen habebat timorem ad Deum, & una die baptizati sunt hominum tria millia, & quatuor, & quinque.* Et rursus: *Propter hoc & Paulus gentium Apostolus cum esset, Plus eis inquit omnibus laboravi. Illis enim facilis catechizatio fuit, videlicet cùm ex Scripturis haberent ostensiones, & qui Moysen, & Prophetas audiebant, & facilè recipiebant primogenitum mortuorum, & principem vitæ Dei eum, qui per extensionem manuum dissolvebat Amalech, &c. Quapropter plus laborabat, qui in gentes Apostolatum acceperat, quàm qui in circumcisione præconabant Filium Dei. Illos enim adjuvabant Scripturæ, quas confirmavit Dominus, & adimplevit, talis veniens, qualis & prædicabatur. Hìc verò peregrina quædam eruditio & nova doctrina, Deos gentium non solùm non esse Deos, sed idola esse dæmoniorum, &c.* Adverte quàm necessariò adornanda priùs fuerit lex Mosaica, & ingens illa umbrarum propheticarum, corporaliumque sacramentorum supellex, quæ pauci penitissimè intelligerent, plures crassiùs quidem, utcumque caperent tamen, plerique omnes ad Dei cultum & ad grande aliquid significandum spectare gnari essent, omnes propemodum venerarentur, & aliis circa ea oculatioribus se committerent. Hinc enim proclives fiebant omnes ad Christum complectendum. Hinc minus detudandum fuit in Israelitis, quàm in Ethnicis Christo conciliandis. Hinc Eunuchus statim ut Philippum audiit, tinctus est, & in Evangelicum præconem emersit. Hinc credebant Apostolis terna semel, & quina millia Mosaicis sacramentis priùs imbutorum. Hinc qui ex Hebræis in Ecclesiam influxere, cæteris longa intercapedine antestarunt. Hinc Hebræorum sub lege ante Christum examina memorantur fuisse, qui in fastidio temporalium, in æternorum contemplatione facilè primas tulisse videntur. Hinc inter exordia Christiani nominis erant Hebræorum sectæ, quæ nostris ascetis tam propè abfuerunt, ut nonnullis imposuerint, aut fides eis arroganda sit, & maximè Hieronymo ita asserenti post Eusebium, in Christianos Monachos profecerint. Sed ut ut ea res se habeat, liquet oppidò ballucinari eos, qui solos pauciissimos ex Moysis sectatoribus & non aliquantam etiam multitudinem per legalia sacramenta ad temporalium fugam & æternitatis charitatem exarsisse existimant; etsi quanquam & hæc multitudo pauciissimorum fuisse dici possit, si ratio habeatur longè majoris numeri, vel tunc reproborum, vel sub Evangelica lege electorum.

XVII. De eodem rursus.

Unum superest contestandum, nihil à nobis ex animi nostri sententia dictum esse de ea fide quæ olim ad salutem ante Christi in carne adventum exigebatur. Lubentiùs enim nos in medio relinquimus rem illam totam, suoque judicio unumquemque frui permittimus. Illud unum nobis propositum erat, quid ea de re Bernardus, quid Hugo fidissimi Augustini & sagaciissimi interpretes statuissent, propalare, ut qui pro adversa & rigidiore sententia digladiantur, & Augustino commilitone ac duce invictos se putant, intelligant hanc tanti ducis victoriæque fiduciam infringi sibi & extorqueri posse. Astipulatorem Bernardo addere licebat Rupertum: *Et quidem Moyses & Prophetæ, alii plus, alii minùs secundùm placitum Spiritus sancti dividentis singulis prout vult, sacramenti hujus habuere notitiam: sed qualiter hoc à populo subtegere aeberent, in uno Moyse omnibus significatum est. Ubi enim cognitionem secretorum cœlestium accepit, facies ejus secundùm similitudinem mentis refulsit, sed splendorem eundem non valentibus sustinere filiis Israel, velamine operuit, &c. Sed & Prophetæ palam annunciare prohibiti sunt, unde uni illorum dicitur, Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et alibi dictum est, Tu ergo signa visionem, &c. Item, Vade Daniel quia clausi signatique sunt sermones usque ad tempus præfinitum.* Non ergo credere id jubebatur, quod studiosè celabatur populus: ea enim inhumanitas inaudita prorsus fuisset. Quomodo enim credent sine prædicante? Undè statim ibidem: *Igitur fides quidem exigebatur à populo Israel, scilicet ut crederent, quod Deus Patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, unus & solus verus Deus esset, & quod in semine Abrahæ benedicendæ omnes gentes essent: sed illud ab eis exigi non poterat, quod non eis erat annunciatum, ut crederent scilicet quod hoc modo vel tali ordine benedictiones illæ implendæ forent in Christo.* Quin & Christus ipse affirmat, peccati puros insontesque fore, nisi affuisset ipse, & opera patrasset nulli præterea cuiquam concessa. Sed quoquo se modo res ista habeat, nostro instituto id unum abundè est, quod in confesso penes omnes est, legalibus sacramentis homines tam propè ad Christum admotos fuisse, ut illum emicantem protinus amplexati sint, ejusque fidei ac legis sanctimoniæ se totos incredibili quodam animi æstu dediderint. Indè enim extundere licet, quid de singulis sit censendum, qui ante ejus adventum perdiu exculti perpolitique fuerant iisdem sacramentis. Nam nec his defuisse Christus conjectan-

In Exod. L. 2. C. 4.

duscit, quando non frustra totus ille sacramentorum apparatus omnibus retro hominum ætatibus, tanquam pædagogus ad Christum fuerat: & quod in universi generis administratione publicè spectatur, id ipsum privatim in singulorum curatione suspicandum est.

CAPUT IX.

Non potest Christus à mortalibus nisi adumbratus teneri: quocirca & Mosaicis sacramentis etsi umbraticis continebatur: & nostris etsi veritatibus, adhuc tamen obumbratur.

1. Non potest Christus à mortalibus nisi adumbratus teneri: sed ejus sacramenta aliquatenus instructa fuere.

NEc Christi magnitudinem, nec mortalium infirmitatem satis exploratam expensamque habent, qui de ejus tandiu comperendinato adventu quiritantur. Non potest ille à mortalibus nobis nisi adumbratus teneri, ex quo id quoque solatii emergit, ut & dum adumbratur, teneatur. Christum ergo nos quidem tenemus & contrectamus, sed in sacramento, sub velamine, obumbratum. Non exhibebatur Israelitis nisi sub sacramentorum velis dissimulatus, ergo & tunc tenebatur. Quid ergo horum injuriam, jacturamque tam amarulentè prosequimur? Illustriora sunt nobis umbracula, id est sacramenta quàm illis; sed sacramenta sunt tamen, & umbracula. Id potiùs dolendum, id toto lacrymarum flumine lamentandum est, quòd ab umbraculis ad puram lucem ejus contuendam nondum progredimur. Nam ab umbra ad umbram, ab obscuriore ad sublustriorem progredi, optatum id quidem fortunatumque est; sed ab umbra ad puri luminis beatos haustus eluctari, id enimverò optatissimum, id votorum omnium remis velisque, ut ita dicam, contendendum est.

II. Sacramenta etiam legalia Christū continebant, sed suo modo tunc cōgruo.

Quod ergo legalium sacramentorum tegumentis non obumbraretur tantùm, sed & contineretur Christus; atque adeo tanquam Christi inanimus indolendum eis non sit, qui horum sacramentorum adipe pascebantur: Augustinus nos docet ex Apostoli Pauli loco: *Nolo enim vos, ait Apostolus, ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eundem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Idem itaque in mysteria cibus & potus illorum qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus est.* Audin eundem illis nobisque cibum potumque Christum appositum propinatumque esse? Audin in mysterio utrisque, specie tantùm significante paulò diversa, non diversa significatione? Nam quod Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus est, est id quidem ingentis loco privilegii Christianis, sed & ipsis tamen in carne obumbratus est. Erat enim & caro ipsa umbra quædam, qua se nobis Verbum contemperabat. Et ipsa caro rursum cùm Verbi umbra esset fulgidior, subducenda hinc fuit, & densioribus sacramenti velis obnubenda. Ergo idem nobis atque illis cibus potusque, utrisque figuratus, sed aliter atque aliter.

In Psal. 77.

III. Etsi varientur signa, ceu verba, idem tamen colitur Deus, eadem religio permanet, etsi pro Dei prudentia alias & alias se nobis exserat.

Quantuli autem refert, diversis sacramentis coli, dum idem & æquè sanctum est, quod colitur? Perinde ferè est, ac diversis verbis proferri unam eandemque sententiam. Signa enim variari nihilo plus obest prodestque, quam verba; quia & signa non aliud quàm quædam sui generis verba sunt. At ab orbis conditu, sive ab hominis lapsu unum eundemque Christum, hoc est sapientiam Dei incommutabilem, humanæ ægritudinis reparatricem omnia penitus religiosa personavere sacramenta, & etiamnum personant omnia. Ergo non ipsa in culpam vocanda est sacramentorum diversitas, sed hominum perversitas in vitio est, quæ sacrorum signorum vocibus obsurdescit, & voluptatum limo se inexplicabiliter immergit. Augustinus: *Respondeant ita nihil interesse pro diversa temporum locorumque congruentia, quàm diversis sacramentis colatur, si quod colitur sanctum est: sicut nihil interest, pro diversa linguarum auditorumque congruentia, quàm diversis sonis dicatur, si quod dicitur verum est.* Et paulò pòst: *Quamobrem cum Christum dicamus Verbum Dei per quod facta sunt omnia, sub cujus regimine universa creatura spiritalis & corporalis pro congruentia temporum locorumque administratur, cujus moderanda & gubernanda quid, quando & ubi circa eam fieri oporteat, sapientia & scientia peres ipsum est; profectò & antequam propagaret Hebræorum gentem, per quam sui adventus manifestationem congruis sacramentis præfiguraret: & ipsis temporibus Israeliticis regni, & deinde cum se in carne de virgine accepta mortalibus mortaliter monstravit, & deinceps usque nunc cum implet omnia, quæ per Prophetas antè prædixit, & abhinc usque ad finem sæculi quo sanctos ab impiis dirempturus est, & sua cuique retributurus, idem ipse Filius Dei, Patri coæternus, & incommutabilis sapientia, per quam creata est universa natura, & cujus participatione omnis rationalis anima fit beata. Itaque ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt & secundùm ejus præcepta piè & justè vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit, sic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur, ideo fides ipsa variata, nec salus ipsa diversa est. Nec quia una eademque res aliis atque aliis sacris & sacramentis vel prædicatur aut prophetatur, ideo alias atque alias res, vel alias atque alias salutes oportet intelligi. Quid autem quando fiat quod ad unam eandemque fidelium liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde aliis tunc nominibus & signis, aliis autem nunc, & priùs occultiùs, postea manifestiùs, & priùs à paucioribus, postea à pluribus, una tamen eademque religio vera significatur & observatur.* Nequaquam piguit locum tam prolixum exscribere, quòd eo summa contineatur hujus doctrinæ. Una quippe eademque, invariata & invariabilis religio & salus extitit extabitque sempiterna Dei sapientia & incommutabilis justitia Verbum Dei, naturæ rationalis & stantis sustentatrix & lapsæ restauratrix, quibuscumque demum illa se nostræ vel nativæ exilitati, vel adjectitiæ infirmitati attemperare atque opacare instituerit modis. Omnis quippe varietas in signis & sacramentis versatur, quibus illa vel nobis se coaptat, vel nos ad se sustollit; cùm veritas, cùm religio, cùm sanctitas, cùm salus & beatitas una eademque invariabiliter omnibus seu locorum seu temporum tractibus dominetur. Itaque nemo imporentiùs defleat antecessorum vicem, nam & ipsis eadem incommutabilis sapientia vivificatrix & non sine humaniore ad nos condescensu reparatrix obversata est; nemo successorum fœlicitati præfidentiùs plaudat, nam nec ipsis nisi eadem, nec nisi sub signorum involucris auxiliari poterit sapientia. Si autem priùs occultiùs, nunc manifestiùs, prius pauçioribus, nunc pluribus expandit sinum suum sapientia, religio, salus, est quod gratulemur, non quod conqueramur. An enim invidebimus nostris profectibus? Qui autem proficiamus, nisi

In Psal. 77.

meliu-

meliusculè deinceps quàm priùs habeamus? An uberiori in dies divinæ in nos beneficentiæ obtrectabimus & intercedemus? Quis autem largiùs benefaciat, nisi priorem mediocritatem posterior vincat copia? An augescens in dies spiritalium opum copiosior ubertas, non tam ob præsentem nos exhilarabit opulentiam, quàm ob priorem inopiam contristabit? Quin potiùs in mentem venit, priorem illam inopiam dici, quòd præsenti ubertati comparetur & cedat: porro ipsam sibi non inopiam, sed lautam sibi uberemque visam esse. Succurrat denique hanc ipsam publicam beatitatem humani generis, ab occultioribus ad splendidiora, à parcioribus ad ditiora sapientiæ sospitatricis sacramenta ac dona proficientis, nullius calamitati, sed singulorum non dissimili fœlicitati vertendam esse auspicandamque: quòd unumquemque ominari debeamus privatim easdem profectuum ætates emetiri atque exhaurire potuisse.

IV. Idem Dei Verbum rationalium natarum & stantium incolumitas, & lapsarum medicina, per legem Mosaicam, per carnem assumptam, ad æternitatem nos revexit. August. Tract. in Joan.

Non dissident ab antedictis quæ alibi profert Augustinus idem: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, &c. Ante adventum ipsius, venerunt Prophetæ. Nunquid fures & latrones fuerunt? Absit: Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt? Quid est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? In principio erat Verbum. Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. Ego sum, inquit, via, veritas & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerunt, &c. Ante adventum Domini nostri Jesu Christi præcesserunt Justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm varie declinantur, &c.* Quo minùs mirum est, si per Prophetas olim & postea per carnem suam, unum idemque personaverit Verbum Dei, unamque & eandem religionem ac salutem promulgaverit. Idem enim & incommutabiliter idipsum est Verbum Dei, animarum rationalium & stantium incolumitas, & lapsarum medicina, & resurgentium suspitas; per Prophetas quos insidebat, per carnem suam quam gerebat, prout homines capere valebant, æternitatis semitam ostendebat.

V. Ruisus ex Augustino legalibus sacramentis præfiguratum & promanatum fuisse Christum.

Et paulò post ex Apostolo idem probat: *Ut scias autem quod una sit fides, audi dicentem: Habentes eundem spiritum fidei & nos credimus. Sic & alio loco, Nolo vos, inquit, ignorare fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c. Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, &c. Mare rubrum significat baptismum, Moyses ductor per mare rubrum significat Christum, populus transiens significat fideles, mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diversis eadem fides, sic in signis diversis quomodo in verbis diversis, quia verba sonos mutant per tempora: & utique nihil aliud sunt verba quàm signa. Significando enim verba sunt. Tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia, &c. Eundem potum spiritalem biberunt. Si spiritalem, eundem: nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus. Videte ergo, fide manente signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari ponitur: & illi pro magno sacramento ejusdem Christi habuerunt aquam profluentem de petra: nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt. Quotquot ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis Patriarchis, aliisque Prophetis Christum præannunciantibus, oves erant, & Christum audierunt, &c.* Priscis igitur non tantùm Patriarchis & Prophetis, sed eorum etiam authoritati accedentibus populis, idem infundebatur, qui nobis spiritus fidei, idem spiritalis cibus potusque Christus esitandus potandusque porrigebatur, sub cortice sacramentorum legalium: ergo ne cunctatorem Christum querelis fatigemus: non cessabat enim qui vorandum hauriendumque se publicè largiebatur. An quòd alia species tunc signorum esset quàm nunc, ferimus gravatè? Sed nil capessitur detrimenti, si variato signo eadem invariata veritas exhibetur. An non radio Solis illustrius manifestiusque est, non visibili specie, quæ alia & alia fuit, sed intelligibili significatione, quæ invariabiliter eadem atque una fuit, totum salutis & gratiæ fructum contineri? Nobis, non illis ipsa Christi caro vescenda offertur. Sentio quantum id beneficii & prærogativæ sit; sed est quo jacturam suam solentur, qui expertes tanti boni fuere. Nam & caro ipsissima Christi sacramentum veritatis & charitatis atque intelligibilis unitatis est: quibus ergo sine illo sacramento res ipsa sacramento significata, veritas, charitas, unitas, spiritalis cibus potusque animarum immortalium Christus propinabatur, nimis impotenter illi suam vicem dolere non debebant. At non eadem largitate spiritalis gratia inundabat, quando sacramentis aliis quàm carne Christi ipsissima infundebatur. Assentior, sed nec nunc per carnem Christi tanta in nos fluit, quanta dissipatis velis per deitatem Christi revelatam olim influet; nec tamen has moras tam querulo, aut æstuante animo ferimus, sed acquiescimus nos in hac penè ariditate priùs purgari atque expiari, quàm in illum torrentem voluptatis demergamur.

VI. Plus Christus in corde, quàm Manna in ore olim Israelitarum & cæteris tunc sacramentis. Lombardus 17.

Nihil elegantiùs autem fieri potuit, nec ad rem quæ versatur nunc à nobis illuminandam appositius, hoc contextu ejusdem Augustini: *Sufficerat ut diceret, cibum spiritalem manducaverunt. Eundem inquit, eundem non invenio quomodo intelligam, nisi eum quem manducamus & nos. Quid ergo, ait aliquis? Hoc erat manna illud quod ego nunc accipio. Ergo nihil modo venit, si ante fuit. Ergo evacuatum est scandalum crucis? Quomodo ergo eundem, nisi quia addidit spiritalem? Nam qui manna illud sic acceperunt, ut tantummodo indigentiæ suæ corporali satisfieri putarent, & ventrem suum pasci, non mentem, nihil magnum manducaverunt: factum satis est eorum indigentiæ. Alios Deus pavit, aliis aliquid nunciavit. Hi tales cibum corporalem manducaverunt, non cibum spiritalem. Quos ergo dicit Patres nostros cibum spiritalem eundem manducavisse? Quos putamus, nisi qui verè Patres nostri fuerunt? Immo Patres nostri non fuerunt, sed sunt: omnes enim illi vivunt, &c. Erant enim ibi, qui quod manducabant intelligebant: erant ibi, quibus plus Christus in corde, quàm manna in ore sapiebat. Quid de aliis loquamur? unde erat primitus ipse Moyses famulus Dei fidelis in tota domo ejus, sciens quid dispensaret, & quia illo tempore sic dispensari deberent clausa præsentium, aperta futurorum. Breviter ergo dixerim: Quicumque in manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritalem manducaverunt: quicumque autem de manna solam saturitatem quæsierunt, patres infidelium manducaverunt, & mortui sunt.* Quid Christus nisi spiritalis cibus? Quid nunc in Ecclesiæ sacramento nisi animas saginat intelligibili pabulo veritatis indeficientis? Quid etiam cùm carnem ejus præsentissimam esitamus, nisi spiritalem escam comedimus, nec dentes ventremque paramus, sed fidem? Quid nisi plus sapit in ore Christus quàm panis? Quid in ipsissima ejus carne manducanda, nisi spiritus est qui vivificat? Quid caro ejus? nonne asportanda hinc in cœlum & oculis nostris subducenda fuit, & in sacramento densissima velorum nube involvenda,

da, ut ſpiritali intelligentia & ſpiritali amore jam illam proſequeremur? Ergo non adeo male conſultum in illos eſt, quibus vel irruente prophetico ſpiritu, vel ipſo Prophetarum hortatu dabatur eundem ſpiritalem cibum manducare, & in manna, in aqua, in reliquis ſacramentis unum Chriſtum ſapere, Chriſto ſaginari. *Sic etiam eundem potum. Petra enim Chriſtus, Eundem ergo potum, quem nos, ſed ſpiritalem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. Audiſti eundem potum. Poſtea erat Chriſtus. Non enim alter Chriſtus tunc, alter nunc. Altera quidem illa petra, alter lapis, &c. idem tamen Chriſtus, &c. Eundem ergo cibum, eundem potum, ſed intelligentibus & credentibus. Non intelligentibus autem illud ſolùm manna, illa ſolùm aqua ille cibus eſurienti, potus iſte ſitienti, nec ille nec iſte credenti, credenti autem idem qui nunc. Tunc enim Chriſtus venturus, modò Chriſtus venit: venturus & venit diverſa ſunt, ſed idem Chriſtus.* Ad cibum ſpiritalem, quanti intereſt, venturus ſit, an venerit? Nam ſpiritalis fides, charitaſque, immortales & æternitatis vi imbutæ ſunt vires quædam, temporibuſque ſervire neſciæ. Itaque tam facilè futura anticipant, quàm præterita revocant, & ſeu præterita ſeu futura tamquam præſentia ſibi ſiſtunt. Alioquin Chriſti myſteria ut illis necdum advenerant, ita nobis effluxerint; non diſſimili ergo diſpendio afficeremur, niſi quod optatius plerumque hominibus eſt, fruenda expectare, quàm dilapſa recordari & incaſſum deſiderare. Ergo ſi nobis non effluxerunt, quia fidei de ingenio & afflatu æternitatis vigenti, nihil effluit, nihil perit: nec illis etiam deerant, quæ ventura erant, quia fidei eadem omnipotentia repræſentabantur. Fidei autem ſola ſignorum diverſitas perparum officit, dum rei ſignificatæ non diverſa permittatur uſura. Unde Auguſtinus: *Quod ex utroque intelligitur, fortaſſis unum eſt; at illa ex quibus intelligitur, diverſa ſunt: tanquam ſi nomen Domini & auro & atramento ſcribantur.*

VII. Fidei & charitatis præcepta Sacramentis omnibus legalibus inculcabantur, & ea tota est Christi religio. L. 10. de Civ. c. 5.

Atque ut cardinem ipſum rei indigitemus, audiamus rurſum Auguſtinum: *Sacrificium ergo viſibile inviſibilis ſacrificii ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Unde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipſe Propheta Deum quærens peccatis ſuis habere uti propitium: Si voluiſſes, inquit, ſacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernet. Intueamur quemadmodum ubi Deus dixit nolle ſacrificium, ibi Deum oſtendit velle ſacrificium. Non vult ergo ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis. Nam ſi ea ſacrificia quæ vult, quorum hoc unum eſt, cor contritum & humiliatum dolore pœnitentiæ, nollet eis ſacrificiis ſignificare, quæ velut ſibi delectabilia deſiderare putatus eſt, non utique de his offerendis in lege veteri præcepiſſet, &c.* Quo uno exemplo, ut alia id genus innumera omittam, promptum eſt, ipſa Scripturæ veteris littera, & verbis ipſis vulgatiſſimis quæ vulgi ore diebus & momentis penè ſingulis terebantur, diſertè inculcari & decantari tum ſolita fuiſſe fidei ſpiritalis & charitatis, id eſt totius Chriſtianæ diſciplinæ præcepta & ſumma faſtigia. *Quæcumque igitur in miniſterio tabernaculi ſive templi multis modis de ſacrificiis leguntur divinitus eſſe præcepta, ad dilectionem Dei & proximi ſignificandam referuntur. In his enim duobus præceptis, ut ſcriptum eſt, tota lex pendet & Prophetæ.* Et tempeſtivè ſatis inter ipſa ſacrificia concrepabant Pſalmi, quibus eorum ſpiritalis interpretatio, & ad æternorum charitatem traductio continetur. Qui ergo ad hæc calcaria obcalleſcebant, & præſentibus tantùm aſtupebant ſignis, non illis Chriſtus deerat, ſed ipſi Chriſto præſenti & perſonanti terga vertebant, non aliter quàm nunc in manifeſtiſſima æternorum luce inter Chriſtianas aras caligant plurimi, & nonniſi temporalia meditantur.

His conſentanea ſunt quæ ſentit Ambroſius: VIII. Ut ex Auguſtino ſupra, ita num. ex Ambroſio oſtenditur, et Moſaica & ſcripta & ſacramenta Chriſti eadem eccleſiaſtem certe repræſentaſſe. In Pſal. 1. *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Ordo conveniens eſt, ut primo diligas legem, ſecundò ut mediteris. Qui diligit, ex voluntate facit mandata legis; qui timet, invitus obſervat. Hanc diſciplinam docendi etiam Dei juſtitiam in lege accepimus. Sic enim ſcriptum eſt, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus eſt, & Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Denique lex voluntarios quærit, quia lex Domini, irreprehenſibilis convertens animam. Nemo autem convertitur, niſi qui voluntate convertitur. Ideoque die & nocte in lege meditatur, in quo non tam continua legendi poſtulatur intentio, quàm ſervandæ legis affectus. Ille enim plenè meditatur, qui ipſe ſibi lex eſt, ſcriptum in corde ſuo opus legis oſtendens, &c. Meditatur ergo legem vita noſtra, lex enim exemplar eſt, & umbra cœleſtium, umbra futurorum bonorum, quæ is qui credit in lege, in Evangelio recognoſcit.* Et aliquantò poſt: *Utrumque ergo poculum bibe, veteris & novi teſtamenti, quia in utroque Chriſtum bibis. Bibe Chriſtum, quia vitis eſt; bibe Chriſtum, quia petra eſt, quæ vomuit aquam, &c. Bibe Chriſtum, ut bibas ſermones ejus. Sermo ejus teſtamentum eſt vetus: ſermo ejus teſtamentum eſt novum. Bibitur Scriptura divina & devoratur Scriptura divina, cùm in venas mentis ac vires animæ ſuccus Verbi deſcendit æterni. Hoc Verbum bibe, ſed ordine ſuo bibe. Primùm bibe in veteri teſtamento: inde fac citò, ut bibas in novo teſtamento.* Hæc ſi contexas quæ apud illum ſparſa latiùs paulò ſunt, & nonnullis aliis intertexta ad eundem tamen ſenſum ſpectantibus, efficies id profectò, quod volumus. Videlicet in veteris teſtamenti paginis, præceptiſque omnibus & ſacramentis, etſi non tam manifeſtè quàm nunc, apertè tamen ſatis emicuiſſe, legis charitatem magis quàm pœnæ formidinem ſectandam, æterna, non umbratica tantùm bona concupiſcenda, & Chriſtum denique qui bonorum æternorum charitas & charitatis æternitas eſt, in omnibus ſacramentis bibendum devorandumque. Id lex, id Pſalmi, id Prophetæ ſonabant, & conſonabant, nec ullum niſi ſua obſurdefaciebat cupiditas. Et libro de iis qui myſteriis initiantur, de Euchariſtia verba faciens, *In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti: non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Unde & Apoſtolus de typo ejus ait, Quia Patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt. Corpus enim Dei, corpus eſt ſpiritale; Corpus Chriſti, corpus eſt divini Spiritus, quia Spiritus Chriſti, ut legimus, Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.* Quod ergo eandem nobiſcum antiqui eſcam comederunt ſpiritalem tantùm, non etiam corporalem, non tanto eis cedebat detrimento, quanto viſum eſt nonnullis. Nobis enim emolumento eſt, non quod corporalem, ſed quod ſpiritalem devoramus. Eſt enim corpus ipſum Chriſti, etſi veriſſimum & præſentiſſimum, ſpiritale tamen, utpote Corpus Dei; ſpiritaliter edendum, fide tangendum, charitate glutiendum: nam etiam dum caro ejus manducatur, ſpiritus eſt qui vivificat, ſpiritalis ſatietas expetitur, Chriſtus ſpiritus & ſpiritalis immortalitatis alimonia cogitatur. Itaque Abraham, Moyſeſque videre diem Chriſti, idem alii compares compotesque ejuſdem fidei, vel eorum magiſterio incumbentes: nec videre tantum, ſed guſtavere & bibere Chriſtum, ſpiritalem mentium refectionem.

Nec

IX. Christi mysteria, ut nos præterita revocamus, ita illi futura anticipabant, fidei quadam potestate temporum dominatrice, & æternitatis æmula.

Nec abs re erit paucula ex Leone Magno delibare, quibus liqueat, quàm non desideret fides velut absentia, quæcumque vel in præteritum jam defluxerunt, vel in futurum expectando prospiciuntur. Nam mysteria Christi, ut antiquis futura, ita nobis præterita, neutris affuisse vel adesse putabuntur, si rerum species extima nos remoratur. At fide tamen involamus in plurima retro sæcula, & tanquam præsentia adesse jubemus; perlustramusque præteriti temporis recessus invios, & tandiu refuga arcana: tamque feliciter id nobis cedit, ut nihilo minus ex iis carpamus gratiarum, quàm si coram jam nunc nostros ob oculos gererentur: quin immò haud paulò plus spiritalis lucri inde colligimus, quàm ii qui auriti oculatique & iidem multi increduli testes, adversariique fuerunt, cùm peragerentur. Quin ergo & prisci Patres ejusdem fidei omnipotente quadam & omnipatente amplitudine occuparint futura, quæ nos præterita revocamus: & anticiparint, quæ nos renovamus? Ita ergo habet Leo Magnus: *Sacram Dominicæ Passionis historiam, Evangelica, ut moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus, ut unicuique audientium ipsa lectio, quædam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, ut ab iis mente non desit, quibus corporalis præsentia interesse non potuit; & sive in præteritum redeat, sive in futurum se corcredentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis.* Ita æquum est dominari temporibus fidem & amorem æternorum: & de affatu æternitatis id valere, ut vel omnia tempora sibi colligat, & repræsentet, vel in omnia tempora sese infatigabiliter & invictè diffundat. Quin æquum est, ipsa Christi mysteria quæ ita tempori sunt alligata, ut æternitatem spirent, temporalitatem exurant, temporibus imperitare, nec annorum legibus premi, id est, nec prætereundo oblitterari, nec adventando desiderari, sed jugi & invicta præsentia perennare.

Serm. 19. de Passione Domini.

X. Et nos etiam nunc futura invadimus fide, spe, charitate: & videmus quod visuri sumus: tenemus, quod speramus.

Nec præterita tantùm sentire concessum nobis est, sed & futura occupare, ut & Patribus nostris copiam faciamus futura quoque sibi Christi carnis sacramenta præsumpsisse. Christo enim conresuscitati sumus, & confessores paterni throni adsumus, & vita nostra abscondita ibi est cum Christo in Deo: nec jam secundùm carnem sapimus, aut vivimus, nec quenquam secundùm carnem novimus, sed conversatio nostra in cœlis est. Non expectatione fatigamur, non cessatione suspendimur: sed animosa fide, audaci spe, victrici charitate, jam videmus quod visuri sumus: jam tenemus, quod speramus: jam æternitatem præripuimus. Idem Leo: *Non hæsitamus diffidentia, nec incerta expectatione suspendimur, sed accepto promissionis exordio, fidei oculis, quæ sunt futura, jam cernimus: & naturæ provectione gaudentes, quod credimus, jam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant, &c.* Quod ergo familiare sacris est litteris, ut temporum discrimina perturbentur, & tanquam præterita memorentur, quæ futura adhuc pendent; vel objiciantur ut præsentia, quæ vel jam olim, vel nondum fluxerunt: non supinitas ea est, sed curiosior & arcana diligentia: nec eò tantùm intenta, ut Deo adesse omnia, & abesse nihil innuatur; sed etiam ut Prophetarum oculi, omniumque eorum authoritati innitentium, demonstrentur in altam quandam velut speculam æternitatis evecti, superexstare atque eminere temporum per varias vices circumfluentium flumini, atque ea coram simul spectare sibi præsentia, quæ non possunt nisi longo decedentium succedentiumque annorum lapsu explicari. Audeamus in hanc fidei arcem assurgere, & ita esse comperiemus: Si autem abjiciamus animos, & tempori atque parti nos mancipemus, illam fidei universa ambientis, ac pervadentis amplitudinem, velut inter speciosa deliramenta recensendam turpiter delirabimus.

Sent. de Resurr. Dom.

Et rursum ut intelligas non infringi novi Testamenti laudes singulares, & gratiæ illi specialiùs & copiosiùs adsignatæ gloriam, tametsi Christus antiquis etiam fidelibus indulgeatur, audi Irenæum hujus nodi ambages explicantem: *Legite diligentiùs id, quod ab Apostolis est Evangelium nobis datum, & legite diligentiùs Prophetas, & invenietis universam actionem & omnem doctrinam & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis. Si autem subit vos hujusmodi sensus, ut dicatis: Quid igitur novi Dominus attulit veniens? Cognoscite quoniam omnem novitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annunciatus. Hoc enim ipsum prædicabatur, quoniam novitas veniet innovatura & vivificatura hominem, &c. Semetipsum attulit, & ea quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant Angeli intendere, donavit hominibus.* Aderat antiquis Christus, & tamen expectabatur: aderat, & tamen advenit. Aderat obumbratus, expectabatur & advenit revelatus: idem tamen in umbra, qui post sine umbra. Sed & nunc quoque cùm advenerit, cùm adsit, expectatur tamen, & adventat, & adveniet. Advenit enim & adest præclarioribus quidem, sed nonnullis tamen adhuc nubilis velatus; ubi ergo & hæc dissipabit, tunc adveniet; & quia paulatim & in dies dissipat, semper venit, semper veniet. Ei enim qui nusquam abest, incommutabili sapientiæ Verbo Deo, venire non aliud est, quàm manifestari. Quia ergo & apparuit simul & latuit, quia latebras suas nequedum omnes retexit, quia diebus singulis magis magisque sese retegit; ideo non immeritò existimatur semper venisse, semper venire, semper venturus esse. Nec nostrum est, nisi insolentissimè insanimus, vel nostris profectibus vel divinorum beneficiorum incrementis invidere atque obstrepere. Unde idem ibidem: *Jota unum aut unus apex non transiet à lege & Prophetis, quoadusque omnia fiant. Omnia enim ipse adimplevit veniens, & adhuc implet in Ecclesia usque ad consummationem, à lege præactum novum Testamentum.* Adhuc implet legis umbras, implebitque usque ad consummationem sæculi, adhuc sese retegit retegetque, adhuc venit venierque, donec ad contemplationem Patris ab omnibus serenatam nubeculis cum toto suo corpore perveniat: tunc enim demum, ut ipse ait, non jam in parabolis loquetur ad nos, non parabolarum, quibus adhuc obnubilamur, umbras tunc ullas discussurus & sese manifestaturus, ac proinde adventurus expectabitur: sed palam de Patre annunciabit nobis, cujus Verbum & species est. Dum autem ægros nos adhuc experimur, & infinitæ lucis Verbi nequedum patientes, in beneficii numero est, si suffuretur se nobis nonnihil, & obnubat, primùm timore & densioribus umbris, dein amoris aspergine, & illustriore umbra carnis propriæ, immò carne propria, atque ita demum aptet nos, obfirmetque ad puræ lucis patientiam. Unde idem: *Et quoniam non otiosè, nec frustra aut obvenit, datum est prius testamentum, sed illos quidem quibus dabatur in servitutem Dei concurrens, ad utilitatem eorum, non enim indiget Deus ab hominibus servitutem: typum autem cœlestium ostendens, quoniam nondum poterat homo per proprium visum videre quæ sunt Dei: & imagines eorum quæ sunt in Ecclesia præfigurans, ut firma ea quæ secundùm nos est fiat fides, & prophetiam futurorum continens, ut disceret homo præscium esse omnium Deum. Talis discipulus verè spiritalis, recipiens spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionibus Dei assuit homini-*

XI. Restè dicitur Christus, venisse, & charitas in utroque testamento semper venisse, venire, venturus esse: cùm ei venire, non aliud sit, quàm manifestari, sed aliter & aliter, magis magisque. L. 4. c. 66. 67.

Ibid. c. 64.

minibus, & futura annunciavit, & præsentia ostendit, & præterita enarravit.

XII. Ita Christus omnia in omnibus est, omnia in omnibus adimpletur, in lege, in Ecclesia, in Patria.

Et sanè quid præclarius quàm ut ab exordio sæculi ad finem usque Christus omnia in omnibus adimpleatur? Quo autem adimpletur, nisi ut ipse ad implendam legem veniſſe se contestatus est, dum timorem amore mutat, dum umbras luce repensat, figuras veritate enubilat? Omnia ergo olim erat, omnia nunc est, omnia in omnibus multò præcellentiùs. Olim ut ait Sedulius: Carm. l. 1. *Christus erat panis, Christus Petra, Christus in undis*: & omnia Christus erat: nunc multò magis Christus omnia in omnibus adimpletur: & multò maximè in beata patria erit Christus, erit Deus omnia in omnibus, cùm jam nihil superierit adimplendum, quia nihil jam non plenum, nihil figuratum, nihil vacuum. Quandiu autem mortalem vitam viamque terimus, quia via hæc est, & non meta, necesse est, ut vacui aliquid & figurati supersit, quod impleatur, ut Christus omnia in omnibus adimpleatur. Eandem viam insistimus Christiana, quam olim Mosaica gens, eodem collimamus: propiùs quàm illi absumus, sed absumus à meta: provectiores in via sumus, sed in via sumus; hæc via, hæc meta Christus est: per ipsum ad ipsum omnes imus, nequedum pervenimus. Ut quid ejusdem viæ socios tanquam inusitatum aliquid stupemus? Explicabant & illi viam, umbras paulatim Christus implebat, & illuminabat, multò manifestior per Prophetas quàm per Mosaicam legem, sicut manifestior per carnem quàm per Prophetas, sed nec sic tamen penitus manifestans seipsum. Ambrosius: *Igitur* In cap. 15. Luc. *sancta Ecclesia quæ typo mulieris istius Evangelice figuratur, cujus farina nos sumus, Dominum Jesum in interioribus nostræ mentis abscondit, donec animi nostri secreta penetralia color sapientiæ cœlestis obducat. Et quia in Matthæo legimus, tribus mensuris absconditum esse fermentum, congruere visum est, ut Dei filium crederemus absconditum in lege, adopertum in Prophetis, Evangelicis prædicationibus adimpletum; ut perfectam fidem nobis acquirat ex omnibus, & scriptorum collatione formatus, in nobis qui sumus corpus ipsius, omnia in omnibus impleatur. Ipse enim erat Verbum Dei, & mysterium absconditum à seculis & à generationibus, quo nihil potest ad expressionem perennitatis eius attestatius dici. Erat enim profecto ut absconditus sacrilegis, manifestatus in sanctis, prædestinatus ante sæcula, servaretur ad gloriam.*

XIII. Christi sub lege umbra, nunc imago, in Patria vegitas. Ita & semper adest, & semper venit Christus.

Verùm ut ampliùs eluceſcat, quàm verè Christus advenisset hominibus vetus Testamentum implentibus, operam dabimus, ut etiamnunc expectari eum & nondum advenisse demonstremus. Ita enim cùm certò constet Christum advenisse, si tamen venturus expectatur, persuaderi poterit advenisse & jam tunc, etsi venturus expectabatur. Et ne te longis morer anfractibus, ne nunc quidem totam Christi veritatem, sed imaginem assecuti sumus: cùm ergo veritas ipse sit, nondum totus advenit. Si autem tenemus Christum in imagine, quin teneretur olim & in umbra? Quid enim umbra quàm imago quædam jejunior? Quid imago quàm umbra quædam subluſtrior? Sed nec umbra, nec imago ipsa veritas, sed veritatis expectatio quædam est. Ambrosius: *Ve-* In Ps. 38. *rumtamen in imagine pertransit homo: In qua imagine ambulat homo? In ea utique ambulat, ad cujus similitudinem factus est, id est, ad imaginem Dei. Christus autem est imago Dei, &c. Christus ergo imago Dei venit ad terras, ut jam non in umbra ambularemus, sed in imagine. In imagine autem ambulat homo, qui sequitur Evangelium, &c. Primùm ergo umbra præcessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Umbra Evangelii & Ecclesiæ in lege: imago futura veritatis in Evangelio, veritas in judicio Dei. Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus Prophetarum, umbra in diluvio, umbra in rubro mari, quando baptizati sunt Patres nostri in nube & in mari, umbra in petra, &c. Sed jam discessit umbra noctis & caliginis Judæorum, dies appropinquavit Ecclesiæ, videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona.* Modesta prorsus & castigata ad veritatis amussim est hæc gloriatio. Umbram noctis & caliginem Judæorum discessisse gratulatur, sed veritatem nondum illuxisse profitetur nisi in imagine. Videmus nos & tenemus, sed per imaginem, sed imaginis bona, illi per umbram, & umbræ bona; umbra Christus, imago Christus, utrobique Christus, sed magis veritas Christus, qualis nec videtur adhuc, nec tenetur à nobis. Ergo si jam venit, quando per imaginem solam venit, quin venerit & olim per umbras? Si jam venit, etsi adhuc veritas expectetur, quin olim venerit cùm imago expectaretur? Nam immaniùs distat veritas ab imagine, quàm ab umbris imago. Immò umbra & imago promiscuè quandoque habentur, ut vel hic apud Ambrosium statim: *Tunc videbimus cùm imago transierit, veritas venerit; tunc jam non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ sunt perfecta videbuntur. Ascende ergo homo in cœlum, & videbis illa quorum umbra hìc erat, vel imago. Videbis non ex parte, non in enigmate, sed in consummatione; non in velamine, sed in luce.* De sacerdotio Christi hìc sermonem instituerat, negat à nobis videri nisi ex parte, in speculo, in ænigmate, sub velamine, necdum in luce, necdum in veritate. Ergo ne nostrorum incurioſi, aliena damna plus justo quiritemur: ne tam doleamus, quod illi in umbra randiu jacuerint; sed quod nos in ænigmate, sub velo, in speculo, ex parte Christum videamus adhuc & teneamus; immò nec videamus, nec teneamus, sed videndum tenendumque suspensi, jejuni, inopesque expectemus, id amaro animo, id impatientiùs feramus. Ne cœlum tundamus invidia, quòd priscis illis tam serò Christum irrorarit: sed nosmet tundamus, plangamusque pectora, quòd nonnisi imaginem ejus & speculum, necdum veritatem plenamque lucem ferre possimus. Nam quòd ab umbra ad imaginem progressi simus, id plurimum est: sed ab imagine ad veritatem inenarrabile interest adhuc interstitium.

XIV. Et olim in terra & nunc Christi natura contra ejus terram, nostra contra & spiritu.

Ne Christum lacessamus, in causa enim nos sumus & illius & hujus adventus tarditatis. Tunc enim umbra, nunc imago veniebat, venitque Christus qui ipse veritas est, quia nos quandiu corpore gravamur corruptibili, in umbra mortis sumus. Velamen seu umbræ seu imaginis, non sua Christo cunctatio, sed nostra imposuit lippitudo. Idem Ambrosius: *Vivam & custodiam verba tua. Vivam, ait, quasi nondum vivens. Hic enim in umbra vivimus; ergo ista vita in corpore, umbra est vitæ, atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione umbræ mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritalia erigat, ut possit dicere, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, dignus erit qui dicat: In umbra ejus vivemus. Christus enim vita est, & ideo qui in umbra Christi vivit, in umbra vita est.* Meritoque alibi dicit sanctus Domino: *In umbra alarum tuarum protege me. Omnes ergo etiam sancti in umbra sunt, quandiu sunt in corpore. Non perfectè vident, sed in parte cognoscunt.* Antiquis ergo comparati, ex umbris emersisse videbamur in nescio quam imaginis resplendescentiam. Sed quàm perfunctoria hæc lux sit, hìc demum patuit, ubi nos in umbra Christi, in umbra vitæ adhuc delitescere indicat, quòd imago illa non aliud quàm sublucidior umbra sit. Ut autem his umbris nos nunc purgamus

gamur, & assuescimus luci puræ, ita & priori suis. Una ergo illorum & nostra hæc communis conditio est, & omnium rationalium naturarum à veritate lapsarum statio quædam expiatoria, & medicinalis, ubi per ænigmata, & specula, & particulas veritatis purgamur roborarmurque ad illius plenitudinem lucis iterum fruendam.

XV. Christ, hoc est, veritatis charitatis umbra tantùm in Lege: Præceptis & timore: imago locupletior in Evangelii charitate & perfectione vegetior: veritas in Patriæ charitatis & justitiæ plenitudine.

Atque ut altiùs ineamus in hæc arcana adira, & eliquatiùs pervideamus, quid illæ umbræ, quid hæc imago, quid illa cui suspiramus Christus veritas: umbra erat justitiæ & sapientiæ Christi, timor servilis seu initialis; imago est amor filialis, sed & initialis; nondum plena veritas, quia necdum plena charitas. In cœlestibus jam non umbra, non imago, sed nuda veritas, quia pura putaque charitas, nulla cupiditas. Initium sapientiæ timor, ergo & umbra sapientiæ. Aliqualis enim justitia & sapientia in timente Deum, sed valdè umbratica & tenebricosa in nondum amante. Progressus in sapientia & ejus jam imago, qualiscumque charitas; sed quia hæc charitatis delibatio est, non plenitudo, primitiæ, non cumulus, justitiæ sitis & fames potiùs quàm satietas, peccatorum magis remissio quàm virtutum possessio, ideo imago potiùs sapientiæ & justitiæ quàm veritas: umbra magis vitæ quàm vita: Christi magis umbra quàm Christus. Et rursum in præceptis legalibus ad duritiam, ad pueritiam hominum emollitis initium & umbra sapientiæ, ideoque umbra Christi erat; & aliqualis tamen sapientia, ideoque & Christus erat. At in legibus Evangelicis non jam umbra, quia nec tanta indulgentiæ mollities, sed jam imago justitiæ & imago Christi est, neque dum tamen veritas, nequedum plenitudo Christi, quia necdum inflexam & inexorabilem legis æternæ normam ferre possumus. In cœlestibus mera erit veritas, quia legis æternæ nullo temperamento obumbrabitur sanctitas. Denique mysteria Christi & sacramenta, olim umbrosiora, nunc imaginum instar speciosiora, in cœlo vera & sine sacramentis, id est, sine velis ipsa veritas. Horum documentum in Christi incarnatione elucet. Nec enim in Verbi majestate radians venit, sed carnis obscuritate obnubilatus. Ergo sapientia, justitia, sanctitas, veritas quod Verbum est, non nisi obumbrata ad nos venit in Evangelica etiam charitate, in Evangelica lege, in Evangelica mysteriorum illustratione, ut quamquam venerit, multò magis ventura expectetur, & expetatur. Ambrosius ita nos docuit: *Cùm Sanctus ipse dicat, Placebo Domino in regione vivorum: Quia perfectè hìc placere nemo potest: ubi etiamsi fieri possit ut sua peccata non habeat, in ipsa tamen regione mortuorum vivendo, purificatione indiget, quæ à contagione eum regionis hujus absolvat. In umbra igitur hìc vivimus, & ideo in umbra custodimus verba Dei. Et ut exemplo utamur, utique ante eramus sub umbra legis, quando custodiebamus neomenias & sabbatha, quæ sunt umbra futurorum, &c. Nos quoque secundùm Evangelium nunc viventes, umbram sequimur verborum Dei, &c. An nescimus quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum advenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens? Venit in nube levi, & cùm esset virtus Altissimi, obumbravit Maria, ut transfiguraret corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori gloriæ suæ. Sicut ergo ille mutavit formam, cùm ex Virgine nasceretur: ita & nobis sermones Dei transfigurati videntur, cùm leguntur in Evangelio, cùm species eorum videtur in Scripturis, quasi per speculum, quia tota veritas hìc non potest comprehendi. Cùm autem venerit quod perfectum est, non jam per descensionem, non per speciem ut transfigurati, sed integra atque expressa veritate resplenaent.* Quo nihil Ambrosio dignius, nihil altitudini ad quam enitimur, accommodatius dici potuit. Liquet enim non in veritatis majestate veniſſe ad nos, aut verò venire adhuc potuisse Verbum Dei; sed exinanitum, nube levi, non tam densa ut olim, sed leviori, nube tamen obductum & obumbratum; & convenienter transfigurata quoque, & per speculum, per condescensionem obumbrata arcana veritatis, præcepta sanctitatis nobis exhibuisse, nondum integra atque expressa veritate, utpote quæ hic tota non possit comprehendi. Itaque cùm Verbum sit veritas, cùm sit legis æternæ sanctitas, exinanitum obumbratumque illud esse, ut nobis se coaptaret, non aliud est, quàm cœlestium & arcanorum veritatem & præceptorum austeritatem obnubilandam infringendamque adhuc fuisse, ut ferri à nobis & sustineri utcumque posset. Venit ergo, sed ventura adhuc sustinetur Verbi veritas; si autem venit cùm in nube levi venit, quin venerit etiam cùm in paulò densiori & sacramentorum & mandatorum nubilo veniebat?

XVI. Semper magis magisque venit Christus, quamdiu magis magisque lucet, fervetque veritas, charitas, libertas. In Psalm 118 Octon. 10.

Rursum idem Ambrosius, idem efficit ipsis ex Christi verbis: *Si manseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Si manseritis, inquit, cognoscetis. Vides ergo quia non à principio potuit cognoscere, quicumque Deum timens, verbum ejus audivit.* Aliud ergo erat Christum tenere, & manere in ejus verbis, aliud & posterius cognoscere illum veritatem, & veritatis intuitu à servitute hac corporalium expediri. Nam qui exinanitum tenet Christum, & verba ejus pariter exinanita inflexaque ad nostram nunc ægritudinem, nondum ille potest, sed exercitatur, imbuiturque ut possit aliquando pati lucem veritatis, & bonum libertatis: id est, sub Christo expectat Christum, & umbroso ejus adventu instituitur firmaturque ad veriorem splendidioremque ejus adventum. Alibi conglobat Ambrosius ad hoc ipsum varia Scripturæ loca: *Scire autem Christum vita est sempiterna; quæ nunc justis præsto est in umbra, in futuro autem erit facie ad faciem. Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, cui diximus, In umbra ejus vivemus in gentibus. In umbra alarum ejus speravit David: in umbra ejus concupivit & sedit Ecclesia. Si tantum Domine Jesu confert umbra tua, quantum veritas afferet? Quemadmodum vivemus, quando jam non erimus in umbra, sed in ipsa vita? Nunc enim vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus, inquit, apparuerit vita nostra, tunc & nos cum eo apparebimus in gloria.* Vides quàm constanter conspirent Scripturæ utriusque fœderis, consonentque nequedum aliud nobis, quàm umbram Christi contigisse: nec id ægrè ferendum, quòd Christi vel umbra deliciis spiritalibus scateat, & initiandæ nostræ hìc fœlicitati abunde sit: item quòd ita stationi huic quam occupamus consulendum sit, ut futuræ cui inhiamus, fœlicitatis copia propria & peculiaris esse permittatur. Quantum ergo futuræ vitæ accumulamus lucis & veritatis & perfectionis, tantum necesse est huic detrahamus. Itaque illic nostram vitam absconditam cum Christo in Deo profitemur, hìc non vitam, sed umbram vitæ; non Christum, non veritatem, sed umbram Christi & veritatis condonatam esse. Ergo cùm alibi ait Ambrosius: *Quoniam in lege nemo justificabitur: intelligis utique quia justificatio legis, species est & imago, non veritas: secundùm veritatem ergo & perfectionem nemo justificatur in lege, secundùm speciem justificatur.* Cùm hæc inquam ait Ambrosius, non sibi obviat, pugnatve secum: sed justitiam legis comparat

In Psal. 118. Tom. 1.

In Psal. 118. Octon. 10.

In c. 9. Luc.

Evan-

Evangelicæ, ut imaginem veritati: cum rursus Evangelicam cœlesti componit alibi sæpiusculè, illam ut imaginem, hanc ut veritatem describit.

XVII. Quantum vetustas carnis superat in nobis, tantum deest adhuc & venturus expectatur singulis Christus, novitas Spiritus.

Sed quis penetralium suorum scrutator non videt, non erubescit semetipsum adhuc carnalibus implicatum desideriis, in carne adhuc ambulare, adhuc carne contra spiritum concupiscere, adhuc servili timore coercendum esse, adhuc pondere cupiditatis deorsum vergere, adhuc ad scintillas puræ lucis præstringi, nictitare & inhorrescere, adhuc cœlestis amoris igniculos subinde terrenis libidinibus præfocare? Et quamdiu corruptibili corpore implicati peregrinamur à Domino, etsi sub gratia, non jam sub lege simus, hoc loco sumus, ita affecti, ita comparati sumus. Ergo nondum advenit, nondum advenire potuit Christus veritas, Christus charitas, Christus libertas; sed Christus umbra, Christus imago veritatis & libertatis, umbra & imago sui. Ambrosius: *Quod enim carnale, servile, quia anima caro servit, liberum innocentia facit, culpa vernaculum. Oportuit ergo per speculum & in ænigmate fieri spiritalia. Nunc enim per speculum videmus, tunc facie ad faciem. Nunc secundùm carnem militamus, tunc spiritu videbimus divina mysteria. Et ideo vera legis character in nostris moribus exprimatur, qui in Dei ambulamus imagine, quoniam jam legis umbra transivit. Umbra Judeis carnalibus, imago nobis, veritas resurrecturis. Tria enim hæc secundùm legem esse cognovimus, umbram, imaginem, veritatem: Umbram in lege, imaginem in Evangelio, veritatem in judicio. Sed Christi omnia, & in Christo omnia: quem nunc secundùm veritatem videre non possumus: sed videmus quasi in quadam imagine, futurorum umbram in lege perspeximus.* Umbra, imago, veritas, Christi omnia & in Christo omnia. Ergo sub lege versantibus non aberat Christus. At Christum veritatem non umbram, illis imprecaris? Imprecare & nobis, ad quos nondum venit Christus veritas. Non sapit quid sit veritas, quid justitia, qui sibi tanquam ista nacto palpat, reliquis ut frustratis indolet. Ut summum, imaginem, non veritatem nacti sumus, quamdiu hìc degimus. Nam quamdiu adversus veritatem concupiscimus & bellamus, quamdiu in carne sumus & carnem sapimus, quamdiu nonnisi per speculum & in ænigmate intueri veritatem, & scintillas quasdam charitatis sentire possumus, tandiu à veritate procul sumus.

V. de fide resurrect.

XVIII. Prior Christi per carnem adventus in umbra fuit expectatur venturus in sole justitiæ.

Utque totum antè Ambrosium exhauriamus, quàm ad aliorum descendamus fontes, longè elegantissimum ejus testimonium derivemus ex commentariis ejus in Psalmos. Ibi enim demonstrat ipsam Christi carnem, totumque in carne adventum, cui umbræ omnes Mosaicæ Propheticæque famulabantur, non aliud quàm umbram fuisse, ad hoc indultam, ut ad veritatem concupiscendam, & ad veriorem ejus in plenitudine æternitatis, non jam in plenitudine temporis, adventum ambiendum acceleranduque nos inflammaret. *Veni Domine Jesu, sed jam non in umbra, sed in sole justitiæ. Si umbra profuit, si passionis tuæ umbra protexit, si corporis umbra salvavit, quantum conferre poterit charitas aperta virtutis? Per umbram lepra curata est, per umbram quoque illius fœminæ quæ fimbriam vestis Dominicæ attigit, sanguis stetit; per umbram te vidimus, quando non habebas speciem, neque decorem. Umbra tua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum, &c. Et quid dicam de umbra Domini, quando & Apostolorum umbra sanabat? Veniente etenim Petro unusquisque offerebat ægros suos, quos transeuntis Apostoli umbra reddidit sanitati. Audi quia caro Domini umbra erat: Ecce Dominus sedet super nubem levem, & veniet in Ægyptum. David dicit, Sub umbra alarum tuarum protege nos. Factus est igitur exinanitus umbra nobis, quos sol iniquitatis exusserat. Vidimus ergo eum in umbra ejus, cùm adhuc fides prima procederet. Sed nunc jam totum illuminat mundum, & tamen adhuc eum per sui corporis, quæ est Ecclesia, umbram videmus, nondum facie ad faciem. Neque enim oculi corporis, divinitatis possunt recipere fulgorem.* En quàm affectatè totam illam Christi in vera carne dispensationem, totam ejusdem in corpore suo quod est Ecclesia, per orbem universum explicantem se in dies magis magisque manifestationem, pertendit umbram esse, umbram justitiæ, nondum Solem, umbram divinitatis, nondum fulgorem, umbram libertatis. Quo ergo veteris testamenti homines superamus, nisi carne Christi, & Ecclesiæ amplitudine? Et tamen hæ umbræ sunt. Ergo ne percellamur stupore, si tandiu umbræ orbem in omnem se protenderint, cùm ne nunc quidem nisi in umbris tametsi paulò lucidioribus versemur, dicamusque cum Ambrosio, *Veni Domine Jesu, sed jam non in umbra, sed in sole justitiæ.*

In Psalm. 118 Oct. 19.

XIX. Quæ sunt ex Ambrosio, eadem ex Bernardo probantur.

Libet Bernardum Ambrosii lambentem vestigia & singula penè verba legentem spectare: *Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit.* Ecce quanta se ostendit magnificentia. Expectares hauddubiò ipsam veritatem, non imaginem, spectatum iri. Auscultа parumper: *Et quia discipuli carnales erant & Deus Spiritus est, nec bene convenit spiritui & carni, umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne Solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus, In umbra tua vivemus inter gentes. In umbra, inquit, tua, inter gentes, non inter Angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Unde & virtus Altissimi obumbravit Virgini, ne nimio splendore præstricta, divinitatis fulgur etiam singularis aquila tolerare non posset.* In umbra ergo Christi vivimus, non in Sole, & inter gentes, non inter Angelos: & anterioris umbrarum densitatis solatium caro Christi, umbra tamen & ipsa est: priorum nubium enubilatio, humanitas Christi, nubes & ipsa est. Nostra enim puritas priorum inquinamentorum purgatio, impura adhuc & sordida est: nostra charitas prioris timoris progressio, veræ charitatis umbra est, & plurimo adhuc timore scatet, quia nondum perfecta est: nostra justitia, veræ justitiæ conatus est: nostra mundities, adhuc multis sordibus squallet: nostræ cupiditates adhuc bulliunt & exhalant nebulas fuscantes intercludentesque nobis serenitatem veritatis. Avebat, averteque ardebat jam olim ab initio, ardetque etiamnum Sol justitiæ Christus exerere se nobis, & purus puris allucere, sed nostris nos illum umbris nebulisque opacamus. Sed in quo potissimum sita esset illa umbra, statim aperit Bernardus: *Ad hoc autem carnem proposuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam, qua & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat, adunaret; & sic de carne transferret ad spiritum, quia Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Et alibi: *Minimè tamen vel nubes ipsa levis esse potuit otiosa, sed ea quoque usus est in salutem: & discipulorum animos qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritalia prævalebant, in sua carnis provocavit affectum, ut amore quodam humano, operanti mira, mira loquenti homi-*

Serm. 3. in Ascens. Dom.

Serm. 6. in Assumpt.

homini adhærerent, amore utique carnali adhuc sed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret, &c. Cæterùm non ut remaneret in carne, sed ut transferretur in Spiritum, totus ab eo in illam carnem discipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere esset aliquando, Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus, &c. Carni Christi adglutinatus amor, est quodammodo humanus adhuc, & carnalis, nondum spiritalis omnino, necdum Deo spiritui, necdum Verbo sapientiæ & justitiæ adhærescens. Est ergo umbraticus amor, umbræ Christi affixus, sed necessarius ad homines carnales excutiendos à carne, & in spiritalem penitus charitatem trajiciendos. Dum tranamus autem hujus mortalitatis pelagus, carne Christi trajicimur, carne, id est, umbra vectamur, meræ Deitatis veritati per beata, sed rara breviaque momenta, insilimus, illico resilimus: ergo in umbra vivimus, & umbræ vehiculo ad Solem veritatis, & charitatis sinceræ trajicimur.

XX. Ex eodem. Humanum ergo genus ab orbis conditu, vel à suo statim lapsu ad meridiem charitatis & veritatis intelligibilis suspirare ipsum, & à Deo destinari dirigique cœpit: sed quas Soli huic objecerat nebulas densissimas, oculoque nostro obduxerat nostra ægritudo, paulatim exnubilandæ fuerunt, & enubilatæ sunt, & enubilantur adhuc in dies; cùmque fugerint omnia nubila, tunc patria lucis se aperiet. Idem Bernardus: *Meritò proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum quæ in excelsis & in splendore est, sed quæ interim peregrinatur in terris. Sub umbra ejus, ait, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Lucem quippe meridianam ubi pascit sponsus sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis, umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait, Sub umbra ejus quam desideraveram: sed, Sub umbra ejus quem desideraveram, sedi. Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno.* Acutè suo more notat, cùm non umbra ejus, sed ipse, id est, meridies flagrantissimæ veritatis desideraretur, non ipsum tamen se, sed sui umbram, vel seipsum carne adumbratum indulsisse, quòd nostra infirmitas plus caperet, quàm caperet.

Serm. de Nativ.

XXI. Rursus ex eodem Serm. & in Cant. Denique Bernardo est umbra caro Christi, est umbra fides nostra carni affixa Christi: lux est divinitas, lux est intellectus: *Sub umbra ejus quem desideraveram, sedi. Umbra ejus, caro ejus: umbra ejus, fides. Mariæ obumbravit proprii filii caro, mihi Domini fides. Quamquam & mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam, &c. Et Propheta, Spiritus inquit ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivimus inter gentes. In umbra in gentibus, in luce cum Angelis. In umbra sumus, quamdiu per fidem ambulamus, & non per speciem. Et ideo justus in umbra, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus est, quia non in umbra jam, sed in lumine. Justus erat David, & ex fide vivebat, cùm dicebat Deo, Da mihi intellectum, & discam mandata tua & vivam; sciens successurum fidei intellectum, intellectui revelandum lumen vitæ & luminis vitam.* Omnia ergo hujus vitæ sacramenta, cùm fidei solatia, subsidiaque sint, umbratica utique sunt, quia & ipsa fides umbra est. Caro ipsa Christi, fidei fulcimentum, umbra est. Non ergo ex umbris evasimus, qui attigimus ad carnem Christi. Nec tantùm umbra est, sed littera est, in qua versamur adhuc, ex eodem Bernardo: *Habeo & ego Verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fides. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum. Prorsus mors mihi inolla, nisi ex Propheta farinula dulcoretur. Denique absque spiritu & sacramentum ad judicium sumitur, & caro non prodest quidquam, & littera occidit, & fides mortua est.* Ne plus æquo vel antiquis insultemus, vel nobis suppalpemur, ne plus æquo vel illis indoleamus, vel adgaudeamus nobis, & nos adhuc *quodam sacramenti cortice, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei oportet esse contentos.* Et hæc quidem condiuntur aliquantulum de primitiis spiritus, alioqui *sacramentum ad judicium sumitur, caro non prodest quidquam, littera occidit, & fides mortua est.* Sed nihilo seciùs ut idem pergit: *Quantalibet abundantia spiritus pinguescant ista, non pari omnino jucunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti: fides & species: memoria & præsentia: æternitas & tempus; vultus & speculum: imago Dei & forma servi.*

Sermo. 34. in Cantica.

Præisse hæc iis videtur Origenes homilia II. ex interpretatione Hieronymi in Cantica Canticorum; *In umbra ejus concupivi & sedi. Quàm pulchrè non ait, In umbra illius concupisco, sed, In umbra ejus concupivi; & non, sedeo, sed, sedi. Siquidem in principio non possumus cum eo proprium conferre sermonem; verùm in principio ut ita dicam, quadam majestatis illius umbra perfruimur. Unde & in Prophetis legitur, Spiritus faciei nostræ Christus Dominus, cui diximus, In umbra mortis ejus vivemus in gentibus. Et ab umbra ad umbram aliam transmigramus. Sedentibus enim in regione umbræ mortis lux orta est eis. Et transeamus ab umbra mortis ad umbram vitæ. Semper istiusmodi sunt profectus, ut in exordio desideret quispiam, saltem in virtutum umbra consistere. Ego puto ideo & nativitatem Jesu ab umbra cœpisse, & non in umbra, sed in veritate finitam. Spiritus inquit sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nativitas Christi ab umbra sumpsit exordium. Non solùm autem in Maria ab umbra ejus nativitas cœpit, sed & in te, si dignatus fuerit, nascitur sermo Dei. Fac igitur ut possis capere umbram ejus: & cùm umbra fueris dignus effectus, veniat ad te, ut ita dicam, corpus ejus, ex quo umbra nascitur. Nam qui in modico fidelis est, & in majoribus fidelis erit. In umbra ejus concupivi & sedi. Vides quia non semper in umbra stetit, sed inde ad meliora transierit, dicens, Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Hæc Hieronymus, sive Origenes. Perspicuum est autem ex his, non tanquam insolentem & inusitatam, sed tanquam rerum naturæ consonantissimam spectandam esse hanc humani generis sub Dei moderamine dispensationem, ut ab umbris ad umbras proficiamus, & ita demum aptemur futuræ post hanc exhaustam mortalitatem beatitudinis lumini. Nam *semper istiusmodi sunt profectus, ut in exordio semper desideret quispiam saltem in virtutum umbra consistere.* A modicis enim & umbraticis ad veriores & solidas virtutes progredi optatissimum est. Item *in principio non possumus proprium cum Verbo conferre sermonem: sed quadam majestatis illius umbra perfruimur.* Igitur mens & voluntas nostra in umbra quadam sapientiæ & justitiæ necessariò & ex ineluctabili ordinis lege tyrocinia ponere adigunturtur. Porro tota hæc vita quam hìc exigimus, tyrocinium est, infantia est, umbra est. Nam etsi adolescere, & juvenescere, & matureſcere quandoque spiritaliter hìc dicamur: reapse tamen non sunt isti nisi alii aliis superstructi gradus infantiæ, quos nobis ipsi blandientes, glorioſis nominibus honestamus. Quamdiu enim

XXII. Item ex Origene, & Hieronymo.

Chri-

Christi carne & nondum nudo Verbo fruimur, quid, oro, quàm infantiæ nostræ per carnem lacteſcit ſapientia & Verbum Dei? Ergo umbris virtutum paſcimur, ſed in dies præclarioribus; & umbris ſapientiæ paulatim diluceſcentibus, ſed umbris tamen, quamdium mortale metimur hoc curriculum. Virtus autem & ſapientia nobis Chriſtus homo eſt nunc: itaque in carne ejus lambimus umbroſa quædam virtutum & ſapientiæ lineamenta. Ideo ille noctu naſcitur, ideo ut in Maria naſceretur, illi obumbravit; ut & in nobis niſi per umbras nunc quidem naſci ſe non poſſe inſinuaret. Erant porro & in veteri lege, erant in figuris & ſacramentis Moſaicis, erant in timore ſervili & initiali, erant in religione utcumque uni Deo addicta, erant inquam primæva quædam lineamenta ſapientiæ, erant rudimenta juſtitiæ, quamquam umbratilia: & tunc ergo Chriſtus per umbras naſcebatur. Erat & illa littera, Verbi caro: erat & illa umbra, umbra Chriſti: erat & ille timor, umbra juſtitiæ: erat ille pædagogus, umbra veri magiſtri Verbi incommutabilis. Audiamus rurſus Hieronymum: *Origenis itaque hæc verba ſunt: Difficilis locus eſt, & ita nobis differendus videtur. Qui liber eſt, & altiori ſenſu ſpiritum & veritatem ſequitur præcedentes, & typos contemnit & litteram, non idcirco debet minores deſpicere, & occaſionem dare his qui non poſſunt ſentire ſublimius, de ſe penitus deſperandi. Licèt enim infirmi ſint, & caro comparatione ſpiritus appellentur, caro tamen Chriſti ſunt. Si enim intelligit myſterium charitatis infirmioribus ſervientis, faciat aliquid propter infirmos, &c. Neque ergo ſpiritualis laceret Chriſti carnes, &c.* Ubi qui litteræ adhuc hærent Chriſtiani, nec poſſunt altiori ſenſu ſpiritum & veritatem ſequi, uſque adeo carni Chriſti affigi dicuntur, ut caro ipſa Chriſti ſint. Nam Chriſtus ſpiritus geſtat omnes ſpiritales, ex iiſque tanquam ex membris quibuſdam ſuis coaleſcit: Chriſtus caro geſtat omnes iſtos carnales, pios quidem, ſed adhuc carnis umbras, necdum ſpiritus lumina conſectantes.

L. 1. in Ep. ad Galat.

XXIII. Ex Auguſtino. Utque his omnibus ſuccinat Auguſtinus, adverte quid ille de noſtris in Eccleſia ſacramentis ſanciat: *Non enim ſignacula illa damnata ſunt, ſed ſuccedentibus opportunioribus deceſſerunt. Nam ſicut circumciſionem abſtulit primus adventus, ſic baptiſmum auferet ſecundus adventus.* Ut illa ergo, ita & iſta auferenda ſunt adventu Chriſti ſacramenta: quia & illa & iſta umbratica, & ad veritatem proluſoria. Expectabatur ſacramenta ſacramentis, obſcuriora clarioribus, plura paucioribus mutaturus, expectatur ſacramenta penitus omnia ablaturus: ſuſpendimur ergo adhuc in adventum ejus longè ſplendidiſſimum. Et alibi: *Cùm ergo tradiderit regnum Deo & Patri, id eſt, cùm credentes & viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ ſuſpiramus & gemimus, & tranſierit labor & gemitus, jam non interpellabit pro nobis, tradito regno, Deo & Patri. Hoc ſignificans, Hæc vobiſcum locutus ſum in ſimilitudinibus, veniet hora quando non jam in ſimilitudinibus loquar vobis, ſed manifeſtè de Patre nunciabo vobis, id eſt, Jam non erunt ſimilitudines, cùm viſio fuerit facie ad faciem.* Tota ergo hæc ſub Chriſto, ſub gratia, quam terimus vita, ſimilitudinibus & parabolis diſtinetur, umbris opacatur, & dum ſummo ſuo bono, carne Chriſti paſcitur, nonniſi umbra Verbi, & obumbrata ſacris velaminibus carne paſcitur. Et rurſum: *Alligamenta medicinalia ſunt contritionis noſtræ ſacramenta interim temporalia, quibus habemus conſolationem: & iſta omnia quæ loquimur vobis, ipſa quæ ſonant & tranſeunt, quidquid in Eccleſia geritur temporaliter, alligamenta ſunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta ſanitate detrahit ligaturam, ſic in illa civitate Hieruſalem, cùm æquales Angelis facti fuerimus.* Hinc diſce, meliùs nobis quidem proſpectum eſſe, quàm olim ſub lege; ſic tamen ut perinde ut tunc, ſacramentis noſtris, non aliter quàm alligamentis quibuſdam vinciamur. Solatia enim ſunt hæc miſerorum, non gaudia beatorum. Inſignia ſunt hæc libertatis noſtræ, eademque reſiduæ vincula ſervitutis. Libertas enim eſt fidei eademque ſervitus. Quia libertas fidei ea eſt, quæ liberatorem ad ſingula momenta invocet. Ne ergo anxii inquiramus, eccur temporiùs non venerit, ſed queramur quòd temporiùs non veniat, & vinculis non his omnibus abſolvat.

De Trinit. l. 1. c. 10.

In Pſal. 146.

Juvabit, ut ſpero, Paſchaſio etiam Radberto aures animoſque advertiſſe, ediſſerenti noſtram in carne Chriſti potiſſimam prærogativam, & ex ea modum gloriationi noſtræ ponenti, ne plus nimio efferamur. *Sed ſi veraciter inſpicimus, jure ſimul figura & veritas dicitur: ut ſit figura vel character veritatis, quod exteriùs ſentitur, veritas verò quidquid de hoc myſterio interiùs rectè intelligitur, aut creditur, &c. Unde Paulus, Qui cum ſit ſplendor gloriæ &c. Cum dicit, Qui cum ſit ſplendor gloriæ, divinitatis conſubſtantialitatem prædicat. Cùm verò, Figura vel character ſubſtantiæ ejus, humanitatis deſignat naturam, ubi corporaliter plenitudo inhabitat divinitatis, &c. Quia ſicut per characteres vel figuras litterarum, infantia noſtra prius gradatim pertingit ad lectionem, deinde ad ſpirituales ſcripturarum ſenſus & intelligentiam: ſic ex humanitate Chriſti ad divinitatem Patris pervenitur, & ideo jure figura vel character ſubſtantiæ illius vocatur.* Caro igitur Chriſti figura eſt divinitatis, & veluti elementum quo infantia noſtra lactatur, ut creſcat ad intellectum & contuitum æternorum. Ergo adhuc infantiam agimus, adhuc figuris & umbris lactamur, adhuc temporalibus æternorum figuris Chriſtus nobis adminiculatur. Et ne figura iſta tam præclara & oppidò quàm præclariſſima, carne Chriſti ferociamus, aliis rurſus illa figuris, umbriſque ſpiſſioribus vallata eſt, ut ne figura quidem divinitatis, & umbra, niſi umbroſioribus figuris & ſacramentis ſepta potiamur. *Quid enim aliud ſunt figuræ litterarum, quàm characteres earundem, ut per eas vis ac poteſtas, ac Spiritus prolatio oculis demonſtretur? Sic itaque formatur Verbum caro, ut per carnem noſtra infantia ad divinitatis intelligentiam nutriatur &c. Quia noſtram infantiam per ſe ad ſpiritalia interiùs intelligenda provehit, & ſenſibus noſtris, ut ea quæ in illo ſunt capiamus, viſibilem ſe oſtendit. Sed quia illum ſecundùm carnem cælos oportuit penetrare, ut per fidem illuc in ille renati, confidentiùs ſequi appeterent, reliquit nobis hoc ſacramentum viſibile, figuram & characterem carnis & ſanguinis, ut per hæc mens noſtra ad inviſibilia & ſpiritalia capeſſenda, per fidem uberiùs nutriatur.*

XXIV. Ex Paſchaſio Radberto.

L. De Corpore & ſanguine Chriſti. c. 4.

Ne autem ſuſpicio ſubeat cujuſquam animum, arrodi à nobis nova ſacramenta, aut veteribus uſquequaque coæquari, ex Algero adſcribamus hæc pauca, quæ habet ille adversùs eos, qui Euchariſtiam meris umbris conſtare delirabant: *Quid ergo dignius contuliſſet Chriſtus, quàm Moyſes, Filius Dei in domo propria, quàm ſervus in aliena? Si autem umbram umbra mutaret, nec compleret, quando vel à quo veritas veteribus ſacramentis figurata & promiſſa, complenda eſſet, ſi ille qui veritas eſt, non veritatem, ſed umbram pro umbra daret? Dedit ergo ſua Eccleſia veritas veritatem, Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem.* Hoc ſapimus, hoc profitemur, veritas Chriſtus

De Sacram. L. 1. c. 1.

venit

venit in vera carne, vera carne Ecclesiam suam pascit quotidie visibilibus velis operta: hoc gratiæ singularis munere didicimus, & eminemus jejunitati Judaicorum sacramentorum, immane quantum. Sed ista carnis veritas in sacramento velanda fuit, sed ipsa carnis veritas extra sacramentum; ipsa sacramentum est, & figura atque umbra divinitatis. Itaque nec nisi velata carnis veritate pascimur, & ipsa carnis veritas revelata dum spectabatur in terris, sordido humilitatis schemate velabatur, & denique quocunque modo spectamus carnis veritatem revelatam, nonnisi velum & figura divinitatis illa est. Et eò hæc vergunt, ut hinc altiùs infigas animo, quàm non possit ægra mens hominis vel in ipso curationis suæ progressu, vel in ipso valetudinis reviviscentis incremento, sapientiam & justitiam veram, nisi sub sacramentorum visibilium, sub corporalium involucro, sub timoris elemento, sub litteræ rudimentis comprehendere.

CAPUT X.

Caro ipsa Christi, quæ novi Testamenti summa hic interim beatitas est, vel asportanda hinc fuit, vel hic velanda, ut non carnaliter, sed spiritaliter, & qualiter etiam à Patriarchis & Prophetis diligi poterat, diligeretur.

I. Proponitur quæstio cur caro Christi, quæ nostræ est medicina infirmitatis, non modò tam tardè, sed & tam brevi exhibita sit: & tandiu prosit occulta, tam brevi conspicua.

EMergit illa hic nobis quæstio, ex cujus indagine affluat utilitas eximia, nec mediocris jucunditas. Ecquid causæ sit, quamobrem tum non aliter se nostræ ægritudini Deus Verbum inflectere atque attemperare potuerit, quàm carnem humanam induendo, atque ita se oculis cordibusque nostris obvium & comprehensibilem ingerendo; hanc tamen statim carnem oportuerit rursum subduci nobis, surripique, vel ipso mortalitatis atque stupendæ humilitatis schemate, quamdiu homo inter homines congressus est; vel sacramentalium velorum nube, cùm migraturus hinc esset, nec abesse tamen vel carne vellet: vel denique reditu in cœlos ad paternam dexteram. Quid enim aliud quàm triplex hæc fuga, triplexque furtum est deificæ illius carnis, nobis ostensæ magis, quàm concessæ? An tandiu promitti debuit, quod tam brevi donaretur fruendum? An boni tam furtim & tam parcè potiundi tam diutina expectatione cruciandi fatigandique fuimus? Tam brevi usura caro stetit, quæ tanto desiderandi & tam diuturno æstu redempta est? Sed si necessarium illud erat temperamentum, quo nobis se lux æterna admoderaretur videndam, ecquid illo confestim frustrati sumus: Ecquid tam brevem ejus usuram assecuti sumus, ut repentinam æternamque doleremus jacturam? Si illud erat collyrium nostræ curandæ lippitudini aspergendum, ecquid eo fraudamur? Ecquid antiqui illi suspirabant futuræ, nos recordamur præteritæ, pauci præsentem viderunt carnem, iidemque ferè contumaces, & intractabiles? Quid istud medicinæ est, quod procul esse & longe seponi satius sit? quod tum magis medetur, cùm fuit? Cujus absentia præsentiam utilitate superat? cujus vel desiderium vel recordatio absentis, pluribus prodest, quàm conspectus præsentis? quod invocandum sit, si abest; subtrahendum, cùm adest?

II. Respondetur ex Patribus, & primùm ex Augustino.

Hæc igitur quæstio est hic ventilanda, ut ex ejus elucidatione clarescat, quàm caro Christi tandem ferè posset sui spe olim, quàm postea sui fructu, & nunc sui recordatione nostris mederi infirmitatibus. Et quia res ista non acumine ingenii, non rationum solertia, sed Scripturæ sacræ, sed sanctorum Patrum sententiis & pietatis magis quàm curiositatis viribus disceptanda est, nostro more, Patrum Scripturas enucleantium suffragia corraderemus, & in ea si quid exculpi in rem nostram possit, inquiremus.

III. Lapsis in temporalia mentibus necessaria est æternorum fides, quæ carnis Christi absentia juvatur. In Psalm. 109.

Primam in aciem prodibit Augustinus, eximius præ cæteris nodi hujus expugnator. *Sede à dextris meis, donec ponam, &c. Sede non solùm in alto, sed & in occulto: excellens ut domineris, latens ut credaris. Quæ enim esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? Merces autem fidei est, videre quod credidimus antequam videremus. Sicut autem Scriptura personat, Justus ex fide vivit.* Prima hæc est objecti dubii enodatio. Verbi caro, non oculis, non manibus, sed fide fuit contrectanda: nec enim curiositati, sed pietati quæsita fomenta sunt: nec carni nostræ solatia, sed menti per incarnationem sunt parta. Mens nostra peccati lue ita contabuerat, ut non jam nisi corporalia & imaginari & amplecti posset: ergo Verbum incarnatum complectatur mens, non manus, non oculus. Sese in se recipiat mens, & credat quod non videt, immo quod ipsa videt; sed non videt corpore foris, quod intus videt. Ita enim jam à sensu avocatur, jam à sensibilibus expediri incipit & sanari per carnis non carnalem intuitum.

IV. Item Spes.

Et ibidem illico: *Mirabile ergo mysterium Christi sedentis in dextera Dei. Occultatum est, ut crederetur: subtractum est, ut speraretur. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Consanguinea fidei spes, absentia rei, & ipsa quoque sustentatur, & de bono patientiæ saginatur, quo illam præsentia extruderet. Caro ergo Christi non extrudendæ, sed firmandæ spei nostræ perinde ut fidei comparata, etiam cùm adfuit, abesse debuit, ut crederetur, ut expectaretur salubriùs, quàm cerneretur, aut palparetur. Quid ergo tam impotenter conclamatur prior ætas ex absentia carnis Christi, quæ vel cùm adest, abesse cogitur, ut credatur & speretur? Credere illi & expectare poterant futuram, ut nos absentem & penè præteritam; quia futura, non aliud quàm absens est.

Et ibidem postea: *Cæterùm forma servi cum hic esset, visa est ab impiis. Viderunt eam & qui crediderunt: viderunt eam & qui occiderunt. Ne aliquid magnum putes videri formam illam, viderunt amici, viderunt & inimici. Et quidam videntes interfecerunt, quidam non videntes crediderunt. Hanc ergo formam servi, quam hic jam in humilitate viderunt & pii & impii, videbunt & in judicio pii & impii, &c. Ipsa forma servi in judicio conspicua erit & justis & injustis, & piis & impiis, & fidelibus & infidelibus.* Vides quàm sedulò urgeat, & quantis rationibus pugnet, *ne aliquid magnum putes videri formam illam servi.* Non ergo magnum aliquod damnum experti sunt, qui antè perfuncti sunt hujus vitæ stadio. Illam enim formam viderunt & impii, viderunt & qui crucifixerunt: illam rursus in judicio videbunt impii, videbunt & qui peremerunt. Illam formam qui viderint & crediderint, pauciſſimi sunt: qui non viderint & tamen crediderint, longè plurimi, & tum retro, tum postea innumerabiles. Cavesis ergo ne plus æquo doleas, vel te vel alios hoc non vidisse, quod videre impii potuere & poterunt; quod qui videre, plures persecuti sunt; quod qui non viderunt, plures amplexati sunt.

V. Brevis quæ

Et ibidem paulò antè: *Id igitur in forma servi & præsentem tunc viderunt servi, & absentem*

nunc

dem carnis Christi præsentia inter diutinam olim expectationem, diutinam nunc recordationem; sed in paucis videndis omnes vidimus, cujus corpus omnes sumus.

nunc credunt servi. Hoc credimus de forma Dei, servi, quod possumus capere dum adhuc sumus servi. Hoc est enim illud lac parvulorum, quod temperavit, panem trajiciens per carnem. Nam panis ille Angelorum in principio erat Verbum. Ut tamen panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. Ita nobis Verbum incarnatum factum est receptibile, quod recipere non valeremus, si Filius æqualis Deo non se exinaniret formam servi accipiens. Ut ergo utcumque capere possemus eum qui non posset capi à mortalibus, mortalis factus est ad mortales, ut peracta sua morte faceret immortales, & aliquid daret inspiciendum, aliquid credendum, aliquid post videndum. Suspiciendam dedit formam servi præsentibus, non solùm oculis videndam, sed etiam manibus contrectandam. Cum eadem forma ascendit in cœlum. Credere nobis jussit, quod illis videre concessit. Per carnem admensa se nobis est & tanquam parvulis lactescere voluit Deitas veritatis: & tamen illa servi forma inspicienda obiter exhibita est, & statim in cœlos sese proripuit, ut jam non videretur, sed crederetur. Nimirum semel vidisse est satis, quod semper deinceps recorderis. Itaque humanum genus illam formam servi, cui tandiu venturæ suspiraverat, oblatam vidit cursim, raptimque, exinde fide & recordatione veneratur. Non singularis enim, sed universalis spectanda hic est divinæ dispensationis providentia, qua humanum genus sic ut unum hominem regit. Itaque diutinæ expectationi exhibitum semel est videndum, quod diutinæ etiam recordationis sinu deinceps per fidem servaretur. Quando enim foris visibilis assumebatur caro, videnda & foris erat, & contrectabilis contrectanda, & corporea omnibus corporis sensibus lambenda ac dissuavianda erat, ut infirmitati nostræ omnimodis fieret satis, ut sensibus illaberetur sua fœlicitas Deus caro, affricaretur sua sanctitas, ut recordationi sua esca sufficeretur, conspecta vel semel Dei caro. Sed ad universum genus humanum illa Verbi corporatio pertinebat, nam singulis aliàs & aliter privatim corporatur, nascitur, adolescit, ut infrà dicemus. Ergo in Apostolis cæterisque tum fidelibus, nos præsentem Christi carnem vidimus, nos eorum oculis conspeximus, nos eorum manibus palpavimus: illi in nobis absentem credunt, visam recordantur. Quin ergo & retro commeet ista corporis unius societas & amicitia? Quin & Patriarchæ, Prophetæ cæterique olim fideles, in posterorum suorum corporibus corporato Deo perfruiti sunt? Quin & Apostoli nosque omnes in antiquis nostris parentibus expectaverimus? Ita nemo frustratus est Christi carne, quam videt quisquis credit, & credendo videntibus incorporatur: quam palpat quisquis sperat, & sperando palpantibus sociatur: quam tenet quisquis recordatur, & recordando iis qui viderunt adhæresit. Ita in omnia temporum volumina supereminet præsensque imminet Christi caro, dum quam cernunt oculi, quam tractant manus, totum corpus videt & palpat per omnes temporum lapsus dispersum & cohæresens.

VI. Sive expectando, sive recordando, modo allambimus corporea Verbi mysteria & sensibus adhuc infirmis reficitur, ut à sensibus expediatur. In Evang. Joan. tract. 30.

Idem rursus alibi Augustinus: *Sedet ad dexteram Patris, venturus est judex: audiant & teneant, Respondes, Quem tenebo, absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam. Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde; quoniam Christus absens, etiam præsens est. Nisi præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam verum est quod ait, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, & abiit, & hic est: & rediit, & nos non deseruit: Corpus enim suum intulit cœlo, majestatem non abstulit mundo.* Sensui corporis se semel objecit, illico evasit, ut ne sensu corporis teneatur, ut quo potest modo, corde & fide teneatur. Nam ut mederetur animæ in sensus suos projectæ: nec nihil indulgere, nec plus æquo indulgere debuit. Si nihil indulgeret, nec corporale quidquam objiceret, non eam proliceret. Si nimis indulgeret, & sensus corporis oblectaret diutiùs, non eam expediret à sensibus, nec sanaret. Ergo indulgeat se tantisper videndum, ut sensibus mancipatos deliniat; mox subtrahat se credendum, ut à sensibus abducat ad cor. Abiit, & hic est; rediit nec nos deseruit, abiit ab oculis, non excessit ab animo etiam carnis majestas. Nam cùm famelica cogitatione allambimus mysteria Verbi incarnati, ipsa carnis absentis præsens majestas tenetur.

VII. Homo tunc primum, cum homo natus est semel vidisse, quod diu exspectatur, diu recordatur. L. 4. conf. c. 12.

Idem alibi: *Exultavit ut gigas ad currendam viam. Non enim tardavit, sed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, & inveniamus eum. Abscessit enim, & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse, & non reliquit nos.* Tam brevem & mortalis vitæ usuram ipse cepit, & sui copiam mortalibus fecit Christus, *non tardavit, sed cucurrit, noluit nobiscum diu esse:* ne morbum indulgentia foveret, non levaret: ne hos carnis oculos pluris faceremus, & sensibilibus altiùs immergeremur, si se sensibiliter potiendum diutiùs propinaret. Ergo brevi vitæ mortalis curriculo, velut ad momentum ostendit se humano generi à mundi exordio ad ejusdem exitum. Ætates suas explicavit, & inde ab oculis abscessit, ut rediremus ad cor. Vidit ergo humanum genus & totum vidit corporalibus oculis illam carnem, quam priùs expectatione, quam nunc recordatione colit ac veneratur.

VIII. Perfectio carnis Christi erat velut blandimentum puerilis speculi: ut non semper puerilescerent, ita non semper in ea debemus. In Evang. Joan. tract. 96.

Sed luculentissimè idem Augustinus alibi ex ipsis Christi verbis altiùs scrutatur & interpretatur arcanas hujus dispensationis rationes. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram, & ego vos consolabar mea corporali præsentia, exhibita humanis sensibus vestris, quam parvuli capere poteratis. Nunc autem vado ad eum qui me misit, &c. Sed quia locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, &c. Id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant, & quia se amissuros illum vera denuntiantem dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Noverat autem ille quid eis potiùs expediret, quia visus interior ipse est utique melior, quo eos consolaturus Spiritus sanctus, non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusurus. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Tanquam diceret, Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis, sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si alimenta tenera quibus vos alui non subtraxero, solidum cibum non esurietis: si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis.* Vides ergo quo numero habenda sit carnis Christi carnalis præsentia, rudi infantiæ lactandæ idonea & utilis ad breviissimum tempus est, noxam allatura nisi contrahatur & subtrahatur. Præsens enim carnaliter diligitur, quæ ut carnalem profliget amorem, de Spiritu sancto concepta & à Verbo suscepta est. Ergo rudimento hoc infantiæ carent, qui ea carent præsentia,

sed

sed ad spiritalem charitatem rudimenta adiunt & alia quamplurima. Nam timor sub lege, littera legis & id genus alia, erant utique rudimenta & quasi puerilia quædam blandimenta, quibus hominum infantia ad spiritalem Christi amorem inescaretur. Si carnalem hunc Christi carnis amorem eadem velis censura insectari ac lancinare, ac legalem timorem, seu metum gehennæ, vereor ne etiam aliquas ejus labeculas denudes. Nam ab amore casto justitiæ nonnihil semotus est, amore adhuc sui plurimo sordescit, & tamen spiritalis utcumque est, etsi carnalis dicitur, bonus est, ad spiritalem charitatem præsultor quidam necessarius est. Erat ergo & antiquis in legis littera, in timore, in temporali mercede à Deo pendula, erat caro quædam Christi, cortex Verbi, amor carnalis ad spiritalem præludor & dux, puerile denique tyrocinium, quo carnem Verbum spiritaliter diligere insuescerent. Nam & nunc nobis ad eandem spiritalem Christi carnis charitatem introducendis, non desunt consentanea ut Apostolis quædam subsidia puerilia quæ blandimenta, seu timoris, seu amoris carnalis, seu illecebrarum latentium patentiumve, quæ & ipsa instar habent carnis Christi, quarenus per hæc corporascit nobis, & lactescit Verbi sapientia.

VIII. Quia Verbi caro est, spiritaliter videri & teneri debet: quod non fieret si palam & conspicua semper esset.

Et ibidem: *Quid est ergo, Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, nisi, Non poteritis capere Spiritum quamdiu secundùm carnem persistetis nosse Christum? Unde ille qui jam ceperat Spiritum, Etsi noveramus, inquit, secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Etiam quippe ipsam carnem Christi non secundùm carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit.* Non eo fugit oculos caro Christi, ut nesciatur, aut oblivione deleatur, sed ut ne secundùm carnem cogitetur à nobis. Est enim Verbi caro, nec tam perpendendum quod caro sit, quàm quod Verbi caro sit: ideoque ipsa etiam caro non secundùm carnem, sed secundùm Spiritum, & secundùm Verbum cogitanda & magnifacienda est. At quamdiu carnales adhuc sumus, carnem Christi sensibus nostris repræsentatam non possemus nisi carnaliter cogitare atque ambire; quia projectior adhuc est in sensus suos corporeos mens nostra. At ubi spiritales evaserimus, cœlorumque incolæ, tunc non poterimus illam nisi spiritaliter ut Verbi carnem intelligere, & diligere, ideoque tunc nobis repræsentabitur. Ergo nunc quidem abesse illam, aut oculos sensusque in sacramento præsentem fallere, conducibile est, ut occultiores oculos suos sensusque interiores excolat anima, quibus carnem Verbi ut Verbi invisibilem videat, incomprehensibilem comprehendat.

IX. Beati qui non viderunt & tamen credunt carnem Christi, & olim & nunc & semper qui ex fide vivent. Ex Joan. Tract. 95.

Multos Reges & Prophetas concupisse videre, quod videbant Apostoli, indubitatum est ipsius oraculum veritatis. An ergo eo subruuntur ante dicta omnia? Haud equidem reor. Nam idem ipse Christus alibi ait, beatos esse præ illo, qui quod viderat, crediderat, eos qui non vidissent, & credidissent. Unde Augustinus: *Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit, Quomodo credimus, quod non vidimus? Ideo credentium justitiam sic oportuit definiri, Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me; beati enim qui non vident, & credunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eis laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est Filium hominis; sed quia credebant, quod non videbant, id est Filium Dei. Cùm verò & ipsa forma servi subtracta esset eorum aspectibus, tum verè ex omni parte impletum est, Justus ex fide vivit.* Non ista igitur conflictantur, nisi in fronte, & in verborum quodam cortice. Nam Reges & Prophetæ videre carnem illam concupiverant, non ut certiùs crederent, sed ea quam invictè crederent, ut propiùs fruerentur: à quibus longè ii deficiebant, qui ut crederent, vix ista carnis præsenti admirabilitate expugnabantur. Beatum est enim illam carnem credere, & antequam videris: beatius est videre, postquam credideris Beatum est illam carnem primò secundùm carnem sapere, & ita lactari, ut posthac & secundùm spiritum illam sapias: beatius autem est illam carnem nonnisi spiritaliter etiam absentem sapere, ac deinde ejus etiam præsentia nonnisi spiritaliter potiunda beari. Ergo si cardinem ipsum desiderii quo flagrabant Reges & Prophetæ, altiùs inspicias, non carnalem illi carnis deificæ intuitum, nec animalem fructum concupiscebant, sed spiritalem, & eum ipsum quo non omnino carebant, sed explicatiorem prolixioremque, qualem ex ipsa ejus præsentia demetere se posse sperabant. Igitur ea fortasse de causa, eoque compendio, concupiscentibus videre Regibus & Prophetis, caro Christi dilata est, atque Apostolis videntibus est ablata; quia absens concupiscitur spiritaliter, præsens carnaliter diligi periclitatur. Nam & in nobis quod beatitatem aliquando extollamus eorum, qui Christum in terris viderunt palparuntque, carnem redolet hic affectus, & tamen spiritalior est, & à sensu corporis defæcatior, quàm si videremus ipsi & tractaremus. Ex spiritali enim existimatione & dilectione, qua fervemus in Christum, hic pullulascit affectus. Atque ut uno verbo rem ut est dicam, quàm profuit auferri Apostolis carnem Christi, tam fortassis profuit differri antiquis: & beatius ipsis erat absentem spiritaliter expetere, quàm præsentem carnaliter tenere: itaque altiùs consulens Deus, non faciebat quod petebant, ut perficeret quod volebant: & cardinem desiderii ipsa desiderii dilatione implebat. Rursus idem Augustinus: *Non autem esset meritum grande credentium, & beatitudo gloriosa, si semper Dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo sanctus hoc magnum munus attulit crediturus, ut eum quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria & spiritalibus desideriis ebria suspirarent. Unde Dominus ait, &c. Quia vidisti, credidisti, beati qui non vident, & credunt, &c. Unde figuram Ecclesiæ gestanti mulieri, cùm ei post resurrectionem ad pedes crederet, Noli me tangere, inquit, nondum enim ascendi ad Patrem. Quod mysticè dictum intelligitur: Noli me per corporeum contactum carnaliter credere: spiritaliter autem credes, id est, fide spiritali me tanges, cùm ascendero ad Patrem, quia beati qui non vident, & credunt.* Serm. 69. de verb. Dom.

Si nobis minùs obest, quia non videtur Christus, dummodo audiatur: minùs antiquis oberat non videntibus, sed audientibus Christum; nec audientibus tantùm, sed exhibentibus, loquentibus, nec manu tantùm, aut lingua calamove loquentibus, sed toto corpore, & ipso vitæ genere ac decursu eloquentibus. Augustinus: *Dominus noster Jesus Christus quod discipulis suis loquebatur, illo tempore scribebatur, & nobis audiendum parabatur. Audivimus ergo verba ejus. Quid enim nobis prodesset si videretur & non audiretur? Nec modò aliquid obest, quia non videtur & tamen audietur.* Nihil igitur antiquis oberat, quod non videretur, cùm auditetur caro Christi, cùm scriberetur audienda. Quin audiri quàm videri, eo compendiosius, quo spiritalius: eo autem spiritalius, quo fidei propius; nam fides ex auditu, non ex visu. Visu videretur caro Christus, auditu auditur veritas

X. Antiquis oberat caro Christi, non videndo, sed credenda, audienda, figurenda. Serm. 34. De verbis Domini.

veritas Christus, nec sine carne tamen, cum audiri & à carnalibus utcumque percipi non possit veritas, nisi corporascens. Idem Augustinus: *Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum. Nec dicamus, O illi fœlices qui eum videre potuerunt: quia multi in eis qui viderunt, & occiderunt. Multi autem in nobis qui non viderunt, & crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis servatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, & donec sæculum finiatur. Sursum est Dominus, sed etiam hìc est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse potest: Veritas ejus ubique diffusa est.* Ubique diffusa est veritas ejus, non tantùm ut intelligatur, sed ut audiatur, ut aures corporis personet, nempe veritas corporata Christus ex Evangelio personans. Eadem antiquis veritas caro, seu veritas incarnata non videnda, sed quod tutius optatiusque est, audienda, credenda, intelligenda, diligenda offerebatur.

Tract. 30. In Joann.

XI. Præsentia carnis Christi id promeruit, id effecit, ut ejus prodesset absentia: vim suam in omnia retro & post tempora effudit. Moralium. L. 8. c. 14. Hom. 8 in Ezech.

Superioribus Augustini sententiis pronus assentitur Gregorius Magnus: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea. In lectulo quippe & per noctem dilectus quæritur, quia nimirum invisibilis conditoris species, repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur. Unde & eisdem suis dilectoribus veritas dicit: Regnum Dei intra vos est.* Et rursum: *Si ego non abiero, Paracletus non veniet. Acsi apertè diceret, Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco.* Sed illud in primis egregium, quod idem alibi observat, quamdiu mysteria sua Christus in carne mortali, vel etiam immortali in terris degens adhuc explicabat, pauciſſimos ei accessisse: ubi carne hinc recepta, per orbem Deitas ejus cœpit prædicari, tum gentes turmatim ad ejus Ecclesiam confluxisse. *Incarnato enim, passo & resurgente Domino, pauca pennata animalia fuerunt: quia rari valde extiterunt qui cœlestia desiderarent, & virtutum pennis se in alta suspenderent. Sed postquam divinitatis ejus prædicatio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli, quanti graviores, quanti fortes juvenes, quanti imbecilles, quantæ conversæ peccatrices, quantæ annosæ virgines, per fidem, per spem, per amorem, ad cœlestia evolant, quis dicere, quis æstimare sufficiat?* Cujus divini consilii recessum quis perlustrare possit, quis speret? Carne Christi ejusque hìc mortalitate seminabatur omnis illa spiritalium virorum copia, parturiebatur, procreabatur, & tamen tum rariſſimi fuere, postea longè plures, denique innumerabiles. Serebat qui falli non poterat, & magna tum sterilitas: pariebat, qui sterilescere non poterat, & tamen rariſſima tum soboles. Nempe innuebatur illi carni salutem deberi totam, nec illi tamen adhærescendum esse plus nimio: præsentiam illius profuisse, sed ampliùs absentiam: fœcunditatem ejus incredibilem esse, sed nulli loco, nulli tempori alligatam; unde tam in præterita & futura tempora, quàm in præsenti, & alibi ubique locorum plures inenarrabiliter, quàm ibi parturiebat. Itaque carnis ejus in terris præsentia absentiam & præteritam & futuram absolvebat, excusabat, compensabat, optabiliorem & fœcundiorem esse faciebat. Nam quod ejus nunc absentia saluberrima est, quod olim fuit, id quoque ejus præsentiæ debetur. Et istud utique magnificentius digniusque Christo est, dum in terris adest, non terrenis se legibus astrictum esse demonstrare, nec vim suam in præsentia tantùm, vel loca, vel tempora spargere: sed temporibus locisque dominari, in lapsa retro sæcula copiam beneficiorum suorum refundere: in ventura longis lapsibus tempora manum injicere, prolem suam & spiritalium virorum agmina parturire, & in omnes temporum locorumque fines remotissimos proseminare. Quæ cùm ita sint, quid de tempore vel in antecessum, vel postea litem movemus Christo, qui nulli tempori defuit, utpote temporum in carne etiam sua dominator?

XII. Comparatio timoris servilis, & à spiritu carnis in carne Christi, cum uterque sublimentum ut autantiæ spiritalis. Serm. 20. in Cant.

Sed nemo secundùm Augustinum copiosiùs hæc pertractavit Bernardo; ex quo pauca tamen summatimque stringemus, quod plura jam alibi sparserimus, ad hanc eandem rem attinentia: *Et nota amorem cordis quodammodo esse carnalem, quod magis erga carnem Christi, & quæ in carne Christus gessit, vel jussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore, facilè ad omnem de hujusmodi sermonem compungitur, &c. Astat oranti homini Dei sacra imago, aut nascentis, aut lactentis, aut docentis, aut morientis, aut resurgentis, aut ascendentis, & quidquid tale occurrerit, aut stringat necesse est animum in amore virtutum, vel carnis exturbet vitia, fugat illecebras, desideria sedet. Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad sue carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne denique in hoc gradu adhuc stabant, qui ajebant, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Solo profectò corporalis præsentiæ amore reliquerant omnia, adeo ut salutaris futuræ passionis & mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent; sed nec gloriam ascendentis postmodum nisi cum gravi mœrore susciperé, &c. Itaque in sola interim gratia præsentis sue carnis, eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem postea eis altiorem amoris gradum cum diceret, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Et infrà: *Licèt ergo donum & magnum donum Spiritus sit istiusmodi erga carnem Christi devotio, carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro jam sapit, quàm Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus, &c.* Contineo calamum, ne totum exscribam sermonem illum, quo fusissimè & elegantissimè hujus placiti medulla enucleatur. Porro ex his quæ carpsimus, plus satis clarescit, hunc amorem carnis Christi, seu quam præsentem contrectabant Apostoli, seu quam ut præsentem sibi effingunt & imaginantur, qui in eadem spiritalis pueritiæ statione consistunt, longè differre à spirituali amore, quo prosequuntur adultiores Verbum sapientiam, & veritatem, & justitiam. Itaque prior ille amor, carnalis adhuc est, nondum est amor sincerus justitiæ: & quod eo amore fit, nondum fit amore mero justitiæ. Et tamen donum est Christi, donum est Spiritus sancti, eoque etiam utcumque spiritalis dici potest: & virtutibus affigit animum, & à vitiis suspendit, sed hæc omnia nondum perfectè, sed pueriliter, & quantum fundamenta ponentibus satis est. Quin ergo & antiquis sub lege condonamus vel amorem, vel timorem quendam Dei nondum spiritalem, sed carnalem, nondum ipsi justitiæ & sapientiæ, sed involucro cuidam ejus, vel simulacro, & tanquam vesti, tanquam carni Verbi adhærentem, quo virtutibus addicerentur, refigerentur à vitiis, de gratia & sanguine Christi & de donis Spiritus sancti manantem, pueritiæ pietatis consentaneum? Video multa intereſſe discrimina, & hunc carni Christi deditum amorem, & vel præsenti, vel quasi præsenti adglutinatum, aliquanto esse castiorem; sed uterque tamen puerilis affectus, uterque incipientium, uterque proficiendi pignus quoddam est, uterque ab amore justitiæ puro diversus, uterque carnalis, uterque Dei donum.

Sed

XIII. De carnis Christi olim conspectu, nunc recordatione.

Sed illud ibidem mihi adverte, quod eodem loco sunt apud Bernardum tum Apostoli præsenti carni Christi inhiantes, tum deinceps fideles omnes, carnis Christi mysteria & gesta quælibet sibi quasi renovantes cogitando, iisque penitus se infigendo. Non absurdè tamen bisecaretur hæc statio, nam provectior est, & à carne absolutior qui præterita sibi refricat, quàm qui præsentia tenaciùs retentat carnis deificæ solatia. Nam ab hoc prçsentis carnis lacte in totum nos Christus abduxit, sequestrata aut velata sua carne, ut proficeremus: at illo repræsentandæ sibi in cogitationis aula vel nativitatis, vel crucis Christi solatio & fulcimento, non omnes ille avocat, immo pauciſſimos & fortassis nullos mortales. Ideo enim residet in mortalibus quiddam semper puerile, & carnis deificæ lacte refovendum: etsi enim devolent quandoque ad puras libandas veritatis & justitiæ incorruptibilis auras, rara illa hora est & brevis mora, resorbenturque in hæc ærumnosis ponderibus, & consuetudinis sarcina degravantur ad lactis necessaria fomenta. Prodest autem eis abesse, aut oculos fugere carnem Christi. Nam ea est via, non meta: utendum ea, non fruendum: traiiciendum per eam est, non ei acquiescendum. Præsenti autem carni Christi declivius illaberemur & inhæresceremus, eaque interdum frui, non uti supinitas quædam nostra periclitaretur. Rursus idem Bernardus: *Grande mysterium: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Itane invisa Paracleto præsentia Christi, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus sanctus horrebat, quæ ne concipi quidem, nisi eo superveniente potuerit? Quid est ergo, Nisi ego abiero, Paracletus non veniet? Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.* Et paulò infrà ad Heliæ raptum alludens, quo duplicatus discipulo est Spiritus sancti affluxus, *Duplicavit spiritum visio abeuntis, ut intellectui spirituali spiritualis jungeretur affectus, cum ipsa utique, cui potissimùm inhærebat, carne, raptus in cœlum, quod evidentius in Apostolis invenitur impletum, &c.*

Serm. 45. 71. In Cant. Serm. 6. de Assension. Dom.

Serm. ad Mil. Templi c. 6.

Postremò idem Bernardus alibi: *Verbum panis Angelorum factus est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fœnum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitus dissuevit, quousque per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus conversus in hominem, cùm Paulo dicere possit, Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Quod sanè non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi quid priùs cum Petro ex ore veritatis illud item audierit: Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt, Caro autem non prodest quidquam. Alioqui qui in verbis Christi vitam invenit, carnem jam non requirit, & est de numero beatorum, qui non viderunt & crediderunt. Nec enim opus est vel lactis poculum, nisi utique parvulo, vel fœni pabulum jumento.* Si Israelitis aliud vel fœni pabulum, vel lactis poculum, quàm caro Christi, nempe ante carnem Christi olim exhibebatur; quia utique nonnisi pretio sanguinis Christi emptum, & ad eosdem usus, nempe ad infantiæ rudimenta informanda adhibebatur, non usquequaque conclamata illorum sors, aut desperata salus erat, Nam illud omne quo infantia lactabatur, carnis Christi instar erat & caro Christi, caro Verbi quædam erat: velata offertur, idque non ut ei parcatur, sed ut consulatur nobis. Conducit enim ut nunc affecti sumus, velari illam carnem: cùm enim nudam se hominibus exhibuit, aut pueriliter eam adamarunt, aut hostiliter insectati sunt. Itaque passibile illud schema, quod sibi necessariò circumjecerat, ut mortalibus congrederetur, etsi veli expers primò æstimetur, velum tamen ipsum est, spissius opaciusque. Eo enim ita dissimulatum fallebat homines Verbum caro, ut ab hominibus vel amore pue-

XIV. Hæc de carnis Christi præsentia subriè sunt prædicanda apud vulgus. L. 8 contr. Faust.

rili, vel odio hostili exciperetur. Nunc autem melius consultum est, ut nec hostes provocet, & suorum amorem roboret perficiatque.

Atque ut ad Augustinum à quo exorsi sumus, reflectatur hæc disputatio. adverte quid ille dicat: *Adhuc enim discipuli Dominum carnaliter diligebant, quandoquidem etiam ne occisum amitterent, formidabant. Unde Petrum revocantem se à passione, Satanam appellat, quod non saperet, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Vides quò evadat fructus iste, quo fraudabantur antiqui, quo fruebantur Apostoli, carnis Christi contingendæ, videlicet ut qui ei plusculum indulgeret, gravissimo convicio flagellaretur, & tanquam prophanus hospesque cœlestis sapientiæ castigaretur. Verùm hæc de carne Christi ex Patrum sententiis disceptata, parcè usurpanda, populis haud evulganda, ne hanc non suæ infantiæ infirmitatem, sed nostram aliquam inimicam sinceræ pietati temeritatem interpretentur. Ita nos haud abs re horum consultissimus monet Bernardus: *Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus est vir, solito pane vesci cibo idoneus, & licèt in sudore vultus sui, panem Verbi comedit, absque offensione. Sed & securus ac sine scandalo loquitur Dei sapientiam duntaxat inter perfectos, spiritualibus spiritualia comparans: cùm tamen infantibus sive pecoribus cautius sit, pro captu quidem eorum, tantummodo proponere Jesum Christum & hunc crucifixum. Unus tamen idemque cibus ex cœlestibus pascuis, suaviter quidem & ruminatur à pecore, & manducatur ab homine.*

Serm. ad Milit. Templi. c. 6.

CAPUT XI.

Tota veteris Testamenti & Scripturæ & dispensatio, quædam erat Incarnatio Verbi adumbrata, & ea quæ puerili pietati sufficeret.

I. Scriptura vetus & historia ipsa populi Israelitici erant Christi prolusio & præmeditatio.

DUo hìc adgredimur eliquanda: primùm Scripturam veterem instar habuisse præludiæ cujusdam Verbi Incarnationis & tantæ quantam ætas illa tunc capiebat: deinde ipsam populi totius providendiam & adgubernationem, Christi mysteriorum quandam fuisse anticipatam repræsentationem, ut utrimque non mediocre solatium abunderet iis, qui priora illa ante Christi carnem sæcula exegerunt.

II. Primo quod Scriptura sit quædam Verbi corporatio. Ex Ruperto.

Quod autem Scriptura vetus incarnatio sit quædam Verbi, copiosè alibi declaratum est, cùm hinc viam sterneremus corporationi verissimæ Verbi Dei in animos & in fidem hominum insinuandæ, quod post lapsum suum homo, divina jam & æterna non cogitare, non loqui, non scribere possit, nisi sub quodam sensibilium figurarum, parabolarum, meraphorarum, verborum denique corporalium integumento: & hæc jam sit proœmialis quædam æternæ Deitatis corporatio, veluti præcentrix & præsultrix alterius verioris per veram carnem corporationis. Quæ cùm ita sint, & multiplici Patrum astipulatione munita sint, non ergo defuit Incarnatio Patriarchis & Prophetis omnibusque tum fidelibus. Erat enim illis littera & Scriptura, quædam Verbi caro, qua se illis coaptaret, qua sensibile se projectis in sensus objiceret, sibi adglutinaret, eos & à sensibus abduceret. Sed quia ad amplitudinem Christi res ista conferre nonnihil potest, libet rursum corradere paucula deintegro suffragia sanctorum Patrum.

III. Patiebant a Verbo Dei corporatis, qui illud eloquebantur.

Rupertus: *Genuit antiquus Pater æquè antiquum Filium, & idcirco diligit eum, fecitque ei tunicam polymitam. Quænam hujus Filii tunica, nisi sancta legalis & prophetica Scriptura? Cujus enim ob causam, cujus ob testimonium vel gloriam, nisi hujus Filii sui, texuerunt digiti Dei omnem Scripturam.*

rami. Tunica Verbi caro est, tunica Verbi Scriptura est, caro Verbi Scriptura est. Sed apertiùs idem alibi: *Antequam parturiret, peperit. Quoties ad aliquem Prophetarum sive Patriarcharum Verbum Dei factum est, toties Sion peperit Verbum Domini, non aliud quàm quod beata Virgo concepit, & carnem factum peperit. Unde hic unus illorum Isaias dicit, A timore tuo Domine concepimus & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Nota & celebris animabus sanctis est ista veritas, quod verè Deus amator fideli animæ, ut sponsus sponsæ copuletur, atque ab illo per amoris spiritum suscepto semine impregnata, loquendo, prophetando, & quod magis est, scientiam Dei scribendo, mater Verbi est, antequam omnis Scripturæ universitatem, omne Verbum suum Deus in utero Virginis coadunaret. Ipsa Verbum priùs mente quàm carne concepit; priùs ore prophetando, quàm ventre parturiendo peperit. Igitur falsum est ante Mariam non extitisse Christum. Nam antequam carnem ejus parturiret, peperit ore Prophetarum beata Sion unum eundemque Christum, unum idemque Dei Verbum.* Nonne hæc est corporatio Verbi & inhumanatio, cùm ore Prophetarum paritur visibile & carnalibus sensibile Dei Verbum? Mater Verbi est incarnati, quisquis sapientiam & justitiam incommutabilem Verbum corde concipit, ore parturit, & corpore quodam verborum librorumque obvelat. *Sic Scriptura omnis legalis & prophetica condita est:* Est ergo Scriptura legalis & prophetica, Verbum ipsum Dei corporatum. Quin nec Virgo ventre peperisset Christum, nisi ad eundem modum mente priùs illum concepisset. Ex quo rectè infert Rupertus *ante Mariam extitisse Christum: Nam beata Sion unum eundemque Christum, unum idemque Dei Verbum ore Prophetarum pariebat:* Et corporaliter utique pariebat, *loquendo, prophetando, & quod magis est, scientiam Dei scribendo.*

L. 8. in Genes. c. 20. l. 1. in Isai. c. 11.

Idem non minùs luculentè alibi: *Quid autem Scripturam sanctam nisi Verbum Dei esse credimus? Planè multa sunt verba, digesta calamo Prophetarum, sed unum est Dei Verbum, universitas Scripturarum: Verbum, inquam, unum, quod velut semen de legitimo viro suo Deo fideles animæ conceperunt & ore facundo parientes, signis quibusdam, id est, litteris, ut nobis cognoscendum transmitterent, tradiderunt. Cùm igitur Scripturam sanctam legimus, Verbum Dei tractamus, Filium Dei per speculum in anigmate præ oculis habemus. Et revera, si benevoli lectores sumus, legendo vel audiendo accendimur, legendo vel audiendo ad amorem Dei proficimus. Nonne ergo de Scriptura sancta nobis amor Dei processit? Quid autem est amor Dei nisi Spiritus Dei? Procedit donum ex Patre, ut per Scripturam intellectam, cognoscamus Filium Patris: procedit nobis amor ex intelligentia Scripturæ, ut amemus Patrem Filii, & diligamus Filium Patris. Nonne ergo jam nobis etiam hoc modo Spiritus sanctus ex Patre Filioque processit?* Iterùm iterùmque vocat universitatem Scripturarum Verbum Dei, sed signis, id est, litteris vestitum, ut ad carnales transmittatur. Annon ergo hæc quædam incarnatio Verbi est? Nonne vel sic præ oculis habetur cerniturque per speculum in ænigmate sapientia incommutabilis? Nonne & cùm in carne spectabatur coram, nonnisi per speculum, in ænigmate, sub velo carnis, tanquam sub litteræ quadam, vel Scriptura viva spectabatur? Sed quod in hoc contextu elegantissimum est, ne hæsites, an Scriptura sit Verbum Dei corporatum, en ore quodam suo inspirat & insufflat tibi Spiritum sanctum, sicut Christus insufflavit Apostolis corporaliter, quem intelligibiliter & æternè ex sua substantia fundit. Cùm enim in lectitandis sacris codicibus incalescis subinde cœlesti quodam amoris igne, à Verbo Dei quod tractat, dimanat Spiritus sanctus. Quo ergo fraudabantur ante Christi adventum, qui sub lege erant fideles, cùm & ipsis integrum esset corporato Dei Verbo frui, illud amplecti, illud meditando osculari die & nocte, & ejus Spiritus insufflatione inflammari?

IV. Scriptura Verbum Dei est, & ab eo Spiritur sanctus spiratur, dù inspiratur: L. 3. de op. Spir. sanct. c. 6.

Et ibidem idem rursus corporatum Verbum esse Scripturam demonstrat, non minùs præclarè ex eo quod de Spiritu sancto concipiatur, & ab æterno non dissimiliter gignatur Patre in tempore. *Multa ejusmodi sunt in Scripturis Propheticis, ubi virum sive maritum, Ecclesiæ seu Synagogæ se Deus esse asseruit, &c. Actu quippe vir esse intendebat rationalis creaturæ humanæ, id est, filium sibi ex ea generare, quod & facere incipiebat, cùm hæc & hæc diceret per Moysen, & Prophetas mitteret. Electas nimirum & probatæ fidei de gente illa animas, vir Deus complexibus suis, complexibus castis spiritaliter Deus Spiritus sanctus admittebat, & in impetu hujus amoris sui, hujus Spiritus sancti, semen suum de secretis suis, Verbum suum de profundo cordis sui incutiebat illis. Susceptum in anima fideli Verbum veritatis, ora sibi prophetantia sumpta voce corporea laxabat, fidemque ab auditoribus exigebat.* De Spiritu sancto concipiebatur Christus Mosaicæ legis temporibus, nascebatur, concionabatur ei, à fidelibus obtemperabatur, ab infidelibus obstrepebatur. Quid ergo de Christi dispensatione tum defiebat? Aliter quidem, & expressiùs & efficaciùs, sed eadem tamen ipsa per carnem suam exhibuit. Cur autem nunc efficaciùs largiùsque, nunc parciùs & jejuniùs se suaque prodigat dona, postea inquiretur, vel potius inquirendum non esse docebitur: interim ad gaudeamus illi nobisque, quod nullis se temporibus omnino negaverit: nullis non se largiùs quàm dici possit, indulserit, etsi aliis aliter, & aliis largiùs adhuc se se effuderit,

V. Scriptura ut corporata veritas, de Spiritu sancto concipitur. Ibid. c. 2.

Nec minùs pulchrum quòd ibidem discriminatur Mariæ conceptus partusque virgineus à Propheticis olim conceptibus partubusque, quòd illa immenso & ineffabili quodam mentis sinu totum Verbum, totum Spiritum capere potuerit, ut ad carnem usque ipsam hæc copia redundaret: cùm Prophetæ cæterique Scripturæ sacræ parentes portionem tantùm Verbi & delibationem quandam Spiritus sancti ceperint. *Neque enim hæc beata Virgo particularem, ut singuli illorum, Verbi gratiam, sed universam isto Spiritu sancto superveniente suscepit ex eo Verbi Dei substantiam, & prophetissa singularis facta est, plenam Spiritus sancti gratiam suscipiens, totum Dei Verbum, Deum verum priùs mente quàm ventre suscipiens.* Ergo & Prophetissa fuit Maria, & Dei matres fuere Prophetæ: sed cùm hi nonnisi particularem, illa universam Dei Verbi substantiam caperet, hinc ista in carne, illi in Scriptura Christum pepererunt.

VI. Maria Verbum totum Prophetarum partuum ejus concepit. Ibid.

Et quanquam in carne de Maria semel natus ad omnium salutem abundè sufficiat, de integro tamen illum adhuc nasci de Theologorum cordibus calamisque necesse est labentibus sæculis, ut iterum iterumque & infatigabiliter nasci perseveraret, qui nasci ab exordio temporum nunquam cessavit. Idem Rupertus: *In principio erat Verbum. Ecce veritas quæ de terra orta est, carnem de Virgine assumens, ut nos à diabolo liberaret, eadem de virginali Joannis anima generatur: vocem corpoream induens, ut pro nobis contra omnem hæreticam pravitatem dimicet. Qui enim de corde suo Verbum bonum eructavit in uterum Virginis, ut Deus invisibilis, visibilis & verus homo fieret: ipse castis complexibus suis ascitam sibi dilecti Joannis animam eodem Verbo impregnavit, ut Verbum ineffabile per vocem litteramque ejus audibile & intelligibile procederet.* Hæ sanè Verbi de Theologorum seu sacrorum interpretum corde atque ore nativitates, ab illa ejusdem principali de Maria nativitate religatæ

VII. Quomodo de Maria idem de Theologorum cordibus calamisque nascitur Christus non semel tantùm. Ibid. c. 1. & 18. Ev. Joan.

ligatæ jugatæque pendent. Nam quia Verbum humanæ se naturæ inserere, vitamque & incorruptionem & sanctimoniam incommutabilem suam, id est seipsum inserere semel statuit: hinc humanis se etiam cogitationibus, sermonibus, verbis, litteris, signisque corporeis innumerabilibus, quæ nostræ naturæ consentanea sunt, prolixè indulsit. Itaque Verbum incomprehensibile cogitatur, ineffabile enarratur, quia incorporeum corporascit, quia intelligibile incarnatur. Semel incarnari opus fuit, ut retro & post innumerabiliter per humana cogitata, verba, scripta incarnaretur. Incassum autem semel incarnatur, nisi singulorum sensis animisque immisceatur.

XIII. Scriptura vetus est Verbi Dei victoriarū de peccato & stultitia reportatarū historia. De victoria Verbi Dei l. 3. c. 18.

Denique si Rupertum perconteris quid sit Scriptura, scitè respondebit: *Et quis dubitet librum ejusmodi scilicet sacram Scripturam, librum esse vel rectè dici bellorum Domini? Quid enim aliud continetur vel agitur in libris sanctis, nisi bellum & certamen Verbi Dei, ad destructionem peccati & mortis?* Atque, ut postea dicemus, id scribebatur in sacris codicibus, quod gerebatur. Gerebantur ergo bella Domini, & toto illo temporum decursu bellabat Verbum Dei, & de morte ac peccato victorias reportabat. Ab initio quippe temporum nunquam feriata est sapientia, quin insipientiam; nunquam justitia cessavit, quin injustitiam, vel clam, vel palam, vel in totum, vel ex parte debellaret. Semper enim veritas invicta, etiam tum cùm cæcutientibus vinci visa est, semper justitia victrix, vel tum etiam cùm conculcari visa est, toto orbe terrarum sapientia & justitia sectatorum suorum inter ipsa adversa fœlicitate, adversariorum etiam in secundis rebus infœlicitate vicit, vinceque, triumphavit & triumphabit. Hæc sunt bella Domini, hæ victoriæ Verbi Dei, hoc Verbum Dei Christus bellator & triumphator, in orbe conspicuus oculatis, in Scriptura conspicuus spiritalibus & fide oculatis.

IX. Eadem ex Hilario, & Augustino. Et olim & nunc multa ad unum nos recolligunt, dum unum significant, vel venturum, vel jam venisse, qui à multitudine temporalium ad unitatis æternitatem nos revocet. Hilarius can. 4. Matth. Hieron. in c. 17. Matt. Augustinus l. 4. de Trin. c. 7.

Ut ad alios nunc Patres veniamus, Hilarius: *Lex autem sub velamento verborum spiritualium nativitatem Domini nostri Jesu Christi, & corporalitatem, & passionem, & resurrectionem locuta est.* En quid tota lex loqueretur. Et Hieronymus: *Faciamus hic tria tabernacula, &c. Erras Petre, & sicut alius Evangelista testatur, nescis quid dicas. Noli tria tabernacula quærere, cùm unum sit tabernaculum Evangelii, in quo lex & Prophetæ recapitulanda sunt.* Et Augustinus: *Quia enim ab uno vero & summo Deo resilientes evanueramus in multa, discessimus per multa, & inhærentes in multis, oportebat nutu & imperio Dei miserantis, ut ipsa multa venturum conclamarent unum, & à multis conclamatus veniret unus, & multa contestarentur venisse unum, & à multis exonerati veniremus ad unum.* Quid conducibilius, quàm ut ab uno vero bono delapsi in multa, per hæc ipsa inter quæ afflicti jacebamus multa, moneremur unum venturum, qui à multis redemptos, uni nos redintegraret: veniret illud unum, multitudinis amores prodigaturum: multa contestarentur venisse unum, ut ipsa multitudo unius redemptoris, vel venturi, vel qui venerit, fidem faciens, à multitudine nos avocaret? Illud vetus, hoc novum testamentum est, illo multa venturum Christum, hoc multa venisse contestantur: utrobique igitur Christus est unus à multitudinis cupiditatibus nos abducens, & ad unum verum recolligens. Et infrà idem: *Ecce ad quod missus est Filius Dei: imo verò, ecce quid est missum esse Filium Dei. Quæcumque propter faciendam fidem qua mundaremur ad contemplandam veritatem, in rebus ortis ab æternitate prolatis, & ad æternitatem relatis, temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis hujus fuerunt, aut ipsa missio Filii Dei. Sed testimonia quædam venturum prænunciaverunt, quædam venisse testata sunt. Factum quippe creaturam per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat. Nisi enim multis missis prædicaretur unus, non multis dimissis teneretur unus.* Huc omnia temporaliter ab æternitate prolata & ad æternitatem relata pertinent, ut missionem Filii Dei testentur, aut ipsa missio sint. Omnis enim creatura Creatoris sui adventum contestari ambit. Nunc venisse, olim venturum esse loquebantur creaturæ, loquebantur Scripturæ & loquuntur. Nusquam ergo Christus abfuit, qui ut veritas, ut spiritus, ut fide vivificus, tum maximè adest, cùm prædicatur. Unde idem: *Præter hanc viam quæ partim cum hæc futura prænunciantur, partim cum facta nunciantur,* L. 10. civit. c. 32. *nunquam generi defuit humano, nemo liberatus est, nemo liberatur, nemo liberabitur.* Veritas quippe & fides absoluta est à temporum vinculis, & omnibus sæculis una & invariata præsto est. Sive inhumanata ergo, sive inhumananda scribatur Deitas Verbi, eadem veritas, eadem humanitas Verbi, eadem dignatio Dei, eadem dignitas hominis scribitur & tenetur. Et alibi rursum: *Utrumque scriptum est, & de Christo scripsisse Moysen, & omnes qui ante Christum venerunt, fures fuisse & latrones. Venisse quippè ita vult intelligi, quia missi non sint. Nam qui missi sunt, sicut Moyses & sancti Prophetæ, non ante ipsum, sed cum ipso venerunt, quia non eum per superbiam præcedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt.* L. 16. cont. Faust. c. 22. Loquebatur ergo & scribebat seipsum per Prophetas Christus ipse. In omnibus ipse veniebat, nemo ante illum venit: quia in omnibus ipse veniebat. Nec tantùm ipse scribebat & scribebatur, sed solus scribebatur, ut & solus scribebat. Etenim ait ipse de Moyse, *De me enim ille scripsit.* Non ait, etiam de me, sed absolutè, de me. Quia nonnisi de ipso Moyses scripsit, nonnisi de seipso ipse per Moysen & per quoscunque alios scripsit. Quid enim Verbum sonet, nisi seipsum & eum cujus Verbum est? Quid Verbum voci conjugatum sonet, quàm seipsum sono illigatum? Unde rursus ibidem: *Et Evangelii quidem tam eminens est authoritas, & tam fundata veritas, ut etiamsi nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ nulla inveniremus à Moyse scripta de Christo; non solùm esse aliqua, sed ad Christum omnia pertinere quæ scripsit, quia non ait, Et de me scripsit; sed, De me ille scripsit, credere deberemus.* Ibid. c. 25. Denique quantoperè Christum saperet Scriptura vetus, hinc conjice, quod sine Christo prorsus deliperet, seu nihil saperet. Idem Augustinus: *Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, ut præterita obliviscens, in ea quæ antè sunt extendaris. Ergo Prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit.* Tract. 9. in Joan. Cùm arcem authoritatis & opinionem religionis summam liber ille obtineret, & tamen sine Christo insulsissimus omnino appareret, Christum utique sapere cogebantur, quibus ille liber sapiebat.

X. In novo vetus, in vetere Testamento novum est, in utroque Christus est nunc occultior, nunc manifestior.

Eodem referri debet, quod etiam atque etiam testificatus est Augustinus, utrumque testamentum indissociabiliter sibi cohærere: in veteri novum, in novo vetus esse: occultari novum in vetere, revelari in novo vetus: eundem Christum, eandem Ecclesiam utrobique, illic opertiùs, hìc in aperto: utrobique spiritales, utrobique carnales: hos litteræ & temporalibus, illos spiritui & æternis servire: utrobique longè plures terrenis cupiditatibus implicatos, tantò numero & mole superiores esse bonis, quantò superat frumentum palea. Augustinus; *Quid est enim quod dicitur Testamentum vetus, nisi occultatio novi? Et quid est aliud quod dicitur novum, nisi veteris revelatio?* Civit. l. 16. c. 26. Est autem prorsus idem Christus, & verè

Christus, seu parciùs, seu largiùs se ostendat. Nam non ita se occultat, quin aliunde pateat: non ita se manifestat, quin magna adhuc ex parte lateat; Olim latebat, sic tamen ut pateret: nunc patet, sic tamen ut lateat. Patet in carne, sed caro quid nisi latebra erat Verbi? Latebat in Scriptura: sed Scriptura quid, nisi manifestatio Verbi? Quod autem olim quam nunc magis lateret & plures, minùs pateret & paucioribus, penes ipsum est arbitrium & potestas sui beneficii, unus tamen Christus est; sicut nec nunc diversus est, cùm aliquando plus, aliquando minùs, aliquando pluribus, aliquando paucioribus radios suos vibrat.

De Baptis. con. Donat. l. 1. c. 23. Et rursus; *Ecclesia verò quod est populus Dei, etiam in istius vitæ peregrinatione antiqua res est, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis spiritalem. Ad animales pertinet vetus Testamentum, ad spiritales novum. Sed primis temporibus utrumque occultum fuit, ab Adam usque ad Moysen. A Moyse autem manifestatum est vetus, & in eo ipso occultabatur novum, quia occultè significabatur. Postea verò quam in carne Dominus venit, revelatum est novum: veteris autem sacramenta cessarunt, sed concupiscentia tales non cessaverunt. In illis enim sunt, quos Apostolus jam per sacramentum novi Testamenti natos, adhuc tamen dicit animales, non posse percipere, quæ sunt spiritus Dei. Sicut enim in sacramentis veteris Testamenti, vivebant quidam spiritales, ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; sic & nunc in sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales: qui proficere si nolunt ad percipienda quæ sunt spiritus Dei, ad vetus Testamentum pertinebunt.* Ergo nec vetus Testamentum adhuc desiit, cùm supersint carnales & animales agminatim in Ecclesiam inundantes: nec tunc novum desiderabatur Testamentum, cùm non deessent spiritales. Alterum alteri implicatum hæret, utrobique spiritales & carnales, illi pauciores, hi plures, illi ad novum, hi ad vetus pertinentes. Quæ cum ita sint, etsi tempore præterit vetus, novum successerit, ob manifestiorem quandam Dei providentiam aliàs aliter & per incrementa profectuum, tempora dispensantem, reapse tamen non tam tempore, quàm causa hæc duo discrepant. Tempore enim, & novi homines olim floruerunt, & veteris assectæ nunc crebrescunt, causa autem semper discreta & disjunctissima fuit. In littera veteris Testamenti melleam spiritus suavitatem legebant spiritales, in verbis spiritus & vitæ nunc litteram occidentem incurrunt carnales. Denique quod olim pauciores quàm nunc iidemque occultiores erant spiritales, id ipsum universali providentiæ serviebat, idque argumento erat, frumenta paleæ comparata & numero & mole vinci, rarescere & latitare. In novo enim spiritales etiam & ratiores sunt & iidem occultiores. Ergo cum non exterior rerum frons attenditur, sed medulla veritatis & causæ viscera explorantur, in specula quadam temporibus omnibus superextante spectatur Christus unus, una Ecclesia, per varias profectuum ætates & universis & singulis prospiciens seque indulgens hominibus, per conscientiæ insitæ reliquos igniculos ante legem, per legis facem lucidiorem & timoris initia salutaria sub lege, per charitatis augmenta in ævo gratiæ, per justitiæ denique summa fastigia in patria, ita tamen ut pigrescant, hic plerique & in rudimentis infantiæ senescant, aliqui nonnihil proficiant, paucissimi ad culmen usque sapientiæ connitantur, sintque multò plures semper carni servientes quàm spiritui, & illi utique ut plures, ita manifestiores.

Ibid. c. 16. *Quæ autem Ecclesia peperit Abel, & Enoch, & Noe, & Abraham, ipsa peperit Moysen & Prophetas tempore posteriores ante adventum Domini: & quæ istos, ipsa & Apostolos & Martyres nostros & omnes bonos Christianos. Omnes enim diversis quidem temporibus nati apparuerant, sed societate unius populi continentur, &c.*

XI. Nunc quoque multi & plures arte scripturæ, & sub veteris testamenti tegumento latent. in Epist. ad Galat. c. 3. & 4.

Quid quod & Evangelica quoque Scriptura, in qua delitescere Christus non dubitatur, littera tamen carnalibus est, & quidem occidens, nisi spiritu vivificetur? Hieronymus: *Quomodo Christus Jesus ex maledicto nos legis liberavit, factus pro nobis maledictum: ita de maledicto quoque Evangelii, quod statutum est super eos qui ejus præcepta non fecerint, eruit nos, factus pro nobis ipse maledictum.* Et mox: *Sunt qui duo testamenta & aliter intelligant: ut Scripturam divinam tam veterem quam novam juxta diversitatem sensus eorumque sententiam qui legunt, aut ancillam interpretentur, aut liberam: & eos qui adhuc littera serviant, spiritum timoris habeant in servitute, de Agar Ægyptia velint esse generatos. Eos autem qui ad altiora conscendant, & allegoricè velint sentire ea quæ scripta sunt, filios esse Saræ, quæ in lingua nostra ἄρχουσα, id est, princeps interpretatur genere fœminino. Et hoc ob eam necessitatem se asserunt usurpare, quia iniquum sit Moysen & Prophetas cunctos de ancilla, quoslibet vero gentilium de libera intelligere procreatos. Unde melius esse, ut non solum de his qui in Ecclesia sunt, pro diversitate intellectuum alios servos, alios liberos arbitremur; sed etiam de uno eodemque homine, quandiu sequatur historiam, ancillæ eum e filium; cùm autem aperiente Jesu Scripturas, incensum fuerit cor ejus, & in fractione panis inspexerit eum quem antea non videbat, tunc & ipsum Saræ filium nominari.* Prout ergo quisque, vel timore, vel amore religionem colit, vel litteræ corticem, vel spiritus penetralia lambit: ita & vel legem adhuc sapit in Evangelio, vel in lege Evangelium degustat, & vel servus est inter liberatis, vel liber inter servitutis insignia; utrobique autem Christus est idem unusque, quem suus cuique timor inter terrena adhuc reptans obvelat, vel amor revelat, sublimia Spiritus arcana perlustrans. Nam cùm idem Christus vel littera legis, vel carne sua in Evangelio amictus, ab aliis carnaliter, ab aliis spiritaliter, immo ab uno eodemque homine nunc carnaliter, postea spiritaliter capiatur: quin etiam uno eodemque tempore, ab uno eodemque homine varios profectuum gradus percurrente, ex parte carnaliter adhuc, ex parte jam spiritaliter intelligatur: hinc apparet penes ipsos homines longè maximam partem hujus tantæ discrepantiæ residere; ut enim quisque affectus est, carnali caro, spirituli spiritus est, terrestri terrenis obvolutus sacramentis, & legis, seu litteræ carne; cœlesti cœlestibus pellucidus mysteriis est, & carnis ipsius suæ spirituli luce circumfusus. Unde ibidem rursum Hieronymus: *Hodie quoque hi qui in Christo parvuli sunt, & vivunt carnaliter, persequuntur eos qui ex aqua & spiritu nati sunt, & cum Christo resurgentes, ea quærunt quæ sursum sunt, non deorsum. Faciant quod volunt: cum Ismaele persequantur Isaac, ejicientur foras cum ancilla matre Ægyptia, nec accipient hereditatem, quam solus qui de repromissione natus est, consequetur.* Magnam ut vides partem eorum qui Evangelicæ legi sunt mancipati, sub lege, sub littera adhuc legis sordescere pronunciat, & à Christo atque à libertate alienos extorresque esse.

XII. Etiamnunc Christus multis in Parabolis loquitur, & ipse parabola est, carnaliter tantum sapientibus. De institut. Monachi.

Subolet & nobis hæc apud Hieronymum magis quàm Hieronymi esse posse, utpote quæ Origenem prorsus redoleant, & nonnullo ejus hallucinationum sapore respersa videri possint. Sed liquidò nobis & indubitatè sui animi sententiam prodit Hieronymus Epistola ad Paulinum: *Totam quod legimus in divinis litteris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medullæ est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. Revela, inquit David, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Se tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos & pene lactentes, inſci-*

inscitiæ nocte circumdarit. Hoc autem velamen non solùm in facie Moysi, sed & in Evangelistis & in Apostolis positum est. Turbis Salvator in parabolis loquebatur; & contestans mysticum esse quod dicebatur, aiebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Nisi aperta fuerint universa quæ scripta sunt, ab eo qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit: nullo alio referante pandentur. En, non solùm in facie Moysi, sed & in Evangelistis, & Apostolis velamen positum est, & Christus parabolas loquitur, & tota Christi dispensatio parabola est, carnem ceu quandam litteram promens, spiritum ceu litteræ medullam premens. Denique littera occidit inhærentes sibi: & caro non prodest quidquam, carnem etiam Christi carnaliter tantùm sapientibus: sed utrobique spiritus est qui vivificat. Nam seu creatura, seu scriptura, seu caro, quid aliud quàm incommutabilis sapientiæ & intelligibilis Verbi integumenta quædam, quibus illa & aperit se nobis & operit, quia videndam se fruendamque per hæc temperat? Sed si in integumento hæres, si fracto nucleo medullam non invadis, si hæres in egenis mundi elementis, si flectis in littera, si pigrescis in carne, caro nihil proderit, littera occidet, creatura à Creatore avertet.

XIII. Pluris refert quali animo, quâ in quale integumentũ Verbi incurrat quis, Naturam, an Scripturam, an carnem assumptam: à qua tamẽ sola promanat gratia & charitas. In l. 1. Reg. l. 4. c. 9.

Sed disertissimè Gregorius Magnus: *De plenitudine ejus omnes accepimus. Alia quidem est plenitudo Verbi, alia libri. De plenitudine quidem Verbi accipere, nonnisi electi possunt, de plenitudine verò Scripturæ possunt & reprobi. Liber namque beati Joannis Apostoli, & liber Pauli Apostoli plenitudines quidem sunt, quæ de eis habentur. Eorum nimirum verba Paulus sive Joannes scripsit: sed quod quisque scripsit, loquens in eis Verbum inspiravit. Qui ergo verbum Scripturæ accipit, non in amore sed in scientia, de plenitudine accipit non Verbi, sed libri. Et quia rem mortuam accipit, in ejus ipse acceptione non vivit. Sed quid dico Scripturam mortuam? Non est mortua tantùm, sed interficiens. Nam scriptum est, Littera occidit, spiritus autem vivificat. Hoc quidem facit omnis divina littera. Nam littera corpus est: hujus vero corporis vita, Spiritus. Vivificatum quippe & vivificans corpus accipit, qui litteram legit, & in amorem intelligentiæ mentem reficit.* De Scripturis novi Testamenti verba facit Gregorius, atque rem mortuam illas esse, nec iis accipiendis quemquam vivere; immo non mortuam tantùm, sed interficientem, eo sensu, quo littera occidit: & littera merum corpus est, & veluti caro, quæ nisi à Verbo vivificetur, non prodest quidquam, utpote exanimum & exangue. Igitur non tanti refert in quale Verbi involucrum incurrat quis, sive in creaturam ante legem, sive in Scripturam sub lege, sive in carnem sub gratia, quàm quali animo, & affectu, carnali an spiritali, terrenorum cupido bibuloque, an cœlestium incurrat. Si enim in involucro hæreat, conclamatum de eo est; si in adyta spiritus & charitatis illabatur, præclarè cum eo agitur; inspirata enim à Verbo incarnato charitas, suæ originis haud ignara esse poterit. Quanquam enim creatura ante legem fuerit veluti Scriptura quædam & veluti corpus Verbi: quanquam lex instar habuerit carnis Verbi, qua illud se opacaret conspiciendum lippientibus tunc plurimùm hominibus: quanquam caro Christi veluti Scriptura sit, qua se & Patrem eloquitur Deus Verbum, & tanquam orbis quidam melior & nova creatura, unde per visibilia invisibilis Deitas intellecta conspiciatur; à sola tamen carne seu à verissima Verbi incarnatione promanat gratia & charitas: qua à creaturæ, vel Scripturæ, vel carnis cortice ad spiritus vitam & suavitatem unusquisque traducitur.

XIV. Specialiùs quidem Synagoga, sed suo etiam modo gens hominum universa Christum prophetabat, ostendebat, actitabat, suis morbis medicum invocabat, &c. De bono Viduit. c. 7. L. 6. cont. Faust. c. 7.

Quid autem, si non Scriptura tantùm vetus, sed ipsa totius populi dispensatio, quædam esset Christi adventantis promulgatio? Num satis conspicuus non erat Christus, quem non unus, aut alter Propheta adumbraret dictis gestisque suis, sed totus ille populus, tanquam catholicus quidam Propheta gestaret, exereretque? Augustinus: *Ut propagaretur populus Dei, in quo præmitterentur Prophetæ Christi, cum & ipse populus per ea, quæ in figura contingebant illis, sive in iis qui scirent, sive in iis qui illa nescirent, nihil aliud esset, quàm Propheta Christi, ex quo nasceretur etiam caro Christi.* Et alibi: *Priori populo multa talia non tantùm audienda, verùm etiam observanda præcepta sunt. Tempus etiam erat, quo non tantùm dictis, sed etiam factis prophetari oporteret ea, quæ posteriori tempore fuerant revelanda.* Et alibi: *Oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est: quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos & spiritales viros Patriarchas & Prophetas his terrenis rebus fuisse deditos credimus. Intelligebant enim revelante sibi Spiritu Dei quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas res omnes gestas & dictas, futura figuranda & prænuncianda decerneret: magisque desiderium eorum de novo testamento erat. Sed præsens functio corporalis ad significanda nova ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantùm lingua, sed & vita prophetica fuit. Carnalis autem populus promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo tamen etiam populo nihilominus significabantur futura.* Quanta hic renidet sapientiæ pulcritudo! Videlicet dum populus & universitas hominum ipsa Propheta Christi est; hinc enim & magnitudo Christi eminet, & genus humanum honestatur, & non mediocri respergitur sanctitate. Item dum universitas generis humani suo omni temporum gestorumque decursu demonstrat perspicuè, & quasi in propatulo vociferatur, se superno egere liberatore; nec defuturam suæ inopiæ providentiam Dei tam largam alioqui & pervigilem pollicetur. Item dum peculiare Israelitarum regimen id apertius testatiusque facit ex gestorum sacramentorumque suorum documentis, quod universa creatura non tacet, vanitati subesse omnia & ingemiscere, donec in primævam integritatis innocentiam restituantur. Sic enim supplicias tulit Scriptura creaturæ, lex naturæ, Christusque ipse naturæ reparator est. Item sicut non deest Sapientia creatrix, nec abest usquam, dum sub naturæ latet velamine, & non latet; quia natura ipsa rerum non aliud est, quàm Sapientia ipsa, variegata hac veste creaturarum sese implicans explicansque; ita nunquam defuit, nusquam abfuit sub lege etiam Christus, quia populus ipse sub lege administratus, Christus ipse erat prophetico hoc se tegumento detegens. Item dum hinc patefit, quàm intimus in ore & in corde cuique homini sit Christus, quando ipsa hominis vita quædam est Christi prophetia. Nam etsi ob specialia quædam sacramenta populus ille Propheta esset Christi, unusquisque tamen homo, ut sapientiæ opificium & delibatio, ut justitiæ manceps, aut transfuga, lineamenta non obscura Christi præ se fert, quem gestat, vel quo eget, sine quo deformis, quo se formari postulat etiam inopinus nesciusque, quem inopia sua invocat, ad quem ignarus suspirat, ut liberaturum ab his ærumnis, ut verorum bonorum largitorem. Item dum planum fit, ex quo genus humanum à veritate prolapsum est, qua patet orbis terrarum, omni sæculorum excursu, totam hominum universitatem per scientes & nescientes contestatam esse, & proclamasse, non posse non appeti fœlicitatem votis omnibus, non esse in his terrenis sitam fœlicitatem, quæ occidunt, quæ desiderio sui cruciant, quæ fastidio amarescunt; non esse fœlicitatem nisi gaudium de veritate & justitia incommutabili; non posse illam fœlicitatem humanis viribus pertingi, ut nunc sunt fractæ & accisæ;

Et l. 4. ci ulc.

cisæ; extundendum ergo precibus à Deo esse liberatorem, & veræ hujus datorem fœlicitatis.

XV. Tota generis humani historia, diversorum temporalium piorum partu & erumnas, æternorum sitim testatur, ad Christum vocat, Christum invocat.

Istud omne non verbis, non scriptis, sed gestis & quidem omnibus & publica ipsa universaque sui dispensatione ab initio rerum proclamavit & etiamnunc proclamat genus humanum, ad terrena subinde nauseabundum, & alia subinde atque alia stimulante clandestina verorum & æternorum siti concupiscens. Istud peculiarjùs proclamabat Israelicus populus, singulari ad id quodam regimine Dei delineatus, cujus ea erat summa, ut terrenorum fructu fastidium movente, fugamque maturante incitarentur homines ad æterna æternorumque authorem suspirare. Item dum per malos etiam prophetatur Christus, per carnales spiritalis fœlicitas prædicatur, per ægros medici necessitas & præstantia, denique per vitia ipsa commemoratur & perversis tenebrosisque, non aspernandis tamen quibusdam vestigiis, sanctitas & justitia adumbratur. Familiare enim fuit Augustino aliisque Patribus in ipsis etiam peccatis & vitiosis cupiditatibus explorare notas aliquas distortæ divinorum imitationis. Ad eum ergo modum & per malos malorum omnium profligator Christus prophetabatur. Postremò tandem hinc amplitudo Christi & immensitas quædam ejus gloriæ expromitur, cùm unus omnia est, unus omnia implet, unus omnia in omnibus adimpletur, unus à populis, ab universitate generis humani ostenditur, gestatur, repræsentatur, actitatur; omnium virtutes ejus portiones sunt: omnium vitia, illius distorta imitamenta sunt; omnium peccata illum liberatorem, omnium ægritudines illum medicum inclamant, omnium cupiditates, suimet fastidio & cruciatu illum invocant, omne denique genus humanum toto orbe jacens quasi unus ingens ægrotus per nescientes scientesve illum, ut medicum verum optat, illum somniat, illum prophetat, illum expectat.

XVI. Sine Christo Scriptura vetus ad anilia deliramenta defluit: Si se quisque audiat, si suos morbos, sibi Christum ipse præfagit. L. 22. cont. Faust. c. 39.

Et tam explicata est Christi prophetia in illa vel Scripturæ, vel populi veteris serie, ut non posset alioqui illa non anilium fabularum ignominia penitus infamari. Nam si Christi sensum inde exstirpes, jam delirius nihil, nihil insulsius poterunt mulierculæ fabulari. Si ad alia etiam cum Philone & Judæis quibusdam allegoriam contorquere voles, in nugamenta quædam putridicula defluescum iisdem. Ita asserit, & probat Augustinus: *Itaque isti Judæi qui Christum nolunt talibus rerum non solum dictarum, sed etiam gestarum figuris prænunciatum videri, coguntur à nobis discere, quid illa significent, quæ nobis aliquid significare concedunt: tamen divinæ authoritatis libros ab ineptarum fabularum ignominia non defendunt. Vidit hoc Philo quidam, vir liberaliter eruditus, &c.* Profert ex Philonis allegoriis ad gustum cæterarum, hoc unum, quòd cùm cætera arcè interpretatus utcumque esset, *ubi ventum est ad ostium quod in arca latere factum est, &c. Inferiores corporis partes, quibus urina & fimus egeruntur, illo ostio significari ausus est credere, ausus & dicere, ausus & scribere: Non mirum si ostio non invento sic erravit.* Non difficiles tantùm explicatus, sed nullos, exitus omnino nullos habebat illa prophetia tota nisi ad Christum: præter hunc, ad sordes, ad anilia deliramenta deveniebatur. Ita Christus implicabat se hominibus, ira singulos ad seipsum coarctabat, ut nemo illum ignorare posset, nisi qui semet nescire posset. Si enim se, si sua quisque gesta dictaque seriò advertisset, ipse sibi ad Christum, ad medicum, ad liberatorem dux hortatorque fuisset. *Qua in re hoc primum dico, illorum hominum non tantum linguam, verùm etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cujusdam, fuisse Prophetam. Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui illic erant, eruditi corde in sapientia Dei, non solùm in iis quæ dicebant, sed etiam in iis quæ faciebant; quod autem ad cæteros ac simul omnes alienæ gentis homines, in iis quæ in illis vel de illis divinitus fiebant, prophetia venturi Christi & Ecclesiæ perscrutanda est. Omnia enim illa, sicut dicit Apostolus, figuræ nostræ fuerunt.* Eratque hoc totum cum primis consentaneum, ut per temporalia cuique etiam quæ ipse gereret, significarentur æterna, nisi strepitu vanitatis suæ sibi ipsi obsurdesceret. Ea enim est natura temporalium, ex Dei conditoris servatorisque destinatione, ut æternorum vestigia atque documenta sint, ad ea invitent, ad ea vel sua ipsorum fuga contrudant. Idem Augustinus: *Post regnum acceptum quia terrena acceperant, cæperunt merito peccatorum suorum oppugnari, expugnari & captivari. Ad extremum eversa est & ipsa civitas. Talos erant & illæ promissiones non perseveraturæ, per quas tamen figurabantur futura promissiones perseveraturæ, ut ille omnis decursus temporalium promissionum, figura esset & quædam prophetia futurorum.* In Psal.

XVII. Usque adeo nihil vacuum Christi est, ut & vitia ipsa, etsi dilorte & tenebricose, illum præconent.

Postremò ne quid vacuum & inane Christi usquam vel unquam esset, flagitiosè etiam facta tenebrosis quibusdam imitationibus nobis ejus magnitudinem innuebant. Familiare est hominibus non ineruditis etiam, nec pietatis expertibus, ad hæc exhorrescere, nec facilè sanctis Patribus acquiescere, adulteria nonnunquam interpretando ad Christi mysteria delineanda intorquentibus. Sed si præjudicatarum opinionum laqueis expedire se ipsi vel tantillum enitantur, faxo ut hic eorum horror diluatur, ac jubentes in has Patrum interpretationes assentiantur. Pulchrè rem istam disceptat Augustinus: *Prius præloquendum est, ne quenquam parvæ considerationis offendat, quod de quibusdam malis operibus hominum in Scripturis sanctis, quædam non mala, sed bona futura significantur. Servat enim ubique divina providentia virtutem bonitatis suæ, ut quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur & nascitur homo, de hominum opere malo bonum opus Dei; de fœcunditate seminum, non de turpitudine vitiorum: ita & in Scripturis propheticis non tantum bona hominum, verùm etiam male facta narrantibus, quoniam prophetica est ista narratio, significetur aliquid de malis operibus hominum, etiam futurorum bonorum, non peccantis operis, sed scribentis.* Hæc est prima ratio, quòd Dei providentia servare ubique pertendat virtutem bonitatis suæ, & de malis hominum operibus bona ipse faciat, bona doceat. Nam de malis bene facere, amplius aliquid est, quàm bona significare. Si ergo divinæ bonitatis insigne est, ut de malis bene faciat, minùs mirùm est, si de malis bona significet. Quæ autem bona aptiùs de malis significabit, quam ea ipsa per quæ mala expientur? Ita enim decet ut bonus, & ipsum bonum bene consulat de malis, & bona faciat & bona designet ac portendat, per quæ malitia tandem omnis labefactetur. Consultissimum ergo fuit, ut malis operibus significarentur aliqua Christi mysteria malorum omnium expurgatoria. Pergit porrò Augustinus, L. 22. cont. Faust. c. 24.

XVIII. Facinorosissimum gestum Christum significare potuisse.

Ibidem: *Neque enim Juda cùm ad Thamar concupiscentia victus intraret, hanc suæ libidinis intentionem gerebat, ut inde aliquid significaretur, quod ad salutem hominum pertineret: sicut nec Judas ille qui Dominum tradidit, hoc intendit, ut aliquid inde gereretur, quod ad eandem salutem hominum pertineret. Porrò si de tam malo opere Judæ illius tam bonum opus Dominus fecit, ut ejusdam suæ passionis sanguine nos redimeret; quid mirum si Propheta ejus, de quo ipse ait, De me enim ille scripsit, ex malo facto Judæ ipsius, boni aliquid significavit, ut suo ministerio nos doceret?* Ut Creatori igitur, ita & Reparatori Christo solemne est, magnificum est, mala nostra bene vertere, in bona mala convertere potiùs, quàm mala omnino prævertere. Quin id tanto Reparatori familia-

familiarius erit, quantò ipse si fari licet, bonum ejusmodi est amplissimum, ex mali occasione expressum. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia: peccati infœlicitas compensata est Verbi incarnati & reparatoris fœlicitate; hominum facinore effusus est sanguis Christi, quo omnium facinora abluantur. Ergo cùm incarnatio, cùm passio, cùm totum quod Christus est, immensum & infinitum quoddam summumque sit bonum, ex ea ortum omnipotenti bonitate, quæ in malis bene vertendis quàm in iisdem penitus antevertendis pulchrior & admirabilior elucet, jam nihil est quod miremur, si sacramenta Christi per aliqua hominum flagitia significentur.

XIX. Ut Creatorem ita & Redemptorem vitia ipsa nostra significant.

Et rursus ibidem: *Ad significanda autem aliqua bona nihil interest, facta illa quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Quid enim mea interest, cùm volo aliquid legendo cognoscere, utrum ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, & ex atramento candidos Gallos?* Universim enim hoc valet, signis longè diversissimis res quaslibet posse significari: nec in signis explorandam esse ipsorum naturam, sed significationem. Si autem facinorosos homines actusve ad sancta & cœlestia quæpiam significanda rapi stomachus tuus non ferat, subeat quod monitos jam nos esse voluit Augustinus, non signorum, sed significantium & significatorum naturam dignitatemque ponderandam esse. Nam mali & mala non id intuentur, nec id ex se valent, ut boni vel umbris illis expingantur & decorentur; sed summum bonum Deus, sed summus omnium malorum debellator Christus, id valet, id affectat, ut nihil sui omnino vacuum esse sinat, ut radios suos vel in ipsa adversariarum tenebrarum regna invictissimè jaculetur: ut malo ipsi suæ potestatis, suæ victoriæ insignia superscribat.

L. de vera Rel. c. 29. Idem rursum Augustinus: *Ita de peccato nostro quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum, factum est magnum decus ornamentumque terrarum: & tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur, ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.* Ars porrò ineffabilis medicinæ cui potiùs quàm Christo vendicanda est? Ejus ergo est, ipsam vitiorum turpitudine min aliquam tanto admirabiliorem, quanto inopinatiorem pulchritudinem convertere. Ecqua autem venustas de vitiorum deformitate ampliot elaborari potest, quàm si per ipsa vitia moneamur, unde averti simus, & quo debeamus redire conversi? Prolixè Augustinus disputavit, ut virtutum divinarum perversam distortamque imitationem vitia omnia præ se ferant, atque ita ostendant Deum omnium esse creatorem, nec esse quo omnimodè ab eo recedatur: ostendant & reparatorem, cùm vera imitatio non nisi ex ejus medicinali gratia possit provenire. *Quapropter si & ipsa superbia veræ libertatis & veri regni umbra est, etiam per ipsam nos commemorat divina providentia, quid significemus vitiosi, & quo debeamus redire conversi.* Hæc planè divina providentia autem nobis vellicans, submonensque vel per ipsa vitia nostra, quo convertenda sit mens nostra, ut veras captet virtutes, quarum umbris illuditur: hæc inquam providentia est humanissima & salutis nostræ architecta, atque adeo reparatoris nostri propria & peculiaris. Non igitur jam quisquam plebeio hoc se ludificari sinet præjudicio, nefas esse ut per hominum flagitia Christi mysteria adumbrentur. Nam si vitio significamus grande & medicinale aliquid, & illud ipsum nobis innuimus, quo appulsi vitia omnia exuemus, & germanis vestiemur virturibus, sanè vitiosi Christum nobis vitiorum omnium expugnatorem significamus.

Libris Conf. L. de vera Relig.

L. de vera Rel. c. 48.

In hac sententia est & Ambrosius; cui ex re esse visum est, etiam Patriarcharum peccata in Scripturis consignari, ut *Instruant Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes.* Sed id non ad significationem attinet mysticam vitiorum. Aptius est illud: *Nec imputandam est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, sed lapsus erroris: deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed umbra mysterii.* Excusabantur quodammodo crimina, quæ umbram prægestabant mysterii Christi. Nam cùm in eo sit propitiatio peccatorum, non nostrorum tantùm, sed etiam totius mundi, jam tum vim quandam medicinæ spirabat ipsa umbra mysterii. Unde ait Ambrosius imputandum Davidi non esse adulterium, id est, condonatum pœnitenti fuisse, quia in eo erat *umbra mysterii*, id est quia umbra mysterii quam præferebat, vim quandam expiatricem in antecessum de mysterio ipso præsumptam irrigabat. Quod tanè parcè admodum & modestè sumendum, nec præsumendum à nobis fuisset: sed Ambrosio nefas est obloqui.

L. 2. de Abrahamo c. 6.

Apol. 2. David. c. ult.

Rursus Ambrosius: *Intelligimus jus quoddam & summum prophetiæ, quæ more nucis, foris amara, dura in medio, tenera intus est & fructuosa. Etsi igitur in historia amariora auditis, in typo dura cognoscitis, sperate tamen in mysterio fructuosa. Adulterium, inquam, in typo salutis est factum: non enim adulterium omne damnandum est. Denique ad Prophetam dictum est: Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus jubet cum ea quæ fornicaria fuerit, esse conjugium: cujus conjugii fructus est Christus. Namque filio qui ex fornicatione est natus, à Domino nomen impositum est Israel, quod est divina generatio.* Sic ille præfatur subjunctæ mox de Incarnatione Verbi doctrinæ: *De divinis autem non audeo, licèt pium, adulterium nominare, ne quem vel sonus sermonis offendat, licèt sensus veneratior in promptu sit: quod potest tamen cautiùs dici, etsi non expressiùs, Ex disparibus copulis contubernium pium factum est, quando scilicet Verbum caro factum est. Non sunt legitima consortia divinitatis & carnis: nec ut quodam fœdere conveniente naturæ, caro animæ, & anima carni, sta etiam divinitas & caro justi servant quodammodo tori legem. Suscepit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem, consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus.* Si cujus adhuc ab his refugiat, abhorreatque animus, pensitet iterùm iterùmque, scelera quælibet ex improbitate quidem hominum ultro effervescere, non posse tamen nisi permittente atque ordinante Deo procedere. Ne jam ergo pendamus quo peccati libido collineet, sed quo permittentis & peccantium ruinas ordinantis Dei sapientia bonitasque intueatur. Nullum quippe tantum est bonum, quod non meritò suspicemur Deo obversari, & designari in malis seu permittendis seu ordinandis. Pulcherrimum semper & ubique est Dei regnum; nec opis nostræ est, vel in primis, vel in imis illud vel tantisper deturpare. Itaque à nobis quidem turpitudo designari & patturiri potest, at pulchritudinis summa lex erumpere illam non patietur, nisi ut ampliorem inde aliquam pulchritudinem exprimat. Unde idem Ambrosius rem eandem cursim perstringens: *Mysterium igitur in figura, peccatum in historia. Culpa per hominem, sacramentum per Verbum.*

XX. Spectandum est, non quo peccantium libido, sed quo collimet Dei permittentis, & ruinas peccantium ordinantis providentia.

In c. 3. Luc.

Assentitur Hieronymus: *Si illa & cætera his similia quæ in Scripturis sanctis legimus facta, poterit approbare, sed aliud quid significare contenderit; ergo & meretrix ista mulier, & illa adultera mulier, quæ aut Prophetæ jungebatur, aut servatur à Propheta, non turpem stupri conjunctionem, sed sacramenta indicant futurorum.* Quo ex loco id argumenti elicies, quando hæc flagitiorum fœditas Prophetis & Patriarchis affricabatur,

In c. 1. Oseæ.

quando passim in sacris codicibus respergitur, hinc facilem emergete conjecturam, grande aliquid per hæc significari. Nam sacræ litteræ quarum finis Christus est, quæ unum illum meditantur, unum personant, quæ intelligentibus spiritus & vita sunt, non quasi sordidarentur flagitiorum narratione, nisi & hinc documenta quædam ad Christum elicerentur. Prophetæ autem fornicariis fœminis exosi peræquè & infesti, non iis utique, jubente maximè Deo committerentur, nisi ut prophetícum hinc aliquod extrueretur sacramentum. Itaque non Scripturis, non earum Scriptoribus sordes & infamiam illinit Deus, sed significandi Christi omnimoda nos cumulat varietate.

Moral. in L. 3. c. 16. Assentitur & Gregorius Magnus: *Sic plerumque res q alibet per historiam virtus est, per significationem culpa: sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis.* Statimque progreditur ad Davidis flagitium enucleandum. Et quid attinet tricari? Illud ipsum Judæ cum Thamar adulterium in Christi genealogia memoratur, ut de peccatoribus nasci peccatorum redemptor monstretur, & ne miremur si ex adulterio, Christi prophetia exoriatur, cùm indidem Christi ortum ducat Genitrix.

Serm. 2. in Dom. 1. post oct. Epiph. Assentitur denique Bernardus: *In operibus Domini & minus capaces animos exterior consideratio pascit; & qui magis exercitatos habent sensus, solidiorem intus cibum inveniunt & suaviorem, tanquam adipem, medullamque frumenti. Sunt enim & exteriori specie delectabilia & interiori virtute multò delectabiliora: quemadmodum & ipse exteriùs quidem speciosus erat forma præ filiis hominum: interiùs autem tanquam candor lucis æternæ etiam ipsis supereminens vultibus Angelorum, &c. Non sic apud Patres veteris Testamenti reperies. Nam & in operibus eorum decora & delectabilis est significatio mystica; ipsa tamen si per se considerentur, invenientur aliquando minus digna, ut sunt facta Jacob, adulterium David & multa similia. Pretiosa quidem sunt fercula, sed vasa non adeo pretiosa. Et fortasse propterea dictum est, Tenebrosa aqua in nubibus aeris: quoniam tenebrosæ nubes illæ fuerunt. Et subjunctum est de Domino, Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt.* Non atrocia tantùm illa, & rara, ut adulteria & homicidia, sed & alia innumerabilia, non adeo nefariè gesta, alicunde tamen terrenis contaminata cupiditatibus, ut sunt Jacobi nonnulla, ad Christi significationem vocat Bernardus. Et sanè cùm vetus homo tum gereretur, cùm terrenis cupiditatibus largiùs indulgeretur aliquid, cùm ipsi Patriarchæ sanctissimi in opes, in uxores sese effunderent, & ita servirent tempori, cùm temporalis esset tota illa & temporalibus affixa dispensatio, & inde tamen æternorum significatio strueretur, non poterat non aliquando per maculosa quædam gesta Christus adumbrari. Et id eximium Christo ipsi servandum erat, ut temporalia ejus gesta omnia sic æternorum veritatem & sanctimoniam significarent, ut & ipsa ab omni sorde peccati pura essent & incontaminata. Nam & facta Christi foris conspicua, interioris ejus divinitatis atque æternitatis erant imitamenta, atque intelligentibus argumenta. Sed ut inculpatus ipse, ita & species ipsa exterior factorum ejus omnium integerata erat; ut labis omnino expers præter ipsum nullus vel Patriarcharum fuit, ita & horum facta etiam alicujus culpæ affinia, ad Christi nihilo setiùs significationem destinabantur.

CAPUT XII.

In Scriptura & dispensatione veteris Testamenti nunquam latuit charitas veritatis, nusquam non adfuit; id porrò unum, id totum Christus, id salus est.

CHaritatem Dei & proximi Scriptura vetus Legis & Prophetarum etiam atque etiam commendabat, non accuratis tantùm & sigillatim informatis præceptionibus, sed toto, ut ita dicam, corpore ipso & contextu operis eam unam parturiebat. Id quippe innuebat Christus, cùm maximum Dei mandatum & alterum ei conjugatum de gemina dilectione edisserere aggressus, submonuit, hinc pendere Legem & Prophetas; hoc est, quidquid in Legis, quidquid in Prophetarum voluminibus per longos rerum sermonumque & sacramentorum anfractus dispersum erat, ad unam convergere Dei & proximi dilectionem. At nec ipsa Christi lex aliud quidquam complectitur, nec Christus ipse à nobis aliud esse intelligitur, quàm charitas veritatis, & veritas charitatis. Ergo incassum tandiu abfuisse Christum ejulamus, cùm nunquam abfuerit, cùm nusquam non conspicabilem se ingesserit, nunquam non hominum aures personuerit lex charitatis, quæ salus, quæ Christi lex, quæ Christus ipse est. Augustinus: *Certè nemini dubium est, nec aversi vos ita estis à vero, ut non intelligatis, si diligere Deum & proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quidquid in his duobus præceptis pendet, vituperari jure non posse. Quid ergo in his penatat, ridiculum est, si à me quærendum esse putas. Ipsum Christum audi, audi inquam Christum, audi Dei sapientiam. In his, inquit, duobus præceptis tota lex pendet & omnes Prophetæ.* Non abnuit quin vituperationi pateat quidquid in sacris litteris à præcipienda charitate cessaverit. At nihil hinc vacare, omnia eò conspirare, atque adeo omnia extra omnem calumniæ aleam posita esse, ex ipsa Christi authoritate argumentatur. Et idem: *Omnia igitur præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus, Finis autem præcepti charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est & proximi. Et utique in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Adde Evangelium, adde & Apostolos. Non enim aliunde vox ista, Finis præcepti est charitas: &, Deus charitas est.* Si Christi, si Evangelica, si Apostolica præceptio omnis unam Dei & proximi charitatem molitur: si indidem pendent lex & Prophetæ, ergo temporibus legis & Prophetarum Christus, Evangelium, Apostolica doctrina, charitatis inquam prædicatio non silebat, quin ex omnibus paginis, ex omnibus Scripturarum angulis, ex omnibus penè apicibus personabat.

1. Tota Scriptura veteris unam charitatem veritatis prædicat, uti Christus.

Et rursus idem: *Deinde monendus est ex hac occasione, ut siquid etiam in Scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem breviter discet, ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis & veritatis & sanctitatis, & ad dilectionem proximi referre non possit, figuratè dictum, vel gestum esse credat, atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem.* Vel apertè ergo vel figuratè hoc unum meditantur sacræ litteræ, ut quendam in animis nostris succendant amorem *æternitatis & veritatis*

1. Æternitatis, veritatis, sanctitatis amorem tota prædicat vetus Scriptura. L. de Catech. rud. c. 16.

veritatis & sanctitatis: amoremque item proximi: parturiunt ergo in nobis amorem unius & trinæ Deitatis, quantum illam intelligi diligique sufficit pro suo cuique tempore, omnibus peregrinationem hanc mortalem emetientibus. Omnis quippe religio ex illis libris in animos nostros irrepens, quendam æternorum præ temporalibus gustum, quendam verorum præ fucatis fallacibusque bonis saporem, quendam veræ sanctimoniæ suavitatem ingenerat: & is est æternitatis, veritatis & sanctitatis amor, in Dei imagines obvias, seu in proximum quasi innata quadam proclivitate propendens. Non charitas enim, sed fucus, sed larva charitatis est, si Deum diligere te speres, nec diligas æternam veritatem, veram æternitatem, æternam & veram sanctitatem. Id vetus Scriptura suadet, id jubet, nunc apertè, nunc opertè, sic tamen ut ex apertis operta patefiant.

III. Et natura & Scriptura & Christi incarnatio solam charitatem æternitatis extruit, quâ solaquidem inspirat incarnatio; sed in omnia sæcula inspirat. De doctrin. Christ. l. 1. c. 36.

Et rursum idem Augustinus: *Ut intelligatur legis & omnium divinarum Scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei, qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest: quia ut se quisque diligat, præcepto non est opus. Hoc ergo ut nosceremus atque possemus, facta est tota pro salute nostra per providentiam divinam dispensatio temporalis, qua debemus uti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potiùs tanquam via, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, vel si quid congruentius dici potest, ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus. Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut isto intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei, & proximi, non intellexit.* Omnis Scriptura, omnis Dei dispensatio temporalis, ipsa Christi Incarnatio, quando & hæc temporalis dispensatio est, non aliud quàm machina quædam est, ad hoc excitata, ut ad fastigium nos promoveat charitatis. Si ergo Scriptura vetus charitatem insinuabat, quid præterea desiderari poterat? An Christus aliud adventu suo conciliavit humano generi? An ore suo quidquam præter eandem charitatem sanxit, quàm ore Prophetarum, quàm voce Scripturæ totius ipsemet promulgarat? Nam quod Christus eam non chartis jam, sed cordibus inscribat, inscribebat & olim iis, qui auritos se sequacesque ejus per legem & Prophetas mandatis exhibebant; inscribit & nunc, cùm Incarnatio ejus tam præterita est, quàm olim futura erat. Valet enim ille tam in præteritum, quàm in futurum, omnipotentem gratiæ suæ vim diffundere.

IV. Una & invariabilis quæ semper & ubique est religio est, Deum propter se diligi, id est, charitas æternæ veritatis. In Ps. 72.

Et rursum: *Discussa ergo præcepta, aut eadem omnino inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio, quæ non dicta sint à Prophetis. Præcepta eadem, sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus, quare? Præcepta eadem, quia secundùm hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem.* Audin præcepta eadem? Audin & causam? *Quia secundùm hæc Deo servire debemus.* Invariabilis est enim quædam religio legis æternæ & justitiæ norma incommutabilis, quæ non alia & alia aliis & aliis temporibus locisque est, vel esse potest, sed eadem usque & ubique constat, & inexplicabilibus atque adamantinis nexibus rationalem omnem naturam obligat inclinatque ad Deum ex toto corde, proximum tanquam seipsum diligendum. Omnia præcepta hinc effluunt, & huc refluunt. Ideò præcepta eadem. Quocirca cassa erat Judæorum carnalibus delectamentis devinctorum causatio, quasi temporalium tantùm vel amittendorum formidine, vel consequendorum cupidine imbuerentur, non ullo autem æternorum sapore. Cassa hæc inquam erat tergiversatio, nam Deum diligendum, & utique propter se, non propter temporalium bonorum quisquilias diligendum: utique diligendum, ideoque propter se diligendum, quia non diligitur, nisi quod propter se diligitur: utique diligendum ex toto corde & ex tota anima & ex tota fortitudine, ut citra culpam non posse aliò derivari vel tantilla amoris guttula inculcaretur: Deum inquam diligendum ante omnia lex divina urgebat & publicè contestabatur. Unde idem ibidem paulò pòst: *Hæc dicimus, ut omnes de novo Testamento discatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum novum Testamentum nondum fuerat revelatum: quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cœlestia in novo Testamento revelata sunt?*

V. Sacramentis seu verbis altis & variis antiquis novisque ingeritur eadem semper charitas. In Ps. 46.

Rursum Augustinus: *Dominus Deus noster fidem in qua vivimus, & ex qua vivimus, per libros sanctos, Scripturas sanctas multipliciter nobis varièque diffudit: sacramenta quidem verborum varians, fidem tamen unam commendans. Una enim eademque res ideo multis dicitur modis, ut modum ipse dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam una fides teneatur.* Una fides, nempè quæ per dilectionem operatur; ex hac enim & in hac vivimus; una charitas, una religio, una salus temporibus locisque omnibus constanter dominatur, quia legis & justitiæ incommutabilis naturas rationales regentis inconcussum hoc imperium est: at illa variis sacramentis implicatur & explicatur, id est, quasi variis verbis & signis profertur, prout digerendæ temporum pulcritudini, & venustando sæculorum concentui opportunum duxerit ratio providentiæ. Incarnatio porrò Verbi, & vita hìc ejus in carne, temporaliterque gestorum mysteriorum series, vel olim promissa, vel post exhibita, vel nunc commemorata; olim propheticis libris, post hominum oculis, nunc Evangelicis litteris consignata; hæc est varietas sacramentorum multiformis, & tanquam variegata quædam Dei ad homines eloquentia, ad unam tamen justitiæ charitatem complectendam semper & ubique conspirans. Diluendo enim fastidio necesse erat, ut quando una res dicenda semper erat, non uno modo diceretur. Unum enim Verbum Dei cùm sit, innumerabili creaturarum varietate expingitur & repræsentatur: ita & una Dei charitas lexque justitiæ æterna cùm sit, multiformi diversitate sacramentorum exprimitur, ut inculcatius & urgentius, atque citra nauseæ periculum amatoribus jam multitudinis & abunitatis simplicitate palantibus hominibus imprimatur: *Tali ergo modo eadem dicuntur, & faciunt nos dulciter cogitare, quæ novimus, & eadem ipsa libenter audire, quia modus dicendi variatur, & res antiqua ipso modo dicendi renovatur.* Antiqua sacramenta, quasi antiquata sunt quædam verba; jam sua vetustate exoleverunt illa, & recentioribus cessere locum; sed antiquatis tamen illis, eadem quæ novis significabatur charitas veritatis: quæ nec antiqua ipsa est, nec nova; & semper antiqua, semper nova est, quia incommutabilis & æterna est. Novata ergo sunt sacramenta, sed non novata charitas, quæ tam antiqua quàm æterna est; antiquata sunt vetera sacramenta, tanquam verba obsoleta, sed non antiquata charitas, quæ semper nova, quia indeficiens & innovans est.

VI. Scriptura tunc patet, cum Christus patet, seu cum charitas est ædificatur ejus interpretatione, quia charitas Christus est. In Ps. 96.

Idem Augustinus: *Quidquid dubitationis habet homo in animo auditis Scripturis Dei, à Christo non recedat; cùm ei fuerit in illis verbis Christus revelatus, intelligat se intellexisse. Antequam autem perveniat ad Christi intellectum, non se præsumat intellexisse. Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti.* Contexenda sunt hæc duo Pauli, *Finis præcepti charitas, & Finis legis Christus.* Inde enim emicat, finem unum legis præceptique divini esse Christum, esse charitatem. Quibus gemina sunt & illa ubi dicitur, plenitudo legis

cha-

charitas, cùm plenitudo legis sit Christus, qui venit non legem solvere, sed adimplere. Quibus denique non dissonant hæc duo Augustini loca, ubi nunc ait, intellecto Christo patere indubitanter cujuslibet Scripturæ loci intellectum: nunc autem, non antè locum ullum Scripturæ diluxisse censendum, quàm lux aliqua & fragrantia charitatis inde scintillet. Quorsum hæc? Prorsus ut tum dilucere Christum intelligas, cùm rutilat charitas: tum charitatem affulgere, cùm renidet Christus. Dei enim ad nos, nostra ad Deum, nostra invicem reciproca charitas Christus est. Ecqua enim vel Dei ad nos, vel nostra ad Deum reciprocatio charitatis post lapsum nostrum, nisi ex Dei indulgentia & humanitate venire saltem in mentem potest? Quæ hominis ad hominem propter Deum & propter æternitatem justitiæ infucata charitas, nisi ex eodem fonte indulgentiæ divinæ? Quæ denique usquam vera & sincera charitas, nisi originis suæ conscia, de cœlo se & de gratia Salvatoris nostri Dei nasci gnara? Id porrò totum Christus est, & quisquis ita Deum vel proximum diligit, is Christum tenet.

VII. Non decet Christi in charitas dicatur, nempe substantiva, & fontalis.

Movere posset aliquem hæc doctrina, majestatis Christi tuendæ studiosiorem, quasi non satis consultum illi esset, si cum charitate quasi unum & idem promiscuè habeatur. Sed hunc scrupulum eximet idem Augustinus: *Supereminens via charitatis tenet eos, qui propriè pertinent ad regnum cœlorum. Ergo præceptum charitatis super cœlos, super omnes libros. Ei enim subduntur libri, ei militant omnes linguæ Sanctorum, & omnes motus dispensatorum Dei, & animæ, & corporis. Supereminens est enim via, & meritò protegit in aquis superiora cœli, quia nihil invenis eminentius charitate in divinis libris.* Num parum magnificum Christo est, quod sit super omnes libros, quod ei subdantur libri, quod ei militent omnes linguæ Sanctorum, & omnis motus naturarum rationalium divinis ministeriis defungentium? At hunc dignitatis summum apicem debet Christus charitati, debet sibi quod ipse charitas sit. Et rursus idem: *Videbitis hoc vos audire; quod jam noveratis; sed ideò multipliciter dicta sunt, ut varietas locutionis fastidium tolleret veritatis. Quod enim amplius audituri, vel salubrius cognituri estis, quàm Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c. & diliges proximum, &c. Sed ne putetis hæc duo præcepta parva esse; in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Quidquid ergo salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exculpitur, non habet finem nisi charitatem, &c. In nullis Scripturis aliud inquiratis, nemo vobis aliud præcipiat: quidquid obscurum est in Scriptura; hæc ibi occulta est: quidquid ibi planum est, hæc ibi aperta est. Si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret.* Num studiosius quidquam desiderabis ad Christi amplitudinem suspiciendam? Quidquid salubriter vel mente concipitur, vel ore profertur, vel utcumque ex sacris litteris exculpitur, ad charitatem pertinet, ad Christum pertinet, quia Christus ipse charitas est.

Sed volupe erit audire ab eodem, ut quæcumque in Scripturis præcipiuntur, ad charitatem Christi præstruantur; non tantùm prottito illo & vel tyronibus notissimo sensu, quem præivit Paulus, quod omnia sigillatim præcepta ad unam recolligantur Dei & proximi dilectionem: sed alia speciali ratione & paulò reconditiore. Etenim præcepta omnia tanquam collyria sunt, quorum mordacitate cruciatur; sed interim purgatur ad videndum & amandum supernum veritatis lumen acies mentis nostræ terrenis cupiditatibus sordibusque oblimatæ. Nam à contuitu & fruitione veritatis incommutabilis Christi non arcet nos, nisi lippitudo nostra tantæ lucis impatiens. In variis præceptis scintillat quædam lucula justitiæ & veritatis, cui contuendæ paulatim insuescit & ad amplioris luminis patientiam firmatur oculus mentis nostræ: sed & ipsa difficultate obtemperandi, ipso timoris divini flagello torquetur, curatur, & à terrenarum cupiditatum laqueis expeditur, ut ad charitatem veri luminis emergat aliquando: *Et cùm exercemur nos in ipsis, & rursus quasi reflectimur pondere nostro ad ista consueta, tales sumus, quales lippientes cùm producuntur ad videndum lumen, &c. Cùm viderint fulgorem, reverberantur quodammodo, &c. Quid ergo facit medicus? Revocat ad solita, & addit collyrium, ut ad illud quod visum est & videri non potest, desiderium nutriat, & ex ipso desiderio curetur plenius, etsi quæ mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat; ut amore illius lucis accensus, &c. Quæ sunt collyria? Noli mentiri, noli perjurare, noli adulterari, noli furari, noli fraudare. Sed consueti, & cum aliquo dolore à consuetudine revocaris: hoc est quod mordet, sed sanat. Nam dico tibi liberius ex timore & meo & tuo; si curari restiteris, & esse idoneus ad fruendum hac luce neglexeris, valetudine oculorum tuorum tenebras amabis, & amando tenebras in tenebris remanebis, & remanendo in tenebris, etiam in tenebras exteriores proiicieris, ubi erit fletus & stridor dentium. Si nihil in te faceret amor lucis, faciat timor doloris.* Perspicuè hic advertis quid conferat timor, quid præceptorum congeries, quid tota vetus Scriptura; nempè nutrit augetque qualemcumque amorem justitiæ & lucis æternæ, cui omnis religio inhiat fruendæ: & caligantem infirmæ mentis aciem atque tantæ lucis majestate reverberari solitam, hac collyriorum acrimonia dum mordet, sanat; dum torquet, purgat, redintegratque fruendæ luci veritatis & justitiæ, id est Christi.

VIII. Ut præceptorũ omnium congeries, purget animũ & instruat charitati.

Nec inde multum abludit, quod alibi docet, Scripturas omnes novas veteresque ad hæc duo summatim capita revocari posse, quod Christi mortem & resurrectionem tradant. At quid hæc duo nobis, nisi à temporalibus ad æterna fugam per charitatem insinuant? Mortuus est enim peccato Christus, & nos ei commortui; revixit justitiæ, vivit Deo, & nos ei consurreximus, id est, terrenis cupiditatibus mortui sumus, ut Deo ut justitiæ vivamus, in novitate Spiritus. Id ergo unum molitur Scriptura, ut doceat mori peccato, vivere Deo; mori, & resurgere; cupiditates jugulare, charitatem alere: & ita terris abreptos in cœlestis luminis vitam & fruitionem nos promovet. *Aperuit illis Scripturas, & ostendit eis, quia oportebat pati Christum, & impleri omnia quæ de illo scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis: omnem Scripturam circumplexus est. Quidquid illarum Scripturarum est, Christum sonat, sed & si aures inveniat. Quid autem ostendit Dominus scriptum de se in lege Moysi & Prophetis & Psalmis? Quid ostendit? Ipse dicat. Breviter hoc Euangelista posuit, ut nos noscamus, quid in tanta latitudine Scripturarum credere, & intelligere debeamus. Certè multæ sunt pagina & multi libri, hoc habent omnes, quod dixit Dominus breviter discipulis suis. Quid est hoc? Quia oportebat pati Christum, & resurgere tertia die.* Quo valeant autem hæc duo summa capita dispensationis Christi temporalis, mori & reviviscere, sexcenties alibi ex Paulinis oraculis interpretatus est Augustinus, nempè terrenæ emori, spiritali concupiscentiæ renasci, & ita ad Christi, ad lucis æternæ veritatem fruendam redintegrari. Unde idem: *Quisquis novit natum esse se, ut audiat, quia puer est & infans, avidè inhiet uberibus matris & citò crescit. Est autem mater Ecclesia, & ubera ejus duo testamenta Scripturarum divinarum. Hic sugatur lac omnium Sacramentorum temporaliter pro æterna salute nostra gestorum, ut nutritus & ro-*

IX. In uno Christi mysterio Scripturarum omnes occurrit Christus, moriens & resurgens, i. e. ut carnalis interior, spiritalis charitas succrescat.

boratus perveniat ad mandendum cibum, quod est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Lac nostrum Christus humilis est, cibus noster est idem ipse Christus aequalis Patri, Ubera duo, duo sunt testamenta, è quibus sugitur & potatur lac, id est, Christus humilis, Christus moriens & resurgens, hominibusque temporali hac dispensatione lactescens: & hoc lacte roboratus animus vesci jam potest solido cibo, Christo sublimi, Verbo Deo. Ergo extat in tota latitudine Scripturarum unus Christus, moriens & resurgens, & hoc lacte alas nostræ charitatis nutriens, ut audeat aliquando in puræ nudæque veritatis lucem flagrantissimam evolare.

X. Temporalia omnia nihil aliud sunt nobis, quam vehicula quædam ad æternitatem, ad veritatis charitatem.

At rursus alibi Augustinus, quæcumque in Scripturis memorantur, quæcumque temporaliter usquam geruntur, vehicula esse ostendit, quibus ad finem aliquem trajiciamur, ubi sistatur via, ubi figatur meta votorum, ubi conquiescatur. Ille autem finis non est nisi charitas, non est nisi veritas Christus. Nam finis legis Christus, & finis legis charitas ex Apostolo. Sed finis naturæ rationalis est veritas; ibi autem acquiescere, hæc est charitas. Id Scriptura sonat, id natura ipsa rerum assonat, id consonat ipsa maximè mentis nostræ conscientia, nullo se fine arctari sinens, nulla suum impetum frænari meta ferens, donec limpidissimæ veritatis gaudio perfruatur: *Veni ad Christum, vides inde finem omnis consummationis. Quis est iste finis? Paulum interroga; Finis autem præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Alio loco: Plenitudo legis charitas. Quid tam finitum & terminatum quàm plenitudo, &c. Finis legis est Christus ad justitiam omni credenti. Et quid est finis? Christus, quia Christus Deus, & finis præcepti charitas, & Deus charitas. Ibi tibi finis est, & alibi via est. Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quidquid aliud veneris, transi, donec pervenias ad finem. Quid est finis? Mihi autem adhærere Deo bonum est. Adhæsisti Deo, finisti viam, permanebis in patria. Intendite, pecuniam aliquis quærit, non sit ibi finis, transit tanquam peregrinus, &c. Quidquid propter aliud quæritur, non est ibi finis. Quidquid propter se & gratis quæritur, ibi est finis.* In Ep. Joan. Tract. 10.

Finis ergo legis, finis præcepti jure meritò Christus est, charitas est, qua Christo veritati incommutabili adhæretur, quia sola veritatis beatitas, sola charitas veritatis propter se quæritur, gratis quæritur, reliqua propter ipsam: id Scriptura tota canit, natura & conscientia tanquam gemina Scripturæ & germana soror, ab eodem parente & institutore Deo informata succinit. Quocirca non Scripturæ tantùm, sed naturæ etiam vocibus, & conscientiæ intestinis magisteriis obsurduerint, necesse est, ii qui temporalibus voluptatibus sese ingurgitantes, Christi seu venturi, seu in cœlos jam recepti, & rursum venturi, veritatisque semper præsentis, & charitatis semper ad se invitantis nos, delicias aspernantur, intantum etiam fortassis, ut nec ullas esse putent.

Istiusmodi complura Augustinus uno complexus est sermone, *Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit & sine ullo labore custodit, cujus eor plenum est charitate, dicente Apostolo, Plenitudo legis est charitas, Si ergo non vacat omnes paginas Scripturarum revolvere, tene charitatem, & in ea invenies omnem scientiam, &c. Nec dubitari potest, quin templum Dei sit homo, in quo habitat charitas. Dicit enim & Joannes, Deus charitas est. Ipse quoque Dominus pascens nos verbo veritatis, quod est ipse panis vivus qui de cœlo descendit, Mandatum, inquit, novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et iterum: *In hoc scient omnes quia discipuli mei estis, si vos invicem dilexeritis, &c. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Qui ergo contra mortis vetustatem, attulit vitæ novitatem, ipse contra vetus peccatum opponit novum mandatum. Quapropter quisquis vetus peccatum vis extinguere, mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem & latitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, &c. Docet enim nos unus cœlestis magister, & dicit, Diliges, &c. In his duobus præceptis universa lex pendet & Prophetæ. Si nunc ergo non vacat, omnes paginas sanctas perscrutari, omnia volumina sermonum evolvere, Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, ibi pendent omnia, ibi tenebis etiam quod ibi non didicisti. Si enim nosti charitatem, aliquid nosti, unde & illud pendet quod fortè non nosti, & in eo quod in Scripturis non intelligis. Charitas patet in divinis Sermonibus, ei qui charitatem tenet in moribus.* In Ep. Joan. Tract. 10.

Excute minutatim, & pondera voces omnes prolixioris hujus loci, omnia ibi effulgebunt quæ supra indigitavimus. Liquet enim totam Christi doctrinam una charitate contineri. Liquet totam Christi dispensationem morte & resurrectione ejus constare, & ad hæc cætera revocari: mortem porrò ejus non aliò pertinere quàm ad extinguendam temporalium cupiditatem, resurrectionem ad exsuscitandam æternorum charitatem. Liquet totum Christum seu docentem, seu sese exhibentem, vel mortalibus mortalem, vel ad immortalitatem redivivum, non aliud quàm legem & normam charitatis esse. Liquet Scripturas non novas tantùm, sed & veteres, quantæ quantæ sunt, totas Christo, totas charitati vacare, & non aliud esse charitati quàm Christo, aut Christo quàm charitati describendæ, ostentandæ, promittendæ, exhibendæ vacare. Liquet interpretem Scripturarum cuique præsentissimam & intimam, eandemque fidissimam & perspicacissimam esse posse charitatem; quam nihil latet, quam ea etiam quæ latent, non latent. Nam etsi quid latet, si modò tamen charitas ibi patet, nihil latet. Quidquid enim illud est quod latet, sinu suo non gestat nisi charitatem, quæ patet. Liquet in vitio igitur esse & suæ sibi jacturæ authores, quicumque ex Scripturis Christum non eliciunt, charitatem non exprimunt; nam si charitas non adest, quæ illuminet, tenebrescit cupiditas, per quam profligatur charitas, & obnubilatur veritas. Suas ergo tenebras voluntariæ imputet cupiditati, quisquis valedixit charitati luminosissimæ. Liquet etsi sacramentis omnibus tum novis tum antiquis utcumque obumbretur charitas, eam tamen perspicuè & præclarissimè tum in novis tum in antiquis litteris illucescere, ut nec Christus ipse novum Testamentum condens, & ejus breviarium una charitate concludens, potuerit disertioribus, quàm iis ipsis vocibus eam promulgare, quas lex Mosaica in fronte prægestabat, Diliges Dominum, &c. Et quanquam hæc videretur eximia fore legis Evangelicæ prærogativa, nempè charitas timori succedens, eam tamen in legem & Prophetas Christus ipse refudit, quos inde pendere contestatus est. Quæ ergo tam clarè aures hominùm circumsonabat charitas, ea una erat Scripturarum interpres, ea Scripturarum omnium loco una erat & sufficiebat; ea Sacramentorum omnium vel lucem præferebat, vel vicem obibat; ea erat Christi tota doctrina, & vita, ea erat mors & resurrectio Christi: ut nemo imperitiam suam obtendere jam possit. Liquet denique si lateat charitas in divinis sermonibus, in causa esse, ut ait Augustinus, quòd non teneatur in moribus. Unde idem rursus: *Deus charitas est. Qui habet charitatem, Deus in illo manet & ipse in Deo. Si charitatem habes, Deum habes;* Serm. 44. de Tem.

XI. Rursùs ut Scriptura ea morte & resurrectionem Christi promulget, id est Cupiditatem enecet, Charitatem excitet.

Temp. 1. in Dom. post Epiph.

habes; Quid habet dives, si charitatem non habet? Pauper si charitatem habet, quid non habet? Tu fortè putas quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, & ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? Non ita est, fratres. Ille verè dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. Quid enim de Scripturis poteris ignorare, si te charitas, id est, Deus cœperit possidere? Quid enim de bonis operibus non poteris implere, si fontem bonorum operum meruerit in corde portare? Hoc verbum abbreviatum, Christus, charitas. Ne anxiè inquiras, qui potuerit ante adventum suum inter affectatas veteris instrumenti umbras Verbi incarnatio, passio, resurrectio innotescere & credi: tam pronum hoc erat, tam cuique in ore, ad manum, in corde, quàm terrena non concupiscere, & æterna temporalibus amando anteferre. Ut nunc ergo, ita & tunc; & rursus ut tunc, ita & etiamnunc, suo quisque arbitrio & libertatis nutu, finis affigitur, à supernis & æternis refugit, suas alit cupiditates, fastidit charitatem volens & sciens, atque ita suis se immergit tenebris, ut non videatur veritas, non spectetur lux, & ecce ante nos est: non teneatur clavis, qua Scriptura tota patescere, qua Christus totus infundi posset.

In append. Sermondi. Serm. 15. Postremò præstantissimè id ipsum evincit Augustinus: *Quid est quadragenarium numerum implere? Continere se ab amore hujus sæculi. Continentia à rebus temporalibus, ne perniciosè amentur, quasi jejunare est ab isto sæculo. Ideò Dominus quadraginta diebus jejunavit, & Moyses & Elias. Qui ergo dedit servis jejunare posse, quare noluit amplius, quàm dederat servis, nisi quia in isto quadragenario numero est mysterium jejunii, continere ab isto sæculo? Quid est hoc dicere? Quod ait Apostolus, Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipse ergo implet numerum quadragenarium: Et quid ostendit Dominus? Quia hoc Moyses fecit, hoc Elias, hoc Christus, hoc & lex; hoc & Prophetæ, hoc & Euangelium docet: ne aliud putes esse in lege, aliud in Prophetis, aliud in Euangelio. Omnes Scripturæ nihil te aliud docent, nisi continentiam ab amore sæculi, ut amor tuus currat in Deo, &c. Ergo in quadragenario numero continentia à sæculo est. Hæc est legis plenitudo. Legis autem plenitudo charitas.* Sentio quàm invidiosa sit ista uno ex Augustino tanta copia & prolixitas, sed ubi de charitate disceptatur, quis possit ejus ubertatem, quis ignei torrentis impetum sistere? Cùm ergo lex, cùm Prophetæ, cùm tota veteris Testamenti etiam per temporales illecebras dispensatio continentiam à sæculo suaderet, & charitatem incitaret ad æterna, & hæc summa sit Euangelii, hæc tota Christi opulentia, si qui tum in carne stertebant, Christi & æternorum charitatis exortes, nimirùm non temporis intercapedo, non incarnationis tarditas, sed sua ipsis cupiditas Christum intercludebat.

XII. Ex Ambros. eadem, utqui lege jubeatur charitas sed hominū infirmitas solo adhuc timore regi se finat.

Ambrosius: *Dicit Apostolus, Per charitatem spiritus servite invicem. Timor legis est, charitas Euangelii. Denique initium sapientiæ timor Domini. Plenitudo autem legis charitas. Tamen & ipsa lex dicit, Et in hoc verbo omne mandatum instauratur, & in isto uno inquit sermone impletur, Diliges proximum tuum. Hoc est igitur quod proposuimus, quia etsi ex lege servitus, tamen secundùm legem libertas. Charitas enim libertatis, timor servitutis est. Est igitur & charitas legis, & servitus charitatis: sed lex charitatis prænuncia est, charitas Euangelii pia servitutis arbitra est. Non superflua itaque lex quæ tanquam pædagogus prosequitur infirmiores. Infirmitatem dico morum, non corporum. Infantes enim sunt, qui fari Dei verbum nesciunt, qui opera ejus non recipiunt.* Liquidò hìc sanctus Pater declarat, legis veluti cardinem universæ in una charitate verti: sed si timor stridear, terreatque, in causa esse non legem, sed hominum infirmitatem & infantiam quandam, quæ ipsi charitatis mandato nisi pœnarum formidine morigerari nesciat. Itaque hominum infirmitas legem obliquat & detorquet, lex autem ipsa indulgentiùs se nobis adaptans, quos nondum potest amore, timore interim vincit. Evangelicam igitur charitatem lex reposcit, sed infantia hominum solum adhuc timorem conatur, & ipsa sibi Christum procrastinat. Quod evidentius facit Ambrosius idem: *Explodentur hi, qui sibi legisperiti videntur: qui verba legis tenent, vim legis ignorant: & ex ipso primo legis capitulo docet Christus esse legis ignaros, probans quod in principio statim lex & Patrem & Filium prædicaverit: incarnationis quoque Dominicæ annunciaverit sacramentum, dicens, Diliges Dominum Deum tuum, &, Diliges proximum, sicut teipsum. Unde Dominus ait ad legisperitos, Hoc fac & vives. At ille qui nesciret proximum suum, quia non credebat in Christum, respondit, Quis est meus proximus? Ita qui Christum nescit, nescit & legem. Quomodo enim potest scire legem, cum veritatem ignoret, cùm lex annunciet veritatem?* Audis satis clarè sine Christo verba legis teneri, vim legis non teneri; audis si nesciatur Christus, nesciri legem. Audis & Patrem & Filium lege prædicari & incarnationis Dominicæ sacramentum: audis veritatem & veritatis charitatem lege exhiberi, idque esse Christum. Audis denique nec primum legis capitulum impleri posse, videlicet dilectionem, quin teneatur Christus, quia Christus & Deus ille & proximus ille est, qui diligi lege præcipitur. Charitas enim in proximo Deum, & in Deo proximum, sive hominem in Deo, & Deum in homine diligens, Christum quodammodo meditatur, qui Deus in homine, & homo in Deo, seu Deus & homo, unus idemque est; & qua Deus, qua homo, hominibus omnibus implicatus & concorporatus, charitatem omnem seu Deo seu hominibus propter Deum impensam in sese recolligit.

XIII. Idem ex Hieronymo in c. 19. ad Gala.

Hieronymus: *Tantum enim bonum est charitas, ut omnis lex in illa recapituletur, &c. Nec difficile est docere quomodo universa præcepta, non occides, non adulterabis, non furaberis, & cætera his similia, una charitatis observatione teneantur. Hoc ostendere arduum est, quomodo hostiæ quoque quæ in Levitico sunt præceptæ, & ciborum vel abstinentia, vel permissio, cum alia munda, alia immunda: solemnitatum quoque jugis per annum recursus in uno charitatis præcepto recapitulentur. Nisi forte quis illo se transferat, ut affirmet legem spiritualem esse & imaginibus & exemplaribus nos cœlestium deservisse, antequam verus Pontifex advenisset. Qui postquam semel seipsum offerens victimam suo sanguine nos redemit, omnis illa prisce legis varietas & difficultas in ipsius super homines dilectione completa est. In tantum quippe Pater amavit mundum, ut Filium suum charissimum & unigenitum daret pro nobis.* Non mandata tantùm moralia, sed & ciborum delectui, atque istiusmodi morositatibus aliis dicata, quin & festorum, sacrorumque ritus omnes ad charitatem insinuandam spectasse indubitanter affirmat: idque summatim revincit uno hoc argumento, quòd ad Christi sacrificium delineandum digesta ea essent omnia, quod summæ Dei charitatis monumentum est. Ergo tota lex charitatem & Christum, ut unum & idem aliquid, hominum mentibus pro virili informabat. Nec latuit Hieronymum illa hujus totius dogmatis causa, apud Augustinum eliquatissimè declarata, quod amor pondus sit animæ, illam totam agens ordinansque; quod item amor omnium animæ affectuum rector & imperator quidam sit, atque ita vitæ humanæ quæ his affectibus tota circumagitur, arbiter summus: quod denique nullius anima possit ab amore qualicumque vacare in totum, sed eam necesse sit vel desipere terreno, vel cœlesti amore divina sapere. Unde nulla homini instituendo lex præfigi

potest,

potest, nisi quæ amorem ejus detorqueat à terrenis ad divina, ab imis ad summa, id conscientia animæ ipsi identidem objectat, id ex creaturarum inspectione, id ex Scripturarum qualicumque pervolutatione suspicatur saltem, nec nisi ingravescente quodam libidinum pondere ne id advertat, ne perpendat, ne sequatur, prohiberi potest, Hieronymus Epistola ad Celantiam: *Qui non diligit me, sermones meos non servat, Grandem vim obtinet vera dilectio, Et qui perfectè amatur, totam sibi amantis vindicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate, Nos si verè Christum diligimus, si ejus nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omninò debemus agere, nisi quod illum velle cognoscimus.* Et Epistola ad Eustochium de Virginitate servanda: *Difficile est humanam animam aliquid non amare, & necesse est, ut in quoscumque mens nostra trahatur affectus. Carnis amor spiritus amore superatur, Desiderium desiderio restinguitur. Quidquam inde minuitur, hinc crescit.* Ut ut sibi homines assententur, se suaque omnia uno amoris imperio agi vertique, possunt non cogitare, aliò cupiditatum fluctibus abrepti, non possunt ignorare, Utcumque lex divina insonet, si amore, si amoris saltem amore non obsequuntur, conscii sibi ipsi sunt suæ à Deo defectionis, cui amore non inclinantur, sed longè ab ipso ad ima reclinantur. Ubi autem amorem justitiæ supra suas vires advertunt, illi suspirandum, ejus largitori Deo vota nuncupanda, id est, invocandum Christum esse admonentur. Hinc Tertullianus libro de Patientia *Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus.* Et Paulus Epistola ad Severum: *Et solam illam quæ plenitudo est Evangelii charitatem,*

Epist. 8.

XIV. Idem ex græcis Patribus. Irenæus l. 4. c. 30.

Ex Græcis autem Irenæus primùm monet, nil lege priorum Patrum choro opus fuisse, ut quorum animis nondum exoleviset charitatis lex innata: *Quare Patribus non disposuit testamentum? Quia lex non est posita justis, Justi autem Patres virtutem Decalogi conscriptam habentes in cordibus & animabus suis, diligentes scilicet Deum qui fecit eos: & abstinentes erga proximum ab injustitia, propter quod non fuit necesse admonere eos correptoriis litteris, quia habebant in semetipsis justitiam legis.* At cùm augescente nequitia lex charitatis inscripta mentibus hominum aboleseeret, refricandam illam fuisse mox ait, & idcircò a Deo quidem editam immediatè esse legem Decalogi, quæ amore uno constat ordinato, utpotè invariabilem fixamque in æternum naturis rationalibus legem: reliqua verò quæ adumbrandæ vel exercitandæ pro tempore charitati adjiciebantur, & non usque duratura erant, à Moyse ipso promulgata esse: *Cùm autem hæc justitia & dilectio quæ erat erga Deum, cessisset in oblivionem & extincta esset in Ægypto, necessariò Deus propter multam suam erga homines benevolentiam semetipsum ostendebat per vocem, & eduxit de Ægypto populum in virtute, ut rursus fieret homo discipulus & sectator Dei, &c. Erga Deum dilectionem præsciebat, & in eam quæ ad proximum est, justitiam insinuabatur, ut nec injustus, nec indignus sit Deo præstruente hominem per Decalogum in suam amicitiam & eam quæ circa proximum est concordiam, &c. In quam vitam præstruens hominem, Decalogi quidem verba ipse per semetipsum omnibus similiter Dominus locutus est, &c. Servitutis autem præcepta separatim per Moysen præcepit populo, apta illorum eruditioni, sive castigationi.* Hinc infert non aliam à Christo incarnato legem promulgatam, quàm illam ipsam charitatis, quam ipsemet olim ante carnem suam edixerat, Cùm enim idem ipse sit, cùm lex charitatis invariata & æterna sit, hanc unam sive incarnandus, sive incarnatus sanxit; quia tamen caro ipsa Verbi scaturigo est gratiarum ejus omnium in homines, per eam astrinxit arctiùs nexum charitatis, ut perfectior nunc quàm olim, non alia tamen quàm olim lex nos constringat charitatis: *Decalogi quidem verba ipse per seipsum omnibus similiter Dominus locutus est. Et ideò similiter permanent apud nos, extensionem & augmentum, sed non dissolutionem accipientia per carnalem ejus adventum. Servitutis autem præcepta separatim per Moysen, &c. Hæc ergo quæ in servitutem & in signum data sunt illis, circumcinxit novo libertatis Testamento, Quæ autem naturalia & liberalia & communia omnium, auxit & dilatavit sine invidia largiter, donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, & diligere eum ex toto corde, &c. Auxit etiam & timorem, Filios enim plus timere oportet quàm servos, & majorem dilectionem habere in Patrem, &c.* Lex ergo charitatis, quia naturalis, liberalis, communis omnibus, nunquam cessavit, ea una à Christo rogata est, sive ante carnem, sive in carne, sive ante legem clam, sive sub lege palam, sive in carne sub gratia manifestiùs largiusque. Nam lex illa à Christo non potuit, nisi ampliùs commendari post carnem suam hominibus ultra proficientibus. Sed & olim cùm proficere singulos lex charitatis, seu insita, seu scripta juberet, penes singulos erat, ut ad Christi carnem vel properarent, vel lentescerent, atque illos ita sua non Christi tarditas fatigaret.

Cyrillus his consentaneus est: *Ait Christus: Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem. At quomodo hoc novum mandatum esse dixit, qui per Moysen veteribus præcepit, Diliges Dominum Deum, &c. & proximum sicut teipsum? Ecce enim charitate erga Deum primo loco posita, mutuam aliorum erga alios dilectionem subintulit, alteramque alteri conjunxit, &c. Sed novitatem sermonis intendens, suamque dilectionem aliquid majus ac præclarius habere quàm vetus illa in proximos dilectio, subjunxit statim: Sicut ego dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, &c. Lex enim præcepit diligere fratrem sicut seipsum, Dominus autem noster dilexit nos plusquam seipsum.* Igitur ex Cyrillo amplificata est à Christo & ulteriùs provecta lex charitatis, non quasi innovata: quasi dicas, adoleviss Christum, & ætatis incrementa feciss, non tum exortum, aut natum esse primùm, ut qui ante legem & sub lege existeret jam, & infantiam saltem quandam in hominum genere ageret. Ut autem Christus ipsa sit charitatis lex, quæ & anteà viveret foveretque homines, tum autem per charitatis incrementa adoleverit, affirmat idem Cyrillus paulò pòst: *Quid fabrilis artis peritus? nonne ideò se artem apprimè callere dixerit, quia fabro usus sit magistro? Eodem modo qui charitatis erga Deum plenam in seipsis vim habent, nullo negotio cognoscendum præbebunt se charitatis extitisse discipulos, sive Christi qui perfectissimam in se charitatem continet. Sic enim dilexit mundum, ut & animam pro ipso posuerit, &c. Cùm enim Deus sit charitas juxta Joannis vocem, quippe qui sit charitatis, hoc est, naturalis & unici ac veri Dei Filius, charitas etiam ipse manifestò est: non pompa verborum conspicuam habens dignitatem, sed operibus ipsis ac rebus fructum se esse substantiæ Patris ostendens.* Et paulò pòst: *Itaque ipsemet erit charitatis fructus, & cùm sit etiam ipse charitas, sicuti Pater ex quo est Filius, nostris per charitatem animis insignietur, & mutuam charitatem mordicus amplecti, conjunctionis & familiaritatis cum ipso notas bonis imprimit.* Non potuit efficaciùs demonstrari Christus mera charitas esse, & ipsa natura ac substantia charitatis, doctrina ejus una charitate concludi, vita operumque series unius charitatis esse monumentum: charitatem à Deo sibi promulgari Israeliticus audisse populus, charitatem è Scripturis fulgurantem vidisse, id est, Christum & ipse tenere potuisse, nisi sua ipsum cæcitas atque durities à cœlestibus aversum ad terrena afflixisset,

l. 9. in Eu. Joan. p. 719. 761.

Prom-

Promptum esset & alios Græcæ Theologiæ optimates percunctari, & consonantes his eorum audire sententias, nisi longiùs nos evectos nimia hæc jam prolixitas deterreret. Compendiosiùs dicam ne potuisse quidem eos circa hæc ullo dubitationis ambiguo æstuare: quod tota naturæ humanæ in Deum religio & justitia invariabilis una charitate contineatur: quod Christus quantus quantus est, mera sit Dei hominumque charitas: quod charitatem ante cætera sciscerat atque imperaret tota vetus Scriptura: quod denique neminem Mosaicis legibus, imò naturalibus notitiis imbutum latere posset, eam charitatem quam nostris viribus assequi haud ulla spes supersset, precibus à Deo ruinæ nostræ reparatore expugnandam esse, His ita fixis & conclusis, jam efficitur invictissimè id quod capite isto moliebamur, nulli in veteribus Scripturis defuisse saltem Christi, id est, charitatis infantiam, nisi sua ipsius spontanea surditate & terrenarum libidinum absurditate,

CAPUT XIII.

Verbum Deus ante carnem suam ad omnes ubique gentium extra Israelem populos visis congruis veniebat, & præcoquis futuræ incarnationis suæ beneficiis quibusdam irrogabat.

I. Anetiam in Gentilitas aliqua futuræ incarnationis beneficia irrotata sint.

Jamdiu est quod unis insudamus Israelitis, eisque præseminatum Christi mysterium prærogatumque sanguinem, imò Christum ipsum ante carnis suæ præsentiam repræsentatum philosophamur cum sanctis Patribus. Tempestivum jam est, & ad alios per orbem dissipatos latissimè populos, & per errorum devia, per vitiorum abrupta præcipites, respectare: atque inquirere, ecquid tandiu illos Christus adventu suo, etiam umbratica ejus specie defraudarit, & etiamnunc pleroscque fraudet, aut num qua eos suæ lucis gratiæque aspergine irroret?

Cæterùm jampridem nos illam alibi usurpatam non hìc tenemus disputandi rationem, quæ in varia capita atque argumenta dispescebatur, via & methodo perutili & præclariore. Ex quo enim orsi sumus indagare arcana divinæ providentiæ consilia in procrastinando Christi adventu, quasi nihil affirmare, nihil argumentari constituerum nobis esset, sola Patrum suffragia contexuimus, & eorum sensa nudare atque admirari visi sumus. Consultò id nobis factum est. Lubrica est enim quæstio hæc tota, & salebris undique obsita. Vestigia ergo Patrum ponè legere, singulorum calculos rogare & expendere & magni pendere, ab affirmandi temeritate, & à nostrarum opinationum evulgatione longissimè abesse, tutissimum nobis & consultissimum visum est. Itaque antedictorum omnium fides, fideique periculum sit penes eos authores, quorum verba ipsa excerpsimus: idonei erunt ipsi fidejussores. Si quorum nos sensa minùs assecuti sumus, aut interpretando deterserimus, & ita nostrum aliquid interseruimus, id totum expungi chartis, animisque oblitterari non assentimur tantùm, sed obsecramus.

II. Quam suspenso vestigio in his sit gradiendu.

Sed multò nunc cautiùs incedendum nobis est, & suspensis ingrediendum vestigiis, in hujus capitis argumento. Est enim Gentium ratio quàm Israelitarum multò caliginosior, & intempestæ nocti haud absimilis. Rarissima Scripturarum lumina, pauca Patrum testimonia ad eorum res nobis aperiendas præeunt, conjecturis plurimus supereſt locus, quibus statum nobis est nihil admodum indulgere. Est enim in his tanti momenti rebus non tam admiranda solertia, quàm fugitanda conjectandi temeritas. Itaque multò pressiùs legemus vestigia antecuntium, nobisque qualemcunque auctoritatis vel rationis tacem præferentium vel Patrum vel magni nominis authorum. Eorum scita proferemus, placita nostra omninò nulla erunt, aut si qua incautis erumpant, hinc jam ejurabuntur.

III. Et Cusan. de aggrav. tura incarnatione Verbi in Christum hominem & separatione. Ludovic. pag.

Non insecita sunt quæ variis locis circa rem istam philosophatus est Nicolaus à Cusa S.R.E. Cardinalis, scriptis rebusque in Ecclesia & pro Ecclesia gestis notissimus: *Omnis motus clauditur terminis speciei, quiescit enim omnis res in natura sua specifica. Species enim est cœlum quoddam ambiens omnem individualem motum suæ naturæ, &c. Non est oculus inquietus, quia non audit, aut quia non gustat, &c. Solum appetit videre, & in videndo habere omnem perfectionem, quæ per oculum desiderari debeat, &c. Sic nec homo potest appetere, quod sit alterius speciei, aut Angelus, &c. Vellet igitur homo in sua humanitate quam exire non vellet, consequi omnem perfectionem. Homo autem habet vitam. Non igitur vellet homo aliud quàm habere perfectam & indeficientem vitam, &c. Sic appetit intelligere perfectè omne intelligibile. Nam sicut videre est vita oculi, ita intelligere est vita animæ intellectivæ, &c. Sic velle nunquam est satiabile per acquisitionem bonorum, nisi omne bonum acquiratur. Non igitur quietatur homo, nisi attingat in humanitate sua vitam quæ est ratio omnis vitæ: veritatem quæ est ratio omnis veri intelligibilis: bonum quod est ratio omnis boni appetibilis. Et cùm homini insit hic motus à natura humanitatis suæ, hinc sequitur in ipsa humanitatis specie, quietem motus attingere posse hominem, qui nec frustra movetur, nec extra speciem. Humanitas autem est una, per quam omnes homines sunt homines, &c. Motus igitur humanitatis meæ est, ut in homine meæ humanitatis consequar quietem. Sed cùm nihil majus aut melius dici, excogitarive possit, quàm id quod me quietare debet, scilicet vita sine corruptione, veritas sine fallacia, bonum sine omni malo; tunc dico, hoc esse Deum. Deus enim est id maximum & id optimum quo majus aut melius concipi nequit: sed tale, quies est atque terminus motus, spiritus intellectualis. Hinc motus humanitatis meæ est, ut in homine meæ humanitatis attingam Deum. Reperio igitur in meipso hominem humanitatis meæ qui ita est homo, quod est & Deus. Et hic est homo in quo solùm ego in mea humanitate quietem attingere valeo: quies enim Deus est. Homo igitur ille qui est & Deus, est ille ad quem omnes homines secundum naturam humanitatis moventur. Et hic est Christus Jesus benedictus. Hic Jesus fuit occultus, desideratus omnibus gentibus, & venit in hunc mundum post longam expectationem.* Hæc ille, quæ compendio possunt ad ista summa capita reduci. Primò nativo impetu omnes homines concupiscere vitam sine defectione, veritatem sine fallacia, voluptatem imperturbabilem: id est, non mori, non falli, non dolere. Rursum vitam hanc æternam, & veritatem voluptatemque inexpugnabilem, non esse nisi Deum. Ad hæc insitum id etiam esse, ut nostræ ipsemet speciei hæc tanta insit felicitas, nec aliunde sit mendicanda. Nam individua cujusque speciei intra ejus fines ita coarctantur, ut inde evagari ne votum quidem aut spes sit. Ex quibus conglobatis perficitur, in votis esse omni homini, ut homo saltem aliquis & in eo natura hominum universa ceu in vertice suo sit vita indeficiens, veritas nusquam errans, suavitas inexhausta, id est, ut homò Deus sit. Cùmque insita insusurrataque à natura non possint frustrabilia esse desideria, hinc omnibus hominibus etiam inopinantibus inesse in animi recessu interius desiderium Christi, & spem eo potiundi. Hoc est enim quod ait Cusanus, *ad eum omnes homines secundum naturam humanitatis moveri?* hoc est quod ait: *hunc fuisse occultum desideratum omnibus gentibus, & venisse in hunc mundum post longam expectationem*: hoc est quod paulò pòst addit: *Hic est igitur princeps ille, quem omnis creatura ingemiscens desiderat. Omnis enim creatura desi-*

desiderat meliori modo esse quo potest: & hoc aliter esse nequit quàm in homine omnes naturas inferiores, in intellectuali sua complicante, qui sit & Deus, &c. Nihil igitur aliud est, quod omnia desiderent; quàm caput principiumque nostrum Dei Filium, primogenitum omnis creaturæ, per quem omnis creatura in esse existit, & in quem redire expectat; & gemit, quousque redeat ad quietem. Vide ergo quomodo Christum in nobis reperimus, & quod ipse est perfectio nostra, omnia adimplens quæ appetimus, & motum nostrum quietans, quando nos in ipsa nostra humanitate, in ipso divinam vitam & omne desideratum attingemus. Ita vult Cusanus omnem creaturam, omnem hominem in ipso felicitatis appetitu innato ad Christum suspirare, quod Christus unus ea felicitas sit, quam omnia naturaliter concupiscant, nempè summa & indissociabilis copula Deitatis cum natura creata. Sic illi Christus est, desideratus omnium gentium; sic omnis creatura ingemiscit & parturit, revelationem filiorum Dei per Christum complendam expectans; sic cuique Christus proximus est in ore & in corde, ut ait Paulus; sic ut ait Christus ipse, regnum Dei intras nos est: sic ut alibi dicitur, redeant prævaricatores ad cor, & ibi vulnerum medelam omnium nanciscentur, quæ foris sparsi per delicioſas lassitudines exceperunt. Porrò his accedet aliquid luminis, si advertas homini post lapsum suum familiare fuisse & inolitum, ut Deum & felicitatem suam in rebus corporeis venaretur, nec ullam tamen corpoream naturam suæ anteponeret. Quaquaversum patebat genus humanum per omnes terrarum tractus, & Deum & beatitudinem quærebat, & à naturis corporeis extricare mentem suam non poterat, & naturis corporeis facilè semet antestare intelligebat, ideoque Deos, aut saltem majorum gentium Deos nonnisi humana forma aut fingebat, aut pingebat, aut sculpebat. Nonne hinc Cusano largieris, omnibus hominibus præjudicatum præsumptumque fuisse, non nisi in Deitate humanata, universæ felicitatis summam esse collocatam? Nam quod adulterinis numinibus operam darent, ea erat erroris fallacia de consuetudine superfundens sese, nec tamen valens opprimere penitus innatum sensum consensumque unius veri summi numinis; cui inter angustias deprehensi, & naturæ, non consuetudinis instinctum tunc sequentes, vota faciebant. Omnes ergo illæ fictorum Deorum superstitiones, non aliud erant quàm deviantia quædam & distorta incarnationis imitamenta, sed indubitata testimonia insiti omnibus hominibus, seu ex naturæ, seu ex ægritudinis ingenio præjudicii, non posse homines nisi in Deo humanato conquiescere. Accedet rursus aliquid lucis sententiæ Cusani, si advertas illam hominum pronitatem naturaliter incumbentem in æterni, verissimi, & suavissimi boni aucupium, cùm motus quidam sit, à Deo cieri atque foveri. Movet enim Deus hominem, ut alibi prolixiùs statuitur, ad universale bonum, quod Deus ipse est, æternitas, veritas, voluptas summa & incommutabilis; & ex hac Dei motione illa proficiscitur hominis æstuatio & contentio ad bonum sibi comparandum, quo nec mori, nec falli, nec dolere posse consequatur. Cùm ergo ex ægritudine sua homo jam nequeat, nisi sensibilia vel mente vel amore complecti, & tamen Deo ciente inclinetur ad æternæ veritatis charitatem imperturbabilem aucupandam, hanc in sensibilibus aucupatur; rectè, si ad Deum verum in sensibilia misericorditer inclinatum; obliquè & distortè, si ad commentitios Deos respiciat. Deus enim quò priùs cœperat, etiam post lapsum pergens movere & impellere, movet impellitque ad veri boni authorem & restauratorem Christum, id est, ad æternitatem veræ charitatis sensibili natura hominis obvolutam; at homo æger impulsum ad remedium detorquens aliò, & ægritudini suæ indulgens largiùs, in prophanas religiones lascivit.

Iterùm idem Cusanus: *Cùm omnes ratione vigentes participent de ipsa sapientia, & non sit adeò sapiens in mundo, quin videatur in eo aliquis defectus, propter quem cognoscatur sapientior possibilis. Hæc autem possibilitas nisi in effectum perveniat, non est id à Deo factum quod est possibile fieri, & desicit perfectio. Ideò si debet in effectum pervenire, necesse est, quod divinæ & incorruptibilis sapientiæ plenitudo inhabitet illum corporaliter, seu essentialiter uti est; non accidentaliter, seu participativè, sed corporaliter, sic quod omnes sapientes participatione illius sapientiæ sint tantùm id quod sunt. Et hunc in lumine naturæ in quo omnium defectum videmus, in ejus comparatione, omnes sapientes prævidisse futurum potuerunt, tanquam plenitudinem divitiarum & thesaurum desiderabilium. Hanc plenitudinem virtutis vivificantis, Christum regem regum, opera quæ fecit circa medelam sensibilis rationalis vitæ, veniſſe ostenderunt, quæ nemo ante eum operatus est.* Non longè discrepat hæc Cusani argumentatio ab illa, quam præluserant Platonici Philosophi, sed quam Augustinus creberrimè usurpavit, & Christianæ inseruit Philosophiæ. Videlicet justitiam, sanctitatem, æqualitatem non visum iri nobis in quolibet homine, vel opere etiam singulari quocumque, vel abundare, vel deficere, nisi ante oculos obversaretur animi nostri summa quædam & numeris omnibus absolutissima, atque infinita forma justitiæ, sanctitatis, & æqualitatis, cujus accessu vel recessu de rebus & naturis omnibus sententiam ferre auderemus. Atqui post peccati nostri labem casumque in corporalia, non jam valemus formam illam æternam & infinitam justitiæ & veritatis, id est Verbum Dei, in sua sursum natura & luce contueri, sed corporea & maximè humana illam natura necessariò vestimus. Non tam justitiam enim ipsam à materia explicatam intelligimus, quàm hominem aliquem justissimum, & qui ipsissima justitia sit, imaginamur. Et amabo te, nonne hic est quem Christum nos appellamus? Ergo ait Cusanus, *Hunc in lumine naturæ, in quo omnium defectum videmus, in ejus comparatione, omnes sapientes prævidisse futurum potuerunt.* Cùm enim singulos ferè homines fastidimus ut aliquantulùm semper delirantes ab ea regula justitiæ, quam mente versamus, subest utique desiderium, subest vaticinium ejus hominis, qui nec transversum unguem deviet, sed ipsissima justitia sit.

IV. Eædem, ut summâ quandam sapientiam & justitiam omnes homines suspicentur, & quodámodo corporatâ. L. 7. Exerc. p. 560. 561.

Et ibidem paulò pòst: *Aliquid igitur supra omnem mensuram comprehensionis desiderat nobilis spiritus, & ingemiscit, quia id quod maximè desiderat, apprehendere nequit. Unde cum hoc desiderium apprehendendi vitam in sua æternitate & immortalitate omnibus nobilibus intellectualibus spiritibus insit, qui scilicet suam vitam intellectualiter intelligere summè cupiunt; tunc cognoscunt illum qui de gratia hanc dedit nobilem immortalis desiderii naturam, quod non dedit eam tali desiderio fervidam sine spe assequendi. Nam aliàs esset dare tormentum, quod optimo Deo non est ascribendum, qui solùm novit dare bona. Unde omnes Prophetæ & Sapientes etiam ex gentibus, videntes ex se non posse ad hoc quod spiritus desiderat, attingere, etiam scientes non frustra hoc eis desiderium ineſſe, affirmarunt illum qui dedit hoc tale naturæ intellectuali desiderium, etiam gratiam assequendi daturum. Hæc autem gratia quæ est suppletio defectuum naturæ, necessariò erit in aliquo gratia generationis, per quem gratia regenerationis in omnes veniet. Nemo autem dubitat si perfectè artem vivificandi sciret, quod tunc viveret semper, quia non sineret se ad mortem venire, quam tantùm abhorret. Quare veteres exoptarunt quod ars vitæ immortalis, quæ ab omnibus appetitur, inveniretur cognata uni per gratiam generationis, qui ipsam omni spiritui intellectuali posset communicare. Deus autem*

V. Ex eodem, ut ex innato summæ felicitatis desiderio colligatur utcumque Christum esse desideratum omnibus Gentibus.

tem est vita immortalis, & ars vitæ est sapientia, seu Filius ejus. Unde hic est Salvator qui regenerat nos lumine sapientiæ seu artis immortalis, ad assequendum ultimum desideriorum. Vides ni fallor, quid machinetur Cusanus, scrutari videlicet fibras interiores innati ejus desiderii, quo felicitatem, quo sapientiam summam & immortalem ardemus consequi, iisque implicatum vestigare Christi liberatoris desiderium velut innatum. Inexpugnabili enim naturæ instinctu flagrant omnes homines in summæ & indefectibilis sapientiæ assecutionem; immortaliter enim vivere avent, & vivere non aliud magis censent quàm sapere, unde & aliorum omnium quàm mentis & rationis jacturam æquiùs tulerint. Hoc immortale desiderium non frustra inesse persuasum est, imò facilè præjudicatur *de gratia sua* illud nobis inseruisse authorem naturæ, tanquam pignus reliquæ liberationis. Si enim naturam nostram post lapsum omninò abjecisset, nec ullam reparationis spem residuam superesse nobis voluisset Deus, hoc etiam abscidisset desiderium, quod non magis pristinæ amissæque felicitatis argumentum est, quàm ejusdem recuperandæ pignus & jam rudimentum. Ergo cum ex illo sensu & desiderio insito displicent nobis sapientissimi quique homines, ut aliqua ex parte semper titubantes, nec implentes usquam omnes numeros ejus sapientis, quem oculo mentis contemplamur, tum auguramur affore in aliquo homine incorruptibilem & infinitam sapientiam ipsam, ab eoque in reliquos homines dimanaturam. Quapropter ait Cusanus, *Sapientes etiam ex gentibus, videntes ex se non posse ad hoc quod spiritus desiderat, attingere, etiam scientes non frustra hoc eis desiderium inesse, affirmarunt illum qui dedit hoc tale naturæ intellectuali desiderium, etiam gratiam assequendi daturum.* Nimirùm ista naturæ ægræ & ægritudinis suæ remedium præsagientis desideria haud ulla existerent, si natura insanabiliter ægrotaret. Si autem insanabilis non est, ab authore suo curatum iri certa spes est. Nam si ab authore suo desperata abiiceretur, non immeritò existimaretur insanabilis.

VI. Omnibus prorsùs subduntur aculei quidam ad sapientiã incommutabilem amandam. L. 3. Exercit. p. 404.

Eodem redeunt quæ alibi habet idem Cusanus: *Verbum Dei in nobis posuit sui similitudinem. Cùm sit λόγος seu ratio, in rationali spiritu lucere voluit. In quo posuit desiderium veritatis, desiderium vitæ & legem æternam, per quam potest intrare in veritatem & vitam. Christus est Verbum quod est veritas, vita, & via. Appetimus autem veritatem, Christum igitur appetimus. Appetimus vitam, Christum appetimus. Quærimus qua via pertingamus? Christus est via, quia Deus est charitas. Charitas est via ad veram vitam. Omnes hæc in ratione nostra characterizata sentimus: quia nemo est qui non afficiatur ad veritatem, nemo est qui non optet immortalitatem, nemo est qui non amet. Sed in hoc mundo ignoramus quid veritas, quid vita, quid via, lex seu charitas; unde Christus intravit in hunc mundum, in nobis hæc omnia ostenderet.* Appetimus, & ad appetendum utique à Deo incitamur: quid enim vitæ, quid motus, quid maximè ad superna ambienda stimuli, nisi ab illo suggererentur? Appetimus ergo vitæ æternitatem, veritatis incorruptibilitatem, id porrò Christus est. Via ad hæc consequenda est charitas, nec id nos latet; nam lex æterna, lex interna & fibris animi à Deo inscripta charitas est: & charitas Christus est. Si ergo pura & intaminata à terrenis sordibus servarentur ab hominibus hæc munerum divinorum exordia nulli penitus inconcessa, quantulum aut quàm nihil à Christo distarent? Nam ægritudinis & virium inopiæ post peccatum contractæ ipsa nos monet experientia, clamat conscientia, adeoque ad invocandam cœlitus reparatoris Dei gratiam stimulat. Num Christus in carne aliud hominibus quàm æternitatis & veritatis charitatem persuasit? Cùm ergo singulis invisibiliter hominibus clandestinos subdit aculeos Christus idem, ut æternitatem vitæ, ut pulchritudinem veritatis incommutabilis ament, ut ambiant, ut caducis antehabeant, nonne ad eos tum venit? Nonne eis se ostendit, & adventus sui gratias aspergit? Plenius id quidem per carnem suam peregit, sed non omnes debent tota perfundi plenitudine, ii maximè qui asperginem & exordia gratiarum ejus aspernantur.

VII. Per lumen hoc [illegible]

Idem: *Spiritus noster rationalis participat rationem rationis divinæ. Et ob hoc, quod ex lumine illo divino, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ea in nobis in potentia apprehensionis per innata desideria esse sentimus, quæ Verbum incarnatum se esse fatetur, scilicet veritatem, vitam & viam. Si enim divina ratio ad cujus imaginem nostra ratio creata est, & à qua lumen rationis habet, se illa esse fatetur: non mirum si nos magno desiderio inclinamur ad veritatem, ad vitam scilicet veram & indeficientem. Et in nobis est lex æterna, ut in sua imagine, quæ est via ad veritatem & vitam. Sed quia ratio nostra quæ est lex de luce divina, lucet in tenebris hujus corporeæ atque carneæ substantiæ, &c. Hanc ignorantiam nostram miseratus Deus misit in carnem, ipsam rationem absolutam, sive Verbum, aut Filium consubstantialem, ut nos instrueremur, quomodo desideratam veritatem & vitam, quæ non est in hoc mundo, attingere valeamus.* Vide quàm expressè asserat *ex lumine illo divino, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, esse in nobis per innata desideria ea ipsa quæ Verbum incarnatum se esse fatetur, scilicet veritatem, vitam & viam*: ergo per innata desideria inest Christus, idque ex beneficio Christi ipsius, seu luminis veri quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Per hæc ergo lumina, per hæc desideriorum rudimenta venit Christus ad singulos homines, venit veritas, vita, lex æterna, & infirmis objectat se vel amplectendam, vel ut vires augeat invocandam. Et ista amabo desideria, nisi hiatu cupiditatum subter ebullientium obfuscarentur, atque devorarentur, quid nisi incitationes quædam ad superna bona & æterna Christi munera? Nam desiderare utique aliquod amare est, & incitari atque impelli. Ad Christum ergo veritatem & justitiam impellitur homo per illa irradicata à Verbo desideria: unde idem Cusanus: *Cùm se astringit voluntas veritati, tunc efficitur unum corpus cum Jesu, qui est veritas ab initio.*

Postremò idem Cusanus in Dialogo de pace fidei: *Omnes homines nonnisi æternam vitam in sua natura humana desiderant & expectant, & ad hoc purgationes animarum & sacra instituerunt, ut se illi æternæ vitæ in sua natura melius adaptent. Non appetunt homines beatitudinem, quæ est ipsa æterna vita, in alia quàm propria natura. Homo non vult esse nisi homo, &c. Hæc autem felicitas nisi fruitio & unio vitæ humanæ cum fonte suo, unde scilicet emanat ipsa vita, & est vita divina immortalis. Hoc autem quomodo esset possibile homini, nisi in aliquo communis omnium natura ad talem unionem elevata concederetur, per quem tanquam mediatorem omnes homines ultimum desideriorum consequi possint? Et hic est via, quia homo per quem accessum habet omnis homo ad Deum, qui est finis desideriorum. Christus ergo, qui præsupponitur per omnes qui sperant ultimam felicitatem se assecuturos.* Etenim dum stabat in veritate homo integer innocensque, Verbo uni adhærescebat ut regi, ut magistro, ut mediatori ad Patrem, ut beatitati suæ & veritati. At ex illa integritate præcipitatus in hanc sensibilium phantasmatum servitutem, jam ubique somniat sibi sensibilem regem, magistrum, mediatorem, beatificatorem: nec tamen obliterari potuit, aut potest adhuc innata, & ingeminata iden-

VIII. Excusat Cusanus Deum plusquàm non verum, pro vero Mediatore Christo, ut mirum sit ex errore peccatum [illegible]

identidem à superno illuminatore & stimulatore Deo anticipatio, præsumptioque veritatis & vitæ & charitatis incommutabilis, ex qua pendet & cui clam suspirat. Hinc porrò perspicuum est quid efficiatur: nempe expectare atque inhiare homines homini alicui, qui vita, veritas, & charitas voluptasque castissima & indeficiens ipse sit, omnesque homines ad sui societatem ascisceat. Eò intuebatur omnis illa superstitio hominum in Deos relatorum, qui & homines essent & Dii, qui & Dii essent & ad unum summum Deum mediatores. Ut enim perversa pietatis imitatrix impietas, & veritatis simulatrix falsitas pro uno vero qui interlucebat, plures Deos innaniebat: ita pro uno vero qui caliginosus radiabat, plures adulterinos mediatores, Deos eosdemque homines somniabat, utrobique rea & distorta veri imitatrix, veri luminis desertrix. Idem Cusanus statim: *Optimè hæc placent. Nam si intellectus humanus credit se assequi posse unionem ad sapientiam, ubi æternum vitæ suæ pastum adipiscatur, præsupponit alicujus altissimi hominis intellectum unionem illam altissimè assecutum, & hoc altissimum magisterium adeptum: per quod quidem magisterium se sperat similiter ad sapientiam illam aliquando perventurum. Si enim hoc non crederet possibile in aliquo etiam hominum omnium altissimo, in vanum speraret. Et quoniam omnium spes est aliquando consequi posse fœlicitatem, propter quam est omnis religio: nec in hoc cadit deceptio, quia hæc spes omnibus communis est, ex cognato desiderio, & quam sequitur religio, quæ pariformiter omnibus consequenter cognata existit: hinc video hunc magistrum & mediatorem, naturæ humanæ supremitatem perfectionis, & principatum tenentem, ab omnibus præsupponi.* Omnibus religionibus etiam aberrantibus prefundatam vult Cusanus esse quandam anticiparam Christi Dei atque hominis præsensionem: Ut enim omnibus superstitionibus præstruebatur insitus veri Dei unius sensus, cui quia spiritaliter adglutinari pigritabantur carnales & corporeis deliciis excantati homines, hinc fiebat ut in plures Deos luxuriarent: ita mediatorum spuriorum colluvies quos sibi Gentilium insania fabricabat, non aliunde scatebat, quàm quod præjudicatum esset quidem & quasi intus à Deo insusurratum omnibus hominibus in aurem interiorem, opus sibi esse mediatore, qui homo idem & incommutabilis esset sapientia: sed seu desidia, seu fatuitate, seu superbia abrepti, non tam cœlitus hunc expectare, quàm ipsi sibi procudere adoriebantur. Uno igitur ex capite utraque serpebat impietas, ut qui pro libidine sua Deos, iidem etiam mediatores sibi comminiscerentur; & distortè atque perversè abuterentur superna ea illuminatione atque motione, qua naturalia desideria ad veri Dei & veræ sapientiæ per hominem adventantis investigationem agebantur.

IX. Hæc Cusani placita quam sta. runt, si Patrum suffragatio accedat.

Hæc Cusani placita non sum nescius quàm multis insolentia visum iri. Ut invidia ergo in eum concitanda occupetur, vel concitata jam aliquantulum saltem demulceatur, venanda nobis sunt ex sanctis Patribus patrocinia, si qua ei propitia & consentanea exprimi possint. Et siquidem quæ ex Patribus accersemus, in idem conspirent, tum nos quoque in eandem sententiam concedemus: sin minùs, scitorum suorum periculum subire, & lectorum ultricem censuram illum ferre sinemus. Professi enim sumus tum alibi semper, tum verò hìc maximè aliorum decreta à nobis proferri, nostrum nihil esse proprium, aut si quid ejusmodi incogitantibus nobis excidat, id jam nunc à nobis spontanea ejuratione præfocari.

X. An Augustinus Cusano præsserit in retracta. p. 49, q. 2.

Augustinus præ cæteris excutiendus nobis est, quem ante alios admirari & sequi amat Cusanus. Pulsabatur hac eadem quæstione sanctus Pater à Gentilibus, ut testatur ipse: *Item alia proposuerunt, quæ dicerent de Porphyrio contra Christianos tanquam validiora decreta. Si Christus se, inquiunt, salutis viam dicit, gratiam & veritatem in seque solo ponit animis sibi credentibus redditam, quid egerunt tot sæculorum homines ante Christum? &c. Quid actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla sunt, siquidem is cui credi posset, nondum adventum suum hominibus commodarat? &c. Ne dicant lege Judaica vetere hominum curatum genus: longo post tempore lex Judæorum apparuit, ac viguit angusta Syriæ regione: postea verò prorepsit etiam in fines Italos, sed post Cæsarem Cajum, aut certè ipso imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel Latinis, quæ gratia nondum advenientis Christi vindicatæ sunt, usque ad Cæsarem tempus?* Hæc ex Porphyrii officina, ut vides, machina proferebatur, qua Ecclesia Christi à Gentilibus arietaretur. Scilicet non facilè Christo accedebant Gentiles eo maxime nomine, quod ab eo tandiu abjecti, tandiu frustrati essent. Non injuria ergo tantum studii operæque posuimus nos in hac conterenda argumentatione, in qua Ethnici tantum sibi adversum nos præsidii esse jactabant. Advertamus ergo qui hunc congressum sustineat & repercutiat Augustinus: *Quamobrem cùm Christum dicamus Verbum Dei per quod facta sunt omnia, sub cujus regimine universa creatura spiritalis & corporalis pro congruentia temporum locorumque administratur; cujus moderandæ & gubernandæ, quid, quando, & ubi circa eam fieri oporteat, sapientia & scientia penes ipsum est. Profecto & antequam propagaret Hebræorum gentem, per quam sui adventus manifestationem congruis sacramentis præfiguraret, & ipsis temporibus Israelitici regni, & deinde cùm se in carne de Virgine accepta, mortalibus mortaliter monstravit, & deinceps usque nunc cùm implet omnia, quæ per Prophetas ante prædixit, & ab hinc usque in finem sæculi, quo sanctos ab impiis dirempturus est, & sua cuique retributurus, idem ipse est Filius Dei Patri coæternus & incommutabilis sapientia per quam creata est universa natura, & cujus participatione omnis rationalis anima fit beata. Itaque ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundùm ejus præcepta piè & justè vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt.*

XI. Ex Augustino etiam ad Gentilium aliquos veniebat olim Christus Sapientia & lux justitiæ.

In promptu est quid hìc studeat Augustinus: nimirum salutem per Christum ante Christi adventum non Hebraicæ tantùm genti, sed & reliquis per orbem disseminatis impartiri. Cùm enim Christus sit sapientia Dei & justitia incommutabilis supernè radians, & hominum mentibus præsidens, quicumque usquam vel unquam in eum crediderunt, vel eum utcumque intellexerunt, eique vitam attemperarunt moresque suos, ii salutem per eum consecuti meritò conjiciuntur. Nam Verbum Dei, Sapientia Dei, Lex æterna Christus nunquam feriata est ab initio, nunquam à regendo, illuminando, ad se se prolectando humano genere cessavit. *Et tamen ab initio generis humani aliàs occultiùs, aliàs evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defuerunt, ab Adam usque ad Moysen, & in ipso populo Israel, qui speciali quodam mysterio gens prophetica fuit & in aliis gentibus antequam venisset in carne: Cùm enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis litteris jam ex tempore Abrahæ, nec ex stirpe carnis ejus, nec ex populo Israel, nec ex adventitia societate in populo Israel, qui tamen hujus sacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus, aliàs alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus?* Ita ille ibidem latissimam pandit januam conjectandi de cæteris extra Israelem gentibus, quibus se Christus ante adven-

tum suum indulserit. Si pauculos enim eorum sacra Scripturæ monumenta prodiderunt, id eo spectat, ut ex eis conjecturam de cæteris faciamus, qui ad occultam Christi mysteriorum conscientiam sunt adsciti. Ex quibus tandem perficit Augustinus: *Ita salus religionis hujus per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ usque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.*

XII. Nemo adolevit cui nō aliqua sapientiæ & justitiæ, adeoque & Christi lux atque gratia subrutilaverit. Epist. 99.

Ad idem collimat & alibi Augustinus: *Nondum enim venerat, scilicet in carne, sicut venit quando post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, Veruntamen ab initio generis humani vel ad arguendos malos, sicut ad Cain, ac priùs ad ipsum Adam uxoremque ejus, vel ad consolandos bonos, vel ad utrosque admonendos, ut alii ad salutem suam crederent, alii ad pœnam suam non crederent, ipse utique non in carne, sed in spiritu veniebat, visis congruis alloquens quos volebat, sicut volebat.* Et paulò pòst obscurioti loco Epistolę Petri hæc aptans, *Quia Christus, inquit, semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos adducat Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo & his qui in carcere conclusi erant, spiritibus adveniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, &c. Quoniam priusquam veniret in carne pro nobis moriturus, quod semel fecit, sæpè antea veniebat in spiritu ad quos volebat, visis eos admonens sicut volebat, utique in spiritu, &c.* Quibus ergo adventus carnis Christi prolatabatur, adventus Christi in spiritu per visa congrua non differebatur, quibus argueret singulos, moneret, consolaretur. Itaque quibuscumque veritas, quibuscumque justitia, castitas & virtutum lux vibravit desuper, vel utcumque scintillavit, ad eos Verbum Christus in spiritu venit, & venturę carnis suæ fructus quasi præcerptos infudit: sive clam & invisibiliter, sive per aliquos visibiliter justos veritatis & sanctimonię dictata atque exempla submiserans, Unde alibi Augustinus: *Venturus præcones mittebat, sed eorum corda, quos miserat, possidebat. Vultis nosse, quia cum illo venerunt? Quid est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? In principio erat Verbum. Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. Ego sum inquit via, veritas & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerunt.* Et hæc ille quidem de Prophetis, quæ nemo non videt consequenter porrigenda esse ad omnes, qui usquam gentium veraces fuerunt, insidente ipsos Verbo & veritate incommutabili, & per eos ad aliorum hominum resipiscentiam adventante. Quotusquisque autem est, vel fuit unquam, cujus oculos animumque nunquam vel scintilla ulla & quantulacumque lux afflaverit veritatis & justitiæ, seu intus radians, seu foris evibrata? Nemo ut reor: quocirca nec ullus hominum est qui rationis limina attigerint, quem adventu suo Christus Dei Verbum, usquequaque fraudaverit. Unde rursus ille: *In generatione & generatione veritas tua, fundasti terram & permanet. Post cœlum enim terram contuitu fidelis mentis aspiciens, invenit in ea generationes quæ in cœlo non sunt, & ait, In generatione & generatione veritas tua: sive omnes generationes ista repetitione significans, à quibus nunquam defuit veritas Dei in sanctis ejus, modo pancioribus, modò pluribus, ut sese temporum varietas habuit vel habebit: sive duas quasdam generationes intelligi volens, unam scilicet ad Legem & Prophetas, alteram ad Evangelium pertinentium.* Nunquam defuit veritas, utpote quæ non tantùm ad Legem, ad Prophetas, ad Evangelium, sed ad omnes penitus generationes venerit.

Tract. 45. in Joann.

In Ps. 118. Conc. 21.

XIII. Prophetas etiam alienigenas, *id est, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari potest: non quod necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes: sive per malos Angelos docti sunt, quos præsentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos. Nec ipsos Judæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas, ex quo propagatio Israel cœpit esse, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera qui propriè populus Dei diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israelitas superne patriæ cives pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt. Quia si negant, facillime convincuntur de sancto Job, qui ex gente Idumea genus ducens, &c. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est: ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.* Extra gregem illius populi, qui singulariter populus Dei audiebat, extitisse homines, quibus Christus in carne venturus innotesceret, à quibus etiam per consignata litteris vaticinia prædiceretur, autumat Augustinus, & exemplo beati Job ansam arripit, de aliis conjiciendi. Sed quàm latè patear hęc gratia, quàm paucos, quàm multos complectatur, id verò non attingit; plerumque ad paucos revocat hoc beneficium: nempe cumulatæ salutis.

quo ad Gentes m. k. sit à Deo & de Christo vaticinatas consentit Augustinus Civit. l. 18. c. 47.

XIV. An cum Cusano locutus et innatis quoad omnes de fidei rudimentis desiderium Christi absque omnibus inscio, vel saltem cognitione.

Sed quid hæc ad illa Cusani placita, qui Christum innatis etiam & anticipatis naturaliter desideriis insculpebat? Itaque hæc Augustini præclara quidem sunt ad rei quam tractamus elucidationem, ut liqueat Christum etiam ante carnem suam ad Gentiles veniisse per interna veritatis lumina, per externa etiam quędam sui vaticinia, selectis ex ipsa Gentilitate pauculis vatibus effusa; sed vereor ut inde patrocinium pro Cusani decretis ullum exculpi possit. Nisi quis humanius agere instituerit: & quæ Augustinus effatus est de Veritate, de Sapientia, de Verbo Christo, in spiritu & intelligibiliter, vel etiam per visa congrua veniente ad homines ubique terrarum ab exordio mundi, ea liberaliùs in Cusani suffragationem interpretari volet. Sed multa hìc opus est & prolixa indulgentia. Posset & ad id conferri quod idem disputat in Confessionibus, ubi agens de informato naturaliter omnibus hominibus beatitudinis desiderio, & amore veritatis, in qua sitam esse beatitatem haud usquequaque ignari esse possunt, ait: *Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est, omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt, &c. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem. Nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati sunt? Quia fortiùs occupantur in aliis, quæ potiùs eos faciunt miseros, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus. Ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant.* Enitur ex appetitu ingenito beatitudinis eliciat notitiam veritatis ejus summæ & incommutabilis, cujus gaudere intuitu, ea una beatitas est. Et has ait esse residui luminis reliquias, quibus si homines obsequantur, si ambulent, utique tenę-

Conf. l. 10.

XIII. Prophetas etiam ali-

bras

bras penitus effugient, & ad veram beatamque veritatis lucem Christum contingent. Ergo & hic quædam veri luminis Christi, quædam veritatis lux, quædam veræ salutis & beatitatis initiatio in ingenitis naturaliter desideriis ab Augustino deprehensa est. Posset etiam ad id rapi, quod alibi ita habet: *Sed quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus: nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus: missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum, unde nisi penderemus, hic ea non quæreremus.* En rursus ut innata desideria anhelare ostendit non ad commentitiam aut perfunctoriam, sed ad veram Deitatis æternitatem, veritatem, beatitatem, quamvis in transcursu sæpissimè illudat error, ut in infimis quærantur, quę reperire non est nisi in summis. Itaque eò collimare totam Christi dispensationem ut moneat, adducatque ea quidem quærere quę quærimus, sed fœliciùs quærere in supernis, & invisibilibus, quę delusi & malè fascinati nequicquam inter hæc terrena quæritamus. Itaque si Christus non aliud moliatur, quàm ut redeamus ad cor, si non aliud quàm naturæ reparator est, ergo qui ante ejus adventum in cor reflectebantur aliquantisper, qui innata desideria sua introspiciebant, qui ponderabant ea, qui superjectam humum tantisper everrebant, qui se sibi, & naturæ meliori reddebant, utique supernè adjuti, & veram divinorum æternitatem, veritatem, voluptatem sibi ambiendam videbant & docebant, ii utique Christum ad se in spiritu venientem ex parte aliqua prehensabant: & ibi si hæsissent, si non resilissent ad ista ingravescente consuetudinis sarcina, utique Christum tenuissent. Eodem redit quod idem ait alibi: *Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, ipso Deus meus, & ea fame non esuriebam, sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea, & ulcerosa projiciebat se foras, miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium.* Fames illi erat interioris cibi, Verbi Dei, & tamen ea fame non esuriebat, quia illam superabat, nec tamen extinguebat fames alia peregrina, & de contage vel originis, vel consuetudinis affricata, & in sensibiles pruriens illecebras. Utcumque regnaret hęc adventitia terrenorum esuries, non obruebatur tamen illa anterior & penitior atquè ipsis animæ venis implicata esuries Verbi Dei, quin inextincta & immortalis, premi poterat, opprimi non poterat: nec ita premi poterat, quin partes suas alternatim ageret, & creberrima nausea adversariam suam fatigaret. Hęc fames interior illa est, quam Cusanus describit, in veritatem, in sapientiam exardescens, nec tamen ut nunc res sunt post labem naturæ nostræ, eam vel somniare potis, nisi sensibilibus tegumentis obductam. Itaque sicui hinc Cusani placita satis Augustino approbata videantur, bene habet: sin minus, nihil urgeo prętera. Suspenso enim gradu statum mihi est per hęc incedere, nec quoquam prępitare assensum.

De Trinit. l. 4. c. 1.

Confession. l. 10. c. 40.

XV. Ex authore librorum de vocat. Sent. per creaturam, per legem, per carnem Christi nulli prorsus defuit lux & beneficium Verbi Dei. l. 2. c. 4.

Nunc operæ pretium est animum advertere ad authorem librorum de Vocatione gentium. Complura enim acervata ibi sunt, ex quibus hujus opacitas quæstionis non mediocriter illuminetur. En ejus verba: *Sed nec in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia quæ per Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptum est, Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes vias suas ingredi, hoc est, secundùm propriam permissa sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab aliis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cælum quippe, ac terra, & mare omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè dispositæ est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur authoris: implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur & sumus: Quoniam etsi longè est à peccatoribus salus, præsentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est.* Perpende quæso expressas authoris hujus voces, quod *hæc eadem gratia quæ per Christi resurrectionem ubique diffusa est*, nunquam mundo, nunquam aliis extra Israelem hominibus defuerit. Christus enim Dei Verbum, ut postea per carnem suam, ita priùs ad omnes ubique locorum homines *de cultu & dilectione Dei* concionabatur per creaturæ universitatem, tanquam per sapientiæ & justitiæ incommutabilis vestem & penè carnem quandam. Eadem utrobique gratia, etsi non eadem gratiæ largitas, sive per carnem, sive per creaturam, ad Dei cultum & dilectionem hominum genus imbuebat. Ecqua autem gratia nisi per Christum? *Igitur sicut dicit Propheta, Misericordia Domini plena est terra: quæ nullis unquam sæculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam qua universitatem rerum administrat & continet, regendis alendisque naturis semper impendit, dispositum habens ex incommutabilis æternitate consilii, quibus quidque temporibus distribueret, & multiformis gratiæ suæ inscrutabiles ininvestigabilesque mensuras, per quæ dona ac sacramenta variaret. Sicut enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes novissimè effluxit, non evacuat eam, quæ super unum Israel sub lege roravit: nec præsentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei quæ Patriarcharum filiis propriè præsidebat, conjiciendum est gubernacula divinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti: sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati.* Non ad providentiam ergo tantùm creatoris, sed ad misericordiam æternæ utique salutis procuratricem pertinere illa cœli terræque beneficia contendit hic Scriptor; nec corpori, sed animo etiam alendo servire; nec manifestis tantùm, sed occultis etiam Dei muneribus constare. Ad hæc de eadem gratia fluere autumat & quæ per creaturam, & quæ per legem Mosaicam & quæ per Christi carnem irrigantur nobis misericordiæ divinæ beneficia, nec discrimen interesse ullum, nisi ex parcitate & largitate. Largior enim utique fluxit ex Christi carne, qui fons ipse gratiæ Deus Verbum hypostaticè humanitati insinuatus erat. Denique præclarum est quod ait, ut ex ubertate gratiæ Christianæ nihil obloquendum est gratiæ Israeliticę parciori; ita nec cæterorum hominum sortem conclamatam esse, tanquam divina penitus gratia orbatam, etsi non tanta cęteri copia gratiæ, quanta Israelitæ donarentur. Parcior enim Israelitis quàm Christianis, parcior cæteris quàm Israelitis affluxit gratia & salus, sed nullos tamen omnino prætereiit. Nec abjecti à Deo existimandi sunt fuisse cæteri homines, etsi non ea ubertate perfusi sunt, qua Israelitæ: sicut nec hi repudiati sunt penitus, quanquam inopes admodum & nudi videantur præ Christianæ gratiæ exuberante opulentia. Sed & inter ipsos Christianos, alii aliis multò liberaliùs proluuntur Christi gratia, nec ulli tamen penitus denudantur: & idem ipse homo nunc exundare, nunc exarescere sibi videtur. Quod argumento est, justitiam & veritatem incommutabilem Christum nulli hominum se in totum subdūcere, non omnibus se ęqualiter præstare: semper ad homines & universos & singulos venire,

aliter & aliter alia atque alia gratiæ suæ copia, nec ullos tamen penitus defraudare,

XVI. Creaturæ species & beneficium etiam ad religionem illuminandam conducebat.

Quibus quia obstrepere videbatur concio quædam Pauli Apostoli in Actis, adverte ne eam nobis idem ibidem interpretetur: *Legimus in Actis Apostolorum Paulum & Barnabam Apostolos Lycaoniis dicere: Viri, quid hæc facitis? Et nos homines sumus mortales similes vobis, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda vestra. Quod autem hoc testimonium, quod semper Domino deserviant, & nunquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur?* Non ad corpus igitur, non ad terrenę tantùm vitæ fulcimenta sufficienda, sed *ad testimonium authoris*, ad æternæ legis tabulas ob oculos hominum ingerendas, ad divinam institutionem omnibus ubique gentibus instillandam comparata erat illa tota & Dei providentia & mundi pulchritudo. Quod ergo perhibeatur Deus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, non id prohibet, quin illis sui testimonium, & legem æternam, & Christi gratiam objectaret; ut & nunc finit maximam partem Christo initiatarum tubarum ingredi vias suas, quarum tamen aures Christianæ sanctimoniæ documentis interstrepit, *Cœlum ergo cunctaque cœlestia, mare & terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur authoris: & tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est: & odor mortis ad mortem, ut etiam in illis visibilibus testimoniis disceretur, quia littera occideret, Spiritus autem vivificaret. Quod ergo in Israel per constitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia & bonitatis Dei miracula semper egerunt.* Quis hìc offucias quærat? Quis tergiversetur? Quod lex, quod Prophetarum chorus Israelitis, hoc cęteris nationibus universis totius creaturæ testimonia semper egerunt. Ut Israelitæ ergo, ita & cæteræ gentes Christo imbuebantur aliter & parciùs, imbuebantur tamen. Lex enim & gratia Christi, ut Mosaicis umbris, ita & creaturæ universæ tegumentis velabatur. Lex Christi charitas eminebat tamen & emicabat, perrupta & umbrarum Mosaicarum, & naturæ totius opacitate. Lex Mosis à pleriſque secus accipiebatur, cumque spiritalis & salutifera ipsa quidem esset, carnalibus fomes erat & incitamentum effrænatiùs libidinandi. Ita & creaturæ universitas prędicatione perpetua Dei gloriam contestabatur illa quidem, & ad ejus charitatem provocabat; sed hominibus cupiditatum œstro furiatis, inde bacchandi materia & pernicies pullulabat. Lex Mosaica, ut & Evangelica, per sese odor vitæ ad vitam spirans, pleriſque odor fit mortis ad mortem; nec aliter lex æterna paginis elementorum insculpta.

XVII. Cõparatur creaturæ prędicatio Mosaicæ & Evangelicę: & gratiæ Christi rudimentum aliquod esse ostenditur.

Denique perinde ut lex Mosaica prævaricationes accumulabat, & reatu hominem constringebat, cogebatque ipsum sui pertæsum ad liberatoris misericordiam confugere: ita planè lex æterna per creaturas omnes hominem conveniens, & ex impotentia insitarum libidinum prevaricationes potiùs adaugens, ad gratiam superni medici implorandam illum adigebat, per visibilia hæc testimonia docens, *quod littera occideret, spiritus autem vivificaret*. Quis ergo jam querelarum locus? An istam prædicationem veritatis & charitatis ex universæ creaturæ decore & concentu circumsonantem, nulla ex parte Christo accepto ferendam garrient? Ut quid ergo hęc gratia, hæc misericordia, hæc salus ab hoc Patre crebertimè dicitur? Ut quid eadem gratia esse fertur, quę largiùs per Christum à mortuis reducem sparsa est? Ut quid eadem munia præstare fertur, quę legis & Propherarum volumina? Ut quid quamvis parcior, gratia tamen perinde ut lex, perinde ut Evangelium dicitur? Ut quid ad Dei cultum & charitatem invitat homines, quod unius Christi munus est, si de Christi censu non est? Ut quid sapientiæ & justitiæ legem æternam id est Christum præfert, ingeritque sapientium oculis, si nihil illi cum Christo? Ut quid etsi rariores, nonnulli tamen hinc salutis suæ recuperatæ exordia sumpserunt, si hæc de Servatoris beneficio nihil spirant? Ergo & ista quædam sapientiæ & justitiæ sempiternę Christi incarnatio est, seu corporatio, non aliter quàm illa Verbi per varias umbras in Israele apparitio. An foris quidem personare per creaturas legem æternam Christum, sed intus nihil gratię inspirari dicent? Ut quid ergo hoc externum testimonium misericordię & gratiæ Dei testificandæ opportunissimum, & à Paulo, & ab authore hujus operis pretenderetur? Ut quid hoc foris conspicuum, intus vacuum & inane auxilium, ludificandis magis quàm juvandis hominibus instructum, vel à Deo suppeditaretur, vel à Dei prędonibus venditaretur? Ut quid eadem hæc gratia, eadem esse misericordia jactatur, quæ per Christum latiùs fusa postea est? Ut quid pauci saltem hinc respicere & Deo sese reddere potuerunt, si nihil interioris roboris afflabatur? Ut quid præclarè cum illis actum iri arbitramur, si lex Mosaica illis, si Christi Evangelium innotuisset? num certiores sumus præter exterius Verbi præconium, adjutorii quoque interioris sufficientem copiam abundaturam? Ut quid Paulo advertamur dicenti litteram occidere, spiritum vivificare: vel Christo ajenti, carnem non prodesse quidquam, sed spiritum vivificare, ut tam in Evangelii quàm in legis & creaturæ prædicatione id valeat? An denique dicent, non Christi humanatam Deitatem, non crucem, non mortem resonare à creaturarum spectaculo, adeoque nec saluti parandæ accommodam hanc esse prædicationem? Ut quid ergo jactant Patres hanc gratiam, hanc misericordiam, hanc præsentem esse salutem? Ut quid hinc ajunt personari cultum Dei, charitatem Dei, legem æternam, quod unum, quod totum Christus est? Ut quid hic odor vitæ ad vitam spirasse, dicitur ab hoc Scriptore, cùm vita nisi ex Christi fide non aspiretur? Ut quid idem in voluminibus elementorum, cœlorumque, quod in Mosaicis Evangelicisque lectitari ajunt? Ut quid ante legem promulgatam & à Mose descriptam, non alius tot antea justis & Patriarchis liber ob oculos objectabatur, quàm creaturæ, unde salutis necessaria haurirent documenta? Ergo ad prædiscendum tunc Christum quantus saluti curandę necessariò discendus erat, nihil opus erat tum legis volumine, sed vel externa, vel interna abundè suppeditabantur dignis documenta; vel indignis autem aliqua saltem præsto erant, quorum contemptu aditum sibiipsis ad ulteriora obstruebant. Nam quibus justitiæ amorem, ut cætera fileam, cœli terræque liber expansus suadebat, Christi utique portionem longè optimam, etsi non totum suadebat: quisquis hinc resiliebat vel inertia, vel pervicacia, reliquam sibi præcidebat Christi fidem gratiamque

XVIII. Ex eodem Christi gratia

Hæc firmantur validissimè contextu eximio sequentium capitum libri ejusdem: *Quæ gratia Dei etsi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen*

Seculis se negavit, virtute una, quantitate diversa.

tamen sæculis se negavit, virtute una, quantitate diversa; consilio incommutabili, opere multiformi. Nam & in his diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem mensura confertur, &c. Quis nisi insipientissimus de differentia divinorum munerum conqueratur? &c. Et ibidem: *Ut secretissima æterni consilii voluntate, voluerit in omnibus super omnes generationes, aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos juverit, quos ad cognoscendum se, cœli & terræ testimoniis convenichat: aliter illos quibus non solùm elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, Prophetarum oraculis, miraculorum signis & Angelorum cooperationibus consulebat: & multò magis aliter misericordiam suam universis hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est filius hominis, &c. Quæ igitur causæ sint harum sub eadem gratia dissimulationum, quæve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquetur?* Huc tota mole operis sui & argumentationum pondere connititur hic Scriptor, ut cogat nos acquiescere non repulsæ aliquorum, & aliorum vocationi, sed differentiæ divinorum numerum, sed ingenti sub eadem gratia dissimilitudini, sed diversæ quantitati. Eadem ergo gratia, eadem salus, idem Christus nullis se negans, omnibus se vel per creaturam, vel per legem, vel per Evangelium præbens, sed mensura & quantitate non una. Et quàm imperscrutabilis est hæc divinorum munerum differentia, tam indubium est, neminem eorum penitus exortem præteriri. *Nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est prætereundus introitus. Manifestaverunt enim divinorum aliquorum multæ authoritates, & continua omnium sæculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse.* Ut ait ille. Qui aliquanto infrà hæc adjicit magni ad hæc ponderis: *Quoniam etsi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit: tamen tam pauci fuerunt, ut vix cognoscantur, an fuerint. Neque tamen ob hoc excusatæ sunt nationes, quæ alienatæ à conversatione Israel, spem non habentes & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris pericrunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Parcior, occultior, nonnulla tamen semper gratia Christi etiam ante legem, etiam extra Israelem omnibus dispensata est, sufficiens quidem, sed ex qua tamen pauciſſimi salutem inter alienigenas sortiti sint. Si nunc enim cum manifesta & exundantior gratia fluit, non tamen nisi pauciſſimi sinceritatem & medullam Christianæ fidei & salutis assequuntur, quantò pauciores illa tunc parcitas gratiæ servabat? Itaque omnes penè vacui & exortes fidei in Christum dici possunt, quia irroratas ab eo fidei & justitiæ primitias non ita excoluerunt, ut ad penetralia ipsa fidei, ad crucis, ad mortis, ad resurrectionis ejus arcana, vel ad justitiæ perfectionem perduci potuerint. Potuerunt aliqui, ut Cornelius & si qui alii Cornelii similes non injuria conjiciuntur.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 10.

Ibid. c. 14. 15

XIX. Ex eodem nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam credimus. l. 1. c. 15.

Denique idem Scriptor cùm Scripturæ testimonia plura congessisset, quibus Israelitis Dei cura affixa fuisse perhibetur: *Quamvis ergo & hæc & multa similia veritatis Scriptura pronunciet, secundum ipsam tamen credimus, & piissimè confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit: ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse.* Et infra: *Quamvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam.* Et rursum compendio declarans, quid operis sui serie meditatus sit evincere: *Elaboratum est enim quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occultè sive manifestè ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Venit ergo ad universos, & ad singulos homines ab exordio rerum Christus opere multimodo, diversaque mensura gratiæ, sic ut neminem adventus sui gratia penitus fraudaverit: & propheticas voces præceptaque legalia, id est, sui testimonia in elementorum saltem paginis nulli non homini objecerit.

Ibid. c. 111 Ibid. l. 2. c. 11.

XX. Ex Hieronymo, ut initium justitiæ existat ex lege insita per Christi gratiam simulata & adjuta. in c. 3. Ep. ad Galat.

Hieronymus non abhorret ab hac sententia: *Hoc solum à vobis volo discere, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei, &c. Consideremus diligenter, quia non dixerit, Volo ex vobis discere, utrum ex operibus spiritum accepistis; sed adjecerit, ex operibus legis. Sciebat enim & Cornelium Centurionem spiritum ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis quam nesciebat. Si autem è contrario dicitur, Ergo & sine auditione fidei accipi Spiritus sanctus potest: Nos respondebimus, accepisse quidem eum Spiritum, sed ex auditu fidei & naturali lege, quæ loquitur in cordibus nostris bona quæque facienda, & vitanda mala; per quam dudum quoque Abraham, Moysen, & cæteros sanctos justificatos retulimus: quam augere deinceps potest operum observatio; legis quoque justitia, non tamen carnalis legis quæ præteriit, sed spiritalis, quia lex spiritalis est.* Hic verò primas partes sibi vendicat lex innata, & legem scriptam antecedit. Nam ex operibus legis nulli penitus, ex operibus ex lege insita factis obtigit Cornelio justificatio: obtigit & iis omnibus, quos ubique Gentium, quocumque sæculorum tractu etti raros, extitisse tamen aliquos non temerè suspicamur. Ut enim de Jobo Augustinus colligebat & alios ejusdem sanctimoniæ floruisse inter vepreta gentilitatis; ita ex Cornelio fas est conjecturam ad alios ejusdem generis porrigere. Sed illud præ cæteris attendendum quod ait Hieronymus, Cornelium *accepisse spiritum ex auditu fidei & naturali lege quæ loquitur in cordibus hominum bona quæque facienda, & vitanda mala: per quam dudum quoque Abraham, Moysen, & cæteros sanctos justificatos retulimus.* Ubi non scriptæ tantùm, sed innatæ maximè legis cognatio & consanguinitas cum fide Christi, cum Spiritus sancti gratia esse demonstratur: unde & Abraham & cæteri eo superiores justi vel eo etiam posteriores, sed ante legem Mosaicam tamen justificati sunt, non sine aliquali Christi fide, nec tamen ulla lege nisi ingenita utentes. Unde liquet reliquas gentes legis Mosaicæ alienas eo loco fuisse, quo erat ante legem Mosaicam totum genus humanum, & ipse etiam piorum grex pusillus, nempe in legis insitæ lumine versatas esse, qua ad Deum & ad Christum ita deduci poterant occultis ejusdem Christi beneficiis, ut legem Mosaicam non desiderarent. Sed rursus idem Hieronymus: *Quærat quispiam si fides non est nisi ex auditu, quomodo qui surdi nati sunt, possunt fieri Christiani? Deum quippe Patrem ex magnitudine & pulchritudine creaturarum potest quis intelligere, & à conditionibus conditor consequenter agnoscitur. Christi autem nativitas, crux, mors, resurrectionis ex auditu sciri non potest.* Huic quæstioni quasi proluforiè respondet, non omnium fidem ex auditu dici, sed tantùm fidem ex auditu, nempe eorum qui audire possunt. Item posse surdis per nutus

tus vel alia id genus significari ea ipsa quæ aliorum auribus committuntur. *Deinde etiam hoc, quod Dei sermo cui nihil surdum est, ad eas magis loquatur aures, de quibus ipse ait in Evangelio, Qui habet aures audiendi, audiat. Et in Apocalypsi, Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et Esaias: Dominus addit mihi auriculam. Iste est alius homo, cui Deus loquitur in occulto: qui clamat in corde credentis, Abba Pater. Et quomodo corpus omnia membra & sensus habet, ita animam quoque universos & sensus & membra habere legimus: & inter cætera aures etiam, quas qui habuerit, non magnopere indigebit his auribus corporis ad Christi Evangelium cognoscendum.* Quanquam non perstrepat aures corporis Evangelium Christi, at interiores animę aures increpat, si modò eas strepitus vanitatis non obturaverit veritati. Igitur Evangelium Christi antequam palam fieret, ante ipsam Christi carnem insusurrabatur occultis animarum auribus, sed rarò admittebatur.

XXI. Ex eodem, Nemo sine Christo nascitur, ob innata semina veritatis & justitiæ. In c. 1. Ep. ejusdem.

Denique idem Hieroymus: *Cùm autem placuit ei, ut revelaret Filium suum in me, &c. Non est ipsum, Revelaret Filium suum in me, quod si diceret, Revelaret Filium suum mihi. Cui enim quid revelatur, huic illud potest revelari, quod ante in eo non erat. In quo verò revelatur, illud revelatur quod priùs fuit in eo, & postea revelatum est. Simile est illud in Evangelio, Medius in vobis stat, quem vos nescitis.* Et alibi: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ex quo perspicuum sit naturæ omnibus Dei inesse notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ & reliquarum virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, magisque judicio Dei obnoxii fiant, quod habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credant in eo sine quo esse non possunt.* Advertè hic mihi neminem sine Christo nasci; cui revelatur Christus, non quasi accersititium aut peregrinum quid, sed tanquam intimum & intestinum naturaliterque ingenitum revelari; ideoque non tam illi aliunde, quàm in ipso & ex ipso revelari; inesse Christum, cui insunt semina sapientiæ & justitiæ & cæterarum virtutum, quia videlicet Christus quantus maximus est, non aliud est quàm sapientia & justitia; Christi crux, & mors, sapientia & justitia est, nec sapere cuiquam jam aut justum esse post lapsum, nisi Dei dono, & humilitatis beneficio contingit. Quæcumque porro gentiles vel sapienter vel sanctè gerunt, hæc argumenta sunt inseminatorum sapientiæ & justitiæ, id est, Dei & Christi rudimentorum, in quę excolenda si illi gnaviter incumberent, ad fidei & justitiæ perfectionem adolescerent aliquando. Eccui autem dubium, venire & venisse Christum omni ęvo, & omni loco, ad eos omnes qui non sine Christo nascuntur? in quibus revelatur, cùm revelatur: & cùm non revelatur, sylvescente vitiorum densitate opprimitur? in quorum medio stat, etsi nesciatur?

XXII. Ex Tertulliano, quam conscientia innata consentiat Scripturæ & Evangelio; quàm naturaliter anima fit Christiana?

Tertulliani illa decantatissima hìc jam subeunt animum ex libro de Testimonio animæ: *Non multum refert, an à Deo formata sit animæ conscientia, an litteris Dei, &c. Ut naturæ & Deo credas, credè animæ, ita fiet ut & tibi credas, &c.* Audin ut animæ conscientiam iisdem Deus decretis inscripserit, ac Scripturam ipsam? Ac proinde parum referat, animę conscientia, an Scriptura consulatur vel audiatur, cùm utraque eodem Deo parente procreata & informata, idem spiret, idem eloquatur. *Cùm enim times fieri Christianus, eam conveni, &c. Cur verba habet Christianorum, quos nec auditos visosque vult? &c. Suspectam habe convenientiam prædicationis in tanta disconvenientia conversationis, &c.* Nonne hoc est quod ajebat Hieronymus, neminem sine Christo nasci? quod Paulus, Christum in nobis revelari? quod Joannes, Medius vestrum sterit? quod Christus ipse, Regnum Dei intra vos est? quod suprà ex Augustino prolixè ostensum, Intimus cordi est, sed cor recessit ab eo? Animæ porro conscientia, si Christianæ prædicationi tam consentanea est, per eam ergo Christus ad omnes venit, Christus omnes convenit. Si ex conscientiæ à Deo exaratæ instinctu etiam Gentiles verba habent Christianorum, ergo per sua ipsorum verba Christus eos circumstrepit. *Meritò igitur omnis anima rea & testis est: in tantum rea erroris, inquantum testis veritatis: & stabit ante aulas Dei, die judicii, nihil habens dicere: Deum prædicabas & non requirebas, &c. Christianum nomen sapiebas, & Christianum persequebaris.* Initia hæc sunt Christi, hæc fidei & carnis ejus elementa quędam, nulli non indulta, nulli non ad maturitatem quandam proventura, nisi vitiorum sentibus opprimantur. Ante adventum Christi in carne non aliter affecti erant gentiles, ergo Christianum nomen sapiebant ex aliqua parte, ergo Christi adventus afflatu aliquo inhalabantur. Nam si tu velis has esse reliquias primęvi boni, fruere tuo judicio: qui autem nihil sibi de massa damnationis nisi ignorantiam & peccatum obvenisse persuasus est, has potiùs interpretatur primitias novitatis de innovatore naturæ Christo prælibatas aspersasque omnibus hominibus, quibus si cura & diligentia impendatur, sanctitas tandem & salus matureścat. Nam quidquid ad naturæ reparationem utcumque confert, id omne certum nobis est Christo reparatori acceptum referre, quantumvis de censu naturæ ipsius residuo id quibusdam esse videatur. Verbum quippe Deus idem author reparatorque naturæ nostrę, post lapsum nostrum, post incarnationis peragendæ consilium, jam posthac non occurśat nobis nisi carnis suæ vel assumendæ vel assumptæ merita spargens, imperium stabiliens. Itaque quod tu authori naturæ imputare voles, id libentiùs reparatori adsignabimus nos, quodcumque ei reparandæ vel servit, vel destinatur.

Rursus idem Tertullianus: *Anima licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus & concupiscentiis evigorata, &c. cùm tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat, &c. Et quod Deus dederit, omnium vox est; judicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Non utcumque religiosam, sed Christianam naturaliter animam iterum iterumque inculcat Tertullianus. Quanquam enim hæc manifestiùs eluceant in animæ conscientia, de Deo uno, de judicio, de æternitate præmiorum pœnarumque oracula veritatis, at cætera de cruce, & morte Christi non ita facilè inde depromi possint: contexta tamen ineffabilibus nexibus ista sunt; & ut absolutiùs nos hinc expediamus, quisquis illa initia Christi medullitus amplexatus fuerit, quod utique non sine Christo fiet, ad corpus ipsum fidei & plenitudinem Christiani mysterii indubitatissimè provehetur. In Apolog.

XXIII. Ex Græcis eadem, ac primum ex Origene, in corde omnium scripta lex characteris, ex qua lex pendet & Prophetæ. In Epist. ad Galat. 4. 6.

Possent è Latinis plures alii adsciri suffragatores, sed ultra modum jam se porrigit hujus capitis moles. Veniamus ergo ad Græcos. Et quidem Origeni fortasse imputari potest, quod legitur apud Hieronymum: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto, &c. Nunc verò in eo quod absolutè locutus est, dicens, In dilecto: ita mihi intelligendum videtur, ut subaudiatur, ab omnibus. Si enim Christus, ut sæpe jam diximus, sapientia est, justitia, pax, gaudium, continentia & cætera hæc virtutum vocabula, etiam hi qui sequi nequeunt, diligunt: & nullus tam confessi sceleris est, ut non sapientiam & justitiam amare se dicat. Quomodo & de substantia Dei omnium homi-*

hominum consentit opinio, quod divina sit, & nullius sensu facilè comprehendatur: errat verò unusquisque, dum talem, vel talem eam putat. Ita & Christum secundùm id quod diversas virtutes sonat, omnes diligunt, licèt plures non possint factis probare, quod diligunt. Nihil absolutius adhuc, nihil ad Cusani mentem appositius occurrerat. Istud enim superest, ut ajebat Augustinus suprà, modicum lumen in hominibus, quo justitiam & sapientiam internoscunt, magnificiunt, radicitus diligunt, divinum quid esse sentiunt, & è cœlo infundendum, & humanæ irrigandum naturæ, & hoc totum Christus est. Interlucenti huic lumini si obsequerentur, si vitam moresque accommodarent, in Christum utique incurrerent tandem. Sed quantumvis ad hoc luminis exordium conniveant, feriuntur tamen ejus appulsu aliquo, & toto Christi adventu non defraudantur, aut improbitati suæ debent, quod defraudantur. Sed Origenes ipse apertè: *Magis mihi videntur hæc quæ in corde scripta dicuntur, cum Evangelicis legibus convenire, ubi cuncta ad naturalem referuntur æquitatem. Quid enim ita naturalibus sensibus proximum, quàm ut quæ nolunt sibi fieri homines, hæc ne faciant aliis? Legi verò Moysi concordare, lex naturalis secundùm spiritum, non secundùm litteram potest. Nam quæ erit in hac intelligentia naturalis, verbi gratia, ut octava die quis circumcidat infantem, &c.* Ergo lex naturaliter inscripta mentibus Evangelicæ convenit, Mosaicę etiam consonat, qua spiritaliter hęc, non materialiter sumitur. Lex enim innata charitatem Dei & proximi sancit evidentissimè, ex quo uno Lex, Prophetæ, & Evangelium pendet. Quo ergo frustratos causabuntur populos omnes extra Ismaelis claustra, cùm quod Evangelium, quod lex Mosaica spiritalis sonabat, hoc ipsis in cordis meditullio lex innata, & ipsissima animæ substantia insonaret? Et rursus Origenes idem: *Christiani videntur Celso digni vituperio, quod doceantur odisse vitia, & temperare à maleficiis, virtutemque honorare & colere ut à Deo factam & ipsam Dei Filium. Quamvis enim nomen fœmininum est, non tamen credendum est substantia fœminam, sapientiam justitiamque, quæ juxta nostram existimationem est Dei Filius, sicut germanus ipsius discipulus de eo scriptum prodidit, Quod factus sit nobis à Deo sapientia & justitia, sanctificatio & redemptio. Ergo etiamsi secundùm Deum dicamus, sciant quod his verbis nihil aliud dicimus, quàm virtutem in se omnes virtutes continentem.* Et paulò pòst: *Si propriè lex accipitur, naturalis ipsa est regina omnium. Quamvis quidam more latronum discedentium ab officio deficiunt ab ea, injustè viventes & prædatoriè. Itaque nos Christiani naturalem illam legem reginam omnium agnoscentes, quæ ipsa Dei lex est, conamur juxta eam vivere, valere jussis omnibus illegitimis legibus.* Quæ quem in scopum collineent, manifestum est. Claret enim Christum Dei Filium ipsam esse sapientiam & justitiam, ipsam naturalem legem, reginam omnium, cujus nemo in totum ignarus esse sinitur, naturalis enim est lex, id est, naturæ omni rationali inscripta. Et alibi idem: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quis autem scripsit in cordibus eorum, nisi Deus digito suo? Legem utique naturalem, quam dedit Deus humano generi, & in cunctorum mentibus scripsit: unde & initia sumimus, & semina quædam ad perscrutandam capimus veritatem, quæ semina si bene excolamus, fructum vitæ afferent in nobis in Christo Jesu Domino nostro.* Disertè tradit in cunctorum mentibus inscriptam esse digito Dei, id est, Spiritus sancti dono legem illam, ex qua initia sumimus quædam veritatis, quæ si excolantur, in Christi plenitudinem adolescemus. Sunt enim in illis inseminatæ legis primitiis rudimenta tantùm quædam Christi, ut plurimos fallant, & à Christo aliena prorsus esse & peregrina videantur: sed si tamen cultura impendatur, ut in Cornelio & aliis ejusdem sortis, efflorescet totus Christus, & tum demum patebit quid in rudi informique semine deliteseceret. Et rursum: *Sicut ipse justitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter ipse est etiam sustentatio. Et non aliquid justum sine eo, neque patiens, quod in se non habet Christum.* Et rursum: *Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo ut extra Christum requiras. Omnia quippe quæ sunt Dei, Christus est, Ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, ipse justitia, &c.* Ex quibus efficitur omnibus advenire, omnibus alluceścere Christum, quibus sapientiæ & justitiæ radius aliquis affulgescit: est enim hic adventantis Solis justitiæ antelucanus præcursor.

L. 2. in Ep. ad Roman.

Hom. 4. in Jerem.

Ibidem. hom. 5.

XXIV. Item ex Justino, ad quos utinqs veri & equi, ad eos & Christi aliqua portio venit. Apol. 2.

Justinus Martyr his consonantissima scripsit: *Ac Socrati quidem certè nemo tantum fidei habuit, ut pro placito ejuscemodi mortem perferret: Christo autem qui & à Socrate ex parte est agnitus. Ratio enim, seu Verbum, & est, & erit, in universitate rerum existens, &c.* Et infrà: *Non quod aliena sint à Christo Platonis doctrinæ, sed quod sibi ipsis non omnino constent: sicut neque aliorum, Stoicorum videlicet, & Poetarum & Historicorum. Pro se enim quisque ex parte nativæ sibique insitæ divinæ rationis, id quod affine & cognatum sibi esset, cernens, rectè promulgavit. Qui autem hisce contraria de rebus majoris momenti dixerunt, scientiam consistentem & notionem irreprehensibilem eos consecutos non esse apparet. Quæcumque ergo apud omnes rectè dicta sunt, nostra Christianorum sunt. Ingeniti namque & ineffabilis Dei rationem, seu Verbum secundùm Deum & adoramus & amplectimur, quoniam nostra causa homo factum est, ut per passionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret. Nam Scriptores omnes propter rationis semen illis insitum, perquàm tenuiter, ea quæ sint, cernere potuerunt. Aliud est enim semen alicujus & imitatio pro virili parte concessa; aliud ipsum, per cujus gratiam inde provenientem, participatio illa & imitatio existit.* Totus in eo est Justinus, ut Christum esse monstret rationem primam, cujus plenitudo Christianis, portio, delibatio & semen Philosophis aliisque extra specialem Dei populum obtigerit. Itaque quęcumque ubique gentium, vera & casta justaque vel ex aliqua parte extiterunt, vel gesta, vel dicta, vel cogitata, ea Christi segmenta quædam sunt, ea Christianæ plenitudinis derivationes sunt. Nullus ergo Christi in totum expers & inanis fuit, nemo ejus adventus non afflatum aliquem percepit. Et alibi de Socrate ob unius Dei confessionem interempto & de Christianis martyribus verba faciens: *Non modò enim apud Græcos per Socratem à ratione seu Verbo, sed apud Barbaros quoque ab ipsamet ratione seu Verbo inhumanato & Jesu Christo dicto hæc idololatriæ germina sunt reprehensa.* Et infrà: *Christum primogenitum Dei esse instituti sumus, & rationem atque Verbum esse, cujus universum genus humanum particeps est. Et quicumque vixere μετὰ λόγου, Christiani sunt, etiamsi athei habeantur: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus atque iis similes: inter Barbaros autem Abraham & Ananias, Azarias, &c.* Ubi nolim equidem quenquam vel Socratis, vel cujuscumque sigillatim causę ita pertinaciter patrocinari, ut eum certò asserat æternæ salutis compotem factum. Nec enim hujus instituti res ea est, & complures alios è sanctis Patribus comperi, qui & Socratis & aliorum Philosophorum vitia insectati sunt acerbissimè, ut insolescentem adversùm nos retunderent Gentilium gloriationem. Unum id Justinus, unum id nostra hæc disputatio molitur, ut quæcumque veri rectique semina, quibus omnino nemo hominum ratione utentium frustratus est, à Christo Verbo priùs sine carne, posteà incarnato, dimanasse in omnes hominum ætates, & ideo Christum ad omnes venisse, omnes sui adventus

Apolog. 2.

L. 1. contr. Celsum.

Hom. 10. in Numeros.

ventus fructu aliquo aspersisse, & ne plenius cumularentur, ipsos sua improbitate intercessisse, liquescat.

XXV. Item ex Cyrillo Alexandrino: quâ Christi gratia in omnes olim ubique Gentes effulgeret. L. 3. tom. 6. part. 2. pag. 107.

Cyrillus Alexandrinus scribens contra Julianum, hanc impii transfugæ adversum nostrum dogma criminationem refert: *Quod autem Deus Judæorum solum ab initio curam gesserit, & sors ista ejus eximia fuerit, non Moyses solum & Jesus, sed & Paulus dixisse cernitur, &c. Denique Jesum ad eos missit, &c. Tot annorum myriadas aut si vultis chiliadas in tanta ignoratione nos prætermisit, simulacris ut dicitis servientes, quotquot ab oriente sole ad occidentem, & à mediis septentrionibus ad meridiem, præter exiguam gentem, neque ante his mille totos annos in una parte Palæstinæ collocatam. Si enim omnium nostrum Deus est, & omnium æquè conditor, cur aspernatus nos est?* His illę nos querelis insectabatur. Adverramus ergo quę in eum regerat Cyrillus: *Ait Apostolus: An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Certè & Gentium. Si quidem unus Deus, &c. omnium opifex, & Gentium Deum se esse vel per insitas leges plenissimè comprobavit, quas omnium cordibus opifex insculpsit. Quando enim Gentes, inquit, quæ legem non habent, &c. ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Sed si Judæorum tantùm Deus esset, non autem etiam Gentium & Deus & Opifex, quomodo qui legem non habent, ipsi sibi lex sunt, insita disciplina eo pervenientes? Sua enim sponte natura boni omnis cognitione dives est, conditoris nutu hoc quoque consecuta.* Dignatur ergo providentia sua non eos modo, qui è sanguine sunt Israelis, sed etiam qui ubique terrarum sunt. Hæc prima est Cyrilli responsio. Rursum autem prolixam declarat Dei munificentiam ante Moysis tempora exhibitam, ante & post diluvium. Et quidem ante diluvium ait neminem prorsus dæmoniis aut idolis colendis deditum fuisse, quod Scriptura in causis illius cladis cætera quidem enumeret flagitia, non tamen idololatriam. Ergo hęc erat divinæ providentiæ gratia singularis, quæ per insitas leges humanum genus Deo uni vero religaret, non utique sine Christi sanguinis & meritorum contemplatione. *Deducunt quidem ab Adamo ad Noe decimum ab ipso annos quadraginta duos supra ducentos bis mille. In sacris autem litteris neminem prorsus reperiemus eorum qui id temporis extiterunt, Deorum multitudinis criminibus implicatum. Nam aliorum quidem rei acti sunt, neque frustra invecta diluvione perierunt: Idololatriæ autem probrum illatum prorsus nullum reperiemus.* Ergo hæc erat Christi gratia in omne genus humanum indiscriminatim effusa, non ad ullam gentem peculiariter restricta. Tertiò rursus cùm idololatria tandem irrepsisset in Noemi posteros, ex eorum turba sequestratus est Abraham, & ad germanum Dei cultum cum sua prosapia revocatus. Non ergo gentium salutem Deus nihil pensi habebat, cùm ex earum media colluvie aliquos seponeret sibi peculiaribus beneficiis devinciendos. Quin ante Israelitici nominis exortum Gentes curabat Deus, & Christo suo imbuebat, nec Israelitica plebs aliud fuit quàm Gentium universitatis portio selectior & specialiùs accurata; ut ex cura & gratiarum copia impensa huic particulæ, liceat augurari non intepuisse divina in Gentium universitatem studia, nec beneficia aruisse. *Jam quomodo ignoravit ille doctrinarum peritus, Deo curæ fuisse salutem gentium? Ecce enim, ecce eorum qui per Legem & Prophetas instituti sunt, radix Abraham extitit, quem vocatum diximus è multitudinis Deorum errore, ad ejus qui re est & veritate Dei notitiam. Dicimus itaque antiquiorem fuisse etiam vocatione Israelitarum ex Egypto, curam de gentibus & provisionem ejus qui supra omnia est Dei; ut & Gentium vocatio sit Hebræorum adrogatio.* Ad gentes utique veniebat Christus, cùm ad Abrahamum ejusque genus, è medio Gentium populo, gentilitiis ritibus & ipsum inquinatum veniebat. Quocirca & alibi Cyrillus: *Unde si rectè rem æstimare volumus, primitiæ vocationis gentium jure meritò intelligitur fuisse Abraham & ejus posteri.* Quartò respondet & Moysen in Ægypto versatum perdiu, genusque Israeliticum, unde efficaci potuerat omnis superstitio ab illa gente: & Jonam ad Assyrios missum esse pœnitentiæ præconem; & ominari hinc licet quantum orbi terrarum universo potuerit sinceri luminis & genuinæ sanctitatis aspirari, per Gentilium cum Israelitis, vel Israelitarum cum Gentilibus contubernia, per sacrorum librorum in omnem terram evulgationem, per singulorum Prophetarum ad Gentiles ablegationem, sive hęc Scriptorum monumentis consignata sint, & ad nos pervenerint, sive consignata sint, sed intercideriut, sive silentio sint obruta, & ab exemplo Jonę tantùm auguranda. Quo etiam referri debet, id quod plerisque & Græcis & Latinis Patribus cordi fuit, enucleare atque indigitare sigillatim quid exteri Scriptores cujuscumque farinæ mendicarint à nostratibus, id est à sacris propheticisque Scriptoribus. Nam quidquid veri rectique interspersum est sæculari litteraturæ, id non tantùm à fontibus legis & conscientiæ intimæ à Deo Magistro descriptæ, sed etiam ex aliqua sacrarum Litterarum derivatione ad exteras usque gentes stagnante haustum esse majoribus nostris visum est. *Ostendimus Abraham progeniem, immo ipsum divinum Abraham cùm esset alienigena & à Chaldæis oriundus, vocatum esse à Deo ad cognitionem veritatis. Quin & Ægypti incolæ idolorum cultui addictos intercedente Moyse Deus servavit, & ad rectum sincerumque vitæ genus data lege instituit. Unde si rectè rem æstimare volumus, primitiæ vocationis gentium jure merito fuisse intelligitur Abraham & ejus posteri. Missus item est Jonas Propheta Ninivitis prædicaturus, nec ultro sanè profectus est, verùm Deo jubente, ut illud iter capesceret, missus est.* Quod argumenti genus quàm latè serpat, nemo non sentit, nisi admodum obtusus. Quantum enim luminis, quantum sinceri cultus ab Hebręis transfundi posset ad cæteras gentes omnigenis & diversissimis modis, quis mente posset, vel sermone complecti?

XXVI. Ex Clemente Alexandrino ad Gentili quantum ad judaici coetus in Philosophia. Pædag. lib. cap. 6. lib. 6.

Clemens Alexandrinus illud prosequetur paulò liberaliùs, quod modo strictim attigimus argumentum. Audiamus ergo quo apud illum loco sit Græcorum Philosophia, ut ab Hebreorum fontibus derivata, portio veritatis Hebraicæ, à Scripturis furtim libata, à Deo Gentilibus instar legis donata, qua ad justitiam excitarentur, qua Christo præpararentur, qua non aliter quàm Hebræi lege Mosaica tanquam Pędagogo ad Christum manducerentur. *Ille qui veritatem Philosophorum ita sectatus est Plato, ut Hebraica veritatis excitarit scintillam.* Et alibi: *Qui Moysis imitator longè optimus est Plato.* Alia id genus complura prætereo, ex quibus affinitas Philosophiæ castigatioris cum doctrina Mosaica, adeoque cum Christo quem unum illa spirabat, non obscurè declaratur.

Lib. 1. Strom.

Rursum idem Clemens: *Philosophiam autem non dico Stoicam, aut Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum, dico Philosophiam, &c. Propterea enim græca voce expositæ sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ possint prætextum afferre, cùm possint quæ apud nos sunt audire, si tantum voluerint.* Et infrà: *Versas autem fuisse Scripturas & legis, & Prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam Græcam, ajunt tempore Ptolemæi, &c. Dei enim erat voluntas quæ id ad Græcorum aures consultò comparaverat. Neque verò ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam*

Græ-

Græcam efficeret prophetiam. Vides quam latè spargat Scripturas adventus & gratiæ Christi præseminatrices. Invigilabat prorsus Dei providentia in Gentium salutem, in Christi sui ubique terrarum promulgationem, cùm Scripturas suas evulgabat: ut inde Philosophi, inde omnes homines veritatis dogmata expiscarentur. Unde subjicit Clemens: *Sicut etiam Pythagoras multa ex nostris transtulit in suorum dogmatum traditionem. Numenius autem Philosophus Pytagoreus apertè scribit. Quid enim est Plato, nisi Moyses qui loquitur Atticè?*

L. 6 Strom. Idem rursus alibi: *Præterea autem ostendit, quod idem Deus suppeditavit utrumque testamentum, qui etiam Græcis dedit Græcam Philosophiam, per quam Omnipotens à Græcis gloria afficitur. Id autem hinc quoque est manifestum. Ex Græca quidem certè disciplina, & ex legali in unum genus populi cui salus datur, congregantur qui fidem admittunt, non tempore divisis tribus populis, ne quis triplices existimet naturas, sed diversis eruditi testamentis, unius Domini, unius verè Domini verbo. Quod enim quemadmodum Judæos Deus salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam, à vulgo secrevit. Præter Petri prædicationem, declarabit Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sybillam quomodo unum Deum significet, & ea quæ sunt futura: & Hydaspem sumite & legite, & invenietis Dei Filium multo clariùs & apertiùs esse scriptum, &c. Propterea dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis, Egredimini in mundum, ne quis dicat, Non audivimus. Sed ut in tempore nunc venit prædicatio, ita in tempore data quidem est lex & Prophetæ barbari, Philosophia autem Græcis, aures assuefaciens ad prædicationem.* Laudat Clemens libros exotéricæ authoritatis, sed & ejusmodi non unquam etiam à Canonicis Scriptoribus allegati sunt: aut ut castigem ipse memet, ex iis tanquam aurum ex stercore nonnulla & luce veritatis & fruge utilitatis commendatissima carpserunt canonici authores. Quod autem ait Clemens, Christum sibi ex Gentilibus Prophetas delegisse, id etiam sensit Augustinus, Gregorius, aliique, & Jobi exemplo invictissimè demonstratur. Quod verò ait Philosophiam Græcis perinde ut legem Hebræis à Deo misericorditer concessam, vix aut ne vix quidem negari poterit. Deum enim esse, & unum esse atque incorporeum, & castis moribus colendum esse, & a vitiis temperandum, Deiq; muneris esse quidquid recti sapimus & vivimus, & alia id genus inraminatæ veritatis atque pietatis oracula, in Philosophiæ pulpitis quotidie concrepabant. Hæc ergo Dei dona esse, hæc legis instar habuisse, hęc ad Christi Evangelicam & longè elimatiorem veritatem rudimenta quædam esse potuisse, quis cordatus inficiabitur? Sed illud cavendum quod præfatus semel est Clemens, ne Philosophiam interpretemur hanc aut illam peculiarem sectam, sed omnem à quibuscumque demum indagatam veritatem, hanc Philosophiæ nomine insigniamus. Unde idem Clemens fidenter pronunciat: *Merito ergo Judæis quidem lex, Græcis autem data est Philosophia usque ad adventum; hinc autem est universa ac generalis vocatio, ad peculiarem populum justitiæ, per eam quæ est ex fide doctrinam, per unum congregante Domino, qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet & Barbarorum, vel potius totius humani generis.* Viden ut generalem hanc vocationem dicat, quòd Deus humanum genus miris & innumeris modis haud unquam destiterit, ad verum, ad honestum, ad Christum vocare, & per Christum vocare, atque adeo & Christum mittere?

Et rursus ibidem: *Dicit Psalmus de Deo: Nulli genti sic fecit, & judicia sua non manifestavit eis. Illud autem, non sic fecit: fecisse quidem significat, sed non sic. Illud ergo, Sic, positum est ut fiat comparatio cum nostra excellentia, &c. Quin et iam Petrus quoque in Actis, in veritate comprehendo, inquit, quod Dominus non acceptor personarum est, sed in omni gente qui timet ipsum & operatur justitiam, est ei acceptus.* Et ibidem paulò antè: *Nam Paulus in Epistolis non videtur reprehendere Philosophiam, sed eum qui est particeps altitudinis cognitionis non vult amplius recurrere ad Græcam Philosophiam, eam allegoricè vocans mundi elementa, ut quæ elementa quodammodo doceat, & sit veluti disciplina præcedens veritatem.* Invehitur ergo in Philosophiam quandoque Paulus, si Clementem audimus, sicut & in legem, non ut ei notam inurat aliquam infamiæ, sed ut ab ea tanquam à lacte quodam puerili deterreat eos, qui non jam rudibus elementis & præludiis, sed ipsi fastigio veritatis debent inhærere. Quanquam enim lex antistet Philosophiæ, est tamen hæc quoque perinde ut illa, quanquam non tam cumulatè ut illa, præstructrix quædam & ad Christum initiatrix disciplina.

Et ibidem: *Quod si quis dicat, per hominum intelligentiam fuisse inventam à Græcis Philosophiam; atqui invenio Scripturas dicentes, Intelligentiam à Deo missam.* Et paulò antè: *Is autem Deus Verbum, dictus est sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium quæ orta sunt. Is autem ab alto, à prima mundi constitutione multifariam multisque modis & docuit & perfecit. Unde meritò dictum est, Ne dixeritis vobis magistrum super terram. Vides undenam ansas acceperit vera Philosophia, etiamsi lex sit imago & umbra veritatis.* Et ut semel dicam: *Omnis utilitas quæ ad vitam pertinet, suprema quidem ratione, à Deo omnipotente qui præest omnibus Patre, perficitur per Filium, qui etiam propterea est servator omnium, inquit Apostolus, maximè autem Fidelium.* Et infrà: *Neque enim qui homo est, potest pro dignitate de Deo dicere, &c. Quanquam qui Deum sibi ascribunt Magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opera eis ferente gratia ad quantulamcumque cognitionem, &c.* Cohibeo calamum, ne plura ex eodem testimonia & argumenta congeram, quibus efficiatur, non humanæ solertiæ, sed divinæ misericordiæ adscribendam esse qualemcumque Philosophiæ ante Christi adventum orbi irradiantem lucem; quippe: cùm omnia bona etiam extrema à fonte boni incommutabilis sint; cùm omnia vera summæ veritatis stilliçidia quædam sint; cùm omne lumen ab increato Verbi lumine deriveretur; cùm magister non sit aut esse possit, nisi Christus incommutabilis Dei sapientia; cum Dei veritas tam inaccessa & invia sit homini terrenis fæcibus oblimato; cum omnis ad veritatem & sanctimoniam initiatio quamlibet rudis & decolor, nonnisi gratiæ medicinali Christi adsignanda sit, non homini, suo in censu jam non aliud quàm peccatum & ignorantiam habenti.

Postremò idem Clemens Philosophiam Christo viam præmunisse, & Pædagogi instar ad eum homines inclinasse atque præformasse, sic tradit; *Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam, nunc autem utilis ad Dei cultum & pietatem iis qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes inquit tuus non offenderit, si quæ bona sunt, ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est causa, sed aliorum quidem principaliter, ut testamenti veteris & novi, aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophiæ. Fortè autem principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos Pædagogi more docebat, sicut lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia, ei viam muniens, qui à Christo perficitur.* Quis hìc nodum

L. 6 Strom.

in

in fcirpo quærat? ἐπαιδαγώγει γὰρ ἐν αὐτῷ τὸ ἰουδαϊκὸν, ὡς καὶ ὁ νόμος τοὺς ἕλληνας, εἰς χριστόν. Et rurſum: προπαρασκευάζει ἡ φιλοσοφία, ὁρθοποιοῦσα τὸν ἀπὸ χριστοῦ τελειόμενον. Et rurſus: *Philoſophia autem Græca veluti præpurgat & præparat animam ad fidem accipiendam, &c.* Ut igitur per legem Hebræos ſibi præparabat Chriſtus, & ad eos per hac iſtud jam prænaſci, ſibique præire & adventum ſuum prævenire maturabat: ita licèt parciùs & ſinuoſiùs ventitabat ad Græcos per Philoſophiam, per quam complura è ſuis decretis præſeminabat. L. 7. Strom.

XXVII. Quam non ſint hæc adverſa Auguſtino, gratiâ parcius ſeminanti.

Videre mihi videor homines indignante ſupercilio jamdiu frementes, quod Philoſophiam penè conſecremus, quod Chriſtum Ethnicorum ſordibus oblinamus, quod ab Auguſtino receſſionem moliamur, qui gratiam Chriſti non ita paſſim proſtare voluit, ſed paucis eximiis & electis ſeponi. Sed incaſſum hęc tota ſævit indignatio. Neque enim plus æquo extollitur Philoſophia, ſi infra legem ſtatuitur, quæ tamen nihil ad perfectum adduxit, quæ infirmis & egenis conſtabat elementis, quæ juſtitiam nulli plenam contulit. Quid autem invidioſum tantoperè videtur, ſi illa qualiſcumque delibatio veritatis quam Philoſophia olim attigit, Chriſto accepta referatur? Cùm tota & plena veritas Chriſtus ſit, cùm lumen ipſe ſit, quo omnis homo illuminatur, quid adeo alienum videtur, ſi rivulus, quo Philoſophia irrigata eſt, fonti veritatis reddatur? Si luminis coruſcatio, quo illuſtrata raptim eſt, Soli ſuo refundatur? Si denique Chriſto imputetur quidquid veri, honeſti, ſalutiferi uſquam eſt? Quid invidemus Clementi Athenienſi, de Philoſophiæ gremio in Eccleſiam ingreſſo, ſi Philoſophiam & ſuo experimento, & quotidianis ſuorum temporum documentis Eccleſiæ veſtibulum fuiſſe conteſtetur? Si qua extra Chriſtum aut vera, aut bona hominibus coruſcaſſe diceremus, tum verò in nos meritò accenderetur indignatio. At ſi ne minima quidem recti verique lumina eſſe uſquam patimur, quorum non ipſum gratulemur authorem, viderint, in nos, an in Chriſtum ipſum hæc confiagret invidia. Errabit, qui vel ſóla, vel maxima hæc eſſe Chriſti gratiæ dona dixerit; non qui aliqualia, non qui initialia gratiæ dona eſſe ſenſerit.

XXVIII. Auguſtini exemplo liquet, per Philoſophiâ ſicuti per legem eo adductos homines, ut verò & bonum viderent, ſuâ infirmitate ſentirent, medicum implorarét. L. 7. Conf. c. 20. Ibid. c. 17. 18.

Quod autem ad Auguſtinum attinet, non tantùm non adverſatur ille Clementi, ſed & vehementer patrocinatur. Et ipſum enim defæcatior quædam Philoſophia à Manichæorum colluvie, à phantaſmatum corporeorum ſordibus explicuit, & ſin minus ad Eccleſiæ Catholicæ penetralia, certè ad ejus quodammodo limina appulit. Ipſum audiamus: *Tunc lectis Platonicorum illis libris, poſtea quàm inde admonitus quærere incorpoream veritatem, inviſibilia tua per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexi, & repulſus ſenſi, quid per tenebras anima mea contemplari non ſineret, &c.* Illis libris ad incorpoream veritatem, ad verum Deum appulſus eſt, ejuſque luce reverberatus & infirmitatem ſuam intellexit, & ad viam comparandi roboris fruendo Deo idonei quærendam invitari cœpit, Ibidem: *Et mirabar quod jam te amabam, non pro te phantaſmata: & non ſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, &c.* Et rurſum: *Et quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te, nec inveniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, &c.* An non aperta hæc eſt ad Chriſtum manuductio? Cui enim oſtenditur veritas, cui beatifica patria, cui oculorum lippitudo declaratur, cui ſuperni auxilii neceſſitas, nonne illi umbratilè Chriſtus oſtenditur? Annon hac eadem arte Iſraelitæ Chriſto initiabantur? Et his enim lex, juſtitia, ſanctitas oſtentabatur & imperabatur, ut dum ad eam niterentur, & irrito conatu fatiſcerent, ſupernum peterent liberatorem. Illis ergo veritas, his ſanctitas divinitatis per Philoſophiam & per legem Moſaicam ſubrutilabat, & lenocinabatur, ut ad ſe pertraheret, ut ſequi per invia, ut venire per cœnoſa cupiditatum non valentes, viam & auxilium gratiæ ſupernæ implorare compelleret. Et quidem Philoſophis etiam ſanctitas veritatis moribus æmulanda, & Hebræis veritas ſanctitatis intellectu contemplanda ſublucebat, ut quæreretur, & utrique utraque arte ad medici invocationem provocarentur: ſed Hebræis lex magis, Philoſophis ſapientia magis cordi erat. Et quia ad veritatem beatificam morum caſtitate compendioſiùs quàm mentis acumine pervenitur, Hebræi etiam Philoſophos anteiverunt, & fidei Chriſti priores compotes facti ſunt. Sed Auguſtino cum Clemente conciliando unus plus ſatis erit adhuc locus: ubi de antiquis & recentioribus Platonicis agens, hæc habet: *Illi enim ſi reviviſcerent, quorum iſti nominibus gloriantur, & invenirent refertas Eccleſias templaque deſerta, & à cupiditate bonorum temporalium & fluentium ad ſpem vitæ æternæ & bona ſpiritalia & intelligibilia vocari & currere humanum genus: dicerent fortaſſe, ſi tales eſſent, quales fuiſſe memorantur: Hæc ſunt quæ nos perſuadere populis non auſi ſumus, & eorum potiùs conſuetudini ceſſimus, quàm illos in noſtram fidem voluntatemque traduximus. Itaque ſi hanc vitam illi viri nobiſcum rurſum agere potuiſſent, viderent profectò cujus authoritate facilius conſuleretur hominibus: & paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fierent, ſicut plerique recentiorum noſtrorumque temporum Platonici fecerunt.* Annon ergo ut aiebat Clemens, pædagogi ad Chriſtum vicem obibat Philoſophia, cujus ſectatores plerique in Eccleſiam, ut primùm ea emicuit, certatim confluxerunt? Annon pædagogi ad Chriſtum vicem obibat Philoſophia, cujus aſſeclæ paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fiebant? Annon pædagogi ad Chriſtum munus obibat Philoſophia, quæ eadem nobiſcum de Deitate, de animorum immortalitate, de fuga temporalium, de amore æternorum, de patria pacis ſentiebat? Annon pædagogi ad Chriſtum vicem obibat Philoſophia, quæ veritatis æternitatem populis ſenſibilium conſuetudine hebeſcentibus oſtendi non poſſe monſtrabat, niſi per ejus fidem & morum conſentaneam caſtitatem antè purgarentur: fidem autem ſine divinæ authoritatis perſona humano generi perſuaderi non poſſe; hanc porro authoritatem hominibus deferi, cælitus ergo expetendam expectandamque eſſe convincebat? Quod autem de cruce, de morte Chriſti, de reſurrectione ejus nihil ſonet in Philoſophia veteri, non ideo de Chriſto ſiletur. Eſt enim Chriſtus non tantùm caro & crucis hoſtia, & mortis domitor, ſed etiam Verbum & veritas, & lux & morum caſtitas, & beata æternitas. Portio ergo Chriſti & initiatio ad eum eſt, quidquid horum aliqua redolet. Per humana Chriſti ad ejus divina, & viciſſim per divina ad humana devenitur, per quæ in divinitatis arcana penitùs ſubeatur. Aug. De vera Relig.

XXIX. Ex Gregorio Papa eadem confirmantur, Præfat. in Iob. c. 2.

Non me contineo quin attexam hìc quod excideràt ex Gregorio Magno: *Erranti igitur homini data eſt lex: erranti verò ſub lege adducitur teſtimonium eorum, qui extra legem ſunt, &c. Circumſcripſit nos divina providentia, circumvenit excuſationem noſtram: undique concluſus eſt aditus tergiverſationis humanæ. Homo gentilis, homo ſine lege ad medium adducitur, ut eorum qui ſub lege ſunt, pravitas confundatur.* Et paulò pòſt: *Nec immerito inter Hebræorum vitas in authoritatis reverentiam vita juſti gentilis adducitur: quia Redemptor noſter ſicut ad redemptionem Judæorum & Gentilium venit, ita utrorumque vocibus prophetari voluit: ut per utrumque populum diceretur, qui pro utroque populo quandoque pateretur.* Gentilis iterum

rum iterumque Job fuisse inculcatur, qui tamen & justus, & Christi Propheta, & Hebræis invidiam facturus dicitur à Deo excitatus fuisse; ut nihil ambigas venisse ad Gentiles etiam Deum Verbum & futuræ crucis suæ carnisque merita instillasse. Nam Jobi, Melchisedeci, Abimelechi, Cornelii & alia id genus exempla in Scripturis rarissima, latiùs conjectandi potestatem nobis faciunt. Quibus adde & Augustinum: *Venit hominibus Christus magisterium & adjutorium ad capessendam sempiternam salutem. Magisterium quidem, ut ea quæ hìc ante dicta sunt utiliter vera, non solùm à Prophetis sanctis, qui omnia vera dixerunt, verùm etiam à Philosophis atque ipsis Poetis, & hujuscemodi authoribus litterarum, quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat? illius etiam in carne præsentata confirmaret authoritas, propter eos qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere atque discernere. Quæ veritas & antequam hominem assumeret, ipsa aderat omnibus, qui ejus participes esse potuerunt.* Vides unde influxerint quæcumque utiliter vera à Gentilibus quibuscumque dicta sunt, nempe ab intima & æterna veritate Christo, qui ante carnem suam omnibus aderat, qui ejus participes esse potuerunt, & utique potuerunt, quos cœnosa cupiditas non penitus excæcabat. Quocirca & singulis hominibus & ipsi Gentilium Reipublicæ universæ quadrare possunt illæ etiam stationes ante legem, & sub lege, etsi obscuriùs, etsi occultiùs. Nam ante quàm ratio cuique & lux interna & lux æterna fulgescat, is ante legem degit in intempesta quadam nocte; ubi fulserit, tum sub lege est. Similiter antequam Philosophia sæcularis vel ingenitos veritatis & legis intimæ igniculos excitando, vel de sacris litteris & de Hebræorum contubernio pleraque mutuando illucesceret orbi, ante legem volutabatur in meris tenebris genus humanum: ubi illuxit, tum quasi sub lege agere visum est. Ita *partim singulis hominibus, partim verò ipsi hominum generi subvenitur:* ut ait idem Augustinus.

Epist. 3. ad Volus.

De vera relig. c. 10.

Verum nemo expressiùs saluti gratiæque in Gentiles effusæ patrocinatus est quàm Richardus à sancto Victore. Itaque & ex ipso aliqua excerpam. *Multi non solùm ex Judæis, verùm & ex Gentibus Christi adventum prænoverant, & cum magno desiderio expectabant, secundùm illud: Ecce veniet desideratus cunctis gentibus. Non dicit, Desiderandus, sed, Desideratus. Ut intelligas in omni gente aliquos aliquando in ejus desiderio flagrasse. Erat igitur ejus adventus à multis gentilium præcognitus & ardenter desideratus. Ad hanc tamen cognitionem paulatim & per intervalla temporum pedetentim ascenderant. Nam primò quidam illorum divinitus illuminati, & naturali ratione edocti intelligebant, quantis tenebris totum pene genus humanum involutum erat, &c.* Fusè deinceps prosequitur ut *divinitus illuminati & naturali ratione edocti*, ad Christi cognitionem vel vaticinium perducti sint. Nam quod recta ratio ad æternam salutem frugiferum explorat, id utique Deus revelat. Unde Paulus docet, cùm Philosophi per ea quæ facta sunt, ad invisibilia divinitatis intelligenda grassati sunt, Deum illis revelasse. Revelat enim sese lux veritatis, cùm oculo etiam perspicaci affulget. Deo ergo illuminante, & mente hominis indagante, ait Richardus patuisse, quod Deus verus esset, quod ejus conspectus & amicitia bearet hominem, quod ab ea felici sorte in barathrum quoddam calamitosum delapsi essemus, quod hinc emergere nostris opibus haud pares essemus, quod ab unius Dei indulgentia tantæ hujus ærumnæ nostræ solatium præstolandum sit. Vides quàm mollis & expedita hæc via esset, qua Christus adventum carnis suæ antevertens, ad homines singulos veniebat, aut ne veniret, eorum à seipsis dispersione atque irrevocabili peregrinatione, vel phantasmatum curarumque temporalium tempestate quadam propulsabatur.

XXX. Idem ex Richardo Victorino. de Incarn. Verbi, c. 8.

Sive ergo eos spectes, qui explicatiùs quid de Christo per ipsius Christi prævium lumen intelligebant: sive ad illos te convertas, qui quamvis tenebrosis libidinibus insepulti, nil pensi habebant æterna & interna bona, non tamen poterant vel suborientem identidem temporalium nauseam, vel impetum mentis immortalis ad immortalia & cognata sibi bona irrequietè & infatigabiliter anhelantis, penitus obruere ac suffocare: utrimque constabit, sive scientes, sive inopinos omnes homines ubique locorum ad id suspirasse utcumque, quod Christum nos esse credimus & intelligimus. Unde pulchrè Cassianus: *Cùm lator legis clamaverit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Pius utique Propheta & totius in se generis humani affectum habens, eum qui mittendus à Patre ad redemptionem omnium erat, ut quàm celerrimè mitteretur, quasi totius à Deo Patre humanæ carnis vocibus postulabat, dicens: Obsecro Domine, mitte quem missurus es.*

De Incarn. L. 4. c. 5.

CAPUT XIV.

Christus non universis tantùm, sed singulis etiam hominibus venit; singulis nascitur, crescit, moritur, resurgit; ideoque non semel, sed semper venit; & etiamnunc, cùm venerit jam, venturus expectatur.

I. Utrique Christi Adventui; Redemptori & Judici, duplex est; ad universos, & ad singulos.

Hic cardo vertitur orthodoxæ in re ista doctrinæ. Nec enim tantoperè satagendum de Christi ad universos, quàm de ejusdem ad singulos adventu. Ad universos enim adventus sacramento & pompæ servit: adventus verò ad singulos, & in singulos, salutem importat sempiternam. Non aliter quàm secundi adventus tempus in ambiguo esse nihil obest: quandoquidem cujusque interest, non tam quando universis, quàm quando sibi sigillatim morienti Christus judex imminebit. Ita & primus in carne adventus Verbi ab pompam, ad Sacramenti majestatem certo alicui temporis articulo alligandus ille quidem fuit: sed juvenescente, an senescente mundo, an in ætatis meditullio potiùs locandus fuerit, non ita interest scrutari, quia dum singulis omnium ætatum hominibus adveniat & innascatur, adolescat & immoriatur, resurgat & in cœlestibus consideat Christus, præclarè satis nobiscum agitur, & omnis æstuatio sedatur. Itaque gratulandum iis est, quibus privatim & invisibiliter informatus est Christus, sapientia & veritas incarnata, etsi longo temporum interstitio à manifesto ejus adventu illi disterminati fuerint. Illis ex adverso illacrymandum est, quibus visibiliter Deus in carne apparuit, nec tamen invisibiliter per fidem in eorum mentibus incarnatus est. Ab angustiis igitur temporum extricanda est causa & ratio adventus Christi, id est, sapientiæ & justitiæ incorruptibilis in naturam humanam, & à sensuum corporeorum exilitate in quandam æternitatis amplitudinem expandenda est. Ex quo Verbi Dei lapsum nostrum miserantis sanctitas & veritas illuminare & castificare homines cœpit, eorumque naturæ illabi, & illapsu suo inhærentem peccati mortisque luem expungere; ex tunc venire & incarnari cœpit; & quandiu id præstare pergit, tandiu venit & incarnatur; cùmque semper id præstare pergat usque ad exitum sæculi, venire & incarnari perennat; donec tota Christi plenitudo per extremum ejus adventum consummetur, cùm omnes peccati mortisque reliquiæ penitus exurentur. Universalis hic autem & perpetuus Christi adventus, qui singulos & universos complectitur, aptus utique & religatus est ab illo utroque conspicuo & speciali adventu, quo in homine sigillatim & hypostaticè assumpto jam venit humilis, &

veniet iterum in gloria. Sed hæc sancti Patres elegantiùs differunt.

II. Ambrosius de utroque ad singulos & ad universos adventu. In c. 20. Luc.

Ambrosius ita habet: *Quid enim mihi prodest diem scire judicii? Quid mihi prodest tantorum conscio peccatorum, si Dominus veniat, nisi veniat in meum animum, redeat in mentem meam, nisi vivat in me Christus, in me Christus loquatur? Ergo mihi Christus debet venire, mihi debet adventus ejus fieri. Fit autem Domini secundus adventus in defectione mundi, quando possumus dicere, Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo. Sed hunc virum talis mundi defectus si in superioribus domus inveniat, ut conversatio ejus in cœlis sit, tunc destruetur templum corporale atque visibile, lex corporalis, pascha corporale, & pascha visibile, azyma corporalia, & azyma visibilia, adeo dicere, Christus temporalis, ut fuit Paulo antequam crederet: quia in eo cui mundus deficit, Christus æternus est: Huic spiritale templum, lex spiritalis, pascha etiam spiritale, quoniam semel Christus occiditur. Hic epulatur azyma, non ex fruge terrena, sed ex fruge justitiæ. Fit ergo huic præsentia virtutis atque justitiæ, præsentia redemptionis. Christus enim semel quidem pro peccatis populi mortuus est, sed quotidie peccata populi redempturus.* Nescio quid hìc sapit de saliva Origenis, sed bene habet, quod expiata per Ambrosium sit omnis obliqua suspicio. Adverte autem in aureolo & bracteato hoc toto contextu, quàm nihil admodum de conspicuo ad universos, sed vehementiùs de peculiari ad singulos, seu primo, seu secundo adventu satagendum sit. Adverte, etsi nobis jam Christus venerit, expectari tamen venturum; & qui venturus expectabatur, venire quotidie, si modò exolescat in nobis amor mundi, si corporalia nobis deficiant & vilescant, si exterioris hominis cura expuatur, & in interiorem in dies repullulascamus. Adverte secundo Christi adventu in nos eadem præstari, quæ primo, sed cumulatiùs splendidiùsque; templum videlicet corporale & visibile destrui, legem corporalem aboleri, Pascha corporale desinere, azyma visibilia oblitterari: id est, corporalem & typicum cultum abrogari, spiritalem cœlestemque invehi: infantiam quandam Christi & justitiæ crepundia excuti, ætatem plenitudinis Christi id est sapientiæ & justitiæ perfici. Adverte hinc semper Christum venire, quandiu justitia in singulis aliquibus exoritur, vel maturescit, sive ante, sive post solemnem ejus in carne adventum, quandiu injustitia in singulis deficit: solemnem autem ejus adventum primum in humilitatis schemate, secundum in gloria peragi, quia justitiæ exordia ab humilitate cuique surgunt, pertingunt autem per incrementa quotidiana ad perfectissimæ sanctitatis gloriam.

III. Supra temporum locorumque distantiam est Christi majestas: adest, ubi creditur: adest, ubi non creditur. In c. 24. Luc.

Idem Ambrosius alibi: *Merito prohibetur tangere Dominum, non enim corporali tactu Christum, sed fide tangimus. Nondum enim, inquit, ascendi ad Patrem meum. Id est, Nondum tibi ascendi, quæ viventem cum mortuis quæris.* Et infrà: *Denique Stephanus supra terram quæsivit, qui stantem te ad dexteram Dei vidit: Maria autem quæ quærebat in terra, tangere non potuit: Stephanus tetigit, quia quæsivit in cœlo: Stephanus inter Judæos vidit absentem, Maria inter Angelos non vidit præsentem. Sed quare non potuerit illa tangere, Evangelista nos docuit, quia cum te videret, nesciebat quia tu esses. Merito tangere non potuit, quæ videre non poterat. Nam qui videt, tangit.* Quod hìc de locis, tu de temporibus argumentare, deinde enim ab utrisque absolvenda Christi majestas est. Incredulæ tum Mariæ præsens aderat, nec videri tamen, aut tangi poterat: fideli Stephano longè aberat, & videbatur tamen ab eo, & tangebatur: quia nempe fide videtur, fide tangitur. Itaque distantiam & intervalla, etsi multa sint, fides vincit; etsi nulla sint, interjicit perfidia. Abest ubi non creditur, etsi præsens sit: adest ubi creditur, quamquam longè positus. Ita & temporibus fides, temporibus Christi incarnatio dominatur. Illis inter mundi initia veniebat & incarnabatur, à quibus credebatur: illis in plenitudine temporum non veniebat, non incarnabatur, quorum incredulitate ablegabatur. Rursum hìc adverte, etsi tum resurrexerat Christus, etsi ad Patrem ascendebat, non ascendisse tamen, aut resurrexisse, nisi iis à quibus Deus esse non dubitabatur. Nam qui carni ejus carnaliter adglutinabantur, iis jam quidem natus erat fortassis, jam grandiusculus, sed nondum à mortalitate redivivus, nondum in Deitatis gloriam sublimatus. Unde ibidem; *Ergo ascendisti & nobis, ut te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus. Ascendisti Apostolis, quibus dixisti, Qui me videt, videt & Patrem. Denique Joannes ubi te quæreret scivit: apud Patrem te quæsivit & reperit, & ideo ait, Et Verbum erat apud Deum. Ascendisti & Paulo, qui non contentus solus te sequi, nos quoque docuit quemadmodum te sequamur, & ubi te reperire possimus, dicens: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Et ne oculorum magis hoc, quam animorum putaremus officium, addit, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo non supra terram, nec in terra, nec secundum carnem te quærere debemus, si volumus invenire. Nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum.* Quod de ascensione, idem de aliis Christi sacramentis æquum est pronunciare. Illis ascendit, qui fidei & charitatis ejus apicem summum tenent: illis nascitur, in quibus prima pietatis fundamenta jacit: & ita de aliis. Unde rursus idem: *Eleventur ergo portæ tuæ, ut non Ariano sensu parvulus, non pusillus, non subditus ad te Christus introeat; sed intret in Dei forma, intret cum Patre, intret cum tali qualis est, & cœlum & omnia supergressus, & mittat tibi Spiritum sanctum. Expedit tibi ut credas, quod ascendit, & sedet ad dexteram Patris. Nam si eum inter creaturas & terrena impia cogitatione detineas, si non tibi adheat, non tibi ascendat, nec Paracletus ad te veniet: sicut ipse dixit, Nam si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam illum ad vos. Quod si inter terrena eum requiras, sicut Maria Magdalene requirebat, cave ne & tibi dicat, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ecce quibus ascendit Christus, nimirum quibus Spiritum sanctum plenissimè immisit, quibus Deus & gloriæ paternæ collega creditur: cæteris enim non ascendit, sed adhuc inter terrena reptat. Itaque & illa Spiritus sancti plenior post receptum in cœlos Christum effusio, solemniter & conspicuè semel facta ad sacramentum universitati hominum condendum, jugiter fit, semper fit, singulis hominibus fit, nisi per ipsos stet. Universim enim privata fide & charitate singulis fit Christus, quidquid universis semel factus est ad fidem & charitatem illam semel promerendam, quam singulis impartiret. Quare ibidem paulò pòst: *Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est.*

L. 4. de Trin. ad Gratian. c. 1.

IV. Et Hieron. non vellem Christum per omnia & quocumque loco præsentia & temporum & ubiquitate in Amos. c. 9.

His plaudit Hieronymus creberrimus & ipse hujus arcani interpres, non sine sapore aliquo haustæ ab Origene doctrinæ, & à suspicione erroris purgatæ: *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, &c. Ipse est qui quotidie ædificat in cœlo ascensionem suam, & dicit in Evangelio, Pater meus usque modò operatur, & ego operor: & non solùm de costa Adam in typum Ecclesiæ semel ædificavit Evam, sed quotidie credentes & membra corporis sui ædificat, & de terris ad cœlum levat, ut in illis ipse conscendat. Ascendit Dominus in cœlum cum Enoch, ascendit cum Elia, ascendit cum Moyse, cujus sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inveniri. Ascendit*

cum

cum Paulo, qui vas electionis in Apostolum ex persecutore mutatus est, & de humilibus raptus ad sublimia, ita ut ascenderet ad cœlum tertium, & per Spiritum sanctum & Filium perveniret ad Patrem, & audiret verba ineffabilia, mysteria Trinitatis, quæ hominibus audire non licitum est. Iste ergo qui quotidie ascendit in sanctis, &c. Innuit Hieronymus è dignitate Christi esse, ut non semel, sed semper operetur; non semel, sed semper nascatur, semper resurgat, semper ascendat Christus homo, sicut & Christus Deus cum Patre hactenus operatur, & deinceps infatigabili potestate operabitur. Nam quæ semel creavit, eadem indesinenter recreat aut creare perpetuat, ut æterna sint ejus opera, substantiæ ejus æternitatem æmulantia. Ita non semel, sed semper nascitur, semper ascendit, ut quos semel his sacramentis in seipso creavit, hos indesinenter creare & perficere pertendat. Ut enim omnia in principio rerum creata quidem sunt & seminata, sed explicantibus sese sæculorum voluminibus explicantur & illa, jugique creatione parturiuntur ac prodeunt: ita in Christo creati, nati, resuscitati, cœlis invecti omnes semel sumus, sed quasi seminaliter: lapsu temporum explicanda sunt hæc semina, ut semper creetur nova hæc creatura. Innuit rursum Hieronymus è dignitate Christi esse, ut quisquis gratiæ nascitur, quisquis peccato moritur, quisquis immortalium gustui reviviscit, quisquis in æternitatis sinum rapitur, Christus nascatur, Christus moriatur, ille resurgat, ille rapiatur: quod intelligibilium bonorum, nostrum sit nihil, quod omnia sint ejus, quod omnia sit ipse, quod omnia in omnibus adimpleatur, quod universalis justitia, & unus justus, quia tota justitia, ipse sit. Innuit tertiò paulò pòst Hieronymus, quod Christus visibiliter natus sit semel, & mortuus, & excitatus, eam esse litteram historiæ: quod quotidie nascatur, & moriatur, & suscitetur, hunc esse spiritum, hanc veritatis intelligibilem medullam: & quidem litteræ tanquam fundamento insistendum esse, sed non immorandum ibi, quin ad superna spiritalis intelligentiæ culmina, id est, ad mysteriorum Christi expansissimam quandam universalitatem enitendum esse. *Et cùm historiæ habuerint fundamenta, tunc spiritalis intelligentiæ culmen accipiant: ut verè Christus de virgine natus sit, verè Lazarum mortuum suscitarit, verè ad tactum ejus Hæmorrhoissa sanata sit, &c. licèt secundùm tropologiam quotidie de anima virginali nascatur sermo divinus, quotidie peccato mortui & vitiorum funibus alligati de sepulcro scelerum suorum jubeantur exire, quotidie sanguinis opera constringantur, &c.* Itaque qui morosiùs tricantur circa tempus visibilis Christi adventus, in litteræ vepribus defiguntur, & ideo spinosis lancinantur difficultatibus, à quibus utique extricarent sese, si liberioris intelligentiæ auras spirare, & invisibilem ad singulos ejus adventum cui visibilis serviebat, singulis omnium ætatum hominibus præsto fuisse contemplarentur. Innuit quartò Hieronymus ibidem, ideo singulis nasci, mori, reviviscere Christum, quod singuli ei instar omnium sint, & omnes instar singulorum. Non enim alio pretio universos, alio singulos, sed quo & quanto universos, eo & tanto singulos emit, nempe toto, nempe seipso. Itaque Moysi, Eliæ, Paulo se totum impendit, se totum expandit, se totum quantus quantus est explicuit, implicuitque: illis singulis natus, illis adolevit, &c. Id tenebat Paulus cùm diceret, Dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Id Scriptura omnis testificatur, cùm Hierosolymam cui se Christus totum libavit, & totam Ecclesiam, & singula Ecclesiæ membra interpretari monet. Unde idem Hieronymus: *Quatuor modis intelligi potest Hierusalem, vel hæc quæ Babylonio & Romano igne succensa est: vel cœlestis primitivorum: vel Ecclesia quæ interpretatur visio pacis: vel animæ singulorum, quæ fide cernunt Deum.*

Ab his haud dissident, quæ alibi disputat idem Hieronymus, ubi tradit, Moysen cæterosque olim justos eadem intus Christi & Evangelii ejus copia ditatos fuisse atque Apostolos, sive alios Ecclesiæ Christianæ filios, sed legalibus tamen sacramentis ex necessaria tunc dispensatione serviisse, non aliter quam Paulus & comam rasit & nudipedalia exercuit, cùm lex illi antiquata jam esset: *Ut discamus illos quomodo Paulus factus est Judæis Judæus ut Judæos lucrifaceret, & in Cencris ex voto comam totondit, & nudipedalia atque calvitium Hierosolymis in templo exercuit, ut eorum sedaret invidiam, qui causati de eo fuerant, quod contra legem Moysi & Deum faceret Prophetarum: ita & sanctos viros feciisse quidem ea quæ legis erant, sed sensum magis legis secutos esse, quàm litteram. Qui non minùs quàm Abraham, sublato de facie velamento, cupierunt videre diem Christi, & viderunt & lætati sunt: facti infirmo populo infirmi, ut infirmos lucrifacerent, & his qui sub lege erant, quasi essent & ipsi sub lege, ut eos ab idolis quibus in Ægypto assueverant, separarent. Absurdum quippe est Moysen & cæteros confabulatores Dei in ea fuisse conditione, ut non credamus eis & præfinitum tempus à Patre venisse, & redemptos eos esse de servitute legali, & adoptionem filiorum consecutos, & hæreditatem cepisse cum Christo. Quæcumque enim toti generi humano sapientia Dei quasi in Filio præstitit, hæc eadem unicuique sanctorum semper suo ordine & dispensatione largita est.* Hæc summa est, hic apex disputationis hujus, hoc unum meditamur, huc toti connitimur, ut constet, quod, *Quæcumque toti generi humano sapientia Dei præstitit, hæc eadem unicuique sanctorum semper suo ordine & dispensatione largita est.* Itaque natalem suum Christus, incrementa ætatis, sapientiæ & gratiæ, mortem, vitæ novitatem, cœli fastigium toti humano generi semel ad ostentationem sacramenti, singulis autem justis exhibet ordine cuique suo & tempore. Itaque Abraham concupivit videre diem Christi, vidit & gavisus est. Diem Christi, utique intelligentia irradiatam totam ejus in carne dispensationem videre concupivit Abraham, & vidit; concupiere justi quocumque loco & tempore indiscriminatim, videre & gavisi sunt. Itaque nihil amplius, nihil salubrius imprecari illis antiquioribus potes, quàm quod consecuti sunt, nempe Christum, & diem Christi vidisse, & gaudio ejus toto perfusos esse. Itaque plaudendum illis magis est, qui ita Christum in carne non viderunt, ut viderint & gavisi sint: quàm his qui viderunt, sed fide non viderunt, ideoque non viderunt: carnem enim viderunt, non diem, ideoque gavisi non sunt, sed viderunt & inviderunt, quidam etiam crucifixerunt. Itaque sapientia Dei Christus venit & videtur omni loco, omni tempore; & carnis ejus dispensatio, quia & ipsa mera est sapientiæ interpretatio, etsi uni loco temporique inserta, radiat tamen & adest omnibus loci temporisque tractibus: & instar sapientiæ, omnibus & singulis integram intimamque se præbet.

V. Ex eodem luculente.

In c. 4 Ep. ad Galat.

Rursus idem Hieronymus verba Pauli exponens: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, &c. Creationis & conditionis nomen ad magna semper solet opera copulari. Verbi causa illa urbs condita est, & ab initio creatus est mundus: & unusquisque sanctorum per varia dogmata atque virtutes in semetipso mundus est totus, propterea nunc creati in Christo dicimur & creati in operibus bonis, sive quæ ipsi fecimus, vel facturi sumus, sive in aliis creaturis, ad quæ nostra conversatio transferenda est, ut quæ præparavit Deus in illis ambulemus, &c. In nobis & in Christo per singula opera & profectus creatura atque conditio accipi potest: ut quotidie in credentibus,*

VI. Rursus ex eodem: ut in justis singulis nascatur & suas ætates explicet Christus In c. 2. Ep. ad Galat.

In c. 16. Ezechiel.

bus, quia variè secundùm diversa merita montes dicuntur, & valles, & colles, atque campestria, Christus creatus, natus & conditus sit. Adverte hìc creaturam nos dici in Christo, quia quilibet sanctorum instar habet mundi universi, cui expendit se totum Christus perinde ac mundo. Adverte rursum ut in creatura mundi creatur quodammodo & corporatur sempiterna Dei & incommutabilis sapientia, quæ per visibilia quasi visibilis fit, & his veluti vestibus amicitur, & penè corporascit; ita in nova creatura creari, & iterum iterumque corporari Christum, ut in singulis sanctis conspicuus ipse sit & penè contrectabilis. Adverte rursus creata ab initio ita esse universa, ut creanda tamen in decursu temporum & explicanda ob oculos sint singula; ita in Christo visibiliter nascente & exerente sese, nos quidem omnes creatos fuisse, sed creandos tamen sigillatim esse, ipso in singulis nascente per temporum curricula. Adverte Deum creasse creanda, & fecisse quæ futura sunt: condenda enim condebat, quando cardinales causas, unde prodirent omnia, procreabat: ita creati sunt justi in operibus bonis, quæ præparavit Deus: nati sunt enim in Christo, antequam nascerentur, & nunc nascuntur in Christo, tandiu post adventum suum Christo ad ipsos veniente, & post natalem suum nascente. Adverte creari tantùm in mundo futura, non præterita; at in Christo etiam præterita. Nam Christo nascente nascebantur, qui jam olim nati in Christo ante Christi adventum fuerant. Creatio enim utcumque servit tempori, at redemptio temporibus invictiùs dominatur, & uni famulatur æternitati. Justitia enim & sapientia in nova quàm in prima creatura fulgentior splendet. Ergo justitia & sapientia Christus nulla temporum ratione habita semper nascitur, semper resurgit, cùm justitia & sapientia vel nascitur, vel in novitatem perfectissimam efflorescit. Unde apud eundem Hieronymum: *Qui facit justitiam, Justitia Dominus noster est. Justitia enim Domini Dominus noster dicitur, & Salvator. Beatus ergo qui facit justitiam; hoc est, qui facit Christum. Quomodo ergo facimus Christum, hoc est justitiam? Si justè agamus, concipitur in nobis justitia, & paritur ex nobis justitia, & sumus mater justitiæ. Felix & beatus est, qui omni tempore, & pater, & mater est justitiæ.* Quasi dicat, Justitia universalis & justitia Christus est; ubicumque ergo & quandocumque ab orbis initio ad calcem, ab ortu ad occasum justitia vel nascitur, vel perficitur, Christus nascitur, & perficitur. Itaque noli anxiari, quod Christus non antè sit natus, sed angere potiùs, quod non antè hominibus justitia arriserit: si enim priùs adlubuit, priùs natus est Christus. Itaque omnis querelarum fons præclusus est, quando Christus justitia illis omnibus nascitur, quibus adlubescit. Itaque non ipsi de Christo, sed Christus de ipsis jure merito conqueritur, quod per ipsos sua nativitas suspendatur.

In Psalmos.

VII. Eadem ex Origene.

Ut hæc autem liqueat de penu Origenis prompta esse, sed approbata & perpurgata ab Hieronymo, accipe & frustulum hoc ex Homilia II. Origenis in Cantica, ab eodem Latinitate donata: *Si intelligis Evangelium, ut se vult intelligi Evangelium & prædicari: vides Jesum omnem languorem & infirmitatem non solùm eo tempore, quo carnaliter facta sunt, fuisse medicatum, sed hodieque medicantem: & non tantùm tunc ad homines descendisse, sed hodieque descendere & esse præsentem. Ecce enim inquit vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, &c.* Et paulò infrà: *Semper istiusmodi sunt profectus, ut in exordio desideret quispiam saltem in virtutum umbra consistere. Ego puto ideo & nativitatem Jesu ab umbra cœpisse, & non in umbra sed in veritate finitam. Spiritus inquit sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nativitas Christi ab umbra sumpsit exordium. Non solùm autem in Maria ab umbra ejus nativitas cœpit, sed & in te, si dignatus fuerit, nascitur sermo Dei. Fac igitur ut possis capere umbram ejus: & cùm umbra fueris dignus effectus, veniat ad te, ut ita dicam corpus ejus, ex quo umbra nascitur.*

Producendus nunc in medium est Origenes ipse, qui hac in re sæpissimè idemque elegantissimè versatus est. Alicubi illa expendens Christi verba, *Nunc quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo*: quærit qua de causa subditum sit à Christo, *Hoc Abraham non fecit*: cùm Christi adventum tot sæculis Abraham antecesserit. Respondet & Abrahæ ætate advenisse Christum, & Abrahæ visum, auditumque esse, & veritatem propalasse, nec ullis tamen ejus insidiis appetitum esse: *Non enim natus erat Abrahæ tempore Jesus. Sed dicerem ego juxta doctrinam Servatoris docentis ac dicentis, Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est, fuisse Abrahæ tempore hominem, qui veritatem quam à Deo audisset loqueretur, quem tamen Abraham ipse interficiendum non curavit. Et observa quod homo qui tropicè intelligitur in Jesu, nunquam non advenerit in hanc vitam, & post tempora historiæ sui ipsius & antea.* Vides quàm fidenter audeat Christi adventum in omnia temporum ac labentium sæculorum volumina explicare atque amplificare, & omnibus omnium ætatum mundi hominibus repræsentare. Semper enim veritas hominibus cœlitus insusurrata est, semperà bonis lubentissimè hausta, à malis crucifixa fuit. Unde subdit Origenes peræquè ante Christi in carne adventum atque postea habere locum quod in Actis Pauli legebatur Christus dixisse: *Denuo debeo crucifigi*: ab orbis enim initio ad exitum usque, quicumque veritatem & justitiam aversantur, sibimetipsis, ut ait idem Paulus, crucifigunt Filium Dei. Crucifigitur enim Filius Dei Christus, quoties veritati & justitiæ gravis inuritur contumelia. Nam & ipsa caro Christi semel in plenitudine temporum, non tam manibus militum, aut vocibus tunc Judæorum, quàm peccatorum qui usquam & unquam fuerant, erant, futurive supererant, vi & grassatione fixa est cruci. Ex adverso sancti omnes quacumque demum mundi ætate vitam transegerint, cum Paulo dixerunt, *Christo confixus sum cruci: vivit verò in me Christus.* Quapropter Christus seu crucifigendus à malis, seu amplexandus dissuavianduque à bonis, semper & ubique affuit, semper & ubique adventum suum repræsentavit. *Vide verò, an non tantùm sanctorum qui post Christi adventum fuere, sit vox illa, Cum Christo crucifixus sum, sed æquè ad priores etiam pertineat; ne differre dicamus sanctos, qui post Christi adventum fuere à Moyse & Patriarchis. Vox illa quoque, Vivo ego, non amplius ego, vivit verò in me Christus, æquè etiam dicatur non solùm de sanctis, qui post Christi adventum fuere, verùm etiam de his qui antea.* Et his tandem subjicit, quod universim valet: *Tradimus enim & docemus, nunquam defuisse sanctis spiritualem Jesu adventum, atque dispensationem.*

Tom. 2. in Joann.

VIII. Ex eodem, ut temporibus commutatur Christi mysterium. Tom. 1. in Præfat. in Joann.

Et rursus idem Origenes: *Attamen non ignorandum nobis est, Christi adventum antequam corpore ad terram descenderet, intelligibilem multò antè factum fuisse perfectioribus, minimèque parvulis. Quippe qui à pædagogorum curatorumque cura ac tutela liberi essent, ob oculos habentes plenitudinem eam temporis, qua mente cernebatur. Ut erant illi Patriarchæ & Moyses ille tantus servus, ac reliqui Prophetæ, qui Christi gloriam contemplati sunt. Cæterùm ut ante corporalem & manifestum adventum ad perfectos advenerat, sic etiam post divulgatam ipsius præsentiam ad eos qui etiamnunc sunt parvuli, quia sunt sub curatoribus & administratoribus, ac nondum pervenerunt ad temporis plenitudinem, sermones quidam præcursores Christi advenerunt, animis puerilibus accommodati, qui jure Pædagogi vocentur. At verò ipse Filius ipso*

glori-

glorificatus Deus Verbum nondum advenit, nimirum expectans ut Dei homines divinitatem illius percepturi, decentem apparatum faciant. Jam & hoc quoque sciamus necesse est. Ut lex umbram continet futurorum bonorum, qua declarantur ab ea lege qua annuntiatur secundùm veritatem: sic etiam Evangelium, quod vel à quibuscumque vulgaribus intelligi existimatur, umbram docet mysteriorum Christi: Atque equidem quod Joannes appellat Evangelium sempiternum, quod propriè dici posset spirituale, apertè viris cordatis & intelligentibus ob oculos ponit omnia de ipso Filio Dei tum mysteria, ab ipsius sermonibus exhibita, tum res, quarum enigmata ipsius actiones erant. Verborum prolixitatem abundè excusat sententiarum opulentia. Ergo Christi adventus ante ejus carnem quibusdam perfectissimis obtigerat: & post ejus carnem non natam tantùm, sed cœlo etiam in sedem magnitudinis illatam, nonnisi initiatus & prælusus quibusdam est. Nam sive ante, sive post carnis ejus adventum, in omnia quæ retro, in omnia quæ postea sæcula, diffundente se carnis hujus & carnalis totius dispensationis gratia, initiatus illis omnibus Christi adventus est, qui ipsum secundùm carnem tantùm sapuerunt, nec penitiores venas sapientiæ & justitiæ invadere ac degustare potuerunt: perfectus verò illis & ex omni parte absolutissimus adventus obtigit, qui carnem ejus spiritaliter, & omnem justitiæ ac sapientiæ medullam ex quodam Evangelii cortice extrahere ac devorare potuerunt. Itaque etiamnunc tametsi in cœlis in solio majestatis regnet, infantiam tamen adhuc in plerisque carnalibus Christianis agit, adhuc concipitur, adhuc nascitur, lactescit, puerascit, balbutit, per præcursores quosdam sui sermones, per lac puerilibus animis accommodatum. Ex adverso autem antequam nasceretur, quibusdam perfectioribus jam resurrexerat, jam cœlos & thronum gloriæ occupaverat, jam in pleno divinitatis lumine fulgurabat. Quapropter locorum & temporum discrepantia seponenda, atque parvipendenda est, causa ipsa autem penetranda. Omni enim tempore & omni loco, sed aliis & aliis per varios gradus profectuum nascitur, adolescit, moritur, revivisc it & cœli fastigia calcat Christus, & simul hæc omnia, & perverso ordine temporum hæc omnia, quia non temporum, sed æternitatis ista sunt omnia.

Idem alibi rursum: *Venio ad novum testamentum, in quo est plenitudo omnium, & inde volo ostendere, quomodo & nos possimus novum testamentum Domini nostri Jesu Christi habere super carnem nostram. Non enim sufficit solo nomine in Verbo hæc dici, sed rebus oportet impleri. Joannes quippe Apostolus dicit: Omnis spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, à Deo est. Quid ergo si peccans quis & non rectè agens, confiteatur Jesum in carne venisse, in Spiritu Dei videbitur confiteri? Non est hoc testamentum Dei habere in carne, sed in voce. Quomodo ergo erit testamentum Christi super carnem meam, requiro. Si mortificavero membra mea, quæ sunt super terram: si semper mortem Christi in corpore meo circumferam: si complantatus fuero similitudini mortis ejus, testamentum ejus ostendo esse super carnem meam. Quid enim prodest, si in illa tantùm carne, quam de Maria suscepit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hac mea carne, quod venerit?* Venit igitur semel in ea carne, quam de Maria sumpsit: sed qui omnia in omnibus adimpletur, etiam in nostra singulorum carne, in nostra maximè singulorum & universorum mente venisse demonstrandus est, per carnis servitutem, mentis imperium. Ita enim Verbum venit in carnem, quando carnem priùs rebellantem menti, mentem sibi sapientiæ utpote & justitiæ subjugat. Tunc igitur venit Christus, tunc nascitur, tunc moritur, tunc resurgit Christus, quando unusquisque hæc ejus sacramenta in seipso explicat: & in carne, ac in mente sua Christum indutus demonstrat.

Et alibi idem: *Non est unus Domini mei Jesu Christi adventus, quo descendit in terras; & ad Esaiam venit, & ad Moysen venit, & ad populum venit, & ad unumquemque Prophetarum venit: neque tu timeas: etiamsi jam cœlo receptus est, iterum veniet, Quia autem & ante præsentiam carnalem ad homines venerit, ipsum accipe testem denuntiantem atque dicentem: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos. Quoties volui. Non dicit, Non vidi te nisi isto adventu: sed dicit, Quoties volui. Et per singulos Prophetarum convertens se, Ego, inquit, eram Christus qui loquebar per Prophetas. Dixi, Neque tu timeas. Et nunc mittitur Jesus Christus. Non mentitur. Vobiscum sum, ait Dominus, omnes dies usque ad consummationem sæculi.* Ad Prophetas, ad Sanctos quoslibet veniebat, quia nisi formato in ipsis Christo, nec Prophetæ, nec Sancti audissent: & per ipsos ad populum, ad cæteros homines veniebat, quia Sanctus quilibet Christi portio est, & voce ejus Christus loquitur, & de pectore ejus oracula & imperia sua promit. Et nunc quanquam cœlo receptus, iterùm veniet; veniet enim, quoties sanctitatem cuiquam, id est seipsum inseret, & per eum, ut sui membrum, ad cæteros veniet. Nam iterùm jam iterùmque monui, quod semel de Virgine nasci & principalem hunc adventum suum commendare voluit, id ad sacramentum pertinebat assumendæ omnium universitatis, ad sacramentum, inquam, simul & fundamentum sui ad singulos homines hujus universitatis iterati & iterandi innumerabiliter adventus. Unde idem: *Venit sermo Domini ad eum, qui de Virgine nascebatur, id est hominem, sermo semper in Patre manens, ut fierent utraque unum, & consociaretur homo, quem ob sacramentum & salutem universæ humanitatis indueret, divinitati ejus & naturæ unigeniti Dei.*

Hom. 1. in Isaiam.

Hom. 1. in Ezech.

Utque ne tædiosior sim in expromenda horum ingenti prorsùs apud Origenem copia, unum non amplius addam insuper locum: *Sic etiam λόγῳ id est ratio dicitur, quidquid est in nobis à ratione alienum prorsus auferens, & nos præparans convenienter veritati, &c. Nam si ipsum participantes resuscitamur, illuminamurque, fortassis autem pascimur etiam, vel regimur, quis non videat rationis capaces nos divinitus effici ipso λόγῳ, hoc est, Filio Dei, atque ipsa ratione, cuncta in nobis à ratione aliena, atque ipsam mortificationem, quatenus ratio est, & resurrectio, abolente? Quocirca inspice, an quodammodo ipsius, quatenus λόγῳ hoc est ratio, participes sint omnes homines, quos eum inveniendi cupidos hac etiam ratione doceat Apostolus extra se quærere non debere, dicens, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est, Christum ex alto deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis deducere. Sed quid dicit Scriptura? Prope te Verbum est valde in ore tuo & in corde tuo; perinde ac si ipse Christus etiam esset Verbum. Quin etiam quando ipse Dominus loquitur, Nisi venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem non habent quod prætexant peccato suo; nihil aliud intelligendum est, λόγον hoc est Filium Dei & rationem dicere, quàm eos quibus nondum λόγῳ hoc est, ratio completa est, peccatum non habere; sed illos tantum peccato obnoxios esse, qui participes effecti jam ipsius rationis, agunt præter rationes, ex quibus hæc ratio in nobis completur. In quem sensum tantum verum est illud, Nisi venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Age enim de Jesu aspectabili, ut vulgares existimabunt, hoc expendatur, quomodo jam verum sit eos ad quos non venerit, non habere peccatum? Namque omnes qui*

IX. Ex eo sem, ut semel in carne Christus, dixerit fuerintque, quæ irent & peræque valerent in omnia retro & post sæculo. Tom. 1. in Ev. Joan.

Genes. tom. 1.

fuerunt

facrunt ante Servatoris adventum, ab omni peccato immunes futuri sunt, quoniam non venerit aspectabilis juxta carnem Jesus, &c. Non ad Judæos tantùm quibus præsens Christi caro sisiebatur ob oculos, sed ad omnes prorsus homines vult hæc Christi verba pertinere Origenes. Et quidem si ad illos tantùm tunc temporis paucu-los verborum operumque Christi mirificorum oculatos auritosque testes ea referrentur, constaret utique illis sensus genuinus, ab aliis passim interpretibus adsignatus. Sed non abs re Origenes altiora allegoricè abdita scrutari solitus, effundere illa latiùs, & ad omnes prorsus homines propagare laboravit. Quantulum enim est, quod suo Christus adventu reos egerit pauciſſimos illos, quorum pervicacia exagitatus est? Quantulum est si illos beasse diceretur, qui fide tum ei & pietate adhæserunt? Non est intra has angustias premenda Christi adventus gloria, nec tam arcto limite finienda potestas ejus est. Ea tum loquebatur, ea operabatur, quæ irent in sæcula & retro & post omnia. In illo brevi gyro sacramenta condebat omnium & præcedentium & succedentium ætatum. Quasi compendio seriem omnium sæculorum describebat. Ea effabatur, quæ personaissent, quæ personarent in omnes temporum citra & ultra lapsus. Ea operabatur, quorumvis & efficacia nullis temporum moris, nullis vicibus angustaretur. Omnibus enim hominibus, omnibus ætatibus venerat, omnibus verba, omnibus opera, omnibus seipsum dedicabat. Itaque qui tunc vitam mortalem carpebant pauciſſimi homines, omnium qui ante, qui postea, qui propè, qui longiſſimè, hominum vicem tenebant. Increduli tunc & fideles pauci personam omnium qui usquam & unquam fuerant futurive erant, sustinebant. Illis fidelibus omnes gestabantur fideles, illis contumacibus omnes impii inerant; & eorum vocibus manibusque Christum figebant cruci. Quæ cùm ita sint, omnibus venit Christus, omnibus Verbum, & lux sapientiæ justitiæque aliqua exoritur, exortuque suo vel obsequentes beat, vel immorigeros convincit & condemnat. Illi enim rei sunt, illi obnoxii, quicumque adventus ejus lucem floccifecerunt. Christo, id est, rationi, sapientiæ, justitiæ reus est, quisquis impiè agit, nec ullus usquam perit, nisi rationi & justitiæ contumeliosus. Unde idem hæc verba Christi infra exponens: *Nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris*; hæc habet: *Verbi gratia: qui credit quod sit justitia, injuriam non inferet, & qui crediderit in sapientiam, is nec factum aliquid loquetur, nec faciet.*

X. Ex Gregorio Nysseno, Hom. 3. in Cant. Cant.

Antequam ad Latinos orationem reflectamus, Gregorium Nyssenum antedictis valdè consentaneum audiemus. *Qui enim natus est nobis puer Jesus, qui in iis qui ipsum susceperunt, diversè proficit sapientia & ætate & gratia, non est idem in omnibus, sed pro modo ejus in quo est, quatenus is qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut perfectus, convenienter botri naturæ, qui non semper cernitur in vite in eadem forma, sed mutat formam cum tempore, florens, vernans, perfectus, maturus, vinum factus.* Pauca copiosè dixit hìc sanctus Doctor. Easdem enim ætates inducit Christus, quas quisque in Christo gerit, cum nascentibus nascitur, cum perficientibus proficit, cum perfectis persicitur, quia non aliter illi vel nascuntur, vel proficiunt, vel perficiuntur, quàm nascente in ipsis, & perficiente, & perfecta sapientia justitiaque Verbi inhumanati.

XI. Ex Paulino Nolano, & Salviano. Paulinus Ep. 3. ad Severū

Quibus succinit Paulinus Nolanus Episcopus: *Qui sicut in ipso illo homine quem gestit, ita in nostris mentibus gradus quosdam corporeæ ætatis exequitur, nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu, aut jugiter parvulus, & infirmus, & pauper sit.* Ergo unicuique venit, cùm quisque ad ipsum venit; unicuique nascitur, cùm illi revelatur. Quare Chrysologus: *Non ergo conceptione temporum, non passione viscerum, sed Pater Filium nobis generat, dum revelat.* Verbum enim, sapientia, justitia tunc gignitur, tunc advenit, cùm illucescit. Ideo & Verbum caro de Virgine nasci debuit, cujus fide magis quàm ventre ederetur, ut vel sic per fidem cuique adveniret & innasci se testaretur. Quibus adde hæc Salviani: *Licèt generale sit debitum, & speciale tamen esse non dubium est. Licèt sit commune omnium, est tamen peculiariter singulorum: ita ad omnes æqualiter pervenit, quod tamen de summa unicuique nihil recedit. Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis: & cunctis se impendit pariter & singulis: & totum se dedit universis, & totum singulis. Ac per hoc quidquid passione sua Salvator præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum singuli: nisi quod propè hoc plus singuli quàm universi, quod tantum acceperunt singuli, quantum universi. Ubi enim hoc unus accipit, quod universi, etsi par est mensura, major invidia est.* Quæ in id valent; ut non pretium modò & emolumentum ex Christo tantum ad singulos redeat, quantum ad universos; sed etiam quod totum se Christus & omnem mysteriorum suorum seriem atque opulentiam perinde singulis explicet atque infundat, ac omnibus. Nec enim pretii & emolumenti passione sua parti magnitudinem unicuique prodigit, nisi dum unicuique & nascitur & figitur & resurgit. Etenim ut ait rursum Paulinus Nolanus, *Unus homo universitatis portio, & universitas unius forma hominis & causa est.*

XII. Ex hujus Lucubratione.

Fulgentius verò causam hujus decreti altiùs repetisse visus est. Etenim Deitas immutabilis ad homines mutabiles vel venit, vel rursus abscedit, vel ascendit, vel descendit, non sua, sed ipsorum, ut par est, mutatione. Adest enim ubique & semper immutabiliter Deus: sed non ei nos semper adsumus; & morum dissimilitudine plerumque ab ipso præsente peregrinamur. Cùm ergo ad ipsum redimus, tunc ille advenire nobis; cùm illum utcumque pueriliter sapimus, tunc ille ad nos descendere prædicatur; tunc nobiscum ascendere; cùm ad exerta æternitatis culmina exilimus. Immutabili enim ita mutabilis natura adglutinanda est, ut in immutabilitatem ejus ipsa proficiat, non ut in hujus mutabilitatem illa deficiat. Et Christus mutabiles ætatum suarum vices semel visibiliter executus, deinceps totus Deus, & sibi Paternæque redditus gloriæ, nec secundùm carnem sapiendus, de ingenio immutabilitatis id quoque obtinet, ut ad nos veniat usque & ubique, nascatur, moriatur, reviviscat, non suo jam, sed nostro profectu, venientibus nobis ad ipsum, illi nascentibus, illi commorientibus, illi conresuscitatis. *Quantum ergo ad substantiam & potentiam suam, ubique est Trinitas unus Deus, totus, totum complens virtute non mole; totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis. Quantum verò ad cogitationes nostras, descendere ad nos Deus dicitur, cum sermonem suum ita nobis divinitas temperat, ut humano nobiscum more loquens agnitionem & dilectionem suam intimare nobis dignatur. Ascendit autem in nobis, quando nos ascendimus per charitatem & scientiam Deitatis, &c. Talis est Patris & Filii & Spiritus sancti credendus adventus, &c. Ita cùm venisse, vel descendisse dicitur, divinæ revelationis erga nos gratia commendatur: & cùm non descendere, sed ascendere dicitur, profectus nostræ illuminationis agnitionisque monstratur. Talem Dominus Jesus ascensum significavit, quando tangendi se facultatem Mariæ Magdalenæ prohibuit, &c. Quid est enim, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: nisi, Noli hoc in me tantùm credere, quod putas, quia quandiu in me illa tantùm quæ sunt carnis attendis, æqualitatem meam*

cum

cum Patre non sentis. Et revera nondum illis Christus ascendit ad Patrem, qui Patri Filium non confitentur æqualem, &c. Illi autem verè Filius ascendit ad Patrem, qui Filium Patri æqualem sempiternitatis & immensitatis paritate non ambigit, &c. Manifestè itaque claret, per illum ad Patrem ascensum Filii, nostræ potiùs profectum fidei demonstrari. Nos enim eum quodammodo in nostris cordibus exaltamus, quando sic in eius intelligentia crescimus, ut de illo tanquam de Deo vero, quæ divinæ celsitudini digna sunt, cogitamus, &c. Sic in nobis verè exaltatur, quando eum exaltamus, cùm sit ipse semper altissimus, sicut in nobis sanctificatur, quando eum sanctificamus, cùm semper ipse maneat sanctus. Nam beatus Petrus admonet nos dicens, Dominum verò Christum sanctificate in cordibus vestris. Quid est autem Christum sanctificare, nisi de Christo quæ sancta sunt cogitare? Hæc non piguit ex cerpere prolixiùs ex Fulgētio, ut extergeretur suspicio, atque invidia sedaretur, quæ inde excitari in nos videbatur, quod Christum semper & ubique eadem iterare moriendi nascendique vices adigeremus, atque ita ipsum infinitæ cuidam, & irrequietæ mutabilitati mancipasse videremur. Contrà enim est hoc totum. Hinc enim amplior ipsi quædam immutabilitatis gloria vendicatur. Nam ubi semel ipse mortalis vitæ stadium explicuit, seque in adytum penetrale retulit incommutabilis Deitatis cum sua carne, exinde fidenter pronunciamus, temporibus ipsum locisque invictissimè omnibus dominari, nec sua, sed nostra mutatione, advenire vel refugere, descendere vel ascendere, nasci vel ex morte renasci; nostri sunt isti ad ipsum profectus, ut ad sapientiam, ut ad justitiam; non ejus vel defectus vel profectus ullus.

XIII. ex Gregor. tpa. om. 25. in uang. om. 26. in bechi.

Gregorius Papa in eadem penè verba incidit: *Cur tangi non debeat, ratio quoque additur, cùm subinfertur, Nondum enim ascendi ad Patrem meum. In corde etenim nostro tunc Jesus ad Patrem ascendit, cùm æqualis creditur Patri. Nam quisquis eum æqualem Patri non credit, adhuc in ejus pectore ad Patrem Dominus non ascendit.* Sed longè præclarissimum est quod idem observat, adventum Christi, & olim expectatum fuisse, & etiamnunc expectari à nobis, sed alium, & alium, illum scilicet priùs in humilitate carnis, hunc posteriorem in majestate gloriæ. Æquum enim est, ut quæ ætatum, eædem profectuum sint vicissitudines, eadem sint augmenta. Itaque priùs per umbras carnis, inde per carnem qua majestas obumbrabatur, denique in ipsa veniet majestate revelata. Venit enim semper non tam suo, utpotè Deus, quàm nostro per mutationes varias progressu. Itaque cùm nonnisi umbras Deitatis pati poteramus, ita ille ad nos veniebat, aut nos ad ipsum: cùm per ætatem adultiorem verum Deitatis corpus sustinere potuimus, incorporatus est, id est, nostra ei substantialiter natura in unam accessit hypostasim; cùm denique ad cumulum perfectionis quantam possumus adipisci, profecerimus, tunc veniet ad nos in gloria, tunc ad ejus gloriæ plenitudinem veniemus. Itaque venire nunquam cessat cessabitque, dum nos ad ipsum per gradus profectuum veniemus: & expectabitur semper venturus, quia non legis tantùm finis Christus, sed novi quoque Testamenti finis est. Finis inquam est, non finiens, sed perficiens, non consumens, sed consummans. Et quid omnis creatura, seu stans, seu lapsa, quàm eniti debet, ut ipsa veniat ad sapientiam, & justitiam, & per id veniat sibi sapientia, & justitia aliis, & aliis modis gradibusque sibi accommodatis, ut ferendo sit, donec ad ejus summum gloriæ fastigium sublimetur? Nondum Christi nisi nucleum quendam carnis, & corticem adepti sumus, nondum medullam divinitatis ejus nisi fide odorari potuimus, necdum contueri, necdum amplexari. Itaque ille adhuc nobis venit, quia nos ad ipsum adhuc accedimus: & quanquam venturus semel est conspicabilis in fine sæculorum, ille tamen in dies singulos iis venire occupat, quos à consuetudine sensuum avocat, quos à lippitudine mentis curat, quos puræ & æternæ divinorum lucis patientiores facit esse in dies, quos, si quos tamen, jam fulgurantibus quibusdam repentinis coruscationibus beatæ gloriæ raptim experitur, & assuefacit: *Testamentum vetus unum nobis Mediatorem Dei & hominum nuntiavit, & Testamentum novum eundem nobis nunciat in æterna claritate venturum, quem jam pro nobis cognovimus incarnatum. Finis autem utrorumque Christus est, quoniam ipse quem lex prædixit, in carne apparuit; & idem ipse quem nunc Testamentum novum loquitur, in gloria majestatis apparebit: & tunc utrorumque finis erit, cùm visus in divinitatis suæ potentia, omnia quæ sunt prædicta compleverit. Scriptum namque est, Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Finis videlicet non quia consumit, sed quia perficit, &c. Ecce Euangelium quotidie legitur, ventura vita prædicatur. Tunc igitur erit & novi Testamenti finis, cùm ea quæ de se promisit, impleverit. Finietur verò Testamentum novum, quia perficietur.* Adimplevit legem primo adventu, adimplebit Euangelium secundo. Promissis enim refertum est Testamentum novum, perinde ut vetus. Veteris promissa veniens implevit, novi promissa veniens implebit, sed & quotidie veniens adimplet. Ergo semper venit, & semper adimplet. Nam quid promisit, aut promittit usquam, nisi seipsum, sed parvulis parvulum, grandioribus grandiorem, perfectis perfectum? Implere ergo promissa non aliud est, quàm seipsum magis magisque, iterum iterumque in dies majorem & illustriorem validioribus repræsentare. Ipsum concupivit ab exordio rationalis natura, lumen bonumque suum, ipsum expectavit, ipsum pro virili suscepit, & suscipiendo roborata est, ut invalesceret majorem majoremque venientem excipere, & tandem summo virium aucta incremento totum in gloriæ apice venientem excipiet: *Quemadmodum enim Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto præsidet in cœlo, legem implevit per mysterium incarnationis, & perfectæ humanitatis suæ: ita Testamenti novi promissa impleturus est, per ostensam gloriam claritatis suæ.*

XIV. Ex Prospero. In Ps. 118.

Quibus adprimè consentiunt quæ commentatus breviter est Prosper: *Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. Salutare Christus hauddubio est, & ipsum se concupisse justi antiqui veracissimè confitentur. Ipsum concupivit Ecclesia venturum de visceribus matris. Ipsum concupiscit Ecclesia venturum à dextera Patris. Legis autem meditatio nutrit, & firmat hoc desiderium, dum testimoniis suis pronuntiat Christum.* Quid enim Ecclesia, seu universitas naturæ rationalis concupiscat unquam, nisi verum lumen suum, sapientiam, & verum bonum suum, justitiam? Non participationem tantùm ejus, sed ipsam, & per participationem ejus, ipsam substantivè amplectendam? Et quì concupiscat, nisi quatenus capit, dum carnalis est, in carne opacatam? dum spiritalis evadit paulatim, spiritalem? dum perficitur, perfectam? Et quid est justitiam, & sapientiam concupiscere, quàm jam habere? Amando enim acquiritur, amando possidetur sapientia, & justitia. Concupiscere sapientiam, id sapere est. Concupiscere justitiam, id præclarum est justitiæ documentum. Itaque quantum concupiscitur, tantum adest, tantum advenit. Semper ergo concupivit Ecclesia Christum, semper concupiscit, qui semper adveniebat, semper adhuc advenit.

XV. Ex August. Conc. 20. in Ps. 118.

Cui necessariò subnectendus est Augustinus; *Defecit in salutare tuum anima mea. Bonum est ergo iste defectus. Indicat enim desiderium boni nondum quidem adepti, sed avidissimè ac vehementissimè concupiti. Sed quis hoc dicit nisi genus electum,*

regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis? Ab origine generis humani usque ad hujus seculi finem, in eis qui suo quique tempore hic vixerunt, vivunt, victuri sunt, desiderant Christum, &c. Nec tunc ergo quievit hoc desiderium sanctorum, nec nunc quiescit in Christi corpore quod est Ecclesia, usque ad terminum seculi, donec veniat desideratus cunctis gentibus, sicut promittitur per Prophetam. Propter quod dicit Apostolus, Superest mihi corona justitiæ, &c. non solùm mihi, sed & omnibus qui diligunt manifestationem ejus. Hoc itaque desiderium, de quo nunc agimus, de dilectione consurgit manifestationis ejus. De qua item dicit, Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. Prima enim tempora Ecclesiæ ante virginis partum sanctos habuerunt, qui desiderarent incarnationis ejus adventum. Ista verò tempora ex quo ascendit in cœlum, sanctos habent, qui desiderent ejus manifestationem ad vivos & mortuos judicandos. Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio usque in finem seculi requievit aliquantulum, nisi quandiu hic cum discipulis in carne conversatus est. Ut totius corporis Christi in hac vita gementis vox convenienter intelligatur, Defecit in salutare tuum anima mea. Vides ut ante, & post virginis partum, omnium aliquo æternitatis afflatu perculsorum unum ferveat desiderium, una vox erumpat deficientium in expectationem Christi, nec possit hoc desiderio, & hac voce supersedere omnis rationalis anima, quandiu conspectu summi luminis summique boni fraudatur. Itaque ne vicem plus æquo eorum plangamus, qui tandiu Christum expectarunt, cum & nobis adhuc expectandus sit: ne omni ejus adventu fraudatos nugemur, ex eo quod eum expectarent, cum & nos ejus adventu quo magis fruimur, & ditamur, eo flagrantiùs illum adventantem concupiscamus. Ecclesia illi inhiavit olim, & etiamnunc inhiat, & concupiscendo deficit, deficiendo convalescit, ut flagrantiùs concupiscat, & flagrantissimè concupiscendo tandem adipiscatur. Una enim ratio ea est assequendi Verbum Deum, lumen bonumque nostrum, instantissimè concupiscendo, & ita in illum à nobis penitus deficiendo. Cùm enim anima in ipsum à seipsa defecerit, tunc ab ipso ultimùm adveniente perficietur. Huc porrò referri possunt complura haud oscitanter pensitanda, quamvis à nobis brevissimè tantùm libanda sint, & cursim tantùm indigitanda. Inde est enim quod prisci Prophetæ non ita curiosè semper utrumque Christi adventum dispescere satagebant, sed plerumque utriusque permiscebant insignia, ut id etiam fraudi fuerit Judæis oculo carnali Scripturas inquinantibus spiritales. Non alium enim quàm glorioſum, & quidem mundana, quæ sola eis sapiebat, gloria, circumfluentem ejus adventum suspicati, humilitatem carnis ejus despicati sunt. Si adventum autem spiritalis gloriæ, id est, sapientiæ & justitiæ, hominibus à miseriæ barathro emergentibus utique auspicandæ ab humilitate, vel suspicari potuissent, nihil admodum obfuisset illa utriusque adventus confusa descriptio; nihil enim glorioſius duxissent humilitate resipiscendi, & labore proficiendi per justitiam ad veram & immortalem gloriam. Inde secundò est quod Isajas, & Paulus eadem usurpant verba: *Oculus non vidit, nec auris audivit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Hæc apud Prophetam Incarnationem Verbi; apud Paulum, gloriam beatæ patriæ videntur insinuare. Quorsum hæc? An Prophetæ reluctatur Apostolus, vel ejus mentem assecutus non est? Apage tam præposteras suspiciones. Uterque sensus quadrat, uterque genuinus, uterque unus est. Præparavit enim Deus, & indulsit naturæ humanæ Verbum suum, speciem gloriæ, sapientiæ, & justitiæ beatissimam incorruptibilitatem. Ea incarnatio, ea glorificatio est: is primus, is secundus adventus Christi est: is unus, is catholicus, is jugis, is æternus adventus illapsusque Verbi est in naturam humanam deificandam, bonis omnibus cumulandam, glorificandam, & ut omnis superflua verborum copia excidatur, nihil aliud quam deificandam: Deitas enim omnium bonorum ubertas, & gloria est. Et quando longis ista videntur intervallis dissita, & penè dissipata, nostræ istæ angustiæ sunt, quibus longo & tædioso tractu morantur tempora sæcularia, cum quidquid temporale est, æterno breve sit, punctum sit, nihilum sit. Deinde non diu venit, sed diu excipitur Verbi ad nos opulentia veniens: nam semel locutus est Deus, quod nos diu audimus: & semel dedit Filium suum, & in eo omnia, quem & quæ nos non simul capimus, seu pauxillatim capiendo capaciores evadimus, ut plusculum, & demum ut totum capiamus. Inde est tertiò quod Prophetæ primum Christi de virgine adventum, iis prosequuntur plausibus, iis opibus, & pacis, sapientiæ, sanctitatisque ornamentis illustrant, quæ nonnisi secundo adventu implebuntur. Nimirùm una illa est ubertas pacis, & sanctimoniæ, una voluptatis, & deificationis copia, quam Christus, quam Christi incarnatio contulit per Deitatis consociationem cum natura nostra, quam confert, quam conferet, quam in dies perficit, cui inhiamus, cui innatamus, cui magis magisque in dies singulos immergimur, qua obrui atque absorberi avemus. Itaque illa cui venturæ suspiramus, & hæc Ecclesia præsens, cui affixi hæremus, una eademque est, hic junior, illic maturior; hic diescens, illic dilata; hic proficiens, illic perfecta; hic augescens, illic ad cumulum aucta. Ut enim idem est Christus, qui ad Ecclesiam venit, & semper venit per varias ætatum progressiones, donec plenus ad capacem plenitudinis perveniat: ita una eademque Ecclesia est, quæ ad Christum venit, & semper venit, donec ad mensuram ætatis plenitudinis ejus suæque perveniat. Inde est quartò quod annuis Ecclesia hic nostra precibus iteratis atque ad exitum usque sæculi iterandis adventum Christi præstolatur, & accelerat. Utrum autem adventum maturari oret, non satis liquescit ex conceptis orationum ejus verbis. Aliàs enim judicis, aliàs sanctificatoris adventum maturum orat, eique potentiam Dei, ei corda nostra excitari iterùm iterùmque supplicat. Nihil diligentius hac indiligentia. Indefessis enim votis invocandus, & in nos vocandus est Christus sapientia, & justitia nobis factus, ut quotannis, quot diebus veniat ac semper veniat, sanctificator idem, & præmiator ac judex; judex vindexque eorum qui ipsius adventum vel respuerunt, vel frustrati sunt: præmiator autem suorum non aliter, quàm quia sanctificator. Ecquod enim præmium, ecqua corona, quàm corona justitiæ, ut ait Paulus? Ecqua merces ab eo, quàm ipsemet, qui merces est magna nimis, ut ad Abraham ait: qui veritas, & justitia est, ut in Euangeliis ait? Ergo invocatur, ut veniat justitia Christus in dies plenior, & cumulatior, donec pleniſſimæ cumulus justitiæ ipsemet adveniat, tum plenus sanctificator, & eo præmiator futurus.

Hìc autem ne subrepat error, ne calumnia perturbet incautos, advertendum sedulò est, quod monuit Augustinus, longè aliter mitti, atque aliter venire Verbum, ut sit homo, aliter ut sit cum hominibus: *Sed aliter mittitur Sapientia, ut sit cum homine; aliter missa est, ut ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei, &c. Cùm autem venit plenitudo temporis, missa est, &c. non ut esset in hominibus, aut cum hominibus; hoc enim & antea in Patribus, & Prophetis: sed ut ipsum Verbum caro fieret, &c. in quo facto, & prædicato salus sit omnium credentium, sperantium, diligentium.* Adventus ille Verbi, ut Christus fieret; hic, ut Christi membra: ille visibilis, hic invisibilis: ille semel, hic sem- XVI. Ex eodem De Trinit. l. 4. c. 20.

semper: ille plenissimus, hic ex illo derivatus: ille ad caput tota plenitudine divinitatis inebriandum, hic ad membra pro modulo derivationis irriganda. Sed tamen utrobique unius Verbi adventus est, & si velis minùs cavillari in verbis, unus adventus est in capite primùm, tanquam in fonte, cum tota opulentiæ & plenitudinis majestate scaturientis, inde autem in alios alioſque rivulos seſe dispensantis, tanquam in quædam membra. Mitti autem, & venire ad singulos Christum, paulò pòst adjicit Augustinus: *Ab illo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum, de quo natum est. Mittit qui genuit, mittitur quod genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cùm à quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci & percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfecta in Deo anima rationalis. Non ergo eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, unde ait: Exivi à Patre, & veni in hunc mundum: vel eo quod ex tempore, cujusque mente percipitur, sicut dictum est, Mitte illam ut mecum sit, & mecum laboret.* Et paulò pòst: *Cùm autem ex tempore cujusque profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum; neque enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus præsto est. Quia & nos secundùm quod mente aliquid æternum quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus. Et omnium justorum Spiritus etiam in hac carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt in hoc mundo.* Vides ut mittatur, & veniat Verbum ad unumquemque à quo percipitur, veniat autem non uno ætatis, & profectus modo, sed pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectè in Deo animæ rationalis.

XVII. Ex eodem in Ps. 84. Eodem redit quod alibi differit idem sanctus Pater in hunc versum: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Christum tuum da nobis; in illo enim est misericordia tua. Dicamus illi, & nos, Da nobis Christum tuum. Jam quidem dedit nobis Christum suum: adhuc tamen illi dicamus, Da nobis Christum tuum, quia dicimus illi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et quis est panis noster, nisi ipse qui dixit, Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi? Dicamus illi, Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem quem novimus; dedit hominem: eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis posset capi ab hominibus. Deum enim Christum nullus hominum capere; poterat: factus est hominibus homo, servavit se Deum Dius.* Datus est nobis Christus, & instamus, ut detur: venit, & urgemus, ut veniat. Datus est, & venit homo; urgemus ut detur, & veniat Deus. An verò datus est homo tantùm, & non velatus homine Deus? Datus est utique, & venit Deus in homine, instatur ut detur, ut veniat sua in specie Deus. An non & tunc erit Deus in homine, & Deus homo? Erit utique, sed cùm idem ipse sibi ut, non idem nobis erit, quia non iidem nos erimus. Talis enim datur, quales sunt, quibus datur. Datur hominibus homo etsi Deus, qui non sapiunt Deum nisi humanitus. Dabitur tunc eisdem perfectioribus Deus etsi homo, qui tunc sapient Deum divinitus. Non dabitur autem tantùm, & veniet ad eum modum, sed semper datur: quia semper proficiunt à lacte carnis ad panem quotidianum & supersubstantialem divinitatis.

XVIII. Ex eodem lib. qq. q. Conducet nonnihil illud etiam ad hujus quæstionis enodationem, quod ex Augustino alibi adnotavimus, aliud esse quòd in sacramentum patenter ostenditur, aliud quod latenter idem peragitur, & tamen utrobique unum, & idem beneficium largiùs parciùsve præstatur: *Sicut ergo Domini adventus intelligitur demonstratio corporalis: tamen ante hanc demonstrationem ipse in omnibus prophetis sanctis tanquam Dei Verbum & Dei sapientia locutus est: sic & adventus Spiritus sancti demonstratio Spiritus sancti est, ipsis etiam oculis carneis, quando visus est ignis divisus super eos, & cœperunt loqui linguis. Nam si non erat in hominibus Spiritus sanctus ante Domini visibilem clarificationem, quomodo dicere potuit David, Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me?* Semel ergo venit Spiritus sanctus cum ingenti strepitu, qui semper venerat, semper venier, etsi non eadem atque tum fortassis copia, non maligna tamen sui effusione: ita semel venit Christus in carne visibiliter, qui invisibiliter semper venerat, venietque ad dignos quoslibet. Sed illud Deo permittendum est, ut cùm libuerit, & ubi libuerit, patenter edat, quod latenter singulis benefacit: *Ut autem quædam latenter, quædam per creaturam visibilem visibiliter Deus operetur, pertinet ad gubernationem providentiæ, quia omnes divinæ actiones, locorum, temporumque ordinis distinctione pulcherrima peraguntur, cùm ipsa divinitas nec teneatur, nec migret locis, nec teneatur variieturque temporibus.* Nec adventus tantùm Verbi in carnem istiusmodi est, sed omnis ejus dictorum gestorumque per ætatum seriem explicatio, ut patenter semel universis exhibita sit, latenter autem singulis in quodam animi recessu iteretur.

XIX. Ex eodem. Quapropter idem rursus alibi: *Veni hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? Filius meus & tu, ego hodie genui te. Hodie est quando Christus resurgit. Heri & hodie ipse est, Paulus Apostolus ait.* Quotidie resurgit, singulis resurgit, qui semel universis resurrexit. Et rursus idem: *Quid est ergo, Noli me tangere? Noli credere, quia hoc solum sum quod vides. Ascendam ad Patrem, & tunc tange. Tibi ascendo, quando intellexeris equalem. Quando me putas minorem, nondum ascendo tibi, &c. Ecclesia ergo cujus figuram Maria gerebat, audiat quod audivit Maria, Tangamus omnes. Si credamus, jam ascendit ad Patrem, sedet ad dexteram Patris.* Quotidie ascendit, singulis ascendit, etsi semel universis ascendit, & non aliter habet de reliquis ejus mysteriis. Unde rursus: *Proinde quia veritas, & pax, & justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite: ut quod agit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi.* Concipitur igitur editurque etiam in singulis, & à singulis, utpotè justitia & veritas. Denique exemplo Abrahæ res perspicua fit, qui vidit diem Christi, diem æternitatis Christi, diem inhumanationis vidit Diem tum sine testa carnis, tum carnis testa velatum vidit, & gavisus est. Vidit enim itaut non tam expectantis desiderio fatigatus cruciaretur, quàm coram tuentis ac possidentis gaudio beaterur. Quocirca idem Augustinus: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est. Magnum testimonium perhibet Abrahæ Creator Abrahæ, Abraham exultavit, inquit, ut videret diem meum. Vidit, non timuit, sed exultavit ut videret diem meum. Erat enim in illo charitas, quæ foras mittit timorem. Non ait, Exultavit quia vidit, sed, Exultavit ut videret. Credens utique exultavit sperando, ut videret intelligendo, & vidit. Et quid potuit plus dicere, vel quid debuit plus dicere Dominus Jesus Christus? Et vidit, inquit, & gavisus est. Quis explicat hoc gaudium, fratres, si gavisi sunt illi quibus Deus oculos carnes aperuit, quale gaudium fuit videntibus cordis oculis lucem ineffabilem Verbum manens, splendorem piis mentibus refulgentem, sapientiam indeficientem, apud Patrem manentem Deum, & aliquando in carne venturum, nec de Patris gremio recessurum? Totum hoc vidit Abraham. Nam quod ait, Diem meum, incertum potest esse unde dixerit, utrum diem Domini temporalem, quo erat venturus in carne, an diem Domini qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse.* Exultavit ut videret, & vidit:

Serm. 28. de verb. Dom.

Serm. 151. de Temp.

Serm. 16. de Temp.

Tract 43. in Ioan.

vidit; quod concupivit, assecutus est. Exultatio quippe illa charitas fuit, charitas autem oculus est, quo Deus, quo Christus videtur, quo videri prodest. Nam veritatem & sapientiam qui amat videt; & amasse, vidisse est. Ipsa enim charitas Deus est, & hominem inhabitat, & sui ignara non est. Deum ergo & Christum videt charitas, quæ se videt, Dei munus, & misericordiæ visceribus effusam.

XX. Ex Bernardo, Ser. 1. in Purif. B. M.

Quæ pulchertimè executus est Bernardus eundem torquens locum: *Magis vero & ipsam quæ paucis collata videtur gloriam, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam prærogavit antiquis? David Rex & Propheta exultavit, ut videret Deum istum: & vidit, & gavisus est. Alioqui si non viderat, unde psallebat: Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeone. Suscepimus & nos, & quicumque sunt præordinati ad vitam. Siquidem Christus heri, & hodie, & in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, affertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus, & nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est; & non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini ut dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in pectore.* Adnota quod ait Christum & nobis posteris reservatum, & antiquis prærogatum, utpotè qui heri, & hodie, & in æternum sit. Adnota in meditullio quasi temporum, velut in medio templi Verbum incarnatum esse, ut omnibus præsto esset, & præcedentibus, & succedentibus, ab omnibus inspectaretur, ab omnibus teneretur. Adnota hanc gratiam in communi positam, offerri omnibus, & neminem illius expertem esse, nisi qui renuit. Ad singulos enim venit, & nisi reiiciatur, in singulos venit; ut quisquis expers ejus est, non ejus procrastinationi aut fastidio, sed suæ contumaciæ calamitatem suam debeat. Adnota rursus, etsi hæc adventus Christi gratia in propatulo sit, & foras etiam derivetur, id est, ad reprobos quoque & foris latrantes canes: esse tamen electos aliquos tanquam Dei peculiares, & eximios homines, qui non vident mortem, donec viderint Christum, & dimittantur in pace. Adnota tandem Christum advenire singulis, quia inhospitatur singulis, utpotè pax intima, & charitas, & sapientia. Ea enim heri, & hodie, & in sæcula est: hæc undique spectatur præsens, hæc in medio templi ubique est, hæc omnibus obvia, hæc nullum præterit, nisi à quo respuitur: hæc semper adest, & semper venit, hæc à quibus diligitur, & videtur, & inenarrabili cum ubertate gaudii possidetur; hæc denique nonnisi humanitatis involucro temperata à mortalibus participatur.

XXI. Ex eodem.

Et ne Prophetas solos in consortium putes adsciri posse Christi adventus videndi, & fruendi, accipe quæ idem Bernardus effudit in alio loco: *Quid non amatus est à Patriarchis, & Prophetis? Est, sed non prius quàm visus est & ab ipsis pasci inter lilia. Neque enim non viderunt, quem præviderunt. Nisi quis ita absque spiritu sit, ut videntem spiritu, putet videre nihil. Unde ergo videntes, nam sic Prophetæ appellati sunt, si nihil viderunt? Inde est quod voluerunt videre, quæ non viderunt. Neque enim poterant velle videre in corpore, quem in spiritu non vidissent. Sed dico, nunquid omnes Prophetæ? Quasi omnes videre voluerint, aut fuerit omnium fides. Sed eum qui viderint, aut Prophetæ fuerunt, aut Prophetis acquiescentes. Et credidisse enim, vidisse est. Non modo namque qui per prophetiæ spiritum, sed & qui per fidem videt, si quis ipsum quoque dicat videre in spiritu, mihi non videtur errare.* Non Abrahæ ergo tantùm, non Patriarchis, & Prophetis modò, etsi illis amplissimè, sed & iis qui Prophetis acquiescebant, id indultum est, ut gauderent, & viderent Christi adventum. Corpore enim carnem Christi nec Abraham vidit: fide autem & spiritu Christi incarnatam Deitatem vidit quisquis fidelis tum fuit. Etsi autem corporeos oculos magni pendat, quicumque corporalibus ludibriis excantatus est, oculos tamen multò perspicatiores, & certiores, & voluptatis fontes uberiores habet spiritus quàm corpus, fides, charitasque quàm caro. Utque hanc videndi Christi gratiam ne ægrè feras à nobis in plures publicari, intexam hic quamvis alieno loco authoritatem Hieronymi: *Siquidem Abraham vidit diem Christi, & lætatus est. Et Moyses majores divitias æstimavit thesauro* Ægyptiorum *improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Et Esaias vidit gloriam Christi, ut Joannes Euangelista commemorat. Et Judæis de omnibus generaliter: Commonere, inquit, vos volo, scientes simul omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt perdidit.* Vides ut ad populum etiam dispensationem Christi videndam evulget. Sed occultos fidei oculos quia corporeis posthabemus, ideo vix aut nec vix animum inducimus, cogimusque, ut credamus credendo rem videri. Quid si fidem etsi temporali cortici vel carni incumbentem, necessariò tamen æternum quid suspicari, & odorati ac spirare advertamus, & arcano sensu sapere æternitatem nescio quam sapientiæ, & justitiæ: alioqui non fides, sed larva erit fidei: nonne tum demum constabit nobis oculos suos fidei esse, quibus videat æternitatem sapientiæ, & justitiæ, & pacem animorum castissimam Christum, cœlitus affulgentem, & cœlesti gratia lapsis cæcisque irradiandum? Ea enim istiusmodi sunt, ut credi vix possint, quin aliquatenus intervideantur.

Ad Gal.

Recurrat jam ad eundem Bernardum oratio. Sic ergo ille: *Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis: ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit, & invisibilis; sicut scriptum est, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Et ut noveris occultum esse spiritualem hunc adventum, In umbra ejus, inquit, vivemus inter gentes. Propterea dignum est, ut si non valet infirmus in occursum tanti medici procedere longiùs, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, ò homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo: propè est enim Verbum in ore tuo, & corde tuo.* Omni ergo tempore, omni loco suum in singulis Christus molitur adventum, nec necesse est tranare maria, aut terrarum tractus immensos emetiri, ut ille ad nos veniat, vel nos ad ipsum: in sinu animæ, in aula pectoris res hæc tota peragitur; in ore, in corde cuique suo Christus præsto est, si ipse sibi homo præsto sit, si receptui canat à deformi in hæc ima pulcra sui dispersione. Nec enim navibus atque quadrigis petitur sapientia, sed solo animi nutu studioque. Porrò quod de adventu dictum est, seu nativitate Christi in nobis singulis, ad reliqua id ejusdem sacramenta vitæ trahit idem Bernardus: *Sunt quibus nondum passus est Christus, qui labores fugiunt, & mortem metuunt usque adhuc: quasi verò ille, & labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit. Sunt quibus nondum surrexit, qui in laborum anxietate, & afflictione pœnitentiæ, morte afficiuntur tota die, nondum spirituali consolatione recepta. Sed nisi breviati fuissent dies illi, quis posset sustinere? Aliis surrexit Christus, sed nondum ascendit: imo cum eis*

XXII. Ex eodem Bernardo, Hom. 1. de Advent.

In Cant. serm. 70.

Serm. 2. de Resurrect.

adhuc

adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his scilicet qui in devotione sunt tota die, flent in orationibus, &c. Sed oportet lac eis subtrahi, ut discant vesci solito cibo, & expedit eis, ut Christus vadat, & hæc temporalis devotio subtrahatur. Sed quando hoc capere poterunt? Desertos se à Domino, privatos gratia conqueruntur. Sed expectent, paululum sedeant in civitate, donec induantur solidiore quadam virtute ex alto, & majora percipiant charismata Spiritus sancti, sicut Apostoli promoti sunt in gradum altiorem, & supereminentem viam charitatis ingressi: non jam soliciti quomodo flerent paululum, sed quomodo magna quadam victoria de communi adversario triumpharent, & conculcarent Satanam sub pedibus suis. Nemo explicatiùs digessit ætatum Christi, & mysteriorum seu visibilium in se, seu invisibilium in nobis, seriem, & contextum. Ea enim ipsa virtutum contextio est, & per incrementorum vices progressio. Itaque quod Christus nascitur, moritur, resurgit, cœlorum conscendit culmina, ea est series conspicua, invisibilium significatrix, autrixque animæ ad virtutum usque fastigia progressionum. Trutinare verba Bernardi, non possunt nisi per illa vestigia adiri ac penetrari latibula altioris sapientiæ & charitatis: ergo via illa quam Christus mysteriorum suorum tenore continuo signavit, trivitque nobis, ea ipsa virtutum invisibilium, ea sapientiæ, & charitatis via est. An quod virtutes Christum æmulentur, & ejus se imitatione consecrari gaudeant? An quod Christus semet virtutum naturæ accommodaverit, & ita vitam suam hìc temperaverit, ut qui suarum ætatum, iidem virtutum gradus essent? An potiùs quod Verbum, sapientia, & justitia, ipsaque virtutum substantia sit, & ubi se naturæ nostræ implicuit, per eam omnes virtutum, id est Deitatis & justitiæ & veritatis opes explicavit, ut per humanam naturam, & in humana natura explicari, & implicari illas lex æterna, hoc est, ipsemet Deus Verbum decernebat? Itaque Verbi per naturam humanam vitæque humanæ seriem dispensatio, non aliud quàm ipsa est virtutum natura, hominum naturæ inserta, sese expromens exprimenique visibiliter. Quo minùs mirum est, si eadem semita terenda nobis est, ut virtutum apicem assequamur, si exprimenda in nobis Christi vita sit: quandoquidem res eadem toties iteratur, & sapientia justitiaque humanæ naturæ vitæque cujusquam singulari imprimitur, id est, Christus iterùm iterùmque formatur.

Ne gravemur & Cusani obiter rogare sententiam. Ita ille nobis Christi mortem & resurrectionem digerit, ad quæ duo revocari facilè possunt omnia vitæ ejus sacramenta: *Christi passio est testimonium transitus à mundo ad Patrem, de corruptibili ad incorruptibile, de mortali ad immortale, ut mortale induat immortalitatem; de sensibili ad intellectuale per victoriam sensibilium hujus mundi, & per transcensum ad stabilem veritatem intellectualis mundi sive cœli. Volentem igitur ad immortale desiderium pervenire, calcare oportet omne desiderium sensuale, & corruptibile, & amplecti virtutem, atque in Christi vestigiis ambulare.* Et paulò antè: *Nemo resurgit ad cognitionem veritatis immortalis, nisi qui illam præfert omnibus mundanis. Qui enim non intelligit intellectualiter resurgere, oriri post mortem sensibilium, ac illam vitam novam spiritualem, per infinitum omni delectabili vitæ sensibilis præferendam, ut in Christo testimonium videt, ille non resurgit in Christo, quia sensualiter in Christo mortem non patitur. Quare hic non habet Spiritum Christi, neque ad ultimum desideriorum, scilicet ad unionem cum fonte omnis boni, desideriique, scilicet ipsius Dei nostri in Christo, pervenire poterit.* Oportuit Christum pati & resurgere à mortuis. Hoc breviarium Christi est, hæc summa virtutis. Declinare à malo, & facere bonum. Mori cupiditatibus, vivere justitiæ. Non concupisces, Diliges Dominum. A sensibilibus fugam maturare, & temporalibus, & caducis: ad intelligibilia omni nisu contendere, & æterna, & incorruptibilia. Quæcumque alia via somnietur, devia est, nec ad vitam ducit, sed præcipitat in mortis baratrum. Utrobique porrò virtus est, & in moriendo his, & in resurgendo illis: utrobique Christus, hìc moritur, illic renascitur: utrobique Christus, utrobique virtus, moritur, & reviviscit.

XXII. Ex Cusano. Imitat. l. 3.

Video longiùs nos, & ultra modum excurrere: sed si fastidioso lectori morem geram, vereor ut propitiari mihi possint sancti Patres, quorum opulentiam promere, & ostentare aggressus, maximam ejus, & longè pulcherrimam partem dissimulavero. Finem faciam dicendi, si obiter animadvertero ex Gregorio Papa Verbum Dei scriptis consignatum, & quodammodo corporatum cum parvulis reptare, cum proficientibus crescere, cum perfectis in columen majestatis evadere. Ita ergo, & Christus unus, & invariabilis nunc, nostram tamen in nobis omnem implet ætatem, & cum pueris puerascit, grandescit cum grandibus, cum perfectis perficitur: *Et quia unusquisque sanctorum, quanto ipse in Scriptura sacra profecerit, tanto hæc eadem Scriptura sacra proficit apud ipsum, rectè dicitur: Cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ: & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur & rotæ: quia divina eloquia cum legente crescunt: nam tanto illa quisque altiùs intelligit, quanto in eis altiùs intendit. Unde nec elevantur rotæ, si non elevantur animalia, quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta, velut in imis, non intellecta jacent.* Id ab Augustino sexcenties replicatum est, Scripturam cum parvulis crescere, & pro cujusque augmento augescere & ipsam. Et Christus ergo instar Scripturæ est, & inter pueritiæ cunabula nobiscum jacet, & ad canitiem quandam sapientiæ maturescit. Et Christi caro litteræ habet speciem, qua spiritualis intelligentia opacatur. Unde Augustinus: *Usquequo Domine oblivisceris me in finem? Id est, differs me ad intelligendum Christum spiritualiter, qui est Dei sapientia, & rectus finis omnis intentionis animi.* Hæc pueritia Christi in nobis est, hæc littera, Christi caro, unde cuique auspicandum est pietatis tyrocinium. Hæc senectus Christi in nobis est, hæc intelligentiæ senilis provectio, Christus sapientia Dei, cui ut fini suo nostra omnis intentio famulatur. Et quidem quantoslibet fecerit quis progressus in curriculo hoc vitæ caducæ, quamlibet nonnunquam resurrexisse ei & ascendisse in cœlos Christus videatur, habet tamen quo enitatur, in anteriora anhelans, posteriorum immemor; habet ulteriora fastigia, quò suspiret, & quorum comparatione se inter reptantis infantiæ nugas & sordes jacere ingemiscat. Est enim Christus incomprehensibilis; & quantumcumque videatur quis ætatem plenitudinis ejus attigisse, semper deficit, nisi proficit: retro labitur, nisi residua ad eum assequendum intervalla alacer & expeditus perlabitur. Augustinus: *Et ascendit super Cherubim, & volavit. Et exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret, nisi per charitatem. Plenitudo enim legis est charitas. Et citò se incomprehensibilem esse monstravit dilectoribus suis, ne illum corporeis imaginationibus comprehendi arbitrarentur. Volavit super pennas ventorum. Illa autem celeritas, qua se incomprehensibilem esse monstravit, super virtutes animarum est, quibus se velut pennis à terrenis timoribus in auras libertatis attollunt. Et posuit tenebras latibulum suum. Et posuit obscuritatem sacramentorum, & occultam spem in corde credentium, ubi lateret ipse non eos deserens.* Ascendit Christus in arcanum quendam sinum incomprehensibilitatis. Quotus quisque eum illuc assequi, imò vel sequi potis est?

XXIV. Promiscuè eadem ex pluribus Patribus.

In Ezech. hom. 7.

In Ps. 12.

In Ps. 17.

Adhæreamus ergo carni ejus, ætates & progressus carnis ejus in nobis impleamus; Verbi Jucem à longè sequamur; utique per charitatem. Utque charitatis cumulum non attinget hæc vita mortalis, ita nec finem assecutionis suæ. Etenim sapientia est, quam intelligere, id verò est sapere. Non sapit autem sapientia nisi charitati. Quid enim charitas, quàm gustus & suavitas, sapor & delectatio sapientiæ?

CAPUT XV.

Christus in Ecclesia sponsa, & ipse sponsus & sponsa, caput & membra, justitia & justorum universitas, ab exordio ad exitum usque seculi, semper venit & semper veniet.

I. Ita olim primus Christi adventus & expectabatur, & peragebatur sicut nunc secundus & expectatur, & quodammodo peragitur. Primum ex Augustino.

COnjuncta hæc & consequentia sunt iis, quæ capite superiori pertractavimus. Eliquescet autem, id quod demonstrare instituimus, si nonnullorum Patrum sententias in interpretando adventu Christi posteriore elucidemus. Posterior enim & postremus idem adventus venturi in gloria suæ fulgore Christi à nobis adhuc expectatur, & idem tamen in nobis quotidie peragitur, si è senatu Patrum ipsos Antistites audiamus. Ergo non novum, non mirum cuiquam accidet, si & ante primum adventum suum, & expectatum fuisse, & venisse tamen constituatur.

Quod autem secundum Christi eundemque postremum adventum in gloria, jam cœpisse, jam peragi, in dies magis magisque perfici arbitrati sint sancti Patres, id ex eorum testimoniis suadebitur, & argumentis inde exculptis. Agmini præeat Augustinus, qui ita argumentatur; Epist. 80. *Utraque pars erit in omnibus gentibus, altera qua premat, altera qua premitur. Una que dicat, Pax & securitas: altera in qua sol obscuretur, & luna non det lumen suum, & de qua cadent stellæ, & in qua virtutes cœlorum moveantur: Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate. Quod video duobus modis accipi posse, sive in Ecclesia, tanquam in nube venientem, sicut etiam nunc venire non cessat, secundùm id quod ait, Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cœli; sed ideo tunc cum potestate magna & majestate, quia major potestas & majestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur. Sive in corpore suo in quo sedet ad dexteram Patris, in quo etiam mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cœlum, secundum quod scriptum est in Actibus Apostolorum: His dictis nubes suscepit eum & sublatus est ab eis. Et quia illic etiam dictum est ab Angelis: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Utramque interpretationem profert in medium, ut vides. Et quidem non ambigit, nec ambigi à quoquam fidei catholicæ cupido potest, quin in suo singulari corpore Christus & in nube venturus sit, gloriæ insignibus circumfusus, eumque esse magis obvium sensum non dissimulat Augustinus; sed delitescere aliquando sensum abstrusiorem monet, quo apertior non elevetur, sed commendetur potiùs. Cùm ergo scrupulosiùs rutinatus esset verba singulorum Euangelistarum hæc commemorantium, tandem subiicit: *Tunc ergo scimus prope eum esse, cùm viderimus, non aliqua eorum, sed hæc omnia, in quibus & hoc est, quod videbitur Filius hominis veniens, & mittet Angelos suos, & de quatuor mundi partibus, id est, de toto orbe terrarum congregabit electos suos: quod tota hora novissima facit, veniens in suis membris tanquam in nubibus, vel in tota ipsa Ecclesia, quod est corpus ejus, tanquam in nube magna, fructificante atque crescente, in universo mundo; ex quo cœpit prædicare & dicere, Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. Ita ut fortasse omnia quæ ab his tribus Euangelistis dicta sunt de ejus adventu, diligentiùs inter se collata atque discussa, inveniantur ad hoc pertinere, quod quotidie venit in corpore suo, quod est Ecclesia: de quo adventu suo dixit: Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli: exceptis his locis, ubi ab eo ille adventus ultimus in seipso, quando est vivos judicaturus & mortuos, ita promittitur, ut propinquare dicatur.* Expectatur itaque ultimus ille Christi in seipso adventus, sed interim tamen, ut ait Augustinus, venit, & venire non cessat in membris suis, in Ecclesia sua, in corpore suo per universum orbem effuso, & augescente in dies singulos. Usque adeò autem hic adventus uterque Christi aptus sibi & contextus est, ut iisdem verbis uterque significetur, iisdem signis indigitetur.

II. Christus per Ecclesiam suam venit in gloria in nubibus; immittit Angelos, jam fulgurat ab ortu ad occasum &c.

Nunc enim emicante & florescente Ecclesia, ut Christi corpore, videtur Filius hominis sedens à dextris virtutis, nunc mittuntur Angeli, nunc venit in nube seu in fidei propagatoribus, nunc congregantur electi ab universo orbe. Ideò ergo indiscriminatim utrumque adventum hunc, sive utrumque unius adventus modum descripsere Euangelia, quia unus venit Christus, etsi membra præeant capiti. Ideò regnum cœlorum & appropinquasse & pervenisse in Euangelicis litteris testatur Christus. Pervenit enim per corpus, appropinquat per caput Ecclesiæ seipsam & prægredientis & subsequentis, ob infinitam quandam amplitudinem suam, Ideò in sacris litteris regnum cœlorum etiam præsentis temporis Ecclesia appellatur, in ea enim & per eam jam venit, jam regnat Christus, tunc absolutissimè regnaturus, cùm eam numeris omnibus & membris suis universis integraverit.

Illuc quoque spectat quod idem disputat alibi: *Quod Dominus dicit: Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & pervenit usque ad Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis, Orientis & Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Euangelio ab Jerusalem, secundùm illum sensum quo dixit, Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus. Convenienter enim Ecclesiam nunc fulgur nominavit, quod maximè solet emicare de nubibus. Constituta ergo authoritate Ecclesiæ clara atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles & qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim Schisma aut uniaque hæresis, aut locum suum tenet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit. Ad quod pertinet quod ait, Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic; quod significat terrarum partes & provinciarum, Aut in penetralibus aut in deserto, quod significat obscura & occulta conventicula hæreticorum. Quod ergo dixit ab Oriente in Occidentem perventurum adventum suum, contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur, &c.* Hìc ut vides adventus Christi describitur; Filius hominis, Christus, fulgur, & hujusmodi alia verba, attare nos videbantur, ne nisi de corporeo judicis Christi extremoque adventu exponere fas esset, & hæc tamen omnia ad ejus per Ecclesiam adventum vendicat sanctus Pater. Nimirùm jam nunc in gloria venit Christus, jam paterni consessus majestas, jam nunc potestas ejus se aperit, cùm Dei Filius, cùm Deus, cùm Paternæ majestatis collega creditur, cùm toto ex orbe ad eum convolatur, cùm certatim ex omnibus superstitionum ludibriis ad eum, ut ad sapientiam & sanctitatem inviolabilem sese humanum genus transfert, cùm peccatum extirpatur, cùm mors conculcatur. Nam extremus adventus nihil aliud quàm

hæc

hæc perficiet, & ultimam veluti manum apponet. Tunc peccati reliquias exuret penitus, tunc mortis germina residua radicitus elidet, tunc perficiet quæ nunc facit, tunc ultimam limam adiiciet operi, quod nunc elaborat: non ergo tunc tantùm veniet, sed & nunc venit.

III. Item ex Ambrosio, jam nunc, & in dies peragitur adventus Christi in gloria. Lucæ c. 21.

Præcinuerat hæc Augustino Ambrosius: *Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, &c. Est Prophetiæ vera series & integra causa mysterii, quod & captivi Judæi secundo in Babyloniam Assyriamque ducentur, captivi in toto erunt orbe, quia negaverunt Christum. Et Jerusalem quæ videtur, ab hostili exercitu calcabitur, cadentibus Judæis in ore gladii. Et Judæa omnis à nationibus credituris subiicietur in ore gladii spiritualis, qui est sermo bis acutus, &c. Tunc sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum & stellæ cadent. Plurimis enim à religione deficientibus, clara fides obscurabitur nube perfidiæ, quia mihi sol ille justitiæ meæ vel fides minuitur, vel augetur. Et quemadmodum menstruis cursibus luna, vel terræ oppositu cum fuerit è regione soli, vanescit: sic & sancta Ecclesia, cùm lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari, &c. Stellæ cadent, illi utique resurrectionis gloria jam micantes, illi viri sicut luminaria in sæculo verbum vitæ continentes, &c. Excident ergo hominibus Patriarchæ, excident Prophetæ, si persecutionis acerbitas convalescat. Quæ oportet fieri donec Ecclesiæ in omnibus virtutibus in singulis plenitudo cumuletur.* Ad adventum Christi, ad Ecclesiam hæc ille rapit omnia. Nec immeritò. Quanquam enim ad sacramentum & ad extimam dispensationis pompam necesse sit, cœlo delabi corpus Christi Judicis, & inconspicua etiam malis majestate repræsentari: gloria tamen & amplitudo Christi, seu adventus ejus in gloria, eo maximè continetur, quod ab hominum universitate agnoscitur, diligitur, adoratur, eique errorum, vitiorum, temporaliumque omnium cupiditatum ejuratione litatur, & ejus demum immortali ac beatæ sapientiæ & charitati universa electorum gens immergitur, sibique vilescens, sui immemor in eum absorbetur. Hæc gloria est Christi, hæc adventus ejus majestas, hoc consilium. Id porrò jam tum peragi cœptum est, jam exerceri, jam propagari visum est, nec deinceps invalescere destitit, ex quo Christus dixit, Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus, in majestate, & potestate. Nam quod in Sole & sideribus portentosa quædam prodigia ostentanda sint, nec nos imus inficias: sed monemus carnalibus & sensu corporis sola omnia metientibus, ea magis necessaria esse, quàm spiritalibus, qui intra corticem rerum gnari sunt venari medullam quandam arcani sacramenti. Itaque etsi illa foris signa sint adventus Christi, sed hæc tamen quæ spiritaliter observantur à sanctis Patribus, non paulò plus habent momenti ad Christi gloriam amplificandam. Et fortassis inde est, quod Christus ait, Amodo videbitis Filium hominis venientem, &c. Viderunt enim & illi ipsi ad quos tum verba faciebat, hunc ejus adventum per Ecclesiam clarescentis orbe toto, & eo divinam ostentantis majestatem suam, hostes suos Judæos evertentis, electos suos colligentis, sanctificantis, invictosque & mortis contemptores præstantis. Quo quid potentiæ & majestatis plenius? Inde est etiam fortassis, quod vel Christus, vel Euangelista Christi verborum scriptor, ac denique Spiritus sanctus, qui divinas concinnavit nobis litteras, accuratissima utique incuria adventum Christi illigavit, immiscuitque iis eventis, quæ statim aut paucis post mortem Christi annis contigerunt. Per illam enim ipsam Gentis Judaicæ & Jerosolymæ eversionem, per suorum inde in omnes terras non cursuum magis quàm victoriarum spiritualium peragrationem, per Ecclesiæ suæ amplificationem adveniebat Christi gloria, regnum cœlorum propagabatur in sapientiæ & justitiæ triumphis, & in mortis contemptu jam immortalitas præsumebatur.

IV. Rursus ex eodem.

Subiicit ibidem Ambrosius: *Nam virtutes cœlorum movebuntur, &c. Fortasse quemadmodum Domini expectatur adventus, ut ejus præsentia in toto fiat vel hominis orbe, vel mundi; quæ fit utique in singulis, cum omnibus affectibus receperint Christum: sic etiam virtutes cœlorum adventu Domini Salvatoris ac reditu, est enim virtutum Dominus, augmentum gratiæ consequantur, necesse est, & plenitudine divinitatis pleniùs se infundente moveantur.* Adventu redituque Christi, hoc est primo & secundo adventu ejus ait Ambrosius virtutes augmentum gratiæ consequi, utpotè infundente se pleniùs divinitate. Eò enim vergebat & ad hoc adornabatur omnis Christi adventus ad homines, ut Verbum ut sapientiæ & justitiæ Deitas pleniùs pleniùsque in homines se infunderet. Cùm ergo illa se pleniſſimè infuderit, cùm nullum electorum in præteritis reliquerit, is erit tum extremus ejus adventus: sed & advenit interim tandiu, quandiu se infundit. Advenit autem in nubibus. Si sciteris quales sint hæ nubes, respondebit ibidem Ambrosius: *Vides illum in nubibus. Non equidem puto, quod in caligine tenebrosa & horrore pluviali Christus adveniat. Nubes enim quæ videntur, cœlum utique caligandi horrore subterunt. At quomodo in Sole posuit tabernaculum suum, si pluvialis eius adventus? Sed sunt nubes, quæ quia sic oportet, cœlestis obtexunt mysterii claritatem. Sunt nubes, quæ rore gratiæ spiritualis humescant, &c. Ergo Moses & Josue nubes sunt, &c. Nubes sunt Isaias & Ezechiel, &c. In his nubibus venit Christus, &c. Cùm ergo apparuerit Christus in nubibus, concident se tribus terræ. Est enim quidam ordo criminum & series peccatorum, quæ Christi dirimatur adventu.* En quas nubes inscendat adveniens Christus, nempè Scripturas, nempè homines sanctos per quos ros gratiæ cœlestis infunditur, per quos obtexitur nimia cœlestis mysterii claritas: diffluentibus autem paulatim nubibus, aperit se & rutilat Sol veritatis, ut plenus nuduſque exoriatur, qui temperatus advenit, & exoritur jugiter. Cùm autem & Moyses, & Josue, & Esaias & illi olim flosculi fructusque præcoces, in eodem recenseantur ordine, ut per illos adveniat & videatur Christus, nimirùm non obscurè innuitur adveniſſe etiam tum Christum in nubibus, non extremo, non eo quo nunc, sed consentaneo tamen luminis sui gratiæque proventu adventuque.

V. Etiam nunc & in dies magis magisque Christus vincit, judicat, regnat per Apostolos etiam & per Apostolicos viros judicat, suos munerat, cruciat hostes. Lucæ c. 24.

Sed quia extremus ille adventus sonat judicantis terrorem & sedes unà judicantium Apostolorum, cæterorumque limatioris perfectionis sectatorum, advertamus quid de his nos admoneat Ambrosius ibidem: *Neque duodecim throni corporalis aliqua sunt receptacula sessionis: sed quia sic secundum divinam similitudinem judicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatemque condemnans; ita & Apostoli in judicium spiritale formantur remuneratione fidei & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes.* Quanquam ista manifestiùs & magnificentiùs speranda superſunt, jam nunc tamen non penitus obscurè præsumuntur. Nam Christus judex ultorque invisibiliter & non rarò visibiliter pollet regnatque jam nunc, dum suos virtutum ergo remunerat, cumulatque earumdem virtutum pleniore copia & beatitate: quæ enim beatitas nisi virtutum pleniſſima ubertas? dum adversarios vel clam vel palam excruciat suamet ipsorum fœditate, cæcitate, anxietate. Sedet enim infatigabili lege super illicitas cupiditates spargens pœnales non cæcitates tantùm, sed anxietates. Hic ergo anticipatus est jugisque Christi adventus judicantis, præmiantis, ulciscentis. Sedent & perfecti qui-

que in judiciariæ hujus potestatis collegio, suo & ipsi plausu bonis adgratulantes, & lætitiæ cumulum superfundentes: suo & ipsi cautetio omnem impietatem inurentes, & nunquam intermorituræ infamiæ addicentes. Hæc invisibiliter plerumque nunc fiunt, sed tamen fiunt, nec minùs fieri videntur iis, quorum fides & animi pondus in invisibilia magis propendet; quorum fides non apparentium, non præsumptio incerta, sed substantia jam ipsa est; quorum oculi non in corpore, sed in mente sunt, veritatem invisibilem contemplantes, & eo magis, eo certiùs esse pronuncianies, quo invisibilis est.

VI. Ex Hieronymo jam nunc sancti quilibet obviam Christo rapiuntur in aera. Epist. 151. ad Miner. & Alexand.

Hieronymus nunc in partes veniat, & hujus ipse sententiæ non dubius suffragator. Ille ergo ita habet: *Quomodo autem ii qui rapiuntur in nubibus, rapiantur obviam in Christo, diligentius contemplandum est. Scimus nubes Prophetæ, quibus præcepit Deus, ne pluerent super Israel imbrem, quando impleverunt mensuram Patrum suorum, & facta est lex: & Prophetæ usque ad Joannem Baptistam. Et quia Deus posuit in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas: non solùm Prophetæ, sed & Apostoli nubes intelligendi sunt. Si quis igitur ascendit ad Christum, ascendit super nubes legis & Euangelii, super Prophetas & Apostolos; & assumptis alis columbæ, eorumque doctrina ad excelsa sublatus, occurrit non deorsum, sed in arce & spiritali intelligentia Scripturarum. Occurrens autem in spiritalibus, & terrena dimittens, sive ille sit dormiens, sive in Christo mortuus, sive vivens, & in illius præsentiam reservatus, semper cum illo erit: & perfruetur verbo Dei & sapientia, veritate atque justitia.* Quod Paulus ait raptum iri nos obviam Christo judici & remuneratori in aera in nubibus, audin ut sanctus Pater exponat de spiritalis intelligentiæ sublimatione quadam, qua jam nunc terrenos exutimus affectus, corporeis valedicimus sensibus, Christum non in littera, non in carnis nucleo, sed in medulla sapimus, non in nubibus obumbratum, seh in luce quadam intelligibili complectimur, ut sapientiam, ut veritatem atque justitiam? Ergo adventus ille vel Christi ad nos, vel noster ad Christum, tunc quidem absolutissimè fiet, cùm intelligentiæ & charitatis ubertas ad excoquendum usque & innovandum in immortalitatem corpus nostrum redundaverit, sed & nunc fit, & semper fieri implerique pergit. Nec enim ultimus ille adventus ad solam corporis à mortalitate redemptionem valebit, & non etiam & penè ampliùs ad pleniſſimam intelligentiæ & charitatis spiritalis inundationem, ex qua convenienter effluat ipsa corporis immortalitas. Cæterùm ut nunc jam præcipitur adventus illius gratia, qui expectatur: ita & ante partum Virginis expectabatur, sed & anteveniebatur prior de Virginis utero Verbi adventus: & tunc veniebat idem, qui nunc venit venturus.

VII. Idem ex Origene. Tract. 34. in Matth.

Non intutum fortassis nunc erit Origenem producere in apertum, huic eidem sententiæ patrocinantem. Hæc ille Christi verba tractans: *Cùm venerit Filius hominis in gloria sua & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ & congregabuntur ad eum omnes gentes, &c.* paucis præmissis hæc disputat: *Existimo ergo quoniam erit tempus adventus Christi, quando tanta manifestatio futura est Christi & divinitatis, ut non solùm nullus justorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundum quod est, quando & peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta & justi manifestè videbunt semina justitiæ suæ, ad qualem eos perduxerint finem. Et hoc est quod dixit, Congregabuntur ante eum omnes gentes. Si enim modò quando nec omnes cognoscunt Christum secundùm quod est, nec ipsi qui videntur cognoscere, palam eum cognoscunt, sed in fide tantùm, intrant homines in conspectum ejus, quando agnitionem ejus accipiunt per fidem: sicut scriptum est, Intrate in conspectum ejus in exultatione: quanto magis rectè dicuntur ante eum omnes gentes congregandæ & constituendæ, quando palam omnibus tam malis quàm bonis, tam fidelibus quàm infidelibus fuerit factus manifestus ante ocalos mentis eorum jam non fidei aut diligentiæ alicujus inquisitione repertus, sed ipsius divinitatis suæ manifestatione prælatus. Non in aliquo quidem loco apparebit Filius Dei, cùm venerit in gloria sua, in altero autem non apparebit: sed sicut ipse secundùm comparationem fulguris exeuntis adventum suum voluit demonstrare, dicens, Si dixerint vobis, &c. Sicut enim fulgur egrediens ab Oriente, propterea quod omnia implet, apparet usque in Occidentem: sic cùm venerit Christus in gloria sua, propterea que ubique futurus est, & ipse in conspectu omnium erit ubique, & omnes ubique erunt in conspectu ipsius, & sic constituetur ante sedem gloriæ ejus, hoc est ante regnum ejus & potestatem dominationis ipsius. Sedes autem ejus, aut certè perfectiores quidam Sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est, Quoniam illic sederunt sedes in judicio; aut virtutes quedam Angelicæ, &c.* Ita ille. Nec valent ista, alioqui non valerent, sed jacerent funditus, non valent inquam ad labefactandum corporalem localemque Christi judicis adventum: sed ad stabiliendum spiritale dogma, quod plerosque præterit, defixos & demersos penitus in corporalis adventus stuporem. Videlicet venier non homo tantùm judex, sed Verbum, humana quidem forma omnibus promiscuè conspicuum, sed Verbum tamen & sapientia & justitia veniet, & nos ad ipsum veniemus. Ut ergo seponatur jam corporei adventus, quia corporeus erit, consideratio, cùm Verbum sapientia & justitia ad animas veniet, & convenient ad ipsum animæ rationales, non locorum emensione fiet adventus iste, sed luminum progressione & mentium. Veniet enim Verbum, cùm innotescet, venient animæ ad ipsum, cùm ad lucem notitiamque ejus ingredientur. Veniet in gloria, cùm splendidissimè illucescet: venient & congregabuntur omnes gentes & ipsæ impiorum cohortes, cùm & ipsas jam non latebit, sed vel cæcutientes præstringet sapientiæ & justitiæ majestas, tantumque singulis de sua asperget luce, quòd tum necesse est, ut ipsi seipsos introspiciant, suamque intestinam turpitudinem & videant & exhorrescant. Ita ultro citroque ventitat Verbum ad animas, animæ ad Verbum, non localibus, sed mentalibus motionibus. Corporeum enim simul adventum conventumque & agnoscimus, & sola consideratione disjungimus. Quæ cùm ita sint, quis jam non perspicit, quanquam cumulatior & præclarior expectetur, fieri jam tamen non obscurè illum spiritalem Christi ad animas adventum, jam in nubibus advenire, jam exire in fulgur, jam ubique parere, jam in judicii sessitare throno, jam congregari ad eum omnes gentes, jam denique magis magisque & bonis & malis adsplendescere incommutabilem Verbi sapientiam & justitiam, qua illi recreentur, hi ringantur, hi puniantur, illi in antecessum gloriæ beata lumina prælambant? *Ergo Rex seculorum Deus Verbum, qui in forma factus est hominis, sedebit super hujusmodi sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ad eum omnes gentes, jam non dispersæ in dogmatibus multis & falsis de eo, & sic erunt ante eum, &c.* ut ille ibidem pergit.

VIII. Ex Greg. M. hoc nunc secreto pergitur, quod tunc publicè fiet. Moral. lib. 14. c. 8.

Gregorius Magnus nil dissidet ab antedictis: *Cunctis liquet quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. Sed hoc nunc secreto judicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstratur. Nam justè ac misericorditer singulorum corda vel examinans vel disponens, alios ad exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecùs trahit: hos accendit inter-*

interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare: horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda humanis oculis clausa sunt, & nescitur qui repellitur, quia penetrare nequeunt quæ ab unoquoque cogitantur. Audin satis exertè dici, *hoc nunc secreto judicio agi, quod tunc in publico demonstrabitur?* Audin justè & misericorditer singulorum corda jam pensitari, & alios in exteriores tenebras, alios in intimæ lucis gaudia ablegari? Quod ergo nunc fit, tunc fiet, sed manifestiùs, pleniùsque: & quod tunc fiet, nunc jam fit, sed occultius parciùsque. Oculos ista desiderant, illos scilicet fide illuminatos.

IX. Ex Bernardo, quotidie paulatim adventat gloria Christi. L. de grat. & lib. arb.

Bernardus: *Hoc est quod quotidie petimus in oratione, cùm dicimus Deo, Adveniat regnum tuum. Regnum hoc necdum ex toto pervenit in nos. Quotidie tamen paulatim adventat, sensimque in dies magis ac magis dilatat terminos suos, in his dumtaxat quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. Inquantum ergo regnum gratiæ dilatatur, in tantum peccati potestas minuitur.* Subdit pios quosque reliquiis vetustatis prægravatos ingemiscere & exclamare: *Adveniat regnum tuum. Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum non solum non regnet in mortali eorum corpore, sed nec sit omnino, nec esse possit in immortali jam corpore.* Cui ambiguum est, regnum illud cujus accelerationem votis prosequimur, adventu Christi in gloria contineri? De eo ergo ait Bernardus, *hoc necdum ex toto pervenisse in nos, quotidie tamen paulatim adventare, sensimque in dies magis ac magis dilatare terminos suos.* In arcem causæ hujus invadit sanctus Pater. Regnum enim Christi, regnum est meræ veritatis & sanctimoniæ. Id regnum in dies augescit & amplificatur, tum in singulis, tum in universis. Quanquam enim rarescere videantur nonnunquam justi, non rariores forsan, sed occultiores sunt, aut si rariores, illustriores sunt: aut si nec illustriores, & tamen infrequentiores, non pœnitendo tamen numero sunt, & priori multitudini accedunt, atque ita accessio fit regno justitiæ. Augescunt enim semper examina piorum, cùm anterioribus juniores seu plures seu pauciores, aliqui tamen accumulantur. Cùm ergo prece crebertima Deum lacessimus, ut regnum Christi adveniat; quod nisi advenisset, non justitia, non sapientia usquam vel tantilla scintillaret; quod nisi advenisset, non vel ut adveniret, optari orarique posset; quod advenisse, vel ipse qui orat, conscius & testis est: cùm inquam flagitamus ut adveniat, postulamus ut consummetur: prout adnotavit Bernardus. Sapientia enim & veritas cultores suos recreatura, hostes suos cruciatura, semper venit, nec venire cessat, semper veniet, donec pleniissimam sui luis inopiam, illis copiam invehat. Ita & Verbum caro veniebat olim per varias carnis, seu litteræ, seu cujuscumque demum veli & temperamenti obumbrationes, nec venire cessabat, donec venit absolutissimè in carne Verbi propria. Semper enim seu per velum infirmis, seu dimotione veli fortioribus animabus rationalibus venit Verbi veritas & justitia.

IX. Ex Augustino pietatis sacramentum omnes gentes effudit est Christus totus, Caput, & Corpus, Christus & Ecclesia.

Eliquescet iterum quod capite isto demonstrandum suscepimus, si evincamus magnum illud sacramentum pietatis, quod ut ait Paulus Apostolus, manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, in quo omnes utique præsidium suæ salutis spemque omnem collocarunt, nullo sæculo defuisse, nunquam exhiberi desisse, omnibus præsto semper fuisse hominum ætatibus. Id autem non operosum erit ostendere, si qua fides interpreti addatur Augustino. Constantissimè enim ille hoc de Ecclesia accipit. Est enim Christus Ecclesia, est Christus caput & membra, universitas illa justorum, quæ à cunabulis mundi ad senium usque ejus nunquam usquequaque interire aut evanescere potuit. Hoc sacramentum est pietatis, hujus adventus & proventus est utique optatissimus. Nam si solum capitis adventum perpendas, est in eo quod concupiscas, est & quod contremiscas. Positus est enim ille in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel & in signum cui contradiceretur. Fuit ille aliis stultitia, aliis scandalum, utrisque odor mortis ad mortem. At sacramentum pietatis est in copulatione corporis cum capite, in capitis ubique locorum in omnes sæculorum effluxus dilatatione & restagnatione gratiarum in corpus suum. Ita Augustinus: *Idem Apostolus ait, Quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et sine dubio magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Nempe manifestum est, hoc quod in extremo posuit, etiam nunc nondum esse completum, quantò magis tunc quando ista dicebantur? Ecclesia quippè tunc assumetur in gloria, quando dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: & tamen tanquam factum fuisset, hoc dictum est quod certo sciebatur futurum.* Ubi antecedentia planum faciunt ad Ecclesiam referenda esse ea, quæ alioqui proniores uni capiti Ecclesiæ vendicaremus. De Christo enim sermonem instituerat, cùm eò devolutus est Paulus ut diceret, Magnum illud esse pietatis sacramentum. Augustinus autem id totum asserit Ecclesiæ, quam assumptam quoque in gloria dici potuisse affirmat, sicut & alibi conresuscitati & consedere in cœlestibus jussi ab eodem Paulo pronunciamur, quod hæc non in dubio pendeant & fluctuentur, sed quod rata fixaque sint ita, ut teneantur jam magis quàm expectentur. Cui contexi non absre potest illud quoque quod alibi vocat idem Paulus, Magnum sacramentum, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. In quæ verba Augustinus: *In ipso exordio Adam & Eva parentes omnium gentium erant, & non tantummodo Judæorum; & quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus erat in Christo, &c. Sacramentum hoc magnum est. Et ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, Ego autem dico inquit in Christo & in Ecclesia, quod est hoc sacramentum magnum, erunt duo in carne una.* Sacramentum igitur magnum est, non seorsim Christus, non seorsim Ecclesia, sed Christus in Ecclesia, Ecclesia in Christo, Christus & Ecclesia, Christus unus, sed totus; non caput solitarium, non corpus truncatum, sed totius plenitudo.

Epist. 80.

Tract. 9. in Ev. Joan.

XI. Ex eodé jam Ecclesia in cœlos ascendit, ascendit Christus cum Ecclesia. In Ps. 122.

Ne duriùs autem videatur dictum de Ecclesia, assumptam esse in gloria, audi eundem Augustinum: *Ut sit unus Christus qui descendit & ascendit. Descendit caput, ascendit cum corpore, vestitus Ecclesia sua, quam sibi exhibuit sine macula & ruga. Solus ergo ascendit, sed & nos quando cum illo sic sumus, ut in illo membra ejus simus, & nobiscum solus est, & ideo unus & semper unus.* Audin ut audeat & fidenter pronuntiet caput descendisse, sed cum corpore, hoc est, cum Ecclesia ascendisse? Cùmque alibi dicat Christus, unum illum ascendere in cœlum, qui inde descendit, ad id alludens Augustinus, & nodum exolvens ait, unum ascendere, sed unum cum membrorum suorum compage. Nam si unus ascendit, & ascensura tamen erat Ecclesia, unus cum Ecclesia & solus erat Christus, & cum ea ascendebat. Ne ergo ambages hìc ullas suspicemur, no verba Pauli ad Timotheum tenebricosiora esse quiritemur, plana sunt & expedita, sed Christi amplitudo atque universitas non satis perspecta & explorata nobis est.

XII. Christus tora & sum-

Nec enim incuriæ labem quisquam impingere vel Apostolo vel alibi sacris litteris nisi delirus admodum

modum & excors poterit, quod Ecclesiæ & Christi insignia passim confundant. Ea est Ecclesiæ, ea Christi magnificentia, qui non unus aliquis peculiaris imaginandus est justus esse, sed tota justorum respublica, tota sapientum qui usquam & unquam exiterint universitas. Justitia enim & sapientia est Deus Verbum, quocirca nec ulla usquam est sapientiæ & justitiæ stillula, quæ non ejus delibatio sit, quæ non illi fonti se debeat, quæ non illi ut plenitudini insit, quæ non ipse sit. Est Verbum Deus natura ipsa sapientiæ & justitiæ, non particularis, non singularitatis obicibus circumscripta, sed universalis & tota. Ubi ergo in singularem naturam humanam descendit, non potuit quin amplitudinis suæ ingenium retineret, & ejus universitatem sibi consociaret, sibique consereret. Justorum ergo universitas ipse est: justus quilibet portio ejus est. Augustinus idem: *An & ipsa nota sunt quibusdam excellentioribus membris hominis hujus, qui cum suo capite Salvatore totus est Christus?* Et alibi: *Et corpus in capite suo est, secundùm Apostolum dicentem, Et simul resuscitavit, & simul sedere fecit in cœlestibus, & nos ibi sedemus, & ipse hic laborat. Nos ibi sedemus secundùm spem, & ipse hìc nobiscum est secundùm charitatem. Hæc compago tanquam unius hominis facit duos in carne una, sponsum & sponsam.* Et rursum: *Quid ergo dedignamur audire vocem corporis ex ore capitis? Ecclesia in illo patiebatur, quando pro Ecclesia patiebatur: sicut etiam in Ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo Ecclesia patiebatur.* Et rursum: *Et multi homines sunt, & unus homo est: multi enim Christiani, & unus Christus. Ipsi Christiani cum capite suo quod ascendit in cœlum, & unus est Christus. Non ille unus & nos multi, sed & nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus, caput & corpus.* Et denuò: *Sicut enim corpus unum est, inquit Apostolus, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum est corpus, ita & Christus. Non ait, Ita & Christus & corpus: sed, Corpus unum membra multa, ita & Christus. Totum ergo Christus.* Et paulò pòst: *Ut inde videatis quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus.*

ma & universalis justitia est, unde & justorum respub. tota corpus ejus est.

XII. Universum genus hominum duo homines sunt Adam & Christus. Tract. 5. in Evang. Joan.

Eodem collineant illa quoque testimonia, quibus duo tantùm homines orbem occupare universum, & universam labentium ætatum ac sæculorum seriem exhaurire perhibentur. Omnes enim impii in Adam & cum Adam unus homo: omnes justi in Christo & cum Christo unus homo. Augustinus: *Cecidit primus homo, & omnes qui de illo nati sunt, de illo traxerunt concupiscentiam carnis. Oportebat ut nasceretur alius homo, qui nullam traxit concupiscentiam carnis. Homo & homo: homo ad mortem & homo ad vitam. Sicut dicit Apostolus: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Homo & homo; homo per quem mors, homo per quem resurrectio: homo ad mortem, & homo ad vitam. Et rursum: *In hac causa duo constituuntur homines, Adam ex quo consistit generatio carnalis, & Christus ex quo regeneratio spiritalis, &c. Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi: ita & per obbedientiam unius justi constituuntur multi. Qui multi? Nisi quos jam paulò antè omnes dixerat. Vide quemadmodum commendat unum & unum, id est, Adam & Christum.* Sed luculentissimè idem alibi: *Nec advertitis primum hominem Adam sic olim fuisse defunctum, ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cùm tot hominum millia inter illum & hunc orta sint. Ideo manifestum est ad illum pertinere omnem, qui ex illa successione propaginis nascitur: sicut ad istum pertinet omnis qui in illa gratiæ largitate nascitur. Unde fit ut totum genus humanum quodammodo sint homines duo; primus & secundus.* Scitè elicit ex Apostolo totum genus humanum non esse nisi homines duos, primum & secundum, Adamum & Christum: Omnes enim sceleti membra sunt Adæ, omnes pii membra sunt Christi. Ergo secundus homo Christus non traxit moras, non feriatus est, non tarditate gratiam suam commendatam voluit, non dilatione, non tergiversatione beneficium suum corrupit: sed ut primùm lapsus est Adam, & contagione vitiatæ originis virus suum universitati seminis sui infudit, protinus affuit Christus, non totus, quia nec totus tum erat Adam, sed quantus reparandæ labi sufficiebat. Quin ut inspirata divinitus sapientia testatur, affuit Adamo ipsi sapientia Christus, & ex fovea illa eum eduxit, & ejus proli Abelo, Setho, aliisque medicinalis gratiæ suæ uberem largitus est copiam, & in sua ipsius membra hos omnes sibi adscivit & adglutinavit. Usque adeò igitur primi hominis luem secundus non distulit adventu suo curare, ut ipsum primum hominem secundus invaserit, suo ipsum corpori inseruerit, & jam inde nunquam destiterit corporis sui amplitudinem & membrorum suorum numerositatem & quandam infinitatem explicare.

XIV. Rursus Christus ita sit justorum universitas semper & ubique.

Non obloquimur capitis nostri singularibus ornamentis, quin damus operam pro virium modulo toto hoc opere, ut ejus majestas & opulentia quàm fieri poterit acuratissimè propaletur. Sed ejus amplitudinem non injuria interpretamur ex omnium etiam ejus membrorum infinita quadam effusione. Itaque nobis Christus occurrit, ut unus omnes justos complexus, ut genus justorum omne unus ipse: ut quidquid ubique justus quilibet piè & fortiter facit vel patitur, faciens ipse vel patiens unus: ut denique universitas sapientiæ & justitiæ plenitudo infusa humano generi, & per membra omnia sibi conserta explicans sese exertansque. Quando enim nostris mederi erroribus, seque carnem humanam induere paterno Deus misericordiæ consilio statuit, non illi uni consultum singulariter volebat humanitati, quam suæ Verbum hypostasi copulavit, sed universitati electorum prospiciebat, cui cùm concorparari decrevisset, non potuit illi ut membrorum suorum multitudini se insinuare ita, ut non conspicui hujus sui corporis caput aliquod conspicabile & ipsum sublimaret, eique ita se infunderet, ut ex eo in reliqua se diffunderet membra. Ergo divina charitas in beneficii sui universalitatem intuebatur, & electorum generalitati divinas opes divinitatis ipsius illapsione dilargiri fatebatur. Non immeritò ergo Verbum incarnatum Christus illa prædicatur esse piorum & sapientum universitas, tanquam unus homo catholicus, plenitudine deitatis & gratiæ delibutus, cujus vita, cujus gesta fines terræ quaqua patet, & omnia sæculorum volumina occuparunt. Quid ergo attinet quærere, quando venerit, aut cur non seriùs, vel temporiùs? Semper enim venit, qui semper fuit, & est, & erit. Quorsum angi, quo potissimùm loco & tempore caput ipsum hujus corporis se conspiciendum præbuerit? Nam quocumque demum loco, vel tempore caput extiterit, nihilo sequiùs membra sua quaquaversum sparsa, sed sibi tamen cohærentia, eadem facilitate vegetat, eadem largitate locupletat. Quorsum sollicitari de capitis adventu, cùm singulorum salus corporis Christi universitati illigata sit? Itaque nostra interest ut in nos & per nos veniat, id elaborandum, id urgendum est; sibi autem venerit caput, ubi & quando collibitum fuerit; perinde enim vitæ spiritalis fluenta in nos derivabit, quòd nec locorum nec temporum res ista sit. Augustinus, *Proinde ipse Dominus Jesus loquitur in ista prophetia, sed quadam in membris suis & unitate corporis suis, tanquam in uno quodam homine diffuso toto orbe terrarum, & succrescente per volumina sæculorum: quædam verò in ipso capite nostro.* En quis sit Christus, unus homo diffusus toto orbe terrarum & succrescens per volumina sæculorum. Et rursus: *Miserere mei Domine,*

In Psal. Cor. 16.

In Ps. 85. *mine, quoniam ad te clamavi tota die. Non una die, tota die, omni tempore intellige: ex quo corpus Christi gemit in pressuris usque in finem sæculi, quo transeunt pressuræ, gemit iste homo, & clamat ad Deum: & unusquisque nostrum pro portione habet clamorem suum in toto isto corpore. Clamasti tu diebus tuis, & transierunt dies tui: successit tibi alius, & clamavit diebus suis: & tu hic, ille alibi. Corpus Christi tota die clamat sibi decedentibus & succedentibus membris. Unus homo usque in finem sæculi extenditur.* En quis sit Christus, unus homo ubique terrarum diffusus, usque in finem sæculi ab exordio extensus, clamans ad Deum, particeps omnium sapienter & castè timentium, hoc est diligentium Deum, quia sapientes & justi omnes ejus participatio, ejus particula sunt. Et rursum: *Unus homo cum capite & corpore suo Jesus Christus, &c. Si in membris Christi es, quicumque homo, quidquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat, mensuram implens, non superfundens. Tantum ergo pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro, & patitur in membris suis, id est, in nobis ipsis, ad communem hanc quasi reipublicam. Nam quisque pro modulo nostro exolvimus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus, præratoria plenaria: passionum omnium non erit finis, nisi sæculum finitum fuerit. Quidquid passi sunt Prophetæ à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, appositum est super hominem, quia præcesserunt adventum Incarnationis Christi quædam membra Christi: sicut in nascente quodam, nondum quidem procedente capite præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur & manus.* Exporrige & amplifica sinum animi tui & cogitationum ad hanc Christi amplitudinem, & dubitatiunculatum angustiis te facilè expedies.

In Ps. 61. *Si unus occidat, assurgunt plurimi: plures qui rapiant quàm qui amittant. Non unus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur.* Et infrà: *Quid enim aliud in illa historia, nisi divitum avaritia describitur, quæ est vanum profluvium, quod omnia fluvii more rapit, & nulli usui profutura traducit? Hæc est Iezabel illa, non una, sed multiplex: non unius temporis, sed temporum plurimorum: hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro suo Achab: surge & manduca, &c.* Nulla est avaritiæ, nulla impietatis substantia, cui omnes ejus consortes conglutinentur, & in unum concrescant corpus, & tamen imitatione, unum quasi corpus compingitur omnium flagitii societate devinctorum: quanquam flagitii sit non tam consociare & adunare, quàm divellere & committere. At verò justitiæ & sanctitatis substantia sursum est, & summè est, & una est, & summè una atque unifica est: quapropter non possunt, quicumque illi conglutinantur, aut ea vegetantur, non in unum & strictissimè unum corpus coagmentari. Idem rursus: *Potest tamen & hic in uno accipi species generis humani. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Non sine ingenti jactura aut compendio experimur quàm sint omnes homines unus homo, seu mali malus, seu boni bonus. Omnes enim fuimus ille unus, qui peccavit. In illo fuimus, & ille fuimus: unde & illo pereunte periimus, qui illo permanente per-

XV. Ambros. idem confirmatur.

de Nabuthe c. 1. 9.

c. 15.

manssimus. Non acutè, non tenuit et hoc dictum est, non acuminis nostri specimen, sed experimentum, sed certissima & solidissima veritas, sed rerum natura ita habet: omnes unus fuimus, in illo peccavimus, in illo periimus. Ergo ille Adam qui tum deliquit & periit, superstes adhuc est, & ad exitum usque sæculi perpetuabitur ubique terrarum jacens; non magis mole corporis, quàm mole miseriæ mirabilis & miserabilis. Efficacior est ad copulandum & ad vegetandum justitia, quam injustitia. Ergo & Christus in membrorum omnium compage unus est, sæculorum locorumque universa amplitudine ulterior.

XVI. Ex eodem infinita quæ jam vastitas corporis Christi. De Trinit. l. 5. c. 7.

Sed corporis Christi interminatam vastitatem idem Ambrosius pulchrè alibi prosequitur: ubi verba Pauli exponit, aientis, cùm Christo fuerint omnia subjecta, tunc & ipsum subjectum iri Patri: *Quomodo ergo subjecta erunt? sic utique quomodo ipse Dominus dixit: Tollite jugum meum super vos, &c. Ideo subjecta ante non erant omnia, quia nondum receperant sapientiam Dei, &c. Dicet aliquis: Ergo jam subjectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minimè: quia non in paucis est Christi subjectio, sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, non videor esse subjectus, etsi ex parte sim subditus: ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quandiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc subjecta membra. Cùm autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc & ipse subjectus erit, ut per ejus subjectionem sit Deus omnia in omnibus.* Audin Christi subjectionem non in paucis esse, sed in omnibus? Nec enim paucitas, sed universitas corpus ejus est. Ergo quia ab initio jugum ejus subiere quidam, quia sapientiam jam tum quidam recepere, quia Adamus ipse jugo sapientiæ superbam tandem inclinavit inseruitque cervicem: jam tum Christus cœpit Patri subjici, quia jam tum cœpit aliquos sibi subiicere. Non ergo tum desiderabatur Christus, qui tum erat, tum corpus suum fundabat, tum Patri subiici incipiebat. Et exinde magis magisque subiici perseveravit, in aliis & aliis membris suis, quod humanæ saluti abunde est. Ne ergo adventus ejus quasi tardior incusetur, qui semper fuit, cujus semper aliqua portio affuit. Universitas enim non tota semel unquam venit, nisi cùm jam pervenit, & venire desitit. Ne nostras angustias Christo impingamus, Sic venit, ut universitas, ut infinitas venit. Locorum infinitas ubique tota est, hìc illicque per portiones sui adest, sed nusquam deest. Temporum universitas semper est, nunc vel tunc sui segmentis implet, sed nusquam deest. Sapientia Christus de censu incircumscriptæ majestatis habet, ut omnia in omnibus adimpleat, & omnia in omnibus adimpleatur. Quod enim sui impartit, non à se desecat, sed quibus impartit, eos sibi adunat. Unde idem Ambrosius: *Uterque eramus in Christo, in quo & summa universitatis & portio singulorum est.* Et eleganter alibi: *Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cùm esset specie homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, ut doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet: qui cùm se caput per totum orbem divinitatis vigore diffunderet, statim omne hominum genus in substantiam suam sui potestate subtraxit, ut & jugum Spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est Christianos cunctos faceret esse quod Christus est. Nam quod homo Dominus Jesus unus & solus esset in mundo, tanquam fermentum in massa reconditum, universos homines præstitit esse quod ipse est.* Quid tantoperè laboras quo massæ loco condatur fermentum, dum tota illi massa peræquè subigatur & concrescat? Sapientiæ vigor nullo locorum fine clauditur, nullo temporum lapsu ex-

Orat. de fug. nere fratr. Serm. 3.

exhauritur: in longinqua perinde jaculatur ut in proxima: plerumque propinqua præterit, & in procul dissita radiat. Quin longinqua propinquaque ipsi sunt omnia, non locorum temporumvè legibus, sed animorum moribus. Propè adest sapientia cordatis ubicumque & quandocunque sint, longè abest excordibus; illis enim inest, his deest; & hoc est adesse, vel abesse. Itaque illis incarnatus est, illis passus, illis revixit, qui inter mundi vel initia vel excidia, justitiæ ejus se addixere: nequaquam autem illis qui corporalia hæc ejus sacramenta oculis contuiti, animis aversati sunt. Denique idem Ambrosius unam esse Christi vitam pronunciat, quæ per justos omnes vivit, non suam ipsorum quolibet, sed Christi vitam in seipso explicante. *Itaque septima mundi ætas conclusa est, octava illuxit gratia, quæ fecit hominem jam non hujus mundi esse, sed supra mundum. Jam enim non vitam nostram, sed Christum vivimus. Nobis enim vivere Christus, & mori lucrum. Itaque jam non in carne, sed in fide vivimus Christi. Unde colligimus, quia conclusus est mundi dies. Denique novissima hora venit Dominus Jesus, & pro nobis mortuus est, & omnes in illo mortui sumus, ut vivamus Deo. Non ergo nos qui oramus, vivimus, sed vivit Christus in nobis.* Quæ ita physicè & verissimè habere, experti norunt, qui suam à se vitam quotidie ejurari & expugnari, conscii sibi sunt; inspirari autem vitam aliam, cœlestia spirantem, mente & corde toto sursum anhelantem, verè vitam non hominis terreni & terrenis addicti, sed vitam sapientiæ, & justitiæ, vitam Christi. Expertus hæc probè callebat Paulus, callet & omnis Pauli imitator, aut præsultor, cum eo dicere potis, *Mihi vivere Christus est, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus, vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Conversatio nostra in cœlis est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Expertus hæc affirmabat Ambrosius, qui ait, Ideo novissima hora venisse Christum, & conclusum jam esse mundi diem, & septima corruptibilium vicissitudinum ætate præterlapsa, octavam illuxisse gratiam, qua sola degitur Christi in omnibus vita, quasi jam pateat beata patria, cujus hæc summa fœlicitatis est; ut vitam Dei vivamus. Nec id quidem temerè: nam vita Dei quam beati vivunt, vita patriæ fœlicis, non alia est, quàm sapientiæ & justitiæ exuberantissima; quam cùm delibare & haurire pro suo quisque modulo hinc jam justi præsumant, illam utique Dei, illam Christi vitam vivunt. Denique indubitatiora hæc fient, si memoria repetantur, quæ alibi de vita & sanctitate divina sanctas animas illabente & vegetante disputantur. Liquidò enim patebit hanc divinam Verbi vitam in hominibus emicuisse, seseque exeruisse, quandiu justi ulli Christi sanguine redempti ævum hoc mortale traduxerunt.

Epist. 99.

XVII. Ex Hieronymo duo tantum homines omne ævum mundi exhauriunt. In c. 4. Ep. ad Galat.

Hieronymus eadem prorsus sentit: *Hæres iste parvulus, qui nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium, totum humanum genus usque ad adventum Christi, & ut amplius dicam, usque ad mundi consummationem significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur, ita & omnes etiam hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur. Atque ita fit, ut & nos legi servierimus in Patribus, & illi gratia salventur in filiis, &c. Verè enim in Christo omnes unus panis sumus, & duo consensimus super terram, &c.* Et hîc videtur cum Augustino duos tantùm homines agnoscere, qui omne ævum mundi exhauriant, primum & secundum Adam, veterem & novum hominem: nec tam temporum discrimina, quàm causæ consensionem contemplari.

XVIII. Ex Paulino Christi

Paulinus Episcopus Nolanus: *Ipse inquam Dominus fecit nos, qui etiam refecit jam ab initio per omnia quæ operatus est, & locutus in sanctis suis, salutis nostræ id est reparationis humanæ sacramenta molitus. Nam justum Abelem illico reparavit sancta generatio in Seth, qui ere consimili formatum ad imaginem Dei retulit patrem. Inde per cæteros à primo fonte decurrens permanavit vena justitiæ. Et quamvis interveniente diluvio in uno quidem, attamen justo, universitatis peremptæ seminarium stetit, jam tunc operante mysterio unici Redemptoris.* Qui fuerat ergo, ipse reficiebat ab initio Christus, & sacramenta salutis jam inde moliebatur, & erat citra controversiam unus ipse vena illa vitæ & justitiæ à primo fonte decurrens, permananisque in justos omnes. Non deerat ergo Christus, sed ut inexhaustum justitiæ flumen per omnes mundi ætates genus humanum irrigavit. Et rursus ibidem: *Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium & finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper & patens, & triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre, in Noe irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse expositus & fugatus, in Prophetis lapidatus & sectus, in Apostolis terra marique jactatus, & multis ac variis beatorum Martyrum cruciatibus occisus. Idem igitur etiamnunc infirmitates nostras & ægritudinem portans, quia ipse est homo semper pro nobis in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem, quam nos sine ipso nec possumus ferre nec novimus. Ipse, inquam, nunc quoque pro nobis & in nobis sustinens mundum, ut perferendo destruat, & virtutem in infirmitate perficiat. Ipse & in te patitur opprobria, & ipsum inde odit hic mundus.* Hanc Paulini elegantiam & suavitatem quis non osculetur? Duo interim argumenta suggerit, quamobrem ab exordio ad occasum orbis unus Christus existimandus sit sapienter & justè vivere, piè & fortiter facere & pati omnia. Primum quidem quod ubi Abel, ubi Seth, Noe, Abraham, cæterique justi hominum vel odia vel admirationem converterunt in se, sapientiæ & justitiæ quæ in ipsis renidebat, quæ similes demulcebat, quæ exasperabat dissimiles, id totum assignandum sit. Nam ipsi qua portio erant mundi, & de mundo, in eadem cum cæteris causa erant. At qua portio erant Christi, reliquorum utpote dissimilium odia, vel similium amorem provocabant. Non ipsi ergo, sed in illis sapientia & justitia Christus hanc totam sustinebat vel odii sævitiam, vel amoris flammam. Itaque justitia Christus in Abel occisus est, in Isaac oblatus, in Joseph venditus, &c. Deinde, ut notat Paulinus, sine Christo hæc tanta cruciamenta pro defensitanda justitia non poterant justi ferre, nec noverant: ipse ergo in eis sustinebat mundum, ut perferendo destrueret, & virtutem in infirmitate perficeret. Quæ non ergo querelæ jam obstructæ sunt? Nam qui ante Christi adventum contaminatam sceleribus vitam exegerunt, Christi, id est, justitiæ portiunculas insectati sunt, eoque prodiderunt, quanto acerbiore odio in ipsam justitiæ plenitudinem efferbuissent, quantisque desæviissent cruciibus, si copiam sui feciisset: nec eorum dispares fuere, qui ipsam per sese veritatem & justitiam in propria carne crucifixerunt. Nec enim aliud in Christo Judæi Deicidæ execrati sunt, quàm illam eandem veritatis charitatem, quam eorum majores in Prophetis, quam injusti omnes in justis ubique gentium & omni tempore, odiorum & cruciatuum omni immanitate persecuti sunt & adhuc persequuntur.

patriarchæ sunt justi omnes: Christus unus ab exordio mundi justos vitam vivit. Epist. 11.

Epist. 11. ad Apronian.

XIX. Ex Gregorio Magno ab exordio sæculi usque ad Christum

Gregorius Magnus: *Sicut Redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum: ipse namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus: ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum.* Et rursum: *Redemptorem mundi*

totis

ent & Spiritus Christi, quo non vivit nisi Corpus Christi. Moral l. 4. c. 14. & l. 6. cap. 1.

totis suis allegationibus curat sancta Scriptura promittere, eumque per electos omnes, ut per ejus scilicet membra, studuit designare, &c. A planta pedis usque ad verticem vulnera suscepit, quia sanctam Ecclesiam quæ corpus ejus est, non solum per extrema & ultima, sed usque ad summa membra persecutione sæviens tentator afflixit. Christum Scriptura promittebat, & repræsentabat per eosdem ipsos, per quos promittebat. Erant enim illi ut plurimum non figuræ tantùm Christi, sed membra; non figuræ tantùm, sed veritas. Veritas enim Ecclesia est, idque tam præcellenti gloria, ut ejus figuram se quandoque esse ipse Christus caput & veritas præ se tulerit, & etiamnunc in mysterio præ se ferat. Ergo qui promittebatur Christus, repræsentabatur, ne momento quidem temporis interposito. Sicut etiamnunc promittitur simul & tenetur. Promittebatur enim totus cum corpore suo, in eo enim salus universorum nostra constat: non caput solum à corpore sejunctum & viduatum, quo nostra potiùs ruina intentaretur. Et idem Gregorius alibi: *Christus cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo jam regnat in cœlis, una persona est. Et sicut est una anima, quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est: sic sancta Ecclesia quæ corpus ejus est, eodem Spiritu repletur ut vivat: ejus virtute firmatur, ut in unius fidei & charitatis compage subsistat: unde dicit Apostolus, Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones submin*istratum, & constructum crescit in augmentum Dei. *Istud est corpus extra quod non vivificat Spiritus. Unde dicit beatus Augustinus, Si vis vivere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi.* Tam latissimè ergo diffunditur corpus Christi in omnes loci temporisque fines remotissimos, quàm latissimè vegetat & vivificat Spiritus sanctus. Est enim Spiritus sanctus vita corporis Christi, qua Christus ipse conceptus est, qua vixit, qua corpus ejus totum irrigatur, ut vivat. Ab ortu igitur orbis ad ejusdem occasum porrigitur corpus Christi, & vita Christi Spiritus sanctus; hæc est enim, ut ajebat Paulinus, vena justitiæ, à summo fonte decurrens, & in omnia permanans, qua rigantur, cui permiscentur & in unum confluunt omnes justitiæ derivationes.

n Ps. 4. Pœnit. v. 2.

XX. Leone Magno Christi omnis caro nat Christo de Virgine sumpsit in omnibus justis ut esset Christus. Natali Domini Serm. 10.

Leo magnus: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. In nobis utique quos sibi Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus, &c. Quia in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis repleti in illo. Totum igitur corpus implet tota divinitas, & sicut nihil deest illius majestatis, cujus habitatione repletur habitaculum, sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem dictum est, Et estis repleti in illo: nostra utique est significata natura, ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri sibi generis & animam & corpus unisset.* Caro Christi nos sumus, quos sibi Verbi divinitas coaptavit: cùm plenitudine divinitatis inhabitatur Christus, justi omnes in eo replentur, quia in commune à membris omnibus omnia possidentur, & capitis opulenta gratia, non ei ita peculiaris est, quin eam ut suam singulæ partes corporis ausint sibi vendicare suo quasi jure. Corpus ergo Christi justi sunt singuli atque omnes ab exortu rerum, quia justi non extitissent, nisi illos sibi divinitas jam tum à venturo post capite vegetatos cooptasset & inhabitasset. Et alibi idem Leo: *Non est ergo dubium naturam humanam in tantam connexionem à Filio Dei esse susceptam, ut non solum in illo homine, qui est primogenitus totius creaturæ, sed etiam in omnibus sanctis suis unus idemque sit Christus: & sicut à membris caput, ita à capite membra dividi non possint. Quanquam enim non istius vitæ sit, sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus: tamen etiam modo templi sui, quod est Ecclesia, indivisus habitator est.* En incarnationis quanta sit amplitudo, ut non solùm in illo homine, qui primogenitus est, sed etiam in fratribus ei adoptatis, in membris, in sanctis omnibus unus sit Christus, ut qui omnes ad illam suo quisque gradu & modo pertineant cum Verbo copulationem. Ergo Christus nusquam orbi defuit.

rm 14. Passione.

XXI. Ex Mario Victorino Afro, Verbo, universali sapientiæ & justitiæ corpus universale & amplissimum concedendum est.

Ex Mario Victorino Afro carpi aliquid summatim juvabit forsitan, nam ne plura ex eo metantur, intercedit impervia quædam opacitas. Adversùs Arium hæc ille habet in hanc sententiam: *Unde non mirum, quod mysterio sumpsit carnem, ut carni & homini subvenerit; sed cum carnem sumpsit, universalem λόγον carnis sumpsit. Nam idcirco omnis carnis potestas in carne triumphavit, & idcirco omni subvenit carni, ut dictum est in Isaja, Videbit omnis caro salutare Dei; & in Libro Psalmorum. Ad te omnis caro veniet. Item & universalem λόγον animæ &c. In Ezechiele, Omnes animæ meæ sunt, ut anima Patris, sic & anima Filii, &c. Adsumptus ergo homo totus, adsumptus & liberatus est. In isto enim omnia universalia fuerunt, universalis caro, anima universalis, & in crucem sublata atque purgata sunt per salutarem Deum λόγον, universalium omnium universalem; per ipsum enim omnia facta sunt, qui est Jesus Christus. Logos igitur quæ sunt, quæque esse possunt, quæve esse potuerunt, veluti semen ac potentia, existentia, sapientia, ac virtus omnium substantiarum de Deo, &c.* Non necesse est ad alium hæc sensum distrahi, quàm suprà jam sæpiculè insinuatum, omnes homines ad illam Verbi copulam cum humanitate, & profluentes inde opes spectare, suo quemque ordine & modulo. Ratio autem à Mario Victorino ea promitur, quæ jam indigitata est, quod Verbum universale sit omnium universalium, quod ratio, quod potentia, sapientia, sanctitas omnis sit & omnium: quod non possit universali Verbo angusta habitatio definiri, sed necessariò universalitas ipsi corporum animarumque dedicanda sit, ut si corporascere & humanari velit, homo fiat universalis, amplissimus, quasi infinitus, omne genus humanum complexus, sub uno ipso capite adunatum.

XXII. Ex Prospero, Etherio & Beato, Corporis Christi infinitas nullos loci temporisque limites patitur. L. 1. L. 2.

Etherius & Beatus: *Et solus Filius est homo, qui cum Patre & Spiritu sancto unus est Deus. Non cum Patre & Spiritu sancto unus est homo, sed cum Ecclesia tota unus est homo, quia caput & corpus una persona est Christus. Ergo nemo dicat, Et ille Christus & nos Christi; & nos unde dicimur Christi, nisi à Christo?* Et infra: *Absque mendacio matrem habet naturaliter virginem, & non sic alter homo præter eum cum tota Ecclesia quam redemit sanguine suo, una persona ex tribus substantiis Christus. Qui cum Patre & Spiritu sancto est una substantia, non una persona: sed tres sunt personæ. Cum toto homine Adam quem assumpsit, ipse solus est una persona, & non una substantia.* Huic personæ Christi totam complexæ Ecclesiam ne limites, ne moras, ne absentiam affingas: ejus enim vastitas effusissima has recusat angustias. Prosper in Sententiis: *Primus homo Adam sic olim defunctus est, ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cùm tot hominum millia inter illum & hunc orta sint, &c. Unde fit ut totum genus humanum quodammodo sint homines duo, primus & secundus.* Quæ probè meministi ex Augustino suprà esse relata verbis totidem.

Cap. 199.

XXIII. Ex Cusano Christus est illa vox ab orbis initio personans, suæ temporalium ac sua

Claudet agmen Latinorum Cusanus præclarissima suffragatione, quàm decerpsimus ex ejus libr. III. Excitationum: *Habemus igitur Salvatorem, qui est mediator, omnia adimplens, primogenitus creaturarum. Hic Jesus à mundi exordio in salvatis membris suis unicam vocem emisit, & gradatim*

cre-

grassandâ esse Cusani pag. 411.

crescentem, quousque maxima fieret in ipso, quando expiravit. Et hæc quidem unica vox est, non esse vitam nisi in Verbo. Et sicut mundus exivit in esse per Verbum, ita quidem in esse per Verbum conservatur & reducitur ad principium. Hæc autem reversio est, ut inferiora per superiora reducantur ordine suo, primitiæ autem omnium Jesus. Non possunt inferiora ad gustum fœlicitatis reverti, nisi desinant esse inferiora & spurca, ut sic sint spiritalia & apta. Necesse est igitur si ad gustum fœlicitatis æterna reverti volumus, ut veritatem vitæ in sua puritate & justitia huic temporali sensibili motioni præferamus. Hæc est illa magna vox, in mentibus nostris sonans, mentibus nostris à Prophetis insinuata, ut Creatorem unicum veneremur, ut virtutem colamus, ut ad Salvatorem confugiamus, in quo apti simus, ut sensibilem vitam nihili faciamus. Postquam hæc vox annis multis insonuit, & continuè crevit usque in Joannem, qui vox clamantis erat in deserto, & digito Salvatorem ostendit: vox illa magna incarnata est, & post multos gradus vocis, doctrinæ & miraculorum, omnium terribilium terribilissimum, mortem scilicet sensibilem, propter veritatem eligendam esse ostendens, emissa voce magna expiravit. Quo Cusani dicto nihil equidem exertius, nihil magnificentius me legere usquam in hoc genere memini. Docet autem totum Christum non aliud esse quàm Verbum incarnatum, hoc est vocem substantialem carnali tota sua dispensatione vociferantem & inclamantem in aures humani generis, fuga temporalium ad æterna velificandum esse, vitam hanc sensibilem vitæ justitiæ & veritati posthabendam & impendendam esse. Porrò ea ipsa vox id ipsum & antè intonuit per omnes Prophetas, per omnes ubique justos, quorum vita & ratio conversationis in propatulo hoc effabatur, cupiditates temporalium elidendas, ut sola efflorescceret charitas æternorum. Vox ergo illa una & universalis à lapsu primorum parentum per omnium justorum jugem perpetuamque conversationem perstrepens, & augescens semper, & demum in ipsa Christi morte vehementissimè invalescens, quando emissa voce magna expiravit, invictamque veritatis & justitiæ vitam in ipsa corporis cruciatione atque interfectione vivere testificatus est, hæc inquam vox, Christus fuit, hæc æterni Verbi dispensatio in carne fuit, & per carnem provocatio ad æternitatem, hæc Christi fuit prædicatio nullis sæculis non subministrata.

XXIV. Ex Gregorio Magno Christus qua Verbum, qua Lumen universale, semper & ubique sonat & illuminat, ut à temporalibus ad æterna eluctemur Præf. Mor. in Job, c. 6.

Quæ Cusani sententia memoriam refricuit pulcherrimi apud Gregorium Papam contextus, eodem ferè recidentis. Quando ergo suffugerat nos ne suo suprà loco memoraretur, hic non ineptè collocabitur: *Libet inter hæc mira dispensationis divinæ opera cernere, quomodo ad illuminandam noctem vitæ præsentis, astra quæque suis vicibus in cœli faciem veniant, quousque in finem noctis Redemptor humani generis quasi verus Lucifer surgat, &c. Ad ostendendam innocentiam venit Abel, ad docendam actionis munditiam venit Enoch, ad insinuandam longanimitatem spei & operis venit Noe, ad manifestandam obedientiam venit Abraham, ad demonstrandam conjugalis vitæ castimoniam venit Isaac, ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob, ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiam venit Joseph, ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses, ad informandam contra adversa fiduciam venit Josue, ad ostendendam inter flagella patientiam venit Job. Ecce quàm fulgentes stellas in cœlo cernimus, ut inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus.* Quæ Cusano vox, ea Gregorio lux, nec injuria, est enim Verbum idem & lumen verum. Omnium virtutum, totius sapientiæ & justitiæ officiorum una universalis vox, eademque lux Christus est, loca omnia circumsonans, tempora omnia pertonans, omnia illuminans per justos quosliber, id est, per sui luminis radios, per suæ vocis sibilos, & humani generis irrumpens surditatem, cæcitatem oppugnans. Porrò hi radii Solem, hi sibili vocem pleniſſimam promittebant affuturam, & ex parte jam exhibebant; etenim membra corpus, partes totum, rivuli fontem ita pollicentur, ut in antecessum repræsentent. *Nam cognitioni hominum divina dispensatio quot justos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras in cœlum misit, quousque verus lucifer surgeret, qui æternum nobis mane nuntians, cæteris clariùs ex divinitate radiaret. Quem electi omnes dum bene vivendo præeunt, & rebus, & vocibus prophetando promiserunt. Nullus enim justus fuit, qui non ejus per figuram nuntius extiterit. Dignum quippè erat, ut in semetipsis bonum omnes ostenderent, de quo omnes boni essent & quod prodesse omnibus scirent.* Non nuntius autem tantùm, sed & portio Christi erat justus quisque: nuntius quippe vocis vox est, & nuntius lucis lux est. Nec enim vox nisi voce significari, nec lux nisi luce præmonstrari potest. Sed vocis majestas levi sibilo, & lucis infinitas brevi radio potest præsignari, sic tamen ut simul ex parte & membro sui aliquo consignetur. Itaque Christus Verbum universale & lumen, semetipsum & præ-nuntiabat, & jam tum præstabat.

XXV. Ex Græcis Patribus eadem confirmantur. Ex Irenæo l. 4. c. 66.

Libemus nunc pauculà è Græcis, à superioribus haud abhorrentia. Irenæus: *Cùm enim & ipsi Prophetæ membra essent Christi, unusquisque eorum secundùm quod erat membrum, secundum hoc & prophetationem manifestabat, omnes & multi unum præformantes, & ea quæ sunt unius, annuntiantes. Quomodo enim per nostra membra operatio quidem nostri corporis ostenditur, figura autem totius hominis per unum membrum non ostenditur, sed per omnia; sic & Prophetæ omnes quidem unum præfigurabant, unusquisque autem eorum secundùm quod erat membrum, secundùm hoc & dispositionem adimplebat, & eam quæ secundùm illud membrum erat, operationem Christi prophetabat.* Vaticinabantur Christum, sed membra Christi; ergo semet ipse vaticinabatur, qui præsto aderat per aliqua saltem sui membra. Vaticinari enim & despondere Christum non poterat nisi Christus. Vocem significare nisi vox, lucem ostendere nisi lux, veritatem propalare nisi veritas, sapientiam demonstrare nisi sapientia, justitiam promittere nisi justitia non potest. Est enim ea natura vocis & lucis, ut ipsa sese prodat: est ea utriusque dignitas, ut nisi semetipsa non prodat. Est similiter veritas lux, quæ nisi suo in lumine videri nequit. Ita sapientiam & justitiam expectare aut expectandam extollere, id jam sapientiæ specimen, ea justitiæ quædam præsumptio est. Per sui ergo quædam initia se totum affore Christus spondebat, propterea quod ita comparatum impræsentiarum est, ut gradatim ad boni cumulum promoveamur, & rudimenta ipsa sapientiæ graviter excolentes, certa hinc spe & fiducia ejus pleniorem copiam non defore ominemur. Tota enim venit, quæ sui minutias pro nostro captu in antecessum, quasi ad gustum faciendum vel ad irritandam sui famem per hac prægustatione largitur.

XXVI. Ex Origene. Hom. 1. in Psal. 36.

Origenes: *Apostolus dicit, quia corpus Christi sumus & membra ex parte. Christus ergo cujus omne hominum genus & fortasse totius creaturæ universitas corpus est, & unusquisque nostrum membra ex parte est, &c.* Universitas totius creaturæ utcumque dici potest corporatio quædam esse, & ita corpus æternæ & intelligibilis sapientiæ, quæ non aliter in carnalium oculos incurreret, nisi hac se veste totius creaturæ sensibilis, & hac veluti carne obducens, conspicabilem se & penè palpabilem objecisset. Sed humanum genus Christi corpus est jure quodam speciali, atque inter homines grex fidelium. Unde idem Origenes: *Dicimus ex authoritate sacræ Scripturæ, corpori Christi, quod est Ecclesia Dei, pro anima esse Dei Filium, membra autem universi corporis esse quoscumque fideles.* l. 6. contra Celsum.

Quo-

Quoniam sicut anima vivificat & movet corpus, quod ex seipso vivum motum non habet, ita Verbum illud mira energia corpus suum incitans, ad ea quæ debet facere, movet simul membra Ecclesiæ omnia, nil sine ratione facientia. Hoc corpus Christi est Ecclesia fidelium, cui pro anima est Verbum Dei. Hæc amplitudo corporis Christi nusquam abest, nunquam deest. Quo enim non pervadit hæc anima? Quando hoc corpus defuit orbi terrarum? Denique quàm nusquam & nunquam abesse possit Christus, eruditissimè exponit idem alibi Origenes: *Ergo primùm queramus de peregrinatione ipsius, maximè quia peregrinationi ejus videtur esse contrarium, quod ipse de se discipulis suis promittit dicens, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item illud, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Et quod Baptista dicit de eo, ubique eum esse demonstrans, In medio autem vestrum stat, quem vos nescitis. Propterea dicet aliquis: Si in medio etiam nescientium se stat, si ubicumque duo vel tres in nomine ejus congregati fuerint, inter eos habetur, si per omnes dies vitæ discipulorum cum eis est, usque ad consummationem sæculi, quomodo in ista parabola proponitur peregrinans? Vide si possumus solvere hoc modo quod quæritur, Qui enim dicit discipulis suis, Ecce ego vobiscum sum, &c. Et item, Ubi fuerint duo, &c. Et, In medio, &c. Unigenitus Dei est, Deus Verbum & sapientia & justitia & veritas, qui non est corporeo ambitu circumclusus. Secundùm hanc divinitatis suæ naturam non peregrinatur, sed peregrinatur secundùm dispensationem corporis quod suscepit.* Et paulò infrà, cùm corpus Christi non esse ubique dixisset, *Si autem peregrinantes à corpore cum Domino fuerimus, & ipse tunc erit nobiscum, & pro eo quod per fidem ambulavimus, ut & per speciem postea ambulemus. Speciem autem dicimus Verbi, & sapientiæ, & veritatis, & justitiæ, & pacis, & omnium quidquid est unigenitus Deus. Speciem autem Verbi & speciem sapientiæ intelliges, cum intellexeris quod ait Apostolus, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Vides ut ubique præsens sit Christus, nempe ut anima corporis sui quod est Ecclesia, ut Verbum, ut sapientia, ut veritas. Ita enim formatur in nobis, ita in medio est nostrum, ita interest cœtibus suorum, ita nobiscum est usque ad consummationem sæculi. Atqui ita etiam intererat aderatque ante propriam suam carnem, ergo nec ab illis sæculis peregrinabatur. Est nimirum veritas & justitia incommutabilis Verbum Deus anima Ecclesiæ, quæ semper fuit; est forma & vita justorum, quorum etsi non ampla, aliqua tamen semper fuit copia; est corporis Christi non universi tantùm, sed membrorum etiam omnium vegetatio. Et quanquam per carnis semel de Virgine assumptæ fontibus fluant hæc in cæteros homines Verbi beneficia, non illa tamen seorsim caro, sed spiritus est qui vivificat, ab illa carne etiam ante illam retro manans, & ubi illa abest, præsens.

Tract. 35. in Matth.

CXXVII. Dionys. Alexandrino.

Dionysius Alexandrinus in Epistola adversùs Paulum Samosatenum, ad quintam ejus quæstionem respondens, & exponens, quì puer Christus crescceret sapientia & gratia, quod ille veritatis transfuga ad enervandam divinitatis ejus fidem objectabat, hæc habet: *Crescebat & confortabatur: & nos interrogas quare & quomodo? Interroga Danielem cum dicit, Lapis scissus est ex monte sine manibus; & subjungit, Postquam fregit statuam, factus est lapis mons magnus, &c. Vide quid Joannes Baptista dicat, Qui habet sponsam, sponsus est; & paulò pòst subjungit de Deo crescente, Illum oportet crescere, me autem minui. Usque in hodiernum die Verbum Dei currit & glorificatur, & crescit ac multiplicatur in Ecclesia sanctorum. Postquam enim venit homo in mundum, si vita ejus est verbi gratia unus dies, qui ex duodecim horis constat, fluxerint vero duæ horæ illius diei, deficit qui natus est. Non enim accessio horarum aut annorum est accretio illius hominis, sed potius quotidie deficit. Puer autem Jesus Deus Israel, Deus est idem ipse, & anni ejus non deficient, &c. Verbum Patris est, quod in novissimis diebus genitum est, & auxit, & auget in nobis illuminationem suam. Accretio igitur Dei, ad Ecclesiam pertinet. Scriptum est enim, quod Ecclesia Dei per totam Judæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur, & ambulans in Verbo Domini & consolatione Spiritus sancti multiplicabatur. Crescit igitur Verbum Domini quotidie, & multiplicatur Spiritus sanctus in Ecclesia Dei. Non igitur homo sicut nos erat, qui crescebat ætate & sapientia, sed Deus genitus puer, & datus nobis Filius æternus, qui erat ante sæcula, & verè nobis crevit, & crescit quotidie, & anni ejus non deficient. Immutabilis est enim Christus, utpote Deus Verbum.* Libuit hæc aliquantò fusiùs excerpere, ut tanto major creatur admiratio, quod nodum illum non alio cuneo perfringat Dionysius. Nec enim illum præteribat corpus illud peculiare, cui Verbi divinitas per hypostaticam se illigavit copulam, naturalibus incrementis per ætatum intervalla in molem ampliorem succrevisse, & sapientiæ documenta in dies illustriora foris explicavisse, ne portentosa alioqui novitate vel homines alienaret, vel propositum humilitatis infringeret, si inter cunas sapientiam virilem & virili etiam deprometet ampliorem. Hæc obvia & expeditissima erat responsio, & abundè Pauli Samosateni retundendis conatibus sufficura. Nec tamen ad eam unquam declinat Dionysius. Quin immo cùm ejusdem generis argumentatiunculas complures idem ad divinitatem ex humanitatis infirmitatibus labefactandam torqueret Paulus, vix unquam ac ne vix quidem aliter Dionysius, quàm hoc eodem responsionum genere eas repercussisse comperietur, corpus Christi Ecclesiam interpretando. Et hæc quidem ratio, video quantas in hominum reprehensiones incursura sit, nisi authoritate tanti viri, & æstimatione atque famæ ejus in posteros propagatæ magnitudine obtrectatorum conteratur audacia. At quibus cordi est Christi amplitudo, quibus explorata est ejus necessitudo cum Ecclesia, quibus sacramenti ejus universalitas perspecta satis est, ii non tam arrodendam quàm admirandam Dionysii Theologiam intelligunt. Incrementa enim ætatis & sapientiæ in Verbo incarnato non tam ea exaggeranda erant, quæ in proprio & singulari corpore ab eo explicabantur, quàm quæ in universo Ecclesiæ corpore. Ut enim illud corpus hujus corporis, ita illius incrementum hujus sacramentum erat incrementi & præfiguratio: ut illud corpus huic impendebatur, ita illud incrementum huic serviebat. Illud corpus erat humilitatis, illa incrementa erant obscuritati dicata; hoc corpus est gloriæ, hujus incrementa majestatem Deitatis ejus toto orbe concelebrant. Inficianti ergo divinitatem Verbi, Christi majestatem imminuenti & inter homunciones meros eum recensenti propter illa ætatis & sapientiæ augmenta, opportunè admodum ingerebantur à Dionysio ea Christi incrementa in universæ Ecclesiæ corpore, ex quibus ejus divinitas conspicuè eluceseeret. Ita enim resipiscunt quandoque veritatis adulteri & interpolatores, dum non tam tricandi & disputandi acumine, quàm ingesta ob oculos mysterii majestate percelluntur. Et ex adverso in errorem plerumque deviant, qui sacramenti amplitudinem suspicere & admirari pigrescentes, in solis tricari & jurgari litteræ ambagibus eligunt. Ergo si Dionysio animum adjiciamus, Verbo Deo qui sapientiæ & gratiæ universitas est, corpus universale Ecclesiæ adaptandum est, in quo infinitatem suam exporrigat, quo locorum temporumque fines remotissimos superet, in quo sapien-

pientiæ & gratiæ flumina in dies singulos uberiora profundat, atque ita se Deum verum prodat, qui nusquam & nunquam defuerit, qui infiniti corporis universitatem vegetare & sanctificare sufficiat.

CAPUT XVI.

Solvitur objectio & quadam in speciem conflictatio inter sanctos Patres, ajentes modo orbem lege & timore ante fuisse præparandum; modo expectandum ut summa vis morbi tum fureret, ut tunc medicus in orbem agrum adveniret.

I. Proponitur objectio dijuenda Ex authore librorum de Vocatione Gentium justa tum impietas orbem inundasset, cùm venit Christus.

MOvebit aliquem illa in speciem evidens conflictatio dissidentium sanctorum Patrum, quorum alii tum veniſſe, tum venire debuisse Verbum affirmant, cùm acerbissima vis morbi ingravescere cœperat, nec in cumulum ulteriorem improbitas jam exaggerati poterat. Alii ex adverso tum orbi inferre se Christum debuisse autumant, cùm lege ceu pædagogo, cùm timore ceu antecursore charitatis, via esset quasi complanata in animos hominum, & aditus patefactus. Num effrænatissimè grassari impietatem, id Christo in nos aditum aperiebat? Num vim morbi sævire vel maximè, id prævium fuit ad efficacissimam medicinam fomentum? Author operis de vocatione Gentium: *Cùm potiùs in hominibus illius temporis quo mundi Redemptor advenit, quanto erat propago tardior, tanto sit iniquitas inventa robustior. Probavit hoc Judaici furoris impietas; & quàm apta Evangelio Christi fuerit illa generatio, non solùm populi, sed etiam Scribarum & Principum ac Sacerdotum corda docuerunt: quibus parum fuit in agnum Dei tollentem peccatum mundi, contra testificationem legis, contra oracula Prophetarum, contra divinarum experimenta virtutum, seditionibus, sputis, alapis, crucis atrocitate sæviſſe, nisi etiam testes resurrectionis ejus eadem persequerentur insania.* An fuere usquam nequiora sæcula, an facinorosiora hominum ingenia, quàm quæ Christum tam innocentem, tam beneficum, tam mirificum, etiam cruce sustulerunt? Sed qui moriturus veniebat, & immolandus, carnifices quærebat? Ubi ergo tota legis & Prophetarum adornatio? An conciliabat sibi populum, à quo figendus crucis erat? An sperabat & lege ipsum emendari, & ab eo tamen se id est justitiam interfici posse? Cùmque idem author allegasset, quod in actis legitur, *Convenerunt in civitate ista adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium decreverunt fieri*: hæc deinde argumentatur, quasi inde existat hæc conclusio, capratam potiùs à Deo esse occasionem temporis quo extrema colluvies impietatis exundabat, ut tum carnem indueret, in qua à nefariis occideretur, & morte sua superbientem tum maximè iniquitatem debellaret. *Igitur ad manifestandam gratiam Dei, qua ex æterno ejus immutabilique consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed instructione saviendi persisteret facere, quæ manus Dei & consilium decreverunt fieri, mirabilior esset gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem.* Quæ ratio luculenta cum primis est, ut id efficiat quod hic author meditatur. Ut enim invictissimè atque patentissimè constaret, nullis hominum meritis, sed solo misericordiæ consilio inclinatum esse Deum ad carnem nostram sibi induendam; ursus ut constaret gratiam primariam & specialem, de Servatoris fontibus scatentem esse, non obnoxiam, non eventus dubiam, sed sua sponte efficacem & omnipotentissima facilitate pollentem, tum venit Christus, tum orbi illuxit, cùm summa & desperatissima iniquitatis licentia orbi universo imperitabat. Gratia eluxit, quæ tam male merentibus se infundit, quæ tam obstinatos beneficiis emollivit. *Potuitque plenius, luculentius, verius explicari, quæ merita hominum Christus invenerit, & quos sibi mores subjecerit, quæ ad se corda converterit, quando venit mederi non sanis, sed male habentibus, & vocare non justos, sed peccatores? Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant Reges, & potestates, contradicebant superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, ac per vincula & supplicia mortesque Sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque universum mundum Dominici agri segetis multiplicabatur ubertas.* Si morti nascebatur, si carnifices venabatur Christus, si gratiæ suæ vim de male meritis bene merentem, de contumacibus triumphantem ostentare affectabat, quo ergo legis apparatus, quo tot sacramentorum rudimenta, quo figurarum sui prælineatio, quo timoris ad charitatem introducentis tyrocinium?

II. Idem ex Paulino & Gregorio Nysseno, & Magno Ep. 12. ad Amandum.

Idem ex alia ratione Paulinus efficit: *Jam enim corpus omne, id est, universum genus humanum ita pervaserat peccatum, ut neque malagma debilibus & sanciis nec ligatura prodesset. Corroborata enim vitiorum valetudine omnem humanæ opis medelam fortior remediis morbus exeluserat, & ideo venit qui & venturus est, conformatus corpori humilitatis nostræ, ut nos conformaret corpori gloriæ suæ.* Quo non medici tantùm gloriæ, sed ægroti utilitati consulitur. Sinenda enim matureſcere ægritudo, ut collecta vis ac sævitia morbi tum denique expugnetur. Cui consonat Gregorius Magnus: *Ad hoc quippe illi Sancti missi sunt, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præparent, neque ut pro ea, sed per eam subjectos populos regerent. Quia enim certum erat, quod per accessum temporum deficientis sæculi languores excresceret, actum est ut æterna Dei sapientia in fine sæculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc & nimis infirmitatis ægrotum, id est, per totum mundum jaceus languidum genus humanum: ut transmissis prius prædicatoribus quasi quibusdam visitatoribus, tanto postmodum major fieret potentia medici, quanto magis morbus crevisset ægroti.*

Lib. 11. Job. c. 6.

Quod idem exequitur accuratiùs Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica: ubi dubitationem adversariorum ita primùm profert: *Dicunt enim si quod factum est, honestum erat, & Deum decebat, cur distulit beneficium? Cur autem cum esset vitium in principio, ejus ad ulteriora progressum non amputavit?* Et statim ad hunc modum respondet: *Per sapientiam beneficii in nos collati facta est dilatio. Nam in morbis corporalibus, quando aliqui humor pravus & corruptus irrepit ad poros, priusquam in superficie apertum fuerit quidquid est præter naturam, corpori condecentia non adhibent medici medicamenta, sed expectant donec prodierit quidquid intrinsecus delitescit. Postquam ergo humanæ naturæ semel incubuit morbus vitii, expectavit medicus universitatis, ut nullum esset reliquum genus morbi immissi naturæ. Propterea non statim post invidiam, & Cain factam fratris cædem, homini adhibet medicinam: nondum enim in lucem prodierant scelera eorum, qui Noemi tempore perierunt, nec Sodomitica iniquitatis gravissimus ille morbus caput exeruerat, neque Ægyptiorum adversus Deum pugna, &c. Postquam ergo vitium pervenit ad summum, nec erat ullum genus sceleris, quod admittere non ausi essent homines, ut per omnem ægritudinem pervaderet medicina,*

Orat. Catech. c. 32.

dicina, ea de causa non incipientem, sed perfectum jam morbum curat. Existere atque erumpere priùs morbum necesse erat, & coire pestem ejus totam, atque æstuare, ut tum demum invicta supernæ medicinæ vis eam adgrederetur, atque aboleret. Alioqui fefellisset nos, quanto ex interitu asserti per liberatorem essemus, & hinc exitialior ingrati animi labes irrepsisset. Porrò hæc eadem totidem verbis leguntur apud Cyrillum libro adversus Antropomorphitas. Quæ ex Nysseno Cyrillus exscripserit, an quopiam alio casu id evenerit, aliorum esto judicium.

Cap. 14.

III. Ex Ruperto.

Augebitur hujus dubii caligo, si Ruperti quoque sententiam attexamus. Ille enim neque præstruendæ & molliendæ Christi in homines viæ per legem & per timorem, neque ut tota vis morbi furere sineretur, ut tota semel posset excindi, has tam diutinas moras præisse docet; sed quòd properantem Christum, & venire sponte sua cupientem flagrantissimè, nostra moratentur delicta. *Cur adventum suum tandiu distulit? Num tardus est, aut segnis? Immo velocissimus in opere suo est, &c. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum, &c. Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari, &c. Quàm longum expendit tempus in faciendo id quod de ipso scriptum est, A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus. Spatio annorum plusquam triginta duorum, tantam exultando cucurrit viam saliens atque transiliens, tanquam capreæ hinnulusque cervorum in uterum meum, de utero ad crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rursus in cœlum. Propter quem ergo parietem nostrum tandiu moratus est, qui tam velox in opere est? Nimirum propter parietem inimicitiarum, qui non de uno tantùm originali peccato, verùm etiam de multis actualibus peccatis congestus est.* Et portenta mox aliqua scelerum recenset, quæ singulis ætatibus intercesserunt Christo adventanti; & quæ retro illum egerunt. *Post hujusmodi parietem nostrum en ipse stat, id est, propter hæc talia peccata generis nostri, cui repromissus fuerat, ipse justas fecit moras.* Hæc ergo jam nova compugnantia est in verborum saltem fronte. Nam peccatis non retardabatur, si opperiebatur ipse contrà, ut peccandi licentia summa luxuriaret & tum execaretur. Et vicissim si luem ad extremum serpere & augescere sinebat, ut tum veniens eam invaderet & semel exscinderet, non ergo eluvionem peccatorum venire prohibebatur.

Ex Ruperto.

In Cant. 8.

Quàm certum nobis est hæc omnia à sanctis Patribus esse pronuntiata, tam persuasum habemus, nonnisi in speciem ea inter se conflictari, reapse autem consentire. An consensus nobis diluxerit, subdubitamus & ipsi, integrum nobis haud tamen est detrectare hanc operam conciliandæ inter sanctos Patres concordiæ. Periculum ergo faciemus, & saltem præclaro conatu nosmet solabimur. In magnis enim saltem voluisse, præclarum est: etiam potuisse, beatum est. Fortunabit conatum nostrum ipsa veritas cui insudamus, iis patronis, quibus laboramus conciliandis.

IV. Etsi non præsumitur, tentatur tamen concordia.

Primùm ergo etsi morbus & natura & consuetudine inolitus, non solùm clam adjutante Deo intrinsecus, sed etiam palam per justos, per Patriarchas, per Prophetas, per legem & timorem curaretur, ille tamen invalescebat. Ita enim quotidiè usuvenit in corporum medicina. Præludoriis delinimentis mitigatur morbus, & tamen in dies efferatur. Nec nihil tamen illa proœmialia efficiunt fomenta; nam quamvis superentur æstu morbi, ut eum penitùs sopire non possint; extenuant illum tamen, & nonnihil commitigant, ut quamvis magis magisque ægrescat, non tantus tamen effervescat, quantus si nullis hujusmodi prætentaretur blandimentis. Itaque lex ut pedagogus, timor instar curatoris, figuræ venturi mediatoris, & ejus generis alia medicamenta, legis insitæ lumina, creaturæ obversantis hortamenta, febrem humani generis leniebant aliquantulum, & venturæ parabant medicinæ absolutiori; nihilo tamen secius febris validior his remediis, æstuabat in dies flagrantior, etsi non tam effrænatè fureret, quàm si nullis demulceretur hoc genus præviis medicamentis. Non pugnat ergo quod pugnare videbatur. Curabatur morbus, & tamen ingravescebat: validiorem desiderabat medicinam, nec tamen illa quasi præludoria nihil emendabatur.

V. Etsi ægrescat morbus, dum curatur, minùs tamen ægrescit, quam si nec curaretur.

VI. Priùs tentantur leviora medicamenta, postea efficacissima.

Secundò abruptiùs responderet aliquis remediis illis prioribus morbum curatum utcumque, vel curari cœptum quidem fuisse, sed tamen ex hominum vecordia in seipsos sævientium, exasperatum potiùs esse quàm lenitum. Per legem enim abundavit peccatum: & objecto præcepti obice pronior in vetitum concupiscentia immoderatiùs irrupit, effudítque se latiùs. Itaque opus erat ut & Deus experiretur illa priùs pharmaca, & illud efficacissimum non adhiberet, nisi ubi constaret illa non processisse. Itaque nihil pugnæ in eo erit si Deus existimetur & adventui suo plurima præstruxisse, & donec peccata in summam baccharentur licentiam expectasse.

VII. Legis & timoris Pharmaco aliorum morbus lenitus erat, aliorum exasperatus.

Tertiò mollius alii censebunt, præsultorios illos legis, timoris, & umbraticorum sacramentorum apparatus, aliquibus saltem nonnihil contulisse levamenti, cæteris hinc magis magisque obdurescentibus. Ita enim contingit ut plurimùm in arte medicinæ, isdem ut alii leventur remediis, alii magis graventur. Igitur veniens Christus invenit & à quibus excipieretur, & à quibus in crucem ageretur. Atque ita evanescit suspicio illa conflictus inter sanctos Patres. Tempestivè enim tunc venit, cùm & legis aliorumque id genus adminiculorum ope complures jam pietatis puerilia rudimenta transegerant, & virili justitia jam per ætatem poterant informari: complures autem cultu illo puerili ob suam proterviam magis efferati, in magistrum pædagogo succedentem impetum fecerunt, & immanissima morte sævierunt.

VIII. Idipsum quod quidà legis medicamento magis ægrescerent, ad summi medici invocandum eos agebat.

Quartò quin etiam illi ipsi, quos exulcerabant illa, quæ priùs tentabantur remedia, eo ipso fortassis ad implorandum & recipiendum medicum magis inclinabantur. Sua enim indomita adversùs legem & timorem duritia, morbi sui per ipsa medicamenta exasperatione, monebantur & penè cogebantur summi alicujus medici omnipotentem gratiam invocare. Itaque & medicamina præseminabantur leniendo morbo, & expectabatur tamen dum morbus vehementissimè ingravescceret, quia morbi per ipsa medicamina exulceratio, humilitatis conciliatricula quædam erat opportunissima, atque hortatrix efficacissima ad medici opem implorandam.

IX. Gratiæ præparandi sumus, & quia gratis dator, imparati quodammodo semper sumus.

Quintò si detur paulò altiùs oculos inferere in arcana divini consilii, prælucentibus tamen & nostram excusantibus audaciam sanctis Patribus, exteriori hoc dispensationis Christi sacramento, duo quædam maximè pernecessaria erant hominibus commendanda. Primum quidem adventanti gratiæ Christi præmuniendum esse iter, hoc est, charitati viam complanandam esse per timorem, & consectaria timoris opera. Initium enim sapientiæ & charitatis, timor Domini est. Alterum, omne meritum bonum gratia anteveniri, omnemque imparati segnitiem, omnem obdurati cordis contumaciam, ejusdem gratiæ efficacitate superari. Charitati & justitiæ non aliter meliùs coaptare nos possumus, quàm si divinitus adjuti, & pro virili enitamur ei nosmet purgare atque ornare: & tamen conatum nostrum omnem cassum esse certò sciamus, & ipsius justitiæ esse, ut gratis se indulgeat, & repagula in nobis omnia perfringat. Horum primum in illis emicuit, qui Christum Dei sapientiam & justitiam in sacramentis & timore legis prægustaverant, & ita initiati pronis animis illum excceperunt. Alterum verò in illis demonstratum est

apertissimè, quos insanientes atque impotentissimè sævientes in ipsum Christum & in justitiam substantivam, prostravit tamen Christus sibique invictissimè subjugavit. In illis enim & merita bona antevertit omnia, & pervicaciam domuit. Gemina hæc est ratio, qua in animos justitia, Christus in mundum ingreditur; in alios jam præpurgatos utcumque diutino timoris tyrocinio, & penè obvios atque invitantes illabitur; in alios inopinantes aut tum vel maximè restitantes atque ferocientes irruit & omnipotenter dominatur.

X. Quantumvis per legē & timorem præparati, eas virtorū fibras adhuc gestamus, quas si Christus strat erumpere, in justitiæ excidium conspirabunt.

Sextò quin immo consignandum id erat in sacramento hoc conspicuo universalis misericordiæ, eos ipsos Hebræos, atque adeo & singulos homines, quantumvis initiatoriis legis & timoris præmunitos auxiliis, & Christo excipiendo, justitiæque amplectendæ jam idoneos, fovere tamen adhuc in sinu intimo clancularias pestes, quæ si erumpant, Christo insidiabuntur, justitiamque cruci suffigent. Singuli enim homines instar habent humani generis, & genus ipsum humanum eodem regimine, quo unusquilibet homo, à Deo administratur. Ne ergo justitiæ legis & timoris initiis plus æquo quidpiam arrogemus; prolusoria enim hæc sunt tantùm, & rudimenta quędam, atque conamina, quæ donec ad Christum & ad justificantis gratiæ complexum provehantur, seminarium adhuc peccatorum, & hostilis in justitiam odii latentes favillas cinerique doloso suppositas circumferunt. Non tantùm ergo alii & alii, sed iidem ipsi sunt, qui quamvis legis justitia & timoris tyrocinio imbuti, nisi gratia tamen alia validiore, & merita antecunte, & cordis duritiam auferente per Christum advenientem cumulentur, violentas ipsi Christo manus inferunt, justitiam crucifigunt, & de lege ac legis timore, id est de pietatis initiis adversùs ipsam pietatem superbiunt, & quibus assurgere in superna debuerant, iis præcipitantur.

Septimò juventæ ætas expedita ad utrumque est, ad justitiam & ad nequitiam robustiorem. Pueritia enim enervis adhuc est, nec nisi imbelles conatus ad utramque conferre potest. Ergo seu penitiùs prolixiùsque infundenda hominum pectoribus, seu manibus eorum crucifigenda adventabat sapientia, non debebat nisi juventæ limites ingressis sui copiam facere. Juventam hìc autem non aliam, vel in genere universo hominum, vel in singulis interpretor, quàm illam quæ ex Augustino, jam ignorantiæ puerilis ante legem, jam sub lege secundam ætatem emensa est. Ante legem quippe & sub lege potest officiis coli, potest contumeliis affici Christus sapientia & justitia, sed levioribus & penè puerilibus. Quandiu enim non totam se exhibet, & non nisi sui velut umbram obtendit sapientia pueris adhuc hebescentibus, nonnisi levioribus eorum vel officiis vel contumeliis affici potest. At ubi seipsam verè & totam repræsentat jam adultis, jam maturam exerentibus juventam, tum enimverò eorum vel amorem vel odium concitatissimum experitur, & vel in intimas animi medullas admittitur, vel penitus extruditur & in crucem agitur.

XI. Veritas immanissimè crucifixitur ab iis quos ea sibi magis præparare & conciliare fluxit per tenorem & legis beneficia.

Non hęc porrò tantùm, hìc à me tentata, sed & quidquid tribus Theologicorum Dogmatum Tomis lucubratum est, audaciùs, ut sentio, operosiùsque, quàm feliciùs, boni consulet Lector benevolus, excusabit Clerus Gallicanus, cui nostra hæc omnis opera desudavit, & cujus virgam censoriam lubens excipiet, haud ignara, quàm indivulsis ille nexibus Sedi Apostolicæ devinciatur.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM ET PERSONARUM.

A

ABEL. v. *Adamus.*

Abelardus Philosophus, postea Monachus, quænam ex Philosophis hauserit contra Religionis mysteria; teste & impugnatore Bernardo, Tr. 1. c. 36. nu. 5. Tr. 2. c. 6. nu. 6. Quænam tandem studia amplexus fuerit? authore Petro Cluniacensi, C. 45. n. 17.

Abraham Patriarcha, vel in ipso nomine, haud vacuus mysterii, Tr. 1. c. 8. nu. 13. Quænam illi primùm sapientia communicata? Ex ipso Christo, Tr. 2. c. 33. n. 3. Imò Trinitas ipsa, n. 8. Necnon illi simul ut sapienti omnia, C. 36. n. 13. §. *Præclarissimè*. Quæ tamen illius sapientis sterilitas, donec *Agar* Ægyptiæ sociaretur? ex Clem. Alex. C. 41. n. 8. §. *Addit*. C. 42. n. 9. An Pater, aut Filius, vel Angelus eis apparuerint. C. 39. n. 8. §. *pluribus*. Quid per locum Abrahæ designatum? C. 44. n. 3. §. *De*. Quomodo totam Christi dispensationem concupivit, & vidit? Tr. 5. c. 14. n. 4. *& passim seqq. usque ad finem*. Ac tandem consecutus est, ut Pater fidelium diceretur, & consummativæ virtutis exemplum? Tr. 2. c. 1. n. 9. Quænam illi multitudo fidelium promissa? Tr. 1. c. 24. nu. 1. Quas primus disciplinas Ægyptiis tradiderit? ex Josepho, &c. C. 43. n. 14. Ubinam, duæ ab eo scholæ sapientum relictæ? C. 33. num. 4.

Academia quid commune cum Ecclesia? ex Tertulliano, T. 1. c. 39. n. 2. v. *Ecclesia, schola, &c.*

Academici, v. *Philosophi Platonici*.

Actiones an sint aliquæ indifferentes? *passim*, Tr. 4. præsertim ex Driedone Paulum, Augustinum, & alios laudante, pag. 543. §. *sed* 545. §. *prolixè*. Item ex Casalio, p. 576. §. *Illud*. Huc refer quid sit *agere* ex viribus naturæ? v. *Gratia, Natura, Infidelium opera, &c.*

Adam protoplastus; cum uxore *Eva*, & filio *Abel*, vel *Seth*, ejusdem prorsus inter se humanitatis, licèt in Adamo ingenitæ, in filio genitæ, in *Eva* nec ingenitæ, nec genitæ, sed aliter procedentis, Tr. 2. c. 27. n. 10. Nec idcirco Eva & Seth, ambo fratres aut filii, C. 30. nu. 7. Qualis collocutio Dei cum *Adam*, ex Theophilo Ant. C. 42. n. 10. An Adami eadem Theologia quæ per Patriarchas & Prophetas, ac præsertim per novum Adamum, ad nos usque pervenit? Tr. 1. c. 37. n. 3. *& seqq.* Necnon & liberales disciplinæ? c. 42. n. 4. Quænam illius prima gratia, aliæque dotes? Tr. 3. c. 1. & 13. *Item passim*, Tr. 4. *præsertim*, pag. 543. §. *Cum*. De Adami lapsu, & propagatione peccati ad posteros, Tr. 3. c. 2. *& passim*, Tr. 4. De discrimine utriusque status Adæ, v. *Gratia, &c.* Quomodo universum genus humanum duo homines, primus & secundus *Adam*? Tr. 5. c. 15. num. 13. *& seqq.* v. *Christus, Homo, &c.*

Adjutorium, v. *Gratia*.

Adolescentis intemperantis exemplum ad quid? Tr. 3. c. 26. §. *Ea*.

Adrianus VI. Summus Pontifex, antequam in Lutherum ex Throno Apostolico detonaret, in Academia Lovaniensi scripserat omninò appositè ad nostrum sensum de Gratia, Tr. 4. pag. 533. 534. 620. §. *Sed*.

Adrumetini Monachi quid sentirent de libero arbitrio? Tr. 4. p. 540. §. *Quin*.

Adultos tantùm respicit quæstio de efficacia Gratiæ, Tr. 3. c. 18. §. 1. Necnon alia de ejus extensione ad omnes, Tr. 4. p. 543. *& seqq.*

Ægidius Columna Romanus, ex Generali Augustinianorum, Bituricensis Archiepiscopus, & Cardinalis, dictus *doctor fundamentarius*, circa annum 1300. antea S. Thomæ discipulus, fidelis omnimodè quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 549. *& seqq.*

Ægyptii, an Hebræi, per barbaros Philosophos intelligendi? Tr. 1. c. 35. n. 13. c. 38. nu. 1. 3. & c. 41. nu. 1. Quandonam sapientum scholæ apud Ægyptios? Tr. 2. c. 33. n. 4. & Tr. 1. c. 35. n. 2. 3. 11. Quid per Ægyptium & Ægyptiam in vita Mosis & Abrahæ? C. 41. n. 6. 8. Item & per aurum Ægyptium? C. 42. n. 10. C. 43. n. 3. *& seqq.* Cur eo & aliis divitiis spoliati Ægyptii? Tr. 5. c. 6. n. 3.

Ælredus Abbas Rhievallensis in Anglia, Bernardi ævo suppar, quid cum ipso & aliis, de triplici gratia, in *speculo charitatis* sentiat? Tr. 4. pag. 434.

Ætates spirituales tres aut quatuor totius humani generis, vel Rerump. aut etiam singulorum hominum, ex scripturis ab Augustino descriptæ, Tr. 5. c. 2. n. 1. *& seqq.* Sex pariter ex prioribus depromptæ, n. 9. Utriusque partitionis conciliatio, nu. 10. Tres priores aliter derivarat Tertullianus ad suum Montanismum, C. 5. n. 17.

Æternitatis divinæ infinitus prospectus, nodos inexplicabiles circa humanam libertatem resolvit, Tr. 3. c. 18. Et passim, Tr. 4. Præsertim ex Cordubensi, pag. 612. §. *præclarissimè*. Quomodo per illam, etiam fidei nostræ nihil efluat, nihil pereat? Tr. 5. c. 9. num. 6. 9. *& seqq.* A fortiori nec Christi mysteria fide percepta, C. 14. num. 3. *& seqq.*

Æternorum saltem umbris & figuris honestanda fuerunt temporalia, Tr. 5. c. 4. n. 1. *& seqq.* Sic æternorum fides & spes juvatur, C. 10. nu. 34. c. 11. num. 9. *& seqq.* c. 12. n. 2. *& seqq. præsertim* 10. c. 15. n. 23. 24.

Ætius hæresiarcha ex Arianis, cur tot mendis scateat? Tr. 1. c. 32. n. 10. In primis quod totum fidei & Theologiæ nostræ dogma ad geometricas figuras & syllogismos revocaret, ex Epiphanio, C. 38. n. 5. Unde cum suis Anomæis temporarius probatur? C. 30. n. 8. §. *Cum*. Alius ejus error de Paschate, ex eodem, §. *Iam*.

Affectus quantum efficaciæ vel ipsis vocabulis innuant? Tr. 3. c. 11. 28. Non in sola dilectione, vel delectatione amoris justitiæ, sed & in reliquis motibus, c. 20. & *passim toto*, Tr. 4. Discrimen inter affectus naturales & supernaturales, Tr. 3. c. 17. v. 7. Et inter voluntatem, ut affectus est, à duabus aliis, Tr. 4. c. 1. §. *Sed*.

Affirmationes, v. *Negationes*.

Agar, v. *Abraham*.

Agnoetarum hæresis ab Eulogio Alexandrino quibus armis jugulata? ex Gregorio M. Tr. 1. c. 29. num. 9. §. *Eulogio*.

Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus quo fine proponat pacificum animum Cyrilli cum Orientalibus? *præf.* ad Tr. 3. n. 40.

Albertus magnus, Ratisponensis Episcopus, Coloniæ primùm, deinde Lutetiæ, professor Dominicanus, utrobique clarus Thoma discipulo ac successore, à majoribus accepit, quod per illum transmisit ad posteros de triplici gratia, Tr. 4. p. 447. *& seqq.* Si pauca excipias à Dionysio Carthusiano perstricta, p. 494. *Iam*.

Albertus Pighius, Taperi olim sub eo qui postmodum fuit Adrianus VI. condiscipulus, sed ex lectione Institutionum Calvini fascinatus imprimis pro Justitia Christi imputativa, Tr. 4. p. 537. §. *Quin*.

Alexander Alexandrinus Episcopus, *Constantinopolitano* vehementes scripsit literas pro authoritate Patrum, apud Theodoretum, Tr. 1. c. 34. n. 3. Tr. 2. c. 15. n. 10. Circa aliquos unde deceptus? C. 46. n. 9. c. 47. n. 6.

Alexander de Ales Academiæ Parisiensis Doctor & ingens decus, ea scripsit de triplici gratia, quæ discipuli longè præstantissimi Thomas & Bonaventura sectarentur, Tr. 4. p. 449. *& seqq.* Si pauca excipias à Dionysio Carthusiano subnotata, p. 525. §. *Iam*.

Alexander Pesantius Romanus, quas Theologicas disputationes Paulo V. dicavit in mediis Congregationibus de Auxiliis, Tr. 4. p. 594.

Alexandrina schola in normam studii Romani à Cassiodoro proposita, Tr. 1. c. 43. n. 13. Sub Ammonio Philosopho, non solùm Origenem, sed & Plotinum, ac deinceps Porphyrium, & alios Philosophos Platonicos peperit, C. 38. n. 3. Antiquiores verò Magistros ex antiquioribus Philosophis, ut vult Hieronymus, C. 39. nu. 12. §. *Iam vero*. Quid plerique ex illis senserint de Trinitate? Tr. 2. c. 44. n. 3. §. *De patre*.

Alexandrinorum præsertim Episcoporum prodiere Canonicæ Epistolæ, Tr. 1. c. 46. n. 7.

Alipius Augustini socius, postea Tagastæ Episcopus, quid cum ipso inter exordia malè sentiret de incarnati Verbi Dei sacramento? Tr. 1. c. 14. n. 6.

Allegoria, v. *Parabola*; *Scriptura*.

Aloysius Catanea, Dominicanus Theologus in Concilio Tridentino, tametsi castior gratiæ efficacis vindex, quàm Soto, sufficientem tamen cum ipso addebat, Tr. 4. p. 515.

Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis qui Concilio Tridentino interfuit, ita gratuitæ prædestinationi favet, ut generalem gratiam non excludat, unde modum effi-

cacissimæ conjicias, sine prædeterminatione physica, Tr. 4. p.520. §21.

Alphonsus à Castro Ordinis Minorum circa annum 1550. scripsit quidem adversus omnes hæreses, acriùs tamen contra Lutherum pro nostra triplici gratia, Tr.4. p.593. & *seqq.* Quatenus verò pro speciali auxilio Gregorii Ariminensis ad omne bonum, p.594. §. *Nunc*.

Alphonsus Curiel, Salmanticensis primarius Professor, in commentariis supra S. Thomam Duaci circa annum 1609. à doctoribus editis, triplicem cum Augustino propugnat gratiam, contra Molinam & plures alios, Tr.4. p. 623. & *seqq.*

Alphonsus de Herera Dominicanus, Cæsari à Confessionibus, idemque Theologiæ professor, circa annum 1540. dicavit Catharinæ Reginæ Porthugalliæ *disceptationem adversus Lutheranos de valore bonorum operum*, præsertim ex efficacia gratiæ habitualis; Tr.4. p.587.

Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, circa annum 1440. S. Thomæ doctrinæ, ipsis quandoque terminis addictissimus quoad triplicem gratiam, necnon & præsentiam rerum in æternitate, Tr.4. p.488. & *seqq.* Excipit Pererius singularem Tostati opinionem de totali quorundam obduratione, p.620. §. *Sed*.

Alphonsus Virvesius Episcopus Canariensis circa annum 1540. Carolo V. dicavit Philippicas disputationes 20. adversus Lutherum & Melanthonem pari eruditionis vi copiaque insignes, præsertim quoad triplicem nostram gratiam, p.579.

Alvares Theologus Hispanus Dominicanus, varias de auxiliis responsiones adhibuit, Tr.3. c.14. §. *Hisc.* Illas verò prorsus inauditas ante, non post ipsum, Tract. 4. pag. 463. §. *usque*.

Alvarus Pelagius Hispanus Ordinis Minorum Theologus & Episcopus Silvensis circa annum 1335. paucis perstrinxit totam suo ævo de gratia & prædestinatione receptissimam inter Theologos sententiam, Tr.4. p.468.

Amanuensis seu Antiquarii quantâ olim scientia præditi? Tr.1. c.2. n.9. & *seqq.* v. *Monachi*.

Ambrosius Catharinus Senensis, Dominicanus, Minoriensis primùm Episcopus, postea Archiepiscopus Compsanus, & unus ex Patribus Tridentinis, præter licentiosas opinationes hìc omissas, duplicem admisit prædestinationem, unam gratuitam Eximiorum, quam solam ad omnes Electos, cum omnibus ferè extendimus, Tr.4. pag.505. 506. §. *Ibid.* 581. §. *In* 610. Cætera memor Pauli, Augustini, Thomæ &c. conciliat illius infallibilitatem cum labili nostra libertate, pag.599. Deinceps gratiam specialem propriè justificantem, & generalem cum specialibus auxiliis optimè describit, p.600.601.

Ambrosius Ecclesiæ Doctor, quomodo ad Episcopatum Mediolanensem arreptus, statim in summum Theologum evaserit? Tr.1. c.4. num.12. Ad hoc missus à Damaso Papa Simplicianus, C.35. n.5. Quid illi recens scripserit Basilius ad conterendas hæreses? C.21. n.4. Quam ipse aspernaretur Philosopiam? C. 36. num. 3. maximè contra Symmachum? *Præfat. ad Tr.* 3. num. 10. 11. 21. Contra eos qui de Platonis libris Christum profeciſſe jactabant, an satis accuratè scripserit? Tr.1. c.35. num.1. & *seqq.* Cur in contemplanda veritate otiosum se non putaret? C. 1. n.5.6. Ut aspera quæque Melleus ille doctor Augustino discipulo mollierit? Tr.5. c.5. n.3. Unde utrimque præ cæteris laudaretur à Pelagianis, & ab eodem Augustino? Tr.1. c.26. n.4.5. c.27. n.1. & *passim seqq.* parciùs ab Hieronymo, C.28. n.4.5.7. Nisi ubi de Origene, C.44. nu.7. quem tamen aliquando uterque exscribit, Tr.5. c.14. n. 4. Effusiùs à Gregorio M. Tr.1. c.29. nu.6. & *passim seqq.* Necnon à Bernardo, c.30. num.5. simulque à Petro Cluniacensi, n.6.

Ambrosius Origenis Nutritius, vir nobilis, qua arte ab Origene ipso ad fidem conversus, Tr. 1. cap. 32. n.10.

Ammonius Philosopus Christianus in Alexandrina schola, non solum Origenem, sed & Plotinum, ac deinceps Porphyrium, & alios Platonicos docuit, Tr.1. cap. 38. num. 3.

Amor. v. *Affectus*. *Charitas*. *Timor*.

Anastasius Antiochenus Patriarcha, & *Anatolius* diaconus, de quo amicè reprehendantur à Gregorio M. Tr. 1. c. 29. num. 10. §. *Cum*. *Anatolius* Laodicenus quibus studiis ante Episcopatum instructus? Tr. 1. c. 42. nu. 3. §. *nec*.

Anaxagoræ, *Anaximenis* & similium Philosophorum sententias inquirere cur supervacaneum censeret Augustinus? Tr.1. c.43. n.8. §. *Illud*.

Anacyrana Peuso-synodus quid præscripserit, ut Catholicam se probaret? Tr.1. c.19. n.13. c.20. n.8.

Andradius. V. *Iacobus Payva Andradius*.

Andreas de Vega Salmanticensis Professor Franciscanus, pro Concilio Tridentino, ubi interfuit, adversus Lutherum & Calvinum scripsit, in primis de gratiæ habitualis efficacia & aliis auxiliis, Tr.4. p.572. & *seqq.*

Angelorum nequidem nomina omnium, nedum diversa Castra explorata satis habemus, Tr.2. c.1. n.11. *circa finem*. Imo nequidem conspectum sustinere, ex Daniele, §. *Qui*:

An natura sua sint conspicabiles, C.39. n.6. §. *pluribus*. Et an ipsi Patribus antiquis apparuerint? n. 8. c.42. n.10. c.43. n.7. c.47. n.9. Cur de eorum creatione, ne verbum quidem fecit Moyses? C.24. n.5. Multominus eos intellexit primos sapientiæ in orbe opifices, c.33. nu. 1. Sana de Angelis doctrina sola traditione obtinuerat apud ipsos philosophos, C.24.n.5.7. §. *Hinc*. n 10. §. *Nec*. Etiam quoad lapsum aliquorum à primogenia gratia, n.7. §. *Hinc*. Quænam illa fuerit; & an alii incrementum meruerint? Tr. 3. c.1. §. *Hoc*. c. 20. 8. 2. Nec tamen gloriari potuerint? cap. 15. 17. v. 1. De eorum immortalitate quid Arnobius senior? Tr.2. c.41. num.5. Quid per virtutes Dei administras Philo? C. 36. n. 8. 10. Ut non dissipetur Monarchia divina per innumerabiles Angelorum legiones ejus administras & officiales? Ex Tert. cap. 37. num. 10. §. *si*. Nec Deo beatitudo accedat ex inæqualium sibi Angelorum contubernio? ex Lact. 40. nu. 5. 6. At quo propiores Deo sunt, tanto beatiùs in pace conquiescunt, *Præf. ad Tr.* 3. n.17. Unde tamen inter Angelos ipsos dissidia? N. 18. Fortè sicut Cœlorum decet Theologos, n.19. 20. Ut eorum vel primi ordines unius Trinæque Majestatis præsentiam revereri & contremiscere se testentur apud Isajam? Tr.2. c.1. num.1.7. 11. c. 2. num.5. c.13. num.2. Quando Angelis comparatur Christus, non agitur de ejus Deitate incomparabili, ex Athanasio, C.15. nu.1. Aliæ comparationes Angelorum ad Deum mirum quantum inæquales, c.13. n.11. c.16. n.7. c.25. n.2. & *passim seqq.* c. 26. n.13. 17. c.27. n.1.4.

Anglez, V. *Iosephus Anglez*.

Animæ origo variè controvertitur, *Tr.* 1. c.44. n.7. *Tr.* 2. c.41. n.5. Cur mirum sit, animam à semetipsa non nosci; C.2. nu.6. §. *Cum*. Paulò aliter, c.18. nu.7. Cujus naturæ existimetur à variis Philosophis? apud Ambr. Tr. 1. c.39. n.13. Quid sit anima naturaliter Christiana? ex Tert. Aug. & aliis, Tr.3. c.3. §. *Hic*, & *seqq.* Tr. 5. c.13. *ferè toto*. Animæ puritas ad capiendum Deum & divina, *passim toto* Tr.1. *præsertim* C.9. Tr.2. c.2. n.5. Necnon ut patiatur divina, & rapiatur à Deo? Tr.3. c.25. §. *potest*. Illius fœcunditas ut probet divinam? Tr.2. c.12. n.1. & *seqq.* C.29. n.5. & *passim alibi*. Aliæ ejus comparationes ad Deum mirum quantum inæquales; C.16. n.1.3.7. c.25. n.3. c.28. n. & *seqq.* In primis quod ne in anima quidem partes sint, c.16. n.3. Est in hoc tamen expressior imago Trinitatis, c.18. n.3. & *seqq.* c.19.20. Ut illi suas Deus leges imprresserit? ex Chrysost.7. Tr.1. c.22. n.6.8. 12. Imo hinc probat Augustinus ipsam per se justitiam vivere, qua vivunt animæ, qua orbatæ mori dicuntur, c.21. nu. 5.6. De earum immortalitate quid Arnobius? C.41. n.5. Quibus tamen vicibus & incommodis obnoxiæ sint, ratione corporum, maximè post lapsum? Tr.5. c.2. n.8. De anima mundi. V. *Mundus*.

Animantium mortalium immortalitas unde? Tr.3. c.23. v. 5. Ex earum naturali fœcunditate qualis probetur in Deo, Tr.2. c.12. n.1. & *seqq.* Quomodo earum ferocitas dometur ab hominibus? Tr.3. c.23. §. *perdomat*.

Anomæi, V. *Ætius*. *Ariani*.

Anonymus Belga, circa annum 1651. libellum inscripsit, *Lutta S. Thomæ contra præmotiones physicas*, & *sancti Augustini contra gratiam physicè efficacem*, medius inter Jansenium & Molinam, nobis prorsus consentaneus, Tract.4. pag.655.

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus fidus Augustini discipulus, dignus deinceps aliorum magister, Tr.2.c.29. num.13. non aliud ab ipso de gratia, totaque ejus œconomia docuit, Tr.3. c.9. §. *In his*. *Præf. ad Tr.* v.3.7. §. *prima pars*. *Item*, c. 1. *integre*. Qua providentia potius ille medius inter Patres & scholasticos? *Præfat. mox cit.* v.3.4.

Anthonius Abbas, cur pater Monachorum & Propheta à Cassiodoro dictus? Tr. c.30. n.1. §. *sed*.

Anthonius Cordubensis, Ordinis licèt Minorum Theologus, circa annum 1593. in *Quæstionario* multa de auxiliis ad nostram normam solvit, contra ipsum Scotum; Tr.4. p.611.612.

Antiochena, synodus contra Paulum Samozatenum, de *Omousii* condemnatione purgatur ab Hilario, Tr.1. c.17. n.4. c.39. n.3.4. Ab ipso Athanasio, c.31. n.12.13. Tr.2. c.46. n.1.4.8. Necnon ab aliis. V. *Filius Æternus*, *Trinitas &c.*

Apollinarii duo, pater Grammaticus, & filius Sophista, quid pro Ecclesia egerint post edictum Juliani contra stud. Christianorum? Tr.1. c.15. num.9. c.16. num. 1. & *seqq.*

Et

Et contra illius Apoſtatæ ſcripta? C.44. n.9. Cur etiam junior aliquando contra hæreticos in teſtimonium adductus? Tr.2. c.34. n.4. §. *premis.* c.44. n.8.9. Quam ineptiſſimè tamen hic Trinitatem ex tribus gradibus compoſuerit? C.4. n.5. Unde & alius ejus error de mille annis? Tr.1. c.20. n.8. §. *Cum denique*. Necnon & alii illius errores? C.32. n.11. Cur impacta poſtmodum Catholicis Apollinaris de incarnatione hæreſis? c.15. n.9. c.16. n.1. *& ſeqq.* Contra novos poſtliminio Apollinariſtas Petrus Clunac. c.17. n.13. §. *Immenſa*.

Apoſtolatus inditia, ex Tertulliano, Tr.1. c.24. n.2.3.

Apoſtoli cur ex Hebræis in principes & propagatores fidei præelecti? Tr.5. c.8. n.3. Quot à principio ignoraverint, nec propterea culpandi? Tr.1. c.17. n.9. Poſtea à Chriſto eadem Philoſophia ſeu Theologia inſtructi, qua olim à primo parente Patriarchæ gradatim & Prophetæ, c. 37.n.3. At longè majori myſteriorum fide & intelligentia. Tr.5.c.8. nu.11. §. *profert*. Nihil verò deinceps ex Chriſti ſermonibus neglexerunt, Tr.1. c.13. n.1. Cur tandiu expectata, & tam brevi exhibita ipſis Apoſtolis caro Chriſti? Tr.5. c.10. n.5. *& ſeqq.* Ipſa tamen ſemper illis præſens cum omnibus myſteriis, c.14. n.3. *& ſeqq.* Quo ſenſu Chriſtus ipſe vocetur Apoſtolus à Juſtino? Tr.2. c.42. n.2. *& ſed.* Et in illos Spiritum ſanctum miſerit, quo nos doceret? Tr.1. c.8. n.15. tr.2. c.31. n.2. §. *non*. Quænam tunc in eis gratia confirmatoria? Tr. 5. p. 545. §. *nec*. Quomodo eorum præ Diaconis opus præſtantius? Tr.1. c.1. n.6.7. Quàm arduum verò miniſterium? c.5. n.4. Imperitas enim plebes magnificæ noſtræ de Deo fidei per Apoſtolos, licèt piſcatores, aſſuefieri, longè operoſius & mirabilius, quàm mortuos ſuſcitari, Tr.2. c.2. n.5. §. *Ioannes*. Qua tamen facilitate id apud Gentiles præſtiterint? C.3.n.4. *& ſeqq.* Qua ad id diſpenſatione? c.45. n.13. Imo ferè & pia fraude? Tr. 5.c.7.n.10. Quid ab ipſis Poetis & Philoſophis mutuati ſint? Tr.2. c.39. n.12. In quo ſupra ipſos Philoſophos, piſcatores licèt Apoſtoli, c.37. n.3.7. c.38. n.4.5. Ut majora per eos, quàm per ſeipſum, Chriſtus ipſe & dixerit & fecerit? ex Chryſ. c.33. n.3. maximè per ſenſum ſcripturarum ſemel illis apertum, & per eos Eccleſiis præſertim Apoſtolicis, Tr.1. c.13. n.5. *& ſeqq.* c.19. n.6. c.24. n.2. *& ſeqq.* c. 37. n.3.5. Inde Apoſtolicæ traditiones, & Eccleſiarum ſucceſſiones repetendæ? c.18. n.2. *& ſeqq.* c.19. n.2. *& ſeqq.* c.20. n.3. *& ſeqq.* c.24. n.2. *& ſeqq.* Quàm Apoſtolicum ſit non ſcripturis modò, ſed & traditionibus uti non ſcriptis? c.21. n.10. c.22. n.1. *& ſeqq.* Quo ſenſu verò Apoſtoli ante Epiſcopos ſeu antiquos Patres, ſint illi vertices montium, ſuper quos fundata conſurgit Eccleſia? ex Baſilio, c.21. n.7. Non à ſuis tamen privatis nominibus Eccleſias nuncupaverunt, ex Epiph. c.19. n.10. Sed hinc Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, imo Apoſtoli ab Apoſtolo nominati, c.20. n.3. c.22. n.1. *& ſeqq.* Hinc que injuriæ illis illatæ redundant in Apoſtolos, & in Chriſtum ipſum & Deum, c.20. n.3. c.24. nu.4. Imo per eos & Apoſtolicos viros, Chriſtus jam regnat, judicat, ſuos munerat, cruciat hoſtes, Tr.5. c.15. n.5.

Apparitiones olim an per Patrem, vel Filium, aut Angelos fierent; Tr.2. c.39. n.8. §. *pluribus*. c.42. n.10. c.43.n. 7. c.47. n.9.11. Ad quid inſuefacerent genus humanum? Tr.5. c.7. n.6.

Appelleiani hæretici qua audacia ſcripturas ipſas diſceperent? ex Epiphanio, Tr.1. c.20.n.7. §. *facit*.

Arabes primæ ſapientum ſcholæ cultores à quo? Tr. 2. c. 33. num. 3.4. An uſque ad Aſſyrios extenderetur Arabia? *Hic*. Cur tandem ex Arabum vicinia Ariſtotelis Philoſophia prævaluerit? Tr.1. c.40. n.6.

Arauſicanum Concilium an admiſerit opera moraliter bona, gratiæ & gloriæ non meritoria; Tr.4. pag. 567. §. *Quod* pag. 568. §. *conſequenter*, p.680. §. *Venerunt*, p.626. *Latio*. Scilicet ex gratia generali, pag.648. §. *De* 650. §. *Nunc*.

Argentum, v. *Aurum*.

Ariani duce Ario cum aliis hæreticis, ut ad ſua commenta ſcripturas contorquerent; ex Athanaſio, Tr. 1. c. 19. n.1. Ex Baſilio & Nyſſeno, num.3. *& ſeqq.* Univerſim longè pejùs de tota Trinitate ſentiebant, quàm philoſophi, Tr.2. c.34. n.1. *& ſeqq.* c.35. n.7.8.9. Hinc vel ſola ratione poterant ſine authoritate convinci, c.11. nu. 1. *& ſeqq.* c.22. n.2. c.23. n.3.5.9. Patrum tamen authoritas contra eos adjuncta, Tr.1. c.21. n.1.2.3. c.31. nu.1. *& ſeqq.* c. 33. n.1.2. c.34. n.3. Tr.2. c.1. n.5. 11.12. c.7.n.5. *& ſeqq.* c. 37. *& ſeqq.* Non mirum ſi Arius ipſe cum aſſeclis priores Patres contemneret, c.4.7. n.6. *& ſeqq.* Cur licèt præ ſe ferrent aſſentiri toti Symbolo Apoſtolico, eſſent nihilominus hæretici; Tr.1. c.15. n.5. Unde eorum omnium inſtabilitas in ſuis ſymbolis; c.14. n.2. *& ſeqq.* c.22 n.4. Quàm ſtultè fidem à ſeipſis ſub Conſtantio cœpiſſe ſcripſerant; c. 31. n. 9. Quomodo contra eos in ipſa ſynodo Ariminenſi fides antiqua vicerit; c.31. n.10. In quo maximè peccarit Arius ipſe omnium dux; Tr.2. c.3. n.7. c.5. nu.7. 8. c.7. nu.6. In quo præluſerat Aſterius docens Verbum & creatum & Creatorem poſtea; c.23. n.3. Necnon & cum ipſo Spiritum-ſanctum, c.12. n.7. c.23. n.5.9. c.24. n.1. *& ſeqq.* c.27. n.11. §. *nec*. Adeoque alia ſapientia quàm genita ſapuiſſe antea Patrem, c.22. n.1.10. Imo duplex eſſe Verbum in Deo, *ibid.* c.23. num.3. c.31. num. 2. Cur ingeniti potius vel Creatoris nomen & gloriam, quàm Patris oſtentarent; c.7. n.6. c.10. n.1. *& ſeqq.* c.11. n.1. *& ſeqq.* Nec tam vetarent, ne Pater Filium gigneret, quàm ne æqualem; c. 12. n.1. *& ſeqq.* Initio quidem ex nihilo, poſtea aliunde, c.29. n.1. Et in hoc non minùs Patri quàm Filio injurii, c. 12. n.3. c.15. n.13. Item in eo quod omnipotentem Filium negarent, quia filium gignere non potuit, c.13. n.1. *& ſeqq.* Necnon cæcutirent ad verba Chriſti orantis, ut *ſicut ipſe in patre &c.* C.28. n.3. Imo ipſum Dei & Verbi nomen perverterent, c.27. n.8.10. Unde fieret ut Deos colerent duos, c.24. n.2. §. *Et*. Rurſumque abuterentur numeris in Trinitate, c.17. n.11. In primis quod vellent plures ſeu tres perſonas unum dici Deum, ut plures ſeu omnes quandoq; homines unum, c.17.n.1. *& ſeqq.* Inſanæ aliæ Arianorum quæſtiones de proceſſione Spiritus-ſancti, c.30.n.2. *& ſeqq.* Adhuc tamen ineunte ſæculo ſexto orbem inundaſſe videri poterant; Tr.1. c.43. n.9. Quandiu viguerint; *ibid.* Vel ipſa eorum fama Catholicis vitanda, c.16.n.1. *& ſeqq.* c.17. n.2.3. c.31. n.5. *& ſeqq.*

Ariminenſi in ipſa ſynodo fides antiqua, & veterum Patrum vicit authoritas, Tr.1. c.31. n.10. c.34. n.3. §. *De*. v. *Adriani*. *&c.*

Ariſtides Philoſophus Chriſtianus, cur Apologeticum Hadriano oblatum contexuerit ex Philoſophum ſententiis; Tr.1. c.45. n.1.

Ariſtotelis varia fortuna, primumque de eo judicium Tertulliani, Tr.1. c.39. n.1. §. *Hinc*. Aliud Clementis Alexandrini & Irenæi, c.40. n.4. Aliud Lactantii, c.36. n.1. *Item* Ambroſii, c. 39. n. 13. §. *Denique*. Necnon & Nazianzeni, c.40. n.5. Simul Epiphanii & Theodoreti, c.38. n.4.5. Longè favorabilius Boetii, Tr.2. c.6. n.3. Longè diverſum Bernardi, Tr.1. c.36. n.1. Unde tandem Ariſtotelis Philoſophia prævaluerit; c.40. n.6.

Arnobius junior ad quid elegantiſſimè deſcripſit ſimilitudinem venæ, fontis ac fluvii, etſi paulò aliter ac Græci Patres; Tr.2. c.26.n.14.

Arnobius ſenior quid de ſuiſmet opinationibus Theologicis teſtificetur; Tr.2. c.41. n.2. *& ſeqq.* Hieronymi de eo judicium, *ibid.* & Tr.1. c.28. n.2. c.25. n.4.

Artemon hæreſiarcha & aſſeclæ tam incurioſi ſcripturarum, quàm inſani diſciplinarum liberalium admiratores, Tr.1. c.41. n.10. In dogmate præcipuo contra divinitatem Chriſti, quibus armis impugnentur à Cajo antiquo Theologo; apud Euſ. Tr.2. c.42. n.12.

Artes, ſaltem liberales, quanto adjumento ſint & ornamento ad Theologiam? ex Patribus Græcis, Tr.1. c.41. 42. ex Latinis, c.43. Quare Auguſtinum pœnituerit aliquando nimium laudaſſe artes liberales; n.2. Illius ſententia & præceptiones de ſingulis, n.4. Quis modus in iis tenendus, ex aliis Patribus; c.42. n.5.6.7. c.43. n.2. *& paſſim ſeqq.* Quàm multa ex artibus & tota Philoſophia, reſecanda ſint, ut nunc ſuperflua, n. 8. Objectionibus ſatisfit; n.12. *& ſeqq.* An artes illæ omnes ad Philoſophiam ſpectent: c.41. n.1.7. c.43. n.1. v. *Philoſophia*.

Aſcenſio, v. *Chriſti Myſteria &c.*

Aſterius Sophiſta primus ante Arium docuit Verbum & creatum & Creatorem, ex Athanaſio, Tr.2. c.23. n.3. v. Ariani.

Aſtronomis noſtris quàm nihil timendum nunc ab idololatria; Tr.1. c.43. n.14.

Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus adhuc Diaconus in Concilio Nicæno traditionum, ac Patrum authoritate diſputavit contra Arium, Tr.1.c.21.n.1. ac deinceps ſemper, n.2.3. c. 31. n.1. *& ſeqq.* præ cæteris cum Cypriano & Hilario legendus ipſe conſulitur ab Hieronymo, c.28. n.1. c. 44. n.2. Quanta humanitate antiquiores dubios purgarit, c.31. n.4. *& ſeqq.* Tr.2. c.4. n.1. cc.45.46. Ac ipſum tandem juniorem licèt Baſilium, Tr.1. c.31. num. 14. Cum pleriſque ex illis, maximè Alexandrinis Epiſcopis, canonicas etiam Epiſtolas, ſimul ac Theologicas, compoſuit, c.46. n.7.8. poſtea vel unus Neſtorio oppoſitus à ſucceſſore Cyrillo, c.22. n.9.

Athenagoras Philoſophus Chriſtianis, quo ſenſu orbem dicat regi à Patre & Filio, ut Imperium à Marco Aurelio, & ejus filio Commodo, quibus ſcribebat; tr. 2. cap. 42. num.7. Expreſſiùſque Trinitatem profitèatur; n.8.

Athenodorus Gregorii Thaumaturgi frater, & in ſtudiis liberalibus collega, qualis; tr.1. c.42. n.3.

Attritio, v. *Charitas*. *Contritio*. *Timor*.

Audiani hæretici, vel eo ſolo nomine damnati, quod

Audiani dicerentur, non *Chriſtiani*; nec Eccleſiæ Catholicæ communicarent, ex Epiphanio, Tr. 1. c. 19. n. 11. *Auguſtinus* Hipponenſis Epiſcopus, cur minus feliciter juvenis, quam maturior ſcripturas adierit? Tr. 1. c. 1. n. 4. §. *Hanc*, c. 7. n. 2, c. 14. n. 6. In iis deinceps interpretandis, omnium ſaltem Latinorum facilè princeps, c. 6. num. 11 & *ſeqq.* vel ipſo teſte Voluſiano, n. 8. Quàm modeſtè & pacificè de ſuis & aliorum opinionibus ſentiret? *ibid.* & c. 7. n. 6, & *ſeqq.* c. 26. n. 2. & *ſeqq.* Item *præf. ad Tr.* 3. n. 28. 29. Cur multa etiam levia retractarit? Tr. 1. c. 9. n. 1. & *ſeqq.* c. 17. n. 7. c. 35. n. 1. 13. c. 43. n. 2. Se à populis ut monitorem & condiſcipulum non ut magiſtrum volebat audiri? c. 9. n. 8. & *ſeqq.* Quam alta illis prædicaret, ipſi intelligerent? Tr. 2. c. 22. n. 5. Quid de ſchola cordis & charitatis doctrina? Tr. 4. p. 619. §. *rurſus*. Confertur cum Chryſoſtomo, Tr. 1. c. 6. num. 1. c. 8. num. 10. Cum Clemente Alexandrino quoad principia ſcientiarum, c. 10. n. 6. Quoad ipſam gratiam, & philoſophiæ utilitatem, Tr. 5. c. 13. num. 27. 28. Cum ipſo Origene quoad præſcientiam Dei, Tr. 4. p. 485. §. *ſimiliter*. Necnon cum aliis patribus quoad ſalutem Judæorum, Tr. 5. c. 8. nu. 17. De mutua cum Hieronymo concordia & admiratione, *ibid.* & Tr. 1. c. 28. n. 9. c. 45. n. 4. Quomodo conciliet ipſe Epiphanium cum Philaſtrio de hæreſibus? Tr. 1. c. 15. n. 1. Quanti faceret lectionem ipſorum Hæreticorum? C. 26. n. 6. 9. Quomodo probaverit eos cogendos eſſe ad unitatem catholicam? Tr. 3. c. 20. v. 6. Tr. 4. *in Gratiano*. Quid *in Hortenſio Ciceronis* probaverit, vel improbaverit? Tr. 1. c. 6. n. 2. c. 35. n. 7. Necnon & in aliis philoſophis, n. 1. & *ſeqq.* c. 43. n. 2. & *ſeqq.* Ac poſtmodum in Manichæis? c. 6. n. 4. c. 9. n. 8. c. 14. n. 7. Quando procul à ſe removit aſperſum à Pelagianis rumorem Manicheiſmi? c. 26. n. 5 c. 27. n. 1. Nec non quod ſolus eos debellaret, c. 27. num. 6. Ut præ cæteris patribus ſtromata Theologicorum dogmatum concinnaverit? c. 45. n. 4. & *ſeqq.* Et in eis jugem & univerſalem ſynodum? *ibid.* & *antea* c. 26. nu. 4. c. 27. n. 2. & *ſeqq.* Tr. 4. p. 520. Cur nefas fuiſſet à quoquam, nedum ab Auguſtino promulgari doctrinam, non à majorum authoritate ad poſteros communicatam & communicandam? Tr. 5. c. 5. nu. 1. Quàm non immerito habeatur ipſe dux & author Theologiæ ſimul & Patriciæ & ſcholaſticæ; Tr. 1. c. 45. n. 8. c. 46. n. 8. Ut ex ejus præſertim operibus aliæ ſummæ excerptæ; c. 45. n. 9. c. 46. n. 1. Tr. 2. c. 22. n. 5. Quanti ſemper factus ſit, primum à Proſpero & Juliano Pomerio? Tr. 1. c. 29. n. 11. Simul & à Caſſiodoro; c. 45. n. 5. à Facundo; c. 29. n. 12. à Gregorio M. n. 6. & *ſeqq.* à Beda; Tr. 5. c. 8. nu. 12. à Bernardo; Tr. 1. c. 30. num. 5. à Petro Cluniacenſi; nu. 6. Ab aliis Gallis, &c. nu. 7. c. 46. n. 1. præt. ad Tr. 3. nu. 30. & *ſeqq.* Jam quid ipſe de demonſtratione Trinitatis ante & poſt Epiſcopatum ſenſerit; Tr. 2. c. 2. nu. 8. c. 3. n. 1. & *ſeqq.* c. 21. n. 1. c. 29. n. 2. Quando & quo animo ſcripſerit librum verè aureum de Trinitate; c. 21. n. 1. Item de temporario adventu Chriſti, ſeu de Incarnatione Verbi; Tr. 1. c. 14. n. 6. Tr. 5. CC. 1. 2. 3. 4. 10? num. 3. & *ſeqq.* In quo Auguſtinum ſequuta eſt Eccleſia Occidentalis, ac tandem Univerſa? Tr. 2. c. 30. n. 10. *circa finem*. In prioris quoad gratiam juſtificantem ſeu habitualem, contra Pelagianos, Tr. 3. c. 9. Qui plus ſuſpicantur, quàm ſint injurii Auguſtino, quem colunt? c. 10. §. *Qui*. Tr. 4. p. 364. Ipſemet prolixè explicat mentem ſuam de duplici auxilio, in L. de Corr. & Gratia, Tr. 3. c. 12. §. *Et ſane*. Et in Confeſſionum libris, quas ipſemet expertus erat, Gratiæ varietates, c. 26. §. 3. At nuſquam luculentiùs quam in Libris de Gratia & libero Arbitrio, & ad Simplicianum, c. 26. §. 4. 5. Et ne quis eorum authoritatem elevet, ad eos remittit Semipelagianos, Tr. 4. p. 650. §. *Sed*. Rurſus de Gratia inter ipſum & Pelagianos controverſa, ex Capreolo ipſo, Tr. 4. p. 480. 479. Necnon & ex Concilio Trid. p. 513. Et ex aliis 532. 535. 537. 620. §. *Jam*. 655. &c. Item de gratia generali, & de reprobatione ob peccatum Originale quam non ſit contrarius recentioribus Theologis? p. 505. §. *Jam & ſeqq.* Quidquid è contrario blaterent hæretici, p. 516. & *ſeqq.* Cavendum ne his per alienum ab Auguſtino ſenſum faveatur; minùſque candidè recipiantur Eccleſiæ decreta, p. 655. Huc ſpectat libellus nuper inſcriptus, *Lucta Auguſtini contra Gratiam phyſicè efficacem*, p. 655. Et Joſephus de Vita Dominicanus in opere quod Auguſtino ſimul cum Thoma nuncupavit. 654.

Auguſtinus Oregius Cardinalis circa annum 1629. inter alia ſpeciali exemplo Urbani VIII. probat præter novas de prædeterminatione & ſcientia media rationes ſatis inutiles, Deo non deeſſe alia media infallibiliter inclinandi, ſine læſione libertatis, Tract. 4. pagin. 536. §. *Ideo*.

Aurum cum argento unde in fodinis? ex Jobo, Tr. 2. cap. 33. numer. 1. Quænam terra ex qua tanta auri copia ſub Salomone? Cap. 33. num. 4. §. *Hic*. Et ſi ex auro plures fiant aurei, non dicuntur multa aura, & cur? C. 27. num. 8. §. *Rem*. Quid per aurum Ægyptium, v. *Ægyptus*.

Auxilium, v. *Gratia*.

Azorius, v. *Joannes Azorius*.

B

Babylonem uſque an extenderetur Arabia, & Arabum Scholæ? Tr. 2. c. 33. n. 4. §. *Hic*. Quid ſugere non de Babylone, ſed *de medio Babylonis*? ex Origene, Tr. 1. c. 8. n. 9. 16.

Baii propoſitiones quæ & à quibus Pontificibus damnatæ? ex Monteſino, Tr. 4. pag. 615. §. *Omnia*. Item 656. §. *At*.

Balſamon Antiochenus Pariarcha, quales notas ediderit in codicem Canonicum? Tr. 1. c. 46. n. 7.

Banneſii liber ex Hiſpania in Belgium perlatus circa annum 1588. occaſio lapſus aliqualis Eilii, &c. Tr. 4. p. 637. §. *Confitetur*.

Baptiſmus parvulorum ut probetur ab Auguſtino contra Pelagianos vel ex ſola antiquiſſima traditione? Tr. 1. c. 23. n. 9. Et a Petro Cluniacenſi contra Petrobuſianoſios, C. 17. n. 13. §. *Contra*. Necnon ſalus in adultis ex fide & voto ſolo baptiſmi, a Bernardo, C. 30. n. 5. Ut excuſetur à Facundo baptiſmi reiteratio, quam volebat Cyprianus in omnibus hæreticis? C. 17. n. 1. Antiquiſſima profeſſio Trinitatis ante baptiſmum, ex Luciano, Tr. 2. c. 42. n. 6. Ex Athenagora, n. 8. Ut probetur ex illa unitas & ordo perſonarum? C. 8. n. 2. c. 15. nu. 4. c. 17. n. 10. Item Spiritus ſancti neceſſitas, c. 11. n. 7. Necnon & noſtræ regenerationis dignitas, C. 10. n. 16. & *paſſim ſeqq.* Tr. 4. p. 564. §. *Ille*. 627. §. *Idem*. Adde, & efficacia, Tr. 3. c. 13. Tr. 4. p. 512. 557. §. *Idem* p. 558. §. 1. 561. §. *promiſſa*, & *ſeqq.* Quatandem authoritate baptiſmus hominis extra ſenſum poſiti? ex Fulgentio, Tr. 1. c. 25. n. 10. Et quo fine ſupradictis adminiſtraretur? C. 23. n. 9. Tr. 3. c. 9.

Barbari, v. *Eccleſiæ Gentes*.

Barnabæ Apoſtoli Epiſtola, licèt receptiſſima, cur hic pro Trinitate omittatur? Tr. 2. cap. 44. num. 8. §. *Denique*.

Bartholomæus Camerarius Beneventanus *Dialogor de Gratia & Libero Arbitrio*, uno ferè ex Auguſtino contra Calvinum, Lotharingo Cardinali dicavit, nobis prorſus conſentaneos, Tr. 4. p. 523. 524.

Bartholomæus Medina Dominicanus profeſſor Salmaticenſis circa annum 1578. totus noſtrarum eſt partium, exceptâ forſan alicubi prædeterminatione phyſica ex principiis nimis philoſophicis, Tr. 4. pagin. 606. §. *Hactenus*.

Baruch propheta Jeremiæ junctus, quid per fontem ſapientiæ ab Iſraelitis derelictum inſinuet? Tr. 2. c. 22. num. 3. c. 26. num. 11. c. 30. n. 2. §. *Ex*. C. 33. num. 6. §. *Alludere*.

Baſileenſe Concilium non poterat non conſentire cum doctrina Theologorum ſuorum, &c. *Præf. ad Tract.* 4. v. 7.

Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus quibus diſciplinis primùm imbutus Athenis, ex ſocio Gregorio Naz. Tr. 1. c. 41. n. 3. & *ſeqq.* Qualiter philoſophetur adverſus philoſophantes hæreticos? Tr. 2. c. 12. n. 5. Quid ipſe Ambroſio nuper ordinato ſcripſerit ad conterendas hæreſes? Tr. 1. c. 21. n. 4. Quibus tamen Apologiis ipſe eguit, maximè apud ſuos Neocæſarienſes? n. 5. c. 21. n. 8. & *ſeqq.* c. 31. n. 14. c. 32. n. 1. Tr. 2. c. 45. n. 2. 3. Necnon pro Gregorio ipſo Neocæſarienſi ſeu Taumaturgo? *ibid.* Et pro Dionyſio Alex. paulò diverſimodè, n. 5. 6. & c. 46. n. 3. Qualiter ipſe laudetur à fratre Greg. Nyſſeno? Tr. 1. c. 32. n. 3. 5. Ab amico Nazianz. C. 41. n. 3. 4. ab Athanaſio? C. 31. num. 14. Necnon ab Auguſtino, contra Pelagianos? C. 27. n. 3. 4. c. 45. n. 6. Quales tandem Baſilii Epiſtolæ Canonicæ? n. 7.

Beatitudinis deſiderium quam altè ſemper in præcordiis ferveat? & ad quid? Tr. 3. c. 3. §. *poſtea*, Tr. 5. c. 13. n. 3. & *ſeqq.* Qualis inde exurgat impeccantia? Tr. 3. c. 24. §. 1. Cur ex inferiorum ſocietate Beatitudo non accreſcat? Tr. 2. c. 41. n. 5. 6. De ſummo bono, quod idem eſt, Philoſophorum diſſidia, Tr. 1. c. 35. num. 9. Quantum inde nunc capimus? Tr. 2. c. 1. nu. 6. Quàm ſit ſui diffuſivum, c. 13. n. 12. c. 28. n. 12. Cuinam perſonæ divinæ adaptatum à philoſophis? c. 35. num. 6. c. 36. num. 9. 10. Et quidem ut ipſo bono melius, pulchro pulchrius, beato beatius, n. 10.

Beda venerabilis Presbyter, inter primos Auguſtini diſcipulos non poſtremus, paucis ſecundus in exponendis myſteriis, Tr. 5. c. 8. n. 12.

Bellarminus Cardinalis S. J. ad veſtiganda arcanæ difficultatis de prædeſtinatione penetralia ad ſcientiam mediam deflexit, Tr. 4. p. 614. §. *Denique*, 679. §. *Hic*. In quibus tamen

tamen laudetur à Vigerio? p.691.692. Necnon ab Isamberto contra Molinam? p.650. §. *Nunc*.

Benedictus Pererius Valentinus S.J. ab anno 1552. ad 1610. quo fervebant Congregationes de auxiliis, nunquam tamen passus, teste Philippo Alegambe, se in ullas novitates abduci à doctrina Augustini & Thomæ, quæ nostra est, de triplici gratia, *præf. ad Tr.* 4. §. 4. & p. 620. & *seqq.* Idcirco laudatur merito in censura Duacensi, *ibid.* & 678. §. *Censura*.

Bernardinus Senensis O. M. sanctitate & doctrina conspicuus, quid de triplici gratia, & huc spectantibus senserit? Tr. 4. p. 485.

Bernardus Abbas Clarævallensis, Ecclesiasticus verè Theologus, quam in studiis sibi & suis viam præmonstravit? Tr. 1. c. 2. n. 3. 4. c. 30. n. 5. c. 43. n. 3. Ut prior eam ipse secutus est quoad triplicem maximè gratiam? *præf. ad Tr.* 4. v. 3. & *seqq.* Et p. 450. *ac seqq.* Tr. 5. c. 14. n. 20. Hinc illum quasi Augustino à se male intellecto contrarium recusant ferè omnes hæretici, Tr. 4. p. 517. 518. §. *nec*. Omnia vero Patrum dogmata brevissimè complexus est, contra Henricum Petrobusianum, Tr. 1. c. 25. n. 14. Quid senserit de scripturæ textibus, quos Ecclesia in Officiis alterat, vel alternat? C. 30. nu. 4. Quid autem de depravatis per inanem Philosophiam Abelardi? C. 36. nu. 5. Tr. 2. c. 6. nu. 6. Quænam tandem Bernardi partes in Decreto Gratiani? Tr. 1. c. 46. n. 3.

Berullius Cardinalis, Oratorii Gallicani parens, altissimæ vir Theologiæ, non mirum si inter alios vitæ spiritualis authores laudetur pro nostra triplici gratia, *præf. ad Tr.* 4. §. *Quator*. & p. 652. Quàm nobis non contrarium quando commendat scholam S. Thomæ? §. *Si*.

Beryllus Bostrorum Episcopus cur damnatus in Synodo, præsente Origene? Tr. 2. c. 47. n. 5.

Bestiæ, v. *Animantia*.

Billich, v. *Everhardus Billich*.

Boetius Severinus Exconsul, luculentè scripsit *de unitate & uno*, & quidem ex media Aristotelis philosophia, cui impensè favit, Tr. 2. c. 6. n. 3. c. 17. n. 6. ut ipse laudatus sit à Bernardo? n. 7.

Bonaventura ex Generali Franciscanorum Cardinalis Albanensis Episcopus, ne tantillum quidem dissentit a sententia S. Thomæ, cum aliis tum antiquioribus tum recentioribus Theologis contra Hæreticos, *præf. ad Tr.* 4. v. 6. & *seqq.* Et pag. 454. *ac seqq.* §. *Iam*. 526. §. *Illud*. & col. 2. 528. Excipitur à nonnullis molliori termo de prædestinatione licèt gratuita secundum ipsum cum Javello, p. 590. §. *Si*.

Bonitas, bonum summum, v. *Beatitudo*.

Bradwardinus, v. *Thomas Bradwardinus*.

Brulefer, v. *Stephanus Brulefer*.

Bucerus, v. *Martinus Bucerus*.

Bunderus, v. *Joannes Bunderus*.

Burchardus Vormaciensis Episcopus celebris inter primos collectores & interpretes Canonum, Tr. 1. c. 46. n. 3.

C

CÆLESTINUS Papa ita quæstiones de Gratia necessarias definivit, ut subtiliores, haud dubiè de prædestinatione & annexis, Theologorum contemplationi & precibus permiserit, *præf. ad Tr.* 3. n. 3. Ex ipsa interpretatione Ecclesiæ Lugdunensis, nu. 37. At expressiùs confirmat gratiam justificantem valere ad auxilium, T. 4. p. 612. *Initio*.

Cajetanus, v. *Thomas de Vio Cajetanus*.

Cajus Antiquus Theologus, antiquum profert pro Trinitate testimonium ex multis aliis contextum, in Oratione contra Artemonem apud Eusebium, Tr. 2. c. 42. num. 12.

Chalcedonense Concilium, quantum ponderis ex authoritate Patrum traxerit, contra Eutychetem, & Dioscorum? Tr. 1. c. 34. n. 8. 9. Quomodo se gesserit in quæstione de *uno in Trinitate passo*? C. 15. nu. 7. Qualis fuerit *Codex Canonum Ecclesiæ universæ* in illo Concilio recognitus? C. 46. n. 2.

Calvinus Hæresiarcha, Joannes prænomine, sed hìc ponendus cum suis *Calvinianis*, voluerat ad omnia opera extendere necessitatem auxilii quo, restiterunt Catholici, Tr. 3. c. 12. §. 5. Quid cum Luthero de consensu voluntatis teneret? Tr. 4. p. 514. §. *Idem*. Quomodo etiam cum eodem triplex gratiæ genus corruperit? 516. 517. Et sententiam Ducum Theologiæ scholasticæ nobis approbet, dum insectatur? *ibid.* Simulque ab avita Patrum traditione aberret? 520. Quid exprobaret Catholicis de indistinctione statuum? 543. §. *Cum* v. *Hæretici. Novatores &c.*

Camerarius, v. *Bartholomæus Camerarius*.

Canonum Primæ Collectiones apud Græcos & Latinos, Tr. 1. c. 46. n. 2. 6. 7. Quis imprimis fuerit codex Canonum Ecclesiæ universæ? n. 2. Cujus fuerit ponderis Collectio Dionysiana, ex Cassiodoro? c. 30. n. 3. c. 46. n. 2. Progressus compilationum hujusmodi ad quid? n. 4. De iis judicium studiumve S. Caroli Borromæi, *Ibid.* Quam arcta sit & esse debeat Canonum & Theologicorum dogmatum conjunctio, n. 8.

Canticum Canticorum cur post Ecclesiasten & Proverbia perlegendum? Tr. 1. c. 5. n. 7. Quibus argumentis spiritalis hic liber non humanos amores continere probetur a Theodoreto? c. 34.

Capreolus, v. *Joannes Capreolus*.

Carnalibus ac spiritalibus quomodo scriptura eadem, seu Christus ipse, simul lac & cibus? Tr. 1. cap. 6. n. 6. 13. cap. 7. numer. 2. & *seqq.* cap. 8. num. 2. Necnon liber naturæ, omnibus apertus, licèt in æqualiter? T. 5. c. 4. n. 4.

Carolus Boromeus, Cardinalis sanctissimus, & Archiepiscopus Mediolanensis, quid sentiret de Canonum decretis ad optimam religiosæ disciplinæ rationem? Tr. 1. c. 46. num. 4. Necnon & de Theologicis studiis? *ibid.* & num. 8.

Carpocratiani hæretici, in quo culpentur ab Epiphanio circa Christi imagines cum Philosophis mixtas; Tr. 2. c. 34. n. 3.

Carthagena, v. *Franciscus de Carthagena*.

Carthaginense Concilium IV. nihil aliud esse quàm collectionem ex Africanis Conciliis viri docti suspiantur, Tr. 1. c. 46. n. 2.

Carthaginense aliud Concilium contra Pelagium, quid intellexerit per gratiam? Tr. 4. p. 546. §. *prolixe*.

Casalius, v. *Caspar Casalius*.

Cassianus Lirinensis monachus, in quibus verè laudandus? Tr. 1. c. 2. n. 8. Cujusmodi collationes Patrum composuerit? c. 45. n. 9.

Cassiodorus ex senatore Monachus quæ studia sectaretur, & aliis laudaret vel consuleret, Tr. 1. c. 30. num. 1. & *seqq.* c. 43. n. 13. c. 45. nu. 9. Romæ præsertim instituenda, *ibid.*

Castitatis seu continentiæ donum cur non æquè facilè concessum agnoscant hæretici, quam donum intelligendi scripturas? Tr. 4. p. 593. §. *Nec*. Quid de eo quoad actum & habitum ex Paulo, contra eosdem Perronius? 693. §. *En.* & *seqq.* Quantum distet castus a castitate? ex Aug. Tr. 2. c. 21. n. 2. & *seqq.* Quomodo per castitatem, ejusque primariam speciem virginitatem, recolligimur in illud unum, à quo in multa defluimus? ex eodem, n. 4.

Catanea, v. *Aloisius Catanea*.

Catharina utraque, Genuensis & Senensis, cur inter alios vitæ spiritualis authores pro gratia laudatæ? *præf. ad Tr.* 4. §. 4. & p. 543. §. *Hic*.

Catharinus v. *Ambrosius Catharinus*.

Catechesis quatenus sit lac & primum nutrimentum animæ? ex Clem. Alex. Tr. 1. c. 3. n. 4. *Catechumenis* ipsis ut explanandæ sint scripturæ, ad ædificandam charitatem, ex Augustino, c. 12. n. 7.

Catholicum nomen quid innuat? ex Vincentio Lirin. Tr. 1. c. 25. n. 4. Qualia Catholicorum inter se dissidia? c. 15. n. 8. 9. 10. c. 16. n. 1. & *seqq.* Eorum securitas in Ecclesia, c. 33. n. 4. c. 36. n. 2. v. *etiam Ecclesia*.

Causæ omnes moventur ex suo quæque genio, liberæ & contingentes liberè & contingenter, necessariæ necessariè, juxta decantatum S. Thomæ effatum, *passim* Tr. 4. præsertim p. 533. v. *etiam Libertas, Naturalia &c.*

Chaldæorum scientiæ ab Hebræis in Græcos refusæ ad quid, Tr. 1. c. 38. n. 1. c. 41. n. 1.

Charitas quam ignota virtus Philosophis, Tr. 1. c. 35. num. 4. & *seqq.* Cujus autem charitatis primaria indoles in stringenda unitate; Tr. 2. c. 25. Quænam statim visa sit à primo hominis statu; Tr. 3. n. 1. Quid revera sit comparata cum inimica cupiditate; ex Aug. Tr. 1. c. 12. n. 3. 4. Quatenus uni charitati universæ serviant scripturæ: *ibid.* & *seqq.* Tr. 5. c. 12. n. 9. 11. In uno autem scripturarum præcepto charitatis quanta profunditas; ex Aug. c. 9. n. 3. & *seqq.* Tr 1. c. 6. nu. 9. 10. sic charitas saltem subluçebat in veteri testamento, c. 4. n. 23. Quàm propriè tamen ad novum Christi Testamentum attineat? c. 3. n. 1. & *seqq.* tr. 3. c. 9. Quàm actuosa ipsamet Charitas habitualis; c. 10. 12. 29. & passim, tr. 4. præsertim ex Concilio Trid. p. 420. §. *De* &c. Charitas tamen viæ, omnem concupiscentiam extinguere non potest, tr. 5. c. 3. n. 17. Nec multum curandum, differat ne Charitas à gratia sanctificante; p. 530. §. *Quia*. 692. §. *Cum*, &c. Sed an nulla propriè Charitas sine justificatione; p. 428. §. *Sed quoniam*. & *seqq.* 501. §. *Observa* 1°. Et 517. tr. 5. c. 3. n. 8. & *seqq.* Hinc forsan possint conciliari Theologi circa charitatem in contritione necessariam, p. 471. §. *Observa* 2°. & 486. §. 1. Item circa Charitatem labilem, vel non, p. 417. Charitatis tandem partes in inveniendo

Deo; seu in rebus Theologicis, Tr.1. c.1. n.4. c.8. n.3. c.9. n.10. c.26. n.2.7. c.39. n.10. §. *Etsi*, Tr.5. c.8. n.1. &c. Plura de Charitate, v. *in Christo &c.*

Christiana Religio, una maxime professione credendi distat a Gentilibus, Judæis, & Hæreticis, Tr.1. c.39. n.6. Tr.2. c.1. n.4. c.27. n.9. c.41. n.1. Necnon per præceptorum differentiam a Judæis, Tr.5. c.6. Unde anima naturaliter Christiana? ex Tert. &c. Tr.3. c.3. §. *His & seqq.* Tr.5. c.13.

Christiani ab initio, uno maximè delectabantur fidelium nomine, Tr.2. c.1. n.8. Necnon & *Christiferorum*, ex Ignatio, c.44. n.9. §. *Hæc*. Quid retulerint Tiberius & Plinius de primis Christianis, ex Tert. c.38. n.12. §. *Illud*. Deinceps veri Christiani non sunt censendi qui à catholica communione recedunt, Tr.1. c.19. n.10. *& seqq.*

Christophorus de Capite fontium Ordinis Minorum Generalis Minister, circa annum 1575. pari elegantia vehementiaque nobis consentaneam edidit *de libero arbitrio & meritis bonorum operum assertionem Catholicam* ad Gregorium XIII. adversus Lutheri & Calvini vesaniam, Tr.4. p. 633. 634.

Christus ipso nomine quid magnum innuat? Tr.1. c.3. n.4. Quatenus in Scripturis sit objectum Theologiæ? c.6. n.1. *& seqq.* Imo ut Charitas est unum illarum objectum & finis? c.11. 12. Tr.2. c.25. n.5. Tr.5. c.9. n.6. *& seqq.* c.11. 12. Puerascenti quidem mundo, nondum committi debuit ut charitas, justitia, & sapientia perfecta, c.2. n.6. c.3. n.1. *& seqq.* c.4. n.9. *& seqq.* Sed per timorem, ut per sui quoddam initium, c.3. nu.14. *& seqq. & passim toto* c.5. Imo & per Charitatem saltem initialem, c.4. nu.2. *& seqq.* & per temporalium amorem ad eterna statim conversum, n.5. *& seqq.* c.9. n.6. *& seqq.* Necnon & per suos sapientiæ servos minora dantes præcepta, c.6. *in regno*. Quin Christus ipse eandem Abrahamo communicatam fuisse sapientiam docuit, Tr.3. c.33. n.3. Saltem quæ de sapientia elucescente in lege veteri Moyses dixerat, ea Paulus traducit ad sapientiam in Christo radiantem, *ibid.* Cur sic Mosaica lex Christo præstruenda fuit? Tr.5. c.1. n.2. *& passim nn. & cc. seqq.* Et nihilominus lex illa per Moysem data dicitur in manu mediatoris Christi, ex Hieronymo, c.5. n.12. Quippe Christus jam medicus, magister, mediator, curare, docere, redimere incipiebat per legem & sacramenta Mosaica, c.1. n.7. *& seqq.* c.8. n.8. *& seqq.* & quidem sufficienter pro infantibus, c.5. n.13. c.16. n.5. *& seqq.* Sic proludebat Christus, vel potiùs Christi umbra, c.4. nu.9. 10. c.5. nu.6. *& seqq.* c.6. n.11. Imo non potest Christus à mortalibus nisi adumbratus teneri, sive Mosaicis sacramentis, sive nostris licèt verioribus, *toto c.* 9. unde dicitur, *In umbra tua vivemus inter gentes*? c.9. n.19. *& seqq.* c.11. In quo expressiùs per Josue, quàm per Moysen? c.5. n.6.7. suo tamen semper modo per Moysen, c.6. n.9.12. Necnon per alias umbras figurasve quibus homines assuefierent corpori seu incarnationi, &c.7.9. Adde naturæ totius ægræ vota in Christum Medicum & Reparatorem, c.13. n.3. c.16. nu.5. *seqq.* Ita etiam *Christus desideratus cunctis gentibus*, c.13. n.13.5. *& seqq.* Et nemo nascitur sine Christo, n.21. A fortiori nemo adolevit sine aliqua luce gratiæ ipsius, n.14. Ut Philosophia tanquam alia lex aut pædagogus duceret ad Christum? Tr.1. c.36. nu.6. *& seqq.* c.39. n.13. c.40. n.2.3.4. Tr.2. c.34. n.5. Quid Philosophis decrat, quæ perfecit Christus, ex ipso si revivisceret Platone, ut observat Aug. Tr.1. c.35. n.4.9. c.37. n.5. Contra eos qui de Platonis libris Christum profeciisse jactabant, c.35. n.1.2.3. Sola Christi philosophia perfecta & erroris expers, nu.4.9. c.36. nu.12. Imo Christi Cathedra longè supra Mosaicam, c.1. n.1. Tr.2. c.10. n.14. c.11. n.3.11. Quid in mentibus ipsis Christi Biblioteca? ex pp. Tr.1. c.1. n.10. c.3. n.6. c.30. n.1. §. *Sed*, c.44. num.3. *& seqq.* Quid & calamus Christi? ex psalmista &c. c.3. n.3. c.5. n.4. Ut verbum ipsum lux sit mentis? c.4. n.8. & semen in ea incorruptibile? c.5 n.3. seu universalis via ad omne verum? c.9. n.3. *& passim seqq.* Necnon & exemplar omnis sapientiæ & justitiæ, Tr.2. c.21. n.6.9. Et ita tandem unus magister noster Christus, Tr.1. c.9. n.8. c.10. n.1. *& seqq.* c.22. n.6.9.12. c.31. n.6. Quatenus dicatur creata sapientia ratione creationis mundi, vel incarnationis Verbi? Tr.2. c.23. n.1. *& seqq.* c.37. n.4.5. Tr.5. c.7. n.7. Imo & coinfantiari nobis, ex Irenæo, n.6. Necnon alias subjectionis voces usurpet ratione carnis vel Ecclesiæ sibi adunatæ, Tr.2. c.14. n.10. c.23. n.2. c.39. n.4.7.8.12. c.41. n.4. Post unitatem perfectissimam Trinitatis, nulla major quàm Christi in Incarnatione, c.6. nu.5. c.37. nu.10. De modo unionis hypostaticæ in Christo, & gratiæ efficacissimæ à Verbo incarnato, ex Berullio Card. Tr.4. p.696. §. *Si*. *Et* §. *postremo*. Quomodo fundamentum immobile prædestinationis & auxiliorum Christus? Tr.3. c.2.4 6.7. 8. Tr.4. p.614. 615.696. §. *postrema*. Quid de justitia Christi imputativa Contarenus? p.534. §. *Idem*. Paulò aliter Naclantus, p.544. Omnino Calvinisticè Pighius, p.573. §. *Quin*. Econtra prorsus Catholicè de tota Christi influentia in Justos, Concilium Trid. p.546. Nec non & in ejus sensum Dominicus à Soto, p.60. §. *Imputativam*. Supponenda alia Christi æconomia in Incarnatione, quàm in Trinitate, Tr.2. c.37. nu.10. Unde dissidium inter Catholicos de duabus in Christo naturis? Tr.1. c.15. n.8.10. In Christo tam tota Deitas, quàm tota humanitas, Tr.2. n.39. n.3. Ut secernendus sit Deus à Domino? c.36. n.6.12. c.38. n.6.8. c.41. num.3. *& seqq.* Cur alicubi Christus ante Patrem se nominet? Tr.1. c.17. n.4. Et ipsum tamen nomen Patris prætulerit? c.10. n.1. *& seqq.* At quando à Paulo Angelis præstantior dicitur Christus, non agitur de ejus Deitate incomparabili, ex Athanasio, c.15. n.1. Ex Aug. n.13. Quo sensu aliquando Angelus ipse & Archangelus? Tr.2. c.36. n.7. c.39. n.8. c.42. n.2. *& seqq.* Cur tandem tam serò in medio annorum seu plenitudine temporum missus à Patre fuerit? Tr.5. c.1. n.1. Et caro ipsa Christi nihilominus tam brevi exhibita sit? c.10. Ac rursus ipse affirmet insontes fore Judæos, si non assuisset & locutus eis fuisset, c.8. n.17. Non aliter autem locutus est per scripturas, quàm per suam carnem, unus idemque ubique Dei filius, Dei verbum, c.9.11. Tr.1. c.7. n.1. *& seqq.* c.8. n.3. c.10. n.4. *& seqq.* At majora & dixit & fecit Christus per discipulos, quam per seipsum, c.33. n.3. Humana tamen prius de Christo, quàm divina ab Apostolis aperta sunt, ex Athan. c.31. n.7. Tr.2. c.45. n.13. Invento autem jamdiu Christo, non jam quærendus est, ut volunt omnes hæretici, Tr.1. c.13. n.2.3. Imo alium illi Christum prædicant, c.18. n.1. *& seqq.* nequidem excepto Abælardo, qui non ex Prophetis aut Apostolis negavit veram & propriam per Christum redemptionem, ex Bernardo, c.36. n.5. Quo sensu econtra Redemptor sit omnium? Tr.3. c.6. §. *Hoc sensu*, *& seqq.* Tr.4. p.612. §. *Objicit*. 672. §. *Denique*. 688. §. *Iam* 694. §. *Quam*. Tr.5. c.13.14.15. Imo non universis tantùm, sed singulis etiam hominibus venit, singulis nascitur, crescit, moritur, resurgit; ideoque non semel, sed semper venit, & etiamnum cùm venerit jam, venturus expectatur, Tr.2. c.28. n.6.13. Tr.3. c.6. §. *Ultimo*. Tr.5. c.14.15. Quippe supra temporum locorumque distantiam Christus est cum omnibus suis mysteriis, c.14. n.3. *& seqq.* Necnon & dictis & factis, n.9. In summa, uterq; Christi adventus, Redemptoris & judicis, duplex est, ad universos & ad singulos, n.1. *& seqq.* c.25. n.1. *& seqq.* Adimplevit legem primo adventu, adimplebit Evangelium secundo, c.14. n.13. Denique Christus in Ecclesia sponsa, & ipse sponsus & sponsa, caput membra, justitia & justorum universitas, ab exordio ad exitum usq; sæculi semper venit, & semper veniet, c.15. *ferè toto*, *præsertim*, n.10. Imo jam venit in gloria, jam mittit Angelos, jam fulgurat ab ortu ad occasum, n.2. *& seqq.* Etiamnum & in dies magis magisque Christus venit, regnat per Apostolos, per Apostolicos viros judicat, suos cruciat hostes, n.5. Nunc enim secretò peragitur, quod tunc publicè fiet, n.8. *& seqq.*

Chrysostomus Iavellus Dominicanus, præstantissimus quoad omnia Theologus, nisi molliùs de prædestinatione licèt gratuita locutus fuisset, circa annum 1587. Tr.4. p.631.

Ciceronis Hortensius in quo probandus vel non? ex Aug. Tr.1. c.6. n.2. c.14. nu.7. c.35. nu.7. Necnon reliqua Ciceronis Platonica doctrina? ex Lact. c.36. n.1.

Claudianus Mamertus Presbyter & Viennensis Episcopatus administrator, an rectè Platoni tribuat Trinitatis cognitionem? Tr.1. c.36. n.4. 5.6. propiùs omnino accessit ad Augustinum, Tr.2. c.18. n.12.

Cladius Espencæus Parisinus Theologus, Augustino maximè addictus, semper tamen in consensu plurium, quoad triplicem gratiam, Tr.4. p.567. 568.

Clementis Alexandrini Presbyteri cum Augustino consensus quoad Platonicos, Tr.1. c.10. n.3. c.36. n.6. *& seqq.* Necnon & quoad gratiæ & philosophiæ utilitatem, Tr.5. c.13. n.27. 28. Quantas ille, ex omnibus philosophorum sectis, suis stromatibus opes Ecclesiæ intulerit? Tr.1. c.45. n.2. c.46. n.6. Tr.5. c.13. n.26. Ipsius suffragia pro traditione Patrum circa Trinitatem, Tr.2. c.44. Quo consilio pro traditionibus suos ipse stromatum libros scripsisse se tradat? Tr.1. c.32. n.32. n.6. Idemque addat de cæteris Patribus, n.7. 8. Laudatus propterea ipse præ aliis, ipsoque discipulo Origene aliorum magistro, n.10. Quinam tandem dicerentur stromatum libri, & quàm alluderent ad Theologica nostra dogmata? c.45. n.3. *& seqq.* c.46. n.6. Cassiodori de eodem Clemente judicium circa scripturas, c.30. n.1.

Clemens Menilianus Cardinalis *Aræ Cœli*, compendium Theologicarum Institutionum ex Scripturis & Patribus consarcinavit cum authoritate Card. Alexandrini tunc sum-

summi Inquisitoris, postea S. Pii V. & quidem merito quoad triplicem gratiam, Tr.4. p.561.

Clemens I. Romanus Pontifex orthodoxam de Trinitate fidem tradidit in residua ad Corinthios Epistola, contra criminationes Photii, Tr.2. c.44. n.8.

Clericorum majorum liberos magistris Etnicis operam dare cur non probaret Hieronymus? Tr.2. c.43. n.12. An ipsis majoribus Clericis liberales artes interdictæ? n.15. *& seqq.*

Cæci duo ab anno quinto litterarum peritissimi, ex Cassiodoro, Tr.1. c.30. n.1. §. *Sed.*

Colonienses provincialis Synodus anni 1539. contra Lutherum utramque saltem generalem & specialem gratiam ad modum nostrum exprimit, Tr.4. p.562. §. *Ut.* Expressius simul utraque eruitur cum efficacissima ex enchiridio Christianæ Institutionis promissæ in præfata Synodo, p. 593. 596. Item ex defensione judicii *Universitatis & Cleri Colonienses*, adversus librum Martini Buceri de doctrina & vocatione sua ad Bonnam sub Hermano *Archiepiscopo Apostata*, p. 597. Item ex defensione censuræ *Iesuitarum Coloniensium* adversus Martinum Kemnicium, p. 622. §. *Ad.*

Concilia aliquando utilia, non semper necessaria, ex Vinc. Lirin. Tr.1. c.25. n.7. ex Aug. c.27. n.5. *& seqq.* Quænam a Plenariis emendantur, juxta eundem Aug. c.26. nu.3. Quanta sit Conciliorum maximè Generalium authoritas? c.29. n.8. 12. 14. c.30. nu.2. c.33. nu.1. c.34. nu.6. *& seqq.* Præsertim post confirmationem sedis Apostolicæ, ex Ferrando Africano, c.29. n.14. An ab his postea provocari possit? *Ibid.* Varia Conciliorum monita, de rebus Theologicis, c.46. n.9.10. Ultima Conciliorum species ex defunctorum Patrum suffragiis collecta quanti facienda sit? ex Aug. &c. c.26. n.4. c.27. n.2. *& seqq.* c.31. nu.11. c.34. n.4. *& seqq.* c.45. n.6. 7. Tr.3. c.10. v. *etiam Canones. Patres. Theologi.*

Concupiscentia, v. *Charitas.*

Confirmatio, unde probetur? ab Hieronymo contra Luciferianos, Tr.1. c.25. n.11. Quænam gratia in ea conferatur ad instar primæ Pentecostes; ex Enchiridio Christianæ Institutionis Coloniensis, Tr.4. p.595. §. *Nec.*

Conradus Chingius Minorita, Doctor Erphordiensis *in locis communibus Theologicis* pro Ecclesia Catholica, communem utique Catholicam doctrinam circa annum 1555. tradebat de triplici gratia, Tr.4. p.600.

Conscientia Synderesis quid sit? Tr.3 c.3. §. *Addenda*, &c. Item passim inter gratias generales seu auxilia naturalia, *sola*, Tr. 4. Conscientia innata quàm consentiat scripturæ, ipsique Evangelio, ex Tert. Tr. 5. c. 13. numer. 22.

Constantiense Concilium Generale non poterat non consentire doctrinæ Episcoporum & Theologorum suorum, ac aliorum contra Hæreticos, *præf. ad Tr.4.* v.7. & p.502. §. *Cæterum.*

Constantinopolitana secunda, seu quinta synodus generalis, in damnatione trium Capitulorum purgatur contra Facundum, Tr.1. c.17. n.5. Quantum in authoritate Patrum posuerit? c.34. n.10.11.

Consubstantialis vox, v. *Trinitas.*

Consulibus notare fidem suam, quàm stultum? ut accidit sub Constantino Imperatore Ariano, Tr. 1. c. 31. numer. 9.

Contarenus, v. *Gaspar Contarenus.*

Contemplatoris accurata descriptio, ex Clem. Alex. Tr. 1. c.3. n.5. Ex Greg. Naz. n.13. 15. Ex Synesio, c. 4. n.8. *& seqq.* Non otiosus ille censendus, ex Ambr. c. 1. nu. 5.6. Quodnam propriè illius objectum, Tr.2. c.44. n. 4. §. *Iam.* Ad quid contemplatio Universi? Tr. 1. c.40. n. 1. *& seqq.*

Continentia, v. *Castitas.*

Contritionis simul cum Attritione varia genera, Tr.4. p. 610. §. *Ad*, v. *Timor.*

Corduba, v. *Antonius Corduba.*

Cornelius Centurio propositus in exemplum Gratiæ generalis ab Hieron. Tr.5. c.13. n.20. 29. ac deinceps à variis Authoribus, passim, Tr.4.

Corpoream naturam satis intelligere non possumus, multominus Divinam, Tr.2. c.1. n.2. *& seqq.* Ex illa tantùm similitudines à Patribus sumuntur ad elucidanda Trinitatis Arcana, c.26. &c. Quibus vicibus ea obnoxia sit, & per eam rationalis in homine? Tr.5. c.2. n.8. *& seqq.* Peccato allisi homines in corporalia, his incumbunt, ut surgant, c.8. n.6. *& seqq.*

Costerus, v. *Franciscus Costerus.*

Covarruvias, v. *Didacus Covarruvias.*

Creatio cur soli supremo Deo competat? Ex Irenæo contra hæreticos, Tr.1. c.18. n.1.3.4. Creatoris tamen nomen, quod Ariani pro prima persona affectabant, Patris nomine est inferius, ex Athanasio, &c. Tr.2. c.10. n.2. *& passim seqq.* An Deus creator dici non possit, antequam Creaturas condat, sicut nec pater ante filium? c.10. n.16. Et an Filius dici possit aliquando Creatura? n.9. Quam impiè Ariani dicerent Filium & Spiritum sanctum creatos esse, ut per eos crearetur orbis, c.12. n.7. Quàm piè id à Patribus corrigeretur? c.43. n.1. Filius tamen rectè dicitur nutu Patris & ad exemplar ab eo præstitutum condidisse omnia, c.15. n.8. Sicque intelligitur creatus initium viarum Domini per varias sui imagines, ab Achan. c.23. n.1.2. Ab aliis, n.6. *& seqq.* At una, sancta, vera potest esse Creatura; non ipsa unitas, sanctitas, veritas, &c. c.24. *integro.* Ad quid Dei Creatoris notitia & gratia? Tr.4. p.614. Quænam superstint gratiæ Creatoris, & an propriè? Tr.3. c.4. §.1. c.5. §. *plures.* Ac *passim*, Tr. 4. Ad instar dierum Creationis, sex mundi ætates ex Scripturis eruuntur ab Augustino, Tr.5. c.2. n.9. Creaturæ totius prædicatio comparatur, non adæquatur Mosaicæ & Evangelicæ pro Christo, c.13. n.16. *& seqq.*

Cumel Ordinis de Mercede, Doctor Salmaticensis, & vindex gratiæ prædeterminantis, quid referat de vocibus scholæ Thomisticæ impactis? *præf. ad Tr.4.* §. *præter.* & p.700. §. *Verum.*

Cupiditas, v. *Charitas.*

Curiel, v. *Alphonsus Curiel.*

Curiositas non est, aut justa est, quærere quando Verbum incarnari debuerit, Tr.5. c.2. n.1.

Cusanus, v. *Nicolaus Cusanus.*

Cyprianus Carthaginensis Episcopus ut purgetur à Facundo cum suis consentaneis, de iterato omnium hæreticorum baptismo? Tr.1. c.17. n.1. Paulò aliter ab Augustino, c.23. n.3. Laudetur verò ab eodem Aug. pro baptismo parvulorum, contra Pelagianos, c.23. n.9. §. *Quin.* Necnon ob summam moderationem & eruditionem, contra eosdem & Donatistas, c.26. n.3.5. c.27. n.1. *& seqq.* c.43. n.6. Tr.2. c.40. n.1. Proponatur aliunde à Vincentio in exemplum fugiendæ novitatis, Tr.1. c.25. num.5.6. Quomodo Cyprianus ipse Tertulliani admirator? c.44. n.3.6. Tr.2. c.38. n.13. Necnon & orthodoxæ ipsius de Trinitate fidei imitator, c.39 n.13. Hinc fortè Cypriano sicut & Tertulliano ascriptus est liber Novatiani de Trinitate, ex Hieronymo, & Russino, *ibid.* & c.40. n.4. Imo & expositio symboli quæ fuit postea ejusdem Russini, c.3. n.9. Verè autem Cypriani sunt duo libri testimoniorum scripturæ, ex Hieronymo, Aug. & Gennadio, c.40. n.1.2. Integrum de Cypriano Hieronymi judicium, Tr.2. c.28. n.2. c.44. nu.2. *& passim seqq.* c.45. num.4. Tr.2. c.40. num.1. Item & Ruffini, nu.4. Adde, & Hilarii, Tr.1. c.29. num.5.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus Canonicis simul ac Theologicis decretis impugnavit hæreses, Tr.1. c.46. nu.7.8. Ejus cum Joanne Ant. & aliis dissidium, qualis & pax? ex Facundo, c.16. n.3.5.6.8. *& seqq.* c.29. n.13. *præf. ad Tr.* 3. n.41.42. Ex Agobardo Lugd. num.40. Necnon & cum Chrysostomo contra Nestorium opposito, c.22. n.9. §. *Ita.* An oppositus ipse Latinis, maximè Augustino, quoad timorem servilem, T.5. c.5. n.27.

Cyrus Persarum Rex, Daniele usus familiariter ad Dei notitiam & cultum, Tr.1. c.38. n.1.

D

DÆMONES qua utantur & abutantur potestate in homines impios? ex Aug. Tr.3. c.23. §. *Ult.* c.29. §.1. Tr.4. p.558. §. *Gratia*, v. *Satanas.*

Damascius Philosophus, insana in Platonem admiratione rapiebatur, ex Photio, Tr.2. c.38. n.10.

Damasus Papa non otiabatur, qui veluti torpentem Hieronymum lacessebat, T.1. c.2. num.1.2. & Simplicianum ad Ambrosium misit, c.35. n.5. Nihilominus pro confessione fidei contra Macedonium, Tr.2. c.31. nu.4. §. *Refertur.*

Damnationis massa, v. *Prædestinatio, Reprobatio.*

Danielis exemplum ad Theologica percipienda, Tr.1. c. 4. n.6.7. c.38. n.1. Etiam per liberales disciplinas, in jus mentis sese immeantes, c.41. n.1.5. Tr.2. c.28. nu.7. Eo familiariter usus est Cyrus ad Dei notitiam & cultum, Tr. 1. c.38. n.1. Utendum etiam nuperis Theologis ad Danielem intelligendum, ex Theodoreti præfatione, c.34. n.2. Cur ne Angeli quidem conspectum sustinere ipse potuit, vir licèt sanctissimus? Tr.1. c.1. n.11. §. *Qui.*

Darius Rex, etiam à Judæis Dei notitiam accepit, Tr. 2. c.35. n.5.

David Rex & Propheta plenìorem sapientiæ & Spiritus-sancti notitiam filio Salomoni vel ipso suo psalterio instillavit, Tr.2. c.33. n.5. quam ipse retinuit etiam post peccatum, Tr.4. p.455. §. *Sed.* Cur illi condonatum facilius adulterium, ex Ambr. Tr.5. c.11. n.19. §. *In.*

Decreta

Decreta, *Decretales*, v. *Canones*, *Concilia*.

Deitas, & *Deus*, θεότης & θεὸς, an naturam vel potius operationem significent? Tr.1. c.27. n.8. Ut secernendus sit *Deus* à *Domino*? Tr.2. c.36. n.6. 12. c.38. n 6. 8. c.41. n.3. & *seqq*. *Dei* quidem nomen cæteris excellentius, solo Patris excepto, Tr.2. c.10. nu.2. & *passim seqq*. c.11. n.2. & *seqq*. Quàm stultè Dei naturam in mero *Ingenito* nomine negativo concludi & à se comprehendi jactaret Eunomius? ex Basilio, c.10. n.6. & *seqq*. Summa nostra de Deo scientia, scire quod sciri non possit, c.2. n.5. & *seqq*. Nec esset Deus, nec omnipotens, si illum tam arcta nostra mens caperet, ex Patribus Græcis, c.1. Ex Latinis, c.2. Tr.1. c. 14. n.1. Si potentia Dei incomprehensibilis est, multò magis essentia, Tr.2. c.1. n.8. c.2. n.3. Quomodo tamen comprehendi potest? ex Paulo & Bernardo, c.2. n.7. Aut saltem quæri & inveniri? Tr.1. c.2. n.2. & *seqq*. c.35. n.10. c.36. n.2. Tr.2. cc. 1. 2. 3. Quænam Dei notitia necessaria sit ante vel post Evangelium? Tr.4. p. 575. 577. Tr.5. c.8. n.11. 12. v. *fides*. Quotuplex Dei scientia agnoscenda? Tr. 3. c. 18. §. 1. v. *scientia*. Quatenus in Scripturis maximè Deus sit objectum Theologiæ? Tr.1. c.5. n.10. c.6. n.1. & *seqq*. Ut spiritus propriè sit *scrutari profunda Dei*? c.5. n.2. c.10. n.5. Tr.2. c.7. De Deo cogitandi loquendi, scribendi suavitas, ipsa assuetudine augescit, ex Epiphanio, Tr.1. c.5. nu. 1. & *seqq*. Quatenus Philosophi præsertim Platonici Deum senserunt esse & rerum omnium authorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem? c.35. n.5. 10. Omnium naturæ mirabilium non alia magis causa quàm Dei voluntas, cui nihil impossibile, Tr.2. c.2. n.1. & *seqq*. c.1. n.8. Cur mali causa non sit? Tr.4. p.575. §. *Vt*. Unde Hermogenes in creatione materiam Deo coæquaret? Ex Tertulliano, Tr.1. c.39. n.4. Et unde Dii falsi prodierint? Tr.5. c.13. nu.8. Unde & Deorum pluralitas Christianis impacta? Tr.2. c.41. n.3. & *seqq*. Quem alium à Christianis Deum omnes hæretici prædicent? Tr.1. c.18. n.1. & *passim seqq*. Dissidium olim inter Catholicos an Deus dici debeat passus? c.15. n.9. 10. &c.

Desiderius Erasmus Roterodamus, cum Luthero confligere tandem compulsus, Catholicorum omnium hortatu; magno sanè eruditionis penu, sin minus Theologiæ ex proprio fundo, saltem ex publico, Tr.4. p.555. 556.

Diaconorum ab initio munus quale? Tr. 1. c. 1. nu 6. Quanta deinceps dignitas in Ecclesiis primariis? c. 2. n.6. §. *ne*.

Dialectica quomodo doctrinæ Christianæ jam perfectæ possit esse utilis? Ex Clem. Alex. Tr.1. c.36. n.10. Ex Basilio, c.40. n.10. 11.

Didacus Covaruvias, Episcopus Segobiensis, doctissimus simul Jurisconsultus pariter & Theologus in Concilio Trid. post pauca de auxiliis acquiescit lubens Dominico Soto, & Andreæ de Vega, Tr.4. p.572.

Didacus Stunica Augustinianus, & Salmaticensis Theologiæ professor circa annum 1576. Philippo II. dicavit libros tres *de vera Religione* contra omnes sui temporis hæreticos, in primis contra Calvinum, satis eleganter de triplici gratia, Tr.4. p.617.

Didymus Alexandrinus, cæcus licèt, quibus literis etiam mathematicis à puero instructus fuerat? Tr.1. c.42. n.7. Hieronymi de eo licèt Catechista suo judicium, c.28. n.6.7. §. *Animi*, c. 44. n. 6. Item Cassiodori, vix miram ejus in cæcitate litteraturam crediturі, nisi alterum quasi Didymum in Eusebio Aziatico vidisset, c. 30. nu. 1. §. *Sed*.

Dierum instar Creationis, sex mundi ætates numerantur ex Scripturis, distinguuntur ab Augustino, Tr. 5. c. 2. num. 9.

Dionysius Alexandrinus Episcopus ut vindicetur ab infamia dogmatis Ariani ab Athanasio, Facundo teste, Tr. 1. c.17. n.2. Tr.2. c.46. n.5. Item ab eodem, ex propriis innoxiis Dionysii testimoniis à Romano probatis, Tr.1. c.31. n.3. 5. & *seqq*. Tr.2. c.4. n.1. 2. c.45. n.7. & *seqq*. Item ex eo quod in Ecclesiæ pace vixerit & devixerit, n.9. Ac tandem, quod caput est, ex occasione scribendi, n.11. c.46. n.2. & *seqq*. Erga Dionysium minùs mitis aliquando visus est Basilius, huc tamen facilè flectendus, c.45. n. 5. 6. c. 46. nu. 3.

Dionysius Areopagita dictus, quid de modis sobriis cogitandi aut loquendi de Deo dixerit? Tr.2. c.1. n.11. 12. An eo modo Patrem dixerit Deitatem fontalem, c.7. n.14.

Dionysius Carthusianus Belga circa annum 1471. summa & eruditione & pietate vir, adeoque imitandus tum in tuenda mordicus Augustini & Aquinatis doctrina, tum in conciliandis omnibus, quantum contentionis levitas silere sinit, circa triplicem gratiam, Tr.4. p.313. 314.

Dionysius Exiguus, Abbas, Canonum Collector, quàm honorificè ante & post mortem habitus à Cassiodoro studiorum consorte, Tr.1. c.30. n.3. Qualis & cujus ponderis ejus collectio Canonum? *Ibid.* & c.46. n.2.

Dionysius Romanus Pontifex, qua authoritate, & ratione exceperit, probaveritque Alexandrini fidem de Trinitate? Tr.1. c.31. n.3. 12. Tr.2. c.45. n.7. 8. c.46. n.2.

Dioscorus Alexandrinus, Hæresiarcha potius, quàm Patriarcha, quàm ineptè Patres aliquot pro suo Eutychiano dogmate laudaverit? Tr.1. c.34. n.8.

Diospolitana Synodus, quanti sit ponderis adversus Pelagianos? ex Augustino, Tr.1. c.27. n.3. 5. c.45. n.6. Tr.3. c. 10.

Disciplinæ traditiones, quanti faciendæ? ex Tertulliano, Tr.1. c.24. n.8.

Discipuli, v. *Apostoli*.

Doctrina, *Dogmata*, v. *Theologia*.

Domaninius, v. *Lactantius Domaninius*.

Dominicani Theologi, quamdiu pacem coluerint cum Franciscanis & Jesuitis? *præf. ad Tr.4. v.7. §.4. ac seqq.* Imò & inter se invicem, p. 516. Quanti sint semper æstimandi, non obstante sequenti discordia, *præf. ad Tr.3. n. 2. & passim seqq*. Item c.14. Quantis se difficultatibus implicuerint, in admittenda, etiam in primo statu, prædeterminatione physica, repugnante licèt Doctore suo Angelico, c. 1. Imò & in præsenti, c.14. & *præf. ad Tr.4. circa finem*. Item p. 589. §. *Si*. p.652. §. *Si*. Necnon in gratia sufficienti, semper effectu frustranda, Tr.5. c.8. §. *Quod*. Quot ex illo amplissimo Ordine ad priorem S. Thomæ doctrinam redeant? Tr.4. p.655. v. *Thomas Aquinas cum suis Thomistis*.

Dominicus à Soto, Dominicanus, Carolo V. Cæsari à Confessionibus, & Theologus in Concilio Tridentino, gratiæ sufficientis vindex, contra Cataneam, ex Paulo Suavi, Tr.4. p.516. 517. Cur etiam contra Tapperum, p. 538. §. *Totus*. At latè pro Concilio, &c. p.566. & *seqq*. Imò pro ipso Gregorio Ariminensi, p. 567. 568. Simulque pro Capreolo, p.569. §. *Cur*. Quin & pro vera gratia speciali, hoc est habituali & justificante, tanquam de fide, ex Conc. Trid. p. 568. 569. §. *Cum*. At penitus contra imputativam, col. 2. Pro efficacissima tandem ad conversionem & perseverantiam tantùm, p.570. & *seqq*. Eos demum refellit jam senex, qui crimini vertebant quod *nimium* libero arbitrio tribuisset, p.570. §. *Porrò*. Huic ergo jure acquievit in primis Covarruvias, p.572.

Domini nomen ipsum, Patris nomine inferius, Tr.2. c.10. n.2. & *passim seqq*. Ut secernatur Deus à Domino? v. *Deus*.

Donatistis schismaticis Cyprianum objicientibus quid responsum ab Augustino? Tr.1. c.26. n.3. Necnon cum novas semper Synodos sive collationes peterent, c.27. n.7. Maximianistarum inter illos de hoc gloriola, *ibid.* Quo exemplo probetur, eos omnes cogi posse ad unitatem Catholicam, Tr.3. c.20. v.6. v. *Hæretici*, &c.

Dorotheus Presbyter Antiochenus, primus liberales disciplinas, ipsamque linguam hebraicam edoctus, alios docuit, Tr.1. c.42. n.3 §. *Nec*.

Driedo, v. *Ioannes Driedo*.

Duacensis Facultas Theologica, in censura anni 1588. non recedit à doctrina Majorum, Tr.4. p.635. & *seqq. usque ad* 681. §. *Quod*.

Durandus à S. Portiano, ex Dominicano Episcopus Aniciensis, in duplici tantùm capite à S. Thoma & antiquioribus, adeoque & à nobis alienus, Tr.4. p.465.

E

ECCLESIA quibus titulis appelletur *columba*? ex Bern. Tr.1. c.2. n.3. Et quomodo illi aptetur *Arca*? ex Aug. c.11. n.3. Necnon *Solis* comparatio, ex Iren. c.18. n. 2. Ex Hieron. c.24. n.11. Quàm tutò illi credatur? c.6. n.4. 5. Et sine ea vix credatur scripturis? c.11. n.3. & *seqq*. c.13. n.1. & *seqq*. Quandonam potissimum consulenda de scripturæ sensu? c.25. n.1. & *seqq*. Utpotè qui ad Ecclesiam solùm pertineat, n.5. & *seqq*. maximè ad Apostolicas, c.18. n.1. & *seqq*. c.24. n.3. & *seqq*. Imò Ecclesiæ omnes toto orbe sparsæ, cum unam habeant fidem & scripturarum intelligentiam, non possunt eam non ab Apostolis accepisse; c.18. n.2. & *seqq*. c.19. n.2. & *seqq*. c.20. n.2. & *seqq*. c.24. n.3. & *seqq*. c.33. n.1. & *seqq*. Vix potuissent *Barbaræ* per solas scripturas, c.18. n.8. Ut sola Ecclesia à vero aberrare non possit? Ex Fulgentio, c.25. n.10. Ex Petro Clun. n.11. Et quidem per totius Trinitatis, in ejus sinu, inhabitationem, *Ibid.* Qua fronte illi denegarent Hæretici Spiritus sancti præsidium, quod sibi arrogant? c.17. n.13. c. 24. n.10. c.30. n.4. 8. At familiare semper fuit hæreticis, Ecclesiæ matri suæ meretriciam infamiam impingere, ex Aug. c. 27. n.8. Ut non scripturarum modò custos & interpres sit Ecclesia, sed & suarum definitionum, contra hæreses? c.21. n. 2. Et quidem sine disputationibus, vel cavillis philosophicis Christo aut Ecclesia vacuis, c.25. n.2.

c. 40. n. 3. At sicaf cœperunt, sic pergunt hæreses, Ecclesiam sciderunt, scindunt & seipsas, c. 24. n. 6. Ad origines Ecclesiarum suarum omnes revocandæ, n. 5. Quando autem se invicem destruunt, Ecclesiæ causam juvant, c. 13. n. 9. c. 14. nu. 2. *& seqq.* c. 15. n. 3. c. 18. n. 9. c. 19. n. 12. 13. c. 24. n. 4. Ipsa verò flagitia quidem aliquando tolerat, non hæreses, Tr. 3. c. 10. §. 1. 2. Tres idcircò dotes præcipuas ei assignavit Deus contra illas, ex Vinc. Lirin. Tr. 1. c. 25. n. 4. *& seqq.* Imprimis Antiquitas, unitas, & similia, tam amica veritati, quam inimica sectarum novitas, multitudo, & contrarietas, c. 18. n. 9. 11. c. 19. n. 4. c. 21. n. 2. 5. 8. 11. c. 24. n. 1. *& seqq.* c. 25. n. 1. *& seqq.* Multitudo autem fidelium in Ecclesia, Abrahæ olim promissa, ex Aug. contra Julianum Pelagianum, c. 24. n. 1. Quippe Ecclesia una Catholica in symbolo commendata, ea est toto orbe diffusa, *ibid. &* c. 19. n. 9. *& seqq.* Non autem fabulosa illa ac monstro proxima ex adunatis compluribus sectis, c. 24. n. 12. *& seqq.* Imò illæ nonnisi *Ecclesiæ malignantium* appellantur à Cyrillo Jerosol. c. 19. n. 9. vel potius *portæ inferi, quæ adversus illam non prævalebunt*, ex eodem, post ipsum Christum, n. 13. Ecclesia verò *columna & firmamentum veritatis*, à Fulgentio post Paulum, c. 25. n. 10. Necnon Apostoli & Doctores *vertices montium*, super quos fundata consurgit Ecclesia, ex Basilio, c. 21. n. 7. c. 27. n. 11. Habent tamen Doctores authoritatem ab Ecclesia Catholica, non aliunde, c. 26. n. 5. c. 45. nu. 5. 6. Ab Ecclesiæ quippe concentu nunquam abest Patrum, imò Apostolorum consensus, c. 17. n. 13. §. *Non.* c. 18. n. 2. & 20. *& seqq.* c. 24. n. 1. *& seqq.* c. 25. n. 4. &c. Quid autem Academiæ, & Ecclesiæ? ex Tert. c. 39. num. 2. Cur ipsis olim Gentilibus nonnisi ad Apostolicæ & Christianæ Ecclesiæ castra confugiendum fuerit? Tr. 2. c. 3. n. 5. 6. Maximè ob miram credentium inter se unionem & perfectionem in primitiva Ecclesia, c. 25. n. 4. Tr. 5. c. 8. n. 3. *& passim seqq.* Mira semper in eam Dei providentia ad quid? Tr. 4. p. 656. §. *Accedit*. Quomodo tota quanta est Ecclesia, schola sit Christi discipulos dociles continens? Tr. 1. c. 17. n. 8. c. 23. n. 8. c. 33. n. 4. *præf. ad Tr.* 3. n. 33. *& seqq.* Et hinc inter dissidentes Catholicos ut se gerat mater Ecclesia? Tr. 1. c. 15. n. 7. 10. c. 16. n. 6. *& seqq. præf. ad Tr.* 3. n. 40. *& seqq.* c. 10. *& passim Tr.* 4. Quatenus nec ejus fides, nec virginitas in his lædatur? *ibid. & Tr.* 1. c. 16. n. 9. 11. c. 17. n. 6. *& seqq.* De ejus perpetuitate, & heroum omnium ætatum prælidio, c. 17. n. 13. §. *Contra & seqq. &c.* Imò semper in Ecclesia Christus adimpletur, licèt inæqualiter, Tr. 5. c. 9. n. 12. *& seqq.* Scilicet Christus in Ecclesia sponsa, & ipse sponsus & sponsa, caput & membra, justitia & justorum universitas ab exordio ad exitum usque sæculi, semper venit, & semper veniet, c. 15. Sic Patri subjicitur Filius in Ecclesia sibi aggregata, Tr. 1. c. 14. n. 10. Sibique varias alias voces & sensus Ecclesiæ adaptat, c. 25. n. 2. Imò jam per Ecclesiam venit in gloria, Tr. 5. c. 15. n. 2. 12. Et hoc est magnum Sacramentum in omnes ætates effusum, in Christo & Ecclesia, ex Paulo & Aug. n. 10. Ac infinita quædam vastitas Corporis Christi, n. 16, 21. 22. Adde & ejus spiritum, n. 19. v. etiam *Christus, &c.*

Echius ejusdem cum Luthero Vvitembergensis Academiæ Doctor Theologus, inter primos manus cum eo conseruit, & in disputatione Lipsiensi anni 1519. simul etiam Gregorium Ariminensem refellit, Quid inde? Tr. 4. p. 474. §. *Lutherus*. 555. 557. §. *Idem*.

Electi, v. *Prædestinatio, &c.*

Eliberitanum Concilium nihil aliud esse quàm collectionem ex Hispanis Conciliis docti viri suspicantur, Tr. 1. c. 46. n. 2.

Eloquentia quàm parum tuta ad verum discendum? Tr. 1. c. 9. n. 8. Non omninò tamen inutilis, c. 39. n. 13. c. 41. n. 2. *& seqq.* v. *Oratores*.

Emmanuel Calecas inter Græcos paulò æquior erga Theologiam Scholasticam, quam Nicephorus Gregoras, Tr. 1. c. 40. n. 11.

Ephesina prima Synodus generalis quomodo in Cyrilli cum Orientalibus dissidio vicerit? Tr. 1. c. 16. n. 6. 8. 9. 10. Et contra Nestorium, maximè Patrum authoritate? c. 34. n. 6. 7.

Ephrem Diaconus Edessenus sanctitate & doctrina conspicuus, quod consilium dederit Paulino Divinorum infatigato scrutatori? ex Gennadio, Tr. 2. c. 2. num. 6. §. *Liber*.

Epicurea præsertim Philosophia cum Stoica à Paulo rejecta, Tr. 1. c. 36. n. 1. 8. Scola jam extincta ævo Augustini, c. 48. n. 8. v. etiam *Philosophia*.

Epiphanius Salaminensis Episcopus Philastrio doctor in recensendis hæresibus, ex Aug. Tr. 1. c. 15. n. 1. Illius de Trinitate textus correctio, c. 20. n. 8. §. *Iam*.

Episcopi Apostolorum successores, imò *Apostoli* à Paulo nominati, Tr. 1. c. 20. n. 3. Unde injuria Episcopis inusta redundet in Apostolos, & in ipsum Christum? *Ibid.* v. etiam *Apostoli, &c.*

Erasmus, v. *Desiderius Erasmus*.

Esdræ Hagiographi opinio de anima omnibus philosophicis excellentior, Tr. 1. c. 39. n. 13. Necnon de veritatis substantia & vita, in tertio ejus nominis libro, Tr. 2. c. 24. n. 8.

Espencæus, v. *Claudius Espencæus*.

Estius, v. *Guillelmus Estius*.

Etnici, v. *Gentiles*.

Eva, v. *Adam*.

Evangelia Scripturarum primitiæ, & Evangeliorum primitiæ Joannes, Tr. 1. c. 3. n. 10. Quomodo in lege ipsa inveniretur Evangelium? c. 12. n. 13. Tr. 5. c. 11. n. 13. Et lex cessit Evangelio? c. 5. nu. 14. Utpote quæ longè imperfectiora præcepta Evangelicis proponeret, c. 6. Evangelium autem maximè cordibus à Christo inscriptum, Tr. 1. c. 22. n. 6. 8. 12. & sine Christo litera semper occidens, Tr. 5. c. 11. nu. 12. *& seqq.* Et hinc vel ex fidelium testimonio cum pastoribus perpetua traditione agnoscendum? Tr. 1. c. 22. n. 3. *& seqq.* Sic traditioni accepti feruntur non solùm Evangeliorum libri, sed & versus, sensusque, ex Greg. Nyss. c. 19. n. 7. Nec sola pariter Evangelia agnoscenda, ut volebant Petrobusiani, c. 25. nu. 25. At illa, saltem ex parte, priusquam hæreses promulgata, c. 24. n. 3. 7. Et tamen plerumque minùs quàm earum libri, à sectatoribus culta, n. 10. Non mirum si hæreticorum fides, non sit Evangeliorum, c. 14. n. 3. At jure Evangeliis Concilia collata, c. 29. n. 8. 14. Et Patres Evangelistis, c. 30. n. 6. v. *Lex vetus & nova*.

Eucharistia, cur in symbolum tractandæ Theologiæ proposita? a Clem. Alex. & Origene, Tr. 1. c. 3. n. 2. *& seqq.* Ex Photio, c. 5. n. 11. Quomodo utraque mentes vitiis purget? ex Chrysostomo, c. 4. num. 1. Illius comparatio cum Sacramentis Mosaicis, Tr. 5. c. 9. n. 5. 6. 8. Quippè caro ipsa Christi, quæ novi Testamenti summa interim beatitas est, vel hìc velanda, vel hinc asportanda fuit, ut non carnaliter, sed spiritaliter, & qualiter etiam à Patriarchis & Prophetis diligi poterat, diligeretur, c. 10. Quàm arctè per eam sicut per Incarnationem Christus in nobis? ex Hilario, Tr. 2. c. 38. num. 6. 13. In quo Eucharistia cum duplici Christi nativitate congemina? Tr. 1. c. 14. n. 1. Nequidem de ea inquirere debuerant Novatores, n. 4. Quippè prima omnium hæresis eorum est, qui dixerunt, *Durus est hic sermo*, ex Aug. 6. 15. n. 4.

Eudoxius CP. hæresiarcha potiùs quàm Patriarcha, vix notus Gregorio M. ex cathalogis hæreticorum, Tr. 1. c. 29. num. 8. damnandus tamen cum suis Arianis, *ibid.*

Everhardus Billich Theologus & Provincialis Carmelita per inferiorem Germaniam, aliorum Theologorum doctrinam inseruit in defensione judicii Universitatis & Cleri Colonienſis adversus librum Martini Buceri de doctrina & vocatione sua ad Bonnam, Tr. 4. p. 560.

Eulogius Alexandrinus Patriarcha laudatur a Gregorio M. de compilatis tam Latinis, quam Græcis Patribus, contra Agnoetas hæreticos, Tr. 1. c. 29. n. 9. *in fine*.

Eunomius non solùm ut *Arianus*, sed etiam ut *Hagiomachus* hæresiarcha proscriptus est, ex Hieron. Tr. 1. c. 24. num. 10. Ea tamen cultus est veneratione à suis sectatoribus, qua Martyres & Apostolos fraudabant, *ibid.* Imò & religiosiùs ejus libri quam Evangelia, & cur? *Ibid.* Ii tamen nonnisi ridendam philosophiam sapiebant, ex Bas. c. 40. num. 9. Tr. 2. c. 12. num. 5. c. 13. nu. 8. *& seqq.* c. 15. nu. 3. Quibus argumentis quoad Dei prætensam comprehensionem refellerentur? Tr. 2. c. 1. *præsertim*, nu. 5. c. 10. nu. 6. *& seqq.* Item quando quærebant, volens an nolens genuisset Pater? c. 13. nu. 8. *& seqq.* Et quando cogebantur fateri, in substantiam non cadere majus aut minus, c. 15. n. 3. §. *Substantiam*. Imo quando eorum aliqui supra modum insaniebant de initio Paternitatis in Deo, §. *Ætate*. Necnon de ratione filietatis in Spiritu sancto, c. 30. n. 13.

Eusebius Cæsareæ Episcopus, cur post aliquam contradictionem subscripsit fidei Catholicæ? ex Athanasio, Tr. 1. c. 19. num. 2. §. *In*. Cur in testimonium adducatur à Bas. c. 21. num. 11. Quatenus & ab Hieronymo? c. 44. num. 6. 8. 9. Quid sentiendum de ejus præparatione Evangelica? c. 46. num. 6. Quid & de tribus Ecclesiasticæ Theologiæ libris adversus Marcellum? *ibid.* Quid tandem de ipsa Eusebii fide? *Ibidem*, & Tr. 2. c. 34. num. 8. §. *Qui*.

Euthimius Zigabenus Monachus qualem Panopliam instruxerit adversus omnes hæreses, sub Alexio Comneno? Tr. 1. c. 46. n. 6. §. *Origenis*,

Eutychiani hæretici, quàm ineptè Patres aliquot pro se adduxerint? Tr. 1. c. 34. nu. 8. Quomodo damnata eorum perfidia? c. 15. n. 6. c. 34. n. 8. 9. Necnon & scopuli vitandi? *ibid.* Vel ipsa fama? *ibid.* & c. 16. n. 1. & *seqq.* Quandiù viguerint? c. 43. n. 9.

Ezechielis Prophetæ exemplum ad divina capessenda, Tr. 1. c. 4. nu. 6. 7.

F

FAGUNDUS Hermianensis Episcopus quàm præclarè differat de variis Catholicorum dissidiis, ut ad proprium referat? Tr. 1. c. 16. 17. num. 1. & *seqq. maximè* 5. Tr. 2. c. 46. num. 5. *Præf. ad Tr.* 3. num. 33. & *seqq. usque ad* 42.

Faustus Regiensis Episcopus, à Fulgentio confutatus in his, quæ tanquam Augustini scripserat, Tr. 1. c. 17. n. 13. §. *Non*. Et ab Hormisda, cùm Augustino objiceretur, c. 30. *n.* 8. §. *Cum*,

Felicianus Capitonus Narniensis, ex Ordine fratrum Servorum, Archiepiscopus Avenionensis, circa annum 1570. edidit *explicationes Catholicas locorum ferè omnium veteris & novi Testamenti, quibus hæretici abutebantur*, imprimis quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 591. & *seqq.*

Felisius, v. *Matthias Felisius*.

Ferdinandus Martinus Mascarennas, Algarbiorum regni Episcopus, tractatum *de Auxiliis Divinæ Gratiæ* brevem, sed copia doctrinæ eximium Philippo III. nuncupavit circa annum 1600. omnia ferè ex Augustino contemperans, contra Lutherum & Calvinum, necnon & ipsis bona fide suffragantes Catholicos, Tr. 4. pag. 612. 613.

Ferdinandus Velloſillus Episcopus Lucensis in Hispania, pariter circa annum 1600. scripsit *in Chrysostomum & in quatuor Doctores Ecclesiæ, advertentias Theologiæ Scholasticæ*, hoc titulo omnino dignas, quoad triplicem gratiam, ipsamque prædestinationem gratuitam, non tamen ut definitam ab Ecclesia, Tr. 4. pag. 623. 624.

Ferrandus Carthaginensis Diaconus modestissimi & eximii Theologi in splendida dignitate specimen, Tr. 1. c. 2. nu. 6. 7. Quid suaderet in dissidiis Catholicorum, c. 15. n. 6. 7. Illius testimonium pro politioribus disciplinis in Fulgentii vita, c. 43. n. 12. §. *Non*. Qualis ejus collectio Canonum? c. 46. n. 2.

Festus Dies omnis spiritalibus, ex Origene, Tr. 1. c. 8. n. 4. v. Authoris tractatum integrum *de Festis*.

Fidelium Nomen ipsum quanto dignum honore? Tr. 2. c. 1. nu. 8.

Fidei sive divinæ sive humanæ antiquitas & necessitas, ex Tert. Tr. 1. c. 6. nu. 5. c. 24. nu. 2. Ex ipso Platone, c. 36. n. 2. §. *plura*. c. 37. nu. 2. Utriusque discrimina, c. 9. n. 2. c. 36. nu. 2. Fidei objectorum seu credibilium tria genera, ex Aug. Tr. 2. c. 13. num. 5. §. *Hujusmodi*. Quid sit credere, & in quo fides ab opinione & scientia discreper? Tr. 1. c. 9. n. 2. Fidei nostræ cum philosophicis disciplinis consonantia & dissonantia, c. 37. n. 2. & *seqq.* Tr. 2. c. 13. nu. 4. 5. Supplementum fidei pro illis disciplinis ad divina percipienda, Tr. 1. c. 42. n. 7. Undè tamen convenit Philosophis & Hæreticis, ut quod non capiunt, nec credant? c. 39. n. 4. Tr. 2. c. 1. nu. 4. Una maxime professione credendi distat Christiana Religio ab Hæreticis, Gentilibus, & Judæis, *ibid.* Fide magis quam ratione ad Deum pervenitur, ex ipso Platone, Tr. 1. c. 36. n. 2. §. *plura*, c. 37. n. 2. Imò mysteria eo fide digniora, & rationi consonantiora, quò supra fidem & rationem, Tr. 2. c. 1. n. 2. c. 2. n. 1. & *seqq.* Fidem autem, non semper perscrutationem exigit Christus, Tr. 1. c. 13. nu. 3. c. 32. nu. 2. c. 39. nu. 2. Tr. 2. c. 2. nu. 7. Fidei igitur partes in quærendo Deo, Tr. 1. c. 1. nu. 3. 4. Tr. 2. c. 1. & 2. *ferè integris*. Illius analogia ad Theologiam, ut lactis ad solidum cibum, Tr. 1. c. 3. num. 4. c. 6. nu. 4. & *passim seqq.* c. 10. nu. 6. & *seqq.* Quænam Christi fides ad salutem necessaria ante & post Evangelium? Tr. 4. p. 575. 577. 580. §. *An.* 611. §. *Infra & seq.* Tr. 5. c. 8. n. 11. & *seqq.* c. 13. nu. 20. Quomodo fides infirmorum perfectioribus nitatur? c. 8. nu. 15. Quatenus æternorum fidem juvet carnis Christi absentia? c. 10. n. 3. & *passim seqq.* Necnon tota scripturarum dispensatio historica, seu prophetica? c. 11. n. 9. & *seqq.* c. 14. *præsertim* nu. 3. & *seqq.* Ut non possit tutò fides & salus committi nisi scripturis traditione firmatis? Tr. 1. c. 23. num. 6. & *seqq.* Scilicet ad fidem spectat authoritas Patrum inter se consentientium, c. 26. Hæreticorum autem fides, non jam Evangeliorum, sed temporum, c. 14. nu. 3. c. 20. nu. 8. c. 31. nu. 9. Unde tot jam inter eos fides, fideique formulæ, quot voluntates, atque ita nulla fides? c. 14. nu. 3. Et hinc confutandis hæresibus omnibus sufficit antiquissimæ & universalissimæ fidei simplicitas, nu. 15. c. 15. nu. 5. 10. c. 21. nu. 1. & *seqq.* c. 27. nu. 6. & *seqq.* Quantum verò ipsæ inter se sic dissidentes proficiant fidei illustrandæ? c. 14. nu. 6. c. 15. nu. 3. c. 21. nu. 3. Nec officiant dissidentes inter se Catholici? c. 15. nu. 10. Eadem expressiones in fide catholicas esse aut hæreticas, unde fiat? nu. 7. & *seqq.* Quàm procul sit ab hæresi imperfecta fides, modò sit docilis? c. 17. n. 1. & *seqq.* Incredulitas autem pusilli est animi, fides excelsi & magnanimi, Tr. 2. c. 1. nu. 9. 11. c. 2. n. 4. & *seqq.* c. 3. nu. 4. & *seqq.* At fides alienis expositionibus incrustata, non jam fides, sed idololatria est, ex Irenæo, Tr. 1. c. 18. num. 3. Et rationes authoritati fidei oppositæ, non jam rationes, sed deceptiones sunt, c. 23. nu. 9. c. 24. nu. 1. Tr. 2. c. 13. nu. 1. & *seqq.* Imò in illas solidæ solent demonstrationes retorqueri, *Ibid.* Quatenus itaque potuerit, aut non potuerit fides nostra rationibus philosophicis constitui, aut confirmari? n. 4. 5. c. 24. num. 6. §. *Nec*. Solius jam est Ecclesiæ non solùm scripturas, sed & proprias fidei definitiones exponere contra hæreses, Tr. 1. c. 21. nu. 2. Cur non fides ex personis, sed ex fide personæ probandæ sunt? ex Tert. c. 29. num. 1. Ad quid fides pro merenda vel impetranda gratia? Tr. 4. p. 544. §. *Similiter & seqq.* Ubi fidem extruit scriptura, non extruit nisi charitatem, Tr. 1. c. 12. nu. 3. Cuinam demum fidei de afflatu æternitatis vigenti nihil affluat, nihil pereat? Tr. 5. c. 9. n. 6.

Figuræ & Umbræ veteris testamenti ad quid genus humanum insuefacerent? Tr. 5. c. 7. 9. *ferè integris*.

Filiatio Verbi ut carni nostræ cum libertate insita? Tr. 5. c. 6. n. 3.

Filius per quid differat à servo & mercenario? Tr. 5. c. 5. n. 22. §. *Rursum*, n. 26. c. 6. n. 3.

Filius æternus, v. *Trinitas*.

Firmillianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, inter alios pro fide Catholica à Basilio successore laudatus, Tr. 4. c. 21. n. 11. §. *His*.

Fisherus, v. *Joannes Fisherus*.

Fluvius, *fons*, & similia passim in toto opere describuntur, ad divina explananda, præsertim, Tr. 2. CC. 20. 26. 29. num. 15. §. *Vis*, c. 30. num. 12. c. 32. n. *Vis*. c. 46. nu. 6.

Forma illa summa, qua sapientes, castæ, & sanctæ fiunt creaturæ, cur non possit esse creatura? Tr. 2. c. 24. num. 1. & *seqq.* Quid intelligerent Platonici per formas hujusmodi subsistentes? num. 19. *in fine*, & c. 35. nu. 3.

Fortitudo quænam sit inter dona Spiritus sancti? Tr. 4. p. 559. §. *Nec*. v. etiam *Charitas*, *Virtutes*, *&c.*

Franciscanorum Theologorum familia, quandiu cum Dominicana concors? *præf. ad Tr.* 4. v. 7. §. 1. Et post aliqualem discessionem, quando rediit in concordiam? §. 3. & *seqq.*

Franciscus à Christo, Lusitanus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Conimbricensis Doctor & Professor, circa annum 1578. suos in Magistrum Commentarios dicavit Gaspari Cassaleo Conimbricensi Episcopo, ex Tridentinis Patribus, adeoque his non contrario, Tr. 4. p. 607.

Franciscus Costerus Mechlinienſis, S. J. Theologus, non semel à Lovanienſibus & Duacenſibus memoratus in alios censuris, vel hinc non suspectus de negletta austeriſſima Augustini & aliorum quibus eam jungit doctrina, in Enchiridio Controversiarum, Tr. 4. pag. 630. 631.

Franciscus de Carthagena, Salmanticensis Presbyter, Theologiæ Professor, luculentissimos *de prædestinatione & reprobatione discursus* Gregorio XIII. dicavit cum ipsius privilegio & auspiciis anno 1581. Ubi de triplici gratia, ex principiis solius prædestinationis gratuitæ, contra duplicem Catharini à Sixto Senensi relictam, Tr. 4. p. 608. & *seqq.*

Franciscus Ferrariensis Ordinis Prædicatorum Prior Generalis, primus Italorum circa annum 1528. S. Thomæ vestigia scrupulosissimè sectatus est quoad triplicem gratiam, & huc spectantia, Tr. 4. p. 509. & *seqq.*

Franciscus Horantius Hispanus Minorita, qui Tridentino Concilio adfuit pro Episcopo Palentino, jussu Philippi II. libros 7. *locorum communium adversus Calvinum*, nuncupavit Carolo Hispaniarum principi, ubi se Alphonsi à Castro discipulum profitetur, sententiis magis

gis quàm verbis ; quoad triplicem gratiam, Tr. 4. pag. 583. & *seqq.*

Franciscus Ovandus Mogollon de Paredas Ordinis Minorum, docet contra Lutherum, licèt plerumque cum Scoto, quæ excludant & scientiam mediam, & prædeterminationem physicam, circa annum 1587. Tr. 4. p. 610. 611.

Franciscus Salesius, Gebbennensis Episcopus, Theologus melleus, cur inter alios vitæ spiritualis authores pro gratia adductus ? *præf. ad Tr.* 4. §. *Quatuor*. Et quidem pro triplici gratia, p. 652. 653.

Franciscus Sonnius, Episcopus Boscoducensis, qui Concilio Tridentino affuerat, cùm sacrarum litterarum esset professor, & Canonicus Ultrajectensis, *demonstrationes Religionis Christianæ* ex verbo Dei edidit, gratiæ justificanti omnino faventes, non ita sufficienti ad omnes, sed plures tantùm, Tr. 4. p. 550.

Franciscus Titelmannus Belga Ordinis Minorum, facilè adducendus in hoc temperamentum Patrum in suis præclarissimis commentariis, Tr. 4. p. 552. 553.

Franciscus Toletus S. J. Theologus, & primus Cardinalis, circa annum 1577. de triplici gratia, imprimis de efficacissima scripsit ad modum nostrum, Augustino potiusquam Chrysostomo adhærere professus, Tr. 4. p. 602. & *seqq.*

Franciscus Victoria, Dominicanus, Salmanticensis professor primarius, summa eruditionis laude circa annum 1540. notissimus, præsertim pro gratia generali, contra Gregorium Ariminensem, Tr. 4. p. 586. 587.

Franciscus Xaverius S. J. Presbyter, Indiarum Apostolus, quid ex aliorum populorum proprioque experimento, de gratia generali & speciali seu habituali, summaque charitate ad mentem Augustini referat ? Tr. 4. p. 618. 619. Quomodo illos pro majoribus timentes demulceret ? p. 618. §. *Adde*.

Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus, quibus authoribus tum Græcis tum Latinis, procurante Religiosa Matre, operam dederit, ex Ferrando in illius vita ? Tr. 1. c. 43. num. 12. §. *Non*. Quo animo otium sanctum, aut negotia plura, Augustini exemplo, susceperit ? ex eodem, c. 2. num. 6. Qua authoritate famosam suo tempore quæstionem de baptismo Æthiopis extra sensum positi solverit ? c. 25. num. 10. Qua & alias de Gratia ? *præf. ad Tr.* 3. nu. 39. Aliæ verò à posterioribus solvuntur authoritate ipsius, quasi indeclinabili, Tr. 1. c. 30. num. 7. §. *Quam*.

G

GABRIEL BIEL Germanus circa annum 1490. Alexandri Alensis, Thomæ, & Bonaventuræ doctrinam ut temperatiorem & explicatiorem præfert Ariminensi, nullatenus tamen secundùm ipsum prædeterminanti, Tr. 4. p. 496. 497. Satis ille aliunde Augustinianus, nisi quod amplectatur duplicem Okami prædestinationem, quarum una sufficit, 498.

Gabriel Vasquez S. J. Theologus, docet cum aliis ejusdem Societatis, *Molina doctrinam facere cum Semipelagianis*, ex Isamberto, Tr. 4. p. 603. §. *Nunc*.

Gaspar Casalius Lusitanus, Episcopus Leiriensis, prolixum & omnimoda eruditione refertissimum opus *de quadripertita justitia* seu Justificatione dicavit Tridentinis Legatis & Patribus omnibus, quos inter ipse radiabat, adeoque non ipsis contrarius, sed nobis apprimè consentaneus, Tr. 4. p. 575. & *seqq.*

Gaspar Contarenus Cardinalis, ob singularem doctrinam & probitatem, variasque adversus Lutheranos legationes celeberrimus, gratiam generalem & specialem ad nostrum scopum explicat, Tr. 4. pag. 504. 505. Si quid supplementi ex justitia Christi imputativa eruit, id ante Concilium Tridentinum ferendum est, p. 505. §. *Idem*. At quoad gratiam generalem & reprobationem adultorum ob peccatum Originale, propiùs ipse quàm putavit, accedit non ad Thomam tantùm, sed etiam ad Augustinum, p. 505. §. *Iam*. & *seqq.*

Generatio quævis creata quàm dispar à Divina, etsi ab illa ad hanc fiat discursus, Tr. 2. c. 27. n. 2. c. 29. n. 6. 14. c. 30. n. 7. 8. 14. Quod apud homines generatio sonet aliquas passiones & maculas, putat Hilarius sapientiam potiùs creatam, quàm genitam à Salomone dictam fuisse, c. 23. n. 8. 10.

Gennadii Massilienses Presbyteri cujus generis sit liber de dogmatibus Ecclesiasticis ? Tr. 1. c. 45. nu. 9. c. 46. num. 6.

Gentes seu *Gentiles*, Dei qualemcumque notitiam ad idola detorquebant, ex Irenæo, Tr. 1. c. 28. num. 3. Unum tamen summum Deum simul & Creatorem omnipotentem, ac similia, meliùs plerique agnoscebant, quam plures hæretici, ex eodem, num. 4. Aliàs Barbaris saltem gentibus unius Dei cognitionem per scripturas impossibile fuisset tradere ex eodem, nu. 8. Qualis eis necessaria fuerit ante & post legem latam ? Tr. 4. p. 575. §. *Speciali*. Necnon post Evangelium, pag. 577. 580. §. *Cæterùm*. Lex naturalis gentibus utcumque præstabat, quod Mosaica Judæis, Tr. 5. c. 1. num. 6. c. 5. n. 15. c. 7. num. 11. Imò Mosaica erat etiam pro Gentilibus, c. 5. num. 5. Philosophia insuper Gentilium lex & pædagogus ad Christum, ex Clem. Alex. Tr. 1. c. 36. num. 6. & *seqq.* Tr. 5. c. 13. nu. 26. & *seqq.* Cur apud Romanos, & alios Gentiles, & quidem post Evangelium, Legem extenuaret Apostolus ? Ex Athan. c. 31. num. 13. ex Hier. Tr. 5. c. 5. num. 14. Quo sensu dicitur Christo, *In umbra tua vivemus inter Gentes* ? c. 9. nu. 19. & *seqq.* Et Christus ipse dicitur *desideratus cunctis gentibus* ? c. 13. num. 3. & *seqq. præsertim* 5. 14. Imò Verbum Deus ante carnem suam, ad omnes ubique gentium populos *visis congruis* veniebat, & præcoquis futuræ Incarnationis suæ beneficiis quibusdam irrorabat, num. 2. &c. Quin non tantùm generali, sed etiam speciali auxilio adfuisse Deum gentibus, probatur ex Aug. &c. Tr. 4. p. 509. §. *Ad gratiam*. Quantula portione sapientiæ omnes gauderent ? Tr. 2. c. 23. nu. 12. c. 24. num. 5. Quis supereft omnibus etiam infidelibus naturalis recti amor & synderesis post peccata cum suis pœnis ? Tr. 3. c. 3. §. *His adde*, & *seqq.* Hinc non omnia eorum opera sunt peccata, pœnas merentia, sicut nec præmia, passim, Tr. 4. præsertim apud Driedonem ex ipso Paulo, & Aug. p. 543. §. *Sed*. p. 545. §. *prolixè*. Apud Hosium Cardinalem, p. 566. §. *Cum*. Apud Dominicum à Soto, p. 567. §. *proposita*. & *seqq.* Apud Andream de Vega, p. 573. §. *Ideo*. Apud Petrum à Soto, p. 580. §. *Ideo*. Apud Andradum, p. 582. *Quod*. & *seqq.* Apud Montesinum, p. 616. Apud Costerum, pag. 630. §. *Hinc rursus*. Apud Lensæum, p. 631. §. *Quam*. Apud ipsos Estium & Sylvium, p. 637. 638. Quot etiam modis Deus ita concluserat Gentes, ut non ferè possent non Religioni Christianæ se adjungere potiùs quam Judaicæ, Tr. 2. c. 3. num. 4. 5. 6. c. 24. num. 5. Plebs ipsa Gentilium certis naturalibus principiis tenebatur, c. 22. num. 9. Una maximè professione credendi distat Christiana Religio à Gentilitia & Judaica, c. 1. nu. 4. Et quidem imprimis quoad Trinitatem, c. 4. num. 6. §. *Sed*. c. 5. num. 5. c. 24. num. 3. Quoad ipsum *ingenisi* nomen à Gentilibus excogitatum, c. 11. nu. 5. Universim de modo conversionis Gentilium, præsertim ex Toleto, Tr. 4. p. 603. §. *Et idem*. An propensiùs a Gentilibus susceptus sit Christus, quàm à Judæis ? Tr. 5. c. 7. num. 11. Non certè perfectiùs, c. 8. num. 3. At perfectiùs quam ab Hæreticis, Tr. 2. c. 3. nu. 7. c. 22. num. 9. 10. c. 41. num. 7. Certum quidem apud utrosque erroris argumentum est, quòd alii aliter sentiant, Tr. 1. c. 21. num. 3. c. 39. num. 7. Cur aliæ inter eos sectæ procul eliminandæ ? *præf. ad Tr.* 3. c. 3. §. *His adde*. & *seqq.*

Genus ipsum humanum quandoque intelligitur nomine unius hominis in pluribus, Tr. 2. c. 27. n. 3. & *seqq.* Tr. 3. c. 20. v. 4. v. *Homo*, &c.

Geometria, v. *Artes Mathematicæ*, *Philosophia*, &c.

Gersonius, v. *Ioannes Gersonius*.

Gnostici incassum sibi nomen γνῶσις, hoc est scientiæ & contemplationis supra fidem usurpaverant, ex Clem. Alex. Tr. 1. c. 18. num. 10. Unde illi alium Deum comminiscerentur ? ex Irenæo, nu. 1. & *seqq.* Et alias in Deo ideas ? ex Tert. c. 39. nu. 5. Scilicet ex singulis Philosophorum sectis portentosum suum dogma conflaverant, ex Iren. c. 40. n. 4.

Gotteschalcus Monachus quales excitavit quæstiones de prædestinatione & gratia, simulque quales commentarios Theologicos & Concilia ? Tr. 1. c. 45. num. 1. Quæ concordia tandem inita ? *præf. ad Tr.* 3. num. 37. & c. 6. §. *Quod*.

Græci, v. *Oriens*, *Orientales*, *Patres*, &c.

Grammatica, v. *Artes liberales*.

Granatensis, v. *Ludovicus Granatensis*.

Gratia initia non per præsentiam, sed per umbras Christi præroganda fuere, Tr. 5. c. 1. nu. 11. c. 13. num. 20. Imo & privatim in quibusdam, c. 2. num. 4. & *seqq.* In summa, *Christi gratia* nullis sæculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, c. 13. *præsertim*, nu. 12. 18. 19. Scilicet gratiæ præparandi fuimus, & quia gratis datur, imparati quodammodo semper fuimus, c. 16. n. 9. Postulabant Pelagiani Antiquorum testimonia pro *gratiæ necessitate*, Tr. 1. c. 23. num. 7. Respondit Augustinus primò non

non adfuisse nec esse, quandiu impetita non est, solasque Ecclesiæ preces eam supponere satis, & probare, *ibid.* Deinde frequentissimas ad id congregavit Synodos ex Patribus utriusque Ecclesiæ, idque agnoverunt fidi discipuli, Tr. 3. cap. 10. §. *Qui, &c.* Imprimis de *Gratia Angelorum & hominis* ante lapsum, c. 1. De distinctione statuum quoad gratiam, *ibid.* & Tr. 4. *præsertim*, pag. 637. §. *Consitetur*, 638. §. *Quod*. Discrimen adjutorii *sine quo non*, ab adjutorio *quo* in eundem scopum, Tr. 3. cap. 2. §. *Id genus*, c. 12. §. *Atqui*. Tract. 4. pag. 571. §. *Huc*, & *seqq.* pag. 621. §. *Approbat*, 632. §. *postremo*. In quæstionibus *de efficacia Gratiæ*, optanda, necnon & tentanda magis, quàm speranda concordia, *præfat. ad Tr.* 3. num. 2. & *seqq.* & c. 25. Statuendum ante omnia prædestinationi gratuitæ seu ex mera gratia, & auxiliorum pro ea certissimorum immobile fundamentum Christus Dominus, c. 2. §. *Generali*. Tr. 4. pag. 652. §. *postremo*. Imo & auxiliorum *Generalium* seu Naturalium, Tr. 3. c. 4. §. *Ii* cap. 5. §. *plures*. Tr. 4. pag. 486. §. *Gratiæ hujus*, pag. 498. *in fine* pag. 517. 534. 575. 582. Tr. 5. cap. 3. 4. num. 12. Quidquid de contrario consensu tessetur Vega, Tr. 4. pag. 573. §. *Objicit*. Cur ista non semper seu non omni ætati sufficiant? Tr. 5. cap. 5. num. 13. In his quatuor partes distinguuntur à Carthagena, Tr. 4. pag. 608. §. *Denique*. Secundùm nos duæ, quarum prima pars eorum auxiliorum est, quibus vitantur peccata, non paratur justificatio, Tr. 3. cap. 3. 4. 5. Ex Bernardo in primis, Tr. 4. pag. 424. & *seqq.* Ex Driedone, pag. 543. & *seqq.* Ex Sonnio, pag. 550. 551. Et passim ex aliis, *toto Tract.* 4. Altera pars auxiliorum *generalium*, & quidem magis supernaturalium, quibus etsi gratiam justificantem non promereamur, ad illam tamen præparamur, Tr. 3. cap. 6. 7. 8. Tr. 4. *ferè toto*, præsertim, pag. 529. §. *Porrò*, pag. 543. & *seqq.* & *in fine cujusque partis*, Tr. 4. Ad quid verò alia auxilia quæ dicuntur sufficientia, licèt suo semper effectu frustranda? Tr. 3. cap. 7. §. 1. Et quis sensus alterius effati, *Facienti quod in se est viribus etiam naturalibus, Deum non denegare gratiam?* c. 7. §. *Quod*. Item ex Holkoto, Tr. 4. pag. 477. Ex Gabriele, 496. §. *Addit*, Ex insidiatore Calvino, pag. 517. Ex Adriano VI. pag. 534. Ex Latomo, p. 536. §. *Facienti*. Ex Tappero, pag. 541. Driedone, p. 543. & *seqq.* Ex Andrado, pag. 581. Ex Lactantio Domanimio tripliciter explicante, 575. §. *Hoc*. Ex Corduba, pag. 611. §. *Infra*. Ex Mascarena, p. 612. Ex Velloso illo, pag. 623. §. *Si*. Ex Anglez, pag. 625. §. *De*. Quid jam auxilium *speciale?* Tr. 3. cap. 6. §. *Ideo*. cap. 9. Non aliud propriè quàm *Gratia habitualis*, & justificans, quæ propriè Christi & novi Testamenti Gratia, seu simpliciter *Gratia*, ex usu Pauli, Augustini, Thomæ, & aliorum Doctorum, ipsorumque adhuc populorum, cap. 9. *integro*, ac passim Tr. 4. Necnon, Tr. 5. cap. 3. num. 20. Nec per aliam gratiam constare potest nostra post peccatum justificatio, Tr. 3. cap. 10. Et passim, Tr. 4. præsertim ex Bernardo, pag. 424. & *seqq.* Ex Tappeto, 537. Driedone, 545. & *seqq.* Auxilia verò actualia seu *motiones Dei* nonnisi ferè à tempore Lutheri, *Gratia* vocabulo donatæ sunt, & cur? Tr. 3. c. 9. §. *At*. Quænam *Gratia* ad unumquodque bonum opus *necessaria* sit? c. 28. & *passim*, Tract. 4. *præsertim*, pag. 577. §. *Iam*. 585. §. *Nunc*. Quàm *actuosa* hactenus ferè habita sit ipsa *Gratia habitualis*, ad malum vitandum, & bonum implendum? Tr. 3. c. 11. 12. 29. Imò ipsa propriè operans & cooperans, c. 28. §. *Ultimo*, & passim. Tr. 4. Huic doctrinæ tota innititur traditio de Justitia seu Gratia inhærente, ex Andrado, pag. 581. §. *Cum*. Ex Horantio, 583. §. 1. Quadruplex ratio aperitur *efficacissimæ* & ineluctabilis *Gratiæ* ad conversionem peccatorum, & ad perseverantiam, Tr. 3. cap. 18. Prima per scientiam mediam, §. 1. Secunda per prædeterminationem physicam, ad quam revocatur delectatio victrix justitiæ, §. 2. Tertia per varietatem & consonantiam auxiliorum seorsum frustrabilium, non simul, §. 3. Quarta per congruitatem infinitam unius auxilii cum omnibus animæ affectibus, §. 4. Ex his postrema ad tertiam reducta, secunda in duas secatur, ad eundem quadruplicem numerum, §§. *seqq.* Tres priores inter se comparantur, c. 19. In prima sufficiens gratia sincerior videtur, quàm in duabus aliis, §. *pertinent*. Et c. 27. §. *Sunt*. Quantum præstet quarta aliis? cap. 20. & *seqq.* præsertim, 26. 27. Ipsum prædeterminationis physicæ nomen & usus unde & quando tandem? *præfat. ad Tr.* 4. *circa finem, &c.* Quibus machinis gratia physicè prædeterminans oppugnari possit? Tr. 3. cap. 14. Non ita gratia moraliter prædeterminans per concursum plurium, quod multis exemplis ostenditur, CC. 23. 24. 26. Nec propterea gloriari possit homo, sicut nec Angelus, de bono opere, CC. 25. 30. Tr. 4. pag. 423. §. *Quo*. 441. §. *Liberi*, *&c.* Nec propriè determinetur Gratia à voluntate, Tr. 3. cap. 16. Nec homini subjiciatur, quando resistit, c. 17. Cur non illud mirum apud Theologos, *Minimam Gratiam sufficere ad resistendum omnibus tentationibus?* Tr. 4. pag. 572. §. *Primum*. 608. §. *Et*. Quænam *gratia sufficiens* rejiciatur in Censuris Lovanienli & Duacensi? p. 634. Quæ etiam gratiæ congruitas? pag. 635. §. *Nec*. Quid de novis his pro Gratia nominibus & jurgiis Mariana? *pref. ad Tr.* 4. §. *Ult.* & pag. 599. 600. §. *Iam*. & *seqq.* Necnon cum ipso Pererius, pag. 620. §. 1. 621. §. *Approbat*. Imo Bellarminus, Vasquez, Valentia, ex Isamberto, p. 650. §. *Nunc* 651. §. *Scientiam*. Trium tandem priorum de Gratia efficacissima rationum consensus cum quarta, etiam quoad scientiam mediam, prædeterminationem physicam, & delectationem victricem, Tr. 3. c. 25. Item ex Mariana, Tr. 4. pag. 599. §. *De*. & *seqq.* Quoad aliquam prædeterminationem, ex aliis, p. 543. §. *Hic*. 548. §. *Potest*. Non mirum si pro his sedandis contentionibus circa praxim laudentur expertissimi vitæ spiritualis authores? *pref. ad Tr.* 4. §. *Quatuor*. Et in fine, pag. 4. Necnon & pro triplici præsertim gratia, nempè generali quæ sit actualis & sufficiens; speciali quæ sit habitualis & efficax non infallibiliter, ac tandem specialissima seu efficacissima ex omnibus conflata, ad conversionem & perseverantiam, alii Scholæ Doctores, *toto* Tr. 4. Imo si pro asserenda in Scholæ mediæ Theologis illa triplici gratia adducantur ipsi earum corruptores hæretici, pag. 516. & *seqq.* Timendum ne his in explicanda gratia efficaci suffragentur vel insci nonnulli Catholici, ex Mascarenna, pag. 612. Abstinendum tamen utrimque inter Catholicos à notis hæreseos, *pref. ad Tr.* 3. num. 28. & *seqq.* Idcircò silentium de his saltem ad tempus indictum sub Paulo V. ex Montesino, Tract. 4. pag. 617. §. *Ex*, 651. §. *Ex*. Quænam tandem ponantur inter *gratias gratis datas*? à Bernardino, Tr. 4. p. 486. §. *Idem*.

Gratianus Bononiensis Monachus, Decreti Compilator, quando, & quorum hortatu? Tr. 1. c. 46. nu. 3. 4. Cur & quandiu in Scolis prælectus est? *Ibid.* Convenit cum Theologis lectissimis quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 438.

Gregorius Ariminensis, Augustinianorum Generalis, Parisiensis Doctor, circa annum 1340. adversus multos sui ævi Theologos, multa acriter contendit, ut ipse præfatur, Tr. 4. p. 472. 473. §. *Rursus*. & *seqq.* Fuit sanè in eo quod Catholici detrectarent, non quo tantoperè jactaret se Lutherus, p. 474. Imò nec alii Recentiores Catholici Capreolum cum eo vendicantes, p. 478. & *seqq.* Item in Gabriele, p. 496. §. *Subjicit*. Et in fine partis 2. p. 499. Item in Cajetano, p. 503. §. *Quoad*. In Luthero, p. 519. §. *Vbi*. Ex Majore, pag. 563. Ex Tappero, p. 539. §. *Discriminis*, pag. 540. §. *Et*. Ex Dominico à Soto, pag. 567. 568. Ex Vega, pag. 573. §. *At*, & *seqq.* Ex Casalio, pag. 575. §. *Apertè*. Ex Alphonso à Castro, pag. 585. §. *Nunc*. Ex Valentia, pag. 586. Ex Aquario, pag. 590. Ex Medina, §. *Rursus*, Ex Ovando, pag. 610. §. *His*. Ex Corduba, p. 612. §. *Postremo*. Ex Felino, p. 638. *Initio*.

Gregorius Magnus, Pontifex Maximus, seipsum excitabat & objurgabat, si quas horas & voces non impenderet verbi prædicationi, Tr. 1. c. 2. num. 2. Quanti faceret scripta maximè Ambrosii & Augustini, malletque potiùs quàm sua legi? c. 29. num. 6. & *seqq.* Quantùm Conciliis, maximè Generalibus deferret, num. 8. Liber *Pastoralis* ab Antiocheno Patriarcha Anastasio Græce versus, num. 10. Quales ex ejus operibus commentarii totam ferè Scripturam, à Paterio ejus alumno excerpti? c. 45. num. 9. Necnon ejus vita à Joanne Diacono? *Ibid.*

Gregorius Nazianzenus, cur *Theologi* munus aggredi cunctatus, quanquam longo virtutum tyrocinio in solitudine perfunctus? Tr. 1. c. 3. nu. 14. §. *Hæc*. Ut *Theologi* nomen impleverit? Tr. 2. c. 4. nu. 4. 5. c. 5. nu. 5. 6. Unus Græcorum omnium instar habetur ab Augustino, contra Pelagianos, Tr. 1. c. 27. nu. 3. c. 45. nu. 6. Quatenus verò à discipulo Hieronymo? c. 28. nu. 3. 6. c. 44. nu. 6. Qualiter & ipse habeat philosophicas disciplinas, occasione Heronis Philosophi Christiani? c. 40. n. 5. Necnon & liberales artes sub iis contentas occasione Basilii ac suipsius? c. 41. n. 3. & *seqq.*

Gregorius Neocæsariensis, *Thaumaturgus* dictus, discipulus Origenis cum Firmilliano, &c. Tr. 1. c. 32. nu. 4. c. 42. num. 3. In elogio quod tunc dixit Origeni præsenti, quid pro Trinitate? Tr. 2. c. 45. num. 1. Necnon & in symbolo, quod ipsi Joannes Apostolus, hortante Deipara, explanavit? ex Nysseno, Tr. 1. c. 32. num. 4. §. *Nec*. & *seqq.* Tr. 2. c. 45. num. 4. Ut vindicatur à Basilio de Arianorum simul ac Sabellianorum contrarius

trariis calumniis? Tr. 1. c. 17. num. 4. Tr. 2. c. 45. n. 2. 3. At vicissim Gregorii ac successorum authoritate purgatur ipse Basilius contra alias calumnias, Tr. 1. c. 21. nu. 5. 11. §. *Multo*.

Gregorius Nyssenus Episcopus Frater Basilii, in hoc cum Nazianzeno ab Augustino confusus, Tr. 1. c. 27. n. 3. Cur ille in laudibus Basilii nimis effusus? c. 32. n. 3. 5. Quàm parcus in suis, *Ibid.* Qualis verò in laudibus Tauniaturgi? nu. 4. Tr. 2. c. 45. n. 4.

Gregorius Valentia S. J. Theologus docuit cum aliis ejusdem Societatis *Molinæ doctrinam facere cum Semipelagianis*, ex Isamberto, Tr. 4. pag. 650. §. *Nunc*. Imò ipsam scientiam mediam à plerisque ejusdem Societatis rejectam, ante Generalis decretum, pag. 651. §. *Scientiam*.

Gropperus Cardinalis designatus, eadem quæ alii Catholici tenerent, inseruit in *Enchiridio Christianæ institutionis*, pollicitæ in Concilio Coloniensi anni 1536. Tr. 4. p. 558. 559.

Gryspoldus, v. *Paulus Gryspoldus*.

Guillelmus Altissiodorensis Episcopus, postea Parisiensis secundus, idem quod alii Lutetiæ docuit de triplici Gratia, Tr. 4. p. 445. 446.

Guillelmus de Rubione Ordinis Minorum Theologus, quamvis minimè nobis infestus, quia tamen non satis apertus suffragator, penè omittitur, Tr. 4. p. 475.

Guillelmi Estii Doctoris & Cancellarii Duacensis doctrina in Orationibus Theologicis ab anno 1583. ad 1612. & in Commentariis serè semper nobiscum consentanea, usque ad axioma philosophicum motionis divinæ, ex Bannesio probabiliter depromptum, sed Augustino præsertim adversum, Tract. 4. pagin. 638. §. *Quod*.

Guillelmus Lindanus Ruremundensis Episcopus circa annum 1570. triplicem gratiam ex Augustino, & sui ævi Theologis, maximè Tapero eorum phœnice & præceptore colendissimo, pluribus eruit, Tr. 4. pagina 626. 627.

Guillelmus Ocham, Ordinis Minorum, circa annum 1320. si pauca excipias de prædestinatione ex meritis Augustino contraria, cætera satis cum aliis consentiens, Tr. 4. p. 466. 498. §. *Nec*. 612. §. *postremo*.

Guillelmus III. Parisiensis Episcopus consentit S. Thomæ, vel illi S. Thomas, errasse Pelagium præsertim contra charitatem seu gratiam habitualem, Tr. 4. pag. 443. Imò majoribus omnibus quoad triplicem gratiam, pag. 444. Ideò procul dubio, eo potissimùm uritur Osius Cardinalis ad illustrandum Augustinum, p. 564. §. *Ideò*.

H

HABITUM doctrina, quàm antiqua, si non quoad voces, saltem quoad rem, Tr. 3. c. 10. §. *Si*, & *seqq*. Imprimis quoad activitatem, seu efficaciam agendi, c. 11. 12. Tr. 4. p. 423. §. *Nec*. 538. 620. 621. §. 1. 2. 637. §. *Iam*. p. 693. §. *Nec*. An sola fide nitatur? ex Clementinis & Majore, p. 529. §. *Idem*. Ex Almaino, p. 531. §. *Alibi*, & *seqq*. Ex Dominico à Soto laudante Concilium Tridentinum pro re ipsa, pag. 569. §. *Cum*. Adde & Viennense expressiùs, *Ibid*. Nec aliter pueros præsertim posse dici justos, probat Vega, p. 572. §. *Argumentatur*. Imò contrarium Pelagianum esse, probat Driedo, p. 546. 547. Denique habitus aliquando adeò vehementes esse possunt, ut deliberationem auferant, inferantque necessitatem, ex Valentia, p. 587.

Hæresim definire, & ab erroribus secernere, quàm difficile? Tr. 1. c. 15. num. 1. Hinc in hæresum enumeratione authores variant, *Ibid.* & c. 19. num. 13. & *seqq*. Quinam scripserint de hæresibus, vel adversus hæreses, & quo discrimine, *Ubique*, & c. 46. num. 6. Priorautem veritas quàm hæresis, ex Tert. c. 24. nu. 4. & *seqq*. Et aliæ sunt hæreses dogmatum, aliæ schismatum, c. 19. num. 15. Quid distent hæreticus, & hæreticis credens? c. 15. num. 2. Hæreticum quidem hominem non facit ignorantia, nec pia simplicitas & docilitas, c. 17. num. 8. & *seqq*. *pr. f. ad Tr.* 3. num. 18. & *seqq*. Sed simplicium in hæresi credulitas minimam omnium authoritatem, hoc est suam vel suorum pastorum, authoritati omnium maximæ, scilicet Ecclesiæ, præfert, Tr. 1. c. 33. num. 4. c. 36. num. 2. Et in hoc propriè *hæresis* Græcè quasi electio, c. 13. num. 1. c. 14. num. 1. Scilicet arbitraria hæc Theologia ex hæretica electione descendit, c. 13. num. 10. c. 14. nu. 2. Et ex regula voluntatis, non veritatis, c. 20. num. 1. 2. Hinc Hæreticorum fides, non Evangeliorum, sed temporum & voluntatum tempori servientium, c. 14. num. 3. Necnon ex multiplici morum improbitate orta, ex Paulo & Chrysost. c. 4. num. 2. & *seqq*. Imò mera est idololatria, ex Irenæo, c. 18. nu. 3. Ex Athanasio, c. 21. num. 3. Frustra autem ad Scripturas provocant, quas aut non recipiunt, aut truncant, vel pro arbitrio interpretantur, c. 13. num. 4, 8. c. 14. num. 4. c. 24. num. 4. c. 25. num 8. Maximè cùm nec earum spiritum, nec charitatem, aut unitatem habeant, c. 13. *ferè toto*, c. 14. num. 4. c. 18. *ferè integro*, c. 24. num. 4. & *seqq*. Multò minùs spiritum privatis quibusque contra totam Ecclesiam, ut volunt, promissum, c. 17. num. 11. 13. c. 18. num. 6. & *seqq*. c. 20. num. 1. & *seqq*. c. 25. num. 9. 13. Nequidem famosissimis olim hæresiarchis id datum sub *Paracleti* vel *Radii* nomine, c. 24. num. 10. Ad summum malus spiritus seu Sathanas ipse præivit, Scripturas pro se allegans, ex Ambr. c. 14. num. 5. Ex Chrysost. c. 21. num. 5. Ex Hieronymo, c. 24. num. 1. §. *Video*. Hinc cavendi maximè hæretici, qui Scripturas Scripturis impugnant, ex Irenæo, c. 18. num. 1. Ex Aug. c. 23. num. 2. 3. 4. Cur utentes Scripturis & ipso symbolo, nihilominùs esse possint hæretici? c. 15. num. 5. Adde & utentes præceptis ac consiliis Evangelicis, c. 19. num. 12. Quid faciendum homini Neophito in medio sectarum Scripturis cum Ecclesia utentium? ex Chrysost. n. 15. §. *Exemplum*. Omnibus illud Christi obtendentibus, *Quærite & invenietis*, quid respondendum? ex Tert. c. 13. n. 2. c. 39. n. 2. & *seqq*. Omnes enim prorsus ad sua commenta scripturas ipsasque traditiones detorquent, ex Athan. c. 19. n. 1. Ex Aug. c. 22. n. 2. cap. 25. num. 8. Imò plures vicissim à scripturis ad Traditiones appellant, sed quales? ex Irenæo, c. 20. num. 1. Quales contra illis opponendæ sint? ex eodem, nu. 2. Imprimis ad origines Ecclesiarum suarum omnes revocandi, ex Tert. c. 24. num. 5. & *seqq*. Nec unquam poterunt unam eandemque Ecclesiam ex omnibus componere, ut volunt nuperi ex eis prorsus heterodoxi, c. 19. n. 12. & *seqq*. Imò nec propriè Christiani dicendi sunt, ex Epiph. c. 19. num. 9. & *seqq*. Ex Tert. cap. 24. n. 4. Quatenus nec eundem nobiscum Christum aut Deum prædicent, ex Iren. c. 18. num. 1. & *seqq*. Vel hinc pessimè sibi consulunt, dum Christiano nomini aliud proprium addunt, c. 19. num. 9. & *seqq*. *maximè* 15. Et omnes Ecclesiis Apostolicis posteriores sunt, cap. 26. nu. 4. §. *Hinc*. Quandonam ergo cœpere hæreses? ex Tert. c. 24. nu. 3. Omnium prima eorum, qui dixerunt, *Durus est hic sermo*, circa Eucharistiam, ex Aug. c. 15. num. 4. In quo maximè peccarint deinceps famosi hæreticorum duces circa Trinitatem? ex Leone M. Tr. 1. c. 3. num. 7. Et quidem longè pejùs quàm Philosophi, saltem Platonici, c. 34. numer. & *seqq*. An omnes Philosophi hæreticorum patriarchæ? ex Clem. Alex. cap. 36. nu. 11. Ex Tert. c. 39. n. 1. & *seqq*. Ex Iren. c. 40. nu. 4. Quatenus verò utrique paucis mutatis Christiani? cap. 35. nu. 8. c. 37. n. 6. In quibus aliàs consentiant aut dissentiant? cap. 39. num. 5. 6. cap. 43. num. 10. Tr. 2. cap. 1. num. 4. 11. cap. 2. numer. 4. Id convenit maximè hæreticis & philosophis, ut quod non capiunt, nec credant, ex Tert. cap. 39. num. 4. Et vim omnem in suis demonstrationibus philosophicis, seu privatis rationibus collocent, c. 22. nu. 4. cap. 23. num. 5. cap. 24. n. 1. Semper tamen rationi sanæ, & saniori philosophiæ adversentur, Tr. 2. cap. 24. nu. 6. §. *Nec Ariani*. Oppressis demum Philosophis cur adversus hæreses rursum elaboranda fuerint stromata dogmatum Theologicorum, & ex Scripturis & Patribus? Tr. 1. c. 45. Imo philosophari quandoque necesse est Theologos, adversus philosophantes hæreticos, Tr. 2. cap. 12. n. 5. Præsertim ubi primùm erumpit hæresis, Patrum compilanda sunt testimonia, ex Vincentio Lirin. Tr. 1. cap. 25. num. 9. Ex Cyrillo Alex. c. 33. Ex Theodoreto, c. 34. Nec dedignanda prorsus aliorum heterodoxorum scripta, sive vera, sive falsa, exemplo Patrum, cap. 26. num. 6. 8. c. 28. num. 7. 10. c. 34. num. 4. Tr. 2. c. 24. n. 5. Quam temerè & ineptè aliquando Patrum suffragiis niti se jactent? cap. 34. num. 8. Et quàm perversè non scripturas modò, sed & Ecclesiæ definitiones interpretentur, c. 21. num. 2. At ut cœperunt sic pergunt hæreses, Ecclesiam sciderunt, scindunt & seipsas, c. 24. num. 6. Et dum singulæ singulas damnant, Ecclesiæ uni patrocinantur, c. 13. n. 9. 10. c. 14. nu. 2. 4. cap. 15. nu. 3. c. 24. n. 5. 9. c. 39. num. 7. Quænam penitus hæreses jam ævo Augustini vel Theodoreti extinctæ? c. 19. nu. 16. c. 43. nu. 8. 9. At licèt quoque loco & tempore exoriantur & insaniant hæreses, sui tamen semper similes sunt, c. 14. n. 5. Hinc non parum interest, non penitùs obliterari memoriam antiquarum hæresum, & victoriarum de iis partarum, c. 43. num. 8. 9. In Pelagianis v. g. oppressit Augustinus omnium posthac hæreticorum querelas de

de Episcopis Synodisque, & aliis judicibus, à quibus damnati sunt, c.27. num.5. & *passim seqq.* Sive novi aliquid afferant hæretici, sive nihil, ne audiendi quidem sunt; cap.15. num.6. c.18. num.1. & *seqq.* cap. 33. nu. 2. Multòminùs ubi semel damnati fuerunt, c. 15. num. 6. Ut excusetur omnium hæreticorum rebaptizatio in Cypriano, & aliis; à Facundo, cap. 17. num. 1. Unius quidem hæresis inconsideratior & præfervida insectatio, in contrariam quandoque impingit, c.16. n.2. Et quandoque utrimque contraria hæresis mediis Catholicis diversimodè impingitur, *passim* CC.15. 16. 17. *præf. ad Tr.* 3. *præsertim* num.40. & *seqq.* Tr.4. pag. 516. & *seqq.* p. 547. §. *prolixè*. pag. 552. §. *Et*. At Ecclesia tolerat quidem aliquando flagitia, nunquam hæreses in suo sinu; Tr. 3. c.10. Nec pertinet necessitas hæresum nisi ad genus humanum universim; non præjudicans singulorum libertati, cap. 27. §. *Ex alia*. Nullatenus tamen hæretici generi humano idonei, Tr.2. c.3. num. 6. §. *Illud*. Cur omnes paganorum & hæreticorum sectæ, procul ab Ecclesia & Imperio eliminandæ, non autem Catholicorum? contra Symmachum & Themistium, *præf. ad Tr.* 3. nu. 10. & *seqq.* Quo exemplo probetur illos cogi posse ad unitatem Catholicam? ex Aug. Tr. 3. cap. 20. v. 6. Rursus ex eodem cum Gratiano, Tr.4. pag.438. Quo tandem motivo possit hæreticus Martyrum pœnas perferre? ex Aug. Tr.3. c. 20. v.9.

Hebræi potiusquàm Ægiptii philosophos omnes antecesserunt & docuerunt, Tr. 1. cap. 35. num.13. cap.36. num.7. & *seqq.* cap.37. num.1. & *seqq.* c.38. num. 1. 3. 8. v. *Israelita*.

Helvidius hæresiarcha, perpetuæ Virginitatis Mariæ impugnator, ex veteribus ab Hieronymo confunditur, Tr. 1. c.28. n. 5. c.44. n.4.

Henricus Gandavensis, in quo à Dionysio Carthusiano de præviis meritis perstringitur? Tract. 4. pagin. 493. §. *Iam*. Necnon à Bannesio cum Javello, pagin. 609. §. 1.

Henricus hæresiarcha, *Petrobusianorum* non absimilis, à Bernardo quibus armis confoditur? Tract. 1. cap.25. numer.14.

Henricus Henriquez, S. J. in Salmanticensi Academia Theologiæ professor circa annum 1585. de triplici gratia omnino ad nostrum & Antiquorum gustum sapuit, Tr. 3. cap.28. §. 1. Tract. 4. pag. 600. & *seqq.* Ex his præsertim Molinam cum sua conditionatorum scientia convellit, pag.601. §. *Sed*. & 602. §. *Gratuita*: De speciali verò auxilio licèt veteres omnes scholasticos nobiscum adducat ad conversionem præsertim & perseverantiam, propendet tamen ipse ad singulos actus, & unde? pag. 636. §. *Superest*, & *seqq.* Quid dixerit de Lessio? pag. 636. §. *Ubi*.

Heraclas Episcopus Alexandrinus, anteà Presbyter & Catechistes, quibus studiis instructus? Tract. 1. cap. 42. num.2.3.

Herculi, vel effusissima in mortales beneficentia, vel invicta in perferendis cruciatibus fortitudo, commentitiæ Divinitatis famam conciliavit, Tract. 1. cap.10. numer. 4.

Hermes Pastor cognomine, à titulo proprii libri, cur hìc de Trinitate prorsus omittatur? Tr.2. c.44. num. 8. §. *Denique*.

Hermes Trismegistus philosophus pariter relinquitur hic cum suo commentitio opere, Tr.2. cap.34. num. 8. Cur aliter visum fuerit Lactantio? cap.40. num. 7. Dubium de Aug. *Ibid.*

Hermogenes hæresiarcha materiam Deo coæquans unde probetur vel improbetur a Tert. Tr. 1. c.39. n.4. Tr. 2. c.37. n.6.7.

Hero philosophus Christianus pro fide exul, quatenus de philosophicis disciplinis laudetur a Gregorio Naz. Tr. 1. c.40. n.5.

Hervæus Natalis Britto, Theologus Parisiensis, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister circa annum 1320. etsi multas omiserit Magistri distinctiones, satis tamen consentit quoad triplicem gratiam, Tract. 4. pagina 467.

Hierarchas hæresiarcha somniabat Patrem & Filium instar geminæ lucernæ, vel potiùs unius lucernæ duobus luminibus seu lychnis, ex Hilario, Tract. 2. c. 26. numer. 3.

Hieremias Propheta quandonam fuerit in Ægypto, Pythagoræ potiùs, quàm Platonis Magister? Tr. 1. cap.35. n.2. 3. 11.

Hieronymus Ecclesiæ Doctor, quantam in suo penu, suoque adeò in pectore Bibliothecam Patrum recondidisset? Tr.1. c.28. nu.5. Imò totius sacræ & profanæ eruditionis, c.39. n.12. §. *Iam plus*. CC 44. 45. n.1. Ad quid legeret ipsos hetcrodoxos simul cum profanis? cap. 41. num.10. cap. 39. num.12. cap.44. num. 6. An, & quos, quibusve, consuleret legendos? cap.43. num.11. 12. cap. 44. num.5. 9. A fortiori Scripturas & Patres virgunculæ Christianæ, & Paulino Monacho? c.28. num.1. 2. c.44. num.2. Ipse jam senex qualem sibi sapientiam proponat? cap. 1. num.9. Ipsum nihilominus quasi torpentem, hoc est legentem potiùs quàm scribentem, jam excitaverat Damasus Papa, c. 2. nu. 1. Quid maximè opposuerit variis Hæreticis? c.24. nu.10.11. c.44. nu. 4. & *seqq.* Nec inutile putabat, alios aliis opponere, teste Aug. c.26.n. 6. Jure & ipse ante & post mortem eis oppositus, abeodem Augustino, c.26. n.6. 8.9. c.27. n. 4. Qualiter ipse vicissim affectus erga Augustinum? cap.28. n.9. Quatenùs Augustino, ejusque Magistro Ambrosio contrarius in interpretatione legis Mosaicæ? Tr.5. c.5. n.12. Quale ipsius de propriis Catechistis Nazianzeno & Didymo judicium? Tr.1. cap.28. n.3.6. c.44. num.6. Necnon & de aliis Patribus? c.28. uum.2.4.7. & *seqq.* cap.44. nu. 5. 7. & *seqq.* Imò ex ipso Origene & Tertulliano multa derivarat Hieronymus, præsertim in Epistolas Paulinas, c.43. n.12.14. §. *Non*. c.44. nu.3. & *seqq.* Nec propterea semper culpandus de alieno sensu, Tr.5. c.5. n. 15. c.11. nu.12. c.13. n.23. c.14. n.4.7. Multòminùs de vituperato tandem Origene cum Platone, Tr.1. c.39. nu.11. Ut se purget ipse, de nimiis erga Origenem olim congestis laudibus, c.28. n.6.7. 8. *Præf. ad Tr.* 4. §. *Nec*.

Hieronymus Zanchius ex omnibus Novatoribus in scriptis Scholasticorum versatissimus, nisi ubi peculiare eum hæreseos virus asperserit, Tr.4. p. 518.

Hilarius Pictavienses, cur suos de Trinitate libros *prædicationis* vocabat? Tr.1. c.1. nu.7. Cur paulò aliter de Ingeniti ac Patris nominibus locutus sit, quàm alii Patres? Tract.2. cap.11. num.1. *ac seqq. præsertim* num.10. 11. Idem de sapientia creata & genita? cap.23. num.8. 10. Prolixè explanatur ab Augustino quoad verba Trinitatem adumbrantia, cap. 20. num. 12. Quanti fecerit ab eodem Aug. cum aliis in rebus fidei? Tr.1. cap.26. num. 5. cap.27. nu.1. & *passim seqq.* c. 43. num. 6. Et ab Hieronymo? cap.18. n.1. 2. 4. cap.44. nu.2. & *seqq.* Quanti fecerit vicissim antiquos? c.29. num.3. Nequidem Origene excepto, c.44. n.7.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quales commentarios ex Patribus scripserit occasione Gottescalci? Tr. 1. cap.46. num. 1. Quales etiam compilationes canonicas? nu.2.

Hippolitus Episcopus & Martyr orthodoxè admodum scripsit de Trinitate adversus Noethum, & alias hæreses, Tr.2. c.44. n.12.

Historiæ utilitas ad Theologiam, ex Aug. &c. Tr.1. c. 35. n.2. 3.11. c.41. n.2.

Holchot, v. *Robertus Holchot*.

Hominis ad Deum comparationes mirum quantum inæquales, Tr.1. c.13. nu.11. cap.16. nu.1. cap.25. nu.4. c. 26. num.13. 17. c.27. nu.1. & *seqq.* cap.30. num.7.8.14. A fortiori ipsa imago Dei in homine, cap.18. nu.10. 12. c.20. n.1. & *seqq.* c.31. n.4. §. *postremo*. Trinitas ipsa in hominis creatione, c.38. n.6.11. 12. c.42. n. 9. 10. Ipsa hominis generatio quam dispar à divina, c.27. nu.2. Similiter immeationes mutuæ inter homines, ac inter divinas personas, c.28. n.1. 5. Quot variis sensibus plures homines dicuntur unus homo? longè aliter quam plures personæ unus Deus, cap.27. nu.1. & *seqq.* Quam dissidi interim inter se & à seipsis quandoque homines? c.27. num.4. c.28. n.11. Quàm inhabiles omnes ad orbem summa sapientia creandum moderandumve, c.33. n.1. Quænam statim in hominis creatione gratia collata? Tr.3. c. 1. De hominis lapsu, c.2. Superstites in eo divinæ imaginis radii, CC.3. 4.5. Cur de nullo unquam opere homo gloriari possit? c.15. Nec de gratia per determinationem vel resistentiam superata? CC. 16. 17. Qua utuntur homines potestate in jumenta, ea Dæmones in homines impios, ex Aug. c.23. §. *Ult.* Quousque extendatur illud ad primos homines, *Crescite & multiplicani*? ex Iren. Tr.5. c.7. n.5. Humanæ nostræ naturæ quantùm ætatum murium series sit consentanea? c. 2. nu. 6. & *seqq.* c.3. nu.1. & *seqq.* cap.5. nu.13. 14. c.10. num.7. & *seqq.* Sic ut genus hominum assuefieret per umbras & figuras, deinde per corpus proprium Deo contrectando, c.7. Imò & in Deum proficere, n.5. Ac per sacramentorum temporalium multitudinem & obscuritatem uni veritati Christo recipiendo, c.8. In summa, triplici regit genus humanum magisterio, Creaturæ, Legis, Christi, ex Bern. c.5. n.24. Quomodo genus hominum universa Christum prophetaret? c.11. n.14. & *seqq.* Imò ægra ipsa hominum natura, Christum ut medicum & reparatorem suspirabat, c.13. n.3. & *passim seqq.* Humano generi seu uni homini satis est semel vidisse quod diu expe-

expectarat, diù recordaretur, cap. 10. num. 7. Scilicet humanum genus aliquando intelligitur nomine unius hominis, & vicissim, Tr.2. c. 27. nu. 3. *& seqq.* Tr. 3. cap.20. v. 4. Tract. 5. CC.2.3. *ferè integris*, c. 10. nu. 7. Aliquando etiam universum genus humanum duo homines, Adam & Christus, c. 15. nu.13. *& seqq. præsertim* 17. Et uterque Christi adventus Redemptoris & Judicis duplex est, omniaque simul dicta & facta ad universos, & ad singulos homines, c. 14. num.1. *& seqq.* cap. 15. nu.1. *& seqq.*

Honorius Augustodunensis Presbyter, Gallicanæ fax Ecclesiæ eximia, circa annum MCC. & Anselmi doctrinæ sectator singularis, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. pag. 441.

Horantius, v. *Franciscus Horantius*.

Hormisda Pontifex Patrum authoritatem contra Novatores maximè confirmat, Tr.1. c.30. n.8.

Hugo de S. Victore, singulari cum Bernardo amicitia & literarum consuetudine junctus, Tr.1. c. 30. num. 5. In quo cum Richardo conveniat, discrepet à Petro Lombardo? cap. 46. numer. 5. Necnon à prioribus & posterioribus Theologis? *præf. ad Tr.* 4. v.5. *& seqq.* & pag. 427. *ac seqq.*

Hugo Etherianus sub Alexandro III. & Emmanuele Comneno, quid scriberet contra Græcos? Tr. 2. cap. 8. num.9.

Humanitas, *Humanum genus*, v. *Homo*.

Humilitas quàm ignota virtus Philosophis? Tr.1. cap. 35. num. 4. *& passim seqq.* Per legem cœpit innotescere, Tr. 5. cap.1. 5. num. 3. §. *At*. Et ex scripturis maximè commendatur ad Theologica addiscenda, Tr.1. *præsertim* cap. 6. Et quidem exemplo SS. Patrum, c.26. nu.2.7. c. 29. num.10. §. *Etsi*.

I

IACOBUS ALMAINUS, circa annum 1516. usus Magistro Joanne Majore, ex quo ejus de auxiliis sententia prorsus consentanea clariùs conjici potest, Tract. 4. pag. 530. *& seqq.*

Iacobus Bajus Doctor diversus à Michaele, & Professor Lovanii circa annum 1603. edidit *institutiones Religionis Christianæ*, omnium laude & admiratione celebres, pro triplici nostra gratia, contra Pelagium, Molinam, &c. Tr.4. pag.641. *& seqq.*

Iacobus Faber Stapulensis, ante annum 1525. Commentarios edidit in Epistolas Pauli & Evangelia, quos censuris insectari cœpit Natalis Beda, & hunc probare visa est Facultas Parisiensis, Tr.4. pag.531. *& seqq.*

Iacobus Latomus, celeberrimus Lovaniensis Professor, Academiæ suæ censuras contra Lutherum hortatu Caroli V. Apologia & pluribus opusculis fulciit, omninò appositè ad systema nostrum de triplici gratia, Tr. 4. pag. 535. 536.

Iacobus Naclantus, Dominicanus, Clugiensis Episcopus, Tridentinæ Synodi lumen, & Thomæ, imo Pauli dignissimus discipulus quoad triplicem gratiam Christo potissimùm nixam, Tract.4. pag.510. *& seqq.* Excipe tantùm exempla Dei & Beatorum ad libertatem viatorum non spectantia, §. *Ult.* & pag.614. §. *Sed.*

Iacobus Payva Andradus, post annum 1560. Theologus à Sebastiano Lusitaniæ Regie Tridentum missus, horis à Synodo vacuis elucubravit *Orthodoxarum explicationum libros decem*, nostris consentaneos, adversus Martinum Kemnitium imprimis de Justificatione, Tr.4. p. 581. *& seqq.*

Iansenius Gandavensis Episcopus, etsi præferat suam verborum Christi interpretationem, *Quoties volui*, &c. ipsi Augustinianæ; cætera convenit cum Augustino, maximè quoad *miros gratiæ modos*, & excusat Chrysostomum & alios Græcos quamvis consentaneos, sed molliores ante Pelagium, Tr.4. pag.628.

Iansenius Iprensis Episcopus, quod genus auxilii generalis in Patribus agnoverit? Tract. 3. cap.8. §. 1. *& seqq.* cap. 19. §. *pertinent*. In quo erraverit? cap. 8. §. *si qui*. Quàm id alienum à piorum sensu? Tract. 4. pag. 618. §. *Universim*. Facilè tamen corrigitur, Tract. 3. cap. 19. *cit.* Non ita circa efficaciam Gratiæ justis necessariæ, c. 12. §. *Antequam*, & c.13. Unde sequitur impossibilitas mandatorum? *Ibid.* c.28. nu.6. Non quòd Ecclesiæ judicio contra ejus librum involvatur doctrina gratiæ efficacis, c. 19. §. 1. Sed quòd rursus hæc non possit consistere in sola delectatione victrici justitiæ, c. 20. *toto*. c.24. §. *Non*. Deinde quòd ea quæ erant habitualis gratiæ, actuali Jansenius tribuerit, c.20. v.3. c. 28. v.6. Tr.4. p. 655. v. 3. Præterea quòd timore servili ita putet posse vitari graviora peccata, ut incurrantur saltem leviora &c. Tr.3. c.20. n.10. c.24. §. *Non*. Tr.5. c.3. n.12. *& seqq.* Denique quòd actibus indeliberatis amoris, quos in illa delectatione admittit, crediderit voluntatem physicè determinari, Tr. 3. c. 20. v.17. Tr.4. pag.650. §. *Quod*. Rectiùs ipsemet in Exodum ex verbis Augustini, moralem tantùm determinationem admittit ad indurandum, licèt ex omnipotentia Dei, c.26. §. *Nusquam*. Aliàs ejus doctrinæ tantisper non adhæsit author hujus operis, nisi ante sedis Apostolicæ decreta, *præf. ad Tr.* 4. v.7. §. *Nec*. Quàm facilè recipiantur cum his Commentariis? Tr.4. p.626. §. *Accedit*. Sic Anonymus author medius inter Jansenium & Molinam, Tr.4. pag. 655. §. *Ex. & seqq.*

Iapones & Indi à Xaverio edocti, quid de naturali divinorum notitia & gustu testificentur? Tr.4. pag. 618.

Iavellus, v. *Chrysostomus Iavellus*.

Idea, secundùm Platonicos aut Hæreticos, quatenus à diversis Patribus probentur, vel improbentur? Tr. 1. c.39. nu. 5.6. Tr.2. c.24. nu. 10. c.35. nu.3. *& seqq.* c.36. num.2. *& seqq.*

Idololatria ex quo fonte & quando prodierit? Tr.5. c. 13. n.8. 23. Ut Philosophi eam aluerint? Tr.1. c.39. nu. 3. c.45. num.14. §. *Non*. Quæ Philosophia vel fœdissima olim Idololatria, defensaretur à Symmacho? *Præf. ad Tr.* 3. n.10.12.21. Et unde Gentiles suam Idololatriam, inde hæretici sua repetunt mendacia, ex Iren. Tr.1. cap. 18. num. 5. Quàm nihil timendum jam Astronomis nostris ab Idololatria, cap.43. num.14. §. *Non*. Ex quo tandem capite Idololatria omnis execranda? Tr.2, c.3. num. 5. §. *Non. & seqq.*

Ierusalem, v. *Israelita*.

Iesuita seu S. I. Theologi quanti faciendi sunt cum æmulis Dominicanis, non obstante aliquali inter eos discordia, *præf. ad Tr.*3. num.2. *& passim seqq. ad Tr.*4. v.7. §. 4. *& seqq.* Iesuitarum Colonienstum censura contra Kemnitium quanti fieret ab Andrado Lusitano, maximè pro gratia efficaci? Tr.4. p. 582. §. *Ad*. Quales verò in alios censuræ Lovanienstis & Duacenstis? p. 634. *& seqq.* Necnon ipsius Bellarmini, Vasquesii, & Valentiæ adversus Molinam, ex Isamberto? pag. 650. §. *Nunc*. Quid verò ejusdem Societatis Theologi de scientia media senserint, ante & post Generalis decretum? pag. 651. §. *Scientiam*. Quid pro eis in Congregationibus de Auxiliis? pag. 654. §. *Ex*.

Iesus Christus, v. *Christus Dominus*.

Iesus Nave filius, seu *Iosue*, in quo maximè præ Moyse typus? Tr.5. c.5. num 6.

Iesus Siracides Hagiographus cum aliis Scriptoribus sacris, ante & post canonem clausum, sapientiam ut hypostasim viventem agnovit, Tr.2. c.24. n.8.

Ignatius Antiochenus Episcopus & Martyr, quomodo laudetur ab Hieronymo contra Pelagianos? Tr.1. cap.28. num. 8. Longè priùs ab Irenæo & contra alios hæreticos? c.32. num.6. Postea à Theodoreto contra Eutychianos? Tr.2. c.44. num.2. Universim pro Trinitate ex sinceris ejus epistolis à SS. & antiquissimis PP. *Ibid.* præsertim §. *De Syge*.

Ignis similitudo Patribus familiaris ad Divina exprimenda, Tr.2. c.26. n.1. *& seqq.* &c.

Ignorantia docilis quàm procul sit ab hæresi? ex Fac. Tr.1. c.17. num.8. *& seqq.* Invincibilis nulla est, vel peccato non obnoxia, ex Gersonio, Tr.4. pag.483. §. *Cum*. Ex Tappero contra Gregorium Ariminensem, pag. 539. §. *Discriminis*. Ex Petro à Soto, pag. 580. §. *An*. Ex Valentia, pag. 586. §. *Alibi*. Ex Lensæo, p.632. §. *Sicubi*, &c. Ignorantia saltem nostra per legem Christo præluforiam curabatur, Tract.5. c.1. n.5. *& seqq.*

Imaginis ratio in quo propriè consistat? Tr. 2. c. 20. n. 1. *& seqq.* Quid sit imago in Evangelio, juxta Patres? Tr. 5. cap. 9. num. 13. *& seqq.* An imagines Christi cum aliis in Carpocratianis Epiphanius reprehenderit? Tr.2. c.34. n.3.

Immeationum varia genera, ad intelligendam divinam personarum inter se, omnium penitissimam, Tr.2. c.28. n.1. *& seqq.*

Immortalitas specierum quo modo servetur per individua mortalia? ex S. Thoma, Tr.3. c.23. v.5. De immortalitate animæ, v. *Anima*, &c.

Impossibilitas, an sit aliqua respectu Dei? Tr.2. cap.1. num.8. c.2. n.3. Quo differat impossibilitas à difficultate? ex Anselmo, Tr.4. pag.421. §. *Quo*. Ex Adriano VI. pag. 534. §. *Hic*.

Incarnatio, v. *Christus*.

Indi, v. *Iapones*.

Indifferentia, v. *Actiones*, *Libertas*, &c.

Infantia, v. *Pueritia*.

Infideles, v. *Fides*, *Gentiles*, &c.

Ingeniti nomen, licèt ex profanis, quantùm admi-

ratus sit Hilarius? Tr. 2, c. 11. num. 1. v. *Trinitas*.

Innocentius III. Papa, in Parisiensi Academia eam hausit de triplici gratia doctrinam, quam ex Apostolico Trono augustiùs effunderet in orbem Catholicum, Tr. 4. p. 442. 443.

Innocentius V. v. *Petrus Tarentasiensis*,

Intelligentia cum fide vicissitudo & diversitas, Tr. 1. c. 1. p. 4. c. 37. n. 2. Tr. 2. c. 2. n. 8.

Ioannis Antiocheni Episcopi causa cum Cyrillo Alexandrino, ex Facundo, Agobardo, &c. Tr. 1, c. 16. num. 3. & *passim seqq.* c. 29. num. 13. *Præf. ad Tr.* 3. num. 40. & *seqq.*

Ioannes Azorius Lorcitanus S. J. Theologus, circa annum 1600. edidit *Institutiones morales* triplicis gratiæ doctrina plenas, sine scientia media, aut prædeterminatione physica, Tr. 4. p. 622.

Ioannes Bacho Anglus, Carmelita, Doctor cognomine *Resolutus*, circa annum 1345. excepta prædestinatione ex præviis meritis, cætera satis cum aliis consentiens, Tr. 4. p. 475.

Ioannes Baptista, legis personam sustinens, ejus utilitatem commonstrat, ex Ambr. Tr. 5. c. 5. num. 9. Ex Hilario nu. 16. Cur illi, licèt supra natos posito, Basilius exæquatus à Nysseno? Tr. 1. c. 32. nu. 3.

Ioannes Bassolis Minorita, Scoti discipulus, satis cum Bachone & Rubione suprà positis consentiens, Tr. 4. p. 476. §. *Ex*.

Ioannes Bunderius à Gandavo Dominicanus, brevitate & eruditione sacra edidit circa annum 1546. *Compendium conversationis Theologica super erroribus sui temporis*, idoneum illud quod adducatur in temperamentum Augustini, Tr. 4. p. 552.

Ioannes Capreolus Dominicanus, Thomistarum princeps, non aliter potuit à S. Thoma triplicem intelligere gratiam, quidquid senserit de Gregorio Ariminensi, ac de utroque sentiant nonnulli recentiores, Tr. 4. p. 478. & *seqq.* 528. §. *Si.* & *seqq.* ac 609.

Ioannes Chrysostomus CP. Archiepiscopus, & Græcorum facilè princeps, sicut Augustinus Latinorum, Tr. 1. c. 6. num. 1. c. 8. nu. 10. Quanti fierer ab Augustino contra Pelagianos? c. 27. nu. 4. c. 45. nu. 6. Non ergo ipsi contrarius, ut putavit Toletus, &c. Tr. 4. p. 603. §. *Nec*. p. 604. §. *Quod*. Meritòque vendicatur cum suis à Pererio, p. 620. §. *Cur*. Necnon à Velloso in *advertentiis Theologiæ Scholasticæ in Chrysostomum*, & in quatuor Doctores Ecclesiæ, p. 623. De Joannis causa cum Theophilo Alexandrino, Tr. 1. c. 16. num. 7. postea cum Cyrillo Theophili nepote & successore in melius converso, c. 22. num. 9. §. *Ita*.

Ioannes Climacus Abbas, iis se rationibus à Theologorum gradu dejicit, quæ illum maximè ad hunc provehunt, Tr. 1. c. 5. nu. 9. 12.

Ioannes Coelius quid habeat in discussione Articulorum Confessionis Augustanæ? Tr. 4. p. 557. §. *Vis*.

Ioannes Colonienses Minorita, ex omnibus Scoti discipulis compilavit *Quæstiones Magistrales*, hujus veræ sententiæ indices, Tr. 4. p. 476.

Ioannes Damascenus, quomodo Patres assuerit in suis quatuor libris *de fide Orthodoxa*? Tr. 1. c. 46. n. 6. §. *Origenis*. Tr. 2. c. 11. n. 9.

Ioannes de Neapoli, Dominicanus, Theologus Parisiensis, cuendæ Aquinatis doctrinæ addictissimus, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 463.

Ioannes Diaconus E. R. quam Gregorii M. vitam ex ejus operibus compilavit? Tr. 1. c. 45. n. 9.

Ioannes Driedo, Lovaniensis Professor, optimè videtur nodos omnes solvere circa gratiam generalem, specialem, & efficacissimam, præsertim ex Augustino contra Pelagium, Tr. 4. p. 543. & *seqq.* Propterea impensè laudatus à Soto, p. 570. §. *Idea*.

Ioannes Evangelista, cur alter ipse *Jesus*, & Theologus alter Joannes? ex Origene, Tr. 1. c. 3. n. 10. Necnon *filius Tonitrui*, ab ipso Christo? Tr. 2. c. 27. num. 10. c. 34. num. 3. Quantum omnes Philosophos superaverit? ex Chrys. Tr. 1. c. 37. n. 7. Imò Joannis Evangelium aliorum primitiæ, ex Origene, c. 3. n. 10. Cur statim à secunda persona exorsus fuerit? Tr. 2. c. 2. nu. 5. §. *Ioannes*. c. 7. n. 13. c. 13. nu. 14. c. 27. nu. 10. Quodnam tandem Symbolum, hortante Deipara, Gregorio Thaumaturgo explanavit? ex Nysseno, Tr. 1. c. 32. n. 4. Tr. 2. c. 45. n. 4.

Ioannes Ferus, Minorita Germanus, circa annum 1545. convenienter Augustino exponebat Christi verba, *Nemo venit ad me &c.* de gratia speciali & generali, Tr. 4. p. 563.

Ioannes Fisherus, Episcopus Roffensis, Cardinalis, & Martyr, non alia potuit dogmata obtrudere, quàm inter Catholicos receptissima, licèt fingat majus vero forsan inter aliquos dissidium, magis in veteres Patres inclinans pro triplici gratia, Tr. 4. p. 553, 554. Cur Gregorio Arminensi inclementior in refutatione errorum Lutheri? p. 474. 553. Ipsi verò lubentiùs accedit Tapperus, quam Dominico à Soto, quoad subtractionem auxilii specialis in obduratis, p. 540. 9. *Totus*.

Ioannes Gersonius Doctor & Cancellarius Academiæ Parisiensis circa annum 1420. Paulo, Augustino, & sequacibus impensè suffragatur in explicanda triplici gratia, Tr. 4. p. 483, 484.

Ioannes Hesselius Lovaniensis Professor, circa annum 1580. triplicem exposuit gratiam ad mentem Augustini, id est nostram, vel in sola confutatione fidei specialis, omissa hìc *brevi & dilucida explicatione Decalogi*, Tr. 4. p. 640. 641.

Ioannes Lensæus Lovanii Regius Theologiæ Professor, circa annum 1590. in LL. *de Christiana libertate*, ea docuit quoad triplicem gratiam, quæ illi ac nobis maximè favent, Tr. 4. p. 644. & *seqq.*

Ioannes Major Scoto-Britannus Parisiensis Doctor, narrat primùm qua occasione Doctores Parisienses retenta Scolastica, Positivam magis commendarint, Tr. 4. pag. 529. Deinde huic ipse magis inclinans, eò magis triplici nostræ gratiæ hucque spectantibus favet, *Ibid.* & *seqq.*

Ioannes Malderus Antuerpiensis Episcopus, Theologiæ quondam Professor Lovanii, circa annum 1623. triplicem gratiam appositè adhuc ad nostras mentes exposuit, Tr. 4. p. 644. & *seqq.*

Ioannes Mariana S. J. Theologus, vir incomparabilis, cujus vel nomen ipsum encomium est tum sacræ tum profanæ eruditionis, quid dixerit de novis in schola concertationibus? *Præf. ad Tr.* 4. §. *Vis*. & p. 598. 599. §. *Iam*. Quod temperamentum proposuerit? §. *De*. Rursumque cum Pererio, p. 649. §. *Approbat*. Quid de gemina prædestinatione? pag. 598. §. 1. Gratuitæ alioqui, ipsisque Augustino & Thomæ totus studens, §. *At*. In hoc uno forsan hallucinatus, quòd ab Augustino vel excogitatam, vel à Paulo longè repetitam censuerit, contra Græcos Patres & Latinos Antiquiores, quos tamen Semi-Pelagianis non accenset, p. 599. §. *Prædestinationem*.

Ioannes Maria Verratus, Ferrariensis Carmelita, Professor Bononiensis, circa annum 1543. Paulo III. luculentas dicavit adversus Lutheranos disputationes, ubi sibi & sano dogmati ferè omnes conciliat quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 521. Excipe duplicem prædestinationem, p. 522.

Ioannes Nicolai Dominicanus, vir quidem doctissimus, sed in revidenda Raynerii de Pisis ejusdem Ordinis *Pantheologia*, sex capita de suo interseruit pro gratia physicè prædeterminante, Tr. 4. p. 463. §. *Usque*.

Ioannes Puteanus Augustinianus, in Academia Tolosana Theologiæ Professor, circa annum 1620. ad amussim S. Thomæ, triplicem defendit gratiam, sine prædeterminatione ordinaria, aut scientia conditionatorum, Tr. 4. p. 648. 649.

Ioannes Scotus Erigena, cur à scriptoribus coævis, antiquorum authoritate lacessitus? Tr. 1. c. 30. num. 7. Etiam quoad sæcularium literarum peritiam, c. 45. num. 16. A fortiori quoad sacram, Tr. 2. c. 3. numer. 7.

Ioannes Viggers Lovaniensis Professor, circa annum 1629. S. Thomæ placita religiosissimè sectatus, adeòque & plurium, quoad triplicem Gratiam Tr. 4. p. 646. & *seqq.*

Iob Patriarcha seu Propheta & Hagiographus, antiquissimum & expressissimum dedit testimonium de Dei sapientia Verbo Patris, Tr. 2. c. 33. num. 1. Sapientiæ deinceps schola in ejus familia, num. 3. 4. Vel ex eo conjicitur alios Prophetas ad gentes missos, ex Aug. Tr. 5. c. 13. nu. 13. 20. 26. 28. 29.

Iobius vetus author apud Photium, multa habet dubia, aliqua tamen præclara, Tr. 2. c. 31. n. 8.

Isaacus Cliftovius Neoport. Doctor Parisiensis, & Carnotensis Canonicus, compendium veritatum *fidei* contra Lutheranos ex Concilio Senonensi anni 1528. Francisco I. dicavit, aliaque edidit opera, Parisiensis tum Academiæ sensum indicantia, à prædeterminatione præsertim physica alienus, Tr. 4. p. 528.

Ionas Aurelianensis Episcopus quales edidit libros *de Institutione Laicali*? Tr. 1. c. 46. n. 1.

Ionas Propheta, propositus in exemplum contubernii Israelitarum cum Gentibus, Tr. 5. c. 13. n. 25.

Iosephus Angles, Valentinus Minorita, Theologiæ Professor, postea Episcopus Bosanensis, *Flores Theologicarum Quæstionum* circa annum 1596. Sixto V. nuncupavit, ex qui-

ex quibus aliquot libantur de gratia habituali, de generali, & maximè speciali seu efficacissima, cum necessariis in concomitantem Scotistarum more animadversionibus, Tr. 4. p. 624. & seqq.

Iosephus de Vica Dominicanus anno 1665. edidit Panormi in Sicilia Tom. I. Theologicum, cum approbatione Generalis, Provincialis, ac Theologorum Ordinis; unde probetur, illos Scholæ S. Thomæ, cui cum Augustino opus ducatur, adgregari, quicumque pro prædestinatione gratuita, ejusque executione infallibili, licèt variis modis, certant, Tr. 4. p. 654.

Iosephus Historiographus, Judæus, multiplici disciplinarum copia refertus, præsertim contra Apionem, ex Hieronymo, Tr. 1. num. 11. cap. 39. nu. 12. §. *Pergit*. c. 44. num. 9. §. *Unde*. Unde eas laudet in Abrahamo? apud Cassiodorum, c. 43. num. 14.

Iosephus Patriarcha, quatenus ipsa sua venditione, Dei voluntatem impleverit? Tr. 4. p. 521. §. *Vehementer*. An solis corporibus, non etiam animabus profuerit? ex Davide & Hieron, Tr. 1. c. 43. n. 11. §. *Ab*.

Iosue, v. *Iesus Nave*.

Irenæus Lugdunensis Episcopus, quæ ab Apostolorum discipulis, à Christo deprompta acceperit? Tr. 5. c. 7. num. 4. Agmen ducit in Synodo Patrum ab August. coacta, contra Pelagianos; Tr. 1. c. 37. nu. 2. & passim seqq. Antiquiores tamen se impensè laudaverat, & ad quid? contra hæreses, c. 32. n. 6. c. 46. nu. 6. Non ita Philosophos, & cur? c. 40. nu. 4. Quid de Trinitate senserit? c. 43. *integro*.

Isaacus author dubius apud Gennadium, satis tamen accuratus in describendis tribus proprietatibus personalibus, Tr. 2. c. 11. n. 7. §. *In*.

Isaias Propheta, non frustrà prophetiæ tempus annotavit, Tr. 1. c. 8. num. 12. Quid per virtutes principales intellexerit? Tr. 2. c. 17. num. 1. 2. Et per verba à Paulo postmodum usurpata, quasi in contrarium sensum? Tr. 5. cap. 14. num. 15.

Isambertus, v. *Nicolaus Isambertus*.

Isidorus Hispalensis Episcopus, primus omnium lucubravit summam quandam sententiarum, quo discrimine ab aliis? Tr. 1. c. 45. n. 9.

Isidorus Peluseota Presbyter, quàm tenaciter sentiat Trinitatem ex veteri etiam Testamento commendari? Tr. 2. c. 4. n. 6. §. *Sed*.

Ismael, reproborum licèt typus, qua gratia donatus? juxtà Lipomanum, Tr. 4. p. 520.

Israelis nomine quid intelligatur, ex eodem Lipomano? Tr. 4. p. 520. Duo Israelitarum genera, Tr. 3. c. 5. n. 7. Conjici potest plures ex eis sapientiam seu Verbum agnovisse, Tr. 2. c. 24. n. 3. Necnon & Spiritum sanctum, c. 34. num. 2. 6. Quam ex tribus personis, Patribus apparuisse crederent? cap. 43. num. 7. Quam de Trinitate ipsa Theologiam à Patriarchis & Regibus suis acceperant? cap. 33. *ferè toto*. v. n. 10. Quam vicissim Philosophis Gentilibus contulerint? c. 34. n. 1. 2. 6. c. 35. nu. 1. 3. 11. Ad quid aurum Ægyptium ab Israelitis asportatum? Tr. 1. cap. 42. num. 10. Imò cur justi sint spoliare Ægyptios? Tr. 5. c. 6. num. 3. Cur illi vel posteri per Josue potiùs quàm per Moysen in terram promissionis inducendi? c. 5. num. 6. 7. Exemplum 12. Tribuum utrimque adhuc pro Dei cultu æstuantium, & ad quid? ex Fac. Tr. 1. c. 16. n. 10. At quid per fontem vitæ & sapientiæ ab Israelitis derelictum? ex Prophetis, cap. 5. nu. 6. 7. Quomodo ob superbientes Judæos, justitia ex timore dicatur esse hominis, non Dei? à Paulo, c. 3. nu. 14. Cur his temporalium amore inescatis, temporalia tandem subtrahenda fuere? c. 4. n. 5. & seqq. Utcumque illi intelligebant sacramenta sua ad fidem Deo religandam pertinuisse, c. 8. num. 2. Quomodo fides infirmorum perfectioribus niteretur? num. 15. c. 14. num. 21. Et lex tota nonnisi Charitatem seu Christum insinuabat, quam sola impediit plurium infirmitas, c. 12. n. 12. & seqq. Imò ipsa totius populi Israelitici historia erat Christi prophetia & prolusio, c. 11. num. 1. & seqq. num. 14. & c. 12. *ferè toto*. Hinc non potuerunt nisi absurdè Scripturas interpretari, sine Christo, & Ecclesia, Tract. 1. num. 3. & seqq. Tract. 5. cap. 11. num. 9. & seqq. num. 16. Et hinc est illorum velamen, Tract. 1. cap. 11. num. 7. Qua arte inducendi fuerunt ab Apostolis ad Divina de Christo paulatim credenda? c. 31. num. 7. Tr. 2. c. 36. nu. 11. 12. cap. 42. num. 2. Necnon ad legem paulisper abolendam? c. 31. nu. 13. Tr. 5. c. 1. n. 12. Cur illos ut imperfectos adhuc compellat Paulus in propria ad eos Epistola? c. 6. n. 5. Scilicet illa lex Judæorum paucos traxerat, sicut naturalis & Philosophica Gentilium, plures semper sola Christiana, Tr. 1. c. 36. n. 6. 11. 12. Tr. 5. c. 1. n. 6, & seqq. c. 13. nu. 26. & seqq. An solùm ex illa comparatione pauciores ex Judæis salvati? c. 8. n. 9. & seqq. c. 13. n. 15. 16. Una maxima professione credendi distat à Judæis & Gentilibus Christiana Religio, Tr. 2. c. 1. n. 4. In primis quoad Trinitatem, c. 4. n. 6. §. *Sed*. c. 5. n. 3. 5. c. 9. n. 5. §. *Non*. c. 27. n. 9. c. 33. 36. nu. 11. 12. Quot obices opponeret Judæorum Religio ad Gentilitatem recipiendam? c. 3. n. 6. Præsertim ex parte Jerosolymitani templi? *Ibid*. Quænam tamen Judæorum prærogativæ supra gentes? Tr. 5. c. 13. n. 1. 2. An Christus seu fides in Christum propensiùs sit à Gentilibus quàm à Judæis suscepta? c. 7. n. 11. c. 8. n. 9. & seqq. Perfectiùs tamen à primis Judæis, n. 3. & passim seqq. Imò usque ad Monachismum, juxta veteres, n. 16.

Iudæ utriusque, scilicet Patriarchæ & Traditoris peccata, ad Christum quomodo relata? Tr. 5. c. 11. n. 18.

Iudæi, v. *mox supra Israelitæ*.

Iudicium duplex, ad singulos, & ad universos, Tr. 5. c. 14. nu. 1. & seqq.

Iudocus Raveštein Tiletanus, Theologiæ professor in Academia Lovaniensi circa annum 1567. scripsit succinctam confutationem ministrorum Antuerpiensium, nobis satis consentaneam, præsertim quoad propriam gratiam Christi, Tr. 4. p. 268.

Iulianus Apostata in edicto contra Ecclesiam, quid præsertim Christianis circa humaniores literas prohibeat? Tr. 1. cap. 42. num. 8. Scripsit quoque adversus Christum, quæ necesse fuit à Patribus ex Philosophis refelli, cap. 44. num. 9. §. *Subiicit*. Necnon ex Patriarchis & Prophetis Philosophorum, ac totius orbis magistris, Tract. 5. cap. 13. num. 25.

Iulianus Pelagianus passim confunditur cum suis, in confutatione errorum de peccato Originali, Tract. 1. cap. 24. num. 1. cap. 26. num. 4. & seqq. cap. 27. num. 1. & seqq. cap. 45. num. 6. 7.

Iulianus Pomerius genere Afer, sed Presbyter Galliæ, quo animo fuerit cum Prospero & aliis in laudandis operibus August. contra Novatores? Tr. 1. c. 29. n. 11.

Iulianus Sirenius, Hieronymianus Brixianus, luculentos de fato libros nobis prorsus conformes dicavit Herculi Legato primario Pii IV. in Concil. Trident. aliisque Gonzagis Card. Tr. 4. p. 624.

Ivo Carnotensis Episcopus, recensetur inter primos Collectores Canonum, cum notis, Tr. 1. c. 46. n. 3.

Iustificatio nostra post peccatum, nonnisi per gratiam habitualem explicari vel capi potest, Tr. 3. c. 10. *toto*. Hoc est per Christum justitiam nobis factum, &c. Tr. 5. c. 3. num. 2. & seqq. n. 8. c. 4. nu. 9. & seqq. c. 15. nu. 12. 14. An & per justitiam imputativam Christi? ut voluit Contarenus ante Concil. Trid. Tr. 4. p. 605. §. *Idem*. Paulò temperatiùs ex Naclanto, p. 510. Prorsus negativè, ex Dominico à Soto, p. 569. §. *Imputativam*. Et ex Horantio, p. 583. §. *Libros*. Quomodo justitia, quæ ex timore est, dicatur esse hominis, non Dei? ex Paulo, Tr. 3. c. 3. num. 14. Quantum distet justus à justitia? Tr. 2. c. 21. nu. 2. 4. 5. Cùm possint justi deficere, & restitui, necesse est ipsam per se summam justitiam vivere, ad quam & per quam restituantur, ex Patribus, c. 21. n. 5. 6. Ex Philosophis, c. 35. n. 3. Unde justis possibilia sunt præcepta? Tr. 3. c. 12. 13. Maximè per amorem justitiæ, & qua amor est, & qua justitiæ, ex Bern. Tr. 4. p. 425. §. *Hoc*. Etiam post lapsum superstites in justis justitiæ & æquitatis radii, Tr. 3. c. 3. 4. 5. Tr. 5. c. 13. n. 4. Justis veteris Testamenti unde & quomodo jam incarnatus Christus? Tr. 3. cap. 9. §. *Vit*. Tr. 5. c. 14. nu. 4. & seqq. Imò semper & ubique, c. 15. nu. 12. 14. Justitiæ temperamentum pro utroque Testamento, c. 4. nu. 11.

Iustinus Philosophus & Martyr, cuinam præ cæteris Philosophiæ addictus? Tr. 1. c. 37. n. 4. 5. 6. Tr. 2. c. 44. n. 1. Usus ipse fidei opera, loco liberalium artium ad intelligibilia & divina percipienda, Tr. 1. c. 41. n. 7. Quibus testimoniis utatur in libro de Monarchia Dei? ex Euseb. c. 46. n. 6. Quænam ipse proferat pro Trinitate? c. 42. num. 1. & seqq. Quibus argumentis probaverit Christum Socrati & aliis non fuisse omnino incognitum? ex Andrado, T. 4. p. 582. Tr. 5. c. 13. n. 24.

Inventa inter alias hominis & mundi ætates describitur ab Augustino, Tr. 5. c. 2. n. 8. 9. Cur illa amore seu charitate regenda sit? c. 3. n. 1. & seqq. Necnon & æternorum solida spe, c. 4. nu. 1. & seqq. Timor & similia illi non sufficerent, c. 5. nu. 13. 17. Majoribus quippe præceptis, nempè Evangelicis, per sapientiam ipsam erat imbuenda, ex August. & aliis Patribus, c. 6. *integro*.

K

KEMNITIUS, v. *Martinus Kemnitius*.

L

LACTANTIUS Christianus orator, ambiguus aliquando de Filio Dei, Tr.2.cap.40.num.8.10. Minùs cautus de Spiritu sancto, num.12. Hieronymi de eo judicium, *Ibid.* & Tr.1. cap.28. num.2.7. cap.45. num. 4. Aliud Augustini, cap.43. num.6. Lactantii vero ipsius de Platone, Aristotele & Cicerone quoad Divina, cap.36.num.1. Tr.2.c.40. nu.5. & *seqq.*

Lactantius Domaninus Mantuanus Theologus Carmelita circa annum 1592. vel ex solo primo Tomo de divina providentia & gubernatione, favet maximè nostro systemati de triplici gratia, quid in secundo de prædestinatione? Tr.4. p. 595. & *seqq.*

Lateranensis Synodus sub Martino Papa, de Synodorum generalium, sanctorumque Patrum authoritate, robur omne traxit adversus Monothelitas, Tract.1.cap.34. num. 11. *Lateranensis* alia Synodus Generalis IV. sub Innocentio III. quid statuerit pro studiis? cap. 46. num. 10. §. *Hinc*.

Latini, v. *Occidens*, *Patres*, &c.

Latomus, v. *Iacobus Latomus*.

Laudum semper modus tenendus, etiam pro illustribus, Tr.1.c.32.n.3. Excessus tamen condonatur charitati, §. *Vereor*. Non autem pro impiis, c.35.n.1.2. At Religiosos omnino nos esse decet in publicis maximè Dei laudibus, ex Basil. Tr.2. c.10.nu.9.

Laurentius Iustinianus, primus Venetiarum Patriarcha, sanctitate & eruditione insignis, ac in arcanis gratiæ divinæ expertissimus, circa annum 1440. docebat de gratia triplici, eadem quæ Augustinus ab eo laudatus, Tract. 4. p. 487.488.

Lensæus, v. *Ioannes Lensæus*.

Lessii Doctrina non sine reprehensione exposita, Tract. 4. p.636. §. *Vbi*.

Lex vetus quando & ad quid data? Tr.3.cap.36.§.1. Tr.5. cap.1. & *seqq.* Cur Christo præstruenda fuerit, saltem ut lux, lac, &c. ex Paulo & Aug. *Ibid.* Ex Ambr. c.5. nu.3. & *seqq.* Ex Hieron. n.12. & *seqq.* Ut citra conflictum nunc extollatur, nunc elevetur? *Ibid.* & num.14. 17. 18. 19. *Et antea*, cap.1.num.12. Tract.1.cap.31. num.13. Philosophia Gentilium lex, seu pædagogus ad Christum, ut lex Judæorum, c.36.nu.6. & *seqq.* Tr.5.c.5. nu.8. c.13. nu. 26. & *seqq.*

Lex naturalis saltem præstabat gentibus, quod *Mosaica* Judæis, cap.1.num.6. & *seqq.* Imò Mosaica erat etiam pro Gentibus, ex Ambrosio, cap.5.num.5. Ab utraque, infamia inutilitatis abstergitur, ex Paulo & August. cap. 1. num.8.cap.4.num.2. Ex Ambros. cap.5. num.3. & *seqq.* Ab Hieron. & Hilar.citra conflictum,num.12 & *seqq.* A Tert. num.17. Utraque etiam nunc à singulis obeunda, c.2. nu.7. & *seqq.* Imò sub lege sola præcipiebatur charitas, etsi hominum infirmitas solo timore regi se pateretur, c 12. n.12. Tres verò leges significantur per tres annos Patrisfamilias, ex August. c. 2. num. 4. Et per tres mensuras fermenti conservatrices, cap.9.nu.12. Et per tres gradus umbræ, imaginis, & veritatis, nu. 13. & *seqq.* Item per tres alios gradus seu partes licèt inæquales ejusdem prædicationis de Christo, c.13.n.15. & *seqq.* Infinitus aliarum legum numerus, hominum cordibus naturaliter insitus ex supradictis, Tr.3. CC. 3. 4.5.

Liberales artes, v. *Artes*,

Liberorum educatio qualiter tractanda, ex Hier. Tr.1.c. 28. n.1.c.43.nu.12.

Libertas triplex distinguitur à Bernardo, Tr.4. pag.425. §. *Sed*. & *seqq.* Quam ex illis peccando amisimus? ex Aug. & Hug. Vict. pag. 428. §. *Libertas*. Quatuor autem stationes liberi arbitrii, ex eodem Hug. & Magistro, pag. 439. & *seqq.* Illius definitio, ex Honorio Augustod. pag. 440. & *seqq.* Ab ea exclusio omnis necessitatis, ad perfectam indifferentiam, & meritum, ex Bernard. mox cit. pag. & 427. §. *Ideò*. Ex Alphonso à Castro, pag. 585. §. *Idem*. & *seqq.* Et ex Lensæo, post Bernardum, & alios, p.631. & *seqq.*

Lindanus, v. *Guillelmus Lindanus*.

Lipomanus, v. *Aloysius Lipomanus*.

Litteras primas, quasi amatorias seu charitatis illices, Deus ipse direxit, ex Greg.Mag. Tr.1.c.12. Unde factum, ut litteris indigeremus? c.8. num. 14. Cur & quomodo eas Christianis prohibuerit Julianus Apostata? c.42. num. 8. v. etiam Artes, Scriptura, &c. *Lovanienses* Doctores, simul & seorsim in Lutherum detonuerunt ad communem tunc, quæ fuit semper, Catholicorum doctrinam, Tr.4. p. 555. 536.533. Similiter & posteri, p. 621. & *seqq.* Item in censuris publicis annorum 1586. & 1588. earumque defensionibus, pag.677. & *seqq. præsertim*. 679.§. *His*. & 681. §. *Quod*.

Lucanus Poeta Etnicus, quid referat de Christianorum Mysteriis? Tr.2.c.42.nu.6.

Lucianus Presbyter Antiochenus, & Martyr, quàm improbabiliter dicatur, apud Alexandrum Alexandrinum Episcopum, à tribus Episcopis ob Paulum Samosatenum exclusus, Tr.2. c.46. n.9. A quo & Ariani se *Collucianistas* nuncupabant, *Ibid.* Et quem Hieronymus ac alii summoperè commendant, *Ibid.*

Luciferiani schismatici, cur etiam pro confirmatione ab Hieronymo confutati? Tr.1.c.24.n.11.

Ludovicus Granatensis Dominicanus præstantissimus Orator, idemque Theologus, nec doctrina tantùm, sed & rerum spiritualium experientia spectatissimus, adeoque & circa Gratiam, quæ horum omnium caput & fons est, Tr. 4. p. 654.

Ludovicus Montesinus, Complutensis primarius professor, erroneum probat ex Augustino, & Bullis Pii V. ac Gregor. XIII. asserere omnia infidelium opera esse peccata, Tr.4. pag.615. Ex aliis ejus de gratia generali & speciali placitis, quid de efficacissima probasset, satis conjicitur, nisi alia Bulla Pauli V. & decretum Inquisitionis prohibuissent, p. 616.

Lugdunensis Ecclesia quantum studuerit paci animorum, in Quæstionibus de Gratia, occasione Gottescalci? *præf. ad Tr.* 3. n. 37. 38. 40.

Lutherus hæresiarca prænomine *Martinus*, sed hic ponendus cum suis *Lutheranis* simul primùm condemnatis in Concil. Trid. ob dogma de peccato in omnibus operibus ex mero timore servili conceptis, Tr.3.c.8§.1. Imò in omnibus operibus ante justificationem, tanquam sine gratia factis, c.9. §. *At*. Videlicet quòd sola justificans, propriè gratia diceretur, Tr.4. p.555. §. *Totus*. & *seqq.* Quid eis opponerent Catholici? *Ibid.* & pag.588. 587. Deinceps alia dogmata contra totam Theologiam veterem & modernam, *præf. ad Tr.* 4. v. 7. & *seqq. Item in tota ferè parte* 3. præsertim in Doctoribus Parisiensibus & Lovanienses seorsim & simul, p.555. Exceptis forsan Bradvvardino, & Ariminensi, de quo nimis etiam Lutherus ipse gloriabatur, pag. 516. 474. 471. & *seqq.* Unde tandem dementissima Lutheranorum fiducia de sua salute? pag. 570. §. *Postremo*. v. etiam *Novatores*.

Lux, quam inhabitat Deus; pro corporea quàm ineptè à Manichæis sumeretur? Tr.1.c.14.n.7. At ex nostra corporea, rectiùs sancti Patres, similitudines sumpserunt ad divina exprimenda, Tr.2.c.26. Quam multa tamen in his deficiant? ex Hilario, nu. 3. In primis quòd diceret Hierarchas hæreticus Patrem & Filium, instar esse geminæ lucernæ, vel potiùs unius lucernæ duobus luminibus, seu lychnis, *Ibid.*

M

MACEDONIUS Hæresiarca cum suis *Macedonianis*, in quo maximè peccarit contra Trinitatem? ex Leone M. Tr.2.c.3. n.7. Ex Athan.c.7. n.4. Illis objicientibus quomodo Deus, Deus, Deus, non essent tres Dii, responsum, quomodo non essent ipsi Dideitæ, si nos Trideitas criminaretur? ex Naz. n. 9. Ut ipsis omne aufugii occludatur contra traditionem antiquissimam de Spiritu S. ex eodem, c.34.nu. 10. Multòmagis ex ipsa Damasi Papæ confessione contra *Macedonium* missa, c.31.n.4. §. *Refertur*, Cur paulò tardiùs contra Macedonianos elucidata de Spiritu S. doctrina à Concilio Cp. c.40.n.12. §. *Non*,

Macrina institutrix Basilii, ad eum Taumaturgi doctrinam, ipsaque verba transmisit, ex ipso Basil. T.1,c.23. n.5. §. *Ultimo*.

Madaurenses populi Pagani, quibus rationibus ad fidem ab August. invitati? Tr.2.c.3.n.9.

Magisterium totius humani generis omnino triplex, Natura, Lex, Gratia, seu Christus, ex Bern. Tr.5.c.5.n.24. Imo Magistri omnes, nonnisi monitores, vel etiam condiscipuli sub uno Magistro Christo, ex PP. Latinis, Tr.1.c.9.n.9. & *seqq.* Ex Græcis, c.10. nu.1. & *seqq.* Cur non sineret Julianus Magistros Christianos docere? c.42. n. 8. Nec probaret Hieronymus Clericorum majorum liberos magistris Etnicis operam dare? c.43. nu. 12. E contra Etnicos Christianis in Origene, 11.

Maior, v. *Ioannes Major*.

Malderus, v. *Ioannes Malderus*.

Malvenda, v. *Petrus Malvenda*.

Mandata, v. *Præcepta*.

Manichæi hæretici, quomodo tria principia, ac proinde tres Deos, inveherent? ex Athan. Tr.2, c.7.nu.1. Pro liquida quam promittebant veritate, nonnisi fabulas proponebant, ex Aug. Tr.1.c.6.n.4. Vel fucatam facundiam, c.9. num.8.

num. 8. Præſertim cùm veteres ſcripturas interpretarentur, ſine reſpectu ad Chriſtum, c.11. num.2. 4. 5. Et quod idem eſt, ſine charitate quæ elucet vel in pugnis veterum, cap.12.num.9. Quàm ſtupidè *lucem, quam inhabitat Deus*, hanc corpoream interpretarentur? c.14. num. 7. Imo nihil poſſent fingere, niſi corporeum, & extenſum, c. 35. nu.4. Quid de libero arbitrio? Tr.4.p.539. §. *Quia*. Dum autem univerſim quos vellent ſcripturæ libros, vel librorum verſus, aut verſuum ſenſus promebant, reliquos repudiabant, quibus regulis confutarentur ab Auguſt. Tr.1.c.23. n.1. *& ſeqq*. Cur maximè Matthæi Euangelium reiicerent? n.3. §. *Cum*. Procul verò vel Manicheiſmi rumor propulſatur ab Aug. c.26.nu.5.c.27.n.1. Adhuc longiùs ab Eccleſia, c.27.nu.8.

Marcellus Ancyranus Epiſcopus, quid præſcripſerit, ut ſe Catholicum probaret? Tr.1. c.19. n.13.

Marcion hæreſiarcha cum ſuis Marcioniſtis quomodo Romæ exceptus? ex Tert. Tr.1. c. 24. num.2. *& ſeqq*. Fruſtra illi cum aliis Scripturas truncabant, ex Epiph. c.20. nu.7. Adhuc ſtultiùs adulterabant, ex Tert. c.24. nu. 2. *& ſeqq*. Ipſa ratione abutebantur ad errores ſuos, tanquam ex Platone, ſed falsò, juxta Clem. Alex. c.26. num.11. 12. juxta Tert. Tr. 2. c.37. n.3.4. Qua ratione, licèt ex Scripturis, unitatem Dei contra eos probaret Epiphanius? Tr.2. c.25. n.9. Athanaſius verò comparationem triplicis Solis cum tribus hypoſtaſibus, iiſdem Marcioniſtis revera Trideitis familiarem? c.26. num.6. Non ita Nazianzenus, nu.7. An eorum hæreſis quinto Eccleſiæ ſæculo ubique extincta? ex Aug. & Theodoreto, Tr.1.c.43.nu.8.9.

Maria Deipara Virgo, ſpeciali prædeſtinatione, ferè ab omnibus excipitur, Tr.4.p.466.498. 522. &c. Imò proponitur ut ſapientiæ exemplar abſolutiſſimum, ex Hieron. Tr.1.c.1.n.9. Necnon & perfecti Theologi; ex Orig. cap.3. n.7. *& ſeqq*. Ex Ruperto, Tr.5. c. 11. num.7. Scripturæ ipſius cum Maria matre & virgine comparatio, ex Clement. Alex. Tr.1.c.20.num.5. Ex Rup. Tr.5.cap.11. nu.3. *& ſeqq*. Authoritas Patrum ipſiuſque plebis Catholicæ pro *Deipara* voce & fide, ex Cyrillo Alex. Tr.1.c.33. nu.5. *& ſeqq*. De diſſidio, num *propriè* & veraciter *Mater Dei* prædicari poſſet? c.15.num.7.10.cap.16.num.2. De Symbolo, quod ipſa Deipara, per Joannem Euangeliſtam, Gregorio Taumaturgo fecit explanari; ex Nyſſeno, cap.32.num.4. Perpetua tandem ejus virginitas ex Patribus aſſeritur, contra Helvidium, Jovinianum, ac ſequaces, cap.28. n.5. cap. 44. nu. 4.

Maria Magdalena & ſoror Martha, quoæ initio ignoraverint, propterea non culpandæ? Tract.1. 17. num.9. Cur Mariæ præ Martha poſtmodum opus præſtantius? cap. 1. num.6. An & auxilium copioſius? Tract.4.pag.529. §. *Ideo*. *& ſeqq*. 652. §. *Quoad*. Quomodo ipſi Mariæ poſt reſurrectionem præſens Chriſtus aderat, etſi nec tangi, nec videri poſſet? ex Ambroſ. Tr. 5. cap. 14. num. 3. Ex Fulg. num.12.

Mariana, v. *Ioannes Mariana*.

Marius Victorinus Rhetor in exemplum converſionis Auguſtino datus à Simpliciano, Tr.1.c.35.num.5.ac deinceps aliis ab ipſo Auguſt. cap. 43. num. 6. Sapit ille quidem nonnihil doctrinam Platonicorum, facilè tamen conciliandus cum Catholica, Tr.2.cap.8.num.78.cap.9. num.5. 6. c.32. nu.7. 10. 12. Quippe apud Patres Arium impugnantes, integra ſemper viguit Victorini fama, c.8.nu.8. cap.32. præſertim, nu. 10. 12. Imo non mediocri laude videtur ornandus, qui rem tam præclaram conatus eſt, *Ibid*. Ejus adhuc apologia, c.41.nu.8.

Martha, v. cum *Maria Magdalena*.

Martinus Bucerus, librum edidit de doctrina & vocatione ſua ad Bonnam ſub Hermanno Archiepiſcopo Apoſtata, ab Univerſitate & Clero Colonienſi damnatum, Tract. 4. p. 560.

Martinus Dumienſis Abbas, poſteà Braccharenſis Epiſcopus, qualem ediderit collectionem Canonum? Tr.1.c.46. num.2.

Martinus Kemnitius, novellæ hæreſeos circa annum 1564. ſignifer, præſertim quoad juſtificationem, à Jeſuitis Colonienſibus, & ab Andrado confutatus, Tr. 4. p. 581. §. *Tridentina, &c.*

Martinus Lutherus, v. *Lutherus cum ſuis Lutheranis*.

Martyrum conſtantia aliquando ex ipſo timore inferni confortata, ex Auguſt. Tract. 3. cap. 10. num. 8. Imò vel ex inde hominis hæretici ad ferendas Martyrum pœnas, v.9. Reliquias Martyrum, & earum cultum, quibus armis defenderit Hieron. contra Vilantium? Tr. 1. c. 24. nu. 10. Imo contra Eunomium primum hæreſeos authorem, pridem ab Eccleſia ob Arianam etiam perfidiam proſcriptum; iiſdem tamen honoribus à ſectatoribus cultum, quibus ipſe fraudaverat, *Ibid*.

Maſcarenus, v. *Ferdinandus, &c.*

Materia quænam Deo coæva? juxta Hermogenem, Tract.1. cap.14.num.4. juxta Tertull. *Ibid*. & Tr.2. cap.37. num.6.7.c.38. num.10.11. juxta Philonem, c.36. num.2. v. *Corporea*.

Mathematicarum ſcientiarum ubi videantur principia, etiam ab imperitis? ſecundùm Patres Latinos, Tract. 1. cap.9.num.4. *& ſeqq*. Secundùm Græcos, cap. 10. num. 3. *& ſeqq*. Tract. 2. cap. 22. num. 7. De Mechanicis, præſertim ex Origene, Tract.1. cap.10. num.10. Ut ex Mathematicis omnibus ædificari charitas Dei & proximi poſſit, teſte Auguſt. cap. 12. num. 5. 6. Imò omnis prorſus Theologia, ex Patribus Græcis ſimul & Latinis, cap.41. num.7. *& ſeqq*. cap.42. num. 4. *& ſeqq*. cap. 43. num. 4. 11. 14. In iis quis modus tenendus? cap.42. num.5.6. 7. c.43. num. 2. *& ſeqq*.

Matthæus Apoſtolus, quot modis ad Chriſtum adduci potuit? ex Toſtato, Tr.4. p.491. §. *Quod*. Cur ejus præſertim Euangelium à Manichæis rejectum? Tr.1.c.23.num.3. §. *Cum*.

Matthæus Blaſtares Monachus, quale ſyntagma conſarcinavit ex omnibus antiquis compilationibus? Tr. 1. c. 46. num.7.

Matthias Aquarius Dominicanus, in nova Capreoli editione Sixto V. circa annum 1586. dicata, illius ac S. Thomæ, necnon præſertim Conc. Trid. vindex, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p.589. *& ſeqq*.

Matthias Feliſius Belga, Ordinis Minorum Theologus, pari elegantia & ubertate ſcripſit circa annum 1573. nobis omnino conſentaneam Inſtitutionem Chriſtianam, contra Lutheranos & Calvinioſtas, Tract. 4. pag. 638. *& ſeqq*.

Maximianiſta, v. *Donatiſta*.

Medicina, quo potiſſimùm pretio eſſe deberet? ex Baſil. & Nazianz. T.1.c.41. n.4. Ex Auguſt. c.43. num.7. v. etiam *Morbi*.

Medina, v. *Bartholomæus Medina*.

Mediolanenſis Eccleſia, cur ſpecialem habeat Canonum doctorem, ex Inſtitutione S.Caroli? Tract. 1. c. 46. num. 4.

Mel, ex qua potiſſimùm parte idoneum ad divina explanada? Tr.2.c.26.n.2.

Melanthon, v. *Philippus Melanthon*.

Melchior Canus, Dominicanus, Franciſco Victoriæ non impar diſcipulus, & in Salmaticenſi Theologica cathedra ſucceſſor, poſteà Canarienſis Epiſcopus, & ex Patribus Tridentinis, non imparia docuit de gratia præſertim generali, hucque ſpectantibus, Tr. 4. p. 577.

Melito Sardenſis Epiſcopus, ad quid inſcripſit ſermonem de Deo incorporato? Tr.2.c.42.n.12.

Mercenarius in quo differat à ſervo & filio? ex Bernardo, Tr. 5. cap. 5. num. 22. §. *Rurſum*. Ex Baſilio, nu. 16.

Meriti, quæ vel origo vel conditio ſit? ex Bern. Tr. 4. pag.424. §. *Ideo*. Ex duplici merito, de condigno, & de congruo, quodnam præcedat juſtificationem? ex B. Laurentio Juſtiniano, p. 487. Meritum congrui plerique reiiciunt, Tr.4.pag.590. §. *Quod &c.* Conciliantur cum aliis, pag. 635. §. *Quærit*. 623. 650. §. *De*. §. *Nunc*. Meritum propriè dictum nonniſi ex gratia juſtificante, juxta Auguſt. Tr. 3. c.8. *in fine*. Unde nec gloriandum fuit, nec primo homini, nec Angelis, c.15.multominùs in ſtatu præſenti, cap.30.

Methodius Olympi primùm, poſtea Tyri Epiſcopus, & Martyr, quid ſcripſerit pro Chriſtianis, contra Porphyrium? ex Hieron. Tr.1. cap.44. num.9. Item contra Origenem, Tr.2.c.44. num.11. Denique plurima in Scripturam, Photio quidem & aliis quoad Trinitatem ſuſpecta, ſed perperam, *Ibid*.

Milevitanum Concilium, contra Pelagium, quid intellexerit per Gratiam? Tr.4.p.547. §. *Prolixè*. p.659. §. *Initio*. 646. §. *Sancti*. 649. § *Gratia*. Et per opera gratiæ & gloriæ non meritoria? p 567. §. *Quod*. Item per gratiam ad adjutorium? p.575. Ac tandem per ſpeciale auxilium perſeverantiæ? p.570. *Idem*.

Militia aptiſſimum exemplum, ad exprimendum modum gratiæ efficaciſſimæ, ex Lindano, Tr.4.p.627.§. *Modum*.

Millenariorum error unde ortus? ex Epiphanio, Tr.1.c.2. n.8. §. *Cum denique*.

Mina aliquam opis ſpeciem ſecum ferunt, quomodo? Tr. 5.c.1. n.10.

Minutius Felix, Cauſidicus Romanus, in duobus libris quid gentilium ſcripturarum non attigerit? ex Her. Tr.1. c.45.n.4. Non ita ſacrarum, ex eodem, & Lact. Tr.2.c.41. n.1. Illius tamen de Platonica Philoſophia teſtimonium huc attinens, *Ibid*.

Mirabilium natura, ſeu *Miraculorum*, non alia magis cauſa, quàm Dei voluntas, cui nihil impoſſibile,

Tr. 2. c. 2. n. 1. Duplicis generis *Miracula*, initio fidei requisita, cap. 3. num. 4. §. *Etsi*, Et alia postmodum ab Hæreticis, non tamen tanquam causæ illorum decretoria, Tr. 1. c. 13. nu. 7.

Missio, quid sit propriè in Deo, &c. Tr. 2. c. 42. nu. 5. Quid & ad quid Ecclesiastica? ex Tert. Tr. 1. c. 24. n. 2. Ex Paciano, c. 25. n. 1.

Moguntinense Concilium anni 1549. & Catechismus seu Christiana institutio ejusdem, eadem docent quæ Concilium Tridentinum, saltem de gratia generali & speciali, Tr. 4. p. 651.

Molina S. I. Theologi doctrinam, quasi Semipelagianam reprehendunt ipsi Vasquez, Valentia, Bellarminus, & alii ejusdem Societatis lumina, ex Isamberto, Tract. 4. pag. 631. §. *Nunc*, Illa ad examen Clementis VIII. & Pauli Quinti delata, Tract. 3. cap. 4. §. *Plures*. In quo ipse fuerit author secundi in schola schismatis, *præf. ad Tr.* 4. §. 4. *& seqq.* Primus verò scientiæ mediæ, *Ibid. circa fin.* & p. 651. §. *Scientiam*. Mediam tutior iniit viam inter ipsum Molinam & Jansenium author anonymus, p. 655. Et huc tendunt decreta Ecclesiæ, pag. 656. v. *Gratia, Jansenius Iprensis, Jesuita, &c.*

Monachis, imo *Monialibus* ipsis instituendis, cur post Scripturas, Patres legendos consuleret Hieronymus? Tract. 1. cap. 28. num. 1. 2. cap. 44. num. 2. Necnon ipsas humaniores litteras, ad Scripturas exponendas, Cassiodorus? c. 43. num. 13. Quàm perversè Joannes Scotus Erigena? cap. 45. num. 16. Quatenus verò à studiis Monachos retrahebat Climacus? c. 5. num. 9. 12. Item Petrus Dam. Bernardus, Petrus Cluniacensis, Gratianus, &c. c. 43. num. 14. *& seqq.* Quot tamen olim sub proprio vel Amanuensium nomine in *Monasteriis* & Seminariis Theologorum agmina? c. 2. num. 7. *& seqq.* c. 34. n. 5. c. 46. num. 6. §. *Non*. Quatenus à communione proprii Episcopi abstinere possint Monachi cum plebe? ex Cyrillo Alex. c. 33. n. 6. De voto vitæ *Monastica* non impleto, quid Xaverius? Tr. 4. p. 619. §. *Postremo*.

Monothelitis hæreticis, nihil fortius traditione sua Apostolica opposuit Agatho Papa, per synodicam in 6. Synodo Romana lectam, Tr. 1. c. 22. n. 11.

Montanistæ alii hæretici, novitatem suam vel ipsi prodebant, sic propriam confessionem orsi, *Nobis primùm revelatum est*; sic ferè omnes alii, ex Athan. Tr. 1. c. 31. num. 9. Mirum quas ipsi Montano insanias de Spiritu sancto tribuat Bas. Tr. 2. c. 30. n. 12.

Montesinus, v. *Ludovicus Montesinus*.

Montilianus, v. *Clemens Montilianus*.

Moralis Philosophia non minùs certa quàm Mathematicæ, Tr. 1. c. 10. n. 4. v. *Philosophia*.

Morbi sensus, & Medicinæ necessitas, per legem patuit, ex Aug. Tr. 5. c. 1. n. 4. *& seqq.* Ex Ambr. c. 5. n. 3. *& seqq.* Ex *toto ferè* c. 16.

Mortalitas, v. *Immortalitas*.

Moyses Legislator, primus qui ad nos pervenerit librorum scriptor, in exemplum datus ad divina percipienda, Tr. 1. cap. 4. num. 7. 9. cap. 5. num. 3. 8. Etiam per liberales disciplinas, cap. 41. num. 5. 6. 8. cap. 43. num. 17. *in fine*. cap. 44. num. 9. A fortiori per revelationem secretorum Dei, Tr. 4. pag. 520. §. *Israelita*. Imò præcessit omnes in exhibendo Deum, *eum qui est*. Tr. 1. c. 35. num. 11. Aliqua alia cum aliis, à profanis mutuatus dicitur, ex Hieron. c. 39. nu. 12. Ex Bas. cap. 41. nu. 1. Ex Clem. Alex. n. 8. Ex Aug. c. 43. nu. 6. At his omnibus sapientior, ea tantùm attigit de Mundo, quæ Creatoris admirationem parerent, & amorem, ex Ambr. c. 39. num. 13. §. *Sic*. Non ipsius Dei naturæ intelligentiam, Tr. 2. Imò nequidem Angelorum creationis meminit, toto licèt jam mundo celebratæ, c. 24. num. 5. At sapientiæ quidem ut hypostasis à summo principio distinctæ, ut quæ jam etiam sola saltem traditione innotuerat, *Ibid.* Longè verò expressiùs, & ante omnes, in libro Job, & in Deuteronomio, c. 33. num. 1. *& seqq.* Saltem quoad majorem expositionem, simul cum Spiritu sancto, n. 7. 9. 19. Sic Moysis schola ab Abrahamo ad Israelitas, & Ægyptios aliosve tradu&a, *Ibid.* n. 3. 4. c. 34. n. 5. c. 35. num. c. 36. nu. 2. *& seqq.* An à Moyse omnis Philosophia repetenda? Tr. 1. c. 36. num. 11. 12. c. 37. nn. 1. *& seqq.* c. 38. nu. 7. *& seqq.* c. 39. num. 13. Tr. 2. c. 33. n. 1. *& seqq.* c. 36. n. 2. *& seqq.* c. 42. nu. 1. *& seqq.* A tabernaculo ipso, & aliis Mosaicis institutis, Pythagoræ & Numæ instituta ac Religio, Tract. 1. cap. 38. num. 9. Quantò plus Judæis per legem & sacramenta Moysen contulerit? ex Aug. Tract. 5. c. 1. num. 3. *& seqq.* cap. 8. num. 3. *& passim seqq.* Ex Ambr. c. 5. nu. 6. Ex Cyrillo Alex. num. 27. cap. 6. num. 9. 12. Quomodo per duas Dei & Moysis tabulas utrumque Testamentum? ex August. c. 3. num. 9. Moysi verò, sicut cuilibet alteri scriptori canonico optandum omnes sensus veros complecti, Tr. 1. c. 7. num. 10. Quo potissimùm sensu de solo Christo scripserit? ex ipso, & Aug. c. 11. n. 4. c. 35. n. 3. Tr. 5. c. 11. 9. Quò tandem perfectionis attigit schola Mosaica? c. 8. n. 3. *& seqq.* At Mosaica cathedra quantalibet demum fuerit, Christiana semper longè inferior est, T. 1. d. 1. n. 1. c. 36. n. 11. 12. Vel ipsis modis loquendi de Deo, Tract. 2. c. 10. num. 14. §. *Mox*.

Mundus duplex, intelligibilis & sensibilis, apud Platonem & Aug. Tr. 1. cap. 43. n. 2. Apud Philonem, Tr. 2. c. 36. num. 2. *& seqq.* Quatenus intelligibilis per totum sensibilem diffundatur? c. 23. n. 1. 2. 6. Et hic mundus dicatur unus? c. 3. num. 9. c. 17. num. 11. Et ut liber omnibus obvius quid annunciet? Tr. 5. cap. 4. num. 4. Quid profuisset mundi aspectabilis contemplatio sine altero, vel utroque testamento? Tr. 1. cap. 40. num. 2. 3. Ut universitatis vinculum sit Trinitas, & imago pulcherrima mundi? Tr. 2. cap. 32. num. 5. c. 36. num. 23. 8. De materia mundo condendo necessaria, ex Philone, num. 2. Ex Hermogene, & Tert. Tr. 1. c. 39. num. 4. Tr. 2. c. 37. n. 6. 7. c. 38. De virtutibus administris, c. 36. num. 8. 10. A fortiori de influxu Verbi divini, & Spiritus sancti, in creatione, conservatione & gubernatione mundi, c. 42. num. 7. 9. 10. c. 43. nu. 1. 7. Ad instar dierum creationis sex mundi ætates, vel tres aut quatuor aliunde, ex scripturis ab Augustino describuntur, Tr. 5. c. 2. *integro*. De mundo prædestinato & reprobo, Tr. 3. cap. 2. §. *His*. v. etiam *Homo, Orbis, Prædestinatio, &c.*

Mysteria, silentio semper tegenda & veneranda, nisi ab hæreticorum pravitate defendenda, ex Hilario, Tr. 1. c. 13. num. 8. Ex Facundo, c. 17. num. 9. Illa verò non ultra metas curiosiùs perscrutanda, ex Christi duplici nativitate, cui Eucharistia congemina, cap. 14. num. 1. Tr. 2. c. 1. num. 3. Quo modo demum perennia sint? ex Ambrosio & Hieronymo, Tr. 5. c. 14. n. 3. 4.

N

NABUCHODONOSOR REX, cur minoribus, quàm Pharao, flagellis resipuerit? Tr. 4. p. 570. Quæst.

Naclantus, v. *Iacobus Naclantus*.

Natalis Beda, Theologus Parisiensis, circa annum 1525, Fabrum censuris infectatus est, quas probare visa est ipsa facultas Theologica, quoad triplicem gratiam, Tract. 4. p. 532.

Natura superior increata, quantum distet ob omnibus creatis. Tr. 2. c. 6. num. 3. *& seqq.* Quatenus tamen hæ omnes illam exprimant, c. 23. num. 2. 6. c. 26. *ferè toto*. Tr. 5. c. 4. num. 4. Et ut Deus ipse videri possit à naturis creatis? Tr. 2. c. 13. num. 8. *& seqq.* At ne *naturalia* quidem satis intelligere possumus, quantò minùs supernaturalia & divina? Tr. 2. c. 1. num. 1. *& seqq.* c. 2. nu. 5. *& seqq.* Minimè verò comparantur nisi ejusdem naturæ res, c. 15. num. 9. Cur in naturam seu substantiam propriè non cadat majus aut minus? c. 15. n. 3. c. 16. nu. 4. 7. Carere principio, vel habere principium, non ea est cujuslibet rei natura, sed circa naturam, ex Nazianz. c. 10. n. 11. c. 11. n. 6. §. *Contra*. Eæ autem naturæ partes attingendæ, quarum utcumque in Scripturis fit mentio, ex Aug. Tr. 1. c. 43. nu. 5. Quamquam de rebus naturalibus nihil statuendum sit ex Scripturis, quando repugnant demonstrationes philosophicæ, ex eodem, c. 40. n. 7. At omnium naturæ mirabilium, adeoque jam supernaturalium, non alia magis quàm Dei voluntas, cui nihil impossibile, Tr. 2. c. 2. nu. 1. Quid sit agere ex viribus naturæ, & in naturalibus? Tr. 3. c. 6 §. 1. c. 9. §. *Omnibus*, Tr. 4. passim in singulis, præsertim in S. Thoma, Holkoto, Petro Alliacensi, Biele, & in hac partis 2. pag. 498. Imò ex ipso Paulo, interprete Augustino, p. 518. Apud Hadrianum VI. p. 534. Driedonem, 543. §. *Sed* p. 545. §. *prolixè*, Melchiorem Canum, 577. §. Et Andradum, 582. §. *Quod*, Medinam, 610. §. *Rursus*, Ovandum, 610. Felisium, 639. §. *Nam*, Tr. 5. c. 1. n. 6. *& seqq.*

Nectarius Cp. Episcopus, quod consilium à Sisinno Novatianorum Episcopo acceperit Theodosio communicandum pro reducendis sectariis? Tract. 2. cap. 47. num. 7. 11.

Negationes & affirmationes, ac utriusque generis *nomina*, ut in Deo distinguantur? à Basilio, Tr. 2. cap. 10. num. 6. ac *seqq.* Et ut inter modos sobrios cogitandi ac loquendi de Deo, negationes præferantur à Dionysio? Tract. 2. cap. 1. num. 11, 12. At in ingeniti *nomine* merè negativo totam Dei contineri ac comprehendi essentiam, quàm absurdum contra Eunomianos? c. 10. n. 6. *& seqq.*

Nepotianus Clericus, an etiam Presbyter, & qualis Theologus? ex Hieron. Tr. 1. c. 1, 10. c. 2. n. 1.

Nestorius Cp. Episcopus, Hæresiarcha, cur non plebis suæ,

suæ, sed ipsius Doctorum hactenus vitio ignorantiam impingeret? Tr.1.c.22.num.9. §. *Cum. & seqq.* Econtra decessores omnes illi præfert Cyrillus Alex. *ibid.* c.33. nu.10. Necnon successorem, suæ & omnibus Ecclesiis conjunctum Cælestinus Papa, c.22. num. 10. Imò constantem omnium Patrum traditionem uterque, num.9.10.c.33. n.5. *& seqq.* Cur Symboli etiam Nicæni professio non satis purgaret Nestorium? ex Cyrillo Alex.nu.8. Quatenus plebs, Senatus & Monasteria ab ejus communione abstinere potuerint? nu. 6. Quandiu viguerit Nestoriana hæresis? c.43.nu 9. An hactenus? *Ibid.* Quomodo vitandi ejus scopuli? c.15. num. 5. *& seqq.* Vel ipsa fama Catholicis impacta? *Ibid.* & c. 16. nu. 1. *ac seqq.*

Nicena prima Synodus Œcumenica, cur & quo sensu vocem consubstantialis antea damnatam consecraverit? ex Athanasio Arii in Concilio impugnatore, Tr.1.c.21. nu.1. c.31.n.1: *& passim seqq.* Ex Basilio, c.21. nu.6. Ex Hilario, c.17. nu.4. c.29. num.3. 4. Ex iis omnibus, &c. Tr.2. c.46. Nihil ibidem novatum contra Antiquiores, ex Hilar. Tr.1. c.29. num.4. Etsi fieri posset quoad voces, ex Athan. cap.31.num.2.3.13. Tr.2.cap.37. num.1.9.c.38. num.3. cap. 46. Idcircò ut Patres, maximè Nicænos, Synodosque jubeat audiri Chrysostomus, tum in fide contra Arium, tum quoad Pascha, Tract.1. cap.33. num.1. Quare nihilominus Nicæni Symboli professio non satis purgaret Nestorium? ex Cyrillo Alexand. num.8. Ex ipsa Synodo Ephesina, cap. 34. num.1.

Nicephorus Gregoras Historiographus, non ita peritus Theologus, in sua adversus Philosophos, seu Theologos disputatores, declamatione, Tr. 1. cap. 40. n. 11.

Nicolai, v. *Ioannis Nicolai*, &c.

Nicolaus Cusanus Cardinalis, rebus in Ecclesia & pro Ecclesia gestis notissimus, quid de vocatione Gentium senserit, cum Antiquis? Tr.5.cap.13. num. 3. *& seqq.* Simulque de Christi Mysteriis? *Ibid.* & cap. 14, num.23. c.16. num.23.

Nicolaus Hambertus Doctor Socius, ac Professor Sorbonicus, adhuc anno 1648. triplicem docebat gratiam, sine prædeterminatione physica, & scientia media, quam ante decretum S. I. in Molina recipiebant illius Theologi, non ita paulo post; nec ipsi Duvallius, Gamachæus & alii Hamberti Collegæ, Tr.4. p.649. *& seqq.*

Nicolaus Orbellus, seu *de Orbellis* Anglus, circa annum 1455. Carmelita, omnino concinit aliis, quoad triplicem gratiam, ipsamque præsentiam rerum in æternitate, Tr.4. p.492. 493.

Nicolaus Sanderus Anglus, Theologiæ Doctor circa annum 1578. gratuitæ prædestinationis acerrimus vindex, modum ex triplici gratia nobis convenientissimum expositi, T.4.p.363.634.

Nisibis Civitas Syriæ, quibusdam studiis celebris, tempore Cassiodori? Tr.1.c.43.n.13.

Noe arca, nonnisi Ecclesiæ adaptari potest, Tr. 1. c. 11. num.3. Quid ex numero pari vel impari animalium in illa arca? ex Hieron. c.44. nu. 5. Ab descensu Arcæ & Noemi temporibus, quænam populorum distributio? Tr.2. c. 33. nu.4. §. *Hic.*

Nomina, v. *Negationes*, *voces*, &c.

Novatianus, primus licèt Antipapa, doctrinæ quidem in libro de Trinitate prorsus orthodoxæ, ex ipso Hieronymo, Tr.2.c.39. num.1.ad 13. At in aliis pro oraculo à suis habitus, quomodo refellendus? ex Paciano, Tract.1. cap.13. num.7. Et hi ut verè hæretici, quanquam præ se ferrent assentiri Symbolo Apostolico, ex eodem, cap. 15. num. 5. Et quidem ut Novi & Novatores, cap. 25. numer. 1. 2.

Novatores hæretici, novitatem suam plerumque produnt, sibi primùm revelatum professi, Montanistarum & aliorum exemplo, ex Athan. Tr.1. c.31. num. 9. Quidquid olim Patres in suos retorsere, facilè in nostros potest regeri, c.14.num.3. *& seqq.* c.31.n.11.c.33.num.7. §. *Omnia.* c.34. §. *Aliquanto.* Non mirum, si posteri inter ipsos novandi semper prurigine laborent, c. 31. num. 11. Sive novi aliquid afferant, sive nihil, ne audiendæ quidem sunt hæreses; multominùs jam damnatæ, c.15.nu.5. *& seqq.* c.33. nu. 2. *& seqq.* Ut puta, prima omnium circa Eucharistiam ex Augustino, à Novatoribus nostris renovata, c.15.nu.4. Monita ad ipsos de discrimine suorum dissidiorum à nostris, nu.10.c.26.n.3. *& seqq.* Necnon de ipsorum fidei diversitate à nostra, Tr.2.c.1.n.11. Quàm alieni sint à veterum animo, in colendis, purgandis, aut conciliandis Patribus? Tr. 1. c.17.num.8. *& seqq.* c.19.num.4.5.c.25. nu.9.13.c.29.nu.10. *& seqq.* c.30.n.8.c.31.n.8. *& seqq.* c.34.nu.3. *praf. ad Tr.*4. v.7. Multò magis sibi privatim inerrantiam, per divinitatis radium, aut Spiritus afflatum, tribuendo, quam denegant Ecclesiæ, Tr.1. c.17. num.11.13. c.18. num.6. *& seqq.* c.19.nu.2. *& seqq.* c.20.nu.3. *& seqq.* c.24.nu.10.c.25.nu.9. 13.c.29.n.10. *& seqq.* c.30.n.4.8.c.33.n.8. Cur facilius illis fit quam nobis, donum intelligendi Scripturas, ipso dono continentiæ? Tr.4. p. 594. §. *Nec.* Quàm insulsum, nutantibus ac identidem vacillantibus novitatibus suis, posthaberi velle traditiones Patrum antiquissimas? Tr.1. c.22. n.4. c.24. n.7. c.29. n.10. *& seqq.* Quàm pudendum, in his Novatores cum Manichæis, olim hæreticorum dementissimis ac pestilentissimis, convenire? c.23. num. 4. Necnon cum aliis perditissimis, c.24.n.10.c.33. num.8.c.43.n.9. 10. Nunquam vero cum Patribus aut Conciliis, ad quos provocabant, contra sui temporis Theologos? *præf. ad Tr.* 4. v. 7. & p. 518. §. *Gratia, ac seqq. pp.* Quàm non facilè novandum in vocibus, in quas Scripturæ nobis præiverunt? ex Basilio, Tr.2.c.10.num.9. Cavendum, ne in his Novatoribus à Catholicis ipsis imprudenter faveatur? Tract. 4. p. 655.

Numa Pompilius Romanorum Rex, Pythagoreus Philosophus, quandonam Hebraicam Philosophiam ac Religionem Romæ instituit? ex Clem. Alex. Tr.2. c.36. nu.9. Ex Cyrillo Alex.c.38. n.9.

Numeri ipsi, quomodo concurrant ad ædificandam duplicem charitatem? Tr. 1.c.12. nu.5. Et de iis interrogati etiam imperiti rectè respondeant? c.9. num.4. *& seqq.* Tr. 2.c.22.num.7. §. *Pergit.* Quid per numerum parem vel imparem significetur? ex Hieron. Tr.1. c.44. num.5. Cur ternarius olim præ cæteris in admiratione fuerit? Tr.2. cap. 5. num.5. In quo sensu Unitas & Trinitas Deus, nihil commune habeat cum unitate & trinitate numerorum? ex Ambrosio, c.17.nu.3. Complura tamen de numeris, v. infrà in *Veritate*,

O

OCCASIONUM usus ad bonum vel malum, ex Hug. Victor. Tr.4. p.429. §. *Sed cum.*

Odo Cluniacensis, cum Petro posteà Abbate amicissimus ad studia mutuò suadenda, & quæ? Tr. 1. cap.2. num.9.

Oecolampadius hæreticus, Lutheri sectator, suggillator Chrysostomi, quomodo vicissim suggilletur à Sixto Senensi? T.4.p.510.

Officia, v. *Oratio.*

OKam, v. *Guillelmus OKam.*

Olympius Episcopus Hispanus, inter alios laudatus ab Augustino adversus Pelagianos, Tract. 1. cap. 27. num. 1. §. *Sed.*

Omnem, v. *Trinitas.*

Ophir quænam terra, ex qua tanta auri copia sub Salomone? T.2.c.33.n.4. §. *Hic.*

Opinari quid sit propriè, & in quo differat à scire & credere? Tr.1.c.9.n.2.

Optatus Milevitanus Episcopus, laudatus inter alios ab Augustino de spoliatione Ægypti, ad quid? Tr. 1. c. 43. num.6.

Oratio ipsa Dominica, quantum dignitatis in Patre innuat? Tr.2. cap.10. num.1. *& passim seqq.* Sic aliæ antiquæ Orationes, Gratiæ necessitatem produnt, ex Aug. Tr. 1. c.23. num. 7. Quam verò efficacitatem, ex Censura Duacensi? Tr.4. p. 679. §. *Placet.* Quanti ergo facienda sit Oratio, ad intelligendas quæstiones, præsertim de Gratia? *præf. ad Tr.* 3. nu. 15. 28. 29. In homine nondum justificato, saltem impetratoria est, si non meritoria, Tr. 4. pag. 545. §. *Sed.* Quàm antiqua in reliquis Officiis Divinis Religionis testimonia? Tr.2. c.42. nu. 12. Hinc de Oratione nisi scripsissent Tertullianus & Cyprianus, lubens scripsisset Hilarius, ut ipse testatur, Tr.1.c. 29. nu. 5. Quid tandem Bern. de scripturæ textibus, quos in Officiis alterat vel alternat Ecclesia? c.30. n. 4.

Oratores, cur minùs idonei, quàm piscatores, Religioni suadendæ? ex Theodoreto, Tr.1.c.38.n.4.c.41.n.2. *& seqq.* An etiam quàm Philosophi? c.39.n.7. c.41.num.2. *& seqq.* v. *Eloquentia.*

Orbi creando, conditos esse Filium & Spiritum sanctum, quàm insulsè & impiè dicerent Ariani, Tract. 2. cap. 12. *& passim seqq.* Imò nequidem ad illum creandum moderandumve destinati sunt Angeli, vel homines, cap. 33. nu.1.

Orbis universus, quomodo Christo subjugatus? Tr. 1. cap.8.num.9.c.38.num.4. cap.39. Cur pars Orbis Catholici, maximè *Occidentalis*, Occidentalibus sufficiat? ex August. cap.27.num.2.3. Imò & *Orientalibus*, ex Theodoreto, cap. 34. num. 3. Utriusque partis, *Orientalis*, & *Occidentalis*; in fide consensio, jam à tempore Clementis Alexand. cap. 32. num. 6. Necnon Augustini, cap. 27. num. 2. 3. 8. Simulque Cyrilli & Cælestini, ante Synodum Ephesinam, cap. 33. num. 7. *& seqq.* Et post Ephesinam Synodum, ex Facundo, c.16.num.6. *& seqq.* cap.29. num. 13.

Imò ex ipſo Theodoreto, c. 34. num. 4. v. etiam *Mundus*, *Patres*, *&c.*

Oregius, v. *Auguſtinus Oregius*.

Origenes quàm varius, in primis quatenus artes liberales rejecerit, ut ſe totum ad Catechumenos inſtruendos transferret? Tr. 1. c. 41. num. 10. §. *Quod*. Et aliunde diſciplinas omnes illos doceret, ut fidei & Theologiæ conducibiles? c. 42. num. 1. 2. 9. 10. c. 43. num. 11. c. 45. num. 3. c. 46. num. 6. Præſertim contra Celſum Philoſophum, Tr. 5. c. 13. num. 23. Sæpiùs & elegantiùs in Myſteriis explicandis verſatus eſt, præſertim ubi ab Hieronymo approbatus & perpurgatus eſt, c. 14. nu. 7. *& ſeqq.* Quomodo ubi benè, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejùs, Tr. 1. c. 12. num. 13. c. 30. num. 1. Tr. 2. c. 41. num. 4. Peſſimè verò in libris, quos falſatos falsò contendebant pertinaces illius Patroni, ex Hieronymo. Tr. 1. c. 24. nu. 11. §. *His*. Tr. 2. c. 47. num. 3. Præſertim in ipſis fabellis de animarum præexiſtentia, &c. ex Nazianzeno, Tr. 1. c. 19. num. 8. c. 44. num. 7. Imò in ſex librorum millibus horas ſuas malè perdidit, ex Epiphanio, c. 32. num. 10. §. *Hinc*. Tr. 2. c. 47. num. 4. Quædam tamen præfatus erat, quæ ſi ipſe ſervaſſet, eum ab anathemate, & Eccleſiam à turbis liberaſſent, Tr. 1. c. 20. nu. 6. §. *In*. Sic quoad aliqua in teſtimonium proferetur à Baſilio, c. 21. nu. 11. Imò ut ſubſtantialitatis defenſor ut plurimùm, ab Athanaſio, c. 31. num. 4. Tr. 2. c. 47. num. 1. *& ſeqq.* At nonniſi ut exemplum tentationis vitandæ, à Vincentjo Lirin. Tr. 1. c. 25. num. 6. Et ſanè Origenis deliramenta, vel ex ipſis Philoſophorum fontibus præfocaverant Patres coætanei, ex Hieron. c. 45. num. 1. §. *His*. c. 47. num. 4. Gregorius quidem Taumaturgus laudes pronuntiaverat Origenis, ſed Magiſtri præſentis ipſe adoleſcens, & ſatis appoſitè ad fidem, Tr. 2. c. 45. num. 1. Nimius verò in laudando Platone Origenes ipſe fuerat, ac deinceps Origeniſtæ, Tr. 1. c. 38. num. 11. c. 39. num. 11. Non nimius in illis damnandis Hieronymus, ibid. Imò ut ſe purget idem Hieronymus de nimiis in Origenem congeſtis olim laudibus, c. 28. num. 6. 7. 8. c. 44. num. 6. *& ſeqq. Præf. ad* Tr. 4. §. *Nec*. Maximè quod Eccleſiarum ſeu Patrum, poſt Apoſtolos, Magiſtrum eum vocaſſet, Tr. 1. c. 28. num. 10. Nec tamen adhuc indignum cenſuit, qui exſcriberetnr aliquando à ſe, non mirum ſi jam ab Ambroſio, præſertim in Paulum, Tr. 5. c. 14. num. 2. 4. v. plura in *Hieronymo*. Unde tanta ſeu major deinceps de Origene inter accuſatores & defenſores conflictatio? Tr. 2. c. 47. num. 4. In quo comparatus cum Ætio? Tr. 1. c. 32. num. 10. 11. Cum Clemente verò Magiſtro, nonniſi quòd minùs accuratus fuerit ob nimium proprii ingenii tumorem, ex Epiphanio, ibid. In quo cum alio Magiſtro ſuo Ammonio? c. 38. num. 3. Ante & poſt cum Pantæno, & Heracla pariter Alexandrinis, c. 42. nu. 2. Cum Diſcipulis Gregorio Taumaturgo, Athenodoro fratre, Firmilliano, & Ambroſio nutritio? Ac tandem cum defenſoribus Pamphilo, & aliis? c. 44. n. 3. Ad quid inſuper cum ipſo Auguſtino concilietur quoad præſentiam Dei, à Petro Alliacenſi? Tr. 4. p. 485. §. *Similiter*.

Ovandus, v. *Franciſcus Ovandus*.

Oxforaïenſis Univerſitas, quid olim ſtatuerit pro ſtudiis? Tr. 1. c. 46. n. 10. v. *Schola*, *&c.*

P

PACIANUS BARCINONENSIS Epiſcopus, Patrum authoritati addictiſſimus, licèt nec antiquitate nec numero adhuc creviſſet, Tr. 1. c. 30. n. 8. §. *Hæc*.

Pagani, v. *Gentiles*, *Philoſophi*.

Pamphilus Presbyter & Martyr Cæſarienſis, quàm ardens in exſcribendis libris Origenis? Tr. 1. c. 44. num. 3. §. *Nec*.

Pantænus Philoſophus Chriſtianus, quibus anteà ſtudiis inſtructus? ex Origene, Tr. 1. c. 42. n. 2. Iis Philoſophos etiam exteros, cum aliis ad Eccleſiam attrahere conatus eſt, ex Hieronymo, c. 45. n. 1. §. *Scatebat*.

Papa, v. *Romanus Pontifex*, *vel R. Eccleſia*.

Parabola, quò ſpectent omnes in ſcripturis? Tract. 1. cap. 7. num. 1. cap. 11. num. 2. *& ſeqq.* v. *Scriptura*, *&c.*

Pariſienſi Academiæ, quid pro ſtudiis mandatum à Gregorio Nono? Tract. 1. cap. 46. num. 9. Et à Joanne XXII.? ibidem §. *Hoc*. Necnon & ab aliis Pontificibus & Conciliis? num. 10. §. *In*. Quid verò, longè alia mente, exprobratum à Novatoribus? Tract. 4. p. 517. §. *Eandem*, *& ſeqq.* Quid ea occaſione decretum à facultate Theologica? teſte Majore, p. 529. Quænam eo ævo, Pariſienſium Doctorum ſententia de auxiliis? pag. 530. *& ſeqq.* Præſertim anteà in cenſura principiorum Lutheri, anno 1521. pag. 555. Coniici etiam poteſt ex ſententia aliarum Academiarum, quarum Pariſienſis parens eſt, & origo, Tr. 4. p. 546. §. *Si*.

Parvuli, v. *Pueri*.

Paſcha certus dies à Patribus præſcribendus, ex Chryſoſt. Tr. 1. c. 33. num. 1. Ætianorum error de Paſchate unde? Ex Epiphan. c. 20. n. 8.

Paterius E. R. Notarius, quales ex Greg. Mag. commentarios excerpſerit in omnes ferè ſcripturas? Tr. 1. cap. 45. num. 9.

Patientia, factis potiùs quàm ſcriptis ſuadenda, exemplo Tertulliani de ea ſcripturi, Tr. 1. c. 1. n. 8.

Patris nomen ipſum, quantum cæteris præcellat? Ex Patribus Græcis & Latinis, Tr. 2. CC. 10. 11. Ut Filius non à duplici Patre procedat? cap. 29. nu. 1. 6. 13. 14. §. *Trinitas*.

Patres, poſt Apoſtolos & Prophetas, illi ſunt *vertices Montium*, ſuper quos fundata conſurgit Eccleſia, Tr. 1. c. 21. num. 7. Seu, quod eodem recidit, *Montes*, *qui accipiunt pacem populo*, *&c.* c. 27. num. 1. Necnon *nubes*, ſuper quas deſcendit Dominus, &c. Tr. 5. c. 15. num. 2. 4. Quantus jam à primoribus ſæculis, & quàm illuſtris Patrum Senatus? Tr. 1. c. 41. præſertim num. 3. Ubi primùm erumpit error, tum omnium Patrum compilanda ſunt teſtimonia, (ut in noſtris dogmatis factum eſt) ex Vinc. Lirin. c. 25. n. 9. *& ſeqq.* Ex Cyrillo Alex. c. 33. Ex Theodoreto, c. 34. Ut in illo Patrum omnium conſenſu & traditione, maximè pro interpretandis ſcripturis, poſita ſint germanæ Theologiæ fundamenta? Ex Græcis, CC. 20. 21. 22. Ex Latinis, CC. 23. 24. 25. 26. num. 1. In primis quoad ea, quæ ad fidem ſpectant, rurſum ex Latinis, CC. 26, 27. 28. 29, 30. Ex Græcis, CC. 31. 32. 33. 34. Ex utriſque ſimul, cap. 44. *& ſeqq.* Patrum authoritas cum Scripturis collata, c. 21. n. 12. c. 26. n. 3. c. 30. n. 8. Illa autem maximè patet in delectu librorum Canonicorum, c. 22. num. 1. *& ſeqq.* c. 23. num. 2. *& ſeqq.* Nec poſt canonem perfectum inutilis eſt Patrum authoritas, ex Vinc. Lirin. c. 25. num. 6. Et hanc habent authoritatem ab Eccleſia Catholica, quæ eos docuit, & in qua viciſſim docuerunt, c. 26. num. 5. c. 45. num. 5. Hinc ab Eccleſiæ univerſalis concentu nunquam diſſidet Patrum conſenſus, c. 17. num. 13. §. *Non*. c. 25. num. 3. *& ſeqq.* c. 27. num. 2. *& ſeqq.* Et hinc eorum contemptus, in Eccleſiam reſilit, c. 45. num. 5. 6. Qui autem docent Patres non magnifaciendos, ſeipſos filiis ſeu diſcipulis contemnendos inſuper præbent, c. 31. num. 11. At quando diſcipuli ſeu poſteri excerpunt Patres, non id furtum, ſed paterna hæreditas eſt, ex Theod. c. 34. num. 1. § *Pulcherrima*. Ut in Patrum omnium defenſionem ſurgere debent Catholici omnes contra hæreticos? c. 19. num. 4. 5. c. 31. num. 6. *& ſeqq.* Tr. 2. c. 45. num. 3. c. 46. num. 1. *& ſeqq. Præf.* ad Tr. 3. nu. 44. Quam bene vertenda ſint, ſi quæ Patres dixerint dubiè vel obſcurè? Ex Facundo, Tr. 1, c. 16. num. 11. c. 17, *ferè toto*. Ex Athanaſio, ipſum Chriſtum, & Apoſtolos proponente, c. 31. num. 8. *& ſeqq.* Tr. 2. c. 45. num. 13. Nec collidi debeant vel poſſint inter ſe, ſaltem in rebus fidei? Ex Aug. Tr. 1. c. 27. num. 2. *& ſeqq.* Ex Fac. c. 29. num. 12. Ex Athan. c. 31. Judicium Hieronymi de Patribus antiquioribus & coævis, c. 28. num. 2. *& ſeqq.* c. 44. num. 2. *& ſeqq.* Item Auguſtini, CC. 26, 27. Tert. c. 29. num. 2. Hilarii, num. 3. 4. 5. Gregorii Magni, num. 6. *& ſeqq.* Proſperi, num. 11. Facundi, nu. 12. 13. Ferrandi, nu. 14. Athanaſii, Tr. 2. CC. 45. 46. Quantum hinc authoritatis accreſcat, quòd alii aliorum cenſores agerent, ſumma ſuavitate & ſapientia? Tr. 1. c. 28. num. 7. c. 31. num. 3. *& ſeqq.* Quàm æquum ſit eos Auguſtini animo affectos credi in retractandis propriis erroribus? ex Facundo, c. 17. num. 7. Quanti faciendi ſint etiam ſinguli? c. 26. num. 2. 4. *& ſeqq.* c. 27. num. 1. *& ſeqq.* c. 29. num. 12. c. 30. num. 3. Nefas tamen eſt, & ab inſtituto hujus operis alienum, unius è Patrum ſenatu ſententiam ita ſolam amplecti, ut cæterorum vel aſſenſus contemni, vel diſſenſus diſſimulari exiſtimetur, Tr. 5. c. 5. num. 1. c. 13. num. 2. Cur Hieronymus aliquando Patres Græcos omiſerit? Tract. 1. cap. 28. num. 3. Latinos verò præſertim Latinis conferat Caſſiodorus? c. 30. num. 1. Græcos omnes, & antiquiores Auguſtino Latinos, molliores quidem, at non accenſendos Semipelagianis, cenſet Marianæ, Tr. 4. p. 640. §. *Prædeſtinationem*. Molliores etiam Toletus, p. 644. §. *Nec*. At cum Auguſtino ipſo ſociabiles Pererius, p. 620. §. *Cur*. Dùm aſſueſcere Patribus neceſſe eſt, ut intelligantur, Tract. 1. c. 3. num. 11. *& ſeqq.* Nequidem poteſt recta ratio ſe jungi à gravi & eximia authoritate Patrum, ex Bernardo, cap. 30. num. 5. Ex his omnibus, quàm temerè & ineptè aliquando hæretici ſuffragiis Patrum niti ſe jactent? cap. 34. num. 8. Tr. 2. c. 40. *& paſſim & ſeqq. præſertim* 47. *præf. ad* Tr. 4. v. 7. Theologi verò ſenſim quidem à quibuſdam vocibus Patrum, non à ſenſu, aut fide deflexerunt, v. 1. *& ſeqq. Necnon ad finem cujuſque partium* 4. Timendum tamen ne per alias voces, paulatim & alii ſenſus, nec-

necnon & fastidium in legendis Patribus subrepant, *in fine* pag. 4. *seu ult.* pag. 7.

Patriarchæ & Prophetæ omnes, ut nonnisi ad Christum referrentur? Tr. 1. cap. 11. num. 8. & *seqq.* Tr. 5. cap. 1. & *seqq.* Et quidem ut umbræ & figuræ, c. 7. n. 3. 6. Imo ut sapientiæ servi & amici, non æmuli, c. 6. n. 4. 12. Inæqualiter tamen Mysteriorum participes & præcones, c. 8. n. 11. *ac seqq.* Eorum omnium variæ epochæ, usque ad Christum, c. 2. Series sapientiæ ab ipso Adamo, per Patriarchas & Prophetas ad Christum, usque ad nos, cap. 37. num. 3. & *seqq.* cap. 39. nu. 8. §. *Qui*. c. 44. n. 9. Tr. 2. c. 24. n. 5. 10. c. 42. n. 2. c. 43. n. 5. Tr. 5. CC. 6. 9. nu. 3. & *seqq.* Eorum omnium cum prioribus & posterioribus concordia, Tr. 1. cap. 38. n. 2. Cum ad priores colloqueretur Deus, ad posteros, per Prophetas, quasi epistolas direxit, ex Greg. M. c. 12. nu. 12. Ex Isid. Pelusiota post Chrysost. c. 22. n. 12. Ex aliis, Tr. 5. c. 4. n. 5. 6. Quomodo populorum fides, Patriarchis & Prophetis niteretur? c. 8. num. 15. c. 9. n. 5. c. 14. nu. 21. Imo omnes tam antiqui Patriarchæ & Prophetæ, quam Apostoli & reliqui deinceps, alii in aliis carnem Christi & expectarint, & viderint, & recordentur? cap. 10. num. 5. & *seqq.* Et sic omnes propheterent, necnon Christi suo modo parentes sint? c. 11. num. 3. & *seqq.* Maria quidem Verbum totum, Prophetæ & alii portionem concepere, cap. 11. num. 6. Etsi specialiùs Synagoga, suo tamen etiam modo gens hominum universa Christum prophetabat, c. 11. n. 14. & *seqq.* Et ad gentes Prophetæ aliqui missi sunt, ac de Christo vaticinati, ex Aug. c. 13. num. 13. Cur prisci Prophetæ non ita curiosè semper utrumque Christi adventum discernere satagant? c. 14. n. 15. Contra eos, qui in illorum saltem factis communibus nihil reconditum subodorabantur, ex Orig. Tr. 1. c. 8. nu. 5. Vera tandem Prophetæ inditia, ex Tert. c. 34. num. 2.

Paulinus Monachus, postea *Nolanus* Episcopus, quanti fieret ab Hieronymo? Tr. 1. c. 28. num. 2. Cur illi consulat, ut à Scripturis ad Patres transeat, de quibus judicium subjicit? *Ibid.* & c. 44. num. 2. Sic multa proponebat Augustino Paulinus ipse, ut multa doceret, c. 6. num. 10. Alterna utriusque charitas & humilitas, c. 26. num. 2. Quo Paulinum loco inter doctores haberet Petrus Cluniacensis? c. 30. n. 6.

Paulus Apostolus, doctor futurus gratiæ, quibus ipse modis compulsus sit ei subjici? ex Aug. Tr. 3. c. 20. v. 3. 6. ex aliis, Tr. 4. p. 497. 442. §. *Quod*. 522. §. *Denique*. 529. §. *Ideo*, & *seqq.* pag. 531. §. *De*. 554. §. *Pergit*. 582. §. *sed*. 633. *Initio*. Ut in Divina non irrupit, sed raptus est? ex Bern. Tr. 1. c. 2. n. 3. Ex Climaco, cap. 5. nu. 12. §. *Quod*. Quid tamen se scire profiteatur? Tr. 2. c. 29. n. 10. Imo speret semper usque ad gloriam? *præf. ad Tr.* 3. num. 14. 27. At aliunde omnia Christi mysteria semper illi præsentia, Tract. 2. c. 15. num. 6. Tract. 5. cap. 14. n. 3. & *seqq.* Cur alias ea ut nondum implecta insinuet, ipsis Isaiæ verbis in speciem contrarius? n. 15. Et qua Moyses de sapientia elucescente in lege veteri dixerat, ea Paulus traducit ad sapientiam in lege Evangelica in Christo radiantem, Tr. 2. c. 33. n. 3. Quo animo diversimodè de lege loquatur in epistolis? ex Athan. Tr. 1. c. 31. n. 13. Quid propriè in eis per *gratiam* significet? Tr. 3. c. 9. 20. v. 3. Vel simplices ejus inscriptiones seu salutationes in eis magnificiendæ, ex Chrys. Tr. 1. c. 8. n. 12. Quam ipse Philosophiam in eis rejecerit? c. 36. num. 1. 8. Cur tamen non solùm Philosophos, sed & Poetas cum aliis allegavit, c. 39. n. 12. c. 42. n. 8. §. *Hinc*. c. 43. nu. 3. 10. Tr. 5. c. 13. n. 26. Ut traditionibus suffragetur Paulus, vel dum invisit Petrum? ex Chrysost. Tr. 1. c. 22. num. 7. Imò ne ipsi quidem Paulo credidissent fideles, nisi se Apostolis approbandum conjunxisset, ex Aug. c. 23. nu. 5. Ad quid aliunde vel ipsum Pauli cum Petro dissidium? ex Aug. c. 26. n. 3. Quid cum eodem Petro Romanæ Ecclesiæ Paulus contulerit? ex Iren. c. 18. nu. 5. & *seqq.* Ex Theod. c. 34. nu. 3. §. *Videt*, & *seqq.* Cur aliquando Sancti longè inferiores Paulo exæquati, c. 32. n. 3.

Paulus Gryfaldus Perusinus, Dominicanus Theologus, inter *decisiones fidei catholicæ*, circa annum 1586. verbo *Gratia*, ea docuit quæ hìc maximè conveniunt, Tr. 4. pagin. 395. 396.

Paulus V. P. M. cur ad tempus saltem, silentium de Gratiæ efficacia indixerit? Tr. 2. pag. 617. §. *Ex*. v. *Gratia*.

Paulus Samosatenus patria, Episcopus Antiochenus, doctrina hæreticus, qualiter ab utroque Dionysio, Alexandrino, & Romano, impugnatus? Tr. 2. c. 4. 6. num. 1. & *seqq.* Tr. 5. c. 15. n. 27.

Paulus Suavis, Religione dubius, quid in historia Concilii Tridentini de altercationibus Dominicanorum etiam inter se referat? Tract. 4. pag. 515.

Pax inprimis, cum veritate, diligenda præcipitur in scripturis? ex Naz. *præf. ad Tr.* 5. nu. 16. & *seqq.* Unde tamen prælia & dissidia inter Angelos pacis? num. 18. Iis nonnisi cupiditas frænanda ad animæ pacem insinuatur, quidquid contradicant Manichæi, Tract. 1. cap. 12. nu. 9. Pax & pugna in homine, usque ad ultimum statum, Tr. 5. c. 2. n. 7. & *seqq.*

Peccati originalis origo ipsa, cum suis annexis pœnis, Tr. 3. c. 2. Unde illud probetur, quæcumque tandem animæ origo sit? ex Aug. T. 1. c. 23. n. 7. c. 24. n. 1. c. 26. nu. 5. & *seqq.* De syndiresi post peccatum, ac peccati pœnitentia, Tr. 3. cap. 3. §. *Addenda*. Peccato allisi homines in corporalia, his incumbunt, ut surgant, Tr. 5. c. 8. n. 6. Cur à divinis potissimùm scientiis *peccata* excludant? Tr. 1. c. 5. nu. 5. & *seqq.* Et quomodo postliminio ad Deum referant? Tr. 5. c. 11. nu. 17. & *seqq.* Per legem, peccati saltem cognitio, ex Paulo, & Aug. cap. 1. & *seqq.* Ex Ambrosio Augustini magistro, cap. 5. nu. 3. & *seqq.* Quænam peccata, simulque tentationes vitentur, per auxilia generalia? Tr. 3. c. 4. & 22. §. *Ult*. c. 23. v. 1. *præf. ad Tr.* 4. & *passim in singulis authoribus*. Item per gratiam justificantem? Tr. 3. CC. 12. 13. 23. v. 2. c. 24. §. 1. & *seqq.* *ac similiter in singulis*, Tr. 4. Imo cum illa, ne peccari quidem posse, aliqui autumabant, ex verbis Joannis malè intellectis, apud Alphonsum à Castro, p. 585. §. *Etsi*. At qualis sit necessitas peccandi? Tr. 3. c. 27. §. *Ex alia*. Ex Bernardo, Tr. 4. p. 424. §. *Ideo*. Ex Adriano VI. pag. 534. §. *Hic*. An obdurati in peccatis omni destituantur auxilio? p. 620. §. *Sed*. p. 538. §. *Induratis*. De modo indurationis per ipsam Dei potentiam, ex ipso Jans. cum Aug. Tr. 3. c. 26. §. *Nusquam*. Deinceps ex aliis, Tr. 4. præsertim ex Pererio, p. 622. §. *Eo*.

Pechamus Cantuariensis Archiepiscopus, qualem scripserit epistolam pro studiis? Tr. 1. c. 46. n. 10.

Pelagiani, cur licèt præ se ferrent assentiri sympolo, essent nihilominùs *hæretici*? Tr. 1. c. 15. n. 5. Qua ratione rejicerent peccatum Originale, & Gratiæ necessitatem? ex Aug. c. 23. n. 7. c. 26. nu. 4. & *seqq.* c. 27. *ferè toto*. Antiquam præsertim illis opponit Patrum traditionem, *Ibid.* In primis pro parvulorum baptismo, cap. 23. nu. 9. c. 24. n. 1. Tr. 3. c. 9. Et hinc quam propriè gratiam utrinque intelligerent? *Ibid.* Et Tr. 4. pag. 443. 451. 455. 479. 480. 489. §. *Nunc*. 575. §. *specialis*. 643. §. *Idem*. Quam verò rejicerent Pelagiani necessitatem peccandi in adultis? Tr. 3. cap. 27. §. *Ex alia*. Imo quam admitterent possibilitatem salutis? Tract. 4. pag. 543. & *seqq.* præsertim, 546. 547. Unde Pelagianum sit gratiam justificantem otiosam tenere? ex Driedone, &c. *Ibid.* pag. 446. §. *Sed*. Quam insidiosè verò Pelagiani legem pro gratia jactarent, ut Judæi, Tract. 5. cap. 4. num. 13. Quàm falsò sibi in omnibus Græcos Patres vendicarent, Tr. 1. c. 27. n. 2. & *seqq.* c. 28. num. 8. c. 45. num. 6. Tr. 3. cap. 10. §. 1. 2. Tr. 4. p. 519. 520. 599. 612. §. *De*. In Pelagianis tandem oppressit Augustinus omnium posthac hæreticorum querelas de Episcopis, & judicibus, synodisque à quibus damnati sunt, Tract. 1. cap. 27. num. 5. cap. 45. nu. 6. 7. Quidquid nuperi in contrarium reponant, *præf. ad Tract.* 4. & pag. 516. & *seqq.*

Pelbertus de Themesvar, Ordinis Minorum, circa annum 1585. pauca de gratia generali, & efficaciissima; plura de habituali; sed omnia ad nostrum propositum docuit, Tr. 4. p. 634.

Peltanus, v. *Theodorus Peltanus*.

Pererius, v. *Benedictus Pererius*.

Perronius Cardinalis, ingenii & doctrinæ laude, quàm purpura eminentior, circa annum 1620. de gratia generali seu sufficienti, & de speciali seu efficaci, occasione doni continentiæ, ex Paulo & Augustino satis apertè scripsit, Tract. 4. pag. 651. De efficacissima verò conjice ex ejus epistolis, & ex querelis Doctoris Pennæ contra partes ejus in Congregationibus de Auxiliis, p. 651. §. *Ex*.

Pesantius. v. *Alexander Pesantius*.

Petrobusiani, hæretici, à Petro Cluniacensi Abbate impugnati, pro baptismo parvulorum, Tr. 1. cap. 17. nu. 13. §. *Contra*. Et pro inerrantia Ecclesiæ, ex ipso Christo, cap. 25. nu. 11. Pro Scripturis omnibus, ex Evangelio, quod solum admittebant, n. 12. Item à Bernardo, in Henrico non absimili, n. 14. Non absimiles illi erant plerisque ex veteribus hæreticis, c. 43. n. 9.

Petrus Apostolus, ut omnia in sua de Christo confessione modestissimè complexus sit, ex Ambr. Tr. 2. c. 11. num. 12. cap. 29. num. 9. 10. Cur Petro & aliis Apostolis durus non est visus Christi sermo, circa Eucharistiam; ex Aug. Tr. 1. cap. 15. nu. 4. Petro cur & quæ gratia postea defuerit, ex Bernardo, Tr. 4. pag. 424. §. *Ideo & seqq.* Quæ charitas, ex Hugone Vict. pagin. 428. §. *Sed*. Ex Natali Beda, p. 531. §. *De*. Ex Lensæo, p. 632. §. *postremo*.

mo. Quo ſenſu tamen fuit unus ex montibus, ſuper quos fundata eſt Eccleſia? ex Baſilio, Tr. 1. c. 21. n. 7. Quid Romanæ cum Paulo contulerit? ex Irenæo, c. 18. n. 5. *& ſeqq.* Petri moderatio in diſſidio ipſius cum Paulo, in exemplum, ex Aug. c. 26. nu. 3. Cur ea Orbis pars ſuſtinere debeat, cui præfuit Petrus? ex eodem, c. 27. n. 2. Theod. c. 34. n. 4.

Petrus Cluniacenſis, Venerabilis dictus, antequam eſſet Abbas, Odonem poſtea vicarium, & Gilbertum Monachum, ad ſtudia Theologica ſtimulabat, ac viciſſim, Tr. 1. c. 2. nu. 9. 10. Necnon poſtea Abelardum ſibi Cluniaci obſecutum, cap. 45. n. 17. Contra novos Apollinariſtas & Petrobuſianos inſurgit, c. 17. n. 13. §. *Immenſa*, & *contra*, c. 25. nu. 11. c. 30. n. 6.

Petrus Damiani, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, à Tertulliani auſteritate non multùm abludens in prohibendis ſæcularibus litteris, etſi ob diverſa pericula, Tr. 1. c. 43. nu. 15.

Petrus de Alliaco, Cameracenſis Epiſcopus & Cardinalis, concinit ævi ſui Theologis, quoad auxilia naturalia & ſupernaturalia, Tr. 4. pag. 484. 485. Ipſique Auguſtino, quem cum Origene conciliat, quoad electionem & præſcientiam, p. 485.

Petrus de Aquila, v. *Scotellus*.

Petrus de Lorca, Ciſtercienſis, tantò pluris faciendus in Quæſtionibus *de Gratia*, quòd ſine ſtudio partium viſus eſt rem tractaſſe, ex Maldero Antuerpienſi Epiſcopo, Tr. 4. p. 626.

Petrus Lombardus, Pariſienſis Epiſcopus, dictus *Sententiarum Magiſter*, quo diſcrimine ab aliis, earum ſummam lucubraverit? Tr. 1. c. 45. nu. 9. cap. 46. num. 5. Certè nullo à majoribus, quoad triplicem Gratiam, Tr. 4. pag. 463. *& ſeqq.*

Petrus Malvenda, in Ratiſponenſi colloquio anni 1546. inter alias propoſitiones, ſeptimam ſpeciali gratiæ Chriſti dedicavit, Tr. 4. pag. 555. §. *Propoſitionum*.

Petrus Pictavienſis, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, fidiſſimus Lombardi diſcipulus, in ejus ſummam Theologicam, & alibi, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 439. *& ſeqq.*

Petrus Soto, Dominicanus Theologus, qui Tridentino interfuit, non indigna docet de triplici gratia, & huc ſpectantibus, Tr. 4. p. 579. 580.

Petrus Tarentaſienſis, ſive Innocentius V. Dominicanus, antea diſcipulus, collega, & ſucceſſor Aquinatis, non alia ab ipſo, & amico Bonaventura de auxiliis docuit, Tr. 4. pag. 455. *& ſeqq.*

Phœnicia, apud quos eadem ac Idumæa? Tr. 2. c. 33. nu. 4. A quibus *Phœnicum* ſcientiæ, & in quos refuſæ? *Ibid.* & Tr. 1. c. 38. n. 1.

Pharao Rex Ægypti, quomodo cum ſuis induratus? Tr. 4. pag. 429. §. *Vel*, p. 529. 520. §. *Ideo*, 531. §. *De*. 544. §. *Sed*, 618. §. *Quærit*. 570. §. *Ut*. 579. §. *Sed*, 618. §. *Induratis*.

Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, cur plures, quàm Epiphanius, hæreſes recenſeat in ſuo cathalogo, Tr. 1. c. 15. n. 1.

Philippus Melanthon, Luthero, cui adhæſit, & ſi molliùs in multis ſentiat, quo tamen furore Theologorum noſtrorum ſenſa promat? Tr. 4. p. 517. §. *Eandem. & ſeqq.* pag. 520. 569. §. *Cum*.

Philo Iudæus, alter Plato, ex Aug. Tr. 1. c. 11. n. 3. Ex Iſid. Peluſ. cap. 39. nu 6. Ex Hieron. &c. c. 39. nu. 2. §. *pergit*. c. 44. n. 9. §. *Vides*. Tr. 2. c. 24. num. 5. c. 36. &c. Quàm fruſtrà ſine Chriſto ſcripturas interpretatus? ex Aug. Tr. 1. c. 12. num. 3. An meliùs ex veteri Teſtamento Trinitatem mutuatus, contra Judæos? Tr. 2. cap. 4. n. 6. c. 24. n. 5. c. 36. *integro*.

Philoſophia, ut nihil aliud ſit, quàm amor ſapientiæ? Tract. 1. cap. 35. num. 6. cap. 39. num. 8. Et triplex ea ſit, Naturalis, Civilis, & Poetica ſeu fabuloſa? ex Aug. c. 35. n. 10. *in fine*. At vix ulla ſit naturalis, ſed ad ſummum opinio? c. 39. n. 7. *& ſeqq.* Antiquiſſima alia tripertita Salomonis philoſophia, nu. 13. Imò primævæ omnis veræ philoſophiæ lux à Verbo, & ejus dono à Moyſe & Salomone, ante omnes Poetas & Philoſophos, c. 4. n. 8. 9. c. 36. n. 7. *& ſeqq.* c. 37. nu. 1. *& ſeqq.* c. 38. n. 1. 3. c. 39. nu. 6. *& ſeqq.* Hinc non alia Philoſophia Patribus quàm Theologia, cap. 4. nu. 9. Diſcrimen illius à profana, c. 37. n. 3. c. 38. nu. 2. c. 39. n. 6. Profana vel in ipſis Platonicis Philoſophia, nullum ſaltem tyrannum, multominùs genus humanum, ad meliorem frugem convertit, ex Iſid. Peluſ. c. 8. n. 9. ex Theodoreto, c. 38. n. 4. Animum tamen præparabat, ut lex & pædagogus fidei & Theologiæ Chriſti, ex Clem. Alex. cap. 10. num. 9. c. 36. n. 6. *& ſeqq.* cap. 40. n. 1. 2. 3. Tr. 5. cap. 13. num. 26. ex Hieron. Tr. 1. c. 39. nu. 12. ex aliis, Tr. 2. c. 9. num. 6. c. 24. num. 5. Imo ipſæ Poetarum fabellæ præludebant veritati, Tract. 1. c. 10. nu. 4. c. 41. n. 2. *& ſeqq.* Sic ad Scripturas, & ad Chriſtum Philoſophia omnis referenda, cap. 39. num. 13. Nec omnem, ſed hujus mundi Philoſophiam damnant ſcripturæ, c. 35. n. 6. c. 36. nu. 3. c. 39. num. 13. Maximè Epicuream, & Stoicam, ex Clem. Alex. c. 36. nu. 1. 8. Proſit ergo, an obſit Philoſopia maximè Platonica, Theologiæ Chriſtianæ? ex Aug. c. 35. ex aliis PP. CC. 35. 37. 38. 39. 40. Tr. 2. c. 22. n. 9. c. 24. n. 5. Nimia quidem plurium in Platonem admiratio, Tr. 1. c. 38. num. 10. 11. c. 39. n. 11. Imò ipſius Auguſtini ex ipſomet, cap. 35. num. 1. 13. Quot in eo & ſequacibus poſteà reprehenderit? *Ibid.* Anteà verò Tertullianus, c. 39. nu. 5. 6. Necnon ſimul ac in magiſtro Pythagora, Chryſoſtomus, c. 37. *præſertim* n. 7. Quid diſcriminis inter Pytagoram, Socratem, & Platonem? ex Aug. cap. 35. n. 10. §. *Inferiùs*, cap. 37. n. 7. Tr. 2. c. 24. n. 5. Junge Ariſtotelem & Ciceronem cum Platone, ex Lact. Tract 1. c. 36. n. 1. Item alios, ex Iren. cap. 40. n. 4. Ex Greg. Naz. n. 5. Ex Theod. c. 42. nu. 6. Ex Clem. Alex. & Hier. c. 45. num. 3. Et omnes ferè cum Moyſe, ex eodem Clem. c. 36. n. 11. 12. c. 37. nu. 1. *& ſeqq.* c. 38. nu. 7. *& ſeqq.* Ex Hier. c. 39. nu. 12. Ex omnibus ferè præfatis rurſus, Tr. 2. c. 34. n. 5. 6. c. 35. n. 1. c. 42. n. 1. *& ſeqq.* Quonam autem modo Philoſopia ſectas omnes complecteretur? Tr. 1. c. 36. num. 7. Et ſingulæ ſectæ fruſtula veritatis? ex Clem. Alex. num. 8. ex Lact. cap. 39. nu. 9. *& ſeqq.* At quot erroribus permixta? cap. 37. nu. 2. *& ſeqq.* Ipſa earum inter ſe diſſidia in rebus primariis falſitatem produnt, c. 38. nu. 2. 7. Quinam ex Platonicis ſimularent omnia infirmare, affirmare nihil? c. 35. n. 9. Ex illis autem ſectis, per Barbaros primos Græcorum & Latinorum magiſtros, Hebræi priuſquam Ægyptii intelligendi, c. 35. n. 13. c. 36. n. 7. *& ſeqq.* c. 37. nu. 1. *& ſeqq.* c. 39. n. 1. 3. 8. Tr. 2. c. 34. nu. 5. c. 35. nu. 1. Quam novi, imò infantes fuerint ſapientes & alii Philoſophi Græci, reſpectu Ægyptiorum & Hebræorum, &c. Tr. 1. c. 37. n. 1. c. 38. n. 3. c. 39. n. 8. Luculentiſſimè de iis ſeptem Græciæ ſapientibus & aliis, *Ibid.* Eorum cum noſtris Piſcatoribus comparatio, c. 37. n. 3. 7. c. 38. n. 4. c. 39. n. 12. Ut omnes tum Prophetæ, tum Apoſtoli, & Patres, ex Philoſophis & Poetis aliquid mutuati ſint? ex Hieron. *Ibid.* & c. 45. n. 10. Scripſerat Ambroſius contra eos, qui de Platonis libris Chriſtum ipſum profeciſſe jactabant, c. 35. nu. 1. 2. Et quidem Platonem, vel potiùs Pythagoram dicere debuerant profeciſſe de Schola Jeremiæ, *Ibid.* & n. 3. 11. Imò utrumque cum aliis habuiſſe copiam ſcripturæ, *Ibid.* c. 36. n. 7. *& ſeqq.* cap. 37. nu. 1. *& ſeqq.* Hinc in libris Platonicorum de Verbi divinitate & aliis divinis & incorporeis aliquid, nihil adhuc de humanitate, humilitate, charitate, &c. ex Aug. c. 35. n. 4. 5. 9. c. 40. nu. 2. c. 43. nu. 1. 2. 3. Utramque diſpenſationis ſuæ partem ſolus Chriſtus perfecit, vel ex hoc à Platone, ſi reviviſceret, Deus agnoſcendus, ex eodem, c. 35. n. 9. c. 36. nu. 11. 12. c. 37. nu. 5. Vel ex hoc etiam, quòd ad ſe omnes traxit, nec ceſſat; paucos verò Plato, imò Moyſes ipſe cum lege, ex Clem. Alex. c. 36. nu. 12. Ex Euſ. c. 37. n. 3. c. 140. n. 1. *& ſeqq.* Ex Iren. nu. 4. Ut non catholici modò, ſed & hæretici, & Philoſophi ipſi authoritati & fidei ducis ſui, licèt variè, nitantur? c. 36. nu. 2. Hinc quæ fides & doctrina Trinitatis antiquis Philoſophis maximè Platonicis illuxerit? Tr. 2. c. 31. n. 7. CC. 34. 35. 36. 41. nu. 1. c. 42. nu. 1. Et quidem longè purior quam Arianis Hæreticis, c. 34. nu. 1. *& ſeqq.* c. 35. n. 7. 8. 9. Non ergo omnes Philoſophi, Patriarchæ omnium Hæreticorum, ſed quinam? ex Clem. Alex. Tr. 1. n. 11. Ex Tert. c. 39. n. 1. *& ſeqq.* Quàm multi econtra Platonici paucis mutatis Chriſtiani? ex Aug. Potuiſſent idem Hæretici, cap. 35. nu. 8. c. 37. nu. 6. Quæ Dei notitia & gratia ipſis Philoſophis neceſſaria? ex Paulo, Aug. Caſalio, Tr. 4. p. 575. Item ex Andrado, p. 582. §. *Cæterum*. De Philoſophia & artibus liberalibus in ea contentis, Chriſtianæ pietati copulandis, ex Paulino, Tr. 1. c. 39. n. 14. Ex aliis Latinis, c. 43. ex Baſilio, c. 40. n. 9. 10. c. 41. nu. 1. *& ſeqq.* Ex reliquis Græcis, *Ibid.* & c. 42. Quid inde contra Chriſtianos Porphyrius? n. 2. Hic tamen ex Chriſtiana ſchola Alexandrina poſt Plotinum, & ante alios novos Platonicos, cap. 38. num. 3. Tract. 2. cap. 34. nu. 5. 6. 8. Cur ab his hìc abſtineatur, cap. 38. n. 1. An primoribus præſertim ſæculis munienda fuerit Theologia noſtra plurima Philoſophorum lectione, ſuffragatione, refutatione? Tr. 1. c. 45. nu. 1. *& ſeqq.* Tr. 2. cap. 9. nu. 5. 6. Imo philoſophari adhuc quandoque neceſſe eſt Theologos, adverſus philoſophantes Hæreticos, cap. 12. num. 5. cap. 13. n. 4. 5. Neque tamen Philoſophis unquam committenda Religio, nequidem ex parte infidelium, c. 3. n. 5. §. *Nec*. cap. 9. num. 6. Cur alias aliæ philoſophorum ſectæ Theologis Chriſtianis in pretio fuerint? Tr. 1. c. 40. n. 6.

Quàm

Quàm multa & ex Philosophia & ex aliis artibus resecanda sint, ut nunc quidem superflua? c. 43. nu. 8. Quatenus distinguatur Philosophia à prædictis artibus sibi ancillantibus? c. 41. nu. 1. c. 43. nu. 1. Quanti tandem interfit non abolescere memoriam horum, de quibus dictum est, Philosophorum? n. 10.

Photius Constantinopolitanus schismaticus, vir alioquin doctissimus, qualem Nomocanonem composuerit? Tr. 1. c. 46. n. 7. Qualem & Bibliothecam? n. 6. §. *Origenis*. Non ita æquus in ea erga quosdam ex antiquis, Tr. 2. c. 44. n. 8. c. 46. n. 3. 7.

Plato Abbas sanctissimus, quo modo & fine, cum labore manuum, libros Patrum exscribendos curaret? ex Theodoro Studita, Tr. 1. c. 46. n. 6. §. *Non*.

Plato Philosophus, v. *Philosophia*.

Plebs ipsa Gentilium, expers omninò esse non poterat sapientiæ naturalis, Tr. 2. c. 22. num. 9. Quamvis plebeiis pusillisque animis naturale sit, suo modulo omnia æstimare, c. 2, num. 4. Plebis tamen simplicitas ad audiendam Scripturam aptior, ex Aug. Tr. 1. c. 1. num. 4. Imò cum suis pastoribus ad eam dignoscendam, c. 22. nu. 3. Necnon & ad Patrum consensionem percipiendam, hoc est Episcoporum Ecclesiæ universæ, quàm ad commentitium divinitatis radium intus affulgentem, c. 27. num. 9. 11. Quatenus in hoc casu, plebs à communione proprii Episcopi abstinere potest, ex Cyrillo Alex. c. 33. num. 6. Et quanti etiam tunc ponderis sit ad fidem plebis ipsius fidelis consensus? *Ibid.* & c. 27, num 4. Tr. 3. c. 47. n. 2. Imò ipsa plebis ignorantia hæreticorum argutiis peritior est, c. 1, nu. 11. §. *Dei*. At quale miraculum, vel imperitam plebem per Piscatores divinis insuefacere dogmatis? ex Hilar. c. 2, nu. 5. §. *Ioannes*. Necnon & sublimioribus mysteriis per Patres? c. 22. n. 5. §. *Hæc*. Hinc adhuc proprium gratiæ vocabulum & sensus apud plebem, Tr. 3. c. 9. Quædam tamen sobriè coram ipsa prædicanda sunt, Tr. 5. c. 10, n. 14.

Plinius junior Proconsul quid retulerit ad Imperatorem de Christianis? Tr. 2. c. 38, n. 12. §. *Illud*.

Plotinus, v. *Philosophi*.

Poesis, v. *cum Philosophis*.

Polycarpus Smyrnensis Episcopus, quid Smyrnæ, quid Romæ docuerit? ex Iren. Tr. 1. c. 18. num. 7. c. 20. nu. 3. §. *Quam*. Quid in propria, sive propriæ Smyrnensis Ecclesiæ Epistola de Trinitate? apud Eus. Tr. 2. c. 44. num. 10.

Populi, v. *Plebs*.

Porphyrius, v. *Philosophi*.

Præcepta, ipso maximè obsequio addiscuntur & illustrantur, Tr. 1. c. 5. nu. 8. Distinctio majorum à minoribus, pro diversa generis humani ætate, ex Aug. &c. Tr. 5. c. 6, *integro*, Cur primum de amando Deo ex toto corde, &c. ex Ambrosio, Tr. 2. c. 18. num. 9. Deinceps de amicitia, ex Aug. n. 10. Quænam præcepta serventur per auxilia generalia? Tr. 3. CC. 4. 22. §. *Vt*. Quænam justis possibilia per auxilium speciale? CC. 12. 13. Tr. 4. p. 534. 572. 573. 583. 584. 585. 586. 637, 638. &c.

Prædestinationis Gratuitæ, & certissimorum, quæ ejus definitionem ingrediuntur, mediorum seu auxiliorum pro ea exequenda, fundamentum immobile Christus Jesus, Tr. 3. c. 2. §. *Generali*, Uni tamen simul Dei prædestinantis consilio, intentioni, ac voluntati vendicanda tota certitudo mediorum subsequens, c. 30. Tr. 4. p. 612. §. *Iam*. Et una tantùm præfata prædestinatio admittitur, utpote tota Paulina & Augustiniana, è duplici juxta Okamum, Bielem, Catharinum, &c. p. 466. 498. 508, 510. 610. 522. 571. §. *In*. 598. 599. §. *Catharini*. 621. §. *Alibi*, 624. §. *Denique*. At duplex agnoscitur damnationis massa, unde fit prædestinatio, una post primi hominis peccatum, Tr. 3. c. 2. Altera eorum, qui sæpiùs gratiæ restiterunt, c. 7. §. 1. Et per hanc reditur ad primam, inoffenso Augustino, Tr. 4. p. 505. §. *Idem. ac seqq.* p. 600. §. *Denique*. Quantum ipsa Reproborum destinatio famuletur Prædestinatis seu Electis, ac decori Universi? Tr. 3. c. 2. §. *Voluit*.

Prædeterminationis physicæ nomen & usus quando tandem? *præf. ad Tr. 4. circa finem*, & pag. 611. §. *Quo*, p. 655. §. *Verum*. *Præmotionis* à prædeterminatione discrimen, *ibid.* & p. 629. §. 3. *Præscientiam* vero, licèt non sit in Deo propriè, latiùs patere quàm Prædeterminationem, docebat adhuc Clichtovæus ultimo sæculo, p. 528. §. *Rursus*. Et adhuc propiùs nostro, Domaninius, & Mariana, p. 596. §. *Addit*. 599. §. *Vniversim*. Item Miscarenas, p. 613. & Azorius, p. 622. 623. Quomodo tamen potest aliquando, licèt raro, prædeterminatio admitti, ex Tappero, & expertissimis aliis, p. 1543. §. *Hic*. Ex Driedone, 548. §. *Potest*. Paulò aliter ex Pusæano, p. 649. §. 4. Necnon & alia prædeterminatio purè philosophica, ex Francisco Medina, p. 607. §. *Hastenus*, v. *Gratia*.

Prædicatio ipsa sacrificium est, Tr. 1. c. 4. n. 7. Non verbo tantùm, sed & scripto, c. 1, n. 5. c. 2. nu. 1. 2. Quàm religiosos nos esse deceat, in publicis maximè prædicationibus? Tr. 2. c. 10. n. 9.

Præsentia, v. simul cum *Prædeterminatione*.

Principio, carere, vel esse ab aliquo principio, non ea est cujusquam rei natura, sed circa naturam, ex Nazianz. Tr. 2. c. 10, nu. 11. ex Ambr. c. 11. nu. 6. §. *Contra*. Ut omnia tamen connitantur in primum principium? c. 21. nu. 1. 2. Et videatur vel à simplicioribus veritas primorum principiorum? c. 22. nu. 7. Tr. 1. c. 15. num. 4. *& seqq.* c. 10. nu. 4. *& seqq.* Quot sint principia? v. *Creatio*, *Manichæi*, *Marcion*, *Mundus*, *Trinitas*.

Prophetæ, v. *cum Patriarchis*, *&c.*

Prosper Aquitanicus, Summas Theologicas ex operibus Augustini, primus delineare visus est, Tr. 1. c. 2. num. 5. 10. c. 45. num. 9. Quanti illius doctrinam fecerit *de Gratia*? c. 29. num. 11. Quis in hoc Prosperi animus, & quàm alienus à Novatoribus? *ibid.* Imò & à rigidis suarum opinationum amatoribus? *præf. ad Tr. 3.* num. 30. 31. 32.

Protestantes, v. *Novatores*, *&c.*

Providentia divina universalis dispositio erga genus humanum, & singulos, Tr. 5. c. 2. num. 2. *& seqq.* c. 13. *toto*, c. 13. *præsertim* num. 15. Ejusdem Providentiæ singularis protectio supra electos, Tr. 3. c. 20. *& seqq. passim*, *ac toto*. Tr. 4.

Prudentius Episcopus Tricassinus, ut retuderit Joannem Scotum Erigenam, Patribus imperitiam exprobrare ausum? Tr. 1. c. 43. n. 16.

Prudentius Poeta Christianus, quàm elegantissima, & plebis fidei accommodata carmina scripserit, sub Theodosio M. Tr. 2. c. 47. nu. 12.

Puericia humani generis, & aliorum statuum unde? Tr. 5. c. 2. num. 6. *& seqq.* Cur timore regenda? c. 3. *ferè tota*. c. 5. num. 13, 17. 19. Et temporalibus inescanda? ex Aug. c. 4. num. 1. *& seqq.* Ex Ambr. c. 5, num. 3. *& seqq.* Minoribus tamen præceptis per sapientiæ servos imbuenda? c. 6. Necnon præludia incarnationi Christi? CC. 10. 11. Quid de puero in sylvis enutrito? ex S. Thoma, Tr. 3. c. 7. §. *Non*. Tr. 4. p. 577. §. *Nos*, *&c.* Quid per gratiam parvulis infusam? ex Aug. Tr. 3. c. 7. §. *Proximè*. Haud dubiè, justitiæ habitus, sine quo pueri nec dicerentur, nec essent justi, Tr. 4. p. 572. §. *Argumentatur*, *&c.* Non proponuntur pueri in Quæstione de Gratiæ efficacia, Tr. 3. c. 18. §. 1. Tr. 4. p. 530. §. *Idem*. p. 543. *& seqq.* Contra Julianum exprobrantem fidem puerulorum Ecclesiæ, quid Augustinus regerat? Tr. 1. c. 24. num. 1. v. etiam *Baptismus*, *Gratia*, *Homo*, *&c.*

Pulchritudo quid sit, & cui in Deo adaptetur? ex Philosophis, Tr. 2. c. 35. n. 3. 6. *& seqq.* v. *Beatitudo*, *Bonitas*.

Pullus, v. *Robertus Pullus*.

Puteanus, v. *Joannes Puteanus*.

Putei à Patriarchis requisiti quid significent? Tr. 1. c. 8. n. 5. Necnon & alii similes? c. 32. n. 8. Non in puteo veritas, sed in cœlo, & inde ad nos, c. 39. n. 8.

Pythagoras, v. *Philosophi*.

R

RATIO, & sermo, quid differant apud Deum? ex Tert. Tr. 2. c. 38. num. 2. Ratio duplex in homine, ex Petro à Soto, Tr. 4. p. 580. §. *Postremo*. Quo sensu rationalis naturæ facultates ponantur inter gratias gratis datas? p. 486. §. *Idem*. Non satis constat, quis superfit in damnatis rationis usus? Tr. 3. c. 3. §. 1. Authoritate magis, & fide, quàm ratione homines etiam in præsenti ducuntur, Tr. 1. c. 36. num. 2. *& seqq.* Quàm non possit tamen ratio ab authoritate Patrum divelli? c. 30. num. 5. c. 33. num. 2. Quanquam vel in plerisque dogmatis sola ratio sufficiat, Tr. 2. c. 11. num. 1. *& seqq.* c. 22. num. 2. c. 24. num. 5. 6. Quæ sint ratiocinationum regulæ? c. 22. num. 7. Rationalis natura, v. *Angelus*, *Anima*, *Homo*, *&c.*

Raymundus de Penafort, Dominicanus Hispanus, ad quid jussu Gregorii IX, libros Decretalium compilaverit? Tr. 1. c. 41. n. 4. §. *Qui*.

Raynerius de Pisis, ejusdem Ordinis, Author Pantheologiæ circa annum 1380, ex D. Thoma potissimùm quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 461. *& seqq.* Non autem quoad physicè prædeterminantem, à Joanne Nicolai in ea recudenda insertam, p. 463. §. *Vsque*.

Regino Prumienſis Abbas, inter primos Collectores Canonum, cum notis, Tr. 1. c. 46. n. 3.

Regnorum, *Rerump.* & ſimilium ætates variæ, Tr. 5. c. 2. n. 6. *& ſeqq.*

Religio nulla conſtat, maximè apud veteres, ſine corporalibus ſignis hominem Deo religantibus, Tr. 5. c. 8. num. 2. 7. &c. *& tota ferè* c. 9. Quamvis varientur verba, eadem tamen Religio permanet, nu. 3. Quibus etiam præceptis tota conſtet Religio? num. 7. 9. c. 12. nu. 4. *& ſeqq.* Quænam à Gentilibus olim defatigatis eligenda? Tr. 2. c. 3. num. 5. 6. v. etiam *Eccleſia*, *Fides*, *Theologia*, *&c.*

Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus, quales commentarios excerpſerit ex Patribus, occaſione Gotteſcalci? Tr. 1. c. 46. num. 1. Quantùm in his, & aliis operibus, paci Eccleſiarum ſtuduerit? *præf. ad Tr.* 3. nu. 37. 38.

Reprobi, v. *Prædeſtinatio*.

Rethicius Auguſtodunenſis Epiſcopus, laudatus inter alios ab Aug. contra Pelagianos, Tr. 1. c. 27. num. 1. c. 45. num. 6.

Richardus de Mediavilla, Minor Anglus, adhuc Aquinatem imitatur, ante ſchiſma Scoti, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 457.

Richardus de S. Victore Canonicus Regularis, ut gratiæ & ſaluti in Gentes effuſæ præ cæteris patrocinetur? Tr. 5. c. 13. num. 30. In quo cum Hugone conveniat, diſcrepet à Petro Lombardo? Tr. 1. c. 46. num. 5. Necnon à prioribus & poſterioribus Theologis? *præf. ad Tr.* 4. §. 5. & p. 430. 431.

Robertus Bellarminus, v. *Bellarminus*.

Robertus Holchot Anglus Dominicanus, circa annum 1349. quænam doceret de viribus naturalibus & ſupernaturalibus, Tr. 4. p. 477. 478.

Robertus Pullus Cardinalis, Bernardo coævus, quid cum ipſo & aliis, de triplici gratia, in Summa Sententiarum ſentiat; Tr. 4. p. 433. 434.

Roma olim ſub Regibus, quomodo Hebraica Philoſophia ac Religio inſtituta? Tr. 1. c. 36. num. 9. Multò poſt eadem fere ſtudia Romæ, ac Alexandriæ & Nixibi, Agapeto Papæ inſtituenda conſuluit Caſſiodorus exconſul, c. 43. nu. 13. Longè recentiùs id Romæ tentavit ac perfecit S. Carolus Borromæus, c. 46. nu. 4. Romani identidem Pontifices ſtudia præſertim Theologica moderanda conſuluerant aliis Eccleſiis, n. 9. 10. Eorum autem conſultationes ſeu Decretales Epiſtolæ jam antiquis Collectionibus inſertæ, n. 2. 3. Cur ad Romanam imprimis Eccleſiam aliæ omnes referendæ? ex Iren. c. 18. n. 5. *& ſeqq.* Ex Cyrillo Alex. c. 33. n. 6. Ejuſdem cum aliis Apoſtolicis ac reliquis toto orbe conſenſus, ex Tert. contra omnes hæreticos, c. 24. n. 2. *& ſeqq.* Ex Cæleſtino Papa contra Neſtorium, c. 22. n. 10. c. 33. n. 7. Ex Agathone contra Monothelitas, c. 22. nu. 11. Expreſſiùs ab Hieron. contra Vigilantium, c. 24. n. 10. Imò eandem ut Catholicam & univerſalem Origeniſtis objicit, n. 11. Romana ſaltem Eccleſia aliis in Stephano Papa præfertur, à Vincentio Lirin. c. 25. nu. 5. Et ab ipſo Auguſt. ob præſidentiam Petri, c. 27. nu. 2. Similiter & à Theodoreto jungente Paulum, c. 34. n. 3. §. *Vides*, *& ſeqq.* Quantum Divina Providentia ipſi invigilet, ad ſervandam pacem in quæſtionibus non neceſſariis? *præf. ad Tr.* 3. n. 31. Tr. 3. c. 10. §. 1.

Ruardus Tapperus Lovanienſis Academiæ Cancellarius, pro ipſius articulis contra Lutherum, necnon poſteà contra Calvinum, fuſiſſimè ſcripſit, omninò ad noſtrum ac totius traditionis ſenſum, quoad triplicem gratiam, Tr. 4. p. 537. *& ſeqq.* Imò quoad rem, ad ſenſum ipſius Catalii, qui ipſum impugnare ſatagebat, p. 576. §. *In*. A fortiori, Lindani, qui Tapperum ut Theologorum phœnicem ac colendiſſimum præceptorem ſectatur, p. 626. In quo notetur Tapperus in peroratione defenſionis Lovanienſium? p. 636. §. *His*.

Rubio, v. *Guillelmus de Rubione*.

Ruffinus Aquilejenſis Presbyter, quantùm fuerit pro Origene contra Hieronymum? Tr. 1. c. 28. num. 6. 7. c. 44. num. 7. Egregia fertur ejus Expoſitio in ſymbolum Apoſtolorum, falsò olim ſub nomine Cypriani, Tr. 2. c. 3. nu. 9. c. 6. n. 4.

Rupertus Abbas Tuitienſis, eximiè explicat corporationem Verbi in Scripturis, Tr. 5. c. 11. n. 2. *& ſeqq.*

S

SABELLIANI ſub Duce *Sabellio*: in quo maximè peccarint contra Trinitatem? Ex Leone M. Tr. 2. c. 3. num. 3. Ex Greg. Naz. & Baſilio, c. 5. num. 7. 8. Ex Dion. Rom. & Athan. c. 7. num. 3. 5. *& ſeqq.* Eis ut-gentibus potuiſſe Deum, ſi voluit, ſibi ſimul eſſe patrem & filium, quid in antecellum reſponſum a Tert. c. 38. num. 5. Et a Novatiano, iiſdem prementibus illud, *Ego & Pater unum ſumus?* c. 39. nu. 6. Eorum hæreſis quam latè per Ægyptum paucis annis ſerpſerat? Tr. 1. c. 31. num. 3. 5. Unde in pluribus Eccleſiis Filii nomen extinxerat? *ibid.* & Tr. 2. c. 45. num. 5. *& ſeqq. uſque ad finem*. An & ipſa jam ubique extincta ævo Auguſtini? Tr. 1. c. 45. num. 8. 9. Cur ea Catholicis olim impacta? c. 16. num. 1. c. 17. num. 4. Aliqui ex illis, Sabellianis plus æquo adverſi, quænam in Deum inveherent? ex Dionyſio Rom. Tr. 2. c. 7. nu. 5. §. *Qui*. Qualem imprimis conſubſtantialitatem, poſtea variè exatam? ex Baſilio, c. 16. num. 6.

Sacramentum magnum, in Chriſto & Eccleſia, per omnes ætates effuſum, Tr. 5. c. 15. num. 10. Sacramentorum corporalium multitudine & obſcuritate, domandum priùs fuit genus humanum, & ita Chriſto initiandum, c. 8. 9. Moſaicorum in hoc utilitas, c. 8. nu. 3. *& ſeqq.* c. 9. *ferè toto*. Etiam nunc onere premimur Sacramentorum licèt pauciorum, efficaciorum, illuſtriorum, c. 8. num. 5. c. 9. num. 3. *& ſeqq.* At Sacramentis antiquis, noviſve, ſeu ſignis & verbis aliis atque aliis, una tamen ac eadem ingeritur charitas, ac conſtat Religio, c. 12. num. 5. *& ſeqq.*

Saducæos hæreticos Judæos, mirum fuit negare Spiritum ſanctum, aut Angelos ullos, quos vel ipſi Gentium Philoſophi agnoſcerent, Tr. 2. c. 24. nu. 10. §. *Nec*. Sed vel ex illorum exceptione, certum eſt reliquos Judæos agnoviſſe, c. 34. num. 2.

Salomon Rex, ſapiens cognomine, primus omnium eliquatiſſimam Sapientiæ divinæ doctrinam tradidit, exinde toto mundo celebrem, Tr. 2. c. 24. num. 5. 8. c. 33. n. 5. *& ſeqq.* c. 34. n. 6. §. *Mira*. c. 35. nu. 1. 5. 10. c. 42. nu. 2. 4. Quid per ipſam ſapientiam creatam? c. 23. *ferè toto*. Quid aliunde per alienam mulierem parce inviſendam? Tr. 1. c. 41. nu. 8. Ipſius Salomonis antiquiſſima & tripertita Philoſophia, ſeu amor ſapientiæ, ex Ambr. c. 39. nu. 13. Ex Baſilio, c. 40. num. 8. Imò longè major ſapientia, quàm cujuſquam Græcorum, c. 39. num. 13. §. *Erant*. c. 42. n. 7. c. 44. nu. 9. Tr. 2. c. 24. *nu.* 5. c. 33. n. 4. 5. Quam plures diſciplinæ ſimul ſe in ejus mentem immearent? c. 28. n. 7. Hinc ad Scripturas, præſertim Salomoniças, & ad Chriſtum referenda omnis Philoſophia, Tr. 1. c. 39. num. 13. Cur Eccleſiaſte ac Proverbia, ante Canticum Canticorum perlegenda? c. 5. n. 7. Cantico autem Canticorum, ejuſdem Salomonis ac Pharaonis filiæ amores deſcribi, vel Regis ad ſponſam, id eſt, ad totam civium multitudinem, inter Aniçularum fabellas reponit Theodoretus, Tr. 1. c. 34. nu. 1. &c.

Sancti, vel inæquales, cur aliquando cœquentur? Tr. 1. c. 32. nu. 3. An quòd omnia illis communia, & charitas omnium ſumma, ſupra quam nihil? *Ibid.* §. *Vereor*. Quomodo jam Chriſtus illos remunerat, & illi obviam rapiuntur in aera? Tr. 5. c. 15. n. 5. *& ſeqq.* Quænam ſint dotes ſanctitatis, qua fiunt & potiuntur Sancti? Tr. 2. c. 24. nu. 1. *& ſeqq.*

Sanderus, v. *Nicolaus Sanderus*.

Sapientia initium timor qualis? Tr. 5. c. 3. num. 7. *& ſeqq.* Progreſſus ſapientiæ in mundo per gradus uſque ad Chriſtum, uſque ad nos, Tr. 1. c. 37. num. 3. *& ſeqq.* c. 39. num. 8. c. 44. num. 9. Tr. 2. c. 24. num. 5. §. c. 33. *integro*. Tr. 5. c. 3. num. 1. *& ſeqq.* c. 4. num. 9. *& ſeqq.* c. 6. *ferè toto*. c. 9. num. 3. *& ſeqq.* c. 13. num. 4. 6. Quippe Manu pueritiæ non potuit perfecta ſapientia committi, c. 3. nu. 7. *& ſeqq.* c. 7. nu. 2. *& ſeqq.* Et cum poſſint *ſapientes* deſinere, ac reſtitui, neceſſe eſt ipſam per ſe ſapientiam exiſtere, id quam & per quam reſtituantur, Tr. 2. c. 21. nu. 5. 6. Sciret per varias ſui imagines, quibus omnia pervadat & immeet, c. 21. nu. 5. 6. Quantum nihilominus diſtet *Sapientia* ab illa ſapientia? nu. 2. 4. c. 22. nu. 9. c. 24. nu. 1. *& ſeqq.* Et quænam hujus ſint dotes, quarum creatura quælibet ſit incapax? *Ibid.* Quid ſit autem Sapientia generans vel genita? v. *Trinitas*.

Satanas ipſe, uſus aliquando teſtimoniis Scripturarum, quomodo præivit hæreticis? ex Ambr. Tr. 2. c. 14. num. 5. ex Chryſoſt. c. 22. num. 5. ex Hieron. c. 24. num. 11. &c. v. etiam *Dæmones*.

Schiſmata, *ſectæ*, & ſimilia ex eadem morum improbitate, unde hæreſes, Tr. 1. c. 4. n. 4. 5. v. *Hæreſes*.

Scientia Dei in ſe quotuplex? Tr. 9. c. 18. §. 1. Media præſertim exponitur, c. 25. *præf. ad Tr.* 4. §. *In his*, & pag. 622. §. *Obſerva*, pag. 651. §. *Scientiam*, *& ſeqq.* Deum autem non invenit ſcientia inflans, ex Aug. poſt Paulum, Tr. 1. c. 1. nu. 4. ex Proſpero, c. 2. nu. 5. ex Iſidoro Pelus. c. 5. num. 5. Quænam verò ſint ſcientiarum principia? c. 9. *præſertim* nu. 8. c. 10. nu. 4. *& ſeqq.*

Et

Et qu'd propriè sit scire, aut quo differat ab opinari & credere? c.9. n.2. *ac passim seqq.* Monita salaberrima ad omnes prorsus scientias, c.7. n.8. Et quot sint certæ? c. 10. n. 3. 4.

Scholæ antiquissimæ sapientiæ ab Abrahamo, deinde sub Salomone, ac deinceps per totum orbem, Tract. 2. c. 33. num. 3. *& seqq.* In Ecclesiis verò primùm Alexandriæ & Nizibi, & ad earum instar Romæ, si ratio habita est consilii Cassiodori, Tr. 1. cap. 43. num. 13. Ac tandem si Caroli Borromæi, c.46. num. 4. His longè antiquiores in Episcopiis & Monasteriis, sub Carolo Magno & posteris, c.43. nu. 15. §. *Quando*, Parisiensi omnium celeberrimæ quid commendatum pro studiis à Gregorio IX. c.46. n.5. Et à Joanne XXII. §. *Hoc*. Necnon ab aliis Pontificibus & Conciliis, num. 10.

Scholastica seu *Scholæ* alterius ex priori origo, Tract. 1. cap. 2. num. 7. 8. Et quidem ex Dialectica, ut jam olim innuit, non sine laude, Clemens Alexand. cap. 36. num. 10. Necnon Basilius, cap. 40. num. 9. 10. Item Calecas inter recentiores Græcos ipsi æquior, quàm Gregoras, num. 11. Paulò aliter pro ea, *præf. ad Tr.* 4. v. 1. *& seqq.* Purior verò ea est, quæ ex antiquis potiùs Patribus & Conciliis præter Scripturas, quàm ex Philosophis constat, Tract. 1. cap. 44. *& seqq.* Hujus non immeritò Scholasticæ Theologiæ Augustinus censeri potest dux & author, c.45. num. 8. Tract. 3. cap. 9. Consensus posteà penè totius Scholæ in eius sensum de Gratia, *toto* Tr. 4. Primum Scholæ schisma à Scoto, *præf. ad Tr.* 4. §. 1. Secundum à Molina, §. *Sentio*, *& seqq.* Nec aliud revera tantum, quantum putavit Fisherus, Tract. 4. pag. 553. §. *Indignatur*. Consensus adhuc sufficiens scholæ mediæ, & novæ, §. *In his*. Gradus tantummodo defectionis aliquorum, in fine partis 3. & 4. Necnon occasione censurarum Lovaniensium & Duacensium, p. 636. §. *Hic*. Quid porro agendum inter tres, quatuorve scolæ sectas hactenus superstites? *præf. ad Tr.* 3. n. 1. *& seqq.* & c. 25.

Scotellus, aliàs *Petrus de Aquila*, Ordinis Minorum, in quo cum suo *Scoto* contra S. Thomam non semper sæviit? Tr. 4. p. 475.

Scotus Doctor subtilis, ejusdem Ordinis, suis contra Sanctum Thomam argutiis, author primi Scotistarum schismatis in schola, *præf. ad Tract.* 4. v. 7. §. 1. Et hoc quoad mollitiem, necnon & decreta ac concursus tantummodò concomitantes, p. 589. §. *Si*. 626. §. *Si*. Non autem quoad prædeterminationes physicas, aut scientiam mediam, utrimque, *Ibid.* Et ex collectione *Quæstionum Magistralium*, à Joanne Colonienſi concinnata, p. 476. 626. §. *Docet*. Licèt Scotum impugnet Petrus Alliacensis quoad prævisionem Dei in decretis, p. 485. §. *Denique*. Ita & Corduba, pag. 512. §. *Postremo*. At in multis conciliatur cum ipso Aquinate ab aliis, p. 521. §. *Sed*. 523. §. *Iam*. An & quoad indistinctionem Charitatis à Gratia, quàm Scoto propriam aliqui vindicant, p. 610. §. *Cum Scoto*. 620. §. *Et*.

Scriptores Ecclesiastici, v. *Patres*, *Theologi*, *&c.*

Scriptura sacra, hìc nobis mortalibus idem ferè, quod Deus Beatis, ex Dionysio, Tr. 1. c. 5. num. 10. Et sic præcipuum objectum Theologiæ, c.6. num. 1. *& seqq.* Unde factum, ut scripturis & litteris indigeremus? cap. 8. num. 14. cap. 12. num. 12. cap. 22. num. 6. 8. 12. Quàm sit earum lectio jucunda & utilis? cap. 12. num. 9. *& seqq.* Et quidem omnibus, sed juxta inæqualem singulorum dispositionem, cap. 7. num. 2. cap. 28. num. 1. Imprimis prævia charitatis face, quæ Scripturis omnibus prælucere debet, cap. 12. num. 10. Cùm eæ sint nonnisi amatoriæ literæ, seu charitatis illices, ex Greg. M. num. 42. Cur permiserit Deus eas ex Hebræo in Græcum verti? Tr. 5. c. 13. num. 26. De antiquitate versionum pro omnibus, Tract. 1. c. 37. num. 1. Ut ad Scripturas præsertim Salomonicas, & ad Christum seu ad charitatem, omnis etiam Græcorum Philosophia referenda? c. 39. num. 13. Quantum ipsi Philosophi ex Scripturis profecerint? c. 35. num. 1. *& seqq.* Quantum & Scripturis intelligendis illi profuerint? c. 40. num. 1. *& seqq.* Illæ maximè partes & naturæ & artium discendæ, quæ in Scripturis utcumque memorantur, cap. 43. num. 5. Quidnam ex ipsa Trinitate divina Scripturis simul & naturæ congruat? ex Chrysost. Tract. 2. cap. 12. num. 9. Et Scriptura Verbum Dei est, & hinc Spiritus sanctus spiratur, dum inspiratur, Tract. 5. cap. 11. num. 4. Ac vicissim ut corporata veritas, de Spiritu sancto concipitur, num. 5. Et hinc etiam cum Maria matre & virgine comparatur, num. 3. & Tr. 1. cap. 20. num. 5. Sic tota Scriptura quædam Verbi corporatio est, seu Incarnatio, Tract. 5. CC. 11. 12. Et Christus ipse instar Scripturæ, ex August. cap. 14. num. 24. Hinc similiter & alia Religionis mysteria, Tract. 2. cap. 21. num. 2. Hinc denique margaritis comparantur vel minutiæ tum Scripturæ, tum Eucharistiæ, apud Photium, Tr. 1. c. 5. num. 11. Quàm non sit ullum Scripturæ verbum altissimæ Dei sapientiæ vacuum? c. 8. n. 6. *& seqq.* Seu quod idem est, Spiritu sancto non plenum? n. 7. Nequidem temporum, vel nominum recensio, vel apicis additio, nu. 10. *& seqq.* At non solùm librorum, sed nec capitum, nec versuum, à fortiori nec sensuum auctoritas constare potest absque traditione, c. 22. n. 1. 3. c. 23. n. 2. *& seqq.* Sive ergo textus, sive sensus adulteretur, ad primas origines & successiones Episcoporum recurrendum est, ex Tert. c. 24. n. 5. Quid sentiendum de textibus, quos aliquando alterat alternatque Ecclesia in suis Officiis? ex Bern. c. 30. nu. 4. Aliàs quàm non facilè novandum in vocibus, in quas Scripturæ nobis præiverunt? ex Bas. Tr. 2. c. 10. num. 9. Ex Epiph. c. 30. nu. 10. Quomodo aliquando authores apocryphi laudentur à nostris canonicis? Tr. 5. c. 13. n. 26. Licèt autem perfectus sit scripturæ canon, adiicienda nihilominùs traditio, ex Chrys. Tr. 1. c. 22. n. 5. Ex Aug. c. 23. n. 2. *& seqq.* Ex Vincent. Lirin. c. 25. num. 3. Imò authoritas maximè Patrum, necnon & fidelium, ejucet in delectu librorum Scripturæ canonicorum, ex Cyrill. Jerosol. c. 22. n. 1. 3. ex Aug. c. 23. n. 2. *& seqq.* Hinc scripturæ authoritas non potest ab authoritate Patrum divelli, c. 21. n. 12. c. 30. nu. 8. Qua autem providentia authoritatem summam ac fidem adepta sit? c. 6. num. 4. 5. Totumque orbem subjugaverit? c. 8. nu. 9. Necnon quatenus infirmis ac fortibus congruat? c. 6. n. 6. 13. c. 7. n. 2. *ac seqq.* c. n. 2. 3. *& passim seqq.* Universimque docti & indocti Scripturas interpretari debeant, prout fieri potest, convenienter fidei ab Ecclesia Catholica hauſtæ à puero? ex August. c. 23. num. 8. Sic intelligit Origenes prohibitionem, ne *carnes Agni*, quas Scripturis comparavimus, *edantur extra sanctuarium*, c. 20. num. 6. Ut non privatus Spiritus sancti afflatus, sed consensio, traditio, & successio omnium Ecclesiarum, Episcoporum, ac Doctorum, jam inde ab exordio regula sit interpretationis Scripturarum? c. 19. num. 2. c. 20. num. 2. *& seqq.* cap. 21. *& seqq. usque ad* 30. Plures tamen Ecclesiæ per Scripturas ipsas condi non potuerunt, & cur? cap. 18. num. 8. Nec plures in Ecclesiis Scripturas perlegere? cap. 22. nu. 2. Quales tandem idcircò Scripturarum prælectiones in scholis institutæ sint? c. 46. num. 10. Scripturæ autem non tam in legendo quàm in intelligendo sunt, ex Hilario, cap. 14. num. 4. Ex Hieron. c. 24. num. 11. §. *Video*. Scripturæ intelligendi modus, cap. 1. num. 4. & CC. *seqq.* Nec obstat alta ejus profunditas, c. 6. n. 7. *& seqq.* Nec ima simplicitas c. 7. num. 13. c. 8. 9. Cùm mira sit simul ejus fœcunditas, c. 8. n. 10. *& seqq.* Et hæ quidem illius proprietates, ut acuatur inquirendo diligentia apud Theologos, & majori sit venerationi apud omnes, ex Clem. Alex. c. 8. nu. 1. Quadripertitus imprimis Scripturæ sensus, & quidem adhuc fœcundissimus, c. 7. nu. 5. 11. 13. c. 8. num. 10. *& seqq.* Cur sensus omnes veri, Scripturis, & earum authori aptari possint, & debeant? cap. 7. num. 6. *& seqq.* cap. 30. num. 4. §. *Vides*. Non facilè relinquendus litteralis, nisi ubi apparens contradictio ad spiritualem cogit, ex Gregorio Magno cap. 7. num. 13. At huc omnes collineant, ut veritatem addoceant, & charitatem ædificent, num. 10. 13. cap. 12. num. 1. *& seqq. præsertim*. Imo quod idem est, unum Christum prædicent, contra Judæos, &c. CC. 11. 12. Simulque humilitatem, ac gradatim sapientiam in Christo subsistentem suadeant, cap. 6. num. 3. 7. 10. cap. 8. num. 23. 11. *& seqq.* Nec aliud hoc modo adhuc præcipiat Scriptura nisi charitatem, nec culpet nisi cupiditatem, ex August. c. 12. num. 4. *& seqq.* Tract. 5. cap. 9. num. 3. *& seqq.* c. 10. *integro*. Et quidem per ipsas allegorias & parabolas, Tr. 1. c. 7. num. 1. Tr. 5. cap. 7. num. 9. 12. cap. 11. num. 2. *& seqq.* Ex his ferè omnibus, frustrà Scripturas sibi vendicant hæretici, utpotè charitatis prorsus, Christique, ac Ecclesiæ extorres, Tract. 11. cap. 13. num. 1. *& seqq.* cap. 18. *ferè toto*. cap. 25. numer. 8. cap. 19. num. 10. *& seqq.* Imò eas cùm vel omnes recipiant, vel detruncent, vel pro arbitrio interpretentur, cap. 13. num. 4. *& seqq.* cap. 20. num. 7. cap. 23. num. 2. *& seqq.* Et ita funditùs evertant, cap. 18. num. 10. Ita non ex scripturis, sed ex prava interpretatione hæreses, 13. num. 8. Quantum vel sic istæ conducant scripturæ ac fidei illustrandæ? cap. 14. num. 6. cap. 15. num. 3. Scripturæ verò rursus, maximè cum proprio sensu ad solam Ecclesiam attineant, continua ab Apostolis traditione & successione accepta, cap. 13. num. 5. *& seqq.* cap. 18. *ferè toto*. cap. 19. num. 2. cap. 20. num. 2. *& seqq.* cap. 22. num. 3. *& seqq.* cap. 23. num. 1. *& seqq.* cap. 29. num. 10. *& seqq.* Cur acceptis ab Ecclesia Scripturis hæretici simul non accipiant & sensum? c. 17. num. 13. §. *Si*. cap. 18. num. 1. *& seqq.* cap. 20. num 7. cap. 25. nu. 12. Sic utentes Scripturis, necnon & symbolo Apostolico, nihilominùs sunt hæretici. c. 15. num. 5. c. 33. num. 8. Satanas ipse illis sic utendo, omnibus præivit hæreticis, ex Ambros. c. 14. num. 5. Ex Chrysost. cap. 22. num. 5. Ex Hieron. cap. 24. num. 11. §. *Ideo*. Ex Vinc. Lirin. cap. 25. num. 8. Cur ipsis tandem facilius, ut putant, donum intelligendi Scripturas, dono continentiæ, quam detrectant, in scri-

ſcripturis commendato? Tract. 4. pag. 594. §. *Nec*. Quid porrò faciendum homini Neophito vel Tyroni, in medio ſectarum ſcripturis cum Eccleſia utentium, ex Chryſoſt, Tract. 1. c. 19. num. 15.

Seceſſus ac fuga ſæculi, divinis capeſſendis perutilis, exemplo Prophetarum, Apoſtolorum, ac Patrum, Tract. 1. cap. 4. num. 6. & *ſeqq*. cap. 5. num. 3. & *ſeqq*. *præſertim*. 12.

Seminaria olim eadem ac Monaſteria & Collegia, Tract. 1. cap. 2. num. 7.

Semipelagiani, v. *Pelagiani*.

Senonenſe Concilium Provinciale Pariſiis celebratum anno 1528. contra Lutherum, Gallicanæ Eccleſiæ conſenſum quoad triplicem noſtram Gratiam ſufficienter innuit, Tract. 4. p. 527. 528.

Servus à mercenario & filio per quid diſcriminetur? ex Bernardo, Tract. 5. c. 5. num. 22. §. *Rurſum*. Ex Baſilio, num. 26. v. etiam paſſim ubi de *timore ſervili*.

Sibyllæ nomine inſcriptum opus, cur videatur ſuppoſititium? Tract. 2. c. 40. n. 7. Laudatur quidem à Lactantio, at non ſine dubio ab Aug. *Ibid*. Longè anteà Clem. Alex. ſimul cum aliis apocryphis, non ſemel apud ipſos canonicos, & quomodo? Tract. 5. c. 13. num. 26.

Sidonii, v. *cum Tyriis*.

Sige tanquam ſecunda perſona divina, quàm fabulosè repræſentetur ab hæreticis, circa ſecundum ſæculum, Tr. 1. c. 44. n. 9. §. *De*.

Simile, quantum diſtet à *ſimilitudine*? Tract. 2. cap. 21. num. 2. Quàm neceſſe ſit apud Deum, ipſam per ſe ſubſiſtere ſummam ſimilitudinem, per quam ſibi ſimilia fecerit omnia? num. 3. Quantum deficiant ſimilitudines creatæ ad divina exprimenda? cap. 26. num. 3. & *paſſim ſeqq*. Eas tamen ſuggerit ipſa ſcriptura, num. 11. cap. 30. nu. 1. & *ſeqq*.

Simon Magus, hæreſiarcha, & aliorum omnium parens, in ſemetipſum recolligebat tres Trinitatis perſonas, quas poſtea Sabellius in unum Patrem, Tract. 2. cap. 43. num. 2. De ſige quaſi de ſecunda, inter alios fabulatus creditur, & ab Ignatio confutatus, cap. 44. num. 9. §. *De ſige*.

Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, anteà miſſus à Damaſo, ad Ambroſium in Epiſcopatu inſtituendum, quænam etiam ſalutaria monita dedit Auguſtino? Tract. 1, c. 35. num. 5.

Sixtus Senenſis, Dominicanus, Cajetani diſcipulus, diutiùs etiam quoad duplicem prædeſtinationem, Tract. 4. p. 510. Unam tandem gratuitam tantùm retinuit, cum multiplici gratia, in Biblioteca Pio V. dicata contra Lutherum, *Ibid*. & p. 610. §. *Catharini*. Quomodo etiam ſedet conflictationem Patrum de Charitate labili, vel non? p. 510. §. *Et* 1.

Smirnenſis Eccleſia, v. *Polycarpus*.

Sociniani Hæretici, omnium ferè antiquarum hæreſum reſtauratores, Tr. 1. c. 43. n. 9.

Socrates Hiſtoriographus, peculiarem habet ſententiam, occaſione Juliani edicti circa ſæculares litteras, quaſi ex verbis Chriſti & Apoſtoli ediſcendas potiùs quàm contemnendas, Tr. 1. c. 42. n. 8. §. *Hinc*.

Socrates Philoſophus, an & quo conſilio homines à rerum naturalium contemplatione avocaret ad morum ſanctimoniam? Tract. 1. c. 35. n. 10. c. 42. n. 5. 6. An & Chriſtianis præluſerit, immoriendum non dubitans Religionis Dei defenſioni? ex Lact. c. 36. n. 1. Ex Juſtino antea martyre, c. 57. n. 5. §. *In*. De Socratis collatione cum Platone, &c. v. *Philoſophia*.

Solis exemplum, ultra vires à nobis videri ſe non ſinentis, præclarum fidei de Deo ſymbolum? ex Hilario, Tract. 1. cap. 14. num. 1. Necnon & ſcripturæ, ex Chryſoſt. cap. 22. num. 5. Ipſius etiam Eccleſiæ, ex Irenæo, c. 18. num. 2. Ex Origene, cap. 20. num. 6. *in fine*. Ex Hieron. cap. 24. num. 11. §. *Video*. At lucem, quam inhabitat Deus, pro Solis hujus corporea, quàm ſtolidè interpretarentur Manichæi? capit. 14. numer. 7. Ex ſenſibus ſolis, intelligibilis tantùm utcumque conjectandus, ex Gregorio Naz. Tract. 2. capit. 4. numer. 5. §. *Alibi*. capit. 26. numer. 7. Non ad modum Appollinaris tres in eo gradus diſtinguentis, ex eodem, cap. 4. nu. 5. Longè aliter ad modum Athanaſii, cap. 7. num. 1. cap. 13. num. 15. cap. 26. num. 6. Necnon & Auguſtini, &c. c. 14. num. 6. & *ſeqq*. c. 19. n. 1. & *ſeqq*. cap. 40. num. 11. §. *Vereor*. c. 46. n. 6. Quomodo nunc tribus ſolibus divinæ perſonæ comparentur, nunc uni? c. 7. n. 9. §. *Itaque*. cap. 26. n. 67. 8. Quo tandem ſenſu dicatur unus? c. 3. n. 9. c. 7. num. 12.

Sonnius, v. *Franciſcus Sonnius*.

Sorbona, v. *Pariſienſis Academia*.

Soto, v. *Dominicus*, & *Petrus à Soto*.

Sozomenus Hiſtoriographus, cur à Gregorio M. repudiatus, vel ob laudes Theodori Mopſueſteni? Tract. 1. cap. 29. num. 9.

Spartanorum conſuetudo, in repellendis improbis vel à proba ſententia, Tr. 1. c. 5. n. 6.

Spes æternorum quatenus ex carnis Chriſti abſentia juvetur? Tract. 5. cap. 10. num. 4. & *paſſim ſeqq*. v. *Æterna*.

Spiritales, ſeu incorporeæ naturæ, quàm præclarè deſcribantur à Platonicis? Tract. 1. cap. 35. num. 5. 12. Quatenus eadem *ſpiritalibus*, ac carnalibus ſcriptura, vel Chriſtus, cibus & lac? cap. 6. n. 6. 13. cap. 7. num. 2. & *ſeqq*. c. 8. n. 2. & *ſeqq*. Et omnibus dies illis feſtus, ac Paſcha? cap. 8. num. 4. Ac pleraque in ſcripturis myſteria? num. 5.

Spiritus ſanctus complementum totius Trinitatis, quomodo exundet in ſanctificationem totius naturæ ſpiritalis? Tract. 2. cap. 19. n. 4. & *ſeqq*. Et aliunde ſit anima mundi? juxta antiquos maximè Platonicos, c. 34. num. 2. cap. 35. num. 4. Necnon & juxta Abelardum à Bernardo confutatum, Tract. 1. c. 36. num. 5. Ut veriùs à Verbo ſpiretur, dum ſcriptura inſpiratur? Tr. 5. c. 11. n. 4. Et de Spiritu ſancto ſcriptura concipiatur? n. 5. Cujus & diverſos ſenſus complectitur, ex Aug. Tract. 1. cap. 7. n. 11. Ex Bern. c. 30. n. 4 §. *Video*. Scrutatur enim profunda Dei, ex Epiph. cap. 5. num. Hinc inſpiratæ à Spiritu ſancto ſcripturæ, nonniſi ejus plenitudinem ſpirant, & æternitatem, cap. 1. num. 7. Necnon ſimul & charitatem, c. 12. num. 2. Quomodo Spiritus ipſe à Chriſto tantùm ſine ſcripturis promiſſus? cap. 22. num. 8. Et deſcenderit in Apoſtolos, quo per eos nos doceret? c. 8. num. 15. Et quidem ut charitas & unctio in corde ſedem habens, non in ſola mente, c. 9. n. 10. At præſertim in corde totius Eccleſiæ, cum Patre & Filio, ex Petro Clun. c. 25. num. 11. Non autem indefectibiliter privatis quibuſque aſſiſtens, cap. 17. num. 13. cap. 18. nu. 6. & *ſeqq*. c. 19. num. 2. cap. 24. num. 10. cap. 27. num. 9. 11. cap. 29. num. 10. & *ſeqq*. c. 31. num. 9. cap. 34. num. 4. & *ſeqq*. Multominùs ſub Paracleti nomine in Montanum, Manetem, Eunomium & ſimiles illapſus, cap. 24. num. 10. Ut vel ex ſolo Spiritus nomine non eſſe creaturam probatum à Baſilio, cap. 30. num. 14. Cur tardiùs elucidata de ejus divinitate doctrina? Tract. 2. cap. 40. n. 12. §. *Non*. Nec unquam ſubjiciatur creatæ voluntati, etiam dum reſiſtit? Tract. 3. cap. 17. v. 2. 3. 7. & *ſeqq*. v. *Gratia*, *Trinitas*, &c.

Stanislaus Hoſius Cardinalis, & Varmienſis Epiſcopus, Concilii Tridentini aliquando præſes, adeoque & legitimus interpres, in ſuis contra hæreſes graſſantes lucubrationibus, ex Patrum præſertim Auguſtini teſtimoniis, ſaltem pro vera gratia ſpeciali, necnon & generali in ipſis infidelibus, Tr. 4. p. 565. & *ſeqq*.

Stephanus Bruleſer Minorita, Doctor Pariſienſis, circa annum 1483. Bonaventuræ potiſſimùm doctrinam & elucidare & amplexari profeſſus eſt à capite ad calcem, Tr. 4. p. 495.

Stephanus Protomartyr, quomodo videbat ac tangebat Chriſtum, licèt abſentem? ex Ambr. Tract. 5. cap. 14. num. 9.

Stephanus Romanus Pontifex proponitur à Vincentio Lirin. ut exemplum ſingulare ſervandæ antiquitatis, Tract. 1. c. 25. n. 5.

Stoici Philoſophi præſertim cur à Paulo rejecti? Tr. 1. c. 36. n. 1. 8. An eorum ſchola jam extincta tempore Auguſtini? c. 43. n. 8. §. *Illud*. v. *Philoſophia*.

Studia, v. *Artes*, *Philoſophia*, *ſcientia*, *ſchola*, *Theologia*, &c.

Stunica, v. *Didacus Stunica*.

Suareſius S. J. Theologus inter primos admiſit ſcientiam mediam, etſi ea abſtineri poſſe crederet, ex Iſamberto, Tract. 4. p. 651. §. *Scientiam*, De eo maximè queritur Camel, ob inductam apud Thomiſtas prædeterminat onem phyſicam, p. 655. §. *Verum*.

Subſtantia cur propriè majus aut minus non recipiat? Tr. 2. c. 15. n. 3. c. 16. n. 4. 7.

Summa Theologiæ, à quibus & unde prodierint? Tr. 1. c. 2. n. 10. 11. c. 45. *præſertim*. n. 5. & *ſeqq*. c. 46. *præſertim*. num. 3. 5. 8.

Superbia, quatenus ſaltem per legem confunditur? Tr. 5. c. 1. n. 5. & *ſeqq*. Quænam ſuperbis gratia ſubtrahatur? ex Bernardo, Tr. 4. c. 2. *ſeu*. p. 424. &c.

Syllogiſmorum regulæ quomodo vocentur ab Aug. & quid ſint? Tr. 2. c. 22. n. 7.

Sylvius profeſſor Duacenſis, in omnibus ferè Eſtio adhærens, uſque ad quatuor articulos Auguſtino & cenſuris Lovanienſi ac Duacenſi adverſos, Tr. 4. p. 637. §. *In*. p. 638. §. *Quod*.

Symbolum à Patribus traditum ad quid? ex Cyrillo Jeroſ. Tr.

Tr. 1. c. 22. n. 1. 6. Unum quidem erat ante hæreses, ex Hilario, c. 24. n. 9. Unde ex instabilitate hæreticorum multiplex? c. 14. n. 4. Cur utentes ipso Apostolico, nihilominus possint esse hæretici? c. 15. n. 5. Necnon & Nicæno? c. 33. n. 8. De symbolo quod Joannes Evangelista, hortante Deipara, Gregorio Taumaturgo explanavit, ex Nysseno, c. 32. n. 4.

Symmachi Consulis multiplex allucinatio circa cultum Dei, seu veritatis, *præf. ad* Tr. 3. n. 10. 12. 21. 22.

Synagoga specialiùs quàm gens hominum universa Christum prophetabat, ex Aug. Tr. 5. c. 11. n. 14. v. *Judæi. Prophetæ*,

Synesius ad Episcopatum Ptolemaidis arreptus, quantum sibi pro studiis Scripturæ timeret? Tr. 1. c. 8. n. 16. Quibus aliis antea instructus? c. 42. n. 11. Quomodo statim in summum Theologum cum sui similibus evaserit? c. 4. n. 8. *& seqq. præsertim* 12. c. 8. n. 16. Et hoc in luculento etiam, acaudaculo carmine, quoad Trinitatem, Tr. 2. c. 4. num. 7. 8. cap. 7. num. 13. §. *Huc*. Aliquando tamen magis poeticè, quàm ad accuratissimæ Theologiæ limam, cap. 9. num. 10.

T

TABERNACULUM, cur ex auro Ægyptio conflatum? Tr. 1. cap. 42. num. 10. Simile vero postea, ad instar Mosaici, à Pythagora, & Numa Pythagoræo inter sua instituta, etiam Romæ positum, c. 38. n. 9.

Tabulæ Dei & Moysis ut significent utrumque Testamentum? ex Aug. Tr. 5. c. 3. n. 9.

Tapperus, v. *Ruardus Tapperus*.

Tatianus Justini martyris discipulus, adhuc Religionis tyro, quid de Trinitate senserit, in oratione contra Græcos? Tr. 2. c. 42. 11.

Templum, supple Salomonicum, cur uni Religioni limitatæ addictum? Tr. 2. c. 3. n. 6.

Temporalia, cur æternorum umbris & figuris honestanda fuere? Tr. 5. c. 4. n. 1. *& seqq.* c. 11. n. 9. *& seqq.* c. 12. n. 10. At Christus, ejusque mysteria, supra temporum leges, c. 14. n. 4. 8. &c. Non fides Hæreticorum, qui etiam *Temporarii* idcirco dicuntur, ex Hilario, Tr. 1. c. 14. n. 3. Ex Athan. c. 31. num. 9. Ex Epiphanio, c. 20. n. 8. §. *Cum*. Nec ipsa anima rationalis, ratione corporum, Tr. 5. cap. 2. num. 8.

Tentationes, quomodo superentur seorsim aut simul? ex Anselmo, Tr. 4. c. 1. §. *Sed. & seqq.* Cur non illud mirum apud Theologos, minimam gratiam sufficere ad resistendum maximis tentationibus? Tr. 4. p. 572. v. *Peccata*, &c.

Terræ motus non necessarius ad omnia phœnomena, ex monito Urbani VIII. adhuc Cardinalis ad familiarem suum, Tr. 4. p. 597. §. *Ideo in*.

Tertullianus Afer, de patientia scripturus, factis primùm eam probandam censuit, Tr. 1. c. 1. n. 8. Ut legem tractet ante & post Montanismum, contra Marcionem? Tr. 5. c. 5. n. 17. Non solùm traditiones hæreticis objicit, Tr. 1. c. 24. n. 2. *& seqq.* Sed & Patres, c. 29. n. 1. 2. Ipse vicissim aliis objicitur, imprimis pro cultu Martyrum, ab Hieronymo, c. 24. num. 10. Item pro aliis dogmatis, nu. 11. Necnon & pro ipsa oratione, ab Hilario, cap. 29. n. 5. Utriusque & aliorum varium de Tertulliano judicium, cap. 39. num. 13. cap. 41. num. 1. Ut tentatio tandem proponitur à Vinc. Lirin. cap. 25. num. 6. Purgat saltem quoad Trinitatem, Tr. 2. CC. 37. 38. num. 13. cap. 39. num. 1. 2. 13.

Testamenta duo, quomodo sibi invicem respondeant? Tract. 1. cap. 11. num. 9. cap. 35. num. 1. Tr. 5. c. 4. nu. 3. c. 9. num. 11. *& seqq.* c. 11. n. 10. *& seqq.* Imo utrumque, unum sit? ex Origene, Tr. 1. c. 12. n. 13. Quænam propriè gratiæ utriusque Testamenti? Tr. 3. c. 9. §. *Denique*. c. 20. v. 4. 5. c. 26. §. 1. Tr. 5. c. 3. n. 1. *& seqq.* Et quidem charitas etiam in utroque, etsi inæqualiter, c. 4. num. 5. cap. 12. *ferè toto*. Vetus ipsum quid vel de Trinitate insinuet? Tr. 2. cap. 33. *integro*. At novum præsertim cordibus inscriptum, in hoc veteri perfectius, ex Chrys. Tr. 1. c. 22. n. 8. Et in modis loquendi de Deo, Tr. 2. cap. 10. num. 2. 6. 14. Ipsa Philosophia instar testamenti fuit Gentibus, ex Clem. Alex. num. 9. cap. num. 6. *& seqq.* cap. 40. num. 1. 2. 3. Ex Hieronymo, c. 39. numer. 12. Sed imperfectè sine altero, vel utroque Testamento nostro, c. 40. num. 2. 3. Imo imperfectè vetus sine novo, Tr. 5. CC. 3. 4. Quomodo utrumque Christus solus impleat? cap. 14. num. 13. *& seqq.*

Themistius Philosophus, qua arte Valentem à persequendis Catholicis revocavit? *præf. ad Tract.* 3. num. 11. 21.

Theodoretus Cyri Episcopus, nequidem in causam vocatus est à quinta Synodo generali, sed ejus tantùm scripta in Cyrillum, Tr. 1. cap. 17. n. 5. Minùs mirum, si in his ultra metas abiisset, Tr. 2. cap. 31. num. 4. At in posterioribus scriptis Cyrillum cum aliis Patribus non semel ad suffragium vocaverat, c. 34. n. 3. §. *De*, Qua mente & moderatione semper scripturas ex Patribus interpretatus? c. 34. n. 1. *& seqq.* Præsertim adversus hæreses? c. 46. n. 6. Additis Etnicis contra Ethnicos, *Ibid.* Quot præsertim ex Marcionistis convertisset? c. 43. n. 4. §. *Deterruisset*. c. 43. n. 4. Quales & Dialogos composuerit? c. 34. n. 4. §. *Pleni*. c. 46. n. 6.

Theodorus Mopsuestenus Episcopus, quando & quamdiu per dispensationem non damnandus? ex Cyrillo Alex. Tr. 1. c. 33. n. 9. Cur solus propriè à quinta Synodo? c. 17. n. 5. Et idcirco Historia Sozomeni repudiata à Greg. M. quòd ad diem mortis magnum Ecclesiæ Doctorem illum perhiberet, c. 29. num. 9.

Theodorus Peltanus Belga, S. J. in Ingolstadiensi olim, & Augustana Academiis Theologus, verè omniscius, non potuit omnibus hìc recensitis non consentire, Tr. 4. p. 628. 629.

Theodorus Studita Monachus sanctissimus, quid ad nostrum pro Theologia institutum scripserit in oratione funebri B. Platonis Abbatis, præceptoris sui? Tr. 1. cap. 46. §. *Non*.

Theodosius M. Imperator, quam viam inierit pro conciliandis inter se & cum Ecclesia sectariis? Tr. 2. cap. 47. nu. 7. 11.

Theognostus Alexandrinus, antiquus author, in antecessum defenditur ab Athanasio, contra longè posteriores criminationes Photii, circa Trinitatem, Tract. 2. cap. 46. num. 6. 7.

Theologia, quæ & qualis? quales & *Theologi* esse debeant? Tr. 1. c. 1. *& seqq.* Contra Extemporaneos Theologos, ex Greg. Naz. summo Theologo, c. 3. n. 12. Quomodo tamen plures cum ipso statim evaserint in summos Theologos? c. 4. n. 12. CC. 41. *& seqq.* Et quidem ex semine quodam incorruptibili, c. 5. n. 4. Quatenus his, non omnibus, majestatem perscrutari liceat? c. 2. nu. 3. c. 5. n. 2. c. 8. n. 1. *præf. ad Tr.* 3. n. 22. *& seqq.* Quàm beatum sit de rebus Divinis seu Theologicis discere, dicere, scribere? Tr. 1. c. 32. num. 8. *præf. ad Tr.* 3. n. 25. *& seqq.* Ita non otiosi censendi Theologi, ex Ambr. Tr. c. 1. n. 5. 6. *præf. ad Tr.* 3. nu. 22. *& seqq.* Saltem modò scribant, non legant tantùm, Tr. 1. c. 2. n. 2. Quomodo Christi, ut Maria, parentes sint? ex Ruperto, Tr. 5. c. 11. n. 7. Cur eadem puritas desideretur ad Theologiam, atque ad Eucharistiam tractandam? Tr. 1. c. 3. n. 2. *& seqq.* c. 8. nu. 3. *& seqq.* Quomodo utraque mentes vitiis purget? c. 4. n. 1. *& seqq.* c. 8. n. 3. *& seqq.* c. 35. n. 10. *præf. ad Tr.* 3. num. 15. Junge ad hoc & assiduitatem orandi, *Ibid.* Necnon & amorem pacis, ac similia, prout terrarum Angelos decet, n. 16. *& seqq.* & c. 10. Ne vix quidem iis cibus capiendus, veterum exemplo, Tr. 1. c. 5. n. 4. Nec ulla alia temporalium sollicitudo auscultanda, c. 4. num. 10. Multominùs gloria, vel avaritia, c. 8. nu. 17. Nec insanus sui amor, *præf. ad Tr.* 3. n. 15. *& seqq.* Monita saluberrima ad Theologiæ studiosos, imprimis de suis opinationibus, Tr. 1. c. 7. n. 8. *& seqq.* c. 40. n. 7. c. 43. n. 4. Necnon de suis dissidiis, c. 15. n. 10. *& tota præf. ad Tr.* 3. & c. 10. Alia de coacervandis Patrum testimoniis, nec metuenda repetitione, Tr. 5. c. 5. nu. 1. 2. Hæc sunt quippe Germanæ Theologiæ fundamenta, in interpretandis ex Patrum consensione & traditione scripturis, Tr. 1. c. 20. *& seqq. fusissime*. Prosit an obsit ad hunc scopum Philosophia? c. 34. *& seqq.* An & liberales artes sub ea contentæ? c. 40. *& seqq.* Ne dominetur tamen Philosophia, c. 46. n. 9. 10. Nec laudentur impii, nisi quando aliqua piè dixerint, c. 26. num. 6. 8. c. 28. num. 7. 10. c. 34. num. 4. c. 35. n. 1. c. 38. n. 1. *& seqq. præsertim* 10. 11. c. 39. nu. 11. Aliquando etiam præferendæ certissimæ Physicorum & Mathematicorum de rebus naturalibus demonstrationes, certis modis loquendi Scripturarum, ex Aug. capit. 40. n. 7. Et illæ maximè partes naturæ & artium Theologo versandæ, quæ in scripturis utcumque memorantur, ex eodem, cap. 43. num. 5. In summa, tres doctrinæ gradus secernendi, ex incomparabili Theologo Gregorio Naz. *præf. ad Tr.* 3. num. 15. Primoribus præsertim sæculis, munienda fuit Theologia nostra Philosophorum plurima lectione, suffragatione, refutatione, Tr. 1. c. 45. num. 1. *& seqq.* Et adhuc philosophari quandoque necesse est Theologos, adversus philosophantes hæreticos, Tr. 2. c. 12. n. 5. cap. 13. numer. 4. cap. 14. num. 15. Cur aliàs aliæ Philosophorum sectæ Theologis in pretio fuerint? Tr. 1. c. 40. num. 6. Theologiæ porrò illius, sive scholasticæ, ut nunc loquuntur, sive potius patritiæ, utpote ex sanctis PP. &

Con-

Conciliis magis, quàm ex Philosophis contextæ, origo & progressus, CC. 44. 45. 46. *præfationibus ad Tr.* 3. & 4. &c. Utraque patritia simul, ac scholastica Theologia, quatenus conjungenda? *Ibid.* & Tr. 2. cap. 29. num. 6. Quàm arcta sit, & esse debeat, Canonum, & Theologicorum dogmatum, totiusque Theologiæ conjunctio? Tr. 1. cap. 46. num. 8. 10. Quantum ex his omnibus asservarent Patres in scriniis suis Theologicorum dogmatum penu, quod est horum librorum titulus & finis? cap. 44. & *passim seqq.* Unde prodierint summæ Theologicæ? cap. 2. num. 10. 11. cap. 48. *præsertim* n. 5. & *seqq* c. 46. num. 3. 5. 8. Ut agmina deinceps Theologorum degerent in Monasteriis & Seminariis? c. 2. num. 7. & *seqq* c. 35. nu. 5. c. 43. nu. 15. §. *Quando*. Cur non antiquos modò, sed & sibi coævos Scriptores allegare deceat, antiquorum exemplo, cap. 2. num. 10. cap. 34. numer. 2. & *seqq*. Tract. 4. p. 519. 520. Quàm cautè verò incedendum est, ubi non suppetunt Scripturarum & Patrum testimonia, Tract. 5. c. 13. n. 2. Maximè ubi primùm erumpit error, Patrum compilanda sunt testimonia, ex Vinc. Lirin. Tr. 1. c. 25. num. 9. Et hinc his sereniſſimis Theologiæ nostræ placitis insuefacienda est Theologorum mens, Tr. 2. c. 22. n. 5. Imo & populorum, more adhuc Patrum, *Ibid.* Quanta debeat esse Theologia etiam vulgi fidelium? *Ibid.* & Tr. 1. c. 10. n. 6. 7. Quàm arbitraria verò sit hæreticorum? c. 13. n. 1. 4. 10. c. 20. nu. 1. & *seqq*. Quàm nostra sibi semper constans? cap. 38. nu. 2. Quomodo ipsi recentissimi Theologi ad concordiam redeunt cum antiquis? Tr. 3. cap. 11. §. *Ab. præf. ad Tr.* 4. & *in fine cujusque* 4. *partium*. Imo ex ipsis Novatorum inopinis testimoniis, p. 508. & *seqq*. Unde aliquorum fastidium in his omnibus legendis? Tr. 4. p. 655. §. *Solidè*, & p. 499.

Theophilus Antiochenus Episcopus, sub Marco Aurelio & Commodo, quid de Trinitate senserit, in tribus libris pro Religione ad Autolicum, Tract. 2. cap. 42. num. 9. 10.

Theresia virgo Abulensis, Carmeli restauratrix, non mirum, si inter vitæ spiritalis authores laudetur pro Gratia, *præf. ad Tr.* 4. §. *Quatuor*, & p. 543. §. *Hìc*.

Thomas Aquinas, *Angelicus Doctor*, quid intellexerit per parvulum nutritum in sylvis, à Deo non deserendum, &c. Tr. 3. c. 7. §. *Non*. Quid propriè per Gratiam? CC. 9. 11. §. *His & seqq*. Tr. 4. p. 451. & *seqq*. Quàm necessariam ad quodlibet opus bonum existimaverit, cum suis omnibus *Thomistis*, Tr. 3. cap. 12. §. *Eandem*, cap. 13. v. 10. Tract. 4. 452. & *seqq*. 457. Non ita convenit cum recentioribus, præsertim Hispanis, quoad Gratiam, seu motionem physicè prædeterminantem, ipsaque decreta ex Scoto, quod mirum est, ab ipsis deprompta, Tr. 1. cap. 14. 27. Tract. 4. p. 452. 453. 457. 480. 629. 612. §. *postremo*. 626. §. *Docet*. 652. §. *Si*. Nec quoad sensum compositum & divisum in singulis actibus, p. 453. v. 21. 22. 28. p. 549. 606. At omnimodè cum Antiquis quoad prædeterminationem moralem, ex plurium concursu, æquè infallibilem, ac physicam, Tr. 3. c. 26. §. *Consentit*. Tr. 4. p. 453. 454. 480. 481. & quoad distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis, ab ipso in Scholas inductam, pag. 595. Imò hactenus ferè cum omnibus Italis, quoad ipsam præmotionem non prædeterminantem, relictis Hispanorum contentionibus, p. 589. §. *Si*. Quatenus verò cum coævis sibi magistris & discipulis, ex alterutro tunc florente mendicantium Ordine, usque ad Scotum, *præf. ad Tr.* 4. v. 6. & *seqq*. Ac deinceps in singulis ferè authoribus, etiam post Scotum, Tract. 4. Non semper cum seipso, ut ipse in posterioribus operibus agnovit, *præf. ad Tr.* 4. §. *Nec*. At nusquam cum ejus doctrinæ corruptoribus hæreticis, Tr. 4. p. 519. 520. Cavendum ne his faveatur, pervertendo sancti Doctoris sensum, p. 655. §. *Ansa*. Optandum, ut priorem legitimum resumendo, facilius etiam recipiantur Ecclesiæ decreta, §. *Accedit*. Sic author Anonymus Belga, circa annum 1650. p. 655. Et Josephus à Vita in opere, quod ipsi S. Thomæ dicavit, cum approbatione Ordinis, p. 654. v. *Dominicani*, &c.

Thomas Bradwardinus, & ipse Dominicanus, ac primus professor Oxoniensis in Anglia, postea Archiepiscopus Cantuariensis, circa annum 1340. de Gratia quidem generali, etiam ultra metas, sensit, Tr. 4. p. 469. De habituali convenienter omnibus aliis Scolæ Magistris, *Ibid.* Ipsique Augustino, p. 470. Et quidem quoad Charitatem, satis aptè ad omnes nunc conciliandos, p. 471. At quoad prædeterminationem, cujus ipse author est, licèt Ecclesiæ præsertim Romanæ subdi se professus, propiùs ad suppeditandam materiam Vvicleso & sequacibus, ut queritur Thomas Vvaldensis, p. 471. 472. 482. §. *Etenim*.

Thomas de Vio Cajetanus, pariter Dominicanus, sed Cardinalis, circa annum 1512. sancti Thomæ necnon & Augustini scitè explanavit, quoad triplicem Gratiam, Tr. 4. p. 502. Quoad primam, nempe gratiam generalem, contra Gregorium Ariminensem, p. 503. In quo perstringatur ab Henrique, p. 601. §. *Infra*. Et defendatur à Ferorio, pag. 620. §. *Sed*.

Thomas Elysius, Neapolitanus, adhuc Dominicanus, circa annum 1563. *Piorum Clypeum* adversus sui maximè temporis hæreses edidit, quem Romanus Index confixit quidem, donec expurgetur, non autem quia ex omnium concentu, quoad triplicem gratiam, Tract. 4. pag. 525. 526.

Thomas Vvaldensis, Anglus, de Catholicis quidem suo ævo scriptoribus queritur, qui Vvicleſi & sequacium viam præstruerent, ad necessitates in actus liberos inducendas, Tract. 4. p. 472. §. *Verùm*. At pluribus disputat in Vvclefum pro veris auxiliis, libertati nostræ non insidiantibus, licèt stet & ipse pro prædestinatione infallibili & gratuita, p. 481. 482.

Tiberius Imperator, quid petierit à Senatu pro Christo? juxta Tertullianum, & Eusebium, Tract. 2. cap. 38. num. 22.

Timor, an bonus sit, vel malus; utilis, vel inutilis, utpote non ex Charitate, vel Christo, Tr. 5. c. 3. n. 11. & *seqq*. Pauci an omnes actus ex solo timore servili expressi, sint peccata? *Ibid.* & *antea Tr.* 3. cap. 8. §. 1. cap. 24. §. *Non*. & *passim toto Tr.* 4. Quatenus peccandi voluntatem non excludat? ex Augustino, Tr. 5. c. 3. num. 12. & *seqq*. Ex Bernardo, c. 5. nu. 21. An aliunde exordia saltem conversionis peccatorum ab illo timore repetenda? Tr. 3. cap. 20. v. Tr. 5. c. 3. num. 12. & *seqq*. Imo totum vetus Testamentum, *ubique*: Quin & ipsum novum, ex Evangelio, ipsius Pauli, & aliis Martyrum etiam exemplis, Tr. 3. c. 20. v. 4. & c. 22. §. *Illam*. Item ex Bern. Tr. 4. pag. 424. Tract. 5. c. 5. n. 22. & *seqq*. Ex Aug. c. 3. n. 12. & *seqq*. Ex Ambr. c. 5. n. 6. & *seqq*. Ex Hier. n. 12. & *seqq*. Ex Tert. præsertim contra Marcionem, num. 17. Ex Paulino, Prospero, Greg. M. *nu. seqq*. Ex Græcis, nu. 25. ferè ex iis omnibus apud Lensæum, Tr. 4. p. 632. §. *Sed*. & §. *Infra*. Cur sub lege adhuc timor, licèt charitatem juberet? Tr. 3. c. 26. §. 1 & *Expressiùs*, Tr. 5. c. 12. num. 12. Quomodo tandem timore & lege præparatus mundus, si expectanda fuit summa vis morbi, ut medicus orbi succurreret? ex iisdem PP. c. 26. *integro*.

Titelmanus, v. *Franciscus Titelmanus*.

Toletus, v. *Franciscus Toletus*.

Tostatus, v. *Alphonsus Tostatus*.

Traditio, Scripturis ipsis probatur antiquior, Tr. 2. c. 24. n. 5. Et illa quidem studiosè ab ipsis Philosophis servata, c. 35. n. 11. Et licèt perfectus sit Scripturæ canon, adjicienda tamen traditio, & cur? ex Vincentio Lirin. Tr. 1. c. 25. num. 3. Quomodo utraque concurrat ad Trinitatem saltem suadendam, Tr. 2. cap. 5. num. 5. c. 6. n. 2. 6. c. 47. nu. 6. & *seqq*. Et vel sola traditio, gradatim per Apostolos, ad Christum, & ad Patrem usque nos reducat? ex Tert. Tr. 1. cap. 13. num. 6. & *seqq*. cap. 24. num. 4. Ex Irenæo, c. 18. n. 2. 5. & *seqq*. c. 21. n. 13. & *seqq*. Non solùm ex Pauli testimoniis commendatur, sed sine ea nequidem defendi possunt Scripturæ adversus hæreses? c. 23. num. 4. Imo non aberrarunt à Scripturis hæretici, nisi quia noluerunt Deum aliquid Ecclesiæ traditionibus committere, c. 14. num. 1. c. 19. num. 2. & *seqq*. c. 22. *ferè toto*. c. 24. nu. 3. & *seqq*. c. 25. *integro*. Ut aliqui vicissim à Scripturis ad Traditiones appellarent, & quales? ex Iren. c. 20. nu. 1. Ex Conc. Chalced. c. 34. n. 8. Quales econtra traditiones illis opponerentur? Imprimis ex perpetua successione Ecclesiarum & Episcopalium Sedium, c. 20. num. 2. & *seqq*. Ex Patribus Græcis, CC. 21. 22. Ex Latinis, c. 23. 24. 25. Ac rursum ex utrisque, CC. *seqq usque ad* 34. Quàm insulsum nuncantibus semper Novitatibus posthaberi vel Traditiones antiquissimas? c. 22. num. 4.

Trideita primi, Marcionistæ, suo triplici sole tres hypostases seu substantias professi, Tr. 2. c. 26. n. 6. Alii hæretici *Bideitæ* Macedoniani, cur *Trideitas* vocarent Catholicos? c. 7. num. 9. c. 39. num. 6.

Tridentina Synodus quantos habuit Theologos Canonum peritos, & vicissim Canonistas Theologos, Tr. 1. cap. 46. num. 8. Non potuit consentire in omnibus cum suis & antiquis Theologis, contra Hæreticos, *præf. ad Tract.* 4. v. 7. & pag. 502. §. *Caterum*. Quid statuerit de studiis, Tr. 1. cap. 46. num. 10. *in fine*. Et contra Lutherum, de timore servili, Tr. 3. cap. 7. §. 1. cap. 24. §. *Non*. Nec non de extensione nominis Gratiæ ad auxilia actualia? c. 9. §. *At*. Tr. 4. p. 513. §. *Ad*. Nihil de prædestinatione, & efficacia Gratiæ indeclinabili, Tr. 3 c. 10. §. 1. Utpote quòd vix prædestinationis arcanum attigerit, Tr. 4. p. 514. §. *De*. Sufficienter verò ipsius Gratiæ habitualis seu justificantis efficaciam seu activitatem ad malum vitandum, & bonum implendum, Tr. 3. c. §. *Hoc*. Tr. 4. p. 512.

512. & *seqq.* Adeoque & possibilitatem præceptorum, post Antiquos, Tr. 3. c. 12. §. 10, 13. v. 15. Tr. 4. p. 513. Necnon & Consiliorum Evangelicorum, pag. 551. §. *Cur*; De triplici tandem Gratia, simul, *præf. ad Tract.* 4. v. 7. & p. 472. §. *Cæterum*. Eadem ferè eruuntur ex Catechismo Concilii, & ex Theologis Congregationes componentibus, licèt aliquando inter se altercantibus, si Paulo Suavi fides, p. 514. 515. Necnon ex eorum lucubrationibus, in primis Hosii Cardinalis, in fine præsidis, adeoque & legitimi interpretis, p. 564. 565. §. *Hinc*. Item Dominici à Soto, p. 566. & *seqq.* Andreæ de Vega, 573. 574. §. *Cur*, Francisci Horantii, p. 583. §. 1. &c. Ac tandem ex Conciliis Provincialibus, paulò post in Tridentini sententiam celebratis, p. 561.

Trinitatis ipsum nomen, cur ne pronuntiari quidem debeat sine sensibili voluptate? ex Epiphanio, Tr. 1. c. 5. n. 1. Doctrina verò, an ex ipso veteri Testamento commendetur, Tr. 2. cap. 4. num. 6. §. *Sed*. c. 24. num. 5. c. 31. n. 3. c. 33. *integra*. An, & quomodo ex antiquis Philosophis, maximè Platonicis? cc. 34. 35. 36. Imò perspicuam ex Philosophia Trinitatis cognitionem, quomodo Claudianus Mamertus, quomodo Abelardus docuerit, Tr. 1. c. 35. num. 5. Longè accuratiori modo sancti Patres, præsuppositâ fide, Tr. 2. c. 13. nu. 4. 5. c. 14. n. 6. 31. n. 8. c. 34. n. 5. 6 8. Fides autem Trinitatis Traditioni præsertim ascribitur, à Nazianz. Tr. 1. c. 19. n. 8. A Basilio c. 21. num. 6. 8. Tr. 2. c. 16. num. 6. c. 45. num. 5. 12. cap. 46. num. 8. Ab Athan. Tr. 1. c. 21. num. 1. & *seqq.* cap. 31. num. 1. & *seqq.* Tr. 2. cap. 45. n. 12. c. 46. n. 8. Ab Hilario, Tr. 1. c. 17. nu. 4. & Tr. 2. c. 46. num. 8. cap. 47. num. 6. & *seqq.* Adeoque & traditioni Patrum Concilio Nicæno superiorum, c. 37. n. 1. & cc. *seqq. usque in finem*. Imò ipsi Philosophorum traditioni, c. 34. num. 7. 8. & passim cc. *seqq.* Scilicet posse Deum ea facere, & multò magis esse, quæ nobis impossibilia videntur, adeòque nec pugnare, ut credatur à nobis unus esse & trinus, ex Patribus Græcis, c. 1. Ex Latinis, c. 2. & *passim seqq.* Imò id eo fide dignius, & rationi consonantius, quò supra fidem, suprà rationem est, ex Ath. c. 1. n. 1. c. 2. nu. 2. Paucis, Trinitatis fides astruitur ex ipsa incomprehensibilitate divina, *Ibid.* & *seqq.* c. 11. n. 8. c. 13. n. 2. & *seqq.* c. 14. n. 5. Quàm stultè tota Dei natura comprehendi sub uno ingeniti nomine negativo, jactabatur ab Eunomianis? c. 10. num. 7. 8. Quomodo tamen non tantùm credi ab omnibus, sed etiam intelligi à paucis saltem possit Beata Trinitas? ex August. c. 2. n. 8. c. 13. num. 4. 5. Ex eodem, & aliis, c. 14. num. 15. c. 24. num. 5. 6. Et nihilominus ad ipsam Trinitatis intelligentiam ne eniti quidem magnoperè debeamus, ex eodem adhuc Aug. c. 3. n. 1. c. 18. num. 1. 4. Multominùs ad demonstrationes, c. 5. num. 5. c. 6. n. 2. 6. c. 13. num. 5. c. 14. n. 7. c. 24. num. 5. 6. c. 31. n. 8. Præstat pasci interim imagine aliqua Trinitatis, cujusmodi est *esse*, *nosse*, *velle*, & similibus animæ virtutibus, c. 3. num. 2. c. 18. n. 1. & *seqq.* CC. 19. 20. Item quòd in tota etiam sæculari litteratura, ubique gentium, intra tres personas omnia concludantur, *Ego*, *tu*, *ille*, c. 17. num. 14. §. *Ult.* Quas ex natura corporea similitudines sancti Patres sumpserint? c. 26. 30. num. 7. &c. An ut plures homines, unus homo; ita plures personæ divinæ, unus Deus? ut volebant Ariani, c. 37. Aliæ æquiores appropriationes trium personarum in ipso homine, Tr. 3. c. 3. §. *posita* & *seqq.* Quid respondendum Gentibus pluralitatem ex Trinitate objicientibus? c. 41. num. 3. 4. Imò, quàm nihil sit in Trinitate, quod vel ipsos possit offendere, quod non potiùs debeat allicere? c. 3. n. 4. 5. 6. c. 24. num. 5. 6. De unitatis imprimis summæ magnitudine, opulentia, fœcunditate, & dilatatione in tres hypostases, ex Patribus Latinis, c. 3. n. 3. & *seqq.* c. 6. Ex Græcis, CC. 4. 5. Ex utrisque simul, c. 17. n. 5. c. 24. n. 6. c. 27. n. 11. c. 28. n. 3. Nimirum Divinitas unitas est, & plenitudo, ideò una & trina est, ex Athan. c. 5. n. 1. c. 24. num. 1. & *seqq.* Quare unitas se movens ac diffundens, ad Trinitatem progressa sit, non ulteriùs? ex Nazianz. c. 5. num. 5. & *seqq.* c. 17. n. 14. Paulò aliter, juxta Philonem, c. 36. n. 8. 10. Ut citra dispendium unitatis numerari possint, ut non possint tres hypostases divinæ? c. 5. n. 2. & *seqq. latissimè, ex toto* c. 17. Ita Trinitas illa numerus non est, sed unitas explicata, ex Naz. c. 5. n. 6. Ex Bern. c. 6. n. 5. & *seqq.* c. 17. n. 7. Ex Boetio, num. 6. Non enim duo aut tres dicuntur in Deo, nisi secundùm quid, hoc est, ad aliquid & relativè, c. 8. n. 9. Ut nequidem possint esse gradus in Deo, in unitate, ex Nazianzeno contra Apollinarium? c. 4. n. 5. Multò minùs modi & numeri? ex Bern. contra Boetium, c. 6. n. 6. Ex Basil. c. 7. n. 10. Ex Ambr. c. 17. n. 4. Trinitas itaque ex tribus summè perfectis unum perfectum, c. 16. n. 5. c. 31. n. 5. Et quidem ita unum natura, & trinum personis, ut numero ibi nec unum sit, nec tria, ex Patribus Lat. & Græcis, c. 17. Imò licèt Deus & Deitas θεὸς καὶ θεότης, non naturam, sed operationem significent, non pollunt tres dii divinæ hypostases, sicut nec tres operantes, ex Nysseno, c. 27. n. 8. Sed tria unus Deus, ut singula totus Deus, & infinita tria unum infinitum sint, ex Nazianz. c. 4. n. 4. Imò in Deo tria unum sint, quia una veritas & charitas, quæ Dei natura & quælibet persona est, non minuit, sed astringit unitatem, longè magis quàm in creatis, c. 25. In quo maximè peccarint famosi hæreticorum duces, circa Trinitatem, ex Leone, c. 3. n. 7. Ex Naz. Bas. c. 5. n. 7. 8. Et quidem longè graviùs, quàm Philosophi? c. 34. nu. 1. & *seqq.* Quid enim ibi tres, seu tria hæc? ex Aug. Epiph. Basil. Dion. c. 17. n. 5. 9. 10. 12. Qualiter de tribus hypostasibus & personis catholicè utrimque disputatum est, Tr. 1. c. 16. n. 4. Quæ propria, quæ communia tribus personis, Tr. 2. c. 24. n. 5. 10. c. 30. n. 9. 15. Summa & æqualis admirabilitas trium proprietatum personalium, c. 11. n. 7. & *seqq.* Distinctio notionum personalium ab essentialibus perfectionibus, c. 28. num. 4. c. 31. n. 6. c. 31. num. 2. cap. 45. nu. 4. At quomodo natura ipsa de tribus dicatur, Tr. 2. c. 11. n. 8. §. *Cum*. Non ita quidem tres personæ unus Deus, ut quasi quarta sit Divinitas, c. 16. num. 2. Nec pars dici posset divina persona, *Ibid.* & num. 3. Sed ut quælibet Trinitatis persona cæteras complectatur, ex Dion. Alex. c. 4. nu. 1. Ex Ath. c. 7. n. 1. §. *Authore*, c. 28. num. 10. 12. Ac in primis, tres in Deo personæ sint unus Deus, ob reciprocam immeationem & inexistentiam omnium penitissimam, c. 28. n. 1. & *seqq.* c. 29. n. 15. Et propter unitatem naturæ & principii, ab uno Patre manantibus duabus personis aliis, ex Græcis PP. c. 7. Ex Latinis, c. 8. Sic unitas Deitatis, ex Patris Monarchia religatur, c. 7. num. 2. & *seqq.* præsertim ex Basil. n. 10. Ex Pasch. c. 17. nu. 14. Ex Photio c. 31. num. 9. Et ex eo quòd dicatur Deitas fontalis, à Dion. c. 7. num. 14. Cur Patris nomine, nomen ingeniti contineatur, non vicissim? ex Basilio, c. 10 n. 5. Cur rariùs Scriptura & Patres ingeniti nomen quàm patris ostentent? E contra verò Ariani? c. 7. n. 6. §. *Hinc*. CC. 10. 11. 34. n. 1. De ingeniti nomine diversa Hilarii ab aliis Patribus sententia, c. 11. n. 1. & *seqq.* c. 31. num. 5. Non ingenitum modò, sed & genitorem esse Deum, & fœcundum ex proprio sinu, per quem fœcunda sunt omnia, c. 12. Cur Pater æternus mas & fœmina dicatur à Synesio? c. 4. num. 7. 8. c. 7. num. 12. An dici possit Deus seipsum gignere, a seipso nasci? CC. 9. 40. num. 6. Volens, an nolens genuerit Pater? c. 13. n. 8. & *seqq.* Cur solus Pater gignat? c. 12. num. 12. & 13. c. 13. num. 1. & *seqq.* Quàm eminentissimè Pater sit? cap. 9. num. 10. cap. 11. num. 2. cap. 12. num. 12. cap. 13 num. 1. & *seqq.* cap. 20. num. 11. cap. 30. num. 1. 5. 8. Contra eos qui volebant Patrem dici posse Deum, antequam Filium haberet, aut Patrem non semper fuisse Patrem, cap. 10. num. 16. 17. cap. 13. num. 5. cap. 15. num. 4. cap. 38. num. 10. Imò Pater præcausa, & inoperans operatio dicitur, à Mario Vict. cap. 32. num. 1. 2. Et ab ipsis Philosophis, cap. 35. num. 4. Et aliunde ipsum esse, & unum incomprehensibile, num. 1. 8. 12. cap. 36. num. 6. 9. 12. cap. 44. num. 6. & *seqq.* Item silentium non silens, &c. cap. 32. nu. 3. 8. 9. 11. Præterea ut Pater vivens, vitam vivat, & vitam seu filium, intelligentiam, ac sapientiam ex se propaget? ex Hilario, cap. 6. num. 2. Ex Ambr. cap. 8. num. 4. Ex Aug. cap. 11. num. 13 cap. 13. num. 6. Rursus ex eiisdem &c. cap. 20. num. 2. & *seqq.* cap. 24. num. 6. cap. 24. num. 6. 7. cap. 31. num. 2. cap. 32. num. 2. & *passim seqq.* Ut invisibilis Pater, visus & auditus Filius? ex Tert. c. 37. n. 2. 5. Ex Novat. c. 39. n. 8. Ex Arnobio, c. 41. n. 4. Ex Iren. c. 43. n. 6. & *seqq.* c. 47. nu. 8. & *seqq.* An & quomodo propriè dici possit Filius imago Patris, non ad imaginem? c. 20. num. 1. & *seqq.* cap. 28. nu. 4. cap. 29. num. 14. cap. 30. num. 12. cap. 31. num. 4. Et quidem ut similitudo omnium perfectissima, & exemplaris, CC. 21. 24. n. 9. §. *Pergit*. c. 29. n. 5. n. 12. c. 35. n. 6. & *seqq.* c. 36. n. 2. 3. Spargens se deinceps in omnia, per varias sui imagines? c. 23. n. 2. 6. An dici possint Pater & Filius, unum charitate, concordia, consensione? c. 39. n. 6. Vel potiùs substantia, seu omnino consubstantiales, Tr. 1. c. 17. nu. 4. c. 21. n. 1. 6. c. 29. n. 3. 4. c. 3. n. 1. & *seqq.* Tr. 2. c. 15. num. 6. cap. 34. & *seqq.* cap. 45. num. 12. cap. 46. num. 8. c. 47. num. 6. & *seqq.* Quantum momenti esset ad retinendam fidem consubstantialitatis, in nomine Patris & Filii, c. 10. num. 10. Et unde aliàs ipsum Filii nomen Sabelliana hæresis apud plurimos extinxerat? ex Athan. Tr. 1. c. 31. num. 5. Quomodo rursum consubstantialis Patri probetur Filius, vel eo ipso quòd minor dicatur? ex Basil. Tract. 2. cap. 15. num. 6. Et aliunde minor non sit, eò quòd consubstantialis? cap. 28. num. 2. 4. 10. 14. Quomodo enim Pater major sit Filio, qui unius tamen est cum eo Deitatis, unius substantiæ, & gloriæ? ex PP. Latinis, cap. 8. num. 7. cap. 11. num. 11. 12. cap. 14. *ferè integro*. c. 37. num. 3. 4. 5. cap. 38. num. 4. 9. Ex Græcis c. 15. Cur alicubi Filius ante Patrem se nominet? c. 17. num. 4. Præcipit & mittit Pater gignendo, subjicitur ac mittitur Filius nascendo, præceptum ipsemet Patris, cap. 14. num. 4. & *seqq.* Paulò aliter, cap. 42. num. 5. cap. 43. num. 4.

Subji-

Subjicitur omnino Filius in carne assumpta, in qua minor est seipso, & in Ecclesia sibi agreggata, cap. 14. n. 1. 10. 12. cap. 15. n. 13. c. 37. num. 3. 4. 5. cap. 39. num. 4. 7. 8. 12. c. 41. nu. 5. *& seqq.* Sicque & creatus dicitur, & initium viarum Domini, cap. 23. num. 1. 2. Nec illud Patri minùs honorificum, contra Arianos, cap. 15. num. 13. Quomodo solus Pater novit diem judicii? c. 43. num. 4. Quid sit regnum tradi à Filio Patri? c. 8. n. 6. 14. n. 2. Ut mirum sit, & tamen verissimum, Dei Filium eo ipso esse æqualem, quo Patrem majorem prædicet? ex Mario Vict. cap. 8. num. 7. Ex Hilario, cap. 11. num. 11. cap. 13. num. 13. 14. Ex Ambr. num. 12. Ex Bas. c. 15. num. 6. Ex Nazianz. num. 2. Imò si non est æqualis Filius, minor erit Patris dignitas, cap. 12. numer. 1. 3. cap. 13. num. 1. *& seqq.* c. 15. num. 7. 13. cap. 16. num. 8. c. 39. n. 2. n. 9. Pater ergo major est, non melior, qua Pater, non qua Deus, cùm ad originem, non ad naturam illud spectet, c. 15. n. 1. *& seqq. præsertim* 9. Vicissim veritas Filius, non est major vero & veraci Patre, c. 22. num. 5. Universim non potest persona una major esse qualibet alia, nec duabus aliis vel tribus simul minor, CC. 16. 28. num. 10. Quot modis sapientia de tribus dicitur? c. 7. n. 2. c. 8. nu. 4. c. 13. n. 6. 8. 11. c. 25. num. 7. 8. c. 22. num. 1. *& seqq.* At specialius de Filio, cap. 7. num. 3. Filius quippe ut sapientia discit & docetur à Patre, dum nascitur, cap. 14. n. 9. Cur æterna illa Dei sapientia dicatur & genita & creata? ex Hilario, c. 23. nu. 8. 10. Et quidem *ex ore Altissimi*, non de nihilo, ut observat Ambr. n. 11. Et ipse Tert. c. 37. n. 7. 8. & cæteri, Tr. 5. c. 7. nu. 7. An etiam dici possit Filius consilium Patris, vel potiùs consilium de consilio, sicut sapientia de sapientia? Tr. 2. c. 13. n. 9. c. 21. n. 7. c. 22. n. 1. *& seqq.* c. 42. num. 9. 10. Quid differat sapientia, & ratio, & verbum, & sermo, apud Deum? ex Tert. cap. 38. n. 1. 2. Ex Theoph. c. 42. nu. 9. 10. Ut Verbum significet *vocem* seu substantiam? ex Cyrillo Alex. non vitæ institutum, ut volebant Ariani, c. 27. num. 11. §. *Nec*. Et hinc propriè Filius, quia Verbum, & reliqua superiùs dicta c. 30. num. 1. *& seqq.* c. 36. nu. 1. Imo Verbum Verbi, & vox, ex Mario vict. c. 32. nu. 3. 7. 8. 11. Nec tamen duplex Verbum in Deo, ex aliis PP. c. 22. n. 10. c. 23. n. 3. c. 24. num. 2. Cur & quomodo mundus intelligibilis, ipsum Dei Verbum? Tr. 1. c. 43. n. 2. Et ut secernatur Deus à Domino? ex Philone, Tr. 2. c. 36. num. 6. Ex Chrysost. contra Philonem, n. 12. Ex Tert. c. 38. num. 6. 8. Quomodo tandem medius inter Patrem & Spiritum sanctum Filius? ex Nysseno, c. 31. n. 1. Spiritus unde sic appelletur? ex Basil. c. 30. num. 14. Cur vel ex hac voce pateat, quàm non sit creatura? *Ibid.* Et cur non sit filii filius, vel frater? c. 29. num. 10. 4. 6. 7. 14. c. 30. num. 2. 6. cap. 31. num. 3. Dicitur tamen ipsius Filii imago, saltem cùm nos imagines facit, c. 30. num. 12. 13. cap. 43. num. 7. Imo vox vocis, &c. At propriè non procedit ut imago, etsi totus in eo sit Pater, sicut in Filio, c. 20. num. 2. c. 28. *fere toto*, c. 29. n. 14. cap. 30. num. 12. 13. Nec omnino possunt esse duo patres, sicut nec duo filii, c. 29. n. 1. *& seqq.* c. 30. num. 8. Imprimis, quia primus totam occupavit filietatem, c. 29. n. 2. c. 30. num. 2. Et Spiritus procedit ut donum, licèt non donetur nisi in tempore, c. 29. n. 3. 4. 8. c. 30. num. 12. Necnon ut charitas & amor æternus, c. 29. n. 5. 7. 8. 10. 13. 15. c. 30. nu. 2. 3. 12. Non ita propriè ut sapientia, c. 7. num. 4. c. 24. n. 1. *& seqq.* Nec duo sunt principia Spiritus sancti, Pater & Filius, etiamsi ab utroque procedat, ex Aug. c. 8. num. 5. Ex Hugone Eth. contra Græcos, n. 9. Ea autem ab utroque Spiritus sancti processio probatur ex ipsis Græcis, c. 31. n. 1. 4. 9. Solis exceptis Theodoreto, & Photio, *Ibid.* At post hæc omnia, cur adhuc vix discerni possit inter utramque Filii aut Spiritus processionem? ex Aug. cap. 29. num. 2. Ex Ambr. n. 9. 10. Ex Nazianz. cap. 30. num. 9. Ex Epiph. num. 10. Ex Jobio apud Photium, cap. 31. num. 7. Ex Damasceno, nu. 5. §. *Ita*. De utraque adhuc, simul cum missione Filii & Spiritus sancti, ex Novatiano, c. 39. n. 7. 9. Unde tandem probetur sine Spiritu sancto imperfectum fore totum Trinitatis Mysterium? ex Hieron. cap. 11. numer. 7. ex Cyrillo Alex. cap. 31. num. 2. Jam ut differat œconomia in Trinitate ac in Incarnatione, ut cum Monarchia consentiat? c. 37. n. 10. c. 38. num. 4. Et unus de Trinitate passus dici aut negari possit? Tr. 1. c. 15. n. 7. c. 16. n. 2. Ac tota demum Trinitas in corde totius Ecclesiæ comprobetur? à Petro Cluniac. c. 25. n. 11. De ipso hymno glorificationis trium divinarum personarum, ex Basilio, c. 21. n. 8. *& seqq.*

Tyrii & Sidonii quibus virtutibus adjuti? passim in Authoribus de gratia efficacissima tractantibus, Tr. 4. præsertim in Toleto, p. 603. *Et idem*, Item in Medina, p. 606. §. *Satius*.

V

VALENS IMPERATOR, qua tandem arte, ne persequeretur Catholicos, a Themistio Philosophio revocatus? *præf. ad Tr.* 3. n. 11.

Valentia, v. *Gregorius Valentia*.

Valentinus hæresiarcha, unde Æones suos, & totam suam fabulam conderet? Tract. 1. c. 39. num. 5. Tr. 2. c. 44. nu. 9. §. *De*.

Vasquez, v. *Gabriel Vasquez*.

Velloſillus, v. *Ferdinandus Velloſillus*.

Verbum, v. *Trinitas*.

Veritas, rerum omnium maxima, ex Zorobabele coram Dario, &c. Tr. 2. c. 24. n. 8. c. 35. num. 5. In natura veritatis, quæ Deitas ipsa est, non est aliud alio majus, sicut nec verius, cap. 16. num. 4. c. 22. num. 5. 6. c. 24. n. 4. Ut veritas ipsissima charitas sit, Tr. 5. c. 8. n. 1. c. 9. n. 15. *& seqq.* Hinc veritas & similia divina, nonnisi à puris ex charitate attingenda, *passim toto Tr.* 1. Quo sensu retractarit Augustinus, nisi mundos corde, verum non scire? c. 9. n. 1. Pax saltem cum veritate diligenda, ex Scriptura à Naz. exposita, *præf. ad Tr.* 3. n. 16. De recto vel præpostero veritatis amore, n. 3. *& seqq.* Regula veritatis, alia quam voluntatis. Tr. 1. c. 20. n. 1. *& seqq.* Ut singulæ sectæ aliquid veritatis sortitæ? c. 36. n. 8. c. 39. n. 9. Nullum merum & totum verum, *Ibid.* & c. 40. n. 1. *& seqq.* Quantum à fortiori differt verum à veritate? & c. Tr. 2. c. 21. n. 2. De veritatis ipsius hypostasi & vita, c. 24. n. 2. 8.

Victoria, v. *Franciſcus Victoria*.

Victorinus Pœtavionenſis Episcopus & Martyr, variè laudatus ab Hieron. Tr. 1. c. 28. num. 2. 4. c. 44. num. 4. 5. cap. 45. num. 4.

Viennenſe Concilium Generale an novi aliquid docuerit de habitibus, Tract. 3. c. 10. §. *Si*. Tract. 4. pag. 569. §. Cùm.

Vigilantius Hæresiarcha, quomodo deridens Martyrum Reliquias & earum cultum concerpatur ab Hieronymo, Tr. 1. c. 24. n. 10.

Vigilius Tapſenſis, in egregio opere adversus Eutychetem, non sine dolore narrat Catholicorum inter se dissidia, Tr. 1. c. 35. n. 8. 9. 10.

Vincentius Lirinenſis, præclara habet circa Ecclesiæ dotes, Tr. 1. c. 25. n. 3. *& seqq.* Necnon & circa traditiones, *passim toto opere*.

Virtutes quænam, Deo in Mundi opificio administræ? juxta Philonem, Tr. 2. c. 36. n. 10. Verarum virtutum partes in quærendo & inveniendo Deo, Tract. 1. c. 1. *& seqq.* alias virtutum partes quomodo sectæ omnes partitæ? c. 30. num. 10. Cur in virtutibus spiritalibus numerus non sit, sed ordo numeris præstantior? ex Ambr. Tr. 2. c. 17. num. 1. 2. Quanta verarum virtutum mutua inter se immeatio? ex Aug. c. 28. nu. 16. præsertim in charitate, Tract. 4. p. 634. §. *Eodem*. De virtutum relictis seminibus post lapsum, Tr. 3. c. 3. §. *His addemus* c. 5. §. *Hinc*. Quæ gratia necessaria sit ad virtutes morales? ex variis authoribus, Tr. 4. p. 575. 583. §. *Nunc &c.*

Viſa congrua, quidnam sint, & ad quid? ex Aug. &c. Tract. 5. cap. 13. num. 12. *& passim* Tract. 4. præsertim. pag. 423. §. *postremo*. p. 620. §. *Sed. &c. Viſiones*, v. *Apparitiones &c.*

Vita, quid sit propriè? ex Hil. Tr. 2. c. 6. n. 1. c. 29. num. 9. Ex Ambr. c. 7. num. 4. Ex aliis, c. 13. num. 6. c. 20. nu. 10. c. 24. num. 6. 8. Vitæ præcipua laus fœcunditas, n. 6. §. *præstantiores* & §§. *seqq.*

Vitia, quomodo sita sint in præpostera Dei imitatione? ex Augustino, Tr. 3. c. 3. §. *Vit.* c. 5. §. *Rem*. Et ipsa veterum vitia Christum prædicerent, Tr. 5. c. 11. n. 17. *& seqq.* Ac nihilominus purganda in nobis sint, ante omnia, Tr. 1. c. 3. n. 14. cap. 4. n. 1. *& seqq.* c. 5. num. 5. *& seqq.* c. 1. n. 1. *& seqq. ac passim &c.*

Umbra in lege, & apud Gentes, quid, & ad quid? Tr. 5. CC. 7. 9. *fere integris, &c.*

Unitas summa, ejusque gradatim descensus ad inferiores naturas, ex Boetio, Tr. 2. c. 6. n. 3. Ex Bern. n. 4. *& seqq.* Ut in summa & principe unitate, unum sint omnia? c. 5. n. 2. Aliæ prærogativæ unitatis in Deo, aliquot & in Creaturis, c. 3. n. 7. 8. 9. c. 24. n. 1. *& seqq.* Plura de unitate universitatis, & numeris, c. 3. nu. 9. c. 4. num. 1. 7. c. 5. num. 2. *& seqq.* c. 17. nu. 11. §. *Id*. Quatenus Pater æternus est *ipsum unum*, universitatis principium? c. 32. n. 8. 12. Ex Platonicis passim, CC. 33. 35. 36. v. *Trinitas, &c.*

Voluntas tripliciter sumitur ab Anselmo, Tr. 4. c. 1. §. *Sed*. Duplex alia distinguitur à Bern. c. 2. §. *Ideo*. Alia duplex, antecedens, & consequens, maximè in Deo, ex D. Thoma. Tr. 4. p. 595. Quam nostra sit sua sponte versatilis, fidem faciunt vel hæreses à voluntatis electione sic dictæ, earumque variationes, Tr. 1. c. 14. nu. 2. *& seqq.* Quàm non alia apud ipsas, quàm voluntatis regula, non veritatis? c. 20. num. 1. 2.

Volusianus famosus gentilis, ab Augustino ad Scripturas legendas excitatus, quid pro ipso rescripserit? Tr. 1. cap. 6. num. 8.

Wiclefus hæresiarcha, excitatam paulò antè in Anglia doctrinam de necessitate voluntatem antecedentem renovans, sequentibus deinceps Novatoribus transmisit, à Pontificibus & Concilio exterminandam, Tr.4. p.472. §. *Cæterum*. Necnon & à Doctoribus Catholicis, imprimis à Thoma Vvaldensi, p.480. 481.

X

XENOPHON Philosophus, in libro *de mirabilibus*, quid de liberalibus sentiat? Tract. 1. cap. 42. numer. 5. 6.

Z

ZENO VERONENSIS Episcopus, & Martyr, paulò licentiosiùs quædam scribere visus est de Trinitate, & quę authorem sapiant Nicæna Synodo antiquiorem, Tr.2. c.9. n.4. Paulò aliter, c.41. n.9.

Zonaras Græcus Canonista, primus notis elegantissimis exornavit codicem, Tr.1. c.46. n.7.

Zorobabel & ipse cum aliis pluribus ante & post clausum canonem Hebræorum, veritatem seu sapientiam, ut hypostasim viventem delineavit, Tr.2.c.24.n.8.c.35.n.5.

FINIS.

DISSERTATIONES
IN CONCILIA GENERALIA & Particularia,

AUTHORE

LUDOVICO THOMASSINO

Congregationis Oratorii Presbytero.

ZODIACUS SIGNORUM

ET

CAELESTIUM

IN CONCILIO

DISSERTATIONES

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

I. CONCIONATORES, Confessarios, Oblatos, Diœceseon Vicarios Generales, *sacrorum veterumque Canonum, Constitutionum Pontificiarum, Conciliorum & Decretorum notitia ac scientia* priùs imbui debere, quàm sua obirent munia, sanxit primigeniæ Cleri sanctimoniæ nuperus, idemque ter maximus restaurator Sanctus Carolus Borromæus. *Acta Eccl. Med. pag.* 476. 519. 837. 658. Unum hìc promam Carolum à Basilica Petri. vitæ ejus Scriptorem: *Usitatam Jurisconsultorum scientiam, qua fuerat occupatus adolescens, minimè ad se pertinere ratus, Theologica & Canonica tantùm novit, quatenus Cardinali magnam Ecclesiam regenti efficere posse concessum est. Ex Theologia Scripturas Divinas potissimùm sequebatur, tum veteres Patres &c. Canonum ea scientia præjudicanda erat, quæ Patrum mores & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet: dolens eos communi consuetudinè tantùm Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent. Lib.* 7. *cap.* 11. 34. Jamdiu est, quòd ut morem huic Sancti Caroli instituto & exemplo gereremus, in hocce Archiepiscopali Regiæ Urbis Seminario, præter Scripturæ Sacræ, & defæcatissimæ S. Thomæ Aquinatis Theologiæ juges & quotidianas meditationes, tertium quemque annum veterum Canonum & Conciliorum interpretationi impendimus: biennium interjectum vendicante sibi ac partiente Annalium Ecclesiasticorum, & Antiquorum Patrum lectione, tum Canonum illuminationi perneceſsaria, tum ab eodem ipso legislatore nobis præfinita. Verùm dum in domestico Clericorum Auditorio Canones admiramur; nec tam ipsos interpretamur, quàm Sanctorum Patrum, ipsorummet qui Canones condiderunt, interpretationes depromimus: multa loquentis ab ore rapta, & volaticis furtim adnotata calamis, subitariis posteà scriptitationibus commissa, ut quisque meminit aut sapit: sed præsertim Amanuensium posteà aut oscitantiæ, aut insciticæ credita, difficile dictu est, quantis mendis atque erroribus obsorduerint. Nihil intentatum reliquimus, ut huic malo occurreretur. Incassum cecidit conatus omnis. Huc tandem nosipsa vitandorum, quæ hinc emergebant, discriminum necessitas, atque eorum, quibus liberam hanc devovimus servitutem, authoritas adegit, ut typis ista potiùs mandaremus, etsi nondum satis castigata, sed ab illa subitariarum scriptitationum, & dormitantium exscriptorum labe intacta.

II. Ut autem ad Conciliorum, Canonumque studiosis facem accendendam, *Dissertationes, Commentarios, Notas* instrueremus: jussit ipsa rerum pertractandarum natura, & varietas. Longè plurima sunt enim, quibus amica Notarum brevitas abundè erit. Sunt & multa tanti momenti, ut paulò operosius, prolixiùsque commentanda sint. Sunt denique non pauca, quæ quantacumque Dissertationum ubertate, & ut ita dicam libera loquacitate, vix satis queant enucleari: tantis illa sunt ambagibus, tantis contentionum molestiis impedita. Rerum ingenio & modo, ratio tractandi, methodusque famulari debuit, non dominari. Ex quo id quoque natum est, ut aliquam semel ingressi controversiam, uni alicui, cui belliùs concinebat, Synodo aptatam: ibidem ex reliquis quoque Synodis si qua ejusdem erant argumenti, decerpta contexeremus: id brevitati, utilitati, delectationi accommodatius rati, si capitalia non discerperentur, sed suis partibus, numerisque constarent in unum compacta disciplinæ Ecclesiasticæ argumenta. Ut verò Notis & Commentariis, tum earum quas hìc prælibamus, tum aliarum Synodorum Canones & difficultates quasque explanaturis, præirent Dissertationes, & in lucem antè exirent: in causa fuit harum dignitas & momentum: cùm his gravissimæ controversiæ elucidentur, & præfigantur quasi regulæ, quibus reliqua breviùs perstringenda deinceps coaptentur. Opportunius etiam erit, excitam Dissertationum prolixitate nauseam, succincta Notarum brevitate recreare.

III. Porro Synodalium controversiarum, Canonumque elucidamenta à Sanctis Patribus maximè accersere, & ab iis potissimùm, qui cuique Synodo vel affuere, vel propè abfuere, consultissimum visum est. Ecquis enim Synodorum arcana certiùs promet, ipsis earum authoribus, facibusque? Legum omnium interpres optatissimus, & dignissimus est, legum ipse lator. Qui sive fidei, sive morum regulas, in Synodo verborum summa parcitate temperabant: illi ipsi postea eadem præclarissimis lucubrationibus, & tota Theologicæ eruditionis opulentia exornabant. Quin ipsæ Synodi veteris & medii ævi tum œcumenicæ, tum locales complurimæ, corrogatis veterum Patrum, & nuperorum etiam quandoque Scriptorum testimoniis inferciri se & locupletari gaudebant. Quid æquius ergo, quàm earum genio in illis tractandis servire? Quorum est autem magis Synodos versare, interpretari, illuminare, quàm Theologorum? Theologicum istud penu, Theologicum peculium est. Sua sunt Historicis, Chronologis, Geographis, Grammaticis regna alibi latissima, in quibus se jactent: Theologo in Synodis patria regio, patria hæreditas est. Vertex Theologorum Petrus fuit. *Dionys. cap. 3. de div. Nom.* Theologicus Senatus Apostoli. Patres Ecclesiæ, iidemque Theologi, & ex illis artium floribus, una maximè præfulgentes Theologia, Synodos agitavere, suam seu fidei, seu morum decretis Synodicis Theologiam consignavere. Denique & ad antiquissima, & ad media, & ad nuperrima Concilia convolare jussi, oro te, quinam ex illo Eruditorum grege, nisi Theologi? Canonici enim Juris prudentiam nunquam à Theologia dissociabimus: nihilo plùs, quàm Canones, Patrumque scita à Sacris Literis; hoc est, ut tritissimè dicitur, Conclusiones à Principiis. Ergo suprà laudatæ artes, ut Theologiæ, ita Conciliorum doctrinæ ancillentur, nec præterea quidquam audeant: non indigenas se, non vernaculas, sed peregrinas hic & hospites esse intelligant, atque ad secundarias tantùm perfunctoriasque operas acciri. Si quis autem inter lacinioſas Sanctorum Patrum, priscorumque Pontificum ac Theologorum dissertationes nauseet, & præ his Criticas, aut qualesliber suprapositarum artium concupiscat delicias; næ ille delicatissimi & insolentis fastidii est, qui in Ecclesiastico hocce thesauro, aurum præterit, ut legat quisquilias. Quantò conducibilius erit, ut hæc omnia partes suas agere, & sive primo, sive extremo loco, citra invidiam aut rixam, operam navare præcipiantur? Etsi non paria, non pœnitenda tamen ab his omnibus subsidia ad Conciliorum illustrationem possunt accedere. Ut alios porro sileam, videsis, ut Zonaras, ut Balsamon apud Græcos in commentatione Canonum desudarint. Ex Scripturis, ex Sanctis Patribus, ex ipsissimis Synodis, reciproca semet luce persundentibus, ex Imperatoriis denique legibus, quos in hac etiam parte imitati non tumus gravati, suam omnem interpretationem consarcinarunt.

IV. Dilucidius id fiet nimirum, si qui capiendus sit maximus ex Conciliorum meditatione fructus, excutiamus. Cœlestium utique fidei dogmatum Sapientiam hine haurire, disciplinæ Deificæ antiquitatem, administrandorum Sacramentorum, componendorum morum, vitæ tum Christianæ, tum Ecclesiasticæ ad primævam castimoniam reformandæ leges certissimas exculpere, retundendis ac debellandis hæreticis tela victricia hinc expedire votum est, spes est, certa fiducia est. Hos metere fructus, Theologicæ prorsus operæ, atque industriæ est. Ex reliqua artium familia, Historia sæpiùs feret suppetias. Sed nos, ut in Theologicas potissimùm effunderemur Dissertationes, præter ipsam Conciliorum dignitatem, quæ extra Theologiæ sacrarium vilescit penè, & obscuratur: compulit loci, temporis, atque instituti necessitas. Clericorum enim seminaria, humana eruditione reliqua sparsim irroranda fortassis illa quidem sunt: at Theologicis tantibus ubertim irrigari, & penè inundari, ab antiquis & recentioribus Patribus Synodisque mandantur.

V. Istarum in primis Dissertationum triplex fermè scopus ille est; ut nuperis occurratur hæreticis, & novæ in dies ab illis excogitatæ machinæ perfringantur: ut famosæ inter Orthodoxos lites de Concilii & Pontificis potestate sopiantur: ut Sacerdotii & Imperii concordia neutri contumeliosis superstruatur fundamentis. Siqua Imperii jura, siqua Privilegia liberaliùs prosequenda fuere, ea Caroli Magni, & Francorum deinceps Imperio adserenda suo loco erunt, ut verè Christiano Imperio, ad Christianæ legis ingenium à cunabulis suis concreto & temperato, nulla prioris superstitionis, nulla gentilitiæ dominationis peregrinitate, aut quasi nativa feritate præoccupato. Consule, si vacuum est, sub Caroli Magni nomine publicatum à Gallicanis Antistibus volumen, ex quo pauca hìc ista carptim delibo: *Priscæ gentilitatis obsoletus error, Christi adventu repulsus, quoddam cernitur in his reliquisse vestigium, qui se fidei & religionis Christianæ jactant retinere fastigium: qui & intra Ecclesiam novas & ineptas constitutiones audacter statuere affectant: & se Divos, suaque gesta Divalia gentiliter nuncupare non formidant. Lib. 1. cap. 3. l. 3. cap. 15.* Quibus multò etiam acerbiora inferiùs improperant.

A L-

ALTERA ET EX INTERVALLO
PRÆFATIO,
AC RECENSIO OPERIS.

I. UTilior illa ſtyli pars, quæ obducit, quàm quæ exarat. Secundæ curæ plus ſapiunt. Huic ergo etiam gratulandum libro eſt, quòd *Cum quadam judiciaria ſeveritate recenſeatur, & in eo quod offendit, veluti cenſorio ſtylo denotem. Neque enim quiſquam niſi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed ſi dicit, non ea debuiſſe à me dici, vel non ita dici, quæ poſtea etiam mihi diſpliceret, verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehenſor eſt, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, ſi dicere debuiſſem. Sed qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ.* Hæc in Prologo Retractationum Auguſtinus, ſibi monitor, ſibi cenſor ipſe. Hæc ego eruditiſſimorum ac ſapientiſſimorum Scholæ Theologicæ Magiſtrorum conſilio monitiſque obſecutus. Cùm enim illi, non ante tantùm, ſed & poſt perfectas prælı operas, recenſendi hujus operis laborem in ſe ſucepiſſent, ingenti prorsùs beneficio & meipſum & Lectores affecerunt. Itaque ex eorum judicio ac cenſura, expungendo aliqua, cætera interpretando, illud, ut ſpero, conſequemur, ut inoffenſo pede decurrantur noſtræ hæ Diſſertationes. Pari facilitate morem geſſiſſemus prolixiori cenſuræ, ſi prolixiùs illa in nos, adeoque tantò amantiùs ſe explicaſſet.

II. Convocandæ Oecumenicæ Synodi jus primarium & principale Pontificali apici aſſerui, ut Lutheranis cæteriſque Novatoribus os occluderem, Tridentinam Synodum eo nomine detrectantibus, quòd Pontificio, non Cæſareo diplomate ſit congregata. Si qua duriuſcula verba, quibus ſuboffendi poſſet vertex Imperatorius, inopinatò exciderint: ea condonari par eſt, & tunc efferveſcenti calamo in ipſo diſputationis æſtu: & nunc recipienti ea, cùm ſe primùm dabit occaſio, emollitum iri. Chriſtianiſſimi certè Regis juri nihil derogatum volui, ut qui convocato ſi fortè per Imperatorem Concilio, paſſurus non eſſet Epiſcopos ſuos intereſſe: & Regni ipſe ſui univerſalia Cleri comitia coire jubeat, vel permittat, ubi ex re eſt. Non ita enim divino ex inſtituto unus præeſt Pontifex univerſæ Gallicanæ Eccleſiæ, qui ejus Clerum congreget, ſicut Catholicæ per orbem Eccleſiæ. Hæc prompta eſt, & invicta diſcriminis ratio.

III. Meam ſemel & iterum de Pontificis Romani, Concilii Oecumenici, Eccleſiæ univerſæ authoritate in definienda fide ſententiam ita expedivi, ut Pontificis ab Eccleſiæ conſenſu ſejuncti cauſam à me non tractari, ac ne delibari quidem profiterer conceptis verbis. Quippè cùm qui ſolitario Pontifici inerrantiam maximè vindicant, id ſe confiteantur non aliud quàm opinari, & ſecùs opinantes ex agmine Catholicorum nequaquam expungant. Accidit ad hæc, quòd cùm Pontificiæ inerrantiæ tam vindices quàm adverſarii, intra Catholicæ tamen Eccleſiæ gremium unam & eandem conſtantiſſimè fidem foveant: hinc facilè odoratus ſum, ſepoſitis illis omnino quæſtionibus, in quibus diſſident adverſa fronte, aliam utriſque indubitatiſſimam & indeclinabilem fidei normam, ceu magiſtram unam & communem intimis inſidere pectoribus, Catholicorum videlicet per orbem Antiſtitum cum definiente Pontifice conſenſionem indiſſociabilem, ſeu germanam & fidiſſimam Scripturarum Divinarum, & paternarum traditionum interpretem. Hæc orthodoxos omnes in vero unitatis, in uno veritatis Eccleſiaſticæ ſinu colligit.

IV. Id mihi, nec enim inficias ibo, viſum quidem eſt, nuſquam ita fidem ſolitarios definiſſe Pontifices Romanos, quin præſultores, vel comites, vel ſequaces affuerint illis, vel omnes vel longè plurimi Antiſtites, divina ex origine, Apoſtolicoque ex ſemine conſtituti cum illo & ſub illo Eccleſiarum Magiſtri. Argumenti plus ſatis in eo eſt, quòd ſi ſemel unquam vel Pontifex ſine Eccleſia, vel Eccleſia ſine Pontifice definiſſet, non unam retinerent fidem, qui huic vel illi ſejunctim infallibilitatem vendicatum eunt. Sed facti & experimenti ea res eſt, quam ſæculis retrò omnibus excuſſis abundè confirmatam à me fuiſſe puto. Si quid me fugit, quod non effugerit oculatiores, audire & diſcere præſto ſum. Succenſebunt forſan aliqui, & inreſtinæ conſtictationis reum me agent, quòd etſi exertiſſimè univerſæ Eccleſiæ conſenſioni, vel Oecumenicæ Synodo tribuam definiendæ fidei & declarandæ certiſſimam atque indeclinabilem facultatem: eam tamen frequentiſſimè & prolixè Romano quoque communicem Pontifici. Verùm detumeſcet, & reſidet hæc indignatio, ubi ſeriò penſitaverint, nuſquam à me ſolitarium prorſus attendi Pontificem in definiendo. Juratum mihi illud, Pontificem in Eccleſia, Eccleſiam ſpectare in Pontifice; ubi Eccleſia vel Synodus definit, Pontificis: ubi Pontifex, tacitum ſaltem Eccleſiæ ſuffragari, conſenſum. Quo ita conſtituto, & ſequeſtrata illa hypotheſi adverſantis, & Pontificiis definitionibus intercedentis Eccleſiæ; quam ego abſtractam, & nullo rerum actu, nullo unquam experimento repreſentatam exiſtimo: jam cordatis omnibus perſuaſiſſimum eſt, principem & pompaticam definiendi gloriam Pontifici, ceu vertici adſcribendam eſſe: tametſi vel Eccleſiæ inconſpicua, vel Synodi expreſſa conſenſio accedens, omnem contrahiſcendi licentiam amputet.

PRÆFATIO.

V. Pontificem Romanum Synodis Oecumenicis præisse, & quasi dictasse quod sequerentur, audaculè forsan à me dictum quidam mussabant. At postea edito posthumo opere illustrissimi Præsulis, & nunquam à me sine nominis elogio nominandi Petri de Marca, absterſa mihi & effricata penitus hæc invidia est. Ultra has enim ille metas evectus, & verborum præterea magnificentia delectatus, Imperatoria jura in Synodis Oecumenicis Romanum Pontificem obtinuisse docuit: Relationis videlicet & Primæ sententiæ. Ut ipsius esset & referre ad Patres, quode censendum esset: & Primam ferre sententiam, quæ Definitionis vim haberet, Patrum suffragiis confirmandæ. *Concor. l. 5. c. 8.* Stupui & adgavisus mihi ipsemet sum, in tanti viri verba nescium incidisse. Libertati enim Episcopalium suffragiorum patrocinatus & ipse sum satis prolixè.

VI. Quod autem scripsi in Synodos Oecumenicas *ex juris venia, vel redundantia* coaluisse quandoque Ecclesiam, *non quia necesse erat, sed quia expedire sibi videbatur*: astructæ ibidem & alibi sæpiùs à me Synodorum necessitati, nihil est decerptum: sed ex antecedentibus verbis id nascebatur. Si enim *non hæreticorum arbitriis, sed suo* in Synodos Ecclesia convolat; convolat ergo, *non quia necesse est* semper hæreticis obsequi ad Synodos provocantibus, sed quia tunc sibi videtur id expedire. Quæ usquam magis necessaria, quàm post Ephesinum latrocinium Synodus Chalcedonensis? Et tamen si Theodosius superstes diutiùs, aut si Marcianus Theodosii consilium de prohibenda tunc Synodo amplexus fuisset, non omnis ideo Ecclesia defieret fidei & sospitatis suæ muniendæ ratione. Provincialium enim & Regionalium Conciliorum consultationibus missitatis ultro citròque, ut aliàs sæpè factitarum est, Oecumenicæ Synodi instar ipsa sibi excitasset. Ea enim consensio omnium aut longè plurimarum cum Romano vertice Ecclesiarum in unam fidei confessionem, ubi ante Synodum existit, & radiat, tunc à cogenda Synodo potest Ecclesia abstinere.

VII. De examinandis autem & retractandis in Oecumenica Synodo literis Pontificiis, has mihi videor regulas defixisse. Ubi illæ literæ fuerant omnium aut longè plurimarum Ecclesiarum consensione roboratæ, tum eas postea rursum non fuisse, aut ex venia & ad redundantiam juris fuisse in Synodo Oecumenica examinatas. Item ubi Pontificiæ de fide literæ, totius Occidentalis vel Synodi, vel Ecclesiæ assensu firmatæ, ad III. IV. VII. & si quas alias Synodos mittebantur in Orientem; non ita tunc eas Orientalium lubrico judicio, & ancipiti examinis aleæ creditas fuisse, veluti dubias, ut abillis solvi evertique possent: sed ut irreformabiles veteris fidei formulas, in quas Spiritus Sanctus Ecclesiæ universæ vegetator, & paternarum conscientia traditionum, ita Orientales vel nutabundos inclinaret, vel revocaret devios, sicut Occidentales constantissimè indeflexè affixerat. Alioqui non de Pontificis diplomate Synodus Oecumenica, sed de Occidentalium cum Petri Cathedra conjunctissimorum fide inoffensa, Orientales inter novellarum subinde hæresum lubrica lapsabundi, periculosæ plenum aleæ examen judiciumque instaurassent. Denique quomodocumque tandem novo examine Synodus Pontificias ventilaret Epistolas, nequaquam nisi ipsorum assensu Pontificum id usurpatum. Ita confitetur Petrus de Marca. *Lib. 4. Conc. cap. 17.* Id perspicuè emergit ex jure Relationis quod ille Pontifici adserit. Id ratio ipsa Synodi clamitat, in qua Pontifex per se, vel Legatos præsidet, judicatque cum Synodo, nunquam suo à capite divellenda. Id denique Gelasii exemplo ratum indubiumque fit, ut idem Petrus de Marca ibidem astruit.

VIII. In fidei causa nunquam Catholicos provocasse à Pontifice solemniter definiente ad Synodum Oecumenicam, constanter affirmavi. Ea quoque facti res est. Tantam exemplorum sylvam congessi, ut dubii nihil residere sperem. Siqua adversa promantur exempla, doceri gaudebo. In disciplinæ capitibus hujusmodi provocationum frequentiam nuperis maximè sæculis, non dissimulavi. Sed de his prolixiùs disserere non erat mei in hoc priore tomo instituti.

IX. Quod Synodos Pontificesque alicubi dixi, *Regulas fidei, Arbitros fidei, Capita fidei, Arbitros communionis*, indulgenda ea est verborum gloria ingenio dissertationum, quæ paulò liberiùs luxuriant nonnunquam, nec singularum vocum syllabarumque trutinatores, invidiososve censores expectant, sed æquos, & ex omnium summa, primorumque cum mediis & extremis comparatione propitios judices. Vel tyronibus enim compertum est, Regulam fidei propriè & accuratè dici Scripturam divinitus inspiratam, Traditionesque ab avita Apostolicaque origine ad nos usque propagatas. At hujus Regulæ interpres, sive Pontifex, sive Synodus, sive Ecclesia, Regulæ quoque nomine convenienter honestatur. Ita & fidei ac communionis non ita Capita, Arbitrive sunt Pontifices, quin divinorum oraculorum sequaces, ac Deiticæ disciplinæ custodes semet ipsi profiteantur.

X. Rursus ubi *unam* Pontificis & Ecclesiæ, Pontificis & Concilii authoritatem sententiamque esse inculcavi in fide definienda: unam dixi, quia conjunctissimam: quia *de facto* hactenus nunquam dissidere compertam, quia *de possibili*, ut loquuntur, & in futurum varias hypotheses antevenire, excutere ac definire, alienum a meo instituto esse duxi. Omnia ad historicam fidem accommodatè perpendi; præterita ac præsentia, non futura vel possibilia à me explorari testatus sum. Sequestratis autem à me quod ad nauseam usque inculcandum est, hypothesibus illis abstractis & otiosis de solitario Pontifice, vel de Pontifice unam, Synodo autem vel Ecclesia diversam adversamque promulgante fidei definitionem, non poteram non unam, eandemque, hoc est,

eſt, conjunctiſſimam & indivulſam Capitis & Corporis, Paſtoris & gregis authoritatem ſententiamque prædicare.

XI. Illam porro præcæteris invidiam equidem deprecor, nequis me uſquam Pariſienſis Theologicæ ſacræ Facultati oblocutum, ejuſque doctrinæ calumnietur: vix ejus uſquam memini ſine nominis encomio. Alienam ab ea oſtendi, ſiquam ipſe doctrinam exploſi. Siquam amplexus ſum, eam illi ſtudui propriam & familiarem demonſtrare. Gerſonio ipſi ſplendidiſſimæ Academiæ eximio ſyderi, illam tandem abſterſi ſententiam, quam refellebam enixiſſimè, quam & ipſi Pariſienſi Theologicæ Facultati diſplicuiſſe docui, de abſolutiſſima & inexorabili neceſſitate Concilii Oecumenici ad quaſcumque hæreſes perimendas, ſeu ad exerendam Eccleſiæ univerſalis infallibilitatem. Hanc ſententiæ abſurditatem, ſi aliquando tardiùs, ſi non ſtatim ab eo effricui, ſi eam aliquandiu ejus nomine perſonatam exagitavi, neminem præterit, quantos hujus culpæ conſcios, quantos conſortes habeam. Quod tam multis peccatur, inultum erit, ut ſpero. Cæterùm Joannis Gerſonii in Eccleſiam & Gallicanam & univerſalem merita, Theologicæ lumina eruditionis, argumenta ſanctimoniæ, neminem poſſunt fallere, qui vel ejus opera, vel annales Eccleſiæ ſaltem à limine ſalutarit.

XII. Nunc more Majorum quidquid hoc operis eſt, examini ac cenſuræ ſubjicientes optimæ parentis & Magiſtræ Catholicæ Eccleſiæ, complectimur animo toto illa Anſelmi verba ad Urbanum II. Papam: *Quoniam Divina Providentia veſtram elegit ſanctitatem, ſui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam regendam committeret: ad nullum rectiùs refertur, ſiquid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, ut ejus authoritate corrigatur; nec ulli alii tutiùs, ſiquid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter ſicut nulli digniùs poſſum, ita nulli libentiùs præſentem epiſtolam quam veſtræ deſtino ſapientiæ: quatenus ſiquid in ea corrigendum eſt, veſtra cenſura caſtigetur: & quod regulam veritatis tenet, veſtra authoritate roboretur. Lib. de Incar. cap. 1.* Complectimur & illa Bernardi: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis. Romanæ Eccleſiæ præſertim authoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſiquid aliter ſapio, paratus judicio emendare. Epiſt. 174.* Amplectimur & illa Petri Damiani: *Nos ſiquid erravimus ad Petri Magiſterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis; cui nimirum is, qui fabri dicebatur filius, præſidet: ad cujus regulam omnis meritò moneta recuditur: ad cujus rectitudinis lineam, quidquid uſquam depravatum fuerit, reformatur. Nos non proprias allegationes pertinaciter aſtruentes, ſed Synodalibus decretis humiliter obtemperantes; Apoſtolicæ Sedis edictum, vel quod jam promulgatum eſt, ſequimur: vel ſiquid adhuc elimatius atque ſalubrius in poſterum ſtatuendum eſt, obedientiam profitemur. Tom. 3. Opuſc. 5. & Gratiß. cap 39.* Amplectimur & illa, ut plures faciam miſſos, Thomæ Braduardini: *Scio quid faciam, illi me navi committam, quæ perire non poterit, navi Petri. In ipſa namque author & magiſter unicus noſter Chriſtus tutiſſimè reſidens, de ipſa legitur docuiſſe: myſticè nobis inſinuans, quòd apud ipſam Petri naviculam, apud Romanam Eccleſiam, totius Chriſtianæ doctrinæ authoritas & magiſterium remaneret. Huius igitur tam authenticæ, tantæque Magiſtræ judicio me totum, meaque omnia ſcripta, ſeu ſcribenda plenè ſubjicio, integrèque ſubmitto: cujus protectionem, ubi contra Dei hoſtes pugnavero: correctionem, ubi erravero: approbationem, ubi rectè ſenſero, inſtantiſſimè poſtulo totis votis. Præfat. lib. de Cauſa Dei.* Amplectimur illa Sancti Thomæ Aquinatis: *Multa docui, multa ſcripſi, in fide Jeſu Chriſti, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus correctioni cuncta ſubjicio, cuncta ſuppono. Rainald. ann. Chr. 1323. num. 66.* Amplectimur & illa Vitalis Cardinalis Albanenſis: *Duo in proteſtatione mea volo includi. Primum eſt, quòd ſi in dictis meis forte aliquid ponam minùs providè, incautè, vel indiſcretè, omnia per Chriſti Vicarium corrigantur. Secundum eſt, quòd quidquid per eundem Chriſti Vicarium fuerit determinatum de prædicta quæſtione, & de quibuſcumque aliis, maximè ad fidem pertinentibus: omnia volo ſimpliciter & indubitabili fide tenere, promptè & liberè confiteri. Idem ann. 1322. num. 67.* Quæ eò ſanè pertinent, ut *animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipſa ſit correctionis præmeditatione, ac præparatione Catholicus. Aug. l. 3. de Orig. An. cap. ult.*

Acceſſura his quoque fuerat Diſſertatio XXI. in Septimam Synodum, niſi me jam enormitas ipſa deterruiſſet voluminis, cui à brevitate ſaltem laus & commendatio aliqua comparanda fuerat. Porrò *quanquam fratribus non valeam reſiſtere, jure quo eis ſervus factus ſum, flagitantibus ut eorum in Chriſto laudabilibus ſtudiis, lingua ac ſtylo ſerviam: egoque ipſe multa quæ neſciebam, ſcribendo me didiciſſe confitear: Auguſt. lib. 3. de Trin. in proœm.* ſentio tamen, quàm gravem in ſarcinam impares ſucceſſerint humeri. Non neceſſitatis enim illius, non privatæ utilitatis rationem habebunt plerique, ſed argumenti quod tractando detero, dignitatis: & in jus vocabunt audaculum homuncionem, qui tantas res aggrediatur. Ego autem ut qui meo me pede metiar, mecum habitem, & norim quàm ſit mihi curta ſupellex; gratias habebo multas, ſiqui me hoc relevent onere, unamque mihi laudem hanc permittant, audendo audaciam valentioribus addidiſſe, locum ceſſiſſe. Interim autem dum meliores meliora impartiantur, mecum his utere, Lector; *& noli literas meas ex tua opinione, vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere. Siquid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum: at intelligendo & amando, & tuum ſit & meum. Siquid autem falſi conviceris, errando fuerit meum: ſed jam cavendo, nec tuum ſit, nec meum: Ibidem.*

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Diſſertationes in Concilia Generalia, & Particularia Auctore Ludovico Thomaſſino, &c.* non eſſervi cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 2. Ottobre 1728.

Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.
Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

INDEX

INDEX ET ARGUMENTA DISSERTATIONUM HUJUS TOMI I.

DISSERTATIO I.

In Synodos sub Victore Papa de Observatione Paschatis, Romanam, Lugdunensem, Palæstinam, &c. circa ann. Christi 197.

ÆQuitas & prudentia Victoris Papæ in constituendo Paschate, & anathemate Asiaticis intentando defenditur: rem disciplinæ ad causam hæreseos & anathematis nonnunquam trahi. Usque ad num. XIV.

Ejusdem Victoris summa potestas à contemptu vindicatur, seu comminatus, seu jaculatus etiam sit anathema: de Victore, ut & de Nicæna Synodo non ex paucorum tunc contumacia, sed ex universæ post Ecclesiæ consensione censendum: denique ut non Irenæo tantùm, sed Polycrati, immò & longè posterioribus sequioris Paschatis cultoribus patrocinium temperandum sit ex Beda. Usque ad calcem. Pag. 1.

DISSERTATIO II.

In Synodos sub Stephano Papa in causa Baptismi hæreticorum, Romanam, Carthaginensem, &c. Ann. Christi 256. 257. &c.

Refellitur putidissima Novatorum calumnia, tam errasse Stephanum in omnium admittendo, quàm Cyprianum & Firmilianum in omnium hæreticorum baptismo repudiando. Evincitur ex omnium Patrum consensu, eandem tunc fuisse Romanæ Ecclesiæ de baptismo hæreticorum, quæ postea fuit, & quæ etiamnunc supersit disciplina. Usque ad num. XXII.

Deinceps usque ad finem multipliciter solvitur alia quæstio, ecquid Augustinus Cypriano hinc excusationem paret, quòd necdum ea res plenario Concilio elucidata atque terminata fuisset: cùm idem ipse Pelagianis plenarium Concilium flagitantibus, os obturaverit, localibus Synodis & rescriptis Apostolicæ Sedis litem finitam pronuncians. Ostenditur non usquequaque purum à culpa fuisse Cyprianum, qui Stephano præcipienti, qui traditioni Ecclesiarum non paruerit: Stephanum non ultra minas sæviisse, & dispensationi acquievisse: denique rem istam tunc ita spectatam fuisse, ut quæ ad consuetudines magis, quàm ad fidem attineret: Concilia autem ab Augustino & Sanctis Patribus sæpiùs flagitata ad disciplinam consuetudinum figendam, ut quæ sua sponte magis versatilis sit, cùm fides una ubique sit & irreformabilis. Pag. 6.

DISSERTATIO III.

In Synodum Nicenam Ann. Christ. 325.

Jus primatium convocandarum Synodorum generalium Pontificibus vendicatur, etsi eas convocasse legantur Imperatores. Jura à factis secernuntur: & jura ipsa stricta à remissis. Ad num. XI.

Romanorum Pontificum ea ostenditur prærogativa esse, jure divino fulta. Ad num. XVI.

Ad Caroli Magni & posteriora tempora, Conciliaque descenditur: Hincmari Gallorum sub Philippo Pulchro, Cusani, Gersonii, Almaini, Petri de Alliaco, juniorum etiam Græcorum sententia profertur, ut Pontificiæ & Imperatoriæ potestatis fines delineentur in convocatione Conciliorum. Ad calcem usque. Pag. 17.

DISSERTATIO IV.

In Synodum Gangrensem.

Unanimi Patrum Latinorum Græcorumque suffragatione evincitur, longè plurimas hæreses jam inde ab incunabulis Ecclesiæ confectas, obtritasque fuisse sine Synodis, solo Episcoporum consensu, vel Synodis localibus, firmatis consensione Episcoporum & Ecclesiarum totius orbis. Synodos Oecumenicas nec ipsis hæreticis in mentem venisse: aut si venerint, & ad has provocaverint, plerumque has velut tergiversationes explosas fuisse. Usque ad num. XXIII. Idem efficitur ex recentioribus Theologis, ad num. XXIX.

Consensio ista universalis Ecclesiæ, qua authorantur Synodi particulares, vel Ecclesiarum sententiæ sine Synodis, ad nutum & consensionem Sedis Apostolicæ religata fuit: ea enim in definienda fide semper dux prævit, sin minùs temporis, certè authoritatis principatu. Ad num. usque XXXVII.

Deinceps declaratur qualescumque Episcoporum conventus, vel sine conventu concentus synodicam authoritatem obtinuisse. Pag. 25.

DISSERTATIO V.

In Synodum Ariminensem. Ann. 359.

Illud Hieronymi, *Ingemuit orbis, & se esse Arianum miratus est*: nihil officere Ecclesiæ Catholicæ universalitati: nec enim posteriorem etiam illam Ariminensem Synodum, vel Synodi partem hæresi consensisse, sed dispensationi serviisse, ex Athanasio, Hieronymo, aliisque Patribus palam fit, adversùs hæreses antiquas & nuperas. Usque ad num. XI.

Illo ipso tempore ostenditur mira fuisse paucitas Arianorum, præ multitudine Ecclesiæ Catholicæ. De Consubstantialis voce differitur, quæ quandoque aberat à confessionibus Catholicis. Item de communione Ecclesiæ Catholicæ, cui perdiu Ariani intermixti fuere. Usque ad num. XXII.

Deinceps de Lucifero Calaritano Episcopo. Ecqui illum à Schismatis infamia absolvere fas sit. Regulæ dispensationis ex Ivone Carnotensi promuntur; juxta quas eadem facta, vel easdem quandoque personas, putà Ariminenses Patres, nunc alii & alii, nunc iidem ipsi ex Patribus accusant, & excusant: vituperant, & laudant: citra rerum & sententiarum, etsi non citra verborum conflictum. Pag. 37.

DISSERTATIO VI.

In Synodum Oecumenicam II. seu Constantinopolitanam I.

Jus confirmandi Synodos Oecumenicas est penes sedem Petri. Approbatio & confirmatio etiam aliqua à cæteris Episcopis, à sanctissimis Monachis, à Catholicis plebibus exprimebatur: sed hi omnes subscribebant confessionis magis suæ, quàm confirmationis testimonium: quo firmitatem proderent suam,

INDEX.

ſuam, non adjicerent Synodo. Id efficitur ad num. uſque XIV.

Deinde provinciales quoque & locales quaslibet Synodos à prima Sede confirmandas fuiſſe docetur, ut authoritatem certam, irretractabilem, & univerſalem conſequerentur. Pag. 45.

DISSERTATIO VII.

De Synodo ad Quercum, & de tota cauſa Chryſoſtomi.

Provocatio Chryſoſtomi ad Synodum Oecumenicam demonſtratur perinde interpretanda, ac ſi ad Romanum Pontificem provocaſſet: cujus erat eam convocare, qui ei convocandæ incubuit, qui ejus non convocatæ vices ſupplevit, Chryſoſtomumque reſtituit. Item quid de illa tunc ſanctorum inter ſe virorum conflictatione ſentiendum. Pag. 52.

DISSERTATIO VIII.

In Concilium Dioſpolitanum in cauſa Pelagii, Ann. Chr. 415.

Ut leviter à quibuſdam perſtricta, ut ab aliis accuratè defenſa ſit hæc Synodus: ſumma Synodorum etiam localium dignitas: ſumma in rebus tum fidei, & juris, tum factorum & perſonarum authoritas. Pag. 57.

DISSERTATIO IX.

In Concilia Carthaginenſe & Milevitanum, anno 416. adversùs Pelagianos ſub Innocentio, & Carthaginenſe poſterius annis 417. & 418. ſub Zoſimo.

Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere: & tunc demum in ſummæ authoritatis arcem eas invadere. Pag. 60.

DISSERTATIO X.

In Concilium Epheſinum I. ſeu Oecumenicum III. Anno Chriſti 431.

Romani Præſulis jus eſt præſidere Synodis Oecumenicis. Perluſtratis omnibus Synodis id oſtenditur uſque ad num. XIII.

Præſidebat etiam ſuo quodam modo & jure Imperator: ſed ea præſidendi prærogativa longè diſpar, & decolor à Pontificia: uſque ad num. XVIII.

Excutitur alia poteſtas Principis in numero, loco, tempore, ordine Synodis præſcribendo. Et ea probatur fuiſſe legitima poteſtas Eccleſiæ Defenſoris & Cuſtodis Canonum: præter quos ſi quid Princeps moliretur, eam injuriam vel non ſilebant Epiſcopi, vel diſpenſativè ſilebant. Uſque ad num. XXV.

Jus aliud expenditur Principum, confirmandi Synodos. Nihil id officit Synodicis definitionibus, per ſeſe valituris: immò prodeſt mirum quantum. Hæc principalis poteſtas oſtenditur non imminere & dominari Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ſed invigilare, & obſequi. Ad num. uſque XXXIX.

Summa damnati Neſtorii poteſtas, & laus penes primam Sedem.

Quàm multi rum Cyrillo, Synodoque detraxerint. Ut in quæſtione facti diutiùs quidam altercati ſint: ideoque & in fide claudicare ſuſpecti fuerint, ac tandem coacti ſint utrique Synodicæ definitioni conſentire. Quanta in his humanitate & diſpenſatione uſus ſit Cyrillus, immò & univerſa Eccleſia, ut illi recolligerentur, qui ſuum Synodo aſſenſum non tam negaſſe, quàm ſuſpendiſſe poſtea deprehenſi ſunt. Uſque ad calcem. Pag. 63.

DISSERTATIO XI.

In Concilium Conſtantinopolitanum ſub Flaviano, & Concilium Epheſinum II.

Ab Eutychete primùm, pòſt à Flaviano provocatum eſſe ad Concilium Oecumenicum: i. ad Leonem Papam: unam eſſe Pontificis & Concilii authoritatem: ad utrumque indifferenter provocari: penes Pontificem eſſe arbitrium, juſque, ut ex re viſum fuerit, Concilium tunc colligere, vel ſine Concilio rem profligare. Si Imperator tunc præter Pontificis conſilium Synodos colligeret, vel colligi vetaret: exitialia ea erant plerumque facta, nedum jura: nedum idonea ſanciendæ diſciplinæ exempla. Theodoretus ſimiliter à Leone Papa reſtiturus fuiſſe oſtenditur. Pag. 79.

DISSERTATIO XII.

In Concilium Chalcedonenſe ſive Oecumenicum IV. Ann. Chriſt. 451.

Ante Oecumenicas Synodos fidem prædefiniit Sedes maximè Romana, & quaſi Synodis prævit, dictavitque quod ſequerentur. Ex Synodorum generalium enumeratione id perficitur uſque ad n. XI.

Nec Synodorum Oecumenicarum authoritas hinc extenuatur, nec ulla Pontificis & Synodi conflictatio olim vel in ſuſpicionem venit: quin alteri ex altero lucis & majeſtatis fiebat acceſſio, ſive decreta Pontificia rurſus in Synodo examinarentur, ſive citra novum examen ſubſcriberentur: quòd in Pontificis erat poteſtate, priori examini acquieſceret, an pleniùs ipſemet in Synodo, & cum Synodo rem examinaret. Uſque ad num. XXV.

Pontifici aliquando ſupplicatum, nunquam ab ipſo ad Synodum provocatum: ut cujus cum Synodo una & indiſcreta poteſtas ſit, itemque cum Eccleſia univerſa per Orbem effuſa, cujus ipſe Caput, Cor, Os unus eſt. Id antiquiſſimis, id noviſſimis Pontificibus exploratiſſimum fuit; ita denique nuperæ hæreſes à Pontifices ſimul, ſimul ab univerſa Eccleſia protritæ ſunt, etiam ſine Synodis, vel ante Synodos. Uſque ad num. XXXIV.

De Dioſcori in Leonem Papam auſu nefario. De Theodoreto per Leonem reſtituto. De eodem & aliis quibuſdam fidei aſſentientibus, in facto & perſona nutabundis, pleniſſimè Synodo aſſentiri compulſis. Uſque ad num. XXXIX.

Imperator idem Sacerdos dicitur: quo ſenſu Synodis adeſt, dum de fide quæritur, non ut fidei Dictator, ſed ut Auditor & Cuſtos. Uſque ad n. XLV.

Judiciis canonicis abſtinuere Imperatores, multò magis à ferendis legibus eccleſiaſticis. Quin leges Canonibus inimicæ, & irritæ, & irritatæ ſunt, tum à Principe, tum ab Eccleſia. Uſque ad n. LI.

In cauſis canonicis ſæpè judices eccleſiaſtici ab Imperatore petebantur, dabantur, eorum ab illo poteſtas ſæpè extra territorium prorogabatur: non ſemel Princeps ipſe de iis cognoſcebat. Hæc omnia non juris, ſed diſpenſationis fuiſſe oſtenduntur: ut inde eluceſcat, longè conſultius, & juri, libertatique eccleſiaſticæ accommodatius fuiſſe, ut hæc omnis eccleſiaſticorum judiciorum poteſtas ad legitimum judicem, ad Epiſcopum Epiſcoporum revocaretur. Uſque ad n. LXII. Pag. 83.

APPENDIX.

Ad Synodum Chalcedonenſem de ſubſcriptionibus.

Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem præſcribi. Quantùm ea cæterorum Antiſtitum ſcriptis etiam de fide literis antecellerent. Duplici occurritur objectioni, adversùs Leonis epiſtolam ganienti, quaſi illi, nonniſi ob ſuum cum Scripturis Synodiſque prioribus concentum, ſubſcriptum ſit, &

ob

INDEX.

ob accumulata Patrum testimonia, Cyrilli quoque epistolis subscriptum & cur? Num I. II. III. Episcopalibus quoque definitionibus subscriptum est, Numer. IV. V. VI. VII. Subscribere solos Episcopos solemnius fuit; quicumque tamen obliquis suspicionibus perstringebantur, subscribere & ipsi compulsi sunt, Clerici, Monachi, Laici. Num. VIII. IX. X. Quanta obsequendi necessitas immineret. Ubi & illud Chrysostomi elucidatur, Communicate quidem, sed nolite subscribere. Illud item Augustini, Viros quandoque bonos ab Ecclesiæ communione ejici. Num. XI. Imperator sicubi Episcopis præcurreret, si adversùs fidem, restitum est: si pro fide, restitum quandoque tamen pro libertate, sæpiùs ex dispensatione obtemperatum est. Num. XII. XIII. XV. Summa Romani Præsulis authoritas in subscriptionum negotio. Numer. XIV. Post subscriptiones, nihil amplius suspicionum penes quenquam residere debet. Num. XVI. Subscriptiones vel fidei confessiones plenæ, apertæ, puræ & simplices esse debent, atque ita ut ex animo saltem Episcoporum, ceu fidei Magistrorum, suspicio infesta expungatur. Num. XVII. Pag. 108.

DISSERTATIO XIII.

In Concilium Arelatense & Lugdunense, An. 475.

Quid de his Synodis sentiendum: & an illæ Fausti Rejensis Episcopi doctrinæ suffragatæ sint? De Fausti doctrina & opusculis censura Pontificum, Patrumque. Usque ad num. X. An fuerint aliqui Prædestinatiani hæretici? Propiùs à vero abest, nullos fuisse: aut si qui fuerint, simpliciores illos, & incautos fuisse quosdam, nequaquam hæreticos. Nu. XI. XII. XIII. Quo animo esse debeamus in hujusmodi tardiores, & ad ardua contumaciter hebetes, ex Augustino, & aliis Patribus, ex Romanis Pontificibus & Synodis. Ubi & eidem navi imponendos ostenditur Faustum, Cassianum, & alios, quibus Semipelagianorum additum est nomen; ita ut eorum quidam sanctitate præcipui fuerint, & alicubi religioso cultu decorentur. Usque ad num. XXX. Complura alia ejusdem rei exempla referuntur, numeris quatuor sequentibus. Denique Zosimus Papa eidem sententiæ ex Augustino consonus ostenditur; ubi tria quædam subnotantur ad occupandas difficultates opportunissima. Nu. XXXV. Pag. 117.

DISSERTATIO XIV.

In Concilium Romanum utrumque sub Felice II. Papa, Anno Christi 483. 484.

Primæ Sedis hoc privilegium adseritur, judicandi de cæteris Patriarchis, cum generali, vel sine generali Synodo: ex epistolis Felicis & Gelasii, & expressis inde pluribus argumentis. Oecumenicæ Synodi ubi non datur copia, ejus vicem necessariò suppleri à prima Sede. Necessariò constituendum in Ecclesia Caput. Primatum Romanæ Sedis antiquitati tribuere, perinde esse, ac divinæ institutioni. Usque ad num. XIX.

Idem colligitur ex aliorum Pontificum epistolis, ex Historicis item Græcis, Latinisque. Usque ad n. XXV.

Refellitur exceptio Novatorum, Acacium retinuisse Sedem post damnationem. Usque ad numer. XXVIII.

Eadem primæ Sedis potestas in judicandis Patriarcharum causis arguitur ex Gregorio Magno: quo sensu dicat Gregorius, æquales esse omnes Episcopos, ubi culpa non exigit. Usque ad num. XXXI.

Anteriorum Patriarcharum, Cæciliani, Dionysii, Athanasii, Petri, Chrysostomi, Nestorii, Flaviani, Joannis exempla obiter replicantur. Pag. 125.

DISSERTATIO XV.

In Concilia Romana sub Symmacho Papa, anno Christi 500. 501. 502. 503.

Astruitur illud Primæ Sedis privilegium, ut à nemine judicetur; congestis argumentis ex his primùm Synodis, itemque ex Apologetico Ennodii. Num. I. II. III. IV. Ex Avito Viennensi Episcopo, & Ecclesiæ Gallicanæ consensu. Num. V. VI. In Oecumenica Synodo parem vim habent ea argumenta. Num. VII. Divini juris ex fontibus scatet hæc prærogativa. Num. VIII. Idem evincitur exemplo aliorum Pontificum, Damasi, Sixti, Pelagii, Leonis, Paschalis, Hadriani, usque ad num. XIII. Alia argumenta ex Nicolao I. Hadriano II. Synodo octava. Num. XIV. XV. XVI. Cassa Synodus in Joannem XII. num. XVII. Rursus Gallicanæ consensus Ecclesiæ & Germanicæ. Num. XVIII. XIX. In causa Schismatis & Hæreseos paulò aliter sentiendum. Num. XX. XXI. Tenetur Pontifex suspiciones diluere, & se purgare. Num. XXII. XXIII. Sententia Gersonis & Nicolai de Cusa expenditur. Num. XXIV. XXV. Antedictorum omnium confirmatio ex Gregorio Papa I. Num. XXVI. Pag. 134.

DISSERTATIO XVI.

In Synodos Constantinopolitanam & Romanam, Anno Christi 518. 520.

Romanum Pontificem communionis Catholicæ cardinem esse probatur ex his Synodis, & toto schismate Acaciano. Ex epistolis Romanorum Pontificum Orientalium Episcoporum, & Archimandritarum, usque ad num. XI. Ex gestis Constantinopoli in reconciliatione Græcorum, ex epistolis Justini & Justiniani, num. XII. XIII. XIV. Consensus Ecclesiæ Gallicanæ, Hispanicæ, Africanæ cum Romana in negotio isto schismatis Acaciani, usque ad n. XIX. Alia ad idem argumenta ex legibus Principum. XX. XXI. Eadem Romanæ communionis necessitas ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Prospero, Optato, Gregorio, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Lanfranco, usque ad num. XXVII. Argumenta alia ex Nicolao de Cusa. XXVIII. De Meletio Antiocheno Episcopo, circa quem magis tricantur adversarii, inquiritur operosiùs: & conglobatim quanti Orientales semper fecerint Romanæ Ecclesiæ communionem, ex Synodis Oecumenicis, ex Irenæo, Cyrillo, &c. usque ad num. XXXIII. Pag. 141.

DISSERTATIO XVII.

In Concilium Arausicanum, anno Christi 529.

Sedis Apostolicæ authoritas in fidei disceptationibus apud Gallos. Decreta hujus Synodi ex Augustini sententiis & penè verbis ipsis contexta, Patribus tamen promiscuè vendicantur. Mira quoque in rebus fidei definiendis sobrietas. Quàm multa Theologicæ opulentiæ supellex, etsi à fide defluat, etsi cum fide cohæreat, in fidei tamen formulas non est intrudenda. Hæc definiendi parcitas, hæc Patrum prorsus omnium concordia, veluti gemina stabiliendæ inter Theologos pacis in quæstionibus de Gratia Christi fibula, prolixiùs pertractatur, illustraturque maximè ex Cœlestini Papæ olim epistola ad Gallos, & ex Florentino nuper Concilio. Pag. 153.

DISSERTATIO XVIII.

In Synodum Romanam, anno Christi 532.

In dubiis fidei quæstionibus, consulenda Sedes Petri, eique assentiendum est. Ostenditur id primùm exemplo Orientalium, Romanos Pontifices percon-

tan-

tantium, an Unus de Trinitate passus: An Maria propriè & veraciter Dei mater dici deberet. Hormisdæ Papæ in his dispensatio, & consensus cum Joanne successore adversùs Heterodoxorum calumnias declaratur. Usque ad num. XVII.

Tum universim demonstratur ex sanctis Patribus, consulendam in fidei disceptationibus maximè Sedem Apostolicam, ejusque judicio standum esse. Usque ad num. XXIX.

Longè plures hæreses authoritate Romani Pontificis principaliter contritas esse, prolixa enumeratione evincitur, usque ad num. XXXV.

Græcorum consensus in hoc primæ Sedis privilegio constituendo, usque ad num. XLIII.

Gallicanorum Conciliorum Pontificum Scriptorumque unanimis ad idem consensus: tum antiquissimorum, tum medii ævi, tum denique juniorum, usque ad Constantiensis Synodi tempus: cùm eorum pauci quidam secus sentire occeperunt; nec suam ipsi tamen dissimularunt, & novitatem, & paucitatem. Usque ad num. LXXVI.

Etiamnunc & jam olim unam apud Occidentales maximè omnes, & Gallos ipsos Antistites haberi, Romani Pontificis, atque Ecclesiæ universæ, hoc est, Capitis & Corporis vim, sententiam, authoritatem. Usque ad num. CI.

Occurrantes quidam scrupuli amoventur; tota hæc doctrina ad summa quædam religatur fastigia: denique ne defensoribus quidem ipsis seu privilegiorum seu libertatum quarumcumque refugiendam esse hanc sententiam ostenditur. Usque ad calcem. Pag. 158.

DISSERTATIO XIX.

In Synodum V. Oecumenicam Constantinopolitanam II. anno Christi 553.

In defensione trium Capitulorum nunc arripienda, nunc abjicienda, ostenditur Vigilii Papæ non inconstantia, sed dispensatio, & pacis amor vero nunquam injuriosus. Usque ad num. VIII.

Et si possit sontibus ignosci, non posse tamen insontibus vel scriptoribus vel scriptis anathema illidi ex dispensatione: nec potuisse trium Capitulorum damnationi factæ subscribi, nisi manifestata, vel utcumque credita veritate. Usque ad num. XIII.

Quintæ Synodi memoriam alicubi aliquandiu silleri, indultum à Romanis Pontificibus, ex necessaria tunc saltem dispensatione, ubi regnorum & populorum strages antevertendæ erant. Usque ad num. XXVI.

Proferuntur argumenta, quibus universim in rebus facti & personarum errare posse Synodos Oecumenicas probant aliqui. Contra evincitur damnationi synodicæ errorum authorumque accommodandam necessariò consensionem, ubi Synodis subscribitur. Usque ad num. XXXIX.

Sequestratis aliis factorum & personarum quæstionibus, ostenditur Synodorum Oecumenicarum, sive Ecclesiæ universalis judicia in librorum damnationem spectantia, non posse deinceps retractari, aut in contrarium flecti, prolixè & ex hac ipsa Synodo. A num. XXVII. ad XLV.

Idem rursus multis argumentis perficitur: & quàm infeliciter clementibus interpretationibus enitantur purgare libros ab Ecclesia damnatos. Percurruntur anteriorum & posteriorum temporum exempla complura, quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis unquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque affricuisse. Usque ad numer. LXVII.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino sentiendum, qui damnatos ab Ecclesia libros scriptoresque aliquos defensitarunt. Usque ad n. LXXX.

Ad eos qui rogitant, an de fide sit, hæresin hoc libro contineri. Quàm latè quandoque pateat nomen fidei, & hæreseos. Quàm facilè suspectos hæresum habeat Ecclesia librorum defensores, quibus eam inesse ipsa judicat. Hæreseos suspicio vel accusatio, quàm non temerè ulli impingenda, quàm anxiè a quolibet propulsanda. Usque ad num. XC.

Decretis Pontificum quàm accommodanda, & quàm ultro sint accommodata placita Scholæ. Item quàm non possint interminabiles ullæ lites, & decretorii judicii insolentes confingi: sed omnino tandem judicio Episcopali assentiendum sit. Usque ad num. XCIV.

Vigilii Papæ & Romanæ Sedis principatus quantum resplenduerit in hac Synodo, adversùs Novatores. Usque ad n. CII.

Defensores Capitulorum eruditi, quàm nullo privato studio, nulla acuminis sui fiducia, sed sola agerentur tuendæ Chalcedonensis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amoventur. Usque ad calcem. Pag. 209.

DISSERTATIO XX.

In Synodum VI. Oecumenicam, seu Constantinop. III. Anno Christi 680. 681.

Inquiritur in Honorii Papæ damnationem. Refelluntur, qui Acta hujus Synodi falsata causantur. Num. I. II. III.

Refelluntur iterum, qui Synodum ut in re facti, errasse cavillantur. Num. IV. V.

Refelluntur tertiò, qui etsi immerentem, dispensativè damnatum suspicantur. Num. VI. VII.

Respondetur Honorii Epistolas privatas & familiares fuisse; nec pertinuisse ad Cathedram. Ideoque damnari potuisse, quia & errare. Quod multis conjecturis munitur, à num. VIII. ad XVII.

Respondetur iterum non tam hæresi, quàm dispensationi studuisse Honorium; Quæ quia improvida fuit, & inauspicata, proditio fidei habita est. Multa ad id argumenta, multa item congeruntur exempla consimilis in doctrina fidei dispensationis sed feliciores plerumque exitus nactæ. A num. XVIII. ad XXXI.

Anastasii Bibliothecarii Apologia pro Honorio expenditur, & ad regulas à Sanctis Patribus suas revocatur. Usque ad calcem. Pag. 241.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

AD SYNODOS SUB VICTORE PAPA DE OBSERVATIONE PASCHATIS

Habitas circa annum 197.

ROMANAM, LUGDUNENSEM, PALÆSTINAM, Ponticam, Hierosolymitanam, Corinthiacam, Osroenam, Mesopotamicam, nec non Ephesinam sub Polycrate.

SYNOPSIS.

Æquitas, & prudentia Victoris Papæ in constituendo Paschate, & anathemate Orientalibus intentando defenditur, ad num. XIV. deinceps ejusdem potestas summa à contemptu & infamia vendicatur.

I. HARUM omnium Synodorum meminere Eusebius *l.* 5. Hist. Eccles. *c.* 23. 24. 25. & author Libelli Synodici *num.* 8 *& octo sequentibus*. Eusebii verba sunt: *Gravi controversia exorta, eòquòd omnes per Asiam Ecclesiæ vetusta quadam traditione nixæ, quartadecima Luna salutaris Paschæ diem festum celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent: eaque omnino Luna, in quemcumque demum diem septimanæ incidisset. Cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ aliomore uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus, etiamnunc servatur, ut scilicet non alio quàm resurrectionis dominicæ die jejunia solvi liceat. Synodi obid, cœtusque Episcoporum convenere. Atque omnes una consensu Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradidere, ne ullo alio quàm dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur.* Unus cum Ephesina sua Synodo secus decrevit Polycrates, ejus tum urbis antistes. *Victor Romanæ urbis Episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque provinciarum Ecclesias tanquam contrarias rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur: datisque literis, universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat. Verùm hæc non omnibus placebant Episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci & unitati, charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum literæ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt.* Eadem propemodum Libellus Synodicus, singulas Synodos suo more summatim delibans.

II. Hinc Victorem allatrandi, & Apostolicæ Sedis principatum exagitandi ansam arripiunt Novatores; quòd præproperè pacem abruperit; quòd brutum fulmen vibraverit; quòd ut suæ potestatis limites prætervolanti non paruerint Orientales; quòd denique ab eo excommunicati communione Ecclesiæ Catholicæ frui nihilo seciùs perstiterint. Adversùs has calumniarum nebulas elucidanda nobis est Victoris, Synodique sub eo Romanæ æquitas & potestas. Et ex Eusebio primùm: Asiatica sola, hoc est, Ephesina provincia cum finitimis Ecclesiis, cum Polycrate sentiebat; at omnes aliæ *per universum orbem* Ecclesiæ consentiebant Victori. Turpis ergo erat pars, quæ suo toti non concineret: atque non intempestivis ad hunc concentum stimulis urgebatur. Ad hæc cùm reliquo orbe collectæ Synodi *uno consensu Ecclesiasticum dogma* propalassent: his dissonare, intolerandæ cujusdam erat pugnacitatis. Addo quòd Asianæ Ecclesiæ *vetusta veluti quadam traditione* nitebantur: at reliquæ Ecclesiæ mos indubitanter *ex Apostolica traditione* defluxerat. Quæ alia vis enim Alexandrinos, Palæstinos, Osroenos, Ponticos, in eandem cum Romana Ecclesia consonantiam adduxisset, nisi altiùs repetita, & ab ipso Apostolicæ prædicationis fonte hausta traditio? Tertullianus *l.* de Coron. militis: *Hanc observationem si nulla Scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est?* Et *l.* de præscript. *Ecquid verisimile est, ut tot & tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Caterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

III. Et quamquam res ista suo ex genere media quodammodo & in utramque partem versatilis videri posset, ut sive Dominico semper, sive alio quandoque die Pascha celebraretur, nec fides ideo, nec Ecclesia labasceret: longè alia tamen tunc Episcopos & Ecclesias totius orbis incesserat sen-

tentia. Etenim Victor dissonas abrumpere Ecclesias meditabatur *velut heterodoxas*. Eusebius non Apostolicam tantùm traditionem, sed *Ecclesiasticum dogma* vocat. Polycrates ex adverso majorum suorum divetsam consuetudinem, observatam contendebat *juxta Evangelium & secundum fidei regulam*. Adversùs hortamenta & minas quibus ad consensum cum cæteris Ecclesiis impellebatur, fidenter excipiebat, *Obediendum Deo potius quam hominibus*. Addebat se genuinum ac verum agere diem, *nec addidisse quidquam aut detraxisse*. Ergo id nimirum superetat, ut reliquæ omnes orbis Ecclesiæ Polycrati & sectariis ejus viderentur Evangelium interpolasse, temerasse fidei canonem, divinis institutis obniti. Neutris ergo persuasum erat, rem totam in medio relinqui posse. Inde est quòd, ut observat Irenæus apud eundem Eusebium in epist. ad Victorem, hac de re jam antè incaluerat Romæ concertatio inter Anicetum & Polycarpum, etsi tum quidem incolumi pacis vinculo. *Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, &c. neque item Polycarpus Aniceto persuasit ut observaret, cum Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret.*

IV. Perversum est igitur quod Novatores Socrati potiùs assentiuntur, *l.* 5. *c.* 21. ajenti: *Neque Servator, neque Apostoli istud observandum lege aliqua præceperunt, neque mulctam aut supplicium, sicut lex Mosayca Judæis, vel Evangelia, vel Apostoli nobis minati sunt, &c. Apostolis propositum fuit, non ut leges de festis diebus celebrandis sancirent, sed ut rectæ vivendi rationis & pietatis nobis authores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut aliæ res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt, ita festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse: propterea quod nemo ex Apostolis legem de eo, ut dixi, cuiquam edidit.* Ultra ingenioli modum exultavit Socrates, cùm Theologi personam induit. Non Eusebio enim tantùm, & Victori, & Polycrati, & Aniceto, & Polycarpo refragatus est, qui suum quisque morem, antiquiori traditioni, Apostolicæ institutioni, legi Evangelicæ, fidei Canoni, Ecclesiastico dogmati vindicabat: sed & Synodis omnibus hac tempestate collectis, quæ, ut de Hierosolymitana author est Eusebius *c.* 25. scripsere, *de traditione diei Paschalis, quæ jam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat*. An licet post ducentos amplius annos ea somniare, quæ & Synodorum, & Pontificum rebus ipsis penè supparium fidem prorsus labefactent? An licet Polycrati ita patrocinari, ut Polycratis ipsius sententiam omnem adulteres?

V. Author verò Libelli Synodici Eusebio consentaneus est. Itaque apud eum Polycratis Ephesina Synodus dicitur *simplex, neque exquisita*: ejus verò decretum, tanquam à principio acceptum, à Sanctis Apostolis Timotheo & Philippo confirmatum. At reliquæ omnes pro Victoris partibus Synodi, *divinæ & sacræ*: super mystico Pascha *secundùm Anicetum & Victorem pronunciantes*. Denique *c.* 8. *Victor sanctissimus Romanorum Ecclesiæ Papa excommunicationem mittit Polycrati; neque hoc solùm, sed synodicè etiam ea quæ ad hoc festum pertinebant, persequitur; & cum ipsa Synodi in plurimis provinciis & partibus terræ congregatæ, idem unanimiter statuunt.* Vides quàm hæc abhorreant ab indifferentia illa commentitia, & ab ignominia Victori aspergenda.

VI. Ad hæc si in suspendio relinqui res poterat, eccur de ea ad Synodum usque Nicænam certabatur? Eccur ad pacem conciliandam Oecumenica Synodo opus fuit? Athanasius *lib. de Syn. Nicæna Synodus non temere habita est, ut quæ habeat gravissimos usus & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotami, in causa festi claudicabant, atque unà cum Judæis Pascha celebrabant; & jam tum Ariana hæresis propugnatores habebat*, &c. *Atque ea causa fuit, cur universus orbis in Synodum coiret, ut & eodem die ubique festum celebraretur, & hæresis quæ suppullulaverat, anathemate percuteretur. Quod & factum est.* Eusebius *l.* 3. *de vit. Const. c.* 5. *Alius antiquior suberat morbus longè gravissimus, qui Ecclesias jam pridem infestabat, dissensio scilicet de salutari festo. Itaque cum omnes ubique populi jamdudum inter se dissiderent, & sacri religionis nostræ ritus perturbarentur: quippe in uno eodemque festo temporis diversitas maximum dissidium inter feriantes excitabat: cum hi jejuniis & ærumnis seipsos atterent, illi otio ac lætitiæ indulgerent. Mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium posset adhibere.* Et *c.* 14. hoc egregium scilicet operæ pretium effert & Nicænæ Synodi, & Constantini, ut *non modò unius fidei consonantia apud omnes obtineret, verùm etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur.* Sed & Constantinus in Epistola ad Ecclesias post Nicænam Synodum, ait *uno consensu* definitum eodem ab omnibus die celebrari Pascha, rejicique *turpissimam societatem* Judæorum, & *rectiori ordine, quem à primo passionis die usque ad hæc tempora servavimus, ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagari. Nefas est ut in tanti momenti negotio & in hujusmodi religionis solemnitate dissensio reperiatur. Unum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est diem Sacratissimæ Passionis, Servator noster nobis reliquit: unamque esse voluit catholicam Ecclesiam. Cujus membra licèt variis locis dispersa sint, uno tamen spiritu, Dei scilicet voluntate foventur.* Addit in hanc consuetudinem concinere *omnes tam Occidentalium, quam Meridianarum, & Septentrionalium orbis partium Ecclesias, nonnullas etiam Orientalium. Suscipite cœlestem gratiam, & divinum veluti verè mandatum. Quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem.* Et ipsa Nicæna Synodus in Epistola ad Alexand. Eccles. apud Theodoretum *l.* 1. *c.* 9. *Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis attinet, scitote quod vestris precibus hæc quoque pars prudenter constituta est, ita ut omnes fratres qui Judæos prius imitabantur, secuturi jam sint Romanos, & vos & omnes qui ab initio Pascha custodiunt.* Vides constanter affirmari, legem Paschatis ab Apostolis ipsis jam inde ab initio consignatam fuisse universæ Ecclesiæ. 2. Dissensionem inter Ecclesias in tanti momenti negotio exitialem esse. 3. Consensionem cum Judæis probro & fuisse & fore. 4. Unam esse Christi Ecclesiam, tametsi locis distracta sit, uno spiritu vegetari illam, uno Sacramentorum concentu necessario vinciendam sibimet, ne dissiliat. Itaque non posse celebrationem Paschatis inter *indifferentia* computari.

VII. Vides rursus hæc omnia peræquè locum habuisse ævo Victoris, ut necessum sit, si qua huic inuratur temeritatis nota, ea Synodum quoque Nicænam afflari. Quid enim Constantinus nomine Synodi in illa prolixiore ad Ecclesias Epistola peroravit, de Paschæ festo in dominicum diem figendo, quod non & Victor potuerit? Æquè tunc una Ecclesia, æquè exosi Judæi, æquè Apostolicæ traditiones cordi erant, æquè Ecclesiæ Ecclesiis jam tum collidebantur, ut argumento est vel ista Synodorum frequentia. Si compescenda erant ista dissidia, eccur vocatur in crimen Victor, qui in id incubuit? Si ferenda erant, & studio pacis donanda, an minùs ergo sapuit Nicæna Synodus? At vehementiùs, inquies, jam conflagrabat illud incendium. Ergo gratulandum Victori, qui grassantis mali contagium prævertere tentaverat: & illis succensendum, qui minùs tempestiva dispensatione jurgiorum flammas aluerunt.

VIII. Quamquam Irenæo & aliis qui Victorem hortabantur, paci potius & Ecclesiarum unitati indulgeret, meritas laudes haud equidem invidebo. Stricto juri Victor studebat, illi temperato: hi charitati, ille veritati consultum cupiebat. Utrumque

que in laude est. Asiaticæ disciplinæ vulnus patientia illi sanandum sperabant, ille exulcerandum præsagiebat. Ex incerto eventu, ut mens hominum cæca futuri est, in diversa rapiebantur consilia, certo tamen consulendi animo. Vel utrisque ergo par honos adsignandus est, vel illi cumulatiùs favendum, qui majore solertia exasperandum remissione morbum prævidit, & jam tum acriore cauterio gliscentem luem adurere pro virili sua occupavit. Etsi ergo inter juris rigorem & clementiam, inter Victorem & Irenæum dubii penderemus, ipse tamen rerum exitus ad Victoris anteponenda consilia nos potiùs inclinaret. Irenæum ipsum sui pœnituisset instituti, ut arbitror, si temporibus Nicænæ Synodi reviviscens, ex sua suique similium humanitate tam inopinatas vidisset ebulliisse discordias, quibus comprimendis Constantini & Oecumenicæ Synodi potestas vix aut nec vix par fuit. Quæ Irenæus, quæ alii pari fiducia ad Victorem inhibendum scriptitarunt, ad Nicænæ Synodi patres scripta fingantur. Num palinodiam canet tanta Synodus? Num charitate defieri putabitur? Dispensatio sanè non minùs Nicænis temporibus quàm Victoris ætate videri potest opportuna; immo opportunior tantò, quantò morbus tum recruduerat.

IX. Quòd autem divinant, Nicænos Patres nullum anathema distrinxisse in Judaici posthac Paschatis sectatores, ideoque nec à Victore distringendum fuisse: præsumptæ semel opinioni pugnaciùs quàm par est, inhæresciunt. Quorsum enim totius orbis fatigantur Ecclesiæ, quorsum tanto strepitu imperium sacerdotiumque colluctatur: si quod definierint, impunè, ut priùs, liceat transilire? An dissidia tam diuturna & atrocia pacatum iri sperarunt, citra ullius pœnæ interminationem? Levioribus privatorum culpis ultores statim imminent Canones: huic verò flagitio, quo Ecclesiæ compago concutitur, nihil pœnarum indicent? Novellis in dies decretis adjiciuntur subinde Synodica anathemata: hæc verò quæ jactantur Apostolica statuta & universæ Ecclesiæ consensu receptissima, impunè calcabuntur? Vide Ambrosium *Epist.* 83.

X. Ad hæc, post Nicænam Synodum Quartadecimani inter hæreticos numerari sunt ab illis omnibus, qui de hæresibus scripsere. Philastrius *c.* 11. & 39. disertè *hæresin* Ecclesiæ Catholicæ adversam appellat. Augustinus similiter *c.* 29. Epiphanius *hæresi* 30. *vel* 50. *Ex iis duabus inter se commistis Cataphrygum & Quintillianorum, sive Priscillianorum sectis, nova quædam conflata est, & in orbem introducta Quartadecimanorum hæresis. Qui cæteris in rebus cum Ecclesia consentientes, hoc ipso ab omnibus aberrant, quòd non illius institutis doctrinæque consentanea quædam amplexi sunt.* Hæresin ex aliis hæresibus concretam esse docet, capite in uno dumtaxat ab Ecclesia dissonantem, sed eo ipso nomine in omnibus aberrantem, quòd fidei indivulsa sit compago. Cùm autem & à Cataphrygibus prognatam perhibet, & statim post Cataphryges recenset, ac quasi matri filiam subjungit Epiphanius Quartadecimanorum hæresin, ejus ab Ecclesia secessionis non à Nicæno Concilio, sed à Victoris saltem tempore exordia utique repetit. Ut tantò æquiùs eam & Victor & Nicæna Synodus Ecclesiasticis diris addixerit. Eodem, quo Epiphanius, loco illam Augustinus post Montanistas numeravit, & ante eum Philastrius.

XI. At idem Epiphanius *hæresi* 70. quæ est Audianorum, luculenter antedicta omnia confirmat: Constantino plurimùm debere Ecclesiam, eo duplici maximè nomine, quòd Arii dogma profligarit, quòdque celebrandi Paschatis concordiam advexerit, collecta Nicæna Synodo: *Jampridem enim & à primis usque temporibus varia in Ecclesia de hac solemnitate controversia ac dissensiones extiterant, quæ quotannis risum ac ludibrium afferebant, &c. præsertim Polycratis ac Victoris ætate, &c. quod & aliis temporibus accidit, velut Alexandri Episcopi Alexandrini, & Crescentii, quemadmodum inter se mutuò scripserint, & acerrimè pugnaverint.* Quæ postrema verba si cum testimonio Synodi Nicænæ ad Alexandrinos scribentis suprà relato componas, facilè emicabit, hac Alexandri Episcopi Alexandrini cum Crescentio concertatione adductam fuisse Synodum ad litem decretorio judicio dirimendam. Quid mirum ergo, si annuas has & perniciales altercationes Victor primò, inde Nicæni Patres vibrato anathemate opprimere moliti sunt? Nam si hi ab intorquendo anathemate abstinuere, quorsum deinceps hæc inter cæteras hæresis computata est? Quòd autem se Polycrates exemplo Apostolorum tuebatur, excipit eleganter Epiphanius, dispensationi & pellicendis in Ecclesiam Judæis id donasse Apostolos. *Quòd si vel cum Christi hostibus, ut illi putant, Apostoli celebrandum esse Pascha censuerunt, quantò magis ad eandem retinendam consensionem cum Ecclesia celebrare convenit, ne illius concordia laceretur?*

XII. Sed video, quid à Victoris inclementia alienet homines, regulas Ecclesiasticas suo ingenio, non ingenium suum regulis Ecclesiasticis aptare & frangere meditantes. Ægrè ferunt rem disciplinæ ad causam anathematis trahi, & secessionis. Ad palinodiam ergo vocent Epiphanium, Philastrium, Augustinum, & alios omnes hæresum elogia texentes. Nam qui error hæreticæ infamiæ, idem certè anathemati potuit, & debuit implicari. Sed hac illi fucata humanitate, & Synodorum antiquissimarum, & Ecclesiæ primigeniæ fundamenta labefactant. Quid enim Apostoli in Hierosolymitana Synodo, nisi de disciplina sanxere? Quid Eliberitani Patres *can.* 43. *Pravam institutionem emendari placuit, juxta authoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Paschæ celebremus, non Quadragesimam, sed Quinquagesimam. Quod qui non fecerit, novam hæresin induxisse notetur.* Num ovum ovo similius? Si Pentecosten non suo die coluisse, hæresis nova est, quid Pascha? Quo autem nisi anathemate notatur, novæ hæreseos architectus? Scio nonnullos huic Synodo, ut duriori, genuinum infregisse, sed alia longè de causa, idque ex sua circa antiquiorem disciplinam indiligentia, ut suo loco declarabitur. Sed & Apostolici Canones non semel in clericos laicosque depositionem & anathemata decernunt, solius disciplinæ contaminatæ reos. Etenim *can.* 62. si quis suffocatum vel morticinum comederit: *can.* 65. Si dominico vel sabbato jejunarit, præterquam uno: *can.* 69. Si cum Judæis festos dies agitaverit, vel jejunaverit; vel ab eis xenia, aut azyma acceperit: sacro mucrone feritur. Nec his clementior Ignatius epist. ad Philipp. *Si quis dominicum diem aut sabbatum uno excepto jejunat, hic Christi interfector est.*

XIII. Sed ut ad istius Victoris tempora redeamus, quæ tum Catholicorum fuerit consensio de anathemate in quoslibet quomodocumque novantes jaculando, ex Tertulliano perdiscemus. Ejus enim errores omnes ex hoc uno præsertim capite scaturierunt, quòd cùm in fide exorbitare non convinceretur, in disciplinæ institutis temere quidlibet posse novari citra hæreseos suspicionem existimaret. Unde *l.* de Monogam. *Adversarius spiritus ex diversitate prædicationis apparet, primò regulam adulterans fidei, & ita ordinem adulterans disciplinæ. Quia cujus gradus prior est, ejus corruptela antecedit: id est fidei, quæ prior est disciplina. Antè quis de Deo hæreticus sit necesse est, quàm de instituto.* Et l. de jejuniis, de Psychicis, id est, de Catholicis expostulat, qui jejuniorum Montani novitatem anathemate explodebant: *Novitatem igitur objectant, de cujus inlicito præscribant aut hæresin judicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronun-*

nunciandam, si spiritalis indictio est: dum quaque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus. Ea ergo erat Catholicorum conspiratio, sive in fide, sive in disciplina erraretur, hæreseos, pseudoprophetiæ elogio id illico notandum, id anathemate obruendum. At contra errori suo patrocinabatur Tertullianus: *Indubitatè enim & hæresis & pseudoprophetia Divinitatis diversitate judicabuntur, apud nos omnes unici Dei creatoris, & Christi ejus antistites.* Denique suam Catholicis laxiorem opprobrans disciplinam, *Ideo sobrietatis disciplinam qui prædicant, pseudoprophetæ: ideo hæretici qui observant.* Familiare ergo id tunc erat, & hæreseos elogium & anathema infigere illis, qui à pervagata & recepta ubique disciplina deviarent, tametsi nihil circa fidem ipsam hallucinarentur. Ideo & Victor Asianas Ecclesias ut heterodoxas fulmine impetebat.

XIV. Utquo modum ponam huic parti, unum id addo in Ephesina prima Synodo *act. 6.* referri subscriptiones complurium à Quartadecimanorum contumacia resipiscentium, pristinamque ejurantium insaniam in hæc verba: *Cognoscens veram orthodoxamque fidem, sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ me adjunxi; omnemque hæresin, & præcipuè Quartadecimanorum, in qua antè errabam; anathematizo. Anathematizo etiam illos qui sanctum Paschatis diem aliter celebrant, quàm Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia.* Et hìc ergo hæresin, atque anathema audis, in eorum discipulos, quos ut heterodoxos, Victor ab Ecclesia abscindere meditabatur. Et diu antè Can. 7. Conc. CP. primi Quartadecimani hæreticis aliis permixti, hæresinque suam ejurare coacti fuerant.

XV. Potestatem jam Victoris adversùs eosdem defendere ingrediamur. Et primò arguunt illi, non potuisse, quia non debuit. Ex adverso igitur potuit, quia jam diluxit debuisse. Concesso autem quòd non debuisset, perperam quidem illi elicerent, non potuisse. Quàm multi enim legitima abuuntur potestate, quorum facinus non alienæ potestatis usurpatio est, sed suæ corruptela? At verò si debuit, utique potuit. Nec enim Christus ea suam fraudavit Ecclesiam potestate, quæ inter discrimina publicæ saluti prospiceret.

XVI. Sed vel ex uno Eusebio eminent vestigia summi principatus, quo Victorem universæ Ecclesiæ antistare Præsulibus tum non ambigebatur. In sui defensionem scribit Polycrates *ad Victorem & ad Romanam Ecclesiam.* Cur non ad alios, à quibus æquè dissonabat? Nihil moveri se ait iis *quæ ad formidinem sibi intentantur*, utpote majorum & Apostolorum traditione fultum. Ergo cessurum se innuit, nisi ineluctabili, ut rebatur, necessitate servandæ Apostolicæ institutionis avocaretur ab obsequio. Obediendum ait *magis Deo quàm hominibus.* At ea verba & ab Apostolis usurpata sunt primò, & in ore sunt omnium, qui legitima quidem urgentur potestate, sed cujus tunc imperia divinis conflictantur mandatis; eoque significant, sui & officii & voti esse morem gerere, nisi Deus secus tunc quidem juberet. Denique unica exceptione litem perimere poterat Polycrates, Victoris incompetens judicium repudiando. At ex adverso ille ut apud competentem judicem se purgat, nec vel uno verbulo queritur de ejus potestate ultra metas exspatiante.

XVII. Apud eundem Eusebium *l. 5. & c. 24.* eodem, multis displicuit Victoris austeritas, qui eum hortati sunt, ut quæ *pacis & charitatis erant, & unitatis*, potiùs saperet. At hæc hortamenta ad eos instruuntur, qui legitima potestate, vel austeriùs, vel humaniùs uti possunt, & eo loco ac tempore ad mansuetudinem ut tum quidem tempestiviorem invitantur. Ad hæc Irenæus Victori ea scribit, quibus dispensatione tunc potiùs utendum suadeat, non suæ unquam potestatis modulum monet agnoscere. Quin immo obsecrat, *ne abscindat universas Ecclesias*: nihil dubius, si abscidisset sua, reliquarum etiam Ecclesiarum communione abscindendas fore. Adde ex Synodico libro superiùs relato, reliquas Synodos de Paschatis die toto orbe pronunciasse *secundùm Anicetum & Victorem*: utpotè quos duces reliqui sequebantur orbis Antistites. Cùmque Synodum Polycratis simplicitatis & indiligentiæ notasset ejus libri author, societatisque cum Judæis, mox ait, *Victorem sanctissimum excommunicationem misisse Polycrati, qui huic Synodo præfuerat.* Quo potestas Victoris commendatur utique. Denique in Epistola utraque superiùs laudata tum Constantini ad Ecclesias, tum Nicænæ Synodi ad Alexandrinos, ubique Romanæ Ecclesiæ princeps locus adsignatur, in enumeratione omnium orbis provinciarum, quæ in Catholicum Pascha concinebant. Quòd illa reliquis præluxisset,

XVIII. Quòd autem excommunicationem à Victore contortam, flocci videntur feciisse, id primò expediendum esset, illam comminatus tantùm, an etiam jaculatus fuerit. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. in Irenæo, *Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui decima quarta Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi qui discrepabant abillis, Victori non dederunt manus.* Ad minas hæc trahi possunt. Et idem in Polycrate, hæc ejus ad Victorem Epistolæ verba refert: *Non formidabo eos qui nobis minantur.* Priore sanè loco Græca interpretatio duriuscula est, & pro illis verbis, *damnandos crediderat*, habet, *deposuit.* Videtur & Eusebius consentire, cùm de Victore ait, *abscindere conatur.* Et ibidem Irenæus per Epistolas decenter admonet Victorem, *ne abscindat universas Ecclesias Dei*: nondum ergo abscideraat, sed ictus adhuc librabatur. Nec ultra progressum Victorem exprimit Eusebius; quin Irenæo mox gratulatur, ut sui nominis augurium non fallenti, ut pacificatori, ut pacis Ecclesiarum legato. Socratis autem non inexplorata adeò supinitas est, ut nostrum statim extorqueat consensum, ubi antiquiorum lineas egreditur. Potuit ergo ille authori libelli Synodici imponere. Cautiùs Photius Biblioth. cod. 120. *Victor ea tempestate Pontificium tenuit, quem crebris literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Exitum pendere dubium & ipse passus est. Sed apertè Sozomenus *l. 7. c. 19. Sapientissimè arbitror solvisse subortam olim controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cum Occidentis Sacerdotes traditionem Petri & Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Joannem Evangelistam sequi affirmarent, decreto in commune sancito, singuli ut consueverant festum celebrantes, & mutua inter se communione non recesserunt. Frivolum enim & quidem meritò judicarunt, consuetudinis gratia à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Excommunicationem ergo Victor vel non intorsit, vel statim suspensa ejus executione revocavit.

XIX. Largiamur id autem, anathematis jaculum evibratum esse. Necdum de contemptu satis constat. Nam Asianos ipsos resipuisse tradit Constantinus in sæpè laudata Epistola, *Asianam Diœcesin* inter eas enumerans provincias, quæ cum Romana urbe in Paschatis die conspirarent. Epiphanius verò *hæresi 70. num. 9.* de Paschæ die tumultuatum ait tum sæpiùs, tum maximè Polycarpi, malim legi, Polycratis & Victoris ætate, *Cum Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas à se invicem literas nullas acciperent.* Occidentales ergo saltem Victori paruerant, iisque communicare desierant, quos Victor à communi unitate discinderat. Conjectura est autem Occidentalibus consensisse & Ægyptios, ut ex contextu Epiphanii ibidem liquet: Orientales autem ab eo dici Asianæ provinciæ & circumjacentes Episcopos, ut hac cæterarum in

se Ecclesiarum asperitate ad resipiscentiam tandem inflexi sint: Romanæ autem maximè. Quanti enim Orientales facerent eo ipso ævo communionis cum Romano Antistite contesserationem, prodidit Tertullianus initio ferè libri adversùs Praxeam, in quem acriter stomachatur, quòd *tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Prisce, Maximille, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis & Ecclesiis eorum adseverando, & præcessorum ejus authoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare*. Author suprà fuit Epiphanius ex Cataphrygibus ortos Quartadecimanos. Cognata sunt ergo hæc argumenta. Et eadem fortassis atque una excommunicatio est, à Victore in Asianos & Phrygas contorta, quam Zephyrinus revocare cogitaverat, non Montanistarum irretitus erroribus, qui nulli tunc adversùs fidem adhuc stridebant, sed fuco pietatis simulatæ delusus: at fraude per Praxeam comperta, literas pacis jam emissas revocavit, *præcessorisque* sui Victoris *authoritatem defendit*. His adjunge quæ refert Eusebius *l.* 5. *c.* 3. ab Ecclesia Lugdunensi Epistolas per Irenæum ad Eleutherium Papam missas, *pro pace Ecclesiarum legatione susceptâ*, quòd tunc Montani nempe fama in Phyrgia percrebuisset, ejusque causa *dissensio orta esset*. Id saltem hinc exprimitur, nutat enim ea omnis conjectura, etiam inter Orientales pacis & communionis Ecclesiasticæ arbitrum jam tunc habitum fuisse Romanum Antistitem, ejusque hac de re sententias nequaquam contemptui, sed summæ veneration fuisse. Qui sanè Tessarescaidecatitas longè ante Synodum Nicænam hæreticorum albo descripsere, ut suprà monuimus, ii Victoris judicium nequaquam aspernati sunt.

XX. Demus etiam reluctatos fuisse Victori Orientales, hinc etiam præclarior ejus victoria, quò diuturnior fuit contumacia repugnantium. Tantum enim momenti fuit in authoritate Victoris, ut deinceps universalis Ecclesia & Oecumenica Synodus prima, secunda, tertia in ejus sententiam concesserint. Nec enim expendendum modò quid tunc, sed quid tandem pervicerit Victor: nec quid de sententia & potestate ejus pauci hallucinabundi senserint, sed quid deinceps omnes Ecclesiæ & universales Synodi consenserint. Nam cùm Victoris sententiam aspernati sint Asiani, cùm ejus importunam inhumanitatem reliqui complures ex Catholicis insimularint; exinde tamen ab Epiphanio, Augustino, Philastrio & aliis computari cœpit hæresis Quartadecimanorum; exinde Constantinus & Nicæna Synodus Romanam Ecclesiam cæteris præire in Paschæ observatione prædicavit: exinde CPolitana & Ephesina prima Synodus Oecumenica, peræquè ut Nicæna, non Pascha Judaicum Polycratis, non dispensationem Irenæi & aliorum ejus collegarum, sed unius approbavit Victoris consilium in Judaico damnando Paschate, & ejus sectariis cum cætera hæreticorum caterva resecandis à communione: Pluris esse debet in animo nostro Ecclesiæ universalis posterior suffragatio, quàm aliquorum in ipso certaminis æstu vel apertè repugnantium, vel clanculùm detrahentium licentia. Luculentè hoc argumentum prosequitur Nicolaus Papa I. *Epist.* 9. ad Michaelem Imp. *Quotquot in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viverent, ab Ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos, in quorum damnatione non consensit, singulari prærogativa dissolvit. Cum Asiani omnes inter cæteros Evangelista Joanne authore, quartadecima Luna cum Judæis putarent Paschacelebrandum, hos Præsul meritis & nomine Victor à communione collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum Præsulibus, non solùm huic manus minimè præbuerunt, verùm etiam pertinaciæ redarguerunt*, &c. *Quid mirum si nobis pro Ecclesiastica correptione laborantibus, manus non datis, sed & duriùs redarguitis? cum videamus Victorem Papam & Martyrem, qui ideo verè victor est quia martyr, pro Ecclesiastica traditione penè à totius Ecclesiæ Præsulibus pertinaciæ redargutum. Quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit: & quod fecit, laude prædicat dignum. In quo animadvertendum, quia si tunc ille pro justitia tanta severitate non uteretur, sicuti nonnulli hortabantur Episcopi, hactenus fortassis error ipse mansisset; præcipuè cum etiam eo tanta zelo succenso, usque ad Ephesinam priorem in aliquibus perduravisse Synodum legerimus*. His ille alia accumulat exempla, putà Acacii à Romanis Præsulibus depositi, qui tamen imperatorio patrocinio sedem suam retentavit. Sed post diuturni contemptus injuriam perfectum est tandem, ut Acacii nomen ab omnibus Ecclesiis proscriberetur. Ita & Photius à Nicolao abdicatus non cessit. Sed sub Hadriano hujus successore Oecumenica octava Synodus Nicolai injurias Photio exturbato ultra est. Etenim ut idem tradit *Epist.* 10. *Contra singulos errores in Ecclesia exortos prior Romana Ecclesia secundùm primatus sui authoritatem sententiæ terminum dedit. Et ita demum universalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit: quæ illa tamen probavit, quandoque probavit: & quæ illa refutavit, ipsa refutavit*.

XXI. Si renitentium enim pervicacia principantem authoritatem enervare potis esset, quæ usquam residua foret umbra legitimi imperii? Nicænæ etiam & Constantinopolitanæ Synodo illusere Quartadecimani. An ideo cassa & effœta Oecumenicarum Synodorum majestas blaterabitur? Apud Epiphanium *hær.* 70. *num.* 9. calumniabantur Audiani in hunc modum: *A Constantini tempore ut Imperatoris rationem haberetis, paternam in celebranda Paschate consuetudinem reliquistis, diemque commutastis, ut vos ad Imperatoris nutum accommodaretis*. Sic illi convitiabantur Nicænæ Synodo, quasi natalem Constantini in Paschæ diem optaliet. Chrysostomus autem adversùs reliquias quasdam Quartadecimanorum manus conferens, *tom.* 5. *hom.* 52. *Quis porro illorum sermo est, cum hæc illis objicimus? Vos, inquiunt, nonne hoc jejunium antè observabatis? Hoc verò tuum non est mihi dicere: sed hoc ipse tibi jure dixerim, nos quoque sic antea jejunasse, veruntamen temporum observationi præferendam concordiam censuisse: Quid autem de me loquor? Trecenti Patres, immo etiam plures, cum in regione Bithyniæ convenissent, hæc decreverunt, & tu illos omnes probro afficis?* Deinde cùm Nicœnorum Patrum sanctitatem, fortitudinem, martyria laudibus in cælum tulisset, addit: *At tu non illos tantùm, sed & orbem terrarum universum condemnas, qui sententiam illorum comprobavit*. Ex hac paucorum seu extorrium, seu vernaculorum Ecclesiæ contumacia, nec Victoris, nec Synodi Oecumenicæ, nec orbis terrarum Catholici authoritas infringitur.

XXII. Juvabit hìc adscripsisse quæ Beda *l.* 3. *Hist. Eccl. c.* 17. post enarratas & summis laudibus evectas sanctissimi Episcopi Aidani virtutum dotes, etiam miraculorum gratia illustres, addit demum: *Qui ut breviter comprehendam multa, quantum ab eis qui illum novere, didicimus, nihil ex illis quæ in Evangelicis sive Apostolicis sive Propheticis literis facienda cognoverat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus, operibus implere curabat. Hoc in præfato Antistite multùm complector & amo; quia mirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quòd autem Pascha non suo tempore observabat, vel canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis authoritate, ne agnitum sequeretur, devictus, non approbo, non laudo*. Et infrà *c.* 25. *Hæc dissonantia Paschalis observantiæ vivente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etsi Pascha contra morem eorum qui ipsum*

miserant, facere non potuit; opera tamen fidei, pietatis, & dilectionis, juxta morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exequi curavit. Unde ab omnibus etiam his qui de Pascha aliter sentiebant, meritò diligebatur: nec solùm à mediocribus, verùm ab ipsis quoque Episcopis. Honorio Cantuariorum & Felici Orientalium Anglorum venerationi habitus est. Et infrà multis differit Vvilfridus, ad Catholicam Paschæ observantiam, *omnes Sancti Joannis successores in Asia post obitum ejus conversos esse, & omnem per orbem Ecclesiam: & hoc solum fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statutum noviter, sed confirmatum est, ut Ecclesiastica docet. Historia.* Si Columba autem, siqui alii sanctitate spectatissimi aliuam sectati sint ritum, ait: *Quia justius multo est de incognitis bonum credere, quàm malum, illos & Dei famulos & Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum coluerunt.* Concluditur denique sequenda *esse decreta Apostolica Sedis, immo universalis Ecclesiæ: & neminem preferendum Petro, cui principaliter dictum est, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.*

XXIII. Minùs hi quidem, sed nonnihil tamen à more Catholici & Romani Paschæ dissidebant. Perspice autem ut summa judicii maturitate Beda errorem ab errantium sanctitate discriminet. Optatissimum esset, tam æquos judices nacti essent & Polycrates & Victor & Irenæus. Ille dum heterodoxum Pascha colit, hic dum noxia dispensatione utendum consulit, in errore fuerunt. Victor dum Apostolicæ Sedis, dum universalis Ecclesiæ decreta, eo quo ubique moris erat, vigore, hoc est sub mucronis sacri comminatione observari urget, & Synodis posthac Oecumenicis dictat *quòd non constituant, sed confirment*, in errore versari non potuit. Nec tamen vel Polycratis vel Irenæi laudes aliæ oblitterandæ sunt, Ut in Aidano, ut in Columba: sunt in eis, quæ admiratione, quæ laude prosequamur: sunt quæ non laudemus, non approbemus. In eo autem quem ducem sequitur universa Ecclesia, nihil est quod sine scelere possimus in hac parte vituperare.

XXIV. Ideo ne Græcorum quidem virulentia tametsi adversùs Apostolicæ Sedis privilegium exacerbata, adversùs Victorem tot hactenus sæculis effutire quidquam ausa est. Vide Photianos Episcopos, & magisterio & veneno Photii imbutos, in sexta actione octavæ Synodi, adversùs primam sedem furentes, & exempla undique aucupantes, conservatæ communionis iis quos Romani Antistites excommunicassent, vel ademptæ iis quibus illi communicarent. Nusquam eorum animo occursavit tanta insulsitas, ut Victoris vel communionem vel excommunicationem ab Asianis Episcopis impunè spretam fuisse ineptirent. Occidentales autem constituti Catholici Paschatis gloriam uni præsertim Victori vendicasse, constat ex antè relatis Bedæ testimoniis, itemque ex eodem *l. 7. c. 16. 19. 22. & l.* de Æquin. vernali; denique in *l.* de sex ætatibus, *Victor datis latè libellis constituit Pascha die Dominico celebrari, sicut & predecessor ejus Eleutherius, cujus decretis favens Theophilus Cæsareæ Palestinæ Episcopus scripsit cum cæteris in eodem Concilio Episcopis Synodicam & valde utilem Epistolam.*

DISSERTATIO II.

AD SYNODOS SUB STEPHANO PAPA IN CAUSA BAPTISMI HÆRETICORUM

Collectas Carthagine, Romæ & alibi anno Christi 256. 257. &c.

SYNOPSIS.

Refellitur putidissima Novatorum calumnia, tum errasse Stephanum in omnium admittendo, quàm Cyprianum & Firmilianum in omnium hæreticorum baptismo repudiando. Evincitur ex omnium Patrum consensu, eandem tunc fuisse Ecclesiæ Romanæ de baptismo hæreticorum, quæ postea fuit, & quæ etiamnunc supereſt disciplina. Usque ad num. XXII.

Deinceps ad finem usque multipliciter solvitur alia quæstio, ecquid Augustinus Cypriano hinc excusationem & patrocinium paret, quod necdum ea res plenario Concilio elucidata atque terminata fuisset: cum idem ipse Pelagianis plenarium Concilium flagitantibus os obturaverit, localibus Synodis & rescriptis Apostolicæ Sedis litem finitam pronuncians.

I. ILlustris & copiosa hæc se altera objicit quæstio, & superiori gemella, de Stephani cum Cypriano concertatione circa baptismum ab hæreticis collatum. Et hic enim sanctitate conspicui colliduntur Pontifices; Romanus etsi loco major & causa melior, à collega spernitur; contumaces adversùs primæ sedis decretum, & aviti moris plus æquo retinentes, nihilosecius Ecclesiæ communione fruuntur; denique secundùm Stephanum pronunciat Nicæna Synodus. Itaque permagnus & admirabilis utrobique personarum rerumque concentus. Ad cumulum denique ut Victorem, ita Stephanum per tot retro sæculorum volumina summæ admirationi habitum, omnium procacissimi Novatores in hac extrema temporum fæce denigrare cœpere, quasi aversis quidem vestigiis erraſſet tamen ipse perinde ac Cyprianus. Ut hic enim omnes prorsus arcebat hæreticos à dandi baptismi potestate; ita ille, ut garriunt, omnes ea donabat indiscriminatim, sive legitima sive spuria & prophana uterentur in tingendo verborum formula. Itaque propulsanda hæc primò à sanctissimo Papa & Martyre calumnia. Tum ingrediemur ad aliam quoque controversiam, quì Cyprianus ab Augustino culpa penè absolutus sit, quòd ante Concilium plenarium necdum veritas satis eliquata fuisset; cum idem Augustinus una primæ sedis authoritate & sententia alibi Pelagianos hæreticos abundè pronunciet confectos esse, nec plenario jam opus esse Concilio.

II. Hallucinatum ergo & ipsum Stephanum fuisse in omnium hæreticorum baptismo probando, peræquè ut Cyprianum in omnium repudiando, hallucinabundi somniant, eliciuntque ex hoc ejus decreto apud Cyprianum relato *epist. 74. Si quit ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam: cum ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Nihil ergo discriminis inquiunt, interponebat Stephanus, & quibuscumque demum verbis, etiam ab Evangelica veritate alieniſſimis consecrato subscribebat baptismo. At Stephano primùm patrocinari licet ex ipsa Firmiliani adversùs eum scripta ad Cyprianum Epistola. Ut invictissimum sit quod ab ipso adversario vis veri extorquet testimonium. Verba Firmiliani sunt: *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis sit ille*

ille qui baptizaverit, eò quòd qui baptizatus fit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quòd invocatio hoc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem? Cum hæc tunc utique proficiant, cum & qui baptizat, habet Spiritum Sanctum, & baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum. Hinc palam est, illud demum probari Stephano baptisma, quod invocata Trinitas sanctificet, ubi invocatio nominum sufficiat ad remissionem peccatorum: à Firmiliano autem desiderari præterea, ut is qui baptizat, Spiritu Sancto vegetetur. Et rursus ibidem Firmilianus Stephanum validissimè, ut sibi videtur, urget exemplo mulieris veneficæ hæreticæque, quæ multos solemni Ecclesiæ forma tinxerat. *Cum baptizaret quoque multos, usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, qua nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt, comprobant? Maximè cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio ritè perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? Nisi & dæmonem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, gratiam baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum baptisma defendunt.* Ne fingere quidem mihi possum quidquam his apertius.

III. Et idem ibidem rursum, & sua & Stephani sensa prodere pergit, ex Christi invocatione sanctificatum baptismum exagitans, nisi à viro Catholico exhiberetur. *Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi, ad fidem & baptismi sanctificationem: ut quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. Quando huic loco breviter occurri posset, & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma, ad hominem purgandum: in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.* Ergo id Stephanus baptisma admittebat, quod in nomine Trinitatis, quod in nomine Christi consecraretur. Et rursum ibidem: *Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt & ajunt, Apostolum dixisse, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur.* An formulis baptismi adulterinis, quibus Christi & Trinitatis Ecclesiastica fides proscinderetur, jactitasset Stephanus cum astipulatoribus suis Christum annunciari? Ille sanè Apostoli locus prædicantis vitio monet non infuscari sanæ prædicationis veritatem.

IV. Si verò admissus à Romanis esset baptismus impia & hæretica aliqua verborum formula prophanatus, hanc maximè hæreseos formulam prodidisset, hanc exagitasset Firmilianus in tam prolixa Epistola, & ita prorsus victoriam aut ad se inclinasset, aut Stephano extorsisset. Sed cùm fidem perfidissimam hæreticorum insectetur vir usquequaque doctissimus, nusquam verba ipsa attingit ad baptismum constuprandum ab eis effusa. Quorsum autem suggillaret invocatam ab hæretico ore Trinitatem aut majestatem Christi: fileret autem ab eodem in Trinitatis, in Christi nominis contumeliam eructatas insanias?

V. Adde quòd totus est Firmilianus in baptizatore hæretico exibilando, & ex ejus vitio baptismum infirmat. E contra totus erat Stephanus, ut vel ex ejus refutatione liquet, in ipsius per sese Sacramenti, & verbi Christi, & invocationis Trinitatis vi amplificanda, quam exhaurire nequaquam posset vel nequam, vel hæreticus quisquam, cujus ab ore ea resonarent. Cardo itaque controversiæ tunc in eo vertebatur, an sola verborum divinorum majestas & efficacia sanctificationem baptismi perficere valeret, à quocumque demum ministro illa proferrentur; an ministri perfidia verborum virtutem corrumpere & evacuare posset. Nec ad statum ergo quæstionis animum adjecisse videntur, qui Stephanum maledictis incessunt.

VI. Eadem propemodum argumenta exculpi possunt ex opusculis Cypriani, hac in causa editis. Sic enim ille in epist. ad Pompei: *Utique baptisma, quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia, neque à Spiritu Sancto potest. Aut si effectum baptismi, majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi Jesu ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati, & sanctificati judicentur, &c.* Tribuebat ergo Stephanus effectum baptismi majestati nominum & invocationi nominis Christi. Et in epist. ad Jubajanum: *Non est autem quòd aliquis ad circumveniendam veritatem Christianam, Christi nomen opponat: ut dicat, in nomine Jesu Christi ubicumque & quomodocumque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti. Cum ipse Christus loquatur & dicat, non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.* Quòd autem contra nitatur Cyprianus, urgeatque non solùm Christi nomen, sed totius Trinitatis imprecandum esse ut ratus sit baptismus, nihil id quidem causæ Stephani officit. Nam multorum Patrum, recentiumque scholæ Theologicæ magistrorum sententia est, etiam in solius Christi nominis invocatione perfici baptisma posse, aut saltem aliquando potuisse. Et ut ut id habeat, Christi invocatione Stephanus ut & complurimi veterum Theologorum, totius Trinitatis nomen comprehendebat, idque patet ex verbis Firmiliani suprà relatis.

VII. Etsi autem hæretici Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum aut Christi nomen imprecarentur, non eundem illis Patrem Christumque ac Spiritum Sanctum, atque Catholicis esse interpretabatur Cyprianus, quia non eadem fides est, ideo non eundem esse baptismum. Epist. ad Jubajanum: *Nam si fides una est nobis & hæreticis, esse potest & gratia una. Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum, eandem Ecclesiam confitentur; potest illic & baptisma unum esse, si est & fides una, &c. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Nunquid eundem asserit, quem & nos Deum Patrem creatorem? Nunquid eundem unum Filium Christum de Maria Virgine natum? &c. Longè alia est apud Marcionem, sed & apud cæteros fides; immo nihil est apud illos, nisi perfidia.* Anxius rimatur Cyprianus, non quid invocetur, sed quid credatur à baptizante: cùm Stephanus non fidem baptizantis, sed potestatem verborum scrutaretur. Et infrà: *Quare baptisma nobis & hæreticis non potest esse, cum quibus nec Pater Deus, nec Christus Filius, nec Spiritus Sanctus, nec fides ipsa in Ecclesia communis est.* Quo decreto suo Cyprianus cùm Novatianos quoque complectatur, quos constat Trinitatis & carnis Christi fidem intaminatam custodisse, palam est ab eo non eundem Deum, non eundem Christum nobis & hæreticis communem dici, etsi eadem nominum invocatio sit.

VIII. Ex Concilio item Carthaginensi aperitur, in quo summa hujus disputationis consisteret: *Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, & Spiritum Sanctum dare possunt. Si autem Spiritum Sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum Sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt.* Ibidem & alius Cypriani assecla Episcopus ait: *Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt; quomodo Christianos faciunt?* Solam ergo ministrorum personam Cyprianus, solam Stephanus verborum Christi efficaciam contemplabatur. Nam si & minister hæreticus, & forma fuisset impia, eccur Stephanus hoc vel nomine tenus baptisma dici passus esset? Cur probasset in hæretico, quod vel in Catholico homine abominatus esset. Denique ipsæ voces rem indicant. Quæritur enim de baptismo hæreticorum, id est, de baptismo ab hæreticis da-

to; ubi ea nempè sola ambigendi ratio occurrit, quæ ex hæretici baptizantis persona trahitur. Nam si & hæreticus tingat, & tingendo prophanas invocet Deitatis larvas, quis hæc promiscuè habeat? quis hoc baptisma vel nominet? quis hoc cum Novatianorum baptismo permiscęat, & æquè approbet?

IX. Idem efficitur ex Tertulliano. Nam lib. de pudicitia, ait in hujus ipsius Cypriani sententiæ patrocinium: *Ut Ethnico par, immo & super Ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis admittitur*. Et *l.* de baptismo, *Non idem Deus est nobis & illis; nec unus Christus, id est, idem. Ideoque nec baptismus unus, quia nec idem.* Quæ ne ad solos Marcionistas spectare suspiceris, consule rursus Cyprianum *l.* 1, *Epist.* 6. eadem prolixiùs de Novatianis disputantem.

X. Venio ad Canonem 8. Concilii Arelatensis ann. 314. *De Afris quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum. Et si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus eis tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quare hoc Canone soli vellicantur Afri, non etiam Romani, si etsi dissimili, juxta tamen absurdo, utrique versabantur in errore? aut si Romanis parcere animus erat, quin parcebatur & Afrorum nomini, ac sola baptismi regula præfigebatur? Quin immo configendi potiùs fuissent Romani, ut longè turpiùs errantes, si baptismum aliena, fideique inimica forma collatum pro rato habuissent. Id enim atrocius est, quàm quorumlibet hæreticorum baptisma rescindere. Hìc enim detestabilis semper est baptizatoris impietas, ideo excusatur utrumque zelus detestantis. At illic & baptismi & baptizatoris prophanitas in promptu est, unde inexcusabilis prorsus foret approbantium insciția.

XI. Patrocinatur & Eusebius Stephano, omnemque ab eo amolitur erroris suspicionem, *l.* 7. *c.* 2. *Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum, quæ de baptismo conscriptæ sunt, epistolam exaravit. Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret, quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verùm Stephanus nihil adversùs traditionem quæ jam inde ab antiquis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit.* Innovationis culpam omnem retorquet in Cyprianum, sive in Cypriani prædecessorem Agrippinum; Stephano autem non aliud ait, quàm antiquam consuetudinem retineri placuisse; qua in re errare haud sanè potuit.

XII. Quod idipsum apertissimum fit ex ipsismet Stephani verbis à Cypriano & Firmiliano relatis; nihil innovari: quod traditum est, retineri debere. Quis non intelligit hanc adversùs omnes errores medicinam esse certissimam, nedum ut error aliquis propinari his vocibus queat? Ab initio enim prædicationis Evangelicæ invaluerat ista Romanæ Ecclesiæ disciplina, ut Eusebius innuit. Aut si quid secus quàm Apostoli Apostolicique viri factitassent, à Præsule quopiam Romano novatum postea fuerat, non tam fidenter Stephanus traditioni & antiquitati incumberet. Romanæ traditionis seu corruptelæ initium aliquod, velut cunabula ejus, Cyprianus aut Firmilianus aliquando indigitassent, quorum & eruditio & æstuatio in hoc negotio exploratissima est. Eusebius Africanæ disciplinæ exordia nupera notat, haudquaquam Romanæ. Denique Cyprianus ipse authorem se sequi Agrippinum profitetur, quem verò ducem primùm sequatur Stephanus, non usquam declarat, sed consuetudini & traditioni, cui derogare non poterat, veritatem identidem clamitat anteponendam. Itaque *epist.* 71. ita habet: *Quod quidem & Agrippinus cum cæteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in Provincia Africa & Numidia, Ecclesiam Domini gubernabant, statuit & librato Concilii communis examine firmavit. Quorum sententiam nos etiam secuti sumus.* Et in Epist. ad Jubajanum: *Apud nos non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam perveniunt: cum multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, salutaris baptismi gratiam consecuti sint.* Suæ consuetudinis novitatem prodit, dum venditat vetustatem. At Romanæ disciplinæ antiquitatem detrectare non valens, uni veritati serviendum clamitat paulò pòst; *Proinde frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate; aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit à Sancto Spiritu revelatum.* Qui ergo Stephano error, idem traditioni Ecclesiarum antiquissimæ, idem Apostolis ipsis ejus magistris impingitur.

XIII. Et Stephanum quidem ab exemplo hæreticorum argumentantem sannis & dicteriis insectatus est Cyprianus. At pace sanctissimi Martyris dixerim, hac Stephani argumentatione nihil opportunius, nihil hac suggillatione inconsideratius fieri potuit. Nam exploratissimum hinc fiebat hæreticos in solemni baptismi forma nihil novasse, nec propriarum hallucinationum ullam ei permiscuisse labem, quandoquidem alii aliorum non respuebant baptisma. Errorem enim alii aliorum detestabantur, & detestati proinde fuissent baptisma, si peculiaribus singulorum deliriis illud fuisset vitiatum. Quæ ergo hæreticis, eadem Stephano aderat ratio, ne baptisma extra Ecclesiam tributum iteraret.

XIV. Porro Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos ea scribit, quæ nec frontis perfrictissimæ homines negare ausint in Stephani patrocinium scripta esse: *Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimus-sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum: Quid facimus? ita & nobis majores nostri & illis sui tradidere majores.* Vides ut novitatem Cypriano, vetustatem traditionis Stephano adsigner, Cypriani denique collegas aliquando tandem sui pœnituisse conatus, & ad antiquam Stephani, majorumque ipsorum suorum consuetudinem revoluros fuisse dicat. Et idem mox Stephani sententiam & traditionem verò Apostolicam, verè ab Apostolis adhuc superstitibus propagatam, exemplisque confirmatam fuisse adstruit, pernumeratis apostatarum & hæreticorum catervis, quæ ipsa Ecclesiæ cunabula infestarunt, quorum tamen nullius iteratum legitur baptisma. *Sed quid de posterioribus loquar? Apostolis adhuc in sæculo superstitibus, adhuc apud Judæam Christi Sanguine recenti, phantasma Domini Corpus asserebatur: Galatas ad observationem legis traductos Apostolus iterum parturit: Corinthios resurrectionem corporis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus & Menander discipulus ejus, Dei se adseruere virtutes. Tunc Basilides, &c. Nicolaus quoque, &c. Saturninum, &c. Carpocratem & Cherintum, & hujus successorem Hebionem, & cæteras pestes, quorum plurimi vivente adhuc Joanne Apostolo eruperunt. Et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.* Vides nulla partitione uti Hieronymum, ut alios hæreticorum tingendos in Ecclesia, alios non tingendos doceat. Sed universim inficiari tingendos iterum ullos esse, ullos ab Apostolis vel eorum successoribus tinctos

ctos iterum fuiſſe; etſi eorum jam tum plerique portentoſa quædam figmenta de Deo eructaſſent. Nec fallebat Hieronymum in tanta ejus ævi luce, maximè tandiù poſt Arelatenſem Synodum, ratum non eſſe, niſi quod in Trinitatis nomine ſanctificaretur baptiſma. Ergo ſi Simon, Menander, Baſilides, Carpocras, Cherintus, Ebion baptiſmi Eccleſiaſtici formam non adulteraverant, ut nec eorum baptiſmus in irritum mittendus eſſet: idem æquiſſimum eſt de cæteris uſque ad Stephani tempora augurati.

XV. Idem ex Apocalypſi argumentari pergit Hieronymus ibidem, ubi complures memorantur hæretica imbuti inſania; nec ipſis tamen vel eorum diſcipulis baptiſmus, ſed pœnitentia ad abluendas ſordes indicitur. *De Apocalypſi quoque approbemus hæreticis ſine baptiſmate debere pœnitentiam concedi. In angelo Pergamena Eccleſiæ idolothytorum eſus & Nicolaitarum doctrina reprehenditur. Item apud angelum Thyatirorum Hieſabel prophetiſſa, & ſimulacrorum eſcæ & fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur, &c. Nunquid dixit, Rebaptizentur qui in Nicolaitarum fide baptizati ſunt? Quin potius, Age, inquit, pœnitentiam*, &c. Sic ille inveteratam quam Stephanus mordicus defenſabat, conſuetudinem ab ipſis uſque Apoſtolis derivatam, & ipſis Scripturæ divinæ paginis conſignatam fuiſſe demonſtrat. Portò ut Stephanus, ita Hieronymus nullo diſcrimine hæreticos diſpeſcit, omnes una in navi locat, omnes pœnitentia non baptiſmo jubet abluì.

XVI. Verùm luculenta præ cæteris ſunt, quæ infrà diſputat idem Hieronymus, adversùs Hilarium Diaconum, Luciferiani ſchiſmatis præconem, inde *novum orbis Deucalionem* factum, quòd venientes ab Arianis denuo tingendos inſaniret. *Si hæretici baptiſma non habent, & ideò rebaptizandi ab Eccleſia ſunt, quia in Eccleſia non fuerunt: ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus. In ea quippe Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab hæreticis baptiſmum recepit. Antequam Ariminenſis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus ab hæreticis venientes, in eo quod prius acceperant, baptiſmate recipiebat. Niſi fortè tantùm Ariani hæretici ſunt, & ab ipſis ſolis baptizatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, ò Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas, Diaconus eras, & Hebionis baptiſma comprobabas. Repente poſtquam exortus eſt Arius, totus tibi diſplicere cæpiſti.* Et paulò pòſt Eccleſiam Romanam inducit, ad Hilarium verba facientem: *Si in ſinu meo natus, ſi uberum meorum lacte nutritus, adversùs me gladium levas, redde quod dedi, & eſto ſi potes, aliter Chriſtianus. Meretrix ſum, ſed tamen mater tua ſum. Non ſervo unius thori caſtitatem? Talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo? Feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, cum Novato.* Vides ut & hìc omnes prorſus hæreticos ſine novo baptiſmo per ſolam pœnitentiam ab Eccleſia Romana receptos defendat, idque jure & Apoſtolico inſtituto, atque inconcuſſo Scripturarum divinarum præcepto factum tueatur. Adeòque & Arianos ſine baptiſmate admittendos concludat. Porrò hæc Hieronymus poſt Arelatenſem Synodum, poſt Nicænum de baptiſmo decretum ſcribebat.

XVII. Denique idem conſequenter validiùs id quoque munit: *Quod ſi negandum quiſpiam putaverit, hæreticos à majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat B. Cypriani Epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis laterat errorem. Legat & ipſius Hilarii libellos, quos adversùm nos de rebaptizandis hæreticis edidit, & ibi reperiet ipſum Hilarium confiteri à Julio, Marco, Sylveſtro & cæteris veteribus Epiſcopis ſimiliter in pœnitentiam omnes hæreticos ſuſceptos, nec tamen ſibimet veritatis conſuetudinem præjudicare debere. Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis.* Vides & hic *hæreticos, omnes hæreticos* ſine baptiſmi iteratione ſuſceptos ab Eccleſia Romana, peræquè poſt Arelatenſem Nicænamque Synodum atque priùs. Ergo ſi qua culpa affingatur Stephano, eadem poſt Arelatenſem Synodum & Nicænam, quibus affuerat per legatos Romana ſedes, quarumque vindex primaria ſemper ipſa extitit, Romanis omnibus Epiſcopis & ipſi Hieronymo horum præconi illinenda eſt. Vides rurſum quàm Stephano propitia & conſentanea fuerit Nicæna Synodus, quæ *omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*: qui Stephani ævo necdum infauſtum caput orco extuleranr. Ut nihil poſſit vel petulantius vel imperitius fingi Novatoribus hujus ævi, qui Nicænam Synodum garriunt, nec Stephano omnes, nec Cypriano nullos ſine baptiſmo recipienti ſuffragatam: ſed diſtinctione ea uſam, qua uterque error caſtigaretur. Stephano enim prorſus aſtipulati ſunt Patres Nicæni, qui omnes quos ille, ſine baptiſmo hæreticos ſuſcipi juſſere: eos tingi ſanxere, quos ille erupturos reſcire non potuit. Denique nuſquam Hieronymus vel leviſſimè conqueſtus eſt de errore vel Stephani, vel eorum qui baptiſma heterodoxis verbis collatum non iterarent.

XVIII. Accedat Baſilius *Epiſt. ad Amphil. c.* 1. Ille enim etſi conſuetudinem Romanorum Antiſtitum in baptiſmo minùs probet, non errori tamen, ſed œconomiæ eam adſignat. Eique quamquam minùs ipſe ſubſcribat, œconomiæ tamen ergo aſſentitur, ut qui volent, adhæreſcant. Et Dionyſio quidem Alexandrino, quòd Pepuzenorum baptiſmum approbarit à fide immaniter abhorrentem, nonnihil ſuccenſet, Cypriani & Firmiliani non ſine elogio meminit, à Stephano perſtringendo prorſus abſtinet, qui tamen ſi qua fides eſſet ſycophantis nuperis, longè fœdiùs Dionyſio ceſpitaſſet. *Pepuzenorum baptiſmus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus ſum, quomodo hoc magnum Dionyſium qui fuit canonicus, præteriit.* Et infrà: *Pepuzeni in Sanctum Spiritum blaſphemarunt, Montano & Priſcillæ Paracleti appellationem nefariè tribuentes. Quam ergo rationem habet, verum eorum baptiſma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priſcillamque baptizant? Non enim baptizati ſunt, qui non in forma nobis tradita baptizati ſunt. Quarè etſi hoc magnum Dionyſium latuit, nobis tamen non eſt ſervanda erroris imitatio.* Ubi facilè ſubolet, quo non tam Dionyſius, quàm Baſilius laboret errore. Nam fidem, non verba baptiſmi interpolaverant Pepuzeni; nec in Montani & Priſcillæ nomina, ſed in nomen Spiritus Sancti baptizabant, quo cùm Montanum & Priſcillam intelligerent, in Montani & Priſcillæ nomen eos tinxiſſe parum commodus interpres Baſilius commentatur, mentem eorum potiùs quàm verba penſitans. Ideo ergo nec à Romanis Montaniſtæ rebaptizabantur.

XIX. Innocentius autem primus *Epiſt. 22. cap. 4.* diſtinctionum ſimiliter incurioſus, ait: *Noſtra verò lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſint, per manus impoſitionem, laicam tantùm tribuere communionem*, &c. Dum ait, *qui tamen illic baptizati ſunt*, verum baptiſmum & à ſe & à majoribus ſuis deſideratum ſignificat, Evangelicis verbis dedicatum: alioqui nec baptiſmum dicendum. Unde *cap. 5.* ibidem, rationem indagans cur Nicæna Synodus Novatianis tam ſecunda, tam adverſa autem Paulianiſtis fuerit, ut illos nec à Clero dimoverit, horum vel baptiſma irritarit; *Quod idcircò diſtinctum eſſe iſtis duabus hæreſibus ratio manifeſta declarat, quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizabant, & Novatiani iiſdem tremendis verendiſque nominibus baptizant.* Igitur etſi Sancti Patres indiſcretè pronuncient omnes ab hæreticis tinctos, ſola pœnitentia expiandos eſſe; conſcii tamen

tamen iidem sunt, nec baptismum dici, nisi nomine Trinitatis consignatum. Et rursum cùm Paulianistæ quòd in nomine Trinitatis non tingerent, ad Ecclesiam venientes rursus ablui jubeantur; nulli ergo alii hæretici tempore Nicænæ Synodi hæretica forma verborum contaminaverant baptismi mysterium. Cui argumento robur accedet à Siricii *Epist.* 1. *cap.* 1. qui prætetito etiam prædecessoris sui Liberii decreto pugnat: *Nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus Arianos. Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.* Vides quàm non satagat de discrimine significando. Item Leo I. *Epist.* 37. *cap.* 2. *Quòd si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur.* Nempè baptismum non finit vocari, nisi debita observatione tributum. Et *epist.* 79. *cap.* 7. *Nam hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt: quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpsere.* Et *epist.* 92. *c.* 16. *Hi autem qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizavere, nescire se profitentur: quolibet modo formam baptismatis acceperint, rebaptizandi non sunt.* Vides quàm non in sententiam, sed in verba ipsa Stephani conspirent, & omnes quidem hæreticos promiscuè habeant, & ab ipsis baptizatos non rebaptizent; sed id nimirum innuant, baptizatos non dici, nisi qui formam baptismatis, hoc est, invocationem Trinitatis suscepere.

XX. His succedat, qui præcedere, & unus instar omnium esse potuerat Augustinus. Ex eo autem quid primùm, quid deinde carpemus ad Stephani patrocinium? Omnia enim ejus de baptismo contra Donatistas scripta, omnia capita, omnes propè versus, hanc Stephani cum Cypriano concertationem ita exequuntur, ut disciplinæ sanioris & veritatis majestas tota penes Stephanum resideat. Pauciissima decerpam ex immenso penè cumulo innumerabilium testimoniorum. Igitur *l.* 1. *de bapt. con. Donat. cap.* 18. *Cum enim tanti meriti Episcopus Cyprianus aliud de baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentiùs veritas firmatura: multique ejus collegæ, quamvis liquidò nondum manifestatum, id tamen tenerent quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis amplexus est, non se ille tamen à cæteris diversa sentientibus separata communione disjunxit.* Audin Stephanum & cæteros ejus collegas, à quibus dissentiebat Cyprianus, id tenuisse, *quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis amplexus est?* Et *l.* 2. *cap.* 7. *Nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata. Sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, quam credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Ergo Stephanus, & universa cum eo Ecclesia, si Cyprianum cum fautoribus demas, non errabundam & postea emendandam, sed Apostolicam, & plenario pòst Arelatensi Nicænoque Concilio corroborandam retinebat consuetudinem. Et *ibidem c.* 9. *Concilium universale nondum factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Et *l.* 4. *cap.* 6. *Ne invenio, cur istam consuetudinem improbent, quæ post Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata est, &c. cum ejus consuetudinis mutandæ causa authoritatem Cyprianus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret. Quod cum sibi adversum totius orbis morem non sufficere cerneret, &c.* Et *l.* 5. *cap.* 23. *Donec per plenarium Concilium quid esset rectius eluceret, non aliqua novitate instituta, sed vetustate roborata.* Vides quò pertinuerit quid perfecerit plenarium Concilium, seu Arelate, seu Nicææ collectum? non ut novam hæreticorum faceret distributionem, sed ut vetustam consuetudinem à Stephano propugnatam accensa veritatis face illustratam confirmaret. Et *l.* 7. *cap.* 20. *Nam veritate postea liquidiùs revelata cessit error veritati, cum illa saluberrima consuetudo etiam plenarii Concilii authoritate firmata est.* Et *l. de unico baptismo con.* Petil. *cap.* 14. *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti. Multi cum illo, quidam etiam cum isto sentiebant, &c.* Quis porrò Augustino exercitatior in hac disceptatione? Quis altiùs ingressus in hujus quæstionis, quæ adhuc cum Donatistis fervebat, indagationem? Cui exploratiora & Stephani & Cypriani verba atque sensa? Non illum præterierant illa Stephani verba, *De quacumque hæresi.* Nec tamen ille erasse Stephanum inde elicuit, sed ex adverso, Apostolicæ traditioni inexpugnabiliter adhæsisse. Canonis autem Arelatensis ac Concilii plenarii sensum, fructumque, non in emendanda, sed in confirmanda priore consuetudine, quis ipso dilucidiùs potuit pervidere?

XXI. In hac enim parte universam aliquando caligasse Ecclesiam, & mendacii retibus implicatam fuisse, cupidè quidem amplectuntur hæretici, quibus Sponsa Christi prostibulum est. Apage autem ut assentiantur unquam viri Catholici. Subscribant potiùs Augustino, ut cætera taceam, rei recentissimæ testi, quàm novellis hæreticis, post mille quadringentos penè annos nova subinde mendaciorum & calumniarum monstra parturientibus. Tam malè de Ecclesia Christi suspicari dedoceat illos Augustinus *l.* 2. contra Cresconium Grammat. *c.* 33. *Proinde quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universe placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas. Ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.* Non fidei igitur tantùm, sed & disciplinæ castigatioris regula, sicubi sileat Scriptura, ipsa tamen est Ecclesia, de qua non silet Scriptura. Si universa autem aliquando Ecclesia, etsi dissimili, in errore tamen jacuisset, ecquid illam consuli attineret? Si erasset extra Synodum universa, quin erasset & in Synodo plenaria? Num tutior ab errore est, repræsentatio Ecclesiæ, quàm Ecclesia? Num collecta in unum locum, quàm effusa in omnem? An ubi ipsa effunditur ubique terrarum, effunditur & evanescit Spiritus Sanctus, pectoris hospes intimus? Cui Catholico hæc talem non moveant?

XXII. Vincentius quoque Lirinensis omnem cavillandi facultatem resecat *Common.* 1. *cap.* 9. *Quondam igitur ven. mem. Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium, contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præberet erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio resisterentur: tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate superabat. Denique in Epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit, nihil*

novan-

novandum, niſi quod traditum eſt. Ubi perſpicis quàm omnia ad Stephani defenſionem ſint inſtructa. Et hæc quidem ſcribebat Vincentius poſt Arelatenſe, poſt Nicænum, poſt Conſtantinopolitanum generale Concilium. Non his ergo Conciliis æquè repudiatam Stephani ac Cypriani ſententiam ſuſpicabatur.

His adde Facundum Hermianenſem Epiſcopum *l.10. Cum Cyprianus non ſolùm privatim ut ei viſum eſt, verùm etiam congregato Concilio definierit, ut omnis hæreticus ab Eccleſia rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antiſtite Romano reſtiterit, injuriosè tractans eundem B. Stephanum, à quo fuerat jure culpatus, &c.* Et *l.* con. *Mocianum: Idcirco B. quoque Stephanus Præſul Apoſtolicæ Sedis eum Sanctum Cyprianum atque alios Afros Epiſcopos de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret, continuò ei denunciavit, quòd ſi qui hæc auderent, ab Eccleſia pellerentur. Et Stephani potiùs quàm Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolùm de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis.* Quid his apertius optari poteſt?

XXIII. Hincmarus denique, ne longiùs progrediar, in opuſculo 55. capp. *c.19. Et quia Concilium Nicænum Paulianiſtas hæreticos ad Eccleſiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos eſſe dixerunt, quod Apoſtolica Sedes & plenaria Concilia, ſicut decreta Romanorum Pontificum, & Sanctus Auguſtinus verbis & ſenſibus copiosè oſtendit, penitus abdicarunt.* Pauliani enim, ut ſuprà tradidit Innocentius, in nomine Trinitatis non tingebant, tingebant alii ferè hæretici, etſi iis nominibus non eam, quam Eccleſia Catholica, fidem complecterentur. Unde Auguſtinus *l.3. de Bapt. con. Donat. cap.15. Quamobrem ſi Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub eiſdem verbis, id eſt, in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales parvuli Eccleſiæ, de quibus dicebat Apoſtolus, Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diverſitates opinionum fortaſſis, quot homines, numerarentur.* Conſule Epiphanium, & alios, qui de hæreſibus ſcripſere, etſi minutias ferè conſectati ſint omnes, everſam tamen ab ullis formam baptiſmi vix reperies, niſi ab uno & altero. Unde ſcitè Auguſtinus *l.6. de Bapt. con. Donat. Cæterùm quis neſciat non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica quibus Symbolum conſtat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.*

XXIV. Jam ſatis, ut opinor, ſuperque diluxit, quantilla fides habenda ſit Novatoribus, quando in re tam aperta fucum facere, & omnium Patrum conſpiratiſſimæ ſententiæ obluctari conati ſunt. Ad alteram jam accingamur hujus controverſiæ partem expediendam. Et ex ſuprapoſitis Auguſtini teſtimoniis illud quidem emicabat, excuſatos illum utcumque habuiſſe Stephani adverſarios, quòd necdum res plenario Eccleſiæ Concilio diffinita atque elucidata fuiſſet. An ergo ante Concilii plenarii definitionem, nullius culpæ affines ſunt, qui Sedis Apoſtolicæ conſtituta deſpicantur? An ea erat inter Cyprianum & Stephanum æqualitas, ut pari jure, in tantæ rei diſſonantia, ſuo uterque judicio frueretur?

XXV. Nequaquam ita habere, vel Auguſtinus ipſe fidejuſſor eſt. Nam *l.5. cap. 23. contra Donat. de Bapt. Scribit Cyprianus Stephanum, quem Romana Eccleſia Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verùm etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe.* Sic ergo alibi ſuprà dixit duos fuiſſe eminentiſſimarum Eccleſiarum Præſules diverſa ſentientes, ut hic agnoſcat alterum alteri *præcepiſſe*. Et *l.1. de Bapt. con. Donat. c.18. In qua Eccleſia, ſi aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis: ſicut ſcriptum eſt, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Qua enim abſente cætera inaniter habentur, eadem præſente quædam venialiter non habentur.* Peccaſſe Cyprianum non diſſimulat: quem mox ait *ad palmam martyrii pervenisse, ut ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur.* Et mox addit, quod de baptiſmo aliter ſenſerat, quàm ſe res habebat, *id charitatis ubertate penſatum, & Paſſionis falce purgatum eſſe.* Et *l.5. cap.25. Jam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit Cyprianus, retractare nolo, quia & non opus eſt. Ea præterire melius eſt, quæ periculum perniciosæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem & abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur. Iſte autem quæſtionis iſtius difficultate permotus, & ſanctæ charitatis viſceribus largiſſimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotiùs, ſed tamen fraternè indignetur: vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchismatis oriretur.* Vides ut Cypriani effervescentiam perſtringat, Stephano eadem placuiſſe aſtruat, quæ univerſali pòſt Eccleſiæ, ut ne baptiſma hæreticorum iteraretur, & iterantes abſtinerentur: denique diſpenſationi, qua errori ſuo blandiebatur Cyprianus, ad avertendum ſchiſma acquieviſſe tandem Stephanum. Etſi enim nullo decreto, ipſa tamen patientia ſua, qua intentatum fulmen inhibuit, conſenſit Stephanus in hanc œconomiam. Itaque Stephano in illam œconomiam conſentiente, ejus authoritatem jam non ſpernebant, qui Concilium plenarium opperiebantur.

XXVI. Quid quòd ſexcenties idem Cyprianum Petro comparat, Epiſcopum Apoſtolo, errantem erranti, martyrem martyri? Cum tamen Petrus Paulo corripienti acquieverit, ejus erroris ſectatores ab Eccleſia præciſi ſunt. Ita & Cypriani martyris imitatores ab unitate ſe abrupere. *Lib.7. cap.1. Hæretici nati ex illo errore, in quem Petrus devians à Paulo revocatus eſt, in hoc uſque perſiſtunt. Sicut ergo illi, Petro in primatu Apoſtolorum martyrii gloria coronato, in ſua perverſitate præciſi ab Eccleſia remanſerunt; ſic iſti, Cypriano per abundantiam charitatis in ſortem ſanctorum paſſionis claritate ſuſcepto, ſeipſos exules unitatis agnoſcunt.* Ita Cyprianus Stephano, ut Petrus Paulo ſaltem obtemperaret. Id ergo præterea ſanguine eluit. Et *l.3. c.8. Monet nos non fuiſſe impoſſibile, ut de baptiſmo Cyprianus aliquid aliter ſaperet, quàm veritas poſtulabat, qua ab Eccleſia & ante illum & poſt illum retenta eſt, ſicut potuit aliquid etiam Petrus aliter ſapere, quod veritas non habebat, quam Paulo Apoſtolo doctore didicimus.*

XXVII. Quàm non poſſet etiam Auguſtinus Cyprianum abſolvere, apertum eſt præterea ex *l.2. con. Donat. de bapt. cap.7.* ubi ait, etſi res nondum diligentiùs pertractata fuiſſet, *ſalubberrimam tamen conſuetudinem tenebat Eccleſia, &c. quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Hanc ergo ſalubberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit Sanctus Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentiùs inquiſita veritas docuit, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi.* Idem alibi pluries inculcat, eam non iterandi

baptiſ-

baptismi consuetudinem *ab universali Ecclesia* hactenus observatam fuisse. Culpa liberari ergo non poterat Cyprianus, qui consuetudinem universalis Ecclesiæ, & traditionem ab Apostolis usque ipsis derivatam contemnebat, posthabebatque nuperæ per Agrippinum invectæ corruptelæ. Minùs adeò est mirum, si Apostolicæ Sedis statuta minoris faceret, qui Apostolicas traditiones & universalis Ecclesiæ leges flocci faciebat. Ab hoc Cypriani contemptu, quem martyrio expiavit, nihil adversùs vel primæ sedis, vel Ecclesiæ universalis, vel Apostolicarum traditionum authoritatem ritè excipi potest.

XXVIII. Ita Hieronymus *Dial. adv. Lucifer.* frustra à Cypriano impetitam utramque copulat authoritatem & Sedis Apostolicæ & universalis Ecclesiæ: *Legat B. Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romana urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem.* Ita & Vincentius Lirinensis loco suprà laudato: Cypriano *Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit: dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci dignitate superabat.* Æquum erat utique morem ut ei gereret Cyprianus, qui cæteros collegas & fidei devotione, & *loci dignitate superabat.* Quid mirum autem si ei non cessit, qui Agrippino potiùs se addixit, *primo omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censenti?* Ita & Facundus suprà ajebat *jure culpatum* à Srephano Cyprianum, & Stephani sententiæ, non tum quidem Cyprianum, sed Ecclesiam, & tum & postea accessisse.

XXIX. Et rursum Augustinus octoginta Episcopos cum Cypriano, quinquaginta cum Firmiliano consensisse non nescius, nihilo tamen seciùs orbem Christianum universum à Stephani partibus stetisse fidenter affirmat. Ut hinc rursus pateat, tam non posse adversùs Stephani, quàm nec adversùs Ecclesiæ universalis authoritatem vel decreta quidquam hinc objectari. Sed & Stephani & Ecclesiæ potestas quidem invicta, sed permodesta, & multis œconomiæ & veniæ blandimentis temperata intelligatur. *Lib. 3. con. Cresconium cap. 3. Proindè si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus?* Et *l. 2. c. 9. de Bapt. con. Donat. Nondum factum erat universale Concilium, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum.* Vide & *l. 4. cap. 6.* ut suprà retulimus. Eusebius quoque suprà relatus *l. 7. cap. 2. & 3.* antiquam consuetudinem, cui Stephanus tuendæ incumbebat, in omni Ecclesia invaluisse insinuat ab initio. Ut necesse sit Firmilianum partium suarum studio raptum extra veri semitam fuisse, cùm de copia suorum assectatorum licentiùs gloriatur.

XXX. Quòd autem Stephanus ultra minas & terrorem non eruperit, cohibitoque mucrone sacro, indulgentiæ tacitus saltem acquieverit, ut ne ea de causa unitas Ecclesiæ scinderetur, multis assequimur conjecturis. Eusebius novum & insolens Cypriani decretum & Synodi Carthaginensis, *gravissimè tulisse* ait Stephanum, nec ultra indignationem æstuasse, aut tentasse quid narrat. Hieronymus suprà laudatus, ajebat Cyprianum Concilii sui decretum ad Stephanum misisse, sed *conatum ejus frustra fuisse*: denique illos ipsos Episcopos ad vetustiorem consuetudinem sese recollegisse. Vincentius Lirinensis fervorem Stephani magnificentissimis verbis prosecutus est, de anathemate prorsus silet. Augustinus *l. 5. cap. 23. Cyprianus ad Pompejum scribens, indicat Stephanum non solùm sibi ad ista non consensisse, verùm etiam contrà scripsisse atque præcepisse.* Huc usque sævitum est. Et *l. de unico bapt. con.* Petil. *cap. 14. Cum Stephanus non solùm non rebaptizaret Hæreticos, verùm etiam facientes, vel ut fieret, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani litera ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Excommunicandos censebat, non excommunicabat: minitabatur Stephanus, non jaculabatur. Ideò Cyprianus permansit in pace unitatis, etiam cum Stephano; unde ibidem mox: *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant. Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes.* Nihil his apertius fieri potest. Atque adeò mitiganda sunt nonnihil Firmiliani ad Cyprianum verba, adversùs Stephanum stridentia in hunc modum: *Pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem; modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modò vobiscum, qui in meridie estis: à quibus legatos Episcopus patienter satis & leniter susceptit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret; adhuc insuper præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet: ut venientibus non solùm pax & communio, sed tectum & hospitium negaretur.* Rhetoricabatur Firmilianus, & caulæ suæ æstu effusiùs incandescebat. Ut asperiùs primò acceperit legatos Cypriani Stephanus, quò ad officium illum revocaret, nihil moror: at pacem ab eo non esse ruptam, id superiora argumenta pervincunt. Et ipse denique Cyprianus in Epist. ad Pompejum, qua asperiores ad se Stephani literas asperrimè exagitat, fratrem tamen ipsum appellat, ruptæ communionis nusquam meminit. Et ad cumulum Augustinus *l. 5. con. Donat. cap. 25. Stephanus abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Cyprianus in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotiùs, sed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* Utcumque igitur consensit Stephanus, qui diversa sentirent, ab unitate non præcidi, & universale Concilium expectari.

XXXI. Quocirca ut ejus authoritati à multis resisteretur, charitas ejus in causa fuit, quæ ad veniam tandem ipsum & œconomiam inclinavit. Alioqui quantalibet potestate & scientiæ ubertate afflueret Cyprianus, inflecti tamen ipsum debuisse *graviori authoritate*, author est ipse Augustinus *l. 2. de Bapt. con. Donat. cap. 3. Certè nobis objicere solebatis Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium, &c. Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrùm verum, vel utrùm rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, & per doctiorem prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est.* Quorumlibet, ut vides, Episcoporum, atque adeò Cypriani literæ, reprehendi poterant, non sapientiore tantùm cujuslibet privati sermone, non Concilii tantùm congregatione, sed aliorum etiam Episcoporum, atque adeo præ cæteris Romani Præsulis *graviore authoritate* doctioreque prudentia. Hæc enim tria perspicuè discriminat Augustinus.

XXXII. Quid si & ipse Cyprianus ante obitum resipuit? Nolim equidem vel illius, vel Firmiliani sanctitatis famam ab hoc religare ambiguo. Sed & rem dubiam nolim indubiè explodi. Sobriè & sapien-

ſapienter ſuo more Auguſtinus *l. 2. de Bapt. contr. Don. Si Petrum laudat & predicat Cyprianus, ab uno poſteriore collega patienter concorditerque correctum; quantò citiùs ipſe cum Concilio provincie ſue, univerſi orbis authoritate, veritate patefacta, ceſſiſſet? Quia profectò & uni verum dicenti, & demonſtranti poſſet facillimè conſentire tam ſancta anima, tam pacata. Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, que in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memorie literiſque mandari potuerunt: aut omnia que mandata ſunt, novimus.* Vides ut has conjecturas nec leviter aſtruat, nec fidenter aſpernetur Sanctus Pater. Et *epiſt. 48. Cyprianus aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis, aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi navum cooperuit ubere charitatis.*

Dionyſium Alexandrinum docet Hieronymus *lib. de Script. Eccl. in Cypriani & Africane Synodi dogma conſenſiſſe.* Et tamen ut ejus Epiſtolas ad Romanos Pontifices ex Euſebio datas fileam: Baſilius in epiſt. ad Amph. ſemel iterumque conqueritur de Dionyſio, quòd Pepuzenorum baptiſma approbaret. Hinc conjectura eſt, ad Romanorum ſententiam tandem acceſſiſſe. Hieronymus autem adv. Lucif. *ſibi ipſi Epiſcopi qui rebaptizandos hereticos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti, navum emiſere decretum, &c.* Auguſtinus *l. 3. contra Creſcon. cap. 2.* innuit, *Orientales ſuum judicium correxiſſe.* Incaſſum ergo Baronio indignantur, ejuſmodi quid ominanti de Firmiliano. Si tamen fides ejus rei adhuc nutat, nec plus æquo indulgendum eſt ſuſpicionibus animi noſtri, conſultius erit Auguſtinum rurſum audire, *l. de unico bapt. con.* Petil. *cap. 13. Nec nos qui baptiſmi veritatem etiam in hereticorum iniquitate agnoſcimus potiùs, quàm negamus; ideò meliores Cypriano ſumus, ſicut nec Petro, quia gentes judaizare non cogimus. Hoc de Agrippina aliiſque Epiſcopis qui illa Concilia feciſſe perhibentur, reſponderim, qui ſic diverſa ſenſerunt, ut cum eis contra quos de hac quæſtione ſentiebant, in unitate perſiſterent, ubi charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Et Bedam rurſum audire ſuperiùs relatum: qui Aidani vitam Evangelicæ amuſſi coaptatam laudabat, non laudabat autem quòd canonicum Paſchæ tempus, *vel ignorans, vel ſuæ gentis authoritate, ne agnitum ſequeretur, devictus, non obſervaret.*

XXXIII. Et hinc rurſus alia ſe pandit ratio ſedandæ inter varia Auguſtinianæ doctrinæ capita conflictationis: cùm idem ipſe & Concilii plenarii ſpem amputarit Pelagianis, inexorabilem indicens neceſſitatem Africanis Conciliis & Apoſtolicæ maximè Sedis definitionibus ſubſcribendi: & Cypriano ejuſque collegis copiam fecerit, aut patrocinium adornaverit, ut ante Concilium plenarium non acquieſcerent. Ingenti enim prorſus hæ quæſtiones diſtant intervallo. Illa ad fidem, hæc ad conſuetudines magis Eccleſiæ pertinet. In unitatem fidei concinere neceſſum eſt fideles omnes, in unitatem conſuetudinum non eſt ſemper neceſſe. A fide deviantibus nil veniæ ſupereſt, niſi rectæ orbitæ ſe reddant: à conſuetudinum recto tramite declinantes ex venia perſæpè tolerantur. Hic habet, illic non habet locum diſpenſatio. Definitæ ſemel fidei derogari deinceps nunquam & nuſquam poteſt: conſtitutæ quomodolibet conſuetudinum diſciplinæ non ratò poſterior ætas derogat, ipſa ſaltem deſuetudine. Conciliis etiam Oecumenicis conſuetudines aliquas ſancientibus, aut non ſtatim obtemperatur, aut obtemperari definitur poſtea, ut non citra culpam, at citra unitatis Eccleſiaſticæ labem: at fidei ſemel conſtitutæ irrevocabiliter obaudiendum eſt. Tertullianus *l. de Virgin. veland. Regula*, inquit, *fidei omninò una eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis.*

XXXIV. Ideò forſitan in unitatis & pacis gremio retenti ſunt ad Concilium uſque Nicænum, qui de Paſchæ die à Catholica Eccleſia diſſonabant: cùm cæteræ hæreſes etiam ante Nicænam Synodum à corpore Eccleſiæ detruncatæ fuerint. Ideo de quæſtione Paſchatis dirimenda laborarunt vehementer Nicæni Patres; de priſcis hæreſibus innumeris per provincialia tantùm Concilia antehac proſcriptis, rurſus proſcribendis, & ex Oecumenicæ authoritate Synodi fulminandis nihil fuere ſolliciti. Ideo & concertationem de baptiſmo iidem ſopire ſtuduerunt, unos rebaptizari jubendo Paulianiſtas. Quia ut liberior & verſatilior ſua ſponte diſciplina; ita univerſali magis conſenſu opus eſt, ſicubi reſtringatur. Ideò & Cyprianus vehementer contendebat, & Stephanus tandem condonavit, ut diverſa quamlibet ſentientes, ab unitatis tamen individuo nexu ne diſcederent; ſicut & in negotio Paſchatis Irenæus aliique ſentiebant, ſequioris obſervantiæ tenaciores quoſque à compage Eccleſiæ non ſcindendos. Denique diſciplinæ varietatem alicubi etiam ornamento eſſe & Auguſtinus & Gregorius infrà ſuo loco nos docebunt. Gregorius autem non aſſenſus modò, ſed hortatus etiam eſt, diverſos ab Eccleſia Romana ritus, ſicubi tempeſtiviores occurrerent, in Eccleſiam Anglicanam tranſplantari. In fide autem nemo hanc licentiam conceſſerit.

XXXV. Nec me fallit quodam poſſe modo ad fidei negotium revocari iſtas de baptiſmo hæreticorum quæſtiones; multò etiam magis, quàm de Paſchatis die, in quo aberrantes Eccleſias, Victor heterodoxas appellabat. Sed unum id exiſtimo ex priſcorum Patrum ſcriptis ſcintillare, hanc rem illos non aliter, quàm ut conſuetudinis Eccleſiaſticæ & diſciplinæ partem ſpectaſſe, nec ad fidei ſubſtantiam & neceſſitatem revocaſſe. Ita ſentiebat Firmilianus in Epiſt. ad Cypr. ſalvo unitatis vinculo in his diſſentiri poſſe: *Circa celebrandos dies Paſche, & circa multa alia divine rei ſacramenta, videat quis eſſe apud Romanos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia equaliter, qua Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſia Catholica pace atque unitate aliquanda diſceſſum eſt. Quod nunc facere Stephanus auſus eſt, rumpens adversùm vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt.* Et toto paſſim epiſtolæ contextu bacchatur eo ferè nomine in Stephanum, quòd non potiùs ſuis quemque moribus frui ſineret, quàm fœdus pacis diſſolveret.

XXXVI. Ita ſentiebat & Cyprianus epiſt. ad Jubajanum. Cùm enim ſententiam ſuam multis ſepiſſet argumentis, ait tandem: *Hæc tibi breviter pro noſtra mediocritate reſcripſimus, nemini præſcribentes aut præjudicantes, quominus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii ſui liberam facultatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam & dominicam pacem tenemus. Servatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia Sacerdotii.* Et in exordio Conc. Carthag. *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut è jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit. Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſue arbitrium proprium, &c.* In diſciplinæ negotio cum aliquo colore hæc differuntur, in capite Fidei Catholicæ alieniſſima eſſent omnia. Verba autem illa, *Quod putaverit, faciat, habens arbitrii facultatem liberam, &c. obſequendi neceſſitas, &c. de actu noſtro judicandi Chriſtus unus habet poteſtatem*: perſpicuè ad diſciplinam, non ad fidem referuntur. De fide enim à collegis diſſen-

dissentire, nulli fas est: si quis dissenserit contumax, à pace ejiciendus est & communione. At antiquas Ecclesiæ suæ consuetudines à quolibet Episcopo retentari, etsi ab aliis dissonas, utcumque usque ad Concilium plenarium aliquando & ultrà toleratur.

XXXVII. Ita sentiebat & Stephanus, cùm quid fieri, non quid credi deberet, præciperet: traditionem antiquæ consuetudinis ostentaret. Ita & Eusebius suprà descriptus, meræ consuetudinis memor. Ita & Hieronymus, cujus prolixa disputatio, non aliud quàm antiquam & inveteratam consuetudinem venditat. Ita sensit & Arelatensis Synodus Canone 8. ubi habet: *De Afris, qui propria sua lege utuntur ut rebaptizent*; nec contumeliosius quidquam in eos jactatur, vel in eorum errorem. Si enim adversum fidei id visum esset, ut quid vocaretur ista non insania, non hæresis, sed propria lex rebaptizandi? Denique Canones hic non complectuntur nisi regulam disciplinæ, fidei autem definitio ferè in antiquis Conciliis seorsim digerebatur. Ita sensit & Nicæna Synodus, totam illam de baptismo controversiam dirimere molita, non Symbolo aut confessione fidei, sed Canone unico, & hoc uno decreto, unos deinceps Paulianistas iterum tingendos. De Apostolicis canonibus ad hoc idem attinentibus suo loco differemus. Unum insuper addo Optatum *l.* 1. *Apud quos non sunt Sacramenta.* In quæ verba Albaspinæus hæc adnotat: *Ergo ex hoc & ex multis aliis locis quantum conjicio, Optatus non existimabat hæreticos posse baptizare.*

XXXVIII. Ita dubio procul sentiebat & Basilius, qui Epist. ad Amphil. cum hæreticos, qui ipsam fidei summam labefactare moliuntur, discreviisset à chismaticis, qui ob *sanabiles quæstiones* se abscideruntait: *Visum est ergo ab initio hæreticos quidem omnino rejicere; eos autem qui se abscideruntseu schismaticorum baptisma admittere, ut qui adhuc sint Ecclesiæ.* Firmiliano tamen & Cypriano mox ait visum esse, schismaticorum quoque baptismum iterare: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* Hæc ille de Catharis, mox verò de Encratitis, *Quoniam nihil est de his apertè dictum, oportet nos eorum baptismum abrogare. Quòd si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent providerunt.* Et infrà *can.* 47. omnes illos schismaticos à se rebaptizari ait, idemque suadet Amphilochio: quanquam expeditiùs dicat Episcopali Synodo has omnes controversias dirimi. Multa hinc ebulliunt argumenta ad nostrum institutum. Primùm antiquiorem traditionem commemorat, partitione utentem, tum se ab ea dissentire confiterur. In fidei negotio non id sibi sumeret Basilius. Catharos & Encratitas in eadem schismaticorum navi collocat; tum illorum recipi permittit baptisma, horum vetat. Non ita in fidei quæstione alternaret. Catharorum baptisma suscipi ex dispensatione censet. At in negotio fidei non ita dispensationi locus datur. Encratitas rebaptizari suadet; si tamen universalis Ecclesiæ paci & dispensationi id obstrepat, admittendum censet eorum baptisma: nonne hæc ipsa est disciplinæ versatilitas? Ad novam Synodum suspirat, quæ dubia illa omnia enubilet: vix ergo decantato illo apud Augustinum plenario Concilio sopita erat omnis controversia. Ita de baptismo disceptatio, post Arelatensem, post Nicænam Synodum vix satis elucidata videbatur Basilio, nova illi in votis erat Synodus, rursus ea de re secundum œcumenicum Concilium sanxit, quid sequendum esset. Ita post Stephani Papæ, post Arelatensis & Nicænæ Synodorum sanctiones, Basilius novam Synodum expetebat, utpote in re ad disciplinam, non ad fidem tum spectante. Et si aliàs quandoque disciplinæ & consuetudinum capita, ad baptismi scilicet, vel sacramentorum spiritales causas attinentia, ad fidem trahantur, ut infrà monebimus *dissert. hujus num. ult.*

XXXIX. Ita sentiebat & Amphilochius, qui in Novatianorum baptismo iterando, vel non iterando, suæ cujusque moribus Ecclesiæ serviendum esse censebat; ut testatur Basilius *cap.* 1. *epist.* ad eundem scriptæ, *Quæ itaque ad Catharos pertinent, rectè admonuisti, quòd oportet uniuscujusque regionis morem sequi.* Quæ ita interpretatur Balsamon: *An oporteat baptizari Novatianos, diversæ sententiæ processerunt, quemadmodum tu admonuisti, & placuit sequi morem uniuscujusque regionis.*

XL. Ita sentiebat & Athanasius, cujus *orat.* 3. *adv.* Arianos hæc sunt verba: *Si in nomine Patris & Filii datur perfectitudo baptismi, plenaque initiatio: Patrem autem verum Ariani non pronunciant, eò quòd negent aliquid ex ipso existere & similem esse illius substantiæ: negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscentes in baptismate proferunt; quî, queso, igitur non planè vanum ac inutile fuerit baptisma quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit & inane simulacrum? Non enim in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore & creatura, in factore & factura. Sicut igitur creatura diversum quid est à Filio, ita diversum quid à vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filii, quoniam illa in Scripturis vident, simulent se nominare.* Et infrà: *Certè alia etiam hæreses, eaque numero non pauca, nomine tenùs ritum istum pronunciant, sed non rectè sentientes, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, nimirum lumine & religione destitutam. Adeò ut, qui abilis asperguntur, sordescant potius prava religione, quàm redimantur.* Hæc vir intaminatissimæ fidei de baptismo hæreticorum & cæterarum hæresum, tametsi invocatione Trinitatis conferretur. Audi & quid mox subjiciat: *Itidem quoque & Manichæi, ad Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa pronunciantes, nihil ob id sunt minùs heretici. Ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illudunt que eis qui ab ipsis baptisma accipiunt.* Hìc obiter adverte nomina ipsa personarum divinarum, quia sacris in paginis consignata verbis conceptis sunt, inter tingendum ab omnibus penè hæreticis pronunciata fuisse, ideòque nullius culpæ fuisse affinem vel Stephanum vel Ecclesiam Romanam, eorum baptisma iterari vetantem. Porrò Athanasius Basilio apertè suffragatur, cassum ratus baptisma, quod tametsi verbis Evangelicis conferatur, eorum tamen qui conferunt, alienus sensus ab Evangelio, aliena fides est.

XLI. Ita sentiebat & Epiphanius, cujus adscribendus hic est locus illustris in *expos. fid. Cath. num.* 13. *Alii qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus, privata sibi factione conflata, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra Concilii generalis decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur: cum nondum ea res, ut dixi, universalis Synodi judicio decisa sit: quòd adhuc populi promiscuè ad hodiernum usque diem habeantur. Inter quos multi quidem sunt Catholici, sed fictè ac per simulationem, sacerdotum authoritatem sequuntur, donec execranda illa secta ab Ecclesiæ communione segregetur, ut tunc aliquid de illa statuatur. Ex iis qui suapte authoritate iterum hoc modo baptizant, audio quendam in Lycia Presbyterum esse.* Nemini posthac, ut arbitror, mirum accidet, si fluctuaverit Athanasius, si Basilius, si Amphilochius, & hæreticorum baptisma in nomine, sed non in fide Trinitatis collatum iterari optaverit; cùm Epiphanius Romanæ Ecclesiæ & Occidentalis morum scientissimus, æquè alternaverit, & eos qui ab Arianis ablutos iteratò abluebant, non hæreseos sed audaciæ insimularit, unumque illud iterum atque iterum deprecatus sit, ne

ante

ante Concilii univerſalis definitionem rebaptizare eos perſeverarent, maximè cum illi necdum aut ſeceſſiſſent, aut execti eſſent ab Eccleſiæ Catholicæ communione.

XLII. Ita ſentiebat & Cyrillus Hieroſolymitanus, qui præfat. in Catech. de omnibus hæreticis promiſcuè hæc habet: *Soli hæretici rebaptizantur. Siquidem priùs illud non erat baptiſma.* Quæ autem vel leviſſima illius ab Auguſtino decantatiſſimi plenarii ex toto Chriſtiano orbe Concilii fama evaſerat ad Baſilium, ad Amphilochium, ad Cyrillum Hieroſ. ad Epiphanium denique? ubi illa orbis conſenſio poſt plenarium Concilium ad non iterandum hæreticorum baptiſma? Cum Arelatenſis utique illa ſit Synodus ab Auguſtino indigitata, paulò ante ejus natales celebrata, ut alibi oſtendemus; ecqua hujus apud Græcos uſquam veſtigia vel ab emunctiſſimæ naris hominibus olfieri poſſunt? Non Zonaras, non Balſamon, non alii ejus meminere Græci. Sed & in Arelatenſi Synodo, ubi illa tam copioſa elucidatio veritatis, qua Cypriani doctrina refelleretur, traditionis Catholicæ & vetuſtiſſimæ ratio & ſapientia ſplendiſſimè eluceſceret? An temporum iniquitas intercepit tam egregia doctrinæ Catholicæ monumenta? An diu ante Synodum inter orthodoxos Epiſcopos res agitata & eliquata fuerat, & ita ad Synodum ventum eſt? Id forſan innuit Auguſtinus *l. 2. de bapt. con. Donat. cap. 4. Quomodò potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primò diutiùs per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* Illud certè ex antedictis conſtat, Arelatenſis Synodi vix rumore aliquo aſperſos eſſe Græcos, ideoque plenariam illam fortè ab Auguſtino dici, non quaſi Oecumenicam, ſed ut ipſi moris eſt, quaſi univerſalem, hoc eſt, pluribus ex provinciis congregatam, velut Regionalem, aut Nationalem. Unde idem paulò infrà enodandis aliis quibuſdam de baptiſmo dubitationibus, optabit *authoritatem Concilii tanti, quantum tantæ rei ſufficiat*: optabit item *regionali cœptæ Concilio, plenario Concilio terminari*. Idem alibi tranſmarina Concilia magni facere viſus eſt. Unde autem Auguſtino de Oecumenicis Conciliis hæc ſententia obrepſiſſet, qui ſolum penè Nicænum audivit, Conſtantinopolitanum vix ſcivit, Epheſinum morte antevertit? Et ille tamen frequens plenaria Concilia crepat, aliaque aliis emendari autumat. Nec Baſilius ſuprà de Oecumenico Concilio ſatagebat, ſed de Concilio tantùm, ut lis iſta dirimeretur. Epiphanius Oecumenicæ Synodi operam deſiderat, peritior fortaſſe diſſidii, quo Orientales nonnulli ab Occidentalibus adhuc diſſidebant.

XLIII. Ita ſentiebant Patres centum quinquaginta in Synodo ſecunda Oecumenica. Nam *can. 7.* ita edicunt: *Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis ſervantur, recipimus ſecundùm ſubjectam hìc conſequentiam & conſuetudinem, Arianos quidem, &c. Eunomianos verò, &c.* Illos nempè unctione chriſmatis, hos baptiſmo. Suum ſimpliciſſimè morem enarrant, conſuetudinem hanc eſſe perhibent, nihil amarulentius in ſecus vel ſentientes, vel facientes ſtomachantur. Cæterùm Montaniſtas, ſeu Cathaphrygas, Eunomianos, alioſque nonnullos baptizari iterum jubent, quos Romana in Eccleſia rebaptizatos non fuiſſe elicitur ex ſuprà poſitis Hieronymi aliorumque teſtimoniis. Solos Paulianiſtas Nicæna Synodus juſſerat iterum tingi, non Montaniſtas. In Eccleſiæ Romanæ Codice Canonum deeſt Canon iſte.

XLIV. Ita ſentiebant & Trullani Patres, qui *can. 2.* recipiunt cum aliis receptiſſimis Synodis, etiam *à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiſcopus & Martyr, & Synodo quæ ſub eo fuit, emiſſum canonem; qui in prædictorum præſulum locis, & ſolùm ſecundùm traditam eis conſuetudinem ſervatus eſt.* Etſi à Cypriano diſſentirent tunc Græci; hanc tamen ejus conſuetudinem ſuo loco & tempore viguiſſe cenſent.

XLV. Ita ſentiebant Græci olim omnes, quibus ſummo ſemper in honore fuit illa Baſilii Epiſtola canonica ad Amphilochium, in codice Canonum Græco præ cæteris radians. Specialiter autem Timotheus Presbyter, cujus fragmentum refertur à Balſamone, ubi tres ordines recenſet accedentium ad Eccleſiam, qui baptiſmo, qui chriſmate, qui ſola erroris ejuratione recipiuntur. *Et qui baptizantur quidem, ſunt hi, Taſcodrugi, Marcioniſtæ, Artotyritæ, Saccophori, Apotactitæ, Valentini, qui etiam Baſilidii & Hermei appellantur, Nicolaitæ, Montaniſtæ, Pepuzeni, Manichæi, Eunomiani, Paulianiſtæ, Photinianiſtæ, Sabelliani, Cerinthiani, Menandriani, Ebionæi, Simoniani, Carpocratiani, Saturniani, & qui ab impio Marco, qui ab Apelle, qui à Theodoto Coriario, Helceſaitæ, qui à Nepote, qui à Pelagio & Cæleſtio, & Melchiſedecitæ. Qui autem Sancto Chriſmate unguntur, ſunt hi, Tetraditæ ſeu Teſſareſdecatitæ, Novatiani ſeu Sabbatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ.* Et paulò poſt ibidem ſubjicitur & iſtud ex epiſt. 4. Theodori Studitæ ad Naucratium excerptum, *Quæ à me petiviſti, ut ſigillatim reſponderem de ſectis & baptiſmis, &c. Accede ad ſacrum librum Epiphanii, &c. Contemplatio tripliciter dividitur. Baptizantur autem Marcioniſtæ, Taſcodrugi, Manichæi, & qui ſunt ejuſdem ordinis, uſque ad Melchiſedechitas, viginti quinque hæreſes. Inunguntur autem ſacro chriſmate Tetraditæ, Novatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ, ſimul quinque. Qui verò nec baptizantur, nec unguntur, ſed ſolam propriam & omnem aliam hæreſim anathematizant, Meletiani, Neſtoriani, Eutychianiſtæ, &c.* Quæ prolixior ferè eſt Canonis ſeptimi Synodi Conſtantinopolitanæ interpretatio. Vides autem quàm immaniter hæc diſſideant à conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, quæ nunquam deinceps tamen ea de re litem movit Græcis, Canonem illum Conſtantinopolitanum ſuo ex codice rejeciſſe contenta. Vides quàm rudes fuerint Græci, aut incurioſi illius plenarii Concilii & Canonis Arelatenſis de baptiſmo ab Auguſtino celebrati. Vides quàm jure meritòque Canon Arelatenſis ad Afros deſtinetur, quorum propria lex erat, ut rebaptizarent.

XLVI. Ita ſentiebat, ut ad Latinos rurſus me referam, Gennadius *de dogmat. Eccl. cap. 52. Illos qui non Sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati ſunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum eſt eos fuiſſe baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juxta regulam à Domino poſitam tincti ſunt. Ut ſunt Paulini, Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonoſiani, Photiniani, Montani, & Manichæi, variaque impietatis germina, vel cætera iſtorum originis ſive ordinis peſtes, quæ duo principia ſibi ignota introducunt, ut Cerdon & Marcion; vel contraria, ut Manicheus; vel tria & barbara, ut Sethianus, & Theodoſius; vel multa, ut Valentinus; vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo, ut Cerinthus, Ebion, Artemon & Photinus. Ex ipſis, inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab eis utrùm baptizati ſint, an non; ſed hoc tantùm, ſi credant Eccleſiæ fidem, & baptizentur Eccleſiaſtico baptiſmate.* Minùs ſtupebis jam Græcos ab Arelatenſi Canone, & ab Eccleſiæ Romanæ ritu deviaſſe, cum videas civitati & Arelatenſi & Romanæ adjacentes Eccleſias ab eis æquè deflexiſſe. Multos enim horum, quos Gennadius tingi rurſus imperat, in Eccleſia Romana ſine novo baptiſmo receptos fuiſſe, ſuprà expreſsè nos admonuit Hieronymus. Sileo noſtro hoc ævo novellos hæreticos à multis Catholicis ſub conditione rebaptizatos fuiſſe, idque vetandum fuiſſe Conc. Rotom. an. 1581. Remenſi ann. 1583. Aquienſi ann. 1585. Toloſano

ann.

ann. 1590. Narbon. ann. 1609. Ita enim definierat Pius V. ut fertur in Synodo Ebroicensi anno 1576, apud Bochellum *p.* 171.

XLVII. Ita sentiebat denique Augustinus ipsemet, sexcenties hanc *consuetudinem* appellitans, locis tum suprà allegatis, tum aliis innumeris, quibus huc congerendis supersedeo. Addo hunc unum locum, *l. de unico bapt. contr.* Petil. *cap.* 13. *Ego autem ut quod de hac re sentio, breviter dicam: rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolica præsumptionis.* Itaque ea fuit propria & hæretica Donatistarum perversitas, ut rebaptizarent eos, qui in Ecclesia Catholica jam abluti sacro fonte fuerant.

XLVIII. Plenarii autem Concilii authoritatem ab Augustino expetitam fuisse, non ad fidei, sed ad consuetudinis & disciplinæ unitatem universæ Ecclesiæ conciliandam, quia consuetudo sua sponte libera & indifferens, ita commodiùs astringitur ad unum ubique ritum: liquet ex *Epist.* 118. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant Sabbato, alii verò non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè devenerit.* Ubi perspicuum est, non uti fidem, ita disciplinam & consuetudines ad unam formulam in omni Ecclesia restringi & adunari necessariò debere: sed in illa omnes convenire, in hac alias ab aliis inculpatissimè Ecclesias discrepare. Sicubi autem etiam consuetudo aliqua vel obtineat, vel obtinere debeat in omni Ecclesia, hanc legem vel à Scripturis, vel ab Apostolica traditione, vel à plenariis Conciliis proficisci. Et *l.* 4. *de bapt. contr. Donat. cap.* 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et *l.* 2. *cap.* 7. *Quam consuetudinem non rebaptizandi hæreticos, credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et rursus idem Augustinus *l.* 2. *con. Epist. Parmen. cap.* 13. *Et hæc quidem alia quæstio est, utrùm & ab illis qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari. Nec aliquid temerè inde affirmandum est, sine authoritate tanti Concilii, quantùm tanta rei sufficiat.* Et *l.* 7. *de bapt. contr. Donat. cap.* 53. inquirens, an baptismus à pagano collatus, vel joco, vel mimicè, ratus sit? *Nobis,* inquit, *tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nulla in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.* Et *Epist.* 119. *cap.* 15. *Ad agendum Pascha ex Evangelio quia jam manifestum est, quo die Dominus resurrexit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum Concilia: & orbi universo Christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere.* In fidei autem dogmatis vix unquam ita pendere animi dubium invenies Augustinum à Conciliorum definitione. Adde Epiphanium suprà laudatum, an iterum lustrali fonte piandi essent, quos tinxissent Ariani, *ab Oecumenico Concilio* statuendum esse opinantem. Adde Basilium similiter Concilii desiderio æstuantem, in ista de baptismo hæreticorum fluctuatione. Cùm adversùs Origenistas & tot alias tunc grassantes hæreses, nec Epiphanius, nec Basilius tanta flagrarint Concilii cupiditate. Denique *Oecumenicam* suam illam constitutionem, ut à Cyrillo Hierosolymitano vocatur *catech.* 18. synodicè ediderunt Apostoli, non de fidei, sed de disciplinæ capitibus: & provinciales Synodi semel & iterum quotannis cogendæ olim erant, non tam ut de fide quid scisceront, quàm ut disciplinæ castimoniam tutarentur. Etiamnunc sanè de Confirmatione, de Ordine, de Absolutione, de Matrimonio non pauca controvertuntur inter scholæ optimates, aliqua inter Ecclesias ipsas discrepant: quæ his rata, his videntur irrita: sed civilis & ad disciplinæ ingenium temperata hæc conflictatio est: tametsi de his, ut de compluscullis aliis, possent cudi definitiones, & ad fidei necessitatem trahi. Nec tamen quandiu & sententiis & moribus certatur hinc & hinc diversis, utrisque ex æquo applaudere integrum est. Longè anteferenda est enim altera sententia, verbi gratia baptisma hæreticorum non iterantium, utpote & sacramenti dignitati, & traditioni Ecclesiasticæ, & Pontificum definitioni consentanea. Sed ex Ecclesiæ & Pontificum ante Synodum universalem conniventia ac dispensatione, qui secus sentiunt ac faciunt, videri interim illi possunt, errore quidem aliquo, sed materiali tantùm, ut ajunt, laborare. Hac autem venia prolixiùs uti Ecclesiam & Pontificem non improbat Bellarm. *l.* 1. *de Conc. cap.* 10. *Probabile est authoritate Sedis Apostolicæ quæstionem illam apud omnes Catholicos fuisse finitam. Sed etiamsi quæstio finita non fuisset, usque ad Concilii plenarii determinationem, ut Augustinus dicit: non tamen inde colligere oporteret, non potuisse finiri. Nam licèt Apostolicæ Sedi cooperantibus provincialibus Conciliis controversiam illam finiendi authoritas non deesset: maluerunt tamen sancti illi Pontifices differre in tempus aliud magis opportunum absolutam determinationem ejus quæstionis, quàm tot magnos viros ab Ecclesia separare.* Certè *act.* 1. septimæ Synodi laudatur Eustochius Patriarcha Hierosolymitanus, qui Monachis Origenis deliria osculantibus, octo induciarum menses indulserat ad resipiscendum, & quintæ Oecumenicæ Synodo subscribendum.

XLIX. In quæstionibus autem fidei nequaquam opus esse congregari, nequaquam fas esse appellari œcumenicas vel plenarias Synodos, vide ut idem Augustinus nos doceat. Etenim *l.* 1. *contr. Jul. c.* 4. cùm Latinorum Patrum authoritates deprompsisset, ait: *An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioſissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum ceteris tenet, perseveranter Ecclesia?* Et infrà: *Non est ergo cur provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est; quia & fides ista Christiana est: & te certè Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia.* Quia ergo fides non alia alibi, sicut consuetudinum disciplina, sed una ubique terrarum est, adeòque in Oriente eadem atque in Occidente est, nempe una Christiana fides, non licet ad Orientis Antistites seu ad Oecumenicam Synodum provocare; sed auscultandum est suæ cuique Ecclesiæ Episcopis, auscultandum est maximè Romano Pontifici, antiquam Ecclesiæ suæ fidem dictanti. Et *l.* 4. ad Bonifacium Papam *cap. ult. Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur. Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congrega-*

gregatione damnata ſit. Cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit: multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exſtiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur. Non hìc conſuetudines, ſed hæreſes reſonant, fides ingeminatur, ideò Oecumenicæ Synodi negatur imminere neceſſitas, cùm longè plurimæ hæreſes ofocatæ ſint ſine iſtiuſmodi Synodis.

L. Inaniter ergo ganniunt, exemplo Firmiliani, Dionyſii, Cypriani, non neceſſariò ſtandum eſſe definitionibus Sedis Apoſtolicæ. Contrà enim, ut ex ſuperioribus conſtat, 1. erraſſe demonſtrati ſunt, qui illis non ceſſere, & hunc errorem eluendum vel cruento, vel incruento quopiam martyrio habuiſſe. 2. Ceſſiſſe Cyprianum, veri non diſſimile duxit Auguſtinus: 3. Qui Stephano non obaudiere, nec traditioni Apoſtolicæ, nec univerſalis Eccleſiæ authoritati & conſuetudini morem geſſerunt: ex eorum ergo ſententia non licet quidquam in jus trahere. 4. Nec Arelatenſi vel Nicæno poſtea Concilio illi ipſi, vel eorum poſteri auſcultarunt. Arelatenſe fortaſſe neſcierunt: Nicænum accommodatè priſtinæ ſuæ ſententiæ interpretati ſunt: ut Baſilium ſuprà experti ſumus. Nec contra generales tamen Synodos hinc licet inſurgere. 5. Ultra minas evectus non eſt Stephanus, & acquievit ipſe, diſpenſationis & unitatis tuendæ ergo, cum diverſa & ſentientibus & facientibus communicare. Qua in re non paulo Cyprianum anteceſſit intervallo. Hic enim errorem ſuum charitatis copia & ſanguinis impendio abſterſit: ille à recti ſemita nec tranſverſum unguem deflexit: ſtricto juri primùm, ut par eſt, ſtuduit: ubi ſenſit ſchiſmatis imminere periculum, uſus eſt temperato. 6. Etſi quæſtio hæc ad fidem trahi poſſet, ut pleraque alia conſuetudinum capita; tunc ea tamen civiliter, ut diſciplinæ portio, agitabatur. Nec à Cypriano, nec à Stephano primùm, nec poſtea à Nicæno vel Conſtantinopolitano Concilio, nec à Baſilio, vel à poſterioribus Græcis vel Romanis, tametſi nonnihil diſſonantibus, anathema in adverſarios vibratum eſt. In hujuſmodi ergo rebus cùm profiteantur Romani Præſules diverſas Eccleſiarum conſuetudines à ſe vel laudari, vel non culpari, vel tolerari: quid mirum ſi cæteri Antiſtites hac utantur libertate, vel abutantur? Gregorius in epiſt. ad Auguſt. Angl. Epiſc. *Mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia inveniſti quod plus omnipotenti Deo placere poſſit, ſollicitè eligas.* Et ut ad ſacramenta utcumque hæc etiam ſpectare ne dubites, Alexander III. *in Append. Conc. Later. cap. 2. de frigidis: Licèt Eccleſia Romana propter maleficia, legitimè conjunctos dividere non conſueverit; ſi tamen conſuetudo generalis Eccleſia Gallicana habet, ut hujuſmodi matrimonium diſſolvatur, nos patienter tolerabimus.* Sexcenta alia inferiùs ſuis locis adnotabuntur exempla, ut Romani Pontifices ad conſuetudinum etiam conſonantiam omnes cohortentur, interim tolerent diſſonantiam. Denique is ipſe Auguſtinus qui Concilio generali opus fuiſſe inculcarat, ad conſuetudines, non ad hæreſes damnandas reſtrinxit Synodorum hanc neceſſitatem.

DISSERTATIO III.

IN SYNODUM NICÆNAM Anno Chriſti 325.

SYNOPSIS.

Jus primarium convocandarum Synodorum generalium Pontificibus vendicatur, etſi eas convocaſſe legantur Imperatores. Jura à factis ſecernuntur, & jura ipſa ſtricta à remiſſis. Ad num. uſque XI. Romanorum Pontificum ea oſtenditur eſſe prærogativa, jure Divino fulta: ad num. uſque XVI. Deinceps de Pontificia & Imperatoria poteſtate mixtim agitur, utriuſque fines delineantur: adhibita etiam recentiorum Scriptorum Latinorum Græcorumque ſuffragatione.

I. NOn Nicænam tantùm, ſed & complures alias Synodos à Conſtantino Imperatore indictas, convocataſque fuiſſe, eandemque poteſtatem à reliquis deinceps Imperatoribus perdiu uſurpatam, paſſim loquuntur Eccleſiaſtica Patrum & Conciliorum monumenta. Euſebius *l.* 10. *c.* 5. literas refert Conſtantini ad Miltiadem urbis Romæ Epiſcopum: *Placuit mihi ut Cæcilianus Romam naviget, &c. & ibi coram vobis & coram, &c. quos ea cauſa Romam properare juſſi, poſſit audiri, &c.* Refert & mox Epiſtolam ejuſdem alteram ad Chreſtum Syracuſ. Epiſc. *qua alteram Epiſcoporum Synodum fieri jubet, &c.* En verba ipſa Conſtantini, *Quoniam plurimos ex diverſis ac propè infinitis locis Epiſcopos in urbem Arelatenſem intra Kalendas Auguſti juſſimus convenire, tibi quoque, &c.* Et *l.* 3. *de vita ejus c.* 4. *Quomodo Niceæ Synodum fieri juſſit, &c. Synodum Oecumenicam convocavit, honorificis literis Epiſcopos undique invitans, ut quantociùs adeſſent. Nec verò ſimplex ac nuda erat juſſio, ſed benignitas. &c.* Et quo animo hæc ageret, idem declarat *l.* 1. de vita ejus *c.* 44. *Eccleſiæ Dei præcipuè curam gerens, cum per diverſas provincias quidam inter ſe diſſentirent, ipſe velut communis omnium Epiſcopus à Deo conſtitutus, miniſtrorum Dei Concilia congregavit. Nec dedignatus adeſſe, & conſidere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit, ea quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans. Porrò ſedebat in medio, tanquam unus è multis, &c.* Ac denique *l.* 4. *c.* 42. Conſtantinus ad Synodum Tyri ſcribens, *Idcirco vos ſponte, ut ajunt, currentes adhortor, ut abſque ulla dilatione in unum coeuntes, Synodum conſtituatis, &c. Si quis verò, quod minimè arbitramur, præceptum noſtrum etiamnum violare præſumens, adeſſe renuerit, mittetur quamprimum à nobis aliquis, qui Imperiali authoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoriis ſanctionibus pro veritate editis minimè eſſe repugnandum.* His adde ex Apologia ſecunda Athanaſii epiſtolam Conſtantini, *Ingredienti mihi Conſtantinopolim ſubitò Athanaſius occurrit, &c. Cum audiri ſe poſtularet, & ego recuſarem, & propemodum eum ſummoveri juberem; magna libertate nihil aliud poſtulavit, quàm ut vos huc evocari juberem, quò vobis præſentibus, qua per vim paſſus eſſet, conqueri poſſit, &c. Scripto igitur vobis id denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri abſolviſtis, ſine tergiverſatione ad prætorium meæ clementiæ conveniatis.* Ergo Romanam, Arelatenſem, Nicænam, Tyriam, Conſtantinopolitanam Synodum convocavit Conſtantinus.

II. Sed viris cordatis curæ eſt rutinari, non tantùm quid factum, ſed quo jure factum quidque ſit. Nam ante Conſtantini tempora vel ſua ſponte, vel majorum ſedium hortatu congregabantur Epiſcopi. Idque Chriſtus ipſe præmonuerat, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.* Id Apoſtoli prælineaverant, *Act.* 15. orta dubitatione, an circumcidi, & legis jugo gravari oporteret converſos ex gentibus, *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre*

videre de verbo hoc. Et *c.6.* ad eligendos Diaconos, *Convocantes duodecim multitudinem discipulorum*, &c. Et *c.1.* de electione Mathiæ in locum Judæ, *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, &c.* Eundem disciplinæ tramitem deinceps Ecclesia trivit. Nam apud Eusebium *l.5. c.16.* adversùs Montanistas, *Cum fideles qui in Asia erant, sæpiùs & in plurimis Asiæ locis ejus rei causa convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & prophanam atque impiam judicassent, damnata hæresi, isti ab Ecclesia & fidelium communione expulsi sunt.* Et apud eundem *lib. eodem c.23.* de controversia Paschæ, *Synodi ob id catusque Episcoporum convenere*, nempe ut subdit, in Palæstina, Romæ, in Ponto, in Galliis, in Osroena, Corinthi. Et *c.24.* Polycrates Ephesi Episcopus ad Victorem Papam scribit, *Possem Episcoporum qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cum me pusillum hominem invisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt.* Et *lib.6. c.43.* adversùs Novatum, *Cum Romæ Synodus congregata esset, in qua sexaginta quidem Episcopi, &c. Cumque in provinciis seorsum Antistites quid agendum esset consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est.* Et *c.46. Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ urbis Episcopum, &c. se ab Helena Tarsi Ciliciæ Episcopo, & à cæteris qui cum illo convenerant, Firmiliana scilicet Cappadociæ, & Theoctista Palestinæ provinciæ Episcopis invitatum fuisse, ut ad Synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant.* Et *l.7. c.7.* meminit idem Dionysius plurium Synodorum in causa baptismi hæreticorum, Iconii, Synnadæ & alibi habitarum, ut sileam Concilium Cypriani in eadem re Episcoporum octoginta. Et *lib. eodem c.27.* adversùs Paulum Samosatenum, *Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, rogatus ut ad Concilium veniret, adventum quidem suum distulit, &c. quid sentiret, per Epistolas indicavit, &c. at reliqui Ecclesiarum Pastores undique excisi simul omnes Antiochiam convenerunt, tanquam adversùs gregis Dominici vastatorem.* Parco ex Cypriano uno non pauciora his colligere, quibus liqueat, sua sponte vel mutua invitatione identidem convenisse Episcopos.

III. Hinc & inde ergo libratis disciplinæ rationibus quæ ante & post Constantinum viguit, jam fas est, quæ facta, quæ jura sint, definire. Nam 1. penes Christi verba & exempla Apostolorum, satius est figi regulam juris Ecclesiastici. 2. Et post Apostolos trecentis annis usitata Synodorum ratio simplicitatem præ se fert oppidò laudandam. 3. Quid Ecclesiasticæ dignitati consonantius, quàm ut vel sua sponte, vel mutua invitatione, vel Metropolitanorum, Primatumque convocatione cogant Episcopi? 4. Sua Episcopos charitas urget, ut ad lupos arcendos confluant. 5. Initiato demum nostris mysteriis Constantino, pristinum jus Episcopis non est abrogatum. Audiamus Maximum martyrem, in Collat. cum Theodosio Episc. Cæsareæ: *Si Synodos quæ factæ sunt, jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe Synodos quæ contra homousion factæ sunt. Nam jussione Principum sunt patratæ, primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Cp. sub Eudoxio Ariano, quintam in Nicæa, sextam in Syrmio: & post hæc multa post, septimam in Epheso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit. Quare autem non abjicitis eam, quæ deposuit Paulum Samosatenum, sub Sanctis & Beatis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Qui præterea Canon promulgat, solas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ.* 6. Posteriores quoque Constantino Episcopi successerunt in vicem & jura Apostolorum. Unde enim priores Episcopi, ubi conducere videbatur Ecclesiæ, ultrò coibant in Synodos, & alios invitabant, nisi ex ea dignitate ac potestate, quæ Christo & ab Apostolis, in ipsos ut Christi Vicarios, ut Apostolorum successores propagata erat? An ergo traducem potestatis hujus Apostolicæ abrupit Constantinus, aut abrumpere potuit? An Episcopi post Constantinum desiere Apostolorum successores esse, & regni cœlorum claves administrare? An bipartita posthac fuit potestatis Apostolicæ successio, & ejus quasi ex semisse hæres Constantinus portionem occupavit? Quantæ absurditatis sunt hæc omnia? 7. Imperatores Ethnici Episcopos ferè patiebantur potestate sua frui, & Synodos cogere numerosissimas, quamplurimas, ubique terrarum; nec nisi paucissimi, iique limphatissimi, ne quid à nostris conventibus respub. caperet detrimenti, reformidabant. An ergo Christiano principi quadrabat, jura & libertatem Ecclesiæ arctiùs præmere & angustare, quàm ab Ethnicis principibus factum esset? An tot saltem annorum, tot sæculorum præscriptio contemni poterat? 8. Et quidem ante Constantinum non locales tantùm, sed generales etiam Synodi habitæ sunt, Chartagine de baptismo, Antiochiæ adversùs Novatum, & ibidem rursus adversùs Samosatenum, & alibi plures, quò invitabantur majorum gentium Episcopi, Alexandrinus, Antiochenus, Cæsariensis, Hierosolymitanus. Et ex suprà relatis Eusebii testimoniis liquet, harum Synodorum decreta, maximè Antiochenæ utriusque adversùs Novatum & Samosatenum, totius orbis consensu ita roborata fuisse: & aliarum denique Synodorum provincialium consensu, ita totam sibi Ecclesiam conspirasse; ut hæc instar haberent Synodi Oecumenicæ, & perxquè fidei aut disciplinæ periclitanti succurrerent.

IV. Quin immò si unam demas Nicænam Synodum, longè auspicatores fuerant pacatioresque ante Constantinum Synodi, quàmquæ vel ab ipso postea, vel ab ejus filiis convocatæ sunt, vel à compluribus postea Imperatoribus, quandiu & quoties eam potestatem ita usurpaverunt, ut non ab imperio & nutu sacerdotum pendulam & obnoxiam exererent. Nam in percensitis suprà antiquioribus Synodis, quàm sancta, quàm decora, quàm pacata omnia? Nusquam jurgâti Episcopi, nusquam hæreses authoratæ, nusquam innocentes damnati. Nam etsi variatum quandoque sententiis est, in disciplina versatili certamen erat; non in fide, & sospite unitatis & fidei nexu dissidebatur. At ubi Constantinus occupavit, & successoribus refudit cogendarum Synodorum potestatem; quis sub ipso & post ipsum maximè ortas inde clades Ecclesiæ, mente aut calamo valeat comprehendere? Quis Hierosolymitanæ, quis Tyriæ sub ipso Synodi labes? Quis sub Constantio Mediolanense, Syrmiense, Ariminense flagitium? Quis fidei formulas toties & tam perfidiosè fixas & refixas? Quis Episcoporum insatigabiles discursationes, proscriptiones, exilia, cruces? Ubi ita Synodis illusum, & de Synodis illusum fidei & majestati Ecclesiæ ante Constantinum? Et unde hæ clades, nisi ex eo uno capite, quòd Imperatores nutu & arbitrio suo Synodos cogebant Episcoporum, & pro sua libidine agebant? Non tam malè consuluit Christus Ecclesiæ suæ, ut ejus salutem ad terreni Imperii verticem religaverit. Quid enim si nullus aliquando extiterit Imperator? Quid si ab Ecclesia deficiat? Quid si in plures scindatur Imperium? Quid si reges undique irruentes Imperium dilanient, & in suo quisque tractu imperitent? Quid si qua Imperii portio lacera, non regii, sed sequioris ac decoloris alicujus regiminis sortem experiri malit? Quid si hæc omnia? Nam & hæc omnia post Constantinum labentibus sæculis contigere in variis Imperii Romani tractibus. Ergo si horum quodlibet, si plura, seu si omnia eveniant, non poterit congregari à sæculari Principe Oecumenicum Concilium. An igitur Ecclesia interim de summa rerum periclitabitur?

Mini-

Minimè verò. Nam ut fides, ut disciplina Ecclesiæ ad sæculi usque finem perpetuanda ex Christi promissione non dubitatur, ita nec dubitatur ex ejusdem inexpugnabili sponsione & potestate, æternandus in Ecclesia Episcopatus unus, unus in unitatis suæ vertice Petri successore, unus in universitate sua. Ita numquam deerunt, à quibus Concilia & convocentur, & frequententur. At si in lubricum & procellosum Imperii terreni sceptrum salutem Ecclesiæ & Conciliorum authoritatem religes, malè consulis Ecclesiæ æternitati. Uni & æternæ Ecclesiæ ne tam labile & ruinosum substruas fundamentum.

V. Ergo secernenda sunt facta & jura: & ubi sexcenties legis etiam in ipsa Conciliorum fronte, in Patrumque monumentis identidem audis, convocatas ab Imperatore Synodos, hæc facta quidem, sed non statim jura interpretare: aut si jura, non stricta & primæva, sed indulgentiæ & œconomiæ plurimæ accommodata. Quanquam enim optimè meritus de Ecclesia fuerit Constantinus, nemo tamen inficias ire potest, *aliquantò plus illum sibi in negotiis Ecclesiasticis vindicasse, quàm laico Principi conveniret*, ut advertit doctissimus Valesius in *c.* 51. *l.* 3. vitæ ejus. Donatistæ non aliter coerciti fuissent Episcopalibus Synodis, quàm tot antè hæreticorum cunei compressi fuerant, etsi nec Gallos ipse primùm Episcopos Romæ judicaturos dedisset, nec damnatorum querelas audisset, aliudque cùm *jam non esset necesse*, Arelatense judicium dedisset, nec post Episcopos, ipse judicare adgressus esset, idque ausus esset, *cujus venia ab Episcopis petenda erat*, teste Augustino. Quàm illud omne præter juris regulas exiterit, alibi docuimus. Rursus autem in causa Arii & circa Athanasium, ejusque præcessorem Alexandrum, ab Eusebio utroque fascinatus, quàm multa cespitavit? Dum Alexandrum æquè inclementer primò habet, atque Arium: dum Arium semel damnatum purgari coram se posse sperat, ab eoque illusus, recipi eum jubet in Ecclesiam; & nisi cœlitus prospectum fuisset, tantum perfecisset scelus, dum Tyriam, aliasque Synodos adversùs Athanasium cogit, & sævire sinit; dum Athanasium exilio pellit, dum sub exilii interminatione Episcopos Synodis à se indictis adesse jubet, dum qui & quanti adesse debeant Synodis Episcopi, ipse præscribit. Dies me deficiet, si persequi singula aggrediar. Nemini autem obscurum esse potest, quid Apostolici & Episcopalis, quid sæcularis & Imperatorii sit juris. Et uno verbo rem absolvam, Episcopalis habeatur juris, quidquid ante Constantinum sub Imperio Gentilium perficiebant Episcopi. Neque enim tunc vel suspicio ipsos ulla affiare potest, quasi imperatoria jura invaserint. Quod autem Constantino tanta audenti cederent, annuerentque Episcopi: vel vis illa erat, vel voluntas. Si vis, ut in multis circa Arium & Athanasium, nihil inde juris ei accrescebat. Si voluntas, ut in longè pluribus aliis, nec sic quidem jus imperatorium condebatur, cùm ex œconomia tum necessaria id totum de jure Episcopali remitteretur. Conducebat enim vehementer multa condonari Imperatori, qui primus omnium Christo nomen dedisset, Ecclesiam tot persecutionibus tamdiu jactatam liberasset, ejus toto orbe propagandæ muniendæque, idololatriæ autem extinguendæ certam spem faceret. Tali Imperatori non sua tantùm jura, justaque tribuenda erant, sed aliena quoque tunc indulgenda. Sed jure suo non exuuntur Episcopi, cùm ex necessaria dispensatione aliquam ejus partem remittunt. Nam etiam tum jus suum, jus proprium & summum penes ipsos est, cùm eo sibi condonato ex dispensatione alius utitur, vel abutitur.

VI. Etsi autem convocarint Concilia, maximè œcumenica Imperatores; consilio tamen, assensu, hortatu Episcoporum, & in primis Romani Pontificis, id factum esse, atque ita jus summum & regium penes Episcopos reapse fuisse, ut quod Ecclesiasticum per se & Apostolicum sit; extrinsecam autem speciem & dignitatem penes Imperatores hæsisse, ut solet in istiusmodi rebus: multa sunt quæ revincant. Atque imprimis in Prosphonetico sextæ Synodi ad Constantinum Imperatorem, *act.* 16. hæc Græci Patres clamant: *Arius divisor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper augustus, & Sylvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant, &c. Macedonius Spiritus denegabat deitatem, sed maximus Imperator Theodosius & Damasus fidei adamas protinus ostiterunt, &c. Gregorius & Nectarius in hac regia urbe conventum congregabant, &c. Iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus: ille quidem Christum dividebat, illi verò cum sceptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesus & ibidem gestorum tabulæ loquuntur, &c. Deinde Eutychetis insania, &c. Leonis tuba tanquam Leonis rugitus vehementer vociferans ex Roma archimandritam bestiam perterruit, &c. Marcianus Imperator & Anatolius Constantinopol. Antistes cum omni Chalcedonensi à Christo congregata collectione, &c. Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonavit, & quintum Concilium constitutum est, &c.* Hæc Græci Patres sextæ Synodi Oecumenicæ ad Imperatorem ipsum, qui sextam Synodum ipse indixerat; ubi superiores Synodos generales non solo Imperatoris nutu, sed instinctu maximè sacerdotum collectas fuisse interpretantur. Idque jure meritissimo. Nam quamvis obscura in prioribus Oecumenicarum Synodorum convocationibus & rata existant vestigia sacerdotalis authoritatis; extant tamen aliqua, extabant tunc fortè plura; & ex paucis obscurisque licet tantæ Synodo interpretari, quid juris sit: quid indulgentia conniventium Episcoporum moliti sint Imperatores. Etenim vel sola Episcoporum connivencia qui tunc silebant, priùs non siluerant, nec postea siluerunt; satis argumenti habet, ut penes ipsos jus illud omne fuisse cogendarum Synodorum philosophemur. Sed de Nicæna specialiter Synodo, Damasus in vita Sylvestri: *Hujus temporibus factum est Concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt Episcopi, &c. Et in urbe Roma congregavit ipse cum Concilio Augusti Episcopos, &c.* Ruffinus *l.* 1. *c.* 1. ait Synodum ab Imperatore, *ex sententia sacerdotum convocatam*. Athanasius in Apolog. de fuga sua, *Quin & Eusebiani ad Julium literas miserè; & ut nos terrerent, petierunt ut Synodum congregaret*. Et in epist. ad Solit. *Scripsit Julius oportere fieri Synodum, ubi voluissemus*. Et Julius Papa apud Athanasium *Apol.* 2. ad Eusebianos scribens, *Siquidem legati vestri, &c. rogaverunt nos, Concilium ut congregaremus, scriberemusque ad Athanasium & Eusebianos, ut in præsentia omnium justo judicio de causa cognosceretur*. Quæ omnia ad Sardicensis Concilii convocationem spectant, quæ tamen apud eundem in epist. Synod. se profitetur *cooperante Dei gratia à religiosissimis principibus convocatam*. Et Harmenopulus in præfat. Epitom. Canonum, *Ex ipsorum* Imperatorum *& Romani Episcopi sententia*, 341. *Episcopi in hac Synodo Sardica convenerunt*. Et rursum Athanasius epist. ad Solitarios, de Synodo Romana agens, quam Julius congregaverat, & ad eam Eusebianos convocaverat, *Cæterùm*, inquit, *Eusebiani ubi semel audissent Ecclesiasticum consensum fore, ubi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quæ Synodi sunt: quibus rationibus & non aliis Episcopos vicerant, immò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent; ita inhorruerunt & metu contracti sunt, &c.* Ubi vides & sine Imperatore collectas Synodos, & in eis omnia meliusculè ordinata, & præ illis contemni ab Athanasio indictas gestasque nutu Regum Synodos. Et apud eundem Liberius Papa, *Quòd si Imperator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, &c. fiat Ecclesiastica Synodus longè à palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec judex*

minatur, & ubi solus Dei timor ad omnia sufficit. Et infrà Osius ad Constantium, *Ne te misceas Ecclesiasticis negotiis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Et rursum Athanasius infrà: *Obtendit in speciem Episcoporum judicium; sed interim facit, quod illi volupe est, &c. Si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Quando judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? &c. Plurimæ antehac Synodi fuere, multa judicia habita sunt. Sed neque Patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt, nec princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris domo, & per eos salutabat in literis Philippenses, non tamen eos in judicia socios assumpsit. Nunc autem novum quoddam spectaculum ab Ariana hæresi editur. Convenerunt enim in unum hæretici & Constantius Imperator; ut ille quidem sub prætextu Episcoporum, sua potestate adversus eos quos velit, utatur, & tamen in persecutione movenda persecutor non appelletur; illi verò succincti principis potestate faciant insidias quibus volunt, &c.* Omnis hæc porrò dissipandæ per Synodos Ecclesiæ potestas Constantio accesserat ex earum convocandarum authoritate, ut planum est. Adde ipsum Valentiniani Imperatoris judicium apud Sozomenum *l. 6. c. 7.* ubi petentibus Episcopis facultatem cogendæ Synodi, respondit ille, *Sibi qui unus è Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Et idcò Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicumque ipsis lubitum fuerit, in unum conveniant.* Ubi permittit quidem Synodum fieri, nec permittendi, sed convocandi certè Synodos abrogat sibi potestatem. Nam id scientiæ, id charitatis, id muneris esse agnoscit, non Imperatorum, utpote laicorum, sed Episcoporum, scire & judicare ubi & quando convocandæ sint Synodi. Episcoporum est ergo indicere loca & tempora Synodorum, Imperatorum tum permittere, si modò respub. nil capiat detrimenti. Idem non minùs apertè testatus est Theodoricus Rex in Synodo 3. Romana, in causa Papæ Symmachi; *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto glor. Regis Theodorici diversis è regionibus congregata in Christi nomine, dixit: Cum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia præcepisset authoritas, &c. Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia ejus Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum authoritas, singulare in Ecclesiis tradidit potestatem, &c. Sed potentissimus princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit. Unde & à mansuetudine ejus pagina postulata sunt, quas ab ea directas constabat, &c.* Animadverte, quæso, ut *ex præcepto Regis & authoritate* regia se congregatos pro more præfentur hi Patres; & tamen mox astruant ab ipso Papa, licèt impetito, se *convocari* debuisse: nec id Rex inficietur, quamquis ab Ecclesia alienus. Et infrà, *Rex taliter Deo aspirante respondit; in Synodali esse arbitrio, in tanta negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere.*

IX. Plura alibi in rem istam acervabuntur suffragia: ex his interim operæ pretium est advertere 1. hæc quæ à nobis relata sunt, non facta esse, sed jura. Nam quòd Synodus Romana vociferetur, non Regis fuisse, sed Papæ Synodum convocare; quòd Rex acquiescat; quòd voluntatem Papæ literis demonstratam ostendat; quòd ad se nihil de rebus Ecclesiasticis præter reverentiam pertinere confiteatur, hæc non facta sunt tantùm, sed jura. Quòd Valentinianus Imperator, se utpote laicum, negotiis Ecclesiasticis inseri non debere agnoscat, & copiam faciat Episcopis convenire, ubi libuerit ipsis, quorum curæ causa fidei & Ecclesiæ demandata est; non facti tantùm, sed juris ista sunt. Quòd Athanasius, Hosius, Liberius Imperatorem hortentur res Imperii curare, negotiis Ecclesiæ abstinere; Imperium enim ipsi, Ecclesiam à Deo Episcopis commendatam; ad jura pertinent hæc, non ad facta. Quòd iidem Synodos optent, sed verè Ecclesiasticas, ubi nec Comes affuturus sit, nec satellites pro foribus excubent, nec ex præscripto Imperatoris gerantur omnia, & ex Imperatoris in Synodos potestate labem omnem Ecclesiarum prorupisse ingemiscunt; non facta hinc, sed jura splendent. 2. Constantium per Synodos nutu suo, aut libidine potius sua congregatas, fidei & Ecclesiæ Christianæ ea damna & dedecora importasse, quæ nemo nisi historiæ Ecclesiasticæ rudis omninò & hospes nescire potest, nemo non detestari potest. At prima mali hujus tanti labes hinc manavit, quòd laicus cum esset, sacerdotum partes invaderet, & temerè stolidèque pro usurpata potestate Synodos indiceret, cum intempestivum, cum exitiale maximè erat Ecclesiis. Et hanc illi potestatem auspicatus erat, dedicaveratque Constantinus parens. 3. Ubi & quando salutiferum aut perniciale sit Synodos colligi, definire, id non Imperatoriæ, sed Ecclesiasticæ & Pontificiæ vel maximè scientiæ esse & potestatis. 4. Tametsi Imperator Synodos plerumque indiceret, nonnullas tamen à sacerdotibus solis indictas fuisse, vel ab ipsis maximè: & has maximè Ecclesiasticas & fidei conducibiles extitisse. 5. Tametsi Imperator indiceret Synodos, plerumque tamen de consilio & assensu Episcoporum id factum esse, & semper fieri debuisse. Authores qui id asserant, suprà audivimus. Audivimus & Synodum Romanam, quæ regis præcepto se collectam præfata, Pontificis tamen voluntate se colligendam, se collectam fuisse, mox excipit: Audivimus sextam Synodum Oecumenicam, quæ & ipsa, perinde ut reliquæ ab Imperatore convocata solemni more scribitur; quæ tamen & suæ & anteriorum Synodorum convocationi, sacerdotalem etiam authoritatem Imperatoriæ accessisse aut antecessisse potiùs testificatur. Nam in re Ecclesiastica & Apostolicæ propria potestatis, etsi verbo tenus primæ partes honoris videantur Imperatoribus concedi; reapse tamen principatus juris & potestatis penes Episcopos esse interpretandus est, quorum est & modestia & authoritas Apostolica. Itaque etsi Episcopi petant, Imperator jubeat; etsi Imperator ultro præcipiat, Episcopi assentiantur Synodum convocari; vel tunc tamen convocatio principaliùs reapse fit ab Episcopis, quia eorum jus & Apostolicum privilegium est, Ecclesiæ fideique consulere vel per Synodos, vel sine Synodis.

X. Quòd autem apud Eusebium Constantinus *l. 1.* de vita ejus, *cap. 44. Ecclesiæ Dei præcipuè curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Synodos congregavit.* Et *l. 4. cap. 23. & 24. Missa lex est ad præsides provinciarum, ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. Idem festos dies Martyrum jussu principis observabant, &c. Quocirca non absurdè cum Episcopos aliquando convivio excipiret, se quoque Episcopum esse dixit: his ferè verbis usus nobis præsentibus: Vos quidem, inquit, in iis quæ intra Ecclesiam, ego verò in iis quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus. Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subjectos, Episcopali sollicitudine gubernabat; & quibuscumque modis poterat, ut veram consectarentur pietatem, incitabat.* Non ii nos

sumus

sumus qui tanti Principis, & de Ecclesia, de Nicæna Synodo, de Christiano nomine tam bene meriti, invideamus laudibus, dictis insidiemur. Nec Episcopi qui tum aderant, gravatè hæc leguntur tulisse, quin pronis faviſſe auribus animisque, facilis conjectura est. Suscribimus itaque & quidem lubentes laico Episcopatui, si modò tamen id caveatur, ne bono Principi ultra limites ita amplificata tribuatur potestas, ut deterior in perniciem Ecclesiæ illa abutatur successor. Hæreat animo, successuros in Constantini locum Constantium, Julianum, Valentem, & alios hæreticos, desertores, fidei hostes, pueros, fœminas, & scisso Imperio quandoque nullos, aut pro uno plurimos. Talis ergo statuatur exterior hic Episcopatus, ut laica & carnali successione ad tales devolutus, Ecclesiam ne pessumdet. 2. Ne excidat trecentis fermè ante Constantinum annis, fide & sanctimonia eximiè præfulsisse Ecclesias, eversas hæreses innumeras, Synodos complures ubique coisse pacatissimas; cùm necdum Episcopatus hujus exterioris ulla vel umbra extitisset. Item multis ab hinc sæculis postquam excussa est Imperatoribus, & Episcopis reddita potestas Synodorum cogendarum, multas & oppressas hæreses & collectas Synodos exitu longè auspicatiore & tranquilliore, quàm olim post Nicænam, post tertiam, quartam, quintamque Synodos Oecumenicas ab Imperatoribus indictas. 3. Exterior, esto, Episcopus sit Imperator, sit Rex: ergo interiorum jura antiquiora, intimaque ne convellat Episcoporum. Nam si intrudat se in ea privilegia Apostolica quibus antè gaudebant Episcopi, non exterior tantùm, sed interior erit Episcopus, & unus in omnium cladem Episcoporum Episcopus. 4. Exterior ut sit Episcopus Imperator, ergo in laicos tantùm & sæculares jus suum exertet; non in Episcopos, non in Episcoporum senatum omnem. Nam si in Episcopos & in Synodos, quæ ipsa Ecclesiæ penetralia & quasi præcordia sunt, dominetur, non exterior, sed intimo interior erit Episcopus. 5. Si exterior est Episcopus, ergo interioris velut animæ & cordis nutum instinctumque sequatur: & sequatur, non præeat: obsequatur, non imperitet: exequatur, non leges dictet. Id enim discriminis exteriorem & interiorem, velut corpus & animam interesse æstimatur: interior ut præeat & dictet, sequatur & exequatur exterior. At si Episcopis, si Synodis, si legibus immineat Imperator, cùm hæc sint viscera ipsa Ecclesiæ, erit utique ille jam interior & spiritualis Episcopus. 6. Id apertè clamat textus Eusebii. Nam fores simulacrorum clausas, diem Dominicum observari jussum præsidibus, itemque festos dies martyrum. Imperatoris jussu cùm præmonuisset, tum ait illum exteriorem sibi visum Episcopum. Ergo in exequendis legibus Ecclesiæ, & foras promulgandis authorandisque, in hostibus fidei subjugandis, in laicis ad Ecclesiæ pietatem colligendis Episcopatus ille exterior defungendus est. Alta enim mente repostum nobis est discrimen, quod omnes Ecclesiæ Patres inter Episcopale & Regium Imperium statuere: hoc in corpora, illud in animas; hoc in sæcularia, illud in Ecclesiastica; hoc extra, illud intra Ecclesiam; hoc in cives, illud in ipsos Reges statuere. Quæ omnia turbantur & pessum eunt, si rei maximè Ecclesiasticæ, & ad Ecclesiæ, ad fidei, ad salutis æternæ summam maximè spectantis, hoc est, Synodorum cogendarum potestas primaria, & primus authoritatis cardo Imperatoribus arrogetur.

XI. Quòd autem id unum enixi sumus hactenus, ut principalem congregandæ Synodi authoritatem Regibus extorqueremus, Episcopis vendicaremus quasi postliminii jure, nec Romani Pontificis ea in re eximiam prærogativam nisi perfunctoriè adseruimus, consultò id à nobis factum est. Propterea nimirum, quia cum hæreticis luctamur, qui Imperatori eam authoritatem affingunt: suo more Ecclesiæ illudentes, cùm tam multa jamdiu fluxerint sæcula elumbati & ita secti Imperii Romani frustillatim, ut Oecumenicum Concilium ab Imperatore convocari jam neutiquam possit. Deinde quia si jus cogendæ Synodi penes Episcopos sit, nemini obscurum est quis inter eos emineat, nec de eo ulla apud Episcopos controversia. Denique etsi Episcoporum consensu colligerentur generalia Concilia, verticis tamen & summi capitis judicium, arbitrium, imperiumque evidentissimè emineret.

XII. Adde quòd & superiùs apud Eusebium Polycrates Ephesiorum Episcopus authoritate Victoris Synodum à se congregatam testatus est. Et apud Bedam de *Æquin. vern. Tunc Papa Victor Romanæque urbis Episcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæsariensis Palæstina Antistitem, ut quomodo Pascha recto jure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi in carne fuerat versatus. Perceptaitaque authoritate præditus Episcopus, non solùm de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes Episcopos convocavit. Ubi cum illa multitudo convenit sacerdotum, tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit.* Sexta Synodus suprà relata potestatem omnem & provinciam colligendæ Synodi Oecumenicæ ad solum Pontificem Romanum & Imperatorem revocavit. Apud Athanasium Eusebiani à Julio petunt, ut Synodum congreget. Synodi Romanæ sub Symmacho Patres, non Romanas tantùm, sed quascumque Synodos à Romano Pontifice convocandas affirmavere, *quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Acsi dicant, cùm Episcopos ad Synodum evocare ejus sit, qui inter Episcopos principetur: divino jure seu *divina jussione*, ut inter Apostolos solus Petrus, ita inter Apostolorum successores solus Petri successor principatur; reliqui autem Metropoliticæ seu Exarchicæ potestatis consortium aliquod Ecclesiastico jure assecuti quidem illi sunt, quo Episcopis præsint; sed ab eo defluum pendulumque, qui divino jure id ipsum obtinet. Ennodius item in *libel. Apolog. Venerando Concilio authoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit Symmachus, &c. Hoccine ergo nullo constabat exemplo, ut sacerdotum Papa Concilium convocaret, cujus arbitrium est collectio Synodalis.*

XIII. De Nicæna jam dictum est Synodo. Quis præter Damasum congregavit Romanam, quæ Constantinopolitanæ nomen & robur Oecumenicum conciliavit? Ephesinam primam collegit Theodosius Junior, sed & secundam. Quanquam vel primæ procellas quis non adhuc stupet? Post Ephesinam prædatoriam Synodum cùm œcumenica Synodo opus fuerit, incunctanter Leo ejus colligendæ author fuit Theodosio, qui author fuerat eidem, ne Ephesi priùs colligeretur. *Epist.* 12. *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* Si non Ephesi, sed in Italia habita fuisset Synodus, indubium est, exitum ejus longè auspicatiorem futurum fuisse. Postea rursus eidem suasor fuit Leo, ut in Italia Synodus conveniret, ad Ephesinum dedecus abstergendum, nec impetravit. *Epist.* 33. *Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat.* Præposteta ergo hic omnia & exitialia Ecclesiæ Principis consilia extitere, dum sacerdotalis chori principem non audit. Feliciùs cessit Chalcedonensis Synodus, quòd eam Leonis Papæ *authoritati* totam commiserit Marcianus, velut *principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentis*, ut habetur in ejus Sacra. Unde & Episcopi Mœsiæ secundæ in epistolam ad Leonem Imperatorem

torem (*Part. 3. Concil. Chalc. cap. 32.*) Eutychianam vesaniam peremptam ajunt *in Chalcedonensium civitate multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum; & venerabilis Sacerdotis & Patriarchæ Anatolii Concilio celebrato.* Unde *act. 1. Conc. Chalced.* Lucentius sedis Apostolicæ legatus, reum agit Dioscorum Alexand. Episc. *Quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Et Vigilius Papa *epist. 4.* ad Justinianum Imperatorem: *Nobis pios direxistis affatus, in quibus beatæ recordationis Cælestinum, atque Leonem Apostolicæ Sedis Præsules, qui singulas hæreses pro divina sibi dispensatione commissa, cum Synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant Christiani, mansura in ævum lege sanxerunt, laudabili commemoratis affectu.* Et Liberatus in breviario *c. 13. Marcianus Imperii culmen adeptus, pro illa Papæ & Principum Romanorum petitione universale Concilium congregari jussit.*

XIV. In quintæ Synodi convocatione vix ullæ fuere partes Vigilii. Sed sacræ & regiæ potestatis jura ut permiscuerit Justinianus, & ita utraque temeraverit, omnibus exploratum est. Nec nisi consensu demum accedente Romanorum Pontificum adjectam esse huic Synodo Oecumenicam authoritatem, æquè compertum. Ideò & sexta Synodus Vigilio & Justiniano gloriam adserit hujus Concilii ad optatum exitum provecti. Ideo & paulò post Pelagius II. *Epist. 8. Cum generalium Synodorum convocandi authoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta.* Et mox: *Multis denuò Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Non nesciebat tantus Pontifex, quantum sibi sumpsissent Imperatores in quinta, in tertia, in secunda Synodo convocanda: sed æquis omnia lancibus pendebat, Synodicamque authoritatem à Pontificali potiùs petitione, consensione, condescensione, quàm ab Imperatoria jussione dimanasse intelligebat. Quid de Lateranensi sub Martino, quid de Occidentali seu Romana Synodo sub Agathone? una hic coruscat Romani Pontificis majestas, & hinc generalis authoritas Synodo sextæ apud Græcos pòst habitæ irradiata est. Audi quæ (*In anteactis septimæ Synodi.*) scribat Gregorius Papa ad Leonem Isaurum: *Concilium Christi amantium Imperatorum & piorum Pontificum virtus est una, quando cum pace atque charitate res administrantur. Scripsisti ut Concilium universale cogeretur. Et nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor esse imaginum, & hostis contumeliosus, & eversor cessa. Nobis hoc largire ut taceas; tum mundus pace perfruetur, & scandala tacebunt. Finge nos te audisse, & ex universa terrarum orbe Pontifices congregatos esse Senatumque ac Consilium sedisse. Ubi est Christi amator ac pius Imperator, qui de more in Senatu sedere debet, &c.* Et infrà: *Testis est Deus, quascumque misisti ad nos Epistolas, auribus cordibusque Regum Occidentalium obtulimus, pacem illorum tibi, ac benevolentiam conciliantes, &c. Scire debes ac pro certo habere, Pontifices qui pro tempore Romæ extiterunt, conciliandæ pacis causa, sedere tanquam parietem intergerinum, septumque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse, &c. Quòd si nobis violenter insultes, & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere. Ad quatuor & viginti stadia secedet Romanus Pontifex; tum tu vade, ventos persequere, &c. Totus Occidens sancto Petro Principi Apostolorum fidei fructus offert.*

XV. Ubi aliqua multùm observanda se ingerunt. Primùm expetitam à Leone Isauro Oecumenicam Synodum fuisse, sed intercessisse Pontificem Romanum, ac prohibuisse. Intererat sanè ad Ecclesiæ & Fidei Catholicæ incolumitatem, ut Pontificis potestas in eo certamine superior eminerer. Ad hæc non poterat tum Imperator nisi ex Oriente Episcopos convocare: Occidens enim penè totus jugum ejus excusserat. Ergo concredenda ei non est facultas Synodi œcumenicæ, cujus Imperium ad tantas potest aliquando vel majores angustias coarctari. At Pontificia primæ sedis authoritas in omnem Ecclesiam & in omne ævum valebit. Præterea si memoriam revolvere libeat superioris ætatis, Imperii & sacerdotii eadem ferè erat conditio etiam tempore sextæ Synodi, immò & quintæ, quartæque, ac tertiæ. Ut enim ipsius Imperii sectiones taceam, jam Hispania, jam Africa, jam Gallia, jam Britannicæ insulæ, jam longè maxima Italiæ pars in alienorum propriorumque Principum ditionem concesserant; ut his regnis Regibusque nulla prorsus, aut si qua residua esset Romani Imperii reverentia, ea, ut suprà Gregorius significabat, Romanis Pontificibus accepta referenda esset; quibus cùm Occidens totus adhæresceret, per eos utcumque etiam Orientis Imperatori adhuc compaginabatur. Id quoque ipsum centum viginti quinque Episcopi Romana in Synodo sub Agathone congregati insinuarant Imperatori Pogonato: *Act. 4. Synodi 6. Nos licèt humillimi summis viribus enitimur, ut Christiani vestri Imperii respub. in qua B. Petri Apostolorum principis sedes fundata est, cujus authoritatem omnes Christianæ nobiscum nationes venerantur & colunt, per ipsius B. Petri Apostoli reverentiam, omnium gentium sublimior esse monstretur.* Vides ut non aliter quàm sequestre & conciliatore Romano Pontifice, Ecclesia omnis, ut ibidem mox subditur, Septentrionalis, Occidentalis in eandem cum Orientali Imperatore Synodum conspiraret. Quin imò cùm Occidentalis hæc Synodus prior quæ fidei erant, definiret, non poterant ab ea postea dissentire Orientales, ut antè Augustinus innuebat, utque infrà suis locis prolixiùs aperietur. Itaque magnificentia nominum Orientalibus & Synodis & Principibus permittebatur, vis ipsa & potestas penes Romanam & sedem & Synodum residebat.

XVI. Quò referendum est & illud Leonis Papæ *serm. 1. in natal.* Apost. Petri & Pauli: *Isti sunt, Roma, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut sis gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & regia; per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.* Si Christiana ergo Ecclesia ultra Romani Imperii pomœria fines suos protulit, non potuit Romani Imperatoris jussu Synodus œcumenica convenire. At Petri sedis principatus cum Ecclesia ipsa ubique gentium propagatur. Sive ergo distractas à Romani corpore Imperii, sive ab ejus potestate usque immunes regiones attendas, non secundam, non tertiam, non ullam deinceps aliam Synodum Oecumenicam, qua Oecumenicam convocasse potuit Imperator Romanus: sed hanc cum illo gloriam Romanus Pontifex ultrò communicavit. Quocirca scitè Gregorius suprà monebat, mutuo Pontificum & Imperatorum consilio Synodos coalescere. Et idem rursus *epist. 2. ibidem, Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Justiniani pater, qui sextæ Synodo interfuit, Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno consilio ac sententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, Sanctas Ecclesias constituerunt, & ornarunt.*

XVII. Qua de re Nicolaus Papa I. *Epist. 8.* ad Michael. Imp. illa quæ in actis Conciliorum leguntur convocationis jussa imperatoria, preces & hortatus interpretatur: *Attendat clementia vestra, quanta fuerit erga sedis Apostolicæ reverentiam antecessorum vestrorum amor & studium. Qualiter legimus*

suis

suis pro adunandis ei Ecclesiis promulgaverint, pro colligendis Conciliis ac proferendis sententiis non imperaverint, sed precati & hortati solùm extiterint: & que illi decreverunt, ipsi consenserint; & que illi damnaverunt, ipsi respuerint. Et idem *epist.*38. *Generale Concilium sine Apostolice sedis precepto nulli fas est vocandi.* Quæ ille ad Gallos scribit, apud quos Carolus Magnus, & reliqui ejus in Imperio successores eandem arripuerant convocandarum Synodorum potestatem. Otiosum esset sigillatim omnes perlustrare Synodos, quæ à Principe se convocatas ipsæ præfantur. At ipsæ eædem Pontificali, & maximè primæ sedis authoritate se collectas testantur. Et tunc Galli unanimiter epistolis Romanorum Præsulum inhærebant, quæ eis hanc reservant facultatem. Et *Capitular. l.6. cap.* 287. *Authoritas Ecclesiastica atque canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et addit *l.4. cap.* 12. *Legitima Synodo suo tempore Apostolica authoritate convocata, cujus jussione Domini & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum authoritas, & sanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas.* Sic igitur Galli Imperatores Synodum convocabant, ut præ se ferrent hanc peculiarem esse potestatem sedis Apostolicæ, *Domini jussione* constitutam, sibi ut ejus executoribus communicatam, & nec alio nomine sive à priscis usurpatam, sive ab ullis usurpandam Imperatoribus.

XVIII. Sed Gallicanæ Ecclesiæ, Gallicani quoque Imperii quis locupletior interpres Hincmaro Remensi? Ille ergo in *Opusc.*55. *cap. c.*20. *Septima apud Graecos vocata universalis Pseudosynodus de imaginibus, sine authoritate Apostolica sedis Constantinopoli est habita, &c. Unde tempore Caroli Magni Imp. jussione Apostolica sedis generalis est Synodus in Francia convocante præfato Imperatore celebrata,* &c. Vides ut authoritatem & jussionem sedis Apostolicæ præire jubeat, tum convocationem seu executionem ab Imperatore expectari. *Claret universales ac generales Synodos nominari, cum plures Episcopi fuerint congregati Apostolica sedis jussione & imperiali convocatione, sicut Sardicensis Synodus, &c. & in Africanis Synodis cum legatis Apostolicæ sedis celebratis.* Et rursus: *Sic igitur universales Synodi specialiter Apostolicæ sedis authoritate convocantur, & aquè provinciales canonicæ Synodi, decreto sedis Apostolicæ à Metropolitanis & provinciarum Primatibus convocantur. Sicut de conlatis clavibus regni cœlorum, id est, ligandi & solvendi Pontificio specialiter Sancto Petro dato & simul omnibus Apostolis, & in eis Catholicis Episcopis conlato, sancta & universalis tenet Ecclesia.* Quæ omninò appositè dicuntur ad nostrum hoc institutum. Nempe non solùm jussione & authoritate Apostolicæ sedis convocari generales Synodos, sed & provinciales, & quascumque demum Synodos, congregari à Præsidibus quidem suis, sive Metropolitanis, sive Primatibus, sed istas etiam *decreto* sedis Apostolicæ. Itaque ut Metropolitanis provinciales, ita summo Pontifici generales convocare Synodos proprium & adnatum jus est. Sed præterea nec provinciales possunt coire Synodi sine decreto Sedis Apostolicæ, tacito nimirum vel expresso, quia portio hæc est privilegii Petri. Omnis enim potestas clavium Apostolis, & per Apostolos Episcopis concessa, Petro tamen & Petri successoribus *specialiter* collata est, ideòque ab illis non est sine horum consensu administranda.

XIX. Et idem rursum Hincmarus *Opusc.*44. *to.*2. *num.*28. *Si nos fraterna charitas invitaverit, petiusque jussio Apostolica sedis & preceptio domni Caroli Imperatoris Augusti nos ad Synodum, sicut precipiunt regule, vocare decreverit, pro talibus que fortè provinciali nequiverint examine diffiniri, &c. Quoniam Imperatorum authoritate convocatas generales Synodos & in historiis Ecclesiasticis, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum reperimus. Et sanctus Gregorius Reges Francorum Synodos in Gallicis & Belgicis provinciis convocare sæpè commonuit.* Jussio Sedis Apostolicæ primas semper tenet, tum sequitur præceptio & convocatio Imperatoris, hoc est, executio. Itaque duplex hæc Pontificis & Imperatoris potestas nequaquam sibi collidi suspicanda est, cùm altera alteri obsequatur.

XX. At ubi postea Principes in ipsam Ecclesiam arma strinxere, pro qua induerant, tum necessum fuit ad solos Pontifices omnem hanc revolvi potestatem. Accipe quæ dixerat Fridericus I. Imp. ad Concliabulum Papiense à se congregatum anno 1160. apud Radevicum, *l.*2. *cap.*64. 65. *Quamvis noverim officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis; hoc enim & Constantinus & Theodosius, necnon Justinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Otto Imperatores fecisse memorantur: authoritatem tamen definiendi hujus maximi & summi negotii vestræ prudentiæ, vestraque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi.* Ubi secernas velim, quid jactantiæ extundat, de potestate cogendæ Synodi; quid exculpat vel invito veritas, de potestate Synodorum in Imperatores ipsos. Si enim Sacerdotibus *dedit Deus potestatem judicandi*: num potestatem non dedit iisdem conveniendi ad judicium? Num mendicari hanc facultatem jussit ab iis, de quibus judicaturi sunt? Quid dementius in mentem venire cuiquam potest, quàm ut judices à Deo constituti, non possint nisi convocati ab iis quos judicaturi sunt, convenire? Cùm præfatus ergo, cùm alii complures deinceps Principes abuterentur priore illa potestate, cœpere soli Pontifices & jubere & convocare Synodos Oecumenicas, consilio & consensu principum & optimatum utriusque ordinis priùs explorato. Quæ disciplina à veteri in speciem plurimum, reapse perparum distat. Invariatum id enim & constantissimis æternæ legis regulis coaptatum semper viguit: ut Ecclesiæ sive per orbem effusæ, sive synodaliter in unum aliquem locum congregatæ præesset summus Sacerdos, Christi Vicarius, Caput sacerdotum omnium, præesset inquam ut caput membris: membra colligaret, membra colligeret & adunaret. Ad id ubi opus foret, uteretur etiam ministerio principatus civilis, qui non aliter sacerdotio, quàm ut corpus animæ, ut membra capiti coaptatur. Id & olim valuit, & etiamnunc viget; id in medulla ipsa fixum & immutabile est, etsi extima rerum species & veluti cortex aliàs aliter se habere videatur. Gregorius X. in Conc. Lugdun. *Nos cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu prehabito, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit, decrevimus congregandum.*

XXI. In Florentina Synodo diu altercatum est, cùm Romanus Pontifex Ecclesiasticam libertatem suæ ipsius amplitudinis comitem indivulsam retentaret: Græcus Imperator veteres refricaret Synodos, Imperatorum, à quibus convocatæ essent, nomina præferentes. Alibi de ea Synodo copiosiùs. Unum hìc adverto, in actis Synodi præceptum non Imperatoris, sed Patriarchæ extare, quo ejus quasi nomine Synodus iterum indicitur, à Romano Pontifice jam indicta. Quod pacis, cui tunc laborabatur, studio dispensatum est. Nec tamen Imperatori ea potestas communicata. Inferiùs autem semel iterumque testificatur Marcus Ephesinus Metropolita, Canonum inter Græcos scientissimus; *Secutum se Oecumenicum Patriarchum, & divinitus datum Imperatorem ad Synodum.* At *act.*25. hæc ajunt Græci: *Admisimus privilegia Papæ, præterquam duo; Ne convocet Synodum Oecumenicam absque Imperatore, & Patriarchis, si veniant: quòd si advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quòminus*

Synodus fiat, &c. At Pontifex respondit: *Authoritatem sibi esse ac facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, cum opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati*. Quin ille ipse nuper editus scriptor historiæ hujus Synodi Græcus Episcopus, harum testis concertationum Imperatoris Græci, pro suo scilicet jure tuendo: sexcentis locis obtritam ab Imperatore lamentatur Ecclesiæ libertatem, obrutamque potestatem omnem Patriarchæ & Episcoporum, eaque de re frequentes Patriarchæ & Episcoporum querelas non silet. Qua de re aliàs.

XXII. Umbram aliquam rei ejusdem suspicari quis posset ad Carolum usque ejus nominis quintum defluxisse, ex præfatione Synodi Augustanæ anno 1548. *Cesareæ majestati hanc Synodorum congregandarum facultatem Germanorum Ecclesiæ veluti olim Constantino Imperatori totus ferè orbis acceptam ferunt*. Sed ad consensionem meram hæc spectare, & ad particulares Germaniæ Synodos, non ad totius Ecclesiæ universales, quis non videt? Tridentinam quippe Synodum solus convocavit, tametsi de Imperatorum Regumque, maximè Christianissimorum Galliæ, consilio, Pontifex; solus convocare potuit. Quota enim Christianæ Reipublicæ portio à multis jam sæculis pareret istiusmodi Imperatoriis jussionibus? Ideò cum Philippus Pulcher & uterque optimatum ordo ad Synodum Oecumenicam provocasset à Bonifacio Papa, non suam, non Imperatoris potestatem convocandæ Synodo parem auguratus est, sed ad Cardinales, ut Romanæ Ecclesiæ cardines confugiendum esse sensit, ad eosque scripsit: *Christus Ecclesiam in Petri vocabulo fundavit supra Petram, vosque ipsius columnas Ecclesiæ, fidei cardines, & Apostolorum constituit successores. Quapropter venerabilem cœtum vestrum attentè requirimus, & rogamus, quatenus ad convocationem & congregationem predicti Concilii generalis, prout ad vos pertinet, intendatis*. Multa hic præter jus commissa non nescio: unum id adverto, recurrendum fuisse ad ipsam Romanam Ecclesiam, & postea ad Clementem V. ut Synodus cogeretur, quam à sæculari principe quovis colligi posse desperabatur. *Hist. du Differ. entre Bon. & Phil. p.126.*

XXIII. Cusanus autem *l.2. de Concor. cap.2.* suprà delibato idem astruit argumento: *Habet quisque præsidens in suo gradu sibi unitos convocare, sine qua aut ejus vices gerente Concilium nec plenum, nec ritè adunatum censetur. Unde cum Romanus Pontifex supremus Capitaneus militantis hujus Ecclesiæ, & Princeps in Episcopatu fidei existat; universalia Concilia sine eo ritè, ejusve authoritate regulariter non celebrantur: sicut nec sine Metropolitano provincialis, aut sine Patriarcha universalis Patriarchalis, aut sine Episcopo Diœcesana*. Et ne in ornamentis Imperatorii apicis obmutescere posse putes Cusanum, rursus ille *l.3.c.13. Ex superioribus habetur, Imperatores sanctos congregationes Synodales universalium Conciliorum totius Ecclesiæ semper fecisse. Ita ego perlustrans gesta omnium universalium Conciliorum usque ad octavum, verum esse reperi*. Refert mox Heliæ Presbyteri & Syncelli Throni Hierosolymitani verba in eadem octava Synodo, hæc nempe: *Scitote, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos ex toto orbe terrarum*. Addit Cusanus: *Et legi in glossula Anastasii Bibliothecarii Apostolicæ Sedis, qui eandem Synodum de Græco transtulit, super eodem dicto, quod universales Synodos de omni terra, Imperatores colligere soliti fuerant; locales verò nunquam eos legitur collegisse*. Sedandæ denique hujus inter Pontificem & Imperatorem conflictationis rationem idem ipse infra extricat *c.15. Ad illud discutiendum dicamus, quod hoc interest inter utriusque convocationem, quoniam Papa ut primus & habens præceptivam potestatem ex principatu sacerdotii sui in omnes alios Episcopos, quoad eam congregationem, respicientem universalem Ecclesiæ statum, in qua ipse primam curam geris, Ex qua credita potestate, præcipere habet Christi fidelibus ut conveniant, maximè subjectis omnibus sacerdotibus. Imperator verò exhortatur, & suadet Episcopis, ac præcipit laicis*.

XXIV. In eandem sententiam concessit & Almainus, *lib. de dominio nat. civ. & Eccles. Dico primò quòd jure divino summo Pontifici competit authoritas ordinaria & regularis Concilium generale convocandi, & nulli alteri. Summo enim Pontifici jure divino obligatur quilibet fidelis obtemperare, & nulli alteri. Ergo jure divino soli summo Pontifici regulariter & ordinariè subjiciuntur ceteri Prælati, ut ad ejus præceptum teneantur pro utilitate Ecclesiæ ad certum convenire locum*. Et idem denuo l. de authoritate Ecclesiæ *cap. ult. Ad nullum authoritativè spectat congregare Concilium, præterquam ad summum Pontificem ex jure divino. Probatur sic. Authoritativè congregare Concilium est, iis qui interesse habent, præcipere, ut ad certum locum conveniant. Sed nullus præter Summum Pontificem singulis, qui habent interesse, authoritativè præcipere potest, ut ad certum conveniant locum, ex jure divino. Ergo nullus præter ipsum authoritativè congregare potest*.

XXV. Similiter Joannes Gerson libello de Auferib. Papæ: *Fateantur prius, quod regulariter Concilium generale non est celebrandum, de jure etiam divino, non vocante vel approbante Papa, si est unicus, nec adversùs eum allegatio legitima*. Eodem pertinent quæ ille differit tomo eodem primo *pag.* 179. 263. 264. 291. 371. item *tom.4. pag.* 105. 106. nempe regulariter jure divino convocandas à summo Pontifice Synodos universales, etsi extraordinariè aliter quandoque congregatæ sint. Quo postremo loco hæc habentur cæteris intertexta: *Post incrementa nascentis Ecclesiæ primitivæ, præmissa authoritas & potestas congregandi generalia Concilia, rationabiliter limitata fuit & restricta, sic scilicet quod sine authoritate Papæ nulli liceret hujusmodi Concilia congregare. Ratio fuit ut honoraretur Sedes Apostolica, & ne obviaretur hæreticis vel schismaticis, qui quandoque ad libitum prò potentia principum sæcularium Concilia vocari & congregari procurabant, ad suorum errorum fulcimentum*. Extraordinariè verò posse coire Concilia Oecumenica Romano Pontifice non convocante, sæpiculè quidem clamitat Gersonius, nec nos dissimulamus, quin optimo viro acquiescimus Magistro Duvallio, p.4. q.2. ubi ait; *Quæ diximus, regulariter & per se sunt accipienda. Nam si contingeret Concilium Oecumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium, ita ut ejus defectu omnia retro sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex ut illud indiceret; in hoc casu Cardinales possent illud indicere: qui si etiam nollent, Primates diversorum regnorum possent inter se convenire, & Episcopos sibi subjectos in unum locum convocare: quibus etiam renuentibus Episcopi ipsi mutuo hortatu in unum locum ad Ecclesiæ rebus providendum legitimè inter se convenire possent*, &c. Hæc eadem locis suprà citatis urget Gersonius, eadem Almainus, ita tamen ut hanc convocandæ Synodi extraordinariam potestatem neuter eorum adsignet tunc Imperatori, ut propriam & singularem, sed communem esse jubeat universæ Ecclesiæ, Episcopis, Principibus, denique fidelibus omnibus, omnibus nempe in extremo discrimine suos fines exilientibus, & publicas curas induentibus, maximè autem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

XXVI. Quibus consentaneus est Petrus de Alliacò l. *de Eccles. author. c.3. Ubi necessitas aut utilitas eminet, pro conservanda fide, vel bono regimine Ecclesiæ, ad Papam, vel in ejus defectu, ad Cardinales pertinet generale Concilium convocare. Et hoc eis convenit non tam humana, quàm divina institutione, vice & nomine totius universalis Ecclesiæ, quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministerio generali verbi Dei*, &c. Quæ hactenus & eo tantùm consilio à me promuntur, ut liquescat hinc lucidissimè, quàm con-

conſpiratè adimatur Imperatori præceptiva Epiſcopos ad Oecumenicas Synodos convocandi poteſtas: & quàm inſerta inviſceratáque ea ſit Sedis Apoſtolicæ Præſuli, quando ab eo in ejus optimates refunditur quodam modo.

XXVII. Nec Græci recentioros ab ſententia receſſerant, etſi penè obruti mole imperatoriæ poteſtatis, ipſa tantùm non altaria invadentis. Congregandæ enim Synodi poteſtatem quantamcumque adeptus eſſet Imperator: precariam, & obnoxiam tantùm, atque ab Eccleſia indultam fuiſſe, declarat Symeon Theſſalonicenſis de Sacris Ordinat. *part. 2. c. 9. Imperator ea de cauſa ſacram Epiſcoporum Synodum convocat, ea utens authoritate, ſibi antiquitus à divinis patribus, ut Eccleſiæ defenſori, conceſſa.* Patrum ergo atque Epiſcoporum propria eſt hæc authoritas. Romani autem Pontificis peculiarem eſſe, etſi jamdiu diſſimulant Græci, non diſſimulabat tamen olim Chryſoſtomus, cum Innocentium; non Eutyches, cum Leonem; non Flavianus, cum eundem Leonem & Oecumenicum Concilium appellabat. Una enim atque eadem opera Romanos Pontifices & œcumenicas Synodos ab illis congregandas appellabant, ut infrà accuratiùs ſuo loco demonſtrabitur. Non diſſimulabat Cyrillus, qui Concilium Epheſinum convocavit illico, ut perſonam induit & vices Romani Antiſtitis, teſte Liberato *cap. 5. Porro Cyrillus cum ſuis, habens vices ſedis Apoſtolicæ, Concilio evocato ducentorum Epiſcoporum, Neſtorium vocaverunt.* Non diſſimulabant Patres Synodi CP. primæ, cum ad Damaſum ſcriberent, *Concilium voluntate ac nutu Dei Roma convocantes, nos velut propria membra per epiſtolas Deo amantiſſimi Imperatoris accerſiviſtis.* Non diſſimulabant Patres ſextæ Synodi, cum ut ſuprà relatum eſt, Imperatori ad convocandas Synodos Romanum præ cæteris omnibus Eccleſiæ Principibus conſociabant. Non diſſimulabat denique Socrates *l. 2. cap. 13.* cum ex Julii Papæ ſententia ait, *vetari Eccleſiaſtico canone, abſque ſententia Romani Antiſtitis, Eccleſiis canones ſancire*: ſive ut Caſſiodorus vertit hiſt. tripart. *l. 4. cap. 9. Concilia celebrare.*

XXVIII. Finem dicendi facio, & reliqua, de Synodorum maximè particularium convocatione, in proprias ſingularium Conciliorum obſervationes differo; unum hoc antè profeſſus, magnam noſtris & ſuperioris ævi Principibus gratiam habere eos omnes, quibus Eccleſiæ Chriſti ſponſæ majeſtas cordi eſt, & libertas. Convocant enim illi etiamnum Synodos ſeu generales, ſeu particulares, ſed tanta pietatis & modeſtiæ luce, ut diſcreta ſacerdotii atque imperii jura effulgeſcant. Ubi Synodum enim indixit, convocavitque Pontifex, tum illi ſuæ quiſque ditionis Epiſcopos eò convolare urgent. Quòd autem rariſſimas hinc quidam muſſant Synodos colligi, aut imperitè, aut inconſideratè faciunt. Veniat in mentem innumerabilium Synodorum, quas inconſultis & invitis Pontificibus Imperatores olim coegere in perniciem fidei Catholicæ. Recurrat animo quàm multa olim maximi momenti ſine Synodis profligata ſint. Ubi maximè opus erat, tunc perſæpè negatas à Principibus Synodos penſitent; ubi importunum erat, acceleratas. Auguſtinum meminerint Pelagianis œcumenicam Synodum petentibus, os obturaſſe, atque oſtendiſſe complurimas hæreſes ſine congregatione Synodi oppreſſas. Gregorium Nazianzenum, & Martinum Turonenſem recordentur, quàm alieni fuerint à frequentia Synodorum. Quamquam ergo ſaluberrima ſit Conciliorum congregatio, ex Auguſtino; ſi Pontifices tamen incumbentem quancumque difficultatem aliter & commodiùs & compendioſiùs explicari poſſe arbitrabuntur, ſanctiſſimorum antiquiſſimorumque & prædeceſſorum & aliorum patrum judicio moribuſque accommodatè facient. Libertas autem ſi quibus minor ſub Pontifice, quàm ſub Imperatore fuiſſe videtur, næ illi nimiùm ſomniculoſi in evolvendis priſcarum Synodorum monumentis fuere, aut eas nec ſummis fortè digitis attigere. Principes gentium dominantur earum, Pontifices non dominantur in Clero: & ut dominari fingantur, mitiùs utique, quia inermes. Poſtquam enim magnificentia etiam, & pompa convocationis Synodorum penes Pontifices ferè ſolos fuit, num prædatoria uſquam graſſata eſt Synodus in fidem Eccleſiæ, in vitam Pontificum? Numqua Tyriæ ſimilis, aut Mediolanenſi, aut Ariminenſi, aut Epheſinæ ſecundæ, aut ut cæteras taceam innumeras, toſ Conſtantinopolitanis adversùs duas Chriſti voluntates, adversùs ſacras imagines? Nuncubi carceres aut vincula crepuere? num exilia aut neces? Num Cyrillus quiſpiam carceratus? num interemptus Flavianus, ne Martinos, ne Stephanos, ne Theodoros commemorem? Denique decreta ipſa Synodica improbè quidem, ſed tamen imperatoria poteſtate extorqueri cavillabantur hæretici. Vide Epiphanium in Audianis, qui ſtatutam de Paſchæ die legem Nicænam, ab Imperatore, non à Synodo mentiebantur conſcriptam. At decreta Synodica ſcribere, Pontificum eſt.

DISSERTATIO IV.

IN SYNODUM GANGRENSEM.

SYNOPSIS.

Unanimi Patrum Latinorum Græcorumque ſuffragatione evincitur, longè plurimas hæreſes jam inde ab incunabulis Eccleſiæ confectas, obtritaſque fuiſſe ſine Synodis ſolo Epiſcoporum conſenſu: vel Synodis localibus, firmatis conſenſione Epiſcoporum & Eccleſiarum totius orbis. Synodos œcumenicas nec ipſis hæreticis in mentem veniſſe: aut ſi venerint, & ad has provocaverint, plerumque has velut tergiverſationes exploſas fuiſſe. Ad numer. uſque XXIII. Idem efficitur ex recentioribus Theologis ad num. uſque XXIX.

Conſenſio iſta univerſalis Eccleſiæ, qua authorantur Synodi particulares, vel Eccleſiarum ſententiæ ſine Synodis, ad nutum & conſenſionem Sedis Apoſtolicæ religata fuiſſe oſtenditur: eam enim in definienda fide ſemper ducem præiſſe. Ad num. uſque XXXVII.

Deinceps declaratur qualeſcumque Epiſcoporum conventus, vel ſine conventu concentus Synodicam authoritatem obtinuiſſe.

I. COmplura ſecantur hæreſum capita in hac Synodo, ut ex ſingulis ejus liquebit Canonibus, etſi illa particularis tantùm & paucorum fuerit Epiſcoporum. Nec ullo tamen poſtea majore, aut Oecumenico Concilio opus fuit, ut quaſi decretorio judicio res finiretur. Sexcentæ quippè hæreſes ante Nicænam Synodum exortæ, oppreſſæque ſunt, aut particularibus tantùm Synodis, aut ſola Eccleſiarum ſine Synodis conſenſione. Conſule Euſebium *l. 3. cap. 26. 27. 28. 29.* Menandrum, Ebionem, Cerinthum, Nicolaum cum gregalibus ſuis perſpicies proſcriptos citra Synodos, ſola Apoſtolicæ fidei in Eccleſiis conſcientia. Et *lib. 4. cap. 7.* adversùs Saturnini, & Baſilidis, aliorumque in dies pullulaſcentium impietatem, nullæ coaleſcunt Synodi; ſed *Eccleſia per univerſum orbem inſtar clariſſimorum ſiderum fulgent, & viget in omne genus humanum fides Chriſti, &c. Plurimi Eccleſiaſtici viri patrocinium veritatis ſuſcipiunt, & pro Eccleſiaſtica, Apoſtolicaque doctrina diſertiſſimè decertant, &c. Et adverſariorum quidem inventa à ſemetipſis confutata, confeſtim extincta ſunt, aliis ſuper alias exorientibus ſectis, cum priores aſſiduè diffluerent, &*

in multiplices ac multiformes errorum species vario quoque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est, semperque sui similis & constans, novis quotidie incrementis augebatur, &c. omnium oculos non modò Græcorum, verùm etiam Barbarorum perstringens, &c. Mansitque tandem disciplina nostra, sola omnium consensu superior & victrix. Et *cap.* 11. Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci præstigias & mendacia memorat, & solo Ecclesiæ sole dissipata fuisse innuit. Et *cap.* 29. Tatianum *ab Ecclesia defeciſſe* monet, Eodem & sequente quinto libro complures hæreses, nullas Synodos memorat, donec ad Montanistas & Cataphrygas *cap.* 16. perlapsus; *Hi perpauci*, inquit, *erant Phryges, hujusmodi fraude decepti. Universam verò, quæ per orbem terrarum sparsa est, Ecclesiam, idem ille arrogantissimus spiritus maledictis appetere eos docebat, eo quod nec honorem, nec aditum ullum ad ipsam pseudopropheticus spiritus reperiret. Nam cum fideles qui in Asia erant, sæpiùs & in plurimis Asiæ locis convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & prophanam atque impiam judicassent, damnata hæresi, isti ab Ecclesia, & fidelium communione expulsi sunt.* Hæc ibi ex Apollinari Hierapolytano, ubi primùm audis Synodos in Asia adversùs Montanum coactas, sed præ cæteris, *universæ per orbem omnem terrarum sparsæ Ecclesiæ* adversùs illum conspirationem. Et *cap.* 18. de Montani assecla, ex Apollonio, *ausus est in Dominum, in Apostolos, & in Sanctam Ecclesiam impiè loqui.* Et *cap.* 20. Irenæus adversùs Florinum hæreseos novæ signiferum scribens, *Hæc dogmata*, inquit, *dissentiunt ab Ecclesia*, &c. *Hæc dogmata, hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterunt, nequaquam tibi tradidere.* Et *cap.* 19. Serapion Antiochenus Episcopus adversùs Cataphrygas scribens epistolam, *Atque ut sciatis*, inquit, *qualiter universa, quæ in terris est, fraternitas operationem illam simulatæ factionis, quæ nova prophetia nominatur, aversata atque abominata est.* Addit Eusebius: *Aliorum complurium Episcoporum idem sentientium propriis ipsorum manibus appositæ subscriptiones in illa Serapionis epistola leguntur.* Synodi itaque instar habebat hæc subscribentium Episcoporum consensio. Et *cap.* 21. *l. ejusdem* 5. Artemonis discipuli, Christum merum hominem blatterantes, *affirmant priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos ea quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse & docuisse, usque ad Victoris Papæ tempora; Zephyrini autem temporibus adulteratam esse veritatem*: adversùs quæ statim excipitur à Victore ipso Theodotum Coriarium, qui nudum hominem Christum esse asseruit, ab Ecclesia ejectum esse. Meminit idem *l.* 6. *cap.* 33. Synodi adversùs Beryllum Bostrorum Episcopum: & *cap.* 37. adversùs Arabas in fide similiter aliquid novantes. Et *cap.* 43. adversùs Novatum & Catharos, *Cum Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri verò ac Diaconi multò plures convenerunt. Cumque in provinciis Antistites, quid agendum esset, singuli consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c. Extant Epistolæ Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, in quibus & Romana Synodi gesta, & omnium per Italiam & Africam, aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur.* Mox ait Cornelium epistolæ suæ subjunxisse, non eorum tantùm Episcoporum nomina, qui in urbem Romam convenientes, Novati amentiam damnaverant; sed eorum etiam, *qui Romæ quidem minimè affuerant, superiorum tamen Episcoporum sententiam literis approbaverant; vocabula simul & civitates unde singuli literas dederant, accuratè commemorantem.* Et *l.* 7. *cap.* 24. Nepotis in Ægypto Episcopi Judaica quædam somnia, Dionysius Alexandrinus *convocatis Presbyteris & Doctoribus, qui fratribus per vicos præerant*, examinat opprimitque. Et *cap.* 27. 28. 29. adversùs Paulum Samosatenum convenit Antiochiæ Synodus prior & *postrema plurimorum valde Episcoporum.*

II. Ex his autem dilucidum fit, rariora ac penè nulla, nisi senescente secundo sæculo, coacta memorari Episcoporum Concilia: exinde autem sensim crebrescere ea cœpisse, nulla tamen nisi provincialia, vel localia ante Nicænum coisse. Et interim tamen emersere multò plures & atrociores, sopitæque & compressæ sunt hæreses nihilo difficiliùs, quàm postea. Igitur fidei regula non penes Synodos tantùm est, sed penes Episcopos, & Ecclesias etiam singulas, sedesque maximè Apostolicas. Et cùm regulæ fidei assertrices, hæresumque averruncatrices laudantur, non universales tantùm, aut generales, sed provinciales etiam & locales intelliguntur Ecclesiarum consensiones, & coitiones. 2. Sine Synodis instar quoddam Synodorum erat, ipsa Episcoporum inter sese per epistolas communio, dogmatumque communicatio, & ultro citroque disceptata deliberatio; & complurium Pontificum in unius alicujus principis dogmaticam epistolam subscribentium conjuratio Ecclesiastica. 3. Sine Synodis instar habebat Synodi consultatio tum usitatissima singulis Episcopis, in Presbyterorum, Diaconorum, & Doctorum Patriæ suæ conventu, de quolibet incursante fidei, vel disciplinæ capite ambiguo. 4. Sine Synodis generalibus, instar quoddam Concilii Oecumenici habebat, plurium per omnes orbis Christiani plagas particularium Synodorum pertractatio, & consiliorum communicatio, ultro citroque commeans, & in idem fidei vinculum conspiratio. 5. Denique sine Synodis generalibus instar erat Synodi Oecumenicæ, quælibet particularis Synodus, cum actis & decretis ejus reliqua Ecclesiæ per orbem totum crescentis universitas, vel per Synodos alias provinciales, vel per epistolas, vel tacito consensu per indissociabile communionis vinculum suffragabatur: Universim enim ex Scripturarum, Patrumque concentu liquidissimum est, Ecclesiæ ipsi desponsam oppigneratamque esse à Christo fidei veritatem inconcussam, sive illa in Synodos confluat, sive per epistolas consultet, sive silentio antiquitatis & traditionis retinentissimo novitates diluat. Nec enim ante Synodos errat Ecclesia, & in Synodis canit palinodiam: neque si prohibeantur Synodi hostili vi aliqua, in errorem unquam delaberur columna veritatis: nec Synodus tantùm, sed Ecclesia ipsa ante Synodos & sine Synodis *in nomine Christi congregata est*, & in medio sui, habet Christum, & Spiritus Sancti Oraculum. Ad hæc expende quæcumque suprà ex Eusebio acervata sunt; hæreses cumprimùm nascentes conterebant, vel Episcopi vel Ecclesiæ singulares sine Synodis, vel Synodi particulares; & ita irrevocabiliter prorsus damnatæ, contritæque toto orbe habebantur. Adeo quorumlibet Episcoporum sigillatim, & quarumlibet Episcopalium Synodorum particularium erat hæreses proscribere: & ubi vel expressus vel tacitus reliquarum Ecclesiarum consensus accessisset, jam provocandi aut diutiùs tergiversandi locus nullus supererat. Tacitus autem ille Ecclesiarum reliquarum consensus, non alio significabatur argumento, quàm ipso silentio, & continuato Ecclesiasticæ communionis fœdere cum Romano sedis Apostolicæ Præsule, ut infrà dicetur.

III. Atque ut Eusebio ipso antiquiores accersamus fidei jussores, aderit primùm Irenæus *l.* 1. *cap.* 2. & 3. *Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à discipulis eorum, accepit eam fidem quæ est, &c. Hanc prædicationem cum acceperit & hanc fidem Ecclesia, & quidem in universum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; & similiter credit his, videlicet quasi*

unam

unam habens animam, & unum cor : & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, &c. Sed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt; ſic & lumen prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Hoc ille arietę evertit omnes hæreſes; non Synodum allegat, ſed univerſalis Eccleſiæ ubique terrarum conſentientis doctrinam, quæ inſtar habet jugis & indeſinentis & Oecumenicæ Synodi; ita ut Nicæna Synodus nihil aliud poſſit edicere, quàm *Eccleſia Catholica credit*. Et *l. 3. cap. 40. Fidem*, inquit, *perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper à Spiritu Dei, quaſi in vaſe bono eximium quoddam depoſitum, juveneſcens & juveneſcere faciens ipſum vas, in quo eſt. Ubi Eccleſia, ibi Spiritus Dei. Et ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas.* Et idem *l. 3. cap. 2.* ait oppugnari hæreticos bifariam, vel Scripturis, vel *cum ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus nos*, &c. Et *cap. 3. Traditionem itaque Apoſtolorum*, inquit, *in toto mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus numerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* Succeſſionem mox recenſet Eccleſiæ Romanæ fundatæ à Petro & Paulo, & traditionem ibi ſervatam, *in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*: & cùm Epiſcopos omnes Romanos ad ſua uſque tempora numeraſſet, *Hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio & veritatis prædicatio, pervenit uſque ad nos.* Et inſtà: *Sed & quæ eſt Epheſi Eccleſia, à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos uſque ad Trajani tempora, teſtis eſt verus Apoſtolorum traditionis.* Et *cap. 4. Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia quæ ſunt veritatis, ut omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ.* Et paulò pòſt, *Quid enim, & ſi qua de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt; & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum, & re liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam reliquerunt iis quibus committebant Eccleſias; cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere & atramento ſcriptam habentes in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes*, &c. Et *l. 4. cap. 43. Quapropter*, inquit, *eis qui in Eccleſia ſunt Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione charisma veritatis certum, ſecundùm placitum Patris exceperunt.* Et *cap. 63. Agnitio*, inquit, *vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo, & charactere Corporis Chriſti, ſecundùm ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos.* Et *l. 5. cap. 1. Perfecit Chriſtus*, inquit, *Apoſtoli verò tradiderunt, à quibus Eccleſia accipiens, per univerſum mundum ſola bene cuſtodiens, tradidit filiis ſuis.* Et eodem *l. infrà cap. 20. Eorum qui ab Eccleſia ſunt, ſemita, circuiens mundum univerſum, quippe firmam habens ab Apoſtolis tra-*

ditionem, & videre nobis donans omnium unam & eandem eſſe fidem. Et mox, *Qui ergo relinquunt Eccleſiæ præconium, imperitiam ſanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes quantò pluris ſit idiota religioſus, à blaſphemo & impudente Sophiſta.* Ex his, ut opinor, luminis & præſidii plus ſatis accedit iis quæ ſuprà præſtruximus. Quibus concinit Clemens Alexandr. *l. 6. Strom. Cognitio ipſa eſt, quæ per ſucceſſionem ad paucos ex Apoſtolis abſque ſcriptis tradita pervenit.* Et *l. 7. Homo Dei eſſe, & Domino fidelis eſſe perdidit, qui adversùs Eccleſiaſticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreſeon deſiluit opiniones.* Et infrà, *Clarum eſt ex antiquiſſima & veriſſima Eccleſia has recentiores, & quæ his ſunt adhuc inferiores, tempore fuiſſe innovatas adulterinæ notæ hæreſes. Una eſt vera Eccleſia, ea quæ eſt antiqua. Eccleſiæ eminentia ſicut initium conſtructionis, eſt ex unitate, omnia alia ſuperans, & nihil habens ſibi ſimile, vel æquale.* Ubique Eccleſiam, nuſquam Synodos objectat hæreticis. Summa capita annotabo, ubi & Tertullianum his adprimè conſentaneum oſtendero.

IV. Tertullianus ergo concinit per omnia Irenæo lib. de præſcript. *Deinc in orbem*, inquit, *profecti Apoſtoli, eandem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cætera exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot & tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem Sacramenti una traditio.* Et pauçis interjectis: *Quid prædicaverint*, inquit, *Apoſtoli, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva voce, quàm per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contrà veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Et infrà: *Age nunc*, inquit, *omnes erraverint Eccleſiæ, nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, ut eſſet doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat. Ecquid veriſimile eſt, ut tot & tantæ in unam fidem erraverint? variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Et infrà ſingulares recitat Eccleſias Apoſtolicas, de doctrina fidei percontandas, Corinthum, Philippos, Theſſalonicam, Epheſum, Romam præ cæteris: *Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.* Et *lib. 1.* contra Marcionem, *Non alia agnoſcenda* erit traditio Apoſtolorum, quàm quæ hodie apud ipſorum *Eccleſias editur.* Et *lib. 4.* adversùs eundem: *Conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolicas fuerit ſacroſanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Theſſalonicenſes, Philippenſes, Epheſii, quid etiam Romani*, &c. *Habemus & Joannis alumnas Eccleſias. Nam etſi Apocalypſin ejus Marcion reſpuit, ordo*

tamen

lamen Episcoporum ad originem recensus, in Joannem stabit authorem. Sic & ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam Apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate Sacramenti confœderantur, &c. Et *l.* 5. adversùs Marcion. *Hoc probabit Apostolus dicens, &c. veritatis Evangelii quod pervenit ad vos, sicut & in totum mundum. Nam si jam tunc traditio Evangelica ubique manaverat, quantò magis nunc? Porro si nostra est, quæ ubique manavit*, &c.

V. Pluribus tempero. Ex his autem, in quibus tam bellè convenit Irenæo & Tertulliano, advertite, 1. de Synodis ubique apud utrumque altum in his esse silentium, præscribi adversùs hæreticos sola authoritate Ecclesiæ, ad hanc illos conveniri, ad hanc provocari, quòd in eam quasi *in depositorium dives plenissimè omnia contulerint Apostoli quæ sunt veritatis; ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ*. Quòd doctrinam suam *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit*. 2. Ecclesiam porro istam, à qua scitanda, hauriendaque sint oracula veritatis, esse illam universalem, quæ totum orbem occupaverat jam inde ab Apostolorum ævo: *quantò magis nunc?* Cui Spiritus Sanctus *à Christo missus*, *de Patre postulatus doctor* veritatis. Quam Spiritus Sanctus *Christi vicarius* non potuit, *nisi negligeret officium suum*, sinere *aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat*. Quæ tot & tantis Ecclesiis cùm constet, non potuit *in unam fidem errare. Variasse enim debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*. Quæ denique toto orbe *unam animam habens, & cor unum possidens*, unam fidem & traditionem prædicans, instar habens Solis, qui unus in universo orbe lucet, & omnes illuminat, nullius potest hominis esse figmentum. 3. Sed & singulares quaslibet Ecclesias, sedesque Episcopales consulendas in omni lubrica quæstione, & audiendas esse, quia *traditio quæ est ab Apostolis, per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur*, & ad hanc *provocantur* omnes hæretici. Quia *habemus numerare* eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil *tale docuerunt*. Quia *ordinem traditionis reliquerunt Apostoli iis quibus committebant Ecclesias*. Quia *multæ gentes Barbarorum* sine Scripturis Christo credunt, sanamque fidem ex traditione Ecclesiæ suæ custodiunt. Quia Presbyteri Ecclesiæ, *cum Episcopatus successione charisma veritatis certum excepe-runt*. Quia Ecclesiæ omnes Apostolicæ sunt, id est, vel ipsæ ab Apostolis prognatæ primùm, vel ab Apostolicis Ecclesiis seminatæ: & ita originaliter Apostolicæ, sicut Episcopi omnes Apostolorum sunt successores. Quia denique omnes Ecclesiæ, fraternitate, communione, & contesseratione unius Sacramenti, una Ecclesia est. 4. Sed præsertim tamen *ad antiquissimas Ecclesias*, ut ait Irenæus, ad Apostolicas *matrices & originales*, ut docet Tertullianus, recurrendum esse: ad eas quas viva voce Apostoli, quas per literas, quæ leguntur illic etiamnum, seminarunt. Et ante cæteras ad Ecclesiam Romanam, ut ait idem Irenæus, ob potentiorem ejus principalitatem; & ut ait Tertullianus, *cui Evangelium Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt*. 5. Sed ita particulares Ecclesias sedesque Episcopales, vel percontandas, vel incunctanter audiendas, quamdiu sua cum aliis omnibus Ecclesiis communione, unum fidei sacramentum contesserant. Hac enim communione, *tot & tanta Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem*. Sic omnes una, sic extremæ prima, sic singulæ & particulares tota & universa: Omnes enim in singulis, & universa in quibuslibet est, dum ubique in unum corpus conspiratur, & in unum spiritum. 6. Concilia autem laudantur à Tertulliano, *per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani, magna veneratione celebratur*. Illis ergo majestas, veneratio, veracitas, & nescia erroris fides inde conciliatur, quòd sint *repræsentatio totius nominis Christiani*: hoc est, quòd quæ ubique locorum & priùs semperque in singulis Ecclesiis ab omnibus Episcopis catholica communione fruentibus fides tenebatur, ea in Concilio retineatur, & pomparicè, unoque veluti ex ore universi generis humani promulgetur.

VI. His addes, si voles, Cyprianum, qui *lib.* 1. *epist.* 3. *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur: cui si secundùm divina magisteria obtemperaret fraternitas universa, nemo adversùm sacerdotum collegium quidquam moveret, &c. nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens & tumens seorsum foris novam hæresin conderet*, &c. Et *lib.* 3. *epist.* 13. *Quàm vanum est, ut Novatiano nuper retuso & refutato, & per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare!* Et rursum *l.* 1. *epist.* 3. ait: *Privatum veterem hæreticum in Lambesitana provincia, ante multos annos nonaginta Episcoporum sententia condemnatum*. Quibus si addas, quæ in præfatione Ancyranæ Synodi suprà ex eodem Cypriano decerpsimus, manifestè perspicies, 1. quæ Irenæi & Tertulliani ævo rariora erant Concilia, passim jam & numerosa temporibus Cypriani congregata fuisse. 2. Quæ ab uno, vel paucis Episcopis alicubi in hæreses novas decreta fuerant, ea protinus cæteris communicata fuisse Ecclesiis, & approbata, & in authoritatem universalis Ecclesiæ recepta: quia unus toto orbe Episcopatus indissociabili collegio, & fidei vinculo sibi cohærebat. 3. Vice Concilii Oecumenici id fuisse tunc, quòd novellus quisque hæreticus *refutaretur, & retunderetur, & abstineretur per totum orbem à Sacerdotibus Dei*. Quid enim oberat locorum intercapedo, cùm omnes ubique gentium Episcopi, velut uno spiritu, unoque ore, ad hæresin, hæreticumque damnandum convenirent, conspirarentque? 4. Nulli provinciali Concilio novellam hæresin damnanti obtrectari, vel derogari poterat, cui nimirum summa statim & ineluctabilis authoritas universæ Ecclesiæ conciliabatur, cæterarum omnium Ecclesiarum, & Episcopalium Sedium, vel tacita, vel expressa consensione.

VII. Atque ut cæteros quoque unà conglobem in unum veluti cuneum, Pacianus Epist. 1. ad Sympron. *Parva nobis de Apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano martyre atque doctore curris authoritas? An volumus docere doctorem? Quid tot earum partium sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una solidavit? Quid tot annosi Episcopi, tot martyres, tot confessores?* Et *epist.* 3. adversùs eosdem Novatianos, *Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc usque securus, ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus, nullâ discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es*, &c. Cùmque Novatianus objectaret, Ecclesiam esse *Virginem sanctam, castissimis sensibus*, &c. reponit ipse etiam Ecclesiam, *fœcundam vitem in lasciribus domus Domini, matrem adolescentularum, quarum non est numerus, unam speciosam columbam*, &c. *Ecclesia plenum est corpus & solidum, & toto jam orbe diffusum, non ut vos estis Novatiani, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, à reliquo corpore separatum. Ecclesia est templum Dei, templum amplificum,*

cum, domus magna, &c. Multus huic virgini partus & proles innumera, qua totus orbis impletur, &c. Quamquam in Novatianos collectæ fuerant Synodi particulares multæ, nullius earum meminit Pacianus, ſed eos validiſſimè impetit conteritque univerſali Epiſcopatus toto orbe ſparſi, & ſibi cohærentis, univerſali & ineluctabili authoritate Eccleſiæ Catholicæ orbem univerſum occupantis, & paucitatem hæreſeos cujuslibet obruentis. Huic enim authoritati univerſali particulares illæ Synodi implicabantur. Optatus Mileu. *lib.* 1. *Videndum eſt quis in radice cum toto orbe manſerit, quis foras exierit.* Et *l.* 2. *Ergo quia probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa,* &c. Et mox, *Cathedra unica ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat.* Identidem inculcat, Catholicos eſſe qui *communicant memoriis Sanctorum Apoſtolorum*, & Eccleſiis quas fundaverunt Apoſtoli: at hæreticos, *unitatem cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apoſtolorum habere noluiſſe.* Nuſquam Concilia hæreticis intentat, ſemper unitatem, conſenſionem, communionem Epiſcoporum univerſalis Eccleſiæ.

VIII. Hieronymus adversùs Vigilantium ſic inſurgit, *Mulè facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli, ſecundùm nos oſſa veneranda: ſecundùm te, vilem pulviſculum, offere Domino ſacrificia: & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria? Et non ſolùm unius urbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum,* &c. Viden ut Romani Epiſcopi ſententiam, & cæterorum orbis Epiſcoporum conſenſionem etiam ſine Synodis, ſatis præſidii eſſe putet, ut novitati hæreſeos os obſtruatur? Et adv. Lucifer. paulò ante finem, *Poteram*, inquit, *diem iſtiuſmodi eloquio ducere, & omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ ſole ſiccare. Verùm brevem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat.* Et ſuperiùs acriter exarſerat in eos, qui Eccleſiam à tua univerſitate in angulum contruderent: *Allocutio Patris impleta eſt, Poſtula à me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* &c. *Et ubi iſti ſunt nimiùm prophani, qui plures Synagogas aſſerunt eſſe, quàm Eccleſias?* &c. *Si Eccleſiam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantùm habet, nimiùm pauper factus eſt,* &c. Quæ ille perſonat in Luciferianos. Alexandrinæ Synodo & diſpenſationi ibi conſtitutæ non acquieſcentes, ideoque ab Eccleſiæ univerſæ vinculo deſciſcentes. Et in Epitaphio Paulæ, *Igitur juxta Eccleſiarum traditiones, & Apoſtolum Paulum,* &c. Et in epiſt. ad Demetriadem, *Ut Sancti Innocentii qui Apoſtolicæ Cathedræ & ſupradicti viri ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem,* &c. Et paulò antè, Anaſtaſius *vir ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſolicitudinis ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia Hydræ ora compeſcuit.* Ita ille ſine Oecumenicis Synodis & Pelagianos ab Innocentio, & Origeniſtas ab Anaſtaſio damnatos teſtatur. Et in Apolog. adver. Ruff. *Et tamen miror quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit? Epiſcopi ſuſceperint, quod fides Apoſtolica condemnavit?* Et in epiſt. ad Theophilum, *Scito nihil nobis eſſe antiquius, quàm Chriſti jura ſervare, nec patrum tranſire terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cujus ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.* Et in Apologia adv. Ruff. *Non valet*, inquit, *apud eos* Origenis defenſores, *ſuper Origenis damnatione, Epiſcoporum authoritas. Quid facient epiſtolæ Theophili Epiſcopi? Quid Papæ Anaſtaſii in toto orbe hæreticum perſequentes?* Et idem intrà decerpit aliqua ex epiſtola Origenis, *qua tota Demetrium Alexandrinæ orbis Pontificem lacerat, & in totius orbis Epiſcopos & clericos invehitur, & fruſtra ab Eccleſiis excommunicatum eſſe ſe dicit.* Et rurſus in Apologia adv. Ruffinum, cum illum à Theophilo & Anaſtaſio damnatum ſæpiùs oggeſſiſſet, *Si vel parvam*, inquit, *ſchedulam contra me Romani Epiſcopi, aut alterius Eccleſiæ protuleris, omnia quæ in te ſcripta ſunt, mea crimina confitebor.* Inſerta eſt & eidem tomo epiſtola Theophili ad Epiphanium, hortantis, ut coactis ubique Synodis damnentur Origeniſtæ, *Ut omnes uno ſpiritu congregati cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradamus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ poſſidet eos.* Et epiſt. ad Marcum presbyt. adversùs eos qui ei ut hæretico obtrectabant, *Aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent.* Et infrà: *Pudet dicere de cavernis cellularum, damnamus orbem. In ſacco & cinere volutati, de Epiſcopis ſententiam ferimus. Quid facit ſub tunica pœnitentis regius animus?* Quibus quid invictius, ut liqueat non ſemper allegandas Synodos, ſed Catholicæ fidei indubiam teſſeram eſſe conſenſionem communionemque cum Epiſcopis, cum Eccleſiis per orbem, maximè cum Apoſtolicis cathedris, & inter iſtas maximè cum Romana? Et epiſt. ad Pammachium & Marcellam, *Prædicationem quoque cathedræ Marci Evangeliſtæ, cathedra Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet.*

IX. Auguſtinus *lib.* 4. ad Bonifac. *cap. ult.* cum Cypriani & Ambroſii teſtimonia adversùs Pelagianorum deliramenta protuliſſet: *Quid ergo*, inquit, *quod jactant rabioſa nunc mentis cæcitate, toto penitus Occidente, non minùs ſtultum, quàm impium dogma ſuſceptum? Quandoquidem Domino miſerante, ſuamque Eccleſiam miſericorditer gubernante, ſic vigilavit Catholica fides, ut non minùs ſtultum quàm impium dogma quemadmodum Manichæorum, ſic etiam non ſuſciperetur iſtorum.* En unde authoritatem accerſit univerſalem & inconcuſſam Synodis localibus, ubi hæreſis Pelagiana exploſa fuerat. Et infrà: *Quid eſt ergo quod dicunt: De ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt? Nunquid beatiſſimis & in fide Catholica excellentiſſimis viris Cypriano & Ambroſio ante iſtos, adversùs iſtos extorta ſubſcriptio eſt?* &c. *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit? Cum potiùs rariſſimæ inveniantur propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit: multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, ſed potius in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cum potius vigilantia & diligentia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque lupi iſti apparuerint, conterendi ſint.* Perſpicuè patres iſti, & ante cæteros Auguſtinus, non errandi prærogativam Eccleſiæ vendicant univerſæ & ſingulis Eccleſiis Epiſcopalibus, quamdiu univerſæ conſentiunt, ſibi quoque ipſis conſentienti. Perſpicuè nullas, ut ea non errandi dos conſtet, flagitant Synodos. Perſpicuè complurimas hæreſes ſine Synodi congregatione illic improbatas, damnataſque docent fuiſſe, ubi eruperant; ut inde per cæteras terras devitandæ innoteſcerent. Perſpicuè id Catholicæ Epiſcoporum inter ſe communioni tribuunt, ut quod alicubi, id ubique: quod ab aliquo eorum, id ab omni-

omnibus inuratur censura Ecclesiastica. Perspicuè particularibus Synodis sufficienter judicari, damnarique hæreses definiunt, nec opus esse totam fatigari Ecclesiam, ut Synodus generalis habeatur. Perspicuè nec ipsi hæretici ab Episcopalibus Conciliis localibus provocabant ad universale Concilium, etsi de illis querebantur, quod solent mali litigatores, & quicumque causa ceciderunt; & ad majorem Synodum suspirabant, non provocabant tunc quidem: aut si provocabant, hæc non ut legitima provocatio, sed ut frustratoria tergiversatio contemnebatur. Et ne semel Augustino hæc placuisse quis sibi fingat, eadem penè leges *lib. eadem* 4. ad Bonifacium *cap.* 8. *Et serm.* 2. de verbis Apost. ubi de Pelagianis, *Prorsus ubi tales*, inquit, *inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Et *lib.* 2. operis ult. adversus Julian. *num.* 103. *Quid adhuc*, inquit, *quæris examen, quod apud Apostolicam sedem jam factum est? Quod denique jam factum est in Episcopali judicio Palæstino. Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.* Et suprà *num.* 2. cavillante Juliano, *quia rerum est maxima confusio, & stolidorum maxima multitudo; eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu velificetur dogma populare.* Respondet Augustinus: *Tales populos non fecit, sed invenit Ambrosius: non fecit, sed invenit etiam ipse Cyprianus: tales populos in Ecclesia etiam pater tuus, quando baptizatus est, invenit: postremò Catholicos populos inveniistis & vos: compescite vos, fatemur, quia dogma nostrum est popular, quia populus Dei sumus, &c. Nunquid Manichæus pluribus placet? Nonne sicut parricidæ, & pauci & pessimi sunt? Nolite ergo de paucitate gloriari*, &c.

X. Et idem rursum Augustinus Pelagianos sin minùs in Synodo, saltem in collatione aliqua novum examen flagitantes, & exemplo Donatistarum se tuentes, quibus non ita pridem collatio esset indulta, ita retundit: *Absit à Christianis potestatibus terrenæ reipub. ut de antiqua Catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum & tempus examinis præbeant: ac non potiùs in ea certi atque fundati, talibus quales vos estis, inimicis ejus disciplinam coercitionis imponant. Quod enim propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coegerunt, ignorantes quid antè sit gestum, quod eis fuerat ostendendum: quales vos turbas Deus avertat ut habeatis: Deo tamen propitio non habetis.* Ita *lib.* 1. *oper. ult. contr. Jul. num.* 9. Cui gemellus est locus alter ille ex *lib.* 2. operis prioris adv. eundem *cap.* 1. *Jam vos ergo totius pœniteat hujus erroris, ne argumento miserrimo utamini, quo universi utuntur hæretici, quos à pernicioſa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippe hujusmodi dicunt, laborare illam partem rationis inopia, quæ in differendo, cum terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum. Novi denique hæretici vos estis, sed istam penè omnium hæreticorum veterem vocem cum cæteris agnovistis atque tenuistis. Nec vos & alios decipiatis velut talem vocem habentes adversùs nos, qualem nos adversùs Donatistas, quos ad collationem nobiscum venire per imperialia jussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum patiebatur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, &c. Quod verò ante centum fermè annos, majores nostri cum eis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, ut saltem gestis nostra collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens judicium communium Episcopo-*

rum modò causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulentia vel insidiosa inquietudine cohibeamini. Confert eos mox Donatistarum furculo, Maximianistis, quibus enixè petentibus collationem, negarunt Catholici: *Cupiebant enim exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant.* Post provinciales ergo Synodos & Apostolica rescripta, semel damnatis hæreticis, ad novum examen ne collatio quidem, nedum Synodus debetur. Ex dispensatione concessa, aut inflicta potiùs est Donatistis collatio, necessitate id præter ordinem usitatum extundente, ob eorum multitudinem & turbulentissimas infestationes.

VI. Et epist. 157. *Hæresis nova vel authores vel certè acerrimi notissimique suasores cum Pelagius & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia, in adjutorio Salvatoris qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ sedis Papa Innocentio & Papa Zozymo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sint.* Et rursus *lib.* 1. *op. ult. in Jul. Quasi verò in Concilio Episcoporum quod non salubriter, sed jactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari*, &c. Nusquam, ut videx, vel tantisper in spem ulterioris examinis, vel Synodi generalis respirare eos sinit.

XII. Præmittendæ his fuerant Ambrosii & Siricii adversùs Jovinianum Synodi & epistolæ. Siricius enim ait: *Facto Presbyterio constitit doctrinæ nostræ, id est Christianæ legi esse contraria.* Unde ait Jovinianum cum sociis sua & totius cleri sententia *in perpetuum damnatos extra Ecclesiam remanere. Quòd tuſtodituram sanctitatem vestram non ambigens, scripta direxi*, &c. Cui cura Synodo sua rescribit Ambrosius: *Quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos.* Nec ultra progressa est ad alias Synodos illa disceptatio.

XIII. Leo Magnus *epist.* 17. damnato semel Eutychete in Synodo Constantinopolitana à Flaviano, supersedendum putabat à convocatione Synodi generalis, *Cum tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum.* Idem postea Chalcedonensem colligi Synodum laboravit, ut non tam damnandæ Eutychetis hæresi, quàm proscribendæ Ephesinæ Pseudosynodo necessariam. Et *epist.* 86. adversùs Pelagianos scribens, qui, ut suprà vidimus, Oecumenicam Synodum flagitaverant: *Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.* Et *epist.* 93. adversùs Priscillianistas, particularibus tantùm Synodis & tacito Ecclesiarum omnium concentu damnatos, *Meritò patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur. Quando etiam principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut authorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent.* Vide & *ibidem cap.* 16. 17.

XIV. Sulpitius Severus *Dialog.* 1. *cap.* 2. *Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Episcopos atque Monachos certamina gerebantur; ex ea occasione, quia congregati in unum sæpiùs sacerdotes, frequentibus decrevisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant: quæ adsertores ejus defendere non ausi,*

ab

ab hæreticis potiùs fraudulenter inſerta dicebant, &c. Adverſum hæc Epiſcopi obſtinatiùs renitentes pro poteſtate cogebant, recta etiam univerſa cum pravis, & cum ipſa authore damnare; quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet, &c. Et infrà: *Etſi fortaſſe videantur parere Epiſcopis debuiſſe, non ob hanc tamen cauſam, multitudinem tantam ſub Chriſti confeſſione viventem, præſertim ab Epiſcopis oportuiſſet affligi.* Ad proſcriptiones enim Monachorum ventum eſt. Vides autem ut tunc Origenes vir tantus & de Eccleſia tam bene meritus, inuſtus ſit cenſura Epiſcopali in particularibus tantùm Synodis. Ex hoc eodem & ex Idacii Chronico adde, ſi voles, quæ de Priſcilliano narrantur, particularibus tantùm Synodis damnato, ad Cæſarem provocante, & capite luente.

XV. Adde Proſperum *l. adv. Collat. cap.* 41. *Quando b. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit. Quando Pelagium, ad proferendam in ſe ſuoſque ſententiam, Paleſtinorum Epiſcoporum Synodus coarctavit. Quando Africanorum Conciliorum decretis b. recordationis Papa Zozymus ſententiæ ſuæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum, &c.* Et ibidem: *Cæleſtinus ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi.* Vides Synodis localibus & Apoſtolicis reſcriptis etſi non acquieſcant hæretici, acquieſcere Eccleſiam univerſam: & novam audientiam poſtulantes, in longinqua deportari exilia. Et carm. de ingratis idem proſequitur,

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri. Non ſenior inde Orientis
Rectorum cura enituit.
Tu cauſam fidei flagrantiùs Africa noſtra
Exequeris; tecumque ſuum jungente vigorem
Juris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, &c. Geminoque ſenum celeberrima catu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Et Epheſina quidem Synodo damnati rurſus fuere Pelagiani, ſed citra novum examen, ſola prioris damnationis memoria renovata, ut infrà dicetur.

XVI. Et *lib.* 4. de prom. & præd. ſeu de dimidio temporis, *cap.* 5. univerſalem regulam figit, ut ſine Synodis dignoſcantur hæretici, ſicubi non allubeat Eccleſiæ Synodos colligere, aut non expediat: *Ab Apoſtolorum conſortio alieni inveniuntur omnes hæretici, qui relicta pace communionis, & panis unius Dei & Apoſtolorum, in ſuis non Eccleſiis, ſed plateis prædicant, & eorum memoriis non communicant: ſeparati à toto Catholicum ſibi nomen aſciſcunt. Cum in ipſa Jeruſalem Jacobus & Stephanus primus martyr; Joannes apud Epheſum, Andreas & cæteri per totam Aſiam, Petrus & Paulus Apoſtoli in urbe Roma Gentium Eccleſiam, in qua Chriſti Domini doctrinam erudierunt, pacatam, unamque poſteris tradentes, ſanguine memoriiſque ſuis ex dominica paſſione ſacrarunt. Huic generali Eccleſiæ communicans Chriſtianus, Catholicus eſt: ab hac ſegregatus, hæreticus eſt, & Antichriſtus.*

XVII. Caſſianus quoque *l.* 1. *de Incarn. cap. ult.* cùm Leporii Presbyteri confeſſionem fidei, ſeu libellum emendationis recitaſſet, addit, *Hanc ejus confeſſionem, id eſt, Catholicorum omnium fidem, & omnes Africani Epiſcopi unde ſcribebat, & omnes Gallicani ad quos ſcribebat, comprobarunt. Sufficere ergo ſolus nunc ad confutandam hæreſin deberet conſenſus omnium: Quia indubitatæ veritatis manifeſtatio eſt, authoritas univerſorum: & perfecta ratio facta eſt, ubi nemo diſſenſit. Ita ut qui contra hoc ſentire nitatur, hujus prima ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quàm damnanda perverſitas: quia præjudicium ſecum damnationis exhibuit, qui judicium univerſitatis impugnat: & audientiæ locum non habet, qui à cunctis ſtatuta convellit. Confirmata enim ſemel ab omnibus veritate, quidquid contra hoc venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quod à veritate diſſentit.* Conſenſiſſe præfatus Africanos & Gallicanos Epiſcopos, jactabundus illico univerſitatem conſenſiſſe, & inconcuſſæ veritatis documentum id eſſe prædicat. Nec ulla ibi Synodorum mentio. Inſtar ergo habet Synodi illa Epiſcoporum ſpiritalis compaginatio, in unum quid conſentientium, & totius Eccleſiæ conſenſum præ ſe ferentium, quòd nuſquam ſibi intercedatur, nuſquam pax & communio abrogetur. Et *lib.* 6. *cap.* 10. Neſtorium ita objurgat: *Videlicet pro arbitrio ac libidine tua, cum vis, diſcipulus es: & Eccleſiæ, cum vis, hoſtis. Cum vis, Catholicus: cum vis, Apoſtata. Dignus nimirum author, qui in quamlibet partem te contuleris, Eccleſias poſt te trahas. Cujus voluntas, lex vitæ noſtræ ſit: qui mutabilitate tua humanum genus mutes: & quia tu eſſe nolis, quod omnes ſunt; omnes ſint, quod tu velis. Præclara videlicet authoritas: ut quia tu quod eras, non es: eſſe mundus deſinat, quod fuit.* Vide *lib.* 7. *cap.* 30.

XVIII. Vincentius Lirinenſis commonitorio utroque fuſiſſimè hoc unum perſequitur argumentum: *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim verè proprièque Catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat: quæ omnia verè univerſaliter defendit. Sequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Ita *com.* 1. *cap.* 3. Et *cap.* 32. viſum Conciliorum deſcribere ingreſſus ait: *Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, &c. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt, niſi ut quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentiùs crederetur? Quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantiùs prædicaretur. Quod antea ſecuriùs colebatur, hoc idem poſtea ſolicitiùs excoleretur. Hoc, inquam, ſemper, neque quidquam præterea, hereticorum novitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut quod priùs à majoribus ſola traditione ſuſceperat, hoc idem poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret; magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei ſenſum, novæ appellationis proprietate ſignando.* Solo igitur Eccleſiaſticæ fidei Sole ſine Synodorum præſidio complurium diſcuſſæ ſunt hæreſum tenebræ; ſi quando acceſſere Synodi, non nova, ſed eadem ac priùs fides, ac doctrina ſeſe explicuit.

XIX. Ferrandus Diaconus epiſt. ad Severum Scholaſticum: *Interroga, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diverſa terrarum loca Pontifices, quibus ſcientia cœleſtium præceptorum divinitus inſpirata, famam grandem ſui cum veneratione collegit. Iſtos ſine dubio & ad diſputandum idoneos, & ad ſuadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaberis, ſi conſulas, adhuc incertus; & laudaberis, ſi ſequaris, veraciter doctus. A me autem ſic expete debitum charitatis, ne incurrere ſuadeas culpam temeritatis.* Aſpice quos conſuli jubeat, quos audiri. Nimirum Pontifices, maximè Sedis Apoſtolicæ. Ut penes quos affluat, non doctrinæ tantùm, ſed & authoritatis copia. Reliquos autem præter Epiſcopos, conſuli quidem poſſe, & audiri, ſed hæſitantiùs. De Synodo autem

tem flagitanda ibi non meminit. At in epist. ad Pelag. & Anatol. Conciliorum universalium authoritatem dominari ait, quibus *sufficere judicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus, sed Apostolicæ fidei convenire firmentur, Apostolicæ sedis roborata consensu.* Ubi palam fit, orbis Christiani consensum tunc Synodis accessisse interpretandum esse, cùm nemo intercedit, cùm silentio omnes orbis Episcopi favent, cùm *in notitiam totius Ecclesiæ perducta nullum offendiculum movens vel scandalum fratribus.* Et Florus Magister cum Ecclesia Lugdun. *cap.* 4. adv. Joannem Scotum: *Qui si aliquid tam periculosum contra fidem Catholicam docere præsumpsit, ut necessariò Synodali judicio plecteretur: profectò dignum fuerat, juxta antiquum Ecclesiæ morem, ut tantus error propter cautelæ studium ne plures eo inficerentur, cæteris Ecclesiis in diversis regni partibus constitutis per literas Synodicas & Ecclesiasticas ad omnium Coepiscoporum notitiam perferretur.* Ex posterioribus, unum addo Petrum Cluniacensem adv. Petrobrusian. *Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, cui indivisibiliter Christus cohabitat, usque ad consummationem sæculi? Cum qua Spiritus Sanctus inseparabiliter permanet, non hic tantùm, sed in æternum? Quæ unum cum Patre, & Filio est, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre? Cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit à Patre? Quomodo potuit falli, vel fallere Ecclesia, cum qua verax Pater, cum qua veritas Filius, cum qua veritatis Spiritus perpetuò mansit?*

XX. Atque ut ad Græcos iter reflectam denuo, ex Alexandri Alexandrini Episcopi adversùs Arium scripta epistola testimonium profero, ut videas ad hæreseos condemnationem corrogata plurium Episcoporum per varias provincias sparsorum suffragia: & qui hac authoritate fracti non sunt, eos nec Oecumenicis Conciliis, si quando indulta sunt, postea cessisse. Ita ergo ille adversùs Arium apud Theodoretum *lib.* 1. *cap.* 4. *Primùm epistolas collegarum qui sunt in Ægypto & Thebaide, deinde eorum qui Libyam, Pentapolin, Syriam, Lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt, ad vos misi. Quorum exemplum vos imitantes, persuasum habeo ad nos itidem daturos literas. Et cum multæ aliæ curationes ad eos sanandos qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant: tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab istis decepto faciendam, inventum est, si modò obtemperare voluerint: & cum consensum conlegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad pœnitentiam se serio recipere.* Quorum pervicaciam non edomuit iste collegarum consensus, ii nec Nicænæ Synodo obaudiere. Et Origenes in proœm. l. Periarch. *Cum multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant; servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* Et *tract.* 29. in Matth. *Nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem, Ecclesia Dei tradiderunt nobis, &c. Quodcumque professi fuerint de scripturis, & de mysteriis quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti usque ad Occidentem. Qualis est veritas Ecclesiæ Dei. Ab ea enim sola sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum. Et velociter currit sola verè veritas Dei.* Et Cyrillus Hierosolym. *catech.* 18. hanc Symboli partem ità exponit: *Et in unam Catholicam Ecclesiam. Catholica vocatur, quia in universum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ usque ad extrema. Et quia docet catholicè, ac sine ullo defectu omnia dogmata, quæ debent venire in cognitionem hominum.* Antequam inolesceret mos fidei Synodorum generalium profitendæ, initiatus ab Apostolis, & ipso Apostolico Symbolo confirmatus fuerat ritus subscribendi fidei Ecclesiæ, ut quæ utroque sensu indiscretè Catholica sit, hoc est, & orbe toto sparsa sit, & intaminatorum omnium dogmatum sit magistra. Idem apertè insinuabat suprà Origenes, sacrorum librorum delectum, & à spuriis suppositititisque discriminationem, ab una repetens Ecclesia. Quem & Augustinus ea in re securus est *lib.* 2. *de doct. Christ. cap.* 8. *In canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum complurium authoritatem sequatur, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures graviores que accipiunt*, &c. Ubi nulla Synodorum memoria. Atque ut ad Græcos me referam: Athanasius in disput. contra Arium: *Ego incompositum Numen veneror, cum id didicerim ex sacris literis, & ab iis qui per successionem susceperunt Episcopatum.* Gregorius Nyssenus *orat.* 3. contra Eunomium, *Nullus*, inquit, *mihi subrepet, quod illud etiam, quod à nobis pro confesso habetur, rationibus & argumentis indigeat confirmari. Sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus à patribus venientem ad nos traditionem, veluti hereditatem quandam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam.* Basilius *epist.* 64. ad Neocæsarienses: *Hoc*, inquit, *studiosè agitur apud vos, ut fides subvertatur, subversione inimica Apostolicis & Evangelicis doctrinis, inimica quoque traditioni magni revera Gregorii, & eorum qui illum ex ordine subsecuti sunt ad beatum usque Musonium.* Idem habet *epist.* 75. Et *epist.* 72. *Ipsum orbem circumspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua verò universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recipit, sanam hanc & incorruptam doctrinam sectetur.* Vides, quas fidei regulas consuli jubeat, vel universalem Ecclesiam, vel singulares etiam Episcopos universali Ecclesiæ consentaneos. Et rursum denique Alexander idem Alex. Episc. epist. eadem, Arianos ita describit: *Qui nec ullos secum ex antiquis comparari sinunt: nec eos quibus ab ineunte nos ætate magistris usi sumus, pares dici patiuntur. Quin immo nec ullum collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam perveniisse censent: solos se sapientes jactant, solos egestatem sectantes, solos dogmatum inventores, sibique solis ea esse patefacta, quæ in nullius unquam sub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, &c. Non illis divina veterum Scripturarum claritas pudorem incussit: non consentiens collegarum de Christo pia doctrina, horum adversùs illum audaciam repressit.* Et Athanasius l. de Synodis: *Niceni Patres de fide ita scripserunt: Credit Ecclesia Catholica. Et statim confessio ipsa adjuncta est: ut ostenderent eam non esse novam sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.* Suggillat mox Eusebianos, qui novas in dies Synodos postularent, quasi dicerent: *Nos qui majoribus nostris contradicimus, & prævaricamur patrum traditiones, postulamus Synodum congregari.* Quæ pluribus deinceps urget.

XXI. Epiphanius adversùs omnes hæreses expositionem fidei non à Synodis reperit, sed ab Ecclesia Catholica: *Ad ipsam properemus sanctam Hierusalem, Christi virginem & sponsam, basim & petram solidissimam, venerandamque matrem nostram, & Christi sponsam*, &c. *Siquidem Ecclesia ab una fide genita, ac per Spiritum Sanctum in lucem edita, unica est uni, genitricique suæ. Tum verò quotcumque post illam vel ante prodiere, pellices nominan-*

minantur. Tum ita ingreſſus, Eccleſiaſticæ fidei & diſciplinæ capita omnia perluſtrat.

XXII. Chryſoſtomus *hom. 52. tom. 5.* eos qui alieno tempore Paſcha celebrarent, ita objurgat: *Tu non Nicænos Patres tantùm, ſed & orbem terrarum univerſum condemnas, qui ſententiam illorum comprobavit.* Et *in epiſt. 1. ad Corinth. hom. 43. Sicut conſtitui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Non adducit unam, aut duas, aut tres civitates, ſed totam gentem. Quod quidem facit etiam in dogmatibus, dicens, Sicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum. Si hoc enim eſt validum ad fidem faciendam dogmatum, multò magis ad facta emulanda.*

XXIII. Maximus Martyr in diſput. cum Pyrrho. Arguente Pyrrho: *Satis ſint nobis ea, quæ à Synodis dicta ſunt, & ne dicamus unam, neque duas voluntates.* Contra ex adverſo dicit: *Si ea tantùm confiteri oportet, quæ à Synodis dicta ſunt, nec unam Verbi Dei naturam incarnatam, quæ totam pietatem myſterii complectitur, dicere oportebit, quia non eſt dicta ſynodicè.* Longè plura ergo ſine Synodis definit Eccleſia. Et quamquam & tunc, & ſæpè aliàs ad jugulanda hæteſum monſtra coierint poſtea Synodi univerſales: vel tunc nihiloſeciùs hæreticæ infamiæ, & damnationis laqueo implicati fuere, qui ante Synodos priùs animam, quàm errores exuerant.

XXIV. Operæ pretium erit, ſi recentiores quoque è Catholicis aſtipulatores accerſiverimus hujus doctrinæ, quæ in omni Theologica re dominatur, atque una ſufficit, ſi animo penitùs inhæſerit, ad omnes novellarum hæreſum protelandos, nulloque vel minimo conatu propulſandos aſſultus. Familiam ducent Sirmundus & Petrus Aurelius. Ille quidem: *Ea olim fuit Eccleſiarum inter ſe concordia & reverentia, Canonumque apud omnes tanta authoritas, & religio, ut quod Synodo aliqua conſtitutum uſpiam eſſet, idem alia ſibi pro re nata imitandum, ſtatuendumque eſſe ducerent, nec facilè quicquam aſpernandum cenſerent.* Quæ non ad morum tantùm, ſed etiam ad fidei regulas ampliandum eſt. Quin immo Canones priſcos innovari a recentioribus Synodis, Canones provincialium Synodorum à Chalcedonenſibus Patribus commendari, & in arcem Oecumenicæ authoritatis recipi invenies. At damnatas vel nullis vel particularibus Synodis hæreſes vetuſtas, vel in Nicæna, vel in Conſtantinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſi ſexta ſeptimave Synodo, rurſum damnari, nuſquam ferè reperire eſt. Otioſum id enim videbatur, cùm Eccleſia toto orbe diffuſa eam in damnando vel probando dogmate authoritatem, qua nulla major Synodis adeſt, aſſecuta ſit.

XXV. Porro ſuprapoſita doctiſſimi viri verba admiratus Petrus Aurelius *part. 3. pag. 304.* addit: *Quod tamen tuum dictum, ſi ego non intra ſolos canones conſtrinxero, ſed ad decreta de fide protendero, & tantum Epiſcopalibus definitionibus honoris habitum affirmaro, ut plereque hæreſes ſola ipſarum ope, patriarumque Synodorum authoritate perculſæ, per totum deinceps orbem, aſſenſu omnium reprobatæ evanuerint, quantumvis multis antea validiſque propugnatoribus niterentur: reprehenſionem qua me particularibus Synodis detraxiſſe arguiſti, abunde, ni fallor, obtrivero. Hoc autem & dictum & probatum habes ſanctiſſimis Patrum teſtimoniis non uno loco, nec paucis verbis.* Et idem rurſus *part. 1. pag. 33. Etſi quantum inter generales Synodos & particulares interſit, numquam neſcierit Eccleſia, ſuperiorumque temporum Chriſtiani; eas tamen ſummo ſemper indiſcreto, tantumque non pari honore habitas fuiſſe, quamdiu Eccleſia palam non intercederet, ex perpetua Eccleſiæ obſervatione manifeſtum eſt.*

XXVI. Quàm fruſtratoria ſit illa alia quorundam cavillatio, non omnem Epiſcoporum cœtum Synodi nomine dignandum eſſe, nec ejus decreta eo loco authoritatis & religionis habenda, quo Synodica: alibi opportunus demonſtrabitur. Interim idem ibidem Aurelius epiſtolam defendens conſcriptam à conventu Gallicanorum Epiſcoporum, hæc habet: *Quis unquam hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit, quod diceret, non eſſe infallibilis authoritatis? Quando ita argumentati ſunt Novatus, Pelagius, Arius, tot alii hæretici, quos Epiſcopi in provinciis primùm damnarunt? Nemo hoc effugio uſus eſt. Omnes vel obreptum Epiſcopis, vel ſibi calumnias inflictas, vel alias cauſationes, quibus non particulares ſolùm, ſed generales etiam Synodos ludificari ſolebant, protulerunt, vel exerto ore & hæretica petulantia reclamarunt. Non querebatur illis temporibus, quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis eſſent. Omnes omnia colebant, omnia venerabantur, ut paſtorum vocem, ut magiſtrorum Eccleſiæ doctrinam, ut eorum quibus dictum eſſet, Qui vos audit, me audit. Itaque Priſcillianam doctrinam, poſtquàm à Synodo Cæſarauguſtana damnata eſt; Origeniſticam, poſtquam ab Alexandrina; Eutychianam, poſtquam à Conſtantinopolitana ſub Flaviano habita; Arianam denique, poſtquam ab Alexandrina, ut alias prateream, nemo Catholicus hæreſes eſſe negavit, eorumve ſuſceptores hæreticos, etiamſi ſolis Epiſcoporum provincialium judiciis damnati eſſent.* Quod egregiè confirmat Hieronymus in epiſt. ad Pamm. Origenis defenſores ajentes, *Quomodo damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnaſſet utique & Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet*: repercutiens hoc reſponſo: *Hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certè ante Synodum fuiſſe non dubium eſt.*

XXVII. Et idem rurſus parte eadem, *pag. 127.* ut particularibus Epiſcoporum provincialium judiciæ ſubſcribat ſilentio ſuo ſummus Pontifex, ſubſcribat Epiſcoporum totius orbis ſeu Eccleſiæ Catholicis univerſitas, ita declarat: *Ad publicam veritatis proculcationem Eccleſia Catholica, atque in primis Apoſtolica ſedes ſilere non poſſet. Non enim falſum eſſe unquam poteſt illud de Eccleſia Dei Auguſtini præconium: Eccleſia Dei quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit. Nec verum eſſe non poteſt illud verbum Apoſtoli: Non ſolùm qui iſta faciunt, digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Conſentiunt autem dum publicè laboranti atque oppreſſæ veritati non ſuccurrunt, qui debent, & qui ad hoc potiſſimum in Eccleſiæ tribunalibus collocati ſunt. Ergo cum quieſcunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Nam hæreſum plerarumque damnationes non ſemper expreſſa & præſcripta Eccleſiæ totius conſenſione firmatas & authoratas fuiſſe ſuprà oſtendimus. Satis conſenſu tacito clamat Eccleſia cum reclamare deberet, ſi diſſentiret. Officio enim deeſſe, & veritatem proaere univerſa non poteſt. Epiſt. 119. cap. 29.*

XXVIII. Quibus concinit Melchior Canus de loc. Theol. *l. 5. c. 4. Nec expedit, nec tolerabile eſt, ſingulis hæreticis condemnandis ſingulas generales Synodos cogere. Cum ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſariis, nimirum ad hæreſes privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia ſatis erunt, ſi erunt modò ſummi Pontificis authoritate roborata. Præterea quoſcumque hujuſmodi Concilia damnavere, Eccleſia eos ſemper exploſit; errare igitur illa in fide nequeunt.* Et infrà: *Atque certè niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ vel ſilentio vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam pervenerint. Non enim fit aliquo pacto veroſimile, ut Concilii provincialis toto orbe vulgati hæreſin Eccleſia diu diſſimulaverit. Error enim cui non reſiſtitur, approbatur.*

XXIX. Accedat & doctiſſimus vir Duvallius, ſplendidiſſimæ toto orbe Academiæ ſidus eximium, *par. 2. q. 2. Plurimi Pontifices varios errores abſque ullo generali Concilio condemnarunt, quorum condemnatio*

tio à tota Ecclesia acceptata fuit, ut patet ex primis trecentis annis, quibus nulla unquam Concilia generalia propter ingruentes persecutiones coacta leguntur: cum tamen multa in fide quæstiones toto hoc tempore feliciter sopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones. Nec dicant adversarii hos errores pro hæresibus habitos non fuisse, donec his definitionibus Conciliorum generalium calculus accederet. Falsum enim est, omnibus quotquot fuerunt erroribus à sede Apostolica damnatis, & qui jam pro hæresibus in Ecclesia habentur, semper accessisse Concilii cujusdam generalis condemnationem. Quod enim, quæso, Concilium generale Pelagianos damnavit, &c. Et paucis interjectis: *Diligentissimè itaque observandum est, ut aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilii generalis celebrationem, sed sufficere summi Pontificis condemnationem, una cum acceptatione totius Ecclesiæ per orbem diffusæ. Licèt enim decretum Pontificis, quatenus ab eo solo promanat, de fide non sit: cum ejus in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè constet: nihilominus si hæc condemnatio ab universali Ecclesia, licèt diffusa & non coacta in Concilio approbetur, jam nemo citra fidei detrimentum ei potest contradicere. Est enim de fide, Ecclesiam non tantùm ut congregatam in Oecumenico Concilio, sed ut diffusam per orbem errare non posse.* Multò similiora veri hæc sunt, & antiquitati Ecclesiasticæ consentiora, quàm quæ suadere nititur Joannes Gersonius *tom.* 1 *pag.* 431. *& seqq.* 585. *& seq.*

XXX. Quod autem semel iterumque juniores isti Theologi monuere, tum demum universalem & infallibilem assequi authoritatem provinciales Episcoporum Synodos, synodicasque definitiones, cùm Romani Pontificis calculo fuerint approbatæ; id perinde est, ac si dicerent, cùm Ecclesiæ universalis approbatio eis fuerit accumulata. A Romano enim Pontifice & ab Ecclesia universali authorati, unum idemque eatenus est, quatenus capitis & corporis summa consensio est, & indivulsa conglutinatio. Utrumque enim unus Christi, unus veritatis Spiritus vegetat. Nusquam in fide definienda tot lapsis retro sæculis secessionem fecit aut Caput à Corpore, aut Corpus à Capite. Sed ad vetustiores iterum revolvi Theologos non pœniteat, ut hac temporum historica fide constet in sanciendis fidei dogmatis Episcopalem universitatem à Romana Cathedra nunquam secessisse.

XXXI. Et supra quidem abundè constitit, in Paschæ, Baptismique quæstionibus summam potestatem statuendi & Ecclesias gubernandi, Victori & Stephano Romanis Pontificibus vendicatam esse. Illi Synodos toto orbe haberi jussere; illi antiquitatem & universitatem in Ecclesiis rueri contra novitatem & singularitatem præ cæteris enixi; illi vel territando, vel fulminando, vel dispensando, unitatem & veritatem inter universos orbis Episcopos illæsam servare studuerunt: illis ut veritatis & unitatis cardini, omnes & spectatissimi maximè orbis Episcopi, vel bene sentientes adhæsere, vel aberrantes errorem suum excusare conati sunt: illi denique vel tunc, vel postea, Ecclesiam universam ad se pertraxere. Victori suffectus est Zephyrinus. Is de mœchis pandenda pœnitentiæ & reconciliationis janua sanxit. Reclamatum est à Tertulliano & aliis delirantibus. Sed tandem omnis Ecclesia obsecuta est Romano Antistiti, seu Zephyrino, seu Victori, sive etiam Eleutherio; alternant enim eruditorum ea in re sententiæ, ut vertici fidei se approbare præ cæteris studuerant Montanistæ, quasi universæ Ecclesiæ ab eo individua pace simul potituri. Ideo Tertull. adv. Prax. de Praxea ipso conqueritur, quòd *Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, coegit] literas pacis revocare jam emissas.* Et antè Marcion, ut ait Epiphan. *hær.* 42. à patre suo Episcopo ejectus Ecclesia, ut communionem suffurareturr, *Romam post Hygini Papæ obitum se contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eo statim atque Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab eis frustra petiit.* Origenes, ut author est Eusebius *l.* 6. *c.* 14. *Zephyrino Romanam Ecclesiam gubernante, se in urbem Romam venisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicut ipsemet alicubi dicit, Romanam Ecclesiam videre omnium antiquissimam*, vel principalissimam. Idem apud eundem *l.* 6. *c.* 36. *Ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites scribit de recta fidei suæ ratione:* nempè cùm obliquis suspicionibus suam fidem exagitari sentiret. Undè Hieronymus in epist. ad Pamm. & Ocean. de error. Orig. *Ipse Origenes in epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit.* Apud Athanasium in epistola de sententia Dionysii Alexandrini Episcopi, quem Sabellio insultantem in adversum errorem titubasse quidam criminabantur: *Cum Dionysius Episcopus contra Sabellii hæresin scripsisset, quidam ex Ecclesia rectè sentientes, sed ignari ejus causæ, cur ab ea scriptum esset, Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum Episcopum accusaverunt. Re comperta Alexandrinus, postulavit à Romano præsule, ut objecta sibi indicarent, quibus acceptis opus edidit sub nomine Elenchi, & Apologiæ.* Et mox Athanasius, *Porrò ex Dionysii Romani Episcopi voluminibus contra eos, qui Filium Dei opus, vel creaturam asseverant, scriptis clarè ostenditur, hæresin Christo rebellium Arianorum non nunc primùm, sed olim jam ab omnibus damnatam fuisse.* Et idem rursus Athanasius l. de Synodis, *Duo Dionysii fuere, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præsul erat, ibi cum quidam Alexandrinum Episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui Filium opus & non consubstantialem Patri diceret: Synodus quidem Romæ coacta indignè tulit, Romanus autem omnium sententiam scripsit ad cognominem suum. Ac jam inde ille se ad defensionem parans, libello suo titulum refutationis & apologiæ indidit.* Quis hic non videt Romanum Præsulem in Episcopatu fidei principem sedere: quoslibet vel Pontificia dignitate, vel eruditionis fama præclariores apud illum accusari, apud illum defendi: in ejus communionem adrepere, qui paci Ecclesiarum restitui se cupiunt: Romanam Ecclesiam ut in vertice & summa luce fidei radiantem, spectaculo esse & miraculo omnibus Christianis: denique prædamnatum à Dionysio Papa Arii dogma, jam tum detestationi fuisse orbi Christiano?

XXXII. Synodi illius magnæ adversùs Paulum Samosatenum Synodica epistola apud Eusebium *l.* 7. *cap.* 25. inscripta est Dionysio eidem Papæ, & Maximo, & aliis per orbem universum Episcopis: & domus ipsa qua Samosatenus post depositionem suam decedere detrectabat, ab Aureliano Imperatore illis dari jussa, quibus Italiæ & Romanæ urbis Episcopi scriberent. Ubi rursus Orientales Synodos vides Romano Antistiti communicatas, & per eum Occidentalibus omnibus. Ratum est enim de omnibus Occidentis Episcopis, quod de Carthaginensi ait Augustinus *l.* 3. contra Cresc. *cap.* 34. *Ad Carthaginis Episcopum Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet.* Ita non communionis tantùm, sed fidei communis & Synodicarum definitionum inter Orientis & Occidentis Episcopos arbiter erat Romanus Præsul; ut nulla decreta Synodica universalem consequerentur Ecclesiæ consensionem, nisi eo authorante.

XXXIII. Sed quid Irenæo illustrius, homine Græco, & Latinam illustrante Ecclesiam, ut Orientis Occidentisque concentus intelligatur? Ille ergo *l.* 3. *cap.* 3. quamquam illimem fidei fontem in omnibus scatere putet non tantùm Synodis, sed & Ecclesiis, universali Ecclesiæ cohærentibus: uberiùs tamen & magnificentiùs à Romana Sede exundare eam

eam ita prædicat: *Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maxime & antiquiſſime & omnibus cognite à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Rome fundate & conſtituta Eccleſia, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cecitatem, & malam ſententiam, preterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, que eſt ab Apoſtolis traditio.* Vides Romanam Eccleſiam, ceu fidei Catholicæ ſolem oſtentari omnibus toto Chriſtiano orbe conſpicabilem, & hanc ejus prærogativam ex eo accerſi, quòd à principibus Apoſtolorum Petro & Paulo ſit fundata. Ita & Tertullianus lib. de Præſcrip. complures Eccleſias enumerat, à quibus ſincera fides hauriatur, ſed præ cæteris Romanam extollit. *Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas preſto eſt. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; ubi Petrus paſſioni dominicæ adequatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apoſtolus Joannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* Ab hac ergo principaliter *Cathedra*, non Synodo tantùm fidei amuſſim mutuandam hortatur. Quibus ita accomodata ſunt, quæ Auguſtinus *lib. 1. oper. primi* contra Jul. *cap. 2.* habet, ut ab iis divelli nec tanto temporis interſtitio queant: *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martirio coronare. Cui Eccleſiæ preſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tuno periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia?* Ita cæteris per orbem Eccleſiis, Synodiſque ſua aſſeritur elucidandæ fidei authoritas, ut omnibus Romana ſuperponatur, ut ad quam cæteræ velut tum Carthaginenſes, tanquam ad magiſtram fidei referantur.

XXXIV. Ita & Optatus fidem unitatemque ab univerſali Eccleſia repeti ſuadebat, ſed omnibus tamen aliis Cathedram anteponebat Petri, ejuſque ſucceſſorum quos enumerabat uſque *ad Siricium hodie, cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat.* Itaque conſenſio cum Romana Cathedra, & conſenſio cum univerſali Eccleſia, una eademque eſt: ſed quia omnes percurrere longum eſt, compendio res agitur, ubi uni cui omnes inhærent, inhæretur. Ita & Hieronymus ſuprà Vigilantio opprobrabat conſenſum orbis totius Epiſcoporum, ante alios & inſtar omnium Romani. In epiſtola ad Demetr. ab Anaſtaſio, ab Innocentio Apoſtolicam Cathedram tenentibus, fidem defenſatam, fidem ajebat ediſcendam. In Apolog. adversùs Ruff. non poſſe Epiſcopos orbis ſuſcipere, quod Roma, quod fides Apoſtolica condemnaſſet. Et rurſum aliis locis ſuprà allatis, damnatum ab Epiſcopis cæteris Origenem, ſed Anaſtaſii Papæ literas hæreticum toto orbe perſequi: de ſuo in fide concentu cum Cathedra Petri Alexandrinam Eccleſiam gloriari; & Theophilus Epiſc. Alex. in ſerm. ad Monachos, ut refertur in Edicto fidei à Juſtiniano Imp. *Quare*, inquit, *anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, ſicut nos, & Anaſtaſius ſancte Romane Eccleſiæ Epiſcopus, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi dux creatus eſt: quem & univerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam.* Ita Auguſtinus, ita Proſper in teſtimoniis ſuprà acervatis, Synodos quidem in Oriente & in Africa habitas non tacebant: ſed ſummam victoriam, & gloriæ palmam de Pelagianis reportatam uni Apoſtolicæ Cathedræ adſignabant. Ambroſii & Ferrandi ſuffragia extant lucidiſſima pro Romanæ Eccleſiæ principatu in fide dictanda.

XXXV. Rurſum Auguſtinus *epiſt.* 157. laudat epiſtolas *ſive que ſpecialiter ad Afros, ſive que univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata ſede manarunt*: Ad omnes Epiſcopos enim fidem dictare, non Africanarum erat quamvis univerſalium Synodorum, ſed ſedis Apoſtolicæ. Iraque conſenſus ille, quo univerſalis Eccleſia Synodis particularibus ſubſcribit, aptus religatuſque eſt ab aſſenſu ſedis Apoſtolicæ, ab eoque individuus. Unde Innocentius ad PP. Conc. Milev. *Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, i. ſui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio: quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.* Cui ſubjunge Facundum vel Græcorum potius Antiſtitum ipſos apices, qui in dubio tum adhuc de tribus capitulis conflictu, hoc uno ſe patrocinio tutos putabant, ne Chalcedonenſi Synodo fideique quid derogaſſe viderentur, quòd ſedem Apoſtolicam, quòd Vigilium conſuluiſſent. *Lib. 2. cap. 6. Et adhuc dicunt, quod de tanta ſua præſumptione Eccleſiam quoque Romanam conſuluerunt, & nunc ſententiam B. Vigilii præſulis ejus expectent.* Nec dubitat Facundus Vigilium prædeceſſoris ſui Leonis decreta firmaturum, & ita fidei atque Eccleſiæ univerſali conſulturum. *Experientur quantùm illos ſua ſuſpicio fefellerit. Quia ille non in deſtructionem paterna ſententiæ, ſed potius in defenſionem atque ultionem, primam accepit & maximam poteſtatem: nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus ceteris ſuis conſacerdotibus poteſt.* Vide & *lib. 4. cap. 3.* Ubi perſpicis primam, maximamque poteſtatem, & præ ceteris conſacerdotibus in veritatis defenſionem & ultionem, quà in Oriente, quà in Occidente, datam Romanæ Sedi, & Græcos & Latinos tum conſenſiſſe. Similiter penè alibi ſupra Vincentius Lirinenſis teſtabatur Stephanum Papam errori *cum ceteris, ſed tamen pra ceteris reſtitiſſe: dignum enim exiſtimaſſe, ſi reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm loci authoritate ſuperabat. Itaque ipſum ſanxiſſe, ne quid novaretur.* Totam enim Eccleſiæ perſonam, utpote ejus caput ſuſtinebat: & velut os Eccleſiæ, ſanciebat. Et rurſum Sozomenus *l. 6. cap. 21.* flagrante apud Orientales controverſia de Spiritus Sancti Deitate, & in dies magis magiſque adoleſcente: Athanaſio, Baſilio, Gregorio rectam fidem contra Macedonianos ſtrenuè propugnantibus: *Epiſcopus Romanus de ea contentione certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, ut unà cum ſacerdotibus & Epiſcopis Occidentis Trinitatem & conſubſtantialem eſſe & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel judicatis acquieverunt, & hæc controverſia finem habere viſa eſt.* Et Evagrius *lib. 3. cap. 18.* geſta Synodi Chalcedonenſis breviſſimo perſtringens compendio, inter cætera hæc habet: *In unum rurſus congregati Epiſcopi primùm reſponderunt ad rogatum principum, de vera rectaque fide doceri cupientium. Deinde dixerunt, non debere quidquam amplius de cauſa Eutychis ſemel ab Epiſcopo Romano concluſa definitaque ſtatui. In quam ſententiam omnes quaſi pedibus ierunt.* Et rurſum Arnobius in conflicto cum Serapione: *Apoſtolicæ recordationis vir Sanctus Cyrillus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, cum cognoviſſet Neſtorianum dogma contrarium fidei pullulare, ſcripſit per totam Ægyptum: & ad Sanctum Cæleſtinum Apoſtolicæ recordationis Antiſtitem ſcripſit, dicens ad laudem ſuam pertinere, ſi ab eo qui Pontificatus arcem tenebat, fuiſſet aliquid emendatum. Sanctus verò Cæleſtinus ita encomiaſtes ejus extitit, ut in Neſtorium damnationis dictaret ſententiam.* Et Synodi Mopſueſtenæ Patres teſtantur, Synodica geſta ſe Imperatori *nota*

facturos, & in omnibus sanctissimo beatissimoque antiquioris Romæ Papæ. Ut refertur Synodi 5. act. 5. Et in eorum suggest. ad Vigilium Papam: *Decebat, cum primam inter sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissime, ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ divinitus honoratæ beatitudini fieri.*

XXXVI. Quibus hæc testium copiâ non satis est, nescio quid satis sit. Constat enim abundè tot testimoniis, Ecclesiis Episcopisque omnibus sive synodicè, sive extra Synodos, sola execratione novitatis hæreses exorientes damnantibus, vel præisse, vel accessisse, vel successisse Sedem Apostolicam, & summum authoritatis pondus & vim ineluctabilem atque universalem adjecisse. Si quid aliæ Ecclesiæ Synodive perficere non poterant, ipsa efficiebat: si quid effecerant, perficiebat: si quid privatim sanxerant, id ipsa toto orbe Catholico authorabat. Nihil invidiæ, nihil contentionis strepebat. Nunc quod cæteræ sequerentur, ipsa dictare occupabat, certa de membrorum suorum consensu & obsequio. Nunc reliquas in impietatis apud se exortæ damnationem præcurrentes, ipsa lubens sequebatur, confirmabat; & sin minùs tempore, certè consensu, dignitate, authoritate antecedebat. Ita sive præfinirent aliæ Synodi, quod, ut ajebat Prosper, *regna sequerentur* tum demum, cum *Roma probasset*; sive præciperet Romana Ecclesia fidem omnibus amplectendam scribere; plerumque temporis, semper authoritatis ordine caput membris anteibat. Cumque fides commune sit Ecclesiarum omnium decus, non poterat illa à privatis vel Ecclesiis, vel Conciliis sanciri, nisi præsumpto vel adhibito consensu suffragioque principis Ecclesiæ, cujus unius jus erat confirmare & promulgare quod omnes Ecclesiæ sequerentur.

XXXVII. Quod ergo hodie quidam mirantur, inaniter mirantur, in definiendis fidei quæstionibus solam nunc ferè consuli, solam audiri Romanam Ecclesiam. Nihil novi, nihil inusitati est in re ista. Etsi enim variatum aliquid sit in cortice, in recessu tamen simillima erat vetus disciplina. In causa Paschatis, solus emicat Victor. In causa baptismi hæreticorum, solus Stephanus. In causa macchorum, solus Zephyrinus. In causa Dionysii Alexandrini, solus Dionysius Romanus. In causa Donatistarum, solus præ cæteris Miltiades. In causa Athanasii, solus Julius. In causa Arianæ hæreseos, soli Romani Præsules Occidentem in fide retinent, Orientem ad fidem revocant. In causa Macedonii, solus ante cæteros Damasus coruscat. Jovinianum unus Siricius confodit, ejus judicium sequitur cum aliis Ambrosius. Origenem primus Anastasius toto orbe hæreticum persequitur, Theophilus aliique Petri cathedræ se hærere gestiunt. Pelagium præ Conciliis Africanis Pontifices Romani Innocentius, Zozymus, Bonifacius, Cælestinus, Sixtus confecere, teste Augustino & Prospero; Nestorium primus impetivit Cyrillus, sed illo ipse Cælestino prosternendum reservavit. Cælestino Nestorium, Leoni Eutychetem damnanti, Ephesina & Chalcedonensis Synodi, assentiri se prorsus, ut ex actis Conciliorum liquet, testificatæ sunt. Itaque Ecclesiæ cæteræ Romanam, ut ducem & principem nunc sequuntur, nunc præeunt, indivulsè affectantur. Atque ut uno verbo absolvam, sive Ecclesia universalis, sive Synodus Oecumenica, cum hæc illius repræsentatio sit afficiuntur & reguntur eodem prorsus modo; utrique fidem suam propinat, utriusque vel consensionem tacitam, vel confessionem expressam confirmat sedes Apostolica, utrobique ut caput membris anteire censenda.

XXXVIII. In dubiis tamen & implicatioribus quibusque de novo emergentibus causis Apostolicam primùm sedem consuli moris antiqui fuit. Innocentius I. *epist.* 4. *Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum; omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus, referre: ut consulta videlicet sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronunciet.* Leo I. epist. 84. *Si fortè inter ipsos qui præsunt, de majoribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quæ provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere: & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est transferatur.* Hæc ille ad Anast. Episc. Thessal. Et Joan. VIII. *epist.* 93. ad Episc. Arelat. *Si qua inquisitio de fide vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ difficilius discerni possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Sin autem decidi nequiveris, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Idem & alii sanxere Pontifices. Et illæ sanè Synodicæ consultationes, quarum fidem facit Hieronymus, quæ ex Oriente & Occidente Romam missitabantur, argumento sunt, quàm toto ex orbe non Episcopi singulares modò, sed Synodi amarent de rebus utique dubiis sedem Apostolicam percontari. Consule Siricii & Innocentii, aliorumque deinceps Pontificum epistolas, istiusmodi percontatoribus rescriptas, & ex iis conjectura sit de anteriorum etiam literis Pontificum. Constantem ubique & inveteratum morem animadvertes, non in fidei modò, sed in disciplinæ ambiguis Cathedram Petri interrogari. Quod ex veteri quoque instrumento mendicatum videri potest. Deuteron. *cap.* 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris*, &c. *& judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieque ad sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore. Quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*, &c. *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto Judicis, morietur homo ille*, &c.

XXXIX. Postremò denique ex congestione tot suprà testium illud liquidò fulgebat, quàm esset majoribus nostris persuasissimum; quibuscunque Episcoporum cœtibus & decretis Synodicam & inviolabilem inesse authoritatem, quamdiu prima sedes, sive Ecclesia universa non intercederet. Quid enim attinet anxiè rimari, an conventus illi Episcopales synodaliter se gesserint, Synodique nomine donandi sint, cum etiam Synodi nullæ ad complures hæreses proterendas sint coactæ? Num sine Synodis non idem est Ecclesiarum & Episcoporum sensus & consensus, eadem cum ipsis collegarum omnium conspiratio? Cum apud Eusebium unius Episcopi literis, vel paucorum Episcoporum Synodo longè plurimi subscribunt alii per orbem Antistites, num ibi aliud quàm Episcoporum sententiæ conspirantes spectabuntur? Item apud eundem cum Dionysius Alex. Nepotis delitia refellebat, *convocatis Presbyteris & Doctoribus, qui fratribus per vicos præerant*? Utcumque Episcopi conveniant, vel non conveniant nisi spiritu, num Apostolorum successores, num Apostolicæ traditionis propagatores, num ipsorum Ecclesiæ Apostolicæ, vel ab Apostolicis matricibus derivatæ, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ non sunt, ut jure meritissimo illorum & illarum fidei incumbatur, juxta Irenæum & Tertullianum? Apud Cyprianum Romanæ Ecclesiæ viduatæ Clerus Synodicis consultationibus respondet, & causas universales Ecclesiarum administrat. Cyprianus ipse hinc auguratur labascere omnia, & retro sublapsa referri, quòd Sacerdoti Dei, quòd collegio Sacerdotum mos non geratur: hinc hæreses, hinc schismata. Pacianus, & Optatus similiter non Synodos crepant, non collectiones Episcoporum ad legum amussim accuratas; sed sacerdotes, sed annosos Episcopos, sed Ecclesiæ castitatem, sed concentum omnium inter se sacerdotum per orbem & cum radice unitatis, cathedra Petri.

XL. Hieronymus omnibus hæreticis, non Roma-

Romanas, non alias Synodos objectat, non Synodorum gesta rimatur, sed Præsulis Romani & aliorum Episcoporum mores imitandos suadet, qui martyrum reliquias venerantur: Innocentii fidem tenendam, qui Apostolicam cathedram tenet: Anastasium sequendum, qui Apostolica solicitudine sibilantia Hydræ ora compescuit; qui literis suis hæreticum toto orbe persequitur: si vel Romani, vel alterius cujuslibet Episcopi vel parva schedula adversùm se proferretur, omnia illico à se recantatum iri: & id genus alia complura. Num Episcoporum sententias, nisi synodicè proferantur; num Synodos, nisi ad solemnes regulas sint elimatæ; num definitiones, nisi communibus votis conscriptas aspernaturum se, vel aspernari quemquam Catholicum posse innuit? Num examinatorum & gesta, & vota singula examinaturum, ponderaturum, numeraturum, & subductis calculis huc vel illuc inclinaturum se vel quemquam alium sobrium virum significat? Quid Augustinus adversùs Pelagianos quasi non discusso negotio audientiam postulantes & Oecumenicam Synodum? Respondet Synodis opus non esse, examen Episcopale sufficiens datum esse, cùm quatuordecim Orientales Episcopi, & plures Africani sententiam dixissent: sedem Apostolicam rescripsisse, litem proinde finitam esse: Synodi Romanæ rarus aut nullus meminit, suffragia consultorum nusquam numerati, epistolas Pontificum Innocentii, Zozymi solas ostentat, etiam ad omnes orbis Episcopos datas. Quid Jovinianum Siricius? *Facto Presbyterio* illum damnatum ait, nam *omnium nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri, una suscitata sententia est, &c.* Et protinus rescribit Ambrosius, quos sanctitas ejus damnasset, secundùm ejus judicium à se quoque, suaque Synodo damnatos. Procul exulabant, ut vides, cavillationes, procul tricandi libido, procul morositas. Episcopali authoritati, & sententiæ incunctanter à Catholicis subscribebatur; nec id sibi sumebant fideles, ut de judicibus suis judicarent. Ex superiori aggere authorum, plura huc referes & coaptabis; genus ipsum indigitasse sufficiet.

DISSERTATIO V.

IN SYNODUM ARIMINENSEM.

Anno 359.

SYNOPSIS.

Illud Hieronymi, Ingemuit orbis, & se esse Arianum miratus est: *nihil officere Ecclesiæ Catholicæ universalitati: nec enim posteriorem etiam illam Ariminensem Synodum, vel Synodi partem hæresi consensisse, sed dispensationi servisse, ex Athanasio, Hieronymo, aliisque Patribus palam fit adversùs hæreses antiquas & nuperas. Usque ad num. XI.*

Illo ipso tempore ostenditur mira fuisse paucitas Arianorum, pra multitudine Ecclesiæ Catholicæ. De Consubstantialis voce differitur, quæ quandoque aberat à confessionibus Catholicis: item de communione Ecclesiæ Catholicæ, cui perdiu Ariani intermixti fuere. Ad num. usque XXII.

Deinceps de Lucifero Calaritano Episcopo pauca disceptantur. Ecqui illum à schismatis infamia absolvere fas sit. Regulæ dispensationis ex Juvone Carnotensi promuntur: juxta quas eadem quandoque facta, vel easdem personas, putà Ariminenses Patres, nunc alii & alii, nunc iidem ipsi ex Patribus accusant & excusant, vituperant & laudant, citra rerum & sententiarum, etsi non citra verborum conflictum.

I. DE ea parte priore Ariminensis Concilii, quæ strenuè Nicænam fidem, & Consubstantia-

le propugnavit, quamdiu incolumis ei libertas constitit: nec verbum ullum faciam, quòd nihil de ea ambigatur. At posteriorem, de qua Hieronymus Dial. adv. Lucifer. dixit, *Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est:* paucis hic perstringam, quòd eo velut ariete soleant novatores Ecclesiæ toto orbe diffusæ universitatem impetere; nec omnibus Catholicis satis expeditæ sint rationes hujus machinæ rerundendæ. Atque ut ab Hieronymo ipso exordiar, sic ille rem ab ovo, ut ita dicam, orditur: *Sub Rege Constantino, Eusebio & Hippatio Consulibus, nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est, ut nunc agnoscitur. Nam illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conveniens servo Dei videbatur, quàm unitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi. Præsertim cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret.* Itaque is erat scopus piorum omnium, unitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi. Ideo amplexi sunt tandem Ariminenses Patres confessionem, cujus superficies nihil sacrilegum præferebat, in cujus medulla nihil veneni suspicabantur. Quid non hic orthodoxum?

II. Pergit porro confessionem ipsam Ariminensem expendere: *Credimus, ajebant, in unum verum Deum, Patrem omnipotentem. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia sæcula, & ante omne principium natus est ex Deo. Natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo similem genitori suo secundum scripturas, &c. Nunquid hic insertum est, Erat tempus, quando non erat? vel, De nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum ajebant unigenitum, solum ex solo Patre. Quid est natum? Certè non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea, Qui de cælo descendit, &c. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat.* Sonabant hæc omnia pietatem, & Catholicum dogma sapiebant, Arianicum jugulabant.

Et rursum ibidem Hieronymus: *De Usiæ verò nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbebatur. Quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat. Placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* Quid apertius? Sola vox abjecta, probabili de causa: nec curæ fuit de vocabulo, cùm fides esset in tuto. Ergo Episcopi à fide Catholica non unquam deliraunt.

III. Sed cùm fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilaret, iterum iterumque Valens applaudente Synodo anathemata complurima ingeminavit in eos qui dicerent Filium non esse æternum, Patri similem, esse de nullis extantibus, esse creaturam ut sunt cæteræ creaturæ, & id genus alia: professusque est, *se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemiis abhorrere.* Hæc Hieronymus ex actis ipsius Concilii, qui & addit: *Supersunt homines, qui illi Synodo interfuere.* Et tandem: *His ita gestis Concilium solvitur. Læti omnes ad provincias revertuntur. Id enim Regi, & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur.* Patet nullam Synodo placuisse perfidiam. Si quid autem Valens fraudulenter reconderet, id Patribus minimè suspicantibus affingi non posse.

IV. Pergit rursus: *Sed diu scelera non latent. Et cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur. Cæperunt postea Valens & Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii, egregii videlicet Christi sacerdotes, palmas suas jactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Usiæ nomen abolitum est. Tunc Nicæne fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est. Igitur alii intra suam communionem remanere. Alii ad eos confessores, qui sub nomine Athanasii exulabant, cæperunt literas mittere. Nonnulli*

initam societatem meliorum desperatione planxerunt, Pauci verò, ut se natura hominum habet, errorem pro consilio defensavere, Periclitabatur navicula Apostolorum, &c. Scelera plangit Hieronymus, sed Valentis & Ursacii, & sociorum, qui recondita fraudulentia imposuerant Synodo. Non vulnus ait à Synodo inflictum Ecclesiæ, sed vulneri priori cicatricem malè obductam; quòd latentem sub innocuis vocibus fraudem non essent odorati. Ingemuisse orbem ait, & miratum se esse Arianum, nempe quòd id novum, id præter mentem & voluntatem suam esset; immò quòd impossibile id esset, & tamen ita esse specie tenus videretur, ob fascinationes Arianorum, quibus ita Synodum excantaverant, non ut ipse Arianæ perfidiæ assentiretur, sed ut eos ab Arianismo resipuisse existimaret. Ideo hac fraude periclitabatur navicula Apostolorum, non mergebatur; mergeretur autem, si quadringenti Occidentales Episcopi à fide descivissent, à qua permagna Orientis pars jam defecerat.

V. Et perspicuè Ariminenses Episcopos à Catholica fide nec transversum unguem deviasse, idem mox docet. Post mortem enim Constantii, restituto in suam sedem sub Juliano cum cæteris confessoribus Athanasio, *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia, hæretici ferebantur: contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati sacerdotes Christi adversùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio præterea, flentes asserebant: parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Quid his verbis eliquatius? Ubique elucet non Arianorum partibus suffragatos Episcopos, sed ab iis resilire Valentem cum sociis, arbitratos esse: eorumque verba confessionis, ut sonabant, ingenuè & simpliciter interpretatos esse, latitantes autem eorum erroris sinus, nec deprehendere potuisse, nedum approbare.

VI. Et rursus: *Quid à confessoribus agendum putaverint? Depositis, inquit, veteribus Episcopis, novos ordinassent. Tentatum est. Sed quotusquisque bene sibi conscius patitur se deponi? Præsertim cum omnes populi, sacerdotes suos diligentes, pènè ad lapides, & ad interemptionem deponentium eos convolaverint. Mansissent, ajunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate totum orbem Diabolo condonassent. Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos?* Et infrà: *Post reditum confessorum, in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis authoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Non quò Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant: sed quòd constaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens: & per tam necessarium Concilium, Satanæ faucibus mundus ereptus est.* En quàm inculcatè asserat, Episcopos Ariminensis Concilii hæreseos conscios non fuisse, bene credidisse, in concordia fidei permansisse, Arianos non fuisse, hæreticos non fuisse. Ergo cùm orbis miratus est se esse Arianum, rem inauditam & impossibilem miratus est, fuco & astu Arianorum illusam, quasi esset, cùm reapse non esset.

VII. Non suam tantùm sententiam Hieronymus ibi profert, sed Athanasii, sed Alexandrinæ sub eo Synodi, sed Occidentis & Orientis universi, qui Synodo illi suffragatus est, ubi Episcopi suis sedibus redditi sunt, quòd *constaret eos hæreticos non fuisse.* Sed audiatur Athanasius ipse ad Ruffinianum ita scribens: *Scias quòd in principio quidem, cum vis quæ facta est, cessasset, facta est Synodus, præsentibus ex partibus externis Episcopis. Facta est autem & apud sacrorum comministros qui habitant in Grecia: nihilosecius autem & apud eos qui habitant in Hispania & in Gallia. Et placuit hoc quod hic & ubique: ut iis quidem qui lapsi sunt, impietati autem præsunt, venia quidem detur pœnitentibus ac resipiscentibus, locus autem cleri non detur. Illis autem qui impietatis authores non fuerunt, sed vi & necessitate tracti sunt, visum est dari veniam, habere autem etiam locum in clero: maximè quia probabilem defensionem attulerunt, & visum est hoc quodammodo, œconomico consilio factum esse. Affirmarunt enim se non fuisse ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate longè alienissimi Ecclesias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere. Hoc autem dicentes, visi sunt etiam nobis probabiliter dicere; quod ipsi in excusationem adducerent, Aaronem Moysis fratrem in deserto prævaricationi populi consensisse; se autem hac ratione defendisse, ne populus in Ægyptum reversus in idololatria permaneat. Probabile enim videbatur, quod in deserto manentes, possent ab impietate desistere; Ægyptum autem ingressi, perpetuarent & augerent impietatem.* Hæc Athanasius, qui & ipse defensioni patrocinatur, qua se tuebantur Episcopi Ariminenses, provida scilicet dispensatione Arianis se tum communicasse, ne si id pertinaciùs recusarent, exturbarentur suis Ecclesiis, & in eas Ariani irrumperent, virusque suum impunè deinceps & latissimè disseminarent. Porrò Gallicanis, Hispaniensibus, & Græcanicis Synodis idem visum testatur. Ergo probabilis hæc fuit dispensatio, non Arianica perfidia, qua orbis ingemuerit se esse Arianum. Ut enim notat Balsamon in hanc epistolam, exterior tantùm hæc fuit Catholicorum & œconomica cum Arianis communicatio, non consensio in eorum vesaniam. Extat & apud Theodoretum *l.* 2. *cap.* 22. epistola Damasi Papæ, Synodique Romanæ Episcoporum nonaginta, qua perhibetur contestatos esse Ariminenses Patres, se vim passos esse, *nec se cogitasse suam fidei formulam sententiæ Niceni Concilii adversari.*

VIII. Ubi ergo Sancti Patres Ariminensibus Episcopis defectionem à fide videntur affingere, pingui loquuntur minerva, & communionem pro fide accipiunt, reique non veritatem, sed speciem ab Arianis jactatam prosequuntur. Augustinus *epist.* 50. dispensationis Ecclesiasticæ præconia ingeminans, *Sic multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus subvenire consuevit. Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis neque sanandis, qui veneno perierant Ariano.* Ambrosius in *cap.* 6. Lucæ: *Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminensi Concilio perfidæ prævaricationis authores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt?* Liberius *epist.* 11. ad Orientales: *Omnes illi ferè Episcopi qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem defeciverant: nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini congregatis editæ anathema denunciarunt, & fidei Catholicæ & Apostolicæ Niceæ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum jam unà communicant.* Facundus Hermian. *l.* 5. *cap.* 3. *Multo plures apud Ariminum in Arianum dogma fuerunt subacti, opprimente Constantio, & in Ariminensi Concilio multi Ariano dogmati collibentes, tres diversas ejusdem Sanctæ Trinitatis mentiti sunt esse naturas.* Et *l.* 12. *cap.* 2. *Nusquam coactum Concilium, nisi falsitati subscripsit, sicut in Arimino factum est, Constantio compellente: & apud Ephesum opprimente Dioscoro.* Et Basilius *epist.* 52. *Omnia secum habentes quæ in Arimino gesta sunt, ad ea dissolvenda, quæ illic per vim facta sunt.* Patres alios, Synodosque parco accumulare, à quibus anathema illisum est posterioribus Synodi Ariminensis gestis.

IX. Hos tamen Patres, has Synodos haud equidem prioribus Patribus Synodisque conflictari existimarim. Nam unus sanè secum consentit saltem Athanasius, At is *l.* de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, &

ſi, & in Epiſtolis compluribus, poſteriora Ariminenſis Synodi, ut Nicænæ Synodo adverſantia repudiat conſpuitque. Et idem tamen probabilem diſpenſationem hanc fuiſſe ſuprà interpretatus eſt cum Synodo ſua Alexandrina. Ergo inter hæc nulla conflictatio imaginanda eſt. Etenim ſi ſententiam animi, ſi fidei medullam, ſi ſenſum Epiſcoporum Ariminenſium introſpicias, omnia hæc Catholici dogmatis tenaciſſima ſemper fuere. Si ſpeciem rerum extimam, ſi fucum ab Arianis factum, ſi rumores ab illis ſparſos, ſi communionem exteriùs initam, Arianicum his omnibus venenum erat ſuperfuſum. Itaque Catholici Epiſcopi tam clementer excipiendi fuere, quàm qui à Nicæna fide nunquam deſciſſent, & probabili uſi eſſent diſpenſatione. At decreta Ariminenſia per fraudem & ludibrium Arianorum expreſſa, ita fulminanda fuere, ut quæ Arianicæ perfidiæ virus clam alerent. Utque fides vel ab invitis extorqueatur, audi rurſum pauca iſta ex epiſt. Pariſienſis Synodi ſub Hilario ad Orientales Epiſcopos ſcripta: *Nam plures numero, qui Arimini affuerunt, ſub authoritate veſtri nominis, ad Uſiæ ſilentium ſunt coacti; quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hæreſin inventum, nobis ſemper ſanctè fideliterque ſuſcepeum eſt.* Et infrà: *Itaque chariſſimi, cum ex literis veſtris fraudem ſe paſſam in Uſiæ ſilentio ſimplicitas noſtra cognoſcat, &c. nos quoque ab his omnibus quæ per ignorantiam perperam geſta ſunt, referimus, &c.* Itaque non hæreſi ſe conſenſiſſe, ſed fraudem ſe paſſos teſtantur; verba enim ſibi data, quaſi Orientales Catholici in Uſiæ vocabuli ſilentium, diſpenſationis ergo, aſſenſi eſſent; ideoque & ſe per ſimplicitatem & ignorantiam in idem annuiſſe. Quin & ipſe Hilarius ibidem in fragmentis paulò antè, ſuo more illud quod Valens Arimini confeſſus erat, & quo Catholicos Epiſcopos pertraxerat, Filium non eſſe creaturam ut cæteras creaturas, illud inquam Catholicè dici vendicat. *Reſpondiſtis ſanctis Ariminenſibus non Chriſtum creaturam negatum fuiſſe, ſed diſſimilem cæteris creaturis, &c. Quaſi verò ulla creatura aliis ſit ſimilis, ut Angelus homini, homo avi, avis pecudi, &c.*

X. Audiendus rurſum Sulpitius Severus *l.* 2. hiſt. *Legatos Ariminenſis Concilii ex parte noſtrorum compellit Imperator uniri hæreticorum communioni: eiſdemque conſcriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam; quæ Catholicam diſciplinam, perfidia latente, loqueretur. Namque Uſiæ verbum, tanquam ambiguum, & temerè à Patribus uſurpatum, neque ex authoritate Scripturarum profectum, ſub ſpecie falſæ rationis abolebat, ne unius cum Patre ſubſtantiæ Filius crederetur. Eadem fides ſimilem Patri Filium fatebatur. Sed interiùs aderat fraus parata, ut eſſet ſimilis, non eſſet æqualis.* Fidei ſubſcriptum vides, non hæreticæ, ſed *verbis fallentibus involutæ, quæ Catholicam diſciplinam, perfidia latente, loqueretur.* Itaque hæreſi non conſenſerunt, quam nec ſuſpicati ſunt. Et mox: *Valens & Urſacius affirmantes præſentem fidem Catholica ratione conceptam, ab Orientalibus Imperatore authore prolatam, cum piaculo repudiari: Et quis diſcordiarum finis foret, ſi quæ Orientalibus placuiſſet, Occidentalibus diſpliceret? Poſtremò ſi quid minus plenè præſenti fide editum videretur, ipſi adderent, quæ addenda putarent; præbituros ſe in his quæ eſſent adjecta, conſenſum. Favorabilis profeſſio pronis omnium animis excepta: nec ultrà noſtri repugnare auſi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein concepta à Fagadio & Servatione profeſſiones edi cœpere: in queis primùm Arius, totaque ejus perfidia damnatur: cæterùm non etiam Patri æqualis, & ſine initio, ſine tempore, Dei Filius pronunciatur. Tum Valens tanquam noſtros adjuvans, ſubjecit ſententiam cui inerat occultus dolus. Filium Dei non eſſe creaturam ſicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus profeſſionis. Etenim his verbis, quibus ſimilis eſſe cæteris creaturis Filius negabatur, creatura ta-*

men, potior tantum cæteris pronunciabatur. Ita neutra pars viciſſe ſe penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipſa pro Arianis, profeſſiones verò poſtea adjecta pro noſtris erant: præter illam quam Valens ſubjunxerat, quæ tum non intellecta, ſerò demum animadverſa eſt. Hoc verò modo Concilium dimiſſum, bono initio, fœdo exitu eſt conſummatum. Ubique elucet circumventos fuiſſe Catholicos Epiſcopos, non ut hæreſi annuerent, ſed ut ab ea Arianos reſipuiſſe crederent: ut latentes in eorum profeſſionibus inſidias ſerò nimis animadverterent: denique non ut fidem, ſed ut communionem cum verſipellibus conſociarent. Tunque ingemuit orbis ſe eſſe Arianum, non fide aut perfidia potiùs, ſed ut ipſe Novatorum primipulus concinit, *lingua & communione. Blondel. de prim. l.* 153.

XI. Quàm non inaniter autem deſudatum à nobis ſit in hac parte, tum intelliges, cum audieris, quantum ſibi præſidii olim Pelagiani, Donatiſtæ, aliique hæretici collocatum eſſe putaverint in hac Ariminenſi defectione, & germanorum tunc Catholicorum mira, ut ipſi ſomniant, paucitate. Huc enim ſexcenties confugere, cum ſuam illis paucitatem exprobraret Eccleſiæ Catholicæ orbem univerſum implens majeſtas. Ideo Julianus *lib.* 1. *num.* 7. apud Auguſt. in ult. opere adverſùs eum edito, ait: *In Synodo Ariminenſi vehementiùs claruiſſe, quid apud plumbeos animos vel ambiguitas verbi, vel comminatio novi vocabuli poſſit ſceleris obtinere. Nam cum ſub Ariano principe vir magnæ conſtantiæ, fideique ſaniſſimæ Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, dilapſo à fide Apoſtolorum omni penè mundo, & impietatis temporibus obſtitiſſet, atque ob hoc in exilia coactus eſſet: de ſexcentis & quinquaginta, ut fertur, Epiſcopis, vix ſeptem inventi ſunt, quibus chariora eſſent Dei præcepta, quàm Regis: videlicet ut nec in Athanaſii damnationem convenirent, nec Trinitatis confeſſionem negarent. Illa verò omnis dejectorum pectorum multitudo, extrà injuriarum metum, hac eſt potiſſimum vel nominis comminatione, ne Athanaſiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta.* Ovat in his verbis, & hinc ſuis partibus ſuppalpatur Julianus, quod & olim dilapſus à fide Apoſtolorum eſſet omnis penè mundus, & de ſexcentis & quinquaginta Epiſcopis vix ſeptem defectionis immunes fuiſſent. Similiter & Donatiſtæ, ut docet Auguſtinus *epiſt.* 48. paucitati ſuæ hinc patrocinia captabant, & Hilarii ipſius verba prætexebant ſibi, qui in ſuorum temporum calamitatem ita deſtomachabatur, quaſi fides & Eccleſia de terris periſſet.

XII. Ut ergo & antiquis & nuperis hæreticis ora obſtruantur, præter ſuperiùs de Concilio Ariminenſi diſceptata, quæ longè aliter ſanè habent, atque illi ineptire ſolent: & abundè produnt, ne tunc quidem corruiſſe fidem multitudinis Epiſcoporum: operæ pretium eſt, univerſalitatem Eccleſiæ Catholicæ illis ipſi temporibus demonſtrare, & præ ea Arianorum paucitatem. Imprimis autem Auguſtinus offuſas popularibus præjudiciis nebulas diſſipabit epiſtola ſuprà laudata, in hunc modum: *Si aliqua in his verbis divinis diſtributio facienda eſt, fortaſſe non fruſtra dictum ſit de ſemine Abrahæ, ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena quæ eſt in litore maris; ut in ſtellis cœli pauciores, firmiores clarioreſque intelligantur: in arena autem maritimi litoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium. Quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet: aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Tale tunc erat tempus de quo ſcripſit Hilarius, unde putaſti inſidiandum contra teſtimonia tot divina, tanquam perierit Eccleſia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Eccleſias Galatiæ tunc fuiſſe, quando dicebat Apoſtolus, O ſtulti Galatæ, &c. Quis enim neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parvi ſenſus fuiſſe deluſos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant? Alios autem timore ceſſiſſe, & ſimulatè conſenſiſſe, non rectè ingredientes ad*

veritatem Evangelii, quibus tu postea correctis, sic quemadmodum ignotum est, nolles ignosci, &c. Quamquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hereticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum: sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia quæ per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conservabitur, &c. Hilarius ergo decem provinciarum Asianarum, aut zizania non triticum arguebat: aut ipsum etiam triticum quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat. Quadrant hæc Augustini omnia in Ariminensia tempora: sed & in omnes Arianorum procellas. Observa autem 1. etiamtum in semine Abrahæ, seu in sinu Ecclesiæ Catholicæ fuisse non stellas tantùm cœli, sed & arenam maris: id est, non paucos tantùm fortes & lucidos, sed & innumeros carnales atque infirmos. Nam si à fide hi exorbitassent, non infirmi tantùm & carnales, non in semine Abrahæ, non in zizaniis computarentur. Et eos sanè ait tribulationum fluctibus operiri & turbari, non demergi. 2. Hieronymo, Severo, aliisque suprà laudatis assentiri Augustinum, & cladem Ariminensem imputare simplicitati eorum, qui *parvi sensus quod essent, delusi sunt obscuris verbis, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant, &c. verba hereticorum insidiosa intelligere non potuisse.* Quo quid evidentius? Alios addit timore cessisse, & simulatè consensisse, ac statim rediisse. Non ergo unquam à fide orthodoxa, non ab Ecclesia unquam descivit multitudo Episcoporum, nunquam ad illam paucitatem Ecclesia perducta est. 3. Ab Hilario docet non omnes, sed Asianas tantùm provincias increpitas esse, & ipsas quidem non quòd penitus defecissent, sed quòd *quidam* in eis: more in Scripturis usitatissimo, ut objurgatio ad omnes concrepet, quæ ad quorumdam tamen duntaxat insaniam coercendam pertinet.

XIII. Quod autem de Episcopis post Hieronymum, & Athanasium, affirmavit Augustinus, id multò æquius est de populis arbitrari. Illos nempe etiam per Orientem totum fidei Catholicæ retinentissimos fuisse; & in dubiis Eusebianorum confessionibus, non fucata eorum deliramenta, sed quam mentiebantur, Nicænam fidem cogitasse & colaudasse. Unde scitissimè Hilarius *l. cont.* Auxentium: *Et hujus quidem usque adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur, ut jam sub Antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse quod dicunt. Audiunt Filium Dei, putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt sacerdotum.* His nihil absolutius, ut plebes Ecclesiarum toto tunc orbe Nicænam fidem retentasse constet: ut quæ sanctiores haberent aures cordibus Eusebianorum Antistitum, & in vocibus ambiguis eorum simplicitatem fidei antiquæ contineri interpretarentur. Similiter Hieronymus in alio argumento, nempe adversùs errores Joannis Hierosol. *Hæc audiens indoctum vulgus nullam stropham, nullas insidias suspicatur. Credit esse quod dicitur. Sanctiores enim sunt aures populi, quàm sacerdotis animus.*

XIV. His consentiunt, quicumque illorum temporum historiam literis mandarunt. Socrates *l.* 2. *cap.* 22. *Civitates autem Græciæ, Illyrii, & ceterarum orbis partium ad Occidentem vergentium, tumultu & perturbatione propterea caruere, quòd inter se ipsæ concordarunt, decisioque de fide in Concilio Niceno tradita apud ipsas semper dominata sit.* Et *lib. eodem cap.* 31. de Concilio Seleuciæ agens, quò soli convenerant Orientales, quos in fide Nicæna magis titubasse indubium est: *Postquam illa vicerat sententia, quæ primùm de fide quari voluit; quia à partibus Acacii stabant, fidem Nicenam abrogandam, aliam novam describendam significarunt: qui autem parti alteri adhærescebant, qui & numero plures erant, alia omnia Nicænæ Synodi placita receperunt: solam repudiarunt vocem Consubstantialis.* Vides ergo inconcussam in toto Occidente vigere Nicænam fidem; vigere eandem in pluribus Orientis Episcopis; & eorum qui ab illa defciverant, Episcoporum plebes, harum argutiarum insolentes, pleraſque simpliciratem antiquæ fidei retinuisse. Et *lib. eodem cap.* 34. in urbe Orientis principe, duo agmina Catholicorum describit, Eustathianorum, & Meletianorum; quæ secum mutuò vix communicabant; Consubstantiali tamen subscribebant. Et *lib.* 3. *cap.* 4. post mortem Constantii statim Athanasium Alexandrinæ sedi restiturum narrat, *Arianos ab Ecclesiis exturbatos, ædes sacras Athanasii gubernationi redditas, Arianos in domibus obscuris convenisse.* Ex utraque hac urbe principe, de toto Oriente conjicere fas est. Idem *l.* 4. *cap.* 27. ait Gothos à Vulphila Episcopo Christiana primùm fide imbutos, & Arianico simul perfusos veneno: aliquos ex ipsis strenuo perfunctos martyrio, quòd Arii argutiarum rudes *Barbari animo simplici religionem Christianam amplexi, pro fide Christi vitam quæ hìc fruebantur, profundere non dubitarunt.* Quod eo tantùm consilio retuli, ut monerem multò similius veri esse, populos à teneris unguiculis innutritos fidei Nicænæ, ab ea per Episcoporum suorum cavillatorias disceptationes divelli non potuisse. Et *l.* 5. *cap.* 4. idem ostendit, Antiochiæ quam Consubstantialis vindices præpollerent. Et *cap.* 10. Cùm Theodosius hæreticorum omnium conventus exegisset Constantinopoli, de hæreticis ait, *Suos per literas consolari cæperunt, hortarique ut ne animos contraherent, quòd multi opinione ipsorum derelicta ad fidem Consubstantialis transissent: nam multos esse vocatos, paucos verò electos. Quam quidem tum neutiquam protulere sententiam, cum maxima populi pars ex Imperatorum nutu pendens, ipsis adhærescebat.* Quæ perspicuum est de sola urbe Constantinopoli intelligenda.

XV. Accedat Theodoretus, qui *lib.* 2. Hist. Eccl. *cap.* 3. ait Presbyterum illum Arianici furoris fomitem, etsi gratia aulica multùm floreret, *tamen cum videret Constantini Imperatoris animum in religionis doctrina confirmatum, morbum suum aperire ausum non esse.* Et *cap.* 22. Romanæ Synodi sub Damaso post Concilium Ariminense habitæ epistolam refert, ubi dicitur: *Itaque vestra integritas manifestò videt, hanc fidem solam, quæ authoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmiter perpetuò tenendam esse: & de ea tum Episcopos Orientis, qui se de Catholica Ecclesia esse profitentur, tum Occidentis etiam Episcopos gloriari nobiscum.* Et cap. 24. de urbe, & Ecclesia Antiochena, ejusque Episcopo Leontio Ariano hæc scribit, vel exscribit ex Athanasio; *Tametsi sordibus erat Arianæ blasphemiæ inquinatus, tamen eas callidè admodum dissimulare studebat. Etenim cum Clerum & laicam etiam multitudinem in duas partes divisam cerneret: & alteram quo laudes Filii magis celebrarent, hanc conjunctionem* (&) *adhibere: alteram autem hanc præpositionem* (per) *ponere: & cum ad Spiritum Sanctum ventum esset, præpositionem* (in) *addere: ipse totam glorificationem tacitus secum recitavit, adeò ut qui prope eum erant, solam hanc particulam audirent, in sæcula sæculorum.* Ergo in ea ipsa urbe ubi maximè Ariana impietas principabatur, præter illa Catholicorum examina, quæ seorsim suos agitabant conventus, conveniebant & complures orthodoxi promiscuè cum Arianis, & illi quidem tam numerosi, ut Arianus Episcopus morbum suum dissimulare cogeretur. Quo rursus exem-

exemplo conſtat, quàm multæ ſub Arianis etiam Epiſcopis, ſed virus ſuum prementibus, Nicænam fidem plebes retentarent. Et *cap.*31. Antiochiæ electum Epiſcopum Meletium narrat non à Catholicis tantùm, ſed ab Arianis, qui ſuæ ſectæ ducem quærentes non potuerunt non incidere in Catholicum hominem. Moxque cùm duo alii Epiſcopi de Filio impiè concionati eſſent, *Tertius ſurrexit magnus ille Meletius, qui quæ ſit recta Verbi Dei prædicandi regula, oſtendit: nam ad veritatem omnia, velut ad amuſſim, dirigens, nimium & parum facilè devitavit. Quæ cum ei à multitudine tribueretur permagna laus, &c.* Audin multitudinem Catholico dogmati adplaudentem? Sed evidentiſſimè *l.*3. *c.*3. ſub Juliano Apoſtata ſtatim docet milites omnes non Chriſtianam tantùm, ſed Catholicam fidem mordicus ſervaſſe. Itaque Julianus Chriſtianum ſe primò ſimulare cogebatur. *Imperium nactus, diu ſuam occultavit impietatem. Nam milites diſciplina veræ pietatis imbutos, præter cæteros extimuit. Si quidem primùm nunquam ſatis laudatus Conſtantinus, & eorum animos vetere liberaverat errore, & doctrina veritatis accuratè erudierat. Deinde ejus filii diſciplinam, quam pater in eorum animis inſeverat, multò magis confirmabant. Etenim tametſi Conſtantius quorumdam ſuaſu in fraudem inductus, verbum* ομοούσιον *non approbavit: tamen ipſam rem, quæ verbo ſignificabatur, ſincerè & ex animo confeſſus eſt. Quippe ingenuè Filium ante ſæcula à Patre genitum Deum Verbum nominavit: eoſque honore potius abdicavit Eccleſiaſtico, qui auderent eum creaturam nuncupare.* Quod magno argumento univerſim eſt, de ſola voce pleroſque Conſubſtantialis digladiatos eſſe, Catholicæ alioqui veritatis retinentes. Quod autem de militibus, idem ſentiendum de plebibus, quarum milites portio quædam ſunt. Vide & *l.*4. *cap.*1. ubi Joviniano Imperatori creato utique ex Catholicis, Catholicos ſe profitentur milites, nempe vel à Conſtantino, vel à Conſtantio imbuti: At infrà *cap.*32. de Vulphila Gothorum Epiſcopo ait, *Cum illum Eudoxius, & verborum lenociniis, & pecuniis ineſcaſſet, perfecit, ut Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adjecit præterea, quò facilius ei perſuaderet, contentionem illam ex ambitione ſolùm ortam, nullamque omninò doctrinæ eſſe differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gothi Patrem majorem eſſe Filio dicunt illi quidem: ſed Filium creaturam appellari, licèt cum his, qui illud dicunt, communicent, neutiquam ferre poſſunt. Quin immò ab avita doctrina non penitus deſiterunt. Etenim Vulphilas cum eis communionem Eudoxii & Valentis perſuadere conaretur, dixit nullam eſſe doctrinæ diſcrepantiam, ſed ex inani & levi contentione, eam in Eccleſiam invectam eſſe diſcordiam.* Conſimiliter ergo & populorum turbæ complurium, communione non fide fœderabantur Epiſcopis Arianis: nec ſe illorum adaptabant fidei, ſed ſuæ & avitæ illos doctrinæ adhæreſcere opinabantur. Et *l.*5. *c.*3. de Apollinariſtis: *Qui poſtea cum ſuam ipſorum perſpicerent tenuitatem & Eccleſiæ ſplendorem, omnes paucis exceptis ad Eccleſiæ communionem ſe contulerunt, &c.* Et *cap.*6. inculcat in Occidente toto ſanam fidem ſemper floruiſſe.

XVI. At Sozomenus præclariſſimè *l.*3. *cap.*12. poſt Concilium Antiochenum, & Sardicenſe, Eccleſiæ ſtatum ſubjiciens oculis, & conſequentium temporum: *Eccleſia versùs ſolem obeuntem ſita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omninò à contentione & captioſis verborum argutiis, quæ inde naſci ſolent, libera & vacua fuit. Nam quamvis Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens & Urſacius ex Panonia oriundi, impensè laborarent, opinionem Arii in illam Imperii partem traducere: tamen eorum conatus haudquaquam ſucceſſit ex animi eorum ſententia: quandoquidem ſedis Romanæ Antiſtites, & alii Epiſcopi ac ſacerdotes ſtudiosè præcaverunt, & illius hæreſis germina amputarunt. Pars verò imperii ad ſolem orientem porrecta, etſi poſt Concilium Antiochenum diſſidere, & à fide Concilii Nicæni palam jam diſſentire cæpit: tamen meo quidem judicio, ſi complurium mentem ſpectes, in eandem revera ſententiam, quaſi pedibus itum eſt: conceſſumque Filium ex Patris eſſentia conſtare. At verò quidam contentionis ſtudio adducti, contra vocem Conſubſtantialis depugnarunt.* Subdit multos pudore retractandæ ſententiæ prioris, aliquos aliis affectibus implicatos, circa eam vocem belligeratos eſſe: *Multi qui ridiculum putarent in ejuſmodi contentionibus tempus terere, in ſententia Concilii Nicæni acquievere. Ac præter cæteros omnes qui in Oriente ætatem degebant, viſi ſunt decretis Concilii Nicæni mordicus adhæreſcere Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Athanaſius Alexandriæ, & tota Monachorum multitudo. Quin etiam Antonius Magnus, qui adhuc in vita manebat, & qui cum eo verſabantur omnes: alii denique quamplurimi tum in Ægypto, tum in aliis Romanorum provinciis.* Perſpicuè in Oriente ipſo vides longè plurimos fidem Nicænam irrevocabiliter amplexatos, & pleroſque adverſantium, fidei ipſi conſenſiſſe, in ſolam vocis Conſubſtantialis inſolentiam bacchatos eſſe. Et *l.*3. *cap.*29. declarat idem Antiochiæ, etſi Ariani Eccleſias occupaſſent, magnam tamen Cleri populique partem Catholicæ fidei adhæſiſſe: Alexandriæ autem ne una quidem Eccleſia Arianos, etſi ſuffragante Conſtantio, potiri potuiſſe. Et *l.*6. *cap.*19. poſt obitum Athanaſii, invadente Alexandrinam Eccleſiam Lucio Ariano, *Multi & divini viri id temporis Monaſteriis illius regionis præerant, & omnes opinionem Arii deteſtabantur. Quorum teſtimoniis etiam populus obſecutus, eandem quam illi doctrinam amplexatus eſt: qui de dogmatibus diſſerere & garrire neque voluit, neque novit: ſed veritatem credidit penes illos eſſe, qui virtutem factis declarabant, quales tunc ex Monachis Ægyptiis, &c.* Et infrà *cap.*27. cum provincias aliquas ab Eunomianis, & Apollinariſtis pervaſas dixiſſet, ait: *Sed idem ferè iſtis, quod antè Arianis acciderat. Nam populus in hiſce regionibus, Monachos propter virtutem & rectè facta admiratus, eos verè de fide ſentire credebat, & qui aliter ſentirent, illos utpote doctrinis adulterinis corruptos deteſtabatur: non aliter ſanè atque Ægyptii, qui Monachorum ſuorum doctrinam ſecuti, Arianis ſtrenuè reſtiterunt.* Ubique terrarum ergo examina numeroſiſſima populorum antiquam fidem conſtantiſſimè retinuerunt.

XVII. Sed expugnabit, ut ſpero, vel ab invitis aſſenſum Athanaſius, oculatus ipſe omnium teſtis, & fidei ſignifer primarius. Ille ergo apud Theodoretum *lib.*4. *cap.*4. in Epiſt. Synodica ad Jovianum Imperat. pauciſſimis poſt Ariminenſem Synodum annis ſcripta: *Pro certo ſcias, velimus, Auguſte Sanctiſſime, hanc ipſam fidem ab omni ſeculorum memoria prædicatam fuiſſe: hanc confeſſi ſunt qui in Nicæa convenerunt Patres, huic omnes ubique Eccleſiæ conſentientes ſunt, ut Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Eccleſiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Liciæ, Iſauriæ, & Eccleſiæ Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ, & finitimarum regionum, Orientis denique Eccleſiæ, exceptis paucis quæ ſectæ favent Arianæ. Iſtarum enim omnium Eccleſiarum ſententiam experimento cognovimus, & literas accepimus, & certò ſcimus, quòd etſi pauci contradicant huic fidei, non poſſunt præjudicium facere orbi univerſo.* Quid his, quæſo, expreſſius aut vehementius optari potuit? Nicænæ fidei omnes Orientis, Occidentiſque Eccleſias conſentaneas eſſe docet, omnes pernumerat, paucos contradicere iterum iterumque monet, ſed per eos non poſſe præjudicari omni terræ. Et rurſus Athanaſius epiſtola ad Orthodoxos: *Indicamus vobis, etſi longo jam tempore hæc peſtis incubuit, nihilominus tamen in pleriſque populis, & in pleriſque Epiſcopis decus Apoſtolicæ fidei remanere. Quan-*

quam

quam nonnulli vi, verbisque fallacibus detineant populum, & multitudinem Episcoporum, partim formidine illustrium virorum in urbibus, partim gloriæ ambitu; at ii ea quæ sentiunt, dissimulant; & quæ non sentiunt, præ se ferunt. Et initio Apologiæ omnes penè orbis provincias enumerat, in Sardicensi Synodo sibi suffragatas; cum in Antiocheno Concilio triginta sex tantùm Ariani essent, unde ad eos Julius, *Audio paucos esse istorum malorum authores.* Et Athanasius ipse infrà subscripsisse absolutioni suæ ait Episcopos per orbem universum trecentos quadraginta quatuor: & epist. ad Solitarios ex provinciis triginta quinque conflatam fuisse Sardicensem Synodum docet, in qua purgatus est. Et infrà rursus: *Cum viderent Ariani tantum cum Athanasio animorum consensum & pacem agitari, erant enim in hoc numero plures quam quadringenti, tum è magna Roma, atque universa Italia, &c. Creta, Lycia, Palæstina, Isauria, &c. hæc videntes, metu invidiaque anxiabantur. Invidia quidem, propter tantorum conspirationem: metu autem, ne eorum hæresis traduceretur, & de ea ubique gentium triumphus ageretur.* Mox Arianos ad Constantium ita loquentes inducit: *Quidquid terrarum est, scriptis suis, quibus nos impetit, adimplevit Athanasius: & plurimi quidem cum eo communionem habent: eorum autem qui videntur nobiscum esse, hi quidem adjunxerunt se illi: cæteri idem facturi sunt, nos autem remansimus soli, &c.* Et paulò post, minis & exiliis coactos ait à Constantio Episcopos ejurare Athanasii communionem, *Idque ideo faciebat, quod animadverteret hæresin ab omnibus odio haberi. Quæ res in causa fuit, cur tam multos compelleret, hæreticorum paucitati se ut adjungerent, &c.* Et infrà: *Omnia quidem illi pro hæresi sua moliti sunt; at per Ecclesiam unamquamque servantes quam didicerant fidem, magistros quidem expectant, Christi verò inimicam hæresin deprehenderunt, & non aliter quàm serpentem detestantur.* Et infrà: *Sicubi pius & Christianus aliquis est, sunt enim ubique multi tales, sicut Prophetæ & Elias absconduntur, &c.* Et infrà: *Iste verò quoniam omnes hæresin fugiunt, & sana fides in Christum confessionibus celebratur, Episcopos in exilium ejicit, populos verò dum prohibet conventus celebrare, &c.* Et epistola ad Afros post Ariminense Concilium scripta: *Huic Nicænæ Synodo & olim universus orbis assensus est, & nunc cum multæ factæ sint Synodi, omnes tamen ejus memores sunt, tum per Dalmatiam, Dardaniam, Epirum, &c. Et subscriptione approbarunt, adeò ut si quis relictus apud eos sit ex radice Arianorum, sursum germinans amaritudinem (loquimur autem de Ursatio, Valente, cæterisque qui idem sentiunt) per ista ipsa scripta abscindumur & rejiciuntur.*

XVIII. Postremò ut ad Hieronymum à quo exorsi sumus, revolvamur, sic ille adversùs Luciferianos Ecclesiæ Catholicæ inexpugnabilem universitatem ostentat: *Absit, ut frustra Deus mortuus sit. Allocutio Patris impleta est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat à calore ejus. Et ubi, quæso, isti sunt nimiùm religiosi, immò nimiùm prophani, qui plures synagogas asserunt esse, quàm Ecclesias? Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimiùm pauper factus est, &c.* Ambrosius *epist.* 32. *Major numerus Arimini Nicæni Concilii fidem probavit, Ariana decreta damnavit.* Et Basilius *epist.* 72. *Ipsum*, inquit, *orbem circumspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laboras: reliqua verò universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus ad fines usque recipit Evangelium, sanam hanc & incorruptam doctrinam sectetur.* Et *epist.* 75. *ad Neocæs. Fuerat*, inquit, *justius, res nostras æstimare, non ex uno, aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui gratia Christi conjuncti nobis sunt. Requirantur verò, Pisidæ, Lycaones, Isauri, Phryges, & qui utriusque sunt Armeniæ, quotquot vicini vobis sunt: Macedones, Achæi, Illyrii, Galli, Hispani, tota simul Italia, Siculi, Afri, & qui in Ægypto adhuc sani sunt, & quæ reliqua est portio Syriæ. Qui quidem literas ad nos mittunt, & vicissim à nobis recipiunt.*

XIX. Utque minùs abhorreat animus ab hac Ariminensium Patrum defensione, conducet cum doctissimo Petavio observasse, recenti adhuc Nicæno Concilio, non semper in fidei Catholicæ confessionibus, tesseram illam fidei, ac *το ομουσιον* claram disertamque confessionem solitam fuisse exigi. Quod ille probat his documentis, & verbis in notis Epiphan. *Exemplo sit Ursacii & Valentis Arianæ factionis Principum libellus, quem Julio Papæ obtulerunt, quo & erroris sui veniam deprecati sunt, & Ario damnato Catholicam fidem professi. Extat apud Athanasium Apologia secunda. In ea verò* de omousio *verbum nullum. Nam & in Concilio Aquilejensi, in quo adnitente Ambrosio Palladius & Secundianus Episcopi damnati sunt, cum tam studiosè id ageret Ambrosius, ut ab iis indicium aliquod Arianæ professionis eliceret, ideòque variis interrogationibus lacesseret, nullam Consubstantialis mentionem attigit: sed hæc tantùm communia, Ecquid Filius immortalis, bonus ac verus esset, & reliqua generis ejusdem. Quin etiam Athanasii symbolum cum sit quædam fidei expositio ab eo edita, qui το omousion acerrimè propugnaret, ejusdem vocabuli mentionem omisit.* His si subtexas quæ Marcus Ephesius in Synodo Florentina *sess.* 5. attigit, lux aliqua exorietur nostro huic instituto opportuna. Sic ergo ille: *Post factam à prima Synodo fidei expositionem, transactis non paucis annis usque ad secundam, medio illo tempore diversis in locis à provincialibus Conciliis factæ sunt supra triginta expositiones; in quibus sublata voce illa Consubstantialis, reliqua sunt valdè similia primæ illi expositioni.* Constat ratio non improbabilis sententiæ Marci, si de Semiarianorum agat formulis, quæ simile substantia retinebant. Nam Anomœorum impietas longiùs exorbitabat. Quid ex his porrò nascatur in Ariminensis Synodi purgationem, satis lucet, si quid usquam lucet. His adde Theophanem in Chronog. ubi eos quibus inspectus erat Arianæ opinionis Cyrillus Hierosol. *Quòd Consubstantialis vocem in Catechesibus conticuerit*, ita refellit: *Oportebat Consubstantialis vocem silere, quæ plurimos offendebat, & adversariorum controversiis à sacro baptismate multos deterritura erat: Consubstantialis autem notitiam, paris significationis vocibus clariùs exprimere: quod à Cyrillo præstitum est.*

XX. His adde Theodoretum *lib.* 3. *cap.* 3. & Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 12. suprà relatos, disertè affirmantes, Catholica ipsa dogmata animo complexos esse eos, qui sola Consubstantialis voce abstinebant, aut eam duntaxat oppugnabant. Sed audiatur præ cæteris Athanasius lib. de Synodis, ubi multa in Arianos stomachatus, addit: *Cæterùm qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem Consubstantiali ambigunt, non ut adversùs inimicos affici nos decet. Neque enim veluti adversùs Ariomanitas, aut quasi adversùs bellantes cum Patribus contradicimus: sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, &c. non longè absunt ab hac voce, Consubstantiali, recipienda. Talis est Basilius ex Ancyra, &c.* Quinimmò non Athanasius tantùm, sed Basilius, Nazianzenus, Theodoretus, Sozomenus, Hilarius laudibus prosequuntur, non Basilium tantùm Ancyranum, sed Dianœum Cæsarienſem, Marcum Arethusium, alioſque nonnullos, quos alii Semiarianorum choro solent includere. Denique illas ipsas, quas Semiarianorum vulgò appellitamus, fidei formulas, variis post Nicænam Synodis cusas

& re-

& recusas, ut ad Catholicum sensum traducere enixus sit Hilarius, neminem fallit. Istiusmodi saltem erat, quæ Arimini per fraudem subscripta est. Facundus Hermian. Episc. *l.* 10. *cap.* 6. in laudem Hilarii hæc differit: *Illud est multò amplius quod idem Sanctus Hilarius æquè defendit Syrmiense Concilium, in cujus decretis dictum est: Si quis, &c.* Subjicit durissima Syrmiensis Concilii dicta, Christum obsecutum Patri in creatione omnium, non exæquari vel comparari Filium Patri, sed subjectum intelligi; & alia id genus: *Quæ omnia memoratum Syrmiense Concilium Sanctus Hilarius necessariè contra Photinum & Orientales asserit decrevisse. Quorum sufficientem excusationem faciens, quomodo sint accipienda demonstrat.* Et *lib.* 11. *cap.* 8. de eodem Hilario differens excusante Syrmiensem Confessionem fidei: *Fas non est omnino de tanta pietatis viris malè sentire, qui ex semetipsis alios æstimantes, excusare studuerunt dicta majorum. Et qualiter à se dici possent, taliter ab illis prolata & ab Ecclesia susceptæ crediderunt, ut in ea permanerent Episcopi.* Igitur in Syrmiensi Synodo, etiam Ariminensi patrocinium paravit Hilarius, & multò quidem magis. Ariminenses enim Episcopi, non illis componendi veniunt, quos excusat Hilarius; sed ipsi propemodum Hilario, ex semetipsis alios æstimantes, & qualiter à se dici possent, taliter ab illis prolata credentes.

XXI. Jam verò quod ad communionem quoque spectat, quam Catholici Ariminenses Patres cum Arianis inierunt, hæc quoque eorum culpa extenuabitur, si in mentem veniat eorum, quæ ex Epiphanio suprà retulimus. Nempe improbè à quibusdam irritatum, iteratumque fuisse Arianorum baptismum; cum necdum ea de re Concilium Oecumenicum coaluisset: *quod adhuc populi promiscuè ad hodiernum usque tempus habeantur; inter quos multi quidem sunt Catholici, sed fictè ac per simulationem sacerdotum authoritatem sequuntur, donec execranda illa secta ab Ecclesiæ consortio segregetur, ut tunc aliquid de illa statuatur.* Ubi vides eorum, qui Arianis Episcopis adglutinati erant, multos fuisse orthodoxos. Tunc quippe necdum corporali divortio secesserant Ariani ab Ecclesia Catholica. Et Theodoretus *Epist.* 112. *Nam & in magna Synodo Nicæna suffragati quidem sunt orthodoxis illi, qui Arii partium erant, & Apostolicæ Fidei expositioni manibus suis assensere. Perrexerunt tamen veritati bellum inferre, quoad Ecclesiæ corpus discerpsere. Et triginta quidem per annos inter se communicantes perstiterunt, tum qui Apostolicis dogmatibus inhærebant, tum qui Arii blasphemia laborabant.* Hilarium complurибus Orientalium communicasse, quorum formulas fidei excusabat, indubium est. His perpensis etsi non omnino aboletur, extenuatur tamen culpa communionis Ariminensium Patrum, eaque evincitur nihil imminutas fuisse partes Catholicæ multitudinis.

XXII. Id magis magisque eliquescet ex Luciferianorum querelis, suam paucitatem à multitudine Catholicorum opprimi expostulantium. Ita enim in libello precum Marcellini & Faustini ad Imperatores habetur: *Nec in exiguis hominibus despicitis veritatem, nec in multis vel potentibus roboratis mendacium. Siquidem jus seculi ideo scriptum est, ne contra verum æquumve potentia vel multitudo prævaleat, etiamsi ab exiguis vendicetur, &c. Quomodo in negotiis Divinis Sanctæ Fidei veritas impiorum caterva, & fraudulentissimis eorum circumventionibus offuscatur & premitur?* Et infrà: *Sed quia apud quosdam multitudo præponitur veritati, eò quod pauculos habeat sectatores: & ob hoc affligimur, quod in paucis sequimur inviolabilem fidem, &c. Una est pars, in qua sunt multi Episcopi. Sed ubi sunt multi, illic per prævaricationem sacra Christi fides violata est, semper antè defensa. Illic metu Regis, Arii susceptæ impietas est, semper antè damnata. Ubi verò paucissimi sunt, illic per exilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vendicatur; & Arii impietas atque omnis hæresis, ut summum malum execrabiles sunt. Sed etsi non est dubitandum paucos Episcopos esse pretiosos de merito confessionis, & inviolabilis fidei: multos verò nullificari merito hæreseos vel prævaricationis: quia in causa veri, maximè in causa religionis & sacræ fidei, non numerus numero comparandus est, sed pura illa Apostolica fides, probata exiliis, probata cruciatibus, licèt unius, multorum infidelitatibus præponenda est.* Igitur etiam post Ariminensem labem, cujus occasione Luciferiani ab Ecclesia Catholica divulserunt sese, invidiam faciebat Ecclesiæ paucitas schismaticorum, ut multitudinem & potentiam suam ostentanti, & ea una potiùs, quàm veritatis præsidio vincenti.

XXIII. Quoniam autem in Luciferianos incurrimus, mirati succurrit quæ Sulpitius Severus *l.* 2. Hist. de Lucifero eorum Principe scribit: *Cæterùm Lucifer tum Antiochiæ longè diversa sententia fuit. Nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos subsatisfactione vel pœnitentia recepissent. Id rectè, an perperam constituerit, dicere non ausim.* Itane verò dubium est, rectè an perperam secreverit se à communione universalis Ecclesiæ? Orientem enim atque Occidentem conspirasse in illam cum Ariminensibus Patribus dispensationem, suprà Hieronymus & Athanasius nos docuere. Paulò explicatior Hieronymus in *Dialog. adv. Lucifer. Ventum est ad asperrimum locum, in quo adversùs voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quidquam, quàm & meritum illius & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os referat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ovibus, reliquum gregem deseruit. Bonus quidem ipse Pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Prætereo illa quæ quidam ex maledicis, quasi satis firma defendunt: hoc illum amore gloriæ & nominis in posteros transmittendi fecisse: nec non & pro simultate, quam adversùs Eusebium propter Antiochenam dissensionem susceperat. Nihil istorum de tali viro credo. Unum est quod etiam in præsenti constanter loquar, verbis eum à nobis dissentire, non rebus, siquidem recipiat, qui ab Arianis baptisma consecuti sunt.* Deinde prolixè exagitat Hilarium, qui ne baptizatos quidem ab Arianis recipiebat. Culpat Hieronymus Luciferum, sed leviusculè, & inclementiæ tantùm ergo, seu asperitatis, quòd dispensationi & veniæ è reliquis Catholicis Præsulibus authoratæ non acquieverit. Denique verbis illum magis, quàm rebus à nobis discrepare confitetur. Paulò acerbiùs Innocentius I. *Epist.* 13. ad Episcopos Hispaniæ, quorum aliqui, nempe Bætici & Carthaginenses, diffidebant à pace collegarum, ob receptos ab hæresi Priscillianorum conversos: *Nam quæ alia causa & superioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit à concordia illorum, qui Arianorum hæresin prudenti conversione damnaverant? Eodem studio post Prisciliani detestabilem sectam omnium meritò detestatione damnatam, receptos in Catholicam fidem eos qui saniore consilio conversi sunt, ægerrimè aliquos tulisse cognovimus. Quibus factum utile & ipsam Ecclesiarum pacem displicuisse detegitur.* Itaque pertinacia Lucifero crimini datur, non ita tamen ut Hispanis his Episcopis. Hos enim frangere debuerat prioris exempli, & in mores jam recepti authoritas. At Lucifer veterem, & hactenus nulla dispensatione perstrictum Canonum rigorem retinebat, novæque & antea inauditæ remissioni adversabatur, eò utique excusatior. Multò asperior Ambrosius in Luciferum, De obitu Satyri fratris, qui baptismi avidus, *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam; percontatusque ex eo est, utrumnam*

cum

cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret. Et fortè ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diviserat: & quanquam fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, &c. Asperrimè denique Augustinus l. de agone Christ. *cap.* 30. *Post persecutionem quæ per Arianos hæreticos facta est, Episcopi qui perfidiæ Arianorum in illa perturbatione consenserant, multi correcti, redire in Catholicam delegerunt, damnantes sive quod crediderant, sive quod credidisse se simulaverant. Hos Ecclesia Catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum, post fletum, negationis per Galli cantum admonitum: aut tamquam eundem, post pravam simulationem, Pauli voce correptum. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes & impiè reprehendentes, quia Petro post Galli cantum surgenti, non gratulati sunt; cum Lucifero qui manè oriebatur, cadere meruerunt.* Et antea fusè invehebatur in eos qui etsi non rebaptizarent, Luciferiani tamen quàm Catholici dici, & præcidi voluerant à radice.

XXIV. Adjiciamus nunc animum, atque aures ad eos qui historiam illorum temporum literis mandaverunt. Theodoretus *l.* 3. *cap.* 5. *Lucifer rediit Sardiniam, & alia quædam Ecclesiasticis dogmatibus addidit. Qui ea autem sunt amplexati, ex ejus nomine nomen mutuati, Luciferiani perdiu dicti sunt. Extinctum est autem & hoc dogma, oblivionique traditum.* Pinguiùs hæc sanè dicta sunt, nisi dogma novum capias ipsum schisma, quod & suprà Ambrosius & antiqui Patres non ita valdè satagebant ab hæresi discriminare, ut quo hæresis adversùs Ecclesiam, symbolo & ipsam quoque implicatam, sin minùs contra Christum contineatur. Ruffinus aliquantò clementiùs *l.* 1. *cap.* 30. *Reversus ad Sardinia partes, sive quia cita morte præventus, tempus sententiæ mutandæ non habuit, etenim temerè cœpta, spatio corrigi solent; sive hoc animo immobiliter sederat, parum firmaverim. Ex ipso interim Luciferianorum schisma, quod licèt per paucos, adhuc volvitur, sumpsit exordium.* Multò etiam humaniùs Socrates *lib.* 3. *cap.* 7. *Recusavit Lucifer cum Eusebio communicare, studioque contentionis inductus, Concilii decreta rejecit. Ista quidem tristibus & afflictis Ecclesiæ rebus obvenientia, multos ad deficiendum ab Ecclesia impulere, unde alia rursum nascitur Luciferianorum hæresis. Sed Lucifer iram suam adimplere non potuit. Obstrictus enim tenebatur suis ipsius responsis, quibus per Diaconum missis pollicitus fuerat, se decretis Concilii consensurum. Quapropter ipse quidem, idem cum Ecclesia sapiens, ad propriam sedem in Sardiniam reversus est: quorum autem animi non minùs exulcerati erant, hi adhuc etiam ab Ecclesia segregati manent.* Et verbum à verbo penè reddens Sozomenus *l.* 1. *c.* 12. *Lucifer decreta Concilii Alexandrini insimulare aggreditur: quæ causa fuit hæreseos eorum, qui ab eo appellati sunt Luciferiani. Nam qui una cum illo his de rebus graviter offendebantur, se ab Ecclesia separarunt. At ille ipse licèt animo alienato & cum primis offenso esset, tamen cum per Diaconum, quem una cum Eusebio miserat, confessus fuisset se decretis Concilii Alexandrini staturum; Catholicæ Ecclesiæ consentiens, Sardiniam revertitur.*

XXV. Ex hac farragine testimoniorum liquet, quàm scitè & sapienter dictum sit à Bellarmino, Luciferum ita zelo fidei arsisse, *ut a Sanctis Patribus etiam post schisma factum, & sectam Luciferianam post se relictam, nonnisi timidè & dubitanter arguatur.* Ex historicis Socrates & Sozomenus apertissimè illi patrocinantur, nec ab ipso, sed ab ejus sectatoribus schisma conflatum docent. Ex Patribus Hieronymus & Severus asperitatem ejus & secessionem non dissimulant, sed hanc ejus culpam reliqua sanctitate redimi & compensari penè innuunt, Evidentiùs illum in crimen vocant Innocentius, Ambrosius & Augustinus; sed hæc criminatio ad nomen ejus, vel ad sectam ejus nomine palliatam magis pertinet fortasse, quàm ad personam. Ut Nicolaum enim infamarunt discipuli immerentem, prout nec pauci, nec obscuri censent scriptores: ita Luciferum Luciferiani. Nec Socrates tantùm & Sozomenus, sed & Hieronymus causam Luciferi à Luciferianis longo intervallo dispescuit. Toto enim Dialogo Hilarium Diaconum magis insectatur, & Luciferianos, Lucifero ipsi ferè parcit. In libro similiter de Scriptoribus Ecclesiasticis, nulla illum accusatione onerat. Sed illud validissimum, quòd idem Hieronymus in Chronico, Luciferi obitum his verbis cohonestat, & tantùm non consecrat: *Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ, nunquam se Arianæ miscuit pravitati.* Epiphanius & Philastrius nec Luciferum, nec Luciferianos in sua hæreseon enumeratione locaverunt, ut adnotat Augustinus l. de hæresibus, qui eos cæteris permiscet. Itaque sive non descivit ab Ecclesia Lucifer, sed paulò effusiùs iræ indulgens, abruptèque in suam secedens Ecclesiam, scissionis speciem magis quàm rem exhibuit; sive descivit, & resipiscens postea in matris Ecclesiæ sinum se recollegit: idem illi contigerit quod Cypriano, de quo Vincentius Lirin. Common. *l.* 1. *cap.* 11. *Absolvuntur magistri, condemnantur discipuli.* Si descivit autem, nec resipuit, idque Severus & Hieronymus significant, tunc sanè timidè quidem ab illis arguitur, sed multò timidiùs debet defendi. Cyprianus errorem suum charitate unitatis Catholicæ diluit: at error quo unitas ipsa Ecclesiæ solvitur, quo, precor, alio medicamine diluetur? An idem Eucifero contigit, quod Paschasio? Hunc enim in schismate excessisse, & tamen ignorantiæ patrocinio excusari docebit nos infrà Gregorius magnus.

XXVI. An idem quod de sanctis viris schismaticum Pascha sectantibus, testatus est Beda superiùs? An potius quod de seipsis testati sunt Confessores apud Cyprianum *epist.* 46. qui Novato schismatico adversus Cornelium primò adhæserant, mox se Ecclesiæ reddiderunt? *Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus, circumventi sumus perfidia & loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico & hæretico homine habuisse; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit.* Ita ingenti populi suffragio recepti sunt, *quos errantes & palabundos tamdiu: & viderat & dolebat Ecclesia:* ex quo spes fiebat Cornelio Papæ, ut ipse ait; *Cæteros quoque qui in errore hoc sunt constituti, in Ecclesiam brevi reversuros, cum authores suos viderint nobiscum agere.* Ubi vides duces schismatis maturiùs, sequaces tardiùs resipuisse, & illorum non tam schisma, quàm repentinam eruptionem & effervescentiam fuisse, illicò castigatam; horum autem diuturnam pertinaciam in schisma degenerare potuisse. Ita propiùs à vero abest, & ea via est compugnantiæ Patrum & Historicorum in concordiam revocandæ: Lucifernm impotentius primùm zelo veteris austeritatis, & iracundia exanduisse, ut quandam scissionis speciem præ se ferret; postea in suam Ecclesiam revectum detumuisse, & Catholicæ se reddidisse paci: etsi secessum ejus, secessionem interpretati discipuli, irrevocabili pertinacia Catholicam ipsi quidem refugerint deinceps communionem. Quocirca permagna illis habenda gratia est hujus ævi & Episcopis non paucis & aliis, qui Luciferi memoriam purgare studuerunt, Calaritanæ & Vercellensis Ecclesiæ vetusta in eum religione, templorum dedicatione, miraculorum etiam nupera perpetratione ad ejus tumulum permoti. Hujus autem ex Cypriano deprompti exempli aliud non multùm dissimile suppeditat epistola 13. Innocentii Papæ ad Episcopos Synodi Toletanæ, cum ob receptos in suis ordinibus

bus ſectarios quoſdam Priſcilliani, à communi unitate aliqui reſilirent.

XXVII. Atque ut ne fruſtra nos ad Luciferum ab Ariminenſi Synodo deflexiſſe putes: quanquam apta contextaque utriuſque cauſa eſt; illud quoque ab exemplo Luciferi perficimus, quàm non temerè ſtatim proſiliendum ſit ad eorum condemnationem, quorum aliqua vel ignavè, vel imprudenter facta vituperantur. Si enim Luciferum penè abſolvimus, quem timidè Patres arguerunt: quid Ariminenſes Epiſcopos, quorum apologiam Hieronymus & Athanaſius ex inſtituto conſcripſere? Ut & alios ſuprà relatos taceam, atque Auguſtinum ipſum, qui loco ſuprà allegato, quo Luciferum acriùs vellicat, ſatis innuit, non perfidia ſed ſimulatione peccatum eſſe apud Ariminum. Ita enim & Petrum peccaſſe ait, cum ſimulationem ejus Paulus reprehendit. *Converſationis fuit id vitium, non prædicationis*, ut ait Tertullianus *l. de præſcript.*

XXVIII. Illud quoque ex ſuperioribus colligemus, uſui futurum ad hiſtoriæ & diſciplinæ nodos complures extricandos. Non ſemper ſibi pugnare, qui eadem vel eoſdem damnant, & abſolvunt: laudibus, & vituperio afficiunt. Ariminenſis Synodi Præſules & ipſam eorum confeſſionem poſteriorem, alii ex Sanctis Patribus perfidiæ, alii ſimulationis tantùm incuſarunt. Athanaſius alicubi inſimulavit, aliàs rationabilis diſpenſationis ergo laudavit. Hieronymus apertè culpam ſuprà vel extenuavit, vel elevavit prorſus, & idem in Chronico, eandem atrociter exaggerat. *Synodus apud Ariminum & Seleuciam Iſauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides, decem primùm Legatorum, debinc omnium proditione damnata eſt.* Et infrà: *Omnes toto orbe penè Eccleſiæ ſub nomine pacis & Regis, Arianorum conſortio polluuntur.* Et rurſus: *Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat.* Quin Alexandrina ipſa Synodus lapſos Arimini exauthorare primùm meditabatur: ubi id ex animi ſententia haud ceſſurum conjectura fuit, eoſdem ſuis ſedibus frui juſſit, ut qui bene credentes, ut qui nunquam Ariani fuiſſent. Ita enim apertiſſimè Hieronymus adverſ. Lucifer. *Quid à confeſſoribus agendum putaverint? Depoſitis, inquit, veteribus Epiſcopis, novos ordinaſſent. Tentatum eſt. Sed quotuſquiſque bene ſibi conſcius patitur ſe deponi? Præſertim cum omnes populi, ſacerdotes ſuos diligentes, penè ad lapides & ad interemptionem deponentium eos convolaverint. Cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? Cur credentes bene obſtinatione ſua facerent Arianos?* Tam nulla eſt inter diverſos Patres, quàm nulla inter ipſos ſecum ſingulares Athanaſium, Hieronymum, Alexandrinum Concilium conflictatio.

XXIX. Similiter Aaronem alii accuſant paſſim, excuſabat ſuprà Athanaſius prudenti diſpenſatione uſum. Ita Honorium Papam plerique Monotheliticæ veſaniæ contagio quodam perfuſum, alii diſpenſatione fortaſſis minùs provida, non tamen hæretica uſum differunt. Ita Paſchalem Papam indultis Teutonico Principi inveſtituris, alii hæreſeos macula aſperſum, alii ſalubri diſpenſationi obſecutum cenſuere. Ita, ut uno verbo abſolvam, Ivo Charnutenſis ſuadet epiſtola 162. pro ſuarum quemque virium modo, fortes rigido, infirmos temperato juri ſe dedere. *In qua diſceptatione, cum ipſi & ratione, & authoritate ſciatis, quid ſit verius, quid honeſtius: tamen pro temporum opportunitate ſequi vos oportebit, quod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autem ſciremus vos eſſe paratos, ut cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum: poſſemus vos exhortari, ut ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere. Sed quia in donis ſpiritalibus conſilium & fortitudo conjuncta ſunt: conſilium aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poſſit, dare non audemus, quia qualis veſtra ſit fortitudo, ignoramus.* Et *epiſt.* 195. *Qua in re ſi adeſſet nobis ſpiritus fortitudinis, ſicut adeſt ſpiritus conſilii, ſeveritatem diſcipline eſſe ſervandam cenſeremus. Sed quia in hoc rigore, gravium diſſenſionum periculum imminere ſentitis, rem diſpenſatione egere intelligimus.* Hinc igitur iiſdem perſonis & factis, alia tamen & alia contemplatione criminatio & excuſatio, laudes & vituperia citra inconſtantiam ingeruntur. Fortitudine enim deſieri, quæ jus ſtrictum tueretur, in culpa eſt: conſilii ſaltem ſpiritu non deſtitui, & viribus ſe ſuis metiri, id laudatur. Infirmari Epiſcopos, id crimini datur: at infirmitati ſuæ prudenter obſequi, & aliquo ſuo vulnere publicam ſtragem redimere, hoc verò approbatur.

DISSERTATIO VI.

IN SYNODUM OECUMENICAM II. SEU CONSTANTINOPOLITANAM I.

SYNOPSIS.

Jus confirmandi Synodos Oecumenicas eſt penes Sedem Petri. Approbatio & confirmatio etiam aliqua à cæteris Epiſcopis, à ſanctiſſimis Monachis, à Catholicis plebibus exprimebatur. Sed hi omnes ſubſcribebant confeſſionis magis ſuæ, quàm confirmationis teſtimonium: quo firmitatem proderent ſuam, non adjicerent Synodo. Id efficitur ad numer. uſque XIV.

Deinde provinciales quoque & locales quaslibet Synodos à prima ſede confirmandas fuiſſe docetur, ut authoritatem certam, irretractabilem, & univerſalem conſequerentur.

I. DE hac Synodo Gregorius Magnus *l.* 6. *ep.* 31. pauca hæc habet: *Et Canones quidem Conſtantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, ſed quis fuerit eorum author Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreſes, quæ ibi memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* Et idem tamen Gregorius *lib.* 1. *epiſt.* 24. dixerat: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur. Epheſinum, &c.* Ergo inſtar Evangelii venerabatur ſecundam hanc etiam Oecumenicam Synodum Gregorius, ſed hactenus tamen, qua illam Romana Eccleſia receperat, in Macedoniani erroris damnatione.

II. Sexta autem Synodus. *act.* 18. *in proſphon.* ad Imperatorem: *Macedonius Deitatem Spiritus Sancti denegabat, ſed maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus adamas fidei, cujus ſolida mens adgreſſionibus, atque conflictibus alienarum ſectarum, nullatenus erat ſauciabilis, Gregorius & Nectarius illam in hac regia urbe Synodum congregabant. Et ſacrilegam quidem linguam à ſacerdotio abſcindebant, &c.* Quæ paulò explanatiùs Photius l. de Synodis: *Secunda Synodus, &c. eò congregati ſunt centum quinquaginta Epiſcopi, &c. Principes erant Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, &c. Nectarius, &c. Quibus non multo poſt tempore etiam Damaſus Romanus Antiſtes, eadem confirmans agnoſcebatur, conſentaneus decretis factus.* Reapſe enim non ipſe, non per legatos affuit Damaſus, non Occidentalium quiſquam Epiſcoporum: ut Oecumenica dici non poſſit hæc Synodus, niſi ex poſteriore Romani Pontificis & Occidentalium conſenſione, ut notat Photius. At

Patres

Patres sextæ Synodi, spreta ratione temporum, & ipsam in sese Synodum Oecumenicam intuentes, omnium Episcoporum principem Damasum ante cæteros admirantur, ut fidei adamantem, ut Macedonii debellatorem.

III. Hinc porrò eluceſcit maximè prærogativa Romanæ sedis, in confirmandis Oecumenicis etiam Conciliis, ut non aliter Oecumenica vel dici, vel esse queant. Ita Arelatensis Synodus ad Sylvestrum, ita Sardicensis ad Julium, idque ex officio retulerat: *Hoc enim optimum & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.* Ita Orientales Episcopi hi ipsi, qui secundam hanc Oecumenicam Synodum conflarunt, de Apollinari à se damnato ad Damasum retulerant, quibus & Damasus rescribit, apud Theodoretum *l.* 5. *cap.* 10. *Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est.* Et Synodus ipsa centum quinquaginta Patrum, in epistola Synodica ad Damasum & Occidentales omnes Episcopos missa, cùm damnatum Macedonium, creatum Constantinopoli Nectarium, Antiochiæ Flavianum Episcopum narrassent, subdunt: *Quibus velut legitimè à nobis & secundùm Canones constitutis, vestram pietatem hortamur, ut congratuletur: spiritali charitate nos mutuò devinciente, &c. Sic enim doctrina fidei concorditer stabilita, & Christiana charitate in nobis confirmata, cessabimus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est, Ego quidem sum Pauli, Ego verò Apollo, Ego autem Cephæ. Omnes autem cum simus Christi, qui in nobis non est divisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia, indivisum conservabimus.* Non ergo universali authoritate munita fuissent acta illius Synodi, nisi ad Occidentales Episcopos missa, & ab iis, à Damaso maximè eorum capite & Ecclesiæ totius principe confirmata fuissent. Omnia enim illo ævo synodicè fiebant, sed in Synodo penes ejus præsidem erat *το cyros cai authentica* rerum omnium. Itaque Orientalis Synodi statuta communi & Synodica Occidentalium consensione firmabantur, ut in Oecumenicæ Synodi authoritatem invalescerent: sed hujus confirmationis authoritas, & vis potissima penes præsidem Synodi & totius Ecclesiæ residebat. Ideo suprà ajebat Gregorius reliqua hujus Synodi statuta non recipi *à Romana Ecclesia*: & sexta Synodus debellatum *à Damaso* Macedonium: & Photius Orientalium placita *à Damaso* postea fuisse roborata eadem decernente: & Sardicensis Synodus *ad Petri Sedem* omnia referenda monuit: & Julio ipsi adscribi solent, quæ synodicè ab ipso pro Athanasio decreta sunt. Non quo à rerum istarum laude eliminentur Episcopi Synodum conflantes; sed quòd à vertice suo non secernatur Synodus, & tota corporis majestas & principatus gloria, non dematur membris, cùm capiti vendicatur.

IV. Et quidem non me fugit, omni quodammodo Ecclesiæ communicari posse jus illud Synodos confirmandi. Antiquæ enim pleræque hæreses non aliter omni ex orbe Christiano explosæ sunt, quàm quòd Synodo proximæ quæ eam proscripserat, reliqua sine Synodis ferè assentiebatur Ecclesia universa. Ea de re Concilii Gangrensis præfatione prolixè disputatum est. Unde Petrus Aurelius, *Idhæresibus non paucis similiter contigit, ut nimirum ab unius provinciæ, aut regni Episcopis damnatæ sint, cæteris consensu solùm tacito, non Synodalium decretorum authoritate suffragantibus. Sic enim Eustathianos, quas Synodus Gangrensis damnavit, non legimus ab aliarum provinciarum Conciliis apertè deinde damnatos. Idem Arianis, Collyridianis, aliisque accidit; quos præter locorum ubi exorti sunt, Episcopos, non constat ab aliarum regionum Synodis rejectos esse; sed universali Ecclesiæ consensione, quæ sensim sine sensu inolevit, exauthoratos; quemadmodum singulorum postmodum Patrum scriptis declaratum est.* Part. I. pag. 98. Itaque *universali Ecclesiæ consensione, eaque sensim sinè sensu inolescente*, vel damnationes hæresum, vel Synodi particulares earum peremptrices ita confirmantur, ut in Oecumenicæ Synodi authoritatem semper, etsi non semper in ejusdem nominis gloriam consurgant. Ideò ergo Chrysostomus vel ipsi Nicænæ Synodo robur accessisse ex consensione orbis universi docet eo sensu, qui infrà exponetur; *At tu non illos tantùm condemnas Nicænos Patres, sed & orbem terrarum universum, qui illorum sententiam comprobavit.* Tom. 5. hom. 52. pag. 707. Ideò & Facundus Herm. *l.* 5. *p.* 216. de prima, secunda, quarta, omnique penitus generali Synodo verba faciens, ait: *Et ideò non idem modus esse debet atque ordo quærendi post definitionem Concilii, totius Ecclesiæ consensionem firmati, qui fuit antè definitionem.* Et *l.* 7. *p.* 297. Ephesinam Synodum recens habitam non tantæ fuisse authoritatis ait, atque postea, *Nam & ipsa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas.* Quod & nos experimento quotidiano probamus, reverentiam antiquitati utique majorem, & lubentiùs impendi. Nec id frustra in Ecclesiasticis saltem causis. Plures enim & novi subinde exurgunt sanctitatis & doctrinæ copia locupletes, qui priora statuta versando privatim, & retractando, admirandoque, novum authoritatis pondus adjiciant.

V. Nec inficias ibit quisquam tamen, hanc consensionem seu taciturn seu loquacem Ecclesiæ universæ, non plebibus, non Clericis minoribus, sed Episcopis adscribendam. Episcoporum est enim, ceu Apostolis succedentium, & Ecclesiæ magistrorum, præire discipulis suis, & Synodalia statuta condere, authorare, promulgare. Itaque Chalcedonensem etiam Synodum numero Episcoporum, concordia & authoritate longè maximam, Leo tamen Imperator postea omnium Orientis Episcoporum subscriptionibus fecit roborari. Liberatus *cap.* 14. *Direxit per totum Orientem, &c. rescribunt Chalcedonensem Synodum usque ad sanguinem vindicandam, &c. Et hæ epistolæ vel relationes Episcoporum omnium, in una codicis corpore vocantur Encyclica.* Extant ad Chalcedonensis Concilii calcem epistolæ illæ Metropolitanorum triginta septem, cum suis Synodis ad confirmationem Chalcedonensis Concilii conspirantium. Sed audiendus hìc est Facundus Hermian. *l.* 12. *p.* 541. *Volens hæreticos Leo Imperator, non sua tantùm, sed communi Ecclesiæ voce confundere: hoc & ipse fecit quod Imperatorem decuit Christianum, ut per Metropolitanos Episcopos literas generales mitteret, consulens de Timotheo Alexandrino Episcopo parricida, vel de Concilio Chalcedonensi, ut convenientibus secum Coepiscopis suis & Clericis, suæ responsione signarent, quid eis videretur: His ergo acceptis iidem Metropolitani cum suis collegis, sicut erant commoniti de sua quisque provincia responderunt, tam concordi atque constanti sententia, quàm solet multos unire spiritus veritatis. Nam licèt è diversis longèque distantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium responsa diversum; quibus decreverunt irretractabiliter esse custodienda Chalcedonensis decreta Concilii: protestantes atque dicentes, Neque jota vel unum apicem possumus aut commovere, aut commutare eorum quæ apud illam definita sunt. Et iterum: Quoniam sicut Soli nihil minus est, ad demonstrandum quia Sol est: sic & magna, & sancta, & universali Synodo Chalcedonensi minus quidem bonorum nihil omnino est; neque additamento aliquo eget, neque detractione; ab Spiritu Sancto veluti divino quodam Sole condita.* Hæc tot Episcoporum tam mirifica confirmatio instar habuit Synodi alterius, quam in confirmationem Synodi Chalcedonensis Leo antè meditatus fuerat, ut narrat Liberatus. Adde Rusticum *disput. con. Acephal. Licèt sufficeret tibi unica authoritas Synodi universalis, quæ numero superat universas: quæ toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia, tam per encyclicas epistolas regnante*

guante Leone, quàm per libellos sacerdotum forsan duorum millium & quingentorum imperante Justino confirmata est, Idem & in quintæ Synodi negotio factitatum, si quid fidei sit epistolæ Pelagii Papæ, quam Cusanus ad Valerianum Patricium scriptam excripsit *l.2. Concord. cap. 20. Quod celsitudo vestra dicit, ubi convenire debeamus, quasi Synodum facere, istud Canones nulli permittunt, post universalem Synodum, post judicium quod tanquam uno ore propè quatuor millia Episcoporum, tam in Metropolitanis suis quàm singulares Constantinopoli protulerunt, iterum contentionem ad medium revocare.* Sardicensi Synodo subscripsisse Episcopos saltem trecentos quadraginta, suprà ab Athanasio didicimus; quorum videlicet plerique postea, & seorsim, non in ipsa Synodo consensionem suam adscripserunt. Sextæ Synodo ut authoritatem suam adjungerent, rogati à Leone Papa Hispaniarum Episcopi, in Concilio Toletano XIV. hæc definiunt *Can. 2. & 3. Per Romani Præsulis bajulum, gesta Synodalia societati nostræ advecta sunt, &c. Leonis quaque antiquæ Romæ Episcopi invitatoria epistolaris gratia consulta suscepimus, &c. In cujus etiam gratioso epistolæ tractatu, ad hoc omnes Præsules Hispaniæ invitati sunt, ut prædicta Synodalia instituta quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent authoritate suffulta, omnibusque per nos sub Regno Hispaniæ consistentibus patescerent divulgata, &c.* Et mox: *Licèt in unum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium Præsulum societas nequivisset, sparsis tamen sedibus atque locis, præfatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de utrarumque Jesu Christi Filii Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas & operatio prædicatur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edictum, Apostolicæ traditionis stylum.* Vides gesta Synodi œcumenicæ ab Hispanis Episcopis perlecta, pertractata, approbata. Multò id expeditius esset in septima Synodo demonstrare. Sed quia prolixiùs id enucleari postulat, proprio seorsim loco expenderur.

VI. Sed quanquam universus orbis Christianus, quanquam provinciales Synodi sejunctim, quanquam singulares seorsim Episcopi generalium Synodorum acta approbare & confirmare utcumque perhibeantur, quando assentiuntur, & subscribunt: non infringitur tamen singulare Petri, & Apostolicæ Sedis in confirmandis Synodis privilegium. Quinimò majestas & prærogativa capitis ex membrorum præcellentia exaggeratur. Nam quod ad minores Synodos attinet, cùm ab iis ad Pontificem provocari possit, sine ejus consensu & authoritate minùs ratæ illæ sunt. Quod ad Oecumenicas verò spectat, cùm earum caput & præses sit Romanus Pontifex, illarum principalis authoritas penes ipsum est, non aliter quàm provincialium Synodorum penes Metropolitanum. Unde Cusanus *lib.2.* de Concordantia Catholica, *cap. 15. Et verum est nullum judicium cujuscumque Synodi, ubi non est authoritas Apostolicæ Sedis, firmum esse; quia semper appellari potest à judicio illius Synodi ad Apostolicam Sedem, &c. Propter appellationem quæ ab ea interponi potest ad Apostolicam Sedem, absque confirmatione ejusdem sedis, rata non est.* Hæc de Synodis minoribus. De Oecumenicis verò paulò post: *Fortè diceres, etiam hæc regula de universali Concilio universæ Ecclesiæ vera est, quoniam nec illius Synodi etiam constitutiones, absque Apostolicæ Sedis, immo Romani Pontificis authoritate ratæ subsistunt. Fateor de Constitutionibus fidem tangentibus verum esse, quòd si Sedis Apostolicæ authoritas non interveniat, ratæ non sunt. Immò & ipsius Pontificis consensus intervenire debet, cum sit princeps in Episcopatu fidei. Sic & in aliis omnibus constitutionibus, quoniam ipsa robur à concordia Synodica recipiunt. Nam etiam minimus suffraganeus in provinciali, aut Canonicus in Episcopali, aut Metropolitanus in Patriarchali Synodo, est ideò de suæ Synodi essentia, quia robur ex omni concordia dependet, Sicut Damasus Papa Concilium Ariminense ex hoc multùm arguit, quia Vincentius qui longo tempore fuit Episcopus, & alii Episcopi consensum non dederunt.* Ergo statutis Oecumenicæ Synodi robur & firmitatem gradatim accumulant singuli Episcopi, provinciales aut regionales Synodi, Sedes Apostolica, pro suo quique gradu. Ex communi enim omnium consensione roborantur decreta. Si minusculis ergo membris sua est tamen vis, suumque pondus in consentiendo: quantò major, & longè maxima ejus est authoritas, qui *princeps in Episcopatu fidei* est, qui caput, qui Occidentales omnes maximè Episcopos, strictiùs sibi devinctos, suo nutu circumagebat, sibi semper consentaneos, & secum gestæ in Oriente Synodo, vel consentientes, vel dissentientes?

VII. Et quidem si non cortici rerum inhæreas, sed in ipsam introspicias medullam, non latebit quo illæ pertinuerint subscriptiones Episcoporum, post quartam, quintam sextamque Synodos corrogatæ. An Chalcedonensis enim Synodus à sexcentis ampliùs Episcopis habita, à Leone Papa confirmata, Occidenti, Orientique universo approbata, in suspendio tamen adhuc per aliquot annos fuit, donec Leo Imperator Orientalium Episcoporum novis sejunctim suscriptionibus confirmari curaret? Cui nisi vehementer insano tam delira in mentem veniant? Quæ enim posthac Synodus Oecumenica non nutabit, si retractari à posteris, si novis semper suffragiorum corrogationibus confirmari indigeat? Idem de sexta Synodo & aliis id genus pronunciandum. Ergo peractæ semel Synodo cæteri per orbem Episcopi suæ magis confessionis, quàm approbationis vel confirmationis testimonium subscribebant. Id liquet ex verbis Metropolitanorum Chalcedonensi postea Synodo succinentium, quæ suprà ex Facundo retulimus. Profitentur enim, quod universaliter valet in omnes receptas semel in authoritatem Synodos; nihil iis vel addi, vel demi posse; nihil ibi constitutorum retractari debere. Idem patet ex Epistola Martini Papæ I. ad Episc. Gall. post Monotheleticam hæresin Romana in Synodo, *Apostolico mucrone, Patrumque definitionibus uno ore, unoque spiritu condemnatam. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresin nobiscum exectentur, & Synodali conventione, scripta unà cum subscriptionibus vestris, nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide statuta sunt.* Subscribi & subscribendo confirmari hortatur Lateranensis Synodi statuta, sed citra novum examen. Id magis liquebit ex Leonis secundi epistola secunda ad Episcopos Hispaniæ, quos sextæ Synodo hortatur subscribere, ut sibi consulant, non Synodo: *Ab omnibus reverendis Episcopis unà vobiscum subscriptiones in eadem definitione venerandi Concilii subnectantur: ac sit profectò in libro vitæ properans unusquisque Christi Ecclesiarum Antistes suum nomen adscribere, ut in unius Evangelicæ atque Apostolicæ fidei consonantia, nobiscum & cum universali sancta Synodo per suæ subscriptionis confessionem, tanquam præsens spiritu conveniat: quatenus Christo cum ad judicandum venerit, cum titulo orthodoxæ confessionis occurrens, consortem se traditionis Apostolicæ per manus suæ demonstret signaculum.* Quanquam ergo Hispaniarum Episcopi suprà dixerint, gesta sextæ Synodi *nostri vigoris authoritate suffulciri*, & postea, *approbari*: sed Leo tamen iterum iterumque ab iis non postularat, nisi suæ *subscriptionis confessionem, titulum orthodoxæ confessionis*, non ut novo authoritatis pondere Synodum quasi alioqui vacillantem confirmarent, sed ut ipsi *in libro vitæ scribi, & consortes se traditionis Apostolicæ per manus suæ signaculum demonstrare* properarent. Et infrà idem Leo: *Cum vestrarum subscriptionum paginas susceperimus, has apud B. Petri Apostolorum principis confessionem.*

nem deponemus, ut eo mediante atque intercedente, à quo Christiana fidei descendit vera traditio, offeratur Domino nostro Jesu Christo ad testimonium & gloriam, ejus mysterium fideliter confitentium ac subscribentium. Audin non approbantium, aut confirmantium, sed *confitentium ac subscribentium testimonium*? Et epistola 4. *Hortati sumus omnium Ecclesiarum Reverendissimos Præsules, ut subscriptiones suas eidem Apostolicæ Synodali definitioni subnectant, & utpote pro filiis atque cum filiis Patres sua nomina in hujusmodi libro vitæ describant.* Et rursum ut ad quartam Synodum redeam, accipe quæ Evagrius scribit *lib.2. cap.9. & 10.* Leonem non ad Episcopos tantùm, sed & ad Monachos sanctitatis laude spectabiliores scripsisse, ac præ cæteris ad Symeonem Stylitam. Num etiam Monachis jus suppetit confirmandæ Synodi? Sed quid rescribunt Episcopi? *Decretis Chalcedonensis Concilii inhæsere: enemeinan.* Quid Symeon? *Ego abjectus & vilis & abortivus Monachorum, Imperatori significavi meum propositum circa fidem Chalcedonensium Patrum sexcentorum triginta, inhærescens & confirmatus ab ea fide, &c.* Inhærere se & confirmari, non confirmare profitetur. Consule & authorem vitæ Sancti Auxentii Abbatis, à quo similiter Marcianus confirmationem petiit Synodi Chalcedonensis.

VIII. Utcumque tamen hæc singularium etiam Episcoporum, immò & Monachorum, adeoque & laicorum fidelium confessio, & expressa ad confessionis non ad confirmationis necessitatem subscriptio, confirmationis aliquam non inanem præ se fert imaginem. Hæc enim est Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, hoc semen Abrahæ stellis cœli, & arenis pelagi numerosius, huic Christus inconcussam stabilitatem, puramque ab errorum sordibus fidem pollicitus est. Ergo consensus ille Ecclesiæ Catholicæ explicatissimus, & à Monachis etiam, laicisque velut ad redundantiam quandam veritatis elicitus, non aspernandæ confirmationis instar habet. Ita Chrysostomus adversùs Quartadecimanorum reliquias suprà urgebat consensum orbis universi. Ita Leo Imperator per sanctissimorum etiam Monachorum subscriptiones sperabat suffundi posse Chalcedonensis Synodi allatratores. Ita Augustinus *lib. contra Epist. Fund. cap.4.* ea enumerans, quibus in gremio Ecclesiæ Catholicæ contineretur, ita orditur, *Tenet consensio populorum, atque gentium.* Ita Vincentius Lirinensis *Comm.1. cap.32. Quæ dogmatum novitates si recipiantur, necesse est, ut fides Beatorum Patrum aut tota, aut certè magna ex parte violetur. Necesse est ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes Virgines, omnes Clerici, Levitæ & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, regna, nationes, totus postremò jam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur.* Ita Ferrandus Carthag. Diaconus epist. ad Severum, *Utinam mihi fide simplici, quam Catholica per universum mundum docet Ecclesia, sic donet Deus esse contentum, &c. Loquantur & prædicent, quibus honor sacerdotii docendi authoritatem tribuit, &c. Interroga si quid veritatis cupis audire principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices, quibus scientia cœlestium præceptorum divinitus inspirata, &c.* Ubi primas Apostolicæ Sedi, secundas partes tribuit reliquis Episcopis, compendio fidem tenendam monet, quam *Catholica per universum mundum docet Ecclesia.* Et infrà ad calcem ejus opusculi, ait, *Patienter hanc dubitationem ferendam, donec universalis Ecclesiæ authoritate vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abjicienda.* Ita Joannes II. Epist. ad Senatores, ait: *Postquam epistola, vel dogmatis tenorem, cuncta Ecclesia, hoc est, sacerdotum, senatus, & populi probavit assensus.* Nimirum in ipsa populorum toto orbe disseminatorum obedientia unanimi & consensione ad unum fidei per Episcopos trutinatæ jugum subeundum, specimen divinæ omnipotentiæ, & pignus elucet luculentissimum ejus promissionis, qua Christo subjugandum orbem omnem prisca vaticinia cecinerunt. Ita ergo confirmatur & authoratur fides ab iis, qui authoritatis expertes cùm sint, contestantur tamen hanc esse avitam, & sibi à majoribus instillatam fidem. Basilius lib. de Spiritu Sancto *cap.7.* glorificandum Patrem non tantùm *per Filium*, sed etiam *cum Filio* docens, ait: *Videas & à rusticanis hodie hanc vocem more verum pronunciari.*

IX. Sed principalem & legitimam potestatem confirmandarum Synodorum, etiam generalium, penes sedem Petri esse, multis argumentis evincitur. Idcò enim Julius Papa apud Socratem *lib.2. c.13.* ad Episcopos Concilii Antiocheni scribit, *eos contra Canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsum ad Concilium non vocaverunt, Ecclesiastico Canone jubente, non oportere præter sententiam Episcopi Romani, Canones condere Ecclesiis.* Aut ut apud Sozomenum *lib. 2. cap. 9. Contra leges Ecclesiæ esse, quod ipsum ad Synodum non vocassent. Esse enim legem sacerdotalem, quòd irrita declarentur, quæcumque fiunt præter sententiam Romani Episcopi.* Idcò & apud Theodoretum *lib.2. cap.22.* Synodica Episcoporum nonaginta Romæ congregatorum cum Damaso Papa Epistola de Synodo Ariminensi, ait: *Siquidem numerus Episcoporum qui Arimini congregati fuerunt, præjudicii vim habere non debet. Quandoquidem factum illud est, neque Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat sententiam expectare: neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat: neque aliis in res tales consentientibus.* Ubi vides ante alios omnes necessariam Romani Episcopi consensionem, & ex ejus deliquio irritari Synodum. Unde & Siricius epistol. 1. *capit. 1 Post cassatum Ariminensem Concilium missa ad provincias à venerandæ memoriæ Liberio generalia decreta, &c.* De confirmata secunda hac Oecumenica Synodo à Damaso Papa, suprà dixi.

X. De quartæ Synodi confirmatione Facundus Hermianens. *lib.3. cap.4. Cum Leo dicat: Et fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam. Non ergo solam fidei definitionem, sed ipsa gesta Synodalia se pronunciat approbasse.* Ubi observa primùm, non per legatos tantùm suos affuisse, & consensisse Synodo Chalcedonensi Leonem, sed postea etiam *gesta Synodalia approbasse*: quod posterius propriam ejus authoritatem continet, nulli præterea Episcoporum concessam. Item Facundum adversùs eos effervescere, qui fidem tantùm Concilii approbatam à Leone Papa jactabant, non reliqua omnia, non illa maximè famosa tria capitula: ideòque irretractabilem illam solam esse, de his verò redintegrari posse judicium. Quibus validè resistitur à Fundo, ostenditurque omnia prorsus Concilii Chalcedonensis decreta à Leone confirmata, ideoque finitas in Concilio Oecumenico causas, confirmataque à prima sede, ad aliarum rursus aliarumque Synodorum examen revocandas non esse. Utrisque ergo conveniebat, & à Pontifice confirmandas Synodos, & hunc litibus modum finemque esse. Allegat mox Facundus Gelasium quoque Papam in epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos, ubi ait: *Beatum Papam Leonem sedis Apostolicæ Præsulem, cujus Synodus Chalcedonensis authoritate firmata est, quidquid ultrà quàm ab eodem pro fide & communione Catholica atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occa-*

occasionem congregationis illius prater Nicenos Canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Omnibus ergo id præsumptum animo, & præjudicatum erat tunc orthodoxis, ea demum rata & fixa, nec ad novæ disputationis incudem revocanda esse Synodi Chalcedonensis decreta, quæ Leo Pontifex confirmasset. A quibus non abludit Ferrandus Eccles. Carthag. Diaconus ad Pelag. & Anatol. pro tribus similiter capitulis scribens, & maximè pro epistola Ibæ: *Si quis tunc accusator epistolæ, cujus catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, accusationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret. Sed quæ iret? aut ubi majores in Ecclesia reperiret judices? ante se habens in legatis suis Apostolicam sedem: qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.* Et infrà: *Si retractentur Chalcedonensis decreta Concilii, de Nicena Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur. Universalia Concilia, præcipuè illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ authoritatis locum post Canonicos libros habent.* Utque Scripturas nemo ad examen, quasi emendandas, vocat: *Sic omnino Concilia, quæ vetustas firmavit, & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, &c.* & statim: *Quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Vides quàm juridica & authoritatis summæ insignibus ornata sit sententia Sedis Apostolicæ, decreta Conciliorum generalium confirmantis, quandoquidem *ea diligentiùs examinat, & firmat*; & illud adjicit momentum, ex quo id consequuntur, ut deinceps irretractabilia sint. Denique idem Ferrandus infrà: *Audi, fili, legem Patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ. Lex enim Patris fulget quantum mihi videtur in Canonicis libris: consilium matris in universalibus Conciliis continetur, &c. Sufficere judicatur ad plenam confirmationem, si perducta ad notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moveant, vel scandalum fratribus; sed Apostolicæ fidei convenire firmentur, Apostolicæ sedis roborata consensu.* Ubi consensu quidem totius Ecclesiæ roborari generalia Concilia annuit, sed eo uno, quòd nemo offendatur, nemo avitæ fidei ea obstrepere clamitet: sed singulariter & novo examinis atque authoritatis pondere à sede Apostolica confirmari. Adversùs Facundi autem & Ferrandi sententiam prolixè disputat Pelagius II. Papa *epist.* 5. ad Episc. Istriæ, nonnisi quæ ad fidem pertinent Chalcedonensis statuta Concilii, à Leone confirmata contendens; ideoque illis tantùm, non aliis irretractabilem firmitatem adsignans. Leonis enim Papæ verba eadem quæ suprà Facundus cùm excripsisset, subdit: *In sola scilicet fidei causa, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ sedis placuit congregari.* Et mox ex epistola Leonis ad Maximum Antiochenum hæc excerpit: *Si quid sanè ab iis fratribus quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apostolica sede directi sunt, ut excisis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest dijudicandi habere rationem, &c.* Hæc Leo: tum Pelagius: *Privatas causas, quæ ibi post definitionem fidei actæ sunt, non solùm minimè confirmavit, sed & retractari, atque dijudicari concessit.* Denique Leo ipse Papa pondus authoritatis suæ in confirmando Chalcedonensi Concilio non obscurè declaravit. Nam *epist.* 59. ad Marcianum Augustum, ait: *Cum vestra præcipuè opere sit effectum, ut per Synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret; ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitretur implendum, si per universas Ecclesias, definitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis Apostolicæ sedi placuisse doceantur.* Et *epist.* 60. ad Pulcheriam Augustam, *Quod verò piissimus Imperator ad omnes Episcopos qui Chalcedonensi Synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus quæ illic sunt de fidei regula definita, firmarem, libenter implevi, ne fallax cujusquam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.* Ingens prorsus momentum authoritatis habitura erat Leonis Papæ confirmatio, quam Imperator postulabat, quam pii omnes expectabant, de qua fallaces erroris defensores dubitare se malè simulabant. Quanquam ergo Christiani orbis conspiratione firmetur plurimùm Concilii placitum, ut idem Leo docet *epist.* 52. *Non ultrà jam excusationis refugium conceditur, cum sexcentorum ferè fratrum & Coepiscoporum nostrorum Synodus congregata, &c. Non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam principibus & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus plenè atque evidenter apparuit, hanc esse verè Apostolicam fidem, ex divina pietatis fonte manantem: quam sinceram & ab omni face totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & universo jam mundo consentiente defendimus.* Consensu orbis avita hæc esse fides proditur. Nunquam enim in unum universi aberrant. Erroris enim plura semper diverticula, simplex & una veritas est. Quidquid ergo unum est ubique, non erratum, sed traditum est. Sed confirmandæ Synodi jus tamen speciale Petri sedi vendicat idem Leo rursus *epist.* 86. ad Nicetam Aquil. *Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit authoritas, amplecti se & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.* Et *epist.* 77. ad Anatol. *Ita ut Chalcedonensis Synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribenda consensit, & quam Apostolicæ sedis firmavit authoritas, profiteatur se per omnia servaturum.* Sed evidentissimè idem Leo Canonem Chalcedonensis Concilii XXVIII. irritum esse decrevit, & pervicit, expungique fecit. Audi quid epist. ad Pulcheriam Aug. scribat: *Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus: in omnibus, Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum per 318. Antistites Spiritus Sanctus instituit: ita ut si multò plures aliud quàm illi statuere, decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit à prædictorum constitutione diversum.* Tanquam vindex Canonum Nicænorum, adversantem illis Canonem Chalcedonensem extremum, non quomodocumque suggillat & respuit, sed *in irritum mittit, & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassat.* Et cessit tandem Imperator, cessit Anatolius, cujus dignitas vertebatur, & erasus ex albo est, ille rescissus Canon à Leone, ut infrà dicemus. Summa ergo & propria uni Romano Pontifici competit hæc authoritas.

XI. Et hanc sanè Romani Pontificis, ut Synodorum generalium Custodis, Vindicis, Executoris potestatem ad easdem confirmandas, vel irritandas Synodos singularem, luculentè Gelasius Papa profitetur *epist.* 13. ad Episcopos Dardaniæ: *Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam; quæ & unamquamque Synodum sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Apostolus*

Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet. Si odiorum nebulas, si jurgiorum procellas vel ad momentum abigere, & veritatis serenum haurire Novatores inducerent in animum: quid æquius, quid ad Ecclesiæ tranquillitatem, Canonumque vim tutandam opportunius, quàm ut Petri tot privilegiis à Christo decorati sedes perpetua, Synodorum Canonumque vindex & defensatrix sit? Et pro jure suo, quidquid novæ in dies Synodi, priscis Synodis regulisque adversum statuent, id rescindat; quidquid consonum, id confirmet? Ita Ephesinam secundam Synodum refutavit, Chalcedonensem approbavit Leo, eodem ibidem Gelasio authore. *Dioscorum secundæ sedis Præsulem sua authoritate damnavit Sedes Apostolica, & impiam Synodum non consentiendo submovit: ac pro veritate ut Chalcedonensis Synodus fieret, sola decrevit, &c. Sicut id quod prima sedes non probaverat, stare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit. Ubi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit; per bene gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica approbavit, & debuerit & potuerit immutari.* Invidiosa videri non debent privilegia primæ sedis, eo uno nomine impetrata, quòd prima sit, cùm primam aliquam esse jusserit schismatis prævertendi necessitas. Est enim primæ sedis præcæteris, Canones, Synodosque ut publicæ salutis propugnacula tueri, adversa repellere, consentanea approbare.

XII. Nec minùs perspicuè id efficitur ex quintæ Synodi exemplo, cui vix, aut nec vix quidem œcumenicum pondus authoritatis antè affuit, quàm à Sede Apostolica reciperetur. Dissentiebat enim primò Occidentalis prorsus Ecclesia, & nisi Vigilii demum, aut certè Pelagii Gregoriique Romanorum Pontificum consensio & authoritas perfregisset reclamantium pertinaciam, nunquam illa Synodus in universam Ecclesiam, sed in Orientalem dumtaxat convaluisset. Pelagius II. *Epist.7. c.7.* ad Episcopos Istriæ adhuc bellaturientes adversùs quintam Synodum: *Rursum per epistolam vestram dicitur, à Sede Apostolica vos doctos, atque ab scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo authore præsumus, confirmatos; ne huic rei quæ sub piæ memoriæ Justiniano Principe gesta est, consentire debeatis. Atque hanc opitulationem excusationi vestræ adjungitis, dicentes, quòd in causæ principio, & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum provinciarum principes damnationi trium capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ provocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa divellit. Latini quippe homines, & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt; & tantò eis celeriùs credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent.* Ergo postquam consensit exploratæ jam veritati Sedes Apostolica, tunc necesse fuit omnes quintæ Synodo assentiri: & ab hoc adeptu Istriæ priùs abhorrebant Episcopi, quòd & Vigilium abhorruisse sentirent. Et *c.8. Si in trium capitulorum negotio aliud, cum veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate dictum est; cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine objicitur, &c.* Et *epist.5.* ad eosdem, eos hortatur ut ad Ecclesiam redeant, quæ una est, & Apostolicis Sedibus superfulta: *In his namque ait Augustinus esse Dei Ecclesiam constitutam, qui Sedibus Apostolicis per successionem Præsulum præsidere noscuntur, &c. Et Cyprianus: Exordium ab unitate proficiscitur, & primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra monstretur.* Sed lux plurima & his, & superioribus omnibus affundetur ex Epistola Leonis II, qua sextam Synodum confirmavit, ex ea planè authoritate, quæ Petri sedem, quæ primam Ecclesiæ Cathedram, quæ fidei & disciplinæ paternæ defensorem, quæ Occidentalis maximè orbis patronum decet, cujus cum Occidentalibus omnibus Ecclesiis consensio, & præibat Orientalibus Synodis, & Oecumenicæ authoritatis nomen accessu suo addebat, demebat recessu. *Igitur gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia, singula quæ gesta sunt, flagitantes, eadem quæ Apostolicæ Sedis legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim, quòd sancta, & universalis, & sexta Synodus, eadem quæ universa Synodus sancta & Apostolicæ huic Sedi adiacens, senserit atque decreverit, sub orthodoxæ fidei integritate, regulisque majorum; atque concorditer nobis confessa est, unum esse de Trinitate Christum, &c. Per quæ revera probavimus hanc sanctam sextam Synodum, Apostolicam prædicationem inoffenso pede fuisse secutam, sanctorumque & universalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus consentientem, &c.* Et infrà: *Hanc rectæ & Apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agatho cum sua Synodo prædicavit: hanc scriptis percurrentibus in sua suggestionis pagina vestræ pietati per suos legatos misit, &c. quam sancta Synodus nunc suscepit, & nobiscum amplexa est, &c. Idcircò & nos, & per nostrum officium, hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & unanimiter, his quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri authoritate confirmat.* Confirmat & quidem ex authoritate Petri sextam Synodum, post examinata ejus decreta, ut consentaneam fidei regulis ab Agathone Papa prælineatis, prioribus Conciliis generalibus, Occidentalisque totius Ecclesiæ seu Synodi sententiæ.

XIII. Parco septimam hìc Synodum excutere, quòd prolixiorem operam & alibi ideò seponendam res ea desideret. Octavæ Synodo non subscripsere legati Apostolici, nisi *usque ad voluntatem* Papæ. Et Synodus ipsa confirmari se petens ab Hadriano Papa, *Prædicabant Synodum veluti propriam, & sollicitiùs confirma coevangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris; ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet & suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ decretum.* Abundè ex superioribus patet id quod ait Gelasius Papa I. de anathemate, *Totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem; & sola rescindit, quæ præter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum.* Nempe quia Sedes Apostolica tum, *Non promulgatrix est iteratæ sententiæ, sed veteris executrix*; ut ibidem subditur. Et *epist.12. Quod Sedes Apostolica sicut decuit antiquam traditionem custodiens, non Synodum duxit iterandam: sed in ejus prævaricatore pellendo, hanc eandem Synodum potiùs exequendam.* Et infrà ait Leonem à Marciano Imperatore laudatum, quòd improbando, irritandoque extrema Chalcedonensis Synodi statuta, *Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus.* Leonem enim *quod præter Nicenos Canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.* Et infrà de Romana Synodo agens, quæ cum ipso Acacium damnaverat, ait, *Non tanquam nova Synodus veterem primamque cognovit, sed potiùs secundum tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est.* His adde Leonis primi & secundi verba superiùs relata, clarebit omnino non ambitiosè in universam Synodum insolescere Romanos Pontifices, sed Synodorum potiùs vindices, custodes & executores esse; ideoque intercedere necessariò, ne antiquis Synodis per novas derogetur, id est, ipsos maximè Synodorum majestatem defensare. Hallucinantur ergo mirum in modum, qui fœdam hinc Concilii Oecumenici servitutem augurantur.

Quin

Quin ex adverso inconcussam æternamque illius authoritatem & gloriam inde certò ominamur, quòd invictissima ejus custos Sedes Apostolica, excubias actura sit, ne ullis posthac novellis Synodis ei detrahatur.

XIV. Et rursum quòd non sola, sed Italico, vel Occidentali Concilio succincta Sedes Apostolica, Orientales confirmaret, vel refutaret Synodos, non ejus inde infringitur eximia prærogativa, sed roboratur. Nunquam enim sola, nunquam filiorum clientumque suorum numeroso agmine nuda, potest Sedes Apostolica videri. Nunquam caput à membrorum compage, nunquam membrorum conspiratio à capite deficit: nec in injuriam capitis, sed in ejus gloriam redundat, quòd membrorum suorum venustate & ope semper valletur. Facessant impiarum rixarum commenta. Ne caput hinc, inde membra præter caput omnia & adversùm caput velut in acie constituantur ac collidantur. Longè aliter Ecclesia Christi à Christo ipso imbuta olim est: quæ capitis & membrorum omnium suorum opes viresque prorsus communes & indiscretas semper habere sibi visa est, & individuo unitatis, charitatisque vinculo connexas: ita ut seu capitis, seu membrorum quorumlibet gloria in totum corpus refunderetur. Hincmarus *l.* 55. *cap.* 20. *Julius Romæ Synodum celebravit, & eandem Nicænam Synodum Apostolicæ Sedis authoritate per se, sicut prædecessor illius Sylvester per legatos suos firmavit. Capitula quoque in eodem Concilio constituta, ipse omnibus validior antiquitatis usus, & antiqua majorum traditio, reverendissimo vigore tenenda corroboravit.* Confirmat Nicæna statuta omnibus validior antiquitatis usus, hoc est, consensio & consuetudo Ecclesiarum, mores suos illis coaptantium. Sed confirmat eadem, confirmat Synodicam de fide definitionem Romanus Præsul Apostolicæ Sedis authoritate: confirmat iste imperio, illi obsequio. Vide & eundem Hincmarum ibidem *c.* 23. & 24. ubi Concilii ipsius Chalcedonensis *can.* 9. & 28. item Canonem hujus Constantinopolitanæ Synodi de privilegiis sedis Constantinopolitanæ editum, à Sede Apostolica receptum fuisse negat, ideoque missum esse in irritum ex Gelasio Papa contendit, cujus prolixè verba describit. Nempe procusi fuerant illi Canones *in absentia legatorum Sedis Apostolicæ, quibusdam non consentientibus; & post reclamantibus, de sacrorum Canonum, & privilegii Apostolicæ ac primæ sedis injuria & præjudicio eisdem legatis.* Quæ ergo confirmata non sunt à Sede Apostolica, ne statuta quidem fuerant ab Oecumenica Synodo, sed tumultuariè aut fraudulenter obrepsisse. Etenim is est capitis & membrorum, Pontificis Synodique concentus, ut quæ synodicè statuuntur, indubiè confirmentur: quæ non confirmantur, ea in Synodo magis, quàm à Synodo, & præter synodicas leges subrepsisse, aut extorta fuisse æstimentur. Unde idem Hincmarus libro de Divort. Lotb. & Tetber. *p.* 686. *tom.* 2. *Quibus omnibus demonstratur quia Synodus comprovincialium Episcoporum judicia; generalis autem Synodus comprovincialium adjudicationes, sive dissensiones vel probet, vel corrigat. Apostolica verò sedes & comprovincialium & generalium retractet, refricet, vel confirmet judicia; sicut Epistolæ Leonis, atque Gelasii cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt. Et Episcoporum rectè judicantium confirmatur, & secus judicantium corrigitur, & interim funditus non perit authoritas.*

XV. Ubi & illud perspicitur, provinciales quoque Synodos, sive regionales, non aliter quàm Sedi Apostolicæ approbatas, invictum robur assequi. Ratio ipsa Hincmari id revincebat. Ut singulorum Episcoporum judicia à Synodis provinciæ, ita harum à superioribus sedibus, & omnium denique definitiones à summa & prima sede retractari, firmarique necessum esse. Unde idem in epist. ad Carolum Regem operi de prædest. præfixa, *Synodus pro cognita insfactitate Felicis est habita, & ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa.* Et idem *tom.* 1. *p.* 266. Concilia quædam à se habita, à Sede Apostolica firmitatem inexpugnabilem consecuta esse sic narrat, sive fingit: utcumque id habeat, elucebit tamen Pontificiam confirmationem quantùm ambierit, quanti fecerit: *Quæ domni Apostolici Benedicti privilegio sub anathematis interpositione, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, sunt confirmata: & demum domni Nicolai Papæ confirmatione, sicut sanctæ recordationis Benedictus Pontifex illam confirmavit: salvo Romanæ Sedis in omnibus jussu atque judicio, sub terribili anathemate, ut quæcumque persona magna vel parva, temerario ausu contra hoc suum Apostolicum decretum agere præsumpserit, anathematis vinculo sit innodatus, sunt roborata. Et quia Sedes Apostolica in hoc prorsus sua sibi magnoperè jura conservat, & aliena custodit, immò sua propria facit, ut omnis quæstio ad eam relata, judicio & sua confirmationis decisione finem accipiat.* Id affectabant ergo Episcopi, ut irretractabilem authoritatem suis decretis confirmatio primæ sedis impartiretur. Æquitatem non rarò eadem conciliabat, si quid peccarum esset, ut in Synodo de Lotharii Regis conjugio habita. Ideò Nicolaus *epist.* 23. ad Episcopos Synodi Metensis, *Statuimus ut cuncta quæ fuerint definita, nostro Præsulatui significetis; ut si ea justitiæ pulcritudine probabilique sanctione definita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus. Si autem injustitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renovare summopere jubeamus.* Ita & Gregorius Magnus *lib.* 7. *epist.* 111. ad Episcopos Galliarum, Synodi acta sibi renunciari jubet, *ut subtiliter agnoscentes, quid & cum qua cautela, vel qualiter sit decretum, omnipotenti Deo de vita vestra vel moribus gratias persolvamus.* Vide & *epist.* 112. Item *epist.* 70. *Quamvis sine Apostolicæ Sedis authoritate nullas quæcumque acta fuerint vires habeant.* Ubi de Constantinopolitanæ cujusdam Synodi actis agit. Et *l.* 2. *epist.* 47. & 48. ad Episc. Numidiæ, *De unitate ac pace Concilii, quod Deo authore congregare disponitis, charitas tua animos nostros subtiliter omnia indicando lætificet.* Hunc enim fructum unum decerpit ex hac tua in Ecclesias omnes indefessa vigilantia Sedes Apostolica, ut de unitate & sanctimonia ipsarum ipsis gratuletur, sibi gaudeat, Deo gratias referat: hunc autem fructum longè uberrimum illis affundit, ut quod decreverint, id ad æquitatis normam expensum, id irretractabile, id universali quadam authoritate ornatum sit. Ideò Possidius in vita August. *c.* 18. post laudata Africana adversùs Pelagianos Concilia, *At illi tanta sedis Antistites Innocentius & Zozimus, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerant.* De Carthaginensibus Conciliis à sede Petri confirmatis & inde nactis indubitatam, irrevocabilem, universalem definitionum suarum vim prolixiùs infrà suo loco, sicut & de Synodo Arausicana. Penè sufflugerat eximius locus epistolæ Flaviani Episcopi Constantinopolitani ad Leonem, suam qua Eutychetem damnarat, Synodum confirmari enixiùs petentis: *Propriam faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare: confortare autem & piissimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Ubi roboratam assensu Sedis Apostol. Synod. toto in orbe Catholic. ad illud perspicis authori-

tatis fastigium evolaturam, ut jam otiosa futura sit Synodus Oecumenica. Sive quòd Oecumenicæ instar habeat Synodi Sedes Apostolica sola; sive quòd ejus in omnes Ecclesias sententia promulgata, subscriptaque, Oecumenicæ Synodi pondus obtineat illa omnium Ecclesiarum suffragatio; sive utrumque, quia utrumque sibi conjunctum est, & indivulsum. Victor Tununensis in Chronic. *à Romano Antistite Apostolica authoritate firmatam ait*, Flaviani definitionem adversùs Eutychetem.

XVI. Et rursum Ennodius in Apologetico pro Romana Synodo, quì provinciales omnes Synodi à Petri successore singulari confirmentur, ita declarat, objectionem secus sentientium proferens & exsufflans; *Ergo Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt? Legite, insanissimi, aliquando in illis prater Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de majoribus negotiis ad collationem siquid occurrit, præfatæ sedis arbitria fuisse servatum. Sic enim habet: Si quis Episcoporum judicio provinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursus appellet; & ipse, si videtur, reparet judicia in opitulatione damnati. Ecce enode est, quod ad laqueum præparastis.* Adde his Synodicas consultationes, teste Hieronymo, ab Oriente & Occidente Romam destinari solitas. Adde Synodos toto orbe habitas de Paschæ die, & de baptismo hæreticorum; à nutu & consensu primæ sedis omnium definitionum robur, omnium infirmationem manasse, ubique perspicuum. Hieronymus adversùs Lucifer. *Cyprianus hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit; sed conatus ejus frustra fuit.* Et Vincentius Lirinensis supra laudatus, ajebat Cypriano novanti & ejus Synodo Stephanum tantò plus cæteris restitisse, quantò *loci dignitate superabat. Denique in epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nisi quod traditum est.* Et quanquam obcalluisse tunc visa sit contumacia, *Quis tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.* Et mox: *Quid postremò ipsius Africani Concilii sive decreti, quæ vires? Donante Deo nulla: sed universa tanquam somnia, tanquam fabulæ, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.* Ad Romanæ enim & Ecclesiæ authoritatem, & disciplinæ imitationem ipsi se Afri contulere, tametsi Græcos sequi possent à rebaptizandorum hæreticorum more nunquam satis, nunquam penitus expiatos. De Paschæ die autem superiùs Beda nos docuit. missam à Victore Papa *authoritatem* & formam, quam omnes Orientis Ecclesiæ sequerentur. Valet ergo illud Ratherii Veronensis Episcopi in itinerario, *Quæ ignorantia qno melius exui, quo aptius possum quam Romæ doceri? Quid enim de Ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoretur? Illic summi illi totius orbis Doctores. Illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ Principes. Illic decreta Pontificum universorum congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremò nusquam ratum, quod illic irritum: nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum. Ubinam ergo melius insipientiæ consulitur meæ, quam ubi fons sapientiæ cernitur esse?* Spicil. *tom.* 2. *pag.* 267. Et Ratramnus *lib.* 4. *adverf.* opposita Græcorum: *Si quidem omne Concilium vel quod in Oriente, vel quod in Africa gestum esse dignoscitur: vel Romani Pontificis vicarios semper habuit præsidentes, vel ejus authoritate literarum, quæ fuerunt decreta, firmitudinem acceperunt.* Ibidem pag. 147. Et mox: *Et revera omnes Orientales Ecclesiæ, simul & Occidentales, Romanæ Ecclesiæ Præsulem semper quasi Caput Episcoporum venerati sunt, & ad ejus sententiam respexerunt: & de rebus dubiis quacumque decrevit, ejus judicium sustinuerunt, ipsiusque decreto paruerunt. Quæcumque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt: quæ verò damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec authoritatem ullam habere potuerunt.*

XVII. Ubique enim valebat quod supra Hieronymus de Ecclesiæ Alexandrinæ in Romanam veneratione, hujus in illam magisterio effatus est: *Scio me semper meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam: cujus se esse participem, Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Et idem rursus: *Prædicationem Cathedræ Marci Evangelistæ, Cathedra Petri Apostoli suæ prædicatione confirmet.* Si Alexandrina & Synodus & Ecclesia, utique alia quæcumque multò magis, fidem & decreta Romanæ se sequi gloriabitur; Romana, ejus statuta confirmabit. Hos enim officii numeros implere debet magistra & discipula, Petri & Marci Cathedra. Ut Ecclesias enim, ita Synodos, Ecclesiarum repræsentationes, regit, docet, confirmat quæ prima & princeps est. Unde Tertullianus lib. de Præscriptionibus: *Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, Matricibus, & Originalibus fidei conspiret, veritati deputandam.* Et *lib.* 4. adversùs Marcionem; *Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum.* Et quanquam tunc quidem multæ numerarentur Ecclesiæ Matrices, Originales, Apostolicæ, una tamen cæteris Apostolicis Petri Cathedra eminebat, ut unus Apostolis Petrus: cui quantò turiùs quàm cæteris incumberetur, ut cætera nunc taceam, ipsa rerum evidentia, ipsa potiùs Numinis providentia perspicuum fecit: cæteras omnes à vinculo fidei & unitatis divelli passa: hanc unam inexpugnabilem, in arce veritatis & in Ecclesiarum principatu conservans.

XVIII. A Petri enim privilegio deviari hanc Synodorum firmandarum dotem, insinuarunt supra relati testes. Leo II. *Sedes Apostolica consentit, & B. Petri authoritate confirmat.* Synodus VI. Romana sub Symmacho: *Præsul Apostolicæ Sedis prærogativa & meritis Beati Petri Apostoli, per universum orbem primatum obtinens sacerdotii, statutis Synodalibus consuevit tribuere firmitatem.* Gelasius, *Synodum unamquamque Sedes Apostolica confirmat, & custodit, pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Domini voce perceptum tenuit semper & retinet.* Leo primus, *Per authoritatem Beati Petri Apostoli cassamus.* Hieronymus, *Cathedra Petri confirmet.* Verùm, ut ajebat suprà Tertullianus, *Tot & tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes: sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem.* Ita omnes Ecclesiæ, Synodique Romano inhærentes magisterio, ejus privilegio decorantur; & indubiam veritatem, inconcussam firmitatem, universalem ipsæ quoque authoritatem, consequuntur. Ita quod jam præmonuimus, nihil invidiæ, nihil rixæ inter caput & membra inferendum est. Caput enim non aliter præesse ie gaudet, quàm ut prosit: membra non illibenter obsequuntur, quæ hoc suo obsequio, ipsam capitis privilegiorum communionem consequi se intelligunt.

DISSERTATIO VII.

DE SYNODO AD QUERCUM, Et de tota causa Chrysostomi.

SYNOPSIS.

Provocatio Chrysostomi ad Synodum Oecumenicam demonstratur perinde interpretandam, ac si ad Romanum Pontificem provocasset; cujus erat eam convocare, qui ei convocandæ incubuit, qui ejus non convocatæ vices supplevit, Chrysostomumque restituit. Item quid de illa tunc sanctorum inter se virorum conflictatione sentiendum.

I. NOn calamitosæ hujus historiæ lacinias omnes conjectari aggredior: sed pauca mea

more

more carpere, ex quibus invictissimè id efficiatur, quod ad illustrationem priscæ disciplinæ conducat: nimirum cùm ad Concilium Oecumenicum provocabatur, perinde esse, ac si ad ejus Præsidem seu Romanum Pontificem provocaretur: ejus muneris fuisse Concilium Oecumenicum tunc congregare: interim dum in suspenso res erat, rectè aut temerè judicata ab aliis, confirmare vel irritare.

II. Palladium ergo primò excutiamus, qui vitam, causamque hanc maximè Chrysostomi, luculento Dialogo complexus est. *Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ lector, cum Papæ Theophili literis, quibus indicabat Joannem à se fuisse depositum. Eas literas cum legisset B. Innocentius Romanæ Sedis Antistes, exhorruit temeritatem fastumque Theophili; ægrè ferens, & quòd solus scripserat, & quòd rei totius seriem referre omiserat; cujus scilicet rei gratia, quibusve adjunctis sibi sociis illum deponere ausus fuisset. Inter hæc mansit admirans, nihilque rescribere voluit, rei indignitate commotus, &c. Post triduum advenerunt Episcopi quatuor à Joanne missi, tres Innocentio epistolas deferentes, unam quidem Joannis Episcopi, secundam Episcoporum quadraginta de communione Joannis, tertiam scripserat Joannis clerus: omnes indisciplinatum tumultum & seditionem pariter significantes.* Hìc vides necesse fuisse, majores causas ad primam sedem referri: & certatim ad Innocentium retulisse, tum Theophylum, tum Chrysostomum; sed illum præfractè & abruptè, ut facinoris totius architectum: hunc suppliciter, ut Canonum gnarum, & opis indigum.

III. Ibidem subjicitur epistola Chrysostomi, ex qua pauca libabo. Ait se Episcopos hos misisse, *qui ad charitatem vestram currerent, omnibusque lucidè expositis, maturè tantæ cladi remedium dari salubre postularent.* Mox ait se Theophili judicium recusasse, ut adversarii, ut Ægyptum solam curare jussi: *nobis asserentibus, paratos nos esse præsentibus & centum & mille Episcopis crimina objecta refellere, &c. Violenter abductus, injectusque in navim, nocte navigabam, quia Synodum ad justum judicium vocare volueram.* Restitutum se ait orasse Imperatorem, *ut ad ulciscenda facinora Synodum cogeret, &c. Nos nihilo segniùs institimus ut Imperator Concilium congregaret, &c.* Rursum denique ejectum se in exilium: *Ne igitur immanis ista confusio cuncta percurrat, & ubique dominetur; scribite, precor, & authoritate vestra decernite, hujusmodi iniquè gesta nobis absentibus, & judicium non declinantibus, nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profectò irrita & nulla. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiastica censuræ subjicite. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, Ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate frui ac pace cum fratribus nostris consueta possimus.* Qui ergo ad Synodum provocarat Chrysostomus, eò tandem rem intelligit redire, ut per Papam Innocentium, & Occidentales Episcopos ei cohærentes restituatur suæ sedi, rescissa latrocinalis ad Quercum Synodi sententia.

IV. Subjungit Palladius: *Ad hæc rescripsit Beatus P. Innocentius, communioque utriusque partis admissa: Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Orientalium & Occidentalium sacerdotum, &c.* Subtexitur mox epistola Innocentii ad Theophilum, ubi hæc habentur: *Et te, & fratrem nostrum Joannem communionis nostræ esse decrevimus, &c. Possibile non est, nos à Joannis communione discedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandæ.* Et paulò pòst rursum Palladius narrat: *Post istos venit secundò Demetrius Episcopus Pisinuntis, qui peragrato Oriente, prædicaverat communionem Ecclesiæ Romanæ cum Episcopo Joanne, testibus Innocentii Papæ literis, afferens epistolas ab Episcopis curiæ, in quibus Joannis amplectuntur communionem.* Tum Innocentius scribit ad Honorium Imperatorem, *quibus literis motus princeps, jubet Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in unam sententiam concurrissent, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Concilium fieri, quo facilius possent utraque partes Orientis Occidentisque concurrere.* Tum Episcopi mittuntur legati Constantinopolin, cum epistolis Honorii, Innocentii, & cæterorum Episcoporum, & hoc præ cæteris instructi commonitorio: *Non oportere Joannem judicium ingredi, nisi prius Ecclesiæ illi, communioque redderetur.* Sententia ergo cæterorum cum Theophilo Episcoporum, in Chrysostomum vibrata, ab Innocentio rescissa est, retenta ejus communio, ejus rei fama toto orbe dicta, toto Oriente applausum Innocentio: interim ab eodem vocatur ad ampliorem Synodum Theophilus causam dicturus; Synodus Oecumenica ab Imperatoribus postulatur, ea lege præscripta, ut Chrysostomus antè Ecclesiæ suæ restitueretur juxta sententiam Innocentii, quàm ejus causa in Oecumenica Synodo retractaretur. Est ergo sedes Romana unitatis & communionis Ecclesiasticæ summus vertex, majorumque causarum judex: quæ solo dissensu Synodos & conatus Theophili irritavit: solo communionis suæ beneficio Chrysostomum redintegravit: Synodi Oecumenicæ interim vicem supplevit, dum ea impetraretur ab Imperatore: & quia ab Arcadio expugnari ea non potuit, vim ejus & authoritatem sola implevit. In eoque Ecclesiæ salus alioquì nutabunda, tum constitit.

V. Et infra rursus eadem fusiùs retexuntur, ex quibus hæc pauciissima carptim stringam. Testabatur Chrysostomus se paratum venire *ad universalem Synodum.* Cùmque prævalerent adversarii Chrysostomi, *Theodorus Thyaneus Episcopus vir summæ gravitatis, ne Theophili temeritatem sequeretur, relictis omnibus ad suam remeavit Ecclesiam, valefaciens comitatui, suamque provinciam vallans pietatis muro, & ad finem usque in communione persistens fidelium Romanorum: de quibus Paulus testatur, Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Et infrà post subrogatum Chrysostomo Arsacium, Arsacio Atticum: *Hinc cum animadverteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius civitatis populum, &c.* Et denique tandem, *Est autem hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem usque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus universalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum qui hæc gessere. Et si enim dormit B. Joannes, vigilat tamen veritas, de qua est facienda discussio.* Apertum est sedem Petri communionis suæ vel concessione, vel inficiatione, momenta & inclinationem rebus indidisse: & quanquam tum non potuerit infringere imperatoriæ potestatis vim indomitam, in ipso tamen Oriente sanos quosque Episcopos, & fideles, in officio & amore Chrysostomi retinuisse: totum Occidentem ei adjunxisse, & tandem perviciisse, ut vel post mortem, & ab ipso Imperatore, Chrysostomus revocaretur.

VI. Innocentius ipse Papa *epist.* 16. negat se Attico communionem suam restituturum, nisi quæ Chrysostomum spectabant, impositas conditiones implesset, ut impleverat Alexander Antiochenus Episcopus, cui ea de re copiam fecerat suæ communionis. *Communio enim suspensa restituitur, demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, & profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos Atticus missis aliquibus suorum, vel dicere voluit vel demonstrare completum: quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ frater & Coepiscopus noster Alexander, digna legatione & prosecutus est & probavit. Quibus omnibus, utique interesse dignatus, cognovisti quemadmodum singulatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa beatissimi Joannis quondam Episcopi nostri discusserim, &c.* Et *epist.* 17. Alexandro ipsi Antiocheno gratulatur, quòd *tota virtute pacis amator existens, eam inquisitam inveneris,*

neris, & repertam summa charitate retinueris, &c. Multum in gestis sollicitus inquisivi, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati & verè Deo digni sacerdotis Joannis, &c. Scripta autem Attici Episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, &c. Communionis & literarum *gratiam* Attico quoque se præstiturum concludit, si easdem impleat conditiones. In decretis eadem habentur. Et rursus idem *epist.* 14. *Antiochena Ecclesia velut germana Romanæ Ecclesiæ, diu ab eadem alienam se esse passa non est. Nam missis legatis ista pacem postulavit & meruit, ut Joannis sanctæ memoriæ vel clericos, vel laicos, in unum colligeret, atque congregaret.* Et *epist.* 19. ad Acacium Beroeæ Episcopum: *Vel serò receptæ pacis gratiam te fovere, postposita omni contentione pervidimus. Unde has ad præstantissimum fratrem & Coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus unanimitati, videlicet ut si omnes inimicitiæ, omnis amulatio tam de nomine Sancti Joannis mirandi Episcopi, quàm de omnibus ejusdem communionis participibus, à tua animositate discessit, has nostræ societatis recipias literas, frater charissime: modò ut omnia, quæ de his actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum, ore proprio, ut communicantem convenit, fatearis.* Ergo Innocentius, ut Chrysostomi restitutor, ut innocentiæ ejus, & suæ in ejus gratiam sententiæ vindex, eò tandem adegit Constantinopolitanum, Antiochenum, Beroëensem, aliosque Orientales Episcopos, Chrysostomi priùs adversarios, ut Romanæ Ecclesiæ communionem ea de causa abscissam peterent, nec impetrarent, nisi conditionibus omnibus satisfeciissent, restituto & diptychis reddito Joannis nomine, omnibusque ejus communionis tenacibus in suam communionem recollectis. Ergo sine Synodo Oecumenica, parem vim & authoritatem obtinuit sola Innocentii sententia.

VII. Jam verò Socrates *lib.* 6. *cap.* 14. *Ubi verò Joannes eos qui eum accersiverunt, tanquam inimicos à suæ causæ disceptatione exceperat, & ad Oecumenicum Concilium provocarat, illi absque mora quater illum accersiverunt.* Et Sozomenus *lib.* 8. *c.* 17. *Cum quater vocatus, ad Oecumenicam Synodum provocasset, illi nihil aliud causati, quàm quòd vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt.* Et *cap.* 26. *Certior factus Innocentius Romanorum Episcopus, eorum quæ adversùs Joannem acta erant, indignè tulit; atque ut ea damnavit, ita etiam Oecumenicum Concilium convocare studuit; scripsitque tum ad Joannem, tum ad Clericos Constantinopolitanos.* Refertur mox epistola Innocentii ad Clerum Constantinopolitanum: ubi solos vigere debere decernit Nicænos Canones; alios, nempe Antiochenos, quibus impugnatus fuerat Chrysostomus, respuit; in Sardicensi Synodo repudiatos testatur, & tandem, cogendæ Synodi Oecumenicæ curam sibi imminere agnoscit, si per Imperatores liceat: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multò jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere possit, &c. At nos quidem multùm deliberamus, quomodo Oecumenica Synodus congregetur, per quam divina voluntate turbulenti isti motus sopiantur.* Narrat infrà ab adversariis Chrysostomi prohibitam esse Synodum. Denique Theodoretus *lib.* 5. *hist. cap.* 34. *Istud iniquum facinus contra Joannem admissum, Episcopi Europæ præter cæteros detestati sunt. Nam se à communione illorum qui illud consciverant, separavere. Quibus totius Illyrici cuncti se adjunxere Episcopi. Porrò autem quamplurimi Episcopi civitatum, versùs Orientem sitarum, à facinoris communione se sejunxerunt quidem, sed corpus Ecclesiæ minimè distraxerunt. Quinimmò isto excellenti totius orbis terræ doctore mortuo, Episcopi Occidentis non priùs cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ, communicare voluerunt, quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas retulissent, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur.* Ubi quamquam *provocasse* dicatur Chrysostomus, liquidum tamen est, quod ad nauseam usque jam inculcavimus, hujusmodi eam fuisse provocationem, ut cùm infestos sibi judices recusasset, ad majorem, seu ad Oecumenicam Synodum causam illic suam reservarit. Rursus utcumque ad Synodum Oecumenicam provocasse, perinde est ac ad eam provocasse, præside suo, Romano præsule infestam. Ideo enim & legati, & epistolæ Joannis, & omnes ejus partium patroni Romam diriguntur. Ideo Innocentius suam Joanni communionem impertire persistit. Ideò acta Theophili, & Canones quibus nitebatur, suggillat. Ideò in curam colligendæ Oecumenicæ Synodi totus incumbit. Ideo deperata Synodi congregatione, ejus vicem interim supplet, & tandem implet, collaborante secum Occidente toto; tandemque Chrysostomum licèt hujus vitæ vinculis jam absolutum, omnesque ejus communicatores, pristinis honoribus & Ecclesiis restituit.

VIII. Quod autem capitale est rei totius momentum, nempe sine Synodo Oecumenica, quando ejus copia non facilè datur, parem, id est, summam & ineluctabilem adesse primæ sedi authoritatem; ut solo dissensu quascumque Synodos temerè grassatas rescindat, damnatos absolvat, ejectos restituat; & communionis suæ cum innocentibus continuatione, à grassatoribus dissociatione, in integrum omnia restituat; & quamvis aliquandiu contemni videatur, pervincat tandem, & omnes obices victrix perfringat: id tum aliis, tum hoc maximè Chrysostomi exemplo efficit Gelasius Papa *epist.* 13. ad Episc. Dardan. *Quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sine ulla Synodo precedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat; & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat; quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Cui succinit Vigilius Papa in Constituto: *Hanc autem regulam & in Sanctorum Joannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flaviani ejusdem civitatis Episcopi venerandæ memoriæ constat esse servatam. Qui licèt violenter exclusi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quod semper inviolatam eorum communionem Romani Pontifices servaverunt: nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, quos sibi inconvulsè unitos Apostolica judicavit authoritas.* Similiter & in Concilio Constantinopolitano sub Mena *action.* 5. *Secundùm quod sanctæ memoriæ Paulus, & Joannes, & Flavianus, Patres hujus regiæ urbis revocati fuerunt: sic & ipsi Euphemius & Macedonius ejusdem honoris in sacris libris participes fiant.* Et Justinianus Imperator in edicto fidei pro quinta Synodo, *Quantum autem ad insipientiam dicentium, non oportere anathematizari post mortem eos, qui in sua impietate mortui sunt; oportebat nec eos qui injustè condemnati sunt Patres, post mortem revocari: quale contigit in Joanne sanctæ recordationis Episcopo Constantinopolitano, à Catholica Ecclesia post mortem revocato; & in Flaviano sanctæ memoriæ Constantinopolitano Episcopo, injustè quidem in vita damnato, justè autem post mortem revocato, tam à sanctæ memoriæ Leone Papa, quàm à sancta Chalcedonensi Synodo.* Sive ergo synodicè, sive ut pluriùm sine Synodis Generalibus, rescissæ sunt Synodi, Synodicæque Episcoporum innocentium damnationes, ab una maximè Apostolica Sede, dissensu ejus solo, & communionis cum damnatis perpetuatione. Et perinde est sive superstites, sive post mortem revocati sint: par enim emicat in revocante authoritas,

nisi

nisi si tantò majorem illam jure interpretemur, quantò majores & diuturniores adversariorum conatus perfregerit. Ubi non facilè omittenda, quæ habet Prosper in Chronico: *Joannes Constantinopolitanus, & Theophylus Alex. illustres Episcopi habentur. Sed utrumque obscuravit discordia; quæ eò usque processit, ut Joannes à Theophylo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur. Quum tamen communionem ejus maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, servaverit.*

IX. His accedat Facundus Hermianensis *libr. 4. cap. 1.* brevi summam hujus negotii complexus: *Qui Joannes Chrysostomus pro unitate servanda Ecclesiæ quam dilexit, maluit suæ causæ ferre jacturam. Nam si eam vellet asserere, sicut erat vitæ probabilis, & facundiæ singularis; habens etiam magnam gratiam populi Christiani, cui pro majoribus suis meritis erat acceptus, & defensionem Sedis Apostolicæ, sine cujus erat judicio condemnatus, facilè posset obtinere victoriam: quæ illum etiam fugientem est persecuta post mortem. Sed metuens, ne absolutus aliorum judicio, per obstinationem adversariorum suorum non reciperetur ab aliis: atque ita quibusdam ei communicantibus, quibusdam verò aversantibus ejus communionem, Ecclesia scinderetur, pro cujus utilitate sciebat se Episcopum factum; elegit consultissimè & admodum mirabili pietate, Cathedram Episcopatus sui relinquere, quàm ut per ejus defensionem unica Christi divideretur hæreditas.* Quibus nihil elegantius fieri potuit. Itaque Chrysostomo parata & ad manum erat victoria, tum ob alia præsidia, tum *ob Sedis Apostolicæ defensionem, sine cujus erat judicio condemnatus.* Nam approbanda semper fuere primæ sedi majorum causarum judicia, ubicumque & à quibuscumque, etiam à secunda sede discussa: alioqui irrita futura. Illud prorsus cum Gelasio consentit, ingeminante sæpiùs, talium Antistitum damnationes Sedem Apostolicam, *quia non consensit*, irritasse. Addit Facundus, *Victoria illum etiam post mortem persecuta est fugientem.* Peræquè enim vicit Chrysostomus, acsi superstes sedem suam rursum insedisset. Vicit enim causa, vicit æquitas. Et ut suprà ajebat Palladius, *Etsi dormit Joannes, vigilat veritas.* Denique idem Facundus *lib. 6. c. ult.* apertissimè, *Theophyli sui decessoris Cyrillus sententiam sequens, ipse etiam postea contra judicium quoque Sedis Apostolicæ, quæ per Beatissimum Papam Innocentium, prædicti Sancti Joannis in exilio constituti damnationem solverat, nomen ejus post mortem inter Dei sacerdotes, in sacrificio recitari prohibuit.* Qua in re non laudat, immò vehementer Cyrillum aberrasse affirmat Facundus: ut qui Sedis Apostolicæ judicio, potiùs quàm Theophili obtemperare debuerat.

X. Cæterùm abundè ex antedictis refellitur vecordia Novatorum, qui nec à Chrysostomo appellatum Innocentium garrire solent: & nihil ab Innocentio gestum, quod non cum Occidentis Episcopis communicandum sit, & compluribus Orientalibus: denique non excommunicatos fuisse ab Innocentio Orientales Episcopos Chrysostomi insidiatores, sed ipsum se ab eorum communione disjunxisse, mutuumque fuisse illud divortium. Perperam ab illis hæc omnia blatterantur. Nam frequentissimè jam evicimus, nequedum tritas adeò, & usitatas in Ecclesia fuisse appellationum formulas forenses, sed eodem in loco fuisse, causæ ad majorem Synodum reservationes: nec aliud esse ad Synodum, quàm ad Synodi præsidem recurri: nec enim Synodi sine præside, nec præsides tunc sine Synodo quidquam moliebantur: & cùm ad Occidentales potissimùm respectaret Chrysostomus, ut causæ suæ restauratores, non poterat non ad Occidentalium singulare caput intueri. Ideo & legati & defensores ejus omnes Romam confluxere: epistolæ ejus ad Innocentium maximè inscribuntur: solius Innocentii Epistolæ ad Chrysostomum & ad clerum ejus, à Latinis Græcisque scriptoribus memorantur. Solus Innocentius curam induit Synodi cogendæ; solus legatos cum suis & Honorii epistolis Constantinopolin mittit; solus Theophylum increpat per epistolas; solus ad Synodum vocat, solus urget & evincit in sacra diptycha referri nomen Chrysostomi; solus Attici Constantinopolitani, Alexandri Antiocheni, Acacii Beroœensis aliorumque Episcoporum precibus & literis ambitur, ut pacem & communionis gratiam illis reddat: solus non antè assentitur, quàm omnibus ad Chrysostomi nomen, gregemque Joannitarum redintegrandum, conditionibus fecerint satis: solus apud Palladium Photii ipsius suffragio laudatissimum scriptorem, utramque implet paginam. Non possunt hæc omnia peræquè aliis communicari Occidentalibus Episcopis vel omnibus, vel eminentioribus, quæ soli nominatim Innocentio vendicant omnia antiquitatis monumenta. Deinde primæ sedis singularis hæc erat gloria, non Mediolanensis, non Aquilejensis, de Theophili seu de secundæ sedis judicio cognoscere: Constantinopolitani Episcopi innocentiam tutari: ejus damnationem cassare: Occidentis communione frustrare Orientales: citra Oecumenicam Synodum id perficere, & expurgare, quod ab Oecumenica Synodo expectandum fuisset. Ideo Gelasius, Vigilius, Facundus, non aliorum Occidentis Episcoporum, sed solius *Apostolicæ Sedis dissensu*, solutas affirmant Orientalium machinationes.

XI. Quod verò ad abruptam communionem attinet, nihil pensi habent Novatores, quid veritas, quid æquitas clamet: nihil faragunt prima secundis & anteriora posterioribus tempora connectere, & rationis judicio temporum lapsibus supervolitare & dominari. Illic enim erat pax & gratia communionis Catholicæ, ubi defensabatur veritas, non ubi conculcabatur: ubi innocentiæ præsidium, non exitium. Nil dolebant conjuratores aliquandiu de Romanæ Ecclesiæ interciså societate, sed ea facta erant, non jura: latrocinia, non juris documenta. Itaque in pretio habendum, non quidquid gesserint, sed quidquid piè rectèque gesserint: & ad dogmatum regulas trahendum, non quod Ecclesiæ hostes, sed quod vindices patrarint. Aut si & aliqua grassantium ratio habenda est; eorum non audacia, sed pœnitentia est contemplanda. Itaque Romanæ Ecclesiæ communionem ambierunt postea saniores, qui per insaniam respuerant. Non ergo reciproca hæc sunt jura. Nam ubi Chrysostomum diptychis, sese æquitati reddidere Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus Episcopi; tunc non suam Innocentio, & Romanæ Ecclesiæ reddiderunt: sed ejus sibi communionem reddi postulavere, & impositis, impletisque conditionibus impetravere. Et hic rursum, quod alibi semper concurrit: ut majestas primæ sedis, & ejus potestatis amplificatio conjunctissima sit cum ea æquitatis luce, & Chrysostomi defensione, cui nec ipsi ausint adversarii refragari.

XII. Quò se usque autem porrigeret illa communionis inter Orientem, Occidentemque dissociatio, seu potiùs excommunicatio, ab Innocentio & Occidentalibus Episcopis in Orientales vibrata, operosum est definire. Et quidem non injuria videri potest vel solam, vel maximè literarum seu formatarum, & legatorum missitationem desitam esse. Id colligitur ex Epistolis Innocentii, & decretis antè relatis. *Epist.* 14. de Episcopo Antiocheno ait, *Missis legatis ita pacem postulavit, &c.* Et *Epist.* 15. ad eundem, *Quàm necessaria legatio tua, &c. hanc amicitiarum nostrarum paginulam quasi primitias pacis nostræ conscribi, &c.* Et *epist.* 17. *Scripta Attici Episcopi quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus.* Et *epist.* 19. ad Acacium Beroœens. Episc. *Unde has ad præstantissimum Alexandrinum Coepiscopum reddendas tuæ transmisimus unanimitati, ut si omnis æmulatio à tua animositate discessit, has nostra societa-*

tis recipias literas, frater charissime. Et apud Palladium in Dialog. Porphyrius Antiochiæ sceleſtiſsimus Episcopus *Romanæ scripsit Ecclesiæ, neque rescripta accipere meruit.* Et Theodoretus *libr.* 5. *cap.* 34. cùm, ut suprà excripsimus, Occidentales dixisset Episcopos suam ab Orientalibus communionem abrupisse, addit: *Atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt: Atticum autem qui succedebat Arsacio, quique sæpè legatos ad eos miserat, sæpèque pacem postulaverat, tandem cum Joannis nomen in tabulis inscripsisset, receperunt.* Et Hieronymus in Dial. adverſ. Lucif. post Ariminense flagitium, ait, *alios intra suam communionem remansisse, alios ad eos confessores, qui sub nomine Athanasii exulabant, cœpisse literas mittere*: communionem sola ibi literarum missitatione describens. Ergo hæc erat externæ saltem societatis, & legatorum, literarum, eulogiarum, & aliorum istiusmodi reciprocrationis Interciſio; non anathematis forsan illisio, non extremarum imprecatio dirarum, non participandorum sacramentorum interdictio, non faciendarum ordinationum, non celebrandorum mysteriorum, non regendarum Ecclesiarum suspensa, aut exacta potestas. Ideò enim ante pacem initam Episcopi & fratres habebantur. Ideò cum eorum communicatoribus communicabatur. Ideò Theophili, Arsacii, aliorumque ante pacem renovatam præmortuorum nomina sacris diptychis non sunt expungi jussa, ut postea Acacii, & consortum. Ideo toti Ecclesiarum & Sacramentorum per eos factæ administrationi, nihil post ejectas animo simultates derogatum est. Ideò Theodoretus loco citato ait: *Porrò autem quamplurimi Episcopi civitatum versùs Orientem sitarum à facinoris communione se sejunxerunt quidem, sed corpus Ecclesiæ minimè distraxerunt.* Et in hos nihil querelarum effudere Romani, vel occidui Episcopi. Ideò & apud Palladium Chrysostomus ipse Episcopis suarum partium quiritantibus in hunc modum, *Si Ecclesias tenuerimus, communicare cogemur, atque subscribere;* respondit ipse, edixitque in hæc verba; *Communicate quidem, ne scindatis Ecclesiam: verùm nolite subscribere: nihil enim mihi conscius sum, propter quod deponi, aut dejici merear.* Et infrà idem Chrysostomus ad Olympiadem, Pentadiam, aliasque pientissimas fœminas præcipit: *Venite huc, filiæ; quæ de me sunt, finem habent, neque ultrà forte videbitis faciem meam. Hoc unum rogo, hoc deprecor: ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam benevolentiam deserat; & quicumque non sponte fuerit ordinatus, neque id ullo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate ut Joanni, per omnia. Non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest.* Ergo non scindendam funditus hac de causa communionem idoneus fidejussor erat ipse Chrysostomus. Sic ergo illa forsan Occidentalium Episcoporum secessio interpretanda est, ut ne sententiæ obstrepat Chrysostomi.

XIII. Nec sum nescius plures Chrysostomo non obtemperasse. Nam infrà Palladius, *Substituitur Arsacio Atticus, qui cum animadverteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius civitatis populum; agit ut qui non communicarent, rescriptis conventi cogerentur. Habebat autem rescriptum adversùs Episcopos hujusce minas; Si quis Episcopo Theophylo, & Porphyrio, & Attico non communicat, Ecclesia pellatur, & à suis facultatibus projiciatur. Continebat autem rescriptum contra laicos, qui in dignitatibus erant constituti, ut magistratu & dignitate omni privarentur; milites ut baltheum amitterent: populares & artifices reliqui, ut persoluta gravi auri pondere, subjicerentur exilio.* Et infrà: *Clerus Antiochenæ Ecclesiæ insignior occultè convenit, ne ipsis quidem Ecclesiæ parietibus propinquat: unà & illustrium matronarum multitudo clam convenit. Quid verò de Constantinopoli dicam? Quanta illic multitudo deserta Ecclesia sub dio congregatur ad preces?* Facta ista sunt, & piæ imperitiæ facta, non jura. Absoluta est autem Chrysostomi sententia, & iterum iterumque inculcata, ut damnationi suæ ne subscriberent, damnatoribus communicarent Episcopi: laici verò omnino communicarent. Paruere non pauci Episcopi Orientales, ut testatus est suprà Theodoretus. Ergo qui his, qui Chrysostomo non paruere; vereor, ut satis à contumaciæ aut imperitiæ labe expiari eorum zelus possit. Si qua sanè excusatione obumbrari possit eorum error, tota illa repetenda est ab Innocentii & Occidentalium secessione: quibus illi se adglutinabant animo toto, dum ab Episcopis & Ecclesia suis resiliebant. Sed cautiùs alii intelligebant, damnatoribus Chrysostomi Episcopis, & suam cuique plebem communicare subjicique debere, ne fœda labe vexarentur Ecclesiæ: & Occidentalium societatem debere interim denegari, ut hac sua contumelia & jactura, ad resipiscentiam tandem aliquando inclinarentur. Et utriusque sanè author fuerat Chrysostomus. Quinimò à prioris sententiæ temperamento Chrysostomus ipse discessisse videtur postea, recrudescentibus in fautores suos grassationibus commotus. Unde *epist.* 115. ad Cyriacum Episc. *Allatum est ad me de Arsacio illo deliro, quem Imperatrix in throno collocavit; eum fratres eos omnes, qui cum eo communicare recusabant, afflixisse: atque etiam permultos ex ipsis mea causa in vinculis diem extremum vitæ clausisse.* Et Photius in *Bibl. n.* 277. *In Epist. ad Cyriacum Episcopum laudat eos, qui Arsacii communionem aversantur; ut qui propter Deum, & impietatem in Archiepiscopum admissam, ab illo declinent. Quamvis in aliis videatur hortari, ne ab Ecclesia recedant. Id autem postea, ut apparet, voluit; cum illi, qui eum injustè ejecerant, facto non acquieverunt, sed moliti sunt etiam incursum & insidias, exiliumque, iis qui illi erant addicti.*

XIV. Ne quis autem flocci faciat illam interruptæ societatis seu communionis jacturam. Nam ejus cladis authores etsi suarum communione & regimine Ecclesiarum non orbarentur, ingentis tamen noxæ piaculo sese obstringebant, dum fraterna se charitate interdici patiebantur. Ideò Innocentius *Epist.* 14. ait: *Cui rei nos noveris tradidisse manus, & eos in nostra viscera recepisse, ne diu membra quæ requisierant sanitatem, ab unitate corporis haberentur aliena.* Illo ergo societatis dissidio, membra erant sanitatis inania, & à corporis unitate aliena. Et Palladius: *Est autem hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem usque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophylo; donec Dominus universalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ista gessere.* Putrida erant membra, etsi intra suas Ecclesias communicarent, quorum facinore universalis Ecclesiæ communio dissecabatur. Eò pertinet illud Hieronymi in Dial. adverſ. Lucifer. ubi patrocinatur eorum clementiæ, qui Ariminensi defectioni ignoverant: *Quid à confessoribus agendum putaverint? Mansissent, ajunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate totum orbem Diabolo condonassent. Cur damnassent eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem?* Et infrà de Lucifero, qui suæ se intra communionem Ecclesiæ recondiderat: *Bonus quidem pastor, sed multam prædam bestiis relinquens.* Ubi liquet, authores abruptæ quomodocumque unitatis, & societatis Ecclesiasticæ, velut obiectæ Diabolo prædæ reos agi. Missitatam quandoque, in communionis pignus, ipsam Eucharistiam, ex Eusebio & aliis alibi trademus. Indè id elicitur, non otiosa, non jejuna, non externæ tantùm pompæ accommodata fuisse illa communionis monumenta, quæ ultro citroque per epistolas, legatos, eulogiasque commeabant; sed sub his involucris delituisse, ut in Ecclesia Christi assolet, ingentia quædam spiritalis unitatis & charitatis beneficia: quibus suo vitio defraudari, perniciale esset. Optatus sanè *l.* 2.

Com-

Commercio formatarum totum orbem in una communionis ſocietate concordare teſtatur. Et Epiphanius *hær.* 70. docet *Polycarpi & Victoris ætate Orientales ab Occidentalibus divulſos fuiſſe, pacificaſque à ſe invicem literas nullas accepiſſe*. Ad quod referri poſſet utcumque forſitan illa excommunicationis ſpecies, in ſacris Synodorum regulis paſſim obvia; qua Epiſcopi plectebantur quandoque, cùm fraterna charitate carere, ſuæque Eccleſiæ communione contenti eſſe jubebantur aliquandiu, vel donec reſipuiſſent. Quæ omnia de communione & excommunicatione trepidanter & ambiguè à me dici profiteor, animoque ad canendam palinodiam paratiſſimo, ſicunde dilucidius certiuſque aliquid affulgeſcat.

XV. Hæc autem quæ ex Palladio poſtrema verba deſcripſimus, permultum habent momenti, & in illis hæc obiter adnotabo. 1. Occidentalis Synodi ſententiam uno Romanæ Eccleſiæ oraculo explicari. 2. Ideo non per Oecumenicam Synodum debilitari poteſtatem illam eximiam ſedis Apoſtolicæ; ut ex adverſo Innocentius *in finem uſque* perſtiterit, omnemque lapidem moverit, quo Synodus Oecumenica cogeretur. 3. Quod citra Synodum perfecerit Romanus Pontifex, quidquid à Synodo expectandum fuerat: illud eſſe culmen authoritatis ſummæ, quod non ipſe affectavit, non invaſit, ſed Eccleſiæ ipſa pax, & cauſa æquitatis ultro obtulit. 4. Denique quia tunc uſurpaverat Imperator cogendæ Synodi poteſtatem Oecumenicæ, ideo tunc cogi non potuit, etſi tum vel maximè Chryſoſtomus, Innocentius, Eccleſia, æquitas poſtularet. Erat ergo damnoſa quandoque & inviſa Eccleſiis ea uſurpatio, ſed neceſſaria tunc diſpenſatione tolerabatur.

XVI. Atque ut ad communionis ſciſſionem redeam, Arcadius ipſe Imperator ea ſaltem implicatus eſt excommunicatione, qua Conſtantinopolitana & Orientalis penè omnis Eccleſia à primæ ſedis & Occidentalium omnium pace abjecta conſtringebatur. Ita poſtea Symmachus Anaſtaſium Imperatorem excommunicavit: *epiſt.* 7. ad Anaſtaſium ipſum: *Dicis quod mecum conſpirante ſenatu excommunicaverim te. Ita quidem ego, ſed rationabiliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. Nos non te excommunicavimus Imperator, ſed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis. Si te miſces, non à nobis, ſed à teipſo excommunicatus es.* Et longè alia quidem erat excommunicationis ſpecies, qua Romani Pontifices Theophilum & Orientales, alia qua Acacium & conſortes ejus perfidiæ perculerunt. Sed ipſa ratio, qua Imperator ei implicabatur, forſan una & eadem eſt.

XVII. Poſtremò denique quia horret plerumque pietas tenerior non paucorum, cùm non Theophilum tantùm, ſed Cyrillum, Hieronymum, Epiphanium, viros omni exceptione majores & ſanctitatis laude florentiſſimos, audiunt in Chryſoſtomum tam impotenter debacchatos: pauca hìc aſſuam ex Facundo Hermianenſi, in hanc rem præclariſſima, & ſolatio, ut reor, futura. Veniam ergo præfatus *l.* 6. *cap. ult.* cùm plauſtra convitiorum à Theophilo in Chryſoſtomum jactata retuliſſet, ſubdit: *Si quis experiri voluerit, quod non ſententias tantùm, verùm etiam ipſa verba poſuimus, & noſſe quoties hæc ab illo replicata ſunt: legat innormen librum non ſolùm contumeliis, ſed ipſa quoque ſæpe repetita maledictorum recapitulatione nimis horribilem ab Hieronymo *Presbytero translatum. De quo idem B. Theophilus expectavit, ut per ejus eloquium, qualis Joannes fuerit, Latini cognoſcerent. Nos autem in illo libro, non qualis Joannes, qui nihil horum merebatur: nec qualis Theophilus, cujus virtus in multis probata, non ex iſta accedenti morbo judicanda eſt; ſed potiùs, qualis ſit miſerabilis humana vita, cognoſcimus: de qua ſcriptum eſt: Quia tentatio eſt ſuper terram. Nam ſi talia talibus acciderunt: quid nobis metuendum non ſit, noſtrique ſimilibus?* Et infrà: *Hæc autem ſcandala, vel quælibet meritò nos offendunt in Patribus, quos tanquam luminaria Deus in Eccleſia ſua conſtituit, ut eorum deſuper illuminemur excellenti ſcientia atque doctrina: ſic habenda mihi videntur, ſicus ipſorum quoque luminarium cæli defectus. Quæ licèt nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe, quod ſunt. Et crebrò quidem accidit, ut iſta quoque Eccleſiæ luminaria, quoniam multa à nobis celſitudine ſeparantur, pro quodam noſtræ ignorantiæ nubilo, cum in ſe ſplendentia maneant, nobis videantur obſcura. Habeatur itaque velut eclipſis quædam luminarium Theophili & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Joanne Conſtantinopolitano locuti ſunt.* Adde luculenta Theodoreti verba *l.* 5. *hiſt. cap.* 34. in hunc eundem ſenſum.

DISSERTATIO VIII.

IN CONCILIUM DIOSPOLITANUM IN CAUSA PELAGII, Anno Chriſti 415.

SYNOPSIS.

Ut leviter à quibuſdam perſtricta, ut ab aliis accuratè defenſa ſit hæc Synodus. Summa Synodorum etiam localium dignitas: ſumma in rebus tum fidei & juris, tum factorum & perſonarum authoritas.

I. DE hujus Synodi geſtis ita Innocentius Papa I. *epiſt.* 26. *Cum ſint aliqua in ipſis poſita geſtis, quæ objecta, partim ille vitando ſuppreſſit, partim multa in ſe verba retorquendo, tota obſcuritate confudit: aliqua magis falſis argumentis, quàm vera ratione, ut ad tempus videri poterat, purgavit: alia negando, alia falſa interpretatione vertendo.* Et mox: *Unde non poſſumus illorum nec approbare, nec culpare judicium: cum neſciamus, utrùm vera ſint geſta, aut ſi vera ſunt, illum conſtet magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe.* Hieronymus autem *epiſt.* 79. *Quidquid in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat Pelagius, in hoc opere confitetur.* Auguſtinus denique lib. de Peccato Origin. tum ſuprapoſita laudat Innocentii verba, tum hæc ſuccinit *cap.* 8. 9. 10. *Fefellit judicium Palæſtinum Pelagius, propterea ibi videtur eſſe purgatus. Romanam verò Eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere uſquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utcumque conatus: ſed ut dixi, minimè valuit.* Et infrà: *Videtis qualem tulerit Papa Innocentius de illius purgatione ſententiam, &c. Jam nunc diligenter attendite, unde monſtretur, quod Palæſtinos Pelagius fefellerit judices.* Proſper denique carm. de Ingratis:

Lene quidem hoc, nimiumque malos toleraſſe videtur
Judicium.

II. Subinfeſta hæc in ſpeciem videntur eſſe de hoc Palæſtino judicio judicia magnorum virorum. Ab his tamen ipſis fas eſt ejuſdem accerſere purgationem. Auguſtinus enim, *lib.* 1. adversùs Julianum *cap.* 2. reliquis orthodoxis Patribus accenſet hos *Orientales, Epiſcopos quatuordecim, qui Pelagio judices præſederunt, eumque ut homines, nullo ex altera parte urgente adverſario, putantes Catholicum, tanquam Catholicum pronunciarunt.*

Et

Et mox: *Ac per hoc Orientales vos judices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui sentiunt ista, damnavit; cum eis quos damnavit, profectò damnandus, quia id quod damnavit ore, corde servavit.* Et *lib. 2. Retract. cap. 47. Eis absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis quatuordecim auditus est Pelagius; ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversùs eum de libello legebantur, catholicum pronunciaverunt. Sed cum in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de his librum: ne illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse; quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis indemnis exisset.* Atque adeò totus huc pertinet, ut vides, Augustini liber de gestis Palæstinis, ut Synodum Diospolitanam, Synodique authores Episcopos ab obliquis absolvat seu criminationibus seu suspicionibus. Cui suffragatur & Prosper carm. de Ingratis:

Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit: captumque nefandi
Dogmatis authorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari.

III. Nequaquam igitur à vero aberrarunt Palæstini judices, 1. Quia hæresin ipsam Pelagianam confixere; Pelagium nonnisi ea ejurata Catholicum pronunciavere. Id suprà relatis testimoniis comperrissimum est. 2. Quia Pelagii anteriora dicta, scriptaque venenata, nonnisi sub alio & orthodoxo sensu, quem tum præsens allegabat ipse, approbavere. Augustinus de gestis Pelagii *cap. 1. Responsiones ejus non immeritò approbaverunt, non curantes quomodo ea quæ objiciebantur, in opusculis suis posuerit; sed quid de his in præsenti examinatione responderit. Alia est enim causa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ.* Et infrà Synodus dixit: *Tu hoc edixisti, Pelagi? At ille respondit: Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt, &c.* Et Photius in Bibl. *num. 54. Absolutus est, cum alia quidem objectorum capitum, ut stulta omnino abnegasset, atque damnasset; alia verò à se quidem dicta confessus esset, non tamen eo sensu quo accusatores illa interpretarentur.* Idem significabat Innocentius suprà laudatus. 3. Quia Cælestium quidem cum dogmate suo antè perculerant Africani Patres, at Palæstini Episcopi non Cælestium, sed Pelagium: & Cælestii sententias, sed alio longè & Catholico prorsus sensu à Pelagio simulatas, & velut incrustaras approbavere. Augustinus lib. de gest. Pelag. *cap. 35. Cælestius talia sentiens, ad judicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententia condemnatus est. Deinde post aliquot annos Pelagio, qui magister ejus perhiberetur, cum ista hæresis fuisset objecta, ad Episcopale judicium etiam ipse pervenit, &c. Quatuordecim Episcopi secundùm responsiones ejus alienum à perversitate hujus hæresis pronunciarunt; eam tamen hæresin sine ulla dubitatione damnantes.* Et infrà: *Has ex nomine Cælestii quatuor sententias, non sic approbaverunt Episcopi judices, sicut eas Cælestius sensisse dicebatur, sed sicut de his respondit Pelagius.* 4. Denique quia divinitùs id agebatur, ut simulatio Pelagii non ad ipsum purgandum, sed ad ejus hæresin proprio ipsius ore perimendam proficeret. Prosper mollius hoc Episcopale judicium, non tam excusans, quàm collaudans, ait:

Lene quidem, nimiumque malos toleraſſe videtur
Judicium; ſed ſancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de ſemine prolem.
Proſpectum namque eſt, divino & munere cautum,
Ut licèt inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidiæ ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem,
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens ſobolem; quam protulit ore.

Postremò tandem accepti in hac Synodo vulneris sensum Pelagiani plus satis sacrilego ulciscendi ausu testati sunt. Augustinus idem ibidem *cap. ult. De his autem quæ post hoc judicium ibi nescio quo cuneo perditorum, qui valdè in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur: ut Dei servi & ancillæ ad curam sancti Hieronymi Presbyteri pertinentes, sceleratissimè cæde afficerentur: Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, &c.* Vide & de his epistolam Innocentii.

IV. Liquet hinc porrò quàm non temerè prosiliendum sit ad ullius Synodi etiam particularis suggillationem. Quamvis enim tergiversatione sua Pelagius imposuisse Episcopis Palæstinis videretur, nec id Innocentius, Augustinus, Hieronymus, Prosper dissimularent: quamvis hæresin ipsam ex approbato Pelagio approbatam multi garrirent: non tamen continuò Sancti Patres authoritatem detrectant particularis Synodi, non errare illam potuisse regerunt, non saltem in re facti hallucinatam confitentur, sed ejus statuta & rationes usquequaque propugnant. In fide enim sanum sapuisse & & definisse constantissimè tuentur. In facto etiam, seu in persona Pelagii absolvenda obtendunt, abfuisse accusatores, per interpretem Græcos homines de Latino judicasse, præsentis Pelagii responsiones *non immeritò* approbasse; nec examinasse quid olim scripserit, sed quid in *præsenti* confiteretur; divinitus actos denique, ut clementiùs cum eo agerent, ut hæresis ipso ore ejus, ex quo ebullierat, extingueretur. Denique Augustinus lib. de gest. Pelag. *cap. 14. Nunc certè post hoc judicium, quando contra hujusmodi sententias disputamus, adversùs damnatam hæresin disputamus.* Summæ ergo authoritatis in arcem recipitur particularis hæc Synodus.

V. Liquet rursus cùm Romano & Africano judicio obstrepere Palæstinum jactaretur, non statim Occidentales Orientalium authoritatem repudiasse, in Gratiæ præsertim negotio. Quin ex adverso cùm Pelagiani ab Occidentalibus se exagitari quiritarentur, Orientales autem Patres suo dogmati consentaneos esse venditarent: Augustinus, Prosper, aliique tunc orthodoxi Episcopi, perpetua & inexpugnabili Græcorum cum Latinis, & Orientalium Patrum cum Occidentalibus consensione, & unanimi Catholicæ Ecclesiæ traditione fulciri Ecclesiasticam fidem excepere, & vel ex hac Synodo Palæstina approbavere. Augustinus *lib. 1.* contra Julianum *cap. 2. Ac per hoc Orientales vos judices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui sentiunt ista damnavit, &c. Tu interim habes in conspectu non solùm Occidentis, verùm etiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis invenimus. Omnes una eademque modo credunt, &c.* Et lib. de gestis Pelagii *cap. 11. Hæc sunt quæ nonnullis fratribus quidam talia sentientes ita persuadere conabantur, ut de Orientalibus comminarentur Ecclesiis, quod qui hæc tenerent, earum possent judicio condemnari. Ecce quatuordecim Antistites Orientalis Ecclesiæ, in cæteris cui Dominus præsentiam suæ carnis exhibuit, Pelagium non absolverent, nisi ea tanquam fidei Catholicæ adversa damnaret.* Et Prosper paulò suprà relatus: *Non segnior inde Orientis Rectorum cura enituit, &c.* Quò magis eliminanda nunc quorundam animis illa præposterè hausta opinatio, in Gratiæ Christi doctrina Græcos à Latinis, Chrysostomum ab Augustino dissidere mussantium: quæ de re prolixiùs alias. Sed rursum Prosper eandem ostentans Græcorum cum Latinis concordiam in Pelagianis explodendis, Attico Constantinopolitano Episcopo ita gratulatur;

Quid loquar & curam, magnæ quam geſſit in urbe

Con-

Conſtantinopoli, docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide: de qua tunc impia corda
Quamvis ſe obducta tegerent velamine forma,
Judicii & tacita tulerunt tormenta repulſæ.

At Cœleſtinus Papa in epiſt. ad Neſtorium, & Attico, & ejus ſucceſſori Siſinnio eadem de cauſa meritas laudes accumulat: *Poſt impium illud, prophanumque, ac ſæpenumerò condemnatum Pelagii ac Cœleſtii dogma, Catholica fides aliquot vitæ noſtræ diebus pacem obtinuit. Etenim ut primùm Oriens & Occidens concordi ſententia, veluti telo quodam, illos, illorumque ſectatores ſemel percuſſit: è veſtigio ſanctæ memoriæ Atticus, egregius ſanè orthodoxæ fidei doctor, veruſque ea in re B. Joannis ſucceſſor, ita eos communis omnium Regis cauſa eſt inſectatus, ut ne conſiſtendi quidem ſpatium eo in loco reliquum illis faceret. Poſt illius verò è vita diſceſſum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè ſpectantes, unumne, eundemque ille & muneris & fidei quoque ſucceſſorem ex æquo ſortiretur. Verùm poſt illius obitum Sanctus Siſinnius nobis obtigit, vir profectò & vitæ ſanctimonia & fidei ſimplicitate clarus, ejuſque, quam compererat, religionis præco inſignis.* Et mox Neſtorium longè à prædeceſſorum veſtigiis devium & Pelagianis adhæreſcentem objurgans: *Cur iterum in ea inquiris, quæ jamolim contra illos acta, decretaque ſunt? Ignoras forſan ab Attico, Catholico per id tempus Epiſcopo, commentarios de illorum condemnatione, inde ad nos fuiſſe tranſmiſſos? Cur ſanctæ memoriæ Siſinnius eadem retractari non quæſivit? Ob id nimirum, quia juſtè illos à Præceſſore ſuo condemnatos intelligebat.* Ad quæ alluſiſſe videri poteſt Auguſtinus ipſe *lib.* 3. adversùs Julianum *cap.* 1. *Ego autem abſit ut ad monomachiam vos provocem, quos, ubicumque apparueritis, ubique diffuſus debellat Chriſti exercitus: qui debellavit apud Carthaginem Cœleſtium, quando illic ipſe non eram: & rurſus Conſtantinopoli, tam longè à regionibus Africanis: qui debellavit in Paleſtina Pelagium.* Quin & in Epheſina Oecumenica Synodo incontanter proſcripti ſunt Pelagiani & errores & authores. Unde in Synodica ad Cœleſtinum Papam: *Perlectis eis in ſancta Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum, Cœleſtii, Pelagii, Juliani, reliquorumque eadem cum illis ſentientium depoſitione à pietate tua iſtic decreta conſtitutaque ſunt: judicavimus & nos quoque ea ſolida, firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiſcum ſentientes, & nos itidem eos pro depoſitis habemus.* Et Proſper in Chron. *Congregata apud Epheſum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum ſibi juvabant dogma, damnatur.* Et carm. de Ingratis:

Prætereo, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſus, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa ire, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Faceſſant ergo, qui neſcio quæ diſſidia ſibi ſomniant Græcorum & Latinorum in doctrina de auxiliis gratiæ Chriſti. Utriuſque gentis Patres & Synodi ſummam ſemper concordiam præ ſe tulerunt.

VI. Liquet tertiò, cùm Synodi orthodoxæ in factorum & perſonarum judiciis aberrare poſſe dictitantur, non temerè effundendam eſſe extra lineas hanc opinandi licentiam. Diſertè ſuprà Auguſtinus ajebat, *Fefellit judicium Paleſtinum Pelagius, &c.* Et tamen ex eodem ipſo Palæſtina Synodus *reſponſiones Pelagii non immeritò approbavit.* Et lib. de geſtis Pelag. *cap.* 1. *Synodus dixit, non ſunt aliena ab Eccleſia, quæ dicta ſunt à Pelagio. Planè aliena non ſunt, quæ reſpondit. Illud verò quod de libro ejus prolatum eſt, aliud ſonat. Sed hoc Epiſcopi Græci homines, & ea verba per interpretem audientes, diſcutere non curarunt: hoc tantùm intuentes, quid ille qui interrogabatur, ſenſiſſe ſe diceret: non quibus verbis eadem ſententia in ejus libro ſcripta diceretur.* Ergo ne in facto quidem erravit hæc Synodus, quæ curavit diſcutere, non quid antè ſcriptitaſſet, ſed quid tunc confiteretur Pelagius; & laudavit ſonantem ex ejus ore veritatem, non perfidiam in corde latitantem. Fefellit Pelagius, ſed Synodus falli non potuit, quæ de his ubi falli potuit, nihil judicavit. Hac viâ elui poſſunt & ab aliis forſan Synodis iniquæ ſuſpiciones.

VII. Liquet quartò, etſi ſcriptis dictiſque ſuis prioribus alium longè & orthodoxum ſenſum affingeret Pelagius; nec vel ſic tamen cenſorium cauterium declinari ab eo potuiſſe. Aliqua enim *falſa interpretatione vertit*, ut ajebat ſuprà Innocentius: *Alia à ſe quidem dicta confeſſus eſt, non tamen eo ſenſu quo accuſatores illa interpretarentur*: ut narrabat Photius: *Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt*: ajebat ipſe Pelagius apud Auguſtinum. Licuit tamen Innocentio, licuit Auguſtino, licuit Eccleſiæ Catholicæ aliter, & ſinceriùs dicta ſcriptaque Pelagii, quàm ipſe exponeret, exponere, & ita inurere. Unde ſuprà Auguſtinus: *Fefellit judicium Paleſtinum Pelagius, propterea videtur ibi eſſe purgatus: Romanam verò Eccleſiam, ubi eum notiſſimum eſſe ſcitis, fallere uſquequaque non potuit.* Et lib. de geſtis Palæſt. *cap.* 21. *Nos de iſta ejus purgatione, quæ magis creditur, quàm liquidò demonſtratur, gaudere temerè non debemus. Neque hoc dicens, Judicum arguo, vel negligentiam, vel conniventiam, vel quod ab eis abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam; ſed eorum judicio pro merito approbato, atque laudato, Pelagius tamen apud eos quibus ampliùs, certiùſque notus eſt, non mihi videtur eſſe purgatus.* Et infrà *cap.* 29. *Proinde Pelagius de quorumlibet ſanctorum amicitia ſe jactaverit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, quælibet purgationis ſuæ geſta protulerit: niſi ea quæ contra Dei gratiam, qua vocamur & juſtificamur, poſuiſſe in libris ſuis idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizaverit, ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit & diſputaverit; nequaquam his quibus plenius notus eſt, videbitur eſſe correctus.* Tametſi ergo ſuæ ipſe mentis conſcius & interpres, verba ſua in ſanum raperet ſenſum, tametſi ejus innocentiæ patrocinata videretur Synodus orthodoxa: Catholicis tamen Patribus conſultiſſimum viſum eſt, ut quæ in libris ſuis poſuerat, confeſſus anathematizare adigeretur, ac deinde contra hæc ipſa ſcriberet ac diſputaret: alioqui tota ejus purgatio nec flocci fieret.

VIII. Nec illud effugiet, quod in ea quæſtione, an aliquis reapſe ab infantia ad exitum uſque mortalis vitæ perſtitiſſet immunis & purus ab omni ſorde peccati: *Synodus dixit, Quoniam negas te talia ſcripſiſſe, anathematizas illos qui ſic tenent? Pelagius dixit, Anathematizo quaſi ſtultos, non quaſi hæreticos, ſiquidem non eſt dogma. Deinde judicaverunt Epiſcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizavit Pelagius inſertum ſtultiloquium, &c.* Ad quæ hæc animadvertit Auguſtinus lib. de geſt. Pelag. *cap.* 6. *An & illud fortaſſe tractandum eſt, utrum rectè dictum ſit, Non tanquam hæreticos, ſed tanquam ſtultos anathematizandos, qui ita ſentirent, quoniam dogma non eſſet? Sed ab hac quæſtione non levi, ubi quæritur, quatenus ſit definiendus hæreticus, rectè ſe in præſentia judices abſtinuerunt.* Et infrà, cùm ſtultiloquia bipartitus eſſet, in ea quæ ad fidem nihil attinent, & ea quæ fidei furtivè & per cuniculos officiunt, ſubdit: *Cum igitur omnis hæreticus, conſequenter & ſtultus ſit, non autem omnis ſtultus continuò ſit appellandus hæreticus: rectè Judices inſertum ſtultiloquium propria voce Pelagium anathematizaſſe dixerunt. Quia etſi hæreſis eſſet, proculdubio ſtultiloquium eſt. Proinde quidquid illud ſit, generalis vitii nomine appellaverunt.* Quoniam ergo ſalebroſa implicataque illa quæſtio eſt, quatenus ſit definiendus hæreticus: non conducit plerumque pertinaciùs diſceptari, quid hæreſi, quid ſtultitiæ adſcribendum ſit: ſed indiſcriminatim utrique anathema illidendum, utrumque ex animo expuendum eſt.

DIS-

DISSERTATIO IX.

IN CONCILIA CARTHAGINENSEM ET MILEVITANUM, Anni 416.

Adversùs Pelagianos sub INNOCENTIO & Carthaginense posterius anni 417. & 418. sub ZOZYMO.

SYNOPSIS.

Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere, & tunc demum in summæ authoritatis arcem eas invadere.

I. DUo hìc quædam Catholicæ doctrinæ capita, & si dilucidè satis eniteſcant, paulò copioſiùs tamen illa elucidari operæ pretium erit. Nimirum provinciales Synodos ab Apoſtolica Sede confirmandas esse, & ubi confirmatæ fuerint, tunc in authoritatis ſummum columen eas recipi, nec posse ab eis citra hæreſeos diſcrimen provocari. Ac primùm quidem Carthaginenſis hujus Synodi Patres, damnatum à se Cælestianum dogma præfati, ad Innocentium Papam ita ſcribere pergunt: *Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam perversitate corrigenda.* Et poſt aliquantula de gratia Chriſti diſputata: *Et veremur ne apud te ista ipsa commemorando, qui majore gratia de Sede Apostolica prædicas, inconvenienter facere videamur. Sed ideo facimus, quia in eo quod infirmiores sumus, crebrius eos patimur, & audacius insurgentes. Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tua venerationi juste visus fuerit absolutus; error tamen ipse & impietas, quæ jam multos habet assertores per diversa dispersos, etiam Apostolicæ Sedis authoritate anathematizanda est.* Et poſt exuſtatos errores aliquot Cæleſtii, ſic tandem concludunt: *Quæcumque autem alia eis objiciuntur, non dubium venerationem tuam, cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id judicaturam; unde omnes in Dei misericordia gaudeamus.* Perpende ergo, 1. ex Africanis his Patribus, id juris esse Sedi Apoſtolicæ, ut de Synodo Dioſpolitana *id judicet, unde omnes gaudeant*: judicet, *justè absolutus* ſit Pelagius, nec ne? judicet ergo poſt Synodum, & de ipſa Synodo, ejuſque judicium velut nutabundum, aut figat, aut diffingat. 2. Id eos orare ſimiliter, ut *statutis suæ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas*: etenim ſe *infirmiores* esse, ideoque in ſe audaciùs inſoleſcere hæreticos: at Innocentium *majore gratia de Sede Apostolica prædicare*: & quia error *multos* habet jam aſſertores, qui non facilè morem gerant Synodis Epiſcopalibus, utpote *per diversa dispersi*; hæreſin *etiam Sedis Apostolicæ* configendam authoritate, quæ ubique pollet. 3. Et Dioſpolitanæ ergo, & ſuæ Synodi ſtatuta minus ponderis habitura confitentur, niſi accedat confirmatio Innocentii, tum quòd *Apostolicæ Sedis authoritas & gratia* emineat, tum quòd latiſſimè & ubique ſe exporrigat.

II. Nec minùs id liquidò patet ex epiſtola Innocentii ad eandem Synodum Carthaginenſem: *Inquirendo de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, justoque, & Catholico tractari Concilio; antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiastica memores disciplina, vestræ religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quàm antea cum pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes, quid Apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus & tota authoritas nominis hujus emersit.* Subdit, *Patres non humana, sed divina decrevisse sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque ageretur provinciis, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus authoritate, justa quæ fuerit, pronunciatio firmaretur; indeque sumerent cetera Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversa totius mundi regiones puri capitis incorrupta manarent, &c.* Et mox: *Per cunctas totius orbis terrarum Ecclesias, omnibus una quod prosit, decernendum esse deposcitis.* Perpende hic primò decreta Synodorum provincialium ad ſedem Apoſtolicam *referenda* esse, & de his eam *consulendam*: & quæ ad Epiſcopos alios decreta ſunt, ad Epiſcoporum apicem, *relationes & consultationes Synodicas* esse, ut ab hac Synodo & ab Hieronymo aliiſque Scriptoribus antiquis vocitantur; & hanc esse *antiquam traditionem & Ecclesiasticam disciplinam*; non aliquid nunc novatum. 2. Idque quia *sedes Apostolica* eſt, ſeu ſedes Petri, *à quo ipse Episcopatus & tota authoritas hujus nominis emersit*: quia *caput* iſtud eſt, & veluti *fons natalis*, à quo velut aquæ illimes, Eccleſiæ omnes promanant. 3. Cùm Epiſcopi, Synodique particulares vim ſuam in aliquo tantùm terrarum tractu exerant, nec Oecumenicas toties Synodos cogi fas ſit, quoties inſanire novatoribus allubuerit: id conſultiſſimum, id compendioſiſſimum, id denique neceſſarium esse, ut accedente localibus Synodis univerſali ſedis ſummæ & capitis authoritate, *id decerneretur quod per cunctas totius orbis Ecclesias omnibus prodesset*: atque ita *in disjunctis provinciis* agitari poſſent multa, non tamen *finiri antequam ad hujus sedis notitiam pervenirent, & ab ea firmarentur.*

III. Idipſum rurſus ex Concilii Milevitani epiſtola ad eundem Innocentium patebit, *Quia te Dominus gratia ſua præcipuo munere in sede Apostolica collocavit; talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentia valeat, si apud tuam veneretionem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.* Et paucis commemorato errore peſtifero: *Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare; cum proculdubio te ita permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latiùs serpant, multosque contaminent, omnino dissimulare non possis.* In Aſia mox & Hieroſolymis graſſari horum errorum ſatores dolent, ſubduntque: *Sed arbitramur authoritati sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum authoritate deprompta, facilius eos qui tam perversa & pernicioſa sentiunt, esse cessuros: ut de correctione potiùs eorum congratulemur, quàm contristemur interitu. Quodlibet autem ipsi eligant: certè vel aliis, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua instanter & celeriter providendum.* Perpendis & hìc ſimiliter 1. ad authoritatem quæ toto orbe dominetur, neceſſariò referri recurrique à Synodis particularibus, ne malum *latiùs serpat multosque contaminet*, ne *plures his laqueis implicentur*, ut in Aſia, ut Hieroſolymis ſiſtatur virus, ubi parum aut nihil momenti habent Africana Concilia. 2. Id totum tribui *Apostolicæ sedi, Apostolico pectori, authoritati de sanctarum Scripturarum authoritate deprompta.* 3. Quod enim nuperus Novator authoritatem, id eſt, lucubrationem interpretatur ſcripturarum teſtimoniis conſtipatam, nihil inficetius, nihil alienius in mentem venire potuit. Nam 1. ecquid toties utriuſque Synodi Patres Apoſtolicam Sedem, Apoſtolicum pectus ingeminant

minant & extollunt; nisi ut insinuent Apostoli Petri in ea sede perennantem principatum, Evangelicis literis consignatum? 2. Illa verba: *Ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam perversitate corrigenda*: his prorsus concinunt, *Arbitramur authoritati sanctitatis tuæ de Scripturarum authoritate deprompta, facilius eos, qui tam perversa & pernicioſa sentiunt, esse cessuros*. Utrobique potestas magis, quàm doctrina intentatur. 3. Utraque Synodus profitetur suam *mediocritatem*; se *infirmiores* esse ajunt Episcopi, non indoctiores; *crebrius se pati* hæreticos, *& audaciùs insurgentes* queruntur: in tam multos ubique *dispersos*, etiam in Asia & Hierosolymis, nihil sibi esse virium, nihil potestatis, non autem nihil doctrinæ. At Innocentium *majore gratia de sede Apostolica prædicare*, & ab eo omnes ubique terrarum faciliùs comprimi posse sectarios. 4. Oraculis scripturarum per Innocentium, quàm per Augustinum prolatis, eccur faciliùs cessuri conjiciuntur Pelagiani? Sed ubi Augustinus, ubi Alypius, ubi tot alia Episcoporum lumina confluxerant: quid opus erat ad Innocentii doctrinam confugere Scripturarum scatentem fluentis, & in ea salutis & fidei Catholicæ summam collocare? 5. Et in his, & in aliis Augustini scriptis, *authoritas* non scriptum aliquod, sed pondus potestatis sonat. Denique frequentissima sunt Augustini loca, ubi sedes Apostolicas aliis longè anteponit, Ecclesias nempe illas, quarum in Scripturis sanctis memoria & majestas commendatur. Harum ergo Ecclesiarum prærogativa supra alias de Scripturis depromitur.

IV. Sed hujus insania veteratoris manifestissimè revincetur ex responsione Innocentii ad Concilium Milevitanum: *Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta, fideli ac modica discepatione tractamus &c. Diligenter & congrue Apostolico consulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam, &c. Scientes quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.* Et infrà: *Quare Pelagium Cælestiumque inventores vocum novarum, Ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris authoritate censemus.* Perpendis hìc 1. *Apostolici vigoris authoritate*, non scripto, non doctrina scilicet sola, sed potestate, *inventores vocum novarum Ecclesiastica communione privari*: & ubique prætendi Apostolicam sedem, Apostolicum fontem, Petrum Episcopalis nominis & honoris authorem. Illa ergo est *authoritas de scripturis deprompta*. 2. Quæ definitiones fuere Synodorum, eas ad Romanam sedem missitari, ut relationes, & consultationes. 3. Quod ab ea sede manarit, id valere jam *per omnes provincias*, id *per totum mundum in commune prodesse*. 4. Antiquam illam esse formam, toto orbe servatam. 5. Non aliter constare potuisse Ecclesiæ Catholicæ salutem, cùm Africanis Synodis damnati errores authoresque errorum, aliis in Ecclesiis impunè vel delitescerent, vel baccharentur, & Diospolitanæ Synodi authoritate simplicioribus illuderent. Necessum utique tum erat ad majorem authoritatis apicem recurri, & eas ubique convalescere Synodorum definitiones, quæ illi approbarentur.

V. Nec prætermittenda Augustini *epistola* 95. ad eundem Innocentium, suo & aliorum quatuor Episcoporum nomine scripta: ubi post Synodum Diospolitanam accìri Romam Pelagium, & diligentiùs interrogari suadetur: & si faciat satis, tunc *revera de ejus purgatione gaudendum*. Et infrà: *Si cognoverint eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum Catholicorum authoritate, & maximè sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipso anathematizatum atque damnatum, non eos ulterius existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei, &c. Ad ipsum scriptam ab uno nostrum epistolam, tuæ beatitudini potius credimus dirigendam; melius judicantes & petentes, ut eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quàm qui scripsit, attendens.* Ubi claret, quæ illa sit de scripturis deprompta authoritas Romani Antistitis, quæ *majoris ponderis* est, quàm aliorum Episcoporum, etiam synodicè congregatorum.

VI. His planè astipulatur Prosper carmine de Ingratis,

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit, &c.
Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostra
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Appositè prorsus utroque Africæ Concilio, ait decreta fuisse, quæ *Roma probaret*: & approbatum Romæ dogma Synodicum, universi orbis regna sequerentur. Nempe quia Roma *Sedes Petri* est, *Pastoralis honoris caput mundo*, & *Juris Apostolici solium*. Nam quod ad scientiam scripturarum attinet, longè uberrimam illam scaturisse ab Africanis Synodis, & ab Augustino maximè, pereleganter ibidem Prosper persequitur: *Concilium cui Dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat, quem Christi gratia cornu uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo, accensum vero de lumine, &c. Et in sancto regnat sapientia templo, &c. Istius ore flumina librorum mundum effluxere per omnem.* Et infrà rursus Prosper,

Ergo Petri solium Romam & Carthaginis alta
Concilium repetant humiles.

Et iterum Prosper contra Collat. *cap.* 41. *Tunc istorum machinæ fractæ sunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam, Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctavit: quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.* Constantissimè Prosper Romanam ceu Petri sedem ad profligandas hæreses & ductricem præire, & confirmatricem accedere Episcopalibus Synodis demonstrat: nec ulli deinceps Catholico fas esse, istiusmodi decretis obluctari.

VII. Quàm non temerè autem conjecissent Africani Episcopi, Pelagianos lubentiùs Apostolicæ Sedis, quàm Episcopalium Conciliorum decretis cessuros: liquet ex ipsius Pelagii, confessionis libello post superiores Synodos conscripto, & ad Innocentium Papam misso, cujus hæc sunt extrema penè verba: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In qua si minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes.*

Adde

Adde si voles & hæc ex Gennadio lib. de viris illustribus, *cap.* 43. *Innocentius urbis Romanæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium Ecclesiarum & Orientalium, adversùs Pelagianos datum: quod postea successor ejus Papa Zozymus latiùs promulgavit.* Quasi dicat Innocentium velut os, & oraculum Ecclesiæ, confirmasse atque edixisse per orbem universum, quæ particulares Synodi in Palæstina & in Africa decreverant. Quod paucissimis verbis tangitur in lib. de Romanis Pontificibus; *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia.*

VIII. Verùm nihil expressius illo Augustini testimonio, alibi jam descripto ex *Verb. Apost. cap. ult. Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Quid manifestius, ut patefiat, & ad Apostolicam sedem mittendas Synodorum localium definitiones, & ab ea confirmandas; tumque eas ineluctabili demum authoritate pollere? & rursum *lib.* 2. operis extremi adv. Julian. *num.* 103. *Quid adhuc quæris examen, quod apud Apostolicam sedem jam factum est? Quod denique jam factum est in Episcopali judicio Palæstino. Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.* Et denique *lib.* 4. contra Bonifacium *cap. ult.* Pelagianos deridet, qui Oecumenicam Synodum flagitabant, *cum multo & incomparabiliter plures hæreses sine Synodi congregatione damnatæ sint:* subditque, *post factum illis competens sufficiensque judicium, ubicumque lupi isti apparuerint, conterendi sunt.*

IX. Totam autem, eamque summam Synodorum particularium authoritatem ab Apostolicæ sedis confirmatione derivatam fuisse, inde efficitur, quòd utrumque istud quod tractamus, Carthaginense & Milevitanum Concilium, solo Innocentii decreto, quo rata illa facta sunt, complexus est Prosper & ante eum Augustinus. Prosper enim iis verbis: *Pestem subeuntem prima recidit sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, &c.* utramque hanc Synodum insinuavit, & ita ad Diospolitanam, ut alibi solet, & ad Africanas duas sub Zozymo perrexit: quod apertissimum fit ex verbis suprà relatis libri contra Collatorem, & ex ejusdem *lib. cap.* 1. Id ipsum emicat in illis Augustini verbis suprà allatis: *Quid adhuc quæris examen quod apud Apostolicam sedem jam factum est? Quod denique factum jam est in Episcopali judicio Palæstino?* Similiter & Gennadius dixit scriptum fuisse ab Innocentio *decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiarum.* Adde Posidium in vita August. *cap.* 18. *At illi tantæ sedis Antistites suis diversis temporibus eòsdem Pelagianos notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.*

X. Jam verò duobus quidem Africanis Conciliis sub Zozymo Papa habitis, ut ajebat suprà Prosper, *Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.* Tumque, ut idem canit, *Africa gemino senum celeberrima cœtu, decrevit, quæ Roma probet, quæ regna sequantur.* Etenim ut ait Augustinus lib. de Peccato Originali *cap.* 7. *Papa Zozymus egit cum Cœlestio, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret; atque ut sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ præcessore suo manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Beati Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere: imò se omnia quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Ubi rursus perspicis, quàm inclinato animo ad sedis Apostolicæ decreta potiùs, quàm ad Synodos assurgerent vel Novatores: quamquam confirmatis à sede Apostolica Synodis sigillatim subscribere jusserit Zozymus; ut idem ibidem testatur. Denique Zozymi promulgatione pondus accrevisse his posterioribus Africæ Synodis, & orbis terrarum universi reverentiam, perhibet Augustinus *epist.* 47. *Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis Episcopum, de Concilio provinciæ Carthaginensis, & de Concilio Numidiæ; & aliquanto diligentiùs à quinque Episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: Item quod Papæ Zozymo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis Episcopos missum, &c.* Ut Innocentius ergo, ita & Zozymus particularium Synodorum decreta toto orbe Christiano valere & dominari sanxit. Quibus addatur Prosper in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem Episcoporum, ad Pontificem Zozymum Synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.*

XI. Atque ut ne dissuamus, quæ ejusdem materiæ contextu coalita sunt. Ita Cœlestinus in decretis *cap.* 3. *Sequi & probare confitentur quæ sanctissima & Apostoli sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit & docuit. Necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quæ eorum temporibus exorta est, judicarint; ita ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum probarent.* Ita rursum Prosper de Cœlestino Papa scribit contra Collat. *cap.* 41. 42. *Cœlestinus sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeò & prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Subjicit *per hunc virum* etiam Orientales Ecclesias gemina peste purgatas: & *Apostolico ejus gladio* confœderatos Pelagii & Nestorii errores prostratos fuisse. Iterum *per hunc virum* maleloquentiæ Gallorum quorundam in Augustini scripta sævienti libertatem ademptam: utpote quod Augustinus *inter optimos magistros etiam ab ejus prædecessoribus haberetur.* Ut hinc intelligas Synodorum fideique defensionem ab Apostolicæ sedis arce semper profectam fuisse: ut rursum testatur Prosper his verbis contra Collat. sub finem: *Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Sixto: & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastoris, ut sicut illis lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Gloriam fidei vendicatæ, ut vides, Romanis Præsulibus toram adserit.

XII. His denique attexatur Arausicana Synodus secunda, cujus luculentissimis de gratia & libero arbitrio placitis, Romana sedes & dux præivit, & confirmatrix, vindexque pòst affuit. Præfatio ipsa Synodi sic habet; *Pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè & non secundùm fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde id nobis secundùm admonitionem & authoritatem sedis Apostolicæ, justum ac rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus.* Synodi hujus decretorum confirmationem à Felice Papa postularat Cæsarius Atelatensis ejus author & signifer primarius, quam eo præmortuo impetravit à Bonifacio II. Ex hujus epistola ad Cæsarium pauca hæc delibo: *Postulans ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram, &c. Authoritate sedis Apostolicæ confirmaremus, &c. Quapropter affectu con-*

gruæ

grua salutantes, suprascriptam confessionem vestram, consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus. Ergo sedes Apostolica Gallicanis Episcopis *per transmissa capitula*, quasi in verba præivit: & eorum confessioni adprobatione sua summum pondus adjecit, & omnem sustulit *ambiguitatem*.

DISSERTATIO X.

IN CONCILIUM EPHESINUM I. SEU OECUMENICUM III.

Anno Christi 431.

SYNOPSIS.

Romani Præsulis jus est, præsidere Synodis Oecumenicis. Perlustratis omnibus Synodis id ostenditur usque ad num. XIII.

Præsidebat etiam suo quodam modo & jure Imperator: sed ea præsidendi prærogativa longè dispar, & decolor à Pontificia: usque ad num. XVIII.

Excutitur alia potestas Principis in numero, loco, tempore, ordine Synodis præscribendo. Et ea probatur fuisse legitima potestas Ecclesiæ Defensoris & Custodis Canonum: præter quos si quid Princeps moliretur, eam injuriam vel non silebant Episcopi, vel dispensativè silebant. Usque ad numer. XXV.

Jus aliud expenditur Principum, confirmandi Synodos. Nihil id officit Synodicis definitionibus, per sese valituris: immo prodest mirum quantum. Hæc principalis potestas ostenditur non imminere, & dominari Ecclesiæ Sponsæ Christi, sed invigilare, & obsequi. Ad num. usque XXXIX.

Summa damnati Nestorii potestas, & laus penes primam Sedem.

Quàm multi tum Cyrillo, Synodoque detraxerint. Ut in quæstione facti diutius quidam altercati sint: ideoque & in fide claudicare suspecti fuerint, ac tandem coacti sint, utriusque Synodicæ definitioni consentire. Quanta in his humanitate & dispensatione usus sit Cyrillus, immo & universa Ecclesia, ut illi recolligerentur, qui suum Synodo assensum non tam negasse, quàm suspendisse postea deprehensi sunt. Usque ad calcem.

I. PRæfuisse huic Synodo Cyrillum Alexandrinum Episcopum, non suo, sed Cælestini nomine Romani Præsulis: adeoque Cælestinum ipsum per Cyrillum, ceu legatum, & vicarium suum præfuisse; & inter primæ sedis eximia privilegia istud quoque numerari, ut Synodis generalibus seu per se, seu per legatos suos præsit: id sanè hoc loco, adversùs insanas Novatorum tergiversationes astruere adgredimur. Et quidem passim in hac Synodo dicitur Cyrillus qui primas tenet, Cælestini locum tenere, vices implere: dicitur Cælestinus Cyrillo commisisse, ut locum suum impleret. Ubi ut Cyrillo longè anteponi, & antistare Cælestinum ne ambigas, audi quid lectis Cælestini epistolis Synodus tota succinat *act.* 2. *Hoc justum judicium. Novo Paulo Cælestino. Novo Paulo Cyrillo. Cælestino custodi fidei. Cælestino cum Synodo concordi. Cælestino universa Synodus gratias agit. Unus Cælestinus, unus Cyrillus. Una fides Synodi, una fides orbis terrarum.* Cumque eidem Synodo affuerint legati alii Sedis Apostolicæ, Romana ex urbe Ephesum ablegati, nihil aliud illi, quàm similiter dicuntur implere locum Cælestini Papæ.

II. Idem profitentur Apocrisarii Alexandrinæ Ecclesiæ in libello, quem dederunt legatis ex urbe Roma missis ab Anastasio Papa II. ubi utriusque Ecclesiæ, Romanæ & Alexandrinæ, concordiam laudant, derivantque ex eo quòd, *ab uno fuerit in utriusque fidei fundamentum. Petrum memoramus Beatum Apostolum, cujus per omnia Sanctus Evangelista Marcus extitit imitator. Ita ut si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctissimus is qui Romanæ præsideret Ecclesiæ, Reverendissimum Alexandrinæ civitatis Archiepiscopum deligeret, ut sui curam loci susciperet.* Cyrillus ergo ad Cælestinum, Ecclesia Alexandrina ad Romanam eum induit animum, quem Marcus ad Petrum, hoc est ad fidei suæ authorem & magistrum. Similiter & sexta Synodus in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem, *act.* 18. *Iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus; ille quidem Christum dividebat, hi verò divisorem dejiciebant, ut Ephesius & ibidem gestorum tabulæ loquuntur.* Et Nicolaus Papa I. *epist.* 9. *Cyrillus idcirco in præfata Synodo ante omnes sedit, quia & ipse locum jam memorati Papæ ibidem, sicut gesta ejusdem Synodi testantur, obtinuit.* Et Synodi Florentinæ *act.* 5. dicitur Cyrillus, *princeps fuisse hujus Synodi, locumque obtinuisse & sensum Cælestini.* Missos facio Evagrium, Photium, aliosque: unum profero è Græcis Balsamonem, qui in Photii Nomocan. *tit.* 8. *Habuit hanc facultatem Sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cælestino, quando facta est Ephesina Synodus contra Nestorium. Cum non posset Cælestinus adesse Ephesi, & judicare Nestorium: visum est, ut Sancto Cyrillo à Cælestino permitteretur, præsidere huic Synodo. Ut itaque constaret eum habere jus & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio & condemnavit Nestorium.*

III. Conjuncta sunt enim hæc duo, quæ copulavit Balsamon, ut non in præsidendo tantùm, sed & in judicando Cyrillus, non tam suam, quàm vicariam Cælestini personam & potestatem exereret. Unde Arnobius in conflictu cum Serapione: *Apostolicæ recordationis vir Sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus, cum cognovisset Nestorianum dogma contrarium fidei pullulare, scripsit per totam Ægyptum, & ad Sanctum Cælestinum Apostolicæ recordationis Antistitem misit, dicens, ad laudem suam pertinere, si ab eo qui Pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum. Sanctus verò Cælestinus ita encomiastes ejus extitit, ut in Nestorii damnationem dictasset sententiam, &c.* Vides ut summa judicii hujus potestas, vel ab ipso Cyrillo ad Cælestinum delata sit, tanquàm ad *Pontificatus arcem.* Cui consentit Marcellinus Comes in Chronico: *Cælestinus Romanæ arcis Pontifex Nestorio pravitatis Episcopo, per epistolam suam datis eidem decem dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denunciat. Idem Nestorius apud Ephesum ducentorum Sanctorum Patrum Synodo condemnatus est, Cælestino Cyrillum Alexandrinæ civitatis Episcopum pro tempore vicarium denunciante.* Vides quò spectaret Cælestini vices demandari Cyrillo.

IV. Sed nusquam major lux affulgebit quàm ex ipsis Cælestini & Cyrilli epistolis. Cyrillus ergo *epist.* 9. ad Cælestinum, ita habet: *Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur: necessariò rursum scribo, illud significans, quòd Satanas etiamnunc omnia miscet, &c.* Cùmque mox Nestorii intemperias & effutitos errores memorasset, subdit: *At quamvis res ita se habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter abjecimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ communicemus. Digneris proinde sententiam declarare; & utrum communicare cum illo oporteat, an liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, & piissimis Macedoniæ Episcopis, & omnibus Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo,*

in,

in una sententia persistant, rectaque fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant. Principatus sanè fidei & Episcopatus Cælestino hic tribuitur, cui *longa Ecclesiarum consuetudo* communicari jubet majora ubique terrarum momenta causarum: cujus primùm sententia de Nestorio, & in Nestorium, vel à Cyrillo expectatur; cujus est ut communionem Ecclesiæ toto orbe diffusæ Nestorio donet, vel interdicat: cujus est ad Episcopos etiam Orientis omnes perscribere, & regulam dictare fidei & communionis. Cælestinus verò hæc ad Cyrillum: *Quamobrem nostræ sedis authoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris: nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tua sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.* Audin ut prima sedes ad secundam fidenter scribat, & sententiam decretoriam ferat, ejusque executionem illi mandet, suamque ad id muneris authoritatem & vicem concredat?

V. Et rursus idem Cyrillus ad Joannem Antiochenum prosecutus, ut se Nestorius, suumque dogma Cælestino insinuare molitus sit per epistolas, eoque adactus & ipse sit rem totam ut habebat, eidem Cælestino pandere: subdit: *Porro expositionibus illius, epistolisque lectis, Sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit: qua de re & ad tuam quoque pietatem scripsit. Horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripserunt & ad Macedoniæ Episcopos, &c. & ad Æliæ Episcopum Juvenalem. Jam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere, Nos enim quæ illi judicaverunt, sequi omnino constituimus; veremur namque ne à tantorum virorum communione excidamus.* Et hìc patet, ut fidei communionisque Catholicæ dux moderatorque summus sit Romanus Pontifex, & ab Alexandrino ac Constantinopolitano ambiatur; hunc cum suo errore damnet, illum sententiæ executorem constituat: summam judicii sui ad Antiochenum & Hierosolymitanum perscribat: omnibus teste Cyrillo parendi necessitatem imponat. Cyrillus ergo etiam ante Synodum jam vices & personam sustinens Cælestini, hæc ad Nestorium scribit: *Ecce igitur unà cum sancta Synodo quæ in magna Romanorum civitate, sanctissimo Cælestino præsidente convenit, jam tertiò his te literis contestamur, &c. Quod sanè nisi juxta tempus in literis sacratissimi comministri Cælestini præscriptum præstiteris, certò scias nullam tibi deinceps cum Episcopis & sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique inter eos locum futurum esse.* Non suam ergo, sed Cælestini sententiam exequitur Cyrillus, & ante Synodum, jam Christiano orbi præerat, nomine & vice Cælestini. Assurgebat & Joannes Antiochenus authoritati & sententiæ Cælestini, & ad obsequium invitabat Nestorium, ei in hunc modum scribens: *Licèt Dominus meus Cælestinus decem tantùm dierum intervallum, terminum usque responsioni præfinitum valde angustum literis suis interposuerit: tamen res ea ejusmodi est, ut non dico decem diebus, sed uno, immo verò paucis horis tota confici posse videatur. Nam quid facilius quàm nomine commodo, multisque Sanctis Patribus usitato uti, &c.*

VI. Quas enim ante Synodum Cælestini vices obierat, easdem in ipsa Synodo consequenter sustinuisse Cyrillum, ita tradit Liberatus in breviario *cap.* 5. *Cælestinus Papa Romanus scripsit Nestorio increpationis epistolam, tribuens ei decem dierum spatium; ut si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, cognosceret se ab ejus collegio, & omnium sanctorum Episcoporum consortio esse separatum; insinuans, dedisse vicem suam in Concilio Cyrillo per epistolam suam, &c.* Et mox: *Porro Cyrillus cum suis habens vices sedis Apostolicæ, &c.* Quibus non discordat Prosper *cap.* 41. contr. Collat. *Per hunc virum*, Cælestinum Papam, *etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt; quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti, glorioissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio.*

VII. Primas denique authoritatis partes & principatum in hac Synodo obtinuisse Cælestinum, palam fit ex ipsa Synodi relatione ad Imperatores: *Hujus rei causa, Nestorium quidem à sacerdotio & pestilente doctrina cessare jussimus, canonicam in eum depositionis sententiam proferentes, & collaudantes sanctissimum Episcopum magnæ Romæ Cælestinum, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorii dogmata damnavit, & ante nos sententiam in ipsum tulit, prospiciens securitati Ecclesiarum & piæ sanctæque fidei, &c.* Ita continetur *act.* 1. Concil. Ephes. At *act.* 3. eadem Oecumenica Synodus in alia ad Imperatores relat. *Licèt maximum itineris spatium universam illam Episcoporum Occidentalium multitudinem ad nos pervenire prohibuerit: attamen illis in locis simul congregati, Cælestino sanctissimo Romæ Episcopo præsente, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt: eosque qui diversa sentiunt, ab omni prorsus sacerdotii sorte, graduque alienos esse definierunt. Et hæc quidam antequam etiam sanctissima hæc Synodus conveniret, Cælestinus per literas suas indicaverat: Cyrilloque, ut suas vices subiret, commiserat. Sed & nunc denuo aliis etiam epistolis sanctæ Synodo hæc significavit, &c.* In hæreseos profligationem præisse sibi Cælestinum gratulantur, nec potuisse se ab ejus sententia deviare, nisi si communionem Occidentalium abjicerent, & Ecclesiæ unitatem dilacerarent. Denique illa maximi sunt ponderis verba, quæ adnotavit Nicolaus I, *Epist.* 9. nempe in sententia depositionis adversùs Nestorium, *act.* 1. *Necessitate adacti, per sacros Canones, & epistolam sanctissimi comministri Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus.*

VIII. Perinsulsum est autem quod excipit Noratorum quidam, æquè Africanorum vices impleisse Cyrillum, nec illis tamen subesse ideo augurandum. Etenim in relat. ad Imp. per Candidianum Kalend. Juliis missa, *Blond. de prim. pag.* 305. 311. *Synodus omnes totius orbis Episcopos unumidemque sentientes habet. Nam & magnæ Romæ Episcopus Synodo simul interest: adsunt & Africani per pissimum Archiepiscopum Cyrillum, cui & suam sententiam conjunxerunt, sola locorum intercapedine conjuncti, &c.* Et infrà in alia relatione per Joannem Comitem missa, *Oecumenica Synodus, quæ universum Occidentem, cum magna vestra Roma, & Apostolico throno, totam item Africam, & totum Illyricum in consessu suo habet.* Quibus simillima alia habentur in alia relatione per Juvenalem & legatos Romanos missa. Nihil vecordius objectari poterat. Nam 1. nusquam legitur Africanos Episcopus vices suas Cyrillo mandasse, centies legitur Cælestinum. 2. Expressè dicitur ideo per Cyrillum adesse Afros, quia suam illi sententiam conjunxerunt, non quia suas illi vices delegarunt. 3. Quis ferret Africanos Episcopos imponere Cyrillo *authentian* sui throni, hortarique exindè ut fidenter agat, & cum severitate damnet Nestorium? 4. Aderant Africani per Diaconum ad id missum, cui vices suas injunxerant. 5. Capreolus ipse ad Synodum per Besulam Diaconum scribens, nec verbum facit de legatione suæ Carthaginensis, vel Africanæ totius Ecclesiæ Cyrillo mandata. 6. Nusquam Cyrillus subscribi-

scribitur ut vices Aforum gerens, ubique ut Cælestini. 7. Quantum interstitii sit Africanam inter & Romanam Ecclesiam, Capreolus ipse Carthag. Episcopus in epistola ad Ephesinam hanc Synodum testatum facit, adhortans *ne secunda disputationis prætextu renovari videantur errores, quos pridem impugnavit Ecclesia; hisque temporibus repullulantes, Apostolicæ sedis authoritas, sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit.* Ubi vides quàm extollat *authentian Apostolicæ Cathedræ.* 8. Cæteræ quidem omnes Ecclesiæ laudantur, ut suo singulæ concentu momenti aliquid addentes ad Catholicæ Ecclesiæ consonantiam testificandam, sed ante omnes ubique *magna Roma & Apostolicus thronus* prædicatur. Denique non ab Afris, sed à Cælestino damnari se exhorruit Nestorius, apud illum purgare se enixus est, apud illum à Cyrillo accusatus est, ille damnationis sententiam primus tulit, ille diem & limitem recantandi erroris pestiferi præstituit, ille sententiæ suæ executionem Cyrillo mandavit, ille ipsius hortatu Cyrilli excommunicationem Nestorii Antiocheno, Hierosolymitano, aliisque Orientis Episcopis significavit, illius nomine Cyrillus legem & necessitatem canendæ palinodiæ, vel incurrendi anathematis denunciavit, illius denique non Aforum sententiam pridem in Nestorium intortam se contestata iterum iterumque est universa Synodus sequi, & ex necessitate sequi. Denique quam in rem Cyrilli fuerit vices & personam unius maximè gestare Cælestini, clarebit ex Leontio *d. sect. act.* 4. *Imperator Ephesi Synodum haberi jubet, judicemque constitui tam Cyrillo quàm Nestorio Joannem Antiochenum Episcopum.* Quin Cyrillus ipse *epistola* 8. reformidaverat, ne Judex sibi Nestorius designaretur: *Ne miser ille speret, se rerum nostrarum judicem fore. Nos ejus judicium recusabimus.* Has ille minas & injurias obtento Cælestini nomine facilè propulsavit.

IX. Atque ut ad reliquas jam Synodos proficiscamur, in iisque præsidendi jus evincamus Apostolicæ sedis proprium & peculiare fuisse: à Pseudosynodo Ephesina ordiamur, quæ paucis post annis in Ecclesiæ excidium confluxit. Præfuit ergo huic quidem Dioscorus, sed quo jure & quo exitu, id verò indagandum impræsentiarum est. Fascinatus à Dioscoro Theodosius Imperator, dedit illi per epistolam quæ lecta est in hac Synodo, & relecta Chalcedone, *authentian & proteian.* Et infrà rogant judices in hunc modum: *Reverendissimi Episcopi quibus authentia to te ton prattomeuon, ab Imperiali vertice data est, dicant, &c.* Non suo ergo vel sedis suæ jure, sed subreptitio Imperatoris rescripto præfuit Dioscorus. Audi Liberatum *cap.* 12. *Eutyches petiit Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ut quæreret quæ de illo acta sunt, & causam examinaret. Agebat apud principem, universalem fieri Synodum, ut probaretur judicium Flaviani. Scripsit ergo Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oportet; & ut fieret, persuasit Eutyches. Annuit Imperator, & dirigens sacram Dioscoro, &c.* Ex his auspiciis de re tota ominandum. Et infrà: *Sedentibus in basilica Dei Genitricis Mariæ illis Episcopis, Ecclesiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis assidere non passi sunt, eò quòd non fuerit data professio sanctæ Sedi eorum.* Actione autem 1. Concil. Chalcedon. Apostolicæ Sedis legati protinus conqueruntur de Dioscoro, *Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præripuit: & Synodum ausus est facere sine permissione Sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Vide & Evagrium *l.* 2. *cap.* 4. & 18. Et idem *l.* 1. *cap.* 10. *Hujus Concilii præses fuit Dioscorus, quo odium in Flavianum incenderetur: Chrysaphius enim qui tunc prefectus palatii fuit, hanc rem callidè molitus est.* Quantam porrò illa Dioscori audacia Ecclesiæ universæ cladem importarit, nemini incomperrum est: ut quia tunc non præfuit sedes Apostolica, hinc invictissimè constet

præesse debere Synodis: & quod præsit, Ecclesiis Synodisque præstari, non ipsi. Unde Prosper in Chron. *In quo Concilio Dioscorus Alex. Episc. primatum sibi vendicans, absoluto Eutyche, in Flavianum Episc. CP. damnationis sententiam tulit.* Et Victor Tunum. in Chron. *Synodus generalis* II. *congregatur in Epheso: in qua Dioscorus Alexandrinus principatum usurpans imperiali favore, Eutychem post legitimam damnationem absolvit.*

X. Chalcedonensi Synodo præfuit utique Leo Papa per legatos. Id quoque Imperatores ei concesserе, vel cælitus potiùs concessum agnovere. Valentinianus & Marcianus ad Leonem, *Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu fidei possidentem sacris literis in principio credimus alloquendam, invisantes atque rogantes, &c. quatenus sublato omni errore per Synodum celebrandam te authore, Cauthentountos &c.* (*Conc. Chalced. part.* 1.) Et Pulcheria ad eundem Leonem, priùs professa, se & conjugem, & Anatolium *Apostolicæ ipsius literarum confessioni* adhæresсere, ejus ad Flavianum epistolæ subscripsisse etiam Anatolium, demum orat *facto Concilio & de Catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hac segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te authore, decernant.* Longo hæc intervallo distant ab illa Theodosii sacra in gratiam Dioscori: illic enim sola spirat Imperatoris gratia, & voluntas: hic autem non principis beneficium, sed sedis jus & prærogativa effulget. Præesse enim Synodo jubetur is *qui principatum in Episcopatu divinæ fidei possidet, cujus Apostolica confessio, cujus epistola ad Flavianum*, ceu fidei fax & communionis Catholicæ tessera, universum jam orbem occuparat, & Pseudosynodi Ephesinæ vulneribus medebatur. Et in ipso Synodi exordio Paschasinus ita orditur: *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus pro manibus, &c.* Et Leo Papa in epist. ad Synodum Chalcedon. *In his fratribus Paschasino, &c. qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimet præsidere.* Et Synodus ipsa Chalcedonensis in epist. ad Leonem Papam, ipsum sibi præfuisse ita testatur: *Quibus tu quidem sicut membris caput præeras, in his qui tuas vices obibant.* Et Ferrandus Diaconus in *epist. ad Pelag. & Anat. nu.* 5. *Ibi fuit in legatis suis sedes Apostolica, primatum tenens universalis Ecclesiæ.*

XI. Quintæ Synodo non affuit, ideo nec præfuit, sed ut adesse, ita & præesse invitatus est Vigilius ab Eutychio: *Ideo petimus præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate, & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu, eadem capitula in medio proponenda &c. Syn.* 5. *Coll.* 2. Rescripsit Vigilius, *Poposcit vestra fraternitas, ut nobis præsidentibus, de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, conferatur, &c.* Si affuisset autem, fore ut præsideret, vel ex eo rursus liquebit quòd ad eum invitandum delegati sint tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus cum septendecim Metropolitis. Liquebit & ex eo quòd *Collat.* 5. agens hæc ipsa universalis Synodus de Synodo Mopsuestena, ait: *Facta est verò suggestio ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium ab iisdem Episcopis, ita habens: Decebat verè, cum primam inter sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissimi; ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ divinitus honoratæ beatitudini fieri.* Liquebit & ex eo, quòd Justinianus *Nov.* 131. ita statuit: *Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicut Sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus. Ideoque sancimus secundùm earum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolis novæ Romæ, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autem sedibus omnibus præponatur.* Primatum ergo Romanæ Sedis ex quatuor Conciliis generalibus jam conspicuum profi-

tetur, non imperiali sanctioni obnoxium. Liquebit denique ex eo, quod jam antè cùm ad aliquid nefarium Anastasius *Imperator Macedonium Episcopum CP. urgeret vehementer, ille nihil se facturum dixit sine Oecumenica Synodo, presidem habente magnæ Romæ Episcopum*, Theodorus Lector Coll. l. 2.

XII. Otiosum ferè jam est de sexta Synodo verba facere. Pauca libabo ex prosphonetico sermone ad Imp. act. 18. *Vestris divalibus preceptis acquiescentes tam antiquæ Romæ & Apostolicæ summitatis summus Pontificum Antistes, quàm nos humiles, Christi tamen sacerdotes atque ministri, &c.* Et infrà: *Proinde inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est Synodi 125. Patrum concordantes, prædicamus Christum, &c.* Et infrà rursus; *Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps. Illius enim imitatorem & sedis successorem habuimus fautorem, & divini sacramenti mysterium illustrantem per literas, &c. Per Agathonem Petrus loquebatur, & cum omnipotenti conregnatore pius Imperator tu simul decernebas, &c.* Principatum Synodi, fidei, & totius rei Christianæ Romano Pontifici, ut Petri successori adscribunt. Quin & paulò antè iidem Patres superiora Concilia Oecumenica pernumerantes, primas ubique partes Synodi fideique adsignaverant Romano Antistiti & Imperatori; quod uterque universalis sit Episcopus, ille in ipsis Ecclesiæ viceribus, hic exteriùs excubias agens. *Arius divisor atque partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & laudabilis Sylvester magnam in Nicæa Synodum congregabant, &c. Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt, &c. Iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus, ut Ephesus loquitur, &c. Deinde Eutychetis insania delirante, Leonis tuba tanquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma archimandritam bestiam perterruit, &c. Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est, &c.* Ubique ergo & congregandæ, & moderandæ, & inclinandæ in sana fidei dogmata Synodi Oecumenicæ potestatem primariam Romanis Præsulibus vendicavit, quippe *qui sint Petri Apostolorum Principis sedis successores & imitatores.*

XIII. Atque ut retrò flectamus vestigia, nec intactam elabi sinamus Nicænam Synodum; huic quoque Osium Cordubensem Episcopum cum Vito & Vincentio præfuisse nomine & vice Sylvestri, jam ut reor, sextæ Synodi authoritas persuasit. Item ex aliarum generalium pòst Synodorum præjudicio idipsum astruitur, quæ Nicænam Synodum adunguem exprimere enixæ sunt. Deinde quo alio jure præfuisset Osius, supra secundam & tertiam sedem, nisi velut primæ sedis legatus? Adde Gelasium Cyzicenum qui *lib. 2. cap. 5. Ipse etiam Osius ex Hispanis nominis & famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio aderat.* Quæ ille ex Eusebio refert, etsi nunc aliter apud Eusebium legatur. Eadem repetit *cap. 12.* Eadem refert ex Gelasio Cyziceno Photius in Biblioth. *cod. 88.* Quin & lib. de Synodis idem Photius Vito & Vincentio Osium consociat, in vice Sylvestri obeunda. Hincmarus quoque *lib. 55. cap. 20. Sylvestri tempore celebrata est sacra Nicæna Synodus, cui ad vicem Sylvestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ.* Adde quod ea inoleverit deinceps consuetudo, ut ad Synodos generales non Presbyteros tantùm, sed & Episcopos sua vice legaret Romanus Antistes, ut ex Sardicensi, Ephesina, aliisque Oecumenicis Conciliis patebit. Denique nulla se tantùm jactavere Synodo Romani Pontifices, quantùm Nicæna, & quidem ii ipsi, qui eadem penè ætate rexerunt Ecclesiam, Julius, Innocentius, Leo, &c. Majestatem ergo suæ sedis in ea Synodo amplissimis honoribus cumulatam non ambigebant. De secunda Synodo Oecumenica nihil attinet disputare, cùm ei nullus affuerit Occidentalium. Sed cùm Oecumenicæ authoritatis culmen non sit adepta, nisi consensione Damasi Papæ, & Occidentalis cum eo Synodi; ne hìc quidem primatus sui insignia Romanæ sedi decerpi potuere. Unde & sexta Synodus non rerum corticem lambens, sed medullam invadens, primariam laudem oppressi Macedonii peræquè Theodosio & Damaso tribuebat. Et Marcellinus Comes in Chronico: *Sancti CL. Patribus urbe Augusta congregatis, &c. Sancta Synodus confirmata est; Damaso videlicet sedem B. Petri tenente: Constantinopoli verò per Thimotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum, & Cyrillum Hierosolymitanum Episcopos, Nectario, &c.* Scitè prorsus. Etsi enim non affuit, præfuit tamen Oecumenicæ Synodo, quisquis Petri sedem tenuit. Præfuit nimirum authoritate, consensu, principatu.

XIV. Non abs re erit autem, imperatorium quoque Synodis præsidendi jus cujusmodi sit, una & eadem opera vestigare. In Ecclesiasticis ergo, & historiæ, & Synodorum monumentis legitur subinde Imperator & affuisse, & præfuisse Conciliis, nimirum velut exterior Episcopus; ut Ecclesiæ, ita & Synodi defensor; tumultuationum propulsator, pacis & ordinis vindex. Præfuit autem summus Pontifex, ut Episcopus interior, ut Episcopatus & fidei princeps, ut Apostolicæ cathedræ hæres, ut Petri successor. Id nos docent Chalcedonenses Patres in relat. ad Leonem Papam, *Tu vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres, &c. Tu sicut membris caput præeras, in his qui tuum locum tenebant, benevolentiam tuam præferens; Imperatores verò fideles ad ornatum præerant: sicut Zorobabel & Jesus, Ecclesiæ tanquam Hierosolymæ ædificationem renovare circa dogmata enitentes.* Ergo Synodo præerat Leo, præerat Marcianus; ille ut Jesus, hic ut Zorobabel; alter summi Pontificatus, Imperii alter apice præfulgens; uterque ad Ecclesiæ instaurationem conspirans. Quòd autem præesset Imperator ad *ocosmian*, ut ait Synodus, vel potiùs adesset, ut seditiones præverteret, & ordinem pacemque Synodo adsereret, ipsemet Marcianus testatur. In sacra enim ad Episcopos missa, ut Nicæam convenirent, *Nostra pietas aderit in ipso Concilio, &c.* Et ad eosdem Nicææ congregatos, *Ut nostra pietate præsente decernantur, quæ omnem discordiam, quæstionemque summoveant.* Nempe post Ephesinum latrocinium, ubi cædibus & vinculis grassatus erat Dioscorus, vix ac nec vix poterat pax Synodo, nisi præsentia Imperatoris conciliari: cùm vel maximè Nicææ Monachi rursus cœpissent furiari. Inde ergo Episcopos Chalcedonem evocans Marcianus, scribit: *Nam & Episcopi qui vice Leonis Archiepiscopi urbis Romæ venerunt, à nostra tranquillitate petierunt, quatenus omnino nos adesse debeamus sancto Concilio; affirmantes quoniam non paterentur illic absente nostra pietate venire.* Denique *act.* 4. ejusdem Chalced. Synodi Marcianus Synodum alloquitur: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, interesse Synodo voluimus.*

XV. Explorandum ergo est, quo consilio & quo schemate affuerit Constantinus Synodo Nicænæ. Id narrat Eusebius *lib.* 3. de vita ejus *cap.* 10. *Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit. Positaque ante eum humili sella, ex auro fabrefacta, non priùs assedit, quàm Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.* Nihil hìc jactantiæ spirat, nusquam præsidere, sed sedere in humili sella describitur Imperator, idque annuentibus demum Episcopis. Et *præsidere* quidem sextæ Synodo scribitur Constantinus Pogonatus

cus in ipso actorum vestibulo : & in epist. Leonis Papæ ad eundem : *Sancta universalis sexta Synodus, quam nutu Dei studiosè vestra clementia convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit*. Quin actione 12. & sequentibus, cùm abesset Imperator, habitæ tamen illæ sunt, *procathemenou tou sessou* ejus. Sed ne quis hinc offendatur, audi quid de ea re scribat Gregorius Papa Romanus in *epist.* 1. quæ prælegitur in anteactis septimæ Synodi: *Interposito jurejurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, ut ad universalem Synodum congregandam viros utiles mitteremus. Neque cum illis, inquit, tanquam Imperator sedebo, aut imperiosè loquar: sed tanquam unus ex illis; & prout fatuerint Pontifices, ego exequar; & eos qui rectè loquuntur, admittemus: eos qui malè loquuntur, expellemus, & exiliis relegabimus. Si pater meus quidquam ex intemerata fide perverterit, ego primus illum anathematizabo. Tum nos Deo benevolentem misimus, & cum pace sexta Synodus celebrata est*. En quo animo præfuerit Synodo sextæ cognominis imitator Constantini : En quo Constantinus ipse primæ. Nam ut ibidem illico Gregorius: *Scis, Imperator, sacra Ecclesiæ dogmata, non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ rutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices, à reipublicæ negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant*. Multò magis ad eum sensum trahetur illud quod *act.* 8. Synodi 7. Græcè legitur Irene Imperatrix cum filio præfuisse. Nec enim libet hìc ea persequi, quæ Galli in hanc Irenes Synodo præsidentis licentiam bacchati sunt, libri Carolini *part.* 3. *cap.* 13. *Sicut caput viri Christus est, ita nimirum caput mulieris vir: ac per hoc si mulier viris præesse debet, jam eorum caput est: & si illa eorum caput est, illi necessariò caput Christi erunt*. Parco pluribus. Invidiam elevavit Hadrianus in sua ad illud caput responsione, exemplo Helenæ & Pulcheriæ in medium prolato. Octavæ quoque Synodo *præsidere* dicitur Basilius Imperator *act.* 7. Sed refricanda eorum quoque memoria est, quæ ibidem referuntur *act.* 10. *Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt, volumus ut subscribant primitùs Christi amatores Imperatores, & deinde secundùm ordinem sancta hæc Synodus. Basilius piissimus, & Christi amicus Imperator dixit: Tranquillissimum Imperium nostrum sequutum præcedentes & justissimos Imperatores, Constantinum videlicet magnum, & Theodosium, & Marcianum, ac cæteros, vult subscribere post subscriptionem omnium sanctissimorum vicariorum. Edocti enim sumus à Christo vero Deo nostro habere exaltantem humilitatem*. Et reapse post vicarios Patriarchalium omnium sedium subscripsere Imperatores. Quocirca ibidem infrà Hadrianus Papa ad Imperatores hæc gratulabundus scribit, *In quo illud mirabilius & laudabilius sublimitatis vestræ prædicatur insigne, quod non judicum vel assertorum, sed conscierum tantùm & obsecundatorum personam usi fuisse dignoscimini: ita ut per humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire dilexeritis potiùs, quàm per imperialis altitudinis fastum ad inanis gloriæ ima delabi consenseritis*. Semel posthac præfuit Concilio Constantiensi Sigismundus Imperator *sess.* 14. sed extraordinaria prorsus, & inusitatissima de causa, & ad momentum penè temporis. Posterioribus Græcorum Synodis præfuere Imperatores cum Patriarchis. Vide Cantacusenum *lib.* 2. *cap.* 40. Nicetam Choniatem in Manuele Comneno. Sed & de fide sancire iidem præsumpsere, & Ecclesiam illam fœdissima servitute afflixere.

XVI. Quoniam autem qui singulas Imperii Romani plagas discerpsere atque occupavere Reges, imperatorias quoque jure suo invasere prærogativas: Synodis hi quoque, sed ad eundem etiam modum præfuere. *Toletano* 3. Recaredus Rex *affuisse* scribitur. *Toletano* 4. Sisenandus *cum magnificentissimis viris ingressus, primùm coram sacerdotibus Dei humo prostratus, cum lacrymis & gemitibus pro se interveniendum Domino postulavit*; *Toletano* 12. Ervigius *affuit humilitatis gratia plenus, & claro pietatis cultu conspicuus, qui nostro se cœtui reclivem exhibens ac devotum, in primis omnium sacerdotum se commisit precibus adjuvandum*. *Toletano* 13. *Cum unusquisque nostrùm debitis locaretur in sedibus, adfuit idem Princeps, pleno fidei ardore subnixus, & humilitatis gratia decoratus, &c.* Et infrà Rex ipse Ervigius ita Synodum affatur: *Ego sanctissimi Pontifices, coram cœtus vestri reverentia humilis devotusque prosternor, reclivis adsisto, &c. Toletano* 15. *Egica Princeps placida devotionis arce sublimis, & strenua culminis reclinatione laudabilis, quippe in medio Pontificum positus, humaque prostratus, sacerdotum Dei se commendat orationibus. Toletano* 16. *Idem Princeps nostro se cœtui intulit, ac glorioſi capitis verticem cernuo voto reclinans. Toletano* 17. *Idem Princeps in medio nostri consistens, inclytum caput reclinans, sese à nobis benedici poposcit*. Ita ergo regium culmen sacerdotali apici & Synodorum majestati sese inclinabat; nec præesse, sed subesse ambibat.

XVII. Nec Francorum Regum pietas, aut reverentia in sacerdotes minùs enituit. Francofordiensis Synodus *sub præsentia* Caroli Magni habita est, ut fertur in sacrosyllabo; *præcipiente ac præsidente Carolo*, ut habet epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ. Sed *œcumenicè* indultum id fuisse Elipandi importunis suspicionibus, qui Episcopos præsides ut suspectos detrectabat, ex ipsa Caroli ad Elipandum epistola docemur: *Scriptam itaque in epistola vestra hujusmodi precationem invenimus: Poscentes ut per te arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi sacerdotum auditor & arbiter adsedi*. Imolentius id ergo fuerat, quod Elipando ut os quomodocumque obstrueretur, ita dispensatum est. Similiter interpretandus est Alcuinus *lib.* 1. contra Elipandum, ubi Synodo Ratisponensi *eodem glorioso Principe præsidente*, Felicem præsentem damnatum fuisse ait, *Synodali authoritate sacerdotum Christi*. Certè Carolus Calvus avitæ æmulatur pietatis ann. 853. Synodo Suessionensi: *Posthabitis sæcularibus curis ipse quoque adesse dignatus est, ut non solùm devotione Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verùm etiam, si cubi opus esset, protectorem regia potestate monstraret*. Et ibidem *act.* 1. *Pio rege multa humiliter & prudenter proponente, &c.* Et infrà: *Jam Rex absque ulla ambitione Synodum ingressus, simpliciter cum Episcopis residebat*. Consule si vacat & Synodi Triburiensis sub Formoso Papa *epistolam præloeutivam*, Arnulphum regem spectabis pompaticè præsidentem, sed in palatio: at interim Synodum in Ecclesia collectam: optimates denique inter Regem & Synodum commeantes ultro citroque.

XVIII. Utque ne Britannia penitus obmutescat, audiamus Bedam in vita Sancti Cutberti *cap.* 24. *Congregata Synodo non parva sub præsentia piissimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat, &c.* Adest Rex, præest præsidetque tamen Episcopus.

XIX. Atque ut paulò altiùs demergamur in has imperatorii regiique juris disceptationes, duo hìc alia quasi superioribus conferta, se potestatis in Synodos exertæ capita obtrudunt. Alterum in materia serieque rerum in Synodo pertractandarum præscribenda; alterum verò in confirmandis regio diplomate Synodalibus statutis versatur. Quæ autem nos ratio adduxerit, ut has quæstiones ex Ephesina maximè Synodo illustrandas adgrederemur, obscurum esse non potest ei, qui hujus Synodi gesta volutaverit. Inde enim potissima earum effulgebunt elucidamenta.

XX. Theodosius ergo in sacra ad Cyrillum & ad Metropolitanos missa, hæc habet: *Tua pietas operam dabit, ut sacrosancto Paschate proximo elapso, sub sacra Pentecostes diem ad Ephesiorum Asiæ civitatem accurrat: nonnullosque quos nimirum idoneos judicabit,*

sua provincia Episcopos eodem secum adducat, &c. Cæterùm ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in ulla prorsus re à quoquam innovetur, &c. Nos nullum impunè abesse sinemus; nec ullam vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus est excusationem, qui statim impigrè secundum præfinitum tempus, ad destinatum locum præsto non fuerit. Et in sacra ad Synodum per Candidianum Comitem missa: *Candidianum, &c. ad vestram Synodum abire jussimus, &c. ut Monachos & seculares, qui hujus spectaculi causa, eò nunc confluxerunt, vel confluent, ab illa civitate summoveat, &c. Prospiciat, ne qua gravior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, Synodi consultationem, & veritatis indagationem obturbet; &c. Ante omnia severè eidem mandatum est, ne quem ex sanctissima vestra Synodo, aut reditum molientem, aut iter ad exercitum nostrum affectantem, priùs inde abire permittat, quam ea omnia diligenter definita fuerint, quæ in disquisitionem venerunt. Hinc ne ullam omnino, aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcumque controversiam, quæ ad sancti dogmatis propositam considerationem non pertinet, antè moveri sinat, quàm eorum omnium quæ nunc in quæstionem venere, ambiguitas soluta sit, &c.* Itaque non turbas abigit tantùm, sed diem & locum Synodo indicit, edicit qui adesse debeant, comminatur ni adsint; vetat abire quemquam è Synodo priùs, vel quamcumque aliam ventilari controversiam, quàm proposita fidei quæstio fidem lucemque Synodali consensione nacta sit. Jam verò *act.* 1. Synodi statim Juvenalis Hierosol. Episc. ait: *Legatur pium piissimorum Imperatorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum, rebusque quas nunc tractare incipimus, veluti fax præluceat.* Cyrillus epist. ad Clerum Constant. post depositum à Synodo Nestorium, se præfinitum ab Imperatore Concilii diem antevertisse, & Ephesi præsto fuisse ait, *neque enim contemnere fas erat dominica mandata.* Et Synodus ipsa in relatione ad Imperatores de Orientalibus *act.* 5. de adversario Joannis Antiocheni & Nestorii Conciliabulo ita conqueritur: *Quasi verò vestra pietas duas, & non unam Synodum, quæ & Evangelicam fidem confirmaret, & eos qui perversa sentirent, ab Ecclesiasticis ministeriis amoveret, fieri jussisset.* Et mox in relat. ad Cælestinum: *Cum pia Imperatorum edicta per quæ fuimus evocati, tempus Sanctæ Synodi consessui præscriberent, diem sanctæ Pentecostes, omnesque concurrissent, ideo maximè, quod Imperatorum literis expressum erat, si quis ad præstitutum terminum non veniret, eum mala conscientia deesse, & apud Deum hominesque esse inexcusabilem.* Theodosius Orientalium epistolis delusus, per Palladium Magistrianum rescripsit, utrimque gesta rescindens, *Neque enim quæ de fide sunt, modo qua oportebat, vel prout continebatur, sacris literis nostris, quas subinde misimus, examinarunt: proinde placuit sacræ Majestati nostræ, talem procedendi modum nullum habere locum, aut momentum: his verò quæ ineptè & citra ordinem gesta sunt, cessantibus, doctrinam de pietate priùs, sicuti decretum fuit, discuti, eamque juxta communem totius Synodi sententiam obtinere.* Ergo quod præter divalia præcepta sua, nec omnes Episcopi cum Cyrillo affuissent, nec Candidianus Comes interfuisset Synodo; ejus quoque adversùs Nestorium depositionis, adversùs Joannem & asseclas suspensionis sententiam rescidit Imperator: rursum que ea de re à plenaria Synodo decerni statuit. Synodus in relatione per Palladium missa Kalendis Juliis, non expostulat cum Imperatore de usurpata jurisdictione, sed ei obreptum fuisse à Candidiano, Nestorianis partibus addicto conqueritur; secum & Romanum & Afros & totius orbis Episcopos consentire docet: orat cum Candidiano evocari quinque Episcopos, qui omnia canonicè gesta ei approbent: *Etiam atque etiam majestatem vestram rogamus, ut Sanctæ Synodi studium erga Deum agnoscat, magnificentissimumque Candidianum accersat; & quinque è dicta Synodo, qui ea quæ gesta sunt, coram vestra pietate exponant, ac defendant.* Theodosius Joannem sacratum largitionum Comitem Ephesum mittit, qui rebus omnibus accuratè examinatis Orientalium calumnias retexit; & Synodo, Orientalibusque concessit, ut septem hinc & inde Episcopos ad Comitatum delegarent. Denique ut refertur Ephes. Syn. *part.* 3. *cap.* 14. *Cum septem & septem Episcopi ex utraque parte Constantinopolin venissent, Imperator certò comperit sanctam & Oecumenicam Synodum omnia canonico legitimoque ordine fecisse, ac Nestorium deposuisse. Itaque legatorum Synodi sententia approbata, Orientales condemnavit.* Ubi autem illa esset discutienda de ordine canonico servato vel interverso controversia, indicaverant Orientales in mandato, quo legatos suos instruxerant: *Sive coram sanctissimo Imperatore, sive in consistorio, sive coram sacro Senatu, sive in Patrum Synodo.* Ordinem ergo judiciorum præfinit Synodo Imperator, cui religiosè obsequendum Episcopi sibi profitentur: tota de eo servato aut conculcato ordine inter ipsos concertatio est: judicem & arbitrum hujus controversiæ Imperatorem non detrectant, sed ambiunt: ejus sententiæ omnes acquiescunt ultro, aut certè subjugantur.

XXI. Nec ulla hìc Imperatoris potestas in Episcopos aut Synodos alia sublucet, quàm Executoris & Defensoris Canonum, non authoris. Itaque cùm authores Canonum sint Episcopi, ac velut legum latores Ecclesiæ, Imperator verò horum vindex & executor: regiæ semper potestati in Synodis antistat Pontificia. Idque hac ipsa in Synodo Theodosius testificatur in sacra ad Cyrillum & Metrop. *part.* 1. *cap.* 32. *Reipub. nostræ constitutio, ea quæ in Deum est, pietate præcipuè nititur: multaque inter hanc & illam cognatio intercedere solet. Nam & ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem ut vera religio justa actione perficitur, ita respub. utriusque ope nixa efflorescit. Cum itaque Deus imperii habenas nobis tradiderit, iisque qui imperio nostro parent, pietatis & securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit, harum inter se societatem indivulsam servare perpetuò enixi sumus.* Et infrà: *Ante omnia autem in id operam damus, ut Ecclesiasticus status, & ejusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quàm maximè congruat: iisdemque ex omnium concordia & consensione suam tranquillitatem obtineat: tum ut per Ecclesiasticarum controversiarum pacem, à turbis & seditionibus liber existat; tum demum ut pia religio ab omni reprehensione immunis existat: eorumque vita qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo & culpa vacet.* Imperio adnata & ampliſſima sanè est hæc potestas in Ecclesiam, sed sub Ecclesia: subdit enim ipsemet ibidem, id enitì se, *Ut turbæ rite secundum Ecclesiasticos canones consopiantur.* Et idem ipse in sacra priore ad Cyrillum: *Etenim religionem jam inde à primis usque temporibus, non imperantis cujusquam, aut certè imperium usurpantis interminationes, vel protervia, sed Sanctorum Patrum, sacrarumque Synodorum decreta nobis constituerunt.* Et idem ipse extremo quo supra confirmavit Synodum judicio, omnia peracta esse *canonicè* judicavit. Itaque non præest, sed subest Ecclesiæ: non imperat, sed obtemperat Episcopis Princeps, cùm leges Ecclesiæ à Patribus dictatas defensat, cùm Canones ab Episcopis conditos executioni mandari cogit. Et ubi ordinem judiciorum dictat Synodis, ubi de eo servato vel everso judicat, nihil aliud quàm Canones servari præcipit, servatos agnoscit, calcatos ulciscitur, legibus per Episcopos Synodosque constitutis & morem gerit ipse, & ab omnibus morem geri compellit.

XXII. Nam in ea potestate defungenda si quid

Prin-

Princeps Canonibus inimicum vel surripi sibi, vel excidere, vel extorqueri sinat: tum verò infractos in ipsum animos exerant Episcopi, clerici & religiosi omnes. Cùm obreptum Theodosio, Catholicos Ephesi detineri, vexarique, per epistolas à mendico in atudine perlatas Episcopis Constantinopoli versantibus innotuisset, statim, ut ipsi rescribunt, *omnes Archimandritæ Monachorum catervis stipati exurgunt, hymnosque & psalmos alternantes ad regiam contendunt. Inter epist. Catholic.* Plebs universa cum cœtu solitariorum cereos præferentium & psallentium, duce Delmatio, qui annos jam 48. reclusus, septis è suis excitus est, Imperatorem adit, Nestorii fautorum artes denudat: addit, *Sex millia ne Episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?* Quo animo autem Cyrillus, quo Synodus fuerit, discimus ex Cyrilli epist. ad Theopemptum: *Postquam religiosissimorum Imperatorum litera, quibus trium depositiones confirmabantur, lecta fuerunt, custodiæ traditi fumus, & adhuc custodimur, ignari prorsus, quò res hæc sit evasura. Verumtamen gratias agimus Deo, quòd digni habeamur, non solùm vinculis constringi, sed cætera quoque omnia perpeti; neque enim ista præmiis suis carebunt. Non potuit autem Sancta Synodus induci, ut cum Joanne communicaret, sed restitit dicens, Ecce corpora, ecce Ecclesias, ecce civitates, potestatem habetis. Non autem ut prius cum Orientalibus communicemus, quàm ea dissolvantur, quæ per illorum calumniam contra comministros nostros comparata sunt, ac rectam fidem confiteantur, id fieri nullo modo potest. Dignoscuntur enim Nestorii dogmata loqui, sentire & confiteri.* Et infrà Clerus Constantinopolitanus in supplice libello ad Imperatorem sic contestatur: *Nostra professionis scopus potestatibus obediendum esse suadet, dummodo tamen ejusmodi obedientia animæ conferat. Quod si illa utilitatis limites transiliat, tunc etiam adversùs vestrum apicem cum libertate audendum esse divinarum legum interpretes monent: Loquebar in conspectu regum, & non confundebar, &c.* Si pergat Imperator assentiri perperam tentatæ ab Orientalibus Cyrilli & Memnonis depositioni, *Nos omnes prompti paratique sumus ea animi alacritate, quæ Christianos homines decet, quodvis periculum cum memoratis sanctissimis viris subire, &c. Quamobrem Christi amantes Imperatores sedulò curate, ne Ecclesia quæ more nutricis vos educavit, ac trophea adversùs hostes citra difficultatem majestati vestræ erigit, in posterum dissipetur: neve regni vestri tempore martyrum sæculum spectandum exibeatis. Quin potiùs majorum vestrorum erga Ecclesiam amorem ac studium memoria repetentes, & quemadmodum unusquisque eorum imperii sui tempore Sanctorum Patrum Synodis celebratis paruerit, Patrumque sanctiones legibus suis muniendo, quam illis deferrent observantiam, satis ostenderunt: ita & vos quoque parem affectum erga Sanctam Synodum quamprimùm convenire jussistis, alacriter suscipite.* Animosè adversùs ipsum Imperatorem insurgunt, obvia martyrio pectora objectant, pristinos Imperatores Synodis suorum temporum *obtemperasse*, & ita eas confirmasse: ut planè tota hæc Imperatoris potestas, ejus in Canones Synodosque observantiæ & obedientiæ specimen sit. Subinde & Synodus ipsa in mandato legatis Constantinopolin missis dato, *Siqua fortè necessitas ab Imperatore afferatur, (nam pie religioseque Augusti sanctioni quantùm fieri potest, obediendum est) siquidem prædicti Nestorii, &c.* leges præscribit ab Orientalibus subeundas antè, quàm pareatur Imperatori cum eis communicare jubenti: *Non prius autem illis communionem spondeatis, quàm præsides suos recipiat Sancta Synodus.* His ex omnibus efficitur non dominari, sed subesse Ecclesiæ Principem: dum Canonibus non supervolitat judicando de ipsis, sed subjicitur, secundùm ipsos vel judicando, vel judicare compellendo.

XXIII. Consimili potestate usus est idem Theodosius ad Ephesinam secundam Synodum cogendam. Nam & Dioscorum præesse jussit, ut supra ostensum est; & in sacra ad Dioscorum scripta, jussit ut decem non ampliùs Metropolitanos, alioque item decem Episcopos ad Synodum secum adduceret Ephesum; Theodorerum vetuit Synodo adesse, nisi ab universo Concilio accerseretur. *Conc. Chalced. act. 1.* Sacra item alia Barsumam Archimandritam, suo & aliorum Orientalium Archimandritarum nomine interesse sanxit Synodo: Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, ut à quo appellatum esset, vetuit in Concilio Ephesino suffragium ferre; immo non judicem, sed judicandum adesse præcepit, quasi, si præter Canones Eutychen dejecisset, simili pœna retaliandum: quod Elpidius graviter urgebat, his verbis, *Imperator adimplens ipse primus ordinem legum, cujus est conditor & custos, jussit eos qui semel judicarunt, judicandorum locum obtinere.*

XXIV. Sed quanta hìc præter Canones ausus sit Theodosius, fari pudet. Nec præesse enim Dioscorus Concilio Oecumenico poterat, nec Flavianus inter reos dejici, nec Archimandritarum catervæ irrumpere in Synodum, nec damnatus Eutyches ovare. Ergo fœdissimus & exitialis fuit ejus Synodi exitus, ut vel hinc ista Principum potestas in Synodos temperanda potiùs quàm exaggeranda conjiciatur. Parciùs in Chalcedonensi Synodo celebranda Marcianus hanc suam potestatem exeruit; ideo & prior ibi labes resarta est, & ingens fidei propugnaculum excitatum. Quinta in Synodo plura sibi licere voluit Justinianus, inde calamitatum examina ebulliere. Sextam & septimam legati Pontificii præpotentiùs moderati sunt, & deinceps in Occidente potissimùm imperatoria in Synodos potestas elanguit, effloruit in dies magis magisque pontificia. Ex quo id quoque perfectum est, ut conticescerent turbæ illæ, & tumultuationes, quæ Tyriam, Antiochenam, Ariminensem, Ephesinam secundam, & si quæ sint aliæ, ubi potestas imperatoria latiùs sese effudit, sunt consecutæ.

XXV. Ut enim paulò altiùs rem ab origine sua repetam, hanc posteris Imperatoribus potestatem auspicatus erat Constantinus ipse. Nam à Donatistis interpellatus, tres Gallos Episcopos judices ipse delegaverat; ut cum Romano Antistite, & certo Italorum Episcoporum numero, judicarent, mandaverat; numerum item Donatistis Episcopis præscripserat: iisdem pòst conquerentibus aliud Arelatense judicium dederat. Nicææ item Synodum indixit ipse, in Palatio Episcopos coegit. Tyriam Synodum ut de Athanasio cognosceret, congregavit, tumultuatos ibi Episcopos ad se accersivit, ut rationem redderent judicii. Effusiùs huic suæ potestati velificatus est Constantius, eo exitu qui cordatis omnibus inhibendam, non effundendam hanc Principum authoritatem abundè comprobavit.

XXVI. Ut ad alteram denique & postremam regii privilegii partem accedam, confirmantur etiam & à Principibus Synodi; nec enim aliter, vel defensari ab ipsis, vel executioni mandari possent. Itaque Constantinus ipse Nicænam confirmavit Synodum epist. ad omnes ubique Ecclesias scripta apud Euseb. *l. de vita ejus 3. cap. 17. & seq.* quam tandem ita claudit, *Planè divinum mandatum libenter suscipite: quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem.* Ad Episcopos autem Tyriæ Synodi hæc idem scribit apud Socratem *lib. 1. cap. 22. Opus est ut omnes vos ad me propè accedatis, quo ratio rerum à vobis gestarum per vos ipsos accuratè reddatur.* Et infrà: *Athanasius vehementer à nobis postulabat, ut vos eò accederetis, ut nobis præsentibus de injuria quam passus fuerat, necessitate coactus posset expostulare, &c. Non invitus ista ad vos perscribenda curavi, ut omnes qui ad Concilium Tyrium convenistis, è vestigio ad castra nostra maturaretis, requie ipsa vestrum judicium æquum esse commonstraretis, me audiente, quem ingenuum Dei famulum esse, vos ipsi non inficias iveritis. Nam mea religiosa erga Deum ob-*

servantia pax ubique viget. Suum esse itaque ducit, Synodi decreta vel firmare, vel infirmare, prout in ea Canones viguerint aut jacuerint. Nam in Tyria Synodo gesta erant omnia, *cum tumultu, & confusione*. A quibus non abludunt hæc secundæ Synodi Oecum. verba ad Theodosium, ubi à se gesta & ad eum referri, & ab eo confirmari debere profitentur. *Necessariò ad tuam pietatem referimus, quæ in Synodo sunt gesta, &c. Rogamus tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum.*

XXVII. Ita & Ephesinæ Synodi, ut suprà ostendimus, utrimque gesta irritare vel firmare Theodosius integrum sibi esse duxit, pro spreto vel servato Canonum ordine. Et quidem ab utriusque partis Episcopis certatim ambiebatur, ut germana Synodus ea esset, cui Princeps suffragaretur. Sacra Synodus *act.* 1. in relat. de depositione Nestorii: *Vestram majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illius doctrinam à sanctissimis Ecclesiis submoveri, ejusque liberos flammis tradi jubeat, &c. Quòd si quis vestras sanctiones spreverit, ille vestræ dominationis indignationem formidet.* Et *act.* 3. in relat. de Legatis Romanis, cùm Romanam, cùm universas Ecclesias suis decretis consonare præfati essent, *Supplicamus ut caveatur, & ut comminatoriæ literæ ad singulorum locorum præsides celeriter mittantur, ne aliqua rursum difficultas Ecclesiis ingeratur*. Et *act.* 5. in relat. de Oriental. *Hæc nostra decreta ad vestram pietatem necessariò perscripsimus, quam obnixè rogamus, ne hominum criminosorum conventiculum, Synodus esse judicetur. Nam & in sancta olim* 318. *apud Niceam Concilio, nonnulli se à sancta & magna illa Synodo separaverunt, nec tamen illi à magno & sancto Imperatore Constantino Synodi loco habiti sunt: quin meritas pœnas subire jussi sunt, &c.* Et Imperator ipse in sacra per Joannem Comitem missa: *Hoc fecimus, ut pius serenitatis nostræ, & sanctæ vestræ Synodi scopus expeditè concurrat, & ad effectum perducatur. Quapropter Nestorii, & Cyrilli, & Memnonis exauthorationem à sanctitate vestra nobis indicatam approbavimus*. At Synodus in alia relatione per 7. Episcopos missa: *Porrectis manibus pietatis vestræ genua attingentes, supplicamus ut quæ per subreptionem contra Cyrillum & Memnonem acta sunt, cum nullam ex sacris Canonibus vim obtineant, omnino irrita declarentur, ne sacra nostra Synodus suo destituatur capite*. Denique cùm septem ex utraque parte legati Constantinopolin veniissent, & cognovisset Imperator Synodum *omnia canonicè peregisse, ipsam approbavit, Orientales condemnavit, Nestorium exilio multat*: Catholicis injungit, ut Nestorio successorem sufficerent.

XXVIII. Nec minùs perspicua res in Ephesina secunda Synodo, quam à Theodosio ipso irritari postulat Leo Papa: *Ecce ego, Christianissime Imperator, cum consacerdotibus meis, obsecramus coram unius Trinitatis inseparabili Deitate, quæ tali facto læditur; ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium; donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Chalced. Synod. par.* 1. Romana in Synodo cassavit illud latrocinale Conciliabulum ipse Leo, ut ipsemet declarat *epist.* 33. ad Theodos. *Sin aliqui puritate nostræ fidei, atque Patrum authoritate dissentiunt, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: ut in unum convenientibus omnibus, his qui aut ignorantia aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur*. Et manifestiùs Hilarius Diaconus in Epist. ad Pulcheriam: *Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, à præfato Papa Leone cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus & odia secularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt; & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quia per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præjudicio sanctissimi viri innocentiique Flaviani commissa sunt*. Sed cùm Theodosius confirmasset edicto suam hanc Pseudosynodum, & serò resipuisset, ejus edicti retractationem à Marciano postulavit Leo *epist.* 43. *Sequens verò in prædicta civitate non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis affutura, aliud statuendo cassabit*. Similiter & *act.* 10. Concil. Chalced. Paschasinus aliique Romanæ sedis legati fidenter pronunciant *Synodum dici non posse, in qua illa nefaria delicta, relecta sunt, &c. A beatissimo & Apostolico Romanæ Sedis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana esse habita, &c. Rursus adeundum Christianissimum Principem, quatenus illud Concilium sacra & propria lege neque nominari præcipiat*. Et mox Anatolius excipit, tunc abundè destructa fuisse Ephesi sub Dioscoro gesta, cùm emendata sunt: nihil illorum valere, nisi maximi Antiocheni ordinationem à Leone Papa approbatam: deprecandum Imperatorem, *ut pia lege sanciat, neque Synodum illam nominari, neque quidquam ibi gestorum valere*. Denique rescidit edicto Marcianus edictum Theodosii: *Aboleatur illa constitutio, quæ sceleratorum subreptione post obitum sanctæ memoriæ Flaviani adversùs eum lata cognoscitur, cessentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum, &c. Quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum*. Ita ille Chalcedonensibus Patribus obsecundans. Ubi liquidò claret 1. à Leone Papa & Occidentali Synodo cassatam esse confestim Ephesinam secundam Synodum, idque fidenter ad Theodosium perscriptum esse, ut & ipse edicto suo eandem revocaret. 2. Cùm Theodosius è vivis antè abisset, quàm confirmatam à se Synodum dissolveret; nihilosecius Chalcedonenses Patres & illam detestatos esse, & Flavianum ibi damnatum absolvisse, & evexisse laudibus, & denique postulandum ab Imperatore decrevisse, ut ejus Synodi memoriam edicto aboleret. 3. Marcianum Synodi precibus annuentem revocasse non Synodum Ephesinam secundam, sed constitutionem Theodosii, quo ea firmabatur. 4. Ipsum profiteri Marcianum, in revocanda Synodo Ephesina, necessariò sibi præire debuisse Synodum orthodoxam: *Non posse enim sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum*. 5. Rescinduntur ergo pseudosynodi priùs ab Episcopis, tum à Principe Episcoporum decreta exequente: & tunc Princeps novam authoritatem Episcopalibus statutis accumulavit, quando injustosos obices à superiori Principe circumjectos propulsavit. Denique Prosper in Chronico: *Marciani edictis Apostolicæ Sedis authoritatem secutis, Synodus Ephesina damnatur*.

XXIX. Idque ipsum dilucidius fiet ex Chalcedonensis Concilii *act.* 16. ubi Lucentius vicarius Apostolicæ Sedis adversùs Canonem 28. Anatolii Constantinopolitani fraude adjectum, ita judices compellat; *Sedes Apostolica præcepit nobis præsentibus omnia fieri. Et ideo quæcumque in præjudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut jubeatis circumduci. Sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus: ut ipse aut de sua sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam*. Suffragati erant judices Canoni illi invidioso, orant legati ut circumducant, & contumeliam Sedis Apostolicæ, regulisque Nicænis illinere desinant. Sed etsi Judicum Principisque potestate Canon ille defensetur, non defuturum sibi Apostolicum & totius Ecclesiæ præcipuum Episcopum, quin suam Canonumque injuriam ulciscatur. Quo etsi sacerdotalis potestas imperatoriæ anteponitur, non huic tamen abrogatur jus Synodos confirmandi. Nam edicto suo Marcianus hanc ipsam confirmavit: *Sacro serenitatis nostræ edicto venerandam Synodum confirmantes, admonuimus universos, ut*

de

de religione disputare desineret. Conc. Chalc. par.3. num. 4. Sanè de Canone illo 28. & legatorum contradictione Liberatus hæc habet *cap.* 13. breviar. *Licèt Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

XXX. In quinta Synodo Justinianus imperatoriæ potestatis limites plus æquo amplificavit. Nec nescius tamen ipse fuit regiam authoritatem in rebus istiusmodi pedissequam tantùm Pontificiæ esse, & exteriùs executricem. Novella enim 42. plurium Pontificum Synodicas dejectiones ita confirmare orditur: *Rem non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quotiens enim sacerdotum sententiam quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychen, Arium, Macedonium & Eunomium, & quosdam non minores aliis; toties imperium ejusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum authoritate fuit. Sicque divina pariter & humana concurrentia unam consonantiam rectis sententiis fecere.* Præire ergo pontificia, subsequi regia debent edicta: illa enim *divina*, hæc *humana* sunt: & Pontificia regiis, ut divina humanis ita confirmantur.

XXXI. Sexta Synodus suis decretis subscriptione Principis robur præberi, orat *sess.* 18. Et Leo II. Papa *epist.* 2. ad Pogonatum, confirmatam à se eam Synodum ut priori Occidentali Synodo consentaneam præfatus, quòd regio quoque confirmata sit diplomate, gratulatur: *Synodali igitur sententia & imperialis edicti censura, tanquam ancipiti Spiritus gladio error expunctus est.* Et infrà fontem hujus officii regii aperiens, ait: *O sancta mater Ecclesia, exurge, depone pallium mœroris, ecce filius tuus, defensor tuus, adjutor tuus, accinctus est gladium, verbum Dei, &c.* Trullanos Canones & confirmarunt Imperatores, & à Romanis Pontificibus confirmari etiam atque etiam flagitavere. Sed his constanter abnuentibus, Oecumenicæ authoritatis gradu exturbati illi penitus sunt. Septimæ Synodi decreta, ipsamet postulante, Irene & Constantinus subscriptione sua munivere. Octavam Basilius Imperator & subscriptione sua & edicto firmavit, sed his idem verbis *act.* 10. Christiani Principis officium delineavit: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conversamini, quid amplius dicam, non habeo; quàm quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt: qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent: qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claves: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solvi egemus.* Ita ergo Synodorum decreta confirmat Princeps, dum & illis sese obtemperare, & reliquos ad idem obsequium, vel volentes inlicere, vel renitentes impellere debere intelligit.

XXXII. Sic enim interpretandus est textus ille Justiniani Novellæ 131. *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticos Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis expositi sunt, & confirmati*: Ut regiæ amplitudinis nihil deterat pia servitus, quam matri & dominæ suæ debent & dependunt Ecclesiæ. Quippe tametsi placita Ecclesiæ utpote *divina*, & à Spiritu Sancto dictata, plus satis per sese virium habeant: conducit tamen humano generi & domandæ contumaciam superbiæ, Principum terrenorum confirmatione illa fulciri; ut divinis humana serviant, ut cœlestibus obsecundent terrena, ut reges regi Christo & reginæ Ecclesiæ se obnoxios agnoscant, ut corpus famuletur animæ, brachium capiti obaudiat; ut denique quos divinæ legis charitas non illectat, eos humanæ potestatis terror frangat. Assentiantur Principes Valentiniano III. & quod ille de Romani Præsulis, ipsi de Synodorum statutis à se confirmandis sentiant: *Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, nec rursus, &c. Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obviare. Conc. Gall. tom.* 1. Ariminensem, & tot alia Synodorum ludibria protrivit sola Pontificum authoritas, etsi illa Principes tuerentur. Antiochenum adversùs Samosatenum & tot alia Concilia citra Principum confirmationem convaluere. Antiochenæ adversùs Samosatenum sententiæ penè executor fuit ethnicus Imperator. Sicubi ergo prioribus Ecclesiæ sæculis posteriora in ea re consentiant, ut Ecclesiasticæ Synodorum authoritati totum tribuant, nec Principum potestate ad obsequium se expectent inflecti: gratulandum utique est, quòd non Principum authoritati decreverit quid, sed accreverit fidelium pietati: & *sine imperiali sanctione* ita valeant, ut *valituræ* ipsis Imperatoribus visæ fuerant, Pontificum Synodorumque sententiæ. Addes, si voles, in eandem sententiam illud Ludovici Pii Imperatoris ratum habentis privilegium, ab Aldrico Senonensi Archiepiscopo concessum ann. 835. *Verùm licèt Ecclesiastica, atque Pontificalis constitutio, sua, imòque divina authoritate esse prævideat: tamen non indecens atque incongruum judicavit, si imperiali nostra authoritate sua constitutio firmaesse perpetuò sanciretur. Spicil. tom.* 2. *pag.* 585. Quod innuebat, ni fallor, Justinianus, cùm *Novell.* 131. *cap.* 1. ajebat Ecclesiasticos Canones à Sanctis Sinodis non tantùm expositos, sed etiam *confirmatos*: & Synodorum dogmata *velut sacras Scripturas à se suscipi: & Canones tanquam leges observari.* Nec enim confirmari egent, quæ in loco & fastigio Scripturarum sunt.

XXXIII. Imperatoriæ hujus potestatis collegium in sua quisque regione Reges deinceps catholici vendicavere. Itaque Recaredus in Concilio Toletano 3. ita præfatur: *Non incognitum reor esse vobis, Reverendissimi Sacerdotes, quod propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam, ad nostra vos serenitatis præsentiam devocaverim &c. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide atque spe nostra, quam gerimus, in hunc tomum conscripta atque alligata noscimus. Relegatur enim in medio vestri, & judicio Synodali examinatus, per omne successivum tempus gloria nostra eiusdem fidei testimonio decorata clarescat.* Susceptus est ab omnibus Dei sacerdotibus *offerente rege sacrosanctæ fidei tomus*: eoque perlecto acclamatum est ab universo clero, in laudes Dei, & in favorem Principis; & inter cætera: *Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum implevit officium.* Tum Rex proponit Synodo, ut deinceps Symbolum *clara voce cantandum à populo* omni sacrificii tempore statuatur: *Omnibus capitulis quæ per vestram sanctitatem adjicienda sunt, hoc pro fidei sanctæ reverentia & firmitate proponite, quod de proferendo Symbolo nostra, Deo docente, decrevit serenitas.* Toletano 5. sistit se cum optimatibus suis Cinthilla Rex, *atque hanc institutionem, quam ex præcepto ejus & decreto nostro sancimus, divina inspiratione præmisit*: ajunt Patres. Tum Canones subtexuntur. Toletana 6. Synodus *Can.* 2. *Sua assensione firmat Principis devotionem* & Episcoporum *constitutionem* de litaniis. Toletanæ 8. Synodo Recceswinthes hæc effatus, *Quia regendorum membrorum causa salus est capitis: & felicitas populorum, nonnisi mansuetudo est Principum: votivè decrevi, vobis coram positis, & votorum meorum deliberationem sanctione patula reserare, & studiorum acta sincera exhibitione deferre*: tunc tomum obtulit, orans, *ut quæcumque illic detinentur ascripta, valido attendatis intuitu, sagaci perscrutemini studio; ac de his quæcumque extiterint placita Deo, vestri oris ad nos sacro referantur oraculo.* Eo-

perlecto Patres *glorificant Deum de fidei principalis auditu, & de bona voluntatis ejus affectu*. Toletanam 12. ita alloquitur Rex Ervigius: *Ecce in brevi complexa vel exarata devotionis mea negotia, in hujus tomi complicatione agnoscenda perlegite, perlecta discutite, discussa climatis ac decretis titulorum sententiis definite; ut pura & placens Deo vestrarum definitionum valitura discretio, regni nostri primordia decoret exundatione justitiæ*. Similiter idem Rex Ervigius Toletanæ 13. *Religiosa vota sua clementiæ, quibus subveniendum miseris definivit, Synodali conventui confirmanda commisit: offerens videlicet sacris Pontificibus tomum, obsecrans pariter & obtestans, ut quidquid illic vetustioris calamitate perstrictum congestum esset, Synodalis potentiæ conderetur ordine titulorum*. Toletanæ 15. Egica Rex *annexa tomo sui culminis vota Dei sacerdotibus tradidit relegenda*: ajens, & orans: *Hæc pertractate, his deliberationis ferte inconvulsibilem sanctionem*. Toletanæ 16. idem Egica Rex vota sua tomo illigata offerens ait, *Ea pertractate, & tam ea, quæ hic sunt insita, quàm etiam quæque se reverendissimo vestro cœtui ingesserint audienda, æquissimis judiciorum vestrorum definitionibus terminate, & firmissimo sententiarum vestrarum stylo esse permansura decernite*. Quibus gemina leguntur in fronte Synodi Toletanæ 17.

XXXIV. Quæ copiosiùs huc congessi, ut ex his emineat, 1. non imperiosè Reges quidquam hic aggressos, sed ut suprà ostendi, *acclines, cernuos, humiles*, & solo humilitatis fastigio glorioſos. 2. Animi sui vota seu regiæ potestatis placita Reges obtulisse Synodis non subscribenda protinus, sed deliberanda, excutienda, & ita definienda. 3. Palam ipsos esse professos, ita hæc pertractanda offerri Episcopis, *ut & alia quæque se eorum cœtui ingererent*, pariter agitarent. 4. Non tam ipsos Synodis legem ordinemque præfinire ausos esse Reges, quàm suis ipsorum votis & decretis optasse à Synodis addi *firmitatem & inconvulsibilem sanctionem*; denique *quæ placita Deo essent, Episcopalis oris sacro oraculo ad se referri* postulasse. 5. Sed nihil religiosius hac Ervigii Regis in Tolet. 12. contestatione: *Nam & hoc generaliter obsecro, ut quidquid in nostra gloriæ legibus absurdum, quidquid justitiæ videtur esse contrarium, unanimitatis vestræ judicio corrigatur. De cæteris autem causis atque negotiis, quæ novella competunt institutione formari, evidentium sententiarum titulis exaranda conscribite: ut quia præsto sunt religiosi provinciarum rectores, & clarissimorum ordinum totius Hispaniæ duces, promulgationis vestræ sententias coram positi prænoscentes, eo illas in commissas sibi terrarum latitudines inoffensibili exerant judiciorum instantia, quo præsentialiter ac sistentes perspicua oris vestri conceperunt instituta*.

XXXV. Ergo & ubi confirmantur postea à Regibus statuta Synodalia, ne id quidem tum effugiet animum, suis ipsos priùs votis & decretis inconvulsibilem firmitatem à Synodis exoratse. Toletanum 3. confirmat Recaredus Rex in hunc modum: *Nostra proinde authoritas jubet, ut si quæ definita sunt in hoc sancto Concilio, nulli contemnere liceat, nullus præterire præsumat*: tum transgressoribus pœnas designat, excommunicationes à Concilio, mulctas pecuniarias, exilia. Nec aliter Toletanæ 12. decreta Rex Ervigius, *inconvulsibilis legis valido oraculo confirmat, legis suæ edicto ab emulis defendit*: violatoribus indicit excommunicationes, multas, verbera. Similiter & Toletanæ 13. statuta *sacræ legis oraculo* idem Ervigius per omnes sui regni provincias decernit observanda. Sed quàm inconvulsam per sese Synodorum authoritatem admiretur & profiteatur idem Rex, ex ipsius edicti vestibulo perdisces: *Eximia Synodalis authoritas & venerandæ est pariter & tremendæ: quæ in tantum per donum Sancti Spiritus agit, ut ex diversitate multorum animorum & cordium, unum cor unamque animam fecisse monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum non per sententiam discrepat, non per stimulum diversa objectat, nec per judicium aliud unus quàm universitas formet. Et ideo reverendum mihi conventum synodalis Concilii, in cujus medio præsentia Sancti Spiritus se habitare promisit, devotè venerans, instanterque honorans, illa quæ eorum ore, nostræque gloriæ hortatu digesta sunt, in notitiam deducimus singulorum*. Divinam Synodi authoritatem, inde defluentem, *Ibi sum in medio eorum, Visum est Spiritui Sancto & nobis*: regia tametsi, humana tamen authoritas *devotè veneratur, instanter honorat*; & ita confirmat, id est, ejus contemptores aut deterret, aut punit.

XXXVI. Idem animi fuit & Christianissimis Galliæ Regibus. In confirmatione Concilii Matisconensis 2. Gunthramnus Rex ita concludit: *Cuncta ergo quæ hujus edicti tenore decrevimus, perpetualiter volumus custodiri, quia in sancta Synodo Matisconensi hæc omnia, sicut nostis, studuimus definire, quæ præsenti authoritate vulgamus*. Et paulò antè indigitans rationem regiæ confirmationis Synodorum, *Convenit, ut distringat legalis ultio judicum, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum*. Summa est enim in Christianos omnes Synodorum authoritas, sed inermis; illi ergo necessum est opituletur adversùs contumaces ultrix Regum legumque potentia. Magnificentiora sunt hæc verba Concilii Moguntini ann. 813. ad Carolum Magnum in præfat. *De his omnibus valde indigemus vestro adjutoria atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis subter perstrinximus capitulis, à vestra authoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit: & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare; ut ita emendata, nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi ac posteris nostris proficiant ad vitam, & salutem, & gloriam sempiternam*. Quibus finitima sunt ista Cabilonensis 2. ann. ejusdem in præfat. ad eundem: *Quædam capitula quæ subter inserta sunt, eidem domino Imperatori præsentanda, & ad sacratissimum ejus judicium referenda adnotavimus: quatenus ejus prudente examine, ea quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur: sicubi minus aliquid egimus, illius sapientia suppleatur*. Ultra metas, modumque regiæ potestatis hæc luxuriare viderentur, nisi recurreret animo quid de Carolo Magno pronunciet Alcuinus *lib.* 1. adversùs Elipandum: *Impossibile est ut corrumpatur à quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in prædicatione, Judex in equitate, Philosophus in liberalibus studiis*, &c. Et epist. 97. *Beatus populus tali rectore exaltatus, & tali prædicatione munitus. Et utrumque, & gladius triumphalis potentia vibrat in dextera, & Catholicæ prædicationis tuba resonat in lingua*, &c. *Istis temporibus Deus, ejusdem nominis, virtutis, & fidei David Regem populo suo concessit Rectorem & Doctorem*. Vide & *epist.* 106. *itemque* 15. ubi libellos suos à Carolo Magno emendari gestit. Sed penitior hujus rei ratio promenda est à Synodo Turonensi 3. eodem anno 813. habita. Ita enim ibi Patres præfantur: *Capitula adnotavimus serenissimo Imperatori nostro ostendenda*. Concludunt his verbis: *Hæc nos in conventu nostro ita ventilavimus. Sed quomodo deinceps piissimo Principi nostro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati sumus*. Nempe cum in plures eodem anno Synodos secti fuissent Episcopi Gallicani, sejunctimque multa scivissent: ne quid in disciplinam hinc inveheretur dissonantiæ, rursus in Palatium universi coram Imperatore confluebant, ibique elimabantur: & in concordiam coaptabantur, quæ sparsim variis locis statuta fuerant. Unde Turonensis eadem Synodus *can.* 22. *Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum Palatium congregati fuerint*, ab

eis

eis edocere, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus. Et Synodus Lingonensis relecta in Tullensi an. 859. præter Synodos provinciæ annuas, *In Principum quoque palatiis saltem semel intra biennium generalis Episcoporum conventus agatur, & quod secundum voluntatem Dei, juxta authoritatem Scripturarum & Sacrorum Canonum ipso Deo adjuvante invenire potuerint, confidenter statuant & adnuntient.*

XXXVII. Nec abhorrere ab his potuit Anglicanæ Ecclesiæ disciplina. Unum profero exemplum Concilii Londonensis 2. ann. 1127. de quo prolixè Matthæus Paris; & tandem: *Rex auditis Concilii gestis consensum præbuit, authoritate regia & potestate concessit, & confirmavit statuta Concilii, à Guillelmo Cantuariensi Archiepiscopo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ legato, apud Vvestmonasterium celebrati.*

XXXVIII. Postremò ut funditus excidatur illa conflictatio regiæ & Ecclesiasticæ potestatis, quæ res humanas, quæ peritorum ingenia sæpè vexavit: ut ne Regibus indecorum existimetur, si legum synodicarum non authores, sed custodes, executores, defensores; si pedissequi Canonum, non duces; si Ecclesiæ administri, non domini vocitentur: ne Pontificibus ipsis sua videatur fuscari dignitas, si synodica ipsorum statuta à Regibus confirmentur: hæc duo paucis admoneo. Primùm quidem servire Reges Christo & indiscretæ quodammodo ab eo ejus sponsæ Ecclesiæ, & indiscriminatim ab ipsis tam divinas quàm Ecclesiasticas leges, utrasque suo modo divinas, quia Christi & Spiritus Sancti utrasque, confirmari regiis edictis, spretasque vindicari; & hanc servituтem nequaquam ingloriam, sed summæ gloriæ fastigium obtinere. August. *epist.* 48. *Immò verò serviant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo.* Et *epist.* 50. *Et nunc Reges intelligite, &c. Servite Domino in timore. Quomodo ergo Reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est, &c. Sicut servivit Ezechias, &c. Sicut servivit Josias, &c.* Et paucis interpositis: *Quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno vestro, à quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus?* Ergo quàm indiscretæ sunt leges divinæ atque Ecclesiasticæ, quàm utrarumque perinde Reges defensores sunt: quàm indiscreta unaque est Christi & Ecclesiæ persona, tam indiscreta est servitus omni regali apice sublimior, tam una, eademque servitus est, qua Reges Christo & Ecclesiæ famulantur, dum ut leges à Deo invariabiliter sancitas, ita regulas à Spiritu Sancto, ad variam temporum medicinam temperatas defendunt. Ex quo fit ut onus istud sit & officium magis regium, quàm privilegium; illoque adeo non lascivire, sed contremiscere debeant.

XXXIX. Alterum est, quàm animam & corpus, tam non debere Ecclesiam & Imperium, Antistites & Reges digladiari. Omnia enim in commune prosunt utrimque privilegia. Ut homo enim, ita Episcopatus interior & exterior, unus idemque est, alia & alia sui parte, sibi dux & pedissequus, sibi imperans & serviens, sibi jubens & exequens: animo rector, corpore executor: interiùs sanciens, exteriùs promulgans. Itaque & tota imperandi gloria penes exequentem est, & tota exequendi sedulitas imperanti incumbit; quia unus, idemque, & imperat executor, & exequitur imperator. Prosper contr. Collat. *cap.* 41. *Quanda sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis.* Et infrà: *Cælestinus Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi.* Et Bernardus *epist.* 256. ad Eugenium Papam: *Exerendus est nunc uterque gladius in passione Domini, &c. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipsa ad Petrum dictum est: Converte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat & ille; sed non sua manu utique educendus.* Ne ergo discerpatur, ne secum ipsa committatur Ecclesia; ipsa una est quæ Apostolicis regiisque utitur edictis; ipsa est cujus est uterque gladius; ipsa est quæ temporalem etiam gladium, utpote suum quoque rotat, nutu Pontificio, manu regia.

XL. Ut unde huc exieramus, illuc gradum referamus tandem, id postremo loco adnotabo ad primæ sedis decus eximium pertinere, quòd cum in Oriente sedes Constantinopolitana, post Oecumenicum secundum Concilium furtivis, sed amplis suffarcinata privilegiis, esset judicanda, ejus judicii summa ad Præsulem Romanum refertur. Id suprà jam commonstratum est, ut iterum iterumque Synodus, necessariò Cælestini sententiæ sibi subscribendum fuisse profiteatur. Adde quod *act.* 2. Philippus Apostolicæ sedis legatus dicit, *Dudum sanctissimus Cælestinus Apostolicæ sedis Episcopus per suas epistolas ad Cyrillum, &c. de præsenti hac causa ac negotia definivit.* Tum illas epistolas legi orat; itemque Arcadius, *Ex quibus vestra beatitudo agnoscere poterit, qualem omnium Ecclesiarum curam gerat.* Tum legitur Cælestini epistola ad Synodum, quæ ita definit: *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres, & consacerdotes nostros, &c. qui iis quæ aguntur, interfint: & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur. Quibus præstandum à sanctitate vestra non dubitamus assensum; quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Tum in laudes Cælestini erumpit & exclamat Synodus. Excipit Projectus legatus: scripsisse Cælestinum, *ut ea quæ antè definivit, & nunc in memoriam revocare dignatus est, juxta communis fidei Canonem & Ecclesiæ Catholicæ utilitatem, ad finem perfectum deduci jubeatis.* Deinde Philippus gratias agit Synodo, quòd recitatis Papæ literis, quasi *sancta membra*, vel sanctos cantus, *sancto capiti sanctis etiam exclamationibus exhibuerit. Non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse Beatum Petrum.* Et infrà idem Philippus: *Nulli dubium, immò sæculis omnibus notum est, quòd Sanctus Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique Columna, & Ecclesiæ Catholicæ Fundamentum, &c. Hujus successor & locum tenens Cælestinus, &c.* At *act.* 5. Synodus relatione sua ad Cælestinum, Joannis Antiocheni causam ad eum remittit: *Indignitate rei meritò commoti, ejusmodi in illum & in alios sententiam legitimè proferre deliberavimus, cujusmodi ipse tulerat illegitimè contra eos, qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verùm quo illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam legitimè justissimèque subivisset, pietatis tuæ judicio hoc reservavimus: interim illos excommunicationi subjicientes, omnique sacerdotali potestate exuentes, ita ut nullum suis sententiis ledere queant.* Suspendit itaque Synodus Joannem, deponendum reservat Cælestino. Et quidem his accommodatè, Juvenalis Hierosol. Episcopus *act.* 4. ait, ad Apostolicam magnæ Romæ sedem, *morem esse ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur, & ab ea judicetur.* Jam enim Pauli Samosateni causa, in Concilio Romano olim recisa extremo judicio fuerat: jam Innocentius decretis suis Antiochenum Episcopum Orientali Diœcesi adseruerat. Et act. eadem Cyrillus se à Joanne, hoc est, Alexandrinum ab Antiocheno, majorem videlicet à minore depositum ita expostulat: *Et quidem nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale decretum,*

tum potestatem habuit, qua fultus vel quempiam ex nobis judicare, vel omninò simile quidpiam attentare posset, præsertim verò contra majorem sedem. Et rursus idem Cyrillus in Apolog. ad Theod. *Ad hæc quomodo sit ordine & ritè factum, majoribus pœnas irrogare, & in homines sublimiorem ordinem sortitos imprudenter insilire, & Ecclesiasticarum legum disciplinam pacis conciliatricem deserere; & ne eorum quidem qui in sæculo versantur, prudentiam imitari?* Et Synodus universa *act.* 5. in relat. ad Cæles. omnia subsequeque verti ait, *Si quibuslibet potestas fiat, majoribus sedibus contumeliam inferendi.* Ergo inter primarias Ecclesiarum sedes ordo aliquis jam ratus fixusque erat, ut majores à minoribus citra ingens piaculum judicari non possent: non tum, non nuper cœptus, sed ante Constantinopolitanam primam Synodum, quæ Constantinopolitanum Episcopum non Alexandrino, sed Romano æquare molita est; ante etiam Nicænam, quæ olitanæ consuetudini illum ordinem adsignavit. Ergo omnium princeps Romana sedes est, quæ Nestorium Constantinopolitanum deposuit; cujus est Antiochenam judicare, quæ vices suas & sententiæ suæ executionem Cyrillo Alexandrino demandavit: cui Hierosolymitana quæ tum Antiochenæ sedi subserat, Antiochenæ ipsius judicandæ & dirigendæ potestatem vendicavit. Privilegii autem hujus author & origo est Petrus, Princeps Apostolorum, caput fidei & Episcopatus, cujus Cælestinus erat *Successor, & locumtenens.*

XLI. Jam verò nec utilitatis, nec voluptatis inanem ponemus operam, si calumnias quoque vel suspiciones hominum aliquas circa hanc Nestorii damnationem proferamus in medium. Ordinem ducet Liberatus brevlarii *cap.* 5. *Joanne Antiocheno remorante, quæstionem movebant præsentes Episcopi de B. Maria Dei Genitrice. Cyrillus autem deflorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens. Erat enim, ut dicitur, ejus inimicus.* Et *cap.* 6. memorata Joannis Antiocheni infamia & depositionis sententia in Cyrillum & Memnonem vibrata: *Igitur Cyrillus cum Memnone volentes se ulcisci, Joannem damnaverunt, & omnes qui cum eo convenerant, & multa alia pari fastu utrique Ephesi pertulerunt.* Cùmque septennis utrimque Episcopis accitis, Imperator Catholicis palmam addixisset, *Joannes cum suis Antiochiam profectus est, ubi colligens plurimos Episcopos, damnavit iterum Cyrillum, cum jam esset Alexandriæ. Et sicut Socrates dicit, cognoscens Nestorius per contentionem ad quandam perniciem pervenisse partes, Dei Genitricem Mariam vocabat, dicens: Dicatur etiam Dei Genitrix: & ea quæ fecerunt tristitiam, conquiescant. Sed nullus ex pœnitentia talia dicentem suscepit. Quapropter hactenus damnatus, & in exilium Oasin missus est. Post damnationem autem ejus dura Constantinopoli turba contra Ecclesiam mota est, divisusque est populus, propter tepidum ejus, sicut dictum est, tractatum. Clerici verò communi decreto eum anathematizarunt.* Audiendus nunc Socrates *l.* 7. *hist. cap.* 32. *Nestorius apud complures venit in opinionem, quòd Dominum hominem solum esse affereret, quòdque Pauli Samosateni & Photini opinionem in Ecclesiam introducere niteretur. Atque de hac re tanta certatio, & tumultus ciebatur, ut generali Concilio ad eum sedandum opus esse videretur. Ego verò dum libros à Nestorio editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrina penitus expertem, hocque verè & ex animo dico. Nam neque odio in illum incensus, ejus vitia recordatione renovare: neque, ut quibusdam gratificer, pauciora quàm reperi commemorare decrevi: Nestorius meo quidem judicio, neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem solum esse dicit; sed vocem dumtaxat, Deiparam, tanquam larvam reformidans, declinat. Hocque illis præinsigni ignoratione contigit.* Quòd nempe veteres interpretes & Patres contemneret, apud quos crebrum Deiparæ vocabulum occurrere cùm docuisset, tum ita pergit Socrates: *Itaque Nestorius videtur veterum lucubrationes penitus ignorare, & ob eam causam, hanc vocem Deiparam, ut dixi, insectatur. Nam quod non dicit Christum hominem solum esse, sicut Photinus & Paulus Samosatenus; quodque non subsistentem Dei Verbi personam tollit, sed eum in Trinitate subsistere, & in ejus essentia inesse confitetur; quod denique ei extantiam non adimit, sicut Photinus & Samosatenus, (idem etiam Manichæi & Montanista asserere non dubitant) ex concionibus ab ipso editis satis constare poterit. Verùm quanquam Nestorium, partim ex libris ejus quos legerim, partim ex amicorum ejus sermone ita sensisse comperio: non parum tamen universum orbem perturbavit ejus tepidus sermo:* ut vertit Liberatus. Capite sequenti idem Socrates: *Cyrillus quo Nestorii animum perturbaret, infenso enim in eum erat animo, &c.* Quibus reliqua subjungit, quæ suprà ex eo Liberatus excerpsit. His adde Isidorum Peluslotam, qui *l.* 1. *epist.* 310. Cyrillum quasi privatas cum Nestorio inimicitias exercentem, & ad hoc Synodi majestate abutentem increpat: *Multi eorum qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, ut tuas inimicitias persequentem, & non ea quæ Jesu Christi sunt, orthodoxè quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est, illiusque mente & sententiam imitatur. Ut enim ille adversùs divinum virum Joannem furorem effudit, sic etiam iste, &c.* Vide & *epist.* 370. *l. ejusdem.*

XLII. Et has quidem obliquas postea Isidorus (Isid. Pelus. *l.* 1. *epist.* 324.) excussit animo suspiciones de Cyrillo & Ephesina Synodo: sed ex his tamen ejus, & Socratis, Liberatique verbis, abundè demonstratur, quàm multi ex Catholicis, & dum Synodus ipsa ferveret Ephesi, & perdiu postea, in eam, in Cyrillum licentiosè & futiliter multa blatterarent, pro Nestorio plura effutirent, quæ temporum diuturnitate & Ecclesiæ Catholicæ authoritate oppressa atque oblitterata sunt. Catholicos hos dixi homines, qui errorem ipsum Ephesi damnatum detestabantur, Synodumque eatenus suscipiebant; at Nestorium ita sensisse inficiabantur, tum sermonibus ejus, tum scriptis sedulò pervolutatis persuasi. Itaque in juris & fidei quæstione conveniebat eis, & Ecclesiæ; in facti & personæ negotio dissidebant. Elucet hinc primò, nec Cyrillum Ecclesiæ lumen eximium, nec Ephesinam Oecumenicam Synodum, evangelicæ veritati finitimam, declinare potuisse hominum non dico heterodoxorum, sed Catholicorum innatæ temeritati & loquacitati plus æquo indulgentium maledicentiam. Sed hæc nubila perrupit, & tandem abolevit Ecclesiasticæ authoritatis & veritatis splendor. Itaque quandocumque ventilantur in Ecclesia novæ quæstiones, non suspicionibus, non rumoribus ipsorum orthodoxorum auscultandum est; sed Ecclesiasticæ authoritatis pondus quò inclinet, observandum est, & eò indeclinabiliter incumbendum. Elucet secundò, quamlibet Cyrillus privatis affectibus obsecundasse in exagitando Nestorio: quamlibet Nestorius vocem magis ipsam quàm doctrinam de Maria Deipara exhorruisse viderentur, ne Deitati ipsi initium à partu virgineo ineptus quis affingeret: quamlibet denique vocem ipsam Deiparæ Nestorius approbasse tandem jactaretur, ut nihil amplius posset ad Nestorii personæ & doctrinæ purgationem desiderari: nihilo tamen seciùs invaluisse sententiam, & authoritatem Synodi; & temerarios illos, aut si clementiùs interpretari voles, humaniores conatus purgandi Nestorii evanuisse. Nusquam non enim deinceps pari cum cæteris hæreleon architectis, jacet ruina & infamia obrutus Nestorius. Nam hujus Ephesinæ Synodi *act.* 1. *Omnes Episcopi simul exclamaverunt, Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit. Omnes Nestorii epistolam & dogmata anathematizamus, impiam fidem Nestorii anathematizamus. Quicumque hunc non anathematizat,*

ana-

anathemate sit. Ibi indiscriminatim, & error, & author erroris Nestorius & anathematizatur, & ab orthodoxis omnibus anathematizari jubetur. Et Cælestinus in epist. ad Synodum Ephes. *Ejiciantur è civitatibus suis, & se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundum Ecclesiasticum & Christianorum Principum constitutum, damnata cum authoribus sociisque damnantes, se profiteantur Catholicos Sacerdotes*. *Conc. Ephes. part.* 2. *num.* 20. Et in Synodo Chalcedonensi Theodoretus diu quidem tergiversatus, sed non antè tamen plenissimè admissus est, quàm non errorem tantùm, sed Nestorium quoque ipsum detestatus est, urgentibus quidem maximè Ægyptiis, sed silentibus, eoque consentientibus omnibus Episcopis cæteris. Intercedere enim debuerant cæteri, si iniqua Theodoreto conditio à paucis quibusdam infligebatur.

XLIII. Meliusculè de Cyrillo postea sensisse Isidorum Pelusiotam dubium facit, aut certè dissimulat Facundus Hermianensis, *l.* 2. *cap.* 4. At ibidem Gennadium Constantinopolitanum Episcopum *beatæ memoriæ*, idem inducit multis debacchantem in Cyrilli non tantùm æstuantia adversùs Nestorium odia, sed etiam dogmata anathematismis duodecim comprehensa. Unde Facundus, *Talia Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intellexisset, &c. Potuit enim & ipse, de Christiana religione quæ recta sunt, credens, non intellectum B. Cyrillum bona intentione culpare*. Sed ut ut habeat de Cyrillo: quid de Synodo Ephesina Gennadius, quæ anathematismos & doctrinam Cyrilli consecravit? Sed ut ne uni adhæream vel pauculis, quid Orientales? Joannes enim Antiochenus, & Theodoretus, & Orientales Episcopi alii Ephesina Synodo absoluta & dimissa, deinceps aliquandiu Cyrillum concerpere, & anathematismis ejus Apollinaris aliorumque hæreticorum errores affingere perseverarunt. Cyrillo ipsi impacta necessitas est suos retractandi anathematismos, eosque ad rectam fidem, quam & ipsi Orientales prædicabant, contorquendi: quasi minor Oecumenicæ Synodi authoritas fuerit, quàm ut abstergere maledicorum calumnias possit. Unde Facundus Hermian. *lib.* 7. *cap.* 6. *Si quis autem dicit, quòd Orientales & aliarum provinciarum Episcopi, una quippè horum omnium causa est, etiam in his quæ non intelligebant, authoritatem Ephesini Concilii sequi debuerint: ipse quoque primùm considerare debet, quod etiam Synodus Chalcedonensis considerasse credenda est, quoniam tantis dissentientibus, qui moniti fuerant, simul in ipsum Concilium convenire: non tanta illo tempore, quanta nunc est, ejus esse possit authoritas: cum necdum etiam judicio magnæ Chalcedonensis Synodi firmaretur. Nam & ipsa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas*. Innuere videtur Facundus Pontificis Antiocheni, & tot aliorum Metropolitarum, magna ex parte Orientalium, intercessione & dissensu, potuisse Ephesinæ Synodi Oecumenicum nomen & robur suspendi: quòd Oecumenicum non esset Concilium, à quo permagna & una ex præcipuis tribus Ecclesiæ portio & abfuisset, & dissentiret: donec & ab iisdem ipsis desitum est intercedi, & Chalcedonensis Synodus atque ipsa maximè antiquitas summum robur & pondus accumulavit. Et ipsa quidem Synodus Ephesina qua Episcoporum suorum numero, qua orbis Christiani consensu supremam suam ostentabat authoritatem, eamque cui Joannis & assectarum ejus paucitas frustra obstreperet. *Act.* 3. *in relat.* ad Imperatores: *Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, &c. ut pietati vestræ constet judicium, quod paulò antè à nobis exiit, esse unam communemque totius orbis terrarum sententiam, &c. Toto orbe terrarum consonam sententiam proferente, paucis exceptis, qui Nestorii amicitiam pietate potiorem ducunt*. Et *act.* 5. *in alia relat. Imper. Rogamus ne hominum criminibus obnoxiorum conventiculum, Synodus judicetur. Nam olim in sancto Nicæno Concilio nonnulli reperti sunt, qui se ab eo separaverunt, nec tamen illi à magno Imperatore Constantino pro Synodo habiti sunt, &c. Perabsurdum est enim ducentorum & decem Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantùm numero se opponere*. Et Clerus Constantinopolitanus in libello supplice ad Imperatores: *Expescimus ut apud vos illorum sententia confirmetur, qui & numero plures sunt, & sedium authoritate, &c. Neque pacis obtentu, aut ne parva quædam Orientalium portio separari videatur, quæ tamen si Canonibus obsequi vellet, conjuncta maneret, universum terrarum orbem simul misceri patiatur*. Et suprà relatus Delmatius incluſus: *Sex milliane Episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?* Et in relat. per septem Episcopos missa: *Sancta proinde & Oecumenica Synodus, cujus consessui adest & Cælestinus, & universa Occidentalis Synodus, totaque Africa & Illyricum, &c.*

XLIV. Oecumenicam ergo Synodum Ephesinam Chalcedonensis Synodus, & ipsa pòst antiquitas, non fecit, sed agnovit. Cum Joanne autem & Orientalibus frustra obnitentibus, dispensatum est, ut ne vi adhibita, in præceps forsan agerentur, sed pellicerentur indulgentia. Elucet hinc primò ne tantam quidem, quanta Antiochena seu Orientalis erat Diœcesis, Ecclesiæ Catholicæ portionem, & Episcoporum triginta, immò quadraginta & ampliùs multitudinem, dissensione sua Oecumenicum pondus & nomen Ephesinæ Synodo detrahere potuisse. Ut ubi in Ecclesia agitatur & definitur aliquid novæ quæstionis, contemnatur semper paucitas dissonantium, sola superet numerositas Episcoporum, & authoritas sedium, & consensus orbis terrarum. Elucet secundò tunc saltem locum esse utili & necessariæ dispensationi, cùm portio Ecclesiæ & turba Episcoporum, quæ violento impetu ad obsequium Synodi non flecteretur, sed resiliret, exiliretque forsan è claustris Ecclesiæ; mora temporis mansuescere finitur, & remissione veniaque juris plurima mitigatur. Quòd ergo Orientales in Cyrilli anathematismos & in Synodum Ephesinam moliti sunt, non jura, sed facta sunt; nec in exemplum trahenda, sed damnanda prorsus: etsi tunc ex indulgentia ea dissimulari ab Ecclesia Catholica necessum fuerit. Nemo ergo Joannis, nemo Orientalium abutatur exemplo. Nam quod remisso tunc jure toleratum est, id aliàs forsan ex juris rigore percelleretur. Dispensationis quippè non necessitas, sed potestas & arbitrium penes Ecclesiam est: aut non alia saltem, quàm ex sua ipsius charitate profecta necessitas.

XLV. Atque ut ista erga Joannem Cyrilli & Ecclesiæ dispensatio penitiùs pateſcat, audiatur primò de his Liberatus breviarii *cap.* 8. *Videns Imperator Cyrilli & Joannis permansisse discordiam, Maximianum & alios Constantinopoli repertos Episcopos vocans, quomodo tolleretur Ecclesiarum dissensio, cogitabat. At illi dixerunt quia non aliter hoc fieri posset, nisi prius iretur, & præferretur unius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Nestorium & improbata dogmata ejus. Et gavisо valdè super hoc Imperatore, missus est hoc ipsum agere Aristolaus Tribunus, sacram Principis deferens Joanni & Cyrillo, in qua comminatus est utrisque Nicomediam exilium, nisi pacem haberent ad invicem. Scripserunt autem & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum non aliter fieri conveniret, nisi omnia quæ ab eo in causa scripta sunt, epistolis & tomis & libris evacuarentur. Cyrillo verò hoc facere, importabile visum est. Verum Joannes Antiochenus Cyrillo mandavit, Propter illa ipsius capitula fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit, communicabo ei:*

ri? alioqui pacificus cum eo esse non potero. Et congregans iterum Joannes Antiochiam Concilium, dictavit fidem, ita se habentem, &c. Quam tradidit Paulo Episcopo Emeseno, & direxit Alexandriam Cyrillo. Cyrillus sine difficultate, vel contentione, ut à multis putabatur, memoratam fidem Orientalium suscepit Episcoporum, &c. Post hæc Cyrillus satisfaciens aliquorum rumoribus, qui de illo habiti sunt, quoniam non assereret, de cœlo corpus Christum sumpsisse, neque fermentationem, aut commixtionem senserit naturarum ejus, scripsit & subscripsit prafatam fidem, & Orientalibus direxit Episcopis. Tunc Orientales pacem fecerunt cum Cyrillo & Concilio ejus, *damnantes Nestorium, & suscipientes Maximianum, qui pro illo factus fuerat Episcopus. Dubitantibus adhuc ex eis aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum errasse, & postea veritatem agnovisse, & culpantes Joannem, Cur ab eo non expetierit capitulorum ejus damnationem? Ex altera autem parte quidam de palatio culpaverunt Cyrillum, cur suscepit ab Orientalibus Episcopis duarum confessionem naturarum, quod Nestorius dixit & docuit. Scripsit ergo Cyrillus in defensionem Orientalium pro duabus Christi naturis.* Et *cap.* 9. cùm Theodoretus adversùs 12. capitula Cyrilli scripsisset, *Cyrillus fecit interpretationem capitulorum suorum, duodecim addens expositiones, quo videretur plenam pro eis reddere rationem. Itaque Cyrillo suscipiente & defendente fidem Orientalium Episcoporum, & sua capitula exponente, pax & unitas Ecclesiis reddita est.* Vides quàm multa contumeliosè adversùs Cyrillum, immò adversùs Synodum Oecumenicam Ephesinam machinatus sit cum Orientalibus Episcopis Joannes. Nempe quòd Nestorium anathematizare contaretur, quòd anathematismos Cyrilli ab Ephesina Synodo cum epistola ejus probatos reprobaret, & recantari juberet; quòd non Cyrilli qui Synodo præfuerat, fidem ipse subscriberet, sed suam qui adversatus fuerat Synodo, à Cyrillo subscribi extorqueret; quòd Cyrillum sua capitula retractare compulerit, & retractationes non aliter quàm ejurationes interpretatus sit. Et assensus his tamen omnibus est Cyrillus, his acquievit Ecclesia, pacis compensatione inenarrabilis cujusdam dispensationis documentum edens.

XLVI. Nec pigebit pauca ex epistolis tunc ultro citroque scriptitatis delibare, in hujus ipsius rei uberiorem elucidationem. Joannes Antiochenus ad Sixtum Papam Cælestini successorem inter alia id quoque scribit; memorato ut se absente Ephesi damnatus sit Nestorius, *Cum ergo ea de causa, non parva inter nos & Synodum controversia intercessisset, multaque utrimque & facta & dicta essent, ad nostras tandem Ecclesias & civitates reversi sumus, neque quod ad Nestorii depositionem attinebat, Synodi sententia per id tempus subscripsimus.* Ait mox missum ab Imperatore Atticolaum Tribunum, *ut omnis contentio faceret, sanctaque sanctarum Dei Ecclesiarum pax ubique vigeret. Placuit & nobis quoque in sacra Synodi sententia, qua Nestorium deposuit, acquiescere, ipsamque pro deposito habere, ac blasphemam illius doctrinam anathematizare: eò quod & nostræ quoque Ecclesiæ, perinde ac vestra sanctitas, rectam semper inculpatamque fidem tenuerunt, eandemque populo assiduè commendarunt. Assentimur & Maximiani ordinationi, &c. Denique cum omnibus terrarum orbis Episcopis, si modò rectam sinceramque fidem habuerint, eandemque servaverint, communicamus.* Vide ut factum à fide, & personam à jure secernat; fidem se mordicus semper illibatam tenuisse, Nestorii depositioni se non consensisse etiam post Synodum fateatur; sed adigatur tandem imperatoria saltem potestate, & communionis cum totius orbis Episcopis inundæ necessitate, in facti quoque quæstiones Synodo assentiri. Sed interim tamen dum in facto dissideret, vacillare quoque in fide, utpote tam contumax Synodi Oecumenicæ adversarius existimabatur. Ideò Cyrillus *epist.* 38. *Antiochiam Atticolaus venit, afferens secum regias literas, quere-*
ligiosissimo Antiochena Ecclesia Episcopo mandarunt, ut scelesta Nestorii dogmata anathematizaret, & depositionem ejus pro conformitate Sanctæ Synodi decerneret, & ita communionem à nobis quareret. Cæterùm quidam ex Orientalibus Episcopis qui fortè Nestorium nondum condemnarunt, & illis patrocinantur qui rectam nostram fidem sollicitant, &c. Et infrà: *Cum ergo Joannes subscripsisset, & qui cum eo erant, Nestorii dogmata manifestiùs anathematizassent, confessique essent, illum se pro deposito habere, communionem illis reddidimus. Hæ namque illis & Ephesi à Sancta Synodo proponebantur.* Et Imperator ergo & Cyrillus, adeoque & alii assertores Synodi, Joannem & Orientales non in facto tantùm, sed & in fide claudicare suspicabantur, & utrique Synodi definitioni subscribere compellebant.

XLVII. Sed luculentissimè Sixtus Papa ad Cyrillum scribens, & Joannis Orientaliumque vacillationem, & Ecclesiæ dispensationem in iis recolligendis prosequitur. *Non se exuli vestro Nestorio sanctus frater noster Joannes addiderat. Non ejus est blasphema prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit,* &c. *Nunquam se à nostro numero separasset, in quem potuit & reverti. Exulta, frater charissime, & ad nos recollectis fratribus victor exulta. Quærebat Ecclesia, quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quantò magis gaudendum nobis est de sanitate Rectorum? Legimus, una ovis quantum gaudii reportata præstiterit. Et idcircò intelligendum est quid laudis habeat, tantos revocasse pastores. Greges aspiciuntur in singulis: nec unius hìc causa tractatur, quoties agitur de sanitate multorum. Sustinuimus fratres, certi eos non spinas, sed uvas esse facturos,* &c. *De reversis ad nos fratribus convenit dicere, quia non potuit à Diabolo eradicari plantatio quam plantaverat Pater,* &c. *Meritò Joannes Dominus à te vocatur, qui communem Dominum recognovit, qui incarnationis ejus Mysterium voce catholica nobiscum confitetur. Conc. Ephes. part.* 3. Ergo Joannes consensionem Synodo accommodandam, *suspenderat etsi non negarat*: sed suspendisse, non negasse, *exitus docuit*: antè enim & negare putabatur. A numero Episcoporum ille non se separavit, sed tamen *reversus est*: non aberravit, sed *recollectus est*. Non usquequaque perierat, sed illum tamen *Ecclesia recepit*. Ita ab Ecclesia Catholica non defecerat, ut tamen *revocatus sit*. A fratribus ita discesserat, ut ad eos *reversus sit*. Ita non negaverat Christum, ut tamen illum *recognoverit*, & incarnationis mysterium *voce catholica* confessus sit. Joannis autem ita *sustinendi*, & postquam resipuit, ejus insaniæ tam clementer & tam *œconomos* interpretandæ causa fuit, quia *tanti revocandi erant pastores*. Et: *Greges aspiciuntur in singulis: nec unius hìc causa tractatur, quoties agitur de sanitate Rectorum*. Et rursus idem Sixtus ad Joannem ipsum scribens, tanquam reduci gratulatur: *Non est certandi jam tempus, hoste prostrato transeundum nobis est ab his, quæ bella moverunt. Importunum est victoriæ tempore de præliis disputare,* &c. *Hæc sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ scribis. Expertus es negotii præsentis eventu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit,* &c. *Ergo quia una fides est, quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.* Præsenti Joannis confessioni pristinas ejus intemperias donat, dum ne simulata sit hæc ejus conciliatio.

XLVIII. Sed hujus concordiæ & temperatæ à Cyrillo dispensationis admirator præcipuus, Facundus Hermianensis *lib.* 6. *cap.* 5. ita disserit: *Unde nec aliud credidit Chalcedonensis Synodus, nec credere debuit, nisi quia Patres Orientales, inter quos*

fuit

fuit etiam ipse Ibas, aliarumque provinciarum Episcopi, intentionem capitulorum B. Cyrilli minùs animadverterant, ut ea etiam à Concilio Ephesino susceptа culparent. Sicut aliquando in divina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamvis tres personas acceperint: nec ideo sunt à viris sapientibus hæretici judicati, quoniam comperti sunt, non in re, quæ illo nomine significabatur; sed potiùs in ipso nomine, quo significabatur, offendi. Et paulò post: *Hinc autem creditus est idem B. Cyrillus non rectam priùs in suis capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium postea esse correptus: quoniam cum ipsa unitas Ecclesiarum fieret, non Orientales Patres ejus capitulis subscribere compulsi sunt; sed ipse potius expetitus est, directa sibi ab eis confessioni subscribere, &c. Hinc ergo contigit ut conversione B. Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera, cui non surriperet ista suspicio, (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus:) cum nihil Orientales Patres, qui hæc capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur: Beatus autem Cyrillus non solum fidei confessioni, quam sicut necessarium crediderunt, illi dictaverant, expetitus antè subscriberet: sed etiam ipsa sua capitula retractaret?* Et *lib. eodem cap.* 4. Hoc quoque Cyrillo laudi vertit, quòd qua pacis cupiditate æstuabat, sua exponere & approbare Orientalibus capitula initio minùs curarit; *Sanè quoniam Cyrillus Orientalium legatione susceptа, magis quod à consacerdotibus suis expectabatur, festinavit implere, quàm dictorum suorum in quibus offensi fuerant, sufficientem purgationem facere: ideò putatus est, veluti pristino errore damnato Orientalium admonitione conversus. Cum ille recuperandæ unitatis cupidus, in defensione dictorum suorum noluerit immorari; ne cum probare diù contendit, quod non ut putabatur, ab eo fuerint dicta, de quibus minùs intelligentes, aliter sentiebant, controversiæ hac dissentione terminus non daretur.* Ita ille Cyrilli dispensationem extollit, simul quantum potest, Orientalium culpam elevans, ut non postremis ex eorum grege, Theodoreto & Ibæ adversùs Justiniani & Quintæ Synodi minas patrocinetur. Et idem tamen inferiùs *cap.* 5. *lib.* 6. Orientalium Episcoporum, velut luminarium hos esse confiretur defectus, ejus simillimos, quo Ægyptii ante Episcopi in proscribendo Chrysostomo caligaverunt. *Habeatur itaque velut eclipsis quædam luminarium, Theophili, & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Joanne Constantinopolitano locuti sunt. Habeatur etiam altera eclipsis, velut luminarium Orientalium, sive aliorum Patrum, qui cum eis ex diversis provinciis convenerant, quòd intelligentiæ defectu paululùm obscurati, aliter quàm res habuit de luminari Cyrillo æstimaverunt.*

XLIX. Sed ista tamen ad propositum sibi scopum paulisper inclinavit Facundus, utque Cyrilli clementiam & dispensationem sui ævi hominibus persuaderet, prudentiam ejus penè obliteravit. Rem gestam ergo ipsius ex Cyrilli calamo ediscamus. Ita ille *epist.* 38. ait missas per Aristolaum Joanni regias literas, *ut scelesta Nestorii dogmata anathematizaret, depositionem Nestorii pro conformitate sanctæ Synodi decerneret, & ita communionem à nobis quæreret.* Tum Orientales per Acacium Beroeæ Episcopum ad Cyrillum scripsisse & petisse, *ut quæ contra Nestorium à nobis sunt scripta, deleantur: & tanquam irrita abjiciantur omnia, & paciscamur in solo fidei Symbolo à Sanctis Patribus Nicææ determinata. Novit autem sanctitas tua, quod tales olim in Ephesina Synodo positiones ipsorum fuerint. Ego verò ad ista rescripsi petere eos impossibilia, eò quòd quæ scripsimus, rectè scripserimus, &c. Oportere eos secundum id, quod Imperatori & Synodo rectum videtur, Nestorii blasphemias anathematizare, & ordinationi Maximiani consentire. Cum ista literas misissem, & considerarent fieri non posse, ut communionem reciperent, nisi ad finem perductis, quæ ipsis facienda erant: miserunt Alexandriam Paulum Emesenum Episcopum, afferentem quidem ad me communionem concernentia, verùm talia, quæ non admodum decentia quædam narrarent. Nam & querimonias habere se simulabant, tamquam in sancta Synodo quædam non sint rectè dicta & facta. Et hujusmodi quidem epistolas non accepi, & respondi, Quomodo qui præteritorum gestorum gratia veniam petere debeant, jam denuò injuriam nobis inferunt?* Cùm hæc excusaret Paulus, non ad communionem tamen admissus est, *nisi ubi scripto Nestorii dogmata anathematizavit, illum pro depositо habuit, & Maximiani ordinationi consensit.* Cùmque peteret Paulus, ut Orientalium Episcoporum nomine hæc scripsisse putaretur, nec ab illis quidquam amplius exigeretur: *nequaquam acquievi, sed Tribuno chartam exhibui, significans ei, si Joannes illi subscripserit, tum demum communionem illis esse reddendam. Cunctationem autem eorum Aristolaus Tribunus molestè tulit. Cum itaque pientissimus Episcopus Joannes subscripsisset; & qui cum eo erant, Nestorii dogmata manifestius anathematizassent, confessique essent, illum se pro depositо habere, & ordinationi Maximiani consensissent, communionem illis reddidimus. Hæc namque illis & Ephesi à sanctа Synodo proponebantur.* Causæ suæ ingenio obsecundans Facundus, hanc ingentem Cyrilli sapientiam constantiamque penè dissimulaverat, ut uni clementiæ velificaretur. Hallucinantur ergo vehementer, qui Joannis exemplo sibi blandiuntur, ut Catholicorum inter se hominum civiles disceptationes esse persuadeant, quas alii ad fidem attingere arbitrantur. Apertè enim Joannes & Orientales Episcopi Synodo Ephesinæ adversabantur, consecratos ejus authoritate Cyrilli anathematismos imperebant; Nestorio favebant, dogmati ipsi ejus consentire non immeritò suspecti erant, tergiversationibus tam tædiosis has alebant adversùm se suspiciones, ad communionem denique admissi non sunt, nisi anathema indixissent dogmati Nestoriano, & Synodo tam quoad facti quàm quoad fidei definitionem subscripsissent. Rursus Cyrillus epist. ad Acacium eadem ferè omnia prosequitur, & inter cætera: *Quia sanctissimi Orientales Episcopi à nobis dissidebant ob Ephesinam Synodum, eaque de causa quasi blasphemiarum Nestorii laqueis irretiti essent, suspecti erant; ut eo se crimine liberarent, inculpatæque fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac Nestoriana impietatis expertes se esse ostenderent, apologiam composuerunt.* Dispensationi denique totum hoc assignat Cyrillus epist. ad Maximum & Gennadium: *Quod si jam videas eos in rectа fide, malorum te oportet præteritorum oblivionem inducere. Malumus enim eos videre negantes, quàm inverecundo animo laudantes Nestorii improbitatem. Igitur ne contentiones dicamur amare, religiosissimi Episcopi Joannis familiaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes & Ecclesiastica Oecumenicæ causæ. Ne simus tam exacti exploratores in eos qui ad mentem rediere.*

L. Conciliatricula autem pacis fuit illa confessionis formula, quam postremò Joannes septis tergiversationibus à Cyrillo conclusus scripsit, pòst Cyrillus subscripsit. Suppalpabatur enim sibi suisque Joannes, quòd formulam fidei prior scriberet, & quasi præscriberet Cyrillo, cui post Cyrillus subscriberet, quasi palinodiam canens. Æquius autem Cyrillus videbatur sibi legem dixisse Joanni, & imperasse, atque expugnasse, ut libellum fidei & quasi emendationis sibi porrigeret; & quod hactenus recusaverat, Ephesinæ Synodi utrique definitioni, ad dogma & ad personam Nestorii pertinenti assentiretur. Itaque diversis utrimque rumoribus in vulgus sparsis, victoriam unaquæque pars suam venditabat: & post fidei pacata prælia, adhuc de gloria certabatur. Sed palmam Cyrillo jam tum causa fidei, & Synodi defensio, & Imperatoris suffragium, & Sixti Papæ conspiratio, & orbis Catholici

tholici consensus largiebatur, posteritas confirmavit. Orientalibus multa ob unitatis compensationem condonati oportuit, & illud quoque postremò non silendum, quòd in fidei dogmate profitendo non climatam usquequaque verborum formam sectari jussi sunt, unde & iniquiores postea in Cyrillum suspiciones excitatæ ab iis sunt, qui non satis pensitabant, quid stricto jure agendum, quid studio colligendæ fraternitatis dispensandum sit. Inde Cyrillus epist. ad Acacium, *Etiamsi dictionum structura sententiarumque enunciatio ejusmodi sit, ut à subtiliore illa diligentia nonnihil recedere quibusdam videri queat, non est valdè mirum. Etenim non parum difficile est, hæc aptè explicare. Conc. Ephes. part.3. cap.35.*

LI. Quoniam autem Joanni Antiocheno patrocinari plus æquo quidam affectarunt: aures rursum converte ad ea quæ Cælestinus intonat in epist. ad Synod. Ephes. *Antiochenum verò si habet spem correctionis, epistolis à vestra fraternitate volumus conveniri, ut nisi quæ sentimus, senserit, novellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans; intelligat de se quoque Ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare.* Et Cyrillus Monachus in vita S. Euthymii Abbatis *cap.39. Cum didicisset Euthymius quæ facta fuerant ab Episcopis Orientis; & quod Joannes qui præerat Antiochiæ, cum esset orthodoxus, inductus esset, ut eadem sentiret quæ Nestorius: fuit gravi tristitia cor ejus sauciatum. Eodem modo affectus fuit etiam Domnus illius consobrinus. Rogavit itaque Euthymium, ut ei permitteret abire Antiochiam, ut avunculum suum, qui supplantatus fuerat, restitueret, & jam veluti jacentem erigeret. Ille autem, Nequaquam, inquit, ô fili. Sed etsi paululùm à recta fide declinavit; Deus tamen, qui novit cor illius rectè se habere, ipse ipsum convertet, & reducet ad id, quod bene erit.* Quæ Euthymii quasi cœlitùs afflata sententia ipsissimæ rerum veritati adprimè præ cæteris concinit. Titubavit enim revera Joannes cum suis Orientalibus quasi fallente vestigio, etsi non penitùs corruit: *declinavit paululùm à recta fide*, etsi non prorsus defecit. Itaque non immeritò alii diu lapsantem dolore & lacrymis; alii non lapsum, gaudio & plausu prosecuti sunt. Leontius *lib. de sect. act.4.* Joanni & Theodoreto apertè gratulatur, quòd Nestorium *non admiserint*: quòd tandem aversati sint. At idem *act.6.* adversariorum Chalcedonensis Synodi hanc solvit objectionem, *Quòd homines sectarios receperit, Theodoretum & Ibam, &c. Nestorii dogmata probantes, &c. Nos verò Theodoreti dogma quod attinet, dicimus non priùs à Synodo receptum fuisse, quàm Nestorium & ejus sententiam anathemati subjecisset.* Idem de Iba mox respondet. Utriusque verò conscripta ideò non compulsos à Synodo esse damnare, quòd ad id eos non compulisset antè Cyrillus, à Theodori ipsius damnatione supersedendum ex venia ratus. Itaque etsi Nestoriani medullitus non essent Orientales, commiserant tamen vel grassando, vel scriptitando, ut esse viderentur: & jure meritòque viderentur, nempe Cyrillo, Cælestino, Sixto, Ephesinæ, Chalcedonensi, Quintæ Synodo. Nam ut authores idonei sunt Patres Quintæ Synodi, *collat.6.* in Concil. Chalcedonensi *omnes coegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia epistola, & insuper impia ejus dogmata, &c. Ibam susceperunt, cum pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, &c.* Et *collat.8. Invenimus quod Patres Chalcedonenses non aliter passi sunt prædictum Ibam suscipere, priusquam exegissent eum, Nestorium & impia ejus dogmata, quæ in epistola vendicantur, anathematizare.* Et similiter Theodoreto, *collat.5. Ex his quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias, priùs quidem multis sepiùs usa est contra eum exclamationibus. Postea verò non aliter eum suscepisset, nisi priùs anathematizasset Nestorium & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens.* Et Vigilius in Constituto, ait scripta Theodoreti in Cyrillum ab ipsomet *fuisse sine dubitatione damnata*, cùm in Synodo Chalcedonensi, Nestorio & ejus dogmati dixit anathema: & infrà: *Quæcumque scripta vel dogmata ejus, cujuslibet nomine prolata, sceleratorum Nestorii & Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus.* His tot Pontificibus, Synodisque causam Ecclesiæ & totam circumgestantibus majestatem, plusculum ut arbitror, fidei adjiciendum est, quàm vel Liberato, vel Facundo, ob pertinacem, cui se devoverant, trium capitulorum defensionem, ab Iba & Theodoreto, adeoque & ab Orientalibus omnibus, eorumque antesignano Joanne, hæreseos propugnatæ dedecus amoliri certantibus. Denique totam & Cyrilli, & Romanorum Præsulum, & Chalcedonensis Synodi humanitatem in Joannem, Theodoretum, Ibam aliosque Orientales, veniæ & dispensationi accepto ferendam suprà ostensum: ut hinc quidem consimilis clementiæ erga eorum similes quoslibet exemplum pro arbitrio suo trahat Ecclesia, non ullam autem impingi sibi patiatur necessitatem. Ea est enim dispensationis conditio. Ei qui dispensat, laudem, non necessitatem invehit. Ejus quicum dispensatur, felicitatem magis prodit, quàm innocentiam. Et ex Joannis seu morositate seu contumacia non sum nescius emolumenti aliquid & elucidamenti accessisse dogmati catholico: sed ita forsan ut ex Thomæ hæsitatione. De eo enim sapienter Gregorius *homil.26. in Evang. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit. Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur.* Quibus mirificè consonant hæc Facundi *lib.1. cap.5. Cum sanctus Joannes Antiochenus & cæteri Orientales, licèt probabili zelo fidei, tamen improbè judicarent hæreticum: omnipotens Deus, cujus sapiens & mirabilis bonitas, humanæ ignorantiæ malum potest in usum doctrinæ convertere: talem dedit exitum causæ, ut illa Orientalium, aliarumque provinciarum Antistitum falsa de B. Cyrillo suspicio nihil nobis relinqueret suspicandum.* Itaque *improbè* faciebant Orientales; sed illud, ut & mala quælibet alia bene vertit Deus. Alioquì insanum est, Oecumenicæ Synodo à Cælestino & rursum à Sixto Pontifice Romano confirmatæ reluctari Joannem: sed insanius penè est, ejus rei ergo commendari, aut exempla hinc aliqua posteritati sanciri. Quod postremò Orientales in gratiam cum Cyrillo & Ecclesia redeuntes, nec anathematismis Cyrilli subscribere, nec sua in eum scripta recantare adacti sunt: id quidem tum œconomiæ gratia indultum est tertiæ sedis Antistiti, Orientalibus seu diœceseos Orientalis Episcopis, & ut suprà atque alibi sæpè ait Facundus, *aliarum provinciarum* Antistitibus. Quid enim non horum dignitas & numerus dispensari extunderet? Testes dispensationis hujus locupletissimos suprà protulimus. Sed etsi cessare videatur aliquando, vigilat tamen æquitas; etenim, dilapso œconomiæ tempore, ut ajunt Patres Quintæ Synodi, fulminantur Orientalium scriptiunculæ in Cyrillum, anathematismi Cyrilli in adyta ipsa fidei recipiuntur: & privata licentia in angulis ad libitum suum garrientes, æternum in monumentis Ecclesiasticis adversùs Theodoreti & Ibæ scriptiones anathema personat: æternum, non quidem Joanni, sed prioribus illis Joannis & Theodoreti, & aliorum Orientalium machinationibus dedecus imprimitur.

LII. Atque ut testis est Cyrillus (*Cyrill. epist. ad Acacium*,) vanis tunc rumoribus confictum jactatumque est ab occultis Nestorii fautoribus, ejus depositionem à Sixto Papa improbatam: conscriptamque à Cyrillo ipso epistolam, qua Ephesinæ Synodi pudebat ipsum pœnitebatque. Denique ut ait Liberatus *brev. cap.10. Nestorii sectatores videntes, libros ejus blasphemos non posse proferri in publicum,*

blicum, eò quòd Synodo Ephesina anathematizante fuerant condemnati, & imperiali lege: tunc cœperunt Diodori Tarsensis & Theodori Mopsuesteni Episcopi, qui contra Eunomium & Apollinarium unius naturæ assertores, libros composuerant, duas in Christo ostendentes naturas in una persona, circumferre volumina; & simplicissimos quosque recipere cupientes, ajebant, non sapuisse nova Nestorium, sed antiquorum Patrum prosecutum fuisse doctrinam. Verùm præter animi sui sententiam res cecidit. Non enim horum obtentu sese laqueis exuerunt anathematis, sed hos hactenus latitantes induerunt. Quo constet damnatos semel non errores tantùm, sed authores librosque, anteriorum aliquot sibi consentaneorum & tamen indemnatorum patrocinio non expediri ab anathematis vinculo, sed magis magisque cum suis ipsis patronis implicari. Theodoro enim Mopsuesteno veniam hactenus Ecclesia fecerat, ne cum Nestorio damnaretur; ubi ea dispensatio officere pòst visa est, illi ipsi anathema illisum. Cessante enim utilitate vel necessitate, revocatur dispensatio. Monuerat jam Cyrillus epist. ad Joannem: *Infames opiniones Diodori ac Theodori & aliorum quorundam, quos non laudare satius erat, ne quid gravius dicam, propterea quod plenis quodammodo velis adversus Christi gloriam feruntur, nemo Sanctis Patribus nostris Athanasio, Basilio, Gregorio, Theophilo & reliquis tribuat, ne res ista scandali fiat occasio, &c. Conc. Ephes. part. 3. cap. 44.* Si quæris autem, quinam illi essent Theodori nomine Nestorium præexentes, declarat Cyrillus epist. ad Acacium: *Scripserunt ad me Orientales, quòd non oportet, quæ Theodori sunt, accusari: ne sicut dicunt & B. Athanasii, & Theophili, & Gregorii & Basilii dicta accusentur. Quæ enim locutus est Theodorus, eadem & illi.* Et idem epist. ad Proclum, Ecclesiæ tum necessariam declarat dispensationem in Theodori damnando errore, non nomine: *Sciat sanctitas tua, quòd prolata apud Synodum expositione ab eo composita, sicut dicebant qui protulerunt, nihil sanum habente: reprobavit quidem eam sancta Synodus, utpote perversis intellectibus plenam, & Nestorianam impietatem quasi effluentem. His verò condemnatis qui sic sapiunt, nullam viri memoriam fecit dispensative: nec ipsum nominatim anathemati subjecit, propter dispensationem; ne quidam ad existimationem viri respicientes, seipsos ab Ecclesiis separarent. Dispensatio verò in his optima res est, & sapiens.* At ubi hanc non dispensationem, sed rei æquitatem interpretari perstiterunt vitilitigatores, id consecuti sunt videlicet, ut noxia jam dispensatio revocaretur, & damnaretur in Quinta Synodo Theodorus; quode alibi. Ita enim usu venit, ut amicos vel errores, vel homines pertinaciùs defensitando, pluribus illos anathematum jaculis configendos objectemus.

DISSERTATIO XI.

IN CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM SUB FLAVIANO, ET CONCILIUM EPHESINUM II.

SYNOPSIS.

Ab Eutychete primùm, post à Flaviano provocatum esse ad Concilium Oecumenicum, i. ad Leonem Papam: unam esse Pontificis, & Concilii authoritatem: ad utrumque indifferenter provocari: penes Pontificem esse arbitrium, jusque, ut ex re visum fuerit, Concilium tunc colligere, vel sine Concilio rem profligare. Si Imperator tunc præter Pontificis consilium Synodos colligeret, vel colligi vetaret; exitialia ea erant plerumque facta, nedum jura; nedum idonea sanciendæ disciplinæ exempla. Theodoretus similiter à Leone Papa restitutus fuisse ostenditur.

I. HÆc duo copulari à nobis Concilia mirari desines, ubi rescieris, unam hic illam pertractatum iri quæstionem, de appellatione primùm Eutychetis, deinde Flaviani ad Concilium, & ad Pontificem Romanum. Una enim, ut vides, utrobique causa vertitur, unus nobis scopus ob oculos positus est, ut has promiscuè & ad Concilium Oecumenicum, & ad Pontificem Romanum appellationes interpositas esse demonstremus; nec Concilii rationes à Pontifice, nec Pontificis majestatem à Concilio dispescere aut sequestrare tunc cuiquam in mentem venisse: sed Concilium Pontifici, Pontificem Concilio inesse, ut gregem pastori, pastorem gregi, capiti membra, membris caput, persuasissimum & ex fidei præjudiciis, quasi anticipatum omnibus fuisse.

II. Commodemus ergo primùm aures animosque nostros Leoni, qui *epist. 7.* ad Theodosium Augustum de Eutychetis appellatione sic differit: *Quid Flavianum potueris commovere, ut Eutychem Presbyterum communione privaret, nondum potuimus evidenter cognoscere. Quamvis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit; breviter tamen aliqua prælibavit, asserens se Nicenæ Synodi constituta servantem, frustra in fidei diversitate culpatum. Eusebii autem Episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad nos prædictus Presbyter misit de objectionis evidentia nihil habebat, &c. Prius de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, ut possit de bene cognitis, congruè judicari. Ad prædictum autem Episcopum dedi literas, quibus mihi displicere cognosceret, quòd ea quæ in tanta causa gesta fuerant, etiamnunc silentio reticeret: cum studere debuerit primitus nobis cuncta referare. Quem credimus vel post admonitionem, omnia ad nostram notitiam relaturum; ut in lucem ductis, his quæ adhuc videntur occulta; id quod Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ convenit, judicetur.* Quid his evidentius? Appellationis libellos dedit & misit Eutyches ad Leonem, pariterque libellum accusationis, quo illum Eusebius pulsaverat. Leo fidenter ad Imperatorem & ad Flavianum scribit, se de omnibus instrui, ad suam notitiam omnia perferri, sibi primitus cuncta referari oportere, ut possit de bene cognitis congruè judicari: quia nempe tanta causa & *fidei ratio* controvertebatur. Et idem Leo *epist. 8.* ad Flavianum ipsum: *Adeò ut in ipso judicio Eutyches libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, &c. Facti tui nosse volumus rationem, & usque ad nostram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos qui Sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.* Et appellatum esse, & à se decretoria sententia rem definiendam esse profitetur.

III. Nec minùs liquidò idem ex epistolis Flaviani ad Leonem clarescet. Ita enim ille priùs ad Leonem scripsit: *Olim quidquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus & Presbyterio illum esse nudatum, &c. ut sanctitas vestra cognoscens hoc, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem; ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.* Gesta ergo sua & judicia ad Leonem miserat Flavianus, etsi nondum Leoni reddita fuerant. Et planissimum hic est, ut rejiceretur aliquorum communio in Occidente, necessum fuisse, ut eorum facta in Oriente excommunicatio ad Pontificem

cem Romanum referretur, ab eoque comprobata vel refutata valeret, aut evaneſceret. At rurſus Flavianus acceptis Leonis epiſtolis ita reſcribit: *Litera nobis date ſunt veſtræ ſanctitatis, per quas edocti ſumus, quia idem Eutyches libellos direxit vobis, plenos omni fallacia atque calliditate, dicens judicii tempore libellos ſe dediſſe appellationis, & nobis & hìc convenienti ſancto Concilio, & appellaſſe veſtram ſanctitatem. Quod nequaquam ab eo factum eſt, Sed etiam & in hac parte mentitus eſt, tanquam per fallaciam mendacii ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans.* Negat Flavianus appellaſſe Eutychetem, non negat appellare potuiſſe. Quin ex adverſo ſatis innuit, in culpa ſe futurum, ſi poſt appellationem damnatus fuiſſet Eutyches. Denique appellationis clypeo non malè defendi Eutychetem, ſi non mendaciter conficta, ſed verè interpoſita fuiſſet. Denique quantum momenti eſſet in ſummi Pontificis judicio ad confirmandam, vel infirmandam Flaviani ſententiam, ipſemet mox teſtatum facit: *Propriam faciens communem cauſam & Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem adversùs eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare: confortare autem & piiſſimi Imperatoris fidem. Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruerentur, Deo cooperante per veſtras ſacratiſſimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.* Suæ Synodi ſententiæque confirmationem Flavianus, & Imperatoris fidem, hæreſeos profligationem, pacem turbatæ Eccleſiæ, Concilii prorogationem, à ſolius Leonis conſenſu, literiſque ſuſpendit.

IV. Abſtineri ab indicenda Oecumenica Synodo debere cenſuit non tantùm Flavianus, ſed Leo ipſe. Unde *epiſt.* 17. ad Theodoſium Aug. *Præſertim cum tam evidens fidei cauſa ſit, ut rationabilibus de cauſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinendum: tamen ut clementiæ veſtræ ſtatutis aliquatenus pareatur, &c.* Et *epiſt.* 12. ad eundem: *Licèt Eutyches, quantum geſtorum Epiſcopalium ordo patefecit, imperitè atque imprudenter erraſſe detectus ſit, debueritque à ſua meritò reprobabili perſuaſione diſcedere: quoniam tamen pietas veſtra apud Epheſum conſtituit ſynodale Concilium, &c.* Itaque ut Flavianus flagitaverat, Leo geſta Conſtantinopolitanæ Synodi adversùs Eutychetem ubi perlegit, ita ea confirmavit, ut Synodo ſuperſedendum duceret. Quin & Eutyches ipſe in id conſenſiſſe videbatur, ut idoneus fidejuſſor eſt idem Leo *epiſt.* 12. *Cum in libello ſuo quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſervaverit, ut correcturum ſe eſſe promitteret, quidquid noſtra ſententia de his, quæ malè ſenſerat, improbaſſet.* Ad Leonem ergo ita provocarat Eutyches, ut correcturum ſe promitteret, quidquid ejus ſententia foret improbatum, nulla Concilii facta mentione: quòd canonicè in arbitrio eſſet provocati Pontificis, vel convocare Synodum, vel eo ſuperſedere, prout rei ambiguitas aut perſpicuitas ſuaderet. Sed cùm conqueſtus eſſet de Flaviani ſententia etiam ad Imperatorem Eutyches, ultro proſilijt ad convocationem Concilii Imperator.

V. Nec abnuerim tamen optatiſſimam, immò & imploratam, appellatamque Eutycheti Synodum. Ita enim ipſe in libello Confeſſionis ſuæ, qui Epheſi lectus, Chalcedone *act.* 1. relectus eſt: *Rogabam innoteſcere ſancto veſtro Concilio, ut his quæ à vobis approbarentur, acquieſcerem, præparatus in his manere. Et hæc dicenti ſubitò contra me damnatio legebatur, &c. Nullum verbum faciente de appellatione mea ad veſtram ſanctitatem Reverendiſſimo Epiſcopo Flaviano, &c. Sicut poteſtatem habens, omnia de fide ſolus agere, & nihil veſtræ ſanctitati de talis æquitate judicii reſervare, &c. In diverſis Oratoriis fecit poſt appellationem in me prolatam legi ſententiam, &c.* Et in Actione Conſtantinopolitana, poſt Concilium Conſtantinopolitanum facta, relecta autem Chalced. *act.* 1. *Conſtantius Diaconus dixit: Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit Sanctum Concilium ſanctiſſimi Epiſcopi Romani, & Alexandrini, & Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis: & hæc in geſtis non ſunt inſerta. Magnificus Patritius dixit: Turba facta & diſſoluto conventu dixit ad me ſilenter appellans Romanum, & Ægyptium, & Hieroſolymitanum Concilium, &c. Baſilius Epiſcopus dixit: Jam in veritate dico, adhuc ipſo conventu ſedente, & proponente hac Sancta Synodo, ut diceret duas naturas inſeparabiles & inconfuſas in uno Domino, idque poſt adunationem: ſcio quia dixit religioſiſſimus archimandrita Eutyches, ſi præceperint mihi Patres Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipſum. Hoc autem non quaſi appellans dixit: ſed dicens, non ſum auſus dicere, propter Patres.* Denique in libello rurſus ſuo Eutyches in Epheſina pſeudoſynodo præproperè ſe à Flaviano conqueritur damnatum, *cum magis oportuerit ante omnia Pontificibus ſcribere, quos & appellaveram.*

VI. Ex his omnibus patet altercatum fuiſſe, an appellaſſet Eutyches: appellare autem illum potuiſſe, & cauſam, ſi appellaſſet, reſervandam fuiſſe judicio ad quod provocaſſet, id verò à nemine tunc, & ne à Flaviano quidem ipſo in controverſiam vocatum fuiſſe. Patet 2. Catholicæ conſuetudinis fuiſſe, ſimul ad Romanum præſulem, Concilii univerſalis præſidem, ſimul ad Concilium univerſale provocare. Etſi enim Concilio Oecumenico à Chriſto deſponſa adſit inerrantia, & divino jure fulta authoritas: à ſuo tamen capite ac præſide nuſquam divellitur. Nec Catholici uſquam ad acephalum Concilium provocarunt. Ideò jactabat ſe Eutyches ad Concilium Romani, & Alexan. & Hieroſol. & Theſſalonicenſis Epiſcopi provocaſſe. Patet 3. etſi Romano Præſuli alios quoque Euryches Epiſcopos conſocier, & ad omnes pariter provocet: longo tamen cæteros intervallo à Romano ſuperari. Nam Romanus cæteros ſemper antecedit. 2. Cùm quatuor primò appellaſſet nominatim, poſtea Theſſalonicenſem omiſit, rurſus Hieroſolymitanum: denique ſupra audivimus libellos appellationis dantem ad Leonem, & Leonem rei incumbentem, & acta ſynodalia ad ſe diſcutienda mitti poſtulantem & impetrantem. 3. Flavianus ipſe ſupra ſolo Leonis nutu & aſſenſu turbas illas omnes citra Concilium componi poſſe ſentiebat. 4. Imperator quoque Theodoſius ſummam rei totius à Leonis maximè authoritate pendere confitebatur. Unde Leo ad ipſum epiſt. *Quia cauſæ meritum, & fidei ratio, & laudabilis ſollicitudo veſtræ pietatis exegit, neceſſe eſt jam locum ſubreptionibus non patere, ſed prius de quibus eum æſtimat arguendum, inſtrui nos oportet, &c.* Et *epiſt.* 15. ad Synodum Epheſ. 2. *Religioſiſſima clementiſſimi Principis fides hanc reverentiam divinis detulit inſtitutis, ut ad ſancta diſpoſitionis effectum, authoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet: tanquam ab ipſo B. Petro cuperet declarari, &c.* 5. Non injuria ergo Leo totam ad ſe pertraxit cauſam ante Synodum ullam, Flaviani ſententiam firmavit, Eutychetem damnavit; ſi errorem recantaret, reſtituendum cenſuit; Synodo nihil opus eſſe declaravit: diſpenſativè tamen Principi Synodum convocanti aſſenſus eſt, non ut quaſi res dubia ventilaretur, ſed *ut pleniore judicio omnis poſſet error aboleri, &c. ut primitùs peſtifero errore damnato, etiam de ipſius qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur.* Horum nihil à Theſſalonicenſi, nihil ab Hieroſolymitano, nihil ante Synodum ab Alexandrino tentatum fuerat. Ergo non ex æquo ad hos provocarat Eutyches. 6. Eutyches ipſe, ut ſuprà ex Leonis epiſtola retuli, immò ut ex ipſis ejus verbis probavi, ſententiæ Leonis ſe profeſſus fuerat manus daturum. Et rurſus

Leo

Leo *epist.* 15. *Si sensus hæreticos damnaverit, quod etiam in libello quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram secuturum se esse sententiam.* Denique Chalcedonensis ipsa Synodus in relat. ad Leonem, uni illi damnati & exauthorati Eutychetis palmam principemque authoritatem adscribit, dum ita Dioscorum incusat: *Eutychetem pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuit; & dignitatem, quæ à vestra illi ablata sanctitate fuerat, restituit.* At extra Synodum Leo abstulerat Eutycheti dignitatem, & post Flaviani sententiam. Unde non Flaviani sententia in Eutychetem lata profertur, sed Leonis. Nimirum ut tantò invidia major Dioscoro confletur, qui non post Flavianum, sed post Leonem & contra judicare sit ausus.

VII. Ita & Cælestius ab Africanis Conciliis ad Sedem Apostolicam appellarat antè, & coram Zozimo Papa causam rursus dixerat, si qua fides Facundo Hermian. *c.* 3. *l.* 7. *Zozimus fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Chartaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat.* In Oriente & Occidente damnatis deliriis suis Pelagiani, *Apostolicam Sedem* appellarant. Et ibi rursum damnati, Synodum generalem ex Oriente & Occidente sui causa convocari gestiebant, ut supra ex Augustino didicimus: *quasi non discusso negotio audientiam postulabant*, ut ait Prosper adv. Collat. *cap.* 41. sed non impetrarunt. Coactæ aliis de causis Ephesinæ Synodo se intruserunt, sed à Nestorianis absoluti, ab orthodoxis Episcopis non rursum cognita causa, sed ex solo Pontificiæ sententiæ præjudicio condemnati sunt.

VIII. Conjuncta est Eutychetis causæ appellatio Flaviani ipsius in Ephesina Pseudosynodo ad Leonem Papam. Ex hac enim apertius etiam fiet, cùm ad Synodum Oecumenicam provocatur, nihil aliud quàm ad Papam provocari, in cujus potestate est, vel rem totam sine Synodo redintegrare, si qua possit fieri; vel ad eam redintegrandam, Synodum convocare. Prodeat primùm Leo *epist.* 24. & 25. ad Theodosium scripta de appellatione Flaviani: *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes supplicant sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, &c. Quàm autem post appellationem interpositam, hoc necessariò postuletur, Canonum Nicæa habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt sacerdotibus constituta.* A Flaviano legatis suis datos appellationis libellos testatur, ideò Synodum congregari postulat. Ergo ad eum ut Synodi convocandæ antesignanum, & congregatæ præsidem provocabatur.

IX. Idem patet ex literis Valentiniani, Placidiæ, & Eudoxiæ ad Theodosium Aug. *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare. Quatenus beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia secundùm solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit; propter contentionem quæ orta est de fide.* Part. I. Conc. Chalced. p. 25. Orant mox *ut prædictus sacerdos congregatis mox ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio sublato, omnem causam, quæ vertitur, cognoscat, sententiam ferat, &c.* Ergo Flavianus Leonem per libellos appellavit, idque secundùm moremConciliorum, nempè ut coacta Synodo, Pontifex Romanus de tota causa rursum cognosceret, & sententiam ferret. Et in epist. Galliæ Placidiæ ad eundem Theodos. filium: *Odium & contentiones narratur exercuisse Dioscorus, impetens Constantin. Civitatis Flavianum Episcopum, eò quòd libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, &c. Præcipiat tua mansuetudo, ut in statu sacerdotii ipsa manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit.* Vides ut promiscuè hæc habeantur, dare libellos ad Sedem Apostolicam & ad omnes Occidentis Episcopos: itemque istam rem totam à Pontifice maximo judicari de integro, & rei judicium ad Concilium Sedis Apostolicæ transmitti: denique quanquam in Concilio Sedis Apostolicæ, seu in Synodo Episcoporum agitetur judicium: tamen Romanus Sacerdos omnem causam cognoscet, sententiam feret, intemerata veneratio conservabitur Apostolo Petro. Etenim in redintegrando judicio Flaviani, non Concilii authoritas Romanum Antistitem sustollet & illustrabit; sed Concilio ipsi ea authoritas defertur, quia *Petro Apostolo intemerata veneratio conservanda est*; quia Romano Præsuli *principatum antiquitas contulit* sacerdotii super omnes: quia *ejus est de fide & sacerdotibus judicare*: quia *in Romana Sede primus ille qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit.* Cùm ergo causam Pontificis & Concilii indivulsè conglutinamus, Concilio magis à Pontifice quàm vicissim authoritatem aggeramus. Has epistolas olim in hanc rem laudavit Ratramnus contr. opposita Græc. *lib.* 4. *cap.* 8. ubi præfatus Leonem Chalcedonensi Synodo præisse, & præfuisse, dictasseque omnia, statuenda quæ essent de Eutychete & Flaviano, addit: *Quibus omnibus evidenter instruimur, non solùm Constantinopolitano, verùm cunctis Orientalibus Episcopis Romanum Pontificem honore prælatum, veluti qui cunctorum sollicitudinem plenam habere debeat Episcoporum, & cui specialiter incumbat pro cunctis Ecclesiis excubare.*

X. Et his consentaneus Marcianus postea, *authoritate* Leonis, *authore* Leone Synodum Chalcedonensem haberi consensit, quòd ille *principatum in Episcopatu divinæ fidei possideret*: ut alibi demonstratum. Ubi illud operæ pretium est animadverti, Leonem in causa Eutychetis supersedendum Concilio existimasse, in causa Flaviani Synodum postulasse ipsum etiam atque etiam, tandem expugnasse. Providentiæ ergo & judicio Romani Pontificis appellari id permittebatur, tanti res esset, vel non esset, quæ Synodum postularet. Quàm provida autem utrobique, quàmque salutaria Ecclesiæ essent Sedis Apostolicæ judicia, ipso rerum exitu comprobatum est. Consultissimum enim fuisset abstinere ab illa Synodo prædatoria Ephesina: consultissimum fuit inflicta Ecclesiis illo latrocinio vulnera per Chalcedonensem Synodum obduci. Itaque cùm supersedendum Synodis judicat Sedes Apostolica, non sibi honoris cumulum, sed pacem Ecclesiæ parat: cùm indici Synodos hortatur, non honori suo quidquam detrahit, sed adjicit plurimum. Eccunde enim plus accrevit honoris Sedi Apostolicæ, quàm ex Synodo Chalcedonensi?

XI. Liberatus quoque in Breviario *c.* 12. paululùm prosequutus Dioscori grassationes in Ephesino latrocinio, addit: *Porrò locum obtinentes Papæ Leonis, omnibus quæ sunt gesta, contradixerant. Flavianus autem contra se prolata sententia, per ejus legatos Sedem Apostolicam appellavit libello. Et hunc terminum illa Synodus habuit.* Quæ cùm ita constent ex Leonis, ex Valentiniani Imperatoris, ex Reginarum, ex Liberati testimonio: næ pudorem omnem decoxerint necesse est, qui appellatum à Flaviano esse ad Leonem, ambigere se fingunt: Nam quòd in Ephesinæ Synodi actis non referatur aliud, quàm quòd cùm in Flavianum & Eusebium depositionis sententiam protulisset Dioscorus, *Flavianus Episcopus dixit, Appello à te.* Ita enim antiquissimus interpres reddidit, cum Græcè scriptum sit, *Paraitoumai se*, id est, Recuso te. *Hilarus Diaconus Ecclesiæ Romanæ dixit, contradicitur: contradicitour.* Non hinc appellatam Sedem Romanam esse prohibetur: cum

tam disertè id testificentur supradicti omni exceptione majores ; & qui primum recusavit Dioscorum, consequenter provocare potuerit ad Leonem. Ideò & Chalcedonensis Synodus cùm hæc legerentur, exclamavit illico, *Leoni multos annos, Patriarchæ multos annos. Act.* 1. Et restituti Flaviani post mortem suam, Justinianus Imperator in edicto fidei, primariam laudem Leoni tribuit : *Et in Flaviana Episcopo Constantinopolitanæ Civitatis, injustè quidem in vita damnato, justè autem post mortem revocato, tàm à sanctæ memoriæ Papa Leone, quàm à sancta Chalcedonensi Synodo.*

XII. Eadem Pontificis Romani & Oecumenici Concilii authoritatis communio & individua societas liquebit rursus ex Theodori Lectoris Synopsi *l.*2. *Cum hæc gererentur, Imperator Anastasius Macedonium Episcopum Constantinop. vehementer urgit, ut Chalcedonensem Synodum anathemate damnaret. Ille verò sine universali Synodo, cui magna Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturum dixit.* Vides non aliter ad Synodum Oecumenicam, quàm ut præside suo infestam provocari. Et hujus porrò potestatis esse, non tantùm præsidere Synodo, sed & in totum abstinere à congreganda Oecumenica Synodo: manifestum ex eo est, quòd cui potestas adnata est congregandæ, & regendæ Synodi, insit eidem providentia, quando ea utendum sit, vel temperandum. Cùm vel maximè generales Synodos convocari toties, in Ecclesiarum dispendium vergat. Denique id nos luculento & causæ Flaviani accommodatissimo docebit exemplo Theodorus Studita *l.*2. *epist.*129. ad Leonem Sacellarium, ubi agit de restituendo Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano: *Fieri nulla ratione potest, ut sæculari judicio divinum judicium comparetur, aut ut coalescat hæc Ecclesia, non consentientibus quinque Patriarchis. Quod si rogat quispiam quo pacto id fieri possit? Si excedant, inquam, Ecclesiis Dei heterodoxi, & propriam sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conventu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis absint vicarii: (quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicæ) attamen pacem conficit & conjunctionem, synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittendo. Quod si hoc minimè probet Imperator, deflexitque, ut ipse ait, à veritate Nicephorus Antistes: mittenda est ad Romanum ex utraque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo. Etenim sic res se habet, ut si aberret unus ex Patriarchis, à ceteris ejusdem ordinis, quemadmodum divinus Dionysius tradit, correptionem admittat, non ab Imperatoribus judicetur, licèt omnes quotquot unquam fuerunt Imperatores orthodoxi.* Causam Episcopi Constantinopolitani & omnium adeo Patriarcharum agitandam esse docet in Synodo Oecumenica, *cujus summa potestas* defertur Romano Præsuli. Si non possit convocari Synodus Oecumenica, ejus vices implebit *prima Sedes*, fidei certitudinem mittet, Patriarcharum correptionem faciet.

XIII. Venio nunc ad Theodoreti quoque Cyrensis Episcopi appellationem. Restituram illi sedem propriam à Leone Papa in Chalcedonensi Synodo probatum est. Unum addo ex Liberati breviario testimonium, ut colligendæ Synodi authoritatem, quæ sauciatis mederetur Ecclesiis, penes Leonem unum fuisse clareat, etsi tunc nisi consensio accederet Imperatoris, irriti vanescerent conatus. Sic ergo ille cap.12. narrata prolixiùs strage Ephesina : *Quos sequutus Theodoritus Episcopus Papa suggessit, quanta mala pertulerit ex insidiis Dioscori : rogans ut celerius tali causæ subveniretur per alium conventum Episcoporum, ne hæretica Eutychetis dogmata permanerent, à Dioscoro confirmata.* Utrumque Ecclesiæ exitiale fuit, quòd extundi omninò à Theodosio Imp. precibus Leonis non potuerit, ut ne convocaretur Ephesina Synodus, & semel congregata, immaniterque grassata, per aliam Synodum emendaretur. Salubberrimum Ecclesiæ utrumque fuit Leonis consilium, ut priùs supersederetur, ut postea instaretur Synodo cogendæ.

XIV. Summam autem rei circa Theodoretum, narrat Facundus Hermian. *lib.*5. *c.*3. ubi acerbè invehitur in eos, qui nonnisi *act.*8. Concilii Chalcedon. eum admissum cavillabantur. *Quid ergo non sedit cum Sancta Synodo Theodoretus Episcopus, nisi in act.*8. *postquam factum est de Eutyche & Dioscoro judicium, & disposita sunt à sancta Synodo recta Patrum constituta? Et quomodo refertur in ejusdem Synodi gestis, quod in ipsa prima actione Theodoretus inter alios Episcopos sedit, consulatu Marciani Augusti,* 8. *Idus Octobris? Nonne ibi continentur hæc verba: Gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt : Ingrediatur Reverendiss. Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi: quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo: & sacratissimus ac piissimus Imperator sanxit, eum adesse sanctæ Synodo. Theodoretus rev. Episcopus transiens in medium, dixit: Preces obtuli sacratissimis & Christianissimis Orbis dominis, & narravi quæ in me acta sunt vulnera, & precor has perlegi. Et post hanc ejusdem Reverendissimi Theodoreti persecutionem, interloquentibus iterum gloriossissimis judicibus & senatu, quod & à sanctissimo Episcopo inclytæ urbis Romæ proprium locum recepisset idem Theodoretus, & testimonium haberet Maximi Antiocheni Episcopi, quod Catholicæ fidei esset, sicut ibi scriptum est: sedit in medio, ipsoque præsente, & inter alios Episcopos considente, recitata sunt, quæ sub Dioscoro Ephesi fuerant gesta.* Itaque & Imperatoris, & judicum, & Synodi, si paucos demas, assensu Theodoretus Synodo interesse jussus est, quòd illum sedi suæ Leo restituisset: quanquam *pleniore judicio*, ut sæpè aliàs, *act.* 8. idem admissus absolutissimè sit.

XV. Quod autem non synodicè restitutum à Leone Theodoretum garriunt, sed sola communionis non interruptæ consociatione, & irritatis solo dissensu actis Ephesinis, hæreticæ vertiginis & imperitiæ id quidem argumentum est. Synodicè enim, & judicialiter proinde Leo rescinderat acta Ephesini latrocinii, ut alibi ostendimus, & ut liquet ex sæpiùs allegatis Valentiniani Augusti & Augustarum epistolis ad Theodosium. Accurrisse enim sibi Leonem sacerdotum agmine, pro loci sui dignitate, cinctum testantur. Synodicè ergo adeoque ex authoritate cassatis Ephesinis decretis, irritabatur & Theodoreti depositio. Sed esto, solo dissensu Sedis Romanæ soluta sint acta illa, ac præ cæteris exauthoratio Theodoreti ; idipsum est, quo principatus illius Sedis illustratur. Hoc ipsum est enim quod Gelasius Papa contendit, à prima Sede in irritum missas Pseudosynodorum complurium sententias, quia *non consensit.* Eodem redit quod de communione jactatur. Nam & Cæcilianum, & Athanasium, & Chrysostomum, & Flavianum, adde & Theodoretum, & complures alios nefariis machinationibus damnatos, prima Sedes ideò restituit, quia communionis suæ finu continuit: Synodos illis adversatas cassavit, quia *non consensit.* Gelasius *epist.*13. ad Ephes. Dardan. *Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat: quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit: potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem sua authoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo, submovit.* Ergo summum & peculiare jus est pri-

primæ & Apostolicæ Sedis; Synodos confirmare, si Ecclesiæ serviant incolumitati, pro qua excubias agit. Ita Christus optimus maximus consultum esse voluit fidei & disciplinæ castitati, per Vicarii Capitis excubias in corpus totum. Liquet exemplis à Gelasio congestis, & sexcentis aliis Episcoporum, & Synodorum, quibus authoritatem quia prima Sedes vel ademit, vel restituit, ita labefactatæ reipublicæ Christianæ consultum fuit. Et omnium quidem Episcoporum erat non consentire scelestis molitionibus, sed suo dissensu eas irritare, & omnibus sæculis irritasse, & solam irritasse plerumque sine Oecumenica Synodo, & in omnibus Ecclesiarum monumentis hanc uni sibi laudem vendicasse, id proprium & singulare decus est primæ Sedis.

DISSERTATIO XII.

IN CONCILIUM CHALCEDONENSE SIVE OECUMENICUM IV.

Anno Christi 451.

SYNOPSIS.

Ante Oecumenicas Synodos fidem prædefinit Sedes maximè Romana, & quasi Synodis præivit, dictavitque; quod sequerentur. Ex Synodorum generalium enumeratione id perficitur usque ad n. XI.

Nec Synodorum Oecumenicarum authoritas hinc extenuatur, nec ulla Pontificis & Synodi conflictatio olim vel in suspicionem venit: quin alteri ex altero lucis & majestatis fiebat accessio, sive decreta Pontificia rursus in Synodo examinarentur, sive cæra novum examen subscriberentur: quod in Pontificis erat potestate, priori examini acquiescere, an plenius ipsemet in Synodo, & cum Synodo rem examinaret. Usque ad num. XXV.

Pontifici aliquando supplicatum, nunquam ab ipso ad Synodum provocatum: ut cujus cum Synodo una & indiscreta potestas sit, itemque cum Ecclesia universa per Orbem effusa, cujus ipse Caput, Cor, Os unus est. Id antiquissimis, id novissimis Pontificibus exploratissimum fuit; ita denique nuperæ hæreses à Pontifice simul, simul ab universa Ecclesia protritæ sunt, etiam sine Synodis, vel ante Synodos. Usque ad num. XXXIV.

De Dioscori in Leonem Papam ausu nefario. De Theodoreto per Leonem restituto. De eodem & aliis quibusdam fides assentientibus, in facto & persona nutabundis, pleniſſimè Synodo assentiri compulsis. Usque ad num. XXXIX.

Imperator idem Sacerdos dicitur: quo sensu Synodis adest, dum de fide quæritur, non ut fidei Dictator, sed ut Auditor & Custos. Usque ad n. XLV.

Judiciis Canonicis abstinuere Imperatores, multò magis à ferendis legibus Ecclesiasticis. Quin leges Canonibus inimicæ, & irritæ, & irritatæ sunt, tum à Principe, tum ab Ecclesia. Usque ad n. LI.

In causis Canonicis sæpè judices Ecclesiastici ab Imperatore petebantur, dabantur, eorum ab illo potestas sæpè extra territorium prorogabatur, non semel Princeps ipse de iis cognoscebat. Hæc omnia non juris, sed dispensationis fuisse ostenduntur: ut inde eluceſcat, longè consultius, & juri, libertatique Ecclesiasticæ accommodatius fuisse, ut hæc omnis Ecclesiasticorum judiciorum potestas ad legitimum judicem, ad Episcopum Episcoporum revocaretur. Usque ad num. LXII.

I. EPistolæ Leonis ad Flavianum, Catholicæ fidei summam quoad duas Christi naturas complectenti, jam Episcopale collegium, jam Christianus orbis consenserat, cùm ad idem Catholicum dogma corroborandum coacta est Synodus Chalcedonensis. Itaque duo hìc illustris controversiæ capita elucidare adgredimur, fidei decretum præisse, ac dictasse quodammodo Synodis etiam generalibus Romanam Sedem: & illibato tamen illo primatus prærogativæ jure, cogi universalem Synodum: & in ea, excitam controversiam splendidè & pompaticè definiri potuisse.

II. Atque ut ex ipsis generalibus Synodis initium faciam, ita perspicuè Ephesinæ primæ Synodi Patres *act.* 1. testificantur se damnare, & exauthorare Nestorium, *coactos per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi*. Et ibidem in relat. ad Imp. *Nestorium à sacerdotio, perversaque doctrina cessare fecimus, Cælestinum magnæ Romæ Episcopum collaudantes, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorii dogmata condemnarat, nosque in ferenda contra ipsum sententia anteverterat, prospiciens securitati Ecclesiarum*. Et *act.* 2. legitur epistola Cælestini, qua non velut rem controversam, paribus hinc & inde momentis in Synodo trutinandam, sed ut indubiam & constantem de una in Christo persona doctrinam præscribit, & legatos à se missos ait, *qui iis quæ aguntur, interſint; & ea quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur: quibus præstandum à sanctitate vestra non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum*. Et mox Projectus legatus ait, per literas suas Cælestinus *sanctitatem vestram hortatus est, non quasi ignaram docens, sed velut gnaram commonefaciens, ut ea quæ dudum antè definiit, & nunc in memoriam revocare dignatus est, ad finem plenissimum jubeatis perduci, juxta Canonem communis fidei, & Catholicæ Ecclesiæ utilitatem*. Philippus item legatus paulò pòst, gratias agit Synodo, quòd epistolis Cælestini succinuerit: *non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse B. Apostolum Petrum*. Et *act.* 3. in relat. ad Imp. testantur Ephesini Patres Occidentalem Ecclesiam Romæ confluxisse in Synodum, *sententiam de fide prædicasse, eos qui diversa sentiunt, ab omni prorsus sacerdotii sorte graduque dejecisse. Et hæc quidem, etiam antequam sanctissima hæc Synodus conveniret, Cælestinus per literas indicaverat, Cyrilloque suas vices commiserat, &c. Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, &c.* Itaque ut alibi ajunt, nisi vellent ab Occidentalium communione sese dissociare, necessum erat, ut in Cælestini prælucentem sententiam Ephesini Episcopi convenirent. Audi & Cyrillum in epist. ad Joan. Antioch. *Misit Nestorium quosdam suarum Exegeseon quaterniones Romam: quos cùm piissimi Episcopi, qui in magna Romanorum urbe inventi sunt, legissent, multisque consessibus & consultationibus habitis examinassent, illorum authorem non absque indignatione exhibilarunt: palam asserentes novam illum, eamque perniciosissimam, & à nullo veterum hæreticorum antea unquam excogitatam hæresin moliri*. Addit à se quoque Romam missos alios Nestorii commentarios, cum ejus subscriptione: *Tunc Sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit: qua de re & ad tuam quoque pietatem perscripsit. Quibus parere necessitas, illis incumbit, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint*. Et idem Cyrillus, Synodusque Alexand. in Epistola ad Nestorium de excommunicatione: *Nisi juxta tempus in literis Cælestini Romani Episcopi expressum à stolidis dogmatibus desistas, certò scias nullam tibi cum Episcopis & sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique locum futurum*. Itaque Sixtus Cælestini successor ad Joannem Antiochenum Ecclesiasticæ paci redditum, ita scribit: *Expertus es negotii præsentis eventu*,

quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis quod accepit, hoc tradit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit? Denique audiendus Capreolus Carthagin. Episc. in epist. ad Synodum Ephesinam: *Tanta constantia & virtute quibuscumque novis erroribus resistatis, ne hos quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes, Apostolicæ Sedis authoritas sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secunde disputationis prætextu vox jam dudum ablata renovare videatur, &c. Si quis ea, que jam olim dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quàm de fide, que hactenus valuit, ipsemet dubitare.* Quæ ille, vel de Pelagianis, vel de Nestorianis deliriis antè profligatis intelligere potuit. Nam & Pelagiani spe Oecumenicæ Synodi cristas erigebant, quasi disputationem restauraturi: & Nestoriani olim in Paulo Samosateno præfocati fuerant, & in Photino, Ebione, aliisque istiusmodi portentis pridem jugulatis. Quoquo modo Capreolum interpretemur, perinde est; nam nulla adhuc cognati hi errores Oecumenica Synodo damnati fuerant: sed cùm particularibus Synodis, vel Apostolicæ Sedis maximè authoritate elisi fuissent, negat Capreolus in Oecumenica Synodo locum illis instaurandæ disputationis concedi debere. Cujus rei ineluctabilem suggerit illico rationem. Nam vetus error veterum Patrum authoritate etiam in Synodo Oecumenica damnandus est. Quorum autem nisi eorum qui olim superstites illum ebullientem compresserunt? *Deinde ad posteritatis exemplum, ut ea que nunc pro catholica fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conservare, que superioribus temporibus à Sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, que de catholicæ fidei ratione statuerit; is non propria authoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet: ita aut ea ratione, partim veterum, partim recentiorum decretis & sententiis placita sua comprobans, unicam Ecclesiæ veritatem jam inde ab initio ad presens usque tempus simplici puritate, invictaque constantia, & authoritate decurrentem, se asserere, docere, & tenere ostendat.* Hæc ille. Et quia dominari videtur quibusdam in damnatione Nestorii authoritas & doctrina Cyrilli: unde huic pondus accederet, docebit nos Rusticus Ecclesiæ Romanæ Diaconus in disp. contra Acep. *Epistola Cyrilli ad Nestorium, quas & sanctissimus Cælestinus Papa magna Romæ ut proprias suscepit.* Et infrà: *Istas epistolas, id est, suas & Orientalium de pace, transmittens Cyrillus Romanæ Ecclesiæ sedi, à Sanctissimo Xisto confirmari sategit.* Et infrà: *Cyrillus in epistola, quam & Sedes Apostolica, & Sancta Ephesina Synodus confirmavit.*

III. Ergo id Capreolus, id Cælestinus, id Cælestini ad Synodum legati profitentur, integrum jam non esse rem veluti dubiam hinc & hinc versare, aut recidivæ disputationis campum aperire fidei adversariis, cùm eorum deliramenta jam protriverit *Apostolicæ Sedis authoritas, sacerdotumque in unum consonans sententia.* Unde sententiæ à Cælestino latæ *executionem* Synodo jam incumbere promovendam, Cælestini ipsius & literæ & legati inculcant. 2. Synodus ipsa Oecumenica confitetur se ad damnationem Nestorii *cogi* literis Cælestini, & præjudicio Romanæ, sub Cælestino Synodi se coarctari; nec ab occidentalium sententia & communione posse Orientalem Ecclesiam citra sui excidium disilire. 3. Ideò & prima statim actione Ephesinæ Synodi Nestorius cum suo errore percellitur. Damnatur & in hac Synodo Cælestianus seu Pelagianus error citra novam ejus ventilationem, ex solo Apostolicæ Sedis, sententiæque inde vibratæ præjudicio. 4. Unitas ipla Ecclesiæ, fideique indissociabile vinculum ita juber. Nam cùm Cælestinus Occidentalis Ecclesiæ suffragatione succinctus Nestorianam, Pelagianamque insaniam proscripsisset, jam Orientalibus & exitiale & scelestum fuisset ab illorum fide & communione divelli. Cùm item dudum in Occidente Apostolica maximè Sedes Pelagianos & errores & authores oppressisset, fas non erat postea Orientali etiam Oecumenicæ Synodo, rem illam velut ancipitem iterato examine librare, nisi corpus Ecclesiæ Catholicæ discerpere auderet. 5. Denique cùm nec in Synodis Oecumenicis fides astruatur, nisi ex authoritate & consensione, tum eorum qui superiores ætates illustravere, tum eorum etiam Patrum & Pastorum, qui diffusæ toto orbe Ecclesiæ tractus diversos regunt: hinc patet ubi præfinitum quid est in Apostolica Sede, & Romana atque Occidentali Synodo, jam non ullum ambigendi locum aut disputandi superesse, nisi fortè ex redundantia juris. 6. Et postremò, etsi Oecumenicæ Synodi olim omnes in Oriente congregatæ sint, pondus tamen & momentum rebus addebat Romana Ecclesia, & prælucens Occidentalium Synodus. Cui dogmati illustrando accomodatissima sunt, quæ disputat Nilus de primatu Papæ *lib.* 1. Causam enim Græcos inter & Romanos exciti dissidii, banc unam esse ait: *Quòd quæstio controversa communi Oecumenicæ Synodi decreto non sit confirmata: quòd ejus solutio, explicatioque non fiat ex veteri Patrum in ejusmodi negotiis consuetudine. Sed quòd Romani quidem magistrorum in hac quæstione partes sibi sumunt: alios vero instar discipulorum alieno audientes habere velint.* Mox declarat, quo se scuto tueantur Latini: *At Papa, inquiunt, summus est sacerdotum Princeps, & Pastor, ac Pater, qui & universalem Synodum convocare, & privatim absque aliis de Ecclesiasticis negotiis statuere licet.* Contrà ipse excepit: *Caterum & Julius Papa erat, & Damasus, & Cælestinus, & Leo, & Agathon, neque tamen unquam hæc dixerunt: sed unà cum aliis fratribus convenientes, & dogmata stabiliebant, & pacem Ecclesiis conciliabant, &c. Et Agathonem, & Cælestinum, & Leonem privatim quidem de rebus controversis Synodum convocasse videmus; ita tamen, ut que illic particulariter disceptata fuissent, ad universalem Synodum referrentur, & communi sententia veritatem stabiliri postularent. Alioquin si Papa privatim Synodum cogente, reliquos ejus decretis assentiri necesse esset, nemine contradicente, supervacaneum plane foret Oecumenicum tribunal. Si verò multi, immo verò innumeri sunt, qui contradicant: quo pacto æquum fuerit medicinam, qua sola salus obtineri potest, repudiare? Ad hæc si è vulgo tantum hominum aliqui dissiderent, prætextum aliquem haberet eorum oratio, atque adeò iniquum censeri posset, tanti quosdam facere, ut ipsorum causa totum orbem concutere velimus. Nunc verò cum capita orbis terrarum propemodum inter se dissentiant; annon valdè absurdum fuerit, de universali fide aliter, quàm cum universa orbe simul statuere atque decernere?* Et infrà rursus exceptionem Latinorum constantissimam iterum inculcat, & diluere conatur: *At, inquiunt, universalibus Conciliis nequaquam proposita fuit inquisitio veritatis: sed convenerunt, ut eam confirmarent: ideoque etiamnunc non in dubium vocari hoc dogma justum esse, sed stabiliri. Quo verò pacto hoc ais? Siquidem nulla universalium Ecclesiarum contradicat, aut alioqui una sola, aut pauci aliquot, assentior & ego. Si verò cum quinque sint Ecclesiæ universales, una reliquis contradicit: annon justum sit omnes convenire, & infinitis votis, summaque disquisitione habita, dogma stabiliri?* Ubi adverte 1. quid Græculi alendo schismati, quid Latini opprimendo contendant: & quàm disertè isti nostram hanc sententiam profiteantur, ad Concilia Oecumenica convolare Patres, non quasi ad veritatem quæ latuerat, venandam: sed ad eandem Romana ex arce splendidiùs radiantem, majore pompa ornandam. 2. Nilum ipsum plura ferè largiri, quàm è nostratibus aliquos, quorum adeò error perspicuus est. Nam si modò nulla Patriarchalium Ecclesiarum contradicat, aut

una

una tantùm, vel pauci aliquot : annuit & ipse, standum definitione Cathedræ Petri, nec Oecumenica Synodo opus esse. 3. Qui contrà nobis hac in parte dicent, non aliis poterunt nos, quàm à Nilo, seu à schismatis officina depromptis lacessere telis: non poterunt non totam Latinæ Ecclesiæ causam adversùs Græcos in dogmate de processione Spiritus Sancti labefactare. Ibi enim Latini decretis Apostolicæ Sedis ita inhæsere, ut ea veluti dubia deinceps in controversiam vocari ne in Oecumenicis quidem Conciliis passi sint. 4. Passim autem cœspitat Nilus in veteri Pontificum & Synodorum historia: nam ut Julius, Cælestinus, Leo, Agatho, à Synodis Oecumenicis haudquaquam abhorruere; sed quæ ipsi jam præfinierant, ea velut nutantia in disceptationem trahi, omnino vetuere, ut hic propalabitur: ita & posteriores Romani Pontifices ad Synodos Oecumenicas etiam provocavere Græcos: avitum de processione Spiritus Sancti decretum velut anceps & dubium vexari intercessere.

IV. Ad Ephesinam nunc venio secundam Synodum, cui Oecumenicum quoque nomen & pondus accessisset, nisi consilia Ecclesiæ Dioscorus sæculari ausu intervertisset. Affirmat ergo Leo Papa *epist.* 12. ad Theod. Eutycherem quidem *imperitè & imprudenter errare detectum, debuisse à sua meritò reprobabili persuasione discedere*: sed quoniam Imperator Synodum Ephesi indixisset, legatos eò à se mitti, *ut quia dubitari non potest, quæ sit Christiana confessionis integritas, & totius erroris pravitas damnaretur, & respiscens qui deviaverat, si pro venia supplicaret, sacerdotalis ei benevolentia subveniret, cum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret, quidquid nostra sententia de his quæ malè senserat, improbasset. Quid autem catholica Ecclesia universaliter de sacramento dominicæ incarnationis credat & doceat, ad fratrem & Coepiscopum nostrum Flavianum plenius continent scripta, quæ misi.* Præcipit ergo Pontifex definire, & de dogmate, & de persona Eutychetis: nec rem veluti dubiam ad Synodum transmittit. Ejusdem tenoris est *epist.* 13. ad Pulcheriam: at *epist.* 15. ad ipsam Ephesinam Synodum peræquè rem extra dubium collocat, legatosque à se mitti ait, *Qui communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant: hoc est ut primitùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen veritatis doctrinam complectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, damnaverit.* Et *epist.* 16. ad Flavianum, ait Imperatoris prolixiori sollicitudine congregari justam Synodum, *quamvis evidenter appareat, rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*: missos tamen à se legatos cum scriptis, quibus de his quæ causæ conveniunt, *plenius instruatur.* Et *epistol.* 17. ad Theodosium Imp. *Cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum, &c. quia non talis quæstio orta est, unde aut possit, aut debeat dubitari.* Vides quàm non ancipitem patiatur haberi quæstionem, nec ullum ambigendi vel disputandi locum permittat Synodo, quin ante ipsemet omnia definita & inconvulsa fidei dogmata ostendat, & epistolæ suæ commendata ostentet. Denique quòd à priori definitione Leonis dissensisset Ephesina pseudosynodus, à Leone ipso, & Romana Synodo protinus rescissa est ante aliam Oecumenicam Synodum. Idem Leo epist. ad Theodosium de Anatolio scribens, non antè assensurum se ait ejus Episcoparui, quàm consentanea scripserit suæ epistolæ. At Pulcheria Augusta ad Leonem de Anatolio scribit: *Anatolius in eadem fide permansit atque religione, & tuarum literarum Apostolicarum confessionem complectitur, &c. Epistolæ similiter Catholicæ Fidei, quam ad sanctæ memoriæ Flavianum Episcopum tua beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit.*

V. Jam verò ad Chalcedonensem Synodum hæc scribit Leo, legatos à se mitti: unde *Nunc in vicariis meis adsum, qui dudum in Fidei Catholicæ prædicatione non defui: ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cùm secundùm evangelicas authoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissimè & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, qua sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.* En quàm expressè declarata per suam ad Flavianum epistolam fide, veteret deinceps etiam in Synodo Oecumenica dubitari, aut disputari quidquam vel defendi. Et quidem in ipsa statim *act.* 1. Concil. Chalcedonen. erumpunt apertissima Episcoporum studia in Flavianum, odia in Eutychetem & Dioscorum. *Act.* 2. statim Cecropius Episcopus ait: *Emerserunt quæ ad Eutychetem pertinebant, & super iis forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, & sequimur eum, & epistolæ omnes subscripsimus.* Reverendissimi Episcopi clamaverunt, *Ista omnes dicimus.* Et statim recitato Nicæno Symbolo, inter alia quæpiam exclamant Episcopi omnes, *Omnes ita credimus, Papa Leo sic credit, Cyrillus ita credidit, Papa Leo ita interpretatus est.* Perlecta deinde Leonis bracteata illa ad Flavianum epistola, *Episcopi clamaverunt, Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt, &c. Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Ephesino curlecta non sunt? Hæc Dioscorus occultavit.* Et hæc quidem ante ullam disputationem, ante novum Eutychianæ insaniæ examen, ante accumulatas antiquorum Patrum pro Catholico dogmate sententias. Denique latrocinii Ephesini labes inde indicatur profecta, quòd artibus Dioscori evictum sit, ne Leonis epistola legeretur. Sed nihil in hanc rem vehementius epistola Synodi ipsius Chalced. ad Marcianum Imperatorem sub calcem *act.* 3. *Nos igitur considerantes, & universo orbi facta tempestatis causam inquirentes, hujus rei authorem comperimus Dioscorum quondam Alexandrinum Episcopum. Primùm quidem quia epistolam à sanctissimo Archiepiscopo senioris Romæ Leone directam ad Flavianum, recitari prohibuit Reverendissimis Episcopis Ephesi congregatis, & hoc post promissiones suas & juramenta plurima, &c. Secundò quia Eutychi ægrotanti impietate Manichei, & legitimè abdicato, tam sacerdotium, quàm Monachorum principatum ante decretum synodale irregulariter reddidit: & hæc cum sanctissimus & Beatissimus magnæ Romæ Archiepiscopus Leo per easdem literas convenientia decrevisset, & scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam.* Eo mox rursus in epist. ad Pulcheriam August. *Qui dispergebat, extinctus est. Sopitus est persecutor. Princeps tempestatis Dioscorus explosus est. Ipsique naves suas in cursu repetiere rectores, Christo ad intelligentiam prosperè dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita & isto utitur assertore, &c. Dioscorum sacerdotii dignitate definivimus alienum. Fratribus enim scandala ponebat ut nequam, & in ore suo abundavit nequitia, fallacia sua literarum Romani Pontificis abnuens lectionem.* Act. autem 4. è vestigio Legati Leonis pronunciant, amplectendam omnibus fidem esse Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ Synodorum, & epistolæ Leonis adversùs Nestorium & Eutycherem. Tum illicò exclamant Episcopi, *Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus.* Tum sigillatim omnes huic Leonis epistolæ subscribunt, ut consentaneæ anterioribus Synodis

Oecumenicis. Tum exandescit Synodus adversùs Ægyptios, contantes & comperendinantes, etsi non respuentes omnino subscribere epistolæ Leonis: passimque inclamatur: *Qui non subscribit epistolæ cui omnis Sancta Synodus consensit, hæreticus est. Act. 5. Judices dixerunt: Dioscorus dicebat, Ex duabus naturis suspicio: duas non suscipio. Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo duas naturas esse dicit in Christo, &c. Quem igitur sequimini, sanctissimum Leonem, an Dioscorum? Reverendissimi clamaverunt, Ut Leo, sic & credimus, qui contradicunt Eutychianista sunt, Leo rectè exposuit.* Denique eadem sacra Synodus in prosphonetico ad Marcianum ita de Leonis epist. *Unde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & ad victoriam præparavit Romanæ Ecclesiæ Papam, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat.* Tum prolixè tuetur epistolam hanc Leonis à circumlatrantibus hæreticis: & in relatione demum ad Leonem Papam, ita habet: *Tu vocis B. Petri omnibus constitutus interpres. Unde & nos tanquam tanti boni duce & authore ad communem utilitatem utentes, Ecclesiæ filiis hereditatem, sortemque veritatis ostendimus, &c. Et eramus in communi choreâ gaudii, quasi in imperialibus cœnis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas literas Christus præparaverat invitatis, & supercœlestem sponsum inter nos conversantem cernere putabamus.* Toto denique Synodi hujus tractatu exploratissimum fit, non veluti lubrica in quæstione aliqua, disputandi, altercandique licentiam se effudisse: sed velut in re præjudicata, Leonis epistolæ subscribere compulsos omnes, vel diris Ecclesiasticis, si qui obluctati sint, implicatos.

VI. Pergo ad Quintam Synodum, illud unum proloquutus, cùm antè aliquandiu de trium capitulorum damnatione controvertertetur, in eam consensisse Menam Constantinopolitanum Episcopum, sed ita demum si Romanus Antistes consentiret. Facundus *lib. 4. c. 4. Conventus Menas cur priori sententiæ sue contrarius, acquievisset his quæ antè culpaverat, & de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat, subeа se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.* In vestibulo autem Synodi ipso, *act. 1.* Justinianus in epistola ad Synodum, exemplum Vigilii Papæ ceu facem splendidissimam omnibus præfert: *Ipse Vigilius non semel, nec bis, sed etiam sæpiùs in scriptis, & sine scriptis, anathematizavit impia tria capitula. Quod verò ejusdem voluntatis semper fuit, de condemnatione trium capitulorum, & per plurima alia demonstravit, & per condemnationem Rustici, & Sebastiani, &c.* Et rursus *Collat. 7. Sæpiùs in scriptis Vigilius suam manifestavit voluntatem, condemnans tria capitula, &c. Ut igitur etiam ea, quæ sæpiùs ab ipso facta sunt ad condemnationem trium capitulorum vos audientes, alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, &c.* Tum epistolæ Vigilii variæ subnectuntur, quibus tria inurit capitula. Idem inculcatur *Collat. 8.* & ita demum anathematum jacula in tria illa capitula evibrantur. Occidentalis sanè Ecclesia in Synodum ipsam, & damnationem trium capitulorum non consensit, ut exploratum est, nisi duce, & auspice Pontifice Romano, seu Vigilio, seu Pelagio.

VII. Jam verò in sexta Synodo meridianos etiam Solis radios vincit tanta rei evidentia. Actione 4. legitur Agathonis Papæ ad Imperatores epistola, *Quæ regulariter à sanctis, atque Apostolicis prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate à Patribus tradita fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper orantes, atque studentes, ut nihil de iis quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata custodiantur.* Tum legatos à se ad Synodum mitti ait, quibus *Licentiam sive authoritatem dedimus apud tranquillissimum ejus imperium, dum jusserit ejus clementia, similiter satisfaciendi, inquantum dumtaxat eis injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, vel mutare: sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, simpliciter enarrare.* Et infrà ne inusitatum quid arrogare sibi videantur, qui fidem Synodo dictent: *Petrus spiritales oves Ecclesiæ ab ipso redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit. Cujus adnitente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis; semper omnis catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt.* Vetat ergo rem disputationum lubrico committi, avitam Apostolicæ Sedis traditionem & fidem Synodo indicit, illam Synodos universales amplexas semper esse contestatur. Singulæ enim Ecclesiæ Catholicæ particulares traditam ab Apostolis fidem illibatam per sæculorum lapsus custodiunt, hanc Ecclesiarum Præsules Synodis inferunt; sed ante omnes minores Ecclesias & Præsules, Sedes Apostolica, ut earum matrix & origo, ut principalitatem nacta & arcem fidei tenens, traditionis Apostolicæ facem multò splendidiorem, & inextinctam præfert. Ejusdem sunt salivæ Agathonis, & Occidentalis Synodi aliæ literæ ad Synodum sextam: *Lumen Apostolicæ fidei splendidissimum, quod ex veri luminis fonte, tanquam de radio vivifici fulgoris, per ministros Beatum Petrum & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœdatum.* Tum negant eloquentiæ & dialecticæ copiam sibi ullam suppetere, *Sola nostra substantia fides nostra: cum qua nobis vivere, summa est gloria: pro qua mori, lucrum æternum est. Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atque Apostolicæ fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis custodia conservemus.* Tum ajunt legatos à se ad Synodum missos, qui ei offerant Apostolicæ fidei suæ confessionem, *non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre.* Et ad calcem epistolæ abruptè ita edicunt: *Quicumque proinde sacerdotum hæc quæ in hac nostræ humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter prædicare desiderant, ut nostræ Apostolicæ fidei concordes, ut consacerdotes & comministros ejusdem fidei, ut spiritales fratres & Coepiscopos nostros suscipimus. Qui verò hæc confiteri noluerint, ut infestos Catholicæ atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus. Nec aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur.* Non incerto disceptationum se, vel Ecclesiam credunt, sed præfinitam fidei formulam Synodo Oecumenicæ offerunt, indeclinabiliter subscribendam ab omnibus, nisi si qui malint à sacerdotali collegio resecari. Et Synodus ipsa Oecumenica in prosphon. ad Imper. *act. 18. Proinde de inspiratione Sancti Spiritus consPirantes, & ad invicem omnes consonantes atque consentientes; & Agathonis sanctissimi Patriarchæ, & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi centum viginti quinque Patrum concordantes, unum de Sancta Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum etiam incarnatum prædicamus in duabus perfectis naturis, indivisè, inconfusè laudandum.*

VIII. Sed in eodem prosphonetico ad Imperatorem sermone, Synodorum universalium omnium summa authoritas uni ferè Pontifici Romano & Imperatori vendicatur; quod hic velut externus, ille interior: alter executioni, alter definitioni præsit; uni-

universalis uterque Episcopus. Itaque *Arius insurgebat, &c. Costantinus, & Sylvester in Nicæa congregabant Synodum, per quam, &c. Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, &c. Theodosius & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt, &c. Iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus, &c. Deinde Eutychetis insania, &c. Leonis igitur tabula, tanquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, interim Archimandritam bestiam perterruit, & à Monachico grege projecit, ejusque phantasiam reprobavit, & evanescere fecit. Hanc igitur divinitùs scriptam tabulam Marcianus, & Anatolius cum omni Chalcedonensi Synodo amplexi sunt, atque manu & lingua consentiebant, & pariter subscribebant, & per eam, consonam Eutychetis & Dioscori intelligentiam evacuarunt. Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est.* His exemplis Majorum, & documentis adprimè obsecuta sexta hæc Synodus, hæc paulò post de seipsa confitetur: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti mysterium illustrantem per literas. Confessionem tibi à Deo scriptam, illa Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem ex vespertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Et infrà eadem Synodus ad Agathonem scribens, *Literas à vestra beatitudine ad piissimum Imperatorem missas, ut à summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnoscimus; per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Et in epistola ad Leonem Agathonis successorem ab Imperatore scripta: *Velut ipsum Principem Apostolici chori, primaque cathedra Antistitem Petrum contuiti sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, &c. Nam ipsum totum Christum nobis sacræ ejus litera differendo exprimebant, quas omnes libentibus animis, sincerèque accepimus, & velut ipsum Petrum ulnis animi suscepimus.* Subditque mox, *Solus Macarius à sacerdotali conventu exiliit, renuit enim omninò sacratissimis Agathonis literis assentiri, velut in ipsum coryphæum Petrum insaniens.*

IX. In septima Synodo nihilo obscuriora edidit Pontifex Romanus sui in doctrina fidei principatus documenta. Sed prolixiùs id infrà demonstrabitur dissertatione 21. Quoniam autem semel iterumque jam innuimus, uno Pontificis Romani nutu Occidentales omnes Ecclesias circumagi solitas fuisse: eòque Orientalibus quantiscumque Synodis particularem tantùm, non Oecumenicam affuisse authoritatem, donec istam Romana Sedes impartiretur assensu suo, quò Occidentalium quoque omnium consensio inclinabatur. Ne hinc tricandi ansam arripiat quis, quasi in Occidentalium conspiratione illa moles tota authoritatis fuerit, non etiam Principatus sui verticem obtinuerit prima Sedes; paucis necessum est exemplis demonstrari, in salebrosis Orientalium controversiis, ut Romanæ fax Ecclesiæ Occidentalibus præluxerit. Et de Paschæ die quidem, ac baptismo hæreticorum, exploratum est, quàm Romanæ consuetudini incontanter adhæserint, eique ipsi tandem cesserint Afri rebaptizatores, cùm vix satis Græca ulla Synodo ad id adductos evinci queat. Nicænæ Synodi acta nunquam per Occidentem vulgata fuisse magis conjicitur, quàm periisse fraude Arianorum, qui hoc in orbis tractu minùs grassati sunt. Nicænos Canones nec Augustinus, dum Episcopus crearetur, noverat. Constantinopolitanæ Synodi Canones repudiabat, teste Gregorio, Romana Ecclesia: decretum de fide confirmavit Damasus, ut Græcorum defectioni mederetur, non ut Occiduis consuleret, à Macedoniania luc prorsus intactis, illiusque Synodi promulgatione vel nulla, vel obscurissima perfusis. Ephesinæ & Chalcedonensis Synodi quàm tenuis Occidentales aura afflaverit, claret ex Aurel. Concil. 5. ann. 549. *Can.* 1. *Eutychetis & Nestorii*

Thomassin. Dissertat.

sectas, quas Sedes Apostolica sancta condemnat, similiter & nos easdem cum suis authoribus, & sectatoribus execrantes, &c. Et ex epist. Aviti Vienn. Episc. ad Hormisdam Papam: *Eutychetis igitur, Nestoriique damnatio, quos jamdudum per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit authoritas, ad notitiam jam pridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ provisione perlata est.* Liquet & ex epistola Leonis 52. ad Episcopos Galliæ post Concilium Chalcedonense: *Optassemus fraternitatis vestra literas eo tempore, quo promiseratis, accipere: ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostra direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur.* Incumbebant, ut vides, omninò fidei & sententiæ Romani Præsulis, nec de Orientalibus Synodis, nisi leviter & ejus magisterio imbuebantur. De Hispaniensibus Ecclesiis compertissimum idem est ex Idatii Episcopi Chronico: ubi ait, *Germani presbyteri Arabicæ regionis ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, contracto Episcoporum Concilio sub præsentia Theodosii Augusti destructam Hebionitarum hæresin, quam Nestorius resuscitabat.* Et infrà: *Una eodemque tempore Constantinopoli Nestorium Hebionæum, Cyrilli ad eum epistola & hæresin destruentis, & regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum aliis habentur allata.* Et infrà rursus: *De Galliis epistolæ deferuntur Flaviani Episcopi ad Leonem Episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopol. de Eutychete Hebionita hæretico, & Leonis Episcopi ad eundem responsa. Quæ cum aliorum Episcoporum & gestis, & scriptis, per Ecclesias diriguntur.* Quantam ista, oro, non Idatii, sed Hispanorum omnium ignorationem confitentur de tertiæ, quartæque Synodi gestis? De Acaciani schismatis exitu vide suprà laudatam Aviti epistolam: & perspicies, quàm incerti, quàm suspensi, quàm *super statu fidei omnes* Galliæ Episcopi *sententiam captarent* Pontificis Romani. Quintam Synodum à Chalcedonensis notitia aptam pendulamque, cum Romana Sede Occidentales omnes, repudiavere primùm, ut *Græcitatis ignari*, pòst recepere. De ea Regino in Chron. nihil aliud, quàm Mariam Deiparam assertam ait. Sextam Synodum nescisse prorsus Hispanos, facilè conjicitur ex Leonis ad eos, & eorum ad ipsum vicissim Synodicis. Galli autem jam Martini Papæ Concilio adhæserant: nec nisi ut ad rei jam definitæ promulgationem Occidentales omnes passi sunt sextam Synodum congregari. Monothelitieas autem calliditates quàm feliciter Galli nostri nescirent, docet nos S. Audoneus in vita S. Eligii *l.* 1. *c.* 33. non aliter eorum dogma describens, quàm quòd asserant *Christum minimè habere formam servi: & neque eum ex Maria veram assumpsisse carnem.* Septimam Synodum quàm aversati fuerint diu longè plures. Occidentis Episcopi, & soli se Apostolicæ Sedi devoverint, prolixiùs infra panderur. Cùm ergo solius Romani Præsulis voto nutuque actos, impulsosque fuisse diximus Occidentis Episcopos; cùm horum & illius unam semper individuamque fuisse sententiam, fidem, communionem: cùm hoc authoritatis pondere, Oecumenicas in Oriente habitas Synodos necessariò ad finem disciplinamque condendam adductas fuisse: amplitudini primæ Sedis nihil detraximus ex Occidentalium consociatione, sed addidimus plurimum.

X. Suo hìc quasi loco & jure collocanda Nicolai I. Epistola 9. ad Michaelem Imp. ad hoc ipsum argumentum penè dedita opera connitens: *In Synodis prisco tempore collectis, Apostolicæ Sedis scripta, non sub occultationis modio tegebantur, sed ut omnibus qui in domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur: & ut si qua turpitudo, vel macula in fidei pulchritudine à quolibet tentaretur induci, facilè pateseeret, ac si specula in omnibus habebantur: & quasi quædam rectitudinis formula, quæ imprimi cæteri possent, posita colebantur, &c.*

Sancta Synodus apud Ephesum congregata sancta Memoriæ Celestini Papæ prius epistolam legit, &c. ut ex ejus potissimum specialis judicii tenore sit perfidus Nestorius expulsus, dum eadem Synodus in sententia contra eum prolata tali modo prosequitur: Necessario coacti tam ex Canonibus, quàm ex epistola Celestini, &c. Epistola quoque Sancti Leonis Papæ adeo apud omnes Orientales Episcopos extitit venerabilis, ut hanc columnam orthodoxiæ vocarent, & omnes in ea Præsule Constantinopoleos Anatolio precedente subscriberent: ita ut Chalcedonensis magna Synodus nil diffinisse, nil respuisse, nil suscepisse, nisi quod illa, vel vices Apostolicæ Sedis ibi servantes diffinierunt, projecerunt, vel admiserunt, agnoscatur. Tum ex ejusdem Synodi actis probat, Dioscori labem non alio ex capite manasse, quàm ex contemptu epistolæ Leonis, ut & nos suprà ostendimus; inde Pseudosynodi Ephesinæ perfidiam effluxisse. Et *epistol.* 10. rursus idem: *Hæc sunt, quæ de his Sedes Apostolica statuit. Hæc sunt, quæ synodicè regulariterque decrevit. Hæc sunt, quæ nos tantò studiosiùs oportet amplecti, tantò sollicitiùs observare, quantò certiùs nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper Ecclesiam tenuisse. Ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui authoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit: & quæ illa refutavit, ipsa refutaverit.* Quibus nihil verius, nihil sapientius dici potuit. Etenim Nicænæ Synodo in condemnationem Quartadecimanorum centum amplius annis præivit Ecclesia Romana. Universali quoque illi de qua Augustinus, Synodo quæ iterum baptizari ab hæreticis semel tinctos vetuit, longo temporis intervallo Sedes Apostolica facem prætulit. Reluctati sunt aliquammulti aliquandiu, sed tandem capiti suo universa acquievit Ecclesia. Apollinarem certè Damasus, Macedonium ante secundam Oecumenicam Synodum, ita Romana Ecclesia Occidensque prædamnaverant, ut nulla sibi opus Synodo duxerint, & Constantinopolitano Concillo præluxerint potiùs quàm obsecuti sint. Quod autem legitur apud Gelasium Cyz. *lib.* 2. *c.* 11. Nicænos Patres *multo tempore permulta inter se fide communicasse, ratos nihil citò, aut temerè de re tanta statui debere, &c.* Cave, ne fidei dubios, vel ignaros pridem fuisse tantos Patres & Confessores suspiceris, ante generalis Synodi constitutionem. Certius enim est, quod alii testantur, cùm primum Arii fides cœpit legi, aures obturasse: avitæ scilicet fidei satis memores. Unde & Theodoretus *lib.* 1. *c.* 7. de Eusebianis, *Fidei*, inquit, *formulam quam composuerant, Concilio proposuerunt: quæ ut primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commentitiam esse vociferabantur, illico discerpta est.* Illa ergo disceptandi sedulitas, non velut incerti dogmatis ambiguum diluere, sed certissimæ fidei caliginem & spinas detergere laborabat. Vide Athanasium *orat.* 1. contra Arianos.

XI. Otiosum penè est Octavæ Synodi meminisse, tum quòd in ea conticuerint fidei disceptationes, tum quòd vel tyrunculis prima historiæ limina saltem ingressis, compertum sit, omnia ibi nutu & imperio Romanæ Sedis actitata fuisse. Actione 2. recitatur Epistola Basilii Imperatoris ad Nicolaum Papam, ubi omnia in Synodo pertractanda, ab eo antè definiri postulat; de medicina Ecclesiæ Constantinopolitanæ, diutina jam morbi tempestate jactatæ. Epistola item Ignatii Patriarchæ ad eundem, *Eorum vulnerum, atque livorum, qui in membris hominis consistunt, multos medicos protulit ars. Eorum verò qui in membris sunt Christi, omnium nostrum capitis & sponsæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, unum & singularem precellentem, atque catholicissimum medicum, ipse princeps summus, & fortissimus sermo, & ordinator, & creator, & solus ex toto magister, Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem, & paternam almitatem. Propterque dixit Petro magno, & summo Apostolorum, Tu es Petrus &c. Tales enim beatas voces, non secundùm quandam utique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definivit, sed per eum ad omnes qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & divinissimi sacrique Pontifices senioris Romæ, transmisit.* Tum ejus literis jam Ecclesiæ suæ pacem, & sanitatem cœptam restitui gratulatur: *Sategisti atque scripsisti, utpotè Apostolicæ, & summæ potestatis susceptor, dignè ac rationabiliter restituisti, & fluctum, qui hic inerat, dissipasti, & tranquillitatem Ecclesiis contulisti.* Tum varia denudat uti medico vulnera Ecclesiæ suæ adhuc incurata, *De hujusmodi imploramus dari dispositionem.* Subnectuntur literæ Hadriani, qui in defuncti Nicolai vicem adscitus in Apostolicum thronum fuerat, quibus legem & medicinam temperat multiplici morbo, in Synodo Oecumenica octava exequendam. Et *act.* 4. cùm ageretur de Photianis Episcopis, in quos jam censura Nicolai Papæ sævierat, contestantur Legati Apostolici: *Nobis non licet rescindere judicium Sanctorum Romanorum Pontificum; hoc enim contrarium est Canonicis institutis.* Nec patiuntur Photianos ingredi, nisi ut qua damnati fuerant, *Beatissimi Papæ Nicolai epistolam audiant.* Nec Photiani tunc Episcopi aliud contendebant, quàm se *ut sacerdotes Nicolao Papæ Romæ comministrasse*: quod legati vehementer inficiati sunt. *Act.* 7. erumpit Ignatius in laudes Imperatoris, qui Ecclesiam Constantinopolitanam restauravit, *Definitiones & regulas sequens beatissimi Papæ Nicolai Senioris Romæ, quas ille Synodicè promulgavit, & per proprias epistolas Constantinopolin destinavit.* Tum exclamatur inter complura alia, *Nicolai Papæ Romani æterna memoria, &c. Hadriani multos annos. Interemptoris novi Simonis multos annos. Percutientis novum mendacem Ananiam, multos annos.* Postremò referam, unde fortassis exordiundum fuerat, pauciissima hæc ex epist. Hadriani ad Imp. quæ *act.* 1. recitata est: *Intellexisti quibus vulneribus sauciata, quæ apud vos est, manebat Ecclesia: & quòd hæc Sedes ejuscemodi mederi possit vulneribus, magistris fidei nostræ scrutatis, liquidò didicisti. Atque ideò hæc curare cupiens, Apostolicæ Sedis decreti remedium sanissimè requisisti, &c. Porrò de sacerdotibus vel cæteris qui contra pacem Ecclesiæ facientes, unitatem ejus scindere præsumpserunt; super quibus etiam decretum ab Apostolica Sede, clementia tua more priscorum Principum postulat; sciat dilectio tua, quia sicut diversa modo deliquisse referuntur, ita diversis eos definitionibus subjici non inconvenienter oportere perpendimus, &c. Insuper exhortamur, ut sententiarum capitula, quæ Synodicè in Ecclesia Dei, ubi Sanctum Corpus Apostolorum Principis Petri requiescit, communi sententia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, &c.* Ex quibus promptum exploratumque est, octavam hanc habitam Synodum Oecumenicam, non ut anceps aliquis & implicatus extricaretur nodus, sed ut regula disciplinæ ab Apostolica Petri Sede per ipsos Imperatorem Basilium & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum flagitata, & per legatos directa, in Synodo executioni mandaretur. Idque Niceras in vita Ignatii non obscurè tradit his verbis: *Non erat Ignatio authoritas agendi quæ vellet: Romanis enim pro Ecclesiastica antiqua consuetudine, judicandi potestatem permittebat.*

XII. Posteriores his Synodos universales non abs re intactas prætereo, ut in quibus persuasissimum sit Romanæ Sedis Apostolicum apicem splendidiùs radiasse. Gradum facio ad posteriorem & non minùs luculentam hujus controversiæ partem, priori specie tenus infestam, reapse amicam & conjunctissimam. Nimirùm etsi occupasset Apostolica Sedes definire seu fidei decreta, seu capita disciplinæ, consentaneum tamen fuisse confluere Oecumenicas Synodos, ibique Christianæ Ecclesiæ univer-

universitatem, Capitis sui oraculo concinere. Ita Cælestinus Papa *epist.* 14. *Nulla suo vitio languenti medica arte defuimus. Scimus qualiter & quoties hos scriptura jubeat conveniri, &c. Frater fratrem admonuit. Dehinc pertinax uno & altero, imò & multis testibus conventus est. Consequenter ab universali Ecclesia, nostro quoque sermone correptus. Nihil præcox cum eo, nihil in hoc egimus immaturum: quem diuturna constitutionis servatus ordo damnavit.* Sic ibi de damnato Nestorio. Ita Philippus Apostolicæ Sedis legatus in Ephesina prima Synodo, *act.* 3. Petrum Caput & Columnam fidei esse prælocutus, & in successoribus suis vivere adhuc, & judicium exercere: etsi jam in Nestorium sententiam tulisset Cælestinus, se tamen ad hanc Synodum ab eodem missum testatur legatum; & in ea canonicè citatum Nestorium, venire contempsisse, ideoque, *Firmum esse, quod in ipsum pronunciatum est, juxta omnium Ecclesiarum decretum; omnes namque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes, vel per se, vel certè per suos legatos sacerdotali huic consessui intersunt.* Et paulò infrà Synodus ipsa in relat. ad Imp. de Romana adversùs Nestorium Synodo, ejusque & Cælestini legatis prælocuta, addit: *Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide & pietate nobis consonum declararunt, necessariò de consensu illorum nobiscum ad majestatem vestram retulimus. Ut pietati vestræ constet, judicium quod paulò antè à nobis exiit, esse unam communem totius orbis terrarum sententiam.* Et in relatione alia Kal. Jul. missa: *Synodus omnes totius orbis Episcopos unum idemque sentientes habet. Nam & magna Roma Episcopus Synodo simul interest, neque desunt Africani per Cyrillum representati, &c.* Et in relat. alia per Joannem missa: *Synodus universum Occidentem cum magna vestra Roma & Apostolica Sede, totam item Africam & totum Illyricum in consessu suo habet.* Et in relat. alia per septem Episcopos missa: *Sancta & Oecumenica Synodus, cujus consessui adest & Celestinus, & universa Occidentalis Synodus totaque Africa, & Illyricum. part.* 3. *Conc. Ephes. cap.* 13. Et Cyrillus in Apolog. ad Theodos. *Fidei meæ rectitudini testimonium perhibuit & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus ex universo orbe congregata.*

XIII. Observa hic ergo, nequaquam provocasse Nestorium à Papa ad Concilium, à Cælestino ad Oecumenicam Ephesi Synodum: sed causam ejus à Cælestino primùm cognitam, in Ephesina Synodo retractatam fuisse, citra ullam appellationis vel levissimam suspiciunculam. 2. Adversa hic esse omnia provocationum indiciis. Nam Cælestinus qui Romæ jam judicaverat, Ephesino quoque judicio per legatos interfuit, præfuitque: & ad eum Synodus Oecumenica totam judicii authoritatem refundit. Nihil alienius autem, vel intempestivius foret, quàm Cælestini in Synodo præsentiam, principalemque dominationem jactare passim, si ab eo provocari ad Synodum, & lata ab eo sententia in Synodo examinari potuisset. 3. Nec dissociatur in his & hujusmodi aliis compluribus testimoniis Cælestini, & Occidentalis cum eo Synodi authoritas atque sententia. Arqui ab Occidentalis Synodi decreto non poterat ad Ephesinam Synodum appellari. Nec enim Oecumenica fuerit Ephesina Synodus, si Occidentalem Synodum ab ea revulseris, ut revelli necessum est, si ab hac ad illam provocari potuisse existimes. Particularis utraque Synodus est, si seponatur utraque: ideoque ab altera ad alteram ceu Oecumenicam provocari posse nec inter somniandum imaginaberis: nisi si æquius ducas esse, prout est, ab Ephesina & Orientali ad Occidentalem, ubi Capitis fidei & vertices Apostolici præsens dominatur authoritas, appellari, non vicissim. 4. Ergo ut utraque Synodus una est, sicut Ecclesia una est, Occidentem Orientemque, præterita & futura sæcula inexplicabilibus divini Spiritus vinculis constringens: ita una authoritas, una cognitio, una sententia est, quam Caput præcinit, succinit corpus; quam in Occidente Caput ipsum personat, quam per legatos suos in Orientali Synodo ingeminat, cui totum Ecclesiæ corpus in Oecumenica Synodo assonat. Ergo sicut ab uno & eodem ad ipsummet; ita à capite ad corpus, ab Occidentali Synodo ad Oecumenicam provocari non potest, nisi ut causa à summo judiciorum Principe cum paucioribus adsessoribus cognita & definita, ab eodem rursus in frequentiori judicum senatu cognoscatur & terminetur. Quæ non provocatio est, sed supplicatio: nec in rei potestate, sed in libertate summi judicis posita. 5. Ideo nulli suspicionum, aut invidiæ stimuli, vel Cælestinum vel Synodum exagitabant. Neutri alterius detrimento authoritatis pluisculum existimabatur accumulandum. Quin ex adverso per vicarios suos regnabat & radiabat in Synodo Cælestinus; Cælestini majestate & judicio antegresso gloriabatur, seseque adversùs hostium lattatus Synodus tuebatur.

XIV. Non ita Eutyches. A Flaviani enim sententia non supplicavit, sed procuravit, ut alibi dictum. Cùmque Romæ Leo confirmasset sententiam Flaviani, & Eutycheris doctrinam proscripsisset: non recusavit tamen eandem causam in Ephesina secunda Synodo, quam Imperator convocaverat, instaurari. Etenim *epist.* 15. ad hanc ipsam Synodum scripta, in Eutychetis deliria detonat; tum addit: *Verùm quia etiam talium non est negligenda curatio, & piè ac religiosè Christianus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri; fratres nostros Julianum, &c. miss, qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant.* Minimè necessariam fuisse Synodum in re tam dilucida, idem alibi scribit. Sed confitetur hìc tamen *pleniore judicio* Ecclesiam rursus uti posse: non quasi ancipitem consilii, & fidei certam suæ, non quasi Flaviani, nedum Leonis sententiam fortassis recantatura sit: sed pleniore judicum numero, & pompa majore, eandem suam fidem sententiamque invariabilem & irretractabilem promulgatura.

XV. At cùm fœdissima tempestate Dioscorus Synodum illam laniasset, dissipasseque, ejus quidem nefaria decreta cassavit in Synodo Romana Leo Papa, sed Oecumenicam tamen ad hoc ipsum colligendam esse Synodum idem sensit, flagitavit, pervicit. Scripsit ergo ad Theodosium in hæc verba: *Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei, atque Patrum authoritate dissentiunt, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: ut in unum convenientibus omnibus, his qui aut ignorantia aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur. Conc. Chalced. part.* 1. *cap.* 32. Non provocat Leo, & Romana Synodus à Pseudosynodo Ephesina ad aliam germanam, & liberam, & verè Oecumenicam Synodum: sed illam suo jure cassat & evacat. Nec rursum à Synodi Romanæ, & Leonis sententia hac ad universalem Synodum quisquam appellat; sed Leo ipsemet cum sua Synodo pleniorem & Oecumenicam flagitat Synodum, non quasi rem ambiguam aliquam, & utrimque versatilem trutinari oporteat, sed ut Leo ipsissimus & ipsissimi Romanæ illius Synodi Antistites cum numerosiore collegarum agmine pleniùs & magnificentiùs rem eandem conficiant. Nec dissimulat Leo cessuros forsan universali Synodo, qui sibi & Romanæ Synodo adhuc reluctantur: sed illos demum qui *à puritate fidei & Patrum authoritate dissentiunt*. Nec hinc sejungenda, sibique collidenda Leonis &

Syno-

Synodi universalis authoritas. Nec enim insanientium palato serviendum. Qui tamen ipsi nihilo magis universali post Synodo, quàm priùs Leoni obaudiere. Nec universalis fuerit Synodus, quæ à Leone & Romano Concilio dissenserit. Denique non aliter aliqui Leoni immorigeri, Synodo Oecumenicæ obsequentur, si qui obsequantur; quàm quia illorum contumacem surditatem, quam pervadere non potuit solitaria Capitis vox, perrumpet ingeminata, & vehementior totius Corporis connitentis, non alia tamen quàm Capitis vox. Et præstantissimè rursus idem Leo *epist.* 52. quid emolumenti ex Chalcedonensi Synodo accreverit, post damnatas & Constantinopoli & Romæ, & ubique ferè terrarum per particularia Concilia, Eutychetis insanias, ita declarat: *Non enim ultrà jam cuiquam excusationis refugium de ignorantia, & inscientia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cum hoc ipso sexcentorum ferè fratrum, Coepiscoporumque nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fidei inspirare permiserit. Quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus vicariis nostris, quorum plenissima extitit in omni actione devotio non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam Principibus & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque evidenter apparuit hanc esse verè Apostolicam fidem, ex divinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni face totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & universo jam mundo consentiente defendimus.* Non à sua ergo sententia provocatum esse ait ad Synodum Chalcedon. aut vel ullam ejus rei umbram somniari posse: quin immò Eutychianos ne hiscere quidem, nedum disputare per missos in Synodo Chalced. sed adnitentibus legatis Romanis, dictata à Leone epistola, & fides universæ Synodo, Principi, populoque adprobata protinus est, & citra novi examinis recidivas pugnas, ab omnibus subscripta. Ex quibus vanescunt appellationis ludibria, & jurgiorum inter Concilium & Pontificem inaudita tunc somnia. Nec nulla interea est Synodi Oecumenicæ gratia, & utilitas. Nam fide per illam semel promulgata; non suppetit *ultra cuiquam excusationis refugium de ignorantia, & inscientia, & intelligentiæ difficultate.* Non ergo omnibus in particulari Synodo, vel etiam ab Apostolica Sede damnatis, integrum rursus est universales Synodos postulare. Nam ut omnibus compertum qui fastos Ecclesiæ vel à limine salutarunt, longè plurimæ hæresum pestes sine universalis Synodi strepitu compressæ sunt: paucæ sunt, quibus Synodus Oecumenica conficiendis affluxerit; hoc ipso ævo Pelagiani longè famosissimi, ut ex Augustino & Prospero suprà docui, quasi non satis discusso negotio, audientiam postulantes, & Orientis Occidentisque Synodum flagitantes, exibilati sunt: Ephesinæ Synodo inseruere se quidem illi; sed inauditi ex prioris damnationis præjudicio condemnati rursus sunt. Quibusdam tamen opprimendis Ecclesia in Synodos Oecumenicas coaluit, non ipsorum hæreticorum arbitrio, sed suo: nec quia necesse erat, sed quia sibi expedire videbatur: nec juris rigore constricta, sed dispensatione tunc uti volens: nec quasi in dubio doctrinæ anfractu alternatura, aut iteratæ dispensationis salum periclitatura; sed præjudicatam firmatura fidem, & eam totius corporis sui, & singulorum membrorum, quasi linguarum totidem vocibus personatura, ut jam longè inexcusabiliores sint, qui anteà miserabile quidem, sed qualecumque tamen sibi de ignorantia patrocinium accersebant. Post Ephesinum certè latrocinium Oecumenica Synodus tempestivior & propè necessaria erat, ne illius Synodi larva aliquibus imponeret.

XVI. Sed advertamus rursus aures animosque ad eundem Leonem, qui *epist.* 63. & Sedis suæ & Oecumenicæ Synodi majestatem consocians; alteri ab altera præsidium & gloriam conciliat. *Quæ nostro Dominus priùs ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut verè à se prodisse ostenderit, quod prius à prima omnium Sede firmatum, totius Christiani orbis judicium recepisset; ut in hoc quoque Capiti membra concordent. In quo amplius nobis accrescit gaudendi materia, dum & tanto magis se perculit inimicus, quantò contra Christi ministros saviùs insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam quam cæteris omnium Dominus instituit præsidem, consensus assentatio videretur: aut ne alia quælibet subrepere posset adversa suspicio: inventi priùs sunt, qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli ad dissensiones incitati ab authore contradictionis, ad insana bella prosiliunt: ad majus bonum, malum ejus authore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulciùs siquidem munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quàm reddita post laborem. Ipsa quoque veritas & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur: dum quæ fides priùs docuerit, hæc postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur authoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum.* Quæ sunt oppidò quàm pulcherrima. Adgaudet enim post promulgatam toto orbe epistola sua fidei definitionem, nihilo seciùs collectam fuisse Synodum Oecumenicam; & hoc amplitudinis suæ non dispendium, sed augumentum interpretatur. Nec enim eò Synodus cojit, ut quasi ignara hactenus, vel dubia rectæ fidei, Leonis ad Flavianum epistolam excuteret, & libratis ultra citraque rationum momentis vel absolveret, vel damnaret. Non id Leo, non id apex ejus ullus innuit, sed ex adverso indubitatissimum fidei decretum à se evulgatum & à singulis sparsim orthodoxis antè Episcopis subscriptum fuisse, & tum postea ab universis collectim in Synodo collaudatum. Profuit ergo Synodus 1. *ut capiti membra concordarent* & succinerent: utque fidei dogma, non à capite tantùm promulgatum, sed ab universo Ecclesiæ corpore palam approbatum, adversariorum ora prorsus obturaret, impetus retunderet. 2. Ut ne assentationi magis, quàm veritatis conscientiæ adscriberetur illa consensio, qua singuli priùs seorsim Episcopi epistolam Leonis amplexati erant. Sparsos enim & singulares incessere metus, aut adulatio urcumque poterat, non in unum & tam numerosum agmen conglobatos. 3. Ut non summorum tantùm authoritati, sed & inferiorum libertati consultum sit. Romanus enim Pontifex controversiarum fidei judex & arbiter est summus, non solus: & Catholici dogmatis magister primus ideo, quia non unicus. Doctorum doctor, Magistrorum Magister est & Parens. Nec Summus quippè ipse, nec Primus, nec Magister esset Doctorum, & Parens, nisi & singuli Doctorum nomine & munere clarerent Episcopi. Itaque postquam fidei dogma debuccinavit Primus & Summus Magister, id ad illius quoque gloriæ incrementum pertinet, ut idem ipsum in Synodo ab Episcopalis collegii universitate promulgetur.

XVII. Ceterùm facessant hinc illæ contentionum næniæ, emineat & antistet Capiti Corpus, an Caput Corpori? Eminet enim Caput cum Corpore, Corpus cum Capite indissociabiliter copulatum. Laudi sibi vertebat & Synodus, quòd Leo fidem occupasset definire: & Leo quòd Synodus definitionem suam examinaret & approbaret. Exulabant hinc & inde tunc indecoræ illæ de gloriæ prin-

principatu concertationes. Uni certabatur charitati claritatique Capitis & Corporis individuæ. Examen autem illud quo & Cyrilli in Ephesina prima, & Leonis literæ in Chalcedonensi Synodo discussæ sunt, ne tibi fingas inusitatum quid & alienum à moribus Ecclesiæ: non aliud fuit, quàm quòd iis perlectis, omnes professi sunt, eam fidem se, & dum tingerentur, imbibisse; & dum tingerent, infudisse. Consule sis acta ipsa. Nec sanè poterant Episcopi, qui ante Synodum applauserant epistolæ, illam in Synodo explodere, vel in dubium saltem vocare. Vide apud Leonem ipsum insertas Galliæ, itemque Mediolanensis provinciæ Episcoporum geminas literas, quibus Epistolæ ejus ad Flavianum subscripsisse se testantur, *quia omnia majorum fidei nobis antiquitus tradita, tota puritate conveniunt, &c. Exultantes recognoverunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætantur.* Nec tamen hæ particulares Synodi, vel Leone, vel Romana Synodo majorem obtinere se gradum potestatis nugabantur. Ita sextæ Synodi acta in Toletano Concilio probata sunt. Ita alibi ex Chrysostomo authoritatem Nicænæ Synodo ipsi ex consensu totius orbis accessisse monebamus. Ita ex Facundo & Ephesinæ & omnibus Synodis pondus & pretium amplificavit ipsa maximè antiquitas. Nec in his ulli somniandi gradus amplioris authoritatis. Sed una occurrere animo debet Ecclesia, quæ unicam suam & incorruptam fidem incorruptibiliter nunc solo capitis oraculo effatur, nunc toto corporis consensu, concentuque promulgat: nunc per dispersos suis in sedibus Episcopos, nunc per eosdem synodicè collectos, nunc per præsentis, nunc per posteri ævi homines eandem ingeminat. Ubique par fidei constantia & incorruptibilitas, par & una Ecclesiæ majestas: sed hominum imbecillitati serviendum quandoque, qui antiquitati lubentiùs assurgunt, etsi veritas, & majestas fidei Ecclesiæque, semper cana sit: qui plus moventur Episcoporum adunatorum agmine, quàm suis è sedibus consentientium pari concentu: qui denique capitis effata, si accedat etiam corporis totius applausus & eloquentia, pronioribus auribus animisque bibunt, cùm non aliud corpus quàm capiti succinere, caput corpori præcinere possit.

XVIII. Subdubitasse nonnullos tamen circa Leonis epistolam primò, nec nisi elucidatis ambiguis consensisse, docet nos apud ipsummet Leonem epistola Gallicanorum Præsulum. *Multi in ea gaudentes pariter, & exultantes, recognoverunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætantur. Nonnulli solicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè & fiducialiter, suffragante etiam Apostolicæ Sedis authoritate, eloquantur, & asserat unusquisque quod credit.* Ita & *act.* 4. Chalced. nonnulli Episcopi ingenuè fatentur se orthodoxum semper indubitatissimè habuisse Leonem, sed de ejus epistola *dubitasse*, ne divisionem quandam mysterio Christi inveheret: per vicarios ejus Synodo præsidentes, *ad expellendam omnem dubitationem paratissimos*, sibi satisfactum esse, ideoque se subscripsisse. Verùm hi de orthodoxa Pontificis fide nec vel tantillum dubitant, de intelligentia & sensu ejus epistolæ tantisper ambigunt, dum verborum vim minùs assecuntur. Non efficitur hinc ergo fas esse circa Pontificia decreta ambigere, universali utpotè Occidentis atque Orientis Ecclesiæ concentu firmata, nisi quia fas est, seu veniale potius hominibus est, verba & sensa oraculi non statim capere. Cohærentem enim & consentientem suo vertici Romano præsuli Ecclesiam palam suspiciebant: itaque ut Ecclesiæ Catholicæ dogmata casta, eliquataque haurirent, ab eo se *instrui* gaudebant & *admoneri*, admoniti acquiescebant. Cæteri hæsitatores, quorum causationibus elidendis Synodus indicta est, à Leone suprà hoc elogio notabantur, ut *inimici, ad dissensiones incitati ab authore contradictionis, ad insana bella prosilientes*: & *mali* authores, quod tamen Deus bene vertisset.

XIX. In Synodo rursus quinta, *Collat.* 7. eminent ejusdem rei vestigia. Jussit enim Imperator convenire Synodum, *non tanquam ignorans in dogmatibus rectitudinem vestræ sanctitatis, & voluntatem, quam de his quæ moventur, habetis: sed ut etiam synodicè de his tribus capitulis definitio constituatur.* Et elegantissimè *Collat.* 8. ita pronunciat Synodus: *Ut definitio communiter ab omnibus præbeatur, fidei rectæ conveniens, piissimus Imperator secundùm quod inter nos placuit, tam ipsum Vigilium, quàm nos hortatus est communiter convenire, eo quòd sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere.* Quòdque recusasset Vigilius Synodo interesse, sed suam privatim sententiam mandare literis decrevisset, ait Synodus: *Pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones. Licèt enim Sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio circa ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad Gentes scribentes, Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* Inerrantiæ prærogativam apertè tribuunt Apostolis, *circa quos abundabat gratia Spiritus Sancti: & qui alieno non indigebant consilio, circa ea quæ agenda erant.* Et ipsos tamen jure convolasse ad Synodum, ut *communiter* sententiam ferrent, nempè *de communibus quæstionibus*. Porro nec Vigilius, nec Synodus mutuò sibi insidiabantur, ut primas authoritatis invaderent: non inerrantiam sibi seorsim tantùm rapiebant; non provocationum jura increpabant hinc illinc, sed cœlestia fidei & disciplinæ dogmata, ille solitariè scribere, ista in communi conventu tractare gestiebat. Nec Apostolis singulis omnes, vel omnibus unus aliquis anteponitur, ita ut unum quemlibet labi seorsim potuisse, in fratrum Concilio non potuisse venditetur: sed simpliciter obtenditur, communes causas in communi tractandas. Quod verò subditur, *Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget, &c.* Clementer interpretandum utique est, ne & superiori de Apostolis effato officiat, & Augustino, immo Ecclesiæ obsit, tam exitiales & tam multiplices errorum insufflatores, citra Synodorum generalium congregationem, condemnanti frequentissimè.

XX. Quoniam autem illud argumentum prælibatum hìc jam est, à Petro profectum, qui Apostolica Synodo nihil principatui suo decerpi sentiebat, audiendus in eandem rem Chrysostomus *homil.* 3. *in act. Apost. Surgens Petrus in media discipulorum, &c. Quàm est fervidus? Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro] Princeps est? & ubique primus omnium incipit loqui, &c. Jam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio.* Cùmque duo constituti essent, *Non ipse eos statuit, sed omnes. Cæterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans suam non esse, sed è supernis profectam, juxta Prophetiam, &c. Meritò primus omnem authoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus, Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Et *hom.* 33, latè prosequitur Apostolicum de amoliendo à gentilibus legis onere Concilium: non quòd post Petri de admittendis in Ecclesiam gentibus visionem & decretum hæsitarent Apostoli: non

quòd

quòd singulis Apostolis ea esset Spiritus penuria, quæ non sufficeret istiusmodi ambagibus extricandis: non denique quòd à sententia Apostoli cujuspiam provocari tunc posset ad Concilium: sed quòd cum hominum natura ita comparatum sit, ut causæ communes communibus suffragiis sint transigendæ, & istiusmodi definitionibus inexcusabiliùs obsistatur. Quibus adde hæc perpauca ex *lib.* 2. Etheri & Beati adv. Elipan. *Ut fides firma daretur Ecclesiis, duodecim Apostoli sunt à Christo electi. Quorum Petrus cum esset eorum primus, solus non est ausus componere Symbolum; sed duodenario numero Apostolorum cum magna est cautela collectum, & credentibus assignatum, &c. Qui cum omnes unum essent, unum etiam composuerunt communiter Symbolum.* Itaque quod in commune consulere, & definire omnia Apostolos ipsos oportuerit, non inde vel singulorum, vel Petri inopiam gratiæ, aut lucis penuriam, aut labendi periculum augurabantur antiqui Scriptores, aut ambitiosè quis eorum videretur esse major, disceptabant: sed solam inde communionis necessitatem & charitatis confibulationem philosophabantur.

XXI. Ad eundem Elipandum Carolus Magnus scribit *ter quaterque se misisse ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.* Subdit se Britannos quoque, Italos, & Galliæ, Aquitaniæ, Germaniæ Episcopos percontatum esse, eorum elicuisse definitionem, his suam se quoque suffragationem adjunxisse; *post hanc verò correptionem sive admonitionem Apostolicæ authoritatis & synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omninò vos pro hæreticis haberi.* Post Romanæ Sedis definitionem, recurritur adhuc ad aliorum Episcoporum particulares Synodos, non provocando, non harum supra Pontificem eminere fastigium jactitando; quis enim ita desipiat? sed jura juribus, sententias sententiis accumulando, atque qui pondere judicum non patiuntur suam pertinaciam frangi, numero obruantur. Hanc porrò particularium toto Christiano orbe Synodorum conspirationem quis non videat Oecumenicæ Synodo æquiparari? Nec sanè ulla generali Synodo Elipandus obrutus est. Ergo hìc sententia Romanæ Sedis non provocando, non in integrum restituendo in aliis ventilatur rursus Synodis, sed aliarum quoque Synodorum consensione corroboratur. Eodem collimat quod contra eundem scribens Paulinus Aquilei, *lib.* 7. nihil admodum laborat Romanam & universalem Ecclesiam discriminare: cùm nusquam tunc universalis Ecclesia in Oecumenicam Synodum affluxisset. *Nos Romana plus authoritate quàm Hispana veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus. Licèt nec illa reprobemus, in his tamen quæ catholicè dicuntur. Unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.* Ita & Albinus Flaccus adversùs Felicem Urgel. disputans *lib.* 1. Ecclesiæ Romanæ & universalis unam indiscretamque authoritatem, citra Oecumenicæ Synodi convocationem, demonstrat: *Elegantissimè Felix præcipuam Sanctæ Dei Ecclesiæ unitatem toto orbe diffusam adserit, sed minùs seipsum, suosque sequaces considerat, qui in uno terrarum angulo, &c. Porrò nos intra terminos Apostolicæ doctrinæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus, illorum probatissimam sequentes authoritatem, &c.* Cujusmodi ariete Felicem subindè pulsat Albinus. Quin & apud eundem Felix ipse aliquando resipiscens tandem, in Synodo coram Leone Papa confessionem edit rectæ fidei, profiteturque se *authoritate veritatis, totius Ecclesiæ universalis consensu convictum, ad universalem Ecclesiam reverti, &c. Se cum universali Ecclesia quæ toto mundo dilatata noscitur, similiter sentire, &c.* Nec suam Leo Romanus Pontifex injuriam interpretabatur, quòd non Romanæ sed universali Felix subscriberet Ecclesiæ, gnarus capitis & corporis, Romanæ & universalis Ecclesiæ fidem, majestatemque unam & individuam esse.

XXII. Sextam & septimam Synodum consultò prætermisi, ut in quibus nemini non exploratissimum est, anteriora Romanæ Sedis judicia, & ea fidei quæstionibus decreta retractari haud sanè, quasi re integra, potuisse. Venio ad octavam, ubi judicium Nicolai Papæ I. contra Photium & ejus asseclas instaurari pertinaciter flagitavere Proceres à Basilio delegati, alioqui subscribere se, ut moris erat, non posse interminantes. Quos suffragio etiam suo juvit Metrophanes Smyrnæ Metropolita, ajens: *Divinus Apostolus ita inquit, Prophetias nolite spernere, omnia autem probantes, quod bonum est, retinete. Sanctissimos itaque vicarios senioris Romæ tanquam Prophetas nequaquam spernimus. Probantes autem verba magnificentissimorum Principum, invenimus ea justa, & congruentia: & propterea etiam Episcopi omnes, & sancta hæc Synodus favemus postulationi magnificorum Principum*, &c. Et nec quicquam obluctantibus legatis, renovata in Photium ejusque gregales damnationis & anathematis sententia. Verùm multa hic pensiculanda se offerunt. Nam 1. judices ipsi dispensationi magis quàm juri largiendam esse hanc Apostolici judicii innovationem contestantur, *ut in conspectu nostro obstruantur ora ipsorum, ex canonicis, & synodicis præceptionibus, &c. Rogamus, ut hi qui languent, sanentur; ut corrigamus, qui non habent certitudinem veritatis; ut erigamus, qui deorsum jacent.* Se enim sententiæ Romanorum Pontificum prorsus acquievisse, sed eorum qui se inauditos damnari, vel indemnatos ejici quiritabantur, languori & ruinæ medendum esse.

XXIII. Infrà iidem Judices: *Duodecim discipulos habuit Dominus noster Jesus Christus. Thomas verò qui dubitavit, & incredulus, & infidelis, damnatur? Non. Ad multorum enim certitudinem facta est incredulitas ejus. Veniant & isti, si fortè magis per infidelitatem impiorum, & verorum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur.* Perspicuè remittendam juris asperitatem, & ex indulgentia rursum audiendos postulant, quos incredulos, infideles, languentes, jacentes, impios, veri impugnatores confitentur. 2. A judicio Nicolai, nec provocaverant, nec supplicaverant Photiani isti, nec quomodocumque causam suam restitui in hac Synodo experierant. Id ipsi hìc clamant: *Nec valebamus huc venire, jussit Imperator, ut inveniremur in Palatio, & coram præsentia ejus reperti sumus illic hoc modo.* Ergo non rei, sed proceres postulaverant instaurari judicium: ut vel sic os illis obturaretur. Ita teste Augustino *Epist.* 162. Constantinus Donatistis post Romanam Synodum concesserat Arelatensem, *non quia necesse erat, sed eorum pervicacitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere.* Sed si Donatistæ non cesserunt instaurato judicio, quod flagitaverant; multò minùs acquievere Photiani Synodo octavæ, à qua perinde, ut à Nicolai sententia abhorruerant. 3. Fingebant illi de quibus agitur, se ignorare Nicolai Papæ sententiam, nedum ab ea provocabant, aut supplicabant. Id ergo proceres unum orant, ut hæc eorum causatio elidatur. *Vicarii senioris Romæ dixerunt: Et quos dicitis introduci, ignorant quid judicavit sancta Romana Ecclesia; Rabanes dixit: Ignorant. Cum enim non essent ibidem, nec audissent opus vestrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultis ad suam ipsorum condemnationem? Et Vicarii dixerunt: Excusationem quærunt. Totus mundus, Oriens, Occidens, & Constantinopolitana Ecclesia novit: quia judicium datum est*

est adversùs eos. Magn. & glor. Princeps dixerunt, Quod per multum temporis per voces & sermones absolutos creatura omnis audivit, volunt per opus & ipsa gesta certificari. Fingebant duo aliqui se Romæ comministrasse Papæ Nicolao, tantum abest ut censura ejus ulla afflatos confiterentur se fuisse, ut ibidem habetur. 4. Assentiuntur Vicarii Apostolici, sed quid? ipsi edicunt: *Ingrediantur, & stent illic deorsum in ultimo loco, & audiant estipolam, quam misit ad Imperatorem Nicolaus Papa, &c.* Et rursum paulò post: *Ingrediantur, sed nos non propter contentionem advocamus eos, sed ut tantùm B. Papæ Nicolai epistolam audiant.* 5. Tota concertatio exardescit ibidem, Photius & Photiani à Nicolao Papa admissi aliquando an essent? negantibus Vicariis, ajentibus & mentientibus Photianis. Tum Nicolai literæ leguntur, & ita profligata quæstio est, exclamantque Proceres ad Vicarios: *Ex his quæ nunc audivimus, satisfacti sumus, quia veritatem dixistis. Epistola enim repellit illos, & innotuit nobis, quia Photium & manus impositionem ejus sanctissimus Papa Nicolaus non recepit.* 6. At *act.* 6. ejusdem Synodi, cavillantibus Photianis, Canones & Nicolao & Patriarchis omnibus superiores esse: multos à Romano Antistite damnatos, alibi absolutos fuisse: excipit Basilius Imperator, neminem ab omnibus Patriarchis damnatum, restitui unquam potuisse: Vicarii Romani abruptiùs respondent, damnati ab Antistite Romano, non pati se, ut vel cum Imperatore vel secum ampliùs colloquantur: sed cùm illi repudient, quæ exposita sunt à Sanctis Patriarchis, *Nos nihil aliud facimus, neque subvertimus, neque rejudicamus judicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum contra Photium & sequaces ejus.* Et Metrophanes multò peritior, ut par erat, arcanorum Ecclesiasticæ disciplinæ, quàm Basilius Imperator, respondet: *Quod dixisti, multos Romanorum Ecclesia justificante damnatos arbitramur, & rursus damnante, justificatos habemus: falsum est, & procul à veritate.* Quod ibidem prolixè & validè demonstrat, per singula excurrens argumenta, quibus innixi adversarii ferociebant. Et concluditur illa tandem Actio hac legatorum contestatione, damnatum cum suis Photium à Nicolao, & ab Adriano, ab isto se missos *ad manifestationem & certitudinem veri & justi judicii ipsorum, in conspectu justi imperii vestri, & hujus sanctæ ac magnæ universalis Synodi, ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis; sed quemadmodum jam judicati sunt & dejecti, in æternum maneant. Et Ecclesiæ Orientalium gratia Dei nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant, &c.* Ex quibus videtur constare nequaquam id sibi sumpsisse hanc Synodum, ut de judicio Romanorum Pontificum judicaret, quasi supplicatum fuisset; sin minùs appellatum ab ipsis, & res tota in integrum restituta esset. Sed ut dicitur infrà, *act.* 10. *in epist.* Synod. cùm damnatum Nicolai sententia Photium extrusisset Basilius, & Ignatium restituisset, universalem tamen is ipse Synodum coegit, *ad manifestiorem veritatis satisfactionem & certitudinem.* Nempe quia damnatos se Romæ Photiani quidam pernegabant. Quod ergo subditur, *cum multo scrutinio & probatione, quæ acta sunt, examinantes, reperimus, &c.* ad illum sensum retorquendum est. Aut si quòd aliud sapiat, eo quoque referendum est, quòd legati non subscripsere Synodo nisi *usque ad voluntatem* Romani Præsulis. Connixi erant enim ipsi summa semper ope, ne semel judicata Romæ, rursus hìc judicarentur.

XXIV. Sed illud præ cæteris ratum, fixumque esse cupimus, Romanæ Sedis Antistites sua de fide vel de personis judicia in Oecumenica Synodo retractari, examinataque iterum causa confirmari, non semper concessisse, non semper intercessisse: ubi intercesserunt, suo id jure feciisse, & nihilo sequiùs semel ab ipsis damnatos, irretractabili infamiæ succubuisse: ubi concesserunt, sua sponte & quadam juris venia facta, indulgenter concessisse, nec aliud unquam, quàm confirmatas ipsorum sententias; nec ex Concilii Oecumenici authoritate mitigatam, aut fractam fuisse perduellium contumaciam, quin plerumque in abrupta desperationis præcipitatam. Ita Pelagianis & Cælestianis negata Oecumenica Synodus. Ita Acacianis & Orientalibus restitui causam Acacii & in Synodo generali retractari postulantibus, strenuè restitit Gelasius; & *non putantes jure damnatum, quod non speciali Synodo videatur esse dejectus,* suggillavit. Nempe ut *epist.* 13. ait ipse, *Quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes Beati Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpotè quod de omni Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat appellare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Et mox: *Sed nec illud prætermimus, quod Apostolica Sedes frequenter more majorum, etiam sine ulla Synodo precedente, & absolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat: & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Itaque ille & Chalcedonensi Synodo abundè damnatum Acacium, ut Eutychianis adulantem interpretabatur: & citra ullius Synodi, nempe generalis, operam damnari posse quoslibet ab Apostolica Sede sperabat. Quod & pervicit tandem. Nam sola Romanæ Ecclesiæ, & Pontificiæ sententiæ authoritate fractus Oriens, & Justinus in primis Imperator, in gratiam rediit cum Romana Ecclesia, expuncto sacris fastis Acacii nomine. Denique tot ferè hujus rei sunt exempla, quot hæresum, quæ pleræque, teste Augustino, particularibus Synodis, & consensu universalis Ecclesiæ, ad sui capitis unitatem religatæ & conspirantis, ita proscriptæ sunt, ut nulla vel petentibus Oecumenica Synodus concessa sit. Annuere rursus quandoque Romani Pontifices post primæ Sedis judicia, Oecumenicas cogi Synodos, sed ex quadam veniæ redundantia. Ita Leo negabat Eutychetis errori sopiendo opus esse Synodo generali, quam Theodosius Ephesi convocarat, & suos tamen eò legatos misit. Denique si non est necesse, ex indulgentia ergo condonatur, ut erroris sui tenaciores, per Oecumenicam Synodum omni excusationis patrocinio spolientur. Et quamquam videri posset invitis id expugnatum fuisse Pontificibus, ut post ipsorum judicia Synodi coalescerent; nequaquam tamen ita habet.

XXV. Nam etsi Synodum Oecumenicam adversùs Eutychetem coire dehortaretur primùm Leo, assensus est tamen postea. Priùs enim juris rigorem, pòst indulgentiam sectabatur. Ita Cælestinus intra decem dies Nestorium, aut receptui canere, aut extrudi sacerdotio sanxerat, nec de generali Synodo tunc, vel ipse, vel Cyrillus cogitabat: sed Imperatori tamen ita cupienti uterque assensus est. Ita Quintæ Synodo Romani Pontifices obluctati primò fuerant, pòst acquieverunt. Non id ergo novum, sed antiquissimis & SS. Pontificibus, tum Romanis, tum aliis Augustini sententiæ consentaneis solemne fuit, Oecumenicas Synodos deprecari; tanta Ecclesiæ fatigatione, Episcoporum discursatione, Ecclesiarum spoliatione supersedendum clamitare; hæreticos & in provincia quemque sua & Romæ semel damnatos, comprimendos, nec tumultuationibus suis orbem universum miscere permittendos vociferari; & tamen ubi æqua dispensandi necessitas, vel utilitas alluceret, acquiescere.

XXVI. Ubi ergo posteris sæculis, quod infrà monebimus, & fusiùs elucidabimus, à Pontifice provocatum est ad Concilium: vel ludificatoriæ, & perversæ illæ fuere provocationes: vel certè ad morem supplicationum interpretandæ sunt, & vel sic tamen novitatem quandam invidiosissimam

præ

præ se ferebant. Nusquam enim olim provocatum à Pontifice ad Concilium: nusquam ferè etiam supplicatum: nusquam invito Pontifici id extortum. Sed cùm Concilium ratum illud sit tantummodo, quod à Pontifice colligatur, & cui ipse, vel per se, vel per legatos præsit; ab ipso utique ad ipsum provocabatur, id est, ipsi supplicabatur. Et has ipsas provocationes, ut melioribus Ecclesiæ sæculis inauditas, (in negotio videlicet fidei, qua de una nos agere sæpissimè toto hoc priore dissertationum libro contestamur;) ut à Novatoribus ad declinandas enervandasque fidei etiam per Ecclesiæ universalis consensionem stabilitæ definitiones, posteriore ævo frequentiùs usurpatas, jure vetuere Pontifices.

XXVII. Atque ut ex postremo hoc ævo nostro intelligas Ecclesiam à seipsa nihil desciviſſe, tametsi constragosæ illæ non ita pridem infremuerint, & adhuc inter scholarum pulpita crepitent concertationes, de Pontificis vel Concilii prærogativa, & principatu potestatis; obiter referam ut Pontifices, ut Ecclesia adversùs nuperrimæ hæreseos contagia consuluerint. Lutherum enim ita Leonis X. censura prostravit, ut Ecclesiæ universalis authoritas Pontificiæ individuis nexibus copulata ostenderetur. Ait enim Leo, *Exurgat denique omnis cœtus sanctorum, ac reliqua universalis Ecclesia, &c. tom. 10. Conc. pag.* 170. Ita ille cùm Petrum & Paulum antea compellasset. Laudat mox Colonienſem & Lovanienſem Universitatem, quæ istiusmodi errores jam inutere præceperant. Nec omittam, quod inter Lutheri deliramenta Pontificio hoc diplomate contrita, istud quoque legitur: *Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire. Præsertim in re non necessaria ad salutem: donec fuerit per Concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.* Quod delirium vides quantis hìc argumentis exufflaverimus. Sed ut Pontifices, ita hæreticos præcessorum suorum fuisse imitatores, ex alia quæ statim ibi subjicitur & feritur, Lutheri vecordia patebit: *Via nobis facta est enarrandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum à quocumque Concilio.* Inolitum ergo hæreticis est, Concilii obtentu decreta Pontificia ludificare & ipsa mox Concilia deridiculo habere. Usque adeo qui Pontificum anterioribus definitionibus illuserant, Concilia Oecumenica flocci fecere semper. Ut inde magis eluceat non necesse fuisse plerumque coire Concilia; & ubi coaluere, indulgenter id datum, ut vel sic causationibus adversariorum occurreretur. Ibidem Leo Lutherum dolet *in vocem temerariæ appellationis prorupisse ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii II. ac Julii II. prædecessorum nostrorum, qua cavetur, taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos. Frustra etiam Concilii authoritatem imploravit, qui illi se non credere profitetur.* Vides hinc quàm jure merito appellationes istiusmodi prohibitæ sint, ut quæ patentissimam tergiversationibus januam pandant, & plerumque ab iis usurpentur, qui tempus lucrari studeant, Concilio nihilo plùs quàm Pontifici morem gesturi. Denique summam errorum Lutheri hanc esse Leo concludit, quòd inde sequeretur, *Ecclesiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare, & semper errasse. Ibid. pag.* 176. Suam ergo & Ecclesiæ authoritatem indivulsè cohærere sentit. Adrianus VI. similiter in Brevi ad Fred. Sax. Ducem., objurgat acerrimè plus credentes uni homuncioni, quàm *tot sanctissimis ab initio Patribus, tot universalibus Conciliis, sanctæ denique Ecclesiæ Catholicæ, &c. quàm reliquo orbi universo, &c. Unus apostata tibi potuit persuadere, fefellisse priores universos, errare posteros, & in solum se, & quos decepit, pervenisse regnum Dei.* Universalis, ut patet, Ecclesiæ inexpugnabilem authoritatem ubique intentat Pontifex, ut cujus consensus vicem gerat Concilii generalis. Nec aliter Concilium Senonense ann. 1528. cùm sola Pontificum diplomata hactenus detonuissent, fidenter Ecclesiæ universæ consensionem, ut veritatis facem inextinctam novellis hæreticis objectat. Nempe Pontificio decreto assentiente Ecclesia, stultum est præterea Concilium generale expetere hæreticos, qui in Ecclesiæ universalis consensu inesse Concilii vim perspicere debuerant. *Voluit Deus tantam esse Ecclesiæ suæ stabilitatem & potestatem, ut per eam veluti per infallibilem quandam regulam, ad salutem mortales dirigerentur, &c. Nec gloriari possunt hæretici, quasi apud illos resideat Ecclesia Catholica. Nam cum illa sit universalis, omnesque fideles amplectatur, alioqui Catholica non esset, angulis aut latibulis hæreticorum nequit circumscribi.* Et infrà: *Cum sciant hæretici, sicut baculo canes, ita universas suas hereses Ecclesiæ repelli authoritate.* Et inferiùs, ut non de fidei regulis confligatur, sed regulæ regulis, & jura juribus accumulentur, & tantò certiùs conficiantur hæretici: *Quasi verò magis sit paucis iisdemque temerariis errorum fatoribus credendum, quàm omnibus doctoribus, sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, summis Pontificibus, Generalibus Conciliis, quo stultius dici nil potest, aut furiosius.* Ita ibi in præfat. Et in generali decreto: *Ecclesia quippe universa errare non potest, utpotè quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum.* Et infrà in decreto 1. *Una igitur sancta & infallibilis Ecclesia, quæ nec à charitate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deviare.* Quæ in eo Concilio sexcenties ingeminantur contra serpentem Lutheri perfidiam, cùm necdum de Concilio generali quidquam sonaret, cùm sola Pontificum decreta irradiassent orbi, & Christianæ Ecclesiæ silentio, velut indubitato assensu confirmata, vicem Concilii Oecumenici obtinerent in antecessum.

XXVIII. Sed audiendus ipse Paulus III. in bulla indictionis Concilii Trident. *Animo repetentes majores nostros sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpè in summis Christianæ Reipub. periculis, remedium optimum, atque opportunissimum, Oecumenica Concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse: ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus.* Vides quàm suæ non infestam Concilii potestatem ducat? At infrà quo fine Concilium post diplomata primæ Sedis, habendum sit, ita declarat: *Cum peteretur à nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur, & deciderentur: idque nobis, ut concederemus, neque Christiana, & Catholica veritas, neque nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palam potiùs Concilium ut quamprimùm fieret, mandavimus.* Et ante Concilium ergo dissentiebant ab Ecclesia Novatores, nec eorum *tolerandæ* videbantur placita, solo nimirum Apostolicæ Sedis oraculo fulminata; nec ita in Concilio discuti, & decidi permissa sunt, quasi dubia antè, vel tolerabilia fuissent, sed ut pluribus fulminibus obruerentur. Ita *sess.* 14. Pius IV. ait: *Cum intelligeremus ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consuevisset, Oecumenici generalisque Concilii, ejus congregandi, & Deo juvante, celebrandi consilium cepimus.* Et tota illa tamen sessione claret, novellos tunc Evangelii & Ecclesiæ desertores, etiam ante Concilium albo hæreticorum ascriptos fuisse, & per salvos conductus scrupulosissimè trutinatos tutum sibi ad Concilium iter munire quæsisse, & nec ea ratione pleroſque ipsorum in tantum discrimen conjicere se voluisse; adeo suo ipsi judicio implacatas cum Ecclesia simultates susceperant. Nec anteriori ergo Pontificum decreto & authoritati Apostolicæ Sedis derogat quidquam Oecumenicum Concilium: nec supervacanea sunt Concilia, quibus con-

confecta jam hæresum portenta plenius conficiuntur, & irreparabili strage conteruntur.

XXIX. Ad id pertinet illud Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, pòst Episcopi Lexoviensis, tractatus in Girardum Engolism. Episc. *cap. 2. Ad hoc enim Concilia celebrari sanctorum Patrum sanxit authoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret: & velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius Ecclesia mater cognosceret; ut adversùm vitia severiùs insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentiùs auspicari.* A quibus non abludunt verba Tertulliani L. de Jejun. *Per Concilia, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa representatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auspicante, congregari undique ad Christum!* Apage ergo putidas illas & inauditas beatioribus sæculis lites, à Christo ipso prædamnatas, *quis eorum videretur esse major.* Ne digladiemur, major Synodo Pontifex, vel Pontifice Synodus Oecumenica sit. Sed agnoscamus succenturiatum Synodo Pontificem, seipso majorem esse: truncatam Pontifice Synodum, seipsa esse minorem. Ita non exercitus major est duce, sed succinctus exercitu suo dux, seipso major est; divulsus à duce exercitus, seipso minor, & nec exercitus est, sed palantium dissipatus grex, vel grassatorum cuneus. Ita Ecclesia velut castrorum acies ordinata in Synodo, *exercitus sui facultate conspecta, ipsum se plenius cognoscit;* quæ si se capiti suo abscindat, & collidat, utique minor, & capite minuta decrescet.

XXX. Nec obiter prætereundus est Cusanus *l. 2.* de Concord. *cap.* 17. ubi sic habet: *In plenariis Conciliis gesta & judicata per Romanos Pontifices, etiam synodicè inveniuntur repetita & examinata, ut in Chalcedonensi Concilio judicium Leonis contra Dioscorum. Et in sexta Synodo judicium synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum & Sergium. Et in octava universali judicium Nicolai & Hadriani contra Photium.* Addit ex August. *epist.* 162. de judicio Melchiadis adversùs Donatistas, *Ecce, putemus illos Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* De octava Synodo copiosè supra diximus. De Dioscoro infra dicetur. De sexta Synodo alibi suo loco. Quod ad judicium Melchiadis de Donatistis, indidem validissimum arcessitur præsidium nostræ sententiæ. Nam refricanda hic omnino sunt illa Augustini verba *epist.* 162. *Dedit Constantinus aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum. Non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ judicaverant, ipse judicaret. Sed alios, ut dixi, dedit Episcopos, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt.* Vides post Miltiadis judicium, restaurari aliud in Synodo Arelatensi judicium, *non necesse jam fuisse,* & ex venia, ac remissione juris id factum. Vides id relaxatum fuisse, quia Donatistarum *perversitatibus cedebat* Imperator, *& omnino cupiebat tantam impudentiam cohibere.* Vides quos Romani judicii authoritas non inflexit, nullius pòst Synodi pondere frangi potuisse. Ergo quod dixerat Augustinus, post Romani Pontificis judicium, superfuisse Concilium universale, id veniæ temperamentum erat, non juris præsidium. Adde quòd expressè monet Augustinus in universali Concilio interesse priores judices debuisse. Ergo non appellationis, sed supplicationis via panditur ab Augustino, quæ Principis majestati nihil officit. Principi enim supplicatur, qui sua sponte abnuit, vel annuit, judicium ipsemet suum in frequentiori senatorum cœtu redintegrare.

XXXI. Nec aliter Pontifex quàm ut totius Ecclesiæ caput, mens, vox, eloquitur, vel à fidelibus auditur, sive in Concilio sive extra Concilium fundat oracula. Et Synodi ergo voces, ac definitiones Pontifex suas esse interpretatur; & Pontificis decreta Synodus ad se pertinere existimat. Luculentè prorsus in Conc. Basil. responsione synodali de Romano Præsule: *Quidquid in sacris statuitur Conciliis, sua etiam authoritate statuitur; quæ semper ibi refulget, ut prima & præcipua omnibus, caput & directrix. Et cum aut personaliter aut authoritativè semper in Synodis universalibus intersit, ipseque Ecclesiæ rector sit & pastor, decreta Conciliorum, etiam sua & Sedis Apostolicæ non immeritò dici possunt. Nos enim unum Ecclesiæ corpus sumus, & ipse hujus corporis caput, sub capite Christo. Quidquid igitur fit ab hoc corpore Ecclesiastico, etiamsi omnia membra in idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit: magis tamen ac præcipuè operatio quævis capiti appropiatur & ascribitur, ab ipsoque magis quàm ab alio corporis membro procedere censetur, &c. Dum ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, & sub nomine suo ac persona ejus decernuntur. Dum abest, sui præsidentes, qui vices ejus funguntur, per sacrum Concilium deliberata concludunt.* Ergo ut ibi efficitur, cùm Conciliorum decretis morigeratur Pontifex, non majori alicui potestati, sed sibi morem gerit. Ipsemet enim ea decrevit. Ita quæcumque seu primò, seu iterum re in integrum restituta, à Concilio judicantur, ipse judicat, ipse in integrum restituit, ipse sua judicia retractat. Sicut & de Conciliorum decretis cùm dispensat, de suis ipse dispensat, ut ibidem subjicitur: *Per Concilium statuta, in nullo derogant suæ potestati, quin pro tempore, loco, causisque & personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari, dispensareque possit, atque uti summi Principis* epiæcæa *quæ ab eo auferri nequit.* Auferri igitur non potest à Pontifice *summi Principis* potestas dispensandi, judicandi, extra Synodum & in Synodo. Quia quidquid à corpore, seu Concilio geritur, Capiti præcipuè adscribitur.

XXXII. Non pigebit & illud obiter hic advertere, quod confitetur Petrus de Alliaco lib. de authoritate Eccl. *par. 3. cap. 2. Quærere an errores contra fidem debeant in Concilio per summum Pontificem damnari sub hac forma, Nos hoc sacro approbante Concilio damnamus, &c. aut damnari debeant sub ista forma, Sacrosanctum Concilium damnat, &c. non est quæstio inutilis, quia utraque forma in decretis generalium Conciliorum reperitur.* Utra tempestivior sit, non litigo. Utramque malim opportunissimam profiteri, si utraque in Conciliis generalibus reperitur. Si instar enim habeant Evangeliorum Concilia: quid ibi minùs tempestivum suspicabimur? Sed quia antiquiorum Conciliorum morem posteritas sui fastidiosa, antiquitatis miratrix magis suspicit, ad Chalcedonensem Synodum recurramus. Eam *authoritate* Leonis *authore* Leone celebrandam semel iterumque rescripsere Imperatores. Ei porrigitur *act.* 3. & recitatur libellus Theodori Alexandri, Diaconi, inscriptus *sanctissimo ac Deo amato & universali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ universali Chalcedonensi Synodo.* Alius item Ischyrionis Diaconi, item tertius Athanasii Presbyteri, quartus itidem Sophronii eadem inscriptione insignes. Actione 3. Julianus Episcopus ita fatur: *Nunc vestra sanctitas authoritatem habet Sanctissimi Episcopi Leonis, & omnis Sancta Synodus cognovit singula, &c. Petimus ergo sanctitatem vestram, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare sententiam in Dioscorum, &c.* Tunc Paschasinus, & cæteri Leonis Vicarii, sententiam

profe-

proferunt depositionis in Dioscorum, qua tum flagitia ejus varia pernumerant, tum denique ita concludunt: *Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem Sanctam Synodum, unà cum ter beatissimo Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & recta fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quàm, &c.* Ubique perspicis primas tenere Leonem ante Concilium, non quod illâ jam tum animos incessisset altercatio, emineat Papa Concilio, an ex adverso. Sed quòd utriusque una & indiscreta majestas esse intelligeretur, dependeretur autem capitis is honor à membris, qui in membra ipsa illico redundaret. Nam & in relat. ad Leonem sacra Synodus ait, illum sibi *ut caput membris* præfuisse. Et ipsum enixè orant, ut concessam à se ampliationem honoris Episcopo Constantinopolitano confirmet, *lucente apud vos Apostolico radio, & usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam illum spargentes, &c.* Et infrà: *Rogamus, tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis impendimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Nulla recentissima Synodus pluribus, & illustrioribus documentis, suam in Apostolicum Pontificem venerationem insignivit.

XXXIII. Atque ut postremo hoc argumento rem conficiam, agnato materiæ, quam tractamus, Marciano succedens Leo Imperator, & quomodocumque mederi cupiens sauciatæ Eutychianorum furoribus Ecclesiæ, prout narrat Facundus *lib. 12. cap. 3. Per Metropolitanos Episcopos literas generales misit, consulens de Chalcedonensi Concilio, ut convenientibus secum coepiscopis suis & clericis sua responsione signarent, quid eis videretur: His acceptis iidem Metropolitani cum suis collegis, sicut erant commoniti, de sua quisque provincia responderunt, tam concordi atque constanti sententia, quàm solet multos unire spiritus veritatis. Nam licèt è diversis, longèque distantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium responsa diversum, quibus decreverunt irretractabiliter esse custodienda Chalcedonensis decreta Concilii.* Tum luculenta hæc præ cæteris eorum verba hæc ascribit: *Quoniam sicut Soli nihil minus est, ad demonstrandum, quia Sol est; sic & magna, sancta & universali Synodo Chalcedonensi minus quidem honorum nihil omnino est: neque additamento aliquo eget, neque detractione, à Spiritu Sancto velut divino quodam Sole condita.* Extraordinaria prorsus hæc fuit examinatio Concilii Chalcedonensis, aut fidei potiùs ibi definitæ; sed necessitati tamen, vel utilitati compensationis ex dispensatione donata; ut eorum calumniæ retunderentur, qui sola Imperatoris Marciani potestate, actam esse præcipitem Episcoporum turbam in errorum devia blatterabant. Ut nemo autem Metropolitanos istos, Synodosve provinciales, seu disjunctim, seu collectim, universali Synodo majores argutabitur, etsi per eas extraordinariè retractata sit & confirmata Chalcedonensium decretorum ratio: Ita nec Pontificis dedecori vertet, aut major illo Synodus efficietur, quòd ejus judicia in Synodo rursus extraordinariè ad incudem revocata sint. Utrobique enim supersederetur protinus illa futili vitilitigatione, *Quis eorum videretur esse major.* Utrobique nemo alterius adcremento sibi quid decrescere, immo ut in unius compage corporis, alterius amplitudinem sibi accrescere nemo non retur. Utrobique de humilitate magis, quàm de principatu certatur. Utrobique extraordinarias inire vias, & inusitatas adhibere medicinas cogit mali vis, & dispensandi necessitas, & sui immemor Christi charitas. Utrobique jura juribus non colliduntur, sed accumulantur: authoritas authoritati non insidiatur, sed conspirat. Utrumque demum ideo tutum est, quia extraordinarium, quia sola utilitatis compensatione præter commune jus dispensandum.

XXXIV. Si autem vel ex Leone ipso oggeras, Pontificis decreta de fide irretractabilia tum demum esse post Synodum: respondebo, nec inde quidquam, quod nobis officiat, exprimi. Nam post Pontificem, extraordinariè Synodus causam eandem retractare potest. Post Synodum, ne extraordinariè quidem. Quamquam, ut modò referebamus, Leo Imperator extraordinariam quoque post Synodum effusiore quadam dispensandi licentia, aut potiùs charitate, cognitionem concesserit. Tametsi videri non injuria possit, à Metropolitanis quos Leo consuluit, non tam retractatam esse Chalcedonensem Synodum, quàm retractari non posse pronunciatum. Unde Victor Tunon. in Chron. *Leo Aug. supplicationibus Ægyptiorum permotus, ut Synodus fieret, quæ de gestis Synodi Chalcedonensis judicium ferret: ad cognoscendam singulorum fidem, Ecclesiarum Præsulibus unicuique semotim scripsit: à singulis epistolas tanquam ex una collatione consonas suscepit, id fieri nullatenus posse: sed magis ac magis in sua perpetuitate Synodi gesta Chalcedonensis manere.* Porro manifestissimè alibi commonstravimus, nec Synodi decreta irretractabilem vim assequi, nisi postquam ea Pontifex primæ Sedis approbavit, & quatenus sui examinis trutina approbavit. Idque ex hoc ipso Chalcedonensi Concilio dilucidum est. Nam quæ de Anatolii Constantinopolitani Episcopi amplificanda dignitate decreta fuerant, ea Leo irrita decrevit, & tunc pervicit. Quæ item de tribus capitulis ibi obiter perstricta fuerant, ea Pelagius postea, & Quinta Synodus, utpote à Leone non confirmata, revocavit ad examen. Denique Ferrandus epist. ad Pelag. *num. 6. 7.* retractari non posse depugnabat, quæ Leo Papa confirmasset. *Ubi majores reperiret in Ecclesia judices ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.* Et infrà: *Universalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secunda authoritatis locum post canonicos libros tenent, &c. Quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in nec tractatione sub qualibet pietatis occasione, teneri non debent.* Ergo, ut ex hoc nil decerpitur summæ Concilii potestati, ita nec Pontifici derogabitur quid, etsi ejus judicia, non provocationis, sed revisionis judicio; non necessitate, sed ex venia; & ex ipsius Pontificis concessu, & cum ipso ac sub ipso Pontifice, Synodus Oecumenica rursum cognoscat.

XXXV. Pauca jam, & quasi perfunctoriè de Dioscoro dicenda sunt, utque fidem nostram liberemus. De ejus ergo depositione, propter intortam maximè ab eo excommunicationem in Leonem Pontificem, ita Synodus disserit in relat. ad Leonem ipsum: *Qui multa priùs pessimè operatus, priora sequentibus superavit.* Tum depositos ab eo Flavianum & Eusebium, restitutum Eutychetem commemorant: *Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem: & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas.* Non de injusta, sed de qualicumque excommunicatione in primæ Sedis Antistitem lata conqueritur Synodus, nempe contra Apostolicam & primam Sedem, contra eum, cui jure divino vineæ totius seu Ecclesiæ universæ principatus competit, qui adeo pro Capitis officio, membra totius corporis sui lacera sibi recolligere laborabat. Ideo hoc ejus facinore cætera obrui & obliterari ait Synodus. Et in epist. ad Marcianum Imp. post *act. 3.* depositionis jaculo confixum testatur

statur Dioscorum, quòd Leonis epistolam in Ephesina Synodo secunda legi vetuisset: quòd Eutychetem à Leone damnatum restituisset; tertiò denique *quoniam super alias suas nequitias, & adversùs ipsam Sedem Apostolicam latravit, & excommunicationis literas adversùs sanctum & Beatum Papam Leonem facere conatus est*. Et *act.* 3. in ipsa adversùs Dioscorum sententia, *Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit, præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs Sanctum & Beatum Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem*. Et ibidem ex libello Theodori Diaconi: *Excommunicationem faciens contra sanct. & beat. Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum Leonem, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Ægypto exierunt sanctissimis Episcopis, plùs minùs numero decem: aliquoties comminans, aliquoties decipiens, &c.* Anatolius denique ipsemet ibidem testis locupletissimus est, *Act.* 5. *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino Archiepiscopo Leoni*: & quia ter vocatus non accessit ad Synodum. Ergo hæc summa flagitii fuit, constitutum divino jure caput Ecclesiæ impetere, & ideo Ecclesiam ipsam obtruncare voluisse. Nam si humano tantùm ex instituto dominatur cæteris Romanus Pontifex, eccur hæc Dioscori procacitas atrocior & inexpiabilior jactatur, quàm Flaviani iniquissima depositio, & immanissima cædes? quàm Eutychetis restitutio, quàm Eutychianæ perfidiæ approbatio, quàm Synodi Ephesinæ grassatio & tyrannis, quàm fidei Catholicæ, quantum in ipso fuit, constupratio? Ad hæc cum Apostolicam Sedem, cum vineæ Custodem à Christo institutum loquitur Synodus, divini juris primatum sanè astruit. Cum toties legati Romanæ Sedis, in ipsa etiam sententiæ synodicæ promulgatione, Petrum *Petram & Crepidinem Ecclesiæ, & rectæ fidei Fundamentum* crepant: cum relatio ipsa Synodi ad Leonem, semel iterumque ut *Caput membris*, ita Pontificem Synodo præesse, & Leonem *Petri interpretem* fuisse: cum *Apostolico ejus radio* cæteras illuminari Ecclesias vociferatur, apertissimè his omnibus divina primatus Romani prædicatur institutio. Adde & illud ex epistola Valentiniani & Placidiæ ad Theodosium, ut juberet in partibus Italiæ celebrari Synodum: *Beatissimus Romanæ Sedis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit. Concil. Chalced. part.* 1. *num.* 25. Et ne secus detorqueas hanc vocem antiquitatis, accipe paucula hæc ex epistola Gallæ Placidiæ ad eundem: *Ad Concilium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur, in qua primus ille qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit. Quando scilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ maxima est omnium, in omnibus reverentiam conservare. Ibid. nu.* 26. Non tacet urbis majestatem, sed principatum sacerdotii à Petro repetit.

XXXVI. Porro ex his constat hallucinatum vehementer Cusanum, qui Dioscori à Leone jam damnati judicium in hac Synodo innovatum fuisse existimabat. Nusquam enim vel apex existit ullus, quo liqueat Leonem in Dioscorum censuræ mucronem strinxisse. Nec id siluisset Synodus, quæ priora de Anatolio, de Maximo, de Theodoreto judicia Leonis tam reverenter amplexata est. Cum enim Anatolius Dioscori antè in urbe regia Apocrisarius, ejusdem Episcopus ordinatus fuisset in Ephesina illa latrocinali Synodo, ejecto per summum nefas Flaviano: cum Domno per ejusdem Pseudosynodi grassationes depulso, suffectus fuisset Maximus, & præter Canones ab Anatolio ordinatus, atque ita utriusque claudicaret ordinatio: utramque tamen ratam habuit Synodus, Leonis sententiam, & factam ab eo Canonum veniam amplexa, citra novi examinis scrutinium. De Anatolio audi Leonem scribentem ad Marcianum, *Nos vestræ fidei & interventionis habentes intuitum, cum secundùm sua consecrationis authores, ejus initia tituharent, benigniores circa ipsum, quàm justiores esse voluimus: quo perturbationes omnes, quæ operante Diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus. Part.* 3. *Concil. Chalced. cap.* 6. Nec alia in Chalced. Synodo occurrit usquam vitiosæ Anatolii ordinationis expiatio, aut venia. Id enim post Synodum Leo scribebat, addebatque: *Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio & mei favoris assensu, Episcopatum tantæ urbis obtinuit*. De Maximo autem, idem Leo in eadem ad Marcianum epistola, ita testatur, Anatolium objurgare pergens: *Neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine ullo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit. Quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessavimus*. Et disertissimè Synodi Chalced. *act.* 10. legati Romanæ Sedis dicunt: *Si ergo & à beatissimo & Apostolico Romanæ urbis Episcopo, omnia quæ ibi, Ephesi, gesta sunt, vana sunt habita: claret, quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est, quem post hæc Beatissimus Episcopus in propria communione suscepit*. Quæ postrema verba etsi desint in Græco textu nunc quidem, olim non defuisse liquet, tum ex fide vetustissimi interpretis, tum ex ipsa sententiæ consequentia, tum denique ex eo quod mox Anatolius succinit in eandem sententiam, irrita esse prostibuli Ephesini decreta, *Nisi illud circa Maximum, &c. Quoniam sanctissimus Romanæ urbis Archiepiscopus Leo in communionem illum recipiens, præesse eum Antiochensium Ecclesiæ judicavit: quam formam sequens, & ipse approbavi, & præsens omne Sanctum Concilium*. Quibus & reliqui Episcopi suffragati sunt. De Theodoreto denique aperte Judices in *act.* 1. interloquuntur: *Ingrediatur & reverendissimus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo*. Cumque Ægyptiorum adversùs Theodoretum, Orientalium Episcoporum pro Theodoreto pugnantium vociferatio ingens, & penè insana aliquandiu infremuisset, & hi illis Eutychianam, illi his Nestorianam perfidiam opprobrassent, Judices de tumultuosis & Episcopali gravitati minimùm consentaneis acclamationibus conquesti, hanc pacis conciliatricem & quasi mediam injere viam, *Theodoretus Reverendissimus Episcopus proprium recipiens locum à Sanctissimo Episcopo inclytæ urbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est*. At *act. tandem* 8. vehementiùs Episcopi omnes incaluere, & expressere tandem à Theodoreto id unum, ut aperte Nestorio diceret anathema. Quo perfecto Judices dixere, *Omnis jam dubitatio de Theodoreto est soluta, quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & à Sanctissimo Leone susceptus est, & epistola sanctissimi Leonis subscripsit. Superest igitur ut sententia proferatur à Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & Sanctus Leo Archiepiscopus judicavit. Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Theodoretus dignus est Sede. Ecclesia orthodoxum. Ecclesia Pastorem recipiat. Archiepiscopo Leoni multos annos. Cum Deo Leo judicavit*. Ut in Anatolio & Maximo, ita & in Theodoreto supersederi potuisset hac scrupulositate. Nec iniquum tamen fuit subdubitantibus de fide Theodoreti satisfieri. Porro hoc unum verbulum à Theodoreto expugnatum, seu anathema Nestorio dici, non eam ego, non cordatus quisquam sententiæ Leonis revisionem, non totius causæ retractationem dixerimus, sed restitutionis à Leone decretæ executionem. Executores enim Episcopi non injuria flagitant, unica vocula eximi sibi scrupulum dubitationis, tumque Leonis sententiæ applaudunt.

XXXVII. Atque ut ad Dioscorum redeam, eandem fermè nobiscum Synodi verba & argumenta inculcavit Nicolaus Papa I. *epist.* 8. *Nunquid ibi legitur inquisitionem fuisse factam, utrum justè, an injustè ipsam jam fatus Dioscorus excommunicationem dictasset?*

Non planè, sed absque omni controversia hoc in ulti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumeliis, teste Anatolio, &c. Et Hadrianus II. in epist. ad Ignatium quæ habetur in *act.* 3. *Synodi* 8. illa Patrum Chalcedonensium verba perpendens, ubi ajunt Dioscorum, *secundis excessibus priorem iniquitatem transcendisse*, hæc addit: *Unde nota, quod Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresin Eutychianam valdè transcendisse referatur.* Et *act.* 7. legitur allocutio ejusdem Pontificis, & suggestio Synodi Romanæ ad eundem in eandem omnino sententiam: *Quarta magna & universalis Synodus adeo hanc temeritatem execrata est, ut Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnaverit. Præsumpserat enim & ipse contra primæ Sedis privilegium, contraque jam memoratam regulam agens, cum esset posterior, se anteriori præferre.* Quibus permirum est obstrepere & nebulas offundere ausos Novatores, cum in Ephesina prima Synodo jam supra adverterimus suo loco, Joannem Antiochenum, à Cyrillo & Synodo in crimen vocatum esse, quòd *in majorem Sedem*, videlicet Alexandrinam, ferrè sententiam ausus esset. Quod & Hadrianus & Romana Synodus paulò antè citato loco adverterunt: *Saltem Joannem Antiochenum Episcopum in Ephesina Synodo recolere voluisset Photius, idcirco damnatum, quia Cyrillum anterioris, id est, Alexandrinæ Sedis Antistitem damnare non metuit, &c. Tertia generalis Synodus Antiochenum damnavit Joannem, quoniam adversùs potioris Sedis, id est, Alexandrinæ Pontificem, prima Sede non consentiente, ausus est proferre sententiam.* Quod probant verbis ipsis Synodi ad Cælestinum scriptis. Quæ de Dioscoro disputata, & ipsa maximè de eo verba Anatolii relata superiùs, nequaquam pugnant Leontio, *lib. de Sect. act.* 6. qui Hæsitantibus objicientibus, *Si non propter fidem hæc Synodus Dioscorum depositum dixit, cur nos rejicit? sic enim credimus, ut ille credebat*: respondet: *Non propter fidem abdicatum esse Dioscorum, nec illam fuisse depositionis ejus causam: quippè nec adiit propterea Synodum, ut hoc nomine de ipso judicaretur; sed quoniam reapse tertiò vocatus venire recusavit. Si tamen venisset, etiam propter fidem fuisset abdicatus.*

XXXVIII. Perpensis jam Pontificis & Synodi Oecumenicæ juribus, ad imperatoriam etiam dignitatem proficisci, & ejus prærogativas, si quæ ex hac Synodo radient, ponderare animus est, & res ipsa jubet. Unum hoc interseram, quod ad Theodoretum magis pertinet, de quo non ita pridem verba fecimus. Nutasse videlicet illum videri, non in fidei, sed in personæ & facti controversia, & tandem extricare se coactum ab illis tergiversationum spiris. Abruptè enim Episcopi hoc unum flagitabant, *Modò anathematiza Nestorium*. At ille diverticula alia, aliaque subinde comminiscebatur, fideique orthodoxæ palam confessionem edens, Nestorio anathema nominatim indicere & absolutè fugitabat. Preces nempè se obtulisse Imperatori, & Vicariis Romanæ Sedis libellos, &c. Se ab orthodoxis genitum, orthodoxè prædicasse, &c. Se neque de Episcopatu retinendo cogitare, &c. Se non posse aliud, quàm fidem suam profiteri, &c. Has cavillationes toties iteratas, toties Episcopi protelavere, & anathema Nestorio, Nestoriumque amantibus dici urgentissimè præcepere. Acutiores etiam cavillos Theodoretus hos excogitavit, *Non solùm Nestorium & Eutychen, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit, aversor, & alienum existimo.* Cumque non acquiesceret Synodus, rursum ille: *Veni satisfacere me esse orthodoxum, & quia Nestorium, & Eutychen, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo.* At Episcopi subodorati latitantia forsan fraudum semina, nec his contenti urgebant præterea: *Dic apertè, Anathema Nestorio, & his qui cum eo sapiunt.* Cumque ille renueret, nisi fidem priùs suam palam edissereret; nempè ut conjectura est, ea spe fretus, quòd sanæ fidei confessione placaretur Synodus, nec ulteriùs quidquam expeteret: Episcopi clamaverunt, *Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte.* Tunc demum apertè Theodoretus dixit, Anathema Nestorio. Quamvis subscripsisset epistolæ Leonis, quamvis orthodoxam de Deipara & una Christi persona fidem professus esset ante Theodoretus; hæreticus tamen à Synodo & Nestorianus proclamabatur, nisi Nestorio nominatim anathema diceret. Ergo & suis de rebus facti & personarum definitionibus subscribere jubent Synodi, jubet Ecclesia, ubi adlubescit sibi. 2. Et qui tergiversatur, urgetur: qui parere pernegat; quantumvis fidem Catholicam se sectari clamitet, hæreticus judicatur, Synodoque expellitur. Nempè hæresin ipsam hac simulatione celari, & retineri interpretatur Ecclesia. 3. Nec pauci nunc Episcopi, aut Ægyptii solùm, sed omnes prorsus Theodoreto hanc necessitatem imposuere, universi inquam, post fidem suam subscriptione Leonis epistolæ & damnationis Dioscori, approbatam. 4. Theodoretum antè Leo Papa Ecclesiæ & Sedi suæ restituerat, nec nominatim ab eo expresserat Nestorii damnationem, ut simile veri est. Nam si id antè ab eo impetrasset Leo, non tam instanter Synodus hoc iterum flagitasset, non Theodoretus tam morosè renisus esset. Videlicet potuerat Leoni non obrepere ea suspicio. Poterat Leo simpliciùs fidei acquiescere confessioni, nec de personis negotium facessere. Poterat dispensatione hìc quoque uti, quam plurimam, post Ephesinæ grassationis scandalum, à se adhibendam fuisse supra ipsemet testabatur. 5. Etsi id à Theodoreto non extorserat Leo, extorquere potuerunt Episcopi. Et quamvis non imperasset Pontifex primæ Sedis, imperantibus aliis Pontificibus obtemperandum sanè fuit. 6. Denique nec cuicumque, sed Episcopo impacta hæc necessitas est à Synodo.

XXXIX. Non dissimilem versutiam Anatolii videntur sibi aliqui olfeciisse, cum tam fidenter pronunciavit, non esse damnatum Dioscorum ob fidem, sed ob Apostolicæ Sedi irrogatam contumeliam. Patentissima enim erat Dioscori in Eutychianam hæresin ruina. Sed de Anatolio judicium esto aliorum. Explicatior est Ægyptiorum Episcoporum morositas *act.* 4. Cum enim clamassent, *Si quis præter ista sapit, Eutyches, sive aliter aliquis, anathema sit.* Ne sic quidem quievit Synodus. *Episcopi clamaverunt: Manifestè anathematizate dogma Eutychis.* Restitantibus adhuc Ægyptiis, Episcopi clamaverunt, *Qui non anathematizat Eutychen, hæreticus est.* Tunc denique paruerunt Ægyptii, clamaveruntque, *Anathema Eutychi & credentibus ei.* Vide inferiùs in eadem sessione tergiversationes Carosi Monachi: Eutycheti anathema dicere detractabat, aut ita dicebat, *Si non credit Eutyches, sicut credit universalis Ecclesia, anathema sit.*

XL. Ad regias nunc expendendas in rebus Ecclesiasticis vires, concretaque Imperio sacra privilegia, & penè Sacerdotalia jura, animum calamumque convertamus. Marciano acclamatur *act.* 6. *Sacerdoti, Imperatori multos annos, Ecclesias tu erexisti, hostium victor, Doctor fidei.* Et aliquantò supra, *Marciano, novo Constantino, novo Paulo, novo David, &c. Orthodoxam fidem tu roborasti: Sicut Apostoli, ita creditis.* Jam enim actione prima ejusdem Chalced. Synodi recitatum fuerat illud ex *act.* 7. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, ubi Theodosio similiter acclamabatur, *Orthodoxo, pio Imperatori, Pontifici Imperatori.* Parte quoque tertia hujus Chalced. Synodi legitur epistola Agapiti Rodii Episcopi, ad Leonem Imperatorem, hæc habens, *Verè namque Sacerdos, & natura Imperator existis. Actione* 18. sextæ Synodi Leo Pontifex Constantino

stantino Imperatori gratulatur, quòd *regali fastigio depositio, unum se de collegio Sacerdotum pro zelo Dei adnumerari concupisceret*. At in anteactis septimæ Synodi Gregorius Papa Romanus Leonem Iconomachum epistola secunda ita objurgat: *Scripsisti; Imperator sum & Sacerdos. Enimverò qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere & sermone demonstrarunt, qui curam gesserunt Ecclesiarum, unà cum Pontificibus, cupiditate zeloque incensi, rectæque fidei veritatem pervestigantes, Constantinus magnus, Theodosius magnus, Valentinianus magnus, & Constantinus Justiniani Pater, qui sexte Synodo interfuit. Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno Concilio ac sententiæ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonstrarunt*. Quibus nihil luculentius dici potuit.

XLI. Cujus Sacerdotii imperatorio nomini agnati coalitique origo, ut conjicio, repetenda est à Constantino, qui se quoque Episcopum, exteriorem se Ecclesiæ Episcopum inter Episcopos gloriabatur. Cui alludens Carolus Magnus *lib. 6. Capit. c.* 306. *Quod & nos qui ministri Domini sumus, nec sine causa Dei gladium portamus, Episcopali in vice omnium Episcoporum, atque regali authoritate pro viribus cunctos agere jubemus*. Ubi notandum quòd cùm interiores Ecclesiæ innumeri sint Episcopi, unum se exteriorem Episcopum venditat, *vice omnium Episcoporum*, exequentem videlicet inermes alioqui leges spirituales. Leo quoque I. *epist.* 59. ad Marcianum Augustum, sacerdotio imperium quasi consecrat: *Ineffabiliter Deo gratias ago, qui temporibus, quibus oboritura hereticorum scandala præsciebat, vos in imperii fastigio collocavit, in quibus ad totius mundi salutem & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria*. Et *epist.* 75. ad Leonem Augustum: *Apud Christianissimum igitur Principem, & inter Christi prædicatores digno honore numerandum, utor Catholicæ fidei libertate, & ad consortium te Apostolorum & Prophetarum securus exhortor, ut constanter repellas eos qui se Christiano nomine privavere, &c.* Et confestim ibidem: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c.* Et infrà: *Sacerdotalem namque, & Apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad justitiam ultionis debet accendere, &c.* Non multùm ab his abluere Græci, qui æqualem Apostolis Constantinum magnum prædicavere. Justinianus certè *Novel.* 7. *cap.* 2. ait: *Cum nec multùm differant ab alterutro Sacerdotium & Imperium, & res sacræ à communibus & publicis*. Et Gregorius Turon. *lib.* 9. *cap.* 21. de Gunthramno rege: *Rex acsi bonus sacerdos, providens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, &c. Ut jam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, &c.* Et Fortunatus *lib.* 2. *Carm.* 11. de Childeberto Francorum Rege:

Melchisedech noster, merito Rex, atque sacerdos,
Complevit laicus religionis opus.

Et Guillelmus Carnot. in vita S. Ludovici: *De salute etiam animarum ultra quàm credi possit, pia usurpatione permotus, sic de ipsa curabat attentè, quod etiam quodammodo regale sacerdotium, aut sacerdotale regimen videretur pariter exercere*.

XLII. Magnifica, & penè invidiosa hæc sunt, nec his tamen lineis cohiberi potuit posteriorum Græcorum assentatio. Accipe enim quæ scribat Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ ad Constantinum Cabasilam *tom.* 1. Juris Orient. Respons. *l.* 1. *p.* 317. *Imperator ut communis Ecclesiarum epistemonarches existens & nominatus, synodalibus præest sententiis, & robur tribuit, Ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitæ, politiæque eorum, qui altari serviunt: hoc amplius, judiciis Episcoporum, Clericorumque & vacantium Ecclesiarum electionibus, &c. Et ut uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto ministerio, reliqua Pontificalia privilegia Imperator representat, quando legitimè canonicèque facit*. Tum ex Josepho refert Tiberium, poterat & cæteros Imperatores Romanos dicere, & ipsos etiam perdiu postquam Christiano nomine claruerunt, Pontificis maximi nomen & potestatem obtinuisse. Denique ut Christus in Sacerdotem simul & Regem inauguratus est, ita & Imperatores Christianos regia simul & sacerdotali gloria inungi ominatur. *Quod igitur & Unctus Domini sit, qui pro tempore est Imperator, propter unctionem Imperii: Christus autem Deus noster, præcæteris etiam Pontifex factus est & prædicatur. Meritò ergo & ipse Pontificalibus decoratur gratiis*. His præluserat Theodorus Balsamon ibid. *l.* 7. *p.* 444. *Audiant hi, tam ad amplitudinem Imperatoriam, quàm Patriarchalem officia docendi pertinere, propter unctionis sacræ vim atque potestatem. Hinc enim usuvenit, ut fideles Principes atque potestates catechetico more cum populo Christiano colloquantur: aut suffitum faciant more sacerdotum, & cum cera duplici obsignent*. Addit non ob docendi tantùm munus, faces argenteis aureisque veluti corollis cinctas prælucere, & præferri Imperatoribus: cùm Imperatrici, cui ut mulierculæ docere nefas, præferantur: *Sed quod instar cœlestis illius gigantis, hæc centrum orthodoxæ doctrinæ radiis collustrent; quodque luceat eorum egressio ab extremo cælo, & occursus ipsorum ad alteram cæli tendat extremitatem, cum interim nemo sit, qui ab eorum calore se possit abdere*. Subjicit denique Imperatricis, quòd sola curet corpora subditorum: Patriarchæ, quòd solas ferè animas, unicis: at Imperatoris faces, geminis decorati corollis; quòd *ejus auxilium ad illuminationem & stabilimentum sese tam animi, quàm corporis porrigat*. Et ne extremas tantùm Græciæ faces hac adulandi inverecundia laborasse putes, jam olim temporibus Maximi Martyris Monotheletarum debellatoris, sin minùs sacerdotes, certè Principes jam incesserat ea pestis. Nam in collatione eorum cum Maximo, urgente Maximo esse sacerdotum, *quærere, ac definire de salutaribus Ecclesiæ dogmatibus*: insurgunt illi ex adverso, ut Typum à Constante editum tueantur, *Ergo non est omnis Christianus Imperator, etiam sacerdos?* Ita & in epistola Gregorii Papæ secunda ad Leonem Isauricum superiùs laudata, constabat Imperatorem sacerdotale & nomen & privilegium sibi vendicantem, & ultra metas lascivientem, speralse suis decretis posse Christianam fidem moderari, ac suo nutu vertere sus deque. Prior ergo procerum adulatio, tum ipsorum de se Imperatorum amabilis insania, denique lapsu temporum, glisCens in Episcopos etiam & Clericos assentandi libido, Chalcedonensium Patrum infucata simplicitate in pernicem Ecclesiasticæ disciplinæ abutebatur. Castigatiùs è recentioribus Græcis Simeon Thessalonicensis Archiep. *lib. de Sacr. Ordin. cap.* 7. *Imperator quæ sunt sacerdotii, non habet: neque Apostolorum, Prophetarum, aut Doctorum dona. Solùm renunciatur Pontifex unctione Chrysmatis, &c. Christus solus Rex, & Episcopus est*.

XLIII. Nec enim Oecumenica hæc Synodus *Pontifici Imperatori* gratulabunda Doctorem propriè fidei illum, sed Custodem & Defensorem prædicabat; nec disciplinæ viscera statim illi aperiebat, sed solis fidei tractatibus, non causarum, non judiciorum interesse patiebatur. Quæ duo hìc cursim perlustranda, ut Græculorum palponum levitas evidentiùs pateat. Nam affuisse Imperatorem ProcereSve laicos Oenumenicis Synodis, ubi fidei quæ ipsis etiam communis est, causa ventilabatur, planum est ex orat. Marciani Imperatoris ad Synodum Chalced. *act.* 4. *Nos enim ad fidem confir-*

mandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, ne vel uterius populi pravis suasionibus separentur. Et ejusdem Synodi *act.* 1. recitantur Constantinopolitani sub Flaviano Concilii adversùs Eutychem gesta, cui interesse Theodosius Imperator Florentium Patricium jusserat rescripto suo, *Quoniam de fide sermo erat.* Undè & Nicolaus I. *Epist.* 8. ad Michaelem Imp. *Dicite, quæso, ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad clericos, verùm etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos?*

XLIV. Sed Synodis fidei arcana disceptantibus aderant Imperatores & Imperatorii Optimates, non ut dicerent, sed ut discerent: non ut dictarent, sed ut dictatam ab Episcopis fidem confirmarent, defenderentque adversùs obtrectatores & impacatos contentionum satores. Ita Constantinus etsi ad populum quandoque concionabatur de pietatis officiis, & præibat Principibus, de quibus suprà Balsamon, catecheticò more perorantibus; non tamen vel Donatistas, vel Arium ullo suo diplomate aggressus est percellere, nisi postquam Episcopales Synodi in istiusmodi hæresum architectos detonuerant. Denique exteriorem se professus Episcopum, penetralia fidei sanciendæ sibi sepsit ipse, totumque ad Episcopos retulit, de quibus ait ipse: *Quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem.* *Euseb. lib.* 3. *de vita ejus cap.* 20. Ita Valentinianus teste Sozomeno *lib.* 6. *cap.* 7. Orientalibus Episcopis fidem consubstantialis restaurare solicitantibus, respondit: *Sibi qui unus è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.* Sed nihil vehementius Ambrosio, *epist.* 32. ubi de fide cum Auxentio disputare in Consistorio Principis recusabat: *Nec quisquam contumacem me judicare debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei vel ecclesiasticis alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare.* Undè docemur Valentinianum responsum suum suprà relatum etiam lege lata firmasse. Pergit autem Ambrosius animosè: *Quando audisti, Imperator clementissime, in causa fidei laicos de Episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores: & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certè si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Et infrà: *Si conferendum est de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus.* Idem porro Ambrosius in Conc. Aquilej. adversùs Palladium ad laicos judices provocantem in fidei negotio, hæc increpat: *In hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare.* Concinens anteriorum Principum pietati Theodosius Junior, ad Ephesinam Synodum hæc scribit: *Candidianum Comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus: sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas est enim qui sanctissimorum Episcoporum catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.* Conc. Ephes. p. 1. cap. 35. Et Agapetus Papa ad Justinianum: *Pietatis tuæ epistolam de fidei vestræ expositione, à prædecessore nostro Joanne roboratam, nostra quoque authoritate firmamus, laudamus, amplectimur. Non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus: sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.* Et Gregorius Papa ad Leonem Isaurum novæ hæreseos fabricatorem, *epist.* 1. *Scis, Imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices, à reipublicæ negotiis abstinentes: ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.* Et *epist.* 2. ferociùs adhuc: *Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum. Quoniam Christi sensum nos habemus. Alia est Ecclesiasticarum constitutionum institutio, alius sensus secularium. In administrationibus seculi militarem & ineptum quem habes sensum & crassum, in spiritalibus dogmatum administrationibus habere non potes.* In eandem sententiam præclara sunt & ista Damasceni *orat.* 2. de Imagin. *Regum partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim, quid dicat Apostolus: Et quosdam quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores & Doctores. Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges.* Et rursum, *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, &c. Verbum non locuti sunt vobis Reges, sed Apostoli, & Prophetæ, Pastores atque Doctores. Cum præcepisset Deus David, ut ædificaret sibi domum, sic allocutus est eum: Non ædificabis mihi domum tu, quoniam vir sanguinum es. Regum est civilis administratio, Ecclesiastica verò constitutio, Pastorum atque Doctorum. Impetus iste Latronum est. Scidit Saul pallium Samuelis, & quid ei contigit?* Totidem penè verbis Theodorus Studita, dux Studitarum: *Ne rentes nunc, ô Imperator, Ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus, Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores & Pastores ad perfectionem sanctorum. Non dixit Reges. Tibi quidem, ô Imperator, civilis status & exercitus commissus est. Hæc igitur cura, Ecclesiam autem Pastoribus & Doctoribus derelinque.* Apud Baronium *ann.* 814. *num.* 12.

XLV. Hoc ergo primùm temperamento, & Chalcedonensium Patrum acclamatio, & Imperatorum quorundam ea ex occasione turgescens enormiter fastus, & adulatorum procerum infinita quædam insania mitiganda fuit. Quod enim obganniunt Græculi recentiores, inunctos ut regno, ita sacerdotio Reges, & ideo Christos dici, quia Christus Rex idem & Sacerdos est; contrà totum est. Nam quia unius Christi id eximium fuit decus, ut & regno & sacerdotio simul floreret: exinde nusquam Reges sacerdotio, nusquam Sacerdotes regno simul, nisi in speciem, & nomine tenùs, aut perfunctoriè potiri potuere. Marciani exemplo hanc regulam sancit Facundus Hermian. *lib.* 12. *cap.* 3. *Cogitare & nosse facillimè potuit Marcianus, Christi solius esse regnum cum sacerdotio simul habere. Quoniam etsi quidam Reges in ejus venturi figuram, sacerdotio functi sunt: tamen cum manifesta lux veniret in mundum, umbras removens, futurorum nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit: sed in diversos dona sua distribuens, sic, quæ propria sunt sacerdotii, regibus interdixit. Quocirca quemadmodum vir sapiens non prophanum judicaret, hoc velle videri, quod solus est Christus?* Quem imitatur Papa Nicolaus *epist.* 8. ad Michael. Imp. *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul & Sacerdotes existerent. Quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia: quodque in membris suis Diabolus imitatus, utpotè qui semper quæ divino cultui conveniunt,*

veniunt, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit: ut pagani Imperatores iidem, & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultrà sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi: ut & Christiani Imperatores pro eterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur. Quæ verbis totidem leguntur in Gelasii Papæ tomo de anathematis vinculo.

XLVI. Hactenus de fide ab Imperatoribus non dictanda, sed sancienda à Pontificibus, & ita demum ab illis custodienda, & adversùs Novatorum procacitatem ulciscenda: Cautis autem aliis Ecclesiasticis ne adesse quidem fas erat Principi, dum inter Episcopos tractarentur, nedum se immiscere. Chalcedonensis hujus Synodi *act.* 3. Dioscorum sistere se recusantem, nisi adessent cognitioni Judices & Senatus, Cecropius Episcopus refutavit his verbis: *Quando canonica quæstiones examinantur, neque Judices, neque alios laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam sanctitatem, qua in propria accusatur persona.* Constantinus jam olim à canonicis judiciis sibi temperandum duxerat, cùm teste Rufino *lib.* 1. hist. in hunc modum Episcopos alloqueretur: *Deus vos constituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati estis judices; & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solùm, de quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* De Cæciliano, quem à traditoribus ordinatum criminabantur Donatistæ, non ipse cognovit, sed judices dedit Episcopos Romæ cum Melchiade cognituros; & rursus de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, non ipse cognovit, sed Arelatense indixit Concilium: denique de appellatione Donatistarum ab hac Synodo judicavit ipse quidem, sed ut vel sic eorum indomitam frangeret contumaciam, & authore Augustino, veniam ab Episcopis petiturus. Athanasium in Concilio Tyrio causam dicere idem jussit, cui ipsi quòd adesset Dionysius Comes satellitio militum cinctus, conquerebatur Athanasius, *Si istud judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator?* Antiocheno rursum Concilio damnatus, Sardicensi absolutus Athanasius est; cujus extorquendæ damnationi cùm se importunius insereret Constantius, ita illum increpabat Liberius apud Theodoretum *lib.* 2. *cap.* 16. *Noli per Episcopos tuas ulcisci inimicitias. Nam virorum Ecclesiasticorum manus sanctificationi vacare debent, &c.* Ne ipse Constantius enim alio quàm Episcoporum judicio, Athanasio exitium moliri se posse sperabat: sed cùm se intemperantiùs insereret Episcopalibus Synodis, libertati canonicæ vehementer officiebat. Et Athanasius *Apol.* 2. *Quis non execretur sub externo judice, &c. quæstionem de Corpore & Sanguine Christi haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratum esset, oportebat de eo legitimè in Ecclesia inquiri à Clericis.* Et infrà legitur epistola Concilii Sardicensis, ex qua decerpo hæc pauca: *Preces nostras ad Imperatores retulimus, ut illorum humanitas constituat, ne quis Judicum, quorum munus est publica curare, de clericis sententiam ferat, &c.* Et in Epist. ad solitarios, *Episcopis ad se vocatis, jussit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibusque id non esse Ecclesiastici Canonis; ille subjecit, At quod ego volo, pro Canone sit, &c. Denunciabant illi Episcopi diem judicii, suadebantque, ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanum Imperium Ecclesiasticis constitutionibus immisceret.* Intexitur inferiùs Epistola Osii ad Constantium, ubi illum sic urget: *Quid tale à Constante actum est? aut quando judiciis Ecclesiasticis interfuit? &c. Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis imperium in terris tenere, neque tu thymiamatum, & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Et infrà Athanasius: *Obtendit Imperator in speciem, Episcoporum judicium, sed interim facit, quod illi volupe est. Si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contrà minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopi? Quando à condito ævo auditum est? Quando judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? Plurima antehac Synodi fuere, multa judicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, non tamen eos in judicio socios assumpsit.* Et denique inferiùs, *Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere judiciis Ecclesiasticis, non meritò dicat illum etiam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta?* Et paulò suprà, ne in Athanasium Constantinus ipse sæviisse æstimaretur, & Constantio facem prætulisse: *Siquidem Pater ex calumnia Eusebianorum Athanasium ad tempus in Gallias amandavit, quò liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant. Hoc enim à Beato Constante post mortem Patris scriptum fuit; ut ex literis ejus patet.* Similiter Hilarius ad Constantium: *Provideat, & decernat clementia tua, ut omnes ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se observantia abstineant. Neque posthac præsumant atque usurpent, & putent se causas cognoscere clericorum.*

XLVII. Theodosius Magnus quàm illibatam Episcopis constare concesserit canonicorum judiciorum potestatem, fidem facit Constantinopolitanæ Synodi primæ Canon sextus. Honorius ad Arcadium fratrem de exilio Chrysostomi hæc scribit: *Cum si quid de causa religionis ageretur, Episcopale oportuerit esse judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis præstat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis & catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit: itane usque ad exilia sacerdotum, usque ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere?* Octavæ Synodo, ejusque decretis de vitiosa Photii ordinatione, & Ignatii Patriarchæ restitutione, subscripturus Basilius Imperator, hæc permodestè præfatus est: *Laico cuicumque nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi, aut universam Ecclesiam, Oecumenicamque Synodum oppugnandi fas esse dico. Hæc enim excutiendi, & in utramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum & Doctorum est officium, quibus à Deo ligandi & solvendi potestas est data. Nam laicus etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ovis, non pastor.* Assentitur denique Justinianus, qui Ecclesiasticæ jurisdictionis fines pervasisse omnium maximè infamatus est. Novella enim 83. ita habet: *Si Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiastica & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ Judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Judices. Cum oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam, secundùm sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.*

XLVIII. Si

XLVIII. Si à judiciis autem canonicis abstinendum sibi duxere Imperatores, multò æquius sanè fuit, ut à legibus ea de re ferendis sibi temperarent. Multò enim gravius est leges ferre judiciorum moderatrices, quàm consequenter & convenienter legibus, ipsa exercere judicia. Ideo & Marcianus in Chalcedonensi hac Synodo, sanciri aliqua percupiens, de Monachorum in Episcopos obsequio, Monasteriorum exædificatione non sine assensu Episcopi, Clericorum à sæcularibus negotiis secessione, & jugi fidaque in propriis Ecclesiis residentia; non ipse id sibi sumpsit, ut ea statueret, sed statuenda Synodo detulit. Nam ita ipsemet Synodum alloquitur *sess. 6. Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ, vobis servavimus, decorum esse judicantes, à vobis hæc canonicè potiùs formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.* Ita Constantinus famosam illam de Paschæ die controversiam, non sua lege aliqua præcepit finire, sed Canone Nicæno priùs definitam, tum legibus suis promulgavit firmavitque. Sed hacce de re operosior alibi instituenda erit disputatio. Ubi de Justiniano, & Carolo Magno inquiremus, quantum illi hoc in negotio sibi licere voluerint. Marciani sanè verbis superioribus modestiæ fucus solus affingitur, non vera species, si ita arrogarit Synodo, ut sibi non abrogaverit sanciendarum ejusmodi regularum facultatem. Satius est, pristinæ Principum moderationis laudem illi quoque sinceram vindicare, qui ea potestate se utpotè laicos carere profitebantur, nec leges hactenus ullas Canonum duces, sed pedissequas & custodes rogaverant.

XLIX. Ex his porro ita præstructis, consentaneum rursus est, ut si quæ leges obloquantur Canonibus, eæ conticescant, & tum regia, tum synodica authoritate expungantur. Minùs æquum id quidem esset, si legitima Principi adnasceretur vis ferendi leges de rebus ecclesiasticis. Ecquid enim per adversos Canones legibus jure perlatis adversaretur Ecclesia, & Imperio Sacerdotium collideretur? Præclarissimum in hac Chalcedonensi Synodo ejus rei documentum se offert, Phœniciam quæ Tyrio Metropolitæ priùs tota suberat, Eustathius Beryti Episcopus à Theodosio dividi impetraverat, atque ita segmenti sui ipse arripuerat metropoliticum principatum. Rescriptum Principis ea de re Constantinopolitana sub Anatolio Synodus confirmarat. Photius Tyri Episcopus vi subscribere adactus, Marcianum adit, qui causam Synodo Chalcedonensi delegat, ejusque nomine Judices Synodum ita alloquuntur *act. 4. Sacratissimo Domino orbis placuit, non juxta sacras literas, aut pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed juxta regulas à Sanctis Patribus latas. Omni igitur cessante è sacris pragmaticis definitione, Canones de hoc capitulo editi legantur.* Tum rogant Judices, *Dicat sancta & universalis Synodus, utrum ei placeat, ex Canonibus Patrum hujus causæ quæstionem examinari, an è sacris pragmaticis, de quibus quid sacro apici visum sit, jam omnibus apertum fecimus.* Sancta Synodus dixit, *Contra Canones nihil pragmaticum valebit.* Antè Imperator pragmatica sua revocat, antè videtur copiam facere Synodo, Canones pragmaticis præhabendi. Sed id imperatoriæ magnificentiæ utique donatur. Cui verecundum & amarum esset, suas à Synodo leges palam aboleri. Nihilo seciùs tamen conscia sibi Synodus suæ potestatis, & Justitiæ incommutabilis gnara, fidenter proclamat & absolutè: *Contra regulas nihil pragmaticum valebit: Canones Patrum teneant.* Quod mox apertius fit ex ipsa Judicum percontatione, *Nunc tempus est edoceri nos à Sancta Synodo, an liceat ex sacra pragmatico aliena Ecclesiæ jura ab aliis Episcopis averti?* Quis non videat, non regio tantùm assensu, sed sua sponte inania esse, & irrita hæc rescripta, quibus fulti, præter Canones, immo præter incommutabilem justitiæ legem, alii in aliorum jura impetum faciunt? Unde absolutè respondet Synodus, *Non licet hoc, hoc est contra Canones.* Et infrà rursus Synodus exclamat: *Supplicamus, ut etiamnunc virtus regularum in omnia, & in omnes provincias valeat, cessantibus omnibus pragmaticis, quæ ex concursatione & ambitione fiunt: quæ everterunt ea, quæ spiritualiter, & secundùm Deum à Sanctis Patribus sancita sunt.* Denique Cecropio Episcopo petente, *Petimus ut sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibusdam facta sunt in omni provincia: Canones autem per omnia teneant.* Et rogantibus Judicibus, an Cecropio assentiretur Synodus, omnes tum Episcopi conclamarunt: *Omnes eadem dicimus, universa pragmatica cessabunt, Canones teneant, & hoc à vobis fiat.* Tunc Judices dixerunt: *Ex sententia Sanctæ Synodi, in omnibus quoque aliis provinciis Canones teneant.* Laudatissimum id tunc quidem fuit, ut inexpugnabili pacis vinculo Sacerdotium & Imperium vinciente, inimica sacris regulis pragmatica, & in fidei ac disciplinæ Ecclesiasticæ exitium instructa, concursatione & ambitione quorundam extorta, pervasionem iniquissimam aliorum in alios foventia, atque adeo vi sua & per se se cassa, quatenus justitiæ adversaria, non abrogaret tamen ipsa Synodus, sed à Principe abrogari exoraret, Princeps autem ipse Synodi preces penè anteveniret. Similiter *act. 7.* lite inter Antiochenum & Hierosolymitanum Episcopos per transactionem sopita, valere id Judices sanciunt, communi suo & Synodi decreto, *vacantibus secundùm jussionem divinissimi Principis omnibus pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte literis impetratis: insuper & mulctatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri.*

L. Utque omnis dubitationis nubecula absergeatur à synodici juris morosis exploratoribus, audiendus Leo Sapiens *Const. 2. Cum sacrosancti divinique Canones, & quicumque alii de sacerdotio & Episcoporum creatione statuere, in optimum numerisque omnibus plenum editi sint modum; & quidem quomodo illi non exactè perfectèque editi sint, cum divina inspiratio in authoribus efficaciter operata sit? mirari subit, quomodo non veriti nonnulli sint, sacras, divinasque leges, tanquam illæ absolutæ non essent, promulgatis aliis legibus abrogare.* Si sacræ, si divinæ sunt leges Ecclesiasticæ, si à Spiritu Sancto dictatæ, si ita promulgatæ, *Visum est Spiritui Sancto & nobis;* si Evangeliorum instar habent Synodi universales; cui jam non dilucet, quàm cassæ, & inutiles sua sponte sint, quæ Principibus surripiuntur pragmaticæ ad illarum perniciem sanctiones? Idem rursus *Const. 16. Vetus verbum, quod de rebus suis dicenti, aures esse aperiendas monet; cum in omnibus aliis perbellè sese habeat, tum hic longè esse pulcherius apparet.* Tum memorata compugnantia legum & Canonum circa Hypodiaconi ætatem: *Dignum itaque sacram legem de rebus suis præcipientem audire imperatoria nostra majestas rata, in eandem cum illa sententiam descendit.* Quo testimonio vox ipsa naturæ videtur exaudiri, jubens ut cuique suæ artis experto auris & fides adjiciatur. Et rursus idem *Const. 75. Si sacrorum decretorum sanctio ad res civiles transiens, in illis sæpè plus authoritatis, quàm ipsæ civiles de iisdem rebus tractantes leges habeant: quantò magis sacra decreta in suis rebus, civilibus legibus prævalebunt?* Absoluta hæc quoque ratio est. Ita enim natura comparatum est, ut cœlestia mundanis, æterna temporalibus, carnalibus spiritalia, sacra prophanis invigilent, & imperitent, non vicissim. Unde præclarè Ivo Episcopus Carnot. ad Henricum Angl. Regem, *epist. 51. Quia res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum Regnum & Sacerdotium in unum convenerint studium: celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus in regno vobis commissa*

missso verbum Dei currere permittatis; & regnum terrenum cœlesti regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet Ecclesiastico regimini. Et quantùm valet corpus, nisi regatur ab anima, tantùm valet terrena potestas, nisi informetur, & regatur Ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cum jam non resistit caro spiritui: sic in pace possidetur regnum mundi, cum jam resistere non molitur regno Dei: Hoc cogitando, servum servorum Dei vos esse intelligite, non dominum: protectorem, non possessorem. Quod ipsum Gregorius Magnus Mauritium Imperatorem monuerat, *lib.* 2. registri *ind.* 11. *epist.* 62. ei nempè *potestatem cœlitùs datam esse supernomnes homines, ut cœlorum via largiùs pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur.* Et Gelasius *epist.* 8. ad Anastasium Imperatorem: *Licèt præsideas humano generi, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis; inque sumendis cœlestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potiùs quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Quibus luculentè consonat Facundus Hermian. *lib.* 12. *cap.* 3. Marcianum Imperatorem commendans, ut qui *nosset, quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani.* Ideo enim abstinuit non tantùm de fide sancire, sed etiam *novos constituere Canones, quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum Canonum Executor esse voluit, non Conditor, non Exactor.* Quibus aliquantò vehementior Lucifer Calaritanus Episcopus *lib.* 1. ad Constantium Imp. *Quia præceptum sit tibi, non solùm non dominari Episcopis, sed & ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori jussus sis. Quomodo dicere poteris, judicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, jam quantum apud Deum mortis pœna fueris mulctatus?* Sic ille Principibus spiritalem intentat gladium. Et rursùs Cassiodorus *lib.* 11. *epist.* 2. ad Joannem Papam: *Monete me quæ sunt gerenda solicitè. Sum quidem Judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus. Sedes illa toto orbe mirabilis, proprios tegat affectione cultores, &c.* Et Isidorus Pelusiota *lib.* 3. *epist.* 249. *Ex Sacerdotio & Regno rerum administratio conflata est. Quamvis permagna utriusque differentia sit. Illud enim velut anima est, hoc velut corpus. Ad unum tamen & eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. Quapropter cum Judaice res initium sumebant, sacerdotium, ut magis necessarium, institutum est, ac perdiu duravit. Postquam autem carni addictiores, atque crassiores essent, regnum poposcerunt. Illud ipsis concessum fuit, quippè quod utilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minimè parebant, peccata coerceret, ac restringeret.* Quem secutus videri possit Isidorus Hispalensis *lib.* 3. de summo bono *cap.* 51. cujus verba Antistites Gallicani transtulere in *cap.* 2. *lib.* 2. *Concilii* 6. Parisiensis: *Sub religionis disciplina sæculi Potestates subjectæ sunt, &c. Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Eadem adscripta leges in Capitul. Caroli Magni Add. *lib.* 2. *cap.* 21. Et ejusdem Caroli Magni progenies Gallorum Rex apud Lupum Ferrariensem, *epist.* 81. testatur *se fideliter tenere, quòd Rex regum, idemque Sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cœlum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam, in Sacerdotes divisit, & Reges, ut quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Quæ omnia luculentiora sunt, quàm ut interpretis operam desiderent. Ille ipse autem, qui à Leone carpitur, Justinianus non alia in sententia fuit, cùm *lib.* 1. *Cod. Tit.* 2. *cap.* 12. hanc Marciani retulit constitutionem: *Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ vel ambitionis elicita sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus.* Et ipsi ergo obreptum est, quidquid ab eo præter Canones est constitutum. Quæ non eo consilio deprompta à nobis sunt, ut Ecclesiæ Synodique ad infringenda Principum diploma ipsis inconsultis temerè prosiliant; sed ut Patrum modestiæ tenaces, tantò majori in admiratione sint.

LI. Nec illud omittendum, quod momenti plurimum habet in hoc negotio. Nempè à judiciis merè Ecclesiasticis, & à causis spiritalibus regios judices in totum abstinuisse. At si quæ mixtæ fuere causæ, & temporalibus rebus aliqua ex parte implicatæ, in iis dijudicandis suas aliquas esse partes voluisse. Perlustra animo, quæ suprà de Cæciliani, Athanasii, Chrysostomi, Dioscori, Photii causis perstricta sunt, merè Ecclesiasticas illas fuisse liquebit. Rursus in hac Synodo cùm de Episcopis ageretur à Phytio Tyri Metropolita ordinatis in iis civitatibus, quæ à Tyriorum Ecclesia avulsæ, Ecclesiæ Beryti erant tributæ: & an valerent eorum ordinationes, inquireretur; quia merè canonica erat disceptatio, ea sese abstinuere Judices ajentes; *De his finaliter decernere ac definire, sancta est Synodi.* At ubi mixta judicia fuere, illis se inseruere, ut cùm de rescindendo Theodosii rescripto; & de restituenda Tyrio Metropolitæ pristina finium amplitudine actum est. Item cùm de Patriarchatu Hierosolymitano constituendo, eique adjudicanda portione Antiocheni Exarchatus definitum est. Quamquam nec illud dissimulandum, in illis quæ merè Ecclesiasticæ causæ dicuntur, Athanasii, Dioscori, Photii & aliis id genus, non pauca quoque de temporalium contagio adhæsisse, quæ illas in mixtarum classem revolverent, si tricari & suos ampliare fines voluisset Princeps. Et rursus ubi in causis mixtis suas interposuere partes Judices regii, tam parcè id feciisse, ut totum penè Episcopis permiserint. Adeo tunc & Princeps Ecclesiæ, & Ecclesia Principi, non detrahere quid, sed sua erogare certabat. At lex Justiniani superiùs relata, Ecclesiasticas & mixtas planè discriminat causas. Verùm ecclesiasticæ jurisdictionis pomœria undequaque ille coarctavit. Illud penè effugerat nos, minimè aspernandum, quòd cùm ordinationes Episcoporum à Photio factas jampridem in iis civitatibus, quæ illi rescripto Theodosii ademptæ fuerant, ratas esse statuit Chalcedonensis Synodus; eo argumento plus satis demonstravit, rescriptum Theodosii non tunc demum, cùm à Marciano revocatum est, sed & priùs atque ab exordio cassum atque inutile fuisse, utpotè sacris regulis infestum. Si enim aliquando valuisset rescriptum, irritæ tunc Episcoporum ordinationes in alieno territorio fuissent. Et caducum sponte, atque ab initio fuisse illud rescriptum, liquet præterea ex eo, quòd Constantinopolitana Synodo Berythensis Episcopus eadem sibi civitates addici curarit. Unde ait ipse *act.* 4. *Nec verò ego civitates divisi, sed Sancta divisit Synodus.* Itemque Judices: *Dicat Sancta Synodus, licuerit ne Anatolio jubere, ut Photio certæ Ecclesiæ in provincia auferrentur.* Denique item superiùs ostensum est, Ephesinam secundam Synodum à Leone & Occidentali Concilio cassatam, & ab eodem tamen

tamen interpellatum Marcianum, itemque à Chalcedonensi Synodo, ut eam unà cum confirmatorio Theodosii rescripto ipse rescinderet.

LII. Quamquam autem causis Ecclesiasticis temperaret Imperator; Judices tamen Ecclesiastici, qui eas dirimerent, ab illo & petebantur & delegabantur. Itaque Imperator, ut Canonum custos, ut civium omnium Defensor, ut Clericorum maximè Patronus, ab his utcumque præter Canones læsis adibatur, non judex futurus, sed judices consentaneos daturus. Concilii Chalcedon. *act.* 1. Eusebius Dorylæi Episcopus apud Marcianum dato libello conqueritur de iis, quæ adversùm se à Dioscoro patrata erant in latrocinio Ephesino: *Intentio & propositum est majestatis vestræ, universis quidem sibi subditis providere, & manum porrigere omnibus injustè oppressis, præcipuè tamen fungentibus sacerdotio: in hac divinitati placentes, à qua vobis imperare & dominari sub hoc Sole donatum est. Ergo quoniam multa, & dira, & contra omnem consequentiam, fides quæ in Christum est, & nos sumus perpessi à rev. Dioscoro Episcopo Alexandrinæ civitatis, adimus vestram pietatem, supplicantes justitiam promereri.* Bassianus quoque Ephesi quondam Episcopus, *act.* 11. preces offert Marciano, quibus iniquo se judicio exturbatum Episcopatu exposcitulat: *Omnis salus violentiam patientium post Deum vestra tranquillitas est, præcipuè autem sacerdotum Christi. Quapropter & ego ad has preces veni provolutus vestigiis vestris, ut in his mei misereamini.* Ita & *act.* 13. regiam tuitionem implorat Eunomius Episcopus Nicomediensis adversùs Anastasium Nicænum. Et ab his Episcopis adversùs Episcopos litigantibus, non subsidium tantùm implorabatur imperatorii patrocinii, sed & judices postulabantur. Eusebius enim Dorylæi Episcopus ait: *Provoluti precamur vestram clementiam, ut præcipiatis Reverendissimum Episcopum respondere de his, quæ ei à nobis ingeruntur.* Et infrà: *Sacrum & venerabile vestrum mandatum dirigentes sancta & universali Synodo relig. Episcoporum, quo possit inter nos & præfatum Diascorum audire, & perferre ad scientiam vestræ pietatis, omnia quæ geruntur.* Nec aliter Bassianus: *Supplico vestræ pietati, & provolvor divinis vestris sacratisque vestigiis, quatenus sancire dignetur vestra cœlestis potestas, sacra vestra subnotatione missa ad sanctum Concilium, ut cognitio fiat inter me miserrimum, & eos qui in me talia perpetrarunt, ac dicunt se aliquid adversum me habere.*

LIII. Regiæ hujus potestatis splendidissimum & omnium antiquissimum emicat monumentum in causa Donatistarum, quibus postulantibus Judices delegavit Constantinus tres è Gallia Episcopos, qui cum Melchiade Romano Pontifice hanc litem dijudicarent. Apud Eusebium ita scribit ad Melchiadem Constantinus: *Visum est mihi ut idem Cecilianus, cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat. Ut ibi coram vobis, Rhaticio etiam & Materno & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, ut nostis, postulat.* De hoc judicio cùm murmurarent Donatistæ, quippe qui causa cecidérant, alios illis judices dedit Constantinus, nempe Arelatensi Synodo congregata. Cùmque sexcenties Augustinus de hac judicum Constantiniana delegatione disseruerit, nec semel conquestus est de usurpata à Principe præter fas ecclesiastica jurisdictione. Quin immò temerè usurpatum à Melchiade judicium de Afris quiritantes Donatistas, refellit *epist.* 162. in hunc modum: *Quid quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo viderent: & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.* Nec minùs insigne ejusdem rei specimen editum est in Athanasio, cui cùm Eusebiani & Meletiani fabulam illam fracti calicis, altaris eversi, & Arsenii occisi impingerent, Synodum Tyriam cogi ab Imperatore impetrarunt, quæ delatorum criminum cognitionem susciperet. Quin non omnes promiscuè, sed delecti ad arbitrium accusatorum Episcopi, Synodo adesse, & causam ventilare jussi sunt.

LIV. Ab his fontibus illa fluxit regia potestas, juxta regulas alibi jam non semel indigitatas nobis interpretanda. Judices enim dedit primùm Constantinus, sed, ut ait Augustinus, *Donatistarum precibus*: ut Socrates aliique passim testificantur, *Eusebianorum & Meletianorum* artibus delusus. Illic feliciter res cessit, hìc infeliciùs; ut solent quæ præter Canones usurpantur. Itaque perduellibus quomodocumque revocandis indultum illud est primò, ut Judices Ecclesiasticos daret Imperator, idque quòd non inauspicatum quandoque sortiretur exitum, ex eodem indulgentiæ tenore probavit aut toleravit Ecclesia. Nam Cæcilianus quidem, ut sæpiùs inculcat Augustinus, poterat causam suam transmarino judicio Episcoporum integram servare; ut judices autem ab Imperatore peteret, nec ipsi, nec Augustino hæc toties narranti in mentem unquam venit. Athanasius perinde à petendis ab Imperatore judicibus alienus fuit. Et si cui in mentem recurrant ea, quæ paulò antè ex ipso, ex Osio, ex Liberio, ex Hilario corrasimus, ne se Imperator causis Ecclesiasticis inserat, jam ambigua esse non poterit horum hacce de re sententia. Quibus enim ab exordiis erupit insana illa Constantii licentia ac tempestas, judiciorum canonicorum conculcatrix, nisi ab illa, quam à Patre propagatam exceperat, potestate, Episcopos suo nutu ad Synodos & judicia congregandi? Si hæc enim janua pateat Principi, judices delegandi, jam non potest non irrumpere tota illa vis & procella, causas Ecclesiasticas subsdeque vertens ad Regum Procerumque libidinem. Posteræ ergo disciplinæ adplaudendum magis est, & Regum pietati, qui libertati ecclesiasticæ impensiùs suffragati sunt: & in causis Episcopalibus, quales erant ferè superiores omnes, non ipsi dare judices præsumunt, sed à Romano Pontifice delegari postulant. Et quidem cùm non semper, cùm rarò cogatur Synodus Oecumenica, rerum ipsa necessitas persæpè adigebat interpellari Imperatorem in iis causis, quæ communes erant, vel summos Episcopos & Oecumenicæ Synodo propiùs obnoxios attingebant. Quod vis imperatoria, ut ita dicam, Oecumenica & ipsa sit, ac ubique terrarum polleat. Inde perstruebatur Romani Antistitis amplitudo. Multò æquius enim, sacris regulis, ac libertati Ecclesiasticæ consonantius est, causas ecclesiasticas communes, majores, episcopales, judicibus à Sede Apostolica delegatis concredi, quàm ab imperatoria majestate. Orientales ergo qui ut semotiores, ita alieniores erant à Romani Pontificis universali authoritate subeunda, in ejus vicem imperatoria premi & conteri conducebat; ut intelligerent, extundente intellectum vexatione, non posse Ecclesiæ libertatem sine summo aliquo uno judice Episcopo constare. Nisi enim summus judex sit Episcopus, erit Imperator. Denique nemo nescit, & in Florentina Synodo patentissimè eluxit, quàm fœda servitute Græcam Ecclesiam suus Imperator dehonestasset.

LV. Utque recurramus ad priora sæcula Ecclesiæ, id quoque sibi sumpserat Imperator, ut extra territorium jurisdictionem Episcopis prorogaret. Ideo Cyrillus & Memnon in Ephesina Synodo prima graviter expostulant se à Joanne Antiocheno damnatos, cui nulla in se competeret authoritas, neque ex legibus Ecclesiæ, neque ex Principis edicto. *Et quidem, nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale decretum potestatem habuit, qua ful-*

fultus, vel quempiam ex nobis judicare, vel omnino simile quippiam attentare posset: præsertim verò contra majorem Sedem. Cui finitima est & illa potestas, judicium ab una provincia vel diœcesi avocandi, & in aliam transferendi, si cui Episcopo suus vel Metropolita, vel Patriarcha suspectus foret, & recusandus videretur. Ita Ibas Edessæ Metropolitanus, Joannes & Daniel Episcopi, de hæresi à Clericis accusati, coram Domno Patriarcha Antiocheno, etsi lis contestata fuisset in Synodo Antiochiæ; rescripto tamen & authoritate Theodosii Imperatoris, ex sententia Flaviani Archiepiscopi Constantinopolitani, ab Osrhoena provincia ad provinciam Phœniciæ translati sunt, ut à Photio Episcopo Tyri, Eusthatio Berytî, & Uranio Himeriorum Episcopis judicibus datis, judicium de accusatione ferretur. Judices commonitorium Principis à Damascio Tribuno prolatum actis inseri jussere, ut constaret de collata sibi à Principe cognitione. *Pium commonitorium dignetur tua magnificentia demonstrare, ut per omnia intentionem piissimi & Christianissimi Imperatoris nostri sequamur. Prefulgere etenim debet his gestis.* Quod totum refertur ad *act.* 10. Concilii Chalcedonensis.

LVI. Verùm & hìc quoque non facta tantùm, sed & jura pensitanda sunt. Nam si suo & pleno jure Imperator jurisdictionem Episcoporum aliorum in alios prorogat, & propriis quoslibet subducit, aliisque subjugat Judicibus, quò evadent Canones? Quò leges Synodicæ? Quò sedium prærogativæ? Quò provinciarum & diœceseon fines? Quò Nicænis ipsis Patribus venerandæ *antiquæ consuetudines* Ecclesiarum? Tota hæc regularum & ordinis pulchritudo, passim & promiscuè regiorum diplomatum licentia deformabitur. Adde, quòd Cyrillo suus erat Ecclesiasticus judex, Romanus Præsul. Hoc est, ut secunda Sedes cæteris, ita secundæ prima, Alexandrinæ Romana immineba. Quorsum ergo primam Sedem suo jure fraudaret, secundam tertiæ subjiceret, ordinem Canonum interverteret Imperator? Ad hæc, refricanda est eorum memoria, quæ suprà perstrinximus, de Pragmaticorum & Canonum conflictu. Si nihil enim pragmaticum tenet, quod Canonicis obviet institutis; inutilia ergo & cassa erant illa rescripta Principum, quibus Sedium privilegia perimebantur; etsi Principum majestati ad tempus quandoque morigerari cogeret dispensationis necessitas, & pacis inter Regnum & Sacerdotium alendæ charitas. Quæ omnia operosum non est transferre ad alterum caput, translati videlicet ab una provincia in aliam judicii. Nec sanè species istæ effugerant providentiam Synodorum & Canonum. Sæpiculè enim jusserant sacræ regulæ è vicina provincia accersi Episcopos, vel ad Exarchum Diœceseos recurri, vel Judices eligi, vel ad primam Sedem provocari. Nusquam autem copiam fecerant Canones adeundi ad postulandos judices Principis. Quin immò viam sepierant, quanta maxima fieri poterat diligentia, Canones Antiocheni, Sardicenses, aliique, ne Comitatum peterent, ne ad Principem cursitarent Episcopi. Amplitudini regiæ id tributum fuerat, ne pœnæ irrogarentur ei, qui Ecclesiasticos judices à Principe postulasset. *Si Episcopale judicium ab Imperatore petierit, nihil ei obsit*: ait Canon Africanus. Ex venia id toleratur. Nam hujus rei copiam apertè nulli fecere Canones.

LVII. Adde quòd Ibas ab Eutychete clancularii is sæcularis potentiæ machinis exagitatus, & plures expertus carceres, & Synodo prohibitus se sistere, necessariò ad Imperatorem recurrit. *Act.* 10. Concilii Chalcedonensis, ita sortem suam dolet: *Eutyches adversùm me pro fide quadam falsa confinxit, nec me in Synodum introire permisit, per quadraginta mansiones, per diversos ad invicem succedentes ordines direxit me, viginti & amplius carceres mutavi, &c. ob hoc adii sacrum & immortalem verticem, & jussit vestram magnificentiam Synodumque audire, que adversùs me gesta sunt.* Adversùs istiusmodi nefaria sæcularis potentiæ machinamenta necessariò adeundus erat Imperator. Utque hoc exemplo, ita & superiùs delibatis & compluribus aliis liquet, non alia magis de causa aditum à Clericis esse Principem, si quando à piis & religiosis adiri illum contigit, quàm ut quæ vel præcessores ejus, vel Judices Præsidesque imperatoria potestate abutentes, machinati nefariè fuerant, ab ipso revocarentur. Ita Theodosii gesta & rescripta Marcianus rescindere pluries exoratus est. Ita Constantinus ab Athanasio compellatus magis, quàm appellatus, ut Synodi Tyriæ, & Dionysii Comitis flagitium, regia authoritate armatum, ipsemet rescinderet. Ita & Bassianus Ephesi Episcopus, ut Imperatoris tuitionem imploraret, compulsus est militari incursione in se facta. Ait enim ipse: *Postquam mysteriorum sacrificium absolutum est, apprehendentes me, & abripientes de sancta Ecclesia, plagis afficiebant, ducentes & portantes in foro, aliquando verò & recludentes, gladiis me subjecerunt. Act.* 11. *Concil. Chalced.*

LVIII. Adde rursum, quòd Edesseni Presbyteri in suo ad Photium & reliquos Phœniciæ Episcopos libello, Synodis & Episcopis hanc potiùs tribuunt judicii translationem: *Consequenter & secundùm Canones, adeuntes Concilium tam Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos & piissimum atque Christianissimum Principem nostrum pro his deprecari. Ex hoc ergo & sanctissimo nostro Archiepiscopo Flaviano pariter decernente, cum piissimo nostro Principe, & decernente nostrum à sanctitate vestra exerceri negotium, advenimus parati nobis adesse. Act.* 10. *Concil. Chalced.* Transtulit ergo judicium ab una provincia in aliam cum Imperatore Flavianus Episcopus Constantinopolitanus. Si roges, quo suo jure? Expedita responsio est, ut judicia Ecclesiastica à Clericis exerceantur, & secundùm Canones; non à Principe, & secundùm leges. De fide quippe hic agebatur. At ultra fines sibi defixos evagabatur hoc prætextu Episcopus Constantinopolitanus, quòd multa ad eum remitteret Imperator, undequaque ad se querelis miserabilium quorumcumque relata. Ex quo uno capite potissimùm erupit infinita tandem illa, & regulis antiquis Ecclesiarum infestissima potestas Patriarchæ Constantinopolitani, & reliquorum Orientis Patriarcharum jura absorbuit. Ut hinc diluxerit, unum universalem Episcopum, & summum causarum Ecclesiasticarum judicem opus esse; alioqui fore, ut pleraque judicia, & ea maximè quæ diversis Patriarchatibus implicata sunt, ad sæcularem magistratum devolvantur: vel in contumeliam & exitium antiquorum, & Apostolicis Nicænisque institutis commendatorum, novus ebulliat Patriarcha, solo Principis patrocinio, & sæculari ambitu, omnia pervasurus. Quod in Oriente exitus comprobavit.

LIX. In Occidente verò, ubi primæ Sedis privilegio cœlitus consignato lubentiùs subscriptum, longè rariora sunt hujus rei exempla. Nec nulla sunt tamen. Nam Concilium Toletanum 13. *Canon.* 12. de iis agit, qui ab Episcopis ad Metropolitanum provocant, iremque ab uno Metropolitano confugiunt ad alium, & denique ad Regem, si à duobus Metropolitanis abjiciantur inauditi. *Si pregravatus quis à Metropolitano proprio, ad alterius provincia Metropolitanum molestiam pressure sue agnoscendam detulerit; aut si inauditus à duobus Metropolitanis, ad regios auditus negotia sua perlaturus acceserit.* Religiosior hæc disciplina. Nam ab Episcopi judicio, ad Metropolitanum confugitur. A Metropolitano, non statim ad Regem, sed ad alium Metropolitanum. Priscæ enim consuetudinis fuerat, ad vicinas recurrere Synodos. Si denique à duobus quis Metropolitanis protelatus fuerat, adire Regem poterat, ut qui vel delegare judices, vel Synodum generalem colligere moris habebat. Quantò pulchriùs alibi à Metropolitani

vel

vel sententia, vel repulsa, ad Vicarium Sedis Apostolicæ, seu Primatem, aut ad ipsam Sedem Apostolicam concurrebatur, & intemerata servabatur regula non conveniendi sæcularis magistratus in negotio Ecclesiastico? Denique adiri Principem usquequaque & absolutissimè vetuere & Principes & Episcopi, nisi de Episcoporum consensu. Nam capitul. Car. M. *l.7. c.57.* ita habetur: *Si quis adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum consilio & tractatu Metropolitani, & cæterorum Episcoporum ipsius provinciæ.* Plures alibi eam in rem Canones conglobabuntur.

LX. Nec aspernanda in istiusmodi illa etiam suspicio est, hæc omnia à Principibus, non juris rigore, sed pietatis instinctu, usurpata fuisse; ideoque non exempla hinc aucupanda legitimæ potestatis, sed charitatis, leges & Canones non ratò, nec sine laude prætergredientis. Uno & splendido id efficiam argumento, ab illis deprompto Monachis, quos cùm Theophilus in Alexandrina Synodo velut Origenis errorum affines damnasset, & perdiu exagitasset, *regiam ad urbem pervenerunt, in qua divina manu ad curam indigentium Joannes ordinatus erat Episcopus, procumbentesque ad ejus genua, orabant, ut opem ferret animabus calumniam passis, vastatisque hostium odio, &c.* ut ait Palladius in Dialogo de vita Chrysostomi, *c.7.* Ubi & hæc Monachi quinquaginta ad Chrysostomum contestantur: *Sede, Pater, nosque non utcumque vulneratos Theophili Papæ vesania curare stude, si tamen valueris nostrorum tumoribus vulnerum obducere cicatrices. Nam si ipse quoque nos despicis, aut reverentia aut metu Theophili, juxta Episcopos reliquos, nihil jam superest nobis, nisi ut profecti ad Imperatorem, ipsius opera pessima ad injuriam Ecclesiæ publicemus.* Denique ut subditur *c.8.* Monachi iidem, *Augustis primum congressis, Reginam deinde adeunt in Ecclesia S. Joannis orantes, ut Theophilus vel invitus adductus, Joannis judicio subjiceretur, &c.* Æqui bonique consulenda hæc omnia, non ad juris eliminati amussim trahenda sunt. Nam quòd Monachi à Theophilo damnati ad Palæstinos Episcopos confugiant, quòd rursus ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, id totum præter Canones fit. Quòd ad Imperatorem denique se profecturos comminentur, eo apertum faciunt, sola judicii Ecclesiastici desperatione, se ad regiam tuitionem implorandam compelli. Quòd denique Joannis judicio Theophilum subjici orant, id immane quantum, & Nicænis, & omnibus prorsus Canonibus adversatur. Nusquam hic ergo legitima, & Canonibus authorata potestas à miserabilibus Monachis invocatur, sed sola & ubicumque obvia charitas.

LXI. Eidem prorsus extraordinaria omnia adgredienti charitati, magis quàm ordinariæ & legitimæ potestati adserendum illud etiam est, quòd causas Ecclesiasticas Princeps ipse, non per vicarios ullos definiat. Perinsigne emicat ejus rei documentum in epistola Concilii Romani ad Gratianum & Valentinianum Imp. ubi post grates Imperatori habitas, quòd statuisset, *ut de reliquis Ecclesiarum sacerdotibus Episcopus Romanus haberet examen. Ut & de religione religionis Pontifex cum consortibus judicaret, nec ulla fieri videretur injuria sacerdotio, si sacerdos ulli unquam prophani judicis, quod plerumque contigere poterat, arbitrio facilè subjaceret, In append. Cod. Theod.* Postea gratantur, quòd Imperatoris judicio probata sit innocentia Damasi Papæ, adversùs Ursicini asseclarum criminationes: *Quia igitur vestræ judicio tranquillitatis probata est innocentia fratris nostri Damasi, &c.* Orant, ut tantò magis Damasus à forensium judicum potestate immunis habeatur, à qua absoluti sunt omnes Episcopi: *Quoniam Damasus in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra submovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare.* Denique istud præ cæteris memorandum & admirabile subjicitur: *Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed Principibus arrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum; ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Sylvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de scripturis similia exempla suppeditant. Quòd cum à Præside sanctus Apostolus vim pateretur, Cæsarem appellavit, & ad Cæsarem missus est. Certè priùs examinet causam vestra clementia: & si emerserit quæstio, interroganda distinguat. Ut quemadmodum dudum estis censere dignati, factorum à judice ratio quæratur, non arbitrium sententiæ vendicetur.* Quæ admirabiliora visum iri intelligo. Sed adverte 1. ut Episcopus, & Episcoporum summus *apud imperiale Concilium se defendat*; id non ab Imperatore usurpari, qui immunitatem potiùs omnium Episcoporum sanxerat: sed à Pontifice ipso deferri, sibi nempe derogante, *ut Principibus adrogaret*. 2. Apertè innui causas Episcopales Episcopali Concilio terminandas. Id enim Canones jubent, Si intervertatur ordo legitimus, id saltem postulatur, id dispensativè remittitur, ut coram solo Imperatore causam dicat Pontifex, non ullo alio judice sacram vicem fungente. 3. Sine figura judicii plerumque Principem, ut nullis forensium legum anfractibus devinctum, judicare, & arbitrum magis agere, quàm judicem.

LXII. Ut ut habeat de Sylvestri apud Constantinum purgatione, ut indubitatius, ita splendidius est exemplum Athanasii, qui à Tyria latrocinali Synodo ad ipsum Constantinum maturavit, postulavitque ea, quæ Constantinus ipsemet nos docebit in epist. ad eandem Synodum: *Magna libertate nihil aliud postulavit, quam ut vos huc evocari juberem, quò nobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cum mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione ad prætorium nostræ clementiæ conveniatis. Reipsa quantum severitatis integritatisque sit in vestris sententiis, coram meipso declaraturi.* Appellasse Athanasium *velut ab abusu*, à Synodi judicio ad Imperatorem, colligunt aliqui ex epistola synodica Orientalium Sardicæ Episcoporum apud Hilarium in fragmentis: *In præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audiit etiam Imperator, quique interrogatione habita, omnia ejus flagitia recognoscens, sua illum sententia in exilium deportavit.* Verùm mendaciter hæc omnia in Athanasium, & invidiosè conficta sunt. Nam nec in præsentem Athanasium sententia dicta est, nec Athanasius appellavit. Sed præcipiens Synodo tumultuanti se subducere, recusatoque judicio Episcoporum sibi suspectorum, causam suam integram Principi reservavit. Diserte enim in contestatorio libello quem Dionysio Comiti obtulit, *Cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserves. Æquum est enim, te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum retinere.* Nulla hic appellationis vestigia. Appellationem Donatistarum nemo nescit quibus diris prosecutus sit Constantinus. Quando non ergo dabatur copia, nec spes ulla superierat residua legitimi synodici judicii, extraordinariam tentat hanc tandem Athanasius, ut & suprà Damasus, viam, ut Princeps cognoscat. Nonne Constantinus idem post Arelatense Concilium appellatus à Donatistis, de re tota rursum cognovit, *veniam petiturus* ab Episcopis? Non ergo juri consentanea, sed dispen-

sandi

sandi necessitati opportuna hæc fuit ratio, ut Princeps cognosceret, non vice sacra quisquam alius, de Cæciliano, de Athanasio, de Damaso. Valet enim in hæc omnia universim, quod de causâ Cæciliani tradit Augustinus *epist.* 48. *Illos magis hinc arguimus, quia cum apud Imperatorem ultro Cæcilianum accusassent, quem primò utique apud collegas transmarinos convincere debuerunt; ipso autem Imperatore longè ordinatiùs agente, ut Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos mitteret: nec victi pacem cum fratribus habere voluerunt.* Indignabundus addit, rursum à Donatistis *Episcopos judices apud terrenum judicem* accusatos. Et *ep.* 68. ab Arelatensi Concilio, *pertinacissimi & litigiosissimi ad eundem Imperatorem appellaverunt: postea & ipse coactus, Episcopalem causam inter partes cognitam terminavit, &c.*

LXIII. Quòd ergo qui appellationem Donatistarum recusabat primò Constantinus, cognitionem Athanasii posteà admiserit, non illud in causa fuit, quòd iste de insidiis, & dolo Synodi Tyriæ conquereretur, illi verò de iniquitate judicii. Nam 1. etiam de Romanæ Synodi insidiis, & dolo mussitabant Donatistæ, nempe *quòd omnis causa non fuisset audita, sed pauci quidam Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, judicassent: à paucis dictas sententias; & hos ipsos, non omnibus quæ inquiri antè oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum judicium præproperè, festinanterque processisse;* ut author est Constantinus ipse in epist. ad Ablavium præf. Afric. & ad Chrestum Syracusanum Episcopum. Præter Canones judiciorum moderatores hæc peræquè erant, si ita fuissent gesta. 2. Non ab hac Romana, sed ab Arelatensi post Synodo provocarunt ad Imperatorem Donatistæ, qui protinùs illos execratus est, quòd quomodocumque ab Episcopis ad Regem, ab iis inquam, *quorum judicium ita debet haberi, acsi ipse Dominus residens judicet:* ab iis, *qui nihil aliud sentire, ac judicare possunt, nisi quod Christi magisterio sunt edocti:* quòd appellantes, judicia *perquirerent sæcularia, relinquentes cælestia:* quòd denique *sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuissent.* Quæ latissimè patent, & omnes judiciorum, atque appellationum species amplectuntur. 3. Id ergo exhorruit Constantinus in Donatistis quòd appellassent: id non aversatus est in Athanasio, ut qui minimè appellasset, sed causam suam integram Imperatoris cognitioni reservasset: sicut Augustinus Cæcilianum ait, non appellare, sed causam suam integram transmarinis judicibus servare potuisse; etsi in eum absentem Donatistæ, sicut in absentem Athanasium Eusebiani, sententiam dixissent. Invidiam autem Athanasio conflabant Orientales Episcopi Sardicæ, cùm appellasse eum nugabantur. 4. Nec ab Athanasii autem, nec abs Constantini factis, jus ullum condi legitimum potest, ut quæ extremæ & desperatæ necessitatis telo extorta sint. Nam ut docuit Augustinus, nonnisi *à contumacissimis & litigiosissimis coactus*, utque vel extraordinariam hanc viam frangendæ eorum pertinaciæ tentaret, & *veniam petiturus ab Episcopis*, Constantinus de causa Donatistarum & Cæciliani cognovit post Episcopos, qui ante Episcopos cognoscere se non posse *ordinatiùs agens* professus erat. Ita & necessitati obsecundans Athanasius, quando Canonicæ cognitionis spes omnis amputabatur, ad Imperatorem recurrit. 5. Quid enim sibi jure liceret in causis Ecclesiasticis, Constantinus ipse Nicænæ Synodi tempore declaravit, cùm accusatorios complures libellos sibi ab Episcopis oblatos, comburi jussit, hæc effatus: *Iste criminationes tempus sibi præstitutum habent, diem magni judicii: Judicem autem, qui sit cum de omnibus sententiam pronunciaturus. Mihi verò non est fas, cum homo sim, ejusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, sacerdotes sint. Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi. Et ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Vos nobis à Deo dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos: sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, &c.* Horum meminere Rufinus, Socrates, Sozomenus, aliique. In tanta libellorum copia, consentaneum est omnis generis querimonias extitisse, quas indiscriminatim summovit Princeps, & omnem istiusmodi potestatem à se abdicavit. Ergo cùm de causis Ecclesiasticis cognoscere recusavit, tum planum fecit, quid juri concineret: cùm cognovit, tunc patefecit, quid necessariæ dispensationi, & charitati omnium legum imperatrici indulgeret. 6. Et postremò obviis ulnis amplectendus hic saltem Joannes Major, næ parcus alioqui ille imprimis, & illiberalior in Ecclesiastica, prodigus autem propemodum in sæculari potestate dimetienda. Ergo sic habet ille in *libr.* 4. *sentent. d.* 24. *Ex talibus factis singularibus, quæ ex devotione ad Ecclesiam, & non debito juris fiunt, non est trahendum aliquid in consequentiam, quemadmodum nec ex multis aliis. Ut ubi Imperatores elegerunt maximos Pontifices: similiter, quod aliqui maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores. Et sicut recitat historia Ecclesiastica, multi sacerdotes apud Constantinum Magnum querelas suas deponebant. Ex quibus nullum sumi potest argumentum.*

LXIV. Quocirca in hocce inter Christiana Christianissimo regno, privilegii nomine honestatur, quidquid in Ecclesiasticis causis Judex publicus audet. Qua de re aliàs. Adiri autem Principem ipsum, non quoslibet Judices regios, in istiusmodi causis ad infulatos Præsules attinentibus, monebat Hincmarus Rhemensis Episcopus, nec improbabat, in Rotula Carolo Regi porrecta, si modò *non in publico, sed in privato loco*, & veluti de plano, vel à Rege, vel à regiis delegatis res disceptaretur: *Regia igitur sollicitudo à Rege Regum, & æquissimo judice Deo, ut in directione cordis judicium judicetur, constituta, sollicitè providere debet, ut tales judices cum Episcopis ad causam inter Ecclesiasticos & Seculares dirimendam eligat, & constituat, qui religiosi sint, & Dominum timeant, &c. Et judicent non in publico judicii loco, sed in privato. Quia Episcopi non in Consistoria Regum, non in Pretorio Judicum, nec nisi ab Episcopis, aut in Synodo, aut in privato loco à Primatibus deputatorum, aut à se electorum Judicum judicio, debent aut possunt regulariter judicari. Post. Concil. Duziac.* 1. Et in Quaternionibus; ad eundem: *Si laica persona Episcopale abnuerit judicium eligere, quod Episcopo non licet refugere: ratio est, & non obsistit authoritati, ut cum Coepiscopis Episcopi, contra quem ad vos quis reclamat, quia indignum est vos ipsum inde laborare, missos vestros, ab eo petitos, vel à vobis deputatos mittatis, qui utriusque partis rationem audiant, & secundùm humanas & divinas leges discernant, &c. Et hoc non in publico, sed in privato loco fiat.* Ibid. pag. 407. Et paulò antè: damni quidpiam passus ab Episcopo, *Et à vicini Episcopi monitis & precibus, vel cujus alterius justitiam obtinere si nequiverit: non abhorret à ratione, si non accuset Episcopum ad publicos judices, quod non licet, sed ad vos se reclamet.* Pag. 403. Rei ejusdem exempla sub tertia Regum nostrorum Dynastia vide in Collect. Quercetana, tom. 4. pag. 584. 634. &c.

APPEN-

APPENDIX
AD SYNODUM CHALCEDONENSEM
De Subscriptionibus.

SYNOPSIS.

Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem præscribi. Quantum ea cæterorum Antistitum scriptis etiam de fide literis antecellerent. Duplici occurritur objectioni, adversùs Leonis epistolam gannienti, quasi illi, nonnisi ob suum cum Scripturis Synodisque prioribus concentum, subscriptum sit, & ob accumulata Patrum testimonia. Cyrilli quoque epistolis subscriptum, & cur? Num. I. II. III. Episcopalibus quoque definitionibus subscriptum est. Num. IV. V. VI. VII. Subscribere solos Episcopos, solemnius fuit: quicumque tamen obliquis suspicionibus perstringebantur, subscribere & ipsi compulsi sunt, Clerici, Monachi, Laici. Num. VIII. IX. X. Quanta obsequendi necessitas immineret. Ubi & illud Chrysostomi elucidatur, Communicate quidem, sed nolite subscribere. Illud item Augustini, Viros quandoque bonos ab Ecclesiæ communione ejici. Num. XI. Imperator sicubi Episcopis præcurreret, si adversùs fidem, restitum est: si pro fide, restitum quandoque tamen pro libertate, sæpius ex dispensatione obtemperatum est. Num. XII. XIII. XV. Summa Romani Præsulis authoritas in subscriptionum negotio. Num. XIV. Post subscriptiones, nihil amplius suspicionum penes quenquam residere debet. Num. XVI. Subscriptiones vel fidei confessiones plenæ, apertæ, puræ, & simplices esse debent, atque ita ut ex animo saltem Episcoporum, ceu fidei Magistrorum, suspicio infesta expungatur. Num. XVII.

I. CAnon 30. apud Balsamonem, non Canon est, sed decretum *act.* 4. Planum hinc est autem, in more positum fuisse, ut & fidem epistolis suis definirent Romani Antistites, & ei subscriberent reliqui per orbem Episcopi. Id vel ex hac maximè Leonis epistola patet ad Flavianum data, quæ exinde velut Catholicæ fidei tessera Ecclesias omnes pervagata est. Id ante cætera Dioscoro crimini datum, quòd in Ephesina secunda Synodo eam vetuerit legi: inde prædatoriæ illius Synodi labem profectam esse omnes contestati sunt, ut suprà ostensum: Chalcedonensis ipsa Synodus in id ante omnia incubuit, ut huic epistolæ omnes subscriberent. Tergiversantibus Ægyptiis *act.* 4. iterum iterumque Episcopi omnes & ad ravim usque intonuere, *Epistola Leonis subscribant, Anathematizantes Eutychen & dogma ejus. Consentiant epistolæ Leonis. Eludere nos volunt, & discedere, &c. Subscribant epistolæ Leonis. Qui non ei subscribit, hæreticus est, &c. Universalis hæc Synodus Ægyptiaca major est, & fide dignior. Non est justum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos.* Denique fidejussores dare vel juramento se constringere coguntur, nec Constantinopoli discedere, donec creetur Episcopus Alexandrinus, & tunc subscribant. Sed & ante Synodum Chalced. ut refertur *act.* 4. *Cum pauci Constantinopoli convenissent, missa est epistola almi Archiepiscopi Leonis, iis qui ubique essent Metropolitis, & subscripta est.* Et Pulcheria Augusta ad Leonem scribens, purganique apud illum alioqui meritò suspectam fidem Anatolii, ait: *Tuarum literarum Apostolicam confessionem complectitur, & epistolæ Catholicæ fidei, quam ad Flavianum tuam beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit.* Denique cùm non pauci stomacharentur, quòd fidei confessio mandata esset, illigataque epistolæ: Synodus Chalced. in prosphon. ad Marcianum, Leonem congesta exemplorum serie tuetur: *Sic magnus ille Basilius minister gratiæ, subsistentiarum evidentiam, ut in epistola mirè declaravit, & Sancti Spiritus doctrinam diligentiùs tradidit, Consacerdotum suorum eliciens etiam subscriptione consensum. Sic quoque Damasus Romanæ urbis decus ad justitiam, literis ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit, admonens ut his quæ bene decreta sunt, si qui communionis suæ participes velint esse, consentiant, &c. Sic Athanasii ad Epictetum amplectimur literas. Sic tanquam propriam, Gregorii ad Cledonium epistolam ubique proferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per Epistolas Ecclesiæ dogmata declarari, pro unaquaque quæstione, dignum culpa judicant; ipsum in primis beatissimum Cyrillum quilibet potuerit denotare, qui literis suis quod sentiebat, & Orientalibus expressit. Nec non & magnum Proclum huic vituperationi subjiciet, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios profidei congruentia destinavit. His etiam consociabitur ad culpam & sanctissimus Joannes Antiochenus Episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans, totius Orientis confessionem, velut ex uno ore sanctissimo Procla, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinavit. Non igitur nobis admirandi Romæ urbis Præsulis epistolam, velut innovationis offendiculum criminentur, &c.* Ubi vides coacervata exempla exaratæ multoties in epistolis fidei orthodoxæ. Suprà retuli Episcoporum Galliæ, itemque Mediolanensis provinciæ testimonium, & subscriptionem in eandem Leonis ad Flavianum epistolam. Ut Orientem Occidenti succinuisse hic quoque intelligas, & nos in fidei Apostolicæ, sedisque Petri venerationem semper præisse.

II. Quòd autem Chalcedonenses Patres in supra relatis Prosphonetici ad Marcianum verbis, non Leonis tantùm & Damasi Pontificum Romanorum, sed Athanasii quoque & Cyrilli Alexandrinorum, Joannis Antiocheni, Procli Constantinopolitani, Basilii Cæsariensis, immò & Gregorii Nazianzeni epistolas commendant, ut fidei promulgatrices: non tamen communicare his omnibus singulare primæ Sedi privilegium censendi sunt, aut primæ Sedi nihilo plus quàm his tribuere. Nam 1. quidem Damasi epistolam ajunt abrumpendæ communionis interminatione, velut summæ jurisdictionis indice munitam fuisse, quod nulla istiusmodi epistolarum alia dici potest. 2. Leonis epistola in Synodo Oecumenica, & longè numerosissima, ab omnibus subscripta, subscribique jussa est, quod *nulli* item alii competit: sicut nec ulli supradictorum Episcoporum congruit, quod de Leone testificata est eadem Synodus, Petri interpretem omnibus constitutum fuisse, ut Caput membris præfuisse. 3. Etiam ante Synodum subscribi cœperat Leonis epistola, sola Pontificis summi authoritate urgente, utputa in Galliis, in Italia, immò Constantinopoli, & in Oriente toto, ad omnes nempe Metropolitas directa, ut suprà didicimus. 4. Etiamsi magnarum Sedium fastigia obtinerent supradicti Episcopi penè omnes, non tamen universali Ecclesiæ legem dicere, aut fidem dictare poterant; sed in privatis tantùm suis Diœcesibus aut provinciis vel parœciis, in obnoxios sibi quosque. Quin etiam scribebat Nazianzenus ad Cledonium, Proclus ad Orientales, vel ad Armenios, Joannes ad Proclum, Athanasius ad Epictetum: nonnulli fidem magis suam nudabant, quàm alienam informabant. At Damasus ad Paulinum Antiochenum, Leo ad Flavianum Constantinopolitanum, immò in Gallias, in Italiam, ad omnes ubique terrarum Metropolitas fidem sanciebant, renitentibus excommunicationis intentabant jaculum. Ergo & jurisdictio hæc erat, & universalis jurisdictio. 5. Apertè in literis suis ad Leonem Gallicani Episcopi confitentur fidem hanc se eloquuturos fiducialiter & liberè, *suffragante etiam Apostolicæ Sedis authoritate*, Deoque grates acturos, *quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei,*

fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi unde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manavit, Antistitem dederit. Et provinciæ Mediolanenses Episcopi in epist. ad eundem eadem de causa, censent fidei hostes damnatione congrua persequendos, *authoritatis vestræ præcedente sententia.* 6. Crebrò jam ex Hieronymo monuimus, Damasum ejus calamo, *Orientis, Occidentisque consultationibus synodiciis respondisse.* Idem de antecessoribus ejus ex ipso, & successoribus non immeritò conjectamus. De nullo præterea primarum etiam Sedium Episcopo idem constat. Non doctrinæ autem tantùm, sed jurisdictionis, & summæ in Ecclesia authoritatis testes fuisse has literas inde indubium fit, quòd doctrina magis Hieronymi, authoritas mera Damasi coruscaret; quòd Athanasium, Cyrillum, Basiliuni, Nazianzenum, Proclum doctrinæ ubertate inusitata floruisse exploratum omnibus sit, scripta ipsorum testentur; non item Damasum, Siricium, Innocentium: illos ergo eruditio, hos Sedis authoritas consuli suadebat; quòd in Occidente saltem jurisdictionem Romanorum Antistitum latissimè dominatam esse, nec adversarii abnuant; at promiscuè Hieronymus consultationes synodicas commemorat Orientis & Occidentis: ergo ut istæ, ita & illæ ad principatum Petri Sedis referebantur: quòd denique ipsæ, quæ à Syricio & reliquis deinceps Pontificibus indubitatæ supersunt nobis literæ decretales, singulis penè verbis, non copiam quandam singularem doctrinæ, sed exertissimam potestatem, & jurisdicendi principatum ostentent, quo Petrum, Petrique successores Christus auxit. Frustratorius autem & merus ille cavillus est, causantium epistolæ Leonis ad Flavianum subscriptum esse in Concilio Chalcedonensi, non ex Leonis authoritate, quasi fidei Dictatoris, sed ex comperta ejus consensione cum Nicæno, cum Constantinopolitano, cum Ephesino primo Concilio, ut fidem faciunt subscriptiones actionis quartæ Concilii Chalcedonensis. Cui ludificationi ita occurritur. Subscriptio & veritati exploratæ, & authoritati indiscriminatim, perinde ut fides adhiberur. Illud usitatissimum est Sectariis diverticulum, ut obtentu veritatis authoritatem detrectent: adeo Catholicis fugitandum, ne authoritati detur, quidquid arrogatur veritati. Nicænæ ipsi Synodo subscribitur, ut divinis literis consentaneæ. An ideò Synodi Oecumenicæ primæ vigor & authoritas emarcuit? 2. Secundæ & tertiæ Synodo subscribitur, ut cum Nicæna consonantibus: an ideò tota credulitas in Nicænam exhausta est, ejusque nec pilus superest, quo reliquæ Synodi honestentur? Vide ut hac eadem *act.* 4. subscribat Sabbas Episcopus Palti Syriæ: *Trecenti decem & octo Patres edocti à Spiritu Sancto rectam fidem nostram exposuerunt, & centum quinquaginta Constantinopoli collecti eam sequuti sunt: similiter etiam huic congruentia B. Cyrillus Ephesi docuit: consona quoque sanctissimus Archiepiscopus Romanorum Leo per suam Epistolam docuit: & universus orbis terrarum sic institutus est & edoctus, &c. & subscripsi ei, &c.* In eundem sensum subscribunt complures alii, & omnium penitùs subscriptio, etsi verborum contextu discrepans, eodem tandem revolvitur. An ideo solam Nicænam *à Spiritu Sancto edoctam* argutaberis, reliquis Synodis subscribi non aliter, quam ex illius primæ, quam sectantur, authoritate? Apage has ineptias. Reviviscat potiùs solertissima Patrum simplicitas, jura juribus, lumina luminibus affectans non committere, sed conciliare: & fidei formulis gnara subscribere, tum quia scripturæ concinerent, tum quia vivæ vocis traduce à majoribus essent in posteros propagatæ, tum quòd synodicè confirmatæ, tum quòd prioribus etiam aliquantis Synodis authoratæ essent. Amica sibi sunt hæc omnia veritatis præsidia, non mutuò collidenda. 3. Paschasinus, Lucentiusque Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarii Sedis Apostolicæ, in hac eadem actione, consentiunt similiter Leonis epistolæ, ut tribus Oecumenicis prioribus Synodis consonantissimæ. An ergo nec hos movebat tantillum Leonis Papæ authoritas, sed totum dabant ponderi priorum Synodorum, vel puro, putoque veritatis lumini? Saltem Occidentales, saltem peculiares Episcopi, saltem Presbyteri, saltem Vicarii assurgerent authoritati Archiepiscopi sui. 4. Quin ipsi Chalcedonensi Synodo Metropolitani variarum provinciarum, ad quos ea de re postea scripserat Leo Imperator, iteratò suffragati sunt per encyclicas suas, eò quòd Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum *Concilia firmaverit, nihilque quod illis bene videatur placuisse, commoverit; nec augmentum quoddam, vel detractionem fecerit, &c. Part.* 3. *Concil. Chalced. cap.* 27. Cujusmodi similia verba inculcantur in omnibus his encyclicis. Extremæ autem cujusdam vecordiæ fuerit, his nugari abrogatam omnem Chalcedonensis Synodi authoritatem. 5. Quid quòd & Patres Concilii Toletani 14. Sextæ Synodi gestis subscribunt? *Predicta gesta cum antiquis Conciliis conferentes, &c. iteratò ea ipsa gesta probavimus, decretis quidem illis synodalibus & præcipuis in omnibus consona: & Nicæna quidem, Constantinopolitana, vel Ephesine fidei concordantia, Chalcedonensi verò tam esse unita, &c. Et ideò supradicti acta Concilii in tantum à nobis veneranda sunt, & recipienda constabunt, in quantum à præmissis Conciliis non discedunt. Unde his Conciliis ea subnectenda decernimus, quorum & authoritate fulta probamus.* An & hi exauthorasse videbuntur Sextam Synodum, reliquo jam Christiano orbe receptam, cùm antecedentium Conciliorum authoritatem illi substernunt? 6. Sed cum Leonis epistola ante Chalcedonensis Synodi initia, toto Occidente & in magna Orientis parte subscripta jam, atque authorata esset: Num nihil hinc illi authoritatis accreverat, & à nutu Chalcedonensium Patrum anceps & vacillabunda pendebat? Nonne idem Orientalibus tunc, quod antè Cyrillo post Cælestini Nestorium damnantis epistolas susceptas dicendum nempe supererat, *necessitatem* incumbere sibi, in damnando & errore & erroris authore consentiendi Occidentalibus, vel communione eorum carendi? Certè *act.* 5. Chalc. Synodi, tergiversantibus plenam & enucleatam fidei definitionem edere, has Vicarii Romani minas intentant: *Si non consentiunt epistolæ Apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus perficiatur.* 7. Porro ut fidei Doctorem ac Magistrum sibi præluxisse Leonem, tota Synodus non dissimulat, sed exertissimè vociferatur, dum in fidei definitione uno contextu assentitur Nicæno & Constantinopolitano Symbolo, itemque Cyrilli epistolis Ephesi confirmatis, atque Leonis epistolæ, utpote quæ *Magni illius Petri confessioni congruat, & communis quædam Columna existat, adversùs perversè sentientes.* Dum *act.* 2. post ejus epistolam recitatam exclamat, *Petrus per Leonem ita locutus est, hæc Patrum fides. Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultavit.* In Ephesina enim Pseudosynodo aberratum est à vero, non anteriorum Synodorum ignoratione, sed solius Apostolici magisterii penuria, ut hic patet, & alibi ostensum. Dum in epistola ad Marcianum scribit: *Nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens: ut quemadmodum fervens affectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat.* Dum ad ipsum Leonem scribit: *Tu vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, &c. Tu sicut membris Caput præeras, &c. Rogamus, tuis decretis nostrum honora judicium; & sicut nos Capiti in bonis impendimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Non præfertur his verbis supercilium eorum, qui epistolæ Leonis, ejusque cum priscis Synodis concentus judices

dices ſe eſſe jactent, ſed diſcipulorum ſobrietas; qui ut Apoſtolis Petrum, ut membris Caput, ut filiis Patrem, ita ſibi Leonem in fide præluxiſſe gratulentur. Quid æquius autem, quàm ut regat & moderetur, non explorata tantùm veritas, ſed etiam à Deo & à veritate inſtituta authoritas Petri Apoſtolos, Capitis membra, Patris filios? An filii Patriam, an membra Capitalem minùs, aut pigriùs ſectabuntur, quàm Magiſtralem diſcipuli authoritatem? Denique idem de Synodo, quod de Eccleſia: immò idem de Eccleſia ſynodicè collecta, & per orbem ſparſa: idem de repræſentante, ac de repræſentata judicium eſto; Romana quæ Caput, quæ Prima, quæ Magiſtra eſt, utrobique principatum & authoritatis & magiſterii habet, utrobique cæteras ducit ſponte ſequaces, utrobique & veritatis luce, & authoritatis mole cæteras antecellit, utrobique enim valet illud Tertulliani, ad Matrices, ad Apoſtolicas, ad Originales Eccleſias reliquis eſſe recurrendum, ut ab his fontibus illimiores hauriant fidei latices, hoc eſt, fontem veritatis in fonte authoritatis & originis inveniant. Leonis poſtremò authoritati quantum concederetur, proditum poſteà eſt, cùm perdiu & Leonis epiſtolæ, & Concilio Chalcedonenſi ſubſcribi moris fuerit. Longè putidius eſt autem, quod alii tricantur, teſtimoniis antiquorum Patrum Leonem ſuam muniviſſe epiſtolam, tamquam horum potiùs, quàm ſuis vocibus fides addicenda eſſet. Quæ enim Synodus Oecumenica non æquè ſuffragia priſcorum Patrum acervavit? Quæ Synodus Oecumenica, non æquè ut Chalcedonenſis, ad ravim uſque exclamavit, Hæc Patrum fides? Quæ Synodus ſuæ deceptum iri authoritati ſuſpicata eſt, ſi vel Scripturarum, vel antiquorum Patrum authoritas proferretur? Nonne & ipſa Chalcedonenſis Synodus poſt conſecratam ſuis ſubſcriptionibus Leonis epiſtolam, ad Imperatorem Marcianum eandem commendans in epiſtola ſynodica, Patrum teſtimonia ei rurſus aggerat? Sed quis eorum qui Chalcedone ſubſcripſere huic epiſtolæ, vel leviſſimè attigit, aut tantilli fecit ea teſtimonia epiſtolæ Leonis ſuccenturiata? An etiam cum paſſim Epiſcopi Synodis Oecumenicis ſubſcribentes conteſtantur, hanc eſſe fidem inter cunabula, inter luſtrales undas ſibi irroratam, hanc quæ toto orbe Catholico hactenus coruſcaverit: tunc Synodi authoritatem elevant, eamque uni Eccleſiæ antiquæ, & per orbem ſparſæ vendicatum eunt? Cruda hæc ſunt inſomnia, & vacua commentitiarum pugnarum ludibria, quibus illuſi illuſere, & falſi fefellere quidam, antiquæ pacis & Eccleſiaſticæ olim concordiæ ignari; calamitoſa autem ſchiſmatum tempora, & incertas dubiorum Pontificum, ideoque cum Synodis colliſorum procellas experti, & veluti tempeſtate quadam jactati, reliqua omnia quamvis pacata immotaque, jactari peræquè & æſtuare imaginantur. Non pugnat, immò militat authoritas veritati, veritas authoritati, authoritas authoritati, jus juri, Scriptura Synodis, Synodi Patrum dogmatibus, Pontifices Conciliis, Concilia Pontificibus, Caput membris, membra Capiti. Conſentanea, amica, conſerta ſunt hæc omnia: mutua ſe ope, luceque recreant & augent: nullo vero, nullo inteſtino, ſed imaginario fabuloſoque conflictu, nec uſquam niſi in ſcholis perſtrepente diſſident. Ut enim poſt ſerenatos, ita & ante excitos illos plurium ſimul & dubiorum Pontificum turbines, nuſquam membrorum omnium compago adversùs Caput, nuſquam Eccleſia univerſa adversùs Romanum Pontificem ſtetit: ſed ſemper permagna & plerumque longè major Eccleſiæ pars pro Capite ſuo certavit; utque poſt ſciſſum Orientem citimior Romanæ Eccleſiæ atque Urbi Chriſtianitas, ita antè Occidentalis omnis Eccleſia Romano Pontifici ita cohæſerat, & penè coaluerat, ut ab ejus ſententia & nutu nec latum unguem uſquam ſe abduci ſineret.

III. Cyrilli epiſtolas in Epheſina prima Synodo ſubſcriptas non detrecto. Sed vicariam in illo ſtatim primæ Sedis authoritatem ſuſpicio, & hanc ab eo paſſim prætendi. Nec his epiſtolis ſubſcribere, ita Joannes Antiochenus, & Orientales adacti ſunt, ut Ægyptii epiſtolæ Leonis, à qua, ut Dioſcoro obnoxii, videbantur abhorruiſſe. Nec Synodus Epheſina tantùm ſe Cyrilli nomine tuetur, quantùm Cæleſtini, cujus epiſtola ſe cogi fatetur in Neſtorii abdicationem. Nec ante ipſam Synodum ita Cyrilli, ut Leonis literæ ad omnes Metropolitas deſtinabantur, vel in Oriente & Occidente circumferebantur ſubſcribendæ. Nec Cyrillus ita poterat ad ſummarum Sedium Epiſcopos mittere literas, ut Leo ad Flavianum, ad Anatolium, ad Synodos Oecumenicas.

IV. Poſſe tamen ab Epiſcopis ut fidei magiſtris & Apoſtolorum ſucceſſoribus conſcribi formulas fidei, & ab iis quos regunt ſinguli, ſubſcribendas publicari, in controverſiam vix trahi poteſt. In Epiſcopalibus enim quarumlibet regionum Conciliis ſexcentæ cùm proſcriptæ olim fuerint hæreſes, orthodoxæ eorum definitioni juſſos ſubſcribere quicumque ſuſpecti habebantur, conſentaneum eſt credere. Ad hæc Baſilius, teſte Synodo Chalcedonenſi, *Conſacerdotum ſuorum elicuit ſubſcriptione conſenſum*. Cùm Ariani enim orbem univerſum nefariis ſubſcriptionibus exigendis fatigarent, Nicænamque fidem & Athanaſium peſſumdare machinarentur: neceſſum fuit orthodoxos Epiſcopos contrariis ſubſcriptionibus communire veritatem Eccleſiaſtici dogmatis. Arianos imitati Semiariani, eadem perdiu ſubſcriptionum veſania bacchabantur: adeo ut Gregorio etiam Nazianzeno Epiſcopo, Theologi Patri impoſuerint, & complures ex Catholicis incautos vel invitos irretiverint. Unde in vita Gregorii Theologi: *Quo factum eſt, ut alii metu perculſi, alii verborum illecebris deliniti, aut pecuniis ſubacti, alii morum ſimplicitate decepti, hereſis eſcam ſuſceperint, chirographo ſuo & communione cum adverſariis conjuncti. Quo in numero B. quoque viri hujus Pater erat, animi ſimplicitate in hamum prolapſus.* Sed parentem brevi Theologus his laqueis extricavit, Monachoſque & plebem ab eo hac de cauſa ſecedentem recollegit, ut author ipſe eſt orat. 19. *Cum à ferventiore Eccleſiæ parte ob eam cauſam ſeditio in nos excitata eſt, quòd ſcripto quodam & artificioſis verbis circumſcripti, in pravam ſocietatem pertracti fuiſſemus, ſolus ipſe illaſam mentem, minimèque ſimul cum atramento infectam animam habere creditus eſt: tametſi per animi ſimplicitatem abreptus fuiſſet, dolumque ob animi ſinceritatem ab omni dolo alienam minimè caviſſet. Quin etiam ſolus, aut, ut rectiùs dicam, primus, eos qui à nobis ob pietatis zelum diſſidebant, & ſibi, & cæteris reconciliavit, &c.* Qui rurſus orat. 21. de graſſatione iſta extorquendorum chirographorum ita expoſtulat: *Hinc alii ab Eccleſiarum thronis injuſtè pellebantur, alii in eorum locum ſubrogabantur: ſic tamen, ut ab iis impietatis chirographa non ſecus atque aliud quidpiam neceſſarium exigerent. Atque in promptu atramentum erat, & calumniator à tergo. Ea res permultos à nobis invictos alioqui viros in fraudem impulit: qui quamvis mente haudquaquam prolapſi fuerint, ſubſcriptione tamen tranſverſi acti ſunt, atque cum illis utroque nomine improbis conſenſerunt: ac ſi non flamma, fumi certè participes fuerunt.* His quos utcumque excuſat Gregorius, etſi non omninò culpa abſolvit, accenſeri fortaſſis poteſt, (quo de tamen aliàs) Liberius, aliquandiu antè conſimili fraude implicatus. At ibidem longè excuſatiores plebejos oſtendit Epiſcopis, ſi qua iſtiuſmodi arte circumveniantur. *Nam plebejis hominibus, qui per errorem id admiſerint, ignoſcendum fortaſſe fuerit, quibus illud plerumque ſaluti eſt, quod animum à curioſa exploratione alienum habent. At doctori quo tandem modo id concedemus, &c.* Epiſcopis ergo ſeu Arianis antè, ſeu pòſt Macedonianis orthodoxos Epiſcopos, forſan & plebe-

plebejos hac subscriptionum procella infestantibus, visum est Basilio Catholicum dogma sanctioribus chirographis defensandum. Basilium imitatus est Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, de quo in Ephesina Pseudosynodo hæc conquestus est Eutyches: *Subscribere dictatam adversùm me sententiam monasteria compellebat: nunquam, sicut & vestra novit reverentia, tali habita consuetudine, nec contra apertos hæreticos. Et per Orientem, & per alia diversa loca destinavit chartas, ut etiam & ab aliis religiosissimis Episcopis, & Monachis, etiam qui hæc non judicaverunt, subscriberentur, cum magis oportuerit ante omnia Pontificibus scribere, quos & appellaveram, Act. 1. Concil. Chalced.* Quin & ipse Eutyches in sui defensionem, volumen de fide per monasteria subscribendum direxit, ut evincitur in Synodo Constantinopolitana sub Flaviano; de hortans etiam à subscriptionibus quas exigebat Flavianus: *In his diebus tomum ad te directurus est Archiepiscopus, ut subscribas; ne persuadearis ab eo*, Quanquam Eutychetis libello subscribere recusarent complures Archimandritæ, ajentes: *Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantùm est:* itemque: *Nos Ecclesiæ filii sumus, & unum Patrem post Deum habemus, Archiepiscopum.* Et Liberatus in Breviario, *cap.* 11. *Eutyches direxit tomos per monasteria, cum suis dogmatibus ad Abbates, ut subscriberent ea.*

V. Adversùs Origenis errores, Episcopali per orbem imperio subscriptum etiam est, non sine mira & deridicula tergiversantium ludificatione, ut narrat Hieronymus ad Pammach. & Ocean. adversùs error. Origen. *Hoc vel maximè cavent; ne quando contra authorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum juramento, quod postea alio solvant perjurio. Ad subscriptionem tergiversantur, quæruntque suffugia. Alius, Non possum, inquit, damnare, quod nemo damnavit. Alius, Nihil super hoc à Patribus statutum est: ut dum totius orbis provocatur authoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs: Quomodo, inquit, damnabimus, quos Nicena Synodus non tetigit? &c. Quòd si quando urgeri cœperint, & aut scribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua queque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Hæc de Origenis sectatoribus, nulla universali Synodo, sed particularibus tantùm per orbem Conciliis, & damnatis, & ad subscribendum adactis. Expertus erat & ipse Hieronymus orthodoxorum Episcoporum in hac parte, non potestatem tantùm, sed scrupulòsitatem, cum ob trium hypostaseon causam, Sabellianismi suspicionibus in Oriente exagitaretur. Id nos ipse docet in epist. ad Presbyterum Celedensem: *Non mihi conceditur unus angulus Eremi. Quotidie exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor ut volunt, non placet. Subscribo, non credunt. Unum tantùm placet, ut hinc recedam. Jam jam cedo. Abruperunt partem à me animæ meæ, charissimos fratres, ecce discedere cupiunt, immò discedunt, melius esse dicentes, inter feras habitare, quàm cum talibus Christianis. Et ego ipse, nisi me & corporis imbecillitas, & hyemis retineret asperitas, jam modò fugerem.* Vereor ut hæc nimia sanè, Monachorum potiùs fuerit morositas, quàm Episcoporum in exigendis subscriptionibus. Non otiosum est animadvertere Hieronymi tali etiam in re obsequium paratum, & expeditum, *Confiteor ut volunt, subscribo, &c.* Quanquam nec fortassis Episcopus, nedum Romanus Pontifex subscribi decrevisset.

VI. Manifestius est Augustini testimonium de Episcopalibus adversùs Pelagiana delitia subscriptionibus: Has enim ille querimonias istiusmodi hæreticorum refert *l.* 4. *ad Bonif. cap.* 8. *Sed quoniam dicunt inimicos suos dicta nostra in veritatis odium suscepisse, & toto penitus Occidente non minùs stultum quàm impium dogma esse susceptum: & simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus ad hoc confirmandum subscriptionem quærunter extortam: cum potiùs eorum prophanas vocum novitates Ecclesia Christi & Occidentalis & Orientalis horruerit.* Et *cap. ult. Quid ergo est quod dicunt, De simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est, &c.* Nusquam Innocentius & Zosimus in damnando Cœlestianos errores, subscribi ab Episcopis imperaverant: has ergo subscriptiones sibimet Episcopi ipsi indicebant. Ita forsan & in epistolam Leonis ad Flavianum sua sponte Episcopi Galliæ & Italiæ subscripsere, immò & ubique terrarum Episcopi omnes, cum nusquam id ipse præcepisse comperiatur. Et ad calcem Concilii Toletani primi attexuntur subscriptiones Symphosii & Dictynnii Episcoporum, & Comasii Presbyteri, adversùs Priscilliani errores, ipsumque Priscillianum & ejus libros, à quibus aliqui abstergere laborabant errorum istorum infamiam. Notanda sedulò ibi verba Comasii Presbyteri: *Non timeo frequenter dicere, quod semel dixissem, ut gaudeam. Sequor authoritatem Episcopi mei Symphosii, sequor sapientiam senis. Sentio quod dixi. Si jubetis, ex chartula relegam.* Et in Concilio Bracharensi I. adversùs eundem Priscillianum, non Leonis tantùm Papæ primi decreta fidei, sed & Episcoporum veluti succinentium primæ Sedi capitula releguntur, *Ut quisquis Clericus vel Monachus sive Laicus tale aliquid sentire adhuc, vel defendere fuerit deprehensus, tanquam verè putre membrum, continuò de corpore abscindatur Catholicæ Ecclesiæ.* Et paulò ante: *Eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscilliane sectæ venena serpebant, beatissimus Papa urbis Romanæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit B. Petri successor, per Turibium notarium Sedis suæ, ad Synodum Gallicie contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cujus etiam precepto Tarraconenses & Chartaginenses Episcopi, Lusitani quoque & Bætici facto inter se Concilio, regulam fidei, contra Priscillianam hæresin cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balearium tunc hujus Bracharensis Ecclesia Præsulem direxerunt.* Vides rescripta Sedis Apostolicæ de fide ad Episcopos in provincias mitti, synodicè ea recipi, ab ipsis Episcopis *regulam fidei*, & varia capitula in eandem sententiam conscribi: pœnas dare clericos, Monachos, laicosque, si qui secus senserint, quod per subscriptiones facillimè potest rescisci.

VII. Perillustre est in rem istam quod de Episcopis Gallicanis narrat Otho Frising. *lib.* 1. *de Gestis Frider. Imp. cap.* 56. 57. contra Gilbertum Porretanum in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. de fide scribentibus: *Mox ad publicum progressus Bernardus Abbas, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor predicta, que Pictavino Episcopo imponebantur capita, fidem suam in hunc modum ipse cum aliis & alii cum eo exposuerunt: Credimus, &c.* Descripta confessione, subdit: *Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit.* Tum eorum refert effusas indignanter apud Pontificem querelas, de Bernardo, & Ecclesia Gallicana. Quæ tamen eò revolvuntur tandem, *Ecce Galli isti faciem nostram contemnentes, tanquam finitivæ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt.* Omnia enim alibi terrarum disceptata, *Romano servari examini terminanda.* Nec id consilii Gallis Episcopis fuerat, ut ultimam manum rei imponerent, *super capitulis, quæ assidentibus Cardinalibus agitata fuerant.* Duo tantùm purpuratis Patribus certa erant, nec Galli dissentiebant; quæ agitari coram Pontifice & Romano Senatu sacro cœperant, non posse ab aliis definiri: item nec ab aliis Episcopis ita definiri quid posse, quin à Pontifice retractari id, & terminari

possit.

poſſit. Sed Gallis Epiſcopis ſua etiam conſtabat ratio & poteſtas edendæ fidei regulæ, etſi tunc purpuratorum Principum excandeſcentiam mitigandam cenſuerit Bernardus hac reſponſione molliori: *Se vel Dominos Epiſcopos nihil de prefatis capitulis definiſſe, ſed quia ab Epiſcopo Pictavino audierat, ut fides ſua ſcriberetur: idcircò quia ſolus nollet, illorum authoritate, ac teſtimonio ſimpliciter ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe.*

VIII. Qui autem adigerentur ſubſcribere, ex ſuperioribus dilucidum eſt. Epiſcoporum enim præ cæteris fuit, & fidei decreta conſtituere, & iiſdem ſubſcribere. Ita Baſilius conſacerdotum ſubſcriptiones eliciebat. Ita Patres Synodi Chalcedonenſis reliquas Patrum de fide epiſtolas à ſe ſuſcipi teſtabantur. Ita epiſtolæ Leonis non alii, quàm Galliarum & Mediolanenſis provinciæ Epiſcopi, Anatolius, Metropolitæ Orientales, Patres denique Chalcedonenſis Synodi leguntur ſubſcripſiſſe. Ita Archimandritæ ſub Flaviano Conſtantinopolitano reſponderunt, *Epiſcoporum tantùm eſt ſubſcribere.* Ita Nazianzenus de ſolis penè Epiſcoporum ſubſcriptionibus meminit. Ita apud Auguſtinum quiritabantur Pelagiani, à ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus extortas eſſe ſubſcriptiones. Nimirum grex in Paſtore, Eccleſia in Pontifice eſt: Laici, & Clerici, & Monachi omnes *Eccleſiæ filii ſunt, & unum Patrem, poſt Deum, habent Epiſcopum:* ideo, *ſequuntur authoritatem Epiſcopi*, & eo ſubſcribente, cenſentur ſubſcribere. Ut Synodus enim univerſalem, ita Epiſcopus quilibet particularem ſuam Eccleſiam in Synodo repræſentat.

IX. Sicubi tamen exagitati fuerant iniquioribus ſuſpicionibus ſeu Clerici, ſeu Monachi, ſeu denique Laici, horum quoque ſubſcriptiones elicere in uſu fuit. Ita Hieronymus ſupra ab Origenis defenſoribus referebat chirographa exigi, quos exemplo Rufini, Melaniæ, Monachorumque Ægypti, facilè conjicitur Epiſcopalibus infulis non radiaſſe. Ita ipſe Hieronymus, cum Monaſtici inſtituti collegis, urgebatur ſubſcribere, & ſubſcribebat, ut vellent. Ita ſuperiùs Monachos, nempè Archimandritæ Eutycheti ſuffragari utcumque ſuſpectos, jubebat ſubſcribere Flavianus. Ita in damnationem Chryſoſtomi, etſi præter jus damnati, ſubſcribere paſſim cogebantur, quod ne fiat ab innocentiæ ſuæ conſciis quibuslibet, deprecatur. Non pœnitebit adſcripſiſſe, quæ in rem iſtam diſputat Ferrandus Diaconus, ad calcem epiſt. ſuæ ad Pelag. & Anatol. perſtringens, ut opinor, Juſtinianum, qui ſua ab omnibus paſſim placita ſubſcribi extorquebat: *Poteſt unuſquiſque rectam prædicans fidem, quod ſentit, ſcribere: non autem ad ſubſcribendum, quæ ipſe ſcripſerit, alios provocare. Quantùm laboraverunt in prædicatione verbi poſt Apoſtolos ſanctiſſimi illi præclarique doctores, quibus per ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ conceſſerat Dominus docere Catholicos, & Hæreticos expugnare? Libros tamen ſuos à nemine ſubſcriptos poſteris reliquerunt. Conſideremus quid B. Apoſtolus moneat: Prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri examinent. Nunquid dixit, ſubſcribant, aut ſubſcribere compellantur? &c. Præcipit Scriptura, Audi, fili, legem patris tui, & ne ſpernas conſilium matris tuæ. Lex enim patris fulget, quantum mihi videtur, in Canonicis libris; conſilium matris in univerſalibus Conciliis continetur: ubi propterea qui conveniunt, tales ſacerdotes ſtatuta ſua ſuſcribunt, ut dubium non relinquatur à quibus eſt habita diſputatio. Cæterùm præter illos qui ſtatuunt; quæ ſtatuenda ſunt, nullus cogit ultrà ſubſcribere. Sufficere enim judicatur ad plenam confirmationem, ſi perducta in notitiam totius Eccleſiæ, nullum offendiculum moveant, vel ſcandalum fratribus? ſed Apoſtolicæ Fidei convenire firmentur, Apoſtolicæ Sedis roborata conſenſu.* Non intercedit Ferrandus, quin Sedis Apoſtolicæ decreta ſubſcribantur, cum ſolo ejus conſenſu, & reliquæ ſilentio Eccleſiæ; convaleſcere in authoritatem Oecumenicam & ineluctabilem ſtatuta particularium vel univerſalium Synodorum exiſtimet, quibus non abnuit ſubſcribi debere. Itaque ſynodalibus decretis permiſcuit Ferrandus conſtitutiones Sedis Apoſtolicæ. Sed ſynodicis definitionibus negat ſubſcribere ſolere, niſi Epiſcopos qui definierunt, dummodo *nullum offendiculum, aut ſcandalum moveatur.* Si qui enim aut clericorum aut laicorum reſiliant à decretis quibus univerſa acquieſcit Eccleſia, & ſcandalo ſint fratribus; haud dubio amoliri hoc offendiculum, & chirographo ſuo ſuſpectam fidem ſuam approbare compellentur.

X. Hac chirographorum effuſiſſima licentia abuti ultra omnes pudoris limites viſus eſt Photius Conſtantinopolitan. Epiſcopus, de quo hæc referuntur Synodi 8. *act.* 7. *Jubente Baſilio Imperatore poſitum eſt in medio Synodi vas æneum, ad id aptum, plenum igne: & delati ſunt in marſupium omnes tomi chirographorum, qui exacti ſunt à Photio ab omni ſacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam magnæ Eccleſiæ, quàm earum quæ foris ſunt: quàmque etiam à magnis, & parvis, & omnibus ſenatoriæ dignitatis, & cunctis aliis tam illuſtribus, quàm ignobilibus, atque iis, qui in omni arte, ac diſciplina, & diverſo ſtudio eſſe videbantur, uſque ad pellarios, & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes, &c. Omnia igni cremata ſunt, & redacta in nihilum.* Ita homo frontis perſtrictiſſimæ. At Hadrianus II. Pontifex in hac ipſa 8. Synodo, *act.* 1. libellum, ſeu formulam confeſſionis Conſtantinopolim miſſam effecit ab omnibus Clericis ſubſcribi. Ita enim ibidem ad marginem adſcriptus Anaſtaſius Biblioth. *Archiepiſcopi, Metropolitani, & cæteri Epiſcopi Conſtantinopolitanæ diœceſeos, nec non & omnes omninò Clerici, qui vel in honore, vel in communione eſſent, ſyngraphum Sedi Apoſtolicæ Græcè ſcriptum, & tam propria manus ſcripto, quàm teſtium à ſe rogatorum teſtimonio, & ſubſcriptione roboravere, nomina & tempus ſignantes, quo ſinguli chirographum ſuum ſcribebant, & Sedis Apoſtolicæ vicariis porrigebant. Ita ut nullus Antiſtitum vel reliquorum Clericorum in ſynodalem fuerit conventum receptus, qui non ſecundùm hujus exemplar codicilli chirographum ſcripſit, &c.* Suſpicata ſtatim eſt Græcorum levitas, hac chirographorum ſervitute ſubjugari Conſtantinopolitanam Eccleſiam Romanæ. Itaque furtim eorum partem ſuſtulere. At reddi ſibi ab Imperatore expugnarunt Vicarii Romanæ Eccleſiæ, qui ad unum omnia reſtituens, dixit: *Ego quidem, ut magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum Sedem Apoſtolicam per meos legatos adii; & ideò veſtram præſentiam præſtolatus ſum, ut veſtro decreto & ſolertia, Eccleſia noſtra remedia ſanitatis reciperet, & nos non noſtris motibus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus. Ergo chirographa, quæ à noſtris ſacerdotibus, & cunctis Clericis ſalubriter exegiſtis, recipite, & ſpirituali noſtro Patri ſanctiſſimo Papæ repræſentate. Ita ut ſi quis eorum per abrupta vitiorum vel devia pravitatum ſolito incedere more tentaverit, his quodammodo habendis abeo refrenetur, & talibus loris ad rectum juſtitiæ tramitem revocetur.* Chirographorum hic perſpicua utilitas, immò & neceſſitas eſt, quæ non ab Epiſcopis tantùm, ſed à Clericis etiam ſingulis eliciantur, ut his veluti habenis officii metas tranſilire inhibeantur. Nec cauſetur quis rariùs id antè, aut nunquam factitatum fuiſſe. Nam ut author eſt Auguſtinus, novas temperare medicinas cogunt nova in dies morborum experimenta. Synodus denique ipſa octava *act.* 9. è nobilibus laicis Leonem conſulem adegit anathema Photio dicere: & quanquam exciperet ille ſe laicum eſſe, Photium orthodoxum eſſe, anathema non illidi, niſi in hæreticos, *Quis ſum ego, ut anathematizem? Anathematiſmus in cauſa fidei ſit: at verò Photius orthodoxus eſt.* Urgentibus tamen legatis, opera ejus omni

hæreſi

hæresi pejora esse : morem gessit his verbis : *Cum vos judicetis fieri & exceptâ haresi anathematismum, anathematizo & ego cunctos, quos anathematizavit sancta hæc & universalis Synodus*. Denique act. 10. post subscriptiones omnium Episcoporum: *Interrogati Magistri & omnes Patricii, quid de sancta & universali Synodo existimarent, vel quomodo eam subscriberent ? Theodorus magnificentissimus Proconsul & Magister dixit ita : Omnia, quæ facta sunt à Photio contra Ignatium, & Nicolaum, anathematizans, & hanc sanctam & universalem Synodum recipiens : recipio, quos recipit : & anathematizo, quos anathematizat. Similiter Christophorus, &c. Et deinceps unusquisque prænominatorum in sessione Patriciorum secundùm hæc edidit ore proprio per vivam vocem sensum suum, velocibus Scriptoribus excipientibus quæ dicebantur ab unoquoque ipsorum, quæ etiam lecta sunt in audientiam omnium*. Ita laici suo quodam ritu subscripsere.

XI. Quanta denique obsequendi necessitas immineret, ubi hæc chirographa legitimus Præsul flagitabat, otiosum jam penè foret prosequi. Ex antedictis enim omnibus id quoque refulgebat. Origenis deliramenta sectatos, aut ejus suspicionis aurea afflatos, contrario dogmati subscribere, ut fugitarent, ut cogerentur, suprà Hieronymus docuit. Provocabant enim orbis authoritatem, ut *subscribendi necessitatem* differrent : verbis rem transigere moliebantur, quæ etiam cum juramento adhibita facilè avolarent ; sed *ad subscriptionem tergiversabantur, quærebantque suffugia*. Denique ita à Catholicis Antistitibus urgebantur, ut *aut scribendum esset, aut exeundum de Ecclesia*. Nimii quidem erant, & plùs æquo morosi, qui Hieronymum cum consortibus in tres Hypostases subscribere adigebant, subscribentibus non credebant eisdem : sed hinc quoque necessitas elucet subscribendi. Epistolæ Leonis toto orbe subscriptum est, pronunciante Synodo Chalcedonensi, *hæreticum esse* qui non subscripserit. Ei etiam ut subscriberetur à Gallicanis Episcopis, ipsum præcepisse, conjicere fortè quis posset ab exemplo consimili Martini Papæ I. qui an. 650. ad Episcopos Galliarum acta Synodi Romanæ contra Monothelitas mittens, ait: *Studeat fraternitas tua eadem omnibus innotescere, ut tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, atque synodali conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem Encyclicè à nobis directæ, scripta unà cum scriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide à nobis statuta sunt*. Ita & Leo II. postea ad Patres Concilii Toletani XIV. subscribenda misit acta sextæ Synodi Oecumenicæ. Quibus exemplis in more positum id fuisse generatim non immeritò persuadetur. Denique cum Hieronymo supra, vel subscribendum, vel de Ecclesia exeundum, sentit Hincmarus Rhemensis Episcopus ex communibus & vulgatissimis Ecclesiasticæ disciplinæ præjudiciis *l. de prædest. cap. 38. seu Epilog. cap. 1. Si quis secus sentiens, secundùm formam in proximè distinctis capitulis, ex authoritate Ecclesiastica comprehensam, Episcopali consensu, vel synodali decreto, servato per omnia privilegio Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsius in toto orbe terrarum primæ Sedis Pontificis, consentire : & cum Sancta, Catholica & Apostolica unitate suscipere, sive subscribere detrectaverit, ipse ab ejus se compage, & unitatis secernet communione, cujus esse noluerit socius disciplinæ. Nam semper sic habuit Catholica omnis Ecclesia, ut qui in una communione consentiunt, uno dogmate, una charitas, uno teneantur assensu*. Nec moror, qua hæc in causa scripserit Hincmarus, regulam ipsam intueor Ecclesiasticæ disciplinæ, omnium Catholicorum animis infixam & præjudicatam. Nec his obstrepunt, quæ Chrysostomus exulaturus, ad Episcopos suarum partium dixit, ita quiritantes : *Necessariò, si Ecclesias tenuerimus, communicare cogemur, atque subscribere*. Ad quos ipse : *Communicate quidem, ne scindatis Ecclesiam: verùm nolite subscribere. Nihil enim mihi conscius sum, propter quod deponi, aut dejici merear*. Hæc refert Palladius, & totidem penè verbis Cedrenus. Hincmarus quippe subscriptione *unitatem dogmatis & communionis* significandam urgebat : at in causa Chrysostomi nihil dogmatis controvertebatur. Ad hæc qui adversùs Chrysostomum sententiam dicebant Episcopi, & ab illo recusati fuerant : & non multò plures, vel pauciores etiam erant, quàm qui ejus innocentiæ suffragabantur : & denique Occidentalium omnium Episcoporum multitudini, Romanæque Sedis principatui imparres admodum erant, quorum benevolentiam & suffragationem Chrysostomo aspiraturam nequaquam ambigebatur, ut amicorum ejus omnium fuga in urbem Romam argumento fuit. Denique præter ipsius Chrysostomi sententiam, immò secundùm illam, sed posteà in contrarium flexam, non negari tantùm subscriptionem, sed communionem etiam scindi necessum fuit, ut suprà demonstratum. Ergo tunc subscriptio negata, & neganda fuit, cum non de dogmate quærebatur : cum suspecti & meritò recusati judices : cum pauciores : cum adversam Occidentalibus omnibus & plerisque Orientalibus, & ipsi imprimis primæ Sedi sententiam præcipitarunt: cum denique commiserunt, ut etiam communio scinderetur. Nec nos præterit, quòd scripsit Augustinus lib. de vera religione *c. 6. Sæpè etiam sinit divina Providentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones, expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint : docebunt homines quàm vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus : aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne reditu suo, talis aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum motibus, perturbationibusque cesserunt : sine ulla conventiculorum segregatione, usque ad mortem defendentes, & testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns*. Verùm neque in hac specie, de fide aut de dogmate controversia est. Sed cum non propria tantùm confessione, sed etiam testium aut quarumcumque probationum convictione tunc temporis, vel publicæ manciparentur pœnitentiæ, vel ab Ecclesia funditus ejicerentur : contingebat non rarò, ut falsis & conjuratis testibus productis, quos infirmare non posset, vel turbulenta plebium seditione opprimeretur quis, & expelleretur ab Ecclesia, impactis sibi criminibus, à quibus purus esset. Si fidei enim causa verteretur, quàm facilè tempestas illa carnalium hominum sedaretur & seditio, fidei Catholicæ coram Episcopo professione, quod non perinde expeditum est, ubi alia scelera affinguntur? Ad hæc, *carnalium hominum seditiones, turbines, tempestates, perturbationes*, vix ac ne vix quidem dicerentur, potissimùm ab Augustino, Episcopales seu conventus, seu definitiones, quibus subscribere quis aversabundus, ab Ecclesia execari mallet. Adde quòd *viros bonos* ita ejici ait Augustinus, non viros orthodoxos, ut ad mores, non ad fidem spectare eam accusationem constet. Præterea ait eos postquam ejecti sunt à limine Ecclesiæ, *nullas tum schismatis vel hæreseos novitates moliri* : non ergo antequam eliminarentur, novabant quid, aut videbantur in fide novare. Quod magis & hinc dilucet, quòd ait eos etiam extorres *testimonio suo juvare eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt*. Non ergo de fide rei agebantur : sed de aliis criminibus, quorum ergo non pauci olim ab Ecclesia abacti, tum demum ad hæreses parturien-

das adgreſſi ſunt. Ideo adversùs falſos teſtes crebra olim Canonum ſtatuta, crebra de convictis per aliena teſtimonia, & ad excommunicationem ſubeundam adactis mentio. Hæreſeos autem criminatio ſi cui illidebatur, quia ex majoribus hæc cauſis erat, ad Synodos & ad ſummos demum Pontifices recurrere, & infeſtatam à ſycophantis innocentiam tueri dabatur. Conſpiratione autem Epiſcoporum, vel Epiſcopalium conventuum, immerentem quem hæreſeos damnari, ejicique Eccleſia, conſcio & ſilente, & ad innocentiæ defenſionem ceſſante reliquo per orbem Epiſcopali collegio, inauditum id quidem prorſus eſt. Quare de eo non diceret, quod idem mox ibidem ſubjicit Auguſtinus, *Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt: immò plura ſunt, quàm credi poteſt*. Plura certè erunt, quàm credi poteſt, ſi de cæteris facinoribus & falſis teſtibus ſermo ſit, non ſi de hæreſibus aut dogmatum cauſis. Finitimus eſt ſuperiori & iſte ejuſdem locus in Pſal. 75. *Si fortè contigerit aliquis tumultus adversùs montes in Eccleſia, aut per populares ſeditiones carnalium, aut per aliquas falſas ſuſpiciones hominum, bonus mons repellit à ſe omnes, qui propter ipſum volunt ab unitate recedere.* Non fides, non Epiſcopi his verbis inſinuantur, non Epiſcopalis authoritatis manifeſta detrectatio, ſed hominum falſæ ſuſpiciones, & populares ſeditiones carnalium.

XII. Dedita autem opera admonui, tum inevitabilem incumbere ſubſcribendi neceſſitatem, ſi legitima jubeat poteſtas, vel fraterna, ſi fors ut Hieronymum, & ſocios, Baſilii forſan etiam Coepiſcopos, charitas. At ſi in cauſa Eccleſiaſtica Imperator, qui ſequi debet ut ovis, anteire & ducere paſtores occipiat, & ſubſcriptiones extorqueat: tum eniverò alia ineunda ratio eſt, ut vel pro veritate contra mendacium decertetur: vel ſi veritati patrocinetur temeritas, nec dogma ſanum, ſed ordinem rectum intervertat: tum aut pro libertatis Eccleſiaſticæ tuitione ineatur pugna; aut contemplatione pacis, & unitatis compenſatione, diſpenſatoriè neceſſitati ſerviatur. Horum ſplendida ſunt exempla in Sextæ & Quintæ Synodi monumentis. Nam Ecthesi ſuæ ſubſcribi Heraclius cùm juſſiſſet, & conſenſiſſet Pyrrhus, ut refertur *conſult.4.* Lateran. Synodi ſub Martino I. *Sicuti Magnus Imperator & adinventor ſublimium, &c. Competenter igitur & nos, ſequentes ejuſdem virtutem & conſtructionem ejus dogmatica & à Deo inſpirata doctrina, &c. quatenus inconcuſſum permaneat ejus regale Imperium, &c. decernimus Epiſcopos qui necdum imperialis prædicationis inſinuationi ſubſcripſiſſe probantur, ut proprias ſubſcriptiones poſt noſtram ſubſcriptionem actibus ſubjungere debeant*: Imperatoria poteſtas præire Epiſcopis, & veritatem adulterare moliebatur per nefarias ſubſcriptiones: infractis animis Catholici reluctati ſunt. At Juſtinianus citra fidei diſpendium, fortè etiam cum aliquo fidei compendio, in trium Capitulorum damnationem ſubſcribere juſſit, non expectata ea quæ antecedere debuerat, Pontificia authoritate: nefanda ille quidem tempeſtate Chriſtianum orbem quaſſavit: at Epiſcopi orthodoxi, & officii metas non prætervecti, partim reſtitere, ut libertati Eccleſiaſticæ ſemet impenderent: partim ceſſere, ut unitati conſulerent; & huic tandem omnes acceſſere diſpenſationi, unitatis ſoſpitatrici, nec peremptrici veritatis. Pauca deſcribo ex edicto fidei contra Origenem, ut ſimilia decreviſſe circa tria Capitula Juſtinianum ne ambigas: Ita ergo ille ad Menam: *Hanc epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, ut omnium qui in hac regia urbe degunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum conventum habeat, ac Præfectorum Monaſteriorum: faciatque, ut omnes in ſcriptis Origenem, & ejus dogmata anathematizent: exemplaque dimittas eorum, que à beatitudine tua ob hanc cauſam geſta fuerint, ad alios omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, Præfectoſque Monaſteriorum, ut & ipſi ſubſcriptione propria anathematizent. In poſterum autem ne aliter ordinentur Epiſcopi, aut Monaſteriorum Præfecti, niſi priùs, &c.*

XIII. Ægrè quidem, ſed manus tamen dedere Orientales Epiſcopi ſubſcribere jubenti in damnationem trium capitulorum Imperatori, certi nullum fidei orthodoxæ creari periculum; dubii tantùm & trepidi, ne ſaltem levis aliqua inureretur infamia Synodo Chalcedonenſi, quæ ab eorum damnatione abſtinuiſſet. Rem geſtam Juſtinianus ipſe modeſtius narrat in ſacra ad quintam Synodum data, quæ in ejus collatione prima radiat: *Nos ſequentes Sanctos Patres, & volentes ſanctam fidem ſine aliqua macula in Dei Eccleſiis prædicari, & impiorum venatum reſecare: primùm quidem & in veſtris vobiſcum degentes Eccleſiis interrogavimus de prædictis impiis tribus capitulis, & veſtram nobis voluntatem manifeſtam feciſtis: pro qua & comprobavimus, quòd indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confeſſi eſtis, & impiam condemnaſtis. Quoniam verò & poſt condemnationem à vobis factam, in eiſdem ipſis permanent quidam, &c.* Non diſſimulat ducem ſe fuiſſe, ubi Epiſcoporum veſtigia premere debuerat: vim cuiquam à ſe factam ad extundenda chirographa negat, quod ſexcentis aliunde tamen teſtibus indubitatum eſt. Unus in medium prodibit Facundus Hermian. *Epiſc. lib.4. cap.4. Primus confirmator eorum Menas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum adhuc contaretur ſcripto, ſicut præceptum fuerat, præbere conſenſum, contra Synodum Chalcedonenſem fieri proteſtatus eſt. Sed & poſtea quàm conſenſit, à Stephano Eccleſiæ Romanæ Diacono & Apocriſario conventus, cur priori ſententiæ ſuæ contrarius acquieviſſet his, quæ antè culpaverat, & de quibus ſe nihil acturum ſine Apoſtolica Sede promiſerat: ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, & juratum ſibi fuiſſe reſpondit, quòd Chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret.* Et infrà: *Zoilus quoque Alexandrinæ urbis Antiſtes, cum Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conquerens neceſſitate ſe adipſius decreti affirmationem fuiſſe compulſum: quod hic ei, poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præſentibus, exprobravit.* Et infrà: *Jam verò de aliarum civitatum Epiſcopis quid loquamur, qui & cum ſcribere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam Synodum fieri; & poſt ſubſcriptionem, memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apoſtolicæ tranſmittendos; confitentes in eis, quòd à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcriberent.*

XIV. Ex his 1. patet & præfeſtinatò Imperatorem inconſultis, immò renitentibus Epiſcopis decreviſſe, & ipſis pòſt ad ſubſcribendum vim intuliſſe. 2. Patet non perſuaſos, ſed ſuſpicatos fuiſſe Epiſcopos, Chalcedonenſi Synodo contumeliam fieri, ejuſque non quidem fidem, ſed authoritatem conquaſſari. Nam factorum & perſonarum quæſtionibus fidem non contineri gnari erant utique. Deinde ſi fidem certò ſciſſent everti, non à conſenſu vel diſſenſu Romani Præſulis hæſiſſent ſuſpenſi. Denique exitu conſtitit nil derogatum fuiſſe Concilio Chalcedonenſi, nec his extortis ſubſcriptionibus quenquam in hæreſeos crimen vocatum eſſe. 3. Patet perſuaſos fidem nil periclitari, majeſtatem Concilii Chalcedonenſis concuti dubios, ita tunc Orientales Epiſcopos urgentiſſimæ neceſſitati ex diſpenſatione obſecutos eſſe, uti poſtea Occidentales. Itaque quia diſpenſatione uti, vel non uti, pro temporis, loci, rerum, perſonarumque contemplatione conſentaneum eſt: non absre cenſebimus pari ferè laude evehendos tunc fuiſſe Epiſcopos, etſi longè diſparia, & adverſa potiùs conſilia capeſſerent. In eadem enim re diſpenſationem illi ſectabantur, hi juris vigorem, & aſperitatem Canonum. Quòd ab illis nempe, ut periculo vicinioribus, æquius eſſet formidari, ne vis & poteſtas imperatoria, ſeverioris diſciplinæ obice,

non

non tam cohibita, quàm efferata, impotentiùs efferveſceret, & in Eccleſiæ pernicem inflammaretur. 4. Patet vel Orientalibus Epiſcopis perſuaſiſſimum fuiſſe, fidei & diſciplinæ incolumitatem à primæ Sedis authoritate aptam religatamque pendere: & ſubſcriptiones quaſcumque meritò improbari, quæ illi diſplicerent: probari, quæ placerent. Ita enim Conſtantinopolitanus Epiſcopus primùm nihil novare decreverat ſine Sede Apoſtolica: deinde ſcribere compulſus, paruit neceſſitati, ſed jurata hac ſibi *conditione, ut chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret*. Ita Alexandrinus, ita cæteri Epiſcopi ſubſcribere coacti, ad Sedem Romanam continuò libellos dedere, coactos ſe ab Epiſcopo Conſtantinopolitano conteſtantes; ſed & id inſinuantes, ut Epiſcopi Conſtantinopolitani, ita & ſua omnium chirographa, ab uno illius nutu pendula nutare, unoque illius diſſenſu irritanda. 5. Patet nutu Apoſtolicæ Sedis, ejuſque inclinatione, & Occidentem & Orientem in has ſubſcriptiones actum eſſe. Nam ante Synodum non ſubſcripſere Orientales, niſi ea conditione, ſi ea Epiſcopo Romano probarentur, ab eo interpoſita, qui omnes ad ſcribendum reliquos compulit. Nec iidem in Synodo conſenſere, niſi antè Imperator docuiſſet, damnata à Vigilio ipſo eſſe tria Capitula. Occidentales verò tandiu damnationi trium Capitulorum obluctati ſunt, quandiu ducem habuere Pontificem Romanum. Ubi huic diſpenſatio allubuit, in eam ſenſim omnes conceſſere. Ita enim ſumma rerum, & conſiliorum finis, exituſque perpendi debet, in quem omnes tandem conſentiunt, & inde negotiis aptanda, temperandaque judicia noſtra ſunt: non ex dubiis quibuſdam verbis, aut conſiliis in angulo ſuſurratis, abjectiſque ex animo mox eorum ipſorum, qui vacillarunt antè aliquandiu, quàm certum & deſtinatum quid amplecterentur. Ita ſanè in Synodo de divortio Lotharii & Theutbergæ habita, ut refert Nicolaus I. *Epiſt.* 58. *Cum Epiſcopi qui convenerant, ſubſcriberent eadem geſta, imò per ea flagitium roborarent: ventum eſt ad quendam fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, qui tantùm uſque ad noſtram deliberationem ſubſcripſit eadem geſta ſervanda. Quod cernentes Theutgaudus & Gunthacius, arrepto cultello, omne quod Antiſtes providus ad deliberationem noſtram ſervandum eſſe deſcripſerat, raſere, nomine ſolo Epiſcopi relicto.*

XV. Poſtremò denique, ut præcurrere non debet unquam Imperator Epiſcopalibus definitionibus, ſed ſuccurrere; accedere, non præcedere: ita ubi ſynodicè quid definitum eſt, obſtrepere poſthac, & extorquendis ſubſcriptionibus contrariis adverſari non debet. Ita Baſiliſcus tyrannus Encyclicis ſuis in orbem ſparſis Concilium Chalcedonenſe damnari fecit *quingentorum circiter Epiſcoporum* ſubſcriptione, ut refert Evagrius *lib.* 3. *cap.* 5. Longè aliter Leo Imperator omnium orbis Epiſcoporum ſubſcriptionibus Concilium Chalcedonenſe confirmari curaverat: itemque poſt Juſtinus. Unde Ruſticus Eccleſiæ Romanæ Diaconus Cardinalis in diſputatione adversùs Acephalos *Licèt numero ſuperet univerſas Chalcedonenſis Synodus, toties cunctarum Eccleſiarum conſona ſententia confirmata eſt, tam per encyclitas epiſtolas regnante Leone, quàm per libellos Sacerdotum forſan duorum millium & quingentorum, imperante Juſtino, poſt ſchiſma Petri Alexandrini & Acacii Conſtantinopolitani.* Cum laude enim Imperator ſemper Canones ſequitur, & exequitur: cum dedecore ſemper antevertit, aut evertit.

XVI. Quòd autem poſt ſubſcriptionem pergunt adhuc quidam ſcrupuloſis indulgere ſuſpicionibus, & reſidere fæces adhuc aliquas hauſtarum ſemel opinationum, vel ne hauſtarum quidem, ſed falsò affictarum, imaginantur, importuna iſta quidem eſt non jam ſuſpicionum: ſed calumniarum effrænitas. Amarulentè ſuprà Hieronymus de trium hypoſtaſeon procacibus defenſoribus expoſtulabat: *Confiteor, ut volunt: non placet. Subſcribo, non credunt. Unum tantùm placet, ut hinc recedam.* Nec enim expreſſius ullum aut indubitatius conſcientiæ & fidei argumentum, vel imperavit uſquam Eccleſia, vel hæretica perfuſi fuligine detrectarunt, quàm ſubſcriptionem. Idem ſuprà de Origenis fautoribus: *Hoc vel maximè cavent, nequando contra autborem ſuum eorum ſcripta teneantur. Facilè dicunt cum juramento, quod poſtea alio ſolvant perjurio. Ad ſubſcriptionem tergiverſantur, quæruntque ſuffugia.* Itaque ſubſcriptio extremum erat & veluti peremptorium cauterium, quod vel hæreſi, vel hæreſeos infamiæ aut ſuſpicioni exurendæ adhibebat Eccleſia, quod vel hæretici, vel ſuſpecti ſummoperè, & ultra juramentum etiam refugiebant. Unde idem item: *Si quando urgeri cœperint, & aut ſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſia, &c.* Nec ſum neſcius, quid Baſilius *epiſt.* 59. Occidentalibus ſcribendum ſcribat: *Ne ſine diſcrimine quorumvis communionem ex Oriente venientium accipiant: nec cuivis ſub prætexta orthodoxæ doctrinæ, fidei formulam ſcribenti, adſtipulentur. Nam iſto pacto deprehendentur cum adverſariis facientes, qui eadem ſæpenumerò verba prætexunt quidem, inter ſe verò pugnant, ut qui plurimum diviſi, diſſidenteſque fuere.* Nec hoc tamen Baſilii teſtimonio vel fides ſubſcriptionum enervatur, vel authoratur ſuſpicioſorum hominum importunitas. Largiamur id enim, ut verba dare potuerint Occidentalibus Orientales, utpote peregrinarum ſtropharum rudibus, & inexpertis: at Orientales Orientalibus, Occidui Occiduis imponere non poterant: Baſilio Orientales ſui fucum non faciebant: quì enim potuiſſet de eorum fraudolentia Occidentales commonefacere? Deinde cùm, ut ajebant ſupra Patres Chalcedonenſes, Baſilius ipſe literas de fide ſcriberet, & Coepiſcoporum eliceret ſubſcriptiones: his utique ille non dubiam fidem adjiciebat. Adde quòd eorum Baſilius protelandas monet ab Occidentalibus ſubſcriptiones, qui in Oriente ab orthodoxorum communione execti erant. Denique ſubſcriptiones vel fidei confeſſiones eas improbat ibi Baſilius, quas ſuo ipſi marte, non ſine fuco proinde ſcriptitabant; nequaquam eas verò quæ ab orthodoxis Epiſcopis adversùs vafritiem & artes ſectariorum temperabantur, atque ut ipſe concludit, *juxta formulam Eccleſiaſticam*. Alioqui quo Nicæni Patres ab Euſebianis, quo Chalcedonenſes conſilio & fructu ab Eutychianæ dementiæ affinibus aut ſuſpectis, quo Hiſpanienſes Pontifices adversùs Priſcilliani, Afri & Romani adversùs Pelagii, Galli adversùs Pelagianarum reliquiarum venena ſubſcriptiones exigerent, ut ſuprà memoravimus; quo à Græcis omnibus Hadrianus Papa; quo, ut ne longum faciam, omnes penè Synodi, Patreſque hanc unam eſſe voluerint amuſſim fidei probandæ, aut ejurandæ hæreſeos, ſi poſtea æquè locus ſuperſit ſuſpicionum vel calumniarum iniquitati? Vide quid Leo præcipiat *epiſt.* 85. & 86. ad Niceetam Aquilej. Epiſc. de Pelagiani erroris *ſuſpectis*, ut qui ex Pelagianorum conſortio ad Eccleſiam rediſſent, *Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: omniaque decreta ſynodalia, quæ ad exciſionem hæreſeos, Apoſtolicæ Sedis confirmavit authoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, & propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Hæc accuratiſſima eſt, & ſolertiſſima, omnibuſque Eccleſiæ Catholicæ Synodis ac Pontificibus hactenus uſurpata fidei ſinceriſſimè profitendæ, & abſtergendæ vel hæreſeos vel ſuſpicionis diligentia.

XVII. Ex antedictis denique emergit id quoque, ſolemne & uſitatiſſimum fuiſſe, fidei formulis ſubſcribi citra additamentum ullum, aut citra ejuſmodi ſaltem, quo vetus confirmaretur, aut nova crearetur illis ſuſpicio, quorum gratia & æſtimatio ſubſcriptione recolligebatur, ſive confirmabatur.

batur. Sic Basilius suprà docebat, fucum facere adversarios Ecclesiæ, dum in subscribendo *eadem sepenumerò verba prætexunt, pugnant verò ut quimaximè. Et ita hæresis, per ipsorum scripta, quæ prætexere & objicere solent, incautos seducit*. Sic & Hieronymus ajebat, Origenis admiratores nimios, ubi vel exeundum de Ecclesia, vel adversùs eum scribendum imperitabatur, *miras strophas egisse. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat*. Et idem ad eundem Pammachium adv. error. Orig. *Aut simpliciter nostra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates; nolo mihi dici, quod & aliter possit intelligi. Revelata facie gloriam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Israeliticus populus in utroque pede, Elias qui interpretatur Fortis Domini: Usquequo, ait, claudicatis in utroque vestigio? Si Dominus est Deus, ambulate post eum: si autem Baal, sequimini eum. Et ipse Dominus de Judæis, Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, & claudicaverunt à semitis suis. Certè si hæreseos nulla suspicio est, ut cupio & credo, cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quod purè credat: purè ergo & loquatur*. Hæc Hieronymus adversùs Joannem Hierosolymitanum Pontificem, Monachis de fide suspectum & pura simplicique confessione illis se purgare fastidientem. Ut idem Episcopis & amplius juris esse in alios quoslibet intelligas. Et rursum: *Quæ ista simplicitas est, quasi super ova & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere, ubique dubium, ubique suspectum? Putes eum non expositionem fidei, sed figuratam controversiam scribere. Etiamsi bene credit, & circumspectè & timidè loquitur, suspicionem mihi facit nimia diligentia. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Stultum est frustra infamiam sustinere. Objicitur ei crimen, cujus non habet conscientiam. Ergo crimen quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat invidiam adversario suo*. Sic ille invidiam facit Origenis defensoribus, confessiones & subscriptiones eas concinnantibus, quibus suspiciones de sua fide magis confirmarent. Sic & Leo suprà ab illis qui Pelagiana ignominia laborabant, exposcebat *plenas, & apertas, & propria manu subscriptas protestationes. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes diffinitiones suas ad subrepentem facilitatem improbare se simulent, atque deponere; hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundùm meritum dari accipientium sentiatur*. Et infrà: *Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent; & obediendo nobis, probent se esse nostros*. Figuratis porrò & ambiguis confessionibus ludibrio habere Ecclesiam, sequaces suos olim prædocuerat Pelagius ipse, de quo Augustinus lib. de pecc. Origin. *cap.* 21. *Itaque & ista ejus verba Romam pro magna ejus purgatione transmissa, tam sunt ambigua, ut possint eorum dogmati prebere latibula, unde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus*. Et ipsi Papæ Zosimo penè imposuerat Pelagius, sed Afrorum industria fraudes ejus nudatæ sunt: *Visus est ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conveniret: sed illam sedem usque in finem fallere non prævaluit*. Fallebat autem ille hoc potissimùm fuco, quòd se literis Innocentii Papæ assentiri testaretur, *Quibus de hac re dubitatio tota sublata est*: ut ait Augustinus idem *libr.* 2. *ad Bonif. cap.* 3. Sed ex Africa ad Zosimum *venerunt literæ, id continentes, Non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur: sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat*. Itaque parum fuit subscribere literis Innocentii, etsi illis omnis dubitatio tolleretur: sed ad amoliendas hominum suspiciones, opus fuit, libelli ipsius obliqua & prava ejurari: alioqui videri posset, non tam suam sententiam Innocentii literis accommodasse, quàm Innocentii literas in suæ obliquitatem sententiæ captivas traxisse. Quid æquius in speciem, quàm quòd Ariani detestari se simulabant solam offensionem vocis *tou omousion*, quam Antiocheni Patres non ita pridem proscripserant? Et tamen per illos cuniculos veritas subvertebatur, teste Hieronymo, ubi suprà: *Et Ariani multo tempore propter scandalum nominis* omousion *se damnare simulabant, venenaque erroris circumliniebant melle verborum. Sed tandem coluber se tortuosus aperuit; & noxium caput quod spiris totius corporis tegebatur, spiritali mucrone confossum est*. Quibus ex omnibus id sanè efficitur, vel fidei formulis ab Episcopali collegio trutinatis ita purè & simpliciter subscribendum esse, quod posteriori ævo magis obtinuit: vel quod olim erat frequentius, ita plenam & apertam suo cuique sensu scribendam esse confessionem, ut omnis vel obtusioribus, vel perspicacioribus amputetur suspicio: ut in libello Leporii olim Presbyteri liquet, de quo Facundus Herm. *lib.* 1. *c.* 4. *Scripsit libellum satisfactionis Leporius ad Gallos Episcopos, quem venerabiles Patres, Aurelius atque Augustinus & cæteri sic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem, suas ei subscriptiones adjicerent*. Epistolæ Leonis Chalcedone, & alibi Synodis subscribentes Episcopi, multa sæpè addidere, sed quibus fidei confessio, ejusque authoris, sive Pontificis, sive Concilii, mens & consilium magis, magisque roboraretur. Exceptiones & derogantes clausulæ appositæ sunt aliquando, sed illæ nimirum ubi necessitati magis, quàm voluntati parebatur, & tum ad summorum Antistitum authoritatem religatæ sunt. Sic enim Vicarii Romanæ Sedis subscripsere octavæ Synodo, *usque ad voluntatem Hadriani summi Pontificis*. Sic Episcopus, de quo suprà, synodico decreto de divortio Lotharii Regis & Teutbergæ subscripsit, *usque ad deliberationem* Nicolai Papæ I. Sic ante Quintam Synodum Constantinopolitanus Episcopus damnationi Capitulorum subscripsit, *Hac conditione, ut chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret*: teste Facundo Herm. *libr.* 4. *cap.* 4. *Sed & civitatum aliarum Episcopi, qui cum scribere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam Synodum fieri; & post subscriptionem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quod à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent*. Itaque alterutrum necesse est, vel ea adscribere, quibus juvetur Pontificum, qui præscripsere, sententia, & quibus vel ipsi possint subscribere: vel ea excipere, quibus superiorum & summorum Pontificum authoritas dominetur. Alioqui præposterum est, quorum ut cœlitus institutorum Judicum & Magistrorum decretis subscribas, tuo illos ipsos magisterio, judicioque, & eorum decreta subjugare.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

IN CONCILIUM ARELATENSE ET LUGDUNENSE

Ann. 475.

SYNOPSIS.

Quid de his Synodis sentiendum: & an illæ Fausti Rejensis Episcopi doctrinæ suffragatæ sint? De Fausti doctrina & opusculis censura Pontificum, Patrumque. Usque ad num. X. An fuerint aliqui Prædestinatiani hæretici? Propiùs à vero abest, nullos fuisse: aut si qui fuerint, simpliciores illos, & incautos fuisse quosdam, nequaquam hæreticos. Numer. XI. XII. XIII. Quo animo esse debeamus in hujusmodi tardiores, & ad ardua contumaciter hebetes, ex Augustino, & aliis Patribus, ex Romanis Pontificibus & Synodis. Ubi & eidem navi imponendos ostenditur Faustum, Cassianum, & alios quibus Semipelagianorum additum est nomen: ita ut eorum quidam sanctitate præcipui fuerint, & alicubi religioso cultu decorentur. Usque ad num. XXX. Complura alia ejusdem rei exempla referuntur, numeris quatuor sequentibus. Denique Zosimus Papa eidem sententiæ ex Augustino consonus ostenditur: ubi tria quædam subnotantur ad occupandas difficultates opportunissima. Num. XXXV.

I. HArum Synodorum unus meminit Faustus Rhegiensis Episcopus, libris duobus de gratia & libero arbitrio, quos in præfatione maximè ad Leontium Arelatensem Episcopum & Arelatensis Synodi Præsidem, scriptos ipsemet testatur ex jussu & gustu harum Synodorum. His conveniunt epistolæ Fausti ejusdem & Lucidi Presbyteri, ad eorundem errorum condemnationem pertinentes.

De his ergo Synodis ita sentio, vel consentaneas illas Fausto fuisse, & in eas refundi debere, quæ de Fausto Summi Pontifices & Ecclesiæ Patres censuere: vel ab eo dissensisse, & ita nil superesse nobis, quod de illis dicamus, cùm de illis unus scripserit, & mendaciter scripserit Faustus: vel nusquam eas coaluisse, & omninò confictas à Fausto fuisse, quod audaciùs, fortasse, quàm prudentiùs affirmaretur: vel denique non ubique deliraße Faustum; eique vel sana sapienti, vel insana insectanti quandoque dogmata, concinere potuisse Synodos orthodoxas. Quò fortasse magis propendebunt, qui non facilè, nec nisi invictissimis argumentis discedendum pensitabunt à fide majorum de Synodis.

II. De Fausto sanè ita Gelasius Papa statim in Concilio Romano pronunciavit: *Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha.* Cùmque orbem universum Catholicum gravi offensione perculissent hæc Fausti opuscula, de iis Possessor Episcopus Africanus Hormisdam Papam consulit in hunc modum: *Cum quorundam fratrum animus de codice Fausti cujusdam, natione Galli, Rhegine civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentiùs de Gratia Dei, disertè visus est disputare: ne scandalum moveretur aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus: me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem, ea quæ à tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut Canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari: sed habere nos certa, scilicet quæ veteri lege, vel nova conscripta, & generalibus sunt Patrum decreta judiciis. Hæc autem quæ Antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præjudicio fidei, solere censeri.* At cùm hæc, ut ipse subjicit, excusatio plerisque videretur, non absolutio ambigui, de eo Pontificem consulit: *Quæso, ne consulentes, quæ de præfati authoris dictis videantur,*

authoritate Apostolicæ responsionis agnoscant: & maximè quòd filii quoque vestri, Magistri militum, Vitalianus & Justinianus, præcipuè super hac re, rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant. Concusserat ergò Orientem ipsum novitas, & insolentia dictorum Fausti. Certò persuasum fuit Possessori, nulla illum juvari synodali authoritate. Has ergo Synodos aut nescivit, aut contempsit. At Hormisda Pontifex *epist.* 70. ita rescribit: *Neque Faustum recipi, neque quenquam, quos in authoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare.* Ita ille non perversam tantùm de Gratia sententiam Fausti concerpit, sed & disciplinæ Ecclesiasticæ adversam de morientium sera pœnitentia austeritatem, quam & Avitus Viennensis, ut mox dicemus, insectatus est, & ex residua illarum Galliæ partium tetricitate forsan ipse Faustus hauserat, & quanquam tot Pontificum decretis, ut alibi retulimus inustam, abdicare in totum detrectarat. Sed utut ea res habeat, pergit ibidem Pontifex: *Cum Christiana fides Canonicis libris, & synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis, stabili & inconcusso termino limitetur.* Addit denique de gratia Christi audienda Ecclesiæ Romanæ & Augustini doctrinam: *De libero tamen arbitrio & gratia Dei, quod Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit agnosci, &c.* Ubi rursum perstringitur Faustus, qui cum tribulibus suis in hos maximè extremos, eosque asperiores Augustini libros solebat stomachari.

III. In has cùm indicisset Hormisdæ epistolas Joannes Maxentius, eas quidem procacissimè & impudentissimè lancinavit, tanti Pontificis esse inficiatus: at quod ad rem istam attinet, responsione sua I. prolixam instituit collationem librorum Fausti cum suprà laudatis Augustini libris, & cum Scripturis, ut ita *clareat libros Fausti esse hæreticos. Sicque confundantur omnes, qui eos hactenus defendunt Catholicos, quorum princeps & author est Possessor Africanus Episcopus.* Summatim adversis quasi frontibus collidi Augustinum & Faustum, ita docet: *Augustinus ita humanum arbitrium liberum docet, ut illuminatio, virtus & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus & salus, non à Christo, sed natura sit.* Quo operosissimè demonstrato, tandem ita concludit: *Eat nunc Possessor, & adhuc in pernicie propria, & eorum qui sibi consentiunt, defendat Fausti libros catholicos, &c.* Ait tamen mox causari Possessorem, non legisse se nisi octo priora primi libri capitula. Quanquam ex suprà relatis Possessoris verbis proclivius sit æstimare, alieno fuisse ipsum animo à scriptis Fausti; non audacter tamen in ea strinxisse censuram, sed ea de re consuluisse Sedem Apostolicam, & interim censorium mucronem sustinuisse.

IV. Eandem Fausti, tum de tarda in extremis pœnitentia, tum de Christi gratia sententiam, illic duriorem, hìc molliorem quàm par esset, insectatus est Avitus Viennensis Episcopus *epist.* 4. ad Gondobadum Regem: ubi & Faustum vocat *ortu Britannum, habitaculo Regiensem.* Quo de suis Gallis optimè meritus est Avitus, dum abstersit à Gallia istud dedecus, & in Britanniam, in Pelagii patriam ablegavit hominem, Pelagianæ suliginis reliquias præferentem. Britannum fuisse affirmat & Sidonius *lib. 9. ep. 9.* Quod an de Britannis Gallis intelligi debeat, viderint alii. Utraque gens una est Britannorum. Ita sanè constaret quòd alii Gallum, alii Britannum dictitant, si Gallus Britannus esset. Sed constabit idipsum, si ut ait Avitus, & affectatiùs exprimit, ortu Britannus sit, habitaculo Regiensis.

V. Sed ante alios Fulgentius Ruspensis Episcopus adversùs Fausti vafritiem decertavit. Quo de Isidorus in libr. de viris illustribus, *Fulgentius*

Afer, Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, &c. Scripsit multa, è quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio libros Responsionum septem, in quibus Fausto Galliæ Regiensis urbis Episcopo, Pelagianæ pravitati consentienti respondens, obnititur profundam ejus destruere calliditatem. Item epistola synodica Episcoporum Africæ in Sardinia exulantium: *Unus ex nobis tribus libris respondit. Qui adversùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit: quos cum recensueritis, agnoscetis protinùs, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, authoritas divina compressit, & precedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit.* Adde Ferrandum in vita Sancti Fulgentii *cap.* 28. *Ut etiam libri duo, quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus videri volens, Constantinopoli assensis plurimis fratribus, ad Beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus respondit, &c.* Item Facundus Hermianiensis Episcopus initio libelli contra Mocianum: *Sic aliquando etiam Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrii, malè intellectis & incongruè adhibitis ipsius Beati Augustini sententiis, fallebat, & in assensionem sui erroris inducebat incautos. Qui tamen à sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus, atque convictus est.* Et ne cui bilem moveat quòd Augustinus ita scripserit, ut ex eo malè intellecto transversi acti sint tam multi in errorum avia: subjicit ibidem: *Quid autem in hoc miremur? Neque enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli & Evangelistæ: quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.*

VI. Cæsarius quoque Arelatensis Episcopus, sanctitatis & doctrinæ fama præstantissimus, scriptis Faustum exagitavit: exagitavit & Synodus Arausi. secunda, tacito nomine, sed dogmate toto ejus tot telis, quot Canonibus impetito confectoque. Cæsarius quidem teste Gennadio, aut Gennadii continuatore, *de gratia & libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docet nihil hominem de propria aliquid agere boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam Epistolam roboravit, & in latius promulgavit. Possevinus in Appar.* Quæ contra Faustum scripta fuisse, liquebit ex doctissimi Sirmundi judicio de Synodo Arausicana secunda, cui præfuit Cæsarius. Ita ergo ille in præfat. in hanc Arelatensem Synodum: *Prædestinatiani de prædestinatione ita disserebant, quasi fatalem quandam necessitatem afferret, &c. Cui absurdo quia nonnullis quorumdam librorum suorum sententiis viam munire, aut vim addere sanctus Augustinus quorumdam in Gallia Episcoporum aliorumque judicio videbatur, ab illo propterea, cum in cæteris maximi facerent, vehementer hac in parte dissidebant. At contrà, qui pro sancti Augustini placitis cum Prospero dimicabant, ejus adversarios quod natura humana plus æquo tribuere viderentur, ut Semipelagianos insimulabant. Qua nota in his etiam libris suis Faustus non caruit. Nam & à Gelasio Papa hoc nomine inter apocryphos relati sunt, & ab Avito Viennensi atque Fulgentio, & aliis pluribus oppugnati. Cæterùm gravi ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos ac doctissimos utrimque viros in Gallia centum amplius annos exercuit, finem posteà tandem attulit Synodus Arausicana secunda, quæ totam de gratia & libero arbitrio controversiam ex Sancti Augustini sententia composuit.* Quo patet in Synodo Arausicana Faustum causa cecidisse, ut qui Augustino, & gratiæ necessitati illudere machinatus fuisset.

VII. Adde his Adonem Viennensem in Chronico ad ann. 492. *Faustus ex Abbate Lirinensis monasterii apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur; Unde qui ejus sensus in hac parte catholicos præstant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus & salus, illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & salus, non à Christo, sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide B. Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem. Similiter & Joannes vir eruditus, Antiochenus Presbyter.* Sic ille Joannis Maxentii laudes celebrans, & verba ipsa superiùs descripta excerpens. Lupus quoque Abbas Ferrariensis *epist.* 111. Faustum *infaustum* vocat. Et *Epistol.* 112. *Faustum postulavi, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in decretis Gelasius.* Et in Collect. de tribus qq. q. 3. *Taceat Faustus & similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus & Augustinus. Conticescant ranæ, dum cœlum tonat.*

VIII. Atque ut à Græcis penè exorsus, in Græcis desinam, sic denique Petrus Diaconus, & alii cum eo Græci, in opusculo de Incarn. & Grat. ad Fulgentium, & alios Africæ Episcopos destinato, paulò ante finem; *Quorum omnium sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cælestium, simulque etiam Julianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt; præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi profectus est: quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium; atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia, qua & nos, secundùm quod docet beatissimus Petrus Apostolus; sed naturæ possibilitate salvatos impiè profitetur.*

IX. Cùm ergo confixa fuerit Fausti doctrina censorio mucrone tot summorum Pontificum, Gelasii, Hormisdæ, Felicis: tot sanctissimorum doctissimorumque Antistitum, Aviti, Fulgentii, Facundi, Isidori, Cæsarii, Adonis: tot aliorum gloria doctrinæ Ecclesiasticæ præcipuorum, Joannis Presbyteri Antiocheni, Petri Diaconi, & sociorum ejus: cùm Africa, Europa, Asia: cùm Oriens, Occidensque ad ejus damnationem conjuraverit; quis Synodos aliquas ei suffragatas esse facilè concesserit? 2. Maximè cùm Possessor, cùm Hormisda negent synodicas ullas Fausto suffragari definitiones. 3. Maximè cùm Gennadius, cùm Sydonius Apollinaris in laudes Fausti plus nimio effusi ambo, & doctrinæ ejus admiratores, de harum Synodorum suffragio nec meminerint. 4. Maximè cùm Avitus, Cæsarius, Ado earundem regionum Episcopi adversùs Faustum ita scripserint, ut nullas à se Synodos unà oppugnari existimarint. 5. Maximè cùm harum Synodorum ante Hincmarum solus Faustus meminerit, cujus *profunda calliditas* ab Isidoro notatur. 6. Maximè cùm Arausicana Synodus secunda nullas anteriores, & infestas sano dogmati definitiones impetat, aut vel verbo commemoret: nec satagat eum exaggerare Episcoporum suorum numerum, qui destruendæ duplici retrò Synodo sufficiat. Immò alteri harum Synodorum Episcopi triginta affuisse jactantur, & tamen Arausicana prævaluit, cui non plures quàm quatuordecim affuere.

X. Jam quod ad epistolas pertinet Fausti ad Lucidum, & Lucidi ad Faustum, nihil illis cum Conciliis supramemoratis commune est. Nam subscriptiones tam ipsius Lucidi, quàm decem Episcoporum appositas ad Fausti epistolam, fatetur Sirmundus additas contra fidem Codicis Hincmariani, & plurium antiquorum optimorumque codicum, spuriasque & alienas esse. In illis enim Codicibus

sola

sola extat ipsius Fausti subscriptio, & sola juxta Sirmundum (*Sirmund. histor. Prædest. cap. 7.*) extare debet. Quæ cùm ita sint, jam id supereſt, ut vel mera ista sit fabula, à Fausto, id est, ut à Baronio vocatur, à versipelli vulpecula conficta: vel grassatio hæc ejus fuerit in misellum hunc Presbyterum: vel denique unius Fausti hæc laus eximia fuerit, ovantis scilicet de simplicitate ejus, qui, instar aliorum quorundam, ut infra ostendetur, minùs cautè, & ideò nimis durè de gratia Christi sentiebat.

XI. An fuerint autem aliqui Prædestinatiani hæretici, qui fatalem impingerent prædestinationem, inexorabilemque in hos damnationis, in alios salutis necessitatem: inter eruditos controvertitur. Nobis Arausicanæ Synodi sapientia admirationi solet esse, quæ erroribus anathema illisisse, sano dogmati facem accendisse contenta, supervacaneam istiusmodi quæstionem protelavit. Ita enim Can. 25. *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Prophanum dogma proscribunt, ejus quoque sectarios *si qui sint*, inurunt: an prorsus aliqui sint, minùs solliciti; immò nullos esse, magis propensi. Nam si quos esse suspicarentur, eos perscrutari, ut sanarentur, urque ne alios suos contagio inficerent, instimularet charitas & sollicitudo Episcopalis. Si qui autem istiusmodi tamen essent, non ideò ulla minùs suspicacibus Episcopis inhæreret macula. Etenim, ut ait Facundus *lib. 3. cap. 3. Aliud est ideò hereticum excusare, quòd Catholicus putetur; & aliud ipsam hæresin approbare, atque defendere. Quemadmodum aliud est, ideò accusare Catholicum, quòd hereticus putetur: & aliud improbare ac reprehendere Catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbata fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare: & non improbata castitate, castum, dum in persona similiter fallitur, improbare. Postremò quod promptissimè concedunt, sicut non ideò Eutychiani sui dogmatis crimine defenduntur, quia putantes antiquos Patres id credidisse, quod ipsi pessimè credunt, approbant eos, quorum fidem impugnant: Ita non ideò Sancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum est, quod Dioscorum vel putavit, vel excusavit, quasi à culpa Eutychiani dogmatis alienum: cum ipsum dogma Eutychianum confutaverit, atque damnaverit.* Et *lib. 6. cap. 1. Aliud est, cum de persona falsò aliquid creditur; aliud cum de ipso Christiana fidei fundamento malè sentitur.* Et *cap. 4. Contingit nonnunquam inter unius sententiæ viros, ut cum de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen invicem aliud suspicentur; vel cum à dicente minùs aperitur verbis, quod corde conceptum est: vel ab auditoribus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas qua de Deo malè creditur, ab ignorantia, qua quisque aliter de suo proximo, tanquam homo de homine suspicatur. Et si fortè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, qua veritas fidei, quam de Christo habemus, asseritur.* His argumentis exemplisque facilè adducimur, ab hac de factis & personis quæstione supersedere, cùm de orthodoxo dogmate suscipiendo, de portentosa fatalis prædestinationis necessitate explodenda omnibus hinc & inde conveniat. Illud quoque placet Facundi, si qui ut nimiùm suspicioſi culpandi sint, cæteros tamen in danda illis venia clementes esse debere, & eorum etiam in fidei sinceritate tuenda zelum approbare.

XII. Obiter illud tamen addemus, procliviores fuisse Patres Arausicanos, ut nullos esse crederent istiusmodi Prædestinatianos hæreticos, cùm ad eos vestigandos adeo non excubaverint. 2. Immò cùm eam ipsam notam quasi sibi ipsis impactam à quibusdam, sedulò absterserint, *non solùm non credimus, sed si qui sint, &c.* 3. Augustinus paucis ante obitum annis, & post eum Prosper ac Fulgentius sibimetipsis adscriptas ab aliquibus indoctis has absurditates dogmatum, quæ Prædestinatianis tribui solent, studiosè confutarunt: non unquam autem ipsi aliquos insectati sunt Prædestinatianos hæreticos, ut in diversam Pelagianæ dementiæ & nihilò minùs pestiferam insaniam deficientes. 4. Qui aliquos opinabantur olim cum Fausto esse fatalis & libero arbitrio exitialis necessitatis assertores, ii Augustino ipsi obliquè adversabantur, vel palam maledicebant, ut de Massilienſibus, de Gennadio, & aliis tunc non paucis compertum est. 5. Qui cum Fausto esse venditarunt Prædestinatianos hæreticos, ii ferè cum Fausto etiam videntur in ea ipsa de prædestinatione & gratia quæstione, apud multos Catholicos tractatores malè audisse. Unum refero suffragium Ecclesiæ Lugdunensis adversùs Joannem Scotum: *Unam ponit hæresin Pelagianorum, liberi arbitrii sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius, &c. Secunda hæresis, quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicaverit sola Dei gratia hominem salvari, ut liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium; nobis minimè compertum est, &c. Quæ est ita secunda hæresis, tam incognita, tam nova, & inaudita, quæ libero arbitrio denegato, solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia, ut nobis videtur, disputator iste, vel B. Augustinum latenter quasi hæreticum accusat, &c. aut certè eos qui secundùm ejus venerabilem & Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt, & docent, quasi minùs illius dicta intelligentes, hæreticos vocat, &c. Hac de causa nobis videtur, quòd callidissimè omninò & versutissimè velit hæresin solius gratiæ posuerit, nec tamen authorem vel sectatores ejus ulla significatione manifestaverit. Quod si ita est, quid aliud, quàm Ecclesiam nostri temporis accusat? &c. Denique non posuit hanc hæresin, ante Pelagianam, sed postea, id est, à temporibus Sancti Augustini usque nunc. Nec potest inveniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum & nos, aliquam talem hæresin in Ecclesia extitisse, nisi quòd vel ipsum B. Augustinum, vel nos qui eum sequimur, istius erroris accusat. Bibl. PP. tom. 4. Part. 2. p. 264.*

XIII. Sed etsi fuissent aliqui istiusmodi, cùm nusquam accusati palam, nusquam confessi, vel convicti, nusquam contumaces fuerint, aut fuisse certò probentur: ergo non alii ii fuerunt, quàm aut ipsissimi vindices Ecclesiastici dogmatis, Iniquis vexati suspicionibus: aut simpliciores aliqui, qui altitudini dogmatis Catholici impares, aliqua circa illud hallucinabantur, sed quæ non præfracta tamen, & hæretica defensitabant contumacia. In horum numero simpliciorum erant illi, sub Valentino Abbate Monachi, ad quos scripsit Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio. In exordio enim statim hujus operis Augustinus præfatur, multa se hactenus scripsisse adversùs eos qui obtentu tuendi liberi arbitrii, gratiæ majestatem labefactatum eunt: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater & ceteri qui Deo servitis, compellente mutua charitate curavi. Nunciatum est enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod de hac re dissensiones in vobis sint.* Et in epist. ad Valentinum idem Augustinus: *Venerunt ad nos duo juvenes, Cresconius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quòd quidam vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium: & quod gravius est, dicant, quod in die judicii non sit redditurus Deus unicuique secundùm opera ejus.* Homines ergo isti minimè mali, sic gratiam prædicabant, ut libertatem perimerent. Quibus

bus duriores illi concionatores copulari fortasse possunt, quos objurgat Augustinus ipse, qui prædestinationem & gratiam Dei illam electorum propriam & specialem, *improbissimè*, *importunissimè*, *incongruentissimè* ita populorum auribus ingerebant, ut sin minùs mendacio, certè sævitia quadam & immanitate eloquii, infirmos quosque offenderent. Vide *libr. de bono persever. capit.* 22.

XIV. Verùm ut hos postremos fileam, quibus ut austeritatem intempestivam mitigare, ita erroris suspicionem abigere satis egit Augustinus loco citato: ad illos redeo, qui non minùs Catholici, sed minùs acuti, ita exardebant in gratiæ defensionem, ut libero arbitrio minùs consulerent. De his quid sentire debeamus, docet nos Augustinus *lib. de Grat. & lib. arb. cap.* 1. Nempe usitatissimam hanc esse Catholicorum complurium simplicitatem, qui cùm non sint ferendo ponderi veritatis, multa titubant, multa imperitè & ridiculosè somniant: quibus non hæretici, sed infirmi esse produntur, & à fortioribus tolerandi sunt, donec in nido authoritatis Ecclesiasticæ plumescentes, lacte fidei & bonis moribus roborentur; revelet que illis tandem Deus arcana, ad quæ priùs cæcutiebant. Ita Apostolus in re simili, ita ex Apostolo Augustinus: *Itaque dilectissimi, ne vos perturbet hujus quæstionis obscuritas. Moneo vos primùm, ut de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quidquid est autem, quò pervenire nondum potest vestra mentis intentio, pacem inter vos & charitatem servantes, à Domino, ut intelligatis, orate. Et donec vos ipse perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cum dixisset, nondum se esse perfectum: paulò post ait, Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus. Continuòque subjunxit, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit, Verumtamen in quod pervenimus, in ea ambulemus. Ambulando quippe in quod pervenimus, & quò nondum pervenimus, pervenire poterimus: Deo nobis revelante, si quid aliter sapimus, si ea quæ jam revelavit, non relinquamus.* Quo Apostoli & Augustini documento nihil temperatius, nihil sapientius, nihil ad charitatem inter Ecclesiæ filios impuberes & immaturos alendam opportunius dici potuit. Observa autem illud pertinere, non ad exteriores tantùm mysticæ Theologiæ sensus, sed ad ipsa fidei vulgatissimæ capita, cujusmodi est, quòd gratia non jugulet libertatem. Qui enim hìc titubabant fratres, non ut hæretici infamantur continuò, sed ut imperiti erudituntur, & tolerantur, donec hoc quoque Deus illis revelet.

XV. Quibus fidem faciet Facundus Hermian. *libr.* 12. *cap.* 1. *Si nunc Ecclesia, quædam Christi schola est; omnesque fideles ejus, Christi dicuntur esse discipuli: nec quisquam potest veraciter dici discipulus, qui non aliquid discit: neque discitur, nisi quod ignoratur: proculdubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis jam Catholicus esse dicetur, si omnis qui de Christiana religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? Quòd si etiam credantur aliqui, sic omnia didicisse, ut nihil jam possint habere, quod discant: quia tamen aliquid ignorabant, antè quàm discerent, ex hæreticis videbuntur facti Catholici. Atque ita colligitur, ut nullus inveniatur in Ecclesia Christi, qui non aut esse, aut fuisse perhibeatur hæreticus. At hoc dicere vel putare, cum impiissimum, tum etiam nimis absurdum est. Scire igitur debemus, quòd hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est: sed potius obstinata defensio falsitatis.* Decerpit mox eadem, quæ suprà ex Apostolo Augustinus: Addit *Carnales* Corinthios *non potuisse capere* complura: Christo ipsi familiares & sanctissimos viros, & mulierculas, complura de ipso sequiùs credidisse. *Cum ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici. Cumque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, &c. Si illi qui præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absque crimine sectæ aliquid de illo, minusve sentire: cur hæresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesia, pietate preditus, obedientiæ devotus, subjectus & habilis ad discendum, aliter de illa senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? Quocirca omnes qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subjectos authoritati præbent Ecclesiæ; si aliter sapiant de his quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minùs rem animadvertendo quàm opus est, impiè proculdubio tanquam hæreticos arbitrantur.* Etsi ergo hæretica sint, quæ quidam sentiunt, non hæretici tamen sunt qui ita sentiunt, quia intus & in radice quadam penitiori consentiunt *Ecclesiæ authoritati*. Et quanquam *propter incapacem suam intelligentiam*, perdiu forsan obluctentur vera insusurrantibus, Catholico grege & nomine nequaquam tamen excidunt: quia non contumaci adversùs Ecclesiæ authoritatem luctu, sed animi hebetudine reluctantur.

XVI. Sunt ergo in Ecclesia triplicis admodum generis homines, ut idem ibidem subjicit: *Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiæ dono prævalent mente contemplari, quæ tantummodò creduntur ab aliis in vita perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in servanda ejus unitate perfecti: qui cum per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cujus se confidunt unitate salvari, &c. Sicut ergo non ideò quorundam perfectorum in fide spernendus est inferior gradus, quòd non possunt intellectu capere veritatem, quia hoc sublimioris gradus alii possunt: ita nec ipsi spernendi sunt, qui licèt imperfecta fidei fuisse videantur, quia non in omnia, quæ tam multa & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum potuerunt intendere: animo tamen vera & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitaverunt, ut in ea perficiendi manerent. Ac per hoc ità credentes, juxta quendam gradum & ipsi videntur in fide perfecti, qui se perficiendos ex unitate Ecclesiæ crediderunt.* Et accuratè hos gradus tres dispergens, atque consocians, *Illi ergo excellentiore gradu intelligentiæ prediti ipsam rem cujus in futurum revelatio plena servatur, quantum in hac vita concessum est, evaluerunt attingere. Illi etiam tantummodò perfecti, ad eam propius accesserunt. Isti verò inferiores, quos tertio gradu posuimus, quamquam per aliquod longius intervallum, adidem tamen aspiciunt, & illuc habent veniendi propositum.* Et ne insolescere possint adversùs hanc quasi fæcem simplicium, non mediocres, sed vel sublimes illi & primores; & ipsos aliquando incautos alicubi titubare docet, & solo fidei Ecclesiasticæ sinu eodem suscipi ac contineri: *Qui si hæretici judicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de ipsis Ecclesiarum præpositis relinquetur, quæ Catholica debeat judicari? Cum & illos excellentioris intelligentiæ, necessitate suscepti officii per ardua gradientes, nonnunquam lapsos, sinus pietatis excipiat, qua se authoritati subdunt Ecclesiæ, cujus magistri sunt, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

XVII. Quæ si summatim conglobare voles, liquebit hos de quibus agimus, etsi mendacio irretitos, nefario, catholico tamen nomine & Ecclesiæ sinu nequaquam excussos esse, 1. quia istiusmodi erant Apostoli ipsi ante Passionem Christi & evectionem ejus in cœlos, cùm tam bruti, tam duri hebescebant ad ea arcana, quæ inculcabat Christus: quibus tamen interim, & sacramenta, & Ecclesiæ totius gubernacula committebat. 2. Istiusmodi erant carnales, infirmique, de quibus crebrò Apostolus, quibus revelatum iri spondet multa fidei capita, si in

iis

iis ambulent quæ complexi jam sunt: 3. Istiusmodi ferè sunt turbæ populorum, Ecclesiam Catholicam toto orbe implentium, quas certum est in plerisque de Deo, & de tota religione hebescere, & ineptire: ac si pertendas instillare fidei sinceritatem, resilient: & inexpugnabili quadam non pertinacia, sed imperitia reluctabuntur. Quocirca sinendi sunt in nido fidei alas charitatis nutrire, & ita convalescere, ut quod tunc non possunt, quandoque possint in auras liberiores veritatis evolare. 4. Istiusmodi sunt quandoque & Optimates ipsi, Antistitesque Ecclesiæ, qui necessitate suscepti officii per arduа gradientes, etsi intelligentiæ lumine fulgeant, labuntur tamen interdum, quia homines sunt: quia sapientes, non natura sapientiæ sunt: quia salubrius est in ignorantiæ, quàm in superbiæ abrupta impingere. 5. Istiusmodi fuit vel Augustinus, qui aliquando de fidei dono sensisse se profiterur, quod sentientes postea notavit erroris. 6. Istiusmodi penè necessariò sunt omnes Catholici, qui utique Ecclesiæ & Christi discipuli cùm sint, discunt quæ nesciebant; aut si jam non discunt, didicere. Et tamen dum discunt, dum vel falsa dedocentur, vel docentur vera, non hæretici aut esse aut fuisse criminandi sunt. 7. Tam multa & tam magna continet Christiana religio, ut in omnia animum intendere, prout dignum est, aut si intenderint, capere possint, vel incredibiliter pauci, vel nulli penitus. Omnes ergo necessum est lapsuros alioqui & elidendos, Ecclesiæ authoritatis gremio excipi. 8. Illi ipsi in fide imperfecti, perfecti quodammodo sunt, dum in Ecclesia credunt nonnisi vera credi, & eam intemeratam Ecclesiæ fidem medullitùs amplectuntur, suam esse fidem profitentur, suæ cuicumque opinationi anteponunt. Hac ergo communi & universali credulitate exuunt, & ejurant stirpitus privatos errores, quos evelli eis alioqui pertinax ignorantia, aut stupor mentis non sinit.

XVIII. Similiter autem philosophandum de Fausto, de Cassiano, de Massiliensibus Presbyteris, de reliquis omnibus Augustini & Augustinianæ, id est, Romanæ & Catholicæ de gratia doctrinæ obtrectatoribus, quibus nonnulli solent Semipelagianorum nomen, infamiamque impingere. Horum enim etsi sensa, scriptaque à fidei veritate longè abluderent, ipsi tamen Catholici prorsus & erant, & à Catholicis Patribus habebantur.

XIX. Et primùm quod ad Faustum spectat, quo de præsertim agitur in harum elucidatione Synodorum, pensiculatiùs revolve elogia ejus antè congesta; ubique perspicies, scripta ejus inuri, personæ ignosci. Catholici indubitatissimè sunt compluisculi, quorum opera Gelasius apocrypha censuit. Possessor in eadem navi locat Faustum ac reliquos Catholicos tractatores, quorum scripta ad indubiam fidei amussim non statim adhibeantur. Idem Hormisdæ Pontificis judicium de Fausto fuit. Joannes Maxentius etsi flagrantissimo succensus odio, libros Fausti contendit esse hæreticos, indignatur adversùs eos, qui ut Catholicos propugnabant: de Fausto ipso litem ne movet quidem. Ita Avitus, Fulgentius, Isidorus, errores Fausti, non Faustum hæreseos insimulant. Ado perspicuè negat ejus sensus esse Catholicos.

XX. Sed universim ad omnes asperitatem Augustinianæ doctrinæ allatrantes, qui afficiatur, afficique nos jubeat Augustinus ipse, operæ pretium est animadvertere. Sic ergo ille lib. de prædest. sanct. cap. 1. ad Prosperum & Hilarium, qui de eorum querelis ad ipsum rescripserant: *Videre mihi videor eos fratres, eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus, quibus ait: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. Sed habent unde si quid in ea aliter sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent, in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cum dixisset, Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: Verumtamen, inquit, in quod pervenimus, in eo ambulemus. Pervenerunt autem isti fratres nostri, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum; nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis, aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum: si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis quoque revelabit.* Hos ergo, non aliter quàm Adrumetinos Monachos, ab hæresi procul esse, à Pelagianis plurimum discerni arbitratur Augustinus; & quamquam in aliquo caligent, quamquam in prædestinatione minùs sapiant, hoc illi à Deo revelatum iri. Et idem denique ad calcem libri de bono perseverantiæ: *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, ut eorum ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Ego autem, cum per eos qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nosse quod scribo.* Quæ nisi ad Catholicos homines non peroraret Augustinus. Et lib. de bono persever. cap. 17. *Neque enim Pelagiani sunt, ut adversùs istam perspicuam veritatem aura & hæretica perversitate contendant, &c.* Et cap. 24. *Hoc donum Pelagianis optamus, ut habeant: istis autem nostris, ut pleniùs habeant. Oremus, ut Deus gratiam etiam det inimicis nostris,* Pelagianis, *maximèque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere, &c.*

XXI. Nec ab his multùm dissentiebat, etsi paulò acriùs exarserat Hilarius in epist. ad Augustinum, qua prolixè narrat *quæ Massiliæ, & aliis etiam locis in Gallia ventilabantur*, adversùs longè plurima Augustinianæ de gratia Theologiæ capita: *Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante servare, ut cum opus fuit, non taceremus, &c. Tuæ sanctæ prudentiæ est dispicere, quid facto opus sit, ut talium & tantorum superetur, vel temperetur intentio. Cui ego jam parum prodesse existimo, te reddere rationem, nisi & addatur authoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint.* Et infrà: *Non solùm absentia tua crutior, verùm etiam pervicacia quorundam, qui non tantùm manifesta respuunt, verùm etiam non intellecta reprehendunt, &c. ut potiùs infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem.* Tales ergo doctrinæ Augustinianæ adversarios, etsi infatigabiliter contentiosos ostendit esse; tamen patienter ferendos censet, suæque infirmitati succenset adversùs eos fervidiùs quandoque excandescenti: summam reverentiam illis, & à se, & à laicis omnibus necessariò dependi declarat debere: denique etsi rationibus expugnari non possint, authoritate tamen Ecclesiæ fractum iri non dubitat, utpote catholicæ matris filios.

XXII. Prosper quoque in epist. ad Augustinum, de istis imperitè, non hæreticè contumacibus, & contumaciter imperitis, ita meminit: *Multi servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm propositum Dei disputasti. Et cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, &c.*

&c. recensito beatitudinis tuæ libro de Correctione & Gratia, aversiores, quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est; ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris, spiritus Pelagianæ impietatis illudat: ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum authoritatem sine judicio sequuntur, asserere. Tanta verborum honorificentia non prosequeretur homines à fide alienos: timet illis, ne illudantur tandem hæresis Pelagianæ præstigiis, si ea aversari pergant ardua de prædestinatione decreta, quibus reliqua contexta sunt omnia; sed illudi jam eos non putat, id suprà negavit Augustinus. Explanato autem prolixiùs toto Massiliensium de gratia placito, subjicit: *Possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad authoritatem talia sentientium non sumus pares. Quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent. Nec facilè quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex qua non solùm his qui eos audiunt, verùm etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum. Dum & multos reverentia eorum, aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu: & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur.* Tanta admiratio probitatis & authoritatis in hæreticos homines non conferretur; at ne infirmitas in hæresin desciscat, neve reliquiæ Pelagianæ pravitatis ex his initiis repullulascant, periculum esse, & enixè præcavendum, nec tacet Prosper, nec nos dissimulamus. Addit: *Quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, patefacias.* Imminet enim periculum, ne infirmatis iis, quæ cum fide conjunctissima & indivulsa sunt, fides ipsa tandem collabascat. Et infrà: *Speramus non solùm tenuitatem nostram, disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos, &c. Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis, &c. Intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem.* Et Hilarius ergo & Prosper urgebant tales summa authoritate frangi, & sectionis comminatione perterrefieri. Clementior Augustinus statim respondit, tractandos istiusmodi, non aliter quàm ut infirmos illos, quibus Apostolus non mucronem intentavit resecaturum, sed spem profectus & divinæ ad ulteriora revelationis ostendit.

XXIII. Rursum idem Prosper in exordio opusculi adversùs Collat. de iisdem Augustini & Gratiæ per eum constitutæ calumniatoribus: *Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minùs spernenda esset, quàm foris latrans hæreticorum loquacitas: nisi ejectis extra ovile dominicum lupis, sub nomine ovium suffragarentur; essentque ejusmodi, ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur.* Vides ut domesticos hos esse agnoscat, etsi præter opinionem hæreticis patrocinarentur. Et infrà minùs mirum ait, si invideant & obtrectent Augustino, victricique per Augustinum Ecclesiæ Pelagiani, *qui exulare à veritate, quàm cives esse Ecclesiæ maluerunt. Nostri autem concorporales & participes gratiæ Christi, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur?* En ut concorporales & participes nostros agnoscat illos, communis fidei consortes. *An verò novorum Censorum ita se norma exactior temperavit, &c.* Novos & imperitos censores objurgat, Catholicos esse non negat. Et cap. 3. relatis Cassiani verbis sic intorquit: *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissimæ veritatis luce devolveris?* Et cap. 32. laciniato textu Collatoris exscripto, exclamat: *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet? &c. Itane à cunctis Ecclesiæ filiis spiritus scientiæ & pietatis abscessit, &c.* Sed ipsa totius operis peroratione nihil enucleatius: *Sufficienter demonstratum est, reprehensores Sancti Augustini & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: ut donec Dominus per Ecclesiæ Principes & legitimos judiciorum suorum ministros hæc quæ per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adjuvante sit studium, quieta, modestaque patientia, odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare conflictus.* A fraterna autem societate divisos istiusmodi, quis scripsit, quis audivit unquam? Immo dividendos ubi Augustinus censuit, ubi non potiùs contradixit? Etsi enim & ipsi, & doctrinæ ejus Catholicæ intemperantissimè obloquerentur, & contrà statuerent oppidò multa & elaborata, docerentque & scriberent: responsionibus Augustini, non tantùm non mansuescerent, sed magis efferarentur: tolerandos tamen censuit, & habendos, ut illos, quibus Paulus divinæ ad ampliora revelationis spem fecit.

XXIV. Reliquis etiam idem Prosper libellis, obtrectatorum Augustini, & suorum, eorundem, nempe de quibus suprà, sæpissime imperitiam, calumniam, invidiam incusat, nusquam hæresim. Quin immo Augustini ea in re imitator, non tam ad eorum accusationem, quàm ad sui defensionem armatur. In præfat. ad object. Vincent. *Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquomodo student ledere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant, &c. Sensus nostri, & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis authoritate defendimus, verba ponemus: ut agnoscant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium.* Et in præf. ad Capit. Gall. *Doctrinam Augustini quibusdam visum est, aut intelligendo aut intelligi eam nolendo reprehendere.* Eam à calumniis purgaturum se suscipit. Denique in epist. ad Ruffinum: *Cui Augustino, inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, quidam nostrorum, quod de ipsis multum dolendum est, occultis sed non incognitis susurrationibus obloquuntur.* Tum accingitur ad amoliendas à sanctissimo viro has calumnias; & denique ait: *Confide ergo, quoniam hæc contradictio, sicut in aliis mundi partibus, ita in his regionibus conquiescet.* Ita sanè contingit frequenter, ut suspecti purgent se potius infirmis fortes, quàm fortibus infirmi. Infirmitas enim & domi & foris cæcutiens, titubans, fastidiosa est. Fortitudo autem charitatis sibi etiam injuriosa est, seque extenuat, ut infirmis medeatur.

XXV. Nec Hilarius, nec Prosper, nec alii complures adversùs criminatores Augustini obmutescebant. Etenim ibidem Prosper ait, *In ipsis hic locis, in quibus adversùs eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ, saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi, inquantum ea ipse multiplicat, dilatantur.* Scripserat & in sui defensionem Augustinus, Augustini memoriam & doctrinam consecraverat Cælestinus, ut infra dicemus. Et in quibus tamen pertinax illa residebat adhuc non hæresis, sed falsitas & imperitia indomita, toleranda, non execranda ab unitate Ecclesiæ sanctissimis Episcopis videbatur. Ita enim Africani Episcopi synodica sua ab exilio Sardiniæ scripta: *Vos itaque dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles, ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem.* Nec de

aliquo

aliquo desperetis. Quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest cras Deo revelante cognoscere. Oremus pro eis, ut Dominus operetur in eis, &c. Præ omnibus studium gerite, libros Sancti Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Et mox opera Fulgentii commendantes, ajunt: *Cetèrùm unus ex nobis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversùs gratiam, & prædestinationem intimastis vel sentire vel dicere, tribus libris sufficienti disputatione respondit.* Vides ut fratrum nomine dignentur imperitos disputatores istos, & Deo revelante speterent, in quod nondum pervenerunt, perventuros.

XXVI. Arausicana porrò secunda Synodus nec transversum unguem ab illa Patrum clementia deflexit. Continuò enim sic ordiuntur: *Pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam sentire velint.* Tunc ajunt capitula quædam à se proponi, *ad docendos eos, qui aliter quàm oportet sentiunt, &c. ut qui hucusque non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.* Simplices & minùs cauti vocantur, qui pridem secus senserant, non hæretici; etsi non secundùm Fidei Catholicæ regulam senserant. Ideo nullo feriuntur anathemate, non scinduntur ab Ecclesiæ unitate, non pœnitentiæ laici ulli addicuntur, non Clerici gradu aut Pontificio excutiuntur. Denique *can.* 25. & ultimo, purgant se infirmis fortes, & ferreæ necessitatis portentosam criminationem deprecantur Episcopi Synodi hujus. Quod tantò admirabilius sanè est, quòd jam olim Augustinus, Prosper, Hilarius, jam Fulgentius, jam Africani synodicè Episcopi, jam Cælestinus & Hormisda Pontifices, jam Oriens, Occidensque conspiraverant adversùs pugnaces istos liberi arbitrii patronos; & tamen adhuc illi bellaturientes, scriptis etiam commentariis, ut Faustus, Gennadius, Cassianus, inepta deliria promulgantes, nihilo seciùs tamen, ut fratres habentur, & *per simplicitatem minùs cautè*, aliter quàm oporter sensisse excusantur. Usque adeo prolixa & infinita quædam dispensatio venturis sæculis præmonstrabatur, ad inexpugnabilem hanc simplicitatem infirmorum ferendam.

XXVII. Et Bonifacius II. Pontifex in epistola ad Cæsarium, qua Arausicanam confirmat Synodum, paulò austeriùs has vocat: *reliquas Pelagiani erroris ineptias: vetusti erroris reliquias*; nulla tamen præterea acriori censura dilancinat *aliquos Episcopos Galliarum, qui cum cetera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tamen, qua in Christo credimus, natura esse volebant, non gratiæ.* Insanum errorem fusè insectatur; ejus tenaces Episcopos nulla graviori sententia, aut vel commination perstringit, quin de iis in posterum meliùs ominatur: *Contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam à quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia Divina, quòd ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut &c.* Pontifex non aliud, quàm spem sibi esse rescribit, ut Deus in eorum cordibus uberiorem gratiæ suæ lucem, ad gratiæ ipsius intelligentiam irradiet. Et Ecclesia Lugdunensis nono sæculo tenax ejusdem sententiæ, lib. de tribus epistolis: *Querimonia & perturbatione magnorum & sanctorum apud Gallias virorum, qui disputationibus in tantum permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, ut prædestinationis sensum, qui constanter prædicabatur, vel quasi falsum, vel quasi periculosam potiùs tacendum esse judicarent. Sed nec tanta perturbatione fidelium avocari potuit Augustinus, &c.* Ubi ad marginem hæc adnotavit compilator Bibl. PP. *tom.* 4. *pag.* 2. *Ex hoc habetur Semipelagianos non fuisse hæreticos, sed Catholicos.*

XXVIII. Sed Synodis, Pontificibusque in hanc præiverat indulgentiam Cælestinus Papa, à Prospero & Hilario exstimularus, epistola ad Gallicanos Episcopos scripta, qua Augustinum meritis effert laudibus, Presbyteros objurgat, *qui indisciplinatas quæstiones* movebant, prædicabant *adversantia veritati*. Nihil gravius tamen, quàm illi *silentium imponi* decernit. Ita enim cum Catholicis simplicibus, etiam pertinaciter imperitis, non autem cum doctis hæreticis agitur.

XXIX. Utque caligo rei huic offusa diligentiùs expungatur, adverte ex Augustino supra laudato, audaculis his censoribus duo quædam persuasissima fuisse, catholicæ fidei palmaria, ex quibus religata penderent cætera: nempe & peccato parentali obnoxios nasci omnes homines, itemque voluntates hominum Dei gratia præveniri, ut nec incipere quid boni, nec perficere queant, sine ejus adminiculo. His duobus implicata sunt cætera rectæ fidei capita, etsi id illi minùs adverterent. Similiter illi adversùm quos disputat Bonifacius II. Papa, bona omnia opera Gratiæ imputabant. At inde nascebatur istud quoque, ut fides quæ bonorum operum exordium est, & palmam inter animi nostri interiora bona opera obtinet, Gratiæ adscribatur. Quod ibidem Pontifex ita arguit: *Illos qui precedente fide, cætera volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, ut multò magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quam nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari: sicut B. Apostolus dicit, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur: aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda.* Postremò ii adversùm quos Cælestinus scribit, *ea tantummodo sequi, & probare confitentur, quæ sacratissima B. Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit.* Ex hoc porro uno capite contexebatur tota fidei orthodoxæ series de gratia, etsi illi secus opinarentur. Etsi ergo privatas opinatiunculas suas puerili, & pueriliter contumaci simplicitate garrire solerent; quia tamen summam ipsam rectæ fidei cum tota Ecclesia complectebantur, qua continebatur opinatiuncularum illarum ejuratio, quia decreta Sedis Apostolicæ reverebantur; ideo infirmis fratribus, non hostibus fidei annumerabantur, incitabanturque dumtaxat, *ut in quod pervenerant, in eo ambularent*: ita enim fore ut aliquando id quoque, in quod nondum pervenerant, assequerentur.

XXX. Ergo si de Hilario Arelatensium Episcopo, si de Vincentio, si de Cassiano, de Gennadio, de Sidonio Apollinari, si de Fausto acerbius quid aliquando excidit magnis viris, id æqui bonique consulendum est, & in doctrinam, in quam incautè & per simplicitatem incurrerant, non in personas refundendum. Ita fiet ut non invideamus, non obtrectemus spectatæ eorum complurium sanctitati, cui & Augustinus & Prosper ipsi applaudebant. Nec magnoperè satagemus, an ante obitum acquieverint saniori doctrinæ. Cùm ad Arausicanæ saltem usque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non desierint.

XXXI. Nec nulla sunt alibi ejusdem exempla indulgentiæ. Nam ut author est Epiphanius *hæresi* 70. *num.* 8. Audiani seu Anthropomorphitæ Deo humanam appingebant effigiem: rusticitati autem eorum id, non hæresi tribuebatur: *Illorum dogmata proposuimus, quæ simpliciori quadam ratione, ac pertinaci contentionis studio turpiter asseverant.* Audis pugnacitatem non hæretici, sed tardioris, & obtusi animi. Et *num.* 14. *Illud de Dei immagine interpretandum putant simplici quidam ratione.* Quocirca nec ea de causa, sed alia longè diversissima,

sima, ait Epiphanius, illos ab Ecclesia & scissos esse primùm, & semet abscidisse. Quin quod semet absciderint, in schisma potiùs, quàm in hæresin illos censet impegisse. Unde & Augustinus *lib. de hæres. hær.* 50. *Audiani quos appellat Epiphanius, & schismaticos, non hæreticos vult videri: alii vocant Antropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se dicit à communione nostra, culpando Episcopos divites, & Pascha cum Judeis celebrando. Quamvis sint, qui eos in Ægypto Ecclesiæ Catholicæ communicare asseverent.* Vides quid sentiat Epiphanius, nec Augustinus ab eo dissentiat.

XXXII. Sed operæ pretium erit audire quid de sanctissimis, & indoctissimis tamen Monachis narret oculatus rerum omnium testis Cassianus *Collat.* 10. *cap.* 2. *Theophili Alexandrini Episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denunciatione paschali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum hæresin longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab universo propemodum genere Monachorum, qui per totam provinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum: ut è contrario memoratum Pontificem, velut hæresi gravissima depravatum, pars maxima seniorum ab universo fraternitatis corpore decerneret detestandum: quod scilicet impugnare Scripturæ Sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cum ad ejus imaginem creatum Adam Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab his qui erant in Eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia, omnibus qui erant in Ægypti monasteriis præeminebant, ita est hæc epistola refutata: ut præter Abbatem Paphnutium nostræ congregationis Presbyterum, nullus eam cæterorum Præsbyterorum qui in eadem Eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, nec legi quidem, aut recitari in suis Conventibus prorsus admitterent.* Quis autem sanctissimos istiusmodi monachos & alios ubique terrarum, ut credere par est, tarditate ingenii, sed pietatis quoque cumulo certantes, hæreticis accenseret? Etenim illi, ut *cap.* 3. subditur, non errabant, nisi *imperitia sola & simplicitate rusticitatis.* Unde mox ibidem senex quidam omni virtutum genere consummatus, & ab eo tandem errore extricatus, ejulabat in hunc modum: *Heu me miserum! Tulerunt à me Deum meum; & quem nunc teneam, non habeo; vel quem adorem, & interpellem, jam nescio.* Et sanè quotusquisque fidelium vulgi non pari hodie ludibrio vexatur interdum?

XXXIII. Eodem refertur quod Augustinus *hæresi* 86. ait Tertullianum sensisse, animam esse *corpus effigiatum, Deum corporeum, non effigiatum.* Addit autem: *Nec tamen hinc hæreticus creditur factus.* Et rursum, *Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus.* Posset enim *quoquo modo*, ut idem ibidem ait, putari, corporis vocabulo significasse, quidquid substantivum & solidum est, non vacuum & inane. At ea est humanior Augustini interpretatio, quæ vereor ut omnibus approbetur, & vel ipsi Tertulliano; qui cùm animam nugatur corpus effigiatum, plùs satis expromit, quid corporis nomine intellexerit, quod certa effigie circumscripsit.

XXXIV. Quid de Corinthiis dicemus, quorum aliqui fidem & spem resurrectionis exuisse videbantur, ut tanto æstu adversùs eos Paulus digladietur? Quid de Synesio, qui cætera callentissimus humanæ divinæque sapientiæ, resurrectionis fidei suffragari se posse disertissimè inficiatus, ad Episcopatum nihilò seciùs abreptus est? Nempe in his, ut & in Apostolis ante Spiritus Sancti uberiorem allapsum, æquè in resurrectionis sententia & in aliis non paucis titubantibus, non hæresis, sed infirmitas hæc erat animi, stupentis & hebescentis ad divinorum sublimitatem. Evagrius *lib.* 1. *cap.* 15. *Synesio persuadent, ut licèt nondum doctrinam de resurrectione carnis admisisset, neque ita censere vellet, salutari regenerationis lavacro tingeretur, & jugum susciperet sacerdotii. Recte admodum de eo augurantes, quod hæ res alias ejus virtutes sequerentur, divinaque gratia nihil patretur in eo desiderari. Quæ spes illos minimè frustrata est.* Vide hac de re Synesii ipsius *epistolam* 105. prorsus mirabilem. Quid de illis porro, quos tam creber exagitavit Augustinus, qui Christianos Catholicos saltem, etsi omnium scelerum colluvione contaminatissimam egissent vitam, fabulabantur temporalibus tantùm pœnis subactum iri, & in die judicii donandos sanctorum precibus, unàque in cœlestem patriam evehendos? Nunquam his Sanctus Pater vel uno verbulo maculam aspersit hæreseos. Enchir. ad Laurent. *cap.* 67. de illis censet in hunc modum: *Qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur.*

XXXV. Penè nos suffugerat Zosimus Papa, qui Cælestium, Pelagiumque Catholico agmini propemodum reddiderat, cùm ab iis audisse se putaret, non tam quid errarent, quàm quid dubitarent, quid doceri cuperent. Unde Augustinus *lib.* 2. ad Bonifac. *cap.* 3. *Cum hoc Cælestius in libello suo posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est: in homine acerrimi ingenii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum putabatur, quando se literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.* Ubi observa 1. religioni nobis esse & pudori, plus sapere quàm Augustinum. Quod ergo ille Zosimo laudi vertit, id absit ut concerpamus. Cæterùm non hic modò, sed frequentissimè Augùstinus, ut suprà eluxit, immo & Patrum Senatus ingens, Apostoli Pauli legens vestigia, ei assensus est doctrinæ & indulgentiæ, qua fretus Zosimus Cælestium excusabat interim magis, quàm purgabat. 2. His imperfectis, de quibus suprà, veniam dari, ne hæreticis immisceantur, quòd præ se id ferant, literis se & doctrinæ Pontificum subscribere, etsi eam interim minùs capiant. Eo Cælestius & Pelagius Zosimo se commendarant. Eo istiusmodi omnes superiùs Facundus juvabat, quòd *semetipsos rationi dociles, & subjectas authoritati præbeant Ecclesiæ:* quòd *cum per ignorantiam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cujus se confidunt unitate salvari:* quòd *licèt non in omnia, quæ tam multa & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum potuerunt intendere: animo tamen vera & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitaverunt, ut in ea perficiendi manerent.* Nemo ergo prætextu antè disputatorum, adversùs Ecclesiæ doctrinam contumaciùs certari posse, & absurdas foveri opinatiuncu-las pertimescat; cùm id tam sedulò præstructum fuerit, hanc illis unis patere indulgentiæ januam, qui *in nullo errare credunt Ecclesiam*. 3. Itaque non quorumlibet est, ut sibi, sed Ecclesiæ judicium, atque arbitrium est, ut quibus conducit, & quamdiu conducit, hæc infantiæ blandimenta, hæc dispensationis lenocinia adhibeantur. Ista enim jam non simplicitas, sed calliditas: non rusticitas & hebetudo, sed simulatio & impudentia foret, simpli-

simplicitatem prætendere, rusticitatem allegare, ad errandi fallendique licentiam assequendam. In exemplis suprapositis emicabat, totam dispensandi prudentiam potestatemque non errantibus, sed ueri Ecclesiæ moderandam, regendamque incubuisse. De Cælestii vafritie Zosimus ab Afris tandem admonitus, ne illa quidem confessione deinceps contentus fuit, qua se Innocentii literis inhærere simulaverat, nisi sigillatim suos recantaret errores. Denique quibus defensionem suprà adornavimus, illi eo omnes fuere animo, quo Augustinus, teste Facundo, *lib.* 11. *cap.* 6. ad subscribendum vel Ecclesiæ, vel cuique recta monenti promptissimus, sicubi erraret. *Sed de Augustino rectè sic audis, cujus animum professio sua declarat: de aliis autem qua ratione sic credas? Quasi vel ipse qui contradicit, certum habeat, quod hoc alii quoque non dixerint? tanquam omnia omnium legerit, omniumque meminerit. Aut vel ipse animus Augustini ideo talis fuit, quoniam taliter est locutus, & non potiùs quoniam talis fuit, ideo est locutus; ac per hoc, etiamsi nihil tale dixisset, idem tamen esset habitus animi, ad corrigendum, quod justè offenderet, præparati. De quo si etiam sic bene sentiremus, & pium proculdubio esset & verum, quamquam videretur incertum. Hoc igitur & de aliorum animis sentiamus, quia interim pium est, vel si videatur incertum. Quod si & malè de illis sentiamus, hoc quoque certum non erit, sed certa impietas erit. Melius ergo est, ut de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur: quàm hoc incertum, in quo impietas certa damnetur.* Hunc sapiendi modum singulis nobis delineat Facundus: at Ecclesiæ ipsius si qua in aliquos judicia, si qua fulmina coruscaverint, præposteræ cujusdam temeritatis ac dementiæ fuerit, Ecclesiæ ipsi errorem affingere, ut eos tuearis, qui eo uno defendi se posse scuto speraverunt, quòd se, scriptaque sua Ecclesiæ subjecerint, quam *in nullo errare* confitebantur.

DISSERTATIO XIV.

IN CONCILIUM ROMANUM UTRUMQUE

SUB FELICE II. PAPA.

Anno Christi 483. 484.

SYNOPSIS.

Primæ Sedis hoc privilegium adseritur, judicandi de cæteris Patriarchis, etiam sine generali Synodo.

I. NOn potest opportuniùs usquam alibi pertractari quæstio, quæ ad potestatem summi unius pertinet in Ecclesia Pontificis, ad cæteros omnes etiam Patriarchas judicandos, deponendosque. Ipsum enim à nullo alio Patriarcha posse similiter judicari, deponive, consequenter elucidabitur in commentandis mox Romanis sub Symmacho Papa Synodis. Quæ duo quidem summa capita sunt ejus principatus, quem in summo causarum Ecclesiasticarum Judice suspicimus, ut de omnibus judicet, & à nemine judicetur.

II. Cùm toto igitur Oriente hæresin Eutychianam sumpsi Antistites Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Imperatores ipsi, vel clam foverent, vel palam disseminarent, conclamata erat fidei & Ecclesiæ ipsius Christianæ incolumitas: nisi Apostolica & prima Sedes Petri eam authoritatem, eam fidei firmitatem inconcussam à Christo consecuta esset, qua & fidei hostes amoverentur, & Ecclesia ab impendente exitio meretur exitio; Cædibus & grassationibus hæreticorum occurri non poterat, nisi vel per Synodum Oecumenicam, vel per primam Ecclesiæ Sedem. Non poterat tunc coalescere Synodus Oecumenica, cùm Zenon Imperator, cùm Alexandrinus, cùm Antiochenus Patriarchæ adversarentur rectæ fidei, cùm Acacius CP. his conniveret. Ergo spes una salutis erat in prima Sede, Synodi Oecumenicæ vices supplente. Qui ergo hanc illi potestatem invident, id nimirum superest, ut fidem & Ecclesiam hujusmodi pestibus dilaniandam, & impunè proterendam permittant.

III. Ideo & Joannes Alexandrina Sede pulsus Romano Pontifici adversùs Acacium libellos dedit. Felix *epist.* 6. ad Acacium: *Ad libellum fratris & Coepiscopi mei Joannis, qui te gravissimis objectionibus impetivit, in Apostolica Sede secundùm Canones respondere diffidens, objecta firmasti.* Et in libello citationis ad eundem missa per Vitalem & Misenum: *Superveniens Coepiscopus noster Joannes, fugatus ab hæreticis pervasoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ decessori meo paraverat, porrigendum ingessit. Quem morem, majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, & priorum nostrorum, non potuimus refutare. Et ideo ad hæc, quæ proposita esse cognoscis, apud Beatum Petrum Apostolum, cui preces in nobis oblatas pervides, & quem ligandi atque solvendi à Domino potestatem sumpsisse non potes diffiteri, & in conventu fratrum & Coepiscoporum nostrorum respondere festina.* Et in libello quem Felix idem decreto Concilii ad Zenonem misit; *Adversùs quem*, Acacium, *in conventu mihi ab eo*, Joanne Alex. Episcopo, *libellus oblatus est, ut idem Acacius, sicut ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri decet, ad hæc, quæ de se pervidit intimari, apud beatissimum Petrum Apostolum diluere obedienter procuret, nec ullo modo existimet differendum. Qui si quemadmodum confidimus, bene conscius est, Apostolicum non debet judicium cum consacerdotibus suis & moderationem abjicere, &c.* Vides 1. Episcopum secundæ Sedis Episcopo primæ Sedis libellum porrexisse adversùs Episcopum CP. 2. Ibi inhæsisse vestigiis, & exemplis Athanasii ad Julium Papam confugientis. 3. *Ecclesiasticis legibus* causam Acacii à Pontifice Romano cognitam, exauthorationis sententiam in eum contortam esse. 4. Quia *Petro* ligandi solvendique potestas cœlitùs collata est.

IV. Graviter tulerunt Acacii in Sede Constantinopolitana successores, extra Oecumenicam Synodum ab Apostolica Sede damnatum illum fuisse. Ita enim Gelasius *epist.* 4. *Euphemium miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit: qui dicit, Acacium ab uno non potuisse damnari.* Ut suæ ergo Sedis jura tueatur Gelasius, advertamus animum. Respondet ergo 1. Acacium non novæ hæreseos architectum fuisse, sed Eutychianam resovisse, ita in Chalcedonensi Synodo damnatum fuisse, cujus executrix suo more & jure est Sedes Apostolica: nec Synodis Oecumenicis opus est, ut executioni mandentur placita Synodorum Oecumenicarum. 2. Appellationes toto ex orbe ad Sedem Apostolicam Canonibus concessas esse, & jam antè ipso etiam approbatore & executore Acacio solius Apostolicæ Sedis authoritate dejectos fuisse Timotheum Alexandrinum, Petrum Antiochenum, Petrum, Paulum, Joannem, & alios. Ergo his exemplis tam salutiferis Ecclesiæ, & tam necessariis authoratam Sedis Apostolicæ potestatem, æquè in ipsum Acacium insurgere potuisse. 3. Joannem Alexandrinum Episcopum fidei & pietatis assertorem, Sede sua ab Imperatore pulsum, neminem queri: ab Apostolica Sede restitutum, Græculos conqueri. Perversum id & præposterum. Illud lamentandum, hoc gratulandum. Si enim in Ecclesiæ perniciem potest Imperator pios ejicere Præsules, scelestos intrudere, & Synodos

nodos Oecumenicas prohibere: quin possit summus Pontifex citra Synodi Oecumenicæ operam plos redintegrare, impios evertere? 4. Ut inferiores à superioribus, clericos ab Episcopis, Episcopos à Metropolitanis, hos ab Exarchis: ita cæterarum Sedium summos Antistites apud primam Sedem & examinari, & judicari posse. Ita enim judiciorum ordo inconvulsus postulat. 5. Revoluris superiorum temporum monumentis, Synodi universalis opera, restitutos à sola Apostolica Sede fuisse, orthodoxis omnibus & piis gratulantibus, Athanasium, Chrysostomum, Flavianum, & alios principalium Ecclesiarum Præsules: 6. Ut Athanasii & Chrysostomi ætate, ita nunc etsi optatissimum fuisset, non tamen potuisse universalem Synodum congregari. Etenim Oriens omnis, & Imperator ipse cum Acacio in erroris defensionem conspirabat. Ergo vel actum erat de salute Ecclesiæ, vel præter Oecumenicam Synodum, tot ex capitibus pendulam, tot inexpugnabilibus objicibus interseptam, aliud à Christo compendiosius & explicatius præsidium in Sede Petri divinitùs constitutum est. Nunc verba ipsa Gelasii ascribamus, majestatis & virium utique plùs habitura.

V. Primùm ergo ita insurgit *epist.* 4. *Itane non perspicit secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? &c. Acacius quippe non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit.* Et *epist.* 8. *Cum Chalcedonense Concilium damnaverit Eutychem, detestandi furoris authorem; non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum cæteroque percelleret. Hoc igitur modo successores eorum Thimotheum, Petrum, atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto Concilio, sed Synodi semel acta regula consequenter elisit.* Et *epist.* 13. *Majores nostri divina inspiratione præcaverunt, ut quæ contra unamquamque hæresin coacta Synodus, pro fide, communione, ac veritate Catholica atque Apostolica promulgasset: non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari; ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed authore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus.* Tum Sabellium, Arium, Macedonium, Eunomium, Nestorium una Synodo damnatos cum errore suo fuisse ostendit, ut eadem sententia posteros omnes eodem constrictos errore innodaret.

VI. Oecumenicarum autem Synodorum executricem esse præ cæteris Sedem Petri, ita mox docet: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem pra ceteris oportere, quàm primam: quæ & namquamque Synodum sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit: pro suo scilicet principatu, quem Beatus Apostolus Petrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequens, & tenuit semper, & retinet.* Et infrà: *Quod Sedes Apostolica, ut decuit, antiqua traditione custodiens, non Synodum duxit iterandam, sed in ejus prævaricatore pellendo hanc eandem Synodum potiùs exequendam.* Et infrà: *Ponamus tamen, etiamsi nulla Synodus præcessisset, cujus Apostolica Sedes rectè fieret executrix, &c.* Et paulò ante finem: *Plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum, non tanquam nova Synodus contra veterem, primamque cognovit: sed potiùs secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est.* Itaque executrix est Sedes Apostolica synodicarum generalium constitutionum, ob divinitus Petro collatum principatum, & in ejus executionis societatem adsciscit sibi Synodos, & Episcopos alios.

VII. Quapropter quòd *epistola* 4. Gelasius infimis etiam Episcopis communicaverat hanc potestatem, id modestum desiderat interpretem: *Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet, & quemlibet locum, secundùm regulam hæreseos ipsius antè damnatæ, à catholica communione discernant.* Est enim juris & muneris Episcopi cujuscumque, obnoxios sibi quosque, si cui prædamnatæ consenserint hæresi, ab Ecclesiæ communione sequestrare. Nam pro ea, quæ sibi concredita est, Ecclesiæ portione, executor est Episcopus quilibet synodicorum decretorum. At Præsul Apostolicus, ut *primæ* Sedis Antistes, & *pro suo principatu*, quem Petrus Domini voce percepit, non oves tantùm, sed Pastores, & summos summarum Ecclesiarum Pastores, si contagio hæreseos afflati fuerint, segregare potest, ut Synodorum Oecumenicarum universalis & summus executor.

VIII. Secundò idem Gelasius ad hunc modum argumentatur *epistola* 4. *Nobis opponunt Canones, &c. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, &c. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, & ceteri, non solùm unus, sed plures utique nomen sacerdotii præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt authoritate dejecti: cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus extitit executor.* Et *epist.* 13. *Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certè Sedem quoquomodo tenuisse videbantur, non repetita Synodo, sed authoritate tantummodò Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante, vel exequente, probatur esse damnatus.* Ut olim ergo Cyrillo Alexandrino postulante, & exequente, Nestorius Constantinopolitanus à Romano Antistite damnatus fuerat: ita vicissim nunc Acacio Constantinopolitano, Timotheus, & Petrus Alexandrini: & denique Joanne Alexandrino libellos dante, Acacius Constantinopolitanus, à Sede Apostolica damnati fuere. Atque ita moderante omnia summo Christo, & ad salutem Ecclesiæ suæ sæculorum turbulentos vertices contorquente, rerum ipsa necessitas compulit secundas per orbem majestates, seu Sedes Patriarchales cæteras, dum copia Synodi Oecumenicæ non passim datur, dum sese & fidem tueri aliter non possunt, ad primæ Sedis Petri tribunal confugere, ejus judicium postulare.

IX. Tertiò ita se, majoresque suos tuetur Gelasius *epist.* 4. *Quæ ipsi Synodo, vel secundùm cujus Synodi formam, Alexandrinum Joannem de Ecclesia, cui ordinatus fuerat, expulerunt? Qui nullis causis evidentibus, nec antè convinci, nec postea provocans, etiam in judicio competenti, potuit accusari. Quod si dicunt, Imperator hoc fecit: hoc ipsum quibus Canonibus, quibus regulis est præceptum? Cur huic tam pravo facto consensit Acacius, cum authoritas divina dicat, Non solùm qui faciunt prava, reos esse, sed etiam qui consentiunt facientibus? An secunda Sedis Antistites & tertiæ, cæterique bene sibi conscii sacerdotes, depelli debuere: & qui religionis extitit inimicus, deleri non debuit?* Et *epist.* 13. *Dicatur de Alexandrino & Antiocheno Episcopo, certis ex causis Principem magis illa, quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed Principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maximè cujus familiaritate & favore fovebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque vindictam; tantùm ut Ecclesia sineret Christianus Princeps regulas custodiri, &c. & sicut semper esset effectum; ac divina pariter leges, humanaque censerent, ut sacerdotali Concilio de sacerdotibus judicia provenirent, &c.* Hic variorum subrexit exempla Pontificum, qui intrepidè rectu-

derunt

derunt Principes legibus Ecclesiasticis derogantes: *An qui in hominem Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente Synodo dejici debuerunt: & in Deum, qui summus & verus est Imperator, Acacium delinquentem, secundum Synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli?*

X. Non fuisse autem sibi integrum, Synodum convocare universalem, refragante Imperatore, & consentaneo ipsi penè Oriente toto, *epist.* 13. *Etiamsi nulla Synodus præcessisset, cujus Apostolica Sedes rectè fieret executrix: cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Nunquid cum his qui jam participes tenebantur Acacio, & per Orientem totum, Catholicis sacerdotibus violenter exclusis, & per exilia diversa relegatis, socii evidenter existebant: communionis externæ priùs se ad hæc consortia transferentes, quàm Sedis Apostolica scita consulerent?* Ex quo vides & tunc & sexcenties aliàs abrumpi spem omnem Synodi universalis: cùmque interim ea tamen incurrant momenta rerum, & discrimina, quibus succurrere non possit, nisi par authoritas; hanc necessariò jugem & inconvulsam in prima Sede Petri constitui, immo constitutam agnosci à Christo, æternitatem Ecclesiæ suæ omnipotenter & sibi consentaneè olim præfundante.

XI. Nam si Oecumenicæ Synodi copia fuisset, illam Sedes Apostolica expetisset utique; quæ quantùm licuit, Occidentalium Episcoporum, qui soli ferè supererant Catholicæ fidei, & libertatis consortes, Synodum congregavit, in eaque de Acacio cognovit. Ibidem: *Quia orthodoxis ubique dejectis, & hæreticis tantummodò, eorumque consortibus jam relictis in Oriente: Catholici Pontifices, aut residui omnino non essent, aut nullam gererent libertatem: plurimorum in Italia Catholicorum Sacerdotum congregatio, rationabiliter in Acacium sententiam cognovit fuisse prolatam: quæ congregatio facta Pontificum, secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est. Ut satis appareat Ecclesiam Catholicam & Sedem Apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit, & cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata & sincera communione tractatum.* Synodorum quippe coalitione, id est, numerosiore Senatu suffragatorum, & potestatis, sententiæque suæ sequacium, non dolet, non obscuratur, sed exultat, magisque & magis rutilat Sedis Apostolicæ splendor.

XII. Quartò ex Sedium ordine ita idem Pontifex pugnat, *epist.* 13. *Quoniam hunc Joannes secundæ Sedis Antistes gravibus pulsaret objectis, ad primæ Sedis audientiam cohortatus est Romanus Præsul, vel venire debere, vel mittere. Licèt enim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cujuslibet civitatis Episcopus primæ Sedis judicium non vitaret, ad quod convenerat secundæ Sedis Antistes, qui nisi à prima Sede non posset audiri. Præcipuè qui præjudicatis animis nulla Synodo à Græcis fuisset exclusus: etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere, nec deberet. Quia ab inferioribus Episcopis potior, nisi à prima Sede, sicut dictum est, vel discuti potuisset, &c.* Et infrà: *Cur ipse Joannem, quem suis literis impetebat, qualemcumque secundæ Sedis Episcopum, in primæ Sedis B. Petri Apostoli judicio confutare despexit, &c. ad quod secunda Sedis cerneret venisse Pontificem; quod Anatolius Constantinopolitanus Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur?* His accommodatissimè philosophabatur suprà Cyrillus, & Synodus cum ipso Ephesina, & pro Sedium ordine judicia instruenda esse decernebat.

XIII. Quintò superiorum tractu temporum persæpè, non suæ magnitudinis cupidine, sed alienæ salutis charitate urgente, extorquente necessitate; & ita Deo magis quàm homine explicante principatum Petri, absque Synodis restitutos, vel dejectos excipit Gelasius à Romanis Pontificibus summos Episcoporum apices: *Epist.* 13. *Sed nec illa prætermisimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Tum Athanasii, Chrysostomi, Flaviani exempla profert, quos Apostolica Sedes, quia *non consensit* Synodis Græcorum, eos damnantibus, *absolvit*: Dioscorum secundæ Sedis Antistitem, *sua authoritate damnavit*: Ephesinam secundam Synodum, *non consentiendo submovit*. Et cùm dejiciendi persæpè sint ii ipsi, qui Synodum convocari prohibent, & ideo prohibent ne dejiciantur: malè consultum esset Ecclesiæ Christi, nisi constans & perpetua regnaret in Ecclesia potestas primæ Sedis, Synodi vices & vires suppletura.

XIV. Sextæ responsionis testimonia superioribus sunt inserta, constatque superiorum documentis ætatum, in potestate non fuisse Pontificum Romanorum Reipublicæ Christianæ consulentium, ut Oecumenica Synodus in causa Athanasii conflueret; adversantibus nimirum Orientalibus, & secedentibus. In causa similiter Chrysostomi, lapidem omnem movit Innocentius, ut Oecumenicum coiret Concilium; sed irritus cecidit conatus; cùm Orientales Episcopi, qui Chrysostomum damnaverant, & Imperator ipse Arcadius reluctaretur. In causa perinde Flaviani, ad illius revocandam damnationem, & totam prædatoriæ Synodi tragediam solvendam, omni ope enisus est Leo Papa, ut Theodosius Junior Synodum generalem in Italia cogi pateretur; nec tum impetravit. In causa ergo similiter complurium Pontificum seu Alexandrinæ, seu Antiochenæ, seu Constantinopolitanæ Ecclesiæ, seu fidem oppugnantium, & deponendorum, seu pro fide certantium, & restituendorum, cùm cogi Oecumenicam Synodum per eos quorum intererat, non liceret: Sedes Apostolica in Italicæ, seu Occidentalis Synodi conventu, in vicem Synodi Oecumenicæ, innocentes restituit, reos damnavit; applausere omnes ubique boni, applausit Catholica ubique tum & post Ecclesia, consensuque suo universalis Synodi instar effecit.

XV. Vides ut jura juribus accumulet Gelasius, & responsionum aliarum aliis substructarum quasi molibus quibusdam congestis opprimat adversarios. Ad dejiciendos enim gradu suo Patriarchas, Sedi Apostolicæ, ut opus sit Synodo, sed negat nova opus esse. Veteris enim Synodi executor Romanus Pontifex, non novam hæresin, sed novum veteris hæresis sectarium, vel fautorem jure deponet. 2. Etsi opus esset nova Synodo, negat tum cogi potuisse. 3. Convocatam ait tunc fuisse Synodum, qualis potuit per tempora ex Episcopis Italiæ. 4. Negat omnino opus fuisse, vel tunc, vel aliàs Synodo generali, ut Sedes prima de secunda, vel aliis Sedibus cognosceret. Idque probat 1. exemplis superiorum ætatum in causa Athanasii, Chrysostomi, Flaviani, & aliorum complurium. 2. Quia Canones Sedi Apostolicæ concesserunt appellationes ex omni Ecclesia. 3. Quia secundæ Sedis judex non potest esse, nisi prima. 4. Quia non semper potest, immo plerumque non potest omnino congregari Concilium universale. 5. Quia Acacius, Cyrillus, Athanasius, Cæcilianus, aliique Episcoporum vertices agnovere sæpissimè, minimè necessariam esse Sedi Apostolicæ congregationem Synodi, ut ab ea restituerentur, vel defensarentur, vel ex adverso discingerentur, ac ejicerentur summarum Sedium infessores. Concinunt hæ responsiones, nec prioribus posteriores dissonant; etsi quod in prioribus quasi ultrò donabatur, cautiùs in posterioribus retractetur, ut moris est disputantibus.

XVI. Sed quod erat palmare in hac causa, principum

cipum nempe Sedium ordo, & primæ in cæteras omnes imperium, vide tursum, ut iterum ab eodem Gelasio confirmetur, in tractatu quem Sirmundus edidit, in append. Cod. Theodos. *pag.* 182. *Secundæ enim Sedis Antistitem nec expellere quisquam, nec revocare, sine primæ Sedis assensu, vel potuit, vel debuit. Nisi fortè confuso jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia Sedes debeat observari, vel suscipi, secundùm antiqua statuta majorum, & sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine: fiatque illud, quod de populo scriptum est Israel: In illo tempore non erat dux in Israel: unusquisque, quod placitum erat in oculis suis, faciebat. Qua enim ratione vel consequentia aliis Sedibus deferendum est, si primæ beatissimi Petri Sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam, Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* Fœdissima rerum colluvies, & intestina rixa identidem corpus Ecclesiæ deformabit, *sublato capite*, & *ordine turbato* Sedium. Præsulibus enim summarum Ecclesiarum aliis alios exturbantibus, hæreticis Catholicos ejicientibus, Catholicis supinitate sua Ecclesiam prodentibus, Imperatoribus fidem & Chalcedonensem Synodum obliterare studentibus; in hac perturbatissima rerum omnium jactatione, una salutis anchora fuit Sedes Petri. Hæc temerè ejectos restituit, populatores alienarum Sedium hæc damnavit, hæc territavit Principes Ecclesiam infestantes, hæc pacem tandem revexit Ecclesiis. Qui hujus principatui invidet, quid nisi de Ecclesiæ sospitate dolet? Nec aliter vel Athanasii, vel Chrysostomi, vel Flaviani, vel Acacii, Petri, & aliorum ejusmodi tempore, constare potuit salus Reipublicæ Christianæ, quàm ut Episcopalibus Sedibus aliis alias, majoribus minores regentibus, & judicantibus, omnibus una emineret Sedes Petri prima, quam singulari patrocinio tuiturum se Christus suscepit, cæteras consequenter tuituram.

XVII. Sed illud observa, quòd Gelasius indiscriminatim conjunctimque principatum primæ Sedis, & summi in Ecclesia Judicis acceptum fert *antiquitati*, item *invicto & singulari judicio* Nicænorum Patrum: & *Christi sententiæ*, Petro Ecclesiam suam superstruentis. Nempè *antiquitas* illa à Christo ipso initium ducit, cujus oraculo Nicæni, & aliarum Synodorum Patres obsecuti sunt in primæ Sedis privilegio amplificando. Sublato quippè Capite existit rixa, interituque membrorum. Non capite truncam, non semineçem Christus peperit Ecclesiam suam. Ibidem ergo mox idem: *Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Nunquidnam reliqui Sancti & Beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio, & una monstraretur compago corporis Christi, quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, & una esset Ecclesia, unaque domus unius Domini & Redemptoris, in qua de uno pane, & de uno calice nutriremur.* A Christo ergo ipso Caput constitutum est in Petri Sede, à Christo sublata schismatis occasio, ea antiquitas est hujus privilegii, huic antiquitati divinæ institutionis canonicæ leges obsecundarunt.

XVIII. Nam quòd caput Ecclesiæ Christus, quòd caput humanæ reipublicæ sit Deus, sed inconspicuum, & ab aspectu refugum: non id ad abigendum, prævertendumve schisma satis est. Protervus enim quisque capiti se consentire jactabit, & tumultuabitur interim, susdeque vertet omnia. Ergo præterea opus est Caput conspicuum constitui in unaquaque domo, provincia, regno; in unaquaque, in universa denique Ecclesia. Quo jure enim majores imperitabunt minoribus, nisi & ipsi majori alicui, & tandem maximo, seu primo morigerentur? Caput est Christus singularium Ecclesiarum; suo tamen conspicabili capite, & judice illis est opus Episcopo. Ita & universæ Caput est Christus Ecclesiæ, & Judex; at quia subductus ille in cœlos est, vicarium & aspectabile caput ab ipso constitutum est. Ibidem Gelasius: *Postremò æquum est, ut qui alios libenter, & competenter vultis habere subjectos, cedatis & ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certè fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe, vel prima, primum & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit; præstans Sedi, quam ipse benedixit, ut à portis Inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus.* Paribus meritis, pari quodammodo dignitate, æqualiter spiritali luce fulgentes annuit fuisse Apostolos, esse Episcopos; sed à Christo tamen constitutum unum ex illis *principem*, *primum*, *præcipuum*, & in prima ac præcipua urbe Cathedram illi fixam, ut sicut majores de minoribus, ita de majoribus hic omnium primus judicaret. Quo nihil simplicius, nihil invictius. Nam capite sublato, quod refugiunt, in idem incurrent, immo in discrimen longè deterius, ut non unus, sed plures sint summi, plures sint primi, plures summi judices, plura capita; ex quo quanta tumultuatio consequatur, nemo non videt. Ergo *antiquo mori*, id est, ut ipse apertè interpretatur, Christi instituto mos gerendus est, ut de summis Sedibus judex sedeat Petrus, in sua adhuc conquiescens, adhuc vivens Sede, præstansque ei, *ut à portis Inferi nunquam vincantur*; ideoque cæteris fluctuantibus, ne demergantur penitus, portus sit turissimus. Quòd si refugiant fateri, singulis ergo cathedris Episcopalibus annuant, quod uni negant: aut totam Ecclesiam à portis Inferi perfringi posse contra Christi promissionem fateantur.

XIX. Cujusdam autem summæ potestatis & jurisdictionis argumentum istud fuisse, qua prima Sedes cæteras antecelleret, & judicaret, etsi cavillationibus suis fucum facere nitatur nuperus, idemque doctissimus Novatorum: meridiana ipsa luce evidentius est. Nam 1. ut *minoribus* & *subjectis* imperant suis Episcopi: ita arguit Gelasius Acacium, cæterosque, *majoribus*, hoc est, Sedi Petri esse debere subjectos. 2. Nonnisi *Capite constituto* tolli posse schisma cum Hieronymo argumentatur, & caput constitutum à Christo esse Petrum, Petrique successores: at Capitis in membra summa potestas & jurisdictio est. 3. Ordinem Sedium servandum docet, ut primæ assurgat secunda, huic tertia, & sic deinceps; alioqui ima summis permixtum iri. Ordo hic autem ad judicia pertinet, & de judiciis hic agebatur. 4. Querebantur Græci sine Synodo dejectum Acacium. Respondet Gelasius *pro principatu* suo Sedem Petri executricem fuisse Synodi Chalcedonensis. Quod utique jurisdictionis est: Episcopus enim quisque in obnoxios sibi synodalia exequitur decreta. 5. Respondet rursum in Italica Synodo dejectum esse Acacium, quia tunc non alia potuit congregari. Ergo synodica authoritas tota in illa residebat Synodo quæ tunc cogi potuit. 6. Respondet idemmet piùs Synodo nulla habita Pontifices Romanos & nocentibus ademisse, & insontibus restituisse proprias Sedes. Id palam est jurisdictionem sonare. 7. Pessimè cum Ecclesia comparatum est, si ut

tunc

tunc contigit, Epiſcopis patriarchalium propè omnium Sedium à fide deſciſcentibus, Imperatoribus duces ſe in eam defectionem præbentibus, utriſque ſpem omnem Synodi generalis ſuffocantibus, nulla ſuperſit uſquam poteſtas aut juriſdictio, quæ tantis Eccleſiæ vulneribus mederi queat. 8. Denique idem Gelaſius epiſt. ad Epiſ. Orientales, de majorum Sedium Epiſcopis agens; *Cum conſtet ſemper, aut Sedis Apoſtolicæ authoritate hujuſmodi perſonas, aut diſcuſſas, vel eſſe purgatas, aut ſic ab aliis quibus competebat Epiſcopis abſolutas, ut tamen abſolutio earum à Sedis Apoſtolicæ conſenſione penderet.* *Append. Cod. Theod. p.* 198. Aperta hic juriſdictio, cui omnis alia juriſdictio famulatur.

XX. Nunc ſtrictim aliqua carpam ex aliorum Pontificum epiſtolis in eandem ſententiam. Simplicius *epiſt.* 4. ad Zenonem adversùs Timotheum Alexandrinæ Sedis pervaſorem, & cruentum contaminatorem: *Perſtat in ſucceſſoribus ſuis hæc eadem Apoſtolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui ſe uſque in finem ſæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras eſſe promiſit; cujus ſententia, quæ ligarentur in terris ſolvi non poſſe teſtatus eſt, nec in cœlo.* Ita ſpem reſecare nititur reſtituendi per Concilium univerſale Timothei. Et *epiſt.* 5. ad Acacium, inſtans ut prohibeatur Oecumenica Synodus, qua ſe reſtituendum Timotheus comminabatur: *Miſericordia Dei, cujus eſt cauſa, non defuit, ut Timotheus, qui ab univerſali Eccleſia ſacerdotalibus ſententiis, & imperialibus conſtitutis juſtè fuerat ſegregatus, ad Eccleſiam tuæ dilectionis, vel ad fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem conventus novos pro ſe didicimus comminari, reſolvi exiſtimantem, quod de ſe univerſalis decrevit authoritas, &c. Vocem faciendæ Synodi fac reſpui, &c. Horsum ut modis omnibus faciendæ Synodi perverſorum conatibus reſiſtatur, &c.* Ubi perſpicis quàm non conduceret in cauſa Acacii Synodum cogi generalem, quæ in Timothei negotio tam enixè deprecanda fuit; ſed utrobique executricem Synodi Chalcedonenſis Sedem Apoſtolicam, vices ſuppleſſe novarum Synodorum. Cum autem Catholicum Alexandrinis Epiſcopum Zenon reſtituiſſet, grates agit Simplicius *epiſt.* 10. nempe *ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum, Eccleſiarum omnium curam ſuſtinens, &c.* Epiſtola verò 11. ait Timotheum Catholicum Alexandrinæ Sedi redditum, quòd metu percitus antè recitaſſet inter altaria nomen Dioſcori, ſcriptis ad ſe literis, *remiſſionem ipſius erroris expetiſſe.* Sed & *Idem Timotheus exemplum libelli ſatisfactionis eorum, quos à Catholicæ fidei veritate Timotheus & Petrus utrique damnati, damnationis errore traduxerant, veniam poſtulantes, ad nos pariter deſtinavit, ſacerdotali pietate lapſis ſubvenire deſiderans, quod divinæ miſerationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus.* Hìc Petri ſucceſſorem patet, ut cui totius ovilis cura injuncta ſit, ut qui gerat ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, ut cui ſe promiſerit Dominus non defuturum uſque in finem ſæculi, omnium etiam ſummarum Sedium curam obiſſe, arbitrum fuiſſe remiſſionis & veniæ, ſummis Epiſcopis & quibuslibet à fide lapſis annuendæ. Nec huic poteſtati ſubſcripſit tantùm Alexandrinus Timotheus, ſed & Acacius Conſtantinopolitanus ita ad Simplicium ſcribens: *Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quamvis ſponte vigilantes ac præcurrentes. Sed vos divinum zelum ſolitò demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, ut pro paternis Canonibus ſuſcipiatis laborem, ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum.*

XXI. Quibus concinens Felix III. Papa Simplicii ſucceſſor, in prima ad Acacium epiſt. ſic orditur; *Poſtquam miniſterii quod regebat Simplicius, ad me humilitatis officium gubernacula pervenerunt, in diverſas generalis Eccleſiæ curas, quas ubique terrarum cunctis populis Chriſtianis ſummi Paſtoris voce delegante, Beatiſſimus Petrus Apoſtolus pervigili moderatione diſpenſat, continuò me ſollicitudo maxima, quæ & prædeceſſorem meum inceſſanter urgebat, tam Alexandrinæ urbis, quàm ſtatus fidei totius Orientalis regionis excepit.* Univerſalem prorsùs Petro vendicat juriſdictionem. Idem *epiſt.* 6. pronunciat Acacium *Sancti Spiritus judicio, & Apoſtolica authoritate damnatum.* Et in epiſt. ad Zenonem Imp. *Hæc ego, reverendiſſime Princeps, Beati Petri qualiſcumque vicarius, non authoritate velut Apoſtolicæ poteſtatis extorqueo, ſed tanquam ſollicitus Pater fidenter implore, &c. Append. Cod. Theod. p.* 143. Et in epiſt. ad Flavitam Epiſcopum Conſtantinopolit. *Dum ad Apoſtolicam Sedem regulariter deſtinatur tui honoris exordium, per quam largiente Chriſto omnium ſolidatur dignitas Sacerdotum. Quod ipſa dilectionis tuæ litera Apoſtolorum ſummum, Petramque fidei & cœleſtis diſpenſatorem myſterii creditis ſibi clavibus Beatum Petrum Apoſtolum confitentur.* Cumque Acacianæ communionis contagia eradi præcepiſſet, ſubdit: *Non hoc velut imperioſus impono, ſed ut conſcientiam meam convenienter expediam, ne commiſſæ vobis divinitùs oves, non ſine veſtro diſcrimine, quod abſit, perire ſinantur.* Sublucet & Imperatorem & Epiſcopum CP. de imperioſa Sedis Apoſtolicæ authoritate invidiam ipſi feciſſe. Sed quis non intelligit utris aſſentiendum ſit, fidem evertere molientibus, an defendentibus? licentiam graſſandi amplificantibus, an cohibentibus? Obicem inexpugnabilem ſummæ authoritatis, quo fides & Eccleſia ſoſpitatur, diſſicere molientibus, an propugnantibus? Conſpirant ſanè Novatores noſtrorum temporum inopini cum Eutychianis, & Eutychianæ communionis tenacibus, quando uno cum ipſis impetu & conſilio arcem illam Apoſtolici principatus laceſſunt, qua una Eutychianæ reliquiæ fractæ diſſipatæque ſunt. Quamquam autem premerent, & humanitate plurima temperarent tunc Romani Epiſcopi ſuum, hoc eſt, Petri principatum, non tamen unquam diſſimularunt.

XXII. Conveniendi nunc nobis, qui rerum tunc temporis geſtarum monumentis literarum memoriam ad nos propagarunt. Liberatus in Breviario Neſtorianæ & Eutychianæ cauſæ, *cap.* 18. de Joanne illo eodem Epiſcopo Alexandrino, qualicumque, ſed Catholico tamen agens: *Joannes Talaja ejectus de Sede Alexandrina propter Petrum Moggum, ingreſſus eſt ad Calendionem Patriarcham Antiochenum. Et ſumptis ab eo interceſſionis ſynodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellavit, ſicut & Beatus fecit Athanaſius: & ſuaſit ſcribere pro ſe Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit.* Ergo ad Julium appellaverat olim Athanaſius, ſeu quod in idem recidit, ad eum ut ad ſummum cauſarum Eccleſiaſticarum judicem, & Canonum defenſorem confugerat. Ergo conſultu & ope tertiæ Sedis, ſecunda Sedes primam appellat. Num hæc juriſdictio non eſt? Pergit ille: *Acacius ſuſceptis epiſtolis Simplicii, reſcripſit ei, quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum verò Moggum ſuſcepiſſet in communionem, in Zenonis Principis Unitivo: & quod hoc citra ejus geſſiſſet ſententiam, propter unitatem Eccleſiarum, Principis juſſione. Simplicius verò ſuſcipiens hujuſmodi literas, contriſtatur adversùs Acacium; eique reſcribit, quod non bene fecerat, præter ſententiam Apoſtolicæ Sedis, ad communionem hæreticum hominem ſuſcipiens.* Summam fidei & communionis Catholicæ adminiſtrationem vendicavit ſibi ſemper, ut vides, Sedes Apoſtolica. Quod obſcurius ſi ſit in priori tumultuatione Orientalis Eccleſiæ, in cauſa fuit tempeſtas acerbiſſima, & pertur-

batio rerum omnium desperatissima. Functo interim Simplicio succedit Felix. *Joannes verò Talaja habens Episcopi dignitatem remansit Roma, cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam, &c. Abscesserunt quidam à Petri Moggi communione, & Romam nunciaverunt Papæ Romano, unde rescriptum est Acacio, & obedire noluit, &c.* Et infrà: *Cum per quinque annos sæpiùs fuisset admonitus Acacius, ut de statu Alexandrinæ Ecclesiæ solicitudinem sancti Papa relevaret, nihil unquam respondere dignatus est.* Et tandem: *Ubi ad plenum detectus est Acasius hæreticus, Papa Felix in literis suis Synodicis ad Acacium, sic posuit: Peccasti, ne adjicias, & de prioribus supplica. Susceptis his Acacius literis perseverat, neque recedens à communione Petri, neque suadens ei palam suscipere Chalcedonense Concilium, & tomum Papæ Leonis. Hæc cognoscens Papa Felix, damnationem scriptam misit Acacio, &c. Qui tamen usque ad mortem patrocinante Imperatore remansit sacrificans.* Caligat in meridie, quisquis hic non videt universalem, & in omnes orbis Ecclesias jure suo se porrigentem jurisdictionem, idque in salutem Ecclesiæ alioqui labascentis. Nec potuisse declinari vim, & pondus hujus jurisdictionis, nisi patrocinante Imperatore, qui tunc & fidem dilapidabat, & hæresin perspicuè tuebatur.

XXIII. Evagrius *lib. 3. cap. 18. Cum libelli Felici à Joanne contra Acacium, quòd contra Ecclesiæ ritum cum Petro communicaverat, deque aliis facinoribus ab eo contra Canones admissis, dati erant: mittuntur à Felice ad Zenonem Vitalis & Misenus Episcopi, ut ejus authoritate tum Concilium Chalcedonense confirmaretur: tum Petrus ut hæreticus Episcopatu pelleretur: tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Joannes ei objectasset, redditurus.* Et mox: *Cyrillus, qui Acœmetis præerat, mittit ad Felicem, quo eum, cum tam gravia peccata contra veram fidem admissa essent, insimularet tarditatis.* Et iterum: *Extant epistolæ tum à Cyrillo, tum ab aliis Monasteriorum Constantinopolis præpositis, tum ab Episcopis & Clericis Ægypti contra Petrum, utpote hæreticum, & eos qui cum eo communicabant.* Et *cap. 21. Crevere res istæ sermone Symeonis Monachi Acœmetæ, missi à Cyrillo ad Felicem. Nam Misenus & Vitalis ab eo fuere reprehensi, propterea quod cum hæreticis communicarant, idque cum nomen Petri palam in sacris tabulis recitaretur. Quodque ea natione multi simplices homines in errorem ab hæreticis inducerentur, qui affirmare non dubitarunt, Petrum ab Episcopo Romano in communionem admissum esse.* Subjicitur sententia Concilii Romani in Misenum & Vitalem vibrata, item in Petrum *hæreticum, jam pridem sacræ cathedræ sententia condemnatum*, denique in Acacium. Prominent & hìc vestigia legitimæ jurisdictionis, 1. cum libelli porrigantur à secundæ Sedis Episcopo adversùs Acacium. 2. Cum citetur Acacius, ut rationem reddat de objectis criminibus. 3. Cum à Clericis Monachisque Constantinopolitanis culpetur tarditatis Felix Papa, ut qui contator sit, & legitima potestate uti, necessarioque summi Judicis munere fungi tamdiu cesset. 4. Cum Episcopi Ægyptii adversùs populatorem secundæ Sedis ad primæ Sedis confugiant Antistitem. 5. Cum denique causam fidei inclinatam incumbere Romano Episcopo uni, intelligant fideles omnes tum Constantinopoli, tum in Ægypto; & dicto in vulgus falso rumore, Romanam Ecclesiam Petro communicare, creduli huic famæ simpliciores quique, statim ei communicare incipiant, quos in id flagitium non inflexerat Sedium omnium Orientalium authoritas.

XXIV. Jam prodeat Breviculus historiæ Eutychianistarum à Sirmundo editus, seu Gesta de nomine Acacii. Concinunt omnia cum supra decerptis ex Breviario Liberati. *Defuncto Timotheo Episcopo Joannes Oeconomus, Catholicus à Catholicis ordinatur Episcopus. Qui cum de consuetudine majorum ad Apostolicam Sedem synodica scripta misisset: superveniente Uranio Subadjuva, & contra Joannem jam Episcopum sacra Principis deferente, ab Episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est. Et quia in iisdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnavit, fecerat mentionem, hæc pars omnino est abnegata. Unde videtur clementissimus Imperator assensus. Cum ergo sanctæ memoriæ Papa Simplicii nihil totiens ad Acacium directa propter Alexandrinæ Ecclesiæ quietem & Catholicæ fidei integritatem scripta proficerent, supervenit idem Sanctus Joannes Episcopus, qui sicut decebat ab Apostolica Sede susceptus est. Nam & priores ejus similiter Romanæ Ecclesiæ tempore persecutionis suffugium popposcerunt.* Et infrà memorat missos à Felice Constantinopolim legatos, *sub hac instructione, ut Petrus de Alexandrina pelleretur Ecclesia, & ut libello Sancti Joannis Episcopi Alexandrini responderet Acacius.* Denique *habita Synodo Felix Vitalem & Misenum ab officio & communione suspendit, Acaciumque damnavit.* Cujus damnationis executionem non processuram renitente Imperatore facilè conjectans, illam ita concluśit, *Sancto Spiritu exequente.* Jurisdictionis argumenta nec obscura hæc sunt. Nam 1. electus in Episcopum Alexandrinum *confirmari ab Apostolica Sede* ambit ipse, intercedit Imperator, sententiam aliquamdiu librat Sedes Apostolica. 2. Jam invaterat insidebatque Sedem Alexandrinam Petrus, & tamen adhuc Acacius, adhuc Imperator de eo *restituendo* apud Romanum Pontificem instabat. Nempe donec ab Apostolica Sede confirmaretur, adulter, non sponsus erat Ecclesiæ. 3. Joannes more majorum suorum, more Athanasii ad Romanam Ecclesiam confugit, quod idem est acsi cum Liberato dictum esset, *Appellavit.* 4. Citatur, damnaturque Acacius in eadem Synodo cum Vitali & Miseno. Ubi jurisdictio una & indiscreta patentissimè cernitur.

XXV. Liber Pontificum Romanorum in Simplicio: *Sub hujus Episcopatu venit relatio de Grecia, ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmavit Petrum Alexandrinæ urbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio Episcopo, chirographo ejus constructa. Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, Sedis Apostolicæ exetutrix. Tunc Simplicius hoc audiens damnavit Petrum Alexandrinum, eò quòd Acacius innumerabilia mala affirmabat, ita tamen, ut pœnitentiæ reservaret tempus.* In Felice & Gelasio synodicè damnatum Acacium perhibet. Quæ etsi temporum ordini non satisconstent, Apostolicæ tamen Sedis jurisdictionem apertè produnt. Nec te moveat, si antè perdiu fluctuati sunt Orientales Catholici, quàm ad Romanam confugerent Sedem. Nam Eutychianis & Episcopis & Principibus ubique furiantibus, in tanta rerum omnium vertigine minùs mirum est, si consilii inopes diu vacillarint. Sed tum demum & sibi & Concilio Chalcedonensi consuluere, cùm in tutissimum se recepere portum Romanæ Ecclesiæ. Unde Anastasius historiæ Græcæ interpres: *At verò qui erant ex regia urbe, necnon & de Oriente, deprecati sunt Felicem Romanum Episcopum, significantes Acacium esse malorum authorem. Inter quos & Joannes Alexandrinus eadem dicens, Romam profectus est.*

XXVI. Perinsulsum est autem, quod regerunt Novatores, nec Acacium à munere suo & Sede depulsum esse, nec Joannem Alexandrinæ Cathedræ compotem factum, nec jurisdictioni huic Romani Episcopi, vel Principem, vel Episcopos Orientis paruisse. Jamdudum cespitant in eo Sectarii, quòd facta & jura non dispescunt, exitialia & salubria Ecclesiæ consilia nihil discriminant: immo quæcumque fidei orthodoxæ, & Ecclesiæ, & Synodorum Oecumenicarum adversarii ausi, molitique sunt, adversùs vindices earundem & patronos, ea ipsi lambunt, ea suspiciunt & amplexantur.

Con-

Contempsere Sedis Apostolicæ authoritatem Petrus Alexandrinus, Acacius Constantinopolitanus, Zenon, Anastasius, aliique: sed iidem fidei Catholicæ & Synodo Chalcedonensi terga vertere; utque impunè hoc possent, illud ausi sunt, qui si Sedi Romanæ obsecuti essent, à fide & Synodo Oecumenica utique non defecissent.

XXVII. Ad hæc, non metienda sunt ex improborum judicio vel contumacia, potestatum Ecclesiasticarum jura: sed ex fidelium, ex proborum sensu, ex Ecclesiæ ipsius universalis consensu, ex posteritatis limpidiore censura post enubilatas intestinorum dissidiorum tenebras. Itaque accipe quæ de his differat Facundus Hermian. adversùs Mocianum: *Nam & cum Acacius Constantinopolitanus Episcopus aliquid adversùs audaret, sola inimicis ipsius Synodi communione permissa, prævidens Apostolica Sedes, quòd sicut exitus docuit, hæc remissio ad destructionem Concilii memorati pertenderet (postea quippè Zeno Imperator, qui eis communionem prabere mandaverat, à minoribus ad majora prosiliens, ipsum Concilium promulgato sprevit edicto:) eundem Acacium, quamvis prædicto Zenone resistente, damnavit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc usque damnatus est.* Subdit à communione Apostolicæ Sedis alienos fuisse Orientales omnes, *quia Zeno Sedis Apostolicæ decreta contemnens, Acacio communicabat*, itemque Anastasius Imperator, *donec principis Justini temporibus, Acacii damnationi subscriberent.* Subjicit rursum, *Ecclesiam Romanam reconciliasse Orientis Ecclesias, & eas in communionem sub debita satisfactione recepisse: non autem Ecclesias Orientis Romanam Ecclesiam reconciliasse.* Item Apostolicam Sedem, *non ipsam pro facto schismate fuisse culpabilem, non schismaticos fuisse Occidentales:* Sed ex adverso *Apostolicam Sedem aliis culpam dimisisse.* Et infrà rursus eximiè commendat, *in Chalcedonensis Concilii causa, dudum nobis prabitum in Acacio à tantis Præsulibus Apostolicæ Sedis exemplum, universalis Ecclesiæ consensione firmatum.* Ubi vides non id ponderandum, quòd Acacium damnante Apostolica Sede tueatur Zeno; sed quòd resistente Zenone damnet Acacium Sedes Apostolica. 2. Non id quòd Zenon, Anastasius, & alii istiusmodi ab Acacii damnati communione non se abrumpant; sed quòd mortuus quoque Acacius per libellos ordinandorum post centum ferè annos adhuc damnabatur. 3. Non id quòd Orientis Ecclesiæ annis quadraginta extorres fuerint à Romanæ Ecclesiæ communione, sed quòd cogentibus nefariis Principibus fuerint ad id compulsæ; quòd eam communionem sæpe ambierint, nec impetrarint; quòd eam tandem annitente Justino consecutæ sint subscribendo damnationi Acacii: quòd non ipsis Romana Ecclesia, sed ipsi Romanæ Ecclesiæ reconciliari sint: quòd nonnisi sub debita satisfactione in communionem recepti sint: quòd interim schismatici fuisse agnoscantur. 4. Non id denique spectandum quòd alicubi, aliquamdiu, ab aliquibus vituperandis hominibus spreta sint decreta Sedis Apostolicæ; sed quòd ab orthodoxis interim etiam in Oriente in pretio, Occidentalibus semper omnibus in honore fuerint, serenata denique Republica Christiana, *universalis Ecclesiæ consensione firmata sint.* His accedat Victor Tununensis in Chronico: *Felix Romanæ Ecclesiæ Præsul Monachis & Clericis per Orientem, Ægyptum, & Bithyniam commorantibus scribit, ut Petrum Alexandrinum Episcopum Chalcedonanſis Synodi obtrectatorem, & ejus communicatores tanquam hæreticos vitent.* Et rursum mox: *Orientales Episcopi præter paucos per Henoticum Zenonis, communione atque consensu polluti, Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacii Constantinopolitani Episcoporum, Synodo Chalcedonensi renuntiant.* Et rursum: *Acacius Constantinopolitanus Episcopus literis Felicis Romanæ Ecclesiæ Præsulis admonitus, ut à damnatorum Synodi Chalcedonensis communione atque societate abstineat, legatos ejus custodiæ mancipat.* Et mox: *Acacius Constantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus Episcopi, Chalcedonensis Synodi inimici, à Felice Romanæ Ecclesiæ Præsule, & Synodo in Italia facta, damnantur: & ipsa damnatio Acacio Constantinopolin legatis missis per monachos Monasteriorum Achimitensium, Basiani, atque Pii ingeritur.* Et denique: *Petrus Antiochenus sub damnatione moritur, &c. Acacius Constantinopolitanus Episcopus sub damnatione moritur, &c. Petrus Alexandrinæ incubator Ecclesiæ sub damnatione moritur.* Conjuratas vides in excidium Chalcedonensis Synodi, conjuratas cum ipso Imperatore pestes, post damnationis sententiam Romana ex arce intortam, incubare quidem adhuc Orientalibus sedibus, sed omnes tamen *sub damnatione mori.* Itaque Victori Episcopo ne in mentem quidem venit, dolere aut sentire contemptam sententiam Apostolicæ Sedis: sed illam persuasissimus ratam, & nulla humana vi infirmandam, fidenter pronunciat, omnes ea perculsos, *sub damnatione* objisse. Quibus & hæc ex Theophanis Chronographia quadrant præclarissimè: *Orientis Episcopi cum Acacio per literas conquesti sunt, quòd Mongo communionis consortium impertiisset. Ille spretis eorum monitis, Mongum eundem in communionem admittere impudentissimè cunctos compulit. Cives autem regiæ urbis & cuncti Orientales Felicem, qui post Simplicii obitum Romanam Sedem tenebat, supplices adierunt, & malorum omnium authorem incusaverunt Acacium. Interea Joannes Antiochiæ Præsul hac eadem denuncians, Romam ingreditur. Felix itaque Synodo in Coryphæi Apostolorum Petri templo coacta, Zenoni & Acacio literis significat, ut Petrum Mongum ceu hæreticum Alexandria ejiciant.* Narrataque mox Legatorum Felicis defectione, addit: *Felix cognitis legatorum suorum gestis, Ecclesiæ dignitate eos dejecit, in Acacium parem depositionis sententiam scripsit.*

XXVIII. Si paucos enim nebulones, si præsentia tempora, si nubila procellarum perpendas tantùm, & inde suspendas judicium; in eandem calumniarum voraginem præcipitabis indubiè Oecumenica omnia penè Concilia, & ipsam Ecclesiam Christianam. Quanti enim & quamdiu illusere Nicænæ Synodo, & Ephesinæ primæ, & Chalcedonensi? Immo in contemptum Sedis Apostolicæ, nec Acacius, nec Petrus Episcopi, nec Zenon, nec Anastasius Imperatores efferbuerunt, nisi ut impuniùs Chalcedonensem Synodum detestarentur. Exordia ipsa Christiani nominis quanto & quàm diuturno habita sunt ludibrio? Sed perfregit tandem portas Inferi Ecclesia, sæculorum decursu crebrescens & convalescens; victrices de mendacio triumphavere plaudentibus posteris Synodi Oecumenicæ, ultra est injurias Apostolicæ Sedis religiosa posteritas, suamque illi etiam in antecessum refudit authoritatem *universalis Ecclesiæ consensio.* Non ad has ergo temporis & loci tantas angustias coarctandus est animus noster, oculusque de fide luminatus: sed in universalis Ecclesiæ æternitatem infinitatemque quandam latissimè explicandus est. Ita Nicolaus I. cùm in exemplo consimili jactaret Michael Imperator nequiquam damnatum ab eo Photium, restitutum Ignatium, *epist. 9. Sed dicis, ô Imperator, etiam sine consensu nostro, Photium & Ecclesiam retenturum, & Ecclesiæ communionem habiturum; Ignatium verò nihil per nos meliorationis adepturum. At nos è diverso credimus, quòd Ecclesia Christi sacros Canones, & præcipuè Nicenos, non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam, quòd diu membrum incolume non subsistat, hærens membris Capiti non hærentibus. Postremò credimus, quòd cetera membra, si tamen affectant vivere, Caput quandaque*

que sequantur. Et infrà: *Quotquot autem in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viverent, ab Ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Praterea illos in quorum damnatione non consensit, singulari prærogativa dissolvit*. Petrum à Simone Mago contemptum, Victorem ab Asianis interfecit. *Felix quoque Papa Constantinopolitanum Acacium non solùm deposuit, verùm & insolubilibus anathematis vinculis innodavit. Sed adeo est contemptus, ut idem Acacius, mundi Rectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Romanis Pontificibus decedentibus, & officio Sacerdotali juxta præcedentem consuetudinem fungeretur: & exceptis paucis, omnium Orientalium communione frueretur*. Contemptum hunc suæ Sedis non dissimulat, non extenuat, sed ultro etiam exaggerat Nicolaus, nempè ut redundaturum ad incrementum gloriæ. Nam *licèt serò, licèt post multos sudores, mundus totus tamen quandocumque ea defendit, quæ Petrus contra Simonem defendisse dignoscitur: ea damnat, quæ illum damnasse describitur*. Similiter quod ad Victorem attinet, *Ecclesia tota nunc cum illo sapit, & quod fecit, laude prædicat dignum*. Et denique quod ad Acacium pertinet, *Propitio Christo, Sedis Apostolicæ Pontificibus indefessè certantibus, à Catholicis jugi fatigatione remota, tandem aliquando ad B. Felicis sententiam est Ecclesia tota conversa. Et quia prædictus Acacius non est inventus superstes, consequenter nomen ejus in Ecclesia taceri sancitum est. Sed & tu, Imperator Orthodoxe, de ipsa nunc cum Sede Apostolica sapis, qui si illo tempore fuisses repertus, pro eo contra eam, ut & in hac causa, fuisses fortassè accensus*. Universim enim Christus, Ecclesia, Synodus Oecumenica, Sedes Apostolica, fides, veritas ipsa denique oppugnari potest, expugnari non potest: obnubilari potest aliquamdiu, non extingui. Immo tantò splendidior tandem diradiat, quò densioribus nebulis aliquamdiu se circumfundentibus delituit. *Sed quia veritas tegi funditus humanis non potest conatibus, &c. Idcirco Sol Justitiæ radios suos fortassè mittens, & nebulam dissipavit erroris, & veritatis paulatim lumen ostendit. Sicque demum quantum illi defensores Ecclesiæ rectè sapuerint, & isti nequiter oberraverint, tandem evidenter innotuit*. Et *epist.* 10. idem: *Ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc Ecclesia secundùm primatus sui authoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit: & quæ illa refutavit, ipsa refutaverit*. Plura inferiùs in hujus rei confirmationem coacervabimus, ubi sub Hormisda Pontifice, & Justino Principe exequemus CP. Ecclesiæ cum Romana refartam concordiam.

XXIX. Nunc pauca libet ex Gregorio Papa addere, ut ex ipso liqueat, quì Romano Pontifici Antistites summarum seu patriarchalium Sedium, & quodammodo adæquentur, & tamen subjiciantur, in his enim verbis Gregorii *l. 7. epist.* 65. ingens sibi præsidium Novatores sui erroris imaginantur, quibus reapse potiùs eorum pertinax insciitia nudatur. Sic enim Gregorius de Primate Byzaceno in Africa: *Nam quod se dicit, Sedi Apostolicæ subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. Cum verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt*. Et rursus idem *l. 7. epist.* 30. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *Indicare vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur, dicens, Sicut jussistis. Quod verbum Jussionis, peto, à meo auditu removete; quia scio, quis sum, qui estis. Loca enim mihi Fratres estis: moribus, Patres. Non ergo jussis, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenia vestram beatitudinem, hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intulit, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere; & ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultrà non faciat. Quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor*. An ergo dum exæquat sibi Gregorius cæteros Patriarchas, immo Episcopos, Sedis suæ principatum & summi Judicis potestatem sibi abrogat? Minimè gentium.

XXX. Nam 1. Eulogii ipsius Alexandrini nequaquam aspernanda sententia est, cujus præclara eruditionis & Pontificiæ fortitudinis monumenta neminem prætereunt. Ille enim à Gregorio jussum se interpretatus est, ne universalis Patriarchæ nomine decoraret, vel inflaret potius Episcopum CP. & veluti jussus morem gessit, & jubenti se paruisse professus est; & ipsum denique universalis Papæ nomen Constantinopolitano Episcopo abjudicatum, Gregorio vendicavit. Ita officii sui numeros implere se arbitratus est Eulogius: intercessit autem Gregorius, ut ne ullos ipse humilitatis numeros præteriret. 2. Fratres sibi ait Gregorius, & æquales esse Patriarchas cæteros, sicut nimirum Cyprianus, Leo, Ambrosius, Gelasius, Hieronymus, reliquos Apostolos Petro exæquarunt. At iidem tamen ipsi ibidem continuò, ut anteverteretur schismatis occasio, Caput necessariò constituturum à Christo fuisse definiunt. Ergo illa æqualitas ita temperanda, ut Caput membris eminent; nec solo nomine, sed ea omni, quam nomen Capitis insinuat, potestate muniatur ad schisma amoliendum, quod sola utique nominis vel confessus gloria non propulsaret. Nam summis inter se quandoque concertantibus Episcopis, Athanasio, & Eusebio, Cæciliano & Majorino, Chrysostomo & Theophilo, Flaviano & Dioscoro, Joanne Talaida & Acacio: intestinam hanc & internecinam membrorum suorum conflictationem componere nequaquam potis erit Petrus Petrique Sedes, nisi tota Capitis majestate, & jurisdictione cumuletur. 3. In prælaudatis verbis ambitionem solam nominum deprecatur Gregorius, non potestatem. *Jussionis* verba, *universalis* nomen repudiat. Non jubet, sed utilia indicare curat. Negat universalis nomen sibi præscribendum, at supremos Antistitum totius orbis apices admonet officii sui, peccantes objurgat, territat. Gloriolam ergo vocum inanem spernit retinentissimus interim potestatis suæ. 4. Cùmque *superba vocabula* retentaret Joannes CP. Episcopus, videsis complures ad eum Gregorii ea de causa increpatorias, & comminatorias epistolas. Inde plùs satis intelliges, quantum sibi potestatis in omnes orbis Episcopos jure suo vendicaret. Itaque ut Africani Patres in Archiepiscopi, ita Gregorius in Universalis vocabulo, solam nominis insolentiam, novitatem, arrogantiamque detestabatur, non legitimam potestatem. Quamquam utriusque vocis adhærentem tunc ex novitate invidiam, & superbiæ speciem, consuetudo tandem & vetustas absterserit. 5. Disertissimè Gregorius *l. 7. epist.* 64. *Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Dominus Imperator, & fratres noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur*. Hæc ille iis respondet, qui querebantur, quasi *Ecclesiam Constantinopolitanam disponeret comprimere*. 6. Ubi culpa non exigit, ait Gregorius, æquales esse, sed *omnes* Episcopos, sed *secundùm rationem humilitatis*. Ergo non Patriarchæ tantùm exæquantur Romano Antistiti, sed omnes prorsus Episcopi & Metropolitanis, & Primatibus, & Patriarchis.

XXXI. Illa porro æqualitas nihil officit jurisdictioni

ctioni Metropolicæ aliorum in alios. Nam quis tantum scelus affingat Gregorio? Quis ab eo ordinem Ecclesiasticæ disciplinæ, ab Apostolis, à Synodis constitutum labefactari deliret? Ergo nec Patriarcharum cum Romano Præsule æqualitas, hujus in illos jurisdictionem & Metropoliticum jus infirmabit. 7. Ideo cautè Gregorius æquales pronunciavit omnes Episcopos, non secundùm potestatis, sed secundùm humilitatis rationem. Etsi ergo potestate dispares, humilitate pares sint. Et ea est humiliatis indoles, ut exæquet inæquales, non majorum potestatem præfocando, sed premendo gloriam, & ubi nihil opus est, authoritatem dissimulando. Ita Christus secundùm humilitatis rationem, non venit ministrari, sed ministrare & in medio Apostolorum erat, sicut qui ministrabat. Potestate tamen immaniter eminebat. Ita Magistros & Patres vocitari vetuit, nempe quò fastum dejiceret, non quò salubertimum, & his nominibus conjunctum amputaret imperium. Unde abrogato fastu, & resecto supercilio, non imperium tantùm, sed & nomen ipsum Patris & Magistri, in Ecclesia retentatur, sicut & Jussionis & Universalis. Ubique enim id valet, ut præcepti non sonus, sed sensus: non cortex, sed medulla teneatur. 8. Tum æquales ait Gregorius omnes esse Episcopos, *quando culpa non exigit*. Ergo quando culpa exigit, tunc inæquales necessariò sunt, ut peccantes à majoribus corripiantur, & ni resipiscant, animadvertantur. At quando in culpam prolabitur quis, non tunc ista demum emergit inæqualitas. Nec enim quo facinore alteri illinitur culpa, alteri authoritas culpæ ultrix paratur. Sed quæ, cùm culpa nulla provocaretur, latitabat, & humilitatis nubilo splendorem suum premebat potestas superior: ea emicat tum demum, & prosilit, cùm sceleri obluctandum est. Denique non tantùm opprimenda est culpa, superioris manu jurisdictionis, postquam ebullit: sed & ejusdem metu occupanda, & prævertenda est. 9. Ideo scitè Gregorius, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ subjectus non est? Omnes ergo orbis Episcopi, infimi, perinde & summi, dum in culpa sunt, tunc ei subjiciuntur. An ergo tunc subjici incipiunt? Nihil insulsius fingi potest. Sed ut Paulus ait, Justis non esse legem positam, sed injustis, cùm utrisque lex immineat, & justitiæ præceptrix, præmiatrixque: & injustitiæ dehortatrix, ultrixque. Et idem Paulus, *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat.* Quamquam ergo bonis peræquè & malis dominetur Lex æterna, Lex humana, Deus, Princeps; justus tamen quodammodo sub lege non est, nec timore agitur; sed ipse sibi lex est, & ultro ad bonum sese agit. Si quando autem peccet, tunc sub lege, & sub legis executore magistratu est, nempe terrente, sæviente, puniente. 10. Cum Christus dominationis invidiosum supercilium ab Ecclesia sua sustulit, cum dominari in Cleris Episcopos vetuere Apostoli, cum Clericorum in laicos regimen humilitas Christiana temperat: non tamen ordo & disciplina proteritur, non majorum in minores solicitudo & potestas strangulatur. Itaque incolumi & intaminata humilitatis norma, quàm clerici de laici, Episcopi & Clericis, Metropolitæ de Episcopis, de Metropolitis Patriarchæ: tam de Patriarchis ipsis Romanæ Sedis Pontifex, pro sua potestate & legitima jurisdictione judicabit. Una in his omnibus vel valet, vel infringitur regula. Ideoque Gelasius opusculo de anathemate sapienter prorsùs pronunciat, *Cum de secunda Sedis ageretur Antistite, nec ab inferiore qualibet, sed à prima Sede, jure posset absolvi. Inferior quippe potiorem absolvere non potest. Sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci Pontifices, quia nullatenùs se noverant potiorem sibi sine prima Sede se posse resolvere, præcipuè quem ejus sententiâ novèrant obligatum: prævaricatoria absolutione, non illum penitus exuerunt, sed se prævaricatione potiùs nexuerunt.*

XXXII. Diluceret rursum mens Gregorii, ex Joanne Diacono, qui *l.* 4. vitæ ejus *cap.* 29. verbis circa quæ desudamus, hæc præloquitur: *Authoritatem quorumlibet summorum Pontificum Gregorius authoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potiùs multipliciter roborabat. Et quamvis inter culpabiles authoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes Episcopos se præbebat prorsùs æqualem.* Quæ mox illustrat Joannes doctrina Gregorii ipsius in lib. curæ pastoralis: *Liquet quod omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine, alios aliis culpæ postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur, ut quia omnis homo, æquè stare, non valet, alter regatur ab altero.* Et infrà idem Gregorius: *Potestatem rectè dispensat, qui solicitè noverit, & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre. Petrus authore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatiùs se venerari recusavit, dicens, Ego ipse homo sum. Sed cum Ananiæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excrevisset, ostendit.* Quibus superior nostra commentatio mirificè confirmatur. Non Romani enim Pontificis modò, sed omnium prorsùs Antistitum, immo & publicorum Magistratuum, Regumque, & Imperatorum Principatum complectitur illa Gregorii regula: *Omnes homines natura æquales genitos, alios aliis culpa postpositos esse: hanc diversitatem, quæ ex vitio accessit, divino judicio dispensari, ut alii regantur ab aliis.* Itaque quisquis piè imperat, citra compugnantiam, & *æqualem* se cogitat cæteris, & tamen *peccantibus anteferre se zelo ultionis novit*. Nec hinc subruuntur fundamenta politicæ potestatis, quæ *divino judicio* & nutu constituta est ad ordinandas peccantium ruinas: nedum Episcopalis, nedum primæ Sedis, quæ *authore Deo, Ecclesiæ Principatum tenet*; & ubi culpam reperit, (quam non cujuslibet est ulciscì, ne aliorum in alios hæc non provida potestas sit, sed tumultuaria grassatio) tunc non adipiscitur, sed *ostendit quanta potentia super cæteros excreverit*. Vides ut hebescant adversarii Ecclesiæ, tum maximè cùm acutuli sibi videntur in doctrina Gregorii; cujus ne corticem quidem lambere, nedum medullam gustare & sapere potuerunt.

XXXIII. Non libuit hìc autem priorum memoriam temporum revolvere, quòd suis sigillatim locis ostensum sit nusquam ritè suis Sedibus majorum gentium Episcopos vel excuti potuisse, vel restitui, nisi Sedis Apostolicæ judicio. Quod ut summatim perstringam, ita perspicuè Augustinus de Cæciliano Carthaginensi Pontifice, *epist.* 48. *Cum apud Imperatorem ultro Cæcilianum accusassent Donatistæ, quem primò utique apud collegas transmarinos convincere debuerant, &c.* Et *lib. de unit. Eccles. cap.* 2. *Restabat utique ut Episcopi transmarini, quò pars maxima diffundebatur Ecclesia Catholica, de Afrorum Collegarum dissensionibus judicarent.* Transmarinos Episcopos nemo, nisi valdè hospes in Augustini libris, & veteris disciplinæ rudis, aliud quàm Romani Pontificis Synodum interpretabitur. Sed suam ipse sententiam elucidat Augustinus, *epist.* 162. *Cum posset Cæcilianus non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Et mox: *De collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare.*

Et in *Psalm.* 86. Cæciliani accusatorem objurgans: *Noluit Cæcilianus exire ad majores tuos, & sic servavit causam suam orbi terrarum; quomodo tu servasti Concilio Numidiarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana: quantò potiùs illum Sedes Apostolica?* Et infrà: *Tu purgasti te apud Bagai? Purgavit se ille in transmarino judicio. Consensit huic judicio universus orbis terrarum.* Quibus ex omnibus id nimirum enitescit, Orbis terrarum, Transmarinum, Sedis Apostolicæ judicium unum idemque esse, cui causam suam reservavit, à quo purgatus est Cæcilianus. Quibus gemella sunt ista de Athanasio & Petro Alexandrinis Episcopis, Sedi suæ similiter Apostolicæ Sedis, Italiæ & Occidentis judicio asserris, ex epistola Ambrosii & cæterorum Episcoporum Italicæ Synodi ad Theodosium Imper. *Sicut & sanctæ memoriæ Athanasius & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur. Append. Cod. Theod. epist.* 5. Ubi & mox censent de controversia duorum CP. Episcoporum, esse debere *in urbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, ut Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, &c. L. de decret. Nicen. Synodi. Et de sent. Dionysii.* Utrique nimirum exploratissimum erat, Athanasio inquam, & Petro, quod ipsemet prodidit Athanasius, Dionysium prædecessorem suum apud cognominem Romanum Pontificem, & accusatum fuisse, & causam suam scripta apologia prosecutum esse. Parco refricare, quæ superioribus dissertationibus uberiùs sunt disceptata, Chrysostomum Concilio Oecumenico & Innocentio causam suam reservasse, & ab isto restitutum esse; Nestorium & ante Synodum, & per Synodum ipsam Ephesinam una potissimum Cælestini Papæ authoritate discinctum esse: Joannem Antiochenum Romani Præsulis judicio in eadem Synodo esse reservatum; Flavianum CP. Episcopum ab Ephesina secunda Synodo ad Leonem Papam provocasse, & ab eodem restitutum esse ante Synodum Chalcedonensem. Et ne longum faciam, neve exemplorum serie fastidium creem, regulam ipsam de Constantinopolitano Episcopo judicando repetam ex Theodoro Studita, qui eo scribebat ævo, quo reliquos Patriarchas Orientales longo post se Constantinopolitanus reliquerat intervallo. Sic ergo ille *l.* 2, *epist.* 129. *Fieri nulla ratione potest, ut coalescat hæc Ecclesia, non consentientibus quinque Patriarchis. Quod si roget quispiam, quo pacto id fieri possit? Si excedant, inquam, Ecclesiis Dei heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conventu, cum quibus certamen sustinuit; si fieri non potest, ut ab aliis Patriarchis adsint vicarii, (quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicæ) attamen pacem conficit & conjunctionem, Synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittendo. Quòd si hoc minimè probet Imperator, deflexitque, ipse ait, à veritate Nicephorus Antistes: mittenda est ad Romanum ex utraque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo.* Ubi vides convenienter nostris suprà placitis, ubi Patriarcharum causa ventilatur, in votis esse Synodum Oecumenicam, quinque Patriarcharum præsentia, vel legatis nobilitandam. Si ejus non fiat copia, unum primæ Sedis Præsulem vices ejus munia implere, fidem dictare, de Patriarchis decernere. Quippe, ut ait Hincmarus Rhemensis Præsul *Concil. Duziac.* 1. *part.* 2. *cap.* 26. *Apostolica Sedes omnium est Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater & magistra; cujus Pontifex Patriarcha est Patriarcharum, & Primas Primatum.*

DISSERTATIO XV.

IN CONCILIA ROMANA SUB SYMMACHO PAPA, Anno Christi 500. 501. 502. 503.

SYNOPSIS.

Asseritur illud primæ Sedis privilegium, ut a nemine judicetur: congestis argumentis ex his primùm Synodis, itemque ex Apologetico Ennodii. Num. I. II. III. IV. Ex Avito Viennensi Episcopo, & Ecclesiæ Gallicanæ consensu. Num. V. VI. In Oecumenica Synodo parem vim habent ea argumenta. Num. VII. Divini juris ex fontibus scatet hæc prærogativa. Num. VIII. Idem evincitur exemplo aliorum Pontificum, Damasi, Sixti, Pelagii, Leonis, Paschalis, Hadriani, usque ad num. XIII. Alia argumenta ex Nicolao I. Hadriano II. Synodo octava. Num. XIV. XV. XVI. Cassa Synodus in Joannem XII. Num. XVII. Rursus Gallicanæ consensus Ecclesiæ & Germanicæ. Num. XVIII. XIX. In causa Schismatis & Hæreseos paulò aliter sentiendum. Num. XX. XXI. Tenetur Pontifex suspiciones diluere, & se purgare. Num. XXII. XXIII. Sententia Gersonis & Nicolai de Cusa expeditur. Num. XXIV. XXV. Antedictorum omnium confirmatio ex Gregorio Papa I. Num. XXVI.

I. SUperius disputatis de summi Pontificis judiciaria in omnes, & in summos maximè Episcopos potestate, conjuncta est hæc quæstio, an à quocuam ipse possit judicari. Primam autem Sedem à nemine judicari, statim profitentur Synodi tertiæ Romanæ sub Symmacho Patres. Causante enim Theodorico Rege, *ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata; & in Synodi oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione constare*: Excipiunt Episcopi, *Ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, &c. Nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur.* Respondit Princeps, *Ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse*: quod & Symmachus ipse mox confirmavit, & *authoritatem ordinis corrigendi, sicut poscebant Ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, Episcoporum præsentia se dare professus est.* Quamquam autem præsto esset Symmachus *causam dicere in Synodo, affectu purgationis sumum culmen humiliant*, ixvitia & cædibus adversariorum prohibitus est. Quo circa Episcopi, respondente Rege, *In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere*: totam causam *Dei judicio reservarunt, arbitrio divino dimiserunt*, Symmachum Ecclesiæ restituerunt.

II. Verùm cùm in Synodos istas, & in illud primæ Sedis privilegium, ut à nemine judicetur, invidia & maledicentia conflagrasset, Apologeticum scripsit Ennodius Ticinensis postea Episcopus, è quo carpere hæc breviter non pigebit: *Faciat, qui in vobis est, pruritus iste linguarum. Non nos B. Petrum, sicut dicitis, à Domina cum Sedis privilegiis, vel successores ejus, peccandi judicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem, cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par: conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In qua si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. Prænoscit enim, quid Ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur.* Illa itaque judicii superioris

rioris expers impatiensque summitas, non impunitatem scelerum, sed innocentia conciliat. Nam *Petri successor, fundamentum Ecclesiæ, is super quem ipsa moles innititur*; ut præclarus & innocuus, vel eligatur, vel electus evadat, interest ad Providentiam Christi, pro Ecclesia sua excubantis. Et rursus adversùs eos, qui mussitabant in hunc modum: *Si vera est Episcoporum assertio, Sedis Apostolicæ Præsulem minorum nunquam subjacuisse sententiæ, cur ad judicium districta conventione productus est?* Respondet annosam cavillatorum istorum infantiam vel hoc uno Scripturæ verbo retundi posse: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? &c.* Addit & Christum, & in Christi sectatoribus præcipuos quosque, maximè Athanasium, etsi innocentiæ suæ sibi conscios, judicio se tamen humano ultrò inclinasse. *Redemptor noster judicium, quod inter se & vineam suam optat evenire, magis implorat. Sanctus Athanasius ad coronæ pretium junxit, quod de dignitate submisit: & ante cœlestem de absolutione sententiam, personam rei innocentiæ bonus æstimator implevit. Sic enim Christi milites sudore suo bonorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore humilitate castigant. Sed quamvis Beatum Athanasium Romano Antistiti, quantum nosse datur, imparem locus ostendat, facta tamen in negotia comparantur. Ille præsto fuit judicibus: iste quantum & vos dicitis advocavit. Ille intentatam discussionem, ut Dei famulus, non refugit: iste triumphi sui spem in discussorum collectione constituit. Sed quid his longiùs collationibus immoremur? Judicia & iste voluit, armavit, attraxit, ingressus est: & quod posset fidelia corda doloris justi aculeis excitare, venerando Concilio authoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit.* Ergo ut Athanasius innocentiæ præsidio fretus, minorum aliquando se sponte subjecit judicio: ut Petrus & Paulus, immo ut Christus, ut Deus, etsi & innocentia, & authoritate supra omnem humani judicii aleam collocatus, sponte tamen sua judiciariam in se provocavit examinationem: ita Symmachus Athanasio loco major, Petri & Pauli successor, Christi optimi maximi vicem gerens, *authoritatem etiam contra se Concilio indulsit.*

III. Cavillantibus rursum: *Quare Papa Synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognosceret? Quomodo de causa primitus tractabatur, cum necdum haberet Synodus firmitatem?* Respondet Ennodius: *Hinc eramus nempe dubii, quia non habebat Synodus firmitatem. Transibat negotii qualitas adituros. Et plus adhuc remanserat in reverentia pulsati, quàm esset in nostri integritate collegii.* Denique ne pergant huic primæ Sedis privilegio succensere, ita illud munire satagit divinæ patrocinio institutionis: *Dico latorem juris, definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi. Et nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitionibus non habere formidinem, quas Deus pra cæteris suo reservavit examini: Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Dices forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Respondebo, unidictum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et, Quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlo. Et rursum sanctorum vocem Pontificum, dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubique submittitur: dum totius corporis Caput esse designatur. De qua mihi videtur dictum per Prophetam, Si hæc humiliatur, adcujus fugietis auxilium? & ubi relinquetis gloriam vestram?* Denique quasi ex ipso Petri ore hæc personat: *Filii hominum usquequò graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid canum possessionis genium, illius qui per culpas juvenescit, ariete pulsatis: & divisione Ecclesiastici gregis, novis me & post carnem passionibus subjugatis? &c.*

IV. Ubi adverte 1. prærogativæ hujus, ut nullius nisi Dei judicio subsit Prima Sedes, originem derivari à Christi voce, à Petri merito, à Capitis dignitate. Christus enim illis verbis, *Tu es Petrus, &c. Quæcumque ligaveris &c.* omnem Petro superstruendo Ecclesiam subjecit, non præfecit; eique indulsit, ut ligaret, non ut ligaretur. Petri item dignitas innocentiæ comes propagata in successores ejus est, in quibus ipse quasi superstes vivit usque, judex utique, non judicandus. Denique Capitis est, suo membra, non se membrorum judicio subjugare. 2. Canum possessionis genium, sanctorum voces Pontificum obtendi ab Ennodio, vel à Synodis potiùs Romanis, quibus constet nullum unquam Romanorum Pontificum Synodi ullius examine subactum fuisse. Itaque privilegio divinitus concesso, præscriptio etiam accedit. 3. Cùm nulla rata sit, & germana Synodus, nisi à Romano Præsule convocetur, confirmeturque: qua demum in Synodo legitimè in ipsum inquiretur? An mendicata enim ab ipso authoritas, in ipsummet retorquebitur? An per Synodum à se collectam & authoratam, judex ipse erit idem, qui reus? 4. Quæ leges Ecclesiasticæ, qui Canones depromentur in disceptanda Romani Præsulis causa, cùm cassi & inutiles sint, nisi ab ipso sanciantur, vel confirmentur? At frustrà Princeps ad illud, quod dedit, jus vocatur: nec lator legis lege constringitur, nisi volens lubensque. 5. Etsi de summo Pontificatu certamen esset, etsi & argumentis & telis densissimis impeteretur Symmachus, etsi iniquissimo uteretur arbitrio Principis Catholica ab Ecclesia alieni: causam tamen obtinuit, consensitque Synodo Theodoricus, primæ Sedis causas Deo judici reservandas. 6. Aut quibuslibet in quoslibet permittenda est judicandi potestas, & ita mox intestino cæcoque tumultu collidentur ima summis: aut obtinebit, quod hactenus ubique gentium per leges à natura magistra hominibus informatas obtinuit, ut minores majorum judicio subjaceant, non vicissim. At inde illud nascitur, ut majores tandem ipsi judices uni summo judici conspicuo sistantur, cui denique immineat inconspicuus judex Deus. Hoc postremum consultius sanè est, & ad dissidia cohibenda opportunius. 7. Quod judicio Dei reservantur Petri hæredes, non ad scelerum licentiam inultam pertinet. An impunè enim peccare suspicabimur eum, qui Deo utitur factorum & teste & judice? Quin perpendimus quantò formidolosius sit humano judicio divinum? 8. Peccanti Pontifici non venia datur judicii, sed mora. Non arcetur districtio, sed differtur. Paci autem Ecclesiarum moras donare quis abnuat? Et has moras pensabit utique divini acerbitas judicii. 9. Hæc Capitis nostri gloria in corpus omne redundat. Nam si qualibet Synodo possit Princeps exauthorare summum Ecclesiæ Pontificem, quantam hinc universali Ecclesiæ ominabimur servitutem? Quantam canonicæ libertatis stragem? Perstrinximus id jam alicubi, quod alibi copiosiùs edisseremus, omnium Ecclesiarum privilegia & libertates adversùs sæcularis jurisdictionis torrentem, non alio ferè præsidio niti & constare, quàm inconcusso Sedis Apostolicæ privilegio. Ergo si hæc Sedes humiliatur, ad cujus fugietis auxilium?

V. Ne Ennodii autem, vel Synodi Romanæ eam fuisse sententiam tibi fingas, assentiebatur Christianus orbis universus; immo inclinatiore in Sedem Apostolicam devotione superabat. Id de Gallicana Ecclesia docebit nos Avitus Viennensis Episcopus,

& inde ducta conjectura cæterarum Ecclesiarum consensionem facilè assequemur. Ad Senatores ergo Urbis scribens *epist.* 31. se nomine universæ Gallicanæ Ecclesiæ scribere ita præfatur: *A cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minùs per mandata, quàm per literas oneratus, quæcumque vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi.* Tum causam ipsam aggreditur: *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxianimi ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes: quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset: perlata est solicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ Antistites ediderunt. Quam constitutionem licèt observabilem numerosi reverendique Concilii reddat assensus, intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs ascisсere, quàm recipere debuisse judicium. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cæli, staturos nos ante Reges & Principes in quacumque accusatione prædicens: ita non facilè datur intelligi, qua vel ratione, vel lege, ab inferiaribus eminentiar judicetur.* Conquerantur ergo alii de Romanæ Synodi propensione, & reverentia in Symmachum, & in Apostolicum privilegium: expostulat ex adverso Ecclesia Gallicana de nimia penè Synodi Romanæ licentia; & profitetur 1. in *vertice* suo *statum* omnium Episcoporum lacessi, & nutare: statu & criminatione *Principis* multitudinem omnem Episcoporum implicari. 2. Principe sæculi in judicium vocante Symmachum, parere quidem debuisse Pontificem, cum Christus, cum Apostolus sævituros in Ecclesiam Reges prædixerit: at Episcopos Pontifici ad solatium, non ad judicium accurrere debuisse. 3. Præter rationem, præter leges esse, ab inferioribus eminentiorem judicari.

VI. Et confestim ibidem Avitus: *Nam cum Apostolus clamet accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Ecclesiæ, criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, penè temerè susceperant inquirendam, divino potiùs servavit examini: perstringens tamen prout breviter potuit, nihil vel sibi, vel glorioſissimo viro Theodorico Regi, de his quæ Papæ dicebantur objecta, patuisse. Quibus cognitis, quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, &c. ne minùs diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quàm in civitate apicem mundi. Si profundo illi tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo, quæ Romæ geritur, causa cogitanda est. Sed in sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè vacaverit, reformari. At si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare.* Ubi cernis 1. Synodum Romanam non debuisse tantùm causam Romani Episcopi Deo reservare, sed ne illam quidem suscipere inquirendam. 2. Si Paulus suis quoque Presbyteros munivit privilegiis, num Episcopus, num *præcipuus generalis Ecclesiæ* nullis gaudebit supra Presbyteros, supra etiam Episcopos? Perversum id fuerit, sumus privilegiis destitui, à quibus & infimi ea extorquent. 3. Sedes Petri in Ecclesia eo est loco, quo apex mundi in Urbe. Utrobique de Principe nemo judicat. Quamquam enim Ambrosius scribat Imp. Valentiniano *epist.* 32. *Cum præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Idem tamen in *Psal.* 40. sic ait: *Ipse etsi legibus quasi Rex non teneretur humanis, Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.* Et in *Psal.* 118. *Oct.* 16. *Etsi Rex leges in potestate habet, ut impune delinquat; Deo tamen subditus est, qui nulli debet. Immo plus ipse debet, cui plus commissum est.* 4. Cum exordium & origo Episcopatus sit Petrus, Petrique sedes, in Symmacho *non Episcopus, sed Episcopatus* periclitabatur. Nam Episcopatus ipse totus in vertice suo impetitur. 5. Denique ut idem subdit, *Reddenda rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissum sibi agnorum curam administratione dispenset: cæterùm non est gregis Pastorem proprium terrere, sed judicis.* Decretum porro illud Romanæ Synodi quod ab Avito perstringitur, istud est: *Decernimus ut Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul, quantum ad homines respicit, quia totum constat divino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis & liber,* &c. quod & adhuc in ea Synodo legitur, quæ quarta & palmaris inscribi debet.

VII. Porro illud in antedictis effulgebat, ne in universali quidem, sive Oecumenica Synodo Symmachum judicari potuisse. Quæcumque enim vel ab Ennodio, vel ab Avito, vel à Concilio ipso Romano dicta sunt, ea parem vim habent adversùs Synodi Oecumenicæ judicium. Nam 1. Synodus Romana non suam excusavit infrequentiam, non Episcoporum paucitatem, non universalis Synodi congregatione opus esse dixit, sed absolutè rem Deo reservavit. 2. Et qui de Synodi Romanæ decreto mussabant, non illis in mentem veniebat, saltem universalis Synodi coalitionem implorare. 3. Quòd impunè peccaturos causarentur, qui nullo humano coercerentur judicio, id peræquè æmoliebatur Synodi universalis sententiam. 4. Quod Ennodius ait, Petri, ejusque successorum id esse privilegium, ut innocentiam cœlo tantùm debeant, non debebunt ergo vel Oecumenicæ Synodo. 5. Non inultum fore idem pollicetur, si quid peccet Romanus Antistes. An quòd judex futura sit Synodus Oecumenica? An potiùs quòd Deo teste, eodemque judice peccet? 6. Non auferri ait, sed differri de peccante Pontifice judicium. An ad Oecumenicam usque Synodum? Immo ad divinum usque examen? 7. Æquè Oecumenica Synodus à Pontifice convocanda & confirmanda est. Quare nec in ipsum, nisi ab ipso impartitam distringet authoritatem. 8. Æquè Oecumenica Synodus membrorum collectio est, etsi longè plurium. Quorum non est de suo vertice judicare. 9. Æquè Oecumenica Synodus ovile & grex est, etsi numerosior. Nec gregis est de Pastore judicare, sed judicis. 10. Nihilo seciùs in generali ac in particulari Synodo, ab inferioribus eminentior judicabitur. 11. Nihilò minùs non Episcopus, sed Episcopatus ipse vacillabit: & in lacessito vertice status Episcopalis in discrimen vocabitur. 12. Æquè in Oecumenica Synodo frustra Princeps in jus vocabitur quod ipse dederit: nec legi suæ, nisi lubens subjicietur. 13. Æquè in Oecumenica Synodo, si primæ Sedis vanescant privilegia, cæterarum prærogativæ Sedium, quæ ab illa proficiscuntur & conservantur, pariter inanescent. 14. Denique si divini juris est, quod cum cæterorum hominum causæ per homines terminentur, Sedis istius Præsulem Deus suo sine quæstione reservavit judicio: adversùs juris divini sanctionem nec Oecumenica Synodus dimicabit.

VIII. Quòd autem non cano tantùm possessionis genio, non Canonum constituto, sed jure divino fultum inconcussumque steterit istud primæ Sedis privilegium, iisdem ferè authoribus & testimoniis liquet. Nam 1. non Romana Synodus, non Ennodius, non Avitus Canones ullos, vel Synodos promit hujus authores prærogativæ. Et Ennodius quidem in operosissimo Synodi Apologetico Canones profert, ad alia quædam juris Ecclesiastici capita roboranda. Avito quoque Canonum peritiam defuisse nemo cordatus facilè suspicabitur. Cum ergo ne Sinuessanam quidem Synodum in causa Marcellini Papæ tam accomodatam, tam peremptoriam usquam hic laudari videamus: nondum fortè ea fabula tunc quidem excusa fuerat. 2. Vix aut ne vix potest istiusmodi privilegium cuiquam,

cuiquam à Synodo vel Canone ullo indulgeri. An potest enim Ecclesia suum ipsa jus ejurare? An potest potestatem suam obruere? An potest non posse, quod potest? An potest antiquitas posteritati, hoc est, Ecclesia sibi ipsi derogare? Saltem revocare posset, quod concessisset antè: & diffingere opus ipsa suum. Atque ita etsi non judicaretur fortè, judicari tamen posset ab inferioribus eminentior. 3. Ut divino jure prima est Sedes, ita divino jure id obtinet, ut ne inferioribus subjiciatur. Divina enim, & naturaliter nostris mentibus anticipata lege cautum est, ut regantur & judicentur à minoribus majores, non vicissim. 4. Quòd non sit gregis pastorem proprium terrere, sed judicis: quòd qui ovili Dominico præest, rationem reddat Domino, non gregi: divini id instituti est. 5. Quòd vertex sit Sedes Petri, in quo status ipse Episcoporum lacessatur: quòd Princeps sit, in quo non Episcopus, sed Episcoparus impetatur: divinæ id quoque originis est. 6. Ubi hæc quasi ex Petri ore intonat Ennodius: *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subvertere?* His satis apertè Christi institutionem significat. 7. Ubi eidem rursum gannientibus divino judicio sistendos omnes aliquando Episcopos, & eosdem tamen interim Ecclesiasticum examen subire: excipit, *Uni dictum, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Quæcumque solveris, &c.* Satis dilucidè divino ex fonte hanc dotem primæ Sedis hausit. 8. Hoc Ennodius vult Petri fuisse privilegium, & ab eo in hæredes transfusum. Et garrientibus adversariis, ergo peccandi licentiam effrænem à Domino indultam Petro, negat ille indultam peccandi licentiam à Domino, indultam astruit innocentiam, vel innocentiæ reverentiam.

IX. Nunc ad alia festinemus ejusdem speciei exempla. Ursicini accusationibus impetitum olim fuerat caput Damasi Papæ: subornati accusatores, impacta crimina, *ex fraude videlicet, ut dum causam dicit, qui in omnibus judex fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis, vel certè de factiosis posset Episcoparus invasoribus judicare*; ut ad Gratianum Imperatorem scribit Synodus Romę in eam rem collecta. Et ibidem infrà: *Memoratus frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra submovit, &c. Ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, &c. Accipite aliud quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed principibus arrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum; ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de Scripturis similia exempla suppeditant, quod cum à Præside Paulus Apostolus vim pateretur, Cæsarem appellavit, & ad Cæsarem missus est.* Append. Cod. Theodos. Ergo ex Ambrosii, ex totius Romanæ Synodi sententia, perversum id erat, & adversariorum fraude expugnatum, *ut causam diceret, qui in omnibus judex fuerat constitutus.* Eo non obscurè innuitur hoc primæ Sedis jus. 2. Idem non dubitandum astrui circumspectis his infrà vocibus, ubi dicitur Damasus *severioribus se dedisse ipsum judiciis sacerdotum*: nempè ad diluendas vel levissimas suspicionum nubeculas. 3. Si autem Concilio non creditur Episcopali causa Episcopi Romani, id orant ut saltem ne apud Præsides vel Magistratus, sed apud Imperiale Concilium ea examinetur. Quod dispensativè dici indubium est. Suboffenduntur enim, quòd ejus causa Concilio Episcopali non credatur. Deinde ajunt expressè Damasum id petentem, non sibi præstare, sed Principi: Principi id arrogare: Ad hæc judiciis publicis Gratianus exemerat sacerdotale caput. At Concilium Imperiale seu Consistorium numerari utique debet non inter sacra & Ecclesiastica, sed inter civilia & publica judicia. Adde quòd Paulus non appellavit ad Cæsarem, nisi cum vim pateretur à Præside. Ne in juris ergo regulam rapiatur illicò, quod vis expressit. In discrimina enim se gravia non rarò demergunt, qui fugitant graviora. Denique suprà edissoruit in pari negotio Avitus Viennensis, quomodo Apostoli & Episcopi starent ante Reges & Præsides, ab illis judicandi. Nimirum quod & Ennodius docuit, jure remisso, & rationibus temporum accommodato, ut Christus ad sæculare tribunal vocatus est. 4. Denique ajunt Romanæ urbis Episcopum, cæteris Episcopis etsi æqualem munere, sed *prærogativa Sedis Apostolicæ* excellentiorem, uberioribus gaudere debere privilegiis.

X. Ex Synodo quoque, qua non dijudicatio, sed purgatio Sixti III. Papæ facta est, aliqua delibanda. Impacto enim illic per calumniam stupro Chrysogonitis consecratæ, *Augustus & mater ejus suspenderunt se à communione, &c. Sixtus sciens, quòd ab ejus communione multus populus se segregaret, venit in Basilicam Beati Petri Apostoli, dicens, Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis urbana plebs clamare, ut dicta ejus Augustus & Clerus urbis Romæ probarent examine. Et congregavit Valentinianus universum Senatum urbis Romæ. Et Sixtus congregavit Presbyteros urbis Romæ & Clerum, nec non & Monasteria servorum Dei, &c. Introivit Epiphanius Presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, ut Ecclesia non maculetur. Respondit Maximus Exconsul, & dixit: Non licet adversùs Pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quanquam in meo arbitrio sit, judicer, an non judicer: tamen mea judicia non abscondatur veritas.* Tandem surrexit Augustus, *Et dedit in arbitrio Sixti Episcopi, ut judicaret judicium suum. Et discesserunt cum Augusto omnes.* Hic advertis 1. præcurrere ipsum Pontificem, ut sui purgandi sibi fiat copia, non ad id ab Augusto, non à populo cogi. 2. Synodum seu Cleri cœtum ab ipso convocari, non ab Augusto. 3. Unà ab Augusto congregari Senatum, ut purgatio hæc intelligatur esse, non judicium. 4. Id totum eò spectare, ut iniquis suspicionibus *non maculetur Ecclesia*: non ut legitimæ jurisdictioni campus aperiatur. 5. Primùm prosilire Exconsulem & contestari, quòd *non liceat adversùs Pontificem dare sententiam*. 6. Profiteri Sixtum ipsum, in suo arbitrio esse, judicetur, aut non judicetur. 7. Augustum & Senatum omnem suffragari. 8. Id totum confirmat Epistola Sixti III. *Scitote me criminari à quodam Basso, & injustè prosequi. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra authoritate Synodum congregari jussit. Et facto Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licèt evadere satis potuissem, suspicionem tamen fugiens, coram omnibus me purgavi.* Cujus tamen epistolæ fides nutat.

XI. Et hæc quidem ante Symmachi Papæ tempora. Posteà autem rursus Pelagius Papa primus, cum velut mortis Vigilii Papæ reus obliquis rumoribus lacerateretur, ita se purgavit, ut narrat liber vitæ Pontificum. *Et monasteria, & multitudo religiosorum & sapientum nobilium subduxerunt se à communione ejus, dicentes, quia in morte Vigilii Papæ se immiscuit, ut tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses & Pelagius Papa consilio inito, data litania, à Sancto Pancratio, cum hymnis & canticis spiritalibus, venerunt ad Sanctum Petrum Apostolum. Qui Pelagius tenens Evangelia, & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum*

lum.

lum peregisset contra Vigilium. Ira ergo ille sine figura judicii infamiam efficuit iniquissimè sibi illisam.

XII. Eodem penè ritu innocentiam & majestatem suam tuitus est Leo III, de quo hæc narrat Anastasius in ejus vita: *Fecit Rex Carolus congregari in Ecclesiam Petri Apostoli Archiepiscopos seu Episcopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum, &c. ut crimina, quæ adversùs Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui universi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates unanimiter audientes, dixerunt, Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicarie sue judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus. Venerabilis verò Præsul inquit: Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.* Alia verò die in eadem Ecclesia & eodem cœtu, *amplexus sacra Christi quatuor Evangelia coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clara voce dixit, Quia de istis falsis criminibus quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco: & hoc peracto omnes Archiepiscopi, Episcopi, &c. dederunt laudem Deo.* Nec absimilis fuit Paschalis I. purgatio, qui geminæ cædis suspicione aspersus, coram legatis Ludovici Pii, *se ab hujus pacti communione, cum magno Episcoporum numero, jurejurando purgavit*, ut loquitur Eginhardus.

XIII. Minùs pompatica, præclarissima tamen fuit ea ratio, qua se Hadrianus II. apud eundem Anastasium purgavit, cùm suspectus esset quibusdam, quasi acta Nicolai Papæ revocaret. Ea enim de causa *suspenderant se ab eo per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum Gentium servorum Dei, per id tempus Rome commorantium*. Quibus ille ad refectionem vocatis, & post epulas in faciem procidens, ita velut *Patribus, Fratribus, Filiis* satisfecit, ut *cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi Principum fungebantur, diutino stupore attoniti*, ad agendas Deo gratias proruperint.

XIV. Prolixè versatus est in hac causa Nicolaus Papa I. *Epist.* 8. ad Michael. Imp. ubi istud velut à Sylvestro sancitum refert: *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo judex judicabitur*. Refert & illud Synodi Sinuessanæ ad Marcellinum Pontificem, ultro scelus confessum: *Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio, &c. Prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Refert & alia his indubitatiora. Nempe illud Pelagii Papæ ad Regem Francorum, objurgantis, *quod Sabaudum Arelatensem Episcopum, cujus Ecclesia in regionibus Gallicanis Primatus privilegio & Sedis Apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati, in judicium sequentis civitatis Episcopi, quod nulla Ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum jussisset occurrere.* Illud quoque Gregorii Papæ I. Clero Mediolanensis Ecclesiæ, *Judicari à vobis ultra non debet Prælatus. Sed tanto nunc subtiliter judicandus est, (dum eligitur.) quantò postmodum judicandus non est.* Illud etiam Dionysii Areopagitæ ad Demophilum, *qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem, nefas sancit à minoribus vel ab inferioribus judicari.* Illud item, quod de Sixto Papa jam retulimus. Illud præterea, quòd alibi ex Cyrillo, Synodoque Ephesina excripsimus, de Joanne Antiocheno expostulantibus, quòd in majorem Sedem, nempe secunda in tertiam judicium arripuisset. Illud quoque in Synodo Chalcedonensi relatum de Dioscoro secundæ Sedis Episcopo, qui in primæ Præsulem Leonem aggressus esset anathema jaculari. Illud item moris Ecclesiastici inde scaturientis, *Hodieque in Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, impretermissè id servatur, ut nullus Sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cuilibet rei benedicere nitatur. Sed & anterior stans ad pronunciandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet penitùs benedicere.* Illud item de Symmachi impetitione, *cum Theodoricus hæreseos Arianæ fœce pollutus Papam Symmachum usque ad damnationem multis hunc accusantibus impetere voluisset, & quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, & ex diversis regionibus, atque de Sicilia insula Episcopos Romam colligi præcepisset.* Episcopos subdit totum Deo reservasse, & his verbis singulos subscripsisse: *Ego huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.* Quæ ille omnia eo consilio coacervat, ut Ignatii Constantinop. depositionem infirmet, in obnoxiorum ejus potestati Episcoporum Synodo decretam. De quo rursus *epist.* 12. *Quid nequius aut periculosius, quàm ut discipuli manus in magistrum injiciant? Filii viperas imitantes, parentem proprium, quantum in ipsis est, interficiant? eique maledicere, à quo benedicti sunt: eum projicere, à quo ad singulorum graduum honorem provecti sunt.*

XV. At cùm in Nicolaum ipsum Papam Photius Constantinopol. anathema & fulmen stupeum vibrare tentasset, ea de re in Synodo Romana conquestus est successor ejus Hadrianus II. ubi & hæc pronunciavit, quæ cum tota Synodo relecta sunt in octavi Concilii Oecumenici *sess. septima*: *Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus: de eo verò quemquam judicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec caterorum Antistitum cuipiam de eo quemlibet fas fuerit proferendi sententiam: nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset authoritas.* Quibus ea subjicit, quæ suprà de Symmacho: item de Joanne Antiocheno, *idcircò damnato, quia Cyrillum anterioris, idest, Alexandrinæ Sedis Antistitem damnare non metuit.* His subnectitur Concilii suggestio: in qua hæc habentur: *Dominus dicit, Non est discipulus super magistrum. Præcipit Apostolus, ut omnia secundum ordinem fiant. Quomodo ergo temeratores isti non sunt facti supra magistrum, quando adversùs Apostolicam Sedem, quæ cæterarum quoque Sedium magistra est, etiam os injurias evomens aperuisse probantur? Quomodo secundùm ordinem omnia facta sunt, quandoquidem ordine præposteros, de primo secundi, & de antelato posteriores quique convicia potius, quàm judicia composuisse narrantur?* Tum Joannis Antiocheni referunt exemplum, itemque Dioscori, sine restitutione damnati, *quod cum esset posterior, se anteriori prætulit.*

XVI. His octava ipsa Synodus succinuit, quæ act. 10. Photium damnat, quia *anathematizare præsumpsit Beatum Papam Nicolaum, & omnes communicatores ejus; ita ut ex hoc etiam universos, qui sub cœlo erant, Pontifices & sacerdotes, idest, & cæteras Patriarchales Sedes, & omnem sacrum catalogum, qui sub ipsis degit, sub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certissimè communicatores præfati Pontificis.* Et in epist. encyclica ejusdem Synodi: *Præsumpsit synodale imaginari judicium, &c. deposuit inverecundè, & anathemati subjecit Beatum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes: neque summitati ejus, neque quod magis est, Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad finem constat, ullo modo parcens, quæ videlicet illi magno Pontifici proculdubio communicabat.* Sed nihil magnificentius Canone ipso Synodi hujus octavæ vigesimo primo: *Sed nec alium quemcumque oportet*

con-

conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ, & verba complicare & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia & audacia usus fuerit, ut secundùm Photium vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis, injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, æqualem & eandem, quam illi, condemnationem recipiat. Porrò si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia: oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices. Observa hic 1. in Oecumenica Synodo legi, ejusque actis acta inseri Synodi Romanæ sub Hadriano, eoque illam confirmari, quæ ad hoc unum collimabat, ut prima Sedes à nemine judicari posse intelligeretur. 2. Non posse excommunicari ferè Romanum Pontificem, quin Ecclesia universa, quæ illi, ut capiti suo membrorum compago, communicat, & indivulsè conglutinatur, eidem pœnæ mancipetur. At nihil scelestius, nihil alienius, quàm Ecclesiam Catholicam excommunicari, id est, sui ipsius communione ipsam interdici. Ut excommunicari ergo non potest Ecclesia, quæ communio ipsa est, ita nec communionis centrum. Et in Leone, ac Nicolao patuit, quem exitum habeat excommunicatio adversùs communionis fontes ipsos vibrata. 3. Ait Synodus temperare debuisse Photium, à bruto fulmine in Nicolaum ejaculando, ut parceret tum Ecclesiæ universæ, tum *summitati ejus*. Est enim Petrus, *Apostolorum principalissima summitas*, ut in eadem Encyclica legitur: tenet *Sedem Petri* Romanus Præsul, ut in Canone dicitur vigesimo primo. Ergo propter summitatem, seu quia prima Sedes est, nullius subest judicio. 4. In Canone isto cùm Patriarchalium quinque Sedium ordo & privilegium sanciatur, solius Romanæ Sedis hæc asseritur prærogativa, ut non à Dioscoro, non à Photio, non à quoquam alio examinari possit. 5. Ibidem nonnisi in Oecumenica Synodo disceptari finitur ambiguitas quælibet exorta circa primam Sedem, nempe ubi ipsa per Vicarios saltem suos aderit, & præerit, adeoque authoritatem ipsa adversum se dabit. Nequaquam autem cæteris patriarchalibus thronis id condonatur, ut in eos non inquiratur nisi in Oecumenica Synodo. Præluxerat autem Hadrianus II. ubi monuerat Honorium Papam in sexta Synodo fuisse damnatum, sed tum demum, cùm ejusdem primæ Sedis Pontificum consensus & authoritas præcepsisset. 6. Denique in Oecumenica etiam Synodo, si qua nascatur de prima Sede controversia, *Oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia scisciari, & solutionem accipere, & præficere, non audacter sententiam proferre contra primam Sedem.* Quod oro te, quid aliud est, quàm ut prima Sedes purget se & satisfaciat, non judicetur? ut factitatum est à Sixto, Symmacho, Pelagio, Leone, Hadriano II.

XVII. Quocirca Illustrissimus Petrus de Marca Ecclesiasticæ disciplinæ penetralia omnia altissimè perscrutatus, non immeritò *lib. de Concord. pag.* 114. consensit Baronio, Joannis XII. exauthorationem ab Otthone Imperatore & Synodo Romana tentatam ann. 963. cujus acta extant apud Luitprandum, nullius omnino esse momenti. Atque adeo inter dictata Gregorii Papæ VII. hoc circumfertur, *Quod à nemine judicari debeat* Romanus Pontifex. Et Petrus Damiani in *disput. adv. Reg. & defen. Eccl. Rom.* suggillat Synodum Germanorum, quæ Papam damnarat: additque: *Damnatio Papæ tam gravis & inexplicabilis est, ut non humano, sed divino dumtaxat sit tractanda judicio.*

XVIII. Denique Ivo Carnutensis Episcopus luculentissimè prorsus *epist.* 235. de Paschali Papa, qui in laicorum investitura extorto privilegio consenserat, ita sermonem temperatamque temperat: *Eorum sententiam, qui investituras laicorum defendere volunt, schismaticam judico, &c. Et quia verenda Patris debemus potius velare, quàm nudare, familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat, tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter egrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice. Habemus enim Evangelicam sententiam, quæ securos nos facit, Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæ dicunt, servate & facite. Secundùm verò opera eorum nolite facere. Vult enim hac sententia; præcepta præsidentium ad Cathedram pertinentia, obedienter impleri: etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi: non eos factiosa conspiratione à suis Sedibus removeri. Si verò ea præcipiant, quæ sint contra doctrinam Evangelicam, vel Apostolicam, ibi non esse eis obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato, non rectè incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem restitit, non tamen eum abjecit. Ubi enim succumbunt humana judicia, divina est expetenda misericordia.* Et *epist.* 238. idem Ivo, nec non & Vvaldo Parisiensis, Joannes Aurelianensis, aliique Provinciæ Senonensis Episcopi ad Joannem Lugdunensem Archiepiscopum, à quo invitati fuerant ad Synodum, qua factum Paschalis Papæ discuteretur; rescribunt in eandem sententiam: *Sic Petrus trinam negationem trina confessione purgavit, & Apostolus mansit. Sic Marcellinus Papa deceptus à prophanis thurificavit; & tamen à fratribus minimè judicatus, post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in eremo moram faciente Moyse in monte propter importabilem populi seditionem, vitulum fusilem fieri permisit, quem populus insipiens adoravit, cum tamen non esset seductus à populo, ut Dominum esse crederet, vel divinæ culturæ reverentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, & Domino jubente per manum Moysi ad summum sacerdotium est sublimatus. Sic Moyses ipse Dominum offendit, &c.* Et infrà: *Ad hæc non videtur nobis utile consilium, ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare. Quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio, &c. Excusamus innocentiam nostram, qua & principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Evangelica veritate discedat.* Callentissimus juris Canonici, nec non & Gallicanæ disciplinæ suæ, cum Coepiscopis suis enucleatissimè depromit, quid hac de causa jam olim ab Avito & à cæteris antecessoribus suis hausissent Galliæ Episcopi, quid in posteros de hoc Romanæ Sedis privilegio derivassent. Peropportuna sunt autem quæ ab eo constipantur exempla: Moysis, qui etsi in Deum peccarit, nullius tamen quàm Dei judicium expertus est, nec excidit sacro principatu: Aaronis, qui in vituli propudium consensit, & nihilo sequiùs Sacerdotio inauguratus est: Petri, quem Paulus increpuit, non abjecit: Scribarum & Pharisæorum, quos Christus docentes audiri, peccantes contemni jussit, cathedra ejici vetuit. Divino denique, humanoque jure cautum insinuant, ut de superioribus ne invadant inferiores authoritatem judicandi; adeoque nemo judicet de Sede Petri, quæ *principales habet Ecclesiæ claves.*

XIX. Sed illustriori testimonio non potest Ecclesiæ Gallicanæ in hoc negotio sensus constantissimus declarari, quàm judicio Comitiorum Bituricensium sub Carolo VII. Francorum Rege. Etsi enim decreta cætera Basileensis Concilii ferè amplexi essent Galli, exauthorationi tamen Eugenii Papæ non

non unquam consensere : & hac velut ambigua responsione Basileensem Synodum non tam mititigarunt, quàm eluserunt. *Nempe apud viros graves dubitari, num illa depositio & subsequens electio sint ritè, justè, & canonicè, & legitimè celebrate. Et an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentaverit Ecclesiam universalem, ad tam arduos actus exercendos. Ideò Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseverat, & manet in obedientia domini Eugenii, in qua nunc stat.* Pet. de Marca *libr. de Concord. Sac. & Imp. pag.* 115. Adde quæ narrat Bertoldus in Append. ad Hermannum ad annum 1085. de Synodo Quintilineburgensi, adversùs Henricum à Pontifice excommunicatum habita : *Quidam Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum ascripsisse, non aliunde concessum hereditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico convictus est, per illud Evangelicum, Non est discipulus supra Magistrum. Cum enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne major à minore judicetur : quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro venerantur ?* Adde & ista ex Philippi de Imperio cum Otthone certantis epistola ad Innocentium Papam III. scripta apud Rainaldum anno 1206. *numer.* 16. *Si nos in aliquo vos, vel Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos pro honore Domini nostri Jesu Christi, cujus vicem in terris geritis, & ob reverentiam Beati Petri Principis Apostolorum, cujus vicarius estis, & ob salutem nostram, nos ad satisfaciendum vobis supponimus. Si verò vos in aliquo nos, vel imperium lesisse videmini, conscientiæ vestræ super iis vos relinquimus. Cum enim nos piè credamus, & ante passionem, & post passionem Domin. Nostr. Jesum Christum Beato Petro claves Regni Cœlorum contulisse, & tradidisse jus ligandi, atque solvendi ; scimus, & protestamur, quòd vos qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in hujusmodi articulis ab homine non estis judicandus ; sed judicium vestrum soli Deo reservatur, cujus judicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non querimus usurpare.* Ex his abundè claret Francorum in Germania consensus.

XX. Porrò quæ hactenus disputata sunt, ea pacem Ecclesiæ, & cohærentem sub unius certi Capitis majestate unitatem ostendebant. At si quando infando schismate laboratum est, resarciendæ unitatis multæ sunt viæ, ac rationes ; sed illud tandem longo experimento edocti sunt Majores nostri, qui in difficillima illa tempora inciderant, unius ab Oecumenici Concilii decretorio supra Pontifices judicio existere ac reflorescere posse pacem Ecclesiæ. Ergo cùm inter duos aliquos vel plures de Pontificatu certantes, dubia nutat Ecclesia, consentaneum est, ut Synodico ipsa judicio his sese expediat ambagibus ; & non de Apostolica ac prima sede, sed de ejus incubatoribus sententiam ferat. Quod tunc autem extundit necessitas, non extra necessitatis metas effundi debet. Sed ea de re copiosiùs alibi, ubi nempè in Concilio Constantiensi commentando evincemus, illos ipsos qui synodico judicio Pontifices substernere enixi sunt ; etsi quandoque contentionis æstu longiùs sint abrepti, in has tamen se tandem recepisse priscæ modestiæ lineas, ut schismatis tempore tantùm cogerentur dubii nimirum Pontifices Concilii judicium experiri.

XXI. Præterea autem in causa hæreseos publicè professæ, posse de Pontifice ferri judicium, in confesso est apud omnes Catholicos doctores. Id paulò suprà confessus est Hadrianus Papa in Romana Synodo, ubi agnoscit jure ab Orientalibus anathema dictum esse Honorio Papæ, quia *fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi.* Id confessus est & Ivo suprà, *Principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Evangelica veritate discedat.* Id confessus ante illos est Bonifacius martyr, ex cujus dictis hæc refert Gratianus *dist.* 40. *Si Papa sua & fraterna salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, &c. innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nemo, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus : nisi deprehendatur à fide devius.*

XXII. Spontanea tamen purgatione teneri Pontifices amoliri suspiciones calumniasque sibi impactas, superioribus exemplis abundè patefactum est. Ubi illud observatum, non populum, non clerum, non Episcopos Ecclesiæ Catholicæ hanc necessitatem inflixisse primæ Sedis Præsulibus, sed ipsos sua sponte occupasse, & Synodi populique conventum vel postulasse priores, vel indixisse, ut infamiam temerè sibi aspersam eluerent. Ita Marcellinus Synodum Sinuessanam congregavit. Sixtus & postulavit Senatum colligi, & Synodum ipse convocavit. Symmachus, ut coiret Concilium, assensus est Theodorico, & illi in seipsum authoritatem dedit. Pelagius & Hadrianus ultro ipsi se purgare præverterunt. Leo Gallos Romanosque ad suæ purgationis pompam frequentissimos collegit.

XXIII. Si ignominiam porrò non sibi tantùm, sed universæ Ecclesiæ affricatam contaretur aut asspernaretur Pontifex expiare canonica purgatione : enimvero tunc moneri ipsum, & ad id impelli posse indubium est. Ita innuit Synodus 8. *Can.* 21. suprà laudato, ubi traditur in exorta de Romano Pontifice controversia, oportere, *scisciari & solutionem accipere.* Ita Sixtus, Pelagius, Hadrianus ad sese purgandos quodammodo compulsi sunt, Imperatorum, Nobilium, Vulgi secessione, & eorum communionis detrectatione. Ita Ivo superiùs *epist.* 235. *Familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet, aut factum suum retractet.* Ita Petrus Damiani Gregorii Magni vestigiis insistens, in tractatu quem de Correptione Episcopi & Papæ inscripsit, Petri exemplo rem conficit : *Si igitur iste cum à discipulis culparetur, authoritatem quam in sancta sortitus fuerat Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, ut Pastorem suum oves quæ sibi commissa fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum objecisset, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos privilegii sui authoritate repressit, sed humili potiùs satisfactione placavit. Et tamquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit, Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.*

XXIV. Quibus & ista addes si voles ex Gersone, paulò austeriora, & ad superiorum ingenium humaniùs emolienda : *Judaizabat olim Petrus per dissimulationem : Paulus ei restitit in faciem. Introducebat Petrus rem novam in Ecclesia Dei, cum ad Centurionem gentilem intravit. Subortum est murmur in Ecclesia, ita ut compulsus sit Petrus doctrinam insequi, quam tradidit scriptis, ut scilicet paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de ea, quæ in ipso erat, fide & spe, alioqui non sibi credidisset Ecclesia. Quantò fortiùs & rationabiliùs possunt duo contendentes diffamati apud bonos & graves de schismate, de perjurio, de hæresis suspicione, compelli rationem reddere, si se cognoverint innocentes ? Sic Symmachus, sic B. Marcellinus,*

nus, *sic ipse Gregorius, sic alii plures judicium subiere Concilii; nequaquam ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione. Quorum multos quia Concilium non reperit convictos de crimine, reliquit causam eorum, examine judicis Dei terminandam. Libr. de auferib. Papæ cap. 12.* Adverte 1. exasperatum fuisse Gersonis animum calamumque absurditate suorum temporum, & dubiorum Pontificum schismatisque pertinacis importunitate; atque ideo plurimùm degenerasse illum à clementia & reverentia tot congestis suprà testimoniis approbata Damiani, Ivonis, Præsulumque omnium Senonensis Provinciæ: Antistitum Gallicanorum, qui cum Leone & Carolo affuere Romanæ Synodo: Aviti, & Episcoporum ea ætate Gallicanam Ecclesiam administrantium. Antiquitas ergo horum & diuturnitas & numerus anteponi sanè debet novitati, & paucitati, per abrupta molienti sese extricare à schismate implicatissimo. 2. Gersonem de ea specie verba facere, cùm duo contendentes diffamati præterea sunt de schismate & hæresi. 3. Debitum & obligationem sese purgandi proficisci posse, non tantùm ex juris & Canonum regulis, sed ex humilitatis & charitatis legibus, quibus sine piaculo obluctari nemo potest. 4. Reservatos esse divino judicio eos Pontifices, quos Synodus de crimine non potuerat convincere, nimirum quia, ut suprà demonstratum, authoritatem ipsimet in seipsos Synodo permiserant.

XXV. Adde his si voles Cusanum, qui *libr. 2. Concord. cap. 20.* circa finem: *Hodie autem quia universalis Ecclesia, heu, ad solum Patriarchatum Romanum redacta est, & quod quondam Patriarchale generale tantùm, & subjectum Romano Pontifici fuit Concilium, hodie est universale, universam Ecclesiam repræsentans: hinc, cum hoc novum sit, dubitatio exorta est. Quare hoc sacrum Concilium absque passione cum summa mansuetudine se habere debet in ordine ad Romanum Pontificem: non se ex privilegio universalis Concilii in tantum erigat, de quo potiùs dolendum esset, quòd obliviscatur subjectionis patriarchalis, in qua semper fuit, secundùm quam in Papam fidelem nihil posset.* Præclarè hic multa, non omnia. Nam si Concilium Patriarchale in Patriarcham fidelem nihil potest, perinde nihil poterit in Præsidem suum Synodus Oecumenica. Ecquid enim causæ erit quamobrem nec Episcopus, nec Metropolita, nec Primas, nec Patriarcha fidelis deponi possit, nisi in Synodo superiore & à majore judice: nec idem privilegii competat primæ Sedi?

XXVI. Antedicta omnia egregiè illuminabit Gregorius Magnus *epist. 39. lib. 9.* ab exemplo Petri: *Certè Petrus potestatem regni cœlestis acceperat: ut quæque in terra ligaret, &c. Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, &c. Et tamen idem Apostolorum primus querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit: causam per ordinem exposuit, &c. Si enim cum à fidelibus culparetur, authoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset; respondere poterat, ut Pastorem suum oves, quæ ei commisse fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset.* Audis querelam, non accusationem in Petrum. Audis potestate cœlitus concessa, à subeundo ovium judicio pastorem immunem. Audis mansuetudine inclinari potestatem: nec impleri numeros officii, nisi impleantur & humilitatis.

DISSERTATIO XVI.

IN SYNODOS CONSTANTINOPOLITANAM, ET ROMANAM

Anno Christi 518. 520.

SYNOPSIS.

Romanum Pontificem communionis Catholicæ cardinem esse probatur ex his Synodis, & toto schismate Acaciano. Ex Epistolis Romanorum Pontificum, Orientalium Episcoporum, & Archimandritarum, usque ad num. XI. Ex gestis Constantinopoli in reconciliatione Græcorum, ex epistolis Justini & Justiniani, num. XII. XIII. XIV. Consensus Ecclesiæ Gallicanæ, Hispanicæ, Africanæ cum Romana in negotio isto schismatis Acaciani, usque ad num. XIX. Alia ad idem argumenta ex legibus Principum. XX. XXI. Eadem Romanæ communionis necessitas ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Prospero, Optato, Gregorio, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Lanfranco, usque ad num. XXVII. Argumenta alia ex Nicolao de Cusa. XXVIII. De Meletio Antiocheno Episcopo, circa quem magis tricantur adversarii, inquiritur operosiùs: & conglobatim quanti Orientales semper fecerint Romanæ Ecclesiæ communionem, ex Synodis Oecumenicis, ex Irenæo, Cyrillo, &c. usque ad num. XXXIII.

I. NUsquam alibi tempestiviùs ea ventilabitur quæstio percelebris, de Catholicæ communionis cardine & centro, in Ecclesiæ Romanæ Pontifice collocando. Cùm enim Acacio & superstiti & extincto, post Romanæ arcis fulmina in eum vibrata, & Imperator & Oriens penè universus communicare non destitisset, sesèque adeo eodem, quo ille, contaminasset Eutychianæ non hæreseos, sed communionis contagio: intemeratæ Catholicæ communionis custos unus, & inexpugnabilis defensor fuit Romanus Pontifex; ad quem adeo reliquæ omnes Ecclesiæ recolligere se tandem compulsæ sunt; & à pestiferi schismatis barathro ad eum, velut ad invictissimum Ecclesiasticæ unitatis & intaminatæ communionis verticem se revocare.

II. Id efficiemus primùm ex literis Gelasii, qui Euphemio Constantinopolitano Episcopo Catholicæ fidei vindici acerrimo, sed Acacii memoriæ communicatori, condescensione quadam jactanti tolerandam Acacii memoriam, ne pax Ecclesiæ scinderetur, ita rescribit *epist. 1. Condescensibilem me, & optima dispositione revocare posse concordiam consequenter adnectis. Optima illa est Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ dispositio, ad meliora proficiendo conscendere, non ad inferiora descendendo deficere. Cum dicis condescendere nos debere vobiscum, interim jam vos aut descendere aut descendisse monstraris. Unde à Catholica Apostolicaque communione ad hæreticam damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: & non solùm vos in infimis jacere delectat, sed etiam in superiore manentes Sede vultis impelli.* Et infrà: *Hoc non est condescendere ad subveniendum, sed evidenter ad inferna demergi, &c. In hac abrupta deduci nec possumus, nec debemus, qui præstante Deo nostro sinceram, puramque paterna traditionis fidem, communionemque retinere, & ab omni prævaricatorum contagione discretam, etiam intentato periculo mortis, optamus; eligentes, si Deus velit, qualibet alia perpeti, quàm causas incidere damnationis æternæ, &c. Sed Acacius, inquis, nihil contra fidem, &c. Quasi non sit deterius, & non ignorasse veritatem, & tamen communicasse veritatis inimicis.* Quod denique causaretur

retur Acacii nomine abolito tumultuaturas plebes Euphemius: *Quisnam hoc in Ecclesia Dei possit audire? Cum utique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria revocantem, non per devia gregem pastor errantem. Dic mihi, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certe si vobis hoc placet, multò magis nobis est causa justior, qui populum Romanum à fide illa sua, laudabili majorum traditione percepta, declinare non finentem, nos penitus libenter audivimus: si vos Constantinopolitanam plebem ab haretica communione discedere recusantem non vultis offendere.* Vides hìc 1. in una Romana & Occidentali consequenter Ecclesia Catholicam communionem superfuisse illibatam. 2. Ejus cardinem, ejus arbitrum fuisse Romanum Pontificem. 3. Condescensionem ab aliis Ecclesiis venditatam, ab illo uno exsufflari. 4. Salutis æternæ jacturam incurrisse, qui à Catholica Romanæ Ecclesiæ communione secedebant.

III. Episcopi autem Dardaniæ in suo ad Gelasium rescripto, *Saluberrima Apostolatus vestri præcepta qua oportuit devotione suscepimus, &c. beatissime Pater Patrum. Desiderii enim & voti nostri est, jussionibus vestris in omnibus obedire, &c. Eutychetis, & Petri, Acaciique, & omnium sectatorum ejus atque consortium, velut quedam pestifera contagia, ante vestram quoque vitavimus jussionem, & multò magis nunc post admonitionem Sedis Apostolicæ, &c. Et si qui fortè prava intentione, quod neque arbitramur, neque optamus, à Sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviolabilia sacrosanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolica & singulari illi Sedi vestræ, communi fide & devotione parere contendimus.* Non in fidei ergo tantùm, sed communionis etiam disceptatione, *jussionibus* Sedis Apostolicæ pareant omnes Episcopi, necessum est. 2. *Apostolica & singulari illi Sedi* patere jubent Patrum Canonumque institura. 3. Refugienda eorum omnium communio, qui se *ab Apostolica Sede crediderint segregandos.* Vertex ergo & moderator Catholicæ communionis est unus præ cæteris Romanus Præsul. Unde ad eosdem Gelasius *epist.* 3. *Quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem Catholicam conditione laxandam, ut nomina eorum qui prævaricati sunt, illis in Ecclesia recitare sit licitum, &c. dilectionem vestram non destitimus admonere, ut tales modis omnibus excludantur: vobisque cum Sede Beati Apostoli Petri, sicut à Patribus nostris est tradita illibata communio, atque ex omni parte inconcussa perduret.* Fons ergo in omnem orbem illibatæ communionis, & ex omni parte inconcussæ Sedes est Petri.

IV. Idem Gelasius *epist.* 4. *Si quod nunc pratendunt, à Romana Ecclesia se sunt divisuri, id jamdudum fecisse monstrantur.* Quippè ubi primùm defecere ad hæreticam communionem, illico & eadem opera defecere à communione Catholica, atque adeo ab ejus defensatrice Romana Ecclesia. Et infrà: *Ineptias suas sibi servent, nisi resipiscant potius, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni Beati Apostoli Petri inferni portas nunquam prævalituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam & vox Christi, & majorum traditio, & Canonum fulsit authoritas, ut totam potius Ecclesiam ipsa dijudicet.* Interminabatur Oriens secessionem ab Ecclesia Romana universalem, atque adeo sententiæ in Acacium latæ vacuationem. Ridet cassos impetus inconcussa Pontificis fiducia, freti voce Christi, Petro principatum & victoriam fidei olim polliciti.

V. Non ergo causæ soli victoriam, sed & Sedis suæ privilegio vendicat Gelasius. Utrimque ergo invicta ea Sedes est, & quòd fidei communionisque Catholicæ invictissimam causam tueatur, & quòd ipsa Petri Sedes sit, cui victoriam de portis Inferi Christus despondit. Concatenata hæc sibi invicem sunt, & indivulsis nexibus cohærentia, causæ æquitas, & Sedis invicta authoritas. Nec enim Christus invictam illi Sedi tribuerit virtutem, quæ errori & perfidiæ servire posset. Nec fidem idem suam, quam inexpugnabilem esse decreverat, nisi inexpugnabili defensori potuit committere. Itaque insuperabiles hæ geminæ arces, præsidio sibi sunt vicissim, & inaniter insultissimèque à Novatoribus colliduntur. Vincit enim veritas, quia ultro invicta est, & quia invicto utitur defensore. Vincit invictissimè Prima Sedes, & quia ipsi desponsa victoria est, & quia causam tuetur invictam. Idem Gelasius *epist.* 8. ad Anastas. Imp. *Et si cunctis generaliter Sacerdotibus rectè divina tractantibus, fidelium convenit corda submittis quantò potiùs Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & divinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitùs humano consilio elevare sequenquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet Primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus, quæ divino sunt constituta judicio: vinci autem quorumlibet petestate non possunt.* Non solam, ut vides, causæ æquitatem, sed ejus defensatricis Sedis Apostolicæ firmamentum, etiam Christi promissione suffultum, prætendit. Et ibidem infrà: *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnoperè cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse pace componi: quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si quod absit, nostra fuerit prævaricatione deceptus?* Ait Pontifex *magnoperè cavere* Sedem Apostolicam, ait se *confidere* fieri non posse, ut communionis & fidei radix Catholicæ, ut Apostoli gloriosa confessio, Romana ab Ecclesia deficiat, aut extinguatur. Huic enim confessioni Apostolicæ, huic Petri fidei fundamenta Ecclesiæ superstruuntur. Refellit mox susurros *Orientalium Episcoporum*, non ista ad eos scripta à Sede Apostolica fuisse, superbam illam esse, & arrogantem. Etenim per Acacium rescriptum esse omnibus: *Apostolicæ verò Sedis authoritas, quod cunctis seculis Christianis Ecclesiæ prelata sit universæ, & Canonum serie paternorum, & multiplici ratione firmatur, &c. Habet hoc qualitas sapè languentium, ut ipsi accusent magis medicos, &c. Si nos superbi sumus, quia animarum remedia convenientia ministramus: quid vocandi sunt, qui resultant?* Itaque & æquitati causæ, & primæ Sedis authoritati infractæ victoriam adrogari, & Gelasius profitebatur, & adversarii ipsi, etsi reniterentur, sentiebant.

VI. Exprimi idem potest ex epistola 1. Felicis III. ad Zenonem Imp. *Quoniam adhortationem meam duxistis onerosam, in vestro relinquo deliberationis arbitrio, utrum Beati Apostoli Petri, an Alexandrini Petri cuiquam sit eligenda communio. Append. Cod. Theod.* Ubi non causam causæ, sed personam personæ, & Sedem Sedi, in negotio communionis præponit. Et *epist.* 4. ad eundem, de recens creato Constantinopoli Episcopo: *Eum ipsum, de cujus Pontificio gloriamini, dum ad Beati Petri Apostoli Sedem sua refert dignitatis exordium, jam sue dedisse gaudeo moderationis indicium, &c. Et qui in sacerdotii perhibetur provectus officium, optat inde fulciri, unde Christo cupiente profluit cunctorum gratia plena Pontificum. Cujus etiam literarum me refovet intentio, qua & summum Apostolorum Beatum Petrum Petram fidei esse non tacuit, & eidem mysteriorum claves traditas fuisse cœlestium pruden-*

ter.

ter struxit, utque nobiscum circa orthodoxam fidem consentientem haberet assensum, quò amplius unanimis redderetur, expetiit. Ambiebat ergo Episcopus, ambiebat Imperator Constantinopolitanus communionem Apostolicæ Sedis, quòd ea Sedes esset Petri, unde jubente Christo manat Episcopatus exordium. Neuter impetrabat, nisi Acacii & Petri Alex. nomina delerentur. Eadem Felix inculcat *epist.* 5. ad Flavitam ipsum Episc. Constantinop. illud ingeminans, *Non esse præferendam Beati Apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societatem.* Et *epist.* 6. ad Thalassium Archimandr. Constantinop. *Sicut per professionem Catholicam Sedis Apostolicæ formam secutus es, ut te à damnata communione suspenderes: ita Beati Petri sequi debes exemplum, ut quando ejus authoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam tuum noveris miscendum esse consortium, &c. Expectet ergo dilectio tua Sedis Apostolicæ jussionem, & sic Ecclesia Constantinopolitana sacra se communione conjungat, si in participatione Beati Petri, & Catholicæ veritatis desiderat permanere.* Igitur ubique Apostolica, ubique Petri Sedes ostentatur, ut regula inerrabilis fidei & communionis Catholicæ. 2. Id ipsos malè habebat Episcopos & Principes novæ Romæ, quòd Sedis Apostolicæ communione caterent, etsi conscii sibi satis superque essent fidei orthodoxæ: ideo communionem illam vel eblandiri, vel extorquere omni ope moliebantur. 3. Vel cives ipsi & Monachi Constantinopolitani non tam de Episcopi sui, quàm de Romani Pontificis communione satagere debebant, & præ hac illam contemnere. 4. Et in hoc Ecclesiarum dissidio, cùm Romana summum juris rigorem sectaretur, Orientales aliter jura interpretarentur, vel dispensatione utendum censerent; non Synodus Oecumenica, sed Sedes ipsa Romana inconcussæ authoritatis pondere rem confecit, & cæteras omnes ad se tandem revocavit Ecclesias.

VII. Et rursum Gelasius: *Qua ratione majores nostri reverendi illi Ecclesiarum Magistri, clarissimaque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas, & martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam Sedem, quam Princeps Apostolorum sederat Petrus, sui Sacerdotii sumpta principia repleti Christi charitate mittebant, sua inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc speciem omnibus appareat, verè unam esse per omnia & indissolubilem Christi Ecclesiam.* Append. Cod. Theod. p. 184. 203. En ut ad Petri Sedem religet, religatamque semper fuisse ostendat Catholicæ communionis unitatem, suffragante ipso martyrum sanguine. Cum autem Orientalium aliqui cavillatoria exceptione abuterentur, non innotuisse sibi, quid Sedes Apostolica de Acacio Petroque decrevisset, ita illis obstruit os: *Ecce tanti Catholici sacerdotes in hoc ipso se indicant, quid Apostolica Sedes censuerit cognovisse, constanterque probasse retinendum, quod communionem Catholicam reservantes, & eos qui Apostolicæ Sedi communicarent, elegere consortes: & illos quibus Sedes Apostolica decreverat minimè communicare, usque ad persecutionis incursus, renuere consortes. Certè quæ Sedes Apostolica decreverat, Orientalibus Episcopis non innotuisse jactatur. Unde ergo tot tantique Pontifices unum idemque cum Sede Apostolica sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ veræque sanxisse, quæ non solùm sequenda sibi judicaverunt, sed etiam usque ad persecutionem viriliter exerenda?* Non pauci ergo ex Orientalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ communioni individuè inhæserant, nec ab ea, vel persecutionum sævitia, potuerant divelli.

VIII. Veniamus ad Symmachum, ejusque *epist.* 7. ad Anastasium Imperatorem missam, infractæque ejusdem constantiæ testem: *Dicis quod mecum conspirante Senatu, excommunicaverim te, &c. Nos non te excommunicavimus, Imperator, sed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis. Si te misces, non à nobis, sed à teipso excommunicatus es.* Itaque sentiebat ipsemet Anastasius, excommunicationem illam veram esse, quòd Romanæ Ecclesiæ communio ei cæterisque Acacii communicatoribus denegabatur. Tum queritur quòd *militari manu eos qui se à contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, in prævaricatæ communionis consortia detestanda compelleret: quodque in illis regionibus cunctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi: sola Catholicæ communionis libertas putetur ab iis, qui se religiosos existimant, subruenda.* Itaque sanguis etiam impendebatur Catholicæ communioni tuendæ, quam Romana Sedes profitebatur. Denique ut centro communionis Catholicæ se consentire testarentur, *Omnes Catholici Principes, sive cum Imperii gubernacula susceperunt, sive cum Apostolicæ Sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes.* Scribitur & *epist.* 8. ejusdem Symmachi ad Episcopos *Confessores* Orientis, nempè pro Apostolica communione certantes. Et *epist.* 9. ad Orient. *Si quis salutem propriam cogitans, servare cupit Apostolica judicia, cum à Prafatorum se labe sejunxerit, nostræ communionis se noverit sine dubitatione participem. Quia si ab eorum, quos Apostolica Sedes damnavit, non se societate removerit, sciat nullo colore, nullo figmento, nullaque calliditate Ecclesiastica se custodiæ posse subrepere.*

IX. Sed huic contexta Orientalium ad Symmachum epistola, evidentissimè prodet, quanto in salutis exitio, quanta in schismatis ruina se jacere intelligerent, quandiu à Romanæ communionis beneficio alienati erant: *Hæc diximus, sanctissime, ausi supplicare, non pro perditione unius ovis, neque pro perditione unius drachmæ, sed pro amica nobis salute, non Orientalium partium tantùm, sed trium propè plagarum habitabilis mundi, redemptarum pretioso sanguine agni Dei, sicut docuit beatus gloriosorum Apostolorum Princeps, cujus Cathedram beatitudini tuæ credidit Christus optimus Pastor; quem imitatus festina ad adjuvandum nos, &c. Quia non in liganda tantùm potestas est tibi data, sed in solvendo quoque diu vinctos ad imitationem magistri, &c. Ne majori tristitia absorptis nobis à Satana videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoratis ejus ingenium, qui quotidie à sacro doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere, non vi, sed sponte coactas: qui cum Paulo clamas nobis subjectis, & dicis: Non enim dominamur vobis in fide, sed cooperamur in gaudio.* Et statim ibidem: *Quare deprecamur disrumpi novum chirographum nostrum, sicut Christus vetus illud in cruce disrupit, &c. Si unus homo peccavit, quare toti Synagoge, aut magis toti habitabili mundo per anathema divinus furor incumbit? &c. Quare nos à vobis æstimamur hæretici, & in anathemate sumus nos, qui amplectimur illam Epistolam Leonis, & Synodum Chalcedonensem, &c. Per illum qui cunctam judicat terram, ne perdas justum cum impio, nec æqualiter judicentur à te orthodoxi & hæretici.* Testantur mox aliquos statuisse ab Acaciana communione secedere, & in exilia potiùs proficisci, sed ne Ecclesiæ confestim suæ hæreticis proderentur, substitisse & dissimulare: *Omninò autem qui videntur communicare orthodoxi, & qui se à communione abstinent, omnes post Deum tuæ lumen visitationis & assumptionis operimur. Quare festina juvare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum & Paulum ad illuminationem totius mundi Salvator direxit.* Denique ita deploratissimum Ecclesiæ suæ morbum dolent: *Non est ulcus, aut macula, neque plaga tumens, sed totum ulcus est à pedibus usque ad caput, &c. Vos jam boni medici, festinate ad curam*

reso-

resolutorum Ecclesiastici corporis membrorum, Agnoscunt Orientales se diro anathemate implicatos, non alio, quàm quòd exortes essent communionis Apostolicæ Sedis. 2. In universum orbem posse Pontificem primæ Sedis jactare hæc anathematum jacula, vel revocare. 3. Hanc potestatis amplitudinem à Petri primatu & successione efloresceré. 4. Desperatissimæ Orientis Ecclesiæ mederi unum posse Apostolicum Præsulem. 5. Non Synodum flagitant, non de æquitate sententiæ ejus, non de potestate ambigunt, sed indulgentiæ & veniæ plusculùm eblandiri laborant.

X. Jam Hormisda Pontificales insulas indepto, nihil intentatum reliquit Anastasius Imperator, & cum eo Oriens universus, ut ab eo pacem suis Ecclesiis exprimeret, interposita etiam Romani Senatus authoritate. Suis in Orientem legatis Pontifex mandavit, ne sacram, ne civilem etiam cum Græcis mensam communicarent, ante erasa infausta nomina. Ad eundem Archimandritæ & Monachi pepè innumeri secundæ Syriæ ab hæreticis divexati, rescribunt in hunc modum; *Quoniam Christus Deus noster Principem Pastorum, & doctorem, & medicum animarum constituit vos, &c. deprecamur condoleatis justè pro corpore laniato, nam Caput estis omnium, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, &c. Imitatores estote Domini, qui de cœlo super terram advenit quærere ovem errantem, Petrum illum Principem Apostolorum, cujus Sedem ornatis: & Paulum, qui est Vas electionis, qui circumeuntes orbem terrarum illuminaverunt, &c. Mercenarii Pastores, videntes lupos advenientes, dimittunt oves dissipari. Vobis autem veris Pastoribus & Doctoribus, quibus cura pro salute ovium commissa est, occurris ipse grex cognoscere suum Pastorem, &c. Anathematizamus omnes projectos & excommunicatos à vestra Apostolica Sede: Nestorium, &c. Eutychen, Dioscorum, &c. nihilominus & Acacium eorum communicatorem, & omnes qui unum illorum hæreticorum defendunt. Post Epist. 22. Hormisdæ.* Nihil magnificentius excogitari potuit, ut Caput, & Pastor universæ per orbem Ecclesiæ significetur esse Romanæ Ecclesiæ Antistes, vertexque fidei, & Ecclesiasticæ cardo unitatis.

XI. Evecto autem postea ad Imperium Justino Catholico Principe, haud mora Orientales Episcopi, & in primis Joannes Constantinopolitanus ad pacem ab Hormisda impetrandam erupere. Joannes quidem ad Hormisdam scribit, *Scribere igitur, Apostolice, & rescripta suscipere dignemini, &c. Tuam sanctitatem, & orthodoxas Ecclesias animo amplector, una tecum in veritate sentiens, & una tecum sperans, &c. Quoniam pacem vestram amplectimur, & de unitate sanctarum Dei Ecclesiarum curamus, rogamus vos pacificos viros destinare, & vestræ dignos Apostolicæ Sedis, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram suscipere: Post Epistol. 28. Hormisdæ.* Rescribit inter alia Pontifex, *Quid restat, nisi ut Sedis Apostolicæ, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione judicia? Et mox: Libellum, cujus continentia subter annexa est, à charitate tua subscriptum ad nos dirige, ut sine conscientiæ formidine unam communionem habere possimus. Epist. 29.* Eadem legatis mandavit in commonitorio: (*Post Epist. 31.*) ut nemini communicent, nisi Acacio damnato: eorum autem Episcoporum regiæ urbis, *qui ob defensionem Chalcedonensis Synodi exilio deportati sunt*, saltem abrasis nominibus de diptychis, Quid præstitum sit, declarat Joannes ipse Episcopus Constantinopolitanus in suo ad Hormisdam inscripto libello: *Una secum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos, renuo & ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & novellæ istius Romæ unam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ civitatis unam esse definio.* Tum Synodos amplectitur, damnatos damnat, subjungitque: *Quia non potest prætermitti Domini sententia dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio.* Et infrà: *Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicans omnia, quæ ab ipsa decreta sunt: propterea spero in una communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum: in qua est integra Christianæ religionis & perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedis Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Vides suæ dignitatis retinentissimum Joannem Constantinopolitanum Episcopum, primæ tamen Sedis authoritate fractum succumbere, & ejus jussis obtemperare. 2. Libello fidei & communionis Catholicæ, quem prima Sedes dictaverat, subscribere diu renisum Orientem, & jugum subire. 3. Profiteri Orientales non dogmata tantùm, sed judicia Sedis Apostolicæ incontanter sibi subeunda, & in ea Sede centrum regulamque & fidei & communionis residere. 4. In Apostolica Sede inviolabilem semper custodiri Catholicam religionem, perfectamque ejus soliditatem. 5. Id privilegii efflorescere ex eo Christi ad Petrum verbo, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. 6. A communione Ecclesiæ Catholicæ alienos esse, qui non consentiunt in omnibus Sedi Apostolicæ. De causis enim quibuslibet infinitæ quædam & seri & protrahi poterant lites. Pacì ergo firmandæ necessum fuit, fidei & communionis amussim uni alicui eminentissimæ Sedi alligari, & omnium maximè conspicuæ.

XII. Et rursus in Suggestione Germani & Joannis Episcoporum, aliorumque Hormisdæ in Orientem legatorum: *Quis explices, quas voces, vel in laude Principis, vel in Sedis vestræ, totius populi cœtus, & Cleri faver emisit?* Erasa narrantur nomina Acacii & sequacium ejus; Anastasii item & Zenonis, ut *cunctis in Apostolicam partibus communionem fidemque convenientibus perfectè, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia. Post Epist. 40. Hormisdæ.* Et mox in suggestione Dioscori: *Episcopus Constantinopolitanus in Palatio consuscepit à nobis libellum, & in primis quasi tentavit epistolam potius facere, quàm libellum. Sed non post multa certamina hoc convenit, proœmium modicum facere, subjungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictavit. Subscriptio ab eodem facta est libello conveniens, &c. Episcopi diversarum civitatum, quanti inventi sunt, libellum similiter obtulerunt, &c. Pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt. Apud quos Archimandritas & certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis, Sufficit quia Archiepiscopus noster fecit, nos factum ejus sequimur. Quid amplius? Post multa certamina ipsi quoque convicti, libellos modis omnibus obtulerunt.* Sequitur Justini Imp. ad Hormisdam epistola, subscriptum nuncians à Joanne libellum, Sacerdotes *Unitatem Trinitatis ipsos quoque unitate colere mentium:* erasa diptychis nomina Sacerdotum omnium, *qui primi contra constituta venerant Apostolica, vel successores erroris facti sunt.* Item quidquid Hormisda *per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitia divinitate, effectui cuncta sociata sunt.* Ex his & superioribus testimoniis abundè patescit, omnibus cum orthodoxis persuasissimum fuisse, omnes per orbem Ecclesias tam latè disseminatas, in unum tamen corpus, in unamque communionem convenire debere. Aliqui quid tantoperè vel Imperator, vel Joannes, vel Clerus Populusque Constantinopolitanus, vel Oriens satagebat de sua cum Romano Præsule concordia, ejusque communione adipiscenda? At unum non potest ex omnibus Ecclesiis compaginari corpus, nisi Capite constituto: non potest una constare omnium membrorum communio, nisi fons

ejus

ejus & radix in Capite collocetur. Ut enim præmonui, qualibet exorta controversia implacatæ fervebunt lites, nec unquam inducent in animum alii aliis concedere: dispensatione utendum illi contendent, contrà hi dicent: donec capitis authoritas intestinam discordiam componat.

XIII. Cum porro Civitates Orientis aliquæ pertinaciùs nomina retentarent Episcoporum suorum, non eorum, quos nominatim Hormisda expunxerat, sed aliorum eodem consortio attaminatorum: nec viderentur, nisi cruentissimis præliis posse ab hac contumacia dimoveri; utendum hic venia & dispensatione, apud eundem Hormisdam instantissimè prosequuntur Justinus Princeps, Constantinopolitanus Episcopus, Justinianus tum Comes, post Imperator. *Post Epist. 67. Hormisdæ*. Ut communionis Catholicæ custodem arbitrumque, & adhibendæ vel protelandæ circa eam dispensationis moderatorem fuisse Romanum Antistitem, hinc rursum indubitatissimè constet. Justini epist. sic habet: *Cetera clementiore quodam indigent moderamine, in nominibus Antistitum, non eorum, qui specialiter enumerati sunt in epistola, quam sanctitudo tua nobis destinasse nescitur, sed aliorum, quorum memoriam maxima civitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Qua propter legatis quidem tuæ sanctitatis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt. Omnis autem finis negotii vestro jam tantum pendet arbitrio. Ut solus pacem concludere debeat, qui prima rei commovit exordia*. Et Justinianus: *Pars Orientalium non exiliis, nec ferro, flammisque compelli potest, ut Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet. Quæ difficultas generali concordia moras innectit. Sanctitas itaque vestra cœlitus inspirata, temporum, rerumque qualitatem consideret, &c. Ne persecutionibus ac cruore, sed patientia sacerdotali populum Domino nostro concilietis: Ne dum volumus animas lucrari, & animas multorum perdamus & corpora. Errores etiam diuturnos lenitate, clementiaque convenit emendari, &c.* Vide eadem de re & Epiphanii Constantinopolitani Episcopi relationem ad Hormisdam, itemque aliam de electione sua, in qua hæc habet: *Est mihi oratio magnoperè uniri me vobis, & divina amplecti dogmata, quæ ex Beatis & Sanctis Discipulis & Apostolis Dei, præcipuè summi Petri Apostolorum, Sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius æstimare, &c.* Et infrà: *Ecclesiis sub me hac prædico, festinans per omnia eas mihi & vestræ beatitudini vinculo charitatis adunari. Quas omninò oportet esse unitas, & inviolabiles, & corpus unum communis Apostolicæ Ecclesiæ perpetuò custodire, &c. Quas vestra Apostolica Sedes condemnans in sacris diptychis recitare non jussit, eos nec ego inter sacra facio nominari mysteria.* Vides & hìc non singulatim quasque Ecclesias posse sibi de orthodoxa sua fide supplaudere, sed necessariò in unam cum aliis per orbem omnibus communionem consentire, & hujus Catholicæ communionis vinculum, & administrum esse primæ Sedis Antistitem. Ideo enim quos ille communione sacra movet, ubique terrarum ejiciuntur. Ideo Episcopi alii omnes non sibi ipsis tantùm suas particulares vincire satagunt Ecclesias, sed Romano quoque Præsuli, ut vertici totius corporis. Ideo, ut infrà dicemus, ubique terrarum in diptychis nomen Papæ coruscat.

XIV. Porro quod Orientis Ecclesiæ aliquæ præfractiùs reluctatæ sint, patet exinde non statim facta quælibet in juris legem trahi posse. Nam Justinus, Epiphanius, Justinianus confitentur errare illas Ecclesias, nihil intentatum se reliquisse, ut illas ad salubriora revocarent consilia; venia tamen sibi potiùs, quàm ferro utendum videri. Ergo jura sancienda sunt ut hìc, ita & passim alibi, non ex quorumdam contumaciùm obstinatione insuperabili, non ex conniventia piorum, sed ex eorum exemplis, sententiisque, quibus Ecclesiastica omnis applausit posteritas, quorum pietate fidei & communionis Catholicæ causa defensata & propagata est. Quorum enim obliterari nomina non patiebantur, eorum ut summum eadem erat causa, atque Euphemii, Macedoniique Episcoporum urbis regiæ, qui pro Ecclesiæ Catholicæ fide certaverant, exiliaque fortiter pertulerant. At horum quoque obducta sunt nomina, Romanæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Synodique consensu. Ergo hinc potius juris regulæ sunt exprimendæ. Ubi exertissimè elucet, quantum momenti sit in communione Ecclesiæ Romanæ, quantum in ejus jactura dispendii, cùm nec exiliis pro fide & præliis fortiter exantlatis elui possit macula ejus contemptæ.

XV. Quid majoribus interim nostris visum sit, seu Gallicanis Episcopis, de hoc Romanæ cum Orientali Ecclesia certamine, indagare operæ pretium est. Ita ergo Avitus Viennensis Episcopus *epistol. 87.* ad Hormisdam Papam, suo & Gallicanorum Episcoporum nomine percontabundus, scribit, illo præmisso: *Eutychetis igitur, Nestoriique damnatio, quos jamdudum per beatissimos decessores sanctæ Sedis vestræ calcavit authoritas, ad notitiam jampridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ protectione perlata est*. Reliqua enim inde nectuntur: Si rivuli fidei Catholicæ à Romano fonte ad nos defluant, ut & leges communionis indidem manent. *Sola hac causa servos vestros, filios meos, Alexium Presbyterum, & Venantium Diaconum, totius provinciæ Viennensis nomine, quæ Ecclesia ad me pertinenti ab universis decessoribus vestris & Apostolica Sede commissa est, cum præsentis famulatus pagina destinavit. Per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum prafatorum, qui intra Constantinopolitanam urbem vitio perniciosæ obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam vel Antiochenam Ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente docentibus, digna fuerit correctione restinctus*. Addit præterea: *Diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Romanæ Ecclesiæ jactare se Graciam. Quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur: ita metuendum est, ne callidè simuletur*. Denique quàm suspensi omnes Galliarum Episcopi essent ad inclinationes Sedis Apostolicæ, ira docet: *Quæsumus ergo servitio meo cuncti, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consulat, respondere debeam, instruatis. Et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam*. Vides in fidei & communionis disceptatione Gallicanam universam Ecclesiam incubuisse authoritati primæ Sedis; illi absolutissimè & incontanter acquievisse. 2. Etsi Alexandrina, & Antiochena, & Constantinopolitana Ecclesia adversùs Romanam conjurata insurgeret: fidenter tamen ab Episcopis Gallis pronunciari fœdum illud esse schisma, & ab Ecclesia Catholica deviare, quicumque à Romana dissentiant. 3. Quàm curiosi, & appetentes essent Orientales communionis Romanæ, inde liquidum, quòd suam cum Hormisda concordiam jactarent: & vererentur Galli, ne callida esset ea simulatio, qua suam communionem suffurarentur. 4. Uno docente Pontifice, restinguendum schisma sperabat cum Gallis Avitus. 5. Super statu fidei tota pendebat Gallia à sententia Pontificis, & oppressas à Synodis duabus Oecumenicis hæreses geminas, authoritate ejus prædecessorum oppressas sentiebat.

XVI. Quàm securus autem de Gallicanæ Ecclesiæ in Romanam devotione ageret Hormisda, ita ad Avitum referibens ipse significat: *Breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sapiùs nostra admonitia vas frequentat de conscientia vestra & fidei stabi-*

litate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis, satis est vitanda indicasse perfectis. Deinde circumstitarum Constantinopoli ipsi Ecclesiarum reditum in Romanæ Sedis communionem annunciat; *Ut autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere; plures Thracum, licèt prosequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa clariorem. Dardania & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis, ut sibi Episcopi ordinarentur, expetiit. In tantum se à consortio perditorum separare gaudentes, ut remedia quærerent, dummodo commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc est, Nicopolitanus Episcopus cum Synodo suâ nuper segregatus ab impiis, ad Apostolicam communionem deprompta, quæ efficeret, professione se contulit.* Vide & epist. Gelasii ad Rusticum Lugd. Episc. Spicileg. *tom.* 5. *pag.* 581.

XVII. Nec dispar fuit Hispaniensis Ecclesiæ in Petri Sedem veneratio. Ita enim *epist.* 51. scribit Hormisda ad omnes Hispaniæ Episcopos: *Inter ea quæ notitiæ nostræ Joannes frater & Coepiscopus noster, studio Ecclesiastice utilitatis, ingessit: hoc quoque pro affectu Catholicæ fidei, & Apostolicæ Sedis veneratione consuluit: quo ordine ex Clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio. Propter causam scilicet Acacii à prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati; in qua qui se ab ejus contagione non dividunt, à nostra communione habeantur excepti. Laudo propositum viri hoc zelo circa fidem & Apostolica instituta ferventis, ut nec per ignorantiam quidem quenquam cœno alieni erroris pateretur immergi. Ipsa est enim fidei innocentia, ut prævideat, ne vel casu possit errare.* Et paucis interjectis: *Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis popposcerit, ad eam posset admitti, secundùm quam & de Thraciæ, & Scythiæ, Illyricique partibus, vel Epiri veteris, sed & secundùm quod de Syria multos jam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, & devia declinare.* His subtexit libellum illum ipsum, quem per legatos Constantinopolim misit, cui Joannem Constantinop. Episcopum subscripsisse paulò antè recitavimus.

XVIII. Liberatus in Breviario *cap.* 18. damnatum narrat à Felice Acacium, *Patrocinante Imperatore usque ad mortem remansisse sacrificantem.* Tunc *separavit se Sedes Apostolica à Constantinopolitana.* Interea autem, *Calendion Archiepiscopus Antiochenus deponitur, Accusator in aperto tanquam indevotus Principi, mittens populum in rebellionem cum Ello, latenter autem, quia se non suspenderet à Felicis Papæ, & Joannis communione.* Moritur interim Acacius, *& ordinatur post eum Flavitas Presbyter, qui non consensit sine Romano Episcopo intronizari. Sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici.* Tum pertexit seriem Episcoporum, qui Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam Sedem occupavere usque ad Justinum Principem, eosque propemodum omnes Eutychiana fuligine imbutos fuisse demonstrat. Utpote à capite suo dissidentes, & à fidei communionisque principatu, in erroris avia facilè dilabebantur. Et victor Tunon. in Chron. *Justinus Imperator Orientales, propter pravos Pontifices, Acacium quondam Constantinop. Petrum Antiochenum, & Petrum Alexandrinum Episcopos, pristino errore implicitos, Occidentalibus Antistibus sub digna satisfactione conjungit, redivivaque facit Synodi Chalced. decreta, Zenonis & Anastasii Principum temporibus abdicata.* Disertiùs autem Africanæ sententiam Ecclesiæ propalabit Facundus Hermian. Episc. adversùs Mocianum: *Cum Acacius Constantinop. aliquid adversùs authoritatem Synodi Chalcedonensis auderet, non equidem decreto cum anathemate constituto, sed sola inimicis ipsius Synodi communione permissa: Prævidens Apostolica Sedes, quod sicut exitus docuit, hac remissio ad destructionem Concilii memorati pertenderet, (posteà quippe Zeno Imperator, qui eis communionem præberi mandaverat, à minoribus ad majora prosiliens, ipsum Concilium promulgato (previt edicto) eundem Acacium, quamvis prædicto Zenone resistente, damnavit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc usque damnatus est, &c. Quia igitur supradictus Zeno, Sedis Apostolicæ decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, & omnes Ecclesias in sui regni finibus constitutas idem facere compellebat; Anastasio deinde in Imperium & in præsumptionem similem succedente omnis Oriens præter admodum paucos, qui in illa multitudine occulti latebant, à communione Sedis Apostolicæ, per 40. fermè annos usque ad tempora Justini remotus permansit. Et cum quidam per istud tempus ejusdem partis Episcopi communionem Sedis Apostolicæ sibi & suis Ecclesiis postularent, non impetraverunt, donec Principis Justini temporibus Acacii damnationi subscriberent.* Et mox: *Quid igitur? Nunquid per tot annorum spatia non est inventus quisquam in Romanis sacerdotibus, à Felice Acacii damnatore usque ad Hormisdam, qui Orientis reconciliavit Ecclesias, inter quos fuerat etiam Beatus Gelasius, in sanctitate vitæ atque scientia per universum mundum celebrioris famæ gloria prædicatus, non est inventus vel in Romano Clero, Christiana plebe inibi consistente, vel in cunctis Occidentalibus Ecclesiis, &c.* Denique quod alibi retuli, subdit Romanam Ecclesiam *reconciliasse sibi alias Ecclesias, eas in communionem sub debita satisfactione recepisse, aliis pro facto schismate culpabilibus culpam dimisisse, &c.* Hic elucet 1. Africanam Ecclesiam perinde ut reliquas omnes Occidentales pro Ecclesia Romana adversùs Orientales militasse. 2. Exitiale authoribus hoc schisma fuisse, quo per annos 40. Orientales caruere Sedis Apostolicæ, & consequenter Occidentalium omnium communione. 3. Non magni sanè faciendum esse, si perdiu, si multi, si Orientalium omnium Ecclesiarum Præsules, summi & ipsi Principes contemnant Sedis Apostolicæ judicia, & communionem. Sed id perpendendum, inde jura & exempla sancienda esse, quòd post quadraginta annos resipiscunt, errores suos recantant, sub libelli satisfactione matrici Ecclesiæ Petri recolliguntur. Quod argumenti genus jàm sæpiùs adhibitum est, sæpiùs posthac adhibendum erit, quòd eadem vertigine rotentur semper hæretici, errantibus, quàm palinodiam canentibus plus fidei adjicientes. 4. Et illo annorum quadraginta schismate grassante, Eutychiana lues Ecclesias & Sedes Orientales penè omnes populata est; ut inde pateat, quàm providè Romani Antistites à communione hæreticorum ad eorum perfidiam lubricum fore & præcipitem lapsum præsenserint; quàmque necessaria singulis etiam remotissimis foret Ecclesiis communio cum Sede Petri, cujus alieni hæreticis statim deliramentis implicabantur. 5. In illo rerum æstu si qui se in bonam frugem reciperent, & quicumque demum omnes sub Justino resipuerunt, illis id unum ante omnia cordi erat, id omni contentione ambiebant, ut Sedis Apostolicæ communionem reciperent. Nam ut Acacii, ut sequacium ejus maculosa se communione abluerent, illud sanè ipsi refugiebant potiùs, id deprecabantur, id penè invictis extortum est; sed tanti communionem Sedis Romanæ fecere, tanti eam momenti duxere ad æternam salutem suam, ut eam damnatione etiam charorum sibi capitum redimerent. Non ergo sola damnati Acacii æquitas, sed communionis cum Capite Ecclesiarum cupiditas, & conscia necessitas ad hanc concordiam Orientales tandiu reluctatos arctavit.

XIX. 6. Nec aliam in causam refundi potest tam contumax Orientalis Ecclesiæ dissensio à Romana, quàm in Zenonis, Basiliſci, Anastasii Principum perfidiam. Id ex omnibus eorum temporum scriptoribus nitet. Ideo statim Justino ad Imperii gubernacula provecto, hoc est, obice amoto tyran-

norum,

norum, statim revixit, respiravitque in Apostolicæ Sedis communionem Ecclesia Constantinopolitana, quasi ipsa sibi, indolique suæ restituta. Ex comparatione autem Zenonis & Anastasii cum Justino, liquidum est, utris exemplis utendum sit ad contemnendam, vel ad omnibus anteferendam Petri Sedis communionem. 7. Denique ne tempestate quidem illa hæreticorum Principum Ecclesias Orientales perpopulante, adrepere Romanæ communioni destitere Episcopi Acaciani. De Flavita audivimus suprà Liberatum. De reliquis compluribus fidem faciunt annales sacri, & epistolæ ipsæ Pontificum. Macedonius urgente in damnationem Chalced. Synodi Imperatore, dixit, *nihil se facturum sine universali Synodo, cui Magna Romæ Episcopus præsideret*: ut docet Theodorus Lector *l.* 2. Denique ut scribit Evagrius *lib.* 3. *cap.* 21. cùm Vitalis & Misenus Constantinopoli communicassent memoriæ Petri Alexandrini damnatæ, *ea ratione multi simplices homines in errorem ab hæreticis inducti sunt, affirmantibus Petrum in communionem ab Episcopo Romano receptum esse*. Usque adeo vel populo ipsi Constantinopolitano præjudicatum erat, Catholicos esse, quibus Pontifex Romanus communicaret. Quod & exlætitiæ æstu proditur, quo efferbuit in occursum Legatorum Hormisdæ plebs Cleruſque Constantinopolitanus.

XX. Accedamus jam ad alia hujus doctrinæ præsidia, strictim tantùm attingenda. Gratianus & Theodosius Magnus hoc edicto quæ regula, quæ scatebra sit Catholicæ communioni declarant: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum. Cod. Theod. l.* 16. *cap.* 1. *l.* 2. Hos *Christianos Catholicos* dici jubent, reliquorum conciliabula *Ecclesias* appellari vetant. *Cod. Justin. l.* 1. *to.* 1. *l.* 1. Vides quo ex centro communionem & fidem Catholicam derivent? Nempe ex fide & Sede Romana Petri Apostoli, & Damasi ejus successoris: cui & Petrus Alexandrinus subjungitur, ut Marci successor, & Petri discipulus, & Damasi consentaneus, ad quem confugerat, à quo & restituturus fuerat, denique Orientalibus proximior, quorum fides propriori hac amussi erat expendenda. Cùm mox ergo lege sequenti (*Ibid. l.* 3.) Ecclesiæ tradi jubentur iis, qui communione fruuntur Nectarii Constantinop. Timothei Alexandr. Pelagii Laodicensis, Diodori Tarsensis, & aliorum complurium, qui ibi singulis è Diœcesibus nuncupantur: non id eò pertinet, ut tam multi cardines Ecclesiasticæ communionis constituantur; sed ut propè esset, nec longè requirendus, cujus arbitrio vel consensu Ecclesiæ concederentur. Distat enim inter utramque hanc legem 1. quòd priori inconcussum substernitur fundamentum, *Petri Apostoli religio Romanis tradita, & usque nunc ab ipso insinuata*. Secunda arbitraria est, nullo divino, nullo Apostolico documento fulta. 2. Prior latissimè patet, & universalem complectitur Ecclesiam, primam in Occidente, secundam in Oriente Sedem designans. Posterior solius Orientalis Ecclesiæ curam agit. 3. Ut in quolibet Episcopatu, in qualibet provincia constitui centrum unitatis conducit, nec satis est tamen, sed in qualibet etiam Diœcesi necessum est: ita necesse est & in universa Ecclesia. Ergo cùm antè ex Gratiani lege, de qua infrà copiosiùs agetur, traditæ essent iis Ecclesiæ, qui fide & communione Damasi gauderent; posteriori lege complures potuere Episcopi indigitari, ut fidei & communionis Catholicæ censores, utpote qui antè ipsi Romanæ se unitati Ecclesiæ conglutinatos approbassent. 4. Ad Gratianum Imperatorem scripserat Synodus Aquilejensis, in ea Ambrosius, adversùs Ursicinum Romanæ Ecclesiæ se intrudentem; Arianorum communione maculatum illum fuisse, & *quomodo fieri potest, ut eum quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ judicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes venerandæ commonitionis jura dimanant. Et ideò petimus & rogamus, ut obripiendi ei adimere dignemini facultatem*. Immò lege, communionis. Et hìc quoque fides & Sedes Petri, totius videlicet orbis Romani Caput, & ex qua ad omnes jura dimanant, declaratur, quàm inaccessa sit hæreticorum communione sorditatis.

XXI. Nihil in hanc rem luculentius edicto Justiniani ad Joannem Papam: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & ut decet Patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Quoniam nobis semper fuit magnum studium, unitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi Orientis tractus & subjicere & unire Sedi vestræ sanctitatis properavimus, &c. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur; ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Cod. l.* 1. *Tit.* 1. *l.* 8. Hæc Justinianus tum Imperator, adunationi Ecclesiarum, colophonem imponere laborans, cui Comes idem antè fundandæ & promovendæ insudaverat. Spectas hìc autem Apostolicam Sedem Caput esse Ecclesiarum omnium: ideò cæteras ei omnes etiam Orientis Ecclesias & uniendas & subjiciendas esse: nec quidquam in Ecclesia citra ejus conscientiam esse movendum. Joannes sanè Papa Justiniano rescribit: *Charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem: ad cujus authorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est, Pasce oves meas. Quam esse omnium verè Ecclesiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant*. Declarant, non constituunt, quod Domini voce constitutum suprà dixit.

XXII. Jam audiendus Hieronymus ad Damasum: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, &c. Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, &c. Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio, &c. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est, &c. Dignare scripta transmittere: simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes. Quia Campenses cum Tharsensibus copulati, nihil aliud ambiunt, quàm ut authoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent*. Et epistola sequenti ad eundem: *Monachorum circa manentium antiqua in me surgit authoritas. Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor beatitudinem tuam, per crucem Domini, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito, &c. ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est*. Cùm dublici Oriens dissidio scinderetur, cui ex tribus Antiochiæ Episcopis communicandum esset, & tresne in Deo hypostases, an una hypostasis & tres per-

personæ dicendæ essent : ad Cathedram Petri, ad Damasum confugit Hieronymus, nempe ut ad fidei & communionis Catholicæ fontem illimem. Primùm ergo etsi in utroque illo vado æstuare se, & alternare professus, Catholicum se tamen clamitat, quia Damaso jungitur fide & communione. 2. Doceri se à Damaso flagitat, cui è tribus Antiochenis Episcopis communicandum sit. Moderator ergo & regula catholicæ communionis erat Damasus, ut & dubii docerentur, quibus communicandum; & quandiu dubitarent, in ejus communione conquiescerent. 3. Tres ipsi Antiocheni Episcopi certatim se jactabant cum Damaso communicare. Intelligebant nempe ipsi momentum victoriæ in eo pendere. Et de uno eorum id si constitisset, ab hoc ambiguo absolutus fuisset Hieronymus. 4. Similiter & trium hypostaseon assertores, *nihil aliud ambibant*, quàm ut Damasi *communionis authoritate fulti*, sententiæ suæ publicandæ licentiùs indulgerent. 5. Totius prærogativæ hujus origo ex Cathedra Petri, ex fide Apostolico ore laudata : hæc enim arca Noe est; hæc domus una, intra quam agnus comeditur; hæc Petra, supra quam ædificatur Ecclesia. Qui in tanta luce cæcutiunt, næ sua illos exoculavit obstinatio. Nam complures alii passim erant Episcopi, extra schismatis suspicionem, sua singuli in urbe Cathedram soli assecuti, & eo sensu Cathedram Petri obtinentes; & nullum horum, tametsi loco proximiorem, nec tanta precum ambitione conveniendum, compellat Hieronymus; sed solum Damasum, cum quo de Cathedra contenderat Ursicinus : ut quem solum intelligat, plenè Cathedram Petri tenere, & fidem Apostolico ore laudatam, nempe Romanam : solum certatim ambiri à Vitali, Meletio, & Paulino: solum ab unius vel trium hypostaseon Patronis prehensari, ut ejus nutu inclinetur victoria. Et rursus idem Hieronymus adversùs Joannem Episcopum Hierosolymitanum ad Theophilum : *Preterea quod scribit nos pergere tecum Romam, & Ecclesiæ communicare ei, à qua videmur communione separati; non est necesse ire tam longè, & hic in Palæstina eodem modo ei jungimur.* Et infrà in alia rursus ad Theophilum *epist. Scito nobis nihil esse antiquius, quàm Christi jura servare, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Et in epistola ad Marcum Presbyterum Celedensem, adversùs eosdem trium hypostaseon confessionem extorquere importunius imminentes; *Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.* Et *in lib. de Script. Eccl.* de Marcello Ancyrano Episcopo differens, illum præfatus accusatum hæreseos à multis, ait, *Porrò ille defendit se non esse dogmatis, cujus accusatur; sed communione Julii & Athanasii Romanæ & Alexandrinæ urbis Pontificum se esse munitum.* Ubi vides etiam ex sua cum Petro Alexandrino Episcopo communione, fidem Catholicam sibi vendicare, & approbare adversariis : sed nimirum quia Romanæ conveniebat Alexandrina, & Romanam Apostolico ore laudatam fidem sectabatur, seu Arianis, seu Origenistis inimicam.

XXIII. Augustini sententia æquè expedita est. Nam *epist.* 162. ait Cæcilianum, *potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum; ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Viden, ut Cæciliano suffragetur adversùs conspirantes Donatistarum catervas communio cum Ecclesiis trasmarinis, & ante alias cum Romana Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus? Quia enim illi Ecclesiæ communicabat Cæcilianus, non communicabant Donatistæ, ille vicit, hi causa ceciderunt. Porrò ut præsidio erat Cæciliano communio cum aliis Ecclesiis, maximè cum Romana: ita singulis orbis Episcopis adversùs schismatum procellas subsidio semper esse debuit communio ejus Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. Ex quo nænias Novatorum videbis prolixiùs. Num enim & hic Apostolicam Petri Cathedram omnibus Ecclesiis principantem, ita ut in Hieronymi verbis, audebunt detorquere ad alienissimos sensus? Idem contra Lit. Petil. *l.* 2. *c.* 51. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua sedit Petrus, & in qua hodie Anastasius sedet? Vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? &c. Ait Dominus, Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, &c. Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis.* Et hìc vides, quàm constanter objectet hæreticis suam secessionem à Cathedris Ecclesiæ principalibus, quarum communione carent; maximè autem & ante alias etiam Apostolicas, à Romana, nempe in qua *sedit Petrus*. Cypriani mentem elucidavimus suprà. Prodeat hìc Ambrosius in Serm. de obitu fratris. Baptismi cupidus Satyrus, *advocavit ad se Episcopum, nec ullam putavit nisi veræ fidei gratiam : percontatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret. Et fortè ad id locorum in schismate erat regionis illius Ecclesia: Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione sejunxerat.* Hìc perspicis, cum Catholicis Episcopis communicare, non aliud esse, quàm cum Ecclesia Romana.

XXIV. Prosper lib. de Dimidio temporis *cap.* 5. *Ab Apostolorum consortio alieni inveniuntur omnes hæretici, qui relicta pace communionis, & Panis unius Dei, & Apostolorum, in suis non Ecclesiis, sed plateis prædicant, & eorum memoriis non communicant; separati à toto, Catholicum sibi nomen adsciscunt. Cum in ipsa Hierusalem Jacobus & Stephanus primus martyr, Joannes apud Ephesum, Andreas & cæteri per totam Asiam, Petrus & Paulus Apostoli in urbe Roma gentium Ecclesiam (in qua Christi Domini doctrinam erudierunt,) pacatam, unamque posteris tradentes, sanguine, memoriisque suis, ex Dominica passione sacrarunt. Huic generali Ecclesiæ communicans, Christianus est Catholicus. Ab hac segregatus, hæreticus est.* Ecclesias complures Apostolicas enumerat, sed unam cæteris eminentem, quam primus Apostolorum; quam alter secundùm illum primus; quam gentium Ecclesiam, quasi cæteri Apostoli Judaicas tantùm fundassent : quam non fundarunt solùm Apostoli, sed suo sanguine consecrarunt : quam suis memoriis adhuc illustrant. Cùm ergo communicandum sit *generali Ecclesiæ*, ut Christianus quis sit *Catholicus*, accommodatissimum est, ut ne per singulas discurrat, vel Ecclesiarum vertici communicet, vel cuilibet cum vertice communicanti. Idem Prosper juxta ac Augustinus debellati Pelagiani dogmatis laudem uni præ cæteris vendicat Apostolicæ Sedi, abscissosque ab Ecclesiæ corpore ejus defensores. Ex adverso autem Cælestini Papæ verba & authoritatem depromit idem Prosper ad propulsandos Augustini obtrectatores : *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque pro meritis, in nostra semper communione habuimus.* Quibus in verbis Cælestini satis est præsidii ad sinistræ suspicionis rumores omnes ab Augustino, ejusque libris summovendos.

XXV. Optatus alibi laudatus, qui *lib.* 2. ait : *Negare non potest scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, &c. In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, &c. Petro successit Linus, Lino Clemens, &c. Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum qua*

nobis

nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Quid his apertius? Etiam Apostoli in una Petri, nempe Capitis sui Cathedra unitatem servare debebant, ne singulas sibi quisque defenderent Ecclesias: unde & Apostolorum successores Episcopi Petri Successori Romano Episcopo per totum orbem communionis societate concordant. Denique apud Gregorium Magnum *lib.* 10. *Epist.* 31. hæc ejurandæ hæreseos formula præscribitur Episcopo redeunti: *Prona voluntate ad unitatem Sedis Apostolicæ divina gratia duce reversus sum, &c. Sub ordinis mei casu & anathematis obligatione, promitto semper me in unitate sanctæ Catholicæ Ecclesiæ & communione Romani Pontificis per omnia permansurum.*

XXVI. Medio ævo Alcuinus *lib. de divinis Officiis cap.* 40. *Quòd verò post generalem Ecclesiæ commemorationem adjungitur: Una cum famulo tuo Papa nostro, ipsius Ecclesiastici corporis unitas fortiùs commendatur. Quia religionis cultum sic Dominus instituit, ut in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret: atque ab illo, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare. Unde constat ab universi orbis communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione, inter sacra mysteria, Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant. Et Antistite nostro. Sicut enim universalis Ecclesiæ commemoratio propter unitatem societatis & pacis conjungitur commemorationi Apostolici Pontificis: ita dignum & religiosum est, ut singulæ Ecclesiæ commemorationem subjungant Antistitum, probantes se per illam orationem servare cum eis unitatem spiritus in vinculo pacis.* Igitur ex ipsa prece Sacerdotum ad altare, qua nihil magis sacrosanctum, constat cuique fideli enitendum esse, ut non solùm cum Episcopo suo, sed & cum Ecclesia Catholica, adeoque cum Romano Pontifice communicet, capite universæ Ecclesiæ, & successore Petri, *in quo religionis cultum Christus principaliter collocavit, & ab ipso, quasi quodam capite, dona sua in corpus omne manare* jussit. Verùm juvabit Gallorum longè plurium Antistitum sententiam edisce re ex voluminis Carolini *lib.* 1. *cap.* 6. *B. Hieronymus vir divinis legibus, & multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethlehemicis moraretur in arvis, & à B. Papa Damaso Romæ posito de difficilibus consuleretur quæstionibus, eum pro causa fidei versa vice consuluisse dignoscitur: & sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon, & quibus in Orientalibus partibus communicare debeat humillimis apicibus, ut apices accipiat, deprecatur. Mira res! Interrogat, à quo interrogatur: consulit, à quo consulitur: qui magistrum se in interpretandis divinis Scripturis sensit, in causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minimè erubescit: & cui sacræ legis quæstionum nexus enodat, utrum hypostases dicere debeat, & quibus in Oriente communicare, efflagitat. Unde datur intelligi, sanctos & eruditos viros, per diversas mundi partes, prædicationis & scientiæ lampade coruscantes, non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse: sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adjutorium imploràsse. Quod regulariter omnes Catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cujus sancta & veneranda communione multis recedentibus, nostræ tamen partis nunquam recessit Ecclesia.* Ubi vides fidei & communionis cognationem. Vides Hieronymum etsi Ecclesiasticæ totius sapientiæ penu quoddam inexhaustum, & ab ipso Romano Pontifice in cæteris quæstionum nexibus consuli solitum: *in causis fidei* tamen, & *quibus communicare* oporteat, vicissim se discipulum profiteri Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, ut *quæ non habet maculam, neque rugam*: ut quæ *post Christum* ad muniendam fidem adeunda est. Vides in Hieronymo, & Augustino, quem Romanæ ipsum etiam Ecclesiæ communio adversùs posthumas calumniatorum inimicitias tutata est: in utroque inquam isto Ecclesiæ sydere explenduisse, quid inter apicem eruditionis & apicem authoritatis intersit. Vides denique nusquam Gallicanam Ecclesiam à Romanæ Ecclesiæ communione recessisse. Et Ratramnus contra Græcorum opposita *lib.* 1. *cap.* 1. *Quod culpare nituntur Græci, non solùm Romanam, verùm omnem Latinam Ecclesiam, &c. Nonne se hæreseos pravitate condemnant, & ab Ecclesiæ communione removent?* Et *lib.* 2. *cap. ult. Cur à communione se dividunt Græci, quam semper tenuere majores? &c. Sciant quia cum Romanis suos quoque judicent majores: & dum Romanos sua cupiunt communione privare, se pariter excommunicent à suorum societate majorum, & nulli probentur Ecclesiæ communicare Catholicæ, dum Romanæ communione sese faciunt alienos. Hoc factum cujus sit mali, citò considerent, & errorem corrigere suum non differant; ne si Romanis communicare noluerint, ab universa Ecclesia Catholica se paveant excommunicandos.* Quid explanatius dici potuit? Adde his Hincmarum, (*Tom.* 2. *Opusc.* 17. *pag.* 258. 259. *& Opusc.* 41. *p.* 693. 698.) quo nullus juris Ecclesiastici arcana penetralia altiùs rimatus est. Is ad Nicolaum Papam scribens sibi subiratum: *Modis omnibus quantùm Deus donaverit, providere studebo, ne à communione Sedis Apostolicæ, quod absit, quolibet modo extorrem me ultimus dies, qui mihi incertus est, & subitò venire potest, inveniat.* Et paulò post: *Qui quare Dominus in Evangelio Centurianis fidem laudet, dicentis, Dic verbo, & sanabitur puer meus: intelligit, quàm operatorium sit Episcopi, immò sicut in Paulo, in se loquentis Christi: quanto magis Pontificis Apostolicæ Sedis verbum, & quàm obedienda sit ipsius præceptio, etiam sine ulla admirationis adjectione cognoscit.* Idem ad Hadrianum Nicolai successorem scribit summoperè se exhorruisse, quòd in se unum *tantam comminationem intentarit*, nempè de abscindenda *participatione communionis suæ*, nisi sequestraret se à communione & consortio Caroli Regis in obstinatione sua persistentis: cùm reliquos Episcopos in eadem causa positos Pontifex *tantum monuerit, increpuerit, redarguerit, instruxerit.*

XXVII. Denique Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in Concilio anno 1072. ex Guillelmo Malmesbur. *lib.* 1. de Gestis Pontificum Anglorum hæc peroravit, ad hujus rei, quam versamus, elucidationem accomodatissima: *Præterea quod valet in toto, valet in parte. Quod valet in majori, valet in minori. Romana Ecclesia quasi totum est omnium, cætera Ecclesiæ quasi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, & tamen unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas: ita quodam respectu Sedes Romana est genus, & totum omnium Ecclesiarum: & tamen in unaquaque Ecclesia totius Christianæ fidei tota regnat integritas. Ipsa est major omnium Ecclesiarum, & quod in ea valet, debet & valere in minoribus.* Ita ille longè alium in scopum collimans. Sed eo constituto, quòd Sedes Romana sit quasi genus & totum omnium Ecclesiarum: non secùs quàm Caput, membrum cùm sit, membrorum tamen omnium quodammodo totum est, & totius instar ac vice est: inde dilucidum fit, qui universæ Ecclesiæ communione vel frustretur, vel potiatur, quisquis Ecclesiæ Romanæ pace vel gaudet, vel spoliatur.

XXVIII. Nec ab his abludit Nicolaus de Cusa *epist.* 1. *Sensibilem Ecclesiam sensibile Caput habere convenit, & ob hoc Caput hujus Ecclesiæ sensibile est Pontifex, qui ex hominibus assumitur, in quo est hæc ipsa Ecclesia complicativè, ut in primo uno Confessore Christi. Petrum autem primum Christi Confessorem scimus inter homines, & ob hoc Petrus à confessione Petræ quæ Christus est, nomen accipiens, complicatam*

in se Ecclesiam explicavit, verbo doctrinæ, primò omnium. Ita ergo & totum Ecclesiarum est Sedes Petri, quà caput omnium, & omnes complicans in sese, omnes ex se explicans, atque ita in consortium suæ communionis omnes pertrahens. Et *ep.* 2. ad Bohemos: *Jubet Augustinus, si scire velis, an in Ecclesia existas, hac vestiges ratione, si Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones in Petrum continuatur, &c. Cum populus adhærens Pontifici, particularem constituat Ecclesiam, & cum unus sit per orbem principatus, qui suo priori adhærere debeat, Romanæ scilicet Sedi: erit necessariò Catholica Ecclesia illa, quæ prima Sedi Petri adhæret. Et licèt sæpè multi schismatica divisione ab illa Romana Ecclesia recesserint; nunquam tamen fuit, quin major fidelium numerus in unitate illius Romanæ Ecclesiæ, ex fidelibus & primo Episcopo compacta, perseveraret. Quare in ea nostræ saluti necessaria remansit hactenus & remanebit veritatis columna. Hujus stabilis veritatis exempla plura legimus, quoties alia Ecclesiæ, maximè Constantinopolitana à fide erraverit; & ab ipsa Romana, fatua præsumptione se abscideriț; & demum ad unitatem ipsius & obedientiam reducta sit. Ita de Alexandrina & aliis Patriarchalibus Sedibus paria plura inveniet. Nullum tamen eorum de Romana Ecclesia, aut quòd ipsa unquam à fide erraverit, aut per quamcumque Sedem fuerit reducta, comperiet. Sed sicut alia ab ipsa aliquoties recesserunt, in erroremque ceciderunt; ita per principatum fortissimum Petri, debiles demum confortati in fide, ad ejus unionem reducti sunt. Unde infallibilitatis refugium est, in unione esse cum Principe in Ecclesia, qui omnis principatus spiritualis, tam Petri inter Apostolos & Judæos, quàm Pauli inter gentes successor, utriusque potestatem habet*. Ubi perspicis totum hoc à Petro privilegium in ejus Sedem redundare, seu à verbo Christi Petro principatum largientis inter Apostolos. 2. Sæpè & Constantinopolitanam & Alexandrinam, & alias Sedes, Ecclesiasque illis adunatas, à Romana Ecclesia secessisse; sed & ipsas tunc plerumque à fidei orbita deflexisse, & tandem ad unionem cum Romana matrice Sede resipiscentes properasse. 3. Numquam Romanam, ceu à fide, vel ab unitatis Ecclesiasticæ compage divulsam, ab aliis Sedibus revocatam emendatamque fuisse. 4. Quamvis quatuor aliæ Sedes aliquando à Romana desciverint, ut in Acaciano furore; multò majorem tamen fidelium multitudinem toto in orbe in consensione Romanæ Ecclesiæ permansisse, atque ita eandem semper extitisse Catholicam Ecclesiam ac Romanam. Nam Occidens solidus Romanæ Sedi indivulsis nexibus semper adhæresceba. Orientis autem complusculi semper Episcopi, Clerici, Monachi, fideles, antiquæ fidei & communionis tenaciores, ab Orientalibus ipsis Exarchis & Patriarchis suis, quàm à Romano Pontifice malebant divelli; eaque in causa, nec sanguini aut vitæ parcebant. 5. Et ita alibi ex Gelasio & Nicolao Pontificibus ostensum, solo Romanæ Sedis dissensu vel consensu, seu Romanæ communionis concessione vel abscissione, Synodos sententiasque Orientalium olim vel ratas, vel irritas habitas esse. Cæcilianus, Athanasius, Chrysostomus, Flavianus, Africæ atque Asiæ communione exturbati, Sedibusque ejecti, intra suæ illos communionis gremium Romana usque fovente Ecclesia, & Catholici semper & Episcopi habiti sunt; idque vel ipsæ etiam, quæ eos damnaverant, Sedes tandem confiteri sunt compulsæ. Ex adverso Acacius, Petrus, Euphemius, Timotheus, Macedonius Romanæ communionis gratia expoliati, tametsi tota illis Orientalis Ecclesia communicare pertinacissimè contenderet, expuncti tandem ubique terrarum fuere sacris fastis. Nec aliter fides æquitasque seu per Orientem, seu per Occidentem, nisi hoc Romanæ communionis vinculo, potuit contineri. 6. Ideo Cusanus rectè ait, *infallibilitatis refugium* esse, ut in unione sit quis cum Petri & Pauli successore, hoc est, cum universa ex Judæis & Gentibus sociata Ecclesia. Quod ut majoris adminiculo authoritatis fulciatur, & à recentioribus ad antiquos scriptores, abs Latinis ad Græcos, nos referamus, unus huic disputationi in cumulum accedat Irenæus, & Gallos suos antiquissimo & sinceriissimo illo Apostolicorum temporum lacte imbuat. Ita ille *lib.* 3. *cap.* 3. *Quoniam valdè longum est in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio*. Omnem Ecclesiam convenire, hoc est, communicare necesse est Romanæ Ecclesiæ, ob potentiorem principalitatem, quia videlicet fundata est à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, ideoque maxima est, antiquissima & omnibus cognita: & omnes heterodoxi, ex eo quòd huic Ecclesiæ dissentiant, confunduntur.

XXX. Unum video à Novatoribus prætentari maximè Meletium Antiochenum Episcopum, qui cùm exors Romanæ communionis excessisse vivis jactetur, non Catholici tantùm nominis gloria, sed & sanctitatis eximia laude floruit tamen, & vel ipsius Ecclesiæ Romanæ suffragio celebratur. Ex adverso autem Paulinum Meletii in eadem Sede æmulum, & Græci Patres convitiis proscidere, & Romana Ecclesia nullo defunctum honestavit encomio, etsi dum in vivis ageret, suæ communionis consortem. Gregorius Nyssenus orat. in funere Meletii habita in Synodo II. Oecumenica, memorata charitate Ecclesiæ Antiochenæ in sponsum suum Meletium, & mox, in exilium eo acto, viduitate: subdit, *Jam multum temporis interceserat, cum quidam adulterandi animo, immaculatum lectum conjugalem aggreditur. Sed sponsa non poterat corrumpi*. Ubi sponsum Meletium, adulterum Paulinum vocat. Chrysostomus autem hom. de anathemate: *Putasne rem parvi momenti esse, ante judicem, ante judicii tempus aliquem condemnare? Anathema enim omnibus modis à Christo separat. Ad hæc quid respondent illi malitiæ potentes? Hereticus, ajunt, ille factus est, inhabitantem habet Diabolum, adversùs Deum injustitiam loquitur, multos in profundum perditionis abduxit eloquentiæ suæ efficaci suadela & deceptione, & propter hoc à Patribus ejectus est, maximè hujus magister, qui partem Ecclesiæ abscidit, Paulinum vel Apollinarem designantes*. Quantis ex adverso præconiis cumularit Meletium Chrysostomus, nulli incompertum est. Cùm vel maximè Martyrologio Romano memorentur Nyssenus & Chrysostomus, Meletium eximiis & meritis laudibus exornasse.

XXXI. Illud ergo accuratiùs hic perscrutandum, an Romanæ communionis Ecclesiæ expers fuerit Meletius. Et Theodoreto primùm accommodandæ aures, qui *lib.* 5. *hist. cap.* 12. de Gratiano hæc scribit: *Imperii quasi primitias omnium gubernatori Deo obtulit. Nam conscripsit legem, qua jubebat tum Pastores ejectos in exilium redire, suisque gregibus restitui; tum sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur. Hic Damasus Episcopus Romanus fuit, &c. qui quoad ejus fieri poterat, doctrinam Apostolicam assiduè tutatus est, &c. Ut autem ea lex majorem haberet authoritatem, misit ducem Saporem, &c.* Et *cap.* 3. *Quamquam verò istud mandatum apud singulas gentes*

sine

sine contentione conficiebatur; tamen Antiochiæ, discordiæ flamma incensa est. Doctrinæ Apostolicæ propugnatores erant in duas partes divisi. Quarum una statim post insidias contra Eustachium magnum comparatas, Arianam nequitiam detestata, conventus separatim egit, Pauli numque habuit Antistitem. Altera post Euzojum ordinatum Episcopum, ab impiis Arianis se unà cum Meletio viro insigni segregans, sapientissima Maletii doctrina gubernata est. Porrò Apollinaris Laodicensis alteri jam parti se ducem præbuit, qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videbatur, paulò post tamen se ejusdem adversarium esse palam prodidit. Et infrà: *Adventante Antiochiam Sapore, cum legem Gratiani ostendisset, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat morbo erroris sui occultato Apollinaris. At divinus ille Meletius se & quietè gessit, & ab eorum contentione continuit. At Flavianus, qui tunc ex numero adhuc Presbyterorum erat, duce Sapore audiente, ad Paulinum sic verba facit; Si Damasi communionem, ò amice, amplecteris, nobis tuæ & illius doctrinæ consensum manifestè commonstra. Nam ille unam Trinitatis usiam confitetur, tresque hypostases palam prædicat: at tu hypostaseon trinitatem tollis. Deinde ad Apollinarem: Demiror te tam manifestè veritati repugnare, cum certò scias, Damasum virum sanè admirabilem affirmare perfectam nostram naturam à Deo Verbo assumptam esse, &c. Denique Meletius Paulinum compellat his verbis: Quoniam & mihi istarum ovium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum suscepisti curam, ipseque oves inter ipsas veræ pietatis communione consentiunt: greges, ò amice, concordiæ vinculis conjungamus, & contentionem de primatu dirimamus, &c. Ponamus in Sede librum Evangelii, & utrimque nos sedeamus. Quod si ipse prius è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis. Sin autem tibi illud contigerit, ego rursus curam ovium pro virili geram, &c. Paulinus non acquievit, &c. Dux Sapores eorum quæ utrinque dicta erant, judex constitutus, magna Meletio Ecclesias tradidit: Paulinus autem ovium quas ab initio à reliquis segregaverat, Antistes permansit.* His addenda quæ epistol. Hieronymi ad Damasum supra descripsimus.

XXXII. Palam est ergo 1. quamvis lex Gratiani superiùs relata, Ecclesias dari jubeat communicatoribus Damasi Romani, & Petri Alexandrini Episcopi: solius tamen Damasi meminisse Theodoretum, & toto Oriente solius Damasi communionem in laude & dignitate fuisse. Usque adeo Petri Apostoli quàm Petri Alexandrini dignitas & Sedes venerabilior omnibus orthodoxis erat, quod & Gratiani lex insinuaverat. 2. Inane est, quod garriunt regiæ urbis suæ Episcopum à Gratiano cæteris antelatum. Nam disertè ipse in sua lege Petri Apostoli rationem à se haberi memorat, & Theodoretus, Flavianus, Meletius in ea re suprà Damasi laudes celebrant, non regnatricis urbium Romæ. 3. Peræquè insulsum est, quod iidem blaterant, ideo Damasi communionem hoc honestatam privilegio, quòd eum constaret evidentiùs de fide Trinitatis rectè sentire. Nam primò quidem illud ipsum est summum Romanæ Sedis decus, quòd ejus fides intaminatior & splendidior toto orbe radiaret, non sub Damaso tantùm, sed jam inde à Synodi Nicænæ ævo, & postea similiter adversùs Macedonii, Nestorii, Eutychetis novitates; cum cæteras omnes Sedes suo subinde contagio varia hæresum monstra afflaverint. Deinde cùm de fide Trinitatis digladiarentur omnes Orbis Episcopi, & in sectas tam diformes secarentur: qui constabat limpidiores fidei latices manare ab ore Damasi, nisi ex præjudicio Sedis ejus? Ad hæc erant & alii complures in Oriente etiam orthodoxi Episcopi. Adde quòd nec Damasus usquequaque arrideret omnibus Orientalibus orthodoxis, ut qui tres hypostases in Deo confiteri, vel reipueret, vel contaretur; tres malens personas affirmare, hypostasis autem nomine essentiam significare unam. 4. At quoniam post Synodum Alexandrinam constabat, eam nominum magis quàm sententiarum rixam esse, ideo toto Oriente *sine contentione* Damasi se communioni adhærescere professi sunt Catholici omnes Episcopi. Ubi autem invenies, Orientalis alicujus Episcopi communionem, Occidentalibus & ipsi Romanæ Sedi ostensam, præscriptamque fuisse, veluti amussim, ad quam eorum fides recta expenderetur? 5. Communicare se cum Damaso Meletius ipse professus est, cùm ejus fidei se subscribere, cùm Paulini ejus communicatoris fidei se suasque oves consentire dixit, cùm denique Ecclesias à Sapore recepit, ex vi utique legis, Damasi communicatoribus tradi eas sancientis. 6. Idem Hieronymus in epistol. ad Damasum perhibet: *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.* Et in epist. priori ad eundem: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Usque adeo enim de Damasi communione confidebat, seseque venditabat Meletius, ut illum à Paulino nil discernere posset Hieronymus, etsi illis ipsis in regionibus jamdiu degeret, & eo scrupulo pungeretur jam olim. 7. His quæ à Theodoreto narrata sunt, assuenda sunt hæc ex Socrate *lib. 5. cap. 5. Diximus antea Paulinum Antiochiæ Episcopum propter eximiam pietatem in exilium minimè ejectum esse. Meletium primùm à Juliano in patriam accersitum, deinde cum à Valente denuo esset relegatus, regnante Gratiano revocatum. Qui cum rediret Antiochiam, Paulinum reperit jam senio propè confectum. Confestim itaque omnes qui favebant Meletio, operam dedere, ut cum Paulino Sedis Episcopalis particeps fieret. Cùm autem Paulinus diceret contra Ecclesiæ Canones esse, ut quisquam ab Arianis ordinatus ad Sedem Episcopalem participandam admitteretur, populus vi rem conficere statuit. Atque in Ecclesia quadam in suburbiis sita illum in Sede Episcopali collocant.* Subjicit tandem utrisque convenisse, ut candidati Sedis Antiochenæ lex omnino, inter quos Flavianus erat, *jurejurando astringerentur, ut nemo illorum Episcopatus administrationem tum capesseret, dum alteruter ex his duobus, Meletium dico & Paulinum, è vivis exiret: sed ei soli qui supereffet, demortui locum obtinendi faceret potestatem.* Ita pacata ea discordia est. *Ob quam causam qui à Lucifero stabant, ab Ecclesia recessere, quòd Meletius ab Arianis ordinatus, ad Episcopatum admissus esset.* Et infrà *cap. 9. Meletius decessit è vita. Qui addicti ei erant, à Paulino gubernari noluere: sed in locum ejus Flavianum constituere. Unde populus de integro dissidere cœpit. Et propterea Ecclesia Antiochena denuo non propter fidem, sed propter Episcopos divisa fuit.* Manifestum ex his est, Meletio & Paulino, & utriusque gregi refartam fuisse tandem concordiam, revectamque pacem ea lege, ut alteri præmortuo unus succederet alter superstes. Ergo cùm per illud pacis serenum Meletius ex hac mortali vita migrarit, communione utique Damasi Ecclesiæque Romanæ ad mortem usque gavisus est. 8. Eadem totidem ferè verbis describit Sozomenus *lib. 7. capit. 3.* At *cap. 10.* Meletii morte & sepultura memorata: *Eligitur in illius locum Flavianus præter datum jusjurandum. Adhuc enim Paulinus in vivis erat. Ex eo igitur maxima rursus perturbatio Antiochenam Ecclesiam corripuit. At plurimi se à Flaviani communione abstraxerunt, & privatim sub Paulino conventum egerunt. Quin & ipsi inter sese sacerdotes ob hanc rem contendebant. Atque Ægyptii quidem, & Arabici, & Cyprii velut ob Paulinum injuria affectum stomachabantur. Syri verò Palestini, ac Phenices, tum etiam ex Armenis, ex*

Cappadocibus, ex Galatis, ex Ponticis plurimi pro Flaviano stabant. Non minimè autem indignatus fuit Episcopus Romanus, & cum eo cuncti sacerdotes Occidentales; & Paulino quidem seu Episcopo Antiochiæ consuetas scribebant epistolas, quas Synodales appellant; ad Flavianum verò silentium agebant. Et hinc vides Damasum Meletio communicasse, saltem post illam cum Paulino initam concordiam, legemque de reciproca successione; nec nisi post Meletii mortem subjecto Flaviano recaluisse sopitas dissensiones: & ne tum quidem Flaviano ademptam funditùs Ecclesiæ Romanæ communionem, sed ejus prævaricationem silentio solo, & literarum synodicarum denegatione tum vindicatam. Si Flaviano autem, qui nefariè successerat, communicabatur; multò magis antè Meletio, qui jure successurus admittebatur. 9. Et Theodoretus quidem Meletio, Flavianoque inclinatior, quàm par esset, pacem illam Meletii Paulinique silet, & juramentum à Flaviano ipso interpositum, & violatum; & idem tamen *lib.* 5. *cap.* 23. prodit placatos tandem Occidentis Episcopos, *promisisse se simultatem deposituros; & legatos, qui à Flaviano mitterentur, admissuros. Qua re intellecta, Flavianus Episcopos quosdam illustrissimos, Presbyteros etiam Antiochiæ & Diaconos Romam misit. In qua legatione principem locum tenebat Acacius Episcopus Berrhææ oppidi Syriæ, vir omnium ore ac sermone passim celebratus. Qui unà cum ceteris Romam adventans, inimicitias ad decem & septem annos continuatas extinxit, Ecclesiisque pacem restituit. Qua re audita, Ægyptii quoque odia sedato, sunt concordiam amplexati.* Ergo quod suprà ex Facundo Hermianensi adnotatum est, non Romana Ecclesia Antiochenæ, sed Antiochena Romanæ pacem pleniorem ambiit, impetravit, missaque legatione amplexata est; & tenuissimum illud excommunicationis vestigium, quod literarum & legatorum interruptione constabat sola, cum in reliquis omnibus illæsa perpetuaretur communio, ambitiosè expunxit. 10. Ad fidem nihil hæc certamina attinuisse adverterunt Scriptores suprà laudati, & nemini non exploratissimum est. Nulla Romanæ Sedis Synodive sententia impetitum esse vel Meletium vel Flavianum, perinde ex iisdem certum est, Nusquam ergo abrupta ab his est Ecclesiastica Romanæ Sedis communio. Quin immò in Capuana Synodo an. 489. id decretum est, *ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem*, ut ait Ambrosius *epist.* 78. de causa autem inter Flavianum & Evagrium Paulini successorem cognosceret Theophilus Episcopus Alexandrinus. Eadem etiam epistola Ambrosius *Fratrem* Flavianum identidem appellat, idque unum maximè Theophilo commendatum esse vult, ut *servetur imperita pacis gratia inter universos*. Addè legem Gratiani suprà laudatam de sola Damasi fide omnibus amplexanda meminisse, cui quoniam conjunctissima communio est, eam de communione Damasi interpretatus est Theodoretus. Nec injuria. Cum Patres Concilii Chalcedonensis in Prosphonetico ad Marcianum hæc confirment: *Damasus quoque Romanæ urbis decus ad justitiam, literis ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit: admonens, ut his quæ bene sunt decreta, si qui communionis suæ participes velint esse, consentiant.* 11. Minùs ergo mirandum, si Orientales Episcopi sanctissimi quique Meletio communicarent, cum & ille præ se ferret communionem cum Damaso suam, & nihil de fide ambigeretur, & possent satis bellè in eadem urbe duplicis gregis curam gerere duo Episcopi; quod alioqui præter Canones est, necessitate dispensari cogente. Porrò si non facta tantùm, sed jura trutinari libeat, constat Meletium ab Arianis ordinatum in initiis Episcopatus sui claudicasse. Constat Eustathianos qui Paulino obaudiebant, longè inculpatissimum fuisse Ecclesiæ Catholicæ Antiochenæ agmen. Constat denique Flavianum infracti sacramenti culpam nunquam satis eluere potuisse. Ideo Athanasius, cujus judicio assentiendum utique est, Paulino semper communicavit, ut apud Facundum Hermian. *lib.* 2. *cap.* 2. Monachi Nitriæ testantur, in epistola adversùs Apollinarem scripta: *In tantum nos contempsit, ut auderet suis literis accusare irreprehensibilem & religiosissimum Archiepiscopum Antiochiæ Paulinum, qui semper communicavit cum Beato Papæ nostro Athanasio, & omnibus in Occidente orthodoxis Episcopis.* Qui idem Facundus *lib.* 8. *cap.* 5. ex Domni Antiocheni Episcopi epistola refert, & approbat dici *sanctum Meletium, à cujus nomine Ariani nos Meletianos appellant.* Domni autem verba hæc sunt: *Dei autem homo sanctus Meletius, à quo appellationem habent apud nos Apostolicorum custodes dogmatum: Meletianos enim nos vocant Arii sectatores.* Itaque & Paulino & Meletio perinde favet Facundus, favebat Athanasius, favit Oriens, Occidensque: etsi ob illam de Episcopatu concertationem, legati & literæ formatæ non ab utroque ubique admitterentur: quod salvo fidei & communionis Catholicæ vinculo utcumque fieri posse nemo non videt, & disertè ex Ambrosio docuit Synodi Capuanæ decretum. Quod autem Theophilus nec Evagrio, nec Flaviano *communionem sociasset*, ut Ambrosius eadem epistola 78. testatur; id contigerat, quia & Evagrii causa vacillabat, utpote qui ab uno Paulino esset ordinatus; unde ibidem ait Ambrosius, *utrumque alienæ magis ordinationis vitiis, quàm suis bonis fretum fuisse.* 12. Quin & Basilius ipse omnium Princeps in causa Meletii adversùs Paulinum tuenda, non tamen à Paulino abhorruit, ubi illum Damasi literis munitum intellexit; illum autem Meletio adversari ita interpretatus est, quòd ejus causam, utpote tam procul, minùs exploratam haberet. *Epist.* 349. ad Terentium: *Non admiror istud. Quidam enim omnimodò ignorant ea, quæ in istis sunt partibus. Quidam autem etsi videntur scire, concertando magis, quàm veritatem dicendo, eis referunt, &c. Verumtamen quia nullum accusamus, oramus autem magis ad omnes habere charitatem, & maximè ad domesticos fidei, congratulamur iis, qui apportaverunt de Roma literas; & si magnam aliquam & venerabilem habent eorum testificationem, & oramus illam veram esse, & ex operibus ipsis confirmari. Non autem propter hoc possumus nobismetipsis aliquanda suadere, quia Meletium ignoremus, ut eam, quæ sub ipso est, Ecclesiam oblivisCamur, &c.* Utrique ergo, etsi Meletio impensiùs, bene se velle docet Basilius: quodque Meletio minùs studeat Damasus, id tribuit mendacio rumorum ad eum perlatorum, & surreptioni partium. 13. Ita & Nazianzenus utrisque partibus se communicare, non obscurè demonstrat *orat.* 32. quæ Constantinopoli est habita coram 150. Patribus: *Quomodo sacrum hoc bellum feram? Quomodo hos adversis thronis insidentes, atque adversas in pascendo grege partes foventes connectam, populumque cum ipsis abruptum, &c. Nec populum solum, sed etiam orbis terræ segmenta, eodem cum dissidentibus affectu commota, ita ut jam in duas contrarias partes Oriens Occidensque secreti atque divisi sint; nec jam minùs animorum & voluntatum, quàm finium segmenta esse videantur? &c. Senectutis me pudet, cum aliarum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi.* Et paulò ante finem, *Vale Oriens & Occidens, pro quibus & à quibus oppugnamur; testis ille est, qui pacatos nos reddet, si nonnulli secessionem meam imitentur. Non enim Dei quoque jacturam facient, si thronis cesserint; sed supernam cathedram habebunt, his multo sublimiorem, & tutiorem.* Quibus adde quæ in carmine de vita sua prosequitur, quantum studii scilicet posuerit, ut functo Meletio successor ne daretur, sed Paulinus jam grandævus sineretur Antiochenam solus Ecclesiam administrare. Palàm hinc est concordiæ illum studuisse, Meletianorum &

Eusthą-

Eusthatianorum nomina perinde abhorruisse ac dissidia, atque ab Oriente Occidenteque oppugnatum esse, quòd pro utroque ipse pugnaret. Ita enim usuvenit, ut qui utrique faver parti, utramque adversam experiatur.

XXXIII. Quæ cum ita habeant, frustra sunt Novatores, cum exemplo unico Meletii ferociunt adversùs Romanam Ecclesiam, ut ejus communionis exortes probent sanctitatis nihilò seciùs laudem assecutos esse. Constat enim ex antedictis Meletio superstiti communicasse Romanam Ecclesiam, & Romanæ fautores Ecclesiæ in Oriente. Quod autem Gregorius Nyssenus adulterum appellet eum qui exulantis pro fide Meletii Sedi incubabat, nequaquam id ad Paulinum pertinet; sed vel ad Euzojum, qui Arianorum, vel Appollinarem, aut potiùs Vitalem, qui suorum & ipse gregalium Antiochiæ Episcopatum gerebat. Statim quippe Nyssenus hæreticæ perfidiæ meminit, quæ Meletio reluctabatur. Chrysostomus autem non suis ille verbis Paulinum exagitat, sed eorum quos ipsemet acerbissimè objurgat, ut malitia potentes, ut anathema passim in quemlibet illidentes, quos ab hac petulantia laborat toto hoc tractatu deterrere. Denique cum Damasi communionem ita Meletius, & Vitalis, Paulinusque jactarent, ut vel Hieronymus ipse ambiguus in ea re esset: eadem in rerum caligine, poterant & alii viri sancti vel obtrectare Paulino, vel Meletio impensiùs suffragari. Cordatissimi autem quique ita paci studebant, ut utrique interim in fidem Catholicam consentienti communicarent. Ita videtur affectus fuisse Nazianzenus, ita Epiphanius hæresi 73. & 77. ita denique Athanasius epistola ad Antiochenses, *Omnes igitur qui vobiscum pacificè agere volunt, in primis autem illos qui in veteri Ecclesia congregantur, & qui ab Arianis redierunt, elicite ad vos; & veluti patres, filios assumite; ne Magistri, & tutores recipite: coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, ejusque sociis, nihilque ab illis exigatis, quàm ut execrentur Arianorum hæresin.* Vide inter epistolas Cyrilli Alexandrini Episcopi, epistolam Acacii Berrhœæ Episcopi ad Cyrillum ipsum: *Beatus Paulinus, etsi tres Hypostases dicere recusaret palam, verè tamen & virtute eadem sapiebat, eadem sentiebat.* Et omnino quanti fecerint Orientales Romanæ communionem Ecclesiæ, patuit ex Cyrillo Alexandrino scribente damnatum à Cælestino, & Romana Synodo Nestorium, *Horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint*: scribente, *Quæ illi judicaverunt, sequi omnino constituimus. Veremur namque, ne à tantorum virorum communione excidamus.* Patuit ex ipsa Epesina Synodo, scribente, Cælestini sententia in abdicationem Nestorii *se cogi*. Patuit ex Chalcedonensi Synodo Damasum laudante, quòd fidei suæ adglutinari juberet, *si qui communionis suæ participes esse vellent*; Dioscorum execrante, quòd ultra omnem suam nequitiam, excommunicationem Leoni Papæ intorsisset, cui Christus *custodiam vineæ* mandaverat. Patuit in cæteris Synodis, Sexta, Septima, Octava, ubi non recto tantùm fidei dogmati, à quo deviaverant, sed Romanæ etiam Ecclesiæ communioni se restitui Græci laboraverunt. Patuit in Octava maximè Synodo, ubi nugantes Photiani Episcopi, multos Sede Romana damnante absolutos, absolvente damnatos fuisse, à Metrophane Orientalium Episcoporum longè doctissimo refutati sunt. Patuit in Athanasii denique, Petri, Chrysostomi, Flaviani causa, & complurium ejusmodi, quos præter fas damnatos, Romana Sedes restituit, vel uno maximè communionis suæ beneficio, ut superiùs demonstratum est.

DISSERTATIO XVII.

IN CONCILIUM ARAUSICANUM II.

Anno Christi 529.

SYNOPSIS.

Sedis Apostolicæ authoritas in fidei disceptationibus apud Gallos. Decreta hujus Synodi ex Augustini sententiis & penè verbis ipsis contexta, Patribus tamen promiscuè vendicantur. Miraque in rebus fidei definiendis sobrietas. Quàm multa Theologicæ opulentiæ supellex, etsi à fide defluat, etsi cum fide cohæreat, in fidei tamen formulas non est intrudenda. Hæc definiendi parcitas, hæc Patrum prorsùs omnium concordia, veluti gemina stabiliendæ inter Theologos pacis in quæstionibus de Gratia Christi fibula, prolixiùs pertractatur, illustraturque maximè ex Cælestini Papæ olim epistola ad Gallos, & ex Florentino nuper Concilio.

I. RECurro ad ea, quæ commentati sumus in Synodos Arelat. & Lugdun. ann. 475. Revolve & in Carthaginensem, Milevitanamque Synodum adversùs Pelagianos notata. Hinc enim patescet, quantæ in authoritatis arcem evadat Synodus etiam provincialis, cui Sedes Apostolica invictum robur addit. Illinc autem aperitur clementia hujus Synodi Patrum, qui secus de gratia & libero arbitrio sentientes, quàm castigata fidei amussis jubeat, nulla inurunt gravioris cauterii censura, quàm ut *per simplicitatem minùs cautè* sensisse dicantur: & penè plus laborant seipsos iniquioribus suspicionibus lacessitos excusare, quàm accusare adversarios.

II. Quòd autem *secundùm admonitionem, & authoritatem Sedis Apostolicæ, capitula ab Apostolica Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt, ab omnibus observanda proferuntur, & subscribenda*. Vides 1. quantum tribuatur in causa fidei oraculis Sedis Apostolicæ, à qua *capitula transmittuntur*, vetustissimam litem peremptura; statim Episcopi *ab omnibus observanda* proponunt, *manibus suis subscribunt*; illis omnes *animum inclinare* ne differant, edicunt. 2. Cæsarius, Eucherius, aliique non pietate tantùm, sed eruditionis fama spectatissimi, ita obsecundant definitionibus primæ Sedis, Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam utique non nescientes. 3. Nec pura putaque Sedis Apostolicæ verba, sed suas etiam Episcopi sanctissimi explanationes, sibi, Cleroque, & laicis etiam amplexandas subscribendasque repræsentant. Unde paulò ante calcem *cap. ult. Quia definitionem antiquorum Patrum, nostramque, quæ supra scripta est, non solum religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus, & cupimus: Placuit, ut eam etiam illustres & magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent*. Et Bonifacius II. in epistola ad Cæsarium Arelatensem hujus Synodi confirmatrice: *Fraternitatem tuam habita conlatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam. In his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt, fidem qua in Christo credimus, gratia divinitatis præveniente conferri. Adjicientes etiam, &c. Quapropter supra scriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis adprobamus*. Ubi singulis penè vocibus significatur, non absolutissimè & jejunè capitulis Roma missis subscriptum esse, sed ipsos Galliæ Episcopos *conlationem habuisse, definisse, confessionem scripsisse*, quam

quam Sedes Apostolica confirmarit: quæ utique non sua ipsius verba Episcoporum manibus subscripta solicitaretur confirmare. 4. Sed quia tamen doctrinæ summam dictaverat Sedes antè Apostolica, quia definitioni Episcopali authoritatem eadem adcumulavit, hinc gloria in primarium tota refunditur fontem. Æquè alibi notavimus Africanarum Synodorum adversùs easdem Pelagianas pestes jacula, à Sede Petri intorta fuisse, Patribus iisdem de causis visum esse. 5. Ita demum conquievere certamina, centum jam annis in Gallicanæ Ecclesiæ gremio certata. 6. Laici ipsi subscribere adacti, ut verbis supra relatis liquescit: nempè ut *laicis etiam medicamentum* istud adhiberetur. 7. Nemini in mentem venit, eorum qui causa cadebant, mussare de paucitate Episcoporum hujus Synodi, vel de Sedis Apostolicæ authoritate ineluctabili in fidei quæstionibus terminandis: aut ad Synodum Oecumenicam provocare. Si quem tam dira libido incessit, aut castigavit ipse semetipsum, aut tam frustra fuit, quàm cùm olim in Synodis particularibus, & Romæ damnati Pelagiani, generales Orientis Occidentisque Synodos incassum suspirarent. 8. Cùm *antiquos Patres*, ut authores suæ hujus doctrinæ, venditat semel iterumque hæc Synodus, Augustinum præ cæteris suspicit. Ex quo & pleraque decerpit verbis totidem, omnia certè ejus sententiis consonantissima canit. Nec adversarii ipsi infensum sibi pugnare Augustinum dissimulabant. Ergo non sola doctrinæ pondere, aut doctissimorum Patrum nomine opprimendi sunt visi, qui à recta delirabant semita; sed ineluctabili primæ Sedis majestate. Quid enim Augustino doctius, cœlestius, invictius? Sed ita vel sponte sua; vel infelicitate sua cæcutiunt homines, ut de doctrina disputandi finem nullum faciant. Ergo pondere authoritatis alicujus inexpugnabilis conterendi sunt.

III. Synodo porro isti Arausicanæ per Sedem Apostolicam confirmatæ, quàm incontanter deinceps assurrexerint omnes orthodoxi, declarat Hincmarus Remensis *l. de Prædest. pag.* 48. *Ideo dicuntur electi, quia de massa perditionis sunt gratia electi, nullum habentes meritum antequam eligantur, quorum electio ipsa est Dei misericordia, sicut in Arausicana Synodo, cui Beatus Cæsarius ex delegatione Sedis Apostolicæ præsedit, & capitula ab Apostolica sede directa, subscribenda & tenenda omnibus protulit.* Et *pag.* 134. *Nunc: si à sancta Arausicana Synodo, cui Sanctus Cæsarius ex delegatione Sedis Apostolicæ præsedit, discrepemus in aliquo, videamus.* Tum viginti quinque capitula Synodi hujus compendiosiùs substringit, ac profitetur se *à reverenda & veneranda atque Catholica prolixitate tantorum doctorum, nec in aliquo deviasse.* Et *pag.* 145. *Videat si in aliquo à Catholica fide, & expositione Synodi Arausicæ discordavimus.* Et in epist. ad Carolum Regem præfixa huic operi, de Sycophantis conqueritur, qui ejus doctrinam ita traducerent, *quasi contra Sanctorum Patrum sensa in Africana & Arausica Synodo sensisset.* Nec omitti sine piaculo potest, quod *pag.* 142. rursus idem tradit, *Benè sanctus noverat Cæsarius, qui ex delegatione Sedis Apostolicæ huic Synodo præsedit Arausicæ, quid sanctus Augustinus de libero arbitrio primo homini dato in lib. de Correp. & Grat. dixerat, quemque in libris de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ ad prædecessorem suum Hilarium scriptis commemoraverat. Quem etiam librum compar & socius illius sanctus Prosper se habuisse non tacet, in epistola ad Augustinum, dicens, Librum de correptione & gratia plenum divinæ authoritatis emisteres, quo in notitiam nostram delato. Et credendum est, quia Sanctus Prosper, Hilario, eundem librum, quem se habere dixit, conjuncto & familiari suo non negaverit. Unde & Beatus Cæsarius quæ hinc Sanctus Augustinus dixerat, succedens in ordine suo Sancto Hilario, non ignoravit.* Ergo Augustini de gratia doctrinam sinceriſſimam, & illam maximè elimatissimam, quam posterioribus suis lucubrationibus edisserit, Cæsarius Arelatensis à prædecessore suo Hilario ad se transmissam, & velut hæreditariam hac in Synodo propalavit. Ideo hanc Africanis Conciliis æquiparat Hincmarus, & ab ea deviantem non aliter, quàm à fide Catholica deficientem detestatur. Similiter Valentina Synodus eodem tempore, *can.* 6. *Fide plena fatemur, quod Sanctissimi Patres authoritate sanctarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt: quod Africana, quod Arausica Synodus professa est: quod Beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholica fide tenuerunt.*

IV. Et non abs re Hincmarus ex illis maximè posterioribus, iisdemque vehementioribus Augustini libris, Arausicanos Canones expromptos affirmat. Superstite enim ipso Augustino emersérant illi asperioris ejus doctrinæ criminatores, ab eoque fuerant his opusculis confutati. Sed usque adeo inermis sapientia contemnitur à pervicacibus, ut centum annorum curriculo totam illam Augustinianæ Theologiæ lucem aversati fuerint, donec authoritate Synodi, & Sedis Apostolicæ deterriti, quod intelligentia non poterant, fide complecterentur. Mirari porrò subit, quòd Augustini verba ipsissima, & sensa ubique sequatur Synodus, nominis ejus nec semel meminerit. Sed semel & iterum *antiquorum Patrum* hanc esse doctrinam affirmat, itemque *Sedis Apostolicæ*. An ergo invidiam quæ in Augustinum nominatim ebullierat, eo modo propulsant? An *suo exemplo* tanciunt, nunquam unius alicujus *seorsim sensum*, sed omnium ubique Patrum *consensionem* ab Ecclesia magnifieri? An Augustinum antiquis Patribus consentire, ab iisque quod hauserat, posteris infudisse significant; ideoque etsi ejus verba magis, cæterorum tamen peræquè placita à se renovari?

V. Illud denique non piguerit fortasse observare, etsi acumine præpollerent, etsi pervicaci & diutissima decertatione omnes de gratia & libero arbitrio quæstiones vexassent Gallicani ea tempestate doctores: hæsisse tamen illos intra quosdam limites, ultra quos longè & effusissimè spatiata est posterorum, nempè scholæ doctorum, curiositas. Omnes perpende articulos, ad popularem etiam intelligentiam omnes sunt accommodati. Nimirum peccatum Adæ in nepotes trajici, & animæ quoque officere; non voluntate gratiam, sed gratia voluntatem anteveniri; initium fidei à gratia proficisci: cogitationis bonæ fontem à gratia derivari, & id genus alia. Nusquam ibi autem subtiliores illæ quæstiones, quæ juniorem scholam occuparunt; Voluntatis per gratiam adjutæ consensio in bonum, voluntati adsignanda sit, ut efficaciter sese: an gratiæ, ut voluntatem invictissimè determinanti? Priùs ad bona opera Deus, & ita ad gloriam: an ante ad gloriam prædestinet, & tum ad bona merita? His & aliis innumeris supersedetur, etsi copiosiùs de gratia definiatur, quàm usquam alibi. Et *invictissimè* quidem à gratia agi voluntatem dixerat Augustinus; non id tamen hic inculcatur. Quo magis pates; multa subtilioribus scholæ indagationibus permittenda esse, quæ in fidei normam, & in synodicas definitiones non sint inducenda. In his enim spinosioribus quæstionibus quàm implacata jamdiu prælia? At in Arausicanis hæc placita omnes conspicant. Ita enim par est, unitatis vinculo omnes fideles constringi.

VI. Non aliter Cælestinus olim Papa Gallorum Presbyterorum jurgia, & effervescentes adversùs reconditiorem Augustini doctrinam concertationes sedare adgressus, capitula quædam ejus nunc epistolæ annexa destinavit, aut approbavit certè; quæ brevem quidem, & expeditam, dilucidamque complectantur Catholicæ de Gratia sententiæ summam: ad intimiores autem illas, & minutiores quæstionum calliditates, haudquaquam descendunt,

quæ

quæ jam tunc cœperant ventilari. Perpende ex epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum: ex ejusdem etiam Prosperi responsionibus ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad Collatorem, quanta & copia & moles disputationum adversùs Augustinum efferbuisset; tumque referre ad Cælestini capitula, & paucula attingi, eaque enodatissima, vulgique ferè viribus coaptata competies; reliqua intacta præteriri, aut his paucis velut principiis alligata insinuari. Non ista, ut quibusdam in consimili specie improbè quandoque suspicari libet: non ista, inquam, Sedis Apostolicæ indiligentia est, non affectata caligo; non lucis penuria, aut parcitas, seu invidia est: sed Ecclesiasticæ Theologiæ sapientia, sui semper similis, & in omnibus Oecumenicis Synodis constantissimè usurpata fidei sobrietas. Quid enim quatuor Oecumenicæ priores Synodi, nisi consubstantialitatem Verbi & Spiritus Sancti cum Patre, unamque in duabus naturis Christi hypostasin definierunt? Nihil uberius hac sobrietate, nihil hac parcitate locupletius. Tractatores Ecclesiasticos latiùs luxuriare consentaneum est; fidei formulas succincta decet brevitas & popularis penè perspicuitas.

VII. Nec me clam est, vix ac ne vix quidem ea capitula à Cælestino conscripta dici posse. In ipsa Conciliorum editione, hæc prænotantur: *Non videtur dubitandum, quin sequentia sint Prosperi, tam sunt similia & argumento & stylo ejus scriptis: libro certè contra Collatorem capita quædam attingit, non dissimiliter atque hic leguntur.* In Antiquioribus editionibus Cælestino similiter abjudicabantur his verbis: *Sequentia undecim capita videntur potiùs ab alio quodam interposita, quàm esse ipsius Cælestini Papæ.* Sanè hujus capitum compilationis in epistola ipsa Cælestinus non meminit. Item creber hic Innocentius, creber Zosimus allegatur, nusquam prædecessores appellantur, quod solent tamen Romani Pontifices, & quod ipse in epistola sua Cælestinus usurpat. Denique ipsamet verba fidem faciunt, ab alio quàm à Romano Pontifice exaratam esse hanc formulam: *Magistris nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur: eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima Beati Apostoli Sedes Petri per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, &c. ita ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum probarunt.* Quæ tota præfatio sapit prorsùs alium quemvis Scriptorem, non Romanum Antistitem. Idem produnt hæc ad calcem verba: *Quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.*

VIII. Cælestini tamen nomine jam olim insigniebantur hæc capita: & quidem jam tum, cùm Petrus Diaconus ex Oriente Romam cum sociis missus, lib. de Incarnatione & Gratia ad Fulgentium scripto *cap.* 8. post relata quædam Innocentii Papæ verba, subdebat: *His congruè beatissimus Cælestinus in epistola ad Gallos data: Cum enim, inquit, sanctarum plebium, &c.* tum tria ultima horum capitum exscribit. Quin Hormisda Pontifex in epist. ad Possessorem missam ad ea videtur alludere, *De arbitrio libero & gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & servet Ecclesia, licèt ex variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum abundè possit agnosci: tamen & in scriniis Ecclesiasticis expresè capitula continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus.* Quæ alia enim conjectabimus Capitula in scriniis Ecclesiasticis Romanis de gratia & libero arbitrio? Denique exhinc Ecclesia Lugdunensis, Hincmarus, aliique scriptores Ecclesiastici indubitanter Cælestini nomine scriptum illud induere. Nec mirum, cùm in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ, inter decreta Cælestini Papæ, Capitulis illis, præfixæque Cælestini epistolæ primus vendicetur locus. Vide Hincmarum de prædest. *cap.* 22. & alibi.

IX. At à Prospero conscripta fuisse illa Capitula, ut conjectura sit: vereor, ut authoritas adsit. Hincmarus videri posset ita sensisse lib. de non trina Deitate, *Tom. pag.* 442. *Contra decreta Cælestini Papæ, ex cujus delegatione Beatus Prosper hinc exortam hæresin per authoritatem Scripturarum, & doctrinam Beati Augustini revicit, & compressit in Galliis.* Decreta hìc dicuntur Cælestini ea Capitula, de quibus hìc agitur, nempe in Codice Canonum Decretis ejus intertexta. At delegatio Prosperi à Sede Apostolica quo pertinuerit, exploratum facit alibi Hincmarus: *Prædestinatianorum hæresis authoritate Papæ Cælestini, ex delegatione ipsius, per Sanctum Prosperum in Galliis est revicta.* *Pag.* 432. *Et lib. de prædest. cap.* 3. *Aliter quàm Beatus Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ, jussu Sancti Cælestini definivit.* *Pag.* 24. Et paulò suprà: *Legatus Romanæ Ecclesiæ, fidelisque ejus interpres Beatus Prosper.* Quæ magis trahenda videntur ad ea, quæ Prosper variis respondit objectionibus; ubi Prædestinatianos Hincmari tum explosit, cùm austeritatem illam, & sævitiam vel detrectavit, vel emollivit, quam ex Augustini scriptis nonnulli exprimebant. Nec inficiandum tamen est, *Legatum Romanæ Ecclesiæ, legatione Cælestini* toties ornatum Prosperum, convenientiùs quàm quemquam alium, hac gloria cohonestari, ut ea scriberet, quæ Cælestini nomine authorarentur.

X. Quæ si ita habeant, tantò major incesset admiratio Theologicæ hujus sobrietatis. Quàm abstrusas enim, & intricatas Prosper quæstiones discepraverit in variis adversùs Augustini æmulos opusculis, nemo nescit: de prædestinatione, de reprobatione, de voluntate Dei in omnium salutem benefica, de Christi Sanguine omnium redemptioni impenso, de prædicatione & gratia omnibus oblata, & de sexcentis id genus aliis. Et idem tamen, ubi à liberiore illo Theologicarum disputationum campo in breviorem fidei gyrum se recipit, ubi Pontificis Romani nomine & vice sacra, fidei formulam scribit: tum verò ille perpauca, haud abstrusa, sed penè obvia, & Christianæ pietati familiaria sancit; sequestrata, vel his tantùm, ceu principiis, inviscerata omni illa Augustinianæ Theologiæ opulentia, quæ nisi longo anfractu, & per spineta ac salebras aditi non potest. Nec fas tamen cuiquam est à doctrina Prosperi prolixiùs disputata deviare, cùm & hanc ex Cælestini delegatione, si fides Hincmaro, conscripserit: sed longè aliud est, Theologicum stadium percurrere, aliud à fidei symbolo seu breviario non discedere. Denique augescet etiam hæc admiratio, si pristinam ejus animo refricaveris asperitatem adversùs Augustinianæ doctrinæ allattatores. Ita enim ad Augustinum ipsemet adversùs illos scripserat: *Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis, &c. Intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem.* Et *cont. Collat. cap. ult. Hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatum privilegio est resistendum: ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere.* Confidit mox fore, ut sicut anteriores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, *lupos abegere manifestos, ita Sixtus depellat occultos.* Ita ille & inter & post Cælestini tempora sæviebat privatim; at cùm Cælestini substinebat nomen & personam, mansuescebat utique, neminem abscindebat, facilem fidei regulam temperabat.

XI. Sed sive Prosper, sive quicumque demum alius vicarium Cælestino Pontifici calamum commodabat: erat ille indubiè Augustiniani & nominis & dogmatis tam studiosus, quàm qui maximè,

Cir-

Circumgestabat etiam ille totam Apostolicæ Sedis authoritatem, hoc est, summam & invictissimam. Atque adeo in potestate habebat adversarios, suæque de illis victoriæ arbiter ipse erat, quo illam usque vellet effundere. At vide, quàm pauca, quàm plana, & explicata ad fidei necessitatem vocet; reliqua huic regulæ subjiciat: *Profundiores verò difficiliores que partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt: sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.* Catholicæ ergo fidei vinculum, ad has regulas dumtaxat astringitur: Quòd eæ *satis sufficiant*. Sunt præterea *profundiores & difficiliores*, quæ incurrunt, quæstiones. Circa eas hæc nobis præfigitur regula: *Ne audeamus contemnere, non necesse habeamus astruere.* Etenim veluti ex latere *incurrunt*, & ex occasione tantùm pertractantur, nec à Synodis, vel summis Pontificibus definiuntur, sed *latiùs pertractantur* ab iis, qui hæreticis restiterunt: ideo in fidei breviario *non necesse* est eas astrui. Si quis tamen eas *contemnit*, multò magis si quis infamat, si quis exagitat & refellit, hujus vituperatur *audacia*. Nam præter fidei regulam, sunt & alii officiorum fines, quibus circumscribenda est sapiendi cupiditas. Et incidentium harum quæstionum paternis tractationibus suus etiam honoris & obsequii modus tribuendus est; seu propter earum cum ipsis fidei regulis cognationem; seu ne eorum *qui hæreticis restiterunt*, merita laudesque temerè minuantur.

XII. Huic Cælestini clementiæ applausit S. Remigius, & Ecclesia Lugdun. in lib. de tenenda veritate Scripturæ, *cap.* 12. prolato etiam testimonio alterius libelli, de tribus epistolis, ab eadem Ecclesia editi: *Cum ergo hæ duæ opiniones in præfato libello, de hac re propositæ & expositæ fuissent: subjunctum est protinus valde utiliter & dictum; Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cælestinus, de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit, dicens de eis; Quæ sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Augustinianæ de gratia sententiæ austeritatem toto hauserat pectore Remigius cum sua Ecclesia: ut omnibus est compertissimum, qui ejus scripta utcumque attigere. Nequaquam tamen abhorrebat ab hac Cælestini humanitate, immo & Augustini; qui ut alibi perstrinximus, haud passus est resecari eos, quorum imbecillitas ab ejus aliquot dogmatum asperitate resiliebat: haud unquam ita, suam toto animo combibi voluit, ut aliorum Ecclesiæ Patrum doctrina fastidiretur. Sed quando huc delati sumus, pergamus porro hanc & Arausicæ Synodi, & Cælestinianæ definitionis modestiam, ejusdem Remigii, & Ecclesiæ Lugdunensis suffragio, & exemplo illustrare. Cùm ergo de voluntate Dei omnes homines ad salutem provehente sermo esset, quæ non postrema est profundiorum illarum & difficilium quæstionum: atque circa eam aliæ & aliæ Patrum sententiæ essent in medium prolatæ, illæ austeriùs, hæ clementiùs voluntatem Dei interpretantes, sic Remigius hortatur: *Sit ergo inter nos etiam de hac re istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenus & sanctis Patribus debitus servetur honos: & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum. Sed potiùs vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione: ut nec contemnere audeamus; nec quasi necessariò affirmare conemur; memores semper illius Apostolicæ sententiæ, Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et antè Carolus Magnus in *capitul. lib. 7. cap.* 28. 29. *Non debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam, &c. Profundiores quæstiones nec contemnendæ sunt, nec penitus asserendæ.*

XIII. Astruendæ sanè huic sobrietati accommodatissima ista sunt, sed vereor, ut eorum ponderi ferendo simus. Quò enim evadent tam familiares contentiones, quibus & Patres & sensus alios aliorum authoritate ac mole obruere æstuamus, si *per contentionis malum, etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit?* Itane potest quis Ecclesiasticos sensus tueri, adeoque verissimos: & eos tamen ita exasperare diversorum, non tamen verò adversorum sensuum, Patrumque his suffragantium, repudiatione, ut hæreticum efficiat, quod sentit? Ita mihi quidem sonant verba Remigii. Hæreticum est enim, non tantùm falsa astruere, sed etiam vera destruere. Itaque qui vera sic astruit, ut vera etiam destruat: ille hæreticus non injuria audit. Et quamquam non capiat, ut hæc vera sibi clam consentiant: etsi eorum compugnantiam videre sibi videatur, veniæ tamen exortem facit contentionis malum. Idem rursus ibidem mox rationem aliam suppeditat rei ejusdem, permagni & ipsam momenti: *Legamus ergo pacificè; & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Ecclesiasticorum virorum; nec pro aliis doctoribus adversùs alios litigemus. Quia & ipsi inter se pacifici, unusquisque in suo sensu abundaverunt, alius quidem sic, alius verò sic: expectantes fideliter atque humiliter, quod Apostolus promittit dicens: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones, & scandala; etiamsi non habeat hæreticum sensum, certissimè habet hereticum animum.* Viden ut quamquam absit hæreticus sensus, subest tamen quandoque hæreticus animus, nempe ad dissensiones & scandala præceps; & veritatem quidem, sed inimica veritati pugnacitate, & ea qua hæresis solet, impotentia atque insania defendens? Exemplo statim res elucidatur. Cùm enim dicat Apostolus, velle Deum *omnes homines salvos fieri*: hic Patrum aliqui volunt, *omnes* intelligi *omnia genera hominum, omnium scilicet sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.* Ait autem Remigius, *Quid habet hæc intelligentia inconsequens, aut contrarium veritati?* Alii *omnes de universa genere humano generaliter & indifferenter* intelligunt. Et ibi Remigius, *Quid habet*, inquit, *mali, aut periculi etiam ista intelligentia?* Quamquam enim specie tenùs hæc collidantur, in recessu tamen consentiunt: *Et ambo sibi, & iste videlicet, & ille, licèt diversa sentientes, fideliter atque unanimiter concordant.* Et rursum eadem Lugdunensis Ecclesia lib. de tribus *epistolis cap.* 13. duplici similiter præmissa sententia, alia duriore, alia humaniore, de voluntate Dei omnium hominum saluti aspirante, subdit: *Quæ omnia cum tam obscura sint, & tam profunda atque perplexa, nolemus inter fratres & charissimos nostros aliquid de his contentiosè ventilari, vel temerè definiri: sed potiùs quod in eis certum est, sine dubitatione defendi: quod autem etiam inter magnos diverso modo, sed non diversa pietate sentientes, ambiguum atque incertum remansit, etiam apud nos & reverenter honorari; quia neutrum eorum videtur esse falsum, vel fidei contrarium. Et magis in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam provocari, quàm pro inusitatis & minùs elucentibus rebus aliquem immoderata austeritate ac severitate damnari.* His

non

non ociosiores perlectis, impensiùs, ut opinor, miraberis, & Cælestini & Arausicanæ Synodi sapientiam, quibus in fidei definitione visum est supersedendum his quæstionibus *tam profundis, atque perplexis*; in quibus Theologi & olim & postea sensere *diverso modo, sed non diversa pietate*, adeoque nihil sensere *falsum, vel fidei contrarium*. Adeoque qui in his *immoderata severitate, atque austeritate damnandi* abutitur, is non immeritò ipse damnabitur, ut qui *per contemptionis malum, etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus, hæreticum efficere potuerit, quod sentiebat*: aut ut qui etiamsi fortè *non habuerit hæreticum sensum, certissimè habuerit hæreticum animum*.

XIV. Et idem Remigius iterum cum Ecclesia Lugdunensi lib. de tribus *epist. cap.* 14. disputationem adgreditur de morte Christi pro omnibus adita, & præmissis cæteris ea de re Augustini, aliorumque Patrum sententiis, ita tandem concludit: *Quod si inveniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum Crucifixum dicant, &c. Si placet, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur: nulla ergo contentione pro aliis adversùs alios litigetur; non una sententia pro altera damnetur. Et quia verè fieri potest, ut ignorantiam, vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temerè definiatur: ut quolibet quis acquiescat modo, non sit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.* Et rursum *cap.* 24. de Deo volente omnes homines salvos fieri, commendata Augustini interpretatione, subjicit: *Et licèt alii quidam sancti & venerabiles Patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inveniantur, utrorumque tamen sententia fuerat honoranda; nec, ut jam superiùs dictum est, una pro altera damnanda. Quia & illa ex divina authoritate vera esse monstratur: & ista quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur.* Tum reflectitur iterum sermo ad pretium Christi sanguinis pro omnibus fusi; *Jam illud de Dominici sanguinis pretio, quod pro his tantùm qui credere voluerint, datum sit, manifestum est, sicut supra satis ostendimus eorumdem beatorum Patrum sententia. Unde etsi inventi sunt alii aquè Patres, qui illud glorioſum pretium, etiam pro nunquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant; melius, ut credimus, utrique honorarentur, nec pro aliis alii damnarentur. Quia & illud manifestè divina authoritate firmatum est; & istud, si piè sentitur, non est abnuendum.* Et *cap.* 26. rursum de Dei voluntate salvifica, & mitiori & immitiori Patrum sensu perstricto, ait: *Ne propter istum ille damnetur, sed potius utrique sensui propter veracem & piam Patrum authoritatem fideliter obediatur.* Et denique *cap.* 27. denuò de morte Christi: *Quod si & aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt; honoretur & iste velut pius sensus: dummodo ille prior qui est certissimus, & divina veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur: vel, quod est gravius, damnetur.*

XV. Atque ut ne diutiùs ambigas, quinam ex Patrum Senatu mitioribus his suffragentur sententiis, illam dubitationem expunget, atque antedictis nova adminicula adjiciet Lupus Servatus, præclarus ejusdem ævi scriptor, & Augustinianæ ipse quoque doctrinæ præcipuus admirator. Sic ergo ille *quæst.* 3. seu de redemptione sanguinis Christi: *Quidam velut blasphemum vehementer execrantur & damnant, quod derogetur plurimum Redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem salva fide causam ita in medio relinquamus, ut si quilibet eundem sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare; non solùm resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cecos non illuminet, tamen fovet: Cur non potentior Sol, tametsi non salvat suo merito excecatos atque damnatos, tanti pretii merito puniat mitius?* Et paucis interpositis: *Verùm ne me irridendum, & respuendum pronuncient, quibus placet omnes sive bonos, sive malos indifferenter à Christo redemptos: ponam unum, quod cum eis faciat testimonium, & eos omnes, ut opinor, in gratiam reduxero. Joannes Constantinopolitanus doctrina & sanctitate juxtà insignis Episcopus: Ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, sic exposuit: Qualiter gatia pro omnibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantùm, sed pro universo mundo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credant? Id quod suum erat, implevit.* Ubi & mediocritati aureæ vehementer nobiscum favet, & illas clementiores de voluntate Dei omnium salvifica, de Christi morte omnium saluti dicata, de gratia denique divina sententias Chrysostomi esse docet, adeoque Græcorum, Chrysostomi ferè sequacium; ut Latinos fileam eos saltem, qui Augustini ævum antecessere.

XVI. Ex quibus illud manifestè elucescit, perversum esse, quòd quidam Patres Patribus collidunt, Orientalibus Occidentales, Græcis Latinos, Augustino Chrysostomum, Augustino posteriores Latinos anterioribus: quasi intestino inter se & implacato sententiarum dissidio belligerentur; ac necesse sit, optare, quorum transfuga, quorum commilito esse velis. Quo nihil in re Theologica insolentius. Ecubi enim in tam spatioso Ecclesiasticæ fidei ac doctrinæ campo, ita Patres inter se conflictantur? Adversùs cæteras hæreses una omnium conspiratio, una acies est, quin ergo & adversùs Pelagianas insanias consentire sibi omnes existimantur? Quæcumque supersunt acta Synodorum, maximè generalium, ea pervolve; ubique Patrum concentum præ se fert Ecclesia, nusquam rixam aut dissidia. Cælestinus maximè & Arausicana hæc Synodus indiscriminatim non alicujus aut aliquorum seorsim, sed *Patrum* sententiæ inhærendum, nempè ut nusquam dissonanti, tradunt. Incurrentium quoque extra fidei substantiam quæstionum elucidationem, nec contemnendam, nec necessariò astruendam, Cælestinus universim peti monet ab iis, *qui hæreticis restiterunt*. Ita & Remigius ajebat, *Sanctis Patribus servandum honorem*, & sicubi illi diversa sentiant, *salubri intendum moderatione*, ut nec *contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare*. Nec enim *pro aliis doctoribus adversùs alios litigandum*, quippè & ipsos esse *inter se pacificos*: ubi maximè hinc & hinc videntur conflictari, *ambos sibi licèt diversa sentientes, fideliter atque unanimiter concordare*. Si quid inter *magnos* Patres *diverso modo, sed non diversa pietate* sentiatur, *ambiguum id remanere* debere, & *reverenter honorari*. Etiam ubi alii plurima eruditionis copia, alii *simpliciter, quadam pia ratione*, vel *pietate*, diversum quid sentiunt, *utrorumque sententiam honorandam*: Etenim *melius utrique honorantur; nec pro aliis alii damnantur*: item *utrique sensui propter veracem, & piam Patrum authoritatem obediendum*. Hic modus est, hæc via explicatissima, non fovendæ tantùm pacis & charitatis, sed fruendæ etiam veritatis, ad quam per charitatem intratur. Sæpè enim quid *contentione hæreticum fit*: sæpè *per contentionis malum etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus hæreticum quid efficitur*. Illud quoque etiam atque etiam pensiculandum, *quia verè fieri potest, ut ignorantiam vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat*; ideò *nihil temerè definiendum*, nempè à privatis tractatoribus. Nam Sedis Apostolicæ definitionibus quantum & hæc Synodus & Remigius cum sua Ecclesia venerationis impenderit, in aperto est. Postremò huc Concilia, huc Pontifices, huc Patres nostra studia impellunt, ut industriam operamque omnem non in discordia Patres inter serenda, sed in eorum mutua

inter

inter se pace rimanda ponamus. Si fallat nos autem clandestina eorum inter se concordia, hebescere potiùs acumen nostrum intelligamus, quàm totam hallucinari Ecclesiasticam antiquitatem, hujus concordiæ testem & admiratricem. Hoc saltem argumento revincamus istos fabulosæ discordiæ authores, quòd non Græcos tantùm Latinis, Chrysostomum Augustino, Latinos anteriores posterioribus; sed ipsum sibi Augustinum juvenem seni, immo senem seni committunt, & ipsius adversùs ipsum armis librisque dimicant. Nimirum recti tramite semel omisso, per avia jam aguntur præcipites; & quo ipsi intùs laborant dissidio, eo orbem omnem æstuare sibi fingunt.

XVII. Utque pulcherrimo res ista finiatur exemplo, aliqua hìc decerpam ex Georgii Scholarii *orat.* 3. ad Concilium Florentinum, quibus aperitur ea ratio, quæ in ea Synodo ad Græcos Latinæ Ecclesiæ conciliandos necessariò tandem inita est. Cùm enim Græcorum contumacia suæ tantùm gentis Patribus assurgeret, qui processionem Spiritus Sancti à Filio, quia subobscuriùs docent, refellere eis videbantur; Latinorum autem Patrum id enucleatissimè docentium authoritatem detrectaret: non alio ferè potuit consilio pax, fideique unitas constitui, quàm pace retro Patribus ipsis utriusque gentis reddita, & pari utriusque reverentia, ut à se mutuò nihil discrepantibus, adsignata: *Non erunt porrò Scripturæ quidem pronunciata concilianda inter se, ut maximè oportet; eorum verò interpretes, aut ubi ea elucidant, aut ubi de illis disputant, in oppositas sententias distrahendi: sed par in illos quoque navanda benevolentia, nullique deneganda illa observantia, quæ omnibus debetur. Nam si hos quidem recipiendos atque in honore habendos, alios verò censebimus rejiciendos, putantes inter se illos pugnare; nihil frui nobis licebit reverentia, qua Scripturas honoramus: interturbata pace Scripturarum per apparentem pugnam Doctorum, &c. Discrepantia crimen ab eis ad Scripturas vel inviti transferemus, & Spiritui Sancto adscribemus, à quo Scripturæ manarunt; & illos quidem examinasse omnia rectè atque prudenter, Scripturam verò illis dedisse causas pugnæ arbitrabimur. Ad hæc sapientiores nos, sanctioresque illis ostendemus, si veritatem quidem Scripturarum nos assequi possumus, & cum aliis Doctoribus concordare: ipsi verò neutrum sunt assecuti, & opinati sunt quæ non oportebat, & bellum cum fratribus perpetuum susceperunt.* Quæ tanta pernicies ut ab ipsis fidei cervicibus propulsetur, subdit: *Etsi viderentur Sancti digladiari inter se, aut certè sermonibus oppositis de rebus propositis uterentur: ne sic quidem esset difficile eos inter se conciliare, verborumque pugnam tollere per convenientiam sensus. Non enim deessent nobis ad hoc viæ quædam & præclara inventa, quæ subministrat ubertas Philosophica, si vellemus apparentes oppositiones diluere cum adminiculo veritatis. Nunc autem non ita se habere Sanctorum scripta omnes videmus: sed multa illis tranquillitas est, & emittunt nobis eminus concordiæ radios. Quòd si quid etiam in illis discrepantiæ mixtum est, superficie tenùs illud est, atque in speciem.* Et paulò infrà longè præstantissimè: *Mihi videtur nihil posse tutius contingere hominibus, qui se existimant reddituros rationem vitæ pariter ac opinionis. Quamvis enim ita futurum esset, ut à veritate aberraremus; idonea tamen nobis esset apud Deum excusatio; quod pacem habere voluerimus post longa dissidia, depositisque controversiis in unam omnes ire sententiam. Cum verò nobis ipsis non confideremus, ad Scripturas accurrerimus, & Doctores. Apparente verò in iis etiam discrepantia quadam, consideraverimus nullum esse posse vestigium pugnæ & erroris in illis, qui sunt Spiritus Dei afflatu edocti: valentesque omnibus æquè conservare opinionem sanctitatis, conciliatores potiùs, quàm judices ipsorum sederimus: & illi quidem à nobis, quoad ejus fieri potuit, in unam redacti concordiam, postea verò & nos uniti fuerimus: delectaque à nobis hæc pacis via, uti tutior aliis, multa & manifesta habentibus conjuncta pericula.* Tempero mihi, ne plura accumulem. Et hìc porrò agitur de Græcorum, Latinorumque Patrum concordia, nostraque inde religata pace. Quæ ego hactenus attigi, qua ad disciplinam pertinent. Dogmata enim ipsa enucleare non hujus quidem est opusculi institutum.

DISSERTATIO XVIII.

IN SYNODUM ROMANAM

Anno Christi 532.

SYNOPSIS.

In dubiis fidei quæstionibus, consulenda Sedes Petri, eique assentiendum est. Ostenditur id primùm exemplo Orientalium, Romanos Pontifices percontantium, an unus de Trinitate passus: An Maria propriè & veraciter Dei mater dici deberet? Hormisdæ Papæ in his dispensatio, & consensus cum Joanne successore adversùs Heterodoxorum calumnias declaratur. Usque ad num. XVII.

Tum universim demonstratur ex Sanctis Patribus, consulendam in fidei disceptationibus maximè Sedem Apostolicam, ejusque judicio standum esse. Usque ad num. XXIX.

Longè plures hæreses authoritate Romani Pontificis principaliter contritas esse, prolixa enumeratione evincitur, usque ad num. XXXI.

Græcorum consensus in hoc primæ Sedis privilegio constituendo, usque ad num. XLIII.

Gallicanorum Conciliorum, Pontificum, Scriptorumque unanimis ad idem consensus: tum antiquissimorum, tum medii ævi, tum denique juniorum, usque ad Constantiensis Synodi tempus: cum eorum pauci quidam secus sentire cœperunt; nec suam ipsi tamen dissimularunt, & novitatem, & paucitatem. Usque ad num. LXXVI.

Etiamnunc & jam olim unam apud Occidentales maximè omnes & Gallos ipsos Antistites haberi, & Romani Pontificis, atque Ecclesiæ universæ, hoc est, Capitis & Corporis vim, sententiam, authoritatem. Usque ad num. CI.

Occurrantes quidam scrupuli amoventur; tota hac doctrina ad summa quædam religatur fastigia: denique ne defensoribus quidem ipsis seu privilegiorum seu libertatum quarumcumque refugiendam esse hanc sententiam ostenditur. Usque ad calcem.

I. LUculento hìc exemplo, & prolixo posteà tractatu patefiet, in dubiis fidei quæstionibus relatum esse toto ex orbe ad Sedem Petri; ejusque oraculis Episcopos Catholicos, Ecclesiasque ita consensisse, ut ea, (Spiritu Sancto, paternarumque vigore traditionum eandem vitam, fidemque Capiti & Membris inspirante, Membris individuam cum Capite copulam, indeclinabilem in Caput observantiam indente) in Catholicum dogma etiam ante Oecumenicam Synodum reciperentur: adeoque penè superfluè inquiri, Pontifici an Ecclesiæ inerrantia competat: cùm utriusque circa fidem consensio hactenus extiterit indivulsa. Cùm enim in Oriente disceptaretur, an unus de Trinitate passus dici deberet: ea de re ad Hormisdam relatio missa est à Justino Imperatore, Justiniano Comite, & Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.

II. Et primò quidem ita consulitur Pontifex, ut in eam, quam ille amplexus fuerit partem, omnes consensuros indubium sit. Ita enim Justinianus ad Hormisdam: *Illud etiam magis magisque deposcimus,*

mus, ut tua sanctitas, quæ prætendunt Orientales Episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis enim videtur, &c. Post. epist. Horm. 71. 76. 65. Sibi videri ait unum de Trinitate passum: & mox; *Rogamus igitur, ut causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum. Post. epist. 76.* Et rursus idem ad eundem, eadem solvi dubia flagitans, de nominibus quorumdam Acacianæ communionis Episcoporum; & de uno in Trinitate passo: *Ostendat, tuus Apostolatus, quod Petro successit Apostolo, quoniam Dominus à vobis utpotè summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. Nos enim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, ultrà non patiemur à quoquam controversiam religionis moveri: nec vestram sanctitatem convenit audire superflua concertantes.* Et idem ad eundem Horm. *Quidam prædicant Christum pro nostra salute Crucifixum unum de Trinitate debere prædicari. Quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur. Quoniam verba videntur facere dissensionem. Nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes: & de hac intentione liberos nos properate reddere & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum quod vestro responso nobis fuerit intimatum.* Et Hormisda ipse *epist. 79.* ad Justinum Imperatorem ita orditur, *Interea quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinentia, in literas contulistis: hæc quoque cura fidei adjecit, ut aliquorum preces perferendæ ad humilitatis meæ notitiam jungerentur, quibus vel quid quæstionis oriretur agnoscerem, vel ad summovendum propositæ consultationis ambiguum responsum à me religiosæ scientiæ conveniens redderetur.* Decretorium ut vides judicium, cui omnes deinceps acquiescerent expectabatur à Sede Petri.

III. Et rursus idem Justinianus ad Imperium jam provectus, ad Joannem II. Papam ita eadem de re scribit: *Manifestum facimus sanctitati vestræ, quod pauci quidam infideles & alieni, Sanctæ Dei Ecclesiæ contradicere ausi sunt, adversus ea quæ ab omnibus Sacerdotibus secundum vestram doctrinam rectè tenentur, &c. negantes Christum incarnatum atque crucifixum, unum esse Sanctæ Trinitatis, &c. Omnes verò sacerdotes Sanctæ Ecclesiæ, & Rev. Archimandritæ sequentes vestram sanctitatem, & custodientes statum & unitatem Sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica vestræ Sanctitatis Sede, &c. uno consensu confitentur unum esse Sanctæ Trinitatis, &c. Omnes sacerdotes sequentes doctrinam Apostolicæ Sedis vestræ ita credunt, & confitentur, & prædicant, &c. Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestras ad nos destinetis literas; & ad sanctum almæ hujus urbis Patriarcham fratrem vestrum, quoniam & ipse scripsit ad vestram sanctitatem festinans in omnibus sequi Sedem Apostolicam beatitudinis vestræ; manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta rectè confitentur, suscipit vestra Sanctitas: & eorum qui Judaicè ausi sunt rectum denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ira & circa vos omnium amor, & vestræ Sedis crescet authoritas: & quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum, inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi, eorum quæ ad vos relata sunt, sinceram vestræ sanctitatis doctrinam.* Hæc ille cum sui quidem prærogativa suffragii, & ex præjudicio communis fidei, omniumque Orientis Episcoporum consensionis: sed consultabundus tamen refert ad Romanam Sedem, ut ad caput Ecclesiarum, ab ejus responso pendet, & pendere omnes Orientis Ecclesias significat: ei omnes assensuros: ejus doctrinæ, quidquid hactenùs senserint, consensisse profitetur.

IV. Responsione sua Joannes edictum Justiniani ea de causa promulgatum confirmat: *Comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei pro submovenda hæreticorum intentione secundùm Apostolicam doctrinam, fratrum & Coepiscoporum nostrorum interveniente consensu; quod quia Apostolicæ doctrinæ convenit, nostra authoritate confirmamus, &c. Hæc est vera nostra fides, hæc certa religio, hoc beatæ recordationis Patres omnes, Præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc Sedes Apostolica inconcussè custodivit. Huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum sanè à communione, alienum seipsum ab Ecclesia judicavit esse Catholica.* Addit Cyrum & alios Acoemetas Romæ deprehensos, in errore suo pertinaciter hærentes: *Se observantem ea, quæ ab ipsorum sunt statuta Pontifice, minimè eos in sua communione recepisse, & ab omni Ecclesia Catholica esse jussisse alienos.* Avitæ ergo fidei præjudicio, immo & consensionis suæ decreto frui interim potuerant Orientales Episcopi, eorumque instinctu potuerat Imperator edictum fidei promulgare; id enim totum laudat Pontifex: dum supremum tamen ad tribunal Petri omnia referrentur, & ejus decretoria expectaretur sententia. Quocirca rursus idem Joannes *epist. 3. Justinianus Imperator filius noster, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit, Utrum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit: An Deus Christus carne pertulerit, impassibili Deitate. An propriè & veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari. Probavimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ita esse Propheticis & Apostolicis, & Patrum exemplis evidenter ostendimus.* Tum sylvam testimoniorum constipat.

V. Quòd autem repudiasse primùm illam propositionem de uno in Trinitate passo, & ejus defensores Monachos Scythas aversatus esse Hormisda Pontifex visus fuerit: ideoque à Joanne Maxentio exagitatus sit, & à nuperis Sectariis passim traducatur: id quoque ut excutiatur, retro flectenda tantisper vestigia sunt. Igitur & à Possessore Episcopo Africano Constantinopoli agente, & à Monachis Scythis Romam profectis, ea de re Hormisda consulebatur. Rescripsit verò ille Possessori ea, quibus non falsam, sed novam propositionem aversabatur; ejusque vindices non ut errori, sed ut curiositati, & rixandi libidini implicatos objurgabat. *Nunquam apud eos charitas, nunquam pax, una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere. Contemptores authoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum,* & alia in eum sensum. Et in *epist. 79.* ad Justinum Imp. *Quid est, quod emergentibus Nestorii & Eutychetis venenis paterna omisit instructio? &c. Revolvantur decreta synodica, & beati Papæ Leonis convenientia sacræ fidei constituta. Quid ergo post illum fontem fidelium statutorum, quid amplius, si tamen fidei terminum servat, quamlibet curiosus servator inquirat? Nisi fortè mavult quisquam dubitare, quàm credere: certare, quàm nosse: sequi dubia, quàm servare decreta.* Et mox de Incarnatione ea copiosè disputat, ex quibus illius propositionis emicat veritas; qua tamen, quia novitatis ergo tumultuationes excibat, abstentum esse, curiositatique frænos injici mallet.

VI. Et ipse Joannes Maxentius confitetur, circa eam propositionem nihil responsi dedisse: ejus authores, ut litium novarum fatores abhorruisse. Nam contra præfatam Hormisdæ epistolam sic disputat; quam Hormisdæ esse, vel falsus, vel fallens negat: *Ambigo quomodo illæ sacerdotales literæ approbandæ sint, quæ nulla luce radiant veritatis, nec aliquam in se doctrinæ continent rationem. Nam qui quemlibet quasi errantem objurgat, nec instruit quid sequatur, non benevolus lector ostenditur, sed criminator invidus denotatur.* Et pau-

cis

cis interpositis : *Quod Monachis responsum quærentibus Romanus Episcopus dare omnino distulerit, eosdemque post multa pericula maris longique itineris vexationem, nec non etiam prolixi temporis afflictionem, quo eos apud se detinuit, vacuos & sine ullo effectu ad has partes venire compulerit, quod omnibus penè Catholicis notum est, nec ipsi queunt hæretici denegare, &c.* Et mox: *Si ut dicit, rationi congruit respondere consultos, cur ipse nullatenus acquievit dare responsum interrogatus? &c. Si ut sequens adjunxit, nihil est aptius studioso religionis, quàm inquisitio veritatis: quomodo inferius novarum cupidos quæstionum accusat, veritatis inquisitores? Cur devia vitare volentes, iter per quod graderentur, noluit edocere?* Ergo nec literarum, nec vivæ vocis oraculo, responsum ullum aut definitionem protulit Hormisda, solam insatiabilem & novarum in dies propositionum litiumque seminatricem insectatus est curiositatem; quo nihil tum erat consultius, cum illam propositionem alii in alios raperent sensus; & ita illam vel inurerent, vel absolverent; & in una fide starent quidem, sed verborum ambiguo illuderentur.

VII. Quanti autem facerent Sedis Apostolicæ oraculum isti ipsi Monachi, declarat idem mox Maxentius: *Pro hac sola sententia Scytharum Monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum, sicut omnibus Catholicis notum est, non solùm in hac regia urbe, verùm etiam in universa Italia. Nam & ipsi hæretici, ad hoc ubique hanc ipsam, cui respondimus epistolam, proferunt, quatenus & sæpedictis Monachis invidiam concitent, & omnes quasi ex authoritate ejusdem Romani Episcopi prohibeantur Christum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc sententiam Catholicam non esse ausus est profiteri, quam universa veneratur & amplectitur Dei Ecclesia? Confidenter enim dicere audeo, non quod si per epistolam, sed quod si viva voce hic in præsenti positus idem Romanus prohiberet Episcopus, Christum Filium Dei confiteri, unum ex sancta & individua Trinitate, nunquam eidem Dei Ecclesia acquiesceret, nunquam ut Episcopum Catholicum veneraretur; sed omnino ut hæreticum penitus execraretur, &c. Sed absit ut ex qualibet parte, Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat.* Ergo Constantinopolin Romæ postposuerant, & tam longi itineris mariſque tædia pertulerant Monachi, Romæ quatuordecim menses sustinuerant, opperientes responsum Sedis Apostolicæ, utique ut illi cederent. Quò ille enim alioqui labor? 2. Utrimque ambiebatur consensio Romani Præsulis, ut *omnes quasi ex authoritate Romani Episcopi* frangerentur. 3. Ea indubiè sententia Catholica est, quam universa amplectitur Dei Ecclesia: sed *absit ut ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat*. Qua utraque propositione nihil video certius, nihil constantius dici. Primò id Catholicum esse dogma, quod universa amplexatur Ecclesia. Secundò nunquam contigisse, nunquam fore ut contingat, Romanum Episcopum à sententia universæ Ecclesiæ deviare: Christo nempe ita Ecclesiam suam sospitante, ut concinat caput corpori, corpus capiti. 4. Si quid præter fidem doceret Romanus Pontifex, non acquiesceret illi Ecclesia. Adeoque ubi universa illi acquiescit Ecclesia, indubium est Catholica docuisse: & ita hæreseos se immergit profundo, si qua paucitas non consentiat Pontifici docenti & consentaneam habenti Ecclesiam Catholicam, extra etiam Oecumenicæ Synodi congregationem. Et ne quis dissentire posse Romanam Ecclesiarum magistram ab orthodoxa fide inde arguretur, quòd si dissentiret, tum illi non consensura dicitur Ecclesia universa: adverte quid Paulus, quid ex Paulo doceat nos Vincentius Lirinensis Commonit. 1. *cap.* 12. *Licèt aut nos, inquit, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* *Quid est, quod ait, Sed licèt nos? Cur non potius, Sed licèt ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Parum est. Etiamsi Angelus, inquit, &c. Non quia Sancti, cœlestesque Angeli peccare jam possint: sed hoc est, quod dicit: Si etiam, inquit, fias, quod non potest fieri: quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit.* Non infrequens est ea disputandi ratio, quæ largitur id fieri, *quod non potest fieri.*

VIII. Et quamquam maledicentissimo scripto Maxentius Hormisdam Pontificem, ejusque epistolam proscindat, suæ tamen illum sententiæ astipulatorem esse evincit. Non aliter enim victoriam sibi constare posse sentit, nisi consensu Sedis Petri illam assequatur. *Absit ut ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat. Nunquam enim Scytharum Monachos, quos non simplici sermone, sed etiam scriptis Christum Filium Dei unum ex Trinitate noverat confiteri: per quatuordecim penè menses, quamdiu eos ibi detinuit, communicare sibi permisisset, si ut hæretici volunt, hanc prædicationem Catholicæ fidei contrariam judicaret. Qui etiam, ut se à pravitate proprii legati purificaret, multis idoneis viris præsentibus, Romanum virum glorios. mag. mil. deprecatus est, quatenus sua verba piissimo Imperatori insinuaret, quæ hujusmodi fuere: Nisi Christum Filium Dei qui pro nobis passus est in carne, unum esse ex sancta & individua Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago demergatur.* Valdè multis igitur & prævalidis argumentis evincit Maxentius fidei Monachorum Scytharum consensisse Hormisdam.

IX. Quin & Dioscorum ipsum, quem legatum Constantinopolin ea de re miserat Hormisda, quemque ut adversatum iis, qui unum ex individua Trinitate dicerent Christum, effrænatissima maledicendi licentia insectatur Maxentius: fatetur idem ipse tamen assensum esse, ut una persona Christus ex Trinitate diceretur. Ecur autem qui unam ex Trinitate personam confitebatur Christum, unum ex Trinitate dicere pigritaretur Dioscorus: non id erat causæ, ut calumniatur putidissimè Maxentius, quòd personam sustineret & ageret Dei Verbi, velut in mimo, cum Deus Verbum non esset; sed audienda à Ferrando Diacono verissima rei ejus causa. Sic enim ille in epist. ad Severum Scholasticum, fervente harum concertationum æstu, scripsit *num.* 9. *Videndum reor diligentiùs, cur Dominus Jesus Christus unus esse de sancta & individua Trinitate nimis cautè à quibusdam negetur. Tribus enim modis, quantùm mea fert opinio, sententia hujus suspecta redditur propositio. Primus modus est, ne ideo Christus unus de Trinitate prædicari putetur, ut alius ipse, alia Trinitas de qua unus esse dicitur, inculcetur. Velut cum de Patre esse Filium credimus, alius est proculdubio Filius, alius Pater, de quo est Filius. Secundus modus est, ne fortasse unus de Trinitate fraudulenter intimetur, propter hoc videlicet, ut non ejus humanitas, sed divinitas prædicetur esse passibilis. Tertius modus est, ne quæratur, Quid unus?* Ut si Gabrielem unum ex Angelis, Petrum unum ex hominibus esse dixeris: & rogeris, quid unus? respondebis utique, unus Angelus, unus homo: *Cum verò dixerimus Christum unum de Trinitate, interrogati, Quid unus? non possumus dicere, unus Deus: quia Trinitas illa non est Deorum, &c. Non possumus respondere, unus Filius: quia Trinitas illa non est Filiorum.* Hos ergo scopulos reformidabant, qui unum de Trinitate Christum gravabantur dicere, adeoque nulla graviori censura notandi erant, quàm quòd *nimis cautè* verba trutinarentur, ut hæreticorum dolosos casses declinarent.

Quibus autem placebat unam de Trinitate per-

sonam

sonam potiùs, quàm unum de Trinitate dici Christum, postremæ huic difficultati occurrere illi gestiebant. Nec enim salebrosa illa poterant illaqueari interrogatione, Quid unus? cùm unam personam dicere præcepissent: His ergo consequenter Ferrandus favet: *Et si dicitur ita dici unus Dominus Jesus Christus de sancta Trinitate, tanquam si dicatur una persona: rectissimè hoc dicitur; sed convenientiùs modò, si hoc ita videtur, una persona, quàm unus dicitur: ne parum intelligentibus aut malè suspicantibus scandalum procuretur.* Nemo cordatus Ferrando quàm Maxentio plus fidei commodandum negabit in hoc negotio.

X. Porro hinc quoque Hormisdæ sapientia admiranda impensiùs venit, qui solam novitatem & jurgiorum sementem in hac propositione & ejus architectis aversatus erat. Ex Maxentio enim, Ferrando, aliisque ejus ævi scriptoribus explorata sunt prælia, tunc inter Catholicos super hac re decertata; utriusque hinc & inde alias ex aliis distinctiunculas, sensuumque minutias comminiscentibus, & implacata serentibus jurgia. Nam ut Ferrandus mox docet, quidam eorum qui unum de Trinitate Christum pernegabant, confitebantur unum esse ex sancta Trinitate. Usque adeo acumen ingenii humani, ubi plùs æquo indulget sibi, inaudita subtilitatum monstra quædam parturit; ut plerumque longè satius sit, quod Hormisda cupiebat, in totum ab his temperari. Cui dispensationi suffragatur ad calcem ejus epist. Ferrandus: *Unde desistendum à contentionibus reor, expectandum potiùs persuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam; donec universalis Ecclesiæ authoritate vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abjicienda. Nec enim fides vera, si de hac sententia taceatur, minùs prædicabitur; aut nisi per hanc sententiam roboretur, minùs firma existimabitur. Cum etiamsi ita esset, sequi nos Apostolica verba plùs deceret, ubi nobis dicitur, Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. Et, si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Ad hoc pervenimus, scire Dominum Jesum Christum ex duabus, atque in duabus substantiis, vel naturis unam habere personam. Hoc teneamus, hoc sapiamus, hoc prædicemus. Et si quædam verba minùs cautè proferamus, vel plus fortè soliciti taceamus, velut si quid aliter sapiremus, hoc quoque Deus nobis revelabit.* Quo sapientiæ temperamento nihil pulcrius. Observa hìc autem hanc inter Catholicos hinc & inde homines exarsisse controversiam, peccasse Maxentium, & si qui cum eo alii diversas partes sectantibus illinebant hæreseos infamiam. 2. Supersederi in totum potuisse hac propositione, nec ex ejus silentio ullum in fidei incolumitatem imminere potuisse periculum. 3. Probos omnes Ferrandi similes, ita alternasse, vel ita se uni parti addixisse, ut tamen dubitationem illam patienter ferendam scirent, & Ecclesiæ universalis definitionem opperiendam. 4. Catholicè utrosque de Verbi inhumanatione sensisse, de verbis altercatos esse; cùm huic propositioni alii sensus Catholicos illigarent, alii hæreticos subesse suspicarentur; utriusque conveniret de sensibus Catholicis, vel hæreticis, de eorum ad hæc verba alligatione disconveniret. Itaque ut summum culpari non poterant utrimlibet, nisi quòd *illi nimis cautè, nimis solicitè* tacerent, hi *minùs cautè* prædicarent quædam *verba*.

XI. Sed ut standum in his fuisse judicio Sedis Apostolicæ intelligas, idem Ferrandus initio ejus epistolæ: *Loquantur & prædicent, quibus honor sacerdotii docendi authoritatem tribuit: nos discere parati sumus, docere alios non præsumimus. Interroga igitur, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem; cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diversa loca terrarum Pontifices.* Consulendi sunt utique omnes Episcopi de fide, utpote à Deo constituti Ecclesiæ Doctores: sed consulendus *principaliter* Apostolicæ Sedis Præsul, quòd *ejus sana doctrina constet judicio veritatis, & fulciatur munimine authoritatis*. Itaque cum idem addat id sequendum, quod *universalis Ecclesia authoritas* definierit, non disjungitur universalis Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, seu corporis & capitis authoritas, doctrina, oraculum. De Synodi universalis convocatione nec uno verbo meminit Ferrandus.

XII. Et rursus idem Ferrandus *epist. ad Anatol. num.* 12. *Suspiciones suas inaniter rodit, quisquis bene dicta, dum malè conatur intelligere, calumniari potiùs, quàm doceri studet. Unum de Trinitate passum Nestorianis non immeritò displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem unum de Trinitate passum, non rectè placet, si tamen placet.* Duplex enim natura insinuatur per unum de Trinitate passum. Ad medendum scrupulis, annuit mox dici unum, hoc est, unam personam de Trinitate, passum carne. *Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus. Et si sic audire desiderant, sic etiam loqui nos convenit. Addamus verba manifesta, ne occasionem demus interpretationi malitiosæ; putemurque aliud credere, quàm sentimus.* Et quidem ita intelligeretur inter Catholicos, etsi non ea verborum diligentia adhiberetur. *Libenter tamen exigi à me patior, quod ultro reddere sum paratus. Incontanter profert lingua, quod retinet conscientia.* Quæ sanè vides, ut Maxentii impudentiam obtundant. Et infrà *num.* 16. *Nec movere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit Apocrisarius in Chalcedonensi Concilio. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentes, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciavere Catholicum, nec ipsam sententiam Catholicis tunc inferere definitionibus voluerunt, ne viderentur, intellectum loquentis potiùs adprobasse, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus Sanctus postea fideles admonuit, etiam per hanc sententiam revinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prædicatio naturarum.* Vides quàm non temerè quidam circa eam propositionem suspensi hærerent, assensumque sustinerent, quam tot mali sensus ambibant, quam Eutychiani ut sibi propitiam venditabant passim, quæ ipsius ab Eutychetis Apocrisarii ore rapta, & ejus veneno imbuta sentiebatur. Denique *num.* 15. sic ille ad pacem Catholicos revocat: *Omnis ergo Catholicus, aut unum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur; nec ideo quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse unam personam de tribus passam veraciter dicit: simulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes.*

XIII. Eodem tenore idem aliam tunc sententiam magna contentionum tempestate jactatam, de Maria *veraciter & propriè Dei matre* dicenda, pertractat: *Frustrà expavescit quisquis æstimat, consubstantialem divinitati Matrem futuram, si veraciter & propriè Maria mater fuerit Dei.* Et in fine epistolæ, eos qui fidenter has prædicant geminas sententias, multis onerat monitis, ne quod hæreseos virus iis aut occulant, aut occulere existimentur: *Illo autem qui has dubitat proferre sententias, si cuncta quæ solent sub hæretico latere sensu, manifestis absolutisque sermonibus audierit refutari, careat suspicionibus, omittat contentiones: & de cætero unum de Trinitate passum, vel Mariam propriè Dei matrem esse sic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiamsi aliter hoc affirmare nitantur hæretici, doctoribus orthodoxis aures simplices præbeat.* Hæc sanè sunt hominis non de fide tantùm sed de pace

& charitate Catholica bene merentis, & Hormisdæ nobis adprobantis consilia.

XIV. Eodem prorsus consilio Facundus Hermianensis Episcopus utramque hanc quæstionem inter Catholicos salvo fidei vinculo disceptari docet. Nam *lib. 1. cap. 1.* prolixè demonstrat ex Concilio Chalcedonensi utramque decerptam esse propositionem. Et *cap. 3. Sanè tacendum non arbitror, quòd sint etiam Catholici, qui sicut credimus, nescientes hoc antememorata Synodo confirmatum, superfluè contra de verbo contendant. Quia videtur eis, quod dici non debeat unum de Trinitate pro nobis crucifixum, sed potiùs unam de Trinitate personam.* Tum eadem refert & diluit suspiciones de illito propositioni huic veneno; demonstratoque unum & unam personam de Trinitate idem sonare, aptiùsque etiam unum dici, quòd Nestoriani personæ nomen ad dignitatis fucum solùm trahant; subdit: *Ideo hanc religiosam & necessariam vocem suscipientes, qui de verbo superfluè contendebant, ita jam nobiscum Nestorianos urgere debent & premere, ut non tantùm unam ex Trinitate personam dicant, quod illi malè interpretantur: sed etiam unum ex Trinitate passum, quod nulla fraude possunt eludere.*

XV. Quod verò de hac alia quæstione, an veraciter & propriè dicenda foret Dei genitrix Virgo, ad Sedem Apostolicam relatum sit, ita narrat Liberatus Breviarii *cap. 20. Ad Joannem Apostolicæ Sedis Præsulem missi sunt ab Imperatore Justiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere Sedem Apostolicam, contra legatos Acœmetarum Cyrum & Eulogium, negantes esse confitendum Beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum & carne passum. Sed Papa Joannes nobis ibi positis, hoc confitendum epistola sua firmavit, & Imperatori direxit. A cujus communione discedentes Romæ quidam Monachi, Acœmetarum legatos secuti sunt, & usque nunc hanc de Christo confessionem non suscipiunt.* Ab Imperatore & quidem per Episcopos insignes consulitur Romanus Pontifex in dubiis fidei capitibus.

XVI. Ut denique exploratissimum fiat nunquam à confitentibus unum de Trinitate passum abhorruisse Hormisdam Pontificem, nec à Joanne posteà definitum esse, secus atque ille sensisset: audiendus est à Vigilio Christianitatis Catholicæ status, inter has conflictationes, Catholicos enim hinc & inde, solis digladiatos verbis, una porrò & constantissima fide devinctos fuisse, sic ille docet *lib. 2.* contra Eutychen: *Hæc multi orthodoxarum minùs attendentes, aut attendere nolentes, vel discernere non valentes, in duas sese partes non diversitate sententiæ, sed vocis professione diviserunt: ut id quod eodem modo credunt, eodem modo pronunciare formident, inutili profectò atque superflua timore; ut jure illud prophericum eis possit aptari, Illic trepidaverunt, ubi non erat timor. Nam plerique orthodoxorum, sensum utrarumque naturarum eum Catholicè exponant, Catholicè retineant; idcò tamen duas nolunt dicere naturas, ne secundùm Nestorium duas putentur fateri personas, à confessione utriusque naturæ non corde, sed voce tantummodò recedentes. Quodam enim circuitu expositionis utuntur, ut duas se credere ostendant, sed duas nudo sermone non pronunciant.* Et paucis interjectis: *Rursus alii timentes, ne Apollinaris & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum passum & mortuum, cum unam credant ejus esse personam, & hunc eundemque Deum fateantur & hominem. Si ergo unus est, sicuti est, cur eum formidas dicere passum, quem non formidas credere unum? Ecce sunt timores inanissimi, & solicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum sibi nomina impingere; dum voce expromi palpatur, quod expressiùs corde clamatur. Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quasi fidei expressione desendant, Eutychiani-ste reputantur, cum non sint. Item qui duas unius Christi naturas publicè profitentur, Nestoriani putantur esse, cum non sint; & videas eos luctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis insultationibus, hæreticorum nomine se invicem accusare. Tu, inquit, Eutychianus es; & Tu Nestorianus es: Apostolicæ sententiæ in totum obliti, dicentis: Videte, ne cum invicem accusatis, ab invicem consumamini.*

XVII. Hinc colliquescit 1. in hoc conflictu pugnatum esse verbis, non sententiis, idque inter Catholicos hinc & inde homines. 2. Cùm res ipsa ad fidem nihil attineret, quibus verbis fidem suam exprimerent, satius utique fuisse temperare tota illa contentione, & tanta redimere atque prævertere odiorum & maledicentiæ incendia, quod Hormisdæ consilium fuerat. 3. Verborum usum & significantiam penes multitudinem vulgi hominum esse. Itaque ubi de fide conveniebat, dimicabatur autem de vocibus, & eorum vi atque significatu; consultissimum fuisse prorogari sententiam, & moras trahi, dum ipso conflictu excuderetur scintilla aliqua lucis, & ipsa populorum doctorumque inclinatione, propositionum istarum significatio eliquaretur. Nam si abruptè Hormisda definisset, unum ex Trinitate passum esse, id nimirum ingruebat periculi, ne ii apud quos ea verba crudius quid, & Eutycheti affinius significabant, scinderentur à reliquo Ecclesiæ corpore. At ubi diutino disputationum certamine constitit, defensores hujus propositionis per hæc verba nihil Eutycheti suffragari velle: tum ejus crudiras & intolentia mitigari cœpit in animo eorum, qui priùs adversabantur; & tunc citra discrimen fidei & pacis, definiri à Joanne Papa potuit, quod omnes sequerentur. 4. Cùm non possint non tubinde conflagrare id genus alia jurgia de vocibus magis, quàm de rebus, vel de rebus etiam ipsis; nec statim, nec semper queat cogi Synodus; id nimirum expeditissimum est, quod Justinus, quod Justinianus, quod Orientis, quod Occidentis Episcopi exemplo suo sanxerunt, quod antecessorum exemplo imitati sunt, quod Ferrandus disertè monuit suprà; *Ut principaliter Sedis Apostolicæ Antistes interrogetur, cujus sana doctrina fulget judicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis.* Nec aliàs satis consultum esset Ecclesiæ incolumitati à Christo in tanta Episcoporum, qui & ipsi consulendi sunt, turba, & non rarò dissonantia.

XVIII. Nunc obiter perlustrandi antiquiores Patres, ut de fidei ambiguis quæstionibus percontandos nobis doceant Episcopos, ceu Apostolorum Sedis & doctrinæ successores, sed *principaliter* Sedis Apostolicæ Pontificem, Petri Apostolorum Verticis successione præfulgentem: ejusque definitioni standum esse. *Age jam qui vales curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipse adhuc Cathedræ Apostolorum, suis locis præsidentur: apud quas ipse authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes posteaquàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesseraverit, &c.* Hæc Tertullianus lib. de præscrip. adversùs omnes hæreses philosophatur. Omnes quidem Episcopos, maximè Apostolicarum Sedium, sed præ cæteris omnibus commendans sectari Romanæ Cathedræ Pontificem;

cum

tum quod ibi Apostolorum apices cum sanguine doctrinam profuderint, tum quod inde in circumjacentia regna fides sata & propagata sit, & inde ea de causa semper æstimanda: maximè cùm Sedes aliæ Apostolicæ defecerint. Optati verba jam descripsi suprà & expendi, ubi cùm communionem totius Ecclesiæ Catholicæ ad Romanam Ecclesiam, ceu ad Caput, religat, ab eodem quoque vertice necesse est fidem suspendat, à communione Catholica sponte sua indivulsam.

XIX. Hieronymus adverſ. Vigilant. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundùm nos ossa venerandа, secundùm te vilem pulviſculum, offert Domino sacrificia? Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui ingrediuntur basilicas mortuorum, &c.* In negotio fidei ingens authoritas singulorum Episcoporum, longè maxima & singularis Romani Antistitis. Et in epistola ad Demetriadem adversus Origenistas, *Anastasius vir ditissimæ paupertatis & Apostolicæ solicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia Hydriæ ora compescuit.* Et ibidem adverſ. Pelag. *Ut Sancti Innocentii, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successor, & filius est, teneas fidem.* Ita ille sine Oecumenicis Synodis, compressos Origenis & Pelagii errores demonstrat Sedis unius Apostolicæ authoritate. Et in Apolog. adverſ. Ruffinum: *Et tamen miror, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempserit? Episcopi susceperint, quod fides Apostolica condemnavit?* Et in epistola ad Theoph. *Scito nihil nobis esse antiquius, quàm semper meminisse Romanam fidem, Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Et in epistola ad Marcum Presb. adversùs eos qui ei ut hæretico obloquebantur: *Si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.* Et rursum in Apolog. adverſ. Ruffin. de Origenis defensoribus verba faciens: *Non valet apud eos super Origenis damnatione Episcoporum authoritas? Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasii in toto orbe hæreticum persequentes?* Et ibidem: *Si vel parvam schedulam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor.* Et in epistola ad Pammach. & Marcellam, *Prædicationem Cathedræ Marci Evangelistæ, Cathredra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.* Attendis hìc 1. omnium prorsus Catholicæ communionis Episcoporum & Ecclesiarum sententiam magni fieri, & interrogari in dubiis. 2. Nunquam turbæ cæterorum immiscerì Romanum Præsulem, sed ut eximium & principaliter consulendum secerni. 3. Cùm Apostolicæ etiam Cathedræ memorantur, suum tamen supra illas Petro, ut omnium magistro, privilegium vendicari. 4. Origenistas & Pelagianos nullà tum Oecumenica Synodo damnatos damnandosve ostendi, abundè enim esse, ut ab Episcopis, ut ab Apostolica Sede damnentur. 5. Indissociabilem esse Episcoporum totius orbis, & Romanæ Cathedræ sententiam. Etsi enim aliqui paucissimi dissentire & errare queant Episcopi, universitas tamen ipsa Episcoporum & Ecclesiarum orbis Capiti suo semper concinuit.

XX. Supereſt, quam de industria sepositi, eximia epistola ejusdem Hieronymi ad Damasum, ad hoc quod sigillatim tractamus negotium, accommodatior: ubi non tam fidei caput, quàm verborum confessio ita inter Catholicos convertebatur, ut calumniam hæreseos mutuò sibi illinerent. Cùm enim Hypostaseos nomen aliis naturam, aliis personam sonaret, inde Orientalibus trium, Occidentalibus unius arridebat hypostasis confessio, fide consona, vocibus dissona. *Trium hypostaseon novellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, idem nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edidicimus, hæretici judicamur.* Hìc satis copiosè in hypostaseos nomine philosophatur, tota sæcularium in schola literarum nihil aliud esse hypostasim, quàm usiam: Arianos trium hypostaseon confessione perfidiam suam subfulcire; alia id genus multa effundit, & addit tamen: *Discernite, si placet, obsecro; non timebo tres hypostases dicere, si jubetis, &c. Taceantur, si placet, tres hypostases, & una teneatur, &c. Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet, &c. Bene interpretantur hypostasin, & cum id quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus judicor. Quid tam anxiè unum verbum tenent? Si sic credunt, ut interpretantur, non damno quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, permittant & mihi meis verbis suum sensum loqui. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam, per Crucifixum, per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur authoritas, &c. Campenses cum Tharsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm ut authoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent.* Patet controversiam inter orthodoxos de verbis fuisse, magis quàm de sententiis: & quia ut comparati sunt homines, concreta sunt quodammodo verbis sensa, permaximi videbatur esse momenti, non tantùm ad fidei, sed ad vocum etiam unitatem Catholicos omnes compaginari, ne sub ambiguo vocum illuderent heterodoxi. 2. Abhorrebat animus Hieronymi vehementissimè à trium hypostaseon confessione, & tamen si jubeat Damasus, eam se amplexurum confitetur. 3. Nec Hieronymus tantùm, sed Orientales omnes Episcopi, communionem ambibant cum Damaso, aut communionis famam, ut sub ejus *authoritate* tres hypostases dicerent. Clamabat Hieronymus, *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Eidem Cathedræ Petri, ideſt Damaso se hærere Meletius, Vitalis, & Paulinus, certatim affirmabant, persuasi victoriam fidei ad eos inclinaturam; qui ejus compotes essent. 4. Contatio Damasi hac in re tunc peræquè necessaria, ac postea Hormisdæ, ut diutino flictu & quasi attritu voces expolirentur, & ipsa hominum inclinatione in unum magis quàm in alium sensum impellerentur. Ideo cautè Facundus *lib. 6. cap. 5. Aliquando in divina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamvis tres personas acceperint; nec ideo sunt à viris sapientibus hæretici judicati, quoniam compersi sunt non in re, quæ illo nomine significabatur, sed potiùs in ipso nomine, quo significabatur, offendi.*

XXI. Ambrosii concors sententia, ex Siricii Papæ primùm epistola ad Ecclesiam Mediolanensem illustranda venit. Ergo cùm hæresis Joviniani latiùs serpens eam urbem depasceretur, & scriptis etiam libris palàm pugnaret, ad fidei avitæ defensorem primarium, hoc est, ad Romanum Præsulem Catholici confugere. Unde Siricius *epist. 2. A fidelissimis Christianis viris, genere optimis, religione præclaris ad meam humilitatem subitò Scriptura horrifica videtur esse delata, ut sacerdotali judicio detecta, divinæ legi contraria, spiritali sententia deleretur. Facto ergo presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contraria. Unde Apostolicum secuti præceptum, qui aliter quàm quod accepimus annunciabant, omnium nostrum tam Presbyterorum & Diaconorum,*

conorum, quàm etiam totius cleri una suscitata fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Geminator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius & Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divina sententia, & nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent. Quod custoditurum sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi, per fratres & compresbyteros meos, Crescentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere ferventes. Hæc Siricius: ad quem Ambrosius & cæteri Mediolan. Provinciæ Episcopi in hunc modum: *Recognovimus literis sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam servas, & pia solicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant & sequantur. Et quia nosti oviculas Christi, oves facilè deprehendis, &c.* Insertaque adversùs Joviniani deliramenta brevi disputatione, ajunt: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.* Et infrà, novellam impietatem *execratus est Imperator, & omnes qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt. Sicut testes sunt fratres & compresbyteri nostri Crescens, Leopardus & Alexander, sancta ferventes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulerunt. Itaque Jovinianum, Auxentium, &c. quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos.* Ubi observa 1. grassantes Mediolani hæreticos non apud Ambrosium primò, sed apud Siricium accusari, à viris *genere optimis & religione præclaris* eorum scripta pestifera Romanæ censuræ offerri. 2. Et errores & authores ipsorum à Siricio primùm damnari, sententiam hanc ad Episcopos Mediolanensis provinciæ *custodiendam* dirigi, executores ejus simul mitti tres Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, ad *officium fidei* implendum Spiritu ferventes. 3. Congratulari Ambrosium Siricio, quòd *ovilis* nempe universi & cæteris quoque Episcopis crediti curam gereret, & pro omni Ecclesia excubaret. 4. *Secundum judicium* Siricii quos ipse *damnaverat*, Mediolani damnatos esse. 5. Tres illos E. R. Presbyteros incontanter executos esse Sedis Apostolicæ sententiam, & Jovinianum cum gregalibus suis Mediolanensi ex urbe pepulisse. 6. Imperatorem & Laicos omnes Joviniani dogmata protinùs execratos esse. 7. Etsi omnes Catholicæ Ecclesiæ Symbolo Apostolorum, ut fidei orthodoxæ breviario subscribant, singulariter tamen hoc arrogari Ecclesiæ Romanæ, quòd *intemeratum* illud custodiat. 8. *Facto presbyterio*, id est, in Presbyterorum suorum & Diaconorum & Cleri sui cœtu Siricium hæc perfeciisse: & Jovinianum exinde toto ex orbe suis cum mendaciis assecliisque effugatum esse, & tandem evanuisse, neminè inter hæc perstrepente, non ritè damnari, non extingui hæreses, nisi Synodi Oecumenicæ authoritate. Quod autem ait Ambrosius intemeratum custodiri ab Ecclesia Romana Symbolum Apostolorum, id quod attineat, docet Rufinus in expos. Symboli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem: in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium.*

XXII. Augustini non minùs aperta sententia est, Sermone 3. de verbis Apost. *Prorsùs ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Et lib. 3. Operis ult. adversus Julian. *num.* 103. *Quid adhuc quæris examen, quod apud Apostolicam Sedem jam factum est? Quod denique jam factum est in Episcopali judicio Palæstino? Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.* Ita ille adversùs Pelagianos, non tam Africana, etsi numerosa & frequentissima & universalia Concilia extollit in arcem ineluctabilis authoritatis, quàm Sedem Apostolicam. Suggillat porro persæpè Julianum, & alios ejusdem vetaniæ patronos, examen novum provocantes, & Synodum Oecumenicam. Vide quæ de ea re disputet *lib.* 4. ad Bonifacium *cap. ultimo*, ubi ostendit, *rarissimas* fuisse hæreses, quæ Synodi Oecumenicæ congregatione opprimendæ fuerint; *multò atque incomparabiliter plures* ubi exortæ fuerant, ibi damnatas, inde per cæteras terras devitari potuisse. Idem Augustinus *lib. cont. epist.* Fund. *cap.* 4. *Tenet me in Ecclesiæ gremio, ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et in psalm. Con. part. Don. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri: & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Ubi victricem mendacii veritatem perpetuari vides in Sede Petri, & inde hæreticis compendiosè demonstrari, ne per Ecclesiam universalem toto orbe effusam semper necesse sit longo anfractu eos circumduci. Quòd autem post Zosimi epistolas ad Africanos Episcopos, Cælestii, Pelagiique, & libelli confessionis à Pelagio exarati defensatrices, non idem exclamarit Augustinus, atque post rescripta antè Innocentii, Pelagianæ hæreseos jugulatoria: *Causa finita est, error utinam aliquando finiatur*; multa mihi quidem videntur intercesse capitalia omnino discrimina. Post particulares enim Synodos, post Apostolicæ Sedis his consonas, dogmaticasque epistolas, Christiano orbe toto evulgatas, & in fidei authoritatem receptas: si qua nova undecumque & illis subinfensa prodeant decreta, his utique non statim ac præpropere subscribendum est. Fides enim una, atque irreformabilis est. Post primam ergo, canonicamque fidei definitionem, qua causa finitur, errorque finiendus est: si quid vel re inimicum, vel specie subadversum strepat, id aut confestim repudiandum est, aut provida cunctatione excutiendum, priscæque conciliandum veritati. Ita ergo Augustinus post peremptorias Innocentii Episcopalia Concilia confirmantis definitiones, Zosimi epistolas nescio quid sequius in speciem præferentes, expendit & interpretatur clementius, *lib.* 2. ad Bonifac. *cap.* 3. ne à præcessoris literis dissentiant: *Sine ulla vitio peccati originalis hominem nasci, cum Cælestius in suo libello posuisset, inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est: in homine acerrimi judicii, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* 2. Quàm constanter enim Zosimus nec latum unguem deflecti se fineret à sententia Innocentii, & fide, palam facit idem Augustinus, immo ipsemet apud Augustinum *lib. de pecc. Orig. cap.* 7. *Egit Papa Zosimus cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta damnaret: atque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à sancta memoriæ suo præcessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare: sed B. Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere: immo se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Igitur cùm & Zosimus seriò, & Cælestius simulatè Innocentii definitioni adhæresceret: nihil necessum erat ab Augustino iterum cani causam finitam,

finitam, finiendum errorem; non enim alia causa emerserat, non alia ejusdem causæ vel aliena definitio. 3. Non in fide enim, sed in personarum quæstione variaverat, & Africanas Synodos vellicabat Zosimus. Id perspicuùm faciunt ejus epistolæ, eo de argumento scriptæ. Queritur fidem habitam esse Lazaro & Heroti accusatoribus, *absentibus in absentes*, quibus *nec loci sui ratio vitæque constabat*: qui multa *in fratres & Coepiscopos jam machinati sint*: gaudendum esse, quòd *quos falsi indices criminabantur, à nostro corpore, & à Catholica veritate nunquam fuerint divulsi*: Purgatos Catholica confessione Cælestium, Pelagiumque inculcat, non Innocentianæ vel Africanæ fidei definitioni demendum quid vel addendum. Et Augustinus totam hanc interpretatur esse nimiam etiam fortassis clementiam in personas, non in fide vacillationem *lib. eod. cap. 7.* cùm Cælestius Innocenti literis assensus esset, *ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus est, &c. resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est, &c.* Et *lib. 2.* ad Bonifacium *cap. 3. Illa ingenia quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia, cum studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò leniùs quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt.* Parco plura acervare. Cùm ergo in causæ definitione nihil novatum esset, cùm in personarum tantùm examine lenitati tantùm ultra modum esset indultum, non erat locus eidem voci: *Causa finita est, finiatur error*. 4. Et ipsam quoque de personis sententiam Zosimus non definitivam protulerat, sed quasi suspenderat & ampliaverat ad bimestre saltem spatium: *Unde in præsenti causa nihil præcox, immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cælestii fide nostrum examen, &c. Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexit; aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii, sanctitas vestra resedisse cognoscat.* Hæc ille ad Africanos Episcopos. Et Augustinus de peccato originali *cap. 7. Velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est.* Non poterat igitur causa finita exclamari, quam Zosimus ipse comperendinaverat, & religaverat quodammodo ab Afrorum responsione. Pergit Augustinus: *Sed postea quàm ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut justissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.* Et ibidem *cap. 8. Fefellit judicium Palæstinum Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utcumque conatus: sed ut dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus præcessor ejus de ipsis senserit gestis: Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, &c.* Nec ut Palæstina ergo Synodus, hoc est, nec in factis & personis tunc falli potuit usquequaque Zosimus, qui rem ampliavit ad Afrorum usque responsionem, qui interim *à vinculo excommunicationis Cælestium non credidit solvendum*. Quamdiu ergo innodatus sacris vinculis gemebat Cælestius, quis causam finitam, quis purgationem ejus dixisset perfectam? 5. Quoniam verò ex heterodoxis nonnulli hinc Zosimo sunt insidiati, ut erroris maculam illi appingerent; præterquam quòd ea suspicio ex superioribus abundè diffiata videri potest, adde ex eodem Augustino, *lib. 2.* ad Bonifacium *cap. 3. Tot & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis*, *etiam gestis de hac causa apud illam Sedem Cælestio præsente & respondente confectis, quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, qua interlocutio reperitur, ubi præceperit oportere credi sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsùs hoc dixit, nusquam omnino conscripsit.* Et mox: *Si quod absit, ita tunc fuisset de Cælestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & probanda pronunciarentur: ex hoc potiùs esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda. Nunc verò cum primitùs B. Papæ Innocentii litera, Episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverint, successor quoque ejus Sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit: insuper etiam Cælestium se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxerit; profectò quidquid intereà lenius actum est cum Cælestio, servata dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ pravitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote posteà Cælestius, & Pelagius repetita authoritate damnati sunt, paulùm intermissa, jam necessariò præferendæ ratio severitatis fuit, non prævaricatio prius cognita, vel nova cognitio veritatis.* Tum Zosimi interrogationes subjicit, quibus Cælestium illaqueavit, constrinxitque assentiri literis Innocentii, quibus apertissima originalis labis confessio continebatur. Si quibus autem (*Vossius de hæresi Pelagiana lib. 1. cap. 28.*) minùs sapit hæc Augustini ratio, & interpretandæ Zosimi clementiæ clementia, næ illi non Augustini, sed sui ipsorum stomachi, palatique insulsitatem produnt. Sacerdotale enimverò istud est, id Episcopo, id Theologiæ Christianæ apici, id sanctitatis culmini, id Augustino consentaneum, non insidiosè, non odiosè quæque explorare vel insectari labeculas; non si quid ad punctum temporis obrepatur summo Antistiti, illico tragœdias agere, & convitiari: sed hominis in homines animum induere, leviuscula si fors errata dissimulare, non circumstantias quasque, sed rei summam exitumque perpendere, denique humanitatem paulò prolixiùs adhibitam, lubentiùs & quadam humanitatis vice excusare. Malim equidem isto nos Augustini animo, isto sentiendi, scribendique temperamento imbui, quàm superbo ipsum fastidio & tetricitate inficí. Certè Augustini de Zosimo sententiæ Africani omnes tunc Episcopi adglutinati erant, quorum ille fax erat, ingeniumque. Unde eodem prorsùs animo ad Zosimum illi rescripsere, non convitia, non obliquas de ipso suspiciones ingessere ullas. Quod tantò impensius admirandum est, quòd illos semel, iterumque Zosimus aculeatis pupugerat literis, & ipsum maximè Augustinum, quasi præcox, & inconsideratum de Cælestio, Pelagioque judicium exeruissent. Sin minùs ab uno Augustino, saltem ab Africanorum Episcoporum tam frequenti, tam inclyto tunc maximè Senatu, dedoceri debuerant Novatores suam in Apostolica Sede arrodenda contumaciam. Denique Augustinum sequutus Prosper, Zosimum cæteris permiscuit Romanis Pontificibus, de debellatis Pelagianis lauream & triumphum assecutis. Quid quòd Pelagii libellus Confessionis, non Zosimo tantùm imposuit, sed post Caroli Magni tempora omnibus propè doctoribus orthodoxis, ut non eos quidem suis erroribus inquinaret, sed ut ab illis benigna interpretatione emacularetur, & vel Hieronymo, vel Augustino etiam adscriberetur ipsi? Id vir doctissimus luculenta nuper dissertatione patefecit. Ab erroris ergo criminatione tam Zosimum necesse est, quàm posteriores hos omnes Catholicos doctores absolvi. Denique & postremò si minùs arridebat Novatoribus tanta illa Augustini

in Zosimo purgando indulgentia: Facundo saltem Hermianensi manus darent, cujus hic verba adscribenda sunt nobis ex *lib. 7. cap. 3. Invenient Timotheum Apollinaris discipulum, à B. Athanasio per ignorantiam temporibus B. Damasi Sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso Papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum. Invenient etiam Pelagium hæresiarcham in judicio Palæstinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eandem ignorantiam absolutum. Invenient postremò B. quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem contra Sancti Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresin condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cælestii, (quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discussérat,) tanquam veram & Catholicam laudantem: insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur: cum necdum ipsis Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos Episcopos, nec Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt: sed potiùs pro merito suæ fidei Catholicos judicat, & honorat. Quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.* Ad hanc saltem mediocritatem infringant se, qui Damasum quoque criminati sunt.

XXIII. Prospero autem quid locupletius? Constantissimè enim non tam Episcopalibus Synodis, etsi frequentia, sanctitate, eruditione Antistitum suorum longè præstantissimis, quàm Sedi uni Apostolicæ summam laudem vendicat & authoritatem debellati Pelagii, Corruisse enim Pelagium ait, lib. contra Collat. *cap. 41. Quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris caput Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctavit. Quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum. Quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis, &c. Unde & venerabilis Papa Cælestinus, sciens damnatis non examen judicii, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & præcessorum suorum statuta & decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Addit & in Scotia insula, & in Ephesina Synodo, & in Gallia oppressas esse quasdam eorundem errorum reliquias una ejusdem Cælestini authoritate. Et in præfatione seu *cap.* 1. ejus operis, ait oppugnando Augustino, *in uno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus injuriam fieri.* Et in præfat. ad Obi. Vincent. *Sensus nostri & fidei quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis authoritate defendimus.* Et rursus contra Collat. *cap.* 10. ex sensu Pelagianorum ita argumentatur, *Erraverunt Orientales Episcopi, &c. Errarunt Africana Episcoporum Concilia, &c. Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri prolatam manere sententiam, &c. Erravit sacrosancta beati Petri Sedes, quæ ad universum orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur: Nos tamen &c. Erraverunt Africani Episcopi, ad eundem Papam Zosimum rescribentes, illud quod in literis tuis quas ad universos curasti esse mittendas, &c.* Et infrà *cap.* 44. *Confidimus à Deo præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur in Sixto: & in custodia Dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Et Carm. de Ingratis:

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet, &c.
Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Adverte hic 1. tot inter Episcoporum Concilia, unis Romanis Pontificibus palmarem adseri extinctæ hæreseos laudem. 2. Romam *Sedem Petri* identidem inculcari, ut indigitetur veluti fons principatus in Episcopatu fidei. 3. Zosimi & aliorum Pontificum decreta in omnem Christianum orbem emissa, eaque universali authoritate præcelluisse Africanis ipsis Conciliis. 4. Reapse & tempore longè priores in Pelagiana portenta insurrexisse Africanos Patres, ingenioque & calamo Augustini fulminasse; Zosimo ne obreperetur, laborasse; principatum tamen hujus victoriæ & ab Augustino & à Prospero Apostolicæ Sedi constantissimè adrogari. 5. Examen, audientiam, Synodum Orientis & Occidentis postulabant damnati Pelagiani, frustrà fuere. Ephesinæ irrepsere Synodo, ibi illos quoque cum confœderatis Nestorianis Cælestinus prostravit, ut ait Prosper *cap.* 41. contra Collat. Cyrillo nempe, *Apostolico auxiliatus gladio*; & carm. de Ingratis, Ephesinæ germanæ Synodo nec qui audirentur, dignos visos ait, ut qui jam Romæ damnati essent:

Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis,
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.

Quibus consentiunt adprimè hæc pauca ex Petro Chrysologo in epistola ad Eutychen, part. 1. Concilii Chalced. *cap.* 15. *In omnibus hortamur te, ut his quæ à beato Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam beatus Petrus qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.*

XXIV. Fulgentius verò nequaquam ab his dissentit. Nam lib. de Incarnatione & Gratia *cap.* 11. de fidei dogmate disputans, ait: *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.* Petri & Pauli verbis irradiari, mundi cacumen esse, ideoque quæ tenet & docet Romana Ecclesia, ea ab omni Christiano orbe doceri & teneri, palam hìc est. Unde non ullius nisi Romanæ authoritas Ecclesiæ à Fulgentio ad fidei dogma fulciendum adstruitur.

XXV. Ennodius Ticinensis Episcopus *dist.* 6. de hæreticis & Synodo, grassationes Eutychianorum in Oriente diu lamentatus, demum addit: *Proinde fratres, manentem in supernis Petrum, & adhærentem beato Petro tenere sententiam: quia nos mundæ Ecclesiæ, & non habentis maculam, optamus unitatem.*

XXVI. Ferrandi Carthaginensis Diaconi sententiam suprà propalavimus. Facundus autem *l.* 2. *c.* 6.

in

in trium capitulorum disceptatione, quibus fidem Synodi Chalcedonensis concuti ajebant alii, alii negabant. *Adhuc dicunt, quòd de tanta sua præsumptione Ecclesiam quoque Romanam consuluerunt, & nunc sententiam B. Vigilii Præsulis ejus expectent, &c. Verùm experientur quantum illos suspicio sua fefellerit. Quia ille non in destructionem paternæ sententiæ; sed potiùs in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plùs ceteris suis consacerdotibus potest.* Utrimque ergo Vigilii consensio, tanquam rectæ fidei & victoriæ tessera ambibatur: utrique mox vicisse visi; quia utrisque assentiri aliàs & aliàs visus ipse est; quibus denique refragatus est, ii Leonis Papæ authoritatem Synodi Chalcedonensis confirmatricem ostentavere. Et *lib.* 4. *cap.* 3. *Hoc est autem mirabile, ut postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quòd Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilii ejus Præsulis expectarent. Cui quantum ad illos attinet, non permiserunt censere, quod senserit, &c.* Et *lib.* 12. *cap.* 2. Vigilio Leonem committens & anteferens, sed Romanæ Sedi principem in fidei negotio locum tribuens, *Quis hujus Romani Antistitis gravitatem non prædicet? Splenderet equidem proculdubio, ubicumque Sol esset: sed in cœlo Sol longè honoratiùs, longèque decentiùs, ubi locus ejus est summus, & congruus universis pariter illustrandis; ne multos deserat, cum declinat ad aliquos. Denique tanta libertatis atque rationis ejus authoritate permotus religiosissimus Princeps, supervacuam, quin potiùs multis nocituram cupiditatem deponit: & tanquam pacis filius, hoc & ipse sequitur, quod eligendum ratio demonstravit. Ille tamen velut æterna lege præfixus in quodam sue dignitatis & fidei firmamento, sic luce veritatis irradiat, & quasi clarissima tuba sue authoritatis intonat, &c.* Fidei Catholicæ *cælo*, & veluti *firmamento*, Sedis Apostolicæ *defixum* Præsulem describit Facundus, ut ex *loco summo & congruo universis lustrandis*, veluti Sol quaquaversum irradiet.

XXVII. Cæterùm huc quoque complura vergunt eorum, quæ alibi superiùs prolixè sunt disputata. Nam 1. cum in præfatione Synodi Constantinopolitanæ I. ostensum est confirmari à Sede Apostolica Synodos Oecumenicas, & ita demum Oecumenicas evadere. 2. Cum in elucidanda Chalced. Synodo demonstratum est, Sedem Petri præisse semper Synodis Oecumenicis, & fidem antè dictasse. 3. Cum in causa Pelagianorum tractanda, Synodisque adversùs eos Africanis, patefactum est, Provinciales aut Exarchicas Synodos, à Sede Apostolica semel approbatas, in arcem invadere ineluctabilis authoritatis, & in fidei dogma recipi. 4. Cum communionem Sedis Apostolicæ conjunctissimam esse declaravimus cum fide Catholica, & utriusque pariter quoslibet vel exortes fieri, vel compotes; his omnibus sanè implicatum erat & caput istud, Sedis Apostolicæ ejusque Præsulis doctrinam, orbi Christiano promulgatam, à fidei Catholicæ amussi nunquam deviasse.

XXVIII. Ad hæc cum ex Augustino disertissimè expressum suprà sit, & annales sacros vel primoribus labiis delibanti constet, longè plures hæreses nulla Oecumenica Synodo profligatas esse, longè plures nulla profligari potuisse aut debuisse: cum rursus exploratissimum sit, quamdiu nulla colligitur universalis Synodus, summum controversiarum Ecclesiasticarum cognitorem, arbitrumque esse Romanæ Cathedræ Antistitem: nemo non sentit, & penè tangit, quid ex his ita præstructis exoriatur. Quippe cum plerumque non debeat, cum persæpè non possit, cum rarissimè debeat & possit fatigari, & cogi universalis Ecclesia in Synodum; pullulascant autem lites de fide, hæresesque densissimæ; certissimo erroris discrimini committitur Ecclesia, nisi extra Synodi subsidium, inconcusso alio quopiam, nempe Apostolici è Sede Petri oraculi præsidio muniatur. Et ut affecti sunt animi fidelium toto orbe sparsorum, ubi quid primùm in fidei dogmate ambigitur, ad Petri Sedem oculos conjiciunt omnes, ejus nutum explorant, inde pendent; anticipato in eorum animis hoc præjudicio; quod illa teneri, rutissimè se amplecti. Quod cum ita comparatum sit; inde nimirum id efficitur, ut si usquam laberetur fides Romana, Ecclesiæ pariter universæ fides corrueret. Cum non possit ergo universa labi Ecclesia, nec Romana potest, cui se universa commisit.

XXIX. Et hactenus quidem quascumque perstrinximus hæreses, in earum damnatione antesignanam fuisse Romanam Sedem ostendimus. Paucas alias, vel de iisdem pauca hìc alia addo in cumulum.

Origenistas Anastasius damnavit *epist.* 3. ad Joannem Hierosol. Episc. scripta: *Absit hæc ab Ecclesia Romana, nequaquam Catholica disciplina. Nequaquam profectò eveniet, ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure meritoque damnamus. Quapropter in toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, probare nos omnino non posse, quæ Ecclesiam maculent, &c. Mihi certè cura non deerit, Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei per quaque spatia terrarum diffusas, quantum possum, literis convenire; ne qua prophanæ interpretationis origo surrepat, &c.* Assertæ adversùs hæc portenta gloriam fidei palmarem locupletissimis Hieronymi testimoniis suprà adsignavimus Anastasio. Quibus hæc adde. In epist. ad Pammach. adv. error. Orig. *Quisquis es assertor novarum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus; parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt?* Et mox: *Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romæ urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit.* Et in Apolog. adverf. Ruffinum, mentione facta supralaudatæ Anastasii epistolæ: *Subjeci exemplum ejus, ut si non vis audire fratrem monentem, audias Episcopum condemnantem.* Et in alia adversùs eundem Apolog. *In epistola Sancti Papæ Anastasii lubricus extitisti; & turbatus, in quo figas pedem, non reperis. Modò enim dicis à me esse compositam. Nunc ab eo ad te debuisse transmitti, cui missa est. Rursus injustitiam ad te scribentis arguis; etiamsi scripta sit ab illo, sive non scripta, ad te nihil pertinere testaris, qui prædecessoris ejus habeas testimonium, &c. Non est leve, quod tibi impingit tanta urbis Pontifex, &c. Siricii jam in Domino dormientis profers epistolam, & viventis Anastasii dicta contemnis, &c. Romana urbis judicium fugis, &c.* Et in epistola ad Pammach. & Marcell. *Prædicationem Cathedræ Marci Evangelistæ; Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Anastasium latitantes in suis foveis hæreticos persecutum, ejusque litera doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Cui multos imprecamur annos, ut hæreseos rediviva plantaria, per illius studium longo tempore arefacta moriantur.* Urget inculcatissimè Hieronymus hæreticum esse, quod damnavit Theophilus Alexandrinus, cujus damnationem *confirmavit è Cathedra Petri* Anastasius; nec Ruffinus, etsi nulla non captet effugia, tantæ authoritatis pondus detrectare audet; sed alio se quasi patrocinante tuetur Romano Pontifice. Usque ad Synodum autem in suspendio rem esse debere, neutri in mentem venerat.

XXX. Jovinianistas, Siricii maximè Pontificis decreto prostratos fuisse suprà ostensum est. De consanguineis eorum Helvidianis idem conjice ex Hieronymo in Apol. pro libris adv. Jovinian. *Dum adhuc viveret sanctæ memoriæ Damasus, librum*

contra Helvidium de Beata Maria perpetua virginitate scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de molestiis dicere nuptiarum. Num vir egregius, & eruditus in scripturis, & virgo Ecclesiæ virginis doctor, aliquid in illo sermone reprehendit?

XXXI. Pelagianos Romanæ Sedis fulmine perculsos æternùm jacuisse, prolixè suprà explanatum: adde & extrema hæc verba Pelagii libelli ad Innocentium Papam transmissi, successori ejus Zosimo exhibiti: *Hæc est fides, &c. in qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Et Cælestinus Papa in epist. ad Episcopos Galliæ, de Augustini doctrinæ obtrectatoribus, vel in contexto illi capitum indiculo: *Cum Pelagium atque Cælestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur: eaque tantummodo sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta est, judicaverint: ita ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas etiam suas fecerunt Apostolici Antistites, cum probarunt.* Et ad calcem: *Satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis non scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.* Viden ut Augustino, ut Africanis Conciliis minùs assurgant Galli obstinatiores; at Apostolicæ Sedis oraculo non ipsi tantùm, sed & Pelagius inclinet assensum? Vides ut exertè Catholicum pronuncietur, quod approbarit; hæreticum, quod refutaverit Sedis Apostolicæ Præsul? Vides ut nec hæreticis, nec Catholicis veniret in mentem, sustinendam esse assensionem, donec Oecumenica Synodus convenirer?

XXXII. Priscillianistarum insana deliramenta Romana potissimum ex arce, fulminibusque Petri Vicarii disjecta fuisse, suprà suo loco patuit. Adde & *epist.* 93. Leonis Papæ I. *Meritò Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut authorem ejus, ac plerosque discipulos, legum publicarum ense prosternerent.* Non sustinebatur assensio, non Synodus Oecumenica expectabatur suspensis animis, cùm erroris authores sectatoresque primarii obtruncabantur. Mox sigillatim capita omnia monstruosæ hæreseos perlustrat Sanctus Pontifex, & configit, subjicitque, ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens: *Habeatur inter vos Episcopale Concilium, ut secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus hæreseos contagio polluantur; à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint, &c. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis authoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur.* Debellati in Hispania portenti hujus gloriam huic Leonis epistolæ apertè adscribit Synodus Braccharensis prima, in qua hæc Lucretius Metropolita Bracchar. primùm pronunciat: *Eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscilliana secta venena serpebant, Beatus Papa urbis Romanæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit Apostoli Petri successor, per Turibium notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ contrà impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Carthaginenses, & Tarraconenses Episcopi, Lusitani quoque, & Baetici, facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresin cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Baleonium, tunc hujus Braccharensis Ecclesiæ Præsulem, direxerunt. Unde quia & ipsam præscriptæ fidei exemplar cum suis capitulis præmanibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestræ placet reverentiæ, recitetur.* Omnes Episcopi dixerunt: *Valde necessaria horum capitulorum est lectio, ut dum simplicioribus quibusque pristina Sanctorum Patrum statuta panduntur, abominata jam olim à Sede Beati Petri Apostoli, & damnata Priscilliani hæresis figmenta cognoscant.* Etsi & aliæ Synodi concrepuerant adversùs Priscilliani portentosa figmenta: etsi Hispanienses ipsi Episcopi *regulam fidei cum aliquibus capitulis conscripserant* in Concilio plenario, seu plurium provinciarum: anteferrur tamen his omnibus, & majoris est ponderis sententia *Sedis Beati Petri Apostoli* & Leonis. Itaque Petri Sedes præit, & subsequitur. Episcopi regulas fidei juxta illius dictata conscribunt, & subscribunt: at magisterii decus palmare Apostolico semper solio vendicatur.

XXXIII. Arianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychianos, etsi Oecumenicis Synodis obtriti sint, & ante Synodos tamen, & post ab Apostolica Sede damnatos principaliter & conculcatos fuisse, illud argumento est, quòd pestes illæ omnes Orientem totum, & Orientis Patriarchales ipsas Sedes diutissimè & impotentissimè populatæ sint: ab Occidente, cui propiùs Sedes Petri adsplendescebat, penè exularint. De Arianis fidem facit Socrates *lib. 2. cap. 22. Civitates Græciæ, Illyrii, & ceteratum orbis partium ad Occidentem vergentium tumultu, & perturbatione propterea caruere, quod inter se concordarunt, decisoque de fide in Concilio Nicæno tradita apud ipsos semper dominata sit.* Et Sozomenus *lib. 3. cap. 12. Ecclesia versùs Solem obeuntem sita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omnino à contentione libera fuit. Nam quamvis Auxentius Episcopus Mediolani, & Valens & Ursacius ex Pannonia oriundi, impensè laborarent, opinionem Arii in illam Imperii partem traducere: tamen illorum conatus haudquaquam successit ex animi eorum sententia. Quandoquidem Sedis Romanæ Antistes, & alii Episcopi ac sacerdotes studiosè præcaverunt, & illius hæresis germina amputarunt.* De Macedonianis alibi dictum est, quorum nec afflavit quidem Occidentem vesania. Nec nisi Damasi authoritate & consensu, atque Occidentalium illi consentaneorum Constantinopolitana I. Synodus in robur Oecumenici Concilii excrevit. De Nestorianis à Cælestino Principe confossis, nemo nisi valdè hospes, & rudis rerum Ecclesiæ ambigit. Adde & ex *epist.* 2. Sixti Papæ ad Joannem Episcopum Antiochenum, qui nonnihil ea in parte titubaverat, & tandem resipuerat: *Expertus es negotii præsentis eventu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Apostolus Petrus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit?* De Eutychianis longè exploratissima res est, cùm & errorem, & erroris parentem latrocinali Ephesina secunda Synodo approbatum, principalium Orientis Episcoporum consensione & subscriptione subnixum, imperatorio etiam præsidio armatum, Leo primus ante, & per Chalcedonense Concilium prostraverit. Qua de re fusissimè suprà.

XXXIV. Monothelitas Orientalibus Ecclesiis, & Patriarcalibus Sedibus incubantes, omniaque diu & impunè depascentes, Petri Sedes prima & sola damnavit, Occidenti ne adrepere quidem passa est, ab

est; ab Oriente tandem ipso eluminavit. Quocirca non ad Sedis suæ ostentationem, sed ad publicam salutem, ita Agatho ad Imperatores scribit *act.4. Synodi 6. Petri adnitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à veritatis via in qualibet erroris parte deflexa est, cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secuta sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, &c.* Et in epist. ejusdem, *& universarum Synodorum subjacentium Synodo Apostolici throni*, idem ex omnium Occidentalium consensu habetur: *Vera fidei splendidissimum lumen, ex veri luminis fonte, tanquam ex radio vivifici fulgoris, per ministros Beatum Petrum & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nulla heretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœdatum, &c. Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atque Apostolicæ fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum tenet & tradit, tota mentis custodia conservemus.* Subdunt hæc eadem in Occidentalium omnium Romano Concilio sub Martino Papa decreta fuisse, iis se medullitus inhærere, mitti à se ad Oecumenicum Concilium illam, *quæ universorum est per septentrionales vel occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua Apostolicæ fidei confessionem prælibavimus, non tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre.* Sed quid in hanc rem expressius epistola trium Africæ Conciliorum ad Martinum Papam missa, in causa eorundem Monothelitarum, & lecta in *secret.2.* Synodi Lateran. sub eodem? *Magnum & indeficientem, omnibus Christianis fluenia redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit; de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissimè irrigantes orbem Christianum; cui etiam in honore beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omninò & sollicitè debent, maximè verò justèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico; cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum: ut hujus authoritate, juxta quæ fuisset pronunciatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.* Sospitas fidei dilucidè accepta fertur Sedi Petri, nec ad Oecumenicas Synodos ablegantur omnes Ecclesiæ, fidei fluenta hausturæ; sed ad indeficientem & redundantem Cathedræ Apostolicæ fontem, ut iisdem penè verbis olim Innocentius Papa primus præcinuerat.

XXXV. Iconomachorum hæresi ante Oecumenicam Synodum Romanos Pontifices obstitisse, anathema illisisse, nequaquam in suspenso fidem usque ad Synodos fuisse, meridiana ipsa luce manifestius est, ut infrà declarabitur, *dissert.21.* Et ne longum faciam, cæteras Ecclesias, etiam Patriarchales, & plurima & fœdissima afflixere hæresum examina, & tandem à Catholicæ Ecclesiæ compage avulsere: Petrus in sua Sede immortaliter vivens & docens, confirmavit fratres suos, vacillantes tenuit, lapsos revocavit, irrevocabiliter insanientes damnavit; Occidentales & propiores, & addictiores sibi, à fide deficere usquequaque non sivit: in ea quæ ante ducentos paulò minùs annos, Occidentem ipsum discerpsit, defectione, proximiora sibi quæque regna ab interitu fidei servavit; successores suos nulla passus est hæreseos contagiosa doctrina sordidari. Unde merito, & jure Joannes VIII. *Epist.75.* ad Regem Bulgar. *Ingemiscimus mœrentes, ne si fortè Græcos secuti fueritis, cum illi in diversas hæreses & schismata solito more ceciderint, vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis, &c. Interroga seniores tuos, & dicent tibi, si aliquando Græci sine hac, vel illa hæresi fuerint; & cum non inveneritis eos ab aliqua hæresi aliquando liberos extitisse, oportet vos eorum fraudes & consortia fugere, &c. In eis sæpè Præsule Constantinopolitano vel Imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt, adulatione, aut certè timore illis efficiuntur consimiles; &c. Credimus autem, quod jam non vos lateat Apostolicam B. Petri Sedem, nunquam ab aliis Sedibus reprehensam; cum ipsa alias omnes, & præcipuè Constantinopolitanam sæpissimè reprehendens, aut aberrore liberaverit, aut certè in his qui resipiscere noluerunt, sententia sua judicio condemnaverit.* Et *epist.76. Sanctam Romanam Ecclesiam B. Petrus in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo, Domino Deo consecravit & dedicavit, &c. Sicut aqua nunquam potest alibi tam munda vel tam limpida, quemadmodum in fonte, unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiæ nostræ vivario: ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est, hæretica pravitas comparatur: sed ille polorum claviger ubertim & purissimè congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cœlitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit.* Quæ suprà *dissert.16.* Nicolaus de Cusa, præ oculis habuisse, atque expressisse videtur.

XXXVI. Et illud quidem omnibus in Oecumenicis Synodis, Pontificumque Romanorum epistolis, maximè ad Orientales destinatis, observare est; fidenter & copiosè à Romanis, vel Occidentalibus venditari privilegium Apostolicæ Sedis Romanæ, quæ nunquam errarit in fide, errantes semper revocaverit: at Orientales Episcopos, maximè principalium Sedium, ac præ cæteris urbis Regiæ, ad hæc plerumque frigere, conticescere, aut obliquè adversari, non tamen palàm refragari unquam. Atque ibi adverte 1. permaximi esse momenti vel solam Occidentalium omnium conspirationem, qui legatis & epistolis conjunctissimis intererant, & docebant in Synodis Orientalibus. 2. Nunquam apertè Græcos reluctatos esse, assensos videri non semel: tot & tantis affirmantibus ipso saltem silentio suo acquievisse. 3. Primarias omnes hæreses in Oriente, in ipsis ferè principalium Ecclesiarum Sediumque visceribus exortas, ibi diutiùs hæsisse, nullam in Romana Sede vel Ecclesia. 4. Per Romanæ Sedis Pontifices ab hæresi ad rectam fidem iterum atque iterum revocatas fuisse singulas & universas Orientis Patriarcharum Ecclesias, nusquam ab ipsis Romanam. 5. Non jactantiæ id fuisse, quod inculcatissimè suæ Sedis inerrantiam venditarent Romani Præsules Orientalibus, exitu ipso commonstratum est. Quòd enim ægrè, aut ne ægrè quidem inducerent in animum suum, huic privilegio Petri, Petrique Sedis subscribere, inde nimirum in varia jam olim errorum abrupta transversi acti sunt; inde vix ut resipiscerent, adducti; inde irrevocabili tandem ruina præcipitati sunt. Intererat ergo & ad ipsorum & ad totius Ecclesiæ incolumitatem, Petri Sedem fidemque invictissimam ostentari, cui si acquiescere Orientales adducti essent, non tandiu Ariana illos vel ante vel post Nicænam Synodum jactasset procella; non Macedoniana, non Nestoriana, non Eutychiana lues tam immaniter eorum viscera depasta esset: non Monothelitarum, non Iconomachorum cladibus attriti fuissent: non ante hæc omnia de Paschate & baptismo hæreticorum tam inutiliter afflictati; non post hæc omnia ab ipso Catholicæ Ecclesiæ corpore, desperatissimo ausu se ipsi abscidissent. His stragibus Occidentem subduxit Petri Sedes sibi morigerum; his pertinacia sua Orientem immersit. Nemini

mini oculato, cordato nulli hæc levia videbuntur argumenta, quæ tam constanti sæculorum decursu, & Ecclesiæ Christi sponsæ administratione cœlitùs dispensata, nituntur. 6. Synodi Oecumenicæ his malis mederi non potuere, seu quod cogi noquierint, seu quod dum Synodus procrastinatur & expectatur: magnæ quippe molis est, totam Ecclesiam in uno quopiam loco repræsentare; interim tam altas agat radices vis morbi, ut extirpari deinceps nequaquam possit. Itaque etiam utplurimum Synodis vale dixere, & obvertere terga, qui Romanis Pontificibus prima mali semina vitari edicentibus minùs obsequebantur.

XXXVII. Ne autem ex sola Græcorum dissensione, & infelicissimo ejus exitu, ad consentiendum privilegio primæ Sedis argumenta aucupemur: eorum non paucos proferre licet, qui & ipsi cum Occidentalibus suffragati sint. Irenæi verba jam superiùs descripsi. Planissima ibi adversùs omnes hæreses præscriptio occurrit, non longo circuitu singulas perlustrans Ecclesias, non ex omni Ecclesia Synodum convocans; sed compendiosiùs solam adiri jubens Romanam Ecclesiam, Petri & Pauli doctrina pariter & sanguine fundatam, eoque Principem & eminentissimam omnium Ecclesiarum. A quibus non abludit Athanasius epist. ad Solitarios: *Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt Ariani, nulla reverentia ducti, vel quòd Sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romaniæ, vel quòd eos Apostolicos viros in suis epistolis nominassent, &c. Nam cum Liberium vidissent orthodoxum, & osorem quidem Arianicæ sectæ, studiosum verò in hoc, ut cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impii cogitarunt: Si Liberium in nostram traxerimus, omnes brevi superabimus, &c.* Vides ut vel hostibus Ecclesiæ præjudicatum id esset, Romanæ & Apostolicæ Sedis Pontificem omnes admirari, omnes lubentissimè in negotio fidei audire & sequi. Theodoretus *epist.* 113. ad Leonem Papam: *Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multò magis nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram recurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedia à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis siquidem prærogativis ornatur Sedes vestra, &c. Præcipuè autem illam fides ornat, cujus testis idoneus est divinus Paulus clamans, Fides vestra annunciatur in universo mundo. Quòd si statim post susceptæ salutaris prædicationis semina, mirabiles hos fructus uberrimè protulit: prædicandæ, quæ in ea nunc viget, pietati quænam par esse queat oratio? Habet præterea communium Patrum Magistrorumque veritatis Petri & Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par in Oriente quidem exortum est, & radios quaquaversum diffudit; sed in Occidente vitæ occasum ultro subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat.* Et *epist.* 116. ad Renatum Presbyterum: *Oro sanctitatem tuam, sanctissimo Archiepiscopo persuadeat, ut Apostolica authoritate utatur, & ad Concilium vestrum advolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus: atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis manserit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conservavit.* Nemini Latinorum Romanæ Sedis laudibus addictissimo occurrere quidquam potuit magnificentius. Et quidem si tempora spectes, quibus scribebat ista Theodoretus, non illi modò, sed omnibus Orientis Episcopis orthodoxis hanc insedisse sententiam comperies. Cum enim latrocinio Ephesino implicatæ essent primariæ Orientis Sedes, & huic impietatis eluvioni una supernataret Sedes Romana, una velut arca Noe, fidei & Ecclesiæ Catholicæ salutem circumferret: quid de seipsis aliud, quid de Romano Præsule sentire poterant Orientales; nisi quod toties jam, & tandiu, & tunc evidentissimè experiebantur, se in lubrico stare & lapsare identidem, illum oratione Christi communitum esse, ne fides ejus deficeret, utque fratres suos confirmaret? Id unanimi suffragatione contestati sunt Orientales omnes Episcopi, cum epistolæ Leonis ad Flavianum, etiam ante Chalcedonensem Synodum subscripsere. Unius enim Leonis authoritatem ea præ se ferebat epistola. Et tamen ei subscribebant, quicumque post Ephesinam secundam, ante Chalcedonensem Synodum, Catholicos se haberi gestiebant.

XXXVIII. Sed unde hanc exorsi sumus disputationem, nisi à Græcorum percontatione, qua Petri Sedem adiere, unusne Trinitatis passus dici; propriène & veraciter, Dei mater Maria prædicari deberet? Audi rursus in ea causa epistolam Justiniani Imperatoris ad Agapetum: *Ante tempus in hac regia urbe nostra quorundam de causa fidei extitit morbosa contentio, quam nos congrue respuentes interposito edicto repressimus. Et quia studii nostri est, emergentes hujusmodi causas, ad Apostolicæ Sedis vestræ referre judicium, &c.* Cui rescribit Agapetus: *Cupis, &c. Tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione, à præcessore nostro Joanne roboratam, nostra quoque authoritate firmamus, laudamus, amplectimur: non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus.*

XXXIX. Veniamus ad trium Capitulorum disceptationem, ubi Orientales adversùs imperatoriæ potestatis injuriam, & errandi in Chalcedonensis Synodi fide discrimen, uno se maximè tuebantur, quem sibi despondebant, Romani Antistitis consensu. Audi Facundum *lib.* 4. *cap.* 4. Menas Episcopus Constantinopolitanus *conventus à Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono, cur priori sententiæ suæ contrarius acquievisset his quæ ante culpaverat, & de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat; sub ea se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret. Sed numquid si vel propriam manum Romano Episcopo non probante recipiat, nihilque illi quod metuit, de humano judicio contingat: ideo sententiam Dei judicis atque ultoris effugiet? &c.* Zoilus quoque Alexandrinæ urbis Antistes, *cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hic ei postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præsentibus, exprobravit.* Et infrà: *Jam verò de aliarum Ecclesiarum Episcopis quid loquamur, qui & cum scribere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam Synodum fieri: & post subscriptionem memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quod à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent?* Perspicuum ex his est Episcopos Orientales, etiam ipsos Episcoporum apices, in ea controversia quæ fidem Chalcedonensi Synodo constituram labefactare videbatur, à nutu Romani Antistitis pendulos alternasse, ut cum illo quidvis & sub illo duce probarent, vel improbarent.

XL. Et rursum Maximus Martyr in causa Monothelitarum, ut refertur à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, in defens. Concil. Florent. *cap.* 5. *num.* 8. Maximus, inquam, in disput. cum Theodosio Cæsareæ Episcopo: *Quoniam pupugit vos, ut exciperetis Sanctorum Patrum voces, ut Canon docet, Romam de hac re scribite, &c. Synodali petitione ad Romanum Pontificem transmissa: & omninò si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat ob rectam fidei confessionem, convenite super hoc inter vos.* Et idem Maximus in disput. cum Pyrrho, patro-

patrocinium Vigilii & Honorii Pontificum Romanorum sibi adesse fingentes Monothelitas luculentè refellit, & futilem exufflat calumniam, ut infrà suo loco dicemus. Eximius ejusdem Apostolicæ dotis vindex præfulserat aliquantò antè Sophronius Pontifex Hierosolymitanus, ut refert Consult. 2. Concilii Lateran. sub Martino Stephanus Episcopus ab eo Romam adversùs Monothelitas ablegatus. Hæc autem præloquitur Stephanus, *Annunciamus hæc omnia Sedi summa vestræ & principali, ad medicinale consultum emersi vulneris. Quippe quoniam hoc potestativè olim & ab antiquitus facere per Apostolicam, sive Canonicam consuevit authoritatem, dum aperta lucubratione non solùm claves regni cœlorum creditæ sunt ei, atque ipse tantummodò ad aperiendum eas Princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam & pascere primus jussus est oves Ecclesiæ Catholicæ, &c. Et iterum ipse præcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spirituales meruit fratres, utpote dispensativè super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & sacerdotalem authoritatem. Quod utique sciens beatæ memoriæ Sophronius, &c.* Tum verba profert Sophronii, Romam ipsum amandantis: *Quantociùs ergo de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias: non semel, non bis, sed multò sepiùs aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundùm veritatem, quæ in istis partibus mota sunt: & non quiescas instantiùs expetens atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundùm Canones destructionem.*

XLI. In Imaginum quæstione Stephanus ab eodem Gennadio ibidem *num.* 10. profertur, Pseudosynodum Græcorum Iconoclastarum hoc argumento refellens, *Quo pacto Oecumenica appellabitur Synodus, in qua Romanus Præses non præfuit? Sine cujus assensu non licet res Ecclesiasticas ordinare?* Ita inclytus Martyr. Et infrà *sect.* 16. refertur ab eodem Theodorus Studita in epistola ad Paschalem Papam: *Audi Apostolicum caput, à Deo electe, Pastor Ovium Christi, Claviger regni cœlorum, Petra fidei, per quam ædificata est Catholica Ecclesia. Nam tu es Petrus, Petri sedem exornans & gubernans, &c. Huc ades, ab Occidente exurge. Tibi dixit Christus, Et tu quandoque conversus, confirma fratres tuos.* Et idem Theodorus in eadem epist. *Vos igitur verè illimis fons, ac sincerus, jam inde ab initio veræ fidei. Vos ab omni hæreticorum procella longè positi: securus totius Ecclesiæ portus. Vos à Deo, electa civitas ad salutis refugium.*

XLII. In octava autem Synodo videntur quidem Græci eò vergere, ut summa definiendi potestas sit penes quinque Patriarchales Sedes. *Act.* 5. Bahanes ad Photium: *Loquere domine Photi, quodcumque habes justitiæ opus; totus mundus hic est. Ne claudat viscera sua sancta & universalis Synodus. Quò namque vis ex hoc confugere? Romam? ecce à Roma: In Orientem? ecce ab Oriente hic adsunt.* Ea *act.* 6. Metrophanes: *Posuit Deum in firmamento cœli tanquam quædam magna luminaria, videlicet quinque Patriarchalia capita in illuminationem totius terræ.* Et infrà Basilius Imp. *Quos dicitis, ab aliis Patriarchis restituti sunt, &c. Vestrum autem casum & vulnera nullus Ecclesiasticorum Medicorum sanavit, neque aliquis Patriarchalium capitum.* Et *act.* 7. Bahanes: *Dicite, unde estis, de cœlo estis, de abysso estis? An de terra, in qua nos degimus? Ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & salvatus est, & audio vos. Hodie quatuor Patriarchia, immò verò quinque condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur? ad hæc? Est qui adjuvet vos?* Et *act.* 8. idem Bahanes: *Quò fugies, aut quò ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis, & definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquandò penitus decidant, eò quòd capita Ecclesiæ sint. Etenim illud quod dicitur, Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, hoc denunciat. Quando duo ceciderint, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo. Cum verò quatuor fortè ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ.*

XLIII. Si Græcas hìc artes & versutias suspicari nullas libeat, nihil moror. Istud enim *unum*, quod *quatuor* alia ab erroris barathro revocavit Patriarchia, non potes nisi Romanum intelligere. Itaque non desultorium est istud privilegium, ut vicissim alia aliis labentibus subsidio sint; sed in Romano constanter defixum solio. Etenim nusquam Sedes alia Patriarchalis Romanam hæresi contaminatam purgavit; Romana cæteras omnes, nunc singulas, nunc universas fidei rectæ restituit. Immò perrarò Sedes aliæ aliis ab hæresi reducendis insudavere, sed Romana in id vel sola, vel prima & præcipua incubuit. Ad hæc in causa Photii, quæ tunc controvertebatur, nemo nescit unam præ cæteris Romanam expiandæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ curam induisse: reliquas ei subscripsisse dumtaxat. Ergo quinque Patriarchalium Sedium consensio ita interpretanda venit, ut Romanæ obsequantur aliæ. Id *act.* 1. ejusdem Synodi confitetur Syncellus Ecclesiæ Hier. *Ideo Patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus Sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur. Igitur cum præsidens & præcedens Sedes senioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, &c.* Et Anastasius Bibl. in præfat. ad hanc Synodum: *Cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit: profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis; sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integra communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes quia Romana præcellit, non immeritò, visui comparatur, qui profectò cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, & communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens.* Præclarissimè & Georgius Scholarius hoc argumentum prosecutus est in *orat.* 3. *Conc. Florent. Illud etiam considerare vos oportet, Ecclesiam ita esse à Domino in tuto ædificatam, ut portæ inferi nunquam sint adversùs eam prævalituræ, hæreses inquam contra veritatem insurgentes, &c. Esse verò Dei Ecclesiam quinque Sedes Patriarcharum, & eos qui illis subjacent, tum Synodorum Canones, tum longa ejus consuetudo, & ipsa rerum natura declarat.* At hæc qui capienda, palam facit series, exitusque Synodi Florentinæ; qua id nimirum perfectum est, ut ad fidem & pacem Romanæ Sedis revocarentur aliæ quatuor. Unde idem paulò suprà: *Pugna illis erit cum tota prorsus Ecclesia, erunique ab universa separati. Nam ubi Constantinopolitana Ecclesia unà cum tribus aliis conjuncta fuerit Romanæ, nulla Catholicæ Ecclesiæ pars extra manet, &c.* Vides ut reliquas Romanæ revinciat. Ita & quod in vita Tarasii Patr. Constantinop. narratur Paulus & ipse Patr. Constantinop. paulò antequam è vita abiret, dixisse: *Recuso esse pastor cœtus, hæretici, & statui potius habitare sepulcrum, quàm esse obnoxius anathematibus sacræ quaternionis Sedium Apostolicarum.* Compertum est Romanæ soli fas tum fuisse anathema impingere Sedi Constantinopolitanæ, ab eaque una ad Imaginum honores restaurandos regiam urbem esse revocatam. Denique Constantinopolitanam & Hierosolymitanam Patriarchalem Sedem, tam nuperas, & ambitu multo evectas, quis hoc donavit privilegio? Alexandrina & Antiochena verò suam tum Romana Sede cognationem, suam ab ea defluam potestatem, nec ipsæ dissimulabant.

labant. Postremò cùm quatuor aliæ irrevocabili jam lapsu afflictæ, elisæque sint, id necessum est, ut penes Romanum Patriarchicum caput, tota illa jam resideat prærogativa; immò tota semper resedisse æstimetur, quòd nunquam cecidit; non penes alia quæ decidua toties, & recidiva, desperatissimo tandem demersa sunt exitio.

XLIV. A Græcis ad Gallos descendamus, quorum priùs juniores aliqui percontandi sunt, ut eorum sententia ad antiquorum Gallicanæ Theologiæ optimatum normam expendatur. Ergo Joannes Gersonius lib. de Exam. Doctrinarum, consid. 2. *Examinator juridicus doctrinarum fidem tangentium Papa supremus est in terris, post generale Concilium, vel cum ipso. Quoniam supremus in omni politia, juris habet dubia circa politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appositione pœnarum in rebelles, &c. Porrò non sequitur, Papa potest in definiendo fallere, vel falli, igitur non est judex idoneus: sicut in aliis patet instantia. Concluditur tamen ex hac radice, duplex veritas. Prima quod determinatio solius Papæ in his quæ sunt fidei, non obligat, ut præcisè est talis ad credendum. Alioquin staret in casu, quod quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falsum contra fidem. Secunda veritas est, quod sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos, aut apud illos qui manifestum contra fidem deprehendunt errorem; & scandalum grande fidei suo silentio fieri, si non opponerent se, cognoscunt. Quòd si fieret persecutio sententiarum & pœnarum contra eos, sciant beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Superest quoque remedium Concilii generalis, &c.* Idem ille compluribus aliis locis. Jacobus Almainus *lib. de Nat. Civ. & Eccles. Dominio: Potestas est major perfectione in Ecclesia, quàm in summo Pontifice. Est enim in Ecclesia indeviabiliter, ita quod errare non potest in his quæ sunt fidei, & bonorum morum, &c. sed in summo Pontifice est deviabiliter. Ex qua infertur corollariè, quod determinatis per summum Pontificem non est necessariò credendum, (quamvis non sit oppositum publicè dogmatizandum,) nisi manifestum sit ex sacris literis, ex revelatione aut determinatione Concilii determinantis, aut per Concilium necessariò credendum.* Joannes Major, aliique Parisiensium maximè Doctorum in eandem sententiam descendere.

XLV. Ad id nunc indagandum adgredimur, an in hanc de primæ Sedis definitionibus opinionem junioribus his præiverint vetustiores Gallicanæ Ecclesiæ Antistites & Doctores. Adversùs Arium & Macedonium Orientalibus Ecclesiis tam exitialiter incubantes, Sedes Petri Occidentem, adeoque Gallicanas Provincias contutata est, ut suprà ostensum, utque ex ipso Joanne Gersonio facilè firmabitur, cujus hæc sunt verba in serm. coram Alexandro Papa habito in die Ascens. *Græcos mala tempestas à Sede Petri disjectos, non modo schismatis, sed nonnullius etiam hæresis macula fœdavit. Latinitas ipsa purior & immaculatior Sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Tom. 1. p. 262.* Sedes Petri Occidentem ab hæresi liberat, quid seipsam? hæresin nullam sapit, num aliquam docebit?

XLVI. Adversùs Nestorianam & Eutychianam insaniam, longè evidentius est, solo primæ Sedis magisterio Gallos innixos stetisse. Id ipsimet clamitant in Synodica ad Leonem Papam scripta, ubi de ejus ad Flavianum epistola hæc habent: *Quæ Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit; & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit, &c. Doctrinæ post Deum vestræ debet fidelis, ut constanter teneat, quod credebat: debebit etiam infidelis, ut à perfidia sua, agnita veritate, discedat; & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat.* Denique grates Deo agunt, *quod tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, unde religionis nostræ fons & origo manavit, Antistitem dederit.* Ita illi nulla ratione habita Synodi generalis. Et Avitus Viennensis Episcopus ad Hormisdam Papam: *Eutychetis igitur, Nestoriique damnatio, quos jandudum per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit authoritas, ad notitiam jampridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ provisione, perlata est.* Nec Ephesinæ, nec Chalcedonensis Synodi meminit, Apostolicæ Sedis authoritate calcatas hæreses perhibet. Quod ne incogitanti excidisse putes, immò ut nomine Episcoporum Galliæ ita scriptum ne ambigas, accipe Canonem primum Synodi Aurel. 5. *Nefariam sectam quam sacrilegus condidit Eutyches, vel si qua à venefico sunt prolata Nestorio, quas etiam sectas Sedes Apostolica sancta condemnat, similiter & nos easdem cum suis authoribus damnamus, &c.* Et Synodo Arvernensi an. eodem 549. *can. 1. Nefarias sectas sacrilegi Eutychetis, & Nestorii, quas sancta Sedes Apostolica condemnat, nos quoque cum earum authoribus, & sectatoribus pariter anathematizamus.* Vides in damnanda hæresi qualibet, quanti faciant Sedis Apostolicæ authoritatem, nec necesse putent Synodos Oecumenicas ostentari.

XLVII. Adversùs Pelagianos & Pelagiana fuligine oblitos Augustini obtrectatores, qui Galli plerique erant, nemo tam peregrinus est, cui non sit exploratissimum, sola Sedis Apostolicæ authoritate, & definitione statum esse. Prosper si Aquitanus, si Regiensis Episcopus extitit, Augustini eaquoque in parte æmulator, solis primæ Sedis rescriptis jure damnatos errores inculcatissimè affirmavit, & incassum ad generalia Concilia Cælestianos provocare. Idem à Cælestino expressit, ut Galli Augustino obloquentes comprimerentur. Galli ipsi adversùs Augustinum latrantes, solis se Apostolicæ Sedis de gratia definitionibus stare jactabant. In rescripto Cælestini suprà ostensum, hæreticum adseri, quidquid his suis definitionibus obstrepet. Cùmque nec centum annorum spatio usquequaque detumuisset illa contentio, Cæsarius demum Arelat. Episcopus, in Arausicana Synodo, *capitula quædam ab Apostolica Sede transmissa, ab omnibus observanda protulit, & subscribenda; quibus lectis qui huc usque non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.* Erant illæ quæstiones difficultatum sentibus impeditissimæ, diuturnis prœliis vexatæ, sed Apostolica tamen Sede semel oraculum suum effundente, jam ex Augustino *causa terminata est*: jam ex Prospero ulteriorem audientiam postulantes, Cæsareis edictis summoventur, & solum jubentur vertere: jam ex Cæsario & Arausicana Synodo, capitulis à Sede Apostolica transmissis, non silentii tantùm religio, sed subscriptio, sed fidei & animi inclinatio debetur. Adde ex Cypriano in v. Cæsarii apud Surium, *Quorum intentionibus vir Dei Cæsarius dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa eadem colluctatione compertæ, calcata intentione jurgantium, prosecutionem Sancti Cæsarii Apostolica authoritate firmavit.* Cassianus certè, quàm obviis ulnis amplectenda essent primæ Sedis decreta, ita patefacit *Lib. 3. cap. 12.* de Incarn. Petrum Apostolum ita commendans: *Interrogemus summum illum & inter discipulos, discipulum, & inter magistros, magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotii principatum.* Quanquam autem non prorsus acquieverint Galli Augustinianis & sententiis & libris usque ad Arausicanam Synodum: Cælestini tamen epistolæ vehementer assentiebantur, aut assentiri se simulabant, callida eam interpretatione frangentes, eaque anteriores, non postremos Augustini libros

authorati cavillantes. Unde Prosper *l. cont. Collat. cap. ult.* præmisso ex Cælestini epistola Augustini encomio: *Contra istam*, inquit, *clarissima laudationis tubam, contra istam sanctissimi testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sinceritatisque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: ut scilicet quia in epistola Papæ librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam.* Abutebantur autem Galli cavillatores verbis ipsis Cælestini epistolæ, *Desinat incessere novitas vetustatem*; quasi nova & postrema Augustini scripta, quibus antiquæ Patrum doctrinæ & prioribus suis ipsius lucubrationibus inaudita & durissima quædam addiderat, hic exauthorarentur. Eò vir doctus retulit verba Vincentii Lirinensis Common. 2. *cap.* 43. *Aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat Cælestinus liberum pro voluntate sermonem: vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim: Desinat, inquit, si ita res est; id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione facitis. Desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere novitas vetustatem. Ergo hæc fuit beati Cælestini beata sententia, ut non vetustas cessaret obruere novitatem: sed potius novitas desineret incessere vetustatem.* An adhuc tunc Vincentius in eodem cum obtrectatoribus Augustini luto hæreret, aliorum esto judicium. Hanc certè ludificationem elidere conatur Prosper eodem loco consequenter: *Maneat planè*, inquiens, *maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas: & ut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur.* Ita libros de prædestinatione Sanctorum & de bono perseverantiæ, quos allatrabat calumnia, ut à Sede Apostolica non probatos; superioribus, quos continuò enumerat, consentire Prosper affirmat, adeoque pariter approbatos esse. *Agnoscant calumniatores superfluò se objicere, quod his literis non speciale, neque dis: retum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim fides, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat: & quod judicio jungit, laude non dividit.* Certatim ergo hinc & inde decretis Sedis Apostolicæ incumbebant. Et Gennadius in Catalogo virorum illustrium, *Innocentius urbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiarum, adversùs Pelagianos datum: quod postea successor ejus Zosimus latiùs promulgavit.* Et infrà: *Xystus urbis Romæ Episcopus, decretum Synodi adversùs Nestorium volumine describens, ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedit.* Et ibidem: *Xystus successor Cælestini ad ipsum Nestorium & ad Orientis Episcopos, adversùs errorem ejus succidendum, sententias direxit.* Ita Gallicanus scriptor summam profligatæ geminæ hæreseos laudem, & universalem definiendi authoritatem uni Apostolicæ Sedi adsignat.

XLVIII. Adversùs Monothelitas non Concilii Oecumenici, quod serum utique, sed Concilii Lateranensis sub Martino, & Sedis Petri doctrina Galli pugnarunt, ut res ipsa clamat. Interim sanè dum Græcis eo errore dementatis liberet Synodum cogere, an fas erat luxuriare & indulgere suo quemque judicio, aut infidelitatem suam doloso dissimulare silentio? Cui hoc priscorum Antistitum vel cogitare subiit? Et quis non videt periculosæ rem esse plenissimam aleæ, cùm Concilia Oecumenica non potuerint tandiu colligi nisi consensu Imperatorum: his non rarò hæresi astipulantibus, & Synodos vel procrastinantibus, vel opprimentibus, suæ interim unumquemque potestati permitti, ut fidem vel perfidiam ex tua libidine fingeret, & diffingeret? Denique ubi sexta Synodus Constantinopolin convocata semel fuit, confluxere Romam Occidentales Episcopi frequentissimi, inde legatos & epistolas ad Synodum Oecumenicam direxere. Ad manum sunt epistolæ, evolve, excute, scrutare si lubet; nusquam dubios, nusquam ancipites, nusquam veluti suspensos ex decretorio Synodi Oecumenicæ oraculo; sed suæ fidei tenaces, & Martini Papæ Concilium, Sedis Apostolicæ indefectibilem prædicantes fidem videbis Occidentales, & in iis Gallos Episcopos. Et sanè cùm Oecumenicis Conciliis in Oriente congregari solitis, rarissimi interessent Occidentalium: cùm fidei antiquæ multò, quàm Græci, retinentiores fuerint Latini: in promptu est, cur minùs penderent nostri ab Orientalium Synodo, ut cui paucissimi adessent, ut qua ipsi minùs indigerent, ut qui Sedis Apostolicæ magistra voce propiùs erudirentur; ut qui Romæ priùs Occidentale agitarent Concilium, vel plura sigillatim hìc illìc Concilia celebrarent, fidemque scriberent priores & securi, ab ipso Christiani Sacramenti fonte & natali sibi irroratam, & inconcusso traditionis avitæ confirmatam robore, cui nullus in Occidente hactenus obstreperet, nemo secus bisceret, cùm solum Orientem ferè hæretica lues depasceretur. Sed quid apertius epist. Martini Papæ I. ad Episc. Trajectensem Amandum de Synodo Romana adversùs Monoth. *Hereticorum scelerosa conscripta Apostolico mucrone Patrumque definitionibus condemnavimus: ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina synodalium gestorum in præsenti vobis dirigere una cum Encyclica nostra. Studeat fraternitas tua, eadem omnibus innotescere, ut tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, atque synodali conventione omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent: confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exorta à nobis statuta sunt.* Quam Martini & Synodi sub eo Romanæ definitionem, quàm obviis amplexata sit ulnis Ecclesia Gallicana, etiam ante Sextam Synodum, quàm Catholicam & necessariò profitendam eam fidem intellexerit; quàm certò Martyrum honoribus Martinum ipsum pro ea occumbentem prosecuta sit; declarat præclarissimus scriptor vitæ sancti Eligii Noviomensis Episcopi, Sanctus Audoenus Episcopus Rothomagensis, *lib. 1. cap. 33. 34. Martinus sollicitè ac viriliter pro hac causa invigilans, imòque pugnans, multa probra & adversa ab hæreticis sustinebat: unde tandem permotus, cum & Imperatorem & plures cerneret eorum adsertionibus obsecundare, congregavit Concilium Sacerdotum, compescendi causa, immò delendi hujus pravitatem dogmatis. In quo Concilio, omnibus Orthodoxis consentientibus, edidit contra hæreticos fidem magnificè valde atque accuratè, quam etiam cum subjuncta epistola Galliarum partibus destinavit.* Et mox narrato Martini martyrio: *Non est inferior gloria, sed potiùs excellentior, sustinere martyrium pro eo, ne scindatur Ecclesia fallaciis hæreticorum, quàm est illa, ne immoletur idolis, impulsu paganorum. In Paganorum namque persecutione unusquisque tantùm pro sua anima, in hæreticorum verò pro universali patitur Ecclesia. Et idcircò eum potiorem dixerim.* Ita Galli ante generalem Synodum, in definitiones Sedis Apostolicæ affecti erant. Quod idem manifestum fiet ex Adone Viennensi in Chronico, ubi merito laudum præconio effertur Martini ejusdem Papæ Synodus, & mox martyrium *pro Catholica veritate Apostolicè* aditum; itemque postea ab Agathone sub Pogonato Principe missos ad Synodum sextam legatos, *jussosque remissis disputationibus Philosophicis pacifico colloquio de vera fide perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana Catholicorum*

Pa-

Patrum, quos petebant, libellis. Quæ Agathonis verbis alludunt, affirmantis eam Synodum habendam, non ad dubium dogma hinc & hinc ventilandum, sed ad Græcos Catholicam seu Latinam fidem docendos, pristinumque errorem suum dedocendos.

XLIX. Adversùs Iconomachos in officio Gallicanas Ecclesias non retinuit, nisi Apostolicæ Sedis reverentia. Græcanicas enim Synodos, & ipsam Oecumenicam Synodum septimam, etsi falsis delusi rumoribus, nemo nescit, quantis Galli contumeliis proscinderint. Copiosiùs quidem ea de re alibi se dabit locus disputandi. Interim compertissimum est Gregorii Papæ primi doctrinæ, & Hadriani authoritati Gallos addictiores multò fuisse, quàm nomini & famæ Concilii universalis. Quippe qui Synodo non affuissent Nicænæ: An affuissent, an assensi essent legati Pontificii, ignorarent. Quid decretum ibi esset, eos falleret. Et in summa hac ignoratione rerum in Synodis Orientalibus gestarum, versatos plerumque, & Gallos, & Hispanos, & Anglos fuisse, ex monumentis rerum Ecclesiasticarum liquidum est: nec nisi à Sede Apostolica earum acta suscepisse. Ut propè necesse esset, eos Petri Sedi, ut familiariùs, ita propensiùs inhærere.

L. Ad Elipandi & Felicis Hispanorum Antistitum delitia, à Gallis potissimùm exagitata, decursus nos ipse temporum & rerum pervehit. De capitibus ad fidem spectantibus certamen erat. Famosi Antistites utrimque pugnabant, & Sedium splendore spectabiles. Neutra tamen ex parte concrepuit, aut vel uno verbo insonuit, non posse fidei Catholicæ dogma constitui, cujus necessitate constringeretur omnium fidelium assensio, nisi Oecumenica Synodus conveniret. Audi ex adverso Hadrianum ad Episc. Gall. & Hispan. *Quoniam ferventi succensus zelo fidei Carolus Magnus, ea quæ contraria orthodoxæ fidei Hispaniarum de confiniis allata sibi persensit, nostris curavit summa pernicitate obtutibus præsentari: B. Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, &c. ex authoritate Sedis Apostolicæ, pro causa siquidem orthodoxæ fidei, æquum ratumque duximus respondendum*: & eos ni resipiscant, definit, *à gremio Ecclesiæ alienos, & ultrici cum sequacibus suis vindictæ plectendos*. Et Synodus Francofurd. in sacro syllabo: *Eos qui post hanc salubberrimam definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflata Spiritu, concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum assertionibus sive clam, sive in publica voce præbuerint adsensum, simili eos sententiæ vindictæ sancimus esse plectendos; reservato per omnia juris privilegio summi Pontificis, domini & patris nostri Hadriani, primæ Sedis beatissimi Papæ*. Et Carolus ipse in epist. ad Elipandum: *Ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova intentione ter quaterque direximus missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione*. Addit præterea varias ea de re Synodos sua opera collectas esse in Anglia, Italia, Germania: *Post hanc verò correptionem, sive admonitionem Apostolicæ authoritatis, & synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omninò vos pro hæreticis haberi*. De Synodo Oecumenica altum silentium. Pontifex primæ Sedis, Episcopales aliquæ Synodi definiunt, concordant: omnibus convenit, hæreticorum albo inscriptum iri, qui reluctabitur.

LI. De eodem Felice damnato in Concilio Ratisponensi, Jonas Aurelianensis in lib. adversùs Claud. Taurin. *Ejusdem Caroli Principis jussu in unum coacti Episcopi, adhibita etiam sancta Romana Ecclesiæ authoritate, eundem Felicem damnaverunt; immo cum authore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati mancipaverunt*. Et annales Francorum sub Ludovico conscripti: *Congregata apud Reginum Episcoporum Concilio, auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso heresin confessus est, atque abdicavit: quo facto ad civitatem suam reversus est*. Id ergo insidebat Gallis, causas fidei in Episcopalibus Conciliis definiri posse; ita tamen ut ad Sedem Apostolicam referretur, cujus peremptorio denique terminarentur judicio; cui qui non obaudirent, hæreticorum numero essent. Adde & Dungalum, contra eundem Claud. Taurin. initio ferè operis: *Cum beatæ memoriæ Carolus vigilantissimus Catholicæ fidei tutor & propugnator, nequissimæ caput viperæ, in magistro hujus erroris Felice, sibilantis contra unitatem Ecclesiæ, Apostolicæ authoritatis prævalida ferreaque confregerit virga*.

LII. Adversùs eundem Felicem Alcuinus *lib.* 7. priscam illam Gallorum de Romana Sede consensionem identidem prodit: *Nos Romana plus authoritate, quàm Hispana veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus: licèt nec illa reprobemus, in his tamen quæ Catholica dicuntur. Unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.* Viden ut Romanam Ecclesiam & sequendam ab omnibus Catholicis, & eandem cum universali, seu universali semper consentaneam esse docet? Et idem ipse *lib.* 1. adversùs Elipandum: *Vestri erroris secta, præsidente Rege Carolo, præsente Felice in loco qui dicitur Reginisburg, & synodali authoritate Sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani Imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata: immò & à beatæ memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis Romanæ Ecclesiæ Apostolica authoritate rexerat Sedem, funditus exterminata; donec idem Felix infeliciter, ad vestras rediens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit*. Particularibus Synodis & decreto Pontificio non acquievit Felix, Gallis hæreticus ea de re habitus est, etsi nulla Synodo Oecumenica sit proscriptus. Præterea suo more Africanam imitante Gallicana Ecclesia, ut in Pelagio & Cælestio olim, ita nunc in Elipando & Felice, etsi variæ, & ex pluribus provinciis Synodi confluxerint, non in eas tamen, sed in Sedem Apostolicam redundat principalior gloria exterminatæ funditus hæreseos. Et ipse Felix in confessione fidei suæ apud eundem Alcuinum: *In Synodo Romana præsente Leone Apostolico, & cum eo cæteri Episcopi numero LVII. residentes, & plerique Presbyteri, ac Diaconi cum eis, in domo B. Petri Apostoli; &c. Quorum authoritate veritatis, & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti, meliori intellectui eorum, quàm nostro, quem priùs sequebamur, &c. ad universalem Ecclesiam Deo favente ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit: sed ut dixi, vera cordis credulitate, & oris professione*. Pag. 998. 999. Inculcat mox creberrimè se assentiri universali Ecclesiæ, quam nempe in capite suo repræsentari, & totam adesse cernebat, nec fas esse sibi putabat alibi quærere, & Oecumenicam in Synodum convocare. Rursum denique idem Alcuinus *epist.* 70. alia de re quapiam scribens; *Ne schismaticus inveniatur, non Catholicus, sequatur probatissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus. Ne membra à capite separentur suo, ne claviger regni cœlestis abjiciat, quos à suis deviasse cognoverit doctrinis*. Ubi ulla usquam vestigia silentii & simulationis illius, ubi vel umbra incredulitatis dissimulatæ, aut spei occultæ ad Synodum Oecumenicam suspirantis?

LIII. Adversùs eundem Felicem Paulinus Aquilejensis Pontifex, Gallicano & ipse obnoxius Caroli Magni Imperio, *lib.* 1. hæc habet superioribus adprimè consona: *Si Sancta Dei Ecclesia in toto orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi*

non sunt in toto orbe. Si vero in illis est, etiam tunc in toto orbe non est. Quia illi contraria toti orbi fingunt nomina, de humanitate Christi Dei nostri, qui est caput Ecclesiæ. Porro nos intra terminos Apostolicæ doctrinæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus. Illorum probatissimam sequentes authoritatem, & sanctissimis inhærentes doctrinis, &c. Et hìc universalem Ecclesiam à Romana non discriminat, nec unquam inter hujus & illius fidem discrepare quidquam author est. Et *lib. 7.* adversùs eundem, *Præsules Hispaniarum inducis, quos tu orthodoxos dicis, sed in his quas posuisti orationibus, indubitanter hæretici esse dignoscuntur. Nos Romana plus authoritate, quàm Hispana veritate, &c.* ut suprà iisdem verbis ex Alcuino descripsimus. Accedant & Galli scriptores, ac consarcinatores libri Carolini adversùs Synodum de imaginibus. Sic ergo illi *lib. 1. cap. 6. Qualiter sancta Romana Ecclesia cæteris Ecclesiis à Domino prælata, & à fidelibus consulenda sit, prosequamur. Præsertim cum non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas illa inter Canonicas recipit, testimonia sint sumenda; nec aliorum Doctorum, nisi eorum qui à Gelasio vel aliis illius sanctæ Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda.* Prolata autem Augustini sententia, in Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium authoritatem sequendam; inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Pergunt porrò: *Nam cum his cunctis per orbem constitutis Sedibus Apostolicas generaliter præferat Sedes, multò magis illa omnibus præferenda est, quæ etiam cæteris Apostolicis Sedibus est prælata.* Quid autem ad fidei doctrinam magis pertinet, quàm Scripturarum, Patrumque delectus? Et rursum: *Hæc sanctæ fidei munita armis, & à fonte lucis, & origine bonitatis salutaribus fluenta fluentis, & horrendis atrocibusque hæresum obsistit monstris, & melliflua prædicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis.* Laudant mox Hieronymum, qui de tacendis vel dicendis hypostasibus Damasum consuluit: *Unde datur intelligi, sanctos & eruditos viros per diversas mundi partes prædicationis & scientiæ lampade coruscantes, non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adjutorium imploràsse. Quod regulariter omnes Catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant; quæ non habens maculam nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.* Hæc pendenda sunt, prolixiùs ibidem inculcata, non si quid iisdem obiter incoctius excidit. Porrò illud magni præcipuè pendendum, quòd qui Nicænæ Synodo secundæ tam audacter convitiabantur, Apostolicæ tamen Sedis authoritatem detrectare nunquam ausi sunt. Et conventus Patisiensis Episcopi sub Ludovico Pio in eadem causa imaginum *c. 16. Sicut dignum & justum est, ut præeunte Spiritus Sancti virtute, ille talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in Sede Apostolica collocare dignatus est: ut solus non sua abusione, sed tantorum Apostolorum authoritate universalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur.* Et infrà in ea, quam confixere, Romani Pontificis epistola ad Græcos: *Apud omnes hujus sanctæ Occidentalis Ecclesiæ, quæ se authoritate B. Apost. Petri & Pauli fidei, spei, & charitatis sumpsisse exordium gloriatur, ita hactenus ab omni hæresi illibata nunc usque conservata est, ut non solùm ipsa ad quodlibet erroris diverticulum minimè declinaret: sed potiùs omnes à recto fidei tramite quoque modo deviantes, per orthodoxos eorumdem successores toto orbe terrarum ad rectitudinem potiùs revocaret. Testis hujus rei non quilibet angulus, sed orbis terrarum universus: quia quotiens tales per mundum persecutiones motæ sunt, quæ ad periculum fidei universalis Ecclesiæ imminere putabantur: ob inveniendam, inventamque conservandam Catholicæ fidei veritatem, semper hoc universalis Ecclesiæ, præsente ob hujus sanctitatem Sedis Pontifice, aut certè cum consensu illius verbis vel literis porrecto, corrigere, correctumque ad conservandam statuere consuevit.* Ubi non ita invitiata est verborum structura, quin subluceat, quid Galli de primæ Sedis authoritate in causis fidei terminandis consentirent. Universalem enim Nicænam de imaginibus Synodum, retractari, emendarique debere urgebant, non sua, non alterius majoris Synodi, sed Romanæ Sedis unius authoritate.

LIV. Hincmarus jam Rhemensis Episcopus Gallicanorum & Canonum, & morum, & dogmatum callentissimus prodeat, nec projectæ in Sedem Apostolicam assentationis cuiquam nisi insulsissimo suspectus. Is ergo in epistola ad Carolum Regem, præsultrice operis operosissimi de prædestinatione, hæc scribit; *Et si divinis & authenticis Scripturis, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæque Romanæ Sedis fidei & orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, & qui ab eadem Apostolica Sede Romana nobis in Canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari, demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, & devotè studebimus. Quia aliorum ad stipulandum nostræ Catholicæ intelligentiæ sensum, sententias recipere, nec proferre voluimus: cum constet illud esse verum atque Catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & universalis Ecclesia duxerit adprobandum.* Hæc ille de Canone quem conscripsit Gelasius Papa, ut mox disertè tradit. Vides hic universalem & Romanam Ecclesiam aut unam esse, aut individuis nexibus colligari. Vides Gelasianum Canonem, quasi universalis Ecclesiæ authoritate fultum, ostentari. Vides in culmen authoritatis non recipi Patres ullos, nisi quos Romana Ecclesiarum magistra commendaverit. Vides denique Catholicum id esse, quod Ecclesia Romana probarit. Subdit mox illis quoque assurgendum esse posterioribus scriptoribus, utputa, Bedæ, Theodoro, Alcuino, Paulino, qui prioribus consonent, &, *Quorum fidem ac doctrinam Apostolica Sedes Romana non solùm benignissimè acceptavit, verùm & multis laudibus extulit, sicut in scriptis ipsius sanctæ Sedis invenimus, quæ Ecclesiæ nostræ ab eadem Ecclesiarum matre acceperunt, tempore divæ memoriæ Caroli Imperatoris, quando Synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, & ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa.* Et hæc quidem Hincmarus adversùs Fulgentii libros excipit, qui in Gelasiano Canone prætermittuntur. Jure, an injuria, nil nostra nunc quidem interest. Nec enim de Fulgentio nunc disputatur. Sed Gallicanæ Ecclesiæ reverentia hinc emicat lucidissimè in doctrinæ Catholicæ examine. Eadem replicat Hincmarus operis ipsius de prædest. *cap. 3. Si aliter Fulgentius dixit, quàm Augustinus, & aliter quàm Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ jussu Sancti Cælestini diffinivit, aliterque quàm ipsa Sancta Sedes Apostolica, dicta suscepit ac dici voluit, ipse viderit.* Et statim *cap. 4. Sequimur autem quæ Catholica & Apostolica nos docet, sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, Catholico lacte aluit, uberibus cælo plenis ad solidum cibum nutrivit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum sua probatione instituit, atque in doctrinali cathedra, fautore & adjutore Domino, sublimando constituit.* Quibus quæso quid elegantius, quid vehementius dici potuit? Quid majorum nostrorum elucidandæ sententiæ magis appositum? Profert mox verba Innocentii primi epist. ad Decent. jubentis id omnes sequi Ecclesias, quod Romæ docuit & tradidit Petrus, à quo vel à cujus successoribus propagatæ sunt omnes Occidentales Ecclesiæ: *Oportet hoc eos sequi, quod Ecclesia*

Roma-

Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est.

LV. Idem Hincmarus infrà in eadem palestra desudans, suamque doctrinam vendicans ab infamia hæreseos, qua ab aliis Episcopis, nec paucis, nec obscuris aspergebatur, hæc habet *cap.* 24. *Necesse est nobis ex orthodoxorum scriptis ostendere, si Catholica fidei capitulum istud à nobis excerptum valeat convenire. Consulentes ante omnia, sicut & prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam. Quoniam privilegium quod Hierusalem quæ olim dicta est civitas justitiæ, & mater civitatum, propter infidelitatem, & negationem Filii Dei perdidit; hac confessione Beati Petri promeruit, dicentis, Tu es Christus, &c. Et sicut illa quondam Hierusalem civitas sancti munita est angelorum custodia, usque dum propter incredulitatem & duritiam cordis sui audivit ab eis, Transeamus ab his Sedibus, & à Salvatore suo, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: ita & ista illustrata permanet protecta orationibus gentium magistri, dicentis, Testis est mihi Deus, &c. quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis. Quæ non ab homine, neque per hominem, sed per Dominum Jesum Christum, sicut Petrus & Paulus Apostolatum, ita & hæc sancta Sedes omnium civitatum meruit principatum.* Et aliquantis in doctrinæ suæ confirmationem intertextis, *Piis devotis, atque Catholicis hoc potest, & hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta Catholica atque Apostolica docet Romana Ecclesia. Ipsa enim ut mater nos Christo genuit, nos religione nutrivit, nos doctrinâ instruxit. Nos sicut in Sancto Petro à Christo firma Petra accepit, doctores instituit, & Catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informavit.* Exibilarentur jure merito hæc tam magnificè ab Hincmaro debuccinata, si Sedis Apostolicæ placita aliquando erroris laqueis irretirentur, nec ex illis certum Hincmarus vel quisquam alius peteret doctrinæ vel infirmandæ vel roborandæ argumentum. Vide & quæ *capite* 38. disputat de communionis concentu cum fide, utque fide conveniant necessariò, quicumque unius communionis vinculo constringuntur. Quocirca ut communionis, ita fidei Catholicæ vertex sit Romana Ecclesia necesse est.

LVI. Idem denique Hincmarus in alio opusculo, & negotio longè diversissimo, de divortio Lotharii & Theutb. in præfat. quid sibi, quid Gallis animi esset, ita aperit: *De omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia ut omnium Ecclesiarum mater & magistra, nutrix ac doctrix est consulenda: & ejus salubria monita sunt tenenda.* Nusquam prorsus, nusquam frigida illa distinctiuncula silentii vel assensus ad decreta Sedis Apostolicæ adhibendi; nusquam vel suspicio invocandæ Synodi Oecumenicæ, nec antè deponendæ ex animo contumaciæ. Quibus adde Annales Metenses ad an. 865. *Tietgaudus & Guntharius Romam proficiscuntur, ut Coepiscopos suos ostenderent Ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt: quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.*

LVII. Diuturnæ illi sanè controversiæ, quæ circa Gotteschalchi Monachi doctrinam illo sæculo ferbuit, finem imposuisse visus quibusdam est Nicolaus primus. Etenim Hincmarus ipse *epist.* 24. de Guntberto desertore Monacho, *Sicut mihi dictum est, quasi ipsius Gotteschalci reclamationem vult perferre ad Dominum Apostolicum.* Et infrà: *Dicitur Gotteschalcus multos habere fautores, sicut habuit Dominum Prudentium, qui in annali gestorum nostrorum Regum, quæ composuit ad confirmandam suam sententiam, gestis anni Dom. Incarn. DCCC. LIX. indidit dicens: Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de Sanguine Christi, ut pro omnibus credentibus fusus sit, fideliter confirmat & Catholicè decernit. Quod per alium non audivimus, nec alibi legimus. Unde quoniam ipsa gesta, quibus hæc conscripta sunt, jam in plurimorum manus devenerunt, necesse est, ut taliter de hoc, Domno Apostolico suggeratis, ne scandalum inde in Ecclesia veniat, quasi ipse, quod absit, talia sicut Gotteschalcus, sentiat.* Hæc ille ad Egilonem Senonens. Episc. Romam delegatum. Ex quo liquidum fit, utriusque Episcoporum Galliæ partibus persuasissimum fuisse, non alio, quàm Romani Antistitis consensionis momento & pondere victoriam huc vel illuc deflectendam. Hincmaro in Sede Rhemensi succedere Fulco & Herivæus, quorum multa extant apud Flodoardum *lib.* 4. propensissimæ in Sedis Apostolicæ obsequium observantiæ documenta. Sed cùm de fide tunc nihil ferè certatum sit, unum hoc carpam ex *cap.* 14. de Herivæo: *Ad petitionem Vvittonis tunc Rothomagensis Episcopi collecta ex diversis authoritatibus Sanctorum Patrum* 23. *capitula, qualiter ipsi Nordmanni tractari deberent, eidem Archiepiscopo delegavit. Insuper etiam Romanum Pontificem super hujuscemodi negotio consulere studuit. Ad cujus consulta, quæ circa gentis hujus conversionem exequenda forent, insinuare non destitit.* Et rursum Hincmaro coævus & aliquantulum adversatus in aliis; sed hac in parte consonus Prudentius Tricassinus Episcopus in epist. ad eundem Hincmarum, negat *ullo conamine evelli posse doctrinam Augustini, cum eam & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas authoritate concordissima approbarint, ac roborarint. Adeo ut nullus ei singulariter, verùm universitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat obniti. Si enim adversam fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius, cum totius orbis Episcopis suscepisset.* Dehinc suffragia aggerat in laudem Augustini, Pontificum Romanorum Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis: convenienter nostris placitis Sedem Apostolicam & Ecclesiam Catholicam nequaquam dissocians; hujus sententiam illius oraculis expromens; utriusque *authoritate concordissima*, & regula utique indeclinabili, non quorumlibet, sed ipsorum Ecclesiæ Patrum doctrinam expendens, & confirmans. Qua in sententia versabantur tunc omnes hinc & inde Gallicani scriptores; non aliis fidem addicendam scriptoribus, quàm quos Romana Ecclesia authorasset.

LVIII. Adversùs Berengarianæ hæreseos redivivum toties monstrum, non alio Gallicana Ecclesia pugnavit clypeo, quàm Sedis Synodique Romanæ. Itaque Berengarius ipse in Synodo Romana ann. 1059. à Pontifice Nicolao II. damnatus, jusjurandum fidei emisit, in quo hæc inter cætera, *Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi; & ore, & corde profiteor de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Evangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit.* Et Lanfrancus in Archiepiscopum Cantuariensem provectus ex Abbate Cadomensi, ideoque jure merito inter Gallicanos doctores recensendus, in opusculo de Eucharist. Sacram. ita Berengarium objurgat: *Et cætera quidem à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in eum conjeciisti, jurans fidem à Patribus, qui præsentes erant, traditam te inviolabiliter servaturum, &c.* Et infrà: *Quem Humbertum, dum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris,*

asseris, non ipsum solum, sed & Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multosque Sanctos Patres redarguis: incurrisque in illud, quod beati Doctores, si non iisdem verbis, iisdem tamen sententiis multis in locis concorditer astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & universali Ecclesia in fidei doctrina discordat. Et infrà: *Traditus in reprobum sensum, sanctam Romanam Ecclesiam vocas Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, Sedem Satanæ. Et hoc impio ore garrivisti, quod garrivisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus.* Subdit Sedem Petri vel hæreticis ipsis honori fuisse: *Denique ipse Dominus dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam &c. Quæ tametsi de Pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, & à quibusdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse, sacri Canones & Pontificum decreta testantur.* Denique ad calcem illius operis prolixiùs disserit de Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ authoritate in fidei decretis, ut à qua certum esset desciscere Berengarium, dum à Synodi Romanæ & summi Pontificis definitione resiliret. Idque intelligebat vel ipse Berengarius, qui Gallus sanè erat. Nec enim à Romana Sede ad Catholicæ Ecclesiæ Synodum universalem provocabat, sed ajebat, ut refert paulò ante finem Lanfrancus, *Prædicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit; sed imperitia malè intelligentium postea erravit, & periit: in nobis solis, & in iis qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit.* Huc enim tandem evadit Romanæ Sedis judicii detrectatio. Similiter & Guitmundus Archiepiscopus Aversanius *l.* 3. adversùs eundem ex Ecclesiæ Catholicæ orbem omnem complectentis consensione ineluctabile promit argumentum, à quo Romani Antistitis majestatem non dissociat: *Augustinus dicit, Si omnis terra domus Dei, qui non habet omni terrâ, ruina est, non domus, &c. Nostra Ecclesia Catholica per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit. Deinde per hunc ipsum qui nunc præest Gregorium Papam, &c. in Concilio Turonensi convicio, &c. Reversumque aliquantò post ad vomitum suum agente Nicolao Papa in Concilio generali Romæ iterum confutavit, &c.* Ita Romanam ab universali, ut os à capite, caput à corpore nusquam sinit dissociari. His adde Hugonem Lingon. Episc. in tract. contra Berengarium, post opera Lanfranci edito: *Qua in re universalem Ecclesiam scandalizas, &c. Ne præsumas singulariter sentire quod universitas non assentit.* Et tandem, *Abjecta unitate, de parte extolleris.* Itemque Durandus Abbas de Corpore & Sanguine Christi *part. ult. Multa absurda fideique Catholicæ aliena alienus declamavit, inter quæ Romanam Ecclesiam, caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotavit.* Mox Concilio Parisiensi decretum narrat, ut Berengarius cum sequacibus suis, *ubicumque convenirent, eo usque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.*

LIX. Alienum non erit & Petrum Damiani Gallis permiscere, quibus nonnulla familiaritate fuit devinctus. Ille ergo *lib.* 1. *epist.* 20. *Si eos sacri Canones hæreticos notant, qui cum Romana Ecclesia non concordant: quid tu, &c.* Et *lib.* 3. *epist.* 1. *Petrum præ cæteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid & profundum nosse desiderat, ad hujus præceptoris oraculum doctrinamque recurrat, &c. Quid mirum si sacerdos licèt sanctitate conspicuus, licèt eloquiis divinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium missit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias gentium Cornelium destinavit? Paulus quoque, qui non ab hominibus, sed à Jesu Christo & Deo Patre fuerat factus Apostolus, atque ab authore sapientia sufficienter instructus, ad Petri tamen magisterium venit; & non in transcursu, sed per plurimos dies apud eum in cœlesti schola permansit. Dignum ergo fuit, ut ad Sedem illius vestra sancta prudentia solvendam dirigeret quæstionem; ad quem & ignarus fidei vir angelicus mittitur, & à quo Apostolus etiam, qui jam à Deo instructus fuerat, plenius eruditur.* Idem à Clericis Mediolanensibus hoc jusjurandum fidei recepit, *Profiteor me eam fidem tenere, quam sacrosancta septem Concilia, & quam beatissimi Pontifices Romani ad diversos data prædicatione lucidissima veritatis exposuerunt:* Tom. 3. *opusc.* 5. Et infrà Petrus ipse, *Nos si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is, qui Fabri dicebatur filius, præsidet; ad cujus regulam omnis meritò moneta reducitur; ad cujus rectitudinis lineam, quidquid uspiam depravatum fuerit, reformatur.* Et in Gratianeo cap. 34. *Ipse qui vice Petri claves tenet Ecclesiæ, ipse potissimum adversùs novum dogma consurgat, & introductores pravitatis digna sententiæ jaculo confodiat.* Et *cap.* 39. copiosam disputationem ita claudit, *Nos non proprias allegationes pertinaciter astruentes, sed Synodalibus decretis humiliter obtemperantes, Apostolicæ Sedis edictum vel quod jam promulgatum est, sequimur, vel si quid adhuc elimatius atque salubrius in posterum statuendum est, obedientiam profitemur. Ut sicut à beatis Apostolis Evangelio coruscante nascentis fidei rudimenta percepimus, ita deinceps ab Apostolicis viris traditam omnem vivendi vel sentiendi regulam teneamus, &c. Authoritate Sedis Apostolicæ me contentum esse decrevi, ut quidquid ei Synodali fuerit censura præfixum, hoc mihi procul dubio sit authenticum, hoc certè canonicæ videatur authoritatis vigore subnixum.* Et in Gomorrhiano *c.* 26. luculentè idem declarat, ut oraculo Sedis Apostolicæ lubentiùs omnes acquiescant, quorum ipsi accersenda sit consultatio: *Petimus, & humiliter imploramus, ut clementia vestra, si dicere fas est, sacrorum Canonum decreta, quæ tamen vobis notissima sunt, solerter inspiciat; spirituales & prudentes viros ad consultum hujus necessariæ indagationis adsciscat; nobisque super his capitulis ita respondeat, ut omnem de nostro pectore dubietatis scrupulum tollat. Neque hoc dicere idcircò præsumimus, ut ad hoc, Deo authore, sufficere solam profunditatis vestræ peritiam ignoremus; sed ut dum sacræ authoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum judicio & consensu res geritur, perversorum hominum querela, quæ fortassis è diverso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facilè patet querelæ, quod multorum judicio constituitur. Sæpè autem sententia, quæ ab uno considerata juris æquitate depromitur, ab aliis præjudicium deputatur.* Hæc ille ad Romanum Pontificem. Quid attinet Gratianum laudare, cujus Decretum tanti fecere Majores nostri? Is sanè tum alibi frequenter hoc Romanæ Sedis decus astruit, tum maximè 24. q. 1. c. 14. 15. 16. *Aliud, quàm Romana Ecclesia, neque sentire, neque docere permittitur,* &c.

LX. Anselmi quoque in Beccensi Abbatia tandiu commorati doctrina ex ipso Gallicanæ Ecclesiæ sinu hausta esse non injuria censebitur. Ita ergo ille in l. de Incarn. Verbi ad Urbanum II. Papam cap. 1. *Quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum rectiùs alium refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur: nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentiùs præsentem epistolam, quàm vestræ destino sapientiæ; quatenus si quid in ea corrigendum*

gendum est, vestra censura castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestra authoritate roboretur. Quæ nonnisi ad indeflexam veritatis amussim rectè dicuntur.

LXI. Ivo Carnutensis Episcopus nunc conveniendus est nobis. Cùm enim in Concilio Viennæ habito à Guidone ejus urbis Episcopo decretum esset in hunc modum, *Investituram Episcopatuum & Abbatiarum de manu laica, sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatem sequentes, hæresin esse judicamus. Scriptum illud seu privilegium, quod à Domino Paschali Papa violenter Henricus Rex extorsit, in virtute Sancti Spiritus damnamus, &c.* Cùm Guido ipse ad Paschalem scripsisset, *Dictante Sancto Spiritu investituram omnem rei Ecclesiasticæ de manu laica, hæresin esse judicavimus. Scriptum illud quod Rex à vestra simplicitate extorsit, damnavimus.* Nequaquam hæc Ivoni cæteriscve Galliarum Episcopis sunt probata. Invitanti enim Joanni Episcopo Lugdunensi ad Synodum de istiusmodi rebus tractaturam, respondet Ivo *epist.* 238. suo & Vualonis Parisiensis, Joannis Aurelianensis, cæterorumque Senonensis Provinciæ Episcoporum nomine: Paschalem componens Marcellino, Aaroni, Moysi qui peccarunt, non ex animi sui sententia, sed coacti; Paulo Apostolo, qui dispensativè discipulum circumcidit: addit, *Principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quacumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Evangelica veritate discedat.* Et infrà: *Hunc excessum non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera charitate subvenire.* Et tandem: *Postremò quod quidquam investituram hæresin vocant, cum hæresis non sit, nisi error in fide, &c. fides cordis est, &c. Investitura verò illa, de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis & accipientis, qua bona & mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt.* Aquibus nec Joannes ipse Lugdunensis Episcopus dissentiebat, ad Ivonem rescribens, *Licèt exteriores investituras per laicos factas non satis propriè hæresis nomine censeamus; sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est.* Omnes ergo ad absolvendum ab hæresis suspicione Pontificem conspirabant, tum quòd exteriores tantùm investituras per vim sibi extorqueri passus esset, non ipsarum jus quasi canonicum: tum quòd laudabili dispensationi id adsignari posset: tum denique quòd ne Conciliis quidem generalibus id arrogatur, ut ubi vis armata ingruit, in errorem nunquam impellantur. Quibus adprimè concinunt, quæ prodidit Abbas Uspergensis de Concilio Lateranensi an. 1116. ubi damnante Paschali suum illud privilegium, *Bruno Signinus Episcopus altiùs exorsus est, Gratias Deo, qui D. Paschalem Papam audivimus, proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem & hæresin continebat. Ad hæc quidam cavillatoriè subjunxit, Si privilegium illud hæresin continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Joannes autem Cajetanus, ad hæc commotus Signino respondit: Tunc Romanum Pontificem hæreticum appellas? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit. Et alter quidem adjecit, Immò ne malum quidem fuit, quia si liberare populum Dei bonum est, &c. Ad hæc patientia Domini Papæ horrenda hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, dixit, Ecclesia ista nunquam hæresin habuit, immò hic omnes hæreses conquassata sunt. Hìc Ariana hæresis, Sabelliana, &c. contrita est. Pro hac Ecclesia oravit cum dixit, Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Emicat ex his Gallos id temporis, quàm Italos ad reverentiam & admirationem Sedis Apostolicæ propensiores fuisse. Arnulphus autem Lexoviensis Episcopus, suam & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam ita expressit *epist.* 19. ad Alexandrum Papam, propulsata tetertimi schismatis caligine, orbi radiantem: *Benedictus Deus, qui Ecclesiam suam, immaculatam scilicet sponsam dilecti filii sui, mirabili semper benignitate diligit & conservat. Licèt enim aliquibus ipsam aliquando vexari patiatur injuriis: facit tamen cum tentatione proventum, ut possit sustinere: nec unquam portas inferi adversùs eam prævalere permittit, &c. Prævaluit in athleta Dei veritas falsitati, &c. Deus dejecit hæreticum &c. Dominus sublimavit cornu Christi sui, ut in eo unitas Ecclesiæ reformari posset, & regnum ipsius omnibus dominari.* Hæc ille de Innocentio antecessore; statim Alexandro his non imparia ominatur: *Redibit serenitas, & modica hæc ad radios veri solis nebula dissolvetur: redintegrata unitate Catholica, ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret, &c. Ego minor licèt omnibus, non minore tamen gaudio quàm cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri vicarium, Pastorem & Episcopum omnium, qui Christiano nomine censentur, agnosco, & vobiscum Catholicam profiteor unitatem.* Et *ep.* 21. de Ecclesia Gallicana: *Benedictus Pater misericordiarum, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, ut eam semper & agnitione veritatis illustret, & pedes ejus à justitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris provexit invidia, virtus Altissimi manifesta dejecit: sic omnibus quos devotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum. Cumque multis constet cæteras regiones abundasse portentis, sola Gallia monstra non habuit; sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit.* Ubi vides in causa schismatis, quæ hæresi conjunctissima est, Ecclesiam Gallicanam singulari sua cum vero Pontifice conglutinatione id esse consecutam, ut *monstra non habuerit, sinceritate fidei, doctrinæque veritate præfulserit.* Et aliquantò antè Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *epistol.* 65. ad Honorium II. Papam, provincialis Synodi suæ acta ab Apostolica Sede roborari, & irretractabili firmitate perpetuari postulans: *Hæc igitur vobis, sancte Pater, significanda censuimus, quatenus acta Canonicè vestra confirmare dignetur authoritas: & datis ad Episcopos literis, communiter exhortari omnes, ut quæcumque eis facienda sanximus & docenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant & docere, &c. Non gravemini confirmatione Apostolica roborare, ac prohibere, ne quis omnino rescindere, vel aliqua ex parte minuere præsumat.* Perspicis regulas *faciendorum & docendorum* in Conciliis Episcopalibus fixas, ne temerè refigantur, necessum esse, obsignari quodammodo Sedis Apostolicæ authoritate. Et his vetustior Fulbertus Carnot. Episc. *epist.* 22. 48. aliisque compluribus, etsi nulla tum lis de fide strepebat, satis tamen superque prodidit, quantum deferret definitionibus ejus, *cui totius Ecclesiæ cura commissa est.*

LXII. Bernardus suo jam loco prodit, Galliæ decus immensum. Sic ergo ille ad Cardinales & Episcopos Curiæ Romanæ: *Nulli dubium est, quin vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succendere spinas, sedare querelas, &c. Pro Hur & Aaron stat zelus & authoritas Romanæ Ecclesiæ super populo Dei. Ad eam meritò referimus non quæstiones, sed lasiones fidei, &c. Legite si placet librum Petri Abailardi, &c. Et si quidem judicatis me justè moveri, movemini & vos. Ac ne frustrà moveamini, agite, pro loco quem tenetis; pro dignitate, qua polletis; pro potestate, quam accepistis; quò qui ascendit usque ad cœlos, descendat usque ad inferos.* *Epist.* 188. Et *epist.* 189. ad Innocentium Papam, ad quem à Concilio Senonensi Abaelardus appellarat, *Verùm tu, o successor Petri, judicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu amice Sponsi, providebis*

quo-

quomodo liberes sponsam à labiis iniquis & lingua dolosa, &c. Oportet hæreses & schismata esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Et schismate quidem jam Dominus probavit te, & cognovit te. Sed ne quid desit coronæ tuæ, &c. hæreses surrexerunt. Itaque ad consummationem virtutum, & ne quid minùs fecisse inveniamini à Magnis Episcopis antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulæ sunt: Ne si crescant & multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Quanquam non jam parvulæ, nec paucæ, sed certè grandiusculæ, & multæ sint, nec nisi in manu forti vel à vobis exterminabuntur. Vide mores, vide leges Gallorum. A Synodo Senonensi provocat Abaelardus non ad Oecumenicum Concilium, sed ad Romanum Pontificem. Hæreses scriptis ejus aspersas damnavit Senonensis illa Synodus, gloriam tamen extinctæ & exterminatæ exorientis sectæ Bernardus uni Innocentio reservat. Si ab illo contrita non fuerit, ait à posteris desperatum iri. Sed quid apertius his rursus ejusdem ad eundem verbis *epist.* 190. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim qua de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non posset fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem: si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.* Et sub finem, *Cum non aliud esset quod agerem pro injuria fidei, quam dolebam: opera mihi pretium arbitror, si illum monui, cujus arma potentia Deo ad destructionem in contrarium assertionum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigendum omnem intellectum, ad obsequium Christi.* Et hæc Bernardus non tantùm suo, sed & Gallicanæ totius Ecclesiæ nomine, sensu, ac præjudicio. Unde apud eundem Rhemensis Episcopus ad Innocentium rursus Papam, memorata appellatione Abaelardi: *Episcopi qui propter hoc in unum convenerunt, vestræ reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt; sed tantummodo capitula librorum ejus, à Sanctis Patribus condemnata, ne morbus serperet, medicinali necessitate abjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum qui sibi credat, habet: necesse est ut huic contagio, celeri remedio occurratur. Serò enim medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Processimus in hoc negotio, quousque ausi sumus. Tuum est de cætero, beatissime Pater, providere, ne in diebus tuis aliqua hæretica pravitatis macula decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, amice Sponsi: tuum est tandem uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ep. 191. Quod sæpiùs animadversum est suprà, id in hoc quoque eminet negotio, hæreticos perinde ac Catholicos plus multò arrogare Sedi Apostolicæ, quàm Synodis Episcopalibus. Ita affectus erat Abaelardus. Idem animi erat ipsis Episcopis, qui ne suspicione quidem ulla exoriente de Synodo Oecumenica, pestiferæ hæreseos debellationem uni Sedi Petri deberi consentiebant. Postremò denique Innocentius ipse ad Episcopos Galliæ rescribens, laudato zelo, quo in novitatis damnationem conflagraverant, subdit: *Nos itaque, qui in B. Petri Cathedra, cui à Domino est dictum, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licèt indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum, Episcoporum, & Cardinalium consilio, universa Petri perversa dogmata, sanctorum Canonum authoritate cum suo authore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores, & defensores, à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Epist.* 194.

LXIII. Adverte hìc porro 1. *silentium* perpetuum & tanquam hæretico imponi: si *perpetuum*, si ut *hæretico*, non illud ergo, quod sua in officina, hactenus inauditum, fabricarunt postea quidam, astutum & versipelle silentium: ut quod ad tempus, & cum fiducia fidei Catholicæ simuletur. 2. Si res ita haberet ut illi fabulantur; & hæreseos ab Episcopis & Pontifice damnati, possent de fidei Catholicæ conscientia sibi blandiri, possent à concilio Oecùmenico pòst absolvi: præposterum & immane esset, eos omninò damnari, ut hæreticos extrudi à septis Ecclesiæ, & sævissimè divexari. Quàm propudiosum enim Ecclesiæ, eos proscribere ac infamare, quos posteà absolvi posse, & innocentes comperiri sciret? 3. Ideo Patres Synodi Senonensis, cùm Petrus ad Sedem Apostolicam provocasset, ab eo notando temperarunt. Ergo & Synodo Oecumenicæ reservanda essent potiùs, quàm temerè præcipitanda judicia, quæ pòst emendarentur. 4. Cùm rarissimi in causis fidei à Pontificis sententia appellaverint ad Synodum Oecumenicam, & ita omnis prorsus Ecclesia Catholica his assensa sit decretis primæ Sedis de fide: si potuit illis hæresis subesse, potuit & Ecclesia Catholica eo errore illaqueari, quod dictu nefas. An ergo in potestate fuit hominum, ut iniquè damnati à Pontifice, non appellarent, & ita Ecclesiam omnem demergerent in hæreseos baratrum? 5. Sed cùm rarissimæ possint & debeant Synodi colligi Oecumenicæ, an poterunt interim omnes sibi suppalpari intùs in animo suo, & opiniones ab Episcopis & Pontifice explosas retentare? Ut amant omnes hausta semel animo præjudicia, & Scripturis Patribusque ea concinere sibi mentiuntur, nemo non sentit, quanta hìc errandi aperiatur fenestra. 6. Cùm sit Pontificis Synodos Oecumenicas convocare, & persuasum illi sit jam olim ab exordio Ecclesiæ, nullas ad fidei & hæreseos certum judicium necessarias esse Oecumenicas Synodos; quis non videt, quantum in periculum Ecclesia Catholica conjiciatur, si stet eorum sententia, qui à sola Oecumenica Synodo fidem definiri posse existimant? 7. Nec dissimulari potest, Catholicæ per orbem universum effusæ multitudinis quanta pars ita ratum & præjudicatum habeat, non errare usquam, ubi quid docet Sedes Petri circa fidei dogmata. Tenent longè plurimi quod Lovanensis Theologiæ facultas an. 1545. decernit, quod Carolus V. Imp. subscribi fecit: *Ecclesiam retinere, & suscipere, quidquid de fide & religione tradidit, & tradit, & tradetura est Cathedra Petri, super quam ita à Christo suo sponso est ædificata, ut in his quæ fidei sunt & religionis, errare non possit.* Et, *Certa fide tenenda esse, quæ definita sunt supra fidei & morum negotiis per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.* Goldast. Const. Imp. *Tom.* 1. *p.* 516. Atqui Ecclesia Christi quàm errare nequit, tam errantem sequi potest neminem. 8. Tardum videbatur Senonensis Synodi Patribus, Abaelardi sectam Romæ percelli, ne ea morâ convalesceret lues, & seram posteà medicinam vinceret malum adultius: quid si sustinenda sint longa Conciliorum generalium ex orbe toto tædia; quanta interim facient incrementa novatores, immemores silentii, &, ut sua promulgent placita, ad Ecclesiæ incolumitatem interesse persuasi? 9. Donatæ sunt Synodi Oecumenicæ aliquando ad frangendam vel sic hæreticorum indomitam pertinaciam. Sed eo exitu qui sacros Annales evolventibus manifestus est: Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, & id genus alii, aliquantò ferè procaciùs

post Synodum insaniere, quàm ante. Nestoriani & Pelagiani Cælestino non cesserant, nec Ephesino Concilio cessere. Eutychiani Leonis decreta suggillaverant, Chalcedonensem Synodum sannis dirisque prosecuti sunt. Ita Monothelitæ, Iconomachi, ut Pontifices, ita Synodos ludibrio habuere. Nostra ætate in Tridentinum Concilium virulentiam suam nova hæreseos colluvies impotentiùs effudit. Catholicis porrò vix unquam concessa sunt Concilia Oecumenica erudiendis, aut placandis; ut qui Episcopalibus Conciliis vel Pontificiis decretis protinus obsecuti sint. 10. Si quos autem moveat, quòd prioribus Ecclesiæ sæculis tatiora extent vestigia privilegii hujus Sedis Apostolicæ. Advertant illi multò obscuriora, immò nulla prorsus extare Oecumenicarum Synodorum. Ut quæ ante Nicænam nec habitæ sint, nec haberi potuerint. Cùm ergo tot ebullierint interim hæresum pestes, cùm Ecclesia Catholica adversùs earum mendacia munienda fuerit, una supererat Episcoporum, & ejus, qui principatum Episcopatus tenet, authoritas, quæ tunc præsidio fuerit, & semper sit, & usque futura sit; cùm Synodorum congregationi perinde nunc intercedere possit sæcularium Principum potestas. 11. Quocirca id denique elucet, sola Ecclesiæ universalis authoritate opprimi & schismatum & hæresum novitates omnes, sive illa in Synodum coeat, sive eo labore supersedeat. Episcopi enim Ecclesiæ Catholicæ etiam in particularibus Synodis authoritatem Ecclesiæ universalis præ se ferunt, suisque conciliant statutis, quandiu illis Ecclesia eadem universalis non intercedit, quandiu silet, & silentio suffragatur. Multò magis primæ Sedis Pontifices, ubi ab Ecclesia consuluntur, ubi definiunt, universalis ejusdem Ecclesiæ authoritatem prægestant, adjiciuntque decretis suis, ut qui Caput sint Ecclesiæ, ut qui Ecclesiæ personam repræsentent, ut qui gerant Sacramentum Ecclesiæ, ut qui non tam suo, quàm Ecclesiæ totius nomine pronuncient, ut quibus se Ecclesia committit, & immiscet, ut quorum fidei incumbunt universi fideles, ut denique quos Ecclesia sequitur, quæ erraptem sequi potest neminem universa.

LXIV. Petrus venerabilis Abbas Cluniac. *lib. 4. epist. 4.* ad eundem Innocent. Papam narrat Abaelardum Cluniaco transisse: *Quæsivimus, quò tenderet. Gravatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valdè abhorrebat, nomen hæretici imponebant; majestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere se velle respondit. Laudavimus propositum, & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus. Justitiam Apostolicam, quæ nulli unquam etiam extraneo, vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursuram promisimus.* Denique in gratiam Sedis Apostolicæ Petrum Petrus recolligit. Et hic vides litem de fide apud Petri tribunal ritè dirimi. Quod eodem ævo in Anglia firmabat Ælredus Ordinis Cisterciensis Abbas in *c. 14.* Isaiæ: *Hæc est Ecclesia, quam primitivorum sanctus vocat Apostolus, cujus plenitudo potestatis in ipsius principe, primo de Oriente transmigrans in Occidentem, authoritate Spiritus Sancti in Romana resedit Ecclesia. Hæc est Romana Ecclesia, cujus interest consulere omnibus, judicare de omnibus, omnibus providere. Quidquid ipsa statuerit, suscipio; approbo, quod approbaverit; & quod damnaverit, damno.*

LXV. Bernardi & Episcoporum Galliæ consensio nihilo obscurior in causa Gilberti Pictavensis Episcopi eluxit. Ea enim in Rhemensi Concilio coram Eugenio III. Papa & Cardinalibus disceptata. Quos cùm erranti potiùs quam errori faventes videret Bernardus, quatuor conscripsit fidei suæ capitula, totidem Gilberti capitulis adversa, & cum Archiepiscopis, Episcopisque Galliæ subscripsit. Ea exarsere Cardinales, & ad Eugenium conquesti sunt, *Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu cervicem adversùs Romanæ Sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica disentere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, tanquam finitura sententia ultimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpote Alexandria & Antiochia coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra valeret definiri authoritate: quin immò juxta antiquorum Patrum instituta vel exempla, Romano servaretur examini terminandum.* Hanc querelam Pontifex cùm apud Bernardum deposuisset, *Ille humiliter & cum reverentia respondit, Se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definisse: sed quia ab Episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur; idcirco quia solus nollet, illorum authoritate ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquievit; ita tamen ut præfatum scriptum tanquam inconsulta curia prolatum, velut authoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Hactenus Otto Frising. *cap. 56.* qui addit, *De prima tantùm Romanus Pontifex definivit, &c. Episcopus verò præmissam summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, &c.* Summam & ineluctabilem definiendi authoritatem, vides, cui deferat Ecclesia Gallicana.

LXVI. De his audiendus rursum Gosfridus Monachus Clarevall. & Notarius Bernardi: *Communi consilio à Patribus decem provinciarum, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur Symbolum novum: cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium, sicut fides irreprehensibilis, sic irreprehensibilis zelus innotescat. Ita demum Apostolico judicio, & authoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur: Episcopus Gillebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur: consentiens publicèque refutans, quæ priùs senserat & affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur. Maxime quod ab initio cautum fuisset, ea lege eandem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla obstinatione, se pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum liberè suam opinionem. Lib. 3. de vita Bernardi cap. 51.* Ut quid id cavebatur, ut quid cedebat Gilbertus, si definitioni synodali & Pontificiæ error illusisset, & inde in omnem Ecclesiam effundi poterat? Quin saltem in Oecumenica (post Synodo retractantur hæc omnia, ne præpropere in hæresin Ecclesia universalis consenserit? Sed nusquam ea de re laboratum hactenus.

LXVII. Gaufridus his accedat Monachus Cisterciensis in epist. ad Cardinalem Albanensem de his scripta, ubi de Concilio Rhemensi disserens ait: *Postquam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, ut dicerent Domini Cardinales, quia ecce audivimus quæ proposita sunt, deinceps judicabimus, qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus movit corda multorum, ut sequenti die apud Sanctum Bernardum convenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, ac Abbatum, & Magistrorum plurima multitudo. Et quia judicium sibi soli videbantur reservasse, quos noverant ferè omnes errantis potiùs, quàm erroris fautores: providere oportere cum capitulis illis Gilberti Episcopi, sua etiam fidei Symbolum mitti, ut scirent plenius unde judicarent, &c. Et electæ sunt tres personæ, Episcopi duo, & Sugerius Abbas sancti Dionysii, qui eandem scripturam Domino Papæ & Cardinalibus præsentarent; & dicerent eis, Offerimus & nos vobis nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam,*

con-

convenit, ut teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur: nos ejusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis, quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitùs mutaturi. Quibus Papa respondit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret, & si stare aliqui visi fuerant pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina, &c. Ibidem dominus Papa authoritate Apostolica, de assensu totius Ecclesiæ qua convenerat, capitula ipsa damnavit. In fide sua nihil vacillabant, nullo dubitationis lubrico lapsabant Galliarum Episcopi, judicii tamen summam potestatem Romanæ Ecclesiæ tribuunt: de effugio ad Synodum Oecumenicam nec suspicio ulli nascitur.

LXVIII. Idem ipse infrà paucis perstringit Abaelardum, *Cujus libellos piæ memoriæ Innocentius Papa secundus in urbe Roma, & in Ecclesia Beati Petri incendio celebri concremavit, Apostolica authoritate hæreticum illum denuncians.* De quo & Gosfridus Monachus Clarevall. *lib.* 3. vitæ Bern. *cap.* 5. In *grandi* Concilio Senonensi, Abaelardus, *nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, ut tempus redimeret, Sedem Apostolicam appellavit, &c. Nihilominus Ecclesia quæ convenerat, dimisit hominem, multavit abominationem; à persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inveniret in Sede Petri, tam longè dissidens à fide Petri? Et ipsum ergo authorem eadem sententia cum erroribus suis Apostolicus Præsul involvens, hæreticumque denuncians, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit.* Quibus adde Otthonem de Sancto Blasio, in appendice ad Otthonem Frising. *Petrus Bajulardus hæresin Arianam resuscitare molitur. Contra quem venerabilis Abbas Bernardus velut contra hostem Ecclesiæ insurgens, viva voce scriptisque ipsum magnificè convincens, hæreticum probavit, scriptisque ejus synodaliter examinatis ab Apostolico, & damnatis, ipsi de cætero silentium imposuit.* Ita *cap.* 2. at *cap.* 3. rursum de libris Gilberti: *Eugenius Papa Synodum Episcoporum congregavit, &c. Liber Gilberti in nonnullis à vera fide visus est discrepare, & ideò synodaliter reprobatus & damnatus est; Episcopo libri ipsius authore humiliter consentiente, ipsumque ore proprio damnante.* Eo Ottho ipse Frising. Episcopus *lib.* 1. de gestis Frider. Imp. *cap.* 57. *Episcopus verò Gilbertus præmissam summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate & honoris plenitudine, ad propriam Diœcesin remeavit.* Nempe ut antè *cap.* 46. perhibuerat, Gilbertus *à duobus Archidiaconis suis, tanquam contra Catholicæ normam Ecclesiæ doctrinam instituens, ad summi Pontificis, Romaneque Sedis examen, interposita appellatione vocatur.* Et ibidem *cap.* 47. de Abaelardo: *Bernardo authore, primò ab Episcopis Galliæ, post à Romano Pontifice, Petro Abaelardo silentium impositum fuit.* Et *cap.* 48. in Senonensi Concilio, *dum de fide sua disputaretur, seditionem populi timens Abaelardus, Apostolicæ Sedis præsentiam appellavit.* Constantissimè in fidei negotio ab Abaelardo non ad Synodum provocatur Oecumenicam, sed ad Sedem Apostolicam, cui & Gilbertus se causamque suam omnino committit.

LXIX. Bernardus iterum *epist.* 174. plurima argumentatus adversùs festum diem Conceptionis Deiparæ, ut à Lugdunensibus præproperè innovatum, hæc tandem subjicit: *Si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolica Sedis authoritas, & non ita præcipitanter atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum, &c. Quæ autem dixi, absque præjudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ Ecclesiæ præsertim authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt, universaliter servo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

LXX. Petrus Cellensis *lib.* 6. *epist. ult.* in eodem versatur argumento: *Est auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, Sedem Petri & curiam Romanam, quæ claves cœli principaliter tenet. Hæc Sedes Petri, id est, Petra in qua Moyses residet, videlicet Lex Dei immaculata, convertens animas, fragosaque hæreticorum Conciliabula elidit, atque allidit, profanas vocum novitates resecat, & rescindit; superflua confodit & jugulat; hiantia & eclyptica complet, & illustrat. Utinam salva veritatis authoritate, lance communis Concilii, hæc domina & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionem Virginis libraſſet & approbasset, & à mari usque ad mare hanc propagasset; Sole, id est, Apostolico, & Luna, id est, Romana Curia præeunte, tam securè, quàm expeditè in lumine vultus eorum gressus meos ponerem, & disponerem; ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum.* Et eadem de te *lib.* 9. *epist.* 10. *Virginem laudas, & ego laudo. Prædicas sanctam, & ego, &c. Si verò extra communis monetæ formam, vis fabricare aliam, quam non approbaverit Sedes Petri, cujus est approbare vel improbare ordinem universalis Ecclesiæ, pedem fisto, & terminos constitutos non transgredior.* Quæ controversia etsi ad disciplinam attinebat, illigatam illi tamen fuisse & fidei causam, exploratum est. Quibus adde paucula hæc ex Petri Blesensis epistola 99. ad Urbanum Papam: *Domus Dei quæ in lapide adjutorii super fundamentum Apostolorum stabilita est, à Petro & successoribus ejus formam semper eruditionis & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod radii Soli, quod fonti rivuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentia debent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit.* Cui præmittendus fuerat Hugo de Sancto Victore, de Sacram. *lib.* 2. *cap.* 43. *Papa dicitur, quia Pater Patrum. Universalis dicitur, quia universæ præest Ecclesiæ. Hic quoque Apostolicus appellatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur. Ejus officium est, &c. Canones etiam pro tempore ad utilitatem Ecclesiæ promulgare, vel immutare, &c. Totam Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque Papa vicem & locum Christi tenet, Episcopi Apostolorum.* Joannes Salisberiensis ad Carnotensem demum suffragio meritorum ingentium provectus Episcopatum, liberaliter passim Romanæ Sedis dotibus amplificandis indulget. Stringam ex eo hæc pauca. Ad Alexandrum Papam *epist.* 193. *Clamamus ad Successorem Petri, Vicarium Crucifixi, &c. Jus est veras exprimere voces, præsertim apud eum, qui amator est, & patronus veritatis, & cujus ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.* Et ad eundem *epistol.* 220. *Recurrebant filii Israel ad tabernaculum fœderis, ubi Sancta Sanctorum servabantur, id est, mandata Dei, quæ cunctis justificationibus antecellunt, & opportunitatibus suis conveniebant Moysen & Aaron, Sanctos Domini. Et miseris Cantuariensibus, ad quos inter Deum & se mediatores confugiendum est, nisi ad Romanam Ecclesiam, ubi viget divinæ legis custodia, & totius sacerdotii principatus? Nam si illa post Deum decreverit, salvare nos, continuò liberabimur. Si manus erexeritis, sternetur Amalech; & qui vos Pharaoni dedit in Deum, dejiciet omnes adversarios Ecclesiæ à facie vestra.* Universim valent ista; & quæ tunc disceptabantur libertatis Ecclesiasticæ capita, eorum nonnulla est cum fidei dogmate consanguinitas. Quo circa eodem forsan referri posset & hoc ex *epist.* 190. Stephani Sanctæ Genovefæ priùs Abbatis, postea Episcopi Tornacensis, ad eos quì privilegia indulta à Petri Sede convellebant: *Examen istud reservate summo Pontifici, qui solus habeat potestatem & condendi novos Canones, & exponendi veteres, & interpretandi privilegia sua, & corrigendi aliena.*

LXXI. Gallis non immeritò & sanctus Thomas annumerabitur: Is ergo 2. 2. q. 1. *art.* 10. ita philosophatur: *Nova editio Symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decret. libr. de bapt. cap. Majores. Unde & Dominus Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ. Quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: & sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideò ad solam authoritatem summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia ejusmodi.* Ubi illud enitescit, nullam inter Pontificem & generale Concilium pugnam, nullam æmulationem fervere, sed summam ex adverso concordiam & societatem. Una enim utriusque, una Ecclesiæ Catholicæ authoritas est, seu capite & lingua tantùm quod sentit, eloquatur: seu toto corpore & membrorum omnium concentu idem assonet. Unde & in responsione ad secundum mox idem docet non potuisse veteres Synodos eam posterioribus Concilliis abrogare potestatem, adversùs novas hæreses nova conscribendi Symbola, non novam, sed veterem fidem explicantia manifestiùs: *Unde pertinet ad summum Pontificem, cujus authoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.* Toties autem congregari Synodos generales, quoties novæ jugulandæ sunt hæreses, ineptum, impossibile, & à moribus Ecclesiæ hactenus alienissimum non nesciebat sanctus Doctor.

LXXII. Quod multò splendidius fiet ex alio ejusdem luculentissimo testimonio, de potentia q. 10. *art.* 4. *ad* 13. ubi pro Latina Ecclesia adversùs Græcorum querimonias ita decertat: *Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet: ita etiam Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest, cujus authoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quod ad ejus expositionem faciendam universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia; sicut in Sexta Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dicit, quod propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit. Sed tamen illi qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ determinaverunt, scilicet quod in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones. Et similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post incarnationem.* Vides hic 1. ipsarum ex Synodorum testificatione, varios incurrere obices, ne Synodi colligantur, adeoque ad perimendas hæreses subinde pullulantes, alio quopiam veritatis oraculo opus esse. 2. Nec secundam, nec sextam, nec alias fortè plures jure æstimatum iri Oecumenicas Synodos, nisi ex Pontificis Romani, & Ecclesiarum ei proximiùs adhærentium, & quasi concretarum confessione, vel antegressa, vel consecuta. 3. Si loco Synodi generalis subroganda sit vicaria & perpetua authoritas aliqua, non aliam quàm Romanæ Ecclesiæ excogitari posse, cujus est Synodos & convocare & confirmare. 4. Cum vel maximè, ut ait sanctus Doctor, appellerur à Synodo generali ad Pontificem. Nempe ut nunc quidem interpretari licet, alibi fusiùs ea de re disceptaturis, quia sine Pontifice Romano, nunquam verè Oecumenica Synodus est: Et frustra ejus nominis gloriam aucupatæ sunt aliquæ Synodi, sine eo, vel contra eum congregatæ. Nusquam enim illis universa consensit vel præsens Ecclesia, vel postera. 5. Tantò majoris est autem momenti hæc argumentatio B. Thomæ, quòd Latinam, id est, Catholicam ibi tuetur adversùs Græcos Ecclesiam, quæ solius Romani Pontificis authoritate, citra generalem Synodum, in Symbolum, adeoque in dogma fidei susceperat Spiritus Sancti à Filio processionem.

LXXIII. Denique idem rursus 2. 2. q. 11. *art.* 2. *ad* 3. *Postquam ea essent authoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim* 24. q. 1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & Coepiscopos, nonnisi ad Petrum, id est, ad sui nominis, & honoris authorem referre debere. Contra cujus authoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sactorum doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam, &c.* Subtexit, & Hieronymo adscribit verba superiùs relata Pelagii ad Innocentium, quibus fidei se, & Sedi Petri emendandum substernebat. Thomæ comes individuus adsit Bonaventura. Iste ergo *l.* 1. *d.* 11. *art.* 1. q. 1. eandem Latinorum adversùs Græcos causam defensitans de processione Spiritus Sancti ex Filio; horum superbiam notat, *quia cum reputarent se sciolos, & vocati non fuerint: noluerunt profiteri, quod non erat per eos inventum.* Notat & pertinaciam, quia *suam sententiam defendere ausi sunt, & authoritati Ecclesiæ Romanæ obviare: & ideo facti sunt hæretici, quia negant fidei veritatem; & schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiæ unitate.* Criminationes verò Græcorum, quòd Symbolum novum condiderimus, cum Synodi Oecumenicæ id olim vetuerint, ita exsufflat; *Potest dici, sicut dicit Anselmus, quod novum edidimus, quod quidem facere potuimus, Quia Romana Ecclesia plenitudinem potestatis à Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum ponere, nec artare potuit, nec ei præjudicare, nec ligare eam ad aliquid.* Et rursus ibidem continuò: *Similiter dicunt nos schismaticos, quia à nobis incipit divisio: cum enim hoc vellemus asserere, nolnimus eos vocare. Et ad hoc respondeti potest pro Latinis, quòd eos vocare non fuit opportunum, quia Ecclesia sine eis hoc poterat: &c. & quia erat periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum erat ducere in dubium.* Alienissima sunt hæc omnia, non tam Bonaventuræ, quam totius Latinæ Ecclesiæ responsa, ab eorum opinatione, qui fidei definitiones à solis jactant hauriendas esse Oecumenicis Synodis, non à Romana Ecclesia. Unde Alensis Parisinæ & ipse Scholæ non injuria accensendus, *quæst.* 43. *memb.* 4. *Quoniam igitur & necessitas cogebat, & ratio nulla prohibebat, & vera fides hoc admittebat: fiducialiter asseruit Latinitas, quod confitendum & credendum esse cognoscebat. Quod autem quæritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est: respondemus, quia nimis erat Latinis difficile Græcorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere: nec erat necesse, unde non dubitabant, in quæstionem adducere. Quæ enim Ecclesia est, quæ per amplitudinem unius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundùm rectam fidem constituere, quod in conventu populi utiliter legatur, aut cantetur? Quantò magis licet Romanis hoc constanter proferre, in quo gentes & omnia regna, quæ Latinis utuntur literis, pariter concordant?* Utique ad Florentinæ Synodi tempora ab hac defensionis ratione non discessisse Latinos Theologos, in promptu est, cum non aliis possent machinis retundere Græcorum congressiones. Henricus à Gandavo in Summa, *articul.* 54. q. 6. negat excusari posse Græcos secus sentientes, post-

postquam cœpit *Ecclesia Latinorum contrariari*. Nec Okamus ipse inficias ire potuit, in 1. *d.* 11. *quin ex determinatione Ecclesiæ* contra Græcos tenendum sit, Spiritum Sanctum à Filio procedere. Durandus à Sancto Porciano in eandem *d.* ait, dissentire Græcos à nobis, & errare: Magistro visos non errare, quia nobiscum sentiunt re, verbis dissentiunt, dum concedunt Spiritum Sanctum esse Filii. Gabriel Biel in eandem *d.* 11. *Non concedunt Græci Spiritum Sanctum procedere à Filio, &c. Contra quos est determinatio Ecclesiæ in c. Firmiter de Sancta Trinitate.* Et mox: *Hæc conclusio est fidei & determinationis Ecclesiæ, ideò inconcusse tenenda.* Joannes Major Scholæ Parisiensis Theologus in eandem *d.* 11. non acquiescit Magistro, ajenti verbis tantùm Græcos à nobis dissidere: *Non est verisimile de Græcis post determinationem Ecclesiæ, quod haberent disputationem vocalem cum Latinis, sed realem*: sed Anselmo lib. de processione Spiritus Sancti *cap.* 4. neganti: *Græci nobiscum non consentiunt Ecclesiæ, & istud patet, quia cum interdum nobiscum protestati sint se velle capere determinationem matris Ecclesiæ, & illi adhærere: protinus revertentes in regionem suam per aliam viam, ad priorem reversi sunt vomitum.* Et paulò antè: *Testimonium efficax hujus conclusionis colligitur de summa Trinitate & fide Catholica lib.* 6. *cap. fideli, ubi sic habetur: Fideli ac devota, &c. Hoc professa est hactenus, &c. Prædicat Sancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium & magistra, &c. Hoc sacro approbante Concilio damnamus, &c.* Parco reliquos Scholæ Theologicæ Magistros acervare, unum contentus adjecisse Joannem de Parisiis, lib. de potestate Regia & Papali *cap.* 3. *Una est omnium fidelium Ecclesia, unus populus Christianus. Et ideo sicut in qualibet Diœcesi unus est Episcopus, qui est caput Ecclesiæ in illo loco, vel populo; ita in tota Ecclesia, & in toto populo Christiano, est unus summus Episcopus, Papa scilicet Romanus, Petri successor. Nam post corporalem subtractionem præsentiæ corporalis Christi, convenit interdum circa ea, quæ sunt fidei, quæstiones moveri: in quibus propter diversitatem opinionum vel sententiarum divideretur Ecclesia, quæ ad sui unitatem requirit fidei unitatem, nisi per unius sententiam Ecclesiæ unitas servaretur. Hic autem principatum hujusmodi habens est Petrus, successorque ejus, non quidem synodali ordinatione, sed ex ore Domini, qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in necessariis ad salutem.* Et infrà: *Ne propter diversitatem controversiarum unitas fidei destruatur, necesse est unum esse superiorem in spiritalibus, per cujus sententiam controversiæ terminentur.* Ita ille nihil ab hac inveterata Gallorum fide detertitus, aut avocatus importuna illa, in cujus tempora incidit, Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri rixa.

LXXIV. Observat autem non abs re Sanctus Thomas, & in veteris juris seu Gratiani decreto, & in novi, seu in Gregorianis Decretalium libris, id expresè declarari, quod nunc expenditur, nempe ex Innocentio I. *Quoties fidei ratio ventilatur, omnes Episcopos ad Petræ sedem referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Et ex Innocentio IV. *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas esse, &c. Quibusdam igitur quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici moverant, nos postulas respondere.* Hæc ille ad Arelatensem Archiepiscopum. Nusquam hìc mentio Concilii, quod nec habitum est ullum adversùs Pelagianos, & Petrobrusianos, seu novellos alios parvulorum Baptismi inficiatores. Quæstione ad Petri Sedem relata, ab ea manat definitio, quæ *per totum mundum omnibus Ecclesiis in commune prosit.* Has porro Pontificum decretales epistolas, etiam nunc, sed & olim Gallicani Antistites osculati sunt, & in eas sacramento etiam Doctores quique adacti. Frustra ergo pauculi in angulis mutiunt; attendendum est, quod in propatulo: & de Gallicanæ Ecclesiæ sensu, æstimandum est, temperandumque judicium, ex iis quæ publica authoritate, & è longè pluribus geruntur. Etiam nunc enim eosdem referentat mores Ecclesia Gallicana in dubiis circa fidem emergentibus, quos olim sub Carolo Magno, in cujus *Capitul. lib. 7. cap.* 187. refertur, orta dubitatione de Chorepiscopis: *Quod jurgium cum enucleatiùs discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, jubente canonica authoritate, atque dicente, Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, ut sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incontanter referantur.* Ita Galli olim, ita etiam nunc publicè & palam sentiunt, ita degunt, his decretis astringi se sentiunt.

LXXV. Atque ut cursim perlustrem compluscula Gallicanæ de re ista sententiæ documenta, atque exempla: in causa Arnulphi Rhemorum Archiepiscopi, sub Hugone & Roberto Regibus, ita Synodus Episcopalis ad Joannem Papam scripsit: *Non sumus nescii, beatissime Pater, jamdudum oportuisse nos expetere consulta sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis, &c. Tandem ad monstra perditissimi hominis expergefacti, imus in sententiam Domini, dicentis: Si peccaverit in te frater tuus, corripe, &c. Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Adesto, Pater, ruenti Ecclesiæ, & sententiam ex sacris Canonibus promulgatam, vel potiùs ab ipsa veritate prolatam, profer in medium. Sentiamus in vobis alterum Petrum, defensorem, & corroboratorem Christianæ fidei. Ferat sancta Romana Ecclesia sententiam damnationis in reum, quem universalis damnat Ecclesia, &c. ut sciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.* Ita suspiciunt Romanum Antistitem, ut *alterum Petrum, defensorem & corroboratorem Christianæ fidei*: *Collect. Quercet. tom.* 4. *pag.* 108. cui, ut Ecclesiæ personam & majestatem gestanti, cum dicitur, *Ecclesia dicitur*: cujus vox, tonitru est ipsum & fulmen Ecclesiæ universæ; *ut damnante Ecclesia universa, Ecclesia Romana sententiam ferat.* At sub Henrico I. Rege, (*Ibidem pag.* 41.) cum Constantinopolitani Antistitis artes obreperent Romano Prælati Joanni, & id eblandirentur, ut *Romani Pontificis consensu liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem dici, & haberi*: his ut tradit Glaber *lib.* 4. *c.* 1. objurgatoriis Joannem Papa in epistolis perstrinxit Vvillelmus Abbas, Monasterio S. Benigni à S. Majolo Cluniacensi Abbate præfectus, *acer ingenio, & insignis prudentia, idcirco summum in Palatiis Regum ac cæterorum Principum obtinens locum*: teste eodem Glabro, *libr.* 3. *c.* 5. Ita ergo ille inter cætera ad Pontificem: *Est fama rei, qua nuper erga nos accidit; de qua qui audiens non scandalizatur, noverit se longè ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani Imperii, quæ olim in orbis terrarum Monarchis viguit, nunc per diversa terrarum innumeris regatur sceptris: ligandi salvendique in cœlo & in terra potestas, dono inviolabili, incumbit magisterio Petri.* Ita tunc Occidentales omnes, & Galli maximè pro amplitudine Sedis Romanæ, ut sua & sibi propria, adversùs Orientalium procaces insultus cernabant; & *Magisteria Petri*, ut qui *dono inviolabili* unus constitutus à Christo esset *universalis* Magister, omnem Christianum orbem substernere laborabant. At sub Philippo Augusto Rigordus auscultandus nobis occurrit, ubi post proditos Amalrici Clerici Carnotensis errores: *Cum ei ab omnibus Catholicis universaliter contradiceretur, de necessitate accessit ad summum Pontificem, qui auditæ ejus propositione & universitatis scholarium contradictione, sententiavit contra ipsum. Rediit ergo Parisios: & compellitur ab universitate, confiteri ore, quod in contrarium prædictæ opinioni suæ sentiret: ore dico,*

quia corde nunquam dissensit. Mox ejus mortem memorat, assectasque ejus synodicè Parisiis damnatos, & à Senatu Regio addictos vivicombustio: exhumatum ipsum, & Synodi sententia excommunicatum, *licèt in pace Ecclesiæ, ut putabatur, fuisset sepultus*. Mirum in modum ista dissentiunt à suspicionibus Gersonii suprà explanatis; Hæc enim ad annum spectant 1209; at ejusdem Amalrici damnatio posterior in Concilio Oecumenico Lateranensi sub eodem Innocentio III. ad ann. 1215. Retro flectenda paulisper vestigia ad annum 1179. quo, ut author est Matthæus Parisius, *Alexandri Papæ Apostolatui relatum fuit, quod Magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab Articulis fidei deviavit. Unde Vuillelmo Senonensi Archiepiscopo literas sub hac forma direxit; Alexandrus Episcopus, servus, &c. Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisiis tibi ascitis ad abrogationem doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, quæ dicitur, quod Christus secundùm quod homo, non est aliquid; omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cum præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & unà cum illis & aliis viris religiosis & prudentibus, prædictam doctrinam studeas penitùs abrogare: universis firmiter & districtè injungens, quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur*. Nec ad Magistri, nec ad Episcopi defensionem quisquam strinxit calamum adversùs judicium Apostolicæ Sedis in Academia Parisiensi; ut nihil postea opus fuerit idem renovari, vel confirmari judicium in Concilio Lateranensi ann. 1215. quo inustus est Joachimus Abbas Florensis, quòd dum Petrum Lombardum exagitaret, gravibus & ipse illaqueasset sese erroribus. Damnatæ tamen ibi magis lucubratio Joachimi, quam persona, propterea quòd *omnia scripta sua Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda mandasset, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, qua cunctorum fidelium, disponente Domino, Mater est & magistra*: ut habent acta Synodi illius generalis. Rursus autem ut Vuillelmi de sancto Amore & consentaneorum ejus liber ab Alexandro IV. proscriptus sit, doceat nos Cantipratensis: *Qui liber qualiter citatis & vocatis ad Curiam & præsentiam summi Pontificis dictis Magistris, damnatus sit & combustus, non solùm in ipsa Curia, sed & Parisiis coram universitatis multitudine copiosa; scire poterit, qui collationes & disputationes legerit præcipuè contra Magistros quatuor in capite adversarios*. Et idem: *Dicti Magistri Fratrum adversarii beneficiis & dignitatibus omnibus sunt privati, donec juraverunt mandato Papæ coacti, revocare Parisiis & in aliis civitatibus & locis verecundæ prædicationis eorum, quidquid contra dictorum Fratrum ordines implicitè, vel explicitè evomuissent*. Rainald. *ad ann.* 1256. *num.* 21. 24. & 1259. *num.* 27. 28. 29. 30. Et rursum ann. 1277. cum Stephanus Parisiensis Episcopus censorio mucrone confixisset aliquos Philosophastros, inauditis stridentes argutiis, & nonnulla cavillantes vera esse secundùm Philosophiam, non secundùm fidem Catholicam; rescripsit ad eundem Stephanum Joannes Pontifex ejus nominis XXI. *Relatio nimis implacida nostrum nuper turbavit auditum, quod Parisiis ubi fons vivus sapientiæ salutaris abundanter huc usque scaturiit, suos rivos limpidissimos fidem patefacientes Catholicam, usque ad terminos orbis terræ diffundens, quidam errores in præjudicium ejusdem fidei de novo pullulasse dicuntur. Volumus itaque, tibique authoritate præsentium districtè præcipiendo mandamus, quatenus diligenter facias inspici, vel inquiri, à quibus personis, & in quibus locis errores hujusmodi dicti sunt, sive scripti. Et quæ didiceris, sive inveneris, conscripta fideliter nobis per tuum nuncium transmittere quàm citiùs non omittas*. *Idem an.* 1277. *num.* 9. 10. Rursus ad annum 1285. quæ ad Ægydi Romani damnationem spectant, edisscemus ex epistola Honorii IV. Papæ ad Episcopum Parisiensem data: *Licèt dilectus filius Fr. Ægydius Romanus de ordine fratrum Eremitarum Sancti Augustini, olim Parisiis vacans studio, aliqua, sicut intelleximus, dixerit, & redegerit in scripturam, quæ beatæ memoriæ Stephanus Parisiensis Episcopus, prædecessor tuus, per seipsum examinans, & per Cancellarium Parisiensem ejus temporis, & per alios Theologicæ Facultatis Magistros examinari faciens, censuit revocanda: & ea minimè revocarit, quin potiùs variis rationibus nisus fuerit confirmare. Nuper tamen apud Sedem Apostolicam constitutus, humiliter obtulit, se paratum revocanda, quæ dixerat, sive scripserat, revocare pro nostræ arbitrio voluntatis. Idem ad ann.* 1285. *num.* 76. 77. Juber ergo ut Parisiis fiat ea revocatio solemni more. Cujus demissionis gratia idem Ægydius postea ad Bituricensis Cathedræ Pontificatum evectus est. Internecina quædam inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliæ Regem conflagravit discordia; nec tamen ab hac Galli primigenia sua in Petri Sedem fidemque observantia descivere vel in ipso irarum æstu. Ita enim Philippus ipse Rex ad Clementem V. scripsit haud multò pòst, nempe ann. 1310. *Absit à regia perennitate, in quæstione fidei quidquam, quod vestra sanctitas, maximè sacro approbante Concilio decideri, in aliquod unquam dubium revocare. Hist. du diff. entre Bon. VIII. & Phil.* Idipsum mox totidem verbis contestantur Galli Proceres. Et infrà excipientibus Romanis non posse de Bonifacio, quem Galli hæreseos insimulabant, inquiri, nisi in Concilio generali: respondent Galli: *Non quæritur de hæresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut privatæ personæ: Nec ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, inquantum Papa, potuit esse hæreticus. Et ideo cum de ejus mortui hæresi quæritur, non habet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ representans, qui claves regni cœlorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere. Ibid.* p. 399. 413. Progrediamur hinc ad annum 1321. quo Joannes è Poliaco Parisiensis doctor perversa aliqua effutivit de confessionibus apud Sacerdotes Monachos factis, & de potestate Pontificia ad privilegia ejusmodi largienda. Ita in eum detonuit Joannes XXII. Avenione sedens, Gallus ipse & Gallorum Cardinalium frequenti senatu cinctus: *Omnes articulos & quemlibet eorum tanquam falsos & erroneos & à sacra doctrina devios, authoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus de Fratrum nostrorum consilio*. Rainal. *ad ann.* 1321. *num.* 20. 37. Obsecutus est Pontifici Joannes è Poliaco, tum in scholis, tum in sacris concionibus publicè errorem ejurans. Pontificiæ autem tum causæ & Romani Throni prærogativæ patrocinati sunt præ cæteris tunc Hervæus & Petrus Paludanus, non suo magis, quàm gentis suæ instinctu; erant enim ambo Galli. Jam verò anno 1322. cum famigerata illa æstuaret concertatio de paupertate Christi, Apostolorum, Monachorum, atque de rerum mobilium & immobilium dominio & usu: & Nicolai IV. atque Joannis XXII. Pontificum doctrina videretur in speciem, & à perduellibus jactitaretur quasi adversa fronte collidi: tum Cardinalium cætus omnis, qui ut prænonui, utque eorum temporum scriptores fidem faciunt, Galli erant omnes propemodum, tum Academia Parisiensis strenuè pro Joanne Pontifice dimicavit adversùs Fraticellos, hæreseos illi maculam aspergentes; etsi nec hi Joannem, nisi quà Nicolao prædecessori suo adversantem, in crimen vocarent. Rainald. *ad ann.* 1322. *num.* 67. Unius hic adscribam Vitalis Episcopi Alban. & Cardinalis pro causa

Pon-

Pontificia ſcribentis exordium. Cum ex decreto Gratiani protuliſſet illam Pelagii teſtationem, ſe totum Sedi, fideique Petri & ejus Vicarii committentis vel emendandum, vel defendendum: hæc addit: *Predictum Capitulum duo continet evidenter, quæ in proteſtatione mea volo includi. Primum eſt, quod ſi in dictis meis forte aliquid ponam minùs providè, incautè, vel indiſcretè, omnia per Chriſti Vicarium corrigantur. Secundum eſt, quod quidquid per eundem Chriſti Vicarium fuerit determinatum de predicta quæſtione & de quibuſcumque aliis, maximè ad fidem pertinentibus, omnia volo ſimpliciter & indubitabili fide tenere, promptè & liberè confiteri.* Conſule ſi vacuum eſt, & Academiæ Pariſienſis ſcriptum ea in quæſtione prolixum & perelegans; pugnantia ſpecie tenus Pontificum decreta ita concilians, ut neutri error affingatur. *Apud eundem ann.* 1323. *num.* 38. 55. 62. 63. Rurſus extant *Propoſitiones M. Joannis de Ulricuria, Romæ primùm damnatæ, dein publicè per eum in Univerſitate Pariſienſi revocatæ, anno Chriſti* 1348. *Bibl. PP. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 935. Et ad calcem ſententiæ in eum latæ, *Magiſter Nicolaus de Ulricuria dicere debeat altè & intelligibiliter, quod propter iſtos articulos, & propoſitiones per eum revocatas, & multos alios articulos falſos & hæreticos, ejus epiſtolæ & libelli combuſti fuerunt, &c. Jurabit in præſentia noſtra ad ſancta Evangelia, quod nunquam tenebit, aut docebit, clam vel palam, &c.* *Ibid. pag.* 946. Et rurſum habetur *reſcriptum ſchedulæ revocationis quorundam articulorum Fr. Dionyſii Soulechat, Ordinis F. Minorum, publicè in diſputationibus ſolemnibus per eum ſemel atque iterum factæ, Pariſiis & in Curia Romana. Anno* 1365. & 1369. Et infrà: *Hæc omnia predicta dictus Fr. Dionyſius iterum Avenione in præſentia Magiſtri Guillelmi Romani, Lectoris ſacri Palatii Apoſtolici, & aliorum novem Magiſtrorum in Theologia Pariſ. revocavit, & ad ſancta Dei Evangelia juravit ſe appellationem, quam interpoſuerat, non proſecuturum: ac concluſiones predictas & corollaria tanquam falſa, & erronea, & hæretica abjuravit, ſecundùm tenorem revocationis aliàs per eum factæ Pariſiis.* Quæ eadem paulò prolixiùs exequitur ipſemet Pontifex Urbanus V. in literis ad Joannem Cardin. olim Epiſcopum Bellovacenſem. *Rainal. ad annum* 1368. *num.* 17. In hoc exemplorum acervo, unum vides Pſeudominoritam provocantem, utpote Michaelis Cæſenatis ducis quondam ſui fœda legentem veſtigia; qui à Pontifice *ad Eccleſiam* appellaverat, quam ipſam mox in proſtibulum calumniabatur degeneraſſe. Sed utrumque tandem ſuæ & hæreſeos & appellationis pœnituit. Cæteri omnes decretis Pontificiis, ut quibus conſenſio acceſſiſſet Eccleſiæ, à Capite ſuo indivulſæ, ſubſcripſere: urgente & impellente ipſa maximè cunctatores Pariſienſi Academia. Nec ad ſilentium modò aut diſſimulationem, ſed velut ad certarum hæreſeon ejurationem omnes & Pontificia, & Magiſtrali, & Regia demum conſpirante authoritate compulſi ſunt. Ut ne ſuſpicari quidem poſſim, quibus documentis, aut quo uno ſaltem majorum ſuorum exemplo potuerit Gerſonius ſuam ſuffulcire opinationem. Quin ejus potiùs infucatum candorem admirationi habendum cenſeo, ſui dogmatis novitatem nuſquam diſſimulantis. Revocandus hìc ſaltem eſt, qui nos effugerat Petrus Bertrandi Epiſcopus Eduenſis & R. E. Cardinalis, in tractatu de Orig. & uſu Juriſd. *q.* 2. *Inter Chriſtianos neceſſaria eſt ſpiritalis poteſtas, quam Chriſtus dedit beato Petro, quando ei commiſit regimen univerſalis Eccleſiæ. Origo hujus poteſtatis immediatè fuit à Deo, videlicet à Chriſto, tradente eam certæ perſonæ, ſcilicet Petro, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, à quibus derivatur in alios,* &c. *Bibl. PP. tom.* 4. *par.* 1. Et *queſt.* 3. *Cum prædictam juriſdictionem habeat Papa, ſine limitatione loci & perſonarum, ideo omnes Chriſtiani ubicumque ſint, debent ei obedire: cæteris verò Prælatis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & Patriarchis in territoriis ſeu Diœceſibus ſibi commiſſis tenentur obedire omnes Chriſtiani manentes in eis.* Et infrà: *Prælatorum ut ſunt Papa & Epiſcopi, eſt judicare de actionibus perſonalibus hominum, per quas poſſunt deviare à ſalute ſua, peccando contra quancumque materiam, ſive contra articulos fidei & ſacramenta, ſive contra bonos mores.* Et infrà: *Chriſtus prædictam poteſtatem dedit Eccleſiæ in Beato Petro & ſucceſſoribus ejus.* Quod ſæpiculè repetit. Et hìc vides poſt annum Chriſti 1330. in Gallia Petro & ſucceſſoribus ejus judiciorum de fide poteſtatem deferri, vel à Chriſto potiùs delatam agnoſci, quam in omnem prorſus Eccleſiam Chriſtianam exerceat.

LXXVI. Sed quod locupletius teſtimonium, quàm ipſorum quibuſcumque certamen eſt, ſuo ſe telo configentium: dum profitentur, hanc ſuam, ſuæve privatim ſcholæ opinationem eſſe, & eam quidem nupertimè excitatam? Elevat enim authoritatem & novitas, & paucitas ſua. Almainus lib. de poteſt. Eccl. *cap.* 15. *Concluſio eſt, quam tenent Doctores omnes Pariſienſes & Galli, quòd poteſtas Papæ eſt ſubjecta poteſtati Concilii.* Joannes Major, de Authoritate Eccleſiæ, *Duo ſunt modi oppoſiti dicendi, quorum unus tenet Papam eſſe ſupra Concilium univerſale, hunc modum aliqui Cardinalium tenuerunt, & tenent communiter Thomiſtæ, & Romæ, ut aſſeritur, nulli fas eſt oppoſitum tueri. Alium modum ſemper noſtra Univerſitas Pariſina à diebus Concilii Conſtantienſis imitata eſt; ſic quod in ea, qui predictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revocare.* Et infrà: *Noſtra facultas à diebus Concilii Conſtantienſis, in qua plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus vel tribus regnis; ſic hanc partem fovet, quod nulli licuit aſſerere oppoſitum probabile.* Joannes Gerſonius de excommunicatione: *Si dicatur, quod poteſt à Papa fieri appellatio ad Concilium generale: Dixerunt olim ante Concilium generale Piſanum & Conſtantienſe, quod hoc nullo modo licebat: & allegant jura ſuo pro ſe valde, ſicut eis videtur, expreſſa. Sed conſtanter nunc aſſeritur, quod eſt hæreſis damnata per conſtitutionem Concilii Conſtantienſis. tom.* 2. *part.* 348. Et in lib. de Poteſt. Eccleſ. conſid. 10. *Poſuerunt iſti Papalem authoritatem ſupra Concilium, aut ſaltem non imparem. Eſt autem certum apud eos, quod par in parem, & minor in ſuperiorem non habet imperium. Benedictus autem Deus, qui per hoc ſacroſanctum Conſtantienſe Concilium, illuſtratum divinæ legis lumine, dante ad hoc ipſum vexatione præſentis ſchiſmatis intellectum, liberavit Eccleſiam ſuam ab hac peſtifera perniciosiſſimaque doctrina, qua ſemper manente perſeveraſſet ſemper ſchiſma nutritum ab ead. Tom.* 1. *pag.* 127. Suos ergo ipſimet confitentur natales, ſcilicet nuperos: & limites, valdè anguſtos: ſi eccleſiaſticæ antiquitatis, & univerſalitatis ratio ineatur. Scholam, non Eccleſiam: Pariſinam, aut ut ipſis largiamur, quod ad libitum ſumunt, Gallicanam, non Catholicam: poſt Conſtantienſe demum Concilium, non antè ſenſiſſe ita affirmant; nec ſponte eò, ſed vi quadam delatam, cum non aliter ex ſchiſmatis illius peſtiferi laqueis extricari ſe poſſe arbitrarentur: cum ad dubios vel ſpurios Pontifices fas eſſet eam ſententiam coarctare. Priùs autem vel ipſi non diſſimulant inauditam hanc fuiſſe in Eccleſia Chriſti conflictationem Pontificis & Concilii, Capitis & Corporis. Denique ne vel ipſam Scholam Pariſienſem conſtantiſſimè in ea ſententia deinceps perſtitiſſe, aut etiam nunc perſtare imagineris, accipe quæ Petrus Aurelius (*Part.* 1. *pag.* 249.) de libello Richerii differat: *Quod Sorbonæ partem maximam, & eam quæ in Facultate dominetur, Richeriano libello aſtipulari faciunt, non judicio loquuntur,*

tur, sed odio & malevolentia instinctu; cum ex tota rei hujus ab initio serie, clarissimè pateat, eam paucis semper placuisse, præsertim ut in tam numeroso cœtu. Quod ex eo perspicere licet, quia nullum unquam extitit decretum Facultatis, quo doctrinæ isti seu expressè, seu tacitè tribuatur authoritas, &c. Contrà nemo nescit Richerium ipsum, ex quo doctrinam suam non probari vidit, à conventibus Facultatis perpetuò recessisse, ne quempiam offenderet. Et mox: *Accedit quod & Richerius ipse palàm professus est, omnes ejus libelli propositiones earumque expositiones Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ judicio subjicere, paratumque emendare, quidquid emendandum judicaretur. Hæc ejus declaratio & olim ab ipso edita, & nuper apud Eminentissimum Cardinalem Richelium renovata, & extremo spiritu, quem Catholicè emisit, apud Confessorem confirmata, & ad hoc Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis jussu vulgata, quantosvis errores purgare potuit, &c.* Sed quid præclarius in rem istam censura Theologiæ Facultatis Parisiensis nuperrima, ann. 1644. qua damnantur quædam *propositiones, in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universali in nullo alio statu, quàm in solo Concilio Oecumenico congregato tribuunt, ut temerarias, ipsi Ecclesiæ injuriosas, & hæreticas.* Hanc ergo doctrinam vehementer exosculor, huic uni dissertationes has penè omnes dicavi, hujus authores sequacesque mihi consentaneos, me illis profiteor addictissimum. Quos hæc Censura inussit, eos tantùm novitatis & paucitatis ergo perstrinxi. Gersonium ipsum purgare infra enitar.

LXXVII. At Ecclesia Gallicana, seu Episcoporum & Cleri comitia immane quantum ab ejusmodi opinationibus abhorruerint, & etiamnunc abhorrescant. Antequam Concilium Tridentinum conveniret, post Leonis X. Hadriani VI. & Clementis VII. diplomata in orbem Christianum evulgata, nemo nescit Lutheranos non aliter execrationi fuisse, quàm ut hæreticos, undique proscriptos, extremis suppliciis in sacro & civili foro affectos fuisse. Et illi tamen ad Concilium provocabant. Etenim inter complures alias, hanc quoque propositionem inussit Leo X. *Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.* Laudatur in generali decreto Concilii Senonensis habiti anno 1528. diploma Leonis adversùs Lutheranorum libros, *Intelleximus nonnullos Martini Lutheri libellos perniciosos jampridem cum suo authore à Sanctissimis Pontificibus Leone Papa, & Hadriano, nec non & Clemente Papa moderna damnatos*: Tum eos sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohiber à quoquam comparari, circumferri, &c.

LXXVIII. Sed illud ante omnia insculpi omnium animis pervelim, quod suprà disertis verbis Sanctus Thomas significabat, *Hæreticos censeri pertinaciter repugnantes authoritate universalis Ecclesiæ determinatis, & eam authoritatem principaliter residere in summo Pontifice, contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* In eo enim sita est tota hallucinatio Catholicorum Doctorum, paucorum adversùs plures, novorum adversùs veteres, ipsorumnet adversùs seipsos intestino dissidio altercantium: quòd authoritatem unam, indiscretam, & individuam Pontificis & Episcoporum, Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Catholicæ, Papæ & Concilii, Capitis & Corporis disseçare & sibi collidere ausi sint. Ex adverso autem id obtinuit à cunabulis Ecclesiæ, id obtinet etiamnunc, & ipsis cernentibus ac mirantibus obtinet invictissimè, ut una illa sit Ecclesiæ Catholicæ nunc per caput solum, nunc per corporis concentum cum capite sese exerens, una, inquam, & individua authoritas. Non alia enim, non minor, non major; sed una indiscretaque residet in Ecclesiæ corpore & in capite authoritas. Ideo inexpiabilia post ducentos ab hinc annos visa sunt conflagrare bella inter Pontifices & Synodos, sed in Doctorum scholis; nam reapse ubi semel illud dubiorum Pontificum schisma sedatum est, nulla Synodus à Pontifice, nullus Pontifex à Synodo dissidere visus. Alibi *Dissert.* 12. ad Concilium Chalcedonense protuli testimonia Synodorum & Pontificum adversùs Lutheranos sævientium, ita ut etiam ante Synodum Oecumenicam, & Pontifices Romani, & Gallicanæ Synodi authoritatem universalis Ecclesiæ solis Apostolicæ Sedis decretis hactenus exertam intentarent hæreticis; & contumaces, statutis in hæreticos pœnis, cum universæ Ecclesiæ consensu insectarentur. Nec Concilium cogi detrectat Pontifex; sed ita ut vel ante Concilium habeantur hæretici, & horrori sint, qui ipsam Concilii authoritatem in Ecclesiæ & Concilii capite præcipiunt aspernari. Adde ad supradicta, hæc ex epist. Clementis VII. ad Franciscum I. Galliæ Regem, ann. 1533. 4. Non. Janu. *Cum Serenissimum Cæsarem, quamquam pro sua inclita pietate omnia conatum, tamen in Conventu Augustano, nihil remedii ad hæresin Lutheranam in Germania tollendam præ illorum obstinatione afferre potuisse audiremus, solumque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum, supereſſe videremus, &c.* Ergo & ante Concilium Lutherani vocantur, non Christiani Catholici; hæretici appellantur; obstinationis ergo culpantur; & Pontifex, & Cæsar ad eos abolendos omnem lapidem movent: non velut doctores habent ambiguo in vado laborantes, & quibus ante Concilium liceat citra notam dubitare. Denique hæreticis *postulantibus*, non Catholicis indulgetur Concilium, ut vel hoc extremum tenterur eorum perversitatis frangendæ remedium. Nam ubi & Catholici postularunt, non sibi, sed Lutheranis, postularunt: aut si sibi, ad mores, non ad fidem synodicis instrui decretis optavere. Ita enim Rex Christianissimus in Commonitorio Oratoribus suis Tridentum misso, ann. 1562. *Quoniam omnes qui in Concilium Tridentinum convenerunt, eandem omnino religionem profitentur, neque ex ea quidquam in dubium revocandi, ulli potestas, aut voluntas est: videri possit hæc de religione adeo solicita & diligens disputatio ac censura, non solùm supervacanea, sed etiam ad Catholicos, qui in dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ constanter permanent, parum pertinere.* Vides ut *Catholicos* nihil ambigere testificetur, quod in Concilio definiri postulent.

LXXIX. Eodem vergit & Florentina Synodus, constantissimè propugnans additamentum Symbolo factum sola Romani præcipuè Pontificis authoritate, Græcis inconsultis. Itaque quod suprà astruebat ea in causa Sanctus Thomas, id tota amplectitur Synodus: hæc. Nimirum Græcorum silentio approbatum, quod Latina duce Romano Pontifice præcipiebat Ecclesia de processione Spiritus Sancti definire; atque ita unam esse Romanæ, & totius Ecclesiæ consensionem. *Sess. 7. Nec vos debetis conqueri de Romana Ecclesia, quod non acceſſeritis ad illam Symboli explicationem. Quid opus erat vos convocare, qui sciebatis optime, quod Romana Ecclesia canebat, & prædicabat; nihil tamen repugnabatis, sed cum illa conjuncti eratis? Imo Sanctus Maximus Romanam excusat Ecclesiam, ut injuria ab Orientalibus accusatam, &c. Si temporibus Maximi eo modo canebatur à Romana Ecclesia, qui fuit temporibus sextæ Synodi, nec vos igitur hoc latet, nec potestis dicere hoc factum esse vobis nihil scientibus, &c. Photius qui fuit hostis Romanæ Ecclesiæ, & acriter invectus est adversùs Nicolaum & Hadrianum, nunquam illos accu-*

accusavit ob additamentum in Symbolo, &c. Hormisda fuit ante quintam Synodum. Is scripsit epistolam, cui subscripsit Joannes Episcopus Constantinopolitanus, & omnes illius temporis Patres Orientales. Est autem in illa epistola perspicuè positum, Spiritum Sanctum à Filio procedere, &c. Rem adeo manifestam, tacendo comprobastis. Et in respons. Josephi Methon. Episc. (*Post Conc. Florentinum*) adversùs Libellum Marci Ephesini, *Latini pro sua defensione respondebant tibi per Archiepiscopum Rodi, quod nequaquam Ecclesia Romana, nec additamentum origo fuerit divisionis & pugnæ. Neque enim solùm ante schisma Ecclesiarum, appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos Oecumenicas, septimam dico, & sextam, ut testatur confessor Maximus, &c. Immo potiùs ostenditur Orientalibus explanationem hanc fuisse acceptam, quandoquidem non dissidebant.* Et infrà verba ipsa profert Maximi. Adde huc maximè spectantem confessionem Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, extremum jam agentis spiritum, *ibid. sess. 25. Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo sententiam meam, & subscribo apertè universitati filiorum meorum. Omnia igitur quæ sentit, & quæ dogmatizat Catholica & Apostolica Ecclesia Domini nostri Jesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do, ac dico.*

LXXX. Et ne nuper editæ plus fidei adjicias historiæ Concilii Florentini, accipe eandem argumentationem ex Ratramno Monacho Corbej. adversùs eosdem Græcos scribentis: *lib. 2. cap. 2. Nunquid majores vestri nescierunt, quemadmodum de Spiritu Sancto Romana ferebat Ecclesia? Nec tamen aliquando à Romanæ Sedis communione sese removere, scientes Catholicæ Fidei veritatem fore, quod tenet & prædicat, nec meritò reprehensioni patere, quod Sanctarum Scripturarum authoritate constitit.* Et *lib. eodem cap. ult.* post multa ex libro Paschasii E. R. Diaconi de Spiritu Sancto decerpta, *Cum de Spiritu Sancto Romanam sentire, sicut hodie sentit, Ecclesiam probarit, nullo modo tamen ostendit, in tali fide permanentem ab Orientalibus Ecclesiis vel aliquando fuisse divisam, vel unquam diversa de Spiritu Sancto sensisse, vel docuisse. At nunc mirandum quid arguant novi dogmatis repertores? Cur à communione se dividant, quam semper tenuere majores? Sciant quia cum Romanis suos quoque judicent majores. Et dum Romanos sua cupiunt communione privare, se pariter excommunicent à suorum societate majorum: & nulli probentur Ecclesiæ communicare Catholicæ, dum Romana communione sese faciunt alienos. Hoc factum cujus sit mali considerent, & errorem corrigere suum non differant, ne si Romanis communicare noluerint, ab universa Ecclesia se paveant excommunicandos.* Et *lib. 3. cap. 1.* universalis Ecclesiæ authoritate Græcos urget vehementissimè: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c. Dominabitur à mari usque ad mare, &c. Nusquam istic vel Græcos vel Constantinopolin meminit: nec tamen usquequaque præterit, quoniam eos in universalitate concludit. Specialitatis prærogativam sustulit, ne inflentur: in generalitate ponit eos, ut humilientur: quatenus noverint se totius corporis Ecclesiæ non fore quantitatem, sed portionem: & venerentur Matrem à Solis ortu in occasum regali magnificentia sublimem, cujus se gaudeant esse filios, non glorientur fore patres.* Denique *lib. 2. cap. 2.* rursum tam licuisse Romanæ Ecclesiæ adfirmat illud addere, quàm licuit Constantinopolitanæ primæ Synodo aliud priùs de Spiritu Sancto adjungere. *Nec enim convincere potestis majorem Civitatis Constantinopolitanæ authoritatem, quàm civitatis Romanæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum; quod majorum tam vestrorum quàm nostrorum testimonio comprobatur. Sed neque centum & quinquaginta Episcoporum tanta constat authoritas, ut universis totius orbis Episcopis præscribere possit; ut quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quàm universis Christi Ecclesiis.*

LXXXI. Vides ut Ratramno concinuerit Sanctus Thomas, utrique Synodi Florentinæ Pontifices: immò ut Ecclesia ipsa sibi concinat, ut uno intus Spiritu veritatis vegetata. Observa hìc autem 1. id censeri, à Græcis confirmatum esse fidei dogma, cui non intercesserint; cujus defensatrici Ecclesiæ communicaverint. Id enim valet universim, ut tacito Ecclesiarum consensu, perinde ac collecta Synodo, decreta quælibet etiam abstrusissima firmentur. In tanta enim Synodorum paucitate, & tam ubere copia fidei Christianæ, non aliter potest universalis authoritas huic conciliari. 2. Quòd silentio, ceu muto assensu Orientales huic dogmati accessisse æstimarentur, inde factum, ut posthac non possent resilire; nec rem in integrum restitui, synodicoque subjici examini tanquam ambiguam, postulare. 3. Quod Romana Ecclesia definierat, Spiritum Sanctum à Filio procedere, id tam cupidè Hispanos, Gallosque in primis, atque Occidentales omnes amplexatos esse, ut de eo nullus ambigeret, de eo synodicè inquiri nemo posceret, conquerentes Græcos nemo non aversaretur. 4. Quantum Constantinopolitanæ Synodo, quæ secunda Oecumenica est, tantumdem Romano Pontifici & occiduis Episcopis ad definiendum vendicatur. Nam nec illa Oecumenica evasit Synodus, nisi ex consensu Occidentalium: & istud igitur Pontificis & occiduæ Ecclesiæ placitum Oecumenica authoritate induetur, ex mero Orientalium silentio. 5. Cum ergo vel Gersonius assentitur definienti Pontifici non obstrependum, non obloquendum secùs esse, viderit, an silentium istud regulæ Ecclesiasticæ consensionis loco haberi non jubeant. 6. Denique in his omnibus planum est, unam & indiscretam semper haberi Romani Pontificis & Ecclesiæ universæ tum authoritatem, tum fidei definitionem: quòd Pontificiis de fide decretis adhæresçat Ecclesia indivulsè. Etenim vix certò constare potest, quis Romanorum Præsulum confessioni fidei primus insinuaverit processionem Spiritus Sancti à Filio. Damaso id tribuit Manuel Calecas. Sed certis argumentis contrarium efficitur. Præierint potiùs Hispani, Gallique. Unum id constat, præisse Latinos, consentiente utique Romano Antistite: & Capitis authoritate indui, ac censeri, quod ejus nutu membra perfecerunt. Utque indubitatiùs liqueat, nusquam Synodi copiam factam esse Græcis, ut veluti de incerto dogmate, de eo controvertretur, quod Romanæ Ecclesiæ jam fuerat præjudicatum: sed ut Romanæ priùs fidei jugum subeuntes, ita demum in synodica veluti pompa solemniùs reconciliarentur: evolve literas Germani Constantinopolitani Episcopi ad Gregorium IX. cum utraque Ecclesia veritatem vendicaret; ad Scripturarum speculum provocantis: cui rescripsit Pontifex, quod *Paulus in Petro authoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum tanquam Primatem, & Evangelii dominici fontem venit Hierosolymam; & postmodùm cum ipso & aliis secundùm revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset.* Rainaldus *ad ann. 1232. num. 49. 51. 53.* Sic revolet antè in sinum matris, Romanæ scilicet Ecclesiæ, Episcopus Constantinopolitanus cum suis: *Tunc enim non ut mercenario, sed ut filio revertenti occurrens Pater, primam stolam proferet, occidetque vitulum saginatum, & generale convivium faciens universis Christi fidelibus, cum exultatione annunciabit & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, jam revixit; & dragma quæ perierat, est inventa: & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifestè videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina servat in fidei unitate, quæ non recipit maculam, neque rugam.*

Ante

Ante Synodum jubet adiri Petrum, tanquam primarium *Evangelii fontem*: jubet redire *filium* erronem, & *drachmam* perditam inveniri: & tunc demum Concilium, veluti solemne congratulationis epulum instrui: veritatem autem non in *Scripturarum* modò, sed in *Ecclesiæ Latinæ speculo* inspici, *quæ non recipit maculam, neque rugam*. Nec multò post Apostolici Nuntii Constantinopolim missi, Germano ad Synodum similiter provocante, hæc ipsi referunt: *Cœpit Imperator conferre nobiscum, sub qua forma potest Patriarcha & Ecclesia Græcorum reconciliari Ecclesiæ Romanæ? ad quod dedimus tale responsum: Hoc modo posset reconciliari, si crederet hoc quod credit Ecclesia Romana. Idem ad ann.* 1233. *num.* 9. 13. Et rursus idem: *Hoc scitote, quia Dominus Papa & Ecclesia Romana non dimittet unum jota de fide sua.* Posteà verò Alexander IV. Græcos ipsos docet manus dedisse Apostolico huic privilegio; *In Conciliis primam Sedem, primam subscribendi vicem, &c. In quæstionibus fidei si quæ ibidem emerserint, præ aliis dare sententiam, suaque voluntatis proferre judicium; quod dummodo evangelicis & canonicis non obviet institutis, obedienter cæteri suscipient & sequentur. Idem ad ann.* 1256. *nu.* 48. 50. Quocirca de iisdem Græcis mox expostulat, quòd in quæstione de processione Spiritus Sancti à Filio, causarentur, *quod definitioni ejus in Concilio Græca non acquiesceret Ecclesia, nisi quod definitum esset per Scripturæ authentica testimonium, vel divinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis causa, qua Græca Ecclesia movebatur, ut definiendi potestatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in cæteris fidei articulis, velit eum in hoc uno articulo non habere.* Aliquantò etiam disertiùs Clemens IV. & ipse Gallus, Gallicanæ Curiæ Regiæ, inde & Ecclesiæ ingens decus, suam hanc prærogativam prosecutus est in fidei formula, quam Palæologo Imperatori Græco unitatis cupido prælineavit: *Romana Ecclesia sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; sic & si quæ de fide suborta fuerint quæstiones, suo debet judicio diffinire. Idem ad ann.* 1267. *num.* 78. 79. Cumque Romanam omnem fidem compendio edisseruisset, & inter cætera capita processionem Spiritus Sancti à Filio: addit demum: *Porrò præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ consonam, à Sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam: sicut nec decet; sic nec volumus novæ discussioni ac diffinitioni subjacere: ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas & licitum in dubium revocando. Ideoque licèt in præfata scriptura de convocatione Concilii ageretur: licèt tu per tuas literas Concilium in terra tua convocari petieris: nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem seu definitionem hujusmodi convocare. Non quod cujusquam faciem vereamur, vel eandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus: sed quia prorsus indecens foret, immo nec licet, nec expedit in dubium revocari præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ paginæ authoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam: pro cujus defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium.* Tum hortatur, si qua Græcos circa Romanam fidem dubitationis caligo offuscet, peritiores aliquos Romam mittant; *Tam plenè, donante Domino, satisfaciemus eisdem, quod amoto cujuslibet dubitationis scrupulo, fidei veritatem agnoscent.* Nec Concilium detrectat, sed quo fructu, indicat in hunc modum: *Quod si postquam taliter suprà positam tu, idemque Clerus, & populus veritatem fidei susceperitis, & professi fueritis, & ad obedientiam, ut præmisimus, ejusdem veneritis matris vestræ; Concilium per Sedem ipsam ad locum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus, convocari petieritis, ad charitatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum: legatos super hoc ad nos poteritis destinare, quibus responsum dabitur, quo tuum desiderium satiari poterit, & debebit.* Ne quis autem Græcorum affectus induat, & duriusculum Romanæ Ecclesiæ consilium quiritetur: etsi jam Occidentales omnes in idem multo sæculorum intervallo conspirasse demonstravi, idoneosque fidejussores protuli, Ratramnum, Anselmum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, Alensem: nunc quidem unum prætereà adjicio, qui & Gallis, & omnibus omnium instar sit futurus, Ludovicum Gallorum Regem, ejus nominis IX. sanctitatis laude & cultu spectatissimum. Cùm enim illum suarum cum Ecclesia Romana controversiarum Palæologus arbitrum delegisset: ille, ut testatur Purpuratus Romanorum Cardinalium Senatus, *Solitum prosequens ad fidei augmenta propositum, & ad prafatam Romanam Ecclesiam consueta non omittens devotionis affectum; sed prudenter attendens, ac humiliter cognoscens, quod suum non erat, tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, etiam ad ipsius Imperatoris instantiam, officium usurpare: consultè respondit, quod in eodem negotio hujusmodi partes nequaquam assumeret: sed pro ipsius salubri consummatione apud eandem Sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret. Idem ad ann.* 1270. *num.* 1. 2. 3. Ita purpurei Ecclesiæ Principes vacante Sede: in quam suffectus Gregorius X. literis ad eundem Michaelem Palæologum datis eadem Clementis IV. & Cardinalium responsa totidem verbis confirmat: cùmque Oecumenicam Synodum indiceret, ad eam quidem Græcos invitat, sed ita tamen, ut *priùs* schisma & errores detestentur *apud Sedem* Romanam, tumque *plenius* & solidiùs omnia ad unionem pertinentia *compleantur*. *Idem ad ann.* 1272. *num.* 26. 27. 28. 29. 30. Paruere Græci, & ante Lugdunensem Synodum tum Constantinopoli, tum legatis literisque ad eandem Synodum missis illam fidei confessionem amplexati sunt, quam Romani Pontifices præscripserant: & inter cætera; *Sicut præ cæteris tenetur Romana Ecclesia fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide suborta fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri, &c. Ore & corde confitemur, quod verè tenet & fideliter docet & prædicat Sancta Romana Ecclesia, inviolabiliter observare eandem professionem, & in ea omni tempore perseverare. Idem ad ann.* 1273. *num.* 5. 49. & 1274. *num.* 13. 14. 18. & 1277. *num.* 21. 24. 35. 42. & 1318. *num.* 11. *&c.* Ita & Latini omnes qui Synodo intererant, & Græci, qui accessere eidem, in unam coaluere tandem sententiam, sine nova Synodo, citra versatile quæstionum examen, priscis Romanæ Ecclesiæ definitionibus acquiescendum esse; & vel coeunto tunc Synodo ob causas qualeslibet, ne vel sic quidem novo examini locum dari necessariò debere. Percurrenti autem spatiosum æquor Annalium Ecclesiæ posteriorum, occurrabunt subinde luculentissima monumenta exoticarum gentium, in eandem cum Romanis fidei societatem vel colligentium, vel recolligentium se; quibus omnibus illa eadem confessio verbis penè iisdem, eadem Romanæ Sedis in fide definienda authoritas profitenda fuit. Ubi nobis Christi providentiam & charitatem in Ecclesiæ suæ & Sponsæ castitate & propagatione contemplantibus, non licet esse tam curiosis, vel tam suspicacibus, ut aliud quàm sincerum veritatis lumen videamus. Et cùm rursum Barlaamus Constantinopoli in Occidentem legatus urgeret, *in generali Concilio articulus de processione Spiritus Sancti per disputationes & concertationes concordaretur inter Latinos & Græcos*: responsum est à Benedicto XII. *non esse decens, neo expedient, sic clarum, determinatum, & definitum*

tum artitulum fidei, nunc per novas disputationes, vel altercationes, vel aliàs quomodolibet in dubium revocare: æquius esse mitti à Græca Synodo aliquos, *qui cum aliis viris sapientibus & doctis per Sedem Apostolicam deputandis, non per modum disputationis vel concertationis, sed institutionis quoad Græcos ipsos salutifera, habeant maturos & diligentes tractatus*. *Apud Rainald. ad ann.* 1339. *num.* 19. 25. 27. 32. 34. 35. Cùm ergo posteà Cantacuzeno Græcorum Imperatori indulsit Clemens VI. Oecumenicam colligi Synodum, *Oeconomia quadam* id factum, nempè *cum veritas orthodoxa non revocanda in dubium esset à Catholicis, sed exponenda Schismaticis, argumentisque Theologicis confirmanda*; ut ait doctissimus Annalium Baronii continuator. *Idem ad ann.* 1350. *num.* 32. 1352. *num.* 24. 1369. *num.* 1. At cùm Synodi spem prærnatura Clementis mors intercepisset, congregandam Synodum *negavit Urbanus iisdem de causis, quibus Benedictus*. Et rursum Eugenius IV. humaniora Clementis consilia secutus, Synodum concessit Græcis, & Florentiæ celebravit. Hæ fuerunt quasi alternæ vices stricti & remissi juris. Stricto impensiùs se dediderat & Martinus V. Græcos absolutissimè *sub illa fide, quam Sancta Ecclesiâ Romana tenet*, ad unionem invitans; non aliter quàm Bohemos hæreticos audire se paratum Sigismundo Regi Roman. scripsit, *Ita scilicet, si venirent parati, stare nostræ determinationi, nobis & Ecclesiæ de cetero parituri. Sic enim erat hereticis audientia concedenda, non discussionis & disputationis gratia, sed informationis & institutionis eorum*. *Idem ad ann.* 1422. *num.* 9. 12. 1427. *nu.* 10. Quin & Eugenius ipse testatus est sexcenties Synodum Græcis condonari *revocandis* ad fidem & unitatem Ecclesiæ Romanæ: conquestus idem de Basileensibus Patribus, Bohemos hæreticos ab illis *fuisse invitatos Basileam ad disputandum & contendendum super articulos in Conciliis generalibus, & per processus Apostolicos tam solemniter condemnatos, in injuriam authoritatis Apostolicæ, sacrorumque Conciliorum*: quamvis & ipsi Basileenses obtenderent accitos Bohemos informationis & institutionis tantùm gratia. *Idem ad ann.* 1431. *num.* 21. 24. 25. In ipsa postremò Florentina Synodo, quomodocumque affecti essent Græci, & antiquas jactarent, liberasque Synodos, amplexabantur tamen illos Latini, quasi veniissent, *omni dimissa incredulitatis pertinacia, ut veritatem cognoscerent*: ut ait Andreas è Sancta Cruce: eorum argumentis respondebant, tanquam *juxta doctrinam Beati Petri, parati reddere rationem omni petenti, de ea quæ in nobis est fide*: illis congratulabantur, *ut qui fermè quingentis annis ab Apostolica Sede, & Romana Ecclesia divisi fuerant, & nunc in unam veritatis professionem purè convenirent*. *Apud eundem ann.* 1438. *num.* 6. 20. 1439. *num.* 9.

Et ante hæc omnia in conflictu Anselmi Havelburgensis Episcopi, à Lothario Imperatore ad Calo-Joannem CP. Imperatorem missi anno Christi 1138. cum Nechite, aliisque Græcorum eruditissimis: his ad nauseam usque ingerentibus, communi Concilio disceptanda fuisse fidei dogmata, non à Romano Pontifice occupanda; *Si enim Romanus Pontifex in excelso throno gloriæ suæ residens, nobis tonare, vel quasi projicere mandata sua de sublimi voluerit; & non nostro Concilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo de nobis, & de Ecclesiis nostris judicare; imò imperare voluerit; quæ fraternitas, seu etiam quæ paternitas hæc esse poterit? &c. Quid vobis Scripturarum scientia? quid Magistrorum doctrinalis disciplina? quid sapientum Græcorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis authoritas, quæ sicut tu dicis, super omnes est, universa evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus magister, &c. Romanam Ecclesiam ego tecum veneror, sed non tecum per omnia sequor; nec ex necessitate per omnia sequendam arbitror*, *Centuriat. cent.* 12. *cap.* 9. Ita Græculis in fide etiam jam tum claudicantibus, teste Bernardo, & declivi eo gradu in præceps euntibus, summatim contra excipiebat Anselmus, nulla unquam hæresi Romanam Ecclesiam, cæteras frequentissimè conspurcatas fuisse; quod nec Græci detrectare poterant; sed qua fellis & odii amaritudine deliburi erant, hanc non fidei constantiam, sed vel imperitiam, vel hebetudinem, vel divinorum indiligentiam atque incuriam interpretabantur. Contrà rursum Anselmus: *Statuta Romana Ecclesiæ, per Deum, & à Deo, & post Deum proximo loco authoritatem obtinuerunt, in universa per totum mundum Ecclesia*. Et rursum circa annum 1177. Hugo Etherianus, Thuscus, in tractatibus Constantinopoli scriptis, & ad Alexandr. III. inscriptis, *lib.* 3. *cap.* 16. *Si Constantinopolitana Synodus Nicæno adjecit Symbolo, In Spiritum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem: Si Chalcedonensis Synodus quoque Constantinopolitanæ addidit Synodo, perfectum in humanitate, &c. nulla reprehensione nullaque calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causa interpretationis dictionem unam, Ex Filio procedere Spiritum: sanctorumque plurium Episcoporum, scientissimorum Cardinalium consensu habito apposuerit. Licuit enim ei, semperque licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, sicubi aliquid obscurè scriptum sit*. Et aliquantis interpositis, *Nequaquam licet calumniari sanctissimam, & magnam, omniumque Principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit Symbolum, si editum à Sanctis Patribus interpretatur: non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licèt Primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit. Injustè inquit, arguor, dum non fidem, sed memoriam renovo. Non apposui, non ademi Symbolo, si dictionem occultam manifestavi*. *Bibliotheca PP. tom.* 9. *pag.* 545. 546. Sic ille Pontificiam æquè & Synodicam authoritatem explicat in fide condenda, id est, explananda: nec enim aliter novum cluditur Symbolum, nisi dum vetus aperitur. Et *cap.* 17. *Æquum igitur est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enunciat: sine quo viror calami omnis Ecclesiastica traditionis arescit*. At verò Barlaamus Hieracensis Episcopus de unione utriusque Ecclesiæ circa annum 1303. ut autumant, varias scripsit epistolas, quarum ex prima strictim hæc delibo: *Cum divina providentia nihil inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad unum principium. Pluralitas enim principiorum & carentia principii, similis sunt inordinationis. Romanæ gentis universa multitudo sub uno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana & ejus Præsule, quem omnes honorant, non tanquam armis & vi, sed tanquam à Domino Christo ordinatum, &c. illius mandata cum omni reverentia omnes non tanquam Apostolica tantùm, verò etiam Dominica scripta recipiunt & adorant. Et nihil ita durum ab eo jubetur, ut non quietè parati sint ad implendum, & omnes ab illo corrigi sua & retractari suscipiunt*. *Bibliotheca PP. tom.* 3. *pag.* 861. 866. 867. 877. 886. Pergit ex adverso percensere lernam quandam malorum ebullientem *ex anarchia, sive polyarchia* Græcorum. Et *in epist.* 2. *Quod in machina universi contingit, quòd quæ longinquiùs à Deo distant, procliviora sunt ad peccandum, & minùs determinata, & mutabiliora: quæ verò propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: idem in Ecclesia etiam profectò contingit. Plurima enim & teterrima hæreses in partibus ma-*

gis

gis à Romana distantibus orta sunt : Romæ verò vel propè authores hæresum facti non sunt. Matrè enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios emittente, profectò contingebat propinquiores magis quàm longinquiores clariùs illuminari. Hæc Christiano pectori, calamoque accommodatior est ratio, quàm quæ suprà à stomachantibus Græcis effutiebatur. Ita prorsus ut apud Eusebium, quamdiu Apostoli orbem superstites illustrarunt, erubuit orcus hæreses evomere: at illis hinc demigrantibus, illæ catervatim erupere. *Eusebius lib.* 3. *cap.* 32. *ex Hegesippo.* Et rursum Barlaamus: *Et ex illa quidem Ecclesia nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit, nulla verò aliunde ortarum occidit sine illius providentia: Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum, aut de longa hujus remedium. Statim enim eadem Ecclesia adversata ei, illorum oratione, Sede simul & vita privatur.* Et in alia rursus epistola copiosiùs adversùm Græcos disputans, excito etiam illo dubio, an soli etiam Romanæ Ecclesiæ fides necessariò mancipanda sit: an totius Ecclesiæ, sive Concilii generalis authoritas prætereà desideretur; hæc habet: *Necessarium autem arbitror adhuc & illud tibi ostendere, quod licèt tria dixi superiùs esse, quæ coegerunt me credere & ex Filio Spiritum Sanctum procedere: hoc est, multos magnorum sanctorum hoc apertissimè tradere: Matrem Ecclesiarum hoc semper dicere: per generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum sine aliis per se visum, non habens reliqua duo opposita, satis se habere considero, ut idipsum credatur.* His ad ungem quadrant, quæ alibi *suprà Dissert.* 12. *num.* 3. ex Nilo Thessalonicensi Archiepiscopo suos gregales propugnante decerpsimus, & eadem prorsus tela contra Romanam, atque Occidentalem, adeoque contra Catholicam Ecclesiam acuente, atque ejaculante; quæ inopini retractant, sibique prodesse posse hallucinantur illi ex nostratibus, ad quos hanc dissertationem adornavimus, & illis suffarcinavimus argumentis, quæ Latini ubique gentium & omni ævo adversùs Græcos exerrantes distrinxere. Denique Manuel Calecas *lib.* 4. de Process. Spiritus Sancti contra Græcos: *Damasus Romanus tunc Episcopus coacto Concilio Symbola adjecit ex Filio procedere Spiritum Sanctum, &c. Nec mirandum est Romanum Episcopum Ecclesiæ Principem ipsum convocato Occidentalium Episcoporum Concilio illud decrevisse. Nam si provincia sæpè singula Concilia celebraverunt, eisque authoritas derogata non est: multò sanè magis hoc ille potuit, cum omnibus circum se Episcopis, qui pastor primus, & Ecclesiæ totius Pater, universalisque Christianorum omnium judex esse comprobatur; Apostolica hunc antiquitate Principem supremum appellante: decretisque regiis ipsum statuentibus, ac rebus ipsis ita esse clamantibus: & quo sine impossibile profectò est ecclesiastica negotia tractari, &c. Nempe ab illa Ecclesia nulla unquam de fide sententia manavit, quam ut blasphemam & noxiam Ecclesia nunc omnis damnet, seu anathematizet: quando ingentes fluctus plurimaque naufragia contra Ecclesiam fuere.* Et mox: *Si igitur sine illo (Romano Præsule) possibile non est, Ecclesiastica decerni: ad ea decernendum, cum paucis aut cum pluribus conveniat, minimùm refert, &c.* Subdit cùm Græci à schismate ad Romanam Ecclesiam se recolligerent, tria ab illis expressa esse, quorum extremum istud erat, *Ut Romanam Ecclesiam in ecclesiasticis dogmatibus matrem fidelium atque magistram, sana semper fide esse crederent.* Et infrà rursus: *Considerandæ vobis est Ecclesiæ nostræ dignitas, quæ nunquam de fide, nisi congrua sensit, ac statuit: & quæ sola, vobis omnibus cæteris circa fidem naufragantibus, non solùm nihil passa est hujusmodi, verùm & jacentes cæteras erexit Ecclesias.*

LXXXII. Quin & in ipso Constantiensi Concilio idem cernere est. Nam *act.* 19. in abjuratione Hieronymi Pragensis hæc habentur: *Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & huic sacro Concilio; & ore ac corde profiteor in omnibus ad religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur.* Quæ formula solemnis tot ante sæculis usurpata, etiamnunc usitata, non potest, non debet sophisticis cavillationibus contaminari: sed suæ simplicitati permittenda sanè est, & infucatæ pietatis sensibus æstimanda. Ad hæc adverramus animum ad sententiam ejusdem Synodi in Vvilclephum latam: *Insuper quia authoritate sententiæ & decreti Romani Concilii, mandatoque Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, processum fuit super condemnatione Joannis Vvicleph, &c. Declarat hæc sancta Synodus, definit, & sententiat eundem Joannem Vvicleph fuisse notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse: Decernitque corpus ejus exhumari, &c.* Extraordinariè hæc Synodus causam omnem Vvilclephi tetractavit, confirmavitque sententiam anteriorum Pontificum; sed ita ut etiam tandiu ante Synodum præmortuus Vvilclephus ob solam Sedis Apostolicæ definitionem declaretur contumax hæreticus, in hæresi mortuus & exhumandus. Quid quòd & Vvilclephus ipse, cùm Catholici hominis umbram saltem adhuc, larvamque affectaret, ad Urbanum VI. hæc scripsit, referente eruditissimo Annalium Ecclesiasticorum continuatore Raïnaldo anno 1378. *num.* 116. *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & specialiter Romano Pontifici: quia suppono, quod si sit orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit: & si sit erronea, emendabit, &c. Suppono iterum quod Romanus Pontifex cum summus Christi vicarius in terris sit, ad illam legem Evangelii inter vianes maximè obligatur: & si in istis erravero, volo humiliter etiam per mortem, si oporteat, emendari: & si in persona propria ad votum potero laborare, vellem præsentiam Romani Pontificis humiliter visitare.* Sic ille tunc, quia nemo repentè fit turpissimus. Eosdem pervoluta annales, passim perspicies Vvilclephi dementia correptos quoslibet, post Episcopales Synodos, & Romanæ Cathedræ oracula, ad expuendam hæresin cogi, vel regiis edictis igni ferroque deleri ante Oecumenicam ullam Synodum: hoc est, ante Constantiensem, quæ aliis de causis ubi confluxit, ex occasione tantùm ad Vvilclephi causam deflexit. Sed & ipse Joannes Hus apud Rainaldum ad ann. 1412. è luto suo tantisper emergens, confitetur nullo erroris mendacio illudi posse Ecclesiam, *fundatam tam firmiter supra firmam Petram, quòd portæ inferi non possunt adversùs eam quomodolibet prevalere.* Et apud eundem ad ann. 1413. Magistri Studii Pragensis solemniter profitentur adversùs Vviclephum, quòd quilibet eorum *sub juramento suo sentit & credit, vult sentire & credere, sicut Romana Ecclesia, & non aliter: cujus Romanæ Ecclesiæ Caput est Papa. Corpus verò collegium Cardinalium, manifesti ac veri successores in officio ecclesiastico Beati Petri Principis Apostolorum, & collegii aliorum Apostolorum Christi.* Item, *Ut quilibet ex supradictis in omni materia Ecclesiastica & Catholica, fateatur esse standum fidei, sententiæ, & definitioni Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ superiùs nominatæ.* Hæc paulò ante Synodum Constantiensem.

LXXXIII. In Lugdunensi Concilio Gregorius X. Papa, quàm non invisa sibi Concilia, quàm optata etiam sint, ita significat in epist. indictionis: *Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem Dei, unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus,*

exalta

exacto & frequenti tractatu prahabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longeque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum. Qui hæc ad infirmandam Pontificis solitariam ante Concilium potestatem adglomerant, non videntur mihi quidem Pontificis mentem assecuti. Optat enim, colligit, commendat Pontifex Concilium generale, non quasi hactenus fas fuerit hæsitare, sed ut qui errabant, qui peribant, qui hæresi nefandæ immersi erant, quia solius Pontificis vocem detrectabant exaudire, ejusdem cum Synodo Oecumenica eandem fidem inculcantis exertiore voce, & quasi tonitruo quodam expergefiant: Ibidem enim declaratur *ruinæ magna periculum in subtractatione populi Græcorum, qui à Sedis Apostolicæ devotione, ac obedientia se subtraxit, &c. Lugendum occurrit, quod per subtractionem prædictam à Sedis ejusdem unitate subtractos, & in devio positos, grandis culpæ mors afficit: quod sanctæ universalis Ecclesiæ membra tam nobilia, eadem gravis admodum & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilavit. &c. Per Concilii salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, &c. scissuras uniat, ruinas impleat, &c.* Ergo & ante Concilium errabant, fidem conculcabant, corpus Ecclesiæ universalis sciderant, qui se ab Ecclesiæ Romanæ sequestraverant vinculo, peribant.

LXXXIV. Innocentius III. generalis Concilii authoritatem in summo locat fastigio, *Regest. lib. 15. epist. 104.* ad Philippum Regem Francorum, cujus negat per Evangelicas leges dissolvi posse conjugium: *Si super hac absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex ea possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret; cum contra promissam veritatis sententiam nostra non posset authoritas dispensare.* Et *serm.* 3. de consecrat. Pontificis: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Profitetur nihil se posse contra fidem & legem Evangelicam: si qua illaquearetur hæresi, id enim potest privatim, ut mortalis quisque, tum ab Ecclesia & Concilio posse se judicari. Sed ita hoc Innocentii dictum, sicut illud Pauli, si ipse vel Angelus de cœlo præter jacta fidei fundamenta, adulterinum quid superstruere voluerit: ita, inquam, interpretandum, ut hæc tamen nunquam eventura certò sciatur, idem ipse Innocentius perspicuè docet in epist. ad Epis. Constantinopolitanum: *Ego pro te rogavi Petre, &c. Ex hoc innuens manifestè, quod successores, ipsius nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent hæsitantes: propter hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. Gesta Innoc. III. pag.* 42. Non negat ergo si deviarent à fide, tunc à Concilio judicandos Romanos Præsules: sed negat deviaturos, idque divina sponsione ratum esse tradit; ideoque eis ut pareatur, impositam esse necessitatem omnibus fidelibus. Et paulò infrà ad componendas Græcorum ruinas convocandum spondet Concilium; *Ex prædictis apparet, quod Ecclesia Romana, non tam constitutione synodica, quàm divina, Caput & Mater omnium Ecclesiarum existat; & ideo, nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diversitate differre debueras: quin nobis sicut tuo capiti secundùm antiquum & canonicum statum benignius & devotius obedires, cum certa non sint pro dubiis relinquenda; Nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus, authore Domino, generale convocare Concilium, & synodalem celebrare conventum: ad quem si vocatus à nobis juxta ipsius Imperatoris permissionem concurreris, cum hæc dogmata sint, quæ nostris literis requisivimus, vel sicut membrum ad caput, & ad matrem filia revertaris, Ecclesiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus: te sicut fratrem charissimum, & præcipuum membrum Ecclesiæ, benignè & hilariter admittemus, &c.* Evidentissimè & ante Synodum par incumbit necessitas, nec *in dogmate* à Capite & matre omnium Ecclesiarum dissidendi. Et paulò antè: *Ecclesia duabus ex causis universalis vocatur. Dicitur universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo quoque Catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti Caput in corpore; quoniam in ea plenitudo existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundùm hanc nominis rationem, Romana tantùm universalis Ecclesia nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata. Sicut & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi jam divisus in species aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur.* Ex quo patet divelli non posse Ecclesiam universalem, hanc ab illa, ipsam à semet, corpus à capite; & ideo non rarò indiscriminatim utramque velut unam usurpari, ut Christi & Ecclesiæ, Capitis & Corporis unam esse vocem, unam Personam Patres observant. Græcos porro etiam ante Synodum, hæreticorum in numero ducendos esse, quòd à fide & communione primæ Sedis defecissent, idem rursum Innocentius tradit *reg. 15. epi. 18. Thessalonicensis Ecclesia à devotione Sedis Apostolicæ se subduxit, per schisma illud diutinum, quo Ecclesiæ Græcorum à via veritatis ad erroris invium declinavit.* Et *reg. 16. epist. 105. Ad conservandum mysterium unitatis, unum Petrum Dominus Caput instituit & Magistrum, cui Oves Christi, dicente Domino, Pasce oves meas, sunt sine distinctione commissæ, alienis ab ovili Dominico reputatis, qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt esse Pastorem. Ab hac unitate Græcorum Ecclesia quondam divertens, & Petri magisterio se subducens, exivit ovile Dominicum, post greges sodalium evagando: & sic quæ primo sanis affluebat doctrinis, & penè magistra vocari poterat propter tempus, errorum postmodum circumfusa caligine, cæpit plurimum indigere, rursus divini eloquii rudimenta mendicans.* Ut cominus autem inspiciamus locum ipsum Innocentii, quem importunè obtrudunt: non obscurum est, hac arte enixum illum esse extricare se ab urgentissimis maximi Regis petitionibus. Porro quod sibi licere negat, nec Concilio Oecumenico fas est, evangelicas & divinas leges dispensando infringere. Itaque si ejusmodi quidpiam non jam Pontifex machinaretur, sed Synodus universalis, ut illi *ordinis & status periculum immineret*; ita huic orthodoxi omnes, convitia ut *prostibulo*, ut *mœchorum Synodo* ingererent. Sed consentaneo evangelicis legibus Synodi judicio delinietur fortassis Princeps, qui sententia unius Pontificis, veluti præjudicio exasperaretur. Ita apud Rainaldum anno Christi 1266. Jacobus Rex Artagonum repudiandæ leprosæ conjugis, & alterius ducendæ copiam à Clemente IV. postulans, repulsam passus est, & hoc paulò crudius responsum accepit: *An credis si omnes Reginæ per mundi climata constitutæ, leprosæ fierent: daremus Regibus ob hanc causam, licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo, quod omnes & singuli paterentur repulsam, etsi domus regia nulla prole superstite, in radice prorsus arescerent, & in ramis.* Quod non dicebatur tamen,

nisi

nisi ad retundendam precum impudentiam. Et apud eundem ann. 1307. Clemens V. Philippi Francorum Regis preces ad Bonifacii VIII. velut hæretici damnationem molestiùs ingestas ludificari similiter conatus est; rem ad Concilium rejiciens Viennæ celebrandum, quo à Bonifacii memoria infandum hæreseos crimen detersum est.

LXXXV. De Paschali II. suprà diximus. Quibus adde ejus in Concil. Lateran. 2. Confessionem fidei, ab Uspergensi relatam, *Amplector omnem divinam scripturam, &c. Sanctos Canones Apostolorum: quatuor universalia Concilia, sicut quatuor Evangelia: decreta Sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorii VII. & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt, laudo: quæ ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt, confirmo; quæ damnaverunt, damno.* Vides ut Conciliis generalibus subjungantur decreta Romanorum Pontificum, & utrisque perinde fides addicatur.

LXXXVI. Gregorii VII. sententiæ quædam describuntur *lib. 2. post epistolam 55.* ex quibus has paucas de Romano Præsule decerpo: *Quòd nulla Synodus absque præcepto ejus debet generalis vocari. Quòd nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque ejus authoritate. Quòd sententiam illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit. Quòd Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit. Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.* Quæ ideo necesse fuit hìc adscribere, quia scriptores aliqui utuntur ejus authoritate, ut Pontificem Concilio substernant, quòd nempe ab eo non subjiciatur Pontifici Concilium. Quo nil alienius dici potest. Nam cum absque Pontificis præcepto vetat Synodum generalem dici; cum ejus sententiam à nullo retractari posse, omnium ab ipso posse statuit: cum errare ipsum usquam negat, oro te, an Pontificem Concilio subjicit? Sed ideo ille hac abstinuit comparatione, immò conflictatione, quòd necdum in mentem veniisset Catholicis ullis hominibus, Pontifices & Concilia mutuò collidere. Quin ex adverso Gregorius alia & alia per annos singulos Concilia meditabatur, & quantum facultas aderat, cogebat, ad ea omnes orbis Episcopos colligebat, ut quorum authoritatem suæ non infestam, sed conjunctissimam, & auxiliarem accedere intelligebat.

LXXXVII. Leo IX. *epist. 5.* ad Petrum Antiochenum Episcopum: *Dominico & omnium Patrum concordi decreto inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis Sancta Romana & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam majores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic rex regum Christus confirmat, &c. Nimirum solus est Petrus, pro quo se rogasse Dominus asserit, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando, &c. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.* Et *epist. 6.* ad Michael. Patriarch. CP. *Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia Caput & Mater Ecclesiarum membra & filias non habet? Et quomodo potest dici Caput & Mater? Credimus enim propter quod & loquimur, atque constanter profitemur; Romana Ecclesia adeo non est sola, vel sicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum, quæcumque natio dissentit superbè ab ea, non sit jam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla; quin potius Conciliabulum hereticorum, aut conventiculum schismaticorum, & Synagoga Satanæ.* Non patitur unam vel solam dici Romanam Ecclesiam, sed cum cæteris omnibus orbis Ecclesiis nexu individuo constringit, ut Matrem cum filiis, Caput cum membris. Interim illi ut Matri & Capiti, & inerrantiam, & majorum omnium causarum cognitionem, & judicium decretorium adscribit, sive ad earum definitionem filias cum matre coalescere necesse sit, sive tanto labore sit supersedendum, consensu tacito filiarum cum Matre matris omnia gesta roborante.

LXXXVIII. Leo III. quoque objicitur, sed æquè inauspicatò. Nam in colloquio Romano cum Gallis legatis, urgentibus nempe ut Symbolum etiam cantaretur cum hoc additamento, *Filioque*, & optatissimum fore, ut id Symbolo Oecumenicæ ipsæ Synodi adjecissent, Respondit Leo: *Sicut non audeo dicere, non benefeciße, si fecissent: quia proculdubio sicut cætera quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humana quàm divina illuminati sapientia fecerunt. Ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minus intellexisse, perpendisse cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultrà mitteretur, sicut & cætera, prohibuere. Tu & tui, videte quid sentiatis de vobis. Nam ut ego me illis non dico præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Ita ex Zmaragdi ad Carolum Magnum epistola apud Baronium. Hôc animo omnes fuisse privatim Pontifices erga Concilia nullus dubito. Hæc enim, ut ibidem præmittitur, fuit *collatio*, vel potiùs *disputatio*, nequaquam dijudicatio, vel definitio Pontificia. Et infrà Leo, *Quod non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico.* Et paulò suprà: *Quod non imperando, sed ut prius permittendo dicimus.* 2. De fide hìc non vertebatur, sed de cantu Ecclesiastico: an cani etiam publicè Symbolum cum illo additamento conduceret. 3. Nam quod ad fidei dogma pertineat, & salutis eorum qui huc usque possunt assurgere, interfit, ut credant à Filio Spiritum Sanctum procedere, idem Leo frequentissimè ibidem contestatur; quod tamen sine Concilii generalis decreto, ex sola Petri Sede in omnem Occidentalem orbem pervaserat. 4. Annales Francorum audi ad eum annum, & perdisces, quàm in omnibus ad fidem attinentibus, ad solam Apostolicam Sedem arrecti fuerint, & sequaces tunc majores nostri, nequedum istis excantati Pontificum & Conciliorum dissidii rumoribus: *Imperator Arduena Aquisgranum reversus, mense Octobri Concilium habuit de processione Spiritus Sancti. Quam quæstionem Joannes quidam Monachus Hierosolymis primus concitavit. Cujus definiendæ causa Bernarius Episcopus Vormatiensis, atque Jesse Episcopus & Adelardus Abbas Monasterii Corbejæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt.* Huc usque spectat, & definit Concilium Episcopale in Gallia, ut Romam mittantur Episcopi ad Leonem, *rei definiendæ* causa.

LXXXIX. Ac ne longiùs regrediar, abundè ex his enitescit, inauditum olim fuisse, quod non ita pridem suspicari cœperunt viri alioqui præclarissimi, sedis Apostolicæ & Ecclesiæ universæ dissidium. Quicumque olim damnati fuere, *ab Apostolica Sede, & unanimitate sunt totius mundi Episcoporum ut erronei condemnati*: ut ait Hincmarus lib. de divort. Loth. & Teutb. *tom. 1. pag. 681. 679.* Utque idem paulò antè ex epistola Gelasii Papæ approbaverat, *id sequendum esse dignoscitur, quod Apostolica Sedes irrefragabiliter teneri decrevit, vel plura seu majoris authoritatis Concilia statuerunt.* Et Alcuinus *lib. 1.* adversùs Felicem, Felice ajente se credere *Ecclesiam Catholicam toto in orbe diffusam*, per *Apostolorum prædicationem in Christo Domino velut solida Petra fundatam*, excipit ipse ex adverso, *Si sancta Dei Ecclesia in toto orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi non sunt in toto orbe. Porro nos intra terminos Apostolicæ doctrinæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus.* Et toto penè operis contextu huc tandem revolvitur, ut extra

Catho-

Catholicam Ecclesiam esse probet Felicem, quem particulares tantùm Synodi, & Sedes Apostolica profligaverat. Et Beda *lib. 3. hist. cap. 29. Intellexerat enim Osuvi, quamvis educatus à Scotis, quia Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia.*

XC. Gregorii Magni patrocinium jactitant, quo tamen perimuntur. Sic enim ille *lib. 4. epist. 38.* ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum: *universalis* nomen insolentiùs usurpantem: *Nos quidem in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas praecepit dicens, Si peccaverit in te frater tuus, &c. Si te non audierit, dic Ecclesiæ, &c. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.* Quod planè à re quam tractamus, totum alienum est. Num enim de fide contentio erat inter Gregorium & Joannem? Num de fidei prævaricatione verba Christi Patrum quisquam interpretatus est? An ibi etiam Synodos provinciales & universales ex verbis Christi scrutabuntur? 2. Illa verba, Si peccaverit *in te* frater tuus, his Gregorius notavit, *Nos in quos talis tantaque culpa committitur*: quo sensu pium erat, ne in sua causa Gregorius judicem solus ageret, & suas injurias ulciscereturs. 3. Num Christus per illa verba, *Dic Ecclesiæ*, universalem Ecclesiam synodicè congregari toties voluit, quoties contumax quispiam fidelium contubernio eliminandus est? Quis tam immaniter desipit? Quisquis Episcopus fidelem quemlibet scelerosum anathemate percellit, dicit Ecclesiæ: Ergo & Gregorius anathema interminatur illis verbis, quod fieri non potest, nisi dicatur Ecclesiæ. 4. An possunt vel ipsi sibi confingere vel somniare, quòd de Synodo Oecumenica colligenda cogitarit Gregorius adversùs Joannem Constantinopolitanum? Qui potis fuisset? Ea potestas penes Imperatorem adhuc erat. Sed ubi istiusmodi exemplum in Ecclesiæ annalium tam spatioso ambitu? 5. Episcopos & Metropolitanos complures Gregorius sacris summovit. Toties verbis Christi peræquè obsequendum fuit, peræquè obsequutus est, toties dixit Ecclesiæ. An usquam Synodum generalem indixit? 6. Ubi Episcopus excommunicaturus quempiam, dicit Ecclesiæ, sibi imprimis dicit. Nec enim quasi ab Episcopo ad Ecclesiam provocatur, sed tota extremi & peremptorii illius judicii authoritas & potestas penes unum Episcopum est. 7. Nec in Christi verbis, nec in Gregorii epistola, nec in usu Ecclesiarum familiarissimo, post primam & iteratam correptionem quidquam supereſt dubitationis, ad cujus quasi detergendam caliginem copiosiori cœtu totius Ecclesiæ opus sit. Sed qui reus jam compertus est semel & iterum, quia culpam pertinacitate exacerbat, tertiò & terribiliùs convenitur, ut vel sic resipiscere suadeatur. Ita de Gregorio igitur æstimandum. Ita & hodierni Pontifices sentiunt. Nam in Concilio Lateranensi sub Leone X. ita in *Orat. 1.* synodali peroratum est: *Si qui fortè Pontificem ipsum per se inermem parvi pendere ausi sunt, Synodi authoritate, Principumque & nationum consensu & studiis instructum metuere & vereri consueverunt.* Tum omnes retro Pontifices Synodis magna & optima quæque moliti pernumerantur. 8. Gallicani Episcopi suprà *num. 75.* synodicè congregati, Arnulphi Episcopi Remensis flagitia se *Ecclesia dicere* affirmabant, cùm ea ad Romanum Pontificem animadvertenda deferebant. Vide verba ipsa ibi exscripta. Vide exemplum consimile apud Rainald. *ann. 1203. nu. 56.*

XCI. Quibus non incongruè & ista subjiciemus ex Melchi. Cano. *lib. 5. de auct. Concil. cap. ult.* ut eorum diluatur querimonia, qui Synodos inutiles ominantur fore, si Pontifex in fidei causa judex sit summus & firmus. *Primum enim Romanus Pontifex non temerè & stultè, sed considerate atque sapienter habet fidei controversias definire, advocando scilicet consiliarios, vel plures, vel pauciores, juxta rei de qua disseritur gravitatem. Juvant enim Patres Concilii summi Pontificis fidem, atque doctrinam. Unde in Concilio Hierosolymitano cum facta esset magna conquisitio, Petrusque sententiam dixisset nullo sacrarum literarum testimonio fulcitam: Jacobus probavit eam quidem additis testimoniis Prophetarum. Adjecit etiam, quasi de suo, legem maximè necessariam de abstinentia ab idolothytis, fornicatione, suffocatis & sanguine. Ita enim divina procuratio in Ecclesiam se fundit, ut membra precipua tametsi à capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur & juvent. Facit quoque Concilium plausibiliorem populo fidem, propter acceptissima multorum testimonia atque judicia. Nam & leges quæ communi optimatum consensu & rogantur & feruntur, libentiùs populus accipit, quàm si à Rege solo ederentur. Quamobrem Beda lib. retract. in actis Apostolorum prudenter sanè monuit Paulum contulisse cum Apostolis aliis Evangelium, quod prædicabat in gentibus, solerter in Concilio disquirens, an rectè de legalium cessatione doceret. Non quod ipse de hac re, inquit, aliquid dubitaret, sed ut mentes dubitantium Apostolica Synodi authoritate firmarentur.*

XCII. Et idem rursus *lib. eodem cap. 4.* hæc habet ad superiorum illustrationem peropportuna: *Nec expedit, nec tolerabile est singulis hæreticis condemnandis singulas Synodos generales cogere. Cum ergo Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessariis, nimirum ad hæreses privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia satis erunt, si erunt modo summi Pontificis authoritate roborata. Præterea quoscumque ejusmodi Concilia damnavere, Ecclesia eos semper explosit. Errare igitur illa in fide nequeunt.* Et infrà: *Quod Actorum 15. congregatum legitur, hoc non generale, sed provinciale Concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti, quàm si esset Synodus generalis?* Et paulò pòst: *Certè Concilia nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam pervenerunt. Non enim fit aliquo pacto verosimile, ut Concilii provincialis tota orbe vulgati hæresim Ecclesia diu dissimulaverit. Error enim cui non resistitur, approbatur, d. 83. cap. error.* Ubi vides & Pontificum & Conciliorum provincialium decretis, ex *silentio* Ecclesiæ universalis, Oecumenicæ Synodo parem accedere authoritatem.

XCIII. Prædictis & ista adde ex doctissimo Duvallio, *part. 2. q. 2.* de infall. Rom. Pont. *Diligentissimè observandum est, ut aliquod dogma, tanquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilii generalis celebrationem, sed sufficere summi Pontificis condemnationem unà cum acceptatione totius Ecclesiæ per orbem diffusæ. Licèt enim decretum Pontificis quatenus ab eo solo promanat, de fide non sit, cum ejus in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè constet, ut suprà declaravimus: nihilominus si hæc condemnatio ab universali Ecclesia licèt diffusa, & non coacta in Concilio approbetur, jam nemo citra fidei detrimentum ei poterit contradicere. Est enim de fide Ecclesiam, non tantùm ut congregatam in Oecumenico Concilio, sed ut diffusam per orbem errare non posse.* Et infrà, *Tantam in Ecclesia obtinere debuit summus Antistes potestatem, quanta ad unitatem Ecclesiæ retinendam est necessaria. Atqui ad hanc unitatem necessaria est infallibilitas definiendi. Aliter enim non possent lites & dissensiones, quæ circa fidem in dies emergunt, componi, cum Concilia generalia rarò & cum maxima difficultate cogantur, & hoc tempore in tanta Regum Christianorum æmulatione vix ac ne vix quidem celebrari possunt.* Et inferiùs *quæst. 3.* advertit, *Infallibilitatem Ecclesiæ & Pontifici à Christo*

esse concessam, sed diverso modo (de Concilio generali non loquor.) Illa quidem passivè, quatenus nempe vi promissionum Christi, & perpetuæ Spiritus Sancti assistentiæ, falsum pro vero nunquam poterit acceptare. Hic autem activè, quatenus nunquam pro vero falsum in definiendo obtrudet, & id quidem virtute & efficacia orationis Christi, &c. Hæc autem duplex infallibitas maximam fidei Catholicæ firmitatem arguit. Nam si per impossibile Pontifex in definiendo falleretur, Ecclesia tamen illius errore non inficeretur. Et si similiter per impossibile Ecclesia falsum pro vero coleret, summus tamen Pontifex hujusmodi falsitatem sua definitione quamprimum damnaret. Dixi verò, si per impossibile, quia quod alterutrum horum falsum pro vero definiat, nunquam potest contingere. Ex quibus abundè patet, individua quàm sit Capitis & corporis, Pontificis & Ecclesiæ universæ fides atque authoritas, quàmque utrique terga vertat, qui alteri minùs est obsequens.

XCIV. Nec ab his dissonat Petrus Aurelius, qui *part.* 1. *Hæreticis non paucis similiter contigit, ut nimirum ab unius provinciæ aut regni Episcopis damnati sint, cæteris consensu solùm tacito, non synodalium decretorum authoritate suffragantibus. Sic enim Eustbatianas quos Synodus Gangrensis damnavit, non legimus ab aliarum provinciarum Conciliis apertè deinde damnatos. Idem Arrianis, Collyridianis, aliisque contigit, quos præter locorum ubi exorti sunt, Episcopos non constat ab aliarum regionum Synodis rejectos esse; sed universali Ecclesiæ consensione, qua sensim sine sensu inoleverit, exhauthoratos. Pag.* 98. 234. 212. Et infrà effusè indignatur in eum qui velut ex Cardinalis Perronii suffragio pronunciaverat, *Censuras & anathematismos vim in animos hominum non habere, nisi ab authoritate prorsus infallibili proficisci credantur.* In quem ita peroratur: *Nullam ergo vim habebunt in animos hominum anathematismi censuræque Episcoporum, quia Episcopi prorsus infallibiles non sunt? Nullam vim habebant anathematismi S. Cyrilli Alexandrini, quia infallibilis ab eo fidei non erant? Per te igitur rectè illos ut inutiles frivolosque respuebant Nestorius, Theodoretus, cæterique malarum partium gregales? Nullam vim habebant Alexandri Alexandriæ Episcopi, Synodique Alexandriæ in Arium anathemata? Flaviani in Eutychetem? Africanorum Patrum in Pelagium?* Dictum ergo Perronii de rebus dubiis & problematis capi, cujusmodi erat de quo tractabat tum, non quo Episcoporum de iis decreta impunè sperni possint. *Sed vim habere negavit, qua sibi fidem certam & minimè dubitabilem in animis hominum, quasi fidei statuta concilient, nisi infallibili authoritate condantur, quæ est Ecclesiæ Catholicæ potestas, vel in capite residens, summo Pontifice: vel in corpore, Concilio Oecumenico, ut ipse paulò post exponit. Non autem negavit habere vim, qua bonorem sibi & observantiam à Catholicis hominibus exposcant, ne palam labefactari vel infringi possint contrariis assertionibus, sine superbo scelere, ac pervicacia, nisi infallibili, majorique authoritate solvantur: quamvis internam animi fidem certam fixamque iis adhibere nihil necesse sit, donec judicio pleniore confirmentur. Interea tamen dandus iis quoque consensus animi, nec temerè ab eorum norma recedendum, nisi perspicua, testata, & indubitata ratio occurrat. Hoc enim Christiana virtus & Christiani animi officium ac moderatio præcipit, ut iis quos cœlestium rerum duces nobis dedit Deus, ante omnes & ante omnia regendos nos, docendosque prabeamus, nisi ab eodem ipso Deo, à quo iis subjuncti sumus, ab iisdem audiendis, clara penitus minimèque ambigua rationum authoritatumque luce revocentur.* Hæc ille de Episcoporum decretis, de Romano autem Pontifice alibi, *Sicut dubitantibus provincialibus Episcopis jubet Antiochenus Canon consuli vicinos, ita post vicinos accersitos, si provinciales nihilo minus dubitarent, neque convenire possent, quod in rebus dubiis & gravissimis facto perfacile est, minimè dubium est quin eadem opera consuli vellet majores alios, ac denique supremam omnium Petri Sedem, fidei & unitatis Ecclesiasticæ caput, cujus Præsulibus concessa est præcipua gratia & potestas fratres suos confirmandi, &c. Nam debitus à nobis Deo honor postulat, ut constitutos ab eo in terris ordines veneremur, & exquirendæ mentis ac lucis ipsius, quas nobis reliquit vias, gradatim sequamur. Porro Episcopis qui Patres sunt, doctoresque Christianorum, is superior proximusque ad consulendum doctor est, qui Pater Patrum, Doctor Doctorum, Episcopus Episcoporum est constitutus; ut quemadmodum ipsos potissimum alii audire debent, itaipsi illum, solum ordinarium magistrum à Deo sibi præpositum.* Id haustum ait è veteri lege, qua Deus sanxerat, *Ut quidquid difficile atque ambiguum oriretur, ad religionis suæ verticem, atque ad Sacerdotes Levitici generis, supremumque judicem Dei templo præsidentem conferret se, & illius sententiam audiret.* Hic perspicis 1. Episcopalibus etiam de fide definitionibus venerationem deberi, & animi assensionem, nisi *perspicua, testata, & indubitata ratio* contrà suadeat, seu *clara penitus minimèque ambigua rationum authoritatumque lux*: at contra tam perspicuam claramque penitus & minimè ambiguam lucem ac rationem, rarissimum utique est, nec ferè credibile est, ut Synodi provinciales quidquam definiant, nisi jam hæreticum hauserint virus Episcopi, & à Catholica Ecclesia apertè defeciverint. 2. Multò plus honoris & fidei summo Pontifici adjiciendum esse, ut qui Doctor doctorum & ordinarius magister Episcoporum à Deo constitutus sit, gratiaque speciali roboratus ad confirmandos fratres: & ejus gradum tenens Pontificatumque, quem lex divina jubebat in dubiis consuli, & audiri. 3. In dubiis Pontificem consulendum esse ab Episcopalibus Synodis, tanquam ordinarium magistrum: & ex consequenti audiendum: Nam ad extraordinaria oracula, seu ad Concilia Oecumenica num toties recurrendum erit, quoties dubia & perplexa excitabuntur? Ita pessimè prospectum esset Ecclesiæ. 4. Consensione tacita Ecclesiæ universalis accedere pondus ineluctabile authoritatis, & Oecumenicæ Synodi non dissimile, definitionibus etiam provincialium Synodorum. Pontificis ergo de fide decretis vix aut nec vix potest non conciliari hæc consensio tacita vel expressa totius Ecclesiæ; cum illis suffragari & assentiri omnes debeant, quos *perspicua, penitùs clara, minimè ambigua lux, & ratio* non revocat. Quæ sanè si Pontificem non revocat à definiendo, nec multitudinem Christianorum revocabit ab assentiendo; hoc est, si nulla hujusmodi occurrat Pontifici definienti, nulla occurret prorsus fidelibus assensuris.

XCV. Quòd verò Pontifices aliquos erasse memorant: si vi aut cupiditate, vel inscitia in errorem contendunt privatim actos esse, non facilè id quidem largiar, non satis firma ad id efficiendum argumenta proferri solent. Sed nunc quidem nihil moror. Id unum urgemus, nil definisse Pontifices fidei adversum. Non ergo vertitur, quid crediderint, sed quid docuerint. Quos docuisse aliena quæpiam à fide blaterant, suo sigillatim loco purgabimus. Adde & Concilia Oecumenica alioqui futura, erasse etiam aliquando, v. g. Arimainense, & Ephesinum secundum. Sed ut his statim universa Christi Ecclesia intercessit palàm; quibus autem intercessum non est, iis inconcussa fide adhæresimus: ita si quid præposterum Pontifex docens Ecclesiam definiret, reclamaret Ecclesia universa; atque adeo ubi non reclamat protinùs & palam Ecclesia, utique assentitur, utique definitioni

nitioni Pontificiæ certum & invictissimum robur inesse vel sentit, vel facit, vel potiùs & sentit & facit. Ideo Duvallii sententiam à nostra nil discrepare interpretamur hactenus, quod indiscretam cum velimus Pontificis & Ecclesiæ causam atque authoritatem, nec negemus tamen magis popularem videri & plausibiliorem Ecclesiæ personam: perinde nobis est Pontifici definienti, seu Ecclesiæ universæ consentienti fides devoveatur: illius enim definitioni hujus consensio confestim conciliatur: ut liquebit perlustranti omnium hactenus sæculorum mores suprà enarratos.

XCVI. Idque ut mihi quidem videri solet, momenti plurimum habet ad pacem Ecclesiæ, inter tot æstuantes in hoc negotio altercationes, alendam. Nam nec Pontifices nimis importunè extundere satagunt, ut infallibiles habeantur; cum ut id inficientur aliqui, ipsis definientibus adglutinetur universa Ecclesia, cujus jam fidem inexpugnabilem modestiùs audentiùsque prætendunt: ut suprà Leonem X. immo omnes Pontifices audivimus, & consentaneos illis scriptores Ecclesiasticos, Catholicæ totius Ecclesiæ fidem ostentare, cum solus Pontifex esset elocutus. Nec vicissim à Pontificiis definitionibus desciscunt, vel qui eorum infallibilitati adversantur; quippè qui Ecclesiæ saltem universæ authoritate in officio retineantur indeclinabiliter, nec ad Concilium provocare, ubi sola fidei controversia exarserat, unquam adgressi sint. Itaque quàm non secesserit unquam in fide palam definienda, vel ab Ecclesia Pontifex, vel à Pontifice Ecclesia universalis, vel hinc invictissimè constat, quod Pontificiæ infallibilitatis adsertores atque refragatores, peræquè tamen ejusdem semper fidei vinculo colligati cohæserint. Si quid usquam definisset vel sine Pontifice Ecclesia, vel sine Ecclesia Pontifex, in hoc dissidio dissonaret fides utriusque hinc & inde partis. Cum ergo nusquam fides discrepet seu subscribentium, seu refragantium Pontificiæ infallibilitati, sed una eademque constantissimè perstet, argumento id sanè est, in fide sancienda indivulsis semper nexibus Episcopalem universalitatem & Apostolicam Sedem sibi constrictam complicatamque fuisse.

XCVII. Quo æquius est Duvallio assentiri, à temeritatis & erroris nota absolventi eos, qui errare posse in docendo Pontifices, opinantur. Videntur enim illi in abstracta & literato otio accommodata quæstione velitari tantò securiùs, quantò alioqui conscii sibi sunt in schola pectoris, suæ cum Catholicis omnibus intaminatissimæ fidei & communionis, suæ in universalem Ecclesiam suo nequaquam conspicuo capite truncam constantissimæ observantiæ. Siqui autem Concilio tantùm Oecumenico fidem habent, & non etiam universalis Ecclesiæ in fide consensioni, næ illi valde hospites & peregrini in antiquissima debent Ecclesiæ & universæ, & in primis Gallicanæ doctrina ac disciplina existimari, qui tam longè ab illa deviant; & nuperis dumtaxat, nec Ecclesiæ ubique terrarum approbatis documentis, novellam suam opinationem communiunt.

XCVIII. Utque ne Cusanum patiamur abire elinguem, etsi ille paulò diversa alibi scripserit, in epistola tamem 2. ad Bohemos: hæc habet Augustino suo cumprimis gemina. Nam Petrum Augustinus identidem prædicat personam Ecclesiæ totius sustinuisse, omnium dixisse nomine, Tu es Christus Filius Dei vivi; omnium Dei sacerdotum vice audisse, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Cum illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus*: ait ille *tract.* 118. in Joan. Ecclesiam, ut par est, sponso, corpus capiti indissociabiliter devinciens, non exitiali conflictu collidens. Et Cusanus similiter: *Nec est opus hoc loco investigare, an ideo veritas infallibilis sit in Ecclesia, quia ad Sedem illam unitur, tanquam à Sede rivus ille veritatis privilegialiter emanet: vel quia Episcopatus ille Ecclesiam amplectitur, ideo Episcopatus ille ab Ecclesia infallibilitatem sortiatur: aut neutrum horum: quoniam puto, quod hoc non sit ad nostrum propositum necessarium. Licèt eredam ex mutua adherentia exurgere infallibilitatem, sicut esse humanum ex unione animæ & corporis, uti Cyprianus dicit, Ecclesiam esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia. Ita & hic primatus amplectitur Ecclesiam, sine qua non est, & ob quam est: Ecclesia amplectitur principem, sine quo una non est, nec persistere potest sine scissura in unitate. Quæ quidem unitas est de essentia Ecclesiæ, ut primatus propter unitatem conservandam; ut ait Hieronymus, Petro primatum traditum.* Addit mox Principem, ceu formam, ab Ecclesia, velut materia educi, hoc est, eligi: *Nam in Ecclesia quædam apparet materialitas, inquantùm subjectivè consideratur ad regimen Principum: & in primate formalitas; ut ex ipsis, tanquam ex materia & forma, constituatur infallibilis illa Ecclesia Catholica, quasi ex utroque consurgens.* Una ergo est Ecclesiæ universalis infallibilitas, passivè & materialiter in membris Ecclesiæ omnibus, activè & formaliter seu in Pontifice, seu in Synodo generali, sese explicans prout ex re fuerit, nullo autem divortio dissociabilis. Unde & Melchior Canus *lib.* 5. qui est de auth. Concil. *cap.* 5. *Ecclesiæ authoritatem eam nunc appello, quæ Synodorum etiam generalium & summi Pontificis est. Hæc enim est una res prorsus, ut non multum differat inter Ecclesiæ, Conciliorum, Sedisque Apostolicæ judicia. Propterea quod connexa hæc & colligata sunt: quemadmodum esse videmus humanum corpus & caput.* Itaque ut corpus in capite sibi imperat, & in membris obaudit sibi caput; ita Ecclesia universa in Pontifice definit, Pontifex in Ecclesia sibi assentitur, quia Ecclesia in Episcopo, Episcopus in Ecclesia est. In cassum autem rixas sibi veluti somniant inter Pontificem definientem, & Ecclesiam respuentem. Nusquam enim istiusmodi jurgia, nisi in ipsorum cerebro.

XCIX. Quoniam autem ludificatoria hac exceptione abuntur præfractiores aliqui, quod Pontifex non satis operæ ac diligentiæ posuerit in re examinanda, adeoque aberrare potuerit, cui si consultiores aliquos sibi adsciviisset, & acriorem navasset operam, utique crederetur. Cuneum hunc ut ejiciat Melchior Canus loco suprà laudato, advertamus. *Quæ res ut de Conciliis quoque dicatur, subsunt omnino causæ eadem. Nec enim existimare debemus, summum solum Pontificem, cum dormierit, errare: cum non dormierit, verum dicere: Patres autem sive dormiant, sive vigilent, semper recta ingredi, & clausis, quod ajunt, oculis, vel in tenebris obscura cernere. Quamobrem sive Pontificum, sive Conciliorum diligentiam in fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est, omnia Pontificum judicia, ac Conciliorum infirmare.* Et mox ibidem: *Deus disponit suaviter omnia, simulque prospicit & finem, & media ad finem necessaria. Nec dubitari potest quod in rebus naturalibus contingit, ut qui dat finem, det consequentia ad finem. Itaque præstat semper Pontifex, quod in se est: præstatque Concilium, cum de fide pronunciant: caditque causa, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodum enim si Christo Petrus diceret. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat charitas tua: certò certius intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, ceteraque auxilia oportuna illi impetrasse, quæ sunt ad charitatis conservationem necessaria: ita cum dixit, Ego rogavi ne deficiat fides tua, proculdubiò intelligimus, id à Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei quæstione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, sive à Deo, sive ab homine expectarentur.* Et infrà: *Si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent,*

num Ecclesiæ judices eam diligentiam, & curam exhibuerint, qua opus erat, ut quæstio via & ratione finiretur: ecquis adeo cæcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari? Et denique, *Rogo, an fideles his qui de fidei quæstione judicabunt, tantisper parere debeant, dum eorum negligentia innotescit Ecclesiæ. Parere debent, ajunt. Jam igitur eo tempore errantibus judicibus errabit Ecclesia. Sine vitio suo, inquis, Ecclesia tunc errabit. Agnosco. Sed ut dictum est, ne hunc quidem errorem admittere in Ecclesia Dei debemus. Quid quod si semel de diligentia judicum dubitamus, novum examen, judiciumque semper recens postulabimus, ut de diligentia adhibita, vel non adhibita censeatur?* Quæ eadem breviùs perstrinxit Duvallius *pag.* 241. & 302. 303. Huc refert luculentum testimonium Petri Damiani suprà jam adscriptum, Gomorrh. *cap.* 26. hortantis Romanum Pontificem, ad scrupulosarum difficultatum complanationem, *Sacros Canones* ut consuleret, & *prudentes viros ad consultum hujus necessariæ indagationis adsciscere*: addentis autem postremò id, quo & consulentis pietas, & dignitas Pontificii oraculi vehementer illustretur: *Neque hoc dicere idcirco præsumimus, ut ad hoc, Deo authore, sufficere solam profunditatis vestræ peritiam ignoremus. Sed ut dum sacræ authoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum judicio & consensu res geritur; perversorum hominum querela, quæ fortassis è diverso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facilè patet querelæ, quod multorum judicio constituitur. Sæpè autem sententiæ, quæ ab una considerata juris æquitate depromitur, ab aliis præjudicium deputatur.*

C. Atque ut in quo videor plures videre crispantes nasum, frontemque caperantes, id magis magisque complanetur, unam esse Pontificis, Concilii & Ecclesiæ universalis infallibilitatem: aliqua rursus in eam rem accumulabo. Præclarè Ferrandus in epist. ad Pelag. & Anatol. *Universalia Concilia præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secunda authoritatis locum post canonicos libros tenent.* Et mox: *Concilia quæ vetustas firmavit, & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.* Et infrà: *Quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt.* Et infrà rursum, *Audi fili legem Patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ. Lex Patris fulget in canonicis libris, Consilium matris in universalibus consiliis continetur; ubi præter illos qui statuunt, quæ statuenda sunt, nullus cogitur ultrà subscribere. Sufficere enim judicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moveant, vel scandalum fratribus: sed Apostolicæ fidei convenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu.* Ubi vides triplicem statuendi de fide confirmandique potestatem, in Ecclesia synodicè collecta, in Ecclesia per orbem diffusa, in Ecclesia Capiti suo implicata: ut una autem hæc Ecclesia est, ita una authoritas, una infallibilitas. Itaque citra ullam invidiæ vel pugnæ suspicionem, citra ullum de palma & principatu jurgium, hæc una trinaque potestas vicissim & reciprocè sibi subsidio est. Nam & Synodi priorem Ecclesiæ consensionem confirmant, & Synodorum statuta posterior Ecclesiæ totius conspiratio corroborat. Similiter Pontificis summi examine & assensu convalescunt Concilia Oecumenica, & decretis Pontificum subsecuta aliquando Concilia generalia lumen & pondus authoritatis accumularunt. Denique Ecclesiæ toto orbe rutilantis lux & fides Pontificum statutis firmitatis luminisque incrementum & debet & confert vicissim. Summa horum trium pax, nulla conflictatio, nulla æmulatio. Unum Ecclesiæ corpus, capite & membris compactum; membra ratò loci, semper spiritus & unitatis vinculo constricta continens, constat & concinit sibi, nec se sibi committi patitur. Itaque in Concilio Ecclesia toto orbe sparsa repræsentatur, & Ecclesia toto orbe sparsa perpetui & jugis instar habet Concilii. Frustra ergo alteram alteri, immo ipsam sibi collidis. Similiter Pontifex ut caput, non suam, sed totius corporis fidem vocemque promit: & totum Ecclesiæ corpus, quod capitis sui, hoc est, suo sensu & ore protulit, hoc amplectitur. Consensio denique totius Ecclesiæ ex Ferrando tunc statutis accessisse interpretanda est, cùm *nullum offendiculum vel scandalum* movetur, id est solo silentio, ut sæpè monuimus: *& consensu Apostolicæ Sedis*: quia non omnibus promptum est, oculos in universum orbem circumferre, & Ecclesiæ consensionem explorare: ideo compendiosum est, Caput unum maximè conspicuum consulere, & ex eo totius ediscere Ecclesiæ conspirationem.

CI. Ita & Facundus *lib.* 7. advertit nondum tantam priùs fuisse Ephesinæ primæ Synodi authoritatem, quanta pòst fuit, *tantis dissentientibus qui moniti fuerant, simul in ipsum Concilium convenire.* Item, *Cum necdum etiam judicio magnæ Chalcedonensis Synodi firmaretur.* Denique, *Et ipsa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas.* Et ex eodem suprà relato, Synodi ipsius Chalcedonensis placita hortante Marciano, Episcopi Synodorum provincialium longè plurimarum nova consensione firmavere. Non deerat Synodo Oecumenicæ suum ab exordio robur. Sed vires viribus, jura juribus non supervacaneum est accumulare, ad fatigandam plerumque, & expugnandam hominum contumaciam. Itaque & Synodus Synodo, & antiquitati posteritas, & majoribus nepotes consensione sua firmitatem exaggerant, & inexpugnabilem licèt authoritatem inexpugnabiliorem efficiunt; nec in his imaginandi gradus majoris & minoris, sibique discordis ac semper pugnacis potestatis. Sed ex adverso una ubique oculis animi & fidei objicienda est Ecclesia nova & vetus, juvenis & antiqua, eadem nunquam nova, & nunquam vetus, sibi indeclinabiliter consentiens, sibi aliis & aliis nominibus artibusque, apud imbecilles & minùs morigeros, authoritatem extruens.

CII. Ne cui autem incogitantiùs fortè verbosiores istas dissertationes prætervolanti, videatur una Pontificis & Synodi authoritas dictitari crebriùs, non item probari; probationum dissipata huc & illuc capita & veluti fastigia, juvabit hoc loco constringere in unum, atque oculis subjicere. Ita ergo Christus ipse, Augustino & Patrum Senatu sexcenties testificante, totam Petro inclusit Ecclesiam, ipsum, id est, in ipso & ipsum & Ecclesiam, & fidei præconium, & Petræ inconcussam stabilitatem, & cœlestium clavium potestatem, & Sacerdotii infulas, & divinam denique omnem complicuit opulentiam; in uno nempe & universitatem & unitatem præformans; non lites, non jurgia de primatu præseminans, sed præfocans; quod Augustino & aliis Patribus persuasissimum fuit, nusquam hinc vel suspicatis ullum Ecclesiæ & Pontificis conflictum, sed Petri inter Apostolos principatum, Ecclesiæ cum ipso unitatem indubitanter auguratis. 2. Ita inter Apostolos ipsos constabat, seu Petrus cœlesti oraculo admonitus bipatentes Ecclesiæ fores Gentibus aperiendas censeret: seu ipsorum quilibet non sine tacito aliorum, & maximè eorum qui videbantur esse Columnæ, potissimum verò Petri consensu, quidpiam in Ecclesiis administrandis seorsim scisceret: seu communi tractatu, sive Oecumenico quasi Concilio eadem ipsa confirmarent: promiscuè prorsus hæc omnia, & pari honore habenda. 3. Ita Synodi ipsæ universales sensere, cùm Romanum Præsulem sibi, uti Caput membris præesse & præfulsisse dixerunt. Quàm una enim Capitis & membrorum vita ac substantia est, tam authoritas dignitasque una & indissociabilis. 4. Ita eædem Synodi, cum

Roma-

Romanum Antistitem, ut Patrem, se ut Filios profitentur, unam Ecclesiæ domum, unam sub uno Patrefamilias benevolentiam, consensionem, & omnium denique individuam societatem clamant. 5. Cùm rarenter & debeat & possit colligi Synodus Oecumenica; incidant autem intereà ejusmodi rerum discrimina, quibus illico, & pari cum synodica poreſtate obviandum sit: parem synodicæ, vel synodicam ipsam potestatem, necessum est Principi Sedi demandari, ab eaque perenniter administrari, suffragante unà reliquo Episcopali collegio. Ita olim Julius, Innocentius, Leo, Felix, Gelasius, Martinus, Gregorius, aliique Romani Pontifices, in fide tuenda, in Episcopis restituendis, & causis istiusmodi aliis profligandis, tantam prorsus, quantam Synodi universales, quas cogi tunc nefas fuit, vel non statim fuit, potestatem exeruere. 6. Post Synodum certè, tota ejus exequendæ, vel ad veniam emolliendæ authoritas penes unam maximè Petri sedem fuit, ut prælibatum supra est, ut alibi copiosè differetur. At potestas legum latrix, executrix, dispensatrix, vel una, vel non dispar est. Ideo suprà Cœlestinus, Leo, Agatho, Hadrianus Synodis generalibus suorum decretorum executionem mandabant, & vicissim alibi Synodi Pontificibus. 7. Quid illud, quòd cum Synodo provinciali si quid definit Petri Cathedra, in Indubium fidei dogma id evadere, omnes penè consentiunt? Nonne tunc Oecumenicam authoritatem provinciali decreto ut adjiciat, obtineat & circumferat ipse Pontifex, necessum est? 8. Hactenus à Reipublicæ Christianæ jactis fundamentis non aliter longè plures damnatæ, extinctæque sunt hæreses, quàm earum damnationem vel decernentibus, vel decretam à particularibus Ecclesiis Synodisque, postea confirmantibus Matricibus & Originalibus Ecclesiis, & Romana maximè, in qua, teste Augustino, semper viguit Sedis Apostolicæ principatus. Usque adeo autem par ista erat, eademque cum Oecumenica Synodica potestas, ut collectæ Synodi Oecumenicæ easdem hæreses tametsi adhuc ferocientes iteratò proscribere plerumque supersederint. 9. Oecumenicæ Synodi quo instinctu impetuque collectæ sint, si attendas, aliquas perspicies penè ex redundanti congregatas, cum subinvita tanto strepitu fatigaretur Ecclesia, gnara se citra Synodum vel consequi idem posse, vel jam consecutam. Secunda ad alias magis causas, quàm ad fidem coaluit, nec ut Oecumenica coaluit. Tertia ad Principis unius consilium confluxit, cum & Cælestinus, & Cyrillus, & ipse Antiochenus quodammodo Joannes Nestorii vesaniam prædamnassent. Adversùs Eutychetem nihil opus esse Synodo, & Flavianus Constantinopolitanus, & Leo Romanus consenserant. Quintam principali vi unus penè Justinianus coegit. Sextam nec Pogonatus ipse ut Oecumenicam congregavit: Romani autem Pontifices per Lateranensem sub Martino, & tot alias, abundè perfecerant, ne cœtu Oecumenico opus esset. Septimam uni Ecclesiæ Constantinopolitanæ coisse, cum aliæ Sedes omnes ab Imaginum cultu non recessissent: & unius admodum sæculi curriculo, nec in Oriente, nec in Occidente inter Oecumenicas locatam esse infrà docebimus. Octava privatis tantùm Ecclesiæ CR. vulneribus curandis impensa est. Ut hæ denique, & non aliæ, putà Romana sub Damaso, Lateranensis sub Martino, Romana rursus sub Gregorio, & cæteræ istiusmodi in album Oecumenicarum referrentur, species magis & pompa effecit, quàm momentum & pondus. De his enim, perinde ut de quatuor primis, dici posset cum Gregorio, Evangeliorum instar esse has Synodos, seu fidem his Synodis definitam. 10. Itaque cum secunda, quinta, sexta, septima, ex particularibus penè Synodis in Oecumenicas evaserint consensione accedente Sedis Apostolicæ: cum Synodos omnes generales indicat, confirmetque una principaliter Sedes Apostolica; quis hinc non perspicit Oecumenicam illam authoritatem Capiti concretam, Capiti cum universo corpore communem? 11. Cum ante Tridentinam Calvinianorum, ante Florentinam Græcorum, ante Constantiensem Vviclephi, ante Septimam Iconomachorum, ante Sextam Monothelitarum; ante Quartam Eutychetis, ante Tertiam Nestorii & Pelagianorum errores ita prædamnasset Sedes Apostolica, vel Occidente toto, vel Occidentis parte maxima sibi succinente: ut in Oecumenica posteà Synodo non potuerint veluti dubiæ & ancipites hinc & inde disceptari quæstiones illæ, sed ut indubiæ confirmari sine retractatione, aut cum ejusmodi retractatione, quæ non ad ambiguitatem dispungendam, sed ad veritatis certæ lucem cumulandam pertineret: quis non hinc exprimit id, quod ultro elicitur, vim Oecumenicæ & irretractabilis definitionis extra Synodum Oœcumenicam, etiam penes Petri Cathedram residere? 12. Ideo à Pontifice ad Synodum non provocatur in fidei causis; & si quando provocatum est, illa potiùs fuit supplicatio; illud fuit revisionis, non appellationis judicium. Nimirum ab ipso ad ipsummet provocari non potest propriè, potest supplicari; ipsemet autem est, qui & ante Synodum, & in Synodo causas cognoscit. Ideo & tunc non à Pontifice tantùm ad Synodum, sed ad futurum etiam Pontificem, & ad ipsummet meliùs informatum provocabatur. Usque adeo exploratum erat Synodicum tribunal non acephalum, non capite truncum, sed eodem præside munitum esse, qui solus ante judicaverat. 13. Unum similiter est Episcopi cujuslibet cum Parochiæ suæ, Metropolitani cum Provinciæ, Primatis seu Patriarchæ cum Diœceseos suæ Synodo tribunal, unum judicium. Omnes quippe isti crescentium per varios gradus Synodorum præsides, & Synodi quisque suæ vicem supplent, dum ea colligatur: & vicem implent, sicubi aut si quando ea colligi desierit: nec ab ipsis ad suas, sed ad superiores Synodos provocatio est. Quin ergo & pari prærogativa, pari cum sua, hoc est, cum Oecumenica Synodo, compaginatione fruatur Sedis Apostolicæ principatus divinitùs institutus? Et quidem tantò æquiùs quòd Synodi Episcopales & Metropoliticæ ordinariè ac frequentissimè possunt, & per Canones debent colligi: Oecumenicæ autem nonnisi extraordinariè & infrequentiùs possunt congregari: eòque magis egent vicario & perpetuo Magistratu, à quo suppleantur. Ubi unam autem & indiscretam Capitis & Corporis, Pontificis & Ecclesiæ, sive Synodi Oecumenicæ authoritatem esse toties ingeminavi, dialecticas equidem tricas, argutiasque ab his sensi utique deprecandas. Alioqui nec Synodus & Ecclesia, hoc est, nec ipsa sibi Ecclesia, una eademque erit. Ariminensem, Mediolanensem, Ephesinam secundam Synodum à Pontificibus reprobatas oggeres? At reprobatæ sunt & ab Ecclesia Catholica. An ergo Synodus & Ecclesia unum non est? Est enimverò, sed vera & modesta, non latrocinalis Synodus; hoc est, est omnino, si modò sit Synodus, non prostibulum. Quintam Synodum Vigilio diu conflictatam ajes, adeoque Synodi & Pontificis majestatem longè diversam, & quandoque adversam? Immo nec Synodus fuit Oecumenica, quamdiu adversatus est illi Vigilius, Occidente universo succinctus. Itaque ita Vigilius Synodo, ut Ecclesia Ecclesiæ, Occidentalis Orientali collidebatur. Et tamen una est Ecclesia. De Constantiensi & Basileensi Concilio specialis suo loco dissertatio instituetur. At Pontifex Synodos confirmat, infirmatque? Respondeo, tantò certiùs una eademque utriusque vis & potestas est. Deest enim Synodo vis Oecumenica, nisi hanc Sedes Apostolica semet adglutinando adglutinet. Ita prorsus & Ecclesia Catholica, posteritasque confirmat Synodos assensu, fide, moribusque suis: etsi Synodus, immo eò quòd Synodus & Ecclesia unum quid est. Ita Synodi aliæ alias confirmant, cum

Ecclesia una per ætatum lapsus varias agitet Synodos. Etsi aversis autem vestigiis insistere videatur, eòdem tamen contendit atque conspirat hæc duodevigesima dissertatio cum quarta superiore. Ibi hæreses inurebant Synodi particulares; vel sine Synodis Ecclesiæ, cæterarum Ecclesiarum, & ante alias accedente Apostolicæ Cathedræ consensione; hìc decreta fidei condit Sedes Apostolica, cui indissociabiliter adglutinata cohæret Collegii Episcopalis & Ecclesiastici corporis universa compago. Una utrobique profligandi erroris, & fidei sanciendæ ratio, una potestas, una veritas. Ne quæras, utri seorsim, Pontifici an Ecclesiæ, Synodove ea prærogativa adsit, cùm nusquam seorsim fuerint, nusquam dissenserint, nisi inter peregrinarum hypotheseon inaudita figmenta. Ne quæras utri à Deo, quia utrique à Deo, utpote una, utpote uni illa adsignata dos est. Ideo cùm à nobis alterutri arrogata est, alteri adeo non abrogabatur, ut ad nauseam usque inculcaverimus cum Cypriano *epist.* 69. *Esse Ecclesiam plebem Sacerdoti adunatam, & Pastori suo gregem adherentem, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo*. Nobis certè non arbitrarias comminiscentibus hypotheses, sed rerum retro gestarum memoriam revolventibus talis semper occursavit Pontifex cum Ecclesia, Ecclesia cum Pontifice in fide statuenda. Usque adeo ut Apostolicæ Cathedræ privilegio tota se induerit Occidentalis Ecclesia in *epist.* 125. Episcoporum Romæ congregatorum ad Pogonatum Imp. *Ipsum Catholicæ fidei splendidissimum lumen, ex veri luminis fonte, tanquam de radio vivifici fulgoris per ministros beatum Petrum & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum*. *Act.* 4. *Syn.* 6. Ecclesiæ Occidentalis præ Orientali inconcussam fidem, suæ acceptam ferunt indivulsæ cum Sede Apostolica consensioni. Quibus ita præluserat Augustinus: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissima martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia, &c. Non est ergo, cur provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est, quia & fides ista Christiana est. Et te certè Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia*. *L.* 1. *contr. Jul. cap.* 4.

CIII. Nunc mihi deprecandam sentio eorum excandescentiam, qui pro Gallicanis Libertatibus velut ex officio certant. Procul amandandos enim, qui has *Ecclesiæ Gallicanæ servitutes, potiùs quàm libertates* promiscuè & protervè interpretantur, esse autem *veras quasdam, & gloriosissimi Regis nostri jura, & Gallicanæ Ecclesiæ privilegia*, Clero Gallicano pronus lubensque acquiesco: *quibus ut nulla ætas, nulla authoritas derogavit: nec nos derogare, aut ea convellere volumus, aut intendimus*. *In censura librorum de Libertat. Eccl. Gall. anno* 1639. At concussæ videbuntur aliquibus hæ libertates, concussa *jura*, concussa *privilegia*, solicitato eo, cui inniti existimantur, fundamento: nimirum, minorem esse Concilio Pontificem, & ab isto ad illud ritè provocari. Hanc ergo objectionem, hanc criminationem nullo opportuniùs, nullo efficaciùs propulsabimus patrocinio, quàm eorum ipsorum, qui cùm sæculari ac senatoria claverent purpura, studia calamosque suos harum libertatum tuitioni dicaverunt. Non mea ergo, sed ipsamet illorum allegabo verba, sensa, argumenta. Familiam ducat Petrus de Marca, *Ordinarius sacri Consistorii Consiliarius, & in supremo Navarræ Senatu Præses*, dum hæc scriberet, libro *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, sive *de concordia Sacerdotii & Imperii*, inscripto. Sic ergo ille, omnium eruditorum judicio, nulli secundus in hoc argumento, nulli non antehabendus: *Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut Concilium Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamvis hæc sit Schola Gallicanæ sententia, non est una ex Libertatibus Gallicanis. In foro perinde est, si summus Pontifex æquo vel superiori jure cum Conciliis utatur. Ubi id tantùm expenditur, an nova rescripta noceant Ecclesiæ Gallicanæ*. *Lib.* 3. *cap.* 7. *in Sinopsi*. Et mox: *Solet à plerisque pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui Libertatis Gallicanæ theorema, Concilium Oecumenicum superius esse summo Pontifice; unde sequatur nihil à Sedis Apostolicæ Præsulibus tentari posse, quod Synodorum generalium definitionibus adversetur, &c. Attamen si cum bona Magistrorum venia, id quod sentio, liberè profiteri liceat: existimo libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipuè urgent, eas alia ratione constare non posse, quàm Apostolicæ Sedis dignitate in eo maximè imminuta, quod Pontifex Concilii generalis authoritati subjiciatur. Attamen hæc sententia, &c. in foro apud nos non disceptatur: qui libertates perinde tuemur, si de Concilii generalis novis decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro usui commodas adeo retinemus, ut etsi canone Concilii generalis destituamur, quo illæ firmatæ sint: tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus. Ibidem cap.* 7. *numer.* 1. Quibus ex argumentis invictissimis tandem id concludit: *Quare non est, quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & quæ rebus nostris non prospicit, ut pax est. Fruatur summus Pontifex, aut æquo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori: illud unum in foro expendetur, an nova Constitutio, vel novum Rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente*. Sic ille nutantis, sibi ipsi infestæ, & Romanis stomachum moventis sententiæ fundamentum amovet; aliudque postea suggerit, eò firmius, quòd plurium consensu fulciatur: *Sed quia Theologis & nostris interpretibus placuit, aliam quoque difficultatem attingere; scilicet, quid agendum sit, si Rescripta ista Canones & disciplinam violent, ut in apertum Christianæ Reip. detrimentum cedant: referendam duxi eorum sententiam: quæ adeo apud illos certa est, ut ineam ex æquo consentiant utriusque opinionis vindices; tum qui pro Pontifice stant in controversia de Conciliorum authoritate, tum illi, qui Concilium Pontifici præferunt. Asserunt omnes eo casu reverenter agendum cum Romana Sede, ita tamen ut executio Rescriptorum suspendatur. Non quod aliquis, inquit Cajetanus, possit esse judex Papæ, aut authoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis. Cuilibet enim est jus ad resistendum injuriæ, & impediendum, defendendumque*. *Ibid. lib.* 3. *cap.* 15. *nu.* 9. Tum Cajetano plures astipulatores accumulat: additque: *Quæ sic interpretanda sunt, ut inde argui non possit defectus authoritatis in summo Pontifice, sed defectus intentionis, ut loquuntur nostri*. Et idem ipse infrà: *Primis temporibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas in eo viguit, ut nova decreta discuteret: & si quæ aut Canonibus antiquis adversarentur, aut receptis moribus, consensum suum*

rebus

rebus novis non præberet : hacque ratione sine tumultu , & servata semper Apostolicæ Sedis reverentia , decretorum executionem impediret . Lib. 4. cap. 5. num. 4. Supersedeo exemplis & probationibus adscribendis , quas ille coacervat . Et infrà : *Perstabat adhuc idem usus in Gallia , ann. 1226. per solum dissensum Regis , Episcoporum , & Procerum , libertates suas tuente Ecclesia Gallicana . Ibid. cap. 9. num. 1.*

CIV. Jam verò quod ad appellationes attinet , sic rursus ille : *Primus omnium qui appellatione usus est ad futurum Concilium , prodit sese apud Historicos Fridericus II. Imperator . Qui ad Concilii cognitionem evocatus à Gregorio IX. & ab Innocentio IV. Thaddæum Legatum ad Concilium Lugdunense misit , anno 1245. Hic post exceptiones Friderici propositas , cum ferendam videret ab Innocentio depositionis sententiam , appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius . Ibid. cap. 17. num. 4.* Et paulò suprà : perstricto obiter dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri ; *Tum Guillelmus de Plesseiano ut se tutum à Bonifacii censuris præstaret , futurum Concilium generale appellavit , & futurum Papam Catholicum , & Sedem Apostolicam .* Et mox ait , hanc *novam rationem in Ecclesiam invectam , ab iis qui se Romane Curie censuris premi existimabant : scilicet Appellationem à Papæ decreto ad futurum Concilium . Novam dixi , quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium : licèt aliquando remedio quodam extraordinario , Sedis Apostolicæ judicium in majori Synodo instauratum fuerit . Quod illi facilè concedent , quibus perspecta est antiqua disciplina .* Et paucis intertextis : *Aliquando ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem , Imperatorum rescripto Apostolicæ Sedis judicia in majori Synodo instaurari contigit , in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat . Quæ ratio longè differt ab appellatione . Ut enim inquit Hermogenianus Jurisconsultus :* Appellatio iniquitatis sententiæ querelam , in integrum verò restitutio erroris proprii veniæ petitionem , vel adversarii circumventionis allegationem continet . *Deinde Judex à quo appellatur , de appellatione non cognoscit : sed is à quo supplicatur , instauratum judicium peragere potest , Cap. 17. num. 1. 2.* 8. Denique eruditi viri Andreæ Duvallii hæc verba adscribit : *Maneat itaque hoc ratum & constans , omnem à summo Pontifice ad Concilium sive futurum , sive præsens appellationem , esse prorsus illicitam : idque sive Papa sit infra , sive supra Concilium : Dices , Principes & Respub. graviter nonnunquam conqueri , se à Pontificibus graves injurias pati , nullumque ad has depellendas efficacius remedium esse , præter provocationem ad Concilium generale . Respondeo non licere propterea ad Concilium provocare : cum Principes sibi suisque rebus possint alia via consulere , scilicet non obediendo mandatis Pontificiis : immo si aliter non possunt sibi succurrere , strenuè prudenterque resistendo , & cum ea moderatione , quam superiori quæstione , ubi de iniquis & Ecclesiæ pernicioſis dispensationibus , assignavimus . Ex part. 4. quæst. ult.*

CV. Si quos dignitatis ratio , si collegii honos , si tantæ eruditionis fama minùs moveat ; movebit illos , ut spero , probationum vis , & ipsa causæ , cui consultum volunt , incolumitas . Nam 1. quidem si libertas Gallicana perinde refellit nova Conciliorum generalium statuta , atque decreta Pontificum , pristinis suis legibus , moribusque refragantia : alienum prorsùs est eam illi sententiæ superstrui , qua Concilio Pontifex subjicitur . Discors enim ipsa sibi , Concilio Pontificem & subjicit & exæquat . Et quidem verbo subjicit , re exæquat : cum adversùs utriusque nova decreta ex æquo pristinos suos mores propugnat . 2. Si adversùs novitatem decreti Pontificii majorem provocas Concilii Oecumenici authoritatem : hanc consequenter tibi legem indicis , hunc necessitatis induis laqueum , ut Concilii decretorium subeas judicium , ejusque sententia stes . Itaque Gallicanæ libertatis dimidia pars uno hoc verbo à suis ipsismet defensoribus præter mentem detruncatur . 3. Non omnia Gallicanæ libertatis capita aliquo Conciliorum generalium statuto nituntur . Pleraque Gallicanarum Synodorum antiquis legibus , vel receptis tantùm moribus contineri dicuntur . Non ergo pro Conciliorum majestate adversùs Pontifices , sed pro antiquitate adversùs novitatem quorumcumque , seu synodalium , seu Pontificiorum statutorum decertat libertas Gallicana. 4. Conciliorum Constantiensis & Basileensis decreta , non pura & mera , sed quibusdam *modificationibus* temperata amplexati sunt Majores nostri , ut infrà docebitur : nempe quasi ad Gallicanos mores ususque castigata . Ergo cùm his Conciliis , veluti munimentis quibusdam maximè se jactent vindices Gallicanarum libertatum : vel in his ipsis tamen experiuntur , exæquari quodammodo Concilia Pontificibus , & parem circa horum illorumque decreta exeri libertatem. 5. Quid quòd Pragmaticæ Sanctioni ad Constantiensia & Basileensia decreta contemperatæ , vale diximus tandem ; & Concordatis sola Pontificis authoritate , regioque consensu munitis acquievimus ? Nonne palam est , hìc saltem desisse nos , Concilia Pontificibus anteponere ? 6. Quid Tridentinum Concilium memorem ? Ejus compluribus decretis nequedum Gallicana se coarctavit disciplina : nec tamen superius aliquod Oecumenico Concilio tribunal , aut quasi generalius Concilium appellavimus. 7. Ante Fridericum II. intentatæ , inauditæque prorsùs fuerant appellationes à Pontifice ad Concilium . Hujus & initii , & initiatoris suppuderet Gallicanas libertates . Has enim ante octingentos annos viguisse , & ab usque Caroli magni regno ad hoc ævum perduraſſe , tum Scriptores cæteri , tum Oratores Regis Christianissimi ad Concilium Tridentinum missi frequentiùs inculcarunt . 8. Quin & Fridericus ipse non à Pontifice tantùm ad Concilium , sed & à Concilio generali ad generalius posteà provocavit . Expertus videlicet adeo conjunctam individuamque Pontificis & Concilii authoritatem , ut à Pontifice ad Concilium , non aliud sit , quàm à Pontifice ad Pontificem Concilii Præsidem provocare . 9. Quod senserunt & Galli sub Philippo Pulchro Rege , cum primùm in vocem appellationis eruperunt *ad Concilium , & ad futurum verum , & legitimum summum Pontificem , & ad illum , vel ad illos , ad quos de jure fuerit appellandum :* supponentes se *protectioni divinæ , & BB. Petri & Pauli , & dicti Concilii generalis , ac Sedis Apostolicæ , & futuri veri & legitimi summi Pontificis . Preuves des libertez de l' Egl. Gall. cap. 13. numer. 5. 7. 9.* Et rursus Vvillelmus de Nogareto post obitum Bonifacii : *Appello ad Sedem Apostolicam , ad totamque Dei Ecclesiam congregandam , & ad summum Pontificem futurum legitimum , seu ad eum , quem melius valeam appellare .* Nempe conserta hæc illis , & penè concreta non immeritò videbantur omnia , Pontifex , Sedes Apostolica , Concilium , Ecclesia , Pontifex præsens , Pontifex futurus . Ideo & promiscuè hæc habebant. 10. Nec tunc tantùm veluti rudes adhuc & inexperti harum appellationum , utpote novarum , & à Friderico nuper dedicatarum , ita indiscriminatim appellabant : sed & postea sæpissimè . Unde & Ludovicus XI. Oratoribus suis mandavit , *Si opus fuerit , appellare ab ipso summo Pontifice malè consulto , ad eundem summum Pontificem benè consultum , seu proximum futurum Concilium universalis Ecclesiæ . Ibidem numer. 13.* Ita ann. 1478. At ann. 1484. Procurator generalis *provocavit & appellavit ad sanctissimum dominum nostrum Papam Sixtum minùs debitè consultum , ad ipsum melius consulendum : aut ad illum ,*

vel illos, ad quem, seu quos de jure provocare & appellare mihi licet. Ibid. num. 15. Et ann. 1491. Universitas Parisiensis: *A sanctissimo domino nostro Papa Innocentio VIII. minùs debitè consulto, ad seipsum melius consulendum: & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam: nec non ad sacrosanctam Synodum universalem celebrandam, illumque vel illos, ad quem, seu ad quos de jure provocare & appellare nobis licet, provocamus & appellamus. Ibid. num.* 16. Et ann. 1501. Capitulum Parisiense provocat *ad Papam melius consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum universalem primò celebrandam. Ibid. numer.* 18. *cap.* 22. *num.* 29. In his provocationibus non sunt comminiscendi gradus potestatis majoris & minoris, superioris & inferioris. Nec enim Pontifex idem seipso meliusculè consulto, vel præcessor successore suo minor, inferiorve est. Ita & Pontifex Synodusque non præponi postponive sibi necessariò debent: sed utrique potestati, ut à Christo institutæ assurgitur, & sub provocationis nomine supplicatur. Ut enim à Pontifice ipso ad ipsummet, vel ad successorem; ita à Pontifice ad Synodum supplicatio erat, etsi provocatio dictitaretur: unde utrumque fiebat promiscuè. 11. Luculentius id fiet exemplo Cleri Hispanicnsis, ann. 1532. provocantis, id est supplicantis adversùs diploma Hadriani VI. Papæ, quo se gravari existimabat: *Cum inde nasci non debeant injuriæ, unde jura nascuntur; ad supplicationis remedium nobis recurrendum est: & à prafata sancta D. N. Papa non bene informato, ad eundem melius informandum, supplicandum est. Idcirco nos, &c. ab eadem D. N. P. Hadriana VI. non bene informata ad eundem melius informandum supplicamus: & à R. D. Archiepiscopo, quatenus dicta exactionis executore pretensa, &c. appellamus, &c. Ibid. cap.* 22. *nu.* 29. Supplicant Pontifici; provocant ab executore rescripti Pontificii. 12. Non male mereri ergo de patriis libertatibus æstimandi sunt, qui tutioribus, certioribus, antiquioribus & minùs invidiosis eas superstrui jubent fundamentis: nec his committi litibus inter Concilium & Pontificem, atque provocationibus; de quibus omnium postremus, idemque longè doctissimus libertatum Patronus ita censuit: *Hanc non esse unam ex libertatibus Gallicanis; in foro perinde esse, si summus Pontifex æquo vel superiori jure utatur cum Conciliis: libertates Gallicanas hoc axiomate non niti; non est quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & rebus nostris non prospicit, ut par est: fruatur summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori, &c. Nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium.* Sed quod in regio habetur diplomate, de Pontificia & regia potestate suis utraque finibus & officiis discreta: idem de Synodica, & Pontificia sentiendum, utramque à Deo institutam, utramque à Deo pendulam, *neutram alteri vel præponendam, vel postponendam, vel adæquandam, vel omnino componendam, sed alteram alteri conjunctissimam* existimandam: quòd comparationibus invidia quædam ultro adhærescat, *Ibidem cap.* 37. *num.* 13.

CVI. Strictim & alios delibabo Gallicanarum defensores libertatum. Petrus Pithœus in breviario Gallicanarum Libertatum, *cap.* 5. *Etsi Pontifex supremus habeatur in rebus spiritualibus, in Gallia tamen locum non habet potentia infinita & absoluta, sed circumscribitur Canonibus & Regulis antiquorum Conciliorum in hoc regno receptis. Et in ea maximè consistit libertas Gallicana Ecclesiæ, ut disertis verbis Universitas Parisiensis pronunciavit, &c.* Audin *supremam, absolutam, infinitam* potestatem Pontificis? In Gallia tamen revinctam antiquis Canonum vinculis, & decretis priscorum Pontificum. Ibi nec verbum sonat de lite: & victoria Concilii supra Pontificem. Nempe cum & Pontificis infinita supremaque potestas agnoscatur. Nempe cum Galliæ ea sit prærogativa & peculiaris libertas: quæ ad alias peræquè effunderetur gentes Christianas, si ex diminuta infra Concilium authoritate Pontificis scaturiret. Ea enim ratio, ea libertatis scaturigo æquè ad omnes permanaret. Et infrà *cap.* 41. *Etsi in Synodis nihil sine Pontificis authoritate definiri potest, non tamen existimatur ille universali Concilio superior esse, sed ejus decretis ligatur, ut Ecclesiæ sponsæ Christi imperiis, &c.* Et *cap.* 42. *Ecclesia Gallicana non omnes indiscriminatim admisit Canones & Epistolas Decretales, sed eas quæ antiquo Corpore Canonum usque ad Gregorium II. continentur.* Negat superiorem esse Concilio Pontificem, & nos toties negavimus, quoties hac comparatione, hac rixa nova, olim inaudita, invidiosa, inutili supersedendum esse inculcavimus. Ligari Pontificem Canonum Synodalium nexibus asserit, in id & ipsi assentiuntur Pontifices, & nos altero harum dissertationum tomo remissam ita speramus elucidandam, ut nec de Pontificia majestate quidquam decerpatur, & legitimis tamen libertatibus antiquorum Canonum tenacioribus fiat satis. Nec tamen de principatu ambitiosa contentio recalescit, aut superior inde Synodus Pontifice efficitur. Ligantur enim & Synodi aliarum Synodorum, ligatur & Ecclesia suis ipsa legibus, ligantur & Pontifices suis, ligantur denique successores antecessorum Pontificum decretis; ne ut Paulus ait, secum conflictabunda authoritas, quæ struxit, destruat: quæ finxit, diffingat. Nec tamen in hac exemplorum strue, minor aut inferior est, qui legibus tenetur. Denique authore Pithœo, Gallia uno tenore erga Synodos generales, Pontificesque, utrorumque leges, non omnes admisit, veterum authoritate novas declinavit. Sic ille Petro de Marca præsultor. Iisdem inhæsit documentis Jacobus Capellus, libertatum & ipse patronus insignis: *Primò licèt Papa habeat plenitudinem potestatis; tamen si sine necessitate aut communi utilitate discedat à jure Sanctorum Patrum, aut contra dispenset, non est fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio secundum Bernardum. Libertez de l'Egl. Gall. ann.* 1639. *pag.* 41. Tum complura alia subnectit capita, quibus id unum pertendit, ligari Pontificem Conciliorum & anteriorum Pontificum decretis; nec in perniciem Ecclesiæ, vel regnorum scandalum, vel citra utilitatem, aut necessitatem dispensare posse: illa Pontificis cum Concilio conflictatione prorsus abstinet: gnarus Gallicanæ libertatis exercitio æquari potiùs Concilia Pontificibus, cum & nova Conciliorum statuta, eodem quo decreta Pontificum novitatis fastidio repelluntur. Eandem trivit orbitam longè doctissimus Antonius Hotmannus, solo antiquitatis usu, ac jure adversùs novitatem libertates has omnes suffulciens. *Ibid. pag.* 141. 197. 308. 309. 322. 323. Et post Constantiensem ac Basileensem Synodum perhibet ille quidem vexatam fuisse quæstionem illam, *an superior sit Papa Concilio*, Sorbonicis negantibus, Legistis ajentibus, teste Gersonio ipso, quia nempe hi *tantùm respicium decretales cum glossis, allegationibus & concordantiis.* Supersedisse Tridentinos Patres, mox ait ea quæstione attingenda: & tandem concludit; *nec facilè dirimi posse litem illam; & ejusmodi grandes ac generales quæstiones persæpè consultiùs in suspendio retineri: conducibilem esse modestam libertatem, sed deprimi plus æquo Pontificiam dignitatem, periculosum id verò esse.* Quæ eruditissimi viri verba plus satis produnt, quàm immaniter ille abhorreret à libertatibus patriis tam inconstanti lubricæque doctrinæ committendis. Nec ab horum vestigiis deflexit Guido Coquille: *In Gallia excogitata est ratio hæc honesta cohibendorum conatuum, quibus corruptela in Ecclesiam invehereturr: non velut ab abusu appellando à concessione rescriptorum Pontificiorum: in Pontifice enim agnoscitur Supremitas in negotiis Ecclesiasticis; sed tanquam ab usu provocando ab executione ejusmodi rescriptorum: ita in impetrantes culpa deri-*

derivatur, concedentis honori parcitur, par utilitas decerpitur. Ibid. pag. 425. Solius etiam antiquitatis præsidio pugnat Leschasserius, prætendens cum Carolo VI. Gallorum Rege, *jus commune antiquum, antiquos Canones, statuta antiquorum Patrum*: cum Carolo VII. *statuta Sanctorum antiquorumque Patrum* cum Sancto Ludovico *dispositionem juris communis, sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, & statutorum sanctorum antiquorum Patrum. Ibid. pag.* 501. Novellum illud jurgium prorsus silet, ut cassum & inutile; cum interfit, non quæ superior & major, sed quæ antiquior sit authoritas; & minor, si modò vetustior, antehabeatur majori, sed juniori. Prolixiùs torquet hanc litem de pari vel dispari Concilio & Pontificis potestate Miltotius: exulceratus nimirum eorum iniquitate, qui Pontificem Synodo anteferre cunctantibus, vel detrectantibus hæreseos notam passim tum aspergebant. Quam ille contumeliam strenuè propulsat. *Ibidem pag.* 546. *usque* 573.

CVII. Quod autem monuit Hotmannus temperatum esse in Tridentino Concilio ab hac controversia attingenda; operæ pretium erit, paulò accuratiùs id expendere, & monumenta ea ipsa evolvere, quæ non ita pridem Parisiis ea de re in lucem publicam exiere. *Memoires pour le Concile de Trente. Paris. ann.* 1654. *pag.* 116. 118. 119. 121. Et primò quidem Communionis usum sub utraque specie, à Pontifice exprimere enisi sunt Galli, qui obsecundaturus sperabatur illico, *ut qui intelligerent rem esse juris positivi, & consequenter non minorem suam ad id præstandum, quàm Ecclesia universa potestatem esse*; ut ait Orator Regius: qua de re nemo nescit, quid anterior Galliæ usus, quid Constantiense Concilium juberet: & tamen eam dispensationem ab uno Pontifice eblandiendam decreverat Clerus Gallicanus, consenserat Rex; eam à Pontifice ad purpurati Consistorii judicium referri ægrè tulit Regius Legatus. Et sæpiculè quidem vota verbaque eruperunt ad Pontificem Canonum antiquorum observantiæ astringendum; nusquam autem ad Concilii vim supra Pontificem extollendam. *Ibidem pag.* 135. 172. 173. 174. 182. Quin Oratores Gallicani testati sunt, in eo locari a se *principale fundamentum authoritatis Concilii, quod ad Christiane Reipublicæ commodum suam in illud Pontifex ipse authoritatem transtulisset*; nec enim ad scholasticas has altercationes Concilio invehendas, ullo se commonitorio à Parisiensibus Doctoribus instructos fuisse. *Ibid. pag.* 240. 242. 248. Alibi etiam omni se opes declinaturos spondent, ne illa controversia promatur de superiori vel inferiori potestate Concilii & Pontificis: lubenter assensuros, ut Pontifici tribuatur *suprema potestas in universali Ecclesia. Ibidem pag.* 280. 381. 382. Siluit ergo nostrorum maximè assensu illa tunc quæstio, & inde Concilio pax atque authoritas crevit, quod suam ipsi Pontifex, & vicissim suam ipsum Pontifici definiendi & statuendi potestatem accumulavit; ut supra laudatus advertebat Hotmannus, Pium IV. Concilii judicium esse voluisse, *etiam de rebus Sedi Apostolicæ propriè reservatis*. Qua sua cum Concilii Patribus conspiratione, confessi sunt nostrates tunc Galli, disputationes illas Scholæ claustris cohibendas esse, nec ad Concilia vel rerum Ecclesiasticarum tractationem vocandas; quibus nihil conducibilius, nihil optatius esse potest summa Capitis & Corporis totius Ecclesiæ charitate & conglutinatione.

CVIII. Denique ipsa illa Philippi Pulchri ætate, qua de patriis libertatibus incaluere atrociores pugnæ, Pontificis tamen & Concilii de principatu altercatio adhuc ferè conticescebat. Laudavimus jam suprà Gallorum tunc voces ad Romanum Pontificem: *Non habet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater Sanctissime, sensu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni cœlorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere. Suprà num.* 75. Quæ utcumque videantur quibusdam Pontificem Concilio anteponere: nobis tamen nec anteponere, nec supponere videntur, sed componere, ac conglutinare: ut quoniam aliquando non necesse est, non conducit Concilia coalescere: tum suam & Ecclesiæ, ut unam eamdemque Pontifex potestatem exerret; Ecclesiæ totius consensione, seu nulla intercessione consecuta, Concilii Oecumenici instar habituram. Videsis, quæ tum Galli philosophabantur de Cælestini Papæ resignatione, quam ut Bonifacii impeterent Pontificatum, infirmare gestiebant, *Hist. du diff. de Bon. VIII. & Phil. pag.* 34. 35. 451. *&c.* De Romani Pontificatus præcellentia quadam incredibili & divina nihil usquam magnificentius calamo vel mente comprehendi potuit. Pleraque eò recidunt, quòd resignare non potuerit Pontifex, quo nemo superior. *Quis erit ille tam vesano spiritu ductus, qui dicat Papæ Romano, quantumcumque volenti & consentienti, etiam & committenti expresè, posse non tantùm per solum collegium Cardinalium, sed nec per omnes homines, neque per universale Concilium, immò per omnem Clerum insimul congregatum, adimi posse subditos, quos Deus commisit pascendos, & confirmandos? &c. Quis renunciationem & cessionem Romani Pontificis, cum cessio & renunciatio coram suo superiori habeat fieri, si ad ipsam fiendam procederetur, ut superior acceptabit? &c. Ideo cum omni certitudine tenendum est, absolutionem Romani Pontificis à Papatu, per renunciationem, & per quemcumque alium actum omnino impossibilem fore, nisi per mortem, cum placuerit Deo: quoniam nec ipse seipsum, nec suus par, dato quod inveniretur, quod non est dare possibile, & multò minùs suus inferior, aliquatenus ipsum absolvere potest. Pag.* 456. 458. Has aliasque id genus rationes exufflavit contrariæ tunc sententiæ patronus, idemque Gallicanæ libertatis propugnator eruditissimus Joannes à Parisiis; nec tamen vel ad renunciationem, vel etiam ad depositionem, necessarium exaggeravit Concilii supra Pontifices principatum. Verba ejus sunt: *Sed ad deponendum decet, quod fiat per Concilium generale: ut patet d.* 21. *cap. Non autem. Ubi dicitur, quod convocatum fuit Concilium generale ad depositionem Marcellini. Credo tamen quod simpliciter sufficeret ad depositionem hujusmodi Collegium Cardinalium. Quia ex quo consensus eorum facit Papam loco Ecclesiæ, videtur quod similiter possit eum deponere, si quidem fuerit causa rationabilis, &c. L. de potest. Reg. & Papali, c.* 24. Et infrà, ut assensu Prælati & Ecclesiæ initur spirituale conjugium, ita dissensu solvi posse, nisi prohiberetur per superiorem, docet: *Et quia de Papa non invenitur prohibitum, sicut de Episcopis inferioribus, ideo Papa potest resignare & deponi, sine auctoritate cujuscumque superioris.* Et mox: *Potest nihilominus adhuc responderi ad hoc argumentum, & ad alia quædam: quod ubi apparet manifestè causa rationabilis, sicut ubi est defectus manifestus, supponitur consensus & authoritas Dei ad renunciationem & depositionem, sicut in ejus confirmationem supponitur.* Inferiùs tamen uno strictim verbo attingit hanc quæstionem, sed obiter & trepidè, atque ita ut ad alia statim subsidia recurrat: *Quod ergo dicitur, quod Papatus est summa virtus creata, & sic non potest auferri: Respondeo, licèt sit summa virtus in persona, tamen est ei equalis, vel major in Collegio, sive in tota Ecclesia. Vel potest dici, quod potest deponi à Collegio, vel magis à generali Concilio, authoritate divina, cujus consensus supponitur & præsumitur ad eum deponendum, ubi apparet manifestum scandalum, & incorrigibilitas ipsius præsidentis.* Et denique: *Ad decimam rationem, quod nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest, nisi per superiorem: Responsio: Planum est, quod hoc intelligitur de dignitate,*

qua confirmatur per superiorem. Sed ascensus Papæ sine superiore, confirmatio ejus est; & ideò descensus ejus sine superiore, cessio est. Ubi perspicis 1. principatum Concilii seu Ecclesiæ supra Pontifices, uno verbo perstringi, nec in eo momentum rei locari. 2. Dubitanter insinuari majorem Pontifice esse Ecclesiam, vel æqualem; & utrumque perinde esse. 3. Collegio Cardinalium *vice totius Ecclesiæ*, ut ibi ait, idem juris permitti. 4. Denique in id totis viribus incumbi, ut etsi superiorem non habeat Pontifex, & cedere tamen, & aliquo etiam casu deponi possit. Qua de re nos alibi. Sed eo consilio ista à nobis hic sunt delibata, ut palam fieret, viris doctis ad quasliber extricandas difficultates solemne fuisse, nequaquam illam adhibere de superiore Pontificibus Concilii authoritate sententiam; sed alia potiùs munimenta: de quibus in posterioribus, nostroque ævo propioribus Conciliis illustrandis dicemus.

CIX. Sed largiamur id etiam, ut isto potissimo & necessario nitantur Gallicanæ libertates fulcimento; id rursus moneo, non tam flagitasse libertatum defensores, ut superior esset Pontifice Synodus; quàm intercessisse, ne Synodo superior esset Pontifex. Cujusmodi eorum conatui nihil nos reluctati sumus, quin etiam obsecundavimus non mediocriter, omnem de superiori gradu contentionem pro virili sedare enixi. Porro idem illi consequuntur, si modò non sit superior Pontifex, acsi esset inferior. Conculcare enim Conciliorum leges non poterit, quibus superior non erit: sicut nec antecessorum decreta irritare poterit, quibus inferior non est. Ergo Regii Senatus tonitrua in eos persæpè crepuerunt, qui Pontificem Concilio superiorem, qui Pontificem supra omnem Ecclesiam à Deo constitutum prædicarent: nusquam in eos qui ita Pontificem Synodumque conferrent, & consociarent, ut illum tamen Synodicis, majorumque suorum decretis devinctum agnoscerent. Quin immò quicumque invidiosiùs, ut minorem & inferiorem Concilio subesse Pontificem deprædicant: non aliud illi moliuntur, quàm ut Synodicis Canonibus eum astringant. Atqui id consequi fas erat, citra odium, citra invidiam, citra Pontificiæ dignitatis imminutionem; ita Synodorum generalium decretis Pontificem obligando; sicut illorum obligatur, quibus inferior non est, prædecessorum suorum, sanctorum Ecclesiæ Patrum, provincialium ubique receptorum Conciliorum statutis. Quocirca hæc jam mihi major verborum, quàm rerum controversia videtur superesse. Modò enim ligetur legum vinculis, ita ut non dispenset nisi aut invitante utilitate, aut cogente necessitate; non est lis ciendа Pontifici de statu suo & dignitate, nullo nostro emolumento, solo pacis & concordiæ fastidio.

CX. Verùm ut operiosiùs detergeamus illam imminutæ Gallicanæ libertatis maculam; id donemus etiam, inferiorem esse & dici Concilio Pontificem: nihil de suprà constitutæ doctrinæ veritate labascit. De solis enim fidei definitionibus Pontificiis disceptari etiam atque etiam contestati sumus: libertas autem Gallicana, quanta est, non in fidei, sed in disciplinæ campis liberioribus spatiatur. Id nomen ipsum clamat. Libertas enim in disciplinæ & consuetudinum varietate quadam infinita jactatur. Fides una necessariò, suique similis ubique & semper existit. Gallicana autem quæ libertas est, eadem non est cæterarum Christianarum gentium: at fides una omnium est. Unus enim Dominus, una fides. Itaque quo cæteras Christianæ Ecclesiæ partes superamus, id nequaquam ad fidei negotium pertinet. Alii enim aliis liberiores esse possumus, alii alias vendicare libertates, alii nempè aliam arrogare disciplinam; non alii autem aliam fidem amplexari. Quin etiam ab hac fidei invariabili unitate, velut ab immobili quodam cardine tota disciplinæ varietas religatur. Una enim Regina est, & ideò circumamicta varietatibus. Una fides, eò præclarior, quod illa disciplinæ & consuetudinum libertate non discerpitur. 2. Si antedicta replicentur, immò si omnia excutiantur de Gallicanis libertatibus exarata monumenta, id certò comperietur, nusquam de fide certatum, nusquam de fidei dogmate litem motam esse Pontifici, quoties pro libertate Gallicana conserta pugna est. Nunquam à Pontificia fidei definitione, vel à Sorbonicis, vel ab Universitate Parisiensi, vel ab Ecclesia Gallicana, vel à suprema Parlamenti Curia ad Concilium appellatum est. Et antequam hæ provocationes usurparentur, quandiu solo dissensu Gallia suas tuebatur consuetudines, nusquam Pontificis & Romanæ Sedis fidei vel definitioni dissensu qualicumque suo reluctata est. Quod argumenti satis est, ut ne duo hæc longè disjunctissima permisceantur. 3. Et ne antedicta omnia, vel quæ Consarcinatores ingentium de libertatibus Gallicanis voluminum conglomerarunt, ea ad legentium nauseam refricem: unum & alterum suggero, Hincmarum & Bernardum. Copiosissima & apertissima utriusque congessimus suprà testimonia, pro definitionum fidei Pontificiarum authoritate inconcussa: at nemo nescius est, & nos suo loco pandemus, quanta & quàm diserta apud utrumque inconcussæ synodalium Canonum authoritatis, & germanarum libertatum documenta refulgeant. Horum ergo vestigia lambere nobis votum studiumque fuit. 4. Constantiensi & Basileensi Synodis accepta fertur illa de superiore Pontificibus Concilio doctrina. At illæ geminæ Synodi solam expolire disciplinam, solam promovere reformationem studuerunt. Decreta utriusque de subjiciendo Synodis Pontifice, conceptis verbis ad solam Canonum observantiam ac reformationem referuntur. Sicubi fidei vox sonet, ex rerum verborumque contextu patet, fidem latiùs exponendam, ut cui schisma inter Pontifices exitium afferret. In Constantiensi causa Vviclephi retractata est: sed ita tamen, ut sola Romanæ Synodi damnatione percussus Vviclephus, & ante generalem Synodum præfunctus, in hæresi mortuus, & exhumandus declaretur. Denique Constantiensium & Basileensium decretorum interpretatio, ex ipsa rerum tunc & temporum conditione haurienda est. Nec enim Synodis moris est, definitiones suas in incertos eventus ejaculari; sed urgenti temporum accommodare necessitati. At verò illa tunc temporis procella non in fidem Ecclesiæ, sed in mores, in disciplinam grassabatur. 5. Et illa sanè Conciliorum frequentia, quæ Constantiensibus, quæ Basileensibus Patribus, quæ Gallis maximè cordi erat, quæ provocationibus ad Concilia flagitabatur, meræ reformationi in Capite & in membris ab omnibus destinabatur. Quin & ipsa Tridentina Synodus, etsi tunc quidem novellæ hæreses toto penè Christiano orbe, & apud Gallos densissimæ restagnarent, vel à Gallis tamen ipsis non tam ad fidei definitiones, quàm ad morum emendationem necessaria existimabatur, ut supra ostensum, ut mox amplius ostendendum; à cæteris autem etiam Catholicis non ad fidei quasi dubia exolvenda, sed ad hæreticorum contumaciam, vel extraordinario hoc remedio refringendam exposcebatur. 6. Quid autem de Sancti Thomæ, angelici scholæ magistri sententia, & de jurato in ejus verba discipulorum agmine dicemus, quæ permagna est Theologicæ Parisiensis scholæ portio? Quantò satius est, tot tantosque libertatibus patriis suffragatores conciliare? Atqui illi pro Pontificiis de fide diplomatis conjurati pugnant. Tutissimum ergo est, ita libertates defendere, ut ne illas cum tanto & tam domestico Doctorum cuneo collidamus. Parco recentiores scholæ Parisinæ flores recensere, Duvallium, Gamachæum, aliosque, quos Patriæ juribus & privilegiis infestos fuisse, non facilè dixerim, non temerè crediderim. 7. Quid quòd ubi de mera fide manarunt Pontificia rescripta, ipsæ amplissimæ Parlamenti Curiæ, ipsa Regiæ aulæ penetralia obviis

quasi

quasi ulnis amplexata sunt fidei regulam: nec ulla ullum inde suis libertatibus creari posse periculum suspicio pupugit? Est prorsus, quod eorum vicem doleamus, & animi, fideique inconstantiam; qui nunc pronos in amplectendis promulgandisque, nunc morosos & austeros in excutiendis rutinandisque Pontificum rescriptis, vel de Pontificia authoritate doctrinis vident Reges, Procereſque, ac Senatores Regios, de religione & fide ipsa malè suspicantur, sæcularis imperii flatu aut reflatu alternare, & quasi vertigine quadam rotari huc illucque Ecclesiasticam doctrinam putant: & quæ fixa sunt semel, refigi contrà posse non desperant. Hæc animi levitas, hæc imbecillitas fidei ex mera nascitur incogitantia, inscitiaque Ecclesiasticæ Theologiæ. Non Reges Christianissimi, non Judices amplissimi sibi dissentiunt, non secum conflictantur. Sed alia est fidei, alia disciplinæ conditio. Ibi obsequium, hic libertas locum habet: ibi pronitas animi, & devotio explicatur; hic libertatis cura suspensior, & suspicacior hæret. Hæc compendiaria ratio est imaginariæ illius pugnæ, & suspicionis iniquæ diluendæ, fiduciæque certiùs arrigendæ in Christi optimi maximi providentiam, de Ecclesiæ suæ fide & castitate ludos agi haudquaquam sinentis. 8. Ut verò liquidius fiat, quàm non pugnet, & nil posse contra Canones Synodicos moliri Pontificem, quod libertatis Gallicanæ vindices urgent: & Pontificum tamen de fide constitutionibus certam constare veritatem: recurrat animo priscos Pontifices utrumque frequentissimè, scilicet & Custodes Canonum, & Fidei Magistros professos esse. Ad nauseam penè utrumque decantatum occurrit in priscorum, in mediæ ætatis, in nuperorum Pontificum epistolis. Et utrumque, ni fallor, cognatum sibi, coalitumque est. Ut prima videlicet Sedes, quæ fidei, eadem Canonum custos sit: ut Apostolica Cathedra & in fide dictanda, & in vita componenda principetur: ut Petri Magisterium mentem fide, mores certis regulis imbuat, una eademque & doctrinæ & sanctitatis ad doctrinam contemperatæ scatebra. 9. Stupor quorumdam & aversatio fortassis vanescet, hoc perpenso, cùm ante centum annos novellæ hæreseos venena serperent impunius, *Parisiensis Senatus decreto edictum esse, ut Christiana Religionis formula à Sorbonicis Theologis conscripta, Regiaque lege comprobata, Dominicis diebus in templis publicè coram populo recitaretur. Thuanus l. 5. p. 152. ad ann. 1548. & lib. 26. p. 780. ad ann. 1560.* Item posteà *constitutum, ut quisque fidei professionem ederet juxta formulam à Sorbonicis Theologis ante annos* 18. *præscriptam, & in Senatu promulgatam. Qui recusarent, vita & bonis multarentur. Conferenc des Ordonn. l. 1. to. 1. p. 1. §. 1.* Necdum Tridentina Synodus perfecta tunc fuerat, necdum Galli ejus initiis consenserant. Formulam fidei Sorbonici Theologi conscribunt: Rex, Senatus, comprobant, promulgant. Subscribere omnes adiguntur, detrectatores spoliantur vita & fortunis. Non extinctæ, ne sauciatæ quidem sunt Libertates hoc Sorbonico fidei decreto. Quid si Pontifici, si Principi Cathedræ tantundem saltem permittatur? Quanquam & illa fidei formula non absurdè tantas has vires conjiceretur à Pontificum constitutionibus grassantium tunc errorum peremptricibus mendicasse; nec id ipsa dedignaretur. Si dicas tam apertam & expeditam tunc fuisse fidei causam, ut non ampliori indagine opus esset: Reponam & ego, quod Verbum, quod Spiritus Sanctus cum Patre unus sit Deus; quod una persona, quod duplicis naturæ sit Christus, tam clara & familiaria hæc esse rudimenta fidei Christianæ; nec dissimiliter de aliis Catholici dogmatis partibus: ut hæc fidei decreta ex limpidissimis Romanæ Ecclesiæ fontibus facillimè hauserit, & in reliquas Ecclesias effuderit summus Pontifex, princeps in Episcopatu fidei. Non aliud enim est illud privilegium, quod tam invidiosè quidam dilancinant, quam quod ut Sorbonicis tunc doctoribus licuit fidem Ecclesiæ, in qua degebant, conscribere: ut quibuslibet Episcopis fas est, fidem quam lactentes suxere, lactentibus instillare populis; ita jus fasque est Pontifici Ecclesiæ antiquissimæ, principalissimæ Matricis omnium Ecclesiarum, & ipsarum Matricum Matricis, fidem in Ecclesia sua, ut in originali scatebra puriùs manantem effundere, & in orbem derivare. Porrò ille Capitis & Corporis Ecclesiæ concentus est, illa Spiritus Sancti Ecclesiam universam vegetantis informatio & unitas, ut vocem fidemque Capitis sui, veluti suam, propriamque ecclesiastici corporis compago universa agnoscat, teneatque. Nec enim imperiosa opus est Capitis potestate, ut membra Capiti consentiant: id ipsa feliciùs præstat eorum indoles, vita, & Spiritus veritatis inspiratio. Quocirca nec Pontifices in fidei dogma suam inerrantiam invexere, contenti tot sæculorum experimento, concentu intimo, & cœlestis Spiritus vegetatione, sponte sua, membra Capiti semper in fidei decretis concordasse. 10. Hæc Romanorum & Parisiensium germana videtur esse concordia. Quod illustrius fiet, si hæc ex Navarro antè promamus, quæ ex eo decerpserunt Libertatum Compilatores: *Non est consilium in præsentia definire, cui principalis potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro; propter illam maximam discordiam Romanorum, & Parisiensium. Illi enim tenent Petro & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papam Concilio esse superiorem. Ii verò quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licèt exercendam per unum, atque ideo in aliquot saltem casibus Concilium esse supra Papam. Quarum illa, scilicet Romanorum, videtur placuisse Sancto Thomæ, &c. Preuves des libertez de l'Egl. Gall. cap. 12. num. 10.* Quæ ille alibi quoque iterat, aliaque subrexit, quibus rem videatur ad Canonum & disciplinæ synodicæ observantiam revocare. Consule, si per otium vacat, loca ipsa; de disciplina quæstionem verti perspicies. Alioqui si de fide ageretur, non posset alia Romanorum, alia Parisiensium esse sententia. Sed cùm utraque gens in fide consentiat secum, & cum Capite Ecclesiæ conspicuo: minùs mirum est, si altera alteri minùs congruat in disciplinæ & consuetudinum varietate: & Romani Pontifices constitutionibus disciplinam regentibus addictiores sint Romani, quàm Galli. Si diversas enim à Synodalibus leges alicubi invexit Pontifex, ususque confirmavit, atque ibi videatur Pontifex ea de causa Conciliis superior, quid adeo novum aut insolens istud videtur? Nonne & adversùs synodicas leges sæpiculè libertas Gallicana repugnat, diversosque suos retentat mores? Si rursum alicubi ita mordicus retinentur priscarum Synodorum regulæ, ut nec Synodorum generalium posteriora, nec Pontificum nova aliqua decreta admittantur: atque ita ibi videantur eatenus Pontifices minores Synodis, videantur æquè novæ Synodi minores antiquis: nonne Gallicana hæc erit libertas, & mera disciplinæ versatilitas? Mera ergo ista consuetudinum pugna est, & ideò nec pugna est; sed pugnæ umbratilis, fuco quodam perlita, & hoc ipso lætior concordia. Sola consuetudinum varietas, sola verborum discrepantia est, cùm hìc superior, illic inferior Synodis jactatur Pontifex: qui consultiùs fortasse, nec superior, nec inferior diceretur; sed disciplinam suam sponte versatilem suo ingenio permittere: & in authoritate Pontificia dispensanda Synodos ipsas Oecumenicas imitari, quarum nonnullas leges libertas Gallicana etsi reveretur, non tamen sequitur, quibus tamen se superiorem nequaquam venditat. Sed ubi de re convenit, in verborum usu clementes esse debemus. Denique ubi ajebat Navarrus, ex Gallorum sententia, *in aliquot saltem casibus* eminere Concilia Pontificibus: eò pertinere illud posset, ut in fidei quæstionibus non semper Concilia Galli desiderent.

CXI. Sed ad ipsos jam properemus libertatum defensores, ut has argumentationes ex ipsa eorum officina depromptas esse revincamus. Ordinem ducet suo quodam jure Philippus Pulcher cum optimatibus suis, quos suprà audivimus ita Pontificem alloquentes: *Absit à Regia perennitate, in quæstione fidei quidquam, quod vestra sanctitas, maximè sacro approbante Concilio deciderit, in aliquod unquam dubium revocare.* Vides curiosè distingui, *in quæstione fidei*. Et ibidem rursus: *Nec ut Papa, potuit esse hereticus. Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, potuit esse hereticus.* Non ergo ista obstrepunt libertatibus Gallicanis. His accedat suppar Joannes de Parisiis, strenuus & ipse vindex libertatum, qui etiam perstrinxit suprà Synodum generalem eminere Pontificibus: at definiendæ tamen fidei decretoriam potestatem idem ipse adseruit Pontificibus: *Post corporalem subtractionem Christi convenit interdum, circa ea quæ sunt fidei, quæstiones moveri: in quibus propter diversitatem opinionum vel sententiarum divideretur Ecclesia, quæ ad sui unitatem requirit fidei unitatem; nisi per unius sententiam Ecclesiæ unitas servaretur. Hic autem principatum ejusmodi habens, est Petrus, successorque ejus. Lib. de pot. Reg. & Pap. cap. 3.* Plura superiùs ex eodem carpsimus. Hæc Dominicanæ familiæ alumnus eximius, nuperis libertatum defensoribus commendatus (*Lib. de l'Egl. Gall. p. 459. 528.*) Thomisticæ totius sententiæ & scholæ cum germanis Galliæ libertatibus idoneus conciliator. Nec multò pòst, cùm de Dei visione beatifica ante corporum resurrectionem digladiarentur hinc & inde Theologi & Juristæ: Parisienses Theologi magno agmine hæc ad Regem præfati sunt, antequam suam ea de re sententiam expedirent: *Attendentes specialiter id, quod ab ore vestro audivimus, quòd nihil in hac materia quærebatis, quod tangere posset sanctum Patrem & dominum nostrum Joannem Dei prov. sacros. Rom. ac univ. Ecclesiæ summum Pontificem, cujus sumus devoti servi, ac filii: quin immò sicut filius ejus devotissimus honorem suum in his & aliis zelabatis: advertentesque quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia sua sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulerit, sed solummodo recitando: considerantesque, &c. Preuves des libertez de l'Egl. Gall. cap. 35. num. 18.* Tum teste Nangiaci Continuatore, Rex Pontifici scripsit: *Quatenus sententiam Doctorum de Parisiis, qui meliùs sentiunt, quid debet teneri, & credi in fide, quàm Juristæ, aliique Clerici, qui parum aut nihil sentiunt de Theologia, approbaret; & quod sustinentes contrarium corrigeret. Ad ann. 1332.* Quibus nihil potest magis consentaneum Pontificio huic privilegio cogitari. Nunc audiendus nobis Thomas de Corsellis, Doctor Parisiensis, & Nuncius Basileensis Concilii ad Regem Christianissimum. Ita pro Concilio adversùs Pontificem ille disputat: *Quod allegant Petrum esse Caput Ecclesiæ, hoc idem Basileense Concilium concessit, etiam de Ecclesia congregata. Nam & in una responsione sua dicit: Ipse erit Concilii Caput, ipse quidem primus est in Concilio: & ultrà dicimus, quod ipse habet interpretari Canones Conciliorum, in eis dispensare, & etiam eos mutare, si tempus & opportunitas id faciendi adveniant: hac tamen debet facere ad intentionem Concilii, hoc statuens propter publicam salutem. Non enim est ei data potestas in destructionem, sed in ædificationem. Et sic nihil negamus de privilegio Sedis Apostolicæ, &c. Sed si velit uti proprio judicio in contrarium universalis Concilii & intentionis ejus, & quod si Concilium statuat aliquid pro salute publica, ipse universaliter eodem tempore statuat in contrarium, ut si Concilium statuat electiones fieri sublatis reservationibus, &c. ipse statuat in contrarium omnes Ecclesias Cathedrales reservari, sic rejiciendo voluntariè Canones sacros: hoc quidem ei facere non competit. Unde & quod habeat supremam authoritatem in Ecclesia, non negamus: sed quod habeat illam supra totam Ecclesiam, ita ut habeat preferre judicium suum judicio totius Ecclesiæ congregatæ, hoc non creditur. Ibid. cap. 12. numer. 4.* Vides quæ Thomæ, immò quæ Basileensis Concilii mens fuerit, cùm inferiorem dixit Pontificem Concilio: nempe Pontificem potestate sua abuti non posse in destructionem, quæ data est in ædificationem: non posse voluntariè rejicere Canones, etsi eos dispensare & mutare etiam possit, si utilitas eluceat, si necessitas urgeat: non posse præferre judicium suum judicio totius Ecclesiæ congregatæ, quod nec Pontifices ulli, ut reor, licere sibi voluerunt. Si quando enim Synodis refragati sunt, eas nequaquam universales, nequaquam totius Ecclesiæ congregationes ob infrequentiam suam existimarunt. Sed illud enitescit, totum illum Concilii primatum supra Pontifices, ad Canones & disciplinam attinere. Quocirca idem consequenter: *Quod verò dicit proponens ex adverso, quòd est diffidentia reprobata, si quis dicat Sedem Apostolicam errare posse: dicitur, quòd adhuc est major diffidentia, si quis dicat universalem Ecclesiam legitimè congregatam errare posse. Nec aliquis diffidit, quòd Papa in suis sententiis errare possit, si non velit agere contra ea, quæ in sententiis, & in scriptis Sanctorum Patrum & Conciliorum definita sunt. Sed nihilominus Papa Urbanus dicit, quòd ubi apertè Dominus, & omnes Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres, (quod de Conciliis exponitur) aliquid definierunt, ibi novam legem dare non potest: & quòd si destruere nititur ea, quæ illi definierunt, non sententiam dare, sed errare convincitur. Itaque ad hunc sensum planè concedimus, quod errare non potest in sententiis suis: & quod intelligitur tunc dare sententiam, cum non destruit ea, quæ in sententiis & in scripturis Sanctorum Patrum & Conciliorum definita sunt: neque faciliter præsumitur, quod ea destruere vellet, nisi constaret de contrario.* His plura & locupletiora nemo desiderare potest. Perspicuè enim confitetur Pontificem in sententiis suis errare non posse, nisi apertè Conciliorum definitionibus adversetur, uti tunc apertè Basileensi Synodo Eugenius videbatur adversari. Sed ubi non *apertè* labefactantur Pontificis constitutionibus Conciliorum dogmata: ubi non ita *constat*, quòd Pontifex destruere velit synodales definitiones, sicut tunc constabat Eugenium Basileensibus adversari, ibi præsumitur Pontifex non errare. Nec Concilia porro ipsa certam nobis fidem sui ingenerarent, si ipsa secum ita palam colliderentur.

CXII. Et antequam ulteriùs provehar, si Gersonio, si alii cuilibet in mentem venit, contingere posse ut in definiendo fidei dogmate, hinc universa Ecclesia, seu Concilium Oecumenicum, inde ex adverso sentiat Pontifex: & tunc ille posse Pontificem solitarium, non posse Ecclesiam universam errare constituat: cujusmodi videtur hìc attigisse hypothesin Thomas de Corcellis; cujusmodi fortassis à multis scholæ magistris supponitur: ego verò profiteor, in hac verbosissima dissertatione, nec verbum quidem unum scripsisse, quod ad eam controversiam spectet. Id contigisse unquam hactenus, vehementer nego. Omnibus enim historiæ Ecclesiasticæ paginis obvius fit nobis semper Pontifex, agmine & suffragio suffultus vel omnium, vel longè plurimorum Catholicorum Antistitum, quoties de fide tractatum est. Non est autem nostri instituti, abstractas & in scholastico ótio enatas, non in actu rerum exortas sectari controversias, sed accommodatè ad historicam fidem, quæstiones in Ecclesia tot sæculis volventibus excitatas edisserere. Quanquam id facilè à cordatis omnibus impetrabitur, quod tanta decedentium & succedentium ætatum intercapedine non contigit, id fore ut non contingat, fiduciam penè indubiam adesse.

CXIII.

CXIII. Ad juniores libertatum assertores descendo. Præfulget inter illos Antonius Hotmannus suprà jam laudatus. Censet ille Ecclesias alias ab aliis, & ab ipsa Romana discrepare posse consuetudinum usu libero, *citra dissidium ab unitate Ecclesiæ, & à principatu Romanæ Sedis. In primatu Romanæ Cathedræ vinculum esse unitatis Ecclesiasticæ, propter omnium membrorum compaginationem cum Capite. Si Capite enim orbetur Ecclesia, tum Antistites quilibet sparsim per orbem suæ solertiæ indulgebunt, & ad libidinem suam propositiones alias & alias pugnantesque in Ecclesiam invehent, atque ita religionem Catholicam dissipabunt. Libertez, de l'Egl. Gall. pag.* 312. 313. 314. Non potuit expressiùs ipsissima Joannis de Parisiis sententia explanari. Probat ille quod in Conventu Turonensi ann. 1510. decretum est adversùs Julium II. Pontificem, *Subtrahere se ab obedientia Romani Pontificis licere, non in totum, nec indistinctè, sed pro tuitione tantùm ac defensione jurium suorum temporalium.* Addit ex Concilio Ephesino, Victore Uticensi, Gregorio Turonensi Catholicam Regionem jam olim *Romanam* appellitari solitam: denique id certò constare, *nunquam Ecclesiam Gallicanam, aliam à Romana fuisse.* Amplissimam ille alibi potestatem donat Pontifici Romano decernendi de Religione, sic tamen ut consuetudinum libertas Gallis facta tectaque servetur. *Pag.* 353. 354. 355. 358. 360. 391. Ex Fulberto enim: *Nos non offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Sed neque in hoc scandalizamur, si audivimus diversam observantiam, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stat enim regina Ecclesia, à dextris Regis sui in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quibus concinit Guido Coquille, *Gentes omnes sponte concessisse in Sedis Romanæ obsequium tum ob memoriam B. Petri, tum quod Romana Ecclesia à doctrina per Petrum disseminata castitate nunquam defeciverit, tum denique quod Christus supra firmitudinem fidei Petri Ecclesiam suam fundaverit. Quocirca Catholica Religio, Apostolica etiam & Romana nuncupatur. Non quod fides nostra urbi Romæ per sese sit affixa, sed quod cum Romam dicimus, in mentem venit ejus fidei, quam Petrus Romæ fovit Romanus ipse Episcopus, & quam Romani Pontifices ejus successores retinuerunt. Ibid. pag.* 409. 410. Hoc semel jacto constantissimo Romanæ Sedis fundamento, tantò postea ille securiùs pro Gallicanarum libertatum defensione certat. Otiosum foret reliquos producere. Omnes pro sola disciplinæ veteris libertate conspirant. Nihil urgent, nihil efficiunt, quod fidei jugum ejusdem libertatis obtentu excutiat, aut vel concutiat. Illi ipsi nupertimi horum omnium Compilatores, quid sibi esset consilii, prodidere, his ad singulorum operum exordia præfixis sententiis. Ex *Can. ult. Concilii Ephes. Placuit sancta & universali Synodo, servari unicuique provinciæ pura & inviolata jura, quæ jam inde ab initio habet, secundùm antiquam consuetudinem.* Ex Hieronymi *epist.* 28. *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Ex Greg. *l.* 1. *epist.* 41. *In una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa.* Ex Basilii *epist.* 70. *Unum jam crimen est, quod vehementer punitur, si paternas quis traditiones diligenter observet.* Ex August. *epist.* 86. *In his rebus, de quibus nihil certi statuitur scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.* Et alia id genus complura, fronti opusculorum prætexta sunt, quæ à fidei ingenio abhorrere, & ad consuetudinum jura coactari debere exploratissimum est. Evolve quæ ipsimet in caput 10. 12. 13. conjecere, ubi Conciliorum & Pontificum causa expenditur, omnia perspicies ad Canonum observantiam, nihil ad fidei decreta collimare. Concilia autem quibus maximè fructibus patiendis necessaria duxerint majores nostri, clarebit dilucidè ex oratione Gallicani Oratoris ad Patres Tridentinos: *Siquidem centum quinquaginta anni elapsi sunt, ex quo Reges nostri petierunt à Pontificibus Ecclesiasticæ Disciplinæ jam tum labentis restitutionem, missis Oratoribus ad Synodum Constantiensem, Basileensem, Lateranensem, & Tridentinam, &c. Quorum orationibus nihil aliud efflagitatum, quàm ut de Ecclesiæ ministrorum emendandis moribus serio ageretur: & tamen adhuc nobis jejunandum & flendum est, non ut Judæis quinto & septimo mense, sed totos jam ducentos annos, atque utinam non trecentos, & multò amplius. At inquiunt, vobis abundè satisfactum est tot anathematis, ac dogmatum decisionibus. Et certè fatemur, si aliud pro alio solvere invito creditore jus est, nobis satisfactum esse: sin minus, adhuc creditores sumus, quos nunquam anathemata & dogmatum definitionem postulasse scitis. Testes appello vos, illustrissimi legati, quibus septuagies septies hoc ipsum prædiximus, &c. Thuanus lib.* 35. *pag.* 265. *ad ann.* 1563. Et in ejusdem orationis apologia: *Cum diximus nos reformationem tantùm, non etiam dogmata petiisse, non etiam diximus, ut Religionis Catholicæ præcipua capita, & de quibus est hodie tanta controversia, perpetuò incerta esse debeant. Verùm cum in illis sit inter Catholicos homines consensus, existimavimus à corruptis moribus, qui sunt omnium hæresum fons & origo, esse incipiendum. Memoires pour le Conc. de Trente, pag.* 496. 286. 289. 299. 303. *&c.* Usque adeo & ante Synodum Oecumenicam Catholicis omnibus conveniebat de dogmate orthodoxo, cum solis hæreticis lucta erat, aut hæretici audiebant, quibuscum lucta erat: nec Concilii dogmata conscripturi necessitas impendebat, nisi ad hæreticos suffundendos: Catholicis nempe omnibus priscæ fidei Ecclesiarum suarum retinentissimis, & principaliter Romanæ, omnium Ecclesiarum magistræ. Quod ipsum sexcentis aliis locis posset confirmari indidem depromptis. Ubi experimento ipso liquet, hominum persæpè sententiam ex vita magis, quàm lingua: ex gestis certiùs, quàm verbis censendam esse. Qui enim in scholastico pulvere, quasi rixandi gratia, non aliter certum quid de hæretico, vel Catholico dogmate constare, nisi generalis Concilii constituto increpitant: illi ipsi & olim & etiamnum Sorbonicis, Episcopalibus, primæ Sedis de fide decretis citra vel ante generale Concilium annuunt, subscribunt, contumaciter renitentes hæreticorum elogio notari assentiuntur; nec ullum hinc patriis libertatibus creari periculum quiritantur, ut quæ non fidei vinculum abrumpere, sed consuetudinum liberam varietatem intelligantur affectare. Denique edictis ipsis in Parlamento registratis, Regum Francisci I. & Henrici II. hæretici censentur, quicumque novant quidpiam *constitutionibus synodalibus & Papalibus adversum, seu Sedis Apostolicæ. Conference des Ordon. l.* 1. *to.* 1. *p.* 1. §. 2. *Preuves des libertez de l'Egl. Gall. c.* 28. *n.* 15.

CXIV. Hactenus ergo geminum concordiæ cum germanis Gallicani Regni libertatibus propugnaculum astruximus: concluso hoc & perfecto: & ea sententia de superiore Pontificibus Concilio illas minimè fulciri: & ut ea fulcirentur, eam tamen non ad fidei capita, sed ad Canonum custodiam, consuetudinumque libertatem necessariò restringi. Unum video, quo plerique impingantur, offendiculum. Si certa fides Pontificiis de fide decretis adhibeatur, posse illis quandoque tantam Pontificum in Reges & regna vendicari ac definiri potestatem temporalem, ut de libertatum sospitate conclamatum sit. Hoc terriculamento mirum est si docti viri moveantur. Num de Concilio enim generali non potest idem ipsum objectari? *Si possit Pontifex, num non poterit* & Synodus idipsum sancire? At Synodo interceditur? Æquè interceditur & Pontifici, id ne definiat. At rursum ajes, procul esse Synodos ab errore & procul fore, quo Regum legitima à Deo ordinatorum, unoque Deo minorum,

rum, ut ait Tertullianus, jura pessumdarentur; respondeo æquo jure dici, abeo procul esse, procul-que fore Pontifices. Itaque quos imminutum eunt, inopini exæquant Synodis Pontifices: & jura Regum quibus consultum volunt, imprudentes pari Synodorum injuriæ objectant, dum Pontificibus subducunt. Si enim ideo non potest Pontifex ea jura deterere, quia minor est Synodo; Synodus ergo, quæ nullo minor est, id poterit. Cæterùm ab annis jam sexcentis quoties Sacerdotium Imperio collisum est, quia causæ illæ communes erant, in generalibus Synodis à Pontificibus tractabantur: inde in Teutonicos maximè Principes sævitum est. Non est ergo rei hujus invidia à Synodis abstergenda, & solis illinenda Pontificibus. 2. Nuperrima Synodi Tridentinæ gesta ac monumenta pervolutanda sunt. Ibi sexcenties comperietur, ut nihil intentatum reliquerint Galli, ne quid patriis juribus, vel moribus receptis derogaretur, Regumque prærogativis. *Thuanus l.* 35. *p.* 267. 268. *&c. ad ann.* 1563. *Memoires du Concile de Trente pag.* 502. 506. 507. 511. 542. *&c.* Si quid ibi perstrictum, vel delibatum visum est nihilominus, hactenus interceditur, non provocatione ad majora tribunalia, sed dissensu. Si à Pontifice ejusmodi quid pertentante, provocatum fuisset ad Synodum Tridentinam: tunc convenienter necessitas inevitabilior incubuisset, & ultro provocata, standi judicio Patrum Tridentinorum. Suis ergo se laqueis irretiunt, qui hos tuendarum libertatum sectantur anfractus. 3. Vel invitis ergo id extorquetur, hanc totam esse non fidei, sed disciplinæ & consuetudinum causam: ex quo id nimirum efficiunt, ut non omnia de his statuta Conciliorum etiam generalium statim admittantur, etsi illorum fidei decretis subscribatur incunctanter. Quin igitur & in Pontificum causa definitiones fidei & consuetudinum secernunt; & ex fidei unitate necessitatem obsequii, ex consuetudinum diversitate libertatem quandam exurgere posse intelligunt? Nam ut ut cavillentur decreta morum & disciplinæ in juris quæstionem, adeoque in fidei causam rapi posse: illud tamen fixum immotumque stat, longè diversissimam esse fidei disciplinæque substantiam: ibi unitatem & necessitatem obsequii; hìc varietatem & libertatem modestam locum habere: adeoque particularibus regnis & gentibus Christianis nefas esse aliam fidem, fas esse aliam quandoque à Matricibus Ecclesiis & Oecumenicis Synodis, nec ipsis dissentientibus, sectari disciplinam. 4. Ab Ecclesiastica sobrietate devium est, inauditas comminisci hypotheses, & Theologica dogmata superstruere illis consiliis, quæ extremæ forsan necessitatis telo exprimerentur. Satis illud nobis superque est, si sapimus ad sobrietatem, quòd tanto sæculorum lapsu, nihil Synodi, nihil Pontifices in fidei dogma transferre decreverunt, quod legitimæ & cœlitus ordinatæ supremæ Regum potestati officiat. Excubabit peræquè posthac Dei clementia, nequid novum & insolens statuatur. Ne importunis ergo commentis nostros animos fatigemus. Alioqui perinde posset aliquis detestabiles & huic adversas comminisci hypotheses, & tunc quæ consilia capessenda forent rimari. Sed facessant à nobis hæc commentorum portenta. Apage has intemperias infandarum quæstionum. Paci Regni & Sacerdotii hæc curiositas parum amica est. Satius est meliora de Antistitum Principumque concordia ominari. 5. Ecquid, oro, causæ est, quamobrem cùm ab annis amplius quadringentis tot Gallicani Scriptores tuendis libertatibus insudarint, nulli occurrerit hæc argumentatio? Sentiebant nimirum illi innoxiam esse spiritalem, Pontificum potestatem, & temporali Regum authoritati summæ amicissimam. Quin & devinctissimam esse illi, tanto beneficiorum cumulo, quorum fidem faciunt Annales Ecclesiæ, non nesciebant. Clam illis non erat ultrò citroque Pontifices Regesque beneficiis juvari & certare solere: suspiciones infaustas ablegandas ex animis, bene ominandum; atque inauspicatis quæstionibus supersedendum esse. Conticuerat hactenus hæc argumentatio apud Catholicos scriptores. Alioqui prodebat olim regiam majestatem Ludovicus IX. idemque & sanctitatis, & defensæ libertatis ergo spectatissimus, quando suprà numero 81. Græcum Imperatorem de fide cum Romana Sede certantem, ejusdem Sedis arbitrio obsequi hortabatur. Prodebat Philippus Pulcher, prodebant Gallicani Magnates, cùm *in fidei quæstione*, quod definisset Pontifex, in dubium vocari posse negabant: cùm Pontificem, ut privatum, non ut Pontificem, hæreticum esse posse: cùm illum instar habere Concilii universalis clamabant. Prodebant Franciscus I. & Henricus II. suprà numero 113. cùm hæreticorum numero haberi sanciebant universos, novantes quidpiam adversum constitutionibus synodalibus, & papalibus, seu Sedis Apostolicæ. Prodebat regii imperii defensionem, quam susceperat Joannes de Parisiis, cùm Pontificio oraculo controversias fidei terminandas censebat. Prodebant Theologi Parisienses, cùm diversam suam à Joanne XXII. de Dei visione sententiam protulerunt, tum demum, cùm eis constitit, *quidquid in ea materia sua sanctitas dixerat, non asserendo, seu opinando, sed solummodo recitando protulisse.* Prodebat Thomas de Coreellis, cùm annuebat Pontifices erroris immunes esse, si modò Conciliis generalibus apertè non reluctentur, ut Eugenius Basileensi. Prodebant Tridentinæ Synodi tempore Galli omnes, priscæ fidei retinentes, quam rara vel nulla Concilia sanxerant. Prodebant hanc libertatum maximam defensores libertatum Pithœus, Hotmannus, Coquilius, Leschasserius, cùm meritè spiritali Pontificum potestati nihil derrahebant: cùm Catholicam fidem non aliam, quàm Romanam, cùm Romanos Præsules à Petri fide nunquam deviasse: cùm totam libertatem Gallicanam, Canonicam esse, & priscorum Canonum observatione niti consentiebant. Prodebant nuperrimi ipsi Compilatores libertatum, quos toties ostendimus, soli consuetudinum libertati patrocinatos esse. Prodebat Petrus de Marca, cùm stare libertates incolumes affirmabat, etsi æquo, vel superiori jure cum Concilio generali Pontifex uteretur. Prodebat denique Regium Consistorium, cùm pontificia de fide diplomata promulgabat. Vides quàm insidiosa sit libertatibus hæc argumentatio, quæ defensoribus suis omnibus illas nudat: quàm contumeliosa, quæ Regibus, Principibus, Senatoribus, Scriptoribus proditionis imprimit ignominiam: quàm improvida denique, quæ tot populos, tot Theologos ubique terrarum & in ipsa Gallia authoritati Pontificiarum de fide sanctionum addictissimos, in libertates istas obarmat. Quantò æquius est clancularias & volaticæ scriptiunculæ anonymum scriptorem contemnere, germanas & regibus ipsis, doctisque approbatas libertatum tuitiones sequi; illis odia amolirì, conciliare amicitiam tot ubique populorum, Theologorumque, Pontificiis de fide statutis devinctissimorum? Postremò denique non absurdè forsan istud quoque adjicietur; insolentissima illa hypothesi data, tunc usui fore illam ipsam, quam suprà semel iterumque concessimus, nec à Pontificibus ipsis damnatam monuimus, de Pontificum inerrantia liberam ultro citroque disputandi facultatem, citra Catholicæ fidei dispendium. Cùm enim fide Catholica ratum non sit, nunquam à fide deflectere decreta Romanæ Ecclesiæ Pontificisque Romani; perinde hac una dubitandi licentia, vetaretur in dogma fidei recipi, quodcumque adversùs temporalem Regum supremitatem Pontifices edixissent. Haud scio, an eò referri debeat, quod suprà censebat Hotmannus, arduas has quæstiones in suspendio relinqui, & nutare, conducibilius esse. Esset sanè, quod ad laudem summi Numinis assurgeremus, cui non primordia tantùm illuminationis nostræ, sed tenebrarum etiam nostrarum reliquiæ usui sunt; cui & scientia & nescientia ipsa nostra famulatur; cui mala

bene

bene vertere, lucem è tenebris elicere solemne est: dum contorquet profunda torrentis in usus suos, & fluxum sæculorum ordinat turbulentum, ut ait alia in re Augustinus. *Lib. 9. Confess. cap.* 8. Itaque fidei pudicitiæ utrumque præsidio est, & quod plerique Romanæ Ecclesiæ, ut primariæ matrici, & illimiori cuidam origini indubitanter inhæresciunt: & quod de illo matricis Ecclesiæ, Pontificisque privilegio nonnulli hæsitando, tantò suspensiorem, trepidioremque cogunt esse Pontificem, ne quid ejusmodi sanciat, à quo Ecclesiam Catholicam abhorrescere posse præsagiat. Hactenus de Gallicanis libertatibus, sed genuinis, quibus Clerum Gallicanum suffragantem suprà retuli: non illis, quas *impiis sententiis & prophanis vocum novitatibus* quidam referserе, ut ipse annuit Petrus de Marca, in præfatione libri de Concordia; quorum adeo libros ait, *Decreto sacri Consistorii, & sententiis Episcoporum damnatos*. Quocirca id necessariò jam moneo eos libros eatenus tantùm à me prolatos, ut libertatibus me non adversatum esse ostenderem, non ut eorum me astringerem ubique sententiæ.

CXV. Si dicas autem verbis quàm rebus splendidiora hæc esse, quæ de primæ Sedis privilegio ad terminandas fidei quæstiones disputata sunt. 1. Cum & particularibus Synodis, & sine Synodo Ecclesiis, Episcopisque id olim juris morisque fuisse ostenderimus, (*supra differt.* 4.) ut hæreses novellas damnarent, atque ita profligarent, ut ad Synodos Oecumenicas rarissimè recurrendum esset. 2. Cum ad eum modum ipsas quoque particulares Ecclesias, Episcoposque constet præisse Synodis generalibus, & quasi prælineasse quod sequerentur: ut Concilio Nicæno Alexandrum & Alexandrinam Synodum contra Arium: Ephesino 1. Cyrillum & Alexandrinum Concilium contra Nestorium: Sextæ Synodo Sophronium, & Hierosolymitanum Concilium contra Monothelitas. 3. Cum fide certum fixumque non sit, errare non posse definientem Pontificem: atque ita possit quisque hanc dubitandi de inerrantia Pontificis, & dissentiendi consequenter ab ejus definitionibus usurpare licentiam. 4. Cum Ecclesiæ potiùs universæ & uni asseratur infallibilitas, ut cui hæc prærogativa non possit citra jacturam fidei Catholicæ detrahi; atque ideo cujus unius consensio, seu expressa per Concilium Oecumenicum, seu tacita per solam offensionis vel intercessionis cessationem, cogat vel invitos quosque Pontificiis decretis inclinari. 5. Cum denique concentus ille Ecclesiæ universæ cum Capite, consensusque cum ejus de fide sanctionibus, invariatus quidem & constantissimus sit observatus: sed ita tamen, ut non tam ab imperioso Capitis dominatu proficisceretur, quàm ab intima Capiti, Corporique universo vitæ ac sapientiæ cœlitùs inspiratæ communione. Respondeo Corporis, universi & principalium membrorum ornamentis amplificari, non extenuari Capitis majestatem. Illa enim fidei exuberantia, qua particulares Ecclesiæ, Synodi, Episcopi obortas hæreses sæpissimè sine generali Synodo obruebant; exundabat, scatebatque primordialiter ab Apostolicis & originalibus Ecclesiis, quæ alias ex se effuderunt, & tandem ab ipsa Matricum Matrice Ecclesia Romana, seu Petri fide. Suæ itaque & primordiali origini, & perpetuæ cum originali Petri fide atque Ecclesia communioni, hanc fidei suæ integritatem, hanc authoritatem debebant. 2. Præisse Synodis generalibus Alexandrum, Cyrillum, Sophronium, cum particularibus suis Conciliis compertum est: ipsam etiam Romanam Ecclesiam tempore antevenerint, nihil moror: sed principatu & majestate Principem in Episcopatu fidei Romanum Præsulem cæteris anteisse, non semel monui. Utcumque enim rivuli fontem & membra caput anteveniant, radiique Solem: sed sola originis authoritate, præit & principatur illa Ecclesia, quæ cæterarum uti radix matrixque est. 3. Etsi inter fidei Catholicæ dogmata descriptum illud non sit, Romanæ Ecclesiæ fidem, Pontificemque docentem nunquam errare posse; particulares tamen omnes Ecclesiæ, maximèque Occidentales ita imbutæ, ita propensæ sunt, Petri fidem à Christo, Romanam fidem à Paulo firmatam, laudatamque sectari: in fidei dubiis Apostolicam Sedem consulere, & auscultare: in tanta Conciliorum generalium raritate, difficultate, impossibilitate, ut toties colligantur, quoties nova hæresis emergerit, antiquam fidem ab Ecclesia antiquissima, & principali origine repetere: ut quisquis à Romanæ Cathedræ fide, aut fidei sanctione defecit, nec resipuit, in hæreseos baratrum tandem præceps jerit: quisquis Romanæ fidei & communioni indivulsis inhæsit vinculis, hæreticæ notæ exors puruspque perstiterit. Non semper enim necesse est, non semper expedit Synodos generales coalescere. Tot ergo & penè innumeræ hæreses nullo unquam Concilio generali damnatæ, sive antequam damnarentur, sectarios suos nihilo seciùs certa infamia, certoque exitio implicuere: quia Ecclesiarum, & Romanæ inter eas principantis fides contemnebatur. 4. Longè ineluctabilius est quidem dogma de incorruptibili Ecclesiæ universæ fide: sed fidei suæ sinceritatem particulares omnes Ecclesiæ, quarum collectio Ecclesiarum implet Catholicam, non illubentes acceptam ferunt radici & origini suæ, Romanæ Ecclesiæ, suæque cum ea irrevocabili communioni. Itaque fonti abroganda non est exundantis fluminis gloria, & puritatis laus. Porrò universalis Ecclesiæ, seu particularium omnium Ecclesiarum fines perlustrare atque explorare sententiam, ad fidei regulam indagandam, operosum id est, & Novatorum ludificationibus obnoxium. Ideo Irenæus suprà admonebat, necessariò utendum esse compendio, & ad onerandos pudore omnes hæreticos, unam Romanam Ecclesiam adeundam, ut ex ea, non ejus tantùm, sed universæ Ecclesiæ fides perdiscatur. 5. Redundat illud in majorem Capitis laudem, quod universa membrorum compago, & ingenio instinctuque suo, & cœlesti impulsu, ita agitur in ejus obsequium, fideique consensionem, ut ab ejus fide nunquam dissentiat. Meritum Petri, fides oratione Christi roborata, Cathedra Apostolici magisterii, eò pluris debet fieri, quod citra servitutis invidiam, & lubenter & indeclinabiliter ei omnes Ecclesiæ adhæresciunt. Non servitus enim illa est, sed pietas, adeoque libertas, quo discipuli Magistro, Capiti membra obsequuntur, cœlesti Spiritu vitam fidei & sapientiæ, non solùm eandem Capiti & membris, sed etiam per Caput membris, & ipsis in Caput suum membris reverentiam insinuante.

CXVI. Mussitant nonnulli, silentii saltem religione, forsan animi etiam consensu acquiescendum Sedis Apostolicæ definitionibus de fide; non tamen eas antè in fidei dogma evadere, quàm Concilio generali confirmentur. Mirum est si tam pingui errore impediri possint viri eruditi. Quanti enim ante Tridentinam & Constantiensem Synodum Catholico nomine & vita & fortunis multati sunt? Quantæ hæreses nullo unquam generali Concilio notatæ sunt? Quantæ generales Synodi vetustas & obsoletas hæreses, nullaque Oecumenica à Synodo proscriptas damnare abstinuerunt? Nec Synodorum generalium necessitati hæc officiunt. Nec id enim dissimulabimus, tunc necessariò coisse generales Synodos, si quando pestiferis erroribus adglutinati essent principalium Sedium Pontifices, aut ingentes populorum turbæ. Sic olim adversùs Paulum Samosatenum Antiochiæ Episcopum, quanta maxima tunc potuit, celebrata est Synodus. Sic Nicæna indulta est Synodus, populorum, Episcoporumque multitudini Arianis laqueis irretitæ. Ruffinus *lib. 1. cap. 1. Cum Alexander Episcopus natura lenis & quietus assiduis commonitionibus Arium cuperet à pravo incepto & assertionibus impiis revocare: nec tamen res ex sententia procederet, quòd*

plerof-

plerosque jam contagio pestifera assertionis infecerat, non solùm apud Alexandriam, verùm & per alias urbes, provinciasque dispersa, &c. Quæstio latiùs innotescit, sermo usque ad aures religiosissimi Principis pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat. Sic Nestorio Constantinopolitano, sic Dioscoro Alexandrino Antistiti Ephesina & Chalcedonensis Synodi donatæ sunt. Sic Sexta & Septima Græcis Episcopis, & numero, & Sedium prærogativa, & populorum frequentia spectabilibus. Sic Augustinus *lib. 4. ad Bonif. cap. ult.* Synodorum necessitatem ingruere aliquando non negat, ratò id contingere asserit. *Quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit. Cum potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas, necessitas talis extiterit: multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.* Extitit ergo aliquando *necessitas*, sed quod ad hæresum causam attinet, *rarissima:* nimirum ubi hæresis increbuerat, latissimèque serpserat: alioqui uno quopiam loco non egressa, ibidem velut in cunabilis suis præfocabatur sine Synodo, & inde *per cæteras terras devitanda innotescebat.* Et *lib. 1.* Operis ultimi *contr. Jul. num. 9.* Pelagianis Synodum generalem postulantibus, aut saltem collationem, qualis causa Donatistarum fuerat tractata iterum, respondet: *Quod propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coegerunt, &c. quales vos turbas Deus avertat ut habeatis: Deo tamen propitio non habetis.* Et Operis prioris adv. eundem *l. 2. cap. 1. Donatistarum furor occupaverat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum patiebatur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, &c.* Et ibidem mox ait, Collationem illam Donatistis potiùs renitentibus inflictam; at Maximianistis enixè flagitantibus negatam: *Cupiebant enim exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.* Denique ibidem paulò antè ad eosdem Pelagianos ita habet: *Vestra apud competens judicium communium Episcoporum modò causa finita est.* Ubi enim *communes Episcopi* Synodum, vel judicium agitarunt, eorum decreto causa finitur. Et Athanasius similiter lib. de Synodis: *Nicena Synodus non temerè habita est, ut quæ habeat gravissimos usus & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in causa festi claudicabant, atque unà cum Judæis Pascha celebrabant, & jam tum Ariana hæresis suos propugnatores habebat, qui eam defenderent, & qui piis insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atque ea causa fuit, cur universus orbis in Concilium coiret.* Ubi & populorum examina, & culmina Episcoporum in causa esse perspicis Synodi congregandæ.

Sed nihilò tamen seciùs ante Synodum Oecumenicam legitimè proscripta etiam tunc erat hæresis, seu decreto summi Pontificis, seu particularium Synodorum, aut Ecclesiarum calculo, Ecclesiæ universæ consensione firmato: nec ad Synodum tamquam ad rei dubiæ ventilationem, sed ad certi veluti dogmatis pleniorem confirmationem ventitabatur. Quocirca illa *necessitas*, quam insinuabat Augustinus, non ad dogmatis certam definitionem, quasi sine Synodo generali eam Ecclesia adipisci neutiquam possit: sed ad populorum pertinet & optimatum sedandos furores, ut qui Synodi Oecumenicæ lubentiùs acquiescant vel populari deliberationi, vel splendori ac potentiæ explicatiori. Alioqui enim nec Capiti, nec corpori Ecclesiæ certam veritatis conscientiam, ac fidei promulgandæ potestatem vel adimere, vel extenuare possunt populorum aliquot, vel procerum intemperiæ. Num pendebit enim vel Pontificis, vel particularis Synodi definitio, & in veri falsique, certi aut incerti confinio alternabit, donec vel annuant, vel abnuant Christianæ reipublicæ membra omnia? An quia Pelagio pauciissimi & ex Episcopis & ex plebibus consensere, ideo constantissima fuit & Romanorum Præsulum & Africanarum Synodorum sententia: si plures, nutasset? Immaniter hoc à vero distat. Ideò etsi utcumque excusatiorem, non tamen à labe purum censuit Cyprianum Augustinus, qui ante Concilium plenarium à Stephani & collegarum definitione discessit. Ideò nec culpæ omninò vacui, qui ante Nicænam Synodum à Paschatis ritu Catholico deviarunt. Ideo & in Concilio Romano sub Miltiade ita Donatistæ resipiscentes suis in Clero infulis gradibusque frui permissi sunt, ut hæc dispensatio esse & venia juris significaretur, adeoque in hæreseos vel schismatis ignominia antè illi demonstrarentur jacuisse. Ideo nec forsan omnibus condonatæ sunt Oecumenicæ Synodi, qui numero & splendore sectatorum pollebant. Num Marcioni enim, num Cerdoni, num Manichæo? Denique trecentis annis ne condonari quidem aut colligi potuere. Ideo Augustinus Pelagianos ab Occidentalium judicio ad Orientales & ad Oecumenicum Concilium appellantes objurgatione ista suffundebat *lib. 1. contr. Julianum cap. 4. Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioissimo martyrio coronare.* Ideo Cyrillus Alexandrinus suprà damnationi Nestorii & Nestorianæ dementiæ per Cælestinum promulgatæ & Romanam Synodum, necessariò subscribendum ajebat, aut Occidentalium omnium Ecclesiarum communione carendum: idque ante Ephesinam Synodum. Ideo ante Chalcedonensem Synodum epistolæ Leonis, qua Eutychiani dogmatis damnatio confirmabatur, Oriens jam, Occidensque subscripserat. Ideo sexta Synodo, itemque septima post Oecumenica anathema compluribus velut hæreticis inustum est, qui ante Oecumenicæ Synodi coalitionem insanire adversùs fidem, simul & vivere desierant. Idem nihilò obscurius est in reliquis deinceps Conciliis: sed in Florentino longè evidentissimum. Sed illud Sextæ & Florentinæ Synodo commune est, illud præclarissimum, quòd cùm vel longè plures, vel omnes Orientalium regionum Episcopi, Patriarchæ, populi in alienum dogma declinassent, cùm Imperator Græcus ante Oecumenicæ Synodi deliberationem negaret in fidei dogma suscipi quidquam posse: pervicit tamen Romana Ecclesia, nec Synodo Oecumenica absolutissimè opus esse; & ubi illa concessa, collectaque fuit, non uti de re dubia enucleanda, sed velut de inconcusso decreto confirmando magis magisque disceptari. Quæ si sedulò fuerint animo mandata, tum eorum retegetur hallucinatio, qui nusquam necessarias esse posse Synodos Oecumenicas arbitrantur. Ad solam illi intuentur fidei indagationem, quæ Pontificum decretis, & Ecclesiæ universæ per orbem sparsæ suffragio abundè dilucescere potest. Sed alia incidunt discrimina, quibus vix ac nec vix potest nisi per Synodos generales obviari: uti superioribus exemplis patefactum est, nempè cùm Pseudosynodus Ephesina per Chalcedonensem oblitteranda fuit; cùm tot Græcorum adversùs imagines spuria Concilia septimæ Synodi splendore obducenda fuere: cùm Constantinopolitanus Patriarcha cum permagna Orientis portione à Monotheliticis deliramentis in sinum fidei Ecclesiasticæ fuit revocandus per sextam Synodum: Græci similiter per Florentinam. Pluribus tempero, genus ipsum indigitasse contentus. Sunt & præter fidei causas, etiam schismatum, & corruptelarum tantæ quandoque pestes, quantis opprimendis tota necessariò concurrere & collaborare debet Ecclesia: cujusmodi maximè necessitas Majores nostros annis abhinc ferè trecentis visa est sollicitos habuisse. Cautissimum igitur est, inter extremos hinc & hinc scopulos medium iter sulcare: ut nec semper, nec nunquam necessariæ sint Synodi

univer-

universales: Olim quippe etsi à Pontificis summi decreto nunquam provocabatur ad Concilium: *Tamen aliquando ob bonum pacis instaurabatur judicium Sedis Apostolicæ: quod differt ab appellatione, &c. Judicia aliquot renovata, post Romanæ Sedis sententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt summi Pontifices, &c. Aliquando ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, Imperatorum rescripto, Apostolicæ Sedis judicia in majore Synodo instaurari contigit, in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat. Petrus de Marca. Conc. l. 4. cap. 17. in Syn. & num. 23.* Tradit quippe Augustinus post Romanam Synodum de Donatistis rursum cognovisse Arelatense Concilium: *Quibus verbis rem gestam describit, non autem regulam præscribit, qua in omnibus causis uti liceat, nempe instaurationem omnium judiciorum Apostolicæ Sedis in Synodo universali, quemadmodum plerique contra veterum sententiam sibi persuaserunt, &c. Causam Acacii, iterato judicio, in Synodo Oecumenica discuti passus non est Gelasius, neque cæteri Pontifices, quamvis schismate eam ob rem violata esset unitas Ecclesiæ: quæ sub Justino Principe restituta est, cedentibus Græcis authoritati Romanæ Ecclesiæ.* Quamvis dicantur hîc Synodi *ob bonum pacis, & ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem* concessæ, adeoque velut ex dispensatione: non elevatur tamen earum necessitas. Quæ major enim, aut inexorabilior necessitas, quàm paci & tranquillitati Ecclesiæ consulendi? Dispensatio autem adeo non expungit necessitatem, ut ex adverso ea sit demum laudatissima dispensatio, quæ donatur utilitati evidenti, vel *urgenti necessitati*.

DISSERTATIO XIX.

IN SYNODUM V. OECUMENICAM CONSTANTINOPOLITANAM II.

Anno Christi 553.

SYNOPSIS.

In defensione trium Capitulorum nunc arripienda, nunc abjicienda, ostenditur Vigilii Papæ non inconstantia, sed dispensatio, & pacis amor, vero nunquam injuriosus. Usque ad num. VIII.

Et si possit sontibus ignosci, non posse tamen insontibus vel scriptoribus vel scriptis anathema illidi ex dispensatione: nec potuisse trium Capitulorum damnationi facta subscribi, nisi manifestata, vel utcumque credita veritate. Usque ad num. XIII.

Quintæ Synodi memoriam alicubi aliquandiu sileri, indultum à Romanis Pontificibus, ex necessaria tunc saltem dispensatione, ubi regnorum & populorum strages antevertendæ erant. Usque ad numer. XXVI.

Proferuntur argumenta, quibus universim in rebus facti & personarum errare posse Synodos Oecumenicas probant aliqui. Contrà evincitur damnationi synodicæ errorum authorumque accommodandam necessario consensionem, ubi Synodis subscribitur. Usque ad num. XXXIX.

Sequestratis aliis factorum & personarum quæstionibus, ostenditur Synodorum Oecumenicarum, sive Ecclesiæ universalis judicia ad librorum damnationem spectantia, non posse deinceps retractari, aut in contrarium flecti, prolixè & ex hac ipsa Synodo. A n. XXVII. ad XLV.

Idem rursus multis argumentis perficitur: & quàm infeliciter clementibus interpretationibus enitantur purgare libros ab Ecclesia damnatos. Percurruntur anteriorum & posteriorum temporum exempla complura, quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis unquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque affricuisse. Usque ad n. LXVII.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino, aliisque ingentis famæ viris sentiendum sit, qui damnatos ab Ecclesia libros aliquos defensitari posse senserunt. Usque ad n. LXXX.

Ad eos qui rogitant, an de fide sit, hæresin hoc libro contineri. Quàm latè quandoque pateat nomen fidei & hæreseos. Quàm facilè suspectos hæresum habeat Ecclesia defensores librorum, quibus eas inesse ipsa judicat. Hæreseos suspicio vel accusatio, quàm non temerè ulli impingenda, quàm anxiè à quolibet propulsanda. Usque ad n. XC.

Decretis Pontificum quàm accommodanda, & quàm ultro sint accommodata placita schola. Item quàm non possint interminabiles ullæ lites, & decretorii judicii insolentes confingi, sed omninò tandem judicio Episcopali assentiendum sit. Usque ad n. XCIV.

Vigilii Papæ & Romanæ Sedis principatus quantùm resplenduerit in hac Synodo adversùs Novatores. Usque ad n. CII.

Defensores Capitulorum eruditi, quàm nullo privato studio, nulla acuminis sui fiducia, sed sola agerentur tuendæ Chalcedonensis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amoventur. Usque ad calcem.

I. PUrganda primùm nobis videtur inconstantiæ labes, quam affinxere plerique Vigilio Papæ; consiliorum ejus varietatem, arripienda nunc, post abjicienda trium capitulorum defensione, non medullitus & in recessu, sed specie tenus pensitantes. Cordatis enim non paucis ex adverso dispensatio hæc fuisse censetur, ad omnes prudentiæ numeros expensa, & summa tuendæ pacis atque unitatis Ecclesiasticæ constantia. Quippe cum intelligeret Vigilius versatilem hanc esse controversiam: & quo illa cumque erumperet, nihil periculi orthodoxæ fidei, quam hinc & inde certatim tuebantur omnes, creari; integrum ille sibi non injuria duxit, nunc huc, nunc illuc inclinare: & eò nimirum vergere, ubi major spes alluceseeret sarciendæ concordiæ, cui uni securum de fide Catholica servire fas erat. Itaque cum ann. Christi 546. Justinianus Imperator damnationi trium Capitulorum Mennam Constantin. & alios Patriarchas cum Episcopis subscribere coegisset; evocatus Vigilius, & anno 547. urbem regiam ingressus, Mennam & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit, Justinianum ad ea damnanda vim inferentem constanter sprevit. At an. 548. idem pacis studio inflexus, Judicatum ad Mennam, quem rogatu Theodoræ Augustæ in communionem receperat, protulit; in quo Theodorum Mopsuestenum cum dogmatibus suis, Ibæque epistolam, & scripta Theodoreti damnabat, *salva Synodi Chalcedonensis reverentia*. Hæc prima alternatio est necessariæ accommodata dispensationi.

II. Nam & increpari Orientales Episcopos primùm par erat, temerè Imperatoriis edictis justisque obsecutos, cum vel maximè plerique eorum contra Concilium Chalcedonense has instrui machinas suspicarentur. Et ubi quomodocumque assensi sunt Orientales omnes damnationi Capitulorum, tum & illis accedere Pontificem atque Occidentales consultum erat, ne secessione pertinaci schisma conflaretur. Itaque Vigilius & Capitula damnavit, ut Orientales sibi conciliaret; & salvam esse jussit Concilii Chalcedonensis reverentiam, ne exasperaret Occidentales: atque ita medium se utrisque velut sequestrem pacis interposuit. Hanc dispensandi sapientiam commendarunt Italiæ Clerici in epistola Legatis Francorum Constantinopolim proficiscentibus directa: *Veniens Constantinopolin Beatiss. Papa Vigilius, magis autem ut quod verius est dicatur, propè violenter deductus, cœperunt ibi ipsum expectare, ut damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis modis omnibus solveretur. Sed cum Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere consensum, jam tunc talis violentia facta est, ut publicè in conventu clamarit, Conteslor quia etsi me tenetis captivum, B. Petrum Apostolum captivum facere non potestis. Postea tamen tractatu habito, prædictus Papa Vigilius,*

sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinaverit ; sollicitè monendo , ne per occasionem aliquam , supradicta Synodus pateretur injuriam . Et quamvis nec hoc quod Papa fecerat , acquieverunt Afri , & Illyriciani , atque Dalmatæ , &c. Concil. Gal. tomo 1. pagin. 294. Vides infractam primò Pontificis adversùs minas iraſque regias constantiam. Vides inflexum postea , non terroribus ingeminatis , sed *tractatu habito* . Vides causam ab eo ordinatam sub aliqua *dispensatione* . Vides demptis illis qui nominatim restitisse ejus dispensationi perhibentur, Italos , Gallos , reliquosque Occidentales adquievisse.

III. At cum Afri, Illyrii, Dalmatæ in defensione trium Capitulorum perstarent : & Rusticus, ac Sebastianus Diaconi à Vigilio defecissent, eumque ut Chalcedonensis Synodi desertorem toto Occidente infamarent ; ann. Christi 549. & 550. per epistolas docuit Vigilius , Judicato suo nihil derogari Concilio Chalcedonensi , Diaconis transfugis abrogavit ministerium ; & urgente Justiniano , ut absolutè ac sine mentione Synodi Capitula damnaret , rem ad Concilium generale deferri persuasit ; receptoque interim cum aliorum Episcoporum manibus Judicato , omnem deinceps usque ad Concilium de Capitulis quæstionem, annuente Principe, interdixit . Audiendi rursus Clerici Italiæ in suprà laudata epistola, alterius hujus dispensationis præcones ; qua emissa Capitulorum damnatio , in suspendio haberi jussa, & ad silentium revocata, donec Synodus Oecumenica colligeretur , *Et quamvis nec hoc quod Papa fecerat , acquieverunt Afri , & Illyriciani , atque Dalmatæ Sacerdotes recipere; tamen cœpit iterum beatus Papa Vigilius ad hoc compelli , ut absolutè ipsa Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret . Sed Papa non acquiescens hoc facere , & videns se nimium ingravari , dixit Serenissimæ Principi , Veniant hìc fratres nostri ex omnibus provinciis quini , aut seni Episcopi : & quidquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit , cum pace disponemus ; quia sine consensu omnium ista , quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt , & scandalum fratribus meis generant , solus facere nullatenus adquiescam ,* Ex Africa ergo & Illyrico Episcopos Princeps evocavit , *& præstitit Deus , ut hac oratione Sanctus Papa Vigilius Constitutum , quod in ipsa causa fecerat , publicè in conventu reciperet ; denuncians , si quis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum de ipsis Capitulis aliquid fecisset , aut facientibus acquievisset , à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret . Quoniam frequenter ipsi Episcopi Græci ad voluntatem Principis damnaverant ipsa Capitula , unde causa mota est , sed Beatissimus Papa manus eorum ab Imperatore receperat .* Optatissimum fuerat ut omnes priori Vigilii dispensationi seu Judicato assentirentur , quo & Græcis Capitulorum damnatio & Latinis Chalcedonensis Synodi reverentia confirmabatur : sed cum nec hi , nec illi omnino acquiescerent, nihil conducibilius fuit, quàm ut ex utrisque coiret Synodus , & communi tractatu res finirentur . Itaque nulla hic inconstantia sententiæ, nulla vacillatio fingenda est.

IV. Rursum ann. Christi 551. Justiniano , instigante Theodoro , edicta in Capitulorum damnationem contra interdictum proponit . Vigilius reclamat, & excommunicationem in eos indicit , qui assensum præbuerint . Iram Principis ebullientem multiplici fuga declinat, in Basilicam S. Petri , inde Chalcedonem ad S. Euphemiam . Anno denique 552. edictis sublatis à Justiniano , libellisque fidei & pœnitentiæ oblatis à Menna , Theodoro , & aliis , Chalcedone relicta rediit Constantinopolin. Ubi invictum animi robur , & sui nusquam dissimilem constantiam necesse est nos mirari . Anno postremùm 553. indicitur Synodus quinta generalis , cui abnuens interesse Vigilius , ut suam scripto sententiam exprometet , Constitutum edidit , resumpta trium Capitulorum defensione. Damnanti autem Capitula Synodo non assentiens , in exilium pellitur. Clerici Italiæ in supramemorata epist. *Constantinopoli cœperunt iterum B. Papam Vigilium compellere , ut si Afri , atque Illyriciani , vel Dalmatæ Episcopi nollent , ipse cum Græcis Episcopis eadem Capitula condemnaret . Sed Beato Papæ Vigilio nullatenus acquiescente , edicta ex nomine imperiali tam in Ecclesia Constantinopolitana , quàm in locis diversis suspendi fecerunt , per quæ eadem Capitula damnarentur. Quo facto beatus Papa omnes Episcopos admonuit , dicens , Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit , sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum. Sed & Sanctus Datius Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione depositi , Ecce ego & pars omnium sacerdotum , inter quos Ecclesia mea constituta est , id est , Galliæ , Burgundiæ , Spaniæ , Liguriæ , Æmiliæ , atque Venetiæ contestor , quia quicumque in edicta ista consenserit , suprà scriptarum provinciarum Pontifices communicatores habere non poterit . Quia constat apud me edicta ista sanctam Synodum Chalcedonensem & fidem Catholicam perturbare .* Hic perspicis longè plures Occidentis Episcopos , nempe Gallos , Hispanos , Italos Vigilii dispensationi consensisse . At cum eidem refragarentur & Græci & non pauci Occidentales , id demum superfuit Vigilio , ut omissa œconomia , ad ingenium rediret ; & quò semper fuerat propensior , tria Capitula damnari vetaret . Itaque ipse Vigilius *epist.* 15. Episcopos Clericosque ita se contestatum ait , *Rogo piissimum Principem , ut edicta sua , quæ jussit appendi , removere dignetur , & Constitutum commune expectare : id est , ut scandalizati Episcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant , aut certè remota omni violentia suas scripto declarent sententias . Quod si forte preces vestras audire noluerit , vos nulli rei præbeatis assensum , quæ ad divisionem tendit .* Jure ergo in omnem se partem vertebat , *ut scandalizatis Latinis Episcopis* mederetur ; Quid æquius autem , quàm scissam Ecclesiam coire in Synodum , vel scripto liberas proferre sententias , quod & ipse pro sua parte virili fecit Vigilius ; & ita in commune aliquid consuli , quod pacem orbi Christiano reſarciat ?

V. Sed suæ ipse adsertor dispensationis Vigilius prodeat , in Encylica de damnatione Theodori: *Nos longanimitatem nostram divina largitate concessam , tam circa te , quam circa ceteros seductos abste , penè hoc quinquennio elapso ostendimus. Primùm quidem in eo quod pro scandalo refrenando condescendentes quorundam animis , quos aliqua dispensatione credidimus temperandos ; quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas ; quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda : tali scilicet conditione , ut omni in posterum perturbatione sopita , nihil ultra nec verbo nec literis quisquam facere ex eadem causa præsumeret .* Audis *longanimitatem , condescensionem , dispensationem , temperamentum , medicinalem ordinationem* , necessariam utique , ut mox ait , *scandalizatæ fraternitati* . Et mox , *Hæc omnia bona desideria nostra , quæ pro pace Ecclesiæ procul dubiò militabant , &c.*

VI. Synodo autem interesse & assentiri primùm respuit Vigilius , quòd ut ibidem ait , *Africanorum , & eorum maximè præsentiam requireret , quorum fuerat scandalizata fraternitas* : quòd illa scilicet omnia fuissent , *fraternæ collationi , & tranquillo Episcoporum reservanda judicio .* Itaque subduxit se Synodo , cui & gravem nimis imminere cernebat Principis potestatem , tot antè præjudiciis, tot contumeliis expertam ; & abesse Occidentales Episcopos , quorum maximè scandalo prospiciendum fuerat . Quocirca Episcopis ad Synodum invitantibus respondit Vigilius , ut ipsimet referunt , *Non posse unà nobiscum convenire , eò quòd plurimi quidem hìc sunt Orientales Episcopi , pauci verò cum eo . Syn. 5. act. 2.* Quod autem excipiebant Orientales,

Nec

Nec enim in ſanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Epiſcoporum inventa eſt unquam, ſed duo vel tres Epiſcopi, & certi Clerici. Præpoſterum id quidem erat. Nam pauci illi Occidentalium Synodorum legati erant, earumque conſenſionem in earumdem hæreſum exterminium perferebant in ſynodicis epiſtolis, atque ita univerſalem Græcorum Synodo concordiam & Oecumenicam conciliabant authoritatem. Hic autem diſſentiebat à Græcis totus Occidens, & diſſenſu ſuo Græcanicam Synodum quodammodo irritabat. Denique Vigilii diſpenſationem & incredibilem quandam ſapientiæ temperiem illud arguit, quòd extremo Conſtituto ſuo etſi promat ſententiam illam ſuam, cui medullitus ſemper inhæſerat, de non damnandis Capitulis: abſtinet tamen ab anathemate vel intorquendo, vel interminando. Conſcius nempe nihil intereſſe, utram in partem declinetur, dum ſcandala ſileant, & pax redintegretur Eccleſiæ.

VII. Poſtremò tandem ab exilio redux Vigilius ſubſcripſit quintæ Synodo, ut non obſcuris colligitur teſtimoniis; ſubſcripſere indubitatiſſimè ſucceſſores ejus Romani Pontifices, & ita Occidentalis denique omnis Eccleſia; quæ videri poſſet ſumma quædam diſpenſationis & extrema laus. Quòd ſubſcripſerit ipſe Vigilius, innuit Sexta Synodus in Proſphonetico ad Conſt. Imp. *act.* 18. *Vigilius poſt hæc Juſtiniano piiſſimo conſonuit, & quintum Concilium conſtitutum eſt; ut eorum opuſcula, quæ latenter reperta ſunt repleta abominatione, anathematizarentur.* Evagrius autem *lib.* 4. *cap.* 34. *Vigilius per literas conſenſit Concilio, non tamen intereſſe voluit.* Idem aſſerunt Photius, Zonaras, Cedrenus, aliique. Id denique illuſtriſſimus Petrus de Marca pervicis, eruta è tenebris, quæ hactenus delituerat, epiſtola ipſa Vigilii, qua Capitulorum damnatio confirmatur. Diſertiſſimè idem teſtatur Euſtachius Presbyter in vita Eutychii Patriarchæ Conſtantinopol. *cap.* 22. *Nemo unquam niſi magni hujus ac divini viri tempore quatuor ſimul Patriarchas convenisſe meminit. Itaque cunctis dubitationibus & controverſiis non violentia, nec neceſſitate, aut partium ſtudio atque affectione, ſed demonſtrationum aut cohortationum vi diſſolutis, ſumma pax & magna tranquillitas in Dei Eccleſia eſt conſecuta. Quatuor autem Patriarchæ ſunt hi: Vigilius veteris Romæ, Eutychius hic novæ Romæ, Apollinarius Alexandriæ, Domninus Antiochiæ. Qui tanquam unum in corpus ex quatuor elementis conflati, unanimes, idemque ſentientes, manus inter ſe conjunxerunt, &c. Quadruplicem & auream quodammodo quandam magnam catenam conficientes, in templum Dei ingreſſi ſunt, &c. Quatuor hi fluvii qui egrediuntur è Paradiſo, &c. Horum conſenſu & conjunctione, Dominus Deus currum Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare, delectos hæreſum fautores, triumque capitum impietatem demergens. Cum igitur ex quatuor Paſtorum concordia, rectoque ſenſu factum eſſet unum ovile atque unus paſtor, diſceſſerunt ad ſuas ſinguli civitates.* Quibus poſtremis maximè verbis refellitur illa exceptio, qua cæteris teſtimoniis ſuprà relatis occurri poteſt, concordiam illam Vigilii à Græcis oſtendi, quam in Synodo ipſa venditarunt, Judicato videlicet ejus teſtificatam, & Synodo anteriorem.

VIII. Cum Vigilius ergo, Pelagius ſanè indubitatiſſimè, & Gregorius aliique Pontifices Romani, ac demum Occidentales conſenſerint quintæ Synodo: idne diſpenſationi tantummodo, an elucidatæ veritatis judicio adſcribendum eſt? Memini, quid vir doctus ſcripſerit: *Præſtat utilitas publica privatæ; & ut dogma ſanum in Eccleſia obtineat, quàm ut unus aliquis fortè tantùm olim errans, aut etiam per calumniam hæreſis nota aſperſus, parcente Eccleſia ejus memoriæ, bonum retineat nomen. Cenſetur in ejuſmodi permiſſum tantùm, ſi quid materialiter, ut vocant, accidit mali. Quod nec innocens, jamque regnans cum Deo, ut eſt ordinatè affectus, canonicè illatum detrectaverit. Pro actis 6. Synodi, pag.* 86. Pergitque pluribus aſſerere, poſſe, ut fidei & utilitati Eccleſiarum publicè cautum ſit, mortuis etiam immerentibus & calumniam paſſis hæreſeos anathema impingi ex diſpenſatione.

IX. Quod attinet tamen ad hoc negotium, potuiſſe in eo explicari diſpenſationem, ut vel nocentibus ignoſceretur; nequaquàm autem, ut innoxiis canonica imprimeretur infamia; nec niſi elucidata veritate, potuiſſe damnationi trium Capitulorum, ſeu quintæ Synodo ſubſcribi; ſanior & ipſiſſima Romanorum Pontificum ſententia eſt. Vigilius quippe ipſe in primis in epiſt. ad Eutychium quintæ Synodi confirmatrice, ejus definitioni ſe tandem conſentire ait, *revelante Domino, & veritate inveſtigata, &c. Pudori eſſe non debere, cum ea, quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde veritatis inveniuntur, &c. Patres, & maximè Auguſtinum propria ſcripta retractaſſe; & illa quæ omiſerat, ac deinde invenerat, addidiſſe.* Varia hìc ex Theodoro Mopſueſteno decerpit errorum portenta, & ita illi anathema dicit; itemque Theodoreti in Cyrillum ſcriptis, & Ibæ epiſtolæ. Et demum addit, *Quin etiam quemcumque, qui crediderit, aliquo ullo tempore ea Capitula debere ſuſcipi, vel defendi, vel conatus fuerit hanc præſentem condemnationem ſubvertere, ſimili anathemati ſubjicimus.* Omnis hìc execratio non diſpenſationi, ſed inveſtigatæ veritati tribuitur, & tribuenda docetur.

X. Idem luculentiſſimè Pelagius Papa exequitur *epiſt.* 7. ad Epiſcopos Iſtriæ, qui diutina Latinorum omnium, & ipſorum Romæ Pontificum conflictatione, ſchiſmatis ſui pertinaciam obumbrabant. Quos acutè ipſe, & ſolidè indidem revincit: *Res quæ provocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam neſciunt, errorem tardè cognoverunt. Et tantò eis celeriùs credi debuit, quantò eorum conſtantia, quouſque verum cognoſcerent, à certamine non quievit. Quorum conſenſum certè fraternitas veſtra deſpiceret, ſi auſu præcipiti, priùs quàm verum cognoſcerent, conſenſiſſent. At poſtquam diu ab eis laboratum eſt, & longo tempore ad injurias uſque certatum, hinc veſtra fraternitas penſet, quia tot labores repentè non relinquerent, niſi quæ vera ſint, agnoviſſent.* Sola veritatis luce victos ceſſiſſe vides, alioqui non ceſſuros. Quod illuſtrat mox exemplo Pauli Apoſtoli, cujus priſtina reluctatio veritati Evangelii ſuffragatur. Non fregiſſet enim tam indomitam Pauli contumaciam, niſi ineluctabili quoddam lumen veri: *Fidem enim cui tanto priùs tempore reſtiterat, poſtmodum ſine magnæ rationis certitudine non tenebat.* Ita & Petro tantò impenſiùs credendum fuiſſe ait, Gentibus Eccleſiam pandenti, quòd antea ipſemet reſtiterat: *Si igitur in trium Capitulorum negotio, aliud cum veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate dictum eſt: cur mutatio ſententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quæ à cuncta Eccleſia humiliter in ejus authore veneratur? Non enim mutatio ſententiæ, ſed inconſtantia ſenſus in culpa eſt. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obſtat, ſi ignorantiam ſuam deſerens, verba permutet?* Subjicit Dei ipſius perſæpè non mutari conſilium, ſed ſententiam; & ipſummet Saulis regno inuncti pœnituiſſe. Tum coacervat operum damnatorum teſtimonia meritò confixa.

XI. Accedat his Gregorius Papa I. *libr.* 6. *Epiſtol.* 31. *Hiſtoriam Sozomeni Sedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimiùm laudat, atque uſque ad diem obitus ſui magnum doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet. Reſtat ergo ut ſi quis illam hiſtoriam recipit, Synodo quæ piæ memoriæ Juſtiniani temporibus facta eſt de tribus Capitulis, contradicat. Qui verò huic contradicere non valet, illam hiſtoriam neceſſe eſt ut repellat.* Vides quintæ Synodo non poſſe

contra quenquam dicere ; contrà autem dici , si laudibus Theodori fides adjiciatur. Et idem ipse in epist. ad Episc. Hiberniæ : *In Synodo , in qua de tribus Capitulis actum est, apertè liquet nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis de quibusdam illic solummodo personis est actitatum , quarum una , cujus scripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant , non injustè damnata est.*

XII. Incassum ergo cavillantur aliqui potuisse seu Istros , seu Hibernos , seu Afros , seu quosvis alios trium priùs Capitulorum defensores, & quintæ Synodo subscribere , & Ecclesiæ unitati recolligi; etsi suam illam non exuerent opinationem, atque erasse Synodum in illa definitione sentire pergerent, ut quæ ad facta & personas, non ad fidem pertineret. Si res enim ita haberet, eccur Vigilius, Pelagius, Gregorius investigata demum veritate Ecclesiam Romanam Synodo consensisse inculcant ? Cur Sedes Romana & Occidentalis Ecclesia tot labores exhausit & ærumnas, dum sibi veritas diluceseeret , si erranti in facti judiciis Synodo fas erat subscribere, & tantas lucrari calamitates? Eccur nec Istriæ, nec Hiberniæ , nec Africæ Episcopis unquam in tam diutina jactatione , scintillavit hæc scholasticæ distinctionis lux, ut tam brevi compendio schisma sedarent ? Eccur Pelagius , Gregoriusque , & alii Pontifices, tam inculentis tractatibus & epistolis bellaces schismaticos expugnare aggressi , non unquam tam bellam pacis restituendæ artem , & tam expeditam explicuere ?

XIII. Utrisque enim, Pontificibus inquam , & schismaticis illud conveniebat , illud erat persuasissimum , nec damnari potuisse authores , librosve authorum ullos, nisi explorata veritate ; nec Synodo eos damnanti subscribi , Ecclesiæve Synodum amplexanti communicari , nisi ab iis qui in his omnibus liquidam veritatem radicare certò scirent, aut utcumque crederent. Unde Anastasius Bibliothecarius in Sergio Papa ad ann. 632. *Hujus temporibus Aquilejensis Ecclesiæ Archiepiscopus , & Synodus quæ sub ea congregata est , qui sanctum quintum universale Concilium utpote errantes , suscipere diffidebant : ejusdem beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt ; iidemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui priùs sub erroris vitio tenebantur , doctrina Apostolicæ Sedis illuminati , cum pace consonantes veritati, ad propria relaxati sunt.* Vides non recolligi , nisi *suscipientes Concilium* : non suscipere autem nisi *monitis & doctrinis instructos , doctrina Apostolicæ Sedis illuminatos , consonantes veritati*.

XIV. Unum video nobis objectari ante alios Gregorium , qui fileri in totum posse memoriam quintæ Synodi insinuet , *lib.* 3. *epist.* 37. ad Constantium Episcopum Mediolanensem : *Quod autem scripsistis, quia epistolam meam reginæ Theodolindæ transmittere minimè voluistis , pro eo quod in ea quinta Synodus nominabatur : si eam exinde scandalizari posse credidistis , rectè factum est , ut minimè transmitteretis. Unde nunc ita facimus , sicut vobis placuit , ut quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo , quæ in Constantinopoli postmodum facta est , quæ à multis quinta nominatur , scire vos volo , quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit , vel senserit. Quippe quia in ea de personis tantummodo , non autem de fide aliquid gestum est. Nos tamen , sicut voluistis , ita fecimus , ut ejusdem Synodi nullam memoriam faceremus. Sed & de Episcopis , quæ scripsistis , prædictæ filiæ nostræ reginæ scripsimus.* Ne scandalizetur regina , nec verbum ad eam facit de quinta Synodo. Posset addi & *epist.* 2. *lib.* 5. ubi Mariniani Episcopi , quasi Synodo Chalcedonensi infesti oblocutoribus , non aliud satisfactionis ergo respondet , quàm quatuor ipsum Synodis adhæresceret . Et *lib.* 7. *epist.* 5. ad Brunechildem reginam Francorum , schismaticorum imperitiam execratur , profiteturque adversùs eorum sycophantias , se & Ecclesiam universam Chalcedonensi Synodo penitissimè assentiri . Recurre si voles & ad *epist.* 12. Pelagii Papæ primi , ad Childebertum Francorum regem , ubi eadem dispensatione utentem audies , & confitentem , *Constantinopoli quædam Capitula extra fidem fuisse agitata , de quibus longum est , ut epistolari possint complecti sermone. Hoc breviter ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium , faciendum esse perspeximus , dicentes anathematizare nos , quicumque ab illa fide declinaverit , quam Papa Leo & Chalcedonense Concilium suscepit.* De quinta Synodo nil præterea differit , aut satagit Gallis inculcare Regibus & Episcopis . Et *epist.* 16. ad eundem , *pro auferendo suspicionis scandalo* , mittit , ut rogatus fuerat , tomum Papæ Leonis , & suam ipsius fidei confessionem. Et *epist.* 13. ad Episcopos Thusciæ , *ab universali Ecclesia* divulsos scripta , nihil aliud quàm schismatis fœditatem improperat , ne cui possit *fidei suæ remanere suspicio* , profitetur se amplecti quatuor generales Synodos & ipsam maximè Chalcedonensis Synodi & Leonis fidem . Denique *epist.* 14. quæ encyclica est *ad universum populum Dei* , adversùs suspiciones in suam fidem concitas, quatuor similiter Synodos amplecti se testificatur , de quinta tacet , Theodoretum & Ibam Catholicis annumerat. Adde Cassiodorum, qui quatuor laudat Synodos , quintam silet.

XV. Itaque in Italia & Gallia videtur ipsorum assensu Pontificum Romanorum , quatuor Synodorum explenduisse , quintæ autem memoria silentio & latebris penè sepulta jacuisse. Jam in Hispanias iter moliamur. Concilium Bracharense II. an. 572. quatuor Synodos generales nominatim commendat , quintam omittit . Toletanum III. ann. 589. coaluit , in quo primùm fidei tomus à Rege porrectus legitur , quo post adorata quatuor Concilia additur , *Omnium quoque orthodoxorum venerabilium sacerdotum Concilia , quæ à suprascriptis sanctis quatuor Conciliis fidei puritate non dissonant , pari veneratione observe.* Et Synodus ipsa in fidei suæ confessione , *c.* 11. *Quicumque aliam fidem & communionem Catholicam præter Ecclesiasticam universalem esse crediderit , illam dicimus Ecclesiam quæ Nicæni , Constantinopolitani , Ephesini primi , & Chalcedonensis Concilii decreta tenet pariter & honorat , anathema sit* . Idem sonat & *c.* 19. 20. 21. Ac rursum *cap.* 22. *Qui Concilia omnia Episcoporum orthodoxorum , consona Conciliis Nicæno , Constantinopolitano , primo Ephesino , & Chalcedonensi non recipit , anathema sit* . Conc. Toletan. XI. XII. XIII. quatuor similiter Conciliorum fidem limpidissimam venerantur . Conc. Tolet. XIV. ann. Christi 684. acta Sextæ Synodi à Romano Pontifice ad se transmissa suscipit , *ut consona Nicænæ quidem , Constantinopolitanæ , vel Ephesinæ fidei ; Chalcedonensi vero tam unita , ut ipsis verbis edita vel librata. Et ideo supradicti acta Concilii in tantum à nobis veneranda sunt , & recipienda constabunt , in quantum à præmissis Conciliis non discedunt , &c. Post Chalcedonense igitur Concilium , hæc debito honore, loco & ordine collocanda sunt , ut cujus glorioso themate fulgent , ei & loci & ordinis coaptentur honore.* Itaque præter silentium affectatius , videri posset quinta Synodus loco moveri , & in quintum locum nomenque post Chalcedonensem Synodum subrogari illa , quæ Monothelitas prostravit . Leo sanè secundus cum ad Hispanos de subscribendis Synodi sextæ actis scriberet , disertam de quinque generalibus aliis Synodis fecerat mentionem. Denique Tolet. XV. ann. 688. quatuor tantùm Synodi commemorantur priores : Itemque Tolet. XVI. an. 693. ubi tamen subjicitur *reliquorum Conciliorum* edicta suscipienda.

XVI. Consentaneum his habemus Isidorum Hispalensem *l.* 6. *Orig. c.* 15. ubi cum singillatim encomium quatuor texuisset Synodorum , adjecit, *Hæ quatuor*

tuor sunt Synodi principales, fidei doctrinam plenissimè prædicantes: sed & si qua sunt Concilia, quæ Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor authoritatem, omni manent stabilita vigore. Et rursus in Chronico, *Justinianus Acephalorum hæresin suscipiens, omnes in regno suo Episcopos, tria Chalcedonensis Synodi capitula damnare compellit.* Et idem ipse in l. de Viris Illust. *cap.* 4. *Theodorus Mopsuestenæ urbis Episcopus, ita clarè copioseque scientiæ doctrina refulsisse refertur, &c. Hunc Acephalorum Episcopi in præjudicio Chalcedonensis Concilii, Justiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba & Theodoreto Episcopis censuerunt. Dum constet eum laudabilium virorum testimoniis clarissimæ Ecclesiæ doctorem fuisse.* Et *c.* 31. *Justinianus Imperator condidit rescriptum contra Illyricianam Synodum, & adversus Africanos Episcopos, Chalcedonensis Synodi defensores, perverso studio, in quo tria Capitula damnare contendit.* Et *c.* 32. *Facundus Afer Hermianensis Ecclesiæ Episcopus, duodecim libros pro defensione trium Capitulorum scripsit, quorum stylo elicuit, præfata tria Capitula in præscriptione Apostolicæ fidei & Chalcedonensis Synodi impugnatione fuisse damnata.* Vide & caput 38. de Victore Tunonensi Episcopo, eorundem Capitulorum propugnatore inexpugnabili.

XVII. Ex his omnibus illud primum efficitur, quod antea expugnare nitebamur, non posse infligi seu scriptis seu scriptoribus anathema, nisi hæreseos vel erroris eorum conscientia & veritate elucidata. Non Galli enim, non Hispani, non Itali abhorruissent tandiu à quinta Synodo, si amplecti se illam tutò posse existimassent, salva æstimatione, quam habebant de tribus Capitulis, & quam ex Chalcedonensi Synodo hausisse sibi videbantur. Hactenus ergo explosisse illos sufficiat, qui Synodo subscriptionem & reverentiam adhiberi posse, ac juramenti etiam professionem blatterant, tametsi interior animi assensio sustineatur, aut omnino abscindatur.

XVIII. Sed illud jam extricandum est, quì Itali, & Galli, sed Hispani maximè, quamvis tandiu quintam Synodum nescierint, aut horruerint, à Catholicæ tamen unitatis vinculo non exiliisse existimentur. Recurrit nimirum illud, quod adstructum est jam suprà: ex dispensatione non posse quidem immerentibus irrogari, sed posse merentibus non irrogari damnationem. Dispensationis autem hoc totum fuisse, ne videamur temerè divinasse, docebit nos author omni exceptione major Pelagius primus *epist.* 14. encyclica ad omnem Ecclesiam, hoc est, ad eorum sanandam ægritudinem, qui inanibus de læsa fide suspicionibus, à sinu Ecclesiæ dissiliebant: *Et possemus quidem totius causæ rationes ad sedandos rumores hominum, divina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare: nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem, ullatenus esse tentatum, lucidissimis probationibus demonstrare: magisque id actum, ut memoratarum Synodorum firmitas adversùs omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Sed quia hoc his, qui lacte potiùs, quàm solido cibo nutriendi sunt, necessarium esse non duximus: ut sicut Doctor gentium dicit, inter perfectos loquenda sit sapientia. Hoc interim quod etiam parvulis abundè sufficiat, ad notitiam omnium deferendum esse perspeximus. Id autem est, ut fidem meam, &c.* Subjicit hanc fidei suæ summam, se indivulsè adhærere quatuor Synodis, maximè Chalcedonensi, omnes ab illis absolutos, sibi orthodoxos esse. Hujus ergo dispensationis *lacte, non solido sapientiæ cibo veluti parvulis* succurendum esse docet, ut quintæ Synodi rationes, & præsidia ibi ad fidem muniendam instructa sileat; admoneat autem & persuadeat, nihil contra Chalcedonensem Synodum tentatum esse; ut ne eo prætextu ab Ecclesia se quisquam divellat.

XIX. Idem dispensationis argumentum exculpitur ex Epistola 5. Pelagii II. ad Episcopos Istriæ: *Facilè sentietis quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione capitulorum, tandiu ab universali Ecclesia segregari.* Et mox: *Quam ante Dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum scandalum generari vobis de fidei nostræ integritate cernentes, tantis temporibus ob superfluas quæstiones ab Ecclesia Dei, quæ una est, & à fraterna charitate vos dividi curatis?* Et tandem, *Dirigemus à quibus plenissimam satisfactionem capiatis: ne amplius animæ simplices divisæ à sancta Ecclesia pro superfluis quæstionibus tam longa obstinatione remaneant.* Iterum iterumque *superfluas* esse has quæstiones admonet, nec *simplicibus* hinc offendiculum objiciendum. Dispensatoriè ergo superfederi poterat à superfluarum rerum mentione, nec simplicitas omnium ubique fidelium his erat ambagibus implicanda.

XX. Sed & Gregorius in laudata ad Constantium Mediolan. Episc. epistola, remissione utendum & venia, & œconomico silentio fatetur, ne regina Theodelinda *scandalizetur*. At idem ipse eadem epistola ostendit, si quis Episcopus juraret non esse à se damnata tria Capitula, eum ab universali Ecclesia alienum fore. *In gravi vos mœrore esse perspeximus, maximè propter Episcopum & cives Brixiæ, qui vobis mandant, ut eis epistolam transmittatis, in qua jurare debeatis, vos tria Capitula minimè damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet. Si autem fecit, aut cum universali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ juramenta transcendit. Sed quia eundem virum sua credimus sacramenta servasse, atque in unitate Ecclesiæ Catholicæ permansisse, dubium non est, quòd nulli Episcoporum suorum juraverit, se tria Capitula minimè damnasse.* Suadet mox Brixiensibus ut *satisfaciat*, & *scandalum* amoliatur; rescribat, à se recipi quos recepit: damnari, quos damnavit Concilium Chalcedonense, libros authoresque. Ubi perspicis ad reginam & cives adhiberi œconomicam taciturnitatem; & quintam fileri Synodum: quòd *superfluis* eos inferere nihil prodesset, obesset quandoque: at Episcopum Mediolanensem defectionis ab Ecclesia reum fore, si trium Capitulorum damnationem revocasset.

XXI. Huc quoque spectat Cyrilli Alexandrini epistola ad Acacium Melitenæ Episcopum de Theodoro Mopsuesteno, cujus jam tum scriptis & nomini anathema quidam præfestino zelo intentabant. Dispensativè autem Cyrillus abstineri ab anathemate intorquendo debere censet, ne paci Ecclesiasticæ scandalum excitetur: *Confingentes quæ Nestorii sunt odisse, alio iterum ea introducunt modo; quæ Theodori sunt, admirantes, certè æqualem, magis verò multò pejorem morbum impietatis habentia. Nec enim Theodorus Nestorii fuit discipulus, sed iste illius; & velut ex uno loquuntur ore, & unum malæ doctrinæ ex suo corde evomunt venenum.* Tum objurgat eos, qui Theodorum Athanasio, Basilio, aliisque Patribus consonantia docuisse mentiebantur. At idem rursum in epistola ad Proclum Episcopum Constantin. eadem de Theodori pestifera doctrina præfatus, subjicit, *Sciat tua sanctitas, quòd prolata apud sanctam Synodum expositione ab eo composita, sicut dicebant qui protulerunt, nihil sanum habente; reprobavit quidem eam sancta Synodus, utpote perversis plenam intellectibus, & Nestorianam impietatem quasi effluentem: his verò condemnatis qui sic sapiunt, nullam viri memoriam fecerat: nec ipsum nominatim anathemati subjecit propter œconomiam, ne quidam ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesiis separarent. Dispensatio vero in his optima res est, & sapiens.* Non Cyrilli igitur tantùm, quæ permagna utique est, sed Ephesini primi Concilii authoritate dispensatum olim id fuerat, ut Theodoro fulminando abstineretur, etsi illum constaret pleno ore Nestoria-

num virus eructasse. Quin ergo & Occidens hanc amplexaretur obviis, ut ajunt, ulnis dispensationem, quæ Cyrillo, quæ Ephesinæ, quæ Chalcedonensi postea Synodo arriserat? Et ubi Romanus Pontifex cœperat quintæ Græcorum Synodo adglutinari, quin pergeret Occidentis pars ingens eandem retentare dispensationem, si non posse citra scandalum damnari suis in Ecclesiis tria Capitula experiebatur? Itaque si in Oriente priùs potuit sine scandalo damnari triceps illud monstrum, quàm in Occidente; debuit illic priùs damnari, quàm iùtic. Si in Italia ut Romano Pontifici proximiore & sequaciore, antè potuit, quàm in Gallia, præverti discrimen scandali; debuit & ibi antè damnatio trium Capitulorum promulgari. Si in Hispania, ut in extremos orbis Occidui fines projecta, non potuit nisi ægrè & tardissimè sanari scandalum ab hac damnatione pullulaturum, diuturnior ibi dispensatio retinenda fuit. Ita porrò rem habuisse, ipse sæculorum rerumque gestarum decursus prodidit. Hæc ergo tanta, & tam in speciem discors varietas, ad unum & eundem religata cardinem fuit, ut nefaria scripta & nomina, ubi sine scandalo possent, damnarentur: ubi sine scandalo non possent, aut nondum possent, non omnino, aut nondum proscriberentur.

XXII. Sed ex re erit adscribere quæ consequenter differit Cyrillus: *Si adhuc in vivis esset Theodorus, & suffragari vellet iis, quæ ipse scripsit, anathema etiam in propria persona subisset. Quoniam verò ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea quæ absurdè ab ipso scripta sunt, rejici ab iis qui rectè sentiunt, cum in ejus incidunt libros; cum ulteriùs progredi tumultuum occasiones nonnunquam pariat. Et per alium verò modum anathematizatis & ejectis Nestorii blasphemiis, unà cum eis ejecta sunt & quæ illius sunt, plurimam habentia ad ista consonantiam. Et siquidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque esset tumultum inde sperare, dicebam utique nullum esse impedimentum, nunc exigi eos etiam in scriptis hoc facere. Si verò, sicut scribit Joannes Antiochiæ Episcopus, eligant utique magis comburi, quàm aliquid ejusmodi peragere; quare flammam sopitam resuscitamus, sedatosque tumultus, non opportunè commovemus; ne forsitan unquam ultima primis pejora inveniantur? Et hæc dico vehementer increpans, quæ scripsit Theodorus, timens verò futuros propter eam rem à quibusdam tumultus.* Ampliatio hæc quædam est dispensationis, ut non tantùm à nomine Theodori inurendo abstineatur, sed ne doctrinæ quidem ejus damnationi subscribere cogantur, qui cogi ad id sine tumultuationis & schismatis discrimine non possunt. Quod nimirum sufficiat ad hos in officio & fidei Catholicæ sinu continendos, ut Nestorianam luem deprehendant, qua & Theodoriana continetur. Similiter ergo Romani Pontifices ad quosdam primùm Italos, plures Gallos, Hispanos longè plurimos fidei & unitatis vinculo constringendos, abundè id esse duxerunt, ut in Nestorii dogmate proscribendo, tria quoque Capitula eo implicata inopini proscriberent: quando aliud tum impetrare per pacis charitatem non licebat. Si quis autem adhuc stupeat, tam diuturno silentio & dispensationi consensisse Pontifices; reponendum ei rursus erit, quod Cyrillus Theodori damnationem urgentibus jubet inculcari: *Potest etiam iis qui hæc petierunt, dispensatio rei enarrari: ut quiescere malint, quàm Ecclesiis scandali occasionem præbere.*

XXIII. Nec ea tantùm ratione Hispani, Galliique trium Capitulorum damnationi subscribebant taciti & inopini, quòd Nestoriano inserta errori ea erant: sed illa etiam contemplatione, quòd Ecclesiæ universæ, & specialiter Romanæ, quæ tria damnabat Capitula, communicarent. Cum enim secessissent ab Ecclesiæ Catholicæ communione, qui tria Capitula præfractiùs defendebant: hi ex adverso annuebant utique eorum damnationi, qui ejus authoribus & sequacibus communicabant. Et hæc rursus quædam est via & ratio dispensationis, cum non importuna vis infertur, sed clementi indulgetur aliquid interpretationi. Ita Cyrillus idem ad Maximum Diaconum Antiochenum, verat exigiâ Nestorii olim fautoribus, ut ei disertè & coram renuntient: remissiùs enim agendum, ut cum fidelibus conveniendo, eo testentur se præteritorum pœnitentia affici. *Perpendat æquitas tua, utrum tandem qui dicuntur convenire, palam atque impudenter Nestoriana & sentiant, & cum aliis etiam loquantur. An aliquando quidem cauteriatam habuerint conscientiam, nunc autem ideo conveniant, quod ipsos pœnituerit erratorum, quibus semel abrepti fuerant, pudeat autem fortasse lapsum suum fateri. Solet enim ferè tale quiddam iis qui decepti sunt, usuvenire, &c. Oeconomiæ gratia, ne nimia utamur diligentia in eos qui resipiscunt. Res enim magna indiget dispensatione.* Etsi igitur fateri nolint lapsum suum, indulgendam veniam illis censet, qui palàm cum Nestorio sentire & garrire desierint, confluant autem in Ecclesiæ Catholicæ Synaxes. Per Catholicos autem Episcopos licuisse defensoribus Capitulorum, immò vim adhibitam fuisse, ut ab Ecclesiæ communione non discederent, etsi à damnatione Capitulorum assensionem suam sustinere, vel etiam alienare pergerent, colligunt quidam ex his Facundi verbis: *Cum constituerint, ut si quis non anathematizat memoratam venerabilis Ibæ epistolam, anathema sit; considera, quæso, cujus levitatis, cujus confusionis est, atque dedecoris, ut nos sibi communicare compellant, permanentes in ea sententia, qua non solùm anathema ei dicimus, sed etiam negamus esse dicendum. L. 2. cap. 3.* Quibus contra occurrimus in hunc modum. Primò ut communicare cum Ecclesia Catholica compellerentur, ea quidem vis inferebatur à damnatoribus Capitulorum: ut autem *permanerent in ea sententia*, qua damnari ea posse negarent, non ea licentia à Catholicis indulgebatur, sed mera illa erat defensorum contumacia, & Facundi interpretatio. Nec aliud sonant verba ipsa Facundi; cui *permanentes* idem sonat, ac permanere certos, non permanere permissos. Alioqui nec in quintæ Synodi actis tam prolixis, nec in Vigilii, Pelagii, Gregoriique epistolis tam frequentibus, & tam copiosis ullum existet verbulum, quo hujusmodi copia dissentiendi & communicandi concedatur, qua tamen nihil crebriùs inculcandum, quia nihil tempestivius fuisset. 2. Eo autem colore illudit, vel illuditur Facundus, quòd Catholici ad communionem tantùm expressè urgerent: cui nempè implicatam esse reliquam omnem consensionem intelligebant ipsi, confitebantur adversarii. Itaque quibus persuasum erat communione cum damnatoribus Capitulorum contineri eorundem damnationem, ut Facundo & omnibus qui secesserunt, persuasum fuisse vides: illis una maximè omnium plausibilis atque popularis ingerenda erat vel extorquenda communio. Damnatio enim Capitulorum eos exulceraverat: causa communionis nec in quæstionem venerat: ergo cum utraque conferta communi præjudicio esset, hujus lenocinio illius asperitas mitigabatur. 3. Iniquum ergo est ex unico testimonio, & quidem adversarii, & quidem in contrarium sensum æquè versatili, colligere rem tanti momenti, quam Pelagius, Gregorius, aliique Antistites, qui in Schismaticis revocandis tantoperè desudarunt, sexcenties debuerant inculcare, si per veritatem & conscientiam licuisset. At ex adverso Pontifices isti ad nauseam usque ingerunt, & congestis testimoniis extundunt id, ut manifestæ veritati, hoc est, Capitulorum damnationi consentiatur. 4. Sententia Facundi & omnium ejus assectarum ea erat, vibrato anathemate in tria Capitula & in eorum vindices, ipsam Synodum Chalcedonensem sauciatam esse, & anathematizatam. Nec enim tanta de sensu Capitulorum sano vel insano, atque de Chalcedonensi

donensi Synodo eorum propugnatrice vel oppugnatrice controversia fervebat. An ergo copiam fecissent Catholici assertoribus Capitulorum *in ea sententia permanere*, damnatione Capitulorum damnatam esse Chalcedonensem Synodum? 5. Quin defensores Capitulorum exemplo Vigilii complures hæreticа esse Capitula confitebantur, damnari vetabant tamen, ne eadem infamia respergeretur Synodus Chalcedonensis. An ergo & his veniam fecissent Catholici Antistites permanendi in ea sententia? An concessissent, Ecclesiam, cui communicarent, proditæ & infamatæ Chalcedonensis Synodi insimulari? Necessum erat utique eam Ecclesiam, cujus communio prehensaretur, à tam nefariæ proditionis suspicione absolvi.

XXIV. Ut remissione porro uteretur Ecclesia in eos, qui Synodo in Oriente, & in Ecclesia jam Romana promulgatæ, non diserte & expresse consentirent, multæ præterea causæ suberant. Nec enim de fide novi quidquam definitum fuerat: sed prisca dogmata erant confirmata, quibus & ipsi ex animo hærebant. Deinde per summam vim & imperatoriæ dominationis impotentissimam audaciam, Canonum majestas & Ecclesiarum libertas fuerat violata. Consule sis Facundum, Liberatum, epistolam Cleri Romani legatariis Francorum datam, epistolas ipsas Vigilii Papæ, & monumenta illorum temporum omnia. Exasperatæ his contumeliis mentes, mitigandæ pedetentim erant, non ad repentinum assensum præcipitandæ. Ad hæc aliquandiu dissenserat Synodo jam terminatæ Vigilius, fortassis & ante assensum vivis excesserat. Serò Romana ipsa Sedes accesserat quintæ Synodo. Consentaneum ergo erat & ingentibus Galliarum atque Hispaniarum Ecclesiis tempus similiter prorogari, & moram condonari diuturniorem, dum truculentæ tempestatis æstus deferveseeret, fluctus dubitationum & suspicionum sedarentur. Non erat ullius culpæ affinis aut Vigilius, aut Sedes Romana, dum sustinebat assensum suum, quia Oecumenica non erat Synodus, cui ipsa nondum robur addebat. Ita Gallicanis, Hispaniensibusque Ecclesiis nondum Oecumenica videbatur fortassis Synodus, quam consensione sua nondum fecerant Oecumenicam. Quippe ut olim particulares Galliæ, Hispaniæ, aliarumque Occidentis regionum conveniebant Synodi, & conspiratione sua præibant accedenti postea Græcanico Concilio; & ita universali Ecclesiæ totius concentu consurgebat Oecumenici authoritas Concilii: ita nunc præivit Græcanica Synodus, cui subinde aliæ & aliæ consecutæ Synodi Occidentales accessere; ut omnium ex unanimi suffragatione existeret, atque emineret Oecumenicum Concilium.

XXV. Nec negotium debet facessere consensus Sedis Apostolicæ, quasi statim ejus accessione Oecumenicam authoritatem assecuta sit quinta Synodus, & proinde statim abrumpere contationem suam Galli & Hispani debuerint. Contrà enim, clementia uti licuit & venia, quam ipsa ultro Sedes Apostolica ingerebat. Nec enim, ut ex Pelagii utriusque & Gregorii Magni epistolis suprà relatis dilucidum est, quintæ Synodo subscribere, Oecumenicis eam annumerare Conciliis, tria Capitula verbis conceptis quenquam damnare adhuc cogebant Romani Præsules. Quin illud unum eblandiri satagebant, ne quis eos vel Ecclesiam Catholicam calumniaretur, fidei orthodoxæ, vel Chalcedonensi Synodo derogasse; neve eo prætextu ab unitate Ecclesiæ universalis semet abrumperet. Ideo quatuor Synodos semper illi seorsim laudant effusissimè; tum illam quoque nuperam à calumniis laborant vendicare. Ideo Gregorius diserte illam nihil de fide egisse admonuit. Ideo Pelagius superfluas fuisse has quæstiones persæpè affirmavit. Ideo rursum Gregorius (*Lib. 3. epist. 37.*) alicubi non quintam dixit, sed quintam à quibusdam dici advertit. Remissiùs utique & œconomicè agendum erat, ut paulatim mansuescerent efferatæ hominum mentes; & tandem laudarent eam Synodum, cujus laudatricem Ecclesiam Romanam & Catholicam amplexabantur. Ideo denique nusquam ad Hispanos vel Gallos Pelagius & Gregorius, sed ad Istros & Hibernos prolixas elucubravere apologias quintæ Synodi, quòd hi ab ea & ejus sectatrice Ecclesia secessissent; illi eam silebant; ab illa clandestinis suspicionibus subalienati erant, illam tamen in Ecclesiæ unitate eam sectante sectabantur.

XXVI. Nec statim potest quisque blandiri sibi; & prout collibuerit, vel quintam Synodum, vel aliam quamcumque definitionem tota Ecclesia receptissimam aspernari. Nam illi tum necessariò locus est dispensationi, cùm populorum strages antevertendæ sunt: item cùm Pontificum vel Synodorum decreto, vel tolerantia sancitur hæc venia: non ubi privatus quisque libidini præfractæ licentiam arrogat. Innocentius in decretis *cap. 56. Quod necessitas imperavit, in pace etiam Ecclesiæ constituta non possunt præsumere. Ut sæpè accidit, quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vendicari, inultum solet transire.* Et Augustinus *epist. 63. Non asperè quantum existimo, non duriter, non modo imperioso, ista tolluntur: magis docendo, quàm jubendo; magis movendo, quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Et *lib. 3. contra Parmen. cap. 2.* tum quemque percellendum anathemate docet, *ubi periculum schismatis nullum est*; item, *Quando cujusque crimen ita notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere.* Et ex Apostolo id confirmat, qui ait, satis esse correptionem, quæ fit à multis. *Neque enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus.* Et infrà: *Si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ serena misericordia necessaria est. Nam consilia separationis, & inania sunt & perniciosa, atque sacrilega; quia & impia & superba fiunt: & plus conturbant infirmos malos, quàm corrigant animosos bonos.* Quibus constat necessariò à Præsulibus annuendam eam dispensationem multitudini & tantorum universitati populorum. Hac venia interim gaudebat, florebatque sanctitate Theodorus Cabarsussitanus Episc. qui *defensor trium Capitulorum, exilio ad urbem regiam eo die & mense quo Justinianus, moritur; & juxta confessores, quibus Ugneritus Vvandalorum rex linguas abscideraat, sepelitur.* Ut narrat circa finem Chronici Victor Tunonens. si fides tamen illi ubique habenda, partes suas etiam *post Synodaliter in Africa exclusum à Catholica communione Vigilium* miraculis attollenti.

XXVII. His juvat calculum adjicere præstantissimi Annalium Ecclesiæ Parentis, *ad an. 556. n. 1. 2. 3. & ad ann. 572. n. 13. Adeò visi sunt exhorruisse Occidentales Antistites ferè omnes, aliam Oecumenicam Synodum post quartam admittere: ut nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, à quibus consecraretur: atque opus fuerit Presbyterum Ostiensem, quod nunquam antea accidisset, loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio ita jubente. Quantùm enim aversati fuerint quintam Synodum Occidentales, vel ex Cassiodoro, & aliis possumus intelligere, qui licèt à communione Catholica nunquam defecerint, nec eandem quintam Synodum aliquando damnarint: eam tamen silentio præterierunt, &c. Neminem moveat, si Cassiodorus recensens Oecumenicas Synodos, de quinta Synodo nullam habuerit mentionem, sicut & Sanctus Gregorius aliquando fecisse visus est, &c. Sic Cassiodorus fecisse cognoscitur, & aliquando etiam S. Gregorius Papa, atque Patres Concilii Bracchar ensis II. &c. Idem alii plures fecisse noscuntur,*

cum tamen eidem non contradicerent. Vides consensum Sedis Apostolicæ in tam necessariam dispensationem; ubi nihil sibi jure sumit singulorum libido: sed nutus regnorum observantur, seu ingentium Ecclesiæ universæ membrorum: quorum unitati fovendæ nulla nimia, nulla non necessaria dispensatio est. Præter urgentem autem *necessitatem*, qua extorquetur quodammodo; *evidenti* etiam *utilitate* exoratur salubris dispensatio; sed ita demum, ut hujus quoque judicium, arbitriumque penes Catholicos Antistites sit; non à privato quolibet, non Episcopali Collegio refragante temerè usurpandum.

XXVIII. Verùm inde sibi dissentiendi libertatem aucupantur, quod ubi de fide nil definitur, ubi de factis tantùm & personis fertur judicium, ne ipsa quidem universalis Ecclesia, adeoque nec Synodus Oecumenica prærogativam sibi arrogat non errandi. Augustinus enim ait, *lib. 2. de bapt. contr. Donat. c. 3. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones & provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana*. Ita Innocentius III. in epist. ad Petrum Compostell. Archiep. & apud Gratianum: *Quotiescumque in gestis Conciliorum diversa sententia invenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cujus aut antiquior, aut potior extat authoritas, D. 50. cap. 28.* Non inconcussam ergo assensionem flagitant, quæ retractari, emendari, & in contrariam partem revocari possunt. Ideo & Pelagius in *epist. 7.* ad Episcopos Istriæ solius fidei definitionem in Chalcedonensi Synodo factam, irretractabilem esse, ex oraculo Leonis Papæ primi demonstrat, reliqua omnia ad novi incudem examinis revocari posse. *Cum verò subjicitur à Leone, Quidquid præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem: aperte nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe Synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur.* Et infrà à Thalassio Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, qui affuerat Chalcedonensi Synodo, solam ejus Synodi de fide constitutionem, non reliquam gestorum synodalium farraginem, relatam esse ad Cappadociæ Ecclesias cùm retulisset, inde concludit, nec vituperat, *Præter causam fidei nihil de Synodo in veneratione Thalassium tenuisse: hoc quod ultra fidem gestum est, nec ipsum qui fecit Thalassium tenuisse*. Et Gregorius *lib. 2. ind. 11. epist. 54. Sancta Chalcedonensis Synodus usque ad definitionem fidei & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curavit*. Ex quo argumentatur tria Capitula quæ ad speciales has causas & pugnas Episcoporum pertinebant, novo examini potuisse substerni. Denique uno etiamnunc & jam olim calculo in id conspirant Magistri scholæ Theologicæ, ut in controversiis factorum & personarum ditimendis, & Pontifex, & Synodus, & Ecclesia ipsa universalis aberrare à vero quandoque possit. Quocirca irrevocabilem his decretis fidem non necessariò adjiciendam esse.

XXIX. Verùm si licentiam facimus à generalium Conciliorum, & speciatim ab hujus quintæ Synodi decretis dissentiendi seu palam, seu clam; quorsum attinebit confessio fidei, qua Synodos generales amplecti & sequi nos profitemur? Cùm de factis tantùm & personis hæc quinta Synodus definierit, ubi illam te sequi juras vel scribis, num id sine perjurio potes, qui animo intus dissentias? Cùm ipsa te Ecclesia ad jurandum vel subscribendum adigit, num eadem copiam interim facit dissentiendi? Quid hoc monstri est? An Ecclesia & non sequi permittit, & ad eam sequendam te juramento adigit? Cum quinta Synodus id definiat, & id unum definiat, *Si quis defendit impium Theodorum, & impia ejus conscripta, & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, & omnes qui suscipiunt & defendunt eum, &c. talis anathema sit. Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, &c. & non anathematizat ea, & eos qui similia ei sapuerunt, anathema sit*; ubi huic Synodo vel juramento, vel manu subscribis, si talium scripta defendis, quomodo non tuo te ipse anathemate innodas? Defendis enim, & anathema in defensores vibras. Vigilius similiter in epistola quintæ Synodi, vel potiùs damnationis Capitulorum confirmatrice, *Quin etiam quemcumque, qui crediderit aliquo ullo tempore ea Capitula debere suscipi, aut defendi: vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus*. Et mox: *Quæ verò aut à me, aut ab aliis ad defensionem prædictorum trium Capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus*. Esto ut Capitula damnet, qui ita sentit: at ut defensores eorum damnet, si fas est defendere, id inconcinnum & insolens est: aut si fas est damnare defensores, nefas est defendere.

XXX. Sed quorsum in omnibus posthac fidei confessionibus, solemne & usitatissimum fuit, non Synodos tantùm solutissimè laudare, sed omnes ab iis damnatos damnare, si nulla istiusmodi damnationibus assentiendi incumbit necessitas? Sophronius in epist. synodica, quæ lecta est *act. 11.* Synodi sextæ, cùm tria Capitula sigillatim execratus esset, *Universales sanctas quatuor amplector Synodos, super his vero & hanc quintam honoro & veneror, & cuncta earum lubenter recipio, tam in dogmatibus, & diversis doctrinis, quàmque hæreticorum anathematibus & definitionibus. Unde & comprobo atque suscipio, quos susceperunt & probaverunt. Et anathematizo atque abjicio, quos anathemati subjecerunt, & abjectos à sancta nostra Catholica Ecclesia censuerunt*. Ita Episcopus Hierosolymitanus. Et in Octava Synodo, *act. 10. Post lectos Canones lecta est ejusdem octavæ Oecumenicæ Synodi definitio, quæ Symbolum fidei, professionemque de septem prioribus Synodis, & anathema eorum, quos illæ Synodi damnarunt, complectitur*. Beda *lib. 4. histor. cap. 17.* hæc refert ex Synodo sub Theodoro Cantuar. Archiep. *Suscepimus sanctas & universales quinque Synodos, &c. anathematizamus corde & ore quos anathematizaverunt, & quos susceperunt suscepimus*. Et in Gallicana non aliter Ecclesia, Adalbertus Morinorum Episcopus ordinandus, hanc antè Hincmaro Metropolitano confessionem porrigit: *Sex denique sanctas & universales de fide Synodos, quas sancta & Apostolica Ecclesia recipit, me recipere & venerari profiteor. Nicenam videlicet, &c. item Constantinopolitanam temporibus Vigilii, &c. Item Constantinopolitanam sub Agathone, &c. Hos autem quicumque ab eisdem Sanctis Patribus in memoratis Synodis vel postea similiter per Spiritum Sanctum sentientibus, diversis vicibus, literis divinitùs inspiratis damnati leguntur, eandem venerandam Patrum authoritatem sequens condemno*. Et in Concilio Tricassino II. an. 878. *Hincmarus Archiepiscopus Remorum respondit, Secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos, quos Apostolica Sedes per B. & dominum nostrum Papam & Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater damnat, damno: quos anathematizat, anathematizo: quos excommunicat, excommunicatos habeo, &c.* Et Leo Papa IX. *epist. 5.* laudatis quatuor generalibus Conciliis, itemque tribus alii *pari modo*, addit: *Quidquid supradicta septem sancta & universalia Concilia senserunt & collaudaverunt,*

sentio

sentio & collaudo: & quæcunque anathematizaverunt, anathematizo. Similiter Gregorius VII. *lib.* 8. *epist.* 1. post quatuor Conciliorum, & tandem quinti etiam commendationem, *Cunctas verò quas prefata veneranda Concilia personas respuerunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis presumit, aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Et apud Zonaram Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus ad Leonem Papam: *Predictas Synodos Oecumenicas suscipio, &c. demum quoscumque Ecclesia Catholica recipit, illos ego quoque recipio: & quoscumque illa aversatur, illos & ego itidem aversor.* Et juris Oriental. *lib.* 6. in Symboli cautione à Metropolitanis præstanda tempore ordinationis: *Recipio sanctas & universales septem Synodos, &c.* Cùm ergo ubique terrarum in universa Ecclesia Catholica id invaluerit, cùm id sacris regulis consonum prædicetur, cùm in id jurati sint omnes Episcopi inter ipsa consecrationis solemnia, ut damnet quisque damnatos à Synodis: quis sibi integrum putet damnatos à Synodis absolvere? aut quos ore & manu damnare cogitur, mente purgare? Aut quis talia in Ecclesiam Christi sponsam & veritatis magistram irrepere potuisse sacramenta & authorati putet, quibus homines perjurio implicarentur? Denique cùm tot jam interlapsa sint sæculorum volumina, eccur non aliquis unus saltem emersit, qui reliquos synodicè damnatos damnaret; Theodorum, vel Theodoretum, vel alium istiusmodi quempiam exciperet, & innoxia vel sensisse, vel scripsisse proclamaret? Si hanc venerationem majores nostri hactenus per tanta annorum spatia synodicis istiusmodi sententiis dicavere, ecquid nos audaculi ab eorum religione defecimus?

XXXI. His adde legem illam & consuetudinem vetustissimam, ut non errores tantùm, sed authores ipsi configerentur synodicis decretis, & configendi ab edentibus fidei professionem præciperentur. Quod supervacaneum prorsus fuisset, & perjuriorum laqueis implicatissimum, si licuisset quoad has quæstiones ab Ecclesiæ universalis sententia discrepare. Leo I. *epist.* 2. *Ut damnarent Manichæum cum prædicationibus & discipulis suis, publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione compulimus.* Et *epist.* 3. de quibuslibet hæreticis resipiscentibus, *Priùs errores suos & ipsos authores eorum damnari à se sine ambiguitate fateantur.* Vide & *epist.* 85. & 86. de Pelagianæ sectæ reliquiis, *Damnent apertis professionibus suis superbi erroris authores, &c.* Et Cælestinus Papa epist. ad Synodum Ephesinam, post damnationem Nestorii, *Habent, si resipiscunt, copiam revertendi, quod his solis non permittitur, quos proprie cum authoribus hæreseos, omnium fratrum constat subscriptione damnatos, &c. Se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundùm Ecclesiasticum & Christianorum Principum constitutum, damnata cum authoribus, sociisque damnantes, se profiteantur Catholicos Sacerdotes.* Justinianus in decreto fidei: *Nicæna Synodus eos qui impiam Arii sectam colunt, sine nomine anathematizavit. Quæ autem Constantinopoli congregata est, impiam Macedonii hæresin similiter condemnavit. Sed tamen sancta Dei Ecclesia & post mortem Arium & Macedonium nominatim anathematizat.* Conc. Ephes. part. 3. cap. 20. Quæ ille ut mortuis anathema incuti posse, nos eo promimus, ut errores authoresque una damnationis sententia conteri solere constet. Huc refer quæ suprà in Nicænam, in Ephesinam & in Chalcedonensem Synodum commentati sumus, ubi patefactum est, non paucos erroris damnationi subscripsisse, qui authorem non ita sensisse opinarentur; quique Ecclesiastica tandem authoritate compulsi sunt, authoribus quoque ipsis nominatim anathema impingere, ut Ario Eusebiani, (apud Socratem, caulati priùs se restitisse Synodo, cùm ejus fidem oscularentur, quid ab eorum fide Arium dissidere non putarent: *lib.* 1. *cap.* 10. 19. & apud Nicephorum *lib.* 8. *cap.* 18. 43.) Nestorio Theodoretus & alii, Ægyptii Eutycheti. Cùm hactenus ergo solemne fuerit Ecclesiæ Catholicæ Synoditique, non erroribus tantùm, sed ipsis authorum nominibus execrationem indicere: quâ ex rima putant aliqui sibi hanc posse affluere licentiam damnatos authores absolvendi, hoc est, damnatricem eorum Ecclesiam & priscas omnes Synodos condemnandi? Nam etiam quibus aderant non errorum, sed personarum defensores, ut Arium, Nestorium, Eutychetem: etiam ante damnationem præmortuos & damnavit Ecclesia & damnare compulit.

XXXII. Libros maximè ipsos hæreticorum proscribere curæ fuit Patribus, Synodisque omnibus. In eam rem exsomnis vigilavit solicitudo Imperatorum & Pontificum, Nestorii libros, item Arii, Theodorique quidam erroribus liberabant, ut alibi dictum; in eos tamen ut hæreseos fomites peræquè lex sacra & publica sæviit. Vide Conciliorum omnium generalium acta. Vide & Nomocanonem Photii *tit.* 12. *cap.* 3. Ecclesia ergo quæ sibi hanc potestatem vendicat libros inurendi hæreticos, nulli potestatem facit, eosdem deinceps defendendi. Cùm vel maximè autem Ecclesia convenit universa, vel sine conventu synodico, universa nihilo seciùs detestatur aliquem librum, ut seminarium prophanæ hæreseos; num eundem approbandi cuilibet etiam doctissimo potestatem facit? Quorsum enim universa convenit, examinat, definit Ecclesia, si per ipsam mox licet contrà vel dicere, vel sentire? Nec doctrinæ privatam opulentiam potest quisquam prætendere. Quantula enim hæc est, privata cùm sit, præ universali totius Ecclesiæ sapientia? Præ luce Spiritus Sancti Ecclesiam circufluente, quantilla est singulorum fax? Soli Ecclesiæ quis lumen ingenioli componat, quis præponat? Audiant hac delusi suæ sagacitatis insania Augustinum *lib.* 2. de Bap. contra Donat. *cap.* 5. *Ideo plerumque doctoribus minùs aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas in qua fructus est major, comprobetur: vel quo modo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt: vel quo modo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt.* Audiant saltem Facundum Hermianensem Episcopum, hæc de Ecclesia synodicè collecta edocentem, quæ de eadem ubique sparsa, eodem jure dici possunt, utpote & ipsa pariter erroris insolentissima: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: nam fideliter invocatus non solùm à sacerdotibus, sed ab omni populo suo, cujus fides & expectatio ex illorum authoritate dependet, dat omnibus congregatis unum cor & animam unam, ut nullus eorum suam velit esse sententiam, nisi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio, cedunt? Quoties etiam per nescientes, scienter operatur ipse qui potest omnia facere supra quàm petimus, aut intelligimus?* Lib. 8. cap. 7. Ita ille cùm de tribus Capitulis, id est, de factorum & personarum, ut volunt, quæstionibus res ageretur. Porro non Synodo tantùm sed Ecclesiæ maximè suæ toto orbe terrarum diffusæ Christus *promisit, quod nobiscum sit omnibus diebus usque ad consummationem seculi; qui cum sit omnipotens veritas, mentiri nullatenus potest,* ut idem ibidem subjicit. Audiant rursus eundem Facundum *lib.* 10. *cap.* 1. regulam figentem emendandi Synodorum judicii: *Si suspiciones judiciorum sententiam dicent, nihil omnino est, quod non aliter atque aliter judicetur. At isti volunt judicari tantam Synodum per tantos annos tanta universalis Ecclesiæ pace firmatam: & nihil quod cognoscamus, sed hoc solùm afferunt, quod pro suo nos velint arbitrio suspicari. Ergo si cupiunt, ut cum illis hanc Synodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam destruendam idoneum requirant,*

ac proferant, quod tam certum mihi sit, quàm certum mihi est esse me. Qui ab Ecclesia libros damnante dissentiunt, utunturne argumentis tam certis, quàm certi sunt esse se? Et argumenta si qua tam certa & evidentia suppeterent, an ea Ecclesiam præterirent? Audiant quid Marco Ephesino responsum sit à Josepho Methonensi Episcopo: *Superba de teipso opinione deceptus, putasti universa te Synodo prudentiorem & doctiorem esse; quod extremæ dementiæ argumentum est, unum scilicet hominem antecellere universis. Esto si unum cum uno conferas, id enim credibile est; at universa Ecclesia congregata unum hominem esse præstantiorem, omnino impossibile est. Alioquin & Arius, & Eunomius, & reliqui generalium Conciliorum hostes hoc ipsum dicent. In Append. Conc. Florent.* Audiant quid in Concilio Basileensi, *In Append.* ad Bohemos peroratum sit: *Quis major vobis honor contingere potest, quàm quod sponsa Christi, & regina adstans à dextris ejus judicet inter vos? Qua major certitudo veritatis, quàm quòd discipula Spiritus Sancti sententiam pronuncies? Quem unquam fideliorem judicem invenire poteritis, quàm amantissimam matrem vestram? Nolite ergo disputando laborare, nec contendendo verbis alter alterum lacessere. Quid vos multitudine librorum oneratis? Cur diversorum magistrorum sententias in medium affertis? Cur intelligentias vestras humanis inquisitionibus ac subtilitatibus defatigatis? Ecce in medio vestri adest Magistra vestra, cui Spiritus Domini sensus, mysteria, & arcana aperit Scripturarum. Non mihi opus est judicando, ut legis peritos advocem, aut bibliothecas perscruter. Nullius horum consilio opus habeo, cui Dominus consulit. Charitas Domini meum semper intellectum illustrat, & agnus meus Jesus Christus ante me lucernam defert.* Quæ omnia non ad solas fidei, sed ad omnes Ecclesiæ universæ doctrinales definitiones spectant. Ubique enim Sponsa Christi est, & Spiritus Sancti plenitudinem circumgestat, & in medio ejus est Christus, & illi unum aliquem se anteferre insolentissimæ vesaniæ est. Adde quod ipsis fidei judiciis conjunctissima est librorum censura. Nam & Marcus Ephesinus, & Boemi, & omnes denique hæretici non de fide tantùm, sed & de sensu antiquorum Patrum cum Ecclesia Catholica altercabantur. Quibus adeo si largiaris, ut in librorum ab antiquis tractatoribus conscriptorum sententia enucleanda aberrare posse Ecclesiam Catholicam sentiant: prohibere vix jam poteris, quin traditionem sibi vendicent, veritatis fidissimam interpretem.

XXXIII. Sed & hoc ipsum Synodi quintæ judicium, etsi ut volunt, in factis tantùm & personis versatum sit, universalis tamen Ecclesiæ authoritate coruscasse, adeoque Christianum neminem ab eo dissentire potuisse, docet Pelagius Papa I. *epist.* 3. *De Liguribus atque Venetiois & Istris Episcopis quid dicam? Quos idonea est excellentia vestra, & ratione & potestate reprimere; & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari. Cum siquid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli nuper actum est, fortè movebat: ad Sedem Apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt: & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam laterare. Nolite ergo dubitare hujusmodi homines principali vel judiciali authoritate comprimere.* A judicio universalis Synodi & Ecclesiæ totius dissentire non finit; cogit aut doceri quæ nesciunt, aut sæculari potestate coerceri. Et ad eundem Narsetem Comitem *epist.* 5. vetat eos ad aliam suspirare Synodum, quasi instaurari alia diligentior possit ejusdem rei disceptatio; sed quod ignorant, doceri, vel comprimi. *Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quotiens aliquibus dubitatio nascitur, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant: aut si fortè ita obstinati & contumaces extiterint, ut doceri non velint; eos ab eisdem Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut secundùm Canones, per sæculares comprimi potestates.* Similiter Gregorius *lib.* 4. *epist.* 49. ad Episcopos Istriæ: *Hortor, dilectissimi fratres, ut ad me venire debeatis, dummodo ratione percepta, à concordia sanctæ universalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet, &c. Et seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia divina compunxerit, sive quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos relaxare curabimus.* Et ita constantissimè summi Pontifices Pelagius uterque & Gregorius à judicio quintæ Synodi dissentire neminem, vel ad aliam Synodum provocare passi sunt; sed quòd jam universalis Ecclesiæ consensione irretractabiliter definita res esset, contrà bacchantibus unam superesse voluere medicinam, ut docerentur, & eis satisfieret; aut obstinati regia potestate contererentur.

XXXIV. Quod vel hinc etiam dilucidius fiet, quòd de tribus Capitulis ideo renovari examen potuisse in Synodo quinta testati sunt, quoniam quæ de illis Synodus Chalcedonensis prælibaverat, ea confirmare Leo Papa recusaverat: ac proinde ea dici non poterant Synodi Oecumenicæ, vel universalis Ecclesiæ judicia: cujusmodi sola sunt irretractabilia. Pelagius in epist. ad Episcopos Istriæ, ex epistolis Leonis Papæ decerpit segetem uberrimam testimoniorum, qua ostendit, *nihil se omnimodo de Chalcedonensi Synodo suscipere, nisi quod de sola fide gestum fuerat, &c. Postquam nihil aliud Synodi nisi fidei definitionem recepit, quid est aliud, nisi quod cætera, quæ illic specialiter mota sunt, refutavit, &c. Ipse Leo sicut multa superiùs epistolarum ejus attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, authoritatem Synodi in sola fidei definitione constrinxit, &c. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur, &c. Epistolam Iba licenter unusquisque reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent. Quia postquam beato Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiamsi quæ esse poterat, eorum qui interfuerant, in privatis negotiis authoritas, vacuatur.* Nec aliter *epist.* 5. *Necesse est vos omnes epistolas synodales solicitè vigilanterque percurrere, ut evidentiùs agnoscatis, quia Sancti Patres nihil aliud de Chalcedonensi Synodo in suis epistolis firmaverunt, nisi ut inviolabilis fidei definitio servaretur.* Profert mox verba Leonis qui ait, se assensum esse Synodo, *In sola videlicet fidei causa, quod sæpè dicendum, propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianissimorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Ex mox Pelagius, *Privatas causas quæ illic post definitionem fidei actæ sunt, non solùm minimè confirmavit, sed & retractari atque dijudicari permisit.* Ergo tametsi de factis & personis hæc agitata essent judicia in Synodo Chalcedonensi: retractari tamen neutiquam possent, nisi Leo Papa ea refutasset, adeoque Oecumenicæ Synodi authoritatem hac in parte detraxisset.

XXXV. Ex adverso autem ut irretractabilia esse ostenderet Facundus Chalcedonensium Patrum de tribus Capitulis judicia, à Leone Papa illa demonstrare laborabat confirmata fuisse. *Absit ut ille vir sanctus licitum sibi putaret, quod non expedire cernebat: & magni sui certaminis palmam, postquam vicit, amitteret. Quid enim jam integrum, vel quid constare potest immobile, si tanti Concilii sententia vel sicut imperfecta suppleri, vel sicut dubia, rursum discuti videretur? Non autem in sola fidei dubitatione vel definitione Conciliorum valet authoritas: verùm etiam in omni-*

omnibus quæ pro pacis & unitatis observantia, cujus maxima sapientibus cura est, modestè ibi fuerint ac bene composita. Lib. 2. cap. 6. Et infrà: *Et revera quis erit contentionum atque certaminum finis, si de his quæ totius Ecclesiæ consensione firmata sunt, semel licuerit ferre judicium? Cur enim non rursus ipsum judicium judicetur? Et ideò prudentissimus vir Leo, nullam penitùs dans occasionem quærentibus, denunciabat dicens, Nihil prorsus de bene compositis retractetur, &c. Si verò Beatissimus Leo, quamvis recentioris Concilii, & nulla antè sui decessoris assertione defensi, quidquam in disceptationem revocare non est passus: quomodo ab aliis creditur quartus decimus successor ejus Sanctus Vigilius, novum posse aliquid judicare?* Idem rursus copiosè prosequitur Facundus *lib. 12. cap. 2.* Utrisque ergo hinc & inde id conveniebat, qualiacumque demum essent illa tria Capitula, non posse de his quæ totius Ecclesiæ consensione, quæ Leonis Papæ suffragio firmata essent, rursus judicium iterari: non debere ipsa iterum judicia judicari: sed in eo dissidebant, quòd à Leone Papa, atque adeo ab occidua, proindeque ab universali Ecclesia, hi affirmarent, illi pernegarent confirmata fuisse decreta Synodi Chalcedonensis de tribus Capitulis: adeoque ad novum examen trahi potuisse isti dicerent, contrà illi dicerent. In istiusmodi ergo etiam Ecclesiæ totius definitionibus, ne defensores quidem trium Capitulorum eam sibi dissentiendi & ad nova revocandi examina indulgebant licentiam. Ergo Theodori scripta, Ibæ epistolam, Theodoreti nænias in Cyrillum, si ab aliqua primùm, putà à quinta Synodo, damnata fuisse, & Romani Præsulis accessisse consensum, Facundus vel ejus gregales tunc audissent, protinus subscribendum & sibi & omnibus esse nequaquam ambigerent.

XXXVI. Id dilucidè iterum ex Ferrando Carthaginensi Diacono constabit. Qui epist. ad Pelagium & Anatolium, *num.* 6. de epistola Ibæ quam contendit in Chalcedonensi Synodo laudatam fuisse: *Si tunc aliquis accusator epistolæ, cujus Catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, appellationi forsitan secundùm consuetudinem locus pateret. Sed quo iret? aut ubi majores reperiret in Ecclesia judices? ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum?* Et mox: *Universalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent, &c. Quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Et tandem regulis in ea jactatione tenendis hanc cæteris præfert, *Ut Concilii Chalcedonensis vel similium ejus nulla retractatio placeat: sed quæ semel statuta sunt, intemerata serventur.* Ergo & Patroni Capitulorum tunc procul abhorrebant ab hac quorundam hodie opinatione, posse exterrare & Pontificem, & Synodum Oecumenicam, & Ecclesiam universalem in dijudicatione librorum; & proinde quamvis quinta Synodus Theodori vel Theodoreti libros saltem aliquos confixerit, & prima Sedes consenserit, posse non Ecclesiam modò, sed quemlibet Theologastrum ejus infirmare judicium. Contrà enim Facundus, contrà Ferrandus statuta etiam hoc genus synodalia retractare vetant, *sequi, teneri, amplecti* jubent, non privatos tantùm, sed Ecclesiam ipsam: Romani autem Pontifices & Catholici omnes in id ipsum conspirabant. Denique idem Ferrandus ibidem: *Concilia quæ vetustas firmavit, & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.*

XXXVII. Idem emicat ex alia Romanorum Præsulum exceptione: qui tria Capitula in controversiam vocari posse, & in quinta Synodo damnari potuisse respondebant, non quod errare in suo de iis judicio potuisset quarta Synodus, & posterioris esset Concilii errata prioris emendare; sed quod de iis actum esset, finita jam & terminata Synodo Chalcedonensi, nempe post actionem sextam, in qua velut ad calcem Synodi Canones assuuntur. Pelagius II. in epist. ad Episc. Istr. *Quia vero in actione sexta fidei causa perficitur, ipsa Episcoporum omnium generali subscriptione declaratur, &c. Unde & in causis post specialibus, nudis tantummodo verbis loquuntur, atque ea quæ decernentes dixerant, nulla supposita subscriptione firmaverunt, &c. Actione sexta clamarunt Episcopi, Supplicamus, dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos, &c. Quia verò & apud eosdem Episcopos qui in Chalcedone resederunt, in veneratione Synodus nonnisi usque ad fidei definitionem fuit, per hoc apertè ostenditur, quod plerique Græci antiquiores codices, continere Synodum nonnisi in sex actionibus subjunctis Canonibus demonstrantur, ut omnino cætera quæ privato studio fuerant mota, non habeant.* Et Greg. *lib. 3. epist. 37. De Synodo illa, quæ à multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel sanxerit; quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Et *lib. 7. epist. 54. Sancta Chalcedonensis Synodus usque ad definitionem fidei & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curavit. Epistolam verò, quam in ea Reverendissimus Ibas denegat suam, quòd in extrema parte Synodi jaceat, agnoscis.* Vides quàm nunquam his Patribus in mentem venerit arrogare licentiam vel sibi, vel Ecclesiæ, nedum privatis quibuslibet, authores libroſque vel absolvendi quos damnasset, vel damnandi quos absolvisset Oecumenica Synodus. Ideo & Pelagius I. *epist.* 14. ut se in amplectenda Synodo quinta nihil quartæ obloqui significet, profitetur se *quicumque à quatuor Conciliis absoluti sunt, esse orthodoxos habiturum, &c. Omnes quos damnaverunt, habere damnatos; quos receperunt, inter orthodoxos venerari.*

XXXVIII. Patres verò Quintæ Synodi paulò alia rem aggressi sunt via. Nam Capitula evicere nusquam in Chalcedonensi Synodo vel levissimè approbata fuisse: & etiamnunc à se damnari & absolvi eosdem, quos Chalcedonensis Synodus damnasset, vel absolvisset: nec unquam tunc subiit cujusquam animum tam fœda exceptio, potuisse Synodum Chalcedonensem in judicio istiusmodi hallucinari. Itaque *Collat.* 3. tractationi trium Capitulorum ita præfantur: *Sanctas quatuor Synodos suscipimus, & omnes condemnatos à prædictis sanctis quatuor Conciliis, tanquam condemnatos habemus.* Et *collat. 6.* Synodus dixit, *Contraria per omnia est epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronunciavit. Unde & procedentes omnes coegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia epistola, & insuper impia ejus dogmata, & subscribere definitioni quam pro fide exposuerunt, ad refutanda certè ea, quæ prædicta epistola vindicat. Et hæc fecerunt pro nullo habentes ea quæ ab uno vel duobus pro eadem epistola dicta sunt, qui & ipsi ejusdem omnibus facti voluntatis, Ibam susceperunt, cum pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, & subscripsisset definitioni ab eodem sancto Concilio expositæ.* Ita illi à Chalcedonensi Concilio propulsant studiosissimè calumniam approbatæ Ibæ epistolæ. A quo improbatam potiùs demonstrant ex eo, quod

Ibam

Ibam compulerit, Nestorio & ejus dogmati anathema dicere, fideique definitioni subscribere. Quod ab uno autem vel altero Episcopo laudibus affecta sit epistola, non id statim universo Concilio adscribendum. Et in *collat.* 8. *Sed quia Theodori & Nestorii impiorum defensores alio modo machinabantur confirmare eorum personas & impietatem, & dicebant istam impiam epistolam, quæ defendit Theodorum & Nestorium & eorum impietatem, susceptam esse à sancto Chalcedonensi Concilio: necessarium esse putavimus per omnia ostendere, liberam esse sanctam Synodum ab impietate quæ in epistola continetur; &c.* Et mox: *Illud omnibus facimus manifestum, quod nec partes interlocutionum unius vel secundi, quibus utuntur Theodori & Nestorii sequaces, præterire sustinuimus; sed istis, & aliis omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his quæ eis continentur consideratis, invenimus, quod non aliter passi sunt prædictum Ibam suscipere, priusquam exegissent eum, Nestorium & impia ejus dogmata, quæ in epistola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alii religiosi Episcopi prædicti sancti Concilii, quàm illi duo quorum interlocutionibus quidam uti conantur.* Procul ergo discesserant Patres isti ab eorum sententia, qui vel generalibus Synodis errorem obrepere posse nugantur, in scriptorum examine librando.

XXXIX. Etsi ergo alias alii sectarentur rationes purgandæ Chalcedonensis Synodi, omnibus tamen & Orientalibus & Occidentalibus Episcopis conveniebat, in istis etiam quæ factorum & personarum dicuntur quæstionibus, non posse quæ semel in una Synodo definita fuerint, retractari in alia & everti. Itaque schismatici quidem vociferabantur, approbata in Chalcedonensi Concilio tria Capitula non potuisse in quinta Synodo damnari: regerebant orthodoxi ideo in quinta damnari potuisse, quòd in quarta non essent approbata. Non fuisse autem approbata Chalcedone ea Capitula, alii aliis rationibus prosequebantur, quibus tamen nulla interest conflictatio. Constare enim potest quòd & Leo Papa nequaquam illa de privatis causis judicia confirmarit: & generalem Synodum actio sexta terminarit: & illi ipsi qui adhuc Chalcedone post finitam Synodum conveniebant ad Episcoporum causas sopiendas, Ibæ epistolam minimè approbarint.

XL. Nec tamen Augustino obloquimur, clamanti *ipsa plenaria sæpè Concilia priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* Perspicuum est enim non eò hæc collimare, ut in librorum examine hallucinari possint Concilia plenaria, & priora à posteriotibus emendari: quippe cùm in ea re locum non habeant nova *rerum experimenta*. Sed de ejusmodi causis disserit Sanctus Pater, quæ ita in Conciliis quibuslibet definiuntur, ut si nova post, quæ priùs latuerant, aperiantur experimenta, seu argumenta scelerum, & instrumenta, tunc necesse sit renovari judicium, & in contrarium fortassis reflecti sententiam. Ita alibi Augustinus, Cæciliano anathema vel post mortem infigendum clamat, si qua nova quæ hactenus fefellissent, ejus retegantur crimina: tametsi ille & Romano & Arelatensi plenario Concilio purgatus fuisset. *Epist.* 50. *In causa Cæciliani qui crimina objecerunt, quæ nec potuerunt probare, nec possunt, se ab Ecclesia Catholica, hoc est, ab unitate omnium gentium divisérant. Quamvis etsi vera essent, quæ ab eis objecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus.* Hæc sunt *experimenta* in dies emergentia, ubi *possunt monstrari* crimina, quæ priùs *probari non potuerant*. Ita Arelatense plenarium quodammodo à posteriori Concilio emendaretur. Quamvis vel tunc nec ipsum Arelatense Concilium erasse dici posset. Ubi enim nulla vel allegabantur, vel probabantur crimina, nimirum quia latebant, non errabat sententia quæ absolveret: immo erasset, nisi absolveret. Unde apud Rainaldum ad ann. 1311. *num.* 54. de Templariorum Ordine in Concilio Viennensi per errorem, ut quidam volunt, extincto, hæc habet MS. Vaticanum: *De Templariorum extinctione videtur modestè loquendum, ita ut non conferatur culpa in Pontificem, cum constet ipsum & Concilium fecisse judicium secundùm allegata & probata.* Ad hæc cùm ait Augustinus ipsa plenaria Concilia *sæpè* priora posterioribus emendari: ad Oecumenicas Synodos vix potuit intueri. Ecqua enim ævo Augustini potuerant Oecumenica Concilia à posterioribus emendari? Num Nicæna Synodus à Constantinopolitana? At quis nescit, quanto Nicæna cæteris antistet? Deinde num illud *sæpè* dici posset? Nec in futurum regulam figit Augustinus, sed quid fiat, & sæpè fiat, perhibet. Per plenarias ergo, non Oecumenicas tantùm, sed vel transmarinas, vel universales Afris usitatas intelligit. Unde *lib.* 2. de bapt. contra Donat. *cap.* 9. *Si Concilium Cypriani attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus jure optimo præponitur.* Vides ut priora à posterioribus Conciliis emendari sinat, nempe in disciplinæ magis, quàm fidei causa; & priora universalia Africana, cujusmodi fuerant illa Cypriani, de rebaptizandis hæreticis, à posterioribus Ecclesiæ universæ. Alioqui constat indubitatissimè, quod Romanus Pontifex Martinus I. elocutus est in *act.* 1. Concilii Lateran. *Sancta Chalcedonensis Synodus definivit: hoc est dicere, omnium Sanctorum chorus. Quoniam quod una Sanctorum Patrum Synodus judicare videtur, tam omnes Synodi, quàm universi omnino confirmare Patres noscuntur, utpote in uno eodemque verbo fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.* Nempe ubi nulla lapsu temporum è latibulis suis prosiliunt experimenta.

XLI. At in epistolarum, commentariorum, librorumque dijudicatione, ecunde nova advolabunt posteriori Synodo experimenta? Quin ex adverso tantum scriptorum quorumlibet sensus & intelligentia tenebrescit magis magisque; & fallere potis est, quantò lapsus temporum alios mores, & voces, vocumque significationes dissimiles invehit. Quamquam ergo magnoperè assentiar Nicolao de Clamengis, (*Disput. de materia Conc. gener. pag.* 61.) ita ajenti: *Licèt Ecclesiæ militantis authoritas sit maxima, quæ fundata supra firmam Petram, convelli non potest, & adversùs quam portæ inferi nunquam prævalere potuerunt, non illi tamen nos oportet, ut videtur, triumphantis Ecclesiæ titulos adscribere, ut infallibilis sit, aut impeccabilis, quæ sæpe, ut nosti, & fallit, & fallitur: non dico in his quæ fidei sunt: cum Christus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixerit: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: sed in aliis quæ vel facti sunt, vel morum, vel judiciorum: in quibus propter circumstantiarum infinitam varietatem ac multitudinem, perdifficile est optimi medium semper attingere:* ab aliis tamen facti quæstionibus, in quibus aberrare quandoque potest Ecclesiæ judicium, propter infinitam varietatem circumstantiarum, tardiùs quandoque, vel nunquam in lucem emergentium: hæc de libris judicia latissimo intervallo secernenda existimo, ut nulli circumstantiarum caligini, nulli testimoniorum fraudulentiæ obnoxia: ut ad doctrinam & fidem funditus spectantia: cùm & fides sanciri & hæresis configi non soleat, non ferè possit, nisi verbis, propositionibus, tractatibus, libris consignata. Ideo nusquam hactenus cùm tot annorum curricula effluxerint, cùm tot librorum millia censorio mucrone confossa sint, vel semel contigit, ut Synodus posterior prioris de quoliber libro sententiam revocarit. Quò universum referri potest quod

Ferran-

Ferrandus in epist. ad Pelag. & Anat. disputat pro tribus Capitulis, quæ probata fuisse Chalcedone autumabat. Eadem nos æquiùs multò differamus de Theodori, Ibæ, Theodoreti scriptis indubiè à Quinta Synodo damnatis. *Vox adempta volentibus malè adsumpta defendere, quomodo iterum restituetur? Quis erit post tantos ac tales Pontifices negotii jam peracti novus & idoneus cognitor? Ex quibus mundi partibus aut civitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur Episcopi, quibus potestas detur sententias emendare majorum? Vel qua spe confidenter adsumant aliqui definire, videntes talium virorum judicia repente cassari? Quomodo successoribus nostris poterit placere, quod agimus: si per nos docebuntur, irritum facere, quod præcessores suos gessisse cognoverint? Unde hæc nova cautela? Nunquid post Papam Leonem, Anatolium, Maximum Juvenalem, vel ceteros illius temporis sacerdotes nullus fuit ex eorum successoribus, qui legeret attentiùs & intelligeret, epistolam venerabilis illa Episcopi malè Synodo insertam fuisse? Habeo dicere, si retractentur Chalcedonensis decreta Concilii, de Nicæna Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur.* Quibus & damnatores applaudebant Capitulorum, eo uno dempto, quod ea Chalcedone approbata usquam fuisse inficiabantur. Liquet hinc autem synodicè vel damnatos posteà absolvi, vel purgatos posteà condemnari non posse libros. 1. Quod nec meliores, nec eruditiores se majoribus suis posteri venditare debeant. 2. Quod si majorum minores, horum rursus judicia posteriores evertent, & ita sursum deorsum volventur in Ecclesia res omnes, & nihil usquam fixum ratumque erit. 3. Quod ipsius etiam Nicænæ Synodi de Arii libris convelli poterunt decreta, & refigi quæ fixa hactenus credebantur omnia.

XLII. Et idem ibidem: *Non expedit antiquorum Patrum, qui Chalcedonensi noscuntur interfuisse Concilio, vituperari deliberationem, retractari judicium, mutari sententiam. Ne Synodus venerabilis apud omnes Ecclesias Orientis & Occidentis, perdat subito reverentiam suam; nec possit in definitionibus fidei robur inflexibile custodire, si cœperit ex aliqua parte fragilis aut reprehensione digna convinci. Quidquid semel statuitur in Concilio & congregatione Sanctorum Patrum, perpetuam debet obtinere jugiter firmitatem.* Et mox, *Totum Concilium Chalcedonense verum est. Quidquid ibi dictum, gestum, judicatum novimus atque firmatum, Sancti Spiritus operata est ineffabilis atque secreta potentia.* Quibus in eamdem sententiam plura addensat, ut mihi quidem videtur, prævalida. Nam si generalis Synodus aberrat in dijudicatione libri vel commentarii, seu doctrinæ eo contentæ, quid jam fidei Synodis habebitur? Si Synodus illum absolvit, cujus nullum crimen probatur, quia tunc latet: eundem post alia denudato & probato crimine damnet convictum: nihil id de Synodi majestate & fide decerpit. At si libros Synodus prolixa perfuncta examine vel hæreticos pro Catholicis, vel Catholicos pro hæreticis habeat: quanta erit ista ejus caligo, quanta vertigo Episcoporum, quanta Ecclesiæ magistræ infamia? Sed nonne illud ipsum est *critirion*, idem Spiritus Sancti lumen, idem cœleste oraculum, quo & fides à Synodo generali prædicatur, & perfidia libris inspersa proscribitur?

XLIII. Et rursus idem, si qua nobis oriatur circa proscriptos à Synodis libros dubitatio, qui diluenda ea sit, docet: *Universalia Concilia præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ authoritatis locum post Canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minimè valeant altitudinem cœlestis oraculi comprehendere. Sed pius lector & quod non intelligit, credit; ut quod credit, mereatur intelligere. Sic omnino nec aliter Concilia quæ vetustas firmavit, & custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.* Cum igitur tam certò damnarit quinta Synodus libros Theodoreti in Cyrillum, quàm à quarta absolutos errans putabat Ferrandus: si quis minùs intelligit, quo jure aut qua veritatis luce damnati sunt, credat, ut mereatur fide intellectum. Nec id homini Christiano & Theologo novum, credere, ut intelligat; non intelligere, ut credat.

XLIV. Facundus eadem occinit *lib. 5. cap. 5. Neque enim est alia Conciliorum faciendorum utilitas, quàm ut quod intellectu non capimus, ex authoritate credamus; & sicubi ratio minùs occurrerit, fides, ne labamur, citò succurrat. Nam si post decretum disceptare licuerit, ut dicatur, prius probetur epistola illa, quòd recta sit, ut credatur fuisse suscepta, non est quare jam Concilia congregentur; nec terminata, immo nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cum enim non dicatur similiter, probetur priùs, quod unius essentiæ sint Pater & Filius, ut credatur hoc Nicæno Concilio terminatum.* Augustini doctrinam avidissimè combiberat Facundus. Non nesciebat, aliqua esse facta, quæ ita nunc latere, post patescere possent, ut inde Synodi posteriores prioribus derogarent. At in librorum examine & judicio semel instituto synodaliter, negat idem constantissimè Ecclesiam vel Synodos generales alternare posse. Et tota tunc, ut sæpiùs jam inculcavimus, consentiebat Ecclesia; quæ ideò, ut quinta in Synodo damnari possent, pernegabat in parte purgata fuisse Capitula. Alioqui ut pergit Facundus, *Quæstionibus universis in antiquo statu manentibus, non solùm nihil Synodorum constitutionibus absolutum esse videbitur; sed etiam ad perpetuandas lites, quæstionum in eis reservata memoria. Et ideò non idem modus esse debet atque ordo quærendi, post definitionem Concilii totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, ut si orthodoxa probaretur ista epistola, suscipienda judicaretur à Synodo: nunc autem ratio poscit, ut si suscepta probetur à Synodo, judicetur orthodoxa. Hanc observantiam tenentibus, nihil nobis prævalebit hæreticorum calliditas, si judicare non præsumamus, quod intelligere non valemus.*

XLV. Sed audienda nobis sedulò est quinta ipsa Synodus *collat. 8.* ut aliena dediscamus præjudicia, & sincerum orthodoxæ Theologiæ lac sugamus ex ipsis virginis Ecclesiæ uberibus. Cum ergo de damnandis trium scriptorum lucubrationibus diuturnum jam examen sæviisset, ait tandem opus esse, *ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens, &c. Nec enim justum esse amplius scandalum pro tribus istis capitulis crescere, & Dei Ecclesiam conturbari, &c. Licèt enim Sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priùs unanimiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt, &c. Unde, visum est Spiritui Sancto & nobis, &c. Sed & Sancti Patres qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, &c. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget, &c. Et ipse Dominus dicit, si duo ex vobis convenerint, &c.* Disceptationem & definitionem hanc suam *ad fidem* pertingere agnoscunt. Fidei enim officium est, errores libris insertos explorare & exurere. Ad hoc suum judicium, accersunt induuntque sibi illam authoritatem & lucem, quam Apostoli, quam priores Synodi Oecumenicæ præ se ferebant, erroris nesciam. Ad sua hæc decreta Synodica, adaptant verba Christi, *Si duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Itemque Apo-

stolo-

stolorum: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*. Nec injuria. Nec enim de fide propriè in ea palmari Synodo quidquam Apostoli novum decrevere. Denique nusquam in hac Synodo dispescuntur aut dispesci sinuntur errores authoresque errorum, vel sectarii errorum librorumque, quibus error afflatus judicatur. Unde tandem concludunt, *In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia, factas; quod porta inferi non prævalebunt adversùs eam, &c.*

XLVI. Quocirca & eadem Synodus imponi non posse certa in istiusmodi etiam judiciis Synodo cuilibet Oecumenicæ, fidenter pronunciat ad finem *collat. 5. Ex his quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias, priùs quidem multis sepiùs usa est contra eum exclamationibus. Postea verò non aliter eum suscepisset, nisi anathematizasset Nestorium & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas.* Et si minùs scripta hæc Theodoreti improbasset Synodus Chalcedonensis, de ea id sentiendum utique foret, quod de Cyrillo; qui Theodori libros penè tunc damnavit, cum ne damnarentur, soli indulsit dispensationi. Unde Synodus hæc quinta, *collat. 8. Apparent Patres non liberantes anathemate Theodorum, sed dispensativè talibus quibusdam utentes verbis, propter defensores Nestorii, & ejus impietatis, ut ab hujusmodi errore eos abstrahentes, ad perfectum deducerent, & docerent; non solùm discipulum impietatis Nestorium addicere, sed etiam doctorem ejus Theodorum.* Tum exempla dispensationis à Paulo repetunt, ut prælectum fuerat *collat. 5. Si propter dispensationem aliquid Patres dixerunt, ut separarent ab errore Nestorii tunc defensores ejus: tamen quoniam nec susceperunt dicta illorum, & tempus quod dispensationis indigeret, præterist, &c. Sicut Paulus cum ad tempus concessisset Circumcisionem Hebræis, nec non etiam ipse circumcidisset propter dispensationem Timotheum: postea verò quod est perfectum docens, ad Galatas ait, si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Et mox: *Per ista docet Apostolus quòd interdum dispensatio per congruum tempus prodest, & interdum efficit lesionem ad temporis qualitatem. Cum enim opus est ignorantes vel errantes docere, tunc maxima dispensationis utilitas est. Quando verò in doctrina perfectionis tempus est, tunc relinquentes patientiam ad perfectionem dogmatum pervenimus.* Ex quibus clarescit, quod contendimus, ex dispensatione posse meritam damnationem sustineri, & prorogari, non autem immeritam inferri aut præcipitari: nec errare Synodos, seu pro meritis damnent, seu ex dispensatione non damnent, libros quoslibet fidei adversos.

XLVII. Indidem illud emergit, quòd damnatorum librorum defensores, non ut in facti aut personæ quæstione hallucinabundos, sed ut proscriptæ doctrinæ instauratores Ecclesia persæpè detestatur. Ideo in verbis suprà relatis nusquam Synodus quinta rem aliter interpretata est, quàm quòd Theodori & Ibæ epistolæ, & Theodoreti adversùs Cyrillum scriptorum Patroni, hæreticæ pariter patrocinarentur impietati. Idem evidentissimè explendescit ex collatione 8. per totum, ubi defensionem librorum istiusmodi & impietatis illis implicatæ promiscuam semper & indiscretam habent: seu illam aliqui arriperent, seu Synodo Chalcedonensi impingerent. Itaque non potuisse ea Capitula approbari à Synodo Chalcedonensi, invictissimè argumentantur, quòd non potuerit tanta impietas Synodo persuaderi, quam suo etiam ipsa execrata est fidei decreto. Similiter in anathematismis collationi huic octavæ attextis, id urget, id unum molitur Synodus, non posse libros istos à quoquam defensari, nisi hæreseos patrono. Et vix aliter sanè fieri potest. Persuaso enim & constituto hoc semel, hæresin Nestorianam opusculis illis contineri, ut Synodo erat persuasissimum: vix poterant non ei videri hæreticæ sectatores perversitatis, quicumque opusculis ejusmodi favebant. Nec enim illud magni pendebatur, quòd iidem Nestorio & ejus doctrinæ anathema à se dici clamitarent: Nam primò generalibus id genus professionibus utuntur persæpè hæretici, nec fides illis habetur, quòd iis imo derogent specialium errorum pertinacia. 2. Nestorii doctrinam ab iis verbo tenus damnari interpretabatur Synodus; reapse autem, defensione operum quibus propugnatur, defensari. 3. Longè pronius erat credere, per Nestorii doctrinam, aliud quid ab iis intelligi & damnari, non quod damnabat Ecclesia: quàm tam prolixas & enucleatas Theodori & Theodoreti lucubrationes alio & recto sensu ab iis intelligi, non insano illo, quem Ecclesia aversabatur. 4. An Ecclesia Christi usque eò flocci se fieri à filiis suis patietur, ut impunè ab iis infametur, etiam universa, & Synodaliter collecta, & operoso examine perfuncta, & clamitetur non intelligere, non assequi sententiam operum Theodori, tam prolixè & tædiosè differentium? Hoccine imponi potest judici controversiarum & doctrinarum omnium, commentariis semper aliquibus inscriptarum, à Deo constitutæ? Nec usque adeo insaniebant defensores tunc trium Capitulorum, ut privatam suam sagacitatem anteferrent judicio & perspicaciæ Ecclesiæ universæ. Sed Ecclesiam Ecclesiæ, Synodum Synodo componebant, & decreto Chalcedonensis Synodi contumeliam fieri vetabant, ut longè plurimis antè allatis & infrà referendis testimoniis constat.

XLVIII. Quod verò somniarunt aliqui, anathemata quintæ Synodi, non in Catholicos trium Capitulorum recto sensu expositorum defensores, sed in hæreticos eorundem hæretico sensu intellectorum vindices evibrari, nihil potest alienius effutiri. Nam ex Liberato, Facundo, Ferrando, ex Vigilii & aliorum Pontificum epistolis manifestissimum est, eam concertationem totam inter Catholicos conflagrasse. Liquet privatis simultatibus Pelagii Romani Diaconi, & Theodori Cæsariensis in Cappadocia Episcopi excitatum in Ecclesia illud incendium. Liberatus *cap. 23. Pelagius æmulus existens Theodoro Cæs. Capp. Episc. volens ei nocere, eo quòd esset Origenis defensor, flagitabat à Principe, ut Origenes damnaretur, &c. Rursus illi callida fraude rogaverunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium Capitulorum, &c. Cætera verò quæ subsequenter in Episcopis, & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes, in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum, & Theodorum Cæsaræa Capp. Episcopum hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publicè ipse Theodorus clamitavit, se & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.* Vides à Catholicis in Catholicos in Ecclesia Catholica excitaram & baccharam esse tragœdiam, de hæreticis nec verbum unum fieri. Liquet rursus sola Chalcedonensis Synodi authoritate certatum esse in defensionem trium Capitulorum: in eam se quinta Synodus quoque curam maximè arrexit, ut quartam Synodum tribus Capitulis infestam esse pervinceret. Inter Catholicos ergo pugna conserebatur. Liquet Catholicos solos pro tribus scripsisse Capitulis, non hæreticos Liberatum, Ferrandum, Facundum, Vigilium Papam aliquando. Liquet Catholicos homines in multis regionibus Occidentis in trium Capitulorum defensione pertinaces, etsi à Nestoriana hæresi abhorrerent, confossos se à quinta Synodo intellexisse, ideoque secessionem ab Ecclesia Catholica fecisse. Liquet & ex Facundo, &

ex

ex Victore Tunonensi & aliis non Nestorianos, sed Catholicos Capitulorum defensores, variis post Synodum exiliis ab Imperatore affectos fuisse. Liquet nec primum nec alterum Pelagium, nec Gregorium Papam, qui tandiu desudarunt in schismaticis his recolligendis Ecclesiæ, id quod peropportunum fuisset, unquam protulisse: quintæ Synodi anathemata non nisi in eos furere, qui libros hujusmodi hæretico sensu intelligerent, nequaquam verò in eos, qui rectum illis quoquomodo affingerent intellectum. Liquet cum tot Hispani, Galli, Ligures, Veneti, Istri, Afri, Hiberni, nonnihil vel omnino alieni fuissent à quinta Synodo, & eam tandem sint amplexati, neminem illorum contestatum memorari usquam, quòd ejus Synodi anathemata eos tantùm percellant, qui libros & hæreticum in libris sensum propugnarint; neminem discriminis quidquam interposuisse inter hos & alios ab aliis Synodis confixos tractatus. Vide autem ut Facundus hæc anathemata exponat *lib. 3. cap. 1. Ipsa subscriptionis formula, qua data est in condemnationem Theodori, non aliud videtur ostendere, cum dictum est, Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestia & ejus dogmata, anathema sit. Quod in nullius hæretici damnatione meminimus contigisse, ut illi quoque anathema essent, qui ei anathema non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos & dogmata latent, & nomina, qui anathema esse non debent, quoniam non anathematizant eos, quos nesciunt.* Et *lib. 7. cap. 7.* præfatus, quàm magnificè de Theodoro sensisset Joannes Chrysostomus, addit: *Si anathema est, qui Theodorum Mopsuestia non dicit anathema, etiam Joannes Constantinopolitanæ clarissimus Antistes Ecclesiæ, & confessor fortissimus veritatis, anathema est.* Et infrà: *Nunquid & Gregorius Nazianzenus, & Joannes Constantinopolitanus, & alii quos memoravimus, ac memoraturi sumus, Patres Nestoriano morbo dicentur obsessi, quia non solùm Theodorum non abdicant, verùm etiam prohibent abdicari? Aut & ipsos novo nomine, & hactenùs inaudito Theodorianos quisquam vocare præsumet? Quòd si nullus hoc audet, cur alios, qui tenentes eorum Catholicam fidem, sententiamque servantes, non audent in præjudicium Synodi Chalcedonensis damnare Theodorum, Theodorianos vocant?* Et *lib. 2. cap. 1. Si communicemus eis, qui nobis jam anathema dixerunt, &c. Ipsis quoque turpe videri debuit, communicando nobis, anathema, quod in nos decreverunt, in semetipsos ultro convertere.* Usque adeo omnes prorsus trium Capitulorum defensores configebantur his anathematum jaculis, quantumvis Catholicum nomen, sensumque prætenderent: ut invidiosiùs quidem, sed tamen auguretur Facundus, confossum iri etiam illos qui ne nominis quidem, nedum dogmatis Theodori conscii sunt: etiam illos qui ante vivis abierunt, quàm damnaretur Theodorus: etiam denique Chrysostomum ipsum, & Nazianzenum, qui Theodoro olim studuerant. 2. Quærit Facundus, an Chrysostomus etiam *Nestoriano morbo obsessus* dicendus sit, qui ab anathematizando Theodoro tantoperè abhorruit. Ergo omnes prorsus etiam Catholico nomine se jactantes, à damnatoribus Capitulorum denigrabantur ut Nestoriano morbo obsessi, nisi eorundem damnationi subscriberent. Et inde est, quòd anathemata in Nestorii sequaces, in Theodori & dogmatum ejus propugnatores torquentur; quia Theodori scripta, cum Nestorianam luem passim redolerent Synodo, non poterant eorum sequaces non ei videri eodem contagio laborare. 3. Ideo à damnatoribus Capitulorum *Theodoriani* appellabantur eorum defensores, *novo nomine & hactenus inaudito*, quo nempe Catholico nomine spoliarentur. At Nestorianos ab Ecclesia olim abscissos & Catholici gregis nominisque extorres, nihil attinuisset, Theodorianos, quasi novo infamiæ incremento, appellitare. Ideo quos Theodoriano nomine & dedecore onerabamus, illi nos vicissim Necrodioctas vocitabant. Ut scilicet Catholici nominis dignitate exturbarentur, qui quocumque demum alio dehonestarentur vocabulo. 4. Quorsum verò *& Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum provinciarum Principes*, tamdiu, & tam fortiter restitissent, ut ait Pelagius Papa, damnationi Capitulorum, si Nestorianum dumtaxat dogma anathemate perculerat Synodus; copiam autem fecerat tuendorum Capitulorum, dummodo Catholico sensu, de quo conveniebat, donarentur? Si veteres tantùm Nestorianos Synodus impetiverat, eccur totus Occidens cum Synodo altercabatur? 5. Quorsum ibidem & alibi sæpè Pelagius, Gregoriusque confitentur, tum se quintæ Synodo acquievisse, tum acquiescendum fuisse, *cum errorem cognoverunt, cum verum cognoverunt, cum quæ vera sunt, agnoverunt, inventa veritate?* An priùs nescierant Nestorianam dementiam, quibuscumque demum libris illita ea sit, omnibus anathematum diris execrandam, meritòque in quinta Synodo execratam fuisse? Tam turpi ignorantia caligare non potuerant. Sed Nestorianum virus tribus Capitulis esse infusum, & Oecumenicæ Chalcedonensi Synodo non posse Capitulorum approbationem attribui, istud verò est quod nescierant, & quamdiu nescierant, Synodo ea sub anathematis comminatione decernenti indignabantur: inventa veritate, Synodo manus dederunt. 6. Quamlibet autem excandescat Facundus, & invidiam faciat, nihil novatum est in decernendo anathemate non anathematizantibus tria Capitula. Quoties enim priscæ Synodi vel errori, vel authori, librove cuilibet anathema occinuere, eodem anathemate implicuere consequenter universos Synodicæ sententiæ adversarios. Itaque anathema Ario dicere, perinde est, ac Arii sequacibus, Ario anathema dicere respuentibus, eundem anathematis infigere mucronem. Quàm constat igitur id fuisse quintæ Synodi decretum, tria Capitula Nestorianæ impietatis veneno delibuta esse, & ideo execranda; tam constat id Synodo fuisse consilii, ut qui ea non execraretur, execrationi esset ipse. 7. Adde quòd vituperanda jure merito illa foret inconstantia, si Nestorianis Ecclesiam suggillantibus, quòd Nestorium detestaretur, & tria Capitula tamen Nestorio consentanea approbantem Chalcedonensem Synodum lamberet, & foveret: Ecclesia Catholica seu quinta Synodus contrà reponeret, tria Capitula Nestorio consona esse, sed in Chalcedonensi Synodo refutata esse, nedum approbata; at interim clam Catholicis copiam faceret secus sentiendi, & Catholica esse illa Capitula, & in Chalcedonensi Synodo fuisse confirmata. Ne orthodoxæ, ne Oecumenicæ Synodo tantam levitatis, aut simulationis ignominiam affricemus, ut sententiam quasi vestem duplicem habeat, forensem alteram, alteram domesticam: aliudque crepet ad hostes, aliud clam filiis, insusurret. 8. Similiter Eutychianis Chalcedonensem Synodum abominantibus, eo maximè obtentu, quòd Nestorianam in tribus Capitulis perfidiam authoraret: occurrit ex adverso Synodus quinta, & inesse quidem Capitulis Nestorianum virus, sed illud Chalcedonenses Patres detestatos esse demonstrat. Inconstanter ergo & inconsideratè prorsus filiis suis postea Ecclesia Catholica secus sentire permitteret, nempe Catholica Capitula, atque Chalcedonensi Synodo non ingrata fuisse. Hanc simulationem quantis, oro, convitiis & Nestoriani, & Eutychiani incessissent? 9. Sed quò illa pertinet diligentia quintæ Synodi, in coacervandis Theodori scriptorum & impietatum testimoniis, & in immensam penè molem extruendis? An ut Nestorianis, an ut Eutychianis persuadeatur Nestorio illum præluisse? At utriusque de eo constabat. Ergo ejus rei fidem orthodoxis expugnare

gnare satagebat, quorum non pauci hactenus Theodorum in pretio habuerant. Cum autem summo conatu atque labore id esset perfectum, ut non Nestorianis, non Eutychianis, sed hactenus orthodoxis approbaretur Theodori scripta Nestorio esse consentanea: utique Synodica mox anathemata in eos perstrepunt, qui Synodi consilio adversabuntur. 10. Ecquando autem coaluit Synodus nova fulminandis tantùm veteribus & cariosis hæreticis? Nestorianis Ephesina, Eutychianis Chalcedonensia fulmina abundè & plus satis erant conterendis. Nova hæc ergo quintæ Synodi tela in novam aliquam monstri speciem destinanda sunt: in eos scilicet, qui Theodori tuendi specie Nestorium ex orco reducent. Porro his compressis, & nemine in Ecclesia Capitula posthac defendente, nemine Chalcedonensibus Patribus approbata fuisse dicente, querimoniæ Nestorianorum & Acephalorum opprimentur. Denique perspicuè Facundus in se suique similes anathemata quintæ Synodi illisa sentit & confiterur.

XLIX. Sed & illud quoque non omittendum, illos non ratò variis erroribus illaqueatos fuisse, qui sibi videbantur in facti tantùm quæstione libera à Catholica Ecclesia dissidere. Gregorius *lib. 7. epist. 54. Perversi homines qui trium Capitulorum occasione reperta, Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse Sedis Apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti, studeant ut certare pro fide videantur.* Et Pelagius II. *epist. 5. Facilè sentietis, quantum sit periculum, pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione Capitulorum, tandiu ab universali Ecclesia segregari.* Anastasius Bibl. in Sergio, ait rediisse Aquilejenses ad unitatem Ecclesiæ, *qui priùs errantes, priùs sub erroris vitio tenebantur.* Ideo queritur Facundus se suosque à Synodi defensoribus *Theodorianos* vocari, *lib. 7. cap. ult.* & alibi. At vicissim ipse Catholicos ut *Necrodioctas* seu mortuorum insectatores vocat. Nam in epist. nuper edita, hæc habet: *Theodorus ab istis jam novo hæresis nomine crimineque cauteriatis, id est, Necrodioctis sive Porcianistis damnatus est.* Et infrà: *Si hæresin fecerunt hi sicut docuimus, damnando vivos & mortuos. Spicil. tom.* 3. Nempe mortuorum judicem nonnisi Christum, Apostolis ligandi concessam potestatem nonnisi in terra pertendebat. Et habebat suffragatores, ut sibi videbatur, multos Pontifices Canonesque. Itaque hæreseos infamiam & ipsi Ecclesiæ, & ipsis Ecclesia aspergebat, etsi in facti tantùm concertatione videantur discrepasse. Vides ergo quò res ea evadat, & in quantum se discrimen conjiciant, qui ipsi Ecclesiam, & quos Ecclesia Veritatis columna hæreseos insimulat.

L. Sed non paucos in errorem agit sua humanitas, ut molliori interpretatione vel Theodoreti in Cyrillum scripta, vel Honorii Papæ epistolam ab hæreseos nota liberent, & in rectum sensum traducant, atque adeo in iis confodiendis abertasse generales Synodos suspicentur. Sed cum interpretando iisdem opusculis vel rectus, vel distortus possit appingi sensus, nostrumne oro est, post tot interposita annorum stadia, an eorum qui suppares erant, rectam & legitimam interpretationem vendicare? Rectè Justinianus in edicto fidei: *Solent hæretici ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti, quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem earum intellectum & expositionem ad suam impietatem transferre. Quoniam interdum eædem voces, quando bene exponuntur & intelliguntur, cum pietate sunt: quando autem malè ab hæreticis intelliguntur, & proferuntur, impietatem habent.* Exemplum statim profert Nestorii, cujus confessionis verba perinde imposuissent simpliciosibus, & si nunc promantur, orthodoxæ fidei plenam confessionem continent. Jugulata tunc tamen jure fuere, quando propiùs & penitiùs inspiciebatur præsentis bestiæ fraudolentia. *Itaque Nestorium duas quidem naturas & unam personam dicentem, non confitentem autem earum unitatem secundùm hypostasin, Ephesina prima Synodus non suscepit, sed condemnavit.* Nova tunc & à Cyrillo primùm excogitata erat unionis nomenclatura. Quo plenior videri tunc potuisset professio unius in Christo personæ, & naturæ duplicis? Et tamen jure vel tunc damnata est. Ergo præsentium quàm posterorum interpretationi assurgendum potius est.

LI. Et quisquis Theodoreti in Cyrillum scripta absolvit, iis Nestorii reliquias operibus Cyrilli intertextas, oro etiam atque etiam, perlegat. Æquè proclive erit & his Catholicos conciliare sensus. Idem de Eutychetis scriptis si qua supererent, contingeret. Unde & olim non pauci, ut Socrates docet, & etiamnunc ex heterodoxis nonnulli, Nestorii, immo & Eutychetis apologias scripitarunt. Usque adeò clementia hac interpretandi omnem labefactare audebunt antiquitatis & authoritatis Ecclesiasticæ majestatem. *Lutherus apertè profitetur imperitos esse, qui Christum hominem omnipotentem faciunt.* Et *alibi defendit, Nestorium & Eutychetem non errasse, nisi in modo loquendi.* Ut ait Jansenius Episcopus pòst Iprensis in Spongia *pag.* 130. alludens ad Lutheri Conc. de Natal. Dom. & lib. de Concil.

LII. Prior Samosatenus aut Sabellius vocem *consubstantialis* nefando sensu polluerat: quem postea absterst Synodus Nicæna, quem denique ei rursus adultera interpretatione æquè perversum asfricare tentavit Eusebius Cæsariensis Episcopus. An ergo nobis id sumemus, ut non Ecclesiæ authoritatem, sed alios quosvis sequamur, aut nostram ipsorum libidinem, in ejus vocis quæ per sese anceps & libera est, significatione defingenda? Quod in voce non licet, nec in propositione licet. *Nam unam naturam Verbi incarnatam* olim contaminato sensu Apollinaris dixerat: Athanasio postea & Cyrillo atque Ecclesiæ Catholicæ placuit effricare ab ea propositione Eutychianum virus, & orthodoxum illi sensum illigare. Ambigua est ad utrumlibet & versatilis textura mera verborum. An ergo integrum nobis esse censebimus, eam rursus propositionem significatione hæretica inquinare & repudiare? Eadem causa est hujus propositionis, *Unus de Trinitate passus est.* Hæretici Catholicique circa eam atrocissimè & diutinè digladiati sunt. Ob maculosos sensus appictos vel à Catholicis aliquando respuebatur. Visum est postea consultius maculas illas abluere, & Catholicos ei ac venerandos restituere intellectus. Num & hic liberum nobis esse volemus, non Ecclesiæ, sed nostro arbitrio stare? Vides quanta hinc glisçat licentia. Nec sum nescius, propositiones aliquas peculiares & solitarias magis pendere ab arbitrio Ecclesiæ, ut sensus earum determinet, quàm opusculorum particulas, quarum significatio ex antedictis & consequentibus non vaga & libera, sed certa fixaque defluit. At quousque judicium Ecclesiæ excurrere sinemus? An in singulis concludemus verbis, ut *tau omousion*? An ad propositiones usque indulgebimus spatiari? Quot igitur adnumerabimus verba, intra quorum ambitum se jactet? Num si plures nectat propositiones, de errore periclitabitur? Quid enim libellus, nisi plurium contextio propositionum est? Itaque per adversarios licebit Ecclesiæ citra erroris periculum, propositiones singulas seorsim & absolutas distringere; si cujus verò libelli plures versus, aut unum caput, aut plura capita adgrediatur excutere, nimirum periculum erit, ne non assequatur sensum, & brutum atque inane vibret fulmen. Sed quid de confessione fidei quam vel Nicæna, vel Constantinopolitana, vel Chalcedonensis Synodus edidit longo verborum circuitu; num potuit Ecclesia

in

in hoc sermonis prolixioris anfractu à vero & orthodoxo, quem mente gestabat, sensu divertere? Si verba enim, si verborum commissuras, si propositionum contextus, si antecedentium & consequentium concordiam non ita in alienis opusculis tenet, quin errore aliquo illudi possit; quid in suis? Si hæretica potest putare Theodori verba, cùm Catholica sint: quin possit & sua Catholica putare, tametsi hæretica sint? Num potest ipsa quidem plures propositiones in Catholicum sensum indubitatissimè conglomerare; non potest autem, an alius conglomeraverit, certò dijudicare? Sed quid de Cyrilli, verbi gratia, & Leonis epistolis æstimabimus? His enim ut orthodoxæ fidei regulis Ephesina & Chalcedonensis Synodi subscripsere. An licet nunc refricare obsoleta prælia, & eas ipsas epistolas in controversiam revocare? An potuit Ecclesia Catholicas judicare epistolas, & in omnem Christianum orbem Synodica authoritate promulgare, tametsi illæ hæreticum in recessu sensum aliquem, quem Ecclesia minùs advertebat, foverent? Si potest enim eo in facto errare Ecclesia, ut hæreticos esse judicet libros, qui Catholicæ reapse fidei congruunt tamen: quin posset & in hoc simillimo errare facto, ut Catholicos esse judicet, in quibus tamen hæresis delitescit? In tanta olim adversùs Cyrilli & Leonis epistolas conflictatione, quis Catholicus hæc effutiri, hæc vel animo fingi passus est?

LIII. Suis ipse Pelagius opusculis & propositionibus inde decerptis atque notatis Catholicos sensus affingebat. At Catholici tunc Episcopi censuerunt, non ejus, sed suum esse interpretari sensum verborum, & vel authoris ipsius commentitias explanationes refellere. Augustinus lib. de Gestis Pelagii *cap.* 1. Pelagii loco recitato, *Synodus dixit, Tu hoc edidisti Pelagi? At ille respondit, Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt. Non dixi, non posse peccare, &c. Hoc audito Synodus dixit, Non sunt aliena ab Ecclesia quæ dicta sunt à Pelagio. Planè aliena non sunt, quæ respondit; illud verò quod de libro ejus prolatum est, aliud sonat. Sed hoc Episcopi Græci homines & ea verba per interpretem audientes discutere non curarunt.* Et *cap.* 2. ait compelli Pelagium fateri, vel se nunc à pristina perversitate correptum, vel si rectè senserit, *ejus sententiæ non se circumspecta verba posuisse, & idcirco fidem suam esse approbandam, librum emendandum.* Vides Ecclesiam Synodumque longè synceriorem esse interpretem librorum quorumlibet, quàm authores ipsos, nedum amicos, aut sectarios authorum. Et *epist.* 95. *Si hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus, anathemet ea, &c.* Et infrà: *Anathemet Pelagius scripta sua, aut si sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua negat, anathemet ea, &c.* Et rursus lib. de gestis Pelagii *cap.* 14. *Pelagius respondit, Hæc utrum Cœlestii sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Cœlestii esse, ego verò nunquam sic tenui, &c. Utrum ea Pelagius, an Cœlestius, an uterque, an neuter illorum, an alii sive cum ipsis, sive sub nomine illorum senserint, sive adhuc sentiant, sit dubium vel occultum, satis tamen hoc judicio declaratum est, esse damnatum, & Pelagium simul fuisse damnandum, nisi hoc etiam ipse damnaret.* Vides quid possit esse *dubium vel occultum*, nempè an quis quid scripserit, vel senserit: quæ verò scripta sunt, quem sensum habeant, nec author seu scriptor ipse consulitur, sed judicat Synodus; ita ut quamquam aliud, puta rectum aliquid sensisse & scribere voluisse ipsum constaret, post synodicam tamen sententiam cogeretur confiteri, *se non circumspecta verba posuisse, & librum emendandum.* Vide &c. ult. itemque 29. *Nisi ea quæ contra Dei gratiam posuisse in libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizaverit, ac deinde contra hæc ipsa scripserit, ac disputaverit, neque quam his, quibus plenius notus est, videbitur esse correctus.* Ad hoc testes idonei accersuntur, ut liqueat quem authorem esse libri, non ut de libri sensu pateat. Vide & quæ suprà ex Innocentio Papa in eandem rem dicta.

LIV. Atque ut ad recentiora veniam, Abaelardi errores à Concilio Senonensi, & Innocentio II. damnatos fusè supra narratum. Audi Goffridum *lib.* 3. *cap.* 5. vitæ Sancti Bernardi: *In medium scripta Abaelardi prolata sunt, & erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse neganda, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi si posset objicendis sibi rationibus pariter, & Sanctorum testimoniis Patrum.* Vides quorum optio detur, non utique alio sensu libros suos interpretandi. Et tamen ille, ut notat Otthо Frisingensis, *Apologeticum scripsit, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans.* Num purgari ideo potuit Abaelardus, etsi damnatorum capitulorum *partim verba, ex toto sensum negaret?* Manet æternùmque manebit à Bernardo, à Synodo Gallicana, à Summo Pontifice dictata in eum sententia. Et in Apologetico quidem suo Abaelardus non mediocris modestiæ speciem præse tulit: *Scripsi fortè aliqua per errorem, quæ non oportuit; sed Deum testem & judicem invoco, quia in his de quibus accusor, nil per malitiam, aut per superbiam præsumpsi, &c. Quod si uspiam per multiloquium excessi, nunquam importuna defensione effecit hæreticum, &c. Abaelard. Opera, pag.* 330. *& seqq.* Tum nefaria inurit dogmata, quæ negat *se scripsisse*, negat *in suis reperiri scriptis*: ait *à suis verbis & sensu remota esse*: nempe quia *Capitula* errorum ex ejus *libro sententiarum* decerpta jactabantur, cujusmodi ullum à se scriptum esse pernegat: *Cum nunquam liber aliquis qui sententiarum dicatur, à me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contra me Capitula, ita & hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum est.* Sed ultra hos qualiscumque sobrietatis limites effusissimè pervagata est Petri Berengarii Scholastici Pictavensis maledicentia, in Apologia pro Abaelardo præceptore adversùs Bernardum Clarevallensem scripta. *Ibidem, pag.* 302. *& seqq.* Sic enim Bernardum abstersо pudore compellat: *Corrogatis undique Episcopis eum in Senonensi Concilio hæreticum pronunciasti, &c. Post prandium allatus est liber Petri, & cuidam præceptum est, ut voce clamosa Petri opuscula personaret. At ille & Petri odio animatus, & vitis germine irrigatus, &c. Post aliqua Pontifices insultare, pedem pedi applodere, videre, nugari conspiceres: ut facilè quilibet judicaret, illos non Christo vota persolvere, sed Bacchо, &c. Sic judicant verba luminis cæci, sic virum sobrium damnant ebrii, sic contra organum Trinitatis disserunt calices facundi.* Pudet me impudentissimæ scriptionis lacinias hìc assuere: sed proderit vel hoc exemplo palàm fecisse, quò demum eumpat damnatorum librorum defensio. Post effusa ergo virulentissimæ linguæ venena, pergit: *Unus ex ipsis nomine Bernardus Abbas, cum esset Pontifex Concilii illius, prophetavit dicens, Expedit nobis ut unus exterminetur homo à populo, &c.* Et mox: *Intra tot itaque & tantas angustias deprehensus Abaelardus, ad Romani examinis confugit asylum. Filius sum, inquit, Romanæ Ecclesiæ. Volo, causa mea quasi impii judicetur: Cæsarem appello. At Bernardus Abbas cujus brachio fidebat Præsulum multitudo, non dixit ut Præses qui tenebat Paulum in vinculis, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis: sed, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem non ibis. Renunciavit enim quæ gesta fuerant Apostolico: & statim à Romana Sede litera damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur, taliter os illud promtuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis. Damnatur proh dolor! absens, inauditus, & inconvictus.*

victus, Ita ille & in Bernardum Episcopus, & in Romanam Sedem furit, quòd *absens, inauditus & inconvictus* damnatus sit Petrus Abaelardus. Et mox: *Quidquid imestinus odiorum furor, quidquid implacabilis amentiæ turbo rotaret in Petrum, quidquid iniqua conflaret æmulatio, censuræ Apostolicæ sobrium nunquam dormitare deberet acumen. Sed facilè deviat à justitia, qui plus hominem, quàm Deum timet in causa. Verumque illud est, quod per propheticum organum sonat: Omne caput languidum, à planta pedis usque ad cervicem non est in eo sanitas.* Cumque Catholicum Abaelardum ex intexta ejus fidei confessione probasset, Bernardum rursus objurgat: *Deberet ergo refugium apud Sedem Petri invenire, si non illecebræ tui eloquii clausissent viscera misericordiæ Ecclesiæ Romanæ.* Tum descendit ad Indiculum Capitulorum erroneorum, quem summatim compilaverat Bernardus, *ne breviter volentibus attingere summam rei, oneroſum esset ire per spatiosos saltus voluminum Abaelardi.* De eo sic ille: *Horum quædam, fateor, Petrus & dixit & scripsit. Quædam verò neque protulit, neque scripsit. Quæ autem dixerit, & quæ non dixerit: & quam Catholica mente, ea quæ dixerit, senserit: secundus arrepti operis tractatus Christiana disputatione ardenter & impigrè declarabit.* Vides ut damnata Capitula perneget partim ex verbis, omnino ex sensibus Abaelardi constare. Sed & ipsum Berengarium posteà fœdi irritique conatus pœnituit. Itaque in epistola ad Episcopum Mimatensem in sui jam defensionem, vel in palinodiam potius hæc scribit: *Damnaverat Abaelardum præceptorem meum Bernardus, & vocem ejus sine audientia strangulaverat. Eram ea tempestate adolescens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis abumbrabat, &c. Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, secundum, ut spoponderas, non texis? Quia processu temporis meum sapere crevit, & in sententiam Abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse Patronus Capitulorum objectorum Abaelardo, quia etsi sanum saperent, non sanum sonabant. Postquam igitur, inquiunt, à secundo libro manus torpuit, quare primum non rasisti? Feciſſem hoc, inquam, nisi cassa esset industria. Remanerent enim viva exemplaria, quæ jam per totam Franciam & Italiam cucurrerunt.* Ibid. pag. 320. & seq. Priùs illud suum pro Abaelardo apologeticum donari postulat & ignosci ætati tum immaturæ & præfervidæ: percupere, se illud radi ex hominum memoria, si qua id posset: incremento ætatis accreviſſe sapientiam, & jam à se, æquè ut à Bernardo damnari damnata Abaelardi Capitula; quia etsi utcumque humanitate interpretandi, vel violentia potiùs, *sanum sapere* videri possent; tamen *non sanum sonarent*, ideoque nec sanum sapere sibi viderentur æquè ut Bernardo, *in cujus sententiam pedibus iverat.* Illud nimirum superesset, ut qui damnatis opusculis defensiones concinnant, his demum sua audacia aliis defensionibus purganda sit. Ut mox constabit exemplo Ottonis Frisingensis.

LV. Gilberti similiter Porretani doctrinam in Concilio Rhemensi à Gallicanis Episcopis & Eugenio tertio Summo Pontifice damnatam, Ottho Frisingensis Episcopus congestis in eundem Porretanum laudibus, temerè & præfestinè damnatam censuisse videri poterat. Ergo is ut author est Radevicus Canonicus Frisingensis *lib. 2. cap. 11.* ex hac vita migraturus, etiam hunc post res testamento dispositas, historiarum codicem *manibus suis offerri præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit: ut si quid pro sententia magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholicæ fidei assertorem juxta Sanctæ Romanæ, immo & universalis Ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysteriis spiritum reddidit.* Non defuere protinus, qui Synodicè damnatos defenderent, sed & ipsos sui puduit & pœnituit tandem consilii. Veniamus ad Vvillelmum de sancto amore, Theologiæ Parisiensis, Sorbonicæque domus Doctorem, cujus cùm liber *de periculis novissimorum temporum* Romæ damnatus esset à Pontifice & Cardinalibus, operæ pretium est expendere, quatenus ille sibi licere voluerit, defensionem damnati commentarii tentare. In *responsionibus ad objecta*, hæc ille impacta sibi, & à se refutata scribit: *Item dixit, quòd super istis petebat Concilium generale. Respondeo, Dixi quòd si aliquis vellet se opponere, quo minus deberent prædicari pericula novissimorum temporum, & quòd minùs essent illa pericula prædicanda quæ dicebam, paratus essem super his subire definitionem Ecclesiastici judicii, aut Concilii provincialis, aut Concilii generalis.* Pag. 103. 105. 106. 109. Mox ait contra literarum, Anagnia adversùs ipsum impetratarum *privationis Beneficii*, rumores quosdam, *Magistros & Scholares appellasse, ponentes se sub protectione Romanæ Ecclesiæ.* Et inde rursus in Concilio Rhemensis & Senonensis provinciarum, Parisiis celebrato, vocatum affuisse se ait, *errores & falsitates* se prædicasse constanter negantem, *offerentem per Scripturas probaturum quecumque prædicaverat; paratum vel corrigere, vel revocare, quæcumque Concilium corrigenda decerneret, vel revocanda.* Ubi perspicis, quàm enixè propulsaverit Vvillelmus calumniam sibi intortam, quòd Concilium generale appellasset: quàm non disjungeret Romanam Ecclesiam à Concilio generali: quàm denique in damnatione librorum adversùs Romani Pontificis sententiam non rebellaret, qui Concilio etiam provinciali se absolutissimè emendandum permittebat. Id evidentiùs effulgebit ex calce illius opusculi: *De libello autem, qui dicitur reprobatus à Domino Papa, & cujus editio mihi imponitur; dico quòd cum Prelati Franciæ solicitati, ut caverent Ecclesiæ Gallicanæ sibi commissæ à periculis novissimorum temporum: requisivissent Magistros Parisienses, ut authoritates divinæ & canonicæ scripturæ de hac materia loquentes colligerent, & in scriptis traderent, quia non poterant vacare inspectioni librorum: Ego unà cum aliis Magistris & Scholaribus Theologiæ & Magistris decretorum collegi authoritates prædictas, &c. Sed volumen mutatum fuit quinquies successivè, magis & magis corrigendo, quædam addendo, quædam subtrahendo, quædam verò determinando. Et secundùm quod perpendere potui, inspiciendo volumen illud, quod vos mihi Domini mei Cardinales respiciendum dediſtis, volumen illud, secundùm quod possum recolere, fuit tertia compilationis: quæ postmodum mutata fuit bis, & correcta, addendo, subtrahendo, declarando. Nescio tamen utrum in isto volumine quod mihi inspiciendum dediſtis, quidquam additum vel subtractum fuerit per vitium falsitatis. Unde si Dominus Papa modum & formam illius compilationis reprobavit, (nam authoritates divinas ibi contentas, ut ipsemet confitetur, noluit, nec intendit:) sententiæ suæ non resisto, sed obedio: credens firmiter, quòd si quartam vel quintam compilationem earundem authoritatum vidisset, non eas reprobasset, sed potiùs approbasset.* Ibid. pag. 109. 110. Ubi adverte meram illam propemodum fuisse compilationem testimoniorum ex Scripturis & Patribus. 2. Jussu Episcoporum consarcinatam. 3. A compluribus Doctoribus Theologiæ, & Decretorum. 4. Urgente maximè Prædicatorum familia damnatam Romæ, jam non ab Episcopis, non à Magistris defendi: quin immo id excipi, ab ipsis authoribus antè emendatam. 5. Nec aliter poterat fieri, *cum in unaquaque Compilationum dictarum, in principio supponeretur ipsa Compilatio correctioni Ecclesiæ, id est, Domini Papæ, & aliorum Prælatorum, quibus competit authoritas corrigendi.* 6. Inculpatos ideo esse prosequitur authores reprobatæ compilationis, cùm quidquid *Papæ displicuit*;

defen-

defensare non velint. Et post interjecta Augustini verba, sua aliqua recantantis, adjicit: *Igitur Patres sancti, ego & alii socii mei, eadem competenter dicere possumus de Compilationibus supradictis, ut qui primas non potuissemus habere partes sapientiæ, nihil impœnitendum dicendo; saltem secundas haberemus modestiæ, quod displicuerat corrigendo*. 7. Cùm Romanæ censuræ cauterio emarcuisse intelligeret Vvillelmus illas omnes de periculis novissimorum temporum compilationes, doctrinam suam in aliud operosius opus congessit, cui nomen fecit, *Collectiones Scripturæ sacræ*; & statim: *Hanc autem Compilationem seu Scripturarum Collectionem correctioni Summi Pontificis & aliorum authoritatem corrigendi habentium, per collationem Catholicam, si eis placuerit, faciendæ, supponimus humiliter & devotè*. *Ibid.* pag. 123. Et rursus ad calcem operis eadem verba iterat, additque: *Ut per eos corrigantur, si quæ fuerint corrigenda; vel abrogentur, si quæ fuerint in eis abroganda: cum tanquam homines minus intelligendo errare possimus. Non enim nos ipsos ita perversè amamus, ut alios in prædictis sententiis ideo errare velimus, ut error noster lateat*. *Ibid.* pag. 484. 485. Apud eundem leges in præposita præfatione seu Apologia, quid de postremo hoc opere Clemens IV. ad Vvillelmum scripserit; cùm leviter & raptim lectitando degustasset, sensisseteque inhærentem adhuc prioris libelli saporem. *Ibid. Præf. pag.* 65. 8. Et ibidem rursus legere est libellum illum per Nuncios S. Ludovici Francorum Regis ad Papam delatum Romam: excussum ibi à quatuor Cardinalibus, partim Dominicanis, partim acerrimis Mendicantium fautoribus: multa afflicta libro, quæ abessent: Vvillelmum absentem damnatum, indicta causa, nullis præviis monitionibus. *Ibid. pag.* 42. 68. 67. Unde Bullas subreptitias ominatur fuisse Apologiæ Vvillelmi nuperus opifex. Cum tamen Vvillelmo non alia concinnari appositius potuerit apologia, quàm à verecundia supra laudata, & reverentia in Sedem Petri. 9. Nec aliter Vvillelmus poterat, ut quis libellum ab adversariis elaboratum, nempè *Evangelium æternum*, à Romano Pontifice damnari cutaverat: de quo ait ipse: *Certum est, quòd jam prædicaretur, nisi esset aliud quod detineret. Quid autem detineat, scitis, nimirum imperium Petri, & eorum qui tenent loca Apostolorum, nimirum Episcoporum*. *L. de Pericul. novissi. temp. pag.* 38. Et similiter de libro Abbatis Joachimi in responsionibus ad objecta: *Item dixit, quod liber Abbatis Joachimi, qui continet multas hæreses, non potest damnari Romæ, quia plures sint ibi defensores, qui defendunt eum. Respondeo, Non sic dixi. Sed cum ego & quidam alii prædicassemus contra errores repertos in libris, qui dicuntur esse Abbatis Joachimi, & diceret nobis populus, quare non procurabamus illos errores apud Sedem Apostolicam reprobari: ideo dixi, quod de illis erroribus jam aliqui erant damnati, ut intellexeram: reliqui verò non poterant ita citò inspici ad damnandum, tum propter magnitudinem & multitudinem illorum, tum etiam propter multiplicem eorum occupationem; quia libri habebant alios defensores*. *In respons. ad objecta pag.* 95. Quibus abundè persuadet Vvillelmus, non semper generali Concilio opus esse ad errorum, librorumque inustionem: Episcopalibus Synodis vel Romanæ Sedis rescriptis eos defigentibus morigerandum omnino esse, nec cavillatoriis defensionibus tempus calamumque conterendum.

LVI. Referri eò forsitan posset & librorum Joannis Hus proscriptio in Concilio Constantiensi facta, ubi *sess.* 15. hæc habentur: *Quos libros Joannes Hus fatetur se composuisse, verumtamen quòd ad articulos ex dictis libris in suis responsionibus præcisè non respondit, sed certis modificationibus & limitationibus*. Et infrà habentur verba ipsa Joannis Hus: *De articulis extractis de meis libellis, saltem qui sunt debitè extracti, dico, quòd quicumque ex illis inclusit aliquem falsum sensum, illum detestor*. Et *sess.* 21. in sententia definitiva adversùs Hieronymum de Praga, *Asserens se in libris Joannis Vvicleff, & Joannis Hus nullam unquam hæresin vel errorem legisse, in quibus constat plures errores & hæreses contineri*. Et *sess. ult.* suspectum quemlibet in hoc negotio, interrogandum statuunt, *Utrum credat quòd condemnationes Joannis Vvicleff, Joannis Hus & Hieronymi de Praga, facta de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint ritè & justè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ & similiter asserendæ. Item utrum credat, teneat, & asserat Joannem Vvicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuisse hæreticos; & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse perversos, propter quos & quas & eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati*: Vides quantis factorum & personarum, maximè autem librorum judiciis confessio fidei Catholicæ astringatur. Ita & Joannes Vvicleff apud Vvalsinghamum in hist. Angl. ad annum 1378. *doctrinam indoctam* Marsilii de Padua, & Joannis de Gandavo, ludificatoriis interpretationibus obducebat, reducebatque, ut ibi ad Oxoniense Studium conqueritur Gregorius Papa, *districtè mandans, quatenus conclusiones & propositiones in bonis operibus & fide malè sentientes, licèt eas proponentes, sub quadam verborum sive terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis asseri, vel proponi*. Et infrà idem Vvalsinghamus intexta Viclephi propositionum ab ipsomet concinnata Apologia, ait: *Hoc modo idem versipellis Joannes Vvicleph, ponendo intellectum in suis nefandis propositionibus, delusit suos examinatores, Episcopos derisit, & evasit. Quæ omnes si simpliciter caperentur, secundum modum, quo ipse in scholis, & in publicis disputationibus eas protulit, hæreticam proculdubio sapiunt pravitatem. Non enim circumlocutionem aliquam iis immiscuit, quando eas laicorum auribus instillavit*. Et idem rursus ad ann. 1382. cùm compluscules Vvicleph propositiones damnasset Archiepiscopus Cantuariensis *cum cœtu Sapientum*: aut Cancellarium Oxoniensem & alios Vvicleph fautores diu restitisse: *Qui tandem post multas tergiversationes, imponendo duplicem sensum in eisdem, & cavillationes diversas: coacti sunt licet inviti, simpliciter proferre, sentire suum de præmissis, facta prius protestatione, quòd vellent & intenderent esse humiles & fideles filii, & Ecclesiæ in omnibus obedire, &c. Concesserunt igitur cunctas præmissas conclusiones, intelligendo eas, prout verba sonant, fore vel hæreticas, vel erroneas, juxta quod dominus Archiepiscopus, & Magistrorum cœtus plena deliberatione definierat de eisdem*. Hæc Vvalsinghamus.

LVII. Et audiendus hìc sanè Joannes Gersonius: *Concilium generale potest damnare propositiones multas cum suis authoribus, licèt habere glossas aliquas vel expositiones vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc Concilio de multis articulis & Vvicleph & Joannis Hus. Quorum aliqui poterant de vi Logicæ vel Grammaticæ defensionem aliquam recipere, ut in articulis qui sunt indefinitè positi, &c. vel qui possent ad aliquem sensum verum trahi, si seorsum ponerentur. Sed Concilium hoc solerter attendit, quia juxta Hilarium, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Iterum illud Augustini, Liberis verbis utuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem piarum aurium non pertimescunt. Nobis autem scilicet Theologis ad certam regulam loqui fas est*. *Tom.* 1. p. 105. 151. Tametsi ergo aptari possit rectus aliquis sensus, nonnullæ tamen propositiones damnandæ sunt: primòquia & malo infigi sensu possunt. Nec

enim Theologis Christianis peræque ut Ethnicis philosophis fas est, effræni libertate verborum uti, sed *ad certam regulam* loqui cogimur. Quantumcumque ergo ex antecedentibus exprimi posset recta sententia alicujus propositionis, si eam tamen nefario aliquo sensu conspurcatam & offendiculis creandis idoneam judicet Ecclesia, illam jure utique meritissimo proscribet. 2. Etiam castam alioqui propositionem, ex antecedentium tamen consequentia vitiosam judicare potest Ecclesia. Ecclesiæ ergo acquiescendum, seu ex antedictorum tenore, seu ex verborum per sese ipsorum absoluta absurditate propositionem quamlibet inurat.

LVIII. Et idem alibi has ineptias exufflat, tum à Joannis Parvi defensoribus quibusdam evulgatas: *Quod nulla propositio quæ potest ad aliquem sensum verum trahi vel apponi, etiam de vi Logicæ vel Grammaticæ, debet condemnari, maximè judicio fidei. Quod propositio habens duos sensus, unum verum & alium falsum, nullo modo debet judicio fidei reprobari, etiamsi fuerit scandalosa, vel piarum aurium offensiva, vel ad errorem inductiva*, tom. 1. p. 354. 379. Et idem rursus in Concilio Constantiensi hanc narrat quorundam calumniam: *Calumniantur alii secundò, quòd assertiones istæ sunt infideliter & perperam prefato magistro Joanni Parvi per emulos attributæ.* Et mox Gersonius idem: *Porro non secus evenit in hoc Concilio, dum assertiones absque asserentis nomine nunciatæ sunt, quod versum vidimus in grande præjudicium causæ fidei, & Catholicæ veritatis, quia non ita potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi.* Itaque defensores Joannis Parvi illas quas Constantiense Concilium absolutè & sine authoris nomine damnarat propositiones, falsò ei attribui jactabant; & cùm recto sensu gaudere possent, eo à se retineri, & omnino satius fuisse, eas non damnari in Concilio. At Gersonius damnationis factæ & Synodi defensor duo ex adverso efficere nititur, eas damnandas fuisse & si bono aliquo sensu donari possent à molliori interprete: & conducibilius futurum fuisse, ut citato nomine authoris & libri damnarentur, quo certiùs ex antecedentium enucleatione exculperetur sensus damnatæ propositionis. Igitur adeo non abroganda Synodis est certissima illa sagacitas, propositiones à libris decerpendi, & in authorum proprio sensu configendi: ut ex adverso nusquam apertiùs dilucescat sensus damnatæ propositionis, quàm ubi à Synodis damnatur, ut excerpta aliquo ex libro, & in ipsissimo authoris sensu.

LIX. Et rursus idem paulò post, *Veniamus ad sextam calumniam, dicentium, quod assertiones istæ sunt satis exponibiles ad aliquem sensum verum. Respondemus negativè, si juxta regulam Hilarii, intelligentia dictorum ex causis assumatur dicendi: combinanda scilicet conclusionem cum præmissis, & præmissas cum probationibus ad invicem. Ceterùm etsi verum esset id quod allegatur de exponibilitate ad aliquem sensum verum, nihilominùs propter causas longè plures falsissimas & notoriè scandalosas redderentur condemnandæ.* Et rursus ibidem continuò, *Respondemus alteri calumniæ, quæ à veritate vacua, per numerositatem conatur evincere, dicens, assertiones istas plures habere defensores, quàm oppugnatores, sunt idcirco veræ ac saltem opinabiles. O fallacissima & hæreticis atque erroribus favens calumnia! Non insequeris, inquit lex, multitudinem ad faciendum malum. Quare? Quia stultorum & etiam malorum infinitus est numerus. Nihilo minus si ad numerum & meritum placet attendere, non dubitamus multò plures atque gravioris authoritatis nos habere, tam in hoc sacro Concilio, quàm alibi.* Idem ibid. pag. 381. 382. Ubi rursum elucet authoritas Synodi in sensu authorum expromendo & conterendo: quòdque nulla adversùs Ecclesiæ Catholicæ seu Synodi majestatem excipi potest secùs sentientium multitudo. Tum aliam rursus exufflat calumniam, qua hæc dictitabant spectare *non ad judicium fidei, sed ad causam sanguinis.*

LX. Et apud eundem denique legitur schedula ex parte Parisiensis Episcopi ex Concilio Constantiensi missa ad Magistros scholæ Parisinæ, continens *propositiones extractas ex quaternionibus magistri Joannis Parvi, &c. Quærunt evasionem aliqui, dicentes, quod illæ assertiones possunt exponi rationabiliter, addendo glossas aliquas, &c. Addunt pro regula, quod nulla propositio damnanda est, quæ potest trahi ad bonum sensum. Sed illa responsio cum sua additione pernicioissima est, & contra omnem Ecclesiasticum ritum, quia sic fundabant se hæretici, pro ut vidimus in Vuicleff & Huss, qui dum urgebantur, confugiebant ad glossas.*

LXI. Ad Concilium nunc Basileense devehamur, cujus *sessione* 22. damnatur Augustinus de Roma: *Sacrosancta generalis Synodus libellum quendam editum à magistro Augustino, vulgariter dicto de Roma, Archiepiscopo Nazareno, cujus primus tractatus de sacramento unitatis Jesu Christi & Ecclesiæ, sive de Christo integro intitulatur. Secundus de Christo capite, & ejus inclyto principatu. Alius de charitate Christi circa electos, & ejus infinito amore. Tanquam non sanam & erroneam in fide doctrinam continentem, cum suis defensoriis damnat & reprobat. Et potissimè scandalosam illam, erroneam in fide, in ipso libello contentam, quam pia fidelium aures sine horrore audire non possunt; videlicet, Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit. Quamvis de capite Ecclesiæ Christo Jesu salvatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite unum esse Christum asseruit, intelligentiam ejus esse referendam dicat.* Sanum & pium author ipse suo scripto vendicabat sensum, & ab ipsa Synodo laudatum: damnatur tamen propositio *ut erronea in fide*, damnatur liber, damnantur in ejus defensionem elucubrata quælibet commentaria. Accumulatis autem ejusdem notæ propositionibus aliis, addit Synodus, *Ne igitur per hujusmodi doctrinam in errorem quempiam fidelium prolabi contingat, districtè præcipit, ne quisquam prefati libelli doctrinam & præsertim suprascriptas propositiones damnatas ac reprobatas, ac etiam ejus tractatus defensorios docere, prædicare, defendere, aut approbare præsumat. Eos autem qui secus egerint, tanquam hæreticos & aliàs animadversione canonica puniendos decernit. In nullo autem per hæc derogare intendit dictis aut scriptis sanctorum doctorum in prænominatis materiis loquentium. Quin immò ea recipit, & amplectitur, juxta eorum veram intelligentiam, per eos aut alios Catholicos doctores in Theologica schola communiter expositam & declaratam.* Additur personæ authoris qui doctrinam suam *determinationi Ecclesiæ* submisit, nihil præjudicari. Etsi Patrum verba securus videretur Augustinus iste, etsi ipsemet rectum sensum libellis suis adsereret, etsi defensiones prolixas concinnaret, proscripti sunt tamen ejus omnes libri; & eorum defensores si qui emergerent, *tanquam hæreticos* illos haberi decretum.

LXII. Recurrere jam juvabit ad antiquiores, & eos maximè scriptores, quorum defensionem arripuere nonnunquam Catholici quidam viri, tametsi synodica jam in eos tela contorta essent. Priscilliani meminit Hieronymus in Script. Eccles. *Hic usque hodie à nonnullis Gnostica, Basilidis & Marcionis hæreseos accusatur, defendentibus aliis non ita eum sensisse, ut arguitur.* Nec adjicit suum Hieronymus ea de re judicium, tametsi præmiserit, *Edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua pervenerunt.* Hujusmodi illi erant Priscilliani defensores qui in Concilio Toletano I. ejus

& do-

& doctrinæ & libris & nomini anathema dicere coguntur. *Symphosius Episcopus dixit, & cum accepisset chartulam descripto recitavit, Omnes libros hæreticos & maximè Priscilliani doctrinam, juxta quod hodie lectum est, ubi innascibilem Filium scripsisse dicitur, cum ipso authore damno, &c. Comasius Prebyter ex chartula legit, Priscillianum hujus dicti authorem cum ipsius dicti perversitate, & quos malè condidit libros, cum ipso authore condemno.* Id ipsum plures alii confessi sunt. Subjicitur autem, *Herenas clericos suos sequi maluerat, qui sponte nec interrogati Priscillianum Catholicum sanctumque martyrem clamassent, atque ipse usque in finem, Catholicum hunc esse dixisset, persecutionem ab Episcopis passum. Quo dicto omnes sanctos, jam plurimos quiescentes, aliquos in hac luce durantes, suo judicio deduxerat in reatum.* Ideo hunc statim sacerdotio submovent cum sociis clericis Episcopisque. Et Idatius in Chronico: *In civitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua Symphosius & Dictinius & alii cum his Gallæciæ Provinciæ Episcopi, Priscilliani sectatores, & haresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ, subscriptione condemnant.* Legitur & post Concilium Tolet. II. epistola Montani Episcopi Toletani ad fratres territorii Palentini, *Perditissimam Priscillianistarum sectam, tam actis, quàm nomine à vobis præcipuè novimus honorari, &c. Unde queso, ut perfidiam cum authore damnantes, regulam fidei teneatis, &c.* Et in Concil. Brachar. I. ann. 563. varia errorum monstra describuntur, & Priscilliani sigillatim esse admonentur, ut damnati pariter cum authore ab omnibus debeant. Denique Ildefonsus Toletanus Episcopus antecessoris sui Montani elogium texens lib. de viris illustribus *cap.* 3. hæc habet, *Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licèt non operarentur eadem, quia tamen memoriam ejus amore retinerent, abdicat & exprobrat, commemorans, quòd in libris beatissimi Turibii Episcopi ad Leonem Papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata.* Hæc ille alludens ad epistolam Montani suprà libatam. Hinc perspicis defendentes Priscillianum non ita sensisse ut arguitur, facilè eò delabi ut ipsi cum Priscilliano sentiant: nec aliò posse inclinari judicium Ecclesiæ, quàm ut errori eos suffragari suspicetur, qui suffragantur libris, quibus inesse errorem ipsa exploratum habet. Non immeritò autem eos Synodus detestatur, qui Priscillianum absolventes, Episcopos orbis Christiani omnes qui ejus damnationi subscripsere, una damnationis sententia involvunt.

LXII. Origenis defensores ab Augustino memorantur, nec ullius insimulantur hæreseos, lib. de hæres. *cap.* 43. ubi sententia Epiphanii de Origene & ejus mendaciis adscripta, ipse subjicit: *Hæc quidem de Origene Epiphanius refert, sed defensores ejus dicunt Origenem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius ejusdem substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum. Sed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universa creatura. Dicit præterea ipse Origenes, quòd Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus mendacium. Et quantùm distant Apostoli Christo, tantùm Filius Patri.* Agnoscit Sanctus Pater defensores Origenis, sed improbat, dum minùs versatos in ejus operibus ostendit, & ab eis *qui plura ejus legerunt*, refelli. 2. dum alia refert ejus dogmata, explosa ab Ecclesia, ubi *non possit à defensoribus suis excusari*. 3. Non adeo insaniebant Origenis defensores, ut ea ipsa opuscula ejus tuerentur, quæ Ecclesiæ displicebant; sed pauca ejus legerant, & hæc tuebantur: qui plura quàm illi legerant, ex his errores ejus invictissimè demonstrabant. Denique neque dum tunc Synodus generalis ulla in ejus operum examen incubuerat.

LXIV. Sed quatenus à viris Catholicis defenderetur Origenes, ab Hieronymo docebimur epist. ad Pammach. & Oceanum de error. Orig. Falsata ab hæreticis causabantur ejus scripta. Itaque insaniam dogmatum inesse confitebantur, nec oculos exculpebant Ecclesiæ Christi, hæresum certos indagatores, ut sibi eos unis vendicarent: sed ab hæreticis postea hæc insperså esse sinceris ante libris Origenis cavillabantur. Quos tamen ipsos suggillat Hieronymus: *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe falsarentur: & quasi ad Mitridatis literas, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, num universa ejus opera quæ diversis & locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? Ipse Origenes in epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit: & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita, in publicum protulerit. Et quid adhuc epologusin alienæ esse, quæ displicent?* Tolerabilius id multò, ut quæ damnabat Origenis Ecclesia, ea ab hæreticis inserta dicerentur, & ita pariter damnarentur, quàm ut ea & Origenis esse, & Catholica esse, & ab Ecclesia non intelligi, ideoque damnari blaterarentur.

LXV. Et in Apolog. adv. Ruffin. *Videamus quibus argumentis probare nitatur, Origenis ab hereticis scripta vitiata, &c. Hac defensionis perturbatione nec Marcion, nec Manicheus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt: quia quidquid nos ab his impiè dictum objecerimus, discipuli respondebunt, non à magistris suis ita editum, sed ab inimicis suis esse violatum. Hoc genere & iste ipse tuus non erit: & meus liber non erit meus, sed tuus, &c.* Nec id ergo patitur Sanctus Pater, quod multò tamen erat levius. Cùmque venditaretur Martyr Pamphilus Origenis apologeticum lucubrasse, quo non errores propugnaret, sed propulsaret: hanc à Martyre maculam propulsat Hieronymus, & concinnatum ab Eusebio Arianæ sectæ signifero illud Apologeticum docet: adjicit autem, *Sed concedamus ex superfluo, ut Pamphili sit, sed necdum martyris. Antè enim scripsit, quàm martyrium perpeteretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit? Scilicet ut martyrio deleret errorem: ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe martyres antequam cederentur, variis subjacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui postea martyres, priùs peccatores fuerunt. Epist. ad Pamm.* Quibus advertere animum eos oportet, qui Catholicos jactitant habitos, nec hæreseos nota inustos, qui ita Origenem tuebantur, ut erroribus ipsum explicarent, non implicarent seipsos. Id enim illi ante ejus toto orbe evulgatam damnationem moliti sunt, & de eo ipso conatu apud Sanctos Patres malè audierunt.

LXVI. Nihilo seciùs autem adigebantur & errori & authori ejus Origeni anathema dicere, nulla ratione habita istiusmodi tergiversationum. Idem Hieron. ibidem: *Hoc enim vel maximè cavent, ne quando contra authorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum juramento, quod postea alio solvant perjurio. Ad subscriptionem tergiversantur, queruntque suffugia. Alius, Non possum, inquit, damnare, quod nemo damnavit. Alius, Nihil super hoc à Patribus statutum est; ut dum totius orbis provocatur authoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs, Quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobasset. Hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion,*

nec Cataphryges, nec Manicheus damnari delent, quia Synodus Nicena eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est. Quòd si quando urgeri cœperint, & aut scribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hereticus, aliter Catholicus audiat. Ubi vides & istos defensores Origenis *authoritati orbis totius* Christiani vel *Synodo* Nicænæ seu Oecumenicæ concessuros fuisse, nec ulteriùs effrænatam in istiusmodi etiam quæstionibus licentiam usurparuros. Vides rursum etsi interpolata cavillarentur ab hæreticis volumina Origenis: & ipsum, non errores tueri se profiterentur, adeoque nec à Catholico nomine excidissent; non immeritò tamen vel errorum defensionis suspectos Ecclesiis fuisse, ac proinde compulsos ad subscribendas fidei Catholicæ formulas: ubi conduplicatis tergiversationum suarum artibus, suspiciones Ecclesiæ de ipsa eorum fide confirmabant.

LXVII. Accedat & Severus Sulpitius Defensoribus Origenis propitius, ut qui maximè, nec eorum tamen audaciam procaciorem & errorem dissimulans. Etenim *Dial.* 1. *Alexandriæ fœda inter Episcopos atque Monachos certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati in unum sepiùs sacerdotes frequentibus decrevisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quadam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant, quæ adsertores ejus defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant, & ideo non propter illa quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cum legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis & recens scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Evangelicam veritatem. Adversùm hæc Episcopi obstinantiùs renitentes, pro potestate cogebant, recta etiam universa cum pravis & cum ipso authore damnare, &c. Mihi autem ex illius libris quædam curiosiùs indaganti, admodum multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi in quibus illum prava sensisse non dubium est, quæ defensores ejus falsata contendunt. Ego miror unum eundemque hominem, tam diversum esse à se potuisse: ut in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem: in ea verò quæ jure reprehenditur, neme deformiùs doceatur errasse.* Et paulò post: *Ex partium studiis orta seditio est, quæ cum reprimi Sacerdotum authoritate non posset, sævo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam prefectus assumitur, cujus terrore dispersi fratres, &c. Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus vir maximè Catholicus & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè, vel omnia illius scripta damnaret. Nec verò ausus sum de quoquam temerè judicare. Præstantissimi tamen viri & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen sive illud error est, ut ego sentio, sive hæresis, ut putatur: non solùm reprimi non potuit multis animadversionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione crevisset.* Addit Posthumianus non se diu Alexandriæ potuisse consistere, etsi ab Alex. Episcopo prolixè exceptum, quòd ibi *recens fraterna cædis fervebat invidia. Nam etsi forsasse videantur parere Episcopis debuisse, non ab hanc tamen causam, multitudinem tantam sub Christi confessione viventem, præsertim ab Episcopis oportuisset affligi.* Advertis ut reor peramicum defensoribus Origenis Posthumianum extitisse, ideoque ei saltem fidem habendam. 2. Quæ damnabant Episcopi, & ipsos damnasse, sed falsata ab hæreticis & Origenis libris mendaciter inserta clamitasse. 3. Institisse tamen Episcopos, ut universa Origenis, *cum pravis & cum ipso authore damnarent.* 4. Ipsius Posthumiani judicio ipsos *parere Episcopis debuisse.* 5. Ejusdem judicio, *errorem* hunc fuisse eorum, qui contumaciùs Origenem defenderent. 6. Etiam *hæresin* ab aliis vulgo putatam: ab ipsis nempe Episcopis, & Ecclesia, Episcoporum sententiæ adhærescente. 7. Maximè Catholicum & sacræ legis peritissimum prædicari Hieronymum, qui hanc utique hæresin putabat. 8. Malum istud contentione crevisse. Id enim Origenis defensores consecuti sunt tandem, non ut sententiam Ecclesia recantaret, non ut errore confosso de authore & libris liberum esse sineretur disputare, sed ut quinta tandem Synodus cogeretur adversùs totum Origenem. Quod veluti præsagiebat Hieronymus in epist. ad Pamm. & Ocean. de ejus error. *Ipse si adhuc viveret Origenes, irasceretur vobis fautoribus suis, & cum Jacob diceret, Odiosum me fecistis in mundo.*

LXVIII. Quo autem jure defensores Origenis non erroris tantùm à Posthumiano, sed hæreseos ab Episcopis insimularentur, patuit quintæ hujus Synodi temporibus, cum ut ait Liberatus *cap.* 23. ad Pelagium R. E. Apocrisiarium, *venerunt monachi ex Hierosolymis, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, ut Origenes damnaretur, cum illis capitulis. Igitur Pelagius emulus existens Theodoro Cæsarea Cappadocie Episcopo, volens ei nocere, eo quòd esset Origenis defensor, unà cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano, flagitabat à Principe, ut juberet fieri quod illi monachi supplicabant, ut Origenes damnaretur, ipsaque capitula, talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis judicium ferre.* Sic damnationi Origenis toto orbe subscriptum subdit. Defensores autem istos Origenis, non personæ tantùm, sed errori etiam indulsisse, docebit nos Facundus, *lib.* 1. *cap.* 2. *Inquietus & impudens hæreticorum Spiritus, sæpè frustratus, cum Chalcedonensis decreta Concilii subvertere niteretur, invenit desideratam occasionem ex furore quorundam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur, &c. Cum & Domitianus Ancyrensis Episcopus provincie prime Galatie, qui fuit ipsius Origeniane hæresis manifestus assertor, per libellum quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quod ejus complices Origeniani cum viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commoverunt.* Vide & *lib.* 4. *cap.* 4. Dilucidum hìc est, quò hæc erumpat tandem damnatorum librorum defensio, non ut scriptores extricentur, sed lectores defensoresque vel inopini vel lubentes illaqueentur damnatis erroribus, etsi Catholico palliatis nomine ac schemate. His enim Episcopis *sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantibus* consentiebant & monachi complures, illorum, ut par est credere, soboles, qui personæ vel libris, non errori favere Origenis olim videri volebant. Cyrillus in vita magni illius Euthymii apud Surium, *die* 20. *Januarii*: *Cum congregata fuisset Constantinopoli quinta sancta Synodus, & Origenis & Nestorii dogmata fuissent ab ea percussa anathemate, & qui novam Lauram tenuerant Origenista fuissent expulsi illinc, & fideles orthodoxique Patres rursus in eam migrassent, &c.* Vide & Evagrium Origeniana lue laborantes Monachos perstringentem.

LXIX. Invidiosè autem nobis objectant permagnos olim viros, ingentis etiam famæ neotericos, qui Theodoreti, qui Origenis patrocinium sumpserint. Et pro Theodoreto quidem, ne Scholæ Parisinæ annuos ferè aliquos Palæstritas recenseam, qui pro ejus scriptis adversùs Cyrillum ab hæresi purgandis decertant, omnium instar esse possunt

sæculi

sæculi hujus splendidissima lumina Petavius & Sirmundus, apertissimi iidemque validissimi Theodoreti defensores. Sed his præluxerat Agobardus Lugdun. Episc. ante annos ampliùs octingentos, adversùs Felicis dogma hæc scribens; *Cum utrumque, id est, Nestorium & Eutychen veritas fidei abjiciat, qui medium inter eos tenet locum, B. Cyrillus ejusdem veritatis defensor, Alexandrinus Antistes, dum vellet corrigere pravitatem Nestorii, propter obscuritatem verborum utpote subtilissimæ rei, offendit B. Joannem Præsulem Antiochenæ Ecclesiæ & eos qui cum illo erant: factaque est divisio inter Antiochenam & Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri Episcopus, ut ageret adversùm B. Cyrillum: & mirum in modum dum utrique essent Catholici, id est, & Antiocheni, & Alexandrini, B. Cyrillus dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est à Theodoreto inter Nestorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medius locus. Unde idem Theodoretus, pugnans pro veritate, ageret contra veritatem, qui dum istis Catholicis placeret, illis displiceret.* His adjungunt & Romana purpura & eruditione præstantissimos Baronium & Bellarminum, qui sextam Synodum in epistola Honorii, & ipsa adeò Honorii persona damnanda, si verè damnavit, aberrare à vero, utpote in facti quæstione palam prædicant, cum compluribus aliis. Quid de Origene? Sixtus Senensis, aliique deinceps plures scripta ejus ab erroris & hæreseos accusatione vendicarunt. Nec tamen hactenus quisquam his non authorum tantùm, sed librorum etiam synodicè damnatorum defensoribus aspersit ignominiam vel erroris vel hæreseos, ut qui hæreses ipsas execrentur, eas autem talibus libellis contineri pernegent, quæ facti quæstio est. Et quantos sanè olim ex Sanctis Patribus ac Romanis Pontificibus inveniemus, illis patrocinatos esse & scriptoribus & scriptis, quibus postea succensuit Ecclesia, & hæreseos cauterium infixit? Quid Basilio Cæsariensi, & Gregorio Nazianzeno castigatius? Illi tamen teste Socrate *l.* 4. *c.* 21. *Origenis libros sibi collegere, ex illisque exercitati contra Arianos strenuè dimicavere. Cumque Ariani Origenis libros ad eorum dogma confirmandum adducerent, illi eorum coarguerunt insciitiam, perspicuèque ostenderunt eos Origenis mentem & sententiam neutiquam intellexisse.* Si cui sublesta sit Socratis de Origene fides, at Athanasium nemo nescit Origeni ab Arianæ sectæ invidia tutando operam calamumque dicasse. Si tunc poterant, quin nunc quoque possint, eadem Origenis scripta eo sensu & legi & intelligi & exponi, prorsus Catholico, quo ab Athanasio, Basilio, Nazianzeno? Si errarunt autem illi, in facto errarunt, non in fide: & cum talibus errare cui non innoxium, inculpatumque sit?

LXX. Respondetur primò, qui Origeni antè patrocinati sunt, quàm Synodicè in Ecclesia proscriberetur, nullius eos culpæ reos agi posse. Possunt enim dispensativè multa excusari perdiu, quæ postea abolescente dispensandi necessitate, necessum ex adverso sit damnari. Quin immò & Athanasius & Basilius una ab authoritate pendebant Ecclesiæ in istiusmodi clementia sua, ut ne damnarent quos nondum damnasset Ecclesia. Indidem ergo cogimur eosdem damnare, quos prædamnavit Ecclesia, si Athanasium & Basilium sequimur. Facundus *l.* 10. *c.* 5. *Quamvis nostris auribus dura & ad excusandum difficilia defendere non refugiat Athanasius; & priùs eorum authorem Dionysium Alexandrinum per hoc voluit esse purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quòd ipse non sicut Arius cum viveret, de impietate fuerit accusatus, aut de Episcopatu dejectus: neque velut hæresin defendens, de Ecclesia sicut ille, discesserit, sed in ejus permanserit unitate: deinde melius hæc ipsa interpretari conatus est.* Itaque non ingenii sui acumen, non sua libido, sed authoritas Ecclesiæ, quæ Dionysium Alexandrinum, tametsi Arianæ hæreti eum tutragari jactarent, damnare abstinuerat, Athanasium impellebat, ut Dionysii scripta purgare humaniori interpretatione niteretur. Et mox, tametsi verba ipsa Dionysii specie tenus Ario videantur alludere, *Non quod inverbis sonat, debemus attendere, sed credere potiùs de Ecclesia Christi, quam regit ipse qui sanguine suo redemit, quoniam nisi hac bona intentione proferret, aut aliis ejus dictis auferretur offensio, sine dubio Dionysius in ea non maneret Episcopus: Igitur Athanasius cujus tota vita martyrium fuit, authoritati se subdit Ecclesiæ, & quod Dionysio communicavit usque in finem, hoc solum judicat ejus purgationi sufficere, ita ut illum pro talibus dictis, non condemnare dico, veriem nec leviter culpare præsumat.* Sequamur ergo cum Athanasio unam maximè authoritatem Ecclesiæ, & ex ejus sententia prælucente Scriptores & libros quoslibet vel absolvamus vel condemnemus. Idem de Basilio idem mox sentit, Gregorium Thaumaturgum à Sabellii præstigiis tuente. *Cum præterea Athanasius & Basilius Dionysium atque Gregorium à criminibus talibus tantisque defendant, quòd in Ecclesiæ pace defuncti sunt.* Vide & *l.* 11. *cap.* 8.

LXXI. Athanasius etiam ipse una se incitari maximè Ecclesiæ authoritate testatur ad Dionysii scripta defendenda: ut ex verbis ejus liquet, quæ Facundus idem recitat *l.* 10. *cap.* 5. *Calumniari volunt illi viro, & non attendere, quòd neque ab aliis Episcopis de impietate accusatus est, aut de Episcopatu dejectus, sicut isti ex clericatu; neque ille velut hæresin defendens de Ecclesia discessit, sed in eadem defunctus est, & memoria ejus nunc usque cum Patribus celebratur, & nomen ejus scriptum est. Si enim aliquid istorum sentiret, vel de his quæ scripsit, excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia patereturr.* Tum accedit ad dictorum Dionysii clementem elucidationem. Igitur Athanasius cum hoc animo esset, prædamnati ab Ecclesia authoris verba nunquam excusaret, qui hæc Dionysii ideo defendebat, quòd nulla Ecclesiæ censura inusta adhuc fuissent. Exulabat ergo procul ab ejus mente illa distinctio quæstionum facti & juris in hoc negotio examinandorum librorum.

LXXII. Postea verò quàm notati ab Ecclesia fuere libri aliqui, hujus obtentu distinctiunculæ, à quoquam Sanctorum Patrum defensatos fuisse inauditum prorsus est. Quod ipsum in tanta annorum serie, in tanta librorum damnatorum farragine, momenti satis habet, ut existimemus nequaquam id eos sibi fas esse duxisse. Origenis, Nestorii, Priscilliani, Theodori, Theodoreti scriptis etiam post intortam Synodici mucronis censuram, faviisse adhuc aliquos scimus, faviisse Patres nescimus, aut in Patrum & Magistrorum Ecclesiæ numero habitos fuisse negamus; quin præposteros potiùs faurores, exagitatos ab Ecclesia sui decreti retinentissima fuisse non nescimus. Origeni studuere Joannes Hierosolymitanus, Ruffinus & alii id genus, palam notati in Ecclesia: non Hieronymus, non Epiphanius, non Chrysostomus, non Augustinus. Nemo sanctorum & probatorum Patrum tam improbo labori & lascivienti acumini indulsit, ut Scriptorum verba alios in sensus detorqueret, quàm qui universali Synodo & Ecclesiæ alluxissent. Alioqui tota nobis concordia & majestas Ecclesiæ fœdaretur, emergentibus in dies cavillatorum cuneis, qui sophistica pugnacitate omnia fixa refigerent, damnata probarent, probata reprobarent, errore ejurato facta sola à se prætenderent retractari.

LXXIII. Agobardum sanè, esto, ut Patrum choro includamus. Sed Joanni Antiocheno impensiùs quàm par est, eum studere, ex superiùs disputatis abundè elucet. Deinde si verba ejus attendas, Cyrillo penè lubentiùs, quàm Joanni culpam afficiat. Catholicos hinc & inde certasse, nihil abnuo. Sed lato discrimine. Nam cum Cyrillo Synodus Oecumenica & Ecclesia. Cum Joanne Nestorius & Pelagiani

giani Episcopi. Joannem denique & sequaces ejus quis nescit, quanta infamia pseudosynodi tentatæ, oppugnatæ Synodi, defensati Nestorii, Ecclesiæ post absolutam Synodum penè laceratæ obscuraverit? Quæ omnia in Theodoretum redundant. Itaque non satis accurata est horum apud Agobardum narratio, utpote aliò properantem. Deinde nec Theodoreto is parcit omnino. Nam laudi non est, inter *Nestorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medio stetisse loco*: nam qui cum Catholico fidei defensore non erat, qui ab eo dissentiebat, sin minùs hæreticè, certè malè sentiebat. Laudi non est, *pugnantem pro veritate, agere contra veritatem*. Si excusare libet enim quia pro veritate, libebit & accusare quia contra veritatem. Laudi non est, *dum istis Catholicis placeret, illis displicere*: Catholicis enim displicuisse, pudendum est, maximè illis qui inculpatæ sunt fidei sequaces; ut illis placeas, quorum nutat existimatio, quorum vix dum grassatio conquievit. Denique dum anathematismos Cyrilli in Synodo & in universa approbatos Ecclesia insectatur, nonne ipsam insectatur Ecclesiam; & non tam Cyrillo, quàm Ecclesiæ universæ Apollinarismum impingit? Nec enim distinctione usus est Theodoretus, ut anathematismis duodecim aliam Ecclesia, aliam Cyrillus fidem insinuatam vellet. Qui poterat autem opportuniùs Nestoriana insania propugnari, quàm si Catholica doctrina qua expugnabatur, Eutychetis seu Apollinaris contagio laborare infamaretur? Etsi autem œconomicè & prolixiore indulgentia possent excusari utcumque hæc Theodoreti adversùs Cyrillum scripta, tantò tamen magis non debent, quantò post concordiam etiam initam ab eo sunt exarata. Unde Theodorus Lector *l.2. Post conciliationem cum Orientalibus Theodoretus contra duodecim capita Cyrilli scripsisse fertur*. Vide & Theodoreti ipsius *ep.* 143. ubi non putat ullos esse qui dicant *duos filios* in Christo, & *epist.*112. quæ post conciliationem scripta videtur, & in accusatione versatur adhuc Cyrilli anathematismorum.

LXXIV. Respondetur rursus non singulorum qui errare, & in errorem imitatores suos possunt pertrahere, sed Ecclesiæ ipsius universæ consilia & gesta pensitanda nobis esse, & ad imitationem præstituenda. Damnatos porrò semel unanimi Episcoporum conspiratione libros quoslibet, (ne iniri autem quidem potest numerus eorum qui damnati sunt,) immò ne unum quidem postea inveniemus ab Ecclesia purgatum esse ex illis: aut de eo purgando vel deliberatum esse, vel potestatem hanc & curam cuiquam esse mandatam. Usque adeo in Ecclesiæ etiam hoc genus decretis nusquam reperitur *est & non*, sed merum & constantissimum *est*. Si semel enim hanc illa fenestram aperuisset, quid deinceps fixum, quid statum in fidei doctrina foret? Ut summum ergo privatorum curiositati, & luxurianti vitiligandi prurigini materiam parant, qui acumen ingenii conterunt in opusculis quæ damnavit Ecclesia ad alias interpretationes impellendis; non Ecclesiæ serviunt, cujus retractandæ sententiæ non ullam spem residuam esse sinunt tot anteactorum sæculorum exempla.

LXXV. Respondetur iterum & Baronium & Bellarminum, & cæteros omnes neotericos, qui damnatis opusculis defensionem instruxere, eo præsidio suum ipsos conatum obumbrasse, quòd Ecclesiæ imponi possit iis in rebus quæ *hominum testimoniis* comprobantur. Omnes ad unum excute, eo uno nituntur fundamento, & decantatissimo Augustini testimonio, posteriora anteriorum erroribus mederi posse Concilia, ubi quæ latebant, nova reteguntur *rerum experimenta*. Atqui jam animadvertimus primò, ne tum quidem forsan errare Ecclesiam, quin immò potius erraturam, nisi his allegatis testimoniis ita pronunciaret. Deinde in quo rei cardo vertitur, istud est, *hominum testimonia, rerum experimenta* locum non habere ullum in examine librorum trutinando. Suus illis locus sumque pondus est in causis seu civilibus, seu criminalibus ventilandis; at in tractatorum opusculis excutiendis testimonia & experimenta omnia ex ipsismet opusculis expiscanda sunt. Et si qua aliunde possent affulgescere, ecqua, oro te, vel de Honorii epistola, vel de Theodoreti suspectis opusculis experimenta nobis & testimonia exhiberentur, quæ Patres quintæ vel sextæ Synodi fefellissent? Nonne in tam prolixo sæculorum decursu intercidissent potiùs, & nos jam præterirent, quæ illos non præteribant testimonia, ad hujusmodi examen necessaria? Denique hunc scopum habet axioma tum Augustini, tum quod sibi isti proponunt, non ut Ecclesia Ecclesiæ, Synodus Synodo, junior seniori, priori posterior eo deroget, quo iisdem probationibus allegatis aliud & diversum quid judicet: sed ut diversis noviisque testimoniis atque experimentis expromptis diversam quoque sententiam temperet. Id modestiam Ecclesiæ, id sapientiæ decet sobrietatem. Unum id suspicor non sine veri colore dici posse, si cujus scriptoris alia quæpiam repræsentarentur scripta, quæ Ecclesiam vel Synodum aliorum ejus librorum damnatricem præterissent: tum hæc nova fore testimonia, quibus authoris intentio & sententia meliùs diluceseeret, & inflicta damnatione absolveretur. Quanquam vel tunc satius forsan esset, & hos absolvi, & illos horum dissimiles damnari libros, quia non una semper sibi constat hominis sententia. Sed Honorii, sed Theodoreti nulla nobis nova restiterunt monumenta, quæ Patres quintæ sextæque Synodi non præ manibus habuerint. Magni ergo viri dum præjudicio suo serviunt, fundamento etiam suo sunt excussi, quo sibi videbantur niti, & nullo novo testimonio prolato novam protulere sententiam.

LXXVI. Sed & illud admonendi iidem sunt, non cuilibet, sed plenario Concilio copiam fieri ab Augustino Concilium plenarium emendandi. Viderint ergo quo jure id sibi arrogent, quod plenario Concilio & quidem ut præcellentissima & summa quædam prærogativa vendicatur. Ita ut suprà ostensum, Athanasius, Basilius, ita Facundus, aliique trium Capitulorum defensores, ita eorundem oppugnatores Episcopi Ecclesiæ authoritatem unam ut ducem certissimam, ut facem splendidissimam sequebantur, aut sequendam sibi consentiebant, non privati aciem ingenii, aut pessimam magistram, & in præceps semper ducem, præsumptionem.

LXXVII. Respondetur rursum antè damnatorum operum defensoribus illud saltem aptandum, quod sibi Hieronymus aptavit, cùm Origenis post damnati defensor priùs extitisse evulgaretur. In epist. ad Pammach. & Ocean. de err. Orig. *Secunda post naufragium tabula, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini & correctum. Erravimus iuvenes, emendemur senes. Jungamus gemitus, lacrymas copulemus. Si Origenem nunquam secutus sum, frustra infamare me queritis. Si discipulus ejus fui, imitamini pœnitentem. Credidistis confitenti, credite & neganti*. Illud saltem aptandum quod de Pamphilo martyre idem paulò post scribit, qui pro Origene Apologeticum scripsisse dicebatur. Nam etsi Pamphilus non errores tueretur, sed alium in sensum raperet Origenis verba, scripti tamen hujus Apologetici maculam diligenter ab eo amolitur Hieronymus, illudque ut germanam prolem parenti suo restituit Eutebio. *Arianorum Principi. Sed concedamus ex superfluo, ut Pamphili sit. Sed necdum martyris. Antè enim scripsit, quàm martyrium pateretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit? Scilicet ut martyrio deleret errorem. Ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quantiin toto orbe martyres antequam caderentur, variis subjacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui postea martyres, priùs peccatores fuerunt*.

LXXVIII. Respondendum item de his saltem id quod de Paschasio Eccl. Rom. Diacono librorum de Spiritu Sancto authore laudatissimo, qui ut ait Gregorius *lib.4. Dialog. cap.40. in ea contentione quæ in arde-*

inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit: & omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque preferendo, quem Episcoporum judicio praesse sibi Ecclesia refutavit. Hic itaque cum temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis Præsulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam demoniacus tetigit, statimque sanatus est. Narrat mox ut idem *post multum temporis in pœnali loco* visus sit à Germano Capuensi Episcopo, *quia in parte Laurentii contra Symmachum senserat*, & inde tandem liberatus. *Quia enim non malitia, sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari post mortem à peccato potuit:* ut subdit Gregorius.

LXXIX. Respondendum de his quod Beda *lib.* 3. *hist. Angl. cap.* 4. censet de sancto Columba, ejusque discipulis, Pascha alieno tempore celebrantibus, sanctitate tamen & miraculorum gloria præclaris. Quo in errore permanserunt usque ad annum 717. Christi: *Verùm quia gratia charitatis fervere non omiserant, hujus quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, juxta promissum Apostoli dicentis: Et si quid aliter sapitis, & hoc quoque Deus vobis revelabit.* Et *cap.* 17. cùm miracula post mortem viri plura memorasset, *Scripsi hæc de persona & operibus viri prefati, nequaquam in eo laudans aut eligens hoc, quod de observatione Paschæ minus perfectè sapiebat, immò hoc multum detestans, sicut in libro quem de temporibus composui, manifestissimè comprobavi. Sed quasi verax historicus simpliciter ea, quæ de illo sive per illum sunt gesta, describens, & quæ laude sunt digna in actibus ejus, laudans, studium videlicet pacis & charitatis, continentiæ & humilitatis, animum iræ & avaritiæ victorem, &c. Hæc in prefato Antistite multum complector, & amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quod autem Pascha non suo tempore observabat, vel Canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis authoritate, ne agnitum sequeretur, devictus, non approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat & venerabatur, quàm quod nos, &c.* Et *cap.* 25. aliis Catholicum seu Romanum, aliis erraticum Pascha celebrantibus, *Hæc dissonantia Paschalis observantiæ, vivente Aidano, patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etsi Pascha contra morem eorum qui ipsum miserant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis & dilectionis, juxta morem omnibus sanctis consuetum diligenter exequi curavit.* Et mox ad contumaciores errabundi Paschæ defensores ita Vvilfridus ibidem perorat: *Illos Dei famulos & Deo dilectos non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse Paschæ talem rectæ observantiam, quandiu nullus advenerat, qui eis instituta perfectioris decreta quæ sequerentur, ostenderet. Quos utique credo, si quis tunc Catholicus ad eos calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, quomodo ea quæ noverant, ac didicerant Dei mandata, probantur fuisse secuti. Tu autem & socii tui si audita decreta Sedis Apostolicæ, immo universalis Ecclesiæ, & hæc literis sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis. Etsi enim Patres tui sancti fuerunt, nunquid universali quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ horum est paucitas uno de angulo extrema insula preferenda? Etsi Sanctus erat & potens virtutibus ille Columba vester, immo & noster, si Christi erat, num preferri potuit beatissimo Apostolorum Principi? Cui Dominus ait, Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Vide *& lib.* 5. *c.* 16. 19. 22.

LXXX. Vertebatur hæc quæstio in re ad facta magis quàm ad fidem attinente, & ad fidem multò utique minùs spectante, quàm librorum quorumlibet spectet judicium. Et tamen, alii Catholico & Apostolicæ Sedis & Ecclesiæ universalis nomine ac patrocinio fulciebantur, alii eodem oppugnabantur.

2. Si quis autem Catholicum Pascha *gentis suæ authoritate devictus* non sequeretur, non negatur ille quidem sanctitate & miraculis florere potuisse, sed in illo tamen est, *quod non laudet, quod non approbet, quòd detestetur* cum venerabili Beda pius & Catholicus quisque. 3. Si cujus autem sanctitas & miraculorum gloria spectatissima est, in eo tamen hæc adversùs Ecclesiæ decreta obstinatio non laudatur, non approbatur, detestationi est, si pœnas etiam post mortem dat & quidem diuturnas: quid de illis opinandum, qui ab isto sanctimoniæ & miraculorum splendore procul sunt? Si tanta enim charitatis & sanctimoniæ copia culpam hanc obliterare hic non potuit, quanta ea culpæ gravitas est? Nemo sibi tum, aut si quis, næ ille perperam sibi blandiebatur de hac factorum & fidei distinctiuncula. A Catholicis porrò fidentissimè inculcabatur sequenda indiscriminatim non Columbæ, non tot aliorum pietatis & miraculorum laude perillustrium, sed Petri, sed Apostolicæ Sedis, sed Ecclesiæ universalis authoritas. 4. Similiter quod de Columba, & tot aliis viris sanctissimis Beda, id nos de Baronio, de Bellarmino, de aliis damnata opuscula defendentibus: quanti quanti hi sint, num majores sunt Sede Apostolica, & Synodo universali quinta & sexta, & Ecclesia universali, quæ hæc opuscula damnat, & defensores eorum damnat? 5. Et si dispensativè hanc seu rusticitatem seu obstinationem toleravit perdiu Sedes Apostolica in Scotis, Pictonibus & aliis Semibarbaris gentibus: num nobis id sumemus, ut eandem indulgentiam effundamus in quoslibet? Num Quartadecimanos perperam olim damnatos, perperam hæreticis accensitos calumniabimur? Non nostrum id est, sed Ecclesiæ Catholicæ, limites figere juris remissioni, vel rigori. Ubi autem imminet & urget Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ authoritas, tum aliquos refragari, & quorumlibet patrocinio abuti, id sanè non laudandum, non probandum, id etiam *multùm detestandum est*. Unde & idem Beda in vita Sancti Gutberti *cap.* 39. hæc extrema ejus ad suos verba refert, *Cum illis, qui ab unitate Catholicæ pacis, vel Paschæ non suo tempore celebrando, vel perversè vivendo aberrant, vobis sit nulla communio.*

LXXXI. Instant porro & percontantur, hoccine de fide sit, Nestorianam hæresin hoc hujus, puta Theodoreti, libro contineri? Poteritne hæreseos reus agi, qui Nestorianum dogma detestabitur, sed illud libro hoc contineri pernegabit? Respondeo hanc hæresin hoc libro contineri, à quinta Synodo definitum, & in hujus libri defensores anathema evibratum: quintæ Synodo ab omnibus Catholicis & debere subscribi, & reapse subscribi. Id abundè esse, ut anathema declinare malimus, quàm de fidei & factorum distinctionibus litigare. 2. Quintæ Synodo authoritatem ab omnibus posterioribus Oecumenicis accessisse Conciliis, & fidei confessionibus: in quibus & illa confirmata est, & in hos libros anathema ingeminatum sexcenties. Catholicæ simplicitati & veritatis charitati adversari eos, qui interminatis litibus mendacia inferere satagunt tot Synodis, & earum anathemata incurrere lubentes periclitantur. 3. Ut de fide id non sit, decretum tamen Synodi est Oecumenicæ, adeoque venerandum, osculandum: næ insolentissimi supercilii sit, si quis se plus universali Ecclesia, & tot Synodis, & tot sæculorum consensione sapere existimet. 4. Ut de fide id non sit, sed nonnisi à *plenario Concilio* plenarii Concilii decretum emendari fas est, teste Augustino. 5. Ut de fide id minùs sit, sed novis *rerum experimentis* & hominum testimoniis recentibus opus est, ut prius judicium mutetur. Quæ nova his autem circa damnatos libros experimenta, quæ testimonia affulserunt, quæ quintam sextamque Synodum præterierint? 6. Ut de fide id minùs sit, sed complura exploduntur & ejiciuntur ab Ecclesia, quæ ad mores, quæ ad disciplinam tantùm pertinent. Quartadecimani, Rebaptizatores, Novatiani,

tiani, Hydroparastatæ, & ejusmodi alii sectarii innumerabiles arcana fidei vix attingebant. Albo tamen hæreticorum inscripti sunt,

LXXXII. 7. Nec abuti hæreseos nomine dicas eos, qui tales texunt hæreticorum cathalogos. Illis enim Paulus ipse patronus præsto est, qui authore Chrysostomo, & idoneo sanè interprete, ait: *Oportet in vobis hæreses esse, &c. Hic attendite, quia non de articulis fidei dictum est, Oportet inter vos hæreses esse; sed de discordia & sectis circa mensam. Subdit enim modum hæreseon: Igitur cum convenitis in eundem locum, non licet Dominicam cœnam manducare. Tom. 3. ser. 21. pag. 312. Et hom. 27. in epist. 1. ad Corinth. Nam & oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Hæreses hìc vocans, non eas quæ sunt dogmatum, sed horum schismatum.* 8. Ejusmodi Paulini instituti sequax Ecclesia, Nicolaitarum, Neophytorum, Simonianorum, Investiturarum, Romanæ Ecclesiæ vel dignitatem allatrantium, vel bona invadentium, & id genus alias hæreses damnavit complures; non usque adeo scrupulosè rimabunda, quid propriè hæresis, quid error, quid schisma, quid superbum tantùm; non hæreticum; quid stultum, non schismaticum esset; sed promiscuè hæreticum aliquando interpretata, quidquid adversùs Catholicæ Ecclesiæ sensum & imperium contumaciter tumultuarentur. 9. Quandoque etiam disertè expressum est, hæreseos in dogmate crimen abesse, cùm tamen à communione Ecclesiæ Catholicæ abscissio intentaretur. Ita suprà ostendimus, Catholicos impudentiæ obviasse Tertulliani, qui non fidei irretractabilis, sed versatilis disciplinæ causam agi prætexebat. Ita declaratum etiam superiùs à Patribus Synodi Diospolitanæ notatum esse *stultiloquium*, à quo fortassis abesset hæresis, teste Augustino. Ita in decretis Generalis Synodi Lateran. sub Innocentio III. *cap.* 2. *Reprobamus etiam & damnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrinam non tam hæretica censenda sit, quàm insana.* 10. Perdifficile semper sanctis Patribus visum est, & salebrosum diffinire, quid hæresis nomine capiendum veniat. Audi Augustinum *in præf. lib. de hæres. seu in epist.* ad Quodvultdeum: *Cum ambo, Epiphanius & Philastrius, id vellent facere, quod à me petis, quantum tamen inter se differant, de numero sectarum interim vides. Quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur hæresis esse, & aliud alteri, &c. Proculdubio in ea quæstione ubi disceptatur quid sit hæresis, non idem videbatur amborus. Et revera hoc omnino definire difficile est. Et ideò cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreses sint: aut annumeremus aliquas, cum hæreses non sint.* Sexcentis aliis locis Augustinus hanc definiendæ hæreseos difficultatem spinosissimam sibi videri testatus est. Basilii tripartitam distinctionem alibi retuli: qui schismaticis annumerat eos, quos Augustinus, aliique penè omnes hæreseos cauterio inurunt. In his ergo ambagibus quid conducibilius, quàm ab ore & nutu pendere Ecclesiæ, & ubi illa hæreticam imprimit infamiam, ejus authoritati subscribere?

LXXXIII. Adde 11. loco, si hos hæreticorum agmini includendos fuisse dicatur, quod non in facto tantùm, sed in jure ex quo facta profluunt, hallucinarentur: quod v. g. non emerent tantùm Spiritum Sanctum, sed emendi jus & fas esse sentirent; pœnitentiam non tantùm respuerent, sed nec dari jure posse gannirent mœchis lapsisque: imagines non modò abjicerent, sed nec eas coli, vel haberi per leges divinas posse censerent. Vereor ut istud certò satis de omnibus suprà memoratis constare possit. Quæ enim hujus distinctionis vestigia in antiquis monumentis, vel quæ probabilitas, in Quartadecimanis, in Hydroparastatis, in Simonianis, in Romanæ Ecclesiæ expilatoribus? Hi aliique complures in factis hærebant, ad juris contemplationem assurrexisse dicuntur, sed nuper, nec probantur. 12. Demus id etiam ut hæretici dicantur, quòd juri etiam obstreperent; caliginem illam omnem Augustini, Basiliique, & antiquorum Patrum, circa eliminatam hæreticæ opinationis significationem discusserit nova juniorum istorum fax; num nemo pari acumine rimari juris aliquam scintillam poterit in hac circa factum pugna? Quid si juris majestatem ab eis imminui existimet quis, quòd Ecclesiæ potestatem abrogent librorum examinandorum: quòd censuras Ecclesiæ in scriptores & eorum scripta, flocci fieri doceant, dum errori faciunt obnoxias: quòd libros hæreticos condemnandi certum adimant Ecclesiæ judicium: quòd Synodos Oecumenicas errare posse sentiant, ut in alienis scriptoribus dijudicandis, ita in suis fidei confessionibus conscribendis: quòd paucis denique plus solertiæ & sapientiæ inesse credant sibi, quàm diffusæ per orbem Christianum universitati? 13. Quid si eos eò hæreticos, & non in facto tantùm licentiosos, sed in jure injuriosos clamet quis, quòd Pontifici & Episcopis hanc hæresin esse promulgantibus, ipsi contrà nitantur: quòd hæreticam pronuncient Ecclesiam, dum rem facti in fidei dogma trahi ab ea criminantur: quòd universitati Episcoporum orbis, & Synodo etiam Oecumenicæ, hæreticum quid esse, & ita declinandum pronuncianti, ipsi putent excipi à paucis, contràque dici posse, hæreticum non esse, quòd facti quæstio sit?

LXXXIV. Adde iterum & loco 14. persuasam semel & quidem Synodico examine Ecclesiam Catholicam, hæretico veneno delibutos esse quosdam libros, vix fieri posse, quin librorum istiusmodi defensores hæreticis accenseat. Nam quòd hæresin ore tenus & verbis generalibus detestentur, fraudulentum videri id potest & simulatum: nec tanti pendendum, quanti id, quòd prolixas & elucubratas hæreseos explanationes amplexentur. Itaque vel fallere vel falli ipsos fortassis credet, nam & non rarò falluntur ipsi, qui perspicaciæ suæ plus æquo fidunt: & eos ne fallantur, vel invitos importuna aliquando Ecclesiæ charitas, sed materna, extricare satagit. 15. Et quidem exulare potest hæc suspicio à nonnullis, quorum scopus aliò perspicitur vergere. Honorio Pontifici Romano ignominiam erroris laborant abstergere Baronius & Bellarminus. Ideo epistolam ejus, quam austero, & eo quo sexta Synodus animo excutere debuerant, humaniori tractant pollice, & ad rectos sensus trahunt; itaque culpare hos poterit quis nimii in defensando Honorio studii, & minoris in Synodos Oecumenicas observantiæ, itemque non satis accuratæ diligentiæ in dignoscendis Synodorum judiciis, quæ ob emergentia nova vel rerum experimenta, vel hominum testimonia emendari possunt, idque ab aliis tantùm plenariis Synodis: nequaquam autem hos Monothelitarum hæresi clam astipulari nisi insanus suspicabitur. Ita & Galliarum Episcopi olim si quintæ Synodo minùs fidebant, si tribus Capitulis favebant, non poterant tamen in crimen jure à quoquam vocari, quasi pestem Nestorianam clam in sinu gestarent, lamberentque in scriptis Theodori & Theodoreti. Cum hæc scripta ne in manus quidem eorum venissent unquam: sed ea in Chalcedonensi Synodo approbata rati, illorum damnatione hanc Synodum violari, & eo tandem pacto Nestorianam & Eutychianam impietatem reviviscere existimabant. Vide apud Quercetanum *Tom.* 1. epistolam Nicetii Episcopi sanctissimi ad Justinianum Imperat. nomine Episcoporum Galliæ: (Nisi si melius Sirmundus hanc epistolam retulit ad posteriora tempora Justiniani, quibus in hæresin lapsus est Incorrupticolarum.) *Nestorii & Eutychetis jam anathematizata secta, ut te de ipsa interimeres, quis imperavit? &c. Nec dicas vel in corde tuo, Feci, feci, Vici, vici. Victus es & vinctus, sed inde unde filius Diaboli & inimicus justitiæ. Num notum tibi sit, quòd tota Italia, integra Africa, Hispania vel Gallia conjuncta, nomen tuum, cum de perditione tua plorant, anathematizant.* Itaque adeo non in

Theo-

Theodoreti scriptis Nestorianum amabant dogma, ut quasi refricanti illud Justiniano per ejus scriptorum, Chalcedone ut putabant probatorum, damnationem, anathema dicerent. Istiusmodi igitur implicatæ libris quos defensat hæreseos, suspectos habere non potest Ecclesia. At si mero quis studio in Theodorum vel Theodoretum, vel quemvis alium, damnanti eorum libros Ecclesiæ refragetur; persuasa his libris hæresin contineri Ecclesia, suspectos non injuria forsan habebit tales ut hæreseos etiam fautores, nec alienis eorum interpretationibus seu cavillationibus fucum sibi fieri patietur. Itaque videbuntur ipsi sibi hæresin detestari, librum purgare, in facto tantùm ab Ecclesia dissidere: videbitur autem sibi Ecclesia jure librum ut hæreticum damnasse, libri defensores hæresin verbotenus execrati, eandem reipsa ut in libro delitescentem amplecti, ludificationibus suis potiùs quàm interpretationibus occultum virus obumbrare. In hac sententiarum pugna neminem fallit, quis cui cedere & accedere debeat.

LXXXV. At, inquies, nulla Scripturarum authoritate, nulla majorum traditione à cunabulis Ecclesiæ Christianæ ad nos propagata, edocti sumus, hanc hæresin hoc Theodoreti libro contineri. Ergo nulla fidei necessitate cogimur id credere. Respondeo Catholicum dogma his vocibus contineri, Consubstantialis, una natura Verbi incarnata, unus de Trinitate passus; qua Scripturæ voce, qua traditionis origine revelatum divinitus est? Quæ porro declaravit Ecclesia Catholicam fidem his vocibus contineri, eadem declaravit his Theodoreti scriptis hæresin involvi. 2. Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano, expositione fidei Chalcedonensis Concilii, epistolis Cyrilli & Leonis Ephesi & Chalcedoni subscriptis, sincerum orthodoxæ fidei dogma, nullam autem hæresin describi, quæ Scripturæ, quæ traditionis ab ortu Christiani nominis cœptæ authoritas revelavit? Si quis de dogmate Catholico conveniat, sed ab eo tractatus istos discrepare contendat, num ipsi libera facti quæstione dissentire existimabitur? 3. Esto ut aliquando possit Ecclesia hanc non hæresin, sed superbiam & contumaciam interpretari, alias quàm ipsa exponat expositiones libri cujuslibet sectantium; sed poterit & jure suo existimare hac superbia hæreticum adversùs Oecumenicæ Synodi authoritatem animum ali: vel hac contumacia, non librum tantùm, sed ipsam hæresin propugnari, etsi aliud ore tenus prætexatur. Tutissimum est ergo credere, effuso cœlestis sapientiæ lumine collustrari Ecclesiam, & ad fidei dogma statuendum: & ad verba, quibus illud expromatur, deligenda: & ad opuscula, quibus illud impetitur, explodenda: & ad opusculorum horum, perinde ac dogmatis hæretici defensores aversandos. Consequentia enim & concatenata hæc sunt. 4. Dogmata ipsa seu sensa divinitus revelata sunt. Verba autem seu contractiùs, seu copiosiùs explanando dogmati necessaria, tubinde & alia priùs, alia posteriùs accedunt, sic tamen ut ex defectu Ecclesiæ, indivulsa jam dogmati cohæreant. Si verba ergo ipsa tantùm, sive tractatus lacessas, quibus vel fidem vel hæreses contineri decrevit Ecclesia, videberis forsan tu tibi litigare de verborum tantùm significatione; videberis forsan nec immeritò Ecclesiæ, ludicro hoc prætextu, ipsam fidem, quæ non potest nisi verbis aliquibus explicari, parricidialibus pugionculis, eo detestabiliùs, quo occultiùs confodere. 5. Nemo nescit, quàm multa etsi propriè ad divinæ fidei revelationem referenda non sint, ita tamen cum revelatis cohærere capitibus, ut illis convulsis hæc collabascant. Melchior Canus *l.6. cap.8. Concilium Nicænum in fide non errasse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nullis sacris libris, nec in Apostolorum traditionibus explicatum est. Sed id solum, Concilia in Spiritu Sancto legitimè congregata errare non posse. At quòd Concilium Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum legitimè coacta fuerint, ex divina revelatione non creditur. Creditur tamen ex humana fide & traditione historiæ fide digne, per quam habemus, eas Synodos indicentibus & confirmantibus veris Ecclesiæ pastoribus ex universo orbe convenisse. Unde licèt earum rerum certitudo ac veritas, quæ in ejusmodi Conciliis definita sunt, ex duobus quasi principiis pendere videatur, quorum alterum revelatum à Deo est, Concilia videlicet legitimè congregata certissimæ veritatis esse; alterum verò sola certitudine naturali credatur, per ea quæ Scriptores graves & incorrupti memoriæ prodidere. At hæreticus erit, qui negarit earum Synodorum scita atque decreta, non aliter ac si negaret Evangelium.* Et consequenter ibidem: *Quod Sacerdotes nostræ hujus ætatis à veris Episcopis ritè fuerint ordinati, non est sacris literis proditum: sed res gesta potiùs est, quæ ex verbis & animo consecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio quod humana certitudine teneamus, videlicet hos Sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in Ecclesia nunc sit verum Eucharistiæ Sacramentum. Quod qui inficiaretur, hunc Ecclesia existimaret hæreticum.* Et statim rursus: *Ad eundem modum, qui negarit Romanum Pontificem eandem habere potestatem, quam Petrus à Christo accepit, fidei adversarius censendus est, quanquam ex Evangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri successores eundem habere cum Petro principatum. Quia si huic Evangelicæ conclusioni illam addas, Episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historiis à traditione virorum gravium accepimus, manifestè colligitur Romanum Episcopum & cæteris Episcopis superiorem esse, & eandem habere in Ecclesia potestatem, quam habuit Petrus.* Qui dissentire in istiusmodi factis ab Ecclesia Catholica pertendet, illum vir doctissimus, illum experientia ipsa docet, non cervicosum modò, aut superbum, vel insanum, sed hæreticum habitum iri. Quòd hac tergiversatione dogma ipsum quasi per cuniculos impeti sentiat Ecclesia. 6. Liber & alia ejusdem rei exempla promere à Petro Aurelio viro usquequaque doctissimo, pro epist. Gal. Antist. *Quidquid Ecclesiæ consensui aversatur, semper erroneum, non semper hæreticum. Deique verbo contrarium est. Quia non omnis Ecclesiæ consensus certo Dei verbo, Scripturaque continetur, aut fidem prorsus Catholicam continet, etsi certitudinem habeat omni humana majorem, ideoque illi obstrepere sit erroneum. Beatam Virginem Deiparam corpore simul & anima in cœlum ivisse, verissima doctrina est, Ecclesiæ consensu fulta, non tamen omnino Catholica fides: nec qui eam neget, ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragabitur, in quo ea de re nihil exstat. Multa sunt ejusmodi quæ nec apertè Scripturis insunt, nec apertè definita fidei dogmata, quamvis fidelium consensu nitantur.* Ita suprà Posthumianus apud Severum Sulpitium, quam alii *hæresin*, ipse clementiùs *errorem* dicebat, Origenis non errores, sed libros adversùs conspirantem Ecclesiæ authoritatem defendentium. Quàm non semper autem illa adhibeatur hæreseos & erroris diligentior distinctio, suprà perstrinximus.

LXXXVII. Hactenus ita librare sententiam enixus sum, ut memor essem ejus quod Gregorius nos monet *l.9. indict.4. epist.39. Quia verò sunt multi fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpè dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt: eorum infirmitati consulendum est, & ratione & mansuetudine sunt placandi. Illis quippe sunt similes, de quibus scriptum est, Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam.* Ita Nazianzenus *Orat. 26. Illud saltem tibi impera, ut fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, &c. Multum diuque antè versandus & contorquendus est animus, multa ferenda, quàm ut alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem, aut brevem quendam & caducum florem evellere, atque hominem excindere. Imago Dei es, & imaginem quoque Dei alloqueris. Judicium quoque subibis, qui judicas: & quidem alienum servum judicas, & quem alius moderatur.* Hæc ad *fideles* pertinent, qui neminem præcipiti judicio hæreseos in-

simu-

simulare debent, sed Episcoporum expectare sententiam, & ab ea pendere, ut qui *moderentur* clavum Ecclesiæ: sive illi dispensativè velint *errorem* eorum, qui libros damnatos defendunt, dissimulare: sive juris vigore utantur, & hæreseos suspectos etiam habeant.

LXXXVIII. Alioqui manet alta mente nobis repostum, quod docet Hieronymus in epist. ad Pammach. adv. error. Jo: Hieros. *Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos qui ignorant patientiam ejus, dissimulatio conscientia judicetur, si taceat.* Et paulò antè: *Certè si hæreseos nulla suspicio est, ut cupio & credo, cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quòd purè credat: purè ergo & loquatur. Et siquidem unum verbum vel unus sensus esset ambiguus, si duo, si tres, ignorantiæ veniam tribuerem: nec ea quæ aut obscura vel dubia sunt, de certis & perspicuis æstimarem. Nunc verò quæ ista simplicitas est, quasi super ova & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere, ubique dubium, ubique suspectum? Putes non expositionem fidei, sed figuratam controversiam scribere.* Vides ut non cuilibet Catholicum se profitenti, statim credatur: utque de dogmate ipso fidei suspecti, dubiique haberentur librorum Origenis defensores, ideoque indissociabiles cum libris errores defendere judicarentur. Hæc duo si mordicus teneantur, ut nulli facilè illinatur hæreseos suspicio, illita anxiè & sedulò abstergatur: ingens excitabimus & paci Ecclesiarum publicæ, & privatæ nostræ existimationi, salutique munimentum. Cùm ergo paulò superiùs multiplices aperiebam fontes suspicionum, quibus hæresis ignominia aspergerentur defensores librorum ab Ecclesia damnatorum: non id agebam, ut omnes temerè & præfestinè his suspicionibus indulgerent, & alienam temeritatem sua imitarentur magis, quàm ulciscerentur. Sed duplex ille nobis scopus obversabatur: ut à damnatorum librorum defensione deterrerentur, qui hæreseos suspicionem & exinde sibi imminere multiplicem, & omni ope impendioq; eam fugiendam esse non nescirent: utque Synodicis, Pontificiisque decretis compluribus defensio pararetur, quibus pari audacia atque imperitia dicam dicunt aliqui, quòd ab illis facti quæstio in causam rapiatur hæreseos. Non privatorum est ergo, sed Antistitum Ecclesiæ præire in hæc judicia: & suspicionum habenas laxare, vel inhibere, ut pacis & Ecclesiasticæ veritatis ratio jusserit. Suspicionum quippe, rei sponte sua tam lubricæ & ancipitis, operosissimum est clavum regere, modum tenere. Paris est discriminis, illis nunquam & semper, minùs æquo & plus nimio se addicere. Pontificum ergo ea sit sapientia & potestas, vice Christi Ecclesiam & fidem administrantium: cæterorum est à Pontificum sententia non discedere. Alioqui conclamata est Ecclesiæ fideique concordia. Sunt certæ hæreses, sunt & suspiciones hæresum. Sunt iniquæ, sunt & æquissimæ suspiciones: sunt leves, sunt graves, sunt & gravissimæ. Non repugnandum tantùm est malo, sed & occurrendum: non adulto, & conspicuo solùm, sed & latenti atque orituro morbo medicina condienda est. Dissimulari aliquando aliquæ suspiciones possunt, non omnes, non semper. Dispensationi locus est, est & rigori juris tempestivus. In hoc ergo salo tam incerto, quis tempestatum finis, si vel in aliena criminanda, vel in sua defendenda fama singuli non aliam, quàm suam sequi ducem pertendant præsumptionem? Unam in his salutis anchora, Pontificialis authoritas, & Judicum Magistrorumque à Deo designatorum sententia. Dispensatio & clementia Pontificibus optari, suaderi, exorari potest: imperari, vel extorqueri non potest; ut quæ persæpè necessaria, persæpè utilis, nonnunquam exitio sit. Exitiale autem semper sit, greges pastoribus, magistris discipulos, reos vel actores judicibus legem dicere, & vim inferre. Ne in fidei autem negotio vel minima quæque aspernemur.

LXXXIX. In id enim vergit illud Chrysostomi *hom. 1. in cap. 1. epist. ad Galat. Et volunt subvertere Evangelium Christi. Atqui unum dumtaxat aut alterum præscriptum induxerant, circumcisionem & dierum observationem innovantes. Verùm ut ostenderet, quòd pusillum quiddam perperam admixtum, totum corrumpit, dixit subverti Evangelium. Quemadmodum enim in moneta regia, qui paulum aliquid amputavit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. Ubi sunt igitur qui nos ut contentiosos damnant, eo quòd cum hereticis habemus dissidium, dictitantque nullum esse discrimen inter nos & illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam?* Et mox: *Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quod ob pusilla non indignamur. Ob id enim majora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur.* Vide & *hom. 34. in epist. ad Hebr.* Si circumcisione, si dierum observatione subvertebatur Evangelium: quid tota librorum hæreticorum eluvione in Ecclesiam inundante, & portam latissimam illi pandentibus his Theologis, qui facti liberam quæstionem cavillantur, an libris illis contineatur hæresis, eaque in re obrepere errorem Ecclesiæ potuisse? Quantumlibet enim solam sibi copiam flagitent dissentiendi, nec contra se quidquam vel dicturos spondeant, vel scripturos: futilia hæc sunt effugia. Nam primò in tam prolixa hactenus serie & sæculorum & Synodorum & Patrum, ubi hanc, oro, vel petitam, vel impetratam licentiam usquam invenient, dissentiendi à judicio Synodi Oecumenicæ, doctrinas libroſque examinantis? Usurpatam, sat scio, invenient, non impetratam, non concessam: & usurpatoribus semper impendentem ignominiam. 2. Quid in Ecclesiæ & Synodi dedecus effutiri turpius potest, quàm utcumque nervos omnes contendat, exhauriatque lumen suum omne Ecclesia Catholica in libro quopiam examinando: fas adhuc esse occinere, hanc facti quæstionem esse, & à quolibet usurpari posse potestatem contrà judicandi?

XC. 3. Silentii hujus sui quæ, oro, fides, quæ constantia erit, cùm eorum patrocinium prætendant sibi, qui palàm & coram erasse sextam Synodum in Honorii, quintam in Theodoreti vel Origenis scriptis damnandis; erasse Synodos posthæc omnes in Honorii, Theodoreti & Origenis damnatione comprobanda, non sentiunt tantùm, sed in propatulo prædicant & scriptitant? Cur silentii legem subeunt, à qua abhorruere? quos patronos sequuntur? an horum loquacitatem culpant? cur exemplo eorum utuntur, quos non culpare non possunt? An solam horum dissentiendi licentiam tenere volunt? At scriptitare quod dissentias, nonne id refellere jam est? Dissensionis sanè contestatione, non aliter quàm refutatione, Ecclesia offenditur. 4. Sed nemo non intelligit, silentium istud simulatione paulatim vanescente vanescere, & in propatulo tandem definitiones de Honorio, de Theodoreto, de Origene oppugnari. An tandiu tenenda hæc silentii religio, quandiu fervent jugia; quorum ubi calor deferbuit, tum impunè Synodico decreto obtrectabitur? An ergo & Synodi & Ecclesiæ authoritas aliquando exaggeratur, & post inanescit? An potiùs una & eadem, inexpugnabilisque cum sit, pari semper prosequenda est religione, non illa simulata, sed genuina: & animi consensionem, non inanes oris sonos complectente?

XCI. Eorum rursus & inanis labor, & cassa spes, qui Scholæ decretis factorum & juris quæstiones secernentibus, Episcopales definitiones subjugare atque elidere moliuntur. Obsequuntur, non præeunt filii patribus, Presbyteri Episcopis, Scholæ Magistri Magistris Ecclesiarum. Nulla ideo vel suspicanda pugna usquam est inter Scholæ placita & decreta Pontificum. Si qua foret unquam, illa his utique aptanda inflectendaque forent. Alioqui non Episcopis tantùm, sed ipsa sibi conflictaretur Schola, quæ non posse universum Ecclesiæ Catholicæ Episcopatum hæresi ulla implicari, vel greges sibi creditos implicare consentit. Ergo ubi Pontificum toto orbe con-

consentientium evidentia tunt decreta, his accommodanda interpretando esse sua quælibet placita, hortatur ipsamet Theologica Schola.

XCII. Et sanè causarum omnium Ecclesiasticarum, nisi susdeque vertamus omnia, & aliqui sedebunt judices, & non alii quàm Episcopi. Ergo quid fidei formulis inscribendum sit, quæ facta à jure, & qui secernenda, quæ his atque illis devovenda sit fides, Episcoporum est judicare ac definire: nostrum est Episcopali sententiæ subscribere. Esto ut nostrum quandoque sit litigare, sed litigatorum non est judicare: sed nostrum non est de Judicibus nostris judicare: ne in nos illud Cypriani defectatur: *Nec enim hæreses aliunde ortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. Lib. 1. Epist. 3.*

XCIII. Quàm alienum est autem, causas ejusmodi comminisci, causarumve status, quibus finem imponere nulli possint unquam Judices! Hæc enimverò est immensa quædam & infinita litigandi prurigo, interminabiles lites confingere, & ejusmodi, ut nulli judicio unquam teneatur acquiescere litigator & assentiri. Nobis tutissimum viderut, Episcopis ceu Patribus, Magistris, Judicibus promiscuè assentiri, & cum Ferrando Carthag. Diac. optare, ut, *Loquantur & prædicent, quibus honor Sacerdotii docendi authoritatem tribuit: nos discere parati sumus, docere alios non præsumimus. Interroga igitur, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices. Ad Severum Schol. numer. 1.* Sic ille quæcumque probaverint Pontifices, probari; quæcumque confixerint, configi jubet. Nullas metas præfigit Episcopali authoritati ad edocendum, nullas nostræ fidei & credulitati ad ediscendum. *Si quid veritatis cupis audire.* Nihil excipitur. *Nos discere parati sumus.* Perinde & hoc latissimè patet, nec circumscribi se sinit. Quippè nec metas patitur sibi objici honor Sacerdotii, docendi authoritas, qua Pontifices omnes Christus ornavit, *principaliter* verò Apostolicæ Sedis Antistitem. Jure ergo Ferrandus quos probarint, probandos, quos confixerint Episcopi, configi à fidelibus imperavit. Nihil hac simplicitate tutius, nihil majestati Ecclesiæ convenientius.

XCIV. Quid si illud reticem, quod alibi delibavimus, divino jure & divina authoritate ipsum Ecclesiasticum jus & morem quodammodo radiare? quòd ab Evangelico & divino jure proximè fluat, ejusque splendore toto perfundatur. Et quod supra Ferrandus in hoc ipso de damnandis libris, seu tribus Capitulis negotio, monuit, *Concilia secundæ authoritatis locum post Canonicos libros tenere*: utque in his, ita in illis: *Si quis non valeat altitudinem cœlestis oraculi comprehendere, quòd non intelligit, credat, ut quod credit, mereatur intelligere.* Et quod Facundus *lib. 12. cap. 2. Si quam reverentiam deferimus etiam Synodalibus institutis, ab Ecclesia universali receptis, in omnibus quæ obscura in eis, & ad intelligendum difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoscere atque approbare debemus.* Et denique quod Chrysostomus serm. in eos qui Pascha jejunant, (*Tom. 5. pag. 707.*) Nicænæ Synodi definitionem de Paschæ die, utique in re facti versantem, religiosa tamen quadam muniens authoritate: *Atque ex his athletis collecta tum fuerat Synodus universa. Ergo qui fidem temporibus adeo difficilibus non prodiderant, hi propter dierum observationem dissimulatione uti potuerunt? Vide quid agas dum tantos Patres condemnas, adeo fortes, adeoque sapientes. Nam si Publicanum condemnans Pharisæus omnia bona perdidit, quæ habebat: qua venia dignus, qua defensione censeberis, qui adversus tot doctores Deo charos, idque injuria & contra rationem insurgas? Non audisti Christum dicentem, Ubi duo vel tres sunt in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum? Quid? Si ubi duo tresve sunt, medius est Christus: ubi trecenti ac multò plures aderant, multò magis aderat, omnia que decernebat. At tu non illos tantùm condemnas, sed & orbem terrarum universum, qui sententiam illorum comprobavit.*

XCV. Atque ut finem tandem huic Dissertationi ponamus, id rursum ex Facundo adnotabimus, non Theodoro, non scriptori ulli tantoperè vel ipsum, vel commilitones ejus studuisse, sed Synodo Chalcedonensi, quæ disertis verbis trium Capitulorum meminerat: hac illesa, facilè passuros damnari Theodorum. Adv. Mocian. sic ille: *Nam cum dixi, Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione, me à communione contradicentium subtraxisse: hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo. Nec tantam causam esse judico, pro qua deberemus à communione multitudinis segregari; doctrinæ Augustini memorem me fuisse monstravi.* Causæ Chalcedonensis Concilii se caviisse mox declarat. Et ille quidem tum ibi, tum alibi multitudini Episcoporum capita damnantium, illudit quasi Hilarii, quem Augustino componit, exemplo. Unde in epist. *Audite quòd etiam Sanctus Hilarius Episcopus confessor & doctor egregius, quibusdam Episcopis tempore Constantii Imperatoris, quo sic Ariani sub nomine pacis & regis pervaserant universas pene totius orbis locales Ecclesias, sicut nunc Eutychiani sive Acephali, de hac re scribat, &c.* Spicil. *tom. 3. pagin. 118.* Et tota sanè hac epistola, itemque libro ad Mocianum, in omnem partem se versat idem Facundus, ut eorum machinas dissipet, qui ipsum ad communionem Ecclesiæ Catholicæ revocabant, à qua nunquam recedendum esse Augustinus tam constanter docuisset. Excipiebat autem ipse, ut uno verbo dicam, erasse in fide damnatores Capitulorum: ideoque non se, sed illos antè à communione, & fide Ecclesiæ Catholicæ secessisse: non posse autem quemquam communioni eorum, nisi & fidei sociaretur. Ubi vides quò evadant tandem ista dissidia; ut Ecclesiæ fidei illudatur & authoritati.

XCVI. Ut verò ex eadem Facundi epistola liquidum est, Synodi sectatores seu Catholici Capitulorum defensoribus *vim inferebant*, ut secum communicarent; quòd extra Catholicæ Ecclesiæ communionem decocta sit spes tota salutis. Hi renuebant, communioni indissociabilem fidem jactantes. Illi fidem se eandem cum Chalcedonensi Synodo tenere & sequi clamabant, de tribus verò Capitulis liberum esse à Synodo dissentire, nec semel ulli eorum dicere excidit. Itaque quasi concesso, una communione unam etiam de præfatis sententiam promitti, ad secum, id est, cum Ecclesia Catholica communicandum cogebant. Facundus in epist. *Non erubescunt miseriore sacrilego, atque impudenti procacitate dicere, se unam cum non damnantibus fidem tenere, &c.* Et mox, *Neque tantummodo verbis mendacibus in errorem traducentes, sed violentis insuper persecutionibus ad consentiendum sibi, vel communicandum quos potuerint pertrahendo cogentes.* Videsut *consentire & communicare* idem reputet. Quò videtur trahendum & id quod apud Hincmarum legitur *Opusc. 55. cap. 48.* ex nescio quibusdam in hoc dissidio subornatis *decretis Apostolicæ Sedis, quando Vigilius & Apostolico, post multa & terribilia præstita sacramenta, in hæresin lapsus Constantinopoli detinebatur, &c. Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in una communione consentiunt, uno dogmate, una charitate, uno tenentur assensu. Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus una fit, & una redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute divina: sic unanimitas per omnes illic communicantes excurrit. Nec nobis jam dicas, Ergo si criminosus sit sacerdos, crimen redundat in populos. Aliud est enim quod committitur: aliud quod etiam prædicatur. Privatum est, quod ab unoquoque com-*

committitur: commune verò fit Ecclesiæ, quod publicè prædicatur, tantorumque sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolvi non potes, si contraria ore prædices, contraria uno eodemque tempore manu subscribas: sic ipsa omnium vestrum collectio absolvi non potest, si contraria dicat, & contraria faciat, id est, si communicet sacerdoti, à cujus prædicatione & subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum & manus tua unius ejusdemque corporis membra sunt: ita unius ejusdemque Ecclesiæ membra sunt sacerdotes & populus, sive cum Catholicis Catholicus, sive cum non fidelibus infidelis. Hæc cum altissimas egissent radices in eorum animis qui tria Capitula primùm defendebant, ubi postea patuit ea ab universitate Episcoporum orbis damnari, à cujus communione nefas erat excidi: inde nimirum compulsi sunt quibus communicare necessum erat, iis etiam consentire. Ideo Pelagius uterque & Gregorius ad suam & Ecclesiæ universalis communionem invictissimis argumentis omnes revocant, dissentiendi licentiam nec verbo attingunt. Quin immò rationem, satisfactionem, veritatem, dubiorum elucidationem promittunt, nusquam ut in facti disceptatione Quintam Synodum à Quarta discrepare, & alterutram errare potuisse concedunt. Gregorius *lib. 4. Epist. 49. Deus qui lætatur in unitate fidelium, & revelat quærentibus veritatem, cordibus vestris aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ universalis Ecclesiæ contineri, & in ejus manere unitate concordes, &c. Ego satisfacere vobis de quibus dubitatis paratus sum, &c. ita vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, &c. Ea quæ quatuor Synodi sapuerunt, ita & nos sapimus, &c. Ut ad me venire debeatis, dummodo ratione percepta, à concordia sanctæ universalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet.* Satisfactio porro ne fingi quidem alia potest, quàm quæ suis & Pelagii epistolis ab eodem Gregorio intexta prolixiùs est, Nestorianum virus tribus Capitulis infusum esse, nec illa unquam à quartæ Synodi Patribus approbata fuisse. Et *l. 7. epist. 54. Hoc studiosiùs cogitet tua dilectio, ne errorem schismaticorum sequens, à sancta universali Ecclesia divisa possit inveniri. Et quid tot labores proderunt, si in unitate fidei inventa nou fueris? &c.* Hæc ille, præfatus paulò antè nihil quartæ Synodo obstrepuisse *eam, quæ post illam generaliter facta est*. Et *libr. 10. epist. 37.* Firmino Episcopo Istriæ gratulatur, *quòd cor ejus Deus illustret, ut deserto erroris obscuro, ad cognitionem lucis & viam redeat veritatis; quodque eum divinitatis gratia ad unitatem Ecclesiæ, à qua pertinacium & imperitorum hominum instinctu disjunctus fuerat, revocavit.* Et *lib. 2. ep. 36.* ab Episc. Hiberniæ, *Ut de tribus Capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si depositio voluntaria defensionis studio, puro vigilantique corde sæpiùs volueritis relegere, spem vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porrò autem si post hujus libri lectionem in ea, quæ estis deliberatione, persistere volueritis, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.* En quò desineret illa satisfactio, ratio, veritas unitatis reconciliatrix futura, ut libro Pelagii seu epistolæ acquiescerent, tria Capitula ut hæretica ritè damnata ostendenti, nec vel ullam rimam liberæ dissensionis aperienti. Et *libr. 2. epist. 10. Id decet, ad unitatem sanctæ Ecclesia remeare, &c.* antè professus erat *de personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerat, Justiniani temporibus ventilatum esse, ita tamen ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem sanctam Chalcedonensem Synodum fuerat constitutum.* Non fidei tantùm, sed & de personis factæ definitioni Chalcedonensi quintam Synodum congruere prædicat. Vide & *lib. 3. epist. 4. 14. 34. & lib. 8. epist. 36.* Ubique constantissimè ad unitatem Catholicam revocat, contestatus ab ea quatuor Synodos honorari, *quoscumque illa damnant, damnari; quoscumque absolvunt, absolvi*: adeoque nihil quintani Synodum quartæ conflictari. Et ne longum faciam, suprà laudatas, aliasque pervolve epistolas Pelagii Papæ primi & secundi, ita ubique ad communionem universalis Ecclesiæ compelli videbis Capitulorum defensores, ut persuadeantur antè, nec in fidei, nec in personarum seu librorum judicio, quidquam per Synodum quintam quartæ derogatum esse: adeoque ipsa communione cum Ecclesia Catholica, quintæ etiam Synodo quodammodo subscribi. At Africam quidem ipsa communicandi maximè cum Ecclesia Romana necessitate, ad consentiendum quintæ Synodo perductam statim fuisse, conjectura inde exstitit satis firma, quòd nec primus, nec alter Pelagius, nedum Gregorius de illis ad unitatem revocandis legantur laborasse. Idem multò certiùs de Gallia & Hispania constat.

XCVII. Quibus si illud adjicias, ne Eutychianis quidem vel Nestorianis compescendis atque sanandis illud Ecclesiam condonasse, ut fateretur in factorum seu librorum judiciis hallucinari potuisse quartam Synodum; inde magis magisque persuaderis ab hac tum opinatione alienissimam fuisse Ecclesiam Catholicam. Suum enim in Chalcedonensem Synodum odium Acephali hoc obumbrabant prætextu, quòd ea in tribus Capitulis Nestorianam hæresin authorasset. Ex adverso Nestoriani immani studio Chalcedonensem eandem extollebant Synodum, suam suæ vesaniæ in tribus Capitulis descriptæ suffragatam mentiebantur. Expeditissimum id fuisset utrisque refellendis, si excepissent Catholici Synodos etiam Oecumenicas in librorum judicio hallucinari quandoque posse, ut hæreses sibi videre videantur ubi nullæ sunt, nec ibi suspicentur ubi delitescunt. Sed nec quintæ Synodi Patribus, nec tot ejus defensionem aggressis Antistitibus id unquam in mentem venit.

XCVIII. Ubi ergo iidem Pontifices inculcant nihil *de fide*, de Capitulis quibusdam *extra fidem*, *de personis tantummodo, nihil aliud nisi de personis* actitatum esse in quinta Synodo; ubi & nos suprà sæpissimè liberam hanc fuisse controversiam admonuimus, ut nihil periculi crearetur fidei orthodoxæ, quocumque rei exitus verteret: non id agebatur, ut definitioni quintæ Synodi seu damnationi horum librorum consentire vel dissentire liberum esset. Hoc enim operosè satis, & ut arbitror, invictissimè refutatum est. Sed eò illa pertinebant, ut Ecclesiæ ipsi liberum esset, vel dispensativè abstinere à damnandis illis libris, vel eosdem ex juris vigore damnare. Damnari enim possunt, quia hæresum portentis scatent: possunt & non quidem probari aut defendi, sed omitti, ut apertissimè Cyrillus suprà relatus, & Vigilius Papa docebat: quia damnata hæresi, non statim necessariò impetus faciendus est in authores & libros omnes ea imbutos. Quocirca minùs assentior equidem Leontio *act. 6.* de iectis, dispensationem interpretanti, quòd Justinianus damnari curaverit Theodoretum & Ibam, ut hæsitantes hæreticos vel sic deliniret. *Respondemus Justinianum hoc fecisse cat œconomian. Nam quia videbat horum causa hesitantes Synodum adversari, perfecturum se putabat ut iis anathematizatis Synodus reciperetur: ideoque duos anathematizandos duxit, quamquam minimè anathematizatos oportuit, ut omnes ad unionem rediret. Hanc igitur ob causam illos anathemati subjecit. Verùm ne sic quidem adducti sunt hæsitantes, ut Synodum reciperent.* Œconomiæ seu juris remissioni nemo id adscripserit, quòd aliqui, maximè verò innoxii damnentur, sed id potiùs, quòd vel noxii non damnentur. Œconomiæ ergo magis erat, quòd ut idem Leontius antè dixerat, nec Cyrillus, nec Cyrilli imitatrix Chalcedonensis Synodus, vel Theodori scripta damnaverat, vel Theodoretum sua ejurare adegerat. Cyrillum patenter audivimus suprà dispensationi hoc vendicantem. Si id dispensationi: quod Justinianus ergo fecit, juris austeritati adsignandum.

IC.

IC. Paucis nunc ad Novatores convertamur, qui ingens majestati Sedis Apostolicæ & principatui vulnus inflictum esse blaterant hac quinta Synodo, quæ sine Vigilio & ipsi adversam protulit definitionem, quæ demum adeo non ab ipso authoritatem accepit, ut ipsum potiùs authoritate sua fregerit, ut sibi cederet. Contrà autem nusquam evidentiùs patuit, quantum primæ sedis authoritati ac propensioni omnes ultro Catholici Antistites suffragarentur. Nam ut Facundus author est *l.4. cap.4.* violento Principis jussu coactus Menas subscribere Capitulorum damnationi, *se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat*: cùmque subscripsisset, Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono *sub ea se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quòd chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.* Item Zoilus Alexandrinæ Ecclesiæ Antistes *cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens se necessitate adipsius decreti affirmationem fuisse compulsum.* Cæteri Episcopi, *post subscriptionem eidem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis quod à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.* Vides ut tametsi potestate imperatoria in præceps raperentur, à nutu tamen se profiterentur pendere Vigilii. Et ibidem *cap.3. Hoc est autem mirabile, ut postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quod Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilii ejus præsulis expectarent.* Et *lib.2. c.ult. Si Leo quidquam in disceptationem revocare non passus est, quomodo ab his creditur quartus decimus successor ejus sanctus Vigilius novum posse aliquid judicare?*

C. Quid quod Vigilius ipse, ut ait Gregorius *lib.2. epist.* 36. *In urbe regia constitutus, contra Theodoram Augustam, & Acephalos damnationis promulgavit sententiam?* Idem ut suprà ostensum in urbem regiam ingressus, statim Menam & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit. Cùmque rem prorogari ad Synodum Oecumenicam placuisset, & præter datam fidem Imperator edicta promulgasset, per quæ tria Capitula damnarentur: edixit contrà Vigilius, ut ajunt Clerici Italiæ in epist. data Legatariis Francorum, *Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum.* Et tandem edicta ipsa amoveri pervicit.

Venio ad ipsam Synodum, cujus *act.1.* extat Sacra Justiniani, qua Vigilium consensisse damnationi trium Capitulorum, ex ipsis ejus epistolis probat, ut eodem compellat & Synodum. Extat & mox Epistola Eutychii Vigilium ad Synodum invitantis, ut ipso *Præsidente* de Capitulis inquiratur; illud sanè præfati, *Suscipere se & amplecti epistolas præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quàm Leonis de fide scriptas.* Quid ipsa Legatio ad Vigilium missa omnium Patriarcharum & septemdecim Metropolitanorum, singularis membrorum in caput suum venerationis significatio quàm elegans est? Actione rursum 7. Justinianus ut calcaria subdat ad Capitulorum condemnationem, & verbo & scriptis à Vigilio ea jam sæpiùs damnata testatur, *Ut etiam ea quæ sæpius ab ipso facta sunt, ad condemnationem trium Capitulorum, vos audientes, alacriores efficiamini, &c.* Et *collat.8.* Synodus ipsa pronunciatura definitionem suam, priùs id contestatur, *Vigilium tam sine scriptis, quàm in scripturis tria Capitula condemnasse.*

CI. Sed & ipse Vigilius impetratis à Principe viginti dierum induciis, intra quos sententiam suam scriptis explicaret, Pelagium Diaconum ad Episcopos misit, ut eos moneret, ne ante promulgationem sententiæ suæ quidquam ipsi præverterent definire, *Antiquum & regularem custodientes ordinem, ne ante nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, unde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.* Ut in ejus Constituto habetur. Quid quod in epistola per illustrissimum Petrum de Marca evulgata, nec verbulo saltem uno Synodum quintam commemorat: quòd nempe non exæquato ut conventum fuerat, Occidentalium cum Orientalibus numero habita esset, eique ea de causa ipse nec accessisset, nec consensisset? At tria Capitula Vigilius suo decreto & suæ sedis authoritate condemnat, Synodi vitia dissimulans, & ulciscens hoc suo silentio. Nec fractum se authoritate Synodi cessisse, sed veritatem quæ priùs latebat, sibi alluxisse sæpiùs testificatur.

CII. Sed cùm damnationi trium Capitulorum & Synodo adversaretur cum Romano Pontifice totus Occidens, nondum ea utique tunc poterat Oecumenica Synodus existimari, à qua tanta Ecclesiæ portio & abfuisset, & dissideret. Cum ergo inducrit illa tum demum Oecumenici Concilii authoritatem, cum Occidentalis Ecclesiæ accrevit ei consensio, quis hujus vel signifer vel author fingi potest alius, quàm Romanus Pontifex? Testatum id faciunt epistolæ Romanorum Præsulum quoquoversus sparsæ, quibus denique ii etiam qui secessionem fecerant, recollegerunt se in matris sinum Catholicum.

CIII. Idem vehementiùs etiam persuadebitur Origenis damnatione, quæ cum & ante Synodum & in Synodo facta sit, unius præ cæteris authoritati Vigilii vendicatur. Cassiodorus div. Lect. *l.1. c.1. Origenem licèt tot Patrum impugnet authoritas: præsenti tamen tempore & à Vigilio viro Beatissimo Papa constat denuò esse damnatum*, Vide & Evagrium *l.4. c.37.* cujus & hoc præclarum est, nequem nimiùm obstupefaciat ista Episcoporum tunc inter se tam animosa & malevola concertatio, *Deum totius boni fontem hæc omnia præclarè administrasse, ut hinc & inde profana & impia rejicerentur.*

CIV. Hactenus porro nequaquam omnes de factis & personis Synodicas disceptationes complexi sumus, sed eas dumtaxat, quæ in librorum examine & censura versarentur. In cæteris enim, ut quæ ab hominum testimoniis, rerumque experimentis in dies novè emergentibus pendeant, nefas est ab Augustini, nefas à juniorum Theologorum consensu deviare. At in his quæ sana librorum vel insana rimantur dogmata, nil testimoniis hominum, nihil novis datur experimentis. Nisi si meminisse velis Pelagii qui Latinos homines utpote *Græcitatis ignaros* in defensione trium Capitulorum diu hallucinatos ajebat: & Vigilii qui in Constituto se *Græcæ linguæ ignarum* fuisse, nec nisi vicaria opera potuisse gesta Chalcedonensis Concilii perlegere confitetur. His quippe antè opinantibus tria Capitula Chalcedonensi Synodo approbata fuisse, cujus gesta omnia non legerant: pòst ex accuratiori eorundem lectione patescere potuit, actione sexta finem Synodo impositum fuisse, & ideo hactenus eam à Leone Papa esse confirmatam, & irretractabilem proinde habendam: de tribus verò Capitulis postea actum esse iis conventibus, qui nec majestatem Oecumenicæ Synodi, nec Leonis confirmationem, nec irretractabilem adeo authoritatem præ se ferant. Potest utrumque novum istud videri *experimentum*, ad quod fortassis Gregorius alludit, cum dissentire quintæ Synodo conqueritur complures, eo quòd *non legant*. Hoc novo experimento Latini priùs defensores trium Capitulorum ea damnare adducti sunt. Nec enim, ut jam monui, ipsa per sese Capitula, seu libros damnatos, syllabatim trutinari, & vel invitos captivosque trahere contortis interpretatiunculis ad rectum sensum laborabant, nisi unus & alter; sed Chalcedonensis Concilii vel approbationi, vel dispensationi constanter inhærendum existimabant. Quin Facundus ipse suprà testatus est, si de sola Theodori damnatione verteretur, nihil se refragaturum: sed cavendum esse Synodo Chalcedonensi, cujus in non damnando Theodoro oscitantiam suggillaturi erant Acephali.

CV. Itaque illa personarum & factorum quæstio, non in eo vertebatur, an hæreticus sensus Theodori & Theodoreti & Ibæ scriptis contineretur: sed an horum scripta, seu nomina, in Chalcedonensi Synodo essent damnata, vel approbata, vel dispensativè prætermissa: itemque an mortuis in pace Ecclesiæ infligi postea deberet anathema. Revolve animo quæ supra ex Romanis Pontificibus adscripsimus, eo in uno desu-

dare comperies, ut Chalcedonensi Synodo evincant non fuisse hæc Capitula authorata. Eodem referuntur quæ ex Isidoro Hispalensi & aliis retulimus. Idem patet ex Leontio Scholastico qui *act. 6. de sectis*, damnari non debuisse, dispensativè tantùm damnata fuisse ait tria Capitula, nefarios illis errores inesse non diffiteri. Vigilius ipse Papa in Constituto, etsi damnari vetet tria Capitula, sexaginta tamen articulos ex Theodori libris decerptos iterum atque iterum execratur, & hac una ratione ejus damnatione abstinendum censet, quòd dispensativè ea abstinuerit Cyrillus, Proclus, Ephesina, & Chalcedonensis Synodus; quòd denique Romani Pontifices ita jubeant, Romani mores ita ferant, non aliis mortuis, quàm quibus vivis, communionem vel denegari, vel impartiri. Theodoreti scripta in Cyrillum, adeo non subtilitate interpretandi ab erroris suspicione liberat Vigilius, ut ea dicat ab ipso Theodoreto Chalcedone ubi Nestorio & ejus dogmati dixit anathema, *fuisse sine dubitatione damnata*: aut judicasse Synodum *eum nihil tale fecisse*, id est, duodecim Capitula non refutasse: aut imitandum Cyrilli exemplum sibi proposuisse, qui concordiæ cum Orientalibus initæ tempore, ea *tanquam si acta non fuissent, pacis amore, silentio dereliquit*: Postea autem jubet Vigilius Theodoreti nomini parci, sed interim *quæcumque scripta vel dogmata ejus cujuslibet nomine prolata, sceleratorum Nestorii atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus*. Itaque qui Theodoreti defensitanda nunc incautiùs scripta suscipiunt, non advertunt, ne olim quidem ab ullo ad eum modum defensa fuisse, cùm contentionis ferveret æstus; sed vel ab ipsis defensoribus suis fuisse damnata, si unum demas Facundum, qui ex consequenti tantùm, ut eorum sensum defenderet, impulsus est, quòd ea sine strage Synodi Chalcedonensis damnari non posse autumaret. Græci omnes qui ea legerant & intellexerant, damnabant; Latini qui nec legerant, utpote Græcitatis ignari, defendebant, solo ex rumore Chalcedonensis Synodi, quam nec plerique legerant.

CVI. Insidiosum est autem, quod tricantur damnatos etiam ab Oecumenica Synodo libros, retractari rursus posse, & ad novi examinis libram expendi, ac si fors, à priori damnatione absolvi: idque probant ex Leonis Magni *epist. 62.* itemque ex Pelagii Papæ epist. ad Episcopos Istriæ. Ita enim Leo: *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causas fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi rationem habere, si nihil de eo est à Sanctis Patribus apud Niceam definitum*. Quibus exscriptis Pelagius hæc subiicit: *Apertè nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippè Synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur*. Universum ergo hinc ominantur, non irretractabile, atque adeo hinc immutabile, non infallibile esse judicium quodcumque, quod extra speciales Synodalium Conciliorum causas, id est, præter fidem extiterit. Tametsi enim ibi Leo de Anatolii ambitu & ambitioso Canone verba faciat; universalis est tamen illa regula, Specialem Synodorum causam esse fidem, cætera omnia posse ad judicium revocari. At respondeo ex adverso, Leo specialem Synodorum causam in una fide collocat, ut approbet Legatos à se ad Synodum pro causa fidei tantùm directos, adeoque cætera quæcumque decreta à se non confirmari, à se irritari, *nullius penitus esse firmitatis*. Perlege suprà laudatam Pelagii epistolam, innumera ibi Leonis testimonia constipata invenies, in idem convergentia: in irritum mitti, non confirmari, quidquid præter fidem Chalcedone actum est; quia ad fidem statuendam tantùm, & convocata est ea Synodus, & Legati Sedis Apostolicæ ad eam directi sunt, nempè quia una est Synodalium Conciliorum causa, fides. Parco tam multiplices Leonis locos adscribere: summatim Pelagius illis relatis: *Ipse namque Leo, sicut multa superius epistolarum ejus attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, authoritatem Synodi in sola fidei definitione constrinxit*. Una ergo est ea ratio, non dissecanda, retractari ista potuisse judicia, quia à Sede Apostolica confirmata non fuerant: non fuerant autem confirmata, quia ad fidem illa non pertinebant, & ad fidem tantùm Synodus coaluerat, Legati Sedis Apostolicæ eò confluxerant: Synodus denique & Legati ad fidei negotium dumtaxat confluxerant, quia specialis Synodorum generalium causa est fides. 2. Ibidem Pelagius retractari posse, nempè extra fidem esse, centies inculcat *privata negotia, judicia de personis*. At judicium & damnationem librorum hæreticorum nemo cordatus revocaverit ad privata judicia, sive ad judicia de personis. Publica enim ista sunt, & ad omnes Ecclesias, ad fideles universos, ad fidem ipsam attinentia judicia, quibus verba, propositiones, contextus, libri hæreticorum proscribuntur, hoc est, ipsæ hæreses. Quæ enim usquam hæreses damnatæ, nisi verbis, propositionibus, scriptiunculis, libris comprehensæ? 3. Ergo librorum hæreticorum damnatio, non ad privata negotia, non ad judicia de personis, sed ad ipsa fidei judicia, eoque ad speciales Synodorum causas pertinet. Ideo in Synodis generalibus uno semper judicio fides & scriptum, quo contineretur, authorata: hæresis & scriptum, quo contineretur, exauthorata. Uno fides, & Symbolum Nicænum: uno fides, & Symbolum Constantinopolitanum: uno fides, & epistolæ atque anathematismi Cyrilli: uno fides & epistola Leonis approbata est judicio, ac subscripta. Uno vicissim judicio hæreses libique hæreticorum damnati, nec seorsim usquam hæc agitata. Ideo nec Romana unquam Ecclesia retractari postulavit judicium sextæ Synodi de Epistolis Honorii. Ideo multò minùs retractari hactenus passa est Ecclesia judicium de quocumque libro damnato, nihilo plùs quàm de quacumque hæresi, post tot lapsus sæculorum. Quantum enimverò dedecoris hinc redundaret, si alia rursum Synodus colligenda esset, quæ examinaret, an prior Oecumenica Synodus affecuta esset mentem novelli alicujus scriptoris? Nempè quod ad examinis Synodici diligentiam, vel in curiam spectat, eo peræquè fidei atque librorum causas complectitur. 4. Nec istud quod refricari potuisse instabat Pelagius, de libris erat, sed de factis aliis, vel personis vel disciplinæ capitibus judicium. Replicat enim ipse identidem ea esse de personis judicia. Idem non semel Gregorius. Quæstio enim illa vertebatur, an damnari deberent vel possent Capitula, quæ non damnasset Synodus Chalcedonensis? An mortuis, an in pace Ecclesiæ faro præfunctis anathema illidendum esset? An revera Synodus Chalcedonensis tria Capitula probasset, vel improbasset, vel præteriisset? An Leo has quoque extremas penè lacinias gestorum Chalcedonensium confirmasset, ita ut ad examen retrahi non possent? Hæc extra fidei causam erant, hæc disciplinæ magis erant, factorum, personarum. His ex obliquo incidebat alia quæstio, an reapse hæretica essent Capitula. Sed de ea nullum ferè certamen erat. Hæretica enim esse, etiam eorum defensores, omnes propemodum consentiebant, aut non altercabantur. Consule rursus præfatam Pelagii epistolam, ex parte Istrorum Schismaticorum multa occurrent congesta præsidia ad arcendam Capitulorum damnationem, ex Leonis, ex Anatolii, & Orientalium literis mendicata, & ad id omnia prorsus conspirantia, quòd Chalcedonensi Synodo nihil addi, nihil detrahi fas sit. Ad hæreticæ autem sententiæ, velut perperam Capitulis afflictæ propulsationem, nec testimonium vel argumentum saltem unum expromitur. Unde Pelagius ipse ad causam Theodoreti descendens, ait: *Discusso secundo Capitulo, tertium superest; quod tanto debemus in brevitate constringere, quanto & vos nobis hac in re non credimus resultare*. Illa ergo conglobatio

batio testimoniorum ex Theodori & Theodoreti nefandis scriptis corrasorum apud quintam Synodum & epistolam Pelagii, eò magis pertinebat, ut hæretica scripta non potuisse probari, immò improbata reipsa fuisse Chalcedonensibus Patribus, vel diuturniorem circa ea dispensationem jam ferendam non esse demonstraretur, de quo omnes prorsus Capitulorum defensores litigabant: quàm ut hæretica esse Capitula evinceretur, de quo paucissimi contentiosum funem trahebant. Tametsi ex consequenti id quoque emergeret emolumenti, ut & hi postremi, paucique revincerentur. 5. Hinc cautissimè Petrus de Marca, vir nunquam sine singulari nominis elogio nobis memorandus, in diss. de quinta Synodo hæc advertit *n.* 20. *Ex epistolis Vigilii & Pelagii colligere licet unam & alteram regulam apprimè utilem, &c. Earum prima est, Fidei Canonem mutari non posse, &c. Secunda, in aliis causis extra fidem, id est, in capitibus disciplinæ, quæ versantur non solùm in facto, sed etiam in jure, veritatem nunc latere, nunc aperiri, &c.* Fides itaque & in doctrina variabili, irreformabilis est: disciplina autem versatilis. Librorum autem censuram quis sobrius ad disciplinam retulerit? Quid magis ad doctrinæ, fideique judicia hactenus pertinere visum, quàm fidei vel hæreseos symbola, expositiones, confessiones, libellos, libros excutere, interpretari, confirmare, damnare?

DISSERTATIO XX.

IN SYNODUM VI. OECUMENICAM SEU CONSTANTINOPOLITANAM III.

Anno Christi 680. 681.

SYNOPSIS.

Inquiritur in Honorii Papæ damnationem. Refelluntur, qui acta hujus Synodi falsata causantur. Num. I. II. III.

Refelluntur iterum, qui Synodum, ut in re facti, erraſſe cavillantur. Num. IV. V.

Refelluntur tertiò, qui etsi immerentem, dispensativè damnatum suspicantur. Num. VI. VII.

Respondetur Honorii epistolas privatas & familiares fuisse, nec pertinuisse ad Cathedram: ideoque damnari potuisse, quia & errare. Quod multis conjecturis munitur. A.n. VIII. ad XVII.

Respondetur iterum, nonsam hæresi, quàm dispensationi studuisse Honorium; quæ quia improvida & inauspicata, proditio fidei habita est. Multa ad id argumenta, multa item congeruntur exempla consimilis in doctrina fidei dispensationis, sed feliciores plerumque exitus nacta. A.n. XVIII. ad XXXI.

Anastasii Bibliothecarii Apologia pro Honorio expenditur, & ad regulas à Sanctis Patribus fixas revocatur. Usque ad calcem.

I. PRælibata ferè jam alibi cætera sunt, quæ ad hujus elucidationem Synodi disceptari poterant. Unam hìc residuam, eamque peregregiam versare controversiam animus est, de Honorio Papa hæreseos damnato. Itaque nihil odio, nihil gratiæ partium dabitur: studium omne veritati certabit.

II. Nam quòd reapse perfecta Honorii epistola, hæreseos illi inusta ignominia sit, non autem à Theodoro Episcopo Constantinop. adulterata sint acta Synodi, & loco Theodori à Synodo damnati, Honorii nomen subrogatum, emunctioris jam ferè omnes naris homines consentiunt. Theodorum enim ob hæresin Monotheliticum vel ante Synodum exauthoratum fuisse, vel à Synodo proscriptum, nullo authore, nullo certo argumento constat. 2. Ad hæc si Theodorum cupido invaserat nomen suum ex albo damnatorum expungendi, id rutiùs poterat & faciliùs, si à nomine Honorii substituendo, hoc est, si ab Occidente universo in suæ impostoræ evulgationem & vindictam ciendo abstineret. 3. Adde quòd etsi perfacile est, Theodori, & Honorii nomina totidem ferè syllabis literisque compacta permutare; at operosissimum, adeoque impossibile penè erat, germanis Synodi actis ipsam Honorii epistolam, ejusque examen & damnationem insarcire, & huc illucque locis plusquam duodecim Honorii Papæ & Episcopi Romani nomen meritumque interserere, uti nunc in actis legitur. 4. Præterea non alia saltem Theodorus adulterare acta potuisset, quàm quæ in Patriarchio Constantinop. servabantur. At in more positum id erat, ut generalium Synodorum acta quinquies describerentur, & singula singulis Patriarchis destinarentur exemplaria: qui tandem illa Theodori corruptela in cæterorum Patriarcharum, & maximè in Romanum exemplar irrepsisset? Expressissimè autem in hac ipsa Synodo *act.* 18. *Sanctum Concilium dixit, Petimus à domini potestate instructa à Deo, ad majorem orthodoxæ fidei stabilitatem & confirmationem, ut subscripta exempla definitionis relecta, præsente vestra serenissima potestate, edantur quinque Patriarchalibus sedibus, una cum pia vestra subsignatione.* Et mox: *Piissimus Imperator exempla definitionis cum subsignatione mansueta ejus serenitatis præbuit quinque Patriarchalibus Sedibus.* Hæc gesta sunt superstite Georgio, nec dum Theodoro post illum in urbis Regiæ Sedem revocato. Quibus ergo præstigiis in Romanum exemplar grassari potuit postea Theodorus? 5. Nulla usquam deinceps Romæ querela, nulla expostulatio perstrepit de actis Synodi interpolatis, de suppositicia Honorii damnatione. Non Leo II. qui acta Synodi confirmavit, de adulterio illo vel mussare legitur: non Legati Romani, qui Synodo affuerant: non ex eis Joannes saltem Eccles. Roman. tum Diaconus, postea Pontifex nomine Joannes Quintus: non ullus deinceps Pontificum Romanorum, non denique Anastasius Bibliothecarius, tantæ eruditionis vir, & actorum ipsorum compos, & purgandæ Honorii memoriæ cupidissimus. 6. Sed Constantinus ipse Pogonatus, qui tam exitiali fraudulentiæ assensus esset, ille & à Synodo, & à scriptoribus ævi illius, & ab ipsis Romanis Pontificibus nullo non laudis genere cumulatissimus.

III. Sed nullis argutiis declinari possunt Leonis II. Papæ, qui Agathoni successit, epistolæ. Ita enim ille ad Constantinum Imperatorem in confirmatione Synodi, *Anathematizamus novi erroris inventores, Theodorum Pharanitarum Episcopum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinop. Ecclesiæ insidiatores magis, quàm Præsules: Nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profanæ traditione immaculatam maculari permisit.* Et *epist.* 2. ad Episc. per Hispan. constitutos: *Æterna damnatione multati sunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alex. Sergius, &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Et ep. 5. ad Ervigium Regem Hispan. *Et unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quàm à prædecessoribus suis accepit, maculari permisit.* 2. Et in septima Synodo *Act.* 3. Tarasius Patriarcha Constantinopolit. in epistola ad Patriarchas Orientales, Theodorus item Hierosolymitanus Præsul in Synodica; & *action.* 6. ejusdem Synodi Epiphanius nomine Synodi Pseudosynodum Græcorum refellens, denique *action.* 7. Synodus ipsa in fidei definitione Honorium cæteris Monothelitarum signiferis à sexta Synodo damnatis accensuit. 3. Rursum Octava Synodo *act. sept.* legitur Romani Concilii sub Hadriano II. Pontifice Romano contra Photium habiti series, ac præ cæteris hæc allocutio Pontificis: *Si quidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo verò quenquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus: propter quam solam licitum est minoribus, majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem pri-*

me Sedis Pontificis consensus praestiterit authoritas. Denique Synodus ipsa 8. in fidei *profess. alt.* 10. Honorium cum reliquis Monotheletis omnibusque haereticis uno anathematis fulmine adurit. Aderant, praerant & summa potestate fruebantur in utraque hac Oecumenica Synodo Legati Pontificii: nec intercedunt tamen, nec vel unico verbulo reclamant Romanos Pontifices synodicis fulminibus impervios & immunes esse. Ergo jam nil mirum, si & in Sexta Synodo damnationem Honorii non sint deprecati, non vetuerint Romanae Ecclesiae Legati. 4. Sed esto, ne Sexta Synodus Honorium pertulerit, at Septima & Octava illum configi potuisse credidere, illum cum haereticis aliis confixere. Nulla hic depravatorum à quoquam gestorum suspicio. At perinde est à Sexta Synodo damnatum esse, atque à Septima & Octava vel damnatum, vel damnari posse creditum esse. 5. Sed qua tergiversatione professio Hadriani tam dilucida eludetur? Confitetur & damnatum & super haeresi accusatum fuisse, & authoritate ipsa Romanae Sedis subnixam fuisse illam dicendae in Honorium sententiae potestatem. Quorsum attinet epistolas Leonis secundi concutere, & inanibus cavillis earum fidem sollicitare? Num Leonis & Hadriani non potuit eadem esse sententia, eadem privilegii primae Sedis interpretatio? An nuperis scriptoribus antiquior vel exploratior fuit primae Sedis praerogativa, & Honorii fama, quàm Hadriano II.? Non tanto Pontifici, non ulli anteriorum, vel posteriorum Romanorum Praesulum, qui in suae Sedis honore tutando tam accurati, tamque vehementes fuere, in mentem venit suspicari, quàm isti post octingentos annos olfecere impostoram? Anastasius Bibliothecarius in praefatione ad Octavam Synodum falsationes Synodorum generalium à Graecis tentatas persequitur: nihil de sexta falsata meminit. Item in praefatione collectaneorum. Otiosum esset plura damnationis Honorii congerere testimonia. Unum id universim constat, omnes deinceps fidei confessiones, omnes haereticorum catalogos reliquis Monotheliticae perfidiae Patronis Honorium permiscuisse. Quo in argumento tantundem penè est momenti, atque in Sextae Synodi authoritate. Nam etsi tunc minimè damnatus fuisset Honorius, damnari saltem potuisse in Synodo generali Romanum Pontificem, ex hac tanta omnium ubique & Synodorum & Pontificum consensione claresceret.

IV. Suas sibi conscii, ut suspicor, labare conjecturas, compendiosiorem aliam defensitandi Honorii viam ineunt. In facti nimirum quaestione erasse sextam Synodum, & Catholicae Honorii epistolae haereticam infamiam illeviisse. Istud quoque effugium potiùs, quàm responsum, paris noviratis coarguere licet. Eccur enim Leo II. in epistola maximè illa, qua sextam hanc Synodum confirmat, non hanc potiùs amplexus est expeditiorem utique rationem, Romanae Ecclesiae ab haereseos macula tuendae? Nam ille nihilo remissiùs, quàm praedecessores sui, Romanae Sedis istud egregium non errandi privilegium venditat, & tamen confitetur jure anathematizatum Honorium, cujus proditione & negligentia immaculatae Sedi macula inusta est. 2. Eccur Hadrianus II. in Romana Synodo non hoc compendium sectatus est, ut, quod instituerat, perficeret, Romanam Ecclesiam ejusque Praesulem à nullo judicari posse? Ut quid & super haeresi accusari damnarique Romanos posse Pontifices confiteturi? Aut si accusari damnarique possunt super haeresi, quorsum attinet, ne damnatus jure fuerit Honorius, laborare? Proclivius est fateri, jure damnatum, quem damnari potuisse confiteris, quàm Oecumenicae Synodo mendacii foeditatem impingere. 3. Quantum verò dedecoris aspergitur universae Ecclesiae, si semel, si iterum atque iterum ad Septimam, Octavamque Synodum collecta, errori illi & temeritati Honorii damnationi dicatur subscripsisse? Num adeo obesi, adeo obtusi fuere illi omnes trium Synodorum generalium Patres, ut nulli olfacerent acutulas istas & commodiores Honorianae epistolae interpretationes? Pudet me contumeliae tam sanctissimis Episcopis, fidei & Ecclesiae Christianae parentibus, irrogatae, ubi caecutisse omnes & in meridiana luce universi caligasse dicuntur. Nam si perspicuum & indubium est, in epistola Honorii Catholicos eminere sensus, an tot & tanti, an universales Synodi in re perspicua & indubia hallucinari potuere? Si obscurum autem & ambiguum est, quin majorum potiùs praelucentem authoritatem, quàm nostram sequimur praesumptionem? 4. Romani deinceps Pontifices aequè post, atque ante sextam Synodum conspiratissimè tuam sedem ab omni semper haereseos macula puram immunemque fuisse contenderunt. Nec ullus tamen unquam eorum vel damnatorum numero exemit Honorium, vel erroris sextam Synodum insimulavit, vel denique falsata illius acta conquestus est. Ergo conciliandae hujus Romani Praesulis praerogativae cum Honorii proscriptione, audaces istas & novellas artes aut nescire, aut repudiavere, & alias ab his diversas antetulerunt, de quibus inferiùs. Quid de Humberto Cardinali sentiemus, qui in celeberrima adversùs Graecos altercatione, Nicetae libellum refellens, sextae Synodi synopsin quandam explicat, in eaque cum Sergio, Pyrrho, & Paulo, Honorium quoque prostratum eodem damnationis telo recensei?

V. Et quod cuilibet apertum est, posse clementi interpretatione epistolam Honorii ad Catholicos sensus inclinari, & quod de una voluntate ibi disputatur, ad solam referri humanitatis Christi naturam: quod duplex eliminatur voluntas ad depravatae voluntatis, seu cupiditatis carnalis abactionem exposita: id antiquos Scriptores minimè fallebat. Nec tanti acuminis res ista eget. Ita enim Maximus Martyr in disputat. cum Pyrrho, ita ipsomet auctore ante ipsum Joannes Papa Honorii mentem explanavit. Ita ergo Maximus: *Quis fuerit fidei & authoritate dignus epistolae hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianae illustravit; an ii qui Constantinopoli, quae ex corde erant, loquebantur? Qui hanc composuit. Is igitur ipse cum ad dictum Constantium Imperatorem ex persona rursus Sancti Papae Joannis de hac epistola scriberet, dixit, Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis ejus & Humanitatis, sed solius Humanitatis. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem ejus signabat. Hoc autem ita esse, argumentum evidens est, meminisse membrorum & carnis, quae quidem de divinitate illa accipi non permittunt.* Vide & ipsius Joannis IV. Papae epistolam à Sirmundo inter Anastasii Biblioth. Collectanea editam: pari acumine patrocinantem Honorio, ejusque epistolae Catholicos sensus appingentem. Haec Joannes Papa, haec Maximus, sed ante Synodum. Post sextam autem Synodum non Latinorum, aut Graecorum quisquam, non Romanorum Pontificum, aut aliorum deinceps usque ad nostrum hoc aevum fas sibi duxit huic indulgere interpretandi clementiae, & Honorio per Oecumenicae Synodi dedecus consulere. Itaque ante Synodum & Pontifices & privati epistolas Honorii ab haeresis suspicione abstergere conati sunt. Post Synodum damnationi earum omnes acquievere. Quod invictissimi habet argumenti momentum, ut constet, nec ipsos Pontifices Romanos, etsi de suae Sedis honore anceps quaestio verteretur, adgressos unquam esse, aut fas esse sibi voluisse, Oecumenicis Synodis libros vel commentarios quoslibet damnantibus obluctari.

VI. Spretis his duobus diverticulis; tertium istud alii tentavere. Tametsi Catholicè sensisset, scripsissetque Honorius: quòd ejus tamen authoritate & scriptis abuterentur Monotheletae in sui patrocinium dogmatis, damnari illum potuisse salubri dispensatione: ea videlicet compensatione, quòd ita fides Catholica adversùs obtrectatores muniretur. Etenim in Romana Synodo sub Martino Papa, perlegitur Pauli Constantinopolis Episcopi epistola, Sergii & Honorii authoritate niti Monotheletarum commentum asen-

tis.

tis. Et in hac sexta Synodo, in præactis extat epistola Constantini Imperatoris ad Agathonem Papam, ajentis Patriarchas Constantinopoleos & Theopoleos enixos esse, Vitaliani Papæ nomen è diptychis ejicere, *asserentes Honorium memoratii in diptychis propter honorem Apostolicæ sedis antiquæ Romæ: nam non acquiescere, ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta Sancta Romana Ecclesia, &c.* Et act. 1. Macarius vexillifer Monotheliticæ factionis causatur, nihil à se novatum, sed ea prædicari, quæ hausisset, *à Sergio, Pyrrho, &c. nec non & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ.* Ut funditus ergo subverterentur munimenta omnia novellæ hæreseos, epistolæ ipsæ Honorii, tametsi illis temerè incumberent, proferendæ fuere.

VII. Sed & hic recurrunt eadem argumentorum spicula. Nam Leo & Hadrianus, aliique Romani Pontifices, Anastasius, Humbertus aliique Romanorum Pontificum jurati vindices, ne vel semel quidem vel levissimè de ista purgandi Honorii solertia cogitavere. 2. Quin Leo dispensationi huic perspicuè renititur, cùm negligentiæ, cùm simulationis, & proditionis Honorium reum agit, eoque jure damnatum agnoscit. Hadrianus similiter non aliam, quàm accusationis hæreseos causam suspicatur. 3. Præposterum omnino hoc consilium exitisset damnandi ex dispensatione Honorii, ut sua hæreticis omnia labefactarentur præsidia. Quantò enim consultius fuisset, epistolas Honorii à calumnia vendicare, & tanto patrocinio ferocientes pudefacere hæreticos? Quid hereticis in erroris sui pervicaciam altiùs immergendis opportunius, quàm epistolas orthodoxas pariter damnare, & ita committere, ut suos quoque commentarios illi nihilo secius orthodoxos, etsi damnari sentiant, interpretentur? Quorum autem universim proscriptioni librorum vel authorum consentient heterodoxi, si semel percrebuerit hoc Catholicis doctoribus certum & præjudicatum esse, posse nimirum etiam immerentibus, etiani orthodoxa sapientibus omnia hæreseos maculam & damnationem inuri ex dispensatione? 4. Longè aliter Hincmarus: de non Trina Deitate: *Nec sacra Concilia pepercerunt Episcopis nominatissimarum sedium, videlicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Constantinopolitanæ, Nicomediæ. Insuper & Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra fidem sensisse, & prave sentientibus consensisse detectus & evidentissimè comprobatus est, sicut in sexta Synodo invenitur, etiam post mortem anathematizaverunt, in hoc seculo manifestata culpa, justo Dei concordantes judicio, quod jam egerat in occulto. Nam si idem Honorius hoc in præsenti sæculo non meruisset, & cum ipse merito de hoc sæculo non exisset, sibi potius, quàm illi nocerent, maledictum jaculantes, non judicia justitiæ, sed livore vel temeritate.* Tom. 1. p. 446. Non dispensatio ergo, sed vel livor vel temeritas est, anathema immerenti vel scripto vel scriptori infigere, eoque non patientis innocentia, sed inferentis audacia vulneratur. At Honorius *detectus & evidentissimè comprobatus est* contra fidem sensisse, sicut in sexta Synodo *invenit* Hincmarus, nequaquam rerum istiusmodi rudior aut indiligentior explorator.

VIII. Propiùs igitur à vero abest, confossum fuisse nomen Honorii in hac Synodo, quòd non ut Pontifex primæ Sedis, sed ut privatus quilibet malè sensisset de fide; & has Epistolas non ex Cathedræ Petri oraculo, publicandas per omnem Ecclesiam & fidei magistras futuras dictasset, sed clam ex privato tum sensu suo, ad eum à quo interrogabatur, scripsitasset. Posse enim hæreseos labe inquinari, & ita accusari damnarique eum qui in Cathedra Petri sedet, quòd ita privatim sentiat, etsi non ita publicè doceat, Catholici prorsus omnes sentiunt, si unum & alterum demas. Consentiunt omnes & in id, quod docet Rusticus F. R. Diaconus in Dispur. con. Aceph, *Dei Ecclesia familiaribus non intendit, neque hypomnisticis, neque iis quæ ad unum, & domesticum fiunt, sed his quæ ad Synodos, aut à Synodis dogmaticè, & publicè, & definitivè, de his quæ in quæstionem veniunt, conscribuntur.* Privatas autem has fuisse Honorii epistolas, & ut privatum malè sentientem, non ut Pontificem prava promulgantem dogmata inustum illum fuisse, multis perficitur documentis. Primò enim unius Honorii nomine inscribuntur illæ epistolæ, cùm eo ævo moris esset nihil de fide vel à Romano Pontifice nisi Synodicè definiri. Atque ut anteriora omittam tempora, quibus longè frequentiores erant Synodi, nec majoris quidquam momenti tentabatur sine Synodo; ad hæc ipsa Monotheliticæ sectæ exordia calamum revoco. Joannes qui bimestri tantùm Severini Pontificatu interjecto, successit Honorio Papæ, Synodicè rem definivit. Unde libelli Synodici author *c.* 130. *Joannes Papa qui Honorio Monotheletæ successerat, divina & sancta instituta Synodo, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum anathematizavit: duasque voluntates & operationes Domini & Dei nostri Jesu Christi prædicavit: & ad Davidem atque Heraclium Heraclii filios typum piæ doctrinæ postea transmisit.* Et idem continuò *c.* 131. *Pyrrhus ad proprium reversus est vomitum, quod cum B. Theodorus qui Joanni successerat, intellexisset, universa Ecclesia convocata, & sepulcro Apostolorum Principis Petri occupato, divino etiam calice postulato, ex tremendo & vivifico sanguine Christi, atramento affundens, propria manu depositionem ejus, & eorum qui cum ipso communicarent, exaravit.* Et *c.* 132. 133. duas similiter collaudat Romanas Synodos, Martini qui Theodoro, & Agathonis qui Martino successerat, novarum dogmatum novatorumque fulminatrices: in utraque *fidei definitionem* scriptam diserte asserit. Quin ergo & Honorii aliqua Synodus, vel Synodica prostat definitio, cùm quatuor successorum ejus totidem extent Synodi, Synodicæque de fide constitutiones? Nimirum ille privatim quod sensit, scripsit: hi ut Pontifices, quid sentiendum esset, definierunt.

IX. Quin & Primates Africani, Stephanus Numidiæ, Reparatus Mauritaniæ, Victor Carthaginis Synodos totidem collegisse ibidem memorantur *c.* 127. 128. 129. *Sergium, Pyrrhum & Paulum anathematizasse, duas Christi voluntates & operationes definisse, ac prædicasse*; Quin ergo & Honorii Synodus aliqua ostenditur? Adde triplici hac Synodo Africana, perinde ac quadruplici superiùs Romana, Sergio, Cyro, Pyrrho anathema illidi, non item Honorio. Quo nihil perversius, si peræquè Honorius hæreticam definitionem evulgasset. Sed ex advertso cùm Honorius privatas tantùm missitasset epistolas ad Sergium in Orientem, ne rumor quidem ejus rei Occidentem pervagatus erat, unde ejus nomini non injuria parcebatur.

X. Nam libelli ejusdem Synodici *cap.* 121. & 122. Sergius Constantinopolitanam geminam Synodum: *c.* 123. Cyrus Alexandrinam: & rursus *c.* 125. Pyrrhus Constantinopolitanam Synodum coegisse proditur, unamque voluntatem & operationem docuisse. Quilibet ergo horum hæresin suam *dogmatizavit, exposuit, roboravit Synodicè*. Honorius ibidem Monotheleta scribitur fuisse. De ulla ejus Synodo ne verbum quidem. Constat ergo non ut Pontificem malè definisse, sed ut privatum immaturas cogitationes inconsideratiùs effudisse. Ita & Theophanes in Chronographia, Synodos laudat aliorum Romanorum Pontificum in hac causa, Joannis, Theodori, Martini, Agathonis, nequaquam Honorii.

XI. His adde quæ suprà ex Maximo retulimus de Joanne Papa Honorium purgante, ex ejus Amanuensis conscientia & interpretatione. Erubuisset, ut reor, tantus Pontifex, Synodicam prædecessoris sui epistolam & fidei definitionem privato & impari interprete dehonestare. Potest enim Amanuensis de privati scriptoris sententia utcumque, non potest nisi per deridiculum de Synodi mente testificari. Deinde privata utique Epistola ea est, cujus interpres non supperit, nisi notarius. Nam si de fide trutinatus fuisset libellus, aliquanti saltem vel Episcopi, vel Presbyteri Cardinales & Cleri Romani apices adsciti essent in ejus examen, & de ejus deinde interpretatione non ignobile testimonium dicerent. Quibus lucis nonnihil affundetur ex verbis Augustini, exe-

quentis

quentis ut Zosimo Papæ penè obrepserint, nec tamen *usquequaque* imponere potuerint Cælestius & Pelagius *l.2. de Pecc.Orig.c.8. Fefellit judicium Palestinum Pelagius, Romanam verò Ecclesiam fallere usquequaque non potuit. Recoluit enim B. Papa Zosimus, quid imitandus predecessor ejus senserit. Attendit etiam quid de illo sentiret pradicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversùs ejus errorem pro veritate Catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat.* Et infrà *c.17. Quæ cùm ita sint, profectò sentitis in tam nefandi erroris authores Episcopalia Concilia & Apostolicam Sedem, universamque Romanam Ecclesiam Romanumque Imperium rectissimè fuisse commotum.* Et *lib.* 2. ad Bonifacium *c.3. Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur; ex hoc potiùs esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* Vides pronuncianti ex Cathedra Pontifici adesse *Romanam Ecclesiam, pradicandam Romanorum fidem, universam Romanam Ecclesiam, Romanos Clericos*, ita ut in hos etiam redundatura esset, siqua obreperet, prævaricationis macula. Non ita Honorius scripsit. Nec nos fugit, quod Marcellinus comes in Chronico scripsit, *epistolas Papæ Leonis adversùs Eutychen de veraChristi incarnatione datas, à Prospero Aquitanico dictatas credi.* Nec excidere nobis laudes, quibus ornatur à Maximo Martyre scriptor epistolæ Honorianæ. Sed longè aliud est, ex Synodi, vel Ecclesiæ, vel Cleri sui conscientia & deliberatione, atque ex privato tantùm sensu consilioque conscribi epistolas, quicumque demum ad has, vel illas contexendas adhibeatur.

XII. Ad hæc nullus Occidentalium de Honorio quidquam effudit querelarum. Ne unus quidem ejus epistolæ vel sententiæ authoritate ad sectam Monothelitarum deflexus est. Non sub ipso, non sub Severino, non sub Joanne & Theodoro ejus successoribus, vel Romæ, vel in Italia, vel in Africa, vel in Oriente denique ullus contagio novellæ sectæ imbutus usquam comparet. Quæ stare planè non possunt, nisi privatim ad Sergium missas, toti autem Occidenti & Romanæ ipsi urbi atque Ecclesiæ incompertas fuisse confiteamur. Romano enim Pontifici rectè, an sequiùs de fidei quæstionibus definiente, & ex suggestu Pontificiæ Cathedræ pronunciante, extra fidem est, conticescere totum Occidentem & ipsam Romam, & neminem prorsus vel secus hiscere vel gratulari. Huc refer, quæ jam sæpè superiùs adnotata sunt de epistolis Anastasii, Innocentii, Zosimi, Leonis ad fidem attinentibus, nec ad unum aliquem privatim, sed in orbem Christianum, in Occidentem, in Orientem missis. Nihil usquam istiusmodi de Epistola Honorii.

XIII. Accedit quòd in ipsa sextæ Synodi *act.* 12. epistola Honorii non aliunde, quàm Scrinio Patriarchali Ecclesiæ Constantinopolitanæ promitur autographa ipsa Latina, cum Græca interpretatione. Ad unum ergo Sergium missa ab eoque recondita fuerat in Archivo Ecclesiæ. Adde quòd eadem *act.* 12. & 13. Honorii non aliud quàm epistola, autographa & authentica epistola appellatur, non unquam Synodica epistola. At Sophronii, Sergii, Macarii, aliorumque Synodicæ epistolæ, synodicaque opuscula, iterum iterumque appellitantur? *Concilium dixit, Retractantes dogmaticas epistolas, quas à Sergio, tam ad Cyrum, quàm ad Honorium, similiter & epistolam ab Honorio ad eundem Sergium rescriptam.* Et infrà Judices deposcunt proferri in medium supradictorum *sive Synodica, sive dogmatica opuscula, vel epistolas.* Has ergo ab illis distinguunt. Tum jubet Concilium proferri à Cartophylace *quascumque sive dogmaticas epistolas, sive & alia opuscula dogmatica à Petro, Pyrrho, Paulo, à Cyro & Theodoro Pharanita.* Ante autem damnatus fuerat Honorius *ab scripta ab eo facta*: quæ nec synodica nec dogmatica dicuntur. Ex adverso autem statim laudatur Synodica Sophronii. Privatas ergo fuisse Honorii has epistolas Synodus ipsa declarat.

XIV. Adde quòd verba ipsa sententiæ in Honorium dictæ idem insinuant: *Anathematizari previdimus & Honorium, eò quòd invenimus per scripta, que ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Ergo ad Sergium privatim scripta erat ea epistola, non ad Orientem, non ad Ecclesias, ut solent dogmaticæ Summi Pontificis de fide epistolæ. Deinde & hic, & in Prosphonetico, Sergii mentem secutos dicitur; at Synodica vel dogmatica Romani Pontificis epistola, utpote summi in fide Dictatoris, non sequeretur ducem Sergium, sed antecederet. Denique in Edicto Pogonati, quo Synodus confirmatur, similiter post Theodorum Pharanitam & Sergium memoratur Honorius, ut *hæreseos fautor, concursor, confirmator*, nequaquam ut author & dux.

XV. Ipsa quoque Honorii epistola tenebras suas ultro & privatum colloquium prodit. Nec enim usquam de Synodica ulla, vel communi cum Episcopis, aut cum Clero Ecclesiæ suæ deliberatione meminit. Quin potius semel iterumque ibi inculcatur, nihil in Ecclesia momenti quidquam vel roboris habiturum, nisi *Synodali examine* trutinetur. Ergo publica authoritate semetipsam expoliat hæc scriptiuncula, quæ Synodali tantùm examinationi jubet animos & obsequium inclinari, eaque se frustrari confitetur.

Præterea nihilo segniores fuere, aut trepidiores Romani Præsules, in prædicanda Sedis suæ non errandi prærogativa, post Honorium atque ante. Evolve epistolas Theodori Papæ, Martini, qui Synodum Lateranensem collegit, Agathonis, Leonis II. & cæterorum deinceps: ubique Romana Sedes nusquam à fidei amussi declinasse, incorruptam orbi Christiano semper propinasse doctrinam fidentissimè prædicatur. Idque non post Honorium tantùm, sed & post damnatum in hac Sexta Synodo Honorium, & post ipsam ejus damnationis & mentionem & confirmationem. Non inanis est hæc autem, nec discors sibi & confisabunda jactantia. Apage has suspicionum contumelias à sanctissimis Ecclesiasticorum monumentorum paginis, omni Catholico orbi venerandis. Rixa nimirum illa nequicquam formidata facilè componitur. Inustus est Synodico cauterio Honorius privato nomine, ob peculiare scriptum; non persona Pontificis, non ob Pontificale, seu profectum ex Cathedra vel Ecclesiastica consultatione responsum. Privilegium autem non errandi additum est non privatæ Pontificis personæ, sed Cathedræ Petri, sed Sedi Romanæ, sed Pontifici publicam Pontificis agenti personam, obeunti provinciam.

XVI. Ita enim distinctionem illam Sedis Romanæ, seu Ecclesiæ Romanæ, & Pontificis in ea sedentis, à multis malè vexatam, & in abruptos alienissimosque sensus detortam, castigandam equidem arbitror, & sanissimæ antiquorum Theologorum, ipsorumque Pontificum doctrinæ conciliandam, qua de re alias. Lapsus ergo & damnatio in Honorium, non in Sedem Romanam cadit: id est, privata scriptione, non Pontificia fidei definitione erravit Honorius, notarique meruit. Hanc distinctionem jam olim Auxilius præstruxit *l.2.* de Ordinat. Formosi Pont. *cap.* 18. *Aliud sunt Pontificales Sedes, aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque Sedis venerabiliter observanda est. Præsidentes autem si deviaverint, pro devia sequendi non sunt. Hoc est, si contra fidem vel Catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus.*

XVII. Nec est, quod oggeras, Ergo nisi synodicè pronunciet Pontifex, quidquid definierit, ei non Sedi, non Cathedræ tribuetur. Respondeo enim in Synodi nomine non usque adeo morosam fuisse antiquitatem. Quorumlibet vel Episcoporum inter se, vel Clericorum maximè doctiorum consultatio cum Episcopo, Synodi nomine cohonestabatur. Ita *facto Presbyterio* Jovinianum Siricius olim Romæ damnavit, qui ipse ad Ambrosium & provinciæ Mediolan. Episcopos scribit, *Omnium nostrum, tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm etiam totius cleri una fuscitata sententia est, ut Jovinianus & incentores novæ hæresis inventi divina sententia & nostro judicio in perpetuum*

damna-

damnati extra Ecclesiam remanerent. Hujusmodi innumera perleges exempla, si vacat arrecto huc animo relegere dissertationem 18. superiùs. Quo hæc autem animo acciperentur, edisces ab Ambrosio & Mediolanensi cum eo Synodo, rescribente ad Siricium: *Quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos.* Et hujus quoque observantiæ congesta invenies testimonia complurima omnium ad hanc usque nostram ætatem in eadem suprà 18. Dissert. Si quod istiusmodi Presbyterium, siqua Cleri Romani congregatio cum Honorio convenisset, ac consultasset, non solus ille privatim aberrasset. At nihil usquam ejusmodi legitur.

XVIII. Nec rursus oggeras, inde id exprimi, quòd non personæ ipsi Pontificis, sed ejus quasi senatui alligerut illa inoffensæ semper definitionis authoritas. Contra enim ipsi prorsus Pontifici, sed Pontificem agenti inhæret ea dos, non in privati hominis ærumnas aliquando defluenti. Nam cùm geminæ hinc & inde quasi Syrtes immineant, medium tutissimi iter carpimus. Ut nusquam enim labi in hæresin queat is, qui Pontificales occupat insulas, exemplis apertissimis, Pontificum ipsorum sententiæ, Catholicorum propemodum omnium consensioni adversarium est. Ut Pontifex erret, at errare Sedes negetur, quia plebs & Clerus Romanæ Ecclesiæ abhorret ab eo errore, præposterum id quidem est. Cùm ita plebi & Clero, hoc est, membris plus indatur sapientiæ, quàm Capiti. Cùm ex adverso si quæ sunt dotes corporis & membrorum egregiæ, à Capite illæ derivari censendæ sint: & *fidei Romanæ*, Pauli elogio consecratæ, sanctis Patribus honori & miraculo habitæ, gloria principalis & palma, ipsi Pontifici, ut Magistro, præ Clericis & Laicis, hoc est præ discipulis necessariò adseratur. Ergo id medium, id ab incursantibus hinc & inde scopulis tutissimum est, ut Pontifex, qua Pontifex non erret, hoc est, cùm Cleri vel Ecclesiæ suæ ita suffragia, sententiamque expressit, sicut eo tempore familiare est & usitatum, in rebus magni momenti, quæ olim Synodicè ventilabantur. Parce hic repetere, quòd superiori dissertatione tædiosiùs prosecutus sum, Pontifici definienti Catholicos per Orbem Episcopos ita consensisse hactenus semper, ut una totius Ecclesiæ vox illa fuerit, una sententia. At quod nonnullis arrisit, Pontificem cum consensu Ecclesiæ suæ definientem aberrare posse, & tamen Sedem Apostolicam non errare, id verò commentitium & fabulosissimum est ludibrium. Secreta enim à Pontifice, & Pontificio Clero Sedes, inane figmentum est, vacuumque simulacrum & sine mente sonus.

XIX. Atque ut ulterius aliquid ad Honorii purgationem tentemus, quantum per Oecumenicæ hujus Synodi & integritatem & authoritatem, per Pontifices etiam qui ejus damnationi assensi sunt, licebit: ipsamet ejus epistolæ verba enucleatiùs pensiculanda sunt. Dispensationi ergo magis, quàm errori sese Honorium contemperasse, & intempestivam dispensationem erroris ignominiæ subjacuisse, epistolæ contextus, reique exitus docet, docent & præstantissimi viri Petrus de Marca Archiepiscopus antè Tolosanus, post denique Parisiensis, aliique nonnulli. Verba epistolæ hæc sunt, non hæresin astruere, sed Oeconomico silentio intestinum bellum prævertere idonea, & novitates occupare: *Fraternitatem vestram ea scripsisse laudamus, novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.* Sic ille ad Sergium contra Sophronium: illum unam vel duas Christi voluntates & operationes dici vetantem, pacis alendæ prætextu, clam interim unam magis Dei hominisque voluntatem insinuantem: hunc duas apertè prædicantem, nec rumores ponentem ante fidei Ecclesiæque salutem. Et infrà Honorius: *Non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque authoritates Canonica visa sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare: quas neque Evangelica vel Apostolica litera, neque Synodalis examinatio super his habita visa sunt terminasse.* Et rursus infrà: *Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una an gemina operationes debeant derivate dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis* Asdit repudiandas

ene novas voces, quæ *nascuntur Ecclesiis scandala generare: ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, Nestorianam nos vesaniam sapere arbitrentur: aut rursus si unam operationem censuerimus, stultam Eutychianistarum dementiam fateri putemur.* Denique Sergium hortatur, *ut inductam vocis novitatem unius aut gemina operationis aufugientes, unum Christum in geminis naturis divinitùs atque humanitùs operantem prædicetis.* His autem multa interspergit Honorius de una Christi voluntate, sed humanitatis solius, utqui altera careat cæterorum hominum voluntate, carnalibus cupiditatibus per peccatum scatente.

XX. In his perfacile est Honorii mentem deprehendere, non tam hæresi novæ, quàm inconsultæ dispensationi servientem, ex cujus successu inauspicatissimo cùm permagna per Orientem Monothelitæ incrementa fecissent, hæresis quoque ipsius infamia non immeritò aspersus est is, cujus negligentia & imprudentia tantam Ecclesiis labem invexerat. Unam voluntatem prædicat Christi Honorius, sed humanitatis. Voluntatem alteram ab eo arcet, sed carnis. Unum operantem in duabus naturis statuit, divinitus & humanitùs: hæc orthodoxa sunt, & duarum voluntatum operationumque confessioni æquiparanda. Dumodo unus credatur volens & operans in duabus naturis, an duæ præterea dicantur voluntates vel operationes, censet has inutiles esse minutias, has vocum argutias Grammaticis dimittendas, has novitates verborum tum opprimendas, cùm ex eis viderentur illico hæresum bellorumque semina pullulatura. Istud verò non ad aliquid statuendum de fide, vel definiendum pertinet, sed ad suspendendam potiùs definitionem: istud non fidei, sed paci Ecclesiarum temperatur: istud denique non fidei decretum, sed decreti suspendium, denique dispensatio ista est. Quoniam verò hæc dispensatio Sergii & Monothelitarum consilia pestemque fidei aluit, etsi præter authoris mentem, ea proditio habita est.

XXI. Porro ad hanc incogitantiam, negligentiamque Pontificis, in specula Ecclesiarum omnium excubantis, & ad fraudes tamen insidiasque Sergii ac cæterorum Monothelitarum dormitantis, sinentisque iis se illaqueari: ad hanc, inquam, imprudentiam inertiamque Honorii respexisse Patres Synodi hujus Romanosque Pontifices in eo damnando, potiùs quàm ad apertam hæresis professionem, liquet ex ipsis eorum verbis: Nam *act.* 13. in eum jaculantur anathemata, *quia in omnibus Sergii mentem secutus est, & impia dogmata roboravit.* Roboravit enim exitialis silentii non Oeconomia, sed proditione. Et Leo *epist.* 2. eadem cum aliis damnatione constringit Honorium: *Qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligenda confovit.* Et *epist.* 5. *Immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit:* Et *ep.* 1 *Hanc Apostolicam Sedem non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed prophana proditione immaculatam maculari permisit.* Constanter ut vides non adulterina prædicatio, sed conniventia & negligentia Honorii vitio datur, quam ipse dispensationem interpretabatur imprudens.

XXII. Ita concordabunt Pontifices Romani sibi ipsis, & cum Maximo Martyre. Eorum enim alii Honorii epistolam ante Synodum exemerunt suspicioni hæreseos, alii post Synodum damnarunt. Utrique consentaneè. Nam si verba ipsa epistolæ & dogma asserrum spectes, exulat hæresis. Si mollitiem & conniventiam scribentis, silentiumque unius vel duarum voluntatum fœdissimo exitu infamatum, subest hæreseos suspicio. Similiter Synodus purgatas à summis Pontificibus epistolas, & si humaniorem interpretem nactæ fuerint, nil nisi Catholicum spirantes, censorio telo confodit, non nescia Catholicè eas exponi posse, sed altiùs rimata scribentis supinitatem & conniventiam, quæ impiæ sectæ incrementis latissimis patrocinata esset.

XXIII. Rursum ampliùs enitescit eadem minùs provida Honorii dispensatio, in altera ad Sergium epistola, quæ *act.* 13. minutatim excutitur, ubi & hæc habentur: *Scribentes communibus fratribus, Cyro & Sophronio Antistibus, ne novæ vocis, id est, unius vel geminæ operationis vocabulo insistere vel immorari videantur: sed*

abrasa hujusmodi non nova vetis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina & humana predicent operantem. Quamquam hos quos ad nos predictus frater & Coepiscopus Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps predicare innitantur, quod instantissimè promiserunt predictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater & Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit. Non obscurè subrutilat consilium tuendæ fidei Catholicæ, dum unus Christus in duabus naturis operans retinetur, & interim *Oeconomicus* & ab unius & à duplicis operationis abstinetur vocabulo. Temperamentum vocum affectabatur, quo & Nestorianis & Eutychianis diversa ex parte irruentibus occurreretur. Denique ipsi Apocrisiarii Sophronii dispensationi assentiebantur, si qua fides Honorio.

XXIV. Nec insolentes usque adeo fuere etiam in fidei negotio dispensationes istiusmodi. Sed ubi cautiùs libratæ, & auspicatiorem exitum sortitæ sunt, & laudis segetem quandam auream authoribus suis invexere. Elegantissimum & huic rei accommodatissimum Basilii Cæsariensis Episcopi exemplum, qui Spiritum Sanctum Deum dicere abstinuit aliquamdiu: etsi reliqua prædicatione Deitatem ejus astrueret: sed Dei vocabulo temperabat, ne Pneumatomachos concitaret in se, & ad Ecclesiarum invasionem armaret. Audi Nazianzenum dispensationis hujus tum conscium, posteà defensorem *orat.* 20. cùm multi ex ea offenderent: *Illi nudam & apertam vocem de Spiritu Sancto quod Deus esset, arripere studebant: (quod quidem tametsi verum erat, impium tamen illis videbatur) ut eum quidem cum Theologica lingua civitate pellerent: ipsi autem Ecclesiam occuparent, eamque sceleris sui propugnaculum efficerent. At ille in aliis quidem vocibus à Scriptura petitis, testimoniisque minimè dubiis eandem vim habentibus adversarios comprimebat. Sed tamen propriam vocem interim usurpare differebat, tum ab ipsomet Spiritu, tum à sinceris ipsius propugnatoribus in gratia loco hoc petens, ne hoc suo consilio offenderentur: nec committerent, ut dum unam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, convulsa animirum turbulento tempore, ac distracta pietate. Ipsos autem nihil ex eo detrimenti accepturos, si vocabula paululum immutarentur, modò aliis verbis eadem docerentur. Neque enim salutem nostram in verbis potiùs, quàm in rebus consistere. At reipubl. non posse majorem perniciem ac pestem afferri, quàm si Ecclesia ab hæreticis occuparetur*. Quæ Basilii dispensatio aliquantò etiam majoris videtur fuisse momenti, quàm Honorii. Supersedere enim à Spiritu Sancto Deo dicendo, momentosius aliquid est, quàm à gemina Christi voluntate & operatione prædicanda temperare. Ut autem Basilius verbis aliis eadem vi præditis Deitatem Spiritus Sancti adstruebat; ita Honorius Christum in utraque natura operantem concionabatur, quo duæ operationes insinuantur non obscurè. Multi in Basilium fremebant quòd fidem proderet; sed oculatiores quique cum Nazianzeno solertiam ejus mirari sunt; & secunda Synodus subsecuta, adeo non Basilium notavit, ut Spiritum Sanctum *Dominum & vivificantem* effari contenta in Symbolo: divinitatem ejus insinuaverit magis, quàm diserte expresserit. At Honorio etsi eodem forsan collineanti; minùs fœliciter cessit.

XXV. Ejusdem Oeconomiæ fuit, ac Basilii apologiam similiter texit idem Nazianzenus *epist.* 26. adversùs eos qui ejus *patientiam*, Basilii *proditionem* traducebant, utrumque *politicè magis quàm piè* agere cavillantes. Eadem ferè quæ suprà, replicat. Addit autem: *Præstat Oeconomiam quandam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus: quàm ut ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur, &c. Nec enim in verborum sono potiùs, quàm in mente & sententia veritas sita est. Ecclesia autem grave vulnus acceptura est, si ob unius hominis ejectionem veritas profligetur. Hanc Oeconomiam ii qui aderant, tanquam vanam, & insulsam, ipsosque ludificantem clamoribus insectabantur, ut ignaviæ nostræ potius, quàm orthodoxæ doctrinæ consulentes. Longè enim præstantius esse nostros per veritatem tueri & conservare, quàm per hujusmodi scilicet Oeconomiam eos labefactare, nec interim alienos assumere*. Itaque ut ibidem subjicit Nazianzenus, non omnibus orthodoxis convenit, quousque Oeconomia ut conveniat. Ideo quam Basilius & Nazianzenus Oeconomiam, alii complures Catholici ignaviam interpretabantur. Similiter quam alii ignaviam & proditionem, hanc Honorius arbitratus est salubrem fore Oeconomiam. Non nostratum virium, sed Synodi Oecumenicæ est, tantas lites componere. Ergo Secunda secundùm Basilium, Sexta adversùs Honorium pronunciavit. Tam authentico judicio orbis universus acquievit: frustra paucis discrepantibus. Cæterùm Basilio in hanc dispensationem viam muniverat Paulus ipse, adeoque totus sacrarum paginarum contextus: Patrem crebriùs, quàm Filium Deitatis nomine, & Filium lubentiùs Dominationis, quàm Deitatis voce condecorans. Ita sanè Chrysostomus *hom.* 5. de Incompr. *Sed quamobrem, inquis, Paulus Patrem hoc loco Deum appellat, Filium autem Dominum? Non temerè, nec sine causa facit: sed quòd adversùm Gentiles ageret, qui plurium Deorum opinione laborabant, &c. Idcirco condescendens imbecillitati eorum, nomine Filium appellat diverso, quod tamen vim eandem omnino obtineret, &c. Quod idem certè etiam causa fuerat, quamobrem non expressè ac manifestè, sed obscuriùs raròque à Prophetis Filius Dei Judæis significaretur. Quod enim ipsi nuper errore plurium Deorum essent liberati, si iterum Deum & Deum audivissent, prorsus ad morbum animi reverterentur. Quapropter frequens id apud Prophetas usurpatum est, Unus est Deus, præter quem nullus est alius: non quo secluderent Filium, absit: sed ut hominum imbecillitatem emendarent: ac suaderent antè plurium Deorum ejicere suspicionem, quàm Filium & hunc Deum prædicarent.* Jam non Apostolica tantùm, sed & divina hæc dispensatio fuit; quam alioqui permirum & penè incredibile foret eò usque progredi potuisse.

XXVI. Nec ab his dissonat Athanasius, eorum qui Arimini defecerunt, dispensationem magis credi cupiens, quàm defectionem. Itaque qui duces impietatis ipsi non fuere, sed sequaces & vi adacti, eos suis gradibus dejici vetat, in epist. ad Rufinianum: *Visum est dari veniam, habere etiam locum in Clero, maximè quia probabilem defensionem attulerunt, & visum est hoc quodammodo Oeconomicus factum esse. Affirmarunt enim se non fuisse ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate longè alienissimi Ecclesias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere: Hoc autem dicentes, nobis quoque visi sunt dicere probabiliter*. Quam Athanasii sententiam, Hieronymi quoque calculo suprà communivimus. Huc quoque non infulsè referes, quæ suprà in Append. de subscript. attigimus ex Nazianzeno, de Nazianzeni ipsius parente, quem Ariani nefario hæreticoque Chirographo irretivere; cùm tamen *ipse illæsam mentem, minimèque simul cum atramento infectam animam habere creditus sit: tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque ob animi sinceritatem ab omni dolo alienam, minimè caviisset*. Quin & multi alii, *invicti alioqui viri in fraudem impulsi sunt: qui quamquam mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversi acti sunt: ac si non flamma, fumi certè participes fuerunt*. Hæc Gregorius clementer suo ex ingenio.

XXVII. Sed palmare est, quod idem mox de Aaronis facinore disputat Athanasius, pari Oeconomiæ illud quoque vendicari non dissentiens: *Hoc autem dicentes, nobis quoque visi sunt dicere probabiliter, quod ipsi in excusationem adducerent Aaron Moysi fratrem in deserto; prævaricationi populi consensisse: se autem hac ratione defendisse: Ne populus in Ægyptum reversus in idolatria permaneat. Probabile enim videbatur, quod in deserto manentes possent ab impietate desistere: Ægyptum autem ingressi, in seipsis impietatem exercerent, & augerent*. Sentis utique non ægrè purgari potuisse Honorium, hac dispensationum non iniqua licentia, cùm ea vel Aaroni ipsi patrocinio sit, teste & laudatore Athanasio, cui subscribere nunquam quemquam pœnitebit.

XXVIII. Quid verò de Hilario Pictavensi Episcopo? Nec enim excidit animo, quam ille apologiam adornaverit illis Synodis, fideique formulis, quas ex-

ceri

qui passim ferè tum antiqui, tum juniores scriptores Arianicæ perfidiæ contagione inquinatas criminantur. Nempe & hic dispensationi salutari accepta tulit, eoque non inania laudis duxit esse, quæ alii ad elimatissimam fidei amussim, & ad juris rigorem exigentes, ut obliqua & distorta repudiarunt. Ita prorsus Honotii Oeconomiam equi bonique consulere fas fuisset, nisi Synodi Oecumenicæ authoritas dominaretur, omnemque privatis indulgendi conjecturis licentiam præfocaret.

XXIX. Et antequam ab Ariminensi Synodo penitùs discedo, libet & hoc aliud dispensationis laudatissimæ exemplum decerpere, licèt non omnibus tum approbatæ. Ita ergo Severus Sulpit. *l.*2. Cum convenissent Arimini Episcopi: *Omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis & Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia, inopia proprii, publico usi sunt: cum oblatam à cæteris collationem respuissent: sanctius putantes, fiscum gravare, quàm singulos. Hoc ego Gavidium Episcopum nostrum, quasi obtrectantem referre solitum audivi. Sed longè aliter sensi: laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potius, quàm à fisco sumerent, ubi neminem gravabant. Ita in utrisque egregium exemplum.* A Principe fidei insidiante, & his blandimentis ad perfidiam inescante ali, aliis horrori fuit, aliis non fuit. Utriusque conscientiæ suæ candor laudi fuit. Sed id ad fidei substantiam ipsam non attinebat.

XXX. Extat apud eundem *dial.*3, aliud dispensationis specimen, quæ Martino totius sanctitatis sacrario & placuit & displicuit. Communicavit enim Ithacianis Episcopus Martinus, *satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat.* Et mox Angelus ad eum hoc se dolore conficientem, *Meritò Martine compungeris, sed aliter exire nequisti.* Itaque non jam diversis alia & alia sentientibus, sed eidem sibi dissentienti, placuit displicuitque dispensatio. Quin & Angelus ita necessitatem excusat, ut culpam incusset tamen nonnullam. Immo & Deus ipse ea videri potest non delectatus, nec tamen usquequaque offensus. Nam adhuc energumenos curabat Martinus, sed *tardiùs & gratia minore.* Usque adeo ambiguæ sunt hominibus lineæ, ultra quas evagari dispensatio non debet. Et quamquam hæc ex Severo exempla ad disciplinam magis, quàm ad fidem pertineant, ex illis nihilo sequiùs dispensationum lubrica & impedita ratio declaratur. Et sanè quamvis ad fidem spectet de Christo voluntatibus & de Spiritus Sancti Deitate sententia: ad disciplinam tamen magis referenda est ipsa fidei prædicationis moderatio, effusior aut parcior, pro temporum & regionum modo. Unde utrumque secernens Nazianzenus *Orat.*44. *Qui Deum Spiritum Sanctum censent, divini prorsus viri sunt, ac splendido animo præditi. Qui verò etiam appellant, siquidem apud probo judicio præditos auditores, sublimes & excelsi sunt. Sin autem apud abjectos & humi provolutos, non sunt oeconomici: utpote qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitrui sonitum, & Solem infirmis oculis, & lacte utentibus solidum cibum committant.*

XXXI. Cognatius tamen est rei, quam versamus, Paschalis secundi decretum, quo investituras sibi à rege Teutonico extorqueri passus est. Huic privilegio hæreseos etiam dedecus impressere quidam magni nominis Præsules, quædam etiam Synodi. Alii vituperium hoc omne abstersere. Quidam denique laudibus prosecuti sunt. Unus Ivo hic prodibit & suæ & alienæ sententiæ arbiter idoneus. Ita ergo ille *epist.* 233. *Eorum sententiam qui investituras laicorum defendere volunt, schismaticam judico. Nec ista contra domnum Papam dico, quia quibusdam literis mihi scripsit, se coactum fecisse quod fecit, & adhuc prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam sandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potiùs velare, quàm nudare, familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur, ut se judicet, aut factum suum retractet, &c. Si in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice.* Et infrà *epist.* 236. ait se factum Papæ, *filiali charitate excusare, &c. Hunc excessum ejus non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus. Si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera charitate subvenire.* Postremò illis explosis, qui hanc hæresin esse clamitabant, concludit, *Cum ea quæ æterna lege sancita non sunt, sed pro honestate & utilitate Ecclesiæ, instituta vel prohibita; pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt: non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis, & salubberrima dispensatio.* Ut ne alios excutiam hac de re philosopharos, uno in Ivone triplicem quendam advertere mihi videor sententiæ gradum. Decretum enim Paschalis appellitat primò nefandum, pudendum, tetractandum: ni emenderur, insanabilis ægrotationis documentum. Deinde ait illud filiali charitate excusandum. Denique definit dictante ratione approbandum, utpote à paterna charitate, ad prævertendas populi strages, à laudabili & saluberrima dispensatione profectum. Usque adeo ubi rigor juris tantillum inflectitur, alternare necesse est hominum etiam sapientum judicia, justi temperamenti metas aliis longiùs protollentibus, aliis revocantibus. Consultò prætermisi, ut quæ suo suprà loco prolixiùs explanata sit, Hormisdæ Papæ dispensationem, circa unum ex Trinitate passum. Silentio ille studuit, æquè ut Honorius. Sed par consilium feliciùs illi, quàm huic cessit. Eodem privatæ curiositatis impetu possit culpari Hormisda, quo Honorius absolvi. Sed delectet nos potiùs quædam sapiendi sobrietas, & judiciorum Ecclesiasticorum ac synodalium religio, præsertim post tanta intercurrentium sæculorum spatia, & his advectam condensatamque caliginem.

XXXII. Utque ad gyrum Honorianæ controversiæ me reflectam; consimili dispensationi servire fingebatur Typus Constantis Imperatoris nomine publicatus: Ejus hæc erant verba, ut referuntur Consult. 4. Conc. Later. sub Martino Papa: *Quapropter sancimus, nobis subjectos qui consistunt in Orthodoxa fide, non habere licentiam invicem à præsenti, de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum & duarum operationum qualemcumque proferre altercationem. Hæc autem sancimus, nihil aliquid interficientes de piissimis dogmatibus, quæ à Patribus de dispensatione verbi dogmatizata sunt.* Sancta Synodus dixit: *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur; dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque proculdubio & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes pro causa fidei: sed non est utile & bonum, cum malo destruere bonum, id est cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata.* Et infrà rursus præstituto eo capite, à Sanctis Patribus duas & voluntates & operationes Christi prædicari, ajunt, *Propterea intentum quidem bonum existentem Typi laudamus, sed modum ab intentu dissonantem aversamur.* Atqui Typo geminæ propè sunt epistolæ Honorii: eo laudabiles, quòd paci consulant: eo culpandæ, quòd operationes Christi duas vel unam jubentes fieri, contumeliosæ sint Sanctorum Patrum Senatui, qui duas ut naturas, ita voluntates & operationes uno calculo constituunt. Ideo nusquam Martinus, nusquam Lateranensis Synodus, nec ullus deinceps Pontifex Honorii defensionem aggreditur. In illum enim redundabat Typi damnatio. Qui verò è junioribus Theologis ejus & epistolas & famam tueri satisfecerunt, pia & ipsi intentione Honorii piam intentionem osculati sunt; sed minùs rem aspicientes, & post sæcula tot interlapsa judicium tantæ litis instaurantes, multa fefellere, quæ Synodi sextæ Patres fallere non potuerunt. Illos enim non latuit, Pontifices ipsos Romanos penè præisse, jam sibi in antecessum consensisse in Honorii damnationem, dum defendere illum desiissent, dum ad Monotheliturarum de eo duce blandientium sibi jactantiam siluissent, dum denique Typum damnassent, exiguo ac penè nullo ab epistolis Honorii intervallo discretum. Et sanè cum Typus, cum Sergii epistolæ complures tam propè ad Honorii scripta alluderent, & sub ejus dispensationis umbra Monotheliticæ insaniæ pestes tamdiu aluissent, latissimèque jam effudissent: non ferè poterant non eodem hæc omnia mucrone Synodicæ censuræ transfigi.

XXXIII. Sed

XXXIII. Sed expendenda jam nobis sunt verba Anastasii Bibliothecarii, præfatione in sua ad Joannem Diaconum collectanea: *Ad manus nostras venire contigit Apologiam quarti Joannis Romani Pontificis pro Honorio Papa, à calumniatoribus impetito, quòd unam Domini nostri Jesu Christi tantùm scripserit voluntatem. Quæ videlicet apologia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licèt huic sexta Sancta Synodus quasi heretico anathema dixerit, & in Dei solius jam judicio positum reprobationis telo perfoderit. Cum hæreticus non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non recta, & contentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipse pro certo dictaverit epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt? Cum ex scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit: Quamvis non ignoremus, docente S. Maximo in epistola sua, quam Marino scripsit presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Joannem Abbatem.* Hactenus satis sobriè sapit Anastasius. Ubi adverte unum ex Romanis Pontificibus apologiam pro Honorio texuisse Joannem, & quidem longè ante Synodum: non Severinum, non Theodorum, non Martinum, etsi huic objecta sit occasio & penè necessitas: non Engenium, Vitalianum, Adeodatum, Donum: non Agathonem, etsi his magis liceret ante Synodum. Quod enim ait Agatho in epist. vel suggest. *Unde & Apostolica memoria prædecessores, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitana Ecclesiæ præsules introducere conabantur, nunquam neglexere eos hortari atque obsecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, saltem tacendo, desisterent.* His verbis, *saltem tacendo*, dispensationem Honorii videtur ille quidem attingere, & commendare: sed pleniorem sanè, quàm unius & alterius verbuli apologiam, Honorii facinus desideraret. Adverte 2. epist. Honorii controversias evidentissimè ab Anastasio demonstrari, non Synodicas, non dogmaticas, non publicas, sed privatas & penè furtivas; utpotè quas dubium sit, an Pontifex ipse dictaverit: utpotè quarum fortassis omnis error in unum refundi posset Scriptorem, qui protervia vel odio in Pontificem, suum in eas privatum virus eructasset. Itaque nec sic errasset è Cathedra sua definiens quid Pontifex. Adverte 3. longè excusatius esse Honorio, quàm ejus epistolæ patrocinari. Nam Honorius potuit epistolam non dictasse, potuit de ea dictata pœnituisse, potuit sequacem & morigerum ad monitoris siquis obtigisset verba animum gestare. Facta hæc sunt, non jura. In factis potuit Synodo per mendacia testimonia, vel per veracium testium penuriam imponi. Siquid ergo novæ lucis à novis exoriretur posteà experimentis, posset non procaculus quisque, sed Synodus alia prioris Synodi retractare gesta, & si juberet veritas eliquatior, emendare. At scriptæ semel epistolæ judex idonea est Synodus Oecumenica, nec ibi locus est superioribus effugiis.

XXXIV. Sed ultra evehitur & præter metas vehitur Anastasius ibid. *Esto & ipse dictator extitit, quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem investigavit? Quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti aut emendare volenti restitit? Præsertim cum in Evangelio illo in quo dicitur, Nolite judicare & non judicabimini, &c. nihil aliud præcipi magnis etiam magistris videtur, nisi ut ea facta quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri possint de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus. Sed ne videamur tam sanctam, tamque reverendam Synodum accusare, vel temerè reprehendere, licere nobis opinamur de illa sentire, quæ Sanctos Patres nostros de Chalcedonensi magna Synodo sensisse non ignoramus. Quorum unus sanctus videlicet Papa Gregorius, usque ad prolationem tantummodo Canonum hanc suspiciendam fore signavit.* Addit & de secunda Synodo. Erubuit tantæ Synodo vir alioqui egregius; & effusiorem licentiam patrocinio magnorum Pontificum excusare laboravit. Incassum omnino: Nam adverte rursum primò intentionem Honorii non excusari tantùm, sed & laudari posse, nec eo tamen clypeo deflecti posse ab eo meritæ damnationis jaculum. Et Typi enim intentionem laudavit, & Typum tamen ipsum damnavit cum Synodo sua Lateranensi Martinus. An ergo & Martinum, & Romanam Synodum iisdem onerabit convitiis? Num per Martini contumelias Honorio consultum volet? Si alterum causa cadere necesse est, satius est prostratum jacere Honorium, quàm sublimem & Christi martyrem deprimi Martinum. Si alterutri dedecus inurendum est, conducibilius est, pœnam debitam ille pertulerit, quàm hic intulerit indebitam. Adverte 2. nequaquam Honorii factum inter illa media referendum esse, quæ ad utrumlibet interpretantis gratia vel odio declinari possunt. Ita enim & Typi damnatio recantanda foret. Sed ut Synodus Romana de Typo censet, ita sexta Synodus de Honorii epistolis, perversum esse, nec unam, nec duas profiteri Christi voluntates & operationes, postquam Sancti Patres exertissimè duas vociferentur: postquam è duabus naturis duæ manifestissimæ effulgescant voluntates & operationes: postquam eo ambiguo silentio unius etiam, vel duplicis Christi naturæ profligata olim contentio recalescat; postquam non integra ampliùs res sit, sed jam Pharanita, jam Sergius, jam Cyrus vel apertè, vel inter has ambages unam & voluntatem & operationem deprædicent, totumque è baratro revehant Eutycheten. Adverte 3. insulsissimam esse extremam Anastasii, qua non Honorium, sed seipsum tegit, defensionem. Quod enim Romano Pontifici licet, num privato cuilibet, num præterea cuiquam licebit, Oecumenicas retractare Synodos, & in eis aliqua suspendere? Quod vel maximum est primæ Sedis decus atque ornamentum, id sibi, id cuiquam communicatum volet Anastasius, & viam ipse aperiet licentiosæ Consorum catervæ, in sacras Synodos impetum facturæ, intactumque nihil relicturæ? Adverte 4. nec Pelagium ipsum, vel Gregorium in dubium vocasse quidquam eorum, quæ à quarta Synodo pertractata ac finita fuerant: sed quæ in controversiam tracta post fuisse contenderunt, ea nequaquam à Chalcedonensi Synodo, sed post eam expletam à quibusdam Episcopis agitata fuisse astruxere. Jam ergo Anastasius non Pontificibus tantùm se æquiparat, sed longo latoque præfert interstitio. Illi siqua emendanda duxere, ea *post prolationem Canonum*, adeoque post finem Synodi actitata priùs excusarunt, non à Synodo: hic *à sancta & reverenda Synodo* statutum præfatur, & mox emendat. Adverte 5. quæ in Græcam Synodum Anastasius blaterat, ea ipso inopino resilire in ipsos Pontifices. Nam & Leo II. & Hadrianus II. negligentiam, proditionem, hæresin Honorii confessi sunt, atque execrati. Nec horum epistolas ullius impostura suspectas habuit Anastasius, sicut nec acta sextæ Synodi. An ergo & hos Pontifices reos aget, tanquam temerè de intentione Honorii judicantes, & malè vertentes, quæ boni consulere & poterant & debebant? Adverte 6. nec ipsi etiam Anastasio curæ tantoperè fuisse, epistolam Honorii, quàm ipsum Honorium purgare. Et quæ in ejus defensionem accumulat ex quarta & secunda Synodo repetitis exemplis, nec ea ipsa quidquam officere nostræ sententiæ. Nam recantatum nihil est de iis, quæ in quarta Synodo decreta fuerant, nempe ante prolatos Canones: & quæ de primatu Sedis Constantinopolitanæ in secunda Synodo fuerant statuta, ea à Græcis tantùm tumultuariè magis, quàm synodicè fuerant acta, Occidentalibus tunc nec præsentibus, nec assentientibus, posteà verò enixissimè dissentientibus.

XXXV. Denique & Anastasio & aliis Honorii patronis, ne Leonem rursus, ne Hadrianū, ne singulos Rom. Pontif. sed universos uno agmine constipatos objiciam: liber Pontificum qui inscribitur *Diurnus*, in professione Romani Pontificis, post cæteros hæreticæ novitatis architectos, Honorium etiam anathemate percellit: *Honarium qui pravis eorum erroribus favorem impendit.* Ubi convenienter antedictis, & accommodatè ad Leonis verba, conniventia magis, quàm hæresis; vel & hæresis, sed ex conniventia Honorio impingitur.

FINIS.

Nº 185
Provincial

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Thomassin, Louis, 1619-1695

Dogmatum theologicorum tomi tres

Bd.: 3

Venetiis 1730

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 2 Th S 216 -3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11205392-7